Digitized by Google

Digitized by Google

Ex Bibliotheca Academiae Lausannensis

Digitized by Google

Digitized by Google

Biblioth: Acad: Laus.

CORPVS HISTORICVM MEDII ÆVI,

SIVE

SCRIPTORES

RES IN ORBE VNIVERSO,
PRÆCIPVE
IN GERMANIA,

A
TEMPORIBVS MAXIME CAROLI M.
IMPERATORIS
VSQVE AD FINEM SECVLI POST
C. N. XV. GESTAS
ENARRANTES AVT ILLVSTRANTES,
E VARIIS CODICIBVS MANVSCRIPTIS
PER MVLTOS ANNOS COLLECTI
ET NVNC PRIMVM EDITI
A

JO. GEORGIO ECCARDO.

TOMVS SECVNDVS.

BIBLIOT. ACADEM. LAUSAN
LIBERTÉ ET PATRIE

LIPSIÆ,
APVD JO. FRID. GLEDITSCHII B. FIL.
ANNO M DCC XXIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

BENEVOLO LECTORI
S. P. D.
IO. GEORGIVS ECCARDVS.

QUantum utilitatis historiam medii ævi excolenti afferant Diplomata & Epistolæ a magnis in Ecclesia & Republica viris conscriptæ, satis manifestum est. Unde *Udalrici Babebergensis Codex Epistolaris*, in quo hujusmodi monumentorum non parva copia congesta est, gratia sua apud rerum intelligentes non carebit. Compositus is est anno 1125. ut ex versibus compilatoris, in fronte libri extantibus, cernimus. Non alio vero fini collectus est, quam ut Chartarum inde, Epistolarumque formulæ haberi possent. Unde etiam in Diplomatibus Epistolisque nomina propria personarum & locorum plerumque omissa sunt, quæ tamen ab historiæ perito facile exsculpi poterunt. Primus Codicis hujus notitiam nobis dedit Sebastianus Tengnagelius Cæsareæ Bibliothecæ quondam Præfectus, & inde plura Veteribus Monumentis anno 1612. Ingolstadii editis inseruit, alia vero, Bambergensem præsertim ecclesiam concernentia, Jacobo Gretsero communicavit. Aliqua etiam ex iis, quæ Codice hoc continentur, alibi tamen inventa, in Goldasti scriptis pro Imperio invenias. Collatio autem nostri Codicis cum antecedentibus talium editionibus non inutilis erit. Et cum libri hi rarissimi sint, omnia, ut erant in Codice Cæsareo, quem Augustissimi Imperatoris gratiosissimo indultu Vienna transmissum olim describi curavimus, hic Benevolo Lectori exhibemus. Scripta, quæ controversiam inter Imperium & Sacerdotium sub Imperatoribus Henricis IV. & V. concernunt, lectu præsertim dignissima sunt & Seculi Undecimi ac Duodecimi ineuntis res mire illustrant. De Wigberto sive Clemente III. Papa vix alibi tot notabilia invenies. M. R. Pezius Thesauro Anecdotorum suo ad S. Emmerani Ratisbonensis Monasterium attinentia Diplomata ex Chartulario hujus loci integra protulit; cum tamen nactus esset Udalrici nostri Codicem Zwetlensem vetustissimum, nihilominus eum editioni dignum judicavit & consilium hoc suum Actis Eruditorum anni 1717. pag. 30. sqq. inseri curavit. Dedit ibi Indicem Codice hoc contentorum, singulisque, quæ nondum edita putarat, stellulas addidit. Tunc vero Tengnagelii & Gretseri scripta ad manus non habens Pezius, edita jam ab iis inter anecdota numeravit; sumpsit inde occasionem Vir eruditus, qui sub Angeli Fonteji nomine latere voluit, Epistolam edendi, qua errorem hunc, viro alias doctissimo facile condonandum, notat, & ea de causa integrum Udalrici Codicem ne-

Digitized by Google

quaquam publicandum esse putat, præsertim cum inter nondum evulgata quædam sint, quæ præstet sempiterna nocte damnari. Verba Fonteji ipsa sunt: *Est deinde ineditorum delectus quidam, ut mihi videtur, adhibendus: neque enim, quæ in chirographis adhuc latent, omnia indiscriminatim in apertum sunt referenda: invenias quædam præ levitate publica luce minus digna; quædam alias ob causas sempiterna nocte damnanda; cujusmodi esse duco Epitomen illam Operis cujusdam de controversia inter Hildebrandum & Imperatorem Henricum, a T. Osniburgensis Ecclesiæ puerorum introductore confectam, nonnullasque Epistolas, quas Schismaticorum offuciis, calumniisque oppletas esse suspicor. Quid enim attinet, Catholicum præsertim ac Religiosum Virum, obductam jam Ecclesiæ cicatricem refricare, eorumque Scriptorum numerum augere, quæ non sine dolore in Collectionibus Illyrici, Schardii, ac Goldasti scimus contineri.* Sed M. R. Pezius ad singula Fonteji monita mox libello respondit, cujus rubrum est: *P. Bernardi Pezii Benedictini & Bibliothecarii Mellicensis Dissertatio Apologetico-Literaria ad Perillustrem & Eruditissimum D. D. Jo. Benedict. Gentilottum ab Engelsbrun Sac. Cæsareæ Majest. a Consiliis & Bibliotheca pro Editione integri Syntagmatis Diplomatico-Historico-Epistolaris Udalrici Babenbergensis ex Codice Zvvetlensi, impugnata a V. Cl. Angelo Fontejo Veronensi in Epistola data ad V. Cl. Jo. Burchardum Menckenium, Potentissimi Regis Pol. Consiliarium & Historiographum, Kal. Maji M DCC XVII.* Quæ hic erudite Fontejo reponit Pezius, Benevolus Lector ex libello ipso, si lubet, percipere poterit. Nos solum observamus, eum ante alia candide profiteri, nihil supprimendum sibi videri ex iis, quæ acerbius de Papa præsertim Gregorio VII. scripta sunt: *Cum Gregorius VII.* inquit inter cætera, *a suis Theologis persvasus, omnium primus Romanorum Imperatorem Henricum IV. de throno dejicere ausus esset; collisis gravissima procella Episcopis, quæstio agitata est; idne ex Dei lege, Sanctorumque Patrum doctrina Papæ liceret, nec ne? adfirmabant alii; alii negabant, asserebantque priorum opinionem hæresim redolere, eamque ob rem sua sede Gregorium excidisse. Ex his non pauci extitere Germaniæ Episcopi, quorum, uti & a Gregorio stantium, ipsiusque Gregorii ea de controversia Epistolæ extant, Codici Udalriciano inclusæ. Jam vero ad suspectam illam Epitomen de Controversia inter Gregorium VII. & Heinricum IV. a T. Osnisburgensi Scholastico conflatam, quod attinet, ea nihil aliud est, quam compendium libri, a VVidone Osniburgensi Episcopo pro Heinrico IV. adversus Gregorium VII. procusi, in quo tria potissimum probare annititur. Primum est; neminem vacante Romana Sede in Romanum Pontificem sine calculo & jussu Romanorum Imperatoris rite potuisse consecrari; Alterum: Heinrico IV. communione Ecclesiæ præter Ecclesiæ commodum fuisse interdictum; Ultimum: non licere Romanæ Ecclesiæ Antistiti, subjectos Imperatori a fide ac juramento, quod ei semel dixerunt, absolvere; quæ tria capita plerosque illius ætatis viros doctos exercebant. Atque hæc illa monumenta sunt, quæ ut tegam, & taciturnitate celem, Angelus Fontejus cupit, ni Ecclesiam Heinricianis fluctibus iterum involvere, Romanumque Imperatorem cum Sede Romana, seu Imperium cum Sacerdotio velim collidere; quod facinus utique non laude, sed omnium Christianorum, ne dum Catholicorum, præsertim Religiosæ vitæ addictorum hominum horrore ac detestatione dignissimum foret.* Addit Pezius, sibi, ut omnibus, qui vetera monumenta edunt, propositum esse, exponere non *quam recte*, sed *quid senserint antiqui*, nullo penitus eorum dissimulatione transmisso, quæ veri perquisitionem procliviorem reddere possint, sive ea sanctimonia vitæ claris quibusdam viris honorifica fuerint, sive secus. Concludit; secus acta reticere, non esse probi viri: &, si reticeantur, Protestantibus sagacioribus perennem Pontificios de dissimulationis crimine postulandi ansam dari: Historiam præsertim ecclesiasticam sincere enarrandam esse. Hanc in rem egregium

Mel-

Digitized by Google

Melchioris Cani locum ex illius libro IX. Loc. Com. p. 650. affert, ubi: *Dolenter*, inquit, *hoc dico potius, quam contumeliose, multo a Laërtio severius vitas Philosophorum scriptas, quam a Christianis vitas Sanctorum; longeque incorruptius ac integrius Svetonium res Cæsarum exposuisse, quam exposuerunt Catholici, non res dicam Imperatorum, sed Martyrum, Virginum & Confessorum. Illi enim in probis aut Philosophis aut Principibus nec vitia, nec vitiorum suspiciones tacent; in improbis vero, etiam colores virtutum produnt. Nostri autem plerique vel affectibus inserviunt, vel de industria quoque ita multa confingunt; ut eorum me nimirum non solum pudeat, sed etiam tædeat. Hos enim intelligo Ecclesiæ Christi cum nihil utilitatis attulisse, tum incommodationis plurimum. Nominibus parco, quoniam hujus loci judicium morum etiam est, & non eruditionis tantum, in qua liberior potest esse censura. Nam quæ morum est, hæc debet profecto esse in vivos cautior, & in mortuos reverentior. Certum est autem, qui ficte & fallaciter Historiam Ecclesiasticam scribunt, eos viros bonos atque sinceros esse non posse, totamque eorum narrationem inventam esse, aut ad quæstum, aut ad errorem; quorum alterum fœdum est, alterum perniciosum.* Aurea certe hæc verba notari merentur ab iis, qui omnes hominum sacrorum nævos obtegunt, eosque, heroum instar Romanticorum, sine labe nobis quotidie sistunt. Fonteji tamen objectiones cum arripi potuissent a malevolis, & inde tricæ necti optimo Pezio, hinc commotus is esse videtur, ut ab editione Codicis Udalrici abstineret. Nos itaque, ne diutius lateat, eum e Codice Cæsareo producimus boni publici causa. Animus erat, in singula ejus Capita quædam annotare, quibus obscuriora explicarentur; negotia vero quæ nobis jam sunt multa, hoc institutum impedierunt. Obiter indicamus, Cap. X. extare *Epistolam Udalrici Augustensis Episcopi ad Nicolaum Papam de continentia Clericorum.* Eadem jam olim in Catalogo Testium veritatis Flacii, in Antilogia Papæ & alibi sub nomine *Udalrici Episcopi Augustani* impressa est. In veteri Epistolarum Ecclesiasticarum collectione MSta, quæ in Regia Bibliotheca Hanoveræ reperitur, ejusdem initium hoc est: *Nicolao domino & patri pervigili Sanctæ Romanæ Ecclesiæ provisori G. solo nomine Episcopus amorem ut filius, timorem ut servus.* Nicolaus II. Papa anno 1058. electus & an. 1061. mortuus, Concilium anno 1059. Romæ celebravit, in quo Clericorum conjugia prohibuit. Et hac occasione Epistola, de qua agimus, conscripta est. Sed diu ante, anno nempe 973. jam obierat Udalricus Episcopus Augustanus, ejusque ætate nulla de conjugiis Clericorum quæstio mota est. Episcopum vero in Germania nullum *Udalrici* nomine sub Nicolao II. invenias, multo minus *Augustanum*, Suspicor hinc, hominem veteris literas ducendi rationis ignarum cum G. invenisset, id V. esse putasse, & *Udalricum* interpretatum; cum vero Udalrico Episcopo Augustano nullus hujus nominis celebrior esset, eidem Epistolam hanc oscitanter adscripsisse, & asseclas hinc plures ea in re accepisse. Codex vero Hanoveramus clare admodum G habet: & fuere Nicolai II. Papæ tempore duo Episcopi satis clari, quorum nomina ab ea litera incipiunt, *Gundacarus* nempe *Episcopus Eistetensis* & *Guntherus, Cancellarius Regius & Episcopus Bambergensis.* Hic Henrico IV. Imperatori addictus erat; & Bambergenses scriptores eum *virum in omni scientiarum genere versatum, raræ eloquentiæ laude celebratum ac literis tam divinis, quam humanis eruditum appellant*, id quod in authorem Epistolæ ad Nicolaum Papam quadrat. Unde etiam huic eidem illam adscribendam esse non immerito censemus. Sed ad alia properandum.

II.

Epistolæ, quas hic adjungimus, e Codice, qui olim S. Kiliani Wirceburgensis fuit, depromptæ sunt, atque in Sirmondi *Operum Hincmari Archiepiscopi Remensis*

 editione

Digitized by Google

editione desiderantur. Illustrant illæ controversiam, quæ huic Præsuli cum Hincmaro Episcopo Laudunensi intercessit. Sed cum jam a typographo nostro impressæ essent, vidi demum, easdem a Ludovico Cellotio S. I. post Concilium Duziacense ex Codice Bibliothecæ Palatinæ Vaticano publicatas, atque a Labbeo & Cossartio etiam Conciliorum Universalium Tomo VIII. pag. 1789. sqq. insertas esse; quod Lector benevolus ægre non feret, cum præsertim & Cellotii libellus & Concilia laudata non admodum sint obvia.

III.

Hermanni Corneri Chronicon jam olim Francisco Irenico notum fuisse, ex quibusdam Exegeseos ejus locis Meibomius in Vindiciis Billinganis Scriptor. German. Tomo III. pag 38. concludit. Citarunt idem atque usurparunt Henningesius Operis Genealogici author, Meibomius ipse variis in locis, Bangertus in notis ad Helmoldi ac Arnoldi Chronica Slavorum, Calixtus in libello de Conjugio Clericorum, Hallervordius in Bibliotheca curiosa & in Spicilegio de Historicis Latinis, Leibnitius in Introductione ad Scriptores Brunsvicenses, Fellerus & Hechtius. Res gestæ in eo exponuntur ab exordio Mundi usque ad annum Christi 1435. Quæ ab initio usque ad Caroli M. tempora habentur, studio omisimus, tanquam a veteribus & contemporaneis scriptoribus melius exposita. Reliqua candide & curate pro viribus nunc edimus, utpote, quæ plura notabilia nec alias obvia exponunt. Fatetur ipse, se in rebus a sua ætate remotis secutum *Vincentium, Henricum de Hervordia* & *Martinum Polonum*. In opere tamen ipso ad plures alios authores, partim nondum detectos, frequenter provocat, *Josephum* nempe, *Chronica Romanorum, Saxonum, Lubecensium, Obotritorum, Danorum, Francorum, Anglorum* &c. *Gesta Gothorum, Romanorum, summorum Pontificum & Pontificum Hamburgensium; Chronica item Turpini, Usuardi, Luitprandi, Sigeberti, Egghardi, Helmoldi, Hugonis Floriacensis, VVilhelmi, M. Eylardi, Schoneveldi, Historiam Scholasticam, Jacobum de Voragine, Vitam S. Bernvvardi, Baldrici Historiam Hierosolymitanam, Viaticumque Narrationum.* Ipse Hermannus Cornerus Ordinis Prædicatorum & quidem Lubeca oriundus fuit. Meminit, se aliquando *Cursorem sententiarium* Magdeburgi fuisse & Anno 1406. Hamburgi Synodo provinciali interfuisse. Anno 1421. se Treviris egisse pariter indicat. V. Cl. Johannes Henricus von Seelen Rector Lubecensis meritissimus in erudito *Selectorum Literariorum specimine tertio* notitiam Chronici Corneriani exhibuit, unde didicimus, Hermannum ibi in Cœnobio Dominicanorum ad Arcem vixisse, & in Chartis ejusdem loci anno 1420. 1421. & 1422. *Lectorem* (Germanice *Lesemeister*) an. 1426. & 1429. ex *Senioribus Fratribus* unum, an. 1432. *Baccalaurium* & an: 1436. & 1437. *Magistrum S. Scripturæ* vocari, quod olim idem erat ac Doctor Theologiæ; unde in Excerptis ab Illustri Leibnitio Tomo III. Scriptor. Brunsvic. p. 199. sq. editis recte *Doctor* nominatur. Narratur ibi *Henrici Visculii* Consulis Luneburgensis filios *VVilhelmum* & *Nicolaum* cum matre *Beata* Chronicon Doctoris Hermanni Corneri describi curasse per Tilemannum Rotherhofium, qui opus hoc inceperit anno 1445. in primo Jejunii die Veneris, illudque absolvisse eodem anno die Sabbathi ante Festum S. Luciæ. Hoc ipsum Chronici hujus exemplar in membrana majori nitide exaratum & duobus grandibus tomis comprehensum asservatur adhuc in Bibliotheca Amplissimi Senatus Luneburgensis, eoque nos ad editionem usos esse grati confitemur. Similis vero Codex Lubecæ quoque habetur, quem Cl. Seelenius, cum de Cornero commentaretur, ante oculos habuit. Helmstadii vero in Bibliotheca Julia dxtant *Chronica Fratris Kærners a Constitutione Romanæ civitatis*, ut inscriptio Codicis Chartacei habet.

Digitized by Google

habet. Procedunt ea quidem etiam usque ad annum 1435. sed in pluribus a Codicibus Luneburgensi & Lubecensi differunt, qui ab orbe condito incipiunt. Præfatio etiam diversa est. Unde eam hic adjicimus: *Quoniam infima hujus mundi diligenti animo intuenti satis lucide apparet, quod librorum copiosa universitas, præsentis vitæ exigua brevitas, memoriæ atque reminiscentiæ sedula labilitas non patiuntur omnia dicta & præcepta pariter animo apprehendi; quare mihi, omnium fratrum meorum minimo, visum est, ut pro modulo mei ingenii, divino juvamine mediante, ex plurimorum librorum summa unum opusculum compingerem compendiose & summatim, in quo vitæ gestaque gentilium & Philosophorum, nec non bella Regum, tam eorundem, quam Christi fidelium, una cum moribus & factis Pontificum orthodoxorum legentibus & audientibus patefierent, ut non tantum ex Philosophorum moribus ac prælucidis multorum Romanorum conversationibus Pontificum ad exstirpandum scelera, sectandumque virtutes excitarentur, verum etiam ex bellis famosis circumquaque usque in præsens per orbem inter diversa regna & reges commissis; vel antequam veniret Rex noster pacificus, qui locutus pacem in plebem suam, quanto fervore contra hostes spirituales & pro gloria cœlesti pugnare debeant, informarentur. Illi quidem, utpote infideles, hujus salutis & gloriæ ignari & penitus exsortes, tam acriter dimicaverunt pro salute temporali, tantum ad gloriam momentaneam vel adipiscendam vel tuendam. Ex cædibus quoque hominum in eisdem præliis innumeraliter perpetratis licet advertere severitatem Dei in reprobos, quos quasi pecora vilia, viliter & abjectos reputans, peccatis eorum exigentibus, tot eorum millia, tanquam innumerabiles multitudines in singulis fere bellis per manus hostium interire, simulque in corpore & anima passim perire permisit. E contrario vero bonitatem ejusdem & clementiam in electos, pro quibus veniet in fine rex Israel, mutato habitu, ne agnosceretur ab hostibus, vel forma servi suscepta nostræ mortalitatis armis indutus, ut quod infirmum est Dei, fortius esset hominibus, in campum hujus mundi pugnantes, contra quos debellaturus advenit, & ut eos ab utraque morte misericorditer liberaret, usque ad proprii sangvinis effusionem multiplicem & copiosam, insuper & usque ad mortem ignominiosissimam tam fortiter agonizavit & vicit.*

Est igitur initium hujus opusculi ab constructione egregiæ civitatis Romæ. Sicut enim legitur in Speculo Historiali, ab antiquo duæ fuerunt tantum civitates per totam Theutoniam; una, quæ vocatur Treviris super Mosellam aquam situata, multum nobilis, ubi adhuc viget Archiepiscopatus solempnis, quæ fertur constructa temporibus Abrahæ, anno ætatis suæ septimo; Alia autem civitas vocatur Bardewyk, per medium miliare distans a Luneborch, quæ jam excidium passa, sita fuit super flumine Elmenowe, & constructa constiterat ante ipsius destructionem ad 2060. annos. Ejus autem destructor fuit Hinricus Leo Magnus Dux Saxoniæ & Westphaliæ, ut infra patebit anno Domini 1180.

In reliquis pleraque conveniunt cum nostra editione; sed plura omissa sunt, pleraque brevius comprehensa: Anni quoque non ab initio cujusvis paragraphi adjecti, sed in margine saltem annotati & circa finem plane neglecti: nec authores, unde narratio desumta, ubique adduntur. Ferme itaque puto, hoc exemplar primo ab Hermanno in chartam conjectum, & deinde eo modo illustratum & auctum esse, ut in Codice Luneburgensi comparet; unde & hanc ultimam editionem non sine causa *Chronicam novellam* Hermannus inscripsit. Primæ tamen editionis exemplar adhibuit ignotus author in Regia nostra Bibliotheca extans, qui in Saxonicam Linguam id transtulit & usque ad annum 1438. continuavit. Ill. Leibnitius hanc continuationem, quod res Brunsvicenses & Luneburgenses illustraret, Scriptorum Brunsvic. Tomo III. p. 203. sq. inseruit. Nec insolitum olim fuit, authoribus medii ævi, ut librorum suorum aliquot editiones darent.

Sic

Digitized by Google

Sic Engelhusius Chronicon suum primo succincte admodum contexuit, uti id in Codice Bibliothecæ Gandershemensis invenimus nuper. Deinde idem auxit per varias vices, ut ex Præfatione Leibnitiana Script. Brunsv. T. III. pag. 54. apparet, ac quotiescunque describeretur, toties aliquid novi passim adjecit, ut ipsi observavimus in variis ejus Codicibus, quos vidimus.

IV.

Non tralatitiam attentionem merentur *Expeditiones in Terram Sanctam*, magnarum in Europa mutationum causæ, & malorum ineffabilium origo. In usum deduxit eas zelus quorundam seculi Undecimi Principum Papæque Urbani II. non admodum discretus, & bonis moribus, paci publicæ, majestatique Imperatorum postea sæpius noxius. Aliquid tamen inde quoque commodi in rempublicam redundavit. Iis enim rei militaris scientia maxime aucta; ars, quam vocant, Ingeniaria exculta; pulverem pyrium inveniendi occasio data; cuniculos subterraneos ducendi & Fortalitia per ignem & incensum pulverem pyrium subruendi modus ad summum perductus; ars nautica promota; commercia orientalia stabilita, ut alia taceam, majore opere aliquando exponenda. Scriptores de hisce expeditionibus sacris veteres, plerosque origine Gallos, sub titulo *Gestorum Dei per Francos* publicavit olim Jacobus Bongarsius. Justum inde est, ut & quosdam e Germania ortos eadem de re authores edamus: Damus tibi itaque, Lector benevole, hic primo *Viam Hierosolymitanam* sive itineris in Terram Sanctam brevem descriptionem seculo duodecimo confectam, atque ex Codice Membranaceo Bibliothecæ Cizensis deprompptam, quæ ab anonymo in commodum eorum, qui in Terram illam iter suscepturi erant, confecta est.

V.

Excipit illam *brevis Historia Occupationis & amissionis Terræ Sanctæ* a Godefredi Bullionei expeditione usque ad finem seculi duodecimi decurrens. Invenimus eam in Codice Eminentissimi Electoris Moguntini membranaceo & sub initium seculi XIII. conscripto, quo & Ottonis & Acerbi Morenarum historia continebatur.

VI. VII.

Oliverius natione Westphalus, Canonicus primum Paderbornensis Ecclesiæ fuit, ut ex variarum literarum subscriptionibus apud Schatenium patet. Translatus deinde est Coloniam ibique Scholastici & Magistri munus adeptus est. Anno 1210. una cum Johanne Sanctensi Scholastico militiæ cruciatæ adversus Albigenses præco & cohortator fuit, ubi & in familiaritatem S. Dominici venit, ut Cæsarius Heisterbacensis Miracul. lib. VII. c. 24. indicat. Suspicor autem, jam antea Oliverum in Albigensibus ad obedientiam Romanæ Sedis reducendis strenuam operam navasse. Innocentius enim III. Papa lib. x. Epist. 201. Episcopo Gebennensi & Abbati Bonæ Vallis Viennensis diœcesis scribit, se indigne ferre, quod Gratianopolitanus Episcopus *Ecclesiam Aspernadi* Magistro Olivero concessam, ei subtraxerit; mandatque, ut Episcopum hunc cogant, quo illam memorato Magistro sine dilatione resignet. Pretium igitur operæ apud Albigenses impensæ ista Ecclesia fuit. Epistola Papæ scripta est 3. *Kalend. Februarii, anno decimo* Pontificatus, hoc est, anno Christi 1209. Anno 1215. in Conventu Aquensi, eodem Cæsario lib. X. c. 7. teste, literis Apostolicis, quæ a Baluzio Epist. Innocentii III. Papæ lib. XVI. Epist. 29. editæ sunt, ad id deputatus, crucem adversus Infideles in Brabantia, Flandria, Frisia & vicinis provinciis cum Arnoldo discipulo suo prædicavit; & anno 1217. cum multis Principibus classe per mare in Terram Sanctam ivit. Cæsarius

lib.

Digitized by Google

lib. IX. c. 13. idem prodit, & Albertus Stadensis ad eum annum: *Multi*, inquit, *peregrini versus Hierusalem sunt profecti, petentes de Marsalia Terram Sanctam: in quorum comitatu erat Magister Oliverus, prædicator famosissimus, postea Paderbornensis Electus & tandem S. Sabinæ Presbyter Cardinalis.* Christianis ibi adversus Infideles pugnantibus & anno 1218. Damiatam obsidentibus animos addebat, ferventissimus & facundissimus sui seculi orator. Horas hic subsecivas compositioni duorum libellorum impendit, quorum unus agit de *Regibus Terræ Sanctæ*, & res Christianorum in Oriente gestas ab anno 1095. usque ad annum 1218. complectitur; Alter hujus continuatio est, & *Historia Damiatina* appellatur, atque ab anno 1217. incipiens, captionem Damiatæ pluribus exponit; deinde, quomodo urbs hæc iterum amissa sit, addit, ac historiæ suæ filum in anno 1222. abrumpit, quo nempe cum aliis Christianis militibus & Principibus in Europam reversus est. Godefridus Monachus S. Pantaleonis anno 1218. narrat, Oliverum Scholasticum ad Damiatam, *ex puris eleemosynis pauperum ædificium construxisse, in quo erant propugnacula & pons &c.* Anno 1223. præmium operæ navatæ tulit Episcopatum Paderbornensem, isque ei anno 1224. ab Honorio III. Papa confirmatus est literis solennibus, quas Schatenius recenset. Gobelinus Aetate VI. c. 64. & Eisengreinius in Catalogo Testium veritatis tradunt, Oliverium tunc Synodo Cleri congregata, *Superiorum Synodorum Decreta & laudabiles consuetudines Sacrorum ac temporum in unum Codicem collegisse*, qui tamen nondum detectus est a quoquam. Anno 1255. Oliverius cum Engelberto Coloniensi Archiepiscopo in Italia fuit, & Gelenius in hujus Vita lib. III. not. ad cap. 8. adducit Friderici II. Imp. Diploma, quo hoc anno mense Julio apud S. Germanum ad radices montis Cassini Engelberto modo dicto prædium Rickterichium donavit & confirmavit, cui *Oliverus Paderbornensis Episcopus* subscripsit. Hinc is Romam evocatus & ab Honorio Papa consecratus est, ut concluditur ex ipsius Honorii Epistola ad Canonicos Paderbornenses anno 1226. data, cum, Oliverio in numerum Cardinalium tunc cooptato & Episcopo Sabinensi creato, iis alium Episcopum eligendi facultatem concederet. Extat illa apud Schatenium Annal. Paderb. p. 1009. Sed diu dignitate Cardinalitia gavisus non est Oliverius; ex iis enim, quæ Schatenius in medium affert, evidens fit, eum anno 1227. decessisse. Idem Schatenius meminit Operum Oliveri, *Historiæ* nempe *Regum Terræ Sanctæ* & *Damiatinæ*, & addit: *Pia & erudita Oliverii Monumenta, quæ manuscripta servantur in Bibliotheca Ferdinandi Episcopi nostri, dignaque, quæ ex prælis in publicam lucem proferantur.* Votum Schatenii hoc nos jam implemus, Codice Membranaceo ex Bibliotheca Ferdinandi, qui illum a Medico doctissimo Bernhardo Rottendorfio acceperat, ad Adolphum Overhamum Benedictini ordinis olim insigne membrum, & post obitum ejus in peculium Monasterii S. Ludgeri Helmstadiensis, tandemque, benevolentia Roberti Verboekhorsti Præpositi ejusdem loci præterito anno defuncti, ad nos delato. *Historia Regum Terræ Sanctæ* plane nondum impressa hactenus fuit. Vossius lib. III. de Hist. Latinis pag. 715. refert, Oliveri librum *de Expeditione Hierosolymitana* Lovanii apud S. Martinum extare, quem *Historiam Damiatinam* esse puto. Hanc subinde in obsidione Damiatæ continuavit, & per partes huc illucque misit. Sic enim Partem ejus a Capite XI. usque ad Caput XIX. misit & inscripsit Archiepiscopo & Ecclesiæ Coloniensi his verbis: *Honorabilibus Dominis suis, Engelberto Coloniensi Archiepiscopo, Majori Præposito, Majori Decano, cæterisque Prioribus, totique Clero Oliverus peccator, servus empticius crucis sic dictus, Coloniensis Scholasticus per viam salutis ad æternæ beatitudinis consortium pervenire feliciter. Sapiens corde & fortis robore &c.* Ultima vero verba sic immutavit: *Tu Colonia, civitas Sanctorum,*

ctorum, ut quæ in hortis rosarum, martyrum; Liliorum, Virginum; violarum, Confessorum, nunc pace temporali per venerabilem Archiepiscopum vestrum gaudens habitas, pro devotione filiarum tuarum flecte genua cordis tui coram altissimo, qui vitæ & mortis habet imperium. Noli alta sapere, sed time coram ipso; vias tuas argue, ne furor iræ Dei, qui stillavit super te, convertatur in grandinem; sed tranquillitate temporum diu concessa, ei, cui bonor est & excellentia, virtus & potentia, libera mente deservias. Hanc vero partem Historiæ Damiatinæ in forma Epistolæ ad Engelbertum Archiepiscopum Coloniensem destinavit, prout eam Bongarsius ex Codice Pauli Petavii primus edidit. Deinde eandem produxit usque ad Capitis XIX. verba: *Majus auxilium tulisti, quam residuum totius regni Teutonici.* Atque ita extat Gvelferbyti in Codice membranaceo Gudiano. Postea addidit plura usque ad finem Capitis XXIV. Hoc exemplar nactus est Thomas Gale atque suis Anglicarum rerum Scriptoribus, sine nomine tamen authoris, inseruit. Jacobus de Vitriaco suo tempore habuit eandem Oliverii historiam usque ad finem Capitis XXVII. productam, eamque, insigni plagio commisso, nec nominato authore, suæ Historiæ Hierosolymitanæ verbotenus immiscuit. Reliqua nos primi in lucem producimus, quanquam ex iis, quæ Ubbo Emmius Lib. VIII. rerum Frisicarum habet, facile intelligamus & illum integrum hoc Oliverii opusculum vidisse. Adducit enim sensum ultimorum verborum de amissione Damiatæ, quo Oliverus queritur Christianos in Teutonicos & præcipue Frisios ingratos fuisse, quorum tamen opera præcipue antea urbem hanc cepissent.

VIII.

Cum cruce signati Christiani circa annum 1220. & 1221. ad Damiatam cum Infidelibus continuo præliarentur, & sorte quidem plerumque non prospera, fama venit *de Davide Rege Tartarorum* ex Presbyteri Johannis gente oriundo, potentissimo & Christiano, qui in Asia Regna ingentia subegisset, & Christianis adversus Turcos auxilium missurus esset. Hac erigebantur animi militum nutantes & pessima quæque a Turcarum copioso exercitu timentes. Pelagius Cardinalis Albanensis & Papæ legatus ac Templarii miras de Davide relationes studiose divulgabant ipsique Papæ scribebant, ut eo solicitius de subsidiis in Terram Sanctam mittendis cogitaret, nec spem amitteret, res ibi collapsas restitui posse. Ex hisce vero Relationibus una est, quam hic ex Codice Membranaceo Cizensi damus, atque ad quam Oliverius Historiæ Damiatinæ cap. 33. non obscure provocat. Aliquid veri ei inesse non dubito, omnia tamen vera esse vix credo. Albericus certe annotat sub anno 1222. Regem David & Tartaros movisse quidem cum exercitu versus Terram sanctam; Sed cum audissent Damiatam esse perditam, per insulas maris, prout melius potuerint, in patriam suam reversos esse, & *totam famam, quæ de illis sparsa fuerit, in brevi evanuisse.*

IX.

Quæ tot impensis tantaque sanguinis Christiani profusione occupata erat olim Terra Sancta, tandem ad Infideles rediit, *Ptolemaide* sive *Accone*, quæ & *Acris* dicitur, anno 1291. occupata, quæ post tot clades sola hactenus Christianis in Oriente reliqua fuerat. Bellum e longinquo feliciter geri vix posse discebant suo tunc damno Christiani, & luebant simul pœnas vitiorum diversorum, luxuriæ, avaritiæ, invidiæ, neglectæ disciplinæ militaris, discordiæque suæ. Legatum etiam Pontificis ad amissionem Acconis plurimum contulisse ex authore nostro seculi XIV. Poëta intelligimus, qui solus peculiari libro hanc historiæ partem pertractavit. Codex, unde eum edimus, papyraceus olim Sebastiani Tengnagelii

Digitized by Google

gelii fuit, postea is ad Marquardum Gudium devenit, & jam cum cæteris ipsius MStis Gvelferbyti asservatur. Initio & fine quidem mutilatus est, in medio etiam paucula desunt; integram tamen rei, quam describit, seriem adhuc ex illo intelligimus.

X.

Cum anno 1495. Carolus VIII. Galliæ Rex Alpes trajiceret, Regnum Neapolitanum occupaturus, Italiamque universam deinde sibi subjecturus, progressibus ejus obicem posuere Veneti, in fœdera cum Pontifice Maximo, Maximiliano Imperatore, ac Alfonso & Elisabetha Hispaniæ Regibus concedentes, suaque ope, pugnaque Tarrensi Gallum compulere, ut Italia exiret. Novariam quoque a Gallo captam obsedere, & ibi tandem, pace composita, ut ea Ludovico Mediolanensium Duci restitueretur, effecere. Veneti exercitus Medicus tunc erat *Alexander Benedictus Veronensis*, scriptis pluribus clarus & astrologiæ præterea judiciariæ peritus. Is hac in expeditione gesta in diaria retulit, & deinde duobus libris comprehendit. Primum Augustino Barbatico Venetorum Principi dedicavit, eoque pugnam Tarrensem exposuit. Alterum Antonio Bernardo & Georgio Cornelio Equitibus, ac Aloysio Venerio, Decemviris inscripsit, & illo Novariensem obsidionem pacemque tandem compositam recensuit. Stylo utitur non ineleganti & rerum omnium testis oculatus fuit, ut adeo fidem præ cæteris mereatur.

XI.

Catalogos Pontificum Romanorum cujuscunque ætatis non spernendos esse, docuere Papebrochius & Pagius, qui diversos edidere. Is, quem hic producimus, ab Ottonis M. tempore diffusius paulo gesta Paparum refert, & Leonis noni tempore confectus est. Ejus enim nomen quidem habet; sed annos regiminis non addit, nec mortem commemorat, ut in cæteris consvevit. Repertus est a nobis in Codice Membranaceo Bibliothecæ Regiæ, Ottonis Frisingensis Chronicon continente, ad quem editio ejusdem recenseri meretur ab iis, qui aliquando illam nobis reddent: Eleganter enim & distincte exaratus est. Descriptor illius Pontificum nomina a Leone IX. usque ad Anastasium IV. anno 1151. electum adjecit. In MSto vero, ut & hoc notem, folium deest, quod continuit Pontifices ab Agathone usque ad Eugenium secundum.

XII.

Amalricus Augerii de Biterris Prior Monasterii S. Mariæ de Aspriano Ordinis S. Augustini, Helenensis Diœceseos, Doctor Universitatis Montepessulanæ & Urbani V. Papæ Capellanus ex CCIX. Chronicis Pontificum Romanorum collegit *Actus Romanorum Pontificum*, & eos usque ad Johannem XXII. sive ad annum Christi MCCCXXI. perduxit ac Urbano V. dedicavit, ut illis is uteretur in rerum momentis ponderandis. Opus ipsum, quo commodius inveniri quorumlibet Pontificum acta possent, secundum literas Alphabethi atque in MXLVIII. capitula digesserat; hocque modo dispositum nos id in Codice Papyraceo Bibliothecæ Regiæ invenimus. Prætulimus tamen ordinem temporum & successionem Paparum, ac secundum eam idem digessimus; quo ipso non necesse fuit, alios Indices addere. Ab Innocentio III. Papa Amalricus incipit diffusior esse in narratione rerum suæ ætati propiorum. Stephanus Baluzius inter scriptores de Papis Avenionensibus, Vitas Clementis V. & Johannis XXII. ex Amalrico inseruit, quas cum nostro exemplari contulimus, variasque lectiones annotavimus.

Digitized by Google

XIII.

Magna *Johannis Trithemii* fama fuit sub finem seculi decimi quinti. Vitam ejus nondum quis exacte in literas retulit. Unde ipsum eandem scriptaque sua recensentem audire operæ pretium erit. Titulum *Nepiachi* sive *Puerilis* ipse libello dedit. Manuscripto Chartaceo, unde is depromptus est, præscripta erant hæc, quæ non præterire debui, verba: *Jo. Trithemius Abbas Spanhemensis, & S. Jacobi Herbipolensis & Philosophus summus nascitur Trithenheim ad Mosellam tertio a Treveris lapide 1462. Kalend. Febr.* Cæterum cum libello hoc conferri meretur Epistola Trithemii ad Rogerium Sicambrum, quæ est LI. libri secundi Epistolarum Familiarium, ubi similiter Indicem Operum suorum texit: item Epistola Johannis Durachii, discipuli Trithemii, anno 1500. scripta, quam Trithemii Operibus Francofurti 1601. a se editis Freherus præfixit. Coacti autem sumus Nepiachum hic interponere, cum non commodius opusculum pro numero hoc XIII. invenire poteramus, sub quo typographus aliquid ad collectionem nostram non pertinens ex errore inseruerat. Gratiam tamen id suam, alieno licet loco compareat, apud bonarum literarum amantes habebit.

XIV.

Prophetiæ Malachiæ de Pontificibus Romanis vulgo circumferuntur, & Alfonsi Ciacconii, viri doctissimi, expositionem atque Arnoldi Wionis editionem olim meruere. Erat Malachias Hibernus, Monachus Bencorensis, & tandem Archiepiscopus Armachanus factus est. Huic sedi cum aliquot annos præfuisset, humilitatis causa eam reliquit anno circiter Domini 1137. & Dunensi Episcopatu contentus, in eo ad finem usque vitæ permansit, quem anno 1148. die 2. Novembris assecutus est. Extant Epistolæ S. Bernardi tres ad eum, nempe 315. 316. & 317. Scripsisse quoque fertur nonnulla, de quibus Waræus libro I. de scriptoribus Hibernicis & in Commentario de Præsulibus Hiberniæ, nec non Baleus Centuria XIV. poterunt videri. An Prophetiarum tamen illarum author sit, dubitari adhuc valde potest. Interim ab iis nostræ hæ *Prophetiæ* ex Codice eodem, quo Amalricus continebatur, depromtæ omnino differunt, & Satyricæ potius sunt, confectæque ab homine circa finem decimi quinti seculi vivente. Referuntur & censentur in iis acta & mores Nicolai III. Martini IV. Honorii IV. Nicolai IV. Cœlestini V. Bonifacii VIII. Benedicti XI. Clementis V. Johannis VI. Urbani V. & Gregorii XI. Hunc excipientes Pontifices usque ad annum 1400. non nominati quidem; sed tamen censura sua notati sunt, forte quod authori periculosum videretur, in viventes aut recens defunctos sententiam dicere.

XV.

Magistri Vulgerii versus, e Codice Berolinensi a nobis hausti, lepidi sunt & Papæ clerique mores acriter perstringunt. Ex primo versu concluderes, in Papam Innocentium hic ludi. Dum tamen dicitur, Papam voluisse *Gallorum gentem subdere*, sed captivatum esse & in exilium mox fugientem decessisse; certum est, intelligi *Bonifacium VIII.* qui Philippo IV. Galliæ Regi regnum quidem eripere tentabat; sed ideo mox in miserum illum, qui describitur, rerum statum delapsus est. Ipse Vulgerius, ut ex verbis ejus apparet, Papæ jussu sede pulsus, incarceratus, & variis angustiis pressus est. Dictis in Papam lusus quosdam ingenii, proverbiaque subnectit & tandem in clerum suæ ætatis vitiis corruptissimum invehitur.

XVI.

Digitized by Google

XVI.

Notitia Scriptorum quorundam *Concilium Constantiensi* & *Husfi* præsertim *condemnationem* concernentium non ingrata fortasse erit iis, qui Concilii Constantiensis historiam accurate contexunt. Ex paucis quæ hic excerpsimus, satis intelligitur, Sigismundum Imperatorem non adeo innocentem in condemnatione Johannis Husfi fuisse, ac vulgo fertur. Omnia autem hæc scripta extant in Bibliotheca Senatus Hamburgensis.

XVII.

Honoratus Nicquetius Avenionensis S. J. in Libello de Cruce cap. 25. profitetur, *antiquarum rerum Romanæ Urbis Diarium a Lælio Petronio*, *Paulo de Magistris & Stephano Infessura* conscriptum, manu exaratum extitisse in Bibliotheca Fulvii Archangeli Balneo-regiensis. In Bibliotheca vero Regia Hanoveræ inveni deinde Codicem sub hac inscriptione: *Diario della città di Roma di Stephano Infessura, e suoi Antenati, Scriba del Popolo e Senato Romano, dove si vede li maggiori successi della sudetta citta di Roma e di tutta Europa in tempo delli infra scritti Pontefici, Bonifacio VIII. Benedetto XI. Clemente V. Urbano V. Gregorio XI. Urbano VI. Bonifacio IX. Innocentio VII. Gregorio XII. Alessandro V. Giovanni XII. detto XIII. Martino III. detto V. Eugenio IV. Nicolao V. Calisto III. Pio II. Paulo II. Sixto IV. Innocentio VIII. Alessandro VI.* Incipit hic Codex ab anno 1294. & cum Codice Berolinensi, quem postea nacti sumus, convenit usque ad mortem Bonifacii VIII. & quidem usque ad verba: *Regno Otto anni nel Papato.* Quæ vero deinde in Codice Berolinensi sequuntur initio mutilata, de ejusdem Papæ Bonifacii fuga Romam suscepta & misero ejus obitu, usque ad eadem verba: *e regno Otto anni nel Papato* in Hanoverano non extant; sequentia vero iterum conveniunt. Interim narrationi huic initio carenti, in Codice Berolinensi inscriptio præponitur: *Stephani Infessuræ Civis Romani Diaria rerum Romanarum suorum temporum post Curiam Romanam ex Galliis ad Urbem reversam usque ad Alexandri sexti creàtionem.* Sed evidens est, quod Infessura, si solum suorum temporum res descripsit, non potuerit author esse eorum, quæ ab anno 1303. recensentur. Hæc enim ejus tempora longe antecedunt. Unde Inscriptionem hanc a posteriore quodam additam & erroneam esse, credibile est. Odoricus Raynaldus in Continuatione Annalium Baronii *Stephani Infissuræ* (ita enim nomen exprimit) *Diarium* ab anno 1484. usque ad annum 1494. quo suam narrationem Infessura finit, frequenter citat ex Archivio Vaticano, sub num. III. ibi extans. Et notari meretur, ab initio usque in annum 1484. Diarium hoc res Romanas exponens scriptum esse lingua Italica; deinde vero idem latino sermone continuari usque ad obitum Innocentii VIII. Hoc enim a diversis authoribus id confectum esse aliquatenus ostendit. Codex Hanoveranus, ut vidimus, idem compositum esse perhibet a *Lælio Petronio, Stephano Infessura* & *majoribus*, sive antecessoribus, *suis*. Sed, cum unus saltem antecessorum Infessuræ nominetur, inde conjicio, exemplar a Nicquetio nominatum accuratius authores indicasse *Lælium Petronium*, *Paulum de Magistris* & *Stephanum Infessuram*. Hos suos antecessores descripsisse atque excerpsisse videtur Infessura. Et poterit inde prior narratio ab anno 1294. usque ad obitum Bonifacii VIII. desumta esse ex Diario *Lælii Petronii*; quæ deinde (initio mutila) sequuntur usque in annum 1484. Italico sermone scripta poterunt esse *Pauli de Magistris*; reliqua vero Latinis verbis concepta ipsius *Infessuræ*. Sed obstat, quod ipse Infessura jam sub anno 1478. de se loquatur, seque tunc Potestatem Hortæ civitatis fuisse commemoret. Dici tamen etiam potest, hæc

Digitized by Google

hæc verba Infessuram Pauli de Magistris narrationi inseruisse, cum illam in usus suos describeret, circa annum 1484. Scriba urbis Romæ factus. Omnes tres successive Scribas Senatus Populique Romani fuisse verosimile est. De Infessura id inscriptiones Codicis Berolinensis & Hanoverani testantur. Nec ubique invenies alia, quam concernentia statum Urbis, illustres familias Romanas & concertationes Ursinorum & Columnensium, quorum hi Gibellini, illi Guelfi erant. Mores Paparum ingenue hic depinguntur, nec vitiis eorum parcitur, cum authores hi Columnensibus, sedi Romanæ tunc exosis, faverent, injuriasque urbi Romanæ a Papis eorumque asseclis illatas graviter ferrent, atque ita scapham appellare scapham non vererentur.

XVIII.

Piæ memoriæ Leibnitius olim e Guelferbytana Bibliotheca nactus erat Excerpta hominis Galli ex *Diario Johannis Burchardi, Argentinensis Clerici & Ceremoniarum Magistri*, Gallicis partim, & partim Latinis verbis concepta. Ea tanti putavit vir doctissimus, ut anno 1696. separatim faceret excudi. Præfationem tunc opusculo hanc præponebat:

Benevolo Lectori Godefridus Guilielmus Leibnitius S. P. D. Anecdota sive Arcanæ Historiæ exemplum apud antiquos Procopius dedit, qui flagitia aulæ Justiniani Imperatoris occultato libro, nec nisi post Autoris obitum edendo complexus est; quanquam multi odio magis hominem, quam veritatis amore impulsum credant. Nomen Anecdoti operis (des Anecdotes) renovavit nuper in Gallia scriptor elegans, rem ipsam non satis. Rectius ad libellum sub Rege Ludovico XI. scriptum, qui extat titulo Chronici Scandalosi, accommodes; & ad præsens vita Alexandri VI. excerptum. Hujus enim aula nihil fortasse unquam flagitiosius vidit Urbs vel Orbis, certantibus inter se tribus vitiis capitalibus, libidine, perfidia, crudelitate; quibus fastigium imponebat impietas, sacro Ecclesiæ schemate velata, ut scelerum palmam omnibus retro seculis dubiam facere velle videretur. Lucretia Alexandri filia veterem illam cognominem, vindicato pudore celebratam, fama contraria superavit. Cæsar Borgia Dux Valentinus geminato fratricidio & sororis stupro nobilis, perjuriis, veneficiis, percussoribus ita usus, ut patre se dignum probarit; memorabile tamen exemplum orbi dedit criminum infructuose consumtorum; captivus denique, extorris, odii publici victima, & quicquid etiam Machiavellus judicaverit, detestandæ potius, quam commendandæ tyrannidi perpetuo valiturus. Ut qualem poëta fingerent tragœdiam a divina providentia in ipso editam credas. Res igitur Roderici & Cæsaris Borgiarum Patris & filii scripsere multi eloquentes viri, sed jucundum tamen & proficuum erit, legere quæ in literas retulerit simplici stylo, & quantum judicare licet, odio & amore procul, testis rerum, in dignitate constitutus, multaque aperiens, unde rectius judicium feras. Is fuit Johannes Burchardus, patria Argentinensis, Magister Ceremoniarum in Aula Romana, etiam Ecclesiæ Hortanæ a Julio II. Papa præfectus. Integrum ejus Diarium ad manus nostras non pervenit. Excerptis itaque contentos nos esse oportet, in quibus complura etiam memorabilia continentur de Expeditione Caroli VIII. Galliæ Regis in Italiam, & receptione ejus in Urbe Roma, habitisque a Papa honoribus; & de fratre Bajazetis Turcarum Principis, Sultano Zeme, (apud Nostrum ad Italicæ pronuntiationis modum Gem dicto) quem Rex Papæ extorsit. Et de commercio inter Papam & Turcam, nuspiam clarius exposito; hic enim ipsæ mutuæ literæ & Pontificii nuntii mandata exhibentur. Ex quibus intelligitur eo usque inter eos amicitiam processisse, ut etiam in nominandis Cardinalibus Romanæ sedis, ratio Turcicæ commendationis haberetur. Vixit illis temporibus Frater Hieronymus Savonarola Ordinis Prædicatorum, magnæ diu apud Florentinos autoritatis,

Digitized by Google

toritatis, ut respublica quoque ejus consiliis administraretur. Hunc multi Protestantium numerant inter testes veritatis; scripta certe laudem merentur: Cominaeus, qui vidit, pene ut Prophetam commendat. Burchardus & Pontificis & ipsius literas, & fortunae catastrophen tragicam exhibet; cujus narratio, si fida est, Savonarolam inter improbos sanctitatis simulatores collocare oportet: quod tamen in medio relinquo; nam potuit noster decipi narrationibus falsis de homine in aula exoso; nec satis tuto creditur confessionibus per tormenta expressis, nisi aliunde adjuventur. Profuerit tamen ad cautionem haec legisse, ne quem ideo statim laudemus effusius, quia odio Papae nobilitatur. Caeterum Alexandri Sexti crimina nemo aequus ad Papatus vituperationem retulerit; nisi forte per recriminationem, qua careri posse malim. Improbitatem hominis agnoscunt, qui nemini in colenda Romana Ecclesia concedunt. Quin potius interest Pontificii nominis, apparere quanto intervallo praesens Romae facies distet ab illa, quae ducentis abhinc annis fuit. Neque enim temere hodie Pontifices Maximos fieri constat, nisi qui magnis laudibus eminent, & Cardinales similes plerumque ab ipsis leguntur. Vitia erunt donec homines: interea ademto sceleribus regno egregios Viros Romae in throno collocari, nostris temporibus gratulabuntur etiam, qui Romae non favent. Claudam praefationem hoc uno adhuc observato: Burchardum, Ceremoniarum in Romana Curia Magistrum quaedam dignissima notatu consignasse de actis inter Legatos circa honores & praecedentiam, & vel ob hanc causam meritum produci. Ita potior Hungarus Scoto, Monferratensis Senensi, Electores Duce Burgundiae, Rex Romanus Hispano & Gallo. Addatur de lite inter Venetos & Sabaudos; quomodo Oratores Franciae & Hispaniae percusserint se cum capellis & res ita composita est, ut Hispanus primo ex Gallis cederet, secundo praeferretur. Ne quid dicam de quaestione, utrum Cardinalis pro Rege legationem apud Papam obire possit, aliisque id genus, quae in brevi libello legi possunt. Haec Leibnitius. Sed bona fortuna integrum Burchardi Diarium, Alexandri VI. Papae acta recensens, postea inventum est in Codice Berolinensi, unde illud jam damus. Odoricus Raynaldus ejusdem testimonio per omnem Alexandri VI. vitam utitur, illudque in Archivio Vaticano, numero 104. signatum, extare prodit. Burchardus in hoc suo opere non nunquam provocat *ad veteres libros Ceremoniales*; & didicimus demum ex Rainaldo, ipsum quoque alio opere *Diarium Ceremoniarum Curiae Romanae* scripsisse, cujus MStum etiam in Archivio Vaticano extet. Cum enim sub anno 1484. §. 28. mentionem facit Legum a Cardinalibus in Conclavi ante Electionem Innocentii VIII. in propria commoda conditarum, quibus Papa novus adstringendus sit: *Quae vero*, inquit, *Leges inventae sint a Cardinalibus, refert accuratissime praedictus Johannes Burchardus Argentinensis Clericus, sacris Ceremoniis Praefectus in MSto Codice Tabularii Vaticani.* Idem Diarium Raynaldus adducit quoque sub anno 1485. §. 42. ubi de creatione Maximiliani in Regem Romanorum agit. Diarium de caetero Alexandri VI. in Codice Berolinensi misere trajectum erat, & quae non procul ab initio stare debebant, in finem fere rejecta erant. Ut haec in ordinem justum redigerentur, Excerpta Diarii Leibnitiana nobis profuere. Codex quoque Berolinensis Literis Alexandri VI. ad Savonarolam finiebatur; quae vero deinde usque ad finem anni 1505. sequuntur, in Codice solum Excerptorum Guelferbytano extitere. Lectori benevolo & Infessurae & Burchardi editio grata sine dubio erit, tot hactenus ignorata pandens, & res seculi decimi quinti mire illustrans. Optandum esset, ut Burchardi opus de Ceremoniis Curiae Romanae etiam aliquando in lucem prodiret, sed vix aliqua spes hujus nostri voti adest; latet illud in Archivio Vaticano aeternumque latebit. Nos interim praesentibus contenti simus.

Digitized by Google

XIX. XX.

Post Pontificum acta notari a nobis Germanis merentur illustrium Præsulum nostrorum vitæ & res gestæ, inter quas primo loco ponimus *Vitam Bennonis secundi ejus nominis Episcopi Osnabrugensis & fundatoris Monasterii Iburgensis Ordinis S. Benedicti;* quoniam ejus acta lucem inferunt controversiis, quæ sub Henrico IV. Imp. Imperium & Sacerdotium turbabant. Pro imperio stabat Benno, probitate pietateque meritus, ut post mortem pro Sancto haberetur. Moderati tamen ut erat ingenii, non omnia probabat, quæ ex parte Imperatoris adversus Papam suscipiebantur. Præcipue notabile est ex hac vita, quod, cum Gregorius Papa Ticini deponeretur ab Episcoporum Imperatori faventium congregatione, & pro eo Wicbertus Archiepiscopus Ravennas sub nomine Clementis constitueretur, Benno tunc, ne vocem suam ei dare cogeretur, se subtraxerit, & retro Altare tantisper, dum electio facta esset, sese occuluerit. Clementem tamen postea nihilominus pro legitime constituto Papa agnovit. Author Vitæ Bennonis est Norbertus secundus Abbas Iburgensis & Bennoni coætaneus. Benno enim obiit anno 1088. 6. Calendas Augusti, quod & Necrologia Fuldense & Moguntinum, hoc ipso momento a M. R. Schannato Fuldæ editum affirmant, errorisque redarguunt Erdmannum historicum Osnabrugensem, qui diem obitus 22. Julii ponit, & Gelenium, qui in Fastis sacris Agrippinensibus diem 20. Decembris habet; Norbertus vero vitam ipsius, ut Codex authenticus Iburgi existens (cujus apographum mihi Monachus eruditissimus ejus loci benevole communicavit) testatur, anno 1118. in literas redegit. De vita ipsius Norberti hæc ex ejus libello habemus. Brabantia is oriundus & Coloniæ educatus literisque institutus fuit. Hinc Bambergensis Ecclesiæ Canonicus factus est. Tandem seculo nuntium misit, monachicumque habitum in Sigebergensi Cœnobio suscepit; unde accersitus & ultimo Abbas Iburgensis creatus est. Norberti Vitam S. Bennonis elegis non inelegantibus *Maurus Rostius Abbas Iburgensis* in Compendium redegit, quos, cum nobis etiam mitterentur, præterire noluimus.

XXI.

Edidit olim doctissimus Leibnitius in Accessionibus Historicis *Gesta Archiepiscoporum Trevirorum* usque ad annum 1132. quo Adelbero inthronizatus est, procurrentia. Idem in Præfatione ad Albericum Monachum Trium Fontium ostendit, horum authorem esse *Golscherum* S. Eucharii, sive, ut nunc vocatur, S. Matthiæ extra muros Trevirenses Monachum, Ordinis S. Benedicti, cujus Trithemius in Chronico Hirsaugiensi & in Catalogo Illustrium Germaniæ virorum meminit. Eorundem Gestorum Codex vetustus postea detectus est in Bibliotheca Collegii Societatis Jesu Trevirensis, qui ulterius acta Archiepiscoporum Trevirensium persequitur & enarrat usque ad obitum Arnoldi ex Comitibus Isenburgicis orti, qui anno 1259. contigit. Inde ergo ea, quæ in editione Leibnitiana non inveniuntur, benevole communicavit M. R. P. Weimanus ejusdem Collegii Rector, uti hic a nobis exhibentur. Aliud Gestorum exemplar ad eundem annum 1259. continuatum in Bibliotheca Senatus Francofurti ad Mœnum extat, cujus etiam Tentzelius Colloquior. Menstruor. Anni 1698. pag. 497. mentionem facit. Nullum mihi est dubium, ea, quæ hic de Adalberone & Hillino leguntur, ejusdem Golscheri opera confecta esse. Indicat enim manifeste satis author, se S. Eucharii Monachum fuisse, & hisce sub Archiepiscopis scripsisse. Cætera Anonymus adjecit, historiam Germanicam excolenti magno usui futura. Editio de cætero Leibnitii a laudato Codice Trevirensi parum admodum differt. Insertæ tamen

sunt

Digitized by Google

sunt huic variæ Donationes Regum & Imperatorum quæ apud Leibnitium non reperiuntur, sed editæ tamen sunt omnes in Broweri Annalibus Trevirensibus. Cætera additamenta non adeo magni pretii sunt. Pag. 50. ed. Leibn. lin. 20. adjicitur: *Idem enim Pontifex in Palatio Dagoberti, quod vocatur Horreum, Ecclesiam in honore Beatæ Mariæ Virginis construxit, & congregationem Virginum instituit, quibus præfecit matres, primo dilectam Virginem Irminam ipsius Dagoberti Regis filiam, deinde Modestam, quæ fuit filia sororis S. Modovvaldi, contemporanea B. Virginis Gertrudis; post Modestam successerunt ei Anastasia, & Basilissa virgines Sanctæ. Prædictus igitur Pontifex præfato Monasterio privilegium ab Apostolico acquisivit de indemnitate & libertate Ecclesiæ. Sæpe memoratus Pontifex aliam in Palatio antiquo in suburbio suo congregationem instituit, cui matrem similiter Dagoberti filiam, nomine Adelam præfecit & Ecclesiam S. Martini in pago Megene construxit.* Pag. 54. lin. 13. *Eo mortuo* legitur: *Defuncto itaque VViomado, Richbodus ordinatur Episcopus.* Pag. 55. lin. 9. pro *in desertionem* legitur rectius: *in dejectionem.* Pag. 61. lin. 11. seq. *Hic acquisivit Abbatiam S. Servatii, quæ dicitur Mastreiz ab Arnulfo Imperatore & præceptum de eadem Abbatia ab eodem Imperatore obtinuit habens hunc modum:* (Vide id apud Browerum pag. 435.) *Præfatus Episcopus etiam a Ludovico Imperatore hac castella obtinuit Sericum cum Orkesuel cum villis sibi subjacentibus. Decedente vero Radobone successit Rutgerus Episcopus, qui præceptum regiæ authoritatis super eandem Abbatiam obtinuit. Iste præfatus Pontifex bonæ conversationis existens, habito Treberi cum suffraganeis Episcopis & reliquo clero generali Concilio Librum Canonicorum Decretorum sua industria compositum in medium protulit atque firmavit, atque non multo post ad feliciorem vitam migravit. Post hunc Rupertus Episcopus extitit, qui privilegium ab Ottone primo super Abbatiam S. Servatii obtinuit. Iste Rupertus Archiepiscopus primus, ut ferunt, Trebirensem Ecclesiam regno, quod Lotharingium vocatur, adjecit, pro eo quod soror ejus Imperatori in matrimonio juncta fuit, cum usque ad ejus tempora Francorum regno, quod a Carolo nomen habet, subjecta, multis fuisset honoribus illustrata. Sancto Martino quædam bona abstulit Treberi. Post Rupertum Henricus Ecclesiæ præfuit, qui regulares officinas & Claustra circa majorem Ecclesiam construxit, & forum, in quo fecit erigere crucem, in cujus summitate reperitur hodie sculptum:* ***Ob memoriam Signorum Crucis, quæ cœlitus super homines venerunt anno Dominicæ incarnationis 958. anno vero Episcopatus nostri secundo. Henricus Archiepiscopus me erexit.*** *Affuit Romæ cum Ottone primo damnando Magum, non Papam, Johannem. Item Otto Abbatiam supra dictam potestate regia de hac Ecclesia tulit ad aliam, quæ dicitur Horrea, quod sua esset, pro Mastrech huic Ecclesiæ delegavit, cum ad eum nihil pertinuerit. Ipse vero Henricus LXXX. Mansos de S. Martino tulit, & postea in Italia obiit, cui Theodoricus successit vir nobilis & magnæ authoritatis, Præpositus Mogontiæ Ecclesiæ, qui privilegia suæ Ecclesiæ renovavit & auxit, quæ hic ponere curavimus* (v. apud Browerum) *memoratus Pontifex Theodoricus Romæ Cellam Quatuor Coronatorum cum omnibus appendiciis suis sibi suisque successoribus in perpetuum acquisivit, & privilegium a Benedicto Pontifice super hanc obtinuit, habens hunc modum: Privilegium Benedicti Papæ, quod dedit Theodorico Episcopo Trevirensi* (v. apud Browerum). *Sub eodem Pontifice Regulares Canonici in Ecclesia S. Petri esse desierunt.* Pag. 62. lin. 16. habetur: *Ekkebertus Episcopus: hic Præceptum de Abbatia S. Servatii ab Ottone Imperatore secundo obtinuit.* Pag. 63. lin. 190. non inveniuntur verba: *qui per Mosellæ fluminis alveum transvectus acquiescit,* quæ delenda sunt & addendum: *Obtinuit*

etiam

Digitized by Google

etiam in Spoleto civitate. Pag. 86. lin. 4. legitur: *privilegia renovavit, quæ ſiquis ſcire voluerit, in præſenti invenire poterit.* *Leo ſervus &c.* Vide apud Browerum. Eadem pag. 86 lin. 6. *ſuis ablatus.* *Præfatus autem Pontifex dono Henrici Imperatoris recepit.* Pag. 120. lin. 6. *poſt victum ſufficeret*, additur: *Iisdem quoque temporibus S. Eucharii Cœnobium religione rebusque jam pene collapſum per Eberhardum Abbatem Kembergenſem, ſtrenuum religionis virum, reparavit, qui vetus Monaſterium novo inchoans ædificare, dejecit, ipſiusque temporibus præfati Eberardi Sanctus Dominus Mathias Apoſtolus inventus eſt, quantum ipſum locum Deus per multorum miraculorum ſigna pervexerit, teſtis eſt omnis Trebirorum urbs, quæ per meritum S. Mathiæ meliorationis ſuæ maxima indicia monſtrat.* Hæc verba, cum in Leibnitiana editione non extent, mihi ſuſpicionem præbent, Golſcherum inveniſſe Geſta Trevirorum ab alio authore elaborata & hæc ſolummodo deſcripſiſſe, inſertis ſubinde quibusdam ex ſuis (qualis eſt hic narratio de reſtauratione Cœnobii ſui) deinde vero ipſum Geſta hæc continuaſſe usque ad tempus a nobis ſupra indicatum.

Vidit vero olim eadem Geſta Trevirorum *Johannes Enen* SS. Theologiæ Doctor & Concionator verbi Divini Majoris Eccleſiæ Trevirenſis, atque inde Germanico ſermone compendium confecit, in quo vitas quoque Archiepiſcoporum usque ad *Richardum Gryſenclavium* continuavit. Hoc opuſculum mox Eneni rogatu in Latinam linguam tranſtulit *Scheckmannus* Monachus & Bibliothecarius Monaſterii S. Maximini, ac anno 1517. hoc ſub titulo edidit: *Epitome, alias medulla, Geſtorum Trevirorum nuper per venerabilem virum Dominum Johannem Enen divinæ Paginæ Doctorem eximium Teutonico ſermone edita, jam pridem extemporaliter in Latinum verſa, Fratre Johanne Scheckmanno traductore, tribus libellis perfecta.* Primus liber de origine & geſtis Trevirorum ante Chriſti adventum; ſecundus de factis poſt Chriſti aſcenſum ad cœlos, tertius de omnibus Eccleſiis intus & foris civitatem & de maxime notabilibus earum reliquiis agit.

XXII.

Hiſtoria Epiſcoporum Germaniæ adhuc omnino expectat virum doctum, qui Ughelli Itali exemplo ſingulorum Epiſcopatuum res notabiliores, diplomata, chartasque colligat, ordinemque Præſulum ſecundum Chronologiæ normam digerat & ex vetuſtiſſimis fabulas eliminet. Veteres Epiſcoporum uniuscujusque Eccleſiæ Catalogi ante omnia ſedulo colligi merentur, licet ſint breviores. In hos enim inquirendum deinde ope veterum monumentorum, ut ſolide conſtet, an in antiquiſſimis non fallant, cum in rebus ſuæ ætati propioribus ſatis ſint certi. *Catalogum Epiſcoporum Auguſtanorum* deſumſimus ex Codice egregio, qui Ottonis Friſingenſis Chronicon continet, & unde etiam Catalogum Pontificum Romanorum ſupra editum hauſimus. Author ejus ſub Friderico I. Imp. & Hartwico Epiſcopo vixit, Monachusque ad S. Afram fuiſſe videtur, cum Abbatum S. Afræ recenſionem Catalogo Epiſcoporum adjungat a temporibus Brunonis Epiſcopi, quo Monachi Benedictini loco Canonicorum apud S. Afram introducti fuerunt.

XXIII.

Andreæ Ratisbonenſis Chronico ſupra edito in Codice Hamburgenſi adjectum erat *Breve Chronicon Epiſcoporum Ratisbonenſium* usque ad annum 1296. productum. In ejus initio dicitur, quædam verbotenus deſumta eſſe ex *Chronica Magiſtri Conradi de Monte Puellarum*, Canonici Ratisbonenſis Eccleſiæ. Reliqua vero ex eadem quoque Chronica excerpta eſſe, inde perſuadeor, quod narratio non continuetur usque ad tempora Andreæ; ſed in dicto anno 1296. finiatur; quo

ergo

Digitized by Google

ergo *Conradus de Monte Puellarum* floruisse existimandus est. Aditum eum ad Archivium Ecclesiæ habuisse, indicant diplomata interspersa.

XXIV.

Vsus est Chronico hoc anonymus author *alius Catalogi Episcoporum Ratisbonensium* anno 1377. confecti, qui tres diversos Catalogos Episcoporum a se visos adducit. Episcopis is ubique addit coætaneos Imperatores & Papas annosque Christi. Posteriorum quoque Episcoporum Epitaphia habet; sed in antiquiorum Episcoporum nominibus aliquando diversam a Conrado scriptionem profert. Communicavit eum nobiscum ex Codice MSto Bibliothecæ Patrum Franciscanorum Herbipolensium amicus inter paucos.

XXV.

Chronica Præsulum Spirensis Civitatis ex Codice Hanoverano desumta atque ad Georgium Episcopum usque, Ducem Bavariæ & Comitem Palatinum Rheni, producta, vel ideo hic inserenda fuit, quod pleraque privilegia Ecclesiæ Spirensi concessa, Chartæque de bonis ipsius in eadem commemorentur. A viro itaque, cui aditus ad Archivium Episcopale patuit, necessario confecta fuisse debuit, licet nomen illius nesciatur.

XXVI.

Varios jam ante Chronicam modo nominatam *Episcoporum Spirensium Catalogos* extitisse ex eadem patet. Inter eos & hunc, quem ex eodem Hannoverano Codice exhibemus, fuisse nulli dubitamus. Continuatus tamen is est usque ad annum 1581. Aderant geminæ in eodem Codice Appendices, quas subjungimus. Una continet Chronodisticha quædam & versus memoriales in actus quosdam notabiles seculi XV. & XVI; altera vero exhibet *Excerpta ex Passione Sacerdotum sub Marchione Alberto Electore anno 1484.* Improbum id Scriptum est & complectitur imitationem Historiæ Passionis ab Evangelistis descriptæ, accommodatam ad Clerum in Franconia sub Alberti Marchionis Brandenburgensis sacri Romani Imperii Electoris ditione positum, Principis indignationem passum, quod *Steuram*, quam vocant, solvere recusasset. Nos inde desumsimus solum, quæ statum illorum temporum illustrare possunt, cæteris omissis.

Animus erat, his plura adhuc Chronica vetera, historiam præsertim Episcoporum Germaniæ Monasteriorumque insigniorum illustrantia, addere, quæ tertium Scriptorum tomum constituissent. Sed placuit celeberrimo Bibliopolæ, duobus hisce Tomis sortem Operis prius experiri. Unde hic gradum sisto, laboresque meos Lectori benevolo etiam atque etiam commendo. Quod si placuerint, indefessus pergam, & medii ævi monumenta alia, nec minus utilia, cum tempore luci exponam. Hoc demum scias, Indicem in Tomum hunc secundum deberi benevolentiæ doctissimi Viri Polycarpi Leyseri, Jurium, Medicinæ & Philosophiæ Doctoris ac Poëseos in Academia Julia Professoris dignissimi.

Unum est, quod enixe rogo. Opus omne me absente impressum est; nec dubium inde, vitia quædam typographica irrepsisse: leviora tamen ea esse, &, quæ a rerum perito non difficulter detegi possint, observavi; unde veniam illorum me adepturum spero. Tempore enim ad emendationem ipsorum necessario jam destituor. Vale & tot annorum opera & studio feliciter utere. Scribebam Hanoveræ d. 16. Aprilis, anno 1723.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
SCRIPTORVM,
QVI TOMO SECVNDO CONTINENTVR.

I. *Vdalrici Babenbergensis Codex Epistolaris, continens variorum Pontificum & Imperatorum Romanorum, ut & S. R. E. Cardinalium & S. R. Principum Ecclesiasticorum Seculariumque Epistolas, circa A. C. 1125. collectus & in unum volumen redactus.*

II. *Hincmari Remensis Archiepiscopi Epistolæ.*

III. *M. Hermanni Corneri Ord. Prædicatorum Chronica novella usque ad annum 1435. deducta.*

IV. *Descriptio itineris in Terram Sanctam.*

V. *Brevis Historia occupationis & amissionis Terræ sanctæ.*

VI. *Oliverii Scholastici Historia Regum Terræ Sanctæ.*

VII. *Ejusd. Historia Damiatina.*

VIII. *Relatio de Davide Rege Tartarorum Christiano.*

IX. *Poema Germanicum vetus de Amissione Terræ Sanctæ.*

X. *Alexandri Benedicti Veronensis de Rebus a Carolo VIII. Galliæ Rege in Italia gestis, libri duo.*

XI. *Catalogus Pontificum Romanorum non diu post annum 1048. confectus.*

XII. *Amalrici Augerii de Biterris Actus Pontificum Romanorum usque ad Johannem XXII. sive ann. 1321.*

XIII. *Johannis Trithemii Nepiachus, id est, Libellus de Studiis & Scriptis propriis a pueritia repetitis.*

XIV. *Prophetiæ Satyricæ in Papas aliquot seculi XIII. & XIV.*

XV. *Magistri Vulgerii versus in Bonifacium VIII. Papam & mores Cleri.*

XVI. *Excerpta Johannis Hussi condemnationem concernentia.*

XVII. *Stephani Infessuræ Senatus populique Romani scribæ Diarium urbis Romæ.*

XVIII. *Johannis Burchardi Ceremoniarum Magistri Diarium curiæ Romanæ sub Alexandro VI. Papa.*

XIX. *Norberti Abbatis Iburgensis vita Bennonis Episcopi Osnabrugensis, anno 1118. conscripta.*

XX. *Mauri Rost Abbatis Iburgensis Vita Bennonis Episcopi Osnabrugensis Metrica.*

XXI. *Golscheri & Anonymi cujusdam Gesta Archiepiscoporum Trevirensium ab anno 1132. usque ad annum 1259. continuata.*

XXII. *Catalogus Episcoporum Augustanorum & Abbatum S. Afræ usque ad Friderici I. Imp. ætatem.*

XXIII. *Breve Chronicon Episcoporum Ratisbonensium ex Chronica Conradi de Monte Puellarum confectum.*

XXIV. *Anonymi Authoris Chronicon Episcoporum Ratisbonensium, anno 1377. confectum.*

XXV. *Chronica Præsulum Spirensis Civitatis.*

XXVI. *Catalogus Episcoporum Spirensium.*

I. VDALRI-

Digitized by Google

I.

VDALRICI BABENBERGENSIS
CODEX EPISTOLARIS,
CONTINENS

Variorum Pontificum & Imperatorum Romanorum, ut & S. R. E. Cardinalium & S. R. I. Principum Ecclesiasticorum Seculariumque Epistolas circa A. C. 1125. collectas & in unum volumen redactas.

☆ ☆
☆

I.

GEmma Sacerdotum, qui sese dat tibi totum
Pauper Udalricus, hoc parvum dat Tibi munus.
Si sum rite memor, Cato dicit parvulus auctor:
Exiguum munus cum dat tibi pauper amicus,
Accipito placide. Tu nunc, Præsul Gebeharde,
Quæso digneris, solita pietate, clientis
Qualiacunque tui munuscula sumere. Quod si
Res mihi magna domi, si par affectibus esset,
Munera digna Tibi devotio nostra dedisset.
Do tibi nunc Domine, quod possum pauper habere,
Cujus non pretium vel parvum vel prope nullum,
Si magis affectum penset tua gratia nostrum,
Quisquis eris Dominus vel lector codicis hujus,
Sis memor Ulrici, Bavenbergensis alumni,
Qui collegit eum, corpusque redegit in unum,
Haud minimo sane pretio vigilique labore
Conscripsit veritus sed eundem scriba peritus,
Cum jam curriculis annorum mille peractis,
Centum viginti cœpisset quintus haberi,
Ex quo dignatus Deus est assumere corpus.
Dic igitur lector dulcissime: Qui fuit autor
Istius libri, sit propitius Deus illi,
Scriptori pariter, sit lector pax tibi semper,
Omnibus atque bonis, Domino præstante, fruaris,
Cui decus, imperium, laus est honor omne per ævum,

II.
Altercatio inter Urbanum & Clementem.

Nomen habes Clemens, sed Clemens non potes esse,
Tradita solvendi cum sit tibi nulla potestas.
Diceris Urbanus, cum sis projectus ab Urbe,
Vel muta nomen, vel regrediaris ad Urbem.
Cum sine Papatu fueris, vis Papa videri:
Nemo tibi potuit donare, quod alter habebat.
Hac, Urbane, tuum Papatum destruo lege:
Nam cum Papa forem, sis Papa per ambitionem.
Non, Urbanus ait: mea non bene verba notasti,
Proposui, tradi non posse, quod alter habebat.
Gregorii Papatus erat, tunc alter habebat,
Consequitur, non posse dari, nec Papa fuisti.
Sic igitur lex ista mihi contraria non est:
Quod placet, assumis, nimium temerarius infers.
Gregorius nec Papa fuit, nec debuit esse;
Causa patet: pretium promisit, ut eligeretur.
Præterea firmante manu juraverat, ante
Quod non Papa foret, nisi laudem Regis haberet.
Non habuit laudem. Sententia Simonismi
Damnat eum, damnant fidei perjuria fractæ.
Sic ab Alexandro vacuam decernimus esse
Romanam Sedem, donec successimus illi.
Quod dicis sonus est, sonus & sine pondere verba:
Nam satis est notum, testatur circulus orbis,
Gregorium sine sorde virum sanctumque fuisse
Pontificem, sed pestiferis imbuta venenis
Non tua lingua virum timuit mordere beatum.

Digitized by Google

Ecce revolvamus canones decretaque Patrum,
Si prius accedant, qui tanta negotia debent
Judiciis tractare ſuis, ſententia quorum
Nec prece, nec pretio moveatur ab integritate.
His accerſitis, in jus ponatur utrimque.
Eligo Lugdunum, fultam ratione columnam,
Cujus in eloquio ſtatuit ſibi regula ſedem.
Clamo Biſontinum, donum Danielis habentem.
Cui nova proceſſit plantatio, nec ſine fructu
Lingonis accedat, vitæ perſona pudicæ,
Exemplum fidei, mundæ via relligionis;
Rhemis erat remus, per cujus ſtrenuitatis
Remigium curret navis, portumque tenebit.
Senonis accurrat, cujus diſcretio magna
Plus aliena ſuis componere jurgia novit.
Pariſiacenſem quæro, qui ſemper amavit
Solvere litigium, diſcordes pacificare.
Eligo Bremenſem, qui non levitate movetur,
Et licet ipſe tuus, juris tamen æqua tenebit.
Clamo Trajectenſem, dubiis in rebus acutum:
Strenuus in multis ſit ad hæc ſtudioſus agendum.
Leodii Patrem cenſemus in ordine fratrem,
Sedis Apoſtolicæ diuturnum ſchiſma dolentem.
Judicii partem committimus Yporienſi,
Ingenii venam, rivum ſermonis habenti.
Adſit & Aſtenſis, cauſis ſuccinctus agendis,
Nec ſine vate ſuo, qui non minus utilis illo;
Judicet & noſtram prudens Polonia cauſam,
Cujus ad arbitrium diſponi talia debent.
Ipſe Palatinos in prima fronte vocaſſem,
Sed non admonitos in prima fronte videbis.
His & quos iſtis ſibi conſociare placebit,
In medium ratione prius cum pace relata,
Judicii tanti libram concedo tenendam.
Quos clamas, clamo, quos eligis, eligo tales.
Audio perſonas, quarum ſolertia tantum
Finiat errorem, cognoſcat mundus ut omnis,
Quem noſtrum via juſtitiæ comitetur, & ille
Qui convictus erit, Sedem non occupet ultra.
Nunc locus atque dies ſtatuantur: Roma videtur
Congruus eſſe locus, quæ totum judicat orbem:
Nunc ſibi provideat, ſapiat ſua jura tueri,
Sitque dies talis, quæ cauſæ congruat iſti,
Scilicet illa dies, qua prævia ſtella Magorum
Fixit iter, certique novo de Rege fuere.
Illa dies, oro, ſit noſtri meta laboris;
Illa ſuæ faciat certum rationis utrumque.
Annuit Urbanus: venit hic ad Cæſaris aures,
Cæſaris Henrici Quarti dominantis in orbe:
Pontifices, locus, atque dies laudantur ab illo,
Pontifices illi, dico, quos ambo vocarant;
Cæſar & hæc dicit: quoniam ſi cuilibet horum
Papatum laudent, laudabit & ipſe libenter:
Si neuter, quemcunque Deo donante levabunt,
Hunc velit, hunc laudet. Si convenit, adjuvat armis.

III.

De Papa Urbano & Rege Henrico IV.

Quærit Apoſtolicus Regem depellere regno.
Rex furit e contra, Papatum tollere Papæ.
Si foret in medio, qui litem rumpere poſſet,
Sic ut Rex regnum, papatum Papa teneret,
Inter utrumque malum fieret diſcretio magna.

IV.

Epitaphium filiæ Comitis cujusdam.

Dum legeret generoſa genus, ſpeciem ſpecioſa,
Aegra fit ex nimio Baſilias ſtudio.
Nullaque cum placeat carnalis ei medicina:
In quo ſpes ejus ſit medicina Deus.

V.

Super Arnulphum Laudunenſem.

Non Arnolfe loci, non mille ſophiſmata proſunt,
Dum proponis homo non homo, fata probant.
His argumentis ad idem duxere Platonem:
Iisdem concluſus conticuit Socrates.
Nunc, Arnulfe, tibi pietas & gratia Chriſti
Subveniant melius quam genus & ſpecies.

VI.

Ad Ruzelinum de Vocibus.

Quas, Ruzline, doces, non vult Dialectica voces,
Jamque dolens de ſe, non vult in vocibus eſſe.
Res amat in rebus, cunctis vult eſſe diebus,
Voce retractetur: res ſit, quod voce docetur.
Plorat Ariſtoteles, rugas ducendo ſeniles,
Res ſibi ſubtractas per voces intitulatas,
Porphyriusque gemit, quia res ſibi lector ademit.
Qui res abrodit, Ruzline, Boëthius odit:
Non argumentis nulloque ſophiſmate ſentis
Res exiſtentes in vocibus eſſe manentes.

VII.

De Patrefamilias.

Vinea culta fuit, cultores præmia quærunt:
Non labor æqualis æqualia dona fuerunt:
Qui venit extremus, diſpenſatore vocante,
Tantundem recipit, quantum, qui venerat ante.
Sic Deus oſtendit, quia quandocunque velimus,
Aggrediamur opus, certi de munere ſimus.

VIII.

De adhærentibus huic mundo.

Quam merito mœrent, qui mundi rebus adhærent,
Cum res mundanæ nil ſint, niſi nomen inane.
Nomen inane, genus, ſpecies, opulentia, fœnus.
Quilibet attendat, generis quid fama rependat?
Nobilis eſto ſatis: Quid conferet utilitatis?
Si ſpecioſus eris, quid ad hoc, ut juſtificeris.
Divitiis polles, hos clamat litera molles,
Cum ſibi cura cutis videatur ſumma ſalutis.
Ergo quisquis eris, quærens, ut juſtificeris,
Ne poſt hæc plores, contemnas orbis honores.

IX.

Ad amicam.

Lilia ceu flores, ſic vincis amica ſorores,
Utque nitens aurum ſupereminet omne metallum,
Et quaſi ſol ſtellas, ſic vincis amica puellas.

X. Epi-

X.

Epitaphium Henrici Imperatoris in Bavenberg.

Anno Dominicæ Incarnationis MXXIIII. Indictione V. III. Idus Julii, Henricus Christianissimus Romanorum Imperator Augustus feliciter migravit ad Christum, anno regni sui XXIIII. Imperii XI. vitæ LII. hujus Babergensis Ecclesiæ conditor & auctor, præsidente huic Sedi Eberhardo Primo Pontifice, anno XVII. Versus:

Henricus cunctis semper laudandus in actis:
Quale sit ejus opus, comprobat ille locus.
Ille quidem templum fabricaverat hoc opulentum,
Multiplici dono dans sua cuncta Deo.
Et mundi finem jam nunc expectat ibidem,
Quem prece continua tu, Petre Sancte, juva.
Idibus in ternis cum Julius æstuat arvis,
Spiritus, ossa suo sunt data principio.

XI.

Epitaphium Chunigundæ Imperatricis in Babenberg.

Anno MXXXIII. Incarnationis Dominicæ, Indictione I. V. Non. Martii Cunegunt Imperatrix, mater pauperum, dives ipsa, divitem migravit ad Christum.

Æquali merito Cunigunt sociata marito,
Quem vivens coluit, morte locum tenuit.
Felix morte sua, cui vitam contulit illa
Mors immortalem continuumque diem.
Nam veluti granum moriendo vivificatum,
Quæ bene præmisit, centuplicata metit.

XII.

Epitaphium Eberhardi primi Babenbergensis Episcopi.

Qui legis hunc titulum, reminiscere, quod sumus unum;
En ego sum pulvis, tu quoque pulvis eris.
Est breve, quod fueram; quod ero, non desinit unquam,
Respirat rursus cum cinis occiduus.
Parce, superstes homo, fallenti credere mundo,
Cum bona promittat, fallere semper amat.

XIII.

Epitaphium Eberhardi primi Babenbergensis Episcopi.

Insigni forma, statura, stemmate, norma,
Præsul Guntharius claruit eximius.
Henrici templo vivis gemmis opulento,
Virtutum radiis præditus est aliis.
Dum solvit votum, quo se vovit dare totum,
Exul abit Solymam, repperit & patriam.

XIV.

Epitaphium Ruberti Babenbergensis Episcopi.

Rebus in humanis dum fallat mundus inanis,
Hac, homo, quid sit homo, vel meditare domo.
Maxima spes plebi, decus ævi, gloria cleri,
Carnea materies solvitur in cineres.

XV.

Romæ Epitaphium Helpæ, uxoris Boëthii.

Helpes dicta fui, Siculæ telluris alumna,
Quam procul a patria conjugis egit amor.
Quo sine mœsta dies, nox anxia, flebilis hora,
Nec solum una caro, spiritus unus erat.
Lux mea non clausa est, tali remanente marito,
Majorique animæ parte superstes ero.
Porticibus sacris jam nunc peregrina quiesco,
Judicis æterni testificata thronum.
Nequa manus bustum violet, consorte jugali
Hæc iterum cupiat jungere membra suis;
Ut thalami tumulique comes nec morte revellar,
Et socios vitæ nectat uterque cinis.

XVI.

Hi versus Treveris supra tectum Monasterii Beati Simeonis, tabulæ lapideæ insculpti, ab incolis fortuito inventi sunt.

Exul Arimaspes hac urbis in arce quiesco:
Belgica Roma mei, non mea digna fuit.
Jure bono, meritorum nobilitate, triumphis,
Dii tueantur ei: par nisi Roma nihil.
Vulneror & pereo Consul, primusque Senatus:
Hinc gaudete mei, sic meruisse mori.

XVII.

Isti versus Treveris in tumulo quodam, dum a peregrinis pro quærenda pecunia rumperetur, lapidi cuidam insculpti inventi sunt.

Nini Semiramis, quæ tanto conjuge felix
Plurima possedit, sed plura prioribus addit.
Non contenta suis, nec totis finibus orbis,
Expulit a patrio privignum Trebeta regno:
Profugus insignem qui nostram condidit urbem,
Treveris huic nomen dans, ob factoris amorem,
Quæ caput Europæ cognoscitur anteritate.
Filius hujus Hero patris hæc epigrammata pono,
Cujus ad inferias hic cum Jove Mars tenet aras.
Sidere concordi pax est non dissocianti.

XVIII.

Hi versus habentur Cluniaci super imaginem S. Petri.

Nullum rete magis nunc diligo, quam Cluniaci:
Nam pisces captos portæ cœli facit aptos.
Quod docui verbis, Cluniaci quærite gestis:
Non melius quisquam mea dogmata repperit usquam.

XIX.

Hermannus Contractus in libro de Virtutibus.

Si non sufficiant tibi res, tu suffice rebus:
Sufficiens fueris nil cupiendo magis.

XX.

In Natale sacro sacræ solennia missæ
Quid signent, aut cur ter celebrentur, habes.
Nocte prior, sub luce sequens, in luce suprema,
Sub Noë, sub Templo, sub Cruce sacra notant.
Sub Noë, sub David, sub Christo sacra fuere:
Nox, aurora, dies; umbra, figura, Deus.
In matutino damnatur tempore Christus,
Quo matutini cantantur tempore psalmi.
Quando resurrexit, primam canit Ordo fidelis.
Tertia cum canitur, crucis est cruciamina passus.

Google

Sexta sunt tenebræ per mundi climata factæ:
Est missus nona divinus Spiritus hora.
Vespere clauduntur Christi sacra membra sepulcro:
Christo bis sena custodia ponitur hora.

XXI.

Nobilibus quondam fueras constructa patronis:
Subdita nunc servis, heu male! Roma, tuis.
Deseruere tui te tanto tempore Reges:
Cessit & ad Græcos nomen honosque tuus.
Constantinopolis florens nova Roma, vocatur;
Moribus & muris, Roma vetusta, cadis.
Transiit Imperium, mansitque superbia tecum:
Vultus avaritiæ te nimium superat.
Vulgus ab extremis distractum partibus orbis,
Servorum servi, nunc tibi sunt Domini.
Roma, prius tibi servierant Domini Dominorum:
Servorum servi nunc tibi sunt Domini.
In te nobilium rectorum nemo remansit;
Ingenuique tui rura Pelasga colunt.
Truncasti vivos crudeli vulnere Sanctos:
Vendere nunc horum mortua membra soles.
Jam nî te meritum Petri Paulique foveret:
Tempore jam longo Roma misella fores.

XXII.

Incipiunt salutationes Epistolarum.
Salutatio Papæ.

Episcopus, servus servorum Dei, omnibus orthodoxis fratribus, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, atque universis sanctæ Ecclesiæ Ordinibus salutem & Apostolicam benedictionem.

Episcopus, servus servorum Dei, N. olim dilecto Episcopo & sequacibus suis, quæ merentur.

Episcopus, servus servorum Dei, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus in Gallia constitutis, qui in gremio sanctæ Romanæ permanere videntur, salutem & Apostolicam benedictionem.

Episcopus, servus servorum Dei, omnibus Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, omnibusque Christianam fidem & Beati Petri, Principis Apostolorum, doctrinam defendentibus & observantibus in omni Regno Teutonicorum, salutem & Apostolorum Beatorum Petri & Pauli benedictionem, & omnium peccatorum absolutionem.

Episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo filio, N. Romanorum Imperatori Augusto salutem & Apostolicam benedictionem.

Salutatio Regis vel Imperatoris ad Papam & ad Romanos.

Domino Nostro Summo Pontifici, N. Dei gratia Romanorum Imperator Augustus, obedientiam & dilectionem in Christo velut Patri filius.

N. Dei gratia Romanorum Imperator, Consulibus, Senatui, Populo Romano, majoribus & minoribus, gratiam suam cum bona voluntate.

N. Dei gratia Romanorum Imperator N. Reginæ Anglorum salutem & omne bonum.

N. Dei gratia Rex Clero Populoque Romano, majoribus & minoribus, gratiæ suæ & optimæ voluntatis sincerissimum affectum.

Salutatio Regis.

N. Imperatori N. Dei gratia Rex Anglorum, intimo suo dilectionem & veram amicitiam.

N. Matri suæ N. Dei gratia Rex ex toto corde dilectionem, & si quid est melius & ultra.

N. non usurpative, sed pia Dei ordinatione Rex, N. non jam Apostolico, sed falso Monacho.

Specialis Reverentiæ Patri N. primæ sedis Antistiti, N. Moguntinus, id quod est Dei gratia, quasi Patri filius subjectus.

Apostolico Sacerdoti & universali Papæ N. Speculator Moguntinæ Ecclesiæ debitam, ut Patri reverentiam, & promtam, ut tanto Pastori, obedientiam.

Reverendissimo Patri & Sanctissimo primæ Sedis Antistiti debitam, ut summo Sacerdoti, subjectionem, & sedulam, ut tanto Patri, devotionem.

Domino Beatissimo, & vere Apostolici Culminis honore Reverendo, debitæ subjectionis reverentiam & omnimodæ servitutis obsequelam.

Patri Patrum Apostolico & universali Papæ N. quicquid filius Patri, quicquid membrum capiti, id quod est Dei gratia. Sanctæ Apostolicæ Sedis Archidiacono & Archicancellario servitutis & dilectionis integram veritatem Summoque universali Papæ, debitæ subjectionis reverentiam & omnimodæ servitutis exhibitionem.

Sancto Patrum Patri & summo Præsulum Præsuli.

Reverendissimo Patri, & Sacerdotio primæ Sedis infulato, sedulam benevolentiæ servitutem & debitam obedientiæ subjectionem.

Domino Venerabili, & Patri in Christo amabili, N. id quod est Dei gratia, obedientiæ subjectionem, & sedulam obsequii devotionem.

Reverendissimo Sacrosanctæ Apostolicæ Sedis Gubernatori, N. cum singulari servitutis subjectione & devotione intimam in omnibus obedientiam.

Domino Apostolico, prærogativa meritorum & morum sanctitate, Romanæ Sedis Apice condigne sublimato, N. Dei gratia Babenbergensis Ecclesiæ electus, cum omni subjectionis specie orationes devotissimas & servitium tam voluntarium quam debitum.

Patri ac Pastori suo quam Venerabili, tam desiderabili, oves pascuæ ejus, scilicet Clerus & Populus, senes cum junioribus, divites cum pauperibus, unamini devotione sedulas orationes.

Reverendissimo Episcopo, & in Christi membris valde honorando tota Babenbergensis congre-

Digitized by Google

congregatio servitium cum perpetua orationum instantia.

N. Dei gratia Rex Archiepiscopis & Episcopis, Marchionibus & Comitibus, & cujusque dignitatis ordini, bonæ suæ voluntatis gloriosam dignationem.

Beatissimo Domino, & sincera caritate diligendo, illuminatæ Ecclesiæ Venerabili Episcopo, fraternam dilectionem in eo, qui prior dilexit nos, & tradidit semet ipsum pro nobis, Jesu Christo Domino Nostro.

Dilectis in Christo Dominis & Fratribus, Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Principibus Imperii Romani, majoribus & minoribus, Clero & Populo Sanctæ Ecclesiæ cultoribus, N. Dei gratia id quod est, fraternam dilectionem, debitam servitutem, & perpetuam in Domino salutem.

Domino & Patri Venerando, cum fideli orationum instantia nostra devotissima ac semper parata servitia.

Invictissimo Romanorum Principi, totius Regni Monarchiam strenue gubernanti, N. Dei suique gratia id quod est, Christo sub Principe, quieta pace quandoque triumphare, vel: Orationis & servitutis devotionem, vel: Tam promtam, quam debitam servitutis certitudinem.

Dignissimo Præsuli Nostro indignus & exiguus N. Claustri Decanus, licet exiguum orationis & servitutis suæ munus.

Domino suo & Venerabili Patri Nostro humilis Ecclesia ex sincero affectu devotissimas orationes cum debitæ subjectionis obsequio.

N. Comes N. Comiti salutem, fidelitatem & perpetuum bonum.

Domino Regi N. Comes a Deo coronam æterni Regni ex se promtissima servitia.

Domino & Patri suo, quicquid in vera dilectione versatur, & semper Patri debetur ac Domino.

Domino *Episcopo* humilis congregatio, siquid contritorum valet oratio.

Singulari Domino suo vere suus, quicquid suus.

Domino suo tam devotum, quam debitum totius dilectionis & humilitatis obsequium.

Dilecto Domino & amico suus præsens, suus absens, salutem ac debitæ caritatis affectionem.

Serenissimis Dominis, & Reverendissimis Fratribus N. Episcopus, cum orationis instantia servile obsequium, ac semet ipsum ad omnia deditissimum.

Domino suo Imperatori humilis congregatio exultare in Domino, & feliciter triumphare de adversariis.

Dei gratia Illustris Ecclesiæ Provisor indignus, sinceræ caritatis obsequium.

Summæ devotionis obsequium cum orationum instantia.

Dei gratia Imperator Augustus dilecto Episcopo gratiam abunde, & omne bonum.

Excellentissimo Domino suo Imperatori, majestatis suæ, & N. Ecclesiæ servus, incolumis vitæ longitudinem cum victoriæ corona.

Purissimæ fidelitatis obsequium.

Venerabili Episcopo N. Dei gratia, id quod est in orationibus & obsequio, quicquid veræ fraternitatis non otiosa efficit dilectio.

Dominis & Fratribus suis, Prælatis & universæ congregationi N. Ecclesiæ, fructiferæ arbori in agricultura Dei N. humillima congregatio, cum orationum instantia debitæ caritatis obsequia in Christo devotissima.

N. Dei gratia Rex N. Venerando Pontifici suo, videlicet dilecto Nepoti gratiæ suæ & debitum dilectionis donum.

N. Dei gratia Romanorum Imperator Augustus, omnibus Episcopis, Comitibus, Capitaneis, Civibus, Castellanis totius Marchiæ, majoribus & minoribus, suis fidelibus, gratiam & bonam voluntatem.

N. Dei gratia Imperator Augustus, Venerabili Episcopo & dilecto compatri, gratiæ suæ optimam voluntatem.

Desiderantissimo Domino suo N. Serenissimo Romanorum Imperatori Augusto, N. Dei gratia Episcopus, cum orationum instantia servile in omnibus obsequium.

N. Reverendissime diligendo, & dilectissime Verendo, Domino Archipræsuli N. licet indignus Episcopus, quicquid devotionis & obsequii homini ab homine præstari potest impensius.

Domino & Patri Venerando N. dignissimo Archipræsuli N. licet indignus suus Suffraganeus, orationum & obsequii perpetuam devotionem.

Domino exoptatissimo, & a Deo Patre præelecto & prædestinato Pastori N. Præpositus, Decanus, cumque his totus Babenbergensis Clerus impensissimas in Christo & perseverantissimas orationes.

Reverendissimo Sacrosanctæ Ecclesiæ Episcopo N. Decanus tam perpetuam, quam debitam devotissimæ orationis instantiam.

Domino & Patri N. Ecclesiæ Pontifici Nos Dei gratia Episcopus, cum instantia precum fidele servitium.

N. dilectissimo confratri & Coëpiscopo N. suus in dilectione quicquid jucundius, in oratione & servitio quicquid devotius.

N. Dei gratia Romanorum Imperator Augustus omnibus Episcopis gratiam, dilectionem & omne bonum.

Domino suo & vere dilectissimo N. Romani Imperii Augusto, illustris Ecclesiæ humiles servi, cum universis ministris ac civibus inibi manentibus, quicquid fidelis oratio valet ac devota servitus.

N. Romanorum Imperator Augustus N. Regi Francorum coronam fidei, & propinquitatis inviolabilem constantiam.

Sacrosanctæ illustris Ecclesiæ Archipontifici N. primævæ indoli virtutum ac dignitatum assecutioni respondenti, N. Præpositus cum toto Fratrum collegio, impensissima utriusque hominis obsequia.

Sanctæ ill. Ecclesiæ Præsuli N. solidissimæ in domo Domini columnæ, N. Præpositus, N. De-

canus cum universo Fratrum collegio, non fine frequentia precum suæ devotionis obsequium.

Summæ venerationis Magistro N. solertia virtutum ad ungvem limato, N. Præpositus, N. Decanus, cum toto Fratrum collegio, solidissimæ fraternæ dilectionis vinculum.

N. Dei gratia ill. Ecclesiæ Episcopus N. Præpositus, N. Decanus, cum universa congregatione Sancti Georii N. Scholasticæ disciplinæ Viro, paternæ fraternæque dilectionis affectum.

Domino suo ill. Ecclesiæ Archiepiscopo N. mille votis exoptatum præsentis & futuræ vitæ felicem statum.

Romanæ Sedis dignissimo Cardinali N. Dei gratia Babenbergensis Electus utriusque hominis devotissimos conatus.

N. Dei gratia Venerabili Episcopo, Domino & Patri suo dilectissimo N. nec non urbis Cancellarius, nec non almæ illius Sedis Electus, quicquid in vera dilectione Patri, nec non & semper debetur ac Domino.

Præposito Dominisque ac Fratribus Aquensibus Congregatio sanctæ Mariæ & sancti Lamberti saniorem insistere sententiam.

N. universali Romano Pontifici illius Ecclesiæ Fratres fidem & obedientiam.

Socio suo & amico N. Coloniensi Archimagistro N. suus, & vere suus, totusque suus, sanctæ & veræ fidei sinceritatem.

N. Dei gratia Episcopo suo dilecto N. Cancellarius, indissolubilem dilectionem & æternam jocunditatem.

N. Dei gratia Romanorum Imperator Augustus N. Ecclesiæ Capitaneis, Clero & Populo gratiam suam & omne bonum.

Confratribus & Dominis suis omnibus Sacrosanctæ illius Ecclesiæ Canonicis, N. gratia Dei Wormatiensis Electus, servitium suum & omne bonum.

Domino suo Romanorum Imperatori Augusto N. communionis N. non Episcopale, sed servile obsequium in omnibus.

Reverendissimo Episcopo N. humilis & luctuosus Babenbergensis Clerus, obsequium & devotas in Christo orationes.

Illustri & Magnifico N. Duci humilis & luctuosus Babenbergensis Clerus devotas in Christo orationes.

N. non tam glorioso, quam Magnifico Dei gratia Romanorum Imperatori Augusto, Clerus Spirensis salutem & victoriam cum devotissima orationum instantia.

Serenissimo Domino suo N. Imperatori Cæsari semper Augusto, Babenbergensis Ecclesia speciali quadam fidelitate sibi suisque antecessoribus semper devincta, fidele & stabile servitium cum devotis orationibus.

Dei gratia, Wirzeburgensis Ecclesiæ Episcopus, Præposito & Decano sanctæ Babenbergensis Ecclesiæ, cum tota Fratrum congregatione, fraternæ dilectionis exhibitionem.

N. Dei gratia Romanorum Imperator Augustus N. Ratisponensium Episcopo, gratiam suam & omne bonum, ut fideli carissimo.

A. Moguntinus, F. Coloniensis, D. Constantiensis, B. Wormatiensis, A. Spirensis per Dei misericordiam Archiepiscopi & Episcopi, O. Fuldensis Abbas, H. quoque Dux, F. Dux, G. Palatinus Comes, B. Comes, & cæteri utriusque professionis Principes, qui exequiis Imperatoris intererant, Venerabili Fratri, O. Babenbergensi Episcopo, hinc fraternas in Christo orationes, inde fidelissimum devotæ servitutis obsequium.

N. in Christi membris vero veræ religionis speculo, D.D.G. siquid est inter ærumnas imminentis procellæ, ad ea, quæ sursum sunt, indesinenter suspirare.

N. sanctæ Moguntinæ Ecclesiæ humilis servus, & Apostolicæ sedis Legatus, Venerabili & in Christo dilecto Fratri & Coëpiscopo Domino Ottoni salutem & obsequium fraternæ dilectionis.

N. amico suo plenæ dilectionis affectum.

Dominis & Fratribus conprovincialium Ecclesiarum, N. illius Ecclesiæ utinam in gratia Dei Præpositus, Decanus, Magister, cum devotissimis orationibus sinceræ caritatis obsequium.

Domino N. Venerabili illius Ecclesiæ Archiepiscopo, N. Clericorum minimus, cum devotis orationibus fidele servitium.

N. Venerabili Sanctæ Trajectensis Ecclesiæ Præposito, Decano, Magistro, Monasteriensis qualiscunque Ecclesia, se ipsam cum fidelissimæ servitutis & orationis frequentia.

Sanctæ illius Ecclesiæ Dominis ac Fratribus S. qualiscunque illius Ecclesiæ Præpositus, Decanus, cæterique Fratres, quæ nunquam excidit caritatem, & quæ semper invigilat orationi.

Sanctæ illius Ecclesiæ Dominis & Fratribus Præposito, Decano, Scholastico, cæterisque omnibus confratribus illius Ecclesiæ ex plena fraternitate, devotas orationes in Domino.

N. Dei gratia Sanctæ Moguntinæ Ecclesiæ humilis minister, & Apostolicæ sedis Legatus, dilectis in Christo filiis, Wirzeburgensis Ecclesiæ Prælatis & subditis, Clero & Populo, esse in Christo cor unum & anima una.

N. Dei Gratia Wirzeburgensis, quæ est, Ecclesiæ Episcopus Decano, cæterisque confratribus Sanctæ Babenbergensis Ecclesiæ, sinceræ dilectionis affectum in omnibus.

XXIII.

Si vis Pontifices Romanæ noscere Sedis,
Carminibus nostris perlectis scire valebis.
Primo Papatus Petrus est in Sede locatus.
Qui consederunt, Linus Cletusque fuerunt.
His Clemens junctus, simili fuit ordine functus.
Disputat hinc mundus, sit quartus, quisve secundus.
Hinc Anacletus præsedit, & hinc Evaristus,
Sicut Alexander, successit in ordine Xistus.
Hos juxta positus Telesphorus est & Hyginus.
Additur Anjetus seu Præsul nomine Pius,
Soter & Eleuther, post est Victor quoque mixtus,

Quos

Quos Zepherinus sequitur, martyrque Kalixtus.
Vrbanus Christi turbæ prælatus in urbe
Post hos Papatus: successit in arce locatus
Hinc Pontianus, hinc Antherus, hinc Fabianus,
Cornelius, Lucius, Stephanus, Xixtusque secundus.
Hos rutilat juxta Dionysi sede venusta
Felix Romanus, cui jungitur Eutychianus.
His comites Gajus, seu Marcellinus habentur,
Marcellus nec non Eusebius adnumerentur:
Melciades, & post hunc: qui Silvester haberis.
Me Dominus Papam decrevit in ordine Cleri
Marcus; cui Julius succedit Liberiusque,
Felix & Damasus, Cleri speculumque decusque.
Exule Liberio Felix in sede locatur,
Martyriumque subit, cum Liberius revocatur.
Quare Liberii Damasus successor habetur,
Sicut Hieronymi Chronica narrare docetur.
Postea Syricium narramus Anastasiumque,
Sicut, Innocenti, Te, qui comitaris utrumque.
Post Zozimum vero Bonifacius enumeratur.
Sic Cœlestinus cum Xixto consociatur.
Hos autem juxta Leo, vir doctissimus, extat,
Eloquium cujus, quantus fuerit, manifestat.
Hilarus hunc & Simplicius Felixque sequuntur,
Post quos Gelasius Anastasiusque leguntur.
Symmachus, Hormisda rutilant, Præsulque Johannes,
Quos sequitur Felix, Bonifacius atque Johannes,
Agapitus cum Silverio. Tecumque, Vigili,
Pelagium legimus Papali Sede potiri.
Hos meriti magni Papæ præmitto Johanni.
Papam post istum Papam numero Benedictum.
Pelagium Romæ Prælatum postea prome:
Sic tu, Gregori, conformans cuncta decori,
Ecclesiæ Christi sal atque lucerna fuisti.
Post hæc Bleranum civem lego Sabinianum.
Hinc Bonifacius & Bonifacius adnumerentur,
Deus dedit & Quintus Bonifacius his socientur.
Honorium cum Severiano, teque Johannes,
Inter prædictos cœlestes scribimus amnes.
Post hos Theodorum, Martinum consociemus,
De quo, quid fuerit per Græcos passus, habemus.
Additur Eugenius, Præsul quoque Vitalianus.
Adeodatum cum Dono suscipiamus.
Scribitur hic Agatho, Siculæ regionis alumnus,
Et copulatur ei prudens Leo Papa Secundus.
His adjungatur Benedictus sive Johannes,
Vt Conon tecum Sergi, Sextusque Johannes.
Hinc alio Papa gavisa est Roma Johanne,
Et te, Sisinni, genito genitore Johanne.
Post Constantinum Gregorius alter habetur,
Tertius his etiam Gregorius associetur.
Hinc Zacharias, Stephanus Paulusque notentur,
Sic Constantinus, Stephanus quoque connumerentur:
Post Adrianum Leo Tertius esse videtur.
Post Stephanum Quartum Paschalis Præsul habetur,
Eugenius vero Papæ subscribitur isti,
Cujus successor tu, Valentine, fuisti.
Gregorius Quartus, & Sergius, & Leo Quartus,
Pontifices dicti, post quos legimus Benedictum.
Hinc, Nicolaë, tuo tua gaudet Roma decore,
Cujus Adriani post mortem fulsit honore.
Octavi viguit post hos doctrina Johannis,
A quo Martinus perpaucis præfuit annis.
Præsulibus Præsul subnectitur his Adrianus.
Postea Formosum Kathedram legimus tenuisse,
Inde Bonifacium Papatum promeruisse.
Post Stephanum Sextum Romanum perlege tandem,
Et post Theodorum, Nonum subnecte Johannem.
Sic, Benedicte Pater, Leo tecum connumeretur,
De titulo Damasi Christophorus associetur.
Sergius hinc rutilans Anastasio copulatur,
Et Lando vivens modicum super astra levatur.
Omnibus his tandem Decimum conjunge Johannem,
Cui Leo seu Stephanus succedunt dogmate grandes,
Et Leo cum Stephano procedit Papa Johannes,
Nec non Martinus & Agapitus atque Johannes.
Præsulibus Quintus conjungitur his Benedictus,
Cui Leo jungatur, Johannes & Benedictus,
Et Domnus nec non Bonifacius & Benedictus,
Et Quartum decimum post istos scribe Johannem,
Et Quintum decimum post istos scribe Johannem.
Et Sextum decimum post istos scribe Johannem,
Gregorium Quintum post, & post scribe Johannem,
Post quem Silvestrum prius, & post scribe Johannem:
Huic etiam Nonum decimum subscribe Johannem.
Sergius hinc Quartus, subnectitur & Benedictus,
Restat Vicesimus Johannes, seu Benedictus.
Hunc Nonum decimum depromunt scripta Johannem,
Quid contra eveniat, dabit hoc cognoscere carmen;
Quendam Johannem si Mercurium vocitamus,
Istum Vicesimum Nonum decimum numeramus.
Silvester cum Gregorio Clemensque Secundus,
Cum Damasco rutilat Leo post Victorque Secundus.
Stephanus hinc Nonus nec non Decimus Benedictus,
Et succedit eis Nicolaus in ordine mixtus.
Alter Alexander & Gregorius copulantur,
Victor

Digitized by Google

Victor & Urbanus cum Paſchali numerantur.
Gelaſium mundo conceſſit poſtea Chriſtus,
Cui decedenti ſucceſſit Papa Kalixtus.
Honorius Kathedram poſt omnes hos decoravit.
Sic Innocenti, te Papam Roma vocavit,
Poſt Cœleſtinus cœleſti dogmate functus,
Chriſmate lætitiæ ſit præ conſortibus unctus.
Lucius hinc mundi cupiens obſiſtere morbis,
Eſt raptus tali, quia dignus non erat orbis.
Tertius Eugenius, qui nunc Prælatus habetur,
Donec vult, vivat! demum ſuper aſtra levetur!
Quartus Anaſtaſius poſt Eccleſiam viduavit,
Quam ſibi mox copulans Adrianus clarificavit.

Finiunt Capitula Libri Primi.

LIBER II.

I.

Concilium Innocentii Papæ Secundi.

HÆc ſunt exemplaria eorum, quæ a Domino Innocentio, Eccleſiæ Catholicæ Apoſtolico decreta, & a tota Synodo Rhemenſi unanimiter ſunt recepta.

Primum ergo ſtatutum eſt, nequa emtio aut venditio fiat doni Eccleſiaſtici, & qui emerit, eodem privatur, quod acceperat, emtorque & venditor, & interventor emtionis ſententia excommunicationis damnati ſunt. Placuit etiam Domino Apoſtolico, & toti Concilio, nequis audiat miſſam Presbyteri, habentis concubinam vel uxorem. Aſſenſu etiam omnium firmatum eſt, ut Clerici omnes a Subdiacono & ſupra continentes ſint, & qui non fuerint continentes, deponantur. Acclamantibus etiam omnibus præceptum eſt, nequis in Archidiaconum vel Decanum ſive Epiſcopum, niſi qui Diaconus vel Presbyter eſt, ordinetur. Sancitum eſt etiam autoritate Apoſtolica & totius Concilii, ne admittantur ad lectionem divinitatis, niſi litterati, ubi ſecreta divini myſterii pertractanda ſunt. Atque hæc medicina eſt inventa contra morbum, qui multum invaluit. Nam inlitterati lectionem divinæ paginæ audientes, & non intelligentes, in plateis coram mulierculis diſputant, & in errorem inducuntur, & in verba profana prorumpunt. Data eſt etiam ſententia, ut Clerici ordinati, & Eccleſiaſtica beneficia poſſidentes, ubicunque ſive domi ſuæ, ſive in ſtudio, in habitu clericali ſint, & capillos tonſos, & barbam raſam habeant, veſtes quoque rotundas. Et hoc remedium illi vitio repertum eſt, quo divites quidam donis Eccleſiaſticis Prælatorum fugiunt præſentiam, ut liberius ad libitum ſuum vivant, & eleemoſynas pauperum in ſuperfluitatibus ſuis expendant. Juſſit etiam Dominus Apoſtolicus, omnium voce conſentiente, ut mortuo Sacerdote vel Epiſcopo, bona ejus in libera poteſtate œconomi ſint, quoad usque Catholicus ejus ſucceſſor ex integro illa recipiat. Conſenſit quoque in hoc venerabilis omnium Fratrum conventus, ut quælibet etiam Eccleſia, cujus dotes ad ſuſtentationem Clericis ſufficiunt, proprium habeat Sacerdotem, nec recipiatur in ea mercenarius & conductus. In Verbo Domini, dictum & edictum eſt, nequis manum imponat aut Clerico, aut Monacho cujuslibet ordinis. Quod qui violaverit, a divini officii participatione, & omni Eccleſiaſtica communione longe fiat. Eccleſias, ex quo conſecratæ fuerint, liberas & abſolutas a manu laicorum eſſe, diſpoſitum eſt. Banno confirmatum eſt, ruſticos habere pacem quotidie in corpore & in rebus ſuis, dum eunt vel redeunt, vel commorantur in agricultura, vel in aliquo opere manuum. Lex poſita eſt generalis obſervandæ pacis omni loco & omni tempore anni, ab adveſperante feria IIII. usque ad matutinum feriæ V, ubi eam vero, quæ in vulgari noſtro pax diei nuncupatur, inviolabiliter cuſtodiri, decretum eſt temporibus ab antiquo inſtitutis. Clericis, & Monachis, & mulieribus pax perpetua, banni confirmatione data eſt. De conjugiis diſſolvendis caute determinatum eſt, quod poſt manifeſtam nuptiarum celebrationem, nec marito, nec uxori licet quærere occaſionem ſpontaneam diſſolvendi conjugii, nec juramentum eorum recipiendum, qui inducti familiaritate privata, jurant cognationem conjugatorum. Sed ſiquis fidelis pro caritate Chriſti aliquam lineam conſanguinitatis præpedientem conjugium monſtraverit, cæterisque indiciis & teſtimoniis comprobaverit, ei fidem habendam eſſe cenſet Sedis Apoſtolicæ venerabilis auctoritas. Nec vero illa occaſio recipienda eſt ex decreto Apoſtolicæ Sedis & totius Concilii, ſiquis, poſtquam uxorem duxerit, ſe ipſum accuſabit inceſtus occulte cum cognata uxoris admiſſi. In fine damnati ſunt ſententia excommunicationis invaſores regni & Eccleſiæ. Petrus Leonis & Cunradus cum omnibus ſuis fautoribus, inclinatis cereis ardentibus, ad extinguendam memoriam illorum, ab Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus totius Concilii, depoſiti ſunt etiam Cardinales, qui diſceſſerunt ab unitate Sanctæ matris Eccleſiæ.

II.

Capitula conſtituta a Gregorio, Romano Pontifice, filio Ottonis Regis (Ducis.)

Placuit Sanctæ Synodo, ut omnes Epiſcopi occidentales, qui in depoſitione Arnolfi Rhemenſis Archiepiſcopi fuerunt, & cæteris induciis vocari, Papienſem Synodum ſpreverunt, & inconvenientes cauſas ad confutandam Synodum per manum laicalis perſonæ miſerunt, ab Epiſcopali officio ſuſpendantur. Adelberonem Laudunenſem Epiſcopum, qui etiam Metropolitanum ſuum apprehendit, & tradidit, ab Epiſcopali officio ſuſpendimus, quia ad Synodum venire contemſit. Auctoritate enim Julii Papæ hoc ſancitum eſt, qui etiam occidentales Epiſcopos, ad Synodum venire contemnentes, depoſitionis reos judicavit, illos vero abque Apoſtolica autoritate depoſitos innocentes remanere. Decretum eſt etiam, ut Rex Rubertus, qui conſanguineam ſuam, contra interdictionem Apoſtolicam, in conjugium duxit, ad ſatisfactionem convocetur, cum Epi-

ſcopis

Digitized by Google

ſcopis his inceſtis nuptiis conſentientibus. Si autem renuerint, communione priventur. Conſtituit etiam Sancta Synodus, ut ſiquis Epiſcopus, Presbyter, Diaconus aut Clericus, Papa incolumi & eo inconſulto, aut ſubſcriptionem pro Romano Pontificatu commodare, aut pitatio promittere, aut ſacramentum præbere tentaverit, aut aliquod certe ſuffragium pollicitus fuerit, loci ſui dignitate, & omnium fidelium communione privetur & anathematizetur. Cum his & Sancta Synodus ſancivit, ut Neapolitanus invaſor, qui illius loci Archiepiſcopum apprehendi fecit, & ſe in eundem locum per Simoniacam hæreſin conſtitui fecit, niſi ſatisfaciat, anathematizetur.

III.

Decretum Papæ Paſchalis Secundi.

Quoniam Eccleſia in multis locis & maxime in Teutonicis partibus, diu laboravit ſub hæreſi & ſchiſmate, & ſi omnia illa, quæ ab illis hæreticis & ſchiſmaticis ordinata ſunt, annullari deberent, quædam Eccleſiæ omnino nudari viderentur ſuis Clericis, nos ſequentes decreta Sanctorum Patrum de his, qui ſub Acacio, & Bonoſo, & Donatiſtis ordinati ſunt ſtatuentes decrevimus, ut Epiſcopi, qui ſub iſto ſchiſmate ordinati ſunt, omnes in ſuis honoribus permaneant, niſi ſint invaſores aut criminoſi. De cæteris vero ordinibus penes Epiſcopos poteſtas ſit, ut quorum vita probabilis videatur, in ſuo gradu conſiſtant.

IV.

Incipit formata Epiſtola Epiſcoporum.

Græca elementa litterarum, numeros etiam exprimere, nullus, qui vel tenuiter Græci ſermonis notitiam habet, ignorat. Ne igitur in faciendis epiſtolis Canonicis, quas mos Latinus formatas appellat, aliqua fraus temeritatis temere præſumeretur, hoc a Patribus CCCXVIII. Nicæam congregatis ſaluberrime inventum eſt & conſtitutum, ut formatæ Epiſtolæ hanc calculationis ſeu ſupputationis habeant rationem, ita ut aſſumantur in ſupputationem prima Græca elementa Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, hoc eſt Π. Υ. Α. Quæ elementa octogenarium & quadringenteſimum primum ſignificant numeris. Petri quoque Apoſtoli prima littera, id eſt Π, quæ numerum octogenarium ſignificat. Ejus quoque qui ſcripſit epiſtolam, prima littera; cui ſcribitur, ſecunda; accipientis, tertia; civitatis quoque, de qua ſcribitur, quarta, & indictionis, quæcunque eſt, temporis, idem, qui fuerit numerus, aſſumatur. Atque his omnibus Græcis litteris, quæ, ut diximus, numeros exprimunt, in unum ductis, unam, quæcunque fuerit collecta, ſummam epiſtola teneat. Hanc qui ſuſcipit, omni cum cautela requirat expreſſe. Addat præterea ſeparatim in epiſtola etiam nonagenarium & nonum numerum, qui ſecundum Græca elementa ſignificant Amen.

A	Α	alpha	I.	μία	$\overline{\text{I}}$.	chile,
B	Β	beta	II.	dia	$\overline{\text{II}}$.	diſchile,
C	Γ	gamma	III.	tria	$\overline{\text{III}}$.	triſchile,
D	Δ	delta	IIII.	teſſera	$\overline{\text{IIII}}$.	tetraſchile,
E	ε	e brevis	V.	pente	$\overline{\text{V}}$.	pentaſchile,
S	ϛ	Z	VI.	exe	$\overline{\text{VI}}$.	exaſchile
Z	Ζ	zeta,	VII.	ebda	$\overline{\text{VII}}$.	ebtaſchile,
H	Η	eta,	VIII.	okdo	$\overline{\text{VIII}}$.	ogdoſchile,
T	Θ	theta,	VIIII.	ennea	VIIII.	ennaſchile,
I	Ι	jota,	X.	deka	X.	myre, mille, millia,
K	Κ	cappa,	XX.	icoſi	XX.	
L	Λ	lauda,	XXX.	trianta,	XXX.	deca,
M	Μ	my	XL.	taranta	XI.	endeca,
N	Ν	noi	L.	pentinta	XII.	dodeca.
X	Ξ	cſi	LX.	exinta	XIII.	decatris.
O	Ο	o brevis,	LXX.	ebdominta,	XIIII.	decateſſaris,
P	Π	pi	LXXX.	ocdinta	XV.	decapente,
Q	U	copi	XC	enominta	XVI.	decaexa,
R	Ρ	ro	C.	ecaton	XVII.	decaebta,
S	Σ	ſimma	CC.	diacoſia	XVIII.	decaogdo,
T	Τ	tau	CCC.	triacoſia	XIX.	decanea,
Y	Υ	y	CCCC.	tetracoſia	XX.	icoſoſi.
F	Φ	fi	D.	pentacoſia,		
Chi	Χ	chi	DC.	exacoſia,		
Pſi	Ψ	pſi	DCC.	ebtacoſia,		
O	Ω	o longa	DCCC.	octacoſia,		
A	ᴧ		DCCCC.	ennacoſia.		

V.

Exemplar formatæ epiſtolæ quæ in Nicena Synodo a Sanctis Patribus eſt formata & collaudata.

In nomine Patris Π, & Filii Υ, & Spiritus Sancti Α. N. illi Epiſcopo, N. illius Eccleſiæ devotus gregis Chriſti famulus, in Deo vero ſummæ felicitatis beatitudinem. Cum Sancta Catholica Eccleſia prompta ſit ſequi Evangelica documenta, quæ dicunt: Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ habebit, & qui recipit juſtum &c. & Apoſtolus jubeat hoſpitalitatem ſectari, & neceſſitatibus ſanctorum virorum communicare, tamen propter eos, qui cauteriatam habent ſuam conſcientiam, dicentes, ſe eſſe ſimplices, cum ſint aſtutia diabolica repleti, & pro opere pietatis dicunt, ſe de loco ad locum tranſire, cum ſint ſua malitia faciente fugitivi, & dicunt, ſe eſſe miniſterio ſacro inſertos, cum non ſint: ſtatutum eſt a Sanctis Patribus, neminem alienum Clericum & ignotum recipi ab aliquo Epiſcopo, & inthronizari in ſua Eccleſia, niſi habeat a proprio Epiſcopo epiſtolam, quæ in Canonibus nominatur formata. Ideo notum facimus Paternitati Veſtræ, quod præſens Frater noſter, harum literarum portitor, nomine N. non pro ſua nequitia expulſus eſt a nobis, ſed poſtulantibus Fratribus noſtris, eo quod ex familia noſtra fuit, & nuper baptizatus, fecimus ei libertatem receptare cornu altaris canonice, & ordinavimus eum ad gradum Presbyterii. Cui etiam has dimiſſorias ſive commendatitias litteras fecimus, & cum ad veſtram dilectam Fraternitatem dirigimus, ut in veſtra barrochia, ſub veſtro ſacro regimine & defenſione conſiſtere valeat. Ego, inquam N. humilis Epiſcopus in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti, & in unitate Sanctæ Eccleſiæ, in qua Petro datum eſt jus ligandi atque ſolvendi, abſolvo N. Presbyterum, de civitate illa, indictione illa, & licentiam do vobis inthronizandi eum in qua-

Digitized by Google

quacunque Ecclesia vult vestræ barrochiæ. Hanc vero epistolam Græcis litteris hinc inde munire decrevimus, & anulo Ecclesiæ nostræ firmare censuimus. Fraternitatem vestram Christus nobis incolumem conservet. Π.Τ.Α. Π.Β.Φ.Ο.Ο.Ξ.Α.Μ.Η.Ν. Data ibi idus N. anno Dominicæ Incarnationis illo.

VI.

Exemplar libertatis de proprio servo.

Qui debitum sibi nexum, atque competens relaxat servitium, præmium in futuro apud Dominum sibi provenire non dubitat. Quapropter ego in Dei nomine N. pro remedio animæ meæ, vel æterna retributione, in Ecclesia Sancti Petri vel illius Sancti, sub præsentia Episcopi vel Sacerdotum ibi consistentium, ac nobilium laicorum ante cornu altaris istius Ecclesiæ, absolvo servum meum N. per hanc cartam absolutionis & ingenuitatis, & ab omni vinculo servitutis, ita ut ab hac die, & deinceps ingenuus sit, & ingenuus permaneat, tanquam si ab ingenuis parentibus fuisset natus & procreatus. Eam pergat partem, quam maluerit, vel quam ei auctoritas Canonica permittit, & sicut alii ingenui vitam ducat ingenuam. Nulli autem heredum meorum ac proheredum, nec cuicunque personæ alii, quicquam debeat servitutis, vel libertatis obsequium, nisi soli Deo, cui omnia subjecta sunt, & pro cujus amore ipsum devotus ad ejus servitium obtuli. Peculiare vero suum, quod ei Dominus dederit, vel deinceps Deo auxiliante laborare potuerit, concessum in perpetuum habeat, ut inde faciat, quicquid ei placuerit secundum Ecclesiasticas sanctiones. Siquis vero, quod futurum esse non credo, si ego ipse, aut aliquis de heredibus meis, vel quælibet opposita persona, contra hanc ingenuitatis cartam venire tentaverit, aut eam quolibet etiam modo infringere voluerit, inprimis iram Dei incurrat, & a liminibus Sanctæ Dei Ecclesiæ extraneus efficiatur, & insuper, cui litem intulit, LX. solidos persolvat, & quod repetit, evindicare non valeat, sed præsens ingenuitas mea, vel aliorum bonorum hominum manibus roborata, cum astipulatione subnixa omni tempore maneat inconvulsa.

VII.

Decretum, quod Clerus & Populus firmare debet de electo Episcopo, sumtum ex Ordine Romano.

Dominis & Patribus illis Venerabilibus Sanctæ Episcopalis diœceseos, metropolis, clerus, ordo & plebs huic sanctæ Ecclesiæ specialiter obsequentes. Vestræ Paternitati est cognitum, quantum temporis est, ex quo accidentibus variis eventibus, hæc sancta Ecclesia metropolis nostro sit viduata Pastore, ac destituta rectore, quod non solum ad nostrum, verum & ad vestrum, ac omnis hujus diœceseos detrimentum pertinere dinoscitur, cum totius provinciæ solicitudinem Metropolitano constet esse commissam. Propterea elegimus hujus diœceseos illius Ecclesiæ Presbyterum illum, nobis sufficientissime cognitum, natalibus & moribus nobilem, Apostolica & Ecclesiastica disciplina imbutum, fide Catholicum, natura prudentem, docibilem, patientem, moribus temperatum, vita castum, sobrium, humilem, affabilem, misericordem, litteratum, in lege Dei instructum, in scripturarum sensibus cautum, in dogmatibus ecclesiasticis exercitatum, & secundum scripturarum tramitem traditionemque orthodoxorum, & Canonum ac Decretorum Sedis Apostolicæ Præsulum constitutiones sano sensu Ecclesiasticas regulas intelligentem, sanoque sermone docentem atque servantem, amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, & cum modestia corripientem eos, qui resistunt, & siqui sanæ doctrinæ adversantur, eis resistere & redarguere prævalentem, hospitalem, modestum, suæ domui bene præpositum, non neophytum, habentem testimonium bonum in gradibus singulis, secundum traditionem Ecclesiasticam ministrantem ad omne opus bonum, & ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea, quæ in illo est, spe paratum. Quem nobis quantocius petimus ordinari Pontificem, quatenus auctore Domino, regulariter nobis præesse valeat, & prodesse, & nos sub ejus regimine salubriter Domino militare possimus, quia integritas præsidentis salus est subditorum, & ubi est incolumitas obedientiæ, ibi sana est forma doctrinæ. Ut autem omnium nostrum vota in hanc electionem convenire noscatis, huic decreto canonico promtissima voluntate, singuli manibus propriis roborantes subscripsimus. Ille illius Ecclesiæ Episcopus vel Archiepiscopus in electionem Domini N. Ecclesiæ illius Episcopi subscripsi. Isti in ordinationem illius Ecclesiæ Episcopi subscripserunt.

Epistola Vocatoria.

Dominis Fratribus & Filiis, Presbyteris, Diaconibus, honoratis Clericis & possessoribus, vel cunctæ plebi illius Ecclesiæ, simulque vocato Episcopo illius N. auxiliante Domino, Metropolitanus Sanctæ Sedis Apostolicæ illius, dilectionem vestram salubriter alloquimur, quia prædictum talem a nobis electum Episcopum, virum venerabilem, tali Ecclesiæ ordinare compellimur, laudamus & honoramus Christum Jesum, ut qui vobis hanc electionis devotionem dedit, nobis quoque perficiendi tribuat facultatem. Jam præfatum virum religiosa violentia tenete, & ad Sanctam Sedem nostram illum perducere festinate. Qui forte magis dignior erit, si se occultare voluerit. Ob quam rem hanc direximus admonitionem, quemadmodum optime placuit Sanctæ Synodo Episcopum sine vocatoria suscipi non debere, ne obscuritas dubiæ ordinationis incurrat.

VIII.

Epistola commendatitia pergentibus Fratribus facta.

Dominis & Fratribus fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ - - - - circum quoque manentibus, N. humilis & exiguus servorum Dei servulus, in Domino salutem. Noverit reverentia

Digitized by Google

rentia beatitudinis vestræ, hunc Fratrem nostrum N. a nobis copiam eundi quæsisse, quam & nos ei benevola mente concessimus, ut ubicunque ei ire, remanere libitum fuerit, licitum sit, & has nostræ mediocritatis litteras ideo ei faciendas censuimus, ut quocunque perrexerit, non pro profugo, nec pro abjecto habeatur, sed pro eo, qui sponte susceperit copiam eundi & victitandi, ubicunque ei Dominus facultatem concesserit. Obsecramus etiam, ut in ejus susceptione memores sitis divinæ illius sententiæ: Hospes eram, & collegistis me, & hoc ei beneficium vestra benevolentia exhibeat, quod a Domino exhiberi præceptum est, & unde plenam ab eo retributionem suscipiatis.

IX.

Decretum Nicolai Papæ de electione Romani Pontificis.

In nomine Domini Dei & Salvatoris Nostri Jesu Christi, anno ab incarnatione ejusdem M L. VIIII. Idus Aprilis, Indictione XII. propositis sacrosanctis Evangeliis, præsidente quoque Reverendissimo ac Beatissimo Nicolao Apostolico, in basilica Lateranensis Patriarchii, quæ agnominatur Constantiniana; considentibus & Reverendissimis Archiepiscopis & Episcopis, Abbatibus ac Venerabilibus Presbyteris ac Diaconibus, idem Venerabilis Pontifex decernens de electione Summi Pontificis inquit: Novit Beatitudo vestra dilectissimi Fratres & Coëpiscopi, & interiora Christi membra non latuit, defuncto piæ memoriæ Domino Stephano, prædecessore nostro, hæc Apostolica Sedes, cui Deo auctore deservio, quot adversa pertulerit, quæ denique per Simoniacæ hæresis trapezitas malleis crebrisque tunsionibus subjacuerit, adeo ut columna Dei viventis jam pene concussa videretur nutare & sagena summi piscatoris, procellis intumescentibus, cogeretur in naufragii profundum submergi. Unde si placet Fraternitati Vestræ, debemus futuris casibus, auxiliante Deo, prudenter occurrere, & Ecclesiastico statuto, ne rediviva, quod absit, mala prævaleant, in posterum providere. Quapropter instructi prædecessorum nostrorum aliorumque Sanctorum Patrum auctoritate decrevimus atque statuimus, ut obeunte hujus Romanæ universalis Ecclesiæ Pontifice, in primis Cardinales diligentissima simul consideratione tractent, salvo debito honore & reverentia filii nostri Henrici, qui in præsentiarum Rex habetur, & futurus Imperator, Deo concedente, speratur, sicut jam sibi, mediante ejus nuntio Longobardiæ Cancellario Wiberto, concessimus, & successor illius, qui ab hac Apostolica Sede personaliter impetraverit, ad consensum novæ electionis accedat. Ut nimirum venalitatis morbus qualibet occasione non surrepat, religiosi viri cum Serenissimo filio nostro Rege N. præduces sint in promovendi Summi Pontificis electione, reli qui autem sequaces eligant aut de ipsius Ecclesiæ gremio, si reperiatur idoneus, vel si de ipsa non reperiatur, ex alia assumatur. Quodsi pravorum atque iniquorum hominum perversitas ita invaluerit, ut pura, sincera atque gratuita electio in Urbe fieri non possit, licet pauci sint, jus tamen potestatis obtineant eligere Apostolicæ Sedis Pontificem, ubi cum invictissimo Rege congruentius judicaverint. Sane postquam fuerit electio facta, si bellica tempestas, vel qualiscunque hominum conatus malignitatis studio restiterit, ut is, qui electus est, in Apostolicam Sedem juxta consuetudinem, inthronizari non valeat, electus tamen, sicut Papa auctoritatem obtineat, regendi Sanctam Romanam Ecclesiam & disponendi omnes facultates ejus, quod Beatum Gregorium ante suam consecrationem fecisse cognoscimus. Quod siquis contra hoc nostrum decretum, Synodali sententia promulgatum, per seditionem vel præsumtionem aut quodlibet ingenium electus aut etiam ordinatus inthronizatus fuerit, non Papa, sed Satanas, non Apostolicus, sed Apostaticus ab omnibus habeatur & teneatur, & auctoritate divina, & Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli perpetuo anathemate cum suis auctoribus, fautoribus & sequacibus, a liminibus Sanctæ Ecclesiæ separatus abjiciatur, sicut Antichristus & invasor atque destructor totius Christianitatis, nec aliqua super hac audacia venia ei aliquando reservetur, sed ab omni Ecclesiastico gradu, in quocunque prius fuerat, sine retractatione deponatur. Cui quisquis adhæserit, vel qualemcunque tanquam Pontifici reverentiam exhibuerit, aut in aliquo illum defendere præsumserit, pari sententiæ sit mancipatus. Quisquis autem hujus nostræ decretalis sententiæ temerator extiterit, & Romanam Ecclesiam sua præsumtione confundere & perturbare contra hoc statutum tentaverit, perpetuo anathemate & excommunicatione damnetur, & cum impiis, quo non resurgunt in judicio, deputetur, Omnipotentis scilicet Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti contra se iram sentiat, & Sanctorum Petri & Pauli quorum præsumit confundere Ecclesiam, in hac vita & futura furorem reperiat. Fiat habitatio ejus deserta, & in terra non sit, qui inhabitet. Fiant filii ejus orphani, & uxor ejus vidua. Commotus amoveatur ipse, atque ejus filii, & mordicetur, & erit deserta horum fors. Scrutetur fœnerator omnem fortem ejus, &d. a. l. e. Orbis terrarum pugnet contra eum, & cuncta elementa sint contraria ei, & omnium Sanctorum Romæ quiescentium merita illum confundant, & in hac vita super eum apertam vindictam ostendant. Observatorem autem hujus nostri decreti Dei omnipotentis gratia protegat, & auctoritate beatorum Principum Petri & Pauli ab omnibus peccatorum vinculis absolvat. Nicolaus Episcopus Sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ. Huic decreto a nobis, sicut superius legitur, promulgato subscripsi Bonifacius, Dei gratia Albanensis Episcopus, Umbertus Sylvæ candidæ, & cæteri.

d by Google

ovibus, inquit, quando pastores lupi fiunt. Sed quis vincivit, nisi qui sævivit? Quis vero persecutores judicabit, nisi qui dorsum suum ad flagella patienter ministravit? Operæ pretium est, ut ostendatur, quo fructu tantum Ecclesiæ Dei scandalum inducatur, tantum Clerus despectum vel ab ipsis Episcopis, vel ab eorum infidelibus patiatur. Nec N. infideles eos dicere dubitaverim, de quibus Apostolus dixit ad Timotheum: In novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentium nubere. Hic est autem, si diligenter inspiciatur, totius eorum manipulus, zizaniorum totius eventus vesaniæ, ut dum Clerici licita unius uxoris conjugia, scilicet unius mulieris consortia, Pharisaico devicti furore, quod absit, relinquere cogantur, fornicatores & adulteri, & aliarum pravitatum turpissimi ministri cum ipsis efficiantur, qui hanc in Ecclesia Dei hæresin, sicut cœci duces machinantur, ut videlicet illud impleatur, quod Psalmista eis, utpote eorum præscius erroris, taliter imprecatur: Obscurentur oculi eorum, ne videant, & det eis, secundum incepta. Quia ergo nemo, qui te o Apostolice novit, ignorat, quod si tu per tui decreti sententiam tantam futuram esse pestilentiam, solitæ discretionis claritate perspexisses, nunquam quorumlibet tam pravis suggestionibus consensisses, debitæ tibi subjectionis fidelitate consulimus, ut vel nunc ad tanti scandali ab Ecclesia Dei propulsionem evigiles, & per quam nosti discretionis disciplinam, Pharisaicam ab ovili Dei extirpes doctrinam, ne scilicet unica Domini Sunamitis adulterinis diutius abusa maritis, gentem sanctam, regale Sacerdotium, per inrecuperabile a suo sponso Christo videlicet evellat divortium, dum nemo sine castimonia, non tantum in virginali flore, sed etiam in conjugali habita convictione, visurus sit Dominum Nostrum, qui cum Deo Patre, & Spiritu Sancto vivit & regnat per omnia secula seculorum, Amen.

XI.

Leo Episcopus, servus servorum Dei, dilectissimo in Domino Udalrico, religioso Abbati venerabilis Lauressamensis Ecclesiæ, & per te in eodem venerabili Monasterio tuis successoribus in perpetuum. Quoniam concedenda sunt, quæ rationabilibus desideriis pertinere noscuntur, nostri Apostolatus auctoritas ad roborandam piam devotionem sancta loca construentium in præstandis privilegiis debet minime abnegari. Igitur quia excellentia spiritualis filii nostri Domini H. piissimi Imperatoris Augusti postulavit a nobis, quatenus Monasterium N. quod constructum esse certum est a piissimis Imperatoribus Karolo Magno, & filio ejus Ludovico, eorundemque successoribus, ubi modo venerabilis Abbas N. regulari institutioni præesse videtur, privilegiis Sanctæ Romanæ & Apostolicæ Sedis modis omnibus decoretur, scilicet ut nullius juri & ditioni submittatur. Ideo piis desideriis spiritualis filii nostri faventes, hac nostra Apostolica auctoritate decernimus, id ipsum præfatum Monasterium a modo & usque in finem seculi, sub Patrocinio Sanctæ Romanæ & Apostolicæ matris Ecclesiæ, cum omnibus, quæ ad illud pertinent, permanendum. Decernimus igitur sub divini judicii obtestatione & Beati Petri, Apostolorum Principis, nostræque humilitatis interdictione, ut nullus in aliquo gradu constitutus, vel in quolibet ordine & ministerio, audeat molestē causis ejusdem Monasterii incumbere, aut de rebus & possessionibus quoquomodo auferre, aut alienare, seu ipsos Monachos inibi Deo servientes inquietare præsumat, nec quamlibet malitiam & jacturæ molestiam ibidem inferre conetur, dum profecto illud, ut sæpe prædictum est, firma stabilitate & jurisdictione, sub patrocinio Sanctæ Nostræ Romanæ Matris Ecclesiæ permanendum sancimus. Addimus præterea post obitum Abbatis, ut nemo ibidem Abbatem constituat, nisi quem consensus & communis voluntas Fratrum ibidem regulariter viventium, ex ipsa congregatione elegerit, nullumque præmium sive donum pro consecratione illius Abbatis, qui tunc temporis fuerit Præsul, accipere contendat, & si eum gratis ordinare noluerit, vel a nostra Romana matre Ecclesia, vel a quolibet venerabili Episcopo nostra auctoritate ordinetur. Promulgantes nempe & hoc auctoritate Beatissimi Petri, Apostolorum Principis, coram Deo & terribili ejus futuro examine, per hujus nostri Apostolici privilegii constitutionem sancimus, ut universa, quæ ab antecessoribus successoribusque nostris in rebus mobilibus & immobilibus concessa sunt, nec non & possessionibus, quæ a Regibus & Principibus, seu quibuslibet Christi fidelibus collata sunt fuerintve in posterum, inconcussa stabilitate ad jus & dominium Sancti Nazarii Martyris, perpetuis temporibus perseverent, nec licentia sit, ut dictum est, ex omnibus ejusdem Monasterii pertinentibus, cuiquam vel magnæ, vel parvæ personæ diripere quicquam, vel auferre, ut profecto ad Dei laudem securum & tranquillum juste id, quod subjectum juri & patrocinio fuit, decrevimus, bene dotatum, & in melius dotandum permaneat. Si quis autem, quod non optamus, nefario ausu præsumserit hæc, quæ ad honorificentiam Domini Dei & Salvatoris Nostri, pro stabilitate ipsius Monasterii, & quiete Monachorum statuta sunt, transgredi, sciat, se anathematis vinculo innodatum, & cum diabolo, & omnibus impiis eum incendii atrocissimo supplicio deputatum. At vero qui pio intuitu custos & observator eorum exstiterit, omnimodæ benedictionis gratiam, omniumque peccatorum suorum absolutionem & indulgentiam & cœlestis vitæ beatitudinem cum Sanctis & electis, a misericordissimo Domino Deo Nostro consequi mereatur in secula seculorum, Amen. Data XI. Kal. Novembr. per manus Petri Diaconi, & Bibliothecarii, & Cancellarii Sanctæ Apostolicæ Sedis, anno Domini Leonis Papæ primo, Indict. III.

XII. Johan-

Digitized by Google

XII.

Johannes Episcopus, servus servorum Dei, dilectissimo in Domino filio N. religioso Abbati venerabilis Monasterii, ubi Sancti Nazarii pretiosi Martyris corpus requiescit, in loco, qui dicitur N. qui dedicatus est in honore Apostolorum Petri & Pauli, & Sancti Nazarii Martyris similiter consecratus, successoribus tuis in perpetuum. Convenit Apostolico moderamini pia religione pollentibus benevola caritate succurrere, & promptum cum alacri devotione impertire assensum. Ex hoc enim lucri potissimum præmium a conditore omnium reponitur Deo, quando venerabilia loca opportune ordinata, ad meliorem fuerint sine dubio statum nostra Apostolica auctoritate perducta. Et quia excellentiæ vestræ laudabilis mansvetudo postulavit a nobis, quatenus pro amore dilecti filii nostri Domini Ottonis Tertii Imperatoris, & dilectæ matris suæ Theophaniæ, & Dominæ nostræ aviæ suæ, spiritualium filiarum nostrarum, prædictum Monasterium confirmaremus, concedimus & confirmamus vobis vestrisque posteris præfatum Monasterium cum omnibus rebus mobilibus & immobilibus illuc pertinentibus, quæ dici vel nominari possunt, a præsenti tertia indictione ad ipsum sacratissimum Monasterium permanendum statuimus, & statuendo confirmamus, ita ut cuncta loca urbana vel rustica, id est in fundis & casalibus, casis & villis, vinetis, & terminis, seu castellis, campis, pratis, pascuis, silvis, saltibus, arboribus pomiferis, fructiferis & infructiferis diversi generis, puteis, fontibus & rivis, aquis, molendinis, piscationibus, prædia culta & inculta, una cum colonis & familiis suis, cum decimis & solitis dationibus, & universis rebus, quæ aliquo modo ad ipsum locum pertinent, vel pertinere debent, a modo & usque in finem seculi, sicuti ab antecessore nostro, Domino N. Sanctissimo Papa, per præcepti paginam vobis concessum est, ita & nos omnia in integrum per hoc nostrum privilegium, & auctoritate Beati Petri Apostoli, cum omni securitate & tranquillitate vobis & posteris vestris concedimus & confirmamus donandum perpetualiter. Post obitum vero Abbatis nemo ibidem Abbatem constituat, nisi quem consensus & communis voluntas Fratrum ex ipsa congregatione elegerit. Statuimus etiam Apostolica censura sub divini judicii obtestatione & anathematis interdictu, ut nullus Dux, nullus Comes, nullus Archiepiscopus vel Episcopus, vel etiam quælibet hominum magna parvave persona præsumat eidem venerabili Monasterio damnum sive molestiam inferre, sive de rebus ipsius auferre vel alienare, sed sicut supra a nobis confirmatum est, ita perennibus ac perpetuis temporibus sine aliqua diminutione liceat finetenus permanere. Siquis autem, quod non optamus, temerario ausu extiterit, qui contra hoc nostrum Apostolicum confirmationis privilegium venire, aut in quoquam dirumpere præsumserit, & sicut superius a nobis confirmatum est, ita permanere non dimiserit, sciat se, nisi resipiscat, auctoritate Dei omnipotentis, & Beati Petri Apostolorum Principis, atque nostra, qui ejus fungimur vice, anathematis vinculo esse innodandum, & a regno Dei alienum, atque cum Juda traditore Domini Nostri Jesu Christi, & cum omnibus impiis in æterno incendio concremandum. Qui vero pio intuitu custos & observator extiterit hujus nostri Apostolici confirmationis privilegii, benedictionis gratiam a justo judice Domino Nostro Deo consequi mereatur in secula seculorum, Amen. Scriptum per manum Stephani Scriniarii Sacri Palatii in mense Octobri, & indictione III. Data XIIII. Kal. Novemb. per manum Johannis Episcopi Nepesinæ Ecclesiæ, & Bibliothecarii Sanctæ Sedis Apostolicæ, anno Pontificatus Domini nostri Johannis Sanctissimi Papæ quinto, in mense Octobri, & indictione supra scripta, imperante Domino nostro Ottone III. Imperatore.

XIII.

Notum esse volumus Sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, nostrisque præsentibus & futuris, qualiter nos ob nostræ mercedis augmentum, & pro merito gratæ servitutis, cuidam fideli nostro quasdam res proprietatis nostræ concessimus, hoc est in pago nuncupato N. in comitatu N. Comitis, quicquid nostri beneficii in loco N. habere visus fuit, cum domibus, ædificiis, mancipiis, vinetis, campis, agris, pratis, silvis, cultis & incultis, aquis aquarumve decursibus, accessibus & adjacentiis, finibus, exitibus & regressibus, & cum omnibus appendiciis. Et jussimus ei inde fieri hoc nostræ auctoritatis præceptum, per quod decernimus atque jubemus, ut præfatus N. de his omnibus rebus, quas ei in proprietatem & donationem condonavimus, nunc & deinceps omni tempore liberam in omnibus habeat potestatem tenendi, donandi, possidendi, vendendi, commutandi, vel quicquid sibi libuerit, faciendi absque ullius personæ contradicentis obstaculo. Et ut hæc nostræ concessionis auctoritas firmior habeatur, & per futura tempora a fidelibus nostris melius credatur, & diligentius observetur, manu propria nostra subter firmavimus, & anuli nostri impressione signari jussimus.

XIV.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Arnolfus Divina favente clementia Rex. Si fidelium nostrorum petitionibus, quas pro Ecclesiarum sibimet commissarum utilitatibus nobis suggesserint, clementer annuimus, ac pie prospicimus, id nobis ad statum regni nostri prospere gubernandum, & ad æterni regni beatitudinem feliciter promerendam liquido profuturum esse confidimus. Quapropter generali collegio omnium fidelium N. præsentium atq; futurorum notum fieri cupimus, qualiter ante biennium, & etiam sæpe antea a fidelibus Episcopis nostris, necnon ab religiosis laicis, cæterisque compluribus diversi ordinis viris, auribus serenitatis nostræ celeberrima delatione delatum est, qualiter in Monasterio N. dicto, in honore Sancti Nazarii Christi Martyris dedicato,

dicato, ubi ipse corpore quiescit, quod bonæ memoriæ Ludovicus Rex, avus videlicet noster, multa augmentatione cumulavit, atque præ cæteris cœnobiis dilexit, ibidem sibi locum sepulturæ eligens, conversatio Monachicæ vitæ ob pastorum, qui eidem congregationi præesse debuerant, incuriam atque desidiam irrita fieret, regularisque vitæ ordo, nisi nostra providentia cito emendaretur, penitus deficeret, varias opiniones de eis proferentes, & omnimoda pravitate eos accusantes, & inter cætera dicentes, tantum malum aliter nullatenus posse aboleri, nisi idem cœnobium alicui de fidelibus nostris, Deum timenti, ac divina præcepta amanti ad procurandum & regendum consignaretur. Ad nos hujusmodi crebris sermonum verberibus attriti, omnium fidelium N. consultu, N. venerabili ac dilectissimo Episcopo nostro, quem ad omne bonum promtum esse scimus & cognoscimus, idem Monasterium ad gubernandum delegavimus. Post hæc etiam ipse, postposito omni seculari honore & commodo, quæ inde consequi potuit, malens in cœlestibus thesaurizare, precatus est clementiam nostram, ne aliquis malivolorum fraude vel insidiis ipsum locum surripere posset, ut pristino honore eum ditaremus, & eis licentiam concederemus, juxta eorum arbitrium inter se eligendi Abbates. Cujus piis atque paternis ammonitionibus libenter assensum præbuimus, præsensque præceptum inde conscribi jussimus, per quod decernimus, atque firmissime jubemus, ut ipsi Fratres prælibati Monasterii ab hodierna die, ac deinceps securam teneant potestatem inter se eligendi Abbates, quamdiu talem illic invenire possunt, qui scientia & morum honestate talis sit, ut tantam congregationem juxta regulam Sancti Benedicti queat & sciat regere, & regali dignitati justa obsequia præbere. Et ut hoc præceptum ab nullo unquam successore nostro violetur, & diligentius incorruptum observetur, manu nostra illud firmari, anuloque nostro insigniri jussimus. Signum Domini Arnolfi largissimi Imperatoris Augusti.

XV.

Gregorius Papa, servus servorum Dei, dilectissimo in Domino filio Rabano, pio & venerabili Abbati. Pontificii nostri cura nos urget, sanctarum omnium Dei Ecclesiarum utilitatibus favere, ac secundum quod unaquæque in proprio statu mansura sit, congruum eis impertiri suffragium. Ex hoc enim lucri potissimum præmium a conditore omnium Deo procul dubio promeremur, si venerabilia loca oportune ordinata ad meliorem fuerint sine dubio statum perducta. Igitur quia postulastis a nobis, decernimus nostra Apostolica præceptione reconcedere & reconfirmare perpetualiter vobis vestrisque successoribus Monasterium Fuldense, quod Sancti Bonifacii vocabulo viget, situm in loco, qui vocatur Bochonia juxta ripam fluminis, quod dicitur Fulda, cum omnibus cellis, curtibus districtionibus, seu omnibus rebus mobilibus sibi pertinentibus, quas nunc habet, & in futuro, Deo auxiliante, habebit. Concedimus etiam atque donamus vobis, carissime ac dilectissime fili, vestrisque successoribus Abbatibus in perpetuum, pro magno nostro amore nimiaque dilectione, quam circa vos habemus, & deinceps habere cupimus, Monasterium Sancti Andreæ Apostoli, quod vocatur Exaiulum, situm Romæ juxta Ecclesiam Sanctæ Dei Genitricis Mariæ semper Virginis, quæ vocatur ad præsepe, cum omnibus mansionibus, caminatis cellis, vinaria & coquina, cum vineis, hortis, diversisque generibus pomorum, cum curte & puteo & introitu per portam majorem a via publica, & cum omnibus ad idem Monasterium pertinentibus, tam intra quam extra urbem sitis, quæ ei juste ac recte pertinere dignoscuntur. Nullus etiam Episcoporum, Archiepiscoporum, Patriarcharum, vel quoquo modo in Clero constitutus, temere aut proterve, nisi a vobis accepta licentia, super principale altare vestri Monasterii missarum solennia celebrare præsumat, aut quamlibet ditionem vel auctoritatem habere in idem vestrum Fuldense Monasterium, præter nostram Apostolicam Sedem specialiter Episcopus, in cujus diœcesi constitutum esse videtur, ita ut nisi ab Abbate Monasterii fuerit invitatus, nec missarum solennia ibidem celebrare præsumat. Dona vero & oblationes, decimasque fidelium absque ullius personæ contrarietate, firmitate perpetua ipsi Monasterio vestro, secundum prædecessorum vestrorum privilegia, confirmamus & corroboramus. Decernimus etiam ne alicui personæ magnæ vel parvæ liceat aliquam vim vel controversiam inferre eidem Monasterio in rebus & familiis ejus, neque totum neque partem ipsius mortalium alicui ulla ratione subdere, vel sub beneficii nomine dare præsumat, sed omni tempore soli nostræ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ libera securaque deserviat. Eligendi quoque sibi Abbatem, quando opus fuerit, Fratres inter se potestatem habeant, secundum regulam Sancti Benedicti sine ullius personæ contradictione. Cæterum vero hæc deliberantes decernimus, ut congruis temporibus nostræ solicitudini Ecclesiasticæ intimetur, qualiter religio monastica regulari habitu dirigatur, concordiaque convenienti ecclesiastico studio mancipetur, ne forte, quod absit, sub hujus privilegii obtentu animus gressusque rectitudinis nostræ a norma justitiæ aliquando retorqueatur. Concedimus etiam tibi, quem bene eruditum & bene eloquentem virum esse novimus, dulcissime fili, prædicare verbum Dei, auctoritate Sancti Petri Apostoli & nostra ejus indigni vicarii, & ut tam vos, quam successores vestri ante omnes Abbates totius Galliæ, seu Germaniæ primatum sedendi in omni loco conventuque, sive in judiciali sententia, seu in omnibus conciliis ac ordinibus, nostra Apostolica auctoritate obtineatis. Abbas vero non nisi a nostra Apostolica Sede benedicatur, a qua benedici debet, nec unquam ab aliquo Episcopo consecrationem experat,

Digitized by Google

petat, nisi a Romano Pontifice, nec consecratus ad aliud Monasterium in Fuldensi introducatur, vel præponatur Monasterio. Usum quoque Dalmaticæ, caligarum & sandaliorum, secundum quod ab antecessoribus nostris concessum est, vobis concedimus. Ac ne fœmina unquam illuc ingredi præsumat, nostra Apostolica auctoritate interdicimus, & nequis unquam placitum ibi habeat, vel in cæteris ejus locis, nec servos, nec colonos ad aliquod servitium constringat, nisi cui Abbas ad utilitatem suæ necessitatis assensum præbuerit. Igitur generaliter addendum dignum duximus, ut quicquid auctoritate antecessorum quorumlibet, nostrorum Regum & Imperatorum, ipsi Fuldensi Monasterio constat fuisse concessum, sit & nostra Apostolica auctoritate per hoc nostrum privilegium confirmatum atque corroboratum, statuentes Apostolica censura, sub divini judicii obtestatione, nequis unquam nostrorum postdecessorum, Pontificum Romanorum, Regum, Imperatorum, Ducum, Marchionum, Comitum, & præterea Archiepiscoporum, Episcoporum, Patriarcharum, aut cujuslibet dignitatis vel conditionis hominum contra hoc nostrum privilegium quicquam audeat attentare. Quicunque ergo hujus nostri privilegii observator extiterit, & pro intuitu custodierit, & ne in aliquo infringatur a se, observaverit, omni benedictione repleatur, & peccatorum suorum absolutionem a retributore omnium bonorum Deo consequi mereatur, ut in cœlesti sede glorietur. Qui autem, quod absit, hanc nostram præceptionem violare præsumserit, nisi resipiscat, individuæ Trinitatis iram incurrat, & a cœtu omnium Sanctorum extorris exsistat, Sancti Petri, Apostolorum Principis maledictione redundet, CCCXVIII. Patrum sacrosancto Concilio damnetur, atque in extrema die judicii amaranatha anathemate perditus, lucis claritudinem nesciat, sed exteriores tenebras cum diabolo ac consentaneis ejus perpetualiter gemat, Amen. Datum per manum Benedicti, Notarii ac Scriniarii Romanæ Ecclesiæ, Idibus Maji, Indict. XIIII.

XVI.

In Nomine Domini Nostri Jesu Christi Dei omnipotentis Leo Papa. Agnitum esse volumus cunctis Christianæ religionis fidelibus, tam præsentibus quam futuris, qualiter Christianissimus Imperator Augustus, nomine Karolus, Deo inspirante, Christum hæreditatis suæ desiderans fieri possessorem, quoddam Monasterium juxta muros civitatis Tyburneæ, quæ a Tiberio Cæsare Augusto ædificata est, quæ modo vulgo Regenesburch appellatur, quod est constructum in honore Sanctæ Mariæ, Matris Domini Nostri Jesu Christi, & Principis Apostolorum Petri, & Georgii Martyris, ubi præclarissimus Emmeramus & Episcopus Pictaviæ requiescit corpore, in nostram immunitatem successorumque nostrorum gratiam defensionis transfudit, & nos continuo pro Christi amore gratuita mente petitioni ejus piæ annuentes, decrevimus ita fieri, & jussimus hanc cartam auctoritatis nostræ inde conscribi, ut Episcopus ejusdem civitatis tertius nomine Adelwinus, juxta decreta Canonum, & cum auctoritate nostra in præsentia piissimi Imperatoris Karoli, recta ratione in Synodali Concilio cum judicio Episcoporum, Clericorum, nec non laicorum nobilium, de eodem loco cathedram pontificalem mutavit, & Canonica auctoritate in civitatem, in Ecclesia Sancti Stephani Protomartyris statuit, & suæ successorumque suorum proprietati ac potestati deinceps in futurum abalienavit. E contra ante dictus Christianissimus Imperator dedit illi locum, ubi modo Sedes Episcopalis est, a parte meridiana ipsius Monasterii perticas decempedas XL. & in alia parte centum in longitudine circiter CCVII, & Ecclesiam Sancti Petri, & Ecclesiam Sancti Pauli juxta muros prædictæ civitatis, & confirmavit, Monasterium pretiosi Dei Martyris Emmerami in potestate Imperatorum sive Regum in secula permanere, & ita confirmavit, ut Rector & Abbas ejusdem cœnobii unoquoque anno VII. aureos Romam ad altare Sancti Petri persolvat. Hæc mutatio & confirmatio auctoritatis nostræ fuit anno ab Incarnatione Domini XCVIII. ita ut siquis Imperator, aut Rex eandem Ecclesiam tam sanctam alicui præstiterit, anathema sit. Congregatio autem Monasterii liberam habeat potestatem & electionem Abbatis juxta decretum Sancti Benedicti sine omnium contradictione substituendi. Præfatum Monasterium cum Monachis & omnibus ibidem in præsens collatis vel in posterum conferendis, in nostram successorumque nostrorum immunitatem recepimus.

XVII.

Karolus Serenissimus Augustus a Deo coronatus, Romanum gubernans Imperium, qui & per misericordiam Dei Rex Francorum & Longobardorum, N. venerabili Archiepiscopo in Domino salutem. Sæpius tecum & cum cæteris collegis tuis familiare colloquium de utilitate Sanctæ Ecclesiæ habere voluissemus, si absque molestia corporali id effici potuisset. Sed quamvis sanctitatem tuam in divinis rebus tota intentione vigilare non ignoremus, omittere non possumus, quin tuam sanctam devotionem, Sancto incitante Spiritu, nostris compellemus atque commoneamus apicibus, ut magis ac magis, in Sancta Dei Ecclesia, studiose ac vigilanti cura laborare studeas in prædicatione sancta & doctrina salutari, quatenus per tuam devotissimam solertiam Verbum vitæ æternæ crescat, & currat, & multiplicetur numerus populi Christiani, in laudem & gloriam Salvatoris Nostri Dei. Nosse itaque per tua scripta, aut per te ipsum volumus, qualiter tu, & suffraganei tui doceatis & instruatis Sacerdotes Dei, & plebem vobis commissam de Baptismi Sacramento, & cur primum infans catechumenus efficiatur, vel quid sit catechumenus; deinde per ordinem omnia, quæ aguntur de scrutinio, quid sit scrutinium; de Symbolo, quid sit ejus interpretatio secundum Latinos; de credu-

Google

credulitate, quomodo credendum sit in Deum Patrem omnipotentem, & in Jesum Christum filium ejus, natum & passum, & in Spiritum Sanctum, Sanctam Ecclesiam Catholicam, & cætera, quæ sequuntur in eodem Symbolo; de abrenuntiatione Satanæ, & omnibus operibus ejus, atque pompis; quid sit abrenunciatio, vel quæ opera ejusdem diaboli, & pompæ; cur insuffletur, vel cur exorzizetur; cur catechumenus accipiat salem; cur tangantur nares, cur pectus ungatur oleo, cur scapulæ signentur, cur sacro chrismate caput perungatur, & mystico tegatur velamine; vel cur corpore & sanguine Dominico confirmetur. Hæc omnia subtili indagine perscripta nobis, sicut diximus, nunciare satage, vel si ita teneas & prædices, aut si in hoc, quod prædicas, te ipsum custodias. Bene valeas, & ora pro nobis.

XVIII.

Karolus gratia Dei Rex Francorum & Longobardorum, ac Patricius Romanorum. Quicquid ob amorem Dei locis Sanctorum venerabilium, benivola deliberatione concedimus, vel condonamus, hoc nobis ad æternæ remunerationis præmia capessenda profuturum, liquido credimus; quomodo hoc procul dubio ad salvationem corporis & animæ nostræ fore creditur, ut ii, qui in Dei laude sunt, sine querela persistant, & exinde sæpius & devotius in nostra manere memoria possint. Igitur notum sit omnibus successoribus nostris & fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ, præsentibus & futuris, qualiter nos propter nomen Dei & æternam remunerationem, seu pro oportunitate dilectissimi filii nostri Ludewici Regis, absque omnium hominum contradictione confirmamus, Ecclesiam Dei liberam esse, & in potestate Imperatorum sive Regum usque in ævum permanere, quæ est constructa in honore Domini Nostri Jesu Christi, & Matris ejus Mariæ, & Principis Apostolorum Petri, & Georgii Martyris, & pretiosi Dei Martyris Emmerammi atque Pontificis Aquitaniæ, juxta muros civitatis nostræ Reganesburgensium, ubi venerabile corpus ejus, miraculis declarantibus, requiescere comprobatur, & rectorem ejusdem cœnobii, ejusque successores unoquoque anno VII. aureos persolvere Romam ad altare Sancti Petri. Proinde noverit omnium Christi nostrique fidelium universitas, omnia, quæ a patre meo Pipino Rege, & ab antecessoribus meis, ubicunque locorum hactenus eidem Ecclesiæ credita sunt & collata, per hanc nostram auctoritatem perennibus temporibus, ea videlicet ratione, confirmamus, ut neque Dux, neque Episcopus ejusdem loci aliquam potestatem habeat, prænominata bona auferre, vel abalienare, sed rector ejusdem loci, suique successores habeant potestatem, quicquid eis placuerit, inde faciendi ad utilitatem tantummodo Monachorum, sub sancto Ordine consistentium. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, & diuturnis temporibus, Domino auxiliante, melius conservetur, manu propria subter firmavimus, & de anulo nostro sigillari jussimus. Signum Karoli gloriosissimi Imperatoris. Datum VIII. Kal. April. Anno XXXII. regni nostri. Actum super fluvium Moinum ad Franchenfurt.

XIX.

In Nominæ Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Karolus divina favente clementia Imperator Augustus. Si locis Deo dicatis aliquid ex nostra largitate conferimus, procul dubio æternæ retributionis præmia inde nobis augmentari credimus. Quapropter noverit omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet & futurorum industria, qualiter nos interventu N. Abbatis nostri cuidam fideli nostro quandam capellam, cum omnibus ad eam pertinentibus ædificiis, mancipiis, terris cultis & incultis, agris, campis, silvis, pratis, aquis, quam ipse modo in beneficio habere visus est, diebus vitæ suæ sub usu fructuario in proprietatem concessimus, & jussimus hoc nostræ auctoritatis præceptum inde conscribi, per quod decernimus atque jubemus, ut præfatus N. eandem capellam diebus vitæ suæ secure possideat. Post ipsius vero obitum ad capellam nostram in regia civitate sitam, quæ est constructa in honore Sanctæ Mariæ, jure perpetuo pertineat, Rectoresque ipsius Ecclesiam eandem capellam, secundum voluntatem suam, & utilitatem præfatæ Ecclesiæ, regant & disponant. Et ut hæc auctoritas nostræ largitionis firmior habeatur, & per futura tempora verius credatur, ac diligentius observetur, manu propria eam subter firmavimus, & anuli nostri impressione sigillari jussimus. Data Kal. April. anno Incarnationis Dominicæ DCCCLXXX. III. Indict. anno vero imperii piissimi Karoli III.

XX.

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Karolus divina favente clementia Imperator Augustus. Si pro Dei amore locis ipsi dicatis, ex nostris rebus aliquid conferimus, & necessitates Ecclesiasticas nostro sublevamus juvamine, id nobis ad æternam vitam feliciter capessendam profuturum, liquido credimus. Ideoque noverit omnium Sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium, nostrorumque præsentium seculorum ac futurorum solertia, quia nos pro Dei amore, animæque nostræ remedio, concessimus ex rebus nostris ad Capellam nostram, quæ est in honore sanctæ & intemeratæ virginis Mariæ constructa infra civitatem Radisbonam, Ecclesiam unam cum casa & curte, & cum omnibus juste ac legaliter ad ipsam Ecclesiam pertinentibus, campis, pratis, pascuis, silvis, terris cultis & incultis, aquis aquarumve decursibus, viis & inviis, accessibus & regressibus, adjacentiis, finibus, eo videlicet rationis tenore, ut deinceps perpetualiter ex rebus ipsis indeficienter luminaria ad sanctum locum pro animæ nostræ remedio habeantur. Unde & hoc nostræ auctoritatis præceptum exinde fieri jussimus atque jubemus, ut nostris temporibus & futuris præfatæ res ad præscriptum sanctum locum inviolabiliter permaneant, nullusque habeat potestatem exinde aliquid minuere vel abstrahere. Et ut hæc nostræ concessionis auctoritas

per

Digitized by Google

per futura tempora a cunctis fidelibus nostris verius credatur, & diligentius observetur, manu propria subter eam confirmavimus, & anulo nostro insigniri jussimus.

XXI.

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Karolus Domini favente clementia Imperator Augustus. Si de rebus terrenis fidelibus nostris oportunitates accommodaverimus, benivolentiores eos facimus, & a Deo nos mercedem inde habere liquido credimus. Quapropter comperiat omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet ac futurorum industria, qualiter nos fideli nostro Abbati N. ob fidele servitium ejus, & pro augmento mercedis nostræ apud Deum, causas nostras per hanc nostram auctoritatem concessimus & donavimus. Itaque illi usque ad finem vitæ suæ in proprietatem, quicquid pertinet ad Capellam nostram, quæ sita est in urbe Regina, potestative confirmamus, quatenus securus pro nobis nostrisque parentibus oret cum Clericis ad servitium Dei nutritis. Et ut hæc nostræ largitionis sive concessionis auctoritas firmiorem in Dei nomine obtinere valeat vigorem, manu propria nostra subter eam firmavimus & anuli nostri impressione insigniri jussimus. Data X. Kal. Septembris, anno Incarnationis Domini DCCCLXXX. Indict. tertia, anno regni Karoli piissimi Imperatoris VIII. Imperatoriæ vero dignitatis in Italia V. in Francia IIII. in Gallia primo. Actum Weibelingæ in Dei nomine Amen. Feliciter.

XXII.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis Karolamnus (Carolomannus) Dei favente gratia Rex. Si pro Dei nutu, vel pro mercede æternæ retributionis fidelibus quibuscunque nostris quasdam res proprietatis nostræ donamus, non solum regni morem decenter implemus, verum & æternæ beatitudinis premium nos promereri, liquido credimus. Idcirco notum sit omnibus fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ nostrisque, scilicet præsentibus & futuris, quemadmodum quidam fidelis ac dilectus Presbyter noster nomine Job culmen serenitatis nostræ adiit, deprecans, ut ei quasdam res nostræ proprietatis in pago N. in Comitatu N. in proprium donaremus. Nos vero libentissime petitioni illius satisfacientes propter nimiam servitutem illius in nos exhibitam, per hoc præsens præceptum nostrum donavimus duas hobas in proprietatem cum VIII. mancipiis, cum terris cultis & incultis, agris, pratis, pascuis, silvis aquis aquarumque decursibus. Omnia hæc prædicto dilecto Presbytero nostro in proprietatem dedimus, atque de nostro jure in ejus jus & dominationem transfudimus, ea videlicet ratione, ut ab hodierna die & deinceps hanc ipsam proprietatem omnibus diebus vitæ suæ habeat, teneat atque possideat: Post obitum autem illius, ut res prædictæ redeant in potestatem Sancti Emmerani martyris Christi. Et ut hæc auctoritas nostræ largitionis ab universis fidelibus firmior habeatur, & per futura tempora verius credatur ac diligentius conservetur, manu propria nostra subter eam confirmavimus, & anulo nostro sigillari jussimus. Sigillum Domini Karlomanni Piissimi Regis. Datum III. Non. Decembr. Anno Christo propitio III. Domini K. Serenissimi in Bauaria & secundo in Italia, Indictione XI. Actum Ratesdorf curte Regia in Dei nomine feliciter.

XXIII.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis Carolus Dei gratia Rex. Si Dei Ecclesiis nostro videlicet regimine procurandis dignos adhibere curamus honores, non solum terreni sed & cœlestis regni non dubitamus honore & fastigio nos sublimari. Inde volumus ad fidelium nostrorum, præsentium futurorumque pervenire notitiam, qualiter convenit inter Venerabilem virum Radesponensis Ecclesiæ Episcopum Tutonem & quendam hominem nostrum, ut aliquas res eorum inter se pro ambarum oportunitate partium concambire deberent, quod & fecerunt. Tradidit igitur N. proprietatem suam sancto E. (Emmerano) martyri, qualem visus est habere, cum omnibus appendiciis ad prædictum locum rite pertinentibus in manum Episcopi & Advocati sui N. in perpetuam proprietatem. Econtrario vero, retradente eodem Advocato una cum manu Episcopi, accepit prædictus N. de rebus Sancti E. locum N. cum omnibus appendiciis in perpetuam proprietatem. Et ut hoc concambii præceptum firmum stabileque permaneat, manu propria subter illud firmavimus anulique nostri impressione sigillari jussimus.

XXIV.

Si fructuosas complacitationes circa casas Dei fieri consentimus, non solum temporaliter nobis profuturum esse credimus, verum & ad æternam vitam feliciter obtinendam nobis profectuosum esse, liquido non dubitamus. Idcirco notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrisque præsentibus scilicet & futuris, quomodo quidam Venerabilis ac dilectus Abbas noster petiit culmen serenitatis nostræ, ut liceret sibi quandam complacitationem agere cum Monachis in cœnobio N. consistentibus. Nos autem petitioni illius libenter aurem accommodantes, permisimus ita fieri sicut rogavit. Et ideo præfatus Abbas tradidit cum manu advocati sui ad supradictum Monasterium proprietatem suam cum consensu & licentia omnium fratrum in eodem cœnobio consistentium. Scilicet pro firmitatis gratia poposcit serenitatem nostram, ut præceptum nostrum superadderemus, ut illius placitatio firma & inconcussa persistere potuisset. Nos vero voluntarie petitionem illius suscipientes, per hoc præsens præceptum nostrum sancimus atque jubemus, ut quod ille ad jam dictum Monasterium tradidit, hoc deinceps illuc perpetualiter pertineat atque aspiciat, nullo unquam successore nostro hanc traditionem irrumpente, sed Deo auxiliante perpetuis temporibus salva & inconcussa permaneat.

Digitized by Google

XXV.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis C. Dei concedente clementia Rex. Si ecclesias Dei aliqua semper utilitate fulcire studuerimus, non solum morem regium exercemus, sed & aliquod lumen animæ nostræ inde promereri speramus. Quapropter cognoscat omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet & futurorum industria, qualiter nos ammonente Adelwardo Episcopo pro honore Dei Sancto Martyri Emmerano concessimus de nostro jure decimam partem vectigalium, id est, de ministerio N. ad concinnanda luminaria jure perpetuo in proprium. Et ut hæc concessionis nostræ auctoritas firmior habeatur & per futura tempora a fidelibus verius credatur & diligentius observetur, manu nostra subtus eam firmavimus anuloque nostro sigillari jussimus. Datum III. Kal. Julii anno Incarnat. Domini nostri Jesu Christi DCCCCXVI.

XXVI.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Arnolfus divina favente Clementia Imperator Augustus. Regalem condecet dignitatem, ut facta fidelium suorum quæ communi ipsorum congruunt utilitati, & pie eis consulendo prospiciat, & inposterum mansura gratanter corroboret. Inde omnium Christianæ religionis fidelium, instantis scilicet temporis ac futuri agnitum esse volumus notitiæ, qualiter Tuto Venerabilis Radesponensis Ecclesiæ Præsul, & commissi gregis nomine ac merito tutissimus provisor, & fœmina quædam N. quandam complacitationis inter se more populari perpetratæ cartam nostris præsentarunt obtutibus, supplicantes edicti nostri eam solidari tenore. Quod ita fieri decrevimus. Jussimus igitur hoc præsens muniminis nostri præceptum inde fieri, per quod decrevimus atque omnino præcepimus, ut hujusmodi complacitationis institutio firma & stabilis perseveret. Et ut hæc complacitationis institutio a nullo unquam successore nostro violetur, sed in nomine usque in finem consolidetur, manu nostra subtus eam roborantes, anulo nostro jussimus insigniri.

XXVII.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis Arnulfus divina favente gratia Imperator Augustus. Si his, qui sub obtentu Sacræ religionis jugiter divinis mancipantur officiis, aures serenitatis nostræ benigno favore accommodamus, eorum affectui satisfacientes, liquido credimus eos promtiores in sustentatione nostri sacri Imperii & devotiores in orationis constantia pro nobis permanere, atque apud remuneratorem omnium bonorum divinis nos remunerari præmiis. Quapropter omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet ac futurorum cognoscat industria, qualiter nos pro absolutione divinæ recordationis antecessorum nostrorum, Augustorum scilicet Imperatorum, & pro remedio animæ nostræ & corporis salvatione, & pro remedio filii nostri Ludewici, atque interventu dilectæ conjugis nostræ Utæ volumus amplificare & augere civitatem nostram, quæ vocatur Radespona, ob amorem & honorem scilicet patroni nostri & pretiosi Dei martyris Emmerani, & eandem civitatem totam noviter factam cum XL. vineis in monte, qui est in ripa Danubii juxta eandem civitatem tradimus nullo contradicente vel inquietante, pretioso & glorioso & sancto Martyri Emmerano, cujus nomen in libro vitæ cœlestis ascriptum est. Proinde omnium successorum nostrorum magnitudo comperiat, postquam patruus meus Karolus Imperator pro petitione heu! tam Venerabilis Episcopi Embriconis prænominatam Ecclesiam præstitit, nunquam habuit victoriam, neque corporis & animæ sanitatem usque ad finem vitæ suæ. Quapropter comperiat omnium sanctæ Dei Ecclesiæ solertia, quod nos eundem censum de prædicto monasterio, quem Karolus Magnus dedit Leoni Papæ successoribusque ejus, & atavus meus Eugenio Papæ, & avus meus pius Ludewicus Nicholao Papæ Romam ad altare Sancti Petri stabilire facimus in præsentia Domini & Venerabilis Papæ Formosi, & eandem Ecclesiam confirmamus in potestatem Imperatorum sive Regum sine ullius malivolentis minutione usque in ævum permanere, & cum ejus benedictione & consecratione & confirmatione ita confirmamus, ut siquis Imperator aut Rex eandem Ecclesiam tam sanctam & pretiosam alicui præstet, in maledictione Sanctæ Mariæ, Sancti Petri successorumque ejus & omnium Sanctorum persistat, usque dum ex ea traditione resipiscat. Et ut hoc imperiale auctoritatis nostræ præceptum firmius habeatur & inposterum verius credatur, hanc cartam conscribi jussimus & cum sigillo Papæ anuli nostri impressione assignatam manu nostra subtus roboravimus.

XXVIII.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Karolus Dei gratia Rex omnibus Comitibus, Abbatibus, Abbatissis, Missis, Vasallis & cunctis Sanctæ Ecclesiæ fidelibus ac nostris, præsentibus scilicet & futuris notum esse volumus, quod Hinchmarus Remorum Ecclesiæ religiosus nobis valde dilectus ac Venerabilis Pontifex accedens ad Celsitudinis nostræ magnitudinem, innotuit mansvetudini nostræ, quod ex rebus Sanctæ Dei Genitricis MARIÆ & Sancti ac pretiosi Confessoris Christi Remigii, quæ per parentum antecessorum Regum videlicet nostrorum dationem, sive per Rectorum ejusdem Ecclesiæ imprudentiam vel concessionem vel & quorumcunque malivolorum machinationem ab eadem sancta Ecclesia abstractæ esse cernuntur nonæ & decimæ, ad eandem prædictam Ecclesiam minime, sicut rectum est, persolvantur. Unde magnificentiæ nostræ petiit dignitatem, ut nostræ auctoritatis præceptum ob Dei & sanctæ genitricis ipsius, sive pretiosi Patroni nostri Remigii amorem ei fieri juberemus. Cujus nobis amabilibus & necessariis petitionibus acquiescentes, & libere placideque obsequentes, hoc nostræ magnæ auctoritatis præceptum eidem fieri jussimus, per quod præcipientes

Digitized by Google

cipientes expresse jubemus, ut quisquis fidelium Dei omnipotentis nostrorumque ex eisdem sanctæ Dei genitricis Mariæ vel sancti Confessoris Christi Remigii, Remorum Ecclesiæ rebus sive Episcopatus religiosissimi & dilectissimi nobis Hincmari Venerabilis Archiepiscopi aliquid habere dinoscitur, sive per largitionis nostræ concessionem sive per quorumcunque supra memoratorum affectationem vel machinationem seu & deprecationem aliquid tenore aliquo ex prædictis rebus tenere vel possidere cernitur, nonam & decimam in Missorum nostrorum præsentia Misso Ecclesiæ Sanctæ Mariæ, vel Sancti Remigii Remorum Archiepiscopi sive Hincmari Venerabilis Episcopi revadiet, & annis singulis ad eandem præfatam & memoratam Ecclesiam persolvere absque ullius occasionis contradictione cum omni vigilantia studeat. Quicunque vero contra hanc nostræ auctoritatis præceptionem de hoc inobediens fieri præsumserit, sciat secundum dignæ memoriæ avi, & piæ recordationis genitoris nostri capitula se emendaturum, & ipsas easdem res absque ullius intercessionis impetratione amissurum. Et ut hæc nostræ præceptionis auctoritas inviolabilem obtineat firmitatis vigorem, & ab omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris præsentibus scilicet & futuris verius certiusque credatur, eam anulo nostro subtus sigillari jussimus. Data IIII. Non. Septembr. Indict. X. Anno VIII. regnante Karolo gloriosissimo Rege. Actum in Monasterio Sancti Quintini.

XXIX.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Karolus gratia Dei Rex. Si petitionibus fidelium nostrorum, maxime Domini Sacerdotum præcipue in his, quæ Ecclesiasticis possunt præbere consultum, benignum commodamus assensum, nobis id ad æternæ remunerationis credimus provenire augmentum. Proinde noverit omnium fidelium Dei ac nostrorum, præsentium scilicet & futurorum industria, quia vir Venerabilis Hincmarus Remensis urbis Archiepiscopus obtulit serenitatis nostræ obtutibus præceptum piæ memoriæ Domini ac genitoris nostri Ludewici Imperatoris, quod in eleemosynæ suæ augmento Ecclesiæ Sanctæ Mariæ atque Sancti Remigii fieri decrevit de opere & operariis atque omni exactione, quæ tempore avi nostri Domini Karoli Imperatoris ex eadem casa Dei exigebantur ad palatium, quod vocatur Aquisgrani, ut in ædificatione & restauratione ipsius Ecclesiæ Dei per futura tempora usque in finem seculi ad utilitatem sæpe dictæ Ecclesiæ in eleemosyna illius proficerent, & nec ad eundem locum vel ad alium quemlibet ipse redhibitiones vel impensæ ullo unquam tempore exigerentur, sed remissa indulgentia illius in eodem loco proficerent. Cujus bene gesta rata judicantes, per hoc nostræ auctoritatis præceptum decernimus, ut quicquid de exactione vel operariis prædictæ constitutionis suprascriptus Dominus & genitor noster, seu & de muro civitatis ipsius vel viis ad utilitates claustri Canonicorum proficientibus in suo præcepto concessit, hoc totum perpetuo nostra indulgentia, vel concessione vel auctoritate concessum vel confirmatum maneat in perpetuum. Et ut hæc nostræ concessionis auctoritas per futura tempora certior cognoscatur & permaneat inconvulsa, eam manu nostra subtus firmavimus & de anulo nostro illam sigillari præcepimus. Data VII. Kal. Junii anno decimo regnante K. glorioso Rege, Indict. XIII. Actum Vermeriæ Palatio Regio in Dei nomine feliciter Amen.

XXX.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis Karolus Rex. Si ea quæ a prædecessoribus nostris vel fidelium devotione bene tradita, statuta ac confirmata sunt, oraculis roboramus; si & illa, quæ quacunque necessitate corrupta sunt, regia nostra auctoritate corrigimus & in melius commutamus, saluti nostræ consulimus, & regium ministerium susceptum a Domino exercemus. Proinde noverit omnium fidelium Dei ac nostrorum solertia, quia res ex Episcopatu Remensi, quas magna necessitate & per omnia inviti, dum a Pastore sancta sedes illa vacaret, fidelibus nostris ad tempus, unde temporale quoddam solatium in nostro haberent servitio, commendavimus, ordinato & electo munere Sancti Spiritus per Dei & nostram dispositionem in eadem sancta sede N. Archiepiscopo hoc nostræ auctoritatis præcepto cum integritate, quicquid exinde nos fidelibus nostris beneficiavimus, præsentaliter restituimus, sive & illa omnia, quæ tam Clerici quam Laici, qui in nostra donatione aliquamdiu fuerunt, quosque jam dicto Episcopo commendavimus, habebant; & ut in calce omnia concludamus, quicquid ex eodem Episcopatu, quando de manu N. illum recepimus, alicui præstito beneficio concessimus, per hanc nostræ confirmationis auctoritatem in conspectu Dei coram cœtu fidelium nostrorum tam Ecclesiastici quam laicalis ordinis testamento præsentaliter casæ Sanctæ Mariæ & Sancti Remigii atque N. Archiepiscopo cum omni integritate reddimus vel restituimus, ut absque ulla refragatione cassatis aliis quibuscunque conscriptionibus, easdem res per hanc nostram auctoritatem recipiat, ut, sicut res Ecclesiæ disponendæ sunt ad utilitatem ipsius Ecclesiæ Dei, tam ipse quam successores ipsius disponant. Quam auctoritatem, in qua nos ulterius tale quiddam erga ipsam casam Dei non acturos spondemus, & ut nemo successorum nostrorum agere moliatur, per Omnipotentem Dominum ejusdem Virginis filium obsecramus, ut per futura tempora certior habeatur, & contra æmulos ipsius Ecclesiæ sui notitia valeat, manu nostra subter firmavimus, & anuli nostri impressione roborari decrevimus. Data Kal. Octobr. anno VI. regnante K. glorioso Rege Indict. octava. Actum in pago Andegavensi in villa N.

XXXI.

In nomine Domini nostri Jesu Christi Dei æterni Lotharius divina ordinante providentia

Google

Imperator Augustus. Quia confessio non minus in adversis necessaria est quam in prosperis, & cor contritum & humiliatum Deus non despicit; gaudium & esse Angelorum in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente non dubitamus, nos mortales in terris eos nequaquam despicimus, pro quibus gaudere Angelos in cœlo divino testimonio non ignoramus. Accusantes & reprehendentes in excessibus semet ipsos, divina nos benignitas non condemnare sed recreare docuit, qui meretricem non solum a legali damnatione eripuit, verum & publicanum humiliatum & accusantem se, non condemnavit, sed magis justificando exaltavit; qui dixit: omnis, qui se humiliat, non condemnabitur sed exaltabitur. Potestatem ergo, quam pro causa nostra raptus perdidisti, repetentibus Ecclesiæ tuæ filiis, præsentibus quoque astantibus ac decernentibus præsulibus, sedem ac diœcesin Remensis Urbis tibi N. restituimus, ut pristino Sanctæ largitatis Apostolicæ pallio indutus, concordiam atque gratiam divini officii nobiscum humili satisfactione expleas solemni nostra a largitate recipiendo exerceas. N. Episcopus assensi. N. Archiepiscopus cum cæteris plurimis Presbyteris ac Diaconibus publice assistentibus. Actum in N. palatio publico in mense Junio VIII. Kal. Julii, regnante & imperante Domino Lothario Cæsare, anno reversionis ejus primo, cum esset successor factus patris in Francia, Indict. III.

XXXII.

In nomine Domini nostri Jesu Christi Ludovicus & Lotharius divina ordinante providentia imperatores Augusti. Si liberalitatis nostræ munere locis Deo dicatis quiddam conferimus beneficii, & necessitates ecclesiasticas nostro relevamus juvamine, id nobis & ad mortalem vitam temporaliter transigendam & ad æternam feliciter optinendam profuturum liquido credimus.

Idcirco notum fieri volumus omnibus fidelibus nostris præsentibus scil. & futuris, quod sanctam Remensem ecclesiam, in qua prædecessores Reges nostri videlicet Francorum fidem, & sacri baptismatis gratiam perceperunt, in qua & nos per inpositionem manus Domini Stephani Papæ imperialia sumpsimus insignia, ob reverentiam fidei Christianæ & ob animæ nostræ salutem ab imo construi fecimus. eamque in honorem Domini nostri Jesu Christi Salvatoris mundi, simul & in honorem ejusdem intemeratæ genetricis S. Mariæ consecrari decrevimus. Itaque divina inspiratione compuncti & cælestis patriæ amore succensi, quædam prædia, quæ eidem sanctæ sedi quondam ablata fuerant, devota mente restitui jussimus. i. e. in suburbanis ipsius sanctæ ecclesiæ titulum sancti Sixti, nec non & titulum S. Martini cum appendiciis eorum. Rebus prædictæ sanctæ ecclesiæ temporibus nostris adhuc superaddendum decrevimus & statuimus per hoc nostræ auctoritatis præceptum, ut non tantum de istis restitutis sed etiam restituendis, quicquid de ipsis vel in ipsis rectores & ministri supra memoratæ ecclesiæ elegerint, ita debeant perpetualiter possidere atque ordinare vel & facere proutcunque sibi propensius voluerint, ut absque ullius injusta contradictione ordinent atque disponant, & faciant quicquid utilitati prædictæ ecclesiæ congruere & convenire perspexerint. Et ut hæc nostræ auctoritatis confirmatio præsentibus futurisque temporibus firmiorem in omnibus semper obtineat vigorem, manibus propriis subter firmavimus & anuli nostri impressione sigillari jussimus.

XXXIII.

In nomine Domini Salvatoris nostri Jesu Christi. Ludowicus divina ordinante providentia Imperator augustus. Si locis venerabilibus ea quæ exinde a prædecessoribus nostris regibus vel Imperatoribus ad rei puplicæ usus exigebantur, relligiosa liberalitate in utilitatibus & necessitatibus eorundem sanctorum locorum expendendis remittimus & fidelium nostrorum saluberrimis pro hac eadem re suggestionibus ac peticionibus benignum commodamus assensum, maximum & animæ nostræ & reginæ ac regno providemus consultum: quia nichil cernitur rei puplicæ imminutum quicquid ex eadem repuplica piis actibus & locis relligiosis ecclesiarumque Dei utilitatibus seu servorum Dei fuerit commoditati indultum.

Quapropter notum esse volumus omnibus Dei fidelibus, præsentibus scil. & futuris, præcipue quoque successoribus nostris in potestatis culmine, in quo sumus auctore Domino constituti, ab eodem Dominorum Domino deinceps constituendis, quia N. venerabilis Archiepiscopus Remensis ecclesiæ & reverentissimæ sedis sancti Remigii gloriosissimi Pontificis & specialis Patroni nostri præsul clementiæ nostræ innotuit, quia vetustatis senio contrita jam dictæ metropolis urbis sancta mater nostra ecclesia in honore sanctæ semperque virginis ac Dei genetricis Mariæ consecrata existeret, in qua auctore Deo & cooperante sancto R. gens nostra francorum cum equivoco nostro Rege ejusdem gentis sacri fontis baptismate ablui, ac septiformis spiritus sancti gratia illustrari promeruit: Sed & ipse Rex nobilissimus ad regiam potestatem pertingi Dei clementia dignus inventus fuit. Ubi & nos divina dignatione per manus Domini N. Romani summi pontificis ad nomen & potestatem imperialem coronari meruimus. Quam pro tantis beneficiis nobis ibidem a Deo collatis renovare cupientes, & ad id exequendum loci incommoditatem cernentes, concedimus ad hoc opus & ad cætera, quæ pro servorum Dei ibidem degentium necessitatibus edifficanda, murum omnem cum portis ipsius civitatis & omnem operam cum cunctis stipendiis quæ ex rebus & facultatibus ipsius ecclesiæ & episcopatus Remensis Aquis palatio nostro regio peragi & exsolvi solitum fuerat, in elemosina scil. nostra & pro remedio animæ Domini ac genitoris nostri atque cæterorum prædecessorum, qui eundem

dem

dem episcopatum contra salutem suam aliquamdiu tenuerant & in suos usus contra ecclesiasticas regulas & res ac facultates ecclesiæ ipsius expenderant & ob hoc minus quam debuerant, utilitatis sacris locis in eodem episcopatu constitutis exinde provenerat.

Volumus & ut Vasalli & quique fideles nostri ex rebus ejusdem episcopatus aliquid habentes, eidem operi inserviant; sicut constitutum est a bonæ memoriæ Domino & genitore nostro & sicut decretum est a piæ recordationis Domino & avo nostro Pipino, decimas & nonas eidem ecclesiæ sanctæ ex rebus, quas inde habent, persolvant, Vias & publicas omnes, quæ circa eandem ecclesiam vadunt, & impedimento esse possunt ad claustra & servorum Dei habitacula construenda, ut transferri atque inmutari possint, concedimus.

Et si aliquid ibi de fisco nostro habetur, per hoc nostræ auctoritatis præceptum perpetuo æque concedimus, ut nullus Judex, comes aut missus, sive aliquis ex judiciaria potestate ullam inde eidem sanctæ Remensi ecclesiæ inquietudinem, aut ullum calumpniæ impedimentum inferre unquam præsumat, obsecrantes successores nostro, ut memores salutis suæ, præsentis scilicet & æternæ, & beneficiorum quæ nobis & genti nostræ a prædecessoribus nostris in eodem sancto loco per beatum Remigium, meritis sanctæ Mariæ collata sunt, sicut sua benegesta, a suis successoribus conservari voluerint, ita, quæ pro amore Dei & sanctæ ejus genetricis ac beati protectoris nostri Remigii sæpefato sancto loco contulimus, perpetuo inviolabiliter conservare procurent. Et ut hæc nostræ concessionis auctoritas per futura tempora pleniorem in Dei nomine obtineat firmitatis vigorem, anuli nostri impressione subter eam sigillari decrevimus.

XXXIV.

IN N. S. ET IND. T. L. G. D. R. Si pontificum ac ministrorum Dei, nostræ celsitudini fideliter famulantium peticiones, quas propriis seu ecclesiarum utilitatibus ob possibilitatem devoti servitii nobis innotuerunt, ad effectum perducimus, non solum imitamur consuetudinem antecessorum nostrorum, verum & ad mercedem beatæ remunerationis talia facta nobis profutura esse liquido credimus.

Quapropter omnium sanctæ Dei ecclesiæ fidelium, nostrorumque tam præsentium quam futurorum cognoscat industria, qualiter nos pro æternæ mercedis augmento cuidam Venerabili ac dilecto episcopo nostro Tutoni nominato, quasdam res nostri proprii Juris in jus ac proprietatem beati Emmerammi Martiris, per interventum & consilium venerabilium Pontificum N. & N. immo & reliquorum fidelium nostrorum æternaliter possidendas concessimus cum mansis & mancipiis utriusque sexus, ædificiis, terris, pratis, pascuis, viis & inviis, aquis, aquarumve decursibus, molendinis, piscinis, exitibus ac reditibus, agris cultis & incultis, mobilibus & immobilibus, quæsitis & inquirendis, & omni communi utilitate silvæ, sive in speciali comprehensione, seu magistri alicujus concessione, quicquid idem servi eodem tempore in potestate ac vestitura ad nostrum servitium videbantur habere, totum ex integro tradidimus abque transfudimus prænominato Martiri ejusque vicario in jus ac dominationem perpetuis temporibus; & jussimus inde hanc præscribi auctoritatem nostram, per quam volumus firmiterque jubemus, ut præfatus episcopus firmissimam inde habeat potestatem sicut reliquarum ecclesiæ rerum.

Et ut hæc auctoritas largitionis nostræ firma stabilisque perpetuis temporibus perseveret, manu propria subtus eam roborantes, anulo nostro sigillari jussimus.

XXXV.

IN N. S. ET IND. T. L. D. J. C. Rex. Novimus nos ad sacra regimina & ad imperialem auctoritatem per sanctorum suffragia posse in futurum proficere & beatæ gratiæ remunerationem æternis diebus mereri. si loca Deo dicata divino accensi amore procuramus. Ideoque sciat omnium fidelium nostrorum præsentium scil. & futurorum posteritatis. qualiter nos per interventionem nostræ dilectæ genitricis Outæ quasdam res sui proprii juris quas a largitate beatæ memoriæ patris nostri Arnolfi Imperatoris per imperiale præceptum susceperat ad cellam beati Emmerammi martyris Christi nostra regali auctoritate donavimus ea quidem ratione ut easdem res quædam vidua nomine N. diebus vitæ suæ possideat. ac post dies ejus in jus ac dominationem ejusdem cellæ redeant. perpetuis temporibus tenendæ i. e. curtem quæ dicitur N. quicquid in potestate prænominatæ genitricis nostræ eadem die erat. quod antea præceptis datum non fuerat. extra vel infra terminum ejusdem curtis totum cum omni integritate per consilium & consensum venerabilium episcoporum nec non & fidelium comitum nostrorum & cæterorum omnium sicut priscis temporibus in singulis ministeriis patrum nostrorum ordinatum fuerat. nichil extra dimittentes. in perpetuam possessionem tradidimus. cum regimine & ejusdem banno. mancipiis utriusque sexus. ædificiis. pontibus & censu silva omnique usu ejusdem sylvæ. aquis. piscationibus. vineis III. & invi. exitibus & reditibus. terris cultis & incultis molis molendinis pratis pascuis mobilibus & immobilibus quæsitis & inquirendis. Et jussimus in hoc præsens præceptum conscribi. per quod decernimus firmiterque jubemus ut præscripta ecclesia beati E. cui Tuto venerabilis episcopus præesse dinoscitur firmissimam cunctis diebus habeat potestatem sicut cæterarum ecclesiæ rerum. Et ut largitionis nostræ auctoritas stabiiis permaneat. manu nostra subter eam firmavimus & anuli nostri impressione sigillari jussimus.

Signum Domini Ludovici Serenissimi Regis. Engelbero notarius ad vicem Theotmari Archicancellarii recognovi & subscripsi. Dat. II. Idus Augusti Anno incarnationis Domini nostri DCCCCIIII. Anno Ludowici piissimi

Digitized by Google

piissimi Regis IIII. Indict. VI. Actum in Ottinga in Dei nomine feliciter. Amen.

XXXVI.

In N. S. & Ind. T. Lud. D. J. C. R. Si locis divino cultui mancipatis largitatis nostræ beneficentiam exhibuerimus & oportuna terreni commodi ejus impendimus suffragia non solum ad regni divinitus nobis collati stabilitatem roborandam verum & æternæ vitæ felicitatem promerendam id nobis liquido credimus profuturum. Ideoque omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus præsent. scil. & futuris notum sit quoniam Tuto reverendus sanctæ Radisponensis Ecclesiæ præsul per interventum N. & N. comitum fideliumque ministerialium nostrorum nostram precatus est clementiam ut quandam villulam rebus ecclesiæ suæ contiguam & oportunam ad sanctum E. donaremus. Statimque nos libenti animo congrue illius intercessioni annuentes consenciente N. ejusdem beneficii possessore & consilium dante pro beati patris nostri Arnolfi imperatoris animæ remedio nostræque mercedis incremento. præfatam villulam cum integritate sua ad cujuscunque regalis minist. quicquam inde ministerium pertineret ad Christi martirem E. cujus sacratissimum corpus extra mœnia Radesponensis civitatis in prædicta venerabiliter humatum est ecclesia jure perhenni delegavimus in proprium cum curtibus & edifficiis mansis & in ipsa villula habitantibus mancipiis utriusque sexus censibus. campis agris. pratis. pascuis. silvis. portu & portatico. aquis aquarumve decursibus. molendinis piscationibus viis & inviis. exitibus & reditibus quæsitis & inquirendis terris cultis & incultis universisque appendiciis & adjacentiis suis. Jussimus quidem hoc præsens præceptum inde conscribi per quod volumus & auctoritate nostra firma præcipimus. ut ipsa concessionis nostræ villula nunc & deinceps tempore perpetuo jure firmissimo sine ullius contradictione personæ integriter. ad memoratum Dei electum pertineat & inrefragabiliter consistat eo tenore ut præfatus honorabilis episcopus ejusque successores ex eadem villula sicut de cæteris ipsius pii patris patroni rebus in æternum habeant potestatem quicquid voluerint faciendi. Et ut hæc auctoritas nostra inviolabilem Christo propicio perrenniter obtineat firmitudinem manu nostra eam roborantes annulo nostro sigillari jussimus. Signum D. L. gloriosi Regis.

XXXVII.

In Dei nomine placuit ac convenit inter venerabilem virum baturicum sanctæ Radesponensis ecclesiæ episcopum quæ est constructa in honore sancti Petri Principis Apostolorum & sancti martiris ubi ipse præciosus martir sanctus corpore requiescit. nec non & quendam virum illustrem N. ut quasdam res pro communi utilitate & compendio inter se commutare deberent. quod ita fecerunt. Dedit igitur prædictus episcopus ex ratione prædicti monasterii sui una cum consensu & conniventia monachorum in eodem monasterio degentium & per licentiam Domini L. Regis eidem N. villam quæ dicitur N. & territorium cum casis desuper positis cum mancipiis utriusque sexus. pratis. pasc. & omnia quæ ibidem habere visus fuit & e contra in conpensationem harum rerum dedit idem N. ex suo proprio præfato baturico episcopo ad partem supra dicti monasterii sui territorium N. cum sil. prat. & omnibus quæ ibidem habere visus est. Unde & duas commutationes pari tenore conscriptas inter se fieri & affirmari voluerunt ut unusquisque hoc quod a patre suo accepit habeat. teneat. atque possideat & faciat quicquid utilitatis suæ perspexerint. & taliter hic inter eos inserere placuit. quod si fecerit post hunc diem ullus ex ipsis aut quælibet opposita persona quæ contra hanc commutationem de qua duæ cartulæ uno tenore conscriptæ esse videntur. venire temptaverit aut eam infringere conatus fuerit. inferat parti contra quam litem intulerit fisco auri libras duas & multa componat & sua repeticio nullum optineat effectum sed præsens commutatio omni tempore firma permaneat cum stipulatione subnixa.

XXXVIII.

In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Dum nos divina clementia in præsenti seculo gubernat. oportet ut de futuro & cogitemus. ac dum in nostra potestate res nostræ constare videntur. eas ob amorem Dei ad loca sanctorum manu & voluntate propria condonemus. ut cum pius examinator in judicio venerit exinde mercedem habeamus. Quam caduca enim sint hujus vitæ tempora quamque cito finiantur. ego indignus servus servorum Dei N. abbas mente ac corde pertractans. inscius quod futura pariat dies. subito animo incid. ut salutem animæ meæ mihi quoque ipse dum liceret providerem. Hac divina miseratione commotus mentem admovi. Unde ob divinæ relligionis amorem & sicut superius comprehensum pro remedio animæ meæ patris quoque nec non & genetricis cæterorumque quorum datione & auxilio locus idem constructus esse cernitur trado ad sanctum Emmerammum propria mea quæ hæreditario jure mihi successerunt. hoc est primitus ecclesiam cum curte & domo omnique edifficio. cum mancipiis, terris silvis. pratis. pascuis. aquis aquarumve decursibus, quicquid & dici poterit. tam cultum fuerit quam incultum simili ratione. ad sanctum Emmerammum ut sæpe supra denotatum est propriæ meæ manus datione confirmatum esse decerno ita tamen ut dum ipse in præsenti vita superstes extitero omnia quæ supra ostensa sunt in mea potestate absque omni contradictione perdurent. Placuit mihi una cum venerabili viro Baturico Episcopo & Abbate loci ejusdem ut si aliquis de parentibus meis talis Dei gratia largiente venerit ut ejusdem monasterii pater defuncto me possit existere vel alius quilibet ex eadem congregatione ut prædictum locum sicut præfatus sum habeat in potestate & cum omnibus ibidem huic loco aspicientibus ad sanctum

ſanctum & venerabilem locum beati martiris. E. & venerando Baturico Epiſcopo vel & ſucceſſoribus ſuis caput inclinet ſervitiumque perſolvat. Hæc omnia ſicut ſupra nominavi pleniter tradidi in ea ratione ut mihi Baturicus Epiſcopus ad dies vitæ meæ in beneficiendo habendum concederet, id eſt caſam dominicatam cum curte & eccleſia cum omnique reliquo edifficio quicquid ibidem aſpimus.

XXXIX.

In Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Ludovicus divina favente clementia Rex.

Omnibus Epiſcopis Abbatibus Ducibus. Comitibus nec non & cunctis fidelibus ſanctæ Dei eccleſiæ noſtriſque præſentibus & futuris in regno a Deo nobis collato conſiſtentibus notum ſit. qualiter nos volumus ut omnes proprietates quas divinæ memoriæ Dominus K. piiſſimus avus noſter ad monaſterium ſancti E. Chriſti martiris condonavit & Baturicus Epiſcopus rector ipſius monaſterii cum conſenſu monachorum ibidem Deo famulantium nobis beneficiavit poſtquam divina vocatione de hac luce migravimus rectores & miniſtri ejusdem monaſterii eandem tradicionem quam Dominus & avus noſter. K. Imperator ad prædictum monaſterium tradiderat. perpetualiter in eorum veſtituram recipiant poſſidendam. Sed pro integra firmitate ac ſecuritatis ſtudio placuit nobis ob divinum amorem has litteras noſtræ auctoritatis circa ipſum monaſterium fieri per quas decernimus atque ſanctimus ut poſt deceſſum noſtrum nullus filius noſter neque ſucceſſor jam ulterius in præſcriptis rebus ſancti E. quas per beneficium a rectoribus prædicti monaſterii habuimus ullam poteſtatem habeant injuſte invadendi neque in quoquam dominari ſed in futurum cum omni integritate in poteſtatem ac dominationem jam dicti monaſterii abſque ullius contrarietate aut impedimento pleniter revertantur. Et ut hæc auctoritas conſcriptionis noſtræ a cunctis fidelibus ſanctæ Dei eccleſiæ & noſtris per futura tempora verius credatur atque diligentius obſervetur manu propria ſubter eam firmavimus & ann. imp. aſſignari juſſimus.

XL.

In nomine D. n. J. C. D. Omnip. L. Divina largiente gratia Rex Bavuariorum. Si peticionibus fidelium noſtrorum quas auribus noſtris inſinuaverint libenter annuimus & eas in Dei nomine ad effectum perducimus & regium morem decenter implemus & illos in noſtro ſervitio promptiores reddimus. Idcirco comperiat induſtria omnium fidelium noſtrorum præſentium ſcil. ac futurorum quia N. Diaconus atque capellanus noſter nec non propinquus ſuus N. obtulerunt obtutibus noſtris quandam Kartam præſtariam in qua continebatur qualiter N. Epiſcopus quaſdam res ex ratione monaſterii ſui ſancti E. quas olim idem N. ex ſuo proprio eidem largitatis munere contulerat monaſterio, eis ad uſum meritum diebus vitæ eorum conceſſiſſe. Et ideo precatus eſt excellentiam noſtram ut ſuper hanc præſtariam cartam confirmationis noſtræ præceptum fieri juberemus per quod diebus vitæ eorum firmius & quietius abſque alicujus contrarietate ipſas res tenerent atque poſſiderent. Quorum peticioni libenter annuimus & hanc auctoritatem confirmationis noſtræ eis fieri juſſimus per quam præcipimus atque jubemus ut diebus vitæ eorum ipſas res teneant atque poſſideant & nullus qualibet eccleſiaſtica dignitate præditus aut alius quilibet eis de ipſis rebus ullam inquietudinem aut contrarietatem facere præſumat. ſed liceat illis ſicut diximus diebus vitæ eorum uſufructuario tenere & poſſidere. Et poſt eorum amborum diſceſſum cum integritate in poteſtatem & dominationem prædicti monaſterii revertantur. Et ut hæc auctoritas præceptionis atque confirmationis noſtræ firmior habeatur & a fidelibus noſtris firmior melius conſervetur annuli noſtri impreſſione ſubter juſſimus aſſignari.

XLI.

In nomine S. & ind. T. Ludovicus divina favente gratia Rex. Oportet nos qui divina ſumus gratia præ cæteris quodammodo mortalibus ſublimati ejus in omnibus parere præceptis cujus clementia exiſtimus prælati atque cujus præcellimus munere. Loca itaque ipſius ſibi dicata ante omnia noſtris rebus ſublimare atque dilatare debemus. quoniam hoc procul dubio ad ſalvationem corporis & animæ noſtræ fore creditur. Quapropter noverit omnium fidelium noſtrorum præſentium ſcil. & futurorum induſtria. qualiter nos cuidam ex primatibus noſtris nomine N. medietatem unius fiſci cum omnibus appendiciis ſuis videl. quæ ad ipſum fiſcum pertinent tam in manſis. quam vinetis terris paſcuis & cæteris quæ dici aut nominari poſſunt in proprium contulimus. ea ratione ſi fidem ſuam erga nos inviolatam ſervaret. Sed quia ipſe a nobis totis juribus ſe alienavit & fidem atque jusjurandum omni infidelitate fraudavit. placuit ſerenitati noſtræ eandem medietatem memorati fiſci ad noſtram dominationem recipere atque pro abſolutione divinæ recordationis anteceſſorum auguſtiſſimorum ſcil. Imperatorum & pro remedio animæ noſtræ & corporis ſalvatione ad ſanctum Emmerammum contradere atque confirmare. quod ita per hanc noſtram auctoritatem nos feciſſe omnium fidelium noſtrorum magnitudo comperiat. ea ratione ut ipſa medietas ipſius fiſci ad menſam monachorum ibi Domino famulantium jugiter deſerviat & nullus epiſcopus aut quilibet prælatus easdem res in beneficium dare ſive ad opus ſuum recipere præſumat. ſed ſolummodo ad opus ipſorum deſerviant & tamdiu eandem medietatem prænominati fiſci N. miniſterialem noſtrum habere liceat quo usque nos in alterum locum ex aliis rebus illum adjuvare poſſimus atque tunc eodem momento temporis memorati monachi præfatam medietatem fiſci cum omnibus ſupra conſiſtentibus recipiant teneant atque poſſideant & quicquid exinde pro utilitate ſua facere

cere voluerint liberam atque firmissimam in omnibus habeant potestatem Christo propicio faciendi. Et ut hæc auctoritas donationis atque largitionis nostræ firmior habeatur & a cunctis fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ nostrisque verius credatur & diligentius observetur manu propria nostra subter eam firmavimus & annuli nostri impressione assignari jussimus.

XLII.

Si peticiones fidelium nostrorum auribus nostris accommodaverimus non solum regium morem decenter implemus verum & fideliores eos ac devotiores in nostro efficimus servitio, & ad æternam vitam feliciter obtinendam profuturum nobis liquido credimus. Quapropter comperiat omnium fidelium nostrorum præsentium scil. & futurorum sollercia qualiter nos concessimus fieri quasdam complacitationes inter N. venerabilem Episcopum & N. Diaconum. Tradid. namque N. proprietatem in manum episcopi & ad ejus advocati ad sanctum Emmerammum quicquid ibi habere jussus est cum curtibus, edificiis, pratis, pascuis & nichil extra dimittentes sed totum ad prædictum sanctum Dei transfundens & sibi complacitavit de rebus sancti Emmerammi beneficium suum in proprietatem cum consensu episcopi & omnium fratrum ibidem commorantium. Igitur nos super eadem complacitacione hoc nostræ auctoritatis præceptum fieri jussimus, per quod decernimus atque jubemus ut superius comprehensum est, ita diebus vitæ suæ securiter habeat beneficium scil. in proprium.

Post obitum vero suum ad prædictam sancti potestatem E. revertatur. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur & per futura tempora a fidelibus nostris verius credatur & diligentius observetur, manu propria subter eam firmavimus & anuli nostri impressione assignari jussimus. Data IIII. N. Feb. anno XXXVII. Domini L. Regis in orientali Francia regnantis.

XLIII.

In nomine Domini nostri Jesu Christi omnipotentis. Ludovicus divina favente gratia Rex. Oportet nos qui divina sumus gratia quodammodo præ cæteris mortalibus sublimati ejus in omnibus parere præceptis cujus clementia existimus prælati atque cujus præcellimus munere. Loca itaque ipsius sibi dicata ante omnia nostris rebus sublimare atque dilatare debemus, quoniam hoc procul dubio ad salvationem corporis & animæ nostræ fore credimus. Idcirco oportet nos ob amorem Domini nostri J. C. & matris ejus Mariæ invidiam destruere malignorum Spirituum & hominum quam volumus manere quæ est in Radespona civitate intra ecclesiam S. Stephani prothomartiris ubi modo sedes episcopalis est & intra ecclesiam S. Emmerammi preciosi martyris juxta muros ejusdem civitatis ubi Kathedra erat Pontificis usque dum pater meus Karolus Magnus anno ab incarnatione Domini DCCXCVIII. cum auctoritate Leonis Papæ destruxit & cum consensu Adelwini episcopi ejusdem civitatis in civitatem statuit & confirmavit ecclesiam preciosi martiris Emmerammi recta ratione ad potestatem imperatorum sive regum pertinere & rectorem ejusdem cœnobii uno quoque anno Romam persolvere VII. aureos ad altare Sancti Petri. Quapropter comperiat omnium fidelium nostrorum præsentium scil. & futurorum sollercia, quod nos confirmamus eandem ecclesiam cum auctoritate Eugenii Papæ absque omnium hominum contradictione omni tempore permanere in regimine imperatorum sive Regum & eundem censum Romam dare ea videl. ratione confirmamus ut neque Dux neque Episcopus ullam habeat potestatem intus & foris sed totum quod ad eandem ecclesiam pertinet, in jus & dominationem Sancti E. martiris proviforque ejus tradimus atque transfundimus & per hoc nostræ auctoritatis præceptum plenius in Dei nomine confirmatum, nullo inquietante sed Deo auxiliante ad servitium S. Mariæ & S. Petri sanctique martyris Emmerammi monachorumque ejus qui ibidem Domino famulantur omni tempore absque ullius contradicentis obstaculo tradita & firmata permaneant. Et ut hæc auctoritas confirmationis nostræ firmior habeatur & per futura tempora melius conservetur, eam sigillo Papæ & annulo nostro subter jussimus sigillari.

XLIV.

In N. Domini Salvatoris n. J. X. Ludovicus divina ordinante providentia Imperator Augustus. Imperialem celsitudinem decet prædecessorum suorum pia facta non solum inviolabiliter conservare sed & censuræ suæ auctoritate alacriter confirmare. Idcirco omnium fidelium nostrorum industria quia Abbas de monasterio Stabulao detulit nobis præceptum Hilderici Regis, in quo continebatur, qualiter sanctus vir Remaculus detulisset ei præceptiones Sigiberti Regis in quibus erat insertum, qualiter eandem cellulam novo opere construxisset & de sua foreste XII. leugas undique mensuratas & quæ infra erant pro divino ei amore concessisset. Sed pro firmitatis studio peciit predictus Abbas ut nos denuo per nostrum præceptum prædictam forestem nostra auctoritate concederemus atque confirmaremus monasterio. Cujus peticioni libenter annuimus & ut depræcatus est per hoc nostrum Præceptum confirmavimus. Præcipientes ergo jubemus, ut nullus fidelium nostrorum de prædicta foreste ullam inquietudinem aut infestationem aut contrarietatem prædicto monasterio suisq; rectoribus facere ullo unquam tempore præsumat. Sed liceat monachis ibidem Deo famulantibus ad proprias supplendas necessitates ipsum cum omni integritate perpetuis temporibus habere absque alicujus infestatione aut resultatione vel diminoratione. Deprecati sunt & nos de decimis & capellis ab antecessoribus nostris sibi collatis ex quibusdam fiscis nostris ut pro firmitatis studio & animæ nostræ emolumento

Digitized by Google

lumento donum prædecessorum nostrorum nostra confirmaremus auctoritate: Quapropter sicut pecierunt concessimus & decernimus ac jubemus ut nemo fidelium nostrorum de decimis & capellis memoratæ congregationi aliquid contendere aut abstrahere vel diminuere præsumat nec ullam contrarietatem eis inferre tenptet. sed sicut ab antecessoribus & a nobis de memorata foreste & de jam dictis capellis & decimis constat confirmatum. ita Domino protegente per hanc nostram auctoritatem nostris & futuris temporibus maneat inconvulsum.

Hæc vero auctoritas præceptionis nostræ ut per diuturna tempora valeat inconvulsa permanere, manu propria subscripsimus & anuli nostri impressione signari eam jussimus.

XLV.

In N. S. & Ind. T. Ludovicus Divina fav. cl. Rex. Si servorum Dei, qui ecclesiasticis impliciti pervigiles studiis, nocturno sacri propositi conamine atque diurno votiva in sanctuariis Christo Domino persolvunt officia, curam gerimus, eorum utilitati instigante Deo pie consulentes, ope largitatis nostræ eos aliquantisper consolari studuerimus, perpetuæ felicitatis tripudia inde nobis accumulari minime dubitamus. Quocirca Katholicæ ecclesiæ religio præsens & futura cognoscat, quoniam fidelium prudentissimorum nostrorum consilio tam episcoporum, quam laicorum principum, quasdam juris nostri res (a N.) vasallo jure concambii in potestatis nostræ dominium nos constat attraxisse, quæ semotim sunt sitæ in pago, N. in comitatibus N. & N. in locis N. nuncupatis & quicquid idem in ipsis locis proprietatis habuit, exceptis XV. mancipiis. Cætera omnia Canonicis in capella Radisponensis civitatis in honore sanctæ Dei genetricis constructa Domino Salvatori famulantibus in proprietatis stipem perpetim delegavimus cum curtibus & ædificiis, mancipiis utriusque sexus, parschalhis eorumque censibus, terris cultis & incultis, campis, pratis, pascuis, silvis, viis & inviis, aquis aquarumve decursibus, exitibus & reditibus, quæsitis & inquirendis & cum omnibus appendiciis suis. Unde hoc quoque præsens auctoritatis nostræ præceptum fieri jussimus, firmiter præcipientes, ut prædicti servi Dei easdem res ex hoc nunc & in ævum jure firmissimo integre ad usus sustentationis suæ teneant atque possideant, ea videl. ratione ut nulli eorum quicunque ipsam per succedentia tempora sub jure dominationis retineant capellam, liceat præfatas res cuiquam in beneficium præstare; sed liceat ipsis fratribus has ipsas donationes nostras absque diminutione vel alicujus personæ molestatione secure & quiete perpetim possidere, & juxta propriæ utilitatis commodum exinde universa disponere, quatenus eos pro nobis & antecessoribus nostris Domini misericordiam attentius exorare delectet. Et ut hæc nostræ largitionis auctoritas deinceps firmior habeatur & per futura tempora verius credatur, ac diligentius observetur, manu propria subter eam roborantes, anulo nostro insigniri jussimus.

XLVI.

In Dei nomine Sigibertus Rex Francorum vir illustris singulariter & per cuncta feliciter.

Ad mercedis nostræ credimus augmentum pertinere, si larga munera summo Deo omnipotenti devota mente offerre non dubitamus, quia tunc regia potestas suum cultum corroborare videtur, quoniam ex propria voluntate compendia servorum Dei destinare non dubitat. Ideoque sub devotione animæ nostræ cum consilio magnificorum episcoporum & aliorum illustrium virorum, ex nostræ largitatis munere monasterium regulare juxta patrum tradicionem construximus, & ibidem Christo auspice Remaclum Abbatem constituimus, ut ibidem secundum ordinem & monita Sanctorum patrum conversari debeat. (Igitur) de fisco nostro ad usus servorum Dei cum emunitate patrum partem aliquam condonamus, ut habeant, possideant, suisque posteris spiritualibus derelinquant, ut potius eos delectet attentius preces pio Domino incessabiliter pro nobis fundere. Et ut hæc præceptio firma atque inviolata permaneat, manus nostræ subscriptionibus subter eam decrevimus roborari.

XLVII.

In nomine Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi S. (Sigibertus) Rex Francorum vir illustris. Singulariter regni nostri compendia prolixa felicitate Deo adjuvante confitemur augmentare, quicquid sacro sanctæ Ecclesiæ propriæ deliberationis arbitrio serenitas nostra contulerit, quia tunc regalis potestas sui culminis fundamenta corroborat, quando larga humanitate condigna munera in honorem Dei conferre non dubitat. Igitur sanctum ac venerabile monasterium Stabulaus nominatum, ubi vir venerabilis Remaclus Episcopus & Abba præesse Christo auspice videtur, divina inspiratione commoniti decrevimus de fisco nostro aliquantulum consolari. Theloneum igitur quod ad portum super fluvium Ligeris pertinere videtur, pro stabilitate regni nostri ad monasterium superius scriptum nostri muneris largitate concedimus. Quapropter præsenti ex hoc jussimus promulgari præceptione, ut præfato monasterio nullus ex hoc penitus præsumat existere contrarius, sed quodcunque exinde fiscus noster poterit sperare in luminaribus jam prædictæ basilicæ vel stipendiis ipsorum monachorum, qui ibidem cursum regulariter cottidianis horis conantur implere, omni tempore proficiat in augmentis. Hanc quoque auctoritatem in omnibus valituram ut in nostris & futuris temporibus intacta vel intemerata valeant perhenniter permanere manus nostræ subscriptionibus subter decrevimus roborari.

XLVIII.

In nom. S. & ind. T. O. (Otto) D. F. Cl. Rex. Si piis peticionibus sacerdotum de nostra regia munificentia aliquid accommodaverimus, ad æternæ

d by Google

æternæ retributionis munera capessenda profuturum in nobis liquido credimus.

Quapropter omnium fidelium nostrorum tam præsentium quam futurorum dinoscat industria, quomodo vir venerabilis Stabilensis monasterii Abbas nostris obtutibus præsentavit præcepta beatæ memoriæ avi nostri O. & æquivoci illius genitoris nostri, Imperatorum Augustorum, in quibus continebatur, qualiter ipsi prælibatum cœnobium & omnia loca illuc aspicientia omnemque familiam servilem & ingenuam illuc pertinentem sub suæ tutionis immunitatem susciperent, suisque præceptionibus prædecessorum nostrorum morem sequentes confirmarent. Pro rei tamen firmitate peciit celsitudinem nostram, ut nos denuo id ipsum faceremus. Cujus peticionem ob votum dilectæ genetricis nostræ Theophaniæ videlicet Imperatricis Augustæ, nec non & interventu fidelis nostri Hildebaldi Wormaciensis ecclesiæ venerabilis Episcopi atque Nothgeri Leodicensis benigne suscipientes ante fatum cœnobium, quod sanctus Remaclus confessor Christi in honore sancti Petri Principis Apostolorum construxit & consecravit, cum omnibus ad victualia vel stipendia monachorum sub regula sancti Benedicti Deo sanctoque Remaclo die noctuque ibi servientium deputatis, sub nostram tuitionem suscipimus, atque sub perpetua nostræ regiæ defensionis emunitate esse decernimus, interdicentes firmiter, ut nullis unquam temporibus alicui in beneficium concedatur, sed sub nostra nostrorumque successorum tuitione jam dictum cœnobium cum ecclesiis ac decimationibus & mansis vel mancipiis omnibusque aliis appendiciis illuc rite pertinentibus perpetualiter consistat. Ad hoc & monachis Deo & sancto Remaclo in præscripto cœnobio famulantibus eligendi inter se Abbatem quociens usus evenerit juxta regulam sancti Benedicti liberam potestatem concedimus. Et ut hoc nostræ auctoritatis præceptum firmum & stabile permaneat, hanc cartam conscripsimus & anuli nostri impressione signari jussimus, quam & manu propria subter firmavimus.

XLIX.

In nomine S. & Ind. T. O. divina præveniente Cl. Rex; si regalis Majestatis Deo servientium utilitatibus benignitatis suæ munere exercuerit, eorumque necessitatibus pie consulere studuerit, id omnimodis ad emolumentum animæ suæ proficere non ambigat. Id circo comperiat omnium fidelium sanctæ Dei ecclesiæ nostrorumque præsentium scil. & futurorum industria, qualiter quidam Abbas nomine Odilo ex monasterio Stabulao, adiens celsitudinem mansvetudinis nostræ, postulavit, quatinus monachis suis inibi Deo militantibus electionem regularem confirmaremus nostræ auctoritatis præceptione. Cujus peticioni justæ rectæque pie annuentes libenti animo assensum præbuimus. Et ut ista concessio & justa confirmatio perhennem obtinere valeat in Domino firmitatem, hoc nostræ mansvetudinis edictum fieri censuimus, per quod statuentes decernimus, modisque omnibus sanccimus, ut monachi, qui in prædicto cœnobio nunc & deinceps divinis famulati fuerint officiis, habeant ex semet ipsis secundum sancti Benedicti institutionem Abbatis liberam electionem, quia olim antequam præfatus Abbas ibi ordinatus fuisset, audivimus perpetuam electionem fieri, quod nostro prorsus imperio fieri prohibemus, ut nullus per pecuniæ falsitatem aliquam ibi introducere audeat personam; sed juxta antiquorum patrum instituta regulariter eligant sibi Abbatem, quatinus in divinis cultibus indesinenter permanentes pro salute regni nostri misericordiam Domini attentius implorare valeant. Et ut hæc præceptio maneat inviolata & in perpetuum corroborata, manus nostræ inscriptione subter eam firmavimus.

L.

In n. S. & Ind. T. O. D. F. C. Imperator Augustus. Si aliquid de nostræ magnitudinis regia vel imperiali munificentia Dei ecclesiis emolumenti pro stabilitate illarum conferimus, procul dubio id in mercede proprium habemus. Quapropter omnium fidelium nostrorum animadvertat industria, tam præsentium, quam futurorum, qualiter nobis interventu & ammonitione O. Carentorum Ducis quoddam nostræ proprietatis spacium, capiens ex omni parte in longitudine sive in latitudine jugera tria in monte Carentario cum dimidia parte ligni montis illius in latere positi cum decem jugeribus pratorum juxta fluvium Glana jacentium, ad ecclesiam sancti Lamberti martiris qualicunque supradicti montis parte, excepta nostra regali sede, inibi sancto Lamberto servientibus placuerit perpetuo possidendam tradere atque delegare cum exitibus & reditibus & cum omnibus utilitatibus ad præfata jugera pertinentibus, ea videl. ratione, ut nemini quicquam in eadem ecclesia Deo militantes inde debeant, nisi quod ad Dei servitium spectat, sed ipse locus & in eodem loco Deo & sancto Lamberto militaturi sub nostri sunt mundiburdii defensione suscepti; ita videlicet, ut nullus Judex publicus vel quilibet ex judiciaria potestate in ecclesias, aut loca, aut agros, seu reliquas possessiones, quas vel nunc idem locus sancto Lamberto donatus possidet, vel quæ deinceps in jus ipsius divina pietas voluerit augeri, ad causas audiendas vel ad freda exigenda, aut mansiones vel ad paratas faciendas, aut fide jussores tollendos, aut homines ipsius ecclesiæ injuste distringendos, aut ullas redibitiones seu illicitas exactiones requirendas ullo unquam tempore ingredi audeat, vel ea quæ supra memorata sunt penitus exigere præsumat: sed liceat rectoribus loci supra memorati fratribusque in eodem loco Christo & sancto Lamberto militaturis omnia ad eum pertinentia, sub emunitatis nostræ defensione, quieto jure possidere atque pro incolomitate nostra nec non stabilitate regni Domini clementia jugiter exorare.

Et ut hæc auctoritas nostris futurisque temporibus

Digitized by Google

poribus Domino valeat protegente inconvulsa manere, manu propria subter eam firmavimus & annulo nostro assignari jussimus.

LI.

In N.S.& Ind.T. O. d. f. cl. Imperator Augustus. Si erga loca divinis cultibus mancipata propter Dei amorem in eisdem locis Domino famulantibus quiddam conferimus, beneficii præmium nobis apud Deum æternæ remunerationis rependi non diffidimus. Proinde comperiat omnium fidelium sanctæ Dei ecclesiæ nostrorumque præsentium scil. & futurorum sollercia, quia per interventum cari nepotis nostri, O. Ducis, & venerandi præsulis Wolfgangi, nec non & amabilis N. abbatis quoddam prædium N. nominatur in pago N. in suburbano Reginæ civitatis, in comitatu N. comitis, in proprium concessimus ad sanctum Dei Emmerammum martirem & monachis inibi Deo servientibus, quod idem nostro permissu ex quodam Judæo Samuel dicto comperaverunt, curtilibus, terris, pratis, pascuis, exitibus & reditibus, viis & inviis, silvis, cultis & incultis, quæsitis & inquirendis, & omnibus rebus illuc rite pertinentibus, sicut cæteras possessiones ecclesiæ nullo contradicente vel inquietante.

Et ut hoc imperiale auctoritatis nostræ præceptum firmius habeatur & in posterum verius credatur, hanc kartam conscribi jussimus anulique nostri impressione assignata manu nostra subter roboravimus.

Signum Domini O. magni & invictissimi Imperatoris Augusti. Dat. IIII. Non. Aprilis, Anno dominicæ incarnat. DCCCC. LXXXI. Ind. VIIII. Anno vero regni secundi O. XXI. Imperii autem IIII. Actum Romæ. Hildebaldus Episcopus & cancellarius ad vicem Willigisi archicapellani notavi.

LII.

In nomine S. & Ind. T. Dei favente clementia O. I. A. Si erga divinis cultibus mancipata loca propter amorem Dei eorumque in ejusdem locis famulantibus beneficia oportuna largimur, præmium nobis apud Deum in æterna beatitudine recipere confidimus. Proinde notum sit omnibus sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus nostrisque præsentibus & futuris, quia vir venerabilis Wolfgangus Reganesburchgensis ecclesiæ episcopus, quæ est constructa in honore S. Petri principis Apostolorum nec non & S. Emmerammi martiris Christi, adiens celsitudinem culminis nostri, innotuit auctoritati nostræ, in terra Avarorum quondam juxta fluviolum, qui N. dicitur, locum quendam esse qui N. nominatur, quem per multa annorum curricula desertum ipse de Bawaria missis colonis incoli fecit. Qui ut tutiores ibi ab infestatione Ungarorum permanere possent, petiit nostram serenitatem, locum quendam inter majorem & minorem N. situm, ubi fluvioli conveniunt, castellum ad construendum, quod vocatur N. Cujus deprecationi propter divinum amorem & reverentiam sanctorum prædictorum libenter annuimus & ipsum locum perpetuo possidendum eidem concessimus ecclesiæ, ab eo loco videlicet, ubi prænominati fluvioli confluunt, usque in Ibisam, ubi ipsum fluvium huic confluvio proximum est, & sursum versus per litus Ibysæ usque in rivum, qui dicitur N. Ab Orientali autem parte litus majoris N. usque in montana propter munitionem locorum huic donationi terminum statuimus & quicquid nostri juris est ad donandum infra hos terminos ad sanctum Petrum sanctumque Emmerammum perpertuo jure contradimus, si minus quam sex regales mansi arabilis terræ nostri juris infra terminos præscriptos inveniantur; ubi proxime juxta prædictum castelli locum habeamus ex utraque ripa N. suppleatur.

Has itaque res & quicquid in posterum silvarum exstirpatione omnique alia cultura amplificetur absque ullius personæ obstaculo, terris cultis & incultis, quæsitis & inquirendis, ædificiis, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarumve decursibus, rivis, rivalicis, molendinis, piscationibus, viis & inviis, cum omnibus ad jam dictum terminum juste legitimeque pertinentiis, ad ipsius ecclesiæ utilitatem firmiter tradidimus ita videlicet ut supra memoratæ sedis rectores ob ecclesiæ commoditatem liberam habeant potestatem faciendi quicquid elegerint.

Et ut nostræ largitionis auctoritas firma perseveret, hanc cartam inde conscriptam anuli nostri impressione sigillari jussimus.

LIII.

In nomine S. & Ind. T. O. D. fav. cl. Imperator Augustus. Noverint omnes fideles nostri præsentes scil. & futuri, qualiter mercator quidam noster N. dictus a prædecessoribus nostris libertate donatus & uxor ejus N. vocata, tradiderunt ad sanctum Emmerammum monachis inibi Deo servientibus prædium N. pro animarum suarum remedio ac mercedis æternæ desiderio, ea pactione, ut suæ finetenus vitæ potestative usu potirentur vivendi, post amborum de hac luce discessum integre pertineret ad sanctum E. fratribus serviendum, quod ita factum est publice testium astipulatione & jure jurando, qui eidem tradicioni præsentes fuerunt: similiter & primi judices comitatuum banno constricti & juramento idem testificati sunt, hoc est prædictus locus N. cum mancipiis utriusque sexus in pago N. in comitatu N. Nos vero hæc audientes propter Dei amorem & S. Emmerammi & venerabilis Wolfgangi Reginensis Episcopi peticionem, nec & non Rumuoldi Abbatis fidelis nostri interventu satisfacientes, hanc tradicionem imperiali auctoritate nostra renovavimus, & eundem locum prædictum cum omnibus appendiciis suis, hoc est curtilibus, cum edificiis, pomariis, agricolis, pascuis, silvis, pratis, aquis, mobilibus & immobilibus, exitibus & reditibus, quæsitis & inquirendis, omnique legitima traditione ad altare sancti E. martiris fratrum usibus servienda cum omni integritate concessimus, nemine contradicente, vel fiscalis poten-

 tiæ

tiæ persona sive alicujus consanguinitatis eorum contradictione.

Et ut hæc concessionis nostræ auctoritas firma ac stabilis permaneat in futuris temporibus, hoc præsens præceptum jussimus inde conscribi & anuli nostri impressione sigillari & subter manu propria corroboravimus. Signum D. O. magni & invictissimi Imperatoris Augusti. Hyldibaldus episcopus & cancellarius vice Willigisi archi-capellani notavi. Dat. Non. Julii anno Dominicæ inc. DCCCCLXXXIII. Regni vero secundi O. XXV. Imperii autem XV. Actum feliciter Veronæ.

LIV.

In n. S. & Ind. T. O. d. prov. Imperator Augustus. Noverint omnes nostri fideles præsentes scil. ac futuri, qualiter nos ob interventum dilectissimæ genetricis nostræ N. caro nepoti nostro Bavariorum Duci quoddam nostri juris prædium civitatem videl. Babenberch nominatam cum omnibus ad hanc respicientibus & eo in servitium versis in comitatu N. comitis Volcfelt nuncupato sita, nostra imperiali potentia in perpetuæ usum proprietatis concessimus firmiterque donavimus cum utriusque sexus mancipiis, edificiis, ecclesiis, terris cultis & incultis, pratis, pascuis, silvis, forestis, forestariis, cellariis, censibus, aquis aquarumve decursibus, molendinis, mobilibus & immobilibus, viis & inviis, exitibus & reditibus, quæsitis & inquirendis, & cum omnibus jure legaliterque ad hæc jam dicta prædia pertinentibus eo tenore, ut libero ipse deinceps perfruatur arbitrio hæc tenendi, commutandi, dandi, posteris relinquendi, seu quicquid sibi libuerit inde faciendi. Et ut hoc nostrum præceptum firmius stabilius que permaneat, hanc cartam inde conscribi jussimus, annuloque nostro sigillatam manu propria nostra roboravimus.

LV.

In nomine D. D. S. N. J. C. Hildericus Rex Francorum. Ad æternam mercedem procul dubio credimus pertinere, si peticiones sacerdotum vel quorumlibet devotorum justa petentium perducimus ad effectum. Igitur Dominus & pater noster Remaclus episcopus clementiam regni nostri petiit pro monasterio suo Stabulao, quod bonæ recordationis avunculus noster Sigibertus quondam rex suo construxit opere. Unde & ipsius Principis tale præceptum ostendit nobis relegendum, in quo de ipsa foreste dominica ipsi monasterio tam in longum quam in transversum XII. milia per consilia pontificum ipsius temporis Chuniberti, Nemoriani cum aliis illustribus viris contulit.

Quapropter ipse Episcopus una cum ipsis monachis exinde confirmationem auctoritatis nostræ pecierunt. Quam peticionem nos pro Dei intuitu minime denegare potuimus. Proinde decernimus, ut hoc ad integrum cum Dei gratia & nostra teneant, atque possideant cum emunitate omnis ævi temporibus & absque ullius inpugnatione, præfatamque forestem liceat ipsam familiam Dei quieto ordine possidere & pro vita nostra vel stabilitate regni nostri die noctuque Domino famulari. Et ut hæc præceptio nostra in membranis conscripta firma & inviolabilis perseveret, manu nostra subter eam decrevimus confirmare.

LVI.

In n. D. & S. n. J. Christi Theodoricus Rex Francorum; Si peticiones sacerdotum perducimus ad effectum, regiam consvetudinem exercemus, & in æternum dominum retributorem ex hoc habere confidimus.

Ideo notum sit fidelibus nostris, quia venerabilis Abba de monasterio Stabulao, a bonæ memoriæ Sigiberto avunculo nostro quondam rege ob amorem Christi constructo, clementiam nostram expetiit, eo quod ipse princeps, pro compendio mercedis suæ & retributione æterna, villas aliquas de fiscis per præcepta sua manu roborata sub integra emunitate ad ipsum monasterium concessit. Unde & ipsa præcepta, seu confirmationes præcedentium Regum, memoratus Abba se præ manibus habere affirmans petiit celsitudinem nostram, ut quod tam ipse Princeps Dominus Sigibertus de fisco suo seu de reliquis locis ad ipsum monasterium per suas auctoritates noscitur concessisse, confirmare deberemus. Cujus peticionem pro reverentia ipsius monasterii, sed & considerantes sacerdocium ipsius, non solum confirmasse sed & pro mercede nostra a novo reconcessisse vestra comperiat magnitudo.

Præcipimus igitur, ut, quicquid constat a supra scripto principe Domino Sigiberto vel germano nostro h. e. quondam rege seu cæteris Christianis hominibus ad ipsum monasterium recte fuisse collatum seu condonatum, ex hoc præsenti tempore pro nostra auctoritate plenius in Dei nomine confirmari ut & nobis ad mercedem pertineat, & ipsos servos Dei melius delectet pro regni nostri constantia attentius misericordiam Domini deprecari.

Et ut hæc præceptio firmior habeatur & per omnia tempora conservetur, manus nostræ subscriptionibus subter eam decrevimus roborari.

LVII.

De Henrico Primo Imperatore & de constitutione Babenbergensis Ecclesiæ.

Anno Dominicæ incarnationis MVII. Ind. V. Kal. Novembris regnante piissimo ac serenissimo H. secundo anno regni sui VI. pro statu & augmento sanctæ matris ecclesiæ in loco Franchenfurch dicto magna Synodus habita est & celebrata. Nam idem Rex magnus & pacificus, ut in Deum erat credulus & in homines pius, dum alta mentis deliberatione sæpe numero cogitaret, in quo Deum sibi maxime placaret, summa inspirante divinitate cogitando disposuit, ut Deum sibi heredem eligeret & conscriberet, & Episcopatum in honore sancti Petri Principis Apostolorum in quodam suæ paternæ hereditatis loco Babenberg dicto ex omnibus rebus hereditariis construeret, ut & paganismus

Digitized by Google

nismus Sclavorum destrueretur, & Christiani nominis memoria perpetualiter inibi celebris haberetur. Sed dum Parrochiam ad eundem locum respicientem non haberet, & sanctum Pentecostem in eodem sui regni anno sexto Moguntiæ celebraret, quandam partem Wirzeburgens. dioeceseos, Comitatum videlicet Ratenegowi dictum & quandam partem pagi Volcfelt dicti, inter fluvios Vraha & Ratenza sitam ab Heinricho Wirzeburgensi Episcopo firma ac legali tradicione acquisivit, tradens e contra Wirzeburgensi ecclesiæ C. L. mansos in vico Meinungen dicto & proximis adjacentibus locis, hoc consentientibus & perspicientibus venerabilibus patribus, inprimis videlicet Wirzeburgensis ecclesiæ episcopo H. & Willigiso reverendo Archiepiscopo Moguntino & Burchardo Wormatiensi & Waltero Spirensi & Wernero Strazburgensi & Alberone Basiliensi, Uodalrico Curiensi, & Luidolfo Archiepiscopo Treverensi, & Theodorico Metensi, & Bertoldo Tullensi, & Heimone Virdunensi, & Heriberto Archiepiscopo Coloniensi, & Notkero Leodicensi, & Erlwino Cameracensi & Dagino ne archiepiscopo Magdeburgensi, & Hildolfo Mantuano. Gloriosissimus vero Rex tunc compos voti effectus, pari supra dictorum patrum consultu, duos suis ex capellanis Albericum videlicet & Ludewicum, adjunctis H. Wirzeburgensis episcopi litteris Romam usque direxit, quatinus hic bene incœpta in melius proficerent autoritate Romana. Romanus vero Pontifex & universalis Papa Johannes præcatorias prædicti H. episcopi litteras inspiciens, & piissimi Regis H. devotioni congaudens, habita in sancti Petri Basilica Synodo pro confirmando Babebergensi episcopatu, privilegium fecit conscribi & apostolica auctoritate corroborari, universis Galliæ & Germaniæ episcopis rescribens, ut & ipsi pari communique auctoritate eundem episcopatum corroborarent & confirmarent. Quod videlicet privilegium venerabiles patres in supra dicto Franchefurth habito generali Concilio consistentes, summa veneratione legendo suscipientes & apostolicæ autoritati obedientes, devotis mentibus subscribendo unanimiter laudaverunt communiterque corroboraverunt. Willigisus sanctæ Moguntiensis ecclesiæ archiepiscopus, qui eidem synodo vice Romanæ ecclesiæ præsidebam, collaudavi & subscripsi. Ratherus Padelprunnensis ecclesiæ episcopus interfui & subscripsi. Megiangaudus Eichstatensis interfui Episcopus & subscripsi. Arnoldus Halberstadensis interfui & SS. Lambertus Constanciensis episcopus interfui & SS. Uodalricus Curiensis Episcopus interfui & SS. Burchardus Wormatiensis Episcopus interf. & SS. Werinharius Argentiensis Episcopus interfui & SS. Walterus Spirensis Episcopus interfui & SS. Brun. Augustensis Episcopus interfui, collaudavi & SS. Luidolfus Treverensis Archiepiscopus interfui & SS. Bertoldus Tullensis Episcopus interfui & SS. Hermo Wirdunensis Episcopus interfui & SS. Hartwigus Juvavensis Archiepiscopus interfui & SS. Christianus Pataviensis Episcopus interfui & SS. Gebehardus Ratesponensis Episcopus interfui & SS. Egilbertus Frisingensis Episcopus interfui & SS. Adalbero Brixiensis Episcopus interfui & SS. Heribertus Archiepiscopus Coloniensis interfui ad votum Synodi & SS. Svindegerus Mimegardefordensis Episcopus interfui & SS. Ansfridus Trajectensis Episcopus interfui & SS. Theodoricus Mindensis Episcopus interfui & SS. Dietmarus Episcopus Osneburgensis interfui & SS. Dagino Archiepiscopus Magdeburgensis interfui & SS. Hildewardus Cizensis Episcopus interfui & SS. Burchardus Archiepiscopus Laudunensis interfui & SS. Adalbero Basilensis interfui & SS. Baldolfus Archiepiscopus Tarentasiensis interfui & SS. Anastasius Ungrorum Archiepiscopus interfui & SS. Hugo Genuensis SS. Henricus Lausonensis SS. Ekkehardus Slesvigensis SS. Albericus Cumanus Episcopus interfui. Richolfus Tergestinensis ecclesiæ Episcopus interfui & SS.

LVIII.

Privilegium Henrici Wirzburgensis Episcopi de Constitutione Babebergensis Episcopatus.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Omnium sanctæ Dei ecclesiæ fidelium tam præsentium, quam futurorum notitiam non latere desideramus, qualiter gloriosissimus Rex Henricus divinæ, ut credimus, ammonitionis stimulo compunctus, de prædiis, quæ Dei gratia hereditarioque jure parentum in suæ possessionis dominium provenerant, Dei servitium augere Episcopatum constituendo atque ordinando, considerans, quomodo id legitime rationabiliterque fieri potuisset, H. venerabilem Wirtzburgensis ecclesiæ provisorem quatenus quendam locum Babenberch nuncupatum cum pago qui Ratenzgou dicitur, qui ad suæ dioeceseos statum pertinere videbantur, de suo jure in suum jus id ad perficiendum transfunderet, studiose cœpit flagitare; Qui, quoniam justæ atque rationabiles causæ videbantur, ejusdem augustissimi atque invictissimi regis peticionibus acquiescens cum communi cleri sui atque militum consilio, nec non totius populi consilio & consensu, præfatum locum cum prædicto pago, tribus parrochianis ecclesiis exceptis cum suis adjacentiis, quarum hæc nomina sunt, Wachenrode, Lonerstat, Mulhusen, omni postmodum remota contradictione, suæ potestati tradiderunt. Alterius autem pagi, qui Volezelt vocatur, in quo præfatus locus situs est, partem eidem regi concessit, quantum est de Babenberch ad flumen Uraha in Ratenzam flumen, & sic juxta decursum fluminis ejusdem in Moyn, & inde ad rivulum Wichebach, demum ad caput ejusdem rivuli, sicque quam citissime ac proxime perveniri potest ad Uraham. Et ut hæc tradicio firma atque inconvulsa permaneat, ipse præsul H. corroboravit & subscripsit. Actum in civitate Wirtzburgensi, præsente

Digitized by Google

ſente Sereniſſimo Imperatore. H. ea conditione, ut decimam in novabilibus jam inciſis & ad manſum menſuratis, cum veteri decima non commutata, Wirtzeburgenſis eccleſia retineat; in novabilibus vero poſt hinc excolendis decimam Babenbergenſis eccleſia poſſideat cum termino commutato.

LIX.

Privilegia Henrici ſecundi Regis & primi Imperatoris, de inſtitutione Babenbergenſis Epiſcopii.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, H. divina præordinante clementia Rex. Saluberrimis divini eloquii inſtitutionibus erudimur & ammonemur, ut temporalia relinquentes bona & terrena poſtponentes commoda, æterna & ſine fine manſura in cœlis ſtudeamus adipiſci conſiſtoria. Quapropter nos dominicis non ſurdum auditum præbentes præceptis, & deificis operando intendentes perſuaſionibus, quendam noſtræ paternæ hereditatis locum, Babenberc dictum, in ſedem & culmen Epiſcopatus ſublimando proveximus & Romana auctoritate atque venerabilis Wirtzeburgenſis Epiſcopi conſenſu, ac pari communique omnium nimirum fidelium, tam Archiepiſcoporum, quam Epiſcoporum Abbatumque nec non Ducum & Comitum conſulto decretoque, in honorem ſanctæ Dei genetricis Mariæ ſanctorumque Apoſtolorum Petri & Pauli nec non Martyrum Kiliani atque Georii ſtabilivimus & corroboravimus, ut & mihi nimirum parentumque noſtrorum, & Ottonis tercii videlicet Imperatoris anteceſſoris noſtri ac ſenioris celebre habeatur memoriale, & jugis pro omnibus ortodoxis hoſtia mactetur ſalutaris. Proinde noverit omnium noſtrorum fidelium tam præſens ætas, quam & ſucceſſura poſteritas, quia nos noſtræ quendam proprietatis locum, Chunitzeshof dictum, ad eandem ſupradictam Epiſcopalem ſedem una cum omnibus ejus pertinentiis ſive adhærentiis, videlicet vicis, villis, eccleſiis, ſervis & ancillis, areis, ædificiis, terris cultis & incultis, viis & inviis, exitibus & reditibus, quæſitis vel inquirendis, ſilvis, ſaginis, venacionibus, aquis & piſcationibus, molis, molendinis, rebus mobilibus & immobilibus ac cæteris omnibus, quæ rite ſcribi aut appellari poſſunt quo quolibet modo utilitatibus, hac noſtræ auctoritatis præceptali pagina, prout firmius poſſumus, donamus atque proprietamus, omnium contradictione remota; Præcipientes, ut nobis in Deo dilectus ſæpe dictæ ſedis Epiſcopus Eberhardus ſuique ſucceſſores liberam dehinc habeant poteſtatem, eundem prædictum ſcriptum locum cum omnibus appendiciis ſuis tenendi, poſſidendi ſeu quicquid ſibi libeat in uſum epiſcopatus inde faciendi.

Si quis vero quod abſit hujus noſtræ donationis munificentiam deſtruere ſeu violare præſumit, in die judicii coram oculis Dei tormento inextinguibili æternaliter luat.

Quod ne eveniat ſeu hæc traditio noſtra ab omnibus perpetualiter inviolabilis permaneat, hanc Kartam inde conſcriptam manu propria roborantes, ſigilli noſtri impreſſione inſigniri juſſimus. Guntherus Cancellarius vice Willigiſi Archi-Cancellarii recognovi. &c.

LX.

In nomine S. & ind. Tr. Henricus Dei favente clementia Romanorum Imperator Auguſtus. Quoniam gratuito divinæ miſerationis reſpectu, imperiali dignitate ſublimatos nos eſſe cognoſcimus, congruum eſſe ducimus non ſolum eccleſias ab anteceſſoribus noſtris conſtructas ampliare, ſed ad majorem Dei gloriam novas ædificare, eaſque devotionis noſtræ donis gratiſſimis exaltare. Proinde omnium Chriſti noſtrique fidelium noverit univerſitas, qualiter nos per interventum conjugis noſtræ C. Imperatricis Auguſtæ, ſanctæ Babenbergenſi eccleſiæ, quam propicia divinitate in ſedem Epiſcopalem de paterna hereditate ordinavimus, cui & venerabilem C. Epiſcopum præfecimus, quandam noſtri juris curtem, Scherſtete dictam, & villam, quæ dicitur Schachental in pago Sueve, in comitatu Dietmari Comitis ſitam, cum omnibus pertinentiis ſuis, areis, ædificiis, agris, pratis, paſcuis, aquis aquarumve decurſibus, molendinis, piſcationibus, ſilvis, terris cultis, & incultis, exitibus & reditibus, viis & inviis, quæſitis & inquirendis, omnibuſque, quæcunque nominari ac ſcribi poſſunt, utilitatibus in proprium largimur atque concedimus, ea videlicet ratione, ut prædictus E. Epiſcopus ſuique ſucceſſores liberam de hinc habeant poteſtatem tenendi, omittendi, precariandi, vel quicquid eis placuit inde faciendi ad utilitatem eccleſiæ ſuæ. Et ut hæc noſtræ traditionis Karta ſtabilis & inconvulſa omni permaneat ævo, hoc præceptum inde conſcriptum propria manu confirmantes, ſigilli noſtri impreſſione juſſimus inſigniri.

Data IIII. Idus Maji, Indictione II. Anno D. incar. MXVIII. Anno vero Domini H. Imperatoris Auguſti ſecundi, Regis XIIII. Imperii vero V. Actum Curiſtat. feliciter, Amen.

LXI.

In nomine S. & ind. Tr. Henricus Dei favente clementia Rex. Si eccleſiarum Dei loca alicujus doni incremento ſublimare vel meliorare ſtuduimus nobis regnique noſtri ſtatui id proficere minime diffidimus. Quapropter omnium Chriſti fidelium præſentium ac futurorum agnoſcat induſtria, qualiter nos divini amoris inſtinctu, pro remedio animæ noſtræ ſeu parentum noſtrorum ob interventum & peticionem E. ſanctæ Babenbergenſis eccleſiæ Epiſcopi ſibi ſuoque monaſterio in honore ſanctæ Mariæ virginis ſemper & ſancti Petri principis Apoſtolorum ſanctorumque martirum Georii & Kiliani conſecrato tale prædium quale B. Marchio nobis legali traditione dedit, cum omnibus ejus appendiciis, id eſt cum familia utriuſque ſexus, areis, ædificiis, campis, pratis, paſcuis, ſilvis, venationibus, aquis aquarumve decurſibus, molendinis, exitibus & reditibus, quæſitis & inquirendis ſive cum omnibus,

bus, quæ quolibet modo dici aut ſcribi poſſunt, utilitatibus, per hanc noſtram paginam potenti manu conceſſimus atque tradidimus, & de noſtro jure ac Dominio in ejus jus ac Dominium omnino transfudimus, eo videlicet rationis tenore, ut jam dictæ eccleſiæ Epiſcopus ſuique ſucceſſores de prænominato prædio poteſtatem habeant, exinde quicquid eis placuerit faciendi, ad utilitatem præfatæ eccleſiæ, omnium hominum contradictione ſive inquietudine remota. Et ut hæc noſtræ traditionis ſeu confirmationis auctoritas ſtabilis & inconvulſa omni permaneat tempore, hoc præceptum inde conſcriptum manu propria confirmantes atque corroborantes ſigni noſtri impreſſione inſignivimus. Dat. Kal. Maji, Ind. VIII. Anno Dominicæ incarnationis MX. Anno vero Domini H. ſecundi regnantis VIII. Actum Babenberch feliciter, Amen.

LXII.

In nomine S. & ind. Trin. H. Dei gratia Rex. Notum ſit omnibus fidelibus Chriſti præſentibus ac futuris, quia, poſtquam nos divina inſpirante gratia & Romana auctorante potentia, omniumque noſtri fidelium in medium conſulente concordi ſententia, noſtræ proprietatis locum Babenberc dictum in ſedem & culmen Epiſcopatus proveximus, conſenſu & peticione dilectiſſimæ conjugis noſtræ C. videlicet reginæ, duo prædia Egmenhuſen & Screve in pago Chrapfelt in Comitatu N. Comitis ſita, ad eandem ſedem Babenberc epiſcopalem cum omnibus appendiciis eorum videlicet villis, vicis, eccleſiis, capellis, ſervis & ancillis, areis, ædificiis, terris cultis & incultis, viis & inviis, exitibus & reditibus, quæſitis & inquirendis, ſilvis, saginis, venationibus, aquis, piſcinis, molis, molendinis, rebus mobilibus & immobilibus, ac cæteris omnibus, quæ rite ſcribi aut appellari poſſunt, quoquolibet modo, utilitatibus, hac noſtræ auctoritatis præceptali pagina, prout firmius poſſumus, donamus & abſque omni contradictione proprietamus, præcipientes, ut in Deo dilectus nobis ſepe dictæ ſedis primus Epiſcopus E. ſuique ſucceſſores liberam dehinc habeant poteſtatem eadem prædia ſupradicta cum omnibus eorum appendiciis tenendi, poſſidendi, ſeu quicquid libeat ſibi modis omnibus in uſum epiſcopatus inde faciendi. Si quis ergo, quod abſit, hujus noſtræ donationis munificentiam deſtruere vel violare præſumat, in die judicii coram oculis Dei tormento inextinguibili luat. Quod ne fiat, ſed hæc traditio noſtra perpetualiter inviolabilis permaneat, hanc Kartam inde conſcribi, propria manu roborantes, ſigilli noſtri impreſſ. juſſimus inſigniri. Data Kl. Julii. Anno Dominicæ incar. MX. Anno vero Domini H. ſecundi regnantis VIII. Actum Moguntiæ feliciter, Amen.

LXIII.

In nomine S. & ind. T. H. Dei fav. clem. Imperator Auguſtus. Omnium Chriſti noſtrique fidelium ſollers noverit induſtria, quia nos prædeceſſorum noſtrorum factis glorioſis voluntate & actu conſentientes, primum pro futuræ retributionis ſpe, inſtinctu & peticione dilectæ contectalis noſtræ Agnetis Imperatricis tale prædium, quale & anteceſſor noſter & genitor felicis modo memoriæ Chunradus Imperator cuidam Babebergenſis eccleſiæ canonicorum ibidem Deo ſervientium traditum habuit, cum omnibus ſuis appendiciis, hoc eſt, utriusque ſexus mancipiis, areis, ædificiis, vinetis, terris cultis & incultis, agris, paſcuis, aquis, aquarumve decurſibus, piſcinis, molis, molendinis, & omni utilitate quæ vel nunc in eo eſt, vel amodo fieri poterit, poſt ejusdem obitum prædictæ eccleſiæ & canonicis ibidem Deo famulantibus noſtra Imperiali auctoritate proprietative poſſidendum confirmamus, ea videlicet ratione, ut præfati canonici & eorum per ſucceſſionem præpoſiti liberam dehinc cum ipſorum canonicorum conſenſu & conſilio poteſtatem habeant, vel comutandi, vel precariandi, vel quicquid ſibi placuerit, inde faciendi. Et ut hæc noſtræ confirmationis auctoritas omni ævo ſtabilis & incommutabilis permaneat, hanc Kartam inde conſcriptam ſigno noſtro imperiali inſignimus, & manu propria corroborantes, ut infra videtur, poſteris videndam relinquimus. Data VI. Non. Octob. Anno Domin. incar. MXLVIII. Indictione I. Anno autem Domini H. tercii Regis Imperatoris ſecundi ordinationis ejus XX. regnantis quidem decimo, Imperantis autem II.

LXIV.

In nomine S. & Ind. Trin. H. Dei fav. clem. Rex. Si loca divinis obſequiis deputata debita devotione ſublimare ſtuduimus, ad utriusque profectum vitæ nobis id prodeſſe non ambigimus. Ideo univerſitati fidelium noſtrorum præſentium ac futurorum patere volumus, qualiter nos interventu & petitione N. venerabilis Abbatis ſancta Laureſamenſis eccleſiæ, cui ipſe loco Abbatis præſidet, Prædium quoddam noſtri juris ſtabili tradicione pro concambio in proprium conceſſimus.

Quicquid enim in his locis usque modo proprietatis obtinuimus, id eſt villa N. in pago N. in Comitatu N. Comitis ſita cum omnibus appendiciis, mancipiis utriusque ſexus, terris cultis & incultis, pratis, paſcuis, omnibusque acquiſitis vel acquirendis Deo ſanctæque prædictæ Dei eccleſiæ devotione gratuita obtulimus, ea quidem ratione, quatinus ejusdem loci Abbas & reliqui ſucceſſores ſui idem prædium eccleſiaſtico jure obtineant, &, quod inde placuit, ad uſus eccleſiæ rationabiliter utendi noſtro conceſſu libera facultate potiantur, & pro hoc quoddam ejusdem eccleſiæ prædium N. nobis mutuo concambuimus. Et ut hæc noſtræ commutationis auctoritas ſtabilis & inconcuſſa permaneat, hanc regalis præcepti paginam inde conſcribi, ac manu propria confirmantes ſigillo noſtro præcepimus inſigniri. Signum Domini H. ſecundi Reg. invictiſſimi.

LXV.

In N. S. & Ind. Trinitatis. Henricus Dei fav. clem. Rex. Si noſtræ pietatis aurem maxime in eccleſiaſticis rebus augendis præbemus peticioni-

cionibus nostrorum fidelium, divinæ pietatis respectum, super nos magis inde credimus affuturum, eosque circa nos sagaciores serviendo efficimus ac devotiores. Quapropter omnium tam præsentium quam futurorum noscat industria, qualiter N. Sancti Laureshamensis cœnobii venerabilis Abbas nostræ celsitudinis adiit culmen, sibi suæque ecclesiæ in honore sanctorum martirum consecratæ, Habozis & Nazarii, exorans forestem bannumq; sylvarum concedi. Cui pium præbentes assensum, forestem cum banno concessimus, eo rationis tenore, ut ipse prædictus Abbas sibique succedentes in perpetuum habeant atque possideant, nullusque in ea sine ipsius licentia venandi atque capiendi aliquid potestatem habeat. Hæc ergo, quo firmius atque inconvulsius per futura tempora possint persistere, propria manu firmantes, insigniri jussimus sigilli nostri impressione.

LXVI.

In nomine S. & individ. T. H. Dei favente clementia Romanorum Imperator Augustus. Imperialem nostri nominis excellentiam hoc scimus exigere, immo ad statum regni & ad salutem animæ nostræ multum proficere, quosque divini servitii amatores, ut sine querela in Dei persistant laude, liberalitatis nostræ sustentaculo confœterare, maxime autem eos, quorum laboris devotio, divino præ cæteris invigilat obsequio. Proinde noverit omnium Christi nostrique fidelium universitas, qualiter nos divinæ remunerationis spe incitati interventu & dilectæ conjugis nostræ Imperatricis Augustæ & venerandi Richolfi Abbatis commoniti cuidam ecclesiæ Dei infra civitatem Radisponensem, in honore pretiosissimi Dei martiris Emmerami constructæ, ubi venerabile corpus ejus miraculis declarantibus requiescere comprobatur, omnia, quæ ab antecessoribus nostris regibus vel Imperatoribus omnibusque Christi fidelibus vel infra ipsam Radisponensem civitatem, vel in suburbio ejus vel ubicunque locorum tradita sunt hactenus & collocata, per hanc imperialem paginam in perpetuum confirmamus, & absque omnium hominum contradictione in proprium largimur, ea videlicet ratione, ut non Episcopus ejusdem loci nullaque judiciaria vel ecclesiastica potestas aliquam habeat potestatem prænominata bona præfatæ ecclesiæ auferre vel usibus fratrum ibidem sub monachica institutione Deo servientium abalienare; sed prædictus R. ejusdem loci abas suique successores liberam exinde potestatem habeant, quicquid eis placuit faciendi, ad utilitatem tantummodo fratrum ibidem sub regula sancti Benedicti Deo sanctoque Emmeramo famulantium. Et ut hæc nostræ confirmationis & largitionis auctoritas stabilis & inconvulsa omnique permaneat ævo, hoc præceptum inde conscriptum propria manu corroborantes sigilli nostri impressione jussimus insigniri. Signum Domini H. invictissimi Romanorum Imperatoris Augusti. Guntherus Cancellarius ad vicem Erchembaldi Archicapellani recognovi. Actum Coloniæ feliciter Amen.

LXVII.

In nomine S. & ind. Trin. Heinricus Dei clementia Romanorum Imperator Augustus. Si pietatis nostræ celsitudinem adeuntibus digne postulata largimur, præcipue convenit, ut nostræ dilectissimæ conjugis atque consortis nostræ regni nostri C. postulationibus libentissime acclamemus ac nostrorum fidelium dignis peticionibus assensum condonemus. Proinde omnium sanctæ Dei fidelium & nostrorum præsentium scilicet ac futurorum noverit industria, dilectissimam conjugem nostram ac consortem regni ac multos ex fidelibus nostris a pietatis nostræ clementia suppliciter postulasse, quatenus pro amore Dei animæque nostræque remedio nostra præceptali concederemus pagina monasterio sancti Michaelis Archangeli & sancti Benedicti Abbatis, quod est situm sub territorio Babebergensis civitatis, omne illud prædium, quod N. dilectus Capellanus nobis contulit & condonavit & in nostrum jus ac dominium de suo jure ac dominio penitus transfudit & condonavit. Cujus dignas peticiones nos libentissime amplectentes id fieri annuimus, hanc nostræ donationis paginam scribi jubentes, per quam supra nominatum prædium deinceps in proprium usum fratrum supra dicti monasterii transfundimus & donamus in integrum sicut prædictus N. nostræ Imperiali illud substituit potestati. Unde præcipientes jubemus, ut nulli Abbatum supradicti monasterii liceat prætaxatum prædium donare alicui seu commutare vel pro beneficio dare, sed ad proprium usum fratrum libere relinquatur omni tempore, & prælibato monasterio servetur in integrum. Quod ut verius credatur & diligentius ab omnibus observetur, hanc paginam propriis manibus roborantes sigillo nostro inferius jussimus insigniri.

LXVIII.

In N. S. & ind. Trin. H. Gra. Dei Romanorum Imperator. Gloria præsens fugitiva & inanis est, dum possidetur, nisi in ea aliquid de cœlesti æternitate cogitetur. Sed Dei miseratio humano generi utile providit remedium, quando partem cœlestis patriæ terrenæ substantiæ fecit esse - - -. Hujus ergo nos clementiæ memores quendam hereditatis nostræ locum Babenberc dictum, auctoritate Apostolica firmatum, nec non dilectæ contectalis nostræ C. & venerabilis H. Wirzeburgensis Episcopi ac omnium fidelium nostrorum Episcoporum & Abbatum tociusque regni nostri principum concordi devotione collaudatum, in culmen & sedem Episcopatus proveximus, ad honorem scilicet omnipotentis Dei & beatæ Mariæ semper virginis sanctorumque Apostolorum Petri & Pauli, nec non sanctorum martirum Chiliani atque Georii & omnium Sanctorum piam venerationem fundavimus, ut inibi tam pro antecessoris nimirum tertii Ottonis Imperatoris, quam pro omnium fidelium vivorum atque defunctorum

Digitized by Google

functorum memoria jugiter hostia mactetur salutaris. Proinde noverit omnium Dei nostrique fidelium tam præsens ætas, quam & successura posteritas, qualiter nos pro amore Dei nostræque salutis acquisitione præfatæ sedi tot venerabilium virorum attestatione fundatæ quendam locum nostri juris N. qui a quibusdam Abbatia nuncupatur, hac imperiali & præceptali pagina, sive abbatia sive aliquo quolibet modo prædium sit, cum omnibus rebus ibidem pertinentibus, mobilibus & immobilibus, cultis & incultis, & cunctis, quæ ullo modo scribi aut nominari possunt, utilitatibus, prout firmius possumus, concedimus, donamus, proprietamus, omnium contradictione remota. Præcipimus igitur, ut nobis in Deo dilectus E. ejusdem sedis Episcopus ejusque successores liberam potestatem habeant de prædicta seu Abbatia seu præpositura tenendi, possidendi, commutandi, seu quicquid libeat modis omnibus in usum Episcopatus inde faciendi. Ut autem hæc nostræ ingenuitatis traditio stabilis & inconvulsa permaneat, nunc & in futurum hanc paginam inde conscriptam manu propria roborantes, sigilli nostri impressione insigniri jussimus. Data VI. Idus Maji Anno Incar. Dom. MXVIII. Ind. II. Anno vero Domini H. secundi regnantis XVII. Imperii autem V. Actum Alsten feliciter Amen.

LXIX.

In Nomine S. & Ind. Trin. H. Dei fav. clem. Imperator Augustus. Quicquid sanctæ Dei ecclesiæ pia devotione conferimus, nobis inposterum cum ipsius adjutorio reservabimus profuturum. Quapropter universitati fidelium nostrorum patere volumus tam præsentium quam futurorum, qualiter nos pro remedio animæ nostræ & interventu dilectissimæ conjugis nostræ & pro remedio animarum omnium parentum nostrorum, quorum commemorationi debitores existimus, sanctæ Babebergensi ecclesiæ in honore Dei sanctique Petri Principis apostolorum constructæ, prædium quoddam nostræ proprietatis tradimus N. dictum, in pago Wedereiba, in Comitatu H. situm, cum omnibus appendiciis suis, quæ nominari possunt, silvis, pascuis, pratis, campis, agris, vineis, mancipiis utriusque sexus, molis, molendinis, cæterisque utensilibus, tam quæsitis quam inquirendis. Ea ratione, ut ad eandem ecclesiam a modo cum totius debito servitutis proprietario jure, quicquid ibi habemus, pertingat. Et ut hæc nostræ traditionis auctoritas per successiones temporum stabilis & inconvulsa permaneat, hanc imperialis præcepti paginam inde conscribi ac manu propria confirmantes sigillo nostro præcipimus insigniri. Data XII. Kal. Junii, Ind. XIII. Anno Domini incarn. MXII. Anno vero secundi H. regnantis XIII. Imperii autem III. Actum Mersfelt.

LXX.

In Nomine S. & Ind. Tr. Henricus Dei favente clementia Rex. Divinis & salutaribus sanctarum scripturarum ammonemur documentis & erudimur, ut ecclesias Dei cum larga benevolentia ditemus & summa devotione amplificare non cessemus. Proinde noverit omnium Christi nostrique fidelium industria, quia nos per interventum nostræ dilectissimæ conjugis C. quandam nostri juris capellam sive abbaciam infra urbem Radesponensem in pago Tounogowe in Comitatu H. Comitis sitam sanctæ Babebergensi ecclesiæ in honorem beati Petri Principis Apostolorum & sanctæ Georii martiris consecratæ cum omnibus appendiciis, scilicet exitibus & reditibus, terris cul. & inc. & omnibus utilitatibus, quæ ullo modo aut scribi aut nominari possunt, summa & liberali devotione in proprium donamus, ea videlicet conditione, quatenus ejusdem supra dictæ ecclesiæ venerabilis Episcopus E. suique successores deinceps liberam exinde habeant potestatem tenendi, possidendi, & quicquid ad usum prædictæ ecclesiæ pertineat faciendi, omnium contradictione remota. Et ut hujus donationis nostræ auctoritas stabilis & inconvulsa permaneat præceptum istud inde conscriptum propria manu corroborantes sigilli nostri impressione jussit insigniri.

LXXI.

In Nomine S. & Ind. Trinit. H. Dei fav. clem. R. Imperator Augustus. Noverit omnium Christi nostrique fidelium universitas, qualiter nos pro remedio animæ nostræ & dilectæ conjugis nostræ C. Imperatricis videlicet Augustæ tale prædium quale H. Comitis N. filia in villa Slopeize habuit, cum areis, ædificiis, terris cultis & incultis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, pis. molis. mol. sil. vena. viis, & inviis, exitibus & re. quæsitis & inquirendis, mancipiis utriusque sexus, cumque omnibus utensilibus, quæ vel scribi vel quoquomodo possunt nominari, ad altare S. Petri Principis Apostolorum in Babebergensi ecclesia in usum fratrum Deo ibidem famulantium perpetualiter habendum donamus, & de nostro jure in eorum communem utilitatem transfundimus. Et ut hæc nostræ traditionis autoritas stabilis & inconvulsa permaneat, hanc paginam inde conscribi & manu propria roborantes sigilli nostri impressione jussimus insigniri. Oudalricus Cancellarius vice Aribonis Archicancellarii recognovi. Actum Babeberc, feliciter Amen.

LXXII.

In N. S. & ind. Tr. H. Dei fav. Cl. Imper. Ad hoc nos divinæ dispensationis providentia gratia & honore imperatoriæ dignitatis sublimavit, ut quanto erga nos sua exuberant beneficia, tanto ei gratius nostra servitus sit devota. Hæc nos sollicita consideratione intuentes, de bonis suis, quæ nobis gratuita pietate contulit, Sanctæ suæ ecclesiæ, quam ad gratiam & honorem nominis sui sub honore S. Petri Apostolorum Principis ex nostra hæreditate in Babeberc ad Episcopatum proveximus, volumus esse munifici, ne beneficiis ejus appareamus ingrati. Quo circa omnium sanctæ Dei ecclesiæ fidelium nostrorumque præsentium ac futurorum volumus universitati pateat, qualiter nos

Digitized by Google

nos intuitu pietatis & ſpe æternæ retributionis, interventu quoq; dilectiſſimæ conjugis noſtræ C. videlicet Imperatricis Auguſtæ, per hanc noſtri imperialis præcepti paginam prænominatæ Babebergenſi eccleſiæ, cui venerabilis præſul C. præeſſe videtur, quædam noſtræ pietatis loca nomine Concoleuncize, Libroize, concedimus atque largimur cum omnibus appendiciis eorum, terris cultis & incultis, familiis utriusque ſexus, aquis aquarumve decurſibus, piſc. mol. molen. exi. & re. viis & inviis, quæſitis & inquirendis, omnibusque quæ quolibet modo nominari poſſunt utilitatibus, ad eadem loca pertinentibus, eo tenore, ut prædictus Epiſcopus C. ſuique ſucceſſores liberam dehinc poteſtatem quicquid eis placuerit de eisdem locis in uſum eccleſiæ faciendi, omnium hominum regni noſtri contradictione remota. Quod ut verius credatur, diligentiusque obſervetur ab omnibus, hoc præceptum inde conſcribi manu propria confirmantes ſigilli noſtri impreſſione juſſimus inſigniri.

LXXIII.

In N. S. & Ind. T. H. Di. Fa. cl. Rom. Imperator. Noverit omnium Chriſti noſtrique fidelium præſens ætas futuraque univerſitas, qualiter nos, pro remedio animæ noſtræ antecesſorumque noſtrorum nec non pro ſalute dilectæ conjugis noſtræ C. videlicet Imperatricis Auguſtæ, taleprædium, quale Treverenſis Archiepiſcopus nobis dedit, cum areis, ædificiis, agris, vineis, vinetis, ſilvis, pratis, paſcuis, aquis, aquarumque decurſibus, piſcinis, viis & inviis, exitibus & reditibus, mancipiis utriusq; ſexus, quæſitis & inquirendis, cumque omnibus utenſilibus, quæ vel ſcribi vel nominari poſſunt, ad altare ſancti Petri Apoſtolorum Principis in Babebergenſi eccleſia in uſum Epiſcopi Deo ibidem famulantis perpetualiter habendum donamus, & de noſtro jure in ejus jus omnino transfundimus. Et ut hæc noſtræ traditionis auctoritas inconvulſa permaneat, hanc paginam inde conſcribi manu propria roborantes ſigillo noſtro juſſimus inſigniri. Data III. Idus Novemb. Indict. V. Anno Domin. incarnationis M. XXII. Anno Domini H. ſecundi regnantis XXI. Imperii vero ejus VIII. Actum Auguſta, feliciter Amen.

LXXIV.

In N. S. & Ind. T. H. DI. FA. Cl. R. I. A. Quotiescunque venerabilibus perſonis divino mancipatis obſequio rationabilia quærentibus facilem præbemus aſſenſum, debitum pro indebito reddimus, ſi largitori ſua non denegemus. Ideo noverit univerſitas fidelium noſtrorum tam præſentium quam futurorum, qualiter Dominus Popo ſanctæ Babebergenſis eccleſiæ Præpoſitus nuper conſtitutus noſtram clementiam adiit, devote ſupplicando, quatinus eadem eccleſia in primitiis miniſterii ſui noſtræ benignitatis aliquod reciperet emolumentum. Hoc autem, quia eum humilem ad obedientiam & ad injunctum miniſterium bonam habentem gratiam cognovimus, ad quod benignitas noſtræ majeſtatis ſemper prona extitit, & jam reſpectus ſuæ devotionis benigniorem effecit, ut gratuito jam petita concederemus. Quapropter prædictæ eccleſiæ ad ſervitium confratrum ibi ſub canonica inſtitutione deſervientium XXX. regales manſos proprietatis noſtræ in loco qui dicitur N. in pago N. in Comitatu N. Comitis cum omnibus appendiciis ejus, videlicet ſervis & ancillis, areis, terris cultis & incultis, molis, molendinis, aquis aquarumve decurſibus, paſcuis, pratis, ſilvis ven. viis & inviis exi. & re. & omnino cunctis utenſilibus, quæ vel ſcribi poſſunt vel nominari quoquomodo, de noſtro jure in eorum jus tradimus, ea ratione, quatinus idem dilectus noſter P. Præpoſitus & ſui in perpetuum ſucceſſores liberam poteſtatem habeant augmentandi, commutandi, & ad uſum & utilitatem quoquomodo fratrum redigendi. Et ut hæc noſtra traditio firma & inconvulſa permaneat, hanc paginam inde conſcribi, manu propria roborantes, ſigilli noſtri impreſſione juſſimus inſigniri. Anno Domin. incarnationis M. XV. Anno vero Domini H. ſecundi regnantis XIIII. Indict. XIII. Data Nonis Julii. Actum Radeſponæ, feliciter Amen.

LXXV.

In N. S. & Ind. T. H. Di. Fa. Cl. R. Si collapſa vetuſtate & negligentia ſanctorum loca reparamus & ibi divino cultui mancipatis aliqua vivendi ſolatia devote conferimus, & in hac & in æterna vita nobis hoc profuturum eſſe minime dubitamus. Proinde notum ſit Chriſti noſtrique fidelibus præſentibus & futuris, qualiter nos una cum dilecta conjuge noſtra C. videlicet Regina intus in urbe N. quandam capellam in curte regia, quam olim veterem vocabant, in honore ſanctæ Dei genetricis Mariæ a fundamentis in matrem eccleſiam ereximus, dataque ei per præceptum libertate regali inſtitutæ ibi in Dei ſervitio Canonicorum congregationi ſub Abbate vel Præpoſito pro ſtipendiis inter cætera dono contulimus & per hoc regiæ majeſtatis inſigne confirmavimus quandam noſtri juris villam cum omnibus ejusdem villæ legalibus pertinentiis, mobilibus & immobilibus, ſervis & ancillis, areis, ædificiis, terris cultis & incultis, pratis, paſcuis ſive conpaſcuis, ſilvis, venationibus, aquis aquarumve decurſibus, piſcinis, molendinis, viis & inviis, exitibus & re. quæſitis & inquirendis, ac cæteris quæ quolibet modo rite vocari poſſunt utenſilibus & appendiciis, eo tenore, quatenus præfati loci congregatio liberam de eodem prædio deinceps habeat poteſtatem quicquid ſibi decreto communi pro ſuis & præfatæ matris eccleſiæ neceſſitatibus libeat faciendi. Et ut hæc noſtra traditio ſtabilis & inconvulſa permaneat, hanc noſtri præcepti paginam manu propria roborantes, ſigilli noſtri impreſſione juſſimus inſigniri.

LXXVI.

In N. S. & Ind. T. H. Di. Fa. Cl. Ro. Imperator Auguſtus. Quoniam temporalium amisſione bonorum ſine fine manentium debemus

ſperare

Digitized by Google

ſperare remunerationem; Notum ſit omnibus fidelibus noſtris, qualiter & nos pro remedio animæ noſtræ noſtrorumque anteceſſorum nec non pro ſalute dilectiſſimæ conjugis noſtræ C. ſcilicet Imperatricis Auguſtæ tale prædium, quale Poppo Treverenſis Archiepiſcopus nobis dedit in hormunze ſitum in pago N. in Comitatu N. Comitis cum areis, ædificiis, agris, vinetis, pratis, paſcuis, ſilvis, aquis aquarumve decurſibus, piſcationibus, viis & inviis, exitibus & reditibus, mancipiis utriusque ſexus, quæſitis & inquirendis, cum omnibus utenſilibus quæ vel ſcribi vel nominari poſſunt ad altare ſancti Petri Apoſtolorum Principis in uſum Epiſcopi Epiſcopalem ſedem Babebergenſis eccleſiæ poſſidentis perpetualiter habendam donamus & de noſtro jure in ejus jus omnino transfundimus. Unde eadem imperiali poteſtate, qua cæteri ante nos reges vel imperatores huc usque ſunt uſi, præcipimus, ne quis hanc traditionem noſtram audeat violare. Et ut hæc noſtra auctoritas ſtabilis & inconvulſa permaneat, hanc paginam inde conſcribi, manu propria corroborantes, ſigno noſtro imperiali juſſimus inſigniri. Data III. Idus Nov. Ind. V. Anno Dominicæ incarnationis M.XXIIII. Anno Domini H. ſecundi regnantis XXI. Imperii vero VIII. Actum Auguſta feliciter Amen.

LXXVII.

Privilegium Benedicti Papæ de confirmatione Babebergenſis Epiſcopi.

Benedictus Epiſcopus, Servus Servorum Dei dilectiſſimo in Domino Jeſu Chriſto Filio. E. ſanctæ Babebergenſis eccleſiæ venerabili Epiſcopo perpetuam ſalutem.

Quandocunque noſtræ apoſtolicæ corroborationis piæ expoſcitur ſuffragium, celeri effectu eſt attribuendum. Et, ſi in his expoſcitur quæ durare perpetuo videntur, litteris eſt & adnotandum, ne prolixitas temporum poſteris hoc reddat dubium vel incertum. Quapropter notum eſſe volumus cunctis ſanctæ eccleſiæ filiis tam præſentibus quam futuris, qualiter de epiſcopatu, quem Chriſtianiſſimus Henricus Imperator ad honorem Principis Apoſtolorum Petri Babeberc devotiſſime perfecit, actum in eadem eccleſia nobis præſentibus ſit. Sæpius enim obnixe dictus Imperator fervens nimio amore epiſcopatus, quem tactus divino impulſu perfecerat, honorifice ad confirmandum apoſtolica auctoritate Babeberc adire nos deprecatus eſt. Cujus deprecationes aſſiduas & indeficientem inſtantiam de juſto deſiderio procedere cognoſcentes, iniquum judicavimus præſentiam noſtram illi denegare, & inhumanam calliditatem contra venerabilem locum aliquando occaſionem ſumere.

Venimus igitur Babeberc, ubi ab eodem Imperatore ſuſcepti ſumus, prout poterat & noverat melius. Eccleſiam autem cum omni integritate Epiſcopatus ſanctæ Romanæ eccleſiæ, cui Deo auctore præſidemus, & nobis obtulit. Quod videntes, æquum conſideravimus, feriem hujus noſtri privilegii & epiſcopatum confirmare in perpetuum, eumq; tibi, dilectiſſime, & tuis ſucceſſoribus concedere, ea videlicet ratione, hoc ordine, ut nullus unquam viventium, cujuscunque ſit dignitatis vel ordinis, contra hanc noſtram confirmationem epiſcopatus venire audeat, vel contra te tuosque ſucceſſores ob hoc agere; neque liceat ei de omnibus, quæ nunc habet vel habiturus eſt prælibatus epiſcopus, vi, fraude aut iniqua calliditate aliquid abradere, vel te tuosque ſucceſſores de his omnibus inquietare aliquo modo, ita ſane ut ſingulis quibusque indictionibus ſub nomine penſionis equum unum album nobis noſtrisque ſucceſſoribus perſolvat, cum ſella conveniente Romano Pontifici. Si forte quod non optamus aliquis ſuperbus & arrogans temerario auſu contra hanc noſtræ præceptionis feriem piea nobis promulgatam venire aut agere tentaverit, ſciat ſe Domini noſtri & Apoſtolorum Principis Petri, cui oblatus eſt, a jam dicto Chriſtianiſſimo Imperatore Epiſcopatus cum ſuis pertinentiis & cujus ſuffragium & judicium per nos noſtrosque ſucceſſores expectat, anathematis vinculo innodatum & cum diabolo & cum ejus atrociſſimis pompis atque cum Juda traditore Domini & Salvatoris noſtri æterno igni concremandum.

Qui vero pio intuitu curator & obſervator hujus noſtræ ſalutiferæ præceptionis extiterit, benedictionis gratiam & cœleſtis retributionis gaudia a juſtiſſimo judice Domino conſequatur.

Scriptum per manus Raphonis Notarii regionarii & ſcrinarii ſanctæ Romanæ Eccleſiæ.

Item privilegia Benedicti Papæ ut ſupra.

LXXVIII.

Benedictus ſervus ſervorum Dei dilectiſſimo ſibi in Chriſto ſemper Domino & ſereniſſimo Regi H. a Deo coronato ſuoque ſpiritali filio E. quoque confratri & epiſcopo ſuo ſanctæ videlicet Babebergenſis eccleſiæ venerabili Epiſcopo æternam in Domino ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Inter omnia, quæ divino providentiæ conſilio diſponuntur, ad laudem reſpicit creatoris quando & a ſummis viris Deoque devotis intuitu pietatis & ſpe externæ retributionis venerabilia loca eorum ſumptibus ſublimantur rectiſſimeque ordinantur, poſſeſſionum ſuarum beneficiis cumulantur & in meliorem ſtatum Chriſto auxiliante committuntur. Unde, dilectiſſime fili, quia in omnibus, quæ te ad laudem & gloriam redemtoris noſtri devote & miſericorditer feciſſe manifeſtum eſt, nichil perfectius nichilque melius ad promerendum cœlorum regnum agere potuiſti, quam quod illum tuum feciſti heredem, a quo æternam accepturus hereditatem es, quodque ſancta Babebergenſis eccleſia ad epiſcopalis dignitatis faſtigium per te ſublimata, illic tibi beatiſſimam Dei genetricem ſemperque virginem Mariam beatiſſimosque Chriſti Apoſtolos Petrum & Paulum una cum ſanctis martyribus Ceorio & Kiliano elegiſti in Patrocinium, qui Chriſto propicio compenſata viciſſitudine adipiſcendi regni cœleſtis perpetuum præſtabit auxilium. Pro tanto

tanto igitur Deo ejusque sanctis collato servitio in primis ipsi gratias debitasque laudes referimus, qui tibi tam sanctum opus inspiravit faciendum, & ut ad votum tuum perficeres largiflua pietate adjuvare disposuit. Deinde quoniam sancta Romana ecclesia, quæ bene fundata est supra firmam petram, hoc semper habuit veræ caritatis indicium, ut de exteriorum gaudeat provectu ecclesiarum, competit nostro apostolico moderamini, ut nos, qui eidem Deo auctore servimus, sancto studio tuo plenissime congaudeamus, sperantes tui operis habere portionem, si, quid tuum est per laborem, nostrum facimus per caritatem. Quapropter quoniam petisti a nobis una cum confratre nostro E. ejusdem sanctæ Babebergensis ecclesiæ digno Episcopo, ut omnia quæ privilegiorum auctoritate sibi suæque ecclesiæ a prædecessoribus nostris videlicet Domino Johanne & Sergio summis Pontificibus collata sunt, nostræ quoque auctoritatis privilegio confirmaremus; considerantes nos quidem nostræ devotionis affectum piæque voluntatis propositum, libentissime petitionibus vestris assensum præbere decrevimus. Quocirca statuentes atque promulgantes, coram Deo & terribili ejus futuro examine, per hujus nostri apostolici privilegii seriem & constitutionem sancimus & beatæ Dei genetricis semperque virginis Mariæ nec non & beatorum apostolorum Petri & Pauli Sanctorumque martyrum Georii & Kiliani cæterorumque omnium Sanctorum auctoritate, in quorum nomine prænominata ecclesia dedicata est, decernimus atque obtestamur tam apostolicæ sedis futuros pontifices quam qui ecclesiasticas amministraverunt actiones, cunctosque Christianitatis titulo insignitos, ut nullus habeat licentiam de his omnibus, quæ eidem ecclesiæ a prædecessoribus nostris per privilegia concessa sunt, vel a vobis data vel danda sunt aut ab aliquibus fidelibus viris ac mulieribus præfatæ ecclesiæ tradita sunt vel in antea futuris temporibus contradentur tam in familiis, quam in terris seu in aliquibus possessionibus, convellendi, destruendi, molestandi, vel alienandi. Si quis vero, quod non credimus, temerario ausu contra ea quæ hac nostra stabili & inconvulsa firmitate pie & fideliter per hoc nostrum privilegium disposita sunt, contra ire temptaverit & hæc quæ a nobis ad laudem Dei pro stabilitate præscriptæ ecclesiæ statuta sunt refragari & in quoquam transgredi, sciat se auctoritate beati Petri Principis Apostolorum omnium nostraque, cujus immeriti vicem agimus, anathematis vinculis innodatum & cum diabolo ejusque atrocissimis Pompis atque cum Juda traditore Domini nostri Jesu Christi æterni incendii supplicio concremandum, nisi resipuerit, & eidem ecclesiæ digna emendatione satisfecerit. At vero qui devota intentione observator in omnibus extiterit hujus nostri apostolici privilegii, ad cultum Dei respicientis, benedictionis gratiam a misericordissimo Deo nostro & Domino multipliciter consequatur, & vitæ æternæ particeps effici mereatur. Sancta Trinitas caritatem vestram illibatam custodiat, dilectissime frater. Scriptum per manum Berardi scrinarii sanctæ Romanæ ecclesiæ in mense Julio Indictione XI. Dat. XII. Kal. Feb. per manum Benedicti Portuensis Episcopi & Bibliothecarii sanctæ Romanæ ecclesiæ anno Deo propicio Pontificatus Domini nostri B. summi Pontificis & universalis octavi Papæ primo in mense supra dicto.

LXXIX.

Item Privilegium Johannis Papæ de confirmatione Babebergensis Episcopi.

Johannes Episcopus servus servorum Dei. Officii nostri est omnium sanctarum Dei ecclesiarum commoda generaliter considerare & maxime earum, quæ specialiter sub jure ac dominio nostræ Romanæ ecclesiæ consistunt, siquid est incommodum abolere, ne pro gravi incommoditate sua neglectæ vilescant, vel nacta qualibet occasione debita solennitate careant. Propterea omnibus sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus præsentibus scilicet ac futuris notum esse volumus, quia dilectus ac spiritalis filius noster H. gloriosissimus atque invictissimus Rex, divina inspirante clementia, de propriis hereditariis rebus pro sua suorumq; parentum anima episcopatum in loco, qui dicitur Babenberc, quem ipse fidei & caritatis devotione in honorem beatissimi Petri Apostolorum Principis esse constituit, commutatione facta jure ac legaliter cum H. Wirzeburgensi episcopo de aliqua parte parochiæ sui episcopatus, unde & prædictus Episcopus suas litteras misit, ut suo consensu privilegio nostræ Apostolicæ auctoritatis Episcopatus noviter factus fundaretur. Pro qua ratione H. secundus gloriosissimus Rex nuncios suos ad nos direxit, qui nobis hæc omnia dicerent, & nos pro hac sede confirmanda interpellarent. Cujus sanctissimam intimationem paterna & præcordiali dilectione intuentes, omnes res, quas beato Petro Apostolorum Principi in loco prænominato legitima ratione collectas contulit, nostræ auctoritatis privilegio confirmare decernimus, ea videlicet ratione, ut Episcopus ejus loci & qui in perpetuum sui fuerint successores, eas secura tranquillitate possideant, & liberam habeant potestatem res & proprietates ejusdem ecclesiæ ordinare atque componere vel & augmentare. Dissipare vero atque confundere nullam habeant potestatem. Nostra quoque auctoritate sancimus, uti in terminis & in rebus ejusdem ecclesiæ nulla sit infestatio tirannorum vel aliorum quorumlibet pravorum hominum sive sunt in civitate ipsa Babeberc sive in castellis; & villis, servis & ancillis, tributariis, decimis, forestibus, silvis, venationibus, piscationibus, molend. camp. pratis, pascuis, terris cultis & incultis & quicquid modo illuc pertinet aut in futurum acquiri possit per nostræ auctoritatis privilegium corroboratum in secura quiete permaneat. Nullus ibi Comes aut judex legem facere præsumat, nisi quam per concessionem gloriosissimi Regis H. vel successorum suorum Episcopus ejus

Digitized by Google

ejus loci deliberet. Nulla aliena potestas ibi per violentiam irruat. Sit ille Episcopatus liber & ab omni extranea potestate securus Romano tantummodo mundiburdio subditus, quatenus Episcopus eo melius cum canonicis suis servitio Dei possit insistere, & primi constructoris ejusdem ecclesiæ & recuperatoris jugiter memoriam habere. Sit tamen idem Episcopus suo metropolitano Archiepiscopo Moguncienſi subjectus atque obediens. Quicunque hæc præcepta servaverit, divinam remunerationem & apostolicam benedictionem accipiat: Qui autem contemptor & violator extiterit perpetui anathematis dampnationi subjaceat, nisi resipiscens ad satisfactionem perveniat.

Scriptum per manus Petri Notarii & scrinarii sanctæ Romanæ ecclesiæ in mense Junio Ind. V.

LXXX.

Benedictus Episcopus servus servorum Dei dilectissimo in Domino spiritali filio H. invictissimo ac triumphatori Augusto.

Quamquam rei commutatio ex ipsa corporali traditione possit firma consistere vel ea quæ legaliter geruntur nulla valeant refragratione convelli, ne quæ tamen possit esse contradendi dubietas, nostræ debet intervenire autoritatis annisus. Et quoniam curtes tres cum omnibus earum pertinentiis, servos denique & ancillas, colonos cum colonabus utriusque sexus ibidem residentibus, sic hactenus nostra apostolica sedes detinuit in jure sanctæ Romanæ, cui Deo auctore deservimus, ecclesiæ, caritas nostra poscit & desiderat commutare; ad cujus vicem recompensationis recepimus nos a vobis in sanctam nostram Romanam ecclesiam, dilecte fili H. Imperator Auguste, curtem regalem, quæ dicitur N. cum omni sua pertinentia, constituta infra Comitatum Spolitanum, quæ ad vestrum videtur pertinere imperium, vobis in perpetuum jam dictas tres curtes tradimus atque commutamus, ut a præsenti die illas habeatis, teneatis, possideatis, & in vestrum jus & dominium perpetualiter vindicetis, ita ut nullus unquam nostrorum successorum pontificii vel quælibet alia magna vel parva persona ipsas tres prædictas curtes cum omnibus earum pertinentiis a potestate & ditione vestra auferre vel alienare audeat: sed liceat vos in perpetuum omni tempore a nostra sancta Romana ecclesia receptas tenere & possidere. Quod si quis hoc nostrum Apostolicum præceptum, quod non credimus, infringere tenptaverit, sciat se vobis compositurum auri purissimi libras centum & hanc commutationum paginam in sua manere firmitate perpetualiter.

LXXXI.

In N.S. & Ind. T. H. D. F. Cl. R. I. A. Noverit omnium sanctæ Dei ecclesiæ fidelium tam præsens ætas quam & successura posteritas, qualiter nos apostolici patris ordinatorisque nostri Benedicti peticione in ipsa ordinationis nostræ die quoddam concambium apud suam sanctam Romanam ecclesiam pari consilio utrobique collaudavimus. Donantes igitur sanctæ præfatæ ecclesiæ in honore apostolorum Petri & Pauli constructæ quoddam nostri juris prædium Ternia dictum, in Ducatu Spoletano & in Comitatu Harnensi situm, contra tale prædium quale Sanctus Petrus habuit in loco Winneringen dictum, in pago Hismigowe, & in Comitatu Chadelhohi Comitis, cum his locis N. & N. dictis & cum omnibus eorum pertinentiis & utilitatibus, eo videlicet tenore commutationis, quatinus idem præscriptus Sancti Petri vicarius ejusque successores idem prædium Ternia dictum habeant, teneant, & ad usum sanctæ Romanæ ecclesiæ firmiter possideant. De contra vero datis prædiis N. & N. & N. se ulterius non intromittant. Igitur fidelium nostrorum omnium communi consensu confirmato concambio, noverit omnium Dei fidelium universitas, qualiter tam pro senioris & antecessoris nostri O. tertii Imperatoris, quam pro nostro parentumque nostrorum remedio eadem sæpe dicta loca ad stipendium canonicorum Babeberc in cœnobio sancti Petri sanctique Georgii degentium per hanc imperialem nostræ traditionis paginam concedimus, donamus, atque proprietamus, cum omnibus eorum pertinentiis & utilitatibus, omni contradictione remota. Præcipimus igitur, ut neque Imperator, neque Dux, neque Comes, neque Episcopus, neque magna vel parva persona caros in Christo Babebergenses fratres nostros in præfatis prædiis inquiete molestare, disvestire, sive eadem loca commutare, nisi communi fratrum consilio, præsumat. Si quis vero hanc nostræ donationis paginam violare, quod absit, præsumat, cum Juda traditore indigestibilis bucellæ gustum sumat. Quod ne fiat, sed hæc nostra traditio stabilis & inconvulsa permaneat, hanc Kartam inde conscribi manu propria roborantes sigilli nostri impressione insigniri jussimus.

LXXXII.

Beatissimo Domino & sincera caritate diligendo H. sanctæ Wirzburgensis ecclesiæ venerabili Episcopo Johannes sanctæ Aquileigensis patriarcha cum omnibus suæ dioceseos episcopis fraternam dilectionem in eo qui prior dilexit nos & tradidit semetipsum pro nobis Jesu Christo Domino nostro. Licet, reverende frater, fraternæ dilectionis cura nos admoneat, ut in omnibus operibus bonis, quæ conditor humani generis misericorditer ad salutem cottidie disponit, inmensas gratiarum actiones ipsi agere debeamus quandocunque tamen vel ubicunque ex provectu sanctæ ecclesiæ vel ejus exaltatione, locatione aliquid nos magnifici operis audire contigerit, inmensæ devotionis affectu illum laudare & benedicere & prædicare debemus, cujus hæc dona sunt, & a quo bona cuncta ineffabiliter procedunt. Quare inter innumerabilia sempiternæ dignationis sacramenta ea & in suorum cordibus principum dictat, quæ ad multorum salutem & exemplum profutura procurat, in quibus unum est, quod divinitus nuper factum maximam mentibus nostris

Digitized by Google

nostris lætitiam generavit. Audivimus nempe, quid Dominus noster H. gloriosissimus & invictissimus Rex divina sic inspirante gratia ex suis prædiis & paterna hereditate in loco qui dicitur Babeberc Episcopatum in honore beatissimi Petri Apostolorum Principis construxit & commutatione facta digne & legaliter cum vestra ecclesia partem quandam ex ejus diocesi acquisivit, atque hoc concambium apostolicæ sedis privilegio corroboravit. Quod quidem eximium & laudabile opus ejus dignissimam liberalitatem & vestram caritatem satis egregie laudabilem commendat, cum & suum est per operationem & vestrum per dilectionem. In quo omnipotenti Deo immensas gratias referimus, ad cujus inæstimabilem gloriam spectat, quod per Regem nostrum H. bonum & fidelem ministrum suum fundatissimam pacem omnibus ecclesiis parat & insuper novam ecclesiam format, per quam & de inimico humani generis in vicinas Sclavorum gentes Deo opitulante triumphabit & innumerabilem familiam per lavacrum regenerationis sibi multiplicabit. Nos autem cum omnibus nostræ dioeceseos episcopis hoc divinum opus in commune laudamus atque in eo juste consentientes & subter conscribentes in perpetuum valere confirmamus.

LXXXIII.

Eberhardus Dei favente clementia primus S. Dei Babebergensis ecclesiæ Episcopus cunctis in Christo fidelibus. Gratia vobis & pax a Domino nostro Jesu Christo. Notum sit omnibus, videlicet tam futuris quam præsentibus, qualiter nos post receptam investituram a Domina N. prædiorum Vraha & Henni, quibus Dominus noster beatæ memoriæ H. imperator a Chunrado Comite primum investitus, ipse ecclesiam nostram investivit, eandem curtem Vraha cum omnibus appendiciis suis sitis in altera parte Ratenze, terra scilicet & terminis Francorum, servis, ancillis, areis, terris cultis & incultis, rutis & erutis, pratis, pascuis, molis, molendinis, aquis aquarumve decursibus, piscationibus, viis & inviis, exitibus, & reditibus, & cum omnibus utensilibus ejus, quæ vel ad præsens in eodem sunt vel humano labore & arte quoquo modo inde provenire in sempiternum poterunt, communi consilio fidelium nostrorum clericorum videlicet & Laicorum ad stipendium fratrum nostrorum terminavimus, & de nostro jure in eorum jus & communem utilitatem omni remota ambiguitate transfundimus, ea lege & ratione, ut post obitum Dominæ N. fratres nostri Henni reddant & - - - - suum recipiant, deque Vraha & omnibus ad idem prædium pertinentibus, quæ in altera parte Ratenze, in terra videlicet & terminis Francorum sita esse noscuntur, liberam habeant potestatem tenendi, possidendi, commutandi, utilitatem suam meliorandi. Et quia idem prædium silvis non habundat, concessimus & ut absque omni contradictione ad suum dominicalem usum, videl. ad construendum pontem & ad restauranda ædificia, ad reficiendas molendinas vel ad quodlibet opus in eodem prædio faciendum, ipsi ligna & materiamina in nostra foresti licentia accipiant, & apibus ponendis capsulas & ibidem saginare porcos suos, tantum dominicales liberam habeant potestatem & omnino omnem utilitatem, excepta venatione; piscationem etiam tam in lacis, quam in profluente cunctaque parte fluvii communiter nobiscum habeant. Incolæ autem ejusdem prædii singulis annis modium avenæ vel emmam, id est, dimidium modium siliginis ad manum nostram & successorum nostrorum persolvant, & sicut nostri dominicales servi cædendi ligna licentiam habeant. Et ut hæc nostræ benivolentiæ tradicio per omnes successores nostros rata & inconvulsa permaneat, hanc paginam inde conscribi testium subscriptorum astipulatione & sigilli nostri impressione jussimus insigniri.

LXXXIV.

In N. S. & Ind. Tr. H. D. F. C. R. Omnium Christi nostrique fidelium universitatem scire volumus, qualiter fidelis noster C. Babebergensis videlicet Episcopus, celsitudinem nostram adiit, humiliter obsecrans, ut inter cætera ecclesiæ suæ bona sibi ab antecessore nostro H. imperatore gloriosissimo præceptorum tradicionibus donata, Abbatiam Ehizinga nominatam sitam in pago N. in comitatu N. nostræ & auctoritatis restauratione confirmaremus. Nos ergo quoniam, ubicunque prædecessorum nostrorum tradiciones stabilimus, nostras quoque donationes eo solidiores in posterum esse putamus, peticioni ejus rationabili ac justæ assensum præbentes, Abbatiam eandem cum omnibus appendiciis suis magnis seu parvis ac cum omni utilitate quæ vel scripta vel nominata inde provenire possit, sicut ab antecessore nostro ad ecclesiam & altare S. Petri Apostoli tradita est, eidem prænominato Episcopo successoribusque ejus in proprium ac perpetuum usum confirmatione solidissima donamus atque confirmamus. Et ut hæc nostræ auctoritatis confirmatio stabilis & inconvulsa permaneat, eadem manu propria roborantes sigilli nostri impressione insigniri jussimus.

LXXXV.

In N. S. & Ind. Trin. H. Dei Grat. Romanorum Imperator Augustus. Nostri antecessores, Reges videlicet & Imperatores, bonorum suorum incrementis ecclesias Dei ditantes nobis exempla præbuerunt, quibus si obtemperamus, particeps regni cœlestis effici speramus.

Proinde noverit omnium Dei nostrique fidelium tam præsens ætas quam & successura posteritas, qualiter nos, pro animæ nostræ remedio, omnia prædia ad curtem Vraha pertinentia atque servientia, Bawaricis legibus subdita, forestem scilicet inter N. & N. fluvios sitam & villas N. terras cultas & incultas cæteraque omnia quibuscunque usibus ad præsentem curtem perspicientia in pago N. & in comitatu N. Comitis constituta, sanctæ Babebergensi ecclesiæ proprietavimus, ea videl. conditione, quatenus

quatenus ejuſdem eccleſiæ venerabilis Epiſcopus E. ſucceſſoresque ſui liberam dehinc poteſtatem teneant poſſidendi, commutandi ſeu quicquid ſibi libet, modis omnibus inde faciendi, omnium remoto contradictionis obſtaculo. Et ut hæc noſtræ imperialis tradicionis auctoritas ſtabilis & inconvulſa permaneat, hanc præceptalem paginam inde conſcriptam manu propria roborantes ſigilli noſtri imp. inſigniri juſſimus.

LXXXVI.

Notum ſit omnibus Chriſti fidelibus tam futuris, quam præſentibus, qualiter ego E. primus ſanctæ Babebergenſis eccleſiæ Deo annuente Epiſcopus quoddam bonum N. dictum cum ſuis pertinentiis, ſumptum de ſtipendio fratrum inibi Deo ſervientium, Comiti N. communi conſilio tam cleri quam populi in precariam & uſum fructuarium conceſſimus, ſitum in pago N. in comitatu N. recipientes ab eo quoddam prædium N. dictum cum omnibus utenſilibus ſuis, ea videl. ratione, ut prænominatus Comes & uxor ejus & filius illius præfatum bonum ipſis quidem tribus viventibus omni remota contradictione libere obtinerent; morientibus vero tribus illis, prænominata bona in uſum & proprietatem prædictorum fratrum libere & abſque contradictione redirent. Iſti ſunt teſtes qui aderant N. & N. Ego E. primus ſanctæ Babebergenſis eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi. Scripta XVI. Kl. Decemb. Anno D. incarnat. MXX. Ind. I. Anno autem Epiſcopii XVIII. Actum Aterſe in Dei nomine feliciter Amen.

LXXXVII.

Privilegium Clementis Papæ qui & Swiedertus ſecundi Babebergenſis Epiſcopi.

Clemens Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ſacratiſſimæ noſtræ Babebergenſi eccleſiæ in filiis & filiabus ejus Clero videlicet ac populo perpetuam in Domino ſalutem.

Diſpenſatio ſeculorum venit de Principe cœlorum, qui antequam ſecula efficerentur, præſcivit, qualiter diſponerentur. Inde fit, ut non poſſit non impleri, quid ab æterno illius oculo potuit provideri. Tanti numinis nutus, te ſuam cariſſimam filiam Babeberc nobis in ſponſam legitimam deſponſavit, & ante reges, quantum in nobis fuit, ſua propiciatione donavit. Certe nulli marito circa uxorem purior fides & amor ardentior, quam circa te; nobis nec unquam vel in mentem venit, te deſtituere & alii adhærere. Sed neſcio quo divinitus conſilio evenit, quo matri tuæ omniumque eccleſiarum conſociarer & aliquid non tamen omnino a te ſepararer. Ecce igitur cum illud caput mundi, illa Romana ſedes hæretico morbo laboraret & Kariſſimi filii noſtri Domini H. Imperatoris Auguſti præſentia ad hoc invigilaret, ad hoc inſtaret, ut hujuſmodi ægritudinem propulſaret, exploſis tribus illis, quibus idem nomen Papatus rapina dederat, inter tot agmina ſanctorum, qui aderant, patrum, dignatione cæleſtis gratiæ noſtram indigniſſimam mediocritatem cunctis niſibus refragantem voluit eligi & altiſſimi apoſtolorum principis vice fungi. Avulſum me tunc a tuo gratiſſimo latere, dulciſſima ſponſa, quis dolor apprehenderit, quis mœror confecerit, quo neſcio pacto liceat exprimi, cum nobis omnem modum videtur transgredi. Plus honoris, plus decoris, plusque virium matri quam filiæ, utpote cui omne genu terreſtrium flectitur; pro cujus arbitrio cœli janua aperitur & clauditur; adverſus quam nec portæ prævalent inferorum: non tamen tantæ dominationis cupido oſtio noſtræ mentis irrepſit, cordisque cervicem libenter inflexit.

Satis nobis erat tecum activam * bene, contemplativam quoquomodo ducebamus vitam, præſertim cum perfectus amor nec ſpeciem alterius unquam, nec intueatur opulentiam. Teſtem invocamus aciem divinam, non commentari nos apologiam. Illa enim ſecreta cordis rimatur, cui nulla nox obtenebratur. Pro teſte quoque utimur ipſa conſcientia, ubi tua eſt ſollicitudo continua. Interiorem pupillam nunc tanta terrarum ſpacioſitas, nunc tot retundunt oppoſita, quin amicam meam, ſororem meam, ſponſam meam, columbam meam, diligentiori cura circumſpiciam & undique munitam faciam. Conceſſum eſt nobis divinitus non ex noſtris meritis, ut jam diximus, jus illud apoſtolicum, quod & cœlis imperat & terris. Unde dignum duximus & accommodum decrevimus, ut de profectu noſtro tu quoque proficias, & inde tibi amplius conſulatur unde ipſa poteſtas nobis ampliatur. Piæ recordationis Dominus H. Imperator Auguſtus te fundavit, te erexit, te & in altum culmen evexit: Quo ſupplice, inexpugnabili muro & propugnaculis apoſtolici muniminis adverſus omnes impias manus prævalentes bene circumvallata es per prædeceſſores noſtros Johannem ſcilicet XIIII. Papam & Benedictum. Quod & idem nos facere cupientes, ut triplici tuicione circumcincta per virtutem ſanctæ trinitatis nihil unquam paveas læſionis, nihil unquam ab aliquo moleſtationis, ſecura ſemper & quieta maneas in filiis & filiabus tuis, ſemper Deo devote ſerviens, devote obediens; ſtatuimus per hoc noſtrum apoſtolicum privilegium, ut de bonis illis omnibus, quæ tibi, ſponſa cariſſima, virgo caſtiſſima, eccleſia ſpecioſiſſima, Babenberc ſumma liberalitas ejuſdem orthodoxi imperatoris de ſumma devotione præcedens pio affectu contulit, & nominetenus illa per concambium convenientiſſimum & acceptiſſimum a Wirzeburgenſi & Eigiſtetenſi Epiſcopis Canonico & rationabili judicio permutavit, vel quorumcunque poſt eum fidelium religioſa pietas obtulit & oblatura eſt usque in perpetuum, ſive ſunt mobilia ſive immobilia, nullus Imperator, nullus Rex, Dux, Marchio, Vice-Comes & præterea non Archiepiſcopus, non Epiſcopus, non Abbas nec ulla hominum perſona audeat, tentet, præſumat, quicquam vel violentia vel fraude vel furto detrahere, minuere, mutilare. Quod ſi quis Diabolico

lico inſtinctu pulſatus, crudeli temeritate admittere non perhorruerit, & admiſſum citius emendare neglexerit, hujuſmodi hominem, quicunque ſit, de communione ſacroſancti ſanguinis & corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti & a participio totius Chriſtianitatis non ſolum excludimus, ſed & propulſamus. Quin & apoſtolici anathematis acutiſſima lancea eum transverberamus, ut pro malefactis male perditus mortem gemat æternam, aſſociatus in gehenna inferioris inferni Dæmonum Principi mortis inventori, & Judæ ſacrilego & proditori, undique circumcinctis draconibus tartareis in ultionem ſevientibus, nec in ultimo tremendi Dei judicio ad vitam reſurgat, ſed crudeliſſimum corpus reſumens duplici contritione conteratur, infeliciſſimo & miſerrimo vivendi genere mortem quærens & non inveniens. Qui vero pio intuitu proprias manus ab hujuſmodi temeritate ſubtraxerit, & ſi ita res exegerit, adverſum omnes inſurgentes & quicquam auferre conantes ea bona defenderit ad tuum tuorumque opus, ſanctiſſima Babenberc, illa ſcilicet, ut prædictum eſt, quæ tibi collata ſunt vel de cætero in æternum tibi conferenda ſunt; talis ab illo benedicatur, qui ſuper cherubin ſedet & gloriatur, pro eo quod hoc noſtræ auctoritatis privilegium ſtuduit obſervare illæſum ſuoque robore ſolidatum; quod nimirum conſilio & voluntate nec non alacri promtoque animo chariſſimi filii noſtri jam ſuperius memorati Domini H. Imperatoris Auguſti de noſtra apoſtolica ſede tibi transmiſſimus eidem gratulari. Etenim, ut te plantavit conditor tuus ille primus H. Cæſar Auguſtus, ſic eſt hic ſecundus veſtigia ejus ſequens, ut pari nomine parique dignitate, ſic pari devotione te rigavit, tibi incrementum dedit, & adhuc dum usque vixerit Deo miſerante & inſpirante dabit. In quo te, dulciſſima ſponſa, optamus in ſecula ſeculorum creſcere, pollere, vigere, dicentes bene valete.

LXXXVIII.

In N. S. & Ind. T. H. (Henricus III.) D. F. C. Rex. In examine cuncta Dei conſpicientis æquale meritum credimus fore dantis & corroborantis. Credimus & ad regalem noſtram majeſtatem pertinere totius regni curas, præcipue omnium ſanctarum Dei eccleſiarum commoda conſiderare & omnia eis adverſantia ſub omni feſtinatione abolere, ne vel gravi incommoditate vileſcant, vel qualibet pro culpa noſtra, orta occaſione, a priſtino cultu & religione recedant; quatinus dum hæc pro amore pariterque timore Dei fideliter peragimus, illorum qui hæc pio affectu Deo contulerunt meritis & gloriæ communicemus. Proinde omnibus in Chriſto fidelibus ſcil. tam futuris quam præſentibus notum eſſe volumus, qualiter ob hanc ſpem per interventum dilectiſſimæ matris noſtræ Giſilæ Imperatricis Auguſtæ pro amore & dilecti fideliſque noſtri E. primi ſanctæ Babenbergenſis eccleſiæ Epiſcopi, eundem locum a divo Imperatore H. ſecundo pro ſua ſuorumque anima in epiſcopatum divina inſpirante clementia perfectæ fidei, ſpei, caritatisque devotione, in honore Principis Apoſtolorum Petri & Sancti Georii martiris ſublimatum, conſenſu fidelium noſtrorum ſancimus, & omnium contradictione remota regalis noſtræ majeſtatis auctoritate corroboramus. Omnes & res mobiles & immobiles ejuſdem ſanctæ Dei eccleſiæ, quas ipſe divinus Imperator pro ardore cæleſtis patriæ ibidem larga manu contulit, ea ratione confirmamus, ut fidelis noſter E. ejuſdem loci primus Epiſcopus ejusque in perpetuum ſucceſſores ſecura eas tranquillitate poſſideant, & liberam poteſtatem habeant, res & proprietates ejuſdem eccleſiæ cum conſenſu cleri & populi ordinare, componere, commutare, & augmentare. Noſtra quoque auctoritate ſancimus, ut in abbatiis, monaſteriis, comitatibus, foris, mercatis, monetis, naulis, theloneis, caſtellis, villis, vicis, areis, ſervis, ancillis, tributariis, decimis, foreſtibus, ſilvis, venationibus, piſcationibus, molis, molendinis, aquis aquarumve decurſibus, campis, pratis, paſcuis, terris cultis & incultis, libris, argento, auro, gemmis, vaſis, ornamentis vel aliquibus utenſilibus in cultum & religionem Dei ibidem collatis, & omnibus terminis rebusque ejuſdem eccleſiæ ac quicquid ad præſens illuc pertinet, vel ex his amplificari poteſt, nulla ſit infeſtatio tyrannorum, nulla poteſtas ibi per violentiam irruat, nullus ibi Comes aut judex legem facere præſumat præter epiſcopum ejuſdem loci, omnis poſſeſſio Deo famulantium ibi pro emunitate habeatur. Sit ille Epiſcopatus liber & ab omni extranea & iniqua ſecurus poteſtate, quatenus ibidem Deo famulantes & primi conſtructoris memoriam digne celebrare, nos quoque fautores & corroboratores poſſint & velint Deo præcibus ſuis commendare. Et ut hæc noſtræ auctoritatis traditio firma & inconvulſa permaneat, hoc privilegium inde conſcriptum manu propria corroborantes, ſigilli noſtri impreſſione juſſimus inſigniri. Theodoricus Cancellarius vice Bardonis Archicancellarii recognovi. Dat. VI. Id. Julii, Anno Dominicæ inc. MXXXVIII. Ind. VII. Anno autem Domini H. tercii Regis ordinationis XII. Regni autem I. Actum Moguntiæ feliciter Amen.

LXXXIX.

Benedictus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Cunigundæ venerabili Abbatiſſæ æternam in Domino ſalutem. Convenit apoſtolico moderamini pia religione pollentibus benivola compaſſione ſuccurrere & poſcentium animis alacri devotione præbere aſſenſum. Ex hoc enim luci potiſſimum præmium apud conditorem omnium dominum promeremur, ſi venerabilia loca ſanctorum oportune ordinata ad meliorem ſtatum fuerint perducta. Et ideo quia poſtulatis a nobis, quatenus apoſtolica autoritate concederemus & confirmaremus vobis & eis, quæ vobis in perpetuum ſuccedere debent, monaſterium in honore S. Mariæ & ſancti Andreæ, ſitum in loco qui vocatur Goſſia, in

Digitized by Google

in comitatu Liubana a bonæ memoriæ Aribone & Adala conjuge sua incœptum, & a filio eorum Aribone venerabili Diacono perfectum & in libertate dilectissimi filii H. Imperatoris commissum: inclinati precibus vestris & præcipue deprecatione dicti imperatoris & interventu ejusdem Aribonis venerabilis Diaconi perfectoris ejusdem loci concedimus & confirmamus vobis & eis, quæ vobis succedere debent in perpetuum, dictum monasterium cum omnibus pertinenciis suis & integritatibus, quæ quoquomodo habet vel habiturum est in perpetuum. Ita sane ut singulis quibusque indictionibus pensionis nomine unus aureus solidus sanctæ Romanæ ecclesiæ persolvatur. Statuentes igitur apostolica autoritate censemus, ut nulli umquam mortalium liceat contra tenorem hujus nostri privilegii insurgere usurpando & invadendo aliquid de possessionibus monasterii vel de rebus ecclesiasticis sive de hoc quod modo habet, vel habiturum est in perpetuum, seu inquietando vos posterasque vestras. Si quis, quod non optamus, nefario ausu hoc nostrum privilegium pie a nobis promulgatum in quoquam perfringere aut evacuare tentaverit, iram Dei incurrat & Principis Apostolorum atque cum Juda traditore Domino in inferiori gehenna damnetur. Qui vero pio intuitu custos & observator hujus nostri privilegii extiterit, gratiam Dei consequatur & apostolorum Principis benedictionem mereatur, atque cum electis in cœlesti tabernaculo in æternum lætetur.

Scriptum per manus Stephani Scrinarii Romanæ ecclesiæ in mense Aprili, Indictione tertia.

XC.

In N.S. & Ind. T. H.D.F.C.R.I.A. Notum sit omnibus sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus præsentibus & futuris, qualiter quidam Juvavensis ecclesiæ Diaconus consanguineus noster atque capellanus, nomine Aribo, cogitans cum transitoriis suis æterna cum terrenis mercari cœlestia, quoddam monasterium puellarum ad regulam sancti Benedicti in honore sanctæ Dei genetricis Mariæ sanctique Andreæ Apostoli, quod matre Adala nomine, patre vero suo Aribone, quamvis a paralysi tacto, ex lege tamen quantum potuit annuente & consentiente, incœpit in loco nomine Cossia, in comitatu Luibana & de prædio suo fundavit atque construxit, & pro sua facultate Deo aspirante perfectum Sanctæ Mariæ sanctique Andreæ ministerio & nomini dedicavit, cum omnibus de sua traditione & aliorum Christi fidelium eo pertinentibus in nostram potestatem libertandi gratia tradidit & suæ hæredumque suorum proprietati ac potestati deinceps in futurum eo tenore abalienavit, quatenus post acceptam nostræ immunitatis cartam prima ejusdem loci Abatissa Cunichundis, soror ejusdem eique eodem ordine successuræ jus legitimum eligendi advocatos, quos sibi necessitas & utilitas dictaverit, eidem monasterio sine omnium contradictione mortalium, salva regia & imperatoria potestate, obtineant. Post obitum vero suum congregatio monasterii per successiones temporum liberam habeat electionem abbatissas regulares juxta decretum Sancti Benedicti omnium contradictione remota substituendi; hoc addito, si quod absit aliqua potestas principalis injuste idem monasterium vel res suas alicui alteri monasterio vel personæ alicui subdere vel in beneficium dare aut in proprietatem donare vel qualicunque ingenio huic proposito abalienare voluerit, protinus prædicti N. heres tam diu in sua potestate retineat, quousque nostro vel successorum nostrorum adjutorio ad statum monasterii, unde contra jus & fas ablatæ fuerant, iterum reducat, & in pristinam libertatem stabilitatemque restituat. Justis igitur prædicti Aribonis peticionibus annuentes, eo quo rogaverat tenore, præfatum monasterium cum monachabus, ibidem in præsens collatis vel in posterum conferendis, in nostram immunitatem recepimus & hæc regia & imperatoria præcepti nostri libertate donatum & perpetuo confirmatum nostræ manus subscriptione roboravimus, & in æternæ memoriæ testimonium sigilli nostri imp. insigniri præcepimus.

XCI.

In N.S. & Ind. T.H.D.F.C.R.I.A. Quæcunque ad sancta loca digna relligione nec non benigna devotione conferimus & per nostram imperialem munificentiam offerimus, pro his certam retributionem in vita æterna nobis affuturam sperare debemus. Quapropter notum esse volumus, omnibus sanctæ Dei ecclesiæ nostrisque fidelibus tam futuris, quam præsentibus, quod nimirum pro remedio animæ nostræ & ob interventum dilectissimæ conjugis nostræ A. Imperatricis, nec non peticionem filii nostri H. Karissimi quarti Regis quoddam prædium in pago N. Foro Julio & in Comitatu N. Comitis situm sanctæ Salzeburgensi ecclesiæ concedimus, donamus, & confirmamus, ea ratione, ut nullus Archiepiscopus, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, nec aliqua magna vel parva nostri regni persona prædictam ecclesiam aliqua injusta occasione de prænominato prædio molestare, disvestire vel aliquo modo sine legali judicio inquietare præsumat. Quicunque vero hanc imperialem nostram tradicionem, quod non credimus, violare præsumserit, centum libras auri optimi componat, medietatem cameræ nostræ imperiali & medietatem qui eo tempore in prænominata ecclesia Episcopus est. Et ut nostræ tradicionis auctoritas stabilis & inconvulsa permaneat, hanc cartam inde conscriptam, manu propria roborantes, sigillo nostro jussimus insigniri.

Signum Domini H. invictissimi Rom. Imperatoris Guntherus Canc. vice Annonis Archicancellarii recognovi. Datum IIII. No. Julii Anno D. Incarnat. MLIII. Ind. VIIII. Anno Domini H. tercii Imp. Regni quidem XVIII. Imperii vero X. Actum Wormaciæ in Dei nomine feliciter Amen.

XCII.

In N.S.&Ind.T.H.Di.F.C.R.I.A. Cum in hujus præsentis vitæ stadio discurrentes, præmium immarcescibile adipisci cupimus & ecclesiarum atque orphanorum, viduarum nec non omnium egenorum inopiam elemosinarum largitate ditare festinamus, quia inde æternam mercedem recipere speramus & pro meritorum qualitate unicuique, prout possumus, digna retribuentes atque in semita justiciæ ita gressus nostros confirmantes, videlicet bonis & nobis fideliter servientibus præmia cumulando, malis autem & Christi nostrique infidelibus pœnas cumulando; Idcirco noverint omnes Christi nostrique fideles tam futuri quam præsentes, qualiter nos pro remedio animæ nostræ & incolumitate ac petitione consortis regni thorique nostri A. imperatricis nec non pro salute & intercessione filii nostri H. quarti Regis atque ob interventum Salzeburgensis episcopi nomine Balduini Deo nobisque fideli, quoddam prædium Pontonis rei majestatis & in Palatino * palatio dampnati atque proscripti, quod nostræ majestati lege adjudicatum est, ad titulum S. Petri & S. Ruodberti, in quorum honore Salzeburgensis ecclesia constructa est, in proprium tradidimus cum omnibus suis appendiciis, hoc est utriusque sexus mancipiis, areis, ædificiis, agris, pratis, pascuis, terris cultis & incultis, aquis aquarumve decursibus, molis, molendinis, piscationibus, silvis, venationibus, exitibus & reditibus, viis & inviis, quæsitis & inquirendis, cum omni utilitate, quæ ullo modo inde pervenire poterit. Et ut hæc nostræ imperialis traditionis auctoritas stabilis & inconvulsa permaneat, hanc cartam inde conscriptam manu propria, ut infra videtur, corroborantes, sigilli nostri impressione jussimus insigniri.

XCIII.

In N.S.&Ind.T.H.D.F.C.R.I.A. Si loca sub catholicæ fidei relligione ad Dei servitium a quibusdam & pie viventibus quondam constructa & quorundam pravorum Christianitati repugnantium populatione devastata ex regiis sumtibus recuperamus, Hoc ad regni nostri stabilitatem ac utriusque vitæ felicitatem nobis prodesse non dubitamus.

Unde quique nostri Christique fideles tam futuri quam præsentes noverint, qualiter nos ob nostram nostrique regni ac thori nostri consortis Agnetis Imperatricis Augustæ ac dilectæ prolis nostræ H. felicitatem & pro patris nostri felicis memoriæ C. ac matris nostræ G. beatæ commemorationis simulque omnium parentum nostrorum beatitudine quoddam prædium ad altare in loco N. in honore S. Dei genetricis Mariæ Sanctorumque martirum consecratum cum omnibus suis appendiciis, sive utriusque sexus mancipiis, exceptis conjugatis de eadem familia, areis, ædificiis, terris cultis & incultis, pratis, pascuis, campis, aquis aquarumve decursibus, piscationibus, silvis, venationibus, molis, molendinis, viis, & inviis, quæsitis & inquirendis, sive cum omni utilitate, quæ ullo modo inde provenire poterit, in proprium tradimus, ea videlicet conditione, ut Præpositus fratrum inibi Deo servientium liberam habeat potestatem possidendi, precariandi, commutandi, vel quicquid illi collibuerit ad utilitatem ecclesiæ faciendi. Et ut hæc tradicio stabilis & inconvulsa omni ævo permaneat, hanc paginam inde conscriptam propria manu confirmantes Sigilli nostri impressione jussimus insigniri. Dat. VIII. Kal. Nov. Ind. IV. Anno Domini incarnat. M.L.I. Anno autem Domini H. tercii Regis, Imperatoris secundi Ordinat. ejus XX. Imperii V. Actum Heimburg feliciter Amen.

XCIV.

In N.S.&Ind.T.H.D.F.C.R.I.A. Scimus ac perfecte cognoscimus sublimationem ecclesiarum provectum parere animarum, quia dum terrenis cœlestia, temporalibus sempiterna comparamus, cœlestem ac sempiternam requiem animabus nostris præparamus. Unde noverint omnes Christi nostrique fideles tam futuri quam præsentes, qualiter illa spe inducti donavimus pro remedio animæ nostræ dilectæque conjugis nostræ scilicet Agnetis, nostræ prolis. H. seu parentum nostrorum pro pace etiam & stabilitate regni decimum mansum rectamque fructuum decimationem totius regionis in finibus Ungarorum gladio ab hostibus acquisitæ in pago Osteriche ad altare S. Mariæ in Heimburch, & tertiam partem utilitatis ullo modo de eadem urbe provenientis cum omnibus pertinenciis, areis, ædificiis, terris cultis & incultis, pratis, pascuis & conpascuis, silvis, venationibus, aquis aquarumve decursibus, piscationibus, molis, molendinis, & cum omnibus quæ ullo modo aut scribi vel appellari possunt utilitatibus, ea videlicet ratione, ut Præpositus fratrum inibi Deo servientium liberam habeat de hinc potestatem possidendi, precariandi, commutandi seu quicquid libet ad utilitatem præfatæ ecclesiæ inde faciendi. Et ut hæc nostræ traditionis auctoritas stabilis & inconvulsa permaneat, hanc cartam inde conscribi, sigilli nostri impressione & propriæ manus confirmatione jussimus insigniri.

XCV.

In N.S. & Ind.T.H.D.F.C.Rex. Divinis & salutaribus sanctarum scripturarum erudimur documentis & patrum nostrorum ammonemur exemplis, ut ecclesias Dei summa devotione ac benignitate ditemus, & omnimodis amplificare & sublimare non cessemus. Proinde noverit omnium Christi nostrique fidelium sollers industria, qualiter nos ob salutare remedium animæ patris nostri H. beatæ memoriæ secundi Romanorum A. & per interventum dilectissimæ matris nostræ Agnetis Imperatricis Augustæ, nec non pro devoto ac fideli servitio Guntheri quinti Babebergensis episcopi, in villa Haderichesbrucca, quæ sita est in pago Nortgowe in Comitatu N. Comitis mercatum fieri statuimus, reddentes & donantes id ipsum mercatum prælibato ejusdem loci Episcopo suisque successoribus perpetuo habendum, possidendum & quicquid libitum fuerit ex

Digitized by Google

ex eo faciendum, ad ecclesiæ supra dictæ usum augmentandum. Sit idem mercatum liberum, judicum, ducum, comitum, omniumque judiciariorum potestatum securum soli tantum Babebergensi Episcopo subditum & proprium cum banno, monetariis, monetis, theloniis, omnibusque forensis juris utensilibus. Nostra autem regali auctoritate confirmamus, ut omnis illo forensis causa negocii confluentes, ibidem negociantes indeque redeuntes, secura & certa pace fruantur. Et ut hæc nostra regalis tradicio stabilis & inconvulsa omni permaneat ævo, hanc cartam inde conscribi, manu propria, ut infra videtur, corroborantes, sigilli nostri impressione jussimus insigniri. Datum XV. Kl. Sept. Anno D. incar. MLII. Ind. X. Anno Domini Henrici IV. Regis Ordin. III.

XCVI.

In N. S. & Ind. Tr. H. D. F. C. Rex. Cum nos sumus conscii undique innumerabilia peccata animæ nostræ periculosa per humanam fragilitatem conglomerasse; ad hæc delenda si templa Dei ex nostris regalibus divitiis honoramus, sanctorum intercessionem nos habituros speramus. Quapropter innotescat omnibus Christicolis nostrisque fidelibus tam nascendis quam modernis, qualiter nos ad monasterium S. P. & S. G. quod est in Babeberc constructum, interpellante videlicet dilecta conjuge nostra B. regina, subvenientibus quoque & consilium dantibus nostro fideli Annone videlicet Coloniensi Archiepiscopo & H. ejusdem sedis episcopo bannum unum quod vulgo Wiltban dicitur, tradidimus. Ne quis autem Rex vel Imperator aut aliqua imperialis persona hanc nostram regalem tradicionem immutare voluerit, quin H. ejusdem sedis Episcopus & sui successores liberam inde habeant potestatem, hanc de hoc conscribi propria manu confirmavimus * & sigilli nostri impressione jussimus signari cartam. Data est IV. Idus Maji, Anno D. inc. MLXX. Ind. VII. Anno autem ordin. Domini H. XVII. regni vero XIIII. Actum Frisingæ feliciter Amen.

XCVII.

In N. S. & Ind. T. H. Dei F. C. R. I. A. Numquam erit tam felix facta commutatio, quam si temporale detur pro æterno. Quod dum verum & saluberrimum cogitavimus, pro cari nostri patris H. Imperatoris Augusti, matrisque nostræ A. Imperatricis, avi quoque aviæque nostræ remedio, pro perpetua corporis animæque nostræ salute, sanctissimo & Principi Apostolorum Petro curtem unam & villam & decimam ad nostram regalem curtem pertinentem, quam in nostra tantum potestate & ad usum nostrum habuimus, cum omnibus appendiciis, hoc est, utriusque sexus mancipiis, areis, ædificiis, pratis, pascuis, terris cultis & incultis, silvis, venationibus, aquis aquarumve decursibus, molis, molendinis, piscationibus, viis & inviis, exitibus & reditibus, quæsitis & inquirendis, & cum omnibus utilitatibus, quæ vel scribi vel nominari possunt, in proprium tradidimus, confirmavimus, ea videl. ratione & constitutione, ut supradictorum carorum nostrorum parentum memoria in vigiliis, Psalmodiis, & omnibus mortuorum agendis, inibi devote celebrentur. hoc quoque statutum est, ut pro animabus eorum, qui in bello publico pro nostri regni honore & defensione corruerunt gladio, cottidie missa una specialis, omni quarta feria in choro a fratribus missa communis, ad omnes horas Psalmus unus decantetur. Cujus tradicionis testem hanc præsentem cartam scribi, nostraque manu, ut infra videtur, corroboratam sigilli nostri impressione jussimus insigniri.

XCVIII.

In N. S. & Ind. T. H. Di. F. C. R. I. A. Omnibus Christi nostrique fidelibus tam futuris quam præsentibus notum fieri volumus, qualiter nos pro Dei timore ejusque piæ genetricis perpetuæ virginis Mariæ & pro cari patris nostri felicis memoriæ H. animæ remedio, matrisque nostræ B. piæ memoriæ parrochiam quandam pro statu imperii nostri & corporis nostri animæque salute ecclesiæ beati Petri tradidimus, ea videl. conditione, ut omni tempore cari patris nostri anniversarius dies ibi devotissime celebretur & sui cottidie memoria habeatur. Ut autem hoc ab omnibus credatur, & omni ævo inviolabile permaneat, hanc cartam inde conscribi & manu propria corroboratam impressione nostri sigilli ut apparet inferius, jussimus insigniri.

XCIX.

Privilegium Leonis Noni.

Leo Episcopus S. S. Deo H. Babebergensis ecclesiæ Episcopo venerabili perpetuam in Domino Jesu Christo salutem. Si pastores ovium solem geluque pro gregis sui custodia die ac nocte ferre contenti sunt & ut ne quæ ex eis aut errando pereat aut ferinis laniata morsibus rapiatur, oculis semper vigilantibus circumspectant; quanto sudore, quantaque debemus pervigiles esse diligentia nos, qui pastores animarum dicimur, adtendamus, & susceptum officium exhibere erga custodiam dominicarum ovium non cessemus, ne in die divini examinis pro desidia nostræ negligentiæ reatus nos excutiet, unde modo honoris reverentia subliniores inter cæteros judicamur. Ad missarum itaque sollennia celebranda fraternitati tuæ pallium transmittimus, quod antecessoribus tuis nunquam ante concessum, modo tibi primo concedimus, rogatu dilectissimi filii nostri imperatoris H. pro veneratione antecessoris tui piæ memoriæ Domini Papæ Clementis & pro memoria H. Imperatoris primi præfatæ ecclesiæ constructoris benignissimi; quo tibi ter in anno uti * permittimus, salva auctoritate dominæ Metropolitanæ Moguntinæ ecclesiæ, scilicet in die sanctæ resurrectionis & in natalitiis apostolorum Petri & Pauli & in sollennitate S. Dionisii, eo quod tunc anniversarius dies celebratur Domini Papæ Clementis supra memorati, hancque diem sanctam apostolica auctoritate statuimus celebrem esse per totum Episcopatum. Cujus quoniam indumenti honor

Digitized by Google

honor honeſta actuum vivacitate ſervandus eſt, hortamur, ut ei morum tuorum ornamenta conveniant, quatenus auctore Deo recte utrobique P. P. poſsis eſſe conſpicuus. Itaque vita tua filiis tuis ſit regula. In ipſa ſi qua tortitudo illis injecta eſt dirigatur, in ea quid imitentur aſpiciant. In ipſa ſemper conſiderando proficiant, ut tuum poſt Deum videatur eſſe quod bene vixerint. Cor ergo tuum neque proſpera, quæ temporaliter blandiuntur, extollant, neque adverſa deiiciant: ſed quicquid illud fuerit, virtute pacientiæ devincatur. Nullum apud te locum odia, nullum favor indiſcretus inveniat. Alitorem te, ut victus patitur, pauperibus exhibeto. Oppreſsis defenſio tua ſubveniat. Opprimentibus moderata erectio contradicat. Nullam faciem contra juſtitiam accipias; nullum quærentem juſta deſpicias: cuſtodia in te æquitatis excellat, ut nec divitem potencia ſua aliquid apud te extra viam ſuadeat rationis audire, nec pauperem de ſe ſua faciat humilitas deſperare, quatenus Deo miſerante talis poſsis exiſtere, qualem ſacra lectio præcipit dicens: Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe. Sed his omnibus ſalubriter uti poteris, ſi magiſtram Karitatem habueris. Quam qui ſecutus fuerit, a recto aliquando tramite non recedit. Ecce, fratrum kariſsime, inter multa alia iſta ſacerdocii, iſta ſunt pallii. Quæ ſi ſtudioſe ſervaveris, quod foris accepiſſe oſtenderis, intus habebis. Sancta Trinitas fraternitatem veſtram gracia ſuæ protectionis circumdet, atque ita in itineris ſui via nos dirigat, ut poſt hujus vitæ amaritudinem ad æternam ſimul pervenire dulcedinem mereamur. Dat. III. Non. Jan. per manum F. Diaconi, ſanctæ Romanæ eccleſiæ Bibliothecarii & Cancellarii & vice Domini H. Archicancellarii & Colonienſis Archiepiſcopi. Anno Domini Leonis Papæ noni IIII. Indict. VI.

C.

Item privilegium Leonis Papæ noni, qui & Bruno, de confirmatione Babebergenſis eccleſiæ.

Leo Epiſcopus ſervus ſervorum Dei H. Babebergenſi Epiſcopo ſibique canonice in ſede ejuſdem epiſcopatus ſucceſſuris in perpetuum æternam in Domino ſalutem. Cum exigente cura paſtorali totius ſanctæ Dei eccleſiæ nobis Dei providentia commiſſæ in partes Germaniæ veniſſemus, quæ orientali Franciæ adjacent, prece dilectiſſimi filii noſtri H. ſecundi Imperatoris & tertii Regis ac ſupra fati dilectiſſimi confratris noſtri Epiſcopi H. Babeberc venimus & in die natali beati Lucæ Evangeliſtæ inter miſſarum ſollennia, dum verbum Dei haberemus ad populum, præſente prænominato kariſſimo filio noſtro H. & Epiſcopis quam plurimis, aſtantibus etiam & laicis & diverſis poteſtatibus ſeculi, relecta ſunt prædeceſſorum noſtrorum privilegia, quibus idem locus fundatus & corroboratus eſt auctoritate Romana ſanctæ ſedis apoſtolicæ. Relecta eſt ibi & conſcriptio & confirmatio H. Wirzeburgenſis epiſcopi, qua prædictam eccleſiam Babebergenſem banno epiſcopali & epiſcopii termino accepta placita commutatione firmavit, quæ ſic acta eſt. Dum enim primus H. in imperio, ſecundus in regno, divini ignis amore ſuccenſus, de prædiis, quæ Dei gratia hereditario jure in ſuæ poſſeſſionis dominium provenerant, Dei ſervitium augere conſtruendo epiſcopatum atque ordinando deſiderans, quo id legitime & rationabiliter potuiſſet, H. venerabilem Wirzheburgenſis eccleſiæ proviſorem, quatenus prædictum locum Babeberc nuncupatum, cum pago, qui Ratenzgowe dicitur, qui ad ſuæ diœceſeos ſtatum pertinere videbatur, de ſuo jure in ſuum jus id ad perficiendum transfunderet, ſtudioſe cœpit flagitare. Qui quoniam juſtæ & rationabiles videbantur cauſæ, ejuſdem invictiſſimi Regis peticionibus acquieſcens, cum communi cleri ſui atque militum nec non totius populi conſilio & conſenſu præfatum locum cum prædicto pago, tribus parrochianis eccleſiis cum ſuis adjacentiis exceptis, quarum nomina ſunt hæc, Wachenrode, Lonerſtat, Mulihuſen, omni poſt modum remota contradictione ſuæ poteſtati tradidit. Alterius autem pagi, qui Volchenfelt nominatur, in quo præfatus locus ſitus eſt, partem eidem regi conceſſit quantum eſt de Babeberc usque ad flumen Vraha, de Vraha in Ratenzam flumen & ſic juxta decurſum ejuſdem fluminis in Moin, & inde ad rivulum Wihiritbach, deinde ad campum ejuſdem rivuli ſicque, qua citiſſime ac proxime perveniri poteſt, ad Vraha. Et ut hæc tradicio firma & inconvulſa permaneret, ipſe præſul H. corroboravit & conſcripſit. Signum H. Epiſcopi Wirzeburgenſis † Hildelmus ejuſdem eccleſiæ Præpoſitus. Fridinus decanus ſubſcripſit. Reinhardus presbyter ſubſcripſit. Azzo Presbyter ſſ. Regilo Presbyter ſſ. Diedo Presbyter ſſ. Gerrich Presbyter ſſ. Albuvinus Presbyter ſſ. Engilhardus Presbyter ſſ. Scripta autem hæc confirmatio eſt anno incarnation. Dominicæ MVIII. Ind. VI. Non. Mai. Actum in civitate Wirzeburch. Qua relicta cum juxta vota omnium, ut ſemper juſtis operibus favorem debemus, & nos prædictum venerabilem locum vellemus corroborare, ipſe prænominatus ejuſdem loci Epiſcopus H. proclamationem ſuam fecit, quia locus ſuus ejuſdem loci a clericis Alberonis Epiſcopi temeraria præſumtione invaſus eſſet. Quod nos quoniam utrique epiſcopi præſentes aderant, inter quos cauſa ſtabat, ibidem volentes diſcutere, A. epiſcopo, a quo injuria illata erat, deliberationem fecimus, ut objectionem hanc, ſi poſſet, refelleret, ſi non juſticiæ ſatisfaceret. Tunc ille inito cum ſuis omnibus, qui aderant, clericis & laicis conſilio regrediens ad ambonem, de illata injuria ſe cum ſatisfactione excuſavit, & de omnibus quæ ad bannum & epiſcopalem juſticiam & poteſtatem Babebergenſis Epiſcopi pertinerent, ex tunc & deinceps renunciavit, exceptis his cauſis quas de bonis utriusque Epiſcopii ipſi inter ſe poſſent Epiſcopi legaliter definire. Verum nos, ſicut ſemper de profectu gaudemus fidelium, & juſtis operibus debemus augmentum, eundem

Digitized by Google

eundem locum Babeberc ab anteceſſoribus noſtris corroboratum apoſtolica autoritate ibidem viva voce corroboravimus, & eandem corroborationem nunc & literis ſignamus, ut eundem locum & omnia quæ ibidem Deo ſanctoque Petro a felicis memoriæ H. ſecundo Rege & primo imperatore tradita ſunt & quæ in poſterum juſte acquiri poſſunt, vel juſte acquiſita, prædia ſunt, mancipia, aurum, argentum, pallia, vaſa, ornamenta, vel aliqua utenſilia, nemo audeat in perpetuum ſubripere, aufferre aut commutare, niſi ad utilitatem ejusdem eccleſiæ, ſed Epiſcopus ejusdem loci vel qui in perpetuum ejusdem canonice fuerint ſucceſſores, ſecura eas in tranquillitate poſſideant, ac liberam habeant poteſtatem, omnes res & proprietates ejusdem loci ordinare atque vel & augmentare; diſſipare vero atque confundere nullam habeant inde poteſtatem aut dominationem. Inſuper noſtra auctoritate ſancimus, ut in terminis ac rebus ejusdem eccleſiæ nulla ſit infeſtatio tyrannorum vel aliorum quorumlibet hominum pravorum, ſive ſint in civitate ipſa Babeberc ſive in caſtellis vel villis, ſervis, ancillis, tributariis, decimis, foreſtis, ſilvis, venationibus, piſcationibus, molendinis, campis, pratis, paſcuis, agris cultis & incultis, aut quicquid modo illuc pertinet aut in futurum juſte acquiri poterit, per noſtræ auctoritatis privilegium corroboratum in ſecura permaneat quiete. Nullus ibi Comes aut judex placitum ſeu diſtrictionem aliquam facere vel tenere audeat, niſi quam per conceſſionem glorioſiſſimi Imperatoris ſecundi H. vel ſucceſſorum ejus Epiſcopus ejusdem loci deliberavit, nulla aliqua dignitas vel poteſtas, magna parvave perſona per violentiam irruat. Sit ille epiſcopatus liber, Romano tamen mundiburdio ſubditus, quatinus epiſcopus liberius & delectabilius cum clericis ſuis ſervitio Dei poſſit inſiſtere & H. primi Imperatoris ejusdem loci venerabilis noſtrique ſcilicet Noni Leonis Papæ ac noſtrorum ſucceſſorum H. quoque Kariſſimi filii noſtri imperatoris ſecundi atque omnium, quibus debitores ſunt, memoriam jugiter habere. Sit idem epiſcopus ſuo metropolitano Epiſcopo Moguntino in canonicis cauſis tantummodo ſubjectus & obediens. Deliberatis igitur, ſancitis ac corroboratis omnibus ſupradictis rebus ejusdem, ſancto placuit loco addendum inſigne honoris eccleſiaſtici a noſtra apoſtolica auctoritate, ducti amore & reverentia Clementis piæ memoriæ noſtri prædeceſſoris, quem Deus miro diſpoſitionis ordine a prælatione hujus loci ad ſanctæ Romanæ catholicæ & apoſtolicæ eccleſiæ apicem dignatus eſt accerſire, & mirabilius e Romanis finibus defunctum corpus ejus reducere volens, hanc eccleſiam, ut æſtimamus, quaſi novam, tanto decoratam eſſe patrono, Romanamque contentam & ſufficientem præteritis & futuris patribus manere ornatam, quin & amore & deſiderio fratrum, qui nos in ſuis recepere eccleſiaſticis ſtipendiis & cottidianis, unum noſtra viciſſitudine regem fratrum * mitras geſtandi licentiam concedimus, ea ſcil. ratione ut ab epiſcopo prævideantur digniores & honeſtiores presbyteri & diaconi, qui bonis moribus vel maturis ætatibus vel in prælationibus ipſius loci emineant, his videlicet diebus. In nativitate Domini & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti & in cœna Domini & in ſabbato ſancto & in die glorioſæ reſurrectionis ejusdem & ſancto pentecoſte & in die ſancti Georii, & in die ſanctorum Petri & Pauli & Aſſumtionis beatiſſimæ Mariæ, & ſancti Dionyſii pro reverentia prælibati noſtri prædeceſſoris Domini Clementis Papæ, cujus anniverſarius dies tunc ab eisdem fratribus agitur, & in anniverſario die Domini H. Imperatoris ejusdem loci venerabilis conſtructoris. His vero concedimus hanc dignitatem, qui tunc ſpecialiter excubant vel deſerviunt apud prædicti prædeceſſoris noſtri ſepulcrum. Contentis his, tantum ſancimus diebus fore nec ultra a quoquam temere uſurpari, ne honor proprius apoſtolicæ ſedis vileſcat. Hæc vero omnia ſupra dicta obſervari ac cuſtodiri in perpetuum noſtra apoſtolica auctoritate decernimus, confirmamus, ac corroboramus. Qui vero, quod abſit, hujus noſtri privilegii temerarius transgreſſor extiterit, Dei & beatiſſimæ Mariæ & beatorum Petri & Pauli omniumque ſanctorum & noſtra maledictione maledicatur, & perpetui anathematis vinculis innodetur, niſi digna ſatisfactione reſipuerit & canonice ſatisfecerit. Qui autem pio corde hujus obſervator privilegii extiterit, Dei omnipotentis & almæ Mariæ & beatorum apoſtolorum Petri & Pauli benedictione ditatus æterni regni particeps fieri mereatur. Data per manus F. Diaconi Bibliothecarii & Cancellarii ſanctæ Romanæ catholicæ & apoſtolicæ eccleſiæ vice Domini H. Colonienſis Archiepiſcopi & Archicancellarii. Anno Dominicæ incarn. MLII. Anno pontificatus Domini L. noni Papæ IIII. VIII. Idus Novemb. Actum Triburi, feliciter Amen.

CI.

In N. S. & Ind. Tr. H. D. F. C. R. I. A. Si voluntati atque petitionibus fidelium noſtrorum aſſenſum præbemus, ad honorem atque utilitatem noſtri regnique id provenire non dubitamus. Quapropter omnium Chriſti noſtrorumque fidelium tam præſentium quam futurorum ſollertem induſtriam ſcire volumus, qualiter ex noſtris fidelibus quidam Argiro dictus per nuncios ſuos noſtram clementiam ſuppliciter petiit, ut in ſepulchro patris ſui felicis memoriæ Iſmahel nominati Babeberc ſito, neminem ab hac re in antea ſepeliri noſtra imperiali auctoritate firmiter interdiceremus. Cujus peticioni condeſcendentes ob interventum noſtri thori ac regni Kariſſimæ conſortis A. Imperatricis Auguſtæ, ac petitione filii noſtri H. ſtatuimus atque noſtra imperiali poteſtate præcipimus, ut in tumulo, in quo prædicti Iſmahel Ducis Apuliæ, qui & Melo vocabatur, oſſa clauduntur, nullus per omne ævum poſt ipſum ponatur, ſeu ſepeliatur. Ad hoc & præcipientes juſſimus modisque omnibus confirmavimus, ne hoc noſtrum imperiale præce-

præceptum aliqua magna seu parva nostri imperii persona infringere aut violare præsumat. Et ut hæc nostra imperialis interdictio stabilis & inconvulsa omni permaneat ævo, hanc paginam inde conscribi, manu propria, ut inferius videtur, corroborantes, sigilli nostri impressione jussimus insigniri. Dat. IIII. Kal. Junii. An. Domin. inc. M. L. IIII. Ind. VII. Anno Domini H. tercii Regis, Imperatoris secundi Ordinat. XXVI. Regni XVI. Imperii VIII.

CII.

In N. S. & Ind. T. H. D. F. C. R. I. A. Justissima ratio est ac relligiosis viris semper familiaris, ut ex nostris copiis in usus ecclesiarum aliquid semper largiamur, inque spem majoris commodi Deo nostro pulchra ab ipso olim beatitudine donandi minora ex suis ipsius donis impendamus. Quare seculis omnibus notum esse volumus, qualiter nos sanctæ Dei ecclesiæ Babebergensi submonentibus fidelibus nostris ab ipso H. ejusdem sedis Episcopo peticionem porrigente prædium quoddam ex nostris reditibus N. dictum in pago N. in Comitatu N. situm in proprium concessimus. Cum autem idem H. Episcopus annuentibus cæteris, id in peticione studiosius adderet, ut ejus allodii rusticis mensuram, quæ ab ipsis N. vocatur, ac pontis apud urbem faciendi murique reficiendi jus remitteremus, nos eorum voluntati libenter acquievimus, cum omni publico jure eidem ecclesiæ Babebergensi suisque rectoribus idem prædium legantes, ut liberam inde tenendi, possidendi, precariandi, commutandi deinceps habeant potestatem. Dedimus autem, ut dare mos est regibus vel imperatoribus, cum omnibus appendiciis, id est, utriusque sexus mancipiis, ædificiis, areis, exitibus & reditibus, agris, quæsitis & inquirendis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, molis, molendinis, piscationibus, vineis, vinetis, ecclesiis, decimis, silvis, venationibus, insuper silva vel foresto & cum omni utilitate, quæ inde ullo modo provenire poterit. Et ut hæc nostra tradicio regalis firma & inconvulsa omni tempore permaneat, hanc cartam inde conscriptam manu propria corroboratam sigilli nostri impressione jussimus insigniri. Dat. VI. Kal. Nov. Anno Domin. inc. MLXXIIII. Ind. VIII. Anno autem Domini ordinationis Domini. H. XVII. Regni vero X. Actum Mersburch f. a.

CIII.

Notum esse volumus universitati Ghristi nostrique fidelium qualiter Dominus A. venerabilis Archiepiscopus serenitatem nostram adiit, petens & postulans, quod ecclesiæ Hammenburgensi, cui ipse pastor & rector præerat, donare vellemus Comitatum quem in Emescowa & Westfale situm N. Comes vir nobilis & nobis genere propinquus regendum utendumque susceperat. Habuit secum adjutores in petendo complures ex principibus, Sifridum Moguntinum, Annonem Coloniensem Archiepiscopos, aliquos & ex Ducibus & Marchionibus; enumeravit suos pro nobis domi forisque labores; extendit perpetuam ejus in nos voluntatem. Et quoniam ipsius N. Comitis ad hanc rem quærendus erat assensus, ipsum vir sapiens precio & precibus adduxit, ut præsens laudator & assensor existeret. Tum nos ipsi Archiepiscopo A. ob merita sua benevolentes, ad hoc peticionibus fidelium nostrorum facile acquiescentes, maxime cum remunerationem nobis speraremus a Domino Salvatore & sanctissima ejus genetrice Maria & sancto Vito martire glorioso, a quibus locus ille evidenter incolitur, Comitatum eundem ipso B. Comite laudante & assensum præbente ecclesiæ Hammenburgensi donavimus & tradidimus. Addidimus & ei, sicut mos est, nostræ auctoritatis scriptum, sigillum ei imprimentes, quod hoc in longum fieret posteritati testimonium. Verum deinde procedente tempore cum novæ in regno perturbationes surgerent dolis & invidia quorundam factum est, ut ecclesia supra memorata eodem Comitatu ad aliquod tempus privaretur. Veniens autem successor ejusdem Domini A. venerabilis Archiepiscopus Liemarus, qui non minus in nostro servicio laboravit, rem nobis in memoriam reduxit, preces adjungens, judicium postulavit, atque id sæpe faciendo tandem effecit, ut in Purificatione sanctæ Mariæ inter ipsa missarum sollennia eundem Comitatum Deo Salvatori & S. M. offerentes, recognosceremus ac in perpetuum redderemus. Factum est in Italia Veronæ in monasterio sancti Zenonis, Erphone Monasteriensi Episcopo atque aliis Episcopis & Principibus compluribus præsentibus, auxiliante Domino Papa Clemente, quamquam tum præsens corpore non adesset. Itaque hoc facto jussimus hujus recognitionis & redditionis cartam fieri ac signari ut esset in omne tempus firmum ac ratum atque omnibus notum.

CIV.

In N. S. & Ind. T. H. D. F. C. R. Omnibus Christi nostrique fidelibus tam futuris quam præsentibus notum esse volumus, qualiter nos ob interventum B. regni & thori sociæ H. Patriarchæ, H. Babebergensis, Uodalrici Eistetensis Episcoporum, cæterorumque fidelium N. cuidam servienti nostro R. nomine militi laudabili, quatuor regales mansus, quos idem in beneficium habuit, in proprium tradendo firmavimus, firmando tradidimus, sitos in villa N. in Comitatu N. Comitis, cum omnibus appendiciis, hoc est utriusque sexus mancipiis, areis, ædificiis, pratis, pascuis, terris cultis & incultis, viis & inviis, silvis, venationibus, aquis aquarumve decursibus, molis, molendinis, piscationibus, exitibus & reditibus, quæsitis & inquirendis ac cum omni utilitate, quæ ullo modo inde provenire poterit. Dedimus autem devote in hereditariam proprietatem tale prædium eidem servienti nostro, quod nobis pergratus erat, utpote vir fidelis, miles strenuus, dies & noctes ad omne servitium nostrum promtus & paratus. Et ut hæc traditio firma & inconvulsa omni permaneat ævo, hanc cartam inde conscribi jussimus, quam, ut infra videtur, nostra manu corroboratam

Digitized by Google

ratam sigilli nostri impressione insigniri fecimus.

CV.

In N.S. & Ind. T.H. D.F. C.Rex. Omnibus Christi fidelibus nostrisque tam futuris, quam præsentibus notum esse volumus, quia nos ob interventum ac peticionem O. Comitis, nec non & A. dilecti Capellani nostri & G. Camerarii, nostro servienti H. nominato unum regalem mansum cum omnibus suis pertinentiis, hoc est, mancipiis utriusque sexus, areis, ædificiis, pratis, pascuis, agris, terris cultis & incultis, silvis, venationibus, campis, aquis, aquarumve decursibus, molis, molendinis, piscationibus, exitibus & reditibus, viis & inviis, quæsitis & inquirendis, & cum omni utilitate, quæ ullo modo inde provenire poterit, in proprium dedimus atque donamus, ea videlicet ratione, ut prædictus H. liberam de præfato prædio sibi a nobis tradito dehinc potestatem habeat, scilicet tenere, tradere, vendere, commutare, precariare vel quicquid sibi inde placuerit facere. Et ut hæc nostræ tradicionis regalis auctoritas nunc & per succedentia temporum curricula stabilis & inconvulsa permaneat, hanc paginam inde conscriptam manu propria, ut infra videtur, corroboravimus & sigilli nostri impressione jussimus insigniri.

CVI.

In N.S. & Ind. T. C. D. G. R. Noverit omnium Christi nostrique fidelium universitas, præsentium scilicet ac futurorum, qualiter nos ob interventum ac peticionem C. imperatricis quandam sui juris ancillam A. nomine per manum cujusdam H. nobis præsentatam, manu nostra de manu illius excusso denario liberam fecimus, omnique jugo debitæ servitutis absolvimus. Proinde per nostram regalem jubemus potentiam, ut tali deinceps utatur lege ac jure, quali ceteræ manumissæ huc usque sunt usæ, eodem modo a regibus vel imperatoribus liberæ factæ. Et ut hæc nostra auctoritas firma & inconvulsa omni permaneat ævo, hanc paginam inde conscriptam sigillo nostro jussimus insigniri.

CVII.

Omnium Christi fidelium tam futurorum, quam præsentium sollers noverit industria, qualiter H. Dei gratia Bavariorum Dux pro XX. talentis auri probati datis sibi ex thesauris ecclesiæ sanctæ Babebergensis jussu Swideri ejusdem ecclesiæ secundi Episcopi per manum N. Advocati sui quædam sui juris prædia N. & N. dicta, in pago N. in Comitatu N. comitis sita, cum omnibus eorundem pertinentiis, appendiciis, utilitatibus, excepta una ecclesia cum omni ejusdem ecclesiæ jure in jus & dominium supra dictæ ecclesiæ Babebergensis potestativa manu tradidit, hac interposita ratione, ut si ipse vel fratres ejus aurum æqualis precii supradictæ ecclesiæ restituant, prædicta prædia in suum jus recipiat: sin autem, Babebergensis ecclesia prædicta prædia omnium remota contradictione & inquietudine proprietario jure in perpetuum possideat. Ministeriales tamen ad eadem prædia pertinentes cum bonis ipsorum sibi tantum usque ad finem vitæ suæ servituros excepit: Post finem vero vitæ suæ eosdem ministeriales simili potestate eademque condicione, qua prædicta prædia, sancta Babebergensis ecclesia possideat. Anno Domin. inc. MLXVI. Ind. III. Idus Novemb. Actum feliciter Ratisponæ Amen.

CVIII.

Notum sit omnibus Christi fidelibus tam futuris quam præsentibus, qualiter placuit venerabili N. tercio Babebergensis Episcopo ecclesiæ ejusdemque cœnobii fratribus ibidem Deo servientibus quoddam concambium facere, quod & fecerunt. Dedit namque prædictus Episcopus quandam curtem N. dictam ad servitium fratrum pertinentem in beneficium cuidam militi suo N. dicto, cum omnibus utilitatibus ad eundem locum pertinentibus. E contra idem venerabilis Episcopus prænominatis dedit fratribus dominicale unum N. dictum & X. mansos cum familia & cum omnibus ejusdem loci pertinentiis. Insuper & de pratis VI. jugera juxta flumen Pagenoza sitis, alterum in prædio N. dicto, ita ut in arbitrio prædicti Episcopi constaret præ aliis excipere unum dominicale, quod vellet, & XII. mansos cum silva, quæ est in eodem prædio melior; deinde, in secundo scilicet loco, arbitrium Babebergensis Præpositi Liupolt dicti accederet eligere postea unum, quod & X. mansos, molendinum unum silvamque, quæ esset ad electum locum vicinior, cum pratis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, & cum omnibus utilitatibus ad eundem locum pertinentibus, quæ ullo modo scribi vel nominari possunt, ea videlicet ratione, ut si aliquis Episcopus ex successoribus prædicti Episcopi aut advocatus sive aliqua potestas aliquod dampnum in eisdem locis fratribus intulerit, Præpositus recipiendi potestatem habeat, & ad servicium fratrum sicut prius possideat.

CIX.

In N.S. & Ind. T. H. D. F. C. Rex. Si ea quæ a prædecessorum nostrorum sive regum sive Imperatorum locis divino cultui consecratis sacra & veneranda religione collata sunt, devote ac benigne confirmamus: nos quoque a Deo patre certam remunerationem accipere in futuro speramus. Unde notum esse volumus tam futuris quam præsentibus, qualiter nos per interventum dilectissimæ matris nostræ Agnetis Imperatricis Augustæ, & pro amore dilecti ac fidelis nostri C. sanctæ Dei Babebergensis ecclesiæ Episcopi eundem locum a divo Imperatore H. secundo, pro sua suorumque anima, in Episcopatum divina inspirante clementia perfectæ fidei, spei, caritatis devotione, in honorem principis Apostolorum Petri & S. Georii sublimatum, consensu fidelium nostrorum sancimus & omnium contradictione remota regia nostræ majestatis auctoritate corroboramus. Omnes etiam res mobiles vel immobiles ejusdem Dei ecclesiæ, quas ipse divus Imperator pro ardore cœlestis patriæ ibidem larga manu contulerat, vel

Digitized by Google

vel quocunque modo juste ac legaliter prænominato Episcopo aggregatæ sunt, ea ratione confirmamus, ut fidelis noster C. ejusdem loci Episcopus ejusque successores secura eas tranquillitate in perpetuum possideant, & proprietates ejusdem ecclesiæ cum consensu cleri & populi ordinare, componere, commutare & augmentare, liberam potestatem habeant.

Nostra quoque auctoritate sancimus, ut in abbatiis, monasteriis, Præposituris, ecclesiis, Comitatibus, foris, mercatis, monetis, naulis, theloneis, castellis, villis, vineis, areis, tributariis, servis, ancillis, decimis, forestibus, silvis, venationibus, molis, molendinis, aquis, aquarumve decursibus, campis, pratis, pascuis, terris cultis & incultis, libris, argento & auro, gemmis, vasis, ornamentis, vel aliquibus utensilibus in cultum & honorem Dei ibidem collatis & in omnibus terminis rebusque ejusdem ecclesiæ ac quicquid ad præsens illuc pertinet, vel adhuc amplificari poterit, nulla sit infestatio sive regum sive imperatorum, nullaque potestas ibi per violentiam irruat. Nullus ibi Comes aut judex legem facere præsumat, nisi quam per concessionem nostram vel successorum nostrorum regum scilicet vel imperatorum ejusdem loci Episcopus deliberet. Sit ille Episcopatus liber & ab omni extranea vel iniqua securus potestate, quatinus ibidem Deo famulantes & primi constructoris memoriam digne celebrare nosque fautores & corroboratores possint & velint Deo suis precibus commendare.

Et ut hæc nostræ auctoritatis confirmatio firma & inconvulsa permaneat, hoc privilegium inde conscriptum manu propria corroborantes sigilli nostri impressione jussimus insigniri. Dat. VII. Kal. Octob. Anno D. inc. M.* Ind. X. Anno autem ordinat. Domini H. IIII. Regis V. Regni vero secundo.

C X.

Notum sit omnibus Christi fidelibus tam futuris quam præsentibus, quod Comes N. Advocatus Babebergensis ecclesiæ tradidit prædium suum N. sancto Georio pro redemptione animæ suæ & parentum suorum, eo videlicet pacto, ut N. & filius ejus N. absque contradictione possideant idem prædium usque in finem vitæ suæ, ita sane, ut prædicti Comitis anniversarium diem pia recolant devotione. Post quorum obitum transeat prædictum allodium in potestatem Babebergensium fratrum, qui & anniversarios dies Comitis videlicet aliorumque duorum fideli debent frequentare commemoratione. Quod si post mortem Comitis quisquam eripere voluerit per violentiam N. & filio ipsius possessionem supradicti prædii, Episcopus Babebergensis una cum fratribus id ne fiat summa auctoritate defensare debent. Si vero Episcopus, quod absit, vel fratres tale aliquid moliti fuerint, scilicet, ut illis duobus auferant pacta præsentis vitæ præsidia, irrita & supervacua erit præscripta oblationis tradicio. N. quoque filius Comitis nullam habeat potestatem ejusdem prædii, vivente matre sua. Uterque vero, quam diu vivat, persolvant fratribus ex eodem prædio solidum unum per singulos annos. Facta est hæc delegatio XIIII. Kal. Jun. Anno ab inc. Dom. MCVIII. Ind. III. Coram O. Babebergensi Episcopo. Hujus rei testes sunt ex ordine canonicorum. E. præpositus & cæteris. De ministerialibus vero adhibiti sunt testes N. & N.

C X I.

In N. S. & Ind. T. H. D. F. C. R. Quemadmodum divinis humanisque legibus irretractabiliter obnoxius tenetur, quisquis vel tyrannica violentia vel aliqua detestabili versucia sanctæ Dei ecclesiæ, quæ nos in divinæ adoptionis hereditatem parit dampna aliqua vel detrimenta, sicut omnis qui defensioni provectionique consulit, certam beatæ intercessionis fiduciam apud illum tremendum judicem sibi prospicit. Unde & nos quoque quicquid ad cultum utilitatemque ecclesiarum Dei sacerdotesque Christi venerandos, eorum justis peticionibus assensum præbendo propensa voluntate conferimus, exinde nobis & temporalis imperii cum stabilitate augmentum & æternæ beatitudinis præmium proventurum speramus.

Quapropter notum sit omnibus Christi nostrique fidelibus tam futuris quam præsentibus, qualiter nos pro animæ nostræ remedio parentumque nostrorum felici memoria & ob dilectissimæ contectalis nostræ B. reginæ beatitudinem aliorumque fidelium nostrorum interventu nec non ob juge ac devotissimum H. Babebergensis ecclesiæ Episcopi fidelis dilectique nostri servitium omnes Comitatus ejusdem ecclesiæ ab antecessoribus nostris imperiali munificentia collatos & traditos, scilicet Ratenzgowe, Salegowe, Crapfelt, Volcfelt, cæterosque omnino in qualibet regni nostri provincia eo pertinentes regia nostra auctoritate confirmamus & corroboramus. Insuper & speciali nostra tradicione hoc addimus, ut quicquid antecessorum nostrorum nostroque regio jure in eisdem comitatibus, seu in placitis publicis legitimisve in acquisitionibus prædiorum mancipiorumque, seu in privatis causis, seu in districto, seu in quolibet modo, competebat, prædicto Episcopo suisque successoribus plenaria donatione concredimus, damus & confirmamus, ea scilicet ratione, ut absque omni contradictione eorundem prædiorum omniumq; eorum appendiciarum liberam post hinc habeat facultatem tenendi, dandi, commutandi, precariandi vel quicquid consilio cleri & populi pro usu suæ ecclesiæ ei placuerit inde faciendi. Et ut hæc nostra regalis tradicio stabilis & inconvulsa omni permaneat ævo, hanc cartam inde conscriptam manuque nostra corroboratam sigilli nostri impressione jussimus insigniri. Data est pridie Idus Aug. Anno Domin. incarnationis M. L X. VIII. Ind. VI. Anno ordinat. Domini H. X VI. Regni vero XI. Actum Berthenstad, in Dei nomine feliciter Amen.

C X I I.

In N. S. & Ind. T. Sciat & recognoscat ecclesia, qualiter ego H. Marchio & uxor mea A. pro

d by Google

pro æterna jugiter meditantes retributione, aliquam partem prædiorum nostrorum ad relliquias sancti & preciosi martiris Christi Chiliani Wirzeburch decrevimus delegare.

Inventa igitur opportunitate, communicatotam cum ipsius prædictæ sedis venerabili A. antistite, quam cum nostris fidelibus consilio Præposituram N. in pago N. in comitatu N. sitam cum omnibus ad eam pertinentibus, scilicet prædiis, mobilibus & immobilibus, areolis, silvis, pascuis, pratis, viis & inviis, exitibus & reditibus, molendinis, firma tradicione delegavimus, stabilique legatione firmavimus.

Et ut gratior apud Deum nostræ devotionis esset oblatio, servientem nostrum N. cum uxore & filiis & filiabus tradidimus, ea pacti ratione & cautione, ut optimum & absolutissimum jus habeat servientium sancto Chiliano, ita tamen, ut egò us-que ad finem vitæ meæ illorum servitium habeam. Deinde communicato, ut prius, consilio cum præfato antistite suisque fidelibus ad prænominatam villam venimus & dominatum nostrum ad eundem locum pertinentem ad altare ejusdem ecclesiæ in usum canonicorum ibidem Deo famulantium firma legatione tradidimus, excepta dimidia parte vinearum cum suis vinitoribus & suis stipendionariis agris ad eandem medietatem pertinentibus & paucis mancipiis, quorum hæc nomina sunt - - - - - - - Sciant & universi tam futuri quam præsentis ævi fideles, nos prædictam Præposituram ad prænominatas reliquias ea condicione delegasse, ut idem Episcopus canonicam illam tam in ædificiis, quam ecclesiasticis ornamentis, & negotia fratrum ibidem Deo servientium, sustentatione ita sublimet & exornet, ut & Dei servitium juge perpetuumque cum nostra nostrorumque parentum & ipsius episcopi memoria inibi perseveret. Hanc cautionem in eadem traditione sub exceptione prævidimus, ut super eadem bona nullus præter me, dum vixero, sit advocatus & uxor mea dum vivat eandem Præposituram in potestate habeat. Quod si vel prænominatus Antistes vel aliquis successorum ejus vel in prædiis vel in canonicæ illius institutione aliquid, uxore mea vivente, vel minuere vel monasterium illud vel Præposituram transferre præsumat, prædicta A. prædium suum recipere jus habeat. Si vero post mortem ejus id eveniat, qui ei proximus sit consanguinitatis linea hereditario jure succedat. Isti sunt testes. A. Episcopus & ceteri. Hi omnes liberæ conditionis. De servientibus vero N. De urbanis civibus N. Facta est tradicio in Crypta dominicalis ecclesiæ Wirzeburch ad Sarchophagum sancti martiris Chiliani. Anno D. inc. MLX. VIII. Ind. VII. Non. Julii. H. IIII. rege regnante, A. venerabili antistite prænominatam sedem regente.

CXIII.

Privilegium de justicia ministerialium Babebergensis ecclesiæ.

Notum sit omnibus Christi fidelibus tam posteris quam modernis, qualiter Fridricus rogatu Domini sui Guntheri sanctæ Babebergensis ecclesiæ Episcopi allodium quoddam Haga, quod idem prænominatus Episcopus antea per manum advocati sui in manum ejusdem E. legaverat cum omnibus ad ea loca pertinentibus, hoc est, quicquid supra dictus Episcopus prædii inter duos fluvios videlicet Isiam, quam nos vulgariter Ensam dicimus, & Tybisiam habuerat, ad altare S. Petri majoris monasterii in Babeberc legavit & pro remedio animæ ejusdem prænominati Episcopi G. nec non patris & matris, legavit & ministeriales ad idem prædium pertinentes ad supra dictum altare S. Petri in Babeberc eo deinceps sibi suisque posteris retento jure, quod inde ministeriales habent ejusdem ecclesiæ, quod & infra subscriptum est. Hæc est justicia Babebergensium ministerialium. Si quem ex his Dominus suus accusaverit de quacunque re, liceat illi juramento se cum suis coëqualibus absolvere, exceptis tribus, hoc est, si in vitam Domini sui aut in cameram ejus aut in munitiones ejus consilium habuisse arguitur. Ceteris vero hominibus de quacunque objectione absque advocato cum suis coëqualibus juramento se poterit absolvere, & ceteris hominibus non plus debent quam VII. personas; suis vero sociis XII. Si occisus fuerit, recompensatio ejus X. libræ sunt, quæ ad alios non pertinent nisi ad cognatos occisi. Si beneficium non habuerit ab Episcopo & repræsentaverit se in ejus ministerio, & beneficium non poterit obtinere, cui vult militet, non beneficiarius sed libere. Si absque liberis obierit & uxorem prægnantem habuerit, expectetur dum pariat, & si masculus fuerit, ille habeat beneficium patris. si non: proximus agnatus defuncti loricam suam vel equum quem meliorem habuerit, Domino suo offerat, & beneficium cognati sui accipiat. In expeditionem iturus, ex suo sumptu ad Dominum veniat, deinceps ex ejus inpensa alatur. Si expedicio in Italia est; Dominus per singulas loricas unum equum det, & III. libras. Si vero alio duo ex illis tercio dent inpensas beneficium habentes. A Domino suo non constringantur nisi ad quinque ministeria, hoc est, aut dapiferi sunt, aut pincernæ, aut marchalli, aut venatores. Legavit & prænominatus Fridericus aliud prædium inter Trunam & Isiam situm, quod item prænominatus Episcopus E. illi per manum advocati sui legaverat, cum utriusque sexus mancipiis, ad supra dictum altare S. Petri majoris monasterii in Babeberc pro remedio animæ ejusdem G. Episcopi nec non patris & matris ejus. Harum ergo tradicionum testes per aurem tacti sunt Palatinus Comes Chuno & filius ejus N. & cæteri.

CXIV.

In N. S. & Ind. Trinitatis. Noverit omnium tam fut. quam præs. industria, quod ego Bertha non meis meritis, sed divinæ respectu clementiæ Abbatissa Cœnobii N. non surda aure accipiens evangelicam illam parabolam, in qua servus super multa constituendus dicitur, qui in pauca fidelis fuisse probatur; decrevi pro viribus

Digitized by Google

bus corrigere negligentiam, quæ in divini cultus officio uſque ad meum tempus inutiliter, immo indecenter inoleverat in prædicta eccleſia. Solus N. presbiter in qualibet ſollennitate divinum celebrat officium abſque miniſtris, ſine quibus, ut auctoritas clamat, nomen quidem habet, ſed officium non habet; hanc, inquam, tam incondempnabilem negligentiam ex conſenſu Domini mei O. venerandi Babebergenſis eccleſiæ antiſtitis & N. venerabilis Wirzeburgenſis Epiſcopi & nec non & ſuggeſtione ſororum noſtrarum emendare propoſui, hoc pacto, ut decimas villarum N. & N. pertinentium ad parrochiam loci noſtri N. adjectis ex noſtra parte decimis villarum N. & N. conſtituerem Diacono & Subdiacono, quorum cooperante miniſterio eccleſiaſtici ordinis decor officii ſollenni devotione celebrari potuiſſet. Nec his contenta, duas eis præbendas juxta morem ſororum noſtrarum adjiciendas ſtatui, ut tam ipſi, quam ſacerdos nullam tam victus quam & veſtitus penuriam ſuſtineant, ſed expediti a cæteris occupationibus divinum officium devote peragere ſtudeant. Ad corroborandam vero hanc devotionis meæ conſtructionem epiſcopali eam banno confirmari & ſigillo inſigniri fideliter popoſci & ope divinæ pietatis emerui. Quod ſi ulla prorſus perſona tam ſalubri huic voto vel vi vel quolibet fraudis machinamento obviare contenderit, fiat ei ſicut Agag Amalechitæ, & ſicut Aman Agaſytæ a cœtu ſanctorum alienus habeatur; cum Juda proditore debita criminibus ſuis ſententia plectatur. Data idibus Aug. Anno Dom. Inc. MCXIIII. Ind. VII. Regnante IIII. H. glorioſo & victorioſiſſimo Romanorum Imperatore Auguſto.

CXV.

In N. S. & Ind. T. H. Imp. A. Si circa ſervos Dei beneficia largimur oportuna, non ſolum imperialem modum decenter implemus, verum & æternæ beatitudinis præmium nos promereri inde liquido credimus.

Quapropter notum ſit omnibus fidelibus ſanctæ Dei eccleſiæ noſtriſque, ſcilicet præſ. & fut. quemadmodum quidam vir venerabilis & religioſus chorepiſcopus tradidit res ſuas ad ſanctum Emmerammum martirem Chriſti cum manu Advocati ſui cum conſenſu & conſilio venerabiliſſimi Epiſcopi & Advocatorum ejus. E contra vero præfatus venerabilis Epiſcopus manibus advocatorum ſuorum una cum conſenſu totius cleri ſibi ſubjecti, tradidit ei in proprietatem poſſidendum uſque ad finem vitæ ſuæ quendam locum ſancti E. cum omnibus adjacentiis ſuis, i. eccleſiis & cæteris, quæ juſte & legaliter illuc pertinere videbantur. Sed ob firmitatis gratiam idem relligioſus chorepiſcopus noſtram depræcatus eſt celſitudinem, ut præceptum liberalitatis noſtræ ſuper hoc adderemus. Nos autem libentiſſime peticioni illius ſatisfacientes jubemus atque decernimus, ut ab hodierno die & deinceps jam dictum locum uſque ad finem vitæ ſuæ habeat, teneat, atque poſſideat, nullo unquam hanc conventionem irrumpente vel inquietante; ſed Deo auxiliante perpetuis temporibus firma & inviolabilis permaneat.

CXVI.

In N. S. & Ind. T. H. D. F. C. R. Si de rebus terrenis, quas divinitus adepti ſumus, eccleſias Deo conſtruere & divina officia ordinare ſatagimus, ſuperni numinis præmium ob hoc nobis largius impertiri liquido credimus.

Quapropter omnium ſanctæ Dei eccleſiæ fidelium noſtrorumque, præſentium ſcilicet ac futurorum cognoſcat prudentia, qualiter nos eccleſiam & regalem capellam noſtram, quam ad Rotagen a fundamentis conſtruere juſſimus, & dedicari fecimus in honore & veneratione ſancti Jacobi apoſtoli fratris Domini & ſancti Pancratii, ſanctorum, quos a Roma in iſtam patriam nobiſcum detulimus, iſtis infra titulatis caſis dotavimus, hoc eſt, ad villam N. hobas duas abſas, & manſos VI. cum pleno cenſu, & cætera, quæ in villa illa ſunt, quæ ad Sclavos liberos & hoſpites pertinent, cum omnibus appendiciis ſuis extra dimiſimus. Cætera omnia, quæ ad illos VI. manſos & abſas duas pertinent, cum omnibus appendiciis eorum ad memoratam capellam noſtram ad opus fratrum ibidem Deo die noctuque famulantium per hoc præſens auctoritatis noſtræ privilegium donamus & tradimus, ut ab hodierna die ſecure firmiterque conſiſtant atque in perpetuum deſerviant illic abſque ulla ſucceſſoris noſtri contradictione. Et ut hoc verius credatur & diligentius conſervetur, manu propria noſtra hoc ſubter confirmavimus & ſigilli noſtri impreſſione aſſignari juſſimus.

CXVII.

Privilegium Karoli Imperatoris de conſtitutione Bremenſis eccleſiæ.

In nomine D. & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Karolus divina ordinante providencia Rex. Si Domino Deo exercituum ſuccurrente in bellis victoria potiti ſumus, in illo & non in nobis gloriamur, & in hoc ſeculo pacem & proſperitatem & in futuro perpetuæ mercedis retributionem nos promereri confidimus. Quapropter noverint omnes Chriſti fideles, quod Saxones, quos a progenitoribus noſtris ob ſuæ pertinaciam perfidiæ ſemper indomabiles ipſique Deo & nobis tamdiu rebelles, quouſque illius, non noſtra virtute, ipſos & bellis vicimus & ad baptiſmi gratiam Deo annuente perduximus priſtinæ libertati donatos & omni nobis debito cenſu ſolutos, pro amore illius, qui nobis victoriam contulit, ipſi tributarios & ſublegales devote adduximus, videlicet, ut qui noſtræ poteſtatis jugum hactenus ferre detrectaverunt, victi jam Deo gratias & armis & fide Domino ac Salvatori noſtro Jeſu Chriſto & ſacerdotibus ejus omnium jumentorum ſuorum & fructuum totiuſque culturæ decimas ac nutrituræ divites ac pauperes legaliter conſtricti perſolvant. Proinde omnem terram eorum antiquo Romanorum more in provincias redigentes & inter Epiſcopos certo limine diſterminantes, ſeptentrionalem illius partem quia & piſcium ubertate ditiſſima & pecoribus alendis

Digitized by Google

alendis habetur aptissima, pio Christo & apostolorum suorum Principi Petro pro gratiarum actione devote obtulimus sibique in Wigmodia in loco Bremon vocato, super fluvium N. ecclesiam & episcopalem statuimus cathedram, hujusque parrochiæ X. subjecimus pagos, quos & abjectis antiquis eorum vocabulis & divisionibus, in duas redegimus provincias, his nominibus nuncupatas, N. & N. Insuper ad præfatæ constructionem ecclesiæ in supra dictis pagis LXX. cum suis colonis mansos offerentes, totius hujus parrochiæ incolas decimas suas sibi suoque provisori fideliter persolvere, hoc nostræ majestatis præcepto jubemus, donamus & confirmamus. Ad hoc in summi pontificis & universalis Papæ Adriani præcepto, nec non & Moguntiacensis Episcopi Lullonis, omniumque, qui affuere, pontificum consultu eandem Bremensem ecclesiam cum omnibus suis appendiciis N. probabilis vitæ viro coram Deo & sanctis ejus commisimus, quem & primum ejusdem ecclesiæ III. Idus Julii Wormatiæ consistentes consecrari fecimus. Episcopum, ut populis divina semina verbi fecundum sibi datam sapientiam fideliter dispensando & novellam ecclesiam hanc canonico ordine & monasteriali competentia instituendo, interim plantet & riget, quo usque sanctorum suorum precibus exoratus incrementum det omnipotens Deus. Innotuit & idem venerabilis vir serenitati nostræ eam, quam prædiximus, parrochiam propter barbarorum infestantium pericula seu varios eventus, quæ in ea solent contingere, ad sustentacula seu stipendia Dei servorum inibi Deo famulantium minime sufficere posse; Quam ob rem quia Deus omnipotens in gente Fresonum, sicut & Saxonum, ostium aperuerat fidei, partem prænominatæ regionis videlicet Fresiæ, quæ huic contigua parrochiæ esse dinoscitur, eidem Bremensi ecclesiæ suoque provisori N. Episcopo ejusque successoribus perpetualiter delegavimus retinendum. Et quia casus præteritorum cautos nos faciunt in futurum, ne quis, quod non optamus, aliquam sibi in eadem Dioecesi usurpet potestatem, certo limite fecimus eam determinari, eique hos constituimus terminos, Mare oceanum, Albiam usque quo perveniatur ad quod dicitur N. Et ut hujus donationis ac circumscriptionis auctoritas nostris futurisque temporibus Domino protegente valeat inconvulsa manere, manu propria subscripsimus, & annuli nostri impressione signari jussimus. Signum Domini Karoli invictissimi Regis. Hildebaldus Archiepiscopus & sacri pallacii Capellanus recognovi. Data II. Idus Julii Anno Dom. inc. DCCLXXXVIII. Ind. XII. Anno autem D. Karoli regni XXI. Actum palatio Nemetensi, feliciter Amen.

CXVIII.

Privilegium pii Ludowici Imperatoris de Bremensi ecclesia.

In nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Ludovicus divina propiciante clementia Imperator Augustus. Si specialibus cujuscunque fidelium nostrorum, necessitatibus perspectis, subveniendum esse imperialis auctoritas monstrat, quanto magis ad debitam generalitatis providentiam æquum est dignumque, ut ecclesiæ catholicæ atque apostolicæ, quam Christus precioso sanguine suo redemit, eamque nobis tuendam regendamque commisit, piam ac sollicitam in cunctis nos oporteat gerere curam, & ut in ejus profectu vel exaltacione congruam exhibeamus diligentiam, novis ad ejus utilitatem vel necessitatem atque dignitatem pertinentibus rebus nova immo necessaria & utilia provideamus instituta: Idcirco sanctæ Dei ecclesiæ filiis, præsentibus scilicet & futuris certum esse volumus, qualiter divina ordinante gratia nostris in diebus, aquilonaribus in partibus in gentibus, videlicet Danorum, Gronlandan, Islandan & omnium septentrionalium nationum magnum celestis gratia prædicationis sive acquisitionis patefecit ostium, ita ut multitudo hinc inde ad fidem Christi conversa, misteria cælestia ecclesiasticaque subsidia desiderabiliter expeteret.

Unde Domino Deo nostro laudes immensas persolventes extollimus, qui nostris temporibus & studiis sanctam ecclesiam sponsam videl. suam locis in ignotis finit dilatari atque proficere. Quamobrem una cnm sacerdotibus cæterisque imperii nostri fidelibus hanc Deo dignam cernentes causam valde necessariam atque futuræ ecclesiæ dignitati proficuam dignum duximus, ut locum aptum nostris in finibus evidentius eligeremus, u. sedem episcopalem per hoc nostræ auctoritatis præceptum statueremus, unde omnes illæ barbaræ nationes æternæ vitæ pabulum facilius uberiusque capere valerent, & sicientes salutis gratiam præ manibus vel oculis haberent, insuper & magnorum progenitorum sacra lucrandi studia nostris in diebus numquam deficerent. Progenitor etenim noster gloriosæ memoriæ Karolus omnem Saxoniam ecclesiasticæ religioni subdidit, jugumque Christi ad usque terminos Danorum atque Sclavorum, corda ferocia ferro perdomans, ferre docuit. Unde inter has utrasque gentes Danorum sive Winedorum ultimam Saxoniæ partem & diversis periculis temporalibus videlicet ac spiritalibus interjacentem prospiciens, ibidem sedem fieri pontificalem decrevit trans Albiam. Unde postquam terram Nordalbingorum, laxata captivitate, quam ob multam perfidiam Christianitatis initiis patratam per septennium passi sunt, ne locus ille a barbaris invaderetur, N. comiti restituere præceperat, non jam vicinis episcopis locum illum committere voluit. Sed ne quisquam eorum hanc sibi deinceps parrochiam vendicaret, ex remotis Galliæ partibus quendam Episcopum N. nomine dixit, qui primitivam ecclesiam ibidem consecraret. Sed & eidem ecclesiæ sacras reliquias ac plura ecclesiastica munera pia largitate specialiter destinare curavit. Postmodum vero captivis optatam ad patriam undique confluentibus eandem parrochiam cuidam pres-

Digitized by Google

preſbitero nomine N. ſpecialiter commendavit, quem univerſæ Nordalbingorum eccleſiæ, ne ad ritum relaberetur gentilium, vel quia locus ille lucrandis adhuc gentibus videbatur aptiſſimus, diſpoſuerat conſecrari epiſcopum, ut ipſa occaſione vel auctoritate ſumma in ipſis terminis gentium, ſedulitate prædicandi, ſancta multiplicaretur eccleſia, dum vicinorum ipſius novitatis epiſcoporum multa latitudinis cura non ſufficiebat diſcurrere per omnia. Delegavit & eidem Preſbitero quandam cellam N. vocatam, quatinus eidem loco periculis circumdato fieret ſubplementum. Sed quia conſecrationem jam dicti viri velox ex hac luce tranſitus pii genitoris noſtri in diebus ejus fieri prohibuit, ego autem, quem divina clementia in ſedem regni ejus aſciverat, cum in multis regni diſponendis negociis inſiſterem, hoc quoq; prædictum patris mei ſtudium velut regni in finibus peractum minus caute adtenderem, ſuadentibus quibusdam jam dictam cellam ad N. monaſterium contuli: prædictam vero parrochiam vicinis epiſcopis interim commendavi. Nunc autem tam propter ſubſcripta eccleſiaſtica lucra in gentibus demonſtrata, quam & propter votum pii genitoris noſtri, ne quid ejus ſtudii inperfectum remaneat, ſtatuimus una cum conſenſu eccleſiaſtico præfata ultima in regione Saxonica trans Albiam, in loco nuncupato Hammaburc, cum univerſa Nordalbingorum eccleſia proprii vigoris conſtituere ſedem Archiepiſcopalem. Cui & primum præeſſe atque ſollenniter conſecrari per manus N. Metenſis & ſummæ ſanctæ palatinæ dignitatis præſulis N. fecimus archiepiſcopum, aſtantibus Archiepiſcopis N. Remenſi, N. Treverenſi, & N. Moguntienſi cum plurimis aliis, in generali conventu totius imperii noſtri præſulibus congregatis. Cui videl. N. quia præfatis in gentibus hæc noſtris in diebus Deo digniſſima in convocatione gentilium vel redemtione captivorum monſtrata ſunt lucra, tam noſtra, quam ſanctæ Romanæ eccleſiæ auctoritate hanc Deo dignam in gentibus commiſimus legationem ac proprii vigoris aſcribere decrevimus dignitatem. Et ut hæc nova conſtructio periculoſis in locis cœpta ſubſiſtere valeret, nec prævalente barbarorum ſævicia deperiret, quandam cellam N. vocatam, tam huic novæ conſtructioni perhenniter ſerrituram, quam ſuæ ſucceſſorumque ſuorum in gentibus legationi ad noſtram noſtræque ſobolis perpetuam mercedem divinæ obtulimus majeſtati. Homines quoque, qui ejusdem cellæ beneficia habere videntur, ab omni expedicione vel milicia ſive qualibet occupatione abſolvimus, ut idem venerabilis Archiepiſcopus ad hanc Deo dignam peragendam in proviſis temporibus legationem nullum in hoc paciatur detrimentum. Dona vero, quæ ex eadem cella noſtris patribus & nobis dari ſolebant, in convocationem paganorum vel redemptionem captivorum ſive ejusdem ſedis ſupplementum multimodis periculis circumdatæ vel ibidem Deo militantium ſolacium, ob amorem ſancti Salvatoris ejusque intemeratæ genetricis Mariæ ac beati Sixti confeſſoris, perpetuo jure retinenda delegamus. Res quoque præfatæ ſedis & præſcripti monaſterii ſub pleniſſima defenſione & immunitatis tuicione, volumus, ut conſiſtant, ac tueantur, ita ut nullus Judex publicus aut alia quælibet publica poteſtate prædita perſona de eorum rebus quicquam requirere aut exigere præſumat. Sed liceat prædicto venerabili archiepiſcopo ſuisque ſucceſſoribus ac omni clero ſub eorum regimine conſtituto quiete in Dei ſervicio degere, & pro nobis proleque noſtra atque ſtatu tocius imperii noſtri divinam miſericordiam exorare.

Et ut hæc auctoritas ſui vigoris perpetuam obtineat firmitatem, manu propria ſubter eam ſirmavimus; & anuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus. Data Idus Maji Anno XXI. Imperii Domini Ludowici piiſſimi Auguſti. Ind. XII.

Actum Aquisgrani palacio regio, in Dei nomine feliciter, Amen.

CXIX.

Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Omnium fidelium noticiæ certum eſſe volumus, qualiter beatæ memoriæ præcellentiſſimus Rex Karolus tempore prædeceſſorum noſtrorum divino afflatus ſpiritu, gentem Saxonum ſacro cultui ſubdidit, jugumque Chriſti, quod ſuave ac leve eſt, ad usque terminos Danorum ſive Sclavorum, corda ferocia ferro perdomans, ferre docuit, ultimamque regni ipſius partem trans Albiam inter mortifera paganorum pericula conſtitutam, videl. ne ad ritum relaberetur gentilium, vel & quod lucrandis adhuc gentilibus aptiſſima videbatur, proprio epiſcopali vigore fundare decreverat. Sed quia mors effectum prohibuerat, ſuccedente ejus præcellentiſſimo filio Ludowico Imperatore Auguſto, pium ſtudium ſacri genitoris ſui efficaciter implevit. Quæ ratio nobis per venerabiles Epiſcopos relata eſt confirmanda. Nos igitur omnem ibi Deo dignam ſtatutam providentiam cognoſcentes, inſtructi & præſentia fratris filiique noſtri N. primi Nordalbingorum Archiepiſcopi, per manus N. Metenſis Epiſcopi conſecrati, ſanctum ſtudium magnorum imperatorum tam præſenti auctoritate, quam pallii datione, more prædeceſſorum noſtrorum roborare decrevimus, quatenus tanta auctoritate fundatus prædictus filius noſter ejusque ſucceſſores lucrandis plebibus inſiſtentes adverſus tenptamenta Diaboli validiores exiſtant, ipſumque filium noſtrum jam dictum N. & ſucceſſores ejus legatos in omnibus circumquaque gentibus Danorum, Sclavorum, nec non omnium Septentrionalium & Orientalium nationum quocunq; modo nominatarum delegamus, & poſito capite & pectore ſuper corpus & confeſſionem S. Petri Apoſtoli ſibi ſuisq; ſucceſſoribus vicem noſtram perpetuo retinendam, publicamque evangelizandi tribuimus auctoritatem, ipſamque ſedem Nordalbingiorum, Hammeburc dictam, in honore Domini Salvatoris ejusque intemeratæ genitricis Mariæ conſecratam Archiepiſcopalem eſſe decernimus.

Conſe-

Conſecrationem vero ſuccedentium ſacerdotum, donec conſecrantium numerus ex gentibus augeatur, ſacræ palatinæ providentiæ interim committimus.

Strenui vero prædicatoris perſona tantoque officio apta ſemper eligatur ſucceſſio. Omnia vero a venerabili Principe ad hoc Deo dignum officium deputata, noſtra & auctoritate firmamus, omnemque reſiſtentem vel contradicentem atque piis noſtris his ſtudiis quolibet modo inſidiantem anathematis mucrone percutimus, atque perpetua ultione reum diabolica ſorte damnamus, ut culmen apoſtolicum more prædeceſſorum noſtrorum cauſamque Dei pio affectu zelantes ab adverſis, hinc inde partibus tutius muniamus. Et quia, Kariſſime fili N. te divina clementia nova in ſede primum diſpoſuit eſſe Archiepiſcopum, nos tibi pallium ad miſſarum ſollennia celebranda tribuimus, quod tibi in diebus tuis, uti & eccleſiæ tuæ, perpetuo ſtatu manentibus privilegiis uti largimur.

Idcirco hujus indumenti honor morum a te vivacitate ſervandus eſt. Si ergo paſtores ovium ſole geluque pro gregis ſui cuſtodia, ne quæ ex iis aut errando pereat, aut ferinis laniando morſibus rapiatur, oculis ſemper vigilantibus circumſpectant; quanto ſudore quantaque cura debemus eſſe pervigiles nos, qui paſtores animarum dicimur. Et ne ſuſceptum officium in terrenis negotiis aliquatenus implicare debeas, ammonemus. Vita itaque tua filiis tuis ſit via: in ipſa ſi qua tortitudo illis ineſt, dirigant; In ea quod imitentur, aſpiciant; in ipſa ſemper ſe conſiderando proficiant, ut tuum poſt Deum videatur eſſe bonum, quod vixerint. Cor ergo tuum neque proſpera quæ temporaliter blandiuntur, extollant, neque adverſa deiciant: Diſtrictum mali cognoſcant: pium benivoli ſentiant. Inſontem apud te culpabilem malicia aliena non faciat: reum gratia non excuſet. Viduis ac pupillis injuſte oppreſſis tua defenſio ſubveniat. Ecce, frater kariſſime, inter multa alia iſta ſunt ſacerdocii, iſta ſunt pallii, quæ ſi ſtudioſe ſervaveris, quod foris accepiſſe oſtenderis, intus habebis. Sancta Trinitas fraternitatem veſtram diu conſervare dignetur incolumem, atque poſt hujus ſeculi amaritudinem ad perpetuam perducat beatitudinem.

CXX.

In N. S. & Ind. T. H. D. F. C. Rex. Cum regiæ dignitatis hoc jus velut prærogativa meritorum conſtet, eccleſiarum commodis pro omnibus rebus officioſius inſervire earumque rectoribus, prout opus fuerit, ipſarum cauſa ſtabiliendarum ſubvenire, inde & nos ſecundum conſultum & conſenſum noſtrorum fidelium, animum noſtrum eodem inducendo formare, nutu divino cooperante, diſponimus, ac prædeceſſores noſtros æquiperare hac in re maxime fatagimus. Unde fidelibus noſtris quibusque per hanc cartulam pateat, rogatu & interventu N. Archiepiſcopi erga noſtram fidelitatem præ omnibus fideliter extantis, omnia Regum & Imperatorum eccleſiæ ſuæ Archiepiſcopali Moguntinæ data tradita & conceſſa nos more regio iterum roborando dediſſe & firmiſſime conceſſiſſe, monaſteria, abbatias, tam canonicas quam monachicas, atque alias ſitas ubicunque eccleſias cum earum utilitatibus, cum theloneis integre, villas etiam in quacunque regione ſitas, eidem metropolitanæ ſedi appertinentes, colonos, liberos, ac ſervos ejusdem poteſtatis, quacunque terrarum parte habitantes, cum omnibus rebus ac poſſeſſionibus illuc jure legaliterque reſpicientibus. Ad hæc anteceſſorum noſtrorum pie conceſſa confirmando jubemus, quatinus nullus comes, judex, Advocatus vel alius quilibet judiciariæ poteſtatis ſine licentia Archiepiſcopi Moguntini ſeu ſuorum alicujus eccleſias, parrochias, cellulas, agros, ſive reliquas poſſeſſiones invadere præſumat; vel ſuis cujuslibet perſonæ familiis aliquam injuriam aut moleſtiam inſerre audeat. Siquid autem in eos ab aliquo exigatur, coram Archiepiſcopo vel advocato ſuo, aut aliis miniſterialibus, prout res fuerit, incipiatur, & determinando progrediendo ad finem usque peroretur. Inſuper abs quolibet in omnibus eidem ſedi Archiepiſcopali jam attributis vel adhuc tribuendis emunitatis jus, Archiepiſcopus, qui præſit vel quibus ipſe conceſſerit, poteſtative habeant & poſſideant, & ſui, cujuscunque conditionis ſunt, ſint; cauſas ſuas alienis audiendas non dent; freda ſeu thelonea non ſine ſuo advocato ab aliquo exigantur; aut manſiones aut aliquæ redibitiones illicitæ requirantur. Et ut tuicio illius emunitatis, tradicionis vel potius renovationis ac iteratæ confirmationis auctoritas rata, firma, ſtabilisque perpetim maneat, ac diligenter obſervata inpoſterum conſtet; hoc præceptum juſſu noſtro ſecundum conſultum quorundam primorum noſtrorum auctoritative conſcriptum noſtroque ſigillo ſignatum, manu noſtra ſubter firmatum roboravimus. Data Anno Dom. incar. MVII. Ind. V. Anno vero Heinrici glorioſiſſimi Regis. VI. Kl. Junii. Actum eſt autem Mogunciæ feliciter Amen.

CXXI.

In nomine S. & ind. T. Cunradus D. fav. clem. Romanor. Imp. Aug. Omnium Dei noſtrique fidelium præſentium ſcil. ac futurorum univerſitati notum eſſe volumus, qualiter nos interventu ac peticione dilectæ conjugis noſtræ Giſelæ Imperatricis auguſtæ & amantiſſimæ noſtræ prolis Heinrici Regis nec non fidelis noſtri Ekkehardi comitis tradicionem Erneſti Ducis ſuſcepimus, ſcil. Wicenburch cum omnibus appendiciis ſuis, ob honorem regni, petentibus quoque clientibus atque aſſentientibus, eo videlicet tenore, ut infra XIIII. dies liceret eis cogitare, qualiter eidem regno apte poſſent contingere. Petebant itaq; primum in hunc modum: Optamus & obſecramus imperator auguſte, ut jura beneficiorum nobis firmentur præceptis imperialis poteſtatis: Deinde pro filiis ac poſteris noſtris eſflagitamus, ut dum primum curiam veſtram frequentare nituntur, per præſentem annum propriis bonis ſuis vobis

bis deserviant, nihil accipientes, exepto in prima anni festivitate pelles cum pellicio: Expleto autem hoc anno, accipiant juxta justiciam suam beneficium suum, scilicet mansos regales III. Sin autem: potestatem habeant, ubivis terrarum degere, nisi justo beneficio revocentur: Denique pro filiabus nostris petimus, ne umquam cogantur in servicium pedissiquarum, excepta italica expedicione, tunc quidem proficiscantur. Wizenburch ferias duas ad resarciendas vestes, seu quælibet necessaria, usque in ferias quatuor. His singulis ad servicium decrevimus dandum urnam unam medonis, dimidiam vini, V. cerevisiæ, singulis diebus similaginem unam & subtilem panem unum, & XII. vocatias, modium unum de pabulo, venationes nemoris, scil. ferarum bestiarum, avium, piscium, apum examina, fœni secationem eo jure petimus, quo a Domino nostro hactenus habuimus. Hæc est tradicio Comitis Ernusti, pro qua recompensato sibi honore ducatum Bojaricum tradidimus. Primi servitorum ejus fuerunt, Rengoz de Salebach, Wiro de Wimeresheim, Adelger de Curte. Igitur, ut hæc nostra auctoritas stabilis & inconvulsa omni permaneat ævo, hanc cartam inde scriptam, subterque manu propria roboratam, Sigilli nostri impressione jussimus insigniri. Justicia eorumdem clientum, scil. singulorum, est, ut in italica expedicione singuli ab imperiali tradicione accipiant X. talenta & ferramenta quinque equorum, pelles caprarum duas, & bardonem unum oneratum duabus manticis plenis necessariorum cum serviente trahente, alio pellente; & uterque talentum unum & caballum accipiat. Domino eorum victus post alpes transcursas decuria detur. Ubicunque Rex vadat, in expedicione alterius terræ dentur clientibus V. talenta, & caballus absque onere & ferramenta V. equorum, & duæ pelles caprarum. Uodalricus cancellarius vice Arbonis archi-cappellani recognovi. Data XIII. Kal. Junii Ind. XII. Anno ab inc. Dom. M.XXVIIII. Anno vero regni Domini Cunradi. V. Imperii autem III. Actum Tungirde.

CXXII.

Epistola Sigifridi Moguntini Archiepiscopi.

Apostolico sacerdoti & universali PP. Alexandro S. Moguntinæ speculator ecclesiæ debitam ut patri reverentiam, & promptam, ut tanto pastori, obedientiam. Altissimus ille Deorum Deus, qui cælestis miliciæ ordines ita disposuit, ut alter alteri præmineat & ad obsequium conditoris minor dignitas majori pareat, ipse in ecclesia sua ita distinxit cœlos suos opera digitorum suorum, ut sicut stella ab stella differt in claritate, ita alter alterum præcedat excellentiæ dignitate. Hanc autem graduum & officiorum diversitatem ita ad unam reducit concordiam unitas caritatis, ut sicut in sanctis angelis, ita & hic non sit invidia imparis claritatis. Quia ergo idem altissimus vos, mi reverende pater, constituit in hac arce prælationis, ut vice illius magni Petri sitis caput tocius ecclesiasticæ dignitatis, jure se vobis omnis inferior ordo summittit, merito omnis membrorum articulata contextio vobis, ut capiti, obedit, juxta quod præcipit vas electionis: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Ad hanc ergo formam cum vobis exhiberem debitæ subjectionis obedientiam, multis sæpe injuriis affectus sum, multa vobis indigna & mihi intolerabilia passus sum. Namque mihi Romæ posito viva voce & postea apostolica legatione interdixistis, ne eum, qui designatus est in Constanciensem episcopum, ullo modo consecrarem; quia audistis elogio symonyacæ hereseos eum esse notabilem. In quo quia vobis obedivi, multa, ut præmissum est, a Domino meo adversa sustinui, timeoque, me adhuc graviora passurum & ecclesiæ meæ magnum fore detrimentum, nisi benignus ille Petrus clave sua me defendat, & vestræ auctoritatis potestas adversus regiam potestatem zelo justitiæ me protegendo se accingat. Accepi autem literas vestræ sanctitatis, in quibus continebatur, ut ex præcepto vestro Coloniensem archiepiscopum invitarem & convocatis fratribus concilium celebrarem, in quo ejusdem designati Episcopi causa juxta veritatem excuteretur, ut aut reus criminis, quo insimulatur, a dignitate rejiceretur, aut innocens canonice consecraretur. In hoc & parui vestræ auctoritati, invitatis prædicto episcopo & fratribus, locum & diem præscripsi; sed concilium celebrandum perturbavit indictio regiæ potestatis, cogens me & alios regni Principes in miliciam suæ expedicionis. In qua re obsecro, ut sanctitas vestra obsequium meum habeat excusatum, quia, nisi impediret, implessem præceptum vestrum. Præterea relatum est nobis, quia regia relatio eundem designatum Episcopum ad vos discutiendum consecrandumque deducat.

In qua re quid æquitatis & justiciæ sit, discretionis vestræ libra recte dijudicet. Rogo autem excellentiam vestræ paternitatis, quod si ita verum est, ne ipse hoc a vobis accipiat, quod mihi * hoc canonice facere debeo, auctoritas vestra interdixerat; quia si ita fiet, inde magis videbor peccasse principi meo, quod plus studio eum consecrare noluerim, quam justa causa vel præcepto vestro. Si ergo a vobis discussus innocens fuerit inventus, remittite eum mihi & fratribus meis consecrandum, ut, sicut oportet, a nobis canonice accipiat oleum consecrationis. Hoc autem in fronte & in calce nostra teneat Epistola, quod non est homo vivens, qui promtior me sit ad omnia vestræ jussionis obsequia. Qui vos prævenit in benedictionibus dulcedinis, ponat super caput vestrum coronam æternæ beatitudinis.

CXXIII.

Imperante super omnia æternaliter regum rege Domino nostro Jesu Christo & sub eo regnante temporaliter serenissimo H. rege hujus nominis IV. venerabili quoque S. Moguntinæ ecclesiæ primate & apostolicæ sedis legato aurigante currum Dei. Anno jam XII. qui tunc volvebatur annus incarn. verbi M. LXXI. VIII. indictione

Digitized by Google

dictione Romani censûs, celebrata est sancta Synodus apud Moguntiam metropolim orientalis Franciæ, principalem vero pontificii sedem tocius Germaniæ & Galliæ Cisalpinæ, cui præsedit idem memorabilis S. assidentibus & cooperantibus sibi venerabilibus Archiepiscopis, Gebehardo Juvavensi & Utone Treverensi; consedentibus vero & collaborantibus reverendis Episcopis, Alberone Wirzeburgensi, Werinhero Argentinensi, Heinrico Spirensi, Gundecharo Eistetensi, Embricone Augustensi, Hermanno Babebergensi, Bennone Osnaburgensi, Ermenfrido Sedunensi, Herberto Mutinensi; Consedentibus vero & annitentibus sanctissimis Abbatibus nec non inferiorum ordinum quam plurimis magnæ auctoritatis & sapientiæ viris. Aderant & legati reliquorum fratrum, videl. suffraganeorum ejusdem metropolitaniæ antistitis, Epistolas & mandata ferentes, quibus excusati haberentur, quod invitati concilio interesse non possent, certis quibusdam impedimentibus causis, alii quidem corporeæ infirmitatis urgente molestia, Alii in quibusdam regni negotiis regiæ jussionis detinente potentia; qui dum canonice sunt excusati, ipsi legati loco & ordine eorum funguntur, unusquisque vice antistitis sui. Hæc denique sancta Synodus cum propter multa pastoralis curæ negotia pluresq; causas quibus juste adhibenda erat ecclesiasticæ correctionis censura, tum maxime indicta & habita est propter Karolum quendam, qui Constantiensis ecclesiæ designatus erat Episcopus; sed ut post rei exitus docuit, non satis canonice electus & provectus. Hinc ut sollempne est accepta a rege pontificialis anuli & pastoralis ferulæ investitura & in sede episcopali receptus, regiæ potestatis jubente censura, postulabat a primate Moguncienti ejusdem Constantiensis ecclesiæ se episcopum consecrari. Sed venerabilis S. columbino oculo serpentinæ prudentiæ omnem præcavens impietatem, dicebat, hoc apostolicæ benedictionis sacramentum nec debere nec canonice posse in eo sine examinatione celebrari, pro eo quod fidelium graviumque personarum relatione didicerit, quinnimo & fama usque quaque vulgaverit, quod non per ostium in ovile ovium vellet intrare, sed per furtivam simoniacæ impietatis scalam aliunde niteretur ascendere, se quoque talis introitus ejus nolle ostiarium fieri, cui Christus ipse qui ostium est videretur obniti, quin ipsam impietatis scalam in lapide offensionis & petra scandali se velle conterere, ipsumque a mercenaria dominicæ gregis occupatione longe lateque repellere. Ille e contra se hujus criminis & hereticæ impietatis immunem asserere multis argumentis nitebatur; seque, si ei copia tempusque detur, hujus infamiæ notam a se propellere velle testatur, indeque petit synodalis concilii audientiam, in qua super hac re suam prohibere possit innocentiam, ibique consecrationem, quam petebat, aut canonice sibi dari aut canonice sibi dari aut canonice sibi negari. Mittuntur interea ad venerabilem Metropolitanum crebræ de Palacio legationes mixtis precibus minas & imperiosa de hac consecratione mandata ferentes; mittuntur & literæ a præsule apostolicæ sedis, mandantes, ne ullo modo consecretur sine scrutinio canonicæ purgationis: & quod rex potestate jubebat, Romanus Pontifex auctoritate prohibebat. Accedebant & Canonici Constantiensis ecclesiæ ex communi totius cleri & populi legatione unanimiter asserentes, Karolum nulla ratione consecrari debere, quia ex quo eum inviti & sub conditione elegerunt & receperunt, nullam eis pastoralis officii impendisset curam, quin potius tyrannicæ dominationis non cessasset super eos exercere pressuram, nec manum continuisset a sacris, nec pepercisset in diripiendis ecclesiæ thesauris, & quæcunque rapaci violentia undecunque corradere potuisset, hoc totum ministris magni immo magi illius Symonis, id est, suis fautoribus distribuisset, ut quorum annisu adulterinam mercavisset electionem, eorum venali mercimonio consequeretur mercenariam pro consecratione execrationem, pro benedictione maledictionem. At Metropolitanus inter hujusmodi legationum varietates, velut inter duros tempestatum turbines, laudabili constantia in se ipso fixus hæret & immobilis & nusquam favore vel gratia, terrore vel munere inflectitur a statu canonicæ institutionis.

Multis itaque nunciis & renunciis hinc inde missis & remissis, multis quoque diebus huic audientiæ delegatis, & cognitores * causæ principis, occupante præcepto, non impletis, cum ecclesia Constantiensis suo viduata jam biennio fere sacerdotali careret benedictione, tandem miseratione divina potestati præponderavit auctoritas & Christi sacerdotibus divina aspiravit voluntas. Unde eorum communi consensu synodalis Concilii certa legitimaque dies denunciatur, & coëpiscoporum immanitas ad Concilium invitatur; quorum alii, ut oportebat, sine dilatione affuerunt, alii vero qui certa de causa adesse non poterant canonice excusati supparem præsentiam vicaria legatione subpleverunt. Primo igitur die Concilii quem sanctæ Mariæ Dormitio tunc celeberrimum exhibebat, cum spiritualis curiæ Senatores patrocinante Spiritu sancto intra regiam majoris ecclesiæ ante cancellos altaris Protho-martiris Stephani, quod in orientali abside consecratum est, convenissent in unum; primo, ut par erat, sanctæ & individuæ trinitati debitas referrent gratiarum actiones & pro incolomitate tocius ecclesiæ statu supplices Deo offerrent præces; Deinde post mutuam fratrum salutationem & debitam sedium recognitionem juxta autenticum paternæ tradicionis synodum conferunt ad invicem de veritate catholicæ fidei, dampnantes Symonem & omnes hæresiarchas cum dogmatibus suis & sequacibus suis: pauca pro tempore tractant de qualitate instantis negocii, ac sic demum propter celebranda tantæ sollennitatis officia solvunt Concilium, crastino maturius redituri in id ipsum. Postera vero die certa concilii hora cum iterum apostolici sacerdotes in unum convenissent, &, præmissis Deo laudibus

dibus

dibus & precibus & ſalutari, conſediſſent, quod cuique ſacerdoti in ſua dioceſi venit in dubium, rationabili diſciplina deducunt ad medium, & prout res poſtulabat unum quodque tractatum aut terminatum eſt ſynodali judicio, aut ut melius de eo conſuleretur dilatum eſt ſapienti conſilio. Illud vero quod maxime in cauſa fuit de Conſtantienſi appoſito inter fratres, ſtudioſe ventilatur; ſed iterum interveniente principis mandato in ſequentem diem procraſtinatur, agentibus internunciis, ut ſacerdotes Domini a Conſtantiæ ſuæ rigore ad regiam ſe inflecterent voluntatem, aliis vero inſtantibus, ut deſignatus male uſurpatum ſponte dimitteret honorem.

Tertia vero die Chriſti ſacerdotes hujus negotii longa exſpectatione ſuſpenſi & libera quadam indignatione immo zelo juſtitiæ accenſi, ſacerdotali conſtantia principem ſuum adeunt, eumque de ſalute animæ ſuæ, de pace eccleſiarum, deque ſtatu regni ſpirituali diſciplina conveniunt, proponentes ei de ſcripturis & geſtis veteris ac novi teſtamenti congrua doctrinæ ſalutaria exempla, quibus animus ejus adhuc cereus & indocilis formaretur ad ſimilia, dicentes & docentes ſolium regni ejus nullatenus poſſe ſtabiliri, niſi firmatur juſticia & obſervatione mandatorum Dei. Summus autem ille dominorum dominus, qui omni potentatui dominatur, ita temperavit animum principis, ita mitigavit eum ad verba ſanctæ exhortationis, ut nulla juvenili moveretur acerbitate, &, quod in poteſtatibus difficile eſt, nulla ſacerdotes inſolenti læderet reſponſione, multum tamen ſe excuſans, in hoc ſuæ poteſtatis dono nullam ſe exercuiſſe venalitatem, nullam ſuper hac re cum eodem ſe pepegiſſe conventionem; ſi quid autem cum domeſticis & familiaribus ſuis propter opem interceſſionis ipſo ignorante pepigerit, ſuum eſſe non accuſare vel excuſare, hoc ipſe viderit; de dextra vero ſua, quæ illi propter antiquam in præpoſitura benivolentiam gratiæ ſuæ donum porrexit, omnem avaritiæ labem dixit ſe excutere, & quod ipſe ſimpliciter fecit, ſi ille veneno alicujus maliciæ corruperit, ſe ob id divinæ juſticiæ nolle contraire. Hac autem ſalubri ſermocinacione cum ſacerdotibus habita, cum eis venit in concilium, & ille Conſtantienſis deſignatus intromittitur ad audiendum. Adſunt etiam præ foribus Conſtantienſes clerici, poſtulantes per legatos ut & ipſi mererentur admitti. Tunc vero, videns, lætiſſima ſanctæ eccleſiæ gaudia, & vera mundi conveniſſe luminaria, quoniam circumfulgebat nobilis corona ſacrorum ordinum, vivis gemmata lapidibus, chriſtianorum ſacerdotum velut fulgoribus micantium aſtrorum; Tunc cœli enarrabant gloriam Dei, & verbum eructuabat dies diei; quoniam ſacerdos ſacerdoti ſententiam juſticiæ exponebat, & ſanctam eccleſiam eorum ſalutaris doctrina inſtruebat. Tunc vaſa electionis ſupereffluebant ambroſium liquorem Spiritus Sancti & juſti fulgebant ſicut ſplendor firmamenti, quoniam ſacerdotes Domini verba ſapientiæ nubes velut pluebant, & corda audientium terram fructiferam ad germinandum infundebant. His ergo ita diſpoſitis & digito Dei ordinante diſtinctis, utrique admittuntur ad audientiam, prædictus ſcilicet R. & hi qui accuſationibus pulſabant perſonam. Prima autem actione regularis Prælatus [ſupra ſcriptum: procurator] Conſtantienſis Eccleſiæ protulit libellum accuſationis, in quo continebantur cauſæ, quibus indignus haberetur & judicaretur ſacramento apoſtolicæ benedictionis; quarum prima & maxima erat, quod exemplo magiſtri ſui Symonis peſtiferi per pecuniam invaſiſſet ſedem: cætera omnia, quæ ibi legebantur, proclamabant violentam ejusdem eccleſiæ devaſtationem. Ille idem Prælatus, [Procurator] & fratres ejus, qui aderant, item offerunt ſuæ teſtificationis libellos, in quibus ſinguli nomen & officium ſuum deſignantes, quicquid accuſando vel teſtificando propoſuerant, aſſerunt ſe canonice probaturos. Karolus e contra nititur improbare perſonas dicens, quod ejus accuſatores infamiæ nota eſſent reſperſi, quod nec ſe, nec quemquam alium poſſent canonice accuſare; adjungit quoque ſe omnia objecta ſynodali judicio purgaturum, & in omnibus, quibus eum inpetebant, ſe eſſe innoxium. Longa igitur altercatione hinc inde diſceptatum eſt, & multis tota die in adverſum nitentibus usque in profundam noctem concilium protractum eſt, dum inter multos ambigitur de numero acccuſatorum & teſtium, dum longa deliberatione quæritur judicium, utrum iſti liceat ſe excuſare adverſus accuſationem iſtorum. Dum res inter fratres diutiſſime diſſeritur, concilium propter intempeſtam noctem adhuc ſine operæ pretio dirimitur. Quid autem ipſe K. ſecum illa nocte egerit, quibus retractationum verberibus ream conſcientiam flagellaverit, ſequens utique dies declaravit. Nam ut ex ipſo effectu geſtæ rei probari poteſt, vere credimus, quod Deus conſcientiæ judex & teſtis in corde ſuo ſederit pro tribunali & cum eo exercuerit cenſuram judicii ſui, niſi peccatrix conſcientia cogitationum accuſantium non excuſantium teſtimonio, ne veritati & æquitati reſiſteret, dampnata eſt & conſtricta. In craſtinum namque, quoniam ſperabamus, quod juxta promiſſum ſuum objecta purgaret, & conſecratione dignum, innocentiam ſuam monſtrando, ſe probaret, ille jam mente confuſus, non ultra ferens aſpectum Concilii & interius judicatus non extra ſuſtinens pondus imminentis judicii, ultroneus ipſe in ſe ſententiam tulit, & anulum & ferulam paſtoralem ei, a quo injuſte acceperat reſignans, ſacerdotum ſpem & metum, quem pro eo gerebant, labore longioris quæſtionis abſolvit, culpam ſuam uno tegens pallio excuſationis, quod juxta decretalia Cœleſtini Papæ Epiſcopus dari nollet invitis. Videntes autem ſanctiſſimi ſacerdotes magnalia quæ fecit Dominus, & fideli amiratione retractantes quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus & in veſtigiis ejus, corde & ore & omnimoda devotione benedicunt Deo altiſſimo, qui longos eorum labores tam inopino terminavit compen-

compendio, orantes & deprecantes, ut de regno suo eliminet omnem apostasiam & omnia scandala nec ultra Sathan ejusq; apostolos in sua sancta regnare sinat ecclesia; sed in omnibus consiliis & operibus eorum dignetur servos suos consolari & clementer implere, quod ecclesiæ suæ se promisit affuturum omnibus diebus vitæ usque ad consumationem seculi. Communi autem decreto præcipiunt ea, quæ in hac Synodo gesta sunt, ecclesiasticis inseri gestis & in archivis sanctæ Moguntinæ ecclesiæ servari, ad perpetuam memoriam & eruditionem venturæ posteritatis, ut hoc majorum exemplo minores instructi non timeant resistere, si in hujusmodi negocio se viderint prægravari, certissime scientes nullo modo gratiam sancti Spiritus defuturam, si in sanctitate & justitia restiterint injustitiæ usque ad perseverantiæ coronam. Decernunt præterea ex antiqua patrum traditione & autentica priscorum conciliorum rectitudine, ut hæc omnia Romano Pontifici feriatim litteris inserta nuncientur, ut cujus mandato & hortatu cœpta & perfecta sunt, ejus apostolica auctoritate roborata firmentur & omnipotenti Deo qui omnium bonorum auctor est, Romæ & Moguntiæ & ubicunque terrarum hæc lecta vel audita fuerint, debitæ gratiarum actiones fideli devotione solvantur.

Acta sunt autem hæc apud Moguntiam metropolim orientalis Franciæ. Anno ab inc. Dom. MLXXI. Ind. VIII. XVIII. Kal. Septemb. Regnante Serenissimo H. Rege hujus nominis IIII. Anno regni ejus XIII. ordinationis vero ejusdem XVII. Apud Moguntiam vero præsulante reverentissimo primate S. Anno ordinationis ejus XII. Super omnia autem regnante Domino nostro Jesu Christo, cui non accedit cras futurum nec recedit heri præteritum, sed permanet sempiternum hodie in secula seculorum Amen.

CXXIV.

Reverentissimo patri & sanctissimo primæ sedis antistiti A. S. Moguntinæ speculator ecclesiæ cum fratribus & Coëpiscopis suis debitam ut summo Sacerdoti subjectionem. Gratias agimus Deo omnipotenti Domino, qui ad salutem animarum elegit sacerdotium vestrum, & in cathedra Petri vobis tradidit claves regni cœlorum, quique super hanc petram ita ædificavit ecclesiam suam, ut portæ inferi non prævaleant adversus eam. Ad hoc namque opus vere vos ea instituit & confirmat fides, quam beatum Petrum caro & sanguis non docuit, sed Deus pater de unigenito suo per Spiritum sanctum ei revelavit; quæ utique fides, sicut Dominus Christus pro eo rogavit, nunquam deficiet, sed per beatas successiones apostolicorum præsulum, ad confirmandos fratres usque in finem perficiet. Hujus itaque fidei soliditate fundatus beatus Petrus Symonem donum Spiritus Sancti per impositionem manus pretio affectantem & cathedram ecclesiæ venalitatis quæstibus obnoxiam facientem a sorte apostolicæ benedictionis exclusit, & perpetuæ maledictionis inexpiabili pœna damnavit. Ex illo usque in hodiernum diem, sicut tunc apostolica Petri fides, ita demum ejus apostolica sedes Diabolum ejusque antichristos ejusdem fidei firmitate perdomuit, omnes inferi portas hæresiarchas scilicet cum dogmatibus & sequentibus suis non quidem obstruxit, sed penitus destruxit. Inde est cum quod nos multis jam diebus expetisset Sathanas ut cribraret nos sicut triticum, & nos ad vestrum, cui Christus claves cœli & vicem Petri in manus dedit confugeremus patrocinium, ita sumus vestra auctoritate confirmati, ut apostolum Satanæ, qui nos impugnabat, expugnaremus gladio verbi Dei, & cum pestiferi Symonis virulenta satio in Constantiensem ecclesiam malam extendisset radicem, nos ei ad succidendum adhiberemus justiciæ falcem. Nam cum regia nos potestas urgeret, quendam de execrabili perditissimi Symonis scola eidem ecclesiæ ordinare Episcopum, nos vero diceremus, quia sacris canonibus omnibus modis cautum esset, hoc in nostrum nos facere non posse præjudicium; cumque rex jugiter nos instaret, super hac re consentire ad nutum præcepti sui, & nos objiceremus ei, hoc apostolica authoritate prohiberi, tandem huic schismati sopiendo, sanctitas vestra salubre dedit consilium, præcipiens super hac re Concilium celebrari, in quo idem appositus aut innocens purgaretur, aut reus objectorum rejiceretur. Quantis autem laboribus quibusve difficultatibus ad ejusdem concilii celebrationem perventum sit, quibus vero modis & quibus multiplicibus argumentis regia potestas præfinitum concilii tempus anticipando ad voluntatem suam inflectere, aut omnino illud dissipare voluerit, non est modo referendum per singula, quia non vestrum fatigare debeo animum divinioribus intentum, & regali excellentiæ ducimus assurgendum. Vicit tamen Christus in Petro, & Petrus in nobis, & vos in nobis, & collectum est Concilium, eo quo fuerat tempore præfinitum, in quo apostolica sunt functi legatione reverendissimi sacerdotes Domini Gebehardus Archiepiscopus Juvavensis & Uto Archiepiscopus Trevirensis, aderant & coëpiscopi & cooperatores nostri, nec non & inferiorum ordinum quam plures magnæ autoritatis & sapientiæ viri, omnesque in uno collecti unanimiter postulabamus Dominum nostrum Jesum Christum, ut quia in nomine ejus fueramus congregati, se nobis secundum promissionem dignaretur exhibere medium. Prima vero & secunda Concilii die de his quæ unicuique fratri in sua dioceſi obvenerant, actum & determinatum est; Inde autem, quod maxime in causa erat, dilationibus petentibus & agentibus internunciis, aliis quidem, ut ad regiam voluntatem a propositi rigore nos inflecteremus, aliis vero instantibus, ut designatus ille propter pondus judicii & magnitudinem periculi male affectatum sponte dimitteret honorem. Tertia vero die omnes quotquot aderamus episcopi, invocata in auxilium divinitate adjuvimus Principem nostrum, viva voce ammonentes eum de salute animæ

animæ suæ, quodque divinam voluntatem semper suæ debeat voluntati anteponere, neque regnum ejus ullo modo posse firmari nisi justitia & observatione mandatorum Dei. Deus autem, in cujus manu sunt corda regum, & omnia jura regnorum, ita principis animum mitigavit, ut ad exhortationem sacerdotum nihil responderet asperum, nihil responderet asperum, nihil Christianæ disciplinæ adversum. Dixit tamen, se id quod fecerat, si posset, juste velle defendere, quod si minus procederet, nihil se divinæ auctoritati contra ire. Ita verbis sacerdotum delinitus, nobiscum concilium intravit, & ille de quo quæstio erat ad audientiam venit. Vocati autem intraverunt & filii Constantiensis ecclesiæ, libellos accusationis porrigentes, & se canonice probaturos ea quibus personam insimulabant protestantes. Multis autem accusationibus ultro citroque decisis, quia multis in adversum nitentibus res in profundam noctem protracta est, Concilium hujus diei, infecto adhuc negotio, necessario direptum est. In crastinum autem designatus ille Deo, ut credimus, ejus conscientiam coartante, non ultra expectans audientiam Concilii, nec sustinens pondus imminentis judicii, ipse in se sententiam tulit, & annulum & ferulam pastoralem, ei, a quo acceperat, reddens, nos longa quæstione & fatigatione absolvit, hoc tantum prætendens excusationis, quod juxta Cœlestini Papæ decretalia dari nollet invitis.

Super his ergo & super omnibus beneficiis animæ suæ gratias primum agimus patri animarum, qui nos humiles servos suos interpretatione clementer exaudivit, deinde apostolicæ sedi, ejusque reverentissimo præsuli, a qua petra profluxit hæc tota perseverantiæ nostræ fortitudo, orantes & postulantes Deum Dominum nostrum, ut interventu Sancti Petri hujus sanctissimæ sedis apicem stabili fide, pace, & in confessione sui nominis ita solidare, & confirmare dignetur, quatinus universalis ecclesiæ plenitudo, quæ est corpus Christi, hujus capitis sanitate perpetuo proficiat & glorietur. Ratum autem duximus hujus Concilii ordinem & exitum vestræ significare sanctitati, ut, cujus auctoritate cœptum & confectum est, ejus & assensu mereatur roborari. Rogamus etiam sanctissimam paternitatem vestram, ut sic in hoc ita & in cæteris ecclesiæ negotiis, nobis dexteram porrigatis, scil. contra rebelles Thuringos, contra quosdam præpotentes & nobiles, adversus quos propter sanguinitatis conjugia multum laboramus. Decreverunt & multa quæ sicut specialis filius, & ex antiqua traditione apostolicæ sedis legatus, vestra debeo auctoritate & præcepto terminare, ut dum in omnibus vobis obediens fuero, vestræ sanctitati, sicut membrum capiti, valeam cohærere. Sanctissimum apostolatum, Domine pater, longævum & incolumem Samarites ille custodiat, qui in custodiendo suum Israel non dormit neque dormitat.

CXXV.

Domino beatissimo & vere apostolici culminis honore reverendo A. S. Moguntinæ ecclesiæ speculator debitæ subjectionis reverentiam & omnimodæ servitutis obsequentiam. Licet universalis ecclesiæ status generaliter innitatur super fundamentum apostolorum & prophetarum & in ipso sui verticis culmine angularem gestet lapidem Dominum scil. Jesum Christum, specialiter tamen ille magnus Petrus juxta solidissimam nominis sui firmitatem & firmissimam fidei & confessionis suæ soliditatem ejus & totam sustentat fabricam, ad hoc quidem electus a Domino vestro dicente: Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Illi namque omnis apostolicorum patrum successio beata, auctoritate ipsius Dei, sedi ejus, Romanæ scil. ecclesiæ, hanc dedicavit excellentiam & in cunctis semper hujus privilegii servavit reverentiam, ut majora ecclesiæ negotia, & difficiliores causarum exitus ad ipsam velut ad caput referantur, ejusque judicio cuncta salubriter examinata in portum salutis dirigantur. Quia vero divinæ miserationis gratia nos in hanc sedem intronicavit, & Vice ipsius Petri omnium ecclesiarum sollicitudinem imposuit, necessarium duximus vestro reservari judicio ea, quæ novimus non posse, non debere sine vestra auctoritate nostro terminari judicio. Inter multimoda ecclesiæ negotia, quæ vestrum expectant examen sollicitudini nostræ quiddam tale incubuit, quod & ecclesiasticis judiciis valde est insolitum, & omni moderni temporis ætati pene inauditum. Filius enim vester H. Rex noster ante paucos dies conjugem suam voluit dimittere, & eam, quam legitimis sponsalibus & conjugali dote regali consecratione & publicis nuptiis regali corona & sacrosancta sibi firmatam sociavit, nullam primo interponens discidii culpam & causam, omnino a se separari voluit. Quo nos veluti monstro attoniti, & insolita rei facie permoti, consilio magnatum, quotquot tunc aderant in palatio, in faciem ei restitimus & nisi certam dissidii causam exponeret, sine respectu regiæ potestatis, sine metu gladii imminentis, eum si vestra præcederet auctoritas a sinu & communione ecclesiæ nos segregaturos prædiximus. Ille vero retulit nobis, ea de causa ab ea se velle separari, quod non posset ei tam naturali quam maritali coitus fœdere copulari. Quod inquisitum cum & ipsa fateretur, omnium nostrorum animos nimio mœrore affecit, & ipsa rei magnitudo nimia dubietate turbavit. Super qua re sanctissimum apostolatum vestrum sicut divinum consulimus oraculum, & veluti membra ad caput tantum referimus negotium, & quod hoc valde rarum quæstionibus occurrit ecclesiasticis, & de regiis pene inauditum est personis, vestræ sanctitatis erit, quid super tanta re facto opus sit decernere & ad consulta nostra de sanctuario sacri pectoris vestri responsalia remittere, ut & instans negotium ad salutem modernæ ætatis ecclesiastica pace firmetur, & de tam insolita & dubia re vestra auctoritate posteritas instruatur.

Digitized by Google

tur. Denique fratres nostri, qui tunc huic rei intererant, condixerunt, ut Concilium, quod tanto negotio competeret, in nostra urbe congregaretur, & utique Regi scil. & Reginæ ad synodalem venire audientiam, & super hac re terminalem subire sententiam indiceretur. Nos autem dubia tantæ rei consideratione habita, nullo modo hoc sine vestra auctoritate fieri decrevimus, & totius negotii terminum ad vestræ expectationem sententiæ suspendimus, postulantes sanctitatem vestram, ut si id, quod instat, ratum ducitis per nos Synodaliter terminari, de latere vestro personas cum scriptis vestræ auctoritatis ad examen & judicium tantæ rei mittere dignemini, quorum & audientia res ventiletur, & convenientia in beneplacito Dei terminetur.

CXXVI.

Patri patrum apostolico & universali Papæ S. Moguntinæ speculator ecclesiæ quicquid filius patri, quicquid membrum capiti. Ea est corporis Christi, quæ est ecclesia, vera perfectio, & perfecta pulchritudo, quæ evangelicæ veritatis soliditate fundata, & apostolicæ confessionis petra solidata uni Deo in trinitate, fide servit & opere. In hoc ergo Christi corpore & inter hæc summi capitis membra quemcunque teneamus locum, quodcunque geramus officium, ad vestram, mi sanctissime patrum pater, auctoritatem referimus; vestris opitulantibus meritis illi cœlesti Jerusalem inter vivos lapides incorporari confidimus. Et quia ecclesiam, quam Domino miserante regendam suscepimus, sanctissimæ apostolicæ sedis, cui auctore Christo præsidetis, specialis est filia, idcirco sanctissimo apostolatui vestro, ut patri filius, specialem exhibemus reverentiam, & ut vestræ sanctitatis auctoritas inter seculi turbines incolumi tranquillitate potiatur, quotidianam Deo orationum & supplicationum offerimus victimam. Noverit autem excellentia vestra, quod hodie homo non vivit, quem pax & tranquillitas vestra magis lætificet; & si quid secus est, quod absit, quem magis contristet. Sed unum est quod pace vestra dictum est, quod vehementer miramur, scilicet quod ad apostolatum vestrum devotionis nostræ aliquando scripta misimus, & nulla sanctitatis vestræ rescripta meruimus. Quomodocunque ergo illud contigerit, nunc humili supplicatu vestram exoramus paternitatem, ut quia regni nostri estis corona, & totius Romani Imperii diadema, filii vestri Domini mei Heinrici Regis semper in bono meminisse dignemini, & sicut & hactenus consilio & auxilio cum vera fide affuistis, ita cum eo usque ad coronam imperii apostolica constantia persistatis. Præterea quæ vice magni illius Petri vobis specialiter injuncta est sollicitudo omnium ecclesiarum, & ad apostolicum verticem referendæ sunt majorum causæ negotiorum, idcirco hunc literarum portitorem ad vestram dirigimus sanctitatem, qui heu diaboli fallente instinctu consanguineum suum interfecit. Cujus rei seriem, quod longum est epistolari schedæ inserere, ipse, si dignemini, viva voce melius explicabit. Complevit autem pœnitentiale jejunium & cetera, quæ ecclesiastico more traduntur pœnitentibus ad remedium. Pœnitentiam ejus humilem nimis & devotam accepimus. Quod reliquum est vestræ auctoritati reservavimus. Hic vestræ sit mansuetudinis, ut eum clementissima apostolicæ medicinæ manu ad integrum sanetis, &, quod ad restitutionem suam eum devotum accepimus, nostri causa quasi medicamentum vestrum sentiat lenius. Qui vos olivam fructiferam plantavit in domo Domini, multiplicet sanctitatem vestram, sicut cedros libani.

CXXVII.

S. Moguntinus id quod est Dei gratia H. sanctæ apostolicæ sedis Archidiacono & Archicancellario salutem & fraternæ dilectionis integram veritatem. Plurimum gratiarum vestræ referimus caritati, pro eo quod omnibus & legationibus & rationibus nostris quas ad sedem apostolicam direximus, semper dextere stetistis, & in omni disceptatione & negotio semper partes nostras sapientiæ & bonæ voluntatis vestræ scuto defendistis. Postmodum multiplices vobis gratias referimus, demum ut quæcunque occasio subluceat, qua vobis vicem dilectionis rependere possimus, vehementer exoptamus. Licet enim inter multimoda ecclesiæ, quæ quotidie portatis, negotia, nihil in Dei gratiam requiratis, neque de terrenis rebus quicquam ad ordinandum potius, quam ad possidendum attingere velitis, tamen quia hilarem datorem, ut permulta Deo possit dare, necesse est multa juste habere, mandamus vestræ dilectioni, ut si quid nimirum est, quod vestro sedeat beneplacito, si nobis scire detur, statim vestrum fiet ex nostro. Quis itaque tantum virum non possit diligere? quis ei quicquid audeat denegare? Rogamus autem dulcedinem vestræ charitatis, ut per vos legationi nostræ, quam nunc ad sacram sedem apostolicam dirigimus, aditus pateat, & de his, quæ postulamus, vestra ope effectum obtineat; scilicet, ut ad synodum, quam super rebellibus Thuringis pro decimationibus decrevimus celebrare, Dominus apostolicus dignetur mittere, qui & synodo prosint, & auctoritate ejus determinentur, quæque determinanda occurrerint. Quod si hoc fieri nequit, saltem scriptis beatitudinis ejus nostra synodus roboretur, & rebellium temeritas tali auctore, comprimatur. Ammonitatur ergo dilectio vestra, ut hoc obtinere valeat petitio nostra.

CXXVIII.

Summo Pontifici & universali Papæ S. Moguntinæ sedis speculator debitæ subjectionis reverentiam, & omnimodæ servitutis exhibitionem. Caput nimirum Christus ita membrorum suorum compagem glutino caritatis cohærere facit in unum, ut cum in uno corpore multa sint membra non eundem actum habentia, in unam tamen conveniant perfecti corporis pulchritudinem, in unam consentiant veræ fidei sanitatem. Ea namque est corporis

 Christi,

Digitized by Google

Christi, quæ est ecclesia, vera perfectio & perfecta pulchritudo, quæ evangelicæ veritatis soliditate fundata, & apostolicæ confessionis Petra fundata uni Deo in trinitate fide servit & opere. In hoc ergo Christi corpore & inter hæc summi capitis membra quemcunque teneam locum, quodlibet geram officium, ad vestram, mi sanctissime patrum pater, auctoritatem refero, vestris opitulantibus meritis illi cœlesti Jerusalem inter vivos lapides incorporari confido. Quapropter, sicut filius omnia sua ad patrem referens, notum facio vestræ sanctitati, me pro remedio delictorum & desiderio supernorum sanctam adire Hierosolimam & sacram Dominici corporis venerari, & osculari velle sepulturam, quem quia corporaliter nequeo videre in sede majestatis ejus, saltem hoc recreet desiderium meum, si detur adorare in loco, ubi steterunt pedes ejus; apud quem si humillimæ preces nostræ aliquid valebunt, vitam, salutem & omnia vobis optata fideliter obtinebunt. Quorum vicissitudine vestris orationibus & ipse peto adjuvari, ut, quod in me minus perfectum est, vestris meritis possit impleri. Propterea sanctissimo apostolatui vestro humili suggero devotione, ut meminisse dignemini antiquæ conquestionis meæ, & sanctissimæ promissionis vestræ super Halberstatensi Episcopo, qui non contentus honore prædecessorum suorum, illustrium utique virorum, novum sibi usurpavit Papatum, abjectoque superhumerali & rationali, qui illi inter sacra missarum solennia utebantur, novo in ecclesia pallio stupentibus parietibus gloriatur, nova cruce non ad orandum, sed ad jactandum inter erubescentes lanceas & gladios in equitatu suo extollitur, non attendens scriptum, ne transgrediamur terminos antiquos, quos posuerunt patres nostri, neque sacris obediens canonibus, in quibus salubriter cautum est, in ecclesia propter scandalum novitatis induci. Si enim in rebus secularibus suum cuique jus & proprius ordo observatur, quanto magis oportet, ut in ecclesiasticis dispositionibus nulla confusio inducatur. Non enim fas est ibi discordiam locum habere, ubi præcipue inter sacerdotes Christi pax & concordia debet regnare. Quod cum diligenter observatur in ecclesiasticis negotiis, si plus valet æquitas, quam potestas. Quapropter apostolatus vestri auctoritate hoc novitatis scandalum de ecclesia auferatur, & unanimitas fratrum, quæ hoc usurpativo tumore potius, quam honore, concussa est, ad suam pacem revocetur. Non enim hæc causa mea est, sed generaliter fratrum; non ego solus hoc sanctitati vestræ suggero, sed omnium fratrum querelas & preces ad vestram sanctitatem refero. Igitur auctor scandali ad rectam viam auctoritate vestra reducatur, & id quod fratres scandalizans usurpat, ea potestate, qua cœlum aperitis & clauditis, deponere cogatur, & ita cessabit conquestio fratrum, & fideliter vobis deserviet unanimitas sacerdotum.

CXXIX.

Domino beatissimo & vere apostolici culminis honore reverendo Episcopo Sancto patrum patri & summo præsulum præsuli A. Moguntinæ speculator ecclesiæ quicquid filius patri & membrum capiti. Apostolicæ instructionis documento didicimus, matrem ac radicem virtutum esse caritatem, cui quicquid inferitur boni operis, Christo incrementum dante, parit fructum æternæ beatitudinis. Hoc in sanctissimo pectore vestro æternam posuit sedem, & in fœcundissima cordis nostri terra altam fixit radicem, de qua, rore cœlestis gratiæ irrigante, per totam sanctæ ecclesiæ aream multiplices sacræ doctrinæ & bonorum operum protenduntur rami, quorum fructifera ubertate aluntur, & umbra proteguntur oves, quas pascendas suscepistis vice illius magni Petri. Hac quoque dictante, nos quoque, qui sanctissimo apostolatui vestro in fructiferam olivam sumus inserti, & sub clavigera tanti Pontificatus manu in opus ministerii assumpti, nos, inquam, semper paternæ donationis benevolentia gratanter accepistis, & quicquid consulendum & corrigendum ad apostolicum vestri culminis verticem retulimus, nostræ favendo parti, ut patrem decuit, ad meliora direxistis. Nunc, sicut oportet, reverendissimæ celsitudini vestræ multiplices gratiarum actiones & humile exhibemus inclinium, continuis orationum victimis divinam exorantes clementiam, ut ad stabilitatem sanctæ ecclesiæ suæ longævum & incolumem custodiat apostolatum vestrum. Et sicut in proximis, quas ad sanctam sedem vestram direximus literis, ita nunc quoque humili supplicatu vestram deprecamus sanctitatem, ut quæ corona regni & diadema Romani Imperii in manu vestra & per manum Petri filii vestri Domini mei H. Regis semper in bono meminisse dignemini, & sicut a primitivis sanctæ invocationis vestræ exordiis primitias regni ejus adhuc pueriles consilio & auxilio fovistis & enutristis, ita apostolici vigoris constantia usque ad coronam imperii cum eo persistatis. Præterea adhuc antiquam nostram super rebellibus Thuringis conquestionem ad notitiam almæ sedis vestræ referimus, obnixe rogantes, ut armata manu, gladio Spiritus S. usque ad expugnationem eorum nobis dexteram auxilii feratis. Suggerimus quoque sanctitati vestræ, quod Synodum super his post pascha celebrare decrevimus, ad quam de latere vestro legatos mitti postulamus, qui auctoritate vestra & Christi synodo præsint, & hæc quæ de Thuringis agimus, canonice terminent, & si quæ alia corrigenda occurrerint. Quod si fieri nequit, aliis vos occupantibus negotiis, saltem petimus ipsum Synodum nostram & apostolicis sanctitatis vestræ literis roborari, quæ & rebellibus anathema denuncient, & quoque mihi canonice gesta vestra auctoritate confirment. Quia vero maxima quoque ecclesiasticæ disciplinæ negotia ab ipso præsulum vertice debent examinari, cujus ex injuncta omnium ecclesiarum sollicitudine speciale privilegium est,

est, quod per nos non possumus corrigere, ad patrocinium almitatis vestræ referimus, quæ & jam pridem ad vos pervenisse cognovimus, de crudelissima & inaudita nece designati Trevirensium Episcopi, qui Christianis temporibus nefandissima & sceleratissima vel Romanæ & Decianæ persecutionis cruciamenta expertus, horribili & execrabili pœnarum genere addictus est morti. Ad cujus monstruosæ necis ultionem testamenti sui recordatus, primum assurgat Dominus Jesus Christus, deinde vestræ auctoritatis fortissima & patrocinalis manus. Sacris namque canonum decretis sancitum est, ut sicubi Episcopus ordinetur, qui vita & moribus a tanta discrepet dignitate, vel qui ad tantum adscendat apicem subreptione, non electione, ei audientiam non negari, sed hoc tamen propter sententiam Romanam Pontificis non debere fieri. In qua re si se clerus vel populus cujuslibet civitatis singulari potentia viderit prægravari, ad sacram sedis defensionem habeant confugium, cui præcipiente Domino delegatus est primatus omnium ecclesiarum. Hic vero ne dum isti daretur audientia, de quo agitur, canonica, ne dum vestri examinis expectaretur sententia, qui furtiva latrocinantium manu captus & spoliatus, dein gravissima de loco ad locum transportatione afflictus, tandem, ut asseritur, communi illorum consilio, morte turpissima multatus est. Qua de re quam graviter unanimitas fratrum sit concussa, quam atrociter audax facinorosorum hominum violentia, ad sacri ordinis injuriam sit erecta, vestræ sanctitatis est, prudenter perpendere, & hoc nefarium scelus canonice ulciscendo, ne de cetero tale quid præsumatur, posteris exemplum relinquere. Orat ergo sanctitatem vestram socialis fratrum nostrorum concordia, & hæc vestri culminis patrocinio tota implorat ecclesia, ut tanti sceleris auctores diligentissime perquiratis, inventos districtissime puniatis: quod si forte dissimulando latent, gladio Spiritus Sancti, velut putrida membra, de corpore Christi abscindatis, & ut omnes etiam sacerdotes nostri eos perpetuæ maledictionis feriant anathemate, firmissime præcipiatis.

CXXX.

Reverentissimo patri noviter sacerdotio primæ sedis Apostolicæ insidato, S. moguntinæ dispensator ecclesiæ, sedulam benevolentiæ servitutem, & debitam obedientiæ subjectionem. Semper quidem desiderio desiderabamus, eum apostolicæ sedis præsulem esse; qui vita & moribus, verbis, exemplis ad salutem præesset, & prodesset sanctæ Dei ecclesiæ. Nunc vero, quomodo mellifluі facti sunt cœli solito dulcius distillantes rorem gratiæ Dei, divina miseratio votis nostris solito cumulatius satisfecit, & eum, quem maxime optabamus, eidem sanctæ Romanæ ecclesiæ præfecit, qui nobis semper dexter stetit in omnibus negotiis, nunquam nobis defuit in nostris. Unde totis præcordiorum medullis gratias agimus Deo altissimo, qui cathedram Petri, caput scil. ecclesiarum, vestro, mi reverende pater, illustravit & ornavit sacerdotio, humili supplicatu orantes & deprecantes, ut qui primitias apostolatus vestri perfudit oleo lætitiæ præ participibus vestris gratiam & pacem multiplicet ecclesiæ suæ cunctis diebus vestris. Optamus autem promereri, ut peculiarem gratiam apud vos obtineamus, & a vestra paternitate specialem nobis provenire clementiam, non solum ea charitate, quam universali debetis ecclesiæ, sed etiam eo gratiæ privilegio, quod semper sacra sedes vestra Moguntinæ impendit ecclesiæ, ut pia mater speciali filiæ. Hac ergo freti gratia in omnibus, quæ nobis obviant, ad vos recurrimus, & quicquid nobis adversatur, ad vos, velut membra ad caput, referimus. Unum humiliter intimamus vestræ sanctitati, quod sub antecessore vestro piæ recordationis Papa A. contigit, nos, ut salva reverentia dixerimus, injuste præjudicium pati, & inclementer deturbatos esse ab eo jure quod sacri canones & patrum scita metropolitanis jubent servari. Denique eidem sanctissimo patri de fratre & suffraganeo nostro Episcopo Pragensi sinistra relatione suggestum est, & me ignorante ab inimicis apud eum accusatus est, unum & hactenus insolitum ab eo exiit edictum, ut eundem fratrem & coëpiscopum nostrum nec inter fratres suos canonice prius auditum, nec canonice ad se vocatum, nec inobedientiæ culpa denotatum, non solum ab officio suo suspenderit, sed etiam rebus & reditibus suæ ecclesiæ omnino spoliaverit, & extruserit, ita ut missis nuntiis publice nunciari fecerit in clero & populo, ut eum, qui excomunicatum habentes, nihil quod episcopi esset vel quærerent vel acciperent ab eo. Quod factum si apostolicam deceat mansuetudinem, si decretorum servet auctoritatem, vestram non præterit sanctitatem. Debuit namque juxta decreta canonum, ad nos primum causa deferri, & ad concilium vocatus intra provinciam, inter fratres suos audiri; ego vero & fratres mei deberemus ad apostolicam sedem, velut ad caput nostrum referre, si tanta res esset, ut per nos nec posset, nec deberet terminari. Nunc autem frater noster & coëpiscopus a sede sua vagus & profugus, &, ut diximus, rebus & reditibus ecclesiæ suæ injuste spoliatus, & extrusus, indignum patitur judicium, & omnibus fratribus & coëpiscopis nostris magnum inde provenit scandalum, & episcopale nomen & officium, quod apud Deum & homines sacrum est, intolerabile patitur obprobrium. Porro ecclesia illa jam multis diebus pastorali caret administratione, & unico pastore vidua episcopali vacat benedictioni, in quo Episcopus ille, qui expulsionis & perturbationis hujus auctor est, ejus sibi usurpat officium, & quod omnibus conciliis & decretis maxime cautum est, consecrando, & confirmando eundem circuit episcopatum, quod maxime ob hoc periculosum est, quod gens illa catholicæ fidei novella est plantatio, & nondum radicata & fundata in Chri-

Digitized by Google

chriſtianiſſimo, & facile ad antiquum paganiſmi revolabit errorem, ſi inter paſtores ſuos tantam viderit durare diſſenſionem. Quapropter ego & omnes fratres mei veſtigiis veſtræ ſanctitatis affuſi oramus & obſecramus, primum eccleſiæ rationes nec non maligni hujus temporis inclamare importunitates. Habebam quoque de quibusdam agere vobiſcum ipſe præſens, quod nec literis intexere, nec nuncio etiam alicui fideliſſimo habeo aperire. Quapropter præſentes fratres cum literis meæ excuſationis ad vos dirigo, qui vobis ſuggerant, quod ad vos non veni, non eſſe temeritatis, ſed inevitabilis & ſupremæ neceſſitatis. Noverit autem ſancta paternitas veſtra, quod non eſt homo in terra me vobis fidelior, & ad omne præceptum veſtrum implendum devotior, nec adventum meum ad vos aliquod negotium poſſet retardare, ſi tamen juvarer virium valetudine. Pro inveterata autem Thuringorum obduratione novam vobis facio conquæſtionem, qui ſicut ſemper, ſic etiam adhuc Spiritui Sancto ejusque juſtiſſimis reſiſtunt legibus, redituum ſuorum negando decimationem, usque adeo, ut dum monerem eos, ut omnipotenti Deo obedirent, ipſi e contra armata manu promiſcuæ plebis me & meos obſiderent niſi Dominus omnipotenti manu liberaviſſet, forſitan crudelitas eorum usque ad internecionem in nos deſæviſſet. Unum rogo ſacram paternitatem veſtram, ut contra tam nefarium, tamque inſolitum facinus reſpectu eccleſiaſticæ diſciplinæ nobis compaciendo ſuccurratis, & contra inimicos Dei gladium arripiatis, quatenus ſentiat contumax & rebellis ſerva Thuringia, quod adhuc in clavigera manu Petri vivit & regnat imperatrix Roma.

CXXXI.

Alexandri Papæ Decretum.

Alexander Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei omnibus Epiſcopis catholicis, cunctoque clero & populo ſalutem, & apoſtolicam benedictionem. Vigilantia univerſalis regiminis aſſiduam ſollicitudinem omnibus debentes, quæ in Conſtantiana ſynodo nuper celebrata coram centum & amplius Epiſcopis, licet nobis in meritis præſentibus ſint canonice inſtituta, vobis notificare curamus, quæ ad ſalutem veſtram executores eorum vos optamus & ex apoſtolica auctoritate jubendo mandamus. Primo namque inſpectore Deo ſic a ſancto Papa Leone & beatæ memoriæ Papa Nicholao imprimis ſtatutum eſt, erga Symonicanos nullam rationem in dignitate conſervanda habendam eſſe decrevimus, ſed juxta canonum ſanctiones & decreta ſacrorum patrum eos omnino damnamus, ac in eccleſia non præeſſe apoſtolica auctoritate ſancimus. De his qui non per pecuniam, ſed gratis a ſymoniacis ſunt ordinati, quæſita jam longo tempore & diutius quæſtione ventilata, omnem nodum dubietatis abſolvimus, ita ut ſuper hoc capitulo neminem deinceps ambigere permittamus. Quia igitur usque adeo hæc venenata pernities hactenus inolevit, ut vix quælibet eccleſia valeat reperiri, quæ hoc morbo aliqua ex parte non ſit corrupta, eos qui usque modo gratis ſunt conſecrati a ſymoniacis, non tam cenſura juſtitiæ, quam intuitu animæ, in acceptis ordinibus manere permittimus, niſi forte alia culpa ex vita eorum ſecundum canones obſiſtat. Tanta quippe talium multitudo eſt, ut dum rigorem canonici vigoris ſuper eos ſervare non poſſumus, neceſſe ſit, ut diſpenſatorie ad piæ condeſcenſionis ſtudium animos noſtros ad præſens inclinemus, ita tamen ut auctoritate ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli omnimodis interdicamus, ne aliquis ſucceſſorum noſtrorum ex hac noſtra permiſſione regulam ſibi vel alicui præſumat vel præfigat, quia non hanc antiquorum patrum auctoritas jubendo aut concedendo promulgavit, ſed temporis nimia neceſſitas permittendo a nobis extorſit. De cætero autem ſi quis hinc imposterum ab eo, quem ſymoniacum eſſe non dubitat, ſe conſecrari permiſerit, & conſecrator & conſecratus non diſparem damnationis ſententiam ineat, & uterque depoſitus pœnitentiam agat, & privatus a prima dignitate perſiſtat. Præter hoc autem præcipiendo mandamus, ut nullus miſſam audiat presbiteri quem ſcit concubinam indubitanter habere vel ſubintroductam mulierem. Unum ſancta ſynodus hoc a capite ſub excommunicatione ſtatuit, dicens: Quicunque ſacerdos vel diaconus vel ſubdiaconus poſt conſtitutum beatæ memoriæ prædeceſſoris noſtri ſanctiſſimi Papæ Leonis aut Nicholai de caſtitate clericorum, concubinam duxit palam, vel ductam non reliquit, ex parte omnipotentis Dei & auctoritate Petri & Pauli præcipimus, & omnino contradicimus, ut miſſam non cantet, neque evangelium legat ad miſſam, neque epiſtolam legat neque in presbiterio ad divina officia cum his, qui privatæ conſtitutioni obedientes fuerint, maneat, neque partes ab eccleſia ſuſcipiat. Et præcipientes ſtatuimus, ut hi prædictorum ordinum, qui, eisdem prædeceſſoribus noſtris obedientes, caſtitatem ſervaverint, juxta eccleſias, quibus ordinati ſunt, ſicut oportet religioſos clericos, ſimul manducent & dormiant, & quicquid eis ab eccleſiis conpetit, communiter habeant. Et rogantes monemus, ut ad apoſtolicam ſedem, communionem, vitam pervenire ſtudeant, quatenus perfectionem cum his conſequi, qui centeſimo fructu ditantur, & in cœleſti patria mereantur adſcribi. Demum & primitiæ ſeu oblationes vivorum & mortuorum eccleſiis Dei fideliter reddantur a laicis, ut in diſpoſitione epiſcoporum ſint, qui eas renuerint a ſanctæ eccleſiæ communione ſeparentur, & per laicos nullo modo quilibet clericus aut presbiter obtineat eccleſiam, nec gratis, nec pretio: nec aliquis presbiter veras eccleſias obtineat: ut per ſymoniacam hæreſim nemo ordinetur vel promoveatur ad quodlibet officium eccleſiaſticum: ne de eccleſiis ejiciatur: & ut nullus monachilem habitum ſuſcipiat, ſpem aut promiſſionem habens, ut abbas fiat: ut nullus laicus ad quemlibet gradum repente promoveatur eccleſiaſticum, in quo mutatum habitum ſecularem

Digitized by Google

larem diutina curſatione inter clericos fuerit comprobatus. Vos ergo hæc & alia ſacrorum patrum ſtatuta fideliter chriſtiana reverentia obſervate, ſi vultis ſanctæ Romanæ eccleſiæ & apoſtolicæ ſedis pace & communione atque benedictione & abſolutione gaudere.

CXXXII.

Epiſtola Sigifridi Moguntini archiepiſcopi ad Gregorium Papam.

Domino venerabili & patri in Chriſto amabili Gregorio primæ ſedis antiſtiti S. Moguntinus, id quod eſt gratia Dei, debitæ obedientiæ ſubjectionem, & ſedulam obſequii devotionem. Quid cauſæ intercedat, & quid impedimenti intercipiat, quod ſacro huic ſanctæ apoſtolicæ ſedis Concilio intereſſe non poſſum, ſicut jam priori legatione ſignificavi, ita & nunc ſanctæ paternitati veſtræ ex ipſa veritate denuncio, videlicet, quod eodem paraliſis morbo quo tunc laborabam, non quidem remiſſius, ſed in dies auctius acriusque laboro. Non hoc prætermitto aut faſtu ſuperbiæ, aut contemptu inobedientiæ, quem animæ morbum divina miſeratio longe faciat a me. Non enim cujuslibet negotii quamlibet maximi me retinere poſſet impedimentum, cum me ad vos non ſola ducit voluntas, ſed & ardens trahit deſiderium. Mea namque intererat, & hæc obedientiæ ratio & caritatis ordo poſcebat, ut huic conſortio ſanctorum intereſſem, & de præſentia vel allocutione atq; de ſalutifera collatione divini patris mei Gregorii & Chriſti ſacerdotum hilareſcens, in melius proficerem. Non pœnitendum eſſet longæ viæ & magni laboris, quippe inde proveniret fructus magnæ ſalutis. Maximas autem grates cum humili inclinio veſtræ refero ſanctitati, quod legationi noſtræ tam clementer aurem inclinaſtis ipſosque legatos bene admiſiſtis & melius dimiſiſtis, quodque placuit veſtræ ſanctitati antiquæ dilectionis & germanæ affectionis noſtræ tam benigne reminiſci, nec in ſumma ſpeculationis arce, & in ipſa omnium eccleſiarum ſollicitudine duxiſtis prætereundum, quod olim adhuc in ipſa privata converſatione Chriſti inter nos fuerat caritate conjunctum. Primum multiplices erga me benignitatis veſtræ gratias nulla temporum longinquitate deleri, nulla unquam rerum vel eventuum inæqualitate poterit obliterari; ſed ad hoc remedium noſtra ſedulo vigilabit induſtria, ut in hac perſeverare veſtra dignetur benevolentia. Quod autem in commonitorio veſtro poſuiſtis, me veſtræ paternitati ſecretorum imo ſalutis meæ commiſiſſe conſilium, quod alia quædam, & correctionis limam addidiſtis ad caſtigationem vitæ & morum; hoc ſemper feci & ſemper faciam, nec ab hoc opere unquam vita comite deſiſtam, & quod ibi cautum eſt, cautiſſime cavebo, & quod ibi præceptum eſt, prout vires dederit Deus pleniter adimplebo. Et ſi aliter de me alicujus adverſantis vobis ſuggeret relatio, noverit ſanctitas veſtra, quod unitatem ſcindere & caritatem corrumpere ſuo mendacio conetur, niſi forte hoc accuſet quod aliquando illud, quo me caſtigo, frenum diſciplinæ aliquantum laxare conſilio fratrum compellor cauſa medicinæ. Porro quod de examinandis Epiſcopis, quos mihi nominaſtis, & introitum eorum & converſationem diligentiſſime inquirere, & per nuncios noſtros vobis inſinuari mandaſtis, perpendat vigilans ille oculus ſapientiæ veſtræ, quod a reditu legatorum noſtrorum usque ad hanc iteratam legationem, non tantum erat temporis interſtitium, ut vel fratres colligere vel examinationis etiam poſſem habere judicium, non aliud ſuper hac re adhuc vobis de his intimare valeo, quam quod vel vos ſcitis vel communis habet opinio. Verum literas veſtras illis quantotius direxi, & ut mandatum veſtrum impleant, etiam noſtris literis diligenter ſubmonui. De pœnitentia autem Straſburgenſis Epiſcopi nihil certi poſſumus vobis reſpondere, quod nec, ſi ei injuncta eſſet, antehac ſcivi, nec, ſi eam obſervet, propter temporis compendium inquirere potui. De caſtitate vero clericorum & de ſymoniaca hæreſi, ad ſummam de omnibus, quam mihi mandaſtis, ſemper, prout ipſe adjuverit, obediam Deo & vobis. Erit autem apoſtolicæ manſuetudinis & paternæ dilectionis, ſi ad fratres mandata dirigere eccleſiaſtica, ut & temporum opportunitates & ſingulorum poſſibilitatem dignemini inſpicere, ut & deviantibus & diſcolis adhibeatur diſciplina quæ debetur, & infirmis & opus habentibus medico compaſſio caritatis non negetur, ſæpeque examinatis negotiorum cauſis adhibeatur judicii cenſura, ut apoſtolicæ diſcretionis & paternæ pietatis modum non excedat juſtitiæ menſura. Sacrum apoſtolatum veſtrum pro nobis orantem Samarites ille cuſtodiat, qui in cuſtodiendo ſuum Iſrael non dormit neque dormitat, & diviſiones gratiarum, quas in clave Petri adunavit, ipſe in vobis unitas integrasque conſervet, qui ipſam clavem vobis commiſit.

CXXXIII.

Ejusdem Epiſtola ad eundem.

Specialis reverentiæ patri Gregorio primæ ſedis antiſtiti S. Moguntinus id quod eſt Dei gratia, quod patri filius, quod prælato ſubjectus. Adhibito deſidiæ paſtorum & negligentiæ ſacræ exhortationis & ammonitionis incitamento, vigilantia paſtoralis officii veſtri, mi reverende pater, nos quia de ſomno excitavit, & ut opus evangelii, ad quod ſervi patris familias deputati ſumus, indeſinenter curemus implere, quam ſtudioſe incitat, tam religioſe invitat. Sacra namque eſt pia ſollicitudo providi paſtoris, beata & renumerabilis executio hujus divini operis, ſed heu multum reclamat rerum vertigo, & iniquitas temporis. At vero ſi dies mali ſunt, tamen ammonita veſtra vigilanti cautela tempus redimendum eſt, ne ſi propter auræ intemperiem vineam Domini culturare deſiſtat, de negligentia condemnetur quilibet inutilis operarius, & ſi tempeſtas hodie ingruit quæ nos ab opere repellat, cras cœlitus reddita ſerenitate ſtudium nimirum in id ipſum recurrat. Itaque indixit auctoritas veſtræ ſanctæ paternitatis,

tis, ut statuta die collectis fratribus ex apostolicæ legationis mandato Concilium debeamus celebrare, & quicquid in provincia aut in regno nostro vel per symoniacam hæresin vel quomodocunque contra regulam ecclesiasticæ rectitudinis perperam gestum aut male usurpatum vel temere præsumptum occurrerit judicio fratrum recidere non differamus falce justitiæ. Quod præcipitis mihi, pater, æquum est & justum, & hoc per provincias bis in anno fieri mandant decreta sacrorum canonum; sed ad quod decretorum auctoritas & vestra paternitas impellit, ad hoc & rerum inæqualitas & hujus maligni temporis importunitas nos longe repellit. Denique auditum credimus vestræ paternitati, quantus in regno nostro motus, quanta sit perturbatio, quam periculose bella grassantur & seditiones, sicut audivimus in evangelico. Auditum, inquam, credimus vobis de bello, quod a Domino nostro rege factum est contra Saxones & Thuringos, & quomodo dextra Domini prostraverit & fugaverit rebelles & impios, & tamen adhuc in eadem obstinatione perdurant etiam victi, & iterum perfidiæ caput levant, ac totius regni gladios contra se acuentes iterum recidua bella parant. Unum timemus, quod pro peccato populi de vagina sua eductus sit gladius Domini, & tamen per nostram aliorumque sanctorum propicietur intercessionem, forsitan desæviet usque ad internuntionem. Soluto namque pacis vinculo & rupto disciplinæ freno, gens insurgit contra gentem de terminis regni, Hostilis gladius exterminavit concordiam & pacem, & ita obmutescentibus evangelii tubis, nec præco clamoris vocem, nec populus habet audiendi aurem. Hostili præda & pervasione magna ex parte deperiit res & reditus Episcopi nostri, & hoc idem patiuntur plurimi fratres nostri, neque hæc rerum angustia eos patitur venire ad concilium. Huc accedit, quod plures coëpiscopi nostri, qui ad concilium vocati sunt, non sunt in gratia principis, nec usquam audent progredi sine dispendio salutis suæ. Et si consideremus eos episcopos, qui accusantur, & eos qui adesse non audent, si concilium congregetur, vix inveniuntur, qui judicent. Accedit hic etiam ad cumulum nostri timoris & exaggerat vim nostri doloris, quod si de diversis imo adversis regionibus ad Concilium convocentur, qui ad invicem inimicantur, dum putamus nos colligere ad concilium fratres, paratas habeamus acies ad bellum: & dum corrigendis erroribus & sopiendis querelis in unam tendimus pacis ecclesiasticæ communionem, forsitan, nisi Deus prospiciat, conventus noster turbabitur usque ad internecionem. Recordetur autem sanctitas vestra, quod propter Wultensem abbatem aliquando contigerit Goslariæ, quot boni milites in ipsa vespera Pentecostes gladio peremti sunt intra septa ecclesiæ perfusa sunt altaria sanguine interfectorum, & instigante diabolo totum profanatum est sanctuarium. Et tunc certe omnes convenerant ad curiam sub specie pacis, nisi quod inter eos latebat quædam simultas, quasi doloso cineri suppositus ignis. Et quid credimus futurum, si illi, qui aperte inimicantur, congregentur in unum. Pro his & pro hujusmodi fratres nostri, qui sunt sanioris sententiæ, dicunt sibi bonum videri, ut adhuc Concilium differatur, donec videamus, si quomodo reddita pace Dominus propitietur. Nos autem omnibus consiliis & conciliis vestram præferimus sententiam, id quod nobis indicitis nullo modo propter vestram obmittemus conscientiam. Unde statim post regiam expeditionem multa cum festinantia nostram vobis dirigemus legationem, nec ad hoc intemperiem considerамus anni, ut advertatis, quanti nobis constet auctoritas præcepti vestri. Ergo sapientia vestra, quæ in se ipsa cuncta metitur, retractet, quis hujus perturbationis provenire possit eventus; & pericula, quæ timemus, consilio & oratione præveniens disponat in melius, & quicquid dictante Spiritu sancto super hujusmodi fieri decernitis, nobis de oraculo sacri pectoris vestri respondere velitis. Quod si probatis, propter pericula, quæ timemus, ad præsens indictum concilium differatur, & quidnam vobis placuerit, & oportunitas evenerit, celebretur in id ipsum.

CXXXIV.

Epistola Moguntinæ ecclesiæ ad Sigifridum Archiepiscopum suum.

Patri ac pastori suo quam venerabili, tam desiderabili Sigifrido archipræsuli oves pascuæ ejus, scilicet universus Moguntinæ sedis clerus & populus, senes cum junioribus, divites cum pauperibus unanimi devotione sedulas orationes, easque cum lacrimis solito impensiores. Obsecramus te, venerande pater, & obtestamur per eum, cujus pretioso sanguine sumus redempti, per pastoralem curam, qua tibi sumus commissi, per tremendum superni regis judicium, perque illud terribile tribunal, cui in die judicii debes astare, & de nobis principi pastorum rationem reddere, ut memineris diei illius, in qua divinæ consecrationis oleo delibutus, suscepisti curam animarum nostrarum, & in apostolicam promotus benedictionem, vice Christi factus es pastor ovium, scilicet quando datus est tibi annulus desponsionis ecclesiæ & baculus pastoralis curæ; accepisti quoque claves regni cœlorum & judiciariam sedem in choro Apostolicorum. Recordare, quæso, illius dulcissimi verbi, quod tibi eadem die dictum est, ut semper memineris Dei & ejusdem diei. Ergo pater, cur nos deseris, aut cur nos desolatos relinquis? Nonne accepisti annulum, ut ecclesiam tuam velut sponsam diligeres, baculum, quoque, ut eam a luporum incursione defenderes? Ubi est caritas illa, qua Christus pro omnibus suis animam suam posuit, & eadem caritate tibi regendas commisit. Quare projicis e manibus tuis claves regni cœlorum. Quare te ipsum detrudis de sede, immo de choro apostolorum. Optaremus quidem tuæ paternitati, ut ascenderes ad ea, si quæ essent, altiora, non te detruderes de summis ad inferiora. Fatemur, pater,

pater, eos benefacere, qui seculum relinquunt, quique se ipsos, sibi abnegantes, & crucem suam bajulantes post Christum vadunt. Sed hæc utique eorum est, qui sibi solis vivunt, qui in vinea Domini Sabaoth nullam colendi curam acceperunt, quibus satis est, si tantum possint se salvare, quia de nullo habent nisi de se, rationem reddere. Tu autem, Pater, melius regis seculum, quam relinquis. Propensius sequeris, & diligis Christum, si oves ejus pascis: quam ipse probationem dilectionis suæ in pascendis ovibus suis constituit, dicens: Si diligis me, pasce oves meas. Ut ergo salva reverentia dixerimus, tanto con vinceris minus Christum diligere, quanto te subtrahis a credita tibi ovium ejus pastione. Nam quidnam gratior ei erit, qui solus & vacuus a messe ad aream redibit, aut qui multos animarum manipulos & purgatum zizaniis triticum ad horreum Domini sui reportabit. Cur non recordaris evangelici illius dispensatoris, qui cum fidelis & prudens, distribuit familiæ Domini sui tritici mensuram, & crediti talenti felicem usuram reportat. In modico fidelis super multa constituitur, & beatificum audiens euge, gaudium Domini sui intrare jubetur. Numquid Petrus & Paulus & ceteri apostoli, quorum officio fungeris, ita crucem suam bajolantes sequebantur Dominum, ut seculum relinquentes, relinquerent & curam animarum? Nonne Petrus & pro lucrandis animabus exemplo magistri crucem subiit, & Paulus gladio cervicem præbuit? Nonne ipse Christus vita & salus nostra, coæternus & coomnipotens in sinu patris sui caritate salvandi hominis homo mortalis factus est in sinu virginis matris. Omnis ordo, omnis dignitas, omnis professio apostolicæ subditur dignitati, nec quicquam est in mundo eminentius, vel vicinius Deo, vita Episcopali, cui cedit omnis monachus, aut minor vel reclusus, omnis cœnobita vel heremita. Ergo, pater sanctissime, te per Deum perque salutem animæ tuæ, ut eorum, quæ diximus, velis recordari, & vigilantes jam oculos habeas ad tribunal Christi, non deseras nos oves ejus, quas suscepisti tuendas, ut ab eo non pœnam negligentiæ, sed mercedem obedientiæ accipias. Festina ad sedem tuam quantocius redire, & eos, qui in luctu & mœrore sunt, paterno affectu consolare. Jam enim res Episcopii tui hac illac diripiuntur, & multa alia ab officialibus regis invaduntur, per plurimas regiones tuas multa fit perturbatio, de invasione sedis tuæ inter multos contentio. Hæc, Pater, tuum unum caput omnia sedabit, has omnes perturbationes & contentiones sola præsentia tua in pacem reformabit. Denique si ecclesiæ scita & canonum jura permitterent te sedem tuam relinquere, & alterius professionis vitam instituere; tu tamen nihil unquam Deo posses melius servire, quam si intentionem exueres illam, & sedem & Episcopatum tuum ab his, qui invadere volunt, defenderes. Nunc ergo te patrem rogamus nos filii, te pastorem oves gregis tui, ut quantocius ad nos redeas, & dolorem & mœstitiam cordis nostri serenitate vultus tui detergas. Sin autem, primo invocabimus Deum patrem omnium, inclinabimur Christo principi pastorum, apostolicam adversum te adibimus sedem, in adjutorium invocabimus nostrum omnium ordinem & dignitatem, nullum in toto regno, quem non rogemus, dimittemus episcopum, te vivente nunquam pro pastore recipiemus mercenarium.

CXXXV.

Epistola Hermanni Babenbergensis, ad Hildebrandum Papam.

Reverendissimo sacro sanctæ sedis apostolicæ gubernatori Hildebrando, cum singulari servitutis devotione, unicam in omnibus obedientiam. Benedictus Deus & pater Domini nostri Jesu Christi, qui in tam periculosa multiplicium scandalorum tempestate celeberrimam vestri prudentiam ecclesiæ suæ gubernaculo præsidere voluit, ubi nec nocens fallit per astutiam, nec innocens periclitatur per invidiam. Et mea quidem humilitas ab ipsis vere primordiis ordinationis vestræ ad obsequium vestrum desideravit occurrere, sed emergentes ecclesiæ nostræ necessitates desiderium nostrum impediere. Verum cum has gratia Dei per vigilantiam nostram sopisset, ecce me Domini & excellentissimi regis dignatio invitum & reluctantem ad suas & imperii causas adtraxit, quam tamen difficultatem ego nullatenus præsumpsissem, nisi quendam gratissimum tam laboriosi oneris fructum certa spe suscepissem, scilicet, ut ecclesiæ meæ, utpote rudis, innumera dispendia resarcirem & fluctuanti regno aliqua, si possem, ope consilii subvenire. Accessit etiam minime negligenda occasio, ut animum Domini regis pravorum consiliis inconsiderate a vobis alienatum in vestræ paternitatis caritatem & concordiam reformari laborarem, quod tam regno, quam ecclesiæ usui fore sapientibus patet. In medio vero talium negociorum æstu, literæ vestræ me convenere, id monentes, ut synodo me pro inscripta causa præsentarem. Intelligo, Pater sanctissime, profanas invidorum æmulationes, dum commenta eorum domi evanuerunt, ubi veritas exagitata resplenduit, foris maximeque apud aures vestras, quæ possunt, & dum possunt conari, quorum impudentissima calumnia in facie ipsorum per gratiam Dei confutabitur. Verumtamen prudentia vestra provide præscripti angustias temporis vix tumultuariæ profectioni sufficere posse perpendat, nedum ad tantæ causæ disceptationem, quæ tam festinato apparatu nullatenus valet expediri. Ne tamen vel inobedientiæ suspicionem, vel conscientiæ scrupulum apud vos incurrerem, in excusationem non difficultatis, sed impossibilitatis prædictæ Diaconum nostrum ad vestigia vestra transmisi. Et quod susceptæ regni rationes Burgundiæ & ulterioris Galliæ fines me adire compulerint, quas etiam occasione votiva Jacobi beati visitatione me decrevi absolvere, cum illius intercessio & vestra oratio me adjuverit, ipse mihi quantocius Dei & vestro opitulante suffragio consulam, ne diutius

tius contra me æmulorum meorum grassetur invidia, nec mea jam ultra laboret innocentia. Omnipotens Deus apostolatum vestrum ad ecclesiæ suæ defensionem multo ævo custodiat, Domine sancte ac beatissime Pater.

CXXXVI.

Epistola Hildebrandi Papæ ad Heinricum regem de Hermanno Babenbergensi.

G. servus servorum Dei gloriosissimo regi Heinrico salutem & apostolicam benedictionem. Inter cætera virtutum bonarum opera, fili karissime, ad quæ te meliorationis studio assurgere fama referente audivimus, duobus te modis sanctæ matri tuæ romanæ scil. ecclesiæ commendasti, in altero quidem, quia symoniacis viriliter resistis, in altero vero quod clericorum castitatem utpote servorum Domini & libenter approbas & efficaciter implere desideras. Quibus de causis signum nobis proposuisti, opitulante Deo, altiora de te & præstantiora quæque sperandi. Quapropter & hoc te firmiter retinere optamus valde & Dominum Deum nostrum, ut ea tibi cumulatius augere dignetur, suppliciter exoramus. Ceterum de Babenbergensi ecclesia, quæ sui fundatoris instituto sanctæ Apostolicæ sedi tanquam omnium capiti, membrorum scilicet propinquius, specialiori quadam cura sollicitudinis inhæret vehementer dolemus & ejus desolationi pro viribus occurrere, opitulari, consulere, officii nostri necessitate compellimur. Symoniacus enim ille Heinericus dictus Episcopus hoc anno ad synodum Romam venire contempsit, sed cum proprius Romam venisset in itinere substitit, & præmittens nuncios suos cum copiosis muneribus noto sibi artificio innocentiam nostram & confratrum nostrorum integritatem pactione pecuniæ attemptare, atque, si fieri posset, corrumpere molitus est. Quod vero præter spem evenit. Jam de dampnatione securior festinanter retrocessit, & blandis fallacibusque promissis clericorum, qui secum erant, animos lactans, ajebat, se, si in patriam repedaret ab Episcopatu cessaturum & monasticæ vitæ professionem subiturum. Quam sponsionem quomodo impleverit, Celsitudinem tuam, fili dilectissime, non latet, quin etiam temeraria ulterius progressus audacia, clericos ecclesiæ suæ salutem & honorem quærentes, bonis suis despoliavit, & nisi eum tua, ut audivimus, regalis potentia refregisset, penitus confudisset. His excessibus ejus diligenter consideratis, ab episcopali atque sacerdotali officio eum dejecimus. Insuper quoniam Babenbergensem ecclesiam apostolica tuitione munitam crudelius atque molestius quam ante infestare præsumpsit, anathematis eum vinculo innodamus, donec ecclesiasticam dignitatem illicite usurpatam deponat, & se nihilominus sedis apostolicæ judicio repræsentet. Nunc ergo, Excellentissime fili, sublimitatem tuam hortamur, & pro nostræ sollicitudinis debito suademus, ut religiosorum consilio virorum eadem ecclesia ita secundum Deum ordinetur, quatenus beati Petri, cujus & nomini & defensioni intitulata est, intercessione divinæ merearis obtinere suffragia protectionis. Quid vero de hac ipsa causa confratri nostro Moguntino Episcopo & eidem Babenbergensi clero & populo scripserim, ex literis ad eos datis ad liquidum poteris cognoscere.

CXXXVII.

Item Epistola Gregorii Papæ ad Heinricum Regem de Hermanno Babenbergensi.

Gregorius Episcopus servus servorum Dei, Heinrico glorioso regi, & in Christo dilecto filio salutem & apostolicam benedictionem. Quando literas vestræ magnitudinis accepi longe ab urbe maxime propter infirmum aërem aberam, cum quibus necessarium erat tractare, quid vestræ legationi ad plenum, sicut oportet, responderem. Vester etiam nuncius, horum videlicet portitor, ob prædictam causam ægritudinis timebat diu nobiscum manere. Sed quia desideramus nonsolum vobiscum, sed etiam cum omnibus hominibus pacem, quæ in Christo est, habere, & jus suum unicuique observare, cupio tibi summopere corde & animo adhærere. Novi enim, quod te non credo ignorare, quod, qui Deum re vera diligit & Romanam ecclesiam Romanumque imperium, & vindictam suorum criminum non pertimescit, inter nos pacem & concordiam inferre agendo vel orando concupiscunt. Quapropter bonam concepi fiduciam, quod hanc nostram immo totius ecclesiæ curam religiosis hominibus cœpisti committere, qui nos non injuste diligunt, &, ut Christiana instauretur religio, sancta intentione requirunt. Ego autem, ut paucis loquar, horum consilio paratus sum, Christo favente, gremium tibi sanctæ ecclesiæ aperire, teque, ut Dominum & fratrem & filium suscipere, auxiliumque, prout oportuerit, præbere, nihil aliud a te quærens, nisi, ut ad monita tuæ salutis non contemnas aurem inclinare, & creatori tuo, sicut te decet, non contradicas offerre gloriam & honorem. Valde quippe indignum est, ut honorem, quem a conservis nostris & confratribus nostris exigimus creatori & redemptori nostro reddere contemnamus. Moveat itaque nos divina promissio qua dicitur; ego glorificantes me glorifico, & qui me contempnunt, erunt ignobiles; & offeramus quod placet nobis in hac vita seculari, ut perfruamur in cœlestibus dono spirituali. De superbia Saxonum vobis injuste resistentium, quæ divino judicio a facie vestra contrita est, & gaudendum est pro pace ecclesiæ, & dolendum quod multus sanguis christianorum effusus est. Vos autem in talibus plus honorem Dei & justitiam ejus procurate defendere, quam honori proprio providere. Securius itaque quilibet princeps mille impios potest causa justitiæ punire, quam propriæ causa gloriæ quemlibet Christianum gladio sternere. Omnia creavit & regit, qui dixit; Ego gloriam meam non quæro. Saluti quippe nostræ tunc providemus, cum in cæteris nostris actionibus gloriam Dei præponimus. De Heinrico vero quondam nuncupato Episcopo Babenbergensi noverit vestra

Digitized by Google

stra sublimitas, quia jam diu est ex quo per quendam ejusdem ecclesiæ clericum misimus literas nostras vobis nostroque confratri Moguntino Archiepiscopo & quod auctoritate apostolicæ sedis ab omni Episcopali & sacerdotali dignitate sit depositus & anathematis vinculo alligatus, quod non timuit symoniacæ hæresi sacrilegium adjicere, sanctamque ecclesiam sibi commissam sicut tirannus devastare. Unde rogavimus & ex parte beati Petri præcepimus & præcipimus, ut in prædicta ecclesia secundum Deum talis pastor ordinetur, qui, quod fur & latro mactavit, vivificet, & quod ille dissipavit, valeat resarcire. Omnipotens Deus, a quo cuncta bona procedunt, meritis & intercessione beatorum Apostolorum Petri & Pauli sua pietate vos in hac vita protegat & defendat, & cum dupla victoria perducat ad vitam æternam.

CXXXVIII.

Epistola Gregorii Papæ ad Sigefridum Moguntinum Archiepiscopum, de Hermanno Babenbergensi.

G. servus servorum Dei Sigifrido Moguntino venerabili Episcopo salutem & apostolicam benedictionem. Qualiter Hermannus Babenbergensis jam nunc non Episcopus hoc anno tertio decimo Romam petens se habuerit, vel qualiter se a judicio apostolicæ sedis subtraxerit, quave fraude clericos prædictæ ecclesiæ sub optentu pœnitentiæ deceperit, & quomodo res ejusdem sibi contra Deum commissæ ecclesiæ pejus quam prius destruxerit, & quomodo clericos sibi commissos sicut tirannus despoliaverit, tua reor cognoscit fraternitas, & certa dolet tristitia. Quocirca nos ulterius tantas non valentes inpune ferre nequitias, & noviter inventas sævitias, maxime circa eam, quæ specialiter Sancto Petro commissa est, ecclesiam, judicio Sancti Spiritus per auctoritatem ejusdem beati Petri Principis Apostolorum prædictum Hermannum ab episcopali atque sacerdotali officio deposuimus, & depositum esse censemus. Et quod hæresi adjunxit sacrilegium, & sacrilegio aptam tyrannidem, excommunicationis eum vinculo alligamus, quousque apostolicæ sedi repræsentetur, quam non solum conatus est decipere, sed etiam malo dolo irridere. Si ad ultimum sibi diem pervenerit, non ei pœnitentiam denegamus, sed mox ut poterit apostolicam sedem adire præcepimus. Hæc ut publice maxime tibi subjectis fratribus & coëpiscopis notifices, volumus, & parte beati Petri præcipimus, ut secundum sacrorum instituta patrum summopere procures in prædictum Babenbergensi ecclesia pastorem ordinare, quatenus, quod in prædicto Symoniaco negligenter egisti, comproberis emendare.

CXXXIX.

Epistola Gregorii Papæ ad Babenbergensem ecclesiam pro Hermanno Babenbergensi.

G. servus servorum Dei clero & populo Babenbergensis ecclesiæ salutem & apostolicam benedictionem. Literas, quas Poppo Præpositus vester cum his, qui secum erant, decepti simulata pœnitentia falsaque religione dicti Episcopi vestri incautea nobis nimia sub festinatione recedentes ad vos deferre neglexere, nostro sigillo insignitas, idcirco vobis ad præsens dirigere dignum duximus, ut in eis manifeste agnoscatis, quod fuerit de jam dicto pseudoëpiscopo nostra voluntas, quamque sententiam damnationis judicio sanctæ apostolicæ sedis in eum privilegavimus, indubitanter credentes, quod nullius supplicatio aut fraudulenta suggestio ab eadem voluntate sive sententia, ex eo quo se judicio sanctæ apostolicæ sedis subtraxerit, animum nostrum revocare potuit, vel unquam auctore Deo mutare valebit. Verum quod sub obtentu religionis ac mutuæ sanctitatis sanctam Babenbergensem ecclesiam specialem, quodammodo sanctæ Romanæ ecclesiam per tyrannidem conatus est confundere, bonaque illius dilapidare, atque dispergere, priorem sententiam confirmantes ad cumulum damnationis ejus hoc addidimus, ut irrecuperabiliter ab episcopali officio semotus, a sacerdotali quoque sit omnino seclusus, quousque se apostolicæ audientiæ repræsentet, paratus eam cautionem facere, quam nostræ ecclesiæ agnoverimus expedire. Ab episcopali officio ideo eum segregavimus, quia symoniace invasit ecclesiam. Sacerdotali quoque officio idcirco eum privamus, quod sub specie sanctitatis nisus est eam dilaniare atque confundere. Et quod tanta mala contra ecclesiam quoquomodo olim sibi commissam exercere non timuit, anathematis eum vinculo innodamus, quo usque se apostolicæ audientiæ repræsentet, nisi forte in extremis positus dignam pœnitentiam accipiat, eo tamen tenore, ut si convaluerit simili modo se, ut dictum est, apostolicæ sedi repræsentare festinet. Eodem quoque anathemate percutimus eos, qui causa promotionis ejusdem aliqua prædia ecclesiæ acceperunt ad confovendum eum, ut in sua pertinacia perseveraret, nisi resipuerint, videlicet ut condigna satisfactione, quod in prædicto sacrilego peccaverint, emendent, nobisque suam pœnitentiam resignare festinent. Datum Albani.

CXL.

Epistola Heinrici de quo supra ad Babenbergensem ecclesiam.

H. Dei gratia Romanorum Imperator augugustus, ecclesiæ Babenbergensi gratiam & omne bonum. Memores fidei, & prædecessorum vestrorum devotionis in nos & nostros, spem bonam de vobis præ omnibus habemus; quoniam in nullo ad huc vos a via tantæ virtutis exorbitasse videmus. Amplectimur ergo toto affectu tantam constantiam antecessorum nostrorum in vobis semper & utique renovare studemus gratiam. Sed ecce, ut nostis, humanæ salutis hostis studio antiquæ malitiæ tantæ salutis profectui nititur obsistere. Vos autem, qui Spiritu Dei illuminati nostis ejus dolos & insidias, perpendite, qualiter vos doctoris gentium præmonuerit auctoritas. Quomodo itaque, non vere prævideret commissæ sibi ecclesiæ

clesiæ periculum, qui vidit etiam arcana Dei raptus ad tertium cœlum. In novissimis temporibus instabunt tempora periculosa, & erunt homines se ipsos amantes, quæstum pietatem existimantes & cætera. His non ad erubescentiam vestram ammonemus dilectionem, scientes, in istis velut in aliis vestram perfectionem, sed ut ad cautelæ & discretionis studium evigiletis, pia exhortationis manu pulsamus, ne juxta vocem apostoli credatis omni spiritu, qui speciem aliquam habentes pietatis opera exercent impietatis, & variis & vanis insudantes laboribus inserunt se multis doloribus. Hæc cum nobis melius videatis perpendite, quid justitiæ & veritati debeatis. Mandamus itaque mandando, monemus monendo, rogamus, ne adversus Episcopum vestrum ullam suscipiatis legationem, cum nullam justam in eum audire possitis accusationem. Testor itaque Deum & utriusque nostri conscientiam, eum legitime & canonice venisse ad hanc regiminis curam. Hæc nos vobis scribere suasit Moguntina mater ecclesia super filiorum salute satis sollicita, ut sicut vos præ ceteris fide & dilectione amplectitur, ita vos secum in fide Christi & nostra perseverare gratuletur.

CXLI.

Epistola Babenbergensis ecclesiæ de Hermanno ad quendam Episcopum.

Reverendissimo Episcopo & in Christi membris valde honorando E. tota Babenbergensis congregatio devotissimam servitutem cum perpetua orationum constantia. Susceptis literis sanctitatis vestræ quibus animum nimirum gravi ammiratione pulsari dicitis, quod rem tantam & tam inusitatam privata quasi temeritate præsumpsimus, omnino intellexerimus totum negotii tenorem longe aliter nobis, quam res esset, innotuisse. Quam ob rem ut & disciplinæ ecclesiasticæ apud nos illibata integritas & totius actionis veritas, remota omni falsitatis nebula, elucescat, rem gestam quantum exemplaris modus patitur, brevi vobis exprimere reputabimus. Cum pro persona, de qua agitur, diram infamiam symoniacæ hæreseos execrabilemque confusionem perjurii evidentissimi ab omni ecclesia sustineremus, & omnis fere vestri ordinis Episcopi scilicet & Archiepiscopi publice ipso rege audiente omnia Christi sacramenta profanari deplorarent, & crisma corpusque Domini, quod ipse confecerat, velut immunditias menstruate exhorrerent, gradus & ecclesiasticos quos ille instituisset, detestabili illusione deumbratos assererent; malum itaque inscitiæ, quod in eo quantum sit, vos optime nostis, ad immanitatem aliorum, licet intolerabile, leve ducebamus. Hæc itaque aliaque id generis infinita, quæ verecundia modestiaque nostra, Deo teste, dissimulat, cum jam ecce in decimum annum tristissima patientia pertulissemus, tandem tacti aliquando dolore intrinsecus & plane divinitus ammoniti, humiliter ad pedes illius abjecimus, obsecrantes & obtestantes, ut, quoniam ad synodum sedis Apostolicæ vocatus fuisset, ut si innocentia sua confideret, iter arriperet, & tam se quam nos tam detestabili opprobrio tamque immani periculo liberaret; aut si aliud sibi conscientia sua suggereret, tum vero per timorem Dei ut sibi nobisque alia oratione consuleret. Et ecce dum hæc agebantur, Deo sic ordinante, servus venit diaconus metropolitanus. Cui dum omnia retractata fuissent, & ipse querelas nostras, utpote omnium gnarus, plurimum accumulasset, tandem ipsius auctoritate id statutum est, illo nostro approbante atque & obsecrante, ut ex collegio fratrum duo vel tres Romam irent, in quorum præsentia se ab impositis criminibus per sanctorum canonum statuta expurgaret. Quod nisi factum fuisset, jam ultra nullam obedientiam a nobis expostulaturum, aut aliquod episcopale jus sibi inter nos vendicaturum; ipse ultroneus sacro sanctæ jurationis vinculo se obstrinxit. Atque hæc domi acta sunt. Ecce autem Romæ dum terminum vocationis suæ supersedisset, & vix interventu quorundam officium suum, quo privandus erat, usque in diem Palmarum, quod tunc venturus sperabatur, obtinuisset, cum vero & has inducias frustrasset, tum Dominus Papa ipsis in Albis cardinalibus suis in unum congregatis, præsente Archiepiscopo nostro, qui illuc inopinatus advenerat, assidentibus & reverendissimis nostratibus Episcopis Würzeburgensi & Metensi; ibi inquam Papa ipsum archiepiscopum aliosq; nostrates terribili obtestatione convenit, ut quæ de Babenbergensi vere sibi comperta essent, edicerent. Tum Archiepiscopus cum ab omnibus ultrocitroque fuissent ventilata, vere & absque omni controversia eum symoniacum pronunciavit, in tantum, ut grandem suæ ipsius pecuniæ summam in id facinus expensam diceret, omnibus qui aderant ipsum uno ore succlamantibus, ita negotium diffinitum est, ut si ipse noster Romam perveniret, ibi suæ sententiam causæ exciperet. Sin vero retrogradus fieret, tum Archiepiscopus ex præcepto Domini Papæ clero populoque denunciaret, ne ullam sibi obedientiam utpote dampnato exhiberent, omnemque ejus communionem & consortium, ut plane Symoniaci, declinarent. Atque hæc Romæ acta sunt. Interea noster cum fiducia cujusdam intercessoris sui, quem ingenti pecunia redemerat, quemque infinitis variarum specierum opibus ad explendos Romanæ cupiditatis hyatus præmiserat, dum illius, inquam, fiducia propius Romam accessisset, ita ut vix bidui iter restaret, ibi tristi nuncio perculsus rei gestæ substitit, fratres vero, qui cum eo venerant quasi testes innocentiæ ipsius astituri Romam progressi, cum literas fratrum Papæ obtulissent, plus multas quod longum est prosequi, id demum ab eo mandatum accepere, ut si ipse ad suscipiendam sententiam Romæ se non præsentaret, fratres eum omnino excommunicatum scirent, atque ab omni ejus contagione, nisi secum perire mallent, præcaverent. Hæc, ut executi sumus,

Digitized by Google

mus, teste ipsa veritate, ita domi forisque gesta sunt. Quid ergo hic a nobis abusive fratrum quisquam probaverit. Quid, inquam, hoc fratres, qui religiosi & servi Dei tantopere mirari, & non magis summopere lamentari debeant? Nam quid taciturnitate nostra decennali patientius? aut quid tandem suggestione nostra, quam lacrimis gemitibusque, insinuata est humilius? Quid autem disciplinæ ecclesiasticæ congruentius, quam ut tantorum malorum exitus & remedium consensu & rogatu ipsius, consilio & auctoritate Metropolitani a sede apostolica peteretur? Nam quæ reverentia vestra nos monet, ut vos impartem consilii admittamus, non vos in partem consilii admittimus, quin immo totum consilium vobis secundum ea, quæ gesta sunt, committimus, certi omnino prudentiam vestram terminos patrum aut decreta Episcopi sancti nullatenus excessuram. Quod autem in spe absolutionis illum adhuc esse dicitis, hanc profecto & nos ei a Deo patre animarum omnibus votis exposcimus, quæ tamen nulla unquam esse potest, nisi abrenunciata peste, qua tenetur. Nam, ut beatus Gelasius ait, episcopum mortuos suscitasse legimus, in errore positus absolvisse non legimus. Porro quod eum bono recompensaturum, si quid nos læsit, promittitis, absit, absit, ut eum aliquo carnali aut privato, qui verba nostra subinminuit, sed vere perfecto & spirituali odio persequimur, quo & ipse, si sapit, maxime omnium persequitur. Quod autem privatis & publicis fortunis nostris & periculis consulendum esse ammonetis; nihil horum inopinatum, nihil inprovisum nobis occurret, &, Deo gratias, si inter eos conputabimur, quibus scribit Apostolus: Vobis datum est pro Christo, ut non solum in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini. Et ad Hebræos: rapinam, inquit, bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem & permanentem habitationem. Ubi etiam & magnifice nos exhortans subjicit: Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quæ habet remunerationem. Porro quod in calce litterarum dicitis: si emendatus recipietur, id vero est omni ammiratione stupendum. Cum tamen si emendatus fuerit, non sit Episcopus, quomodo & recipietur. En longius & brevius quam vellemus paternitati vestræ respondimus; verumtamen sapienti sat dictum est. Nunc ergo per Christum vos rogamus, ut ipsi Christo supplicetis, quatinus ecclesiam tam periculose fluctantem placito nobis pastore mature conponat & gubernet. Multum itaque valet deprecatio illius assidua. Et bene nostis quam gratum acceptumque sit illi, qui pro suo sibi corpore, quod est ecclesia, suum sibi corpus per inæstimabile mysterium offert, omnem * trinitatem sub nobis & vobiscum, Deo serviente, omnium nostrorum humilitas Episcopo salutat.

CXLII.

G. Episcopus servus servorum Dei O. Constantiensi Episcopo salutem & apostolicam benedictionem. Perlatum est ad nos de fraternitate tua, quod satis invitus & mœstus audivi, quodque si de extremo Christianæ plebis membro ad audientiam nostram deferreretur, severiore distinctionis & disciplinæ censura esset proculdubio castigandum. Cum itaque apostolica auctoritate & veridicis sanctorum patrum sententiis incitati ad eliminandam symoniacam hæresim Moguntino Archiepiscopo, confratri nostro, cui plures & late dispersi suffraganei sunt, hoc obedientiæ munus injunximus, ut tam per se, quam per coadjutores suos hoc Romanæ ecclesiæ decretum universo clero studiosius inculcaret, & inviolabiliter tenendum proponeret. Tibi quoque, cui plurimus est Constantiensis Episcopi clerus & populus amplissime dilatatus, ob eandem causam speciales literas cudere bulla nostra pressas collibuit, quarum fultus auctoritate tutius animosiusque præceptis nostris obtemperes, & de sanctuario Domini symoniacam hæresim & fœdam libidinosæ contagionis pollutionem expelleres. Apostolica namque beati Pauli præpollet auctoritas, quæ fornicatores & adulteros cum cæteris sceleratis connumerans diffinitam suæ missionis sententiam subjicit, cum hujusmodi nec cibum capere. Præterea universus catholicæ ecclesiæ cœtus, aut virgines sunt aut continentes aut conjuges. Quicunque ergo contra hos nostrates ordines reperitur, inter filios sive intra Christianæ religionis terminos non numeretur. Unde & nos si vel extremum laicum pellicatui adhærentem liquido cognoverimus, hunc velut præcisum a dominico corpore membrum, donec pœniteat, condigne a sacramentis altaris arcemus. Quomodo ergo sanctorum sacramentorum distributor vel minister ecclesiæ debet esse, qui nulla ratione potest esse vel particeps? sed & illa beati Leonis Papæ impulerit auctoritas, qui subdiaconis conubii licentiam prorsus abstulit, quod decretum beati Leonis Papæ posteriores sanctæ Romanæ ecclesiæ Pontifices, & maxime doctor eximius Gregorius ea lege sanxerunt, ut deinceps tribus ordinibus ecclesiasticis, sacerdotibus, levitis, subdiaconibus vincula conjugalia omnino essent prohibita. Cum autem hæc omnia tibi observanda pastorali providentia transmitteremus, tu non sursum cor, sed deorsum cor in terra ponens, prædictis ordinibus frena libidinis, sicut accepimus, laxasti, ut mulierculis se jungerent & in flagitio persisterent, & qui nec dum duxerant, tua interdicta non timerent. O impudentiam! o audaciam singularem, videlicet Episcopum apostolicæ sedis decreta convellere, præcepta sanctorum patrum contempnere imo vero præceptis contraria, ac fidei christianæ repugnantia, de superiore loco, & de cathedra pontificali subjectis ingerere. Quapropter tibi apostolica auctoritate mandamus, ut ad proximam Synodum nostram prima quadragesimæ ebdomada te præsentem exhibeas, tam de hac inobedientia & sedis apostolicæ contemptu, quam de omnibus

Digitized by Google

omnibus quæ tibi objiciuntur, canonice resſponſurus.

CXLIII.

G. Servus ſervorum Dei, clericis & laicis, majoribus atque minoribus in Conſtantienſi Epiſcopatu conſiſtentibus chriſtianam legem defendentibus ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Miſimus ad vos Epiſcopo veſtro confratri noſtro O. literas exhortatorias per quas pro noſtri neceſſitate officii & apoſtolica auctoritate injunximus illi, ut Symoniacam hæreſim de eccleſia penitus excluderet ſua, & caſtitatem clericorum ſtudioſe prædicandam ſuſciperet, & firmiter tenendam epiſcopali vigilantia inculcaret. Nam ſic eam nobis evangelicæ & apoſtolicæ literæ, & autenticarum ſynodorum decreta & eximiorum doctorum inſinuant, ut eam diſſimulare vel negligere ſine magno periculo animæ noſtræ & populi Chriſtiani non poſſimus. Sed epiſcopus veſter, neque beati Petri Apoſtoli reverentia, nec noſtri præcepti, nec officii ſui ſollicitudine attractus, ut nobis relatum eſt, quod paterne ſuaſeramus, perficere curavit; & non ſolum ut obedientiæ, verum etiam rebellionis offenſam contraheret, quemadmodum accepimus, palam clericis ſuis juſſioni noſtræ imo beati Petri omnino contraria permiſit, ita ut, qui mulierculas habuerant, illicita temeritate alias ſubintroducerent. Quod, ut audivimus, moleſte ferentes, ſecundam ei ſcripſimus epiſtolam, indignationem ei noſtri motus indicantes, & idem præceptum iterato ei acrius inculcantes, quin etiam Synodum Romanam illam, quæ primæ quadrageſimæ ebdomada futura eſt, vocavimus, ut pro ſe rationem reddat, & inobedientiæ cauſas, ſi rationales habuerit, exponat in audientia totius eccleſiæ. Hæc ideo, filii dilectiſſimi, vobis innoteſcimus, ut animæ veſtræ ſaluti conſulamus. Si itaque beato Petro & ſanctæ Apoſtolicæ ſedi repugnans & contumax eſſe voluerit, liquido manifeſtum eſt, quia, qui patrem aut matrem inhonorat, nullam a fidelibus patris aut matris filiis jure obedientiam quærere aut exigere debeat. Indignum eſt enim, ut qui magiſtro detrectat ſubeſſe, magiſtri auditoribus poſtulet præeſſe. Quapropter, ſicut prædiximus, majoribus atque minoribus Deo & beato Petro adhærentibus apoſtolica auctoritate præcipimus, ſi in obduratione perſiſtere voluerit nullam ei obedientiæ reverentiam exhibeatis, neque id animæ veſtræ perniciem eſſe putetis. Namque ſi, ut totiens jam prædiximus, præceptis apoſtolicis voluerit eſſe contrarius ab omni illius ſubjectionis jugo beati Petri auctoritate vos abſolvimus, ita ut, ſi etiam Sacramenti obligatione quilibet ei fuerit aſtrictus, quia Deo omnipotenti & ſedi apoſtolicæ rebellis extitit, nulla ei fidelitatis exhibitione fiat obnoxius. Non itaque cuilibet perſonæ contra creatorem ſuum, qui cunctis præponendus eſt, aliquis debet obedire, ſed debemus contra Deum ſuperbienti reſiſtere, ut ſaltem hac neceſſitate coactus diſcat ad viam juſtitiæ redire. Quanti periculi, quantæ a Chriſtiana lege ſit alienationis obedientiam maxime apoſtolicæ ſedi non exhibere, ex dictis beati Samuelis Prophetæ poteſtis agnoſcere, quem ſcilicet Gregorius in ultimo libro moralium curavit explanare. Et dum ea vobis ſunt in promptu, ſcripta transmiſimus, quatinus indubitanter ſciatis, nos vobis novam non ſuperducere, ſed antiquam ſanctorum patrum doctrinam propalare. Hinc Samuel ait: Melior eſt obedientia, quam victimæ & auſcultare magis, quam offerre adipem arietum; quoniam quaſi pretium ariolandi eſt, repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle adquieſcere. Obedientia quippe victimis præponitur, quod per victimas aliena caro, per obedientiam vero propria mactatur. Tanto ergo Deum quiſquis citius placat, quanto ante ejus oculos repreſſa ſui arbitrii ſuperbia gladio præcepti ſe immolat. Quo contra ariolandi peccatum dicitur inobedientia, ut quantæ ſint vires obedientiæ demonſtretur. Ex adverſo ergo melius oſtenditur, quid de ejus laude ſentiatur. Si itaque quaſi ariolandi peccatum eſt repugnare, & quaſi idololatriæ nolle acquieſcere, ſola eſt obedientia quæ fidei meritum poſſidet, quia ſine quiſquis infidelis convincitur, etiamſi fidelis eſſe videatur.

CXLIV.

H. Dei gratia Rex A. gratiam, ſalutem & dilectionem. In maximis negotiis, maximis maximorum opus eſt conſiliis, qui & facultatem habeant exterius & voluntate non careant interius, ut rei, cui bene cupiunt, bene conſulere & velint & poſſint; quod in cujuslibet rei profectu nec facultas ſine voluntate, nec voluntas ſine facultate proderit. Quod utrumque tu, fideliſſime, ut arbitramur, æqualiter poſſides, vel, ut verius dicamus, licet maximo tibi maxima non deſit voluntas, majorem tamen adhuc maxima facultate, ſi bene te novimus, ſi fidem tuam diligenter notavimus in noſtram & regni utilitatem exuberat voluntas. De præteritis itaque fideliter exhibitis, in futuris creſcit ſpes de fidelibus exhibendis. Tuæ autem dilectioni committimus ne ſpe noſtra minor ſit fides tua, quod de nullius regni principum fidelitate, quam tua ſperamus majora, ſicut hactenus nonmodo in præteritarum rerum promiſſione tua gaviſi ſumus. Aſſit igitur hoc in tempore oportuno tua cum facultate voluntas, quod non modo noſtra, verum etiam omnium coëpiſcoporum tuorum fratrum in unum & totius oppreſſæ eccleſiæ exoptat neceſſitas. Non enim hanc oppreſſionem ignoras, tantum vide ne obpreſſæ eccleſiæ ſolatium ſubtrahas, ſed regno & ſacerdotio condoleas. Quo utroque ſicut usque eccleſia eſt exaltata, ita nunc humiliatur heu utroque viduata. Nam unus, dum utrumque ſibi vendicavit, utrumque diſſipavit. Nec in uno profuit, qui in neutro prodeſſe voluit nec potuit. Et ne diutius notati nomine te ſuſpendamus, accipe, quod dicimus, Hildebrandum ſcilicet Monachum habitu quidem Dominum apoſtolicum, nec paſtoris cura, ſed invaſoris violentia apoſtolicæ ſedi præſidentem, & de ſede pacis catholicæ pacis unicæ vinculum diſſipantem,

Digitized by Google

tem, ut tibi met ipsi in promtu est scire. Ut tamen de pluribus pauca referamus, regnum & sacerdotium Deo nesciente sibi usurpavit, in quo piam Dei ordinationem contempsit, quæ non in uno, sed in duobus duo, & regnum & sacerdotium principaliter consistere voluit, sicut ipse Salvator in passione sua de duorum gladiorum sufficientia typice intelligi innuit, cui cum diceretur: Domine, ecce, duo gladii hic, respondit sat est, significans hac sufficiente dualitate, spiritualem & carnalem gladium in ecclesia esse gerendum, quibus omne nocivum foret amputandum, videlicet sacerdotali ad obedientiam regis post Dominum, regali vero gladio ad expugnandos inimicos exterius, ad obedientiam interius, omnes homines fore docens constringendos, ut ita de alio in alium caritate intenderetur, dum nec sacerdotii regnum, nec sacerdotium regni honore privaretur. Hanc Dei ordinationem, qualiter Hildebrandica infania confuderit, tu ipse nosti. Nam nullum ejus judicio licet esse sacerdotem, nisi qui hoc a fastu suo emendicaverit; me quoque, quem Deus in regnum, non autem ad sacerdotium illum vocavit, quod me de Deo, non de ipso regnare velle vidit, quod ipse me regem non constituit, regno me privare studuit, minitans regnum & animam se mihi tollere, quorum neutrum illi Deus concessit. Hæc enim his similia cum sæpius in nostram, ut ipse nosti, contumeliam struxerit, non tamen adhuc sufficere credit, quoniam de die in diem nova & inexquisita confusionis genera nobis ingerat, ut in nostris nunciis argumenta dedit. Nam carta exponere non sufficit, qualiter eosdem nuncios tractaverit, quam indignis modis eos affecerit, quam crudeliter eos incarceraverit, & incarceratos nuditate, frigore, fame, siti, & plagis contriverit, sicque demum martyrum exemplo per medium civitatis circumductos, omnibus spectaculum præbere jussit, ita ut eundem cum Decio tyranno insanire & sanctos assare credas & dicas. Unde ne pigeat, dilectissime, ne pigeat omnium nostrorum scilicet & meæ & coëpiscoporum tuorum petitioni satisfacere, ut in Pentecosten Wormatiam venias, & ibi plura, quorum pauca docet cartula, cum cæteris principibus audias, & quid agendum sit doceas, rogatus per dilectionem coëpiscoporum, & monitus per ecclesiæ utilitatem, obligatus per vitæ nostræ & regni totius honorem.

CXLV.

H. Dei gratia rex, Archiepiscopis, Episcopis, Marchionibus, Comitibus, & cujuscunque dignitatis ordini bonæ suæ voluntatis gloriosam dignationem. Quia mansuetudini nostræ contra sedem apostolicam ejusque venerandum præsulem Dominum Gregorium Papam ab aliquibus subreptum esse fidelium nostrorum suggestione recognovimus, placuit nobis priorem sententiam salubri consilio mutare & more antecessorum nostrorum progenitorumque, eidem sacro sanctæ sedi & qui ei præesse dinoscitur Domino Gregorio Papæ per omnia debitam servare obedientiam, & si quid in eum gravius præsumptum est conpetenti satisfactione conponere. Volumus autem, ut & vos serenitatis nostræ exemplo ammoniti, sollennem beato Petro ejusque vicario satisfactionem exhibere non dubitetis, & quicunque ejus banno se adstrictos intelligunt, ab ipso videlicet Domino Papa Gregorio solenniter absolvi elaborent.

CXLVI.

G. servus servorum Dei omnibus Episcopis, Ducibus, Comitibus, cæterisque in regno Teutonicorum, Christianam fidem defendentibus salutem & apostolicam benedictionem. Audivimus inter vos quosdam de excommunicatione, quam in Regem fecimus dubitare, ac quærere, utrum juste sit excommunicatus, & si nostra sententia ex auctoritate legalis censuræ ea qua debuit deliberatione egressa sit. Quapropter, qualiter ad excommunicandum illum adducti sumus, prout verius poterimus, teste conscientia nostra, oculis & intellectibus omnium patefacere curabimus, non tam ut singulas causas, heu quæ nimium notæ sunt, quasi nostro clamore projiciamus in publicum, quam ut eorum opinionibus satisfaciamus, qui putant nos spiritualem gladium temere & magis motu animi nostri, quam divino metu & justitiæ zelo arripuisse. Cum adhuc in diaconatus officio positi essemus, perlata ad nos de Regis actionibus sinistra & multum inhonesta fama propter imperialem dignitatem & reverentiam patris & matris ejus, nec non propter spem & desiderium correctionis ejus, per literas sæpe ammonuimus, ut a pravitate sua desisteret, & memor clarissimi generis ac dignitatis suæ vitam suam moribus, quibus regem & futurum Deo donante deceret imperatorem, institueret. Postquam autem ad Pontificatus apicem licet indigni venimus, & illi ætas pariter crescere cœpit & iniquitas, intelligentes Deum omnipotentem tanto destrictius de manu nostra animum ejus requisiturum, quanto nobis illum ad increpandum præ cunctis libertas data fuisset & auctoritas, multo sollicitius eum modis omnibus arguendo, obsecrando, increpando, ad emendationem vitæ suæ hortati sumus. Qui cum nobis sæpe salutationes & literas mitteret, excusans se, cum ex ætate, quæ fluxa esset & fragilis, tum quod ab his, in quorum manibus cura ejus erat, multociens sibi male suasum atque consultum sit, monita nostra de die in diem se promptissime suscepturum, verbis quidem promisit, cæterum re & exaggeratione culparum penitus conculcavit. Inter hæc quosdam familiares suos, quorum consiliis & machinationibus episcopatus & multa monasteria inductis per pretium lupis pro pastoribus symoniaca hæresi fœdaverat, ad pœnitentiam vocavimus, quatenus & bona ecclesiarum quæ per interventum tam scelerati commercii sacrilega manu susceperant, venerabilibus locis, ad quæ pertinebant, cum adhuc locus esset emendandi redderent & ipsi de perpetrata iniquitate per lamenta pœnitudinis Deo satisfacerent. Quos cum ad hæc exequen-

exequenda datas inducias ſpernere & in conſueta nequitia pertinaciter ſtare agnovimus, ſicut dignum erat, ſacrilegos adminiſtros & membra diaboli a communione & corpore totius eccleſiæ ſeparavimus, & regem, ut eos a domo ſua, a conſiliis & omni communione ſua, ſicut excommunicatos, expelleret, ammonuimus. Interim vero ingraveſcente contra regem Saxonum cauſa, cum vires & præſidia regni ex parte maxima a ſe deficere velle conſpiceret, interim direxit nobis epiſtolam ſupplicem, & omni humilitate plenam, in qua omnipotenti Deo & beato Petro ac nobis valde ſe culpabilem reddens, preces etiam obtulit, ut, quod ex ſua culpa in eccleſiaſticis cauſis contra canonicam juſtitiam & decreta ſanctorum patrum factum fuiſſet, noſtra apoſtolica prudentia, & auctoritate corrigere ſtuderemus, atque in eo ſuam nobis per omnia obedientiam, conſilium, & fidele promiſit adjutorium. Hoc idem etiam poſtea a confratribus, & legatis noſtris Hunberto Prænestino Epiſcopo & Geraldo Hoſtienſi Epiſcopo, quos ad illum miſimus, ad pœnitentiam ſuſceptus, in illorum manus per ſacras ſtolas, quas in collo tenebant, repromittendo confirmavit. Dein poſt aliquod tempus commiſſo cum Saxonibus prœlio, Rex pro victoria, quam adeptus eſt, tales Deo grates & victimas obtulit, ut vota, quæ de emendatione ſua fecerat, continuo frangeret, & nihil eorum, quæ nobis promiſerat, adtendens, excommunicatos in ſuam familiaritatem & communionem reciperet, & eccleſias in eam, quam conſueverant, confuſionem traheret. Qua de re gravi dolore perculſi quamquam potius, contempta regis cœleſtis beneficentia, pene omnis ſpes correctionis ejus nobis ablata ſit, adhuc tamen animum temperandum fore decrevimus, magis cupientes eum apoſtolicam audire manſuetudinem, quam experiri ſeveritatem. Itaque miſimus ei epiſtolas commonitorias, ut meminerit quid & cui promiſerit, ne credat ſe poſſe fallere Deum, cujus quanto prolixior eſt patientia, tanto ſeverior eſt cum vindicare cœperit ira; ne inhonoret Deum honorantem ſe, nec potentiam ſuam ad Dei contemptum & apoſtolicam tentet extendere contumeliam, ſciens quod ſuperbis reſiſtit Deus, humilibus autem dat gratiam. Præterea miſimus ad eum tres religioſos viros, ſuos utique fideles, per quos cum ſecreto monuimus, ut pœnitentiam ageret de ſuis ſceleribus, quæ quam horrenda ſunt dictu, pluribus tamen nota & in multis partibus terræ divulgata. Propter quæ non ſolum excommunicari uſque ad dignam ſatisfactionem, ſed etiam ab omni honore regni eum abſque omni ſpe recuperationis debere deſtitui, divinarum & humanarum legum teſtatur & jubet auctoritas. Poſtremo niſi excommunicatos a ſua participatione divideret, nos nihil aliud de eo vindicare aut decernere poſſe, quam ut ſeparatus ab eccleſia in excommunicatorum conſortio foret, cum quibus ipſe potius, quam cum Chriſto habere partem elegerit. Sane ſi noſtra monita ſuſcipere, & vitam ſuam corrigere vellet, Deum teſtem invocavimus, & invocamus, quantum nos de ejus ſalute gauderemus & honore, & cum quanta caritate eum in gremio ſanctæ eccleſiæ amplecteremur, utpote eum, qui princeps populi conſtitutus, & ampliſſimi regni gubernacula tenens catholicæ pacis & juſtitiæ defenſor eſſe deberet. Verum quanti ipſe aut ſcripto aut per legatos miſſa noſtra verba fecerit, ejus facta declarant, qui indigne ferens, ſe a quoquam reprehendi aut corripi, non ſolum a perpetratis ad emendationem revocari non potuit, ſed ampliori conſcientiæ furore correptus, non prius ceſſavit, donec epiſcopos pene omnes in Italia, in Teutonicis vero partibus quotquot potuit, circa fidem Chriſti naufragare fecit, dum eos debitam beato Petro & apoſtolicæ ſedi obedientiam & honorem a Domino noſtro Jeſu Chriſto conceſſum abnegare ſubegit. Cum igitur iniquitatem ejus ad ſummum prodiiſſe vidimus, pro his cauſis, videlicet primum, quod ab eorum communione, qui pro ſacrilego reatu ſymoniacæ hæreſis excommunicati ſunt, ſe abſtinere noluit; demum quod pro criminoſis actionibus vitæ ſuæ pœnitentiam non dico ſuſcipere, ſed nec promittere voluit, immutata ea, quam in manus legatorum noſtrorum promiſerat, fide, nec non quod corpus Chriſti & unitatem ſanctæ ſcindere eccleſiæ non expavit. Pro his, inquam, culpis ſynodali eum judicio excommunicavimus, ut quem mites non potuimus, vel ſeveri ad viam ſalutis, Deo adjuvante, revocare valeamus; aut ſi, quod abſit, ne diſtrictionis quidem cenſuram pertimuerit, noſtra ſaltem anima negligentiæ aut timoris diſcrimini non ſuccumbat. Si quis igitur hanc ſententiam injuſte vel irrationabiliter prolatam eſſe putaverit, ſi talis eſt, ut ſacris regulis intelligentiæ ſenſum præbere velit, nobiſcum etiam agat, & non quod nos, ſed quid divina auctoritas doceat, quid decernat, quid conſona vox ſanctorum patrum indicet, patienter audiens acquieſcat. Nos tamen non æſtimamus quenquam fidelium, qui eccleſiaſtica ſtatuta noverit, hoc errore teneri, ut non hoc & ſi publice affirmare non audeat, vel in corde ſuo rectum factum eſſe perhibeat, quamquam, ſi nos, quod Deus avertat, non ſatis gravi de cauſa aut minus ordinate eum hujusmodi vinculo ligavimus, ſicut ſancti patres noſtri aſſerunt, non idcirco ſpernenda ſententia eſt, ſed abſolutio cum omni humilitate quærenda. Vos autem Domini, qui juſtitiam Dei nec pro regia indignatione nec pro aliquo periculo deſerere voluiſtis, fatuitates, quæ de executione & mendacio annunciabuntur in conſummatione parvi pendentes viriliter ſtate & confortamini in Domino ſcientes quod illius partem defenditis, qui inſuperabilis Rex eſt & magnificus triumphator, judicaturus vivos & mortuos, reddens unicuique ſecundum opus ſuum. De cujus multimoda retributione & vos certi eſſe poteritis, ſi uſque in finem fideles & inconcuſſi in ejus veritate perſtiteritis. Propter quod & nos inceſſanter, pro vobis rogamus Deum, ut det vobis corroborari per Spiritum Sanctum in nomine

Digitized by Google

nomine ejus, & convertat cor regis ad pœnitentiam, ut & ipse aliquando cognoscat, nos multo verius amare eum, quam illos, qui nunc suis iniquitatibus obsequuntur & favent. Quod si, Deo inspirante, voluerit resipiscere, quicquid contra nos moliatur, semper tamen nos ad recipiendum eum in sanctam communionem, prout vestra nobis caritas consuluerit, paratos inveniet.

CXLVI.

Ejusdem.

G. Episcopus servus servorum Dei omnibus Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, omnibusque Christianam & beati Petri apostolorum principis fidem, & doctrinam defendentibus & observantibus in omni regno Teutonicorum salutem, & beatorum apostolorum Petri & Pauli benedictionem, & omnium peccatorum absolutionem. Ego qualiscunque sacerdos, apostolorum principis servus contra voluntatem & consilium Romanorum, confidens de misericordia Dei & vera fide catholica, venio ad vos, paratus propter honorem Dei & salutem animarum vestrarum mortem subire, ut per multas tribulationes tendamus & perveniamus ad requiem. Vos autem, fratres mei dilectissimi & desideratissimi, summopere curate, ut vos possim Deo auxiliante adire vobisque in omnibus prodesse. Benedicat vos ille, ex cujus gratia dictum est mihi ad corpus beati Petri in die ordinationis meæ: Quodcunque benedixeris, benedictum erit, & quodcunque solveris in terra erit solutum in cœlo. Amen.

CXLVII.

Epistola ejusdem.

G. servus servorum Dei Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus, Comitibus, nec non majoribus & minoribus, in regno Teutonicorum constitutis, salutem & apostolicam benedictionem. Nos & indigni & inutiles principis Apostolorum servi statuimus ad vos divina auxiliante clementia venire, & post ponentes omnium fidelium nostrorum consilium, ita profectionem nostram maturare, ut VI. Idus Januarii apud - - - - - velimus esse, vestra quidem voluntate & desiderio, ut fiducia probatæ fidei, quæcunque aspera, &, si necessarium fuerit, ipsam effusionem sanguinis pro libertate ecclesiæ sanctæ & salute imperii pura & sincera intentione subire non dubitemus. Vestri ergo studii sit de exceptione & servitio nostro præmonere eos, quos prudentia vestra cognoverit id posse & nobis debere. Sit etiam studii vestri per partes vestras pacem firmare, ut intentionis nostræ propositum nihil impedire possit. Quot & quantas colluctationes cum nunciis regiis habuerimus, & quibus rationibus dictis eorum obviaverimus, quicquid deesse videtur literis, latores earum plenius indicabunt. Quibus, sicut de his, quæ beato Petro & nobis promisistis, indubitanter credimus, ita vos de his, quæ ex nostra parte dixerint, nobis certissime volumus credere.

CXLVIII.

G. Episcopus servus servorum Dei, omnibus Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus, Comitibus cæterisque principibus regni Teutonicorum Christianam fidem defendentibus salutem & apostolicam benedictionem. Quomodo pro amore justitiæ commune nobiscum in agone christianæ militiæ periculum suscepistis, qualiter Rex, humiliatus ad pœnitentiam, absolutionis veniam impetraverit, & quomodo tota causa post introitum ejus in Italiam usque huc deducta sit, vestræ dilectioni sincera veritate indicare curavimus; Sicut constitutum fuit, cum legati ad nos de vestris partibus missi sint, in Longobardiam venimus circiter dies XX. ante terminum, in quo aliquis Ducum ad Clusas nobis occurrere debuit, expectantes adventum illorum, quatinus ad partes illas transire possemus. Verum cum decurso termino nobis hoc nunciaretur, temporibus his præ multis, quod & nos credimus difficultatibus ducatum nobis obviam mitti non posse, nec aliunde copiam ad vos transeundi haberemus, non parva sollicitudine, quid potissimum nobis agendum foret, circumventi sumus. Interim vero regem adventare certe cognovimus, qui etiam prius quam in Italiam intrasset, supplices legatos ad nos præmittens, per omnia se satisfacturum Deo & sancto Petro ac nobis obtulit, & ad emendationem vitæ suæ omnem servaturum obedientiam repromisit, dummodo apud nos absolutionis & apostolicæ benedictionis gratiam impetrare mereretur. Qui cum multis consultantibus conferentes, acriter eum de suis excessibus per omnes, qui intercurrebant, nuncios redargueremus, tandem per semet ipsum nihil hostile aut temerarium ostentans, ad oppidum Canusium, in quo morati sumus, cum paucis advenit, ibique per triduum ante portam castri, deposito omni regio cultu miserabiliter, utpote discalceatus & laneis vestibus indutus, persistens, non prius cum multo fletu apostolicæ miserationis consilium & consolationem destitit implorare, quam omnes, qui ibi aderant & ad quos rumor ille pervenit, ad tantam pietatem, & compassionis miseriam movit, ut pro eo multis precibus & lacrimis intercedentes, omnes quidem insolitam mentis nostræ duritiam mirarentur, nonnulli vero in nobis non apostolicæ severitatis gravitatem, sed quasi tyrannicæ feritatis crudelitatem esse clamarent. Denique instantia compunctionis ejus, & tanta omnium, qui ibi aderant supplicatione devicti, tandem eum, relaxato anathematis vinculo in communionis gratiam & sinum sanctæ matris ecclesiæ, receptis ab eo securitatibus, quæ infra scriptæ sunt, quarum etiam confirmationem per manus Abbatis Cluniacensis & filiarum nostrarum Matildis & Cometissæ Adelheidæ & aliorum principum Episcoporum & laicorum, qui nobis ad hoc utiles visi sunt, recepimus. His itaque peractis, ut ad pacem ecclesiæ, & concordiam regni, sicut diu desideravimus, omnia plenius, adjuvante Deo coaptare possimus, ad partes vestras data primum oportunitate transire

Digitized by Google

ire cupimus. Hoc itaque dilectionem vestram indubitanter scire volumus, quia, sicut in descriptis securitatibus potestis cognoscere, ad huc totius negotii causa suspensa est, & adventus noster & consiliorum vestrorum unanimitas permaxime necessaria esse videtur. Quapropter in ea fide, quam accepistis & amore justitiæ unanimiter omnes permanere studete, scientes, nos non aliter Regi obligatos esse, nisi quod puro sermone, sicut nobis mos est, ea diximus, quibus eum ad salutem, & honorem suum aut cum justitia aut cum misericordia sine nostræ aut illius animæ periculo adjuvare possimus.

CXLIX.

G. Servus servorum Dei dilectissimis in Christo fratribus, Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus, Comitibus, & universis Christi fidelibus, clericis & laicis, tam majoribus quam minoribus, in regno Teutonicorum consistentibus salutem & apostolicam benedictionem. Notum vobis fieri volumus, fratres dilectissimi, quia legatis nostris B. videlicet fideli sanctæ ecclesiæ Romanæ filio & diacono, itemque B. religioso Abbati Massiliensis ecclesiæ, percepimus, ut utrumque regem Heinricum videlicet atque Rudolfum aut per se aut per idoneos legatos ammoneant, quatinus pro discutiendo negotio, quod inter eos peccatis facientibus ortum est, viam ad vos mihi secure Deo adjuvante transeundi præbeant. In magna itaque tristitia & dolore cor nostrum fluctuat, si per unius hominis superbiam tot millia hominum Christianorum & temporali & æternæ morti traduntur, & Christiana religio confunditur, Romanumque Imperium ad perniciem deducitur. Uterque namque Rex a nobis, imo ab apostolica sede, cui licet indigni præsidemus, auxilium requirit. Et nos in misericordia Dei omnipotentis & adjutorio beati Petri confidentes parati fuimus cum vestro auxilio & consilio, qui Deum timetis & Christianam fidem diligitis, æquitatem utrinque decernere & ei præbere auxilium, cui justitia ad regni gubernacula favere dinoscitur: Quapropter si alteruter eorum superbia inflatus aliquo ingenio, quo minus ad vos veniam, obstiterit, & de sua injustitia timens, judicium Sancti Spiritus refugerit inobediens, resistendo sanctæ & universali matri ecclesiæ, hunc velut membrum antichristi & desolatorem Christianæ religionis contempnite, & sententiam quam nostri legati contra eum nostra vice dederunt conservate, scientes, quod Deus superbis resistit, humilibusque autem dat gratiam. Alteri vero, qui humiliter se habuerit, & judicium per nos prolatum, decretum vero a Spiritu Sancto, non contempserit * Indubitanter itaque credimus, ut ubi duo vel tres in unione Domini congregati fuerint, quod ejus præsentia illuminantur, illi, inquam, servitium & reverentiam, secundum quod præfati legati nostri decreverunt, exhibere annitentes, & omnibus modis ei obsequentes, ut regiam dignitatem honeste possit obtinere, & sanctæ ecclesiæ jam pene labanti succurrere. Non tamen a corde vestro debet excidere, quod qui apostolicæ sedi obedire contempnit, scelus idololatriæ committit. Equidem beatus Gregorius doctor sanctus & humilis, reges decrevit a suis dignitatibus cadere, & participatione corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi carere, si apostolicæ sedis præsumerent decreta contemnere. Si itaque cœlestia & spiritualia sedes beati Petri solvit & judicat, quantomagis terrena & secularia? Scitis autem, fratres dilectissimi, quod ex quo tempore ex urbe exivimus, in magno periculo inter inimicos Christianæ fidei mansimus, & tamen neutri prædictorum Regum neque amore neque terrore flexi, aliquod contra justitiam adjutorium promisimus. Magis tamen volumus, si oportet, mortem subire, quam, propria voluntate devicti, ut ecclesia Dei ad confusionem veniat, consentire. Ad hoc itaque nos ordinatos & in apostolica sede constitutos esse cognoscimus, ut in hac vita non quæ nostra, sed quæ Jesu Christi sint, quæramus, & per multos labores patrum vestigia sequentes, ad futuram & æternam quietem Deo miserante tendamus.

CL.

Oratio Hildebrandi Papæ.

Beate Petre, Princeps apostolorum, & beate Paule doctor gentium dignamini, quæso, aures vestras ad me inclinare, meque clementer exaudire, quod veritatis estis discipuli & amatores; adjuvate, ut veritatem vobis dicam, remota omni falsitate, quam omnino detestamini, ut fratres mei mihi melius acquiescant, & sciant, & intelligant, quod ex vestra fiducia post Deum & matrem ejus semper virginem pravis & iniquis resisto, vestris autem auxilium præsto. Vos itaque scitis, quod ad sacrum ordinem non libenter accessi, & invitus ultra montes cum Domino Papa abii, sed magis invitus cum Domino Leone Papa ad vestram specialem ecclesiam redii, in qua utcunque vobis servivi. Deinde valde invitus cum multo dolore & gemitu ac planitu in trono vestro valde indignus sum collocatus. Hæc ideo dico, quia non ego vos, sed vos me elegistis, & gravissimum pondus ecclesiæ vestræ super me posuistis; & quia super montem excelsum me jussistis ascendere, & clamare, atque annunciare populo Dei scelera eorum, & filiis ecclesiæ peccata eorum, membra diaboli contra me insurgere cœperunt, & usque ad sanguinem præsumpserunt in me manus injicere. Adstiterunt itaque reges terræ & principes seculares & ecclesiastici, aulici etiam & vulgares convenerunt in unum adversus Dominum, & adversus vos Christos ejus dicentes: Dirumpamus vincula eorum &c. Et ut omnino me morti traderent aut exilio confunderent, multis modis conati sunt in me insurgere. Inter quos specialiter Heinricus, quem Regem dicunt Domini Heinrici Imperatoris filius, contra vestram calcaneum erexit ecclesiam, facta cum multis episcopis Ultramontanis & Italicis conspira-

spiratione, annitens me dejiciendo eam sibi subjugare. Cujus superbiæ vestra restitit auctoritas, eamque vestra destruxit potestas. Qui confusus & humiliatus ad me in Longobardiam veniens, absolutionem excommunicationis quæsivit. Quem ego videns humiliatum, multis promissionibus ab eo acceptis de suæ vitæ emendatione, solam communionem ei reddidi, non tamen in regno, a quo eum in Romana synodo deposueram, instauravi, nec fidelitatem omnium, qui sibi juraverant vel erant juraturi, a qua omnes absolvi, in eadem synodo, ut sibi servarent, præcepi. Et hoc ideo detinui, ut inter eum & Episcopos vel Principes Ultramontanos, qui ei causa jussionis vestræ ecclesiæ restiterant, justitiam facerem vel pacem componerem, sicut ipse Heinricus juramento per duos Episcopos mihi promisit. Prædicti autem Episcopi & Principes Ultramontani audientes illum non servare, quod mihi promiserat, qui desperati de eo sine meo consilio, vobis testibus, elegerunt Rudulfum Ducem sibi Regem. Qui Rex Rudolfus festinanter ad me misso nuncio indicavit se coactum regni gubernacula suscepisse, tamen sese paratum mihi omnibus modis obedire, & ex eo tempore eundem mihi semper misit sermonem, adjiciens, & filio suo dato obside, & fidelis sui Ducis Bertholdi filio, quod promittebat confirmare. Interea Heinricus cœpit me precari, ut illum contra prædictum Rudolfum adjuvarem; cui respondi, me libenter facere, audita utriusque partis ratione, ut scirem, cui justitia magis faveret. Ille vero putans eum suis viribus posse devincere, meam contempsit responsionem. Postquam sensit se non posse, sicut speravit, agere, duo Episcopi Virdunensis & Osnaburgensis de consentaneis suis Romam venerunt, & in synodo, ut ex parte Heinrici, me, ut ei justitiam facerem, rogaverunt, quod & nuntii Rudolphi laudaverunt fieri. Tandem, aspirante Deo, sicut credo, statui in eadem synodo in partibus ultramontanis fieri colloquium, ut illic aut pax statueretur, aut, cui justitia magis faveret, cognosceretur, &, quod putabam, quia injustior pars colloquium nollet fieri, ubi justitia locum suum servaret, excommunicavi, & anathemate alligavi omnes personas sive Regis sive Ducis aut Episcopi aut alicujus hominis, qui colloquium aliquo ingenio impediret, ne fieret. Prædictus autem Heinricus cum suis fautoribus, non timens periculum inobedientiæ, quod est scelus idololatriæ, colloquium impediendo excommunicationem incurrit, & se ipsum anathematis vinculo alligavit, magnamque multitudinem Christianorum morti tradit, & ecclesias fecit dissipari, & totum pene Teutonicorum regnum dedit desolationi. Quapropter confidens de judicio & de misericordia Dei ejusque piissimæ matris & sanctæ virginis Mariæ fultus, auctoritate nostra prædictum Heinricum, quem dicunt Regem, excommunicationi subjicio & anathematis vinculis alligo & totum regnum Teutonicorum & Italiæ, ex parte omnipotentis Dei & vestra, interdicens ei omnem potestatem, & dignitatem regiam tollo, & ut nullus Christianus ei sicut Regi obediat, interdico, omnesque, qui ei juraverunt & jurabunt de regni donatione ac juramenti promissione absolvo. Ipse autem Heinricus cum fautoribus suis in omni congressione belli nullas vires, nullamque in vita sua victoriam obtineat. Ut autem R. regnum Teutonicorum regat & defendat, quem Teutonici sibi elegerunt Regem ad nostram fidelitatem, ex vestra parte dono largior & concedo, omnibusque fideliter sibi adhærentibus absolutionem omnium peccatorum, nostramque benedictionem in hac vita & in futura, vestra fretus fiducia, largior. Sicut igitur H. pro sua superbia & inobedientia & falsitate a regni dignitate juste abjicitur, ita Rudolpho pro sua humilitate & obedientia & veritate potestas & dignitas regni conceditur. Agite nunc, quæso, Patres & Principes sanctissimi, ut omnes mundus intelligat & cognoscat, quod si potestis in cœlo solvere & ligare, potestis in terra Imperia, Regna, Principatus, Ducatus, Marchias, Comitatus, & omnium hominum possessiones tollere, & meritis concedere. Vos itaque Patriarchatus, Episcopatus, Primatus frequenter tulistis pravis & indignis, & religiosis viris dedistis. Et si angelos dominantes omnibus superbis Principibus judicatis, quid de illorum servis facere potestis? Addiscant nunc reges & omnes Principes seculi, quanti vos estis, quid potestis, & timeant parvipendere jussionem vestræ ecclesiæ, & in prædicto Heinrico tam cito judicium vestrum exercete, ut omnes sciant, quia non fortuito, sed vestra potestate cadet & confundetur, utinam ad pœnitentiam, ut Spiritus salvus sit in die Domini.

CLI.

Epistola ejusdem cujus supra.

G. Servus servorum Dei dilectis in Christo fratribus U. Trevirensi Archiepiscopo & ejus suffraganeis salutem & apostolicam benedictionem. De motu & turbatione regni Teutonicorum quantam sollicitudinem, quantam anxietatem, jam per longum tempus sustinuerimus, ille præ omnibus novit, qui omnium secretorum cognitor est, & inspector verus, cui etiam, si dignatur tales audire supplicationes, fecimus & faciemus, commonitis & exhortatis fratribus & relligiosis congregationibus ad studium earundem supplicationum, ut misereatur gentis illius, ne sinat eam in propria armari viscera, & ad ruinam domesticæ fortitudinis in bello confligere, sed totius discordiæ causas sua potenti virtute compescat, sua moderatione sine funesto & luctuoso fine componat. Litteras quippe jam ante tres menses & eo amplius illuc direximus, videlicet legatis nostris B. diacono nostro & item B. religioso abbati, quem esse audivimus captum, nunc enim & universis principibus illius terræ tam ecclesiasticis, quam secularibus personis, in quibus quod nobis ad evitandam cædem, incendia, & alia bellorum pericula optimum, & in tanti negocii diffinitione

tione justissimum videbatur, eos consulendo & hortando cum omni studio exequi ammonuimus & ut fortius insisterent injunximus apostolica auctoritate. Verum quod nobis non satis compertum sit, utrum ad vos pervenerint illæ litteræ, ne forte aliquid de earum veritate dubitetis, easdem vobis de novis exemplaribus rescriptas mittere curavimus, ammonentes vos & per ipsam obedientiam præcipientes, ut omnibus modis operam detis, quatinus causa sententiæ earum literarum pertractata finem accipiat. Misimus itaque vobis sacramentum, quod Rex H. nobis per fideles suos quosdam fecit, data quidem manu sua in manu Cluniacensis Abbatis, ut perlecto eo agnoscatis, quam honeste Rex pro suo nomine se erga nos habuit, quippe, a cujus fidelibus, legati nostri postea capti sunt, videlicet E. Ostiensis Episcopus in Longobardia, B. Massiliensis abbas in terra Teutonica, unde nihil eum digni adhuc fecisse cognovimus, quamquam nos eum nunquam in aliqua causa Deo providente hac occasione contra justitiam circumvenire aut gravare velimus. Sicut etiam post cœptum negotium nunquam apud nos precibus aut aliqua ostentatione amicitiarum vel inimicitiarum obtinere potuit, ut quicquam pro eo, præter quod justum videretur, dicere vel censere vellemus, ita in ea re, quam adduximus, incunctanter, Deo adjuvante, persistere nullo vitæ periculo deterrebimur. Agite ergo, dilectissimi fratres, ut appareat, quantum ecclesiæ libertatem, & communem salutem omnium diligatis, scientes, quod, si ea neglecta fuerit, & ad graviorem, quod absit, exacerbationem venerit, non solum genti vestræ & regno Teutonicorum, sed usque ad fines Christianitatis, faciet damna & confusiones & pericula, & inæstimabiles causas miseriarum pariet.

CLII.

G. Episcopus servus servorum Dei fratri & coepiscopo Tridentino salutem & apostolicam benedictionem. Miramur fraternitatis tuæ prudentiam verba nostra neglexisse, ut secundum ea nullum decreveris dare responsum, maxime cum post synodalem sententiam in Heinricum Regem prolatam dilectio tua minime differre debuerit. Ad cujus nimirum sententiæ promulgationem, nos justitiæ zelo impulsos, & non aliqua commotione injuriæ concitatos, manum exeruisse, neque solertiam tuam ignorare, neque aliquem sanæ mentis hominem putamus posse ambigere. Quod tamen si in dubium cuiquam deveniret, constat, ejus rei rationes prius ex nobis fore scrutandas, quam in illum præjudicium factum temere esse credendum. Verum utcunq; opinio se se habeat factumve interpretentur, illud procul dubio de divina clementia sperantes promittimus, festum beati Petri non prius transeundum quam in cunctorum notitia certissime clareat, illum justissime esse excommunicatum. Et interea fraternitatem tuam monemus, ut certos nos studeat facere, utrum Deo obedire, an hominibus magis elegerit, utrumve justitiæ obtemperando fidem Deo, & sanctæ Romanæ ecclesiæ observare, quam filiis iniquitatis adhærendo conculcare censuerit. Rogamus etiam atque invitamus, ut ad servitium beati Petri pro posse tuo milites mittere studeas, eosque si decreveris mittere Mecthildæ filiæ nostræ notificare procures, cujus ope conducti securi possint ad nos & sine impedimento, favente Deo pervenire.

CLIII.

G. Episcopus servus servorum Dei R. Regi omnibusque secum in regno Saxonum commanentibus tam Episcopis quam Ducibus, Comitibus, nec non majoribus & minoribus peccatorum absolutionem & apostolicam benedictionem. Cum veritas ipsa dicat, omnium, qui propter justitiam persecutionem patiuntur, regnum esse cœlorum, & apostolus clamet, neminem nisi qui legitime certaverit posse coronari, nolite, filii mei, in hoc, qui vos jam multo tempore exagitat, bellico furore deficere, nolite per ullius fallentis personæ mendacia de nostro fideli adjutorio dubitare; sed magis magisque pro tuenda veritate ecclesiastica, pro defendenda vestræ nobilitatis libertate, labori jam citius finiendo incumbite; & ex adverso ascendendo vos & corpora vestra quasi murum pro domo Dei opponere satagite. Quicquid jam in duabus synodi nostræ conventionibus de rege R. & de H. statutum sit, quicquid ibi de pace & concordia regni & cum juramentis sit diffinitum, per nostras litteras & per nostros legatos, nisi forte capti sint, apertissime potestis cognoscere, & si quid adhuc remanserit, per episcopos Metensem & Papiensem & Abbatem Augustensem, qui nobiscum finem rei præstolando morantur, cum ad vos ipsi venerint quasi in promptu habetis audire. Postremo hoc vos ignorare nolumus, quod qua omni oportet instantia cum orationis nostræ assiduitate tum officii nostri gravitate & prospiciendo consulere & consulendo prospicere veræ necessitati non dubitamus. Audivimus de vestro Archiepiscopatu Magdeburgensi in disciplinam * quorundam ejus dem ecclesiæ filiorum, pro acquirendo seculari habitu & honore, obortam fuisse contentionem, quos modis omnibus ex præcepto Dei omnipotentis & sancti Petri & nostro, ne sibi in locum dampnationis culmen arripiat regiminis prohibere & Deo dignum dispensatorem, prout jus postulat & ordo, cum nostra voluntate, & apostolica benedictione & communi omnium bonorum tam clericorum quam laicorum electione disponere. Vos tamen ipsi nostis, quod in constituendis Episcopis neglecta sanctorum patrum instituta hunc, qui modo funditur, sanguinem genuerunt, & adhuc nisi provideantur, pejores prioribus errores fovendo parturiunt.

CLIV.

Ejusdem.

G. Servus servorum Dei Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus in Gallia constitutis, qui in gremio sanctæ Romanæ ecclesiæ permanere videntur,

Digitized by Google

videntur salutem & apostolicam benedictionem. Quantas tribulationum angustias & persecutionum procellas ac pondera periculorum universalis mater sancta Romana ecclesia perpessa sit temporibus istis, quod credi vix potest, ex majori parte latet scientiam vestram. Ad hæc quoque quid consilii, quidve suffragii per vos filios suos debitæ compassionis perceperit, vos ipsi agnoscitis. Quod itaque sine dolore vix possumus vel reminisci, ita caritas multorum circa eam refrigescit, ut hæc ipsa per evangelium præsignata quodammodo specialiter videantur, ut dicitur: Quando habundaverit iniquitas refrigescet cor multorum. Unde quid aliud dixerim, nisi quod vos, qui aut segniter neglexistis ac pavide refugistis matri vestræ in tanta pressura solaciari, nomine filiorum indignos, & caritatis visceribus alienos vos ostenditis. Quem vero pudorem, vel potius, quantum dolorem, quisquis est sanæ mentis, non sentiat, cum consideret, persecutores christianæ relligionis tanta factionis conspiratione, sicut omnimodis annisibus non solum res suas profundendo, sed etiam se ipsos morti tradendo ad explendam animi attrocitatem hucusque desudasse; neminem autem, vel vix paucissimos, justitiæ fautores aut corporum laborem subire, aut rerum dispendia pati, aut de bonis suis opem matri suæ ecclesiæ ferre curavisse. Verum, utcunque fraternitas vestra se se habuerit, benedictus Deus & Domini nostri Jesu Christi pater, qui nos ab adversariorum manibus & persecutorum violentia protegens, hactenus in manu nostra justitiam secundum testimonium conscientiæ nostræ defendit, atque potentiæ suæ vigore humanæ infirmitatis inbecillitatem nostram corroborans, ad iniquitatem converti, nullis nos promissionum blanditiis, nullis vexantium terroribus finit. Ipsi ergo gratias immensas referimus, qui nos infractos huc usque in pressuræ tempestate conservans, ad quandam spem tranquillitatis sicut liberis incessibus duxit, ut non nos contra principalem justitiæ intentionem egisse, aut propria conscientia aut religiosorum, qui noverunt, examinatio reprehendat. De cætero, fratres, ut causa jurgiorum & discordia, quæ inter regnum & apostolicam sedem jam dudum agitatur, annuente Domino, congruum valeat finem fortiri, vos ad synodum quam in medio Novembri celebrare disponimus, præsentium litterarum vocatione ex parte beati Petri Apostolorum principis præcipientes, invitamus. Hoc etiam fraternitatem vestram scire volumus, quia ut secure ad nos venire & in vestram patriam Deo protegente possitis redire, fideles nostri a majoribus, qui sunt in curia Heinrici dicti regis, juramento securitatem receperunt. Desideramus igitur una vobiscum tractare, divino fulti auxilio, qualiter possimus pacem confirmare, atque ad gremium matris ecclesiæ sanctæ schismaticos Deo auxiliante revocare.

CLV.

Promissio Heinrici Regis, quam fecit Hildebrando Papæ, qui & Gregorius.

Consilio fidelium nostrorum ammonitus, sedi apostolicæ & tibi Gregorio Papæ debitam in omnibus servare obedientiam promitto, & quæcunque ejusdem sedis vel tui honoris imminutio per nos orta videtur, devota satisfactione emendare curabo. Quia vero graviora quædam de nobis jactantur, quæ in eandem sedem & tuam reverentiam statuerim, ea congruo temporis vel innocentiæ suffragio, vel opitulante Deo, expurgabo, vel tum demum pro his competentem pœnitentiam libenter amplectar. Condecet autem & sanctitatem tuam, ea quæ de te vulgata scandalum ecclesiæ pariunt, non dissimulare, sed remoto a publica conscientia, & hoc scrupulo, universalem tam ecclesiæ quam regni tranquillitatem per tuam sapientiam stabilire.

CLVI.

Epistola Gregorii Papæ ad Hermannum Metensem Episcopum de excommunicatione Regis Heinrici.

G. Episcopus servus servorum Dei dilecto in Christo fratri Hermanno Metensi Episcopo salutem & apostolicam benedictionem. Quod ad perferendos labores & pericula pro defensione veritatis te paratum intelleximus, divini muneris esse non dubitamus, cujus hæc est & ineffabilis gratia, & mira clementia quod nunquam electos suos penitus aberrare permittit, nunquam funditus labefactari aut dejici sinit, dum eos persecutionis tempore quadam utili probatione discussos & post trepidationem aliquam semetipsis fortiores facit. Quum autem, sicut inter ignavos alium, quo turpius alio fugiat, timor exanimat, ita etiam inter strenuos alium, quo fortius alio agat, virile pectus inflammat, hoc caritativæ exhortationis voce curavimus commendare, ut eo magis in acie Christianæ relligionis stare te delectet inter primos, quo eos non dubitas victori Deo proximos atque dignissimos. Quod autem postulasti, te quasi nostris scriptis juvari ac præmuniri contra illorum insaniam, qui nefando ore garriunt auctoritatem sanctæ & apostolicæ sedis non potuisse Regem Heinricum hominem Christianæ religionis contemptorem, ecclesiarum videlicet & imperii destructorem, atque hæreticorum auctorem & consentaneum excommunicare, nec quemquam a sacramento fidelitatis ejus absolvere, non adeo nobis necessarium videtur; cum hujus rei tam multa ac certissima documenta in sacrarum scripturarum paginis reperiantur. Neque autem credimus eos, qui ad cumulum damnationis suæ veritati impudenter detrahunt, & contradicunt Deo, hoc ad defensionis suæ audaciam tam ignorantia, quam miseræ desperationis vecordia captasse. Nec mirum. Mos est autem reproborum, ob suæ nequitiæ protectionem niti similes sibi defendere, quia pro nihilo habent mendacii perditionem incurrere. Nam, ut dicamus pauca de multis, quis ignorat vocem Domini ac salvatoris dicentis in evangelio; Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam & portæ inferni non prævalebunt

Google

bunt adversus eam &c. Num quid sunt hic reges excepti? aut non sunt de ovibus, quas filius Dei beato Petro commisit? Quis rogo in hac universali confessione ligandi atque solvendi a potestate Petri se exclusum existimat, nisi forte infelix ille, qui jugum Domini ferre nolens Diaboli se subjicit oneri, & in numero ovium Christi esse recusat? Cui tamen hoc ad miseram libertatem pro minimo proficit, quod potestatem Petri divinitus sibi concessam a superba cervice excutit, quam quanto eam quisque perelationem ferre abnegat, tanto durius ad damnationem suam in judicio portat. Hanc itaque divinæ voluntatis institutionem, hoc firmamentum dispensationis divinæ, hoc privilegium beato Petro apostolorum principi cœlesti decreto principaliter traditum atque firmatum, sancti patres cum magna veneratione susceperunt & servaverunt, & sanctam Romanam ecclesiam, tam generalibus conciliis, quam etiam in cæteris scriptis & gestis suis universalem matrem appellaverunt, & sicut ejus documenta in confirmatione fidei, ita etiam judicia susceperunt, in hoc consentientes quasi uno Spiritu, & una voce concordantes, omnes majores res & præcipua negocia, nec non omnium ecclesiarum judicia ad eam quasi ad matrem & caput omnium debere referri, ab ea nusquam debere appellari, judicia ejus a nemine retractari, aut refelli debere, aut posse. Unde beatus Gelasius Papa Anastasio Imperatori scribens, divina fultus auctoritate, quid & qualiter de principatu sanctæ & apostolicæ sedis sentire deberet, hoc modo eum instruxit: Etsi, inquit, cunctis generaliter sacerdotibus divina tractantibus fidelium convenit colla submitti, quanto potius sedis illius præsuli consensus est adhibendus, quem cunctis sacerdotibus & divinitas summa voluit promittere, & subsequens ecclesiæ generalis jugiter pietas celebravit? Verum prudentia tua evidenter advertit, nunquam quolibet penitus humano consilio æquare se quemquam posse illius privilegio vel confessioni, quem Christi vox prætulit universis, quem ecclesia veneranda confessa est semper, & habet devota primatem. Item Julius Papa orientalibus episcopis scribens de potestate ejusdem sanctæ & apostolicæ sedis ait: Decuerat nos fratres adversus sanctam Romanam & apostolicam ecclesiam limate & non yronice loqui, quomodo & ipse Dominus noster Jesus Christus eam decenter allocutus ait: Tu es Petrus, & super hanc Petram, & reliqua. Habet igitur potestatem singulari privilegio sibi concessam, aperire & claudere januas regni cœlestis, quibus voluerit. Cui ergo aperiendi & claudendi cœli data est potestas, de terra judicare non licet? Absit. Non retinetis, quod ait beatissimus Paulus: Nescitis, quando Angelos judicabimus, quanto magis secularia? Beatus quoque Gregorius Papa reges a sua dignitate cadere statuit, qui apostolicæ sedis decreta violare præsumpserint: Potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & nisi ea, quæ ab illo sunt male ablata, restituerit, vel digna pœnitentia illicite acta defleverit, a sacratissimo corpore, & sanguine Domini alienus sit, atque in æterno examine districtæ ultioni subjaceat. Quare beatus Gregorius Papa, Doctor utique mitissimus, reges, qui statuta sua super unum etiam xenodochium violarent, non modo deponi, sed etiam excommunicari atque in æterno examine damnari decrevit, quis nos, Heinricum, non solum apostolicorum judiciorum contemptorem, verum etiam ipsius matris ecclesiæ, quantum in ipso est, conculcatorem, totiusque regni & ecclesiæ improbissimum prædonem, & atrocissimum destructorem, deposuisse & excommunicasse reprehendit, nisi forte similis ejus? Sic beato Petro hoc docente cognovimus in epistola de ordinatione Clementis, in qua sic ait: Si quis amicus fuerit, his unus est & ipse ex illis, qui ecclesiam Dei exterminare volet, & cum corpore nobiscum videatur esse, mente & animo contra nos est, & est multo nequior hostis hic, quam illi qui foris sunt & sunt evidenter inimici. Hic igitur per amicitiarum speciem, quæ inimica sunt, gerit, & ecclesiam dispergit & vastat. Nota ergo, dilectissime, quod eum, qui amicitia & colloquio his conjungitur, quibus Papa pro actibus suis aversus est, animadversione damnat. Sed, ut ad rem redeamus, ita ne dignitas a secularibus Deum etiam ignorantibus inventa non subjicietur ei dignitati, quam omnipotentis Dei prudentia ad honorem suum invenit, cujus filius sicut Deus & homo indubitanter creditur, ita summus sacerdos caput omnium sacerdotum ad dexteram patris sedens, & pro nobis semper interpellans habetur, qui seculare regnum, unde filii seculi tument, despexit, & ad sacerdotium crucis spontaneus venit? Quis nesciat reges & duces, ab his habuisse principium, qui Deum ignorantes, superbia, rapinis, perfidia, homicidiis, postremo universis pene sceleribus mundi principe videlicet Diabolo agitante super pares seculi homines dominari cœca cupidine & intolerabili præsumptione affectaverint? Qui videlicet dum sacerdotes Domini ad sua vestigia inclinare contendunt, cui rectius comparentur, quam ei qui est caput super omnes filios superbiæ? Qui ipsum summum pontificem sacerdorum caput altissimi filium tentans ait: Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me. Quis dubitet sacerdotes vel regum & principum omniumque patres & magistros censeri? Nonne miserabilis insaniæ esse cognoscitur, si filius patrem, discipulus magistrum sibi conetur subjicere, a quo credit non solum in terra sed etiam in cœlis se ligari posse & solvi? Hæc sicut beatus Gregorius in epistola ad Mauritium Imperatorem directa commemorat, Constantinus M. Imperator omnium regum & principum fere totius orbis Dominus, intelligens, in sancta Nycena synodo post omnes Episcopos ultimus residens, nullam judicii sententiam dare voluit, sed illos etiam Deos vocans, verum se ab illorum pendere judicio judicavit. Supradicto quoque Anastasio imperatori prælibatus

libatus Papa Gelasius persuadens, ne illam intimatam suis sensibus veritatem arbitraretur, injuriam subintulit, dicens: Duo sunt, Imperator Auguste, quibus principaliter hic mundus regitur, auctoritas sancta pontificum & regalis potestas, in quibus tanto gravius est pondus sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regibus hominum in divino examine reddituri sint rationem. Et paucis interpositis ait: Nosti itaque ab illorum te pendere judicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem. Talibus ergo institutis, talibusque fulti auctoritatibus plerique pontificum, alii reges, alii imperatores excommunicaverunt. Nam si aliquod speciale de personis principum requiratur exemplum, Beatus Innocentius Papa Archadium Imperatorem, quod consensit, ut S. Johannes Chrisostomus de sua sede pelleretur, excommunicavit. Alius item Romanus pontifex Zacharias Regem Francorum non tam pro suis iniquitatibus, quam pro eo, quod tantæ potestati non erat utilis a regno deposuit, & Pipinum Caroli Magni Imperatoris patrem in ejus loco substituit, omnesque Francigenas a juramento fidelitatis absolvit ac vinculo juramenti; quod & factum est, ab Episcopis, qui Apostolica auctoritate a Pontificiali gradu deponuntur. Et beatus Ambrosius, licet sanctus, non tamen universalis ecclesiæ Episcopus pro culpa, quæ aliis sacerdotibus non adeo gravis videbatur, Theodosium magnum Imperatorem excommunicans, exclusit ab ecclesia. Qui etiam in scriptis suis ostendit, quod aurum non tam pretiosius sit plumbo, quam regia dignitate sit altior dignitas sacerdotalis, hoc modo circa principium sui Pastoralis scribens: Honor, fratres, & sublimitas Episcopalis nullis poterit comparationibus adæquari, si regnum fulgori compares; quippe cum videas regum colla & principum submitti genibus sacerdotum, & exosculata eorum dextera orationibus eorum credant se communiri. Et post pauca: Hæc cuncta, fratres, ideo nos præmisisse debetis cognoscere, ut ostenderemus, nihil esse in hoc seculo excellentius sacerdotibus, nihil sublimius Episcopis reperiri. Meminisse etiam debet fraternitas tua, quia major potestas exorcistæ committitur, cum specialiter ad dæmones abjiciendos constituitur, quam alicui laicorum secularis dominationis tribui possit. Omnibus nempe regibus & principibus terræ, qui relligiose non vivunt, & in actibus suis, ut opinor, Deum non metuunt, dæmones, heu prohdolor, dominantur, & misera eos servitute confundunt. Tales igitur non divino ducti amore, sicut relligiosi sacerdotes, ad honorem Dei & utilitatem animarum præesse cupiunt, sed ut intolerabilem superbiam suam ostentent, animique libidinem expleant, cæteris dominari affectant. De quibus beatus Augustinus in libro primo de doctrina Christiana dicit: Cum vero etiam eis, qui sibi naturaliter pares sunt, hoc est, omnibus, quilibet affectat dominari, intolerabilis omnino superbiæ est. Porro autem cum exorcista, ut diximus, super dæmones a Deo imperium habeat, quanto magis super eos, qui dæmonibus sunt subjecti & membra sunt dæmonum? Si ergo his tantum præminent exorcistæ, quanto magis sacerdotes? Propterea omnis Rex Christianus ad exitum veniens, ut inferni carcerem evadat, ut de tenebris in lucem tendat, ut de peccatorum vinculis in judicio Dei absolutus appareat, sacerdotis opem supplex & miserandus requirit. Quis autem non modo sacerdotum, verum & laicorum & in extremis positus pro animæ salute terreni regis imploravit auxilium? Quis vero regum vel imperatorum aliquem Christianum, ex imposito sibi officio, valet ex diaboli potestate eripere, & inter filios Dei connumerare, sacroque chrismate communire? Et quod maximum est in christiana religione, quis eorum valet in proprio ore corpus & sanguinem Domini conficere? Cui eorum data est potestas ligandi, & solvendi in cœlo & in terra? Ex quibus aperte colligitur, quanta præcellat potestate dignitas sacerdotum. Aut quis eorum potest aliquem clericum ordinare in sancta ecclesia, quanto minus pro aliqua re deponere? Namque in ecclesiasticis ordinibus majoris est potestatis deponere, quam ordinare. Episcopi nunc possunt alios Episcopos ordinare, sed nullo modo sine auctoritate apostolicæ sedis deponere: Quis igitur vel tenuiter sciolus episcopos vel sacerdotes timeat anteferre? Quod si reges pro peccatis suis a sacerdotibus sint judicandi, a quo rectius quam a Romano Pontifice judicari debent? Ad summam, quoslibet bonos christianos multo convenientius, quam malos principes & reges intelligi decet. Isti igitur gloriam Dei quærendo semetipsos strenue regunt, at illi non quæ Dei sunt, sed sua quærentes, sibimet hostes, alios tyrannice obprimunt; hi veri regis Christi, hi vero diaboli corpus sunt. Isti ad hoc sibi imperant, ut cum summo imperatore æternaliter regnent; illorum vero perversitas id agit, ut cum tenebrarum principe, qui est Rex super filios superbiæ, æterna damnatione pereant. Nec valde sane mirandum est, quod mali Pontifices iniquo regi, quem adeptis male per eum honoribus diligunt metuuntque consentiunt, qui symoniace quoslibet ordinando Deum & pro vili pretio vendit. Nam sicut electi insolubiliter suo capiti innituntur, ita & reprobi, maxime contra bonos, ei qui maliciæ caput est, pertinaciter fœderantur, contra quos profecto non tam differendum, quam pro eis lacrimosis planctibus ingemiscendum, ut omnipotens Deus illos a laqueis satanæ, quibus captivi tenentur, eripiat, & tandem aliquando vel post pericula ad agnitionem veritatis perducat. Hæc de Regibus & Imperatoribus, qui seculari potentia nimium tumidi, non Deo, sed sibi regnant. Sed quia nostri est officii, unicuique secundum ordinem vel dignitatem, qua videtur vigere, exhortationem distribuere, Imperatoribus, Regibusque ceteris principibus, ut elationes maris & superbiæ fluctus opprimere valeant, arma humilitatis, Deo auctore, providere curavimus. Scimus etenim, quod mundana gloria & secularis cura eos permaxime, qui

qui præsunt, ad elationem pertrahere solet, quod semper neglecta humilitate, propriam quærendo gloriam, fratribus cupiunt præminere. Proinde videtur utile maxime Imperatoribus & Regibus, ut, cum mens eorum se ad alta erigere, & pro singulari vult gloria oblectare, inveniat, quibus se modis humiliet, atque unde gaudebat, sentiat se plus timidum. Prospiciat ergo diligenter, quam periculosa, quamque timenda imperatoria vel regia dignitas, in qua paucissimi salvantur, & illi qui, Deo miserante, ad salutem veniunt, non æque, ut multi pauperum, judicio sancti Episcopi in sancta ecclesia clarificantur. A mundi igitur principio usque ad hæc nostra tempora in tota autentica scriptura, non invenimus septem imperatores vel reges, quorum vita adeo fuit religione & præcipuarum virtutum signis decorata, sicut innumerabilis multitudinis seculi contemptorum, licet eos plures apud omnipotentem Deum minime salutem invenisse credamus. Namq; ut de apostolis, & martyribus taceamus, quis imperator vel regum æque ut Martinus, Antonius, Benedictus, miraculis claruit? Quis imperatorum vel regum mortuos suscitavit, leprosos mundavit, cœcos illuminavit? Ecce, Constantinum piæ memoriæ imperatorem, Theodosium, Honorium, Carolum & Ludewicum, justitiæ amatores, christianæ religionis cultores, ecclesiarum defensores, sacra quidem ecclesia laudat & veneratur, non tamen eos tanta miraculorum gloria indicat. Præterea ad quæ nomina regum vel imperatorum basilicas sive altaria dedicari vel ad honorem sancta ecclesia missas statuit celebrari? Timeant reges aliique principes, ne quanto se ceteris hominibus in hac vita præferri gaudent, tanto amplius æternis incendiis subjiciantur. Unde scriptum est: Potentes potenter tormenta patientur. De tot igitur hominibus sunt reddituri rationem, quot suæ dominationi subditos habuerunt. Quod si alicui relligioso privato non parvus labor est, unam animam suam custodire, quantus labor imminet principibus super multis millibus animarum? Præterea si judicium sanctæ ecclesiæ valde constringit hominem peccatorem pro unius hominis interfectione, quid erit de hoc, qui multa millia morti tradet pro mundi hujus honore? Qui licet ore aliquando dicant: mea culpa pro multorum interfectione; tamen in corde gaudent, quasi in sui honoris extensione, nollentque non fecisse, quod egerunt, nec dolent, quod fratres suos in tartarum compulerunt. Cumque ex toto corde suo non pœnitet eos, neque volent humano sanguine acquisita vel detenta omittere, illorum pœnitentia apud Dominum sine digno fructu pœnitentiæ manet. Unde profecto valde est timendum atque ad memoriam eorum crebro revocandum, quod sicut præfati sumus, a mundi principio paucissimi per diversa terrarum regna reges sancti ex innumerabili eorum multitudine reperiuntur, cum in una tamen Pontificum seriatim succedentium sede Romana a tempore beati Petri apostoli, ferme centum inter sanctissimos computentur. Cur autem hoc? nonne quod reges terræ, & principes vana gloria illecti, sicut prælibatum est, quæ sua sunt, spiritualibus præferunt, relligiosi autem Pontifices, vanam gloriam despicientes, quæ Dei sunt earnalibus præponunt? Illi in se delinquentes facile puniunt, in Deum peccantes æquo animo ferunt. Isti in se peccantibus cito ignoscunt, Deum offendentibus non leviter parcunt. Illi terrenis actibus nimium dediti, spiritualia parvipendent, isti cœlestia meditantes, quæ sunt terrena contemnunt. Admonendi ergo sunt omnes Christiani, qui cum regno regnare cupiunt, ne ambitione secularis potestatis regnare affectent, sed potius ante oculos habeant quod beatus Gregorius in libro Pastorali ammonet, dicens: Inter hæc itaq; quid sequendum, quid tenendum est, nisi ut virtutibus pollens coactus ad regnum veniat, virtutibus vacuus nec coactus accedat? Quid si ad apostolicam sedem, in qua rite ordinati meritis S. Petri meliores efficiuntur, qui Deum timent, cum magno timore veniunt; ad solium regni cum quanto timore ac tremore accedendum est, in quo etiam boni & humiles, sicut in Saul & David cognoscitur, fuerint deteriores? Nam quod de sede apostolica prælibavimus, in beati Symachi papæ decretis, licet experimento sciamus, sic continetur: Ille scilicet beatus Petrus meritorum dotem perennem cum hereditate innocentiæ misit ad posteros. Et post pauca: Quis igitur sanctum esse dubitet, quem apex tantæ dignitatis attollit; in quo, si desunt bona, acquisita per meritum sufficiunt, quæ a loci prædecessore præstantur. Aut etenim claros ad hæc fastigia erigit, aut eos, qui eriguntur, illustrat. Quapropter, quos sancta ecclesia sua sponte ad regimen ecclesiæ vel imperium evocat, deliberato consilio, iis non pro transitoria gloria, sed pro multorum salute humiliter obediant, & semper caveant, quod beatus Gregorius in libro Pastorali testatur: Apostata quippe angelo similis efficitur, dum homo homini similis esse dedignatur. Sic Saul, post humilitatis meritum, per tumorem superbiæ culmine potestatis, excidit. Per humilitatem quippe prælatus, per superbiam vero reprobatus est, Domino attestante, qui ait: Nonne cum esses parvulus in oculis tuis, caput te constitui in tribubus Israel? Miro autem modo cum apud se magnus apparuit, apud Deum parvulus fuit. Vigilanter quoque retineant, quod Dominus in evangelio ait: Ego gloriam meam non quæro, & qui vult inter vos primus esse, sit omnium servus. Honorem Dei semper præponant, justitiamq; unicuique suum jus servando, amplectantur, atque custodiant, sanctam ecclesiam non quærant sicut ancillam sibi subjicere vel subjugare, sed maxime oculos illius, videlicet Domini sacerdotes, magistros & patres recognoscendo studeant honorare. Nam si carnales patres & matres jubemur honorare: quanto magis spirituales? Et si ille, qui carnali patri vel matri maledixerit morte multandus est, quid ille, qui maledicit patri vel matri spirituali, meretur? Non carnali amore illecti studeant filium suum gregi,

gregi, pro quo Christus sanguinem suum fudit, præponere, si meliorem illo & utiliorem possunt invenire, ne plus Deo diligendo filium, maximum sanctæ ecclesiæ inferant detrimentum. Patenter itaque Deum & proximum, sicut Christianum, non amare convincitur, qui * tantæ voluntati tamque necessariæ esse sanctæ Matri ecclesiæ, prout melius potest, negligenter providere. Hac namque virtute & caritate neglecta, quicquid boni aliquis fecerit, omni salutis fructu carebit. Hæc igitur humiliter agendo, & amorem Dei & proximi sicut oportet servando, præsumant de illius misericordia qui dixit: Discite a me, quia mitis sum & h. c. Quem si humiliter imitati fuerint, de regno servili & transitorio ad regnum veræ libertatis & æternitatis transibunt. His igitur armis nostris, quibus se reges aliique principes contra superbiam & vanam gloriam muniant, comparatis, si æternitatem tuam, & eos, qui prædicationis locum in sancta ecclesia tenent, paucis commonere censuimus, ut inter alia, quæ debentur, veritatem fere ab omnibus neglectam, cujus propugnatores & defensores vix paucissimi reperiuntur, firmiter tenere, & constanter denunciare studeatis, perpendentes quod beatus Gregorius in libro Moralium dicit exponens capitulum illud: Qui timent pruinam, irruet super eos nix. Sæpe, inquit, nonnulli, dum temporalia adversa pertimescunt, districtioni se æternæ animadversionis objiciunt. De quibus bene per Psalmistam dicitur: Illic trepida &c. Iste namque veritatem jam libere defendere appetit, sed in ipso suo appetitu trepidus indignationem potestatis humanæ pertimescit. Cumque intra hominem contra veritatem pavet, ejusdem veritatis iram cœlitus sustinet. Item in Pastorali de eodem per Salemonem dicitur: Qui absondit frumenta, maledicitur in publicis. Frumenta abscondere est prædicationis verba apud se retinere. In publicis autem talis quisque maledicitur, quia in solius culpa silentii pro multorum, quos corrigere potuit, pœna damnatur. Si medicinalis artis ignari minime secandum vulnus cernerent, & secare recusarent, profecto peccatum fraternæ mortis ex solo torpore committerent. Quanta ergo involvantur culpa, aspiciunt, qui dum cognoscunt vulnera mentium, curare negligunt sectione verborum. Unde & bene per Prophetam dicitur: Maledictus, qui gladium suum prohibet a sanguine. Gladium quippe a sanguine prohibere est, prædicationis verbum a carnalis vitæ interfectione retinere. Et paulo post inferius: Si ergo ille Dei dicitur, qui ad ferienda vitia zelo divini amoris exuritur, profecto esse se Dei denegat, qui, quantum sufficit, increpare vitam carnalium recusat. Cum ergo periculum vestrum, sicut ex his colligitis, vos oporteat sollicite cogitare, maximeque vigilanter cavere, tum & subditos & proximos vestros, qui corrigendi sunt, ammonere, eisque ipsorum periculum, si obedire contempnant, diligenter debetis ostendere. Unde idem beatus Gregorius super illo capitulo, melior est, obedientia, quam victima, & auscultare magis, quam offerre adipem arietum; quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idolatriæ, nolle acquiescere. In ultimo libro moralium Job sic demum argumentatur: Si igitur quasi peccatum ariolandi est repugnare, sola est obedientia quæ fidei meritum possidet, qua sine infidelis quisque cognoscitur, etiamsi fidelis esse videatur. Pensate ergo, dilectissimi, pensate, quæ superius digesta sunt, & si non, quod peccator Gregorius vobis scribit, vel quod Gregorius ille sanctissimus olim disseruit in memoria semper habere, ac maxime, ne veritatis occultatio vos damnet, procurare, vel proximos inobedientia, quam perniciosa sit, ignorantes interimat, sed & vos aperta confessio veritatis & constans testificatio justitiæque defensio comprobet esse pastores, & proximi per vos edocti & ammoniti, viam salutis tenere valeant obedientes.

CLVII.

Epistola ejusdem, cujus supra.

G. Episcopus servus servorum Christi dilectæ in Christo filiæ Mathildi salutem & apostolicam benedictionem. Quanta sit mihi cura, quantaque incessanter de te tuaque re sollicitudo, ipse solus qui cordis arcana rimatur intelligit, & multo melius me ipso agnoscit. Tu tamen si pensare non negligis, ut reor, animadvertis, quod pro tantis tui curam me oportet habere, quantis pro caritatis studio te detinui, ne illos defereres, ut tuæ solius animæ provideres. Caritas igitur, ut sæpe dixi & dicam, sequens cœlestem tubam, non, quæ sua sunt, quærit. Sed, quod inter cætera, quæ tibi contra principem mundi arma, Deo favente, contuli, quod potissimum est, ut corpus Domini, cum frequenter acciperes, indicavi, & ut certæ fiduciæ matris Domini omnino te committeres, præcepi. Quid etiam beatus Gregorius, vel Ambrosius videlicet de sumendo corpore senserint, his literis intimavi. Ait igitur in libro quarto, de sacramentis inter cætera: Si mortem Domini annuntiamus in remissionem peccatorum, si quotiescunque effunditur corpus vel sanguis Domini, in remissionem peccatorum funditur, debeo semper illud accipere, ut semper mihi peccata dimittantur. Qui semper pecco, semper debeo habere medicinam. Item ipse Ambrosius in libro quinto de Sacramentis: Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumas? Quemadmodum Græci in oriente consueverunt facere, accipe, quotidie merearis accipere. Quomodo Job scilicet quotidie pro filiis offerebat sacrificium, ne forte aliquid vel in corde vel in sermone peccassent. Ergo tu audis, quod quotiescunque offertur sacrificium, mors Domini, resurrectio Domini significetur, & remissio peccatorum. Et panem istum vitæ non quotidie assumis? Qui vulnus habet, medicinam requirit. Vulnus est, quod sub peccato sumus, medicina est cœleste & venerabile mysterium. Item Gregorius in libro quarto dialogorum: Debemus itaque præsens seculum, vel quia conspicimus defluxisse, tota mente

Digitized by Google

mente contempnere, quotidiana Deo sacrificia lacrimarum, quotidianas carnis ejus & sanguinis hostias inmolare. Hæc namque singulariter victima ab æterno interitu animam salvat, quæ illam nobis mortem unigeniti per mysterium reparat. Qui licet surgens a mortuis jam non moritur, & mors illi ultra non dominabitur, tamen in se ipso inmortaliter atque incorruptibiliter vivens, pro nobis iterum in mysterio sacro oblationis inmolatur. Ejus quippe corpus ibi sumitur, ejus caro in salute populi patitur, ejus sanguis non jam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur. Hinc ergo pensemus, quale sit pro nobis hoc sacrificium, quod pro absolutione nostra passionem unigeniti filii semper imitatur. Quis itaque fidelium habere dubium possit in ipsa inmolationis hora, ad sacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Jesu Christi mysterio angelorum choros adesse, summis ima sociari, terram cœlestibus jungi, unum quid ex visibilibus & invisibilibus fieri? Item Johannes Chrysostomus patriarcha ad Neophytos: Videte quemadmodum sponsam sibi Christus sociavit: Videte quo vos cibo satiatos enutrit. Ipse nobis cibi substantia est ad nutrimentum. Nam sicut mulier affectionis natura cogente genitum alere, sui lactis fœcunditate festinat, sic & Christus, quos ipse genuerat suo sanguine semper enutrit. Etenim, ut idem Johannes scribit ad Theodorum monachum: Lubricum est genus natura mortalis, cito quid labitur, sed sero reparatur, & ut facile cadit ita & velociter surgit. Debemus, o filia, hoc singulare appetere medicamentum. Hæc ideo, Dilectissima beati Petri filia, scribere procuravi, ut fides tibi ac fiducia in accipiendo corpus Domini major accrescat. Talem quippe thesaurum, taliaque dona, non aurum, non lapides pretiosos, amore patris tui cœlorum videlicet principis a me tua requirit anima, licet ab aliis sacerdotibus longe meliora, meritis accipere possit. De matre vero Domini, cui te principaliter commisi & committo, & nunquam committere, quousque illam videamus, ut cupimus, omittam. Quid dicam? quam, licet cœlum & terra laudare, ut meretur, nequeant, non cessant, hoc tamen procul dubio teneas, quia quanto altior & melior ac sanctior est, omni matre, tanto clementior & dulcior circa conversos peccatores, & peccatrices. Pone itaque finem in voluntate peccandi & prostrata coram illa ex corde contrito & humiliato lacrimas effunde. Invenies illam, indubitanter promitto, promptiorem carnali matre, ac mitiorem intuitu, dilectione.

CLVIII.

E. Sanctæ Trevirensis ecclesiæ patri reverendissimo unanimiter electo, canonice admisso T. Dei gratia id quod est, debitam dilectionem, ex dilectione subjectionem, ex subjectione servitutem, ex servitute intimam, in omnibus servata ratione, devotionem. Teste conscientia, teste & illo qui omnia novit, nemo est qui dignitati vestræ melius velit, nemo qui unanimi vestræ electioni magis applauserit, nemo, inquam, qui de tam jucunda patris ad filium, prælati ad subditum, affinitate rationabiliter incepta rationabilius finienda, majorem fiduciam consilii & auxilii sibi assumpserit. Fateor me in omnibus vobis & ecclesiæ Trevirensi debitorem esse, utpote quem elegi & laudavi mihi in dulcissimum patrem; imo quod Trevirensem ecclesiam semper habui & habiturus sum vita superstite in dulcissimam matrem. Ecclesia Virdunensis ecclesiam Trevirensem ut filia matrem digna dilectione, debita subjectione amplectitur, ut subjecta prælatam veneratur. Membrum igitur capiti suo connexum proficit, divisum omnino deficit. Legati vestri, frater, Archidiaconus, miles H. monuerunt me, ut Treverim venirem, obedientiam vobis & ecclesiæ persolverem, ordinationi vestræ interessem. Consecrationem vestram in tanta omnium necessitate non modo vobis, sed nobis, qui affligimur, qui angustiamur, valde necessariam ulterius non differrem: tam justæ, tam saluberrimæ monitioni non moram, non difficultatem aliquam prætendissem, si in hoc tum meam vestram salutem non adtendissem, si non benedictionem pro maledictione, consecrationem pro execratione, ordinationem pro depositione hoc tempore reputassem. Quod igitur maximo cum dolore vobis refero ab ordine suspensum vos ordinare periculosum esset, ut miserabilius dicam, execratum de consecratione vestra præsumere pernitiosum esset. Consilio meorum satis importuno ut teste Deo mihi contrario in Pentecosten veni ad curiam, terribiliter adstrictus, multipliciter coactus sum ibi agere contra ordinem, contra salutem meam, imo contra dignitatem ecclesiasticam; abrenuntiavi sedenti in sede apostolica, & hoc sine ratione aliqua, cum præsens non audiretur, auditus discuteretur, discussus convinceretur. Abrenuntiavi illi, cui in examine meæ ordinationis professus fueram obedientiam, cui subjectionem pollicitus eram, cui post beatum Petrum suscepto regimine mihi commissæ ecclesiæ commissus fueram. Reversum solito gravius ecclesia me suscepit, usitatum processionis ordinem non exhibuit, &, quod miserabilius est, osculum pacis non obtulit, quod infelicius propter auditam tam temere abrenuntiationem, & inauditam prius tantam temeritatem, non modo ab episcopali, sed a sacerdotali officio, sub ostentatione meæ salutis & mei ordinis saluberrimo consilio usque ad dignam beato Petro & vicario ejus satisfactionem me submovit. Hoc me impedit, hoc in Christo Jesu ordinationi vestræ me subtraxit. Quodsi alius pro voluntate vestra & petitione, Tullensis videlicet vel quivis vicem nostram suppleverit, non indignor nec adversor, neq; rationabiliter ordinanti improperabo, neque in aliquo detraham rationabiliter ordinato. Adhuc vobiscum agam familiarius, ut cum patre filius, ut cum prælato subjectus, ut cum amico nemo jucundior amicus, cum consanguineo proximus admodum consanguineus. Hoc tempore tribulationis

tionis in hoc schismate ecclesiasticæ dignitatis, hoc errore apostolicæ sedis, videndum est, quomodo ordinari velitis in examinatione ordinis, cui promissionem, cui obedientiam, cui dignam subjectionem vovere debeatis. Hoc per abrenuntiationem nostram expulso, alio per legitimam electionem nondum recollocato. Non hoc dico, ut voluntati vestræ contradicam, ut ordinationem impediam, ut promotionem suspendam, cum pro caritate & paternitate vestra paratus sim ultro offerre corpus, & animam. Adaperiat Dominus cor vestrum in lege sua & in præceptis suis, & in præsenti causa.

CLIX.

Epistola Diderici Virdunensis Episcopi contra Hildebrandum Papam.

Dilectis in Christo fratribus, & Dominis Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Principibus Romani Imperii, majoribus, & minoribus, clero & populo, sanctæ ecclesiæ cultoribus T. Virdunensis, id quod est Dei gratia, fraternam dilectionem, debitam servitutem, & perpetuam in Domino salutem. Regni nostri perturbatio, &, ut verius dicam, nisi Deus avertat, prima nimis anullatio in maximum dolorem nos excitat, in lacrimas vocat, in miserabilem querimoniam coram Deo & hominibus nos convertit. Hildebrandus, qui dicebatur caput, jam cauda ecclesiæ, qui fundamentum, jam detrimentum est ecclesiæ, qui decus jam dedecus est ecclesiæ: hic dispergit, qui dicebatur congregare: hic ecclesiam odit, qui dicebatur diligere: jam usque ad omnimodam hæresim infirmat, qui dicebatur sanctam ecclesiam confirmare. O inaudita arrogantia hominis, supra omnem gloriam de se gloriantis, supra omnem malitiam male agentis, unitatem ecclesiæ scindentis, quod inauditum est, regnum & regem catholicum destruere præsumentis, impios justificantis, pios injuste damnantis, decreta patrum pervertentis, regem adulterinum extollentis, regem liberum & legitimum & cum memoria nominis regii extinguere meditantis & minantis. O temporibus nostris nunquam audita hæresis. Perjuria fidelitates dicit, fidem sacrilegium facit; imo quia ab initio pater ejus mendax fuit, per omnia mentitur, & in omnibus veritati contradicit. Videat Deus & judicet, videte vos, judicate. Hominem impium, hominem abhominatum, membra ecclesiæ subvertentem, caput nobis faceremus? Nos omni ecclesiastico honore destituentem patrem nobis constitueremus? Vita sua accusat illum, perversitas damnat, obstinatio malitiæ illum anathematizat. In qua re vobiscum esse, vobiscum facere, vobiscum laborem subire, assensus, consilium, & auxilium nostrum non recusat. De eligendo autem summo Pontifice, qui errata corrigat, qui destituta restituat, qui hujusmodi fortia confundat, Deo cooperante vobiscum operabimur, Deo consentiente vobiscum sentiemus, & pro honore ecclesiæ & pro recuperatione regis & regni in nullo vobis deerimus.

CLX.

Item Epistola Egilberti Trevirensis Archiepiscopi contra quem supra.

Patribus non fratribus, Dominis, non amicis Egilbertus designatus Episcopus Trevirensis ecclesiæ devotissimas in Christo orationes. Ferre sententiam contra apostolicum non est tutum imo insanum, & omnino nefarium aliquid audere in illum, qui in vice sancti Petri fungitur legatione ipsius Christi. Iste autem, qui invasit sedem apostolicam, qui inaudita laudatione effertur, qui profanis novitatibus studet, amplo nomine delectatur, quem neque Christianum appellarem, quia non habet Christi characterem & pacem, & caritatem, quam Christus suis militibus impressit, qua Christus suos notavit, non occurrere contra hunc, non insurgere contra hunc, magnum sanctæ matris ecclesiæ est periculum, & plane contra Deum. Quis itaque nescit ex hoc quasi fonte omnis dissensionis & capite omnis schismatis exclusa pace ecclesiæ discordiam totius mundi emersisse? Quis, inquam, non videt per hunc quasi signiferum tantum sanguinem mundi effusum? De multis rationibus, qui non sequitur Christum neque vere appellare Christianum, ita certe nec Papam, quem video totiens & tam manifestum homicidam. En bonus & sanctus Papa, cujus consiliis, cujus instinctu & ductu membra Christi tot & tam perditis modis sunt dilacerata. En bonus pastor, qui in illos tanta crudelitate grassatur, pro quibus Christus in cruce pependit, quos ipse proprio sanguine redemit. En verus Pontifex & verus sacerdos, qui dubitat, si illud quod sumitur in dominica mensa, sit verum corpus & sanguis Christi. Nihil certe ita est impium & nefarium, nihil ita est detestabile & execrabile, quod ipse non curet, dum alios contra regem armet, dum alios ad bellum, quod ipse omnibus intendit, excitet. Inter has multiplices calamitates & miserias, quas patitur & conqueritur sancta ecclesia, mihi quoque illa est ab eo tam superba quam violenta injuria. Cum igitur Treveris pari consensu tam cleri quam plebis essem electus Episcopus, etiam eo non impediente, nullam culpam obtendente, fere per biennium consecrationem habere non potui, omnibus ejusdem ecclesiæ filiis & suffraganeis intercedentibus, & inusitatam suæ metropolis viduitatem, multum querentibus. Nihil etiam profuit sincerus introitus & legitima electio, nihil valuit apud illum consona auctoritas Episcoporum, & studiosa loci intercessio. Ut taceam mea, ut prætermittam privata, quam malus & non purus introitus ejus, qui minatus est, pervenit ad perditissima exempla, ne plus per hoc sancta, quæ vix modo trahit extremum spiritum, periclitetur ecclesia, ex me dico, quod nullam ejus obedientiam post hinc servabo, neque meo judicio amplius sedebit in loco & in vice sancti Petri, quem ipse non sequitur, obstupenda abusione novitatis suæ, & inauditi decreti.

Digitized by Google

CLXI.

Epistola Henrici Spirensis Episcopi contra quem supra.

In Domino Dominorum diligendis Archiepiscopis, Episcopis, Marchionibus, Comitibus nec non & totius Longobardiæ tam minoribus quam majoribus H. Spirensis Episcopus servitutem & orationem. Super regni perturbatione regiæque potestatis derogatione, nec non etiam super vacillante statu ecclesiæ, non minus ego dolens quam cæteri principes regni, decrevimus Moguntiæ inire consilium, si fieri possit, ut regni perturbatio sedetur, regia potestas redintegretur, & ecclesiæ, ne omnino naufragium patiatur, succurramus. Quonam autem modo hoc fieri possit, excogitare nequivimus, nisi caput pestiferæ serpentis penitus absciderettur, cujus venenoso afflatu hæc exorta hactenus intumuerunt. Manente vero causa efficiente quomodo poterit effectus extirpari? Quo inito consilio tam primates quam minores firmiter fideliterque decrevimus, ut Hildebrandus ille sedis subdolus apostolicæ invasor, divinarum humanarumque legum execrabilis perturbator, Deo opitulante omnimodis abdicetur, aliusque in sedem apostolicam eligatur, qui dispersa colligat, confracta consolidet, non discordiam, non bella, sed pacem in sancta ecclesia desideret. Nec ab hoc negotio perficiendo strenuitatem vestram absterreat, quod prius in simili consilio nos portum tenentes, periculosæ procellarum jactationi vos commisimus; sed potius viriliter agite & confortetur cor vestrum, qui speratis in Domino, pro certo scientes, levius extorqueri clavam de manu Herculis, quam in præsenti negotio divellamur, vita comite, a vobis.

CLXII.

Epistola Heinrici Spirensis Episcopi contra quem supra.

Cum primum ecclesiæ gubernaculum invasisses, etsi bene nobis cognitum esset, quam illicitam & nefariam rem contra jus & fas familiari tibi arrogantia præsumpsisses; dissimulanda tamen dispensatoria quadam taciturnitate, tam vitiosa introitus tui exordia putavimus, sperantes videlicet tam criminosa principia consequentis regiminis tui probitate & industria emenda, & aliquatenus oblitteranda. Verum nec, ut lamentabilis universalis ecclesiæ status clamat & deplorat, malis initiis tuis pejores actionum decretorumque tuorum progressus infelici tenore & pertinacia responderent. Cum igitur Dominus & redemptor noster pacis & caritatis bonum quasi singularem fidelibus suis caracterem impresserit, cujus testimonia plura extant, quam ut epistolari brevitate comprehendi valeant, tu econtrario dum profanis studes novitatibus, dum magis amplo quam bono nomine delectaris, dum inaudita elatione ostenderis velut quidam signifer scismatis, omnia membra ecclesiæ quæ secundum apostolum vitam quietam & tranquillam ante hæc tua tempora agebant, superba crudelitate, crudelique superbia lacerasti, flammasque discordiæ in Romana ecclesia diris factionibus excitasti, quas per omnes ecclesias Italiæ, Germaniæ & Hispaniæ ferali dementia sparsisti. Sublata igitur, quantum in te fuit, omni potestate ab Episcopis, quæ eis divinitus per gratiam spiritus sancti, qui maxime in ordinationibus operatur, collata esse dinoscitur, omnique rerum ecclesiasticarum administratione, plebejo furori per te attributa, dum nemo jam alicui Episcopus aut presbiter est, nisi qui hoc indignissima assentatione a fastu tuo emendicavit, omnem apostolicæ institutionis vigorem, illamque pulcherrimam membrorum Christi distributionem, quam doctor gentium totiens commendat, & inculcat, miserabili confusione miscuisti; sic quoque per hæc tua gloriosa decreta, quod sine lacrymis dici non potest, Christi fere nomen periit. Quis autem pro indignitate rei non stupeat, quod novam quandam indebitamque potentiam tibi usurpando arrogas, ut debita universæ fraternitati jura destruas? Asseris igitur, cujuscunque nostrum parrochiani aliquid delictum vel sola fama ad te perveniat, ultra jam non habere quemquam nostrum aliquam potestatem vel ligandi eum vel solvendi præter te solum, aut eum quem tu specialiter ad hoc delegeris. Quæ sententia, quam omnem insaniam excedat, quis in sacris literis eruditus non videat? Quia ergo per hos aliosque præsumptionum tuarum species ecclesiam Dei tam graviter periclitantem, imo fere pessundatam diutius tolerare, omni malo deterius judicavimus; placuit, ut communi omnium nostrum consilio tibi, quod hactenus tacuimus, innotescat, quam ob rem nec modo possis, nec unquam potueris sedi apostolicæ præesse. Tu ipse bonæ memoriæ Heinrico Imperatori te ipsum corporali sacramento obstrinxisti, quod nunquam vivente ipso Imperatore, aut filio ejus glorioso Domino nostro Rege, qui modo summæ rerum præest, Papatum aut ipse susciperes, aut alium quantum in te esset suscipere patereris, absque assensu vel laudamento patris, dum viveret. Atque hujus sacramenti sunt hodie testes, plerique Episcopi, qui hoc tunc & oculis videre & auribus audivere. Illud etiam recordare, quomodo tu, aliquos ex Cardinalibus cum ambitio papatus titillaret, ad tollendam æmulationem, hac occasione & conditione, ut ipsi hoc idem facerent, sacramento te obligasti, quod nunquam Papatum habiturus esses. Utraque hæc sacramenta, quam sancte servaveris, tu ipse videris. Præterea cum tempore Nycolai Papæ Synodus celebraretur, in qua capite vigesimo quinto Episcopi considerant, suo anathemate statutum & decretum est, ut nullus unquam Papa fieret, nisi per electionem Cardinalium & approbationem populi & per consensum & auctoritatem regis. Atque hujus consilii seu decreti, tu ipse auctor, persuasor subscriptorque fuisti. Qui etiam quasi fœtore quodam gravissimi scandali totam ecclesiam replesti de convictu & cohabitatione

alienæ

Digitized by Google

alienæ mulieris familiariori, quam necesse sit. In qua re verecundia nostra magis, quam causa laborat, quamvis hæc generalis querela unicuique personuerit, omnia judicia, omnia decreta per fœminas in sede apostolica actitari, denique per fœminas totum orbem ecclesiæ administrari. Nam de injuriis Episcoporum, & contumeliis, quos filios meretricum & cetera id genus indignissime appellas, nulla querimonia sufficit. Quia ergo introitus tuus tantis perjuriis est initiatus, & ecclesia Dei tam gravi tempestate per abusionem novitatum tuarum periclitatur, & vitam conversationemque tuam tam multiplici infamia dehonestasti, obedientiam, quam tibi nullam promisimus, nec de cætero ullam servaturos esse, renuntiamus, & quia nemo nostrum, ut publice declamabas, tibi hactenus fuit Episcopus, tu quoque nulli nostrum animo eris Apostolicus.

CLXIII.

Epistola Henrici Regis ad Hildebrandum Papam.

Henricus non usurpatione, sed pia Dei ordinatione Rex Hildebrando jam non apostolico, sed falso monacho. Hanc talem pro confusione tua salutationem promeruisti, qui nullum in ecclesia ordinem præteristi, quem confusionis non honoris, maledictionis non benedictionis participem non feceris. Ut igitur de multis pauca & egregia loquamur, rectores sanctæ ecclesiæ videlicet Archiepiscopos, Episcopos, Presbiteros, non modo non tangere, sicut Christos Domini non timuisti, quin sicut servos nescientes quid faciat Dominus eorum, sub pedibus tuis calcasti, in quorum conculcatione tibi favorem ab ore vulgi comparasti; quos omnes nihil scire, te autem solum omnia nosse judicasti, qua utique scientia non ad ædificationem, sed ad destructionem uti studuisti, ut jure hoc beatum Gregorium, cujus nomen tibi usurpasti, de te prophetasse credamus sic dicentem: Ex affluentia subjectorum plerumque animus prælati extollitur, & æstimat se plus omnibus nosse, cum se videt plus omnibus posse. Et nos quidem hæc omnia sustinuimus, dum apostolicæ sedis honorem servare studuimus, sed tu humilitatem nostram timorem fore intellexisti, imoque & in regiam potestatem nobis a Deo concessam exurgere non timuisti, quam te nobis auferre ausus es minari, quasi nos a te regnum susceperimus, quasi in tua & non in Dei manu sit vel regnum vel imperium. Quia Dominus noster Jesus Christus nos ad regnum, te non vocavit ad sacerdotium. Tu tamen his gradibus ascendisti, scilicet astutia, quod monachica abhominatur professio, pecunia favorem, favore ferrum, ferro sedem pacis adiisti, & de sede pacis pacem turbasti, dum subditos in prælatos armasti, dum Episcopos nostros a Deo vocatos, tu non vocatus spernendos docuisti, dum laicis ministerium eorum super sacerdotes usurpasti, ut ipsi deponant, vel contemnant, quos ipsi a manu Dei per impositionem manuum episcopalium docendi acceperant. Me quoque qui licet indignus inter Christos ad regnum sum unctus, tetigisti, quem sanctorum patrum traditio soli Deo judicandum docuit, nec pro aliquo crimine nisi a fide, quod absit, exorbitaverim, deponendum asseruit, cum etiam Julianum Apostatam prudentia sanctorum Patrum non sibi sed soli Deo judicandum deponendumque commiserit. Ipse quoque verus Papa beatus Petrus clamat: Dominum timete, regem honorate. Tu autem, qui Dominum non times, & me constitutum ejus inhonoras. Unde beatus Paulus, ubi angelo de cœlo, alia si prædicaverit, non pepercit, te quoque in terris alia prædicantem non excepit. Ait igitur: Si quis vel ego vel angelus e cœlo præter id quod evangelizatum est, nobis evangelizaverit, anathema sit. Tu ergo hoc anathemate, & omnium Episcoporum nostrorum judicio & nostro dampnatus descende, vendicatam sedem apostolicam relinque, alius in solium beati Petri ascendat, qui nullam violentiam belli, sed beati Petri sanam doceat doctrinam. Ego Heinricus Dei gratia Rex cum omnibus Episcopis nostris tibi dicimus, descende, descende per secula damnande.

CLXIV.

De depositione Hildebrandi Papæ, qui & Gregorius septimus.

Anno dominicæ incarnationis MLXXX. mediante serenissimo Rege Heinrico IV. anno regni ejus XXIII. VII. Calend. Julii. feria V. Ind. III. cum apud Brixiam Noricam XXX. Episcoporum conventus, nec non & optimatum exercitus non solum Italiæ, sed etiam Germaniæ jussu regio congregaretur, facta est vox una velut ab ore omnium terribiliter conquerentium super truculenta vesania cujusdam Hildebrandi pseudo-monachi, Gregorii Papæ septimi cognominati, cur tam diu ipsam Rex semper invictus sævire pateretur intactam, cum vas electionis Paulus testetur; principem non sine causa ferre gladium, & Petrus pastor primus non solum regem præcellere, verum Duces ab eo mittendos clamet esse ad vindictam videlicet malorum, ad laudem vero bonorum. Ad quorum satisfactionem visum est ipsi gloriosissimo Regi, principibusque ejus justum, ut judicium Episcoporum divinæ animadversionis sententia gladium materialem in ipsum Hildebrandum præcederet, ut quem præsules ecclesiarum prius a superba prælatione deponerent, eundem postmodum regalis potentia licentius persequendum decerneret. Quis ergo fidelium, qui illum novit, damnationis jaculum contra ipsum metueret intorquere, qui ab ineunte ætate modo se studuit per inanem gloriam nullis suffragantibus meritis super hominem commendare, somnia & divinationes proprias aliorum divinæ dispositioni præponere, habitu monachus videri, & professione non esse, ecclesiasticæ disciplinæ, nulli subditus magistro, se extorrem judicare, obscœnis theatralibus ludicris ultra laicos insistere, mensas nummulariorum in porticu transeuntium turpis lucri gratia publice observare? His itaque quæstibus

Digitized by Google

ſtibus pecunia cumulata Abbatiam beati Pauli invaſit, ſupplantato Abbate, unde aperiens archidiaconum quendam nomine Mancium, ut ſibi officium venderet, decipiendo ſeduxit, &, Nicolao Papa nolente, tumultu populari ſtipatus in œconomum ſe promoveri coëgit. Quatuor namque Romanorum Pontificum ſuper improba morte per manus cujuſdam ſibi intimi Johannis ſcilicet Brachinti, propinato veneno, homicida extitiſſe convincitur, ut, cæteris tacentibus, ipſe miniſter mortis, urgente mortis articulo, diris clamoribus, licet ſero pœnituerit, teſtabatur. Hic denique ſæpe dictus peſtifer ipſa nocte, qua funus Alexandri Papæ in baſilica Salvatoris exequiarum officio fovebatur, portas Romanæ urbis & pontes, turres, ac tryumphales arcus, armatorum cuneis munivit, Lateranenſe palacium militia comparata hoſtiliter occupavit, clerum ne auderet contradicere, cum nullus eum vellet eligere, gladiis ſatellitum evaginatis mortem minando perterruit, & prius, obſeſſam diu, aſſiluit cathedram, quam corpus defuncti obtineret tumbam. Dum vero quidam ex ipſis decretum Nycolai Papæ à centum XXV. Epiſcopis ſub anathemate promulgatum, eodem Hildebrando laudante ad memoriam ſibi vellent reducere, quod ſi quis ſine aſſenſu Romani principis Papatiari præſumeret, non Papa, ſed apoſtata ab omnibus haberetur, negavit ſe regem uſpiam ſcire, & ſe poſſe aſſeruit ſententiam prædeceſſorum vacuam judicare. Quid plura? Non ſolum quidem Roma, ſed ipſe Romanus orbis teſtatur, illum non adeo fuiſſe electum, ſed a ſe ipſo vi, fraude, pecunia, impudentiſſime objectum, cujus fructus patefaciunt radicem, cujus opera manifeſtant intentionem, qui eccleſiaſticum ſubvertit ordinem, qui Chriſtiani imperii perturbavit regnum, qui regi catholico ac pacifico corporis & animæ intentat mortem, qui per virum, & proditorem defendit * regem, qui inter concordes ſeminavit diſcordiam, inter pacificos lites, inter fratres ſcandala, divortia inter conjuges, &, quicquid quiete inter pie viventes ſtare videbatur, concuſſit. Quapropter, ut prælibatum eſt, eundem procaciſſimum Hildebrandum ſacrilegia ac incendia prædicantem, perjuria & homicidia defendentem, catholicam atque apoſtolicam fidem de corpore & ſanguine in quæſtionem ponentem, hæretici Beringarii antiquum diſcipulum, divinationum & ſomniorum cultorem, manifeſtum nicromanticum, phytonico Spiritu laborantem, id circo a vera fide exorbitantem, judicamus canonice deponendum, & expellendum & niſi ab ipſa ſede his auditis deſcenderit, in perpetuum condemnandum.

CLXV.

Decretum Gregorii Papæ qui & Hildebrandus.

Anno ab incarnatione Domini M. LXXIIX. Pontificatus vero Gregorii Papæ ſeptimi anno quinto celebravit ipſe Dominus Papa Gregorius Romæ ſynodum in eccleſia Domini Salvatoris, quæ dicitur Conſtantiniana ubi interfuerunt Archiepiſcopi diverſarum urbium fere numero centum, nec non & Abbatum diverſorum ordinum clericorum & laicorum innumerabilis multitudo, in qua apoſtolica conſtituta corroborans, multa quæ corrigenda erant, correxit, &, quæ corroboranda, firmavit. Inter cætera namque in fine ſynodalis abſolutionis hoc annexuit, & perpetuæ memoriæ poſteris ſcribenda mandavit, ita dicendo: Quoniam multos peccatis noſtris exigentibus pro cauſa excommunicationis perire quotidie cernimus, partim ignorantia, partim etiam neceſſitate devicti maxima, anathematis ſententiam ad tempus, prout poſſumus, oportune temperamus. Apoſtolica namque auctoritate anathematis vinculo hos ſubtrahimus, videlicet uxores, liberos, ſervos, ancillas, ſeu mancipia, nec non ruſticos & ſervientes, & omnes qui non adeo ſunt curiales, ut eorum conſilio ſcelera perpetrentur, & illos, qui ignoranter excommunicatis communicant, ſeu illos, qui communicant cum eis qui communicant excommunicatis. Quicunque autem orator ſive peregrinus aut viator in terram excommunicatorum devenerit, ubi non poſſit emere, vel non habeat unde emat, ab excommunicatis licentiam damus accipiendi. Et ſi quis de excommunicatis non pro ſuſtentatione ſuperbiæ, ſed humilitatis cauſa aliquid ei dare voluerit, fieri non prohibemus. Actum Romæ V. Non. Martii.

CLXVI.

De obitu Hildebrandi.

Piæ memoriæ Dominus Gregorius Papa Septimus, cum apud Salernum infirmitate, qua mox obiit, ægrotare cœpiſſet, aſtiterunt ei Cardinales Romani, aliarumque civitatum Epiſcopi, viri religioſi ſciſcitantes ab eo, quem ſibi in Epiſcopatu ſubrogari vellet, illis indicare dignaretur. At ille ſecum pauca cogitans, tandem illis hæc verba dedit: Quemcunque horum trium habere poſſitis videlicet Lucenſem Epiſcopum, vel Hoſtienſem, vel Lugdunenſem, hunc in Epiſcopum eligite. Item de excommunicatis, requiſitus, reſpondit: Præter Heinricum regem dictum, & Wigbertum Ravennatem Archiepiſcopum, & alias principales perſonas, quæ conſilio vel auxilio favent impietati aut nequitiæ illorum, omnes in vice apoſtolorum Petri & Pauli abſolvo & benedico, & quicunque me hanc poteſtatem habere credet, indubitanter. Hæc autem ultima ejus verba fuerunt. Dilexi juſtitiam, & odivi iniquitatem, propterea morior in exilio.

CLXVII.

De Wiberto Papa quem Rex Heinricus conſtituit, expulſo Hildebrando.

Wibertus quondam Ravennas Archiepiſcopus cum obedientiam, quam apoſtolicæ ſedi promiſerat, non adtenderet, ſed contra ipſam modis omnibus ſuperbire ſtuduiſſet, in Romana Synodo inrecuperabiliter depoſitus, & anathematizatus eſt ab apoſtolica ſede, & ab Epiſcopis

ſcopis totius eccleſiæ, nec hoc ſemel in una ſynodo, ſed in omnibus ſynodis, quotquot ſunt ſeptennio Romæ celebratæ. Hic igitur in perjuriis ita inveteratus eſt, & pro eisdem irrecuperabiliter depoſitus & anathematizatus ſedem Romani Pontificis, cui obedientiam juravit, per manus anathematizatorum, utpote ſui ſimilium, invaſit, legitimo paſtore adhuc eidem ſedi præſidente. Ipſorum autem excommunicatorum nullus eum conſecrare, vel potius execrare præſumpſit, præter Mutinenſem & Aretinum, qui ambo pro ſuis criminibus jam annis tribus officio & communione caruerunt. Sed hi etſi officium & communionem haberent, & Romana ſedes paſtore careret, nullum tamen eidem ſedi pontificem ordinare poſſent. Hujus itaque ordinationis privilegium ſolis Cardinalibus & Epiſcopis, Hoſtienſi & Albanenſi & Portuenſi a ſanctis Patribus conceſſum eſt. Ergo Mutinenſis & Aretinenſis Exepiſcopi juxta teſtimonium ſanctiſſimi Papæ Innocentii, non benedictionem, ſed damnationem, quam habuerant, ſuo Ravennati imponere potuerunt, nec illum in Romanum Patriarcham, ſed in perditiſſimum hæreſiarcham promoverunt. Caveat igitur omnis Chriſtianus caput Antichriſto inclinare, & ſtatuam Nabuchodonoſoris, quam erexit, adorare, ſicque ſe ipſius hæreſiarchæ perniciſſimo anathemati innodare. Nam quicunque illi obedierit, qui dixit, ponam ſedem meam ad aquilonem, & ero ſimilis altiſſimo, certiſſime in æternam damnationem ibit cum illo.

CLXVIII.

Decretum Wiberti Papæ qui & Clemens.

Clemens Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, omnibus orthodoxis fratribus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, atque univerſis ſanctæ eccleſiæ ordinibus, ſalutem, & apoſtolicam benedictionem. Quantæ & quam peſtiferæ ſchismaticorum adinventiones noſtris temporibus ſanctam eccleſiam perturbaverint, & quantos populos peccatis noſtris exigentibus erroribus ſuis infecerint, fraternitatem veſtram credimus non latere. Venenum ſiquidem eorum a capite ſanctæ eccleſiæ usque ad ultima membra paſſim diffuſum vobis & ſubditis veſtris conſtat non modicum certamen generaſſe, & usque ad medullas corporis veſtri dolorem, tantæ præſumptionis intraſſe. Hac itaque neceſſitate compulſi ne beati Petri navicula tot perturbationum fluctibus & pene ad naufragii diſcrimen inflexa præceps laberetur, ad arma, quibus patres in defenſionem Chriſtianæ fidei uſi ſunt, nos convertimus, atque Epiſcopos & Abbates, & quam plures honeſtos viros ad ſynodum in eccleſia beati Petri celebrandam ex diverſis partibus convocavimus. Quibus Spiritus Sancti inſpiratione congregatis, inter cætera quæ ſynodalis conventus tractanda ſuſceperat, quæſtionum impia dogmata ad pernitiem multorum noviter orta, a nonnullis communi audientiæ inferuntur, quæ fraternitati veſtræ dignum duximus notificare, quatinus ad ea devitanda imo Deo auxiliante deſtruenda, promptiores vos & vigilantiores redderemus. Ibi namque de perjuriis quæ ipſi ad periculum imperialis dignitatis fieri hortantur, non parvus clamor exoritur. Et quia negocium illud radix & origo cæterorum flagitiorum videbatur, placuit, de eo primum tractari debere, & quam peſſima & periculoſa ſit hujusmodi adhortatio oſtendi. Unde in Imperatorem excommunicationem promulgatam, neceſſariis documentis improbavimus, quia illius ex occaſione perjuriorum & omnium aſſertionum ſuarum vires contraxiſſe videbantur. Ad convincendam itaque eorum temeritatem, cum plurima tam ex ſacris canonibus, quam etiam ex mundanis legibus exempla occurrerent, illa tamen ad auxilium noſtrum ſufficere documenta viſa ſunt, ſcilicet quod in eos qui non ſunt legitime vocati & rationabiliter convicti, quique bonis ſuis ſunt expoliati ſententia damnationis non ſit proferenda, Nyceno concilio approbante: Incerta nemo pontificum judicare præſumat, quia quamvis vera ſint, non tamen credenda ſunt, niſi quæ manifeſtis indiciis comprobantur, niſi quæ manifeſto judicio convincuntur, niſi quæ judicatorio ordine publicantur. In eodem: Caveant judices eccleſiæ, ne abſente eo, cujus cauſa ventilatur, ſententiam proferant, quod irrita erit. In eodem: Non eſt privilegium, quo ſpoliari poſſit jam nudatus. Item beatus Auguſtinus plenius in libro Pœnitentiali tractans, ita inter cætera dicens: Nos a communione quemquam prohibere non poſſumus, niſi aut ſponte confeſſum, aut in aliquo ſive ſeculari ſive eccleſiaſtico judicio nominatum, atque convictum. Et ut manifeſtiſſime omnibus pateret, eos ipſos ejusdem excommunicationis ſententiam ſubiiſſe, utile viſum fuit hæc ex dictis beati Auguſtini recitare: Quidam intuentes præcepta ſeveritatis, quibus jubemur non dare ſanctum canibus, ut ethnicum habere eccleſiæ contemptorem, a compage corporis membrum, quod ſcandalizat, evellere; ita perturbant eccleſiæ pacem, ut conentur ante tempus zizania eruere, atque hoc errore cæcati ipſi potius a Chriſti unitate ſeparantur. His itaque ad medium recitatis, adjudicante univerſa ſynodo, conſtituimus, ut nullus deinceps ad injuriam Domini imperatoris præſumat de hac quæſtione diſputare, & ei ſubditos a ſervitio & communione ipſius ſubtrahere: Ad hoc etiam quod genus ultionis mereantur ſubire, qui hortatu ſchiſmaticorum juramenta regi & principibus facta non timent violare; ſicuti Auguſtini auctoritatem induximus: Si quis laicus juramentum violando profanat, quod regi & Domino ſuo jurat, & poſtmodum perverſe ejus regnum & doloſe tractaverit, & in mortem ipſius aliquo machinamento inſidiatur, quia ſacrilegium peragit, manum ſuam in Chriſtum Domini mittens, anathema ſit, niſi per dignam pœnitentiæ ſatisfactionem, emendaverit, ſicut conſtitutum eſt a ſancta ſynodo, & ſeculum relinquat, arma deponat, in monaſterium eat, & pœniteat omnibus diebus vitæ ſuæ, veruntamen commu-

communionem cum eucharistia in exitu suo accipiat. Episcopus vero, Presbiter, Diaconus, si hoc crimen perpetraverit, degradetur. His vero diligenter expositis, summa nos necessitas compulit, ad ea quæ de sacramentis ecclesiasticis inimici Christianæ religionis adversus catholicam fidem oblatrant, discretas auctoritates opponere, & quæ dicere & audiri nefas est, probabilibus argumentis confutare. Dicunt attamen sacramentum corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi, consecrationes crismatis, imo quæcunque ad Episcopale & sacerdotale officium pertinent, ab his qui sectæ eorum non communicant, celebrata nulla prorsus esse sacramenta, & nihil aliud suscipientibus nisi damnationem conferre. Nam panem illum, qui de cœlo descendit, in quo tota salus & vita nostra consistit, impio blasphemantes ore, pollui potius quam consecrari astruunt, aquam quoq; baptismatis per sacerdotum preces ac benedictiones, & chrismatum admixtiones, nihil sanctificationis suscipientem his, qui regenerandi sunt, potius sordiditatis maculas, quam spirituales mundicias ajunt præstare. Sic etiam pessime sentiunt de reiterandis ecclesiasticis ordinibus, de reconsecrandis ecclesiis, & pueris reconsignandis, postremo de omnibus idem restantur, quæ per sacerdotale officium Christianis conferuntur. De his itaque diutius laborantibus, singulis eorum erroribus opponenda censuimus, quibus manifeste declaratur, nonsolum apud nos Dei gratia catholicos, verum etiam apud schismaticos, & hæreticos hæc omnia esse rata nec ulla unquam ratione iteranda. Augustinus super Johannem: Sive aut baptizet servus bonus sive servus malus, non sciat se ille baptizari, qui baptizatur, nisi ab eo qui sibi tenuit baptizandi potestatem. Et paulo post: Non exhorreat columba ministerium malorum, respiciat Domini potestatem. Quid tibi facit malus minister, ubi est bonus Dominus? Et te non decipiant seductores. Agnosce quod docuit columba: Hic est qui baptizat in Spiritu sancto; & in sequentibus dicit: seductor non habes baptismum, malus tibi dedit, traditor nescio quis dedit. De officiali non disputo, judicem adtendo, ego a Christo ipso baptizatus sum. Non, inquit, sed ille Episcopus te baptizavit, & ille Episcopus illis communicavit. A Christo ipso sum baptizatus, ego novi, docuit me columba, quam vidit Johannes. O, milve, non me dilanias male. Justos, inquiunt, oportet esse tanti judicis ministros. Sint ministri justi si velint, si autem superbus fuerit minister cum diabolo computatur, sed per illum donum Christi non contaminatur. Quod per illum fluit, purum est; quod per illum transit, liquidum est. Puta quod ipse lapideus est, quod ex aqua fructum ferre non potest, & in canali lapideo aqua nihil generat, sed hortis fructum afferet. Spiritualis vero virtus sacramenti ita est, ut lux, quæ & ab illuminandis pura excipitur, & si per inmundos transeat non inquinatur. Quos baptizat ebriosus, quos baptizat homicida, quos baptizat adulter, Christus ipse baptizat. Idem ad Vincentium Donatistam: Non sacramenta Christiana faciunt te hæreticum, sed prava dissensio. Non propter malum, quod processit a te, negandum est bonum, quod remansit in te, quod malo tuo habes, si ibi non habes, unde est bonum, quod habes. Ex Catholica itaque ecclesia sunt omnia sacramenta dominica, quæ sicut habetis & datis, quomodo habebantur & dabantur, etiam priusquam inde exiretis. Non tamen ideo non habetis, quia non estis ibi unde sint quæ habetis. Non in nobis mutamus, in quibus estis nobiscum. Nam & de talibus dictum est, quoniam in multis erant mecum. Sed ea corrigimus, in quibus non estis nobiscum, & ea vos hic accipere volumus quæ non habetis illic ubi estis. Nobiscum autem estis in baptismo, in symbolo, in cæteris dominicis sacramentis. In Spiritu autem unitatis, & in vinculo pacis, in ipsa denique catholica ecclesia nobiscum non estis. Item in quarto libro contra Donatistas: Sicut urgeri videor, cum mihi dicitur, ergo hæreticus dimittit peccata, cum juxta te baptizat; sic & ego cum dico, ergo avarus religionis simulator peccata dimittit? Si per vim sacramenti, sicut ille ita & ille; si per meritum suum, nec ille, nec ille. Illud igitur sacramentum & in malis hominibus Christi esse cognoscitur. Item in quinto libro contra Donatistas: Quomodo aquam mundat & sanctificat homicida? Quomodo benedicunt Deum tenebræ? si autem Deus adest sacramentis & verbis suis, per quales libet amministrentur, & sacramenta Dei ubique recta sint, & mali homines, quibus nihil prosunt, ubique subversi. Item in eodem: Quomodo exaudiet Deus homicidam deprecantem, vel super aquam baptismi, vel super oleum, vel super eucharistiam, vel super capita eorum, quibus manus imponitur. Quæ tamen omnia & fiunt & valent etiam per homicidas, id est, qui oderunt fratres etiam in ipsa intus ecclesia. In eodem: Sicut ficti veraciter conversi recipiuntur, nec tamen eorum baptisma reprobatur, sic & illa, quam schismatici vel hæretici aliter habent, nec aliter agunt, quam vera ecclesia, cum ad nos veniunt, non emendamus, sed potius approbamus. Ita ergo nec foris sicut nec intus quisquam qui ex parte diaboli est, potest vel in se vel in quoquam maculare sacramentum, quod Christi est. Hieronymus ad Luciferianum: Sicut hic est, qui baptizat, id est, Christus, ita hic est, qui sanctificat. Idem: Oro, inquit, te, ut aut sacrificandi licentiam ei tribuas, cujus baptisma probas, aut reprobes ejus baptisma, quem non putes sacerdotem. Neque igitur fieri potest, ut qui in baptisterio sanctus est, sit apud altare peccator. Papa quoque Anastasius scribens ad Anastasium Imperatorem, asserit omnes quos ordinavit Acatius, licet a beato Felice Papa excommunicatus & hæretica pravitate infectus, debere in suis ordinibus absque omni reordinatione permanere; sic inter cætera dicens: Acatius bonum male administrando, sibi tamen nocuit, nam inviolabile sacramentum, quod per illum datum est aliis, perfectionem suæ virtutis obtinuit.

Digitized by Google

nuit. His & aliis pluribus diversorum patrum sententiis recitatis illam synagogam Satanæ ad reddendam impietatis suæ rationem literis & nuntiis nostris ad synodum vocavimus, non tamen ut ipsi audientiam, in præteritis conciliis jam prorsus eis exclusam, mererentur, sed ut pacem sanctæ ecclesiæ, quæ per ipsos omnino divisa est, in unitatem componeremus. Literarum autem hic tenor fuit.

CLXIX.

Clemens Episcopus servus servorum Dei O. olim dicto Hostiensi Episcopo, & sequacibus suis, quæ merentur. Licet synodali audientia vos indignos fecissetis, quia ad Synodum sanctæ Romanæ ecclesiæ multociens vocati venire recusastis, & hac de causa excommunicati estis, tamen, ut murmur populi erroribus infecti vestris auferatur, apostolica auctoritate præcipimus, ut ad synodum, quam in ecclesia beati Petri Deo auxiliante celebramus securi penitus veniatis, ut de eo quo sanctam ecclesiam perturbastis, sicut decet, rationem reddatis. Verum ipsi nec Deum timentes, nec hominem reverentes, legatos & litteras nostras nec audire nec videre voluerunt. Unde in erroribus suis perdurantes ex latebris quas serpentino more incolunt, ad decipiendos incautos vel simplices dira sibila emittunt, acuentes linguas suas sicut serpentes, venenum aspidum sub labiis eorum &c. Quantæ igitur humani sanguinis effusiones in Italico & Teutonico regno occasione prædicationis eorum factæ sint, quantæ ecclesiarum destructiones, quanti viduarum & orphanorum gemitus, postremo, quantæ universi pene Romani regni depopulationes, lucidius ex eorum gemitibus, qui opprimuntur, quam nostra relatione comprobatur. Præterea placuit sancto conventui, ut in Symoniacos, qui ecclesiam Dei latronum speluncam fecerunt, debita animadversione inveheremus, & redivivum caput illius hæreseos totiens a sanctis patribus abscisum gladio beati Petri amputaremus. Unde eorundem patrum sanctorum documenta sectantes, apostolica auctoritate præcipimus, ut nullus deinceps alicui manum præsumat imponere potius, quam pessimi commercii conventione. Si vero, quod absit, hoc crimen in aliquo deinceps repertum fuerit, & ordinator propria in perpetuum careat dignitate, & ordinatus nihil ex ea, quæ per commercium facta est, perficiat ordinatione. Præterea quod silentio prætermittendum non fuit, quia murmur populi adversus incontinentiam clericorum passim crescit ac dilatatur, utile visum fuit, ut ea, qua debetis diligentia, ministros altaris secundum statuta canonum vivere, atque mundiciam castitatis, sine qua, teste apostolo, placere Deo non possunt, irreprehensibiliter custodire commoneatis, quatenus de correctione eorum ab his qui foris sunt bonum testimonium habentis, & murmurantis populi insolentiam quiescere faciatis. Hi vero qui missas peccatorum sacerdotum respuunt, & qui eis ante judicii nostri censuram opinionis suæ præjudicium inferunt, communione sanctæ ecclesiæ usque ad emendationem priventur. Conjunctiones autem consanguineorum fieri prohibete, quoniam has & divinæ & seculi prohibent leges. Consideret vero; fratres dilectissimi, vestra excellens prudentia, quam bonum sit, persistere in dispensatione vobis credita, & in fide recta atque hæreticis & æmulis Christi repugnare, & nunquam a veritatis tramite declinare, quam Dominus & Salvator omnium, cujus fidem tenemus, qui pro nobis mori non dubitavit, & proprio nos sanguine redemit, fidem beati Petri non defecturam promisit, & confirmare eum fratres suos admonuit, quod apostolicos Pontifices meæ exiguitatis prædecessores confidenter semper fecisse, cunctis est cognitum, quorum & pusillanimitas mea licet impar & minima pro suscepto tamen divina dignatione ministerio, pedissequa cupit existere. Væh igitur erit nobis, qui hujus ministerii onus suscepimus, si veritatem fidei ad hujus destructionem erroris prædicare neglexerimus. Væh erit nobis, si veritatem silentio oppresserimus, quam erogare nummulariis jubemur. Idcirco, fratres, hortor dilectionem vestram, obtestor, & moneo, ut, qua debetis & potestis, sollicitudine vigiletis, ad investigandos hæreticos & inimicos sanctæ Dei ecclesiæ, & a sanis mentibus, ne pestis hæc latius divulgetur, severitate qua potestis pro viribus exstirpetis, quoniam sicut habebit a Deo dignæ remunerationis præmium, qui diligentius quod ad salutem commissæ sibi plebis proficiat, fuerit executus, ita ante tribunal Domini de reatu negligentiæ se non poterit excusare, quicunque plebem suam contra tam sacrilegæ persuasionis auctores noluerit custodire.

CLXX.

Item cujus supra.

Clemens Episcopus servus servorum Dei R. confratri & coëpiscopo Babenbergensi salutem & apostolicam benedictionem. Quod contra ecclesiæ demolitores, & nostros æmulos juste disputando fortiter stabas audivimus & gavisi sumus, ideoque tibi gratias referimus. Quod autem, quæ de ecclesia tua Romanæ debes ecclesiæ, te diu injuste detinuisse pacienter expectavimus; non propter ignorantiam fecimus, sed gratuitam obedientiæ tuæ præstolati sumus benevolentiam. In hoc quam parum profecimus, monemus te & firmiter præcipimus, ut quod debes solvas, ablatumque temere restituere non differas. Si hoc non feceris, etiam advocato nostro Imperatori & omnibus fratribus nostris publice & per legatos nostros querimoniam faciemus. Moguntino Episcopo, quem nobis pessimis criminibus accusando detulistis, ad respondendum nobis inducias dedimus ad festum sancti Michaelis. Huic rei te cum cæteris fratribus nostris volumus interesse, ut sicut eum accusasti absentem, ita illum veris testimoniis sub nostra auctoritate convincatis præsentem. Relatum est nobis a quibusdam, quod Judæis baptizatis nescio qua ratione permissum sit, apostatare ritumque judaismi excolere. Quod quia inauditum est, & prorsus nefa-

Digitized by Google

nefarium, te & omnes fratres nostros verbo Dei constringimus, quatinus id secundum canonicam sanctionem, & juxta patrum exempla corrigere festinetis, ne sacramentum baptismi & salutifera invocatio nominis Domini videatur annulari.

CLXXI.

Item cujus supra.

Clemens Episcopus servus servorum Dei R. confratri & coëpiscopo Moguntino salutem & apostolicam benedictionem. Nuperrime per confratrem nostrum Episcopum Faventinum fraternitati tuæ, ut ad synodum, quam pro totius ecclesiæ necessariis causis in jam dicto loco & tempore celebraturi sumus, omni postposita occasione advenires, mandavimus, & per summam obedientiam præcepimus. Et primum quidem bene promisisti; verum postea voluntate tua in aliqua parte peracta, cum prædictus nuncius rediens veram tibi ut cæteris obedientiam injungeret, dixisti, te a nobis per tuum nuncium esse relaxatum. Quod, ut audivimus, quam graviter tulerimus, nequit efferri. Hoc enim dictum magna perturbatio synodi videbatur, cum omnes pene suffraganei tui ad te respiciant, cum omnium vox sit, quod magister meus fecerit, hoc faciam. Quapropter eidem N. qui tam nefandum, tam execrabile, tam nocivum sanctæ & universali ecclesiæ mendacium protulit, omne divinum officium apostolica auctoritate interdicimus, donec ad nos veniens de tanta tam detestandi mendacii iniquitate satisfaciat. Quod nisi usque ad festum scilicet Michaelis ad nos de hac re satisfacturus venerit, ampliori quam forsitan æstimet, excommunicationi subjacebit. Tibi vero apostolica auctoritate & per veram obedientiam iterum atque iterum præcipimus, ut ad synodum in festo sancti Dyonisii Vercellis celebrandam venias, & omnes suffraganeos tuos per eandem obedientiam admoneas.

CLXXII.

T. Præposito venerabili & H. confratri T. Osniburgensis ecclesiæ puerorum introductor qualiscunque sincera Deo teste famulatus sui devotionem. De controversia partium inter sacerdotium & regnum, unanimitati totius ecclesiæ pernitiosa, cupiens aliquid huic parti vel illi consonum invenire, evolutis quotquot sunt armarii nostri voluminibus, sæpius investigare cœpi; non quo rei tantæ difficultatis & implicationis actionem summa diligentissimæ discretionis cautela tractandam infronito mihi præsumerem usurpare; cum ibi plerumque magis confusionis invalescat error, ubi rei perplexæ minus prudens sit discussor; sed ideo feci, si quomodo per sententiam aliquam vel exemplum repertum in decretis gestisve Pontificum vel Regum meæ dubitationem ignorantiæ consolari possem. Quociens enim perpendo quam plurimos utrique parti favere viros omni, quantum homines possunt, perfectos scientia, omnique præditos industria, cumque nefas sit credere, vel illos aliquid præter æquitatem vel ecclesiæ concordiam moliri velle; parvitas meæ discretionis incœpit vacillare, non modica dubitationis obducta caligine. Hæc itaque cum intenderem, in Armariolo venerabilium confratrum nostrorum monachorum in fine cujusdam voluminis quaterniunculum deprehendi, in quo scriptum quoddam de controversia inter Hildebrandum & Imperatorem Heinricum habita, sine auctoris nomine reperi. Retulit tamen mihi Prior ejusdem Cœnobii, hoc ex consilio Liemari Bremensis Episcopi, & Pennonis Osneburgensis Episcopi, a Widone, qui & postea Episcopus Osneburgæ factus est, collectum esse. Erat autem de tribus principaliter rebus, de Electione & consecratione Romani Pontificis, & de Excommunicatione Imperatoris, & de Absolutione Juramentorum regi fidelium. Hinc itaque quædam excipiens visa mihi præsentem ecclesiæ perturbationem, aliquatenus attingere, judicio vestræ discretionis mitto, quæ sive vobis placuerint sive non, erga vos pura semper mea mihi prosit devotio. Valete.

De Wiberto qui & Clemens an in sedem Apostolicam legitime fuerit intronizatus, & Hildebrandus, qui & Gregorius VII. juste reprobatus.

Cum multi aut ignorantiæ nube detenti, aut veteris iræ face succensi, venerabilis Papæ Clementis ingressum improbare contendant, & usquequaque infamare non erubescant, ut sacerdotio & regno usquequaque confusionem inducant, ut concordiam & pacem contentione impediant, nos qui hujus rei veritatem incognitam non habemus, qui ovium Christi quietem volumus & amamus, qui sacerdotium & regnum vinculo pacis & concordiæ astringi desideramus & quærimus, non inutile, imo pernecessarium esse existimamus, quatenus in audientiam omnium festinemus, ibique omnipotentis Dei auxilio prænotatum Pontificem pacis & justitiæ sectatorem, recte & ordine in apostolicam & sanctam sedem venisse, rationabiliter demonstremus. Ut autem hæc demonstratio perspicue fiat, consuetudinem quam Romana ecclesia in eligendis & consecrandis suis Præsulibus antiquitus ex scripto cognoscitur habuisse, non incongruum esse ducimus succinctu brevitatis transcurrere. Ex his igitur congrue convinci poterit, verius in altero præcessisse, quod ab æmulis modo reprehenditur inclemente. A Petri usque ad Silvestri tempora, cum ecclesia inter turbines & adversa mundi succresceret, persecutionum angustiarumque mole suppressa, variisque tormentorum generibus sæpenumero fatigata, magis æstuabat eminentia passionis, quam vacaret studio ambitiosæ contentionis. Nondum igitur creverat materia pravæ ambitionis, nondum ex Romanis principibus quisquam patenter occurrerat ad fidem Christianæ relligionis. Ideoque latenter & absque noxa dissensionis cogi solebat, qui videbatur idoneus esse, subire pondus prælationis. Postquam vero Sylvestri temporibus Constantinus Imperator primus veritatis manifestæ lumen adeptus,

Digitized by Google

adeptus, cunctis in imperio suo degentibus nonsolum Christianos fieri, sed etiam ecclesias fabricandi licentiam dedit, & prædia eis tribuenda constituit, omnismodi hominibus ad fidem Christi confluentibus & propria pro delictorum remissione ecclesiæ Dei donantibus, tanto felicitatis successu usque quaque ecclesia & maxime Romana tunc viguit, ut honoris etiam & dignitatis seculi sæpius expers fieret, qui jugum Christianæ fidei suscipere recusaret. Et quod in hoc cursu religiosæ successionis rerum & virtutum affluentia mater ecclesia admodum crevit, infectatio Diaboli semper maligna & Christiano nomini inimica, quod a sincero fidei tramite fidelium corda ydolatriæ cultu jam avertere manifeste non poterat, aliis nequiciæ machinamentis statum ecclesiæ evertere studuit. Cœpit igitur post modicum temporis maligno ejus stimulo de electione Pontificum non modica fieri dissensio partium, ambitio quoque non modice crevit. Unde necessarium fuit, ut Romani principes, quorum consensione ac donationibus ecclesia usquequaque sublimata honore, divitiis præminebat, pristinæ potestatis jure retento, & partium tumultum ubique pœnæ inferendæ metu compescerent, & electionem pontificum partium studio, & non canonice factam provenire non sinant. Nam si pravis hominibus secularis vindictæ metus nullus inesset, nulla eos a prave agendo spiritualis censura retrahere posset. Unde primum consuetudo in Romana ecclesia antiquitus merito cœpit, ut electo præsule non ejus prius ordinatio celebraretur, quam cleri & populi decretum in præsentiam Romani Principis deferretur, ut cognito cleri & populi consensu & desiderio, si recte & ordine electio processisset, cognosceret, consecrationem ex more celebrandam esse juberet; quod demum sancti patres, qui Romanæ ecclesiæ merito præfuerunt & servare studuerunt, & servandum imposterum esse decretis & exemplis suis utiliter & congrue statuerunt. Hæc autem, Romanorum Pontificum gesta multis in locis, ita esse, indubitanter ostendent. Nam de Agathone Papa qui fuit temporibus Constantini, Heraclii, & Tyberii Augustorum, dictus benignus & mansuetus, inter cætera scriptum habetur: Hic accepit divalem jussionem secundum suam postulationem, per quam relevata est quantitas, quæ solita erat dari pro ordinatione pontificum facienda, sic tamen, ut si contigerit post ejus transitum electionem fieri, non debeat ordinari, qui electus fuerit, nisi prius decretum generale deferatur in regiam urbem secundum antiquam consuetudinem, ut cum Principum scientia & jussione ordinatio proveniat. Hic ergo, quod canonicæ regulæ erat contrarium, quod novit esse symoniacum, remitti a principibus rite postulavit, & merito votum postulationis suæ obtinuit; quod vero pro statu & concordia ecclesiæ statutum antiquitus fuerat, intuitu discretionis ac prudentiæ integrum permanere duxit. Bonifacius autem post Sylvestrum decimus, ante Gregorium vero XIX. ipsius, qui fuit temporibus Honorii & Valentiniani Augustorum, dissentientibus clero & populo legitur una die fuisse cum Eulalio ordinatus, sed cognita a principibus causa expelli ambos de urbe jusserunt, sed intuitu misericordiæ Bonifacium postea revocantes, stabiliter in sede constituerunt. Simachus quoque, qui fuit temporibus Anastasii Imperatoris, & Theoderici Regis Arriani una die contentiose cum Laurentio ordinatur, ibique discussione facta Simachus dono & judicio regis præsulatum obtinuit. De Pelagio vero Papa, qui fuit temporibus Justiniani Imperatoris, & antecessor Gregorii proximus, legitur quod absque jussione principis sit ordinatus, eo quod urbe a Longobardis obsessa nullus ulli ad principem exitus patuit. De Gregorio vero legitur, quod, cum, Pelagio defuncto, a clero & senatu populoque Romano concorditer fuisset electus, quod generalitatis electionem evadere nequivit, consensurum se tandem aliquando simulavit, & Imperatori Mauricio, cujus filium ex lavacro sancto susceperat, latenter litteras destinavit, adjurans & multa prece deposcens, ne unquam populis assensum præberet. Sed præfectus urbis comprehenso in ipso itinere ejus nuncio ac disruptis epistolis, consensum populi juxta morem antiquitatis Imperatori direxit. At ille Deo gratias agens pro amicitia Diaconi, eo quod locum deferendi ei honoris, ut cupierat, reperisset, data præceptione ipsum ordinare præcepit. Qui juxta Imperatoris jussionem continuo consecutus, Theotistæ sorori Imperatoris epistolam postmodum scripsit, in qua de se ipso circa finem ita subjunxit: Ecce Serenissimus Dominus Imperator fieri simium leonem jussit. Equidem pro jussione illius vocari potest, fieri autem Leo non potest. Unde necesse est, ut omnes culpas ac negligentias meas non mihi, sed suæ pietati deputet, qui virtutis ministerium infirmo commisit. Cum ergo Gregorius licet unanimiter ab universis electus, assensum tamen principis expectavit, & absque ejus jussione consecrationis gratiam suscipere non præsumpsit, & ab illo videlicet principe ministerium virtutis in suis litteris commissum sibi esse asseruit, indubitanter æquum & canonicum esse scivit, ut absque Romani principis jussione nullatenus debeat pontificis ordinatio provenire. Nam si canonum æquitati contrarium vel dissonum hoc esse intellexisset, nullatenus dono & præcepto principis ad summum sacerdotium provehi consensisset. Nec vero se dono & præcepto principis provectum scriberet, si veritatis conscientiam non haberet, cum Propheta attestante, mendacium mortem animæ esse non dubitaret. Quapropter cum pontificatus ministerium non solum jussione principis comitti sibi non recusavit, sed ab ipso etiam commissum sibi esse asseruit, justum & conveniens esse liquido manifestavit, & posteris in exemplum servandum reliquit, ne quilibet absque Romani principis dono & præcepto ministerium Romani Pontificatus

ficatus præsumat assumere. Inique ergo & scismatice ascendit, qui Gregorii exemplo & aliorum sanctorum pontificatui intronizari non studuerit. Idem & cæteri Romani Pontifices ante & post Gregorium, usque ad Hildebrandi tempora servavere, & non prius consecrationem suscipere præsumpserunt, quam se principum consensum & jussionem habere intellexerunt. Qui vero aliter præsumpserunt aut omnino sunt expulsi, aut vix interventu misericordiæ, promissa tamen satisfactione, recipi meruerunt. Nec alia de causa Gregorius & cæteri Pontifices Romani consecrationem suam usque ad consensum & jussionem principum distulisse credendi sunt, nisi quod æquum & canonicum & ecclesiæ necessarium hoc esse intellexerunt, ut quorum donariis ac tuitionibus Romana ecclesia ditata & sublimata vigebat, eorum etiam providentia & jussione ille consecraretur, qui rebus & hominibus regnandis idoneus eis comprobaretur, & argui posse postmodum non videretur. Nam si hoc iniquum & canonicæ institutioni contrarium esse intellexissent tam Sancti viri, favore aut timore aliquo de consecratione sua jussionem principum sine dubio non expectassent, quod expectatio illa valde eos ambitionis argueret, quæ, ipso Gregorio attestante, severissima semper canonum districtione damnanda est. Antequam Sergius Papa eligeretur, electi sunt Theodericus & Paschalis in contentione dissentientium. Sed istis duobus invicem altercantibus & tandem ejectis, quamvis clerus & populus, proceres etiam, & Romanæ militiæ exercitus in prænominati Sergii electione unanimiter convenissent, consecrari tamen distulit, quousque Johannes Patricius & Exarchus Romam venit, & cum vice principis collaudavit. Postquam vero Græcorum cessante auxilio & Longobardorum oppressione grassante, imperium Romanum necessario pervenit ad Francos, non minus eadem consuetudo inviolata permansit. Nam legitur in eisdem gestis de Leone IV. quod cum omnes Romani in ejus electione congauderent, cæperunt tamen non mediocriter contristari, eo quod sine imperiali auctoritate non audebant futurum consecrare pontificem; differre tamen nolebant, quod urbis periculum maxime metuebant, ne iterum, ut olim, ab hostibus fieret obsessa. Benedicto consona totius urbis acclamatione electo, clerus & populus & proceres decretum manibus propriis roborantes, ut prisca consuetudo poscebat, Lothario & Ludowico principibus destinaverunt. Qui postea a Principibus collaudatus, legatorum, quos de hac causa miserant, præsentia & collaudatione est consecratus. Item Nicolaus præsentia & permissione Ludewici imprimis consecrationis donum suscepit. De Adriano quoque juniori legitur, quia quamvis in præsentia legatorum Ludowici ab omnibus concorditer sit electus, non prius tamen ordinem pontificatus suscipere præsumpsit, quam ipse Imperator decreto civium ex more suscepto per imperialem epistolam præsulem collaudavit. Potest etiam veraciter dici, quod Johannes, eo quod Beringarii filium in urbe reciperet, absens damnatus est ab Ottone Imperatore, & Leo ab eodem Imperatore, vivente adhuc Johanne, constitutus est, & Benedictus, quem Romani, decedente Johanne, elegerant, ejectus & in exilium ductus; & multi alii possunt enumerari, in quibus regum & Imperatorum potestas modum consuetudinis antiquæ excessit, sicut Romani Ludovico scribunt, sic dicentes: Privilegia Romanæ ecclesiæ convulsa sunt; diu enim est, ex quo electio pontificis ablata est. Sed ea quæ violenter & ultra consuetudinem æquitatis venerunt, nec in exemplum sumimus, nec his, quæ juste facta sunt, comparamus. Ex his ergo, quæ sunt posita juxta morem antiquitatis perspicuum, & manifestum esse cognoscitur, consensu & jussione Romani principis fieri oportere ordinationem pontificis. Hanc ergo consuetudinem non postponendam, sed firmiter retinendam esse, Deus-dedit Romanus Pontifex decreto suo instituit ita dicens; Quia sancta Romana ecclesia, cui, Deo auctore, præsidemus, plurimas patitur violentias, Pontifice obeunte, quæ ob hæc inferuntur, quod absque Imperatoris noticia & suorum legatorum præsentia Pontificis fit consecratio, nec canonico ritu & consuetudine ab Imperatore directi sunt nuntii, qui violentiam & scandala in ejus consecratione non permittant fieri, volumus, ut id deinceps abdicetur, & cum præstituendus est pontifex, convenientibus Episcopis & universo Clero, eligatur, expetente senatu & populo eum, qui ordinandus est, & sic in conspectu omnium celeberrime electus, præsentibus legatis imperialibus consecretur, nullusque sine sui periculo juramenta aut promissiones aliquas nova adinventione audeat extorquere, nisi quæ antiqua exigit consuetudo, ne ecclesia scandalizetur, aut Imperatoris honorificentia minuatur. Constat igitur, eam ordinationem nec esse rectam, nec ordine factam, quæ ambitu occupata, & metu conscientiæ, & festinata consensum & collaudationem principis nullatenus habuerit. Idcirco non erit mirum, si malum habuerit finem, quod difficile est, ut bono peragantur exitu, quæ malo inchoata sunt principio. Sed forte, qui nos conturbant, & Christianam pacem subvertere quærunt, & ne Romanus Pontifex consensu & jussione principis consecrari debeat probare cupiunt, scriptam consuetudinem non ecclesiasticam, sed violentam & fore abjiciendam, contendent, præsertim quod canonica regula multis in locis affirmat, nunquam laico aliquid de ecclesiasticis disponendi facultatem esse concessam, & nulli Imperatori licere aliquid contra mandata divina præsumere. Et item; cum Simachus Papa de electione Romani Pontificis in Synodo præceptum daret, nullam mentionem principis habuit, sed hoc solummodo statuit, ut ille, in quem totius ecclesiastici ordinis electio se inclinaverit, electus consecretur: Si vero studia erunt in partibus, pluri-

plurimorum sententia vincat. Quæ regulæ prædictam consuetudinem nec occulte arguunt nec manifeste excludunt. Simachus enim, ut ipse præmisit, tale decretum sancivit, ut frequentes ambitus & ecclesiæ nuditatem, populique collisionem removeret, non ut consuetudinem potestatis, quam Romani principes antiquitus habuerant, removendam esse intenderet, quam ad multitudinem contendentium reprimendam & statum ecclesiæ conservandum & cœpisse & postmodum processisse experimento didicerat. Contentio enim, quæ inter ipsum Simachum & æmulum ejus Laurentium ecclesiastica censura terminari non potuit, regio præcepto compressa omnino conticuit. Quia igitur statui ecclesiæ prædictam consuetudinem necessariam esse cognoverat, tacens de illa, quæ integra permanebat, quam quisque suo in tempore infringere non præsumebat, illa tantum munitione decreti firmare studuit, quæ audaciam præsumtuosorum sæpius violasse perspexit. Hoc idem & cæteri Romani Pontifices ante & post Symachum facere studuerunt, & nusquam consecrationem pontificum, ne cum regio consensu fieret, prohibuerunt. Nam si prohibuissent aut prohibendam esse ullatenus intellexissent, decretum civium in regis præsentiam deferri non sinerent, nec usque ad regium consensum ordinationem suam suspenderent. Justum quippe erat, ut quorum donariis ecclesia creverat, & quorum tutela illæsa permanebat, & quietis integritatem habebat, eorum consensu, & collaudatione & etiam dono patrocinium animarum susciperet, ut Mediolanenses dono Valentiniani imprimis sanctum Ambrosium susceperunt Episcopum. Sic igitur de eo tripertita Historia narrat, quod nondum fuerat baptizatus. Hoc autem Imperator agnoscens, jussit eum repente baptizari & ordinari Pontificem. Et inferius idem Imperator sic dicit: Gratias ago tibi omnipotens Salvator, quoniam huic viro ego quidem commisi corpora, tu autem animas. Tam sanctus ergo vir, ut Ambrosius fuit, nunquam consecrationem aut curam hominum jussione aut dono Imperatoris suscepisset, si injustum hoc esse intellexisset. Sed quamvis prædicta de causa, antequam & ecclesiastica consuetudo cœpisset, ut principum consensu Pontificum ordinatio recte & juste proveniat, summopere tamen ipsos principes cavere oportet, ne illum collaudando nitantur præferre, cui sanctorum de hoc scripta sentiunt contraire, quod propter hæc & similia scriptum est, non licere regi aliquid contra mandata divina præsumere, quoniam quamvis cleri & populi consensu princeps potestatem habeat præferendi Pontificem, non ei tamen licet illum præferre, cui canonum præcepta poterunt contraire. Item nec suo quilibet Princeps debet attribuere juri velle disponere, quæ ad jura Pontificum canones asserunt pertinere. Unde dicunt: Nulli laico unquam aliquid de ecclesiasticis disponendi facultatem esse concessam; quamvis rex a numero laicorum merito in hujusmodi separetur, cum oleo consecrationis inunctus sacerdotalis ministerii particeps esse cognoscitur. Non ergo prædictæ regulæ prædictam antiquitatis consuetudinem manifeste aut occulte impugnant. Constat ergo, ut jam sæpe dictum est, quod juxta morem & decretum antiquitatis, nec recte nec ordine Romanæ sedis culmen ascendit, qui consensum principis in hoc neglexerit, tum propter ecclesiæ pacem & concordiam, tum propter regni honorificentiam. Et hæc quidem ex Episcopi prædicti tractatu perstrinxi, de Romani pontificis electione, & consecratione secundum canonicam auctoritatem & antiquitatis consuetudinem. Nunc quid de Excommunicatione Principis in eodem scripto sit videamus. Non est enim ut magnus Leo testatur honor ille legitimus, qui fuerit contra divinæ legis præcepta & sanctorum patrum decreta collatus. Quapropter cujus ordinatio contra jus & ordinem canonicum facta fuerit, nec rata esse, nec vires habere ullatenus poterit, nec ei velut pseudo-pontifici jure pontificiali quemquam ligare aut solvere penitus licebit. Item in eodem tractatu: Multi enim, ex quo Christi jugo regia colla se submiserant, Hildebrandum præcesserant Romani Pontifices veræ fidei & religionis constantia præminentes, quorum temporibus plures ex Romanis principibus in ecclesia graviora quæque delinquendo commiserant, quorum tamen neminem censura pontificum verbo excommunicationis exasperare præsumpserat, neque hoc ideo tamen dimiserant, ut humanam amittere gratiam formidantes recta libere loqui pertimescerent, illud propheticum incurrentes, canes muti non valentes latrare; sed illud apostoli, & omnia ad ædificationem præ oculis habentes, unde deterius si virga peccantes corrigerent, contingere posse perspicue providerunt, quasi onus superimpositum portare convenientius esse duxerunt. Multi etiam Imperatores non parvo ingenio igne furoris in ipsos etiam Romanos pontifices exarserunt, quem tamen ipsi patienter ferendo potius quam ulciscendo extinguere studuerunt. Quæ tamen & quanta mala Ludovicus pater clericorum Romanæ ecclesiæ temporibus Nicolai Papæ undique absque rationis judicio irrogavit, quam dura & aspera obsidione prædictum Pontificem cum clero & plebe sibi commissa infra ecclesiam beati Petri inclusum, quinquaginta & duos dies ira dictante afflixit, fame & frigore maceravit, cædis & rapinæ congerie angustavit, Scriptura de Quærimonia Romanorum composita indubitanter ostendit. Sed quamvis doloris & injuriæ congeries Pontificis mentem sollicitudine non parva coangustaret, maluit ipse tamen gravitatem instantis periculi humilitate patientiæ levigare, quam furorem principis severitate vindictæ in deterius agitare. Quod nunc certe factum est manifeste. Ecclesiastica enim & regalis possessio velut undequaque occupatur, & circumquaque districta ab omnibus rapitur. Oves Christi usquequaque pereunt, bella plus quam civilia quotidie insurgunt & crescunt. Ecclesiæ cura negligitur,

gligitur, ejus quoque status & ordo turbatur, & impia & sacrilega præsumptione Deo Basilicæ dicatæ auro, argento, gemmis, & palliis & cæteris, quæ veneranda devotio Pontificum, seu regum & pietas fidelium ipsis in ornamenta contulerant, expoliantur, & ad pugnam faciendam, & bella commiscenda & homicidia committenda erogantur. Sanctarum congregationum res & stipendia pupillorum & orphanorum hæreditates & victualia distrahuntur & vastantur; & sic ex una parte servicium Dei impeditur & negligitur, ex altera parte vocibus famelicorum Dominus pulsatur, quos ipse exaudire dignetur, qui vivit & regnat in secula seculorum. Hanc igitur pestiferam insaniam, hanc insaniæ sacrilegam præsumptionem, hanc præsumptionis detestandam calamitatem, quoniam ecclesia sustinere non valet, ad radicem arborum pestiferarum juste ac necessario securim dilectionis ipsamet ecclesia quacunque ratione apponere debuit, ut si homines malos a prave agendo spiritualis censura retrahere non posset, secularis vindictæ saltem metus inhiberet. Sed hunc clipeum fortitudinis a Deo constitutum negligendo & dehonestando dum extra modum arguentes exasperant, unum periculum & damnum arguatur omnium. Et quid mirum? Nam unde fructum bonæ discretionis & salutis ecclesia legere merito debuit, nil aliud quam succus indiscretionis & perditionis effluit, & unde sibi bonum pacis procedere sperabat, non aliud quam fons discordiæ emanat. Constat ergo ex præcedentibus quod inique & impie Hildebrandus egit, cum iræ & inimicitiarum impetu ductus, Romanum principem verbo injustæ excommunicationis, nullo majorum præcedente exemplo exasperare præsumpsit. Sed idem Hildebrandus in quadam epistola sua, quod a Romanis Pontificibus exemplum hujusmodi sumere non valuit, Ambrosium Mediolanensem Episcopum Theodosium Imperatorem excommunicasse introduxit, ut ex hoc, quod Ambrosius cujusdam metropolis episcopus fecerat, sibi majori & velut Romano Pontifici licitum esse probaret. Sed quod exemplum mendacio corrupit, & inconvenienter in suam argumentationem assumpsit, nulla ex hac evidentia probabilitatis propositum suæ intentionis firmavit. Theodosius etenim furore indignationis accensus, septem millia hominum, nullo præcedente judicio, Thessalonicæ jussit occidi. Hanc autem cladem gemitibus plenam Ambrosius audiens, cum Princeps Mediolanum venisset, & solenniter in sacrum templum intrare voluisset, ne secundo peccato priorem nequiciam augeret, occurrens ei foris ad januas dulci & suavi ammonitione, pia & salubri persuasione a sacri liminis incessu eum prohibuit, nullam potestatem ligandi sibi arroganter attribuens, sed humiliter dicens; suscipe Imperator vinculum, quo te Dominus omnium ligavit. Est itaque medicina maxima sanitatis. Inconvenienter ergo & fallaciter Hildebrandus ab Ambrosio exemplum duxit, ut Romanum principem excommunicaret, & suos ejus ab communione suspenderet, & a fidelitate removeret, Quare nec Ambrosius Theodosium licet tot millium homicidiorum reum sententia furoris & fastu damnationis excommunicare præsumpsit, nec quemlibet suorum fidelium ab ejus servitio aut communione suspendit, nec ab juramento, quod ei fecerant, absolvit, nec ipsum imperio aut vita privare molitus fuit. Et hæc de excommunicatione. Nunc autem de Absolutione juramenti Principum, quid in eodem tractatu sit ponamus. Cum illo, inquit, anathemate, quod Hildebrandus in regem injuste & ordine præcipiti dicere præsumpsit, maledictionis & damnationis clavum sibi ipsi infixit: Et, si, quia erroris lepra aspersus a fidelium unitate, contumacia & perversitate singularis doctrinæ, recessit, neminem fidelium regis ab ejus communione suspendere potuit, multo minus ab juramento, quod ei fecerant, absolvere licuit, quia si excommunicatio juste & ordine a recto & catholico facta fuisset, ab juramento tamen principes regni absque labe perjurii cum vita absolvi non possent. Nam cum illud, quod vita manente servare se cum juramento spoponderant, non incurrente necessitate, cessarent impendere, non possent reatum perjurii continuo non incurrere, quia ubi juramenti promissio violatur, necesse est, ut perjurium continuo committatur. Quapropter cum absolutio juramenti absque reatu perjurii fieri non potuit; perjurium autem de tali juramento concedi non licuit, cum juramentum quod fit regibus a sanctis patribus insolubiliter observandum esse præcipiatur, qui juramenta regi & Imperatori facta violari concessit, & jussit, necessario reus perjurii factus, novi & veteris testamenti mandatis manifeste invenitur esse contrarius. Habemus itaque in lege veteri scriptum, nec perjurabis in nomine meo, & non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. Et Euticianus Papa jubet hoc prædicari, ut fideles homines summopere perjurium committere caveant, scientes grande scelus esse, & in lege & in Prophetis & in evangelio prohibitum. Habemus etiam ex Toletano Concilio: Si quis laicus juramentum violando profanat, quod regi & Domino suo jurat, & postmodum regnum ejus perverse & dolose tractaverit, & in mortem ipsius aliquo machinamento insidiabitur, quia sacrilegium facit, manum suam in Christum Domini mittens, anathema sit. Episcopus vero, presbiter, Diaconus, si hoc crimen perpetraverit, degradetur. De illa etiam re, quam male & incaute servari juramento promittit, quamvis observari non debeat, tamen præcipit Toletanum Concilium, ut male jurans dignam pœnitentiam agat, eo quod nomen Domini contra præceptum illius sumpsit in vanum. Quid ergo Hildebrandus in absolutione juramenti Regi facti aliud egit, quam quod plane mandatum Dei rejecit, & traditiones suas statuit, & ecclesiæ statum impudenter evertit? Mandatum enim Dei, ut Alexander Papa inquit, rejicere nihil est aliud, quam humano judicio novis rebus constituendis incumbere.

Novas

Google

Novas autem res procul dubio constituit, qui contra patrum statuta, perjuria committendi licentiam dedit, & per hoc unitatis & concordiæ vinculum rupit, seditiones movit, schismata excitavit, cædes & incendia, rapinas & sacrilega, aliaque sine numero mala undiq; Ecclesiæ & regno induxit. Duo ergo hic hæretica, & Christianæ saluti penitus inimica Hildebrandus plane induxit, quia & impœnitentia cordis in absolutione illa indixit, id est, peccare in Spiritum Sanctum inremissibile peccatum videlicet docuit, & veniam de culpa sine correctione dari posse, exemplo suo asseruit. Hoc autem nec scriptum habetur, nec exemplum, ut fieri possit, in Ecclesia fidelium reperitur. Quod Gelasius Papa testatur, dicens: Legatur, ex quo fuit religio Christiana, vel certe detur exemplum in Ecclesia Dei a quibuslibet Pontificibus ab ipsis Apostolis, ab ipso denique creatore veniam nisi corrigentibus fuisse concessam. Item idem ita subjungit: Remitti culpa de præterito potest, correctione quidem sine dubio subsequente, sed si deinceps fingitur mansura perversitas, non est benignitas remittentis, sed consentientis annunciatio. Et Augustinus dicit: Quisquis malorum operum sine condigna pœnitentia quemquam veniam a Deo percipere posse dixerit, penitus errat; & cum deceptus alios decipere festinat, duplici noxa constringitur, hoc est, proprii erroris, & alienæ deceptionis. Perjurii autem perversitas indubitanter omnibus perpetua manet, quos pœnitentia correctionis a perfidia nunquam retrahit. Non igitur in pertinacia perjurii manentibus quisquam culpam remittere poterit, sed qui se illis remittere dixerit, se eis consentientem esse sine dubio annuncians, tot perjuriorum reus existit, quot ipse fraudulenta & falsa remissione perjuros esse substituerit, quia si ille, qui peccantibus consentit, juxta Apostolum ex hoc reus esse statuitur, tunc qui alios qualibet arte peccare inducit, peccati autor & socius factus evidenter & ipse reus esse convincitur. Quid hoc aliud est, quam cordis impœnitentiam hoc exemplo docere, & culpam de crimine absque correctione solvi posse mendaci absolutione asserere, & simulato ore homines decipere. De hoc quoque Papa Simplicius dicit: Recte ille privilegium dignitatis meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate. Nam si juramentum, quod Regi jure debito Principes fecerant, postposuisse reatus fuit, utique & correctione indiguit, & absolvi absque correctione non potuit: qui correctione non eget, reatus nomen recte habere non potest. Si vero medicinam correctionis perjurio vulneratis adhibere ideo noluit, quia periculum mortis in perjurii vulnere forte non intellexit, fallaciter & superflue absolvit, quos nullo vinculo culpæ astrictos esse existimavit. Merito igitur privilegium Pontificale exclusus amisit, qui Pontificatus potestate in horum alterutro abuti non reformidavit, & ex hoc infinitæ hominum multitudini lacum mortis effodi, & laqueum perditionis decipiendo abscondit. Et quia, juxta dictum Augustini, nemo non pius in se, quia in alterum peccat, jure & ipse in foveam cecidit, & iniquitas sua demum in consummationem damnationis suæ descendit, quoniam juxta dictum Salomonis, qui laqueum alii ponit, in illo peribit, & nequissimum consilium facienti, trans ipsum devolvetur, & unde illi veniat, non agnoscet. Nequius autem consilium nemo poterit facere, quam sub specie pacis in sacerdotium & regnum discordiæ gladium immittere. Ex hoc enim pietatis viscera lacerantur, caritatis & amicitiæ vigor & constantia dissipantur, fidei vinculo debito jure astricti in interitum animæ separantur, Christianitatis pax excluditur, schismata excitantur, seditiones moventur, certamina mortis inducuntur, jura, leges & Ecclesiastica sanctio usquequaque subvertitur, raptoribus & prædonibus, & quibuslibet perditissimis hominibus occasio male agendi tribuitur, & demum his duobus Ecclesiæ capitibus discordantibus omnia sive animæ, sive corpori profutura turbantur, & ad interitum inclinantur. Quapropter quamdiu languor non fuerit curatus in capite, totum corpus non desinet morbus fatigare. Item de juramentis: Juravit enim Sedechias per Deum omnipotentem, quod observaret fidelitatem Nabuchodonosor Regi, & solveret illi tributum, quia constituerat eum Regem. Sed quia hæc omnia mentitus est, & juramentum nominis divini non servavit, traditus est tam ipse, quam Principes ejus. Nam ductus in Babylonem, cœcus in caveam, ibique mortuus est, eo quod juramentum Domini spreverit, quia multo fidelior inventus est ille, qui juramentum Domini credidit, licet a Deo alienus esset, quam ille, qui per juramenti ipsius occasionem locum adinvenit, & amico suo, qui ei regnum dederat, molitus est insidias.

CLXXIII.

De miraculis Wiberti Papæ, qui & Clemens.

Henrico glorioso Principi Pictavinus Episcopus fidelissimum servitium. Ea quæ libenter vos credimus audire, & plurimum etiam gaudere, quæ & ubique sunt prædicanda, vobis mittimus, quæ videlicet ex plurimis miraculis, quæ divina Clementia per merita felicis memoriæ Domini nostri Clementis Papæ, ad ejus sepulchrum est operata, a Johanne Castellanæ civitatis Episcopo transmissa, ad nos usque sunt perlata. Quidam nomine Petrus ejusdem Episcopi famulus, inductus tantum oculorum dolorem, ut penitus amitteret lumen, & per spatium trium hebdomadarum penitus cœcus permansit; Qui ductus ad sepulchrum Domini Papæ, se ibi in orationem dedit; non post multo sanguis ab ejus oculis effluxit, & ita lumen recepit. Quidam Diaconus nomine Crescentius lepra horribili toto corpori perfusus, orans ad tumulum beati viri factus est sanus. Comitissa ipsius civitatis & quidam puerulus ejusdem loci quartanis febribus per annorum duorum spatia vexati, per merita sancti Clementis Papæ sunt liberati. Vir quidam nomine Wido cum uxore sua

Digitized by Google

sua perditis luminibus per merita sancti illuminantur. Quidam nomine Petrus per annos tres manuum & pedum officiis perditis, delatus ad sepulchrum sancti, statim effectus est sanus. Adolescens quidam fere per unius anni spatium tanto membrorum fuerat detentus languore, ut nec stare nec sedere, nec ambulare, vel quocunque quiescere valeret: Veniens mater ad sepulchrum sancti, eumque pro filio deprecata, & domum reversa, invenit filium sanum. Sutor quidam vocabulo Paganus pravorum verborum convitiis plenus beati Papæ Clementis horribilis maledicus, cum die quadam vellet aleis ludere cum quodam milite Pontificis: modo, inquit, ludamus, quo statim te vincam: Cui miles. Si vere, inquit, Dominus noster Clemens est sanctus, ego te vincam. Et ille, si ipse est sanctus, & ludum & lumen protinus amittam, Et statim factus est cœcus. Vir sustinens per duos menses intolerabilem oculorum dolorem, ductus tandem ad sepulchrum sancti illuminatus est. In anniversario ejus quidam per multos annos cœcus ante sepulchrum ejus prostratus, in prima vigilia lumen accepit. Quidam homo Ferro nomine cum febre maxima tantam patiebatur ingluviem, quod nunquam poterat saturari, quia omnia, quæ edebat, ab inferiori parte absque digestione emittebat, & per duos annos hac passione adeo est afflictus, quod ad extremum jam pervenerat vitæ: Tandem ad tumulum sancti ductus, factus est statim sanus. Cujusdam piscatoris uxor gravissima paralysi, adeo est per multum tempus vexata, quod os ei retortum erat usque ad aures, oculi terribiles; ducta ad sanctum corpus, facta est sana. Quidam illustris homo officio manus amisso, orans ad sepulchrum sancti, restitutus est sanitati. Quidam eremita magnæ religionis afflictionis causa circulum ferreum nudo corpori circumposuerat. Quem caro accrescens graviter affligebat, & multis doloribus replebat, fœtorem etiam ferre non poterat. Qui licet adversariæ parti penitus faveret, dolore tamen urgente ad sancti sepulchrum pervenit, ubi fracto circulo ab illa gravissima angustia liberatus est. Quidam alius cœcatus cucurrit ad sanctum & statim illuminatus est. Quidam Presbyter per totum fere annum tanta infirmitate est detentus, quod de lectulo suo non poterat se movere, ductus ad sepulchrum, redditus est sanitati. Surdus ibi recepit auditum, & Mulier per quatuor annos sanguinis fluxu fatigata ad sepulchrum apparente sibi beato Clemente, effecta est sana, ibique mulier adeo quidem curva, ut caput genibus jungeret, est erecta. Et quædam puella ante & retro gibbosa, videntibus cunctis qui aderant, fractis gibbis, sana facta est. Alia quædam ab insania liberata est. Alia, cujus manus & brachium aruerat, sanitati est restituta. Quidam per novem annos mutus, loquelam recepit ibi. In Civitate Tuscana, quæ est juxta Bithinum a Rheinhero monacho, quem Pascasium vocant, Episcopus consecratus Presbyteris ordinatis ab Episcopis Papæ Clementis officium interdixerat divinum, dicens, illos Presbyteros non esse. Illi contristati petierunt a Majoribus fieri legem. Statutum est itaque, ut tres Presbyteri ex parte beati Clementis & tres ex adversa ferrum ignitum deferrent. In nostris itaque nullo ignis signo prorsus reperto, manus adversariorum penitus combustæ apparuerunt. Protinus Episcopus cum suis complicibus a cunctis Clericis & Laicis ab eodem est Episcopatu depulsus. Duo Presbyteri rogaverunt Deum, ut si ipse esset sanctus, ora distorta haberent; Quod ita factum est, & hoc tota provincia novit. Quidam Laicus rogavit similiter, ut si ipse sanctus esset, manum aridam haberet, & statim arefacta est. In fine horum prædictus Castellanensis Episcopus subscripserat. Multa sunt autem alia, Domini fratres, quæ longum est enarrare. Et sicut certissime creditis, quod Deus veritas est, ita verissime teneatis, quod hæc vera sunt omnia.

CLXXIV.

Epistola Urbani Papæ, qui successit Hilbrando.

Urbanus Episcopus servus servorum Dei dilectis in Christo filiis clero ac populo Carnotensi f. & A. b. Nos quidem tum pro beatæ Mariæ semper virginis devotione ac reverentia, tum pro officii nostri debito Ecclesiæ vestræ dilectionem, protectionem & curam specialius impendentes, ejusque labores diuturnos, quos a Gaufrido quondam Episcopo passa est, propensiore animo perpendentes, rei veritate diutius atque diligentius pertractata, largiente Domino justitiæ satisfecimus. Bonam itaque animi vestri voluntatem prævenientes ac subsequentes venerabilem virum Ivonem Presbyterum, quem Gaufrido per nos deposito catholice atque canonice secundum nostra monita elegistis, ne quod ulterius hac in re impedimentum vestra Ecclesia pateretur, sine moræ longioris obstaculo consecravimus. Hunc enim ad vos remittentes, tanquam beati Petri manibus consecratum, beati Petri vice rogamus & obsecramus; quatenus eum benignitate suscipientes debita, ut Pastoris membrum, obedientia honoretis, debita sollicitudine, quam nobis annunciaverit, observetis. Et ut Deo ipse placere, &, ut eum pro nostris valeat excessibus digne intercedendo placare, vos quoque placere Deo totis conaminibus procurate. Si vero Deo placere studueritis, pastorem procul dubio Deo placentem habebitis, nos quoque in nostris opportunitatibus ad exaudiendum paratos invenietis. Porro de Gaufrido, qui sine omni conditione nostris in manibus Episcopatum reddidit, indignum se agnoscens, præcepimus & præcipimus, ne quis ullo modo ad Episcopatum reinvadendum aut infestandum, assensum accommodare præsumat. Alias & ipsum & ipsius fautores excommunicationi subjacere censemus. Obedientes vos nostris monitis gratia divina custodiat. Data Capuæ. IIX. cal. Dec.

CLXXV.

Urbanus Episcopus servus servorum Dei R. Senonensi Archi-Episcopo salutem & A. b. Quantas

Digitized by Google

Quantas pro Gaufrido quondam Episcopo Carnotensis Ecclesiæ molestias sustinuerit, quantæ ad Apostolicam sedem perlatæ querelæ fuerint, dilectionis vestræ strenuitas recognoscit. Tandem rei veritate perquisita, largiente Domino justiciæ satisfecimus & ab ipso in nostris manibus sine cujuslibet tenore conditionis Episcopatus refutatus est. Tunc ad tuam fraternitatem scripta direximus, rei gestæ ordinem indicantes, & ut tuum, Carnotensibus ad eligendum & consecrandum antistitem, auxilium contribueres flagitantes. Nostra itaque fulti licentia Carnotenses venerabilem Presbyterum Ivonem, canonico ordine in Episcopatum elegerunt. Cum autem a te consecrationis gratiam pro amore Ecclesiæ petivisset, tua ei fraternitas manum imponere recusavit. Ad nos ergo ipsis venientibus & consecrationis ejusdem gratiam deposcentibus; nos qui viri relligionem, jam dudum noveramus, & ejus eligendi licentiam dederamus, petitioni justæ deesse nequivimus. Consecratum igitur eum salva tuæ Ecclesiæ obedientia remittentes, dilectionis tuæ dulcedinem postulamus, ut omnis litis fomite consopito benignitate cum debita complectaris, & ad Ecclesiæ regimen ei auxilium tuum largiaris. Porro Gaufridum si Episcopatum invadere aut Ecclesiam infestare tentaverit, ipsum, ipsiusque fautores anathemati subjacere decrevimus.

CLXXVI.

Urbanus Episcopus servus servorum Dei Episcopis Germaniæ in unitate Ecclesiæ constitutis salutem & A. b. Fratrum nostrorum communicato consilio, diuque Excommunicationis quæstione tractata, sancti prædecessoris nostri Gregorii sententiam confirmantes, ita eam Domino inspirante determinavimus. Primo siquidem gradu Ravennatem hæresiarcham Romanæ Ecclesiæ invasorem cum ejusdem perversitatis capite, ab omnibus Ecclesiæ Catholicæ membris alienum & excommunicatum esse, censemus; Secundo qui armis, pecunia, consilio aut obedientia Ecclesiasticos maxime ordines aut honores ab eis aut eorum fautoribus accipiendo eorum nequitiæ adminiculum subministrant: Hos igitur principaliter anathematis vinculis astringentes; in tertio gradu communicantes eis, nos quidem non excommunicamus, sed, qui se eorum communione commaculant, nequaquam in nostram societatem sine pœnitentiæ ultione & absolutione recipimus. Sanctis quippe Canonibus sancitum constat, ut qui excommunicatis communicaverit excommunicetur. Ipsius tamen pœnitentiæ & absolutionis modos ea moderatione discrevimus, ut quisquis seu ignorantia seu timore seu necessitate negotii cujusque maximi & maxime necessarii eorum se convictu, salutatione, oratione l. osculo contaminaverit, cum minoris pœnitentiæ absolutionisque medicina nostræ societatis participium sortiatur. Eos vero qui spontanee aut negligenter inciderint, sub ea nolumus disciplinæ coërcitione suscipi, ut cæteris metus incutiatur.

CLXXVII.

Urbanus Episcopus servus servorum Dei dilecto in Christo filio Schafhusensi Abbati ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Cum universis sanctæ Ecclesiæ filiis & Apostolicæ sedis auctoritate ac benevolentia debitores existamus, illis tamen locis atque personis, quæ specialius ac familiarius Romanæ adhærent Ecclesiæ, quæque amplioris relligionis gratia eminent, propensiori nos convenit caritatis studio imminere. Igitur tam tuis & tuorum fratrum quam & relligiosi comitis N. piis votis, & petitionibus annuentes, sancti Salvatoris venerabile cœnobium ab N. quondam Comite apud villam H. sub honore omnium Sanctorum ædificatum, & beato Petro oblatum in jus perpetuum & tutelam recipimus Apostolicæ sedis, sicut a piæ memoriæ prædecessore nostro Gregorio Septimo constat fuisse susceptum. Quicquid etiam immunitatis idem Pontifex loco ipsi contulit, nos quoque concedimus, & præsenti decreto corroboramus. Apostolica itaque auctoritate statuimus ut universa quæ præfati Comites, vel alii quilibet fideles cœnobio vestro de suis facultatibus contulerint, quæque hodie possidet, sive in futurum concessione Pontificum liberalitate Principum vel oblatione fidelium juste atque canonice poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus & illibata permaneant; De cellis autem beatæ Agnetis & beatæ Mariæ in villa N. nominatim interdicimus, nequis occasione qualibet eas audeat a præfati monasterii proprietate subtrahere vel alienare, sed in eo ordine semper maneant; quo a te, charissime fili N. institutæ sunt: nec tibi nec successorum tuorum alicui liceat eas distrahere, vel earum bona temere aut violenter minuere vel auferre. Si quis vero hactenus eorum quicquam abstulit, donec restituat, ab omnipotentis Dei gratia alienus existat. Præterea mansuro in perpetuum decreto sancimus, ut nulli omnino viventium liceat, in vestro monasterio aliquid proprietatis, conditionis, hæreditarii juris, advocatiæ, investituræ, aut cujuslibet potestatis, quæ libertati & quieti fratrum noceat, vendicare. Abbas sane cum fratribus advocatum sibi, quem utiliorem providerint, instituat. Qui si postmodum monasterio inutilis fuerit, remoto eo alium præficiant: Sepulturam ejusdem loci liberam omnino esse decrevimus, ut eorum qui ibi sepeliri deliberaverint; devotioni & extremæ voluntati, nisi forte excommunicati sint, nullus obsistat. Si quas vero decimas pertinentes Ecclesiis, quas habetis & habebitis, a Laicis recuperare, annuente Domino potueritis, vestris usibus perpetuo mancipandas absque omni Episcoporum contradictione censemus, salva Episcopali reverentia. Laicos seu clericos seculares ad conversionem suscipere, nullius Episcopi vel præpositi contradictio vos inhibeat. Ad hoc adjicimus, ut nulli Episcoporum facultas sit sine Romani Pontificis licentia loca vestra vel Monachos interdictioni vel excommunicationi subjicere. Nulli præterea homini liceat sæpe

Digitized by Google

ſatum monaſterium temere perturbare vel ejus poſſeſſiones ſeu res cæteras auferre, ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, ſed omnia integra conſerventur, eorum pro quorum ſuſtentatione ac gubernatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura, quatenus illic Deo ſervientes fratres ab omni poteſtate liberi Romanæ liberalitatis gratia potiantur, & a ſecularibus tumultibus alieni, omnipotentis Dei ſpeculationi licentius vacare prævaleant. Obeunte te nunc ejuſdem loci abbate, vel tuorum quolibet ſucceſſorum, nullus ibi qualibet ſubreptionis aſtutia ſeu violentia præponatur niſi quem fratres communi conſenſu vel fratrum pars conſilii ſanioris ſecundum Beati Benedicti regulam elegerint. Conſecrationes altarium, Baſilicarum ordines, Clericorum chriſma & cætera ad Epiſcopale officium pertinentia, ab Epiſcopo Conſtantienſi, in cujus eſtis dyoceſi accipiatis, ſi tamen Catholicus eſt, & gratiam & communionem Apoſtolicæ ſedis habuerit. Alias vero liceat nobis Catholicum, quem volueritis, adire Antiſtitem, & ab eo conſecrationis ſacramenta ſuſcipere, vel ad ſedem Apoſtolicam recurrere: Qui Apoſtolica fultus authoritate, quæ poſtulantur, indulgeat. Ad indicium autem perceptæ a Romana Eccleſia libertatis, auri unciam quotannis Lateranenſi Palatio perſolvetis. Siqua ſane deinceps Eccleſiaſtica ſecularisve perſona hujus privilegii paginam ſciens contra eam temere venire tentaverit, ſecundo, tertiove commonita, ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis honorisve ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, atque a ſanctiſſimo corpore & ſanguine Dei ac redemtoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, & in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco juſta ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant.

CLXXVIII.

Urbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto fratri & coëpiſcopo Gaufrido Conſtantienſi ſalutem & A. b. Dilectiſſimus filius noſter N. conqueſtus eſt nobis, quod quidam Vir nomine N. poſtquam ſe ſuaque omnia ſuper altare Domini Salvatoris & omnium ſanctorum in Schafhuſen obtulerat, inſtinctu Diaboli apoſtatando ſe ſuaque ab eodem monaſterio alienare præſumſerit. Volumus ergo tuæque caritati injungimus, ut eundem Virum ſecundum Evangelicam Authoritatem, ſecundo & tertio canonice, ut revertatur, commoneas. Si vero, quod abſit, in pravitate ſua perſtiterit, tu in promtu ulciſci habens omnem inobedientiam, pro officii tui debito gladium excommunicationis in illum evaginare non differas, ut ſi ipſe incorrigibilis permanſerit, cæteri timorem habeant. Labores & anguſtias univerſalis matris Romanæ Eccleſiæ tibi tanquam fideli filio commendamus. Data Romæ 10. April.

CLXXIX.

Urbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Conſtantienſi Epiſcopo N. & N. Comitibus ſalutem & A. b. Venerunt ad nos literæ Abbatis monaſterii ſancti Salvatoris, conquerentes Deo & ſancto Petro, quod vir quidam nomine N. veniens ad prædictum monaſterium ſeculo renuntiavit, promiſſionem ſtabilitatis ſecundum conſuetudinem monaſterii fecit & ſua eidem Eccleſiæ ſecundum legem Suevorum, multis coram teſtibus tradidit & confirmavit. Abbas autem, ut eſt devotus & prudens diſpenſator & fidelis, in eodem prædio monaſterium venuſte conſtruxit, fratres ordinavit, & cætera, quæ ad monaſticam pertinent regulam: inſtituit. Prædictus autem N. ut omnia vidit Abbatis labore & ſtudio ordinata atque perfecta, poſtquam prædictum monaſterium idem prædium per ſeptennium & eo amplius ſine omni contradictione obtinuit, inſtinctu Diaboli nunquam ſe tradidiſſe fatetur, & ſi quicquam ob hoc moleſtiæ ſuſtinuerit, non ſolum auferre, ſed & ipſum monaſterium minatur evertere. Quapropter, filii excellentiſſimi, obnixe vos exoramus, ut pro Domini Salvatoris devotione ac reverentia beati Petri & noſtri amore eundem virum a tanta Apoſtaſia prohibere & Abbati ac monaſterio curetis aſſiſtere. Dicit vero Innocentius: Error, cui non reſiſtitur, approbatur; ac Apoſtolus: Non ſolum, qui faciunt, digni ſunt morte, ſed qui conſentiunt facientibus. Volumus autem, fili, te eundem peſtilentem virum, ſi jam non factum eſt, ſecundo & tertio canonice commonere, ut reſipiſcat. Quod ſi contemſerit, ut cæteri metum habeant, gladium anathematis in illum evaginare, quatenus in interitum carnis traditus Satanæ diſcat non blaſphemare & ſalvus ſit in die Domini. Incolumes vos & monitis noſtris obedientes, divina gratia cuſtodiat, & ab omni malo defendat.

CLXXX.

Urbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Clero ac populo Halberſtadenſi ſalutem & A. b. Non exigua ſalutis veſtræ jactura perpenditur, quod tamdiu Eccleſia veſtra paſtoris eſt ſolatio deſtituta. Venerabilis ſiquidem frater noſter quem communi conſenſu ſecundum ſanctorum canonum ſcita in Pontificem vobis eligeratis, ſchiſmaticorum vi cogente, partim dolis & blanditiis, partim terroribus & minis a veſtra eſt Eccleſia contra ſanctiones canonicas & conſuetudines Eccleſiaſticas conturbatus. Neque vero licuit, ſuſceptam ſemel juſte & canonice pro Apoſtolicæ ſedis obedientia, electionem ſine Apoſtolicæ ſedis licentia vel permiſſione deſerere. Reſpexit tamen vos ſupernæ miſerationis dignatio, cum eum ad ſanctorum Apoſtolorum limina & ad præſentiam noſtram venire conceſſit. Nos igitur quibus, licet indignis, pro Apoſtolorum principis vice ac loco cunctarum per orbem terrarum cura ac diſpoſitio cernitur imminere, ipſius electionem juſtam atque canoni-

cam

Digitized by Google

cam cognoſcentes præſentiſque temporis neceſſitatem, quod a Moguntina ſede accipere conſecrationem in tanta ſcismaticorum tempeſtate non poſſet, conſiderantes, eum in prima primorum Apoſtolorum principis ſede, annuente Domino, conſecravimus, conſecratum ad vos cum præſentium litterarum commendatione remittimus. Vos itaque antiquæ fidei & obedientiæ memores tanto eum devotius illic usque ſuſcipite, quanto amplius vos veſtræ ſalutis & fidei veſtræ Apoſtolicæ Eccleſiæ debitores eſſe cognoſcitis. Sanctæ ſiquidem memoriæ noſter in ſede Apoſtolica prædeceſſor Gregorius ſecundus primum veſtræ gentis Archiepiſcopum beatum Bonifacium pallio donans & vicis ſuæ auctoritate corroborans, veſtræ * Eccleſias inſtruxit religionis. Et nos igitur diuturnam veſtræ Eccleſiæ deſolationem pro noſtri officii debito perpendentes, hunc ad vos ſalutis veſtræ dirigimus inſtructorem. Quem vos eo reverentius ſuſcipere & obedientius convenit exaudire, quo eum ab ipſo fidei & ſalutis veſtræ fonte conſpicitis deſtinatum. Omnis autem, qui eum, ut paſtorem ſuum, debito honore atque affectione tractaverit, nos omnipotentis Dei & Apoſtolorum ejus donamus benedictione: Qui vero huic conſtitutioni noſtræ obviam ire tentaverit, clericos quidem a Clericatus officio removemus: Laicis autem gratiæ Apoſtolicæ conſortium interdicimus. Illum nimirum, qui ſe in veſtram Eccleſiam poſt hujus Catholici Paſtoris electionem præſumtuoſe ac inreverenter ingeſſit, nos eum pro Perſonæ inutilitate, tum pro veſtræ Eccleſiæ neceſſitate ab uſurpatione indebita per præſentis decreti paginam omnibus modis ſequeſtramus, & omnes, qui ei ſacramento aſtricti ſunt, quatenus ad Epiſcopatus honorem, ab ejus fidelitate abſolvimus. Hunc ergo, dilecti in Chriſto filii, tanquam Angelum Domini & Catholicæ fidei legatum excipite, huic tam in divinorum quam in ſecularium negotiorum conſiliis obedite. Sane quæ Catholicorum in veſtris partibus Epiſcoporum magna eſt raritas, ſi quid & in alienis parrochiis diſpoſuerit, ex abundantiori Apoſtolicæ gratiæ & noſtræ autoritatis diſpoſuerit plenitudine, ratum inconvulſumque permaneat. Omnipotens Dominus Apoſtolorum ſuorum meritis vos a peccatis abſolvat, & æternæ vitæ conſortes efficiat.

CLXXXI.

Urbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis fratribus N. Magdeburgenſi Archiepiſcopo, & N. Virdunenſi Epiſcopo & cæteris Epiſcopis & Abbatibus Saxoniæ in Catholica fide perſiſtentibus ſalutem & A. b. Qualiter in Halberſtadenſi Eccleſia venerabilis frater noſter, H. cui nos Stephani nomen impoſuimus, jam dudum electus fuerit, quemadmodum dolis & blanditiis, minis ac terroribus ab eadem Eccleſia ſit exturbatus, prudentiam veſtram latere non credimus. Reſpexit tamen populum ſuum miſerationis ſupernæ dignatio, cum eundem Electum ad ſanctorum Apoſtolorum limina & ad noſtram præſentiam adduxit. Et quia in metropolitana Moguntinæ Eccleſiæ ſede pro tanta ſchismaticorum tempeſtate ordinari non poterat, eum in ipſa catholicorum omnium matris Romanæ Eccleſiæ ſede conſecrari conceſſit. Cum vero veniſſet ad nos, quibus, licet indignis, Apoſtolorum principis vice ac ac loco cunctarum per orbem Eccleſiarum cura ac diſpoſitio cernitur imminere, ipſius electionem juſtam atque canonicam cognoſcentes, præſentiſque temporis neceſſitatem conſiderantes communicato confratrum noſtrorum Epiſcoporum & Cardinalium ac nobilium Romanorum conſilio, eum annuente Domino conſecravimus. Oportuit ſiquidem nos pro commiſſi nobis ſervitute officii tam diutinam ejusdem Eccleſiæ deſolationem attendere, & tot animarum ſaluti largiente Domino providere. Hunc itaque noſtri laboris ſocium cum literarum præſentium commendatione remittimus, obſecrantes pro Chriſto atque præcipientes, ut ad evellandas Dominici agri ſentes communi conſilio & auxilio inſudemus. Nulla vos diſſimulatio retrahat, nulla ſegnities impediat, quin ipſum ad recuperandam Eccleſiæ ſuæ ſedem viriliter adjuvetis & ei reſiſtentes tam Clericos quam Laicos potentia veſtra coërcere curetis. Illum nimirùm qui ſe in Halberſtadenſem Eccleſiam poſt Canonicam hujus electionem præſumtuoſe ac irreverenter ingeſſit, nos eum pro perſonæ inutilitate, tum Eccleſiæ ipſius neceſſitate ab uſurpatione indebita per præſentis decreti paginam ſequeſtramus, & omnes qui ei ſacramento aſtricti ſunt quantum ad Epiſcopatus honorem a vinculo ipſius fidelitatis abſolvimus. In illis ſane partibus Catholici non habentur Parrochiis Epiſcopi, unde ſiquid ex abundantiori Apoſtolicæ gratiæ & noſtræ authoritatis plenitudine diſpoſuerit, ratum habetote, ipſum & divinorum & ſecularium negotiorum conſiliis ſocium adhibete. Ita contra eum vos in omnibus agite, ut & nos pro eo vobis gratias debeamus & Catholicæ veritatis lumen contra unumquemque reſplendeat. Fraternitatem veſtram ſuperna dignatio per tempora multa ſervet incolumem. Data Romæ VIII. idus Febr.

CLXXXII.

Urbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei N. Magdeburgenſi Epiſcopo ſalutem & A. b. Indolis tuæ, dilecte in Chriſto frater, ſtrenuitatem miramur, imo aliquantulum circa pietatis viſcera timemus, ne incurrentis erroris perſuaſio infra præcordia jam dudum tibi pullulaſſet, quod abſit, quandoquidem per utriusque ſexus fideles relligioſos veraciter tibi exoptatos aliquoties noſtras direximus literas tuæ, ut ſperamus, fidelitati, nullumque aut prorſus raro, uti talem ac tam ſtrenuum decet virum, nobis dediſti reſponſum. Cave ergo, cave interim, quæſo, ne collum tuum Pharaoni ſubdatur, quo decidente * veteri controverſia, quæ peccatis noſtris exigentibus magno temporis ſpacio Eccleſiam Dei per diverſa orbis climata

pene per interiores medullas fatigavit; ſalvo tamen paucorum interiore homine, Baal paulatim confuſus eſt, & mundo abſordet * donorum Epiſcopi ſancti fraudulentus mercator. Tu ergo, qui, ut a Deo, ita & ab hominibus culmen accepiſti, quod magiſtro Apoſtolorum, cujus vicem adeptus es ſuiſque ſucceſſoribus ſpopondiſti. Quod ſi perſeverare valeas, ſalvus eris. Nemo enim mittens manum ſuam in aratrum, ſi retro proſpiciat faciens injuſtum ſulcum, aptus eſt regno Dei, & qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. Sunt autem alia non modo chartulæ commendanda, quæ Deo diſponente præſens legatus verbis auri ſecretæ intimabit, quæ precamur honeſte remittas, quantocius poteris. Glorioſus Deus mentem tuam atque provideat tuos actus.

CLXXXIII.

Domino Patri venerando H. Dei gratia id quod eſt, cum fideli orationum inſtantia devotiſſima ac ſemper parata ſervicia. Diligens caritas & affectuoſa paternitatis veſtræ ſerenitas, quæ in gerendis rebus meis ſollicitam ſemper exhibet conſultationem, hoc plane hortatur & ſuadet, ut univerſæ conſilii mei intentiones vos præcipue reſpiciant, & ad exſequenda negotia mea, prout tempus & neceſſitas expoſcit, familiariter vos invitent. Quo igitur ex conſiliis meorum nuper inductus, inchoante Dominico adventu Salevelt ire decrevi, quod & induſtria veſtra ſæpe literis ſæpe vivis vocibus paterne me commonuit, commodum quam maxime duxi, ut hoc iter & univerſa quæ honori & utilitati veſtræ conveniunt juxta moderationem conſilii veſtri diſponam & peragam. Nihil enim ut verum fatear usque adeo grave vel impeditum mihi poterit incumbere, quod non videatur participatione conſilii & favoris veſtri, felices exitus poſſe invenire. Hoc ergo ad hujus negotii inceptionem apprecor & familiariter ſuggero, ut favor veſter apud H. filium Ducis O. tutam viam mihi ceteriſque qui mecum profecturi ſunt, caute provideat. Hoc quod, venerande pater, poſtulo ſummopere, ut vos ipſe in prædicto loco ad nos venire & dominicam nativitatem nobiſcum agere dignemini, quatenus præſentia veſtra ipſam ſollennitatem nobis lætam efficiat, & cæteras res noſtras patrociniis ſuis ſuſtentet & regat. Quicquid autem paternitas veſtra ſuper hac re deliberaverit, nobis inſinuare non differat, ut in tempore ſcire poſſimus, quod tandem agere vel ſequi in hac re debeamus.

CLXXXIV.

Invictiſſimo Romanorum Principi H. totius regni Monarchiam ſtrenue gubernanti G. Dei ſuique gratia id quod eſt, cum concione ſibi commiſſa Chriſto ſub Principe quieta pace quandocunque triumphare. Quoniam veſtræ Legationis imperium non implevimus operis per effectum, in quantum ſalva veſtri gratia licebit, nos cupimus excuſatos iri, majeſtatem veſtram prævenientes humili præcatu, ne malæ voluntatis aſſcribatur negligentiæ, impoſſibilitatis quod impediunt vincula. Nam ingraveſcens præſentis ætatis tempeſtas, totius regni quæ conturbat partes & incolas, tanto graviori infortunio nos perturbat ac ferit, quanto minus quisque dictante juſtitia nobis clypeum defenſionis prætendit. Inſuper ipſe defenſor noſtræ Eccleſiæ & advocatus pia veſtræ dominationis cura quæ prævidit ad tutelam noſtram, non zelo juſtitiæ, non regiæ ſeveritatis cenſura terrente, protectionis ſuæ brachia adverſus noſtri pericula extendit, & quod gravius eſt per ſe ſuosque fideles hoſtili infeſtatione noſtra bona devaſtat, & incurrit. Sed ne hæc noſtra querela ſupervacua videatur & injuſta, pietati veſtræ nominatim perſtringere volumus, gravius & intolerabilius malis omnibus, quod ferimus. Is prænominatus ad augmentum ſuæ damnationis monaſterium noſtrum hoſtili manu quæſivit, clauſtraliſque officinas habitationis Comites illius violenter irruperunt: monaſticæ relligionis confundentes diſciplinam, fideleſque veſtros ad ſanctorum patrocinia confugientes captivos abduxerunt omniaque illorum rapinæ & calumniæ patuerunt. Revera quoniam tantæ calamitatis noſtræ moleſtia maxime poſt Deum regiæ veſtræ dignitatis reſpicit injuriam, nos ad nihilum ducimur, nec non divinæ ſervitutis locus, niſi ocius nobis ſerenitatis veſtræ ſuccurrat proſpectus, quo absque potenti veſtræ providentiæ gubernaculo nequaquam emergimus, usque quaque fluctuantes tempeſtatis profundo. Quapropter triumphalem veſtri reditus ſucceſſum per continuum noſtræ devotionis exoptamus ſuſpirium & quanto minus carnali famulatu laboris veſtri ſarcinam ſublevamus, tanto devotius ſpiritalis militiæ arma, in quantum gratia divina conceſſerit, dominationi veſtræ ſubminiſtramus.

CLXXXV.

Heinrico Imperatori IV. Dei gratia Rex Anglorum intimo ſuo dilectionem & veram amicitiam. De proſperitate atque deliberatione tua ſcias me gaudere, & de adverſitate, quod abſit, ſicut temetipſum dolere. Audivi a legatis meis atque tuis & Duce Bohemienſi te in exercitum iturum ſuper inimicos tuos ad præſens. Gaudeo plane, quia multos tecum ituros de fidelibus tuis audivi, ita quod facillime poteris eos devincere Deo auxiliante. Modo ſuggero prudentiæ tuæ, ſi hoc Deus annuerit, quod adimplere poſſis, quod videlicet de exercitu nullo modo dimittas in hoc anno ſive per bellum, ſive per placitum, quod ad honorem tuum pertineat, ad finem quin perducas. Quod ſi protelaveris, ſcio re vera maximum impedimentum tibi fore futuro anno ad hoc perficiendum, & quando, Deo adjuvante, ad unguem perduxeris, nullum negotium incipias hujusmodi, donec ſuper Rodbertum exercitum tuum dirigas, & ego & tu ſimul loquamur & habilem locum inveniamus. Vale in Domino & bene agas in ſeculo, proſpera utriusque vitæ percipias commoda & quicquid exoptatur in amicitia.

CLXXXVI.

Matri benedictionis & ſalutis Henricus Dei gratia

gratia Rex ex toto corde dilectionem & si quid est melius & ultra. Omnem successum nostrum quoniam te scire sanum est, quid hæc curia dictaverit & senserit, tibi, utpote dulcissimæ matri nostræ, mandare voluimus. Post multum causæ nostræ tractum, tandem audita Apostolica legatione & omnium fidelium nostrorum, qui multi aderant, consilio & persuasione, restitutionem transfugarum Episcoporum concessimus & permisimus, sic tamen, ut de his, quoquo modo velimus, parti nostræ caveamus, donec in diem, quem nos causæ eorum ventilandæ constituimus. Quem diem & terminum eosdem Papæ legatos hic expectare scias. Tu vero pro bona, quam de te habemus, fiducia, ut tibi res nostra diu expectatum eventum accipiat, a Deo sedulo inquiras. Hoc autem, quod nos rogasti, ea conditione, quamvis & mandasti, certissime hoc & quicquid tuæ dilectioni impendere poterimus, accipies.

CLXXXVII.

Heinricus Dei gratia Rex Clero populoque Romano, majoribus & minoribus, gratiæ suæ & optimæ voluntatis sincerissimum affectum. Quanta fide & benevolentia nostrum sacrosanctæ memoriæ parentem colueritis, quantaque ipse honorificentia & Ecclesiæ vestræ dignitatem & universam Romani nominis amplitudinem publice privatimque provexerit, plurima seniorum procerum imperii nostri relatione cognovimus. Neque vero post obitum ipsius minori amore & reverentia infantiam nostram fovistis & omnino fideli constantia nobis, in quantum per quorundam pestilentium & superborum improbitatem licuit, affuistis; Sed quod nos tamen perpetuæ caritati vestræ debita necessitudine in referenda gratia non respondimus, primum ætatis imbecillitas causa fuit. Postquam vero virum induimus, tantus in nos tyrannicæ perfidiæ furor intumuit, ut ad eum opprimendum, omnem curam laboris nostri nos intendere, necessitas suprema cogeret. Nunc vero quia non nostra, sed Dei veritate atrocissimorum hostium tam vitam, quam superbiam ferro truncavimus, & membra disturbati & disjecti imperii maxima ex parte composuimus, ad vos venire intendimus, scilicet ut debitam & hæreditariam dignitatem communi omnium vestrorum assensu & favore a vobis accipiamus & meritas vobis gratias omni honoris genere imperciamur. Miramur autem quod cognito adventu nostro nulla nobis legatio vestra solenni more occurrit. Nam quod nostros ad vos legatos mittere supersedimus, ipsi vos nostis legati nostri viri honorati & reverendi, quam infami contumelia ab eo, unde minime oportuit, supra omnium barbarorum immanitatem, anno præterito affecti sunt. Quod autem iidem disturbatores pacis & concordiæ nobis imposuere & in vos sparsere, eam adventus nostri esse intentionem, ut beati Petri Principis Apostolorum honor imminuatur & vestrorum omnium respublica per nos evertatur, nihil illi quidem novum suis moribus fecere; verum nos fideliter vobis insinuamus, quod hæc nostra omnino voluntas est, & sententia, ut quod in nobis est, pacifice introeamus, ac demum collato omnium vestrorum imprimis aliorumque fidelium nostrorum consilio, diuturna discordia regni & sacerdotii de medio tollatur, & omnia ad pacem & unitatem in Christi nomine revocentur.

CLXXXVIII.

Heinricus Dei gratia Rex A. Sanctæ Babenbergensis Ecclesiæ venerando Pontifici, scilicet dilecto nepoti suo, gratiam suam & debitum dilectionis donum. Si omnia vestra prosperitatis tenore diriguntur, ut justum est, congaudeamus, & si quid vobis aversi occurrerit, quod divina repellat obumbratio, ut decens est, condolemus; & hanc eandem caritatis vicem vos erga nos servaturum non dubitamus. Quapropter dilectionis vestræ rogamus privilegium, quia quidam militiæ vestræ H. nomine, misericordiam nostram & auxilium petens venit, ut sibi illam harascaram cum vadimonio, quam vobis jurejurando promisit, nostri amoris & rogatus causa dimittatis, ut ego ex mea parte vobis compensem, patremque meum, ut & ipse vobis compenset, instigem.

CLXXXIX.

Heinricus Dei gratia Rom. Imp. Augustus omnibus Episcopis, Comitibus, Capitaneis, Civibus, Castellanis totius Monarchiæ, majoribus & minoribus, suis fidelibus gratiam & bonam voluntatem: De integra fidelitate, quam nobis sicut optimi fideles observatis & de labore, quem pro honore nostro nostris inimicis viriliter resistendo, sustinetis, grates vobis maximas referimus. Unde dignam vobis indubitantem, sciatis, facere remunerationem intendimus. Multa de his, quæ ad regni & utilitatis vestræ curam pertinent, scripsissemus, nisi vobis tam carum & tam credibilem nuntium & fidelem nostrum & familiarem intimum misissemus. Per ipsum H. plurima vestræ fidei significamus, quæ ad nostrum honorem pertinent & regni stabilitatem, quo ei sicut nobis ipsis confidatis, scientes, illum nec velle nec facere, quod pura ejus fides honori nostro non debet. Vobis itaque mandamus & præcipimus & diligenter rogamus, ut ejus verba quasi ex nostro ore suscipiatis, & quicquid ex nostri parte vobis dicet vel præcipiet de honore nostro, nostri caritate & sub certa spe dignæ remunerationis opere & hilari voluntate compleatis, sicut vobis confidimus.

CXC.

Heinricus Dei gratia Rom. Imp. Augustus H. Magdeburgensi Archiepiscopo gratiam & omne bonum. Laborem tuum & studium circa honorem nostrum, quem maximum esse audivimus, ideoque dignas tibi gratias, prout justum est, referimus, nec quidem paucis verbis, multis autem factis, cum, Deo annuente, ad te venerimus. Tu tamen, sicut cœpisti, interim pro obtinendo nobis regni honore in his partibus sis sollicitus. Nos enim, qui specialem tibi præ cæteris habemus fidem, proxime quando a te

Digitized by Google

a te discessimus, omnia nostra tuæ fidei commisimus. Quod quidem fideliter erga nos hactenus observasti & adhuc te conservaturum veraciter credimus. Fac igitur, ut bonus ac discretus, & fidem, quam in te firmam esse credimus, usque ad finem perduc in omnibus. Nos vero in loco intimi amici te habemus, & quodcunque habet perfecta fides, de te nobis fieri confidimus. In hujus itaque fidei testimonium iterum tibi nos & omnia nostra committimus, ut ita agas in omnibus, sicut bene tibi confidimus. Beeneficium autem N. Præpositi fidelis nostri, quod & antea tibi commisimus, iterum tibi committimus, ut ad utilitatem ejus illud conserves & illi, qui injuste tenet, ex nostra parte interdicas, quia Dominus ejus, qui modo idem beneficium sibi illicite usurpavit, nobis, dum querimonia interesset, reddidit.

CXCI.

Heinricus Dei gratia Rom. Imper. Augustus R. Babenberg. Ecclesiæ Episcopo gratiam & omne bonum. Notum est tibi quanto periculo tota fluctuat Ecclesia, quantus error in omni surgit Saxonia, quantaque desolatione nobilis illa Metensis penitus destruitur Ecclesia, & non solum ibi, sed & in diversis partibus Ecclesia nostri dividitur imperii. Igitur consilio fidelium nostrorum statuimus fieri Moguntiæ colloquium in Dominico die ante proximum sancti Andreæ festum. Huic colloquio omnes regni Principes nostri fideles intersint: & præterea omnes, quorum nobis utilis declaratur aut fides aut consilii providentia. Ad quod venire te quam intime rogamus, quia nullatenus tam ardua negotia regni & divisio Ecclesiæ coadunari poterit, sine tua maxima sapientia & consilio egregio & fide, quæ hactenus nobis frequenter in necessitatibus & hujusmodi controversiis regni, prout nos voluimus & res exegerat, præsto fuit. Ad quod colloquium omnes Saxones nostri fideles venient, rogantes summopere, nos in Saxoniam venire, & hos novos errores componere. Metenses autem e contrario Metim clamant nos transire, quatinus illic tandem pax & securitas reddatur Ecclesiæ. Nos quoque, invitante Archi-Episcopo, Coloniæ nativitatem Domini celebraturi sumus, & idcirco statuimus, hoc colloquium ante fieri, ut hujusmodi dissensiones regni prius componeremus, quam in remotiora transiremus loca. Sed idcirco prædictam expeditionem distulimus, quatenus communi omnium nostrorum consilio, quæ nobis agenda sint, considerentur. Ergo rogamus te per eam, qua compater nobis effectus es, dilectionem, ne te corporis ægritudo vel quælibet alia res impediat, quin ad præfatum colloquium tempore statuto venias, & ibi juxta magnam sapientiam & solitam fidem tuam de nostra & regni utilitate, quæ necessaria sunt, nobiscum disponas.

CXCII.

Heinricus Dei gratia Rom. Imper. Augustus Roberto Babenbergensi Episcopo gratiam & omne bonum. Quod semper nobis fuisti fidelis, quemadmodum debuisti & nostrum honorem, sicut vir sapiens & fidelis egregius, retinere & amplificare studuisti, grates tibi quam maximas referimus, & etiam, procul dubio scias, tibi dignam facere remunerationem intendimus. Tuam igitur rogamus fidelitatem confidenter, ut de beneficio, quod fuit Udalrici, nullam promissionem vel concessionem alicui facias, donec nobis loqueris, aut etiam nostram sentias certis literis voluntatem. Si vero hoc attenderis, nos faciemus propter tuam caritatem, quod nos rogasti in tuis literis, & tu stude honori nostro, sicut in te confidimus providere.

CXCIII.

Heinricus Dei gratia Rom. Imper. Augustus Babenbergensium Episcopo gratiam & omne bonum. Novit optime dilectio tua, quanto tempore, quam optima fide nobis servierint U. & filius ejus Gerhardus, qui nuper miseranda omnibus bonis quam immatura morte recessit a seculo. Urget itaque tam humanitatis compassio quam justitiæ necessitudo ut in parvulos ejusdem Gerhardi avitæ & paternæ servitutis memores simus & orbitati eorum debitæ pietatis suffragio consulamus. Unum te sollicite commonemus & summis precibus obsecramus, ut filio ejus patris beneficium benigne pro respectu Dei & nostra interventione concedas; nulla hoc differens occasione, nulla excusans vel abnuens ratione. Commendationem autem pueri usque in præsentiam nostram ut differas, rogamus, sicut de nobis curas.

CXCIV.

Heinricus Dei gratia Rom. Imper. Augustus Ruberto Babenbergensi Episcopo gratiam & omne bonum. Quoniam te semper nobis fidelem esse, per omnia, quemadmodum debuisti, probavimus, & amicum amicis nostris & inimicum nostris inimicis & infidelibus te prædicabiliter invenimus, grates tibi quam maximas prout egregio fideli referimus. Hoc igitur in te plurimum laudamus & amamus, quod propter nostrum honorem illis, qui in nostrum auxilium venire debebant, collectam pecuniam dividere voluisti. Volumus autem, ut apud te servetur, si nondum eam divisisti, donec tibi nostram etiam voluntatem per nostrum nuntium & literas mandabimus. Et quoniam tibi & aliis Principibus nostris per nostros nuntios, ut ad nostrum venirent colloquium, mandavimus, volumus, ut venias, & aliis, ut veniant, modis omnibus suadeas; quoniam tecum & cum illis tractare volumus de honore nostri regni. Si autem hoc nullatenus efficere possis & ipsi nolentes venire ad nostrum colloquium, suum statuerint, rogamus tuam fidelitatem, ut intersis eorum colloquio, & ibi amicos nostros confortando & inimicis viriliter obloquendo tractes de honore nostro. Movet quidem nos plurimum, quod Udalricus te offendit, sicut nobis mandavisti, sed nos nostros ei nuntios etiam transmittimus, & quicquid super hoc ad honorem tuum facere poterimus, faciemus. Placet quidem nobis multum quod de E. nobis mandasti, tamen te summopere rogamus ut illum velut Judam

Digitized by Google

dam & sceleratissimum mendacem, modis omnibus, sicut in te confidimus, prosequaris, & abomineris. Deinde sit tibi cura & sollicitudo maxima remandare nobis per fidelem nuntium, quicquid vel de proximo Colloquio vel de cæteris quæ pertinent ad nos poteris cognoscere. Ad ultimum grates habeas, quod nostris pepercisti, & nos etiam tibi faciemus, quod erit honor tuus.

CXCV.

Heinricus Dei gratia Rom. Imper. Augustus venerabili Episcopo & dilecto Compatri gratiæ suæ optimam voluntatem. Qui in custodia Babenbergensi per effectum operis nostram implesti voluntatem, magnas tibi grates sicut optimo fideli nostro referimus. Quod superest, rogamus, & firmiter tibi præcipimus, ut prohibeas, ne ejusdem Ecclesiæ Custos alicujus minas aut calumniam in bonis suis patiatur, & illos, qui se de illa custodia beneficiales asserunt, Episcopali auctoritate constringe, beneficia de ipsorum manibus excute & restitue. Nam id principum nostrorum decreto indultum atque concessum atque firmatum est, ut nullus Præpositus vel Custos Ecclesiæ potestatem habeat, quicquam de bonis Ecclesiæ in beneficium alicui præstare, & si factum fuerit, irritum haberi.

CXCVI.

Heinricus Dei gratia Rom. Imper. Augustus R. reverentissimo patrino suo in Christo Domino gratiam suam & plurimam in Christo salutem. Cum præ omnibus maximam in te habeam fiduciam, miror, quod totiens te pro una eademque re rogavi & nihil mihi dignum pro mea spe respondisti, præsertim cum nihil unquam ita sit arduum, quod putaverim abs te mihi denegari. Sed & adhuc iteratas preces ingeminando, identidem dilectionis tuæ inclinatius mihi aurem præbeas, & eam mihi per præsentem nuntium transmittas. Præterea, quia Comes U. obiisse dicitur, non aliter te rogo, quam ut revocem tibi in memoriam, siquid pro amore tuo & voluntate tua fecerim, ita ut aperte in hac petitione experiar, quantum me diligas, nec te rogo nisi talia, quæ honori & proficuo tuo erunt profutura. Rogo, inquam, ut beneficia, quæ ex te hauriunt, nulli promittas, nec aliquid interea facias, sed totam ipsius rei actionem differas usque ad nostram utriusque ad invicem præsentiam.

CXCVII.

Heinricus Dei gratia Rom. Imper. Augustus R. sanctæ Babenbergensis Ecclesiæ venerando Episcopo fœdus antiquæ gratiæ & omne bonum. Quiddam quod ad nostram intimam voluntatem spectat, H. nostro erga te diligenter agendum studiose commendavimus. Cui ut te exorabilem præbeas & quod petit, nostri causa ei annuas unice postulamus. Sin autem, usque ad nostram præsentiam differ, ita ut nihil interea agas. Nam id omni dubietate remota volumus & accuratissime petimus, ut postposito omni negotio & remota omni occasione Wormatiam ad nos venias, quoniam plurimum consilii tui prudentissimi & auxilii indigemus. Illic negotium Ducis W. & filiorum suorum tractaturi sumus & nostrorum, & præterea multos Saxones & eorum legatos illic habebimus. Relatum est nuperrime nobis, quod adhuc pecuniam illam non dedisses, pro qua rogavimus, quapropter rogo te, ut si nondum in hac re nostram impleveris petitionem, festines quantocius dare, quia magnum impedimentum est nobis & incommodum, illos tam diu morari.

CXCVIII.

Heinrico Dei gratia Rom. Imp. Augusto M. Comes & alii fidelissimi sui promtum per omnia servitium. Quemadmodum honoris vestri & excellentiæ vestræ culmen desideramus, loci nostri & gentis nostræ statum vobis indicare curamus. Notificamus itaque vobis, quod Vincentini cives, sub occasione navigii acquirendi, trecentas libras Paduanis tribuere festinant, sese ad invicem adjuturos de omni Werra, per decennium firmare laborant. Quod si factum fuerit, nobis & aliis fidelibus vestris pro honore vestro laborantibus maximum impedimentum erit. Quod consilium cum dirimere vellemus, nobis nullomodo acquieverant; sed & alia nescimus, quæ magna adhuc machinantur. At si adventus vester in hoc tempore proximus foret, cunctis fidelibus vestris & honori vestro utilissimum existeret. Verumtamen si id modo fieri non potest, aliquem cautum & providum nuntium in partes nostras ne differatis mittere, quoniam adhuc cum Dei adjutorio & vestro omnium inimicorum machinationes, servato honore vestro ad nihilum speramus deducere.

CXCIX.

Heinrico desiderantissimo Rom. Imper. Augusto R. Dei gratia, id quod est, cum universa congregatione Babenbergensis Ecclesiæ servile obsequium & sine intermissione constantiam orationum. Maximas pietati vestræ gratias referimus, magisque in dies pro vestra sanitate & imperii stabilitate orare non cessamus, quoniam omnes petitiones nostras benigne suscipitis, misericorditer in necessitate subvenitis, nostrisque fratribus honores, dignitates, beneficia impendendo universum claustrum nostrum honoratis. Prædium autem pietatis vestræ, quo nostrum stipendium adauxistis, partim vestri, partim ministeriales Domini H. invaserunt, vestramque Eleemosynam sub vestro singulari patrocinio nobis penitus abstulerunt. Nos profecto nihil ipsis, nihil aliis quibuslibet in beneficium de eodem prædio concessimus, sed in perpetuam vestri nominis memoriam nostris usibus ordinavimus. Nunc igitur nos omnes communiter vestram imploramus clementiam, quatenus imperiali vestra legatione invasorum illorum audaciam retundatis, qui vestrum imperiale decretum transgressi sunt, quo indissolubiliter constituistis, ut illud prædium nec a nobis, nec ab aliquo Præposito ulli hominum in beneficium posset concedi, sed pro

Digitized by Google

pro ſalute animæ veſtræ noſtræ deſerviret in perpetuum neceſſitati. Itaque veſtra imperialis legatio efficiat, quatenus modo nobis prædicta præda reſtituatur, ac deinceps nullus veſtrum edictum transgrediatur.

CC.

Heinricus Dei gratia Imperator Auguſtus A. glorioſo Duci, amico fideli, quicquid in amici affectibus poterit eſſe fidelius. Cum aliquis privatum commodum ſuum poſtponit, & in amici utilitatibus inſudat, ea eſt firma amicitia. Quam amicitiæ benevolentiam te nobis impendiſſe, gaudemus, & ſicut optimo fideli & intimo amico dignam facere remunerationem intendimus. Nam cum velles contra Græcos ire & cum Dux Poloniæ tuus & amicus & conſanguineus auxilium tuum contra hoſtes ſuos peteret, propter nos, ſicut amicus fideliſſimus remanſiſti, ut noſtris inimicis reſiſtens, tuum commodum pro nihilo computans, tantummodo ut noſtram cauſam promovendo adjuvares. Quid igitur reſtat niſi, ut maximas tibi grates referentes ſicut noſtro optimo fideli, votis omnibus exoptemus, eam nobis dari occaſionem, qua tibi amantiſſime viciſſitudinem meritam rependamus. Et ſicut in nos bono uſus es principio, ita rogamus dulcedinem dilectionis tuæ, ut perſeveres & deleas & conculces adverſarios noſtros, nec parcas eis, donec ex toto conterantur. Nam nos ſimili modo, ſicut tuos amicos amplectimur, ita inimicis tuis erimus infeſtiſſimi inimici, & fœdus, quod cum patre tuo inivimus, ab hac die in antea volumus tibi illibatum ſervare omni tempore vitæ noſtræ. Rogamus itaque te, glorioſiſſime, ut te interveniente frater tuus futura opera emendet, ſi quid hactenus propter ſuas neceſſitates in cauſa noſtra negligentius egit, & quia victrici dextera ſuas anguſtias recuperavit, ad noſtras injurias ſicut fidelis amicus reſpiciat. Nam quia ſe cum præſidio in illas partes contulit, ubi inimici noſtri morantur, & bona ipſorum ſita ſunt, ecce locus, ecce occaſio, qua & inimicis noſtris nocere & ſibi nos poterit amiciſſimos comparare. Tu ergo, Domine, id modis omnibus, quibus vales, fratri tuo perſvade, ut N. non Ducem, ſed judiciario ordine abjudicatum proſequatur, & in omnibus ei adverſetur, ſicut infeſtiſſimo hoſti noſtro. Quicunque autem de familia Saltzburgenſis Archi-Epiſcopi & aliorum fidelium noſtrorum ducti ſunt captivi, rogamus ut cauſa noſtræ dilectionis facias reddi.

CCI.

Deſiderantiſſimo Domino ſuo H. ſereniſſimo Rom. Imper. Auguſto R. Dei gratia Babenbergenſis Epiſcopus ceterique ſui fideles Nurenbergenſes cum inſtantia orationum ſervile in omnibus obſequium. Sicut in omnibus veſtris negotiis ego R. devotiſſimum me ſemper exhibui, ſic etiam usque in finem majori quoque ſtudio in omnibus veſtræ obediam voluntati. Et quicquid mihi per Dominum G. mihi injunxiſtis omni circumſpectionis diligentia ad veſtram voluntatem perficere ſtudeo. Perfectæ vero dilectionis ardore, nullatenus celare vos audeo, tam amicos, quam inimicos nova quædam machinando confœderari, & valde neceſſarium eſſe, ut quantocius ad nos redeatis, quoniam præſens corpore facillime poteſtis univerſa ad veſtram voluntatem componere, quæ veſtri abſentia in incorrigibile malum formidamus excreſcere. Vale; Ego G. & C. ſummopere vos obſecrando monemus, quatenus Domino noſtro Epiſcopo Babenbergenſi intime literis veſtris gratias agendo, benigniſſimum cum vobis exhibeatis, quoniam nunquam majori ſtudio ad veſtram legationem devotiorem ſe exhibuit. Comitem H. D. in Saxonia nondum convenire potui, quia cum exercitu Weſtphaliam ingreſſus nondum eſt reverſus; brevi autem ambo pro veſtra cum utilitate conveniemus. Quantum autem ex nuntio ei transmiſſo perpendimus, Nihil vobis in eo oberit, ſi tantummodo prædium ſuum Gredingin, ut ei promiſſum eſt, receperit. Si autem in hac expectatione fruſtretur, profecto omnino a vobis abalienabitur. Hujus autem prædii reſtitutionem, nullius invaſionem in vacuis illis partibus Saxoniæ, nullius violentiam in tota illa patria oportet vos, ſicut ipſe promittit, formidare. Fratres etiam ſuos, poſtquam convenerimus, in quantum arbitremur, usque ad veſtrum adventum in veſtra fidelitate detinebimus; vos autem ſicut eis promittimus, condigna liberalitate, ipſos redimendo benevolos vobis efficite. De Colloquio IIX. Kal. Julii. indicto a Principibus omnino vos ſolicitari non oportet, quia noſtra ſollertia illud præveniendo penitus ad nichilabimus. Inceptio H. cauſaque ſua erga vos amicis, inimicis, univerſoque diſplicet regno, ſed quamvis univerſi etiam muſſent, nihil tamen Deo annuente veſtrisque fidelibus annitentibus vobis orietur formidabile. Cæterum univerſus ſtatus Imperii veſtri majori in dies inter nos proſperatur tranquillitate. Epiſcopus Eiſtetenſis legationem veſtram, quæ absque literis veſtris ei venit, minus autenticam habuit. Nunc autem cum ſigillo literarum veſtrarum rurſus rogando & ſub obtentu gratiæ veſtræ præcipiendo efficite, quatinus Comiti H. prædium ſuum Gredingin reddatur, ſin autem, profecto ipſius culpa tantus vir a ſervitio veſtro penitus alienabitur. Similiter H. & N. militibus ejus ſigillo veſtro idem prædium interdicite. Pro Epiſcopatu Merſburgenſi intime vos obſecramus, quatinus ſi electione cleri & populi fieri poſſit, magiſtro Babenbergenſi concedatis, quem vobis in omnibus fidelem ac devotum probavimus. Quicquid de his omnibus vobis placuerit, citiſſima legatione literarum veſtrarum tam Domino noſtro Epiſcopo, quam nobis renuntiate.

CCII.

Reverendiſſimo, diligendo ac diligentiſſime verendo Domino Archi-Præſuli A. G. licet indignus Epiſcopus quicquid devotionis & obſequii homini ab homine præſtari poteſt impenſius. Quod veſtra dignatio de fidei devotionisque conſtantia tam ſincero præſumit judicio,

cio, id vero & debita me afficit gratulatione & multa in futuris onerat sollicitudine, ut tam bonam de me persuasionem perpetuam vobis commendem. Porro quod parvitatis nostræ officium erga vos exile nimis & jejunum, tam magnifica appenditis æstimatione, nequidem meum meritum, sed propensum vestræ caritatis intelligo affectum. Est enim hoc solemne prorsus & familiare sincere diligentibus, ut tenuissimam operam eorum quos diligunt velut egregiam & singularem admirentur. Et nostro & totius regni nomine gratulor vobis, quod perditis æmulorum consiliis tam mature vos occurrisse, tam prudenter ea dissipasse, ex literis vestris cognovi. Verum tamen dum singula mecum atque etiam retracto, solidum sincerumque gaudium vix audeo concipere. Suspectum quippe mihi est, quod de Marchione D. & Archi-Episcopo Moguntino, qui se velut caput conjurationis efferr, nihil scripsistis. Movet etiam Ducis Bauwariorum tam facile recepta purgatio, tam facile credita excusatio. Dolosis H. consiliis nihil dissimulatione aptius est. Quamobrem velim vos unice commonitum, ut in omnes partes circumspecte vos agatis, nihil de priori diligentia remittatis. Nostis mores, nostis tempora. Quod credat aut cui credat, nemo habet; & in tam dubiis rebus periculosa est securitas, damnosa facilitas, perniciosa credulitas. Novi, quam supereffluens sit hæc instillare, sed exacto amori difficile modum persuaseris. De Comite H. quam sim exacerbatus, utinam dissimulare possem. Verumtamen quia id non licet mihi nolle, quod vos tantopere intelligo velle, imperavi dolori, extorsi animo, ut cum ad vos venero, ex vestra præcipue sententia & Ducis B. consilio rem patiar componi. Comitis H. causam etiam atque etiam vestræ fiduciæ esse volo commendatam, ne Comes H. in nostram injuriam sub alieno nomine de illo triumphet. De mea cum Domina imperatrice disceptatione, id solum volo ad præsens rogare, ut, ubi occasio aliqua dederit, solitam Ecclesiæ nostræ opem & tutelam prætendere non gravemini.

CCIII.

Domino & Patri venerando S. dignissimo sanctæ Moguntinæ sedis Archi-Præsuli G. licet indignus suus suffraganeus, orationum & obsequii perpetuam devotionem. Non arbitror vestram prudentiam fugisse, qualiter H. Imperator piæ memoriæ nostram Ecclesiam, cujus ipse fundator divinitus extitit, Romanæ sedis mundiburgio assignaverit, certamque pensionem suo tempore illi solvendam, nobis perpetuo imposuerit. Tunc Romanus Pontifex, ut hanc singularem nostram subjectionem magis celebrem & insignem faceret, omnibus Ecclesiæ nostræ Præsulibus usum pallii generali privilegio concessit, & subinde alii Papæ, a nostris antecessoribus commoniti & appellati, idem solenniter indulsere. Quorum exemplo & auctoritate iste quoque provocatus, nostræ humilitati pallium secundum antiqui privilegii tenorem transmisit. Quamobrem nequis apud vos, ut sunt hominum ingenia, superbe aut contumeliose interpretari possit, seriem & modum rei vobis insinuare curavi, certus nimirum, quicquid pro Ecclesiarum stabilitate agitur, vestram caritatem sincere congratulari.

CCIV.

Reverentissimo Archi-Præsuli H. G. vestræ voluntati in omnibus & per omnia deditissimus. Omnes difficultates superare, omnes domesticas necessitates, quæ certe maximæ sunt, statui dissimulare, ut in Pentecoste ad curiam, quia id vos magnopere velle intelligo, veniam. Et quia in id ipsum tempus controversiam nostram dilatam esse meministis, maxime id velim nosse, utrumnam sic parato & instructo mihi veniendum sit, ut ibidem finem exitumque rei expectaturus sim, necne; scilicet, ut personas ad negotium necessarias mecum exhibeam. Verumtamen qualemcunque eventum causæ nostræ divinus favor & vestra dederit fiducia, me non pigebit laboris & impensæ, quam in obsequium dilectissimi Domini nostri & vestræ voluntatis arbitrium impendam.

CCV.

Domino exoptatissimo & a Deo patre præelecto & prædestinato pastori G. H. Præpositus, P. Decanus, cumque his totus Babenbergensis clerus, impensissimas in Christo & perseverantissimas orationes. Tempestatis quidem, persecutionis & invidiæ, quæ ille antiquus hostis in Ecclesiam nostram in ipsis pene fundamentis per membra sua, idest, per injustos & perditos Principes grassari consueverat, eam, inquam, tempestatem jam tandem aliquando sedatam cessasse, compositam desævisse speravimus, lucemque tranquillitatis & securitatis nobis illuxisse credidimus, tum profecto cum divina pietas universali nostrum voto satisfaciens, te nobis ex nostro corpore pastorem exoptatissimum concessit & Dominum, atque adeo ea te prudentia in tantarum rerum amministratione, ea te modestia per Dei gratiam huc usque egisti, ut minime nos tam sani desiderii, tam consultæ electionis pœnitere debuerit, verum nunc non mediocris nos cura sollicitat, scil. ut tam existimatio tua, quam nostrum judicium periclitari incipiat, & quod his gravius est, & periculosius, ne divinam tibi parias offensam, veremur; & ut cætera omittamus animam illam beatissimam H. Christianissimi Imperatoris conditoris & auctoris nostri, cujus memoria omnis ætas, omnia secula benedicent, illam, inquam, ne in accusationem & quod dictu luctuosum est, ne in dampnationem tui provoces, valde horremus & contremiscimus. Solatium itaque, quo ille vir beatissimus reliquas facultates nostras in libertatem quandam a procuratoribus nostris vendicaverat, quo ille nobis contra proventuum varietatem consuluerat, quo ille nobis intercalares benedictiones instituerat, quo ille diversis temporum calamitatibus occurrerat, illud deniq; quo ille nobis & habundantiæ nostræ ornamentum & inopiæ singulare remedium provi-

Google

providerat, sub te indigena Domino Pastore domestico contra morem, contra legem, contra omnia divina & humana jura amisimus. Quod si ordo textusque causæ prudentiam tuam fugisset, hoc est, si ignorasses hoc ipsum prædium cum quondam per violentam dominationem ereptum fuisset, quanto sudore, quam examinatis probatissimorum fratrum sacramentis & testimoniis in jus, & proprietatem, quod Sancti Petri fuit revocatum, pro facto per obtentum ignorantiæ te nobis excusare possemus. Neque vero jactura, quam patimur tametsi vix tolerari posse videatur, tantopere gravamur. Fiduciam itaque plurimam per merita beati Petri habemus de recuperatione, verum tuam, Domine piissime, vicem pro debita tibi caritate deploramus, si tuis in nos, quod ne dici fas est, injuriis locum & occasionem alienis parias beneficiis. Quamobrem pedibus tuis una devotione provoluti unice misericordiam tuam obsecramus & obtestamur, ut causæ nostræ, cui Deus favet & justitia, pietatis tuæ favor adesse dignetur, remque nostram in pristinum statum restituere non graveris. Hæc pro facto via est, qua ad divinam proxime accedere poteris propitiationem; hæc ratio est, qua in congregatione piissima & devotissima & animæ tuæ æternum præsidium, & nomini tuo perhenne comparabis monimentum. Magnus ille pastor & bonus & filius Dei vivi te nobis pastorem, & Dominum plurimo tempore dignetur concedere.

CCVI.

Reverentissimo sacrosanctæ Bremensis ecclesiæ Episcopo N. Decanus cum universo Babebergensi clero tam perpetuam, quam debitam devotissimæ orationis constantiam. Quod in tanta rerum humanarum tempestate vestris consiliis, vestra auctoritate tam negotiosa imperii amministratio divina dispositione gubernatur, universali quodam gaudio omnes, quos recta ducit existimatio, amplectuntur; veruntamen interius & quodam modo familiarius hæc voluptas nostris illabitur animis, utpote qui, totiens rebus perditis, totiens desperatis præsentissimam in vobis opem, singulare in vobis experti sumus præsidium, sed &, si nullo experientiæ gustu gratiæ vestræ suavitatem libassemus, præsentis tamen temporis difficultas urgeret, ut nos vestræ, quamvis inexploratæ, committere benevolentiæ debeamus. Summam ergo rei paucis advertite. Domino nostro prædium est ecclesiasticum, quod N. vocatur, amplum sane & fructuosum, de quo Episcopus controversiam aliquam movit in placito Comitis, & partes nostras vehementer impulit. Stetimus tamen tum juris præsidio, tum bonorum patrocinio suffulti. Nunc ergo in eodem comitatu placitum est indictum, haut dubium est, quin in nostram ecclesiam Dominus noster rerum ignarus in alio quodam orbe, quod ipsum æmuli nostri aucupati sunt, moratur, eos etiam, qui idonee in tanto discrimine consulere poterant, secum abduxit. Adversarii nostri tum consiliis, quæ jam multo tempore coxere, tum omni reliquo apparatu vigent, instant. Causa nostra omni advocatione viduata in medio posita, non tam extorquenda, quam confundenda sumenda. Tantis ergo curarum angustiis suffocati ad unicam vestræ pietatis opem confugimus, ut regii sigillaris intercessione in reditum Domini seu Episcopi nostri, causæ ipsius actionem differri faciatis. Ecce locus, ecce occasio, qua & Dominum nostrum perpetua vobis devotione mancipetis, & apud fratres vobis deditissimos etiamnum animæ vestræ remedium comparetis: modus enim non erit verbis, si quantum opus est, tanta loquamur. Nullæ itaque preces, nullæ obsecrationes sollicitudinem nostram explebunt. Et quod operosior supplicatio quædam videtur desperatio, id breviter vobis supplicatum velimus, ut vos in rem præsentem & Domini nostri in vos propensa valde excitet fiducia & vestra ipsius erga nos singularis illa indulgentia, postremo H. Imperatoris, quo conditore & auctore gloriamur, quam vobis gratissimam esse novimus, sacrosancta memoria.

CCVII.

R. Dei gratia Moguntinæ sedis humilis provisor R. Karissimo fratri & coëpiscopo in Domino salutem. Sicut ecclesiasticæ pacis status bene ac salubriter dispositus, magnum nobis ingerit gaudium, ita mærore non parvo afficimur, si quando hostis antiqui invidia concordia scinditur, jus perit, fasque nefasque confunditur. Literas reverentissimi confratris nostri Treverensis Archiepiscopi accepi, quarum series mihi notificavit, quæ & quanta Episcopi Urbano adhærentes machinentur; quantis minis & terroribus & diversarum oppositionum objectionibus se suamque sedem inquietare non desinant, utque nichil languidi patientes conventu frequenter partes roborent, diu noctuque sacris literis non parum insudent, ut habeant, unde eum nosque cum eo impugnent, præcipue Metensis, Tullensis nec non Verdunensis. Hii quippe non ignorantes, quantæ sint temeritatis & Metropolitanæ sedis jus & autoritatem in provinciali Kathedra, quæque sibi episcopalis officii dignitatem usurpare, cum præsumtioni suæ sanctorum patrum decreta sentiant repugnare, reatum suum nova quadam ac simulata religione satagunt palliare. Asserentes igitur se solos justos solosque cum suo Urbano catholicos episcopos, cæteros Papæ Clementi adhærentes excommunicatos habentes aspernantur, eorum polluto ministerio templum Dei profanari, Christianitatem multimode periclitari divulgant. Adhæc quibusdam blandis & superstitiosis sermonibus secularium aures permulcentes in odium & contemtum omnium nostrum eorum animos concitare non cessant. Respectu tamen fraternæ pietatis ajunt metropolitanæ ecclesiæ Præsulem in communionem velle suscipere, ejusque primatum recognoscere, si eorum consiliis tandem velit acquiescere. Quibus omnibus non parum sollicitus rogat, ut constituto tempore &

Digitized by Google

& loco convenire velimus, quatinus de his nobiscum conferre, aut, quid sibi agendum sit, naviter deliberare queant. Huic itaque tam justæ petitioni occurrere atque in unum convenire mihi quidem non pigrum, nobis autem omnibus multis de causis esset valde necessarium, nisi, quod fraternitatem vestram pro temporis hujus instanti periculo circa commissi gregis tutelam multimodo occupatam esse non dubito. Moneo itaque & obtestor vos, ut causam istam, pro qua inclitus frater noster Treverensis præsul nos convenire voluit, vobiscum & una cum nostræ ecclesiæ prudentioribus pertractetis, & quod rectius ac melius divina gratia vobis inspiraverit, per literas vestras mihi intimare velitis, quatinus prudentiæ salubri consilio quovis modo enervari queat tanta tamque intolerabilis malignantium præsumtio.

CCVIII.

Domino & patri Sanctæ Moguntinæ sedis Archipontifici R. Dei gratia Babenbergensis Episcopus cum instantia precum fidele servitium. Nos procul dubio fore illos, in quos fines seculorum venerunt, ex ipsis quæ patimur indies, declaratur periclis. Nam ut cætera omittam, quibus absque morarum intervallis quatimur, imo consternamur, quid unquam a barbarie nobis incuteretur atrocius, quam a nostræ fidei professoribus, qui vota fidelium, pretio peccatorum, respectu divini timoris postposito, quasi hæreditario jure ad se transmissa suis usibus addicunt, & nos quibus oblationum earundem credita noscitur dispensatio, vel miris irrident modis, vel in unum conveniunt & quantum in ipsis est, morte multare non perhorrescunt. En ego minimus Episcoporum, vester tamen qualiscunque in domo Domini cooperator, quibus & quantis calamitatibus a Comite N. afficior, qui agros ecclesiæ meæ tanquam suos per triennium & eo amplius prædatoria manu occupat, quem cum nec jure nec gratia a tanto scelere possem revocare, confratrum & fidelium meorum consilio membrum lanians & persequens ecclesiam Dei, secundum instituta canonum, a consortio ejusdem matris ecclesiæ gladio anathematis recidi. Quod idcirco vestræ sanctitati significare curavi, quatinus auctoritate divinitus vobis collata pertinaciæ ipsius obvietis, ne iniquitatem scientes & silendo dissimulantes, tyrannidem ejus, quanquam nocituram, roborare videamini. Fraternis ergo compatiendo pressuris ascendite, quæso, ex adverso, nam quamvis pauci simus numero, communicatis tamen sinceriter viribus, Domino patrocinante, cujus vicem gerimus, facile calumpnias perversorum propulsabimus.

CCIX.

R. dilectissimo confratri & coepiscopo E. suus in dilectione quicquid jocundius in oratione & servitio, quicquid devotius. Sinistra fama hoc anno a partibus illis veniens multum me exacerbavit, referens vestros a fide & dilectione, sub qua vos in Saxoniam dimiserant, defecisse, & contra dignitatem vestram conspirasse, Unde mihi duplex nata est tristitia, tum quod communi omnium miseriæ condolebam, quod omne nefas irrupit in hoc ævum & traditione Domini vix aliquæ revocat respectus fidei vel sacramenti, sed alius rumor dolorem meum mutavit in gaudium, quod audivi quicquid turbationis fuerat, sedatum esse, & omnia ad honorem vestrum cessisse. Novit autem Dominus, quod si vobis vicinus essem, uti Wirtzeburgensis Episcopus, vel in illa vel in alia causa vestra nullus vobis affuisset paratius, nemo fidelius, vel devotius opem tulisset quam ego. Quia vero nimis remotus sum, quod solum ad præsens valeo, bonæ meæ voluntatis munus offero, sed sive in curia sive alibi, ubi præsens esse potero pro honore vestro modis omnibus, ac si frater carnalis essem, laborabo. Gratias autem uberrimas refero bonitati vestræ, quod per vos hyemalem domum talem habeo ut in terra nostra talem se habere nullus dicat omnino. Si fieri posset, ut vestris humeris mihi eam attulissetis, non minores interim vobis gratias referrem, quam modo, nec ad reddendum quibuscunque vobis modis placuerit paratior essem quam modo. Pro communi nostro Concilio * vestram rogo clementiam ut ei bonus sitis in omnibus, & si fratres ejus tam diuturnam ejus ægre ferunt absentiam, auctoritatem nostram illis opponite, & ne interim aliquid moleste patiatur, mea causa providete. Artificem etiam vestræ pietati commendo, quod fideliter & utiliter mihi servivit, utpote bonus Christianus, & ut eum adjuvetis, rogo enixius, & gratiam vestram per me obtineat plenius.

CCX.

H. Dei gratia Rom. Imp. Aug. O. Babenbergensi Episcopo suo dilecto & certo fideli gratiam & omne bonum. Nunc imminente necessitate debet apparere, qui sint fideles nobis & ipsa evidentia rei manifestandum est, quantum nos diligant, & honorem nostrum. Scias igitur, quod nos usque Wirzeburg venimus cum multis militibus & adhuc ibidem plures exspectamus, cupientes cum Dei virtute inimicos nostros invadere, & castrum nostrum Nurinberc liberare, quod obsident, quapropter tibi, sicut optimo fideli, rogando mandamus, ut ad nos venire festines cum omnibus, quos habere poteris, sicut tibi confidimus. Insuper etiam diligenter te rogamus, ut in præsenti nostram consideres necessitatem & A. qui nobis est necessarius, concedas beneficium, quod a te postulat, animadvertens, quod modo nos præsens periculum compellit multis supplicare, & eorum voluntatem faciendo ipsos in nostra fidelitate confirmare, & hac ratione constrictos de his & de aliis multis oportet nos te rogare aliter, quam vellemus, sed nos Deo volente, si prosperitas advenerit, te & ecclesiam tuam, sicut dignum est, respiciemus: de hac re fac secundum quod tibi dicet N. ex nostri parte.

CCXI.

H. Dei gratia Rom. Imp. & Aug. O. Babenbergensi

Digitized by Google

bergensi Episcopo gratiam & omne bonum. Scimus quod legationibus filii nostri frequenter fatigaris, sicut nobis per tuum nuncium mandasti. Confidimus autem de tuæ bonitatis fide, quod nec precibus, nec minis, nec persuasionibus & blanditiis unquam nostris acquiescas contra nos inimicis sed fideliter nobiscum semper permaneas. Quantascunque autem persecutiones ab inimicis nostris sustineas, nullatenus tamen terrearis, sed certus esto, quod te non deseremus sive in pace, sive in periculo; & fiduciam habeas in omnipotente Domino, quod nobiscum cito a præsenti liberaberis periculo. Sicut ergo de te confidimus & per nuncium tuum tibi mandavimus, ad diem & locum, quem condiximus, venire non dubites. Igitur per fidem, quam nobis debes, neque precibus neque minis aliquatinus terrearis, ut ad filium nostrum transferaris, & ab omni ecclesia atque per omnes congregationes tibi commissas orationes sine intermissione fac fieri ad Deum pro nobis. Castrum etiam tuum ita diligenter custodiri facias, ne aliquis ex custodibus ab eo descendat, nuntium etiam tuum ad consolandos mittas Nurinbergenses.

CCXII.

H. Dei gratia Rom. Imper. Augustus O. Babenbergensis sedis Episcopo gratiam, dilectionem & omne bonum. Perfectus amor cum utique domesticis cordis sit, non ad oculum tantum valet, non ad oculum spectat, non pendet ex tempore, per quæ absentes quanto longius separantur, tanto arctius mutua pro se sollicitudine constringuntur. Nos certe absentis tui ampliorem quam dum affuisti, curam gerimus: eodem quo te proveximus animo, cuncta tibi prospera cupientes, adversa, si non accidant, quod possunt accidere, verentes. Unde maximo nobis gaudio est, quod adhuc de rebus tuis optata comperimus, te videlicet ab ecclesia tua honorifice receptum grata omnibus responsionum, habitus & actuum temperantia placuisse, & in præstandis beneficiis necessariam laudabiliter exhibuisse cautelam. Qua de re consulimus, hortamur, & petimus, ut quod facis facias, ne primitias bonæ famæ, si manum remiseris perdas, quod bona inceptio sine fine, speciosi corporis instar est sine capite. Nemo a delectu ecclesiasticæ secundum justitiam humilitatis terrore detorqueat, pretio flectat, suadendi mellito felle seducat, quomodo temptatus his omnibus, si probatus fueris, facile omnia propulsabis, si quid autem grave tuis juribus æstimabis, ad nos tibi procul dubio successuros, ex nostri differas occasione præcepti.

CCXIII.

Domino suo & vere Domino dilectissimo H. Rom. Imp. Augusto Moguntinensis ecclesiæ humiles servi F. Camerarius A. Centurio cum universis ministris ac civibus inibi manentibus, quicquid fidelis oratio valet ac devota servitus. Quomodo huc usque ad omnem imperii tui honorem devotissimi atque aliquantulum valentes extitimus, in Dei misericordia & in tui confisi et gratia, si quid deinceps vel ad tuæ majestatis exaltationem vel ad propriæ vitæ utilitatem valebimus. Veraciter igitur innotuit nobis, quod ex utraque (parte) inimici tui ac nostri expeditionem contra civitatem nostram indixerunt, ex una videlicet Rex filius tuus cum Thuringis & Saxonibus, ex altera vero Episcopi Metensis scilicet & Virdunensis, Dux H. Comes etiam H. Comitis O. filius. Hi omnes, ut verissime nunciatum est nobis, condixerunt, ut in proximo festo sancti Michaelis vel ante, si possint, cum gravi multitudine civitatem nostram invadant & contra honorem tuum Rudhardum Episcopum in cathedram reducant; quod si permiseris, nimium a te dilabetur imperium, nosque patiemur non solum rerum nostrarum inrecuperabile damnum, sed etiam maximum vitæ periculum. Timemus itaque & vere desperamus quod contra tot principes ad longum tempus defendere urbem non valeamus, nisi aut tu ipse venias, aut adjutorium utile nobis mittas. Commonemus ergo te & obnixe rogamus, ut in instanti jam necessitate nos non negligas, sed, quantocius possis, adveniens proprio nomini, honori ac saluti fidelium tuorum consulas, nec desoleris, si quantam velis multitudinem habere non possis, sed consolemur invicem & nos in te & tu in nobis. Omnes enim comprovinciales nostri ex utraque parte Reni conjuraverunt persistere nobiscum, qui proxime nobiscum juxta civitatem nostram congregati, equites & pedites XX. millia numerati sunt, quod si hac sola impulsione Deo propitiante vicerimus, securiores postmodum tu in regno & nos in loco nostro manebimus. Vix jam transcriptis literis, ecce, jam alius nobis venit nuncius dicens, Archiepiscopos Treverensem, Coloniensem juxta Mosellam cum supra nominatis habere conventum, tractantes contra honorem & imperium tuum, & contra salutem omnium nostrum.

CCXIV.

H. Dei gratia Rom. Imp. Augustus H. filio suo. Si nos debita & paterna affectione tractasses, qualiter deberes, libentissime tecum paterne loqueremur, & paterna tibi mandaremus. Verum quod longe alius, quam paternæ affectionis & humanitatis circa nos tuus animus fuit, & est, nequaquam aliter tecum loqui vel aliud mandare, quam quod ipsa manifestissima rei veritas habet. Tu itaq; ipse scis, sicut facti tui conscius es, qualiter data fide & securitate personæ & honoris nostri omni affectione devotionis promisisti nos ducere Moguntiam coram principibus, & interim nos securissime reducere, quocunque vellemus. Hac fiducia cum tecum caritative & indubitanter ascenderemus, contra datam fidem apud Bingam nos cepisti, ubi nec paternæ lacrimæ, nec patris mæror & tristitia, quum ad pedes tuos aliorumque provolvebatur, te movit, quin nos caperes & captum mortalibus inimicis ad illudendum & custodiendum traderes: ubi omni genere contumeliæ & terroris afflicti, compulsi sumus ferme

Digitized by Google

ferme venire ad ipsum articulum mortis. Ante captivitatem etiam abstulisti nobis episcopatus & quicquid de honore regni potuisti, & prædia nostra & ipsam familiam. In captione vero, quicquid residuum erat, etiam lanceam & chlamydem & omnia regalia insignia, ubi & timor mortis, ut bene scis, & omne ferme Christianitatis a nobis jam votum extorsisti, vix relicta ipsa vita. Cum hoc tibi de nobis non sufficeret, postea semper & ubicunque fuimus omnibus modis, quibus nos potuisti persequi, non cessasti, ut vel perderes vel de regno expelleres. Verum non satis mirari possumus, qua ratione vel occasione hoc tam obstinate facis cum de Papa & de Romana Ecclesia tibi nulla residua sit occasio. Nunc itaque nuncio Domino Papæ & Romanæ Ecclesiæ, te præsente, obedire parati sumus, omnem debitam obedientiam & reverentiam ei præsentialiter & semper exhibere & consilio principum & spiritualis patris nostri Cluniacensis Abbatis aliorumque religiosorum virorum de statu ecclesiæ & honore regni libentissime agere. Rogamus te ergo pro honore regni & tuo & paterna devotione, & per auctoritatem Romani Pontificis, & Romanæ Ecclesiæ, ut de injuria nobis illata, & de his quæ nobis vi & injuste abstulisti, justitiam facias; nec non etiam rogamus, ut cum nichil rationis tibi sit, quare nos persequaris, nos & fideles nostros cesses infestare, immo permittas nos pacifice & quiete vivere, ut integre & cum tranquillitate possimus omnia supra dicta peragere. Recognosce etiam & tecum cogita, quod Deus judex justus est, cui commisimus causam nostram, & ejus vindicta, & judicia sunt velut abyssus multa; quod quantumcunque super afflictione & infortunio nostro glorieris & super humilitatem nostram te extollas, forsitan de sede sancta sua inter me & te, sua gratuita misericordia aliud jam definivit, intercedente justitia, quam tu ipse cogites & disponas; quod si nulla alia causa vel reverentia seu intercessio nobis valet, uti apud te justitiam consequi possimus vel persecutionis impetus cesset, Romanum Pontificem, sanctam & universalem sedem Romanam & Ecclesiam appellamus.

CCXV.

Epistola H. Imperatoris ad Pascalem Episcopum.

Si illa inter nos pax esset & concordia, quæ inter nostros olim & tuos fuit antecessores, quæ inter nos & Alexandrum & Nicolaum, viros catholicos & religiosos, Romanos Pontifices, plena caritate & integra viguit devotione, mandaremus tibi quicquid filius patri: sed distulimus, expectantes & cognoscere desiderantes, si in beneplacito Dei sit, nos caritative & amicabiliter posse convenire, & ecclesiam suam nostris temporibus nostro labore ipso cooperante in statum redire unitatis pristinæ. Hoc quoque jam dudum, teste Deo, desideravimus, si cognita eorum nimia austeritate, qui in Romana erant ecclesia, non utile visum est nobis vel competens, eos de hac causa convenire, quod magis videbantur nos persequi odio & indignatione, quam zelo justitiæ, vel etiam, quam vellent nos amplecti, dulcedine caritatis ad profectum ecclesiæ. Effectus itaque probat, quod cum ipsi regnum hereditario jure nobis collatum, tempore religiosorum virorum Romanorum Pontificum, pacifice diu a nobis possessum, contra nos studerent commovere & armare inter multa est orta strages populorum, tam corporum, quam etiam, quod magis dolendum est, animarum. Hic quoque filius noster, quem adeo affectuose dileximus, ut eum usq; ad solium regni nostri exaltaremus, eodem veneno infectus, consilio quorundam perfidissimorum & perjuratorum sibi adhærentium, insurgit in nos, postpositis omnibus sacramentis, quibus se nobis obligaverat, posthabita omni fide & justitia, tantum ut bona ecclesiarum & regni libere valeant perdere, rapere & inter se dividere.

CCXVI.

Epistola H. Imperatoris ad Ludwicum Regem Francorum, quando a filio suo Henrico Rege depositus est.

H. Rom. Imp. Augustus Ludovico Regi Francorum coronam fidei & propinquitatis inviolabilem constantiam. Princeps clarissime, & omnium, in quibus post Deum speramus, amicorum nostrorum fidelissime, primum & præcipuum vos inter omnes excepi, cui conqueri & deplorare calamitates & omnes miserias meas necessarium duxi, & etiam genibus vestris advolvi, si liceret salva majestate imperii, primum quidem quod non solum nobis, sed etiam totius Christianæ professionis hominibus gravissimum & intolerabile arbitrium, quod de illa Apostolica sede, unde usque ad memoriam nostri temporis salutifer fructus consolationis, dulcedinis & salvationis animarum oriebatur, modo persecutionis & excommunicationis & omne perditionis flagellum in nos emittitur. Nec ponunt illum modum sævitiæ, tamen ut satisfiat voluntati, indiscretæ hujus voluntatis suæ intemperantia adeo usque nunc abusi sunt in me, ut nec Deum nec quid aut quantum mali mihi proveniat pensantes, per se & per suos omnimodis invehantur in me, cum omnem obedientiam & omnem debitam subjectionem semper contulimus Apostolicæ sedi, si tamen reverentia & honor debitus, sicut antecessoribus meis, ab Apostolica sede exhiberetur & mihi. Quid autem intenderat, oportunius significabo vobis, si quando optati colloquii copiam Deus dedit nobis. In hac igitur persecutionis & odii sui inflammatione cum parum viderent se proficere, contra ipsum jus naturæ laborantes, quod sine maximo cordis dolore, sine multis lacrymis non valeo, &, quod dicitur, vehementer contremisco, filium meum, inquam, Absolon dilectissimum, non solum contra me animaverunt, sed etiam tanto furore armaverunt, ut in primis contra fidem & sacramentum, quod, ut miles, Domino juraverat, regnum meum invaderet, & Episcopos & Abbates meos deponeret, inimicos & persecutores

Google

cutores meos substitueret, ad ultimum, quod maxime vellem taceri, aut si taceri non potest, vellem non credi, omnem naturæ affectum abjiciens, in salutem & animam meam intenderet, nec pensi quicquam haberet, quocunque modo vi vel fraude ad hanc periculi & ignominiæ suæ summam aspiraret. In hac tanta mali sui machinatione cum essem in pace & in aliqua salutis meæ securitate, in ipsius dominici Adventus sanctissimis diebus, in locum, qui Confluentia dicitur, ad colloquium evocavit me, quasi de communi salute & honore filius tractaturus cum patre. Quæ ut vidi ilico ex paterno affectu tactus intrinsecus dolore cordis mei ad pedes suos procidi, ammonens & obtestans per Deum, per fidem, per salutem animæ suæ, ut si pro peccatis meis flagellandus eram, a Deo de me ipse nullam maculam conquireret, animæ, honori & nomini suo quod culpæ patris vindicem filium esse nulla divinæ legis unquam constituit sanctio. At ille jam pulchre, immo miserrime institutus ad malitiam, quam abominabile & execrabile scelus cœpit detestari, procidens & ipse ad pedes meos, de præteritis cœpit veniam precari, in reliquum, ut Domino, ut patri filius, cum fide & veritate per omnia se mihi obediturum cum lacrymis promittere, si solummodo sedi Apostolicæ vellem reconciliari; quod cum promtissime annuissem, & deliberationi suæ & consilio principum in hoc totum me mancipandum promisissem, me in præsenti Nativitate se perducturum Moguntiam, & ibi de honore & reconciliatione mea, quam fidelius posset, se acturum & interim in pace & securitate me reducendum promisit, in ea veritate & fide, quo patrem a filio honorari, & filium a patre præcipit Deus diligi. Hac promissione, quæ etiam gentili observanda est, securus illorsus ibam, & filius meus aliquantulum præcesserat me, cum ecce quidam fideles mei occurrentes mihi verissime affirmabant, me deceptum & perditum sub falsa pacis & fidei sponsione. Revocatus iterum filius meus, & iterum instantissime ammonitus sub ejusdem fidei & sacramenti obtestatione, animam suam pro anima mea fore promisit jam secunda vice. Cum igitur ad locum, qui Binga dicitur, pervenissemus, jam existente die Veneris ante Nativitatem numerus armatorum suorum jam satis augebatur jam fraus ipsa se detegere videbatur, & filius ad me: Pater, inquit, vobis secedendum est, in vicinum castellum, quod nec Episcopus Moguntinus in civitatem suam admittet vos, quam diu fueritis in banno, nec vos inpacatum & inreconciliatum audeo ingerere inimicis nostris: illic Nativitatem Domini cum omni honore & pace agatis, quoscunque placuerit vobis, vobiscum habeatis; ego interim quanto instantius, quanto fidelius potero, pro nobis utrisq; laborabo, quod causam nostram esse meam existimo. At ego, mi, inquam, fili, testis & judex sermonum & fidei assit inter nos Deus, qui modo te in virum & heredem meum perduxi, quantis tribulationibus meis tuo honori inservierim, quot & quantas inimicitias pro te habuerim, & habeam, solus es conscius. Ille autem iterum jam tertio sub ejusdem fidei & sacramenti obtestatione, si ingrueret occasio periculi, caput suum pro capite meo fore promisit mihi. Sic priusquam clausit me in eodem castello, quod omnia alia in corde locutus erat, manifeste ostendit rei eventus; Ex omnibus meis quartus ego sum inclusus, nec admitti potuit quilibet alius. Custodes deputati, qui vitæ meæ atrociores inimici. Benedictus per omnia Deus exaltandi & humiliandi quemcunque voluerit Rex potentissimus. Cum igitur ipso sacratissimo die Nativitatis suæ omnibus redemtis suis ille sanctus sanctorum puer fuisset natus, mihi soli filius ille non est natus. Nam ut taceam obprobria, injurias, minas, gladios in cervicem meam exsertos, nisi omnia imperata facerem, famem, etiam & sitim, quam perferebam, & ab illis, quos injuria erat videre & audire, ut etiam taceam, quod est gravius, me olim satis felicem fuisse, illud nunquam oblivisçar, quod illis sanctissimis diebus sine omni Christiana communione in carcere fui. In illis pœnitentiæ & tribulationis meæ diebus a filio meo missus venit quidam principum Wipertus, dicens nullum vitæ meæ esse consilium, nisi sine ulla contradictione omnia regni insignia redderem, ex voluntate & imperio principum. At ego, & si omnis terra, quantum inhabitatur, regni mei terminus esset, nolens vitam regno commutare, quod vellem nollem sic agendum & sic definitum intelligebam, coronam, sceptrum, chlamydem, lanceam & gladium misi Moguntiam. Tunc communicato consilio cum inimicis meis egrediens filius meus, relictis ibidem fidelibus & amicis nostris, quasi me eo adducturus sub multa frequentia & custodia armatorum ductum ad villam, quæ Ingelheim vocatur, me fecit ad se adduci, ubi maximam inimicorum meorum turbam collectam inveni, nec ipsum filium meliorem cæteris repperi. Et quod firmius & stabilius videbatur eis esse, si propria manu cogeret me regnum & omnia regalia exfestucare, simili modo & ipsi omnes minabantur, nisi omnia imperata facerem, nullum vitæ meæ consultum posse fieri. Tunc ego, inquam, quod de sola vita mea agitur qua nichil pretiosius habeo, ut saltem vivens pœnitentiam meam exhibeam Deo, quicquid imperatis, ecce, facio. Cumque inquirerem, si saltem sic de vita mea certus & securus esse deberem, ejusdem Apostolicæ sedis legatus, qui ibidem aderat, non dico, qui hæc omnia ordinaverat, respondit: me nullo modo eripi posse, nisi publice confiterer, me injuste Hildebrandum persecutum fuisse, Wicpertum ei injuste superposuisse & injustam persecutionem in Apostolicam sedem & omnem ecclesiam hactenus exercuisse. Tunc cum maxima animi contritione humi prostratus, cœpi per Deum, per ipsam justitiam orare, ut locus & tempus mihi daretur, ubi in præsentia omnium Principum, unde innocens essem, ex judicio omnium me expurgarem; & in quo culpabilem me esse recognoscerem, ex consilio omnium sanioris sententiæ pœnitentiam & satisfactionem,

nem, quo ordine juberent quærere, & inde de principibus regni & fidelibus nostris, quoscunque vellent, obsides darem. At ille idem legatus diem & locum mihi abnegavit, dicens aut ibi debere totum determinari, aut nulla spes esset mihi evadendi. In tantæ tribulationis articulo cum interrogarem, si confiterer omnia, quæ imperabantur, an confessio mea, ut justum est, veniam & absolutionem consequeretur: idem legatus respondit; non esse juris sui me absolvere. Et cum ego adhuc dicerem; quicunque confitentem audet recipere, confitentem debet absolvere. Si vellem, inquit, absolvi Romam irem, satisfacerem Apostolicæ sedi. Sic spoliatum & desolatum, nam & castella & patrimonia, & quicquid in regno conquisieram, eadem vi & arte sua extorserunt a me, in eadem villa reliquerunt me. In qua cum aliquo tempore commoratus essem, & ex eodem consilio fraudis suæ filius meus demandasset, ut ibidem eum expectarem, superveniens quorundam fidelium meorum legatio præmonuit, ut si quidem ad momentum ibi remanerem, aut etiam in perpetuam captivitatem raperer, aut in eodem loco decollarer; quo nuncio etiam tunc satis vitæ diffisus sum & ilico aufugiens, fugiendo veni Coloniam, & ibi aliquot diebus commoratus, postea Leodium veni, in quibus locis viros fideles & in fide regni semper constantes inveni. Horum cæterorumque regni fidelium consilio usus, vobis fiducialius & honestius habeo deplorare, has omnes miserias: fiducialius quidem propter mutuæ consanguinitatis & antiquæ amicitiæ debitum; honestius autem propter tanti regni nomen gloriosum. Vos igitur per fidem, per amicitiam rogamus, in tantis tribulationibus meis, ac si in nobis propinquo & amico, consulatis. Quæ fidei & amicitiæ vincula etiamsi inter nos non essent, vestrum tamen & omnium terræ est, injuriam & contemptum nostrum vindicare, & tam nefariæ proditionis & violentiæ exemplum de superficie terrarum extirpare.

CCXVII.

Sanctæ Coloniensis ecclesiæ Archi-Episcopo E. Præpositus, A. Decanus cum omnibus Canonicis votiva orationum holocaustomata. Multis & variis negotiorum dispositionibus vobis irretito operæ pretium duximus stricto & compendioso sermone, nobis tamen admodum necessario, aures vestræ pietatis compellare; & utinam hanc odiosam necessitudinem invida fatorum series nobis ademisset, ne vobis, cui multo maxime vellemus esse honori, unquam fuissemus oneri. Verum inexpleta cupiditas hominum, cui tam deest quod habet, quam quod non habet, si credere fas est, non solum humana, sed & divina subvertit negotia. Siquidem serenissima legationis vestræ jam pridem recreati aura, qua nobis certissimam redimendæ spem oblationis indulistis, non longe post infanda fœneratoris pessimi quassati sumꝰ procel. la, qui voce nefaria publice protestari non puduit, se nulla ratione velle carere præsentis anni reditibus, & jam si eadem die reciperet summam debiti; insuper alia satis bestialiter elatravit; videlicet non aliud sibi ponderari argentum, quam Achivæ venæ. Præterea duo N. vester, inquam, ministerialis & mordax mordacis casei vermiculus satis grandia de non reddendo benificio trutinant verba. Identidem actitat miles vester H. Talibus itaque injuriis lacessiti, cum fratres vestros germanos Ratisponæ comperissemus, misimus ad eos oratum, ut vel jure vel gratia apud illos efficerent, ne ulterius bona nostra quasi prædatoria manu occuparent, simul & rapaces minas fœneratoris illius detexi- mus: Ad hæc illi satis placide responderunt, verum hujusmodi negotium vestræ audientiæ reservandum esse censuerunt. Nunc ergo fraterna suggestione persvasus & nostræ legationis conquestione commonitus prout vestram decet excellentiam, facite matri vestræ scilicet Bambergensi ecclesiæ judicium & justitiam. Ad extremum obnixius pietati vestræ supplicamus, ut Dominum Petrum nobis necessarium per vos habere possimus. Destituti itaque sumus disciplinæ scholasticæ magisterio, & in hac re benignitatis vestræ compassio non modico nobis poterit esse suffragio.

CCXVIII.

Sacro-Sanctæ Coloniensis ecclesiæ Archi-Pontifici, fratri primævæ indoli virtutum ac dignitatum assecutione respondenti Præpositus cum toto Bambergensium fratrum collegio impensissima utriusque hominis obsequia. Quam festiva vestræ beatitudinis promotione suscepimus gaudia nullius, quantumlibet diserti, explicabit facundia. Quisnam, quæso, orator illum nostri pectoris vocibus prosequeretur affectum, cum filium Karissimum sub pennis nostræ fraternitatis fotum & altum, in cathedra Coloniensis ecclesiæ videmus exaltatum. Ea quippe die nostræ statum ecclesiæ in aliquibus temporis asperitate mirabundum, in tantum speravimus esse suffulciendum, ut vobis superstite nullum vel sentire possit dispendium: Sed quod nimirum nostris asscribendum est infortuniis, non solum hoc sterilitatis anno vestris non sumus relevati suffragiis, verum etiam vobis gravioribus occupato negotiis, nostris per vos destituti sumus oblationibus, Nostis quidem, præsulum serenissime, nostræ querelæ causam jamjamque processu temporis inveteratam, quæ licet sæpe numero per fratres nostros auribus vestris innotuerit, nichil tamen nobis vestræ majestatis contulit audientia, quinimo eo usque res deducta est, ut non solum ad tempus bonis nostris caruisse, sed etiam ea prorsus videamur amisisse. Siquidem miles vester N. pertinaci animo nostram retentat oblationem, nec ulla ratione asserit se redditurum, nisi tantundem aut amplius a vobis recipiat. Alius quidem jactat se oblationem nostram N. in possessionem coëmisse. Talibus itaque & aliis necessitudinibus circumventi, non modicam stipendii & oblationis nostræ patimur penuriam. Quocirca si ulla fraternitatis nostræ nobiscum-

Digitized by Google

vivit memoria, si precum nostrarum devotio vel minimo vobis constet momento, causam nostram in libra æquitatis & gratiæ appendite. Hoc videlicet accuratius pertractans, quantum vestræ deroget æstimationi, eos de vobis causari, quos maxime oporteret per vos sublevari, quod, ne quando futurum sit, dispensatio divina cuncta moderans avertat, quæ vos etiam moderari dignetur, quatinus ipsi placens & hominibus memoriam vestri in benedictione consolidetis.

CCXIX.

Scholastico per omnia viro P. solidissimam honestatis formam nominis etiam præsagio præferenti E. Præpositus, A. Decanus cum omnibus confratribus unanimæ fraternæ caritatis contubernium. Satis mirari nequimus, quid potissimum tanto temporis interstitio tuum nobis remoretur adventum. Multas quidem morarum causas finximus, quæ te plus minusve XIIII. diebus remorari possent, sed te ultra terminos præscriptos longius agente, quod comminisci possimus, haut facile nobis occurrit, nisi forte, quod absit, vel valetudine distraharis, vel quod inviti opinamur, prorsus venire renuis; quorum alterum votis precibus relevare studemus, alterum pro communi utilitate, quantum fas est, dissvademus. Enimvero non clam te est, quam pronus omnium nostrum affectus, in te paucis admodum exceptis, exuberavit; quam vigilantem & accuratam sumserimus operam, quatinus prout corde destinavimus, scholasticæ præficereris cathedræ. Verum, quod non est in homine via ejus, pleraque rerum humanarum fortuitis casibus disturbantur & nostris, quod votis exoptamus, impeditum est quibusdam annitentibus. Nos tamen cum nostri honoris respectu, tum dilectionis tuæ obtentu, sententiam non solum mutavimus, verum etiam eo usque rem deduximus, ut tandem sine omni refragatione magisterium cum beneficio tuis mancipetur usibus. Etenim fratrem nostrum G. taliter beneficiis impulimus, ut nullus in hac parte controversiæ pateat locus. Postea vero quam id loci magno conamine ventum est, protinus confratrem nostrum H. in fide spectatum tibi destinavimus, cui etiam signum inter nos condictum, repositione videlicet sinistri pollicis in tua dextra se concludentis, satis argumentose designantes, per fidem fraternitatis obtestati sumus, ut quantocius te nostris præsentaret aspectibus. Quod, ut exitus docet, secus cessit, nam diu exspectatus nec rediit, nec aliquid certi de te renunciavit, postmodum dubii & anxii legatum non minus idoneum in idem secrevimus negotium, qui maturius, quid habeas animi, non gravetur experiri. Eja abrumpe moras & nostris beneficiis cumulandus nostræ fraternitatis otius inserere visceribus. Vale.

CCXX.

Sanctæ Wurzeburgensis Ecclesiæ Præsuli E. solidissimæ in domo Domini columnæ F. Præpositus, A. Decanus cum universo fratrum collegio non sine frequentia precum suæ devotionis obsequium. Sanctitatis vestræ tanto monita gratantius amplexamur, quanto liquido nobis constat de sincero cordis vestri armario eadem propinari. Quo circa, ut taceamus de loci nostri, quem summopere diligimus, honore, paternitatis vestræ reverentia non pigros in quibuslibet imperatis nos habebit asseclas. Verum vestra dignatio scripsit, multis videri injusta occasione Domino P. præbendas a nobis fuisse sublatas. Fides & æstimatio hujus rei præcipue sit apud eos, qui rem simpliciter absque causarum connexione considerare solent; vos autem, quem divinior animus ultra communem hominum extulit intelligentiam, accuratius perpendite, quibus causis impellentibus tale nobis sederet consilium. Non itaque, ut aliqui fortasse fratres ejusdem sermonibus illecti arbitrantur, pueriliter & quodam repentino animi impulsu præbendis ipsum privavimus, sed suspendimus; cujus rationem suspendii vestræ audientiæ, si vacat, breviter exponemus. Cum eundem fratrem fama scientiæ ipsius adducti unum ex nobis fecissemus, & scholarum officio subrogassemus, cœpit in ipso amministrationis suæ exordio quibusdam novitatibus indesinenter abuti. Quæ licet alienissimæ nostræ viderentur institutioni, tamen, quod tandem evenit, ne accideret, veriti, sæpe de quibuslibet fraterne monitum, sed non emendatum ultro citroque subportavimus. Tandem nescimus qua præsumtione semper eo processit, ut prælatis suis nullam exhibere vellet obedientiam, sed suo arbitratu quicquid erat libitum, sibi fecit licitum, quod inauditum insolentiæ genus non tam sibi, quam cæteris confratribus nostris perniciosum erat, qui facile simili exemplo jugum obedientiæ aliquando detrectarent, sic repressimus, ut quasdam, sine consensu decani proficiscenti, præbendas communicato consilio suspenderemus, quas tamen ipsi revertenti post biduum resignavimus: sed ipse more philosophantis accuratius omnia persequens, qualitatem stipendiariæ suspensionis libra justitiæ examinare se velle dixit. Itaque accivit omnes loci nostri Canonicos, Monachos etiam aliquot, & genere causarum canonice discusso hinc & inde, par sententia ab omnibus promulgata est, jure potuisse præbendas suspendi sine obedientia proficiscenti. Quam sententiam indigne ferens tali responso excepit: modo sint & in æternum suspensæ. Protinus Concilium exivit. Nos vero missis nunciis post eum, suggessimus ei, ut tantum quæsita venia reciperet sua. Quibus nihilominus ampullosa quædam reddidit verba, velle se potius in flumine submergi, quam conventui nostro humiliari. Post tot & tanta nostri contemtus intestina ludibria suis nos per circuitum diffamavit querelis, instabilitatem suam in nostram, si fieri posset, retorquere cupiens constantiam. Quod non temere scriberemus de fratre, nisi id quodammodo summorum testarentur scripta virorum, vestra nimirum & Episcopi Coloniensis, apud quos odorem nostrum fœtere fecit. Veruntamen licet nobis domi illuserit, foris derogaverit,

Google

verit, nobis propositum est vos cordetenus diligere, vobis parere, vos ut Patrem & Dominum venerari & colere: tantum ne hanc nobis imponatis necessitudinem, ut unius ex industria descendens præsumtio fiat multorum destructio. Et quidem accepta legatione vestra e vestigio vestræ paruissemus jussioni, nisi quod obstinato animo recusavit humiliari. Quid igitur super hoc negotio vestræ videatur prudentiæ, communicato cum prudentioribus quibusque Cleri vestri consilio, filiis paternitatem vestram devote consulentibus renunciari curate.

CCXXI.

Summæ Venerationis Magistro R. solertia virtutum ad unguem limato E. Præpositus, A. Decanus, cum toto Babenbergensium fratrum collegio, solidissimum fraternæ dilectionis vinculum. Industriæ tuæ fama, qua & moribus & scientia eminere prædicaris, ultro citroque illecti, ardentibus votis faciem tuam videre desideramus. Sed si contingat tibi videri, ut reliquam ætatem nobiscum velles transigere, profecto plenum nobis apportares gaudium & quodammodo de magnis curarum æstibus absolutos inopinatæ stationis portu locares. Enimvero longo jam tempore scholasticum quærimus: sed qualem vellemus, non reperimus. Nam non æquis ducti auspiciis, vel ipse nobis, vel nos illi displicemus. Proinde si fieri potest, te virum spectatum & multorum testificatione nobis approbatum, scholasticæ subrogare decrevimus disciplinæ, fiduciam habentes, per constantiam eruditionis tuæ [&] modestiam, & nos & locum nostrum abunde condecoratum iri. Si ergo tuus animus quacunque ratione votis nostris concordet, petimus, ut quantocius Wirceburch accedas; ubi omnibus amicis mediantibus conventio tibi nobisque profutura immutabiliter concilietur.

CCXXII.

O. Dei gratia Babenbergensis Ecclesiæ Episcopus, E. Præpositus, A. Decanus cum universa congregatione S. Georgii F. scholasticæ disciplinæ viro paternæ fraternæque dilectionis affectum. Quia morum tuorum qualitatem, vitæ conversationem, liberalium studiorum maturitatem, cum adhuc nobiscum conversareris, experimento didicimus, in te unanimiter intendimus, utque unus ex nobis fias, invitamus. Intelleximus enim illo tempore, cum esses apud nos, assiduum & fidelem laborem tuum circa officium tibi commissum, ita, ut facile notari posset, quid nobis & ecclesiæ nostræ cuperes, & quid constituturus super multa, cum admodo in paucis esses fidelis, promitteres. Nos igitur destituti scholarum magisterio, a te pro antiqua familiaritate impetratum mittimus, ut probatio tuæ dilectionis fiat exhibitio operis. Rogamus, & ut facilem te super hac re præbeas, & in brevi ad nos venire nullo modo differas. Si quid vero huic obstat festinationi, hunc certum tibi præscribimus terminum, ut in jejunio Septemb. procul dubio nobis Moguntiæ occurras.

CCXXIII.

Domino suo Coloniensis Ecclesiæ ArchiEpiscopo mille votis exoptatum præsentis & futuræ vitæ felicem statum. Quibus & quantis devotionis affectibus mea vobis devinciantur præcordia, cui loquitur omnis intentio, divina tantum prævidet cognitio. Nec mirari debet vestræ claritatis Excellentia, quod tanta temporis distantia vestra destituor præsentia. Testis etenim est conscientia mea, quod parcens vobis, vultus vestri serenitate longo tempore carui. Sic nam Cæsareis præsensi vos gravari obsequiis, ut in tanta rerum vertigine commanentiam meam vererer plus vobis constare oneri quam honori. Sed postquam imperialis illa deflagravit tumultuatio, & ego vestris præsentari castris & animo & corpore disponerem, tanta subito percussus sum valetudine, ut nec dum sanitati plene sim redditus. Ergo aut vestræ occupationis respectu aut virium mearum defectu, vos adeundi oportunitatem [non] reperi. Quare quod præsentialiter vobis suggerere nequivi, literis vestræ benignitati significare curavi. Memor animi itaque tam vestræ promissionis quam meæ petitionis, quatenus vestro suffragio præposituram N. valeam assequi. Spero namque, imo certus sum, si vestra tantum advigilaverit industria, nostra erit. Quod si alia via nequeat fieri, præsidio Imperatoris quæsita obtinere nitimini. Porro si usquam gentium vobis propositum sit ire, si id præsensero, paratus sum in carcerem & in mortem vobiscum venire.

CCXXIV.

F. Palatinus Comes, Comes O. Comes D. B. Comiti salutem. Pauca verba probatum sufficiunt ad amicum. Summa voluntatis nostræ est, ut occurras nobis apud N. quandocunque nobis mandaveris, adductis tecum, quos ad hoc negotium necessarios arbitraris. Ibi audies, quæ epistola non capit. Literas, ubi crux est, da Regi. Veni, audi & gaude: nec enim gaudebis, si extra Ecclesiam inventus fueris. Nullus salvatus est in diluvio extra archam, quæ figuram gerebat Ecclesiæ.

CCXXV.

Domino Regi H. F. Palatinus Comes, Comes O. Comes L. a Domino coronam æterni regni, ex se promtissima servitia. Considerantes laborem Ecclesiæ, defectum regni, summæ divinitati attribuimus, quod ad hæc relevanda & corrigenda animum & voluntatem vos concepisse cognovimus. Ut ergo, quæ strenue cœpistis, gloriose perficiatis, nos & nostra vobis offerimus, & ad nos summa fidelitate vos invitamus. Apud nos Episcopatus quidam & Abbatiæ sunt vacuæ; quidam male locati, qui per vos in meliorem statum redigentur; ibique ad regios usus multa modo sunt aperta, multa cito aperienda. Venite desideratus, vincite viriliter, regnate feliciter. Præmittite de fidelibus vestris, qui nobiscum loquantur apud N. quandocunque vobis visum fuerit. Postea accepta securitate, securus venietis.

CCXXVI.

Domino Apoſtolico prærogativa meritorum & morum ſanctitate Romanæ ſedis apice condigne ſublimato. O. Dei gratia Babenbergenſis electus cum omni devotione ſpiritus, orationes devotiſſimas, & ſervitium tam voluntarium quam debitum. Quia tandem Domino miſerante & Eccleſia ſuæ navim moderante, poſt nubilas errorum tempeſtates ſerena lux veritatis occidentali refulſit Eccleſiæ; ante omnia & ſupra omnia deſideramus ſcire ſanctitatem tuam, in omnibus nos paruiſſe, uti decuit, Legato tuo, Epiſcopo videlicet Conſtantienſi, & ſumma devotione cuncta, quæ per ipſum edocti ſumus, partim executos fuiſſe, partim, ſi vita detur, exequi velle. Quamobrem veſtigiis pedum tuorum obvoluti, obnixe flagitamus, ut ſervum ſanctitatis tuæ patienter audias. Enimvero mundo in maligno poſito, cum vix cuiquam creditur homini vel loco, nec parvæ nos torquent anguſtiæ pro ordinationis noſtræ aſſecutione: Proinde dubius & anxius, & fluctibus curarum naufragio ſimillimus, cum Principe Apoſtolorum, cujus vicem tenes, ad te clamo: Domine ſalva me. Et ut paucis ſummam noſtræ cauſæ concludamus, in hac hora & poteſtate tenebrarum te ſolum reſpiciunt oculi noſtri; tibi debitam ſervare obedientiam parati ſumus; tecum aut conſiſtere, aut pro te in carcerem ire decrevimus. Auctoritati tuæ ergo cum tota mente deſideramus inniti: tu nobis manum porrige, quid nos velis facere, jube. Si modo mandas, ut ad te veniamus, opes noſtræ, licet rapina & igne ſint attritæ, tamen deſiderio te videndi, & conſecrationis gratiam conſequendi, volenti animo cum debita ſervitutis noſtræ benedictione tuæ majeſtatis præſentabimur aſpectibus. Dignentur ergo viſcera pietatis tuæ ſuper hoc negotio aliquo nos ſcripto certum reddere, quo & iter tutius ad te veniendi nobis præmonſtretur, & benedictionem, quam devoti efflagitamus, a te percepturos eſſe ſignificetur. Quam nimirum propterea a tuæ Sanctitatis manu tantopere expetimus, quia Metropolitanus noſter, etſi per te hanc conſecrationis gratiam, tamen, quod ſine lacrymis fateri nequimus, magnam cooperatorum ſpiritualis doni patitur penuriam.

CCXXVII.

Romanæ ſedis digniſſimo Cardinali O. Dei gratia Bambergenſis electus utriusque hominis devotiſſimos conatus. Cum divino præditus ingenio cardo ſis & munimen Sanctæ matris Eccleſiæ, beatos nos fore reputamus, quod in tanto rerum diſcrimine Sanctitatis tuæ conſulere poſſimus auctoritatem. Notum ſit ergo caritati tuæ, nos a Domino Apoſtolico paternæ conſolationis accepiſſe literas, quarum exemplar idcirco tibi ſubſcribere curavimus, ut eo fiducialius noſtris valeas condeſcendere precatibus. Flagitamus itaque obnixius, ut perſpecta accuratius clauſula, qua jubemur conſulere Metropolitanum, ut officii ſui debitum proſequatur, liberum & auctori-ati tuæ condignum nobis ſuppedites conſilium. Non enim es immemor præcepti Domini Apoſtolici per te Metropolitano injuncti, videlicet ut a conſecratione Epiſcoporum contineat manus. Quocirca petere nos conſecrationem, ubi certi ſumus non poſſe conſequi, res eſt frivola & vanitati ſimillima. Succurrat ergo nobis in hac difficultate tuæ pietatis auctoritas, quatenus tuo interventu locus nobis detur a Moguntinæ ſedis Archiepiſcopo conſequendi gratiam, quam Dominus Papa nobis exhibere dignatur. Non enim ſi noſtri ſervitii obtentu anniti curaveris, negabit tibi epiſtolam commendatitiam, quam ex ipſius parte Romanæ ſedis perferamus Pontifici. Super hoc quoque tua inſtruere nos dignetur paternitas, ut pro libro actionum Nicæni Concilii digne Apoſtolico reſpondeamus. Nihil ſane in noſtro ex his reperimus armario, nec XX. capitula in eadem ſynodo ſtatuta, & nomina Epiſcoporum ex diverſis mundi partibus congregatorum.

CCXXVIII.

Ottoni Dei gratia Venerabili Bambergenſium Epiſcopo, Domino & patri ſuo dilectiſſimo, E. hucusque Cancellarius, nunc autem Dei conſilio Wirzeburgenſis electus ſedis quicquid in vera dilectione patri nunc & ſemper debetur ac Domino. Scio indubitanter & credo, nec credendo fallar in aliquo, quod veſtra pietate, qua me hactenus dilexiſtis, more paterno gaudetis, ſi me gaudere noveritis. Nec hoc quidem alicui aſcribo meo merito, ſed veſtræ tantum bonitati, qua mihi largus fuiſtis atque propitius, ex quo vos mihi præfecit Deus omni dilectionis ſtudio. Unde in præſenti grates, quot & quantas poſſum, veſtræ paternitati refero, & dum vivo, me & mea ad veſtræ voluntatis arbitrium exhibeo, ſicut merito debeo. Novi enim, vos meæ ſublimitatis poſt Deum eſſe principium, nec unquam poſſe me in curia tam diu ſuſtinuiſſe, quod ad honorem pervenirem, niſi veſtra largitas meo labori ſubveniſſet, & veſtra me foviſſent ac ſolidaſſent conſilia. Quia igitur ope veſtræ bonitatis & me honorabiliter in curia retinui, & ad id honoris gratia Dei & veſtri perveni, quod feliciter electus ſum Wirzeburgenſis ſedis Epiſcopus & veſter vicinus & Eccleſiæ meæ factus ſum, unde immenſum gaudeo: dignum eſt, & ego rogo atque deſidero, ut me & mea ad nutum veſtræ voluntatis amplius ad plenum habeatis. Vellem itaque vobis libenter loqui, antequam redirem ad curiam, ſi ſcirem, quomodo utiliter poſſemus convenire. Quapropter intime rogo vos, ut mittatis mihi veſtrum nuncium, per quem mihi notificetis locum & terminum, quo poſſimus convenire, & aliquid, quod utrique proſit, inter nos familiariter ordinare. Præterea rogo vos plurimum & amicabiliter, ut memor ſitis fidelis noſtri N. & juvetis eum veſtro conſilio & auxilio obtinere minimam illam Præpoſituram, videlicet quam ei conceſſiſtis, nec ullo modo poſſit vobis perſuaderi, ut veſtram inde mutetis ſententiam. Ipſe enim in nullo ſpem habet poſt Deum niſi in vobis & in me poſt vos: & quia nos duo eum lætificare debemus,

mus,

Digitized by Google

mus, dignum est & honor noster, ut hoc libenter faciatis. Dominus noster laudavit obedientiam Papæ & reditum Moguntini Archiepiscopi, & se facturum de filio, quicquid Principes consulent. Alia omnia adhuc stant in medio. R. vester ex corde vos salutat, rogans mecum, ut ei sitis, sicut ipse confidit, misericors & stabilis in nobilitate vestræ concessionis.

CCXXIX.

O. gratia Dei Bambergensis Episcopus E. Præposito, A. Decano, cæterisque fratribus omne bonum. Quantum ego novi & expertus sum caritatem vestram, scio vos jam diu expectare eventum nostri laboris, ut de nostro successu, siquidem bene per gratiam Dei successerit, gaudeatis. Ne ergo diutius suspensi aut dubii de nobis sitis, aut si justum est, sincerissime gaudeatis, literis istis vobis significare decrevimus, quam misericorditer Deus more suo post immensos labores & sudores plurimos nobiscum operatus sit. In die Sancto Pentecostes, qui dies ex adventu Spiritus Sancti sacratus, & cunctis fidelibus jure solennis est; illo, inquam, die Deo sic ordinante in Agnania civitate Campaniæ, quæ Romaniam & Apuliam dividit, Episcopalis benedictionis manum quamvis indignus, Domino largiente suscepi, Venerabili Papa P. manum imponente, cæteris vero Episcopis plurimis cooperantibus, Clero quoque Romanæ Ecclesiæ, cujus magna pars ea die in eandem civitatem convenerat, astante & consentiente; & quod nulli a Romano Pontifice consecrato nostris temporibus contigit, sine obligatione alicujus juramenti consecratus sum. Hujus loci, hujus diei, hujus gratuitæ misericordiæ Dei semper memores esse debemus, & ut vos memores esse velitis, cum gratiarum actione obnixe precamur, præcipue cum aliæ quam plures Venerandæ personæ de magnis rebus apud Apostolicam sedem agentes infecto negotio redierint.

CCXXX.

Paschalis Episcopus servus servorum Dei Clero & populo Bambergensi salutem & Apostolicam benedictionem. Quantæ affectionis debito Babenbergensis Ecclesia ab ipso suæ constitutionis primordio sedi Apostolicæ constringatur, etsi nos lateret, literarum vestrarum significatio manifestat. Quod affectionis debitum Venerabilis frater noster O. vestræ Ecclesiæ electus, non inconstanter tenuisse & tenere cognoscitur, cum per tot & tanta pericula ad Apostolicæ sedis visitationem tendere procuravit. Nos igitur eum debitæ benignitatis affectione suscepimus, & juxta vestræ dilectionis desiderium nostris manibus tanquam beati Petri, salvo Metropolitani jure vobis per Dei gratiam Præsulem ordinavimus. Hunc igitur sub præsentium literarum prosecutione ad Ecclesiæ vestræ regimen remittentes, plena hortamur affectione diligi, plena humilitate venerari. Confidimus enim, eum disciplinæ Ecclesiasticæ futurum esse custodem & salutis vestræ solicitum provisorem. Huic ergo sedulis obsequiis obedite, & gratiam vobis ideo conciliate cœlestem. Integritatem catholicæ fidei firmam semper in omnibus conservate, sedi Apostolicæ semper devotius adhærete, ut per ejus consortium a contagiis omnibus liberi, ad æternæ salutis portum feliciter pervenire Domino largiente mereamini.

CCXXXI.

P. Episcopus servus servorum Dei R. Moguntino Archiepiscopo salutem & Apostolicam benedictionem. Quantum a suæ constitutionis exordio Bambergensis Ecclesia sedi Apostolicæ familiaris extiterit, prudentiæ tuæ notius existimamus. Congruum igitur duximus, ut venientem ad nos fratrem nostrum Venerabilem O. ejusdem Ecclesiæ electum, cum præteritæ familiaritatis gratia susciperemus. Præterea quoniam Ecclesia eadem per diuturna jam tempora Episcopalis officii solicitudinis caruit, & propter præteriti schismatis ultionem in Teutonicis partibus perpauci Episcopali funguntur officio, juxta ipsius Ecclesiæ postulationem eidem fratri, cum per multa ad nos venisset pericula, consentientibus & unanimi sententia decernentibus omnibus, qui nobiscum aderant, fratribus, Episcopalis benedictionis manum Domino largiente contulimus, salva nimirum debita tuæ metropolis reverentia. Eum igitur ad vos cum nostræ gratiæ dulcedine remittentes, fraternitati vestræ literis præsentibus commendamus, ut quanto sedi Apostolicæ familiarior creditur, tanto apud vos carior habeatur. Datum Laterani XII. Kal. Junii.

CCXXXII.

P. Episcopus servus servorum Dei Venerabili Fratri O. Bambergensi, ejusque successoribus canonice promovendis in perpetuum. Caritatis bonum est proprium congaudere profectibus aliorum. Caritas enim non quærit, quæ sua sunt. Unde & Apostolus ait: Vivimus, si vos statis in Domino; & iterum; quæ est enim nostra spes & gaudium aut corona gloriæ? nonne vos ante Dominum nostrum Jesum Christum? Hoc ergo charitatis debito provocamur, & Apostolicæ sedis auctoritate compellimur honorem debitum exhibere, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ dignitatem pro suo cuique modo cæteris Ecclesiis impertiri. Idcirco, Venerabilis frater O. Babenbergensis Ecclesiæ Episcope, dilectioni tuæ pallium ad sacra missarum solennia celebranda concedimus; quo nimirum fraternitas tua intra Ecclesiam tantum uti noverit, illis tantum diebus, quos præsens descriptio continet, videlicet die Sancto resurrectionis Dominicæ & Pentecostes; item, in nativitate Domini nostri Jesu Christi, & in natalitio Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, & in solennitate Sancti Dionysii Martyris anniversario, & consecrationis tuæ die, & dedicationibus Ecclesiarum. Cujus nimirum pallii volumus te per omnia genium judicare. Hujus siquidem indumenti honor humilitas atque justitia est. Tota igitur mente fraternitas tua se exhibere festinet in prosperis humilem, in ad-

P 3 versis,

Digitized by Google

versis, si quando eveniant, cum justitia erectam; amicam bonis, perversis contrariam; nullius unquam faciem contra veritatem suscipiens, nullius unquam faciem pro veritate loquentem premens. Misericordiæ operibus juxta virtutem suam insistens, & tamen insistere & super virtutem cupiens; infirmis compatiens, benevalentibus congaudens, aliena damna propria deputans, de alienis gaudiis tanquam de propriis exultans; in corrigendis vitiis pie sæviens, in fovendis virtutibus auditorum animum demulcens, in ira judicium sine ira tenens, in tranquillitate animi severitatis justæ censuram non deserens. Hæc est pallii accepti dignitas, quam si solicite servaveris, quod foris accepisse ostenderis, intus habebis. Adhæc etiam vexillum crucis intra Babenbergensis Ecclesiæ parochiam ante faciem tuam portari concedimus, salva videlicet Moguntinæ Metropolis reverentia, ut speciali Sanctæ Romanæ Ecclesiæ dignitate præditus, specialiter ejus studeas obedientiæ ac servitiis insudare. Fraternitatem tuam superna dignatio per tempora longa servet incolumem. Scriptum per manus Johannis scriniarii religionarii ac notarii sacri palatii. Datum Romæ in insula Lycaonia per manum Johannis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis ac Bibliothecarii vice Domini F. Archicancellarii & Coloniensis Archiepiscopi XVII. Kal. Maji, Indict. IIII. Incarnationis Dominicæ anno MCXI. Pontificatus autem Domini P. anno XII. Imperii vero H. IIII. Imperatoris anno primo.

CCXXXIII.

Epistola Leodicensis Ecclesiæ ad Aquensem Ecclesiam.

Præposito Dominisque ac Fratribus Aquensibus congregatio Sanctæ Mariæ & Sancti Lamberti saniorem insistere sententiam. Ex dictis Beati Augustini docemur & instituimur, quod omnes causæ primitus per auctoritatem sint ventilandæ, cujus sint, quomodo sint, quales sint, magnæ an parvæ, longi temporis ac parvi. Hæc enim omnia judex cum æqualitate debet discernere. Perpendite igitur fratres talem ac tantum doctorem, qui in præsenti negotio vos redarguit super Prælato, id est, Decano vestro, quem noviter & inordinate excommunicatum nominatis, contemnitis, repellitis; cui nec parvo verum longo tempore communicastis, indiscussum habuistis, Prælato obedistis. Viginti enim annorum tempus & eo amplius pertransiit, ex quo dubia illa causa excommunicationis sonuit; si excommunicatio potest dici, quam modo obliviose & irreverenter commemoratis, videlicet propter obedientias, id est, bona fratrum, propter quæ Hugo Decanus sub Chuonrado Præposito Fratrem Hezelonem modo Decanum vestrum, quodam claustrali banno privato, ut ajunt, obligavit. Supradicti vero Fratris responsio Episcopali nostroque synodali judicio nondum innotuit, nostræque proclamationis ratio ad nos recto non ordine pervenit. Si igitur justa fuit excomunicationis causa, & ex pertinacia excommunicati ad depositionem ejus tetendit, Episcopo Leodiensi, a quo pendet Ecclesia Aquensis, debuissent annunciasse, periculum vestrum elucidasse, negotium definisse. Insuper in conventu Canonico habuistis ut fratrem; suscepistis, ut Prælatum; venerati estis ut Magistrum. Si igitur legitime & canonice excommunicatus fuit, vosque scienter excommunicato communicastis: Ecce, in periculum ordinum vestrorum tendit, quia majora negotia a manibus ad capita sunt referenda: quoniam, si frater N. in sua excommunicatione, quam frivole prætenditis, rebellis fuit, matrem vestram Leodiensem Ecclesiam ad hoc discutiendum habuistis, cujus janua vobis sine impedimento patuit, cujus vigor se vobis non subtraxit, cujus disciplina vobis eminuit. Vos denique, cum apud nos nil vobis obstaret, ex anima vestra obticuistis, in vobismetipsis emarcuistis; quicquid fuit, indiscussum tolerastis, &, ut ajunt veraces, probique viri, nihil est, quod ei imponitis. Ergo ex circumspectione Canonum, sicut qui Canonice pulsatus, infra annum & diem causam suam non determinat, damnandus est: ita a simili e contrario, qui plures annos communicans in omnibus, & in quotidiano conventu in Episcopalibus judiciis, in causis synodicis indiscussus habetur, liber abire debet. Decreta namque Sanctorum Patrum ita consulunt, ut Episcopi & judices judicia discernant; quia sunt quædam modo judicanda, quædam judicio Dei reservanda. Igitur ex supradictis Augustini causæ vestræ in præsentiarum sunt parvæ, non magnæ; longi temporis non parvi. Qui iratus vel ex occultis motibus judicat, in furorem judicium mutat, & ante profert sententiam, quam agnoscat. Excommunicatio denique ab Episcopis discrete agenda est: quanto magis a subditis illorum. Evaristus enim Papa capitulo III. ait: Episcopi præcipites non sint ad proferendam sententiam vel aliquem excommunicandum: nihil quoque temere aut indiligenter judicent. Item alibi: nemo Episcoporum quemlibet sine certa ratione & manifesta peccati causa communione privet Ecclesiastica. Anathema enim non, nisi pro mortali debet imponi crimine, & illi, qui aliter non potuerit corrigi. Item ex Concilio Agathensi cap. IV. Episcopi sacerdotali moderatione posthabita qui innocentes, aut in minoribus causis culpabiles excommunicare præsumserunt, & ad gratiam festinantes recipere noluerunt, a vicinis Episcopis literis admoneantur, & si parere noluerint, a communione fratrum usque ad proximam synodum suspendantur, & ibi rationem profecto dent. Igitur ex regula Episcoporum si Archidiaconis, Præpositis, Prælatis, Decanis erga alios moderate; multo magis erga fratres & Canonicos moderatius agendum est. Et notandum, quod aliud est a Prælatis banno vel obedientia in claustris vel capitoliis aliquid interdici, aliud ex sententia Episcopali, ubi est radix ordinum & virtus anathematis aliquem Canonicum legitime excommunicari.

Huc

Digitized by Google

Huc & accedit, quod quidam Franco, cum sit unus, crimen excommunicationis Decano & Magistro suo intendit: solus quidem ex visu & auditu; alii loquuntur ex relatu. Paulus vero Apostolus ex sententia Domini discipulum instruens, ait: accusationem adversus Presbyterum ne suscipias, nisi in duobus aut in tribus testibus. Item Papa Calixtus cap. XVII. Quærendum est in judicio, cujus conversationis sit, qui accusat & is, qui accusatur: quia, quorum est vita accusabilis, non permittuntur Prælatos accusare. Item Stephanus Papa ad Hilarium: infames sunt, qui fratres calumniantur aut accusant. Item Felix Papa cap. VIII. Accusandi ante licentia non est, quam audientia rogetur. Item Secundus Felix Papa cap. XII. Judices & accusatores tales esse debent, qui omni careant suspicione, & ex radice charitatis suam desiderent promere sententiam. Item Alexander Papa cap. VII. Nullus unquam præsumat accusator simul esse & judex & testis, quoniam in omni loco judicii personas quatuor necesse est semper adesse, id est, judices electos, & accusatores, ac defensores & testes. Considerandum quoque est, quod zelo divino & claustrali disciplina sæpius Prælati persequuntur subditos sicut dignum est, & illi correctionis impatientes, accepta aliqua occasione machinantur contra eos: quorum accusatio & machinatio semper sapienter & caute Ecclesiasticis judicibus providendæ sunt & non recipiendæ, prout Canones determinant. Emergunt & sæpissime animositates inter Prælatos, & Decanos, & Præpositos, quia Decani, quorum est expressior causa & cura in disponendis fratrum bonis & promulgandis claustralibus negotiis, Præpositos inde conveniunt; & illi secularibus pompis suisque inhiantes commodis, nec recipientes eorum admonitionem, commoventes adversus Prælatos in litem; hinc odia, hinc iræ, hinc rixæ. Ecce unde execranda partium in claustris latibula! ecce unde fautores Præpositorum muneribus & promissis adversus Prælatos pro zelo claustri. Ex Sanctorum igitur Patrum institutis subtiliter ista pensanda sunt in judiciis: quia vacuus est timor hominum, ubi non est timor Dei. Considerate etiam fratres, quod ex verbis Beati Isidori (Augustini) quatuor modis judicia pervertuntur: timore, cupiditate, odio, amore. Timore, dum metu alicujus potestatis veritatem loqui pertimescimus; cupiditate, dum præmio muneris alicujus corrumpimur; odio, dum contra quemlibet adversarium molimur, cujus odio corrumpimur; amore, dum amico vel propinquo præstare contendimus. Quatuor ista si in humanis judiciis vitanda sunt, multo magis in claustralibus & Ecclesiasticis. Huc etiam accedit, quod contra auctoritatem Canonicam eum a communione vestra expulistis indiscussum, inconvictum, inconfessum. Adrianus enim Papa cap. II. Judex criminosum discutiens, non ante sententiam proferat, quam aut reus ipse confiteatur aut per testes idoneos convincatur. Item Eleutherius Papa cap. III. Induciæ non modicæ ad querendum dandæ sunt, ne aliquid præpropere agi a quacunque parte videatur; quia per surreptionem multa proveniunt. Nihil tamen absque legitimo atque idoneo accusatore fiat. Nam & Dominus noster Jesus Christus Judam furem esse sciebat: sed quia non est accusatus, non est ejectus; & quicquid inter Apostolos egit, pro dignitate ministerii ratum mansit. Item Carthaginense Concilium cap. XVIIII. non suspendatur a communione, cui crimen intenditur, nisi ad causam suam dicendam electis judicibus die statuta literis evocatus, minime occurrerit. Qui enim accusatur, non statim criminosus est, sed qui convincitur aut confitetur. Episcopis namque quando accusantur in synodis, conceduntur annus & VI. menses, vel ad minimum V. ut defensores & testes præparent se contra insidiatores, nullaque priventur communione, suum plane agentes officium. Hoc vero reliquis ordinibus sua ratione convenit; quia quod valet in majori, valet in minori, membraque capitibus disponuntur. Omnis vero H. si adhuc ad audientiam ventum est, prius erga eum oportet decreta Patrum servari, ut prælationem, societatem, suaque legibus habeat. Stephanus enim Papa cap. VIII. ait: Nullus Sacerdotum accusari potest aut respondere suis accusatoribus debet, priusquam regulariter vocatus sit, locumque defendendi aut inquirendi accipiat ad abluenda crimina. Item Felix Papa cap. VIIII. Nulla permittit ratio, dum ad tempus ejus potestates atque ab æmulis aut quibuscunque detinentur, aut aliquid objici illi debeat; nec quicquam potest a majoribus vel minoribus objici ei, dum rebus vel potestatibus caret suis. Frater denique F. solus & singularis in sua accusatione, imo præsumtione, cum suis assentaneis audiat, quæ canones dicant. Qui non probaverit, quod objecit, pœnam quam intulerit, ipse patiatur. Item ex Concilio Carthaginensi cap. V. Quisquis Presbyterum falsis criminibus appetiverit, & probare non potuerit, nisi in fine dandam ei esse communionem. Item ex Concilio Aurelianensi: Sicut convictum de crimine pœna constringit ita accusatorem, si non probaverit, quod objecit. Redite igitur, Fratres, ad cor, & siquid per excessum privatorum motuum commissum a vobis est, humili satisfactione corrigatur, ita ut Domino H. prælatio, societas suaque restituantur, cum plena satisfactione illorum, qui in ejus expulsione excesserunt; & post, si tale est negotium, ut sit periculum animarum, nisi tractetur die constituta, legitimis induciis canonice accusetur & fraterne finiatur: alioquin ex Concilio Africano discordantes Clericos Episcopus vel ratione vel potestate ad concordiam trahat; inobedientes synodus per audientiam damnet.

CCXXXIV.

Epistola Leodiensium adversus Paschalem Papam.

Omnibus bonæ voluntatis hominibus Leodicensis ecclesia, veritatem fidei & catholicam unani-

Digitized by Google

unanimitatem inconcuſſe tenens. Stupendo & gemendo exclamo cum Iſaia, qui onus deſerti maris exaggerans, exclamat; Sicut turbines ab africo veniunt, de deſerto venit, de terra horribili. Viſio dura nunciata eſt mihi. Qui incredulus eſt, infideliter agit; & qui depopulator eſt, vaſtat. Qui hactenus non intelligebat legendo, quid ſit deſertum mare; nunc intelligat videndo, quid per deſertum mare ſignificetur non ſolum Babylonia, ſed etiam mundus & Eccleſia. Quamvis enim ut mare undis, ſic mundus & eccleſia affluant populis; tamen jure vocantur deſertum mare, quia mundus videtur eſſe deſertus a ſapientium principum gubernaculo: Eccleſia gemit ſe deſertam a ſano Præſulum conſilio. Quæ enim major olim Confuſio fuit in Babylonia, quam hodie in Eccleſia? In Babylone confuſæ ſunt linguæ gentium; in eccleſia dividuntur linguæ & mentes credentium. Ait Petrus in epiſtola ſua: Salutat vos eccleſia, in Babylone collecta. Hactenus interpretabar, ideo voluiſſe Petrum per Babylonem ſignare Romam, quia tunc temporis Roma confuſa erat idololatria & omni ſpurcitia. At nunc dolor meus mihi interpretatur, quod Petrus prophetico Spiritu dicens Eccleſiam in Babylone collectam, præviderit confuſionem diſſenſionis, qua hodie ſcinditur eccleſia. Nam quamvis eccleſia ſit in Babylone mundi, tamen debet eſſe collecta per fraternam unanimitatem. Qui ſint turbines ab Africo, diſcimus paciendo magis, quam legendo. De terra horribili, a Romana ſcilicet eccleſia, viſio dura nunciata eſt mihi; inde turbo ut tempeſtas venit ab Africo. Romanus enim præſul pater omnium Eccleſiarum, literas contra nos mittit Roberto Flandrenſium Comiti quarum Exemplar tale eſt. P. [Paſchalis] Epiſcopus ſervus ſervorum Dei R. [Roberto] Flandrenſium Comiti, ſalutationem & apoſtolicam Benedictionem. Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui in te ſuæ veritatis efficaciam operatur, quo reverſus ab Jeruſalem Syriæ, in cœlorum Jeruſalem juſtæ militiæ operibus ire contendis. Hoc eſt legitimi militis, ut ſui Regis hoſtes inſtantius perſequatur. Gratias ergo prudentiæ tuæ agimus, quod præceptum noſtrum in Cameracenſi Parochia executus es. Id ipſum de Leodicenſibus excommunicatis pſeudo clericis præcipimus. Juſtum enim eſt, ut qui ſemetipſos a catholica eccleſia, ſegregaverint, per Catholicos ab Eccleſiaſticis beneficiis ſegregentur. Nec in hac tantum parte, ſed ubicunque poteris, H. [Henrico] hæreticorum caput, & ejus fautores pro viribus perſequaris. Nullum profecto gratius Deo Sacrificium offerre poteris, quam ſi eum impugnes, qui ſe contra Deum erexit, qui Eccleſiaſticis Dei regnum auferre conatur; qui in loco ſancto Symonis idolum ſtatuit, Qui a principibus Dei ſanctis Apoſtolis, eorumque vicariis, de eccleſiæ domo Sancti Spiritus judicio expulſus eſt. Hoc tibi ac militibus tuis in peccatorum remiſſionem, & Apoſtolicæ ſedis familiaritatem præcipimus, ut his laboribus & triumphis ad cœleſtem Hieroſolimam Domino præſtante, pervenias. Datum Albani XII. Kalendis Februar. Super his litteris cujus lumbi non repleantur dolore? Super his me obſtupeſcecerunt tenebræ; nec tantum pro horrore periculi, quantum pro horrenda novitate rei, quod tam lacrimabiles literæ potuerunt ſcribi a matre contra filias ſuas quamvis peccantes. In judicio Salomonis expreſſa eſt magnitudo maternæ pietatis, quando judicante Salomone, ut infans, pro quo contendebatur, gladio divideretur, maluit mater filium ſuum ſub aliena muliere vivere, quam gladio judicis dividi. Dicit Iſaias; Babylon dilecta mea verſa eſt mihi in miraculum. At ego dico: Roma dilecta mea mater converſa eſt mihi in Miraculum. Quid enim tam mirabile, imo quid tam miſerabile? Vidit olim David angelum Domini ſtantem extento gladio ſuper Jeruſalem: Nos filiæ Romanæ Eccleſiæ ecce videmus Romanum Pontificem, qui eſt angelus Domini ſtantem extento gladio ſuper Eccleſiam. David orabat, ne populus occideretur: Angelus noſter porrigens Roberto gladium orat, ut occidamur. Unde iſte gladius noſtro Angelo? Jubente Jeſu diſcipulis, ut vendita tunica emant ſibi gladium, dicunt diſcipuli; Domine: ecce duo gladii hic. Et dixit Jeſus: ſatis eſt. Ut ex patrum dictis colligimus, eſt unus gladius Spiritus, quod eſt verbum Domini. De quo Jeſus ait: Non veni pacem mittere, ſed gladium; & propheta: Maledictus, qui prohibet gladium ſuum a ſanguine. Hunc gladium diſtringit Jeſus magis contra carnales affectus, quam contra mundi aſſultus. Eſt etiam alter gladius ſpiritualis, quo mortificatis vitiis carnis, emitur corona martyrum. Cum ergo duos tantum gladios a Domino apoſtoli habeant, unde iſte tertius Apoſtolico gladius, quem contra nos porrigit Roberto armigero ſuo? forte recurrit Apoſtolicus ad Ezechielem prophetam, ut de manu ejus tertium arripiens gladium, vadat ad dexteram ſive ad ſiniſtram, cædendo bonos & malos. Dicit vero Ezechieli prophetæ Deus; ut duplicetur gladius, ut triplicetur gladius interfectorum. Puto, non dabit tertium gladium Apoſtolico propheta. Propheta namque duos evangelii gladios oſtendens, per duos unius gladii uſus, gladium Apoſtolico dandum duplicat, dicens: Gladius, gladius exacuatus eſt & limatus. Exacuatus, ut cædat victimas, limatus, ut ſplendeat. Exacuatus eſt, quia, ut ait Hieronymus, qui malos percutit, in eo quod mali ſunt. Et habet gladium interfectionis, ut occidat peſſimos; miniſter Domini eſt. Limatus eſt, ut ſincere prædicetur verbum Domini. Triplicato gladio armat propheta interfectores, [quia ut ait Paulus,] non ſine cauſa Judex gladium portat. Hic eſt gladius interfectionis magnæ, qui me cum Ezechiele obſtupeſcere facit. Quem enim non faciat corde tabeſcere, quod Apoſtolicus ad vivificandum unctus, accingitur in nos tertio gladio interfectorum? O utinam placatus dicat Deus & nunc angelo percutienti: Sufficit, nunc contine manum tuam. Nihil dico in Chriſtum Domini, ſed vicem noſtram

Digitized by Google

ſtram doleo. Sed niſi Chriſtus Domini veniens ad caulo ſovium, intraſſet in ſpeluncam purgare ventrem, non præcidiſſet David oram chlamidis ejus. Siquis eſt David inveniens hunc Chriſtum Domini dormientem omneſque milites ejus dormientes, non mittat manum in Chriſtum Domini, ſed tantum tollat haſtam ejus & ſcyphum aquæ, qui eſt ad caput ejus dormientis. Hanc haſtam, quam contra nos erexit, oſtendo cunctis: hunc ſcyphum aquæ, qui eſt ad caput ejus dormientis, porrigo cunctis ad guſtandum, ut ſapiant omnes, quam inſipida ſit autoritas legis ejus, qua diſtrinxit gladios Laicorum in cervices clericorum. Si liceret dicere; [ſalva apoſtolicæ dignitatis reverentia;] Ipſe nobis videtur dormiſſe. Dormiverunt cum eo omnes conſiliarii ejus, quando conduxit ſibi vaſtatorem Eccleſiarum Dei. Præcepit Paulus, ut verbum Epiſcopi ſit ſanum & inreprehenſibile. Nos ergo non infirmamus aut reprehendimus verbum Epiſcoporum Epiſcopi. Sed quia Apoſtolicus non debet deviare ab Apoſtolo, quærimus humiliter per ſingula, utrum hæc verba ſint Apoſtolici per omnia gravitate apoſtolicæ autoritatis ſana & inreprehenſibilia. Ecce, ut pater dilecto filio ſuo ſalutem mittit, & apoſtolicam Benedictionem promittit: ſed ut multis videtur, non ea illi opera indicit, quibus ſalutem & Benedictionem a Deo promereri poſſit. Benedicit Deum, qui in eo eam efficaciam ſuæ virtutis operatur, quod Eccleſiam Dei debellat & depopulatur, ac per hoc cœleſtis Hieroſolimæ aditum ei pollicetur. Nunc dilectum filium an recta via dirigat, ipſe pater nobiscum videat? Ut utamur verbis Auguſtini ſummatim collectis: Deus qui dixit, ego ſum Deus faciens pacem & creans malum, ſicut cetera ſvaviter diſponit, ita hæc & diſponit, ut bonum pacis per bonos faciat, malum vero belli per malos creet. Utens vero Deus animis hominum pro voluntatibus & meritis eorum, digna dignis opera imponit, ut dignis digna præmia rependat, bonis bona pro bonis, malis mala pro malis. Quis unquam populum Dei, quis unquam Eccleſiam Dei impune perſecutus eſt? Quoties peccabant filii Iſraelis, ſuſcitabat Deus hoſtes, qui contererent peccantes. Caſtigabat Deus, quos amavit, & damnabat illos, qui vitio ſuo tales erant, ut per eos mala malis inferret. Dicit Deus per Prophetam: Vocabo ab Aquilone ſervum meum Nabuchodonoſor, qui faciat omnem voluntatem meam. Quam voluntatem, niſi ut peccantes diſperderet? Hunc ſervum ſuum Deus pro merito talis ſervitutis in bovem convertit. Peccanti Davidi ait Deus: Ecce ego inducam malum ſuper te de Domo tua. Hoc malum executus Abſalon, fugato patre ſuo, invaſit Hieroſolimam. Numquid per hoc meruit cœleſtem Jeruſalem? Per Jeſaiam dicit Deus: Væ Aſſur, virga & baculus furoris mei ipſe, in manu ejus indignatio mea: ad gentem fallacem mittam illum & ad populum furoris mei. Mandabo illi, ut auferat prædam & diripiat ſpolia & reliqua. Cur Deus intentat Væ Aſſur, quia mala quæ fecit, eo mandante fecit? Væ mundo ab ſcandalis, dicit Deus: Neceſſe eſt, ut veniant ſcandala, væ tamen homini illi, per quem ſcandalum venit. Hoc Hieronymus ſic exponit: Cum neceſſe quidem ſit, ut veniant ſcandala, væ tamen homini, qui, quod neceſſe eſt, ut in mundo fiat, facit ſuo vitio, ut per ſe fiat. Quid multis opus? Ecce, opera juſtæ malitiæ, quibus pater filium, Papa cœleſtis Regis militem imbuit, per quæ poſſit contendere ad cœleſtem Hieroſolimam, impugnando ſcilicet eccleſiam Dei. Gratias inquit prudentiæ tuæ agimus, quod præceptum noſtrum in Cameracenſi Parochia executus es. Qualis & quanta ſit vaſtitas & contritio Cameracenſis eccleſiæ, quis recolit ſine dolore. Ego quidem filia Romanæ Eccleſiæ condolebam Cameracenſibus pro affectu germanitatis: nunc vero audiens hæc mala inferri eis præcepto Apoſtolicæ auctoritatis, jam amplius doleo: Quia timeo matri meæ ne in eam redundet illud, quod Deus dicit per os Jeſaiæ: Væ, qui conditis leges iniquas & ſcribentes injuſtitiam ſcripſerunt, ut opprimerent pauperes in judicio & vim facerent cauſæ: Humili vero populi mei, ut eſſent viduæ præda eorum & pupillos diriperent, & reliqua. Tantam eccleſiæ deſolationem, tantam pauperum & viduarum oppreſſionem, tantam prædarum & rapinarum immanitatem, & quod his gravius eſt, promiſcuam bonorum & malorum occiſionem; hæc & pejora his, præcepto Apoſtolici facta eſſe, quis crederet, ni ipſe ſuo ore prodidiſſet? Taceo Cameracenſem Epiſcopatum in duos eſſe diviſum judicio Romanæ Eccleſiæ. Taceo Walcherum, qui Apoſtolici conſenſu & autoritate probatus & præordinatus fuit, ſubito exordinatum, & excommunicatum, & alium ei ſubordinatum. Hæc juſte nec ne geſta ſint, in Dei pendet ſententia. Non invehimur in Chriſtum Domini, ad quem pertinet ſollicitudo omnium Eccleſiarum. Sed quia Apoſtolicus hæc mala ſibi aſſcribit & eccleſiæ vaſtatori per gratiarum actionem applaudit, ſuper his mirandum an magis ſit dolendum, neſcio. Cui hoc magis ſit periculoſum, jubenti, an obedienti? Cui hoc magis ſit damnoſum, facienti, an patienti? quis hoc diſcernet? Nos attoniti hac novitate rerum, quærimus utrum hoc ſit novum exemplum, ut prædicator pacis ſuo ore & alterius manu inferat Eccleſiæ bellum contra Barbarorum & inimicorum Dei inſultus. Concedant canones & eccleſiaſticis arma ad defenſionem urbis & Eccleſiæ. Bella vero indici eccleſiæ per autoritatem canonicam nusquam ſcripturarum legimus. Quæro, quia neſcio, dico, quia ſcio pacem Jeſus, pacem Apoſtoli; pacem Apoſtolici viri prædicant, peccantes arguunt, obſervant, increpant in omnium patientia & doctrina. Inobedientes jubet Paulus dure increpari: Quomodo dure increpentur inobedientes, dicit Jeſus: Si peccaverit in te vicinus tuus, corripe illum primo ſolus ſolum, ſecundo cum duobus aut tribus teſtibus, tertio cum eccleſia: Si eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus. Hinc ait Auguſtinus: Ilic

Ille quod ait Jesus si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus: gravius est quam si gladio feriretur, si flammis absumeretur, si feris subjiceretur. Nam ibi quoque Jesus subjunxit: Amen dico vobis, cum ligaveritis in terra; ligatum erit & in cœlo, ut intelligeretur quam gravius sit punitus, qui velut relictus est impunitus. Sic sententia veritatis exposita ab Augustino, quis divinæ vindictæ humanam vindictam superponat? Qui illum persequitur, quem Deus percussit, & super dolorem vulnerum Dei addit, videat quid implicetur illi Deus, qui iniquitates & dolores nostros in persona Dominici hominis portavit. Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, & reliqua. Si quis dicat pro Apostolico merito depopulandam esse Ecclesiam, cui incumbat excommunicatus Episcopus, audiat exemplum in quo causa causæ & persona personæ respondet. Tempore primi Gregorii Papæ, defuncto Salonitanæ urbis Episcopo, cum decrevisset Gregorius, ut pro eo Episcopo ordinaretur Honoratus; Maximus quidam auxilio militaris manus invadens Episcopatum Salonitanum, & ab Episcopo consecratus a Gregorio excommunicatus est, & tamen missas celebrare præsumebat. Hunc Gregorius non aliis quam sacerdotalibus armis debellans, non superordinavit ei Honoratum, non inmisit ecclesiæ vastatorem, sed tam diu peccantem arguit, donec septimo excommunicationis ejus anno tandem ad veniam petendam venit hæreticus eumque resipiscentem non exordinavit, non reordonavit, sed eo in gratiam suam recepto, quæ deerant, dato Archiepiscopali pallio supplevit. Cum ergo Salonitanæ causæ sit similis causa Cameracensis, cur censura Romanæ Ecclesiæ in simili causa utitur dissimili sententia? Martinus Turonensis posset Apostolico sufficere ad exemplum, ut desistat ab oppressione innocentium. Priscillianum Episcopum a Damaso Papa pro hæresi damnatum Maximus Imperator, accusante Itacho Episcopo, occidit & ut omnes sequaces ejus undique occiderentur edixit. Martinus ergo aliique Episcopi Itacium communione Ecclesiæ privaverunt, excommunicantes eum, quia ejus accusatione qualiscunque homo occisus sit. Maximus agebat cum Martino, ut Itacio communicaret, & Martinus agebat cum Maximo ut sequaces Priscilliani non occiderentur, ne & Catholici cum eis perirent. Quod petebat Martinus, nullo modo impetrasset, nisi ad tempus Itacio communicasset. Sic quodammodo anathema factus, pro fratribus suis, retraxit ab eorum cervicibus gladium Imperatoris. Qui damnavit accusatorem Itacium pro morte hæretici, si adhuc viveret, non laudaret & istum, cujus præcepto tot occiduntur pro causa Cameracensium. Qui & cum periculo suæ animæ liberavit hæreticos a morte, quam graviter ferret innocentes pro aliena culpa opprimi? Nos res rebus conferimus, causis causas opponimus. At Cameracenses afflicti malo clamant ad Pascalem, sicut filii Israelis afflicti malo clamant ad Moysen: Videat Deus & judicet, quomodo fœtere fecisti odorem nostrum coram Pharaone & præbuisti ei gladium, ut occideret nos? Id in primis de Laodicensibus excommunicatis pseudo clericis præcipimus. Justum est enim, ut qui semet ipsos a Catholica ecclesia segregarunt, per Catholicos ab ecclesiæ beneficiis segregentur. Hic vero me infestat angustia quasi parturientis, unde exclamare compellor, quia omnes parturientis dolores hic magnus dolor vincit. Filios enim genui, hosque lacte alui fidei, hos pane veritatis confirmavi & ad virile robur provexi. Ipsa me beatificabam quia eis in Regis curia & in Dei ecclesia florentibus, nihil deesse credebam, quod vel ad corporis pertinet decorem vel ad animæ spectaret valorem. Sed quid est ab omni parte beatum? Ecce mater mea sancta Romana Ecclesia vult inurere eis notam excommunicationis, & jam supererexit super eos gladium occisionis. Super his ego quidem materno dolore torqueor; ipsi ætatem habent, loquantur pro se. Id inprimis inquit, de Leodicensibus excommunicatis pseudo-Clericis præcipimus. Statera dolosa non est bona, ut Sapientia. Quia confert causam nostram causæ Cameracensium, ut & nos patiamur, quod patiuntur Cameracenses. Nos quidem Cameracensibus conpatimur, nobis nihil tale verebamur. Cameracenses, quia causæ causam, personæ personam supposuerunt, gladium bicipitem sibi superposuerunt. Nos vero Leodicenses quare excommunicati dicimur? quare gladius nobis superponitur? Quid dignum morte aut excommunicatione fecimus contra canonicam regulam ecclesiæ? In uno Spiritu nos omnes in unum corpus baptizati sumus; nos unius moris Deus in Domo sua habitare facit. Obsecrat nos Paulus per nomen Domini, ut non sint in nobis schismata. Quando significatum est Romanæ ecclesiæ, quod contentiones fuerint inter nos? Id ipsum in Christo sapimus, id ipsum dicimus. Non dicimus: ego sum Pauli, ego Cephæ, ego autem Christi. Num quid pro hac unanimitate excommunicati dicimur? Ut præcipit Paulus, obedimus & subjacemus Præpositis nostris, qui vigilant pro animabus nostris. Nobis Dei legem tenentibus objiciunt, quod transgrediamur novas eorum traditiones. At illis dicit Deus: Quare vos transgredimini mandatum Dei propter traditiones vestras? Jubet Deus, ut quæ sint Cæsaris, reddamus Cæsari; & quæ sint Dei, Deo. In hanc sententiam Petrus & Paulus eunt pedibus. Petrus inquit; Deum timete, regem honorificate. Servi subditi estote in omni timore Dominis non solum bonis & modestis, sed & dyscolis: hæc est vera gratia. Paulus: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Qui hoc omni animæ præcipit, quem a subjectione terrenæ potestatis excepit? Quia ergo regem honoramus, quia Dominis nostris non ad oculum, sed in simplicitate cordis servimus, ideo excommunicati dicimur? Sed Symoniaci sumus. Symoniacos, quantum ad nos, vitamus, & quos vitare nequimus, toleramus pro loco & tempore,

pore, certi, quod ipse Jesus facto flagello de resticulis peccatorum cathedras vendentium columbas evertet & nummulariorum effundet æs. Vitamus, inquam, symoniacos, nec minus vitamus illos, qui notam avaritiæ honesto nomine prætexentes quod gratis jactant se dare, vendunt sub caritatis nomine: & sicut Montanista sub nomine Oblationum artificiosius accipiunt munera ob hoc dolendo miramur, cur excommunicati dicamur, quando, a quo & qua re excommunicati sumus. Non ab Episcopo nostro, non ab Archiepiscopo, cui episcoporum numerus suffragatur, nos excommunicatos esse scimus. Sed nec a Papa Rom. nos excommunicatos esse credimus; quia scimus eum non ignorare, quod ait Nichodemus: Lex nostra non judicat quemquam, nisi audierit ab ipso prius. Nec Sodomitas damnasset Deus nisi descendisset ad ipsos videre, utrum clamorem, qui venerat ad eum, opere complessent. Qui nihil a nobis audivit, quem non Episcopus, non Archi-Episcopus aliquando contra nos interpellavit, quis credet, quod nos excommunicaverit? Per scalam ad cœlos usque pertingentem videt Jacob ascendentes & descendentes Angelos. Et Jesus ait Discipulis: Amen, Amen, dico vobis, videbitis cœlum apertum & angelos Dei ascendentes & descendentes super filium hominis. Hic filius hominis non filios hominis, id est Adæ, in sua exprimit persona. In aperto ecclesiæ cœlo & boni & mali intrant. Vos Præsules ecclesiæ, qui estis angeli Dei, gradatim ad nos descendere debetis, gradatim & nos ad vos ascendere debemus. Quot gradibus ad vos ascendimus, tot ad nos descendere debetis. Est primus gradus nobis ad Episcopum, secundus ad Archiepiscopum, per quos ascendere debemus ad tertium & ad Papam Rom. Super filium hominis descenditis; cum humilibus compatiendo descenditis. Super filium hominis descenditis, cum verbo & exemplo humiles ad cœlum sustollitis. Credo; dicetis, ideo nos haberi pro excommunicatis, quia favemus Episcopo nostro, faventi partibus Domini sui Imperatoris. In hac re sunt initia dolorum, pro hac re erubescunt causæ malorum: quia Sathanas solutus terram perambulans jam divisit regnum & sacerdotium. Quia ergo venit Diabolus ad nos, habens iram magnam, Patrem nostrum, qui est in cœlis, oramus pro hoc specialiter, ne nos inducat in tentationem hanc, sed liberet nos a malo hujus tentationis. Nobis dormientibus inimicus superseminabit zizaniam in agro Ecclesiæ. Expectamus donec Angeli messores Dei, alligent zizaniorum fasciculos ad comburendum: Num ideo dicimur excommunicati? O quot manipulos tritici eradicabit, qui ante tempus zizania a tritico discernere festinat? Quis jure reprehendet, quod Episcopi partibus Domini sui favet, cui promissam cum juramento fidelitatem debet? Perjurium nemo dubitat esse grande peccatum. Deus solus jurat & non pœnitet eum, quia sapientia custodit præcepta juramenti Dei. Sed nos, quos jurasse sæpe pœnitet, jurare prohibemur. Si jurat homo, jubet Deus, ut reddat Domino juramentum suum. Hoc nec ignorant illi, qui regnum & sacerdotium scindentes novello schismate a novellis, ut quibusdam placet, traditionibus. Illos, qui Regi perjurant, se a culpa perjurii absolvere promittunt, non attendentes, quod Ezechiel ex ore Dei dicat de Sedechia, qui perjuravit Domino suo Regi Nabuchdonosor: Qui solvit, inquit, pactum, nunquid effugiet. Hoc Hieronymus sic exponit: Ex hoc etiam discimus, inter hostes servandam fidem; & non considerandum, cui, sed per quem juraveris. Multo vero melior inventus est ille, qui propter nomen Dei tibi credidit & deceptus est, quam tu, qui per occasionem divinæ majestatis hosti tuo, imo amico, molitus es insidias. Quid laboramus in colligendis exemplis vitandi perjurii. Tertium Decalogi mandatum de corde & ore Dei prolatum ejusque digito scriptum hoc est: Non assumes Nomen Domini Dei tui in vanum. Nec vero habebit insontem Dominus eum, qui assumserit nomen Dei sui frustra. Cum ita prima Decalogi mandata ad cultum Dei pertineant, diligenter inspicientibus videtur, quod in hoc tertio Decalogi mandato cætera mandata pendeant; quia cum fit, quod Deus præcepit fieri & non fit, quod Deus fieri prohibet: ideo utique fit & non fit, ut nomen præcipientis & prohibentis Dei non assumatur in vanum. Quis magis assumit nomen Dei in vanum, quam ille, qui violat hoc, quod per nomen Dei jurat? Deus jubet, ne per cœlum, ne per terram, ne per caput meum jurem, ne forte perjurem. Si culpa est, perjurare per creaturam Dei, quam gravius peccat, qui per creatorem Deum perjurat. Hinc omnes perpenditis, quod sit reus capitis, qui non reddit Cæsari, quæ sunt Cæsaris, secundum Decretum Dei; & qui Regem inhonorat contra decretum Apostoli, & perjurando assumit nomen Dei in vanum per quod juravit regi fidelitatem. Ecce quare excommunicati dicimur? Sed quare pseudo-Clerici vocamur qui canonice viventes, operibus meremur, ut Clerici vocemur? Non est, non est, inquam, de sorte Dei, qui vult nos excludere a sorte Dei. Non tales, o Mater Ecclesia, nutrivisti, ut merito vocemur pseudo-clerici. Quia enim nos voluntati nostræ non dimisisti, non confundemus te matrem nostram. Mirum est de Domino Paschali cum sic convitia venalia invenit, bona mercatione videtur ea accepisse, quæ tanta in nos profundit facilitate. Modo vero nos excommunicatos nominat, modo pseudo-clericos ex motu animi vocat. Eructavit cor Regis Davidis & Prophetæ verbum bonum: evomuit cor Domini Paschalis vile convitium, prout vetulæ & textrices faciunt. Petrus Apostolus docet: Non dominantes in clero, sed forma facti gregis. Paulus Apostolus ad Galatas delinquentes ait; filioli mei, quos iterum parturio in Domino. Hos attendat Dominus Paschalis pios admonitores non impios convitiatores. Maledictum excommunicationis Dominus Paschalis nobis improperat, sed illud ante omnia timemus, quod Spiritus Sanctus per os Psalmistæ

stæ dicit: Maledicti omnes qui declinant a mandatis tuis. Maledictum Excommunicationis, quod ex novella traditione Hildebrandus, Odardus & iste tertius indiscrete protulerunt, omnino abjicimus & priores sanctos patres usque nunc veneramur & tenemus, qui, dictitante Spiritu Sancto, non animi motu, in majoribus & minoribus potestatibus graviter delinquentibus quædam dissimulaverunt, quædam correxerunt, quædam toleraverunt. Dominus noster Episcopus communicat Regi & Imperatori suo, cui ex regalibus ejus acceptis fidelitatem juravit. Nimium effluxit tempus, quo hæc consuetudo cœpit; & sub hac consuetudine migraverunt a seculo sancti & reverentes Episcopi, reddentes Cæsari quæ erant Cæsaris, & Deo quæ erant Dei. Sed quid dicit Ambrosius super Lucam: Si Christus, inquit, non habuit imaginem Cæsaris, cur dedit censum? Non de suo dedit; sed reddidit mundo, quæ erant mundi. Et tu si non vis esse obnoxius Cæsari, noli habere quæ mundi sunt. Sed si habes divitias, obnoxius es Cæsari. Si vis nihil debere Regi terreno, dimitte omnia & sequere Christum. Item Augustinus super Johannem: Apostolus voluit serviri regibus, voluit honorari reges, & dixit Regem reveremini, Nolite dicere, quid mihi & regi? Quid tibi ergo & possessioni? Per jura regum possidentur possessiones: Per imperatores & Reges seculi Deus jura humana distribuit generi humano. Igitur ex verbis istorum & aliorum sanctorum Patrum consulant sibi Episcopi regibus & imperatoribus obnoxii, ex eorum regalibus acceptis, ne proprio gladio, id est, eorum beneficiis, eos interficiant. Si quis denique respectu Sancti Spiritus vetus & novum testamentum gestaque revolverit, patenter inveniet, quod aut minime aut difficile possunt Reges & Imperatores excommunicari, secundum Etymologiam nominum illorum, & juxta determinationem excommunicationis, & adhuc sub judice lis est. Admoneri quidem possunt increpari, argui a timoratis & discretis viris: quia quos Christus, in terris Rex Regum, vice sua constituit, damnandos & salvandos suo judicio reliquit. Ecce quare excommunicati vocamur, eo quod sanctos & moderatos & antiquos patres tenemus & pro posse imitamur. Episcopum, Archiepiscopum nostrum, provincialem & conprovincialem Synodum, ex antiqua traditione tenemus, & quicquid ibi de scripturis sanctis diffinitum fuerit, Romam non refertur usque ad graviora negotia, de quibus non invenitur in scripturis sacris autoritas. Illos vero Legatos a latere Romani Episcopi exeuntes, & ad ditanda marsupia discurrentes omnino refutamus. Sic temporibus Zozimi, Cœlestini, Bonifacii Concilia Africana probaverunt. Etenim, ut a fructibus eorum cognoscamus eos, non morum correctio, non vitæ emendatio, sed etiam cædes & ecclesiarum Dei proveniunt deprædationes. Quia ergo antiquæ religioni inhæremus & non omni vento doctrinæ circumferimur; Ecce, ideo excommunicati dicimur. Verum Dominus Paschalis cur pseudo-clericos nos vocat? Pseudo-Apostoli adulterabant verbum Dei, quos damnabat Apostolus in epistolis suis: nos non adulteramus, sed fidem Catholicam per Dei gratiam tenemus, fidei catholicæ opera exequimur. Regulam Canonicam ex patrum traditione habemus & reveremur, secundum illam vivimus, dijudicamus, satisfacimus, absolvimus, consiliis regum aut imperatorum aut in isto aut in illo non intersumus, quia nostræ superiores potestates tale negotium habent inter manus, qui ex vestigiis antecessorum prudenter tractabant, cur ergo Dominus Paschalis vult, ut exsolvamus, quod non rapuimus; ut pseudo-clerici vocemur, ubi rectam lineam tenemus. Potius deposito præsumtionis spiritu cum suis consiliariis solerter recolligat, quomodo a Beato Silvestro usque ad Hildebrandum sedem Romanam Papæ obtinuerint, & quot & quanta inaudita ex ambitione illius sedis perpetrata sint; & quomodo per reges & Imperatores diffinita sint, & pseudo-Papæ damnati & abdicati sint, & ibi plus valuit virtus Imperialis, quam excommunicatio Hildebrandi, Odardi, Paschalis. Dominus in Evangelio dicit: Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo. Et Paulus Apostolus in faciem Petro Principi Apostolorum restitit. Ergo remoto Romanæ ambitionis typo, cur de gravibus & manifestis non reprehendantur & corrigantur Romani Episcopi? Qui reprehendi & corrigi non vult, pseudo est sive Episcopus sive Clericus. Nos vero per misericordiam Dei juxta Regulam obedientes & corrigibiles sumus & schisma & symoniam & excommunicationem per omnia, dictante ratione & Spiritu Sancto, vitare volumus: Ex verbis Beati Augustini Reges & Imperatores ex legibus promulgatis, nihil ab hæreticis in hoc mundo possideri voluerunt. Igitur cum non simus hæretici & hoc sit jus Regum & Imperatorum, quare Dominus Paschalis, solo contentus spirituali gladio inmittit Robertum armigerum suum ad devastandos fundos & villas Ecclesiarum. Quæ etsi devastanda essent, edicto Regum & Imperatorum devastari deberent, qui non sine causa gladium portant. Ecce solutus est Sathanas, habens iram magnam, quem exterreat valida manus Dei. Quod excommunicati dicimur, non gravius justo feras; quia ut credimus, ab excommunicatione nos excipiet saltem ipsa Romanorum autoritas. Hildebrandus Papa, qui auctor est hujus novelli schismatis, & primus levavit sacerdotalem Lanceam contra Diadema regni, primo indiscrete Henrico faventes excommunicavit; sed reprehendens se intemperantiæ, excepit ab excommunicatione illos, qui Imperatori adhærebant necessaria & debita subjectione, non voluntate faciendi & consiliandi malum, & hoc pro decreto scripsit: Nec in hac parte tantum, sed ubicunque poteris Henricum hæreticorum caput & ejus fautores persequaris. Nullum profecto Deo gratius sacrificium offerre poteris, quam si eum impugnes qui se contra Deum erexit, qui ecclesiæ Dei regnum auferre conatur, qui in loco sanctorum

Digitized by Google

ctorum Symonis idolum statuit; qui a principibus Dei sanctis Apostolis, eorumque vicariis, de ecclesiæ domo Sancti Spiritus judicio expulsus est. Cum Alaricus Rex Gothorum iret ad capiendam Romam, monitus a quodam servo Dei, ut ab his malis cessaret. Non volens, inquit, vado Romam: Vir enim quidam me quotidie torquens urget, ut eam ad destruendam Romam. Hoc exemplo urget Apostolicus armigerum suum, ut totum depopuletur regnum, quod non fieri potest sine cæde & sanguine & ecclesiarum Dei depopulatione. Alaricus quidem mitior fuit, qui, capta Roma, ecclesiis pepercit, & a cæde hominum abstinuit. Nunc nihil excepto, immittitur Robertus ab Apostolico, ut non solum in Cameracenses, & nos Leodicenses, sed totus fertur ad dispergendos omnes. Quis clamabit modo cum Isaia: Quam pulchri supra montes pedes prædicantis & annunciantis pacem: annunciantis bonum, prædicantis salutem? Eum, qui deberet esse prædicator pacis, Zelus Dei adeo comedit, ut etiam in amicos pacis distringat gladium belli. Quale enim zelum habuit Petrus in amputanda auricula Malchi, qui Rex interpretatur, talem modo zelum habet Vicarius Petri in amputanda auricula Regis hæretici, in quem omnimodis invehitur. Dum enim hæreticorum caput, Dei rebellem, Ecclesiastici regni invasorem, Symoniaci Idoli adoratorem, ab Apostolis & Apostolicis excommunicatum vocat, quasi tot ictus ictibus addit, & tot vulnera animæ ejus infligit, ut, si infirmus in fide esset, desperare posset. Sed qui in feriendo Petrum imitatur, & in recondendo gladio Petrum imitetur. Qui enim sanavit auriculam Malchi, potest etiam sanare auriculam Regis hæretici; si talis est, quod absit, & pro nobis dolemus & ipsi Domino nostro condolemus. Nihil etiam pro Imperatore nostro dicimus; sed hoc dicimus, quod etiam si talis esset, tamen eum principari nobis pateremur: quia ut talis nobis principetur, peccando meremur. Esto, concedimus vobis inviti, eum talem esse, qualem dicitis. Nec talis a nobis repellendus esset armis contra eum sumtis; sed precibus ad Deum fusis. Contra Pharaonem, cujus cor contra Deum induravit, Moyses ranam, muscam, locustam, grandinemque induxerat. Has tamen plagas non nisi orando extensis in cœlum manibus avertere potuit. Et Paulus: Obsecro, inquit, primo omnium fieri orationes pro regibus & pro omnibus, qui in sublimitate sunt constituti. Reges illius temporis, pro quibus Paulus orare obsecrabat, non Catholici erant, non Christiani erant. Baruch quoque ex ore Jeremiæ scribit, Judæis a Rege Babylonis captivatis: Orate pro vita Nabuchdonosor Regis & Balthasar filii ejus, ut sint dies ipsorum, sicut dies cœli super terram: & det Dominus virtutem nobis & illuminet oculos nostros ut vivamus sub umbra Nabuchodonosor Regis Babylonis & Balthasar, filii ejus: ut serviamus ei multis diebus & inveniamus gratiam in oculis eorum. Cur pro malis regibus orari debeat, Paulus dicit, ut scilicet tranquillam vitam agamus. Esset Apostolicum imitari Apostolum; esset propheticum imitari prophetam. Sed peccatis nostris merentibus Apostolicus, qui etiam modo orare deberet pro rege, quamvis peccatore, ut tranquillam & quietam vitam agamus; agit bellando, ne tranquillam & quietam vitam agamus. Cum ita sibi consonent apostolica & prophetica verba, quæro humiliter ego filia a matre mea sancta Romana Ecclesia, unde hæc autoritas Apostolico, ut præter spiritualem gladium exerat in subjectos alterum occisionis gladium? Non ago pro Rege, sed pro Ecclesiarum matre, cujus parti timemus nos ejus filiæ. Si enim David non meruit ædificare templum Dei, quia vir sanguinum erat; Summus Pontifex, si vel stilla sanguinis vestem ejus tetigerit, quomodo in sancta sanctorum introibit cum sanguine Christi, quem offerat pro sui & populi ignorantia? O utinam non cum Pilato tantum lavet manus suas, dicens: Mundus ego sum a sanguine innocentium; sed & cum Petro dicat; Domine lava non tantum pedes meos, sed & manus & caput. Judæi non excusaverunt manus suas a sanguine Christi, quem ipsi hora tertia linguis suis, hora sexta manibus Romanorum crucifixerunt: Apostolicus vero, se excusans, dicit cum Paulo: Mundus ego sum a sanguine omnium vestrum. Quis pontificum Romanorum suis unquam decretis autorizavit, ut debeat Pontifex gladio belli in peccantes uti? Gregorius primus hujus nominis Papa, quid omnes ante se Papæ senserint super hoc, & quid omnes post se sentire debeant, ostendit, scribens Sabiniano Diacono: Unum est quod suggeras humiliter serenissimis Dominis nostris, quod si ego servus eorum in morte vel Longobardorum me miscere voluissem, hodie Longobardorum gens nec Regem, nec Duces, nec comites haberet, atque in summa confusione esset: Sed quia Dominum timeo, in mortem cujuslibet hominis me miscere formido. Hoc exemplo omnes a primo Gregorio contenti, utebantur solo gladio spirituali usque ad ultimum Gregorium, id est ad Hildebrandum, qui primus se & suo exemplo alios Pontifices contra Imperatorem accinxit gladio belli. Quis possit Regem arguere? melius nobis intelexit Heliu qui in libro Job de Deo ait: Qui vocat Duces impios & qui regnare facit hypocritam propter peccata populi. Quod Gregorius exponens: nullus, inquit, qui talem Rectorem patitur, eum, quem patitur, accuset, quia nimirum sui fuit meriti perversi Rectoris subjacere ditioni, culpam ergo proprii magis accuset operis, quam injustitiam gubernantis. Scriptum namque est: Dabo tibi Reges in furore meo. Quid ergo illos nobis præesse despicimus, quorum super nos regimina ex Domini furore suscepimus? Sic ergo secundum merita subditorum tribuuntur personæ regentium, ut sæpe qui videntur boni, accepto mox regimine permutentur, sicut Saul qui cor cum dignitate mutavit. Sic ergo pro qualitatibus subditorum disponuntur acta regentium, ut sæpe pro

Q 3 malo

Digitized by Google

malo gregis etiam vera boni rectoris vita delinquat. Certum vero est, quod ita sibi invicem & rectorum & plebium merita connectantur, ut sæpe ex culpa Rectorum deterior fiat vita plebium: & sæpe ex merito plebium mutetur vita Rectorum. Sed quia Rectores habent Judicem Deum, magna cautela subditorum est, non temere judicare vitam regentium. Hæc Gregorii verba agunt pro nobis, quod vos Deo judicium suum tollatis, nec attendatis, quod dicit Amos propheta: Væ desiderantibus diem Domini. Diem Domini desiderat, qui injuste vel importune vel intempestive de subjectis judicat, vel voto cordis judicium Dei præoptat. Non diximus Imperatorem nostrum esse hypocritam: sed vos, qui eum habetis pro hypocrita, miramur, quod non attendatis, qua causa Deus regnare faciat hypocritam. Si enim cessarit causa peccati, cessabit & pœna peccati. Quid de eo dicimus, quod Henricum ab Apostolis & Apostolicis viris excommunicatum Sancti Spiritus judicio dicit? Nimis illum detestatur, quem nec Regis nec Imperatoris nomine dignatur. Quis poterit discernere causam regni a causa sacerdotii, nisi pax Dei quæ exsuperat omnem sensum, copulet regnum & sacerdotium uno angulari lapide concordiæ, vacillabit structura Ecclesiæ super fidei fundamentum. Ut potestatem regni probat vel improbat causa modusque regendi, sic potestatem sacerdotum probat vel improbat causa modusque ligandi & solvendi. Nam Clemens scribit, dixisse Petrum: Ligabis quod oportet ligari, & solves quod oportet solvi. Et: qui præest cæteris, oportet agere vicem Medici, non bestiali furore commoveri. Qui ergo agere debet vicem Medici, audiat & consilium sapientiæ: Omnis, inquit, potentatus brevis est vita. Languor prolixiœ gravat Medicum: Brevem languorem præcidit Medicus. Sic rex & hodie est & cras morietur. Cum ab omnibus indicatur Prælato virtus Discretionis; Interrogo, quare Apostolici succedentes sibi invicem, quasi hæreditario Bello excommunicandi indiscrete in Regem insurgunt, cui pro Regali dignitate & ipsi subjici jubentur? Qui excommunicatur Sancti Spiritus judicio utique repellendus est a Dei domo. Quotiescunque autem aliquis excommunicatur aut ex causæ aut personæ præjudicio, quis dicat hunc excommunicatum esse Sancti Spiritus judicio? Dicitis cum Gregorio: Quod quomodo liget pastor, timeat grex vinculum Pastoris. Dicimus & nos cum Gregorio: Ligandi & solvendi potestate se privat, qui subjectos pro suo velle & non pro eorum merito ligat & solvit. Dicitis, quoquomodo excommunicatus, si morte prævenitur, damnatur. Hic nobis succurrit Romanæ Ecclesiæ autoritas. Gregorius enim scripto & facto autorizavit, quod potest Romanus Præsul absolvere excommunicatum injuste ab aliquo. Si hoc potest Romanus Præsul, quis neget etiam Deum posse absolvere, si quem Romanus Præsul injuste excommunicaverit? Nemo enim lædi potest ab alio, nisi prius lædatur a semetipso. Nullum profecto, inquit, Deo gratius sacrificium offerre poteris. Qualiter hoc sacrificio nihil sit gratius Deo, quæro a te, o Mater mea, Romana Ecclesia? Deo enim non placet sacrificium, nisi sit mundum & inmaculatum, ita ut & illum, qui offert, faciat mundum & inmaculatum. Ideo enim Lex in Pascha offerebat agnum inmaculatum, ut & offerentes essent inmaculati: Quomodo ergo tam gratum est Deo hoc bellandi sacrificium, quod non potest fieri sine macula culparum? Dicit enim Malachias: Si offeras Deo pecus claudum, cæcum vel languidum, nonne malum est? Apostolicus, qui hoc sacrificium belli indicit Roberto filio suo, vellet, puto, redire ad zelum Phinees, vellet facere, quod fecit Moyses, ut manus Levitarum consecret in sanguine fratrum suorum. Perierunt filii Aaron offerentes ignem alienum: utinam non pereat hic, qui etiam modo Deo offert ignem alienum & non illum ignem, quem venit Jesus mittere in terram, & vult ut ardeat. Quomodo, inquam, gratum est Deo sacrificium quod non videtur esse mundum & inmaculatum? Sacrificium de rapinis pauperum erit gratum illi qui odit rapinam in holocaustum? Nec sacrificio de lacrymis viduarum & pupillorum delectabitur Deus, ut ait Jesus filius Syrach; non despiciet Deus gemitum pupilli & viduæ. Nonne Lacrymæ Viduæ de maxilla descendunt & a maxilla ascendunt usque ad cœlum, & Dominus exauditor non delectabitur in illis? Sacrificium de oppressionibus Ecclesiarum quomodo grate accipiet ille, qui dixit: Ad quem respiciam nisi ad pauperculum & contritum spiritu & trementem sermones meos? Hac calamitate Apostolici Belli, quot sunt oppressi, de quibus Deus dicit: qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei? Sacrificium humano sanguine inquinatum, miror, si placebit illi, qui dixit: De manu cunctarum bestiarum & de manu hominis sanguinem hominis requiram. Quod per modos sacrificandi discernendo quærimus, Jesus in evangelio tribus pene verbis concludit: Omnis sacrificans igne salietur, & omnis victima sale salietur. Quam plane hoc est conclusum, quis grate Deo sacrificet, vel quod sit gratum Deo sacrificium? Si sacrificans igne Sancti Spiritus salietur, victima quoque sacrificantis sale sapientiæ salietur. Et penetrans Jesus altius ad intentiones cordis addit: Bonum est sal. Quod si sal insulsum fuerit, in quo condietis illud? Habete in vobis salem, & pacem habete inter vos. Tenorem hujus Evangelici capituli quis melius exponet, quam rei & præsentis temporis consequentia? non possumus habere pacem inter nos, nisi habeamus salem in nobis. Si salem non habemus in nobis, ideo non habemus pacem inter nos. Hæc, inquit, tibi ac militibus tuis in peccatorum remissionem & Apostolicæ sedis familiaritatem præcipimus, ut his laboribus & triumphis ad cœlestem Hierosolimam pervenias. Hactenus Apostolicis & Evangelicis & Propheticis testimoniis innitebamur; & quod minus habebat materia, augebat exemplorum

Digitized by Google

plorum copia: Hic vero quid dicam nescio; quo me vertam, non video. Si enim utriusque legis totam Bibliothecam, si omnes totius Bibliothecæ expositores veteres revolvam, exemplum hujus Apostolici præcepti nunquam inveniam. Solus Hildebrandus Papa ultimam manum sacris canonibus imposuit, quem legimus præcepisse Methildæ Marchionissæ in remissionem peccatorum suorum, ut debellaret Henricum Imperatorem. Quod juste nec ne ipse & alii fecerint, nulla autoritate discimus. Hoc solum dicimus, quia non potest aliquis aliquem indiscrete solvere vel ligare. Ad hoc nobis occurrit ex evangelio exemplum. Jesus Christus totum hominem sine peccato agens, resuscitaturus Lazarum, videns alios pro illo plorantes, fremuit spiritu, turbavit semetipsum, lacrimatus est. Rursum fremuit in semetipso; jussit tolli lapidem mortuo superpositum, elevatis oculis oravit, voce magna clamavit: Lazare veni foras. Quo prodeunte ligatis manibus, ac pedibus institis, & sudario facie ligata; dixit Jesus discipulis, ut solverent eum. Ecce in Lazaro peccatorem, in Jesu video prædicatorem. Quot affectus ostendit Jesus in Lazaro suscitando, tot affectus ostendit prædicator in peccatore suscitando. Si peccator, vel pro peccatore prædicator turbaverit se ipsum pœnitendo, si lacrimatus fuerit, si clamaverit: veni foras confitendo peccata: si tulerit lapidem de duro corde peccantis; tandem ad jussum Dei solvat institas excommunicationis; tollat & a facie ejus laboriosum pœnitentiæ sudarium & sic liberum sinat abire. Hinc Gregorius ait: Mortificat non morientem, qui justum damnat: Nititur vivificare non victurum, qui reum supplicio solvere conatur. Vera est absolutio præcedentis, cum sequitur arbitrium æterni Judicis. Sic discipuli Lazarum jam viventem solvunt, quem Jesus suscitaverat mortuum. Si enim mortuum solverent, fœtorem magis ostenderent, quam virtutem. Hæc Gregorius. Hunc morem discrete ligandi & solvendi hactenus tenebas & nobis tenendum mandabas, o mater sancta Romana Ecclesia. Unde ergo hæc nova autoritas, per quam reis sine confessione & pœnitentia offertur præteritorum peccatorum impunitas & futurorum libertas? Quantam fenestram malitiæ per hoc patefecisti hominibus? Te, o mater, liberet Deus ab omni malo. Sit Jesus tibi ostium, sit Ostiarius. Nullus in te introeat, nisi cui Ostiarius aperuerit. Te, inquam, tuumque præsulem liberet Deus etiam ab his, qui, ut ait Micheas Propheta, seducunt Populum Dei, qui mordent dentibus suis & prædicant pacem. Et si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super eum bellum. Explicit.

CCXXXV.

Epistola Hierosolymitanæ Ecclesiæ ad occidentales Ecclesias.

Domino Papæ Romanæ Ecclesiæ & omnibus Episcopis, universisque Christianæ fidei cultoribus, Pisanus Archiepiscopus & alii Episcopi, Gothefridus gratia Dei Ecclesiæ sancti Sepulchri nunc Advocatus & R. Comes S. Ægidii cum universo Dei exercitu, qui est in terra, salutem & orationem. Multiplicate preces cum jucunditate & exultatione in conspectu Domini, quoniam magnificavit misericordiam suam complendo in nobis ea, quæ promisit in temporibus antiquis. Etenim cum capta Nycæa cunctus exercitus discederet, plus quam trecenta millia hominum armatorum illic fuerunt. Et licet hæc tanta multitudo universam Romaniam occupare, flumina epotare, segetes omnes una die depascere posset, tanta tamen plenitudine conduxit vitæ necessaria Deus, ut de ariete nummus, de bove vix XII. acciperentur. Præterea & si Principes & Reges Saracenorum contra nos surrexerunt, Deo tamen volente facile victi & conculcati sunt. Ob hæc itaque feliciter acta, quia quidam intumuerant, opposuit nobis Deus Antiochiam urbem humanis viribus inexpugnabilem, ubi per novem menses detentos in obsidione ejusdem, ita humiliavit, ut omnis superbiæ nostræ tumor desideret. Igitur nobis sic humiliatis, ut in toto exercitu vix centum equi boni invenirentur, aperuit Deus copiam suæ benedictionis & misericordiæ, nosque in civitatem induxit atque Turcos & eorum omnia potestati nostræ tribuit. Cumque hæc quasi viribus nostris acquisita obtineremus, nec Deum, qui contulerat, digne magnificaremus, tanta Saracenorum multitudine obsessi sumus, ut de civitate nullus egredi auderet. Præterea fames in civitate convaluerat, ut vix ab humanis dapibus se continerent aliqui. Longum est enarrare miserias, quæ in civitate fuere. Respiciens autem Dominus populum, quem tam diu flagellaverat, benigne consolatus; ac primo quasi pro satisfactione tribulationis lanceam suam, munus non visum a tempore Apostolorum, pignus victoriæ nobis obtulit: deinde corda omnium adeo animavit, ut illis, quibus ægritudo & fames ambulandi vires negaverat, arma sumendi & viriliter contra hostes dimicandi virtutem infunderet. Inde cum triumphatis hostibus fame & tædio exercitus deficeret Antiochiæ, maxime propter discordias Principum, in Syriam profecti Barram & Marram urbes Sarracenorum expugnavimus & castella regionis obtinuimus. Cumque moram ibidem disposuimus, tanta fames in exercitu fuit, ut corpora Saracenorum jam fœtentium a populo Christiano comesta sint. Deinde eum divino monitu in interiora Romaniæ progrederemur, largissimam atque misericordem & victorissimam manum omnipotentis patris habuimus nobiscum. Etenim cives & Castellani regionis illius, per quam procedebamus, ad nos cum multis donariis legatos præmittebant, parati servire & oppida sua reddere. Sed quia exercitus noster non multus erat, & in Hierusalem unanimiter festinabant, acceptis securitatibus tributarios eos fecimus, quippe cum de multis in ea civitatibus, quæ in maritimis illis sunt, plures homines haberent, quam in exercitu nostro

Digitized by Google

nostro fuissent; Cumque auditum esset Antiochiæ, quia manus Domini nobiscum esset, plures de exercitu, qui ibi remansit, consecuti nos apud Tyrum sunt. Sic itaque conviatore & cooperatore Deo nobiscum usque Hierusalem pervenimus. Cumque in obsidione illius multum exercitus laboraret, maxime propter aquæ inopiam: habito concilio Episcopi & Principes, circinandam esse civitatem nudis pedibus, prædicaverunt, ut ille, qui pro nobis in humilitate eam ingressus est, per humilitatem nostram pro se ad judicium de suis hostibus faciendum, nobis eam aperiret. Placatus itaque hac humilitate Dominus, octavo post humiliationem nostram die civitatem nobis tradidit, eo videlicet die, quo primitiva Ecclesia inde abjecta fuit, cum festum de dispersione Apostolorum a multis fidelibus celebratur. Et, si scire desideratis, quid de hostibus ibi repertis factum fuerit, scitote, quod in porticu Salomonis & in templo ejus nostri equitabant in sanguine Sarracenorum usque ad genua equorum. Deinde cum ordinatum esset, qui civitatem retinere deberent, & alii amore patriæ & pietate parentum suorum redire voluissent, nunciatum est nobis, quod Rex Babyloniorum Ascalonem venisset cum innumerabili multitudine paganorum, ducturus Francos, qui Jerosolymis erant, in captivitatem & expugnaturus Antiochiam. Sic ipse dixit. Aliter autem Dominus statuerat de nobis. Itaque cum in veritate comperissemus, exercitum Babyloniorum Ascalone esse, contendimus obviam illis, relictis sarcinis & infirmis nostris in Jerusalem cum præsidio. Cumque exercitus noster & hostium se conspexissent, genibus flexis adjutorem Deum invocavimus, ut, qui in aliis nostris necessitatibus legem Christianorum confirmaverat in præsenti bello confractis viribus Saracenorum & Diaboli, Regnum Christi & Ecclesiæ a mari usque quaque dilataret. Nec mora! clamantibus ad se Deus affuit, atque tantas audaciæ vires ministravit, ut qui nos in hostem currere videret, fontem aquæ vivæ sitientem cervum segnem adjudicaret, miro videlicet modo, cum in exercitu nostro non plus quam V. millia militum & XV. millia peditum fuissent, & in exercitu hostium C. millia equitum, & CCCC. millia peditum esse potuissent. Tunc mirabilis Deus in servis suis apparuit, cum, antequam confligeremus, pro solo impetu nostro hanc in fugam multitudinem convertit, & omnia eorum arma diripuit, ut si deinceps nobis rebellare vellent, non haberent arma, in quibus sperarent. De spoliis vero non est quærendum, quantum captum sit, ubi thesauri Regis Babyloniæ occupati sunt. Ceciderunt ibi plusquam C. millia Marorum gladio. Timor autem eorum tantus erat, ut in porta civitatis ad duo millia suffocati sint. De his vero, qui in mari interierunt, non est numerus. Spineta & ex ipsis multos obtinuerunt. Pugnabat certe orbis terrarum pro nobis, & nisi spolia castrorum de nostris detinuissent multos, pauci essent de tanta multitudine hostium, qui renunciare potuissent de bello. Et licet longum sit, tamen prætereundum non est. Pridie quam bellum fieret, multa millia camelorum, & boum, & ovium cepit exercitus. Cumque jussu Principum populus hæc dimisisset, ad pugnam progrediens, mirabile dictu, multas & multiplices turmas cameli fecerunt: similiter & oves & boves. Hæc autem animalia comitabantur nobiscum, ut cum stantibus starent, & cum procedentibus procederent, & cum currentibus currerent. Nubes & ab æstu solis nos defenderunt & refrigerabant. Celebrata itaque victoria, reversus est exercitus Jerusalem, & relicto ibi Duce G. Regimunt Comes Sancti ÆGIDII & Roubertus Comes Normanniæ, & Roubertus Comes Flandriæ Laodiciam pervenerunt. Ibi classem Pisanorum & Boëmundum invenerunt. Cumque Archiepiscopus Pisanus B. & Dominos nostros concordare fecisset, regredi Jerusalem pro Deo & fratribus R. G. disposuit. Igitur ad tam mirabilem fratrum nostrorum fortitudinis devotionem, & tam concupiscibilem & tam gloriosam Omnipotentis Dei retributionem, & tam exoptandam omnium peccatorum nostrorum per Dei gratiam remissionem, & Christi Ecclesiæ & totius gentis Latinæ invitamus exultationem, & omnes Episcopos & bonæ vitæ Clericos Monachosque, & omnes Laicos, ut ille vos ad dexteram Dei considere faciat, qui vivit & regnat.

CCXXXVI.

Hierosolymitanus Patriarcha & Episcopi tam Græci quam Latini, universaque militia Domini & Ecclesiæ, Occidentali Ecclesiæ consortium cœlestis Hierusalem & sui laboris portionem: Quoniam Ecclesiæ incremento vos gaudere non dubium ignoramus, & solicitos ad audienda tam adversa quam prospera credimus, amplificationis causas sic notificamus. Innotescat igitur caritati vestræ, Deum in LX. principalibus civitatibus & in ducentis castris suæ Ecclesiæ triumphasse, tam in Romania, quam in Syria, & nos habere adhuc de loricatis centum millia præter vulgus, amissis tamen multis in primis præliis. Sed quid hoc? Quid unus in mille? Ubi nos habemus comitem, hostes XL. reges; ubi turmam, hostes legionem; ubi nos militem, ipsi ducem; ubi peditem, ipsi comitem; ubi nos castrum, ipsi regnum. Nos autem non confisi in multitudine, nec propriis viribus nec præsumtione aliqua, sed clypeo Christi & justitia protecti; Georio & Theodoro & Demetrio & sancto Blasio militibus Christi, nos vere comitantibus, hostium cuneos securi penetramus & penetravimus & in quinque generalibus bellis campestribus Deo vincente, vicimus. Sed quid plura? Ex parte Dei & nostra ego Apostolicus Patriarcha & Episcopi, omnisque ordo Domini præcipiendo oramus, materque nostra spiritualis Ecclesia clamat: Venite filii mei dilectissimi, venite ad me, suscipite coronam ab insurgentibus filiis idololatriæ, ab initio mundi vobis prædestinatam. Venite ergo militatum in Domini militia ad eundem

dem

Digitized by Google

dem locum, in quo Dominus militavit, in quo Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus. Numquid non Deus innocens pro nobis mortuus eſt? Moriamur ergo & nos, ſi opus ſit, pro Deo, immo pro nobis, ut moriendo mundo vivamus Deo. Tamen non opus eſt nos mori nec pugnare multum; quod enim gravius fuit, nos ſuſtinuimus. Verum caſtra civitatesque retinendæ a nobis, multum imminuerunt exercitum. Venite ergo, feſtinate, duplici præmio remunerandi, videlicet terra viventium, terraque lacte & melle manante, omnique victuali abundante. Ecce viri, noſtri ſanguinis effuſione undique patent viæ. Nihil vobiscum afferatis, niſi quod quoquomodo ſufficiat, quo usque ad nos veniatis. Viri tantummodo veniant, fœminæ adhuc domi dimittantur. De domo, in qua duo ſunt, alter veniat expeditior ad bellum. Maxime vero hi, qui vota fecerunt: qui niſi veniant & vota perſolvant, ego Apoſtolicus Patriarcha & Epiſcopi, omnisque ordo Orthodoxorum excommunicamus, & omnino eos a communione Eccleſiæ removemus. Et vos idem facite, quod nec ſepulturam inter Chriſtianos habeant, niſi competenti cauſa remaneant. Venite, & nobiscum duplicem gloriam percipite. Hoc itaque & vos ſcribite.

CCXXXVII.

Hieroſolymitanus Patriarcha & B. Rex omnibus Chriſtianis orationem & ſalutem in Domino. Multis & innumerabilibus orationibus veſtris, jejuniis & continuis Eleemoſynis ſuffragati in periculis, nunc in ipſo neceſſitatis articulo veſtrarum orationum & Eleemoſinarum opitulari efflagitantes imploramus ſubſidio. Nam Alexandriæ Dux & ipſe Babylonicus Imperator, qui huc usque duces ſuos vel filios ad bellum mittebat; nunc ipſemet venire ſtatuit, atque jurejurando ſpoſpondit, ſeſe præſenti anno in nataliciis ſanctorum Apoſtolorum Philippi & Jacobi bellum campeſtre nobiscum inire. Quod ſi victi, quod Deus avertat, fuerimus, ipſi poteſtis colligere, quæ & qualia nos mortis ac crucis maneant pericula. Sin autem quod divina dignetur clementia concedere, nos conſequetur victoria, ſub ſalutis ſuæ & fidei teſtimonio, ſe vincula Baptiſmatis percipere promiſerunt: Unum vos per crucifixum obnixe poſtulamus, ut nobis aſſociari, quibus facultas veniendi eſt, non tardemini. Qui vero non valent venire, orationibus & Eleemoſynis non differant ſubvenire, quatinus tum veſtra præſentiali præſentia, tum orationum & Eleemoſynarum ſagina in Chriſti nomine palmam victoriæ valeamus obtinere. Quam ſcripturam ſuſcipere & ſuſceptam omni populo annuntiare ex parte Dei atque noſtra univerſo clero præcipimus. Notum vero ſit vobis Domini, quod quicunque ea, quæ ſuperius memoravimus, adimpleverint vel aliis annuntiaverint & annuntiatis favorem impenderint, orationis noſtræ & confratrum noſtrorum, qui ad ſepulchrum Domini invigilant, & qui ſunt ad ſanctam Mariam vallis Joſaphat, & eorum qui in monte Oliveti & qui in monte Sion & qui ad ſanctam Zabon, & eorum qui ſunt Bethlehem, & ad ſanctam Mariam Latinam orationis participes erunt. Qui plasmavit nos, ſit adjutor & defenſor noſter, orationibus veſtris & Eleemoſynis.

CCXXXVIII.

Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei R. Halberſtatenſi Epiſcopo ſalutem & Apoſtolicam b. Ad hoc in Eccleſia Dei conſtituti ſumus, ut Eccleſiæ ordinem & patrum debeamus præcepta ſervare. Tu ergo ordinem Eccleſiæ adeo exceſſiſti ut Eccleſiæ regimen per inveſtituram manus laicæ contra patrum decreta ſusceperis. Quæ cauſa eſt, cur nos petitioni tuæ ſatisfacere nequiverimus. Unum nos caritatem tuam monemus, ut tam grave delictum emendare feſtines. Statutum eſt vero in Trecenſi Concilio, ut ſi quis ex manu Laica Eccleſiæ inveſtituram acceperit; tam ipſe quam ordinator ejus deponatur & a Communione Eccleſiæ removeatur. Nos ſiquidem te, ut fratrem ac familiarem habere volumus & deſideramus. Vale.

CCXXXIX.

Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Epiſcopis, Abbatibus, Principibus, militibus & omnibus fidelibus per univerſas Gallias ſalutem & Apoſtolicam benedictionem; Fraternitatem veſtram latere nolumus, quæ his temporibus apud nos acciderunt. Venit quidam Wernerius Regni Teutonici famulus in Romanæ urbis vicina, evocantibus eum quibusdam perfidæ mentis hominibus, quorum alii extra urbem per manum quondam regiam jus ſive ſalarium ſedis Apoſtolicæ invaſerant, alii intra urbem, eo quod curiæ noſtræ munera ſive familiaritatem habere non poterant; Deum & Dei fidem poſthabere deliberaverunt. Talibus ſociis presbyter quidam Romanæ urbis advena ſe conjunxit, de quo vel ubi vel hactenus ordinatus ſit ignoramus. Hanc perſonam egregiam nigromanticis, ut dicitur, præſtigiis plenam, cum fideles noſtri occaſione treugæ Dei ab armis omnino deſiſterent, in Lateranenſem Eccleſiam induxerunt, & congregatis Wibertinæ fecis relliquiis ei Epiſcopi nomen pernitioſiſſime illeverunt. Nos vero tunc temporis propter Apoſtolicæ Baſilicæ dedicationem, quam die proximo in conventu celeberrimo per Dei gratiam peregeramus, adhuc in beati Petri porticu morabamur. Cum vero intra urbem die altero rediiſſemus, monſtrum illud turpiter ex urbe profugiens, quo tranſierit, ignoramus. Nunc autem omnia fraternitati veſtræ breviter indicamus, ne in auditu talium præſtigiorum ullo modo decipiamini, aut a ſtatu veſtro moveamini. Nos vero per Dei gratiam intra urbem honeſte tuteque perſiſtimus, & in hac turba neminem noſtræ ſocietatis amiſimus. Neque vero Moyſi populum ſuum Choræ & Datan & Abyran ſeditio abſtulit, aut excellentis angeli ſuperbia, qui Deo par eſſe voluit, majeſtatem Dei minuit; Ipſius vos majeſtas in omnibus protegat,

protegat, & Leonem ac Draconem feliciter conculcare concedat. Datum Lateranis VI. Kal. Oct.

CCXL.

Paschalis Episcopus servus servorum Dei, Venerabilibus fratribus & Coëpiscopis G. Constantiensi, D. Pataviensi & cæteris tam clericis quam laicis Teutonicarum partium Catholicis salutem & Apostolicam benedictionem. Pro religionis vestræ fervore gaudemus & omnipotenti Deo gratias agimus, qui vos in sui amore nominis confirmat; Quosdam autem vestrorum minus secundum scientiam zelum Dei habere audivimus, ut dum pravorum commixtionem vitant, etiam a regionibus vestris discedere meditentur. Qui profecto nequaquam laude Apostolica digni sunt, dum in medio nationis pravæ & perversæ perseverare non possunt, inter quos luceant velut luminaria in mundo verbum vitæ continentes. Uno vero pondere peccata hominum metiuntur, dum & excommunicatos propriæ voluntatis merito & excommunicatis communicantes reos æqualiter arbitrantur. Verum enim vero diversarum voluntatum diversus reatus agnoscitur. Siquis criminosus in Ecclesia juxta Apostolum nominatur, hujusmodi omnino cavendus est. Eadem etiam cautela cavendi sunt, qui nominatis vel actione, cum possint, vel, cum nequeunt, voluntate se copulant; Qui vero hujusmodi excommunicatis omnino inviti vel servitio vel cohabitatione junguntur, si hujusce imperfectionis dolore tangantur, non omnino vitandi sunt, nec tamen ad communionem sine correctionis remedio admittendi. Hinc est, quod prædecessor noster sanctæ memoriæ Gregorius Papa excommunicatorum uxores, servos, filios, rusticos, quorum voluntate & consilio excommunicationis meritum non perpetratur, viatores quoque ob itineris necessitatem invitos excommunicatis communicantes, excommunicationis vinculo non teneri constituit. Sic beatus Augustinus ad Auxilium evidenter ostendit: Discant, inquit, tenere fratres in omnibus viam, & in medio nationis pravæ & perversæ tanquam luminaria lucere studeant, ut non suæ tantum, sed & alienæ salutis mercedem ab eo mereantur recipere, qui singulorum examinat voluntates, causas discutit, quia nuda & aperta sunt omnia oculis ejus. De cujus miseratione confidimus, quia simplicis oculi corpus Tenebrarum caligo non opprimet, quo c. o. m. peccatorum. Obedientes monitis nostris miseratio vos divina custodiat, & ab omnibus peccatis absolvat.

CCXLI.

Pascalis Episcopus servus servorum Dei, venerabili R. Moguntino Episcopo salutem & Apostolicam benedictionem. Pro Ecclesiæ ac regni pace, pro Ecclesiarum ordinibus, pro partium nostrarum causis, & quem generalem oporteat haberi tractatum, fraternitatis vestræ novit solertia providere. Ea propter dignum duximus & magna consultatione deliberavimus, ut in proximis Octobribus Idibus, synodalem vobiscum debeamus celebrare conventum. Idcirco tam te, charissime frater, quam omnes Moguntinæ Ecclesiæ suffraganeos literis præsentibus præmonemus, ut convocatis dyocesium vestrarum, qui digniores videntur, Abbatibus, convocatis & Clericorum personis, quibus concilii tractatus necessarius est, prænominato in tempore citra Alpes nobiscum convenire omni occasione vel seposita procuretis, quatinus largiente Domino, ablatis de medio schismatum causis Ecclesiæ ac regno pacis reformetur integritas. Data II. Kal. April.

CCXLII.

Epistola Argentinensis Ecclesiæ ad Pascalem Papam.

Pascalis universali Romanorum Pontifici Argentinensis Ecclesiæ fratres fidem & obedientiam. Omnium cum sit, venerande Pater, tua sollicitudo Ecclesiarum, tu refugium miserorum, imo patrocinium orbi advenisti desiderabile: Unde adhuc humano generi consulere Deus non despicit per hæc nova; quoniam lux in tenebris effulsit. Tu ergo benedictus es, ad cujus introitum nobis benedixit & benedicat Deus. Respice igitur gentem miseriis & pressuris insignem: Veni & vide filiam Syon lugentem & captivam nec respirare nec consolari, nisi in te solo, exspectantem. Egredere, Dilecte, in agrum, tempus putationis jam venit. Apostolica igitur falce succidendum est, quicquid vitiosum est, ne simul trahatur sincerum. Veniens itaque visita vineam nostram a vulpeculis demolitam, & a singulari fero depastam. Nam, ut ad rem ipsam perveniatur, annos jam circiter XXX. sicut oves balantes semper erravimus, fluenta verbi sicientes raro potavimus, & jam quid sit vox Pastoris non novimus. Quo ergo restat eundem nisi post vestigia gregum sodalium? Quod si tales vigilias, pastor, districte non judicas, & insidias Christi ovibus in Ecclesia lupo meditanti locus si conceditur, ipsi locus non erit. De cætero autem quid agendum sit nobis de nostro, ut dicitur, Episcopo, nomen quidem dignitatis tot annos habente, sed officium minime, cujus vitam & introitum excelsum montium, humilia convallium jam respondent, sanctitatis tuæ consilium ac præceptum audire cupimus. Tu ergo pacis Catholicæ fundamentum inviolabilis petræ signum, fac, ut temeritas Romanorum consilium cedat auctoritati.

CCXLIII.

Rescriptum Pascalis Papæ ad Argentinensem Ecclesiam.

Pascalis Episcopus servus servorum Dei Clero Agentinensi & populo salutem & Apostolicam benedictionem. Perspectis litteris vestris de vestra oppressione & Ecclesiæ vestræ destructione paternaliter condoluimus; Sed quia pro justitia patimini, pro qua beati eritis, congaudemus. Ut igitur ad illam beatitudinem pervenire possitis, in bono proposito constanter perseverate, atque illi intruso & Ecclesiæ

Dei

Digitized by Google

Dei tædioso viriliter resistite, quia per Dei gratiam neque electioni neque consecrationi ejus assensum dedimus aut dabimus. Vobis autem in omnibus, quæ pro justitia agitis, nostrum consilium & auxilium nunquam deerit, præstante Domino, qui vivit & regnat in secula seculorum Amen.

CCXLIV.

Paschalis Episcopus servus servorum Dei Clero & Civibus Aretinis salutem & Apostolicam benedictionem. Officii nostri auctoritate compellimur, ut Ecclesiarum omnium solicitudinem gerere debeamus; itaque pro venerabili fratre nostro Episcopo vestro præsentes literas ad vos decrevimus destinare. Audivimus, quoniam nec debita eum veneratione tractetis, nec debitam illi obedientiam persolvatis. Quod profecto divinæ constitutioni penitus contradicit. Dominus siquidem Jesus Christus cum pretiosi sui sanguinis effusione sanctam redemisset Ecclesiam, pastores in ea constituit, qui vice sua populo suo salutaria ministrarent. Unde qui eis injurias irrogant, eorumque mandata contemserint, ipsi Domino irrogare eumque contemnere cognoscuntur, sicut ab eo dicitur: Qui vos tangit, pupillam oculi mei tangit; & qui vos spernit, me spernit. Itaque universitati vestræ præcipimus, ut usque ad proximam Domini nativitatem ad prædicti confratris nostri Episcopi vestri obedientiam redeatis, eumque sicut Patrem ac magistrum & Dei vicarium affectione debita diligatis & debita reverentia veneremini. Alioquin nos ex tempore, quod divina dispositione ministerii nostri est, vobis auferimus & ipsam spiritualem alimoniæ pastionem, divina videlicet officia, donec resipueritis, interdicimus. Dignum est, ut qui Deum in ministerio suo contemnitis, Dei quoque beneficio & vicarii sui ministerio careatis.

CCXLV.

Venerabili Episcopo O. Fuldensis congregatio, siquid contritorum valet oratio. Quia timorem Dei & amorem justitiæ in vobis esse novimus, querelam nostram auribus vestris fiducialiter deponimus, postulantes, ut in hac re nobis subveniatis & de cætero causam nostram apud Imperatorem suscipiatis. Nisi reverentia vestri nos retineret, de clerico vestro paupertas nostra querimoniam Imperatori facere deberet, qui nobis statutam alimoniam de Svevia subtraxit & vestitum tempore statuto sed & adhuc dare neglexit. Unde petimus, ut potestate tradita illum coërceatis & annonam victumque nobis dari faciatis, ut qui illum honoris vestri causa tam diu patiebamur, vestro patrocinio ab eo omnino non negligamur. In Domino valeat paternitas vestra.

CCXLVI.

Singulari Domino suo G. Episcopo H. vere suus quicquid suus. Quoniam ut verum fatear, prout debeo, singulariter vos diligo, quid tantæ dilectioni dignum offeram non invenio, sed quia me ipso nihil carius possideo, me ipsum caritati vestræ per omnia subjicio, utimini me, ut libet; nihil est certe, quod, vita comite, si opus sit, pro vobis dubitem, subire. Aliter si facerem, meritis vestris nequaquam pari obsequio responderem. Grato quidem animo vestra, Domine, complector beneficia, plurimum tamen vestra obstringor benevolentia.

CCXLVII.

Reverentissimo Domino suo H. tam devotum quam debitum totius dilectionis & humilitatis obsequium. Sinceræ mentis ac fidei norma hoc exigit, ut quem quisque vere ac pie diligit, semper ei præsens adesse velit, vel si forte eum abesse contingit, sui tamen usque meminerit, eique fideliter quem recolit, licet absens, aliquo amoris officio, suos interim commendet affectus. Quod autem tanto tempore nostræ præsentiæ literis meis rarius aliquando memini dilectionis vestræ, quæso, Domine, ne tanquam immemorem & ingratum ea putetis neglexisse, magisque certe nos id frequenter ac recte sciatis attendisse, quam difficile, quam pene potius sit impossibile tantæ reverentiæ, tantæ dilectioni tantæque vestræ benignitati dignum aliquid perscribere. Vestra vero merita, vestraque Domine, beneficia, ut æquum est, in animo meo gratiose, semper commemorans, malui potius nihil scribendo quodammodo videri ingratus, quam minus dicendo minus esse officiosus.

CCXLVIII.

Socio & amico suo fraterno, Coloniensi Archi-Magistro H. suus & vere suus, totusque suus salutem & veræ fidei sinceritatem. Clarissime jucunditas tuæ dilectionis & amicitiæ jam pridem nostrum vehementer accendit animum; Jam tua præsentia semperque tuo, si fieri posset, perfrui vellem colloquio. Talis tantique amici diuturna visio ac frequens collocutio, magna & grata nobis foret recreatio. Sed tam ex tuis quam ex meis occupationibus, rarius nos invicem conspicimus, illo tamen profecto mentis oculo longe digniori & excellentiori indesinenter fere te video, & quadam imaginaria animi intueor præsentia. Toto itaque mentis affectu tuæ dilectionis complexus memoriam, ut pari cura parique gratia nostri velis meminisse, caritatem tuam obtestamur, & ammonemus & signum veræ pacis & amicitiæ annulum tibi transmittimus, cujus, quæso, non æstimes pretium, sed mittentis penses affectum.

CCXLIX.

Dilecto Domino & amico sui H. G. suus præsens, suus absens salutem ac debitæ caritatis affectionem. Nequaquam profecto noster in vobis me fefellit animus, nequaquam, quantum intelligo, inter alios quamplures reputandum vos æstimo, qui plerumque quos præsentes quadam levitate se simulant diligere, absentes solent facile negligere. Quod ab initio agnitionis vestræ mihi solebam cum quadam animi securitate de vobis semper promittere, jam antea sæpius expertus, certissima fidei vestræ experior ambitione, quæ certe per absentiam no-

stræ præsentiæ præsentiam nostram non amittens, memoria fideli ac familiari litterarum suarum nos instituit ammonitione. Quarum dulci allocutione ac frequenti relectione exhilaratus: quanquam commode quidem & recte vos sciam nobis consulere: non tamen tam nostræ commoditatis, quam cura vestræ moveor dilectionis. Jure itaque jam a principio tota mentis affectione fidei vestræque caritatis devotus obsequio familiaritatis vestræ gratiam semper affectabam, eo impensius eam toto complectens desiderio, quanto & morum vestrorum probitatem & vestræ nobilitatis novimus honestatem. Honesta ergo & benigna exoptatæ vestræ familiaritatis usus benevolentia, quæ benigne sæpe mihi in præsenti vos memini contulisse, consuetis ac publicis liberalitatis vestræ deputo beneficiis. Quod tamen solita benignitate nostri quandoque memor estis, tanto majori digna reor acceptione, quo magis id vestro congruit officio & mutuo amicum potius mente, quam oculis aspicere; ac nos omni quidem devotione fideique sinceritate vobis semper obnoxii, meritis vestris ac beneficiis obligati, nulla locorum remotione, nulla rerum nostrarum occupatione, ab assueta & gratissima vestri recordatione impediemur animo, eo voto & gratia semper pro vobis sollicitus, ut quemlibet statum rerum vestrarum reputemus nostrum. De vestra ergo nisi fallor amicitia quæcunque conditio tandem divino nutu nos expectabit, si prospera profecto vobiscum nobis erit jucundior, si adversa vestro ut spero lenior auxilio. Nec parvum in vobis, nec dubium, si opus fuerit, in vestra probitate nobis proposuimus refugium. Rogamus autem vos & obsecramus plurimum, ut aliquando mentionem apud Dominum meum Episcopum facientes, quemadmodum scitis & potestis, nos ei commendetis, quoniam ejus salva gratia nobis ac propitia de reliquo timendum non æstimo: Vale.

CCL.

Serenissimis Dominis sanctæ Babenbergensis Ecclesiæ reverentissimis Fratribus G. V. Niumburgensis Episcopatus cum orationis instantia servile obsequium ac semetipsum ad omnia deditissimum. Fraternum est, fratrem adjuvare, omnesque bonos condecet malignantium violentiam propulsare. Notificamus fraternitati vestræ, quod H. cum suis satellitibus meam Præposituram deprædatus est: Quem quoniam canonicis induciis ad satisfactionem vocavimus, & venire non vult, intime vos rogamus & pro eodem fraternæ vicissitudinis obsequio monemus, quatinus ille quicunque inter vos hanc habet potestatem, in sua prælatione notificet, quoniam & a limitibus Ecclesiæ & a fidelium consortio canonice est excommunicatus: Vos etiam excommunicatum habetote, & ut rebellem & blasphemum compellite ad satisfactionem.

CCLI.

Domino suo Henrico R. Imperatori semper Augusto. Christi martiris Bonifacii humilis Congregatio Exultare in Domino & feliciter triumphare de adversario. Testis est, cui omne cor patet, Dominus, quoniam sine intermissione tui memoriam facimus, nostris orationibus obsecrantes, quatinus pius Dominus in faciem Christi sui respiciat, & consilium adversus te malignantium ad nihilum redigat. Et quia post te clarissimum Dominum nostrum semper adhærebit anima nostra, prospiciat imperialis clementia saluti nostræ, quæ pendet in manu tua, ut villam N. pro qua sæpius ad te clamavimus, nunc demum jubeas nostræ indigentiæ restitui & erimus in perpetuum ecce coram Deo devotissimi oratores tui. Nos autem & in modico & in magno, quia per omnia & in omnibus in te speramus, juvet anima tua Clarissime Dominorum, ut non pereamus.

CCLII.

Trevirorum Dei gratia Provisor indignus O. Sanctæ Babenbergensis Ecclesiæ Pontifici sinceræ caritatis obsequium. Beatitudini vestræ magna hilaritate congratulor, quoniam non absque magno sanctitatis vestræ merito credo provenire, memoriam vestri Dominum Papam tam dulciter retinere. Cum Domini mei regis legatione functus essem de obedientia vestræ caritatis mecum contulit, vobisque salutem & Apostolicam benedictionem per me mandavit. Inito autem dispensationis consilio nobis injunxit, ut Eistetensem atque Spirensem Electum consecraremus, vosque in adjutorem & cooperatorem nobis vocaremus. Quia de Spirensi quædam sibi significata fuerant, præcepit, ut eum sancto studio examinaremus, & si ordine, fratrumque, qui adessent, testimonio posset se de objectis expurgare, ad Dei honorem & Ecclesiæ necessariam providentiam ipsum ordinaremus. Ex parte igitur Domini Papæ vos moneo, & ratione ejus, quæ inter nos est, fraternitatis convenio, ut hoc, quia causa Dei est, ne per vos proteletur, studeatis, & a die resurrectionis Dominicæ infra quindecim dies ad nos Spiram veniatis.

CCLIII.

Venerabili sanctæ Babenbergensis Ecclesiæ Episcopo Clerus Spirensis summæ devotionis obsequium cum instantia orationum. Vestram, Domine, precibus obnixis implorare majestatem necessitas gravissima nostræ nos compellit Ecclesiæ, persuadet vestræ propensum in cunctos studium benevolentiæ, hortatur debita laboris impensi, præsertim inter Episcopos, vicissitudo. Cum consecrationes Episcoporum differri necessitas non toleret Ecclesiarum, & ultra menses tres protelari sancta Patrum instituta prohibeant, quid pro tam diu protracta nostri Pontificis ordinatione detrimenti incurrerimus, magis rerum evidentia demonstrari potest, quam ut verbis explicari debeat. Ipse autem communi assensu tam Cleri quam populi libere electus, a metropolitano suo quoad vixit, promotionem debitam reverenter expetiit, nec congruam differendæ rei tam debitæ causam saltem invenit. Ne igitur negligentiæ argue-

Digitized by Google

argueretur, a Domino Apostolico ejusdem rei licentiam quæsivit & consilium, qui ratione perpensa Archiepiscopo Treverensi injunxit, quatinus legitime a nobis electum, vobis laudante & suffragante consecraret Episcopum. Precamur ergo, Domine, nos Spirensis Clerus & Populus, ut quod Dominus Apostolicus consensit & voluit, quod Regi & Episcopis placuit, quod Treverensis Archiepiscopus exposcit, vos causa Dei, causa precum nostrarum & obsequii facere non differatis.

CCLIV.

Heinricus Dei gratia Rom. Imp. Augustus Babenbergensi Episcopo suo fideli Charissimo, gratiam & omne bonum. Cum Dei providentia & magnæ pietatis ejus consilio de nostro regno utique pacatissimo congauderemus, Advenerunt nobis nuntii ex parte G. Ducis & B. Comitis, aliorumque fidelium nostrorum Marchiæ Flandrensis, intimantes eos diutius non posse sustinere molestias R. Comitis, qui regnum nostrum invasit, & ad ignominiam omnium, qui in eo sunt, sibi nostrum Cameracensem Episcopatum usurpavit. Nunc, quemadmodum res hortabatur, nostros principes convocatos consuluimus, & ab eis sapienter re notata, constituimus eorum consilio nos facturos expeditionem in Flandriam supra tam præsumtuosum hostem, qui noster miles debet esse, ne diutius de indiminutione & dedecore regni nostri impune superbiat. Hoc siquidem tam manifestum & tam commune regni nostri dedecus tibi fratri si tuum honorem diligis, pensare debes cordetenus. Ut igitur fideliter hoc facias & prudenter, rogamus te sub spe remunerationis tibi gratissimæ & per fidelitatem, quam nobis & regno debes monemus, ut omni occasione destructa, sicut honor est regni atque tuus ad expeditionem venias. Sciens, quod in proximo festo Sanctorum omnium Thungris juxta Leodium conveniemus, parati super Flandriam equitare. Nec mireris, mutatum esse adventum nostrum Ratisbonam, sicut intellexeras, quando nobiscum eras, quia hujus rei necessitas intervenit, & utiliter ad decus regni firmiter est laudata ab omnibus nostris expeditio nostra super hostes in Flandriam.

CCLV.

Heinricus Dei gratia Roman. Imp. Augustus O. Babenbergensium dilecto Episcopo gratiam habunde & omne bonum. Roma nostri nuntii rediere & Dei gratia ex parte maxima nobis læta & prospera retulere. Mandant etiam nobis nostri fideles, quod tempus hiemis acceptabile, ut Romanæ sedi & Romano Papæ consulamus. Quapropter necessario nostros principes convocamus, ut, sicuti justum est, eorum consilium & auxilium habeamus. Ad quod plurimum indigemus tuæ fidei præsentia, & tui consilii prudentia, quoniam & te cordetenus diligimus, & tibi de omni honore nostro prout nobismetipsis indubitanter confidimus. Confidenter igitur, & intime tuam rogamus dilectionem, ut die Veneris post proximum festum Sanctæ Mariæ venias ad nos Spiram & ibi super his tui & aliorum nostrorum principum consilio ad Dei honorem & regni & Christianæ pacis statum tractabimus. Et hilariter facias hoc, sciens, quod te cito dimittemus, & modo libenter tibi parceremus, nisi tam alti negotii nos urgeret instantia. Præterea mandamus tibi, ut mittas pro Comite N. quem tibi commisimus & ibi eum nobis repræsentes.

CCLVI.

Heinricus Dei gratia Romanorum Imperator Augustus Al. Reginæ Anglorum salutem & omne bonum. Sicut nonnullorum relatione didicimus, multas grates bonitati tuæ, multa debemus argumenta amicitiæ, eo quod in ore & corde tuo pretiosius sit honor & dilectio nostra, & quia tam apud Dominum tuum, quam apud omnes tibi auscultantes in bonum de nobis sæpe publice & privatim es locuta. Cujus rei quandoque, Deo volente & vitam tribuente, non immemores erimus, & benevolentiæ tuæ prout honor noster exigit, condigne per omnia respondebimus. Siquid ergo est in regno aut in facultatibus nostris, quod dignum te sit affectare, nullatenus id credas nos velle aut posse tibi denegare. Et nunc igitur in ea, qua semper erga nos fuisti, benevolentia attentius persevera, ut in his omnibus, quæ Domino tuo mandamus, studium tuum experimento cognoscamus. Sentiat Comes tuus H. non solum nos, sed etiam te & Dominum tuum offendisse, qui nuntios nostros impedire ausus est, quos misimus vobis utrisque.

CCLVII.

Heinricus Dei gratia Rom. Rex Consulibus & Senatui, populo Romano, majoribus & minoribus gratiam suam cum bona voluntate. Divina disponente gratia, postquam regnum patrum nostrorum intravimus, urbem caput & sedem nostri imperii pio affectu visere optavimus, & eam more magnorum prædecessorum exaltare, honorare & ditare, ut Dominus fideles, ut pater filios, ut Civis concives decrevimus. Hujus autem propositum desiderii non voluntas, verum diversa, diuque disturbata retardavere regni negotia. Quibus tandem Dei nobis favente clementia sedatis, compositis, subjectis, expediti in Italiam venimus, illamque præ ceteris terris discordem & divisam pro tempore ad justitiam & concordiam coëgimus. Ad vos ergo properantes & jam diu desideratum incœptum ad effectum perducere conantes, ut legati nostri jussu vestro laudaverunt, nosque invitati sumus Ecclesiæ & ab Ecclesia vobis & a vobis pro facienda & recipienda justitia pacifice venimus. Volumus, quatenus idoneos nuntios vestræ utilitatis providos & nostri honoris devotos nobis obviam mittatis, quorum consilio & nostrorum unito ad vos vobis commodi & nos aptius veniamus.

CCLVIII.

Excellentissimo Domino suo Henrico Dei gratia Rom. Imperatori Augusto A. Majestatis suæ & Aquensis Ecclesiæ servus incolumis vitæ longi-

longitudinem cum victoriæ corona. Quantum Clementiæ vestræ imperium prosperari desidero, a fidelibus vestris & ab effectu mei servitii, si placet, cognoscere poteritis; Notum igitur vobis facio, quod audivi, synodum videlicet Romæ fieri, in qua asseritur, Dominum Papam vel deponi & alterum debere eligi, qui omne consilium pacis, quod cum Domino vel firmastis, dissolvat, pro eo quod vel Dominus non audet, vos propter factas inter vos & ipsum securitates excommunicare. Ad hoc quoque Mediolanenses quendam Archiepiscopum elegerunt & a quibusdam Parrochianis suis eum consecrari fecerunt; quod ego videns contra imperii vestri honorem fieri omnino interdixi, & licet ab ipsis multum rogatus, hujusmodi consecrationi interesse, nec assensum præbere volui, imo dedi operam erigendi magnum parietem populi contra populum sub occasione cujusdam alterius Archiepiscopi, quem pars illorum intendit deponere, viri scilicet perfectissime literati & ingenio astutissimi & eloquentissimi, curiæ vestræ valde necessarii, cujus partem propter honorem vestrum in tantum auxi, quod medietas populi contra medietatem populi contendit; Nunc itaque videat pietas vestra si ad hoc velitis me laborare, ut & populus ille maneat divisus & antiquus ille Archiepiscopus a vestra majestate adjuvetur, scribendo præcipite. Quoniam quicquid mandaveritis & de his & de aliis fideliter implere studebo; igitur, ut inimicorum vestrorum consilia exinaniri faciatis, consulere præsumo, ut in Italiam venire festinetis; neque multum magno exercitu indigetis. Vestra est enim adhuc Longobardia dum terror, quem ei incussistis, in corde ejus vivit, & facilius potestis cum pugillo aquæ scintillulam ignis extinguere, quam flammarum globum cum aquarum abundantia. Venite itaque modo confidenter, quoniam adjuvante Deo consilium, quod Romæ & Mediolani contra vos jactatur, ante quam fortiores assumat vires, nostro & aliorum fidelium vestrorum consilio facillime destruetur.

CCLIX.

Heinrico Domino suo Imperatori Rom. Augusto B. Farsensis Abbas, purissimæ fidelitatis obsequium. Nostræ Ecclesiæ fidelitatem & olim patrem vestrum & nunc vos expertum per omnia non ambigimus. Etenim integritatem Culminis imperii vestri uti primam vitam nostra Ecclesia diligit; Verumtamen, quod differtur tranquillitas, in laborando nostra non cessat anxietas. Placuit vestræ Excellentiæ nos consulere super negotiis partium istarum vestri imperii, quorum nonnulla jam per vestros legatos vobis intimavimus & semper soliciti & vigilantes juxta nostram scientiam & intellectum intimare, fidelissime curamus. Denique Apostolici intentio, ut certius nobis videtur, ad hoc viget, & molitur, ut irrecuperabile vobis detrimentum operari valeat, & tum demum irrevocabilem contra vos proferet sententiam. Interim callide agit, clandestinis machinationibus, quatenus incautos vos & minus sollicitos reddat. Nam verba, quæ vobis literis suis blanda & placatissima mandavit, quamvis nobis ignota sunt, fraude tamen plena pro certo existimamus, & ut adventus vester in Italiam differatur, eum ad vos transmisisse arbitramur, licet fortasse eisdem apicibus adventum vestrum se desiderare ostendat. Enimvero cum ad synodum ob vestri defectionem honoris ire trepidarem fidelissimos ac prudentissimos missos dirigere curavi, ut eorum certa relatione audita & visa vobis intimare valerem. Itaque tum Apostolicus cum ab Episcopis & a Clericis nonnullis compelleretur, ut vos nominatim excommunicationi submitteret, renuit, hæc, ut nobis videtur, causa, quam prædiximus, & sic tandem intulit sententiam dicens: Ego non prædico nec damno vel excommunico quemquam, nisi quæ pater meus Urbanus & Gregorius instituerunt. Veruntamen privilegium, quod compulsus sum imperatori firmare, fateor, me invitum egisse, & culpabilem super hoc recognosco. Quapropter ab eodem Apostolico & Episcopis constitutum est, ut deinceps pro nihilo habeatur, & in nullo penitus observetur. Præterea excellentiæ vestræ suggerimus, ut adventum vestrum quantocius efficere studeatis, ne forte adversantium fraus contra vestram coronam diu inveterata roboretur. Siquid in illis partibus, ubi moramini, secus vel in Longobardia ab aliquibus agitur, quam congruum videtur, pro tempore sedare curatote, ne vestro adventui fiat impedimentum. Nomina autem præcipuorum euntium ad Constantinopolitanum Regem præter aliorum plurimorum, quæ ignoramus, hæc sunt: Gregorius de Romano & frater ejus O. & Pater de Rammio Pauli & O. Johannes de Luccio. Super hoc autem, quod hinc recedentes vestram benevolentiam erga nostram Ecclesiam, ceu speravimus, adimplere minime potuistis, non vobis imputamus, quia in maximo labore vos tunc fuisse conspeximus nec ob hoc in aliquo claudicamus, quoniam in futurum Deo prosperante omnia a vobis adipisci, & recuperare confidimus. Ad ultimum iterum hortamur, ut nullo modo venire tardetis.

CCLX.

O. Dei gratia Babenbergensi Episcopo suo dilecto A. Cancellarius indissolubilem dilectionem & æternam jucunditatem. Te & tuum honorem profecto scias cordetenus diligo, & ubicunque potero, ut ad tuam utilitatem tua voluntas impleatur, libenter laborabo. Rogo ergo te ex dilectionis debito ut hilariter perficias, quod Rex noster Dominus te rogat, in suis literis pro tua utilitate & meo consilio. Venias Wormatiam sciens & credens, quod ibi rem tuam cum Domino nostro rege ad tuum honorem & Ecclesiæ tuæ commodum componam fideliter, quantum potero. Mando autem tibi rogando diligenter & consulendo, ut voluntatem Domini mei facias de beneficio G. dando, sicut te rogat in suis literis.

CCLXI.

Google

CCLXI.

Epistola Heinrici quarti Imperatoris ad Parmenses.

Heinricus Dei gratia Rom. Imp. Augustus. Parmensis Ecclesiæ Capitaneis, clero & populo gratiam suam & omne bonum. Notum esse volumus dilectioni & discretioni vestræ, ea quæ inter nos & Dominum P. Papam erant, quomodo incœpta acta sint, scilicet de conventione inter me & ipsum de traditione in nos & nostros Romanorum, ut audita intelligat & intellecta examinet, examinata dijudicet. Cum in eo essem totus, ut me ad Ecclesiæ utilitatem & ipsius votum, si justum esset, componerem, cœpit dilatationem & exaltationem regni super omnes antecessores meos promittere: studebat subdole tamen, quomodo regnum & Ecclesias a statu suo discinderet, tractare. Quod sic facere aggressus est. Regno nostro a Carolo trecentis & eo amplius annis & sub LXIII. Apostolicis Investituras Episcopatuum eorumdem autoritate & privilegiorum firmitate tenenti absque omni audientia volebat auferre & per nuntios cum nostros ab eo quæreretur, omnibus his sublatis, quid de nobis fieret? in quo regnum nostrum constaret? quoniam omnia fere antecessores nostri Ecclesiis concesserunt, & tradiderunt. Subjunxit: Fratres Ecclesiæ decimis & oblationibus suis contenti sint; Rex vero omnia prædia & regalia, quæ a Carolo & Ludovico, Ottone & Heinrico, aliisque suis prædecessoribus Ecclesiis collata sunt, sibi & suis successoribus recipiat, & detineat. Ad hæc cum nostri responderent: nos quidem nolle Ecclesiis violentiam inferre, nec ista subtrahendo tot sacrilegia incurrere; fiducialiter promisit & sui sacramento promiserunt, dominica Esto mihi se omnia hæc cum justicia & autoritate Ecclesiis auferre, nobisque & regno cum justicia & autoritate sub anathemate confirmare & corroborare velle: nostris tunc idem firmantibus, si hæc, uti præmissum est, complesset, quod tamen nullo modo posse fieri sciebant; me quoque investituras Ecclesiarum, uti quærebat, refutaturum, sicut in Charta conventionis plenius videre poteritis.. De traditione vero in nos & nostros sic se res habet: Vix portas civitatis ingressi sumus, cum ex nostris infra mœnia secure vagantibus, quidam vulnerati, alii interfecti sunt, omnes vero spoliati aut capti sunt, ego tamen quasi pro levi causa non motus, bona & tranquilla mente usque ad Ecclesiæ beati Petri januas cum processione perveni.

CCLXII.

Dominus Papa præcipiet Episcopis præsentibus in die Coronationis Regis, ut dimittant regalia Regi & Reginæ, quæ ad regnum pertinebant tempore Caroli, Ludovici, Ottonis, Heinrici & aliorum prædecessorum ejus & scripto firmabit sub anathemate, autoritate & justitia nequis eorum præsentium & absentium vel successores eorum intromittant se ullo modo vel invadant eadem regalia & Civitates, Ducatus, Marchias, Comitatus, Monetas, theloneum, mercatum, advocatias, omnia jura Centurionum & villicorum curtes & villas, quæ regni erant, cum omnibus pertinentiis suis, militiam & castra; nec ipse regem & regnum super his inquietabit ulterius, & privilegium sub anathemate confirmabit, nec posteri inquietare præsumant, regem benigne & honorifice suscipiet & more prædecessorum ipsius Catholicorum coronabit, & ad tenendum regnum cum his omnibus officii sui auxilio adjuvabit. Si Dominus Papa hæc Regi non adimpleverit, ego Petrus Leonis juro, quod cum tota potentia mea tenebo me ad Dominum Regem, obsides autem, nisi effugerint, reddemus altero die post Coronationem Regis. Si per Papam remanserit, ut non coronetur, similiter reddemus. Die Dominico cum Rex ad processionem venerit, obsides dabo Gracianum filium meum, & filium Wizonis filii mei vel filium sororis meæ, si eum habere potero. Hæc sunt sacramenta. Ego Petrus Leonis juro vobis quia Dominus Papa proximo die Dominico adimplebit regi, quod in charta conventionis scriptum est. Hæc sunt sacramenta ex nostra parte. Ego Comes Hermannus, Ego Comes Gothfridus, Ego Fridericus, Ego Volckmarus, Ego Adelbertus juro vobis, quoniam Dominus Rex proxima IIII. vel V. feria ita principes jurare faciet & obsides dabit, sicut in Charta conventionis scriptum est, & sic observabunt principes Domino Papæ, si Dominus Papa proximo die dominico sic adimpleverit regi per omnia, sicut in charta conventionis scriptum est. Cum ergo supradictæ postulationi insisterem, scilicet ut cum justitia & autoritate promissam mihi conventionem firmaret, universis ei in faciem resistentibus & decreto suo plenam hæresin inclamantibus scilicet Episcopis, Abbatibus tam suis, quam nostris & omnibus Ecclesiæ filiis hoc, si salva pace Ecclesiæ dici potest, privilegium proferre voluit. Ubi, ut ostenderemus, nullam Ecclesiarum Dei disturbationem ex nostro velle procedere, in cunctorum astantium oculis & auribus hoc decretum promulgavi.

Ego Heinricus Dei gratia Rom. Imp. Augustus affirmo Deo & sancto Petro, omnibus Episcopis, Abbatibus & omnibus Ecclesiis omnia quæ Antecessores mei Reges vel Imperatores eis concesserunt, vel tradiderunt, & quæ illi pro spe æternæ retributionis obtulerunt Deo, ego peccator pro timore terribilis judicii ullo modo subtrahere recuso. Hoc decreto a me lecto & subscripto petii ab eo, ut sicut in Charta Conventionis ejus scriptum est, mihi adimpleret. Hæc est charta conventionis ejus ad me.

CCLXIII.

Privilegium Pascalis Papæ, quod dedit Henrico IV.

Pascalis Episcopus servus servorum Dei dilecto filio Heinrico Regi ejusque successoribus. Et divinæ legis institutione sancitum & sacris canonibus interdictum est, ne sacerdotes curis secularibus occupentur, neve ad Comitatum, nisi aut pro damnatis eruendis, aut pro aliis, qui injuriam

injuriam patiuntur, accedant. Nunc & Apostolus Paulus: secularia, inquit, judicia si habueritis, contemtibiles, qui sunt inter vos, illos constituite ad judicandum. In regni autem vestri partibus, Episcopi vel Abbates adeo divitiis secularibus occupantur, ut comitatum assidue frequentare & miliciam exercere cogantur. Quæ nimirum aut raro aut nunquam sine rapinis, sacrilegiis, incendiis, aut homicidiis exhibentur. Ministri altaris ministri curiæ facti sunt; quoniam Civitates, ducatus, Marchias, monetas, curtes & cætera ad regni servitium pertinentia a Regibus acceperunt; Nunc & mos Ecclesiæ intolerabilis inolevit, ut Electi Episcopi nullo modo consecrationem acciperent, nisi prius per manum regiam investirentur. Qua ex causa & Symoniacæ heresis pravitas & ambitio non nunquam prævaluit, tanta ut nulla electione præmissa, Episcopales Cathedræ invaderentur, aliquando & vivis Episcopis investiti sunt. His & aliis plurimis malis, quæ per investituram plerumque contigerant, prædecessores nostri Gregorius VII. & Urbanus Secundus felicis memoriæ Pontifices excitati collectis frequenter Episcopalibus consiliis investituras illas manus laicæ damnaverunt & si qui Clericorum per eam obtinuissent Ecclesias, deponendos, datores quoque communione privandos esse censuerunt, juxta illud Apostolicorum Canonum capitulum, quod ita se habet: Si quis Episcopus secularibus potestatibus usus, per ipsos Ecclesiam habeat vel obtineat, deponatur, & segregetur, omnisque qui illi communicatur. Porro Ecclesias cum oblationibus & hæreditariis possessionibus, quæ ad regnum manifeste non pertinebant, liberas manifeste decernimus, sicut in die Coronationis tuæ omnipotenti Domino in conspectu totius Ecclesiæ promisisti. Oportet Episcopos curis secularibus expeditos, curam suorum agere populorum, nec Ecclesiis suis abesse diutius. Ipsi juxta Paulum Apostolum provigilant, tanquam rationem reddituri pro animabus eorum. Quorum vestigia subsequentes & nos eorum sententiam Episcopali concilio confirmamus. Tibi itaque, fili carissime, Henrice Rex, & nunc per officium nostrum Dei gratia Romanorum Imperator & regno regalia illa dimittenda præcipimus, quæ ad regnum tempore Caroli, Ludovici, Heinrici & cæterorum prædecessorum tuorum manifeste pertinebant. Interdicimus enim & subdistrictione anathematis prohibemus, nequi Episcoporum seu Abbatum vel præsentium vel futurorum eadem regalia invadant, & Civitates, ducatus, Marchias, Comitatus, monetas, Theloneum, mercatum, advocatias regni, jura Centurionum & curtes quæ manifeste regni erant, cum pertinentiis suis, militiam & Castra regni, nec se deinceps nisi per gratiam Regis de ipsis Regalibus intromittant. Sed nec posteris nostris liceat, qui post nos in Apostolica sede successerint, aut te aut regnum super hoc inquietare negotio.

CCLXIV.

Hæc est conventio inter Dominum Papam Pascalem & Imperatorem Henricum de Conservatione confirmandæ pacis & amicitiæ: Dominus Papa Pascalis concedit Domino Regi H. & regno ejus & privilegio suo sub anathemate confirmabit & corroborabit, Episcopo vel Abbate libere electo sine symonia assensu Regis, quod Dominus Rex anulo & virga illum investiat. Episcopus autem vel Abbas a Rege investitus, libere accipiat consecrationem ab Episcopo, ad quem pertinuerit. Si quis vero a Clero & populo eligatur, nisi a Rege investiatur, a nemine consecretur, & Archi-Episcopi & Episcopi libertatem habeant, consecrandi Episcopos a Rege investitos. Super his Dominus Papa non inquietabit Regem Henricum neque ejus regnum & imperium. Istud est sacramentum, per quod confirmata est inter Papam Pascalem & Imperatorem superius præscripta conventio: Dominus Papa Paschalis non inquietabit Dominum Regem Henricum neque ejus Regnum de investitura Episcopatuum & abbatiarum, neque de injuria sibi illata & suis in persona & bonis, neque aliquod malum reddet sibi vel alicui personæ pro hac causa & penitus in personam Heinrici Regis nunquam anathema ponet; nec remanebit in Domino Papa, quin coronet eum, sicut in ordine continetur, & regnum & imperium officii sui auxilio eum tenere adjuvabit pro posse suo: & hæc omnia adimplebit Dominus Papa sine fraude & malo ingenio. Ista sunt nomina Episcoporum & Cardinalium, qui ex præcepto Domini Apostolici Pascalis sacramento, quod superius scriptum est, confirmaverunt amicitiam & privilegium Domino Imperatori Heinrico Petrus Portuensis Episcopus, Centius Sabiniensis Episcopus, Rodebertus Cardinalis sancti Eusebii, Bonifacius Cardinalis sancti Marci, Anastasius Cardinalis sancti Clementis, Gregorius Cardinalis sanctorum Apostolorum; Item Gregorius Cardinalis sancti Chrisogoni Johannes Cardinalis sanctæ Potentianæ, Rysus Cardinalis sanctæ Balbinæ, Diiuco Cardinalis sancti Martini, Dietpaldus Cardinalis Johannis & Pauli, Johannes Diaconus sanctæ Mariæ in schola Græca, Leo Diaconus sancti Vitalis, Alto Diaconus sanctorum Sergii & Bachi. Hac conventione completa & prædictorum Episcoporum & Cardinalium sacramento confirmata & osculo utrinque dato, Dominus Papa Paschalis, insequenti die scilicet II. Idus Aprilis, missam Dominicam Quasimodogeniti celebravit, in qua post communionem suam & ministrorum altaris Domino Henrico imperatori corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi dedit in hæc verba: Hoc Dominicum Corpus, quod sacrosancta tenet Ecclesia natum ex Maria virgine, elevatum in cruce pro redemtione generis humani, damus tibi fili carissime in remissionem peccatorum tuorum, & in conservationem confirmandæ pacis & veræ amicitiæ inter me, & te, & regnum & sacerdotium, ut Dominus noster Jesus Christus, cujus hoc corpus & sanguis est, sit inter me & te & regnum & sacerdotium conservator & confirmator veræ concordiæ & pacis, & in

Google

& in hæc verba, Papa exigente, in ipſa communione invicem ſe oſculati ſunt. His feliciter & gaudio diu expectato expletis, Romam exultantes pervenerunt, & in Argentea porta Rex a Domino Apoſtolico & a toto Clero cum oratione, quæ in ordine continetur, receptus & ad mediam Romam deductus & ibi expleta oratione ſecunda usq; ad confeſſionem Apoſtolorum Petri & Pauli cum lætaniis perductus & unctus eſt. Poſt hæc a Domino Papa ad altare eorundem Apoſtolorum cum inmenſo tripudio deducitur & ibidem corona ſibi ab Apoſtolico impoſita in Imperatorem conſecratur. Demum miſſa incipitur de Reſurrectione Domini & ſolemniter celebratur, in qua ante communionem ſub teſtimonio aſtantis Eccleſiæ tam Clericorum, quam Laicorum, Dominus Apoſtolicus Domino Henrico privilegium propria manu dedit, in quo ſibi & regno ſuo, quod ſcriptum eſt, conceſſit, & ibidem anathemate confirmavit.

CCLXV.

Item aliud Privilegium Paſcalis Papæ quod dedit Henrico IV. Imperatori mutato priore Imperatore.

Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Chariſſimo in Chriſto filio Henrico glorioſo Teutonicorum regi & per Dei omnipotentis gratiam Romanorum Imperatori Auguſto, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Regnum veſtrum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſingulariter cohærere diſpoſitio divina conſtituit. Prædeceſſores ſiquidem veſtri probitatis & prudentiæ amplioris gratia Romanæ urbis coronam & imperium conſecuti ſunt. Ad cujus videlicet coronæ & imperii dignitatem tuam quoque perſonam, fili chariſſime, Henrice, per noſtri ſacerdotii miniſterium, majeſtas divina provexit. Illam igitur dignitatis prærogativam, quam prædeceſſores noſtri veſtris prædeceſſoribus catholicis Imperatoribus conceſſerunt, & privilegiorum paginis confirmaverunt, nos quoque dilectioni tuæ concedimus, & præſentis privilegii pagina confirmamus, ut regni tui Epiſcopis vel Abbatibus libere præter violentiam & ſymoniam electis inveſtituram anuli & virgæ conferas. Poſt inveſtitionem vero canonice conſecrationem accipiant ab Epiſcopo, ad quem pertinuerint. Siquis autem a Clero & populo præter aſſenſum tuum electus fuerit, niſi a te inveſtiatur, a nemine conſecretur. Sane Archi-Epiſcopi vel Epiſcopi libertatem habeant a te inveſtitos Epiſcopos vel Abbates canonice conſecrandi. Prædeceſſores enim veſtri Eccleſias regni ſui tantis regalium ſuorum beneficiis ampliarunt, ut regnum ipſum Epiſcoporum maxime vel Abbatum præſidiis oporteat communiri & populares diſſenſiones, quæ in Electionibus ſæpe contingunt, regali oporteat majeſtate compeſci. Quamobrem prudentiæ & poteſtati tuæ cura debet ſolicitius imminere, ut Eccleſiæ Romanæ magnitudo & cæterarum ſalus tuis, præſtante Domino, beneficiis & ſervitiis conſervetur. Si quæ igitur Eccleſiaſtica ſecularisve perſona hanc noſtræ conceſſionis paginam ſciens contra eam temerario auſu venire tentaverit, anathematis vinculo, niſi reſipuerit, innodetur, honorisque ac dignitatis periculum patiatur. Obſervantes autem hæc, majeſtas divina cuſtodiat, & perſonam poteſtatemque tuam ad honorem ſuum & gloriam feliciter imperare concedat.

CCLXVI.

Item Epiſt. Paſ. Papæ ad H. Imper. a ſe ordinatum.

Paſcalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto in Chriſto filio Henrico Rom. Imp. Auguſto ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ex quo a nobis præſentia veſtra diſceſſit, de incolumitate ſtatus veſtri aliquid ad audientiam noſtram non pervenit. Verumtamen quia noſtræ voluntatis eſt, proſperitatem veſtram libenter addiſcere, & noſtram vobis ad invicem intimare, de nobis excellentiæ veſtræ litterarum præſentium relatione ſignificamus. Siquidem nos per Dei gratiam boni ſumus, licet quidam juſſioni veſtræ, in his, quæ beato Petro reſtitui præcepiſtis, adhuc noluerint obedire, incolæ videlicet civitatis Caſtellanæ, Caſtri Corcolli, Montis alti, Montis acuti & Narnienſes. Nos tamen ea & Comitatus Peruſinum, Eugubrinum, Tudertinum, Urbenetum, Balneum regis, caſtellum Felicitatis, Ducatum Spoletanum, Marchiam Ferraniam & alias beati Petri poſſeſſiones per mandati veſtri præceptionem confidimus obtinere. A quibusdam vero de veſtris filius fidelis noſtri Ruſticelli Comitis, ſicut audivimus, retinetur. Rogamus ergo dilectionem veſtram, ut nobis eum reddi faciatis, quia & beati Petri fidelis eſt, & in poſſeſſione moratur. Ad hanc ſerenitatem veſtram plurimum commonemus ut ſemper diligatis juſtitiam, eamque totis viribus & toto conamine amplectamini, quatenus, qui verus Rex, Imperator & Judex eſt in regni & imperii ſui perpetuitate, coronam vobis & gloriam Largiatur. Datum laterani V. Non. Maj.

CCLXVII.

Paſcalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto in Chriſto filio Henrico Rom. Imper. Auguſto ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. De Magnificentia veſtra bona ſemper audire optamus, tanquam de filio Eccleſiæ, quem Eccleſiæ Principem ac defenſorem providentia divina conſtituit. Monemus itaque Dilectionem veſtram & monientes rogamus, ut divinæ diſpoſitionis dona, quæ accepiſtis, conſideretis & tam in Domini timore, quam in Eccleſiæ veneratione & juſtitiæ defenſione ſicut debetis & ſicut poteſtis, eodem Domino præſtante proficiatis. Hoc ſiquidem nos omnipotentem Dominum deprecamur, ut de profectu veſtro, non tantum nos, ſed etiam tota Eccleſia catholica glorietur. Legatum noſtrum poſt vos direximus, qui usque Ravennam veniens tranſire ulterius timuit, propter perturbationes itinerum, quæ poſt tranſitum Exercitus fiunt. Cum autem Omnipotens Deus in tempus congruum nos

Digitized by Google

nos perduxerit, de legati miſſione, prout opportunum fuerit, per ipſius gratiam diſponemus.

CCLXVIII.

Paſcalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Dilectiſſimo filio ſuo Henrico Rom. Imp. Auguſto ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Poſt parvi temporis ſpatium, quiddam de vobis ſiniſtrum audivimus, quod nos valde conturbat. Pervenit enim ad nos, quod ad perturbationem quietis Eccleſiaſtæ H. apud Ariciam dimittere diſponitis, ut ablatas poſſeſſiones Eccleſiæ retineat, & reliqua inquietare non deſinat. Nos autem putabamus eos, qui in fidelitate noſtra permanent, nobiſcum permanere in littore, ſed ſicut vera relatio patefecit, frater noſter Aretinus adhuc inter procellas quatitur & longe portum videt. Dilectionem itaque veſtram literis præſentibus rogamus & commonemus, ſicut de vobis confidimus, ut prædicto fratri noſtro gratiam veſtram reddatis & poſſeſſiones Eccleſiæ reſtituatis fidelibus, quoque ſuis injungite, ut ab ejus ſervitio ulterius ſe non ſubtrahant. Non enim poſſunt ſine detrimento capitis membra perſequi & abſcindi, & filiorum contumelia ad patris ſpectat injuriam. Dilige igitur quos diligimus, ut, quos odiſtis, odio habeamus, & quos diligitis, diligamus. De cætero omnipotens Deus vos ſua pietate cuſtodiat, atque conſervet.

CCLXIX.

Paſcalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei in Chriſto filio Henrico Rom. Imp. Auguſto ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Ariminenſem Epiſcopatum ad jus beati Petri ſpecialius pertinere manifeſtum eſt; Verum peccatis exigentibus omnibus fere bonis ſuis denudatus & in minimas reliquias eſt redactus. Rogamus igitur dilectionem veſtram, ut ei per amorem beati Petri benignitas veſtra bona ſua reſtitui jubeat, & reſtituta quietem Domino faciat præſtante obtinere.

CCLXX.

Paſcalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei in Chriſto filio Henrico Rom. Imp. Auguſto ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Pro Clericis Paduanis & H. judice dilectioni tuæ gratias agimus, quia eis tuam gratiam reddidiſti, & bona ſua, quæ amiſerant, reſtitui præcepiſti; Rogamus a. adhuc pro Laicis, ut eos in gratiam tuam recipias & bona ſua eis reſtitui facias, quatenus protectionis tuæ munimine de cetero præſtante Deo quiete valeant permanere.

CCLXXI.

Paſcalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto in Chriſto filio H. Rom. Imp. Auguſto ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. In literis, quas a tua dilectione ſuſcepimus, diu te graviter infirmatum fuiſſe cognovimus. Sed ſicut nos infirmitatis rumor affecerat, ita rurſus ſoſpitatis exhilaravit auditio. De proſperitate quam nobis ſignificaſti, Deo gratias agimus, qui providentia inæſtimabili omnia diſponit. Quod autem de Epiſcopis conquereris, cor noſtrum vehementer anguſtat. Ex quo enim vobiſcum illam, quam noſtis, pactionem fecimus, non ſolum longius poſiti, ſed ipſi etiam, qui circa nos ſunt, cervicem adverſum nos erexerunt, & inteſtinis bellis viſcera noſtra collacerant, & multo faciem noſtram rubore perfundunt. De quibus, quia judicium conſequi non poſſumus, Dei judicio relinquimus, ne Dei Eccleſiam gravius perturbemus. Cæterum cum tanta ac talia patiamur, miramur, quod N. veſter tantas eccleſiis oppreſſiones inferat; quas hoſtiliter occupat atque depopulatur, & mutuæ pactionis immemor, quæ noſtri juris ſunt, ſuæ vendicat uſurpationi. Miramur etiam, quod dati a nobis obſides dure, ut audivimus, turpiter, tyranniceque tractentur. Quæ profecto non parum ad ſublimitatis veſtræ injuriam ſpectant. In omnibus tamen his te præcipuum Eccleſiæ filium commonemus, ut Dei judicia ſemper verearis, illius temporis memor, quod in tuis literis ſignificaſti, dicens: In ipſo tempore graviſſimæ noſtræ ægritudinis, cum vita noſtra eſſet in dubio, cum diſſolutionis noſtræ tantum haberetur expectatio; & ſic ei placere ſtudeas, quatenus ejus gratiam & regnum tibi temporale diſponat, & ad regna te æterna perducat. Data Laterani VII. Cal. Novemb.

CCLXXII.

Paſcalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto in Chriſto filio Henrico Rom. Imp. apoſtolicam ſalutem & benedictionem. Cum Amicorum magna ſit, major quidem inter homines eſt paterna dilectio. Verum quicquid circa te alii loquantur, quicquid blandiantur, noſtrum eſt veritatem tibi liquidius oſtendere & honori ac ſaluti tuæ veraciter providere. A. ſiquidem Cancellarium tuum a te captum eſſe audivimus; de quo quantum novimus, quantum experti ſumus, teſtimonium ferimus, quia te ſuper omnia diligebat. Qua de re multi profecto tam amici quam inimici loquuntur adverſus te. Te igitur, tanquam pater filium, commonemus, ut cum ſalute regni tale ſuper hoc conſilium nanciſcaris, quatenus nec perſona tua & regnum ullam incurrat infamiam, & ille liberationis gratiam conſequatur. Datum Beneventi VIII. Kalendas Febr.

CCLXXIII.

Epiſtola Henrici IIII. Imperatoris ad Paſchalem Papam.

Domino P. ſummo Pontifici Henricus Dei gratia Rom. Imp. Auguſtus obedientiam & dilectionem in Chriſto, velut filius patri. Compertum habemus, pater venerande, te propter nos gravi controverſia & plurimis affectum eſſe moleſtiis. Quapropter ob reverentiam tui Deo teſte gravius tuis, quam propriis angimur incommodis. Idcirco Abbatem Cluniacenſem ad hoc negotium adſcivimus, ſcilicet virum religioſum & in fide Chriſti ſpectabilem: hunc quoque ſuper hac cauſa tuæ paternati diximus, parati ſecundum conſilium tuum, & ipſius & cæterorum religioſorum, pacem eccleſiæ diligentium, [te] ab his moleſtiis eripere & pacem

cem & concordiam inter me & te indissolubiliter stabilire.

CCLXXIV.

Pascalis Episcopus servus servorum Dei T. Presbytero Cardinali apostolicæ sedis legato sanctam & apostolicam benedictionem. Ex antiqua relatione comperimus Saxones a principio conversionis suæ ad Deum fideles atque obedientes beato Pontifici & apostolicæ sedi exstitisse. Quia igitur ad partes illas per Dei gratiam, ut audivimus, accessisti, & meis super ecclesiis aliisque quibusdam negotiis scandala emerserint, si quid ibi aut etiam alibi juste atque canonice operari potueris autoritatis nostræ favore, cooperante Domino, opereris. Si quod & consolationis auxilium nostro Halberstadiensi Episcopo conferre potueris, conferat, ut apostolicæ sedis visitatione gaudeat. Data Feretini VI. Idus Octobr.

CCLXXV.

Pascalis Episcopus servus servorum Dei clero & populo Mesenburgensi salutem & apostolicam benedictionem. Lator præsentium Gregorius confrater noster cum duobus Ecclesiæ vestræ Clericis & totidem Laicis ad nostram præsentiam veniens, se a vobis communi electum assensu asseruit, præsentibus & collaudantibus metropolitano Magdeburgensi & suffraganeis ejus. Ceterum prius hæc nullo præeunte judicio quasi ex præcepto nostro se per Archi-Episcopum eundem conquestus est ab Ecclesia & electione sua violenter expulsum. Unde nos ad Archi-Episcopum ipsum & comprovinciales Episcopos literas misimus, ut quæ super hoc injuste acta sint, corrigantur. Neque vero nostræ voluntatis est, ut causa ejusdem fratris aliquod præjudicium patiatur. Datum Romæ VI. Kalendis Novemb.

CCLXXVI.

Pascalis Episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus A. Magdeburgensi metropolitano & suffraganeis ejus salutem & apostolicam benedictionem. Veniens ad Apostolorum limina confrater noster Merseburgensis Electus suam apud nos querelam exposuit, quod videlicet a clero & populo Merseburgensis ecclesiæ electus sit præsentibus & collaudantibus vobis & in ea sacerdotis officium vestra ordinatione susceperit. Post hæc nullo præeunte judicio non solum Episcopalis ei sit gratia benedictionis denegata sed ab eadem & Ecclesia quasi ex præcepto nostro violenter sit expulsus. Nos igitur eum ad fraternitatis vestræ præsentiam cum literis præsentibus præmittentes, præcipimus, ut idem frater plenius Electioni huic & Ecclesiæ restituatur, & secundum canonicas sanctiones causa ejus præsentiæ vestræ judicio decidatur. Quod si judicii difficultas apud vos emerserit, cum communibus fraternitatis vestræ litteris & nuntiis ad examen sedis apostolicæ causa eadem remittatur. Datum Romæ VI. Kalendis Februarii.

CCLXXVII.

Epistola Friderici Coloniensis Archi-Episcopi ad Ottonem Bambergensem Episcopum de Excommunicatione IIII. Henrici Imperatoris.

Domino Ottoni Bambergensis Ecclesiæ venerabili Episcopo F. Coloniensium. Dei gratia id quod est in orationibus & obsequio quicquid veræ fraternitatis non otiosa efficit dilectio. Quasdam sanctitati vestræ literas jam antea misimus, quas si forte accepistis, de tam longa responsionis vestræ dilatione non parum miramur. Ut enim longam earum sententiam breviter replicemus. Summa intentionis erat, ut prudentiam vestram ad defensionem vel saltem ad liberam deplorationem hujus, quem videtis gravissimi sanctæ Ecclesiæ casus excitaremus, quem ipsum tacito desiderio vos diu intrinsecus fovisse jam olim cognovimus. Iterum, venerande frater, iterum idem dicimus: si zelus Domus Dei, imo si veraciter amor Ecclesiæ, qui Domus Dei est, vos medullitus comedit, ne tantam ejus desolationem, tam crudelem hæreditatis Dei direptionem & profanationem nimia patientia ulterius dissimuletis. Ecce per misericordiam Dei magnum nobis ostium apertum est, ut veritas quæ diu siluit in manifestum prodeat, ut libertas nostra diu suppressa cervicem erigat, quia pro nobis & pro se ipsam jam in vocem, prorupit sancta Romana Ecclesia. Jungit se nobis Francia; Libero, sicut audistis, ore veritatem Saxonia profitetur. Et quem, charissime frater, non moveat, quia omnis Ecclesiastici vigoris autoritas aulicis & Palatinis in quæstum versa est. Synodales Episcoporum conventus annua consilia, omnes denique Ecclesiastici ordinis administrationes in regalem curiam translata sunt, ut illorum marsupiis inserviant, quæ spiritualiter examinari debuerant. Quid de Cathedris Episcopalibus dicemus, quibus regales villici præsident, quas disponunt, & de domo orationis speluncam plane latronum efficiunt; de animarum lucris nulla penitus quæstio est, dum tantum terrenis lucris regalis fisci os insaciabile repleatur. Hic nos, qui Ecclesiæ Dei per ipsius gratiam columnæ sumus, qui navem Petri per hujus seculi percellosos fluctus gubernare debemus; hic, inquam, nos advigilare, hic clavum moderaminis firmiter tenere convenit, ne nobis segniter torpentibus, dum sine nisu moderaminis fluctuat, his & similibus impiæ Tyrannidis scopulis allisa convellatur, & quod absit irruentium fluctuum gravitate mergatur: ne canes muti & latrare non valentes prophetæ verbis arguamur, neve illud in nos conveniat: Non ascendistis ex adverso, ut opponeretis murum pro domo Israelis. De nobis quidem, sancte & venerabilis frater, non ex nobis sed ex virtute, quam Deus in nobis operatur, hoc vobis fiducialiter in ipsius gratiam promittimus, quia ex hac, qua cœpimus veritatis libera professione nec tribulatio nec angustia nec mors nec vita separabit. In hoc vero sicut scitis positi sumus, in hoc novum hominem induimus, ut mortificationem Jesu in corpore nostro circumferamus, ut pro-

pter Ipsum in mortem tradamus, quatenus & vita Jesu in hac nostra mortali carne quandoque manifestetur. In hac ergo tam gloriosa spe non defecimus, & de vestra constantia idem speramus, & intime optamus, & quia indigne passi sitis, ut ad memoriam sæpe reducatis, hortamur. Nolite nos longa exspectatione ulterius suspendere, sed de vestra sententia scripto nos certificare. Salutat vos Dominus Chuono pronepos tuus Episcopus & Romanæ Ecclesiæ legatus, qui Imperatorem, nec non Monasteriensem Episcopum & Hermannum de Winceburc cum omnibus Galliæ episcopis in Concilio Beluacensi excommunicavit & hoc vobis notum fieri præcepit. Eandem sententiam iterabit in prædictos & in omnes complices eorum in Concilio Remensi, quod erit Lætare Jerusalem, cum aliis tribus Episcopis noviter a Romana sede directis. Vale.

CCLXXVIII.

Confratribus & Dominis suis omnibus sacrosanctæ Bambergensis Ecclesiæ Canonicis Dei gratia Wormatiensis Electus servitium suum & orationes. Memor vestræ fraternitatis & dulcissimæ educationis, fratres charissimi, recordatione vestri affectus partim ad lacrymas conpungor, partim vestræ spe consolationis & sublevationis vehementer delector; dum sub hoc onere, quod suscepi, tam importabile meæ ætati, & in spem vestram levamus, & subsidium spero impetrare. Quapropter, quo magis & vobis confido, eo magis admiror, quod tanto tempore me filium vestrum vobis per omnia obnoxium inter tot curas, quæ me premunt, ut nostis, consolari distulistis; & quia inde causa mœroris & suspicionis mihi suboritur, per fraternam compassionem & nostrum obsequium vos deprecor, ut apud Deum vestris orationibus me unietis, & apud Dominum nostrum Episcopum fideli interventu causam meam agatis, scientes quam in vestræ, imo nostræ Ecclesiæ laude redundabit hoc, si vestro auxilio nostrum honorem Divina benignitas stabilire dignetur. Valete.

CCLXXIX.

Dominis & fratribus suis Prælatis & universæ congregationi sanctæ Bambergensis Ecclesiæ fructiferæ arbori in agricultura Dei. Illa humillima congregatio Sancti Petri cum orationum instantia debitæ caritatis obsequia in Christo devotissima. Quum filiæ sumus ejusdem matris & æquum est, sororem sorori aperire januam solatii & mutuæ caritatis: Ideo, reverentissima soror, non parum quidem admiror, sororem Electo meo, filio tuo, mihi non venisse optatas literas consolationis tuæ, quem hac spe præcipue desideravi & libera Electione suscepi læta, quomodo eum uberrimo fonte vestræ religionis & disciplinæ irriguum & fœcundum audivi, quo modo quidem in ipsa re verissime comperi eum esse filium Bambergensis Ecclesiæ, in literarum scientia, in rerum agendarum peritia, in honestate morum, in gratia discretionum; & nisi adjutus divina majestate vestrisque institutis fundatus a pueritia, non posset hac tempestate onus tanti ponderis supportare, in re tam ancipiti, in negotio tam difficili, in causa tam implicita, in Ecclesia tam perdita. Quapropter, soror charissima, ego LX. annis & amplius vidua & naufraga, nec animo destituta, tali viro & portu quietis arrepto, tuo arbitrio, digna veneratione genu flectens instanter pulso ostium vestræ caritatis, ut mihi & Electo meo filio vestro in commune consulatis, quomodo ad ordines suos possit promoveri, rata mea electione, salvo suo honore & sine Domini sui offensione, eique Dominum Episcopum patrem suum ad hanc rem in consulendo benevolum, in auxiliando propitium vestro interventu faciatis. Vale.

CCLXXX.

Domino suo Romano Imper. Augusto Henrico suus omnimodo B. non Episcopale, sed servile obsequium in omnibus. Quamobrem placuit vestræ dignitati & gratiæ, charissime Domine, tantum mihi affectum benignitatis vestræ exhibere, cui tantum honorem contulistis; vehementer admiror, quis mendacii stimulus aures vestras permoverit, & mihi apud vos aliquam infidelitatis maculam concitaverit. Hoc autem ideo dico, quia valde conturbaverunt me literæ vestræ, si tantum vestræ fuerint, quod credere nequeo & quantum de vestra gratia confido, si animo quum mitterentur, eas vidissetis, profecto non pateremini eas mihi transmitti, cum mea fidelitas erga vos & vestros fideles tanto solidior & promptior esse comprobetur, quanto majus & dignius donum vestræ majestatis mihi collatum esse evidenter cognoscitur. Sed quia forsitan vos movet, quod hoc anno Moguntiam veni, attendat vestra discretio quia potius in hoc causæ nostræ consului, ne, si vocatus inpulpito ab illo Moguntino venire renuerem, videretur civibus nostris, sicuti nostis hoc genus hominum esse mutabile, quod non debilitate & quasi ex difficultate rei non auderem procedere, cum me de banno argueret. De qua re & satis per controversiam egi cum clericis suis in capitulo eorum, cum ipsum videre & alloqui non possem, ni prius de Banno illo exirem. Igitur re interfecta ab urbe exivi, in qua tamen multos beneficiis meis vobis conciliavi & ubicunque possum in villis, civitatibus & oppidis fautores vobis acquiro, ita ut nuper meo labore & consilio conjuraverint omnes a Wormatia usque Argentinam vobis terram illam & omnes homines retinere atque tueri. Propter quod, vos rogo ne modo ita festinetis, ut ex aliqua festinantia vestris commodis minus consulatis, quia vita comite istam terram ad vestrum honorem & inimicorum vestrorum confusionem, licet permultos labores, vobis retinebimus. Præterea gratiam vestram deprecor, ut crebros nuntios &, si non potestis, equites, saltem pedites ad nos dirigatis, qui & vestra nobis referre & vicissim nostra vobis valeant intimare.

CCLXXXI.

Digitized by Google

CCLXXXI.

Epiſtola Senonenſis Archiepiſcopi ad Lugdunenſem Archiepiſcopum.

Jure Primatus veſtri invitaſtis nos ad Concilium apud Anſam celebrandum, in quo tractare diſponiſtis de fide & inveſtituris Laicorum. Ad quod venire minime contemnimus, ſed terminos, quos poſuerunt patres noſtri, antiquos transgredi formidamus. Nunquam vero patrum reverenda ſanxit autoritas, nusquam hoc ſervare conſuevit antiquitas ut primæ ſedis Epiſcopus Epiſcopos extra patriam provinciam poſitos invitaret ad Concilium, ni hoc, aut Apoſtolica ſedes imperaret aut una de comprovincialibus Eccleſiis pro cauſis, quas intra provinciam terminare non poterat, Primæ ſedis audientiam appellaret. Quod non de corde noſtro prophetamus, ſed Apoſtolica autoritate muniti inrefragabilibus ſententiis approbamus. Unde ſcribit Papa Nycolaus in hæc verba Radulfo Aquitaniarum Primati ultra jus Primatis aliqua ſibi uſurpanti: Conqueſtus eſt Apoſtolatui noſtro frater noſter Sigebodus Archiepiſcopus Narbonenſis, quod clericos ſuos eo invito ad judicium venire compellas & de rebus ad Eccleſiam ſuam pertinentibus eo inconſulto quaſi jure Patriarchatus tui diſponas, cum hoc nec antiquitus, cum Patres ſanxere, reverentiam habeat, & auctoritas ſanctorum canonum penitus interdicat, niſi forte pro cauſis, quas apud ſe terminare non posſunt ad te quaſi ad Patriarcham ſuum provocaverint; & ſi Epiſcopus ſuus deceſſerit, res Eccleſiæ ſuæ diſpenſare judicio tuo voluerint. Primates enim & Patriarchas nihil præ ceteris Epiſcopis habere privilegii, in quantum ſacri Canones concedunt & priſca conſuetudo illis antiquitus contulit, diffinimus, ita ut ſecundum Nycenas Regulas ſua privilegia ſerventur Eccleſiis. Huic ſententiæ concordat Clemens & Anacletus, qui poſt Apoſtolos ordinaverunt, in quibus civitatibus eſſent primæ ſedes, in quibus Metropolitanæ, ſtatuentes ita demum judicium Epiſcoporum ad Primates eſſe referendum, ſi ad eorum audientiam fuerit appellatum. His autoritatibus muniti nolumus Eccleſiis noſtris inauditam novitatem inducere & jura earum antiquitus inſtituta permutare vel infringere. Præterea quia in hoc Concilio de Inveſtituris Laicorum quas quidam inter hæreſes computant, tractare diſponitis, potius pudenda patris noſtri nudabitis, quæ publica non eſſent, in Geht nec in conpitis Aſcalonis, deridenda exponetis, quaſi prius dorſa ea velando benedictionem paternam vobis acquiratis. Quod enim propter populi vitandam ſtragem in ſe paterne admiſit ſummus Pontifex, coëgit neceſſitas, non approbavit voluntas. Quod enim conſtat, quia poſtquam evaſit periculum, ſic ipſe quibusdam noſtrum ſcripſit, quæ juſſerat, juſſit; quæ prohibuerat, prohibuit quamvis quibusdam nefandis urgente periculo quædam nefanda ſcripta permiſerit. Sic Petrus trinam negationem trina confeſſione purgavit & Apoſtolus manſit. Sic Marcellinus Papa deceptus a profanis coram ſano thurificavit & tamen a fratribus minime judicatus poſt paucos dies Martyrio coronari promeruit. Sic Aaron in Eremo moram faciente Moyſe in montem propter inſupportabilem populi ſeditionem vitulum fuſilem fieri permiſit, quem populus inſipiens adoravit, cum tamen ſeductus eſſet a populo, ut Deum eſſe crederet & divinæ culturæ ei reverentiam exhiberet; Meruit tamen veniam tantus exceſſus & Domino jubente per manum Moyſis ad ſummum ſacerdotium eſt ſublimatus. Sic Moyſes ipſe, qui cum Domino loquebatur, ſicut ad amicum Amicus, Deum tamen offendens dum propter murmur populi dicentis, numquid poterit nobis ciere aquam de Petra hac, dubitare coactus eſt & aquam cum diſceptatione a Domino poſtulare. Sic doctor gentium, qui in Synagogis publice prædicabat; Circumciſio nihil eſt, & dixit, nihil vobis proderit Chriſtus, ſi circumcidamini; propter ſcandalum Judæorum circumcidi permiſit Timotheum, ut hac condeſcenſione Judæos lucrifaceret. Hæc infirma probabili neceſſitate vel provida diſpenſatione paſſi ſunt ſummi & ſancti viri Deo utente bene malis noſtris, ut per hoc doceret eos ſe ipſos agnoſcere, quatenus diſcernerent infirma ſua ſibi aſcribere & bona ſibi collata ad Dei gratiam referre. Nec ad hoc iſta ſcripta ſunt, ut in exemplum vivendi ducantur, ſed ut ex lapſu majorum diſcant vivere minores, ne ſimiles lapſus incurrant, & ſi forte ceciderunt ſumma celeritate reſurgant. Quod ſi Papa ad huc in Teutonicorum Regem debitam ſeveritatem non exercet, credimus, quia conſulte differt ſecundum conſilium quorundam Doctorum, qui conſulunt, quædam admittenda pericula, ut poſſint vitari majora. Unde dicit beatus Auguſtinus in tertio Libro contra Parmenianum Donatiſtam: Hoc ſanitas obſervat eccleſiæ, ut, cum quisque fratrum & Chriſtianorum in Eccleſiæ ſocietate conſtitutorum in aliquo tali peccato fuerit deprehenſus, ut anathemate dignus habeatur, fiat hoc ubi periculum ſchismatis nullum eſt, atque cum ea dilectione fiat, de qua Apoſtolus alibi præcipiens dicit; ut Inimicum eum non exiſtimetis, ſed corripite ut fratrem: Ubi ſatis oſtendit, cum metus iſte non ſubeſt, ſed omnino de frumentorum certa ſtabilitate certa ſecuritas manet, & quandocunque crimen ita notum eſt & omnibus execrabile apparet, ut & nullos prorſus & non tales habeat defenſores, per quos ſchisma poſſit contingere, non dormiat ſeveritas diſciplinæ, in qua tanto eſt efficacior emendatio pravitatis, quanto diligentior conſervatio caritatis. Tunc autem hoc ſine labe pacis & unitatis & ſine læſione frumentorum fieri poteſt cum congregationis Eccleſiæ multitudo ab eo crimine, quod anathematizatur, aliena eſt. Neque vero poteſt eſſe ſalubris a multis correptio, niſi cum ille corripitur, qui non habet ſociam multitudinem. Cum vero idem morbus plurimos occupaverit, nihil aliud bonis reſtat, quam dolor & gemitus, ut per illud ſignum, quod Ezechieli

ſancto revelatur, illæſi evadere ab illorum vaſtatione mereantur. Si quis vero, frater, in aliquo cæteris diſſimili crimine nominatur & re vera ſi contagio peccandi multitudinem invaſerit, divinæ diſciplinæ ſevera miſericordia neceſſaria eſt. Nam conſilia ſeparationis & inania ſunt & pernicioſa atque ſacrilega, quia impia & ſuperba & plus perturbant infirmos bonos, quam corrigant animoſos malos. Ad hoc non videtur nobis utile conſilium ad illa Concilia venire, in quibus non poſſumus eas perſonas, contra quas agitur, condemnare vel judicare, quia nec noſtro nec ullius hominis probantur ſubjacere judicio. Unde nos conſtat eſſe immunes, ſi facta eorum oris gladio ferire formidamus, cum ipſe mediator eis obedire præcipiat; & ſi tales ſint quales erant Phariſæi; ſi ea, quæ ad kathedram pertinent, recta præcipiant; ea vero, quæ contra cathedram faciunt, minime faciant. Ex quibus omnibus hoc conſtare videtur, quatenus fœminalia ſacerdotolia pudendis ſuperponamus, ne verecunda noſtra deridenda inſidiatoribus noſtris exponamus & unde quærimus reformare Eccleſiæ fortitudinem, in majorem incurramus debilitatem. Hæc dicentes non inſtruimus prudentiam veſtram, ſed excuſamus innocentiam noſtram; quia & principales Eccleſiæ claves nolumus ſua poteſtate privare, quæcunque perſona vices Petri habeat, niſi manifeſte ab Evangelica veritate diſcedat. Hæc dicentes, non tollimus, quin poſſint quique Metropolitani Epiſcopos ſecundum jus antiquum convocare, provincialem Synodum, ſalva reverentia Romanæ Eccleſiæ, celebrare; quæ ſi ad præſens non poteſt Satanan ſternere ſub pedibus ſuis, non obviabit tamen ſalubribus diſpoſitionibus veſtris. In quibus ſecundum quod in prætaxato libro legitur, quiſquis vel quod poteſt arguendo corrigit, vel, quod corrigere non poteſt, ſalvo pacis vinculo excludit, vel, quod ſalvo pacis vinculo excludere non poteſt, æquitate improbat, firmitate ſubportat, hic eſt Pacificus & ab iſto maledicto, quod Scriptura dicit: Væ his, qui dicunt, quod nequam eſt bonum, & quod bonum eſt nequam; &, qui ponit tenebras lucem & lucem tenebras; &, quod amarum dulce & quod dulce eſt, amarum; Omnino liber, prorſus ſecurus, penitus alienus. His Catholicorum patrum terminis contenti, quæ poſſumus, ſecundum decreta patrum ſalvo pacis vinculo corrigere volumus; quæ autem corrigere non poſſumus usque ad meſſem, ſi neceſſe ſit, docente Domino tolerare decrevimus. Hic verbis excuſatos nos eſſe credimus, quod a laceratione Domini Papæ linguas noſtras reprimimus; & ſi quid contra ſententiam ſuam ſuorumque prædeceſſorum de remiſſis Germanico Regi inveſtituris feciſſe videtur, filiali caritate excuſamus: Non enim prævaricator eſt legis, qui delinquit in lege aliqua, fallente ſubreptione vel impellente neceſſitate; ſed qui legem impugnat ſtudioſe & delictum ſuum non curat agnoſcere. Unde hunc exeſſum ejus non tam non accuſamus, ſed & dictante Ratione approbamus, ſi, imminente ſtrage populi caritate paterna cum non nullo vulnere ſuo ſe tantis periculis voluit objicere, ut majoribus morbis poſſet ſincera caritate ſubvenire. Nec ipſe primus nec ſolus factus eſt diſpenſator Dominicorum præceptorum quare mediator Dei & hominum, cujus vita in terris diſciplina fuit morum, primo præcepit diſcipulis: ut non ferrent ſacculum neque peram, quare tunc nulla urgebat neceſſitas; imminente vero tempore Paſſionis ſuæ, ſciens eos penuriam panis paſſuros, cum tranſirent de loco ad locum, temperavit præceptum, dans eis licentiam, ut ferrent peram & ſacculum, jam non imperans cupiditati, ſed indulgens neceſſitati. Ita cum jam hæreſes diverſi generis pullularent per diverſas partes mundi, ut Catholici, territi ſeveritate hæreticorum, ſeductiones caverent, ſeveriſſime præceptum eſt, ut revertentes ab hæreſi vel clerici non fierent vel clerici non manerent. Pro cujus rigore decreti cum Eccleſia maxima damna pateretur prudens diſcretio relligioſorum, voluit & docuit, mutandam eſſe ſententiam & ab hæreſi revertentes & Catholicam unitatem profitentes, fraterne ſuſcepit, & in honoribus ſuis manere conceſſit, melius eſſe judicans, ut fieret aliquod vulnus in cortice matris arboris, quod caritas ſanaret; quia Eccleſia de omnibus, quos poſſet, ſua membra non colligeret. Poſtremo quod quidam Inveſtituram hæreſin vocant, cum hæreſis non ſit niſi error in fide; ſicut enim fides eſt cordis ad juſtitiam: oris autem confeſſio ad ſalutem, ita hæreſis eſt error ad impietatem, profeſſio vero ejusdem erroris eſt ad perniciem, & fides & error ex corde procedunt. Inveſtitura vero illa, de qua tantus eſt motus in ſolis manibus eſt & dantis & accipientis, qui bona & mala agere poſſunt, recedere vel errare in fide non poſſunt. Ad hoc ſi hæc in inveſtitura hæreſis eſſet, ei renuntians ſine vulnere ad eam redire non poſſet. Videmus autem in partibus Germaniarum & Galliarum multas honeſtas perſonas purgato iſto nævo per quamlibet ſatisfactionem, paſtorales virgas reddidiſſe & per manum apoſtolicam refutatas inveſtituras recepiſſe. Quod ſummi Pontifices minime feciſſent, ſi in tali inveſtitura hæreſin & peccatum in Spiritum Sanctum latere cognoviſſent. Cum ergo ea, quæ æterna lege ſancita non ſunt, ſed pro honeſtate & utilitate Eccleſiæ inſtituta & prohibita, pro eadem occaſione ad tempus remittuntur, pro qua inventa ſunt, non eſt inſtitutorum damnoſa prævaricatio, ſed laudabilis & ſaluberrima diſpenſatio. Quod cum multi minus ſtudioſi minime attendunt, attamen tempus judicant ſpeciem mobilis & ſpeciem ſtabilis, non intelligentes differentiam. Si quis vero Laicus ad hanc proruperit inſaniam, ut in datione & acceptione virgæ putet ſe tribuere ſacramentum vel res ſacramenti Eccleſiaſtici, illum prorſus judicamus hæreticum, non propter manualem inveſtituram, ſed propter præſumtionem Diabolicam. Si vero volumus rebus congrua nomina dare poſſumus dicere quia manualis illa inveſtitura

per

Digitized by Google

per Laicos facta alieni juris est pervasio & sacrilega præsumtio, quæ pro libertate & honestate Ecclesiæ, salvo pacis vinculo, si fieri potest, funditus abscidenda est. Ubi ergo sine schismate auferri potest auferatur, ubi sine schismate auferri non potest, cum discreta reclamatione differatur. Nihil enim tali persuasione demitur sacramentis Ecclesiastis, quo minus sancta sint, quia apud quoscunque sunt, ipsa sunt, sive apud eos, qui intus sunt, sive apud eos, qui foris sunt. Hæc scripsimus dilectioni vestræ, parati revelli sine contumacia si melius his, quæ scripsimus, nos docuerit vestra prudentia, quod munitum sit scriptura Canonica.

CCLXXXII.

Reverentissimo N. Episcopo humilis & luctuosus Bambergensis Clerus obsequium & devotas in Christo orationes. Quia viscera Christianæ pietatis & fraternæ conpassionis in vobis habundare & Ecclesiastici Zeli vigere tenorem omnino speramus, horrendum facinus, quod in Deum & Christum ejus, Dominum nostrum videlicet Episcopum, contra omnia divina & humana jura præsumptum est, vestræ sanctitati lacrimosa suggestione deploramus. Autorem vero tam diri sceleris omnemque rei eventum plenaria a nobis narratione explicare otiosum esse credimus. Quo enim jam tam inauditæ præsumtionis fama non pervolavit? Unum hoc fideli attestatione confirmamus, eum nullius noxiæ reum in hanc calamitatem incidisse. Sed cum eum nullo genere persuasionis impellere potuissent, ut sacro-sanctum Dei nomen fidem videlicet juratam fallendo violaret, viderentque eum fretum innocentia ad sedem pro diluendis Apostolicam properare criminibus, quod ipsi ei commentitiis accusationibus imposuerant, tum demum in apertam execrandi furoris prorupere violentiam. Et certe cum pro fide ac veritate patiatur, quis dubitet hoc & sibi & nobis non magis calamitosum esse, quam gloriosum? Sperantes, ut prædiximus, animum vestrum in fraterno casu debito justoque dolore incendi, per ipsum vos Dominum nostrum Jesum Christum omni genere humillimæ supplicationis obsecramus, ut ad liberandum eum omne quod potestis consilium conferatis, neve inultam tam insignem nominis ordinisque vestri contumeliam ulla ratione patiamini. Providendum est enim, ne hæc profana pestis latius grassetur, simulque cavendum ne dissimulatio injuriæ singulorum, fiat subinde pernicies omnium. Ostendite in vobis, obsecramus, illum Dominici discipulatus caracterem, quo ipse præcepit, ut dilectionem habeatis ad invicem.

CCLXXXIII.

Illustri & Magnifico N. Duci humilis & luctuosus Bambergensis clerus devotas in Christo orationes. Quia Magnificentiam vestram non magis fortitudine insignem, quam clementia placabilem ex bonæ opinionis vestræ odore late diffunditur; contra indignissimum facinus, quod in Deum & Episcopum nostrum admissum est, ut pro indignitate rei Christianissimus animi vestri zelus insurgat, per ipsum vos Christum obsecramus. Neque enim simplici in eum genere sævitum est. Cum enim & Episcopo & ad sedem Apostolicam religioso habitu proficiscenti sacrilegas manus injecissent, deinde ingentes pecunias, quas ad tanti itineris impensas paraverat, diripuere: nec adhuc tanta præda contenti, nunc ab eo mille manseros, id est, totum Episcopi patrimonium, extorquere conantur. Quis, rogo, Barbarus crudelius in aliquem captivum sæviret? Certe periculosus iste temporum motus, hunc quia titulum non fert, pro correctione morum & meliorando statu Ecclesiarum ea, quæ usquequaque patimur, actitat. Itane vero per sacrilegia & rapinas boni illi mores nobis revocantur? Itane vero per vastationem & direptionem florentissimæ Ecclesiæ damna Ecclesiarum resarcienda sperabimus? Vestram ergo gloriosam eminentiam & pro liberatione pastoris nostri, qui innocentissimus tenetur, & pro incolumitate Ecclesiæ nostræ omni genere supplicationis imploramus, ut a patronis nostris, beato videlicet Petro Georio, dignam compensationem meritorum vestrorum ante illud terribile Christi tribunal consequi mereamini.

CCLXXXIV.

Henrico tam Glorioso, quam Magnifico Dei gratia Romanorum Imp. Augusto Clerus Spirensis salutem & victoriam cum devotissima orationum instantia. Veremur, Domine, majestatem vestram tot & tantis regni totius impeditam negotiis nostris interpellare precibus & querimoniis. Sed quia specialem erga nos vestræ serenitatis experti sumus per omnia benevolentiam; hinc rerum vestrarum audita nos monet prosperitas, illinc rerum nostrarum nimia nos vobis scribere cogit necessitas. Audientes quippe vobis omnia pro velle vestro succedere, singulari erga vos servitutis & orationum instantia gratias divinæ majestati referimus de vestra & Dominæ nostræ Imperatricis incolumitate, de rerum vestrarum eventu prospero, de confirmanda seu jam confirmata regni & sacerdotii concordia, quo magis hæc nobis sunt necessaria, eo vobis impensius congratulamur. Vobis enim incolumi permanente certam habemus de nostra restitutione fiduciam. Vobis porrigente manum auxilii de rerum nostrarum reparatione spem tenemus firmissimam. Audistis, pater & Domine, quam injuste, quam periculose, quam inmisericorditer excommunicationis sententia statim post discessum in nos retorta fuerit. Audistis ore quam unanimi, qua mentis constantia, responsione quam rationabili, totus ei conventus obstiterit. Audistis, quæ & quanta & quam inopinata nos ex illo tempore circumvallent calamitatum genera, quam intoleranda foris & intus nos conturbent ipsius vitæ pericula. Novis omni die minarum & perturbationum fluctibus obruimur; insolitis accusationum & infamationis injustæ procellis obtundimur. Diripiuntur res privatæ, res commu-

nes

Digitized by Google

nes diſtrahuntur. Omnibus præda facti ſumus & ſubſannatio cum cunctis viam transeuntibus. Præter hæc autem ad majorem doloris noſtri cumulum, ut omni gravemur infortunio, in ipſa rerum noſtrarum perturbatione media, Præpoſiti noſtri de hac vita transmigrantis, qui vobis fideliſſimus fuit nobis commodiſſimus, deſtituti ſumus ſolatio. His & cæteris talibus oppreſſi neceſſitatibus jam prorſus dilapſi fuiſſemus; dilapſa, inquam, & diſſipata fuiſſet illa, inquam, veſtra & patrum veſtrorum quondam veneranda congregatio: Sed adhuc vix quoquomodo cohæremus, unico veſtræ conſolationis relevari ſperantes auxilio. Vobis, Pater & Domine, miſerias noſtras confiteri non erubeſcimus, vobis, a quo remedium exſpectamus, calamitatum noſtrarum vulnera detegere non confundimur. Recordamini ergo in nobis patris veſtri, cujus ſpeciales filii ſumus: recordamini parentum veſtrorum, qui nos quaſi hæreditario jure vobis commiſerunt, quorum corporibus apud nos ſepultis, omnem honorem & reverentiam impendimus. Recordamini veſtri honoris, veſtræ promiſſionis, ſolitæ benevolentiæ, quam nunquam nobis claudi ſenſimus. Hæc igitur tractantes cum veſtris diſcretioribus, Domino Apoſtolico noſtram neceſſitatem & innocentiam ſeriatim exprimere ſatagite, ut nos deſolatos ſuis literis & ſigillo conſoletur, & partem contrariam deterreat, efficite. Præterea Ducem, F. - - - - cujus fidei nos commiſiſtis, Palatinum cæteroſque amicos veſtros & miniſtros intime rogare dignemini, quatinus honorem cleri noſtri defendant, & muniant, res noſtras nobis attinentes, violenter & injuſte nobis diſtractas, quoquomodo poſſint, reſtituant, ſicut eis confiditis, quoslibet nobis nocentes procul amoveant.

CCLXXXV.

Salzburgenſis Eccleſiæ Dei gratia Archi-Epiſcopus H. Radiſponenſis Eccl. Epiſcopo Orationis & ſervitutis devotionem. Promiſſione Domini Papæ, de legato ex ipſius latere quantocius ad nos venturo certificati gaudemus & lætamur tædio diffidentiæ liberati & ſomno corporis excitati. Unde communicato conſilio placuit Dominis & confratribus noſtris Archi-Epiſcopis Moguntino ſcilicet, Magdeburgenſi & Colonienſi cæteriſque provinciarum illarum Epiſcopis Moguntiæ II. N. Julii conventum celebrare & conprovinciales Epiſcopos atque Abbates, nec non ex omni ordine Catholicos ibidem communi admonitione atque petitione convocare. Volumus enim falſis ſuſpicionibus obviare, quibus a ſiniſtræ partis aſtipulatoribus infamamur omnem videlicet ſpem poſtpoſito Dei præſidio in armis materialibus poſuiſſe. Speramus autem Spiritu Sancto interveniente communi conſilio omnium obtinere, ut ſecundum canonicas ſanctiones Eccleſiaſtica diſponantur negotia, ceſſent arma, prædæ ſedentur & incendia. Monemus igitur vos per autoritatem apoſtolicam & debitam Eccleſiæ obedientiam & noſtræ ſervitutis devotionem, ut conventu noſtro intereſſe dignemini. Omnis autem, qui eidem noſtro intereſſe voluerint conventui, ſummore ſignabimus præſuli operam dantes, ut grates eis ipſe referat, & noſtrum ſervitium ſemper devotum habeant. De his vero qui ſe ſubtraxerint ſecundum veſtrum & aliorum, qui præſentes fuerint, conſilium noſtram facere juſtitiam non protelabimus & Apoſtolicæ eos autoritati canonice judicandos eſſe aſſignabimus. Proinde rogamus fraternitatem veſtram, ut literis veſtris Epiſcopo Patavienſi intimare curetis, ut, quoniam infirmitatis moleſtia intereſſe prædicto conventui ipſe præſens non poterit, idoneos legatos transmittere procuret.

CCLXXXVI.

Reverentiſſimo ſanctæ Salzburgenſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopo Henricus Dei gratia Ratiſponenſis antiſtes, tam promptam, quam debitam ſervitutis & orationis certitudinem. Quod ſperatis ſuperventurum legitimum & certum Domini Papæ legatum, per quem ponatur finis diſcordiæ, pax reſtituatur Eccleſiæ, ſciatis procul dubio, ſi talis venerit, neminem ſuper ejus adventu plus quam nos gratulaturum, neminem devotius quicquid Canonice diffinierit obſervaturum. Longo enim deſiderio certitudinis & tædio incertitudinis nos, [tenemur] quo, Deo teſte, non mediocriter fatigati ſumus. Verum, dum adhuc eſtis in ſpe & nondum in re, videtur nobis durum & intolerabile, quod abſque præſenti & manifeſta autoritate ſedis Apoſtolicæ, cui ſoli conceſſum eſt a ſanctis Patribus generalia Concilia congregare, Nos ad Synodum vocatis extra terminos provinciæ ſub interminatione vindictæ, maxime cum nobis notum ſit, per medios hoſtes iter nos habituros vel ab illis vel ab iſtis periculum vitæ & honoris noſtri ſubituros. Iterum igitur atque iterum promittentes conſenſum noſtrum ſpiritualem que præſentiam in omnia, quæ ſtatuerit autoritas Apoſtolica, rogamus, nos ſalva caritate excuſatos eſſe a perinculoſo itinere.

CCLXXXVII.

Digniſſimo ſanctæ Bambergenſis Eccleſiæ Præſuli O. indignus & exiguus Patavienſis Clauſtri Decanus W. licet exiguum orationis & ſervitutis ſuæ munus. Difficillimum mihi eſt exellentiæ veſtræ grates vel referre vel non referre culpabile; unum eſt perfectionis, alterum ingrati hominis: Unum pudoris, alterum criminis. Attamen ut prius poſita pudoris jactura crimen removeam, grates vobis, quanto digniores poſſum, ago, quod exellentia veſtra parvitatis meæ mentionem habere, quod me vilis pretii mancipium, tanquam alicujus autoritatis virum, miſſa ſalutatione dignatur honorare: Sed & liberalitas veſtra in fratrem noſtrum N. vel maxima nobis agendarum gratiarum materia eſt, qua in re nos non minus illo ſibi obligavit quam nos in illo donavit. Quod autem ſanctitas veſtra nullum reſponſum recipit ſuper literis, quas miſit, hæc cauſa eſt, quod eis nondum parvitati noſtræ repræſentatis aut lectis, neſcimus, quid conpetenter reſpondeamus. Hoc tamen,

Digitized by Google

tamen prætermittendum nobis non est, quin notum vobis faciamus, quod illi fratri, imo non jam fratri, pro quo vestra sanctitas intercedere parat, nulla injuria prorsus facta est, nec credere debetis quod rationis tam inopes aut recti tam expertes simus, ut unquam de medio nostri nisi ejiciendum ejiceremus. At forsan dicitis transgressores Regulæ regulari disciplina coercendos & ut resipiscant districta correctione corrigendos. Quid si incorrigibiles extiterint? Quid si ex verbere deteriores fiunt? Nonne consultius & melius est, tales eliminare, quam domesticam pestem in exitium aliorum nutrire Propheta dicente: Auferte malum de medio vestri. Quod si mores ejus nulli tolerabiles vobis referremus, profecto nobis improperaretis nos talem in societatem nostram suscepisse, non ejecisse.

CCLXXXVIII.

Epistola Trajectensis Ecclesiæ ad Fridericum Coloniensem Archi-Episcopum de Tanchelmo & seductore.

Domino suo & venerabili patri F. sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archi-Episcopo humilis Trajectensis Ecclesia ex sincero affectu devotissimas orationes. Cum debitæ subjectionis obsequio gratias, reverende Pater, sanctitati vestræ [agimus] quod paterna miseratione vicem nostram doluistis & Anti-Christi nostri perturbatoris & Blasphematoris Ecclesiæ Christi cursum & impetum retardastis, qui aperuit in cœlum os suum & contra Sacramenta Ecclesiæ hæresin suscitare ausus est jam olim sanctorum patrum sententiis jugulatam. Hic enim Spiritu superbiæ, quæ radix est omnis hæreseos & Apostasiæ, intumescens nihil Papam, nihil Archi-Episcopos, nihil Episcopos, nihil Presbiteros aut Clericos asseruit, Columnasque Ecclesiæ Dei concutiens & fidei nostræ Petram Christum dividere ausus est; penes suos tamen Ecclesiam constituens & juxta Donatistarum hæresin, qui in Africa tantum Ecclesiam esse contendebant, Ecclesiam, quam Christus postulans a Patre accepit, gentes in hæreditatem suam & possessionem suam terminos Terræ, hic ad solos Tanchelmistas contrahere conatus est. Jam vero, sancte Pater, afflictionis nostræ querelas suscipite & præcursorem Anti-Christi eodem schemate eisdem vestigiis, quibus ille serviturus est, præcurrentem advertite. In maritimis primum locis rudi populo & infirmioris fidei venenum perfidiæ suæ miscuit & per Matronas mulierculas, quarum familiaritatibus & secreta collocutione & privato accubitu libentissime utebatur, errores suos paulatim spargere cœpit, deinde conjuges ipsos & maritos perfidiæ suæ laqueis irretivit. Hæc jam non in tenebris & cubiculis, sed super tecta prædicare incipiens, in patentibus campis late circumfusæ multitudini sermocinabatur & velut Rex concionaturus ad populum, stipatus satellitibus vexillum & gladium præferentibus, velut cum insignibus Regalibus sermonem facturus, procedere solebat. Audiebat illum populus seductus quasi Angelum Dei, imo vero ipse Angelus Sathanæ declamabat Ecclesias Dei lupanaria esse reputanda, nihil esse quod Sacerdotum officio in mensa Dominica conficeretur, pollutiones, non sacramenta, nominanda; ex meritis & sanctitate Ministrorum virtutem Sacramentis accedere. Cum ex verbis sancti Augustini Dominus Christus traditorem suum, quem Diabolum nominavit, qui ante traditionem Domini nec loculis Dominicis fidem potuit exhibere, cum cæteris Apostolis ad prædicandum regnum cœlorum miserit, ut demonstraret dona Dei pervenire ad eos, qui cum fide accipiunt, etsi talis sit, per quem accipiunt, qualis Judas, fuit. Item Augustinus: Si in percipiendis sacramentis dantis & accipientis meritum est considerandum, sit dantis Dei & accipientis conscientiæ meæ. Hæc enim duo non mihi incerta sunt, bonitas illius & fides mea. Quid te interponis, de quo certum nihil scire possum? Sine me dicere: In Domino confido; nam si in te confido, unde confido, si nihil mali hac nocte fecisti? Contra has & hujusmodi sententias Sacrilegus ille declamans dehortabatur populum a perceptione sacramenti corporis & sanguinis Domini, prohibens & decimas ministris Ecclesiæ exhiberi, quod facile volentibus persvasit quum ea tantum prædicabat, quæ vel novitate sui vel magna voluntate Populis placitura sciebat. Talibus nequitiæ successibus misero homini tanta sceleris audacia accessit, ut & se Deum diceret, asserens, quod si Christus ideo Deus est, quod Spiritum Sanctum habuisset, se non inferius nec dissimilius Deum, quod plenitudinem Spiritus Sancti accepisset. In qua præsumtione adeo illusit, ut quidam in eo divinitatem venerarentur in tantum, ut Balnei sui aquam potandam stultissimo populo pro Benedictione divideret, velut sacratius & efficacius sacramentum profuturum saluti corporis & animæ. Quodam etiam tempore, dum novum genus quæstus nova adinventione machinaretur, quandam imaginem sanctæ Mariæ, stupet animus dicere, in multitudinem mediam jussit afferri, & accedens manumque imaginis contingens, sub typo illius sanctam Mariam sibi desponsavit, Sacramentum & solemnia illa desponsationis verba, ut vulgo fieri solet, universa Sacrilego ore proferens. En, inquit, Dilectissimi, virginem Mariam mihi desponsavi, vos sponsalia & sumptus ad nuptias exhibete. Et ponens duos loculos unum a dextris, alterum a sinistris imaginis. Huc, inquit, offerant viri, illuc offerant mulieres. Viderim nunc utrius sexus major circa me & sponsam meam ferveat caritas. Et ecce certatim cum muneribus & oblationibus insanissimus ruit populus. Mulieres inaures suas & monilia jaciebant & sic non sine immanissimo sacrilegio infinitam contraxit pecuniam. Sed & faber ferrarius quidam nomine Manasses, quem cum scelerato homine & a vobis detentum audivimus, exemplo nequissimi magistri, fraternitatem quandam, quam Gilda vulgo appellant, instituerat, in qua XII. viros in figura XII. Apostolorum & unam

Digitized by Google

unam tantum fœminam in figuram Beatæ Mariæ conſtituit, quæ ut ferunt per ſingulos illorum XII. circumducebatur & ad injuriam ſacroſanctæ Virginis nefaria turpitudine quaſi ad confirmationem fraternitatis ſingulis miſcebatur. Presbyter etiam quidam, Everwacherus nomine, a ſacerdotali dignitate apoſtatans nefandi hominis Magiſterio adhæſit, qui & illum Romam proſecutus, maritima loca, quartam ſcilicet partem noſtri Epiſcopatus, Teruwanenſi Epiſcopo Regni Franciæ autoritate Domini Papæ atterminare conatus eſt, quem & a ſanctitate veſtra detentum audivimus & gaviſi ſumus. Idem Presbyter per omnia Tanchelmi aſſertor decimas fratrum Eccleſiæ ſancti Petri invaſit, Presbyterum ipſorum armata manu ab altari & Eccleſia ejecit: Infinita ſunt, Domine, illorum ſcelera, quorum plurima pro epiſtolari brevitate ſuppreſſimus. Hoc ad ſummam dixiſſe ſufficiat, res divinas in tantum veniſſe contemtum, ut reputetur ſanctior cuicunque fuerit Eccleſia deſpectior. Quia igitur, ſancte Pater, divina miſericordia Eccleſiam ſuam diutius periclitari non ſuſtinens, illos in manus noſtras tradidit, rogamus & obſecramus in Domino, ne qua ratione de manibus veſtris elabantur, qui ſi elapſi fuerint, denunciamus vobis & ſine omni ambiguitate atteſtamur, futuram inrecuperabilem Eccleſiæ noſtræ jacturam & infinitarum perniciem animarum. Vere, Domine, graviſſimum caſum Eccleſia noſtra ſuſtinebit, ſi quomodo illos evadere contigerit, quorum ſermo juxta Apoſtolum, ut cancer ſerpit, & ſimplicium animas blandiendo perimit. Nunc quoque ob hoc ipſum Anti-Chriſtus noſter Monachum mentitus exemplo illius capitis, cujus membrum factus eſt, in Angelum lucis ſe transfiguravit, ut eo ſecurius illuderet, quo verſutius ſpem ſanctitatis ſimulatæ ſumſiſſet. Rogamus, Domine, ut juſta indignatione moveamini adverſus deteſtandos diſſipatores Eccleſiæ. Quoniam vult, Auguſtinus ait, Deus concitare poteſtates adverſus ſciſmaticos, adverſus hæreticos, adverſus diſſipatores Eccleſiæ, adverſus exſufflatores Chriſti, non mirentur quod Deus concitat, ut a Sara verberetur Agar. Cognoſcat ſe Agar, ponat cervicem, revertatur ad Dominam Saram. Quid mirantur, quod commoventur poteſtates Chriſtianæ adverſus deteſtandos diſſipatores Eccleſiæ? Ergo non moveantur? Et quomodo reddent rationem Eccleſiæ Romanæ de imperio ſuo? Pertinet hoc ad Reges Chriſtianos, ut temporibus ſuis placatam velint Matrem ſuam Eccleſiam, unde ſpiritualiter nati ſunt. Legimus Danielis viſiones & geſta prophetica. Tres pueri in igne laudaverunt Deum, miratus eſt Rex Nabuchodonoſor laudantes Deum pueros & circa eos ignem innocentem. Et cum miratus eſſet ille, qui ſtatuam ſuam erexerat & ad eam adorandam omnes coegerat, tamen laudibus Puerorum commotus, uti vidit Majeſtatem Dei præſentis in igne, ait: Et ego ponam decretum omnibus tribubus & lingvis in omni terra, quicunque dixerint Blaſphemiam in Deum Sadrach, Myſac & Abdenago in interitum erunt & domus eorum in perditionem. Si Nabuchodonoſor laudavit & prædicavit & gloriam dedit Deo, ut decretum mitteret per regnum ſuum, quomodo Reges Chriſtiani non moveantur adverſus Blaſphematores Eccleſiæ Chriſti. Hæc Auguſtinus: Proinde obſecramus in Domino, quatinus ſanctitas veſtra de his faciat, ut Eccleſiæ jam diu periclitanti noſtræ ſubveniendo conſulatis.

CCLXXXIX.

Epiſtola Adalberti Moguntini Archi-Epiſcopi ad Wirzburgenſes Canonicos.

Dilectis in Chriſto Wirzburgenſis Eccleſiæ fratribus & Decano & Camerario, Magiſtro ſcolarum & cæteris ejusdem Eccleſiæ Canonicis A. Moguntinus Dei gratia id quod eſt, debitam in Chriſto ſervitutem & orationem. Eccleſia, cui qualiscunque, Deo jubente, deſervio, hanc veſtram Eccleſiam tanquam mater, ſpecialem filiam ſuam ſemper fovens & diligens, quantum de profectu ſuo in Domino ampliori exultat lætitia, tantum ſi quid ſiniſtri de ea fama reſperſit, abundantiori abſorbetur triſtia; & merito. Nos enim unum in Chriſto ſentire, unum eſſe debemus, videlicet capiti membra concordare; quod Caput Chriſti eſt, a quo qui ſe dimembrat aliquo ſchismatis & hæreſis ſacrilegio, profecto in æternum peribit. Deus enim noſter, non Deus diſſentionis eſt, ſed Deus pacis & unitatis, a quo diſſentit, qui a Romana diſcordat Eccleſia, cui in his, quæ præcepit roborata ſanctorum Patrum autoritas, non obedire ariolari eſt: quod totum quisque tanto ſibi perniciosius contemnit, quanto ſcientius. Si autem contemnens periclitatur, quid ergo dicemus de aliquo obſtinata mente contradicente & impugnante evidentiſſimam veritatem. De quo comminantis voce prophetæ dicitur. Væ, qui ponit lucem tenebras & tenebras lucem & amarum dulce & dulce amarum, & cætera, quæ terribiliter ſequuntur. Quæ & ſimilia veſtræ fraternitatis prudentiæ nos recitare idem eſt ac ſi laboremus ſolis claritatem facibus accenſis adjuvare. Proinde, Chariſſimi, jam moneo & rogo fraternitatem veſtram, ut viciniora ſaluti ſentientes, ſanctæ matris noſtræ Eccleſiæ Catholicæ unitatem diligatis & ſollicitius totam ſummam & intentionem veteris ac novi teſtamenti in hoc conſtare perpendatis, quod genus humanum Deo per obedientiam reconciliatur, a quo in primo parente per inobedientiam receſſit; & ut deſtruatur regnum cupiditatis & ædificetur regnum caritatis. Ad hæc, quoniam aliqui veſtrum proniores eſſe detecti ſunt, quam ſuæ conveniat profeſſioni, communicare excommunicatis & defendere eos, quod dolens dico, pene incidiſtis in grave & intolerabile periculum. Nam, ut teſtificari potes, Dominus Henricus frater veſter, qui interfuit Concilo Fridislariæ Domini Cardinalis C. - - niſi noſter pro vobis interventus interceſſiſſet, ſententiam excommunicationis incurriſſetis. Quam ne coram inſpectore cordium incurratis, tam moneo vos, quam diligo vos, qui ex profeſſione Laicis debetis

Digitized by Google

debetis esse speculum & fenestræ, per quas solis veri radii inmitti debent Ecclesiæ sanctæ. Ad summam nullus vestrum, Deo teste, sincerius & ardentius diligit & inquirit ea, quæ pacis sunt, quam ego & sequentes quod expedit eis erga Deum & hominem, veneror & amplector. Alioquin nec ego nec quilibet sane sapiens, contemto rege regum, obsequium & dilectionem cuiquam debemus impendere. Denique comonitorias has impræsentiarum caritati vestræ direximus literas, multum confidentes de vestræ correctionis melioratione: sin autem quod absit, cor & aures obduraveritis, ut nihil in vos durius dicam, cavebo ulterius per dissimulationem non bonam communicare peccatis alienis. Deus pacis & caritatis omnium corda vestrum in sui amoris affectum accendat.

CCXC.

Item Epistola cujus supra ad Bambergenses Canonicos.

Sanctæ Bambergensis Ecclesiæ Clero, Primoribus & subditis A. Dei repropiciante clementia, Moguntinæ Minister Ecclesiæ recta sapere & unum esse in Spiritu Christi & Ecclesiæ Catholicæ. Intuentes religiosi cleri hujus honestatem & prudentiam semper ubique prædicabilem, non facile persvaderi potuit, vos in aliquo exorbitare ab Ecclesiasticæ communionis tramite: Maxime cum habeatis Episcopum animarum vestrarum, & oportuerit vos obedire Deo magis, quam hominibus; quia melius est confidere in Domino, quam confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus. Sed nunc, quod tamen dolentes audivimus, ubique a Laicis blasphematur, quomodo Romana & Catholica communione postposita, Episcopi quoque vestri exemplo obedientia postposita, aliqui vestrum excommunicatis personis indifferenter communicetis & promiscue, quæ Dei sunt, reddatis obsequio Cæsaris. Profecto meminisse debetis, quanta privilegia habeatis a Romana Ecclesia matre vestra & magistra, quæ si vias vestras gradiens, pro inobedientia perderet vester Episcopus, sero pœniteret, Episcopali jam officio suspensus. Sufficere autem vobis poterat, nobis quoque satis est & cuilibet discipulo, si sit sicut magister ejus; & evidens est exemplum omnibus, quod Clemens nemini loquitur, cui non loquitur Petrus. Proinde cum hæc Deo volente semper nobilis Ecclesia inter consortes filias elegantiori & speciali exellat prærogativa, nos, qui, licet indigni, metropolitana fungimur cura vice beati Petri, nec non potuimus hoc factum vestrum dissimulare & pro loco isto non esse soliciti. Tangit etenim nos mutuum debitum, quod majore obligatione inter nos & locum istum est, a die ordinationis meæ contractum. Si enim inter XV. Moguntini privilegii suffraganeos, oleo benedictionis tamquam filios Aaron in sacerdotium suscitandos cæterorum, primogenitis postpositis, solum vestrum in meam benedictionem præelegi Episcopum, quomodo illi non conpatiar, ut filius patri? quomodo denique non commonefaciam vos fratres, ut frater primogenitus? Quod si ille vias vestras vobis ostendit & de salute & cautela communionis observandæ ab excommunicatis, ut debuit, commonuit, atque, ut Sara filium suum Isaac cum Ismaele ludere non permisit, & altero in diversas culturas separato hæredem filium infra Domum, quæ est Ecclesia, reservavit, officium suum, inquam, fecit & vos secum pastor vester conservavit. Nos quoque in partem Apostolicæ solicitudinis vocati, fungentes tenore vicis nobis delegatæ, quia scimus anathema excommunicatæ communionis inter vos esse, interdicimus in omni loco hoc divini officii verbo Domini & judicio Spiritus Sancti usque ad satisfactionem vestri Episcopi.

CCXCI.

Reverentissimo Bambergensium Episcopo A. Moguntinæ sedis Minister indignus fraternæ dilectionis & orationis inviolabile pignus. Quod proxime Dominus Prænestinus Romanæ Ecclesiæ legatus nobis Apostolica autoritate denuntiaverat, nostra quoque diligentia, per omnia Romanæ autoritati subdita, sollertim impleverat, denuntians & vobis sub eadem autoritate & nostra, uti ad Concilium Coloniæ celebrandum vestra veniret præsentia. Sed quia hoc nescio qua prætermissum fuerit negligentia eadem quidem quæ & cæteris eisdem Concilii neglectoribus, vobis quoque injuncta esset sententia scilicet vel divini officii suspensio vel a communione corporis & sanguinis Dominici formidanda interdictio, nisi nostræ petitionis diligentia hoc prævenisset & eximia sanctitatis vestræ reverentia, ne id fieret, apud Ecclesiam promeruisset. Quibus simul concurrentibus causis & cooperantibus hoc tandem obtinuimus, ne quid severitatis vestra subiret dilectio, cujus hactenus in Ecclesia valuisset devotio. Dignum nimirum arbitratus sum, in omnibus honori vestro & reverentiæ parcendum, & pro posse, loco & tempori providere & consulere cum sanctitatis vestræ dilectio beato Magno se devotæ, caritatis nobis obligaverit munere. De cætero, sicut in mandatum accepimus, denuntiamus, ut ad Concilium V. Kalendarum Augusti Fridislariæ a prædicto legato celebrandum indubitanter veniatis, ne hujus & mandati neglector effectus, austerioris sententiæ decretum, mea petitione nil amplius prævalente, vobis indicatis. Præterea ducem F. & confratrem ejus & G. Palatinum & reliquos complices eorum in prædicto Concilio excommunicatos noveritis. Literas etiam nostras rogamus, ut fratribus nostris, Pragensi scilicet & Moraviensi Episcopis, dirigatis.

CCXCII.

Epistola Burchardi Monasteriensis Episcopi ad Fridericum Coloniensem Archi Episcopum.

Friderico Archi-Episcopo Coloniensi Monasteriensis Ecclesiæ Dei gratia Episcopus desinere ab ira & derelinquere furorem. Cum omnium rerum constet vicissitudinem esse, nequaquam id satis mirari valemus, quod propriæ oblitus

Digitized by Google

oblitus conditionis tam iniquam & exitialem legem in officium Episcopale sanxistis. Nequaquam enim attendens, quod omnis excommunicatio quidam modus est vocationis, & in ligandis & solvendis hominibus animi motus minime sit sequendus in odio & gratia, sed caritate severitatis animadvertendum sit in inobedientes, caritate vero mansuetudinis in obedientes & semper zelo correctionis, non studio damnationis; Hoc, inquam, parvi pendens, contra omnem legem canonicam in nostri damnationem animatus es. Nam odio nostri quasi fretus, sententia, ut arbitraris, in nos data, omnimodis exitium nostrum moliris, quam secundum illam viam Balaam, præter quam oportuit, in nos prolatam nequaquam diffiteri potes. Non enim mortificandæ sunt animæ per excommunicationem, quæ non moriuntur per inobedientiam; sicut non sunt vivificandæ per absolutionem, quæ non vivunt per obedientiam; quia proposita condigna causa præcedere æquum est vocationes & inducias legitimas. Quod in nobis minime servatum est. Decreta enim sanciunt, sententiam, quæ judiciario ordine non procedit, irritam esse. Beatus Petrus ait Clementi: trado mihi a Domino traditam potestatem ligandi atque solvendi, ut de omnibus, de quibuscunque decreverit in terris, hoc decretum sit & in cœlis. Ligabit enim, quod oportet ligari, & solvet, quod expedit solvi, tamquam qui ad liquidum Ecclesiæ nolit regulam. Augustinus quoque dicit: Cœpisti fratrem tuum habere tanquam Publicanum; ligas illum in terra: sed ut juste liges, vide. Nam injusta vincula justitia dirumpit. Gelasius dicit: Cui illata est sententia, deponat errorem & vacua est. Si injusta est, tanto eam non curare debet, quanto apud Deum & Ecclesiam ejus neminem potest iniqua gravare sententia. Ita ergo ex hac se non absolvi desideret, qua se nullatenus prospicit obligatum. Quod autem hujus rei causam injuriam Domino Apostolico illatam prætendis, quam id injuste facias, si dissimulare non vis, tu ipse nosti; cum ipse nobis testis sit, nos præcipue illic fuisse causam pacis & concordiæ. Sed, ut verum non diffiteamur, hoc in nobis persequeris, quod cum infidelibus & perjuris & traditoribus Domini nostri, & proditoribus regni jugum ducere renuimus, & quod cum his, qui omne jus & fas profanaverunt, pessimo genere sacrilegii manum in Christum Domini non levavimus. Unde profecto Augustinus dicit: si quis Laicus juramentum, quod Domino & Regi suo jurat, violando profanat & postmodum perverse ejus regnum & dolose tractaverit & in mortem illius aliquo machinamento insidiatur, quia sacrilegium peragit, manum in Christum Domini mittens, anathema sit, nisi per dignam satisfactionem emendaverit. Sicut constitutum est a Synodo sancta; seculum relinquat, arma deponat, in monasterium eat, & pœniteat omnibus diebus vitæ suæ: veruntamen communionem in exitu vitæ cum Eucharistia accipiat. Episcopus vero, Presbyter, Diaconus, si hoc crimen perpetraverit, degradetur. Itaque quod hanc rem dignam excommunicatione abhorruerimus, nos excommunicationi addicis. Sed quoniam juxta instituta Patrum nos injusta sententia gravari sentimus, Romanam sedem appellamus. Quod autem postposita fide, quam in nobis sacramento confirmaveras, præsente Vincentino Episcopo, vineam Domini nobis commissam, quam pro posse meo colueram, rapinis, incendiis, homicidiis exterminasti, castra quædam diruisti, & in allodia, per quæ vetus monasterium Sancti Pauli restauravi, manum misisti & N. tua astipulatione in idem facinus induxisti, & villico nostro Christiano alium substituisti; quosdam ministeriales nostros rebus suis privasti & rusticos afflixisti, & decimationes & cæteras possessiones quibusdam in beneficium dedisti, & de spiritualibus nostris mercimoniam instituisti, & oves Domini aberrare fecisti, & quod pejus est, perjuro nostro N. non pascendas, sed dilaniandas dedisti, & omnibus transeuntibus viam, vineam Domini vindemiandam exposuisti: De hoc, inquam, te ad Concilium in kalendas Octobris, utpote de hoc sacrilegio nobis coram Ecclesia responsurum, invitamus. Illic quoque quoniam verecundam taciturnitatem nostram multimodis sollicitas, quod flentes dicimus, te ipsum tibi & sanctæ Ecclesiæ aperiemus. Interim autem sub auctoritate beati Petri interdicimus, ne nos & Ecclesiam nostram aliqua Injuria graves.

CCXCIII.

Epistola Gelasii Papæ contra GG. Æmulum suum.

Gelasius Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri C. Prænestino Episcopo apostolicæ sedis legato salutem & Apostolicam Benedictionem. Jam dudum nostras tibi literas misimus, sed utrum ad te pervenerint, ignoramus. Quæ ita se habent. Post electionem nostram Diaconus Imperatoris furtive & inopinata velocitate Romam veniens, nos egredi compulit. Pacem postea minis & territionibus postulavit, dicens, se facturum, quæ posset nisi nos ei juramento pacis certitudinem faceremus. Nos ei fratrum nostrorum consilio pacem obtulimus. Ille statim, die videlicet post electionem nostram quarta Baracensem Episcopum, qui Burdinus a Normannis dicitur, anno præterito, sicut nosti, a Domino prædecessore nostro Paschali Papa in Concilio Beneventi excommunicatum, in Matris Ecclesiæ invasionem ingessit. De quo etiam tibi notum est, quod, cum per nostras olim manus pallium accepisset, prædicto Domino nostro & ejus Catholicis successoribus, quorum primus ego sum, fidelitatem juraverit. In hoc autem tanto facinore nullum de Romano Clero Imperator Deo gratias socium habuit. Sed Wibertini quidam, Romanus de sancto Marcello, Centius, qui dicebatur sancti Grysogoni & Teuto, qui tanto per Italiam tempore debachatus est, tam infamem gloriam celebrarunt. Sane nos cum fratribus nostris & Episcoporum collegio in præterito Palmarum die Capuæ regem ipsum cum idolo suo

suo excommunicavimus. Tuæ igitur experientiæ præcipimus, ut omnia hæc per commissæ tibi legationis partes fratribus constitutis nota facere studeas & ad Matris Ecclesiæ ultionem, sicut oportere cognoscis, præstante Deo accingaris. Data Capuæ Idibus April.

CCXCIV.

Dilectis in Christo fratribus Episcopis Cardinalibus & cæteris Clericis sive Laicis, qui cum Papa fuerunt Gelasio P. Portuensis Episcopus salutem in Domino. Scriptum est, si oculus tuus fuerit simplex t. c. t. l. erit. Proinde Benedictus Deus, qui simplicitatem cordis vestri tanta prudentia illustravit, ut magnis Ecclesiæ necessitatibus salubri & maturato consilio provideretis. Licet enim me obitus Domini nostri Papæ G. contristaverit, petitioni etiam vestræ prompto & alacri animo diligentiam dedi, atque, ut cæteri fratres vobiscum in unum saperent, solicitius elaboravi. Quod honeste satis per Dei gratiam factum est, sicut per nuntios nostros, qui, auxiliante Deo, in proximo ad vos venturi sunt, plenius cognoscetis.

CCXCV.

Epistola Episcoporum Cardinalium, qui Romæ erant, ad Cardinales, qui cum Gelasio erant, de electione Widonis Viennensis Episcopi, qui & Calixtus.

Cardinales Romæ degentes Bonifacius Tituli sancti Marci, Johannes tituli sanctæ Cæciliæ, Anastasius sancti Clementis, Benedictus tituli sanctæ Eudoxiæ, Divizo tituli Equitii, Dietpaldus tituli Pammachii, Reinerus tituli Sanctorum Marcellini & Petri, Desiderius tituli sanctæ Praxedis, Gregorius tituli sanctæ Lucinæ, Hugo tituli Apostolorum, charissimis fratribus & Cardinalibus, qui ultra montes sunt, salutem. Dilectionem Vestram latere non credimus, quod a Romanæ Ecclesiæ filiis, presbyteris vel Diaconibus, & infra urbem, si possibile fuerit, vel extra in locis finitimis, post excessum Summi Pontificis, persona ad Papale officium idonea, decretis Sanctorum Pontificum testibus, ad culmen Apostolicum debeat exaltari. Sane quidem nostris exigentibus meritis, quod nos sumus, in quos fines seculorum devenerunt, cum ex Romano more electionem, facere impediamur, electionem, quam vos de Domino Widone, olim Archiepiscopo Viennensi, nunc vero Domino nostro fecistis, caritate debita consentimus, & consentiendo nos spiritu afflante laudamus, unanimitate vinciente corroboramus.

CCXCVI.

Venerabilibus in Domino fratribus diaconibus, Cardinalibus, qui ultra montes sunt, Diacones Cardinales, qui Romæ sunt, salutem. Quemadmodum nobis scripsistis, Karissimi in dilectione nostra, tum pro eodem ordine, tum pro ejusdem officii æqualitate plene confidere potestis. Quocirca dilectioni vestræ notum sit, eodem nos vinculo caritatis conexos ad totius Ecclesiæ utilitatem ac statum de tanti viri electione idem sentire, idem laudare, confirmare ac per omnia unanimitatem tenere. Quicquid igitur prosperi vobis divina gratia provenerit, nobis fratribus vestris literis significare curate.

CCXCVII.

Epistola eorundem, quorum supra.

Episcopi & Cardinales, qui Romæ sunt, dilectissimis in Christo fratribus universis Galliarum & aliarum partium Episcopis, Abbatibus & cæteris Christi fidelibus salutem. Fraternæ dilectioni vestræ certum esse volumus, quod nos communi voto & desiderio electionem a fratribus nostris, qui ultra montes sunt, factam de Domino Guidone Viennensi Archiepiscopo in Romanæ Ecclesiæ Pontificem Calixtum, omnes pariter laudavimus & confirmavimus. Vestram itaque fraternitatem rogamus & obsecramus, id ipsum nobiscum sentire, laudare & tenere eique vice beati Petri, sicut Romano Pontifici obedire, precibus etiam assiduis pro eo Dominum exorare, quatinus ei virtutis suæ præbeat incrementa eum cum grege sibi credito perducat ad gaudia sempiterna.

CCXCVIII.

Karissimis in Christo fratribus, Episcopis, Cardinalibus qui Romæ sunt E. Sabinensis V. Albanus in Domino. Aliis vobis jam litteris significavimus, quia quod a vobis de Pontificis electione factum est, a nobis quoque pariter cum populi & Cleri multitudine laudatum & confirmatum est, & quod terreni itineris securitatem non habemus, nuntios cum literis & subscriptionibus nostris per mare ad vos Domino auxiliante mittemus. Dominum Papam Calixtum tota Ecclesia prædicat, nomen ejus in missarum orationibus celebrat, & a scriniariis, sicut consuetudo est, in cartis, quas faciunt, ponitur. Vos itaque fratres constanter & viriliter agite, & nobis laborantibus modis, quibus potestis, succurrite, &, quod nos pro viribus operamur, ut Dominum Papam & vos cum honore & gaudio suscipiamus. Restat igitur, ut sicut petitioni vestræ festivum præbuimus assensum, ita & vos in necessitatibus nostris largiente Domino nobis præbere festinetis auxilium. Ex consilio autem nostro, si vobis placet, Domino Papæ suggerite concilium celebrare, de pace, si fieri potest, & de ecclesiæ liberatione tractare.

CCXCIX.

Karissimis in Christo fratribus Episcopis Cardinalibus beati Petri, qui ultra montes sunt, Fratres, qui Romæ sunt, salutem. Litteras a fraternitate vestra communes & proprias lætanter suscepimus, & petitioni vestræ cum devotione assensum præbuimus, sicut venerabilis frater noster O. Archipresbyter Salvatoris cum socio suo vobis narrare poterit, quos ad Dominum Papam & vos direximus cum literis confirmationis & nostris subscriptionibus. Ipsi igitur viderunt & audierunt, quomodo nos in Kal. Mart. omnes pariter congregati fuimus Episcopi, Cardinales, Presbyteri, Diaconi & Subdiaconi cum reliqua multitudine Romanæ urbis

Digitized by Google

urbis cleri & populi, & electionem Pontificis a vobis factam singuli ore proprio laudavimus, & confirmavimus. Restat igitur, ut sicut nos festivum petitioni vestræ præbuimus assensum, ita & vos necessitatibus nostris nobis Domino largiente præbere festinetis auxilium.

CCC.

Calixtus Episcopus servus servorum Dei Venerabili Fratri U. Episcopo & Canonicis sanctæ Constantiensis Ecclesiæ salutem & alia bona. Schaffhusenses fratres agitatam diu querimoniam repetere non desistunt. Conqueruntur itaque quia prædium a Tutone illo eis oblatum per violentiam auferatis. Præcipimus igitur dilectioni vestræ, ut eis aut prædium ipsum in pace & quiete reddatis, aut si quid in eo juris habere confiditis, oportuno loco & tempore ad exequendam justitiam veniatis. Veruntamen illud nobis honestius & utilius videretur, si quis, quod suum est, sine scandalo & sicut fratres condecet, obtineret. Et si N. in Apostasiam lapsus sit, & contra honorem Dei & salutem animæ suæ retrorsum abierit, nulla tamen ratione permittitur, ut ea quæ libere ac sponte obtulerit, debuerit, abstulisse. Datum Cluniaci III. Nonarum Januarii.

CCCI.

Calixtus Episcopus servus servorum Dei dilecto in Christo filio N. Schaffhusensi Abbati ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Commissi nobis officii nos hortatur auctoritas pro Ecclesiarum statu satagere & quæ recte statuta sunt stabilire; primum fili Karissime N. Abba tuis per Karissimum fratrem N. Trevirensem Archiepiscopum petitionibus annuendum esse censuimus, ut venerabile Salvatoris monasterium, cui Deo auctore præsides, quod videlicet ab N. quondam Comite apud villam N. sub honore omnium sanctorum ædificatum & beato Petro in jus perpetuum oblatum est, ad exemplar prædecessorum nostrorum sanctæ memoriæ Gregorii VII. & Urbani secundi Pontificum Romanorum Apostolicæ sedis privilegio muniremus, per præsentis igitur privilegii paginam Apostolica auctoritate statuimus, ut quæcunque possessiones, quæcunque bona eidem monasterio vel a prædicto N. sive N. Comitibus vel aliis fidelibus de suo jure oblata sunt, aut in futurum Domino largiente offerri vel quibuslibet justis modis acquiri contigerit, firma tibi tuisque successoribus & illibata permaneant. Nulli ergo omnino hominum liceat præfatum cœnobium temere perturbare, vel ejus possessiones seu res ceteras auferre, ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum sustentatione ac gubernatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Obeunte te nunc ejusdem loci Abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet surreptionis astutia vel violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu vel fratrum pars consilii sanioris secundum beati Benedicti regulam elegerint. Extremi olei confectio, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes clericorum & cætera ad Episcopale officium pertinentia ab Episcopo Constantiensi, in cujus estis diœcesi, accipietis, si tamen Catholicus est & gratiam & communionem Apostolicæ sedis habuerit, & si ea gratis ac sine pravitate voluerit exhibere; alioquin liceat vobis catholicum, quem malueritis, adire antistitem & ab eo consecrationum sacramenta suscipere. Sepulturam quoque ipsius monasterii liberam omnino esse decernimus, ut eorum, qui illic sepeliri deliberaverint, devotioni & extremæ voluntati, nisi forte excommunicati sint, nullus obsistat. Sane cellas beatæ Agnetis & beatæ Mariæ occasione qualibet a monasterii vestri proprietate per te vel successores tuos vel quemlibet alium subtrahi vel alienari & earum bona temere aut violenter aufferri vel imminui penitus prohibemus, & si qua forte ablata sunt sub divini obtestatione judicii reddi præcipimus. Mansuro præterea in perpetuum decreto sancimus, ut nulli omnino viventium liceat in vestro monasterio aliquas proprietatis conditiones, non hæreditarii juris, non advocatiæ, non investituræ, neque cujuslibet potestatis, quæ libertati & quieti fratrum noceat, vendicare: Sed abbas cum fratribus advocatum sibi, quem perspexerit utiliorem, instituat, &, si oportuerit, amoto eo alium tertium providebit. Laicos seu clericos seculariter viventes ad conversionem suscipere nullius Episcopi vel Præpositi conditio vos inhibeat. Porro decimas, quæ a laicis detinentur, pertinentes ecclesiis, quas habetis vel habebitis, si eas recuperare annuente Domino potueritis, vestris perpetuo usibus mancipandas absque omni contradictione Episcoporum censemus salva Episcopali reverentia. Illud etiam capitulo præsenti subjungimus, ut nulli Episcoporum facultas sit sine Romani Pontificis licentia loca vestra vel monachos interdictioni vel excommunicationi subjicere. Ad indicium autem perceptæ a Romana Ecclesia libertatis auri unciam quotannis Lateranensi palatio persolvetis. Si qua igitur deinceps ecclesiastica secularisve persona hujus privilegii paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo, tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat atque a sacratissimo corpore & sanguine Dei ac Domini redemtoris nostri Jesu Christi aliena fiat & in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant Amen. Datum Cluniaci per manum Crisogoni sanctæ ecclesiæ diaconi Cardinalis ac bibliothecarii III. Nonarum Januarii, Indictione XVI. Incarnationis dominicæ anno MCXX. Pontificatus autem Domini Calixti secundi Papæ anno primo.

CCCII.

Digitized by Google

CCCII.

Synodus Calixti Papæ.

Anno Dominicæ incarnationis MCXVIIII. VII. Idus Julii, Indictione XII. Dominus Papa Calixtus Toloſæ cum Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus Provinciæ Gotiæ, Guaſconiæ & citerioris Hyſpaniæ Concilium celebravit, ubi cum de diverſis negotiis quæſtiones emergerent, capitula hæc promulgata & totius aſſenſu Concilii approbata ſunt. Sanctorum patrum veſtigiis inſiſtentes, ordinari quemcunque per pecuniam in eccleſia Dei vel promoveri auctoritate ſedis apoſtolicæ omnimodis prohibemus: Si autem ſibi ordinationem vel promotionem acquiſierit, acquiſita prorſus careat dignitate. Nullus etiam in præpoſitum, nullus in Archipresbyterum, nullus in decanum, niſi presbyter; nullus in Archidiaconum, niſi Diaconus ordinetur. Primitias, decimas, oblationes, & cimiteria, domos etiam & bona cætera deficientis Epiſcopi & clericorum a principibus & quibuslibet Laicis diripi & teneri penitus interdicimus. Qui vero pertinaciter iſta præſumpſerit, ab eccleſiæ liminibus arceatur. Hos, qui religionis ſpeciem ſimulantes, dominici corporis & ſanguinis ſacramentum, baptiſma puerorum, ſacerdotium & cæteros eccleſiaſticos ordines & legitimarum dampnant fœdera nuptiarum, tamquam hæreticos ab eccleſia Dei pellimus & dampnamus & per poteſtates exteras coërceri præcipimus: defenſores quoque ipſorum ejuſdem dampnationis vinculo, donec reſipuerint, innodamus. Si quis eccleſiaſticæ militiæ titulo inſignitus monachus vel canonicus aut etiam quilibet clericus primam fidem irritam faciens abierit, aut tanquam laicus comam aut barbam nutrierit, eccleſiæ communione privetur, donec prævaricationem emendaverit.

CCCIII.

Qualiter nuper inter regem & Dominum Papam cauſa cœperit ac proceſſerit, breviter deſcriptum eſt.

Venerunt ad Regem apud Argentinam Epiſcopus Catalaunenſis & Abbas Cluniacenſis acturi cum eo de pace & concordia, inter regnum & ſacerdotium. A quibus cum rex conſilium quæreret, quomodo ſine diminutione regni ſui hoc exequi poſſet, aſſumpta parabola reſpondit Epiſcopus; ſi veram pacem, Domine rex, deſideras habere, inveſtituram epiſcopatuum & Abbatiarum omnimodis dimittere te oportet. Ut autem in hoc regni tui nullam diminutionem, pro certo teneas, ſcito, me in regno Francorum Epiſcopum electum, nec ante conſecrationem aliquid ſuſcepiſſe de manu regis, cui tamen de tributo, de militia, de theloneo, de omnibus, quæ ad rempublicam pertinebant antiquitus, ſed a regibus Chriſtianis eccleſiæ Dei donata ſunt, ita fideliter deſervio, ſicut in regno tuo tibi Epiſcopi deſerviunt, quos hucusque inveſtiendo, hanc diſcordiam, immo anathematis ſententiam, incurriſtis. Ad hoc rex elevatis manibus hoc reſponſum dedit: Eia, inquit, ſic fiat, non quæro amplius. Tunc ſubjunxit Epiſcopus: ſi igitur inveſtituras dimittere volueris, & poſſeſſiones eccleſiarum & eorum, qui pro eccleſia laboraverunt, reddere, & veram pacem eis dare, laborabimus Deo opitulante huic contentioni finem imponere. Quæ omnia rex communicato cum ſuis conſilio ſe proſecuturum promiſit, ſi fidem & juſtitiam apud Dominum Papam inveniret, & ſi veram pacem, ipſe & ſui & poſſesſiones iſtas, quas, pro Werra iſta amiſerant, reciperent. Quibus auditis Epiſcopus certum ſe fieri ſuper denominatis capitulis poſtulavit, tum ut labor eorum non eſſet inutilis, tum ut Dominum Papam ad exequendam pacem facilius inclinarent. Tunc rex propria manu ſub teſtimonio Chriſtianæ fidei in manu Epiſcopi & Abbatis firmavit, ſe præfata capitula ſine fraude proſecuturum. Poſt eum Epiſcopus Lauſenenſis & Comes Palatinus & cæteri clerici & laici, qui cum eo erant, hoc idem firmaverunt eodem modo. Accepta ſecuritate Epiſcopus & Abbas Domino Papæ Pariſius occurrerunt; quæ viderant & audierant, fideliter intimarunt, quibus applaudens Dominus Papa ſic reſpondit: Utinam jam factum eſſet, ſi ſine fraude fieri poſſet. Mox communicato cum Epiſcopis & Cardinalibus conſilio eosdem & cum eis de latere ſuo Epiſcopum Oſtienſem & G. Cardinalem ad regem remiſit, ut præfata capitula diligentius retractarent, atque ſcripto ex utraque parte firmarent, & ſi hoc, ſicut promiſerat, exequi vellet diem, quam iſta complerentur ante finem Concilii denominarent. Venientes ad eum Virdunum & Metim ei occurrerunt, quod Dominus Papa eum libenter reciperet, ſi promiſſum exequi vellet, retulerunt, ſuper quo quam gaviſus rex, quod prius apud Argentinam in manu prænominatorum firmaverat, inibi in manu Epiſcopi Oſtienſis & G. Cardinalis, & Epiſcopi Catalaunenſis & Abbatis propria manu firmavit, quod videlicet in - - - - - - capitula, quæ ſequenti ſcripto continentur, apud Moſonium in præſentia Domini Papæ fideliter ſine omni fraude exequeretur. Poſt eum hoc idem juraverunt Dux Welf, Comes Beringarius, Comes Palatinus, Comes Wilhelmus & alii Principes, Epiſcopi, Clerici, Laici multi. Exegit etiam ipſe a noſtris eodem firmari ſibi modo, quod ſi non in ipſo remaneret, eodem die Dominus Papa, quæ in ſcripto ſuo continentur, adimpleret. Scriptum autem hoc concordiæ fuit: Ego H. Dei gratia Romanorum Imperator Auguſtus pro amore Dei & beati Petri & Domini Papæ Calixti dimitto omnem inveſtituram omnium eccleſiarum & do veram pacem omnibus, qui, ex quo iſta diſcordia cœpta pro eccleſia in Werra fuerunt vel ſunt: poſſeſſiones autem eccleſiarum vel omnium, qui pro eccleſia laboraverunt, quas habeo, reddo, quas autem non habeo ut rehabeant, fideliter adjuvabo. Quod ſi quæſtio etiam emerſerit quæ eccleſiaſtica ſunt Canonico, quæ autem ſecula-

Digitized by Google

fecularia funt, feculari terminentur judicio. Item fcriptum Domini Papæ: Ego Calixtus Secundus Dei gratia Romanæ Ecclefiæ Epifcopus Catholicus ad veram pacem Henrico Romanorum Imperatori Augufto & omnibus, qui cum eo contra ecclefiam fuerunt vel funt, poffeffiones eorum, quas pro Werra ifta perdiderunt, quas habeo, reddo; quas non habeo, ut rehabeant, fideliter adjuvabo. Quod fi quæftio etiam emerferit, quæ ecclefiaftica funt canonico, quæ autem fecularia, feculari terminentur judicio. Hac itaque data & accepta fecuritate feftinanter ad Dominum Papam Remis redierunt, quæ fecerant & quæ a rege & a fuis receperant ante Concilium reportantes fimul & diem & locum colloquii defignantes. Dominus Papa in generali concilio XIII. Kal. Novembris Remis refidens inter cætera fic exorfus eft: Domini patres & fratres, caufa, pro qua vos de terra longinqua & remotis regionibus ad concilium vocavimus, hæc eft: Scitis quam diu Romana Ecclefia contra diverfas hærefes laboravit, & ficut per beatum Petrum, cui fpecialiter dictum eft a Domino; rogavi pro te Petre, ut non deficeret fides tua; & tu autem confirma fratres tuos; Simon magus, quem judicio Spiritus Sancti ab Ecclefia Dei eliminavit, periit, fic usq; ad noftra tempora, id eft, per vicarios fequentes Symones expugnare, & ab ecclefia Dei extirpare non definit. Ego quoque licet indignus qualiscunque ejus vicarius Symoniacam hærefim, quæ maxime per inveftituras contra ecclefiam Dei innovata eft, ab ecclefia Dei, opitulante Deo, veftro confilio & auxilio modis omnibus eliminare defidero. Unde fi placeat a fratribus noftris, qui inter nos & regem dictum Teutonicum verba concordiæ portaverunt, ordinem caufæ diligentius audiatis. Tunc Dominus Papa Oftienfi Epifcopo injunxit, ut univerfo concilio latine ordinem caufæ exponeret; Quod cum prudenter Epifcopus Oftienfis peroraffet, iterum Catalaunenfis Epifcopus ex præcepto Domini Papæ hoc idem Clericis & laicis materna lingua expofuit. Quo completo, multa capitula illo die & fequenti propofuit, & usque ad finem concilii univerfa complenda diftulit. Sequenti vero die cum in hoc confilium Epifcoporum fediffet, ut Dominus Papa ad diem colloquii pro componenda pace accederet, & utrum in veritate homo ille ageret, per femet ipfum temptaret, circa finem concilii illa die Dominus Papa fic profecutus eft: Domini patres & fratres, fcitis quamdiu mater noftra Ecclefia contra fymoniacam hærefin maxime quæ per inveftituras fit, in partibus noftris laboraverit, & quoniam placuit omnipotenti Deo noftris diebus ecclefiæ fuæ pacem offerre, & jam proxima dies colloquii ad ipfum locum craftina die nos compellit accedere, fummopere rogamus, ut reditum noftrum patienter fuftineatis, & fi Deus nobis pacem dederit, commune gaudium univerfo mundo annuncietis. Si autem, quod Deus avertat, adverfarius nobifcum agere temptaverit, feftinanter ad vos revertemur, & ficut conventionem pacis, fi fiat nobifcum & per vos confirmare optamus; fic in commentorem fraudis, fi infidelis evaferit, judicio Spiritus Sancti & veftro gladium fancti Petri vibrare temptabimus. Quod cum fub obtentu obedientiæ Archi-Epifcopis, Epifcopis & Abbatibus injunxiffet, præcepit etiam, ut interim & maxime die colloquii Pfalmos, orationes, & facrificia fpiritualia Deo offerrent, & a majori Remenfi Ecclefia usque ad ecclefiam beati Remigii cum proceffione nudis pedibus exirent. Sic interim dimiffo concilio Dominus Papa ad locum colloquii exiit, & vocatis in Cameram Archi-Epifcopis, Epifcopis, Abbatibus & ceteris fapientibus viris, quos multos fecum duxerat, coram omnibus fecit legi utrumque fcriptum concordiæ. Cumque lectum fuiffet fcriptum regis diligentius cœperunt Epifcopi retractare, maxime illud capitulum, ubi dicebatur: dimitto omnem inveftituram omnium Ecclefiarum; dicentes fiquidem Rex fimpliciter agit, verba ifta fufficiunt; fi autem fub hoc capitulo aliquid cavillare conatur, determinatione nobis videntur indigere, ne forte aut poffeffiones antiquas ecclefiarum fibi conetur vendicare aut tantum de eisdem Epifcopos inveftire. Rurfum in fcripto Domini Papæ illud diligentius retractabatur, ubi dicebatur: do veram regi & omnibus, qui cum eo in Werra ifta fuerant vel funt [ne forte in danda pace plus intelligerent, quam reddendam communionem ecclefiæ] & fub hoc verbo Ecclefia cogeretur fufcipere, quos aut fuperpofitos legitimis paftoribus aut canonice depofitos fine gravi offenfione non poffet fuftinere. Diligenter igitur omnibus retractatis, miffi funt ad caftra Regis Epifcopus Catalaunenfis & Abbas Cluniacenfis & alii multi cum eis portantes fcripta in manibus. Cumque perveniffent ad caftra, oftenderunt fcripta, determinaverunt capitula, prout omnium confilio diffinitum erat. Rex autem his auditis prima fronte fe nichil promififfe horum, omnino abnegabat. Tunc Epifcopus Catalaunenfis zelo Dei inflammatus & gladio verbi Dei accinctus refpondit pro omnibus: fi, Domine Rex, negare vis fcriptum, quod tenemus in manibus & determinationem, quam audifti, paratus fum fub teftimonio religioforum virorum, qui inter me & te fuerunt, jurare fuper reliquias fanctorum & fuper evangelium Chrifti, te ifta omnia in manu mea firmaffe & me fub hac determinatione recepiffe. Cumque omnium teftimonio vinceretur, tandem compulfus eft confiteri, quod prius negaverat. Veruntamen conquerebatur de eis graviter, quod, licet eorum confilio promiferit, absque diminutione regni exequi non valeret. Cui fic Epifcopus refpondit: In promiffis noftris, Domine Rex, per omnia nos fideles invenies; non tamen Dominus Papa [& fui] ftatum Imperii aut coronam regni, ficut quidam feminatores difcordiæ obloquuntur, in quolibet imminuere attemptant, imo palam omnibus denunciant, in exhibitione militiæ, & in cæteris omnibus, in quibus tibi & anteceſſoribus tuis fervire confueverant, modis omnibus defervient,

Digitized by Google

vient, ſi autem imperii ſtatum per hoc imminui exiſtimas, quod ulterius tibi Epiſcopatus vendere non liceat, hoc potius regni tui augmentum ac profectum ſperare debueras, ſi quæ Deo contraria ſunt, pro ejus amore abjicias. Ad hæc omnia cum reſpondere non poſſet, mitiora verba cœpit proferre & inducias quærere vel usque mane, dicens, ſe nocte illa cum Principibus velle de cauſa conferre, & ad exequendum promiſſum, ſi poſſet, eorum corda inflectere & ad alterutrum ſummo mane renunciare. Poſt hæc ſui de modo abſolutionis & ſuſceptionis cum noſtris cœperunt conferre, durum ſibi immo importabile videri, ſi more aliorum, nudis pedibus, Dominus ſuus ad abſolutionem accederet; quibus condeſcendentes noſtri reſponderunt, quod modis omnibus laborarent, ut Dominus Papa eum calceatum, quanto privatius poſſet, reciperet. In his verbis illa die colloquio terminato, noſtri ad Dominum Papam redierunt, quæ invenerant reportantes, Tunc Dominus, quaſi de pace deſperans, Papa ordinabat ſummo mane ad fratres, quos Remis reliquerat, repedare; ſed conſilio Comitis Treceſis & multorum aliorum compulſus eſt Sabbatho fere usque ad horam ſextam in eodem loco manere. Et, ut omne os adverſariorum obſtrueret & vocem derogationis omnibus auferret, ſummo mane iterum miſſi ſunt ad caſtra Epiſcopus Catalaunenſis & Abbas Cluniacenſis ſuper inducias acceptas reſponſum ejus audituri. Cumque illuc perveniſſent, ſicut pridie fecerat, repræſentavit ſcripti veritatem cum atteſtatione ſacramenti, dicens: heri quidem, Domine Rex, cum juſtitia poſſemus a te recedere, quod die denominata parati fuimus, & promiſſum tuum recipere & noſtrum implere. Verum quod tu inducias petendo usque in hanc diem diſtuliſti, nolumus, ut, propter intervallum unius noctis, tantum bonum in nobis remaneat, & ſi promiſſum tuum hodie exequi volueris, paratus eſt adhuc Dominus Papa, quod per nos tibi promiſit, modis omnibus adimplere. Tunc rex iratus iterum inducias cœpit quærere, donec generale colloquium cum Principibus regni poſſet habere, ſine quorum conſilio inveſtituras non audebat dimittere. Ad hæc Epiſcopus: Quia ſæpe inducias quærendo, quæ promiſiſti, implere diſſimulas, nichil nobis & tibi amplius: revertar ad Dominum Papam. Sicque inſalutatus rediit, quæ invenerat, renunciavit. Mox igitur Dominus Papa cum ſuis ad aliud caſtrum Comitis Trecenſis cum ſumma feſtinatione tranſivit. Rex autem nuncium ad Comitem direxit, ſummopere rogans, ut Dominum Papam inibi die dominico detineret, promittens, ſe facturum modis omnibus, quod totiens abnegaverat. Quod cum ad Dominum Papam delatum fuiſſet, communicato cum ſuis conſilio hoc breve dedit reſponſum: Feci, fratres, pro deſiderio pacis, quod ab anteceſſoribus noſtris nunquam factum audivi. Generalem ſynodum congregatam & fratres multos quaſi deſolatos reliqui, ad hominem iſtum cum multo labore perveniens, quæ pacis ſunt in eo non invenio; Unde nullatenus eum ulterius exſpectabo, ſed ad fratres noſtros & ad concilium, quantocius potero, regrediar. Si autem in Concilio vel poſt Concilium veram pacem nobis Deus obtulerit, paratus ero ſuſcipere & amplecti. Die dominica de eodem loco ante diem exivit, & cum tanta feſtinatione Remis usque cucurrit, ut viginti leugis conſummatis eadem die Remis miſſam celebraret, in qua Leodicenſem electum invenit & in Epiſcopum conſecravit. Poſtea vero præ nimio labore infirmatus vix ad Concilium adceſſit, exitum & reditum ſuum & ordinem cauſæ concilio exponi fecit, & ſic illa die ſiluit - - - - - nichilominus infirmitate detentus, in concilio ſedere non potuit. - - - circa horam tertiam ad concilium acceſſit. Alia die usque ad horam nonam multorum proclamationes recepit, & de multis capitulis tractavit. Ab hora vero nona, volens illa die concilium terminare, ſinodalia decreta fecit in medium proferri & legi. Cumque multa contra ſymoniacam hæreſim eſſent recitata, & omnium conſono favore laudata & confirmata, ventum eſt ad illud decretum, quo inveſtituræ eccleſiarum interdicebantur laicis, in quo ſic continebatur: Inveſtituras omnium Eccleſiarum poſſeſſionum per laicam manum fieri omnibus modis prohibemus. Quod cum recitatum fuiſſet tantum murmur quorundam clericorum, & multorum laicorum per Concilium intonuit, ut diem usque ad veſperam ſub gravi contentione pertraherent. Videbatur igitur eis, quod ſub hoc capitulo Dominus decimas & cætera eccleſiaſtica beneficia, quæ antiquitus laici tenuerant, conaretur minuere vel auferre. Unde Dominus Papa omnibus ſatisfaciens illa die concilium terminare diſtulit, ut ſequenti die communi conſilio decretum temperaret, & ipſum cum cæteris, quæ ſequebantur, unanimi omnium favore & auctoritate confirmaret. Tunc vero ad concilium venit, quæ propoſuerat executurus, hymnum Sancti Spiritus devote incipit, qui cum ab omnibus affectuoſe fuiſſet decantatus, vere inviſibilis ignis flamma ſuccenſus in ignea lingua de Spiritu Sancto exorſus mirabiliter peroravit, docens eum ſummum bonum eſſe, fontem ſapientiæ & intelligentiæ ac totius diſciplinæ, vinculum caritatis, unitatis & concordiæ, cumque per hæc ſingula diutius ſub omnium ammiratione diſcurreret, tandem ad cauſam acceſſit dicens; Scimus, fratres Kariſſimi, quod labor veſter, quo de tam regionibus remotis, pro communi libertate matris noſtræ ſanctæ eccleſiæ nobis occurrere ſtuduiſtis, placuit Deo & Spiritui Sancto, in cujus virtute & ſanctificatione unum ſumus in Chriſto; & quod placuit Spiritui Sancto & nobis, diſplicuit Spiritui adverſario, qui modis omnibus ad perturbandam fraternitatis veſtræ concordiam cooperatores malitiæ ſuæ quæſivit, & invenit. Quid igitur dicimus, fratres, ſi cum tanto labore & expenſis ad Concilium vocati veniſtis & revertentes ad regiones veſtras nichil reportare poteritis, quod nos audire non vultis. Qui

Digitized by Google

igitur peccat in Spiritum Sanctum, quod peccatum, si perseveraverit, non remittetur ei, neque in hoc seculo neque in futuro, teste veritate, quæ dicit; qui vos audit, me audit,& qui vos spernit, me spernit; Scimus etiam quod Dominus, cum proposuisset discipulis suis, nisi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus sanguinem: non habebitis vitam in vobis, scandalizati sunt multi & abierunt retrorsum, nec postea sequebantur eum: Sic & nos cum heri proposuissemus quædam pro libertate ecclesiæ, scandalizati sunt quidam infideles; unde & nos eis auctoritate Apostolica dicimus; qui infidelis, discedat & exeat, & det locum fidelibus, quæ ecclesiastica sunt, & libertati ecclesiæ necessaria pertractare; vobis autem qui locum & officium Apostolorum in ecclesia Dei tenetis, dicimus, quod Dominus dixit ad duodecim: Nunquid & vos v. a.? Quod cum mirabiliter perorasset, ita omnium corda concussit ac reclamantium voces compressit, ut nec unus quidem contra decreta Synodica, quæ postea lecta sunt, os aperire præsumeret. Dominus tamen Papa decretum illud, unde murmur ortum fuerat, saniori consilio temperavit, & in hanc formam concilio legi fecit; Investituram Episcopatuum & Abbatiarum per manum laicam fieri omni modo prohibemus. Quod cum placuisset omnibus, ipsum cum cæteris omnibus, quæ lecta sunt, judicio Spiritus Sancti & auctoritate ecclesiastica firmaverunt. Allatæ sunt denique candelæ quadringentæ XXVII. & accensæ datæ singulæ singulis, tenentibus baculos Episcopis & Abbatibus, injunctumque est eis, ut omnes candelas tenentes assurgerent, Cumque astarent recitata multorum nomina, quos præcipue excommunicare proposuerat Dominus Papa, inter quos primi nominati sunt Rex H. Romanæ Ecclesiæ invasor, Burdinus & præ cæteris & cum cæteris multis sollempniter excommunicati. Absolvit etiam Dominus Papa auctoritate Apostolica a fidelitate regis omnes, quotquot juraverant, nisi forte resipiscerent & ecclesiæ Dei satisfaceret. His denique rite completis auctoritate patris & filii & Spiritus Sancti omnes absolvit atque signavit, & sic ad propria unumquemque redire permisit, & concilii finem fecit. Quod vidi & audivi, fideliter, quanto brevius potui, pedestri sermone descripsi.

CCCIV.

L. Ostiensis Episcopus S. Presbyter G. Diacon. Cardinales & Legati venerabili fratri O. Babenbergensi Episcopo salutem in Christo. Ex Domini nostri Papæ totiusque Romanæ Ecclesiæ auctoritate pro ejusdem ecclesiæ & regni pace componenda cum regis ac principum nunciis destinati ad partes istas accessimus. Verum quod vos pro Ecclesiæ libertate tuenda sollicitari ac laborare cognovimus, imo si pacis ac tranquillitatis intuitu nos clementia divina respicere voluerit, vos tanquam specialem ipsius matris filium ac dilectum in Christo fratrem ipsius pacis & consolationis participem esse desideramus. Quapropter fraternitati vestræ per præsentia scripta mandamus, ut omni occasione remota in beatæ Mariæ nativitate Moguntiæ nobis occurrere studeatis.

CCCV.

Privilegium Henrici IIII. Imperatoris ad Calixtum Papam.

Ego Henricus Dei gratia Romanorum Imperator Augustus pro amore Dei & sanctæ Romanæ Ecclesiæ & Domini Papæ Calixti & pro remedio animæ meæ dimitto Deo sanctisque Dei Apostolis Petro & Paulo sanctæque Catholicæ Ecclesiæ omnem investituram per anulum & baculum,& concedo in omnibus Imperii mei partibus canonicam fieri electionem & liberam consecrationem, possessiones & regalia beati Petri, quæ tempore Patris mei sive etiam meo ablata sunt, quæ habeo, eidem sanctæ Romanæ Ecclesiæ restituo; quæ non habeo, ut restituantur fideliter juvabo. Possessiones etiam omnium aliarum Ecclesiarum & principum & aliorum tam clericorum, quam Laicorum, consilio principum, quæ habeo, restituo; quæ non habeo, ut restituantur, fideliter juvabo. Do veram pacem Domino Papæ Calixto, & omnibus qui in parte tua sunt vel fuerunt, & in quibus sancta Romana ecclesia auxilium postulaverit, fideliter illam juvabo.

CCCVI.

Privilegium Calixti Papæ ad Henricum IIII. Imperatorem.

Ego Calixtus servus servorum Dei dilecto filio Henrico Dei gratia Romanorum Imperatori Augusto concedo electiones Episcoporum & Abbatum Teutonici regni, qui ad regnum pertinent, in tua præsentia fieri absque Symonia & aliqua violentia, aut si qua inter partes discordia emerserit, saniori parti assensum & auxilium præbeas; Electus vero a te regalia accipiat, &, quæ ex his jure tibi debet, faciat, Ex aliis vero partibus Imperii consecratus infra sex menses regalia a te recipiat, &, quæ ex his jure tibi debet, faciat. Do tibi veram pacem & omnibus, qui in parte tua sunt, vel fuerunt tempore hujus discordiæ, & in quibus postulaveris, secundum officii mei debitum auxilium tibi præstabo.

CCCVII.

D. Venerabili Merseburgensis Ecclesiæ Præposito ejusdem ecclesiæ humilis congregatio debitæ obedientiæ affectum cum assiduitate in Christo orationum. Ex multitudine miseriæ & tribulationis nostræ, Domine Pater, internus animi dolor cogit nos lacrimabilem vobis querimoniam transmittere, ad quam exaudiendam invitet vos primum respectus pietatis Dei & ipsa ecclesiastica, quam semper dilexisti, religio, demum justitia & mansvetudo vestra & misericordia, postremum ipsa nostræ Ecclesiæ supra modum aggravatæ tribulatio, pro cujus lamentabili ruina non tantum dolemus & contestamur, quantum, quod decano patre nostro ex eadem ruina orbati sumus, qui nobis & ecclesiæ nostræ omnia hactenus, quæ dignitatis & utilitatis erant, paterna cura sollerter providit, & caritatis

Digitized by Google

caritatis munere amministravit. Qua re de tam repentina & intolerabili calamitate stupor & hebitudo mentis super nos, Domine Pater dilecte, cecidit, Nam sicut navis solerti gubernatore destituta aut fluctuat, aut fluctibus immergitur aut scopulis illiditur, & sic planctum magis invenit, quam portum; sic & nos miseri tanto rectore viduati multis modis in hoc mundo tanquam in naufragioso mari periclitamur. Unde tanto & tam inani dolore usque ad vitæ tædia deficeremus, si non in clementia vestra spem non modo consilii, sed & auxilii haberemus. Ponite ergo vobis ante oculos totam ecclesiam nostram, tam clerum, quam populum, pedibus vestris affusum tam miserabilem coram vobis deplorare querimoniam; &, quod rectore destituti alium præter vos rectorem non habemus, ad nos dignemini venire, ut nos, qui æstimati sumus sicut oves occisionis, quod ad sustinendum tantæ adversitatis pondus impares sumus, in Dei & vestri miseratione respirare valeamus. De cætero, Domine, vestræ pietatis petimus serenitatem, ut a Dominis nostris, fratribus vestris quos ad summam manum omnis probitatis novimus esse provectos, & viscera misericordiæ indutos, sententiam super hoc facto requiratis, scilicet si in eadem ecclesia sanguine polluta hominum ex eadem ruina oppressorum, sacramenta Christi licencia Domini Episcopi possint celebrari, quod quidam, habentes scientiam, sed non secundum zelum Dei, nostræ prosperitati hactenus invidentes, videntur nobis de eadem re inclementer quæstionare, cum constet altare remansisse inpollutum & inviolatum.

CCCVIII.

Domino E. præposito viro diligendo & ab omnibus honorando A. sanctæ Dei genitricis ecclesiæ Aquis grani humilis dispensator, fraternam dilectionem ex debito, fideles orationes ex officio. Gratias ago de nostro, quod dignum & idoneum suo vos fecit ministerio, ut sitis necessarium & utile vas in domo Domini: quantum autem una cum fratre vestro de provectione vestra mihi fuit gaudium novit Deus, qui inspector est cordium. Ego quoque licet indignus vestro conjunctus sum numero, confidens multum in sanctis orationibus vestris & pio patrocinio. Sic & vos de me habetote, quod in quantum homo peccator valeo, in meis orationibus nunquam vobis deero.

CCCIX.

Juramentum seu promissio vel Imperatori debita fides.

Ab hac hora in antea fidelis ero N. Imperatori per rectam fidem secundum meum scire & posse. Non ero in Consilio ut vitam aut membra perdat, Italicum regnum & suam rectam potestatem; infra regnum adjutor ero ei secundum meum scire & posse ad tenendum & defendendum contra omnes homines, qui sibi tollere voluerint. Si ea quæ supra scripta sunt jurasti aut juraveris & per rectam fidem adimpleveris, senior meus neque per se neque per subjectam personam tollet tibi vitam aut membra nec te capiet propter hoc, quod usque modo contra eum fecisti, nisi in antea sis contra eum & convictus fueris. Prædia & proprietates quæ juste & legaliter habes, & eas terras, quas per scriptum juste habes, non tibi toller, nisi justo judicio per veram legem sit judicatum. Si beneficium de regno aut de Ecclesiis non habueris & legem & justitiam ante missum mei senioris feceris, non te distringet ad curtem venire senior meus, nisi tu sponte volueris.

CCCX.

Abjuratio hæresis.

Anathemat[illegible] omnem hæresim, præcipue illam, quæ præsentis ecclesiæ statum conturbat, & asserit ligamenta ecclesiæ esse spernenda, sub testimonio Christi & ecclesiæ. Promitto autem fidem & obedientiam Romanæ sedis pontifici & R. Wirzeburgensis Ecclesiæ Episcopo dampnans, quod dampnat, affirmans, quod affirmat sancta universalis ecclesia.

CCCXI.

Juramentum Berengarii cum hæresin abjuraret.

Ego Berengarius indignus Diaconus ecclesiæ sancti Mauritii Andegavensis cognoscens veram Catholicam & Apostolicam fidem, anathematizo omnem hæresin præcipue eam de qua hactenus infamatus sum, quæ astruere conatur, panem & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem solummodo sacramentum & non verum corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse, nec posse sensualiter, nisi in solo Sacramento manibus sacerdotum tractari vel frangi aut fidelium dentibus atteri. Consentio autem sanctæ Romanæ & Apostolicæ sedi & ore & corde profiteor de Sacramentis Dominicæ mensæ eam fidem tenere, quam Dominus & venerabilis Papa Nicolaus & hæc sancta Synodus autoritate Evangelica & Apostolica tenenda tradidit, mihique firmavit, scilicet panem & vinum, quæ in altari ponuntur post consecrationem non solum Sacramentum, sed & verum corpus & sangvinem Domini nostri Jesu Christi esse & sensualiter non solum in sacramento, sed in veritate manibus sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri, jurans per sanctam omousion & individuam trinitatem, & per hæc sacrosancta Christi Evangelia. Eos vero qui contra hanc fidem venerint cum dogmatibus & sectatoribus suis æterno anathemate dignos esse pronuncio; quod si ego ipse alioquin contra hæc sentire aliquid ac prædicare præsumsero, subjaceam canonum severitati. Lecto & perlecto sponte subscripsi.

CCCXII.

Dilectissimis in Christo fratribus & consacerdotibus per Karinthiam dispersis H. colore consacerdos, non officio, germanæ caritatis viscera ex toto corde & animo. Forsan aliqui vestrum stomachantur in me, quasi typo superbiæ vobis præsumserim scribere, cum præsertim cum

Digitized by Google

cum plerisque vestrum ignotus sim etiam facie: Quibus primum ut literatus seculi & idiota Dei, comicum illud respondebo: Homo sum, humani a me nihil alienum puto. Sed quod spiritalibus scribo, in Spiritu Dei jam fiducialius dico, quod si indivisus, imo quod indivisus est Christus, omnes nos unius capitis membra, omnes sub uno patre fratres sumus. Itaque aut fratrem me æstimate & non alienum, aut consequenter dicam, quod mediator noster gratis mortuus est, si non fecit utraque unum. Exordiar igitur non elatione, sed medullata caritate, Frater h. cum ad visendam patriam parentesque in has partes devenisset, & post aliquanto ad nos rediisset requisitus a me, ut sit more humani ingenii, primo de sospitate familiarium meorum, de hinc etiam de temperie & ubertate anni, omnia læta rettulit, sed quasi, si scorpius percussisset, unum in fine subintulit, quod cor meum altius momordit. Ajebat itaque surculum diaboli nescio de cujus plantario in terra hac surrexisse, & jam, ut cancer, latius serpere, scilicet quod potestatem solvendi soli sortiti sint episcopi & ab hac sacerdotes existant alieni. O malum originale, o radix peccati, o conterendum caput colubri, o non audiendus sibilus serpentis! Ecce serpens, ille qui stanti adhuc homini in paradiso suggessit, ut caderet, post lapsum per gratiam resuscitatus insibilat, ut iterum cadant. Evomite ergo venenum diaboli, si qui bibistis ignari, sed tumorem hujus vulneris prius quasi fomentis quibusdam argumentando conabimur mollire, & mox postulantibus, quæ latebant, aperire. Quæso, fratres, primum cujus vicarii, cujus cooperatores estis? si Christi, immo quod vere Christi & Dei, quod Christo est Deus. De Deo autem scriptum est, quod Dominus mortificat & vivificat. Ergo & vobis, ut puto, hanc potestatem contulit, quos secum cooperarios in vineam, messores in messem introduxit. Hoc illud est vis ligandi & solvendi, hæ claves regni cœlorum, quas specialiter Petro Salvator credidit; si primo soli Petro, quod soli Petro potestatem hanc contulit, ergo ne Jacobum, Johannem, Andream & ipsum Paulum mancos & inutiles reddidit, quibus quasi devotis messoribus falcem e manibus excussit? Ubi est ergo, quod pluribus discipulis post resurrectionem suam apparens insufflavit & dixit eis: Acceptate Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt? Ubi est etiam, quod iterum dicit: Messis quidem m. rogate Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam? Si igitur in hæreditaria Apostolorum successione soli remittendi potestatem habent Episcopi, vere operarii admodum pauci & nequaquam sufficientes ad messem Domini, contradicente scriptura: dinumerabo eos & super harenam. Quos igitur super harenam multiplicatos dinumerat, nisi quos superiori versu amicos Dei nimis honoratos, nimisque confortatos in principatu suo appellat? Scio, quod aliqui vestrum parochianam curam gerentes in plebe necesse habent subjectos in verbo Domini jugiter commonere, & delinquentes ab ecclesia nonnunquam expellere & ad correctionem aliorum communione privare, ne per paucas oves morbidas totus grex contaminetur. In quo ergo hæc facitis, si potestatem in Spiritu Sancto non accepistis? Si autem, ut vestris fortasse utar verbis, nos sacerdotes jus tantum ligandi habemus, cum potestas solvendi penes Episcopos sit, incunctanter dico; quod si ita est miserabiliores sumus omnibus hominibus, qui cum regulis & scorpionibus, cum lupis & leonibus lædere possumus, curandi vero potestatem non habemus. Adhuc quod deterius est dico, quod immundi specie mortificare quidem possunt, sed vivificandi potestatem sortiti non sunt. Quare ergo & nos ad similitudinem dæmonum fratribus nostris plagas facimus, quibus mederi non valemus, cum scriptum sit: Nolite fieri socii dæmoniorum. Inaniter etiam fideles in ipso mortis articulo spe bona sacerdotes convocant, ut remissione accepta soluti de corpore exeant. Inaniter etiam ipsi episcopi sacerdotibus plerumque peccata sua confitentur, & indulgentiam ab eis supervacue expetunt, qui remittendi gratiam, ut dicitis, non acceperunt. Interrogo etiam; si aliqui ex vobis baptizent, si autem & vos, quod tamen dubium non est, more catholico baptizatis, perspicuum est, quia his, qui per vos in confessione trinitatis baptizantur, non solum hæreditaria, quæ ex originali radice descenderunt, sed etiam singulorum peccata privata relaxatis & sanctæ matri ecclesiæ de veteri massa recentes filios regeneratis. Quid ergo qui ad totam arborem radicitus extirpandam sufficitis, unum ejus ramasculum præcidere non valetis? Scimus, imo vobiscum excellentiam veneramur episcopalem, nec tamen ideo inferioribus derogamus quod sunt. Quia ergo visus principaliorem locum in sensibus nostris obtinet, auditus forsan corpori necessarius non est? In cœlesti quoque militia, quod præstantioris gloriæ Archangeli sunt, nunquid in ministerio suo angeli viluerint? Ipsi etiam Episcopi nunquid gradu suo depositi aut in aliquo minorati sunt? & metropolitani primates patriarchæ, ipse etiam Apostolicus, specialem inter eos reverentiam acceperunt? Sed, ut revertamur in anteriora, Philippus ille unus ex VII. diaconibus, qui Samariam convertit, qui eunuchum Candacis reginæ baptizavit, qui mox in spiritu raptus & inventus in Azoto est, & pertransiens, prædicavit civitatibus cunctis, donec Cæsaream veniret. Rem etiam narro mirabilem & stupendam nostris tamen temporibus gestam. Moguntiæ erat quidam negotiator prædives, qui cum negotiandi causa in Fresiam usque Trajectum venisset, festo quodam die seditionem commovit, & ab Decano Cleri illius ad satisfactionem revocatus, bannum ejus parvi æstimans discessit, & quasi rem non magnam oblivioni tradidit, qui non post multum tempus mortuus est & in saxeo sarcophago sepultus est: post multos autem annos uxor, cum & ipsa ad exitum

Digitized by Google

exitum propinquaret, periit a filiis suis, ut in sepulcro viri sui sepeliri debuisset, qui sicut adjurati erant sarcophagum aperientes, aquis illud ferventibus spumantibusque superficietenus plenum corpusque integrum repererunt. Juvenes vero deprehenso hoc excommunicationis indicio, & mirantes, quod vir relligiosus erat, cœperunt omnia loca, ubi ipse negotiari solebat, circuire, cum ecce Trajectum venientes rem cognoverunt, & pro patre satisfacientes, atque communionem impetrantes, reversi sunt, apertoque tumulo nichil præter ossa & cineres invenerunt: Ecce iste Episcopus non fuit, & tamen animam & corpus hominis in æterno judicio constituti tam potenter, quam mirabiliter, absolvit. Resipiscite, fratres, & honorem vestrum nolite dejicere, & pretium Dominici sanguinis in vobis nolite exinanire. Hæc, fratres, colliria oculis vestris inungite, ut honorem vestrum, qui est in domino, humiliter in gratiarum accretione agnoscatis, & de virtute in virtutem euntes Deum Deorum in æterna Syon feliciter videatis. Vale.

CCCXIII.

Epistola Papæ ad Harduicum Ratisponensem Episcopum.

Quantum crimen inobedientia sit ex Samuelis verbis perpendere potes. Unde valde miramur, quod secundum literas nostras Abbatem sancti Emmerammi P. in Abbatiam suam non restituisti, sed quod terminum disposuisti. Parcimus tibi ad præsens ea spe ne die illa differas, quin illum restituas. Ab infestatione autem loci omnino cesses; juris etenim beati Petri est. Si quam vero justitiam te illic habere confidis, oportuno tempore te conspectui nostro præsentes, alioquin adversus te, ut in contemptorem canonum agemus.

CCCXIV.

Epistola Mengoti Trajectensis de fratre suo carnali Ellenhardo nomine.

H. Hoiensi amico suo, Megingotus Trajectensis plenæ dilectionis affectum. Apostolus dicit: Necesse est, ut hæreses veniant, ut qui probati sunt, manifesti fiant: quod de quodam juvene canonico nostro recenter in ecclesia nostra contigit, qui seculo omnibusque propriis renuncians artioris vitæ proposito sub regula beati Augustini voto & professione se obligavit, sed post triennium temptationibus fractus miserabiliter ad dimissa resiliit; quem ita quidem apostatice redeuntem sperabam nimirum, quod omni cautela, fraterno consilio & salubri ammonitione exciperemus, si quo modo leniter & familiariter emendari atque revocari potuisset; & si minus fomenta commonitionis & consilii proficerent, austeriori ecclesiastici vigoris correptione coherceretur. Ægrotabat igitur frater gravissime & velut quadam frenesi sensum ejus evertente ipsam ægritudinem suam sanitatem reputabat; sed proh nefas, dum infirmo curationis antidotum offerre debuissemus, quidam nostrum miserando homini mortis poculum propinaverunt, fautores facti atque defensores perversæ voluntatis illius, sacras quoque scripturas adulterina atque hæretica interpretatione in patrocinium illius abhominaliter contorquentes. Unde factum est, ut omnem fere simplicioris turbæ tam clericorum, quam Laicorum multitudinem in sententiam suam pene traduxissent, quibus dum a fidelibus atque Catholicis rationabiliter atque canonice obviaretur, non modica orta est conflictatio, placuitque prioribus nostris comprovincialibus ecclesiis super hoc negotio scribere & rescriptis illarum litem terminare. Sed & in curiam imprimis, quæ Spiræ habita est, quæstionem detulerunt, ubi ab omnibus ex diversis provinciis & ecclesiis literatis catholicis sententia illorum cum irrisione dampnata est, & sacris scripturis evidenter contraria demonstrata. Visum est igitur michi omnia de hac quæstione scripta & rescripta in unum libelli corpusculum redigere, ad æternum monimentum comprobatæ veritatis & damnatæ falsitatis. Tibi ergo, o amice, hoc opus conflatum destinavi, bibliothecæ tuæ in memoriam nostri inserendum, in quo dum sanctæ Leodicensis ecclesiæ rescriptum perspexeris, exultans videre poteris, puram & sanctam ecclesiæ tuæ in sacris scripturis intelligentiam, quæ inter cæteras hujus regni ecclesias velut gemma prælucens, viget plena ecclesiastica autoritatis gravitate.

Literæ Trajectensis ecclesiæ ad provinciales ecclesias videlicet Monasteriensem & Leodicensem.

Dominis & fratribus conprovincialium ecclesiarum R. Trajectensis ecclesiæ utinam in gratia Dei Præpositus. A. Decanus E. magister cum devotissimis orationibus sinceræ caritatis obsequium. Gratia requirendi consilii fraternitati vestræ, hos apices misimus, ut sicut eidem metropoli eadem nos provincia conterminat, ita in majoribus ecclesiæ negotiis nulla nos sententiæ dissonantia dirimat. Fuit apud nos Canonicus quidam in claustro simplex & delicatus, sancti Martini, cui ea voluntas, utinam divina inspiratione, in mentem incidit, ut artioris vitæ propositum arriperet, qui ob eandem causam in Treverensem episcopatum, nescientibus nobis, profectus, in monasterio quodam regulam beati Augustini professus est. Deinde duobus mensibus transactis literis ad nos de sua conversione directis prabendæ suæ renunciavit, professionem suam indicavit, assensum omnium nostrum humiliter imploravit. Transactis autem duobus annis ipsemet Trajectum veniens cum Episcopum præsentem non invenisset, conventum nostrum intravit, vitam, quam tanto tempore expertus fuerat, laudavit, licentiam fratrum requisivit, & accepit, & cum se orationibus nostris, vicissim nos illius commendaremus, osculum pacis ab omnibus, qui tunc in conventu aderant, accipiens, gratulabundus discessit. Regressus igitur

Digitized by Google

tur ad profeſſionis ſuæ monaſterium primum Diaconus, deinde presbyter ad titulum ejuſdem eccleſiæ a Treverenſi Epiſcopo conſecratus eſt, & ita cum ſacrorum ordinum promotione in ſanctæ profeſſionis propoſito aliquamdiu perſeveravit. Cum ecce poſt tertium annum penuria ductus Trajectum rediens, cœpit monaſterii paupertatem, cibi & veſtitus penuriam, denique corporis ſui infirmitatem cauſari miſericordiam & humanitatem poſtulare, ut in conſortium noſtrum & præbendam ſuam reciperetur, inconſulte propoſitum illud arripuiſſe, nec licentiam Epiſcopi ſe habuiſſe; quod & ipſe Epiſcopus fatetur & omnino irritum deberi cenſeri. Ex qua miſericordiæ poſtulatione, & rationis objectione partium inter nos facta eſt diſſenſio, quorundam recipiendum eſſe judicantium; quorundam vero contradicentium. Poſt aliquantum temporis cum frater vehementer inſtaret, Epiſcopus noſter convocatis Eccleſiæ noſtræ Prioribus quaſdam literas præſentavit, quas ſibi ab Archiepiſcopo Treverenſi directas dicebat, quibus ea ſententia & voluntas Archiepiſcopi ſignificatur, ut frater ille in conſortium noſtrum reciperetur. De qua Archiepiſcopi voluntate cum diſſona inter nos haberetur ſententia, juſſit Dominus Epiſcopus nos habere conventum, ut collatis in commune ſententiis aliquid rationabile conſilium unanimi decreto ad eum referremus. Habito igitur conventu, viſum eſt nobis pro tanta partium diſſenſione melius hoc negotium comprovincialium eccleſiarum ſententia terminari: ſimul quod plures in conprovincialibus eccleſiis cognovimus ſine licentia epiſcoporum ad artiorem vitam transmigraſſe, nec poſtea redeuntes receptos fuiſſe. Nos igitur nihil novi temere inducere volentes, diffinitivam ſuper hoc veſtræ fraternitatis efflagitamus ſententiam affectuoſiſſime deprecantes, ut quod in tali negotio ipſi facere velletis, idem nobis fixa veſtræ prudentiæ præſcribat ſententia.

Literæ Mengoti Trajectenſis ad Archiepiſcopum Treverenſem.

Domino B. Venerabili Treverenſium Archiepiſcopo H. clericorum minimus, cum devotis orationibus fidele ſervitium. Literas quaſdam a paternitate veſtra ſibi directas Dominus noſter Epiſcopus nobis præſentavit, quibus hoc ſanctitas veſtra velle videbatur, ut frater N. qui in epiſcopatu veſtro regulam beati Auguſtini profeſſus, & a vobis diaconus & presbyter ordinatus, in ſancta profeſſione triennio ſine contradictione perſeveravit, nunc penuria ductus & a propoſito exorbitans in conſortium noſtrum recipi debeat, & præbendam inter nos accipiat. Veremur, Domine Pater, ne hoc exemplo plurimi a rigore profeſſæ diſtrictionis poſſint labefactari atque ex hac occaſione, & temptatoris inſidiis ad ſecularia, quibus renunciaverant, ſpem concipiant redeundi. Et noſtis, quod juxta veritatis vocem, nemo mittens manum in aratrum & reſpiciens retro aptus eſt regno Dei. Et magnus Leo Papa: quiſquis ad perfectioris vitæ propoſitum acceſſerit, redire ſine ſummo peccato non poterit. Quamvis enim inferior vita innocens eſſe poſſit, meliorem tamen electionem deſeruiſſe transgreſſio eſt. Scitis etiam, Domine Pater, quod, quamvis ſacri canones irrationabilem clericorum transmigrationem culpent, juxta illud capitulum: alienum clericum ſine licentia proprii Epiſcopi nullus ſuſcipere præſumat; tamen cauſam perfectioris atque melioris vitæ non excludit, cum ipſa veritas, cujus ſententiæ nullus prælatus ſuperordinare præſumit, ad hoc opus omnibus perfectionem cupientibus licentiam generaliter annuat, dicens: Si vis perfectus eſſe vade & vende omnia, quæ poſſides & da pauperibus, & veni, ſequere me. Quod itaque humanæ naturæ ab ipſo creatore ſuo ab initio mundi conſtitutum eſt, ſcilicet, ut in cognitione ſui & creatoris proficiat, & virtutibus creſcat, ſemper fuiſſe licitum nullus dubitat, & non multum attinet hujus rei licenciam quærere, quam nemo prudentium denegare poteſt, ſemper licuiſſe. Cum igitur prædictarum literarum textum audiſſemus, confiteor, admodum, Domine, mirati ſumus, & a vobis deſtinatas fuiſſe non facile nobis perſuaderi potuit, quia tamen eiſdem literis aliquantulum concuſſi ſumus, rogamus, Domine, a ſanctitate veſtra de hac re certificari, & dignum Deo & veſtra auctoritate reſcriptum percipere. De cætero paternitatem veſtram diu incolumem Dominus conſervare dignetur.

Reſcriptum Monaſterienſis Eccleſiæ ad Trajectenſem Eccleſiam.

R. Venerabili ſanctæ Trajectenſis Eccleſiæ Præpoſito. A. Decano. L. Magiſtro, ac reverendiſſimis Trajectenſis Eccleſiæ fratribus & Dominis Monaſterienſis qualiſcunque Eccleſia ſe ipſam cum fideliſſimæ ſervitutis & orationis frequentia. Super illius conſilii requiſitione, quam a nobis poſtulatis, non eſt noſtri meriti vel ſcientiæ vobis omnium literarum prudentia enutritis atque nobiliter edoctis præſumtuoſe reſcribere, ſed quod, ut vere credimus, hoc pura veſtra depoſcit caritas, & utinam quandoque in ipſa re vera fraternitas, quod patris noſtri ſumma autoritas teſtatur, & omnium ſanctorum patrum probat ſententia, vix audemus ad medium deducere. Ait itaque caput principiumque noſtrum: Nemo mittens manum in aratrum & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei. Videte ergo, fratres & Domini, ſi frater ille juvenis & ſimplex primum profeſſionis ſuæ votum irritum fecit transferendo ſe ad artiorem vitam ſine licentia clauſtri & Epiſcopi ſui, & ſi ejuſdem artioris vitæ ſemitam poſtea multis cauſarum inconvenientiis inculpatam dereliquit, ad priorem iterum redeundo converſationem, quomodo in eccleſia Dei ſtare poterit, qui utique utriusque vitæ mandatum nec minimum obſervavit. Unde pro ſolo Divinæ miſericordiæ reſpectu ſecundum canonum piam & medicabilem ſententiam videtur noſtræ parvitati poſſe aliquo modo fratri noſtro, qui

Digitized by Google

qui ſe finxit nomine & habitu eſſe aliquem in magna profeſſione, & non eſt, ſubveniri, ut videlicet receptus a vobis corrigatur atque emendetur ad profeſſionem aut veri monachi aut veri canonici, quod id totum, quod inconſulte incœperat, non alicui ſanctitati, ſed ſtultæ deputetur temeritati; ſufficiat etiam illi, de quo nobis ſermo eſt, ut in gratia Dei & veſtri ſuſceptus habeat victum & veſtitum, his contentus ſit, nulli ſe præferat, dignitates terrenas non quærat, ſed in humilitate jacens, Deo & vobis gratiarum actiones pro impenſis beneficiis inceſſabiliter agat. Huic vero animæ ſanitati nulla ſit inter vos partium diſſenſio, cum Dominus veſter Epiſcopus literas ſibi ab Archiepiſcopo Treverenſi allatas vobis præſentaverit, in quibus, ut frater ille recipiatur, voluntatem & petitionem ſuam ſignificaverat. Procul ergo a vobis ſit omnis contradictionis diſſonantia, ut mater Eccleſia, cujus membra eſtis, nutriat & cuſtodiat vos in omni rerum concordia, ut tandem dilecti Deo filii, ſummæ hæreditatis ſuæ participes aſcribi mereamini. Valete.

Reſcriptum Mindenſis Eccleſiæ.

Sanctæ Trajectenſis Eccleſiæ Dominis ac fratribus S. qualiſcunque Mindenſis Eccleſiæ Præpoſitus, H. Decanus cæterique fratres, quæ nunquam excidit, caritatem, &, quæ ſemper invigilat, orationem. Quia de requirendo conſilio veſtras ad nos literas direxiſtis, & in veſtri negotii qualitate noſtrum aſſenſum requiſiſtis, videmini non ſolum a nobis reſcriptum poſtulare, verum quantum de nobis ſperetis, oſtendere. Nos igitur ad utrumque paratos & promptos ſcitote, quod in omnibus & benefacere, ut ſervi vobis & ad inquiſitam a vobis ſententiam provide ſtudemus vobis reſpondere. Videtur nobis non ad noſtri judicii arbitrium, imo ſecundum decreta patrum, fratrem illum, de quo literæ veſtræ nos conſuluerunt, a vobis non debere recipi, quippe cum ex multis cauſis hoc poſſit comprobari. Non igitur vobis videtur revocandus, qui ſtrictioris vitæ propoſitum eſt ſortitus; verum quod licentia accepta a fratribus ſuis hoc fecit, firmius, quod fecerat, fuit; deinde autem quia triennio, non revocatus ab Epiſcopo ſuo, in hac vita, quam elegerat, duravit, ibique ad titulum illius Eccleſiæ promotus, in ſacris ordinibus Deo militavit, nec vitæ illi vel Eccleſiæ ſubduci debet aut poterit. Valete.

Reſcriptum Leodicenſis Eccleſiæ ad Trajectenſem Eccleſiam.

Sanctæ Trajectenſis Eccleſiæ Dominis & fratribus R. Præpoſito, A. Decano, L. Scolaſtico cæteriſque omnibus confratres Leodicenſes ex plena fraternitate devotas orationes in Domino. Notificatis nobis per literas veſtras, quod fuit apud vos Canonicus quidam in clauſtro Sancti Martini, juvenis ſimplex & delicatus, cui ea voluntas, utinam Divina inſpiratione, in mentem incidit, ut artioris vitæ propoſitum ariperet, qui ob eandem cauſam in Trevirenſem Epiſcopatum, neſcientibus vobis profectus, in monaſterio quodam regulam ſancti Auguſtini profeſſus eſt; deinde duobus menſibus exactis, literis ad vos de ſua converſione directis, præbendæ ſuæ renunciavit, profeſſionem indicavit, aſſenſum omnium veſtrum humiliter poſtulavit. Tranſactis autem duobus annis ipſemet Trajectum veniens, cum Epiſcopum præſentem non inveniſſet, conventum veſtrum intravit, vitam, quam tanto tempore expertus fuerat, laudavit, licentiam fratrum requiſivit, & accepit, facta mutuarum ab omnibus commendatione orationum; oſculum pacis, qui tunc in conventu erant, accepit, & gratulabundus diſceſſit. Regreſſus igitur ad profeſſionis ſuæ monaſterium primum diaconus, deinde presbyter eſt ad titulum ejuſdem Eccleſiæ a Trevirenſi Archiepiſcopo conſecratus, & ita cum promotione ſacrorum ordinum in ſanctæ profeſſionis propoſito aliquamdiu perſeveravit. Poſt tertium vero annum non bona ductus pœnitentia, Trajectum rediens, cœpit monaſterii ſui paupertatem, cibi & potus penuriam, denique corporis ſui infirmitatem cauſari, miſericordiam & humanitatem poſtulare, ut in conſortium veſtrum & præbendam reciperetur; inconſulte ſe propoſitum illud arripuiſſe, nec licentiam Epiſcopi ſe habuiſſe, quod & ipſe Epiſcopus fatetur, & ideo irritum debere cenſeri, ex qua miſericordiæ poſtulatione & rationis objectione partium inter vos facta eſt diſſenſio, quorundam recipiendum eſſe indicantium, aliorum vero contradicentium: Poſt aliquantulum temporis cum frater prædictus vehementer inſtaret, Epiſcopus veſter convocatis Eccleſiæ prioribus, literas quaſdam præſentavit, quas ſibi ab Archiepiſcopo Treverenſi miſſas dicebat, quibus ea ſententia & voluntas Archiepiſcopi ſignificabatur, ut frater ille in conſortium veſtrum reciperetur. De qua Archiepiſcopi voluntate cum diſſona inter vos haberetur ſententia, juſſit Dominus vos habere conventum, ut collatis in commune ſententiis, aliquod rationabile conſilium unanimi ad eum decreto deferretis. Talis eſt veſtrarum ordo literarum, & quod ſuper hoc nobis videatur, fraterne quæritis. Primo ſpectat ad reverentiam Divini cultus; quod ſi poſt ſuſcepta artioris vitæ ſacramenta viri vel fœminæ reſilierunt, vigore Eccleſiaſtico cogendi ſunt illuc redire ibique permanere, ne divina ſervitus quaſi levis aura circumferatur, & quaſi harundo vento agitetur. Papa Leo capitulo XXVI. Propoſitum clerici vel Monachi, proprio arbitrio aut voluntate ſuſceptum, deſeri non poteſt abſque peccato; quod itaque quiſque vovit Deo, debet & reddere. Nicolaus Papa cap. V. ita reſcribit Albuino Archiepiſcopo: Quod interrogaſti de fœmina, quæ poſt obitum viri ſui velamen ſuper caput impoſuit, & finxit, ſe ſub eodem velamine ſanctimonialem eſſe; poſtea vero ad nuptias rediit: bonum & canonicum nobis videtur, quod per ypocriſim eccleſiaſticam regulam conturbare voluit & non legitime in voto ſuo permanſit,

Digitized by Google

ſit, ut pœnitentiam de illuſione nefanda agat, & revertatur ad id, quod ſpopondit, & in ſacro miniſterio inchoavit. Nam ſi conſenſerimus, quod omnia Eccleſiaſtica ſacramenta quisquis, prout vult, fingat, & non vere faciat, omnis Ordo Eccleſiaſticus conturbatur, nec Catholicæ fidei jura conſiſtunt, nec ſacri Ordines rite obſervantur. Tales ergo niſi reſipiſcant, ſpirituali gladio percutere cenſemus. Non enim fas eſt Spiritui Sancto mentiri. Hæc Sancti Patres Leo & Nicolaus. Velamen igitur in fœminis, & profeſſio regulæ Beatorum Benedicti & Auguſtini ſunt inſignia & ſacramenta altioris vitæ & ſtrictioris, & prout cuique ex divina clementia vires ſuppetunt, alius ſub hac, alius ſub illa ſe ipſum regula & moderatur ad ſalutem obtinendam, & de terrenis nichil retinens, in commune vivit, ſibique abrenuntiat. Nos autem laxioris & amplioris propoſiti lineam tenemus, qui propria habentes, niſi divina clementia nos coërceat & reprimat, ſæpius in multis excedimus. Qui ergo ab inferiori ad altioris & arctioris vitæ propoſitum aſcendit & profitetur, ſi ad inferius, quod dimiſit, reſpexerit, id eſt, redire voluerit, quod ſuperius eſt & altius, damnat & infamat, quantum in ſe eſt. Et ideo, ne divina perturbetur ſervitus, altior & aptior pars honoranda eſt vigore Canonico, quæ expreſſius remota a mundi voluptatibus, inferiori parti piis operibus apud Dominum ſubveniat. Leo Papa cap. XXVII. Fugitivum Clericum, vel Monachum deſerentem diſciplinam, velut contemtorem placuit revocari. Urbanus itaque Sancti Martini Canonicus non fuit fugitivus, nec diſciplinam Trajectenſis Eccleſiæ deſeruit, quando de ſua converſatione litteras nobis primo miſit, & ſecundo ipſemet in veſtrum conventum veniens, cum licentia cum oſculo pacis diſceſſit, & in Monaſterio ſuæ profeſſionis ab Archiepiſcopo Treverenſi, cujus eſt parochia, Diaconus & Presbyter ordinatus absque Canonica contradictione Trajectenſis Eccleſiæ, cum iſtæ duæ Eccleſiæ non multum ab invicem ſint remotæ, & cum de illo juvene eſſet recens ſermo. Verum prædictus Frater fugitivus eſt, & diſciplinam deſeruit, quando a Monaſterio ſuæ profeſſionis ſub regula Beati Auguſtini diſceſſit, locoque ſuo contumeliam intulit, cauſans cibi & potus penuriam, cum Paulus raptus ad tertium cœlum puſillos Chriſti paterne inſtruat dicens; Scio eſurire, ſcio & penuriam pati. Et de infirmitate, quam prætendit Frater prædictus, idem Paulus ait: Quando infirmor, tunc fortior ſum & potens. Eccleſia igitur, ad cujus titulum in Diaconum & Presbyterum conſecratus eſt, ſine contradictione, juxta decretum Leonis Papæ, debet eum revocare, velut fugitivum & contemtorem propoſiti; &, qui altiorem & arctiorem diſciplinam deſeruit, quatenus antiqui & inſtituti gradus vitæ Sanctorum Patrum absque conturbatione conſerventur, & levitates eorum, qui circumferuntur, ad reverentiam divinæ ſervitutis deſtruantur. Frater iſte, qui de ſuperiori ad inferius redire, & per licentiam dimiſſa vult repetere, non eſt admittendus, ſed ut ad altius propoſitum redeat, humili prece & fraterno conſilio ammonendus, & in loco ſuæ profeſſionis per humanitatis exhibitionem in cibo & potu ex infirmitate a Chriſti fidelibus ſublevandus. Sic N. Fratri illi viſcera miſericordiæ aperientur, & debitus honor divino cultui exhibebitur. Dicit Frater ille, quod ſine licentia Epiſcopi ſui diſceſſit, & ideo cenſet, debere irritum eſſe, quod in altiori gradu appetiit. Ad hoc reſpondetur; quod Frater ille in tali negotio de ſe ipſo non poteſt ſimul accuſator eſſe & judex. Canonicus erat Sancti Martini, nec Epiſcopo, nec Prælatis ſuis, nec Fratribus ſuis impedimentum oſtendit, quo interveniente ſalvare ſeipſum ibi non poſſet, ſed ex voluntate & arbitrio ſuo propoſitum vitæ arctioris vobis neſcientibus arripuit, & poſt duos menſes litteras de ſua converſione miſit, & poſt duos annos ſe ipſum præſentavit vobis, & cum licentia & pacis oſculo abiit, & Epiſcopus Trajectenſis Eccleſiæ veſtra relatione de Fratris iſtius abſceſſu vobiſcum canonice non tractavit, ſicut vir timoratus gratias Deo referens de illo, qui ad ſuam ſalutem exemplo Sanctorum Patrum evaſerat. Noſtris temporibus de noſtra Eccleſia Frater Walterus utilis in omnibus regulam Sancti Auguſtini aſſumſit, Magiſter Hezelinus, Frater Wolbodo, Frater Symon regulam Sancti Benedicti, & ne tuba canerent in plateis, Epiſcopo nobisque ignorantibus, ad altiorem & arctiorem vitam aſcenderunt, unde divinæ clementiæ gratias referimus, quod pro nobis inſtantius occupatis orant. Hoc enim eorum eſt proprium, quos divina clementia veraciter inſpirat ad arctius propoſitum, ut ſilenter & absque divulgatione eant, quo illos trahit Spiritus Domini. Quodſi ante aſſumtum propoſitum duplicaretur eorum intentio, forſitan retinerentur petitione fratrum, lacrymis carnalium amicorum, juxta quod in Evangelio juvenis ad Dominum Jeſum ait: Magiſter vadam & diſponam domui meæ, ut ſepeliam patrem meum, & revertar ad te; & Jeſus ad eum; Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos. In tali igitur negotio non elucidant decreta vel canones, ut eccleſiaſtica jure interveniat prohibitio, juxta prædictam Domini Jeſu ſententiam de his, qui a propriis hujus mundi abſciderunt, arctiori devincti propoſito, verum utilitatis & neceſſitatis Sanctorum Patrum plura admittuntur pro tempore. Legimus enim, & in vicinis Eccleſiis noſtra memoria contigit, quosdam regulares Sancti Auguſtini Canonicos factos de Clericis Monachos, ad Epiſcopale officium, vel ad alias Prælationes deſtinatos utilitatis vel neceſſitatis cauſa. Si iſte Frater poſt tertium annum aſſumti propoſiti ſe illis ingerit, ultimo quos dimiſit, cum cauſa utilitatis vel neceſſitatis non revocetur a vobis, & cum Eccleſiam ſuæ profeſſionis ſuique tituli nulla evidenti ratione dimiſerit. Gelaſius Papa, cum eſſet Italica Eccleſia belli & famis invaſione

Digitized by Google

ſione devaſtata, pro tempore conceſſit de Monachis, vel etiam de Laicis aſſumi Clericos ad retinendam Chriſtianitatem. Ceſſante autem neceſſitate, priſcam reintroduxit & confirmavit auctoritatem. Item propter utilitatem ex diverſis conſiliis applicantur ordinibus filii virginum per vim raptarum & conjugatarum, cui ſententiæ Petrus Apoſtolus concordans ait: In veritate comperi, quod non eſt Pater ac Deus. Gelaſius Papa quædam pro tempore decernit eſſe ſinenda, quæ tamen non manifeſte infament Eccleſiam, & ſic utilitate vel neceſſitate mutilanda ſunt decreta, ſi non etiam manifeſte ſequatur decoloratio. Quia igitur prædictus juvenis ad ſe corrigendum propria voluntate vel arbitrio arctius propoſitum inſtituit, ibique in Diaconum & Presbyterum conſecratus eſt, nullaque utilitate vel neceſſitate a vobis revocatur, ſed ad decolorationem eccleſiaſtici ordinis reſilit, ex verbis Sanctorum Patrum Leonis & Nicolai ad id revertatur, quod ſpopondit, & in ſacro Miniſterio maneat quod inchoavit, Sanctoque Spiritui non mentiatur, ne ordo Eccleſiaſticus conturbetur, fideique Catholicæ jura confringantur. Quod autem dicitur Archi-Epiſcopus Treverenſis Epiſcopo Trajectenſi literas miſiſſe, ſignificans, ut recipiatur in loco, cui per communem aſſenſum renunciavit; forſitan per ſurreptionem alicujus importune petentis factum eſt. Archi-Epiſcopus enim Treverenſis, ad cujus parochiam confugit, & qui ad Eccleſiæ ſuæ titulum Diaconum & Presbyterum eum ordinavit, absque canonica contradictione omnem humanitatem circa illum debet exhibere, exemplo primi & magni Gregorii, qui transgredientes & deſerentes ſacrum propoſitum jubet comprehendi, & in Monaſterium detrudi, & ſub diſtricta cuſtodia omnem ſolicitudinem exhiberi, quatenus divina ſervitus ſuam conſtanter habeat reverentiam. Quod reverenter & ſincere arctioris vitæ propoſita ſint honoranda & retinenda, plane demonſtrat Primus & Magnus Gregorius in principio Dialogi ſui, qui de culmine propoſiti ad apicem Sedis Apoſtolicæ, cauſa utilitatis & neceſſitatis electus, conqueritur, ſe oblviſci ſingularitatis ſuæ quietem ex denſitate curarum ſupervenientium. De Beato Martino Turonenſi dicit Severus, ſcriptor vitæ ejus, quod coram diſcipulis ſuis ſæpius fatebatur, minorem gratiam in faciendis virtutibus ſe habuiſſe poſt aſſumptum Epiſcopatum, quam ante. Hieronymus, Auguſtinus, Ambroſius arctioris vitæ erectores, de hac in ſcriptis ſuis Clericos, Monachos, virgines, viduas confortant, exhortantur, corroborant. Et ne juxta Paulum infirmorum percutiatur conſcientia, Frater iſte, de quo eſt ſermo, omnibus modis in aſſumto retinendus eſt propoſito, quod fidelis eſt Deus, qui non patietur eum tentari ſupra id, quod poteſt, ſed faciet cum tentatione proventum.

Oratio Mengoti.

De faciendis & reddendis votis ſacrarum ſcripturarum tradicione didicimus, ut in ætate tantum rationabili fiant, & cum ex poteſtate propria voventis & arbitrii libertate prodeant; nemo quidem ad vovendum præcepto cogitur, ſed tamen poſt pollicitationem omni genere ad reddendum compellitur. Unde Moyſes in Deuteronomio: Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quod requiret illud Dominus Deus tuus. Si nolueris polliceri, absque peccato eris. Quod autem ſemel egreſſum eſt de labiis tuis obſervabis & facies, ſicut promiſiſti Domino tuo & propria voluntate & corde locutus es. Et Pſalmiſta: Vovete, inquit, & reddite Domino Deo veſtro. o. q. inc. ejus off. m. terribili rei q. au. ſ. pn. t. a. t. terræ. Terribili & terribili repetit, ut inculcatus ille magnificus terror auferentis Spiritum principum apud reges terræ, conſtantem animum ea lege aſtringat, quam ipſe ſibi vovendo ſancivit, & eo ſponſionis vinculo detineat quod ſibi ipſi pollicendo innexuit. Votorum autem omnium ille finis eſt, ut quicquid Deo vovemus, ad ſalutem aliquo pacto pertineat, alioquin nec vota dici poſſunt niſi ad beatitudinem illam, velut ad deſtinatum finem, aliquatenus referri valeant. Cum igitur omnia, quæ vovemus & facimus, ad mundiciam cordis, qua ſola ad viſionem Dei, quæ ſalus eſt animæ, pertingitur, referre debeamus; ea tamen in votis eſt differentia, quod deſtinato fini alia propinquiora ſint, quam alia, & illa jure perfectiora creduntur, quibus expedicius & plenius mundiciam cordis aſſequi valeamus. Hinc provenit, ut ſi debitum ordinem in votis obſervemus, nulla unquam in votis eſſe poſſit contrarietas, in quibus omnibus aliquo modo ejusdem propoſiti eſt unitas; ſi tamen hunc ordinem teneamus, ut de minoribus ad majora proficiamus, non de majoribus ad inferiora redeamus. Chriſtianæ enim animæ proficere, non deficere licet, cum alterum ad pœnam, alterum pertineat ad gloriam. Cum igitur inferius votum deſeritur, & majus aſſumitur, infideliter aſcribitur mendacio & inobedientiæ, quod pertinet ad conſummationem veritatis & obedientiæ, nec dicenda eſt minoris voti deſtructio, ſed potius inferioris per ſuperius integra & abſoluta perfectio, ſicut vetus lex, quæ rudibus & inchoantibus fuerat propoſita, novi teſtamenti perfectione non eſt ſoluta, ſed adimpleta, teſtante Domino in Evangelio. Non veni legem ſolvere, ſed adimplere. Et Paulus in epiſtola ſua: fratres non arbitror me comprehendiſſe, ſed perſequor unum, obliviſcens quæ retro ſunt, & ad ea quæ ante ſunt, extendens me ipſum, ſequor ad bravium ſupernæ vocationis. Ubi ergo ſuſceptione perfectioris vitæ a deſtinato mundi cordis fine non diſceditur, imo propinquius acceditur, non magnopere ad hujusmodi opus requirendam prælatorum credimus licentiam, quæ & requiſita non debet abnui, & negata non poteſt nec debet conſtantis animi intentionem remorari. Unus eſt igitur Magiſter, cujus ſententiæ nullus prælatorum ſuperordinare præſumit, qui omnibus ad perfectionem tendentibus licentiam generaliter annuit, dicens: Si vis eſſe perfe-

Digitized by Google

perfectus, vade & u. q. h. & d. p. & u. s. me & alibi. Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus & perfectionis esse discipulus. Discipulos quoque ad perfectionis suæ imitationem exhortans: perfecti, inquit, estote, sicut & ego perfectus sum. Unde Hieronymus cuidam sanctum propositum arripere volenti, exhortatoriam scribens epistolam, post multa hac demum usus est sententia: Cum ad apostolicam, inquit, tendis perfectionem, ut nihil habeas in hoc mundo, & omnia possideas cum Christo, nullam in via Domini æstimare debes personam, sed quicquid tibi obstare metuis abjicere, perfectoque odio odisse memineris, & si omnes quos vel reverearis vel diligas tibi hoc itinere exire volenti in ipso tuo limine ad te remorandum prostratos aspicias, felici contemptu per ipsa eorum colla transeas. Age ergo, si tantopere de non petita licentia ambigitur, non petita licentia suscepti propositi professionem evacuare ratum esse debet, & deserere illud transgressio est. Ad transgressionem autem aliquem suscipere est transgressioni consensum præbere. Si vero non petita licentia propositum evacuare potest, irritum esse debet, quod irrationabiliter sanctum est, & prioris voti transgressio est dicenda. Transgressores autem voti ad posterum nonsolum revocari commonendo, sed etiam si opus est, ecclesiastica censura compellendo sacrarum scripturarum sancit auctoritas. Revocentur ergo & redire cogantur, qui sine licentia recesserunt a nobis. Præpositus igitur ad præposituras suas, præbendas & ecclesias, Dominus N. sancti Petri canonicus ad custodiendam suam præbendam, R. ejusdem ecclesiæ canonicus ad præbendam suam. Et in Leodicensi ecclesia aliisque ecclesiis plurimi, qui omnia sua pro Christo contempnentes & pauperes pauperem Christum sequentes, in tam perfecta & tam licita re, licentiam requirere, vel non opus esse, vel etiam sibi non congruere digne judicarunt. Quod ergo de propriarum ecclesiarum desertoribus statutum est, ut alienum clericum nullus sine licentia Episcopi suscipere præsumat, pie intelligentibus liquido constare credimus, de clericis in ejusdem propositi amministratione permanere volentibus esse dictum, quod ubi nullus spiritualis effectus, nulla perfectioris vitæ sanctitas intervenit, non sine carnali & culpabili causa transmigratio talis fieri poterit. Cum igitur dicitur transmigrare non licet, determinandum est; non licet, nullis existentibus causis; quod si digna causa intervenit sine dubio licere confidimus. Quod vero sic determinandum sit, tum supradictæ rationes & auctoritates cogunt, tum Gelasius Papa XXIII. cap. decretorum suorum ostendit: Quisquis, inquit, propriæ ecclesiæ desertor nullis existentibus causis ad alienam transeundum putaverit, reverendorum canonum statuta non effugiet. Ecce Gelasius causam intervenire posse docuit; ipsam autem causam esse perfectioris vitæ electionem, magnus Leo PP. in XXVI. cap. decretorum suorum exprimit: Quisquis, inquit, ad perfectioris propositi professionem accesserit, redire sine summo peccato non poterit. Quamvis igitur inferior vita innocens esse possit, meliorem tamen electionem deseruisse transgressio est. Magnus Gregorius in libro de cura pastorali: Amonendi sunt cælibes, ut si temptationum procellas cum difficultate salutis tolerant, conjugii portum petant. Scriptum quippe est: Melius est nubere, quam uri. Sine culpa secundum ad conjugium veniunt, si tamen nondum meliora devoverunt. Nam quisquis bonum majus subire proposuit, bonum minus illicitum fecit. Scriptum quippe est: Nemo mittens manum in aratrum & respiciens retro aptus est regno Dei. Qui ergo fortiori studio intendit retro respicere convincitur, & relictis bonis amplioribus ad minima retorquetur. Augustinus autem conversionem suam latenter fuisse factam, & absque divulgatione, in libro confessionum commendat dicens: Quia propter nomen tuum, Domine, quod sanctificasti per se etiam laudatores ubique haberet, votum & propositum nostrum jactantiæ simile videbatur, si velut de publica professione atque ante oculos omnium ita discederem, ut conversa in factum meum ora cunctorum intuentium esse voluerim, quod quasi appetiissem magnus videri. Sed ut jam omni dubitatione imo perversæ interpretationi satis fiat, ponamus ad perfectionem tendentibus sanctum propositum posse interdici & omne quod voverint sine consensu præsidentium irritum censeri. Probamus ex auctoritate veteris testamenti, ubi scriptura magis sequitur moralitatem, quam misterium, eos, qui ita aliis subesse deberent, ut etiam vota eorum ex præsidentium pendeant arbitrio, nullius voti sponsione ligari, sed postquam præsidentes cognoverint, statim contradixerint, si vero post primam cognitionem non statim contradixerint, & sustinuerint, ipsam moram taciturnitatis & sustinentiæ obtinere vim consensus & licentiæ & ipso jure permanere rata quæcunque fuerint vovendo promissa. In libro Numeri cap. LXV. Iste est sermo, quem præcepit Dominus. Si quis virorum votum Domino voverit, aut se constrinxerit juramento, non faciet irritum verbum suum, sed omne quod voverit, implebit. Mulier si quippiam voverit, & se constrinxerit juramento, quæ est in domo patris sui & in ætate puellari adhuc, si cognoverit pater votum quod pollicita est, & juramentum, quo obligavit animam suam & tacuerit, voti rea erit; quicquid pollicita est, & juravit opere complebit. Sin autem statim, ut audierit, contradixerit pater, & vota & juramenta ejus irrita erunt, nec obnoxia tenebitur sponsioni, eo quod contradixerit pater. Si maritum habuerit, & voverit aliquid, & semel de ore ejus egrediens animam illius obligaverit juramento, quo die audierit vir & non contradixerit, voti rea erit, reddet quodcunque promiserat. Sin autem audiens statim contradixerit, & irritas fecerit pollicitationes ejus, verbaque quibus obstrinxerat animam suam, propicius erit ei Deus. Vidua & repudiata quicquid voverint,

Digitized by Google

verint, reddent. Uxor in domo viri cum se voto constrinxerit & juramento, si audierit vir & tacuerit, nec contradixerit sponsioni, reddet, quodcunque promiserat. Sin autem extemplo contradixerit, non tenebitur sponsionis rea, quod maritus contradixit, & Dominus ei propitius erit. Si voverit & juramento se constrinxerit, ut per jejunium vel cæterarum rerum abstinentiam affligat animam suam in arbitrio viri erit, ut faciat sive non faciat. Quod si audiens vir tacuerit, & in alteram diem distulerit sententiam, quicquid voverat atque promiserat, reddet, quod statim, ut audivit, tacuit. Si igitur eorum quorum vota ex aliena pendent potestate, per dilationem contradictionis in alteram diem firmari potest sponsio, nimirum fratris hujus, de quo agitur, votum trium annorum taciturnitas firmare potuerit. Quia cum primum rescitum esset ab Episcopo & fratribus de conversione fratris, si displicuit, cur statim non revocatus est? Quin potius tacitum est non tantum die aut mense aut anno uno vel duobus, sed potius tribus. In quo spatio frater prædictus litteras primum de conversione & professione sua fratribus misit, deinde duobus annis transactis ipsemet veniens, cum Episcopum non invenisset, fratrum licentiam requisivit, & accepit, vitam, quam tanto tempore expertus fuerat, probavit, laudavit, ad idem propositum, non solum exemplo, sed etiam verbo plures incitavit. Quid ergo? Certe secularis lex habet, ut proprietas anno & die possessa sine contradictione rata permaneat, & melius eam possessor jure possit retinere, quam alius jure auferre; Fratrem istum tribus annis in voto & professione sua sine contradictione stabilitum, patri Augustino, cujus regulam professus est, aufertis? Videte, ne si injuriam suam sciens ille Domino suo proclamaverit, horrendum illud judicium districtissimi judicis incidatis? Sed sunt quidam, qui adhuc fratris errori defensionem parant, asserentes non licere, quemquam etiam ad perfectius votum a præbenda ecclesiæ suæ sine consensu ecclesiæ & præsidentis discedere, quod in conjugatis non licet, nisi ex consensu ad perfectum continentiæ votum ad invicem divortium facere. O animalem & carnalem intelligentiam! Animalis homo juxta Apostolum non percipit ea quæ Dei sunt, neque igitur id potest. Profecto hoc spirituale, de quo agimus, & illud carnale de conjugatis ea similitudine conveniunt, qua similitudine congruunt caro & spiritus. Tantum igitur inter hoc & illud interest, quantum inter carnem & spiritum. In conjugio igitur præter fidem & sacramentum Christi & ecclesiæ carnalis inest conjunctio, in qua non jam duo, sed una efficitur caro. Ad servitium autem Dei nemo rationabiliter accedere potest divisus, sed potius totus, sicut in una & eadem persona hominis cum se ad Deum converterit, non dimidius accedere, & dimidius remanere debet, scilicet ut vel corpore in servitio Dei appareat & mente in seculo resideat, vel spiritu quidem servitium Dei cupiat, corpus autem non observiat, sed potius totum se & corpus & animam divino mancipare debet obsequio. Ita in conjugio cum non sint duo, sed potius una caro, in conversione non potest esse divisio, nisi velut in ejusdem personæ unitatem facta est carnis copulatio. Præterea cum conjugium in tribus supra dictis constat, scilicet fide, sacramento, commixtione carnis, quantum ad tercium pertinet, conjugati ea lege & eo fœdere conveniunt, ut debitum carnis sibi invicem reddere debeant, cujus rei administratio nec localem pati potest divisionem. Nos vero qui non carnaliter, sed spiritualiter unum sumus, non localiter, sed Spiritu Sancto in unitatem corporis ecclesiæ compaginamur, nec interest, quantum simus temporum vel locorum intervallis distincti, qui in unitatem fidei Spiritu Sancto sumus uniti, cui quanto quis perfectius, ubicunque cohæret & servit, tanto pulcrius & tenacius membrum in corpore ecclesiæ constituitur. Sed objicitur. Si libertas ea transmigrandi ad perfectiorem vitam perurgetur, minores & imperfectiores ecclesiæ ex crebra desertione in solitudinem redigentur. Respondemus. Utinam cessent omnia imperfecta, ut omnia faciant perfecta, sicut in imperfectione quotidie mundi adhuc positi optamus adventum perfectionis Dei regni, cum orantes dicimus: Adveniat regnum tuum; fiat voluntas tua sicut in cœlo ita & in terrra. Verum ex his tam frivolis illorum assertionibus satis constare credimus, quod non justitiæ veritatem, sed suam sibi proponunt voluntatem, ad quam confirmandam ea quæ possunt argumenta convehunt, & scrutantur ex scripturis verbula voluntati suæ quantulumcunque consona sed juxta Psalmistæ vocem: Defecerant scrutantes scrutinio, & circa veritatem nequaquam eorum versatur inquisitio. Illud vero quod naturam & regularium canonicorum professionem eandem esse dicunt, quam sit a veritate remotum illud declarat, quod ex regulæ nostræ institutis, nos quidem licite & propriis & ecclesiæ rebus utimur, illis vero denegantur propria, omnia jubentur esse communia, quorum regula ex eo loco Actuum Apostolorum tracta est, ubi legitur: Multitudinis credentium erat cor unum & anima una, nec quisquam dicebat aliquid suum proprium, sed erant illis omnia communia. Ad quam professionem apostolicæ perfectionis cum Ananias & Saphira accessissent, & de pretio agri fraudantes aliquid sibi proprii extra communitatem reservassent, nova & inaudita pœna mulctati sunt, scilicet ad verbum hominis & Petri imo Spiritus Sancti in homine ceciderunt & exspirarunt. Cum igitur beati Augustini canonicis nihil omnino constet licere proprietatis, quisquis nos & illos eandem habere regulam astruit, profecto nos Apostatas transgressores convincere velle videtur. Quod si ita est, potius nobis ad illos transeundum, quam illis ad nos esset redeundum. Si itaque frater prædictus sub ejus regulæ professione transgressores, ut dicere videntur, deseruit, & pœnitenti corde cum confirmatione voti, regularibus se sociavit, quisquis eum ad transgressionis peccatum

peccatum redire permittit, sine dubio consentire convincitur, ut canis ad vomitum suum redeat, & sus lota rursus in volutabrum luti sui recidat. Vestrum igitur est diligentissime considerare, ne quid tot & tantis autoritatibus contrarium faciatis, præsertim cum in tot scriptarum locis votorum transgressio damnetur, adeo ut etiam ea, quæ quadam animi præcipitatione facta sunt, omnimodis tamen impleta legantur. Sicut de Gabionitis legitur, qui cum filios Israel circumvenissent, quasi in medio eorum futuri non essent, ut ipsos fœderatos haberent filii Israel non consulentes Dominum præcipitanter eis juraverunt, qui postea tamen fraude detectum juramentum solvere noluerunt, neque illis licuit, quod ex hoc colligitur, quod post ea tempora David cum fames valida tribus annis fuisset, & David Dominum consuleret, responsum est hoc illi, hoc esse propter Saul, qui quasi vicem filiorum Israel dolens, quod a Gabionitis circumventi fuissent, Gabionitarum sanguinem fuderat. Unde ad piaculum tanti sceleris, septem de Domo Saul illis traditi & patibulis affixi furorem Domini mitigaverunt. Sed & Jepte cum quicquid sibi post victoriam domum revertenti primum e foribus domus suæ occurreret, Domino in holocaustum offerre jurasset, unigenitam filiam primum occurrentem Domino obtulit. Quod autem ego quidem instantius & vehementius hæc loquor, aliquem forsitan scandalizare potest suspicantem, quod non zelo justitiæ, sed timore illo faciam, quod bona prædicti fratris, quæ in conversione illius suscepi, per restitutionem ejus amittere timeam. Dominus novit intentiones hominum. Et juxta Salamonem: homo videt in facie, Dominus autem in corde. Si quis ex occasione verborum meorum suspicione scandalizatur, doleo quidem non mihi, sed illi, non tamen tacebo, quia sacras scripturas mihi clamantes audio: In quantum sine peccato potes, vitare scandalum proximi debes. Sed si de veritate est pro scandalo veritas relinqui non debet. Et Augustinus in libro confessionum: Quo mihi hoc, inquit, ut putetur, & disputetur de animo meo, & blasphemetur bonum nostrum? Audiant Dominum in Evangelio, judicia de occultis & ambiguis prohibentem. Nolite judicare, & non judicabimini, nolite condemnare, & non condemnabimini. Et Apostolus: Nolite, inquit, ante tempus judicare quoad usque veniat Dominus Jesus, qui illuminabit abscondita tenebrarum & manifestabit consilia cordium. Sed ne etiam verborum multitudine vos onerare videar disputationis vel sermonis prolixitatem terminemus, hoc uno, quod sicut juxta vocem veritatis qui recipit Prophetam aut justum in nomine Prophetæ vel injusti, mercedem Prophetæ, aut injusti accipiet, ita qui recipit Apostatam in nomine Apostatæ, & ut induret illum, & apostatare faciat, mercedem Apostatæ recipiet, quod scriptum est: Non solum qui faciunt hujusmodi, sed etiam qui consentiunt facientibus digni sunt morte.

Litteræ fratris recenter conversi de Conversione sua.

Dominis ac fratribus suis universis G. humilis peccator pacem & salutem in Domino. Audivimus fratres & Domini mei aliquos ex vobis nostro discessu moveri, eo quod puerili inconstantia ducti nostra reliquisse videamur, & quasi condolentes vanitati nostræ vultis & optatis ut nostra recipiamus & redeamus. Voluntas quidem vestra in omni bono adimpleatur, sed ut hoc perficiatur, mihi profecto non expedit. Cum autem secundum professionem, Clerici hæreditas nostra Dominus & nos deberemus esse Domini, pro me, dico nihil de sorte clerici præter nomen & habitum retinentes, indigne inter vos locum, velut infructuosa arbor & terram occupavimus, sed & quod gravius est, vias nostras in omnibus corrupimus, voluptates nostras & delectationes carnis me miserum abominabiliter secuti sunt & in his omnibus nulla nobis ecclesiasticæ censuræ succurrit districto, sed amplius multiplicabatur in dies erroris nostri miseranda confusio. De linimentis etiam & fomentis quorundam, a quibus perversitas nostra non redarguebatur, sed laudabatur, venenum illud in me grassabatur, non auferebatur, & tanto exiciabilius nobis inflicta sunt vulnera, quanto quorundam consensu occœcati ipsa natura non vidimus pericula. Et nunc, fratres, vix fero miseriam nostram adtendentes, omnia relinquere, & pauperes pauperem Christum sequi destinavimus; ut votum nostrum Dominus impleat, benignissimum omnium largitorem orate: præbendam nostram & locum nostrum, cujus nullum fructum fecimus, alii utiliori & meliori facienti fructus ejus locate. Vellemus quidem inter vos melioris conversationis cursum arripere, sed quam in difficili res posita nobis foret non ignorabamus. Ipsi etenim scitis, quanta nobis impedimenta occurrerent, primum fragilitas nostra & omnium rerum, quæ allicere & ad pernitiem trahere possent, quotidie ante oculos subjectio: De hinc labia iniqua & lingua dolosa. Quod autem vobis nescientibus recessimus, ne temeritati imputetis, quod impedimentum nobis fieri timuimus, si animi nostri intentionem, ut erat, denudaremus. Ne, quæso, fratres fugam & inobedientiam appelletis, quod ad Dominum confugimus, & Deo obedivimus, quod, ut pace vestra dixerim, magis elegimus quadam quasi imagine inobedientiæ ad cœlum conscendere, quam affectata & simulata obedientia ad infernum properare. Ne, quæso, inquam, vera rerum vocabula transmutetis, ne illam propheticam incidatis sententiam: Væh vobis, qui dicitis tenebras lucem, & lucem tenebras, qui malum dicitis bonum & bonum malum. Ne vero juventutis nostræ inconstantiam causemini, neque seculari sensu sapientiam interpretemini stultitiam, speramus in eo perseverare, per quem & accepimus incipere, & qui potest de lapidibus filios suscitare Abrahæ, potens est & nos ad consumationem boni operis perducere. Concinnit, etenim in auribus nostris illud

lud organum Spiritus Sancti dulcissimam melodiam & confortati sumus. Bonum, inquit, opus nobis sit in voluntate, & militia Domini erit in perfectione. Et quis est, fratres, etiam inter sanctos ita virtute præminentissimus, ut incunctanter & inrefragabiliter intelligat, quo fine cursum certaminis compleat? Ista securitas non est præsentis corruptionis, sed illius futuræ immortalitatis, cum hoc corruptibile induerit incorruptionem, & mortale hoc absorbebitur ab immortali. Audivimus etiam, fratres, quod fratrem nostrum Dominum M. de hac re suspectum habeatis, quasi cupiditate, & aviditate rerum & ecclesiarum nostrarum ductus, nos ad hoc incitaverit. Credite nobis, non est ita. Cum etenim intellexisset intentionem nostram primum renuit, contradixit, multa nobis, quæ nos retraherent, proposuit, sed cum inconcussam propositi nostri firmitudinem percepisset, respectu Domini tactus & monitus occidere me, retinendo, voluit, quem salvare vel tacendo potuit, prodere nos noluit, impedire nos voluit, spiritum in nobis extinguere noluit. Benedictus Deus in omnibus, fratres dilectissimi, nolite exacerbare spiritum ejus, aut quicquam illi imponere. Non igitur ab homine aut per hominem sed per revelationem Jesu Christi gratiam istam suscepimus. Valete & orate pro me.

CCCXV.

Serenissimo Domino suo H. Imperatori & Cæsari semper Augusto Babenbergensis ecclesia speciali quadam fidelitate sibi semper suisque antecessoribus devincta, fidele & stabile servicium cum devotis orationibus. Gratias agere divinæ bonitati non desistimus, qua inspirante clementia vestræ dominationis more & exemplo patris vestri piissimæ memoriæ nos & locum nostrum benigno favore, & quasi singulari quodam affectu hactenus dignata est respicere & confovere. Unde solita pietate vestra confisi, despoliati & immoderata rerum nostrarum devastatione pene jam desolati, genibus vestræ commiserationis cum lacrimis & querelis per nimium necessariis provolvimur. Si quid itaque ab hostium immanitate relinquitur, hoc totum a vestris ministerialibus quibusdam ubique devastatur, ubicunque possunt sine respectu Dei vel vestri. Quorum illi quidem qui apud Hammerstein præsident, octo carradas vini nobis hoc anno abstulerunt: Oleum autem ad quadragesimale tempus deputatum M. cum præter eum deferretur, ex toto præripuit. Porro R. cum suis complicibus omnia nostra suæ domui contigua usque ad desolationem devastavit. Ecce qualia nos vestri a vestris patimur, sed adhuc pejora veremur, nisi Deus & vestræ jussionis auctoritas quantocius subvenire dignetur. Rex regum, Dominus dominantium vitam & honorem vestrum, serenissime Domine, prout expedit necessitas totius imperii, prolongare atque conservare dignetur.

CCCXVI.

Dei gratia Würzeburgensis ecclesiæ Episcopo, Præposito & Decano sancta Babenbergensis ecclesia cum tota fratrum congregatione fraternæ dilectionis exhibitionem. Pervenit ad notitiam meam querelis H. quondam ecclesiæ meæ Præpositi fraternitatem vestram esse pulsatam, & opinionem meam quantum in ipso fuit sinistra relatione læsam. Sed si estis, imo quod estis, quales vos spero, & qualem me vobis exhibere paratus sum, nullus timor est, mihi, ut cujusquam relationibus odiosis contra me fidem accommodetis. Visum est tamen utile, ut ad singula, quæ de me ex animi motu, non veritate causarum, divulgavit, breviter respondeam, & arbitrium vestræ discretionis non subterfugiam. Conqueritur, ut audivi, quod a prælatione dignitatis quam gessit, jam secundo non judicio, sed violentia dejectus sit. Primo quidem causa M. cognati mei, demum pro pecunia, ut ait, & ambitione O. fidelis mei. In qua re cognoscere vos volo, primo omnium, quod quam diu res tulit & ultra quam tulit, ego eum semper toleravi, adeo ut etiam, postquam judicio fratrum meorum destitutus est, electo in locum ejus cognato meo, ego tamen cum judicii sententiam, quæ data erat in eum, rescindere non possem, mansuetudine & compassione fraterna devictus, nolui prorsus omni spe eum destituere, donec benevolentia, cum nihil ei deberem, duas parochias cum pecunia ei dedi, eo tenore, ut omni deinceps querela sopita nihil molestiæ super hoc negotio sustinerem. Mutante autem pristinæ conversationis habitum supra dicto cognato meo, libera & unanimi electione testimonium mihi perhibente conscientia mea, nec venalitate, nec personæ acceptione inductus, præpositum, quem voluerunt, fratribus meis constitui, nihilque ab eo nisi quod ad communem spectat utilitatem, postulo vel postulavi. Quod si præjudicium se sustinuisse causatur, licet non sit necesse actum agere, tamen si quid habet, quod causam suam tueatur, in præsentia nostra ad audientiam veniat, & si juste potest, quicquid potest, obtineat. Nolo autem vos latere, nec secreto mihi succensere si beneficia mea recipiam, quæ ea conditione ipsi collata sunt, ut ego nullam inquietudinem ab eo omnino de hac causa sustinerem.

CCCXVII.

H. Dei gratia Romanorum Imp. Aug. H. Radisbonensium Episcopo, gratiam suam & omne bonum, ut fideli dilectissimo. Quod legatos tuos tanto tempore retinuimus, nulla alia de causa fecimus, nisi quod nec itineris nostri nec a Roma aliquam certitudinem tibi mandare potuimus. Nunc dilectioni tuæ intimare decrevimus, Episcopos quosdam videlicet Astensem, Aquensem, Placentinum inde venisse non nostra quasi legatione, sed eorum propria voluntate ivisse, qui tamen veram pacis concordiam inter nos & Papam omni dubietate remota retulerunt, qui etiam nos omnes, Monasteriensem nominatim, Tridentinum, Augustensem, Brixinorensem, Constantiensem Abbatemque Wultensem Arnoldum in adventu eorum

rum benedixerunt ore, & osculo ex ejus parte salutaverunt. Ajunt etiam Dominum Papam nunquam aliquem adversarium nostrum Coloniensem, vel Saltzburgensem, vel Wurtzburgensem, vel Halberstadiensem, vel aliquem inimicum nostrum viva voce vel litteris salutasse. Moguntinum nec ipse, nec tota Romana ecclesia aliter quam traditorem Dei & Domini sui & totius christianitatis appellant. Quicquid itaque Viennensis Wido & Chuono contra Imperium & nos aliquo modo moliti sunt, detestatur, ita quod fraternitatem & gratiam suam idem Chuono etiam apparet amisisse. Hoc totum promittit non per nuncium, sed per se ipsum verum esse probaturum. His aliisque verbis auditis ac pertractatis cognovimus te, ut mandavimus, congruo tempore venire ad nos non posse, quod cum maxima festinatione ad præsens ire oportet, sed tamen ubicunque erimus pro te & vice tua erimus, & tu ubi fueris pro nobis in persona nostra sis, juvando ac sustinendo ac defendendo honorem nostrum & specialiter nepotem nostrum F. aliosque fideles nostros, ut bene appareat, te esse inimicum inimicorum nostrorum & amicum amicorum nostrorum.

CCCXVIII.

H. Dei gratia Rom. Imp. Augustus H. venerabili Radisponensium Episcopo, gratiam, dilectionem, & omne bonum. Gratias agimus patri spirituum, quoniam erga nos & imperii statum salubriter tuæ fidei conservasti constantiam, credentes, imo luce clarius adtendentes, quod neque mores neque vita surripere possint, quam inchoasti & demonstrasti nobis benevolentiam. Ut autem piæ sollicitudinis scrupulum, quo sæpissime turbantur corda amicorum absentium, tibi pleniter auferamus, negocium, quod pro communi utilitate totius imperii suscepimus, ad quid perduxerimus, paucis tibi scribere curavimus. Imprimis memorem te esse volumus, qualiter inimicorum nostrorum acephalica præsumptio fideles nostros inquietaverit, quod communicantes nobis quasi excommunicatos ex sententia & legatione Domini apostolici judicaverunt, & maledictiones satis impudenter super innocentes aggravaverint. Nos autem arcum, quem in nos latenter intenderant, & sagittas, quas exacuerant, propiciante Domino declinantes in Italiam transalpinavimus, & ibi religiosos Episcopos atque Abbates, qui videbantur esse columnæ matris ecclesiæ, convocantes de pace vel concordia regni & sacerdotii subtilissima inquisitione tractavimus, demum communicato consilio tres ex illis omnibus eligentes, scilicet Placentinum, Astensem, Aquensem, magni nominis Episcopos ad Dominum Apostolicum & ad omnem ecclesiam illos misimus, proferentes in publicum, quod si quis personam nostram pulsaret, vel pulsare vellet, de pace, quam in corpore & sanguine Domini nos cum Pontifice Romano composuimus, & conscripsimus secundum judicium legum vel canonum, nos porrigere plenariam expurgationem, vel, quod absit, culpabiles inveniremur, omnimodam satisfactionem. Igitur Dominus apostolicus unanimes sibi ad hoc conjungens cardinales in testimonium, in præsentia Principis Apostolorum negavit, quod Chuononem, in Coloniam, vel Saxoniam miserit; irritum esse judicavit, si quid in nos maledictionis effuderit; affirmavit, quod ipse nunquam nos excommunicaverit, filio suo, quem consecravit, quem benedixit, quod nunquam maledixerit. Damnavit Theodoricum, eo quod in regno nostro legatum se ejus Domini Apostolici mentitus fuerit; nihil optavit quicquid excommunicationis in aliquem fecerit; in præsentia cleri & populi testificatus est, quod non præcepit vel consentit vel ratum fecit vel habet, quod Viennensis Episcopus excommunicationis gladium super nos erexit; sed potius, quod sub typo boni zeli peccaverit, veniam postulavit. De litteris bullatis, quas in opprobrium nostrum incusabat Moguntinus, Coloniensis, Saltzburgensis, & Halberstadiensis inimicis nostris misisse, Deum duxit in testimonium, se malum illud nunquam commisisse, inter cætera subjungens, quod quisquis nobis fidelitatem jurando promiserit & Werram nobis quisquis modo fecerit, pro perjuro & sacrilego in membris ecclesiæ numerandum esse. Nos autem consilium principum nostrorum exequentes, ut omnem ambiguitatem resecaremus, & sedicionem gravissimam, quæ inter Romanos & apostolicum geritur, compesceremus, & Deo gratias non est inventus, qui clam vel palam nobis notam criminis imponeret, sed vox laudis & lætitiæ audita est, quæ nos & imperium nostrum Deo & beatis Apostolis Petro & Paulo committeret. Postero die capitolium cum universis ordinibus conscendimus, & magnificantibus nos magna impendimus. Denique Cardinales tres cæterorum legationem, agentes nos, adierunt, & pacem plenariam eo tenore, nobis exhibuerunt; si investituram per virgam & annulum deinceps dare desineremus, quod in eo ecclesiæ scandalum dixerunt. E contrario nos respondentes regalia nostra cuivis per baculum & annulum concedere juris nostri esse probavimus. Hæc est summa dissensionis, qua concutitur & periclitatur ecclesia, &, investitura cessante, affirmant statum ecclesiæ redintegrari posse per omnia. Ergo miles Christi considera, quod Christus in evangelio liquantes culicem & camelum deglucientes, in ejusmodi animadversione reprehendat, & Apostolus minus tolerandum, ut majus vitetur, factis & dictis ostentat. Hæc ideo tuæ transmisimus caritati, ut pernoscas nullum periculum excommunicationis imminere nostræ dignitati, & ut liberius quod ratio postulat, obviare possis adversus nos insurgenti fatuorum temeritati, Nuntium tuum ideo tam diu detinuimus, ut per se certum te de his omnibus reddat, utpote qui visu vel auditu rei ordinem perfecte cognosceret. Vale.

CCCXIX.

Digitized by Google

CCCXIX.

Epiſtola Heinrici Imperatoris IV. ad Moguntinos de Alberto perjuro Epiſcopo.

Heinricus Dei gratia Rex. Præpoſitis & Decanis & omni congregationi, cunctis etiam Moguntinenſis eccleſiæ civibus, tam majoribus quam minoribus, ſibi fidelibus, gratiam & omne bonum. Confiteantur Domino militiæ ejus & mirabilia ejus filii hominum, quod non eſt, prudentia non eſt, ſapientia non eſt conſilium contra Dominum, qui Sancti Spiritus gratia inſpirante, jam convertit corda filiorum ad patres ipſorum. Unde & nos non ceſſamus Deo gratias agere pro vobis, cujus gratia & dono amara veſtra dulcia facta ſunt nobis. Et imo licet per ineffabilem divinæ pietatis inſpirationem, luctum noſtrum in gaudium, & amaritudinem verteritis in dulcedinem; pro antiqua tamen fidelitate quam in cordibus veſtris divinitus jam incaluiſſe cognovimus, dilectionem veſtram ammonere potius, quam rogare decernimus. Memores eſſe debetis in omnibus qua fide, quo pacto, quibus ſacramentis & obſidibus Adelbertum illum perjurum & traditorem, qui non meritis, ſed nomine dicitur Epiſcopus, fidelitati veſtræ diligentiſſima conventione tradiderimus. Et cum vos omnia bona promitteretis ab eo nobis, & nos de veſtro promiſſo nihil niſi bonum ſperaremus, ab eo expectavimus pacem, & ecce turbatio. Poſtquam autem Spiram ad nos redintegrata ſibi corporis & honoris ſui poteſtate veniens, obſides ſuos de manu ad manum ipſe nobis præſentavit, & ſuis ſacramentis veſtra firmavit, ſtatim autem diſcedens miſſis ubique litteris ac nuntiis nos & honorem noſtrum impugnavit, ac per totam Saxoniam & Thuringiam, Bavariam & Alemanniam, amicos noſtros tanquam inimicos contra nos ubique ſollicitare cœpit, ſicque quaſi canis, qui revertitur ad vomitum antiquæ ſuæ perfidiæ recepit venenum; quod quaſi vipera, quæ virus reſumit poſt coitum, a mari uſque ad mare per totum regnum diffudit & imperium. Pro his igitur & aliis malis nobis reſponſurum ſtatutis induciis eum ad nos venire juſſimus, & non venit, ſed inſuper apponens iniquitatem, Spiram, quod in cor noſtrum altius aſcendit, armata manu & erectis militaribus ſignis violenter invadere voluit, ſed fruſtrato Deo gratias labore rediens, congregatis, quos potuit, caſtrum noſtrum Struomburch funditus deſtruxit, demum alia caſtra noſtra contumaciter obſedit, invaſorem Virdunenſis eccleſiæ contra jus & fas conſecrari fecit, regnum noſtrum & imperium rapinis & homicidiis cæde, & incendiis, quaſi aper de ſilva ſic ubique devaſtavit, ut nihil jam diverſis ipſius reſtet erroribus, niſi ut fiant noviſſima hominis pejora prioribus. Hæc igitur & alia mala, quorum non eſt numerus, licet ab oriente uſque ad occidentem nota ſint hominibus, vobis tamen nota ſunt eo melius, quo ſecretis ejus omnibus præ cæteris vos ſemper interfuiſtis familiarius; ſed & omnes, qui in regno noſtro ſunt, ſciunt, omnes clamare poſſunt; & ſi hi tacuerint, lapides clamabunt. Et ideo, dilectiſſimi, nobis tam clerici quam laici, tam milites quam cives; qui hæc omnia vidiſtis & audiſtis, diligenter apud vos cogitare, & recogitare debetis, quam fidem & dilectionem pro ſacramentis & obſidibus veſtris veſtra ſibi dilectio debeat, qui nec proprio ſanguini ſuo, filiis ſcilicet fratrum ſuorum, debitam fidem ſervavit. Verum quia inter alia ſpecialiter hoc in noſtra conventione fuit, ut aliquid quando contrarii moliretur noſtræ dignitati, ſtatim determinatis induciis transactis, veſtro ſtudio & labore expelleretur ab urbe, imo ſi veri fideijuſſores crediti negotii eſſe deſideratis, monemus vos omnes per fidem & obſides, quos dediſtis, & ſacramenta, quæ feciſtis, quatenus obſidibus veſtris conſulentes, & ſacramentis præcaventes, eundem perjurum noſtrum ac veſtrum A. ſcilicet dictum Epiſcopum, civitatem nullatenus intrare permittatis, ſed quaſi ſcopis ab eo mundatam, cum F. Duce & B. Palatino Comite, aliiſque fidelibus noſtris diligentiſſime ſervare ſtudeatis. Quodſi feceritis & hæc omnia ſervaveritis diligenter, præ omnibus, quos in regno noſtro habemus, ex amicis amiciſſimos vos ſemper habebimus, & ſi quid unquam peccaſtis in nos, exemplo illius mulieris peccatricis totum tranſibit inultum, cui dimiſſa ſunt peccata multa quod dilexit multum. Quid plura? Deus, qui ad hoc venit in mundum, ut filios, qui erant diſperſi, congregaret in unum, ita diſperſos noſtros ſub jugum fidei jam coacervando revocet, & revocando coacervet, ut in charitate Chriſti & diſperſa congreget & congregata conſervet. In hæc igitur verba Deo vos & nos Deo & nobis intime commendamus, optantes, ut cum reverſi ad vos fuerimus, meliores vos filios invenire, quam reliquiſſe gaudeamus.

CCCXX.

Epiſtola quorundam Epiſcoporum ad Ottonem Babenbergenſem Epiſcopum de obitu Heinrici IV. Imperatoris.

A. Moguntinus, F. Colonienſis, U. Conſtantienſis, B. Wormatienſis, A. Spirenſis per Dei miſericordiam Archiepiſcopi & Epiſcopi; U. Fuldenſis Abbas, H. quoque Dux, G. Palatinus Comes, B. Comes de Sultzbach, & cæteri utriuſque profeſſionis Principes, qui exequiis Imperatoris intererant, Venerabili Fratri O. Babenbergenſi Epiſcopo hinc fraternas in Chriſto orationes, etiam fideliſſimum devotæ ſervitutis obſequium. Poſtquam Dominus Imperator viam univerſæ carnis ingreſſus eſt, & nos exequias ejus cum juſta devotione, & reverentia complevimus, ipſe ordo rei & temporis qualitas exigere videbatur, ut de ſtatu & pace regni aliquid conferremus, ſi non abeſſet prudentiæ veſtræ conſilium, & aliorum principum tanto negocio utile & perneceſſarium. Quoniam expectare pergrave erat & difficile, ſedit omnium noſtrum ſententiæ, ſi tantum veſtræ non diſplicuerit concordiæ curiam in feſto beati

Digitized by Google

beati Bartholomæi apud Moguntiam celebrare, & ibidem convenientibus principibus de statu & successore regni, ac negotiis necessariis, prout Spiritus Sanctus aspiraverit, ordinare. Nullum tamen præjudicium deliberationi & voluntati vestræ facientes, nihil nobis singulare, ac privatum in hac re usurpamus, quin potius discretioni vestræ hoc adprime intimatum esse cupimus, quatenus memor oppressionis, qua ecclesia cum universo regno usque modo laboravit, dispositionis divinæ providentiam invocetis, ut in substitutione alterius personæ sic ecclesiæ suæ & regno provideat, quod tanto servitutis jugo a modo careat, & suis legibus uti liceat, nosque omnes cum subjecta plebe temporali perfruamur tranquillitate. Contestamur etiam dilectionem vestram ut pacem, credito vobis cœlitus populo, infra præscriptum curiæ terminum, & ultra ad quatuor hebdomas ordinetis, quatenus omnibus tutior fiat concursus ac reditus, & ut curialiter, more videlicet antiquorum principum, cum propria impensa neminem pauperem lædentes conveniatis.

CCCXXI.

H. in Christi membris vero veræ religionis speculo D. Dei gratia siquid est, inter ærumnas imminentis procellæ, ad ea, quæ sursum sunt, indesinenter suspirare. Iste vero legatus præsentium literarum bajolus, magnæ mihi hilaritatis occasionem præbuit, quod in fraternæ dulcedinis salutationem, & spiritualis devotionis circa inquisitionem divinæ veritatis vere catholico viro dignam quæstionem ad me nuper ex parte vestræ pertulit serenitatis. Unde quantum ego peccator audeo & valeo, Spiritui sancto gratias agere non cesso, qui vos in lumen dictionis catholicæ veritatis prævenit & lumen vultus sui super nos signatum, ut ipso duce inter tenebras erroris præsentis & schismatis a via mandatorum Dei non declinetis; & quod utique tanto est præclarius, quanto rarius, circa curam cognoscendæ divinæ religionis tam ardenti studio evigiletis. Quid igitur jucundius quisquam possit optare, qui veritatem attingat, vel tenui rationis imagine, quam ejusdem veritatis vel unum verum amatorem, ac liberum defensorem posse reperire inter tot multa deviantium? Siquidem nunc potestas tenebrarum se erexit, nunc jam fere totus mundus in maligno positus, propter abundantiam iniquitatis a caritate Christi & ecclesiæ defecit, nunc jam plane videmus instare periculosa tempora, in quibus homines erunt se ipsos amantes, elati, cupidi, blasphemi, suarum voluptatum magis quam Dei amatores, formam quidem pietatis habentes, factis autem veritatem ejus abnegantes. Sed inter hæc perniciosa studia partium, inter hæc tanta scandala schismatum & hæresium, inter hæc sacrilega dogmata non Dei, sed hominum, quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi, quærentium, quid sit tenendum aut quæ meæ sit parvitatis sententia quærere dignatio vestra curavit. Qua in re illud inprimis ex totis præcordiorum medullis ingemisco, quod summa vestræ salutis, quam auctoritas sanctorum patrum sub omni certitudine diffinivit, heu peccatis exigentibus versucia reproborum hominum apud simplices & minus cautos in dubium ducitur, & in negotiis ecclesiæ discutiendis non testimonium sacri eloquii, sed commentum humani admittitur arbitrii. Qua de re quantum detrimenti incumbat divinæ relligioni quisquis non sapit, profecto ab omni bono sensu desipit. Vos autem, venerande Domine ac frater in Christo dilectissime, non a me, qui nihil sum ex me, sed ex auctoritate sacrarum scripturarum multiplici & inexpugnabili discere debetis, qualiter fugiendum sit de medio Babilonis, scil. non corpore, sed mente; non passibus pedum, sed profectibus virtutum; non deserendo bonos propter malos fastu superbiæ, sed tolerando malos propter bonos sub obtentu militiæ. Quod autem dico de malis spiritualiter, non corporaliter vitandis, hoc Patriarchæ, hoc Prophetæ, hoc ipse sanctus sanctorum Dominus Jesus Christus, hoc ejus apostoli, nec non & omnes apostolici viri, nonsolum scriptis suis, sed exemplis suis evidentissimis contestati sunt, quod inter eos assidue conversabantur, quorum vitia tamen acerrime execrabantur. Unde ex factis sanctorum procul dubio colligitur, & si scripta eorum interdum sint ambigua, quod aliena iniquitas non coinquinat cohabitantem corpore, sed consentientem mente. Hanc autem sententiam sanam & catholicam possem equidem multis & rationibus & auctoritatibus confirmare, nisi vitium esset in sermone ad doctum virum instituto, de re manifesta copia verborum perstrepere. Porro autem si quæritis, quid tenendum sit de illa generali excommunicatione quæ propter utilitatem ecclesiæ & auctoritatem sacræ scripturæ, non zelo Dei, sed instinctu diaboli ad scandalizandos pusillos Christi extraordinarie subintroducta est, Auctore Augustino perfecte instruemini, qui in diversis operibus suis, & evidentissime in libris contra Parmenianum hæreticum conscriptis, confirmat hujusmodi sententiam, quæ datur in multitudinem secum ad suum favorem trahentis, infructuosam esse, imo superbam & sacrilegam atque perniciosam fore, & plus simplices bonos conturbare, quam animos malos emendare. Quid plura? Qui dixit: beatus, qui non fuerit scandalizatus in me, ipse sanctitatem vestram ab omni scandalo in his, quæ perpetuæ salutis sunt, dignetur custodire.

CCCXXII.

Epistola Adalberti Archi-Episcopi ad Ottonem Babenbergensem Episcopum de Bernhardo Herbipolensi.

A. sanctæ Moguntinæ ecclesiæ humilis servus & apostolicæ sedis legatus venerabili & in Christo dilecto fratri & Coëpiscopo Domino O. salutem & obsequium fraternæ dilectionis. Tribulationes & destructiones Herpipolensis ecclesiæ, quæ & quantæ sint, quam diu duraverint, jam dudum discretioni vestræ innotuit, quæ usque adeo multiplicatæ sunt, nisi eis in brevi provi-

provideat omnipotens Deus, & misericors Dominus, quod in proximo ecclesia illa omnimodis adnihilabitur. Unde si facultas supeteret, vestræ fraternitatis præsentiam & consilium potissimum desideraremus convenire, & de ipsius reformanda pace & relligione, quantum divina misericordia concederet, sollicitius pertractare. Siquidem fratrum qui nobiscum sunt, & quos præsentialiter vel per litteras nostras convenire potuimus, tale est consilium, quum venerabilis frater & coëpiscopus noster Rogerus viam universæ carnis ingressus est, in hoc ecclesiæ illi provideamus, ut promovendo fratrem illum Gebhardum, dispersa illius ecclesiæ dispensatorie potius recolligamus, quam alium super imponendo graviter quidem dispersa funditus extirpari permittamus. Quo circa fraterna vos commonemus caritate, ut præsentiam vestram conventui fratrum nostrorum, quos in idipsum convocavimus, in proximo festo beati Lucæ velitis præsentare, vel si id minime valueritis adimplere, consilio, quod Spiritus Sanctus vobis dictaverit, consensus vestri litteras non differatis transmittere. Valere & in orationibus vestris nostri memoriam facite.

CCCXXIII.

C. Episcopus, servus servorum Dei venerabili fratri E. Saltzburgensi Archi-Episcopo salutem & Apostolicam benedictionem. Frater iste præsentium lator A. Presbiter apostolicæ sedis clementiam adiens, se ab Augustensi Episcopo retulit ordinatum, cum idem Episcopus prædecessore nostro sanctæ memoriæ Pascale Papa Romanæ fuisset ecclesiæ gratiam in conventu celebrato Placentiæ consecutus. Quia ergo misericordiam juste petentibus indulgentiam negare non convenit, si postulatio ejus veritatis nititur ratione, ipsum in ordine suo & recipias & Sacerdotalis officii ministerio sine inquietudine fungi concedas. Datum Laterani VIII. Calend. Februarii.

CCCXXIV.

Honorius Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri A. Moguntino Archi-Episcopo salutem & apostolicam benedictionem. Super causa Gebhardi, de quo nos rogavit tua fraternitas, fratrum nostrorum Episcoporum & Cardinalium consilium requisivimus. Ex eorum ergo deliberatione provisum est, quod in Herbipolensi ecclesia idem Gebhardus Episcopatus apicem non ulterius debeat obtinere. Datum Latera. IV. Non. Martii.

CCCXXV.

Frater G. sanctæ Romanæ ecclesiæ presbiter Cardinalis & Apostolicæ sedis legatus. Dilectis in Christo fratribus O. præposito & aliis Wirzeburgensis ecclesiæ clericis salutem & omne bonum. Quantis & quam diuturnis calamitatibus ecclesia vestra jam diu sit afflicta & attrita, nonsolum Theotonicæ verum & Italicæ constat esse notissimum. Super quibus in relligiosis & Deum timentibus viris conpatitur & condolet vobis Theotonica ecclesia, & conpassa est & condoluit vobis jam diu mater vestra sancta Romana ecclesia. Unde ad se venientem bonæ memoriæ Dominum R. Episcopum vestrum benigne recepit, & benigne dimisit, sperans quod per eum Deus vellet finem imponere afflictioni vestræ. Post obitum vero ejus cum Dominus meus Papa H. audiret Dominum G. eidem ecclesiæ incubare Domino Moguntino tanquam vestro metropolitano & apostolicæ sedis legato per me litteris & viva voce ex communi Episcoporum & Cardinalium deliberatione mandavit, quod prædictus frater G. in Herbipolensi ecclesia episcopatus apicem ulterius obtinere non debeat. Ex parte itaque Dei & beati Petri & Domini mei Papæ Honorii vobis præcipiendo mandamus, ut id ipsum sentiatis, id ipsum sapiatis omnes, ut non sint in vobis schismata, sed ab eodem viro vos separando, & nullam ei reverentiam tanquam vestro Episcopo vel electo exhibendo in unum conveniatis, &, quantotius poteritis, Episcopum vobis secundum Deum canonice eligatis. Alioquin vobis & ecclesiæ vestræ divinum officium interdicemus. Ad hæc bene agenda cooperetur vobis divina gratia.

CCCXXVI.

O. Dei gratia sanctæ Moguntinæ ecclesiæ humilis minister, & apostolicæ sedis legatus. Dilectis in Christo filiis Wurtzeburgensis ecclesiæ Prælatis, & subditis, clero & populo esse in Christo cor unum & anima una. Condolentes ex corde ecclesiæ vestræ tot jam ac tantis tribulationibus attritæ, exhortamur vos in Domino, ut simplices & unanimes in Domo Dei ambulare satagatis, quod Scriptura teste, in scissura mentium non est Deus, & quæcunque mala vos adinvenerunt, ex discordiæ radice processerunt. Unde oportet, ut ad hanc extirpandam diligentius invigiletis, Deumque & singuli & in commune deprecemidi, quatenus misericordiæ suæ oculis vos respiciat, & talem finem diuturnæ calamitati vestræ imponat, ne deinceps talis oppressionis periculum vobis incumbat. Concordia siquidem, sicut sæpe audistis, parvæ res crescunt, discordia magnæ dispereunt, quod quia manifesto experimento didicistis, commonemus, ut tanti mali pernitiem devitare studeatis. Ne vero voluntatis nostræ ignorantia vos in aliquo commoveat vel diffidere faciat, noverit pro certo dilectio vestra, nos idem sentire, quod omnes catholici de vestra sentiunt ecclesia, id ratum tenere, quod Romana sanxit & denuntiavit auctoritas, cujus terminos nec debemus nec volumus transire, quia hæreticum constat esse, quisquis Romanæ ecclesiæ etiam in tam justo judicio non concordat. Quod si adeo vos concordes in justitiæ causa perpenditis, ut locum vestrum ab invasione inpetitoris alicujus, si quis forte emerserit, defendere confidatis, in nomine Domini quicquid vobis gratia ejus inspiraverit, confidenter aggredimini, si quo minus salubriori & propensiori consilio res tractetur, quia consulta & considerata dilatio licet gravis & onerosa sit laborantibus, plus tamen

tamen utilitatis solet afferre, quam festinata & indiscreta rei præcipitatio. Cupientes autem in omnibus vobis esse provisum, nil aliud audemus ad præsens persvadere, ne si forte res in contrarium cesserit, quod Deus avertat, omnem culpam in me quasi auctorem refundatis.

CCCXXVII.

Domino E. Babenbergensi Præposito, Decano quoque E. & cæteris confratribus ejusdem ecclesiæ Wurtzeburgensis ecclesia quicquid caritatis & obsequii valet esse in Domino. Nostis dilectissimi neque etenim ignorare potest vestra prudentia, quod multorum aures & præcordia longe lateque concussit, videlicet quanta tempestatis procella, quam vehemens & intolerabilis calamitas ecclesiam nostram oppressit. Ad quod dum vestræ compassionis affectum specialiter deberemus habere, quod etiam remotissimæ & ignotæ ecclesiæ nobis pro Christo offertur, nimis aliena mente nobis videmini abnegare. Ecce enim quod sine gravi gemitu mirari vel conqueri non valemus, obstupescimus valde, quomodo hominem illum Dominum Gebhardum, quem Romana ecclesia damnavit, quem metropolitanus noster cum Archi-Episcopis & Episcopis multis consequenter ab ecclesia sequestravit, vos in catholica communione recepistis, & si cum gratia vestra dici potest, quasi ad contemptum Romanæ imo totius ecclesiæ sicut scriptum est: convivia peccatori dedistis. Hæc autem eo magis miramur, quod Præpositus vester Dominus E. præsens apud nos erat, quando Dominus - - - publice in pulpito nostro nuntiavit clero & populo, quomodo, quibus de causis, quove ordine, Romana ecclesia eum a communicatione ecclesiæ sequestrasset, & quando postmodum Dominus Gerardus Cardinalis una cum ipso & cum tota ecclesia ibidem congregata, in Argentinensi ecclesia, præsente Domino rege, sententiam excommunicationis in eum promulgasset. Neque igitur per Dei gratiam ita inopes rationis & humanitatis sumus, ut cuiquam vestrum, qui sane sapiat, in præsenti negotio nimis præcipites videri debeamus, cum utique si partes ejusdem negotii per omnia essent vobis cognitæ, quantum de vestra caritate & prudentia confidimus, nullatenus de vobis possemus dubitare. Nostras itaq; litteras querimonias jam dudum vobis misissemus, sed quoniam unam vocem Præpositi vestri testem nostræ afflictionis vobis credebamus sufficere, idcirco nihil timoris, nihil ambiguitatis de vobis concepimus, verumtamen utcunque humana se habeant, fixi & constantes in obedientia Romanæ ecclesiæ reperiemur, summopere caventes, ne propter temporale damnum vel commodum, de nobis scandalum ecclesiæ generetur. Valete in Domino semper, nec credatis omni Spiritui & nostri memores estote.

CCCXXVIII.

Sanctæ Wurtzeburgensis ecclesiæ Dominis ac fratribus suis charissimis ac reverentissimis soror sua semper & utique ipsis devota. Babenbergensis ecclesia inter adversa præsentis tribulationis, nec ad dexteram nec ad sinistram declinare, sed ab instantis sævissimæ temptationis procella, ad vestræ serenitatis ac portum tranquillitatis non verbo & lingua tantum, sed opere & veritate, a Deo salutari suo instanter ac vigilanter implorare. Optamus diligenter recolere discretionis vestræ prudentiam, qualiter nostra & vestra ecclesia jam olim ab initio unum cor & unam animam ad invicem, omnibus in rebus sive prosperis congaudendo, seu adversis conpaciendo, habere studuerint: Cujus videlicet semper amandæ nobis societatis atque ut ita dictum sit, congermanitatis jura & vos hactenus illibata erga nos conservasse congratulamur, nec nos violasse, teste Deo & conscientia, libera voce protestamur. Quæ cum ita sint, cumque nos semper usque modo, sicut decebat & facultas suggerebat, ad omnia vestræ voluntatis & honoris obsequia promptos ac devotos fuisse probaveritis, non modicum admirationis, imo etiam amaritudinis & doloris ingesserunt nobis litteræ quædam, quæ ex persona vestræ fraternitatis allatæ, præter meritum & culpam magnæ cujusdam inhumanitatis nos arguunt, simul & temeritatis superbæ. Inhumanitatis quidem nota splendorem innocentiæ nostræ obfuscant, dum compassionis affectum specialiter vobis debitum, quem etiam remotissimæ & ignotæ ecclesiæ vobis pro Christo offerant, nos quasi duros & inhumanos nimis aliena mente vestræ instanti calamitati denegare inproperant. Temeritatis vero superbiam, dum nos quasi ad contemptum Romanæ, imo totius ecclesiæ, Dominum G. excommunicatum in catholica communione recepisse, sicque convivia peccatori dedisse proclamitant. Quasi vero ita ob omni ratione simus alieni, adeo omnium bonarum rerum inscii, ut ignorare debeamus, quis, a quo, & quo ordine a catholica communione ejiciendus sit. Quia ergo incautæ & illicitæ communionis quasi ad opprobrium simplicitatis nostræ in eisdem litteris vestris arguimur, culpam nostram, si tamen culpa est dicenda, auribus vestræ prudentiæ placuit retexere. Dominus G. quem quidem locum & nomen dudum inter nos habuisse designati & electi Episcopi a quam plurimis audieramus, reprobationem vero ipsius nec dum certa & legitima relatione cognoveramus, vespertina hora de inproviso nobis nescientibus veniens apud nos hospitatus est. Mane autem facto, mandavit nobis pro causa sua velle nos convenire, & consilium nostrum super negotio suo audire. Quod nec hæretico quidem excommunicatissimo denegandum esse censentes, justa petenti annuimus. Venit, causam suam exposuit, acceptoque responso, mox discessit. Quid igitur dilectissimi fratres & Domini? Hoccine est ad contemptum totius ecclesiæ excommunicatum in catholica communione recipere? Hoccine, inquam, est, convivia peccatori dare? Non sic arbitramur quemquam desipere, ut hoc præsumat sapere, quoniam

Digitized by Google

niam non sic sapiunt, non sic scribunt patres & doctores catholicæ ecclesiæ. Possemus equidem latius & subtilius aliquid de modo & ordine excommunicationis faciendæ secundum traditionem sanctorum patrum differere, nisi pro vitio duci sciremus, in re manifesta, præsertim apud doctos odiosa verborum copia diffluere. Unde prætermissis his, quæ fomitem odiorum & discordiarum generare solent, ea potius dicamus quæ pacis & concordiæ nutrimenta præbeant. Igitur de nobis sic habetote. Orta tempestate in mari Dominum dormientem in navi, fusis pro nobis quod solum, piis precibus, possumus, excitare indesinenter incumbimus. Quod si Domino annuente votis nostris & ventis & mari imperante, diu desiderata tranquillitas subsecuta fuerit, de vestra liberatione haud secus ac nostra congaudebimus. Sin aliter quod Deus avertat, viscera fraternæ compassionis nequaquam occludemus. Hoc decet fratres de se invicem arbitrari, & non ex rumoribus vulgi sive ex suspicionibus de nondum bene compertis quemquam calumniari, sed omnia præsertim in negotiis fratrum & amicorum in meliorem partem interpretari. Quid plura? nobis & nostris sine retractatione prout voletis, juxta meritum vestrum utemini.

CCCXXIX.

H. sanctissimo & universali Papæ A. Dei gratia sanctæ Moguntinæ ecclesiæ humilis minister & apostolicæ sedis legatus, debitam, ut tanto Apostolico, obedientiam, & devotissimam, ut tanto patri, reverentiam. Acceptis sanctitatis vestræ literis super causa fratris illius, si tamen frater dici debet, qui sanctæ Wurtzeburgensis ecclesiæ episcopatum usurpat, intelleximus totius causæ ordinem longe aliter, quam se veritas habet, summo apostolatui vestro innotuisse, quoniam multa solent per surreptionem fieri. Idem namque sanctitati vestræ contra nos querelas deposuit, dicens, se a nobis præjudicium sustinere, & contra justitiam prægravari. Nos vero in hac causa, Deo teste & conscientia nostra, nihil egimus, quod canonicis regulis possit obviare, nihil unde sanctitati vestræ suspecti esse debeamus, nihil unde aliquis qui causam ipsam plenius tractaverit, possit nos reprehendere; sed quicquid in hac causa egimus, non zelo amaritudinis, sed zelo justitiæ; non aliquo odio permoti, sed officii nostri intuitu; non contra sanctorum patrum canones, sed secundum canones egimus. Scimus quidem, juxta sanctorum patrum regulas divinitus inspiratas Episcopo episcopatum non adimi debere, antequam causæ ejus exitus appareat. Sed optime novit sanctissimus apostolatus vester hanc sanctorum patrum sententiam de dubiis episcoporum causis, non de manifestis debere intelligi. Ejus vero, quo de agitur, impudentissima causa, & certum crimen nullum legitimæ defensionis, nullum justæ excusationis colorem recipit. Luce igitur clarius patet omnibus, quod nullis meritorum privilegiis, nulla præeunte electione ad tanti sacerdotii gradum est assecutus, sed tyrannica violentia intrusus in ovile Domini, cum non per ostium intravit, sed aliunde, per ambitionem & symoniacam hæresim, tanquam fur & latro impudentissime irrupit, & quod sine magno dolore & cordis compunctione dicere non possumus, locum legitimi pastoris sibi usurpavit, quem sibi sancta Wurtzeburgensis ecclesia de filiis suis communi voto & consensu cleri & plebis nobisque laudantibus & consentientibus canonice intronizandum elegerat, utpote natalibus & moribus nobilem, ecclesiastica disciplina adprime eruditum, fide catholicum, natura prudentem, vita castum, sobrium, humilem, affabilem, litteratum, in lege Dei instructum, in sensibus scripturarum cautum, & per omnia sacerdotali nomine & honore dignissimum.

CCCXXX.

H. servus servorum Dei A. venerabili fratri Moguntino Archi-Episcopo, & Apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem. Scimus quidem zelum Dei vos habere, quem tamen salva caritate condire debetis, ut nihil indiscrete, sed omnia rationabiliter & secundum Deum agere valeatis. Wurtzeburgensis quippe ecclesiæ designatus Episcopus, se a vobis contra justitiam gravari & præjudicium sustinere querelas nobis deposuit, quod ipsum neque accusatoribus neque testibus legitimis convictum, neque sponte confessum, neque canonice examinatum, tanquam ecclesiæ invasorem, in qua se electum asseverat, & symoniacum pronuntiatum, communione ecclesiastica privaveritis. Quod si ita est, fraternitatem vestram a canonicis regulis divinitus inspiratis, liquido constat deviasse. Ait igitur sacer canonum auctoritas adimi Episcopo Episcopatum non debere, antequam causæ ejus exitus appareat. Item ex epistola Felicis Papæ, scripta Anastasio & cæteris Episcopis in Alexandrina Synodo congregatis: De judiciis Episcoporum, unde nos consuluistis, diversas a patribus regulas invenimus constitutas. Quidam igitur ad repellenda impetitorum machinamenta & suas præparandas responsiones & testes confirmandos & concilia Episcoporum quærenda, annum & 6. menses mandaverunt concedi: Quidam autem annum, in quo plurimi concordant. Minus vero quam 6. menses non reperi, quoniam hæc laicis indulta sunt, quanto magis sacerdotibus? Induciæ namque non sub angusto tempore, sed sub longo spatio concedendæ sunt, ut accusati se præparare atque contra insidiatores pleniter se munire valeant. Judices autem & accusatores tales esse debent, qui omni careant suspicione & ex caritatis radice suam desiderent sententiam promere.

CCCXXXI.

H. Dei gratia Ostiensis Episcopus & sanctæ apostolicæ sedis legatus, omnibus Galliarum Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, monachis, clericis, Ducibus, Comitibus, & universis principibus cum omnibus Christi fidelibus. Pax vobis & gratia a Domino Jesu Christo multiplicetur. Peccatis exigentibus sancta Dei ecclesia

Digitized by Google

ecclesia variis schismatum scandalis jam diu perturbatur, regnum Theutonicum in se ipso divisum est, & imo necesse est, ut juxta dominicam vocem cito desoletur, nisi ipsius præveniente gratia bonorum virorum consilio & auxilio consulciatur. Nos itaque licet indigni sanctæ sedis apostolicæ fungentes legatione, ad hoc venimus, ut si fieri potest inter regnum & sacerdotium pacem & concordiam Domino cooperante faciamus, & membra imperii a se invicem divisa in corporis unitatem congregemus. Vobis igitur omnibus Galliarum Archiepiscopis, Abbatibus, monachis, clericis, præcipue in sacris scripturis eruditis & omnibus principibus in verbo Domini ex auctoritate sancti Petri, & ejus vicarii significamus ac præcipimus, ut quicunque adesse possitis ad sanctum & universale Concilium in natalem Sanctæ Mariæ Moguntiæ celebrandum occurratis, quatenus ibi de pace & concordia inter regnum & sacerdotium & de statu ecclesiæ, quæ Deo placita sunt, communi consilio tractare valeamus. In Domino igitur confidimus, quod ipsius gratia nobis in ejus nomine congregatis non deerit, qui in evangelio ubi duo vel tres congregati in ejus nomine fuerint, in medio eorum futurum se esse promisit.

CCCXXXII.

H. gloriosissimo Imperatori H. Dei gratia Ostiensis Episcopus & Apostolicæ sedis legatus, devotum servitium. Religiosi viri, nuntii videlicet magnitudinis vestræ, Apostolicam sedem nuper adverterunt, dicentes pacis & concordiæ inter regnum & sacerdotium jam tandem excellentiæ vestræ consilium placuisse, si tamen salva majestate imperii & absque diminutione regni fieri potuisset. Quibus auditis Dominus Apostolicus gaudio repletus est, & gratias egit Deo, qui vobis tale consilium inspiravit. Nostræ etiam humilitati hanc injunxit obedientiam, ut in has partes veniremus, & pacis & concordiæ inter vos & ipsum mediatores essemus, salva tamen justitia & ita ut nullum majus scandalum ecclesiæ inde proveniret. Rogamus igitur excellentiam vestram, ut in Concilio Episcoporum Moguntiæ celebrando in natalem Sanctæ Mariæ vestram dignemini exhibere præsentiam. Illud autem scitote, nihil ibi contra vos, sed pro vobis omnia, salva tamen justitia nos agere velle, neque id intendere, ut honor imperii vestri aliquod detrimentum patiatur, sed per omnia augeatur.

CCCXXXIII.

A. Dei gratia Sanctæ Moguntinæ ecclesiæ licet indignus & humilis minister O. dilecto & venerabili fratri suo Babenbergensi Episcopo fraternam in Domino dilectionem & orationes. Fraternitatem vestram coram Deo & hominibus hactenus laudabiliter vixisse, & contra hæreticos tempore hujus schismatis plurimum desudasse pro ecclesia nulli pene dubium est. Quando igitur zelum vestrum erga Deum & ecclesiam ferventiorem dudum esse cognovimus, tanto magis nunc miramur, quod tamen salva fraterna caritate dicimus, vos Deo & ecclesiæ minus devotum existere, & quodammodo refrixisse, cum jam magnum ostium nobis apertum sit, recuperandæ unitatis ecclesiæ, cum jam bonum certamen nostrum Domino cooperante pervenerit ad finem, & nunc quam maxime vobis & omnibus orthodoxis summopere satagendum sit, ut quod dudum a nobis est bene inchoatum, votivum in Dei nomine fortiatur effectum. Dilectioni vestræ pridem significaveramus, ut sanctæ Apostolicæ sedis legato & fratribus nostris coëpiscopis, ac cæteris catholicis principibus in loco, qui dicitur N. occurrere velletis, & Würtzeburgensis Episcopi una vobiscum interesse ordinationi, ad quam utique prompto & alacri animo etiam non rogatus venire debueratis, non solum quoniam coëpiscopus, sed etiam quoniam concivis vester est, & jure propinquitatis ipsum quodammodo familiarius & specialius diligere debueretis. Sed quoniam venire neglexistis, Dominus Cardinalis usque ad satisfactionem a divino officio cæteris consentientibus vos suspendere voluit. Nos autem pro singulari amore & reverentie vestri, nequid durius contra vos definiri deberet, vix obtinuimus. Nunc itaque fraternitatem vestram rogamus, & ex auctoritate Domini Papæ & apostolicæ sedis legati & nostra præcipimus, ut universali Concilio in natali Sanctæ Mariæ Moguntiæ celebrando omni amputata occasione vestram exhibeatis præsentiam, ut ibi & Domini Papæ legationem cognoscatis & de statu ecclesiæ una nobiscum in commune consulatis. Si qui vero Episcoporum huic sancto Concilio interesse neglexerint, sciant se ex auctoritate Domini Papæ & apostolicæ sedis legati & totius Concilii Synodali sententia, qua hujusmodi præsumptores feriendi sunt, omnibus modis subjacere.

CCCXXXIV.

O. Domino suo venerabili Sanctæ Babenbergensis ecclesiæ Pontifici N. per Dei misericordiam Halverstatensis ecclesiæ si quid est, quotidianum laudabilis vitæ incrementum. Si rerum vestrarum status prosperitate fruitur, si condigne morum & vitæ compositioni concordat, vobis, ut decet, congaudemus; si non condolemus, quoniam id ipsum de fidelitatis vestræ excellentia speramus, imo certum habemus. Si ergo rerum nostrarum statum scire cupitis, ut amico sic maxime confidimus, cui fluctuantis navis nostræ anchoram ingruente tempestate infigimus, ut amico, inquam, quem post Dominum unicum ac certissimum imbecillitatis nostræ sustentaculum esse, non diffidimus, dilectioni vestræ intimamus. De proxima ista, quam nostis expeditione, in qua ob honorem, regni & ecclesiæ diligentius cæteris laboravimus reversi, domi, ubi pacem & concordiam, ubi tranquillitatem & recreationem, invenire debuimus, odium & discordiam, scismata & intestina bella, peccato heu nostro exigente invenimus. Adversarii enim nostri N. & N. ecclesiæ nostræ canonici, qui & prius nobis

Digitized by Google

bis adverſabantur, quibuſdam ſolitæ fraudis induſtria collectis, inter quos N. nominatiſſimus, & quaſi primicerius eſt, in nos inſurrexerunt, cleroque convocato lacrimabilia & inaudita crimina, quæ Deo teſte, nunquam commiſimus, in faciem nobis objecerunt, inter quæ electionem noſtram aſſerunt eſſe irritam. Inſuper quoque & Symoniam neſcimus, quam N. nobis imponit, quam ſe canonica auctoritate ſtatuto tempore probaturum aſſerit. Nos ergo tanta tamque inaudita infamatione perculſi, Moguntinæ ſedis Archiepiſcopo rem omnem aperuimus ſcriptis, hujusque rei conſilium & auxilium quæſivimus. Qui literis ad eccleſiam noſtram directis, omnimodis nos excuſavit, electionemque noſtram juſtam & canonicam fuiſſe comprobans, criminatores noſtros reconciliari nobis condigna ſatisfactione præcepit. Illi vero obſtinationi ſuæ juſſa Archiepiſcopi poſtponentes, nec non & Magdeburgenſis Archiepiſcopi, qui ad ſedandam hanc motionem regni juſſu advenit, monita ſpernentes, adhuc in conſpirationis ſuæ vecordia perſiſtunt. Quapropter aram miſericordiæ veſtræ amplectentes, ad vos confugimus, debitumque clementiæ veſtræ auxilium humiliter imploramus. Quicquid igitur alii faciant, veſtrum eſt, ex gemino caritatis vinculo nobis aſſiſtere, labentesque brachio virtutis veſtræ ſuſtentare. Proin rogamus, quatinus literas veſtras ad Metropolitanum dirigatis, & ut in cauſa noſtra diligens eſſe velit cauſa veſtri efflagitetis. Rogamus quoque, ut ubicunque concilium pro hujus rei diſcuſſione convocetur, vos adeſſe velitis.

CCCXXXV.

Sanctæ venerationi veſtræ explicaturus injurias, quibus fraudulenter circumventus ſum, ab his, quos fideles mihi ſperabam, quoniam multis beneficiis promerueram, genibus veſtris quaſi provolutus rogo, ut tum pro reſpectu juſtitiæ, tum pro remuneratione divinæ clementiæ attendere curetis, & compaſſionis gratiam mihi non denegetis. Faſtidium etiam non generet vobis prolixitas ſermonis, quoniam multa cauſæ meæ neceſſaria ſilentio præterii, ne ſuccinctæ brevitatis metam longe excederem. In Franciam ſtudii cauſa veneram, quo ſecuti ſunt me quidam, qui dicebant, ſe juſſu Spirenſis Epiſcopi Brunonis veniſſe, ex cujus legatione mihi referebant, Herbipolenſem Epiſcopum univerſæ carnis viam adiiſſe, & eum & Archiepiſcopum Moguntinum cum cognatis & amicis meis & cum quibuſdam de familia ejusdem eccleſiæ apud Imperatorem obtinuiſſe, ut in locum defuncti Epiſcopi me vellet ſubſtituere. Ego autem, ut Deus novit, non tale meditans, ſed aliquamdiu in ſtudio morari deſiderans, verba eorum parvi pendi, donec victus ſecretis amicorum meorum legationibus & magiſtrorum meorum ſuggeſtionibus redii. Veni ad locum quendam mei juris, ubi complures cognati & fideles mei mihi occurrerunt, qui ut ad prædictum locum Herbipolim Imperatori occurrerem, Deus novit, non ſine lacrimis contradicentem compulerunt, promittentes nuntios Archiepiſcopi illo venturos, qui de conſenſu ejus ad recipiendum Epiſcopatum me certificarent. Ivi, Imperatorem ibi inveni. Sed antequam ejus præſentiæ præſentarer, Archiepiſcopi nuntios audire & videre volui, quos cum primum non inveniſſem, teſte Deo, quem nullum latet ſecretum, gaviſus ſum, quoniam malui importabile mihi onus aliqua honeſta occaſione ſubterfugere, quam ſuſcepto oneri ſuccumbere. Cum ſic per biduum expectaſſem, & interim multa a principibus & cognatis meis convitia propter puſillanimitatem meam audiviſſem, venit Comes Bertholdus, & Cuonradus Sporo, juramentis comprobare volentes, Archiepiſcopum conſenſum ſuum per eos mihi mandaſſe. Tandem per hos victus, ad præſentiam Imperatoris veni, fratrem Archiepiſcopi Sigbertum, & Comitem Arnoldum ibi inveni, qui ſe ex legatione Archiepiſcopi illo miſſos affirmabant, & ejus aſſenſum publica voce mihi deferebant. Tot igitur cauſis in idem confluentibus acquievi, & onus, quod peccatis meis exigentibus miſerabiliter me attrivit, clero & populo adſtante & me eligente, & canoras laudes Deo dicente ſuſcepi. Solus autem Præpoſitus Otto electioni meæ defuit, & Rudgerus, qui, ut mihi referebatur, etiam vivente anteceſſore meo pro eodem epiſcopatu ambitioſe laboraverat. Veni ſtatim cum Imperatore, comitatus clero & populo, Breidingen, ubi Archiepiſcopus de manu Imperatoris me recepit, & benigne mihi conſecrationis gratiam multis fidelibus noſtris audientibus & præſente fratre ipſius Spirenſe Epiſcopo & legationi pro me factæ teſtimonium perhibente, promiſit. Redii de ordinatione ſecurus, & cum nil mali ſuſpicarer, grave præjudicium Dominus Archiepiſcopus mihi fecit, quoniam alterum mihi ſuperordinavit, me & eccleſia mea diem & locum audientiæ poſtulante, ut ibi canonico judicio vel deponerer vel remanerem. Quibus petitionibus cum nihil proficerem, querimonias noſtras Apoſtolicæ ſedis venerando pontifici Calixto & Romanæ eccleſiæ tranſmiſimus, de cujus latere cum ad hanc cauſam diſcutiendam miſſus fuiſſet Prænestinus Epiſcopus, ego aſſumptis mecum eccleſiæ noſtræ omnibus Prioribus, clericis, Abbatibus & laicis Wormatiam veni, ubi ſperabam eum invenire. Quem cum non inveniſſem, eccleſia, quæ mecum venerat, coram principibus Archiepiſcopo me præſentavit, & ut pro reſpectu juſtitiæ mihi per omnia ei obedienti conſecrationis debitum non denegaret, ſubnixe poſtulavit. Archiepiſcopus, audito omnium eorum conſenſu, promiſit, communicato cum Cardinali conſilio ſe ſuper his reſponſurum, præcipiens ut paucis mecum relictis, alii remearent, & legationem ejus expectarent. Poſtquam itaque venit Epiſcopus Cardinalis, congregati ſunt ad audientiam Imperatoris pro cauſa mea tractanda, ipſe Archiepiſcopus Moguntinus, Archiepiſcopus Colonienſis, Arnoldus Spirenſis

Digitized by Google

rensis, Goteboldus Trajectensis, Gothefridus Trevirensis Archiepiscopus, Conradus Tullensis, Bruno Argentinensis, Bertholdus Basiliensis, & alii fideles Imperatoris, quibus diu ventilato consilio placuit, ut Dominus Cardinalis locum & ecclesiam nostram visitaret, concordiam ecclesiæ super electione mea investigaret, quam si inveniret, ab eo promoverer ad Presbiterii Ordinem, statim consecuturus a Domino Archiepiscopo episcopalem benedictionem. Quia itaque Dominus Archiepiscopus hoc fieri consensit & jussit, venit Dominus Cardinalis in locum nostrum, & congregati sunt universus clerus & populus, majores & minores, Abbates & complures ecclesiæ vestræ viri relligiosi, & quoniam me absente inventi sunt in electione mea concordes, gratias Deo egit, & ad ordinem Presbiterii me promovit, & canonicæ electioni meæ tam in Romana ecclesia, quam in conspectu Archiepiscopi testimonium perhibuit, sicut vidit & audivit & adhuc perhibet. Dum hæc & multa alia circa causam meam agerentur, adversarius meus mihi superordinatus, qui Romam iverat, & causam suam donis & promissionibus ibi palliaverat, factus est de medio. Iterum Archiepiscopum adii, ipsius consilio, Concilio, quod in Moguntina ecclesia tunc temporis habuit, me una cum Eistetensi Electo præsentavi, petens misericordiam vel justitiam, & omnem obedientiam me ei & Moguntinæ ecclesiæ semper exhibuisse ipsius testimonio in synodo comprobavi. Omnium igitur suffragiis pro me pulsantibus me de episcopali consecratione certum fecit, & diem consecrationis & locum mihi constituit, ad quem veni & nihil profeci. Iterum protraxit me promissionibus, & Præpositum & alios, qui me offenderant, laborantes pro depositione mea mihi reconciliavit. Præpositus, mecum rediens homo meus effectus est, & ut securior de fidelitate ejus existerem, quasi sub sacramentis attestatione dexteram suam mihi dedit, & tres cognatos suos juramento de fidelitate sua me securum facere præcepit. Tot itaque acceptis securitatibus ultro oblatis de fidelitate ejus, securus ad proprietates meas paulisper ibi moraturus rediens, vicem meam ei per omnia credidi, & inter ipsa Dominici corporis sacramenta, osculo Judæ ab eo accepto recessi. Dum itaque sperabam ab eo fidelitatis antidotum, propinavit mihi perfidiæ achonitum, quoniam, dum aberam, cum suis complicibus universam civitatem donis, promissionibus, minis & verberibus ad conjurationem contra me excitavit, & sic, qui nihil minus suspicabar, a civitate & violenter & contumeliose sum exclusus. Dum itaque super hac exclusione tam inopinata tam inmerita dolerem, placuit amicis meis, perfidos illos digna ultione ferire & bonis eorum aliquantulum forinsecus dissipatis, ipsam civitatem armis parabant occupare. Ego vero nolens vinci a malo, sed vincere volens malum in bono, vindictam distuli, amicos meos, quamvis graviter offensos, compescui, & illatam mihi injuriam per nuntios meos ad regem detuli Rex itaque cognita causa mea Argentinam me vocabat. Veni & aspectu suo me debita devotione præsentavi. Ipse vero me benigne suscipiens, & querimoniæ meæ clementer adtendens, jussit ut omnis causa mea a principibus, qui tum aderant, audiretur, & eorum judicio canonice terminaretur. Factum est igitur, ut tam ego, quam adversarii mei quorum magna pars ibi aderat, libere admitteremur audientiæ, & utrinque cognita causa, sic Deo gratias oratio mea invaluit, ut veritas, quæ semper iniquitati dominatur, adversariorum figmenta oppresserit. Aderat autem ibi Gerardus Romanus Cardinalis, Moguntinus Archiepiscopus, Adalbero Bremensis Archiepiscopus, Norpertus Magdeburgensis Archiepiscopus, Sigewardus Mindensis, Theodericus Monasteriensis, Dierhardus Osneburgensis, Otto Halberstadiensis, Megingotus Mersebergensis, qui & hujus rei judices sunt, & Romanæ vel Moguntinæ sedi nunquam inobedientem me extitisse, ex cognita causa mea, & ex ipsius Moguntini Archiepiscopi testimonio cognoverunt. Dum vero per diversa consilia finis causæ meæ quæritur, ab ipso Moguntino Archiepiscopo hoc consilium mihi tribuitur, ut omni remota occasione Romam procedam, & ex ipsius nutu apostolici & gratia finem negotii mei efficiam. Accepta igitur prædictorum principum benedictione & licentia ad mea remeabam, ibique de novo non paucos amicorum meorum valida militum manu contra civitatem aciem direxisse, inveniebam. Quid ergo? hinc Ultrici ira in perfidos illos provocabar, hinc timore Dei revocabar. Quo & victus, placatis amicis meis cessi clementiæ, a Domino expectans locum, & tempus vindictæ. Cives autem mei tanta se violentia circumventos aspicientes, suumque exitium, quod ego non parabam, arbitrantes, quæ pacis erant, poscebant, deditionem parabant, & datis obsidibus infra XIV. dies gratiam meam se adepturos promittebant. Acceptis denique obsidibus eorum, pacem dedi & firmavi, & eosdem obsides urbis præfecto B. in fide sua servandos commisi. His itaque transactis, ecce in pace vivimus, & pro condicto Archiepiscopi consilio & pro obtinenda Romanæ sedis gratia, iter Romam, meis quamvis adhuc privatus possessionibus, maturabam, quoniam & hoc ipsum meis placere fidelibus sentiebam. Et dum in hujus itineris negotio sum occupatus, nil minus suspicantem rex & Episcopus me sequuntur, civitatem me ignaro, ingrediuntur, & quæcunque poterant, adversum me seditiose moliuntur. His malis accessit, ut Archiepiscopus nescio quo excommunicationis vinculo me publicaret illaqueatum, cum hoc intueri debuisset, quod ante dies XIV. nunquam me sibi inobedientem extitisse coram principibus præbuerit testimonium. Insuper Ottonem Præpositum ex desiderio promissæ sibi pecuniæ Episcopum inibi sublimare contendit. Cujus vitam, mores, & conversationem a criminosis facinoribus nil distare omnes noverunt: sed cum assensus cleri & populi huic studio discordaverit,

Digitized by Google

daverit, hoc conſilium in aliud tempus differunt, donec reclamantis civitatis aſſenſus impetretur. Ego vero dum tot malis me prægravari ſenſiſſem, legatos meos ad regem pro gratia ſua ipſum precantes direxi. Trecentas libras argenti & inſuper amicos meos, quos vellet obſides pro hac conditione præbui, uti, data mihi curia, libere me admitteret audientiæ, & ſi ſalva gratia regni & ſacerdotii epiſcopari juſte non deberem, in gratia Domini & eccleſiæ ſine lite & contentione humilis deſcenderem. Sed nec hoc modo profeci. Omnis igitur gratiæ expers, dum quid machinentur expecto, cives mei contra me conjurationem excitant, obſides mihi datos poſtulant, acceptos abducunt, civitate excedunt. Habebam & poteram reniti, ſi vellem, ſed malui periclitari patiens, quam regnare inobediens. Permiſi igitur, ut facerent in me, quæ vellent, ne juſte coram eccleſia obloqui mihi poſſent. Igitur Epiſcopio ſeceſſi, quietem in patrimonio meo tenui; & nec opinanti mihi Archiepiſcopus ſuum transmiſit legatum, vocans me & promittens de omni negotio meo certum ſe finem facturum. Veni igitur, amicos meos, quos vocaverat, mecum adduxi, finem cauſæ meæ, ſicut promiſerat per illos nuntios, poſtulavi. Aſſurgit cauſæ, tenet hunc modum in oratione: Dominus & Canonicus Herbipolenſis electus Gebhardus, ſi in uſus Apoſtolici Romam trecentas libras miſerit, mihique ſexcentas dederit, gratiam noſtram obtinebit, & de negotio ſuo deinceps certus & ſecurus manebit. Addo quoque compoſitioni noſtræ, ut amicos ſuos obſides mihi tribuat, qui in quodlibet voluntatis meæ placitum mihi præſidium conferant, ipſeque mihi auxilium contra omnes præbeat, ſic ut nullum excipiat. Nuntiis igitur ad me reverſis, tantæ conditionis exactionem ad me referunt, meoque arbitrio, quam eligam, derelinquunt. Ego autem conditionem ſpiritualem in Balaam ſciens exoſam, in Jezi contaminatam, in Simone maledictam, a Domino in Evangelio prohibitam, a viris catholicis conſilium quæſivi & quæro, an hoc cum ſalute mea poſſim offerre, quod divinis ſanctionibus certum eſt, diſcordare. Certum quippe mihi eſt, in manus hominis incidere, quam leges Dei mei derelinquere. Tot itaque & tantis oppreſſus imo conculcatus injuriis omnium provolvor genibus, miſerabili ſuper calumniis meis conqueſtione, ut fraterna me dignari velint compaſſione.

CCCXXXVI.

Honorius Epiſcopus ſervus ſ. Dei Venerabili fratri Ottoni Halberſtadienſium Epiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Gravis ad nos de perſona tua querela pervenit. Accepimus igitur quod Halverſtatenſem Epiſcopatum per violentiam laicalem, &, quod deteſtabilius eſt, per Symoniacam hæreſin occupaſti. Quantum autem flagitioſam iſtam peſtem ſymoniacæ hæreſeos ſancta Dei eccleſia abhorreat, Petrus Apoſtolus in principio naſcentis eccleſiæ manifeſtat, qui Symonem Spiritum Sanctum vendere volentem cum ſua pecunia condemnavit. Si ergo hujus ſceleris te reum eſſe cognoſcis, ſatius eſt, ut cedas, & delictum tuum punias in hac vita per pœnitentiam, quam ante oculos diſtricti judicis judicandus appareas. Datum B. decimo Calend. Novemb.

CCCXXXVII.

A. Dei gratia Moguntinus Archiepiſcopus, & apoſtolicæ ſedis legatus venerabili fratri O. Babenbergenſi Epiſcopo, ſalutem in Domino. Excommunicationem, quam communicato fratrum & principum conſilio in invaſorem regni fecimus, jam dudum fraternitati veſtræ per literas noſtras ſignificavimus. Sed quoniam dubitamus, utrum ad vos pervenerint literæ; audivimus enim quod eccleſia veſtra velit eas ignorare; mittimus iterum præſentes apices, monentes, ut quod fecimus nos, & vos faciatis, & per omnes eccleſias veſtras ipſum iniquitatis auctorem cum fautoribus ſuis a communione Chriſtiana & omni divino officio arceri præcipiatis.

CCCXXXVIII.

In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Anno Dominicæ incarnationis MCXXX. Indict. octava menſis Februarii die 13. convenientibus nobis in unum, ut moris eſt, & Sacerdotibus & Leviticis & reliquo clero & generali militia ac civium univerſalitate, & cuncta generalitate iſtius a Deo conſervandæ Romanæ urbis in perſonam Domini Petri hujus apoſtolicæ ſedis Romanæ eccleſiæ Cardinalis Presbiteri Calixti, Deo cooperante & beatorum apoſtolorum interceſſione, concurrit atque conſentit electionem, manuum ſubſcriptionibus confirmantes, profitemur ipſum Deo amabilem noſtrum electum, caſtum, pudicum, ſobrium, ac benignum, & omnibus operibus piis aſſuetum, atque orthodoxæ fidei & ſanctorum patrum traditionum defenſorem, & fortiſſimum obſervatorem. Hunc itaque omnes, utpote tam mitiſſimum, tamque Deo dignum, unanimiter nobis elegimus in paſtorem atque pontificem. Unde ob ejus piæ converſationis magnitudinem immenſas Redemptori noſtro gratias & laudes referimus, conſona cum propheta canentes voce: Magnus es, Domine Deus noſter, magnaque virtus tua. Quis igitur loquetur potentias tuas, Domine, & auditas faciet laudes clementiæ tuæ, quoniam petentium te vota exaudiens pium nobis contuliſti paſtorem, qui ſanctam tuam univerſalem eccleſiam ac cunctas dominicas & rationales oves ſibi commiſſas regere & gubernare, te Domino Deo & Salvatore noſtro protegente, valeat. Proinde, dilectiſſimi fratres, ut hæc apoſtolica imo omnis univerſalis eccleſia in toto orbe diffuſa, ſe univerſalem patrem & paſtorem lætetur, & exultet habere, dilectiſſima fraternitas veſtra abſque tarditate diligentiam adhibeat. Hoc autem a nobis decretum factum, & manuum noſtrarum ſubſcriptionibus roboratum in archivo ſanctæ Romanæ eccleſiæ noſtræ, ſcilicet in Lateranenſi ſcrinio,

Digitized by Google

nio, pro futuri temporis cautela recondi fecimus.

CCCXXXIX.

Anacletus Episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus, Archi-Episcopis, Episcopis, Abbatibus, Præpositis, & reliquis tam clericis, quam laicis, per Alamanniam & Saxoniam constitutis, salutem & apostolicam benedictionem. Ex auctoritate beati Pauli Apostoli didicimus, & in nobis ipsis nuper experti sumus, quoniam vere inscrutabilia sunt judicia Dei & investigabiles viæ ejus. Obeunte siquidem decessore meo Papa H. fratres nostri Cardinales pastoris solatio destitui, mira & stupenda cleri & populi concordia ad summum nos apicem pontificatus elegerunt. Quanta tunc honorificentia, quanto populi concursu, quantaque cunctorum lætitia ad beati Petri Apostolorum principis basilicam deducti atque in sacratissima ejus cathedra fuerimus positi, cognitare, quis potest narrare? Vestram igitur universitatem literis præsentibus jussitantes, monemus in Domino & obsecramus, ut in ea, qua semper mansistis, dilectione ac fidei constantia persistatis, ac pro consueta & debita Romanæ ecclesiæ reverentia, quæ ad nostrum & ejusdem ecclesiæ honorem pertinent, operari per Dei gratiam curetis, scientes procul dubio quoniam nos vestris bonæ voluntatis effectibus ingratos minime invenietis. Siquid autem sinistri rumoris acceperitis, non multum miremini; solius enim Dei est, unire vota, & omnium voluntates, falsum tamen, quicquid præter id, quod diximus, delatum fuerit, habeatis; cum noveritis electionem nostram hoc ordine celebratam. Ignem sui amoris in cordibus vestris conservet Dominus omnipotens, & æternæ beatitudinis vos faciat cohæredes. Datum Romæ apud sanctum Petrum, VI. Calend. Martii.

CCCXL.

Anacletus Episcopus servus servorum Dei dilectissimo in Christo filio Lothario glorioso Romanorum regi, nec non speciali beati Petri filio R. [Rixæ] reginæ salutem & apostolicam benedictionem. Postquam disponente Deo ad totius ecclesiæ regnum promoti sumus, sicut ex literis, quas ad regni vestri Episcopos misimus, cognoscetis, excellentiam vestram duximus literis specialibus visitandam. Nos siquidem juxta discessoris nostri Papæ H. exemplum & vos & honorem vestrum singulari volumus affectu diligere, vestrosque amicos seu inimicos nostros pariter deputare. Rogamus, ut pro beati reverentia Petri & dilectione nostra matrem vestram Romanam ecclesiam diligere, atque secundum datam vobis a Domino potestatem honorare in omnibus procuretis. Cæterum quoniam serenitas vestra Domino Papæ Honorii pro fratre nostro dilectissimo Coloniensi Archi-Episcopo supplicavit, nos fratrum nostrorum consilio preces vestras benigno intuitu audientes, interdictum decessoris nostri ob dilectionis vestræ gratiam relaxamus, & prædicto fratri nostro officii sui plenitudinem restituimus. De Halverstadiensi Episcopo breviter respondemus, quoniam videlicet ad partes illas de fratribus nostris aliquem mittere disposuimus, qui legati nostri Archi-Episcopi Moguntini consilio una vobiscum ea, quæ ad vestrum & regni honorem pertinent, præstante Domino, adimplebit. Per eundem quoque fratrem, quem miserimus fratri nostro A. Bremensi Archi-Episcopo plenam justitiam fieri pro vestra & totius regni gratia disposuimus, & sua illi ecclesiæ privilegia confirmare. Datum Romæ apud S. Petrum. VI. Calend. Martii.

CCCXLI.

G. quondam Diaconus Cardinalis, nunc autem disponente Domino Romanus Electus Universis Archi-Episcopis, Abbatibus, Clero, & aliis fidelibus Dei, per regnum Teutonicum constitutis Apostolicam salutem & benedictionem. Dilectissimus Pater noster felicis memoriæ Honorius Papa, vices suas dilecto filio suo fratri nostro G. Cardinali Presbitero, relligioso siquidem, & prudenti viro in Teutonico regno commisit. Nos autem divina suffragante clementia ipsius inhærentes vestigiis, ut opus sibi injunctum, Deo duce, perficiat, beati Petri auctoritate mandavimus. Ipsum ergo apostolicæ sedis legatum pro reverentia beati Petri & sanctæ Romanæ ecclesiæ, benigne suscipite. Adhæc fraternitati vestræ mandamus, quatinus illustri viro Regi Lothario, quem elegistis, & de sua prudentia & honestate confisi, in regem assumpsistis, opem & consilium unanimiter præbeatis. Et quoniam, quod de eo a nobis factum est, a prædecessore nostro felicis memoriæ Papa Honorio, & sancta Romana ecclesia confirmatum est, mandamus vobis, quatinus ipsum imperii dignitatem & honoris plenitudinem suscepturum, ad apostolorum limina proxima futura hyeme transmittatis. Et ut honorifice & potestative veniat, & pacem constituere valeat & ecclesiam defensare per vestrarum personarum, sic ut oportuerit, exhibitionem, eundem viriliter adjuvetis. Datum apud Pallatium XII. Calend. Martii.

CCCXLII.

G. quondam sancti Angeli Cardinalis, Diaconus, nunc autem Deo disponente in Pontificem Romanum Electus. Guill. Prænestinus, M. Albanensis & Hostiensis, Chuno Sabinensis, Episcopi & Catholici, Cardinales, qui Romæ sunt, Lothario illustri & glorioso Regi & sanctæ ecclesiæ catholicæ defensori, ac speciali filio salutem & apostolicam benedictionem. Dilectissimus Pater noster felicis memoriæ Papa Honorius, cum tota sancta catholica Romana ecclesia, quoniam maximum fructum de persona tua speravit sanctæ ecclesiæ venturum, quod de te factum est, auctoritate apostolica confirmavit, & in Cunradum regni invasorem excommunicationis sententiam promulgavit. Nos autem ipsius inhærentes vestigiis, quoniam de tuæ fidei firmitate & justitia valde confidimus, per dilectissimum fratrem nostrum Gerhardum, Cardinalem Presbiterum Apostolicæ sedis

Digitized by Google

dis legatum prudentiæ tuæ mandamus, quatinus proxima ventura hyeme ad ſedem Apoſtolicam venias, honoris & dignitatis plenitudinem, operante Domino, ſuſcepturus. Sicut ergo tantum virum decet, ita munitus accedas, ut & pacem ſtatuere, & hoſtes eccleſiæ & imperii ſuffragante divina gratia valeas ſubjugare. Cauſam Halverſtatenſis Epiſcopi præfato fratri noſtro G. commiſimus, Colonienſi vero Archi-Epiſcopo, pro quo rogaſti, ut tibi fidelior ſit, epiſcopale officium indulgemus. Datum apud Palladium XII. Calend. Martii.

CCCXLIII.

Venerabili fratri O. Babenbergenſis eccleſiæ Epiſcopo C. Saltzburgenſis eccleſiæ Dei gratia humilis miniſter devotæ orationis affectum, ac ſervitutis obſequium. Electo Aquileigenſis eccleſiæ in epiſcopalis faſtigii dignitatem Decano veſtro, fratre noſtro & Conſacerdote dignisſimo, eliminatam fuiſſe veterum ſpurciciarum quæ longo illic tempore damnata fuerat, credebamus fœditatem, cum abjecta indigna ſatis omni eccleſiaſtico regimini perſona, clerum & populum vidimus tam honeſte tamque canonice de alterius ſubſtitutione cogitare, talemque virum mirabili unanimitate elegiſſe, cujus perſona ſancta & vita vere nobis idoneum repræſentarent Epiſcopum. In illius ſiquidem virtute Babenbergenſis decoratur & honoratur eccleſia, in quam rurſus cum neceſſe fuerit, fiducialius ſpem ponere, virtutis & diſciplinæ fructus inveniri non dubitamus, cujus primitias tam dulces in hoc uno prægustavimus. Verum, ut apparet, necdum impleta ſunt peccata Aquileigenſium, qui eadem perfidia, quam contra illum Gerardum, ſtirpem inutilem, exercebant, prius ob illius nequitiam, nunc contra iſtum canonice Electum, imoq; merito ſuſcipiendum, ſemper inſani & perfidi tumultuantur, ob ejus probitatem bonis omnibus amplectendam, ut illud quod mali bonum eſt non ſuum legerent, ſed Dei fuiſſe, oſtendant, & per hoc quod innocentem perſequuntur, propoſitum ſuum ſui ſimilem, eligendi fuiſſe evidentiſſimum faciant. Quorum malitiam & quantum oportuit patienter ſuſtinens, &, quantum potuit, pro tempore leniter arguens, ac dein negata ſibi a clericis obedientia honeſta occaſione prudenter declinans, egregiæ virtutis & modeſtiæ exhibuit documentum & transgreſſoribus dignæ confuſionis intulit obprobrium. Nunc itaque abſentiam ejus, ſi recederet, æquanimiter ferre non valentes, apud nos manere rogavimus, quousque caſtigata furentium inſolentia, Electum ſuum recognoſcerent, & debita reverentia repoſcerent. Sed metuentem ne fama ſua propter vicinitatem locorum aliquid ſuſpicionis ex hac re pateretur, cum tenere non potuimus, virtutum ſuarum apud nos depoſitum ſervantes, in pace demiſimus, obſecrantes vos tam pro antiqua amicitia, quam pro adepta ſibi & nobis honoris gloria, diligere eum ut fratrem, honorare eum ut Electum pontificem, ſervare ut neceſſarium hominem, in quo nihil præter pietatem invenimus & honeſtatem, quem etiam denuo in opus, ad quod aſſumptus eſt, reſtitui neceſſe erit.

CCCXLIV.

C. Saltzburgenſis eccleſiæ, Dei gratia ſi quid eſt, fratribus omnibus Babenbergenſis Canonicæ orationem cum dilectione, omne bonum cum ſalute. Succiſa in Aquilegenſi eccleſia arbore, quæ inutiliter terram occupabat, æſtuantibus nobis, ne ſimilem vel certe nequiorem vacanti ſedi improbitas clericorum adduceret, repente nobis vir probitate conſpicuus, omnium honore digniſſimus, ſacerdotalem infulam ſuſcepturus Dominus & frater noſter E. Decanus veſter producitur, cujus virtute, atque in bonis artibus exercitata prudentia, omnem noſtram anxietatem expulſam eſſe gratularemur. In quo, ut verum fateamur, eccleſiæ veſtræ honor plurimum ſublimatur, in qua tam utilis, tam egregia perſona nutrita cognoſcitur. Unde, quoniam nihil in eo, niſi quod eccleſiaſticam perſonam deceat, bonos delectet, & malos offendat, experti ſumus, honeſtatem ſcilicet, pietatem Dei, per quæ etiam Aquilegienſium diſplicuit oculis, jure, dignum eſt, ut a vobis atque omnibus eccleſiæ filiis honoretur & diligatur, pro magno probitatis ejus teſtimonio, quod malis diſplicuit. Diſplicuiſſe igitur malis, ait beatus Abbas, magna bonorum commendatio eſt.

CCCXLV.

Venerabili Domino N. ſanctæ Parthenopolitanæ eccleſiæ Archi-Epiſcopo G. ſanctæ Ravennatis eccleſiæ miniſter licet indignus, ſalutem & perpetuam in Chriſto dilectionem. Viſis ſanctiſſimæ paternitatis veſtræ literis, quibus me, quamquam inviſum & facie ignotum, viſitare voluiſtis, plurimum in Domino gaviſi ſumus & congratulati, quem, etſi longa terrarum ſpatia a nobis ſeparent, corporaliter tamen in ea caritate, quæ diviſa connectit, ſeparata conjungit, ſpiritualiter vos amplectimur & pro poſſe noſtro vobis ſervire parati ſumus. Super quo vero unum noſtrum conſilium deſideratis, taliter reſpondemus. Decedente ſanctiſſimo Romanæ ſedis Epiſcopo beatæ memoriæ patre noſtro Honorio, ſicut audivimus & in veritate comperimus, Innocentius, qui quondam Gregorius dicebatur, S. angeli Diaconus Cardinalis, auctoritate omnium bonorum, Deo, quemadmodum ab æterno providerat, diſponente, per electionem venerabilium fratrum & Dominorum noſtrorum unanimiter in unum convenientium, Guillelmi Præneſtini, M. Albanenſis & Johannis Hoſtienſis, C. Sabinienſis, Epiſcoporum & reliquorum catholicorum Cardinalium ad ſanctæ Romanæ eccleſiæ regimen aſſumptus eſt canonice. Poſtmodum vero Petrus Leonis, qui Papatum a longis retro temporibus affectaverat, parentum violentia, ſanguinis effuſione, decruſtatione ſanctarum imaginum, facta & conſpiratione inverecunda facie, [rubeam ſibi cappam aſſumens,] univerſalem matrem noſtram ſanctam Romanam eccleſiam turpiter uſurpare & ſymoniace occupare contendit.

Digitized by Google

tendit. Hac itaque veritate comperta, cum universitate totius Italicæ ecclesiæ prædictum Innocentium, virum sobrium, prudentem, castum, mansuetum, humilem, omnique morum honestate conditum, pro more ecclesiæ per supradictos venerabiles fratres divinitus consecratum nostrum universalem patrem Papam & Apostolicum indubitanter amplectimur, devote colimus & veneramur. Prædictum vero Petrum vere Leonis rugientis filium quærentem, quem devoret, tanquam non electum, sed contra Deum & S. ecclesiam erectum; non assumptum, sed intrusum; non apostolicum, sed apostaticum; non catholicum, sed hæreticum; non consecratum, sed execratum, divina ei in omnibus & per omnia contradicente auctoritate, condemnantes abdicamus. Vestræ igitur sanctitatis prudentiam suppliciter exoramus, & vicaria caritate constantiam vestræ fidei velut columnam inmobilem in Domino confortamus, quatenus in fide beati Petri & in obedientia ejus vicarii, dilectissimi patris nostri Innocentii per gratiam Sancti Spiritus electi, sanctæque Romanæ ecclesiæ dilectione firmiter persistatis. Præterea ne vestis Christi inconsutilis a perfidis & infidelibus sortem mittentibus, quod divina avertat clementia, dividatur, & navis Petri fluctibus marinis hinc inde concussa, periclitetur, devotissime suggerimus, ut Dominum Lotharium invictissimum Romanorum regem ad Urbem sine dilatione venire viriliter & instanter exhortari dignemini, & tam vestræ dioceseos fratres & coepiscopos, quam etiam reliquos vestros conprovinciales, velut alter Petrus, aliquando conversus, in prædicta fide indubitanter confirmetis, quatenus tam per Dominum Regem, quam & per vos pax ecclesiæ reformetur, & Judaicæ perfidiæ hæresis, quæ nuper in eadem ecclesia exorta est, præstante Domino funditus exstirpetur, & contra omnia, quæ se extollunt adversus unitatem & veritatem, vos tanquam murum ferreum pro domo Domini firmiter opponatis. De cetero in vestris sanctissimis orationibus in omnibus nos & per omnia humiliter commendantes, obnixe rogamus, ut hoc, quod ante homines vel ab omnibus dicimur, aut æstimamur, ante Deum vestris suffragantibus nobis meritis esse quandoque mereamur. Orantem pro nobis vestram Sanctitatem divina pietas ad multorum proficuum & ad sanctæ ecclesiæ honorem & utilitatem, incolumem in longum conservare dignetur.

CCCXLVI.

Venerabili Domino N. sanctæ Partenopolitanæ ecclesiæ Deo digno Archi-Episcopo H. Dei gratia Lucensium servus & Episcopus, Spiritum consilii & fortitudinis. De ordine electionis Romani Pontificis, si vobis placuisset a viris relligiosis ac me sapientioribus ut vobis notificaretur, expetere non erat incongruum. Sed quoniam vobis ut patri & Domino meo non satisfacere non debeo, de multis pauca perstringam. Convenientibus Cardinalibus in ecclesia S. Andreæ Apostoli statutum est ab eis, octo personis, duobus Episcopis, G. Prænestino, & C. Sabinensi, tribus Cardinalibus Presbiteris P. Pisano, P. Rufo, & Petro Leonis, tribus Cardinalibus diaconibus, Gregorio scilicet Angeli, Jonate, Americo Cancellario, electionem Pontificis committi, ita ut si committeret Dominum Papam Honorium, qui tunc in articulo mortis positus erat, ab hac vita transire, persona quæ ab eis communiter eligeretur, vel a parte sanioris consilii, ab omnibus pro Domino & Romano Pontifice susciperetur. Prænestinus etiam cum cæteris decrevit, ut siquis electioni taliter factæ contradiceret, anathemati subjaceret, & si quis alium adtemptaret eligere, factum pro infecto haberetur, nec ipse ulterius in ecclesia locum consequeretur, quod & ipse Petrus Leonis ore proprio confirmavit, adjiciens; non oportere eos dubitare, quod occasione sua in ecclesia scandalum oriretur, quoniam mallet in abyssum submergi, quam propter se scandalum nasci. Deinceps statutum est, ut electores altera die simul convenirent. Cæterum Petrus Leonis cum Jonathan ab eis recedens, ut corvus ille vel submersus vel carnium ingluvie detentus, ad fratres postea redire contempsit, & conventicula seorsum colligens, altare maledictionis erigere satagebat. Quod nisi Dominus Papa Honorius, quem credebant jam mortuum se ad fenestram pupolo ostendisset, cum fratrum & propinquorum ac muneribus & obsequiis conductorum turba ministrorum, præco Antichristi supra, quod dicitur, Deus ante tempus se extulisset. Itaque cum hæc talia præsensissent, ii, quorum corda Deus tetigerat, ecclesiæ periculum expavescentes, & tempestatis procellas jam intumescentes, cum Papa Honorius in VI. fr. de initio quadragesimæ ad patres suos appositus esset, celebratis exequiis pro necessitate loci & temporis, non tamen ex more sicut oportebat, cum calamitatis tempestas instaret, de octo personis ad electionem electis Prænestinus, Sabinensis, B. Rufus, A. Cancellarius, quintum Gregorium Cardinalem Diaconum sancti Angeli invitum & omnibus modis renitentem, cum relligiosis viris Episcopis, Cardinalibus Presbiteris, Diaconibus, & Subdiaconibus, in summum Pontificem elegerunt, cum Petro Leonis, qui erat octavus, P. Pisano sexto & Jonatha septimo remanentibus. Quod vero compertum est, ab his, qui dolum in corde conceperunt, ut iniquitatem parerent, nam & ipse Petrus Leonis a longis retro temporibus ad id pervenire, ut avarus & ambitiosus, affectaverat, sicut multis probatur indiciis, tribus generibus munerum nunc hos, nunc illos sibi alliciens, congregatis, quos potuerunt, prohdolor! cum Episcopo Portuensi rubea cappa illum vestierunt. Quod factum multæ sanguinis effusiones, multæ locorum urbis destructiones, terribiles sacrarum imaginum decrustationes; heu facinus! pro stipendio militum suorum sibique obsequentium, consecutæ sunt: quamvis Leo ejusdem Petri Leonis frater, & alter Leo Frangentis-panem, cum utrique striderent dentibus, alter in alterum, ante quam Papa obiisset jurave-

Digitized by Google

juraverunt coram Cardinalibus, quod neuter eorum de electione pontificis ſcandalum faceret, ſed quem eccleſia eligeret, pro Domino venerarentur, & colerent. Nos autem ſententiam & conſilium relligioſorum virorum catholicorum & orthodoxorum, de Tuſcia de Longobardia & de Ultramontanis partibus amplexantes, approbantes, & imitantes, Petrum Leonis in hoc facinore, ut ſchismaticum, & quoniam ſuum ſchisma defendit, hæreticum omnimodis abdicamus. Dominum vero Innocentium pro patre & ſummo Pontifice tenemus, recipimus, veneramur, & colimus. Paternitatem veſtram pro nobis orantem Dominus omnium conſervare dignetur. Me ad ſervitium veſtræ ſanctitatis inconcuſſa fide, quaſi unum de famulis veſtris, deprecor, ut exiſtimetis.

CCCXLVII.

Venerabili fratri & Coëpiſcopo O. Babenbergenſi Epiſcopo, Dei gratia qualescunque C. Saltzburgenſis, E. Monaſterienſis Epiſcopi, cum orationibus devotum & intimum ſervitium. Convenientibus ad curiam pro deſtruenda, quæ regnum invaſit, calamitate, ejusdem regni principibus, miramur & ſatis dolemus, veſtram non adeſſe præſentiam, cum in hoc negotio nemo poſſet nobis magis eſſe neceſſarius. Unde perſonam veſtram nulla deberetis occaſione ſubtrahere, quoniam eo magis pro pace & tranquillitate eccleſiæ & regni collaborare nobis deberetis. Obnixe itaque debita dilectione dignitatem veſtram monemus & rogamus, ut remota penitus omni occaſione vel excuſatione adhuc tentetis venire, ſcientes omnes principes deſiderare præſentiam veſtram & expectare.

CCCXLVIII.

In Chriſto plurimum dilecto fratri Ottoni Babenbergenſis eccleſiæ venerabili Epiſcopo frater G. Ravennatis eccleſiæ, Cardinalis apoſtolicæ ſedis legatus ſalutem & omne bonum. Fraternitati veſtræ notum eſſe credimus, quod Dominus noſter Papa Innocentius, cum literis ſuis miſit nos ad Regem & ad regni Principes, qui cum amore & honore nos recepit, ſed reſponſionem ſuam ad conſilium principum diſtulit, inter quos fraternitatem veſtram primam, aut inter primos pro ſervitio eccleſiæ ad curiam feſtinaſſe credimus, quippe quem inter reliquos Epiſcopos regni Teutonici mater noſtra Romana eccleſia quadam prærogativa dilexit, & tanquam ſpecialem filium creans propriis manibus benedixit. Rogamus itaque dilectionem veſtram & in ea fide & devotione, quam matri veſtræ Romanæ eccleſiæ debetis, mandamus, ut omni occaſione & excuſatione remota quantocius ad nos veniatis, & in cauſa eccleſiæ, tanquam fidelis catholicus nobis aſſiſtendo, legationem Domini Papæ cum literis ſuis una cum aliis fratribus recipiatis & obaudiatis.

CCCXLIX.

L. Dei gratia Romanorum Rex Ottoni dilecto fideli que ſuo Babenbergenſi Epiſcopo gratiam ſuam & omne bonum. Propter inſtans & valde neceſſarium eccleſiæ & regni negotium Würtzburch gratia Spiritus ſancti tractandum, de infirmitate tua, quæ adventum tuum ad nos tardavit, dolemus, quoniam prudentiæ tuæ diſcretione ac conſilio ad opus eccleſiæ & regni potiſſimum nunc indigemus. Verum, quoniam virtus in infirmitate perficitur, in ea caritate, quam eccleſiæ, pro qua Dei gratia ſemper devote laboraſti, debes, commonemus te & quam intime rogamus, ut ſi alio vehiculo non poſſis, navigio ſaltem ad nos & ad conventum venerabilium confratrum & Coëpiſcoporum tuorum Wirtzburch una nobiſcum adventum tuum deſiderabilem præſtolantium venire properes. Vale.

CCCL.

G. Dei gratia ſanctæ Ravennis eccleſiæ miniſter licet indignus, nunc vero apoſtolicæ ſedis legatus & J. Faventinus Epiſcopus, venerabili fratri Ottoni Babenbergenſis Epiſcopo, orationem & fraternam in Chriſto dilectionem. Veſtræ paternitati notificamus, quod per gratiam Dei ſoſpites & alacres ſumus Würtzeburch & ibidem indictam curiam expectamus. Sed cum in præfato loco eſſemus, de caſtro Nurinberc ſiniſtra quædam audivimus, unde miramur & ſatis dolemus. Quapropter vobis rogando mandamus, ut vera nova, quæ audiſtis, vel quicquid exinde ad præſens ſcire poteſtis, nobis inſinuare dignemini. Præterea de puero noſtro infirmo ſuppliciter exoramus, ut eum quam citius poteſtis, ſi convaluit, ad nos mittere procuretis.

CCCLI.

Lothario illuſtri & glorioſo Romanorum regi Conſules Romani & alii Principes ſalutem & proſperitatem. Nos in ſervitio & fidelitate beati Petri & Domini Papæ Honorii perſiſtimus, & quod placeat ei amamus. Certis autem experimentorum rationibus agnovimus, quod ipſe vera in Domino caritate perſonam tuam diligit, & ad honorem tuum manutenendum & exaltandum affectu paterno intendit. Quamobrem nos de exaltatione tua ad regnum gaudemus, hoc optantes, ut quod de te bene incœptum eſt, citius, annuente Deo, perficiatur. Unde ſupra tarditate tua ſatis miramur. Hac ſiquidem occaſione C. ille Longobardiam ingreſſus, regnum Italicum nititur occupare. Eapropter præſentibus literis prudentiæ tuæ mandamus, quatinus aliis omiſſis, omni occaſione ſepoſita, proxima ventura hyeme ad præſentiam Domini Papæ venias, ab eo dignitatis plenitudinem & honorem Imperii præſtante Domino recepturus. Nos interim diligenti ſtudio operam dabimus, quatinus populus Romanus ad te, ſicut decet, honorifice ſuſcipiendum ſit paratus.

CCCLII.

L. divina inſpirante clementia Romanorum clariſſimo regi, juſtitiæ rigore fulgenti Epiſcopi N. & N. & Cardinales Romani cum cæteris fratribus ſalutem & perpetuam de hoſtibus ſuis victoriam.

Digitized by Google

ctoriam. Nullus Christianorum ignorat, optime Rex, quod Romana ecclesia Dei institutione & sanctorum patrum imitatione & relligiosorum virorum devotione Domina sit non Urbis, sed orbis; & ea consistente cuncta prospere consistunt, eaque deficiente cuncta invalescunt. Et sicut altius excellit, sic ventorum ac tempestatum tyrannidem facilius a se repellit, & quanto rerum mundanarum turbine conquassatur, tanto lucidius purificatur. Beatæ igitur memoriæ Papa H. migrante, & viam universæ terræ ingrediente nos Episcopi & Cardinales G. Cardinalem Diaconum sancti Angeli virum honestum, moribus compositum, Deo Deumque timentibus carum, in summum Pontificem elegimus, in ecclesiam Lateranensem constipatum catervis fidelium deduximus, & in sede summa positum nos & infinita relligiosorum turba honoravimus. Post hoc in Palatium ascendimus, & quæ ex more geri solent, complevimus, & omnia insignia pontificalia H. Papæ, Calixti Papæ, Pascalis Papæ suorumque prædecessorum ei tribuimus. His vero circa horam tertiam rite peractis, Petrus Leonis hora sexta, qua Judæa Christum crucifixit, & tenebrarum caligo mundum involvit, cum suis conspiratoribus atque consanguineis aliisque manifesto pretio conductis, ecclesiam sancti Martii turribus fratrum propinquam, festinanter adiit, cappam rubeam indecenter induit, fictitiaque pontificatus insignia arripuit. Sequenti autem die ecclesiam beati Petri armis petiit, machinis circumdedit, tecta murosque fregit, homicidiis peractis & nimia humani sanguinis effusione, sic cum improbis, Apostolorum principis intravit januas. Altera autem die armata manu ad Lateranensem ecclesiam perrexit, fumo, igne, sanguine eam violenter invasit, Palatium conscendit, portas confregit, sedes Pontificum conteruit, sacrarium beati Laurentii aperuit, quæ optima sibi visa sunt diripuit, ad propria se recollegit. Posthac palladium, in quo Dominus noster Papa Innocentius cum catholica ecclesia residebat, aggreditur. Verum equitibus & equis plurimis amissis in confusione suæ ignominiæ domum turpiter recessit. Deprædationes vero ecclesiarum & præcipue beati Petri thesaurum, quem Pontifices Romani & sacratissimi Imperatores Deo beatoque Petro dedicaverunt, in lampadibus aureis, calicibus, thuribulis, candelabris, imaginibus, crucibus, gemmis, aliisque vasis pretiosis, necnon & palliis & vestibus sericis auro gemmisque contextis, direptiones, nec non & prædiorum ecclesiasticorum pignorationes, & peregrinorum expoliationes, quantæ sint, qui Romam vel Jerusalem properant, euntes & redeuntes, utique diffamant. Quæ vero alia turpia ipse suique complices gerant, regalibus auribus non sunt referenda. Sed per Dei gratiam infra paterni muri caveas jam latitat: Abbates, Marchiones, Principes aliique Barones in auxilium Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ properant. Orientales & Occidentales Ecclesiæ prædictum invasorem pari voto parique consensu unoque Spiritu anathemate condemnant; Dominum vero Innocentium Papam, a Catholicis catholice electum, catholice consecratum, sicut universalem Patrem & beati Petri vicarium amplectuntur, venerantur, suisque nuntiis frequentant. Quod igitur super his Celsitudo vestra, o Gloriosissime Rex, agere debeat, regalis providentia Spiritu Sancto succensa provideat. Accingere igitur, & Archiepiscopis & Episcopis, Abbatibus religiosisque viris, nec non & regni Principibus solito more in auxilium Principis Apostolorum properanter occurre: quatenus Ecclesia Dei lætetur, religio Christiana sublimetur, schismaticorum perfidia comprimatur, corona capitis Tui a Rege Cœlesti benedicatur. Quæ vero hîc desunt, venerabilis frater noster G. & Deo dilectus Ravennatis Ecclesiæ Archiepiscopus viva vobis voce clarificabit, quem attentius Serenitati Vestræ commendamus, & ut eum pro reverentia beati Petri & totius Catholicæ Ecclesiæ honorifice tractetis, rogamus.

CCCLIII.

Innocentius Episcopus servus servorum Dei dilecto filio L. illustri & glorioso Romanorum Regi salutem & A. b. Quod excellentia nobilitatis tuæ studiosa & fervens in fidelitate beati Petri semper exstitit & devota, divinæ bonitatis gratia personam tuam honoribus decoravit atque ad defensionem suæ ecclesiæ & statum imperii reformandum ad regni fastidia sublimavit. Prædecessorque noster felicis memoriæ Papa H. quod per te multam utilitatem credidit ecclesiæ profuturam, electionem de te ab Archiepiscopis, Episcopis, ac regni Principibus factam pro unitate ecclesiæ & regni inviolabiliter conservanda auctoritate apostolica confirmavit & pro imperialis dignitatis plenitudine suscipienda per dilectum filium nostrum G. sanctæ Romanæ ecclesiæ presbiterum Cardinalem te ad sedem Apostolicam evocavit. Quo nimirum humanæ conditionis exempto, quod ego dignus non fui, Episcopi & catholici Cardinales me licet invitum & renitentem in Romanum Pontificem unanimiter elegerunt. Quibus, ut ante Deum loquar, nullo ambitionis honore, nulla omnino præsumtione assensum præbens, sed sola tot tantorumque relligiosorum virorum, non absque gravi periculo contemnenda, compulsus obedientia, confisus insuper de omnipotentis Dei misericordia injunctum mihi officium ad honorem Dei & ecclesiæ Romanæ suscepi. Postmodo vero Petrus Leonis qui Papatum a longis retro temporibus affectaverat, parentum violentia, sanguinis effusione, decrustatione sanctarum imaginum beati P. cathedram occupavit. Et peregrinos ac religiosos quosque ad Apostolorum limina devotionis causa venientes, captos & tetris carcerum squaloribus ac ferreis vinculis mancipatos, fame, siti, diversisque tormentorum generibus cruciare non desinit. Sanguinem quoque nostrum & eorum, qui nobiscum sunt,

Digitized by Google

ſunt, ſitibundo pectore concupiſcens, gladiis, veneno, ac multimodis prodicionibus vitæ noſtræ inſidiatur. Pro cujus ſævitia comprimenda & ſtatu tam eccleſiæ, quam imperii in melius reformando, per præſentia ſcripta & venerabilem fratrem noſtrum G. Ravennatem Archiepiſcopum, virum utique relligioſum, prudentem, omniumque morum honeſtate conſpicuum excellentiæ tuæ iterato mandamus, quatinus proxima hyeme cum Archiepiſcopis ac regni Principibus ad noſtram præſentiam venias, imperialis dignitatis plenitudinem cooperante Domino ſuſcepturus. Sit itaque, fili kariſſime, regnum tuum adjutorium regni cœleſtis, ut poſt temporale regnum, quod longævum tibi Dominus faciat, cum ipſo ſine fine poſſis regnare, temporibus tuis habeat eccleſia honorem ſuum & in rege ſuo lætetur & in gloria tua floreat & glorietur. Exaltentur in diebus tuis catholici, & opprimantur hæretici, ut regnum tuum Deus exaltet, & inimicos tuos ſub pedibus tuis humiliet. Ad hæc venerabilem fratrem noſtrum præfatum G. Archiepiſcopum tuæ gloriæ attentius commendamus, rogantes, ut pro ſedis Apoſtolicæ reverentia eum benigne recipias & honeſte pertractes. Omnipotens Dominus incolumem te, fili kariſſime, cuſtodiat & eccleſiæ ſuæ curis fideliter invigilare concedat. Glorioſam filiam noſtram R. Reginam ex noſtra parte devote ſaluta, eamque pro ſuſcipienda imperialis benedictionis plenitudine una tecum ad nos venire invitamus. Dat. Trans Tyberim. V. Id. Maji.

CCCLIV.

Domino ſuo L. Dei gratia Romanorum Regi Auguſto L. Novarienſis eccleſiæ ſervus ſervitii pro facultate conſtantiam & perpetuam de inimicis victoriam. Benedictus Deus & pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui vias juſticiæ veſtræ proſpexit & triumphum de inimicis veſtris, ut relatione multorum accepimus, miſericordia ſua vobis conceſſit. Speramus enim quod vexillum totius eccleſiæ nobiſcum triumphavit &, victoria pacis adepta, inimicorum colla ſubſtravit. Ideoque excellentia veſtra pro certo cognoſcat, quod Novaria, Papia, Placentia, Cremona & Brixia, civitates Italiæ, firmiter fidelitatem veſtram cuſtodiunt & adventum veſtrum unanimiter cupiunt. Cunradus autem Mediolanenſium idolum ab eis tamen relictum, qui arrepta fuga ſolum Parmæ habent refugium, ubi tam pauper, tamque paucis ſtipatus viliter moratur, quod ab uno loco ad alium vix fama ejus extenditur. Nos itaque pro fidelitate veſtra, quam ſemper ſervare volumus, cum inimicis veſtris participare nolumus, quorum malivolentiam magnam incurrimus. Quibus penitus reſiſtentes parati ſumus, in quibus vobis placuerit, ſervire, & juſſionibus veſtris per omnia obedire. Unde, ſi placet, certitudinem adventus, de quo multum gaudebimus, nobis ſignificare dignemini.

CCCLV.

Reginæ ſereniſſimæ Dominæ ſuæ ſemper auguſtæ B. Dei gratia id quod eſt fidele ſervicium & devotas orationes. Quantas & quales valeo gratiarum actiones ſerenitati veſtræ refero, quod materna pietate preſſuris & laboribus meis ſubveniſtis & a perſequentibus & calumniantibus me eruiſtis & ſedem dignitatis meæ injuſte mihi ereptam ſuffragio veſtræ pietatis reſtituiſtis. Vobis itaque poſt Deum debeo, quicquid ſum, quicquid valeo, in tranquillitate & adverſitate, magnus ſeu modicus, ſemper veſter ero. Multas etiam gratias pro Domino N. benignitati veſtræ refero, quod, ut ſpero & certus ſum, in hoc & eccleſiæ providiſtis, & regno veſtro plurimum conſuluiſtis. Vobis itaque, benigniſſima mater, puſillorum Chriſti, fideliter ſuggero, quatenus ſanctæ Romanæ eccleſiæ graviter laboranti precibus & elemoſinis & omni, qua valetis, virtute ſubveniatis. Si forte Dominus, qui vos provexit in regnum, qui dedit patribus noſtris ſalutem in manu fœminæ, dignetur per piiſſimas lacrymas veſtras eccleſiæ pariter & regno conſulere. De Nurenberc quoque diſcretionem veſtram moneo, quatinus aut per nos aut per idoneos legatos, quod laudatum & juratum eſt, requiratis & cauſam noſtram in partibus illis diffiniatis. Ego quippe cum ſcorpionibus habito & frui veſtra præſentia niſi me mea & veſtra negotia detineant plurimum deſidero. Sed Deo propiciante tam mei, quam veſtri ſcorpiones & adverſarii in proximo conculcabuntur & peribunt & adnichilabuntur. Quid vero Deus a die diſceſſionis veſtræ per meam exiguitatem regno veſtro contulerit, litteris & legato cognoſcere poteritis. Meos itaque labores & omnia mea veſtræ tutelæ ac patrocinio committo.

CCCLVI.

L. glorioſiſſimo ac victorioſiſſimo Romanorum Regi, Dei gratia ſemper Auguſto B. Dei gratia id quod eſt fidele ſervitium ac devotas orationes. Inter multas & graviſſimas Imperii & eccleſiæ ruinas ad vos ſpecialiter reſpiciunt oculi ſervorum veſtrorum ſub gravi preſſura & multis ſuſpiriis expectantium, quid veſtra majeſtas deliberet, quid decernat; quo ingenio, qua auctoritate ſciſſuræ ſanctæ matris eccleſiæ ſubveniat. Et quorum non ambitione vel tyrannica perſuaſione, ſed divina diſpoſitione regni culmen aſcendiſtis, noſtra parvitas veſtræ ſuggerit excellentiæ, quatinus in hoc tam magno negotio chriſtianiſſimæ conjugis veſtræ Dominæ, noſtræ reginæ & relligioſorum virorum conſilium habeatis. Ea vero, quæ circa nos ſunt, ſerenitati veſtræ intimamus, quoniam Deo propicio in veſtro ſervitio ſani & incolumes ſumus, &, quantum poſſumus, pro honore veſtro laboramus. Itaque Comites N. & N. veſtro ſervicio aſcivimus & fide ac ſacramentis & obſidibus acceptis, pro captu humani ingenii, quantum potuimus, conſtrinximus. Caſtrum quoque N. licet cum aliquanto labore, Deo auxiliante, pro veſtro tamen conſummavimus honore. Præterea Comes N. una nobiſcum veſtram certificat excel-

Digitized by Google

excellentiam, quod vita comite noſtra civitas cum tota provincia ſub fidelitate firmiſſima in veſtro ſervitio permanebit, & pro honore regni certare non ceſſabit. Mandat etiam diſcretioni veſtræ, quod de conſtituenda munitione N. ſicuti vos præcepiſtis, cum cæteris veſtris miniſterialibus laudavit. Idcirco adhuc remanſit, quare ipſis & reliquis veſtris fidelibus magis neceſſarium viſum eſt, caſtra inimicorum veſtrorum evertere & extirpare, ac tunc, ſicut beneplacitum vobis fuerit, in omnibus obtemperare. Veſtram igitur ſereniſſimam majeſtatem ſuppliciter exoramus, ut propicio ac paterno affectu ſuper nos & eccleſiam Argentinenſem reſpiciatis, & ſi quis delatorum ſiniſtrum quid vobis ſuggeſſerit, non illius verbis, ſed noſtris operibus credatis.

CCCLVII.

In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti & glorioſiſſimi ſancti ſepulcri & virtutum Hieroſolimis. Ego Regimundus per gratiam Dei poſt obitum Domini G. factus ſervus pauperum Chriſti, cum omni clero & ſancto populo, qui illic militamus ad honorem Dei, mittimus ſalutem & benedictionem ex parte omnipotentis Dei & beatæ Mariæ ſemper virginis & omnium ſanctorum Dei omnibus Epiſcopis, Abbatibus de univerſis partibus mundi & omnibus Canonicis, Plebanis ac Capellanis & omni Clero & populo, qui timent Deum, & diligunt proximos, & expectant beatam vitam & retributionem juſti judicii Dei & in Dei juſticia. Omnipotenti Deo gratias & laudes reddimus de magno beneficio veſtrarum elemoſinarum, quas nobis miſiſtis honorabiliter ad noſtrum auxilium & ad ſuſtentationem hoſpitalis pauperum Chriſti, & omnibus vobis ſint laudes & gratiæ a Deo patre & beata Maria ſemper virgine & matre noſtri Salvatoris & ex patre omnium Sanctorum, & retribuant vobis inde in centuplum in retributione juſtorum. Honor & gloria & vita perpetua tam maſculis, quam feminis, qui in ſuis elemoſinis habent recordationem noſtræ neceſſitatis pro Dei amore. Sciatis autem bene & in veritate credite, quod omni tempore quando veſtræ elemoſinæ ad nos perveniunt, multum laudamus & benedicimus Deum & pro ſalute omnium veſtrorum Deum deprecamur & ſanctos ejus. Mandamus itaque vobis fratres Kariſſimi, ut non pigeat vos benefacere, elemoſinas dare, pauperibus Chriſti ſubvenire, ut, cum defeceritis ipſi, vos recipiant in æterna tabernacula. Sit autem certiſſimum & manifeſtum vobis, quod quicunque noſtros nuncios bene receperint & per eos nobis ſuas elemoſinas miſerint, benefactorum & orationum, quæ fiunt Hieroſolimis, ſciant ſe eſſe participes. Quicunque autem in noſtram fraternitatem intraverunt vel intrabunt, ita ſint ſecuri de Domini miſericordia quaſi ipſi militent in Hieroſolimis & recipiant ab omnipotenti Deo gloriam & coronam juſticiæ, quam reddit eis juſtus judex, qui cum patre & Spiritu Sancto vivit & regnat per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

CCCLVIII.

Dominus Papa Calixtus ſervus ſervorum Dei Dilectis fratribus, Epiſcopis, Abbatibus, Plebanis, Canonicis, ac Capellanis & cæteris per Europam fidelibus ſal. & A. b. Juſticiæ ratio exigit & rationis ordo expoſcit, ut quæ a prædeceſſore noſtro ſanctæ memoriæ Papa Paſchali caritatis intuitu conſtituta ſunt, nos auctore Domino conſervemus. Latorem præſentium ab Hieroſolimitani Xenodochii Præpoſito Raimundo miſſum ad vos caritati veſtræ attentius commendamus. Idem enim R. omnium a Hieroſolima redeuntium teſtimonio commendatur, quod ſincere, devote, aſſidue peregrinorum & pauperum curam gerat. Et nunc pro eorum neceſſitatibus ſublevandis veſtræ caritatis implorat auxilium. Vos ergo beneficentiæ & communionis nolite oblivisci. Talibus enim hoſtiis promeretur Deus. Pauperem igitur Chriſtum in ſuis pauperibus ſublevare curetis, ut & ipſe vos divitiarum ſuarum faciat eſſe participes. Non enim Hieroſolimitanæ peregrinationis mercedis vacuus eſt, qui in Hieroſolimitanis peregrinis rerum ſuarum adminiculum ſubminiſtrat. Qui pauperi tribuit, Domino fœneratur. Ipſe autem Dominus in vobis, quod loquitur, & habundare in vobis faciat omnem gratiam, ut eum in ſuis minimis reficientes, in æternæ Hieroſolimæ gaudiis æternæ refectionis mercedem accipere mereamini.

CCCLIX.

Epiſtola Hermanni Auguſtinenſis Epiſcopi ad Ottonem Babenbergenſem Epiſcopum de Lothario Rege.

Bono Chriſti & eccleſiæ odori O. venerabili Babenbergenſium Epiſcopo omnique eccleſiæ ſuæ H. Auguſtenſis eccleſiæ Dei gratia humilis miniſter cum univerſo clero & populo ſuo devotas orationes in Chriſto cum fideli ſervitio. Aſpiciat Dominus de ſede ſancta ſua, cogitet de nobis omnis cœleſtium, terreſtrium, ſpecialiter vero Babenbergenſium eccleſia, quæ murum pro domo Iſrael ſemper huc uſque ſe poſuit, quam zelus domus Dei ſemper comedit, inclinet aurem ſuam & audiat: aperiat oculos ſuos & videat tribulationem noſtram. Ecce enim deſolata eſt civitas noſtra, civitas ſancta & antiqua; civitas hactenus dicta Auguſta, ſed nunc dicenda potius anguſta vel anguſtia. Sedet in triſticia, non eſt, qui conſoletur eam, niſi Deus noſter & Deum timentes: propter Deum in caritate compaciantur nobis in paſſionibus noſtris, quas paſſi ſumus introitu Domini Regis. In cujus adventu ſuſtinuimus pacem, & non venit: quæſivimus bona, & ecce perturbatio, exigentibus quidem peccatis noſtris, quæ fecimus, non contra eum, ſed contra Deum. Ipſum enim venientem ad nos debito honore cum gaudio ſuſcepimus nos & univerſus noſter clerus & populus, tamquam regem & Dominum, tanquam eum, in cujus manu eſt regnum & poteſtas & imperium, tanquam juſtum & miſericordem judicem, per quem

Digitized by Google

quem sperabamus recuperare diu perditam pacem. Prætermissis itaque multis & magnis ecclesiæ nostræ miseriis & injuriis, unum solummodo sacrilegum nefas in auribus Domini Regis & Principum, qui aderant, lacrimabili voce conquesti sumus, quod contigit ante adventum Regis paucis diebus. Hoc videlicet, quod cives nostri quidam exierant a nobis, qui non erant ex nobili semine, nequam, filii scelerati, qui in conductu nostro ac fere in præsentia nostra spoliaverant Aquensem Episcopum apostolicæ sedis Legatum per nos ad curiam Regis transeuntem. Super his, inquam, omni curiæ conquesti sumus, justiciamque regno & ecclesiæ debitam postulavimus humiliter. Dum ergo Principes in hoc essent, & consilium super his caperent, orta est machinante Diabolo, subito inter vendentes & ementes quædam pro vili causa parva seditio, primum per secretarios regis in suburbio; Deinde clamor ingens tollitur, forenses campanæ pulsantur, concurrunt cives, conveniunt Regis milites, universi ad pugnam festinant, universi causam pugnæ ignorant; unus illud, alter aliud opinatur. Rex ipse necem sibi intentari suspicatur. Videns ergo milites & ministeriales ecclesiæ coram matrice ecclesia stantes armatos, existimat eos ex consilio contra ipsum congregatos, qui, quod vere dicimus in Domino, ex nulla conspiratione contra Regem facta convenerant; sed propter tumultum populi inconsulte subito concurrerant, nescientes, quid facerent, cum & ipsi se in manum Regis ex aliquorum machinatione traditos nullatenus dubitarent. Ego interim indignus ac solo nomine Episcopus, oblitus annorum meorum & senectutis, immemor vitæ & mortis suspensus inter brachia duorum solummodo clericorum meorum, cæteris fugam capientibus, nisi me in turbam inter utramque aciem, non clypeo protectus, aut galea, sed sacris tamen vestibus indutus, & signo crucis armatus; crucifixum enim in memoriam passionis Dominicæ ante pectus nostrum portavimus propriis manibus, sperantes, ut Christianos crucis Christi memores, ut oportuit, ab injuria mutua & cæde fraterna compesceremus. Illico irruebant in nos & in nostros rex & sui in die dominica V. Kl. Septembris, & facta est cædes sacrilega clericorum & Laicorum prope januas matricis ecclesiæ intus & extra ab hora diei VI. usque ad vesperam plerisque occisis, plerisque vulneratis, plerisque captivatis, plerisque fugatis, plerisque spoliatis. Ego vero per signum crucis sospes evasi, repens manibus ac pedibus, inter hostes & pericula, inter enses & sagittas & jacula, quæ undique circumvolabant canos capitis mei & collum & latera & dorsum meum & meorum, qui me non modo portabant, sed per brachia & crura trahebant, inferentes me per aliud quoddam hostium cum maxima difficultate super altum murum ante summum altare in ipsum scunarium. Ibi ego fusis non modo precibus, sed fletibus, jacui miserabiliter in sanguine vulneratorum, expectans proprii sanguinis effusionem & desiderans mortem. Interea extra portam civitatis inter forenses & Regis milites regnabat similiter cædes hominum ac pecorum, funesta prædia, funestum incendium, Sanctuaria profanata sunt; ecclesiæ plures combustæ sunt, plures effractæ & deprædatæ sunt; clericorum, monachorum, sanctimonialium despoliatæ congregationes in dispersione sunt; inclusæ quoque mulieres miserabiliter ejectæ sunt; viri ac fœminæ impudenter denudatæ sunt; parvuli eorum partim occisi sunt, partim captivi abducti sunt. Nam quod ex intimis præcordiorum dicimus suspiriis, Rex Christianus induxit super ecclesiam Christi inimicos Christi, homines inhumanos & paganos, Boëmos videlicet ac Slavos, qui vulgariter Valuwen dicuntur, qui persecutores Christi & ecclesiæ esse ac fuisse semper manifeste ab omnibus cognoscuntur. Nox ipsam litem diremit, sed tota nocte Regis exercitus matricem ecclesiam ex omni parte obsidione circumdedit, qua in nocte ego ipse de meo expulsus hospicio, omnibusque meis nudatus, & in ipsius platea civitatis nostræ desertus ac solus tam diu flens jacui, donec a Domino N. Magdeburgensium Archiepiscopo in hospicium ejus, tanquam hospes & peregrinus, per misericordiam Dei collectus fui. Mane autem facto, quoscunque & quotquot voluit de obsessa ecclesia Rex abstraxit, &, ut taceamus de cæteris, ipsos & vulneratos & omnino desperatos in vinculis secum abduxit. Eadem vero die castra metatus est in campo juxta civitatem, regressusque tertia die cum armatis in urbem, munitiones omnes diruit urbis & confregit, omnibusque præda & incendio consumtis, quarto destructionis nostræ & sexto adventus sui die lætus abiit. Archiepiscopi quidem & Episcopi & Abbates, qui aderant, satis ac satis regiam majestatem præmonuerant, quatinus regio more victis saltem parceret, & imitando regem regum justos cum impiis non perderet; Sed iracundia regalis potentiæ non prius mitigata est, donec omnis civitas nostra sine judicio, sine justicia, funditus destructa & irrecuperabiliter adnichilata est. Propterea nos cum universo clero & populo civitatis nostræ precamur per Christum & in Christo misericordiam veneranda paternitatis vestræ, ut doloribus nostris clementer condoleatis & lamentabilem ecclesiæ nostræ ruinam consilio & auxilio infatigabiliter fulcientes, murum inexpugnabilem pro domo Israel nos ponere solito more vestro satagatis.

CCCLX.

Domini Papæ Innocentii.

Reverentissimis Vicariis atque nostris magistris & patribus G. Sabinensi Episcopo, G. Cardinali Sanctæ - - - - & Leoni Frangipanitæ & P. Laterano Romanorum Consulibus H. Agatensis Episcopus utraque vita feliciter perfrui. Post Bari captionem cæterarumque rerum, quæ Rudgerus Siciliæ Dux nequiter & crudeliter egit, in fortitudine sui exercitus Beneventum venit ibique tentoria fixit, sperans intrare civitatem & eam cum deceptione habere. Cui Dominus

Digitized by Google

Dominus Princeps & Comes regionis obviam ivit in manu armata usque ad montem, qui dicitur sancti Felicis, ibique interfuimus & nos, & multis argumentis & diversis ingeniis cum fidelibus tamdiu laboravimus, quo ad usque tota civitas illum execrando Principi & Comiti juravit. Quod dum Dux vere cognovit, quantotius nocte inde recessit, Niceriumque ivit, nobis ignorantibus, ad quoddam castrum, quod principis est. Cognita vero fraude a Principe & Comite, illuc quantocius ire festinavimus. Quo dum prope castrum sederemus, expectando nostros, & ut ipse recederet, duos Episcopos ex nostris illi misimus, ut a terra Principis, quæ specialiter beati Petri est, recederet. Ille superbo fastu, ut ipsius mos est, illis respondit: terram suam totam usque Romam esse sibi a S. Petro collatam, ad quem defendendum ipse ire volebat, nisi resipiscerent: & sic elevatis manibus ipsum Deum in causam duxit, ut ea die inter nos judicaret, & veram justiciam demonstraret. Quod honori beati Petri ipsiusque vicarii Anacleti rebelles & contrarii essent. Deinde cum dies Resurrectionis esset, & nos ea die præliari nollemus, quia ex inproviso ab eo invasi sumus. Nos vero cum talia videremus, nostros majores & minores publice & privatim allocuti sumus, eis imponendo pro pœnitentia, ut in honore beati Petri se defenderent, & ecclesiæ Romanæ terram conservarent, & neq; propria vindicta, neque pro solidis vel spoliis, sed pro defensione ecclesiæ & communi libertate pugnarent. Taliter namq; illos a peccatis, quæ fuerant confessi, ex auctoritate beati Petri & Domini nostri Papæ Innocentii, totiusque ecclesiæ absolvimus, si in bello illo morerentur. Deinde inito bello ibi Deus operatus est ineffabiliter. Nam pro certo unus nostrum persecutus est mille, & duo fugarunt X. millia. Numerus autem armorum & equorum cæterorumque spoliorum ita est infinitus, quod nullus nostrum novit. Ille autem, qui se Regem vocat, laxis habenis usque Salernum fugit. Tunc temporis ei Sicilia cariora fuere calcaria. In campo mirum est, quod nullus ex parte nostra periit. Militum vero captorum ex illis nomina retineri non possunt, fere mille in veritate illos credimus esse. Enimvero ex nostris nec aliquis captus est, nec aliquis obiit, exceptis quibusdam, qui se in flumine projecere: nec tamen tot fuere quot dicuntur. Quod totum omnipotenti Deo imputamus & non homini, qui tam celeri auxilio in se confidentibus subvenire dignatus est. Nomina autem Baronum Ducis, qui capti sunt & tenentur, hæc sunt: Comes R. de Ariano, Comes R. de civitate & alii tales fere XXX. tentoria Ducis & propria capella cum omnibus utensilibus & scriniis capta fuere, in quibus inventa sunt privilegia, in quibus Petrus Leonis ipsam Romam & ab inde usque Siciliam totam ei terram concesserat, & Advocatum Romanæ ecclesiæ & Patricium Romanorum & Regem illum statuerat. Qualiter autem vos habeatis & fideles vestri, & quæ de Domino Papa scitis & Imperatore, nobis rescribere dignemini.

CCCLXI.

Domino Præposito, tam dilecto, quam venerando P. ille suus licet pauper, non fictus tamen amicus, ille tam longo jam exilio actus & attritus, fidei, caritatis, omnimodæque devotionis promtam exhibitionem. Quanto desiderio jugiter desiderem & exoptem vitam & incolomitatem vestram rerumque vestrarum apud Deum & homines profectum, stili officio explicare nec valeo nec opus esse censeo. Novi enim ea vos animi constantia & discretione esse præditum, ut nec adulator superflua loquacitate apud vos in mendacio proficiat, nec simplex aliquis ac verecundus modesta taciturnitate in vero negotio sibi noceat. Quare prætereundum videtur sub silentio, qualem fidei & dilectionis affectum erga vos habeam, quoniam hoc soli Deo & conscientiæ meæ interius patet, nec vestram, ut reor, discretionem ex toto latet. Verum ubi locorum nunc degam, quid rerum in præsenti geram, quidve in proximo futuro agendum fore proposuerim, quantumque in proposito meo profecerim, paucis libet vestræ dilectioni per ordinem intimare eoque confidentius quod pro certo mihi constat, non esse vos de numero illorum Dominorum, qui omnia & benefacta solent obliquis moribus detractationis obfuscare, verum cujuslibet etiam minimi successibus in bono proposito vos soletis congratulari. Parisius sum modo in scolis magistri Gwillelmi summi viri omnium hujus temporis, quos ego noverim in omni genere doctrinæ. Cujus vocem cum audimus non hominem, sed quasi angelum de cœlo loqui putamus. Nam & dulcedo verborum ejus & profunditas sententiarum quasi humanum modum transcendit. Qui cum esset Archi-Diaconus fereque apud regem primus, omnibus, quæ possidebat, dimissis, in præterito Pascha ad quandam pauperrimam ecclesiolam soli Deo serviturus se contulit, ibique postea omnibus undique ad eum venientibus gratis & causa Dei solummodo, more magistri Manegaldi beatæ memoriæ, devotum ac benignum se præbuit. Jamque tantum studium regit tam in divinis, quam humanis scientiis, quantum nec vidi nec meo tempore usquam terrarum esse audivi. Hic, venerande mi, juventutem meam excerceo, ne viciis illis, quæ hanc ætatem plerumque solent præcipitare, devicta succumbat omnino. Hic rudem animum tenebris ignorantiæ, ex culpa primi hominis mancipatum, doctrina & studio illuminare satago, quantum ipse Deus dignabitur dare, a quo solo est omne bonum sapientiæ. Quod videlicet bonum sapientiæ, quando cum munda intentione quæritur & suscipitur, merito ab omnibus discretis summum & creditur & habetur. Scientia enim, ait Apostolus, sine caritate inflat: scientia vero cum caritate ædificat. Vitia enim eruit, virtutes inserit, fruentem se quid sibi, quid proximo, quid creatori debeat, instruit; denique mentem, cui ipsa præsidet, contra omnes molestias hujus vitæ extrinsecus accidentes sua præsentia præmunit ac defendit. Sæpe igitur ex desiderio hujusmodi boni,

Digitized by Google

boni,non ſpe alicujus inanis lucri,tanto tempore exilium, famem, ſitim, nuditatem, cæterasque miſerias,quas longum eſſet enumerare,perpetior. Nam revera niſi ipſa ſpeculatio veritatis ſua quadam naturali dulcedine appetentes ſe alliceret ac refoveret, non credo quemquam hominem tam ferreum fore, qui talem laborem, qualem hujusmodi ſtudium exigeret, vellet vel poſſet ſuſtinere. Porro autem nolo vos ignorare, quare munus veſtræ largitionis cum ſumma gratiarum actione ſuſcepi, tantum gaviſus aut, etiam amplius, de affectu mittentis, quam de quantitate ipſius muneris. Qua de re certum & fixum volo vos habere, ſiquid ſum vel ero, per omnia vobis obnoxius permanebo. Nunquam enim excidet memoriæ meæ,quantum ruditati meæ contuleritis. Dominum Epiſcopum, uti mandaſtis, Wormatiæ alio anno conveni, ſed ipſe lepide, neſcio, quo modo, ſe erga me habuit, neque ego, ut vobis in aurem dictum ſit, multum me ingeſſi. Ipſe ſponte ſua nichil mihi obtulit,& ego licet indignus,diſſimulata tamen paupertate, nichil ab eo petii: quin & aliquantulum indignationis viſus eſt mihi erga me habuiſſe.

CCCLXII.

A. Dei gratia Moguntinus Archi-Epiſcopus & Apoſtolicæ ſedis Legatus Venerabili confratri ſuo O. Babenbergenſi Epiſcopo ſalutem cum oratione & obſequio. Controverſia magna inter fratrem noſtrum Dominum Halverſtatenſem & quosdam fratres ſuos regulares eſt habita. Vocatis autem utrisque in audientiam,quod terminare eam & ad concordiam eos revocare nulla ratione cum fratre noſtro Domino Hildenheimenſi potuimus, pluribus fratribus noſtris ad hoc nobiscum pertractandum deſtinatis, ſecundo in audientiam veniendi diem & locum eis ſtatuimus. Sed quia prudentia veſtra in negotio hoc nullo modo poſſumus carere, rogamus vos & rogando auctoritate noſtra injungimus, quatinus proxima Dominica poſt Aſcenſionem N. nobiscum ad diffiniendam hanc diſcordiam velitis adeſſe.

CCCLXIII.

A. Dei gratia Moguntinus Archi-Epiſcopus & Apoſtolicæ ſedis Legatus dilecto & diligendo in Chriſto confratri ſuo Domino O. Babenbergenſi Epiſcopo ſalutem cum oratione & obſequio. De ſtatu Regis proſperantis in tot milibus militum & debilitate Petri Leonis, quemadmodum nobis fraternitas veſtra ſignificavit, exultantibus animis Deum benedicimus; vobis quoque multas gratiarum actiones de tam læto nuntio referimus. Proinde quid vobis videatur de colloquio, quod principes Bauwariæ in loco veſtro habituri ſunt, &, ſi Dominus Saltzburgenſis ad idem colloquium veniat, diligenter inveſtigate. Scripto quoque nobis per præſentium latorem quantocius remandate, ut ſecundum mandatum veſtrum, quid agendum nobis ſit, certificemur. De cætero hominem iſtum, mercatorem noſtrum, in manus ſanctitatis veſtræ committimus, ut cauſam ſuam de requiſitione ſponſæ ſuæ clementer exaudiatis, & ſecundum, quod juſticia dictaverit, ſuper legitima deſponſatione ſua, cauſa dilectionis noſtræ, juſtum judicium apud vos inveniat.

CCCLXIV.

Venerabili Pragienſium Epiſcopo O. Babenbergenſis conſervus ſuus & humilis Dei gratia coëpiſcopus in caritate non fictam orationem, in humilitate devotam ſervientiam. Propter unitatem caritatis Chriſti, quæ eſt inter nos, læta ſunt nobis omnia, quæ vobis ſunt proſpera; in adverſis autem, quicquid vobis accidit, nobis quoque accidit. Quod autem in præſenti vos conturbat, id ipſum gravius nos quoque contriſtaret, niſi daret nobis conſolationis veſtræ fiduciam, qui dat rectis corde lætitiam. Veritas enim ipſa vos liberabit. Quis enim ſperavit in Domino & derelictus eſt. Conſoletur itaque primo vos conſcientiæ veſtræ puritas,tanto ab omni timore ſecura, quanto a crimine objecto ſibi libera eſt. Conſoletur vos, quod a fratribus & coëpiſcopis veſtris bonum meruiſtis habere teſtimonium, quod, ſi ad id ventum fuerit, omnes uno ore loquentur pro vobis. Conſoletur & vos,quod in eccleſia Romana ordinatoris veſtri auctoritas magna eſt,qui ante ordinationem veſtram ita diligenter ordinem & libertatem electionis veſtræ examinavit, ut jam amplius iſta retractari non oporteat. Miramur & quomodo nunc ſibi contrarii ſint illi, qui tunc dato conſenſu, tam ordinationi, quam electioni veſtræ interfuerunt. In his itaque volumus vos conſolari in Domino. Conſilium autem noſtrum eſt, ſi jam latius divulgatum eſt verbum illud injuſtæ criminationis veſtræ, ut in ipſa eccleſia veſtra vos expurgare ſatagatis, quatinus apud eos nulla de vobis maneat ſuſpicio, inter quos ſancta debet eſſe veſtra converſatio. Ducem inſuper & Principes terræ, præcipue Olomucenſem Epiſcopum conciliate vobis,& quascunque perſonas ſive eccleſiaſticas ſive Seculares, omni ſtudio placate. Difficile eſt enim unum aliquem vel odia vel offenſam multorum ſuſtinere. Et noſtri officii eſt coram omnibus humiliare nos & placare omnes, ut omnibus, ſi fieri poteſt, placeamus. Sic rebus domi compoſitis, tum denique in curia Romana rem veſtram agite, quia parum extra ſecuritatis eſt, dum adhuc domus noſtra contra nos tumultuatur. Comparato itaque vobis favore apud Ducem & Principes & alias quascunque regionis ſive eccleſiæ noſtræ perſonas diſponeris noſtro conſilio, ut nuntius bonus litteras Archi-Epiſcopi veſtri & Ducis una cum litteris veſtris ad Dominum Apoſtolicum deferat, quæ omnes hanc ſummam petitionis contineant, ut detur vobis poteſtas expurgandi vos in regione veſtra coram eodem Johanne Cardinale, cujus mentionem in litteris veſtris habuiſtis. Interim vobis providete ita,ut ſi neceſſe fuerit,intrare Italiam non dubitetis. Expedit enim vobis extrema quævis perpeti, quam inobedientes invenire.

CCCLXV.

A. Dei gratia Moguntinus Archi-Epiſcopus & Apo-

Digitized by Google

& Apostolicæ sedis Legatus venerabili & in Christo plurimum dilecto fratri O. Babenbergensi Episcopo salutem cum servitio. Quotiens humano consilio & auxilio destituimur, novit prudentia tua, reverende frater, quod ad divina subsidia nobis est confugiendum, quatinus quod per nos non valemus, divinæ miserationis gratia consequamur. Recordari siquidem volumus discretionem tuam omni studio, omni conamine, in præsentia tua & aliorum principum nos operam dedisse, quatinus hoc generale malum, pro quo scripsisti, nobis honesto placito interveniente, præveniendo possemus avertere, at non placuit Principi in aliquo nos audire vel exaudire. Quid divina miseratio de his ordinaverit, humana mens non sufficit perscrutari, sed tamen hoc interim tecum pertimescimus, ne multam & indiscretam elationem gravior & indignior ruina subsequatur. Si placeret adhuc Principi sanius consilium admittere, nos una tecum libenter pro posse nostro laboraremus, ut hæc omnia ad communem patriæ salutem & regni honorem componerentur. Sin autem, quod solum restat, faciemus, ex altera parte, ecclesiæ tuæ & aliis fratribus & amicis nostris, quantum possumus, laborabimus providere. De cætero orantem pro nobis fraternitatem Deo committimus.

CCCLXVI.

A. Dei gratia Moguntinus Archi-Episcopus & Apostolicæ sedis Legatus reverendo confratri suo O. Babenbergensi Episcopo salutem & debitam in Christo dilectionem. Scientes nos in ecclesia Dei ad hoc constitutos esse, ut pro decore domus Dei debitam geramus sollicitudinem, communem dolorem & generale malum ecclesiæ ulterius dissimulare non sustinemus, sed vestræ potissimum sanctitati & aliorum fratrum & coëpiscoporum discretioni communicandum putavimus, quatinus in alterutrum communicato consilio non modo nascenti morbo fomenti medicamine occurramus, verum invalescentem jam pestem ferro resecare satagamus. Novit enim diligentia vestra, quæ fomenta non sentiunt, ut recuperetur sanitas, ferro esse resecanda. Ad quod terrenda nos vox prophetica commonet, comparans sacerdotes Christi canibus mutis, & non valentibus latrare, qui timore vel gratia hominum Christi sui injurias silentio voluerint præterire. Hujusmodi & aliis pluribus sanctorum verbis & exemplis commoniti destructionem ecclesiasticæ libertatis ingemiscimus & pro ea conservanda, immo ad eam recuperandam, & nos nobiscum & vos una nobiscum in Christo & propter Christum exhortamur. Quid enim restat ad cumulum doloris nostri cum videamus canonicas Episcoporum electiones ad nutum Principis cassari & pro beneplacito suo ipse substituat, quos libuerit. Hoc in Basiliensi ecclesia factum est, & scimus, quod jam dudum non latuit prudentiam vestram. Venerabilis quoq; frater noster Trajectensis Episcopus inimicos ecclesiæ suæ, qui de ministerialibus erant, & de monasterio sanctæ Mariæ prostibulum & equorum suorum stabulum fecerant, judicario ordine excommunicavit: hos in curia Coloniensi Princeps in familia sua habuit, nec aliquo interventu fratrum vel aliorum Principum Episcopum in gratiam suam recepit, donec eum tanti sceleris auctores pro extrema eorum salute sine pœna & omni ecclesiastica compositione compulit absolvere: Quid dicemus amplius? Ipsa etiam Archi-Episcoporum pallia de curia sunt expetenda, quod manifestum est in Domino Coloniensi, qui ideo adhuc pallio caret, quod illud contra canonicæ religionis institutionem incuria recipere noluit. Pro his & aliis pluribus petimus, ut consolationis vestræ litteris, quid fieri expedit, informemur, quia extrema quælibet perpeti satius est, quam talem ac tam ignominiosam videre & sustinere ecclesiæ injuriam & contritionem.

CCCLXVII.

Domino suo L. Romanorum Imperatori Augusto suæque contectali imperatoriæ dignitatis consorti C. Salzburgensis ecclesiæ Dei gratia siquid est, orationis instantiam, servitii diligentiam. Quod vos diligamus & fidem sub timore Dei debitam vobis servemus, eum testem invocamus, sub cujus mentiri testimonio judicamus crimen æquipollens sacrilegio. Ea propter ambigere majestatem vestram nolumus, quin ad petitionem ac mandatum vestrum noluntas nostra prompta fuerit: sed matura senii debilitas & gravis, qua plerumque vexamur, infirmitas obstitit. Cætera quæ his apicibus inserere volumus fideli vestro N. nostroque Præposito vobis intimanda commisimus.

CCCLXVIII.

C. Dei gratia Coloniensis Archi-Episcopus M. Abbati sanctæ Crucis & toti conventui salutem & benedictionem. Ex tenore litterarum vestrarum cognovimus, quod domus vestra maximum passa sit dispendium & nunc non modica laboret egestate. Verum vestram latere nolumus universitatem, quod Dominus Rex ob indignationem, quam adversus nos indebite concepit, redditus nostros ecclesiasticos interdixit. Unde licet vestræ quam plurimum compaciamur inediæ eam ad præsens nostro relevare non possumus auxilio. Sciatis tamen quod quam cito reddituum nostrorum plenam receperimus restitutionem, secundum facultatem nostram gratanter vobis subveniemus. Super eo vero quod dispositionem patris & matris nostræ super his, quæ vestro tam in vita, quam in morte contulerunt monasterio ex nostra provisione pendere dixistis, notum vobis facimus, quod, disponente Domino, post Pascha circa festum sanctæ Crucis una cum confratribus nostris in illa parte regni erimus, etsi donationem vel ordinationem aliquam a patre sive matre nostra monasterio vestro fuisse factam per eos perpendere poterimus, consulemus eis & præcipiemus, ut eam inviolabiliter observent &, si impleta non fuerint, adimpleant. Amen.

Versus

Digitized by Google

CCCLXX.

Verſus Eberhardi ex Angelica ſalutatione ad beatam Virginem.

Ave Ardua lux mundi, ſpes orbis firma rotundi,
Vox peccatorum vox ſucclamans miſerorum,
Erue de clade, maledictum quos ligat Ade.

Maria Manna cibans mentes, eſcas vitæ, cupientes,
Ad declamantes, tua munia rite precantes
Rore ſacro ſatura, laxa prece vincula dura.
Implora natum; deleri poſce reatum;
Atria da cœli conſcendere cuique fideli.

Gracia Germen cœleſtis pacis, dans gaudia mœſtis,
Robur virtutum, ſummæ virtutis acutum,
Almigeræ vitis flos, mors veteris pia litis.
Conregnans nato, ſceptro ſubfulta beato,
Infer ad alta poli, conſigna nos prece proli,
Arida fœcunda, cordisque peripſema munda.

Plena. Prora cupita maris, ſuperæ dux & via laris,
Limen ad ingreſſum patriæ, qua fingere greſſum
Edicit Jeſus, animæ gratiſſimus eſus,
Nutantes ſolida, ſis firmans pectora fida,
Ablue fece nevi, fati mala deprime lævi.

Dominus Digna Deo, ſuccurre reo, laus clara tropheo,
O pereo, premit ungue leo, mergitque lethæo.
Me miſerum quid agam? letali vulnere plagam
Inflictam ſana, mentis pellendo prophana
Nardus odorifera ſpirans fragramina vera;
Virgo Dei, via tuta ſpei, radixque fidei,
Scala poli, baſisque ſoli, nos linquere noli.

Tecum Te patriarcharum cecinit chorus ordoque vatum,
Eſſe Dei matrem, cum gignis, filia patrem
Concipis absque viro, lactas ſed ordine miro
Ut contra jura carnis nova jam genitura
Mundo clareſcat & res archana pateſcat.

Benedicta Bella, quibus veteres in buſta ruere parentes,
Et florente domo caruerunt judice pomo,
Numine tu plena ſancto, deles, & amœna;
Ede, pie, reperas lacrimas, detergis amaras;
Depoſitum mundo quo jam pateat tremebundo,
Innuba Sponſa Dei, noſtræ portus requiei,
Conſilio magno cœleſti jungitur agno.
Terrea lætantur, quia cœlicolis ſociantur;
Archano tali gaudent ſe ſecla piari.

Mulieribus. Male, retunde mala, te germine florida mala
Vivacem fructum referant, jocundaque luctum
Limine propellant, & quæ bona quæque procellant,
Infere nos viti cœleſti, dic Samariti:
Ephebos cerne, noxæ quos lima veternæ
Renibus enervat, molem torporis acervat,
Igne tuo juvena ſit larga timoris avena.
Bacca virore nitens, caro calce rebelle renitens
Vi perculſa gravi, te judice, ſtrage ſuavi
Sternatur, ſtrata miteſcat, macte, beata.

Et Expers virgo thori, maris haut ſubjecta rigori,
Tota triumphalis, rigidas larvæ baratralis.
Buccas elide, vim pelle, dolumque relide,
Exul ut æthereas carnis poſt fata choreas
Nube retrovulſa, picea caligine pulſa
Expetat, aſpira; te ſupplice, vindicis ira Benedictus
Dulceſcat miſeris; rege, quos pietate tueris
Inclita ſtirps David, quam nulla lues viciavit.
Cella ſigillata, divino rore rigata,
Terra ferax olei, lacrimoſæ meta diei,
Vasque tenens vina medicantia corda ſupina,
Spes mœſti cordis, famoſa medela vecordis;

Forma pudicitiæ, dignumque cubile Sophyæ, Fructus
Rivus honeſtatis, Tronus electus Deitatis,
Virgo ſalutaris, quæ matris honore bearis,
Cudimus, ecce, preces, ſcelerum detergito fæces.
Triſtia lenito, vitam virtute polito;
Virga virens, vellusque madens, majataq; tellus,
Scilla Charibsque furit, puppesque pyrata peaurit;

Undifero claſſis quatitur, diſcrimine laſſis, Ventris
Exidium malis rabies nunciat borealis;
Nox tegit aſtra, fremit mare, nautis carbaſa demit.
Turbida miteſcant, neptunia ſceptra rigeſcant;
Remige te celeri, tua diſcant juſſa vereri
Inrequieta freta, coluber, mundus, caro, meta
Stringantur tali, ne denuo lege ſodali.

Tartareis tenebris mergant. Baſylea celebris Tui
Votis intende, vitæ pia dona repende.
Infirmos ſana miſerorum Samaritana.

CCCLXXI.

Ciſtercium.

C - - - - - - - - - penſa qua lance ſecundum
Illibres - - - - mox ne devexa petenti
Syngrapha ſit nutans, ſis mundi vana refutans.
Terrificat frontem ferus haut piger, expete fontem
Æſtum pellentem, mellis dulcore fluentem,
Rivulet & ſenſum dynamis, dent lemmata penſum.
Congere, quos frenos jungat ſibi norma ſerenos,
Inque jubar ſolis disvelans nubila molis,
Vernales flores lege, brumæ pelle rigores,
Mens vaga, ſerenans - - - - - Se dare Lumen.

CCCLXXII.

Epitaphium Ducis Friderici Auſtriæ & Stiriæ.

Forma jacet Paridis, tumor Hectorianꝰ, Achillis
Robur, Alexandri fortuna ſubacta favillis,
Immo Samſonis vis, cor David, os Salomonis,
Dos Mardochæi, ſors Judit, mors Machabæi,
Eccleſiæ fax, pax patriæ, decus orbis, abegit
Buce foro, ſcelus urbe, choro famoſa peregit.
Jam probat omnia nil niſi ſomnia ſubdita ſoli.
Ceu roſa decidit, & merito dedit omnia ſoli.
Unde Dei ſors aufer ei culpas prece prona,
Sit ne ſibi locus ater ibi, ſed vera corona.
Da lacrimas Stiriæ genus, Auſtria lugeat alma
Victaque barbarie cecidit lapſo duce palma.
Chriſte tibi vivatque ſibi Princeps crucis iſte.

Hoc Epitaphium ſcripſit quidam Monachus Ciſtercienſis Chunradus nomine, genere Saxo.

FINIS.

II.
HINCMARI REMENSIS ARCHIEPISCOPI EPISTOLÆ
nunc primum editæ.

I.
Epistola Hincmari Remensis Archiepiscopi ad Clerum Laudunensem.

HIncmarus Remorum Episcopus ac plebis Dei famulus, Presbiteris, Diaconibus ac reliquo ecclesiastico ordini & cunctis in Laudunensi parrochia consistentibus salutem. Confratres ac consacerdotes nostri Hetto, Ermino, Geroinus, Hadulfus, & Clarentius presbiteri ecclesiæ vestræ, II. Calend. Junii, præsentis secundæ indictionis, data mihi ad vicem omnium vestrorum petitione, cujus hic partim textus, quantum sufficere vidi, sequitur, de quibusdam capitulis vestræ communis necessitatis consuluerunt hoc modo: Dum XIII. Cal. Maji pastor noster in monte Lauduno, in sua Synodo de perplurimis utilitatibus suæ sanctæ Ecclesiæ ordinando & emeliorando quædam in eis disputaret, occurrit pro successu temporum quædam pars ejusdem disputationis, pro qua, quia ordinandi rerum ecclesiasticarum potestas ab eo, cum jus & lex canonum jubendo præcipit, ut episcopus res ecclesiæ suæ, quibus voluerit & quomodo voluerit, disponendo dispenset, auferretur, perplurimæ autoritates Sancti Petri successorumque ejus, quibus qualiter & quomodo data sit potestas ligandi & solvendi, ab eodem pastore nostro in præsentia totius Synodi eas relegendo, recitatæ sunt. Quibus recitatis, memor injuriarum suarum, quæ ei moderno acciderunt tempore, addidit, quod immineret tempus conprovincialis Synodi, quæ in Vermeria palatio regio a nobis vestrisque suffraganeis 8. Cal. Maji habita est. Ad quam vestris literis evocatus libenti animo coram omnibus professus est, se sine ulla intercapedine progressurum. Sed quia credebat in ipsa Synodo, quod mos haud exposcit canonicus, aliquam violentiam sibi inlegaliter & contra leges canonum a quocunque fieri, sermone contestatorio & auctoritate Sancti Petri, quod si ei licentia eundi Romam prohiberetur, aut ipse captus obtineretur, omnes sacerdotes totius parochiæ suæ colligavit, ut nemo eorum in ea sacerdotali ministerio tam diu uteretur, usque dum ipse nobiscum iterum viva voce loqueretur, aut literæ ex ipsa sancta sede beati Petri apostoli nobis mitterentur. Quo facto quod tunc non accidit, nunc in Silviaco palatio regio V. Cal. Junii peractum est: qua tamen die, priusquam ad ipsum Silviacum perveniret, præscius venturæ violentiæ suæ, prædixit sacerdoti nostro Clarentio simulque Diacono Reutlando, ut nobis denuntiarent, per omnia nos servaturos, quæ causa suarum injuriarum &, ut satius dicamus, pro statu sanctarum ecclesiarum in præscripta Synodo XIII. Cal. Maji omnibus sacerdotibus suæ parrochiæ observare autoritate Sancti Petri ipse præceperat. Et post aliquanta: Quapropter, quia eundem Dominum nostrum regia potestate retentum & reclusum viva voce adire non poteramus, & sacerdotali ministerio prohibita ab eo frui non audebamus, III. Cal. Junii ad Capitolium nostrum convenimus & ibidem communi colloquio retractantes ratum fore duximus, ut exinde consilium nostræ salutis a sacra paternitate almitatis vestræ humiliter deposceremus, utrum sacerdotalis ministerii officio, missas celebrando & Domino pro captione pastoris nostri ac communi utilitate totius sanctæ ecclesiæ sacrificia offerendo, baptizando pueros, visitando infirmos, reconciliando cum viatico munere pœnitentiam petentes, sepeliendo mortuos, cum penitus ab his omnibus prohibiti simus. Et paulo post; in parrochia nostra uti debeat an non; & reliqua. Quam relegens satis superque dolui, fateor, quia dilectus frater & coëpiscopus noster Hincmarus contra episcopalem gravitatem & contra evangelicam veritatem atque apostolicam & canonicam autoritatem talia inconsulte causa suarum injuriarum agere præsumpsit, qualia nullus ante illum Episcopus egit, quæ non modo sacrarum scripturarum tramiti contraria & decretis sunt sanctorum adversa, verum & saluti humanæ ac universæ Christianitati sunt inimica, quia sicut Hilarus Papa dicit: Non minus in sanctarum traditionum delinquitur sanctiones, quam in injuriam ipsius Domini prosilitur. Vestram autem solertiam laudo, filii ac fratres charissimi, quos præcepta sacrorum canonum non perfunctorie legisse cognosco. Sic enim sacra & mystica Nicena synodus: Antiqua consuetudo servetur per Ægyptum, Libiam & Pentapolim, ita ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quia & urbis Romæ parilis mos est. Similiter autem & apud Antiochiam cæterasque provincias suis privilegia serventur Ecclesiis. Quod capitulum Sanctus Bonefacius Papa, scribens

ſcribens ad Hilarium Narbonenſem Epiſcopum exponit hoc modo; Convenit, nos paternarum ſanctionum diligentes eſſe cuſtodes. Nulli etenim videtur incognita Synodi conſtitutio Nicenæ, quæ ita præcipit, ut eadem proprie verba ponamus; per unamquamque provinciam jus Metropolitanos ſingulos habere debere, nec cuiquam duas eſſe ſubjectas, quid illique aliter credendum putant & ſervandum, Sancto Spiritu ſuggerente ſibimet cenſuerunt. Et poſt aliquanta: quod idcirco dicimus, ut advertat caritas tua a Deo nos Canonum præcepta ſervare, ut ita conſtitutio quoque noſtra diffiniat, quatenus Metropolitani ſui unaquæque provincia in omnibus rebus ordinationem ſemper expectet. Et ſanctum Africanum concilium ſcribens ad Cœleſtinum Papam: Decreta, inquit, Nicena ſive inferioris gradus clericos ſive Epiſcopos ipſos ſuis Metropolitanis apertiſſime commiſerunt. Et venerandum Antiochenum Concilium: per ſingulas, inquit, regiones Epiſcopos convenit noſſe Metropolitanum Epiſcopum ſollicitudinem totius provinciæ gerere, propter quod ad Metropolim omnes undique, qui negotia videntur habere, concurrant. Unde placuit eum & honore præcellere & nihil amplius præter eum cæteros Epiſcopos agere, ſecundum antiquam a patribus noſtris regulam conſtitutam, niſi ea tantum, quæ ad ſuam Diœceſim pertinent poſſeſſionesque ſubjectas. Unusquisque enim Epiſcopus habeat ſuæ parrochiæ poteſtatem, ut regat juxta reverentiam ſingulis competentem, & providentiam gerat omnis poſſeſſionis, quæ ſub ejus eſt poteſtate; ita ut Presbiteros & Diaconos ordinet & ſingula ſuo judicio comprehendat. Amplius autem nihil agere tentet præter Antiſtitem Metropolitanum. Presbiteros, inquit, & diaconos parrochiæ ſuæ Epiſcopus ordinet & non exordinet, quia quos ſolus Epiſcopus ordinare poteſt, ſolus, niſi, ut venerandi præfigunt canones, a ſacris officiis ſubmovere vel ſuſpendere nequaquam poteſt. Et ſingula, inquit, non autem generalia ſuo judicio comprehendat, quem convenit noſſe metropolitanum Epiſcopum ſollicitudinem totius provinciæ gerere, propter quod ad Metropolim undique, qui negotia videntur habere, concurrant. Unde, fratres Chariſſimi, docente nos beato Gregorio ac dicente; qui non corrigit, reſecanda committit; ad præfatum fratrem & coëpiſcopum noſtrum Hincmarum has quæ ſequuntur, literas autoritate Metropolitana dirigere neceſſarium duxi, monens illum paterna ac fraterna dilectione, ut juxta beati Papæ Hilari decreta, ipſe quantocius iniquum factum ſuum diſſolvat. Quod ſi agere noluerit & contumaciter, quod abſit, magis differre, quam obedire maluerit, ſciat generalitas fraternitatis veſtræ virtute Domini noſtri Jheſu Chriſti, qui, ut ipſe dicit, venit animas ſalvare, non perdere, & venit quærere & ſalvare quod perierat, qui eſt, ut ipſe inſinuat, via, veritas & vita; Via ſcilicet eſt verſationis ſanctæ; Veritas doctrinæ divinæ, Vita beatitudinis ſempiternæ, a quo & per quem in ædificationem & non in deſtructionem ſacer ordo Epiſcopalis accepit exordium; judicio etiam Sancti Spiritus, quo ſacri promulgati ſunt canones & ſancti prophetæ atque Apoſtoli eorumque ſucceſſores & apoſtolicæ beati Petri ſedis Pontifices nobis documenta ſalutis & regulas ac decreta ſalubria ediderunt, & ſervanda inviolabiliter tradiderunt, ſicut in ſequentibus relegetis, cunctaque de Capitulis in veſtra petitione conſcriptis contraria divinæ autoritati, quæ tenetur in ſubditis, aut verbo præcepit aut ſcripto decrevit, irrita & vacua & nullius virtutis & autoritatis eſſe pronuntio atque decerno, vobisque miniſtris eccleſiæ Laudunenſis parrochiæ præfata autoritate præcipio, ut & in miſſarum celebrationibus & in cæteris officiis tam diurnis, quam nocturnis, & in diſtributione ſecundum traditionem Domini ſacramentorum cœleſtium fratribus & populis conſulendis, ſed & baptizandis parvulis, & in ſuſcipiendis ad pœnitentiam indigentibus, & in ſubveniendis viatico munere ſecundum ſacros canones obeuntibus, & in ſepeliendis mortuis, ſine ulla retardatione aut negligentia, quantum patitur humana fragilitas, ſecundum tramitem ſanctarum ſcripturarum traditionemque majorum, divina munia exequendo, fratribus & populis conſulere ſtudeatis. Scientes, vos ordinum veſtrorum ſuſtinere jacturam, ſi confeſſi aut regulariter convicti fueritis de proximorum per veſtram negligentiam, quod abſit, periculo. Si autem, quod non eſt credendum, frater & coëpiſcopus noſter Hincmarus quocunque tempore cuicunque & quibuscunque veſtrum, propterea quia ejus inlicitam præceptionem non obſervaſtis, contra regulas in aliquo fecerit, ſecundum ſacros canones ad Metropolim veſtram vel ad provinciale concilium, qui læſos ſe exiſtimaverint, feſtinent recurrere, ut quod perpere illis, quod Dominus longe faciat, fuerit inrogatum, ſynodi experti examen, debitam & neceſſariam emendationem ſuſcipiant.

II.

Hincmari Rem. Archiep. Epiſtola ad Hincmarum Epiſcopum Laudunenſem.

Hincmarus Remorum Epiſcopus, dilecto fratri Hincmaro Laudunenſi Coëpiſcopo noſtro ſalutem. Pridie Cal. Junii præſentis ſecundæ Indictionis miſit ad me grex Laudunenſis eccleſiæ per Legatos ſuos, quorum nomina ſcripta habemus, oblatam petitionem, in qua inter cætera continetur: Dum XIII. Cal. Maji idem Paſtor noſter in monte Lauduno in ſua Synodo de perplurimis utilitatibus ſuæ ſanctæ eccleſiæ ordinando & emeliorando quædam in eis diſputaret, occurrit pro ſucceſſu temporum quædam pars ejusdem diſputationis, pro qua, quia ordinandi rerum eccleſiaſticarum poteſtas ab eo, cum jus & Lex canonum jubendo præcipit, ut Epiſcopus res Eccleſiæ ſuæ, quibus voluerit & quomodo voluerit, diſponendo diſpenſet, aufferetur, per plures autoritates Sancti Petri ſuc-

successorumque ejus, quibus, qualiter & quomodo data sit potestas ligandi & solvendi, ab eodem pastore nostro in præsentia totius Synodi eas relegendo, recitatæ sunt. Quibus recitatis, memor injuriarum suarum, quæ ei moderno acciderant tempore, addidit, quod immineret tempus conprovincialis Synodi, quæ in Vermeria palatio Regio a nobis vestrisque suffraganeis VIII. Cal. Maji habita est. Ad quam vestris literis evocatus, libenti animo coram omnibus professus est, se sine ulla intercapedine progressurum. Sed quia credebat in ipsa Synodo, quod mos haud exposcit canonicus, aliquam violentiam sibi inlegaliter & contra Leges canonum a quocunque fieri, sermone contestatorio & autoritate Sancti Petri, quod si ei licentia eundi Romam prohiberetur, aut ipse captus obtineretur, omnes sacerdotes totius parrochiæ suæ colligavit, ut nemo eorum in ea sacerdotali ministerio tam diu uteretur, usque dum ipse nobiscum iterum viva voce loqueretur, aut literæ ex ipsa sancta sede beata Petri Apostoli nobis mitterentur. Quo facto quod tunc non accidit, nunc in Silviaco palatio Regio V. Cal. Junii peractum est; qua tamen die priusquam ad ipsum Silviacum perveniret præscius venturæ violentiæ suæ prædixit sacerdoti nostro Clarentio simulque Diacono Reutlando, ut nobis denuntiarent, per omnia nos servaturos, quæ causa suarum injuriarum, &, ut satius dicamus, pro statu sanctarum ecclesiarum in præscripta Synodo XIII. Cal. Maji omnibus sacerdotibus suæ parrochiæ observare autoritate Sancti Petri ipse præceperat. Et post aliquanta: Quapropter quia eundem Dominum nostrum Regia potestate retentum & reclusum viva voce adire non poteramus, & sacerdotali ministerio prohibita ab eo frui non audebamus III. Cal. Junii ad Capitolium nostrum convenimus & ibidem communi colloquio retractantes ratum fore duximus, ut exinde consilium nostræ salutis a sacra paternitate almitatis vestræ humiliter deposceremus, utrum sacerdotalis ministerii officio missas celebrando & Domino pro captione pastoris nostri ac communi utilitate totius sanctæ Ecclesiæ sacrificia offerendo, baptizando pueros, visitando infirmos, reconciliando cum viatico munere pœnitentiam petentes, sepeliendo mortuos, cum penitus ab his omnibus prohibiti simus. Et paulo post: In parrochia nostra uti debeat, an non; & reliqua. Quam novitatem a seculo hactenus inauditam, frater Charissime, satis contremescens, exhorrui, satis superque dolui. Unde augentur mihi Lachrimæ, gemitus in meo corde non capiuntur atque ex intimo viscerum dolore peccatis meis reputo, quod tu talia filius meus in tempore isto, novitatis præsumptione, quæ de superbia descendere noscitur, agis, qualia nunquam ullus Episcoporum legitur præsumpsisse. Nam, sicut in sacra Historia legimus, Petrus quidem servabatur in carcere, oratio autem fiebat sine intermissione ab ecclesia ad Dominum pro eo. Liberius Papa, Virgilius Papa, Johannes Papa, & Pontifices sanctæ Romanæ Ecclesiæ in exilium missi & quidam eorum carcere conclusi fuerant; Athanasius Alexandrinæ secundæ sedis Episcopus & sanctus Miletius Antiochenus tertiæ sedis Episcopus & Cyrillus Hierosolimitanus Episcopus, Johannes Constantinopolitanus Episcopus, Paulinus Treverensis Episcopus, Sanctus Hilarius Pictavensis Episcopus, Eusebius Vercellensis Episcopus de Parrochiis suis abducti & in exilium missi fuerunt, & tale quid agere, sicut egisti, non præsumpserunt. Beatus Ambrosius in Ecclesia Mediolanensi Justina hæretica Imperatrice præcipiente conclusus & armatis circa Ecclesiam excubantibus obsessus & carpento posito ante ostium, quo in exilium traheretur, animam suam tenens in manibus suis, quid tale non egit. Rigobertus Remorum Episcopus, crudeli violentia a sede sua expulsus & in paupertate sua non longe ab eadem urbe cum magna indigentia pluribus annis residens deguit, sed quid tale cum Coëpiscopis suis non egit. Fuerunt & jam alii nostra ætate ac tempore a sedibus suis pro diversis causis ad tempus expulsi, quidam etiam & inrecuperabiliter abjecti & tale quid non egerunt, adtendentes sibi dixisse apostolum & ex prophetico testimonio confirmasse: Non vos defendentes, carissimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim: Mihi vindictam ego retribuam, dicit Dominus. Et si non aliud vel hoc te ab hac præsumptione cohibere debuerat. Nonne solus talia faceres, quæ nemo alius fecit? Cum beatus Petrus Apostolus dicat: nemo vestrorum patiatur tanquam homicida aut fur aut maledicus; tanquam maledicus, inquiunt Catholici Doctores, patitur, qui persecutionis suæ tempore in sui saltem injuria persecutoris effrenatur. Et item idem Apostolorum princeps dicit: Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. Qui peccatum non fecit nec inventus est dolus in ore ejus, qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur non comminabatur. Tradebat autem judicanti se injuste; Tradebat autem, & non excommunicabat, neque maledicebat. Et Paulus Apostolus dicit: Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum, sed in omnibus exhibeamus nosmet ipsos, sicut Dei ministros, in multa patientia, & patientes estote a Dominus. Et Sanctus Gregorius scribens ad Januarium dicit: Inter querelas multiplices, inquit, Isidorus vir Clarissimus, a fraternitate tua frustra se excommunicatum anathematizatumque conquestus est, quod quamobrem factum fuerit, dum a clerico tuo, qui præsens erat, noluissemus addiscere, pro nulla alia causa nisi pro eo, quod te injuriaverat, factum innotuit; quæ res nos vehementer afflixit, quia si ita est, nil te offendis de cœlestibus cogitare, sed te renascente conversationem habere significas, dum pro vindicta propriæ injuriæ, quod sacris regulis prohibetur, maledictionem anathematis invexisti. Unde de cætero omnino esto circumspectus atque

que ſollicitus, & talia cuiquam pro defenſione injuriæ tuæ inferre denuo non præſumas. Nam ſi tale aliquid egeris, in te ſcias poſtea vindicandum. Et oblata mihi petitio Laudunenſis eccleſiæ hanc inauditam antea excommunicationem cauſa injuriæ tuæ a te, priusquam ipſa injuria tibi irrogaretur, deprompram fuiſſe demonſtrat, quia etiam præ tertia proxima dominica die videlicet IIII. Cal. Junii præſentis ſecundæ indictionis miſſarum celebratione prætermiſſa, in Laudunenſi parrochia, pro dolor, extitit executa. Et item ſanctus Gregorius in Omelia XXVI. Judicare, inquit, digne de ſubditis nequeunt, qui in ſubditorum cauſis ſua vel odia vel gratiam ſequuntur; Unde fit, ut ipſa hac ligandi & ſolvendi poteſtate ſe privet, qui hanc pro ſuis voluntatibus & non pro ſubditorum moribus exercet. Unde recte apud Prophetam dicitur: Mortificabant animas, quæ non moriuntur, & vivificabant animas, quæ non vivunt. Non morientem quippe mortificat, qui juſtum damnat, & non victurum vivificat, qui reum ſupplicio abſolvere conatur. Cauſæ ergo penſandæ ſunt, & tunc ligandi atque ſolvendi poteſtas exercenda. Cui concordat tempore prior, ſed loco poſterior ſanctus Auguſtinus in libro de pœnitentia: Noluit, inquiens, hominem ab homine judicari ex arbitrio ſuſpicionis vel etiam extraordinario uſurpato judicio, ſed potius ex legendis ſecundum ordinem Eccleſiæ ſuæ ultro confeſſum ſive accuſatum atque convictum. Unde pro tuis injuriis non debueras Presbiteros excommunicare ab officio celebrandi ſanctum ſacrificium, cum juxta ſacros canones ſolus poſſis Epiſcopus presbiteros ordinare, ſed non confeſſos neque convictos de crimine ſolus non poteſt, niſi, ut venerandi præfigunt Canones, ab officio removere; minime autem pro tua injuria quenquam presbiterorum, quanto minus omnes parrochiæ tuæ ſacerdotes non debueras officio presbiterali privare. Cum ſanctus Gregorius, ad Eufemium ſcribens, dicat: ſervorum Dei humilitas in afflictionis tempore debet apparere: qui vero ſe contra præpoſitos ſuos erigunt, profecto oſtenditur, quia eſſe ſervi Dei contemnunt. Non enim grande eſt, his nos eſſe humiles, a quibus honoramur, quia & hoc ſæculares quilibet faciunt; ſed illis maxime eſſe debemus humiles, a quibus aliqua patimur. Pſalmiſta dicit: Vide humilitatem meam de inimicis meis. Et ad Maximianum Epiſcopum ſcribit: Frequenter, inquiens, me admonuiſſe vos recolo, ut in proferenda ſententia eſſe præcipites nullatenus deberetis. Et ad Marcianum dicit: quia nullus ſine cognitione damnandus eſt. Cauſantur etiam in præfata petitione ab Eccleſia Laudanenſi exiguitati meæ oblata, te prohibuiſſe nulli communionem nec etiam obeunti ultimam pœnitentiam vel viaticum munus in parrochia tua tribui, nullum infantem in eadem parrochia baptizari, nullum mortuum ſepeliri, ſi tibi licentia eundi Romam prohiberetur, aut captus tenereris, usquedum tu ipſe viva voce cum eis loquereris, aut literæ a ſede Apoſtolica Eccleſiæ Laudunenſi mitterentur. Et unde noſti, frater, ſi vel usque in craſtinum vives? Semper obligati erunt, quos decreviſti ligari? Quo contra beatus Gregorius dicit: durum quippe eſt, ut qui neſcit tenere moderamina vitæ ſuæ, judex vitæ fiat alienæ; & plerumque contingit, ut hunc judicii locum teneat, cui ad locum vitæ minime concordat. Ac ſæpe agitur, ut vel damnet immeritos, vel alios ipſe ligatos ſolvat. Igitur quantum ex te eſt, hæc crudelitas tua omnem crudelitatem omnium Paganorum & omnes perſecutiones omnium perſecutorum, quæ Chriſtianis inlatæ fuerint, excedunt, dicente Domino: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere. Tu autem, frater, quantum ex te eſt & animam & corpus mittis in Gehennam; & non ſolum illos omnes occidis, quos ſine baptismate ac ſine pœnitentia & communione de hoc ſeculo exire præcipiendo facis, verum & omnes Presbyteros reos mortis illorum efficis atque illorum judicio, qui jam cum Domino in cœlis regnant & in cæteris miraculis coruſcant, gradu privatos efficis, & pro tantis non ſolum in Synodo, verum & in divino judicio rationem de illorum mortibus reddes. Quia, ſicut Paulum legimus tantorum manibus ſanctum Stephanum lapidaſſe, quantos ad lapidandum exertos reddidit; ita & tu tantos occidis, quantos tua crudelitate & injuſta atque iniqua commendatione ſine baptiſmate atque communione de corpore exire facis. Quomodo tibi, frater, a mente exceſſit, quod Dominus per Prophetam unicuique noſtrum dicit: Speculatorem dedi te domui Iſrael. Si non adnunciaveris iniquo iniquitatem ſuam, & non converſus fuerit impius ab impietate ſua, ipſe quidem in peccato ſuo morietur, ſanguinem autem ejus de manu tua requiram. Et, ſi illorum ſanguinem de manu tua Dominus requiret, quibus non adnuntiaſti ſuam iniquitatem, ut ab impietate ſua converterentur, quid dices, frater, illi in judicio ſuo, qui, ſicut ipſe dicit, non venit animas perdere, ſed ſalvare. Cum venient illæ animæ ante Dominum, qui natos ſuos ad baptiſmi gratiam, ut de poteſtate diaboli liberarentur, fideliter portaverunt & obtulerunt & per patronos miſerunt; ſed & illæ minores quidem animulæ parvulorum, qui non ſuo, ſed alieno peccato obnoxiæ liberari potuerunt, niſi tua crudelitate & furore ac indignatione animi forent perditæ, & clamabunt adverſum te; pro quibus omnibus, additis etiam tuis peccatis, tot mortibus dignus, quot occidiſti crudeliori gladio tuæ ſententiæ, quam materiali machæra. Unde dignas ultionum pœnas ſine dubio lues, Cur non te terruit, & ab hac perverſa ſententia proferenda Domini promiſſio revocavit, qua univerſali Eccleſiæ ſuæ per Eſaiam Prophetam pollicitus eſt, dicens: Ab oriente adducam ſemen tuum & ab occidente congregabo te, dicam Aquiloni do & aufero, noli prohibere. Et tu prohibes Eccleſiæ ab inmaculato divini fontis utero Domino

Digitized by Google

Domino filios generare, qui venit animas non perdere, sed salvare. Quomodo te præteriit, quod in Evangelio legis: Offerebant, inquit, illi parvulos, ut tangeret illos; discipuli autem comminabantur offerre, quos cum videret Jesus, indigne tulit & ait illis: Sinite parvulos venire ad me, & ne prohibueritis eos. Et tu prohibes offerri Domino parvulos? Et si tremendum Dei judicium te non terruit, & a furore animi tui, ut talia præciperes, revocare non potuit, quia nunquam & nusquam postquam sacrum Nicenum Concilium est celebratum, tale quid factum fuisse audisti, sicut fieri præcepisti, timere debueras, ne tu solus hoc ageres, quod nullus Christianorum unquam facere ausus fuit. Nam de infantibus baptizandis, qui nec dum baptizati nascuntur, quoties necessitas exegerit, Regula Ecclesiastica per beatum Siricium prolata demonstrat, dicens ita: Infantibus, qui nondum loqui potuerunt per ætatem, vel his, quibus in qualibet necessitate opus fuerit, sacri unda baptismatis omni volumus celeritate succurri, ne ad nostrarum perniciem tendat animarum, si negato desiderantibus fonte salutari, exiens unusquisque de sæculo & regnum perdat & vitam. Quicunque etiam discrimen naufragii, hostilitatis incursum, obsidionis ambiguum, vel cujuslibet corporalis ægritudinis desperationes inciderunt, & sibi unico credulitatis auxilio poposcerunt subveniri, eodem, quo poscunt, momento temporis expetitæ regenerationis præmia consequantur. Hactenus erratum in hac parte sufficiat, nunc præfatam regulam omnes teneant sacerdotes, qui nolunt ab Apostolicæ Petræ, super quam Christus universalem construxit Ecclesiam, soliditate divelli. Et beatus Leodicus: Principalis & maximi sacramenti custodienda nobis est mystica & rationabilis exemplatio, non indicta licentia, qua in baptismo tribuenda periclitantibus subvenitur. Ita enim in has duas festivitates, Pascha scilicet & Pentecosten, connexas sibimet atque cognatas incolumium & in pacis securitate degentium libera vota differimus, ut in mortis periculo, in obsidionis discrimine, in persecutionis angustiis, in timore naufragii nullo tempore hoc veræ salutis singulare præsidium cuiquam denegemus. Et Africanum Concilium etiam eis infantibus, de quibus non inveniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur, neque ipsi sunt per ætatem de traditis sibi sacramentis idonei respondere, absque ullo scrupulo eos esse baptizandos præcepit, ne ista trepidatio eos faciat sacramentorum purgatione privari. Et sanctus Leo hinc dicit: Si nulla extant indicia inter propinquos aut familiares, nulla inter Clericos aut vicinos, quibus hi, de quibus quæritur, baptizati fuisse doceantur, agendum est, ut renascantur, ne manifeste pereant. In quibus, quod non ostenditur gestum, ratio non sinit, ut videatur iteratum: qui autem possunt meminisse, quod ad Ecclesiam veniebant cum parentibus suis, possunt recordari, an, quod eorum parentibus dabatur, acceperint. Sed si hoc etiam ab ipsa memoria alienum est, conferendum eis videtur, quod conlatum esse nescitur; quia non temeritas intervenit præsumptionis, ubi est diligentia pietatis. Et sanctus Gelasius: Baptizandi sibi quispiam passim quoquo tempore nullam credat inesse fiduciam, præter Paschale festum & Pentecosten, venerabile sacramentum, excepto duntaxat gravi lanugoris incursu; in quo verendum est, ne morbi crescente periculo sine remedio salutari fortassis ægrotans exitio præventus abscedat: & Diaconi absque Episcopo & Presbytero baptizare non audeant, nisi prædictis fortassis officiis longius constitutis necessitas extrema compellat, quod & Laicis Christianis facere plerumque conceditur. Et sanctus Gregorius scribens ad Johannem Larissæum Episcopum dicit: Secundum, inquiens, de criminalibus capitulum adversus Adrianum Episcopum videtur esse propositum de infantibus ejus jussu a sacri baptismatis susceptione prohibitis, atque in ablutos sorde peccati defunctos in tenebris. Vide, frater, quia esse hoc criminale capitulum demonstrat sanctus Gregorius. Sed & de ultima pœnitentia & viatico munere nulli negare debere, illius sententia sufficere tibi debuerat, qui dicit: Venit filius hominis quærere & salvare, quod perierat, & licet misericordia Domini, qua plena est terra, illis, qui ultimam pœnitentiam & viaticum munus sibi dari deposcunt, si eis fuerit denegatum, subvenire possit, qui corde credunt ad justitiam, ore autem confitentur ad salutem, transfixi dolore cordis & baptizata conscientia suis lachrimis gratiam Dei incomprehensibiliter percipiant, quod eis denegare jussisti, sicut in illo latrone, quod, ut beatus Augustinus dicit, ex baptismi sacramento defuerat, complevit omnipotentis benignitas; quia non superbia & contemptu, sed ex necessitate illi defuerat: tamen manifestissime tu reus eris illorum omnium animarum, si tua præceptione sine pœnitentia & viatico munere rebus humanis excedant. De viatico autem munere sanctæ communionis sacrum Nicenum Concilium dicit: quia generaliter omni cuilibet in exitum posito & poscenti sibi communionis gratiam tribui Episcopus probabiliter ex oblatione dare debebit. De qua sancta & mystica synodo beatus Leo Papa ad Antholium Episcopum Constantinopolitanum scribit dicens: quod illa Nicenorum canonum per Sanctum vere Spiritum ordinata conditio in nulla sit parte solubilis; nulla sibimet de multiplicatione congregationis synodalia Concilia blandiantur, neque trecentis illis decem atque octo Episcopis, quantum libet copiosior numerus sacerdotum, vel comparare se audeat & præferre, cum tanto divinitus privilegio sit consecrata, ut sive per pauciores sive per plures ecclesiastica judicia celebrentur, omni penitus autoritate sit vacuum, quicquid ab illorum fuerit constitutione diversum. Et sanctus Syricius etiam de Apostatis & Idolorum cultu ac sacrificiorum contaminatione profanatis decrevit, ut in ultimo fine suo reconciliationis gratia eis non denegetur, quia, dicente Domino, nolumus

Digitized by Google

mus mortem peccatoris, tantum ut convertatur & vivat. Et sanctus Innocentius dicit: quia communionem dari obedientibus placuit, & propter Domini misericordiam quasi viaticum profecturis, & ne Novatiani hæretici, negantis veniam, asperitatem & duritiam subsequi videamur. Tribuitur ergo cum pœnitentia extrema communio, ut homines hujusmodi vel in supremis suis, permittente Salvatore nostro, a perpetuo exitio vindicentur. Et sanctus Cœlestinus dicit: Agnovimus, inquiens, pœnitentiam morientibus denegari, nec illorum desideriis annui, qui obitus sui tempore hoc animæ suæ cupiunt remedio subveniri: Horremus, fateor, tantæ impietatis aliquem reperiri, ut de Dei pietate desperet, quasi non possit ad se quovis tempore recurrenti succurrere, & periclitantem sub onere peccatorum hominem pondere, quo se ille expediri desiderat, liberare. Quid hoc, rogo, aliud est, quam morienti mortem addere, ejusque animam sua crudelitate, ne absoluta esse possit, occidere, cum Dominus ad subveniendum paratissimus sit & invitans ad pœnitentiam sic promittat; peccator in quacunque die conversus fuerit, peccata ejus non reputabuntur ei. Et iterum: Nolo mortem peccatoris sed tantum ut convertatur & vivat. Salutem ergo homini adimit, quisquis ei mortis tempore pœnitentiam denegavit & desperavit de clementia Dei, qui eum ad subveniendum morienti sufficere vel in momento posse non credidit. Perdidisset latro in cruce præmium ad Christi dexteram pendens, si illum unius horæ pœnitentia non juvisset; cum esset in pœna pœnituit. & per unius sermonis promissionem, habitaculum paradisi Domino promittente promeruit. Vera igitur ad Dominum Conversio in ultimis positorum, mente potius æstimanda est, quam tempore, Propheta hoc taliter adserente: Ingemueris, tunc salvus eris. Cum ergo Dominus sit cordis inspector quovis tempore non est deneganda pœnitentia postulanti; cum illi se obliget judici, cui occulta omnia noverit revelari. Et sanctus Leo: Pœnitentia, inquit, quæ dilata est, cum pudiosius petita fuerit, non negetur, ut quoquo modo ad indulgentiæ medicinam anima vulnerata perveniat. Et item. His autem, qui in tempore necessitatis & in periculi urgentis instantia præsidium pœnitentiæ & mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda est; quia misericordiæ Domini nec mensuras possum ponere, nec tempora diffinire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera confessio, dicente Domini Spiritu per Prophetam: Cum conversus ingemueris, tunc salvus eris; Et alibi: dic tu iniquitate tua spiror, ut justificeris. Item: quia apud Dominum misericordia & copiosa apud eum redemtio. In dispensandis itaque Domini donis non debemus esse difficiles, nec accusantium se gemitus lachrimasque negligere, cum ipsam pœnitendi affectionem ex Domini credamus inspiratione conceptam, dicente Apostolo: Ne forte det illis Dominus pœnitentiam, ut resipiscant a Diaboli laqueis, a quo captivi tenentur, ad ipsius voluntatem. Verum igitur, ut diximus, talium necessitati auxiliandum est, ut actio illis pœnitentiæ nec communionis gratia, si eum etiam amisso vocis officio per indicia integri sensus postulant, negetur. At si aliqua vi ægritudinis ita fuerint adgravati, ut quod paulo ante poscebant, sub præsentia sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt, ut simul & pœnitentiæ & reconciliationis beneficium consequantur. Et item idem sanctus Leo dicit: Hoc itaque admonitio nostra denuntiat, quod si quis fratrum contra hæc constituta venire tentaverit, & prohibita ausus fuerit admittere, a suo se noverit officio submovendum, nec communionis nostræ futurum esse consortem, qui socius esse noluit disciplinæ. Ne quid vero sit, quod a nobis prætermissum esse credatur, omnia decretalia constituta, tam beatæ recordationis Innocentii, quam omnium decessorum nostrorum, quæ de Ecclesiæ sanctis, ordinibus & canonum promulgata sunt disciplinis, ita a nostra dilectione custodiri debere mandamus, ut si quis in illa commiserit, Veniam sibi deinceps noverit denegari. Et quia hæc frater ignorare non vales & hoc judicium jure deprompum non nescis, præsertim cum non Catholici Episcopi, sed Novatiani heretici, ut Beatus Innocentius & sanctus Ambrosius & cæteri quiq; orthodoxi doctores demonstrant, sit ista perniciosissima & exitiabilis atque execrabilis secta, cavere debueras, ne talia sicut oblata mihi Ecclesiæ tibi commissæ petitio monstrat, inconsulte præciperes. Puto enim te legisse Epistolam S. Augustini ad Honoratum Episcopum, in qua invenisti, potius te mori debere cum plebe tibi commissa, quam ut illis desint, sine quibus vivere & salvari non possunt sacramenta cœlestia: qua de re vide frater, ne tu sis homicida & homicidarum homicida, qui sacramenta Cœlestia plebi subtrahi facis, sine quibus vivere non potest, cum adsint, qui eadem sacramenta licite valeant plebi administrare. Hæc timesce nihilominus, quid de* sententia Evangelica, qua Dominus dicit: si quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet, & confestim dimittet eos; loquente in eis Spiritu Sancto, nostri majores dixere: Doctoribus, inquiunt, præcipitur, ut, si quid eis obstiterit adversi, si quis verbo contradixerit veritatis, si quis prohibuerit peccatores solvi a laqueis diaboli & per Confessionem fidei Domino adduci, non tamen a prædicando desistant, sed constanter insinuent; quia Dominus ad ædificandam ecclesiam his opus habet. Et, proh dolor, cum nemo his contradicet, tu econtra implorantibus contradicis, alligans eos, ne divina munia populis exequantur, quorum interest sacra missarum officia celebrare, Mysticam distributionem spiritalis alimoniæ corporis sacri & sanguinis Domini nostri Jhesu Christi in remissionem peccatorum fidelibus distribuere, per lavacrum regenerationis de potestate diaboli in regnum Christi non baptisatos transferre, per januam recon-

reconciliationis & viatici muneris sanctificationem animas ab æterno interitu liberare, Domino de Cœlestibus tibi clamante: quia pastor bonus pro ovibus suis ponit animam suam, qui fecit, quod docuit, ostendit, quod jussit, cum, præduce Juda, adversus eum ministri Judæorum venerunt, & suos caperent, dixit: si me quæritis, sinite hos abire; sicque comprehendi se pertulit, & qui populos ad fidem converterent & conversis sacra misteria celebrarent, solutos abire permisit. Nam si, te provocante, tibi adversi aliquid accidit, patienter ferre debueras, usque dum ego qualiscumque metropolitanus tuus cum Episcopis & fratribus nostris nostri Regis clementiam pro te adirem, &, sicut jam fecimus, quod juste & rationabiliter ab eo postularemus, utique obtineremus; unde nihil dubitamus, quin Domino cooperante obtinebimus, quod juste & rationabiliter populabimus, tantum ut nostris insolentia tua petitionibus non obsistat; quia etiam in hac tuæ præsumptionis præceptione contra scripturarum tramitem, contraque sacras regulas egeris, tibi ex loci nostri officio necessarium duxi ostendere, Scriptum est enim: Interroga patrem tuum & adnunciabit tibi majores tuos, & dicent tibi, & palpebræ tuæ præcedant gressus tuos, & omnia fac per consilium, & post factum non pœnitebis. Et sacrum Nicænum Concilium dicit: Antiqua consuetudo servetur per Ægiptum, Libiam & Pentapolim, ita ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quia & urbis Romæ Episcopo parilis mos est, similiter autem & apud Antiochiam cæterasque Provincias suis privilegia serventur Ecclesiis: quod Capitulum Sanctus Bonefacius Papæ ad Hilarium Narbonensem Episcopum scribens exponit ita: Convenit nos paternarum sanctionum diligentes esse custodes. Nulli etenim videtur incognita synodi constitutio Nicenæ, quæ ita præcipit, ut eadem proprie verba ponamus, per unamquamque Provinciam jus Metropolitanos singulos debere habere, nec cuique duas esse subjectas, quod illi, quia aliter credendum non est, servandum S. sancto suggerente sibimet, censuerunt: Et post aliquanto: Quod idcirco dicimus, ut advertat caritas tua, adeo nos Canonum præcepta servare, ut ita quoque constitutio nostra diffiniatur, quatenus Metropolitani in unaquaq; Provincia in omnibus rebus ordinationem semper expectet. Et Africanum Concilium scribens ad Cœlestinum Papam: secundum sanctorum, inquit, Patrum Canones Spiritu Domini conditos & totius mundi reverentia consecratos, Metropolitanos singularum Provinciarum Episcopos, quibus ex delegatione nostra fraternitatis tuæ cura prætenditur, jus traditæ sibi antiquitus dignitatis intemeratum habere decernimus, ita ut a regulis præstitutis nulla aut negligentia aut præsumptione discedant. Et item ad Theodorum Forojuliensem Episcopum: Sollicitudinis tuæ is ordo esse debuerat, ut cum Metropolitano tuo, de eo quod gerendum esse videbatur, conferres, quia in causis, quæ ad generalem observantiam pertinent omnium Domini Sacerdotum, nihil sine Primatibus oportet impleri; Certum est enim, quoniam illa, quæ de baptizandis parvulis & de ultima pœnitentia & viatico munere nulli deneganda ex sacris regulis præmisi, ad generalem observantiam Domini sacerdotum pertinent, contra quæ inconsulte præcipere non debueras. Et Antiochenum Concilium dicit: Per singulas regiones Episcopos convenit nosse Metropolitanum Apostolicam Sollicitudinem totius Provinciæ gerere; propter quod ad Metropolim omnes undique, qui negotia videntur habere, concurrant. Unde placuit eum & honore præcellere, & nihil amplius præter eum cæteros Episcopos agere, secundum antiquam a patribus nostris regulam constitutam, nisi ea tantum quæ ad suam diœcesin pertinent possessionesque subjectas. Unusquisque enim Episcopus habeat suæ parochiæ potestatem, ut regat juxta reverentiam singulis competentem, & providentiam gerit omnis possessionis, quæ sub ejus est potestate; ita ut Presbiteros & Diaconos ordinet, & singula suo judicio comprehendat; amplius autem nihil agere tentet præter Antistitem Metropolitanum. Diligenter attende, quod dicitur: Presbiteros & Diaconos Parrochiæ suæ ordinet Episcopus; ordinet autem, & non exordinet, nec contra regulas ab officio submoveat vel suspendat. Et ibidem subsequitur: Singula suo judicio comprehendat; singula autem dicit, ut suo judicio comprehendat, & non quæ ad generalem observantiam pertinent omnium sacerdotum, quæ, ut Leo dicit, non oportet sine Primatibus impleri; & noli claudere aures cordis ad id quod ibidem diligentissime dicitur: Unusquisque enim Episcopus habeat suæ parochiæ potestatem, ut regat juxta reverentiam singulis competentem. Perinde cavere debueras, non concessa parochiæ potestate, contra hos sacros Canones abuteris, qui dicunt: ut regat unusquisque suam Parochiam juxta reverentiam singulis competentem, & non subigat, sicut tu fecisti, quantum ex te fuit, exitio, juxta inreverentiam singulis incompetentem; omnibus enim in reverentia, quam exhibuisti in tua Parrochia omnibus, videtur esse incompetens, quæ ad omnium probatur pertinere exitium; cum singulis de singulis, quanto magis de pluribus timendum Dominus dicat, qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria collo ejus, & demergatur in profundum maris: quia, ut beatus monstrat Gregorius, ad sanctitatis speciem deducto & verbo vel exemplo cæteros destruenti melius profecto fuerat, ut hunc ad mortem sub exteriori habitu terrena acta constringerent, quia in sacro officio positus, cæteris mortem verbo vel opere propinaret, quem mirum si solos caderet, utcumque tunc tollerabilior inferni pœna cruciaret. Propterea, frater Carissime, rogo, hortor, deprecor, & quanta possum dulcedine ac humilitate exposco & Metropolitana auctoritate commoneo, ut, sicut Dominus præcipit per prophetam, quantocius has dissolvas colligationes impietatis, solvas hos fasciculos

Digitized by Google

faſciculos deprimentes: dimitte eos, qui a te conſtricti ſunt, liberos & hoc omne onus diſrumpe, attendens quod Papa Hilarius in ſuis decretis dicit: qui, inquiens, in cauſis Domini contumacia vel contemptu delinquit, aut ipſe, quod perperam fecit, abolere noluerit, in ſe, quicquid in alium rejecerit, inveniet. Quapropter, qui te ſcis quibusdam præpoſitum, ſicut S. Leo ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum in decretis ſuis dicit, non moleſte feras, aliquem tibi eſſe prælatum, ſed obedientiam, quam exigis, etiam ipſe dependas; & ſicut non vis gravis oneris impoſitam ſarcinam ferre, ita non audeas aliis importabile pondus imponere; diſcipuli enim ſumus humilis & mitis Magiſtri dicentis; diſcite a me, quia mitis ſum & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris, jugum enim meum ſuave eſt & onus meum leve. Et ſi, quod abſit, his ſacris ac regularibus monitis obedire retinueris, ſcito Metropolitana auctoritate fulta Apoſtoli, S. Sedis & ſacrorum Canonum judicio, ſicut promiſimus, hanc peſtiferam atque mortiferam excommunicationem tuam ſolvendam. Nam ſi quælibet perſona tuæ parrochiæ excommunicata foret, unde dubitari poſſit, utrum, ſicut ſacri Nicæni Canones dicunt, puſillanimitate aut contentione vel alio quolibet vitio tuo videretur a congregatione ſecluſa, expectarem utique usque quo, omnibus communiter Epiſcopis congregatis ſimul provinciæ, diſcuteretur hujusmodi quæſtio, & vel tibi vel in communi humaniorem pro tali ferrem ſententiam. Nunc autem, quia manifeſtiſſime cauſa patet execrabilis atque exitiabilis eſſe a te præcepta, & præceptis evangelicis contraria & decretis ſanctorum, inveniatur adverſa, quod, ut Leo ſcribit, etiam in dubiis & obſcuris cavere debueras, & nullas ſuſtinet moras habere, ſupradicta autoritate denuntiabo, eſſe omni penitus virtute vacuum, quicquid a te ex prædictis Capitulis præceptum eſt ab illorum conſtitutione diverſum, in cujus tuæ præſumptionis evacuatione, ut partim ſenſu, partim verbis utar beati Gelaſii, non novæ conſtitutionis autor, ſed veteris conſtituti executor exiſto, quod non ſolum præſuli Metropolitano, ſed & cuicumque Pontifici eſt licitum, quoniam error, qui ſemel eſt cum ſuo autore damnatus, in participem, quolibet modo pravæ communionis effectum, execrationem ſui geſtat & pœnam.

III.

Hincmari Archi-Epiſcopi Remenſis Epiſtola ad Hincmarum Epiſcopum Laudunenſem.

Hincmarus Remorum Epiſcopus Dilecto fratri Hincmaro Laudunenſi Coëpiſcopo noſtro ſalutem. Ante non longum tempus inconvenientes atque illicitas excommunicationes in eos etiam, qui ad te non pertinebant, ira præcipiti & perturbata contra ſacras regulas jaculaſti, unde maximum ſcandalum in hoc regno & iſta Eccleſia commoviſti, de quibus excommunicationibus nuper in Vermeria te una cum fratribus & Coëpiſcopis noſtris conveni, easque licet non ſine tua calumnioſa invidia & ingratis his, quibus iſtas maledictiones inrogaveras, quoquo modo diiſſolviſti, a nobis commonitus, ut in proferenda ſententia de cætero nullatenus preceps exiſteres; ſed tua addens pejora prioribus, ſicut data mihi petitio a Laudunenſi eccleſia monſtrat, in vindictam injuriarum tuarum præcepiſti, ut in commiſſa tibi Parrochia nemo miſſam cantaret, nec communionem ſacram perciperet, cum Dominus tradens ſacro-ſancta miſteria corporis & ſanguinis ſui celebranda ſuis diſcipulis & per eos omnibus ſacerdotibus dixerit: hæc quotiescumque feceritis in mei memoriam facietis. Et de corpore & ſanguine ſuo: Niſi manducaveritis, inquit, carnem filii hominis & biberitis ejus ſanguinem non habebitis vitam in vobis. Præcepiſti quoque, ut nemo parvulos etiam mortis urgente periculo in tua parrochia baptizaret, cum Dominus dicat: Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti, & niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum Cœlorum. Præcepiſti nihilominus, ut nemo quenquam ultimam pœnitentiam poſtulantem ad pœnitentiam, ad reconciliationem reciperet vel poſcenti ultimo ſacræ communionis viatico ſubveniret, cum Dominus omnibus prædicet: Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum Cœlorum. Et Jacobus Apoſtolus: Infirmatur, inquit, aliquis in vobis, Eccleſiæ presbiteros inducat, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & allevabit eum Dominus, &, ſi in peccatis ſit, dimittentur ei; confitemini ergo alterutrum peccata noſtra, & orate pro invicem, ut ſalvemini. Et S. Gregorius de reſuſcitatione quatriduani mortui loquens dicit: quia illos nos debemus per paſtoralem autoritatem ſolvere, quos autorem noſtrum cognoſcimus per ſuſcitantem gratiam vivificare; quæ nimirum vivificatio ante operationem recti judicis in ipſa jam cognoſcitur confeſſione, peccati. Veniat igitur foras mortuus: Culpam confiteatur peccator: venientem vero foras ſolvant diſcipuli, ut paſtores Eccleſiæ ei pœnam debeant amovere, quam meruit: qui non erubuit confiteri quid fecit, & de corpore & ſanguine ſuo, in quibus ſalus animarum & corporum noſtrorum conſiſtit, Dominus dicit: Qui maturat meam carnem & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die: quæ reſuſcitatio diſcreta erit ab eorum reſuſcitatione, qui non manducant carnem filii & non bibunt ſanguinem ejus, ac per hoc non habebunt vitam æternam. Juſſiſti etiam maximam inhumanitatem, ut nemo mortuum in tua parrochia ſepeliret, cum Dominus per Prophetam egenos & vagos quemque in domum ſuam inducere jubeat; & Dominus in judicio dicet: hoſpes fui & ſuſcepiſtis me; & tu hoſpitium in ventre omnium, matris ſcilicet terræ, mortuis denegaviſti, de quibus præcepta Evangelica atque Apoſtolica & ſanctorum decreta tibi direxi; quæ, ſicut mihi non incerta relatione renuntia-

Digitized by Google

nuntiatum est, suscepisti quidem, sed legere noluisti, cum dicat Apostolus: quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus; qui enim doctrinam & consolationem scripturarum abutitur, spem salutis se non habere ostendit; nam beatus Johannes Apostolus a Domitiano Principe in Pathmo Insula relegatus, & humana consolatione destitutus, consolationem revelationis, quam divinitus acceperat, in eodem exilio ac relegatione manu propria scripsit, & Ecclesiis, quibus missus erat, prædicare direxit. Et Sanctus Paulus Apostolus ad Timotheum scribens dicit: Memor esto Christum Jhesum resurrexisse a mortuis ex semine David secundum Evangelium meum, in quo laboro usque ad vincula quasi male operans, sed verbum Domini non est alligatum, ideo omnia sustineo propter electos, ut & ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo Jhesu cum gloria cœlesti. Et tu, frater Carissime, non solum ea legere, quæ tibi misi (& misi cum posses respondere) debueras, verum & ministros Ecclesiæ tibi commissæ, quibus modis posses non debueras ex communicatione ligare, sed consolari & adhortari, ut in divino servitio & assidua oratione & salutatione populi tibi commissi laborare studerent. Et, si me digne propter indignitatem meam despicis, tamen professionis ac subscriptionis tuæ memor, non debueras mihi qualicunque Metropolitano tuo debitam obedientiam denegare, quam a tuis subditis etiam in his perniciosis tuis jussionibus exigis. Quapropter iterata commonitione pro loci mei officio te convenire congruum duxi, suadens, ut quod male ligasti, dissolvas, quatenus si divinis monitis obedire volueris, pariter Domino gratias agamus; si autem resultaveris obaudire, in tempore tuo metas, quid fulcis pestiferis seminasti, & ego silentio non judicer. Dominus & Creator ac redemptor atque salvator dicit; si quis mihi ministrat, me sequatur, id est, mihi ministret. De quo scriptum est: quæ cœpit Jhesus facere & docere, qui fecit & docuit. Quod tibi in tuarum injuriarum tribulatione agendum & jubendum fuerat; nam imminente suæ passionis articulo pro se & pro suis, sed & pro his, qui crediturі erant per verbum eorum in eum, Patrem oravit secundum humanitatem, qui omnia donorum munera cum Patre divinitatis æqualitate; & qui præcepit discipulis suis dicens: orate pro persequentibus & calumniantibus vobis, ut sitis filii Patris nostri qui est in cœlis. In cruce non solum pro suis persecutoribus, verum & pro suis interfectoribus exoravit, & nunc sedens ad dexteram patris interpellat pro nobis. Jussit etiam discipulos suos, antequam pateretur, cum tœderet & mœstus esset usque ad mortem, ut orarent, ne in tentationem intrarent, &, sicut legimus, oratio fiebat ab Ecclesia pro Petro in carcere recluso & vincto catenis duabus. Sed & Petrus oravit, sicut legimus pro Ecclesia. Paulus quoque in persecutionibus & carceribus, in vinculis atque catenis positus, sæpe ab Ecclesia orari poposcit, ut liberaretur ab infidelibus & inportunis & malis hominibus; sed & ipse oravit pro ecclesia. Jacobus Apostolus præcipitatus de Pinnaculo templi flexis genibus pro suis occisoribus oravit. Et Beatus Stephanus positis genibus oravit pro se lapidantibus. Et Apostolus de hujusmodi loquens dicit nobis: quorum invenietis exitium conversationis imitamini fidem. Et idem Jacobus Apostolus dicit: tristatur aliquis nostrum, oret æquo animo & psallat, & orate pro invicem ut salvemini. Genus est enim non contemnendum exauditionis, cum cordis contritione ad Dominum clamatur in tribulatione, sicut scriptum est: Ad Dominum, cum tribularer, clamavi & exaudivit me. Tu autem contra hæc novus doctor imo novus præsumptor; Missam, ut audivi, non vis cantare, nec audire, &, quasi aliorum oratione non indigens, vetuisti pro te & pro se orare tibi commissam Ecclesiam; & causa tuæ injuriæ jussisti Christo in membris suis, qui sedens ad dextram patris dixit Paulo: qui me persequeris? injurias inportare & mortes inferre. Paulus & Sillas quoque, quorum locum tenere debebas, cæsi virgis & missi in interiorem carcerem pedes habentes vinctos in ligno, media nocte adorantes laudabant Dominum & audiebant eos, qui in custodia erant; subito vero terræmotus factus est magnus, ita ut moverentur fundamenta carceris & statim aperta sunt omnia ostia, & universorum vincula soluta sunt; expergefactus autem custos carceris & videns apertas januas carceris, evaginato gladio volebat se interficere æstimans fugisse vinctos: Paulus autem clamavit voce magna dicens; nihil feceris tibi mali; universi enim hic sumus. Et tu tantam benignitatem Ecclesiæ tuæ filiis tibi commissis non es passus impendere, quantum idem Paulus suo ad mortem custodi impendit. Unde, frater, te iterum moneo paterna & fraterna dilectione atque metropolitana auctoritate, resipisce ab hac prava intentione, & concordans præceptis Evangelicis & Apostolicis & decretis sanctorum, quæ tibi in altera rotula pridem misi, non dedigneris eis & cum eis Patrono tuo sancto Remigio, in cujus sede licet indignus sedeo, dicere, quod Sanctus Paulus Apostolus dixit etiam suis minoribus: si cui aliquid donaseis & ego, obsecro, obaudi illorum decreta salubria per quos locutus est Dominus, ne quod absit tibi dicat; qui est ex Domino verba Domini audit, propterea vos non auditis quia non estis ex Domino. Extimesce, rogo, quod S. Innocentius & beatus Ambrosius & cæteri Catholici doctores, hæc quæ jussisti de non suscipiendis pœnitentibus & pœnitentiam, heresin dicunt esse Novatici hæretici: & non baptizare parvulos in mortis periculo constitutos, schisma est maximum ab universali Ecclesia. Et in Decretis apostolicæ sedis legimus, quia sicut universalis Domini semper tenuit & tenet Ecclesia, schismaticus & hæreticus, nisi conversi fuerint ad sanctam matrem Apostolicam & Catholicam Ecclesiam, in regnum Domini intrare

re

Digitized by Google

re non possunt, sed pars eorum est in gehenna, etsi de pane celesti, id est, de suavitate divina gehennæ participes judicium sibi sumunt. Propterea, Frater, ab hac secta & ab hoc schismate revoca sensum tuum, & sequere, quod S. Cælestinus in Decretis suis ad Galliarum Episcopos scripsit dicens: obsecrationum, inquit, sacerdotalium sacramenta respiciamus, quæ ab Apostolis in toto mundo tradita atque in omni Ecclesia uniformiter celebrantur, & Legem credendi lex statuat supplicandi; cum enim sanctarum plebium mandata sibimet præsules legatione funguntur, apud divinam clementiam humani generis agunt causam, & tota secum Ecclesia congemescente postulant, & precantur, ut infidelibus donetur fides, ut idololatræ ab impietatis suæ liberentur erroribus, ut Judæis ablato cordis velamine lux veritatis appareat & ad catholicæ fidei perfectionem resipiscant, ut schismatici spiritum redivivæ caritatis accipiant, ut lapsis pœnitentiæ remedia conferantur, ut denique catechuminis ad regenerationis sacramenta perductis cœlestis misericordiæ aula referetur; & hæc conferens in corde tuo, noli pietatis viscera salutem petentibus claudere, sed per Dominum omnipotentem, ut & in te impleat, quod per Prophetam olim pollicitus est dicens: Auferam a vobis cor lapideum & dabo vobis cor carneum, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & operemini. Cæterum fratres nostri, quos ad te misi, mihi renunciaverunt, te illis præcepisse, ut me precarentur per Domini reverentiam & sanctorum ejus & sedis Apostolicæ auctoritatem, ne cogerem te respondere, quam diu in tali detinearis custodia & absentia clericorum tuorum, nec judicium, nec præjudicium inferrem tibi vel tuæ parrochiæ quæ petitio partim non est justa neque rationabilis; quod enim petisti ut præjudicium tibi vel Parrochiæ tuæ non inferam, obaudio; quod petisti, ut judicium tibi vel Parrochiæ tuæ non inferam, non obaudio; dicit enim Dominus per Prophetam: Si feceritis judicium inter Virum & proximum ejus & reliqua. Et Sapientia per Salomonem: Cerne eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum liberare eos necesse est: quod mihi a Domino, quem suo judicio in Metropolitana sede Remorum Provinciæ constituere voluit, præcipi audio de his, qui tua præceptione ducuntur ad mortem & trahuntur ad interitum. Et Decreta Nicena, sicut Africana Synodus scribens ad Cælestinum Papam demonstrat, sive inferioris gradus clericos sive Episcopos ipsos suis Metropolitanis apertissime commiserunt. Et sanctus Bonefacius Capitulum Niceni Concilii exponens, post alia diffinivit, quatenus Metropolitani sui unaquæque Provincia in omnibus rebus ordinationem semper expectet. Et Antiochenum Concilium: Per singulas, inquit, regiones convenit nosse Metropolitanum Episcopum sollicitudinem totius provinciæ gerere, propter quod ad Metropolim omnes undique, qui negotia videntur habere, concurrant. Et cautum est sacris Canonibus, ut nullis liceat apud se celebrare Concilia, præter eos, quibus Metropolitana jura videntur commissa: in ipsis autem Conciliis adsint Presbiteri & Diaconi & omnes qui se læsos existimant, & synodi experiantur examen. Propterea quod petisti, ut judicium tuæ Parrochiæ non inferam, contra regulas sacras petisti; & dicendum est tibi ab Apostolo cum hujusmodi petitoribus: petitis & non accepistis, eo quod male petatis. Unusquisque enim Episcopus, inquit Antiochenum Concilium, habeat suæ Parrochiæ potestatem, ut regat juxta reverentiam singulis competentem; & providentiam gerat omnis possessionis ejus, quæ sub ejus est potestate; ita ut Presbiteros & Diaconos ordinet & singula suo judicio comprehendat: Amplius autem nihil agere temptet præter Antistitem Metropolitanum. Ex hoc capitulo quædam sunt, quæ tibi in præmissa rotula scribenda dictavi. Sed notarius angustia temporis coartatus celeriter scribens intermisit: Sed ea quæ tunc scripseram ad meum opus diligentius scribere jubens de tabulis relevari feci. Videlicet diligenter attende, quid dicat: Presbiteros & Diaconos Parochiæ suæ ordinet Episcopus. Ordinet autem & non exordinet: Nec contra regulas ab officio submoveat & suspendat. Et ibidem subsequenter: singula suo judicio conprehendat. Singula autem dicit, ut suo judicio comprehendat, & non quæ ad generalem observantiam omnium Domini pertinent sacerdotum, quæ, ut Leo dicit, sine Primatibus non oportet impleri. Et noli claudere aures cordis ad id, quod ibidem diligentissime dicitur: Unusquisque habeat suæ Parochiæ potestatem, ut regat juxta reverentiam singulis competentem. Provide cavere debueras, ne concessa tuæ Parochiæ potestate, contra hos sacros canones abutereris, qui dicunt, ut regat quilibet Episcopus suam Parrochiam juxta reverentiam singulis competentem & non subrigat, sicut tu fecisti, quantum ex te fuit, exitio, juxta inreverentiam cunctis incompetentem. Omnibus enim inreverentia, quam exhibuisti in tua parochia, nescire esse incompetens, quæ ad omnium probatur pertinere exitium: cum singulis de singulis, quanto magis de pluribus timendum Dominus dicat; qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria collo ejus & demergatur in profundum maris: quia, ut beatus monstrat Gregorius ad sanctitatis speciem deducto & verbo & exemplo cæteros destruenti melius profecto fuerat, ut hunc ad mortem sub exteriori habitu terrena acta constringerent: Quia in sacro officio positus cæteris mortem verbo vel opere propinaret, quia nimirum si solus caderet, utcunque hunc tolerabiliter inferni pœna maneret. Quod mandasti, ut non te cogerem respondere in absentia clericorum tuorum; demonstrasti te non recte intelligere sententiam Canonis Carthaginensis Concilii, qui dicit, ut Episcopus nullius causam audiat absque præsentia clericorum suorum, licet jam tibi dixerim,

Digitized by Google

rim, qualiter sit intelligenda & qua de re fuerit constituta. Quod autem mandasti, ut sicut mihi Dominus apostolicus scriptis mandaverat, tibi licentiam Romam eundi impetrarem. Non enim hoc Dominus apostolicus mandavit. Habeo enim illius Epistolam salvam & incorruptam, in qua hoc, quod mandasti, non continetur. Quod mandasti, qualiter in synodo nuper in Vermeria habita sedem Apostolicam appellasti; manifestissime omnes illi Episcopi, amplius quam XX. qui adfuere in Synodo, regulariter te sedem Apostolicam non appellasse cognoscunt. Quod mandasti, quia sedem appellas Apostolicam, nunc in judicio nostro, id est, in Episcopali judicio secundum sacros canones sedem Apostolicam appellaveris; habemus ordinem rei qualiter inde agere debeamus. Cæterum nec tibi, nec cuiquam alii Romam ire, quantum ex me est, contradico. Data 8. Kal. Jun. præsentis secundæ indictionis.

IV.

Hincmari Rem. Archiep. Epistola ad Clerum Laudunensem.

Hincmarus Remorum Episcopus ac Plebis Dei famulus Presbiteris, Diaconibus ac reliquis Ecclesiasticis ordinibus in Laudunensi Ecclesia consistentibus salutem. Sicut petitio mihi a vobis per quosdam comministros vestros vice omnium vestrorum data continet, Frater & coëpiscopus noster Hincmarus causa injuriarum suarum vos ab officio Ecclesiastico, & omnem Parochiam sibi commissam a perceptione & communione vivificorum mysteriorum nostræ redemptionis excommunicavit. Qua de re, sicut a quibusdam dicitur, plurimi sine sacri baptismatis regeneratione sineque ultima pœnitentia, petita & non impetrata, atque sine viatico munere obierunt. Cum Daniel Propheta de dictis Domini testimonium contra inique judicantes perhibeat dicens: Innocentem & justum non interficies, id est, quibus ligandi atque solvendi est a Domino conlata potestas. Non de supercilio Pharisæorum desumant, ut vel damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrarentur. Cum apud Dominum non sententia sacerdotum, sed eorum vita quæratur. Legimus in Levitico de leprosis, ubi jubentur, ut ostendant se sacerdotibus & si lepram habuerint, tunc a sacerdote immundi fiant; Non quod sacerdotes leprosos faciant & immundos, sed quod habeant notitiam leprosi & non leprosi, & possint discernere, qui mundus vel immundus sit. Quo modo ergo leprosum sacerdos immundum facit, sic & hic cui Dominus ligandi & solvendi potestatem dedit, alligat & solvit videlicet Episcopus & Presbiter, id est, non eos, qui insontes sunt, alliget, &, qui noxii, solvat, sed pro officio suo, cum peccatorum ex veritate cognoverit varietates, sciat, qui secundum autoritatem ligandus sit, quive solvendus: Et sanctus Gregorius Episcopo Nusiteranæ civitatis pro quibusdam culpis in pœnitentiam deputato, de ejus Ecclesia dicat; valde esse durum, ut quousque causa ipsius Episcopi subtiliter requiratur, nec habeat Ecclesia illa Presbiterum, qui sacrum illis quidem valeat celebrare. Et ad Maximinianum Archiepiscopum Syracusanum scribit, ut Venantii Patricii, cujus homines in Episcopatum ejus irruerant, & diversa hostili more mala commiserant, & ob id ipse & sua domus ab eo excommunicati erant, ejusdem Venantii oblationes reciperet, & ipsi ac domui ejus Missarum peragi mysteria permitteret, dicens: quia ita terrena agi debet utilitas, ut nullam nos iniquum a caritatis valeat connexione disjungere. Et ita filiis nos sacerdotes oportet sacerdotalem affectum impendere, ut in causis, prout ratio suffragatur, jurisdictionem Ecclesiæ nostræ debemus minime præterire. Sed & communicantes maxime Episcopo a se excommunicato isdem beatus Gregorius etiam non petentes absolvit hoc modo: quosdam, inquiens, ad communicandum eodem prævaricatori violenter esse compressos, quosdam autem vestrum audivi ignorantia lapsos. Omnipotentem Dominum deprecor ut eos qui huic pravitati minime consenserunt, perpetua gratiæ suæ protectione custodiat & optata eis largitate respondent: & illos, quos aut studium aut ignorantia aut quælibet alia causa traxit in culpam, ab omni reatu peccatorum, atque ab omnibus vinculis alienæ obligationis absolvat, omnibusque & in præsenti vita protectionis suæ gratiam tribuat & nos de vobis in æterna patria gaudere concedat. Quia vero isdem Frater & coëpiscopus noster his quæ ipse commoverat, benignitate principali & meo & fratrum & coëpiscoporum nostrorum, quorundam etiam aliorum Dei fidelium interventu, prout rationabilius paci atque concordiæ convenire perspeximus, non sine magno labore sopitis, quibusdam causis & redivivis contentionibus Episcopali modestiæ inconvenientibus, sua contumacia exigente, ut auditu comperi, jussione Domini nostri Regis interim a sua est Ecclesia separatus, usque dum Episcoporum consilio tractet, qualiter ejus pervicacia corrigatur; metropolitana solicitudine vestram commoneo dilectionem, ut, quoniam illud nefandum vinculum præceptis Evangelicis atque apostolicis contrarium & Decretis Sanctorum adversum, sicut jam vobis aliis literis indicavi, secundum tramitem scripturarum, traditionemque majorum sedis metropolitanæ noscitur dissolutum, devotis sanctæ religionis excubiis mancipati orationum & sacræ oblationis ac cæteris divinæ placationis studiis invigilare curetis. Præpositus quoque ac Decanus fratrum custodiæ tam in spirituali sollicitudine, quam in temporali administratione solertem curam adhibeant. Thesaurarius de luminaribus & de aliis omnibus, quæ ad Ecclesiæ honestatem utilitatem atque salvationem & ad suum ministerium pertinent, providentiam gerat. Archipresbiteri autem totius parrochiæ ac Presbyterorum sibi commissorum diligentiam summopere habeant & rectores & rectrices Monasteriorum ipsius parochiæ sedulo moneant, quatenus & in spiritualibus & in

Digitized by Google

in temporalibus ſubminiſtrationibus neceſſaria ſibi commiſſa exhibeant. Presbiteros vero aſſidue decantare hortentur & faciant, ut vigilare ſuper greges ſibi commiſſos non negligant; Ne ab eis flagitia perpetrentur, & perpetrata ſine correctione Eccleſiaſtica non remaneant, ne pueri, ſine regenerationis ſacramentis commoriantur, ne ſani homines absque prædicatione & Eccleſiaſtico miniſterio vivant, ne infirmi ſine pœnitentia & reconciliatione ac ſancti olei unctione & viatico munere de hoc ſeculo exeant, ne mortui ſepeliendi officio & pia commendatione, ſecundum traditionem Eccleſiaſticam, aliquomodo careant. Et omnes tam ſubditi, quam prælati humilitatem invicem inſinuantes & per charitatem invicem ſervientes; prælati ſubditos diligant & verbo atque exemplo ſalubriter inſtruant & ad viam ſalutis erudiendo & corrigendo dirigant; ſubditi prælatis ſinceræ dilectionis & piæ humilitatis attentione in Domino obedire procurent, donec aut præfatus Frater noſter, paſtor ſcilicet veſter, reſpectu divino & indulgentia principis vobis reſtituatur, aut fratrum & Coëpiſcoporum noſtrorum conſilio ac conſenſu atque ſalubri tractatu inveniam, & veſtræ in Domino unanimitati renunciem, qualiter & vobis decreto ſecundum ſacras regulas ſit agendum.

V.

Hincmari Archiep. Remenſ. Epiſtola ad Hincmarum Epiſcopum Laudunenſem.

Hincmarus Remorum Epiſcopus Hincmaro dilecto fratri & venerabili Coëpiſcopo noſtro ſalutem. Sicut oblata mihi a clericis tuis petitione ſuſcepta jam non ſolum ſemel ſed & ſecundo literis per comminiſtros noſtros tibi directis mandavi, Cauſa tuæ injuriæ contra ſcripturarum tramitem traditionemque majorum in tua parochia exceſſiſti, & admonitus, ut ea corrigeres, mihi reſponſum inde congruum non remundaſti, verum nec, quando te coram Domino noſtro Rege & quibusdam confratribus & Coëpiſcopis noſtris verbis apoſtoli monui, ut non negligeres gratiam Domini, quæ data eſt tibi per manuum mearum impoſitionem mihi ad rem pertinentia reſpondiſti, cogitans aut maturiori conſilio inde mihi reſpondere velle, qualiter ea, de quibus te monueram, correxiſti, cum ſecus tuam Parochiam & in vicinitate tibi commiſſæ Eccleſiæ amplius quam per decem dies immoratus fuerim, nullum mihi reddidiſti reſponſum. Nunc vero quia ſicut mihi Dominus Rex literis ſuis mandavit, & te audiſſe jam credo, pro utilitate ſanctæ Eccleſiæ & pace populi Chriſtiani una cum eo in longiores partes a parrochiis noſtris pergimus, pro loci mei ſollicitudine commonere te dignum duxi, ut & ea, de quibus tibi ſcripſeram, &, ſi quæ ſunt alia, in parochia tua perpere geſta regulis ſacris concordans, debitam ſatisfactionem exhibere atque ad tramitem Domino placitum ſtuderes ducere, quatenus inordinata quæque in ea non remaneant; & ne quid contra diſciplinam Eccleſiaſticam de cætero ibidem fiat, quibus valueris modis, ſatagere cura, attendens quod nos omnes monent Apoſtoli: Temptatio, inquiens, ſuos non deprehendat niſi humana: humanum quippe eſt temptari, ſed dæmonicum eſt a temptatione ſuperari & ad correctionis ſatisfactionem pedem operum non revocare. Igitur juxta beati Apoſtoli monita ſollicite cura te ipſum probabilem exhibere Domino Operarium inconfuſibilem, recte tractantem verbum veritatis. Vigila in omnibus, labora, opus fac Evangeliſtæ, miniſterium tuum imple, ſectare juſtitiam, pietatem, fidem, caritatem, patientiam & manſuetudinem: certa bonum certamen fidei; adprehende vitam æternam, in quam vocatus es & confeſſus bonam confeſſionem coram multis teſtibus. Data X. Kalend. Septemb. præſentis ſecundæ Indictionis.

VI.

Hincmari Rem. Archiep. Epiſtola ad Hincmarum Epiſc. Laudun.

Hincmarus Remorum Epiſcopus Hincmaro Laudunenſi Epiſcopo. Ea, quæ pridie mihi per manus Wanilonis venerabilis Archiepiſcopi ex Epiſtolis Apoſtolicæ ſedis Pontificum, aliis prætermiſſis, de ſacris regulis, quibus ſancta moderatur Eccleſia miſiſti, priusquam formaveris in utero, novi, &, antequam exieras de vulva, in earundem, quas habeo, Epiſtolarum integritate, non, ut dicitur, uſus peſſimo præceptore me ipſo, ſed eorum traditione, qui gratia Sancti Spiritus inluminati reſplenduerunt, percepi, qualiter, ſicut & in authenticis ſcripturis, plura inveniuntur, quæ a quibusdam diſſona eſſe videntur, contraria ſibi invicem non habeantur, veluti per ſingula, ſi tempus eſſet ac otium, & audire dignaveris ex eisdem & aliis ſacris regulis poſſem oſtendere; de quibus pauca numero, ſed magna merito & auctoritate producere, omiſſa penitus a te, qui vidiſti, ſed non perſpicue, illa, quæ voluiſti; & non vidiſti, quæ noluiſti, & nequiviſti, quæ videre debuiſti. Sed quoniam cum intentione tua non faciunt, nec digito movere ſuſtinuiſti. Ingeram ergo illa libro, ut ſcias per ea, quæ congeſſiſti, intentionis tuæ affectum te non poſſe perducere ad effectum. Decernit enim contra tuam intentionem myſtica & ſancta Nycena Synodus: Quoniam ſollicitudo omnium Eccleſiarum pertinet ad primæ & ſecundæ Romanæ ſedis Pontificem, ut Alexandrinus Epiſcopus omnium ſibi commiſſorum habeat poteſtatem; ſimiliter & apud Antiochiam cæterasque provincias ſuis privilegia ſerventur Eccleſiis. De quibus autem Eccleſiis dicat, & quæ ac qualiter privilegia illis ſervari debeant, Antiochenum demonſtrat Concilium: per ſingulas, inquiens, regiones Epiſcopos convenit noſſe, Metropolitanum Epiſcopum ſollicitudinem totius provinciæ gerere; propter quod ad Metropolin omnes undique, qui negotia videntur habere, concurrant; Et notis quibusdam interpoſitis: Amplius autem nihil agere temptet provincialis Epiſcopus præter antiſtitem Metropolitanum: Nec Metropolitanus ſine

Digitized by Google

sine cæterorum geratur consilio sacerdotum. Et Africanum concilium: Decreta, inquit, Nicena sive inferioris gradus clericos sive Episcopos ipsos suis Metropolitanis apertissime commiserunt, & reliqua. Et sanctus Innocentius dicit: Si quæ causæ & contentiones inter Clericos tam superioris ordinis, quam etiam inferioris fuerint exortæ, ut secundum Synodum Nycenam congregatis ejusdem provinciæ Episcopis & reliqua. Et sanctus Bonifacius scribit: Convenit nos paternarum sanctionum diligentes esse custodes. Nulli etenim videtur incognita Synodi constitutio Nicænæ, quæ ita præcipit, ut eadem propria verba ponamus: Per unamquamque provinciam jus Metropolitanos singulos habere debere; Nec cuique duas esse subjectas: quod illi, quia aliter credendum non est, servandum, Sancto Spiritu suggerente, sibimet censuerunt. Et paulo post: Quod idcirco diximus, ut advertat caritas tua, adeo nos canonum præcepta servare, ut ita constitutio quoque nostra diffiniat, quatenus Metropolitani sui unaquæque provinciæ in omnibus rebus ordinationem semper expectet. Et S. Cœlestinus juxta Decreta canonum: Unaquæq; provincia Metropolitano suo contenta sit, ut decessores nostri data ad Narbonensem Episcopum continent constituta: Nec usurpationi locus alicui sacerdoti in alterius concedatur injuriam: sit concessis sibi contentus unusquisque limitibus: alter in alterius provincia nihil præsumat. Et Leo: Secundum sanctorum patrum canones Spiritu divino conditos & totius mundi reverentia consecratos Metropolitanos singularum provinciarum Episcopos jus traditæ sibi antiquitus dignitatis intemeratum habere decernimus. De quibus Canonibus idem sanctus Leo Apostolicæ Sedis Pontifex, non ignorans, quæ sui decessores ac prædecessores scripserunt, ad Anatholium Dominum: Illa, inquiens, Nicænorum Canonum per sanctum vere Spiritum ordinata conditio in nulla est parte solubilis: Nulla sibimet de multiplicatione congregationis synodalia concilia blandiantur: Neque trecentis illis decem atque octo Episcopis quantumlibet copiosior numerus sacerdotum vel comparare se audeat vel præterferre. Cum miro divinitus privilegio Nicena sit synodus constituta, ut sive per pauciores sive per plures Ecclesiastica judicia celebrentur, Omni penitus auctoritate sit vacuum, quia, quod ab illorum fuerit constitutione diversum. Et ad Maximum Antiochenum Episcopum: Etsi diversa nonnunquam sunt merita Præsulum, tamen jura permanent sedium, quibus posses æmulis perturbationem aliquam fortasse inferre, non tamen posses minuere dignitatem: quantumlibet enim Apostolicorum numerus sacerdotum aliquid per quorundam subreptionem decernat, quod illis trecentorum decem & octo Episcoporum constitutionibus invenitur adversum justitiæ consideratione noscitur. Et ad Theodorum Forojuliensem Episcopum dicit: Solicitudinis quidem hujus is ordo esse debuerat, ut cum Metropolitano tuo de eo, quid quærendum videbatur esse, conferres; ac si id, quod ignorabat dilectio tua, etiam ipse nesciret, instrui vos pariter posceretis; quia in causis, quæ ad generalem observantiam pertinent omnium Domini sacerdotum, nihil sine Primatibus oportet impleri. Et Hilarus Papa: Illud etiam non potuimus præterire, quod solicitudine diligentiore curandum est, ne præter Metropolitanorum suorum literas aliqui Episcopi ad quamlibet provinciam audeant proficisci, quod etiam in omni genere officii clericalis per singulas debet Ecclesias custodiri. Et sanctus Gregorius ad Vincentium & cæteros Episcopos: Hortamur, inquit, fraternitatem vestram, ut si quemquam vestrum pro causis propriis ubicunque longius compulerit ambulare necessitas, a Metropolitano vestro secundum inditam a sanctis Patribus regulam petere licentiam debeatis; nec eum postponere in aliquo præsumatis, excepto, si, quod non optamus, contra eundem Metropolitanum vestrum vos habere aliquid causæ contingat, ut hoc sedi Apostolicæ judicium hi qui petere festinant, licentiam habeant, quod scitis per canones etiam antiquorum Patrum institutione permissum. Manifestum est enim, de quibus canonibus, quia de Sardicensis Concilii, sicut & Innocentius ad Victorium Rotomagensem Episcopum dicit. Et Gelasius pariter tali concordans exponendo Psalmi versum dicentem, Deus, in gradibus ejus cognoscere; Et item: Distribuite domui ejus, quia Ecclesiæ. Hic ordo procul dubio, qui in Ecclesiasticarum narratur altitudine dignitatum, gradibus utique distributis nobis cognoscibilem Dominum fieri & tribuit esse rectorem. Deinde Leo ad Anastasium evidenter exponit: Etsi ordo, inquiens, generaliter est omnibus sacerdotibus, non tamen talis est dignitas omnibus, quia & inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis; & cum omnium par est & electio, uni tamen datum est, ut cæteris præmineret. De qua forma Episcoporum quoque est orta distinctio & magna ordinatione provisum est, ne omnes sibi omnia vendicarent. Sed est etiam in singulis proventus singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia. Et paulo post: Qui ergo scit se quibusdam præpositum, non moleste ferat, aliquem sibi esse prælatum; sed obedientiam, quam exigit, etiam ipse dependat. Et Africanum Concilium decrevit, ut Episcopus a Primate suo vocatus ad synodum, competenter occurrat; quod si non potuerit occurrere, nisi rationem impedimenti sui apud suum primatem reddiderit, Ecclesiæ suæ communione debere esse contentum, & quia non fuerit concors circa Metropolitanam Ecclesiam & circa sacerdotale consortium; Sed inflatus & ab hoc consortio separatus, putat propriæ plebi incubandum & nonnunquam conventus ad concilium venire detractat, circa hunc non tantum diœcesim non esse servandam, verum & de propria Ecclesia, quæ illi male faverit, omnimodo ad intendum,* ut etiam auctoritate publica rejiciatur, atque ab ipsa principali

Digitized by Google

cipali Cathedra removeatur. Etsi accusatus juxta Cartaginense concilium ad rationem reddendam venire refugerit, & excommunicatus a Primate suo extiterit tempore, quo non communicat, nec in sua Ecclesia vel Parrochia communicet. Percurre, Frater, sacra Concilia Canonum & decreta Romanorum Pontificum; & a Siricio & in reliquum, ita ut præmissum est, invenies fuisse decretum ac conservatum; & corrige illorum sensibus sensum tuum, & dirige ad eorum doctrinam & præceptionem intentionem tuam; & sic intellige sacras regulas, sicut illi eas intellexerunt; quoniam potest fieri, ut ego & tu in multis erremus. Non debet autem credi vel etiam suspicari, ut ipsi erraverint; quapropter, velis nolis, hæc statuta in convulsa manebunt. A quibus, si, quod absit, aliquis pertinaciter deviaverit non inter Catholicos computabitur, sed inter schismaticos condemnabitur, quia, ut Hilarus Papa dicit, non minus in sacrarum Traditionum delinquitur sanctiones, quam in ipsius Domini injuriam prosilitur. Et sicut in decretis Apostolicæ sedis scriptum est: Quisquis schismatico assenserit, schismaticus esse negari non poterit: quod etsi omnes sacerdotes & mundus assentiant, damnatio consentientes involvit, non prævaricationem consensus absolvit; non enim crimen minuitur, sed accrescit: etiam generale fit ex privato: hoc enim Dominus omnium indicavit, qui peccantem mundum generali diluvio interemit.

VII.

Hincmari Remensis Archi-Episcopi Epistola ad Hincmarum Laudunensem.

Hincmarus Remorum Episcopus, dilecto fratri & coëpiscopo nostro Hincmaro salutem. Homines de Villa, quæ vocatur Follan & Brajus Metropolis Ecclesiæ Remorum, indignitati meæ commissæ in tua Parochia constitutæ, ad me reclamaverunt, quia in Ecclesia ad quam a longo tempore meorum & tuorum prædecessorum sua vota & decimas ipsi & sui prædecessores contulerunt, & ibi obsequium sacerdotalis officii habuerunt usque ad præsentis anni DCCCLXX. tertiæ Indictionis, Pridie non. Febr. nunc nec missam audire, nec in tempore necessitatis, sicut sacræ regulæ præfigunt, eorum infantes baptismum accipere, nec etiam obeuntes confessione & viatici muneris reconciliatione salvari possint. Dicunt enim, quia ex quo memorari ab his, qui in carne sunt, potest, quoniam ipsa ecclesia per se fuit semper, & nulli alteri Ecclesiæ fuit subjecta. Nam tempore Tilpini Remorum Archi-Episcopi, quando Rodulfus avus Parduli Laudunensis Episcopus ipsam villam in beneficio habuit, fuit in præfata Ecclesia Ferberus presbiter: post obitum Ferberi fuit in ipsa Ecclesia Dodo Presbiter, quando Odelherus filius Rodulfi Patris Pardoli Episcopi ipsam villam in beneficio habuit: Post obitum Dodonis Presbiteri fuit in ipsa Ecclesia Agmerodus Presbiter, quando Odelgisus frater Parduli Episcopi habuit ipsam villam in beneficio, & ita semper Presbiteri fuerunt in ipsa Ecclesia per successiones tempore Episcoporum Laudunensis Ecclesiæ, Genebaudi junioris, Bruniconis & Ganifredi. Post obitum Agmeradi fuit in ea ordinatus Octericus Presbiter a Wenilone Laudunensi Episcopo. Ipse Octericus, cum ipsam Ecclesiam teneret, cantavit in Noviante & in Landrica curte & in Broeris. Titulus autem ipsius, in quo & residuus erat, fuit in Follan & Brajo. In ipso tempore fuit Nodalbertus Presbiter in Codiciaco per annos XX. Obiit autem Wenilo & successit Oferoldus Episcopus in Ecclesia Laudunensi: Obiit Nodalbertus Presbyter de Codiciaco, & successit ei Gormarus Presbyter, qui de Canonica Remensi missus est ad Ecclesiam in Codiciaco, & fuit ibi per annos circiter XXX. Obiit Oferoldus Episcopus in Ecclesia & aliquandiu vacavit Episcopatus Martemaro. Et per illa tempora fuit semper Gormarus Presbyter in Codiciaco & Octericus in Follan & Braio, cum Odelbarius beneficium illud habebat usque ad meum tempus, quo fui ordinatus Episcopus, post plures annos ordinationis Simeonis Episcopi. Et quia jam Gormarus officium presbyterale agere non poterat, consensit, ut alter Presbyter illi in eadem Ecclesia succederet; Sicque consentiente Simeone Episcopo ac me Hincmaro Remorum Episcopo missus est Haimeradus Clericus Simeoni Episcopo ad ordinandum in Codiciaco. Post obitum Simeonis Episcopi in Laudunensi Ecclesia successit Pardulus Episcopus; Cujus tempore obiit Octericus Presbyter de Follan & Braio, qui per annos circiter sexaginta in eadem Ecclesia Presbyter deguit. Post obitum Octerici venerunt homines de ipsa villa ante Pardulum Episcopum reclamantes, quia non haberent Presbyterum in sua Ecclesia: Pardulus autem Episcopus cum meo consensu, suggerente mihi Osuero, cui beneficium Odelharus Ilvodolfi sine potestate tamen Parduli Episcopi commiserat, Vulfegerum decanum in ipsa Ecclesia ordinandum suscepit. Ante vero quam ipse Vulfegerus fuisset ordinatus, obiit Pardulus Episcopus. Interea ante ordinationem tuam cantavit ibidem Haimeradus Presbyter in Codiciaco, ordinatus a Simeone Episcopo, &, reclamante ipso Haimerado apud me & ante, quia ipsa Ecclesia subjecta esse deberet Ecclesiæ de Codiciaco, cum meo consensu misisti vicarios tuos Juonem, Luidonem, Archidiaconum, Hedenulfum, Angelramum, Decanum, Presbyterum, qui inquisierunt inde rei veritatem, quique tibi renunciaverunt, quod tibi bene est notum; &, sicut in nostris gestis habemus, veracibus testibus & evidentibus documentis invenerunt, quod ipsa Ecclesia de Follanebraio nunquam Ecclesiæ in Codiciaco fuerit subjecta, sed Presbyterum semper habuerit. Inde, sicut ipsi homines dicunt perpetuum consensum, Bertfridus Presbyter in eadem Ecclesia & in Ecclesia tua apud Broeras per quinque annos cantavit: qui Bertfridus apud te se reclamavit, quod Haimeradus ipsam Capellam destructam haberet, & inde pallium unum & casulam unam & schillam unam & librum unum abstulerit; &, sicut

sicut ipsi homines dicunt, misisti missos tuos ad hanc causam inquirendam, Hadulfum scilicet Archi-Diaconum, Famulfum & Angelramnum Presbyteros: &, sicut ipse Bertfridus dixerat, invenerunt. Quapropter & ea quæ reperta fuerant, Haimeradus ipsi Ecclesiæ coram missis tuis restituit. In ipsa Ecclesia, ut prædixi, idem Bertfridus per annos quinque perpetuam Licentiam ministravit, donec fama de eo vulgata abscessit. Deinde Sigebertus, cui illud beneficium dedi, a me secundum antiquam consvetudinem clericum petiit, qui in ipsa Ecclesia a te ordinaretur: Cui secundum consvetudinem antecessorum meorum & secundum regulas Ecclesiasticas ac Synodalia Capitula clericum de potestate Ecclesiæ nostræ ea conditione concessi, ut, si tu illum probabilem judicares, ego illi libertatem Ecclesiasticam darem & tunc demum tu illum regulariter ordinares, quid Clericus nomine Senatus per quatuor annos, te sciente, ipsam Ecclesiam tenuit, & secundum paupertatem suam, sicut simul sæpe vidimus, & adhuc, pure & bene in ea laboravit, & ad illius vicem, usque dum ad ordinationem veniret, per annum & dimidium commendatione ministrorum tuorum, scilicet Audulfi Archi-Diaconi & Angelramni Decani Presbyteri tuæ parrochiæ in ipsa Ecclesia cantavit. Deinde ipsorum Consensione Hemericus Presbyter tuæ Parrochiæ per duos & dimidium annos ibidem officium sacerdotale exhibuit, usque, ut supra dixi, pridie Nonarum proximi præcedentis Febr. quando præfato clerico interdicta est ipsa Ecclesia. Et nunc inde quæstio removetur, quasi non debeat sufficere ad sopiendam omnem remotionem antiquitas & tanta longitudo temporum & numerositas Episcoporum ac Presbyterorum, sub quibus ipsa Ecclesia per se nulli alteri Ecclesiæ subjecta esse constitit. Cum & leges publice tam apud Romanos, quam & apud nostrates, sed & Canones atque sedis Romanæ Pontificum Decreta portant, ut ultra XXX. annos nulli liceat pro id appellare, quod Legum tempus excludit; quasi etiam non debeant sufficere tuæ per ministros tuos requisitiones & diffinitiones, cum Leges publicæ atque Ecclesiasticæ decernant, ut quæ legaliter diffinita sunt, ne evellantur, neque removeantur. Sed & leges publicæ atque Ecclesiasticæ decernunt de his, qui diffinitam causam removere præsumunt. Postea vero quam ipsa Ecclesia eidem clerico, sicut quidam dixerat, sine tua commendatione interdicta est, Missa ibidem celebrata nec fuit, nec aliquis de ipsa villa vel in confessione vel in communione vel in baptizatione sacerdotale obsequium habuit, & hac occasione duo ibidem homines, sicut ad me pervenit, sine confessione & communionis reconciliatione fuerunt mortui, quorum unus Ertelierus & alter Gislehardus vocabatur. Nam ipsa Ecclesia habet, unde bene per se poterit consistere & hoc inter cætera habetur judicium, quoniam a longo tempore per se constitit; quia etiam terras habet, quas Octericus Presbyter in ea ordinate comparavit, &, secundum regulas Ecclesiasticas, moriens ibidem reliquit: & Presbyteri, qui per tanta tempora in ea fuerunt, bene inde se conduxerunt. Propterea, Frater, moneo dilectionem tuam ut deposito omni contra regulas inrationabili animo - - - - Noli contra salutem & ministerium tuum de eadem Ecclesia agere, pro eo quod & mihi commissa Ecclesia, & beneficio Sigeberti mihi fidelis, viri sororis tuæ probatur existere, contra quos indebite es commotus, præsertim cum neminem pastoris fungentem officio latere debeat, quia in exequendo divino ministerio, sicut nullius gratia ad indebita provocari, ita & debita nullius odio vel privati studii zelo debeat retardare sive pervertere. Scimus enim, quia regulæ Aurelianensis concilii dicunt, quæ tempore Ludovici Regis, quem sanctus Remigius cum Francorum militibus baptizavit, decretæ fuerunt: Ut omnes Ecclesiæ, quæ per diversa constructæ sunt vel cotidie construuntur, secundum priorum canonum regulam, in ejus Episcopi, in cujus territorio positæ sunt, potestate consistant. Et Toletanum concilium dicit, ut dotes Ecclesiasticas & omnia secundum constitutionem antiquam ad Episcopi ordinationem & potestatem pertineant, scilicet, ut Antiochenum concilium dicit: regat juxta reverentiam singulis competentem & providentiam gerat omnis possessionis, quæ sub ejus est potestate, ita ut Presbyteros & Diaconos ordinet & singula suo judicio comprehendat. Sed antequam ipsæ regulæ tempore Ludovici Regis in Synodo Aurelianensi fuerunt constitutæ antiquiores non refragati Arausici Concilii regulæ statuerunt, ut si quis Episcoporum in alienæ civitatis territorio Ecclesiam ædificare disponit, vel pro fundi sui aut Ecclesiastici vel pro quacunque suorum oportunitate, promissa licentia ædificandi, quia prohiberi hoc voto nefas est, non præsumat dedicationem, quæ illi omnibus modis reservatur, in cujus territorio Ecclesia adsurgit, & reservata ædificatori suo hæc gratia, ut, quos desiderat clericos in re sua videre, ipsos ordinet, in cujus territorio est; vel si ordinati jam sunt, ipsos habere adquiescat, & omnis Ecclesiæ ipsius gubernatio ad eum, in cujus civitatis territorio Ecclesia surrexerit, pertinebit. Et hac autoritate a temporibus sancti Remigii semper prædecessores mei in temporibus prædecessorum tuorum in Ecclesiis ad Codiciacam villam Laudunensis parrochiæ, sed & ad Juliacum villam in Parrochiæ Suessonica spectantes, cum consensu ipsarum civitatum Episcoporum presbyteros, ordinatos in Remensi Parrochia & incardinatos, in Codiciaco & in Juliaco invenni. Sed quia mihi pro honore Coëpiscoporum meorum ipsarum sedium complacuit, ut, illis decedentibus, Clericos ordinandos in eisdem Ecclesiis Episcopis propriarum Parrochiarum dirigerem; cum libertate Ecclesiastica & literis meis ordinandos Presbyteros in præfatis Ecclesiis misi: & Simeon, ut prædixi, missum a me sibi Haimeradum ordinavit presbyterum: Et Dominus Rothadus, meæ missioni non resistens, jam in Juliaco duos a me sibi missos clericos ordinavit

dinavit Presbyteros; & ego ipsi, sed & aliis Coëpiscopis nostris in parrochia nostra Ecclesias habentibus, eundem honorem, sicut & prædecessores mei illorum prædecessoribus fecerunt, conservo. Et rectum est, ut tu antiquæ autoritati & consuetudini tuæ metropoli a tuis prædecessoribus conservatæ jam deroges? Præsertim cum sit constitutum in primo libro Capitulorum Synodalium tempore Augustorum nostrorum, a nostris majoribus conservatorum, ut sine autoritate vel consensu Episcoporum presbyteri in quibuslibet Ecclesiis non constituantur, nec expellantur. Et si Laici clericos probabilis vitæ & doctrinæ Episcopis consecrandos suisque in Ecclesiis constituendos obtulerint, nulla qualibet occasione eos rejiciant. Et exinde nuper in placito Domini nostri Regis Karoli apud Pistas constituerunt, quod & tua consensione firmasti, Capitulum, quod dicit; ut si Abbates vel Abbatissæ aut Comites seu Vassi nostri aut cæteri Laici clericos probabilis vitæ & doctrinæ Episcopis canonice consecrandos suisque in Ecclesiis constituendos obtulerint, nulla qualibet occasione eos Episcopi vel ministri eorum rejiciant. Propterea si ipse clericus criminosus non est & docilis est, quod etiam in Episcopo Canones sacri requirunt, qui a nobis tibi ordinandus offertur, non debes illum ab ordinatione in Ecclesia ipsa rejicere, cui per tanta tempora eandem Ecclesiam consensisti; cum sanctus Innocentius in Decretis suis ad Martianum Naisicanum Episcopum de quibusdam Presbyteris, qui in Parrochia illius aliquandiu tenuerunt Ecclesias, sed quando occasione communionem illius mereri non poterant, dicat: Frater, inquiens, charissime, si eorum assertio fidem recipit, vere suscipientes esse ambigere non debes, quos tam diu Ecclesias sibi creditas passus es retinere. Et si eundem clericum in eadem Ecclesia vis ordinare, scribe mihi secundum morem, & ego illi libertatem Ecclesiasticam dabo. Si autem ipse clericum, cui per tanta tempora ipsam Ecclesiam in Follanebraio [concessisti] rejeceris, illum, quem contra regulas, sine mea licentia, & sine libertate Canonum, ordinasti, ostende, & alterum inveniemus, tantum, ut præfata auctoritas regularum & antiqua consvetudo de ipsa Ecclesia nobis a te conservetur. Sicut temporibus prædecessorum & decessorum tuorum Genebaudi, Berniconis, Gairfredi, Wanilonis, Oseroldi; & quando Episcopatus vacavit, in Ailemaro, & tempore Simeonis ac Parduli, sed & tuo tempore usque modo meis prædecessoribus ac decessoribus Tilpino, & quando post eum vacavit Episcopatus; sed & Vulfario, Eboni, & quamdiu ipsum Episcopatum tenuit Fulco, & post eum Noto; sed & mihi jam per XXV. annos in Remorum sede ministranti hactenus est conservata amplius quam per centum annos, velut per veridicas chronicas computavi & tibi possum ostendere; cum constet legibus & sacris regulis cautum; quoniam, sicut nobis pro nostro libitu non licet Parrochias rusticanas antiquitus constitutas sine ratione dividere, ita etiam non licet confundere. Quod vero ipsum clericum contra regulas ordinasti, regulæ sacræ demonstrant dicentes: Admittuntur, inquit Leo in Epistola ad universos Episcopos per universas Provincias constitutas, personæ ad ordinem sacrum, quibus nulla natalium, nulla morum dignitas suffragatur; & qui a Dominis suis libertatem consequi minime potuerunt, ad fastigium sacerdotii, tanquam servilis vilitas hunc honorem capiat, provehuntur; & probari Domino posse creditur, qui Domino suo nec tunc probare se potuit. Duplex itaque in hac parte reatus est, quod & sacrum ministerium talis consortii vilitate polluitur, & Dominorum, quantum inlicitæ usurpationis temeritatem pertinet, jura solvuntur. Ab his itaque, fratres charissimi, omnes nostræ provinciæ abstineant sacerdotes, & non tantum ab his, sed ab aliis etiam, qui originali aut alicui conditioni obligati sunt, volumus temperari, nisi forte eorum petitio aut voluntas accesserit, qui aliquid sibi in eos vindicant potestatis: debet enim immunis esse ab aliis, qui divinæ militiæ fuerit adgregandus, ut a castris dominicis, quibus nomen ejus adscribitur, nullis necessitatis vinculis abstrahatur. Et pariter Decretum natalium honestatem & mores ordinandorum describens, hanc conclusionem subjungit: Hoc itaque admonitio nostra denunciat, quod si quis fratrum contra hæc constituta venire temptaverit, & prohibita fuerit ausus admittere, a suo se noverit officio submovendum; nec communionis nostræ futurum esse consortem, qui socius esse noluit disciplinæ. Sciendum vero est, hic non vacare a discretione & rationis specialitate hæc pro nomine pluralis numeri, cum dicit: Si quis fratrum contra hæc constituta venire temptaverit & reliqua; sicut secundum Domini dictum Jota unum aut apex unus a lege non præterit. Repetamus superiora hujus Epistolæ, in qua dicit: Admittuntur passim ad ordinem sacrum, quibus nulla natalium dignitas suffragatur. Si inter sacros ordines ordo Accoliti non deputatur, de hoc nostro clerico nomine Senato a te Accolito sine nostra licentia & sine Ecclesiastica libertate ordinato nil repeto. Et quia, ut dicit Innocentius, observatio prior durior, posterior interveniente misericordia inclinatior est, posteriores Canones dicunt, ut nullus servilibus colonariisque conditionibus obligatus juxta statuta sedis Apostolicæ ad honores Ecclesiasticos admittatur, nisi prius aut testamento aut per tabulas, sed legitime, constiterit absolutum. Quæ, si quis Episcoporum ejus, qui ordinatur, conditionem sciens, transgredi per ordinationem inhibitam fortasse voluerit, anni spatio missas facere non præsumat. Hos autem Gallicanos Canones, quibus sæpe in tuis scriptis uteris, & per quos te reclamas, scio, quod non abjicies, cum Antiochenum Concilium, quod Apostolica sedes & universalis Ecclesia recipit, dicat: Perfectum Concilium est, ubi inter fuerit Metropolitanus Antistes: Et Leo ad Maximum Antiochenum Episcopum: Quicquid, inquit, propter speciales causas synoda

lium conciliorum ad exemplum Episcopale defertur, potest aliquam dijudicandi habere rationem, si nihil de eo est a sanctis patribus apud Nicæam diffinitum. Sacri denique canones manumissionem in Ecclesia fieri posse ab Imperatoribus petierunt, quæ & ab eis concessa est, & a tempore ipsius concessionis regulæ & mos Ecclesiasticus hactenus eos servavit & servat. Unde scriptum est in libro Capitulorum Synodalium primo, quæ tempore Augustorum nostrorum Karoli & hujus Ludovici fuerunt condita capitulo LV. Ut nullus, inquiunt, Episcopus servum alterius ad Clericatus officium sine Domini sui voluntate promovere præsumat. Et hoc Gangrense concilium prohibet. Et cap. LXXXII. ad locum: De Ecclesiarum vero servis communi sententia decretum est, ut Archiepiscopi per singulas provincias constituti nostram autoritatem, suffraganei vero illorum exemplar illius penes se habeant. Et quandocunque de familia Ecclesiæ utilis inventus aliquis ordinandus est, in ambone ipsa autoritas coram populo legatur, & coram sacerdotibus vel coram fidelibus laicis ante cornua altaris, sicut in nostra autoritate continetur, remota qualibet calliditate, libertatem consequatur, & tunc demum ad gradus Ecclesiasticos provehatur. Similiter quoque de his agendum est, quod Laici de familia Ecclesiarum ad sacros ordines promoveri voluerint: Sed & de his, quos Præpositi canonicorum atque Monachorum ordinandos exposuerint, eadem forma servanda est. Ostende igitur ipsam manumissionem Ecclesiasticam de præfato clerico a te Accolito ordinato, & nihil repeto. Dictum est etiam mihi, quod tantum per tres Presbyteros ipsum clericum ad tuam Synodum vocari jussisti, ut reddat rationem in tua Synodo, cujus auctoritate Ecclesiam in Parrochia tua accepit; unde tibi, puto, supra rationem reddidi, cujus autoritate & qua ratione prædictam Ecclesiam in Parrochia tua suscepit, quam ei per tanta tempora hacere consensisti, sicut plurimis est manifestum. Ipse autem nullam rationem, spoliatus contra rationem & auctoritatem, tibi inde in Synodo regulariter reddere debet. Si autem ideo illum vis in Synodum tuam venire, quoniam Chalcedonenses canones dicunt, absolute ordinare debere presbyterum aut Diaconum, nec quemlibet in gradu Ecclesiastico & reliqua, ut forte oblitus per illum discas, cujus suasione illum contra regulas ordinaveris, quatenus, si forte in Synodo Episcoporum inde appellatus fueris, habeas, quod respondeas, manda mihi; & ego illum, quoniam nostræ Ecclesiæ est mancipium nulla libertate donatum, per meos missos tibi in Synodum tuam transmittam, ut discas, quod beatus Leo ad Anatholium Constantinopolitanum Episcopum scribit: quod sicut in mala suasione delinquitur, ita & in mala consensione peccatur. Retractes etiam, quoniam, ut supra ostendi, illa quæ tempore antecessorum tuorum constiterunt, & per mortem Octerici de Ecclesia in Follanebraio præsumpta fuerunt per ministros tuos Ivonem, Luidonem, Angelramum, destruxisti; & quæ statuta fuerunt tempore antecessorum tuorum reædificasti, quæque nunc iterum de ipsa Ecclesia destructa sunt: Sed &, quæ prænotavi, de regulis Ecclesiasticis & Synodalibus Capitulis transtulisti. Sententiam Beati Leonis ad Leonem Augustum depromptam parvipendere nullo modo debes, quia in Synodo apud Suessiones audisti, & in illo libro, quem tibi dedi, ipse legere potes. Si, inquit, quæ destruxisti, hæc ædifico prævaricatorem me constituo, & eis me ultionum conditionibus subdo, quas non solum autoritas beatæ memoriæ Principis Martiani, sed etiam ego mea consensione firmavi: Et, sicut presbytero nostræ parrochiæ ad te misso respondisti, quia, sicut tibi fecimus in nostra parrochia de tua Ecclesia, ita & tu nobis facias de nostra Ecclesia in tua parrochia. Non solum enim consentio, verum & hortor, ut facias, scilicet, ut inquiras diligenter sub veritatis testificatione in suo sacerdotio per Angelramnum, per Grunonem, per Fraumarum Presbyteros, sed & per ipsum Haimeradum, quid de ipsa Ecclesia testificatus est Pardulus decessor tuus coram ipsis ante obitum suum; sed & per alios presbyteros & vicinos ac idoneos laicos in ipsa villa commanentes & circummanentes legaliter require, quid inde ex veritate cognoscunt de his, quæ præscripsi, & sicut Episcopus, cum veritatem inveneris, inde justum judicium judica. Velut & ego coram missis tuis de Capella Episcopii tui in parrochia nostra legaliter & regulariter inquisivi, & secundum leges & sacros canones ac decreta sedis Romanæ Pontificum diffinivi, sicut tibi scripto veritate & auctoritate subnixo contendam loco & tempore oportuno, si necessitas fuerit. Nam plures Ecclesiæ sunt in mea parrochia de Episcopio Laudunensi, de quibus nec tibi nec alicui tuorum ullum præjudicium intuli, neque inferre volo, quia non debeo; & quia ex capella, de qua mandasti, tuæ intentioni non annui ratio mihi & autoritas contradixit. Quod autem a quibusdam tuorum dicitur, quod ipsa capella antiquior sit, quam Ecclesia in Juviniaco villa, etiamsi verum foret, tunc illi antiquitas sua suffragium adferret sibi in antiquitate sua usque ad tempora moderna, sicut Ecclesia in Follanebraio mansit, persisteret. Nam Atrabatis, Viromandis & Bononia, ex cujus territorio es nativus, antiquiores sedes cum Episcopis propriis in Remorum Provincia extiterunt, quam castrum Montis Lauduni inter sedes computaretur, in quo es ordinatus Episcopus. Sed quoniam a longo tempore certis eventuum ac necessitatum causis accidentibus illæ aliis subjectæ civitatibus suum privilegium perdiderunt, quod non receperant, & castrum Montis Lauduni convaluit; quia, secundum Leges ac sacros canones atque decreta sedis Romanæ Pontificum, pro id appellare idque refragari non licet, quod legum tempus excludit. Decimas siquidem Ecclesiæ Episcopi Laudunensis, Parrochiæ vero meæ, in Antenaco ex Domini Regis indominicatu ordinationi meæ commissas*.

Non

Non ſolum mihi & Presbytero, cui jam ad diſpenſandum commendavi, verum & Domino Regi contra Leges & Canones tuo tempore, quod ante actum non fuerat, magnum præjudicium eſt a miniſtris tuis inlatum, quod propter pacis caritatiſque cuſtodiam hactenus patienter ſuſtinui. Unde potes advertere, quia tibi de illa Capella juſtitiam non negarem, ſi ipſa juſtitia tuis votis concurreret. Propterea, Frater, pro loci mei officio de præfata Eccleſia juxta antiquam conſuetudinem ratione, veritate atque auctoritate ſubnixa, ut præmiſi, ex æquo te regulariter moneo, quæ benigno animo te ſuſcipere & implere exopto. Quid facies, ſi Beati Leonis præceptionem cordis aure obaudire curaveris? Qui ſcit, inquit, ſe quibuſdam Præpoſitum, non moleſte ferat aliquem ſibi eſſe prælatum, ſed obedientiam quam exigit etiam ipſe dependat. Et quia non impune quis a ſacris regulis deviare & debitæ obedientiæ valeat obviare, ſcientiæ tuæ appone verba Beati Gregorii, quibus ad Petrum Romanæ Eccleſiæ Subdiaconum & patrimonii magni Petri in Sicilia Servantem dicit: De his, inquiens, quæ tibi pro ſervanda juſtitia ſcribo ego abſolvor, & tu, ſi negligis, obligaris. Terribilem judicem venientem conſidera & de adventu illius nunc tua conſideratio contremeſcat, ne tunc ſine cauſa eam timeat, cum coram illo cœlum & terra tremuerit. Audiſti, quid volo; Vide, quid agas. Datum V. Kal. Maj. præſentis tertiæ Indictionis.

VIII.

Hincmari Archiep. Rem. Epiſtola ad Hincmarum Epiſc. Laudun.

Hincmarus Remorum Epiſcopus Hincmaro Laudunenſi Epiſcopo ſalutem, quæ eſt in Chriſto Jheſu Domino noſtro. Quod erga me volens diſſolvere illa, quæ tibi ſcribo, per inſtantiam reſcribendo agis ſingulatim ſed non ſingulis, cauſa mihi non incerta quibuſdam prætermiſſis, reſpondere me pro loci mei officio, ne tibi ſapiens eſſe videaris, ad ſingula contumaci inobedientiæ & inobedienti pervicaciæ tuæ exigis, qui laboras, ut ſuperior in cunctis appareas, & victor exiſtat, metropolitano privilegio nomine tantum ironice per antiphraſin honorando inſultes, & cum in honoratione contumelioſa inobediendo reſultes mihi qui os adeo obtures, ut de his, pro quibus ad me, cui per ſacros canones divino judicio commiſſa eſt provinciæ totius, in qua es ordinatus Epiſcopus, ſollicitudo, qui negotia videntur habere, concurrunt, te non audeam commonere, neque præſumam de his, quæ ex te reprehenſibilia ad me perveniunt, redarguere; &, ut totum brevi perſtringam cingulo, timeam, quod diſpliceat tibi mutire. Sed ejuſmodi enim es ſapientiæ atque religionis, ſed loci Epiſcopus, ut hæc valeas obtinere qui ſi vere tam ſapiens & religioſus fores, talia obtinere non attemptares: & quoniam veritate, ratione & auctoritate non potes, anxiaris, æſtuas & anhelas, ut quoquo modo, vel per veriſimilia & quaſi auctoritati & rationi convenientia mihi poſſis reſiſtere, meque poſſis comprimere atque revincere. Unde & recte dicta ſtudes prave ad ſenſum tuum inflectere & ea a ſenſu ſuo, quantum ex te eſt, cogis peregrinari. Et hoc pernicioſum certamen ſine ulla neceſſitate contra me aſſumpſiſti, & ſine ulla utilitate in eo fatagis laborare. Cum nihil aliud a te requiram niſi, ut ſcriptum eſt, timeas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo & obedias ejus imperio, &, ſicut Epiſcopus, quod omni convenit Chriſtiano, parem ſequaris & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Dominum; & loci tui contentus modeſtia te altiora ne quæras, & ut frater ac filius cariſſimus agas, quatenus nos invicem recognoſcamus, ne antiquus hoſtis per ſcandalum duos movens, per nequiſſimam victoriam multos necet. Unde tua inſolentia multos, quæ non convenerant, loqui facit. Ego enim, ut aperte judicem, qui per elationem a te nihil requiro, quæ mihi de canonibus ſupponunt, de quibus tibi ad recognoſcentiam & reſipiſcentiam tuam jam ſæpius ſcripſi, tacere potuiſſem, ſi ea quæ familiari ſermone monerem cum caritate & humilitate ſuſciperes. Cæterum, ut Beatus Gregorius ad Joannem Conſtantinopolitanum Epiſcopum dicit: rixam inferre non volo, ſed tamen a te venientem non devito, quod non valeo, nec etiam audeo pro loci mei officio, cum quaſi me pulſando egregius prædicator dicat; Argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina. Si enim, ut veraciter fatear, utinam non ad condemnationem meam, Metropolitanus tuus judicio Domini non forem, & tu provincialis Epiſcopus Metropoli, cui diſponente Domino deſervio, ſubjectus & a me ordinatus non eſſes, ſed in alia provincia alterius ordinatus exiſteres, & talia de te audirem, ſicut audire cœpi, ex quo poſt concupiſcentias ſeculi. & elationem cordis tui ire cœpiſti: & verbis & ſcriptis te caritatis affectu monerem, & ſi non obaudirer, apoſtolicam ſequens juſſionem, qui de eo præcipit, qui ſemel & ſecundo commonetur, nec convertitur nec obaudit; te devitarem. Nunc autem, quia non ſolum ſapientibus & inſipientibus, ſed etiam provinciæ Remorum Epiſcopis, meis ſcilicet melioribus & ſapientioribus atque religioſioribus, debitor ſum, locum effugiendi invenire non valeo, ut te oportune, importune, non moneam, cum prædicator fortiſſimus dicat. Mundus ſum a ſanguine omni; non enim ſubterfugi, quominus adnunciarem omne conſilium Domini vobis. Si enim non adnunciaſſet, mundus a ſanguine non eſſet: Sed quibus omne conſilium Domini adnunciare ſtuduit, ab eorum ſanguine mundus fuit. In qua voce & ego pariter convenior; ego inſipiens, ut te moneam & arguam, &, quando neceſſitas exigit, increpem, valde conſtringor; ego reus eſſe oſtendor, qui Metropolitanus Epiſcopus vocor, qui ſuper ea mala, quæ propria habeo, alienas quoque mortes addo; qui tot occido, ut timeo, quot ad mortem ire cotidie trepidus & tacens video, dicente Domino per Prophetam

Digitized by Google

de uno pereunte: Sanguinem ejus de manu tua requiram; quanto magis de multis, & etiam de his, per quos multi debent ſalvari; mihi hæc terribilis invectio incitatur, qui ad ſpeculandum & etiam Epiſcopis, peccatis meis exigentibus, Domini judicio prælatus, qua de re & Archiepiſcopus, unde non lætor, ſed revereor, ſum vocatus, qui reatu de morte animarum ſubjectarum conſtringor, quæ forte potuiſſent ſemper vivere, ſi verba meæ correptionis audirent. Sanguis ergo morientis de manu ſpeculatoris requiritur; quia peccatum ſubditi culpæ Præpoſiti, ſi tacuerit, reputatur. Recte ergo, ut beatus Gregorius dicit, quid mihi eſt faciendum, ut etiam, moriente ſubdito, me liberum reddam; ſurgam, invigilem, malis actibus contradicam, ſicut ſcriptum eſt: Diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum; ne dederis ſomnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ. Et ſi adhuc, ut cœpiſti, in reſiſtendo perſiſtis, audiam, quid loquatur in me & ad me de reſiſtentibus Dominus Deus: Ecce, inquiens, dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum, ut adamantem & ut ſilicem dedi faciem tuam, ſcilicet ut ſive ab auditoribus honorer, ſive ab auditoribus conculcer atque deſpiciar. Nec per delatum honorem refrenetur lingua ex verecundia, nec per diſpectum taceat ex infirmitate. Unde iterum mihi dici exaudio; ne timeas eos, neque metuas a facie eorum, quia domus exaſperans eſt. Eſt ergo increpandus is, Frater, & nunquam timendus, qui eſt exaſperans domus. Propterea de eo, quod jam tertio in præfatione tuarum literarum mihi ſcribens mandaſti debitam in Domino devotionem, quam non ſubſequeris, proſequendo, debitam & in Domino devotionem, tibi reſcribo; quia, quantum ſpectat ad humanos carnis oculos debitam devotionem mihi non monſtras; quantum vero ſpectat ad mentis humanos oculos in Domino devotionem non exhibes, quantum autem in divinis oculis ſuperno conſilio timeo trutinari, debitam devotionem mihi rependis, quam e tuis operibus non adeove deſideraveram laudabilibus, & tuis contradictionibus, & duriſſimis ac contra caritatem, quæ Deus eſt, reſponſionibus & inpactionibus indebitis indeſinenter excrucias. Sed utinam mihi contingat, quod in Evangelio voce Abrahæ de Lazaro per flagella expurgato a malis ſuis diviti ardenti reſponſum audimus: Recepit Lazarus ſimiliter mala pro malis in vita ſua, ſicut & dives bona pro bonis in vita ſua. Et ſic opto, mihi per te fieri, ut ſi per improvidentiam Domini in aliquo ex te offendi, qui in multis eum me offendiſſe & offendere humili & contrito corde confiteor, recipiam ex te & per te purgationem in vita mea, ne inde crucier in vita futura, qui, ut dixi, per improvidentiam, non autem per malevolentiæ conſcientiam, tantorum gemitus, qui ſub manu tua, ut a multis dicitur ſicut revera ſub faſce graviſſimo gemunt, in provectione tua excitavi, quotidie emitti ad Dominum. Et proinde quotidiano imo continuo timore & dolore conſtrictus, non ſolum gemo, ſed & eis congemeſcens Deo, cujus promiſſionis judicio a te ſcandalizatus & mente excruciatus, verbis viri flagellis attriti, corde contribulato, dico: qui cœpit, ipſe me conterat, ſolvat manum ſuam & ſuccidat me, & hæc mihi ſito ſolatio, ut affligens me dolore non parcat, nec contradicam ſermonibus ſancti. Vellem enim, ſi illi placeret, ut flagellis dignum me, per alium, quam per te, flagellaret; ſed quia ita ſibi placet, cui bona cuncta placent, verbis ſuis eum convenio, qui ex affectu noſtræ humanitatis patri dignatus eſt dicere: Pater, ſi fieri poteſt, tranſeat a me calix iſte. Veruntamen non, ſicut ego volo, ſed ut tu vis. Et item ſpiritu ſuo de eo, qui reus eſſe videbatur, prædixit: ſi inimicus meus maledixiſſet, eum ſupportaſſem utique. Tu vero homo unanimis, dux meus & notus meus, qui ſimul mecum dulces capiebas cibos; in Domo Dei ambulavimus cum conſenſu; homo ſcilicet pacis meæ, in quo ſperabam; qui edebat panes meos, levavit contra me calcaneum ſuum; ac ſi aperte diceret, quid tanto gravius pertuli, quanto hæc ab eo, qui meus eſſe videbatur, ſenſi. Sed licet hinc erga me pietas cor tuum non tangat, timor tamen illud debet conpungere, quia ea contumelia, ex inobedientia tua qualicunque ſucceſſori beati Remigii in Metropolitana ſede ipſius a te mihi illata, in eum redundat, qui in me peccatore vicario ſuo totius Remorum provinciæ curam portat. Quin imo Chriſtus Deus noſter, orante apud eum pro nobis eodem ſanctiſſimo prædeceſſore noſtro, meas contumelioſas calumnias & perſecutiones derogationum tuarum in ſe dignatur ſuſpicere, qui conſidens patri ſuper omnes cœlos & ſuper omnium angelorum verticem Saulo, ut legimus & credidimus, dixit: Saule, Saule, quid me perſequeris. Non enim eſt credendum, in tanta turba credentium, quos Saulus perſequebatur, aliquem fuiſſe licet corpus ejus erant, ſe Dominus perſequi dixit. Et ideo in me imperfecto, modo quolibet perſecuto, illum perſequi credo, quia & voce ſanctæ Eccleſiæ, in qua ejus ſum ultimum membrum, per Pſalmiſtam dicitur: Inperfectum meum videntur oculi tui, & in libro tuo omnes ſcribentur. Et iterum Pſalmiſta dicit: Benedixit omnes timentes ſe Dominus, puſillos cum majoribus. Et qui in judicio dicet de benefactoribus: quamdiu feciſtis uni de his minimis meis, mihi feciſtis; Veraciter credo, quia quicquid mihi ſive benignitatis ſive malignitatis pro ejus nomine exhibetur, ſine dubio illi impenditur. Et quia beatus Joannes Baptiſta pro veritate, videlicet pro Chriſto, ſine dubitatione occubuit, ſicut & ipſe oſtendens dicit: Ego ſum veritas. Et ego, ut Apoſtoli utar verbis, inimicus factus ſum tibi, vera tibi dicens, & ſuadens, ſed perſuadere non valens, ut, ſicut ipſa veritas per Sanctum Leonem dicit, obedientiam, quam a tuis ſubditis exigis, prælatis ipſe dependas, & in ea vocatione, qua vocatus es, in ipſa permaneas. Quæ quia non ſuffers, non ita ut ego ſum

Digitized by Google

ſum imperfectum, in quo, ſicut & in reliquis, qui videlicet non ſolum mihi, ſed & multis ſcandalum ingeris. Et veritas dicit, qui ſcandaliſaverit unum de puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei, ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus & demergatur in profundum maris. Et item idem Chriſtus Dei virtus & Dei ſapientia dicit: Viro, qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus ſupervenit interitus & eum ſanitas non ſequetur. Et Moiſes & Aaron dura cervice reſiſtenti ſibi populo dicunt: Nec contra nos eſt murmur veſtrum, ſed contra Deum. Unde nec tuas inimicitias vereor, nec te monere in neceſſariis, quæ ſine peccato non poſſum dimittere, deſinam, ſciens, pacem dilectione integra intrinſecus me tenere debere, quam per invectionem vocis mihi extrinſecus non timeo perturbari quod utrumque provide David ſe perhibet ſervare, cum dicit: Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus; cum loquebar illis, impugnabant me gratis. Ecce & loquens impugnabatur, & tum impugnatus erat pacificus, quoniam nec inſanientes ceſſabat reprehendere, nec reprehenſos negligebat amare. Hinc etiam Paulus ait: Si fieri poteſt, quod ex vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes. Hortatus enim Apoſtolus, ut pacem cum omnibus haberent, præmiſit, dicens, ſi fieri poteſt; atque ſubjunxit, quod ex vobis eſt. Difficile quippe erat, ut, ſi mala acta corriperent, habere pacem cum omnibus poſſent. Sed cum temporalis pax in pravorum cordibus ex noſtra increpatione confunditur, inviolata neceſſe eſt, ut in noſtro corde ſervetur. Hinc iterum David cum totum ſe ad fœdera pacis internæ conſtringeret, teſtatur quod cum malis concordiam non teneret dicens: Nonne te qui oderunt, Deus, oderam illos, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? perfecto odio oderam illos. Inimici facti ſunt mihi. Inimicos enim Dei perfecto odio odiſſe eſt, ad quod facti ſunt diligere, & quod faciunt increpare, mores pravorum premere & vitæ prodeſſe. Penſandum eſt igitur, quando ab increpatione quieſcitur, quanta culpa ſit, ſi cum his, qui increpandi ſunt, ſine increpatione pax tenetur; Si Propheta tantus hoc velut hoſtiam Deo obtulit, quod contra ſe pro Domino pravorum inimicitias excitavit. Unde Paulus diſcipulos admonet dicens: Si quis non obedit verbo noſtro, per epiſtolam hunc notate & non comminiſcreamini cum illo, ut confundatur. Atque ilico ſubjunxit: Et nolite, ut inimicum exiſtimare illum, ſed corripite ut fratrem. Ac ſi diceret: Pacem cum eo exteriorem ſolvite, ſed interiorem circa illum medullitus cuſtodite. Et quia more tuo te, credo, refugere ad perſugia ſolita, ſi licet ad excuſandas excuſationes in peccatis, ut dicas, quia etiam de cogitatione te judico, cum dicat Apoſtolus: Quis ſcit hominum, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt, prævenio huic tuæ objectioni, dicens, quia tunc ſpiritus hominis ignoratur ab altero, cum verbis vel operibus non demonſtratur. Nam cum ſcriptum ſit, ex fructibus eorum cognoſcetis eos; per hoc quod foras agitur quicquid intus latet aperitur. Unde recte quoque per Salomonem dicitur: Quomodo in aquis reſplendent vultus proſpicientium, ſic corda hominum manifeſta ſunt prudentibus. Cum dicis te ſcripſiſſe ad auferendam amphibologiam tuæ traditionis ex primitivo genitivi inter tradentem & traditum; Grammaticam, quam tibi inſinuari feci, egi & ipſi ſatis, mihi in faciem expuis, quod, gratias illi patienter portare poſſum, qui quod de ſe prædixit, pro me peccatore ſuſtinuit. Faciem, inquit, meam non averti ab increpantibus & conſpuentibus in me. Sed qui a te traditur, & non tradentem deſignas ex nomine, de hoc tuo dicto non curo, teſtimonium inde perhibente mihi conſcientia mea nihil me hinc tibi eſſe debitorem. Unde & hoc minimo mihi eſt, ut ex hoc a te judicer vel ab humano die; ſed neque me ipſum inde dijudico: Veruntamen ſi te tam morigeratum ſcirem, ut hoc ad utilitatem tuam & ad mentis tuæ ſanitatem poſſet proficere, vel mihi inde cognoſcerem aliquam neceſſitatem poſſet incumbere, & ſcriptis meis ad Regem & ad Epiſcopos & ipſorum teſtimonio ac per alios idoneos teſtes poſſem tibi oſtendere, me, ſicut dixi, debitorem hinc tibi non eſſe. Uniuſcujuſque enim quale opus ſit, dies Domini declarabit. Quia vero de traditione tua quereris, & nihil ſit intro ſine cauſa, nihilque, quod aut non faciat Deus propitius, aut fieri non promittat iratus, & pluraliter fieri traditiones, atque diverſis modis diverſos & pro diverſis cauſis traditos legamus, neceſſe eſt tibi utiliter mentem tuam diſcutere, ut meditatus cum corde tuo & non doloſa, ſed recta ſtatera appendens mores, cogitationes, verba, & actus tuos, apud te invenias, hæc traditio unde & a quo proceſſerit, & quem proceſſum habeat, & ad quem finem ſpectet. Legimus enim quoſdam a ſe traditos, ut Paulus ad Epheſios de quibuſdam dicit, qui, deſperantes, ſemetipſos tradiderunt ſe inpudicitiæ in operationem immunditiæ omnis in avaritia. Tanto enim, hinc beatus inquit Gregorius, ſe quiſque in malis præſentibus relaxat latius, quanto poſt hanc vitam ſe adſequi bona æterna deſperat. Et Jacobus Apoſtolus dicit: Unuſquiſque temptatur a concupiſcentia ſua; abſtractus & inlectus ſcilicet a recto itinere, & inlectus in malum. Et item Paulus ad Romanos de quibuſdam ſcribit: qui jam cognoviſſent Dominum, non ſicut Dominum glorificaverunt, aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Dicentes enim ſe eſſe ſapientes ſtulti facti ſunt. Et paulo poſt: Propter quod tradidit illos Deus. Tradidit, dixit, gratia non liberavit; ſicut & cor Pharaonis induravit, quod gratia non emollivit. Et Pſalmus dicit: Tradidit in captivitatem virtutem eorum & pulchritudinem eorum in manus inimici. In captivitatem enim virtus, & pulchritudo quorundam in manus inimici traditur,

Digitized by Google

tur, cum deceptæ menti antiquus hostis ex boni operis elatione dominatur & Apostolos expetivit Satanas, ut cribraret eos, sicut triticum, qui jussi sunt orare, ut non intrarent in tentationem. Et Paulus quendam tradidit Satanæ, ut Spiritus ejus salvus fieret in Die Domini. Et item quosdam tradidit Satanæ, ut discerent non blasphemare; & filiam Abrahæ incurvatam legimus a satana & plures, propter peccata puniendа, qui cruciari meruerunt, quasi quibusdam quæstionariis atque tortoribus traditos legimus refugis spiritibus; quia non solum homines ministri & ultores sunt habendi in his, qui malum operantur, quique non sine causa portant gladium, sed etiam contrariæ fortitudini, quæ appellantur furor & iræ Dei. Quapropter si moribus tuis & factis exigentibus, justo Dei judicio permittente, aut a te ipso vel per Spiritum refugum in peccatum, quia legimus immissiones per angelos malos vel per hominem Dei ministrum ad pœnam peccati, es traditus, si te non recognoscis & non corrigendo resipiscis, non habes unde queraris, sed unde tribuleris: quia non dicit Dominus: beati qui persecutionem patiuntur propter non justiciam, sed, propter justitiam. Et Apostolus dicit: Beatus, qui suffert tentationem; quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ: Quia, sicut beatus Cyprianus ait, Martyrem non facit pœna, sed causa. Nam cum Christo Crucem etiam periturus latro suscepit, sed, quem reatus proprius tenuit, per crucifixio non absolvit. Et persecutio vel traditio dum non rationabiliter sustinetur, ut Beatus monstrat Gregorius, nequaquam proficit ad salutem. Nam nulli fas est retributionem præmiorum expectare per culpam, quod & Beatus Petrus Apostolus demonstrat dicens: Quæ est enim gratia, si peccantes & colaphizati suffertis? Contra hos Propheta Domino queritur, dicens: Attrivisti nos & renuunt accipere disciplinam. Hinc est, quod Dominus dicit: Interfeci & perdidi populum istum, & tamen a viis suis non sunt reversi. Hinc rursus ait: Populus non est reversus ad percutientem se. Hinc voce flagellantium Propheta conqueritur dicens: Curavimus Babilonem & non est sanata. Babilon quippe curatur, non tamen ad sanitatem reducitur, quando mens in prava actione confusa verba correptionis audit, flagella correctionis percipit, & tamen ad recta salutis itinera redire contemnit. Hinc captivo Israelitico populo, nec tamen ab iniquitate converso, Dominus exprobrat dicens: Versa est mihi domus Israhel in scoriam: omnes isti æs & stannum & ferrum & plumbum in medio fornacis. Ac si aperte dicat. Purgare eos per ignem tribulationis volui, & argentum illos vel aurum fieri quæsivi; sed in fornace mihi in æs, stannum, ferrum & plumbum versi sunt; quia non ad virtutem, sed ad vitia etiam in tribulatione proruperunt; quoniam aut ad sonitum murmurationis erumpere, aut simulationis vitio non carere decreverunt, aut in nocendi malitia proximis perseveraverunt aut a desideriis carnis pressi, in tribulatione purgari non potuerunt. Hinc rursum scriptum est: Multo labore sudatum est, & non exivit de anima rubigo ejus, neque per ignem: ignem quippe nobis admonet tribulationis, ut in nobis rubiginem vitiorum Dominus purget. Sed nec per ignem rubiginem amittimus, quando & rubiginis inter flagella vel per flagella vitio non caremus. Hinc Propheta iterum dicit: Frustra conflavit conflator: Malitiæ eorum non sunt consumptæ. Pœna, inquit, Gregorius præsens si afflicti animum convertit, finis est culpæ præcedentis: si autem ad timorem Domini minime convertit, initium est pœnæ sequentis. Cavendum ergo nobis est, & summopere in fletibus tota mentis conversione vigilandum, ne de tormento ad tormenta transeamus: qui ergo justus patitur, si patienter ea, quæ patitur, sustinet, Christum imitatur, qui in flagellis corrigit; latronem, qui in cruce Christum cognovit & post crucem cum Christo Paradysum intravit. Qui nec inter flagella desistit a culpis, sinistrum imitatur latronem, qui propter peccata ascendit in crucem & post crucem ruit in tartarum. Si ergo propter peccatum modo quolibet vel a quocunque traditus es, & per traditionis persecutionem correptus, ut audire merearis a Domino, etsi non auribus corporis, vel auribus illis, de quibus Psalmista dicit: Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus; quod audivit, qui propter peccatum flagellatus & per flagellum purgatus est, dicente Domino: Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat; habes, unde gaudeas, & quod cavendo custodias. Si autem ideo traditus & traditione flagellatus es, non quia peccasti, sed ne peccares, sicut Paulus, qui dicit: Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, ut me colophizet; libenter gloriare in infirmitatibus tuis, ut inhabitet in te virtus Christi. Si denique a quocunque traditus es vel non propter præcedens peccatum, vel ideo, ut non incurreres, quod poterat accidere tibi, peccatum, sed ut justus justificareris adhuc, sicut Tobias & Job, de quo dixit Dominus ad Satan: Ecce in manu tua est, tantum animam illius serva; custodire te oportet, ut ne de flagello murmures, & animam tuam, quam Dominus servare in Job jusserat, murmurando in potestatem illius tradas. Neque murmuraveritis, inquit, Apostolus, sicut quidam eorum murmuraverunt, & a serpentibus perierunt. Cavere etiam summopere debes, ut aucta per flagellum merita de cætero peccando non inquines, sed juxta vocem Domini corde bono & optimo verbum & purgationem ejus retinens fructum adferas in patientia. Quicunque humiliter, etiam pro peccatis suis, flagella suscipiunt, post flagella ad requiem sublimiter suscipiuntur. Sic uva calcibus tunditur & in vini saporem liquatur, sic oliva contritionibus expressa amurcam suam deserit & in olei liquorem pinguescit; sic per trituram areæ a paleis grana separantur & ad horeum purgata perveniunt. Quisquis ergo appetit plene vitia vincere,

Digitized by Google

cere, ſtudeat humiliter purgationis ſuæ flagella tolerare, ut tanto poſt ad judicem mundior veniat, quanto nunc ejus rubiginem ignis tribulationis purgat. Quod dicis meis apicibus te ſolito more morderi, ſed non te ſenſiſſe lædi. Si ita quod dicis, ita, ut eſt intelligendum, intelligis, non improbo; quia & erat, unde morderi, ſed ad ſanitatem, & idcirco te non lædi, ſentire debebas. Sic enim, ut in Evangelio legimus, plaga ſanatur, ſcilicet per acrem vini morſum & per olei fomentum. Cum enim tibi oſtendi, quid actum ſit, rite ad morſum intellexiſti; &, cum oſtendi, quid agendum ſit, ſi recte facis, pertinere ad olei fomentum intelliges. Si autem adeo intentionem tuam rebus tranſitoriis immoderatius implicas, ut quibus negligentiarum jaculis tranſfigaris, vel quibus monitionum medicamentis debeas curari, ignores, quia nec læſum, nec ſanabilem te ſentis, probabiliter improbo. Unde per Salomonem vox percuſſi & dormientis exprimitur, qui ait: Verberaverunt me, ſed non dolui; traxerunt me, & ego non ſenſi. Mens quippe a cura ſuæ ſollicitudinis dormiens verberatur & non dolet; quia ſicut imminentia mala non proſpicit, ſic nec perpetrata pertimeſcit. Trahitur, & nequaquam ſentit; quoniam per illecebras vitiorum ducitur, nec tamen a ſui cuſtodia ſuſcitatur. Quod dicis a me jaculis te impetitum nævoque notatum; noli agere, ut hoc mihi neceſſe ſit agere & me ab his ſenties conquieſcere. Quod dicis, te integro fugatum anno, & non dicis a quo fugatus exiſtas; neſcio, quid inde tibi reſpondeam, niſi quod dicit ſcriptura, quod in te Dominus cadere non permittat: Fugit impius, nemine perſequente. Quod dicis, te ad inſtar Abner fugatum & ferris tritum & ideo non tacere permiſſum: non convenientem ſententiam Beati Gregorii in perſecutione Abner ab Aſahel poſuiſti, quia non me furentem tuum perſecutorem, ſed ad corrigendum exceſſus tuosque loci mei officio intelligere debueras monitorem: & tu non me averſa haſta, ut Abner Aſahel, perſequentem feris, & tranquille ex quibusdam tangis & quaſi parcendo ſuperas; ſed invehendo & reſiſtendo in faciem, quantum potes, per contumacem contemptum, ſi poſſes, ad furorem provocando, exaggerare non ceſſas, & ideo reſponſionum ratione in intimis ſub tranquillitate tactus ab eo, quod me pro neceſſitate loci mei erexeram, non cado neque ſuccumbo; ſed validius ſemper clamo, clamavi, clamabo per ævum, & ſicut tuba exaltabo vocem meam, & adnunciabo tibi exceſſus tuos & ſataganter evocare pro viribus a contumaci elatione tua. Quod dicis, te ferris tritum; inproprie, quantum audio dicere, hoc tua Grammatica protulit. Nemo enim ferris teritur, ſed ſecatur, quod bene Paulus intellexit, ſcribens ad Hebræos, cum paſſiones ſanctorum deſcripſit, dicens: Sancti ludibria & verbera experti, inſuper & vincula & carceres, lapidati ſunt, ſecti ſunt. Non enim dicit triti ſunt. Serra enim dentata fieri legitur, & ego, quantum poſſum, dentatis ferris te ab accidentibus, quæ Epiſcopo non ſunt propria ſecare laboro, & ſpiritalibus dentibus mordere, ac ſtimulis verborum monentium & clavis increpationum configere non omittam; quoniam ut ſacra ſcriptura dicit: Verba ſapientium quaſi ſtimuli & quaſi clavi in altum defixi; quia videlicet, ut exponit Beatus Gregorius, verba ſapientium culpas delinquentium neſciunt palpare, ſed pungere. Quia vero incompoſite Præteritum verbi teror ſerris compoſuiſti, multis locis non ſolum in tua Grammatica, ſed etiam in ſcripturis prævales invenire ſed & in illo loco, ubi Dominus Moyſi, qualiter tymiama, quod noſtra lingua inceſſum Dei, facere juſſit, dicens: cumque in tenuiſſimum pulverem univerſa contuderis. Unde S. Gregorius: In tenuiſſimum pulverem aromata univerſa conterimus. Et item: Aromata in pulverem redigere eſt virtutes recogitando terere. Hujus Activi Paſſivum eſt, ſicut melius noſti, teror; cujus eſt Præteritum tritus; quod non rite ſerris, ſed pilæ ac pilo potius applicari debet, ſicut Salomon demonſtrat dicens: ſi contuderis ſtultum in pila quaſi typſanas feriente deſuper pilo, non auferetur ab eo ſtultitia ejus. Quodque tymiamia a Domino juſſum fieri; quotidie nos, ſacri altaris miniſterio adſciti, debemus componere, ut recte poſſimus Domino dicere: dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo. De eo, quod dicis, te mirari, cur Hadulfum tam diu remorantem non remittam, præſertim cum ſuper eo meæ, ut juſtum erat, annuiſti interventioni; ideo pleniter non reſpondeo, quia ſyncera non eſt, ſoliditate veritatis & caritatis atque pacis, tua mandatio. Tantum hoc reſcribo, quia, quotiescunque ad me illum miſiſti, ſemper tibi illum remiſi, & non, ſicut aliis literis de eo mihi directis, quantum ex me eſt, contumacem illum a me recepiſti; qui ſi contumax tibi extitit, non mea ſvaſio, ſed, ut æſtimo, tua factio hoc ab illo exigit; quia, ut puto, calice Babilonico, quo viciſſim ac ſingulatim gentes propinatas usque ad Seſap noviſſimum legimus, a te ille etiam eſt propinatus, ſicut & plures alii extiterint. Nam, ut ſcriptum eſt, a ſanctuario meo incipite; a me nutritore tuo & ab his, qui te mecum nutrierunt, vel inter quos nutritus fuiſti, prius incœpiſti, derelinquens nos, & odio habere inchoans, atque aliorum familiaritates expetens; deinde per alios & alios tam amicos, quam ſubditos, tam Clericos, quam Laicos, hactenus diſcurrens & viritim præcedentes relinquens, usque ad hunc tibi familiariſſimum curſus tuus pervenit, & cum tali gratia de ſcala vitrea tuæ familiaritatis decidit, ſicut & nos priores & illius de tuis ſubditis anteceſſores cecidimus, ſi tamen talis caſus non potius aſcenſus, quam caſus dici debeat, cum tibi Salomon dicat: Amicum tuum & amicum patris tui ne dimiſeris. Et ſanctus Jeronimus dicit: Proverbium, inquiens, eſt, quod ſerviri negarat, qui nulli ſervivit; ſicut tibi ſerviri non poteſt, qui nulli ſerviſti, quique non laborando, ſed deliciando & dormiendo alterius labore, quod habes, adeptus fuiſti; & quod Simonides, cum interrogaretur, quid

Digitized by Google

quid inter homines celerrime conſeneſceret: Beneficium, inquit; manifeſte oſtendis. Et Salomon dicit: Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo ejus; & qui mentis eſt duræ, corruit in malum. De hoc, quod dicis, te neſcire, unde ſciam, te conſenſiſſe Eccleſiam Senato Clerico noſtro in Tollane Braio; quoniam nec res nota eſt, nec per caſus aut formas ſaltem veriſimiles flectitur, & ideo nec te conſenſiſſe ſcio, nec illud probare poſſum. Tibi reſcribo, quia indignum tibi eſſe debuerat, quoniam eſt utique indecorum, ut cum illuſione mea Epiſcopus ad cunas infantilis Grammaticæ redires. Hoc enim, quod mihi ſcribis, reſpondere ſolebas in ſchola, quando nomina vel pronomina ſeu verba declinare me jubente inſinuabaris. Cum enim te conſcolarius puerulus interrogabat, hoc vel illud, quæ pars eſt, reſpondere ſolebas ſicut tibi videbatur, quæ pars erat. Et, inferrente illo, unde hoc ſcires, dicebas: ſi rite remetior, quod mihi multis jam annis tranſactis non venit in memoriam. Quia res nota eſt, & per caſus, vel modos, vel formas inflectitur. Et alia frater & filius a calumnus meus ad deriſionem, quaſi pituita ſcilicet flegma coagulare, & vetuſtum ac muccidum mihi in vultum excreaſſet, non attendis, quantum Dominum, qualiſcunque ego, ſi in contemptu miniſterii ſacri ſine reverentia ulla offendas. Tamen, ut antiquo proverbio dicitur, bos laſſus fortius figit pedem, quia intelligere in præcedentibus literis noluiſti vel potius dedignatus fuiſti, aut ſi intellexiſti, dicere refugis, mihi non pigrum, licet non tibi neceſſarium eſt iterare, unde hoc ſcio, quæ & res nota eſt, & a longo tempore perhumaniter occidentis caſus inflexa, & per formas, non dicam veriſimiles, ſed per veras oſtenditur; videlicet, quia, ſicut tibi ex ordine ſcripſi, tempore Chilpini & quando poſt eum per annos circiter novem metropolis Remorum vacavit Epiſcopo & tempore Wolfarii, ſed & tempore Ebonis & quando Folco & poſt eum Notho ipſum Epiſcopium tenuerunt, ſed & tempore meo, per tempora Epiſcoporum Laudunenſis Eccleſiæ Genebaudi videlicet junioris, Berneconis, Gairfredi, Wanilonis, Oſtroldi, &, quando Epiſcopatus vacavit, in Ailmaro, & tempore Simeonis ac Parduli, ſed & meo tempore, per tempora, quando Rodolphus tempore Chilpini habuit villam Follanæ Bravi in beneficio & poſt eum Odelharius, deinde Odalgiſus, deinde Odelharius, deinde, quando poſt eum idem beneficium commiſſum fuit Oſſuero, habuit ipſa Eccleſia in Follanæ Braio ſemper presbiteros, ex quo memorari poteſt; Ferherum ſcilicet & poſt eum Dodonem, deinde Haimbradum, deinde Ottericum, & poſt eum per quinque annos Bertfridum, & nunquam fuit Eccleſiæ in Codiciaco ſubjecta. Et quando Ottericus Presbiter ordinatus a Wanilone Laudunenſi Epiſcopo in Eccleſia Follanæ Braio degebat, fuit Presbiter in Codiciaco Nodalbertus per annos circiter XX. & poſt Nodalbertuum fuit ibi Presbiter Gormarus per annos circiter XX. & poſt Gormarum, ſic tibi præſcripſi, miſi iſtum Heimeradum in Codiciaco nunc degit. Simoni ad ordinandum; quem in Eccleſia, quæ eſt in Codiciaco, ordinavit. Et tempore Simeonis ſemper in Follanæ Braio Octericus Presbiter ſic in ea ordinatus manſit, ſed & tempore Parduli uſque circa finem ipſius: & tunc Wulfegerus Clericus ipſam Eccleſiam, conſentiente Pardulo, tenuit uſque ad obitum Parduli; poſt obitum autem Parduli, & poſt ordinationem tuam, Bertfridus Presbiter in tua Eccleſia ſecus eam domum, & in Eccleſia noſtra in Follanæ Braio per quinque circiter annos officium Sacerdotale exhibuit. Utrum tu hoc conſenſeris, ut tuam Eccleſiam juxta quam ibas & redibas, quando ad palatium ibas, aut de eo redibas, cum Eccleſia in Follanæbraio tenuerit, tu videris. Abſcedente autem de Parrochia tua Bertfrido pro fama de eo vulgata, conceſſi more prædeceſſorum meorum Sigeberto, cui illud beneficium dedi, ut Clericum noſtrum Senatum in eadem Eccleſia ordinandum tibi offerret, & ſi tu illum probabilem judicares, ego illi libertatem Eccleſiaſticam darem: &, ſi demum tu illum regulariter ordinares, qui Clericus per quatuor annos ipſam Eccleſiam tenuit, & ſecundum paupertatem ſuam, ſicut ſimul ſæpe vidimus, & adhuc par & bene in ea laborat, &, quando ſimul equitabamus juxta ipſam Eccleſiam, in qua Clericus laborabat, euntes ad Regem, te audiente, ſe reclamaverunt ad me ipſi homines pro ordinatione dilata ejuſdem Clerici, qui antea habebant Presbiterum: & tu, me audiente, & multis aliis & meis & tuis audientibus, reſpondiſti, quod verum non dicerent quia nullam indigentiam de miniſterio ſacerdotali habebant; & ad tua verba, te audiente, ego eiſdem hominibus dixi, quod tu habebas diſpoſitum, ut nullam indigentiam de miniſterio ſacerdotali haberent, donec ipſe Clericus ordinaretur: & nihil contradixiſti & per annum & dimidium ipſo Clerico eandem Eccleſiam tenente, Grimino Parrochiæ tuæ Presbiter ibi cantavit; & per duos annos & dimidium ibidem Haimericus Presbiter officium ſacardotale exhibuit, uſque pridie Nonarum proxime præcedentis Februarii. Et quia quæris, unde hoc ſcio, ſic mihi, quantum ex antiquitate per veraces homines didici & per os Parduli audivi, & poſt eum per os tuum, ſicut dixi, audivi, & oculis vidi, res mihi nota eſt, & per has veras formas nota mihi oſtenditur. Si autem illa negas, quæ per te ipſum cum auditu multorum ſcio, minus tibi credere potero, ſi te excuſaveris ex his, quæ de te per alios audio; tamen me & te latere non poteſt, quod nec tibi, ſicut nec mihi, reputari poſſe ex veritate cupio, quod ſcriptum eſt: Os quod mentitur occidit animam; Et quod de ore procedit, ſcilicet veritati contrarium, hoc coinquinat hominem. Et Salomon dicit: Teſtis falſus non erit impunitus, Duobus inquiunt modis autores fit falſus teſtis, ſcilicet aut falſa dicendo aut vera reticendo. Nihil eſt, inquit, Beatus Gregorius ad defendendum puritate tutius, nil ad dicendum veritate facilius: nam dum fallaciam ſuam tueri quis cogitur,

duor

Digitized by Google

duro cor labore fatigatur. Hinc namque scriptum est: labor labiorum ipsorum operiet eos; qui enim nunc implet, tunc operit: quia cujus animum per blandam inquietudinem exerit, tunc per asperam retributionem premit. Hinc per Hieremiam dicitur: Docuerunt linguam suam loqui mendacium, ut inique agerent, laboraverunt. Ac si aperte diceretur, qui amici esse veritatis sine labore poterant, ut peccent, laborant. Cumque vivere simpliciter renuunt, laboribus exigunt, ut moriantur. Nam plerunque in culpa deprehensi, dum quales sint, cognosci refugiunt, se se sub fallaci velamine abscondunt, & hoc quod peccant, quodque jam aperte cernitur, excusare moliuntur, ita ut sæpe is, qui eorum culpas corripere studet, aspersæ falsitatis nebulis seductus, pene amisisse videat, quod de eis jam certum tenebat. Unde recte sub viduæ specie per Prophetam contra peccantem animam, excusantemque sic dicitur: Ibi habuit foveam ericius. Ericii quippe nomine impuræ mentis seseque callide defendentis duplicitas designatur; quia videlicet Ericius cum adprehenditur, ejus & caput cernitur & pedes videntur, & corpus omne conspicitur; sed mox cum apprehensus fuerit, semetipsum in sphæram colligit, pedes introrsum subtrahit, caput abscondit, & intra tenentis manus totum simul amittitur, quod totum simul antea videbatur. Sic nimirum, sic impuræ mentes sunt, cum in suis excessibus comprehenduntur. Caput enim Ericii cernitur; quia, quo initio ad culpam peccator accesserit, videtur; Pedes Ericii conspiciuntur, quia, quibus vestigiis nequitia sit perpetrata, cognoscitur; & tamen, adductis repente excusationibus, impura mens introrsus pedes colligit, quia cuncta iniquitatis suæ vestigia abscondit: Caput subtrahit, quia miris defensionibus nec inchoasse se malum aliquid ostendit; & quasi Sphæra in manu tenentis remanet, quia is, qui corripit, cuncta, quæ jam cognoverat, subito amittens involutum intra conscientiam peccatorem tenet; Et qui totum jam deprehendendo viderat, tergiversatione pravæ defensionis illusus, totum pariter ignorat. Foveam ergo Ericius habet in reprobis. Quia malitiosæ mentis duplicitas sese intra se colligens abscondit in tenebris defensionis. Audiant impuri, quod scriptum est: Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter; fiducia quippe magnæ securitatis est simplicitas actionis. Audiant, quod sapientis ore dicitur: Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum. Audiant, quod scriptura rursum teste perhibetur: Cum simplicibus sermocinatio ejus. Domino enim sermocinari est per illustrationem suæ præsentiæ humanis mentibus arcana revelare. Cum simplicibus igitur sermocinari dicitur, quia de supernis mysteriis illorum mentes radio suæ visitationis inluminat, quos nulla umbra duplicitatis obscurat. Est autem speciale duplicium malum, quia, dum perversa & duplici actione cæteros fallunt, quasi præstantius cæteris prudentes se esse gloriantur. Et quia districtionem retributionis non considerant, de damnis suis miseri exultant, & cætera, quæ in Regula Pastorali B. Gregorii ex ordine potes relegere, quam tibi una cum libro Sacrorum Canonum in manu ante altare sanctæ Mariæ in die ordinationis tuæ misi, obtestans, quæ ignorare non potes & oblivisci non debes. Veruntamen hanc negationem tuam, quam sine ulla necessitate assumpsisti, ad injuriam meam pertinere non ducam nec pro crimine reputabo, neque pro hac sola negatione tua me a communione tua separabo, sequens capitulum Africani Concilii, quod tu detruncatum & a suo sensu expositum mihi scripsisti, ultimam ejus particulam ad tuum sensum inflectendo, scripto tuo mihi directo imponens, quia nec pro crimine ducendum puto, si Clerico ordinando usque ad ordinationem consensisti in Ecclesia, in qua ordinandus erat, laborare, donec ad ordinandum perveniret, & si dignus atque idoneus inventus foret, ordinaretur; quia nec sanctus Innocentius, sicut tibi præscripsi, pro crimine reputavit, Episcopo, qui Presbiteris quibusdam consensit in sua Parrochia Ecclesias diutius retinere, qui communionem illius eatenus non poterant promereri, sed statuit, ut quibus easdem Ecclesias retinere diu in Parrochia sua consenserat, suam eis communionem nullatenus denegaret. Integritas autem ipsius Capituli Africani Concilii, cujus partem ultimam tuo scripto inseruisti, ista est: Item placuit, ut si quando Episcopus dicit, aliquem sibi soli proprium crimen fuisse confessum, atque ille negat, non putet ad injuriam suam Episcopus pertinere, quod illi soli non creditur. Et si scrupulo propriæ conscientiæ, se dicit neganti nolle communicare, quam diu excommunicato non communicaverit suus Episcopus, eidem Episcopo ab aliis non communicetur Episcopis, ut magis caveat Episcopus, ne dicat in quenquam, quod aliis documentis convincere non potest. Hæc documenta quæ tibi & prius & nunc scribo, qualiter didici, e præcedenti & hac subsequenti lectione potes cognoscere, ad quæ confirmanda & ad te convincendum, nullos testes producam, quia non debeo, nec de hac re secretam confessionem tuam, quam non accepi, promere volo; cum scriptura dicat ei, qui revelat arcana & ambulat fraudulenter & dilatat labia sua, ne commiscearis. Quod ita exponunt Doctores Catholici: Ne commiscearis ejus amicitiis, qui prioris amici secreta denudat: sed hunc velut perfidum cave. Ostendere autem & monere te debeo, ut secundum leges & regulas inde, quod justum est, exequaris. De eo vero, quod negas per multas ambages non verisimiles, quibus mihi & longum & inutile respondere videtur, te non consensisse ut ipse Clericus eandem teneret Ecclesiam, si in contumacia & negatione tua perseverare decreveris, habeas illum conscientiæ & negationis tuæ judicem, quem habebis & testem. Et quoniam mihi scripsisti, quod inde causam, quam nescis investigare, & mihi remandare debeas, timeo pro te, ne sic jam feceris, ut victor

victor in contentione videreris, quando contra ſacram auctoritatem cuidam decreto pernitioſo, ut dicitur, ſubſcripſiſti, & Clericos ac Presbiteros Parrochiæ tuæ ſubſcribere feciſti, ne de cauſa hujus Eccleſiæ in aliquo naufrages, & alios tecum inregulariter colligans, ut evincas, in Naufragium ducas. Unde obteſtor & moneo te per ſanctam & inſeparabilem unius Deitatis Trinitatem & per Chriſtum Jeſum redemptorem noſtrum, & per gratiam Spiritus Sancti, qui maxime in ordinationibus operatur, quam per impoſitionem mearum manuum accepiſti, & per gloriam ſanctæ Dei genetricis & ſemper virginis Mariæ ac per Electos Dei Angelos & per Beati Remigii merita & Metropolitanam auctoritatem eidem Prædeceſſori meo & in ejus ſucceſſione divinitus mihi collatam, ut contra leges, quas Catholica & Apoſtolica Eccleſia ex antiquo ſervandas ſuſcepit, contraque ſacros ſanctorum Conciliorum Canones & decreta ſedis Romanæ Pontificum de ſacris ordinibus & Canonum promulgata diſciplinis, de cauſa Eccleſiæ ipſius non facias; ſed ſine ullo præjudicio, quantum Deus tibi ſcire & poſſe dederit, quod juſte & rationabiliter videris, exequaris: & non negligas vel parvipendas, rogo, hanc obteſtationem juſtitia & ratione atque auctoritate plenam; quia ſi potui propter miniſterium mihi collatum exorare Dominum per humilitatem, ut tu per impoſitionem manuum mearum fieres ordinatus Epiſcopus, poſſum & debeo eodem miniſterio obteſtari per auctoritatem, ut facias, quod facere debet Epiſcop9. Sic & Paulus obteſtatus eſt Timotheum a ſe ordinatum, ut non declinans in aliam partem, ſine præjudicio ſervaret mandatum. Et ſcias certiſſime, quoniam ſi ſecus egeris, Domino annuente & vita comite, oportuno tempore hoc non ſine regulari diſcuſſione dimittam, non mei, quod abſit cauſa, ſed ſacrarum regularum obtentu. De eo, quod in eodem tuo inſulſo ſcripto appoſuiſti. Item canon dicit: Qui unum crimen probare non potuerit ad alia admitti non debet; tibi reſcribo, neſcis, quid dicis, plenus indignatione & contumacia non potes oculis mentis videre, quod verbum debeas promere vel quid debeas reticere. Si ſequereris beatum David, Dominum deprecaveris, ut poneret cuſtodiam ori tuo & oſtium circumſtantiæ labiis tuis. Canon dicit: Quotienscunque Clericis ab accuſatoribus multa crimina objiciuntur, & unum ex ipſis, de quo prius egerit, probare non valuerit, & ad cætera jam non admittatur. Dic, quis eſt ille accuſator; dic, apud quem te accuſator accuſat; in quo regulari judicio te accuſat; dic, de quibus criminibus te accuſator accuſat; dic, de quo crimine accuſator egit, quod probare non valuit, ut ad cætera jam non admittatur. Quotienscunque enim te Metropolitana auctoritate monuero, cui per ſacros Canones commiſſa eſt ſollicitudo totius provinciæ de his, pro quibus ad me de tua Parrochia, qui negotia videntur habere, concurrunt; ſemper accuſator tuus exiſtam: & cum longius a te ſeparatus corpore fuero, & verbo, vel literis te monuero, pro accuſatore tuo de criminibus in judicio regulari tenebor. Regulæ namque dicunt: Apud quem & qualiter accuſandus Epiſcopus debeat accuſari, & ubi & qualiter vel a quibus debeat judicari. Et quotiens tibi oſtendero per ſanctarum ſcripturarum tramitem & ſacrarum regularum auctoritatem, in quibus excedis, ſemper te a me inregulariter ſcilicet & abſque regulari, videlicet Synodali judicio, judicatum cauſaberis. Dominus enim dicit in Evangelio: Audiſtis, quod dictum eſt antiquis, non occides; qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui iraſcitur Patri ſuo ſine cauſa, reus erit judicio, & cætera. Et ſacri Canones ſæpe numero dicunt: Si quis præter hæc fecerit, quaſi citra magnum Concilium ſe efferens, ipſe de clericatus honore periclitabitur. Et decreta ſanctæ ſedis Romanæ Pontificum hoc ſenſu dicunt: ſi quis fratrum contra hæc conſtituta venire temptaverit, & prohibita fuerit auſus admittere, a ſuo ſe noverit officio ſubmovendum. Et, ut tibi oſtendatur, in quibus contra hæc agis, ſuſtinere non potes; ſed ſemper te inregulariter judicatum quereris, & laboras quærendo nodum in ſcirpo, & unde tuam ſapientiam jactitas, inde magis ſtultitiam monſtras. Cum dicat Apoſtolus: Si quis vult inter vos ſapiens fieri, ſtultus fiat, ut ſit ſapiens. Et Salomon dicit: qui impatiens eſt, exaltat ſtultitiam ſuam, & qui increpationes odit, morietur; Et, non amat peſtilens eum, qui ſe corripit, nec cum ſapientibus graditur: Et, filius ſapiens doctrina patris, qui autem illuſor eſt, non audit, cum arguitur: Et, auris quæ abjicit increpationes vitæ, in medio ſapientium commorabitur. Qui abjicit diſciplinam, deſpicit animam ſuam: qui autem acquieſcit increpationibus poſſeſſor eſt cordis. Et, qui meditatur diſcordias, diligit rixas: &, qui provocat iras, producit diſcordias: &, qui exaltat os ſuum, quærit ruinam. Et, non recipit ſtultus verba prudentiæ, niſi ea dixeris, quæ verſantur in corde ejus. Et, vidiſti hominem ſapientem ſibi videri, magis illo ſpem habebit ſtultus: &, expedit magis urſæ occurrere raptis fœtibus, quam fatuo ſibi confidenti in ſtultitia ſua: Et, ſtultus irridet diſciplinam patris ſui: qui autem cuſtodit increpationes, aſtutior fiet. Deinde poſt plurima non ſolum inutilia, ſed & fatua ad hoc perveniſti, ut diceres, quod capitulum, quod contra te ſcripſi de primo libro Capitulorum Synodalium, pro te faceret; ut ſine autoritate vel conſenſu Epiſcoporum, Presbiteri in quibuslibet Eccleſiis non conſtituantur nec expellantur. Et quod conjunctim in eodem habetur Capitulo & tibi ſcripſi, propter quod & præcedentia, ut integrum illud monſtrarem Capitulum, memorari voluiſti, ſcilicet, ſi laici Clericos probabilis vitæ & doctrinæ Epiſcopis conſecrandos ſuiſque in Eccleſiis conſtituendos obtulerint, nulla qualibet

Digitized by Google

libet occaſione eos rejiciant. Dic quis ſine auctoritate vel tuo conſenſu in Eccleſia Follanæ braio Presbiterum conſtituit. Ego, ut prædixi, Sigeberto Clericum noſtrum conceſſi, ut tibi illum ad ordinandum offerret, &, ſi illum ordinare velles, ego illi libertatem Eccleſiaſticam facerem. Quomodo ergo ſine tua auctoritate Sigebertus ibi Presbiterum conſtituit? & ubi eſt ille Presbiter? Et Deo gratias, quia ſicut in ſubſequenti Capitulo regio tuo ſcripto inſerto dixiſti, non adhuc habes illam poteſtatem de Sigeberto, ut bannum regium illum renuadiare cogas, & per fidejuſſores ad palatium regium venire facias: quia nec tuus eſt Parrochianus, nec de tuo miſſatico divino vel humano: nec in ipſa Eccleſia Presbiterum contra auctoritatem Epiſcopalem conſtituit. Sed forte impletur in te, quod ſcriptum eſt: Abominatio Domini eſt omnis arrogans. Etiam ſi manu ad manum fuerit, non erit innocens; quia ſi ceſſat a perverſitate, quam explere non poteſt in operatione non vacat a malitioſa voluntate, quam deſiderat, ſi poſſet, explere in opere. Deinde ad mere disrodendum dicens, perquiro, cur a tanto tempore de ſua quin mei clerici inregulari ordinatione non requiſiſtis. Si vis, reſpondeo tibi: Certe, quia antea illum a te ordinatum non audivi, niſi poſtquam ipſi homines de præfata villa ſe ad me reclamaverunt: nec in voluntate unquam habui, ut de inlicita ordinatione a te facta, te unquam vel uſquam impeterem. Denique dicis; prius erat modus ordinationis cognoſcendus, & ſic ordinator aut ordinatus jure judicandus, aut utrique Canonico percellendi cauterio. Dic, Frater, quis te judicavit, & in quo regulari judicio inde es judicatus vel compellatus. Sed non mirum eſt quod agis; facis enim, ut ſoles, quod diligis. Dicit ſcriptura: Effraim unula docta diligere trituram; Et item: Effraim panis ſubcinericius, qui nunquam reverſatur. Deinde dicis: Ergo Capitulum, quod ex Auguſtorum noſtrorum libro, quaſi contra me, quod agit pro me, detruncatum poſuiſtis; integrum reſumite; non eſt verum. Detruncatum illud Capitulum regium tibi non miſi. Non enim ille Clericus meus aut tuus vel alicujus eſt liberi hominis ſervus; & ideo quod capitulum illud de ſervis quorumlibet dici non poſui; quia ad iſtum Clericum non pertinebat. Quia vero mihi & non tibi commiſſæ Eccleſiæ ſervus eſt, quod de Eccleſiaſticis ſervis illud Capitulum dicitur, hoc tibi ſcripſi, quia & hoc ad cauſam iſtius Clerici pertinere cognovi. Et poſt iſta proſequeris: Hujus autem Capituli tenore perſpecto, reſponſum de ordinatione Clerici veſtri meum, ſi a me facta eſt, tempore & loco cum congruo, tum canonico, expectate & interea de mea inregulari ordinatione judicare deſiſtite, quoniam accuſator ſimul & judex non eritis. Et poſt Capitulum Canonicum de ſcientia hujus Clerici conditionis & de transgreſſione per ordinationem inhibitam patet, quid decerneretur; quæ prius, ſi placet, opponenda eſt, & aut confeſſo aut conficto inculcandum erit judicium; quod jam licet de me non convicto nec confeſſo abſque illa Synodo, ſine ulla hujusmodi interrogatione aut requiſitione aut præſentis interpellatione, officium accuſatoris ſimul & judicis tam de abſente, quam abſenti ſcripto vobis vindicantes exercueritis; ita pronunciando: Quia vero ipſum Clericum contra regulas ordinaſti, ſacræ regulæ demonſtrant dicentes: Et tunc ponis Capitulum Beati Leonis, quod tibi ſcripſi, in cujus fine ſolito more tuam oſtentas ſcientiam, de qua oſtentata ſcientia tua quia non eſt utilis vel neceſſaria, loqui nil curo; quia, ſicut de Cameleonte legimus, qui quemcunque colorem viderit, in eum convertitur; ita tu ſaliendo per tuis ipſis dictis contraria vadis. Quandoquidem enim dicis, quia crimen tibi impoſitum approbare non potui, ad alia non debeo admitti; quandoquidem vero, quia accuſator ſimul & judex eſſe non poſſum; quandoquidemque abſentem te judico; interdum, ut perſonam accuſatoris induam & tunc te accuſem; aliquando, quia ſine Synodo te judico, & aliquando quia ſine Synodo te judicare non poſſum. Et quia nec intelligis nec intellexiſti admittendos ad ordines ſacros ſervituti obnoxios, & multis modis hac illac vadis fluctuando, ſicut harundo vento agitata, videlicet animo fluctuante, qui nullius gravitatis pondere eſt ſtabilitus. Dicis etiam, me exponere capitulum Leonis, ſicut volo; ſed non, ſicut tu hoc promis, ſed ſicut ſe res habet. Verum dicis. Sic enim illum expono, ut volo; quia ſic illum expono, ut debeo; quia ſic illum intelligo, ſicut illi eum intellexerunt, qui in capitulis ſynodalibus de Eccleſiarum ſervis, ut tibi ſcripſi & mihi reſcripſiſti, decreverunt, & ſicut in ipſa manumiſſione ſervi Eccleſiaſtici demonſtratur. Non enim ſacri Canones manumiſſiones fieri in Eccleſia de natura liberis ab Imperatoribus petierunt. Nec quilibet natura liberi per manumiſſionem fiunt cives Romani, ſed ſervi vel Eccleſiaſtici vel Regii vel quorumlibet liberorum hominum. Et ideo ſanctus Leo in Capitulo ſui decreti ex Canonibus promulgato conſtituit, ut alicui conditioni obligatus non ordinaretur, niſi forte eorum petitio aut voluntas acceſſerit, qui aliquid ſibi in eos vindicant poteſtatis: quamdiu enim fuero Remorum Epiſcopus in ſervis hujus Eccleſiæ mihi poteſtatem debitam vindicabo, & ſine libertate Eccleſiaſtica per me ſibi data quisquam eorum ordinari non debet. Unde breviter tibi dico, quod Dominus ad Judæos dixit: Non ego accuſo vos, ſed Moiſes, in quem ſperatis, ipſe vos accuſat; ſcilicet Lex, contra quam agitis. Et item Dominus dicit: Ego non judico quenquam, eſt, qui quærat & judicet; videlicet quia ſi ordinaſti contra decreta beati Leonis ipſum Clericum, non ego peccator in terra, ſed ille ſanctus de cœlo te inde per ſuum decretum judicat, ſicut confiteri vis a te illum in regulariter ordinatum, ſicut nec de aliis ita nec de iſto tuam quæro vel deſidero damnatio-

Digitized by Google

nem vel quemcunque ante oculos humanos ruborem. Si autem illa negas, illum te ordinaſſe, ſicut jam præmiſi, habeas illum conſcientiæ ac negationis tuæ judicem, quem habebis & teſtem. Cæterum ſacri Canones dicunt, ut Epiſcopus ſine conſilio Clericorum ſuorum Clericos non ordinet, ita ut civium conniventiam & teſtimonium quærat. Et ſecundum ſacros Canones & Decreta ſedis Romanæ Pontificum mea intereſt, ut ſi ratio poſtulaverit, me compellente, ad electorum de ordinatione ipſius Clerici, quam denegas accedas judicium, & quicquid veritate cognita mediantibus, ſacroſanctis Evangeliis per eos tam Clericos quam cives, quorum conſenſu & in quorum præſentia ordinationes juberis facere, inventum fuerit, hoc ſtatuatur. Sed ſi æquiſſimum judicem Dominum cui de omnibus factis & judiciis noſtris ſumus reddituri rationem, timueris, hoc agere nulla erit neceſſitas. Neque ego hanc vel aliam quamcunq; cauſam volo exaggerare, quia de quibuscunq; ſcandalum ſine peccato propriæ conſcientiæ vitare potuero, nemini ſcandalum inferre volo. Si autem ipſe Clericus, quod non opto nec quæro, ſe in conprovinciali Synodo reclamaverit, aut de ordinatione a te in eum exhibita aut de quocunque præjudicio, quia ſacri Canones dicunt præmiſſa ſententia de Presbiteris & Diaconibus, ut reliquorum Clericorum cauſas etiam ſolus Epiſcopus loci agnoſcat & finiat. Et, ſi Presbiteri, Diaconi vel cæteri inferioris gradus Clerici in cauſis, quas habuerint, ſi de judiciis Epiſcoporum ſuorum queſti fuerint, vicini Epiſcopi eos cum conſenſu ſui Epiſcopi audiant, & inter eos diffiniant adhibiti ab eis Epiſcopi. Quod ſi ab eis provocandum putaverint: ad Primates ſuarum Provinciarum, ſicut & de Epiſcopis ſæpe conſtitutum eſt, provocent; & omnes qui ſe læſos exiſtimant, adſint conciliis, & Synodi experiantur examen. Et plura, quæ hinc Canones dicunt & mihi longum eſt ſcribere. Quicquid confratrum & Coëpiſcoporum noſtrorum conſenſu atque judicio invenerimus, ſalva pace & caritate, inde ſacram autoritatem exequi procurabimus. De eo quod dicis, cum per ſingula de cæteris omnibus, tunc de receptione Gallicanorum Canonum pleniter reſpondebis; tibi reſcribo, quia Dominus, qui in ſe credentibus promiſit: aperi os tuum & ego adimplebo illud, & ego dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterint reſiſtere & contradicere omnes adverſarii veſtri, & etiam brutos aſina ruditus in humanas formavit loquelas, & ſiccam rupem fundere juſſit aquas, & mihi dare poterit, quæ tibi reſpondeam. Plurimis vero a te præmiſſis & a me, ut inutilibus, prætermiſſis, in quibus quandoquidem negatio, quandoquidem quod negaveras demonſtratio continetur, ad hoc perveniſti, ut diceres me obligare volens, de ſententiis Apoſtolicæ ſedis tibi a me literis præcedentibus ſcriptis: ecce in mala ſvaſione delictum & in mala conſenſione peccatum depromitur, & ſicut vos ſentitis, quod mihi male ſuaſum eſt & a me male conſenſum, vos pariter conſentire videmini, dicentes, quæ jam præmiſi, ut ſcribam, ſi eum ordinare volo ſecundum morem & vos illi libertatem Eccleſiaſticam dabitis, quem aliter ad gradus Eccleſiaſticos perveniſſe divulgatis. Unde tibi, quod Salomon dicit, ſcribo; qui erudit deriſorem, ipſe ſibi facit injuriam. Non bene intelligis, quia non bene vis, quod tibi bene & recte ſcripſi, ſcilicet ut ſi cujuscunque ſuaſione vel quacunque ſubreptione in hoc exceſſiſti, & alias ipſum Clericum utilem in Eccleſiaſtico miniſterio comprobaveris, quod defuit & tibi & illi in ordinatione ſua & ad me pertinebat ego ſupplerem. Lege Decreta ſedis Romanæ Pontificum a Beato Siricio & deinceps, & invenies quomodo plures inregulariter ordinati per medicinam Eccleſiaſticam fuere ſanati, ſupplente autoritate in proceſſu, quod defuerat in ordinationibus initio. Cogunt, inquit, beatus Auguſtinus, multas invenire medicinas multorum experimenta morborum. Deinde volens oſtendere, quod tui odio & Sigeberti gratia hæc de præfato Clerico ſcripſerim, nugas tibi obnoxias & nænias benevolenti & ſcienti non ridendas, ſed dolendas, componis. Cum Sigeberto quantum ex ipſo & pro ipſo eſt, cura non eſt, ut unquam in illa Eccleſia ſit presbiter ordinatus, nullum lucrum terrenum inde habebit. Et ſi in ipſa Eccleſia Presbiter non fuerit ordinatus, nullum detrimentum vel incommodum ſpiritale aut temporale inde habebit; ſed & mihi nulla alia inde eſt cura, niſi ut Leges Eccleſiaſticæ pro tua inſolentia inde ſuum vigorem non perdant, & homines exinde commoditatem quam ipſi & ſui anteceſſores a longo tempore habuerunt, amittant, & tu in hoc Dominum offendas. Deinde quod ad minas præfato intentas clerico, cui ſi præjudicium intuleris, eſt juſtus judex, qui inter te & illum judicabit, & ſi ad Synodum venerit, quod noſtrum erit, ut prædixi, exequi procurabimus. Quod autem de miſſis meis ad Synodum tuam mittendis ſubjungis, non miſſorum meorum ad Synodum tuam deſcribis officium. Ego enim per me vel per vicarios meos debeo retractare ſecundum ſacros Canones acta tuæ Synodi, ſi ſecus inde ad me quiddam pervenerit, & non ideo ad tuam Synodum meos miſſos dirigere, ut ſervum Eccleſiæ noſtræ in nulla rebellione ſtantem ſervituti obnoxium comprobent. Licet enim ſatis ſim inſipiens, ſcio qualiter & ubi ſervus Eccleſiaſticus rebellans debet conquiri, & alibi oportet me de profeſſione ſuæ ſervitutis requirere, quam in tua provincialis Epiſcopi Synodo. Tandem quod ſcripſiſti; ut o utinam tibi ſervarem Epiſcopo Carcerali, ſicut ſcio cuſtodiæ tradito, ne inferrem tibi, & Parrochiæ tuæ contra Apoſtolicorum omnium decreta, etiam ab Apoſtolica ſede vocato & eam appellanti, præjudicium, & non exigerem a te reſponſum usque ad Synodalem ſaltem conventum, & de ſententiis Apoſtolicæ Sedis Pontificum in eodem tuo ſcripto congeſtis, alterius

Digitized by Google

terius temporis & prolixiorem, quam hæc ſuſtineat Epiſtola, poſcit reſponſionem. In clauſula vero iſtius Epiſtolæ verba Beati Gregorii ad quendam ſubjectum Epiſcopum directa ponere dignum duxi, quia in tuis ſcriptis ad me directis contraria his ſuis monitionibus ſæpe inveni, ut de cætero monitus per meam exiguitatem a beato Gregorio talia in tuis ſcriptis ad me vel ad alios ſcientiam & autoritatem habentes dirigendis ponere caveas. Primum, inquit, me hoc contriſtat, quod mihi fraternitas tua duplici corde ſcribit, & alia blandimenta in Epiſtolis ſuis exhibet, alia in lingua ſua ſeculariter oſtendat. Deinde grave mihi eſt, quia irriſiones illas, quas habere notarii adhuc pueri ſolent, uſque hodie frater meus in lingua ſua retinet, mordenter loquitur & quaſi de tali ſtudio lætatur, amicis præſentibus blanditur, de abſentibus obloquitur. Et vitium deſcribens ſuperbiæ dicit: Quiſquis, inquiens, ejus in ſe Tyrannidem captiva mente ſuſceperit, hoc primum damnum patitur, quod clauſo cordis oculo judicii æquitatem perdit. Nam cuncta, quæ ab aliis vel bene geruntur, diſplicent, & ſola ei quæ ipſe vel prave egerit placent; ſemper alia opera deſpicit, ſemper miratur quod facit; quia & quicquid egerit, egiſſe ſe ſingulariter credit, atque in eo quod exhibetur per gloriæ cupiditatem, ſibimet ipſi per cogitationem favet. Nec conſiderat quid alter boni amplius quam ipſe, ſed quid boni ipſe amplius quam alter habeat. Neque enim penſat, quæ bona ſpiritus alter acceperit, & ipſi deſint; ſed quæ bona ipſi & quæ mala ſint alteri, & cum ſe in cunctis tranſcendere cæteros æſtimat, per lata cogitationum ſpatia ſecum deambulans, laudes ſuas tacitus clamat. Nonnunquam vero ad tantam elationem mens ducitur, ut in eo quod tumet, etiam per oſtentationem locutionis effrenetur; & tanto facilius ruina ſequitur, quanto apud ſe quisque impudentius exaltatur. Hinc enim ſcriptum eſt: Ante ruinam exaltabitur cor. Et Sanctus Gregorius Nazianzenus Juliani morem, quem in tuis literis invenio, deſcribens dicit: Conſenſus & negatio, ſimulatio nulla ratione ſubſiſtens, interrogatio inordinata atque reſponſio, nulla convenientia, ſibi conveniens erat. Poſt hæc autem omnia & me & te in mente continue habere moneo, quod Dominus dicit: ſuper quem requieſcit Spiritus meus, niſi ſuper humilem & quietum & trementem ſermones meos; quia, ſicut ſcriptum eſt, Spiritus Sanctus diſciplinæ effugiet fictum, & auferet ſe a cogitationibus ſine intellectu, & non habitabit in corpore ſubdito peccatis; & juxta eſt Dominus his, qui tribulato ſunt corde, & humiles ſpiritu ſalvabit: vultus autem Domini ſuper facientes perſeveranter mala, ut perdat de terra memoriam eorum. Data V. Idus Maji præſentis, III. Indictione.

III.
M. HERMANNI CORNERI
ORD. PRÆEDICATORUM
CHRONICA NOVELLA
usque ad annum 1435. deducta.

✲ ✲
✲

PROOEMIUM.

Quamvis per varios viros solennes religiosos & seculares copiosa conscripta sint volumina, quæ Prælatorum Ecclesiæ Sanctæ, Imperatorumque & Regum ac Principum gesta, cæterarumque personarum nobilium & ignobilium sexus utriusque actus, temporum quoque & annorum facta sufficienter referant & enarrent; quia tamen materiarum in voluminibus contentarum prolixitas, dictaminumque obscuritas & difficultas, necnon studere aut perlegere curantium paucitas, multos a lectionis fervore retrahere, & fastidium dictandi vel colligendi afferre consveverunt & inducere: idcirco præsens opus brevi levique stilo confectum aggressus sum, sub paucis & rudibus verbis incomptoque apparatu & sententia compendiosa tradere satagens, ejus lectoribus acta hominum memoria digna & temporum contingentia decursa. Quæ, inquam, ut studiosius potui, ex diversis Chronicis & Historiis extraxi, & in codicem hunc summatim redegi. Siquæ ergo narrationes præsenti meo Operi insertæ cuiquam videbuntur aut dubiæ aut fictæ vel fabulosæ, meis, quæso, non ascribat figmentis aut excogitationibus, sed illorum verius, de quorum libris & scriptis eas excerpsi. Ordinem autem annorum, quorum acta in præsenti Opere scribere exorsus sum, diligentius quo valui, observavi, secutus juxta posse traditionem Venerabilium Patrum Ordinis mei Chronographorum, videlicet Vincentii, Henrici de Hervordia & Martini, inter quos ego quasi peripsima locum novissimum tenens, gesta & acta in ipsorum scriptis reperta, singulis & propriis applicare studui temporibus. Huic vero meo Operi placuit nomen imponere, ut scilicet Chronica Novella Magistri Hermanni Ordinis Prædicatorum nuncupetur pro eo quod inter cæteras Chronicas famosas & Historias notabiles ultimum sortiri videatur locum, ac plura ei nova & rara exsistant inserta, quæ in aliorum Historiographorum Codicibus minime reperiuntur. Si quoque in volumine præsenti, quod Deo cooperante, exarando dictandoque elaborabo, aliqua inveniantur dicta, quæ auctore suo videantur carere, illa sciat lector non per me fore excogitata, sed me ea reperisse in libris, quorum compositor mihi ignotus protunc existebat, cum ipsum compilarem. Incepi insuper Opus præsens ab exordio mundi, non quidem Historias Bibliæ integraliter recapitulare intendens, sed eas potius percurrere satagens Judicum & Regum actus quosdam commemorare decrevi, qui Chronicis hujusmodi merito inseri debere videntur, ut sic ordinem debitum observando a primævis gestis narrationes præsentes inchoare videar, quas cum mediis exornare, & in novissimis fine congruo terminare juxta posse intendo. Moverunt autem me ad incepti hujus voluminis compilationem nedum rationes in procemii ipsius initio assignatæ, verum etiam antecessorum nostrorum transactorum & secum currentium temporum studiosa solicitudo acta & eventus signandi. Unde quia in diebus nostris neminem audivi aut percipere potui, qui eorum vestigiis inhærendo, simili consignationi operam daret solertem; idcirco ne per incuriam segnitiei & negligentiæ nostræ, tempore periodi nostræ actitata omnimode traderentur oblivioni, præsentem hunc codicem confidenter incepi, & divino adjutorio accedente & comitante ad finem præconceptum perduxi; propter quod Deo nostro Jesu Christo semper sit honor & gloria & ipsius Beatissimæ Genitrici, Amen.

[*Res ab exordio mundi usque ad Caroli M. tempora tanquam alibi melius & exactius exhibita hic studio omisimus.*]

Karolus Magnus de Franconis Teuthoniæ oriundus, filius Regis Francorum Pipini & Bertradis Reginæ, Romanorum Imperator LXXII. cœpit anno mundi IVM.DCCLXIII. Olympiadis CCCXCIII. anno quarto, Urbis conditæ MDLII. Domini vero DCCC. & primus Imperator Teuthonicorum factus, regnavit annis XIIII. Istum Karolum secundum Martinum statim expurgatione Leonis Papæ peracta, & criminatoribus suis punitis, populus Romanus Karolum Augustum & Imperatorem acclamavit, & sibi eum coronari postulavit. Quod mox per Leonem Papam impletum est. Tum Imperator novus Pypinum filium suum Regem Italiæ coronavit, & quæ pater suus Pypinus Beato Petro dederat, ratificavit, adjuncto ducatu Spoletano & Beneventano. Ecclesiis quoque & Monasteriis magnifica contulit munera. Sic ergo in persona Karoli Magni dominium

Digitized by Google

nium mundi a Græcis tranſlatum eſt ad Teuthonicos, ut patet extra. de electione c. Venerabilem. & in gloſſa Bernhardi ibidem. Et ſic liquet, quod Imperium non eſt apud Græcos, licet ibi largo nomine appelletur Imperator, extra. de Majeſtate & obedientia C. ſolicite. Extra eccleſiam enim non eſt Imperium. XXIII. q. 1. C. Sed illud. Eſt autem Imperator ſuper omnes Reges. VII. q. 1. In apibus. Et omnes nationes ſub eo ſunt. XI. q. 1. C. Hoc ſiquis. Imo & Rex Francorum ſub eo eſt, ut dicit Bonifacius VIII. in Extravagante, quæ incipit Una. Nam ipſe eſt Dominus & Princeps mundi. ff. ad Legem Rhodiam de Precario. Et Judæi omnes ſub eo ſunt. C. de Judæis. De ſtatura autem & diſpoſitione hujus Imperatoris videre poteris ſupra anno XXX. Conſtantini V. CCXIIII. D. F. Ex hoc autem Imperatore inolevit in Eccleſia, ut omnis, qui nomen Imperatoris obtinere voluerit, a Papa inungatur & coronetur. Fuit autem Karolus Imperator factus hoc ordine ſecundum Sigibertum. Romani quoniam ab Imperatore Conſtantinopolitano jam dudum animo defecerant, nunc accepta occaſionis oportunitate, quod mulier, excœcato Imperatore Conſtantino filio ſuo, eis imperabat, uno omnium conſenſu Karolo Regi Imperatorias laudes acclamabant, eumque per manum Leonis Papæ coronari poſtulabant. Quem Papa in die Natalis Domini ad Miſſarum ſolennia in Eccleſia ſancti Petri devote orantem ſurgere juſſit, & coronam capiti ejus impoſuit, Imperatoremque Romanorum ipſum pronunciavit; ac a cuncto Romanorum populo acclamatum eſt: Karolo Auguſto a Deo coronato, magno & pacifico Imperatori Romanorum, vita & victoria. Poſt quas laudes unctus ab Apoſtolico, & antiquorum Principum more ab eo adoratus, ablato Patricii nomine, Imperator & Auguſtus appellatus eſt. Poſt paucos vero dies habita quæſtione de adverſariis Papæ, ſecundum legem Roman, ut Majeſtatis rei decollationi adjudicati ſunt; pro quibus tamen Papa pio affectu interceſſit, bonum pro malo reddens, & ſic a Karolo abſolvuntur a lata contra eos mortis ſententia, & vitæ ac membrorum integritas eis miſericorditer conceditur, ſed tamen pro facinoris magnitudine exiliantur. Quidam tamen dicunt quod de majoribꝰ eorum una die in Lateranenſi campo trecenti decollati ſunt. Ordinatis deinde Romæ urbis & Apoſtolicæ Sedis totiusque Italiæ non tantum publicis, ſed & privatis rebus, Imperator Romam egreſſus eſt. Hic Imperator, ſecundum Martinum quatuor Archi-Epiſcopatus, puta Treverenſem, Colonienſem, Moguntinenſem & Zalsburgenſem, divitiis ac honoribus ampliavit. Ad numerum etiam literarum Alphabeti cœnobia fundavit, & in unoquoque per ordinem unam literam de auro fabricatam, plusquam centum libras Turonenſium valentem reliquit, ut ordine literarum tempus fundationis uniuscujusq; Monaſterii cognoſceretur; quæ literæ adhuc in pleriſque Monaſteriis reperiuntur.

Primo an. Karoli, qui eſt Domini DCCCIII. Karolus per univerſum mundum, ſecundum Chronicas Romanorum, legatos miſit ad indagandum nomina & actus ac obitus Sanctorum, quæ per Yſuardum Monachum in unum volumen redigi fecit. Inventum eſt ergo, quod ſingulis diebus concurrebant plusquam trecenta feſta Sanctorum, & ideo ſtatutum eſt, ut dicatur in fine Kalendarum & aliorum plurimorum Sanctorum, &c.

Karolus Imperator, ſecundum Egghardum, Friſones, quod fideliter pugnaverunt contra Romanos pro Imperatore Karolo & Papa Leone, libertati donavit quoad ſe & omnes poſteritates ſuas, qui per antea tantæ ſervituti erant ſubacti per Saxones, ut ubicunque incederent, funes in collibus eorum geſtarent, & crines longos deferrent. Et hoc malum Deus in eis fieri ſtatuit, ideo quod ſuos prædicatores ſanctos turpiter tractaverant & interfecerant. Super prædicta autem libertate Bullam Imperialem dictæ genti contulit, ſignatam aureo ſigillo gratioſam valde, cujus tenor talis eſt. Karolus, divina favente clementia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, omnibus tam præſentibus quam futuris in perpetuum ſalutem. Ne ea, quæ aguntur in tempore, ſimiliter cum tempore labantur, poni ſolent in dictis teſtes, & ſcripturæ memoria perennari. Ea vero, quæ a nobis facta ſunt, ad oblivionis confuſionem evitandam univerſorum notitiæ cupimus declarari; quod cum Ludgerus Dux Saxoniæ ducatum ſuum jure feodali teneret ab Imperio, nec hoc cognoſcere curaret, & tributum de Ducatu ſuo a Cæſare Auguſto ſtatutum, quod a prædeceſſoribus ſuis conſvetum fuit ſingulis annis nobis exhiberi, noſtris prædeceſſoribus exhibere contemneret & modis omnibus ſe Imperio & nobis contumaciter per ſuam ſuperbiam opponeret, ac ſe in præjudicium noſtrum & gravamen pro Rege gereret, & Regem Saxoniæ nominari præcepiſſet; nos tandem hujusmodi ſuperbiam ſuam & injuram dicto Imperio & nobis ſæpius illatam diutius ſuſtinere nolentes, invocato Friſonum Orientalium & Occidentalium auxilio, quos viros ſtrenuos, agiles & miræ audaciæ, ſicut quibusdam nobis referentibus, eſſe intelleximus. Quibus etiam idem Dux multa inferebat gravamina, eo quod eosdem ſuo non poſſet ſubjicere regimini, cum ſe defendendo, ei valide reſiſterent, qui maxime gaviſi, eo quod eorum auxilium invocare dignabamur, nobis per nuncios ſuos ſpoponderunt, & certos ac ſecuros reddiderunt, quod parati eſſe vellent in ſubſidium noſtrum potenti manu venire, & quod ad conſervandum Imperii honorem & noſtrum vitam ſuam exponere vellent. Sicque jam dicti Friſones ſine mora ad ineundum prælium contra jam dictum Ludgerum Ducem & ſuos ſe præparaverunt, & terminum ſtatutum ad invadendum ipſum & terram ſuam prævenientes, cum maxima multitudine Friſonum Ducatum Saxoniæ manu forti intraverunt, & viriliter ac crudeliter cum prædicto Ludgero, dimicantes, ipſum tandem & exercitum ſuum vicerunt & ceperunt. Quos funibus connexos

connexos nobis vinctos tradiderunt. Qui de hujuſmodi victoria nobis obtenta maxime exultantes, ad propria cum gaudio remearunt. Cæterum cum advenæ Romani mandatis noſtris obedire non curarent, & quædam jura Imperii in præjudicium & gravamen noſtrum ſibi uſurparent, & nos auxilium fidelium regni ad reſiſtendum eorum injuriis invocaſſemus, & Friſones prædicti hoc intellexiſſent, non vocati a nobis, ſed ſuo libero voluntatis arbitrio cum multitudine copioſa Friſonum in ſubſidium noſtrum venerunt, & cum exercitu ſuo Romam perrexerunt in propriis expenſis. Et cum urbi Romæ appropinquare cœpiſſent, mox ab exercitu noſtro ſe ſeparantes, in Romanos, qui cum exercitu ſuo noſtro exercitui per ſuam ſuperbiam occurrerant, potenti virtute irruentes, quam pluribus ex utraque parte interfectis, eosdem evicerunt, & per nobiles Romanos, quos ceperant, nobis Romam urbem ſubjugaverunt. Nos ergo conſiderata eorum probitate & audacia, attendentes etiam fidele obſequium, quod nobis & Imperio exhibuerunt, de conſveta Regiæ Majeſtatis benignitate ipſis volentes gratiam facere ſpecialem, de conſilio noſtrorum fidelium, accedenteque conſenſu Principum, Imperii tributum a Cæſare Auguſto ſtatutum, ſcilicet XX. librarum auri, quod nobis & prædeceſſoribus noſtris ſingulis annis exhibere conſveverunt, remiſimus, ita quod neque nos, neque ſucceſſores noſtri illud ab ipſis vel eorum hæredibus de cætero requiremus, aut aliquas exactiones in eos faciemus. Et præterea auctoritate Regia indulſimus eisdem, ut cum omni prole ſua nata & naſcitura in perpetuum liberi permaneant, & ab omni ſervitute proprietaria ſint abſoluti. Statuimus etiam, nequis ipſis dominetur, niſi ſit de eorum libera voluntate & aſſenſu. Et ne tamen judicibus carere videantur, ſtatuimus, ut ex ſuis eligant conſules, quotquot ſibi viderint expedire, qui in cauſis ſecularibus, de quibus ipſis quæſtio mota fuerit, judices exiſtant. Volumus etiam, ut iidem Conſules ſingulis annis ſecundum conſvetudinem Romanorum eligant perſonam idoneam & diſcretam, ſub cujus regimine, dominio & poteſtate Friſia tota ſit conſtituta & ſubjecta; cui in omnibus & per omnia tanquam ſuo Domino infra terminum ſibi ab ipſis deputatum, obedire teneantur, quæ perſona Poteſtas Friſiæ debet nuncupari. Inſuper ſtatuimus, ut ſi quis ex ipſis libertatem habens militare voluerit, dictus Poteſtas gladium ſibi circumcingat, & dato eidem cum ſpata ſua, ſicut conſvetum eſt, colapho militem faciat, & eidem injungendo præcipiat, ut deinceps more militum Regis Franciæ incedat armatus, eo quod conſideravimus, ſi Friſones prædicti militaverint, ſecundum ſtaturam corporis a Deo & natura ipſis datam, cunctos in orbe milites ſua fortitudine & audacia præcellent. Hi ergo ſcutum ſuæ militiæ a prædicto Poteſtate recipere debent, in quo corona imperialis in ſignum ſuæ libertatis a nobis conceſſæ debet eſſe depida. Volumus etiam & ſtatuimus, ut Friſones volentes militare, ſint usque ad ſummitatem aurium circumtonſi, ut per hoc etiam valeant oſtendere libertatem ipſis a nobis eſſe collatam. Quod ſi quis hanc eorum libertatem auſu temerario infringere vel violare præſumpſerit, aut ſententiam hanc, quam annuentibus Principibus Imperii tulimus, tam ipſe quam filii ſui ſuique fautores & adjutores ſint ipſo facto proſcripti, & a conſortio fidelium excluſi. Et præcipimus auctoritate Regia, eosdem tanquam proſcriptos & adverſarios Imperii ab omnibus perſequi & vitari. Et ſi qui eisdem ſic proſcriptis adverſus eosdem Friſones ad prœliandum aſtiterint, vel adjutorium præſtiterint, eandem pœnam & offenſam Imperii ſe noverint incurriſſe. Et auctoritate præmiſſa ſtatuimus, quod ſi eisdem ab aliquo caſu contingente in ipſorum vita vel bonis damnum aliquod a prædictis Friſonibus vel aliquo alio fuerit illatum, ne ſucceſſores noſtri aut alii judices ſeculares ad alicujus inſtantiam ipſos defendant, cum potius tanquam proſcripti Imperii ſint puniendi. Quam quidem ſententiam ſic a nobis latam, auctoritate prædicta præcipimus, & ſtatuimus a noſtris ſucceſſoribus ratam haberi & firmam, ac ſtabilem in perpetuum obſervari. Inſuper tenore præſentium proteſtamur, nos a ſanctiſſimo Papa noſtro obtinuiſſe, quod ſi prædicti Friſones de hujusmodi gravamine ipſis a præfatis perſecutoribus illato querimoniam depoſuerint, tam ipſe Dominus Papa quam ſui ſucceſſores, oſtenſo præviæ ſuæ libertatis privilegio præſenti, eosdem excommunicabunt, & excommunicatos denunciari facient; & nihilominus, eorum terram ſpiritualiter, qui ſeculares habent dignitates, ponent ſub interdicto. Et ut præſens noſtrum ſtatutum robur in perpetuum obtineat firmitatis, præſentem paginam conſcribi, & noſtræ bullæ aureæ munimine fecimus roborari. Hanc autem bullam an Karolus Magnus ipſis Friſonibus contulerit, mihi dubium validum eſt, cum ſuis temporibus Saxonia Ducem non habuerit talis nominis, nec Saxonia in tantum contra ipſum Karolum prævaluerit, ut Friſonibus indigeret ad ipſius ſubjugationem, ut clare patet Chronicas perlegentibus.

Secundo an. Karoli, qui eſt Dom. DCCCIII. Karolus Imperator ſecundum Yſuardum in Chronicis cum Aaron Principe Saracenorum, qui excepta India, totum pene tenebat orientem, talem fecit amicitiam & concordiam, ut ſcilicet ipſe gratiam Karoli omnium Principum orbis præponeret, ſolumque illum magnificentia & honore ſibi colendum judicaret. Legati vero Karoli ab Aaron Principe revertentes, inter cætera munera etiam corpora Sanctorum Cypriani Martyris Carthaginenſis Epiſcopi, & caput Sancti Panthaleonis Martyris in Franciam detulerunt cum elephante quodam, cujus nomen erat, ambulabat. Quem miſit Karolo Aaron Saracenorum Princeps. Johannes Patriarcha Hieroſolymitanus ſecundum Hugonem pro benedictione & honorificentia claves Dominici ſepulcri & loci calvariæ cum clavibus civitatis & vexillo ejusdem miſit Karolo. Irene mater, Conſtantini Imperatoris Conſtantinopoli

poli miſit legatos ſuos ad Karolum ſecundum Egghardum pro pace firmanda inter Gallos & Græcos. Et Karolus vice verſa miſit Yeſſe Epiſcopum Ambianenſem & Helinglandum Comitem Conſtantinopolim pro eadem cauſa, & ut poſtularent Irenen Imperatricem jungi Karolo in matrimonio. Quæ in hoc conſenſiſſet, niſi ejus Patricius eam prohibuiſſet prævalens, & Imperium ad fratrem ſuum Nyceſtrum transferre ſatagens. Nam cum adhuc eſſent in urbe legati Karoli, Nyceſtrus [Nicephorus] Imperium invaſit, & Hyrenem in Monaſterium, quod ipſa conſtruxerat, in inſula quadam relegavit, & ipſe Nyceſtrus vel Nicephorus imperavit in Conſtantinopoli VIII. annis. Poſt quem Stauratius filius ejus regnavit uno anno, poſt quem Michael duobus annis, poſt quem Leo VIII. annis, poſt quem Michael IX. annis, poſt quem Theophilus XVI. annis, poſt quem Michael XXIIII. annis, poſt quem Baſilius XVII. annis, poſt quem Leo XVIII. annis, poſt quem Conſtantinus XL. annis imperavit.

Tertio an. Karoli, qui eſt Domini DCCCV. Karolo apud Spoletum exiſtente ſecundum Vincentium pridie KL. Maji, hora noctis ſecunda terræmotus maximus factus eſt, qui totam concuſſit Italiam. Quo motu tectum baſilicæ Beati Pauli magna ex parte cum ſuis trabibus decidit, & in quibusdam locis urbes & montes corruerunt. Avares, qui & Huni, ſecundum Yſuardum bello duro domati ſunt per Francos & Alemannos, & a ſolita ſua fortitudine deficientes, quicquid thezauri, per tot ſecula orbem debellando & vincendo ſibi congeſſerant, totum ſimul cum gloria & faſtu ſuæ nobilitatis amiſerunt; quæ omnia Karolo ceſſerunt cum Franconibus & Alemannis. Ordo Wilhelmitarum ſecundum Vincentium cœpit in eremo per Wilhelmum Ducem Aquitaniæ, quem ipſe fundavit ſuper Regulam Beati Benedicti Abbatis.

Quarto an. Karoli, qui eſt Domini DCCCVI. Karolus Imperator Aquisgrani hyemavit ſecundum Sigibertum, æſtate vero accedente tranſtulit ſe in Saxoniam orientalem, & omnes Saxones, qui trans Albiam habitabant, cum infantibus & mulieribus tranſlati ſunt in Franciam propter eorum perfidiam. Erat autem numerus transmigrantium XM. quorum pagos Obotritis dedit, qui Karolo fideles fuerunt. Ex hoc, inquam, tempore & deinceps Godefridus Rex Danorum & Nordmannorum irruptione aſſidua vaſtabat regnum Francorum propter Nordalbingos, qui tranſlati erant.

Quinto anno Karoli, qui eſt Dom. DCCCVII. Saxones ſecundum Egghardum, in Synndfelt, quæ ſunt latiſſima campeſtria inter Myndam & Padelbrunne usque ad Werram & Emezam fluvios conglobati ad bellum, a Karolo ſubacti ſunt, & tertius homo ibidem de Saxonibus vix remanſit vivus. Interea Willan Princeps Obotritorum, cum ad Karolum Regem tranſire vellet, apud, Luneburg interfectus eſt. Subjectis autem dictis Saxonibus, Karolus miſit filium ſuum Karolum cum exercitu in Bohemiam. Qui depopulatis omnibus, Lechonem terræ illius Ducem occidit. Indeque regreſſus ad patrem, in Veſego ſilva venatui ſtudentem invenit. Qui convocans primates ſuos de diviſione ſui regni inter filios ſuos facienda conſilium habuit.

Sexto anno Karoli, qui eſt Dom. DCCCVIII. Karolus, ſecundum Sigibertum, per manum Pauli Diaconi decerpens optima quæque de ſcripturis Catholicorum Doctorum & Patrum, lectiones unicuique feſtivitati congruentes per circulum anni in Eccleſia legendas fecit compilari.

Admiranus quidam ſecundum Vincentium miſſus ab Aaron Principe Perſarum ad expugnandam Lyciam, cum veniſſet Myrrheam, niſus eſt archam Sancti Nicolai Epiſcopi contere-re, ſed pro ea contrivit aliam. Pro qua temeritate ſua amiſit claſſem, tempeſtate inevitabili eam perſequente & apprehendente.

Septimo anno Karoli, qui eſt Dom. DCCCIX. luna ter obſcurata eſt, & ſol ſemel, ſecundum Vincentium, aciesque miræ magnitudinis hominum bellantium viſæ ſunt in aëre tempore diurno ſimul & nocturno. Legatus Aaron Principis Perſarum nomine Abdella, ſecundum Yſuardum in Chronicis, detulit Imperatori Karolo munera, puta papilionem & tria tentoria atrii vario colore miræ magnitudinis & pulchritudinis. Erant enim omnia byſſina tam tentoria quam funes, diverſis tincta coloribus; & præterea pallia multa ſerica pretioſa, & odores aromatum, & unguenta & balſamum; ac inſuper horologium ex aurichalco arte mechanica mirifice compoſitum; in XII. horarum curſu ad clepſydram vertebantur cum totidem æreis pilulis, quæ ad completionem horarum decidebant, & tactu ſuo ſubjectum ſibi cymbalum tinnire faciebant. Fuerunt etiam inter munera prædicta duo candelabra ex auricalco miræ proceritatis & magnitudinis.

Octavo anno Karoli, qui eſt Domini DCCCX. oſſa Sancti Bartholomæi tranſlata ſunt de inſula Lyparitana Beneventum ſecundum Sigibertum. Sarraceni ſiquidem prædictam inſulam vaſtantes, ſepulcrum Apoſtoli fregerunt, & oſſa ejus indignanter per loca illa ſparſerunt. Quibus recedentibus, Apoſtolus apparuit in viſu cuidam Monacho Græco, qui cuſtos fuit Eccleſiæ illius, præcipiens ei, ut oſſa ſua recolligeret. Cui Monachus ait: Quare oſſa tua colligeremus, ex quo permiſiſti nos & populum iſtum ſic a Paganis deleri? Reſpondit Apoſtolus: Populus iſte per annorum curricula longa meis precibus ſecurus extitit, ſed multiplicatis peccatis ſuis, pro eo jam veniam obtinere non valui. Tu autem ſurge, & fac, quæ dixi. Cui Monachus: Quomodo oſſa tua inveniam? Ad quem Apoſtolus: In nocte quære, & quæ videris reſplendere ut ignem, illa mea ſunt. Qui mox juſſa complens, recondidit ea diligenter in loculo, & abiit. Cumque pro exquirendis Sarracenis illuc venirent Lombardorum agmina, nutu Dei inventum ibidem Monachum & Sancti Apoſtoli reliquias ſimul tulerunt, & abierunt.

Digitized by Google

runt. Supervenientes autem Sarraceni, circumdederunt navem illam, in qua Sancti Apoſtoli oſſa ducebantur, ita ut eis ſpes evadendi non eſſet. Tunc ſubito factæ ſunt denſiſſimæ tenebræ circa naves Sarracenorum, ita ut neſcirent, quo pergerent. Navis vero Lambardorum claram habens lucem via proſpera tranſivit. Pervenientes autem ad portum Beneventanorum, ſanctas reliquias cum maxima ſolennitate in baſiliam deduxerunt, & in altari recondiderunt. Karolus Imperator ſecundum Egghardum audiens, Godefridum Regem Danorum Obotritos cum exercitu maximo declinaſſe, miſit Karolum filium ſuum cum valida manu Francorum & Saxonum contra ipſum, ſi forte Saxoniæ terminos aggredi tentaret. Ille autem expugnatis aliquot Slavorum caſtellis, cum magno exercitus ſui detrimento reverſus eſt. Nam licet Draſconem Ducem Obotritorum loco pepuliſſet, & Godelandum alium Ducem dolo captum patibulo ſuſpendiſſet, ac Obotritorum duas partes ſibi vectigales feciſſet, optimos tamen militum ſuorum & manu promptiſſimos amiſit, & filium fratris ſui Reynoldum cum pluribus aliis primoribus Danorum, qui interfecti ſunt in prœlio. Karolus vero trans Albiam pontem fecit, & contra Lyvones & Smeldingos auxiliatores Godefridi cum exercitu tranſiens, agros eorum circumquaque depopulatus eſt. Godefridus autem Rex emporium in litore Oceani ſitum, lingua eorum dictum Kolik deſtruxit, & inde translatis negotiatoribus ad portum, qui Sleswik dicitur, cum exercitu veniens, limitem regni ſui, qui Saxoniam reſpicit, vallo munivit, ſic ut ab orientali ſinu maris, quem illi Oſterland dicunt, usque ad occidentalem Oceanum Eygdoræ fluminis aquilonarem partem munimentum valli prætexerit, una tantum porta dimiſſa, per quam Karræ & equites emitti & recipi potuiſſent.

Nono anno Karoli, qui eſt Dom. DCCCXI. Lodowicus Rex Francorum filius Karoli, ſecundum Vincentium, cum exercitu Hiſpaniam ingreſſus, Dortoſam urbem obſedit, ſed non valens eam capere, dimiſſa obſidione, in Aquitaniam ſe recepit. Perlatum eſt ad Karolum Imperatorem, ſanguinem Domini in Mantua civitate fuiſſe repertum, ſecundum Sigibertum; miſitque ad Papam, ut hujus rei veritatem perquireret. Qui nacta occaſione exeundi, primo in Lombardicos terminos pro dicta inquiſitione progreſſus eſt. Indeque ſubito arrepto itinere ad Imperatorem venit apud Kariſiacum villam juxta Kemis, & ibi Natale Domini ſecum celebravit. Deinde Aquisgranum Papam Imperator perduxit, & poſt in Saxoniam antiquam, ubi Capellam in Berchkerl prope Myndam conſecravit. Campanula etiam quædam, quam ibidem reliquit, usque hodie habetur. Capellam quoque Sancti Petri in Eresborge, quod nunc Merſeburg dicitur, conſecravit, ubi & hoc privilegium reliquit. Leo Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, Karolo Magno Imperatori Romanorum Auguſto. Piæ intentioni tuæ per omnia congaudentes, quod jubes, annuere non tardamus. Montem igitur hunc Eresburg, quem expugnatum cum tota Saxonia Deo obtuliſti, & per nos Beato Petro conſecraſti, liberum ab omni poteſtate humana eſſe, & Fratrum inibi ad ſervitium Chriſti adunatorum ditioni tantummodo parere cenſemus. Qui ne aliquid in hoc impedimenti patiantur, neve regni invaſoribus aliqua rebellandi fiducia præparetur, ſub anathemate Sancti Petri auctoritate interdicimus, ne quis unquam bellica in ipſo monte præſidia collocare, aut per te collata prædia aut decimas circa montem per duas Saxonicas raſtas, quas illuc delegaſti, audeant diripere. Hoc conſervantibus ſit pax a Deo Patre, infringentibus vero excommunicatio & a Beatorum collegio ſeparatio ſit in æternum, Amen. Data Eresburg per manus Johannis Bibliothecarii & Cancellarii Eccleſiæ Romæ, anno Kal. Januarii, Leonis quarti decimo quarto, Indictione VII. die Dedicationis Capellæ in Eresburg. Ex hinc Imperator Leonem Papam donatum magnis muneribus per Bayoariam ire volentem, deduci fecit usque Ravennam, & ipſe Aquisgranum pergebat.

Decimo anno Karoli, qui eſt Domini DCCCXII. audiens Karolus ſecundum Egghardum, Godefridum Regem Danorum & Normannorum cum claſſe ducentarum navium de Normannia Friſiam applicuiſſe, & omnes Friſonico littori adjacentes inſulas vaſtaſſe, aggregatis quanta celeritate potuit, armatorum copiis, e regione contendit ad Alaram fluvium, & caſtris ſuis juxta fluenta, quæ Wyſeræ fluvio conjunguntur, poſitis, ibidem Godefridum Regem præſtolabatur. Venerunt ergo ad Karolum nuncii, dicentes, claſſem prædictam regreſſam, & Godefridum Regem a ſuis interfectum eſſe, ac Pypinum filium ſuum Regem Italiæ defunctum fore. Quibus auditis, diſpoſita pro temporis congruitate Saxonia reverſus eſt Aquisgranum. Bononiæ & in circumjacentibus urbibus, ſecundum Hugonem, tanta deſæviit epidimia, quod vix tertius homo ſupervixit in ipſis.

Undecimo anno Karoli, qui eſt Domini DCCCXIII. Hennyngus factus eſt Rex Danorum, vel alio nomine Heraldus, ſecundum Yſuardum. Cum iſto Karolo pacem faciens, conventum generalem Principum Aquisgrani convocavit. Quo habito, in tres partes regni ſui totidem exercitus deſtinavit; unum trans Albiam contra Lyvones, qui & ipſos vaſtavit, & caſtellum Hammoburg, id eſt Hamborgh nuper a Wilzis deſtructum reſtauravit. Alterum miſit in Pannoniam ad controverſias Hunorum & Slavorum finiendas, tertium in Britones ad perfidiam eorum puniendam, qui omnes proſpere egerunt. In regno Danorum, ſecundum Egghardum inter Sifridum nepotem Godefridi defuncti Regis & Amylo nepotem Heraldi contentio orta eſt de primatu regni, in qua controverſia ventum eſt ad prælium, & ceciderunt de amborum exercitibus XXM. & DCCCCXL. viri.

Duodecimo anno Karoli, qui eſt Domini DCCCXIIII.

Digitized by Google

DCCCXIIII. Geroldus Dux Sueviæ, secundum Sigibertum, percussit Widekindum Angarorum Regem, cujus terram Karolus divisit in VIII. Episcopatus, puta Hammoburgensem Metropolitanam, cui Heridagum præfecit tanquam provisorem novellæ plantationis, sed filius ejus Lodowicus sibi succedens præfecit huic Ecclesiæ primum Archiepiscopum Sanctum Anscharium Monachum Corbeyensem Ordinis Sancti Benedicti; Verdensem, Mersebürgensem, Myndensem, Osnaburgensem, Tzitzensem, Monasteriensem, Padelburnensem & Bremensem. De Verdensi autem Ecclesia dicunt quidam, quod prius fundata fuerit in urbe Bardewik per unum de LXXII. Discipulis Christi nomine Egistium, qui ad hanc urbem venerat de Treveri, & in ea Verbum Dei prædicaverat. Qui post fundationem illius Ecclesiæ cathedralis ibidem fertur martyrizatus. Fuerunt autem solum hæ duæ civitates in tota Alemannia, puta Treveris supra Mosellam sita, secundum Vincentium in Speculo, multum nobilis & pulcra, ubi Eucharius unus ex LXXII. Discipulis Christi veniens cum Egistio socio suo Episcopatum fundavit. Quæ quidem civitas dicitur fuisse ædificata septimo anno Abrahæ Patriarchæ, & Bardewik super aquam Luno situata, quæ per medium miliare distabat a monte, juxta quem nunc Luneburg situatur. In cujus montis summitate Julius Cæsar auream statuam erexerat, & in honorem Deæ Lunæ eam dedicaverat. Quæ statua ab incolis terræ illius adorabatur usque ad adventum Egistii supra dicti, vel secundum alios, usque tempora Wiperti Episcopi Verdensis primi, qui idolum fregisse dicitur, & ibidem Monasterium in honorem Virginis gloriosæ construxisse. Supra scripta autem urbs Bardewik fundata dicitur ante Romam CCXXXV. annis, sed Treveris civitas ante Romam ædificata fuit MCC. annis. Duravit autem Bardewik civitas in vigore magno usque ad tempora Henrici Leonis Ducis, qui eam destruxit, prout infra suo loco patebit. Ex quibus dictis concludi potest, quod Ecclesia Verdensis translata sit per Karolum Imperatorem de Bardewik, ubi prius fundata extiterat, ad urbem Verdensem. Bremensis vero Ecclesia postea in Hammeburgensem sedem est redacta, ut patebit inferius. Perempto autem Wydekindo Rege, Saxones Imperator Karolus sine gravamine alicujus alterius Principis esse permisit, ut solummodo Domino Deo subjecti essent, & suis Episcopis obedirent, ac eis decimas pro tributis solverent. Quod per multa tempora sic tenuerunt.

Tertio decimo anno Karoli, qui est Domini DCCCXV. Karolus habito Aquisgrani generali concilio Principum, secundum Vincentium, filium suum Lodowicum Regem Aquitaniæ ad se vocavit, eique coronam Imperialem imponens, Imperii sui consortem eum fecit; Bernhardum vero nepotem suum, filium Pypini filii sui, Regem Italiæ constituit auctoritate Imperiali. Pons Rheni apud Moguntiam, secundum Egghardum, quem Karolus per X. annos cum ingenti labore & expensis multis opere mirabili de lignis ita construxerat, ut perpetuo durare posse videretur, sic in tribus horis in mense Majo inopinato incendio conflagravit, ut præter hoc, quod aqua tegebatur, non una quidem hastula remaneret.

Johannes prætensus Papa, natione Britannus, vir reputatus, sed in veritate mulier existens, sedit uno anno, secundum Egghardum & Vincentium. Hæc, inquam, mulier scelerosa in ætate sua puellari a quodam amasio suo in habitu virili Athenis ducta fertur, ubi sic tandem in divinis profecit scientiis, ut sibi similis suo in tempore vix inveniretur. Adeo enim erudita extitit Athenis, ut postea Romæ legens, magnos magistros in discipulos & auditores haberet. Cumque in urbe Roma vita & scientia celebris esset opinionis & famæ, defuncto Leone Quarto, in Papam est a populo & Clero electa, vir credita. Sed sibi tempus & locus Pontificatus non ascribitur, nec Catalogo Summorum Pontificum annotatur, eo quod ob sexum fœmineum characteris Ordinis sacri cujuscunque capax non fuerit, nec promotionis talis dignitatis. Turpissima ergo & nimis præsumtuosa hæc mulier Papa existens putativus, ex divina permissione mirabili & diabolicæ fraudis suggestione a suo cubiculario, nefandum hoc mysterium non ignorante, est imprægnata in suam confusionem & Ecclesiæ Dei non modicam jacturam & scandalum. Cumque, ea tempus sui partus ignorante, dies & hora parturiendi appropinquasset, & ipsa, ut moris est, Ecclesiæ Romanæ Pontificali ornatu decorata, de Sancto Petro in Lateranum processionaliter pergeret, angustiata infelix inter Coliseum & Sancti Clementis Ecclesiam puerum edidit, & media crepans, defuncta ibidem periit. Et quod Dominus Papa viam talem semper obliquat, creditur a plerisque, quod propter detestationem hujus facti hoc faciat ex decreto Patrum speciali. Propter hunc autem errorem cavendum in perpetuum, diligentia solers semper adhibetur mox post electionem Papæ de virilitatis & sexus certitudine. De hac autem muliere tam fraudulenter Papatum intrante Hinricus de Hervordia nullam in suis Ætatibus fecit mentionem, ne forte seculares literas scientes scandalizentur, legendo, talem contigisse errorem in Ecclesia Dei, quæ Spiritu Sancto prædicatur regi, & dirigi a Clericis & Sacerdotibus.

Quarto decimo anno Karoli, qui est Domini DCCCXVI. quidam Johannes Monachus de Jerusalem movit quæstionem de processione Spiritus Sancti coram Karolo, secundum Vincentium. Qua mota, Karolus misit Romam Bernhardum Episcopum Wormatiensem & Adelhadum Abbatem Corbeyensem, causæ quæstionis hujus diffiniendæ. Agitatum etiam fuit coram Karolo & Principibus ejus de statu Ecclesiarum & conversatione Clericorum, nec tamen aliquid diffinitum est propter rerum, ut videbatur, magnitudinem. Concilia quoque jussu ejus super statu ecclesiarum corrigendo

Digitized by Google

per totam Galliam ab Episcopis celebrata sunt, quorum unum Moguntiæ, alterum Remis, tertium Thuronis, quartum Cabilone, & quintum Arelati habitum est.

Stephanus Papa, natione Romanus ex patre Julio, sedit VIII. mensibus & diebus XI. Hic statim post suam coronationem in Gallias veniens, secundum Martinum, ab Imperatore honorifice est receptus. Sub eo quoque obiit Karolus Magnus, & Lodowicus filius suus ab eo Remis in Imperatorem est coronatus. Hic Papa sic per Franciam transiens, captivos redemit multos, & propriis sedibus restituit. Tertio autem mense postquam Romam redierat, nondum exacto obiit VIII. Kl. Februarii. Karolus Imperator dum Aquisgrani hyemaret, secundum Sigibertum, febre & pleurisi, id est lateris dolore tactus, VI. Kal. Februarii obiit in Christo, anno ætatis suæ LXXI. regni vero sui XLVII. Cujus rei lugubris rumores cum Lodowicus filius ejus recepisset, XXX. die Aquisgranum venit, & de consensu omnium Principum patri in Imperio successit. Et habito ibidem generali Principum concilio ad justitias faciendas, in omnes regni partes nuncios misit, ac duos ex filiis suis Lotharium scilicet Bayoariæ, & Pypinum Aquitaniæ præfecit. Turpinus autem Archiepiscopus Remensis in Chronica Karoli sic dicit: Cum ego Turpinus apud Viennam in Ecclesia ante altare orationibus insisterem, raptus in ecstasi, terrorum spirituum agmina innumerabilia coram me per aëra volantia Lotharingiam tendebant. Quibus autem me pertranseuntibus, unum Æthiopi similem, retro lento gradu alios sequentem alloquebar, dicens. Quo tenditis? Aquisgrani, inquit, ad Karoli mortem, ut ejus Spiritum ad tartara rapiamus. Cui ego: Adjuro te per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut peracto itinere ad me redeas. Illi autem modicum morati, mox redeunt eodem ordine, quo iverant. Et dixi eidem, cui prius: Quid egistis? Cui dæmon: Galetianus ille sine capite Sanctus Jacobus tot ac tantos lapides ac innumerabilia ligna basilicarum suarum in statera suspendit, quod ipsius bona magis appenderunt quam mala, & ideo animam ejus obtinuit. Quibus dictis, dæmon abscessit. Ego vero statim agnovi, Karolum ex hac luce & subsidiis Beati Jacobi in Paradisum vectum esse. Non enim defuerunt certa indicia, transitum suum indicantia. Nam solem & lunam septem dierum spatio, atro colore ante mortem ejus contigit immutari. Nomen vero ejus, id est Karolus Princeps, in Aquensis Ecclesiæ parietate scriptum, ante ejus mortem omnino deletum est. Porticus etiam, quæ inter Basilicam & regiam aulam erat, die Ascensionis Dominus funditus cecidit. Pons super Rhenum prope Moguntiam incineratus est. Cumque ipse Karolus ad huc vivens eodem anno mortis suæ de loco ad locum transiret die quadam, subito dies efficitur atra, & flamma a dextris incipiens versus lævam ante oculos ejus velociter pertransiit. Qui attonitus de equo cecidit, & manu accurrentium de terra levatur. Hunc ergo esse participem in corona Martyrum credimus, cum quibus eum laborasse & sustinuisse scimus. Hæc Turpinus. Ex Chronicis Francorum. Sepultus est ergo Aquisgrani in formosissima totius orbis Capella honorificentissime Karolus, super cujus tumulum exstructus est arcus deauratus. Interfuerunt autem exequiis ejus Principes regni Romanorum, Archiepiscopi & Episcopi multi, Duces & Comites ac Abbates aliique innumeri, corpus defuncti vestibus Imperialibus quasi festive induentes, auream capiti coronam imposuerunt. Deinde super auream cathedram quasi judicem vincentem sedere fecerunt, ac super ejus genua textum quatuor Ewangeliorum aureis literis scriptum collocaverunt, ita quod manu dextra textum, sinistra vero sceptrum tenebat aureum Catenulam quoque auream diademati conjunxerunt, & cathedræ, supra quam sedebat, ne caput defuncti decideret, affixerunt. Sed & scutum aureum, quod ei Romani fecerant, ante faciem ejus statuerunt, & arcam lapideam, in qua sepeliebatur, pretiosis replentes aromatibus, monumentum strenue sigillantes clauserunt. Prædictis ergo in summam recollectis, sanctus Karolus Rex & Imperator invictissimus Ecclesiam Christi fere totam factis inclytis & insignibus virtutibus memorandis ubique terrarum exornavit. Romanis quoque mundi dominatoribus & Imperii fundatoribus & rectoribus per sanguinem Sanctorum deturpatis, hic Imperium reparavit. Papatum & omnem Cleri statum, ad solum usque miserabiliter per Lombardos humiliatum, magnifice exaltavit, Italiam a tyrannide Lombardorum mirifice liberavit, Hispaniam a Sarracenis bellis durissimis absolvit, Saxoniam antiquam & orientalem Regi Christo subdidit, & X. Episcopatus in ea fundavit, primum Osnaburgensem, secundum Osterwicensem, qui nunc Halberstadensis dicitur, tertium Myndensem, quartum Bremensem, quintum Herstallensem, qui nunc Padelburnensis dicitur, sextum Verdensem, cujus sedes secundum aliquos prius fuit in Bardewik; septimum Schiderensem, qui primo fuit positus in Wallersleve, post in Vrose, & tandem in Magdeburg; octavum Mymiganordensem, qui nunc Monasteriensis dicitur; nonum Aulicanensem, qui nunc Hildeshemensis dicitur; & decimum Hammeburgensem, qui post conjunctus est Bremensi, & factus est unus Archiepiscopatus. Episcopatum autem Trajectensem jam dudum fundaverat Pypinus Brevis Karoli proavus. Fundavit etiam Karolus duos Episcopatus in confinibus Misynæ, puta Merseburgensem & Tzitzensem. Insuper Galliam totam moribus & Ecclesiasticis disciplinis iterum & iterum reformavit, & regali sui præsidentia decoravit; Siciliam, Apuliam, Pannoniam, Bayoariam, Lyvones, Slavos, Sclavos, Danos, Normannos, Britannos cæterasque terras a tyrannis expurgans, pacem & Christi cultum renovavit. Teuthoniam vero patriam suam, & in ea singulariter Aquisgranum privilegiis

Digitized by Google

legiis multis & dignitatibus ſublimavit, Imperium ad eam transferens, & Imperii Electores ex ejus Principibus conſtituens. Urbem namque Aquisgranum vel a principio fundavit, vel eam in toto annichilatam redinſtauravit, palatium & recurſum ſuum regularem (fors regalem), & de toto Imperio ſingularem in ea faciens, ad eam ſemper poſt labores repariavit (reproperavit). Baſilicam Virginis Benedictæ pulcerrimam in ea cum devotione ſumma fabricavit, quam per Leonem Sanctum Papam ſolenniter dedicavit, & in ea ſacroſanctas reliquias, quas de Terra Sancta a ſe victa & a Sarracenis recepta, de Conſtantinopoli & Jeruſalem attulerat XVII. anno Conſtantini VI. toti mundo frequentandas & fideliter viſitandas cum veneratione multa collocavit. Ad quod etiam indulgentias Papales multas ordinavit. De fundatione autem Hammeburgenſis Eccleſiæ Helmoldus in Chronica Slavorum expresſius & magis diſtincte ſcribit, dicens cap. III. Fertur Karolus Magnus Hammeburgenſem civitatem reparaſſe, a Slavis quaſi deſtructam, & in ea Eccleſiam fundaſſe, ac fundatam cuidam Eridago Presbytero viro Sancto regendam commiſiſſe, proponens eam cunctis Slavorum Danorumque gentibus Metropolim ſtatuere. In qua re ad perfectum ducenda & mors Eridagi Presbyteri, & occupatio bellorum Karolum Imperatorem, ne deſiderata compleret, præpedivit. Lodowicus vero Pius patri ſuo in Imperio ſuccedens, cum ſuper Hammeburg patris ſui comperit votum, convocato ſtatim ſapientum concilio, ſanctiſſimum virum Anſcharium, quem etiam aliquando ad Danos & Sveos prædicatorem direxerat, Hammeburgenſis Eccleſiæ ordinari fecit primum Archiepiſcopum, ſtatuens eandem urbem metropolim univerſis borealibus populis, ut legatio verbi Dei exinde uberius pullularet in omnes barbaras nationes.

Lodowicus I. cognomento Pius, Karoli Magni filius, Romanorum Imperator LXXIII. cœpit anno mundi IIIIMDCCLXXVII. Olympiadis CCCXCVIII. anno primo, urbis conditæ MDLXVI. Domini vero DCCCXVI. & annis XXV. imperavit ſecundum Hugonem Floriacenſem. Fuit autem Lodowicus iſte natura clementiſſimus. Unde cum juxta morum ſuorum lenitatem rempublicam diſponeret, tulit finem multis adverſitatibus plenum, tam a liberis quam a proceribus crudeliter impugnatus. Fuit etiam in præceptis Domini exequendis ferventiſſimus, & Legis Sanctæ ſtrenuus propugnator. Clericis quoque formam vivendi regulariter ordinavit, legibus civilibus quædam capitula valde neceſſaria adjecit, & ex uxore ſua ſecunda Judith genuit Karolum Calvum Regem Francorum. Ex Ermegarde vero uxore ſua prima tres filios genuit, puta Lotharium, Pypinum & Lodowicum. Lothario autem commiſit Italiam, Pypino Aquitaniam & Lodowico Bayoariam & Germaniam. Habuit etiam hic Lodowicus duos fratres, unum, qui Teuthoniam, & alium qui Hiſpaniam regebat, qui tamen ultimate fines malos habebant.

Primo anno Lodowici, qui eſt Domini DCCCXVII. Michaelis Imperatoris Conſtantinopolitani legati, ſecundum Hugonem, attulerunt Lodewico Imperatori Romanorum inter cætera munera libros Beati Dionyſii, qui cum magno gaudio & gratitudine ſunt ab eo recepti.

Paſchalis Papa, natione Romanus, ex patre Martino, ſedit annis IX. & diebus XIX. Iſte ſecundum Martinum miſit ad Imperatorem, poſt completam ſuam conſecrationem munera & literas excuſatorias, proteſtans, quod invitus de Papatu ſe intromiſiſſet. Iſte & cœnobium Græcorum Romæ inſtituit, & corpora Sanctorum Cœciliæ, Tiburtii & Valeriani ac Sancti Urbani, Beata Cœcilia revelante, de cimiterio, ubi recondita fuerant, manu propria elevans, intra urbem in Eccleſia Sanctæ Cœciliæ honorifice collocavit. Rabanus Sophiſta magnus & Poëta diſertus, ſecundum Sigibertum, primo Fuldenſis Monachus & poſt Abbas Fuldenſis, poſtea Archiepiſcopus Moguntinus floruit. Hic ſecundum Vincentium librum de Laudibus Crucis, partim metricum, partim proſaicum, figurarum varietate diſtinctum, difficili ac mirando Poëmate compoſuit, & quaſi totum Vetus & Novum Teſtamentum pulcro ſtilo commentatus eſt.

Secundo anno Lodowici, qui eſt Domini DCCCXVIII. in territorio Tullenſi, ſecundum Vincentium, villa Commenciaco puella duodecennis poſt Sacram Communionem in Paſcha a Sacerdote ſuſceptam, primo per decem menſes, & demum ab omni cibo & potu per triennium abſtinuit, & poſt hoc ad communem hominum vitam rediit. Lodowicus Imperator, ſecundum Sigibertum, ex eo quod Reliquiæ Sanctæ Dei Genitricis de Hildensheym aſportari non poterant in Aulicam, tranſtulit Epiſcopatum de Aulica in honorem Sancti Petri fundatum, in Hildensheym, & ibidem ipſum in honorem Virginis Glorioſæ fundavit, ac Guntharium primum Epiſcopum eidem Eccleſiæ præfecit.

Tertio anno Lodowici, qui eſt Domini DCCCXIX. ipſe Lodowicus Imperator Aquisgrani Concilium generale Principum convocans, ſecundum Egghardum, multa perperam geſta in regno correxit. Et inter alia bona, quæ ordinavit, quandam Conſtitutionis formulam ex Canonica autoritate & Sanctorum Patrum Decretis, quaſi ex diverſis pratis amœnis varios flores carpens, ſtudioſe fecit colligi. Quam quidem Conſtitutionis Formam Canonicam tradidit Clericis quaſi vivendi normam ab ipſis obſervandam. Cujus Conſtitutionis vigore inſpecto, Epiſcopi & Clerici baltheos aureos & exquiſitas veſtes aliaque veſtimenta ſecularia depoſuerunt. Fuldenſis Baſilica hoc anno eſt conſecrata ſecundum Vincentium, & Sanctus Bonifacius Archiepiſcopus Moguntinus de tumba canonizatus.

Quarto

Digitized by Google

Quarto anno Lodowici, qui Domini DCCCXX. Bernhardus Rex Italiæ, secundum Egghardum, nepos Lodowici, tyrannidem meditatus, Lodowico rebellare cœpit, & jam quasi omnes introitus Italiæ, quos Clusos vocant, impositis præsidiis firmasse nunciatur, ac omnes civitates Italiæ in ejus verba jurasse. Quod partim verum fuit, & partim falsum. Ad quos motus reprimendos Imperatore celeriter cum magno exercitu veniente, Bernhardus rebus suis diffidens, armis depositis, apud Cabilonem se Imperatori tradidit. Terræmotus tantus in Italia factus est, secundum Vincentium, & tanta tonitrua ac coruscationes fulminaverunt, ut multæ villæ & opida igne cœlesti consumta sint; homines etiam & animalia ictu fulminis sunt peremta, fruges etiam & herbæ sunt grandine vastatæ, ac plures turres & castra innumera sunt subversa.

Quinto anno Lodowici, qui est Domini DCCCXXI. detecta conjurationis fraude & seditionis per Bernhardum Regem Italiæ contra Lodowicum Imperatorem imposita, secundum Hugonem, ipse Imperator omnes seditionis auctores, simul cum Rege eorum Bernhardo, capitali sententia damnatos tandem luminibus jussit orbari. Bernhardus autem Rex excæcatus, non multo post obiit melancholia tabefactus. Ermygardis uxor Lodowici Imperatoris, secundum Hugonem, obiit V. Non. Octobr. Hæc autem pepererat Imperatori tres filios, puta Lotharium, Pypinum & Lodowicum.

Sexto anno Lodowici, qui est Domini DCCCXXII. Cœnobium nobilium puellarum in Hervorde Lodowico Imperatori per Waldgerum Comitem Hervordensem commendatum, ipse Imperator manumisit, & in defensionem suscepit, secundum Sigibertum. Ex Gestis Beati hujus Waldgeri. Wynfridus, qui & Bonifacius, natione Brito, revelante Spiritu S. divinæ legationis functus ministerio, concessu Beatissimi Papæ Zachariæ, partes Galliarum, Svevorum, Francorum, Hassorum & Thuringorum visitavit, ibique semen Verbi Dei quasi sator fertilitatis seminavit. Postea vero, ut & funes prædicationis extenderentur in præclaris, Saxoniam adiit, & saxea corda gentilium dominicæ prædicationis aratro mollificans, ad fructificandum habilitavit. Post aliquot autem annos a passione dicti Sancti Bonifacii, Karolo Magno super Francos regnante, cum in Saxoniæ partibus ex seminariis prædicationis istius, & virtute bellorum illius, Deo bonorum omnium auctore providente, fides Christi, plantula morum virtutumque seges jam late pullularet, & in agro Dominico multiplicaretur, fana dilapidata sunt, Ecclesiæ construebantur, & Sedes Episcopales per gloriosissimum Karolum Principem ordinabantur, Templa quoque per nobiles plures prædiis & mansis dotabantur. Inter quos in antiqua Saxonia, quæ nunc Westphalia dicitur, ut sidus ingens effulsit Waldgerus Deo & hominibus dilectus, qui in Durembere habitavit, patre Dedda & matre Etwi fidelibus, avo vero Adolfo & avia Paganis oriundus. Hic Adolfus avus Waldgeri, cum Karolus Magnus Saxoniam sibi subjugaret, Secretarius Wedekindi Regis Saxonum erat, & Durembere possidens, ibidem habitabat. Famæ autem & præclaro nomini Regis Karoli affectus, per legatos honestos ei piscationis & venationis munera sua transmisit. Rex autem exhilaratus, accepit ea gratanter, moxque eum vocans ad se, vitæ verbis ipsum imbuit, & tandem conversum baptizari fecit. Waldgerus autem hic primus in humo Saxonica fundator Congregationis Sanctæ existens, primo in Modehorst fundamenta Monasterii in honorem Sanctæ Dei Genitricis Mariæ jecit. Sed admonitus divina voce, locum illum deseruit, & post in antiqua Hervordia ædificare cœpit. Sed nocte superveniente destruebatur, quod cœptum erat, & ideo ultra ibidem ædificare desistebat. Ad orationis ergo secretum refugiens, revelationem accepit, & Magister æterni luminis prævio lumine corporali sibi locum ostendit. Nam vacca candida in utroque cornu cereum ardentem deferens, Spiritu Dei ducta, gloriosum virum Waldgerum præivit, & ad rivulum Aham, ubi serpentium & repentium vermium fuit habitatio, sed Sanctorum commoratio futura, perduxit. Gratulabundus ergo vir Dei Ecclesiam ibi in honorem Sanctæ Mariæ Virginis de lignis erexit, anno Constantini VI. nono. Altare quoque construens in loco, ubi nunc corpus ejus venerabile in Christo requiescit, omne patrimonium suum, cum hæredem non haberet, Deo ac Virgini Benedictæ devotus obtulit. Ob hujus autem ostensionis memoriam, usque hodie vitula datur ibidem Deo servientibus in anniversario dicti hujus Patris Sancti. Postea Waldgerus ut peregrinus ad Regem Angliæ pergens, cum Regi notissimus esset, Beati Oswaldi Regis & Martyris Reliquias ei donavit. Insuper & galeam & gladium, quo Christianæ Religionis hostes devicerat, tradidit eidem, eo quod non nisi pro Sanctorum Reliquiis obtinendis exierat. In Durenbere ergo regressus, Reliquias illas ibidem collocavit. Monasterium autem suum in absentia sua a Paganis destructum reformavit, & in eo XIII. virgines intemeratæ Virgini obsequentes instituit, Svabam autem primam Abbatissam ibidem ordinavit. Lodowicus Imperator eo tempore, secundum Sigibertum, Corbeyam novam de Bethua transtulit, quam pater suus initiaverat. Waldgerus autem nutu Dei ad ipsum Imperatorem se contulit sub habitu peregrino. Quem Imperator ut Medicum intuens, ut cognovit, Waldgerum esse, ipsum amica devotione suscepit. Ipse autem Imperatori filiam suam sive Ecclesiam Hervordensem intime commendavit. Quam Imperator, ut sibi commendatam, instauravit, manumisit, & in defensionem suscepit. Et sicut Corbeyam Novam instar Corbeyæ antiquæ extruxit, ita & istam instar Monasterii Sanctimonialium Svessionis, quarum curam Abbati Corbeyensi commisit. Et super hæc quicquid in prædiis & mansis Corbeyæ contulit, tertiam partem

partem gloriosæ Dei Genitricis famulabus obtulit. Idque chirographis & impressione sigilli sui roboravit, & in signum subjectionis regiæ decrevit, ut singulis annis in Purificatione Beatæ Virginis cereum ab Abbatissa Regia Dignitas accipiat missum. Waldgerus tandem post sanctam vitam in Domino feliciter obdormivit anno Domini DCCCXXV. sepultus in Basilica urbis Hervordensis, quam ipse fundaverat. Postea Abbatissa Swenebildis Basilicam lapideam supra corpus illud venerabile construens, per manus Ymadi Padelbornensis Episcopi eam consecrari fecit, & corpus sanctum sublevantes ante altare in Mausoleo decentiori honorifice deposuerunt. In cujus sacri corporis translatione plura miracula Deus operatus est. Corbeyenses Monachi secundum Sigibertum, qui in loco, qui Bethua dicitur, regni Francorum per aliquot annos demorabantur, per Karolum Magnum illuc introducti, inde hoc anno egressi cum crucibus & Reliquiis, in hunc locum pervenerunt. Loco autem illi ab Episcopo Badurado, qui tunc præsens aderat, Corbeyæ nomen impositum est; erectoque tentorio atque illatis crucibus cum Reliquiis locum illum dedicaverunt in honorem S. Stephani Protomartyris, infodientes crucem Christi, ubi in præsentiarum summum altare esse dinoscitur.

Lodowicus Imperator, consideratis plerisq; Nobilium filiabus, Welpi Comitis filiam nomine Judith duxit in uxorem, secundum Vincentium in Speculo, quæ genuit ei Karolum Calvum. Hildegrinus Episcopus, vir magnarum virtutum, secundum Chronicas Saxonum, sedem Episcopatus sui transtulit de Salegenstede in Halberstad.

Septimo anno Lodowici, qui est Domini DCCCXXIII. Mahumed Sarracenorum Princeps XXIII. cœpit, secundum Egghardum, & VII. annis principatus est. Iste cum fratre suo congressus Habdalle, ab eo superatus est, & eum victus sibi conregnare passus est. Pestilentia magna grassata fuit in homines & jumenta propter juges pluvias & aërem nimis humidum. Frumenta quoque & legumina corrupta sunt. Lodowicus Imperator, secundum Sigibertum, filio suo Lothario Irmyngardem Hugonis Comitis filiam matrimonio copulavit, de qua ille suscepit Lotharium, postea excommunicatum, Lodowicum post se regnaturum & Karolum. Haroldus Rex Danorum, secundum Hugonem Floriacensem, cum uxore sua & filiis ad fidem Christi per Lodovvicum conversus, Moguntiæ baptizatur, cui renato Lodowicus Imperator partem Frisiæ illam, quæ fluvio Egdaræ adjacet, & vicinos his Dithmarsos in beneficium patrinatus contulit. Lodowicus vero Rex Germaniæ, XIIII. Duces Bohemorum cum suis sequacibus baptizari fecit, & in fide Christiana eos informavit.

Octavo anno Lodowici, qui est Domini DCCCXXIIII. cespes quidam longitudine pedum LX. & latitudine XIIII. secundum Sigibertum, in Thuringia sine manibus de terra præcisus & sublatus est, & ultra pedes XXV. translatus. In parte Orientalis Saxoniæ, quæ Soraborum finibus contigua est, secundum Egghardum, in quodam deserto loco juxta lacum Arnze dictum, in modum aggeris terra intumuit, & limitem unius leucæ in longitudinem porrectum, sub unius noctis spatio, absque humani operis molimine instar valli subrexit. Lupus Dux Vasconiæ, secundum Egghardum, de perfidia sua convictus, exilio damnatur per Lodowicum Imperatorem. Similiter & Sclaomyr Princeps Obotritorum terra pulsus est per eundem, cujus principatus datus est Ceytrog filio Drasconi.

Nono anno Lodowici, qui est Domini DCCCXXV. Lodowicus Imperator in Villa Theodonis, secundum Sigibertum, omnes exules revocavit, eisque sua restituens, & jam judicio legis infiscata jussit ex toto reddi. Et tunc etiam Ceytrog Princeps Obotritorum damnatus est. Sclaomyr vero alio anno exulatus, in patriam est revocatus, & post percepto Baptismi Sacramento defunctus est. Lodowicus Imperator, secundum Vincentium, Lotharium filium suum pro disponendis regni negotiis misit in Italiam. Quo facto, cum jam redire intenderet, rogante Paschali Papa, Romam venit, & honorifice ab eo susceptus, in sancto die Paschæ apud S. Petrum & regni coronam & Imperatoris Augusti nomen suscepit; sicque in mense Junio ad patrem venit. Consecrato tamen Lothario, Romæ quidam Nobiles sunt peremti, pro eo quod proniores esse videbantur ad fidelitatem Lotharii, quam Lodowici Imperatoris. Quod crimen quia etiam in Papam retorquebatur, ideo Papa apud Imperatorem excusavit, & de hoc crimine coram populo & legatis Imperatoris cum magno Episcoporum numero jurejurando se expurgavit, & tandem defunctus est.

Eugenius Papa natione Romanus, ex patre Benemundo, sedit annis tribus, secundum Sigibertum. Hic per discordiam populi cum alio electus, tandem vincente parte Nobilium, Papatum obtinuit, sed postea per laicos tentus, est martyrio coronatus. Iste prius S. Sabinæ Cardinalis existens, tandem Ecclesiam cum symborio [ciborio] argenteo super altare & pictura solenni decoravit.

Decimo anno Lodowici, qui est Domini DCCCXXVI. circa æstivale solstitium, secundum Vincentium, in territorio Augustodunensi, aëre sereno in tempestatem celeriter converso, ingens fragmentum glaciei cum grandine cecidit, cujus longitudo pedes XV. latitudo sex, spissitudo vero duos habuisse fertur. Theodolfus primus Abbas Floriacensis, secundum Hugonem, & post Episcopus Aurelianensis, multis criminibus apud Lodowicum Imperatorem accusatus, Andegavis exiliatur, & ibidem incarceratur. Contigit autem, Imperatorem illuc venire in die Palmarum. Cum autem secus locum, in quo tenebatur captivus, Imperator cum processione transiret, facto silentio in præsentia Imperatoris, illum devotum hymnum a se compositum:

Digitized by Google

positum: Gloria, laus & honor tibi sit, &c. decantavit per fenestram carceris. Qui hymnus Imperatori tantum placuit, ut ipsum mox a vinculis absolutum, sedi suæ ipsum restitueret. Sed dum ad Ecclesiam suam reverteretur, veneno extinctus periit.

Undecimo anno Lodowici, qui est Domini DCCCXXVII. Rabanus Poëta magnus & Sophista, secundum Hugonem, fit Abbas Fuldensis, cujus discipulus fuit Strabus Philosophus & Poëta. Corpus S. Sebastiani Martyris, secundum Vincentium, transfertur de Roma Suessionis, annuente Eugenio Papa, per Hudwicum Abbatem S. Dionysii, & in Ecclesia S. Medardi collocatur, ubi stupendis & innumerabilibus miraculis claret.

Duodecimo anno Lodowici, qui est Domini DCCCXXVIII. Corpus Beati Gregorii Doctoris magni, secundum Martinum, a loco, ubi prius jacuerat, elevatur, & sub altari ponitur.

Valentinus Papa, natione Romanus ex patre Johanne, sedit uno mense. Hic Cardinalis Diaconus existens, & Leo dictus est secundum Martinum. Habdallo frater Mahumed Princeps Sarracenorum, secundum Hugonem, bellum gessit cum fratre suo, qui vincens Mahumed fratrem suum, eo invito cum eo regnare cœpit. Per hoc autem bellum regnum Sarracenorum per aliquot annos discissum est. Ibique defecit ejus Historia sub anno Domini DCCCXXVIII. post annos CXCVIII. ex quo Sarraceni Persas sub suo dominio redegerant.

Gregorius natione Romanus, ex patre Philippo, sedit annis XVI. & tribus mensibus, secundum Martinum. Iste de consensu Lodowici Imperatoris & omnium Episcoporum instituit, ut festum omnium Sanctorum celebretur Kal. Novemb. in partibus Franciæ & Germaniæ quod Romani ex institutione Bonifacii faciebant. Electio autem hujus Gregorii non est confirmata, antequam legatus Imperatoris Romam veniens, electionem populi, qualis esset, examinaret. Hic secundum Gesta Romanorum, urbem Ostiam, quæ vetustate corruerat, a fundamento renovavit, ne Agareni eo tempore circumvagantes, Christianis ibidem morantibus nocere possent, & ipsam urbem Gregoriopolim nominari jussit, secundum Vincentium in Speculo.

Tertio decimo anno Lodowici, qui est Domini DCCCXXIX. Rabanus Abbas & Doctor Tractatus in libros Sapientiæ & Ecclesiasticum edidit, secundum Vincentium. Amalaricus vero librum de Officiis Ecclesiasticis ad Imperatorem Lodowicum scripsit, Angelonius autem ad eundem Imperatorem Tractatus in libros Regum fecit. Ansegisus quoque Abbas Lobiensis Edicta Karoli Magni & Lodowici filii ejus ad Ecclesiasticam Legem pertinentia in duobus libellis digessit. Sanctus Hildegrinus primus Episcopus Halberstadensis, secundum Hugonem, obdormivit in Domino, virtutibus & miraculis clarens.

Quarto decimo anno Lodowici, qui est Domini DCCCXXX. Lodowicus Imperator cum filiis suis, Pypino Rege Aquitaniæ & Lodowico Rege Germaniæ, Britanniam invasit, secundum Sigibertum, & ipsam ferro & igne quasi devastavit. In Vasconia trans Garumnam, secundum Egghardum, in pago Aginensi annonam de cœlo descendisse ferunt cum pluvia, similem frumento, sed paululum breviora ac rotundiora grana habuisse, de qua annona Lodowico Imperatori allatum est Aquisgrani in palatium suum.

Quinto decimo anno Lodowici, qui est Domini DCCCXXXI. Soldanus Babyloniæ per quosdam Romanos sceleratos vocatus, secundum Vincentium, ut Romam veniens, Italiam caperet & possideret, cum tanta Sarracenorum multitudine per Portum Centumcellensem intravit, ut superficiem terræ quasi locustæ replerent. Obsessa ergo Roma, civitas Leonina capitur, Ecclesia S. Petri spoliatur, & stabulum equorum efficitur, ac tota in solitudinem redigitur. Sed tandem per Gvydonem Marchionem & Lombardos ac per Lodowicum Imperatorem cum multa sanguinis Christianorum effusione fugati sunt, in via tamen sui recessus Aquilegiam & Siciliam vastaverunt.

Sexto decimo anno Lodowici, qui est Domini DCCCXXXII. maxima controversia orta est inter Lodowicum Imperatorem & filios suos, secundum Sigibertum, & regni Optimates. Terræmotus maximus & periculosus factus est Aquisgrani, & venti turbatio valida, secundum Vincentium, & in terris & civitatibus circumjacentibus tempore quadragesimali, & duravit commotio illa tribus diebus, interpolatim tamen.

Decimo septimo anno Lodowici, qui est Domini DCCCXXXIII. Corpus S. Marci Evangelistæ sub nomine Valentis Martyris, secundum Egghardum, Rodolphus Episcopus Veronensis a Duce Venetiarum impetravit, & cum corpore Genesii Martyris in Agram insulam attulit. Lodowicus magnum conventum Principum habuit in Novimagio, secundum Sigibertum, ubi quosdam Optimates sibi adversantes exauctoravit quosdam exiliavit, alios bonis suis privavit, ac per hoc filios suos aliosque Principes contra se exacerbavit. Strabus Philosophus discipulus Rabani floruit, secundum Hugonem. Hic librum ad Lodowicum Imperatorem de Officio Ecclesiastico scripsit valde utilem.

Decimo octavo anno Lodowici, qui est Domini DCCCXXXIIII. Lodowicus Imperator, secundum Vincentium in Speculo, Judith uxorem suam tanquam adulteram abdicavit.

Theobaldus Comes Bonemontis Castri filio suo Loringo mirabiles celebrasse fertur nuptias. Duxerat namque Loringus iste, secundum Egghardum in Chronicis, in laudabilem consvetudinem, ut semper, priusquam comederet, Missam, si quo modo posset, audiret. Hic cum in die nuptiarum suarum post multas solicitudines ad mensam cum amicis invitatis accedere deberet, venit in mentem ejus, illo die nullam se audivisse Missam, impeditus necessariis occupationibus. Unde dimissis omnibus invitatis,

Digitized by Google

tatis, clam diſceſſit, & equum velociter aſcendens, ad vicinam Eccleſiam acceleravit, ubi ſtatim non puto caſu, ſed divina ordinante clementia Sacerdotem ſacris indutum, & ad Miſſam dicendam præparatum invenit. Quam cum devote audiviſſet, & ut ad convivas reverteretur, equum aſcendiſſet, vir quidam canus & venerabilis, indutus albis veſtibus ſibi obviam venit, & familiariter ipſum ex nomine ſalutavit. Cujus ſenis placibilitate allectus juvenis, mox ipſum ad ſuam ſolennitatem invitavit, & annuentem tandem ſecum ad caſtrum paternum deduxit, ac ſuſceptum ab omnibus cum reverentia magna ad caput menſæ ſuper cunctos invitatos locavit. Elegantia autem hujus viri venerabilis, & ſermonum ſuorum grata eloquentia, ac morum & honeſtatis affabilitas omnes in ſtuporem vertit, ita ut horam illam prandii cum inæſtimabili ducerent jucunditate & cordis lætitia, & optaſſent eam durare potuiſſe ad menſem. Veſpere autem facto, deſiderabilis ille hoſpes licentiam a ſponſo poſtulans, & licet cum difficultate, & non ſine gravi convivarum perturbatione impetrans dixit Loringo: Cras mane cum de cubili ſponſæ tuæ cui hac nocte in Continentia & caſtitate ob mei amorem condormies, ſurrexeris, volo, ut ad locum, ubi hodie me tibi obvium habuiſti, venias, & mulum hunc, in quo ſedeo, ibidem reperies. Quem cum aſcenderis, ipſe te ducet ad eum locum, ubi & meæ ſolennitati ad horam intereris, ſicut & ego tuis interfui. Quod cum juvenis libenter ſe ſic obſervaturum ſpopondiſſet, ſenex abſceſſit. Die autem craſtina Loringus locum præfatum cum familiaribus paucis adiit, ſponſæ ſuæ non valedicens nec parentibus, eo quod eodem die ſe reverſurum proponeret. At ubi venit ad locum, juxta ſenis verbum mulum illum album reperit, quem ſenex mulitaverat. Quem cum aſcendiſſet, & famulis, ut circa ſolis occaſum illuc reverterentur, præſtolaturi ſuum adventum, commiſiſſet, ductu ipſius per amœniſſima loca tandem ad civitatem quandam pulcerrimam & inæſtimabiliter ornatam, cujus muri aurei, & domus de pretioſiſſimis lapidibus quadris fabricatæ erant, pervenit. Senex autem in ea effigie, qua ſibi apparuerat, pretioſiſſimis amictus veſtimentis, & claritate fulgens indicibili apparens, in civitatis porta eum jucundis recepit amplexibus, & in urbem regiam introducens, ſibi oſtendit, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor mortalis hominis unquam aſcenderunt. Loringus autem jucunditate civium illius urbis & amœnitate dulciſona melodiarum, vocum & inſtrumentorum muſicalium diverſorum, ac pulcritudine inæſtimabili ædificiorum, necnon civium & civiſſarum venuſtate imperceptibili attonitus & ſuſpenſus, tempus hoc, per quod ibi erat, quaſi media dies vix ab eo expenſa æſtimabatur. Cum autem placuiſſet ei, qui ipſum invitaverat, ut reverteretur ad locum, unde venerat, ait juveni: Tempus eſt, fili, ut ad tuos revertaris, quibus tuum adventum obſervare præcepiſti. Cui Loringus: Nondum Domine, ſed in occaſum ſolis me exſpectabunt. Hoc dixit, neſciens, ibi ſolis occaſum fore alienum. Mane, inquit Loringus, caſtrum meum exivi, & feſtinanter tranſiens, ductu muli tui huc veni, nec adhuc per duas horas, ut puto, tecum in hac tua jucunditate inexplicabili moras traxi. Unde, quæſo pater amantiſſime, ſuſtine me per alias duas horas hic manere, & tunc, ſi omnino me recedere oportebit, ad mandatum tuum revertar. Cui ſenex: Facito, quod dico, & poſt paucos dies ad me redibis, ſemper mecum permanſurus. Loringus ergo, licet invitus valde, mulum aſcendit, & valedicens ac gratias agens Domino, reductus eſt per iter, quo venerat ad locum, ubi ipſum mulus aſſumſerat, mulo mox diſparente. At ubi dum conſtitutus eſſet Loringus, & ſe conſideraret in omni apparatu, in quo de caſtro ſuo receſſerat, ſtetit ocreatus, & calcaribus ac gladio accinctus. Et dum reſpiceret circumquaque admiratus eſt, neſciens, ubi eſſet. Longe namque alia diſpoſitio loci illius pro tunc erat, quam prius fuerat, cum a familia ſua receſſiſſet, eo quod caſtrum patris ſui, in quo parentes & ſponſam eodem die, ut æſtimabat, reliquerat, nullibi appareret, nec ſitus ille quoad villas & nemora ac ſata idem eſſe ſibi videbatur qui prius. Conſternatus ergo valde, neſcivit, quid ageret. Cumque diutius in admiratione ſic ſtetiſſet, & circumſpexiſſet, tandem perpendit, in loco caſtri campanile quoddam exiguum prominere inſtar turris Eccleſiæ cujusdam Cœnobii. Cui cum appropinquaſſet, vidit, Monaſterium eſſe. Et accedens ad portam ejus, pulſavit, ut intromitteretur. Portarius autem vir decrepitus videns virum gladio accinctum, aperire recuſans, ait: Quis eſtis vos? & quid vultis? Cui juvenis: Neſcio, quid dicam. Hodie mane locum hunc exivi eqveſter, relinquens in eo caſtrum patris mei, & nunc quaſi ad veſperam reverſus Monaſterium Cœnobitarum reperio. Ad quem ſenex: Numquid delirus es homo? Quid eſt quod loqueris? Ego quidem in hoc loco ultra XL. annos portarius extiti, nec unquam caſtrum hic fuiſſe audivi. Quomodo ergo verum eſt, quod dicis? Cui miles: Rogo te, ut me ducas ad hujus Monaſterii præſentiam. Quod cum fieret, & miles cauſam ſuæ admirationis expoſuiſſet, attonitus Abbas Chronicas Fundationis Monaſterii ſui afferri præcepit. Quas cum perlegeret, invenit, quod ad CCCXLVI. annos tranſactos, quidam Comes loci illius Theobaldus nomine Monaſterium hoc fundaſſet, de caſtro ſuo Cœnobium hoc conſtituens, ob ſalutem animæ ſuæ & filii ſui Loringi, quem in craſtino nuptiarum ſuarum mirabiliter perdidiſſet. Quæ cum Loringus audiret, ait Abbati: Ego ſum Loringus ille. Et incepit Abbati totius ſeriem recitare. Abbas autem novitatem tantæ rei ac miraculum tam inſigne non audens ſilentio tranſire, convocavit Epiſcopos & Abbates vicinos, & celebre convivium eis faciens ob honorem Comitis, retulit, quæ ab eo audierat, & quæ ſibi acciderant, coram ſimul diſcumbentibus. Comes vero ille inter convivas ſedens, nec cibum tetigit, nec potum

potum gustavit. Quod ut Abbas perpendit, dixit ei: Cur fili carissime cibum non sumis, & comedens ac bibens lætaris, cum hoc prandium & hæc congregatio Prælatorum ad tui honorem & solatium facta sint? Cumque Loringus Comes se comedendi aut bibendi appetitum nullum habere assereret, ait Abbas: Gusta tamen paulum ad horum convivarum venerabilium consolationem, & in signum gratitudinis. Juvenis autem Abbatis desiderium explere volens, ne videretur ingratus, cum cibum ori imponeret, & masticare inciperet, mox deficere cœpit, & facies ejus juvenilis in momento versa est in effigiem antiquissimi hominis, barbam præferens prolixam & canam. Cumque quasi exanimis efficeretur, stupefacti sunt omnes, & Abbas ad Ecclesiam cum Fratribus currens, Corpus Dominicum incontinenti attulit. Quod cum militis ori imposuisset, & ipse cum devotione magna deglutisset, mox spiritum efflavit. Cum autem Prælati illi, qui in solatium Comitis illius sancti convenerant, hæc vidissent, laudaverunt divinam clementiam, & solennes funeri exsolventes, & honorifice ipsum sepelientes, ad propria sunt reversi.

Decimo nono anno Lodowici, qui est Domini DCCCXXXV. Lodowicus Imperator filio suo Karolo, quem de Judith uxore sua susceperat, secundum Sigibertum, dedit Alemanniam & Rhetiam, & partem Burgundiæ, indignantibus cæteris filiis. Propter quod Imperator a suis desertus & proditus atque in potestatem filiorum suorum traditus est. De consensu quoque Gregorii Romani Pontificis, & judicio Episcoporum ac Procerum regni arma & Imperialem dignitatem perdidit degradatus, & ad agendam pœnitentiam inclusus est in Monasterio non sine lacrymis multorum ei faventium. Eodem tempore sol & luna eclipsim passi sunt. Sanctus Liborius de Francia in Padelburnam translatus est secundum Egghardum, & Corpora Sanctorum Marcellini & Petri transportantur in Seligenstad, id est in Osterwik terræ Saxoniæ.

Vicesimo anno Lodowici, qui est Domini DCCCXXXVI. ipse Ludowicus Imperator a pœnitentia absolvitur, secundum Vincentium, & arma resumens, in Ecclesia S. Dionysii iterum coronatur, populo de ejus depositione pœnitente, & filiis ejus veniam a patre petentibus. Post quod factum insolitum, filium suum Lotharium in Italiam ire coëgit. Strabus Philosophus, secundum Hugonem, dictante Rabano super quosdam libros Pentateuchi Commentaria quædam edidit.

Vicesimo primo anno Lodowici, qui est Domini DCCCXXXVII. Ossa S. Viti pueri de Parisiis transferuntur in Corbeyam Monasterium Saxoniæ, secundum Sigibertum, unde & Franci testati sunt, hoc in præsagium contigisse, quod scilicet ab illo tempore gloria Francorum translata est ad Saxones. Lodowicus Imperator statuit festum omnium Sanctorum in Germania & Gallia celebrari, sicut in Ecclesia Romana, ad instantiam Gregorii Papæ & Episcoporum multorum, secundum Hugonem.

Vicesimo secundo anno Lodowici, qui est Domini DCCCXXXVIII. Eburdo Rhemorum Archiepiscopus deponitur, secundum Vincentium, & alii multi, qui cum eo in dejectionem Lodovvici conspiraverant, damnantur & exiliantur. Cometes insignis apparuit in signo arietis, secundum Hugonem, & plurimi igniculi instar stellarum per aliquot dies discurrere videbantur in cœlo, depositionem Archiepiscopi & multorum Episcoporum aliorum designantes.

Vicesimo tertio anno Lodovvici, qui est Domini DCCCXXXIX. Episcopi & Clerici, secundum Vincentium in Speculo, cingulos aureos, exquisitas vestes aliaque ornamenta secularis apparatus deposuerunt, Lodovvico Imperatore hoc statuente discrete & præcipiente. Pypinus Rex Aquitaniæ, filius Lodovvici Imperatoris obiit, secundum Egghardum.

Vicesimo quarto anno Lodovvici, qui est Domini DCCCXL. Lodovvicus Imperator S. Anscharium a Danorum & Sveorum provinciis, ad quas causa prædicationis Verbi Dei ipsum Lodovvicus destinaverat, secundum Egghardum, revertentem instituit Archiepiscopum primum Hamburgensem, statuens cum hoc prædictam Ecclesiam Metropolim omnium aquilonarium regionum. Sed hanc institutionem Archiepiscopatus probabilius dicit factam Sigibertus anno Domini DCCCXXXIII.

Vicesimo quinto anno Lodovvici, qui est Domini DCCCXLI. Adelhardus primus Abbas Novæ Corbeyæ obiit, secundum Egghardum, cui successit Warynus, vir magnæ sanctitatis. Normanni & Dani Slavos & Frisones tributarios sibi fecerunt, secundum Sigibertum & dehinc classe piratica per Rhenum subvecti, Coloniam Agrippinam obsederunt, ac per Albiam tandem revertentes, urbem Hammeburg incendio funditus consumserunt. Anscharius autem Archiepiscopus fugiens, cum paucis vix evasit inimicorum manus. Qui Ramesslo cum Reliquiis Sanctorum Sixti & Synnitii Episcoporum per Sevenam fluvium navigio venit, Deo auxiliante. Hoc tamen & forte verius dicitur factum secundum Chronicam Saxonum sub Lothario successore Lodovvici.

Vicesimo sexto anno Lodovvici, qui est Domini DCCCXLII. Lodovvicus Imperator, postquam omnia, quæ Constantinus M. Ecclesiæ Romanæ contulerat, de novo eidem donasset, & donationem illam confirmasset, filio suo Lothario ad se vocato reconciliatur, eique dignitatem Imperii tribuit & coronam, secundum Egghardum. Quo expleto, Lodovvicus Imperator diem clausit extremum, & Metis honorifice est sepultus, anno vitæ suæ LXIIII. Imperatore autem decedente, est facta notabilis eclipsis solis.

De Lothario I. Imperatore.

Lotharius filius Lodovvici Romanorum Impe-

Digitized by Google

Imperator LXXIIII. cœpit anno mundi IIIIMDCCCIII. Olympiadis CCCCII. anno secundo, Urbis conditæ MDXCII. Domini vero DCCCXLII. & XV. annis imperavit, secundum Martinum. Ab hoc etiam Imperatore Lotharingia regio nuncupata est, secundum Egghardum, licet alii dicant, per prius sic nominatam esse ab alio Lothario Francorum Rege, quorum plures istum præcesserunt.

Primo anno Lotharii, qui est Domini DCCCXLIII. Lotharius & Pypinus filius Pypini patrui sui, secundum Egghardum, voluerunt Karolum filium Judith & Lodovvici Imperatoris defuncti, cognomine Calvum, ea parte regni, quam sibi pater suus concesserat, privare, & secundum id testamentum, quod Karolus eorum Karolus Magnus statuerat, in tres partes inter se regna dividere, ex qua re magnum exortum est bellum.

Secundo anno Lotharii, qui est Domini DCCCXLIIII. Bellum grande commissum est apud pagum Antisiodorensem in loco, qui dicitur Fontanich, & strages magna facta est, secundum Vincentium in Speculo, per Lotharium, Lodovvicum, Karolum & Pypinum, sed tamen a nulla parte triumphatum est, tandem autem pacificati, per quatuor tetrarchias regna diviserunt. In qua divisione Lotharius cum dignitate Imperiali Italiam & Romam, ac medium Franciæ inter Scaldum & Rhenum flumina, quod nunc Lotharingia vocatur, & provinciam Provinciæ obtinuit; Karolus vero Calvus Gallias a Britannico Oceano usque ad Mosam fluvium, in qua parte ex tunc & modo nomen Franciæ remansit; Lodovvicus autem Germaniam, & Pypinus Aquitaniam in regna dividentes acceperunt. Regnavit autem post divisionem prædictam Lodovvicus in Germamania annis XXXIII. Karolus vero in Francia XXXIIII.

Tertio anno Lotharii, qui est Domini DCCCXLV. Judith Imperatrix uxor Lodovvici defuncti Imperatoris obiit, secundum Sigibertum, & Metis juxta virum suum est sepulta.

De Sergio Papa Rom. CVI.

Sergius Papa natione Romanus ex patre Sergio, sedit annis tribus & mensibus duobus, secundum Martinum. Hic Os porci nominabatur, ab illo autem in antea semper omnes Summi Pontifices nomina sua propria in sua coronatione mutaverunt, tum quia Dominus Jesus illum, quem in Apostolicum elegit, alio nomine insignivit, tum quia, sicut mutantur nomina Summorum Pontificum in melius, sic & vita eorum & conversatio mutari debet in melius, tum etiam ne ille, qui ad decoris eligitur officium, aliquo dedecore ex nomine deturpetur. Iste absque consensu Lotharii Imperatoris est ordinatus & consecratus, propter quod indignatus Imperator, filium suum Lodovvicum & Drogonem Metensem Episcopum cum magno exercitu Romam direxit, qui post multa damna Romanis illata, ipsos Romanos Imperatori fidelitatem jurare coëgerunt, & Sergium in sede confirmaverunt. Qui prædictum Lodovvicum filium Imperatoris in Regem Lombardorum inunxit, secundum Sigibertum. Hujus Sergii frater uterinus nomine Benedictus propter imbecillitatem Pontificis rem Ecclesiasticam regere tentavit, Dominumque urbis Romanæ maximis muneribus ab Imperatore acquisivit, & Albanensem Episcopatum sibi usurpavit, ac omnia intra & extra Romam avaritia sua vastavit. Vigebat autem tempore hujus Pontificis & fratris ejus hæresis Simoniaca in tantum, ut etiam publice venderentur Episcopatus, & qui plus dabat, Episcopatum accipiebat. Nec erat aliquis Episcoporum aut Ecclesiasticorum virorum, qui zelo Dei ductus, cum Imperatore vel Rege ageret, ut hoc nefas prohiberetur. Quod Deus ulciscens, misit Sarracenos, qui homines innumeros interfecerunt, castella & urbes multas captas igne consumserunt, accepta præda, Regem quoque Lodovvicum fugaverunt, & maxima rerum hominumque præda onusti ad propria sunt reversi.

Quarto anno Lotharii, qui est Domini DCCCXLVI. Maurorum exercitus in fortitudine magna conglobatus, secundum Egghardum, Beneventum obsedit, & tandem expugnavit. Rabanus Abbas Fuldensis, secundum Hugonem, librum, quem de Laude S. Crucis variis figuris metrisque composuit, Sergio Papæ pro magno xenio Romam transmisit. S. Anscharius Hammeburgensis Archiepiscopus Ramesloënsem Ecclesiam fundavit, secundum Sigibertum, in possessione cujusdam nobilis matronæ Ykia nuncupatæ.

Quinto anno Lotharii, qui est Domini DCCCXLVII. Karolus Calvus, filius Lodovvici Pii & Judith, frater Lotharii Imperatoris & Lodovvici Regis Germaniæ, cœpit regnare super Francos vicesimus tertius, & regnum tenuit XXXIIII. annis. Hic Karolus Ecclesiam Sanctorum Cornelii & Cypriani apud Compendium ædificavit, & in honorem ipsorum Responsorium, quod cantat Ecclesia, Cives Apostolorum composuit. Hujus regnum Normanni, qui & Norvvegi, de mari per Ligerim intrantes, pene totum ferro & igne vastaverunt. Saxones etiam ex alia parte Galliam igne ferroque depopulati sunt. Cum Frisonibus etiam Normanni tribus præliis congressi sunt, & in duobus primis victores extiterunt, in tertio vero victi a Frisonibus recesserunt.

Sexto annno Lotharii, qui est Domini DCCCXLVIII. dedicata est Ecclesia novæ Corbeyæ, secundum Egghardum.

De Leone V. Papa Rom. CVII.

Leo Papa natione Romanus ex patre Dualdo, sedit annis X. mensibus tribus & sex diebus, secundum Martinum. Iste sanctus fuit & Catholicus multæque patientiæ & humilitatis, multarum quoque scripturarum ferventissimus extitit lector. Ipse quoque Sergio defuncto, & nondum sepulto, unanimiter a populo Romano & Clero extitit electus. Sanctorum autem Apo-

Digitized by Google

Apostolorum Petri & Pauli Basilicas, & alias quam plures Ecclesias a Sarracenis destructas reformavit. Hic etiam Papa pro Neapolitanis in mari contra Sarracenos pugnantibus, orando collectam fecit, scilicet: Deus, cujus dextra Beatum Petrum ambulantem, &c. Insuper & hic Papa, secundum Gesta Summorum Pontificum, decrevit, ut, dum Missarum solennia celebrantur, nullus laicus in Presbyterio stare vel sedere præsumat, nisi tantum sacra plebs, quæ ad ministerium Sacri officii constituta est & ordinata. Ex constitutione patet, monstrosam esse & criminosam consuetudinem quarundam Ecclesiarum in partibus maritimis & stagnalibus, præsertim Slaviæ & Saxoniæ, ubi in primis Missis mulieres & puellæ occupare solent locum prædictum sacrum, sedendo in Presbyterio juxta majus altare, quibus tamen secundum omnia jura minus licitum est quam cuicunque viro propter diversas rationes celebrantibus nocivas. Statuit etiam idem Papa, ut Octavæ Assumtionis Beatæ Virginis celebrentur per mundum universum, quod prius non fiebat nisi in Ecclesia Romana.

Septimo anno Lotharii, qui est Domini DCCCXLIX. Romæ in quibusdam cavernis, secundum Chronicas Romanorum, basiliscus erat, qui flatu suo ac visu pestifero omnes accedentes necabat. Hunc Leo Papa ad ipsum foramen veniens, oratione sua fugavit, ita quod nullum postea læsionis signum in quocunque homine appareret. Urbem etiam, quam circa Ecclesiam Beati Petri Leo Quartus inceperat, plene consummavit, & cum letania eam circumdans, & aqua exorzizata aspergens sanctificavit, ac suo postmodum nomine, sicut prius Leo IV. fecerat, eam Leoninam nuncupavit. Et cum portis urbi Leoninæ jam muris circumdatæ feras apponerent, fecit orando collectam: Deus, qui Beato Petro Apostolo collatis clavibus &c. S. Radulfus Bituricensis Archiepiscopus multis virtutibus claruit, secundum Martinum, qui in cœnobio B. Sulpitii jacet humatus, multis coruscans signis.

Octavo anno Lotharii, qui est Domini DCCCL. Alfridus Episcopus Hildensemensis consecratur, secundum Egghardum. Iste civitates duas suæ proprietatis, puta Saligenstad, quæ nunc Osterwik dicitur, & Asnede, quæ modo Essonde dicitur, Ecclesiæ condonavit. In quibus Abbatias duas Saligenstad Monachorum & Asnede Virginum ordinavit. Cœnobium Gardersemense, secundum Egghardum, inchoatur per Ludolfum quartum Ducem Saxoniæ de progenie Wydekindi prodeuntem, cujus filia Hathamoda prima Abbatissa facta est. Rabanus Abbas Fuldensis, secundum Sigibertum, ordinatur Archiepiscopus Moguntinus, qui mox, Lodovvico Rege Germaniæ jubente Synodum magnam collegit, & multa Ecclesiæ utilia statuit in sua provincia observanda.

Nono anno Lotharii, qui est Dom. DCCCLI. Adulfus Rex Anglorum primus totius Angliæ Monarcha, secundum Sigibertum, devotionis causa venit Romam, & coram Leone Papa obtulit S. Petro tributum de unaquaque domo regni Angliæ unum nummum argenteum annuatim exsolvendum, quod quidem tributum usque hodie perseverat. S. Helena, secundum Vincentium, mater Constantini Magni, ab ipso Constantino filio suo Romæ in Ecclesia Sanctorum Marcellini & Petri in Mausoleo purpureo sepulta, transfertur in Franciam, & in Diœcesi Rhemensi cum magna veneratione colitur.

Decimo anno Lotharii, qui est Domini DCCCLII. Lodowicus Rex Germaniæ, secundum Egghardum, Obotritis bello victis cum Regulo suo Golmoldo, totam terram eorum per Duces regendam ordinavit. Godeschalcus hæreticus, secundum Sigibertum, a Rabano Archiepiscopo Moguntino rationabiliter convincitur, sed tamen in suo perseveravit errore. Quædam Pseudoprophetissa secundum Vincentium, dicens, instare diem judicii, Moguntiam solicitabat, ita ut etiam aliquos in Ordine sacro constitutos ad se inclinaret. Quæ ab Archiepiscopo correcta confessa est, se per suggestionem cujusdam Presbyteri quæstus causa hoc dixisse, & non ex inspiratione.

Undecimo anno Lotharii, qui est Domini DCCCLIII. Danorum naves in Angliam transfretarunt, secundum Egghardum, numero CCCL. Fames valida totam Germaniam vehementer afflixit, secundum Vincentium, ita ut etiam pater filium suum devorare non abhorreret. Quo tempore Rabanus Archiepiscopus Moguntinus multam pietatem erga miseros & pauperes exhibuit. Dux Saxoniæ Ludolfus cum Oda conjuge sua Romam veniens, secundum Sigibertum, causa devotionis, a Papa Leone Reliquias Sanctorum Præsulum Anastasii & Innocentii impetratas tulit secum, & in honorem eorum Cœnobium virginum primo in Brundeshusen, deinceps in Gandershem construxit, & filiam suam Hademodam ibidem primam Abbatissam instituit, quam a Beato Leone Papa consecrari in albis mollibusque vestibus faciebat. Quod idem Papa coram Archiepiscopis & Episcopis tam Italicis quam ultramontanis numero XXXVI. cum auxilio Dei & Beatæ Virginis interventione, omniumque Sanctorum auctoritate sic semper fieri confirmavit, scilicet quod mollibus & albis utantur indumentis. Quidam asserunt, hoc a Sergio Papa factum fuisse.

Duodecimo anno Lotharii, qui est Domini DCCCLIIII. Karolus Calvus Rex Francorum, secundum Vincentium, Pypinum & Karolum filios Pypini Regis Aquitaniæ fratris sui regnum suum inquietantes cepit, & in Monachos attonsos in Monasterio reclusit. Burdegalis, Sanctonas, Petragoras, Aurelianis & Leumonicas urbes a Normannis, qui & Norwegi dicuntur, Paganis captæ sunt, qui ex Dacia eruperunt. Unde & dicti sunt Normanni, id est aquilonares viri. Isti tandem conversi ad fidem, in Gallia maritima, quæ ab eis Normannia dicitur, resederunt. De Lothario Imperatore legitur in Chroni-

Digitized by Google

Chronicis Saxonum ſic: Lotharius Sancto Anſchario, quem ad Danos & Sueos prædicatorem direxerat, Hammeburgenſem contulit Archiepiſcopatum. Sed Dani Hammeburg funditus evertentes, per Rhenum deſcenderunt, & Coloniam obſidentes, Rheni & Albiæ incolas terruerunt, ſicut Godfridus Rex Danorum poſt Friſiam Slaviam ſibi ſubjugavit. Tandem Lodovvicus Rex Germaniæ Hammeburgenſem Eccleſiam Bremenſi addidit, & S. Anſchario commiſit. Cui etiam Anſchario Rex Danorum Eccleſiam in Slesvvik & in Ripis faciendi, ac Sueciam convertendi tribuit facultatem. Tunc etiam Monachi de Corbeya nova Rugiam converterunt, & in honorem S. Viti ſui Patroni Eccleſiam ibidem conſtruxerunt.

Tertio decimo anno Lotharii, qui eſt Domini DCCCLV. Sanctus Julianus Dux Arelatenſis obiit in Chriſto. Hic Julianus, ſecundum Sigibertum in Chronicis, defuncto patre ſuo, a ſuis exhortabatur militibus, ut uxorem duceret. Qui ſe excuſans, ſuam aſſeruit ſe Deo voviſſe caſtitatem. Quod audientes conſiliarii, inſtigaverunt ipſum, ut ſuper voto illo Papæ uteretur conſilio, dicentes non eſſe bonum, ut terra ſine hærede periclitaretur. Julianus autem ſatisfacere volens Proceribus ſuis, Papam adiit, & votum ab eo emiſſum ſibi expoſuit. Quem Papa ad quendam Eremitam direxit, virum ſanctum & literatum, mandans eidem, ut quicquid circa ipſum Ducem ageret, ratum ipſe haberet. Veniens autem Julianus ad Eremitam virum Dei cum literis Apoſtolicis, revelavit ei ſuum negotium. Cui Eremita, vis, inquit, ſervare caſtitatem Deo promiſſam, & vitam ducere pauperem, & ego tibi promittam vitam æternam. Sed in hac te oportebit multa ſuſtinere incommoda. Ad quem Julianus: Omnia ſuſtinebo libenter propter Deum. Tunc Eremita remiſit eum ad patriam, ut ſimularet, ſe velle ducere uxorem, & interim diſponeret ſe eleemoſynas largiendo, & Eccleſias ædificando. Quibus ordinatis, latenter eremum intraret, & ibidem Deo in voluntaria paupertate ſerviret de operibus manuum ſuarum vivendo. Cumque Julianus omnia expediviſſet juxta Eremitæ conſilium, quadam nocte conſurgens, equum ſuum aſcendit, & latenter partes ſuas exivit. Cum autem die altera veniſſet ad domum cujusdam paſtoris, equum ſuum pro vili habitu ei tradidit, veſteſque ſuas pauperibus diſtribuit, rogans paſtorem, ut viam ad eremum ſibi oſtenderet. At ubi cum perveniſſet, vixit in ea multo tempore in magna paupertate & patientia. Nobiles vero terræ illius cognoſcentes, ſe Dominum ſuum perdidiſſe, vicarium unum ſuper ſe conſtituerunt, qui ducatum regeret, quousque de Domino ſuo rumores perciperent veraces. Qui quidem Vicarius ſingulis diebus ſpeciales eleemoſynas dare conſuevit pro Domino amiſſo, ut inveniretur. Cumque Julianus eremum per aliquot annos inhabitaſſet, voluit & propriam inviſere domum, ut in ea pro merito ſuo cumulando, eleemoſynas a ſubditis ſuis reciperet, & contumelias, a ſuis ſuſtineret. Cum autem ad portam ſui caſtri ſederet cum aliis pauperibus, venit eleemoſynarius vicarii, & dedit ſingulis eleemoſynas. Julianus vero receptam eleemoſynam dividens, partem ſibi retinuit, aliam vero circumſedentibus mendicis impertiebatur. Quod videns eleemoſynarius, retulit Domino ſuo pro inſigni & inſolita re, quia hoc prius a nullo paupere viderat. Quod ut audivit Vicarius, dixit: Ille verus pauper eſt & ſanctus Dei: introduc ipſum, ut de menſa noſtra comedat. Qui vocatus venit, vilem deferens habitum. Cui miſertus Vicarius juſſit largiri meliorem. Quem cum accepiſſet, laceravit ipſum a ſummo usque deorſum, eo quod non deceret Eremitam talem deferre chlamidem. Quod famuli caſtri videntes, & credentes, ipſum eſſe fatuum, cœperunt ei illudere, colaphis cædere, & caput radere. Trahentes inſuper ipſum in coquinam, juſſerunt eum aquam & ligna deferre, & ſcutellas mundare. Quæ omnia vir Dei patienter ſuſtinuit, & gaudenter implevit. Die ergo quadam Vicarius terræ, volens pro negotiis exire, juſſit Capellanum ſuum ad Miſſam dicendam ſe præparare. Cui ſacras veſtes induenti, vidit Vicarius plures Angelos, fugatis dæmonibus, famulari. Quo viſo, juſſit Vicarius ſibi præſentari gladium, quo finita Miſſa, mox interfecit Sacerdotem prædictum, cogitans apud ſe bonum eſſe ei, ſi occideretur in illo ſtatu ne amplius peccaret. Quo facto, dictum eſt ei, quod male egiſſet, nec a quocunque abſolvi poſſe a ſententia excommunicationis, quam incidiſſet, niſi a Papa. Propter quod ut citius potuit, præſentiam Papæ quæſivit. Poſt vero ejus confeſſione audita, miſit ipſum pro abſolutione ad Eremitam ſupra dictum, committens ei auctoritatem ſuam, eo quod Sacerdos eſſet. Eremita vero ipſum abſolutum miſit ad Julianum fatuum, ut circa ipſum ſuam expleret pœnitentiam, revelans ei, quod verus Dominus eſſet. Vicarius ergo ille reverſus ad patriam, vocavit fatuum illum, & narravit ei omnia, quæ dixerat ei eremita. Julianus autem audiens, ipſum ſcire omnia, præcepit ei ſub obtentu vitæ ſuæ, ne unquam alicui diceret. Contigit autem poſtea una dierum, ut Julianus deferret ſcutellas, ſequens dapiferum. Tunc unus ſervorum recipiens aliam ſcutellam de menſa Principis plenam jure ſive brodio, fudit eam ſuper caput Juliani. Quod videns Vicarius, cœpit amariſſime flere. Et volens lacrymas occultare, faciem ſuam pallio cooperuit, ſed præ dolore cordis hoc minime facere potuit. Propter quod uxor ſua & tota curia turbabatur, tanti fletus cauſam ignorantes. Poſt aliquod vero tempus cœpit Julianus infirmari, & vocans Vicarium terræ, rogavit, ut ipſum jacere permitteret, ubi alias jacere conſueverat, & quod ſibi puerum aſſignaret, qui ei aquam ad bibendum afferret, ac ei Sacramenta conferri faceret Eccleſiaſtica. Quæ omnia juxta viri Dei deſiderium impleta ſunt. Unde tandem mortuus eſt in illa miſeria & paupertate voluntaria. Quo defuncto, plura oſtenſa ſunt miracula

cula

Digitized by Google

cula a Dei clementia Vicarius autem Nobiles terræ convocans & Epiſcopos vicinos, totius facti ſeriem eis expoſuit. Quod illi audientes, Deum glorificaverunt, & ipſum decenti ſepulturæ tradiderunt.

Quarto decimo anno Lotharii, qui eſt Domini DCCCLVI. Normanni per mare Britannicum oſtia Ligeris ingreſſi, ſecundum Vincentium in Speculo, urbem Nannetum invaſerunt, & Epiſcopum civitatis in die Sabbati Paſchæ baptiſmum celebrantem trucidaverunt, Clerum & populum occiderunt, & urbem igne conſumſerunt. Inde Andegavis & demum Thuronis occupantes, omnia ut ſæva tempeſtas vaſtaverunt. Saxones vero ex altera parte Galliam invadentes, ferro & igne cuncta demoliti ſunt. Monachi quidam ſanctitate inſignes, ſecundum Helmoldum in Chronica Slavorum, ſitientes ipſorum Slavorum ſalutem, impenderunt ſe ipſos ad ſubeunda pericula & mortem pro legatione Verbi Dei. Unde peragratis multis Slavorum partibus, ad eos, qui Rani vel Rugiani dicuntur, & habitant in corde maris, tandem pervenerunt. Apud hos fomes erroris fuit & perfidiæ ac ſedes idololatriæ. Prædicantes ergo Verbum Dei cum omni fiducia, totam illam inſulam Chriſto lucrati ſunt. Ubi Oratorium fundantes in honorem Salvatoris noſtri & in commemorationem S. Viti, qui Patronus exiſtit in Corbeya, de quo Monaſterio Monachi prædicti erant, ipſum Sacerdotibus, qui novellæ plantationis populum in divino cultu inſtrueret, commendaverunt.

Quinto decimo anno Lotharii, qui eſt Domini DCCCLVII. Lotharius Imperator, ſecundum Sigibertum, diviſo inter filios ſuos regno, & relicto mundo, Monachum ſe Prumiæ fecit, & non multo poſt obdormivit in Chriſto. De cujus anima maxima inter dæmones & Angelos fuit altercatio, ita ut etiam aſſiſtentibus corpus diſtrahi videretur; ſed Monachis orantibus, dæmones ſunt fugati: Angeli ſiquidem animam Monachi, ſed dæmones animam Imperatoris quærebant.

De Lodowico II. Imp.

Lodowicus Secundus filius Lotharii, Imperator Romanorum LXXV. cœpit anno mundi IIIIMDCCCXVIII. Olympiadis CCCCVI. anno ſecundo, Urbis conditæ MDCVII. Domini vero DCCCLVII. & cum fratre ſuo Lothario XIX. annis imperavit, ſecundum Martinum. Sigibertus tamen dicit, quod Lodowicus XXI. annis imperavit, & frater ejus Lotharius Lotharingiam tenuit. Iſte, ſecundum quoſdam, ſolam Italiam cum nomine Auguſti tenuit, eo quod fratres patris ſui alia Imperii regna occuparent & regerent.

Primo anno Lodowici, qui eſt Domini DCCCLVIII. terræmotus maximus & aëris inſolita commotio, & ſecundum Vincentium, turbines, grandines ac fulgura multis modis incommoda intulerunt hominibus. Quidam etiam homo igne cœleſti conſumtus fertur, veſte illæſa permanente. Eccleſia etiam S. Kyliani in Herbipoli fulmine combuſta eſt. Rabanus Archi-Epiſcopus Moguntinus & Doctor egregius, ſecundum Egghardum, obiit feliciter in Chriſto.

De Benedicto III. PP. CVIII.

Benedictus Papa natione Romanus ex patre Gamfredo, ſedit annis duobus & menſibus V. ſecundum Martinum. Hic inſtituit, ut Clerici ordinate & honeſte incedant. Ipſe etiam inter alia bona, quæ fecit, porticum a porta civitatis usque ad S. Paulum, & alium porticum a porta civitatis usque ad S. Laurentium reformavit integraliter, ſecundum Hugonem.

Secundo anno Lodowici, qui eſt Domini DCCCLIX. Coloniæ Agrippinæ orta tempeſtate, & populo in Baſilicam S. Petri fugiente, ſecundum Sigibertum, ſubito fulmen inſtar ignei draconis Baſilicam ſcidit & penetravit, & tres homines in diverſis quidem locis, ſed unico ictu tangens ſtravit & occidit, alios vero ſex homines eodem ictu percuſſos ſemianimos reliquit.

Tertio anno Lodowici, qui eſt Domini DCCCLX. Franci, ſecundum Sigibertum, de crudelitate Regis ſui Karoli Calvi apud Lodowicum fratrem ejus Regem Germaniæ querulantur, & ipſum ad regnandum ſupra ſe contra Karolum invitant. Quod ille inconſulte acceptans, & contra Karolum fratrem ſuum bellum arripiens, turpiter de finibus Franciæ eſt expulſus.

De Nicolao I. PP. Rom. CIX.

Nicolaus Papa natione Romanus ex patre Jacobo, ſedit annis IX. & menſibus duobus, ſecundum Martinum. Iſte inſtituit, ut Cardinales poſt obitum Papæ conveniant in choro pro electione novi Pontificis facienda. Hic fuit ſcientificus & ſanctiſſimus, ita ut poſt Gregorium Magnum Papam vix in Sede Romana apparuerit ei comparandus, cujus ordinationem Lodowicus Imperator ſua præſentia roboravit. Iſte excommunicavit Lotharium Regem fratrem Lodowici, eo quod Theberga uxore ſua repudiata, aliam duxerat. In hoc quidem repudiationis malum conſenſerat Guntherus Archi-Epiſcopus Colonienſis, cujus ſororem Waldragam Lotharius ſuperduxerat, & Theogandus Archi-Epiſcopus Treverenſis. Propter quod Synodus Romæ colligebatur per Nicolaum Papam, in qua ambos Archi-Epiſcopos depoſuit, & eos anathematizavit, exordinans ipſos, & tantum laicalem communionem eis concedens.

Quarto anno Lodowici, qui eſt Domini DCCCLXI. in Brixia Italiæ ſecundum Egghardum, tribus diebus & tribus noctibus ſangvis de cœlo fertur pluiſſe. Hyems aſperrima etiam Ydrimenſe mare usque in Venetias per glaciem equis meabile fecit. Nix quoque & gelu hujus algoris a Kal. Novembr. usque ad vernale æquinoctium remanſerunt irreſoluta. Ymmenes Rex Britonum, ſecundum Sigibertum, dum regnum Francorum tentaret devaſtare, viſus

ſus

Digitized by Google

fus est ei affistere S. Maurilion Andegavensis Episcopus dudum defunctus, a quo in capite baculo percussus, iram Dei morte sua evidenter persensit.

Quinto anno Lodowici, qui est Domini DCCCLXII. Petente Abbatissa Hervordensi Hadwige, & jubente Karolo Rege Francorum postea Imperatore, secundum Sigibertum, translatum est corpus virginis Pusynnæ de pago Portensi vico Bausionensi Hervordiam Westphaliæ, & ibidem venerabiliter est collocatum. Fuit autem hæc beata Pusynna generosis nobilibus & divitibus parentibus, patre Sigmaro & matre Liuttrudi progenita, & cum sex sororibus suis ab Albino venerabili Episcopo Ecclesiæ Cathalanensi, petentibus parentibus, Deo virgo consecrata, quæ post vitam virtutibus plenam beato fine in Christo quievit, miraculis multis clarissima. Sorores hæ septem fuerunt simul, quarum prima Ymma, secunda Othildis, tertia Liuttrudis, quarta Pusynna, quinta Francula, sexta Libera, & septima Maghenhildis.

Nicolaus Papa Ecclesiam Bremensem a Coloniensi exemit, cujus erat suffraganea, secundum Egghardum in Chronicis, & eam Ecclesiam Hammeburgensi conjunxit, faciens ex duabus unam, ordinante hoc Lodowico Imperatore, ut sic de cætero essent non duæ, sed una Ecclesia. Nam utraque civitas propter frequentes barbarorum incursus plena erat periculis, & ideo utile videbatur Imperatori, unam alterius ope relevari. Recepit ergo S. Anscharius utramque Ecclesiam pro una sponsa regenda, defuncto Bremensi Antistite, & factum est unum ovile & unus pastor. Et sedit in Hammeburg S. Anscharius Archi-Episcopus X. annis, & interim Sleswicensem Ecclesiam fundavit, & magnam multitudinem Danorum & Slavorum Sveorumque convertit, fundans in Jutia Ripensem Ecclesiam. Lodowicus vero Imperator operam dedit efficacem ad restaurationem urbis Hammeburgensis, Danorum furore desolatæ. Tenor autem Bullæ Nicolai Papæ super adunatione dictarum Ecclesiarum sequitur, & est talis: Nicolaus Episcopus, servus servorum Dei, omnibus fidelibus Ecclesiæ sanctæ Dei, præsentibus & futuris, salutem & Apostolicam benedictionem. Quisquis Dominum & Redemtorem nostrum Jesum Christum de sinu Patris ad terram pro demonstranda cordibus hominum vera & certa fide descendisse non dubitat, profecto non ignorat, omnes, qui ejusdem fidei per gratiam ipsius participes facti sunt, & præcipue nos, qui per primum tantæ virtutis ministrum locum præcipuum tenemus, hominibus debere lucrandis insistere, & per universas gentes Verbi semina serere, ac solatia ferentibus ministrare. Nunc autem quia Lodowicus sublimissimus Rex per Salomonem, venerabilem Episcopum civitatis Constantiensis, nostro studuit Apostolatui intimare, quod piæ memoriæ Lodowicus Pius Imperator progenitor suus, quendam Monachum nomine Anscharium de Monasterio Corbeyensi tulisset & collocasset eum juxta Albiam fluvium in confinibus Danorum Saxonumque in castello Hammeburg, inter duos Episcopatus Bremensem scilicet & Verdensem. De quibus tollens Ecclesias & decimas, ad sustentationem provehendi præfati jam Episcopi Clericorumque ejus condonasset in prædicto loco, annuente ac solennia Sedis Apostolicæ privilegia præbente prædecessore nostro bonæ memoriæ Gregorio Papa. Cujus & auctoritate in supra dicto Nordalbingorum populo Sedes constituta est Archi-Episcopalis in castello superius memorato Hammeburg, & in eadem quoque Sede, accepto a Sede Apostolica pallio, Archi-Episcopus primus ordinatus est Anscharius, cui a præfato Summo Pontifice delegata est cura seminandi Verbum Dei, & animas Deo lucrandi. Cujus delegationis & auctoritatis ac pallii acceptionis pagina nobis est a præfato filio nostro Lodowico Rege per jam dictum Salomonem sanctissimum Episcopum destinata, juxta morem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ebullata. Per cujus paginæ tenorem hæc ita facta fuisse comperimus, sicut pietas nobis jam præfati Regis per fidelem virum Salomonem Episcopum intimavit. Unde nos vestigia tanti Pontificis & prædecessoris nostri Gregorii sequentes, omnemque Deo dignam ibi statutam providentiam agnoscentes, magnorum Principum votum, Lodowici videlicet divæ recordationis Augusti & æquivoci ejus filii excellentissimi Regis, tam hujus Apostolicæ auctoritatis præcepto, quam etiam pallii datione, more prædecessorum nostrorum roborare decrevimus, quatenus tanta fundatus auctoritate prænominatus Anscharius primus Nordalbingorum Archi-Episcopus, & post ipsum successores ejus, lucrandis plebibus insistentes, adversus tentamenta diaboli validiores existant, ipsumque filium nostrum jam dictum Anscharium legatum in omnibus circumquaq; gentibus Sveorum, Danorum & Slavorum, ac in cæteris ubicunque illis in partibus constitutis divina pietas ostium aperuerit, publicam ewangelizandi tribuimus auctoritatem. Ipsamque Sedem Nordalbingorum Hammeburg dictam, in honorem Sancti Salvatoris Sanctæque ejus intemeratæ Genitricis semper Virginis Mariæ consecratam, deinceps esse decernimus Archi-Episcopalem. Atque ut strenui prædicatoris Episcopi, post decessum dicti Anscharii Archi-Episcopi, crebro persona tanto officio apta eligatur semper successio [successione,] sub divini obtestatione judicii statuimus. Verum quia Karolus Rex, frater supra dicti Regis Lodowici, post decessum Imperatoris patris sui piæ memoriæ Lodowici, abstulit a prænominato loco, qui dicitur Hammeburg, Monasterium, quod appellatur Turholt, situm in occidentali Francia, quod illic genitor suus ad supplementum & victum Episcopo & Clericis ejus dederat, cœperunt, ut fertur, ministri altaris recedere. Deficientibus quippe necessariis sumtibus ab ipsis recesserunt gentibus, & adem ad gentes legatio per hujusmodi factum defecit. Ipsa quoque Metropolis Hammeburg pene deserta est

Digitized by Google

est facta. Igitur dum hæc agerentur, defunctus est Diœcesanus Bremensis, quæ huic contigua esse dicitur. Cumq; sæpe dictus Rex & hanc diœcesim vacantem & illam novellam institutionem cerneret deficientem; insuper & utramque hanc Ecclesiam, Dei permittente occulto judicio, per barbarorum sævitiam admodum attenuatam, quærere cœpit, qualiter prædicta Bremensis Ecclesia prædictæ novellæ Archi-Episcopali uniretur & subderetur Sedi, nostro hoc votum roborante decreto. Unde per sæpe dictum venerabilem Missum Salomonem, Constantiensem Episcopum, nobis hoc relatum est confirmandum, ac postulatum est nostra auctoritate roborandum. Nos ergo id subtili perpendentes examine, animadvertimus propter instantem necessitatem & animarum lucra in gentibus ostensa, utile fore, omnia, quæ proficua Ecclesiæ probantur existere, & divinis non insultant præceptis, licita & facienda esse non dubitamus, maxime in tam novellæ Christianitatis plantatione, in qua varii solent eventus contingere. Quamobrem auctoritate omnipotentis Dei & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, hoc nostro decreto decernimus secundum reverentissimi Regis Lodowici votum, ipsas prædictas diœceses, Hammeburgensem videlicet & Bremensem, non deinceps duas, sed unam esse & vocari, subdique Sedi, quæ prædecessoris nostri decreto Archi-Episcopali est munere sublimata, restituta duntaxat de Bremensis Ecclesiæ rebus Episcopatui Verdensi parti inde ablata. Nullus vero Archi-Episcopus Coloniensis ullam deinceps in eadem diœcesi vendicet sibi auctoritatem, quinimo & ipsi & omnibus omnino svademus veræ Religionis cultoribus, ut sacra hac legatione fungentibus adjutorio sint & solatio, quatenus gratia hujus beneficii plenam mercedem recipere mereantur ab eo, qui dixit: Ite, docete omnes gentes; & quicunque recipit vos, me recipit. Itaque omnia a dilecto filio nostro Lodowico ad hoc Deo dignum officium deputata, nostra etiam pia ejus vota auctoritate firmamus. Et quia casus præteritorum nos cautos faciunt in futurum, omnem quoque adversantem vel contradicentem, atque nostris his studiis quoquomodo libet insidiantem anathematis mucrone percutimus, atque perpetuæ ultionis reum diabolica sorte damnamus, ut culmen Apostolicum more prædecessorum nostrorum, causamque Dei pio affectu zelantes ab adversis hinc inde partibus tutius muniamur. Et quia te carissime fili Anschari, divina clementia nova in Sede primum disposuit esse Archi-Episcopum, nosque tibi pallium ad Missarum solennia celebranda tribuimus. Quod tibi in diebus tuis uti & Ecclesiæ tuæ perpetuo statu manentibus privilegiis uti largimur. Idcirco hujus indumenti honor a te servandus est morum vivacitate. Si ergo pastores ovium sole geluque pro gregis sui custodia, ne qua ex eis aut errando pereat, aut ferinis lanianda morsibus, oculis semper vigilantibus circumspectant: quanto sudore quantaque cura debemus esse pervigiles nos, qui pastores animarum dicimur, attendamus, & ne susceptum officium in terrenis negotiis aliquatenus implicare debeas, admonemus. Vitaque tua sit filiis tuis via. In ipsa siqua fortitudo illis inest, dirigat, in ea quod imitentur, aspiciant. In ipsa semper considerando proficiant, ut tuum post Deum videatur esse bonum, quod vixerint. Cor ergo tuum neque prospera, quæ temporaliter blandiuntur, extollant, neque adversa dejiciant, Districtum mali cognoscunt, pium benevoli sentiant. Insontem apud te malitia aliena non maculet, reum gratia non excuset. Viduis & pupillis injuste oppressis defensio tua subveniat. Ecce frater carissime, inter multa alia ista sunt Sacerdotii, ista sunt pallii. Quæ si studiose servaveris, quod foras accepisse ostenderis, intus habebis. Veruntamen ista omnia superius annexa, ab Apostolica Sede beatitudini tuæ indulta cognosce, si a fide & decretis Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ Romanæ in nullo deviaveris. Quod si a fide & institutis Sedis Apostolicæ declinare præsumseris, his nostris tibi collatis beneficiis carebis. Porro te pallio uti non nisi more Sedis concedimus Apostolicæ, scilicet ut successores tui per semet ipsos vel legatos suos fidem nobiscum tenere, ac sanctas sex Synodos recipere, necnon decreta omnium Romanæ Sedis Præsulum & Epistolas, quæ sibi delatæ fuerint, venerabiliter observare atque perficere omnibus vitæ suæ diebus scripto se & juramento profiteantur. Scriptum per manum Zachariæ Notarii Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Majo, Indictione XII. imperante Lodowico Imperatore anno suo quinto.

Sexto anno Lodowici, qui est Domini DCCCLXIII. Baldowinus Ferreus filius Andachi, secundum Sigibertum, rapuit Judith filiam Karoli Calvi, relictam Regis Anglorum, propter quod ab omni Ecclesia de consensu Episcoporum excommunicatus est ex præcepto Karoli. Sed post de eorundem Episcoporum & Optimatum Consilio reconciliatus Baldowinus Karolo, dedit ei Karolus Rex Judith filiam suam in uxorem, & Flandriam tribuit ei in Comitatum & suis hæredibus perpetuo possidendum. Et sic hoc anno Comitatus Flandriæ sumsit exordium. Prius enim a Forestariis Regis Francorum regebatur, quorum & Lindricus & Ingelramus ac Audacer sub Pypino & Karolo M. ac Lodowico Rectores Flandriæ fuerant, nec tamen Comites vocati sunt; sed Baldowinus iste primus Comes extitit Flandriæ & nominatus est.

Septimo anno Lodowici, qui est Domini DCCCLXIIII. Lotharius Rex Lotharingiæ, frater Lodowici secundus, secundum Sigibertum, Thebergam uxorem suam legitimam repudiavit, Waldradæ concubinæ se commiscens, faventibus sibi ad hoc Gunthero Archi-Episcopo Coloniensi & Theogando Archi-Episcopo Treverensi. Quos ambos Archi-Episcopos Papa Nicolaus in Sinodo ob hoc collecta excommunicavit & degradavit. Lotharium etiam Regem, nisi resipisceret, excommunicatum pronunciavit. Guntherus vero post talem

Digitized by Google

talem degradationem usurpans sibi officium pastorale, egit, quæ erant Episcopi. Sed post pœnitentia ductus venit Romam, sed non reconciliatus rediens, dum contumax apud Xanctum divinum officium peragere inciperet, fertur ab Angelo Dei sacris vestibus spoliatus, ante altare occisus fuisse. Anscharius Archi-Episcopus Hammeburgensis, secundum Helmoldum in Chronicis Slavorum, Imperatoris Lodowici, pariter & Nicolai Papæ legatione fungens, Erikum Regem Danorum adiit. Ubi pro commodis utriusque regni Danorum scilicet & Sveorum, & pacis stabilitate regni Danorum & Imperii strenue agens, multam apud Regem licet gentilem familiaritatis gratiam pro fidei suæ reverentia consecutus est. Cui etiam Erikus Rex Danorum facultatem tribuit Ecclesias statuendi, prohibens, nequis volentes baptizari sub Christianis legibus, eis uti præpedire tentaret. De hujus autem Danorum regni partibus, præsentibus mihi placuit aliqua inserere, per quæ prædicti regni & terrarum prope jacentium conditiones cognoscentur. Daniam namque sive Daciam a Nordalbingis flumen Egdora dirimit, quæ oritur in profundissimo saltu Ysarnho, & descendit usque in Oceanum Frisonum, quem Romani scribunt Britannicum. Hujus autem Daciæ prima pars dicitur Jutia sive Jutlandia & est juxta Egdoram flumen sita, & sunt in ea tres Episcopatus, ut clarius patet in gestis Pontificum Hammeburgensium. Funis vero insula est non modica in ostio Barbarici sinus. Civitas ibidem opulenta est Odensee dicta. Selandia insula est in interiori sinu maris Baltici, cujus civitas Roschild nominatur. Schania est insula visu pulcherrima, cujus civitas principalis Lundonia nuncupatur, ubi jam Archi-Episcopatus est. Est & ibidem Lalandia insula, parva, & aliæ quam plures in Ponto maris Baltici, ferocibus barbaris plenæ; ideoque fugiuntur a navigantibus. Sunt insuper ibidem Alani vel Albani, qui cum canitie nascuntur, & illud fretum antiqui Romani vocabant paludes Scythicas vel Mæotidas. Transeuntibus autem insulas Danorum alter mundus ostenditur, Sveonia scilicet & Northmannia, quæ sunt duo latissima aquilonis regna, & nostro orbi adhuc fere incognita & ignota. De Sveonia sive Swecia autem mentionem fecerunt antiqui doctores, Solinus scilicet & Orosius, qui plurimam partem Germaniæ Sweones dicunt tenere, & montana ejus usque ad Riphæos montes extendi. Ibi est etiam Albis fluvius, de quo Lucanus meminisse videtur. Ex his autem populis proximi ad nos habitant Gothi, qui Occidentales Gothi nominantur, apud quos est civitas magna Scarane. Alii vero sunt Gothi Orientales, & protenditur Ostergothia juxta mare Balticum usque ad Burcam. Nobilissimum autem habet illa gens templum quod Upsala dicitur, ubi jam residet Archi-Episcopatus. In hoc quidem templo, quod totum ex auro paratum est, statuas trium deorum populus venerabatur, ita ut potissimus eorum Thor in medio haberet triclinium. Hinc vero & inde locum possidebant Beodan & Fricco: Quorum significationes ejusmodi sunt: Thor, inquiunt, præsidet in aëre, & tonitrua, fulmina, ventos, imbres & fruges gubernat. Beodan vero fortior bella gerit, hominibusque virtutem tribuit contra inimicos. Sed Fricco voluptatem pacemque largiens mortalibus, præ aliis duobus amatur. Cujus simulacrum fingunt simile ingenti Priapo, Beodan vero sculpunt armatum sicut nostri Martem sculpere consveverunt, Thor autem cum sceptro Jovem exprimere videtur. Si ergo pestis vel fames imminebat, Thor idolo Gothi hi immolabant, si bellum Beodan, si vero nuptiæ celebrandæ essent, Fricconi festum faciebant. Norwegia. Northmannia, de qua supra dictum est, a modernis Norwegia nuncupatur, cujus longitudo in extremam septentrionis plagam protenditur. Incipit autem ex prominentibus scopulis hujus freti, quod Balticum mare appellari solet. Deinde reflexo in aquilonem dorso, postquam frementis Oceani marginem suo circuitu ambiit, tandem in Riphæis montibus limitem facit, ubi & lassus deficit orbis. Northmannia quoque propter asperitatem montium, & propter intemperatum frigus sterilissima est omnium regionum, solis apta pecoribus. Proinde fortissimos educat milites, qui nulla frugum luxuria molliti, sæpius impugnant alios, quam ipsi molestentur ab aliquo. Sine invidia habitant cum proximis Sweonibus, licet a Danis æque pauperibus, non tamen impune quandoque tententur. In multis autem Norwegiæ & Sveciæ locis pastores pecudum sunt & nobilissimi homines, ritu Patriarcharum in labore manuum viventes. In asperrimis etiam, qui ibi sunt, Alpibus, audivi mulieres esse barbatas, & viros silvicolas raro se præbere videndos. Hi ferarum pellibus utuntur pro vestibus, & loquentes ad invicem frendere magis quam verba formare videntur. Metropolis autem civitas Northmannorum est Trondempnis, quæ nunc decorata Ecclesiis magna populorum frequentatione celebratur. In hac jacet Corpus Beatissimi Olai Regis & Martyris, ad cujus tumbam usque in hodiernum diem maxima Dominus operatur miracula. Post Northmanniam autem, quæ est ultima aquilonis regio, nichil habitationis humanæ nisi terribile visu & infinitum Oceanum, qui totum amplectitur mundum, invenies. Ista Northmannia habet ex adverso multas insulas non ignobiles, quæ nunc omnes Northmannorum ditioni subjacent, & ideo non sunt a nobis prætermittendæ, quoniam & Hammeburgensem parochiam respiciunt & concernunt. Orcades. Harum primæ sunt Orcades insulæ quæ sunt aspersæ per Oceanum, de quibus Romani Auctores, Marcianus & Solinus ita scripsisse videntur: A tergo Britanniæ, unde infinitus patet Oceanus, Orcades sunt insulæ, quarum XX. sunt desertæ, XV. autem incoluntur. Orcades insulæ pene XL. sunt junctæ. Istis vicinæ sunt Electrides, in quibus electrum gignitur. Orcades ergo inter Northmanniam & Britanniam ac Hiberniam positæ, frementis Oceani ludibundæ minas derident. Ad quas a civitate

Digitized by Google

civitate Normannorum Trondempni per diem ferunt navigari posse. Insuper ab Orcadibus simile spatium ajunt fore, sive in Angliam dirigas, sive in Schotiam flectere velis navem. Ad easdem autem Orcades insulas, quamvis prius ab Anglorum & Schotorum Episcopis regerentur, Primas Hammeburgensis jussu Papæ ordinavit Thorulfum Episcopum in civitate Blascoma, quæ omnium curam gereret. Yslandia. Insula quoque Tyle, quæ per infinitum spatium a cæteris longe sita est in Oceano, vix, ut inquiunt, nota est. De qua insula tam a Romanis Scriptoribus, quam a barbaris multa referuntur memoria digna. Ultima, inquiunt, omnium insularum Tyle, in qua æstivo solstitio, sole cancri signum transeunte, nox nulla est, brumali vero solstitio econtra nullus quasi dies apparet. Ipsa quoque Tyle insula distat sex dierum navigatione in septentrionem plagam a Britannia. Hæc itaque Tyle nunc Yslandia appellatur, ubi glacies ita nigra & arida propter antiquitatem videtur, ut incensa ardeat. Juxta Yslandiam autem est Oceanus glaciatus fervens & caliginosus. Est autem insula permaxima, ita ut populos intra se multos contineat, qui solo pecorum fœtu vivunt, eorumque vellere teguntur. Nullæ ibi fruges, minima lignorum copia. Propterea in subterraneis habitant speluncis, victu & strato communi gaudentes cum pecoribus suis. Sicque in simplicitate sancta vitam ducentes, cum nichil amplius quærant, quam natura concedit, læti dicere possunt cum Apostolo: Habentes victum & vestitum, his contenti sumus. Nam & montes pro opidis habent, & fontes pro deliciis. Multa denique insignia in moribus eorum reperiuntur, & præcipue caritas, ex qua procedit, ut inter eos omnia sint communia, tam advenis quam indigenis. Episcopum suum habent pro Rege, ad cujus nutum respicit omnis populus. Quicquid ex Deo, ex scripturis, ex consuetudine aliarum gentium ille instituerit, hoc pro lege habent. Gronlandia. Sunt & plures aliæ insulæ in Oceano sitæ, quarum non minima est Gronlandia. Gronlandia enim profundius in Oceano sita, contra montes Suediæ sive Sueciæ ac Riphæa juga. Ad quam insulam a littore Northmannorum ferunt vela pandi V. aut VII. diebus. Homines autem ibi a salo cœrulei videntur, unde & regio illa nomen accepit, qui similem Yslanis vitam agunt, excepto eo, quod crudeliores sunt, raptuque piratico navigantibus infesti. Alia autem est insula Halaglandia dicta, vicinior Northmannis, magnitudine cæteris non impar. Hæc in æstate circa solstitium per XIIII. dies continuos solem videt super terram, & in hyeme similiter per totidem dies sole caret. Stupenda est hæc res & incognita barbaris, qui nesciunt disparem longitudinem dierum causari propter solis accessum & recessum. Nam propter orbis rotunditatem necesse est, ut solis circuitus accedens alibi diem exhibeat, & alibi noctem relinquat. Qui dum descendit ad hyemale solstitium, his, qui in australi parte habitant, noctem prolongat, & diem abbreviat; ascendens autem ad æstivale solstitium, simili ratione facit diem longiorem & noctem breviorem. Hoc ignorantes Pagani, terram illam vocant sanctam & beatam, quæ tale miraculum præbeat mortalibus. Præterea adhuc una insula est a multis reperta in Oceano, quæ dicitur Vinlandia, eo quod ibi vites sponte nascuntur absque plantatione, vinum optimum ferentes. Nam & fruges ibidem non seminatas abundare, non fabulosa fictione, sed certa Danorum comperimus relatione. Post quam insulam terra non invenitur habitabilis in illo Oceano, sed omnia, quæ ultra sunt, glacie intolerabili ac caligine immensa plena sunt. Cujus rei Marcianus ita meminit: Ultra Tyle navigatione unius diei mare concretum est. Tentavit hoc nuper expertissimus Northmannorum Princeps Haroldus, qui latitudinem septentrionalis Oceani perscrutans navibus, tandem caligantibus ante ora deficientis mundi finibus, immane abyssi barathrum, retroactis vestigiis, vix salvus evasit. Cujus simile occurrit quibusdam nobilibus de Frisia, qui præfata narrari audientes, hoc experiri attentaverunt, & tandem omnibus insulis supra nominatis post se relictis, subito collapsi sunt in illam tenebrosam rigentis Oceani caliginem, quæ vix oculis penetrari valet. Et ecce instabilis Oceani Euripus ad initia quædam fontis sui arcana recurrens infelices nautas jam desperatos, imo de morte solum cogitantes, vehementissimo impetu traxit ad chaos. Hanc dicunt esse voraginem abyssi, illud profundum scilicet, in quo secundum famam omnes maris recursus, qui decrescere videntur absorberi & denuo evomi solent. Sed ipsis nautis ad patrocinium S. Wilhadi devote fugientibus, navem verterunt, & ad quandam insulam, altissimis in circuitu scopulis ritu opidi munitam, insperate applicuerunt. Quam visendorum gratia locorum aggressi, repererunt homines in antris subterraneis meridiano tempore latitantes, præ quorum foribus infinita jacebat copia vasorum aureorum, argenteorum & cæterorum metallorum, quæ rara mortalibus & pretiosa reputantur. Sumta itaque parte gazarum, quam sublevare poterant, læti festine remeant ad naves. Qui subito retro se venientes, contemplati sunt homines miræ altitudinis, quos nostri Tyclones appellant, quos antecedebant canes, magnitudinem solitam longe excedentes; quorum in cursu unus de sociis eorum raptus est, & in momento coram eis dilaniatus, reliqui vero velociter ad naves fugerunt. Et hæc de insulis Northmannicis, & Oceani septentrionalis & earum conditionibus, ac gentium in eis degentium naturis & proprietatibus ad præsens dicta sufficiant.

Octavo anno Lodowici, qui est Domini DCCCLXV. Comitatus Hollandiæ cœpit, secundum Sigibertum. Nam Karolus Calvus Rex Francorum Theodericum, fratrem Waldgeri, primum Comitem faciens, Egmundam cum pratis, silvis & omnibus aliis, quæ inter Swittershaghen & Fortrapa ac Kynnen posteri ejus

ejus nunc possident, beneficio contulit. Qui Theodericus Comes postea Monasterium Egmundense fundavit, sub Episcopo Trajectensi Edilbaldo Sanctimonialibus ibidem ad Deo serviendum institutis, & Reliquias corporis Beati Adelberti, eo cuidam Sanctimoniali se revelante, in locum ubi nunc a fidelibus veneratur, transtulit, ligneam ibidem Ecclesiam construens. Defunctus vero feliciter, in eodem Monasterio cum uxore sua Gena sepultus est. Gurbertus Abbas & Dux, frater Thebergæ Reginæ, pro repudio sororis suæ contra Lotharium insurrexit. Ex libro de Gestis Romanorum Pontificum. Temporibus Nicolai I. Papæ Lotharius, frater Lodowici Imperatoris, Thebergam uxorem suam legitimam dimittens, Waldradam concubinam matrimonio sibi sociavit. Cujus sceleris auctores & defensores erant Theogandus Treverensis Primas Belgicæ provinciæ, & Guntharius Coloniensis Archiepiscopus. Qui a Papa Romam vocati, fiducialiter venerunt, & ei libellum incesti matrimonii, defensionem Lotharii continentem obtulerunt, dicentes, se nihil plus aut minus egisse, quam in prædicto libello continebatur. Sed multa in in eo continebantur, pro quibus post merito sententia depositionis in eos proferebatur, sicut idem Papa scribit in Epistola, quam Rhemensi Archiepiscopo & cæteris Episcopis in regno Karoli Regis degentibus destinavit. In qua dicit, eos depositos fuisse primo quia jussionibus, quas de Ingeltrudi & Waldrada fecerat, inobedientes fuerint. Secundo quia Ingeltrudem anathematis vinculo innodatam recipere & absolvere præsumserunt, cum hi, qui ab uno abjiciuntur, ab alio non sint recipiendi. Tertio quia scripta Apostolicæ Sedis subtrahendo & addendo transmutantes, falsitatis rei manifestissime extiterunt. Quarto quia adulteris consenserunt, & tantum flagitium defendere tentaverunt, juxta id Psalmi: Cum adulteris portionem tuam ponebas. Quinto quia de negotio, unde ad Romanam Sedem fuerat appellatum, præter auctoritatem Apostolicam judicare & diffinire temere præsumserunt, quod nullatenus licet. Sexto, quia hoc in absentia Thebergæ id peregerunt, contra id: Non maledicas surdo. Surdus namque quodammodo est, qui in absentia positus, quæ sibi objiciuntur, non audit. Septimo quia profanis gestis se subscripserunt, & alios subscribere compulerunt. Propter quæ excommunicati & degradati sunt, prout supra dictum est, tantum laicalis communio eis concessa est.

Nono anno Lodowici, qui est Domini DCCCLXVI. Excommunicata Waldrada sorore Guntheri Archiepiscopi Coloniensis, secundum Sigibertum, concubina Lotharii Regis, videns ipse Lotharius Rex, etiam sibi excommunicationem intentari, Thebergam uxorem suam resumsit. Sed tamen non multum hoc profuit, quia non multo post iterum repudiata ea, Waldradam repetiit, nec ultra ullo correctionis modo ab ea separari potuit, ex toto obduratus & perversus. Locustæ innumerabiles secundum Hugonem, in Galliis apparuerunt, quæ omnia viridia in herbis & arboribus vastantes, usque ad Britannicum mare pervenerunt, ubi ad littus projectæ, ex putrefactione sua aërem infecerunt, unde mortalitas maxima & fames valida est secuta. Habuerunt autem hæ locustæ VI. pedes, duos dentes lapidibus duriores, & duces suos cum paucis itineris unius diei præmittebant ad metanda loca venturæ multitudini. Circa horam ergo IX. venientes ad locum prævisum, & ibi solis ortum exspectantes, per spatium unius diei aërem velabant, & solis radium obnubilabant.

Decimo anno Lodowici, qui est Domini DCCCLXVII. Rex Bulgarorum, secundum Sigibertum, ad Christianismum cum gente sua conversus est, missis ad eum a Sede Apostolica Ministris sacri Ordinis. Acceptis ergo a Rege Lodowico subsidiis, adeo in fide Christiana solidatus, ut non multo post filio majore in Regem coronato, ipse abrenuncians seculo, Monachus factus sit. Sed cum filius ejus juveniliter agens, ad gentilitatis cultum vellet redire, militiæ cingulo & Regio cultu resumto, filium persequitur, & oculis ejus effossis, ipsum in carcerem trusit, ac filio minore in regnum sublimato, sacrum Religionis habitum reassumsit, & in eo feliciter ad finem vitæ perduravit. Huni etiam hoc anno, secundum Vincentium, nomen Christianitatis assumserunt, & baptizati, Christo feliciter vivere cœperunt. Cyrillus vir sanctus, pene omnium Slavorum Apostolus, secundum Egghardum, Corpus S. Clementis Papæ a Tersona, ubi in mare Ponticum projectum fuerat, mari exsiccato auferens, Romam deportavit, quod per Papam & Romanos in Ecclesia S. Clementis fuit reconditum, ubi & ipse S. Cyrillus non post multos dies sepultus, multis claret miraculis.

Undecimo anno Lodowici, qui est Domini DCCCLXVIII. Guntherus Archiepiscopus Coloniensis, secundum Vincentium in Speculo, Episcopale officium post degradationem usurpans, tandem pœnitentia ductus Romam venit, sed minime reconciliari & restitui meruit. Qui revertens, dum contumaciter apud Xanctum divina celebrare inciperet, fertur ab Angelo Dei sacris vestibus spoliatus, ante altare fuisse interfectus. Sarracenis, secundum Sigibertum, Beneventanam regionem infestantibus, Lodowicus Imperator viriliter occurrebat. Ad cujus auxilium Lotharius frater ejus properans, multa prælia cum eo strenue gessit, & multa millia Sarracenorum cæsa sunt.

De Hadriano II. Papa CX.

Hadrianus Papa natione Romanus ex patre Chalaro, sedit annis IV. & mensibus tribus, secundum Martinum. Hic ab omnibus Romanis concorditer est electus. Quod Lodowicus Imperator agnoscens, gavisus valde, mox Imperialem Epistolam, perquam electionem Præsulis factam collaudabat, scripsit Romanis. Ad hunc Lotharius Rex Lotharingiæ & frater Lodowici, quem Nicolaus Papa excommunicaverat

verat propter repudiationem Thebergæ, Romam venit, ut se excusaret. A quo dum pro ostensione innocentiæ suæ ad communionem Corporis & sanguinis Christi, tam ipse quam Optimates sui invitati fuissent, & omnes indigne recepissent, ipso anno omnes mortui sunt subito. Rex vero in ipsa via redeundo, Placentiæ defunctus est.

Gens Danorum, secundum Egghardum, intrans Angliam, eam ferro & igne devastavit. Piissimum quoque & Christianissimum Regem Edmundum peremit. Hujus sancti Regis caput abscissum, lupus sævus illæsum servavit, & in silvam deferens, inter anteriorum pedum amplexus diligentissime locavit. Quod cum postea a pluribus quæreretur, vocem hujusmodi fertur emisisse: Hir, hir, hir, quod in Latino sonat hic, hic, hic. Postmodum hujus Regis manifestato martyrio, plebs Anglorum læta occurrit, ubi Deus ad meritum sancti viri manifestandum multa operatus est miracula. De horum autem Danorum origine & ordine Regum suorum aliqua præsentibus inserere decrevi. Nam juxta antiquorum Chronographorum narrationem & traditionem tempore Saruch proavi Abrahæ regnum quod nunc Dania sive Dacia nuncupatur, quidam intraverunt, venientes de Gothia. Qui quidem Gothi, secundum Papiam, de Gog filio Japhet orti sunt. Tempore vero David Regis Israel fuit in Dania seu Dacia Rex quidam nomine Dan, filius Humble, de Svecia veniens. Hic regnavit super Selandiam, Falster & Lalandiam, cujus regnum dicebatur Witheslech. Et de isto Dan Rege regnum Danorum nomen sumsit. Eodem tempore Rex quidam potentissimus ad invadendum Juthos venit. Quo viso, Juthi timentes valde, locum, qui adhuc Kowirki dicitur, fossatis & fragis ligneis munierunt. Miserunt quoque nuncios ad Dan Regem Witheslech, ut eis ferret auxilium, pollicentes ei post victoriam subjectionem & dominium super se. Qui cum suis veniens apud Kowirki, hostibus occurrit, interfectis plurimis, cæteris in fugam versis. Quo triumpho peracto, Dan factus est Dominus Juthorum & eorum, qui in Scania habitabant, ac in cæteris insulis Daciæ. Et sic de communi consilio & consensu ac decreto Procerum terræ, ipse Dan regnum hoc Daniam sive Daciam nominavit, & incolas ejus Danos sive Dacos. Primus ergo Danorum Rex dictus fuit Dan, filius Humble, a quo Dani nomen acceperunt. Julius autem Cæsar primo fertur eam Daciam appellasse, propter hospitalitatem & dapsilitatem hujus gentis, a Dando seu datione larga, quia multum largus erat populus ille ad dandum advenis & egenis seu peregrinis hospitium & victum. Quod quidem nomen in præsentiarum hoc regnum habet. Dan ergo primus Danorum Rex fuit pugil fortissimus & gigantei generis, cunctis in circuitu terribilis, & prælia clarissima gessit. Secundus Rex Danorum fuit Humble filius Dan. Hic erat vanus & iners, & pauca memoria digna gessit. Unde Lother frater ejus, facta conspiratione cum Danis contra fratrem suum Regem, ipsum de regno expulit, & pro eo sibi regnum usurpavit. Tertius ergo Danorum Rex fuit Lother. Hic nimis durus fuit incolis regni sui, & in multis se nequiter habuit: Et ideo Dani tyrannidem ejus non ferentes, ipsum occiderunt. Quartus Rex Danorum fuit Skayola filius Lother. Hic antequam haberet XV. annos in ætate, occurrit cuidam urso ingenti solus, & ipsum cingulo suo ligavit. Hic primus Teuthonicos Danis subjugavit, & servire eos fecit sub tributo, ac multa prælia strenue gessit. Quintus Rex Danorum Gram dictus, filius fuit Skayle. Hic Rex cum quodam gigante in Svecia pugnavit solus, & ipsum interfecit. Occidit etiam Regem Sueciæ cum XVI. fratribus suis, & per hoc Sweos Danis tributarios constituit. Postea vero cum Symbdagro Rege Nortwegiæ pugnans, ab eo occisus est. Ab isto Gram pugnatore fortissimo tractum est in usum apud Danos, quod quando aliquis est multum durus & fortis, dicitur de eo: Ipse est unus Gram. Sextus Danorum Rex Symbdager dictus fuit, qui Gram Regem occiderat. Iste Rex ex patre Danus fuit, sed ex matre Noricus seu Norweus, qui patrem proprium in Norwegia regnantem suo regno privavit, & pro eo regnavit. Hic etiam Hellespontem Regem Sveciæ interfecit, & Norwegiam ac urbem Dymmin sibi subjugavit, ac prælia multa gloriose gessit. Post multas vero victorias, indignum ducens mori in lecto quasi pecus, propter laudem humanam & posteritatis suæ memoriam se ipsum suspendit. Septimus Rex Danorum Frothi dictus est, filius Symbdagi. Hic postquam se ipsum & quasi totum regnum in bellis depauperaverat, audito, quod in Weldal draco quidam jaceret super magnum thezaurum, ipsum draconem solus adiit, & superatum eum occidit, acceptoque thesauro, Frisiam, Scotiam, Britanniam, Slaviam, Pruciam, & plures alias terras sibi subjugavit. Postmodum in Scania pugnans, non manibus inimicorum, sed æstu ex pondere armorum suffocatus interiit. Octavus Rex Danorum Haldanus fuit filius Frothi. Iste cupiditate regnandi agitatus, omnes fratres suos interfecit, sed non diu regni gubernacula tenens, a propriis suis satellitibus est jugulatus. Nulla autem facta scriptura digna post se reliquit. Nonus Rex Danorum Ro dictus est. Hic transtulit civitatem, quæ prius Hakepingh dicebatur, de loco, qui Hakeberg nominatur, & ædificans eam in portu Ysesporch, nuncupavit eam Roskilde, sermone composito ex suo nomine & fonte, juxta quem sita est. Decimus Rex Danorum fuit Haldan major filius Ro Regis, qui diviso regno cum fratre suo Helgi, ipse regnavit in terra, & frater suus Helgi imperavit in mari. Haldan vero Rex pauca gessit notabilia, nec diu regnavit, quia frater ejus ipsum interfici practicavit. Undecimus Rex Danorum fuit Helgi frater Haldan. Hic strenuus extitit bellator, & Hochbrodum Regem Sueciæ interfecit, Teuthonicos sibi subjugavit & ardua

Digitized by Google

dua multa in cursibus marinis perpetravit. Iste ad portum Laland veniens, filiam cujusdam rustici nomine Roskarl sibi adduci fecit, de qua filiam genuit nomine Thore, ex qua dicta est insula Thore, quia ibi sepulta est. Iterum post XV. annos ibi veniens, prædictam filiam suam adduci fecit, nesciens, quod filia sua esset, & ex ea genuit filium nomine Rolfkraki, cumque hoc postea cognovisset, præ nimia confusione se ipsum suspendit. Interea dum Rolfkraki adhuc puer esset, nec dum regni capax esset ob infantiam, Archilus Rex Sweciæ Danis tributum imposuit, & in signum abjectissimæ servitutis præfecit eis catulum quendam in Regem nomine Racki. Quem cum alii canes occidissent propter raptum cujusdam ossis de mensa projecti, Achilus Rex præfecit eisdem pastorem quendam nomine Suhyo, qui regnavit loco canis. Duodecimus ergo Rex Danorum fuit pastor iste in numero, excluso cane, qui merito inter Reges locum sortitur nondum, & multa mala intulit Danis, sicut Achilus Rex Sweorum ipsis promiserat. Qui tandem sedens in palatio Wiburgensi in loco, qui Luseheth dicitur, coram omnibus melioribus regni a pediculis est corrosus & interfectus. Tertius decimus Rex Danorum dictus Rolfkraki, filius Helgi supra dicti, quem de filia propria genuerat, extitit. Hic post multas præclaras victorias, ab Hyerwardo Comite Scaniæ, qui sororem ejus habuit in uxorem, in lecto suo proditiose occisus est in Lethra curia Selandiæ, cum quo Byerbi & Yelai pugiles clarissimi cum tota familia Regis occisi sunt. Quartus decimus Rex Danorum dictus est Hyerwardus, qui interfector erat prædecessoris sui, & regnavit per breve tempus, puta a mane usque ad horam primam. Et tunc ipsum occidit Hako filius Hamundi, & regnavit pro eo. Quintus decimus Rex Danorum dictus est Hako. Quo regnante, venit quidam de partibus septentrionalibus nomine Fritlef, & filiam Rolfkraki duxit in uxorem, qui alias Rex Danorum fuerat. Hic Fritlef interfecit Hakonem, & factus est Rex Danorum. Sextus decimus Rex Danorum dictus est Fritlef. Hic occiderat Hakonem Regem, propter quod & ipse parvo tempore regnavit. Notabilia autem facta per eum non inveniuntur memoria digna. Decimus septimus Rex Danorum dictus est Othen, qui morte subitanea interiit prope locum, qui hodierno die Othens dicitur, ubi & sepultus est. Hic incantator magnus & Magus erat famosus, ita quod de omnibus nationibus vicinis pro Deo coleretur. Unde & Græci imaginem ejus auream a Danis sibi pro magno munere missam cum reverentia maxima susceperunt. Decimus octavus Rex Danorum fuit Balder dictus, filius Othen, a quo Balthersunt dicitur Balticum mare, pro eo quod ibi pugnavit. Decimus nonus Rex Danorum dictus est Hocher. Iste invenit in quodam nemore Sweciæ gladium, qui Mymming dictus est, cum quo Balder Regem occidit. Ab isto Hocher villa Hochera dicta est, quia illuc fugiens est occisus a Beyo Rege Svveciæ. Vicesimus Rex Danorum dictus Berich, filius fuit Beyy Regis Sweorum. Iste vir valde victoriosus fuit, & multa prælia gessit. Hunc occidit frater suus Seggi, & factus est pro eo Rex Danorum. Vicesimus primus Rex Danorum fuit Seggi. Iste copulavit sibi uxorem fratris sui occisi. Hunc occidit Ambletus filius Orvvendal in ultionem patris sui, quem & ipse interfecerat, & cum eo omnes meliores regni cum tota curia Regali combussit, ita quod nec unus quidem superstes remaneret. Vicesimus secundus Rex Danorum fuit Ambletus. Hic fuit vir astutissimus, qui Regem Angliæ in bello occidit, & Daciam, Angliam & Svveciam in ditione sua tenuit. Hunc Withletus Rex Norvvegiæ vitricus ejus occidit in Oressunt in prœlio, & regnavit pro eo. Vicesimus tertius Rex Danorum dictus est Withletus, qui Ambletum Regem occidit. Iste duxit in uxorem Ambleti Regis relictam, propria sua uxore repudiata. Vicesimus quartus Rex Danorum fuit Wymundus cœcutiens. Hic vir bellicosus valde fuit, sed non diu regnavit, eo quod modici visus existens, in bellis cautulosus esse non potuit. Propter quod Uffo ipsum interficiens, regnum suum sibi usurpavit. Vicesimus quintus Rex Danorum fuit Uffo. Iste a septimo anno ætatis suæ ad XXX. noluit loqui, quousque in loco, qui adhuc Koninghesslap dicitur super Egdoram cum filio Regis Teuthonicorum & meliore pugile totius Alemanniæ solus dimicans, ambos occidit. Et sic ex condictione utriusque gentis Teuthonia Danis jam tertio subacta est & tributaria effecta. Vicesimus sextus Rex Danorum Olaf dictus est, filius prædicti Uffonis. Iste per pauca tempora tenuit gubernacula regni, nec aliqua memoria digna per ipsum acta sunt. Vicesimus septimus Rex Danorum dictus est Hughele. Iste interfecit Hogmodum & Hagrinum tyrannos Svveciæ, & subjugavit sibi & suis hæredibus regnum Svveorum in manu forti, commitens cum eis diversa prœlia gravia. Vicesimus octavus Rex Danorum fuit Froth vocatus. Iste interfecit Frigerum Regem Norvvegiæ & X. Duces ejus, & insuper sibi regnum subjecit, sicut prædecessor suus fecerat de regno Svveorum. Et sic Dani super tribus illis regnis gloriose principabantur. Vicesimus nonus Rex Danorum dictus est Dan, filius Froth Regis. Iste septimo anno ætatis suæ Teuthoniam rebellantem, jam quarto tributariam Danis fecit, & super eis regnavit. Tricesimus Rex Danorum dictus est Frichlenus. Iste urbem magnam Diffbuum expugnavit & cepit, & totam Britanniam Danis subjugavit & tributum dare coëgit. Tricesimus primus Rex Danorum dictus fuit Frothi Frichgote. Hujus Regis tempore Christus Jesus mundi Salvator natus est. Iste sibi subjugavit Svveciam iterum Danis rebellantem, insuper subjecit sibi Britanniam, Hiberniam, Scotiam, Angliam, Saxoniam, Frisiam, Bulgariam, & plures alias terras, quorum Reges & Principes omnes servierunt Danis. Sed ne istud videatur contradicere Evangelio, quod dicit, totum mundum

Digitized by Google

mundum subactum Augusto Imperatori, & stetisse in optima pace tempore nativitatis Christi, intelligenda sunt hæc bella fuisse peracta per Danorum Regem, tempore nativitatis elapso, quia illa pax universalis per breve tempus duravit, ut manifestum est ex eodem Ewangelio in persecutione Christi & interfectione puerorum propter Christum passorum. Historiæ etiam & Chronicæ referunt immediate ante Christi nativitatem maxima bella facta fuisse per Tiberium & Agrippam, & immediate post per eundem Tiberium Cæsarem factum, & ideo hæc non obstant Ewangelio. Hujus etiam Frothi Regis tempore venerunt in Daciam Orthilege & Rol frater ejus filii Regneri. Hi interfecerunt Grep cum quinque fratribus suis. Contra hunc Frothi Regem venit Rex Hunorum cum aliis sex Regibus, quos Rex Hunorum secum duxerat, quorum quilibet Rex habuit D. naves, & quælibet navis continebat CCC. armatos. Summa autem navium IIIM. & D. erat, summa vero armatorum circiter CCCM. & septuaginta quatuor milia. Hos omnes Frothi Rex aut occidit gladiis suorum, aut mari immersit, aut saltem fugavit, victoria potitus pugnando cum eis juxta Bleking. Hic etiam tantam pacem in regno suo fecit, quod unam armillam aream juxta Egdoram fluvium, alteram juxta Schonore, & tertiam prope Werdingburg in via communi suspendit, nec erat, qui eas nocte aut die tollere auderet. Hunc Regem tam bellicosum occidit una vetula. Tricesimus secundus Rex Danorum dictus fuit Jeryn. Iste valde modico tempore regnavit, quem occidit Frithlevus filius Frothi Regis, & factus est Rex post eum. Tricesimus tertius Rex Danorum vocatus fuit Frithlevus, filius Frothi Regis strenuissimi. Iste occidit Amundum Regem Norwegiæ, & interfecit unum draconem, solus pugnans cum eo. Tricesimus quartus Rex Danorum dictus est Frotho, filius Frithlevi. Hujus tempore venit Sterchater, filius Norwerki in Daciam. Hic interfecerat Wysinum gladiatorem apud Ruoam & Tanen gigantem apud Byzanthium, ac Wase pugilem in Polonia, in Saxonia vero Hamam pugilem, & Teuthonicis infestissimus erat, ac multa opprobria eis intulerat. Nam quatuor ex eis complicans instar sedis super eos sedit ad purgandum alvum. Necnon plura alia magnalia fecerat in diversis mundi partibus. Hunc Frothonem Regem interfecit Swerthigus. Tricesimus quintus Rex Danorum dictus fuit Ingellus. Hujus tempore Sterchacer interfecit septem filios Swerthigi in ultionem Regis Frothonis. Iste paucis diebus regnum tenuit, nec per se aliqua notabilia fecit Historiis inserenda. Tricesimus sextus Rex Danorum dictus fuit Olaf; filius Ingelli. Nec iste Rex diu vixit in regimine, nec aliqua gessit memoriæ commendanda. Tricesimus septimus Rex Danorum dictus fuit Haraldus. Hunc occidit frater suus Frothi Rechbane, & regnavit pro eo, paucis tamen diebus, eo quod interfector fratris sui esset fraudulentus. Nam Haldan filius sui fratris ipsum in ultionem sui patris interfecit, vicem sibi reddens. Tricesimus octavus Rex Danorum est Erikus nominatus, qui fuerat Rex Sweciæ, & electus fuit a Proceribus regni in Regem Daciæ. Hunc Erikum occidit idem Haldan Haroldi Regis filius, & pro eo regnavit. Tricesimus nonus Rex Danorum dictus est Haldan Berengra. Iste strenuus pugil fuit. Unde provocatus a Sywaldo pugile Sweciæ, ut contra eum & septem filios suos dimicaret, acceptavit duellum, & omnes pariter occidit. Nam abjecto gladio, quercum radicitus evulsit, & cum ea omnes conquassavit. Alia quoque vice cum quodam gigante de Swecia, qui habebat XI. cubitos altitudinis, nomine Harchben dimicans, occidit eum, & cum eo XII. contuberales ejus, ac multa alia præclara gessit. Quadragesimus Rex Danorum dictus est Hugni. Iste nullius fertur fuisse virtutis vel fortunæ, degenerans in omnibus magnificis operibus prædecessorum suorum. Quadragesimus primus Rex Danorum vocatus fuit Siwardus filius Hugni. Hujus tempore Sterchater magnus ille prœliator & victoriosus miles fugit de prœlio. Hunc Siwardum occidit Hako. Quadragesimus secundus Rex Danorum nominatus fuit Sygerus, filius Sywardi. Hic instituit bellum contra Hakonem Principem, in quo bello ipse pariter & Hako corruerunt. XLIII. Rex Danorum dictus fuit Sodric nepos Sigeri. Post hujus Regis mortem regnum Danorum est divisum in V. regna. Northardus enim habuit filiam Sywardi nomine Ryle in uxorem, & regnavit in Schania. Hundengher principatus est in Selandia. Iste semper impetendo alios victus est. Gam regnavit in Syonia, & Hocher in Jutia ac Neymer in Norimia regnavit. XLIIII. Rex Danorum nominatus fuit Haldan, qui Norchardo successit, & fuit valde strenuus in armis, sed non diu regni gubernacula tenuit, quia Wesetus ipsum interfecit in Selandia. XLV. Rex Danorum fuit Hargalt filius Borchardi. Iste quinque Reges supra nominatos interfecit, & ita potens factus est, quod omnes Reges per mediterraneum mare ferrent ei tributum. Cui cum Ryngher nepos suus Rex Sweciæ tributum negaret, Sweciam intravit, ibique in prœlio corruit, & cum eo occubuit Ubbo Rex Frisonum & quam plures alii Principes & Nobiles ex utraque parte. In hoc bello XIIM. nobilium ex parte Regis Duciæ leguntur occubuisse in Chronicis Danorum. XLVI. Rex Danorum fuit Haraldus, qui fuerat in prœlio cum Hargalt in Swecia. Ibidem cum Haraldo pugnaverunt CCC. virgines, quæ Skalmere dictæ sunt, quarum vexillum portavit Hetha, quæ postea civitatem de sumtibus propriis ædificans Hetheberi appellavit. XLVII. Rex Danorum dictus fuit Ryngher Rex Sweciæ. Nam postquam Rex Danorum XLVIII. annis regnasset, & defunctus fuisset, successit ei Ryngher, qui duo regna, Danorum scilicet & Sweorum gubernavit, quamdiu vixit. XLVIII. Rex Danorum dictus fuit Haroldus frater Ryngheri. Hic paucis annis regnans, prope nichil egit in diebus suis. XLIX. Rex Danorum dictus fuit

fuit Oly frater Haroldi Regis. Hic adeo agilis erat, quod scansorium suum sive strepam non curans, sine ea equum ascendit; & adeo efferus extitit, quod Sterchaterum solo visu ad genua prostravit. Hic etiam intravit Sweciam, & provocatus ad singulare certamen, primo die contra unum pugnavit, secundo die contra duos, tertio die contra tres, & sic deinceps usque ad XII. & omnes superatos occidit. Qui cum in Lethra curia Regis in Selandia sederet in balneo, venit Sterchater, magno auri pondere corruptus a Rege Sweciæ, & petita licentia loquendi aliquid secrete Regi, accessit, & Regem nichil mali suspicantem gladio transfodit. Unde propter nimiam verecundiam tanti sceleris, se a lacrymis, quamdiu vixit, continere non potuit, donec idem pondus auri, quod acceperat pro nece Domini sui, alteri viro dedit, qui & ipsum occideret. Quinquagesimus Rex Danorum dictus fuit Omunder filius Oly. Hujus tempore Sterchater senio confectus, indignum reputans, se mori aliorum hominum more sine gladio, & præcipue propter occisionem Oly Regis, multis precibus persvasit cuidam Hothori nomine, cujus patrem ipse occiderat, ut ipsum interficeret, objiciens ei, quod patrem ejus occidisset, quod ille vindicare teneretur, obtulitque ei magnum pondus auri pro mercede. Et sic Hothor victus spe mercedis & zelo vindicandi suum patrem, Sterchater suo proprio gladio, præcisa cervice, occidit apud pontem Schaniæ, qui Rullingbre nominatur, accinctusque gladio, pontem transiens, cum esset in medio pontis, gladius de vagina in aquam cecidit, nec inde levari potuit, usque in præsentem diem, qui tamen aliquando ibidem videtur in defluxu aquæ. Iste Sterchater venit de Swecia tempore Regis Ingelli, portans congeriem carbonum in dorso ad acuendum nasum dicti Regis, ut vindicaret patrem suum. L I. Rex Danorum vocatus fuit Siwardus, filius dicti Omunder Regis. Huic se opposuit Symon Præfectus Schaniæ, & tandem convenerunt in prœlium, in quo utrisque viriliter certantibus, tandem ambo Principes corruerunt. LII. Rex Danorum nominatus est Buchel, qui paucis annis regno præsidens, defunctus est sine notabilibus gestis scriptura dignis. LIII. Rex Danorum dictus est Germarus filius Siwardi Regis. Iste valde bellicosus fuit. Intravit enim Slaviam cum exercitu suo, & Ysmarum Regem Slavorum occidit, ac totam Slaviam vastavit. Postea Hellespontici Daciam intraverunt cum exercitu magno. Quibus Germarus Rex occurrere non audens, munivit montem maritimum Schaniæ, qui Kolle dicitur, ibique cum melioribus regni se inclusit. Cum autem hostes regnum vastassent, exivit tandem ad eos Germarus cum suis, & negotium suum fortunæ committens, congressus est cum eis in prœlium in Oresfunt, ibique Germarus Rex corruit. LIIII. Rex Danorum dictus fuit Brother, frater Germari Regis. Iste sicut quam plures alii de Regibus Danorum porro tempore gubernans, nichil egit relatione dignum. LV. Rex Danorum dictus fuit Siwaldus. Hujus tempore tanta fames erat in Dacia, quod ex edicto Regis omnes viri & mulieres inepti ad portandum arma in bellis occidebantur. Tandem de consilio cujusdam mulieris de Schania nomine Magga, quilibet nonus homo regnum exivit. Qui sic exeuntes, conglobati plures terras expugnaverunt. Isti tandem in Pannoniam venientes, propter eorum longas barbas Longobardi dicti sunt, & inde in Italiam procedentes ad invitationem Narsetis cum suo Rege Albowyno, Italiam obtinuerunt. L V I. Rex Danorum nominatus est Grom, filius Haroldi. Iste erat mirabilis investigator novarum rerum. Unde assumtis CCCC satellitibus probissimis, navigavit versus aquilonem ad sedem Gheruthi, ubi vidit stupenda mirabilia, & multa pericula ibidem passus est. Tandem consumtis omnibus sociis, usque ad XXX. per diversa monstra, vix cum vita in Daciam rediit, & tandem defunctus ex periculorum terribilitate decessit. LVII. Rex Danorum dictus est Godefridus filius Grom. Hic fuit bellicosissimus, & totam Teuthoniam jam sexto sibi fecit tributariam & Danis. Subjugavit etiam Ditioni suæ Sweciam & Frisiam. Contra hunc Godefridum venit Karolus Magnus cum exercitu magno, cui Godefridus ultra Albiam occurrens, fugavit Karolum de Saxonia, & eam quasi totam vastavit. Post plurima autem bella cum Karolo & aliis Regibus laudabiliter peracta, tandem a proprio milite cum cultello transfixus est in ventre. LVIII. Rex Danorum dictus fuit Olaf, filius Godefridi cognomento Gudedrinker. De hoc quidem Rege nulla referuntur gesta, quæ Chronicis annotari possint aut memoria sint digna. LIX. Rex Danorum dictus fuit Hennyngus filius Olavi. Hic regnavit XXVIII. annis, & cum Imperatore faciens, Egdoram terminum regni sui accepit. LX. Rex Danorum fuit Siwardus, cum quo surrexit & alius dictus Ryngh regnum sibi usurpans. Qui duo Reges ad invicem diu pugnaverunt, & regnum Danorum sua dissensione valde vastaverunt. Sed tandem assumto civili bello ad invicem, ambo in eo corruerunt. LXI. Rex dictus fuit Reiner filius Ryngh. Iste subjugavit sibi Angliam, Schotiam, Hiberniam, Norwegiam, Sweciam, Slaviam, Ruciam, & quasi omnia regna occidentis, ita quod IX. filios suos singulos in singulis provinciis Reges constitueret, & ipse de uno regno in aliud inter eos pertransivit, sed tandem in Hibernia occisus est, & filii ejus fere omnes in diversis locis peremti sunt. Hic Rex Reyner seu Reynerus per XI. annos urbes Francorum vastavit, & Parisius veniens, in Ecclesia S. Germani, & Aquisgrani in palatio Imperatoris stabulum equorum suorum fecit, & multa mala Ecclesiis intulit. LXII. Rex Danorum Inguar vocatus fuit filius Lochbroki. Iste omnium fratrum suorum crudelissimus extitit, & ideo non diu regnavit, quia propter suam improbitatem a suis interfectus fuit, non relinquens post se semen. LXIII. Rex Danorum nominatus fuit Siwardus. Iste stolidus fuit & iners, nec ab

Digitized by Google

ab aliquo curabatur, unde nichil dignum agens memoria, vix locum inter Reges meruit habere. LXIIII. Rex Danorum dictus est Amylo, contra quem se erexit Sigefridus. Isti duo nepotes fuerunt Godefridi Regis, inter quos pugna continua fuit fere X. annis. Et cum inter se de primatu concordare non possent, sceptrum prœlio diviserunt, in quo ambo Reges ex ordinatione Nobilium interemti sunt, & cum eis circiter XIM. armatorum corruerunt. Pars tamen Amylonis cruenta victoria potita, Remfridum & Haroldum in regnum posuit, & duravit inter eosdem pugna IX. annis, sed tandem Haroldus regno pulsus est. LXV. Rex Danorum dictus fuit Remfridus. Quo Rege constituto a Danis, Haroldus ad Lodowicum Imperatorem supplex confugit anno Domini DCCCXXVI. Baptizatus est autem apud eum cum uxore & fratre suo Trutone. Et sic per auxilium Imperatoris in regnum suum introductus est, Remfrido depulso. Sed quia in Danis fides rara est & semper fuit, mox Haroldus regno potitus, fidem Christi deseruit. Quod audiens S. Anscharius nondum Hammeburgensis Archiepiscopus, sed Monachus Corbeyensis, obtinuit a Lodowico Imperatore legationem & regna Danorum & Sweorum, & prædictum Haroldum ad fidem revocavit, & pro tunc Ecclesiam in Hadeboch construere fecit, & tandem Haroldus defunctus est. LXVI. Rex Danorum dictus fuit Erikus frater Haroldi. Iste mox, ut regnum accepit, Ecclesias claudi jussit, insuper & omnes Ecclesias Angliæ, Britanniæ, Frisiæ, Saxoniæ & Teuthoniæ cum Episcopis & Clero fere destruxit, plures igne consumens. Hujus etiam tempore Rollo Dux Danorum Franciam intravit, & Karolum Regem compulit sibi dare terram, quæ impræsentiam Normannia dicitur. Tunc ortum est bellum inter Erikum & filium fratris sui Euthoryn Regem Norwegiæ, in quo prœlio tanta cæde mactati sunt Dani pariter & Normanni, ut quasi omne vulgus caderet. Sed & Reges ambo corruerunt, nec aliquis de stirpe Regia superstes remansit, nisi Erikarus. Hic plura mala fecit quam prædecessores sui in multis regnis. Vastavit enim Saxoniam, & Ducem eorum Brun occidit cum XII. Comitibus. Ecclesiæ vero multæ per ipsum in cineres sunt redactæ, & plures Episcopi & Clerici interfecti. Civitates quoque plures destructæ sunt per eum, & innumera multitudo peremta. Illo in tempore Arnulfus Imperator Danis in Teuthonia occurrens, prostravit ex eis fere CM. hominum, bello cœlitus administrato. LXVIII. Rex Danorum dictus est Olaf sive Olavus. Iste vi armorum obtinuit regnum in Dacia, & regnavit V. annis. Hunc Regem occiderunt Dani. LXIX. Rex Danorum dictus est Kanutus filius Erici. Iste bellicosus fuit multum & versutus, & regnavit XII. annis. Tunc etiam temporis propter famem gravissimam tertius quilibet homo regnum exivit de servis & popularibus, & venientes hi homines totam Prutziam, Zemigalliam & terram Karelorum sibi subjugaverunt, & delectati terram ubertate, remanserunt ibi usque hodie. LXX. Rex Danorum Frothi dictus est filius Kanuti. Iste victor Angliæ existens, XX. annis hæc duo regna tenuit, Angliam scilicet & Daciam, & in Anglia fecit se baptizari, & mortuus est ibidem. LXXI. Rex Danorum dictus est Gorm. Iste quatuor annis regnavit, in Anglia baptizatus, sicut pater suus. Iste temporibus suis non peregit aliqua magnalia. LXXII. Rex Danorum vocatus fuit Haroldus filius prædicti Gorm Regis, de quo similiter sicut nec de patre suo aliqua notabilia peracta reperiuntur. LXIII. Rex Danorum dictus fuit Gorm cognomento Gamele, cujus uxor Thyre dicta est. Hæc mulier post mortem viri sui nobiliter regnum gubernavit, & munitionem, quæ Danewirki dicitur, ex lignis tantum ædificavit. In diebus hujus Reginæ Dani, incensis Ecclesiis, Sacerdotes ante altare trucidasse, & Clerum vulgo mixtum aut occidisse, aut in captivitatem duxisse referuntur. Cruces etiam truncatæ ludibriis a Danis sunt expositæ. Hic Gorm obiit anno Domini DCCCCL. LXIIII. Rex Danorum Haroldus Blatan. Iste regnavit V. annis, & fuit filius Gorm præfati Regis. Iste cum exercitu iterum subjugavit sibi Angliam, & rediit in Daciam. Tunc Imperator Otto cognomento Magnus paravit se ad invadendum Daciam, cumque legati ejus venissent Sleswik, Dani occurrerunt eis, & eos occiderunt, ac unum Marchionem cum eis. Ad quod nefas ulciscendum Imperator cum exercitu maximo Daciam intravit; & quia Haroldus Rex in extremis finibus regni sui erat, puta in Hallandia, Imperator totam Jutiam vastavit usque ad mare, quod Odensunt dicitur. Ibi enim lanceam suam in mare misit ad perpetuam rei memoriam. Quo audito, Haroldus vehementer commotus, versus Jutiam festinavit cum furore magno. Quod intelligens Imperator fugit. Et in Loheter veniens Haroldus, occidit Ypponem Ducem exercitus Imperatoris; reliqui Teuthonici fugerunt. Quo facto, ipse Rex de consilio matris suæ vallum Danewirki cœpit instaurare. Hunc Haroldum filius suus Sweyn de regno expulit, quia ad prædicationem Popponis Capellani Domini Papæ baptizatus fuerat, cum quo pater conflictum habuit, & victus est pater, quem tandem quidam miles filii sui interfecit. LXV. Rex Danorum dictus est Sweyn filius Haroldi. Iste propter scelera sua captus est ter a Slavis, & tandem regno pulsus, apud Regem Sweorum XIII. annis exulavit. Tandem ad fidem Christi conversus baptizatus est, moxque Deo ordinante, regnum suum recuperavit, Rege Norwegiæ occiso, qui Danorum regnum sibi usurpaverat. Et sic duo regna, Daciæ scilicet & Norwegiæ, Sweyn obtinuit. Invasit hic etiam Angliam, quam similiter obtinuit, & ibidem defunctus, transvectus est in Roskilde, & ibidem sepultus est. LXXVI. Rex Danorum fuit Haroldus dictus filius Sweyn. Iste fuit homo effœminatus, & totus libidini deditus. Hac de causa Dani ipsum deposuerunt de regno, & Gamele Knut fratrem ejus Regem fecerunt. Quem iterum depo-

Digitized by Google

deponentes, secundo anno Haroldum effœminatum & nichil valentem regno præfecerunt, qui tamen statim post defunctus est. LXXVII. Rex Danorum fuit supra dictus Gamele Knut. Iste bellicosus fuit, & cum mille navibus invadens Angliam, eam sibi subjugavit, Esconicam etiam gentem sibi subdidit, Richardum vero Ducem Normanniæ de Francia expulit, & uxorem Regis Anglorum expulsi & defuncti in exilio sibi copulavit, & genuit ex ea filium Hartheknut dictum, & filiam nomine Swynaldam, quam Henricus filius Conradi Imperatoris accepit in uxorem. Olavus autem, vir sanctus & Norwegiæ Rex, eodem tempore martyrio coronatus fuit, cujus regnum accepit idem Gameleknut Rex Danorum. Et sic super tria regna principatus est, puta Danorum, Anglorum & Norwegiorum. Fuit autem omnium Regum pulcherrimus, strenuissimus & largissimus. Hic primus religiosos viros in Daciam duxit de Anglia, puta Episcopos, Sacerdotes & Monachos. Obiit autem Gameleknut anno regni sui XXXVIII. relinquens post se tres filios, scilicet Hartheknut in Dacia, Haroldum spurium in Anglia, & Sweonem spurium in Norwegia. Haroldus vero tantum quatuor annis regnavit in Anglia, & mortuus est, cujus regnum Hartheknut Rex suscepit. Sweyn vero V. annis in Norwegia regnavit, & defunctus est, cujus regnum accepit Magnus filius S. Olavi. Iste Hartheknut regnavit super Daciam, Sweciam, Angliam & Slaviam, qui præter cotidianam familiam suam, VIM. armatorum continue tenuit, & cum LX. magnis navibus ad domandum illa regna quatuor discurrebat in æstate, sed in hyeme in castris vel Angliæ vel Daciæ aut Sweciæ morabatur. His VI. milibus armatorum Rex quasi Religiosis leges & statuta præscribebat honestatis. Unde tempore suo super omnes Reges mundi terribilis & laudabilis extitit. Transivit etiam cum Imperatore in Italiam ad domandas nationes, & obiit tandem in Anglia. LXXVIII. Rex Danorum fuit Sweyn dictus filius Harthknut. Iste parvo tempore regnavit, nec aliqua suo tempore egit memoria digna, imo in nullo secutus fuit gesta paterna. LXXIX. Rex Danorum nominatus est Haroldus filius Sweyn. Hujus tempore recessit Anglia a principatu & dominio Danorum, postquam CXX. annis Danis subdita fuerat, & defunctus est. LXXX. Rex Danorum dictus fuit Kanutus frater Haroldi, & regnavit VIII. annis, eratque vir bonus, & multas ecclesias in regno Danorum construxit, ac homines ad cultum veri Dei pro viribus induxit. Frater vero ejus Olavus Dux Italiæ ipsum occidi procuravit propter justitiam, quam inviolabiliter observavit, & factus est martyr Christi LXXXI. Rex Danorum dictus fuit Olavus frater Kanuti Martyris, cujus tempore facta est tanta fames in Dacia, ut homines pro herbis agrestibus litigarent. Nam segetes VII. annis totius regni ejus propter aëris intemperiem perierunt, nec hæc pluviarum inundantia extra regnum Danorum se extendebat, in signum, quod Deus vindicavit sangvinem S. Kanuti a Danorum capite turpiter interfecti. Anno autem septimo regni sui Olavus Rex inventus est in lecto suo subitanea morte extinctus. LXXXII. Rex Danorum dictus est Erikus frater prædicti Olavi cognomento Egothe, qui sic dictus est primo, quia mox, ut regnum accepit, tanta fertilitas terræ reddita est, ut modius siliginis ultra duos nummos usuales non valeret. Secundo dictus est Egothe, quia ita magnus homo fuit, quod super omnem populum ab humeris sursum videri potuerit, habens in se fortitudinem quatuor fortium regni. Tertio ita dictus est, quia ita proficuus fuit regno, quod, cum ad Terram Sanctam proficisci disponeret, Dani tertiam partem omnium bonorum suorum voluerunt dare pro redemtione Terræ Sanctæ, ut saltem Regem suum apud se retinere possent. Sed ipse nullo modo detineri potuit, sed iter sanctum arripuit cum magna militia, & veniens Romam, Ecclesiæ Lundensi Archiepiscopatum & Primatum super tria illa regna Daciæ, Sweciæ & Norwegiæ obtinuit. Inde vero Constantinopolin veniens ab Imperatore Græcorum honorifice est receptus. Cum vero peregrinationem suam juxta desiderium suum devote complevisset, rediens ad partes in Cypro defunctus est. LXXXIII. Rex Danorum dictus fuit Nicolaus frater Erici. Iste Nicolaus cum filio suo Magno occidit Kanutum filium fratris sui juxta Ringstech. Istis Nicolao Rege & filio suo Magno adhuc viventibus, & Magno jam Danorum Rege existente & Gothorum, Schanienses elegerunt Erikum filium Erici Egothe in Regem. Contra quem venerunt Reges Nicolaus & Magnus filius ejus, & bello inito in Fochswik, corruit Magnus Rex, & cum eo sex Episcopi, quatuor videlicet de Jutia, unus de Selandia, & unus de Swecia, ac multi Nobiles de Dacia cum eis. Nicolaus vero fugiens, venit Sleswik, ibique occiderunt eum sutores de Sleswik. LXXXIIII. Rex Danorum dictus est Erikus filius Erici Egothe. Hic cupiditate regnandi ductus, occidit Haroldum & liberos ejus, qui etiam quadam die occisus est in placitis a quodam Pluch nominato. Eodem anno primus Archiepiscopus Lundensis obiit, qui fuit annus Domini MCXXII. LXXXV. Rex Danorum dictus est Erikus Lamp, filius sororis Erici prædecessoris sui, contra quem Olavus Haroldi filius, quem quædam pars Danorum Regem fecerat, surrexit. Inter istos fuit bellum triplex uno die, & de quolibet prœlio fugit Olavus. Postea Erikus Rex occidit Hakonem Episcopum Roskildensem, & Olavus filius Haroldi in bello occisus est. Erikus autem Rex duxit in uxorem sororem Henrici Bremensis Archiepiscopi. Mortuus est autem Erikus iste anno Domini MCXLVII. LXXXVI. Rex Danorum non unus, sed plures fuerunt Reges. Nam illi de Jutia nomen Regis imposuerunt Kanuto fratri Magni. Schanienses vero fecerunt Regem Sweyn filium Erici, & facta est pugna multiplex XII. annis. Anno autem Domini MCLI. bellum grande commissum est

Wyburgh, & fugit Kanutus Rex in Ruciam, de qua postea rediens, venit in Frisiam. Ibi construxit castrum Myldenburg cum auxilio Frisonum. Quo audito, Sweyn cum tota virtute Danorum venit Sleswik, & adductis inde navibus per terras usque HuchstechMyldenburg, castrum obsedit, & magnam partem Frisiæ incendio vastavit. Cui occurrens Kanutus cum Frisonibus, vicit Sweyn bello, in quo plurimi Schanienses occubuerunt cum cæteris Nobilibus. Anno vero Domini MCLIIII. Woldemarus filius S.Kanuti Martyris desponsavit (sibi) Sophiam sororem Kanuti Regis. Tunc Dani iterum elegerunt duos Reges, scilicet Kanutum memoratum & Woldemarum filium S. Kanuti. Et tunc Sweyn Rex fugit in Saxoniam, altero vero anno rediens de Saxonia, venit cum Henrico Duce Saxoniæ; sed fuga iterum accepta, Rex cum Duce iter XV. dierum compleverunt. Anno igitur Domini MCLVI. facta est pax inter Reges istos, diviso regno in tres partes: Kanutus enim obtinuit Jutiam, Woldemarus Schaniam, & Sweyn Selandiam. Post paucos vero dies Sweyn Rex Selandiæ invitavit Kanutum Regem Jutiæ, & Waldemarum Regem Schaniæ ad festum suum Jul in Roskilde, ubi omnibus vino suffocatis, tempore nocturno, cum adhuc chorea duceretur in aula Regia, Sweyn occidit Kanutum Regem & Constantinum ejus cognatum in vigilia Beati Laurentii, Woldemarus vero vulneratus fugit in Jutiam, quem Sweyn insecutus est. Tota hæc Historia infra patebit suo loco. Post hoc convenerunt Sweyn & Woldemarus Reges in campo, qui Gratehete dicitur prœliaturi, in quo prœlio Sweyn occubuit, & Woldemarus obtinuit monarchiam totius Daciæ. LXXXVII. ergo Rex Danorum fuit Woldemarus, filius S. Kanuti Regis. Hic Woldemarus occurrit Frederico Imperatori apud Travenam flumen, ubi duas filias suas maritavit, unam dedit filio Imperatoris, & aliam Sifrido Comiti; ubi etiam obtinuit ab Imperatore dominium totius Nordalbingiæ, id est omnium terrarum ad aquilonarem partem Albiæ, super quo dominio obtinuit literas Imperiales cum Bulla aurea, & literas Papales Domini Innocentii super confirmatione dictæ collationis jure perpetuo possidendæ. Sed has literas post mortem Regis Abele quædam mulier Teuthonica destruxit in odium Danorum. Defuncta autem Sophia Regina Danorum, Woldemarus duxit Dagmar filiam Regis Bohemorum, & non diu post mortuus est. LXXXVIII. Rex Danorum dictus est Kanutus filius Woldemari. De hoc quidem Rege non leguntur aliqua opera magnalia memoria digna, sed suis temporibus contigerunt plura, quæ in suis locis recitabuntur. LXXXIX. Rex Danorum fuit dictus Woldemarus filius Kanuti. Hic maximam fecit expeditionem in Norwegiam, qui Herlingium constituit ibidem Regem & Philippum Ducem, qui ambo facti sunt tributarii Regi Woldemaro apud Thuusbergh. Hic Rex castrum destruxit Witenburg. Postea ultra Albiam castrum Erthneburg constructum est jussu Regis. Hoc anno etiam Dani reædificaverunt castrum Dymyn, & Nyenburg destruxerunt. Insuper obtinuerunt castrum Stetyn & Muthen castrum Marchionis. XC. Rex Danorum dictus est Woldemarus, filius Woldemari. Suo tempore Otto Imperator fidem violans, & juramento contraveniens Holtzaziam sibi subjugare volebat. Contra quem venit Rex Woldemarus cum exercitu magno, habens secum de solis Frisonibus LXM. hominum. Quo audito, Imperator non fuit ausus expectare congressum belli, sed fugit ultra Albiam, amissis in singulari certamine duobus melioribus pugilibus suis, quos interfecerunt duo Frisones, puta Swen & Brocher. Hic Woldemarus Rex duo castra contra Hammeburg construxit, & tandem illam urbem cepit, & tandem Rex defunctus obiit. XCI. Rex Danorum dictus fuit Erikus filius Woldemari, cujus frater Abel ducatum Jutiæ accepit. Erikus vero Rex duxit in uxorem Judith filiam Ducis Saxoniæ. Non diu post ortum est bellum inter Erikum Regem & Abel Ducem fratrem ejus, & durante illa controversia aliquamdiu, tandem Abel Dux cepit fratrem suum Erikum Regem, & ipsum in Sleswik ducens in captivitatem, a quodam milite suo Lago nomine deportatus est in nocte S. Laurentii navigio in medium fluminis, & submersus est, fratre suo Abele ignorante, & regnavit Abel pro eo. XCII. Rex Danorum dictus est Abel, frater Erici Regis. Hujus Abel filius Woldemarus revertens a studio Parisiensi, captus est per milites Archiepiscopi Coloniensis, pater vero suus Abel Rex vadens cum exercitu suo in Eyderstad, ibidem interfectus est. XCIII. Rex Danorum dictus est Christophorus. Hic Rex tradidit Woldemaro filio Abelis Regis Ducatum Sleswicensem cum vexillo apud Koldinghen. Post hoc factum est bellum inter Christophorum Regem & rusticos, & civitas Ripensis judicio Dei cum omnibus attinentis suis periit. Christophorus vero Rex obiit anno MCCLIX. XCIIII. Rex Danorum dictus est Erikus, filius Christophori. Hic Rex multa mala fecit, Ecclesias spoliando, læsis & injuriam passis justitiam negando. Monasteria quoque, quæ patres sui per se & per suos ædificaverant, per equos & canes suos miserabiliter depauperavit. Hujus tempore Comites Holtzatorum magnam partem Ducatus Sleswicensis vastaverunt. Germarus etiam Princeps Rugianorum vastavit magnam partem Selandiæ,& fecit maximam stragem rusticorum apud Nestwich. Eodem anno grande bellum commissum est Lethethe per Ericum Regem Danorum & Erikum Ducem de Sleswik filium Abelis in die S. Olavi, & Rex ibidem captus cum Margaretha Nigra matre sua, in qua captivitate manserunt ad triennium fere. Non diu autem post ereptionem eorum Erikus interfectus est in lecto suo a suis amicis. XCV. Rex Danorum dictus est Erikus, filius Erici Regis interfecti. Hujus tempore Stigotus Marschalcus multa mala egit in Nortjutia,

Digitized by Google

jutia, clandestinis incursibus, ut infra plenius patebit. Hic Rex destruxit castrum Gottorpe, quod pater suis magnis sumtibus ædificaverat. XCVI. Rex Danorum nominatus fuit Christophorus, frater Erici Regis, quem tamen eligi in Regem frater suus Ericus Rex in extremis prohibuerat, ex dispositione tamen Johannis Comitis Holtzatorum assumtus est in Regem, defuncto fratre. XCVII. Rex Danorum vocatus est Woldemarus, filius Christophori Regis. Iste Rex plura notabilia fecit temporibus suis, prout suis in locis dicetur infra. Hic Rex ejectus fuit de regno suo per civitates maritimas, ut etiam ibidem patebit. Quo defuncto, Margareta filia sua uxor Haquini Regis Norwegiæ defuncti multis annis regna illa gubernavit, & plura notabilia gessit, adoptans tandem in filium Erikum Ducem Pomeraniæ, quem post se Regem fecit. XCVIII. Rex Danorum dictus est Erikus Ducis Pomeranorum filius. Hic Rex in humanis extitit, cum Opus præsens scribebatur, cujus actus & gesta infra patebunt. Et sic in prædictis sufficiat ad præsens de origine & ordine Regum Danorum.

Tertio decimo anno Lodowici, qui est Domini DCCCLXX. Olfredus Rex Anglorum, secundum Sigibertum, cum Danis IX. annis continuis pugnavavit, sed tandem ab eis regno pulsus, insulam quandam petiit cum quibusdam sibi familiaribus. Ubi cum quadam die constitutus solus domi esset, sociis in mare dispersis, causa piscandi, corpus sopori dedit. Et ecce S. Cuthbertus, Lindipharnensis quondam Episcopus sic dormientem alloquitur: Ego sum Cuthbertus, si audisti. Dominus me misit, ut tibi prospera nunciem. Anglia jam dudum propriorum peccatorum suorum pœnas exsolvit, sed modo sanctorum indigenarum meritis a Deo respecta est. Tu miserabiliter regno privatus es, sed post modicum tempus in solio regni tui gloriose collocaberis. Et hoc tibi annunciatæ veritatis signum. Venient hodie piscatores tui, multitudinem magnam piscium chordulis evehentes, cum tamen ob geliditatem aquæ & temporis frigiditatem nil tale speretur. Cum autem fortunæ tuæ compos, memento laboris tui & ejus nuncii. Hæc eadem visio matri suæ, quam secum habuit exulantem, apparuit. Expergefacti ergo ambo, somnia sua referebant ad invicem. Et ecce piscatores veniunt cum maxima piscium copia. Non multo post insulam illam, in qua a Danis tenebatur, exiens, magnæ astutiæ periculum subiit. Regis namque Danorum intravit tentoria sub specie cujusdam joculatoris, tantum fidelissimi famuli sui fruens cura, & ibi tanquam artis joculatoriæ experimentator, ad interiora triclinii Regis admissus est, ubi omnia arcana exercitus oculis & auribus auscultavit. Plures ergo dies ibidem moratus, ad socios tandem rediit, & exponens eis omnia, ad arma capienda omnes animavit. Et inopinate irruens super barbaros otio vacantes, multos ex eis occidit, reliqui vero cum Rege eorum Gorm dicto obsides dederunt, ut Christiani fierent, & ab Anglia recederent. Quod sic factum est.

Quarto decimo anno Lodowici, qui est Domini DCCCLXXI. Sanctus Anscharius Archiepiscopus Hammeburgensis obiit in Domino, plenus virtutibus, secundum Helmoldum in Chronicis Slavorum. Huic sancto viro successit in eadem sede Reimbertus, secundus Archiepiscopus Hammeburgensis, vir totius prudentiæ & sanctitatis, & sedit annis XVI. recepitque pallium ab Adriano Papa. Hujus Reymberti tempore contigit hoc miraculum, quod cives de Norda opido Frisiæ ad instinctum S. Reymberti contra Danos, qui tunc oneri fuerunt nationibus universis, pugnaverunt, & cæsis ex eis XMCCCCLXVIII. plures ex eis captivos duxerunt. Unde apud Frisones nomen prædicti Sancti celebre habetur & memorabile usque in hodiernum diem. Et migravit ab hoc seculo anno Domini DCCCLXXXVIII. Post hunc electus est Adalgarius tertius Hammeburgensis Archiepiscopus, & sedit XX. annis, Fuit autem Monachus Corbeyensis, sicut & Anscharius & Reymbertus prædecessores sui, & accepit pallium a Stephano Papa. Cujus tempore Hermannus Archiepiscopus Coloniensis rehabere laboravit Ecclesiam Bremensem. Quare collecta est Synodus apud Triburiam, præsidente Haddone Archiepiscopo Moguntino, & cassata sunt privilegia Ecclesiæ Hammeburgensis de incorporatione Ecclesiæ Bremensis eidem Metropoli, consentiente Formoso Papa & Arnulfo Rege Romanorum. Quod tamen postea divina justitia vindicare non obmisit, quia tam Papa quam Imperator mala morte perierunt. Nam Formosus a suo successore fuit degradatus, & de sepulcro ejectus, Arnulfus vero vivens a vermibus primo consumtus est, & tandem veneno extinctus. Unde Bremensis Episcopatus iterum suffraganeus factus est Ecclesiæ Coloniensi omnibus diebus Adalgarii & Hogeri Archiepiscoporum Hammeburgensium, ut patebit in Litera Papæ loco suo inserenda. Post Adalgarium sedit in eadem Ecclesia Hammeburgensi Hogerus quartus Archiepiscopus VII. annis. Hujus temporibus parochia Hammeburgensis a Slavis, & Bremensis Ecclesia ab Ungaris demolitæ sunt & desolatæ. Post hunc Hogerum factus est Archiepiscopus Hammeburgensis Reynwardus, & sedit vix uno anno. Hujus enim diebus Ungari incenderunt Ecclesias & altaria Bremis, & trucidaverunt Sacerdotes. Detruncaverunt etiam cruces Pagani illi in contumeliam Crucifixi, & multi Christiani fuerunt decapitati. Quod tamen Deus ita vindicavit, ut ipsi barbari diversis plagis attriti, nec unus quidem illæsus evaderet. Post hujus Antistitis decessum, Unni electus sedit annis XVIII. Cum enim Reynwardus defunctus esset, Leydradum Bremensis Ecclesiæ Præpositum a Clero & populo electum deprecati sunt Canonici, ut Unni Capellanum suum ad curiam mitteret. Quod cum fieret, Rex Conradus divino,

Digitized by Google

divino, ut creditur, afflatus spiritu, contemta Leydradi electione, parvulo Unni, quem retro conspexerat stare, virgulam obtulit pastoralem. Cui etiam Papa Johannes X. ut Privilegium ostendit, dedit pallium. De quo legitur, quod in diebus suis Ungari nedum Saxoniam aliasque circa Rhenum provincias, universam etiam trans Rhenum Lotharingiam & Franciam demoliti sunt. Dani quoque Slavos auxilio habentes, primo Transalbanos Saxones, deinde Albinos devastantes, magno terrore Saxoniam quassabant. Hic autem Unni magni prædicatoris Anscharii vestigia secutus, mare Balticum navigans, venit in Birtam, quo nemo post Anscharium doctor ausus est pertingere. Est autem Birta opidum Gothorum in medio Sweorum & Scytharum positum, ubi tandem sanctus Archiepiscopus decedens, sepultus est, cujus caput Bremam translatum est anno Domini DCCCCXXXVI. Post quem sedit in Ecclesia Hammeburgensi Adaldagus annis L.VII. & fuerat Cancellarius Ottonis Magni Imperatoris. Iste rempublicam restauravit, genere nobilis, ætate juvenis, specie decorus, sed virtutibus speciosior. Hic ab Otone Magno baculum pastoralem suscepit & pallium a Leone VII. Papa sumsit, manus vero impositionem, sicut omnes prædecessores sui, a Moguntino Præsule. Nondum autem Hammeburgensis Ecclesia Suffraganeos habuit, quos hujus Adaldagi studio suscepit. Ipse enim primo ut ingressus est Pontificatum, Bremam prius longo tempore potestatibus ac judiciaria manu oppressam, præcepto Regis absolvi, & instar aliarum urbium immunitate similique libertate fecit dotari. Habuit itaque tam singularem gratiam in conspectu Imperatoris Ottonis, ut a latere ejus raro divelleretur. Eo namque tempore Otto Imperator invasit Daciam, & de ea perfecit omnem suam voluntatem. Unde Dacia marina, quam Jutiam sive Juthlandiam vocant, in tres Episcopatus divisa, Hammeburgensi Archiepiscopatui est subjecta, ut docent, statuta Imperialia, quæ usque hodie in eadem Ecclesia habentur. Iste, inquam, Archiepiscopus usque in Italiam cum Imperatore abiit, & ibidem secum aliquamdiu moram traxisset, rediens ad partes, in comitatu suo Benedictum Papam ordinatum & consecratum, sed ab Ottone depulsum, quem ille in Hammeburg exilio damnaverat, secum duxit, & magno cum honore usque ad obitum tractavit. Nam vir sanctus, literatusque fuisse dicitur, qui & Apostolica dignitate dignus videbatur, nisi quod per tumultum electus est, expulso eo, quem ordinari præceperat Imperator. In urbe ergo Hammeburg in sancta conversatione vivens, aliosque sancte vivere docens, dum jam Romanis poscentibus ab Imperatore restitui debuisset, in urbe prædicta in pace quievit. Post hunc Adaldagum venit Libentius, & sedit annis V. Hic pallium a Johanne XVI. Papa suscepit, & virgam Episcopalem meruit ab Ottone Tertio recipere. Hic primus inter omnes prædecessores suos consecratus est a Suffraganeis, eratque vir literatissimus, & omni morum probitate decorus. Hujus tempore Brema cœpit muro muniri. Migravit autem prædictus Præsul ab hac luce anno Domini MXIII. & sepultus est in Hammeburg. Post hunc sedit Unwanus annis XVI. Ferulam autem accepit ab Henrico Imperatore, & pallium a Benedicto. De Ecclesia autem Padelburnensi assumtus est, dives & largus, ac omni populo acceptus. Iste in plerisque Paschæ & aliis festivitatibus septem Episcopos secum habuit, & multos labores ac expensas pro defensione Bremensis Ecclesiæ fecit, magnoque favore Ecclesiam matricem Hammeburgensem fovit. In diebus ejus Kanutus Rex Danorum rediens de Anglia cum victoria, multos secum deduxit Episcopos, quorum unum nomine Bernhardum fecit Episcopum Schaniæ, Eberhardum Selandiæ & Reynerum Funæ Episcopos instituit. Hi postea per procurationem Archiepiscopi subjecti sunt Ecclesiæ Hammeburgensi. Obiit autem hic Unwanus anno Domini MXXIX. & sepultus est in Hammeburg. Post hunc venit secundus Libentius, & sedit annis IIII. Iste cum esset nepos Libentii primi Archiepiscopi, favore Gyslæ Imperatricis ferulam suscepit a Conrado Imperatore, pallium vero a Johanne XIX. Papa. Hic erat vir simplex & rectus, ac timens Dominum, prius existens Præpositus ejusdem Ecclesiæ. Legationem vero suam ad gentes ferventi animo aggressus, piis operibus semper intentus fuit, & filios Ecclesiæ paternaliter educans, etiam, quod est difficile, Principibus acceptus extitit. Obdormivit autem Libentius iste anno Domini MXXXII. Post hunc venit in sedem Hermannus, & sedit tribus annis. Virgam pastoralem accepit a Conrado Rege Romanorum, & pallium a Benedicto Papa promeruit. Assumtus autem fuit ab Ecclesia Halberstadensi, cujus Præpositus extiterat, vir meræ simplicitatis & parum habens prudentiæ serpentinæ. Et ideo de facili deceptus a clientibus, raro parochiam suam visitavit. Semel namque Hammeburg accessit, & tunc cum exercitu veniens, Episcopatum quasi non suum, abiensque velut terram salsuginis ipsum dereliquit, & rapacitatis quidem intentor existens, cuidam Mackoni tanquam Vicedomino Ecclesiam suam commisit. Qui parvi pendens omnia, quæ in Archiepiscopatu invenit, quendam Guidonem Musicum Bremam adduxit, cujus industria melodiam & claustralem disciplinam emendavit. Defunctus est autem hic Hermannus in Episcopatu Halberstadensi, dum esset in prædio suo Hiltenroth, sed corpus ejus Bremam delatum est, & humatum ibidem. Post hunc venit in sedem eandem Beselinus, & præfuit X. annis. Hunc virum omni virtute decoratum præfecit Ecclesiæ Hammeburgensi Archiepiscopus Coloniensis, cui Conradus Rex obtulit baculum, & Benedictus Papa pallium. Ordinatus est autem a suis Suffraganeis, & ab aliis VII. Episcopis Saxoniæ in Ecclesia sua Hammeburg. Hic pater patriæ fuit, decus Cleri, salus populi, terror malorum Principum, exemplar benivolorum & pastor

Digitized by Google

paſtor egregius ovium ſuarum. Clauſtrum namque ipſe renovavit, & Canonicis ipſe primus menſam communem inſtituit. Ipſe quoque muros Eccleſiæ Bremenſis & civitatis conſummavit, quos Hermannus prædeceſſor ſuus exorſus fuit. Voluiſſet etiam Hammeburgenſem urbem circumdediſſe muro, ſi diutius vixiſſet. Mortuus eſt autem anno Domini MXLIIII. Poſt quem Beſelinum ſive alio nomine Alebrandum ſurrexit Adalbertus, & ſedit annis XXX. Hic baculum paſtoralem accepit ab Henrico filio Conradi Imperatoris, pallium vero a Benedicto Papa. Ordinatio autem ejus facta fuit Aquisgrani, Cæſare præſente & Principibus, ac XII. Epiſcopis manus impotentibus. De Eccleſia autem Halberſtadenſi ſimiliter & ipſe aſſumtus eſt, ubi Præpoſitus Eccleſiæ extiterat, ſicut & Hermannus. Genere etiam erat nobilis, eloquens, ſapiens & caſtus: In legatione vero gentium & primum & præcipuum Hammeburgenſis Eccleſiæ fuit. Nemo unquam tam fervens fuit ſicut ipſe. Magnæ compaſſionis viſcera geſſit ſuper incolatu Hammeburgenſis & Bremenſis Eccleſiarum & calumnia, quarum altera vaſtata fuit ab Ungaris, & altera a Danis & Slavis. Hic Imperatoris Conſiliarius exiſtens, cum eo Romam perrexit, ubi tandem depoſitis Benedicto, Gratiano & Silveſtro, qui pro Papatu contendebant, Adalbertus Archiepiſcopus Hammeburgenſis in Papam electus fuiſſet, niſi pro ſe collegam poſuiſſet Clementem. Hic Clemens renovavit omnia privilegia, Eccleſiæ Hammeburgenſi dudum a Romana ſede conceſſa. Hic Adelbertus fecit duas Præpoſituras, unam Sancto Wilhado, ubi corpus ejus requieſcit; aliam S. Stephano, cujus famulum ſe eſſe ſemper gloriabatur; tertiam ſimiliter fecit Bremis S. Paulo, & quartam trans Albiam in Sullenberg. Ejus tempore viguit adhuc Danorum regnum in magna gloria, cujus Regi Haroldo Papa ſcripſit in hac forma: Alexander, Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Haroldo Nordmannorum Regi, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quia adhuc rudis in fide exiſtis & in Eccleſiaſtica diſciplina quodammodo claudicatis, oportet nos, cui totius Eccleſiæ Dei regimen commiſſum eſt divinis admonitionibus vos frequenter viſitare. Sed quia ob longarum difficultatem viarum per nos hoc agere minime valemus, ſciatis, nos Adelberto Hammeburgenſi Archiepiſcopo vicario noſtro hæc omnia firmiter commiſiſſe. Prædictus itaque venerabilis Archiepiſcopus legatus noſter ſuis nobis conqueſtus eſt epiſtolis, quod Epiſcopi veſtræ provinciæ aut non ſunt conſecrati, aut data pecunia contra Romana privilegia, quæ ſuæ Eccleſiæ ſibique ſunt data, in Anglia vel in Gallia peſſime ſunt ordinati. Unde ex auctoritate Apoſtolorum Petri & Pauli vos admonemus, ut, ſicut Apoſtolicæ ſedi reverentiam ſubjectionis debetis exhibere, ita præfato Archiepiſcopo venerabili, vicario noſtro, ac vice noſtra fungenti vos veſtrique Epiſcopi ſubjectionis reverentiam impendatis, &c. Plura autem facta memoria de hoc ſancto Antiſtite referuntur, quæ ſuo loco duximus reſervanda.

Quinto decimo anno Lodowici, qui eſt Domini DCCCLXXII. Karolus junior filius Lodowici Imperatoris, ſecundum Egghardum, per tres quaſi horas in præſentia patris ſui & optimatum eſt a dæmonio vexatus, & in ipſa vexatione faſſus eſt, hoc ſibi accidiſſe, quod conſpirationem fecerat contra ſuum patrem. Haſtingus Dux Lalandiæ regni Danorum, ſecundum Chronicam Slavorum, cum eis, qui ab Anglia diſceſſerant, Chriſtianitatemque profiteri renuerant, cum Rege eorum Pariſius applicans & Thuronis, illas urbes pariter, & cæteras, quæ ſuper Secanam fluvium ſitæ ſunt, civibus ſuis evacuantes, usque ad Thyrrenum mare graſſatus.

Sexto decimo anno Lodowici, qui eſt Domini DCCCLXXIII. Coloniæ celebrata Synodo, ſecundum Sigibertum, ad dedicationem Eccleſiæ a tribus Teuthoniæ Metropolitanis, Huperto Moguntino, Berthulfo Treverenſi, & Willeberto Colonienſi, cum ab eis major Eccleſia, quæ eſt Sancti Petri, deberet dedicari, præcedenti nocte auditæ ſunt voces malignorum ſpirituum inter ſe dolentium & conquerentium, ſe a poſſeſſis diu ſedibus debere expelli miſerabiliter & violenter.

De Johanne PP. VIII. Roman. CXI.

Johannes Papa natione Romanus ex patre Johanne, ſedit annis V. menſibus tribus, & diebus XVII. ſecundum Martinum. Ad hunc Papam Johannem Johannes Diaconus Eccleſiæ Romanæ Vitam Gregorii Magni Papæ ſcripſit. Hic injuriam perpeſſus eſt a Romanis anno ſuo ultimo, ita ut in cuſtodia tentus eſſet, eo quod non favebat Karolo Groſſo, cum in Francia fuiſſet. Nam cum Lodowico Balbo ſuo adverſario fere per annum moratus fuerat. Hic Papa tradidit venerabili Anſegiſo Senonenſi Archiepiſcopo caput Sanctiſſimi Gregorii Papæ & brachium Sancti Leonis Papæ, quas reliquias venerandas prædictus Anſegiſus Senonis in S. Petri Eccleſia cum ſolennitate magna collocavit & depoſuit.

Decimo ſeptimo anno Lodowici, qui eſt Domini DCCCLXXIIII. Karolum Calvum Regem Francorum, ſecundum Sigibertum, calamitas domeſtica in filiis ſuis afflixit. Siquidem Karolomannum in Clericatu usque ad Ordinem Diaconatus provectum, ipſe pater captivavit & excæcavit, pro eo quod ad apoſtaſiam converſus, & in omni genere nocendi regnum perturbans, alter quidam Julianus effectus eſſet. Alter vero filius ejus Karolus, dum inconſulte voluiſſet experiri cujusdam militis Albuyni fortitudinem pluribus expertam, & cum ſolo ſolus in certamine congreſſus fuiſſet, ab eodem Alboyno ignorante, quis eſſet, peremtus eſt. Lodowicus Imperator, ſecundum Egghardum, dedit Eccleſiæ Corbeyenſi & Hervordenſi quasdam decimales Eccleſias cum ipſis decimis in parochia Oſnaburgenſi conſentiente Epiſcopo & omni Clero, ut in ipſis Eccleſiis ab Abbate procu-

Digitized by Google

procurarentur plebi baptisma, eucharistia, confessio, sepultura, & cætera Sacramenta Ecclesiastica; Episcopo autem de singulis Ecclesiis darentur quatuor porci vel VIII. arietes, IIII. porcelli, IV. aucæ, VIII. pulli, XX. siculæ medonis, XX. de mellita cervisia, LX. de non mellita, CXX. panes, C. modii avenæ, DC. manipuli, teste Rabano Archiepiscopo Moguntino. Karolus enim Magnus omnes decimas in Saxonia constituerat ad Regale servitium. Unde eas Rex dare potuit, quo voluit. Basilius Græcorum Imperator factus est, secundum Vincentium. Hic pauper quondam famulus fuerat unius Abbatis, & assumtus de servitio illius per Michaëlem Imperatorem Græcorum in cubicularium suum, quem idem Michaël Imperator ad tantum proveverat honorem, ut alter Imperator ab omnibus nominaretur. Hunc cum Michaël Imperator in vesaniam versus multoties occidi juberet, ipse Basilius timens, ne tali occasione quandoque occideretur ab æmulis suis, elegit potius Michaëlem Imperatorem interficere, quam ab eo interfici. Quem cum occidisset, in Imperatorem est sublimatus, & XVII. annis optime imperavit.

Decimo octavo anno Lodowici, qui est Domini DCCCLXXV. Basilius Græcorum Imperator, secundum Sigibertum, inter cætera munera misit Lodowico Imperatori Romanorum Crystallum miræ magnitudinis, mirifice auro gemmisque ornatum, cum parte non modica ligni Sanctæ Crucis. Lodowicus Rex Germaniæ patruus Lodowici Imperatoris largitus est Thiderico Comiti Hollandiæ forestum Walda cum aliis pertinentiis. Sarraceni discurrentes per Italiam, secundum Vincentium in Speculo, Ecclesiam Benedicti Abbatis in Monte Cassino funditus destruxerunt. Lodowicus Imperator, secundum Sigibertum, ab Adelgiso Beneventano Duce constrictus, timore vitæ, jurejurando firmavit, nunquam se Beneventi ultra intraturum, neque ex periculo injuriæ sibi tunc illatæ vindictam aliquam exacturum. Ab hoc autem juramento postmodum Johannes Papa ipsum Romæ absolvit auctoritate Dei & S. Petri, affirmans, nichil sibi obesse, quod ob mortis periculum evadendum coactus fuerat, nec sacramentum esse dicendum, quod contra salutem reipublicæ, quamvis cum multis exsecrationibus, fuerit probatum.

Decimo nono anno Lodowici, qui est Domini DCCCLXXVI. Lodowico Regi Germaniæ apparuit in somnis genitor suus Lodowicus Pius, olim Imperator, secundum Egghardum, adjurans eum per nomen Sanctæ Trinitatis, ut eum eriperet de tormentis, quibus detinebatur, ut tandem requiem æternam habere mereretur. Ob hoc ad diversa Monasteria eleemosynis destinatis, studiose filius occurrebat patri. Unde dabatur intelligi, quod licet idem Imperator multa Deo & hominibus placita fecisset, plura tamen Deo contraria in regno suo fieri consensit, inter quæ graviora videbantur, quod hæresi Nicolaitarum non restitit, & monita Gabrielis Archangeli XII. Capitulis comprehensa, quæ Emarchus ei legenda & servanda obtulit, servare non studuit. Lodowicus Imperator, secundum Vincentium in Speculo, in Italia cadens de solario moritur, & Mediolani sepelitur. Eodem tempore Cometes solito rutilantior apparuit.

De Karolo II. Imp.

Karolus Calvus Rex Francorum, filius Lodowici Pii & frater Lotharii Imperatoris & Lodowici Regis Germaniæ, ac patruus Lodowici & Lotharii filiorum Lotharii Imperatoris, Romanorum Imperator LXXVI. cœpit anno mundi IIIIMDCCCXXXVII. Olympiadis CCCCX. anno primo, Urbis conditæ MDCXXVI. Domini vero DCCCLXXVI. & uno anno & IX. mensibus imperavit secundum Martinum, secundum Sigibertum vero II annis, ex matre Welp natus. Iste Imperator Karolus, defuncto Lodowico Imperatore, Romam properavit, & Johannem Papam ac Romanos muneribus sibi attrahens, Imperator creatur, sed solam Franciam cum nomine Imperii tenuit. Unde statim a Lodowico fratre suo Rege Germaniæ bello aggreditur, eo quod se inconsulto solus fratruelis Imperium usurpaverit. Hic Imperator tam in Francia quam in Italia multas Ecclesias construxit, destructas reparavit, & Monasteria plura fundavit. Hic Karolus Imperator, secundum Sigibertum, post adeptum Imperium ultra se elatus, consvetudines Francorum vilipendens, Græcas glorias & insolitos habitus affectabat, & talari Dalmatica indutus, & desuper balteo aureo ad pedes usque pendente accinctus, capite vero involuto velamine de serico & diademate superimposito procedebat. Et cum esset lepore timidior, & hostes fugere quam fugare paratior, fratrem suum Lodowicum Regem Germaniæ lacessebat, minatus, se tantas copias conducturum, ut ab equis flumine exhausto, ipse per aridum alveum Germaniæ regnum intraret, & se expugnaret.

Primo anno Karoli, qui est Domini DCCCLXXVII. Ludovicus Rex Germaniæ frater Karoli obiit, secundum Sigebertum, relinquens tres filios, puta juniorem Lodowicum, & Karolum, qui non multo post imperavit, & Karolomannum patrem Arnulfi Imperatoris. Porro Karolus Imperator de morte fratris gavisus, injuriam, quam contra fratrem conceperat, contra filios fratris perficere paratus, cum quinquaginta milibus hominum & eo amplius regnum eorum aggressus, Coloniam usque pervenit. Lodowicus autem Junior, aliis fratribus suis alibi occupatis, missa legatione ad patruum, rogabat ea, quæ pacis sunt. Quæ cum impetrare non posset, ipsum bello viriliter excepit, & ipsum victum cum nimio exercitus sui damno & dedecore multo fugere compulit. Ingruente in Germania maxima pestilentia, secundum Vincentium, dum canes undique collecti cadaveribus incumberent, ita subito disparuerunt, ut nec vivi quidem nec mortui reperientur.

Secundo

Digitized by Google

Secundo anno Karoli, qui est Domini DCCC LXXVIII. claruit Johannes Schotus, vir perspicacis ingenii, secundum Egghardum, & facundiæ mellitæ, qui propter bellorum frequentiam, jam dudum ad Karolum Calvum transierat, cujus rogatu Hierarchiam Dionysii Areopagitæ de Græco in Latinum transtulit. Hic post munificentia Regis Elfredi allectus venit in Angliam, & apud Monasterium Mahvesberiense a pueris, quos docebat, graphiis sive stilis perforatus interiit, & Martyr æstimatus est. Hujus venerablis doctoris epitaphium tale est:

Clauditur in tumulo seclis Sophista Johannes,
Qui dotatus erat jam vivens dogmate miro.
Martyrio tandem Christi conscendere regnum
Quo meruit Sancti regnant per secula cuncti.

Karolus Imperator, secundum Vincentium, Romam secundo pergens, obiit in itinere, & sepultus est apud Lugdunum in Monasterio Antonii, cui Ludowicus filius ejus cognomento Balbus successit in regno Francorum, & duobus tantum annis regnavit super eosdem. Postea apparuit cuidam Monacho, jubens, ut diceret filio suo Lodowico, quod transferret ejus corpus ad S. Dionysium. Quod sic factum est.

De Karolo III. Imp.

Karolus junior cognomento Grossus, filius Lodowici Regis Germaniæ, Romanorum Imperator L X X V I I. cœpit anno mundi IIIIMDCCCXXXIX. Olympiadis CCCCX. anno tertio, Urbis conditæ MDCXXVIII. Domini vero DCCCLXXVIII. & imperavit XII. annis, secundum Martinum, cum fratribus suis. Nam Lodowicus tenuit Franciam, Karolus Alemanniam, & Karlomannus Bayoariam, cujus filius Arnulfus postea obtinuit totam Monarchiam.

Primo anno Karoli, qui est Domini DCCCLXXIX. Lodowicus Balbus, filius Caroli Calvi, Rex Francorum XXV. cœpit, secundum Vincentium, & solum duobus annis super Francos regnavit. Hic in uno bello VM. Nordmannorum & amplius interfecit. Mortuus est autem, uxorem suam gravidam relinquens, quæ peperit ei filium nomine Karolum, qui Simplex dictus est. Habuit etiam & alios duos filios ex concubina, Lodowicum & Karlomannum fratrem ejus. Dani Trajectum inferius destruxerunt, secundum Helmoldum in Chronicis Slavorum, & Radbodus Episcopus Trajectensis sedem suam in Davantriam transtulit.

De Martino II. PP. CXII.

Martinus Papa natione Romanus ex patre Matthæo, sedit annis V. & mense uno, secundum Martinum. Hic parum vel nichil egit in suo Papatu, quod scriptura dignum existeret, nisi quod Karolum III. Imperatorem coronavit anno Imperii sui secundo, secundum Egghardum.

Secundo anno Karoli, qui est Domini DCCCLXXX. Rollo de Norwegia nobilis, secundum Vincentium in Speculo, patria sua pulsus, multos, quos vel pecunia aliena vel propria scelera agitabant, secum ducens, piraticam iniit exercitationem, & Carnotum applicans, eam obsedit. Cives autem nec armis nec muris confisi, camisiam Beatæ Virginis, quam Karolus Calvus de Constantinopoli cum aliis Reliquiis adduxerat, in modum vexilli sibi propugnaculum facientes expanderunt. Quam hostes videntes irriserunt, & in eam sagittas dirigere cœperunt. Quorum oculis mox obtenebratis, nec antecedere nec retrocedere jam valebant. Quod videntes Christiani, magna eorum cæde sunt satiati, Rollone tamen cum paucissimis evadente. Hic Rollo postea eodem anno majus Monasterium non longe a Thuronis fundatum funditus evertit, & in eodem C. & XVI. Monachos interfecit. Sed Abbas & alii XXIIII. in cavernis latitantes evaserunt. Rollo autem inde transiens, Cenomanensem urbem expugnavit, & tunc corpus Sancti Martini mittitur Aurelianis. Sed cum Rollo Princeps latronum illic veniret, missum est Tableyum & inde Antisiodorum, ubi innumera miracula facta sunt in Ecclesia S. Germani. Cumque, secundum Wilhelmum, peregrini & adventantes pro remediorum gratia multam pecuniam offerrent, oritur seditio pro partitione pecuniæ inter Thuronenses & Antisiodorenses. Ad quam sedandam dissensionem leprosus inter Sanctorum Martini & Germani corpora ponitur, & tota nocte custoditur. Illucescente autem aurora, apparuit illa pars leprosi, quæ proxima fuerat Martino, totaliter curata, altera parte adhuc ægra remanente. Convertunt ergo ad S. Martinum latus morbidum, & altero mane hoc etiam totaliter curatum est, cedente Germano honori sui hospitis, a miris se continendo.

Tertio anno Karoli, qui est Domini DCCCLXXXI. Ludowicus Balbus Rex Francorum moritur, secundum Sigibertum, in cujus decessu sol ita obscuratus est, ut stellæ in cœlo sicut in nocte viderentur. De regno autem ejus varie senserunt tunc Franci. Nam aliqui filiis suis illegitimis illud tradere volebant, alii Bophoni Provinciæ Regulo, alii vero regno Germaniæ id sociare laborabant. Nascitur quoque interim Lodewico Balbo defuncto filius ex uxore sua, quam moriens gravidam reliquerat, & Karolus nominatur. Ad filios tamen concubinæ regnum devenit, puta Ludowicum & Karlomannum, qui regnum Francorum tenuerunt V. annis. Isti comgressi cum Nordmannis, ex eis IXM. interfecerunt. Eodem anno Dani & Nordmanni simul conglobati fines Morinorum, Menapiorum & omnem circa Scaldum fluvium terram devastaverunt, secundum Egghardum, & inde Wol fluvium ingressi navibus, totam Batuam, id est Betowe & palatium Neomagi, quod nunc Novimagum dicitur, incenderunt. Basilio Imperatore Græcorum defuncto in Constantinopoli, se-

Digitized by Google

cundum Vincentium, Leo filius suus pro eo imperavit XVIII. annis.

Quarto anno Karoli, qui est Domini DCCCLXXXII. Imperator Karolus Romam pergens cum uxore sua Richarda, secundum Sigibertum, Imperiali benedictione sublimatur, licet secundum Egghardum, hoc secundo ejus anno factum sit. Normanni iterum adjunctis sibi Danis, secundum Sigibertum, Franciam & Lotharingiam peragrantes, Ambianis, Attrebatum, Cameracum, Corbeyam antiquam & Carvennam devastaverunt, habentes in Reges eorum Godefridum & Sigifridum. Inde vero pergentes Leodium, Trajectum superius, Tungris, Coloniam & Bunnam, cum adjacentibus castellis combusserunt, occidentes & rapientes omnia in eis inventa. In palatio vero Aquisgrani equos suos stabulantes, opidum & ipsum palatium exeuntes incenderunt. Cumque media nocte nativitatis Dominicæ Tungris applicuissent, civibus & totius patriæ incolis nescientibus, puer lectionem primam in matutinis lecturus, cum dicere deberet: Jube Domine benedicere, alte nesciens, quid faceret, clamavit: Hostes in portu, hostes in portu! Percutitur puer a magistro, & iterum legens dixit: Hostes in muro, hostes in muro! Arguitur iterum, & percutitur, & tertio legens, exclamavit: Hostes in foro, hostes in foro! Et ecce subito clamor & planctus universorum insonuit, & omnia cum hominibus ferro & igne consumta sunt. Moguntiam etiam & Treverim capientes subverterunt, & Archiepiscopos interfecerunt. Cumque Franci & Germani sic se a Nordmannis & Danis opprimi viderent, Karoli Imperatoris auxilium imploraverunt. Qui dum cum manu potenti contra Nordmannos venisset, Godefridus Nordmannorum Rex, facta pace, baptizatus est, & a Karolo Imperatore de sacro fonte levatus. Et cum non posset ipsos de Francia expellere, concessit eis regiones, quæ ultra Secanam erant, quæ usque hodie Nordmannia nuncupatur. Regi quoque Danorum Sigifrido dedit XIIM. marcarum argenti pro pace obtinenda. Videntes autem hi Nordmannorum & Danorum Reges inertiam Karoli & pusillanimitatem adolescentis, irridentes ipsius clementiam, rursum in unum conglobati, tantas strages fecerunt, ut crudelitas eorum modum excederet. Nam urbes cum inhabitatoribus, Episcopos cum toto Clero peremerunt. Quamobrem Karolus accusatus de incuria & segnitie sua, regno privatur ab Optimatibus terræ, ut infra patebit.

Quinto anno Karoli, qui est Domini DCCC LXXXIII. Nordmanni in Die Cœnæ Domini, secundum Egghardum, Treverim urbem obsederunt, & in die sancto Paschæ eam capientes succenderunt, peremto populo in ea invento. In silva Carbonaria, quæ in Francia est, secundum Hugonem, plusquam XXM. Nordmannorum occisi sunt a carbonariis & rusticis aliis, qui in nemore & prope nemus habitabant, undique congregatis.

Sexto anno Karoli, qui est Domini DCCCLXXXIIII. Lodowicus Rex Francorum frater Karolomanni obiit.

De Hadriano III. PP. Rom. CXIII.

Hadrianus Papa natione Romanus ex patre Benedicto, sedit annis V. & mensibus IIII. secundum Martinum. Hic instituit, ut Imperator non intromittat se de electione Papæ, sicut hucusque facere consveverant Imperatores, secundum Sigibertum.

Septimo anno Karoli, qui est Domini DCCCLXXXV. Karolomannus Rex Francorum obiit, secundum Vincentium. Quo defuncto, Nordmanni Franciam repetunt, dicentes, se cum Rege Francorum, & non cum Francis fœdus pepigisse. Hinc compulsi Franci, Karolum Imperatorem ad auxiliandum eis invitantes, Franciam ei subjiciunt. Qui contra Nordmannos apud Lovanium castra metatus, semel & bis exercitum misit, sed nichil egit.

Octavo anno Karoli, qui est Domini DCCLXXXVI. Karolus super Francos regnare cœpit, secundum Sigibertum, & V. annis super eos regnavit. Nordmanni Lovanium exeuntes, secundum Vincentium, urbem Parisiensem obsederunt. Contra quos Henricus Dux exercitum educens, dum incaute equitaret, in foveam, quam factam Nordmanni quisquiliis operuerant, lapsus trucidatur. Cumque urbem expugnare nequirent, Burgundiam ingressi sunt, & Senonensem urbem expugnare cœperunt, sed non valentes, & iterum Parisiensium fines pertranseuntes, Cretensem (Trecensem) civitatem succenderunt.

Nono anno Karoli, qui est Domini DCCCLXXXVII. Hogerus, defuncto Reynberto Hammeburgensi Archiepiscopo, secundum Helmoldum, ordinatus est in sedem suam, & præfuit V. annis. Ordinem autem & actus Archiepiscoporum Ecclesiæ Hammeburgensis supra quarto anno Lodowici legere poteris. Gens Ungarorum a Scythia egressa, secundum Vincentium in Speculo, in Pannoniam venit, & ejectis inde Avaribus sive Hunis, usque hodie ibidem permanent. Hæc gens adeo inculta illo tempore fuisse dicitur, ut carnibus crudis in cibum, humano vero vel brutali sangvine in potum, quemadmodum & Phalangi ultra Ruthenos commorantes uterentur.

Decimo anno Karoli, qui est Domini DCCCLXXXVIII. Karolus Imperator vidit horribilem visionem, secundum Sigibertum, de inferno & purgatorio, & post illam visionem in tantum territus, vix duobus annis supervixit. In hac visione progenitores suos quosdam in inferno vidit in maximis pœnis, & quosdam in purgatorio affligi.

Undecimo anno Karoli, qui est Domini DCCCLXXXIX. Karolus Imperator suspectam habuit Rychardam uxorem suam, secundum Sigibertum, eo quod nimis familiariter cum Liutwardo Episcopo Vercellensi loqueretur, protestans in confessione sua, se nunquam cum ea coisse. Illa vero virginem se esse gloriata

Digitized by Google

gloriata, accepto repudii libello, Monasterium virginum est ingressa a se constructum, ibique Reginæ virginum serviens, virgo & Regina permansit.

De Stephano II. PP. CXIIII.

Stephanus Papa, natione Romanus ex patre Philippo, sedit annis V. mense uno, & diebus XII. secundum Martinum; nec de isto Papa aliqua leguntur, quæ merito memoriæ commendandæ sint.

Duodecimo anno Karoli, qui est Domini DCCCXC. Karolus Imperator junior, corpore & animo deficiens, secundum Sigibertum, ab Optimatibus regni repudiatur, & regno Francorum privatur, pariter & Imperio, & Arnulfus filius Karlomanni regis in regnum sublimatur, ac Imperium adeptus est.

De Arnulfo Imp.

Arnulfus filius Karlomanni fratris Karoli Grossi, Romanorum Imperator LXXVIII. cœpit anno mundi IIIIMDCCCL. Olympiadis CCCCXIII. anno primo, Urbis conditæ MDCXXXIX. Domini vero DCCCXC. & XI. annis regnavit, secundum Martinum. Hic Imperator, secundum Vincentium, Nordmannos, qui ultra XL. annos Galliam & Germaniam infestaverant, multa gravamina eis inferendo, incredibili plaga prostravit. Sub eo enim cœpit ira Dei, quæ contra Gallos & Germanos desævierat, in misericordiam converti, & jugum Nordmannorum & Danorum refrenare.

Primo anno Arnulfi, qui est Domini DCCCXCI. Odo vel Otto, non de progenie Karoli Magni, secundum Egghardum, sed Saxonum, filius Roperti Comitis Andegavorum sive Flandriæ, Rex Francorum constituitur, abjecto Karolo Simplici filio Lodowici Balbi, & IX. annis regnavit. Habuit autem Odo iste fratrem Ropertum, qui genuit Hugonem Comitem magnum Parisiensem; ex Chronica Francorum. Quia Karolus Simplex, cui regnum debebatur, puer adhuc erat X. annorum, natus post mortem patris Lodowici, & quia regnum Francorum a frequentibus incursibus Nordmannorum defendere non poterat, Franci consilio accepto, Odonem sibi Regem præfecerunt Franciæ. Arnulfus Imperator potenter principabatur Bavaris, Swevis, Francis orientalibus, Lotharingis & Saxonibus, cui Swendebaldus Dux Nordmannorum viriliter repugnavit. Usque ad hæc autem tempora Ungarorum gens, cujus sævitiam pene omnes nationes expertæ erant, quibusdam difficillimis interpositionibus, quas clusas vel clausulas vocant, separata a nobis erat, ut neque ad meridianam neque ad occidentalem plagam exeundi facultatem haberent. Sed Arnulfus Imperator dum Swendebaldum prædictum superare nequiret, depulsis & effractis, proch dolor! his munitionibus, Ungarorum gentem scelerum cupidam in auxilium vocavit, & Swendebaldo devicto, regno Romanorum quiete potitus est. Ungari vero interim observato exitu, contemplatique regionem, malum in cordibus eorum, quod postea in patulum venit, machinabantur.

Secundo anno Arnulfi, qui est Domini DCCCXCII. Hogero Archiepiscopo Hammeburgensi defuncto, secundum Helmoldum, Adelgarius electus est in sedem, & rexit illam Ecclesiam XX. annis. Hujus tempore Bremensis Ecclesia est divisa a Hammeburgensi, & iterum facta est suffraganea Ecclesiæ Coloniensis. Nordmanni, secundum Sigibertum, Lotharingiam repetentes, prope Leodium cum Christianis pugnam inierunt, & eos vicerunt. Arnulfus autem Imperator audiens cædem suorum, de Bavaria contra Nordmannos properavit cum exercitu valido. Quos super flumen Tylia dictum pedestri aggressus est (pugna,) tantam ex eis stragem fecit, ut ex innumerabili multitudine occisorum vix superesset, qui ad classem infortunium eorum nunciaret. Nordmannorum ergo residui, transvadata Mosella, Ripuariam & Arduennam vastantes, transeundo mare recesserunt. Et ex tunc cœpit ira Dei contra Gallias sæviens in misericordiam converti, & regna Danorum & Nordmannorum mirabiliter dissolvi.

Tertio anno Arnulfi, qui est Domini DCCCXCIII. vires Nordmannorum cœperunt ex toto deficere, secundum Egghardum. Horum primus Dux fuit Ropertus, qui genuit Wilhelmum, qui Richardum, qui Richardum Secundum, qui Ropertum Gwiscardi. Hic Apuliam, Calabriam & Siciliam devicit, Venetos quoque & Alexium Imperatorem Græcorum superavit. Ropertus autem genuit Gwilhelmum Nothum, virum bellicosum, qui genuit Swendebaldum prædictum.

Quarto anno Arnulfi, qui est Domini DCCCXCIIII. Remigius Antissiodorensis Episcopus floruit, secundum Hugonem. Hic fuit in Scripturis divinis exponendis valde studiosus, & plura scripsit & docuit utilia. Gwido Musicus ex Clerico Thuronensi fit Monachus, secundum Hugonem sub Brunone Abbate religionem professus. Hic hymnos & Antiphonas de Sancto Martino dictavit, secundum Martinum.

Quinto anno Arnulfi, qui est Domini DCCCXCV. referunt quidam miraculum supra dictum S. Martini de leproso sanato factum seu contigisse.

De Formoso PP. CXV.

Formosus Papa natione Campanus ex patre Adulfo, sedit annis V. & mensibus sex, secundum Martinum. Hic Formosus, cum olim in sinistram suspicionem Johannis Papæ venisset, timore ipsius fugiens, Episcopatum Portuensem deseruit, & quia revocatus a Papa, redire noluit, anathematizatus fuit. Tandem ad satisfaciendum Papæ, in Gallias veniens, usque ad laicalem habitum degradatus est, jurans, se non amplius Romam intraturum, nec suæ urbis Episcopatum repetiturum. Confirmans etiam propriæ manus scripto, se in laicali communione perseveraturum, nec promissum nec scriptum

ptum tenuit. Nam post a Martino Papa successore Johannis in Episcopatum contra datum sacramentum restitutus, non solum intravit, sed etiam Ecclesiæ Romanæ Papatum suscepit. Propter quod cum multo scandalo per annos varios controversia agitata est in Ecclesia, aliis ejus & eorum consecrationem ab eo ordinatorum irritam esse debere prædicantibus, aliis vero econtra dicentibus, qualiscunque fuerit Formosus, tamen propter Sacerdotalis officii dignitatem & fidem eorum, qui ordinati ab eo fuerant, omnes consecrationes ejus ratas esse debere, præsertim cum ipse Formosus a Martino Papa absolutus fuerit a sacramenti perjurio. Hic secundum Gesta Romanorum Pontificum, a Romanis multum affligebatur, cujus hortatu Arnulfus Imperator venit Romam, & multos Romanorum Consules & potentes, ulciscendo Papæ injuriam decollari fecit. Causa autem discordiæ inter Formosum & Romanos fuit duplex; una: nam Stephano Papa defuncto, pars una Sergium Diaconum in Papam sibi elegerat, alia vero Formosum Portuensem Episcopum, quem pro religione vera & doctrinarum sacrarum scientia Papam fieri anhelabant. Cum autem prope esset, quod Sergius ordinari debuisset, pars, quæ Formoso favebat, non sine militari tumultu Sergium ab altari depulit, & Formosum Papam constituit. Unde Sergius in Tusciam descendens, ut Adelberti Marchionis potentissimi præsidio juvaretur, impetravit. Nam Formoso & Imperatore defunctis, post aliquot annos is, qui post mortem Formosi constitutus est Papa, expellitur, & Sergius per Adalbertum Marchionem intruditur, prout infra patebit. Secunda dissensionis causa fuit: Nam cum idem Formosus Portuensis Episcopus esset, depositus fuit per Johannem Papam & degradatus, prout supra dictum est. Et ideo Romani ipsum recipere recusabant tanquam perjurum, infamem & degradatum.

Sexto anno Arnulfi, qui est Domini DCCCXCVI. Hayto, obscurus quidem genere, sed astutus ingenio, secundum Vincentium, fit Archiepiscopus Moguntinus, & Bruno, ex Comite Abbas effectus, Cluniacum Cœnobium construxit. Brumali tempore, secundum Sigibertum, omnia fruteta vestita sunt foliis & floribus, & igne divinitus misso, tam cerei quam lampades accendebantur in Ecclesiis.

Septimo anno Arnulfi, qui est Domini DCCCXCVII. relatum est corpus S. Martini ab Antisiodoro Thuronis, secundum Sigibertum, ubi miracula multa facta sunt, & campanæ sine humano adminiculo pulsabantur. Rugiani, secundum Helmoldum in Chronicis Slavorum, hoc anno conversi sunt. Nam tempore Lodowici II. Imperatoris egressi fuerunt de Corbeya Monasterio novo Monachi insignes, qui Slavorum salutem sitientes impenderunt se ipsos ad subeunda pericula pro legatione Verbi Dei. Peragratis tandem multis Slavorum provinciis, pervenerunt hoc in tempore ad eos, qui Rani dicuntur sive Rugiani, qui habitant in corde maris. Quibus prædicaverunt Verbum Dei cum fiducia, & Deo auxiliante lucrati fuerunt totam illam insulam, & fundaverunt ibidem Oratorium in honorem Salvatoris nostri & S. Viti, qui Patronus existit in Corbeya. Sed non diu post mutatis rebus, Rani a fide defecerunt, & pulsis Sacerdotibus atque Christicolis omnibus, religionem verterunt in superstitionem. Nam S. Vitum, quem nos Christi servum confitemur, ipsi pro Deo suo venerabantur.

Octavo anno Arnulfi, qui est Domini DCCCXCVIII. Arnulfus Imperator, secundum Sigibertum, S. Dionysium Areopagitam de Gallia transtulit in Ratisponam, ubi nunc corporaliter quiescit, quamquam Franci mentientes dicunt, se corpus illud sanctissimum habere, non obstante testimonio & diffinitione Leonis Papæ, quæ sub bulla Ratisponæ habentur; quæ quidem Bulla sic incipit: Leo Episcopus servus servorum Dei, Karissimo filio, inclyto Francorum Regi Henrico, ac venerabilibus fratribus Archiepiscopis & Episcopis, necnon dilectis in Christo filiis Abbatibus, Prioribus, Præpositis & Decanis, universisque tam Prælatis quam subditis ejusdem regni, salutem & Apostolicam benedictionem. Deus omnipotens, qui non immerito per Prophetam in Sanctis suis mirabilis esse prædicatur, &c. Et sequitur in fine Bullæ: Præsentibus ergo literis dilectionem vestram monemus attentius & hortamur in Domino, districte quoque præcipientes, quatenus Beatis Rustico & Eleutherio Martyribus pie contenti, non fallentes vosmet ipsos & alios, Beati Dionysii ossa in urbe Ratispona in Ecclesia Beati Emmerani Martyris & noscatis & fateamini corruscare. Et sciendum, quod Leo iste Papa fuit decimus hujus nominis, & sanctissimus homo, ut infra dicetur tempore Henrici III. Rex autem iste Francorum fuit Henricus Rex XXXV. ut infra patebit tempore Conradi II. Integritatem hujus Bullæ & tenorem ipsius si legere libuerit, invenies in Henrico de Hervordia, Aetate VI. Capitulo LXXVI.

Nono anno Arnulfi, qui est Domini DCCCXCIX. Arnulfus Imperator invitatus a Formoso Papa, secundum Vincentium, Romam venit, sed non intromissus, Leoninam urbem obsedit, lepore versus urbem fugiente, & exercitu cum clamore nimio sequente. Quod Romani audientes, timore concussi, de muro se projiciunt, & hostibus suis acervos optimos ascendendi murum faciunt. Capta ergo Roma, illos qui Papæ injuriati sunt, Arnulfus decollari fecit, & a Papa coronam simul & benedictionem Imperialem accepit. Arnulfus ergo inde transiens, Italiam & Burgundiam sibi subjecit, ac filium suum de concubina Swendebordum Regem Lotharingiæ constituit.

Decimo anno Arnulfi, qui est Domini DCCCC. Karolus Simplex filius Lodowici Balbi, secundum Sigibertum, fit Rex Francorum XXIX. & regnavit XXIX. annis. Contra hunc Karolum Robertus frater Odonis Regis in Regem se coronari fecit, sed infra annum a Ducibus Karoli in bello occiditur. Karolus autem a bello cum paucis rediens, a Herberto Comite Viro-

Digitized by Google

Viromandensi, cujus soror fuit uxor Roberti jam interfecti capitur, & apud Peronam incarceratur, & loco ipsius Radulfus, filius Richardi Ducis Burgundiæ, Karolo Simplici procurante, regnavit duobus annis. Ipse enim Karolus eum de sacro fonte susceperat. Karolus autem post quinquennium incarcerationis suæ defunctus anno regni sui XXIX. vitæ vero XLVIII. relinquens post se Lodowicum III. qui patri in regno successit.

De Bonifacio VI. PP. Rom. CXVI.

Bonifacius Papa, natione Tuscus ex patre Bernhardo, sedit diebus XV. & interfectus est, ut creditur, a fautoribus Sergii, contra quem electus est a Clero, secundum Martinum. Karolus Simplex Francorum, secundum Sigibertum, accepto concilio cum Optimatibus suis, Cylam filiam suam dedit Rolloni Duci Nordmannorum cum Nestria & Normannia tota, & Nordmantinum Comitatum atque Britanniam minorem, quæ sunt appendiciæ Germaniæ, accepta ab eo sponsione recipiendi baptisma, ut sic dicta Cyla esset vas & vinculum pacis inter eos. Gelo etiam socius & cognatus Rollonis recepit a Karolo in dono montem Blesensem, in quo castrum ædificans, ibidem habitavit diebus multis.

De Stephano VI. Papa CXVII.

Stephanus Papa, natione Romanus ex patre Rufo, sedit uno anno & mensibus VI. secundum Martinum. Iste a Formoso Papa ordinatus fuit Episcopus Ananiæ, sed malum pro bono reddens, Formosum hostiliter persecutus est. Nam omnes ordinationes per eum factas irritavit, & alia dictu horribilia in ipsum fecit. Dicitur enim, quod ipse, & non Sergius corpus Formosi de sepulcro evulsum, & in concilio prostratum, ac Papali veste exutum, laicalem induit, & duobus digitis dextræ manus ejus abscisis, in Tiberim præcipitari fecit. O quanta malitia & livor invidiæ etiam olim in Clero desæviit, pessimum ipsis laicis existens exemplum, & infelicem posteris fomitem rancoris (præbens)! Persecutio autem hæc creditur Formoso Papæ accidisse ex divina vindicta, secundum Sigibertum, pro eo quod Ecclesiam Bremensem a Hammeburgensi Ecclesia a Sanctis viris adunatus multum utiliter, separavit. Cujus separationis sequitur (bulla), & est talis: Formosus Episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo fratri Adelgario, Hammeburgensi Archiepiscopo, salutem & Apostolicam benedictionem. Arbitrabamur, tuam sanctimoniam, prout injunctum fuerat, ad Apostolicam Sedem festinare, quatenus disceptatio, quæ inter te & Hermannum Agrippinæ Coloniæ Archiepiscopum reverentissimum ventilatur de Bremensi Ecclesia, finem reciperet. Sed quod eo per suos vicarios insistente, & querimonias multiplicante, cur tuam non exhibueris præsentiam saltem per defensorem vicarium, non modicum miramur. In quo suspicari tribuitur, summopere contentionem non odire, qui judicii æquitatem conatur subterfugere, præsertim cum & Moguntiæ sanctissimus Archiepiscopus, cui de hac re, ut veritatem inquireret, per confratres & collimitaneos Episcopos injunctum fuerat, ad nos scribens significaverit, quatenus venientibus reverentissimis Episcopis ad Franconefordiam, de hac eadem re diligentissima facta fuerit inquisitio, omnesque Diœcesani ejusdem Coloniensis Archiepiscopi, puta Franco Tungrensis, Wydebaldus Trajectensis, Woselinus Monasteriensis, Druggo Myndensis, Egelmarus Osnaburgensis, sub testificationis prætextu testificati sunt, usque ad te nullum Bremensis Ecclesiæ Præsulem modum subjectionis Coloniensi Antistiti subtraxisse, sed semper prædecessores tuos, qui eidem Bremensi Ecclesiæ præfuerunt, a temporibus suæ Christianitatis sedi Coloniensi fuisse subjectos. Verum quia tantorum virorum testimonium frustrari non expedit, & ad statum veniendi tempus festinare, vel delegare vicarium distulisti, tanti temporis querimoniam ac legatorum constantem instantiam nichil impendere inhumanum videbatur. Quapropter artati, hinc, ne Coloniensis Ecclesia justitiam perderet, inde, ne Hammeburgensis Ecclesia, quæ ad gentium vocationem instituta est, subsidio destituta deficeret, dispensative censuimus, quatenus quoad usque divina suffragante gratia, prælibata Hammeburgensis Ecclesia in tantum dilatetur, ut Episcopia instituere valeat, jam memoratam Bremensem Ecclesiam ad subsidium habeat. Et quotiens in magnis & prænecessariis Canonicis negotiis oportuerit, non subjectione aliqua, sed affectu fraternæ caritatis, Hammeburgensis Archiepiscopus, qui ejusdem Bremensis Ecclesiæ regimen obtinet, per se aut vicarium suam vicem gerentem, in adjutorium Coloniensis Archiepiscopi invitatus accedat. Dilatata autem Hammeburgensi Ecclesia, largitore bonorum omnium adminiculante, & fundatis Episcopiis, sæpe memoratæ Coloniensis Ecclesiæ Sedes Bremensem accipiat Ecclesiam. Inhumanum quippe est inter seculares, aliena jura pervadere: quanto magis Sanctorum Episcoporum statutos a patribus transgredi terminos, & eos insimul litigare, qui pacis debent subditis exempla præbere. Hæc autem ad hoc decreta est dispensatio, ut pax vigeat, cesset contentio, & justitiæ rigorem miseriæ compassio temperet, scientes, sine pacis bono nullum Deo munus fore acceptum. Nulli ergo omnino homini, &c. Hæc, inquam, Ecclesiarum utiliter adunatarum separatio tam Papæ Formoso quam Imperatori Arnulfo, de cujus consensu practicata extitit, gravium persecutionum fuit causa & occasio, Deo permittente, & ultionem inferente utrisque.

Undecimo anno Arnulfi, qui est Domini DCCCCI. Cum Arnulfus Imperator, secundum Egghardum, Wydonem Regem ubique persequeretur, nec ei castra vel munitiones quæcunque resistere possent, Rex Wydo fugam cepit. Sed Arnulfus Imperator fugientem dimittens Regem, uxorem suam obsedit in malum suum. Nam ipsa rebus suis & vitæ diffidens, per unum familiarem Imperatorem multa pecunia corru-

Digitized by Google

corruptum, ei potum mortiferum propinavit, quo hausto, Imperator per triduum excitari non poterat, apertis oculis nichil videre vel loqui valens. Quæ res ipsum repedare coëgit. Tunc ipsum redeuntem Rex Wydo persecutus est. Sed Rex percussus a Deo interiit, Imperator vero longa infirmitate tabescens, nulla arte Medicorum curari poterat, quin a pediculis & vermibus consumeretur. Unde tandem moritur Ratisponæ, & apud S. Dionysium Areopagitam, quem de Francia illac transtulerat, sepelitur.

De Lodowico III. Rege Rom.

Lodowicus III. filius Arnulfi Imperatoris, admodum puer, Romanorum Rex non Imperator, cœpit anno mundi IIIIMDCCCLXII. Olympiadis CCCCXV. anno secundo, Urbis conditæ MDCLI. Domini vero DCCCCI. & annis XI. regnavit. Hic propter tyrannorum in Italia insolentiam, & multam malorum ingruentiam, caruit corona & benedictione Papali, & pro tanto in numero Imperatorum Romanorum poni non debet, sed solum in numero Regum Romanorum, secundum Sigibertum. Ejus quoque tempore divisum est Imperium, sic quod quidam tunc in Teuthonia, & quidam in Italia regnabant. Cujus divisionis occasio fuit, quod Teuthonici non invenerunt Romanos fideles, sed contra eos bellantes, & multas injurias ipsis inferentes. Duravit autem ista divisio usque ad Ottonem I. & fuerunt interim multi regnantes in Italia. Primus ergo Rex Italorum fuit Berengarius, similiter secundus & tertius ejusdem nominis. Quartus fuit Rodolfus, quintus Hugo, sextus Lotharius, septimus Berengarius, per quem finitum fuit regnum Italorum, regnante & imperante Ottone Magno in utrisque.

Primo anno Lodowici, qui est Domini DCCCCII. Ungari audita morte Arnulfi Imperatoris, secundum Vincentium in Speculo, collecto exercitu magno, gentem Normannorum, quam auxilio eorum fultus Arnulfus sibi subdiderat, invaserunt, & eorum sibi civitates vendicaverunt & castra, Bavarorumque fines vastare cœperunt, castella eorum dejecerunt, & Ecclesias combusserunt, hominesque utriusque sexus jugulaverunt, & ut magis timerentur, occisorum sanguinem potaverunt. Unde Lodowicus Rex exercitu magno coacto, juxta Licum flumen cum eis pugnavit, & plusquam mille ex eis interfecit. Cumque pugna jam usque ad horam vesperorum protraheretur, & Rex victor æstimaretur, positis insidiis, Ungari fugam simulant. Quos dum Rex cum impetu valido insequeretur, ex omni parte prodeunt insidiæ, & quasi victi ipsi victores perimuntur. Et ut Ungari rabiem suæ perfidiæ ostenderent Bavarorum, Swevorum & Francorum provincias percurrerunt, & cuncta vastantes incenderunt & demoliti sunt.

De Theodoro PP. CXVIII.

Theodorus Papa, natione Romanus ex patre Nicolao, sedit XX diebus, secundum Martinum. Hic contra Stephanum Papam sentiens, reconciliavit omnes ordinatos a Formoso Papa, & retractavit Stephani sententias contra ipsum fulminatas. In urbe Lemovicensi quidam erat Judæus Salomon dictus, secundum Egghardum, filiam habens Judith vocatam. Hanc quidam Clericus Wilhelmus nômine frequenter visitans, atque cum ea fornicans, ipsam tandem imprægnavit. Qui timens infamiam sibi ex hoc facto oriri, ac puellæ periculum mortis imminere, usus est tali astutia. Sumsit namque arundinem, & noctu prope parietem, ubi parentes puellæ quiescebant, veniens, per foramen quoddam summitatem arundinis intromisit, & taliter locutus est ad eos: O justi & Deo dilecti gaudete, vocans eos nominibus propriis, quia filia vestra concepit Messiam in Lege vobis promissum, virgo permanens intemerata. Pater autem puellæ expergefactus, & vocem audiens, quæsivit ab uxore, si vocem illam & ipsa audivisset. Qua negante, oremus, inquit, ut ambo vocem illam audire possimus. Clericus vero colloquentes audiens, sicut prius iterum locutus est. Illi vero audientes, gavisi sunt. Et post repetitionem tertiam certiores effecti, vix diem expectaverunt, & accersitam Judith filiam intuentes, invenerunt uterum tumidum. Cui inquiunt parentes: Quomodo tibi factum est? & quis actor tuæ est gravidationis? Illa sicut a Clerico docta fuerat, parentibus respondit: Si concepi, nescio, sed scio, quod virum nunquam cognovi. Quod audientes fatui parentes, divulgaverunt per civitates & castella, quod filia eorum esset Messiam paritura. Quid amplius? Hora advenit pariendi, & præsentibus Judæorum uxoribus multis de nobilioribus propter reverentiam Messiæ, & viris innumeris circa domum parientis, nasciturum puerum præstolantibus cum gaudio, genuit misera illa Judith non Messiam, sed puellam parvulam cum gemitu magno & dolore. Quo cognito, parientis filiæ pater vocatur, & hoc lugubre prodigium sibi ostenditur. Qui confusus, infantulam per pedes arripuit, & ad parietem allidens, animam ejus excussit, mulieres vero & viri, qui ad spectaculum hoc convenerant, confusi recesserunt.

De Johanne IX. PP. CXIX.

Johannes Papa natione Romanus ex patre Petro, sedet anno uno & diebus sex, secundum Martinum. Hic ad confirmandas Formosi ordinationes, quas Stephanus Papa irritaverat, Synodum XCVI. Episcoporum præsente Rege Lodowico celebravit, in qua sententia Stephani Papæ contra Formosum lata, damnata est & reprobata. Ad hujusmodi autem ordinationum Formosi Papæ confirmationem movit tam Theodorum quam Johannem Papas sanctitatis signum dicti Formosi, quod a piscatoribus referebatur. Nam cum a piscatoribus postmodum inventus esset in Tiberi, & ad Ecclesiam S. Petri deportatus per eosdem, Sanctorum quædam imagines sese inclinantes hunc in loculo positum venerabantur.

Secundo anno Lodowici, qui est Domini DCCCCIII.

Digitized by Google

DCCCCIII. Etholfleda mater Edwardi Regis Anglorum, experta primi partus difficultate, ſecundum Hugonem, perpetuo a viro abſtinuit, proteſtans, indecens eſſe, nec convenire Regis filiæ, ut tanto periculo ſe committat amplius, ſemel evadens.

De Benedicto IIII. PP. CXX.

Benedictus Papa, natione Romanus ex patre Matthæo, ſedit annis duobus & menſibus II. ſecundum Martinum. De iſto Papa penitus nulla eſt relatio factorum notabiliorum memoria dignorum. Sarraceni ex Africa miſſi a Rege ſuo in Italiam, ut Apuliam & Calabriam ſibi ſubjicerent, eis fortiter debellatis, verſus Romam gyrantes, Galerianum montem occupaverunt, ibique munitione ſibi facta, multas Italiæ urbes debellaverunt.

Tertio anno Lodowici, qui eſt Domini DCCCCIIII. maxima fames cruciavit populos ubique terrarum, ſecundum Vincentium, quæ quidem inedia homines ſe invicem mactare & devorare compulit. Monaſterium S. Benedicti Ordinis in monte Luneburg ſecundum Egghardum, ab Oddone Duce Saxonum, hortante eum ad hoc Wiperto Epiſcopo Verdenſi; hoc tamen poſtea, caſtro & monte prædictis deſtructis, intra urbem translatum eſt, ut infra ſuo loco patebit.

Quarto anno Lodowici, qui eſt Domini DCCCCV Swendeboldus Rex Lotharingiæ, filius Arnulfi Imperatoris, ſecundum Sigibertum a Lotharingenſibus in bello perimitur. In quo quidem bello quicunque vulnerabatur, per eosdem aut ſtatim moriebatur, aut usque ad mortem infirmabatur, curari non valens.

De Leone VI. PP. CXXI.

Leo Papa, natione Neapolitanus a patre Gallo, ſedit diebus XL. ſecundum Martinum. Hunc poſt XL. dies a ſua ordinatione & conſecratione Chriſtophorus Presbyter ſuus captivavit, & in carcerem truſit, & ſic Papatum invadens, ſe conſecrari in Papam fecit. Qui cum in Papatu per VII. menſes ſediſſet, a Sergio deponitur, & in carcere tanquam invaſor Papatus recluditur. Alibi autem dicitur, quod Monachus effectus fuerit.

De Chriſtophoro PP. CXXII.

Chriſtophorus Papa, natione Siculus ex patre Abundo, ſedit VII. menſibus & duobus diebus, ſecundum Martinum, & poſtea ejectus de Papatu, incarceratus eſt, vel ſecundum alios, Monachus effectus, prout immediate dictum eſt ſupra.

Quinto anno Lodowici, qui eſt Domini DCCCCVI. Stephanus Epiſcopus Leodienſis ordinatur, ſecundum Sigibertum, vir ſanctitate & ſcientia clarus. Hic Vitam & Paſſionem Sancti Lamberti Martyris conſcripſit, Canticum quoque nocturnum de eodem Martyre, & Canticum de S. Trinitate, canticum inſuper de inventione S. Stephani Martyris, dulci & regulari modulatione compoſuit.

De Sergio III. PP. CXXIII.

Sergius Papa, natione Romanus ex patre Benedicto, ſedit annis VII. & menſibus VIII. ſecundum Martinum. Iſte Sergius fuit Diaconus, & contra Formoſum electus, ſed a fautoribus ſuis abjectus. Qui poſtea ab eodem Formoſo Epiſcopus factus, ad Franciam ſe tranſtulit, & eorum auxilio Chriſtophorum invaſorem Papatus capiens, & in carcerem trudens, latenter Romam ingreſſus, Papatum invaſit, & Romanos minis & terroribus compulit, ut omnes Formoſi ordinationes irritas haberent.

Sexto anno Lodowici, qui eſt Domini DCCCCVII. Ungari Thuringiam & Saxoniam invadentes, ſecundum Vincentium, cum magno populo terras illas deprædati ſunt, igne & ferro omnia vaſtantes.

Septimo anno Lodowici, qui eſt Domini DCCCCVIII. Adelgarius Eccleſiæ Hammeburgenſis Archiepiſcopus, ſecundum Helmoldum in Chronicis Slavorum, claruit ſanctitate & ſcientia. Hujus tempore, ut ſupra patuit DCCCC. Eccleſia Bremenſis, quæ dictæ Hammeburgenſi Eccleſiæ propter excidium urbis & deſolationem parochiæ ejusdem adunata fuerat per Nicolaum Papam, ſeparata extitit ab eadem per Formoſum Papam, conſentiente Arnulfo Imperatore.

Octavo anno Lodowici, qui eſt Domini DCCCCIX. Adelbertus, filius ſororis Henrici Ducis Saxoniæ, poſtea Regis Romanorum, per ſeptennium Lodowico Regi Romanorum rebellis, ſecundum Sigibertum, diſpendium non modicum in caſtro Babenberg contra rempublicam exercebat & ſimultatem. Qui cum per potentiam de facili ſuperari nequiret, Hatto Moguntinus Archiepiſcopus Regi Lodowico auxilio fuit, per dolum ſcribens ei ſic: Practicabo enim ego, ut Adelbertus veniat ad te, tu autem videas, & ſic ordines, ut a te non recedat. Hatto ergo dolo plenus tranſtulit ſe in Babenberg ad Adelbertum, affirmans ſibi ſub juramento, quod ei vel pacem cum Rege faceret, vel ipſum loco ſuo reſtitueret incolumem. Adelbertus autem doli ignarus, pactis Archiepiſcopi conſenſit, & ipſum Hattonem ad prandium invitavit. Sed ille venire negavit. Exeunt ergo urbem, Hattone Archiepiſcopo dextram Adelberti tenente; & cum eſſent extra opidum, Epiſcopus exclamavit: proh! quam ſæpe pœnitet illum, qui oblata bona ſpernit: tædet me longioris viæ & tardioris horæ: nam jejuni ire non valemus tota die. Adelbertus autem nichil mali cogitans, lætus cum Pontifice nequam urbem reingreditur. Pontifex autem cum reduxiſſet ipſum ad urbem, ſe abſolutum a juramenti vinculo putavit, eo quod incolumem reſtituiſſet loco ſuo, ſed non poſt aſpectum Regis, ut juraverat. Prandio ergo facto, Adelbertus cum proditore ſuo Antiſtite graditur, & ſic Regi præſentatur. Qui mox habito Principum conſilio, qui affuerunt, pariter & judicio, decreto eorum decollatus eſt, & in proprio caſtello Tharifa ſepultus. O Moguntia, ab antiquo vere nequam!

Nono anno Lodowici, qui eſt Domini DCCCCX. Imperium, ſecundum Vincentium in

Digitized by Google

in Speculo, dividitur, & Berengarius regnat primus in Italia quatuor annis. Iste sagax multum fuit in rebus bellicis, & gwerram gessit cum Romanis satis gravem suis temporibus.

Decimo anno Lodowici, qui est Domini DCCCCXI. Ipse Rex Lodowicus Rex fugavit Berengarium Regem de Italia, secundum Sigibertum, & pro eo in ea regnavit. Sed postea Veronæ Lodowicus capitur, & incarceratur, & Berengarius regno restituitur. Gwido Musicus, secundum Vincentium, plura utilia scripsit, florens hoc in tempore cum Remigio Grammatico. Adelgario Hammeburgensi Archiepiscopo defuncto, Reynwardus dictæ Sedis Pontifex factus est, & vix uno anno sedit, secundum Helmoldum. Hujus Antistitis tempore Ungari iterum Saxoniam intrantes, Ecclesias urbis Bremensis incenderunt, & Sacerdotes in eis inventos trucidaverunt, cruces quoque & alias imagines Sanctorum combusserunt. Sed Deus Zelotes ita se de suis vindicavit inimicis, quod ipsi Pagani diversis plagis attriti, nec unus ex eis evasit illæsus.

Undecimo anno Lodowici, qui est Domini DCCCCXII. Lodowicus Rex moritur, secundum Sigibertum, & Ratisponæ honorifice sepelitur. Iste Lodowicus, secundum Egghardum, ultimus fuit de stirpe Karoli Magni, culpis Francorum hoc exigentibus, eo quod Ecclesias per patres eorum constructas & fundatas dissipabant.

De Conrado I. Rege Romanorum.

Conradus I. filius Conradi per Adelbertum occisi, Romanorum Rex cœpit anno mundi IIIIMDCCCLXXII. Olympiadis CCCCXVII. anno tertio, Urbis conditæ MDCLXI. Domini vero DCCCCXII. & VI. annis & V. mensibus regnavit, secundum Martinum. Hic Rex virtuosus fuit & in militaribus exercitiis valde strenuus. Mortuo enim Lodowico, secundum Chronicas Saxonum, Principes Teuthoniæ Oddoni sive Ottoni Duci Saxoniæ Regnum obtulerunt Romanorum. Sed cum grandævus esset, Conradum adolescentem pro se Regem constituit. Hic Oddo filius fuit Ludolfi Ducis Saxoniæ, qui sedem sui Principatus tenuit in Cappenberg, & fuit de sangvine Wydekindi Regis Angarorum. Cujus gratia notandum, secundum Egghardum, quod postquam Wydekindus Rex factus fuit Christianus, genuit Wikbertum Ducem Christianum, Wikbertus vero genuit Walbertum, qui Ecclesiam fundavit in Wildeshusen, Walbertus autem genuit Ludolfum nobilissimum & Christianissimum, qui Monasterium in Gandersheym fundavit. Dux vero Ludolfus genuit hunc Oddonem sive Ottonem invictissimum, qui in Regem Romanorum electus fuisset, si acceptare voluisset, ut præmissum est. Similiter Ludolfus prædictus pater Oddonis genuit Brunonem & Tanquardum fratres Oddonis, qui Bruno Dux fundavit urbem Brunswicensem, qui postea cum fratre suo Tanquardo, devictis Danis, in Teuthoniam cum multo populo rediens, inundatione quadam gravi imbrium pariter perierunt. Sub isto autem Conrado Rege Romanorum potentissimi erant Principes, puta Arnodus (Arnoldus) Dux Bawariæ, Borchardus Dux Sweviæ, Gyselbertus Dux Lotharingiæ, & Everhardus Comes Flandriæ; inter quos Henricus Saxonum & Thuringorum Dux præpotens filius Oddonis clarus & celebris habebatur.

Primo anno Conradi, qui est Domini DCCCCXIII. Ordo Cluniacensis cœpit, secundum Egghardum. Nam Berno Abbas Gigniacensis Monasterii moriturus Odonem olim Musicum constituit Abbatem Cluniacensem primum sub ea conditione, ut Ecclesia Cluniacensis solveret Ecclesiæ Gigniacensi in signum fundationis ejusdem censum XII. denariorum annuatim. Quod sic observatum est. Defuncto Reynwardo Hammeburgensi Archiepiscopo, electus est Unni & confirmatus in sedem eandem. Hic præsidens Ecclesiæ prædictæ, secundum Helmoldum XXII. annis, prius fuerat Ecclesiæ Bremensis Præpositus. De isto factus est talis versus:

Principibus notus Unni fuit ordine nonus,
scilicet in Præpositura Bremensi, sed sextus Archiepiscopus Ecclesiæ Hammeburgensis.

Secundo anno Conradi, qui est Domini DCCCCXIIII. Berengarius II. factus Rex Italiæ, VII. annis regnavit. Ungari ab Alemannis & Bavaris prope fluvium Oenum, qui vulgariter Yne dicitur, occiduntur.

De Anastasio III. PP. CXXIIII.

Anastasius Papa natione Romanus ex patre Fabiano, sedit uno anno & tribus mensibus, secundum Martinum. Hic propter temporis brevitatem, quo in Papatu sedit, nichil scriptura dignum egit. Contra Conradum Regem Romanorum, secundum Vincentium, potentiores regni Principes rebellionem meditati sunt, sed tam sapientia quam fortitudine ejus ad gratiam ipsius reducuntur.

Tertio anno Conradi, qui est Domini DCCCCXV. Slavi, secundum Helmoldum, Hammeburgensem Ecclesiam funditus destruxerunt; propter quod oportuit, ut Archiepiscopatus ille re, sed non nomine transferretur ad Ecclesiam Bremensem ad tempus. Dani vero Slavos auxilio habentes, primo Transalbianos Saxones, deinde citra albianos devastantes, maximo terrore Saxoniam conquassabant pariter & destruebant.

De Landone PP. CXXV.

Lando Papa, natione Romanus ex patre Rufo, sedit unico anno & diebus X. secundum Martinum. Hic similiter sicut & suus prædecessor ob dierum suorum paucitatem, quibus Pontificatum summum tenuit, nichil memorabile operatus fuit.

Quarto anno Conradi, qui est Domini DCCCCXVI. apud Danos, secundum Helmoldum in Chronicis Slavorum, Grom Rex crudelissimus regnavit, qui secundum alios Worm nominabatur, qui ipse ut vermis venenosus & infectivus nomen Christianitatis persecutus est. Nam fidem Christianam, quam Anscharius vir sanctus & sui sequaces in cordibus Dano-

Digitized by Google

Danorum plantaverant, prorsus demoliri studuit & eradicare. Unde Sacerdotes de regno suo expellens, plurimos eorum cum multis laicis Christicolis interfecit.

Quinto anno Conradi, qui est Domini DCCCCXVII. orta est gravis Ungarorum incursio, secundum Vincentium, qui non solum Saxoniam & alias Rheni provincias, verum & transRhenum Lotharingiam, Bavariam & Franciam demoliti sunt. Tunc namque incensis Ecclesiis, cruces & imagines Sanctorum truncatæ sunt & ludibrio expositæ. Sacerdotes vero coram altaribus trucidati sunt, & Clerus vulgo mixtus aut interfectus est, aut in captivitatem ductus.

De Johanne X. PP. CXXVI.

Johannes Papa, natione Romanus ex patre Sergio, sedit annis VI. & mensibus VIII. secundum Martinum. Iste prius fuit Archiepiscopus Ravennensis & dilapidator suæ Ecclesiæ, propter quod Ravennense vulgus ipsum deposuit. Hujus consilio pariter & auxilio Sarraceni prope urbem primo devicti sunt. Deinde ipse Papa cum Marchione intrans Apuliam, apud Sarthalianum contra Sarracenos durum bellum habentes, victoriosi Principes reversi sunt.

Sexto anno Conradi, qui est Domini DCCCCXVIII. Basilea urbs gloriosa, secundum Vincentium, ab Ungaris funditus destructa est. Interveniente discordia, secundum Sigibertum, Albertus Marchio, qui Johannem Papam & Romanos contra Sarracenos juverat, de urbe Roma expulsus, munitionem fortem construxit, & in ea se recipiens, pro Ungaris nuncios misit, ut terram Romanorum sibi acquirerent & possiderent. Qui venientes, totam Tusciam depopulati, mares & fœminas ac omne, quod tollere poterant, in Ungariam secum deportaverunt. Propter quod Romani commoti, Marchionem trucidaverunt. Postea vero singulis annis per tempora longa Ungari fines Romanos vastare soliti erant. Johannes vero Papa a militibus Comitis Gwidonis captus, & in carcerem missus, super os cervicali posito strangulatur, in cujus loco alter Johannes subrogatur. Et quia prior Johannes & male intraverat, & ejectus fuit, ideo in numero Romanorum Pontificum non ponitur, sed ei subrogatus.

Septimo anno Conradi, qui est Domini DCCCCXIX. Hattonem Archiepiscopum Moguntinum, cujus traditione olim Adelbertus Dux Bawariæ perierat, secundum Sigibertum, Conradus Rex solicitavit etiam contra Henricum Ducem Saxonum, propter potentiam ejus Regi suspectum. Ad quem perdendum cum jam torquem aureum Archiepiscopus fabricasset, ut collo Ducis secum convivantis injiceretur, dolo prodito frustratus est. Qui post triduum ictu fulminis percussus interiit, malitiæ suæ mercedem accipiens. Complices autem consilii perversi a Duce patria pelluntur. Misso autem exercitu a Rege contra Henricum, tanta cæde Saxones debacchati sunt in eos, ut a multis clamaretur: Ubi est infernus tam amplus, qui tantam occisorum hominum multitudinem capere possit. Conradus autem infirmitatem gravem incidit ex melancholia & dolore tanti infortunii, secundum Egghardum, & videns, sibi mortem imminere, vocavit Principes & Optimates regni, & pœnitentia ductus, designavit eis in Regem Henricum filium Oddonis sive Ottonis Ducis Saxonum, de stirpe Wydekindi Regis Angarorum natum. Et cum isto Henrico devolutum est Imperium ad Saxones & Bawaris de Francis, & multis temporibus apud eos mansit.

De Henrico I. Rege Romanorum.

Henricus I. filius Oddonis Ducis Saxoniæ, Romanorum Rex cœpit anno mundi IIIIMDCCCLXXIX. Olympiadis CCCCXIX. anno primo, Urbis conditæ MDCLXVIII. Domini vero DCCCCXIX. & annis XVII. regnavit, secundum Martinum. Iste sicut & antecessores sui Lodowicus & Conradus, quia non regnavit in Italia, caruit benedictione & corona Imperiali. Oblatum tamen sibi diadema & unctionem per Papam quamvis non sperneret, tamen ex humilitate non suscepit, dicens: Satis mihi est, ut præ majoribus meis Rex dicar divina favente pietate vestraque gratia. Sed unctio & diadema sint penes nobis meliores. Tanto enim honore arbitramur nos indignos. Placuit iste sermo universæ multitudini, & dextris in cœlum levatis, nomen novi Regis clamore valido salutantes extollebant. Hic Henricus, secundum Chronicas Saxonum, filium Oddonis habuit duos patruos, fratres videlicet sui patris, Brunonem & Tanquardum. Hi duo fratres fundaverunt urbem Brunswik, quilibet ex nomine suo partem suam appellans. Unde adhuc in quibusdam veteribus privilegiis una pars civitatis Tanquard nominatur, similiter ex Brunone Vicus Brunonis, id est Bruneswik nuncupatur. Hi duo fratres Episcopatum, quem Karolus Magnus fundaverat in Schydere, transposuerunt in Vallersleve, & ibidem Episcopum S. Marcum constituerunt, qui & ibidem sepultus est. Quem Episcopatum successor eorum filius Oddonis fratris eorum, scilicet Henricus primus cognomento Auceps, id est Vogheler, transtulit in Northuringiam in Vrose. Sed eundem Episcopatum Otto I. filius ejus transtulit in Magdeburg, Archiepiscopatum inde faciens, & Ecclesias plures Slavorum subjiciens eidem. Qui autem nunc dicuntur Brunswicenses, tunc Duces Saxoniæ nominabantur, quia Brunwik erat eorum proprietas cum terra circumjacente usque ad tempora Frederici II. qui tali conditione contulit Ottoni Duci Ducatum de Luneburg, quod amplius non debebit vacare Imperio, quamdiu hæres superfuerit cujusque sexus usque ad quartum gradum inclusive. Isti etiam Bruno & Tanquardus fratres, cum gens Danorum in Francia crudeliter sæviret, & postea Teuthoniam invaderet, eis occurrerunt, & usque ad deletionem extremam percusserunt. Et cum victores redirent, cum multo populo inundatione quadam imbrium perierunt. Oddo vero frater eorum,

Digitized by Google

eorum, qui nomen Ducis Saxoniæ retinuerat, in divisione Principatus inter fratres, a quo & Ducatus Saxoniæ postea fructificavit, regnum Romanorum habere potuisset, sed cum senectute gravatus esset, Conradum Regem pro se constituit. Quo celeriter defuncto, de consensu Principum ad Henricum filium Oddonis regnum devolutum est. Hic quidem Henricus tres filios accepit de Mechtilde de Rynghelheym de semine Wydekindi propagata, puta Brunonem Archiepiscopum Coloniensem, Ottonem Imperatorem hujus nominis primum, & Henricum Ducem Bawariæ. Mater autem hujus Henrici fuit Liuthgarda, filia Arnulfi Imperatoris. Sororem vero ejus habuit Adelbertus Dux de Babenberga, per Hattonem Archiepiscopum Moguntinum nequiter traditus, & per Lodowicum Regem interfectus. Hic Henricus I. Brandenburg urbem Slavorum, supra glaciem castra ponens, obsedit, & Slavos devicit. Contra impetum Paganorum Saxoniam opidis diversis muniri fecit. Mysne castrum in monte contra Slavos ædificavit. Montem Ramelberg habere mineras invenit. Civitatem Goslariam fundavit, & urbem Quedelingeburg, in qua & congregationem nobilium fœminarum instituit, ubi filiam suam primam Abbatissam fecit; & ut Princeps & Domina esset multorum Principum, prædia largissima Ecclesiæ suæ donavit, quam in honorem Sancti Servatii consecrari fecit, ministrans in die consecrationis Ecclesiæ ad refectionem dominarum XI. fercula, XI. mensalia pretiosa, & undecies mille mansos. Ipse etiam Henricus Ungaros, quibus Saxones tributarii fuerunt, devicit, prout infra patebit.

Primo anno Henrici, qui est Domini DCCCCXX. Arnulfus Dux cum uxore & filiis ab Ungaria rediens, in Bayoariam sive Bawariam vel Bavariam, quæ idem sunt, secundum Chronicas Saxonum, honorifice suscipitur, & ut Rex fiat, a Bawariis vehementer exoratur. Rex autem Henricus cernens, sibi Arnolsum solum velle resistere, cum exercitu valido transivit in Bawariam, & ipsum in præsidio urbis Ratisponæ obsedit. Ille vero perpendens, se Regi non posse resistere, apertis portis egressus est ad Regem, & se ipsum ac omnia sua Regi tradidit. Unde etiam a Rege honorifice susceptus est, & amicus ejus appellatus est.

Secundo anno Henrici, qui est Domini DCCCCXXI. Berengarius III. Rex Italorum cœpit, secundum Vincentium, & VII. annis in Italia regnavit. Stephanus Episcopus Leodiensis obdormivit in Domino, cui Bonus re & nomine in sedem successit. Temporibus autem hujus Stephani Episcopi, secundum Egghardum, erat in Monasterio, quodam suæ diœcesis nobilium puellarum, una Nobilis Monialis Margareta nomine, omnibus amabilis, & Deo ac matri suæ gloriosæ multum devota. Hanc Moniales cæteræ ob famam probitatis suæ & vitæ laudabilis exercitationem in Abbatissam elegerunt. Quæ velut lucerna jam supra candelabrum posita, in virtutum operibus subditis suis cupiens præire, rigorem suæ religionis & in se ac in sibi subjectis puellis studuit ampliare. Quod quædam leves & dissolutæ illius Monasterii sorores ægre ferentes, laborare cœperunt juxta vires suas ad denigrandam ipsius bonam famam. Unde miserunt occulte literas infamatorias ad prædictum Antistitem Stephanum, qui Abbatissam prælibatam ob claram ejus famam valde dilexit. Et ideo dictas literas reputavit frivolas, & ex livore vindictæ & invidiæ fœmininæ conscriptas. Monachæ autem illæ videntes, quod nichil proficerent in suo proposito, vocaverunt Clericum, & dixerunt ei: Vis concumbere cum Abbatissa nostra? nos ordinabimus tibi loci & temporis opportunitatem. Erat enim Clericus ille lubricus, & Abbatissa pulcra valde. Qui annuens, introductus est nocte in Oratorium Abbatissæ, & ibidem vi eam oppressit. Quæ mox concepit, & repressit pudorem, quamdiu potuit, sed continue flevit. Adveniente autem tempore partus, iterum sorores miserunt literas ad Stephanum Præsulem, dicentes, quod Abbatissa earum esset imprægnata, & tempus partus ejus esset in foribus. Quod audiens devotus Episcopus, & supra modum dolens, venit visitare eam animo amaro. Cumque Episcopus disponeret venire, interim Abbatissa erat in oratione continua, & cum lacrymis exorabat Beatam Virginem, dicens: O Beatissima Virgo, tu scis, quam ab infantia dilexerim te. Et cum sis mater misericordiæ, rogo te, ut auferas opprobrium meum: alias te nunquam matrem misericordiæ confitebor. Scis enim tu, quam invite & innocenter ad hoc malum deveni. Cum ergo hæc & similia jam diu multis lacrymosis vocibus fatigata exorasset Virginem Benedictam, tandem obdormivit, & Beata Virgo venit, & abstulit ab ea puerum; eam ex toto reintegrans, ita quod nullum corruptionis signum in ea appareret. Infantem vero tradidit alendum cuidam matronæ per Angelicum ministerium. Abbatissa autem evigilans, & se liberatam sentiens, læta effecta, gratias retulit Domino & suæ Beatissimæ Matri. Episcopus ergo veniens, dixit Abbatissæ: cur hanc rem turpissimam commisisti filia Babylonis misera & maledicta? Cui illa: Quid est mi Domine & Pater, pro quo me tam dure reprehendis? Antistes vero multum indignans ait: Interrogas jam de culpa vilissima mulierum? Illa respondit: Si alicujus mali ream me judicas Pater sancte, pœnitentiam libenter feram. Ad quam Episcopus; Confudisti me & te opprobrioso incestu. Cui illa: Parcat tibi omnipotens Deus, pater, pro culpa hac mihi injuste imputata. Et statim obtulit se ad examen honestis mulieribus, ut probaretur ejus innocentia. Quæ cum nullum corruptionis signum in ea invenissent, testatæ sunt, eam in omnibus fore insontem. Quod audiens pius Episcopus, gavisus est valde; & volens pœnam talionis inferre accusantibus eam, rogatus est ab Abbatissa, ne hoc faceret. Et retulit ei totius facti historiam in confessione ad laudem Dei & Beatissimæ ejus Matris, & sic restituta est famæ.

Post

Digitized by Google

Post hoc revelatum fuit eidem Episcopo, apud quam matronam puerum inveniret,& ut ipsum in filium adoptaret ac educaret, quia successor suus in Pontificatu esse deberet. Quod cum Episcopus faceret, imposuit sibi nomen, ut Bonus vocaretur. Hic puer tantæ cœpit esse probitatis & ingenii, ut singulos in stuporem verteret. Cumque adolevisset juvenis, promotus est ad ordines, & factus est Capellanus Domini sui. Morte autem Episcopi instante, quæsivit Clerus, quem sibi vellet succedere in officio. Quibus ait Episcopus: Meum consilium est, ut Bonum meum Capellanum eligatis in Episcopum. Quod sic factum est. Unde factus Episcopus, tantæ devotionis & gratiæ Dei adeptus est donum, ut ab omnibus pro sancto homine veneraretur.

Tertio anno Henrici, qui est Domini DCCCC XXII. Ungaris, secundum Egghardum, Alemanniam, Franciam, Alsatiam & Saxoniam depopulantibus, Rex Henricus juxta urbem Merseburg cum eis congressus est. Et ut victoriam a Deo de eis consequeretur, votum fecit Domino, quod hæresin Simoniacam de regno suo extirpare vellet. Quo voto emisso, mox inæstimabili cæde barbaros illos etiam usque ad interneccionem delevit. Karolus Simplex Rex Francorum, secundum Vincentium, Ropertum fratrem Oddonis Regis antecessoris sui sibi rebellem cum multis in bello peremit.

Quarto anno Henrici, qui est Domini DCCCC XXIII. Theodericus primus Comes Hollandiæ moritur, secundum Sigibertum, confectus senio, & in Egmund Monasterio sepelitur, cui successit in Comitatu filius suus Theodericus. Henricus Rex quoscunque fures & latrones manu fortes & aptos bello capiebat, secundum Egghardum, indulta eis venia, agros & arma contulit, & legionem ex eis faciens, ad debellandos barbaros exposuit, præcipiens eisdem, ut civibus omnino parcerent.

De Leone VII. PP. CXXVII.

Leo Papa, natione Romanus ex patre Clemente, sedit mensibus VIII. & diebus XVIII. secundum Martinum. Hic propter vitæ suæ brevitatem in Pontificatu nihil gessit, quod Annalibus commendari potuit. Sangvis Christi venit in Angliam insulam, secundum Hugonem, forte ille, qui de imagine Domini fluxit, cum Christus in ea a Judæis secundo pateretur.

Quinto anno Henrici, qui est Domini DCCCC XXIIII. Karolus Simplex se & Franciam Henrico Regi Romanorum submisit, secundum Sigibertum, eique in pignus perpetui fœderis & amoris misit manum pretiosi Martyris Dionysii Areopagitæ, auro gemmisque inclusam.

De Stephano VII. PP. CXXVIII.

Stephanus Papa, natione Romanus ex patre Gamfredo, sedit annis duobus, mensibus VI. & diebus XV. secundum Martinum. Nec iste Antistes egit memorabile quodcunque.

Sexto anno Henrici, qui est Domini DCCCCXXV. Henricus Rex, secundum Vincentium in Speculo, cum Ungaris pacem fecit ad IX. annos duraturam, data eis magna pecuniæ summa. Medio autem tempore terram suis opidis & castris munivit, cavens, ne amplius sic Christiani a Paganis premerentur. Completis autem IX. annis, Ungari per legatos suos exegerunt tributum a Henrico, quod eis solvere consveverat ante pacem factam. Sed Henricus in signum contemtus & abjectionis eorum, catulum præcisum auribus & cauda misit pro tributo. Propter quod Ungari exacerbati gravissime, cum CXXM. pugnatorum Saxoniam intraverunt, omnia loca transitus eorum devastantes. Unde populus Thuringorum in opido, quod Lichen vocatur, se recipiens, ibidem a LXM. Ungarorum est obsessus, reliquis LXM. per Saxoniam diffusis, & prædas ac cædes atrociter agentibus. Henricus autem Rex cum IIIIM. tantum hostes improvisos aggreditur, & eos ad confusionem extremam exterminavit. Nam qui gladium evaserant, misere nudati recesserunt, qui vero fuga elapsi fuerant, turpius in paludibus submersi perierunt. Unde etiam dici solet, quod palus in Waggersleve, quæ dividit nemora Elvionem & Huyonem, ad tantam profunditatem ex tanta multitudine fugientium depressa sit. Qui vero ad fugam expeditiores erant, venientes ad socios in obsidione Lichen opidi positos, fecerunt eis horrorem tantum, ut & ipsi simul cum fugientibus fugerent, & omnis terræ populus exultans, eis insultaret ut fatuis.

Septimo anno Henrici, qui est Domini DCCCCXXVI. Henricus Rex, secundum Vincentium, Danis & Slavis devictis, & sub tributo redactis, nomen suum celebre fecit & famosum cunctis nationibus. Berengarius Rex Italiæ, secundum Egghardum, nequiter ab Italicis perimitur, cui Rodolfus Rex quartus successit, & solum annis duobus super Italos regnavit. Videns Sanctus Unny Archiepiscopus Hammeburgensis, qui Reynwardo successerat, secundum Helmoldum, Dei virtute & animositate Henrici Regis Danorum Slavorumque provincias edomitas, ostiumque fidei in gentibus esse reseratum, omnem suæ diœcesis latitudinem tentavit per se ipsum perlustrare & visitare. Multis ergo religiosis viris secum sumtis, tandem pervenit ad Danos, ubi tunc crudelissimus Worm Rex regnavit. Quem licet propter durissimam cordis malitiam flectere non posset ad Christi cultum, filium tamen ejus Haroldum, Deo auxiliante, ad Christum convertit, sed baptizatus pro tunc non fuit. Ordinatis ergo in regno Danorum per singulas Ecclesias Sacerdotibus suis, sanctus Dei Antistes Unny multitudinem credentium Haroldo filio Regis Wormari commendavit, & ipse legatione ejusdem Haroldi filii Regis functus, ad conversionem Sweorum & Norweorum operam dedit efficacem, quos omnes una cum Gothis convertit. Hanc audaciam prædicandi in Dacia Verbum Dei sibi præstitit Henricus Rex Romanorum, qui cum maximo exercitu Daciam intraverat, & Regem Danorum Worm sive Wormarum in primo congressu ita perterruerat, ut imperata ab

Digitized by Google

ab eo libenter susciperet, & pacem supplex postularet.

Octavo anno Henrici, qui est Domini DCCCCXXVII. Heribertus Comes Flandriæ, secundum Sigibertum, Karolum Simplicem Regem Francorum dolose invitans ad hospitium suum apud Peronam, ipsum captivavit, & in carcere reclusit. Henrico Regi ad dilatandum regnum suum super Lotharingos tendenti, secundum Vincentium in Speculo, in ipsa profectione, ubi Rhenum pertransiit, legatus Karoli Simplicis occurrit, & salutato eo verbis humilimis inquit: Dominus meus Karolus, Regia quondam potestate præditus, sed modo turpiter privatus, in fide bona, misit me ad tuam clementiam, demandans tibi, quod sibi ab inimicis circumvento nichil dulcius, nichilve jam possit esse jocundius, quam de tui magnifici profectus gloria audire, famaque virtutum tuarum consolari. Et hoc tibi signum fidei & veritatis transmisit, & protulit de sinu suo manum pretiosi Martyris Dionysii Areopagitæ, auro gemmisque pretiosis inclusam. Hoc, inquit, habeto pignus fœderis perpetui & amoris. Rex autem humo prosternitur, munusque divinum cum omni humilitate & gratitudine suscipiens, dixit legato: Hæc pars unicum extitit solatium Francorum Galliam inhabitantium, postquam eos S. Vitus Martyr ad eorum perniciem deseruit, & ad Saxoniæ perpetuam pacem, ipsam visitavit. Nec enim postquam corpus ejus translatum est, bella civilia cessaverunt in Francia nec externa.

De Johanne XI. PP. CXXIX.

Johannes Papa, natione Romanus ex patre Gregorio, sedit annis IIII. & mensibus VI. secundum Martinum. Hujus tempore in Janua urbe fons sangvine largissime fluxit secundum Hugonem. Et eodem anno Sarraceni in Africam venientes ceperunt urbem illam, & hominibus ac thezauris eam evacuarunt, spoliis quoque & igne regionem illam hostiliter vastaverunt.

Nono anno Henrici, qui est Domini DCCCCXXVIII. Karolo Simplici Francorum Rege incarcerato ab Herberto Comite Flandriæ, secundum Vincentium, Rodolfus Richardi Ducis Burgundiæ filius in regnum Francorum constituitur per Francos. Uxor vero Karoli ad patrem suum Regem Angliæ fugit cum filio parvulo Lodowico. Et quia hic Rex indebite ingressus est regnum, non Francorum, sed Burgundionum Rex nominatus est. Hic Rex Burgundionum Rodolfus, qui secundum Chronicam Liutbrandi aliquibus annis ipsis Italis imperavit, lanceam sacram a Samsone Comite recepit. Erat enim nova elaborata figura. Nam in media spina habuit in utroque latere quasi fenestram, clavis manibus & pedibus Salvatoris nostri affixis sanctificatam, quæ fertur Constantini Magni Imperatoris fuisse. Hanc Henricus Rex a dicto Rodolfo cum non posset precibus extorquere, minis & muneribus extorsit, addita etiam sibi parte provinciæ Swevorum. Henricus autem Rex hanc lanceam ad insigne tutamen posteris suis reliquit. Quamdiu autem vixit, hoc victifero signo se præeunte, semper hostes suos terruit & fugavit ac vicit.

Decimo anno Henrici, qui est Domini DCCCCXXIX. Rodolfus Rex Burgundionum ab Italicis ad regnandum contra Berengarium Tertium alias invitatus, ut dictum fuit supra anno VII. Henrici, hoc anno, secundum Egghardum, ab eisdem Italis repudiatur pariter & a Burgundionibus, & Hugo Comes Arelatensis in regnum ab utrisque subrogatur. Hic Hugo Rex quosdam Italienses suspectos sibi, consilio & virtute Samsonis Comitis circumventos, sibi substravit. Juger Rex Russorum, secundum Vincentium, sciens, exercitum Græcorum directum esse contra Sarracenos, & ad insularum custodias esse dispersum, ad expugnandam Constantinopolim cum mille & amplius navibus venit, ita de victoria jam securus, ut Græcos non occidi, sed capi præciperet. Quibus Romanus Imperator Græcorum cum paucis viriliter occurrens, circumcirca Græco igne injecto, pene omnes naves cum contentis in eis armatis combussit.

Undecimo anno Henrici, qui est Domini DCCCCXXX. Ipse Henricus Rex, secundum Sigibertum, Brandenburg urbem Slavorum, supra glaciem castra ponens, obsedit, & eam capiens, Slavos devicit. Dehinc autem transiens contra impetum Paganorum & præsertim Slavorum, castrum Mysne ædificavit. Civitatem quoque Goslariam fundans, montem Rammelberg mineralia nobilia continentem adinvenit. Fundavit etiam idem Henricus Rex pro eodem tempore urbem Quedelingeburg, ubi Monasterium gloriosum construens, nobiles fæminas in eo statuit, filiam suam in eo ponens primam Abbatissam. Et ut Domina esset multorum Principum & Nobilium, prædia largissima ei constituit. Nomen autem Abbatissæ fuit Mechtildis. Huic namque Monasterio dedit Rex terram illam, quæ modo territorium Advocatorum nuncupatur inter Mysnam & Bohemiam sitam, distingvens eam in IIII. Advocantias, quarum Advocati dicto Monasterio de mansis & cæteris bonis pensiones annuales solverent, & de necessariis puellis illis providerent. Advocatus autem primus Abbatissæ illius Monasterii dictus est de Ghera, secundus de Wyda, tertius de Plawis, & quartus de Rutzia. Hoc insuper Monasterium magnis libertatibus & privilegiis Imperialibus & Papalibus est prædotatum, & exemtum a jurisdictione omnium infra sedem Apostolicam constitutorum, nec confirmatur Abbatissa a quoquam Episcopo, sed immediate a Papa. Idem Henricus pro eodem tempore fundavit Monasterium Wenetehusen Ordinis S. Benedicti, & uxor sua Mechtildis Collegium S. Eustachii in Northusen instituit, quod nunc ad Sanctam Crucem dicitur.

Duodecimo anno Henrici, qui est Domini DCCCCXXXI. Spingrus Dux Bohemorum, secundum Martinum, ad fidem convertitur per Henricum Romanorum, qui quamvis neophytus esset, tamen juste & religiose principatus est

XII

Digitized by Google

XII. annis. Post quem filius ejus Wenezlaus justitia & sanctitate præclarus rexit Ducatum; cujus actibus bonis & piis frater suus Bolezlaus invidens, eidem adversatus est, & tandem primo anno Primi Ottonis ipsum interfecit, & Principatum suum occupavit. In cujus ultionem Otto Imperator Bolezlaum per annos XIIII. bello premens & fatigans, cum magno suorum detrimento ipsum superavit, & totam Bohemiam vastavit. Hic Wenezlaus Dux tantæ fuit humilitatis, quod clam nocte cum uno servo ad silvam properavit, & propriis humeris ligna deferens, ante fores viduarum & pauperum clam deposuit. Collegit etiam spicas nocte, & hostias manu propria faciens, per Ecclesias distribuit. Cum autem semel ad Regis Henrici curiam cum aliis Principibus advenisset postremus omnium,& ob hoc alii Principes locum sibi ad sedendum dare nullatenus decrevissent; cum ergo vir Dei subito intraret, viderunt crucem auream in fronte ejus, & ipsum hinc inde Angelos comitantes; cui Rex, hoc viso, assurgens, ipsum nimio cum honore suscepit, & eum deinceps præ omnibus honoravit. Hic post CCC. annos a passione sua Eriko Regi Danorum quiescenti per visum apparuit, eique,quod eodem genere mortis suæ mori deberet, revelavit, præcipiens sibi, ut in honorem ipsius, qui Wenezlaus diceretur, Monasterium construeret. Erikus autem Rex a somno consurgens, & de visione stupefactus, cœpit de Sancto Wenezlao, de quo nunquam prius audierat, ab Episcopis & Clericis perquirere, quis esset, & quali morte defunctus esset. Et certificatus, quod fuisset Dux Bohemiæ,& a fratre suo occisus, cœpit ad honorem ipsius Monasterium ordinis S. Benedicti in Revalia construere, sed antequam consummasset, fratre suo Abel procurante, sicut sanctus vir prædixerat, occisus est. Karolus Simplex Rex Francorum, secundum Sigibertum, in carcere perimitur.

De Leone VIII. PP. CXXX.

Leo Papa, natione Romanus ex patre Simone, sedit annis duobus sex & diebus XII. secundum Martinum. De hoc etiam Antistite nullum notabile factum invenitur in Annalibus scriptum, propter ipsius forte regiminis brevitatem. Sacerdos quidam Petrus dictus, secundum Liutbrandum in Chronicis, igne crematus est in Forlivio propter confessionis proditionem. Erat namque virgo nobilis in urbe prædicta, quæ a quodam juvene solicitabatur nimis de actu Venereo. Quæ tandem victa muneribus & precibus indefessis juvenis prædicti, assignavit sibi locum & tempus conveniendi. Adolescens autem ille habebat socium singulariter sibi dilectum, cui revelavit hujus virginis consensum, locum & horam. Socius autem infidus & fraudulenter agens, dixit ad juvenem, qui sibi hoc revelaverat: Eamus ad vinum. Cumque essent in taberna, incitavit socium suum, ut fortiter biberet, quia sic potentior in opere illo fieret. Quod cum ille faceret, tandem inebriatus est. Cui dixit dolosus ille socius: Dormi jam parum, ut possis postea melius vigilare. Cum enim tempus tibi statutum ab amica tua venerit, ego te excitabo. Adolescens ergo ille socio suo falso credens, posuit se dormitum. Quo dormitante, socius ille nequam abiit ad domum virginis, & pulsans, mentitus est, se esse amicum suum, & sic intromissus est. Cum ergo juvencula per ipsum esset corrupta, & jam in loquela cognosceret, cum non esse amasium suum, timuit proditionem facti, & ideo ipso dormiente, ipsa rapuit cultellum, & perforavit guttur corruptoris. Quo mortuo, solicitabatur illa, quomodo occultaret interfectum. Vocavit autem occulte servum patris sui de coquina, & promisit ei multa bona, si celando homicidium juvaret eam ad removendum cadaver interfecti hominis. Servus autem ille audiens rem gestam, noluit reticere forsactum, nec juvare eam, nisi prius & sibi consentiret in actum consimilem. Cumque ipsa alium non videret evadendi modum, consensit & illi. Quo facto expleto, receperunt ambo corpusculum occisi, & deportaverunt ipsum ad submergendum in proxima aqua. Venientes ergo ad ripam fluminis, ait illa famulo: Sta in eminentiori loco, ut possis expeditius projicere & magis remote cadaver in aquam, ne appareat, & confundamur. Cum autem ille ascenderet litus altum, & cum magno impetu projiceret corpus,ipsa in eodem impetu fortiter trusit a retro famulum, & præcipitavit ipsum in aquam cum cadavere, & submersus periit. Puella autem domum reversa, non post multos dies nuptui est tradita a parentibus. In quo quidem matrimoniali statu puella illa se tam laudabiliter habuit, quod famosa multum & amabilis facta est. Occulte tamen se graviter castigavit in jejuniis, vigiliis, flagellationibus crebris & orationibus. Cum autem pure peccata sua confiteri deliberasset, vocavit quendam Sacerdotem nomine Petrum, qui sibi bonus servus Dei apparebat, sic vere sic non erat, & confessa est ei omnia peccata sua. Quam cum Sacerdos audisset, & per se lubricus esset, dixit mulieri: Et in veritate, nisi & meam feceris voluntatem, omnia hæc dicam viro tuo. Cumque plorando Sacerdotem rogaret, ne sigillum confessionis violaret, & ille se nullo modo tacere velle juramentis affirmaret, ait illa: Fiat de me beneplacitum Dei: ego nunquam faciam, quod optatis. Transiens ergo Sacerdos ille, dixit marito mulieris: Ego huc usque credidi, vos recepisse in matrimonio unam probam virginem, sed modo intellexi in veritate vos contraxisse cum pessima meretrice & homicida. Et cœpit ei narrare totius facti seriem. Cui maritus: Quomodo experiar, hoc esse verum? Ad quem Petrus: Experimentum infallibile vobis dicam: ipsa enim propter sua scelera immania semper in absentia vestra jejunat in pane & aqua, & utitur cilicio. Et si veritatem hujus scire volueritis, simuletis, vos remote velle ire, & mox hora prandii redite, & invenietis solam aquam & panem in mensa sua, & cilicium prope carnem suam. Cum autem vir juxta consilium Sacerdotis faceret, & mulier

Digitized by Google

mulier secundum consuetudinem suam aquam coram se poneret in die, quo homines cæteri carnibus vescebantur, ac cilicio se indueret, rediit vir suus inopinate, & accedens ad mensam uxoris, & gustans aquam invenit optimum vinum, viditque intrare ancillam, diversa ex carnibus deferentem, & dominæ suæ in mensa sedenti apponentem. Palpans etiam vir circa collum & pectoralia uxoris, invenit camisiam lenissimam lineam, qua induta videbatur. Tunc vir ille retulit uxori verba Sacerdotis. Mulier autem audiens, virum omnia scire, dixit: Sacerdos ille pessimus prodidit confessionem meam, ex eo quod nolui & sibi in actu nefario consentire. Quod vir audiens, & miraculum divinum perpendens, necnon malitiam Clerici attendens, adduxit Sacerdotem, ut probaret, vinum esse, & videret carnes in mensa positas. Unde accusavit ipsum coram præfecto civitatis; quem judex comburi jussit propter proditionem confessionis.

Tertio decimo anno Henrici, qui est Domini DCCCCXXXII. Henricus Rex Obotritos cum Mirilla Rege eorum, secundum Helmoldum, & Nordmannos cum Guduryno Rege eorum ad fidem Catholicam armis, muneribus & exhortationibus salutaribus ad fidem Christi convertit. Antequam autem hoc efficere posset, collecto magno exercitu, eos ingenti bello contrivit. In quo quidem bello ceciderunt de ipsis Paganis CXXM. de parte autem Regis pauci valde, & de gente Slavorum DCCC. captivati sunt. Lodowicus VII. juvenis fit Rex Francorum XXX. & quia tam puerilis fuit, secundum Sigibertum, inimicis resistere non valuit. Propter quod ad matrem suam Egynam filiam Regis Anglorum & ad avunculum suum Regem fugit in Angliam, & mansit apud eum usque ad annum quartum Ottonis I. Interim autem Rodolfus Rex Burgundionum Franciam rexit, ut dictum est supra nono anno Henrici hujus. Et tunc Wilhelmus Archiepiscopus Senonensis missus est in Angliam ad Edynam quondam Reginam Franciæ, ut Lodowicum filium suum transmittat ad regnum paternum. Quæ acceptis obsidibus & sacramentis, filium tradidit Archiepiscopo, per quem in Franciam ductus est, & apud Laudunum urbem unctus est in Regem & coronatus. Accepit autem Lodowicus Rex uxorem Gerbergam sororem Ottonis I. Imperatoris, de qua suscepit tres filios, puta Karlomannum, Lotharium & Karolum. Contra hunc Ludowicum Proceres Francorum rebellaverunt, & super omnes Hugo Magnus Comes Parisiensis, filius Roberti Comitis, in bello Svessionis a Karolo Simplici peremti, per cujus consilium ipse Lodowicus & filius ejus Karlomannus a Nordmannis dolo capti, in carcerem sunt reclusi. Sed Lodowicus Rex metu Ottonis Imperatoris, qui ad eum liberandum in Franciam cum maxima potentia venerat, a custodia eripitur, & regnum sibi per Ottonem restituitur. Karlomannus vero Rothomagi defunctus est.

Quarto decimo anno Henrici, qui est Domini DCCCCXXXIII. Otto filius ejus uxorem duxit Edith, filiam Edmundi Regis Anglorum, secundum Vincentium, alii tamen libri habent, Edwardi. Hæc fuit soror potentissimi Regis Anglorum Edelstani, filii naturalis Edwardi. Siquidem opilio quidam filiam habuit pulcherrimam, quæ vidit in somno, lunam de genitalibus suis prodire, & totam Angliam suo radio illuminare. Villica autem illius villæ, quæ filios Regis nutriebat, somnium illud audivit, puellam ad se assumsit, & loco filiæ suæ eam educavit. Rex autem Edwardus, cum puella illa jam adolevisset, ad domum villicæ illius venit, & puellam illam decoram videns, eam adamavit, & gravidam tandem effecit. Cujus tempus partus cum venisset, peperit filium elegantem, & ipsum Edelstanum nominavit. Hic puer post patrem Rex factus, XVI. annis regnavit. Suo tempore in tota Anglia vix unum erat Monasterium, quod ornamentis, libris, ædificiis & prædiis non dotaverit. Hic Sytrico Regi Nordanymbrorum dedit Aliam sororem suam in sororem. Quo post annum defuncto, provinciam illam sibi subegit. Ipse etiam Wydikalium Regem Walliæ, & Constantium Regem Schotorum de regnis suis expulit, quos tamen postea miseratione commotus sub se ibidem regnare permisit. Post vero cum Adalano filio Sytrici bellum habuit; qui timens Regem occurrentem sibi cum exercitu, histrionem se similans, cum cythara venit ad tentorium Regis Edelstani, cantitans præ foribus. Unde facile admissus, omnia interiora Regis oculis suis scrutabatur. Post convivium autem abire permissus, pretium cantus accepit. Quod asportare dedignans, sub se in terra desodit. Unde notatus in hoc a quodam, qui ei olim militaverat, confestim Edelstano Regi proditus est, sed evasit. Adalanus autem in nocte exercitum movens, Edelstanum improviso invadere nititur: sed Rex hostes adesse sentiens, stratis excutitur, suos ad bellum excitat, sed gladius fortuito e vagina cecidit. Dum ergo Rex invocat & Sanctum Adelinum consangvineum suum ad reacquirendum gladium. Unde extendens brachium suum, & reducta manu invenit ensem in vagina, qui usque hodie in thesauris Regum pro miraculo servatur. In una quidem parte sectilis est, nec unquam auri vel argenti receptibilis. Ense ergo illo tota die pugnans, Adalanum cum exercitu suo fugavit. Constantius autem Rex Schotorum perfidæ animositatis homo cecidit, aliique Reges V. & Comites XII. & quam plurima turba barbarorum corruerunt.

De Stephano VIII. PP. CXXXI.

Stephanus Papa, natione Germanus ex patre Sifrido, sedit annis tribus & mensibus IIII. secundum Martinum. Iste mutilatus fuit a quibusdam Romanis suis æmulis.

Quinto decimo anno Henrici, qui est Domini DCCCCXXXIII. Arnoldus Bayoariorum sive Bavarorum Dux, secundum Egghardum, in Italiam contra Hugonem Regem veniens, a Veronensibus suscipitur, & cum Hugone Rege confligens, ab eo vincitur & captivatur. Unny sanctus Hammeburgensis Archiepiscopus,

Digitized by Google

pus, secundum Helmoldum in Chronica Slavorum, cum totam Danorum, Sweorum, Gothorum & Norweorum plagam quasi convertisset ad fidem Christi, peracto legationis suæ ministerio, ad partes suas redire disposuit. Sed Deo aliter de suo fine ordinante, apud Bircam opidum Gothorum celeberrimum ægritudine gravi correptus, sarcinam sui corporis deposuit; cui in cathedra successit venerabilis Adaldagus Cancellarius Ottonis Ducis Saxoniæ, & præfuit in sede prædicta LVII. annis.

Sexto decimo anno Henrici, qui est Domini DCCCCXXXV. Edelstanus Rex Anglorum factus est, secundum Sigibertum. Hic Rex filius fuit Edwardi Regis Anglorum, illegitime natus, prout supra patuit anno quartodecimo Henrici hujus. Huic Reguli Norwallensium annuatim solvebant nomine vectigalis auri libras XX. argenti CCC. boves XXV. & tot canes venaticos ac aves venaticas. Aroldus vero Rex Noricorum misit etiam ei navem aurea rastra & velum purpureum habentem, densa testudine inauratorum clypeorum intrinsecus circumagitatam.

Decimo septimo anno Henrici, qui est Domini DCCCCXXXVI. Prodigia multa apparuerunt, secundum Vincentium in Speculo. Nam sol cœlo sereno permanente obscurabatur, per fenestras vero domorum radios quasi sangvineos immittebat. Hominis cujusdam sinistra manus ferro amputata, post annum pene ad integrum ei dormienti restituta est, & pro signo miraculi quasi sangvinea linea loco sectionis & conjunctionis remansit.

Henricus Rex, secundum Egghardum, infirmatus est in castello, quod dicitur Hyemelewa, inter Saxonum & Thuringorum confinia sito, ubi & defunctus est. Cumque mortem sibi appropinquare cerneret, convocato omni populo, designavit Ottonem filium suum Regem, & cæteris filiis suis prædia cum thesauris suis distribuebat. Obiit autem anno vitæ suæ LX. & a filiis suis in Quedelingburg in Basilica S. Petri sepultus est ante summum altare cum lacrymis & planctu multorum. Qui licet in vincendis hostibus gloriosus suis fuerit, tamen quia pacificus erat, nullam operam dedit, ut effugatis ab Italia tyrannis, qui quasi conductitii & mercenarii alter alteri succedentes, Imperium dilaniabant, benedictionem Imperialem & coronam accepisset. Mons autem, secundum Sigibertum, in quo Henricus Rex sepultus est, postea flammas in multis locis evomuit. Ex Chronicis Saxonum. Mechtildis uxor Henrici mater Ottonis Primi fuit de Angaria de sanguine Wydekindi Regis Angarorum, & educata in Cœnobio Hervordensi. Hæc defuncto Henrico viro suo, juxta conceptum & dispositionem Regis transtulit Moniales clausas de Wynethusen in Quedelingburg, & post ibidem in Basilica S. Servatii, juxta sepulcrum Domini sui Regis gloriosi sepulta est.

De Martino III. PP. CXXXII.

Martinus Papa, natione Romanus ex patre Sebastiano, sedit annis IX. & mensibus II. secundum Martinum. Hujus tempore hæresis Anthropomorphitarum, corpoream formam Deum habere asserentium, vexabat Italiam, contra quam Richerius Veronensis Episcopus, secundum Vincentium, & verbis & scriptis reclamavit. Spyngeus Dux Bohemorum, pater S. Wenezlai obiit, cujus Principatum, secundum Egghardum, intravit filius suus Wenezlaus, vir humilis & Christianissimus.

De Ottone I. Magno Imp.

Otto Magnus, Henrici I. filius & Mechtildis filiæ Thiderici Regis Angarorum, Romanorum Imperator LXXIX. cœpit anno mundi IIIIMDCCCXCII. Olympiadis CCCCXXXII. anno tertio, Urbis conditæ MDCLXXXVI. Domini vero DCCCCXXXVI. & XXXVII. imperavit, anno tamen XXXIIII. regni sui primo a Papa Johanne coronam & benedictionem Imperialem accepit, secundum Martinum. Fuit autem hic Otto per Henricum patrem suum Rex designatus, & postea Aquisgrani a Principibus & populo electus, ubi sedem regni Teuthonicorum Karolus Magnus constituerat, ibique unctus & coronatus est per Hiltebertum Archiepiscopum Moguntinum, genere Franconem, sed religione Monachum Fuldensem. Fuit autem iste XI. Imperator Teuthonicorum a Karolo Magno, sed nullus eorum post Karolum Magnum imperavit universaliter nisi iste; & quia primus fuit de lingva Teuthonica, ideo primus Teuthonicorum Imperator nuncupatur.

Primo anno Ottonis, qui est Domini DCCCCXXXVII. Otto Rex cœpit ædificare urbem Magdeburg, & fundavit in ea Abbatiam Regalem Ordinis S. Benedicti, quam postea in Archiepiscopatum mutavit, Cœnobium Monachorum, quod prius fundatum fuerat in loco, ubi nunc major Ecclesia est S. Mauritii, secundum Egghardum, in locum illum, puta in montem, ubi jam residet extra urbis murum transferendo.

Secundo anno Ottonis, qui est Domini DCCCCXXXVIII. Ungari per Austrasiam & Alemanniam, secundum Vincentium, multis civitatibus igne gladioque consumtis, Wormatiæ Rheno transito usque ad Oceanum, & Galliam & Burgundiam vastant, per Italiam ad propria redeuntes. Pro tunc & Ottoni Regi rebellabant Everhardus Comes Palatii, & Gyselbertus Dux Lotharingiæ, qui Gherbergam sororem Regis habuit in uxorem, secundum Sigibertum.

Tertio anno Ottonis, qui est Domini DCCCCXXXIX. Edmundus frater Edelstani Regis Anglorum fit Rex Angliæ, fratre suo defuncto, secundum Sigibertum, & VI. annis regnavit. Istius filia fuit Edith uxor Ottonis Regis Romanorum, quæ supra dicta fuit soror Edelstani, quia filia fuit fratris sui Edmundi. Everhardus Comes Palatii & Gyselbertus Dux Lotharingiæ, secundum Vincentium, Henricum fratrem Ottonis Regis obsessum capiunt, & sua versutia ipsum a Regis fidelitate semotum, adhæ-

adhærentiæ ſuæ applicant, ſuggerentes, ei regnum magis competere in paterno regno nato, quam Ottoni ante regnum nato. Rex vero Otto Bawaros aggreſſus, eos ſibi rebellantes vicit, & ſuo dominio ſubjecit, præter unum filium Arnulfi. De quibus rediens, Everhardum Comitem Palatii comprehenſum exiliavit.

Quarto anno Ottonis, qui eſt Domini DCCCCXL. Franci Wilhelmum Archiepiſcopum Senonenſem miſerunt in Angliam, ſecundum Sigibertum, ad Edynam quondam Reginam Francorum, ut filium ſuum Lodowicum mitteret ad regnum rogitantes paternum. Quæ acceptis obſidibus & ſacramentis, filium tradidit Archiepiſcopo, & per ipſum Lodowicus in Franciam ducitur, & apud Laudunum in Regem ungitur & coronatur. Accepit autem in uxorem Gerbergam filiam Ottonis I. de qua ſuſcepit tres filios, puta Karlomannum, Lotharium & Karolum. Contra hunc Lodowicum Proceres regni Francorum rebellare cœperunt, & ſuper omnes Hugo Magnus Comes Pariſienſis, filius Roberti Comitis. Retroſpicias ad annum XIII. Henrici.

Quinto anno Ottonis, qui eſt Domini DCCCCXLI. Lodowicus Rex Francorum Lotharingiam invadens, ſecundum Sigibertum, usque ad Alſatiam pervenit, ductu Everhardi & Gyſelberti. Hugo Rex Italiæ, miſſo ſibi Græco igne ab Imperatore Græcorum, ſecundum Vincentium, Fraxinetum expugnavit, & navibus Sarracenorum exuſtis, inde illos fugavit. Berengarius junior, ſororis Berengarii nepos ex filia, ſecundum Egghardum, timens Hugonem Regem ſe perſequentem, pro eo quod contra eum regnum Italorum affectaret, ad Hermannum Ducem Swevorum, & per eum ad Ottonem Regem Romanorum confugit.

Sexto anno Ottonis, qui eſt Domini DCCCCXLII. Everhardus Comes Palatii & Gyſelbertus Dux Lotharingiæ, ſecundum Sigibertum, cum Henrico fratre Regis Ottonis juxta Rhenum contra Ottonem bella parantes milites Regis offenderunt, & multi cum paucis congreſſione facta, interim Rege in alio Rheni littore ante clavos Domini lanceæ ſuæ infixos in oratione proſtrato, victi hoſtes terga dederunt, Henrico in brachio uno lethaliter vulnerato. S. Wenzeslaus Dux Bohemorum a fratre ſuo Bolezlao turpiter occiditur, & Martyr efficitur, ſecundum Egghardum; in cujus ultionem Rex Otto fratrem perſequens, Bohemis infinita gravamina intulit.

Septimo anno Ottonis, qui eſt Domini DCCCCXLIII. Otto Rex Bryſacum opidum obſedit, ſecundum Sigibertum, in Alſatia, quod Lodowicus Rex Francorum, per milites Gyſelberti Ducis & Everhardi Comitis tenebat. In qua obſidione perſuaſione Frederici Moguntini Archiepiſcopi, qui animo jam a Rege receſſerat, multi ab ipſo Ottone Rege receſſerunt, eo quod aliis perterritis, ſolus ipſe Rex imperterritus permanſerit. Interim vero quidam fideles Regis Everhardum & Gyſelbertum deprædando, juxta Rhenum inopinate congreſſi, acerrime debellabant, Everhardo gladiis confoſſo & peremto, Gyſelberto vero undis Rheni ſubmerſo; cæterorum vero vix aliquis fugit, qui non aut trucidaretur aut caperetur. Hoc quoque proſperitatis nuncio infideles Regis perterriti ſunt, & Lodowicus ab Alſatia diſceſſit. Otto vero Rex cum ſuis fidelibus lætus effectus, gratias retulit Deo immenſas.

Octavo anno Ottonis, qui eſt Domini DCCCCXLIIII. Wilhelmus Dux Nordmannorum, ſecundum Wilhelmum in Chronicis, filius Rollonis dolo captus eſt in Francia ab Alzone. Ad hujus Wilhelmi Ducis cingulum inventa eſt clavis cujusdam ſcrinii, in quo inventa ſunt indumenta Monachalia, quæ ſemper inter bella meditabatur ſe geſtaturum apud Gymegium, quem locum a tempore Haſtingi deſertum ipſe reformaverat. Sol horribilem eclipſim paſſus eſt, ſecundum Vincentium, feria ſexta hora diei tertia, quo die in Hiſpania Abdara Rex Sarracenorum a Radamiro Rege Galliciæ Chriſtianiſſimo & Caſtellæ in bello eſt devictus. Eodem tempore in Italia cometa miræ magnitudinis apparuit, inſinuans famem maximam & epidimiam ſecuturus.

Nono anno Ottonis, qui eſt Domini DCCCCXLV. Terræ motus permaximus factus eſt in Italia, ſecundum Egghardum, & duravit per XXIII. dies, interpolatim tamen. Otto Rex Romanorum corpus S. Innocentii Martyris, ſecundum Egghardum, in urbem Parthenopolim, quæ & Magdeburg dicitur, tranſtulit. Eodem quoque tempore Otto Rex totam Lotharingiam ſibi ſubjugavit, reſiſtente ſibi ſolo Adelbrione Metenſi Epiſcopo, fratre Ducis Frederici.

De Agapito II. PP. CXXXIII.

Agapitus Papa, natione Romanus ex patre Stephano, ſedit annis VIII. & menſibus ſex. Hujus etiam diebus, ſecundum Martinum, Ungari pugnantes cum Bawaris victi ſunt ab eis mirabiliter.

Decimo anno Ottonis, qui eſt Domini DCCCCXLVI. Edmundus Rex Angliæ, ſecundum Wilhelmum in Chronicis, latronem quendam nomine Loef de regno expulerat. Hic latro poſt ſex annos ſuæ exulationis regreſſus in die S. Auguſtini Canthuarienſis Archiepiſcopi, inopinate Canthuariam venit, & inter convivas Regis conſedit, quia tunc Anglici feſtive conſveverunt convivari ad honorem Apoſtoli eorum. Qui cum a ſolo Rege cognitus fuiſſet, cæteris ignorantibus, Rex ira accenſus, prædoni in capillos involat, & ad terram elidit. Qui latenter pugionem de vagina eduxit, & pectori Regis fortiter infixit, & ſic ipſum interfecit; latro vero a currentibus ſatellitibus Regis membratim diſſectus eſt, nonnullis ab eodem prius ſauciatis. Cui Edredus in regnum ſucceſſit, & VII. annis in Anglia regnavit. Henricus frater Ottonis Regis, ſecundum Sigibertum, in urbe Merſeburg a fratre ſuo obſeſſus, projectis armis, ad pedes ejus provolutus eſt, & miſericordiam ipſius interpellans, in cuſtodiam carceris eſt miſſus.

Unde-

Digitized by Google

Undecimo anno Ottonis, qui est Domini DCCCCXLVII. Haroldus Rex Danorum, secundum Helmoldum, qui Henrico I. patri Ottonis factus fuerat tributarius, abjecto fidelitatis & obedientiæ jugo, contra Ottonem arma arripuit, & primo Marchionem, quem Henricus pater Ottonis Sleswik præfecerat, cum legatis Ottonis Regis interfecit, & omnem Saxonum coloniam, quæ ibidem erat, extinxit. Rex autem Otto, divino fretus auxilio, exercitus in partes Danorum transvexit, ac eas igne & gladio devastavit, & usque ad mare novissimum, quod Nordmannos a Danis separat, procedens, nemini pepercit manus ejus. Cui regredienti Haroldus Rex apud Sleswik bellum intulit, in quo utrisque viriliter certantibus, Saxones tandem victoria potiti sunt, & Dani terga vertentes, & naves suas protinus fugerunt. Tandem conditionibus ad pacem inclinatis, Haroldus Rex Ottoni subjicitur, & ab eo regnum suum suscipiens, Christianitatem, a qua apostataverat, resumere in Dacia spopondit. Nec mora, baptizatus est Haroldus Rex cum filio suo Agwynoldo, & uxore sua Jutta, quem Rex Otto a sacro fonte suscipiens, Sweyn appellavit. Et sic Dacia tota fidem plenarie suscepit, & divisa est terra in tres Episcopatus, & Hammeburgensi Ecclesiæ tanquam Metropoli tota subjecta est. Eo enim tempore Ecclesia Hammeburgensis primo habere cœpit suffraganeos, licet dudum Archiepiscopatus fuisset. His ergo rite peractis in Dacia, fortissimus Otto Rex convertit exercitum suum ad subjugandas Slavorum urbes & castra; quæ omnia leviter suo subjecit imperio, & sic Ecclesiæ in Slavia tunc primo ædificatæ sunt. Bertoldus Dux Bawariæ frater Arnulfi, secundum Egghardum, defunctus est, & Henrico fratri Ottonis de carcere erepto Ducatus Bawariæ est commissus, fratre suo reconciliato per Principes. Lotharius VI. fit Rex Italiæ, secundum Sigibertum, & duobus annis regnavit.

Duodecimo anno Ottonis, qui est Domini DCCCCXLVIII. fuit in Vasconia mulier, secundum Vincentium, ab umbilico sursum divisa, duo pectora & duo capita habens. Quarum mulierum una comedente, alia bibebat; vel una dormiente, alia vigilabat aut neutrum faciebat. Vixerunt autem multo tempore, nec uno tempore ambæ mortuæ sunt. Hohold nobilis Comes de Anehald, secundum Egghardum, cum fratribus suis Brunone & Frederico ac Wicberga sorore sua fundaverunt Monasterium in Ggezeke in prædio suo in honorem Sanctæ Dei Genitricis Mariæ & S. Cyriaci Martyris. Quod postea per Ottonem III. ditatum & in tutelam Regiam est acceptum, & prædicto Hohold sicut Advocato per tempora vitæ suæ est commissum, & præfata Witberga facta in eo Abbatissa, ibidem honorifice est sepulta. Bruno frater Ottonis Regis secundum Sigibertum, fit Archiepiscopus Coloniensis, cujus studio translata sunt a Roma Coloniam corpora Sanctorum Eficii (Hesychii) & Patrocli Martyrum.

Tertio decimo anno Ottonis, qui est Domini DCCCCXLIX. Berengarius VII. & ultimus Rex Italiæ cœpit, & XII. annis regnavit, secundum Egghardum. Iste nimia feritate premebat Italiam, & Adawydam Lotharii Regis relictam in carcere tenebat, Lothario interfecto. Sed Otto Rex Italiam potenter intrans, Berengario depulso, Reginam liberavit, & eam in uxorem accipiens, festum Natalis Domini Papiæ solenniter celebravit. Sed post Berengario per Ottonem in gratiam recepto, Italiam sibi reddidit, demta Marchia Tarvisina & Veronensium urbe ac Aquilegia. Iterum post paucos annos, a Sede Apostolica & ab Italicis venerunt legati ad Ottonem, de tyrannide Berengarii conquerentes. Otto vero revertens in Italiam, Berengarium captivavit, & in Bayoariam in exilium misit.

Quarto decimo anno Ottonis, qui est Domini DCCCCL. Per loca Germaniæ & Galliæ, secundum Egghardum, plurimi & maximi facti sunt terræmotus & tempestates horribiles. Taxis Rex Ungarorum in Italiam veniens, secundum Vincentium, X. modios nummorum a Berengario recepit, ut ab Italia reced[illegible] & nichil regno suo noceret. Sed istud locu[illegible]bet ante suam captivitatem. Hermannus Dux Alemannorum obiit, secundum Sigibertum, pro quo Ludolfus filius Ottonis Regis Dux constituitur. Dunstanus Anglicus prius Monachus & post Abbas Glesconiæ, secundum Wilhelmum, postea vero Episcopus Winthoniæ factus, demum ad rogatum Edmundi Regis factus est Archiepiscopus Canthuariensis, quem Papa Johannes ad illuminandam terram Anglorum genti illi misit, anno autem Archiepiscopatus sui XXXIII. vitæ vero LXXX. multis plenus virtutibus & clarens miraculis, obdormivit in Domino. Hic quandam Ecclesiam ab eo consecrandam, sed indebite ædificatam, dorso suo vertit ad orientem.

Quinto decimo anno Ottonis, qui est Domini DCCCCLI. Otto Rex Italiam petiit, secundum Vincentium, eamque sibi subjiciens, Berengarium secundo inde expulit. Berengarius vero Conrado svadente, apud Augustum (Augustam) cum filio suo Adelberto ad deditionem venit, factusque miles Regis, remissus est in regnum suum in pace. Moguntia urbs ab Ottone Rege obsessa est, Fredericus vero Archiepiscopus ejus, secundum Sigibertum, captus est, & in carcerem missus, sed non multo post per indulgentiam Regis libertati est restitutus.

Sexto decimo anno Ottonis, qui est Domini DCCCCLII. Stephanus & Constantinus filii Imperatoris Græcorum, secundum Vincentium, Romani nomine, ægre ferentes, se justa patris severitate, a juvenili vanitate & levitate coërceri, dispositis in palatio insidiis, patrem de Imperiali sede deposuerunt, & tonso, ut moris fuit, ejus capite, in vicinam insulam, in qua Cœnobitæ degebant, transmiserunt. Transacto ergo modici temporis spatio, Stephanus & Constantinus videntes post patris sui depulsionem, Constantinum filium Leonis Imperatoris ab omni-

omnibus se præferri, & se jam vix in aliquo reputari, hoc de Constantino facere, quod de patre fecerant, satagerunt. Sed publicato eorum consilio per Diabolinum, cum ad convivium ex condicto sedissent, & de prioratu sedendi inter se certarent, dato signo a viris Constantini, ambo fratres capiuntur, & capitibus tonsis, ad locum patris destinantur, Constantinus vero ab omnibus in Imperatorem sublimatur.

Decimo septimo anno Ottonis, qui est Domini DCCCCLIII. Ludolfus Dux Alemannorum, secundum Egghardum, instinctu Conradi Ducis patri rebellare cœpit. Inter hunc Conradum Ducem & Reynerum Comitem bellum grande super Mosam flumen habitum est. Edredus Rex Anglorum, cum ægrotaret, secundum Wilhelmum, & S. Dunstanus festinus ad visitandum ipsum, eqvum suum ascenderet, & accelераret, vocem audivit desuper sonantem: Modo Rex Edredus obdormivit in Domino; cui successit Edwynus filius Edmundi adolescens, multum lubricus & luxuriosus. Hic cum a S. Dunstano Archiepiscopo Canthuariensi corripe[illegible], omnes Monachos in tota Anglia inventos exiliavit, & calamitatibus affecit, ipsum quoque Dunstanum in Flandriam ire compulit. Malmesburiense vero Monasterium plusquam CCLXX. annis a viris sanctis inhabitatum, stabulum fecit eqvorum, in cætera vero cœnobia nimis inhumanus fuit; regnavit autem solum IIII. annis.

Decimo octavo anno Ottonis, qui est Domini DCCCCLIIII. Ludolfo filio Ottonis in gratiam patris reverso, secundum Sigibertum, Conradus Dux Dei & Regis refuga ad Ungaros se contulit, & eos in Lotharingiam usque ad Carbonariam silvam perduxit; sed virtute Dei apud Lobias contra eos ostensa, ultra ire prohibiti, vacui redierunt.

De Johanne XII. PP. CXXXIIII.

Johannes Papa de regione Vialata ex patre Johanne, sedit annis VII. & mensibus VI. secundum Martinum. Iste, secundum Egghardum, fuit filius Alberici Principis. Cujus pater cum esset potens in urbe, convocatis militibus, rogavit eos & induxit, eos juramento constringens, ut defuncto Agapito Papa, promoverent filium suum Octavianum. Quod sic factum est, & vocatus est Johannes. Iste venator erat, & totus lubricus, adeo ut etiam publicas teneret apud se meretrices. Propter quod quidam Cardinales occulte scripserunt Ottoni Regi, ut scandalo Ecclesiæ compatiens, sine mora Romam veniret. Quod Papa percipiens, Johanni Diacono Cardinali tanquam hujus facti Consiliario nasum, & alteri Diacono Cardinali, qui literas scripsit, manum amputari fecit. Cum autem per Regem & Clerum frequenter admonitus se non emendaret, tandem depositus est.

Decimo nono anno Ottonis, qui est Domini DCCCCLV. Sanctus Patroclus Martyr & miles Tracasinus per Brunonem Archiepiscopum Coloniensem transfertur in Sozatum opidum Angarorum, secundum Egghardum, opibus quidem plenum, sed fide vacuum. Frederico Archiepiscopo Moguntino defuncto, secundum Sigibertum, Wilhelmus filius Ottonis Regis Antistes urbis prædictæ constituitur. Lapis miræ magnitudinis in Italia tonitruo & tempestate trubulenta de cœlo collapsus, secundum Vincentium, ingens miraculum videntibus fuit. Templa etiam in multis locis valida tempestate concussa sunt, & utriusque Ordinis Sacerdotes ictu fulminis perierunt.

Vicesimo anno Ottonis, qui est Domini DCCCCLVI. Ludolfus Dux Alemannorum filius Ottonis, secundum Egghardum, Italiam hostiliter intravit, & Adelbertum vicit, ubi etiam & ipse extremum clausit vitæ suæ diem. Ungari iterum regnum Ottonis ductu Conradi Ducis profugi pervagantes, secundum Vincentium in Speculo, & totam Bayoariam depopulantes, juxta Augustam urbem ab Ottone Rege victi, Deo sibi auxiliante, cæde immensa prosternuntur, cum quibus & Conradus Dux, Domini sui traditor occubuit. Ungari autem illi, qui tunc effugere poterant, per totam Bayoariam trucidati sunt, & Reges eorum patibulis Ratisponæ appensi sunt. Interim autem sunt vires Ungarorum hoc bello attritæ, ut amplius resurgere non valerent. Bruno Archiepiscopus Coloniensis, secundum Sigibertum, Cœnobium S. Panthaleonis construxit in urbe Coloniensi, magnis bonis ipsum dotans & ditans.

Vicesimo primo anno Ottonis, qui est Domini DCCCCLVII. Monachis gravis orta fuit persecutio, secundum Egghardum, quibusdam Pontificibus affirmantibus, melius fore, paucos vita perfectos, quam plures negligentes in Monasteriis esse; ideoque oportere conversationes eorum per Monasteria respicere, & non bene conversantes abjicere, cæteros vero bene viventes retinere. Sed mentita est falsa opinio sibi, cum Christi sententia in Ewangelio prohibeat zizania de tritico evellere, sed sinere usque ad messem crescere, ne uno incaute eradicato, evellatur & aliud. Quod & cum his Monachis factum est. Nam plures propriæ infirmitatis conscii, deposito habitu, & relictis Monasteriis, grave onus Sacerdotii devitabant. Plures etiam hoc summum Pontificem non pie, sed subdole fecisse arbitrati sunt, in dehonestationem videlicet venerabilis viri Hademari Abbatis Fuldensis, Regi Ottoni fidelis quem juxta posse confundere nitebantur, eo quod Ottoni fidelis & familiaris existeret. Sed semina iniqua incassum sparsa sunt. Nam prædictus Abbas in gratia Regis remansit, & quod Papa cum suis facere optavit, non implevit.

Vicesimo secundo anno Ottonis, qui est Domini DCCCCLVIII. Edwyno Rege Anglorum defuncto, secundum Wilhelmum, Odgarus frater ejus regnare cœpit, juvenis XVI. annorum. Quo nascente, Dunstanus Archiepiscopus fertur audivisse vocem Angelicam, dicentem: Pax Angliæ erit, quamdiu puer iste regnaverit. Regnavit autem annis XVI. & quolibet anno sui regiminis Monasterium ædificavit. Regem quoque Scothorum Kynadum, Markolinum Regem Cambrorum, archipiratam Massesium, omnesque Reges Wallensium nume-

numero V. ad curiam suam coactos perpetuo sacramento sibi obligavit. Quos apud Leonum urbem sibi occurrentes, in pompam triumphi per fluvium deduxit, una navi impositos, in cujus prora sedebat ipse, & illi remigabant. Fama autem hujus Regi excitati Saxones & Dani Flamingique, venerunt videre ipsum; a quibus didicerunt tunc temporis Anglici, a Saxonibus quidem incognitam animi ferocitatem, a Flamingis enervem corporis mollitiem, & a Danis dementantem & omnibus vitiis exponentem ebrietatem. Sanctus autem Dunstanus, ut potationem nimiam compatriotarum suorum refrenaret, clavos aureos & argenteos jussit vasis affigi, ut dum quisque metam suam cognosceret, non plus cogente verecundia vel ipse appeteret, vel alium bibere cogeret. Iste Rex Odgarus privatos prædones & populares latrones exterminans, feras etiam omnes avidas sanguinis de regno extirpare cogitavit. Unde Wydualdo Regi Wallensium indixit, ut sibi singulis annis tributum CCC. luporum interfectorum solveret. Quod cum tribus annis fecisset, quarto anno destitit, quia nullum amplius invenire se posse professus est. Et sic eliminato luporum semine, amplius non est natum animal tale in terra illa.

Vicesimo tertio anno Ottonis, qui est Domini DCCCCLIX. Bruno Archiepiscopus Coloniensis, secundum Sigibertum, Reynerum Comitem de Monte apud Valentiam evocatum cepit, & ipsum irrevocabili exilio damnavit, eo quod mortuo Giselberto Duce consanguineo suo, ea, quæ ipse uxori suæ Gerbergæ, sorori Regis Ottonis, in dotem contulerat, violenter ei auferre non formidabat, bonis Reyneri ad fiscum suum redactis; filii autem ejus Reynerus & Lampertus ad Lotharium Francorum Regem confugerunt. Cruces in vestimentis, secundum Vincentium, apparuerunt; quæ prodigiosa res & inconsveta multos terruit etiam magnanimos, & a vitiis coërcuit, quorundam vero vestimenta quasi lepra sordebant & tabescebant.

Vicesimo quarto anno Ottonis, qui est Domini DCCCCLX. Germania & Gallia jam bene pacatis, secundum Vincentium in Speculo, intendens Otto etiam Italiam pacificare, & statum Ecclesiæ, qui in Papa Johanne scandalose collapsus fuerat, reformare, Ottonem filium suum puerum septennem Aquisgrani in die sancto Pentecostes in Regem inungi fecit, eoque commendato Archiepiscopo Brunoni fratri suo, & Wilhelmo Moguntino filio suo, ad Italiam properavit. Qua pervagata, Romam tandem venit, ubi a populo & Clero honorifice receptus est, & a Papa Johanne in Imperatorem coronatus. Factus autem Imperator Otto, contra Berengarium Regem Italiæ Urbem exiens, ipsum cepit, & eum cum Wylla uxore sua ad castrum Babenberg misit, ubi & vitam suam finivit. Ex Chronicis Saxonum: Cum Rex invictissimus Otto ad refrenandam pastoris summi malitiam a Cardinalibus & Romanis vocaretur, concilium Principum fertur convocasse, & ab

Tom. II.

eis quæsivisse, quem pro se vicarium potestatis relinqueret ad faciendam justitiam in illis partibus, quæ barbaris confines essent. Nondum enim post tempora Karoli Magni propter veteres gentis illius seditiones Saxonia Ducem acceperat, nisi Cæsarem, illa videlicet antiqua & nova, licet pars Saxoniæ Duce potita fuisset. Ne ergo in Regis absentia Dani & Slavi aliquid mali molirentur, Rex necessitate persvasus, Hermanno cuidam primam tutelæ vicem commisit. De hujus autem viri ortu & prosapia, quia nostris temporibus multum invaluit, aliqua commemorare necessarium duximus. Vir iste pauperibus ortus natalibus, primo ut ajunt Chronicæ Saxonum, VII. mansis ex hereditate paterna fuit contentus. Deinde quia erat acris ingenii, decorusque facie, pro merito fidei & humilitatis, quam Dominus in eo seminaverat, natus in palatio, ad familiaritatem ipsius Regis pervenit, qui experta viri industria, suscepit ipsum in numerum ministrorum. Deinde fecit ipsum nutricium filiorum suorum, & mox succedentibus prosperis, commisit ei vices præfectorum. In quo officio strenue agens, fertur mansorum suorum cultores, qui manentes nuncupantur, pro furto in judicio delatos, data sententia simul damnasse ad mortem. Cujus strenuitate judicii extunc in populo carus, & in palatio præclarus haberi cœpit. Clarius vero de hujus viri processibus tractabitur inferius anno Domini DCCCCLXXII. Huic ergo viro strenuo Rex vices suas in illa regione committens, in Italiam perrexit, ut dictum est, & Imperator factus est.

Vicesimo quinto anno Ottonis, qui est Domini DCCCCLXI. Otto Imperator collecto a tota Italia Episcoporum concilio, secundum Sigibertum, Papam Johannem posuit ad rationem, ubi a multis & magnis accusabatur. Fuit enim adulter pessimus: qui dum se excusare in nullo posset, de consensu omnium Prælatorum depositus est, & Leo, licet laïcus, confestim ordinatus, electione omnium & consensu Imperatoris, Papa instituitur & consecratur. Leo autem sic præsidens sedi Apostolicæ, fecit ordinationes & ea, quæ Apostolica sunt. Nec longe post Romani alterata fide ad Imperatorem, Leonem respuunt, & Johannem reassumunt, qui Synodo collecta, Leonem deposuit, & facta ejus cassavit, statuitque, Synodum Leonis non nominandam Synodum, sed prostibulum favens adulteris. Ordinati etiam a Leone jussi sunt proscriptionem suam in chartis præsentare sub hac forma: Pater meus nichil sibi habuit, nichil mihi dedit. Romani autem a Papa Johanne pecunia illecti, Imperatorem Romæ cum paucis morantem subito aggrediuntur, sed omnino per exercitum Imperatoris attriti sunt; & nisi per Imperatorem & Leonem Papam milites Imperatoris a cæde Romanorum revocati & prohibiti fuissent, usque ad internecionem totus populus Romanus deletus fuisset. Quibus per Leonem Imperatori reconciliatis, post recessum Imperatoris, Leo Papa insidias sibi parari sentiens, ad Imperatorem fugit. Johannes

Ll 2 autem

Digitized by Google

autem Papa cum uxore cujusdam civis Romani oblectans se & commiscens, a dæmone in tympore (tempore) percutitur, & sine Viatico Dominico moritur. Romani vero contra juramentum, quod Imperatori fecerant, se nunquam electuros Papam sine ejus & filii ejus Ottonis assensu, Benedictum V. sibi Papam statuerunt. Quod audiens Imperator, cum magno exercitu Romam rediit, & ipsam obsedit, Romanosque cæde & fame tantum afflixit, quod tandem Benedictum intrusum Papam sibi præsentaverunt. Imperator ergo Leonem Papam ad Sedem suam reposuit, Benedictus vero per Leonem non solum Papatu, sed etiam sacerdotio exordinatus, pacificatis omnibus, per Imperatorem missus est in Saxoniam, & in Hammeburgensi urbe mortuus est.

De Leone IX. PP. CXXXV.

Leo Papa, natione Romanus ex patre Berengario, sedit duobus annis, secundum Eggharдum, vel uno anno & IX. mensibus, sed interpolatim, secundum Martinum. Nam eo vivente & vero Papa existente, Johannes Papa depositus, per Romanos fuit repositus, ut dictum est immediate supra. Post cujus mortem miserrimam electus est a Romanis Benedictus V. Sed eo amoto per Imperatorem, Leo Papa Ecclesiam administrare cœpit.

De Benedicto V. PP. CXXXVI.

Benedictus Papa, natione Tuscus ex patre Silvestro, sedit mensibus tribus & diebus sex. Hic vivente Leone a Romanis in Papam eligitur contra juramentum, quod Imperatori fecerant, ut supra patuit anno XXV. Ottonis. Nam Otto Imperator Sedis Apostolicæ ordinationem & investituram Episcoporum omnium sibi reservavit, ac facultatem sibi eligendi successorem in Imperio, ut habetur in Canone DI. LXIII. In Synodo. Imperator ergo, Leone in Sedem reposito, Benedictum Papam venerabili Adaldago Hammeburgensi Archiepiscopo ad custodiendum commisit, qui secum in Italiam properaverat. Adaldagus vero Antistes Benedictum Papam per Leonem depositum & degradatum secum ducens in Hammeburg, magno cum honore ipsum recipi fecit, & valde caritative & decenter ipsum pertractavit etiam usque ad mortem. Hic Papa Benedictus valde literatus & Deo devotus fuisse perhibetur, qui & dignus Apostolica dignitate visus fuit a populo & Clero, nisi quod in tumultu electus extitit, eo depulso, quem Imperator instituerat. In Hammeburg autem in sancta conversatione vivens, aliosque sancte vivere docens, dum jam Romanis poscentibus ab Imperatore restitui debuisset, apud Hammeburg exul in pace quievit.

Vicesimo sexto anno Ottonis, qui est Domini DCCCCLXII. Bulgaribus dominabantur filii Simonis, Petrus scilicet & Bayanus, quorum Bayanus, secundum Egghardum, in arte Magica adeo florebat, ut quoscunque vellet, lupos vel quascunque alias (bestias) facere videretur. Otto Imperator, secundum Helmoldum in Chronicis Slavorum, in urbe Magdeburg Monasterium S. Benedicti ab eo fundatum extra muros ejusdem transtulit, & in loco ejus Ecclesiam Metropolitanam constituit, cui Adelbertum summæ sanctitatis virum primum præfecit Archiepiscopum, subjiciens ei Slavos omnes Albanicos. Hic Adelbertus XII. annis illam regens Ecclesiam, multos Slavorum populos illic prædicando convertit. Suffraganeos etiam huic Archiepiscopatui idem Otto Imperator adjecit V. puta Merseburgensem & Tzitzensem super Sale fluvium, quos jam fundaverat Karolus Magnus; Brandeburgensem & Havelbergensem, quo (quos) ipse jam primo fundavit intra Albiam flumen; Myssenensem vero Ecclesiam super Albiam locavit. Sextus quoque Episcopatus fuit Aldenburg terræ Slavorum, sed ipsum Adaldagus Hammeburgensis Archiepiscopus suæ Ecclesiæ adjungi ab Ottone prædicto impetravit.

Vicesimo septimo anno Ottonis, qui est Domini DCCCCLXIII. Adalbrione Episcopo Metensi defuncto, secundum Vincentium, Theodericus consobrinus Ottonis Imperatoris in Episcopum subrogatur. Iste inspiciens primas literas omnium Metensium Episcoporum, quas Angelus Domini fertur dedisse Beato Clementi primo Metensium Episcopo, & notans, alias auro, alias argento, alias vero viliori metallo scriptas, cum videret etiam literam sui nominis argento esse prænotatam, dixit, se in Episcopatu tot & tanta bona facturum Dei adjutorio comitante, quod ipsa sui nominis litera merito deberet auro inscribi. Hic Cœnobium S. Vincentii Martyris in ipsius urbis insula fundavit sumtuosum satis. Defuncto Sweyn Rege Danorum, secundum Helmoldum, successit ei Haroldus filius ejus. Hujus tempore Dani Christum simul & idola colebant. Uno autem tempore Poppo Clericus in convivio cum Danis sedens, disputavit cum eis de cultura Christi & deorum; & Danis asserentibus, Christum quidem Deum esse, sed Deos eorum majores & antiquiores eo esse; ipso vero affirmante, Christum solum esse Deum verum, & Deos alios nisi dæmones esse, & a Christo creatos: dixit Haroldus Rex Popponi, ut fidem a se propositam probaret veritatis testimonio. Quo annuente, ferrum ignitissimum ingentis ponderis manibus suis ferendum imponitur. Quod cum Clericus ad placitum omnium sine læsione quacunque tulisset, Rex abjecta omni hæsitatione cum omnibus suis Christum solum verum Deum confessus est. Clericum vero illum ad Episcopatum solennem evexit.

De Johanne XIII. PP. CXXXVII.

Johannes Papa, natione Marinensis ex patre Nicolao, sedit annis VII. & mensibus V. secundum Martinum. Hic a Petro præfecto urbis Romanæ comprehensus est, & Castello Sancti Angeli mancipatus, deinde in Campaniam in exilium missus. Sed post X. menses & XVIII. dies Romam est reversus, & de persecutoribus ejus ab Ottone Imperatore justitiæ debitum factum est. Nam Nobiles urbis, quos culpabiles inve-

Digitized by Google

invenit, alios quidem trucidavit, alios laqueo suspendit, quam plures etiam in exilium ad partes Saxoniæ transmisit, ubi vitam suam terminaverunt in miseriis.

Vicesimo octavo anno Ottonis, qui est Domini DCCCCLXIIII. Otto Imperator festum Pentecostes Aquisgrani celebravit, secundum Sigibertum, concurrentibus illic a Francia sororibus suis, puta Gerberga Regina Franciæ, matre Lotharii Regis & Karoli Ducis Lotharingiæ, & Hadewige uxore Hugonis Magni Comitis Parisiensis, quorum filius fuit Hugo, qui postea regnavit in Francia. Ibique omnis illa Regalis prosapia una cum Brunone Archiepiscopo Coloniensi, & Wilhelmo Archiepiscopo Moguntino, primo fratre, & secundo filio ejus ac Ludolfo Rege Alemannorum filio ejusdem, tanto ad invicem congratulationis jubilo affectata est, ut in omni vita eorum vix aliquid gaudii huic lætitiæ potuerit comparari. Otto autem Imperator Italiam iterum repetiit, & Natale Domini Romæ celebravit.

Vicesimo nono anno Ottonis, qui est Domini DCCCCLXV. Lotharius V. Lodowici VII. filius fit Francorum Rex XXXI. secundum Vincentium, & XXI. annis regnavit. Karolus autem frater ejus Dux extitit Lotharingiæ, & Otto filius Hugonis Magni Ducatum Burgundiæ suscepit, defuncto Gilberto Duce, cujus filiam idem Otto habebat uxorem.

Tricesimo anno Ottonis, qui est Domini DCCCCLXVI. Hugo Magnus Parisiensis obiit, secundum Sigibertum, cui successerunt tres filii ejus, quos susceperat de Hadwige sorore Ottonis Imperatoris, puta Otto, Hugo & Henricus. Et Hugo quidem factus est Dux Burgundiæ, quia paucis diebus Otto vixit frater ejus in Ducatu prædicto. Post non multos autem dies Lotharius Rex Francorum, congregato exercitu, revocavit ad se Lotharingiam, & usque Aquisgranum pervenit, & cum præda magna in Franciam est reversus. Imperator vero Otto cum exercitu maximo intravit Franciam, & deprædando cuncta, tandem pervenit Parisius, & suburbium civitatis incendit. Lotharius autem Rex Francorum cum dictis Hugone & Henrico Ducibus hostes tribus diebus & totidem noctibus persequens, plures ex eis occidit.

Tricesimo primo anno Ottonis, qui est Domini DCCCCLXVII. Otto Imperator & Lotharius Rex Francorum pacificantur, secundum Vincentium, contra voluntatem Hugonis & Henrici Ducum, & dedit Lotharius Rex Ottoni Imperatori Lotharingiæ regnum, & in hoc Principes Francorum valde perturbavit. Otto junior filius Ottonis Imperatoris, secundum Egghardum, Romam evocatur a patre suo & Johanne Papa, & in Imperatorem coronatur & benedicitur. Wilhelmus Archiepiscopus Moguntinus filius Ottonis Imperatoris obiit, secundum Sigibertum; similiter & Mechtildis mater Imperatoris, plena operibus bonis defuncta est.

Tricesimo secundo anno Ottonis, qui est Domini DCCCCLXVIII. Quidam Comes ipsi Ottoni Imperatori familiaris, secundum Vincentium, ante oculos omnium Romæ a diabolo arripitur, ita ut dentibus suis se discerperet; qui jussu Imperatoris ad Johannem Papam ducitur, ut catena S. Petri collo ejus circumdaretur. Dum autem a fallacibus Clericis semel & bis alia catena furenti adhiberetur, nec quicquam remedii proveniret, tandem vera S. Petri catena allata, & collo furentis circumdata, diabolus spumans & horribiliter clamans abcessit. Qua catena Theodericus Metensis Episcopus arrepta cum diceret, se eam nisi manu abscissa non dimissurum, tandem Imperator, sedato litigio, a Papa Johanne obtinuit, ut annulum hujus catenæ exsectum Episcopus retinere mereretur. Regalis Abbatia, quæ per Ottonem Imperatorem translata est in urbe Magdeburg ad alium locum, ut supra Anno Ottonis XXVI. patuit, autoritate Papæ Johannis jam stabilita est, & loco ejus Archiepiscopatus positus, secundum Egghardum. Hujus Archiepiscopatus Ecclesia prius fundata fuerat sub Episcopali titulo in Vrose per Karol. Magnum, sed modo translata est in Magdeburg, & Metropolis facta. Cui subjectæ sunt Ecclesiæ plures, ut Merseburgensis, cui præfecit in Episcopum Bossonem virum religiosum; Pozenacensis, cui dedit primum Episcopum Jordanum; Tzitzensis, cui præfecit Borchardum in Episcopum; Brandeburgensis, cui dedit Episcopum Dodilonem; Havelbergensis, cui primum præfecit Episcopum Tudonem; Myssenensis, cui dedit in Episcopum Hugonem.

Tricesimo tertio anno Ottonis, qui est Domini DCCCCLXIX. Theodericus Metensis Episcopus Imperatoris consanguineus, secundum Sigibertum, dum in Italica expeditione per triennium cum eo perduraret, multa corpora Sanctorum de diversis Italiæ locis collegit, puta a Corphuno opido Luciam virginem Syracusanam, quam illuc Spoletanorum Dux a Syracusis transtulerat. Item a Sabinis partes corporum Proti & Hyacinthi Martyrum, & alia quamplurima de locis aliis, cum parte catenæ S. Petri Apostoli, cum capillis ejusdem, & cum sangvine B. Stephani Martyris, & cum parte craticulæ Beati Laurentii Martyris, a Papa Johanne sibi datis, transtulit in Galliam, & in Ecclesia S. Vincentii Martyris a se in insula urbis Metensis fundata honorifice locavit.

Tricesimo quarto anno Ottonis, qui est Domini DCCCCLXX. Nicephorus Imperator Græcorum secundum Vincentium, timens a filiis suis ab Imperio deponi, eo quod senex esset, volebat eos eunuchare sive castrare: quorum mater Regina, quia nullo alio modo eos poterat liberare, svasit Johanni Nicephorum occidere, & regnare. Johannes itaque occulte cum fratribus intravit palatium, & occiso Nicephoro, ipse imperavit pro eo. Otto Imperator, secundum Helmoldum, septimum Episcopatum fundavit in terra Slavorum in Aldenburg, præficiens ei primum Episcopum Marconem. Quem Hadaldagus Archiep. Hammeburgensis suæ Ecclesiæ adjungi in Suffraganeum ab Ottone Imp. impetravit. Cætera vero pars terræ

Digitized by Google

terræ Slavorum usque ad Penam fluvium, qui Demyn opidum transfluit cum suis Ecclesiis Metropoli Magdeburgensi adjecta est.

Tricesimo quinto anno Ottonis, qui est Domini DCCCCLXXI. Otto Imperator secundum Sigibertum, filio suo Ottoni neptem Johannis Imperatoris Constantinopolitani nomine Cleopham(Theophaniam)a Papa Johanne in Imperatricem coronatam, legitimo matrimonio copulavit. In Obotritorum terra, secundum Helmoldum, Mykelingburgensis Ecclesia fundatur ab Ottone primo in honorem Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, quæ nunc Ratzeburgensis Ecclesia nuncupatur.

De Benedicto VI. PP. CXXXVIII.

Benedictus Papa, natione Romanus ex patre Paulo, sedit uno anno & mense uno, secundum Martinum. Istum captivavit Crescentius Stephani, & jugulavit ipsum in nocte Nativitatis Domini, in Castro S. Angeli urbis Romanæ.

Tricesimo sexto anno Ottonis, qui est Domini DCCCCLXXII. Hermannus filius Wylingi rustici factus est Dux Saxoniæ & Westphaliæ seu Angariæ. Otto namque Imperator, secundum Chronicam Saxonum, videns, fratres suos Henricum & Brunonem cum Ludolfo filio suo sibi rebelles existere, Ducatum Saxoniæ & Westphaliæ, qui jure hæreditario Ludolfo filio suo & Henrico fratri suo debebatur, abstulit, & cuidam Hermanno filio Wylingi rustici de curia Stubbekeshorn distante a Luneburg per sex miliaria, protunc terrarum Saxoniæ & Westphaliæ vicario sive præfecto concessit & donavit. Et sic Ducatus iste de stirpe Wydekindi Regis quondam Angarorum est ablatus, de cujus prosapia Otto Imperator erat, & sui fratres ac filii. Iste autem Hermannus fuit primo ab Ottone Imperatore in numerum ministrorum curiæ communium assumtus, prout supra anno Ottonis XXIIII. patuit. Otto ergo Imperator iturus ad Italiam, de consilio & beneplacito fidelium suorum eidem Hermanno tutelæ vicem in Saxonia & Westphalia commisit. Postquam vero rediit, & fidelitatem ac strenuitatem præfati Hermanni percepit, ipsum Ducem fecit, & ex tunc sibi suisque successoribus & hæredibus ipsum Ducatum jure perpetuo possidendum delegavit. Quem quidem Ducatum, Deo auxiliante, justissime gubernavit, & in defensionem Ecclesiarum Dei studiosus & fervidus permansit, usque in finem vitæ suæ, & præsertim Hammeburgensis & Bremensis. Iste Hermannus Dux, secundum Helmoldum, dicitur fundasse Monasterium in honorem S. Michaëlis in Castro montis Luneburgensis, & bonis magnis ipsum dotasse, quamvis quidam fundationem ejus attribuant Wiperto Episcopo primo Verdensi, & quidam aliis Principibus. Benno vero filius Hermanni Ducis, quod pater suus incompletum reliquerat, ipse perfecit, & quendam religiosum virum Ludericum nomine de Monasterio S. Panthaleonis illi Monasterio in Abbatem primum præfecit. Hic Hermannus Dux genuit Duces Bennonem, qui & Bernhardus dictus est, & Ludgerum. Benno vero Dux genuit Duces Bernhardum & Tidemarum. Bernhardus Dux genuit Ortholfum & Hermannum. Ortholfus genuit Duces Ottonem & Magnum. Magnus autem Dux sine hærede masculino decessit, relinquens duas filias, quarum una Eyleke nomine nupsit Ottoni Comiti de Soltwedele; quæ genuit Albertum Marchionem de Brandenburg cognomento Ursum. Et ita in illo Duce Magno prosapia Ducis Hermanni filii Wylingi finiebatur. Altera vero filia Wilfildis nomine, vel secundum alios, Mechtildis nupsit Welpe Duci Bawariæ, qui Dux Welpe ex supradicto Henrico fratre Ottonis Imperatoris fuit procreatus. Et dicta Wilfildis genuit eidem Duci Welpe Henricum Leonem. Hic Henricus Leo Dux & Albertus Marchio Ursus, prædictarum sororum filii, pro prælibato Ducatu Saxoniæ & Westphaliæ contenderunt, sed Henricus Leo Ducatum obtinuit. Postquam autem Otto Magnus Imperator Ludolfum filium suum & Henricum fratrem suum Ducatu Saxoniæ & Westphaliæ propter eorum rebellionem privaverat, & Hermanno filio Wylingi rustici contulerat, hi duo puta filius ejus & frater ejus gratiam Imperatoris affectabant. Quos in gratiam recipiens, dedit filio suo Ludolfo Ducatum Sveviæ, & Henrico fratri suo Ducatum Bavariæ protunc vacantes. Sed filius ejus Ludolfus statim post donationem sine hærede decessit, & sic Dux Henricus frater Ottonis Imperatoris Ducatum Sweviæ cum Ducatu Bawariæ obtinuit. A quo Duce Henrico Imperatores & Reges infra scripti sunt procreati, puta Henricus Secundus Conradus II. filius Henrici Secundi, Henricus III. Conradi II. filius, Henricus IV. Henrici III. filius, Henricus Quintus Henrici IV. filius, Conradus Tertius Henrici V. nepos, Fridericus I. Conradi III. fratris filius, Henricus VI. Frederici I. filius, Fredericus II. Henrici VI. filius, Conradus IV. & Henricus Septimus Frederici Secundi filii, ac ipsorum Imperatorum & Regum filii & fratres Duces Bawariæ, Sweviæ, Austriæ, Saxoniæ, Ungariæ & Westphaliæ, & quamplures alii Marchiones, Lantgravii, & Comites illustres, nec non Cardinales, Archiepiscopi & Episcopi, per mundum dispersi in diversis provinciis & regionibus, de quibus singulis tædium esset scribere.

Tricesimo septimo anno Ottonis, qui est Domini DCCCCLXXIII. Otto Imperator regressus de Italia cum Ottone filio suo Gallias ingreditur, secundum Egghardum, & inde in Germaniam venit, Pascha proximum in Quedlinburg celebraturus. Ubi manens XVII. diebus, descendit inde, & Ascensionem Domini celebravit in Merseburg. Tertia autem feria ante Pentecosten venit ad locum Nunulemia, & proxima nocte transacta hora constituta lætus ad mensam consedit, venienteque hora vespertina, laudibus ipsis vespertinis interfuit. Sed peracto cantu Magnificat, æstuare & fatigari Rex cœpit. Quod cum intellexissent Principes circumstantes, imposuerunt eum sedili, inclinantem autem caput, quasi jam deficeret, refocillaverunt. Recepto ergo Sacramento Dominico,

Digitized by Google

nico, sine gemitu cum magna tranquillitate spiritum Domino reddidit feria quarta ante Pentecosten. Cujus corpus cum magnis lugentium exequiis a filio suo translatum est in civitatem Magdeburg, quam ipse fundaverat, & ibidem honorifice est sepultum. Statua autem ejus in urbis illius foro magno solenniter est ex lapidibus pulcris erecta.

De Ottone II. Imp. 80.

Otto II. Ottonis Magni filius, Romanorum Imperator LXXX. cœpit anno mundi IIIIMDCCCCXXXI. Olympiadis CCCCXL. anno primo, urbis conditæ M DCC XXIII. Domini vero DCCCCLXXIII. & X. annis post patrem imperavit, secundum Martinum. Hic vivente patre in Regem est electus, & postea Romæ Imperator benedictus & coronatus; qui mox, ut pater defunctus est, ab omnibus, qui aderant, denuo eligitur, & in regni sedem locatur; & statim Ottone parvulo filio in Saxonia sub tutela relicto Hermanni Ducis Saxoniæ & Westphaliæ, cum uxore sua & exercitu magno per Italiam transiens, venit Romam, ibique a Benedicto Papa cum maximo gaudio est secundo coronatus cum uxore sua Cleopha. Erat autem tunc summa pax inter Papam & Imperatorem. Huic dum Gallici pacem sæpe violarent pariter & Italici, ipse venit Romam vel alibi, ubi venire ipsum necesse erat, & omnibus Proceribus, Magnatibus & Pontificibus Romæ existentibus apud gradus Ecclesiæ convivium magnum fecit. Quibus epulantibus, omnes armatis cingi fecit & circumdari. Deinde de violata pace querimoniam movens, jussit in scripturis culpabiles recitari, quos statim ibidem unum post alium fecit decollari, alios vero epulari lætanter hortabatur.

De Domno PP. CXXXIX.

Domnus Papa, natione Tholosanus ex patre Johanne, sedit uno anno & mensibus sex, secundum Martinum. Ambos autem hos Pontifices, puta Benedictum & Domnum malitia Romanorum extinxit in brevi tempore, & ideo nichil facere potuerunt memoria dignum.

Primo anno Ottonis, qui est Domini DCCCCLXXIIII. Rodolfum Archiepiscopum Rhemensem de stirpe Karoli Magni propagatum, secundum Sigibertum, Hugo Rex Francorum valde odivit. Et ideo convocatis Episcopis, ipsum allegans illegitimum fore, de Archiepiscopatu deposuit, & Gilbertum Monachum nigromanticum maximum ei subrogavit. Quod Summus Pontifex intelligens, legatum suum misit, qui Rhemis Concilio Episcoporum congregato, Gilbertum deposuit, & Rodolfum restituit. Gilbertus vero depositus ad Ottonem Imperatorem se transtulit, quem & ipse in doctrina erudierat. Qui nacta oportunitate primo Ravennensem Archiepiscopatum, & post Romanum Pontificem, diabolo procurante, ipsum fecit; qui infra dictus est Silvester II.

Secundo anno Ottonis, qui est Domini DCCCCLXXV. Gelu maximum fuit, secundum Vincentium, durans a Kalendis Novembris usque ad æquinoctium vernale. Aldenburgensis Ecclesia, secundum Helmoldum in Chronicis Slavorum, dedicatur in honorem S. Johannis Baptistæ. Est autem Aldenburg ea, quæ Slavica lingua Starigard, id est antiqua civitas vocatur, & est sita in terra Wagirorum, in occiduis partibus Baltici maris, & est terminus Slaviæ, illius plagæ, quæ modo Holtzatia nuncupatur. Huic autem Sedi Aldenburgensi subjecit Imperator Otto primus omnem Obotritorum provinciam usque ad flumen Peyna, & urbem Demyn, ac civitatem Sleswik, eo quod pro tunc ibidem nondum esset Episcopatus, nec etiam Mykelingburgensis Ecclesia fundata erat, sed postea. Quidam tamen dicere volunt, Beatum Anscharium fundasse Ecclesiam Sleswicensem, ut supra patuit. Defuncto autem Marcone Aldenburgensi Episcopo, accepit eam regendam venerabilis vir Conradus ejusdem Ecclesiæ secundus Episcopus, qui multos Slavos ad Christum convertit, qui ordinatus & consecratus ab Adaldago Archiepiscopo Hammeburgensi.

De Bonifacio VII. PP. CXL.

Bonifacius Papa, natione Lombardus ex patre Nicolao, sedit mensibus tribus & diebus XIII. secundum Martinum. Hunc Romani, suffocatis Benedicto & Domno, Papam fecerunt. Qui mox non valens in urbe pacifice subsistere, deprædata Ecclesia S. Petri omnibus pretiosis clenodiis & ornamentis, fugit in Constantinopolim, sed tandem Romam reversus cum maxima pecunia, cum proficere non posset, Johanni Cardinali oculos eruit. Quo facto, subito percussus divina ultione periit.

De Benedicto VII. PP. CXLI.

Benedictus Papa, natione Romanus ex patre Gregorio, sedit annis tribus & mensibus sex, secundum Martinum. Sub isto Benedicto voluit quidam, venerabilem virum Rodolfum Archiepiscopum Rhemensem fuisse amotum a Sede sua per Hugonem Regem, de quo supra dictum est.

Tertio anno Ottonis, qui est Domini DCCCCLXXVI. Catherius Veronensis Episcopus bis sede pulsus, secundum Sigibertum, & post Ferraberto Episcopo defuncto, per Brunonem Archiepiscopum Coloniensem Leodiensis Episcopus ordinatus, ac sequenti anno etiam ab illo Episcopatu dejectus, substituto sibi Baldrico avunculo Reyneri Comitis Montensis, hoc anno apud Lobias moritur; cujus est de se ipso hoc Monostichum:

Verone Præsul, sed ter Catherius exul (leg. Ratherius exul). Iste tale Epitaphium fecit tumulo suo inscribi:

Concultre pedes hominum sal infatuatum.

Sanctus Odalricus Augustensis Episcopus, secundum Wilhelmum, de nobili prosapia Regum Francorum ortus, obiit in Germania octogenarius, Episcopatus vero sui anno LIII.

Quarto anno Ottonis, qui est Domini DCCCCLXXVII. Theodericus secundus Comes Hollandiæ, secundum Egghardum, in Egmunda lapideam ædificavit Ecclesiam in magnis sumtibus, & ligneam, quam pater suus fecerat, sustulit,

Digitized by Google

sustulit, Sanctimoniales vero, quæ ob bestialitatem Frisonum vitam Monasticam ibi ducere non poterant, removens, Monachos ibi collocavit. Cum Otto Imperator, pacato undique regno, secundum Sigibertum, Aquisgrani moraretur, Lotharius Rex Francorum subito ad invadendam Lotharingiam conscendit, & cedente ei Imperatore, quia ad pugnandum paratus non erat, Rex usque ad palatium Aquisgrani venit, & post devastationem multam impune repatriavit. Quem Otto Imperator cum inæstimabili populo insecutus est, & usque Parisius omnia vastans, nullo obsistere valente, pervenit; condictoque die VI. Kal. Octobris Franciam intravit, & usque ad Kal. Decembris eam pervagatus, fines Rhemensium, Laudunensium, Suessionum & Parisiensium grandi cæde vastavit, Eccclesiis tamen Dei immunitate illata.

Quinto anno Ottonis, qui est Domini DCCCCLXXVIII. Etelredus filius Odgari Regis & Elfridæ uxoris suæ, regnare cœpit in Anglia, secundum Wilhelmum, & XXXVI. annis regni sceptrum tenuit. Hic cum puer existens baptizaretur, circumstantibus Episcopis, in sacrum fontem baptismatis cacavit. Propter quod Sanctus Dunstanus Canthuariensis Archiepiscopus turbatus dixit: Homo iste ignavus erit. Cumque decennis effectus, fratrem suum Edwardum interfectum audiret acclamari, fletu suo adeo furente matrem commovit, ut, quia flagellum sive virgam ad manum non habebat, arreptis candelis juvenem cædere tentavit. Qui prius a fletu non cessavit, quousque pene exanimem & ipsum mater lacrymaretur. Quapropter in tota via sua candelas abhorruit.

De Johanne XIIII. PP. CXLII.

Johannes Papa, natione Francus ex patre Roberto, Episcopus Parisiensis, sedit mensibus sex & diebus XIII. secundum Martinum. Hic in Castello S. Angeli per quatuor menses fame afflictus inedia defecit, & defunctus est.

Sexto anno Ottonis, qui est Domini DCCCCLXXIX. Sanctorum Landaldi, Adriani, Amantii & aliorum corpora, secundum Sigibertum, a Wentreshove Hasbaniæ vico transferuntur Gandavum cum multa gloria miraculorum.

De Johanne XV. PP. CXLIII.

Johannes Papa, natione Romanus ex patre Petro, sedit mensibus VII. & diebus XXIIII. secundum Martinum. Tunc igneæ acies visæ sunt in cœlo per totam noctem, secundum Vincentium, VII. Kal. Novembris.

Septimo anno Ottonis, qui est Domini DCCCCLXXX. Otto Imperator & Lotharius Rex Francorum convenerunt super Carium fluvium, secundum Vincentium, & pacificati sunt, datis invicem sacramentis, & Rex Lotharius Lotharingiam abjuravit, Otto vero Italiam repetiit. Eodem anno Lotharius Rex defunctus est, & Rhemis sepultus; cui successit Lodowicus VIII. filius ejus Rex XXXII.

De Johanne XVI. PP. CXLIIII.

Johannes Papa, natione Romanus ex patre Martino, sedit annis XII. & diebus XX. Hic fuit, secundum Martinum, in artibus eruditissimus, & libros multos composuit. Hunc Crescentius Patricius in tantum cœpit persequi, ut urbe relicta compulsus est Tusciam intrare. Cognoscens autem Crescentius, quod Papa pro Ottone Imperatore misisset, nuncios suos misit ad Papam, petens, ut ad urbem rediret. Quo veniente, Crescentius cum Senatu ad pedes Papæ cadens, veniam postulavit. Sicque facta pace, Papa Romæ moratus est usque ad mortem.

Octavo anno Ottonis, qui est Domini DCCCCLXXXI. Otto Imperator Apuliam & Calabriam Italiæ provincias, ad jus regni Græcorum pertinentes, secundum Vincentium, transferre ad Imperium Romanum conatus est, maxime propter affinitatem, quam per uxorem suam Cleopham cum Græcorum Imperatore habebat. Hermannus Dux Saxoniæ & Westphaliæ filius Wylingi obiit, secundum Chronicam Saxonum, cui filius suus Benno successit, alio nomine Bernhardus.

Nono anno Ottonis, qui est Domini DCCCCLXXXII. Græci offensi, secundum Sigibertum, eo quod Otto Imperator contra jus provincias Græcorum invaderet, in Calabria ipsum bello aggrediuntur. In quo bello totus pene Imperatoris exercitus, ex Teuthonicis, Saxonibus & Italicis collectus, deletus est. Otto vero Imperator solus ad mare perveniens, quosdam nautas rogavit, ut ipsum in navim reciperent, asserens, se unum de militibus Imperatoris. Qui susceptus in navim, a quodam eorum, qui negotiator erat, agnitus est esse Imperator. Sed tamen illo non prodente ipsum, naucleri considerantes decorem ejus, loquebantur ad invicem Græce, credentes, Imperatorem esse, nec Imperatorem intelligere idioma eorum, consenserunt in hoc, quod ipsum vellent Constantinopolim ad Imperatorem Græcorum deducere. Quod Imperator audiens & intelligens, vehementer obstupuit, & circumveniens ipsos dixit, se maximam pecuniam habere in Sicilia. Unde rogavit eos, ut illic eum ducerent, & assumta illa pecunia, simul cum gaudio properarent. Ipsis ergo propter pecuniam illam ad litus accedentibus, vidit, Imperator juxta litus quendam militem in armis nomine Probum, cujus auxilium Imperator invocans, ipse solus cum milite se juvante omnes nautas numero XL. interfecit, nec unus eorum evasit per virtutem S. Petri Apostoli, quem Imperator solicite invocabat. Et sic ad Cleopham Imperatricem veniens, cum qua Theodericus Metensis Episcopus erat, præstolantes ambo rei eventum, cum gaudio receptus est. Imperatrix autem fœminea levitate & Græcorum favore mota, insultabat Imperatori, quod ab exercitu suæ nationis tam turpiter victi essent Romani, & propter hoc cœpit Primatibus exosa esse.

Decimo anno Ottonis, qui est Domini DCCCCLXXXIII. Otto Imperator Beneventum obsedit, secundum Egghardum. Quo capto, ossa Beati Bartholomæi inde asportavit, & Romæ in quadam insula collocavit, & in Saxoniam

Digitized by Google

xoniam per Tiberim & mare transferre cogitavit. Sed eo ibidem in brevi defuncto, pretiosus ille thesaurus usque hodie ibidem permansit. Africani, secundum Vincentium, valida manu Romanum Imperium invaserunt, contra quos Otto Imperator exercitum educens, pugnavit cum eis in mari, ubi tantus sanguis Africanorum & Teuthonicorum effusus est, quod color aqueus in sanguineum versus est; in quo prælio & ipse Imperator lethaliter vulneratus, tandem mortuus defecit. Quo defuncto, de Imperatore novo creando inter Principes dissensio orta est, aliis odio Imperatricis a filio ejus Imperium transferre nitentibus ad Henricum Ducem filium Henrici, qui frater primi Ottonis extitit; aliis legitimo hæredi Ottoni filio Ottonis secundi jam defuncti Imperium deberi suadentibus. Unde dictus Henricus Ottonem puerum dolose rapiens, in custodiam misit. Sed Principes puerum ipsum de manibus ejus extorquentes, in Imperium sublimaverunt, & annis XIX. imperavit. Adelbertus primus Magdeburgensis Archiepiscopus defunctus est, secundum Egghardum, cui Gyselerus successit.

De Ottone III. Imp. LXXXI.

Otto Tertius Ottonis secundi filius, Romanorum Imperator LXXXI. cœpit anno mundi IIII MDCCCC XLIIII. Olympiadis CCCCXLII. anno primo, Urbis conditæ MDCCXXXIII. Domini vero DCCCCLXXXIII. & imperavit XIX. annis, secundum Martinum. Iste aperuit sepulcrum Karoli Magni, ubi mirabilia multa vidit & invenit. Unde in somnis idem Karolus apparuit ei, dicens, ipsum non debere diu vivere, nec prolem habere, eo quod sepulcrum ejus violasset. Quæ omnia sic contigerunt, sicut Sanctus prædixit.

Primo anno Ottonis, qui est Domini DCCCCLXXXIIII. Sweyn filius Haroldi Regis Danorum, secundum Helmoldum in Chronica Slavorum, bellum intravit contra patrem suum, & devicto exercitu Haroldi, ipse pater fugit in Nynivetam urbem Slavorum navigio, graviter vulneratus. Ubi, licet præter spem humaniter receptus & tractatus, deficere cœpit, & tandem obdormivit in Domino Rex Christianissimus & merito inter Martyres computandus. Slavi contra Saxones bella moventes, secundum Helmoldum, primo Brandeburg & postea Havelberg obsederunt, & tandem opida illa expugnantes, ea destruxerunt cum multis Ecclesiis suis. Apud Aldenburg terræ Wagirorum, secundum Helmoldum, defuncto Erwardo Episcopo successit ei in Sede Wago, vir religiosus. Hunc autem Episcopatum Otto primus Magdeburgensi Ecclesiæ subjicere decreverat, sed Adeldagus Archiepiscopus Hammeburgensis ipsum suæ Ecclesiæ adjungi petiit, eo quod terminis suæ Ecclesiæ antiquis Imperatorum privilegiis esset circumscriptus. Post hunc Wagonem venit in Sedem eandem Ezeco, post Ezeconem Volradus, post quem Reynbertus, post quem Benno sive Bernhardus, post quem Meynarus, post quem Abelinus, post quem Ezo, qui decimus extitit in ordine. Wago vero Episcopus sororem habuit pulcerrimam, quam appetiit Billug Slavorum Regulus. Quam cum post multarum precum instantias ei in matrimonio copulasset, non post multos dies repudiatam Antistiti remisit. Quod non modicam dissensionem inter dictos Wagonem Episcopum & Billug regulum causavit.

Secundo anno Ottonis, qui est Domini DCCCCLXXXV. Theodericus secundus Comes Hollandiæ, secundum Sigibertum, precibus Egberti Treverensis Archiepiscopi & Theophaniæ sive Cleophæ Imperatricis matris Ottonis, quicquid in beneficiis tenuerant antecessores ejus, ipse suscepit in proprietatem. Dani cum Rege suo Sweyn improbissimo, congregato navali exercitu, secundum Helmoldum, remigantes mare Britannicum, applicuerunt litoribus Albiæ. Ubi improvise irruentes super quietos, vastaverunt omnia maritima insulæ Hadelen, omnemque terram Saxonum, quæ erat super ripas fluminis sita, quousque pervenirent Stadis, quæ est optima statio navium per Albiam descendentium. Quo lugubri rumore comperto, Sigifridus Comes de Alldenburg & Theodericus Comes de Stadis, cæterique Nobiles, ad quos provinciæ tutela pertinebat, processerunt obviam Danis. Cum tamen essent perpauci, receperintque hostes, in memorato portu Staden, facta est ergo pugna vehementissima, in qua superantibus Danis, virtus Saxonum penitus est attrita. Comites namque ambo cæterique Nobiles & militares, qui interfectioni superfuerant, vincti & catenati ad naves ducti sunt. Comes vero Sigifridus, auxilio cujusdam piscatoris, noctu profugit & evasit. Quamobrem barbari illi furore repleti, omnes quos habebant in vinculis Nobiles, detruncatis manibus & pedibus, ac naso præciso, semivivos ad terram de navibus projecerunt. Deinde quod residuum fuit vulgaris populi, occiderunt, deprædantes totam illam terram sine resistentia. Altera vero pars piratarum, qui per Wirraham subvecti fuerant, omnem illius fluminis ripam usque Lesmoniam vastaverunt, & cum maxima captivorum copia pervenerunt usque ad paludem Glyndesmur. Ubi cum quendam militem Saxonum facerent Ducem itineris, quem captivum tenebant, ille perduxit eos ad difficiliora loca paludis. In qua diu illi fatigati, a Saxonibus, qui eos insequebantur, devicti sunt. Et perierunt ex Danis ibidem circa XXM. Nomen autem militis, qui eos in invium deduxerat, fuit Hartwardus.

Tertio anno Ottonis, qui est Domini DCCCCLXXXVI. Siccitas vernalis permaxima fuit, secundum Vincentium, ex qua sata tam vernalis quam hyemalis temporis vel impedita sunt vel annullata, & fames gravis est secuta. Post hæc nix nimia cecidit, & imber postea continuus, ita ut autumnalem seminum sparsionem omnino fieri negaret.

Quarto anno Ottonis, qui est Domini DCCCCLXXXVII. Lodowicus VIII. Rex Francorum XXXII. obiit, secundum Sigibertum,

tum, post cujus mortem cum regnum Francorum transferre vellent ad Karolum Ducem Lotharingiæ, fratrem Lotharii Regis, & Karolus rem ad consilium differret, Hugo Comes Parisiensis regnum Francorum sibi usurpavit, & XXXIII. Rex factus, IX. annis regnavit. Hic Hugo fuit filius Magni Hugonis Comitis Parisiensis, nec fuit de progenie Karoli Magni, sed de genere Saxonum Karolus ergo frater Lotharii Regis, Dux Lotharingiæ, regnum sibi debitum a Hugone repetens, eumque bello perungens, Laudunum urbem expugnavit, Hugonem fugavit, Rhemensium urbem occupavit, & vastando omnia usque Svessionis pervenit, ac multa præda Lugdunum reversus est. Tandem proditione Anselmi Lugdunensis Episcopi portæ nocte clam referantur, & Karolus cum uxore sua Hugoni traditur. Qui vinctus Aurelianis ducitur, & turris custodiæ mancipatur, ubi duos genuit filios, Lodowicum scilicet & Karolum, & tandem ibi moritur. Reliquit etiam duas filias Gerbergam & Ermegardam. Dicebatur autem hic Rex Hugo Zapher, id est capucium. Duxit autem Hugo, secundum Wilhelmum, uxorem filiam Regis Angliæ pulcerrimam, pro qua misit patri puellæ munera plurima. Et inter alia misit ensem Constantini Magni, in quo nomen possessoris literis aureis legebatur. In capulo quoque super crassas auri laminas clavus ferreus affixus erat, unus ex tribus, qui Dominico corpori infixus erat. Lanceam quoque Karoli Magni, quem Imperator invictissimus contra Sarracenos exercitum ducens, quotiens in hostem vibravit, victor rediit. Ferebaturque eadem esse, quæ Dominico lateri in manu militis infixa, paradisum mortalibus aperuit. Vexillum quoque Beatissimi Martyris Mauritii, Principis legionis Thebæorum, quo idem Rex Karolus in bello Hispanico quamlibet hostium aciem dirumpere consveverat; diademaque ex auro multo & gemmis pretiosis ornatum; particulam insuper sanctæ Crucis crystallo inclusam, & portiunculam spineæ coronæ Domini eodem modo reclusam eidem transmisit Regi.

Quinto anno Ottonis, qui est Domini DCCCCLXXXVIII. Sanctus Dunstanus Archiepiscopus Cantuariensis obiit in Christo, secundum Wilhelmum. Hic vir Dei instante die Ascensionis Domini solus existens in oratione, salutabatur a sanctis spiritibus Cherubim & Seraphim, & sub his verbis ad vitam æternam intrandam invitabatur: Mandat tibi, quem pie desideras, filius Dei, quatenus, paratus si es, venias, & diem hanc, ad cujus gaudium aspiras, nobiscum celebres. Responde, quid agere velis. Dunstanus ait: Hodie solennissimus dies est, & incumbit mihi plane Verbum Dei plebi proponere, & ostendere illi, quomodo ad hoc gaudium possit pervenire, propter quod multi convenient: nec possum eos decipere, & ideo hodie venire non possum. Qui dixerunt: Eja paratus esto, ut saltem die Sabbati venias. Annuit iste; & illi recedunt. Sub missa ergo præsentis festivitatis ter populo Verbum Dei proposuit, ita ut non hominem, sed Angelum Dei loqui putarent, & in ultimo sermone obitum suum instare populo prædixit. Postea eodem die surrexit a mensa, & oratorium petiit, ac locum, ubi sepeliri voluit, designavit, & mox langvere cœpit. Feria autem sexta lecto decumbens, simul & Sabbato expectavit horam transitus sui: & subito tribus vicibus cum lecto, in quo jacebat, usque ad superiora elevatus est, & trabibus obsistentibus, ad terram leviter demissus est. Et tunc benedicens circumstantes, cum ab omnibus esset responsum Amen, animam suam Deo reddidit, miraculis clarens multis.

Sexto anno Ottonis, qui est Domini DCCCCLXXXIX. Theodericus secundus Comes Hollandiæ obiit, secundum Vincentium, & juxta uxorem suam Hildegardem in Egmunda Monasterio sepelitur, cui successit Arnulfus filius ejus, habens uxorem Luthgardum sororem Theophaniæ, vel secundum alios, Cleophæ Imperatricis matris Ottonis hujus, & V. annis regens. Adaldagus Archiepiscopus Hammeburgensis obiit plenus virtutibus, secundum Helmoldum, cui in Sedem successit Libentius, vir sanctitatis eximiæ, & præfuit V. annis. Hic primus omnium prædecessorum suorum consecratus est a Suffraganeis suis, eratque vir literatissimus & in omni probitate conspicuus. Hujus tempore Brema cœpit muro cingi.

Septimo anno Ottonis, qui est Domini DCCCCXC. Bolizlaus Polonorum Christianissimus Dux, secundum Vincentium, confœderatus cum Ottone Imperatore, omnem Slaviam, quæ est ultra Oderam flumen, tributis subjecit, nec non Ruthenos & Pruthenos, a quibus passus est Adelbertus Pragensis Episcopus; cujus reliquias Bolezlaus Dux transtulit in Poloniam. Principes autem Slavorum illorum, qui Wynuli vel Wynithi dicuntur, fuerunt Myssezlaus, Nakkon & Zederych, sub quibus pax continua fuit, & Slavi sub tributo Imperatori serviebant. Missezlaus autem Princeps Obotritorum palam Christum Deum suum confitens, sed clam ipsum negans, sororem suam Deo consecratam Hoditam nomine virginem Monasterio Virginum, quod erat in Mykelingburg, subtraxit, & eam cuidam Bolizlao incestuosissimo conjugio copulavit. Cæteras vero virgines, quæ ibidem repertæ sunt, aut militibus suis nuptui tradidit, aut in terram Wilzorum sive Ranorum transmisit. Sicque Monasterium illud desolatum periit ex toto.

Octavo anno Ottonis, qui est Domini DCCCCXCI. Cleopha seu Theophania Imperatrix & mater Ottonis Imperatoris, secundum Egghardum, obiit, & in Quedelinburg sepulta dicitur. Annona in Hispania pluit de cœlo, secundum Vincentium, in magna abundantia. Pisciculi etiam parvi referuntur cecidisse de cœlo.

De Gregorio V. Papa CXLV.

Gregorius, qui & Bruno, Ottonis, I. filius, natione Saxo, sedit annis V. mensibus V. & diebus XV. secundum Martinum. Hic ad instantiam Ottonis III. in Papam est electus de Archiepiscopatu

Digitized by Google

patu Colonienſi. Poſt breve tempus hunc Papam Gregorium Creſcentius Patricius fugavit, & Epiſcopum Placentiæ in Papatum intruſit. Otto autem Imperator cum in ſua electione multos habuiſſet Principes contradictores, nobilis Benno Dux Saxoniæ & frater ſuus Ludderus, filii Hermanni Ducis Saxoniæ filii Wylingi, fideliter ei aſſiſterunt, & eorum auxilio Romam perductus, Auguſtalem ſuſcepit coronam a Gregorio, quem repoſuit in Sedem ſuam, depulſo intruſo. Deinde de Roma in Apuliam ad Sanctum Angelum cauſa peregrinationis tranſivit, & reditum Beneventum faciens, per Galliam in Saxoniam eſt reverſus.

Nono anno Ottonis, qui eſt Domini DCCCCXCII. Arnulfus Archiepiſcopus Rhemenſis, ſecundum Vincentium, per Synodum totius Franciæ deponitur & degradatur, ab omnibus Ordinibus ſacris privatur, & Gilbertus loco ejus Archiepiſcopus inſtituitur. Sed poſt invento, quod Arnulfus degradari non potuit abſque conſenſu & auctoritate Papæ, Gilbertus deponitur. Qui depoſitus, ad Ottonem Imperatorem ſe contulit. Quem Imperator benivole receptum, primo ipſum Ravennenſem, & poſtea Romanum fecit Epiſcopum, ut ſupra tactum fuit primo anno Ottonis. Ibi autem dictus eſt Rodolfus, qui depoſitus dicebatur. Gilbertus autem hic poſt tertium ſuum Epiſcopatum fecit de ſeſe hunc verſum:

Scandit ab R Gilbertus ad R, fit Papa potens R.

Decimo anno Ottonis, qui eſt Domini DCCCCXCIII. Bellum grande fuit inter Arnulfum Comitem Hollandiæ tertium & Friſones, ſecundum Egghardum, in quo dictus Arnulfus Comes occubuit cum maxima ſtrage ſuorum, & in Monaſterio Egmunda ſepultus eſt, cui ſucceſſit Theodericus filius ejus una cum fratre ſuo Sigifrido. Eccleſia in Gandersheym dedicata eſt hoc anno, ſecundum Chronicam Saxonum per Epiſcopum Hiltinsheymenſem, & pluribus bonis dotata.

Undecimo anno Ottonis, qui eſt Domini DCCCCXCIIII. Libentius Archiepiſcopus Hammeburgenſis obiit in Domino, ſecundum Helmoldum, cui ſucceſſit in Sedem Unwanus, clariſſimo genere ortus, largus & ab omnibus dilectus, & ſedit in Eccleſia illa XVI. annis fructuoſe & utiliter valde. Berwardus, vir Deo devotus, claris ortus natalibus, ſecundum Egghardum, ex filia Comitis Palatini, in Hiltinsheym literis eruditus fuit. Hic peritus extitit in arte ſculptoria & aurifabricatoria, caſtrum Sommerſchenburg avi ſui jam ſenis prudenter regens. Tandem ejus bona fama ad aures Ottonis Imperatoris perlata, ipſum vocavit ad curiam ſuam, & inſtructor ac rector ipſius factus eſt. De quo officio, defuncto Genbago Epiſcopo Hiltensheymenſi, ipſe in Epiſcopum ibidem eſt electus & confirmatus. Quem Epiſcopatum induſtria multa gubernans, reditibus, libris, ornamentis & clenodiis diverſis ex auro & argento ſubtiliter elaboratis propriis manibus ampliavit. Crucem etiam quandam faciens argenteam, nec habens niſi tres Dominici ligni partes, quas operi ſuo imponeret, Angelus Domini quartam partem Sanctæ Crucis ei de cœlo attulit, & in ſinum ſuum locavit. Hic S. Michaëlis Monaſterium in Hiltensheym miro opere decoratum, & divitiis multis dotatum extruxit, in quo & ipſe habitum S. Benedicti induit, & religioſam vitam ducens, bono fine ipſam terminavit.

Duodecimo anno Ottonis, qui eſt Domini DCCCCXCV. Sanctus Odilio in Burgundia ex Clerico Bervacenſi, ſecundum Sigibertum, Monachus profeſſus, Cluniaci fit Abbas, & rexit Monaſterium illud LVI. annis, miro religionis fervore. Hic plures animas a laqueis diaboli & tormentis liberavit, ut quidam Sanctus in recluſorio degens, retulit cuidam Fratri de peregrinatione Jeroſolymitana redeunti. Eripuit etiam hic Sanctus Abbas Benedictum Papam de purgatorio. In Herthene villa Colonienſi, ſecundum Egghardum, dives quidam ruſticus Nicolaus arietem quendam ſericis veſtitum, malo ſive perticæ altæ impoſuit, atque juxta theatrum erexit. Erat enim dies feriatus, & convenit multitudo virorum & mulierum. Ubi clamatum fuit voce præconaria, ut choream circa arietem ducerent, & remota omni perſonarum acceptatione, quicunque in chorizando alios excelleret, illum arietem cum ſuis inſigniis ſibi vendicaret. Hoc ut Sacerdos Henricus, illius Eccleſiæ Paſtor, intellexit, ſciens, ludum hujusmodi ſpeciem idololatriæ ſapere & prætendere, ad locum illum acceſſit, & ne chorea talis fieret, admonuit & prohibuit. Ac ut majorem eis incuteret terrorem, ſub pœna excommunicationis eam interdixit. Illi vero verba Sacerdotis non curantes, neque excommunicationem formidantes, cum ornamentis ſertorum ſe ad choream præparaverunt. Tunc Sacerdos ille dolens & ingemiſcens, ac plagæ filiorum Iſrael choreas ducentium circa vitulum reminiſcens, conſtanti voce exclamavit: Audite filii & filiæ omnes inobedientiæ mirabilia, quæ operatus eſt Deus olim, & hodie operaturus eſt in iſto loco. Plaga illa terribilis, quæ olim filios Iſrael idololatras caſtigavit, premat, precor, hanc contumaciam veſtram in tantum, ut filii veſtri, qui de vobis naſcentur, non ſufficiant enarrare filiis ſuis. Mirum in modum, imprecatione hac facta Sacerdotis, cum aër eſſet ſereniſſimus, mox cœperunt coruſcare fulgura, & mugire tonitrua, ac tanta grando deſcendere, ut non ſolum locus ille inobedientiæ, ſed & omnis regio circumcirca, unde populus tam vanus confluxerat, nimis terribiliter plagaretur; percuſſumque eſt univerſum pecus terræ illius, ac ipſum idolum vi tempeſtatis illius ita eſt comminutum, ut nec ungula quædam ex eo appareret, & circiter XXX. homines in illa chorea perierunt fulmine percuſſi, & præcipue illi, qui cauſa illius mali extiterunt.

Tertio decimo anno Ottonis, qui eſt Domini DCCCCXCVI. Hugone Rege Francorum defuncto, ſecundum Sigibertum, Robertus filius ejus fit Rex Francorum XXXIIII. & regnavit

Digitized by Google

tot annis. Iste Rex Robertus fuit in cantu Ecclesiastico non mediocriter doctus. Nam sequentiam pulcram fecit de Spiritu Sancto, puta Sancti Spiritus assit nobis gratia; & composuit Responsorium Judea & Jerusalem. Hic die quadam cum esset Romæ, in vigilia Apostolorum Petri & Pauli obtulit quandam schedulam super altare. Putantibus autem Clericis, ipsum aliquod magnum munus obtulisse, repererunt illam schedulam, in qua scriptum erat Responsorium Cornelius centurio &c. cum versu suo, quod ipse Rex cum nota sua composuerat. Fecit, secundum Vincentium, & Responsorium de omnibus Sanctis Concede nobis Domine, quis &c. Fuit autem hic Robertus mansvetus, religionis amator, & bene literatus, Gerberti Philosophi discipulus. Fuit etiam largus & eleemosynarius magnus. Cum autem uxor sua Constantia, filia Comitis Provinciæ, esset amara & tenacissima, quando ipse cuiquam aliquid dedit, dixit: Vide, ne hoc videat Constantia. In festivis autem diebus cum se indueret vel exueret vestibus Regiis, si non aliud ad manum habebat, ipsas vestes pauperibus distribuebat, nisi ex industria vestiarii egenos expellerent importune petentes aut coërcerent.

De Johanne XVII. PP. CXLVI.

Johannes Papa, natione Græcus ex patre Philippo, sedit mensibus X. secundum Martinum. Istum Crescentius Patricius fecit Papam, fugato Gregorio, eo quod idem Papa Johannes esset Episcopus Placentinus multum pecuniosus. Quod Otto Imperator percipiens, cum maximo furore ad Urbem venit, & Crescentium in Castro S. Angeli obsedit, quousque ipsum captum cum castro capite truncaret. Ipsum vero intrusum Papam, ab omnibus Episcopis condemnatum, oculisque orbatum, in cæteris membris debilitavit, & Gregorium Sedi restituit. Demum Imperator, ordinatis Imperii rebus, secum aliquos Nobiles Romanos ducens, in Saxoniam rediit.

Quarto decimo anno Ottonis, qui est Domini DCCCCXCVII. Basilica S. Stephani in Halberstad combusta est, secundum Chronicam Saxonum, sed a Hildemaro Episcopo est reædificata & consecrata in die S. Galli auxilio fere XX. Episcoporum. Ad cujus Ecclesiæ dedicationem Otto Imperator cum Adelheyde uxore sua, & totius Saxoniæ Optimatibus præsens aderat cum eis solennizando. Sanctus Adelbertus Episcopus Pragensis, secundum Sigibertum, est martyrizatus ab infidelibus.

De Silvestro V. PP. CXLVII.

Silvester Papa, natione Gallicus ex patre Roberto, sedit annis VI. & mensibus X. secundum Martinum. Iste alias Gilbertus dictus, a pueritia Monachus Floriacensis, adolevit in diœcesi Aurelianensi. Sed de religione apostatans, venit in Hispaniam, ubi Christiani Tholetum, & Sarraceni Hispalim urbem, quam Sibiliam vulgariter nominant, caput regni habentes, divinationibus & incantationibus student. Et veniens Hispalim ad studium, in tantum profecit, quod etiam magni Domini discipuli ejus fierent, puta Otto Imperator, Robertus Rex Franciæ, & Leothericus post Episcopus Senonensis. Studuit etiam ibidem cantus avium & violatus earum mysterium. Quadruvium quoque totum ebibit, ita ut postea ille artes in Galliam revocaret, jam dudum abolitas. Robertus autem Rex Franciæ factus, fecit ipsum Archiepiscopum Rhemensem, ubi ipse fecit arte magica horologium & organa hydraulica, ubi mirabiliter per aquarum violentiam calefactarum implet ventus emergens concavitatem barbati (leg. barbiti) & per multiforatiles tractus æreæ fistulæ modulantes voces emittunt. Hospitabatur namque iste Gilbertus adhuc juvenis quodam tempore, secundum Vincentium, apud quendam Philosophum, quem primo precibus, postea vero expensis magnis & promissis promeruit. Iste Philosophus unum habebat codicem totius artis magicæ conscriptum, quem nullo modo Gilbertus extorquere poterat a magistro suo. Sed tandem adjutorio filiæ ipsius Philosophi sibi familiaris, librum prædictum sub cervicali positum furatus est, & cum libro illo aufugit. Philosophus autem de somno excitatus, indicio stellarum fugientem insecutus est. Profugus vero eadem arte periculum perspiciens, sub ponte ligneo, qui proximus erat, se occultavit, pendulus inter pontem & aquam, sic pontem amplectens, ut nec aquam nec terram tangeret, & ita insequentem illusit. Veniens autem ad mare Gilbertus, accersito diabolo per incantationes, perpetuum illi paciscitur homagium, si se ab illo, qui denuo se insequebatur, defensatum ultra pelagus eveheret. Quod & factum est. Veniens autem in Galliam, publicas scholas professus est, habens & Philosophos & studiorum socios Constantium Abbatem Monasterii S. Maximini, quod est ultra Aurelianis, ad quem edidit Regulam de Abaco; Adelboldum Episcopum Wirziburgensem, qui fecit Epistolam ad eundem Gilbertum de Quæstione Diametri super Macrobium. Habuit etiam discipulos nobilissimos, puta Ottonem filium Ottonis Imperatoris, & Robertum filium Hugonis Zapheth; qui Robertus postea Rex Francorum factus, fecit Gilbertum Archiepiscopum Rhemensem. Urgebat autem Gilbertus fortunam suam fautore diabolo, ut nichil, quod semel cogitasset, in vanum relinqueret. Unde thesauros olim a gentibus defossos, arte Magica inventos, cupiditatibus suis implicabat. Erat autem statua ærea juxta Romam vel ferrea, dextræ manus indicem extensum habens & scriptum in capite: Hic percute. Quod antiquorum temporum homines ita intelligendum putabant, ut ibi thesaurum invenire deberent, & ideo eam multis securibus laniaverant. Gilbertus autem sole meridiano notans, quo protenderetur umbra digiti, ibi palum fixit, & superveniente nocte, solo cubiculario lucernam deferente contentus, illuc properavit, ibique terram fodiens, latum patefecit ingressum. Ubi viderunt ingentem regiam, aureos parietes, aurea laquearia, omnia aurea, milites

lites

Digitized by Google

lites aureos tesseris aureis ludentes, Regem aureum cum Regina aurea discumbentem. Apposita omnia, & ministri astantes magni ponderis & præscii erant, in quibus materiam excellebat opus. In interiori autem parte domus, carbunculus valde nobilis & rarus tenebras noctis fugabat. E regione stabat puer, tenens arcum extento nervo & sagitta immissa. Continuo autem ut aliquis manum ad contingendum aliquid aptaret, videbantur omnes illæ imagines prosilire & impetum facere in præsumtorem. Quo timore pressus Gilbertus, nichil tetigit. Cubicularius autem putans, in tanta præda parvum furtum latere, cultellum arripuit mirabilis operis & pretii, moxque omnibus imaginibus cum fremitu exurgentibus, puer arcum tenens, sagittam jecit in carbunculum, & tenebras induxit. Et nisi monitu Gilberti cultellum reponere accelerasset, graves pœnas ambo sustinuissent. Simile legitur in Historia Scholastica, III. R. quarto de morte David, ubi dicitur, quod David & Salomon multos thesauros absconderunt in loculis mechanico opere factis sub terra, quorum thesaurorum tria millia talenta auri Hircanus levavit de sepulcro David, ut obsidionis injuriam tolleret, & cenodoxia construeret. Unde patet, eundem Hircanum prophetia & fortitudine clarum, secundum Josephum, hujus commenti non ignarum fuisse. Herodes autem, qui magis præsumtione quam consilio idem aggredi voluit, multos ex satellitibus igne ex interiori parte prodeunte consumtos amisit. Dicitur etiam de quodam Monacho de Barchinona nato, filio cujusdam pauperis, quod, cum adhuc esset septem annorum, venit in Italiam, quærens panem. Sed cum esset adultus factus, multa mirabilia illius terræ inspexit. Inter quæ montem perforatum vidit, ultra quem accolæ dicebant thesauros Octaviani reconditos, ferebanturque multi periisse, quærendo illos per subterraneos anfractus. Hic ergo adolescens, studio videndi & prædandi, XII. comites habuit, qui secum pergerent, portantes ingens glomus filorum, sequentes ingenium Dædali, qui Theseum de Labyrintho per filum eduxit. Paxillum ergo in ingressu fixerunt, filum alligantes. Vespertiliones autem de cavernis exeuntes, oculos & ora eorum infestabant. Semita namque arta erat, & a læva præcipitium, sub quo labens fluvius currebat. Viderunt etenim tramitem plenum cadaveribus eorum, qui thesauros inquirendo perierant. Tandem ad ingressum interiorem pervenientes, viderunt stagnum placitum & pontem æreum, & ultra pontem viderunt equos aureos miræ magnitudinis cum sessoribus aureis, & cæteris, quæ de Gilberto supra dicta sunt. Unde cum unus pontem transire pararet, mox pontis pede uno depresso, alter elevatus produxit rusticum æreum cum æreo malleo, quo ille undas verberans, ita obnubilavit aëra, ut diem cœlumque obtexerit; retracto vero pede, pax & serenitas fuit. Tentatumque est idem a pluribus illis comitibus, & idem expertum est. Desperantes ergo solo visu lambebant aurum, & post per vestigia glomeris egressi, pateram argenteam repererunt, quam inter se partiti sunt. Postera die habito consilio, magistrum quendam adierunt, qui dicebatur nomen Domini ineffabile scire. Quem multo pretio conductum perduxerunt jejunum & confessum, qui duxit eos ad fontem, de quo hausta aqua in phiala argentea tacens literis figurabat, donec illi oculis apertis intellexerunt, quod fari non posset Tunc ad montem fiducialiter accesserunt, sed exitum ulteriorem a dæmonibus obseratum invenerunt invidentibus Nomini Domini, cujus tanta virtus esse dicitur, ut nulla ei magica nullaque Mathesis obsistere possit Magis tamen credibile est, secundum Vincentium, nomen dæmonis magistrum in aqua scripsisse, & non nomen Domini, sicut legitur in Vita S. Silvestri de Zambri Mago, quod prolatione illius nominis, quod dicebat esse nomen Domini ineffabile, taurum ferocem interfecit. Audiens autem quidam Judæus Nigromanticus, secundum Wilhelmum in Chronicis, quod præfatus magister nichil egerat, ait ad juvenem illum: Videbis, quantum efficere possit ars mea. Qui incunctanter montem introiens, non multo post regressus est, multa afferens ad indicium sui transitus, quæ juvenis ultra montem fuisse notaverat. Inter quæ & pulverem locupletissimum attulerat, quo, quicquid contingeret, in aurum vertebat, non quod ita in veritate esset, sed quod ita videbatur esse, quousque aqua diluebatur. Hic Gilbertus apostatans a religione, fecit homagium diabolo, ut sibi omnia ad votum succederent. Quod etiam sibi diabolus promisit, cum quo de desideriis suis familiariter loquebatur, & præcipue de horroribus & statibus dignitatum, quas plurimum ambiebat. Secundum desiderium ergo suum consecutus est magnas dignitates, & cum ultimo Papa existeret, quæsivit a diabolo, quamdiu vivere deberet. Respondit ei dæmon: Quamdiu non celebraveris in Jerusalem. Qui valde gavisus sperabat, se tantum a morte distare, quantum distabat a voluntate peregrinationis Jerosolymitanæ, quam nunquam proponeret attentare. Est autem Romæ Ecclesia dicta Jerusalem, id est visio pacis, quia quilibet ad eam fugiens salvatus est, cujuscunque etiam criminis reus existat. In illa autem Ecclesia Papa missam tenetur cantare tribus diebus in anno, ex quibus intitulatur Statio Jerusalem. Cum ergo una illarum dierum, puta in Quadragesima missam celebraret in prædicta Ecclesia, ex strepitu dæmonum sensit, sibi mortem imminere. Unde ingemiscens, licet sceleratissimus esset, non tamen desperavit de Dei misericordia. Vocatis ergo Cardinalibus & omni populo, coram eis facinora sua deplorans confessus est. Unde omnia membra, quibus diabolo obsequium præstiterat, jussit præcidi, & membratim foras Ecclesiam projici, dicens: Habeat membrorum officium, qui eorum quæsivit homagium. Truncum vero mortuum super bigam poni jussit, ut ubicunque animalia ducerent, & subsisterent, ibi sepeliretur. Quod & factum est; & sepultus est in Ecclesia Lateranensi

Digitized by Google

nensi. Et in signum consecutæ misericordiæ, sepulcrum ipsius tam ex tumultu ossium, quam ex sudore præsagium est Papæ morituri, sicut in eodem sepulcro est literis exaratum.

Quinto decimo anno Ottonis, qui est Domini D CCCC XCVIII. Scholaris quidam pauper, sed Nigromanticus, secundum Wilhelmum, spiritus tetros in vitro comprehendere & sigillare desiderans, & solus ad locum eorum accedere non præsumens, quendam prædonem pauperem, sed audacem sibi sociavit, multa ei promittens. In montem ergo concavum & longo antro tenebrosum simul gradiuntur. Prædo autem vitrum tenuit, & Scholaris dæmones suis conjurationibus evocavit, & vitro inclusit ac sigillavit. Quo peracto, regressi sunt. Scholaris ergo vitrum a prædone postulavit, sed ille primo trepide, postea vero constanter vitrum reddere negavit, & nisi scholaris quiesceret, se vitrum fracturum comminatus est. Vocabatur autem prædo ille Heyno. Scholaris ergo vitrum petere non desistens, licet timeret, vitrum a prædone frangi, fortius institit. Quod audiens prædo, vitrum ad quercum illidens, totum comminuit. Spiritus vero liberati quasi gratulando clamabant: Sic Heyno sic! *So Heyne so*! Et tantus erat clamor, quasi quodlibet folium arboris vociferaret, eadem verba sæpe reiterantes.

Sexto decimo anno Ottonis, qui est Domini D CCCC XCIX. Imperatrix cum se cuidam militi prostituere vellet, & ille nefas abhorrens negaret, mulier ipsum apud Ottonem Imperatorem in tantum accusans deturpavit, quod Imperator ipsum militem sine audientia decollari fecit. Qui vadens ad mortem, rogavit uxorem suam, ut judicio candentis ferri post mortem ipsius innocentiam suam comprobaret. Advenit dies, quo Imperator viduis & pupillis promiserat judicium & justitiam facere. Affuit & vidua caput viri sui portans, & quæsivit ab Imperatore, qua pœna dignus esset, qui aliquem innocentem injuste occidisset. At ille: privari capite deberet. Cui illa, tu, inquit, es ille, qui maritum meum ad suggestionem meretricis uxoris tuæ occidisti. Et hoc verum esse, judicio candentis ferri probabo. Quod cum ab ea fieret, nec in aliquo mulier læderetur, Imperator obstupuit, & in manus fœminæ puniendum se tradidit. Interventu tamen Pontificum & Procerum inducias X. dierum, deinde VIII. post VII. & ultimo VI. a vidua impetravit. Tunc Imperator, veritate cognita, uxorem suam concremavit, & pro redemtione sua quatuor castra viduæ dedit, quæ castra nominantur ab induciis X. VIII. VII. & sex usque in præsentem diem.

Decimo septimo anno Ottonis, qui est Domini M. secundum computationem Dionysii, multa prodigia visa sunt. Nam terræmotus maximus factus est. Cometes apparuit XIX. Kal. Jan. circa horam X. aperto cœlo quasi facula ardens, cum longo tractu fulguris instar turris illabatur terræ, cum tanto splendore, ut non solum, qui in agris erant, sed etiam in tectis, irrupto lumine ferirentur. Qua cœli scissura disparente, in terra visa est figura quasi serpentis, capite quidem crescente cum cœruleis pedibus. Fulbertus Carnotensis Episcopus, secundum Vincentium, sanctitate & scientia nominatissimus, ac Virgini Beatissimæ devotissimus, de Virginis ejusdem lacte sanctissimo recreatus fuisse dicitur in sua infirmitate. Hic inter alia laudabilia Responsorium Stirps Jesse, & Solem justitiæ, ac Ad Nutum Domini, cum suis versibus, nec non Chorus novæ Jerusalem composuit ob Virginis Mariæ honorem.

Decimo octavo anno Ottonis, qui est Domini MI. Otto Imperator Crescentio devicto, secundum Sigibertum, magnum palatium Romæ construere cœpit, sed Romanis reclamantibus, ipse eisdem multas persecutiones intulit. Conversus Wilhelmi Abbatis de Hildigenshusen nomine Conradus, secundum Egghardum in Chronicis, a curia Romana rediens, testabatur, se existente in curia Romana sequens factum contigisse. Erat in urbe prædicta quædam matrona dives valde, nobilis & devota, quæ post viri sui mortem proposuerat in castitate vivere, & Deo fideliter servire. Quam quidam Romanus Nobilis, licet pauper, in uxorem petiit, motus ad hoc morum honestate ipsius mulieris pariter & divitiarum abundantia. Ipsa vero, quia castitatis amatrix erat, & continere proposuerat propter Deum, ipsius connubium prima facie contemsit, sed tamen persvasionibus & precibus amicorum victa, tandem licet contra suum propositum eidem nupsit. Cumque cum viro isto per breve tempus fuisset conversata, & in eo nullum religionis signum perpendisset aut devotionis, tristis effecta dixit ei: Væ mihi miseræ mulieri, quod tam infideli viro conjuncta sum. Cui ille: Et quid tibi displicet in me bona uxor? Respondit mulier: Nullum Christianitatis signum in vobis perpendo. Non enim jejunatis, nec ad Ecclesiam pergitis, non datis eleemosynam, nec quicquam, quod pietatis est, in vobis relucet. Nolo ergo amplius vobiscum manere, sed bona mea volo vobiscum dividere, & recedere. Audiens Nobilis ille seriem (f. sermonem) uxoris, & timens confusionem recessus ejus, promisit, se libenter facturum, quicquid sibi mulier faciendum injungeret. Cui illa; volo, inquit, ergo illa, ut ad talem Sacerdotem vadatis, & ei puram confessionem peccatorum vestrorum faciatis, ac jussionibus ipsius acquiescatis. Vir ille uxori contradicere formidans, confessionem dictam adiit, & ficte sibi confitens, ad uxorem rediit, dicens: Feci, quod jussisti, & quæ mihi Confessor injunxit, libenter implebo. Tunc illa, ut vobis, inquit, credere valeam, primo jejunare debetis per tot dies, & postea, me vidente, recipere debetis corpus Domini Nostri Jesu Christi. Ad quod verbum vir turbatus nimis, eo quod hæreticus esset, & Sacramentum Eucharistiæ minime crederet, respondit: Quare talia exigis a me? Bonum, ait mulier, est vobis & michi. Miser ille, ut suspicionem uxoris tolleret, expleto jejunio, Sacramentum a Sacerdote petiit, & accepit, sed mox de Ecclesia egressus, ipsum de ore extraxit,

Digitized by Google

traxit, & in manu occultavit. Cumque reversus fuisset in domum suam, advertit porcos in stabulo siliquas comedere. Quibus, cum retrospexisset, & neminem vidisset apud se, Sacramentum immiscuit & recessit. Mirum in modum, bruta illa animalia Creatorem suum adesse cognoscentes, mox cibum suum reliquerunt, a vase recedentes, & curvatis genibus, tam vocis grunnitu quam narium flatu, unanimiter Sacramento reverentiam exhibuerunt. Quo viso, miser ille statim rediit, & Sacramentum in superficie illius decoctionis squalidæ cernens natare, totaliter ipsum comminuit per baculum, & sicut prius, liquoribus immersit & recessit. Rediens vero ad horæ spatium, reperit, ut prius, Sacramentum in superficie siliquarum integrum & candidum, ac suis poplitibus flexis ipsum adorantes. Tunc vesanus ille contemtum contemtui jungens, corpus sacratissimum indignanter rapuit, & in ignem projecit. Sed mox de igne exiliens, in sinum suum saltavit. Cumque secundo & tertio immisisset, & totiens exilisset, cum indignatione maxima illud de sinu tollens, flammis injecit, & pede conculcavit. Tunc mox iterum exiliens, tanquam sagitta contra pectus ejus impegit, cor ipsius misericorditer tangens. Unde tot & tanta videns miracula, protinus ad mentem rediit, & quod contra Deum graviter exorbitasset, cognovit. Sumto ergo Sacramento, ad uxorem suam perrexit, & rei gestæ ordinem cum multis lacrymis sibi indicavit. Quæ mox ipsum monuit, ut ad Papam pergeret, & sibi confitendo, ab ipso pœnitentiam reciperet. Quod cum fecisset, omnes sui erroris Consectaneos Antstiti prodidit, quos Papa ad viam veritatis redire nolentes judicio seculari tradidit puniendos.

Decimo nono anno Ottonis, qui est Domini MII. Otto Imperator remisse agens, secundum Vincentium, cum Romanis tractare cœpit, qvaliter regni & Ecclesiæ regimen ad antiquum statum reduceret. In quibus cum occuparetur, subito contra ipsum Romani conspiraverunt, & aliquibus militibus ejus interfectis, ipsum in palatio obsederunt. Unde per industriam Henrici Ducis Bawarorum, & Hugonis Marchionis Italiæ simulato pacto vix extractus, Roma discessit cum Silvestro Papa. Et quia uxor Crescentii Imperatorem spe regnandi ad amorem suum traxerat, dolens de ejus recessu, misit ei venenum. Quo sumto, ipse in itinere constitutus, in Italia moritur. Milites autem transalpini corpus Imperatoris defuncti cum insignibus Imperialibus ad Teuthoniam deferentes, crebris Italorum incursibus lacessiti, armis sibi viam faciebant. Sed cum jam res in tuto esse putaretur, Dux Bawariæ Henricus, injuriato Heriberto Coloniensi Archiepiscopo, a cujus ore omnes pendebant sententiæ, insignia regni ab eo violenter extorsit, quasi jure hæreditario sibi competentia. Erat quippe filius Henrici Ducis, qui fuit genitus de Henrico fratre Ottonis primi Imperatoris. Et licet isti tres Ottones per successionem generis regnaverint, postea tamen statutum est, ut per Officiales Imperii Imperator eligatur, agitante hoc Heriberto Coloniensi Archiepiscopo, ne amplius in una domo tantum Principatus mundi per successionem generis maneret. Ad hanc autem electionem faciendam constituti sunt VII. Principes, quibus datum est jus in perpetuum hæreditarium Imperatorem futurum eligendi, ut puta Principibus Imperii potioribus, super quos nullum Principem in curia Imperatoris licitum est locari, prout plenius patebit in Bulla Aurea Karoli IIII. inferius inserenda, quam quidem Bullam ipse Karolus de communi consensu Principum Electorum instituit & ordinavit in perpetuum duraturam. Jus autem hujusmodi electionis vigorem suum sortitur ex tribus: primo ex institutione Ecclesiæ, ut apparet Extra de Electione Can. Venerabilem. Secundo ex Principum Imperii arbitrio & approbatione, prout patebit in præallegata Bulla Aurea Karoli Quarti. Tertio ex consuetudine laudabili servata inconcusse usque in præsentem diem, quæ vim legis obtinet, & magnæ auctoritatis existit, ut patet Extra de Consuetudinibus C. Cum Consuetudinis. Principes autem Electores qui sint vel esse debeant, suo loco patebit. Otto Imperator, secundum Egghardum, beneficio, imo potius maleficio chirotecarum venenatarum & annulo venenato excepit mortem. Quæ cum uxor Crescentii, in cujus amorem adulterinum exarserat, sibi misisset, & ipse ea induisset, mox intoxicatus obiit anno vitæ suæ XXXIX.

De Henrico II. Imp. LXXXII.

Henricus II. filius Henrici Ducis, filii Henrici fratris Ottonis primi, Romanorum Imperator LXXXII. cœpit anno mundi IIIIMDCCCCLXII. Olympiadis CCCCXLVI. anno quarto, Urbis conditæ MDCCLI. Domini vero MII. & annis XXII. imperavit. Iste, secundum Martinum, prius erat Dux Bawariæ, & reconciliatis sibi Electorum animis, ab ipsis eligitur in Regem Romanorum. Quod ideo fecerunt, quia vir potens & bellicosus erat ac generosus, ut puta Imperatorum trium Ottonum sanguini propinquus, a quibus non statim in primo videbatur totaliter recedendum esse; & mox in Regem inungitur a Willigiso Archiepiscopo Moguntino, quia Heribertus Archiepiscopus Coloniensis, ad quem spectat Regi primam coronam imponere, & ipsum in Regem ungere Aquisgrani, ipsum coronare renuit, eo quod insignia Imperialia post Ottonis mortem violenter de manibus ejus extorserat. Ipse tamen Rex humili satisfactione Archiepiscopo Coloniensi reconciliatus est. Iste Henricus potentiores regni, bella sibi concitare quærentes, celeriter devicit, Regesque Gentilium in interiore Germania commorantes, qui Windi dicuntur, tributarios sibi fecit & subditos. Primo anno Henrici, qui est Domini MIII. Heribertus Archiepiscopus Coloniensis fit amicus Regis Henrici, secundum Sigibertum. Hic Archiepiscopus diem obitus sui prædixit, cui successit Peregrinus in Sede.

De Johanne XVIII. PP. CXLVIII.

Johannes Papa, natione Catalanus ex patre Arnul-

Arnulfo, sedit VII. mensibus & diebus VIII. secundum Martinum. Propter temporis brevitatem nichil dignum memoria suis gessit diebus. Wago Episcopus Aldenburg, secundum Helmoldum, obiit in Domino virtutibus plenus, cui successit in sede Ezico, vir venerabilis valde & devotus.

Henricus Rex Romanorum Brandenburck urbem Novæ Marchiæ, secundum Egghardum, obsedit, & eam expugnavit, & omnem Slavorum terram rebellantem Imperio eidem subjecit. Tunc etiam auxilio Ducis Saxoniæ Bennonis, viri omni probitate conspicui & defensoris Ecclesiarum fides vigebat in Slavorum gente ad multa tempora.

Secundo anno Henrici, qui est Domini MIIII. Henricus Rex, secundum Vincentium, Henricum Marchionem de Brandenburg & alios sibi rebelles cum exercitu armatorum compescuit a temeritate virtute belli ingentis.

De Johanne XIX. PP. Rom. CXLIX.

Johannes Papa, natione Romanus, qui & Fasanus dictus, ex patre Clemente, sedit annis duobus & mensibus VII. secundum Martinum. Iste similiter, sicut & prædecessor suus, nihil egit, quod scripturæ commendari congrue possit. Bruno Augustensis Episcopus, secundum Vincentium, felicibus fratris sui Henrici Regis actibus invidens, multas ei adversitatum injurias irrogavit, cui Rex talionem non solum non reddidit, verum etiam fraternæ dilectionis & patientiæ bono illum vincere studuit. Robertus Rex Francorum vita & sanctimonia præclarus, secundum Wilhelmum, tantæ erat devotionis, quod in festivitatibus propter divinum officium omnino esse voluit in aliquo Monasterio, & non solum cum Monachis cantare, verum etiam cappa serica indutus chorum regere solebat. Hic hoc anno cum quoddam castrum obsedisset, dimisso exercitu propter festum S. Amani Aurelianis venit, & cum chorum regendo alta voce ter Agnus Dei flexis genibus intonasset, muri castri, quod obsederat, funditus corruerunt. Floruit etiam hoc tempore Alphegus Archiepiscopus Cantuariensis, secundum Wilhelmum. Hic primo Abbas Balnensis, deinde ad instinctum S. Andreæ Apostoli factus est Episcopus Wintoniensis, & postea Archiepiscopus Canthuariensis, multis coruscans miraculis. Hic ad ultimum martyrio est coronatus.

Tertio anno Henrici, qui est Domini MV. Henricus Rex Valentianas castrum situm in Marchia Franciæ, secundum Vincentium, & Lotharingiæ obsedit, quod Balduinus Flandrensium Comes invaserat, quod gratiam Regis & ipsum castrum in beneficium sibi dari pecunia promeruit. Giselerus secundus Archiepiscopus Magdeburgensis, secundum Egghardum, obiit. Cometes horribili specie, flammis undique sparsis, in australi parte visus est, secundum Sigebertum; quod prodigium secutum est sequenti anno fames valida. Monasterium Claremontis in Gallia Ordinis S. Benedicti, secundum Sigebertum solennia habet interius commoda pro fratribus antiquioribus constructa, inter quæ una erat camera prope dormitorium commune, cujus inhabitator defunctus est; propter quod quidem commodum Fratres inter se contendere cœperunt. Dissensio hæc tandem deducta est ad aures Abbatis, ut ipse judicaret, cui merito camera illa cedere deberet in usum. Abbas autem Johannes dictus, cum vir pacis esset, optime perpendebat, quod, cuicunque ea adjudicaretur, aliis litigii & odii fomes ministraretur. Unde cogitans cogitationem pacis, cameram illam, quæ erat fomentum discordiæ, omnibus interdixit, & ipsam anathematisavit. Quam quidem sententiam omnes Fratres abhorrebant, nolentes amplius pro ejus inhabitatione laborare, præter unum inobedientiæ filium Sifridum nomine, qui Abbatis erat Capellanus & Secretarius. Hic in damnationem suam, latam sententiam illam Patris sui Abbatis non formidans, res suas in eam introduxit, & sequenti nocte in ea dormivit. Mira res & stupendum factum! dum circa medium noctis esset captus, in illa camera surrexit tumultus & strepitus, qui omnes Monachos excitavit, & in pavorem vertit. Ad quem strepitum Abbas cum Fratribus surgens cum candelis & Sanctorum reliquiis, illum locum accessit. Quæ domus licet ut sole multitudine candelarum illuminaretur, locus tamen ille, ubi frater in lecto jacebat, tenebrosus valde permansit. Cumque locum illum aqua benedicta aspergerent, ac letanias & alia devota cantica psallerent, nec ob hoc strepitus ille cessaret, sed potius vehementius intonaret, allatum est sacrosanctum corpus Dominicum. Quo præsens existente, cessavit tumultus ille, & ecce, respicientes viderunt, fratrem illum inobedientem juxta locum suum jacere nigerrimum, ac si totus in igne jacuisset, & exustus fuisset.

Quarto anno Henrici, qui est Domini MVI. Hilpericus librum de Ratione Computi scripsit, secundum Egghardum, ut apparet ex argumento, ad inveniendos annos Domini per Indictiones. Si volueris, inquam, scire, quot sint anni Incarnationis Christi, DXVI. ordines Indictionum, qui fluxerunt ab ejus Incarnatione, multipla per XV. & fient DCCCCXC. his adde XII. quia tertia Indictione natus est Christus: adde etiam Indictionem præsentis anni IIII. & ecce habes hoc anno pro annis Christi MVI. Fames & epidemia grandis per totum orbem fere delevit, secundum Sigebertum, homines, ut inter sepeliendum cum tædio vivi, spiritum adhuc trahentes, cum mortuis obruerentur. Goslariensis civitas fundatur, secundum Chronica Saxonum, per Henricum II. Regem Romanorum in loco, ubi prius parvum stetit molendinum & tugurium exile venationi deserviens. Quidam tamen volunt, eam esse fundatam ab Henrico I. ut supra anno DN. DCCCCXXX. patuit.

Quinto anno Henrici, qui est Domini MVII. Borchardus Wormatiensis Episcopus in Scripturis studiosus, secundum Vincentium, primum magnum Canonum volumen a se editum, Scripturarum sententiis undique compilatis

Digitized by Google

latis desloratum studentibus publicavit. Henricus Rex Babenbergensem urbem, quæ fuit S. Petri Apostoli, secundum Egghardum, pro Narmiensi apud populum commutavit sive permutavit.

De Sergio IIII. PP. Rom. CL.

Sergius Papa, natione Italicus ex patre Bernhardo, sedit annis duobus & mensibus tribus, secundum Martinum. Hic Papa fuit sanctæ vitæ & conversationis honestæ. Peregrinus vir sanctæ religionis, secundum Sigibertum, Archiepiscopus Coloniensis floruit. Hic per promotiones Henrici Regis factus est Archiepiscopus satis mirabiliter. Nam Henricus Rex Dominica Quinquagesima venationi insistens, solus ad interiora sylvæ devenit, comitibus suis huc illucque dispersis. Ibi enim habebat quidam Sacerdos, Ecclesiam, agrestis homo & turpis formæ valde, nomine Peregrinus, & quasi monstrum existens in natura. Rex vero militem se fingens, suppliciter Missam petit a Sacerdote, & hic confestim se præparat. Henricus autem Rex interim cogitabat, quare Deus, a quo cuncta formosa procedunt, tam deformem hominem Sacramenta sua conficere pateretur. Perventum est ergo ad Missæ introitum, qui incipit: Scitote, quoniam Dominus ipse est Deus. In quibus verbis cum discordaret Clericus Scholaris a Sacerdote, ipse Sacerdos concionatoris voce extollens fortius organum dixit: Ipse fecit nos, & non ipsi nos. Quo dicto repercussus Rex, & Propheticum virum æstimans, invitum ipsum fecit Archiepiscopum Coloniensem. Hujus Episcopi tempore erat in Monasterio Sanctimonialium ejusdem urbis quædam virgo, quæ specie & dulci sermone omnes suos amatores incendebat. Quorum amatorum unus dives & generosus eam abduxit, & loco uxoris ea usus fuit. Cui Nobili mandabat Archiepiscopus, ut mulierem Monasterio suo restitueret. Quem facere renuentem Episcopus excommunicavit, similiter & eam. Cum autem Peregrinus Archiepiscopus appropinquaret, termino vitæ suæ convenerunt amici excommunicati hominis, rogantes Episcopum, ut consanguineum ipsorum absolveret. Quibus respondit Archiepiscopus: Si miser ille maledictam illam mulierem deseruerit, sit absolutus: si autem perstiterit, sequenti anno hac eadem die & hora, qua ego decedam, sit ante tribunal Dei cum eadem responsuri ambo de malo, quod egerunt. Quæ cum Nobili illi dicerentur ab amicis, nec ipse eam deserere vellet, anno revoluto ambo fulmine percussi perierunt.

Sexto anno Henrici, qui est Domini MVIII. Henricus Rex, cum jam Henricum Marchionem cæterosque regni hostes superasset, secundum Egghardum, ac Italiam, Bohemiam, Ungariam ac Boleslaum cum Slavorum gente sibi subjugasset, data sibi requie a Domino, considerat, se filios non habiturum, eo quod consortem regni sui Cunigundem adhuc carnaliter non cognovisset, sed ut sororem semper habuisset, Dominum omnium largitorem elegit hæredem. Unde providenti & prudenti usus consilio, Episcopatum in Babenberg in honorem S. Petri Apostoli Sanctique Georgii Martyris fundavit, locumque ipsum prædiorum divitiis & omni ornatus decore ditavit. In meridiana quoque civitatis parte Monasterium Canonicorum Regularium in honorem S. Stephani Protomartyris construens, & similiter in aquilonari parte urbis aliud Monasterium S. Benedicti Ordinis in honorem S. Michaelis constituens, aliis locis regni, prout opus erat, munificentiæ suæ impertiebatur largitatem. In hoc autem fundato Episcopio primum Præsulem instituit Everhardum, virum sagacem & religiosum.

Septimo anno Henrici, qui est Domini MIX. Theodericus Metensis Episcopus, secundum Sigibertum, dotem & patrimonium Reginæ Cunegundis sororis suæ Ecclesiæ Babenbergensi a Rege Henrico delegari dolens, contra ipsum rebellare cœpit. Henricus Rex Stephano Regi Ungariæ Giselam sororem suam in uxorem dedit, secundum Sigibertum. Quæ antequam Regis lectum ingredi vellet, precibus & instantiis obtinuit, ut Rex se & totam suam gentem promitteret velle facere baptizari. Quod postea ita factum est. Et cum Rex baptizaretur in die S. Stephani, tale nomen sortitus est, cujus merita post Dominus per multa miracula patefecit per totum regnum Ungarorum.

De Benedicto VIII. PP. CLI.

Benedictus Papa, natione Thuscus, ex patre Alberico, sedit annis XIII. & mensibus II. secundum Martinum. Hic post abjectus fuit, & alter ejus loco intrusus. De isto Benedicto dicit Petrus Damiani, quod quidam Episcopus vidit ipsum in nigro equo quasi corporaliter equitare post mortem suam, & dixit ei: Nunquid tu es Benedictus Papa, quem jam defunctum novimus? Cui ille: Ego sum ille maledictus Benedictus. Et quomodo est tecum? inquit Pater. Graviter, inquit, torqueor, sed de Dei misericordia non despero, si mihi adjutorium præbeatur. Vade ergo ad successorem meum Johannem Papam, & dic ei, ut in tali theca pecuniam accipiat, & pauperibus distribuat. Nam quicquid pro me datum fuit, huc usque nihil mihi profuit, quia de rapinis conquisitum fuit. Quod Episcopus fideliter implevit, & Episcopatui renuncians, Monasterium Monachorum intravit.

Octavo anno Henrici, qui est Domini MX. Peregrinus Archiepiscopus Coloniensis obiit feliciter in Domino, in cujus sedem successit Herbertus, secundum Sigibertum. De isto Herberto legitur in Vita S. Berwardi Episcopi Hiltinsheymensis, quod, cum Berwardus una dierum sederet in mensa ad januam ejus Scholaris Herbertus stipem mendicans. Quem S. Berwardus in spiritu cognoscens futurum Coloniensem Archiepiscopum, dixit famulo, ut cito cerneret, & Episcopum Coloniensem intromitteret. Famulus autem festinus ad portam venit, & circumspiciens, neminem nisi Scholarem

Digitized by Google

rem pauperem vidit. Unde reverſus ait Domino: nullum ad oſtium curiæ ſtare reperi, niſi ſcolarem eleemoſynam petentem. Cui Antiſtes: Introduc illum, quia ipſe eſt. Cum intromiſſus veniret ad Epiſcopi ſancti præſentiam, aſſurgens ei Pontifex, dixit: Bene veniat futurus Archiepiſcopus Colonienſis. Quam ſalutationem Scholaris audiens, & Epiſcopum ſenem ei aſſurgere cernens, rubore perfuſus & multum verecundatus dixit: Domine & Pater venerande, cur mihi pauperi Scholari illuditur? parcat vobis Optimus Deus. Cui ſanctus Præſul: Abſit a me puer cariſſime Herberte, quod cuiquam illudam. Dico tibi verbum, ſed in hoc verbo non extollaris, & Creatori tuo fideliter ſervire ſtudeas, ut, quod de te miſericorditer fieri providit, peccatis tuis non amittas. Quem cum juxta ſe locatum recreaſſet, tandem licentiavit. Rogavit & S. Berwardus, cum ſuam primam Miſſam Epiſcopalem celebraret, quod ſui memor eſſet. Quod poſtea fecit. Nam cum prædictus Herbertus Archiepiſcopus factus Miſſam ſuam primam Coloniæ celebraret, & ad recordationem vivorum veniſſet, oravit ſuppliciter pro dicto S. Præſule Berwardo. Qui mox vivus in commemoratione vivorum Antiſti occupato apparuit, & gratias ei retulit. Quum idem Archiepiſcopus in eadem Miſſa ad commemorationem defunctorum poſt elevationem Corporis Chriſti perveniſſet, ſubito S. Berwardus ſe carne exutum ſecundo revelavit, & beatum ſe fore dixit. Herbertus autem poſt Miſſam ſtatim nuncium miſit in Hiltensheim, & ipſum eodem die & hora migraſſe ad Dominum, veraciter didicit. Unwanus Archiepiſcopus Hammeburgenſis migravit ad Dominum, bonis operibus onuſtus, ſecundum Helmoldum, poſt quem electus eſt Libentius II. & vixit in Epiſcopatu annis XVII. Iſte cum eſſet nepos Libentii I. Archiepiſcopi ejusdem Eccleſiæ, favore Imperatricis ferulam ſuſcepit a Rege Henrico, & pallium a Papa Benedicto. Hic erat vir ſimplex & rectus, primus Præpoſitus ejusdem Eccleſiæ exiſtens Hammeburgenſis.

Nono anno Henrici, qui eſt Domini MXI. Nordmanni, ſecundum Wilhelmum, Trajectum inferius igne cremarunt, & innumeros cives in eo occiderunt. In Lotharingia juxta montem Caſtrilocum, ſecundum Vincentium, fonticulus aquæ multum ſalubris in ſangvinem verſus eſt, quod probavit mulier, quæ hujus fontis aqua, lotam faciem oſtendit ſangvinolentam. Benno ſive Bernhardus Dux Saxoniæ & Weſtphaliæ obiit feliciter in Domino, ſecundum Egghardum, qui juxta Ludgerum fratrem ſuum in crypta Monaſterii S Michaëlis in monte Luneburg conſtructi eſt ſepultus. Qui fratres ambo, deſtructo caſtro & Monaſterio tranſlato per cives Luneburgenſes, ut infra patebit in II. Volumine, intra urbem ſunt tumulati. Huic autem Bennoni ſucceſſit Bernhardus filius ejus, qui probitatem paternam poſtponens, factus eſt vir totius diſcordiæ & turbator patriæ.

Decimo anno Henrici, qui eſt Domini MXII. in villa Colebeke terræ Saxoniæ, diœceſis Halberſtadenſis, ſecundum Egghardum, contigit ſingulare quoddam & inaudituam a ſeculo prodigium. Nam cum in nocte Nativitatis Chriſti Robertus Presbyter in Eccleſia S. Magni Martyris Miſſam decantare ſolenniter inchoaſſet, accidit, quod quidam Odbertus cum octodecim ſodalibus ſuis viris XV. & III. fœmellis choream in cœmiterio ducerent, & cantilenas ſeculares perſtrepens jubilaret, per quas divinum officium in Eccleſia & devotione populi fidelis, perturbabat & impediebat. Unde mittens ad illos, mandabat, ut a ſuis levitatibus in illa ſanctiſſima nocte deſiſterent, & loco conſecrato parcerent. Quibus mandatum Sacerdotis parvi pendentibus imprecatus eſt ipſe, dicens: Placeat Domino pro nobis hodie nato, & Sancto Magno, ut ita cantantes & choriſantes permaneatis per integrum hunc annum. Quod, ut Presbyter petiit, factum eſt. Sex igitur menſibus evolutis, terræ usque ad genua ſunt immerſi, & deinde usque ad fœmora. In toto autem illo anno nec comederunt, nec pluvia illos irrigavit, veſtimenta vero eorum & calceamenta non ſunt attrita, nec ungves eorum aut capilli creverunt. Filius autem Presbyteri dictus Johannes ſororem ſuam cantantem per brachium arripuit, & mox illud a corpore evulſit. Illa vero per reſiduum illius anni ſine brachio cum cæteris choriſans permanſit. Evoluto anno, Herbertus Archiepiſcopus Colonienſis iter faciens juxta illos, miſericordia motus, eos abſolvit a nodo, quo manus ipſorum ligabantur, & ante altare S. Magni eos Deo & Eccleſiæ reconciliavit. Filia autem Presbyteri cum aliis duabus fœminis continuo exanimis effecta cecidit. Cæteri vero continuis tribus noctibus proximis profundiſſimo ſomno dormitaverunt pariter & diebus. Quibus tranſactis, & ipſis evigilantibus, aliqui eorum ſurgentes, ad propria redierunt, cibumque ſumſerunt, ſed in recordationem tanti ſigni usque in diem mortis ſuæ non ſunt a tremore capitis & manuum liberati. Alii vero in tantum ſunt emendati per aſſumtam pœnitentiam, ut poſt mortem miraculis coruſcarent. Hoc ita factum Odbertus unus ex ipſis in ſcriptis reliquit, in cujus ſcripturæ fine ſic ponitur: Datæ ſunt nobis literæ a Domino Herberto Archiepiſcopo Colonienſi anno Domini MX. ex quo arguunt quidam, hoc contigiſſe in diœceſi Colonienſi, quia alias in eo autoritatem abſolutionis non habuiſſet. Sed forte hic vir ſanctus per divinam revelationem miſſus extitit ad abſolvendum eos autoritate divina, quia alias hoc non attentaſſet.

Undecimo anno Henrici, qui eſt Domini MXIII. Henricus Rex Metenſem urbem vallavit exercitu magno, ſecundum Sigibertum, tamdiu, quousque per juſtitiæ debitæ exhibitionem inter Regem Henricum & Theodericum Epiſcopum urbis ejus pax facta eſt & concordia. Bruno Archiepiſcopus Trevirenſis, vir ſanctus & nobilis, ſecundum Egghardum, de Querfort oriundus, paſſus eſt mortem a Prutenis. Hic namque per Papam in Ungariam ad prædicandum

dum Verbum Dei miſſus fuerat, & ibidem per integrum diem illæſus in igne copioſo ſteterat, ſed in Pruziam veniens, multis ſuppliciis afflictus eſt ab eis, & tandem manibus & pedibus abſciſſis, poſtremo capite plexus eſt.

Duodecimo anno Henrici, qui eſt Domini MXIIII. Henricus Rex cum maximo exercitu montes tranſiens, tandem Romam pervenit, ſecundum Vincentium, ubi a Papa Benedicto benedictionem & Imperialem coronationem cum magna gloria & ſolennitate ſuſcepit. Godefridus, Dux Lotharingiæ, ſecundum Sigibertum, Comitatum Montenſem Reineri depopulatus eſt, quem Reinerus Comes cum patruo ſuo Lamberto Comite Lovanienſi inſecutus, apud Caſtrum Floryn expugnavit, ubi circa M. & CC. viri ceciderunt, & ipſe Lambertus pariter occubuit. Ibidem enim res mirabilis contigit. Lambertus namque iſte phylacterium habuit, a collo uſque ad pectus dependens, Sanctorum reliquiis refertum, quorum patrociniis ſe tutum fore in periculis credebat. Inſtante vero ſuæ vitæ termino, phylacterium illud a collo proſiliens, ſuper tumulum quendam campi cecidit, & mox Comes perimitur, qui per antea occidi non poterat, phylacterio illo in collo ejus pendente. Quod quidam miles videns, phylacterium illud rapuit, & in caliga ſua ipſum abſcondit; celare tamen non valuit, quia coxa ejus intumeſcens, rem ipſam prodere coëgit. Unde phylacterium illud Etheloni fratri Lamberti Comitis dedit.

Tertio decimo anno Henrici, qui eſt Domini MXV. Simeon Syracuſis Siciliæ oriundus, ſecundum Sigibertum, & poſt Monachus in monte Sinai, clariſſimus haberi cœpit. Hic Jeroſolymam veniens, longam pro Chriſto peregrinationem ſuſcepit, & cum Poppone Trevirenſi Archiepiſcopo S. Brunonis ſucceſſore ad Gallias veniens, Treviris in alta turri incluſus eſt, ibique poſt multas hominum tribulationes & multas dæmonum tentationes, beato fine quievit; cujus quidem merita miraculorum crebris (f. celebris) oſtendit coruſcatio & ſignorum multiplicatio.

Quarto decimo anno Henrici, qui eſt Domini MXVI. Richardus Dux Nordmannorum, ſecundum Egghardum, Cœnobium Fiſcanenſe, quod pater ſuus inchoaverat, perfecit. Hic ſingulis noctibus ad matutinas Monachorum ibat, genua flectens in oratione uſque ad lucem. Quadam autem die ſic faciens, cum oſtium Eccleſiæ Monaſterii exire vellet, invenit obſeratum, quod ſibi prius factum non fuerat. Qui percuſſo violenter peſſulo, ſacriſtam excitavit. Qui ſurgens e ſomno, & videns Ducem ruſticano amictum veſtitu, furem ipſum ſuſpicatus, in capillos ejus involat, multoſque colaphos ei inferens, graviter ipſum percutiebat. Ille vero ex incredibili patientia vapulanti nullum reſponſum dedit. Poſtera autem die Dux in Capitulo Fratrum querelam depoſuit adverſus ſacriſtam Monachum, & ipſum ad vicum Argentias ſecundo in craſtinum præſentari præcepit, minitans, ſic ſe de eo velle vindicare, quod tota Gallia de hoc loqui deberet. Craſtina ergo Monachus ductus eſt ad locum conſtitutum, ubi per Judices reipublicæ morti eſt adjudicatus, & pro eo quod crimen læſæ Majeſtatis admiſiſſet. Richardus vero Dux a lata illa ſententia Monachum talem abſolvit, & vicum illum officio ſacriſtiæ conſignavit, pronuncians, eum optimum eſſe Monachum, & fideliter cuſtodire officium ſibi creditum, nec etiam iratus ſuum fregiſſet ſilentium. Hic Richardus poſt defunctus facit ſe ſepeliri ante oſtium Eccleſiæ illius Monaſterii, ut ab omnibus conculcaretur ingredientibus & egredientibus, & ſuper ipſum plueret. Quod corpus tamen Wilhelmus Abbas inde ſuſtulit, & ante ſummum altare illud honorifice locavit.

Quinto decimo anno Henrici, qui eſt Domini MXVII. Cometes ultra ſolitum mirabilior, ſecundum Sigibertum, in modum trabis maximæ per quatuor menſes apparuit, & Theodorico Comite Gandenſi pugnante contra Friſones in Friſia, in vindictam patris ſui ab eis occiſi, prœlio jam conſerto, vox neſcitur unde emiſſa audita eſt, dicens: Fugite, fugite. Et cunctis fugientibus, Comes a paucis Friſonibus perimitur cum potioribus ſuis, ſed Godfridus capitur. Ezicone Epiſcopo Aldenburgenſi defuncto, ſucceſſit ei Volkquardus, ſecundum Helmoldum, in ſedem. Hic perſecutionis tempore a Slavis pulſus, abiit in Norwegiam, ubi multos Domino lucratus eſt, & cum gaudio reverſus eſt in Sedem ſuam.

Sexto decimo anno Henrici, qui eſt Domini DXVIII. Rodolſus Rex Burgundionum, ſecundum Wilhelmum, regnum ſuum Henrico Imperatori reſignavit; & ita factus eſt a modo Ducatus. Wiligis factus eſt Archiepiſcopus Moguntinus, ſecundum Egghardum. Hujus pater, quia currifex erat, adhuc rotam in vexillis & clypeis pro inſigniis Moguntina defert Eccleſia ab Epiſcopo ſumtam. Hic Wiligis conſtruxit majorem Eccleſiam & Eccleſiam S. Albani in urbe Moguntia.

Decimo ſeptimo anno Henrici, qui eſt Domini MXIX. maxima perturbatio toti Saxoniæ accidit, ſecundum Helmoldum. Nam Bernhardus filius Bennonis Ducis Saxoniæ Henrico Imperatori rebellare cœpit. Unde Slavi, ſumta occaſione, a fide apoſtataverunt, qui jam quaſi LXX. annis & amplius in fide perſtiterant a tempore Ottonis I. cujus mali cauſa talis fertur fuiſſe. Meſtwinus namque Princeps Slavorum filiam Bernhardi Ducis Saxoniæ deſponſaverat, propter quod magno ſolatio pariter & auxilio ſibi erat contra Imperatorem Henricum. Quibus compoſitis & concordatis, negat Bernhardus Dux dare filiam ſuam Weſtwino Regulo, dicens, dedecus eſſe, nobilem puellam dari catulo. Quod Meſtwinus percipiens, remandavit Duci Saxoniæ: ſi catulus ſum, mordebo, ut canis. Unde cum valida Slavorum manu venit in Hammeburg, & omnem populum, tam Clericos quam laicos, trucidavit, exceptis LX. Sacerdotibus, quos ludibrio reſervavit. Inter quos fuit Oddar Præpoſitus majoris Eccleſiæ. Ille ergo cum cæteris Sacerdotibus tali martyrio conſumtus

sumtus est, ut cute capitis in modum crucis incisa, fere cerebrum singulis aperiretur. Deinde ligatis post terga manibus, per singulas Slavorum civitates tracti sunt, donec deficerent. Similiter Aldenburg populosam civitatem percusserunt in ore gladii & multos captivos per totam Slavorum terram in contemtum Christianorum trahentes, diversis pœnis affecerunt. Eodem modo in Mykelenburgensi Monasterio, Moniales & virgines ibidem repertas deflorantes violaverunt. Godescalcus, etiam alius Slavorum Princeps a fide apostatatus, Christianis multa mala intulit, & sacra loca execrando dehonestavit, de quibus tamen post pœnituit. Hi Slavi per Regem Danorum & Bernhardum Ducem tandem ad fidem Christianam & ad censum dandum sunt reducti, non tamen sine multa sanguinis effusione eorundem.

Decimo octavo anno Henrici, qui est Domini MXX. Libentius Archiepiscopus Hammeburgensis, secundum Helmoldum, ipsam Ecclesiam Hammeburgensem, penitus desolatam & destructam per Danos & Slavos, renovare cœpit, XII. Canonicos novos ibidem instituendo, eo quod antiqui interfecti fuerant anno præcedenti. Hæc, inquam, devastatio & desolatio Ecclesiæ prædictæ, secundum eundem Helmoldum, facta dicitur sub Unwano prædecessore Libentii ante dicti. Benedictus Papa, secundum Sigibertum, venit ad Imperatorem Henricum in Teutoniam, quem Imperator honorifice suscepit & pertractavit, & cum eo descendens in Coloniam, Natale Domini inibi ambo celebraverunt, ubi Herbertum Coloniensem Archiepiscopum, a se injuriose tractatum, ex inductione Papæ humili satisfactione placavit.

Decimo nono anno Henrici, qui est Domini MXXI. Durandus fit Leodiensis Episcopus, secundum Vincentium. Iste quasi fabula in theatro mundi fuit, eo quod vir ex humilimo & pauperrimo genere ortus, Dominis suis Cardinalibus dominaretur. Nota servilis conditionis exemplum. Cynico Rex Anglorum Romam profectus peregrinationis gratia, secundum Helmoldum, navigio in Angliam rediit, & mox Marcolium Scotorum Regem rebellantem sibi subjugavit. Erat etiam tunc in Anglia vir sapientissimus Egelmodus Archiepiscopus Canthuariensis, ex Decano in Præsulem assumtus. Hic Romam transiens, in via apud Papiam brachium S. Augustini Doctorum Magistri, centum talentis argenti puri & uno talento auri comparatum ad Canthuariam transmisit.

Vicesimo anno Henrici, qui est annus Domini MXXII. S. Berwardus Episcopus Hiltinsheimensis, plenus virtutibus, obiit in Christo, post labores & tribulationes multas, quas pro Ecclesia sua sustinuit, secundum Egghardum. Hic vir Dei habitum Monachalem assumsit, antequam moreretur, vestitus in Cœnobio S. Michaëlis ejusdem urbis, quod ipse fundaverat, & sepultus est in tumulo, quem ipse foderat, præscius diei obitus sui. Terræ motus maximus factus est in Bavaria IIII. Idus Maji secundum Sigibertum, ex quo corruerunt turres multæ & domus, ac Ecclesiæ plures sunt eversæ, populusque innumerus oppressus.

Vicesimo primo anno Henrici, qui est Domini MXXIII. Volquardus Aldenburgensis Episcopus defunctus est, secundum Helmoldum in Chronicis Slavorum, vir magnæ perfectionis, cui successit Benno, vir prudens & magnæ industriæ. Hic reordinavit reditus Ecclesiæ suæ & impensas a Duce Bernhardo, quas Otto I. eidem Ecclesiæ deputaverat dandas a Slavis pro subsidio sustentationis Fratrum annuatim. Illis enim temporibus, qui nunc Canonici dicuntur, pro tunc Fratres in omnibus Ecclesiis Cathedralibus Saxonum & Slavorum nuncupabantur, de quo nomine moderni Presbyteri nauseam habent & verecundiam. Henricus Imperator curiam suam celebravit in Werben opido terræ Saxonum juxta Albiam sito, secundum Helmoldum, ubi convenerunt omnes Principes Slavorum & Winulorum ad præsentiam Imperatoris, seque Imperio pro bono pacis & subjectionis obtemperaturos esse protestati sunt. Ibique cum Benno Aldenburgensis Episcopus in facie Imperatoris veterem pro Ecclesiæ suæ promotione innovaret querimoniam, interrogati a Cæsare Principes Slavorum de possessionibus ad jus Episcopi pertinentibus recognoverunt, memoratas urbes cum urbibus suæ Ecclesiæ & Pontifici debere pertinere. Præterea omnes Obotriti Ritznupolabi, Wagri cæterique Slavorum populi, qui terminis Ecclesiæ Aldenburgensis concludebantur, polliciti sunt dare omnem censum, quem pro decimis Otto Magnus Ecclesiasticis stipendiis ordinaverat. Sed statim, ut Imperator recessit, tam ipsi Principes quam Bernhardus Dux, totus avaritia infectus, Slavos, quos bellis & pactionibus subegerat, tantis vectigalium pensionibus aggravavit, ut nec memores Dei, nec Sacerdotibus ad quicquam essent benevoli. Quamobrem Benno Episcopus casso labore fatigatus, cum non inveniret, ubi pes ejus requiesceret, accessit ad S. Berwardi Episcopi Hiltensheimensis successorem, qui de suis facultatibus sibi necessaria procuravit.

De Johanne XX. PP. CLII.

Johannes Papa, natione Romanus ex patre Gregorio, sedit annis X. mense uno, secundum Martinum. Iste litem gessit cum Romanis. Hujus tempore Heimericus S. Stephani I. Regis Ungarorum filius & virgo, cum sponsa sua obiit, miraculis multis coruscans, secundum Vincentium.

Vicesimo secundo anno Henrici, qui est Domini M XXIIII. Henricus Imperator, consulentibus sibi Principibus super substitutione regni, designavit Conradum, virum Regii generis & egregiæ libertatis. Postquam ergo Henricus Imperator, secundum Vincentium, bonæ opinionis odorem longe lateque redolere de se fecerat, locumque sibi dilectum cum cæteris Monasteriis ditando, ornando & excolendo ad perfectum perduxerat, divina vocatione viam universæ carnis ingressus, felicem animam Deo

Digitized by Google

Deo reddidit III. Idus Julii, sepultusque est in Babenberg in Episcopio a se fundato in Monasterio S. Petri Apostoli, ad cujus Imperium cum Cono præpotens Dux aspiraret, repudiatur instinctu Erbonis Archiepiscopi Moguntini & quorundam aliorum regni Primatum, & Conradus designatus ab Henrico ad Imperium sublimatur. De isto Imperatore Henrico legitur, secundum Jacobum de Voragine, quod dum ipse & Cunigundis uxor simul manerent, diabolo instigante, de quodam milite uxorem suspectam habens, super candentes vomeres XV. pedum, pedibus nudis eam incedere fecit. Quæ vomeres ascendens, dixit: Sicut a Henrico viro meo & aliis omnibus viris intactam me novisti Jesu Christe, ita in præsentiarum me illæsam ab hac ignis flamma conserva. Cui vox dixit: Virgo Maria te virginem liberabit. Totam ergo candentis ignis massam illæsa pertransiit, Christum & Matrem ejus gloriosam benedicens. Cum autem Imperator defunctus esset, multitudo maxima dæmonum ante cellam cujusdam Eremitæ transibat. Qui fenestram aperiens, sciscitabatur ab ultimo, quinam essent. At ille respondit: Legio dæmonum sumus, qui ad mortem Imperatoris properamus, si forte aliquid proprium in eo invenire possimus. Quem adjuravit heremita, ut ad se rediret, & quid egissent, intimaret. Qui rediens dixit ad eum: Nihil profecimus, quia, dum falsa uxoris suspicio & Dei tentatio aliaque mala cum bonis ejus operibus in statera essent portata, adustus ille Laurentius olla aurea jactata super stateram, altera pars stateræ præponderat. Tunc ego furibundus factus, aurem unam illi abstuli violenter. Ollam enim vocabat calicem, quem dictus Imperator Ecclesiæ Merseburgensi in honorem S. Laurentii fieri fecerat, cui propter magnitudinem & ponderositatem duæ aures inerant, ut eo facilius teneretur, & erat de puro auro. Repertum ergo est, quod eadem hora Imperator obierat, & quod calix ille unam aurem amiserat, & est in prædicta Merseburgensi Ecclesia die hodierna.

De Conrado II. Imp. 83.

Conradus II. Romanor. Imperator LXXXIII. cœpit anno mundi IIIIMDCCCCLXXXIIIII. Olympiadis CCCCLI. anno primo, Urbis conditæ MDCCLXXIIII. Domini vero MXXIIII. & imperavit annis XV. secundum Martinum. Hic Principibus in electione dissentientibus, per Erbonem Archiepiscopum Moguntinum & Eberhardum Episcopum Babenbergensem, ordinationem Henrici Imperatoris defuncti prosequentes, in regnum sublimatur, cæteris Electoribus tandem consentientibus. Iste nitebatur Babenbergensem Episcopatum destruere, ex informatione Brunonis Episcopi Augustensis, fratris Henrici Imperatoris defuncti, sed ne hoc faceret, a Henrico defuncto prohibitus est. Ipse etiam fratrem suum sibi rebellem ab Alemannia fugavit in Ungariam, qui post sibi reconciliatus, Nurenberg urbem & castrum Imperio resignavit. Ipse quoque in castro suo Limburg Monasterium Ordinis S. Benedicti fundavit, & Spirensem Episcopatum inchoavit, quem Henricus III. filius suus perfecit. Hic intrans Italiam pro corona sua, Episcopos Mediolanensem, Cremonensem & Blesensem exilio relegavit, secundum Vincentium.

Primo anno Conradi, qui est Domini MXXV. Bruno Augustensis Episcopus, frater Henrici II. Imperatoris, apud Conradum Regem laborabat, secundum Sigibertum, pro destructione Babenbergensis Ecclesiæ, & hoc per Giselam Reginam, cui promisit omnia prædia jure hæreditario ad se pertinentia, filio ejus Henrico contradicente. Locus ergo & tempus statuitur, in quo negotium hoc ad effectum perduceretur. Sed nocte diem illam assignatam præcedente, Everhardus Episcopus ad tentorium prædicti Brunonis clam accessit, lectoque ejus assistens, multa super his monendo, obsecrando, & memoriam fratris sui sibi inculcando, cum eodem solicitus egit. Bruno tandem obdormiens, vidit in somnis fratrem suum Henricum Imperatorem lecto suo astare, faciem suam ex una parte barba depilata deturpatam objectare. Cui super hoc stupenti & admiranti, & quis tam temerarios ausus in eum præsumeret, sciscitanti respondet: Tu hoc fecisti, qui me & Sanctos Dei, quos rebus a Deo mihi concessis dotavi, exspoliari disposuisti. Cave jam ulterius frater de hac temeritate, ne mercedem stultæ præsumtionis tuæ recipias. Expergefactus Bruno de visione non mediocriter territus, mane facto non venit ad conventum Procerum & Nobilium. Regina autem pro filio suo solicita, missis nunciis, obnixe rogavit, ut Episcopus veniret, & promissa perficeret. Sed ille infirmitatem magnam, quod nec pedem movere posset, allegavit. Rogavit ergo, ut vel lecto se permittat illuc deportari. Quod fieri recusans, tandem se in Deum, & Sanctos ejus, & in fratrem suum peccasse, libera voce proclamavit. Sicque pietas divina per merita famuli Henrici Imperatoris, ne spe, quam in se posuit, frustraretur, omnia illius pravæ conspirationis machinamenta repressit, illudque, quod ab eo bene cœptum est, confirmando semper ex illo tempore ad meliora provexit.

Secundo anno Conradi, qui est Domini MXXVI. Conradus Rex Romam pergens, secundum Sigibertum, coronatur in Imperatorem a Papa Johanne, & rediens, filium suum Henricum in Regem a Peregrino Archiepiscopo Coloniensi vel forte Herberto inungi fecit Aquisgrani. Urbs Spirensis, quæ & Nemetum dicitur, secundum Vincentium, a Conrado Imperatore fundatur. Libentius II. Hammeburgensis Episcopus obiit, secundum Helmoldum, vir valde religiosus, in cujus sedem electus est Hermannus & confirmatus, Præpositus Ecclesiæ Halberstadensis, vir miræ simplicitatis & parum habens prudentiæ serpentinæ. Ideo & faciliter deceptus a Clericis, raro parochiam suam visitavit. Semel denique Hammeburgum accessit, & tunc cum exercitu veniens, Episcopatum quasi non suum spoliavit, abiensque velut

Digitized by Google

velut terram salsuginis ipsam dereliquit, rapacitatis auctor & intentor. Mortuus est autem in Episcopatu Halberstadensi, dum esset in prædio suo Hiltenroth, corpusque ejus Bremam devectum est, & sepultum in medio chori. Hic ab incolis terræ paludem Ertheneburg comparavit, quam Conradus Imperator præcepto suo eidem Ecclesiæ consignans, sigillo suo confirmavit & roboravit.

Tertio anno Conradi, qui est Domini MXXVII. Conradus Imperator condidit multas leges, & pacem in terris servari statuit, secundum Vincentium in Speculo, ita ut quicunque Principum pacem infringeret, capite plecteretur. Cujus statuti transgressor Lippoldus Comes Thuringorum accusabatur, secundum Martinum. Quod ipse percipiens, cum uxore & pueris occulte fugiens, solitudinem intravit, quam multis temporibus tanquam eremita inhabitabat, nullo penitus sciente, quonam divertisset. Contigit autem Conradum Imperatorem ad illas accedere partes causa venationis, & ab omnibus suis familiaribus elongatus deviando ignorabat, ubi esset, & tandem casu pervenit ad dicti Comitis eremitorium. Qui benigne receptus, cum post laborem in strato dormiret, Comitis uxor peperit filium, & Imperator in somnis audivit vocem dicentem, puerum ibidem natum genus suum esse, & futurum ipsius successorem. Hanc vocem primo contemnens, cum iterata fuisset, anxius mane expectabat. Cum autem orto sole puerum vidisset, & ad socios, qui ab eo deviaverant, venisset, vocatis duobus secretariis suis, occulte eis mandavit, ut prædictum puerum natum rapientes in sylvam occiderent, & sibi cor pueri in argumentum interfectionis præsentarent. Qui juxta mandatum Regis puerum rapiunt, & misericordia moti, ipsum non occidentes, in nemore relinquunt, & cor capti leporis, qui forte nutu Dei aderat, Imperatori deferunt. Accidit autem dispensatione divina, ut eadem hora Dux Henricus frater Imperatoris venationis causa in eadem sylva solus oberraret, & puerum vagientem audiret. Quem inveniens, & ipsum elegantem videns uxori suæ sterili occulte deportavit, mandans eidem; ut, quod ipsum genuerit, affirmaret. Quod sic factum est, vocavitque nomen ejus Henricum. Cum jam adultus puer ab Imperatore intueretur, & attendens, vultum ejus, quem olim viderat, pariter & ætatem, petiit constanter a fratre suo Henrico puerum sibi dari, ut uxori suæ inserviret. Quod tandem obtinuit, tractans apud se, quomodo illum occideret. Unde post aliquod tempus misit ipsum cum literis ad Imperatricem Aquisgranum, mandans, ut sub obtentu gratiæ suæ statim juvenem illum ad se cum suis literis venientem interfici procuraret. Quum puer ille iter faceret, contigit, ipsum pernoctare in domo cujusdam Presbyteri quondam Capellani Archiepiscopi Moguntini. Juveni ergo dormiente, Sacerdos curiose perscrutari cœpit literas portitoris, timens, ne aliquid in eis contra Dominum suum Archiepiscopum contineretur. Videns ergo Sacerdos juvenis periculum, & sibi (leg. illi) ex literis illis mortem imminere, pietate motus literæ tenorem immutavit. Nam abraso eo, quod eodem die, quo juvenis veniret, ipsum interficeret, inseruit, quod eodem die juveni illi filiam suam matrimonialiter copularet. Quod mox factum est, licet cum magna admiratione matris & amicorum filiæ propter tam seriosum & inconsvetum mandatum. Nam cum Imperatrix literas Imperatoris inspexisset signeto suo signatas, convocatis Principibus & Prælatis, quos ad manum habere poterat, nuptias filiæ confestim celebrat, eam juveni vix XIIII. annorum tradens in uxorem. Quod factum Imperator dum perciperet, obstupuit, sed intelligens, divinam esse ordinationem, cui resistere non valeret, sciscitatus est de juvenis illius & parentum suorum conditione, & tandem veraciter cognoscens, ipsum esse filium Lippoldi Comitis Thuringorum, quem rusticum crediderat, dolor suus mitigatus est, & sic talis secundum vaticinium supra dictum successor Imperatoris factus est. Hæc de Viatico Narrationum. Sed quia hæc narratio quædam continet figmenta, & minus clara est, ideo relinquo eam judicio lectorum aut sustinendam aut penitus refutandam.

Quarto anno Conradi, qui est Domini MXXVIII. Gvido Aretinus claruit inter Musicos magni nominis, secundum Sigibertum. Iste in hoc videtur præferendus Philosophis, quod ignotos cantus ejus etiam pueri facilius addiscant per regulas ejus, quam per vocem magistrorum aut per usum alicujus instrumenti. Unde sex literis vel syllabis modulatim appositis ad sex voces, quas solas regulariter Musica recipit reflexas, cantum usualem distinxit. Ipse enim fecit Gammaut, A re, b mi, c faut, d solre, e lami, f faut, & fecit etiam plures alios libros in Musica, qui communiter habentur in scholis puerorum. Prædictis autem vocibus per flexuras digitorum lævæ manus distinctis, per integrum diapason se oculis & auribus ingerunt intensæ vel remissæ elevationes vel depositiones earundem sex vocum.

Quinto anno Conradi, qui est Domini MXXIX. Henricus, filius Conradi Imperatoris, secundum Vincentium, vel gener ejus, secundum prænotatam narrationem, ungitur Aquisgrani in Romanorum Regem, patre vel genero ejus, ut præmissum est. adhuc vivente-Roberto Rege Francorum defuncto, secundum Wilhelmum, Henricus filius ejus successit in regno, & regnavit ipse Rex XXXV. annis, XXX. secundum Francos.

Sexto anno Conradi, qui est Domini MXXX. Jussu Conradi Imperatoris Regali & Synodali Concilio, secundum Vincentium, convocato apud Triburias, inter cætera Episcopi hoc capitulum decernere voluerunt, ut si quando jejunium primi mensis veniret infra hebdomadam, qua caput jejunii in feria quarta constat, amborum jejuniorum celebritas uno officio tantum expleretur. Sed Egghardus Cameracensis Episcopus, & pauci cum eo, huic multorum decreto contradicens obtinuit, ut jejunium primi

Digitized by Google

primi mensis in altera hebdomada celebretur; quod quidem statutum usque hodie in Ecclesia fidelium observatur.

Septimo anno Conradi, qui est Domini MXXXI. Godescalcus filius Mestwini Principis Slavorum, secundum Helmoldum, patris sui necem vindicare volens cum maximo exercitu latronum & raptorum terram Nordalbingorum intravit, & percussit omnem populum in ea repertum a majore usque ad minorem. Et in tali prœlio hujus cædis tantas fecit strages Christianæ plebis, ut crudelitas sua omnem excederet modum, nihilque remansit in Holtzatorum & Sturmannorum dominio, quod manus ejus effugeret, præter notissima illa prædia Tytzeho & Bokeldeborah. In illis enim opidis se receperant illi cum mulieribus & parvulis ac substantiis suis, qui direptioni superfuerant. Hic tamen Godeschalcus Princeps Obotritorum postea pœnitentia ductus, pacem cum Nordalbingis firmavit, & Ecclesias ac Monasteria reformavit, ac Religionem Christianam plurimum auxit & defensavit, homines tamen infinitos in furia sua interfectos non resuscitavit.

Octavo anno Conradi, qui est Domini MXXXII. Decretum tale ab Episcopis Franciæ emanavit, & observari statum est secundum Sigibertum. Unus enim eorum dixit, cœlitus delatas sibi esse literas, quæ pacem monerent fore renovandam in terra. Quamobrem mandavit cæteris, & hæc tradenda dedit populis, ut arma nullus ferret, abrepta non repeteret, sui sanguinis aut cujuslibet alterius Christiani ultor minime existeret, percussoribusque quilibet indulgeret, jejunium in pane & aqua omni feria sexta servaretur, & in Sabbatho a carnibus & liquamine abstinerent. Solo vero hoc contenti jejunio in omnium peccatorum remissionem nullam sibi scirent aliam pœnitentiam adjiciendam, & hæc se observaturos sacramento confirmarent. Qui vero nollet Christianitate privaretur, & exeuntem de hoc mundo nullus visitaret, nec sepulturæ traderet. Alia quoque importabilia quamplurima mandata dederunt. Hanc præceptorum novitatem cum multi cupidi rerum novarum libentius justo amplecterentur, Gerhardus Cameracensis Episcopus nullius hortatu potuit induci ad hæc mandata sustinenda, sed singula capitula refellebat, dicens, genus hominum ab initio trifarie esse divisum, puta in oratoribus, pugnatoribus & agricultoribus, & unum duorum, & duos unius egere auxilio. Ideo debere reconciliari jejunium in sexta vel septima feria, nec unum omnibus esse imponendum, quia non est una omnium possibilitas, nec omnes hoc uno jejunio contentos esse debere, quia non est una omnium pœnitendi qualitas aut æqualitas. Hæc quoque sacramento firmare, vel sacramenti violatorem perjurio gravare, non est utile. His itaque insuper contradicentes excommunicare, infirmis visitationem mortuisve sepulturam negare, impium & detestabile fore dixit; Adjiciens sufficere debere authentica Patrum decreta & super his neglectis impositum modum pœnæ congruere.

Nono anno Conradi, qui est Domini MXXXIII. Conradus Imperator Ungariam intravit cum magno exercitu, secundum Vincentium, & plures urbes ac castra igne & gladio devastans, in ea moram traxit usque ad Ungarorum deditionem; de Ungaria vero in Poloniam se divertens, Mysaconem Polonorum Ducem imperio subegit.

De Benedicto IX. PP. CLIII.

Benedictus Papa, natione Romanus ex patre Damaso, sedit annis XII. & mensibus, secundum Martinum. Iste ejectus est de Pontificatu per Romanos, ipsum in multis criminantes, & factus est pro eo Papa Episcopus Sabinensis, qui infra vocatus est Sylvester. Et iste similiter ejectus est, & Benedictus recuperavit Papatum, se ipsum Papatu privavit, & Johannem Archiepiscopum S. Johannis ante portam Latinam pro se ob avaritiam & pecunias contra Canones ordinavit. Qui vocatus est Gregorius, & hic habito Papatu, cum esset rudis & illiteratus, alterum Papam ad vices Ecclesiastici officii exequendas secum consecrari fecit. Qui cum multis non placeret, tertius superinducitur, qui solus vices duorum impleret. Uno ergo sic contra duos, & duobus contra unum de Papatu altercantibus, Henricus III. Imperator Romam accessit, & uno post alium in quodam conclavi vocato & decapitato, tandem Suikkerum Babenbergensem Episcopum, qui & Clemens II. dictus est, Papam constituit, ut infra patebit. Iste Benedictus, qui nepos extitit superioris Benedicti, apparuit juxta molendinum cuidam in specie cujusdam monstruosi animalis, cujus caput & cauda erant asini, reliqvum vero corpus sicut ursus. Cum conspector territus fugeret, monstrum post ipsum clamans dixit: Noli me expavescere. Scito, me hominem fuisse, sicut & tu es. Sed sic me repræsento, sicut olim infelix Papa existens, bestialiter vixi. Sanctus Gerhardus Cameracensis Episcopus, secundum Egghardum, in Ungaria super bigam ligatus, de altissimo monte cursu præcipiti contritus, martyrio coronatur.

Decimo anno Conradi, qui est Domini MXXXIIII. Hermannus Archiepiscopus Hammeburgensis defunctus est secundum Helmoldum. Loco ejus electus est Boselinus duodecimus hujus Ecclesiæ Antistes. Hic sedit duodecim annis, vir omni virtutum genere decoratus, cui Conradus Imperator obtulit baculum, & Benedictus Papa pallium transmisit. Hic conventum Fratrum Ecclesiæ Hammeburgensis miserabiliter collapsum renovavit & mensam communem eisdem instituit. Primus etiam cum præbenda Fratrum Canonicorum tenuisse videretur, XXX. convivia, quæ Libentius Archiepiscopus annuatim dari statuit, adjectis ex sua parte decimis quibusdam ita ordinavit, ut albus panis daretur Fratribus ultra solitam annonam quotidie, in diebus vero Dominicis unicuique duplex mellita copia. Nam & vi-

& vinum dari Fratribus contra naturam Saxonum disposuit. Ipse etiam consummavit muros civitatis Bremensis, quos Hermannus prædecessor suus exorsus fuerat. Quos dum Bremis perfecisset, mox ad Ecclesiæ Hammeburgensis restaurationem totis viribus accendebatur. Ibi enim post cladem Saxonicam, de qua supra habitum est, Unwanus Archiepiscopus & cum eo Bernhardus Dux Saxoniæ claustrum nobile de ruinis antiquæ civitatis elevantes, Ecclesiam & diversoria plura lignea construxerunt. Beselinus vero Archiepiscopus, de quo nunc est sermo, adversus hostium crebros incursus aliquod fortius præsidium pro inopia loci necessarium arbitratus, primus omnium Ecclesiam, quæ constructa erat, in Matris Dei honore, lapidibus quadris ædificavit. Deinde aliam fecit, sibi domum lapideam turribus & propugnaculis valde munitam. Cujus æmulatione operis Bernhardus Dux provocatus, cujus erat civitas, & ipse domum fortem paravit in eodem loco, & sic prorsus civitate renovata, Basilica ex parte una domum habuit Episcopi, & ex alia prætorium Ducis.

Undecimo anno Conradi, qui est Domini MXXXV. Werben opidum in confinibus Saxoniæ situm, secundum Helmoldum, Pagani, qui Wilzi dicuntur, genere Slavi, expugnaverunt, multis Christianis in eo peremtis. Quos tamen Imperator cum exercitu forti aggressus fugavit, & tandem sibi vectigales effecit. Herbertus Archiepiscopus Coloniensis obiit in Domino, secundum Sigibertum, cui in sedem successit Hermannus, & XX. annis Ecclesiam illam laudabiliter rexit.

Duodecimo anno Conradi, qui est Domini MXXXVI. Henricus Rex filius Conradi Imperatoris Cunyhildem, Gunthonis Danorum & Anglorum Regis filiam, apud Novimagium opidum Regalibus nuptiis sibi copulavit uxorem. Hunc Regem Gunthonem quidam nominant Gamelknut lingva Danica, qui super tria regnavit regna, puta Danorum, Anglorum & Norwegiorum. Fuit autem omnium Regum pulcherrimus, strenuissimus & largissimus. Hic primus Religiosos in Daciam duxit, & multos Episcopos de Anglia in Daciam vexit. De ordine autem & origine Regum Danorum dictum est supra. Bellum maximum ortum est in orientali provincia Slavorum, civili inter se pugna dimicantium, secundum Helmoldum in Chron. Slavorum. Quatuor autem sunt populi eorum, qui Wilzi nuncupantur, quorum Rycinos & Circipanos circa Pamym vel Penam, Radiros vero & Tholensos circa Tholensam fluvios habitare constat. Inter hos de fortitudine & potentia valida est orta contentio. Radiri se Raduri & Thollensi propter antiquissimam urbem & celeberrimum illud fanum, in quo simulacrum Radigast ostenditur, regnare volebant, ascribentes sibi singularem nobilitatis honorem, eo quod ab omnibus populis Slavorum frequentaretur propter responsa, quæ dabat. Porro Circipani & Rycini servire respuebant, imo libertatem suam armis defenderé statuerunt. Factis ergo interpolatim duobus bellis, Circipani & Rycini victoriam obtinuerunt. Unde Raduri atque Thollenses dejectionis suæ pudore vehementer afflicti, in suum vocaverunt auxilium fortem Regem Danorum Canutum & Bernhardum Ducem Saxoniæ ac Godescalcum Regulum Obotritorum cum exercitibus suis, invaluitque prœlium adversus Cyrcipanos & Rycinos, nec habuerunt vires resistendi obsessa tanta multitudine, cæsaque est eis maxima copia hominum, & quamplurimi in captivitatem sunt ducti. Ad ultimum vero XVM. marcarum argenti puri pacem mercati sunt. Principes autem supra dicti pecuniam inter se diviserunt. De Christianitate vero nulla facta fuit mentio, nec honorem dederunt Deo, qui eis victoriam contulit in prœlio. Unde perpendi potuit Saxonum insatiabilis avaritia, qui cum inter gentes cæteras barbaris contiguas præpollerent armis & usu militari, semper tamen proniores erant tributis augmentandis, quam animabus Domino Deo congregandis. Decor enim Christianitatis jam dudum Sacerdotum instantia convaluisset in Slavia, si Saxonum avaritia ipsum non præpedivisset.

Tertio decimo anno Conradi, qui est Domini MXXXVII. Gotehardus Episcopus Hiltinsheimensis, secundum Egghardum, plenus virtutibus obiit in Christo, multis coruscans miraculis. Imperator Conradus cum magno exercitu Italiam petiit, secundum Egghardum, ubi Mediolanensem Episcopum capiens incarceravit; qui per fugam elapsus, Imperatori rebellavit. Stephanus Ungarorum Rex Christianissimus & Deo multum devotus in Christo obdormivit, secundum Vincentium, cui Petrus succedens regnavit. Cunigundis uxor Henrici Imperatoris, virgo & mater pauperum, secundum Sigibertum, dives ipsa divitem migravit ad Christum XV. Kal. Aug. Statua marmorea fuit in Apulia, secundum Vincentium, circa caput suum æreum habens circulum, in quo erat scriptum: in KL. Maji oriente sole caput habebo aureum. Quod quidam Sarracenus a Duce Normannorum captus, quid prætenderet, intelligens, in KL. Maji oriente sole diligenter termino umbræ statuæ notato, infinitum thesaurum ibidem humo effossa reperit, quem pro redemtione sua eidem Duci obtulit.

Quarto decimo anno Conradi, qui est Domini MXXXVIII. Theodericus IIII. Hollandiæ Comes obiit, secundum Wilhelmum, cui successit Theodericus filius ejus in Comitatu. In Ratzeburg oppido terræ Slavorum, secundum Helmoldum, lapidatur S. Answerus Monachus cum multis aliis Religiosis. Johannes vero Episcopus, qui peregrinationis causa Scotiam egressus fuerat, venit in Saxoniam, & missus per Beselinum Hammeburgensem Archiepiscopum in Slaviam gratia prædicationis cum multis Christianis martyrizatur in Mykelingburg, cujus caput de civitate in civitatem per Slavos ducitur in contumeliam Christianorum, & in signum victoriæ Radigast Dei Slavorum. Gotscalcus Princeps Slavorum, secundum Helmoldum,

Digitized by Google

dum, cum quadam die deprædationis causa campos transiret, vidit regionem illam solitudini vastæ subjacere, quæ aliis viris & Ecclesiis abundaverat. Unde exhorrens propriæ crudelitatis facinus, & tacitus dolore cordis intrinsecus deliberavit a nefariis actibus cohibere manus. Avulsus ergo parumper a sociis, & quasi ad insidias tendens, inopinate habuit obviam quendam Saxonem Christianum. Qui cum armatum eminus venientem fugeret, ille clamore valido hortabatur fugientem, ut subsisteret, jurans, se ei in nullo velle nocere. Cumque vir timidus recepta fiducia substitisset, cœpit Gotscalcus percunctari, quis esset, aut quid sciret rumoris? At ille, ego, inquit, sum homo pauper Holsatus genitus. Sinistros autem rumores quotidie experimur, quia Princeps ille Slavorum Godescalcus Dei inimicus multa mala populo infert & terræ nostræ, sitimque crudelitatis suæ extingvere cupit sangvine nostro. Tempus autem esset, ut vindex Deus ulcisceretur sangvinem Christianum servorum suorum. Cui Godescalcus: Multum arguis virum istum Principem Slavorum. Revera enim multas ille pressuras suscitavit populo vestro, ultor paternæ cædis existens magnificus. Ego autem sum vir ille, de quo nunc loquimur, & veni, ut loquar tecum. Doleo enim, me tantam crudelitatem exercuisse adversus Dominum & Christicolas gentes, & vehementer cupio redire in gratiam eorum, quibus me tot mala injuste intulisse recognosco. Accipe ergo verba mea, & revertens ad populum tuum, nuncia eis, ut ad locum placitum mittant suos fideles, qui mecum clam agant de fœdere & pacis conventione. Quo facto, omnem hanc latronum turbam, quibus magis necessitate quam voluntate detineor, tradam in manus eorum. Et cum hæc dixisset, designavit sibi locum & tempus. Cum autem villanus ille pervenisset ad præsidium, in quo Saxonum superstites in maximo consistebant timore, & intimaret senioribus verbum istud, suggerens, ut omnino viros ad præfixum colloquii locum destinarent: illi non audebant mittere quemcunque, æstimantes, dolum esse, quod nunciabatur. Post aliquot autem dies idem Princeps a Duce Bernhardo captus est, & quasi latronum Princeps in vincula conjectus. Reputans autem Dux virum fortem & ad arma strenuum utilem sibi fore, iniit cum eo fœdus, & honorifice muneratum abire fecit. At ille dimissus abiit ad Canutum Regem Danorum, & mansit apud illum multis diebus, variis bellorum exercitiis in Nordmannia & Anglia virtutis suæ gloriam manifestans.

Quinto decimo anno Conradi, qui est Domini MXXXIX. Visa est in cœlis VIII. Idus Aprilis, secundum Sigibertum, inter australem & orientalem plagam ignea trabs miræ magnitudinis, quæ currens super solem ad occasum tendentem visa est in terram cadere, cujus vestigia diu cernebantur. Conradus autem Imperator Italiam adiit, ut rebellionem meditantes debellaret. Et quia omnes Lombardi conjuraverant, ut non paterentur quemcunque Dominum, qui aliud, quam ipsi vellent, contra se ageret, quosdam Episcopos in vincula jecit. Et quia Episcopus Mediolanensis fuga elapsus est, Imperator suburbia Mediolani incendit. Diem vero Pentecostes cum Imperator in parva Ecclesia secus urbem perageret, & in eadem Ecclesia concionaretur in Missa, tam gravia facta fuerunt tonitrua & fulgura, ut aliqui mente excederent, aliqui spiritum exhalarent. Bruno vero, qui Missam cantabat, & Secretarius Imperatoris cum aliis tribus dixerunt, se intra solemnia Missarum vidisse S. Ambrosium Imperatori comminando indignari. Tunc Imperator ab Italia recessit, & pridie Nonas Junii obiit in Trajecto inferiori, sed Spiræ sepultus est.

De Henrico III. Imp. LXXXIIII.

Henricus Tertius gener Conradi, secundum Martinum, sed filius Conradi, secundum Vincentium & cæteros, cœpit anno mundi VM. Olympiadis CCCCLIIII. anno primo, Urbis conditæ M DCC LXXXIX. Domini vero MXXXIX. & XVII. annis imperavit. Iste Henricus, secundum Helmoldum, Windelicos subegit, qui usque hodie Fortunam adorant, cujus idolum in loco nominatissimo ponentes, cornu dextræ ejus apponunt plenum potu illo, qui ex aqua & melle confectus est, & Græce hydromel nominatur. Istud etiam fecisse Ægyptios, & omnes fere orientales populos, affirmat S. Jeronymus super Jesaiam. Ultimo autem die mensis Novembris sedentes in commune prægustant, & si cornu plenum invenerint, in magno strepitu applaudunt Deo tanquam plene ad omnia illo anno eisdem responsuro; Si vero vacuum, ingemiscunt. Istos Henricus tributarios fecit, ita ut in omnibus solennitatibus, quibus coronabantur quatuor Reges eorum, lebetem, quo carnes condiebantur, in humeris suis, duobus vectibus per quatuor annulos inductis, ad coquinam vectitarent. Hic Henricus jocundus erat & hilaris, & sororem habebat sanctimonialem, cum qua quidam crebras habebat familiaritates in cubiculo suo. Quadam autem vice cum diutius subito simul dormirent, nix cadens totam terram operuit, propter quod Clericus deprehendi timuit per vestigia. Unde puella illa astuta Clericum in dorso suo levavit, & extra curiam deportavit. Quod forte Imperator tunc minctum surgens, & per fenestram respiciens vidit. Vacante autem casu pro tunc Episcopatu, vocavit Clericum, & dixit ei: Accipe hunc Episcopatum, & cave, ne amplius equites mulierem. Similiter & dans germanæ suæ Abbatiam, esto, inquit, Abbatissa, & ultra non patiaris Clericum equitem. Confusi ergo ambo a flagitio illo amplius destiterunt.

Primo anno Henrici, qui est Domini MXL. Quidam Clericus literatus & bene vociferatus, secundum Egghardum, in curia Henrici Regis existens, quandam meretricem vilem ardenter amabat, & frequenter ei condormiebat. Hic cum in nocte cujusdam solennitatis magnæ illi mulierculæ concubuisset, & mane ad Missam

Missam staret: hoc sciens Imperator, sed scire dissimulans, jussit Clericum legere Evangelium in illa Missa. Ipsius cantu pariter & voce Rex delectabatur. Qui criminis sui conscius renuit legere. Rex vero ejus constantiam probare volens mandavit, ut vel Evangelium legeret; vel exulando de terra recederet. Quam sententiam Clericus acceptans, sarcinulis suis assumtis, patria discedere tentat, iter arripiendo. Quem Imperator revocans, dixit ei: Bene fecisti, & ego congratulor probitati tuæ, quod timorem Domini pluris pendens quam patriam, plus iram Dei metuens quam meam, fungi Diaconatus officio recusasti. Quapropter habebis Episcopatum, qui primus Imperio vacaverit: tantum de illicito amore amplius caveas. Ipse etiam Rex hoc anno omnes joculatores a curia sua removit, & quæ ipsis dare consveverat, pauperibus erogavit. Ecclesiam quoque S. Matthæi in Goslaria magnis prædiis & multis Sanctorum reliquiis decoravit. Hic Henricus Rex tempore Conradi patris sui a quodam Clerico fistulam tulerat argenteam, qua pueri ludentes aquam jaculantur, pactus ei Episcopatum, dum Imperator fieret. Adultus autem factus repetenti promissum largitus est Episcopatum. Sed non multo post aspero morbo correptus decubuit, & morbo crescente, triduo mutus & sensibus privatus jacuit. Episcopi autem præsentes, triduano indicto jejunio, pro vita ejus Domino supplicabant. Convalescens ergo accersitum, quem Episcopum pro fistula fecerat, sententia Concilii sui deposuit, confessus, se toto illo triduo dæmonum infestationes horribiles sustinuisse, & flammas in se jaculantium per fistulam, flammas, dico, adeo pertinaces, ut ignis noster respectu illius nix putetur. Interim vero semiustulatum juvenem adventasse, ferentem calicem aureum immensæ magnitudinis aqua plenum, cujus visione & laticis conspersione extinctos ardores evaserat.

Secundo anno Henrici, qui est Domini MXLI. Henricus Rex apud Moguntiam celebrat festum Pentecostes, secundum Sigibertum, ubi cum paulo ante Missam sedilia pararentur in Ecclesia, ortum est jurgium inter cubicularios Archiepiscopi Moguntini & Abbatis S. Galli, alias Fuldensis cœnobii, quorum utrorumque Dominus juxta latus Imperatoris sedere consveverat. Nam Fuldense Monasterium in Saxonia corpore S. Galli & prædiis magnis ditatum est, cujus Monasterii Abbas XM. armatorum conducere tenetur, Imperatori contra hostes eunti, vel secundum alios & verius forte, mille armatos tantum. Et habet hic Abbas ex antiquo Privilegio, ut in magnis festivitatibus ad dextrum latus Imperatoris sedeat. Perventum ergo est ad pugnam, & furore per Ecclesiam grassante, pavimentum sangvine inundavit. Sed statim Episcopis & Principibus convolantibus, pace inter reliquos dissidentes statuta, templum purgatum est, & Missa festivis vocibus est peracta. Sequentia autem percantata, & ultimo ejus versu incepto, puta: Hunc diem gloriosum fecisti, vox ab aëre lapsa cecinit: Hunc diem bellicosum ego feci. Rigentibus autem omnibus præ timore, Imperator intelligens lætitiam diaboli, dixit: Tu inventor omnis malitiæ simul & incentor diem bellicosum & arrogantibus luctuosum fecisti, sed nos per gratiam Dei, qui illum gloriosum fecit, pauperibus gratiosum faciemus. Et mox reincepta Sequentia, solenni ploratu gratiam Spiritus Sancti invocabat, & intelligens, illum advenisse, his plorantibus illis devote canentibus, & omnibus simul pectora tundentibus, finita Missa, egenis per præcones conclamatis & vocatis, omnes dapes, quæ sibi & Principibus parabantur, in usus eorum consumsit, famulis de reliquiis, quæ superfuerunt, post pauperum refectionem cibatis. Henricus Rex Bohemos subjugare disponens, secundum Egghardum, audivit, quod Petrus Ungarorum Rex Wratislao Duci Bohemiæ contra se auxilio esset, ipsum Ducem bello aggressus est: sed multis Proceribus & militibus in præstructione sylvæ Bohemicalis captis & occisis, nil efficere potuit.

Tertio anno Henrici, qui est Domini MXLII. S. Edoardus Edelredi Regis Anglorum filius in Anglia regnare cœpit, & XXXIII. annis gubernacula tenuit. De alio etiam Eduardo viro sancto supra dictum est, sed ille vix quatuor annis regnavit. Iste autem Edwardus, secundum Wilhelmum, fuit piissimus, ita ut nec verbo posset lædere aut turbare. Erat tum ejus erga domesticos reverentia vehemens, & apud exteros metus ingens. Nam fovebat ejus sanctitatem Deus, ut posset timeri, qui nesciret irasci. Miraculis etiam & spiritu prophetiæ claruit, ac pauperibus supra modum benignus fuit. Die quoque sancto Paschæ coronatus sedens inter Proceres regni ad mensam, cæteris avidius comedentibus, ipse ad cœlum oculos extollens, in risum est effusus. Remotis autem mensis, secuti sunt eum tres Principes, a quibus interrogatus, propter quid in mensa risisset? tandem respondit: Septem dormientes in monte Cœlio quiescentes post CC. annos, quibus in latere dextro jacentes dormierant, in hora risus mei se mutaverunt in sinistrum latus, & in eo jacebunt proximis LXXIIII. annis, puta usque ad annum Domini MCXVI. Missi sunt ergo duo milites & unus Monachus ad Imperatorem Græcorum, & ab eo ad Ephesinum Episcopum pro inquirenda veritate, & ut sanctus Rex dixerat, invenerunt. Sed qualiter istud veritatem habere possit, non video, cum prædicti VII. viri dormientes sub Decio dormire cœperunt, & sub Theodosio II. evigilaverunt, protunc in Domino obierunt anno Domini CCCCXLVI. nisi forte alii VII. ab illis viri eodem miraculo a Domino sint honorati. De isto S. Edwardo Rege legitur alibi, quod in Oxoniis terræ Angliæ erat Sanctimonialis, quæ Deo multum devota Fridesuida dicta, cujus corpus quiescit in Monasterio Monacharum Ordinis S. Benedicti, dicti oppidi. Hanc virginem speciosam valde adamavit Edredus Rex Anglorum, nuncios plures ei mittens & literas sui amoris indicativas.

Sed

Digitized by Google

Sed illa tanquam Christi sponsa omnem amorem humanum respuens, sed solum Christum sibi amatorem elegerat. Quadam autem die cum Monachæ hæ dicti Monasterii juxta morem in prato prope Monasterium sito spaciarentur, contigit, Regem prædictum Edredum pertransire opidum illius Monasterii. Qui cum intueretur virginem, quam diligebat, mox ad ipsam rapiendam festinavit, eqvum calcarib.urgendo. Ipsa vero Regis mentem considerans, subito taurum quendam in dicto prato pascua quærentem ascendit, & flumen, quod de prope erat, in eo transiens, Monasterium suum apprehendit & evasit; ob cujus virginis transvadationem sæpe dictum opidum Oxenfort, id est vadum tauri appellatur. Rex autem propter virginis fugam in furiam versus minatus est Monasterium illud funditus se velle destruere, nisi Frideswida virgo statim sibi præsentaretur. Virgo autem sancta timens periculum Monasterio suo propter se imminere, nuncium misit ad Regem, scitscitans, quid speciosi in corpore suo esset, propter quod ipse in sui amorem sic incensus esset? Cui respondit Rex, quod propter placabiles oculos suos ipsam tam vehementer diligeret. Quod audiens virgo sancta juxta evangelii sententiam mox oculos sibi eruit, & in disco cooperto Regi destinavit. Quos videns Rex, confusus valde abscessit. Post quem diem nec ipse nec alius quisquam Rex Anglorum urbem illam aut Monasterium ingredi potuit sine vitæ aut sanitatis ad minus privatione usque in hodiernum diem. Sanctus vero Edwardus Rex cupiens hanc divinam ultionem, juxta posse, aut auferre aut mitigare, jejunium triduanum omni populo terræ indixit. Quo peracto, cum suis Optimatibus processionaliter incedens, præcedentibus Clericis & Religiosis nudis pedibus ad Ecclesiam Beatæ Frideswidæ venit, & offerens cum devotione maxima munera sua suppliciter rogavit virginem illam, ut apud Deum dignaretur obtinere Regum ingressum in dictam urbem Oxoniensem, prout alias ante suam offensam absque læsione & periculo intrare consveverant. Cumque orationem suam complesset, & surgens Ecclesiam egredi vellet, femorale suum solutum ad pedes suos decidit. Quod vir sanctus sentiens, subridendo dixit: Parce dulcis virgo, parce servo tuo, noli confundere famulum Domini tui. Quo facto divulgato, nullus Regum amplius ingredi præsumere ausus fuit.

Quarto anno Henrici, qui est Domini MXLIII. Ungari Regem suum Petrum de regno expulerunt, secundum Vincentum, & alium Urbanum nomine loco suo substituerunt. Qui profugus & exul Henrici Regis, cui præcedenti anno rebellaverat, gratiam quæsivit & invenit. Urbanus vero Rex ob receptum a Rege Henrico Petrum, a se terra pulsum, eruptiones in fines Bawarorum & Corinthiorum fecit, & prædam magnam inde abduxit. Sed Bavari, coadunatis viribus cum Adelberto Marchione insecuti, prædam excusserunt, & multis interemtis, cæteros in fugam verterunt. Henricus Rex Bohemiam ingressus secundum Egghardum, ferro igneque cuncta vastavit, & Wratislaum Ducem rebellem obsides dare compulit, ipsumque post se Ratisbonam ad deditionem humilimam venire, ac sibi jurejurando fidelitatem promittere, ac servitium exhibere coarctavit. Monasterium S. Mauritii insula Myndensi constructum, secundum Helmoldum, a Brunone Episcopo dedicatum est in honorem ejusdem sancti Martyris & sociorum ejus. Godescalcus Princeps Slavorum secundum Helmoldum, defuncto Canuto Rege Danorum, ad terram patrum suorum revertitur, & inveniens ipsam a tyrannis quibusdam invasam, dimicare statuit, & comitante victoria, Principatum ex integro recuperavit, statimque ad quærendum sibi apud Deum honorem & gloriam animum vertens, Slavorum populus, qui olim Christianitatis titulo insigniti fuerant, sed jam dudum a fide recesserant, ad recipiendam baptismi gratiam exhortari cœpit. Et prosperatum est opus Dei in manibus, adeo ut infinita gentium multitudo confiueret ad Ecclesiæ gremium, & ad sacri fontis balneum salutare, & reædificatæ sunt per universam Wagirorum provinciam, nec non & Polaborum Obotritorumque Ecclesiæ quondam destructæ, & Sacerdotibus ac ministris Dei repletæ, qui Verbo Dei imbuere novellæ plantationis populum cœperunt & instruere. Sed & Ricini & Circipani & quæcunque gentes circa Panim, id est Penam fluvium habitantes, fidei receperunt gratiam. Est autem Pena fluvius alio nomine Panyn dictus, in cujus ostio sita est urbs Demin nomine.

Quinto anno Henrici, qui est Domini MXLIIII. Henricus Rex cum Petro Ungarorum Rege depulso & exiliato in Ungariam profectus, secundum Vincentium, intrusum Regem Urbanum fugavit, & usque ad fluvium Raban perveniens, duas populosissimas urbes cepit & evertit, ac plures in deditionem accepit, & cum Regem suum Petrum nullatenus recipere vellent, quendam, quem petebant Ducem, eis constituit, quem tamen post recessum Henrici Regis Urbanus Rex in Bohemiam fugavit. Quod audiens Henricus Imperator, iterum Ungariam petiit, & ea tota rursus subacta discessit, acceptis obsidibus & juramento fidelitatis, & reposito Urbano in regno. Sed non diu post ipse Urbanus Rex pactum & juramentum Henrico factum fregit. Quod Rex Henricus percipiens cum exercitu suo tertio Ungariam ingressus, de inimicis gloriose triumphavit, & Urbano Rege vix evadente, exulantem Petrum regno suo restituit. Ipse vero Cæsar ad partes Alemanniæ cum gloria rediit, nec multo post Urbanus a Petro Rege comprehensus, scelerum suorum pœnas exolvens, capite plexus est.

Sexto anno Henrici, qui est Domini MXLV. Romani Benedictum Papam, multis criminibus accusatum, secundum Martinum, de sede expulerunt, eo quod Simoniace intraverat, & Sylvestrum sibi substituerunt.

De Sylvestro III. PP. CLIIII.

Sylvester Papa, natione Romanus ex patre Domi-

Digitized by Google

Dominico, sedit diebus LX. secundum Martinum. Iste ante suam electionem fuerat Episcopus Sabinensis, quem Papa Benedictus adjutorio quorundam Romanorum fugans, ad sedem suam compulit ire, & ipse Sedem Papatus reintravit, sed iterum Benedicto ejecto, Gregorius per violentiam intruditur, propter quod nec ipse Gregorius diu in Papatu perseveravit, sicut nec successor suus. Beselinus Archiepiscopus Hammeburgensis obiit plenus diebus multis, secundum Helmoldum, in cujus sedem successit Adelbertus XIII. Antistes ejusdem Ecclesiæ, & sedit annis XXXVII. Ordinatio autem ejus facta est Aquisgrani præsente Rege cum suis Principibus. De Ecclesia autem Halberstadensi, cujus Papatus (leg. Præpositus) erat, assumtus est ad Præsulatum. Hic plurima gessit memoria digna temporibus suis. Primo namque inthronizationis suæ anno Ecclesiæ Bremensis pulcerrime perficere affectans turrim, claustrum, dormitorium & cæteras officinas dissipavit, & ex lapidibus earum Basilicam ad instar Beneventanæ Ecclesiæ perficere satagebat. Post se Imperatori applicuit, cujus tantam gratiam promeruit, ut unus de Consiliariis ejus haberetur. Petrus Rex Ungarorum, Henrico Rege ad se invitato, in festo Pentecostes, secundum Wilhelmum, regnum suum tradidit sibi pro se & suis successoribus, omnibus Ungariæ Principibus juramento hoc confirmantibus, & fidelitatem promittentibus, quod tamen ab eo, quamdiu ipse viveret, possidendum accepit. Apud Berhelejam regni Angliæ, secundum Wilhelmum, villam quædam mulier auguratrix, quæ maleficiis intenta, cum die quadam inter convivas lætaretur, cornicula, quam habebat, altius solito & clariori voce, quam consveverat, nescio quid crocitata est, ingemuit & dixit: Hodie ad ultimum sulcum aratrum meum duxi. Nam hodie receptura sum grande & horribile incommodum. Adhuc ipsa loquente, venit ad eam nuncius dicens: filius tuus & familia tua tota subita morte perierunt. Ex hoc autem dolore sauciata, mox lecto decubuit, & liberos suos residuos, Monachum scilicet & Monacham, sic alloquitur singultuando: Ego artibus dæmoniacis misera semper insudavi, & vitiorum omnium sentina ac illecebrarum magistra extiti. Ego de me desperans, tamen in Religione vestra speravi. Nunc quia scio sententiam damnationis meæ irrevocabilem, rogo tamen vos, ut tormenta mea tentetis alleviare. Corpus ergo meum insuite corio cervino, & includite in lapideo sarcophago, & operculum plumbo & ferro constringite, ac lapidem tribus catenis magnis circumdate. Si ita tribus noctibus secura jacuero, quarto die sepeliatis me humo. Psalmicines autem quinquaginta sint noctibus illis coram sarcophago, & missæ cantentur pro me tot diebus. Factum est totum, sicut mater præceperat, sed in nullo profuit. Nam in primis duabus noctibus, Clericis Psalmos canentibus, circa corpus defunctæ mulieris dæmones ostium Ecclesiæ immani obice clausum leviter confregerunt, & duas catenas extremas circa corpus diruperunt; media catena, quæ operosius extitit elaborata, illibata perdurante. Tertia vero nocte circa galli cantum strepitu venientium dæmonum totum Monasterium visum est a fundamentis concuti & moveri. Tunc unus cæteris & vultu terribilior & statura celsior janūas majore vi concussas in fragmenta dejicit, & accedens arroganter ad sarcophagum, clamose, ut surgeret, imperavit. Qua respondente, nequeo præ vinculis, solveris, inquit, in malum tuum. Statimque catenam mediam, quæ cæterorum dæmonum ferocitati illuserat, ut stupam disrupit, operculumque pede depulit, & apprehensa manu mulieris, eam palam coram omnibus ab Ecclesia traxit ad fores, ubi paratus erat equus niger superbissime hinniens, super quo misera illa portata, mox ferebatur in aëra, cujus clamores miserabiles audiebantur fere ad quatuor miliaria.

De Gregorio VI. PP. CLV.

Gregorius Papa, natione Romanus ex patre Andrea, sedit uno anno & mensibus - secundum Martinum. Iste sanctus vir existens Archiepiscopus S. Johannis ad Portam Latinam, cum ad Papatum venisset, parum vel nihil ad Papatum pertinens invenit propter incuriam & negligentiam antecessorum suorum. Nam pene omnia a prædonibus ablata erant. Peregrini vero Romam venientes omnes spoliabantur, & oblationes adventantium violenter rapiebantur. Quos omnes Papa admonuit primum & postea excommunicavit, & tertio, quia contemserunt excommunicationem, manum armatam apposuit, & omnes raptores oblationum B. Petri aut penitus extinxit aut fugavit. Occisis itaque prædonibus prædia & opida tanto tempore amissa recuperavit. Tunc omnes ipsum homicidam clamantes, non Papam, sed sangvinarium appellabant. Cardinales quoque ipsum in infirmitate, in qua & decessit, indignum fore dixerunt in Ecclesia S. Petri sepeliri, eo quod tot mortibus hominum sacerdotium fœdasset. Tunc Papa licet infirmus, resumto spiritu, longum sermonem Cardinalibus fecit, asserens, ipsos stulte locutos esse, & se bene fecisse; inducens illud, quod Ezechias dixit Sacerdotibus, qui opponebant zelum pro domo Israël & alia multa, & post subdidit: Cum mortuus fuero, corpus meum ante fores Ecclesiæ sistite, & januas Ecclesiæ seris & vectibus obstruite. Si voluntate divina portæ fuerint referatæ, corpus inferte; sin autem, de ipso facite, quod vultis. Cumque defuncto eo, sic fieret, ut jusserat, turbo vehemens divinitus veniens portas firmatas non solum aperuit, sed cum magno fragore usque ad parietes depulit. Qui viso miraculo, corpus ejus honorifice in Ecclesia S. Petri humatum est.

Septimo anno Henrici, qui est Domini MXLVI. Romæ unus contra duos, & duo contra unum de Papatu contenderunt, Gregorio defuncto, secundum Martinum. Sed Rex Henricus Romam veniens, Canonica & Imperiali censura eos amovit, & Suedegerum Babenbergensem Episcopum Papam constituit, qui & Cle-

Digitized by Google

Clemens secundus dictus est, non tamen diu sedit.

De Clemente PP. CLVI.

Clemens Papa, natione Saxo ex patre Gunthero, sedit novem mensibus & diebus octo. Iste, secundum Martinum, Babenbergensis Ecclesiæ Episcopus prius existens, invasor fuit Papatus, quia intrusus fuit per Henricum Regem. Hic Suedegerus, secundum Egghardum, de Canonicatu Halberstadensi electus est in Episcopum Babenbergensem secundum, & natus extitit de quibusdam Saxoniæ Nobilibus, quorum possessio fuit Morlene & Horneburg, quam proprietatem quidam Theodoricus ejus propaginis, cum hæredem non haberet, contulit Ecclesiæ Halberstadensi. Ab isto Clemente Papa Henricus Rex & Agnes uxor ejus in die Natalis Domini Imperiali benedictione sublimantur, promittentibus Romanis sub juramento, se sine consensu ejus nunquam Papam electuros. Iste Clemens Papa renovavit omnia privilegia Ecclesiæ Hammeburgensis, quæ dudum a Romana Ecclesia sibi fuerant collata, secundum Helmoldum. Godefridus Dux Lotharingiæ, Henrico Imperatori rebellans, secundum Sigibertum, se subdidit eidem, & in custodiam missus est in Gevekenstein, ac suo Ducatu privatus est.

Octavo anno Henrici, qui est Domini MXLVII. Henricus Imperator Pascha Domini celebravit, secundum Vincentium, in Trajecto inferiore Frisiæ, & festum Pentecostes Aquisgrani, ubi Godefridus per intercessionem Principum de carceribus ereptus est, sed Ducatus nondum est sibi restitutus. Godefridus autem liberatus de vinculis, videns, quod nec propter petitionem spontaneam sibi dominium suum restitueretur, inopiæ tædio & facti indignitate permotus, bellum rursus ex integro resumsit. Inter alias ergo, quas reipublicæ intulit clades, Novimagium domum regiam incendit, urbem Verdonensem cepit, & majorem in ea Ecclesiam concremavit. Sed de hoc facto postea intime pœnituit, ut publice se flagellari faceret, & capillos suos, ne tonderentur, multa pecunia redimeret. Sumtus vero ad reædificandam Ecclesiam daret, & in opere cæmentario per se ipsum vilis mancipii ministerio functus deserviret. Antequam tamen prædicta fierent, & Henricus Imperator factus de Roma rediret, exercitum navigio per Rhenum transvexit in Frisiam contra Godefridum supra dictum, & contra Theodoricum Comitem Hollandiæ auxiliatorem ejus, ubi Imperator duas munitissimas urbes cepit, puta Rynsberg & Flerdingen. Sed post hæc Godefridus sub spe gratiæ se Imperatori subdidit, ut dictum est. Causa autem rebellionis Godefrido contra Henricum fuit hæc: Patre Godefridi Gozelone defuncto, cum ipse Ducatum patris obtinere non posset, sed Henricus Rex Adelbertum loco patris ejus Ducem institueret, dictus Godefridus juvenis nobilissimæ indolis, & in re militari multum exercitatus, arma contra Rempublicam arripuit, Adelbertum prœlio victum occidit, cædes hominum & depopulationes agrorum permaximas fecit, loca omnia usque ad Rhenum, præter ea, quæ vel murorum præsidio hostilem impetum subterfugiebant, vel se data pecunia redemerant, in cinerem redegit.

De Damaso II. PP. CLVII.

Damasus Papa, natione Syrus ex patre Philippo, sedit diebus XXIII. secundum Martinum. Hic Brixensis Episcopus fuit & Patriarcha Aquilegiensis, & Clemente, ut opinatur, per intoxicum expedito, ab Imperatore Henrico est in Papam electus, & Romam missus, qui a Romanis honorifice susceptus est, & Papa coronatus, sed non diu post mortuus intoxico, ut præsumitur, apud S. Laurentium sepultus est. Nix tanta cecidit in partibus occiduis & australibus, secundum Sigibertum, ut silvas frangeret magnas, & resoluta inundantiam insolitam faceret. Franco Scholasticus Leodiensis in scientia literarum & probitate morum pollens, secundum Sigibertum, scripsit ad Hermannum Episcopum Coloniensem librum subtilem valde de Quadratura Circuli.

De Leone X. PP. CLVIII.

Leo Papa, natione Alemannus ex patre Frederico, de Ducatu Lotharingiæ natus, sedit annis sex & mensibus duobus, secundum Martinum. Romani namque, postquam petivissent Imperatorem, ut ipse eis Pontificem traderet, & ipse nullum Teuthonicum ad hoc inducere posset, ut onus Papatus subiret propter malitiam Romanorum, tandem Brunonem istum, simplicem virum ad hoc inclinavit. Qui dum ad capessendam Sedem Apostolicam ad urbem tenderet, audivit Angelos cantantes: Dicit Dominus: Ego cogito cogitationes pacis, &c. Qui ad urbem veniens, & ex hoc conscientiam habens, quod electus non esset, sed solum ab Imperatore positus, omnino resignavit Papatum. Tunc denuo ab omnibus eligitur, & cum honore magno suscipitur. Hic cum in Papatu existens pauperem leprosum ante fores palatii invenisset, ipsum secum sumsit, & in loco suo collocavit. Quem cum ostio reserato non invenisset, in paupere se Christum recepisse intelligens obstupuit. Fuit etiam peritus in Musica, & ideo cantus solennes dulci & regulari modulatione composuit, & decantari fecit.

Nono anno Henrici, qui est Domini MXLVIII. Theodericus Comes Hollandiæ quintus apud Dordracum oppidum occiditur, secundum Wilhelmum, cui, quia filios legitimos non habuit, frater ejus Florentius successit. Palumbus Presbyter Nigromanticus magnus fuit Romæ, secundum Vincentium in Speculo, qui per artem talem annulum cuidam juveni reddidit, quem Venus sibi subripuerat, pro quo dæmonis clamorem audivit ad Deum vociferantis: Omnipotens Deus, quamdiu patieris nequitias Palumbi Sacerdotis. Ex quo intellexit, sibi præsignari finem dierum suorum. Unde truncatis omnibus membris, miserabili pœna defunctus est, confessus coram omni populo infinita flagitia. Defuncto Abelino Episcopo Aldenburgensi, secundum Helmoldum, Adelbertus

tus Archiepiscopus Hammeburgensis surrogavit ei Ezonem, virum venerabilem & devotum. Ratzeburgensi vero Ecclesiæ præfecit quendam Aristorium nomine, de Jerosolymis venientem, & Mykelingburgensi Ecclesiæ dederat Johannem Scotum, ibidem martyrizatum.

Decimo anno Henrici, qui est Domini MXLIX. Leo Papa Moguntiæ celebravit Concilium LXII. Episcoporum, secundum Egghardum, in præsentia Imperatoris, ubi Godefridus Dux Lotharingiæ, interventu Papæ & Principum, gratiam Imperatoris ex integro recuperavit. Sanctus Theobaldus, nobilis vir de Francia, in Vincetia Venetiæ reclusus, anno XII. conversionis suæ bono fine quievit, secundum Vincentium, cujus festum celebratur prid. Kal. Junii.

Undecimo anno Henrici, qui est Domini ML. Ungari iterum Imperatori rebellare cœperunt, secundum Vincentium, quibus Geberhardus, Imperatoris patruus Ratisbonensis Episcopus, obviam veniens, vice Imperatoris eos in fugam vertit, non modica cæde eos affligens. Insuper urbem Hennenberg in Mardria positam, ædificiis restauravit, & militari custodia muniri fecit, & cum magna triumphi gloria reversus est in parochiam suam. Leo Papa dum Nordmannos a Romanorum terminis expellere satageret, secundum Sigibertum, multam calamitatem incurrebat. Nam cum multis Romanis etiam ipse captus est, sed tamen relaxari ipse noluit, nisi & suis relaxatis & libertati datis. Bardo primo Monachus Fuldensis, & post Archiepiscopus Moguntinus, secundum Egghardum, facto sermone ad Missam in Padelbrunna, obitum suum instare prædixit, & orationi fidelium se recommendavit, ac in eodem mense, multis clarens virtutibus, in Christo fideliter obdormivit; in cujus locum Henricus Imperator Lippoldum Præpositum Babenbergensem subrogavit.

Duodecimo anno Henrici, qui est Domini MLI. Agnes Imperatrix filium peperit, quem Henricum IIII. nominavit, secundum Vincentium. Imperatrix pro tunc Natale Domini Polothe, filio suo Henrico adhuc Catechumeno, cui Principes Imperii sub juramento fidem promittere fecit. Deinde Paschale festum Coloniæ celebrans, filius suus Henricus ab Hermanno Archiepiscopo Coloniensi est baptizatus. Hic etiam Hermannus Archiepiscopus eodem anno cum Imperatore Saxoniam ingressus, Goslariensem Ecclesiam dedicavit. Duæ mulieres vetulæ simul in uno tugurio habitantes, secundum Egghardum, in strata communi, qua Romam itur, ambæ pariter maleficio imbutæ, hospitem quemcunque passivum, solum venientem, in equum, asinum aut porcum mutabant ad libitum suum. Romæ quidam erat juvenis dives valde, Rothgerus nomine, nobilis & notabilis, secundum Egghardum, qui noviter uxorem duxerat, & sodalibus suis frequenter convivia facere solebat. Hic una dierum post convivium habitum transivit in campum spatiandi causa cum convivis suis, & cœpit ludere cum eisdem ad pilam. In quo quidem ludo, ut magis expedite se disponeret, annulum suum desponsationis transactæ de suo digito extraxit, & digito imaginis Veneris in statua de prope stantis extento imposuit. Ludo vero peracto, adolescens repetere volens annulum, invenit digitum imaginis prædictæ prius extensum jam curvatum usque ad volam. Diu ergo luctans Rothgerus cum manu sculptæ Veneris, nec annulum extrahere, nec digitum frangere potuit. Tacitus ergo recessit, nec sodalibus suis hoc revelavit, sed nocte intempesta cum famulo rediit, & invenit digitum imaginis erectum & extentum, ut prius, & annulum subreptum. Dissimulato ergo damno, Rotgerus rediit ad nuptam suam, & cum esset in lecto cum ea, sensit quiddam nebulosum & densum tangibile quidem & audibile, sed minime visibile, inter se & uxorem suam volutari. Qui cum vellet uxorem alloqui, dixit phantasma: concumbe mecum, quia hodie me desponsasti. Ego sum Venus, cujus digito annulum imposuisti, illum nec reddam. Terretur valde juvenis, & longo tempore sensit ludibrium illud, quandocunque vellet cum uxore sua coire. Tandem sibi uxor molesta pro dilectione concubitus, rem detulit ad parentes uxoris. Qui Palumbo Presbytero suburbano Nigromantico magno negotium aperuerunt. Qui quidem Palumbus multis promissis allectus, compositam epistolam dedit Rothgero, dicens: Vade illa hora noctis per quadrivium viarum, & stans tacite considera: transientque ibi filii hominum utriusque sexus, omnisque ætatis, status & conditionis, equites & pedites, quidam læti & quidam tristes. Sed quicquid audieris vel videris, non loquaris. Sequetur tunc consequenter illam turbam, quæ statura procerior, forma corpulentior, in curru sedens. Huic tacitus tradas epistolam legendam, & statim erit, quod postulas. Quæ omnia, sicut Presbyter dixit, juveni evenerunt. Inter cæteras namque transeuntes vidit ibi mulierem in ornatu meretricio, crine soluto, & per humeros sparso, vitta aurea constricto, auream virgam in manu tenentem, qua mulam regebat, in qua sedebat, & præ tenuitate vestium quasi apparebat gestus ostentans impudicos. Ultimus autem turbæ Dominus terribilis, oculos in Rothgerum acuens, causam viæ suæ ab eo requisivit. Sed ipse nihil respondens, extensa manu porrexit ei epistolam. Dæmon autem notum sibi sigillum non audens contemnere, legit scriptum, moxque brachiis in cœlum elevatis, Deus, inquit, omnipotens, quamdiu patieris nequitias Palumbi Presbyteri? nec mora facta, satellites a latere suo misit, ut annulum a Venere extorquerent. Illa diu tergiversata, tandem annulum reddidit. Et sic Rothgerus mentis compos, sine obstaculo uxori suæ se miscuit ad libitum. Palumbus autem, ut dæmonis clamorem ad Deum audivit, mox moriturum se intellexit. Unde truncatis omnibus membris, miserabiliter morte interiit.

Tertio decimo anno Henrici, qui est Domini MLII. Hunfredus sextus Archiepiscopus obiit, secundum Egghardum. Cum Fulbertum Carno-

Digitized by Google

Carnotensem Episcopum in extremis constitutum visitarent tot homines, quot domus ejus capere posset, secundum Sigibertum, inter oppositas populi catervas oculos longe rimatus Berengarium visum, quo potuit, expellendum censuit, protestatus, immanem dæmonem prope ipsum consistere, multosque ad eum sequendum blandiente manu corrumpere. Ecce quam clare Sanctus iste prædixit, Berengarium futurum hæreticum, & multos simplices animos subversurum. Henricus Imperator, secundum Egghardum, Natale Domini Goslariæ celebrans, quosdam hæreticos, inter alia pravi erroris dogmata de Manichæorum secta execrantes esum omnis animalis, de consensu cunctorum, ne hæretica scabies latius serpens, plures inficeret, in patibulum suspendi fecit. Isti comprehensi fuerunt per Godefridum Ducem Lotharingiæ. Leo Papa Apocrypharios suos Constantinopolim direxit, secundum Vincentium, ad errores Græcorum confutandos, qui ut Simoniaci donum Dei vendebant, ut Valesii hospites suos castratos etiam ad Episcopatum promovebant, & ut Arriani rebaptizabant Latinos, baptizatos in nomine S. Trinitatis. Insuper, ut Donatistæ, in sola Græcia orthodoxam Ecclesiam esse jactitabant: ut Nicolaitæ nuptias Sacerdotibus concedebant: ut Severiani maledictam legem Mosi asserebant, ut Pneumatomachi Processionem Spiritus Sancti a Sabbato abscindebant, & ut Nazaræi Judaismum observabant, parvulos etiam morientes ante octavum diem a nativitate baptizari, mulieres in partu vel menstruo periclitatas communicari, vel si Paganæ vel Judææ essent prohibebant. De fermentato pane sacrificabant, Latinos vocabant Azymitas, & eos nimis persequebantur, ac eorum Ecclesias claudebant, Romanam Ecclesiam tanquam adulterinam anathematizabant, eique Ecclesiam Constantinopolitanam præferebant. Nicetas ergo coram Imperatore Constantinopolitano sic convincitur, ut librum suum, quem contra Romanos scripserat, plenum erroribus, intitulatum de Azymo, de Sabbato, de Nuptiis Sacerdotum anathematizaret & incenderet. Iste Nicetas fuit Monachus Constantinopolitanus & Heresiarcha pessimus.

Quarto decimo anno Henrici, qui est Domini MLIII. Leo Papæ Ratisbonæ ad Henricum Imperatorem veniens, secundum Vincentium, reliquias Beati Dionysii Ariopagitæ Martyris, de quibus diu dubitatum erat, an ibi haberentur, præsentibus Parisiorum legatis, perspexit, ibique teneri probavit, & literis suis testimonium veritati perhibuit. Inde procedens in Wormatiam Papa, Natale Domini ibidem celebravit. Ipso autem Natalis die Papa Missam majorem decantavit, & die sequenti jussu Papæ Lippoldus Moguntinus Archiepiscopus officium peregit. In hujus quidem festivitatis Missa quidam Humbertus, unus de Diaconibus, ob festi venerationem lectionem epistolarem decantavit. Romani autem, qui affuerunt, Papam objurgabant, quod more Romano non fieret Missa. Papa vero mandavit legenti epistolam, ut a lectione cessaret. Sed legens mandatum Papæ contemsit, & Papa denuo mandatum emisit, nec Diaconus ille propter hoc cessavit. Papa autem, lectione finita, ob contumaciam commissam Diaconum degradavit. Quod Lippoldus Archiepiscopus ægre ferens, ad horam tamen iram distulit. Instante vero sacrificii tempore, Pontifex se in Sedem suam locavit, contestans, nec se nec alium quempiam illud officium completurum, nisi recipiat suum ministrum. Quod ut Papa vidit, Pontifici cessit, reindutumque ministrum continuo restituit suo officio, & sic Pontifex officium illud executus est. Qua in re & Pontificis auctoritas, & Apostolica consideranda fuit humilitas. Post hæc Leo Papa valedicens Imperatori, Wormatia Romam rediit, multis eum diversarum provinciarum militibus de Imperiali mandato comitantibus. Post Pascha autem exercitum per Apuliam contra Nordmannos, Apostolicarum possessionum invasores, ducens pugnavit infeliciter, & infinita cæde utrobique peracta, ipse Papa cum multis capitur, sed tandem de captivitate liberatus, cunctos dies, quibus supervixit, in luctu & mœrore exegit. Sigefridus frater Godefridi Ducis Lotharingiæ, Diaconus Cardinalis, secundum Egghardum, mittitur a Leone Papa lagatus Constantinopolim, ubi in dicta Synodo Imperator Græcorum & Patriarcha eidem obtemperare dedignabantur. Unde legatus egressus urbem, sandalia sua more Apostolorum super eos publice excussit. Quo facto, tantum terrorem omnibus Constantinopolitanis incussit, ut Imperator & Patriarcha cum Clero & populo sequenti die sacco & cinere involuti ad ipsum procederent, & Apostolicam auctoritatem in eo proni in terram cadentes venerarentur. Corpus Pallantis filii Evandri, secundum Vincentium, Romæ integrum repertum est cum tali epitaphio:

Filius Evandri Pallas, quem lancea Turni
Militis occidit, more suo jacet hic.

Bonifacius Marchio Italorum obiit, secundum Sigibertum, cujus relictam Beatricem Godefridus Dux accipiens, Marchiam & cæteras ejus possessiones conjugii prætextu sibi vendicavit. Quo comperto, Imperator Henricus gravi scrupulo perurgeri cœpit, reputans, ne forte per eum animi Italorum semper avidi novarum rerum, ut a regno Teuthonicorum se subtraherent, solicitarentur.

De Victore PP. CLIX.

Victor Papa, natione Alemannus ex patre Wulfardo, sedit annis IIII. & mensibus III. secundum Martinum. Iste perantea Geverhardus dictus, Episcopus Eistetensis, Moguntiæ in Concilio, quod Imperator Henricus ibidem congregaverat, ab omnibus electus est in Papam, & missus Romam, honorifice est susceptus, & in Papam consecratus. Iste Synodum celebravit Florentiæ, & multos Episcopos propter Simoniam & fornicationem deposuit.

Quinto decimo anno Henrici, qui est Domini MLIIII. apud Triburiam Henricus Imperator,

rator, magno Principum conventu habito, secundum Sigibertum, filium suum Henricum Regem, a Principibus & omnibus aliis eligi, eique, si post obitum suum justus rector esset futurus, subjectionem promitti fecit, & ipsum ungi in Regem Aquisgrani a Hermanno Archiepiscopo Coloniensi procuravit & ordinavit. Carpentarius quidam Romæ habens puerum, secum duxit, ubi laborabat, secundum Egghardum: qui patre secante ligna, collegit fragmenta securi præcisa, & composuit ea in forma scripturæ ludendo & tempus deducendo taliter sonantis, eo ignorante: Dominabor a mari usque ad mare. Quod quidam Sacerdos prætericns legit, & intelligens, ipsum puerum futurum Papam vel Imperatorem: dixit patri suo, quod filium suum ad scholas mitteret. Quod sic factum est. Hic juvenis Hildebrandus dictus cum adolevisset, per scriptores Imperatoris ad curiam est tractus, & tunc sæpissime Henricus filius Imperatoris adhuc juvenis ipsum multum exacerbavit & irritavit, in tantum quod sæpe Imperatrix filium suum propter eum corriperet, in præsagium futuri mali, quod idem Scholaris facturus esset eidem Henrico. Contigit autem, quod Henrico Imperatori talis visio appareret: videbatur enim sibi, quod filius ejus Henricus in mensa sederet, & scholari Hildebrando duo cornua crescerent, cum quibus filium suum in altum levaret, & tandem in stercus projiceret. Quod Imperatrix masticans dixit, filium suum per ipsum de Imperio fore deponendum. Unde Imperator fecit ipsum includi in turri Hamsteyn, a qua post annum extractus, factus est Monachus; qui postea cum suo Abbate venit Romam, & mansit ibidem, ubi carus factus omnibus, tandem factus est Papa Gregorius VII. ut infra patebit.

Sexto decimo anno Henrici, qui est Domini MLV. Bruno Myndensis Episcopus vir eximiæ sanctitatis obiit in Domino, secundum Egghardum. Hic duo Monasteria Beatæ Mariæ & S. Martini ab antecessore suo Sigiberto Episcopo incepta perfecit & consummavit; cui successit in Episcopatu Engelbertus Babenbergensis Canonicus, per Henricum Imperatorem promotus. Hermannus Archiepiscopus Coloniensis XXXII. obiit, secundum Wilhelmum; cui successit Anno Præpositus Goslariensis, & sedit XX. annis. Iste allodium illud famosum Salevelt dictum Episcopio Coloniensi adjecit. Florentius Comes Hollandiæ VI. secundum Wilhelmum, in loco, qui Hainerte dicitur, dormiens incaute, ab inimicis suis occiditur, & in Egmunda sepelitur, cui successit Theodericus filius ejus.

Decimo septimo anno Henrici, qui est Domini MLVI. Videbatur a multis in confinio Nordmanniæ, & Britanniæ portentum inconsuetum in una, vel potius duabus mulieribus, secundum Sigibertum. Nam in ea fuerunt duo capita & quatuor brachia, cæteraque gemina omnia usque ad umbilicum, sed inferius simplicia. Ridebat autem vel comedebat, aut dormiebat una, altera flente, esuriente vel vigilante, sed uno meatu digerebant. Una quoque defuncta, alia supervixit pæne triennio, exanime bajulans cadaver, donec & pondere molis & fœtore cadaveris defecit. Æstimatum est autem a quibusdam, & in scripturis relictum, quod hæ duæ mulieres Angliam & Normanniam designaverint, quæ, quicquid pecuniarum avidis faucibus sorbuerunt, in unam lasciviam defluxit. Mortuam quoque, id est pene exhaustam Nordmanniam indigentem pecuniis sustentat Anglia, donec & ipsa fortassis exactorum violentia exhausta succumbat & deficiat. Henricus Imperator, secundum Eggharדum, Victori Papæ misit clanculo literas, porrigendas omnibus, qui in Italia opibus & militari virtute plurimum poterant, in quibus deprecabatur eos, ut Ducem Godefridum, nequid forte mali contra Rempublicam machinaretur, observarent; promittebatque, se ipsum, vita comite, proximo anno affuturum, & quid facto opus esset, visurum. Romani vero absentiam Imperatoris videntes periculosam propter Godefridi Ducis astutiam pariter & potentiam, quibus nimium contra Rempublicam invalescere cœpit, scripserunt Henrico Imperatori, ut festinaret visitare ipsos. Propter quod Imperator mox in Italiam profectus est. Quo veniente, Godefridus in occursum ejus transivit, se excusans, quod nichil rebellionis cogitaret, sed quod paratus esset pro statu Reipublicæ & pro salute Imperatoris extrema & omnia sustinere. Sed Imperator, accepto consilio a Primoribus, a crimine imposito ipsum absolvit, Beatricem tamen quasi per deditionem acceptam secum duxit, objiciens ei, quod contractis inconsulto nuptiis cum hoste publico Italiam prodidisset. Regressus igitur de Italia, apud Tynois villam in confinio Teuthonicorum & Francorum a Rege Francorum contumeliose objurgabatur. Propter quod exacerbatus Imperator cum singulare certamen cum eo frendens inire vellet, Rex Francorum nocte proxima turpi fuga dilapsus, in suos se fines recepit, Imperator vero Bokvelden proficiscitur. Ubi aliquamdiu venationi deditus comperit, Wilhelmum Marchionem & Theodericum Comitem cum infinita multitudine Saxonici exercitus, quos contra Lotwinos, vel Lutitios miserat, rebus male gestis occubuisse. Nec multo post ipse corporis molestia correptus, cum septem vel eo amplius diebus lecto decubuisset, diem clausit extremum. Præsentes autem erant quasi ad officium tanti funeris ex industria evocati, Victor Romanus Pontifex, Richardus Aquilegiensis Patriarcha, Ghevehardus Ratisponensis Episcopus patruus Imperatoris, & alii innumeri tam laici quam Ecclesiastici Ordinis & dignitatis. Corpus autem ejus Spiram translatum est, & Regio more exequiis celebratis in die Apostolorum Simonis & Judæ, quo die etiam & natus fuerat, traditum est sepulturæ. Regnum autem pro patre obtinuit Henricus filius ejus adhuc infantulus annorum sex, anno, postquam in Regem unctus fuerat, tertio. Administratio tamen regni & omnium,

quibus

quibus opus erat, apud Agnetem Imperatricem remansit, quæ satis provide regni gubernacula gessit. Sed Principes aliqui, invidia forte ducti, Regem puerum matri abstulerunt, eamque a regimine regni removerunt. De quorum numero fuit Anno Archiepiscopus Coloniensis, qui puerum in loco, qui dicitur Werida, navi imponens, matri abduxit, & exinde dissensiones in regno, Ecclesiarum perturbatio, Monasteriorum destructio, Clericatus despectio, & totius justitiæ & religionis conculcatio cœpit oriri. Obiit autem Henricus Imperator in Borchvelde, anno ætatis suæ XXXIX. Imperii sui XI. sed regni sui XVII. sepultus in sepulcro patris & matris suæ, quorum animæ requiescant in perpetua pace. Amen.

Explicit prima pars Chronicæ Novellæ Magistri Hermanni, Ordinis Prædicatorum.

PROOEMIVM SIVE PROLOGVS IN PARTEM SECVNDAM CHRONICÆ.

Circa materiam præsentis secundæ partis Chronicæ Novellæ est advertendum, quod ea, quæ juxta annorum Domini ordinem in ipsa reperiuntur exarata, de venerabilium Patrum, Vincentii videlicet & Henrici de Hervordia, ac Martini Ordinis Prædicatorum Codicibus, necnon aliorum quorundam Historicorum authenticorum, ad manus se protunc offerentibus, excerpta sunt studiose & collecta, adjunctis eisdem loco & tempori congruis variis aliis narrationibus & historiis, Verbi Dei seminatoribus admodum utilibus & optimis, quorum Auctores, cum præsens Opusculum scriberetur, noti minime extiterunt. Et quia hæc pars secunda longe ultra annos in prælibatorum Patrum voluminibus contentos se extendit, prout lectoribus oculatis limpide patere potest, idcirco necessarium fuit, pro annis excrescentibus & eorum actitatis, ad illorum recurrere scripta Chronographorum, quorum dicta licet inter viros Scholasticos modici sint ponderis, apud Optimates tamen pariter & civiles veritatis existunt lucidæ & claræ famæ. Quibus quidem Historiis authenticis, Dei optulante gratia, ad finem optatum perductis, & testimoniis cæterarum narrationum annorum subsequentium deficientibus fide dignorum, referendarios incertos ex animo devitans, solum ea præsentibus annotare curavi, quæ vel ipse sic fieri vidi, vel omni ambiguitate semota, sic facta experimentis certissimis didici. Sint ergo subscripta omnia quibusvis legentibus fida, veridica & certa, velutique dubietatis scrupulo omnino carentia, stabilita super petra firmissima, ad honorem Domini Nostri Jesu Christi, cui semper sit honor & gloria in secula seculorum, Amen.

De Henrico IIII. Imp. 85.

Henricus Quartus, filius Henrici III. Imperatoris cœpit anno mundi VMXVII. Olympiadis CCCCLVII. anno tertio, Urbis conditæ MDCCCVI. Domini vero MLVI. & annis XLIX. imperavit. Iste cum adhuc esset infantulus VI annorum, a Primoribus Regni matri suæ Agneti Imperatrici commendatus est ad educandum. Hic, secundum Chronicas Saxonum, multis prœliis Saxones vexavit, castrum Hartisborgh & Monasterium ejus construxit, quod tamen Saxones postea destruxerunt. Victoriosus in bellis extitit, qui & Magnum Ducem Saxoniæ de Luneborg & Albertum Marchionem de Ballenstede cepit, & integro anno detinuit, ita ut nullus sciret, quid de eis factum esset.

Primo anno Henrici, qui est Domini MLVII. Coloniæ generali conventu Principum habito, secundum Sigibertum, Baldowinus & Godfridus, mediante Victore Papa, ad gratiam Regis & pacem reducuntur, & omnes bellorum motus sedantur, sed post immediate Papam Romam regressus defunctus est. Saxones crebris conventiculis, secundum Egghardum, agitabant, qualiter de injuriis Henrici III. Imperatoris defuncti se vindicantes, Regnum Romanum, filio ejus adhuc puerulo, possent perturbare. Conjurant ergo cum Ottone fratre Wilhelmi Marchionis defuncti. Tandem casu dictus Otto cum Saxonibus congressus est contra Brunonem & Egbertum patrueles Imperatoris, & prima fronte Bruno & Otto pleni ira, tam concitatos in se ipsos vicissim impetus dederunt, ut utrique alterutrum, primo incursu equo excussum, letali vulnere transfoderent. Quibus Ducibus amissis, utramque aciem diu gravis pugna tenuit. Egbertus etiam, quanquam graviter sauciatus, dolore tamen interemti fratris efferatus, rabido cursu in hostes se misit præcipitem, & filium Bernhardi Comitis interficiens, cæteros in fugam vertit. Et sic Respublica a conventiculis & dolis Saxonum liberata est, signifero rebellionis ademto. Baldowinus Comes Flandriæ, secundum Wilhelmum, ab Imperatore Valentianas & Walacriam in beneficio suscepit. Agnes vero Imperatrix, mater Henrici Regis, Ducatum Bayoariæ suscepit.

De Stephano IX. Papa 160.

Stephanus Papa, natione Lotharingus ex patre Benedicto, sedit mensibus X. & diebus XXVIII. Hic, secundum Martinum, prius Abbas Cassinensis, ab universis Principibus & populo in Papam est electus: nec quisquam multis retroactis temporibus, tam lætis animis quam voluntatibus promtis, ad Ecclesiæ regimen processit. Sed heu tantam spem frustrata est inopinata mors & immatura.

Secundo anno Henrici, qui est Domini MLVIII. Padelbrunna civitas Westphaliæ combusta est cum majori Ecclesia, secundum Egghardum; in Monasterio autem Monachorum Schotus quidam Paternus nomine, Monachus multo tempore reclusus, qui etiam incendium illud sæpe prædixerat, propter propositum reclusionis exire nolens, se comburi passus est. Huic viro sancto Deus incendium prædictum revelaverat, præcipiens sibi, ut populo diceret, quod nisi se per pœnitentiam emendaret, civitas illa post XXX. dies incendio peritura esset. Visio autem illa populo fuit publicata, sed tamen homines non fuerunt emendati, non credentes viro sancto. Unde vir Dei pretiosa cle-

Digitized by Google

nodia Monasterii sui jussit auferri, ut salvarentur. Tandem a septem plagis urbis subito ignis exoritur, & pervenit usque ad cellam viri Dei, cumque rogaretur, ut exiret, noluit, sed in cella ista combustus est.

De Benedicto X. PP. Rom. CLXI.

Benedictus Papa, natione Tuscus ex patre Humberto, sedit mensibus IX. & diebus XVI. secundum Martinum. Istum Romani, accepta pecunia, contra Canones elegerunt, Regem Henricum puerulum non curantes, & sedit sine benedictione & consecratione violenter. Tandem autem Papatui cessit, Godfrido Duce sibi violentiam inferente; cui successit Gherardus Episcopus Florentinus. In pago Bracharensi, secundum Sigibertum, juxta Tornacum multitudines colubrorum altrinsecus congregatæ, prodigioso prœlio inter se concurrunt, & multis utrobique occisis, victa pars fugiens, in cavo arboris se abscondit. Sed altera pars more victorum insequens cum sibilo circumstrepebat, donec circumjecto ab hominibus igne, omnes pariter concremati sunt.

Tertio anno Henrici, qui est Domini MLIX. Ecclesia Gallicana, secundum Sigibertum, per Berengarium Turonensem hæreticum turbabatur. Hic quidem Sacerdos erat, & asserebat, Eucharistiam, quam sumimus in Altari, non esse verum corpus Christi, sed solum figuram corporis & sanguinis Christi, contra quem a multis acriter verbis & scriptis disputatum est. Inter alios autem magistros Dominus Gvido Abbas de Cruce Sancti Leufredi contra ipsum de Corpore & Sanguine Christi librum edidit. Leo vero Papa contra ipsum Vercellis Concilium congregavit, & post mortem Leonis Gregorius VII. ipsum compulit ad dogmatis sui anathema. Berengarius autem iste in fine ita resipuit, ut sine retractatione a quibusdam sanctus habeatur, plenus eleemosynis & humilitate, magnarum possessionum Dominus dispertiendo, non servus abscondendo, nullam fœminam conspectui suo patiebatur admitti. Sed quamvis se ita correxerit, eos tamen, quos depravaverat, convertere non potuit. Unde in die Epiphaniæ moriens, producto gemitu, hodie, inquit, in die apparitionis suæ apparebit mihi Dominus meus Jesus Christus, propter pœnitentiam, spero, ad gratiam, vel propter alios, timeo, ad pœnam. Feliciter tamen creditur in Christo quievisse. Cujus error & retractatio ponitur in Decretis de Con. Di. II. Berengarius.

De Nicolao II. PP. CLXII.

Nicolaus Papa, qui & Ghevehardus, natione Burgundus ex patre Sifrido, sedit annis duobus & mensibus tribus, secundum Martinum. Hic apud Senam a Cardinalibus unanimiter est electus & consecratus. Ipse autem instituit, ut nullus Clericus insistat venationi, & ut nullus in sacris constitutus uxorem habeat aut concubinam, & quod homicidii reus, de sacris Ordinibus sit ejectus. Hic celebrato Romæ Concilio defunctus est. Statuit etiam, ut qui tunc a Simoniacis essent promoti, ministerio suo permitterentur uti, deinceps autem, quicunque a Simoniacis ordinarentur, nichil tali promotione lucrarentur.

Quarto anno Henrici, qui est Domini LX. Quidam cometes, secundum Egghardum, longos & flammeos habens crines apparuit, de quo quidam Monachus Malmeberiæ Elverius nomine ait: Venisti, venisti multis matribus lugende. Dudum est, quod te non vidi, sed nunc multo terribiliorem te intueor, patriæ hujus excidium minantem. Monachus iste fuit literis bene imbutus, ævo maturus, qui immanem audaciam in juventute sua conatus fuit. Nam pennas manibus suis & pedibus nescio qua arte innexuit, ut Dædali more volaret, fabulam amplexus pro veritate; collectaque ab alta turri aura, spatio stadii unius vel paulo plus volavit. Sed venti & turbinis violentia, simul & temerarii facti conscientia tremulus cecidit, & perpetuo post hoc debilis cruribus contractis permansit. Causam vero ruinæ suæ ipse dixit esse, quod caudam in posteriori parte oblitus fuit aptare. Henricus Rex Francorum obiit, secundum Wilhelmum, post quem Philippus filius ejus Francorum Rex XXXVI. in Francia regnavit per annos XLIX. Hujus uxor nomine Beata fuit. Baldowini Comitis Hollandiæ filia, & Roberti Comitis Flandrensis soror. Iste Philippus Rex emit Bituricas a quodam milite Harpino nomine pretio LXM. solidorum, & alia multa occupavit. In regno Siciliæ prope habitationem Regiam, secundum Sigibertum, quidam devotus Sacerdos nomine Justinus, eremiticam vitam ducens, tantum sanctitatis nomen habuit, ut plures peccatores ad ipsum concurrerent, & sibi confitentes, pœnitentias graves ab ipso reciperent. Rex autem Siciliæ unicam habuit filiam nomine Theodoram, quæ tantæ erat prudentiæ & sagacitatis, ut in patris præsentia totum regnum administraret, & singula bene disponeret. Consvevit autem eadem virgo venationi quandoque insistere pro temporis deductione cum militibus suis, nec solertem curam habere solebat de virginitatis suæ flore, ne marcesceret. Quadam ergo die, dum esset venationi intenta, deviare eam contigit in densissimo nemore. Cumque sic sola vagaretur, occurrit ei canis latrans, quasi feram insequens, quem sequebatur Theodora, quasi canem, licet diabolus esset, qui eam errare fecerat, ut seduceret. Cum autem advesperasset, & nox instaret, cœpit virgo contristari, eo quod nesciret, quo se diverteret. Cui occurrens dæmon in specie unius de familia sua, & dixit ei: Ubi poterimus hac nocte habere hospitium in hac solitudine. Et respiciens, per nemoris spatia vidit procul domunculam, & dixit virgini: Hic prope nos quidam eremita devotus est, in cujus cellula manere poterimus usque mane. Et duxit eam ad illum. Cum autem appropinquaret eremitorio, dixit famulus ad virginem: Præcedam vos ad eremitam, ut loquar ei de vestro adventu. At ubi cum diabolus venisset, ait homini Dei: Ecce veniet filia Regis nostri ad te, mansura tecum per noctem. Cui Sacerdos:

Digitized by Google

dos: Bene veniat Domina nostra: faciam ei melius, quod potero. Venientem ergo virginem eremita juxta suam facultatem recepit & pertractavit, potum & cibum sibi solitum ei ministrando. Cum autem facta cœna ad ignem sederent, surrexit famulus, & licentiam a virgine recipiens, & post horam se reversurum asserens, cellulam exivit, visui disparens, sed præsentiam non subtrahens. Crescere itaque cœpit in sene tentatio, dæmone ipsum instigante ex virginis pulcritudine, & primo blande virginem alloquens, ipsa verba Sacerdotis contemsit, dure ipsum reprehendendo. Sed ipse tandem virgini vim inferens, eam oppressit & defloravit, At illa opprobrium sibi factum indigne ferens, minas eremitæ intulit, dicens, se factum illud patri suo cum lacrymis conquesturam. Quod audiens senex ille, & periculum vitæ formidans ex hoc sibi imminere, puellam invasit & interfecit, ac sub altari eam sepelivit. Quod cum fecisset diabolus in aëre volitans clamavit: O sceleratissime Presbyter, aliis gravissimas pœnitentias pro suis delictis hucusque imposuisti, & nunc ipse in profundissimum vitiorum lutum cecidisti. Quibus dictis, diabolus abscessit. Senex autem ad verba dæmonis compunctus, cellam suam reliquit, & more bestiarum extra tecta vitam agere cœpit. Cumque sic per longum tempus transisset, & crines ei in tantum crevissent, ut quasi tunica ipsum operirent, incepit manibus & pedibus quasi bestia incedere, ut sic eo gravior sibi esset pœnitentia sua; & per singulos dies lacrymis & disciplinis multum se affligebat. Contigit ergo post spatium longi temporis, patrem interfectæ puellæ in eodem nemore venationi intentum oberrare. Cumque Deo disponente ad locum, ubi dictus eremita degebat, deviando pervenisset, invenit ipsum prope quendam paludosum lacum deambulantem, & sequebatur eum. Æstimans autem Rex, prædictum senem feram esse, eo quod manibus & pedibus graderetur, ad instar bestiæ hispidus & hirsutus, tetendit arcum suum, ut ipsum sagitta percuteret. Quod Presbyter videns, lacum celeriter intravit, iquis se immergendo in tantum, ut vix os extra undas haberet ad ventum spirandum. Quod Rex cernens, stetit attonitus, cogitans, quid hoc esset. Cumque dorsum Rex verteret ad recedendum, senex de palude se erexit, ut fugeret. Sed cum Rex retrospiceret, & senem videret, iterum arcum paravit ad jaciendum telum. Quod videns eremita, ut prius se aquis immersit. Hoc postquam sæpius factum esset, admiratus Rex, quid hoc esset, quod tam sagaciter sibi caveret de jaculo, cœpit dubitare, si forte homo esset, quia de bestia hoc insolitum erat. Unde dixit Rex: Si es homo, qui sic latitando trepidas, securus ad me venias, quia in nullo tibi nocebo. Senex autem timens tacuit. Et Rex secundo & tertio verba assecurationis repetens, tandem dixit: Adjuro te per Deum vivum pro nobis crucifixum, ut, si homo es, loquaris mihi. Cui Sacerdos: Homo peccator sum. Ad quem Rex: Securissime ad me accede. At ille: Non audeo. Cui Rex tantam fidem tandem fecit, quod sibi nullo modo noceret propter quemcunque casum; projiciens arma sua procul a se. Tunc Presbyter de palude exiens venit ad Regem, & procidens in faciem suam coram eo, nesciens, quod Rex esset, & præsertim pater virginis, quam interfecerat, ait: Oro Domine, ut meam audias confessionem. Quod Rex cum lacrymis facere recusavit, asserens, se indignum ad hoc officium, eo quod laicus esset. Senex vero cum lacrymis institit, ut ipsum propter Deum audiret, & postea alicui Sacerdoti ea referret. Qui cum Rex tandem consentiret, & inter cætera sua delicta audiret, quod post tam turpem actum filiam suam occidisset, commota sunt contra eum omnia viscera ejus. Et acerbatus nimis dixit: Puella illa a te tam crudeliter interfecta, virorum vilissime, unica mea fuit filia, quæ ubi devenerit, nunquam scire potui. Cujus quidem sepulturæ locum nisi mihi ostenderis, protinus te interficiam. Senex autem timens mortem, perrexit cum Rege, & quærens locum cellulæ, vix tandem ipsum invenit, eo quod tugurium illud præ vetustate jam corruisset, & locus immutatus esset. Qui cum invenissent sepulcrum, foderunt, & invento corpore adhuc incorrupto & pallio suo involuto, sicut sepultum fuerat, ait Rex: Si jam alicujus meriti sapud Deum, oremus, ut hanc puellam resus tet precibus nostris. Provoluti ergo ambo & prostrati cum lacrymis oraverunt, & mox puella mortua revixit. Et gavisus est Rex supra modum. Tunc Rex una cum filia sua senem illum de nemore eduxit, & crinibus rasis ipsum vestibus induit, & cum dispensatione per Papam facta, ipsum in Episcopum ordinari fecit.

Quinto anno Henrici, qui est Domini MLXI. Rex Henricus, secundum Vincentium, apud Trajectum inferius Frisiæ Pascha cum matre sua solenniter celebravit. Quem Archiepiscopus Coloniensis Anno dictus, annuentibus quibusdam regni Principibus, cum lancea Domini & aliis Imperii insignibus, a matre violenter arreptum, secum Coloniam duxit. Sigibertus autem sic dicit: Agnes Imperatrix adhuc nutriens filium suum, regni negotia per se ipsam administrare curabat, utens plurimum consiliis Henrici Augustensis Episcopi. Unde nec suspicionem incestuosi amoris effugere potuit, fama jactitante, quod non sine turpi commercio in tantam coaluisset Episcopi familiaritatem. Principes ergo ea re offensi, & regni administrationem ad se transferre, & matrem a puero distrahere satagentes, crebra conventicula fecerunt, & animos popularium adversus Imperatricem solicitaverunt. Ad ultimum Anno Archiepiscopus Coloniensis, communicatis consiliis cum Egberto & Ottone Ducibus Bayoariorum, navigio per Rhenum ad locum, qui dicitur Sancti Swiberti Insula, venit, ubi tunc Rex erat. Qui dum quadam die post solennes epulas esset hilarior, hortari eum cœpit Archiepiscopus, ut navem quandam suam, quam ad hoc ipsum miro opere construxerat, spectatum procederet. Quam cum ingressus esset,

Digitized by Google

eſſet, repente remiges inſurgunt, remis incumbunt, & navem ductu rabido in medium fluminis impellunt. Rex autem necem ſibi paratam arbitratus, in flumen ſe præcipitem dedit, citiusque aqua violentior eum ſuffocaſſet, niſi Egbertus Comes dato poſt eum ſaltu periclitantem, ipſe quoque non minus periclitatus, vix a morte eripuiſſet, & navi reſtituiſſet. Exinde blanditiis, quibus poterant, delinitum Coloniam perducunt. Cætera autem multitudo per terram ſubſequitur, criminantibus pluribus, quod Regia Majeſtas violata ſuique impos facta foret.

Sexto anno Henrici, qui eſt Domini MLXII. Romani, Nicolao Papa defuncto, ſecundum Egghardum, Henrico Regi coronam & alia munera mittentes, de electione Papæ interpellabant. Qui generali habito Concilio Baſileæ, impoſita corona a Romanis transmiſſa, Patricius Romanorum eſt appellatus. Deinde communi omnium conſilio, Romanorumque legatis eligentibus, Chadelo Parmenſis Epiſcopus Papa eligitur, & Honorius appellatur. Sed ipſe Papatum nunquam poſſedit, quia XXVII. die ante hujus electionem Anſelmus Epiſcopus Lucanus a Normannis & quibusdam Romanis Papa eſt electus & conſecratus, & Alexander II. dictus.

De Alexandro II. PP. CLXIII.

Alexander Papa, natione Mediolanenſis ex patre Petro, ſedit annis XII. & menſibus V. ſecundum Martinum. Hic ante Papatum Anſelmus dictus, Lucanus extitit Epiſcopus. Contra hunc Chadelo Epiſcopus Parmenſis ab omnibus fere Lombardiæ Epiſcopis in Papam eſt electus, aſſerentes, Papam non debere eligi, niſi de Paradiſo Italiæ. Chadelo ergo iſte cum exercitu magno bis Romam veniens, violenter obtinere nitebatur Papatum, ſed non valuit, quia Henricus Rex adhuc puer exiſtens, ipſum parum juvit. Alexander vero ſtrenue Simoniacam pravitatem perſecutus eſt, Miniſtris etiam altaris cum conjugibus coïre, juxta Canonum ſtatuta ſub anathemate interdixit, laicos vero Presbyterorum incontinentium Miſſas audire per excommunicationis bannum inhibuit, & eorum impudentiam ſatis prudenter refrenare ſtuduit. Inter hos autem duos, ſecundum Sigibertum, longa contentio de Papatu fuit, & etiam usque ad ſangvinis effuſionem ingraſſabatur. Sed tandem Mantuæ Synodo collecta, mediante Annone Archiepiſcopo Colonienſi, Alexander ſe jurejurando de Simonia expurgans, in Sede Apoſtolica confirmatur, & Chadelo ut Simoniacus reprobatur & condemnatur. Henricus Rex feſtum Pentecoſten in Goslaria celebravit, ſecundum Egghardum, ubi cum ad veſperas cantandas Rex & Epiſcopi conveniſſent, tumultus exoritur, Abbate Fuldenſi volente juxta Archiepiſcopum Moguntinum proximo loco ſedere, & Epiſcopo Hildenshemenſi, in cujus diœceſi Goslaria includitur, volente propter hoc illud privilegium habere, ubi tandem multi vulnerantur, multi truncantur & occiduntur. Epiſcopus autem Hildenshemenſis altum quid conſcendens, hortatur ſuos, ut fortiter prœliantes, religioni loci vel Eccleſiæ aut altarium non parcant, ſuæ auctoritatis periculum obtendens.

Septimo anno Henrici, qui eſt Domini MLXIII. Wilhelmus Thuringorum Marchio moritur, ſecundum Egghardum, cui Otto frater ejus ſucceſſit, ſed beneficia Moguntini Archiepiſcopatus aliter obtinere non potuit, niſi promitteret, ſe de ſuis poſſeſſionibus in Thuringia decimas daturum, & cæteros Thuringos, ut idem facerent, coacturum. Quæ res multorum malorum ſeminarium fuit, deteſtantibus omnibus Thuringis factum illud, & aſſerentibus, mori ſe malle, quam patrum ſuorum legitimam libertatem tam turpiter amittere. Bernhardus Dux Saxoniæ obiit, ſecundum Helmoldum. Hic per XLIII. annos Saxoniam, Slaviam & Nord-Albingiam ſtrenue rexit. Bernhardus iſte tale fertur vidiſſe ſomnium. Videbatur ſiquidem ſibi, quod ex utero ſuo egrederentur urſi in Eccleſiam ſævientes, poſt urſos apri, poſt apros cervi, poſt cervos lepores. Quod ſomnium per ſe interpretans ait: Noſtra progenies primo erit urſis ſimilis per audaciam, poſtea apris per minas & ferocitatem, deinde cervis per inanem gloriam & jactantiam, & tandem leporibus per timorem & fugam. Huic ſucceſſit Roldolfus filius ſuus. Robertus junior, filius Baldowini Comitis Flandriæ & frater Baldowini tertii, ſecundum Wilhelmum, Ghertrudem Comitiſſam relictam Florentii Comitis Hollandiæ ſibi matrimonialiter copulans, Comitatum Hollandiæ & Friſiæ per ipſam obtinuit. Ingwidis filia Sweyn Regis Danorum, ſecundum Helmoldum in Chronica Slavorum, Johanne Epiſcopo in Mykelingburg urbe Obotritorum interfecto & civibus captis a Slavis, nuda dimiſſa eſt cum cæteris mulieribus. Hæc relicta erat Godeſchalci Principis Obotritorum interfecti a Slavis, a qua filium ſuſceperat Henricum, ex alia vero uxore ſua natus erat Buthue. Slavi autem hoc anno ad Paganiſmum revertentes, totam Hammeburgenſem provinciam ferro & igne demoliti ſunt, Sturmari vero & Holtzati fere omnes aut occiſi ſunt, aut in captivitatem ducti. Caſtrum quoque Hammeburg funditus everſum eſt, & in deriſionem Salvatoris noſtri etiam crucis a Paganis truncatæ ſunt. Eodem quoque tempore Sleswik, quæ Slavico nomine Hadibo dicebatur, urbs ſita in confinibus regni Danorum populoſiſſima, ex improviſo barbarorum incurſu funditus deſtructa eſt. Hujus cladis auctor Bluſſo fuiſſe dicitur, qui ſororem habuit Godeſcalci, qui domum reverſus truncatus eſt. Dux autem Saxoniæ Rodolfus in vanum ſæpe contra Slavos dimicans per XII. annos, quibus patri ſuo Bernhardo ſupervixit, nullam unquam potuit obtinere victoriam. Ob hanc devaſtationem execrabilem, vacavit ſedes Aldenburgenſis annis LXXXIIII. Sedes quoque Hammeburgenſis translata eſt per Adelbertum Archiepiſcopum in Bremam, & permanſit ibidem usque in præſens. Defuncto autem Godeſchalco Principe Obotritorum, pervenit principatus ad filium ſuum

suum Buthue. Timentes vero hi, qui patrem ejus interfecerant, ne forte filius ultor paternæ necis fieret, concitaverunt tumultum in populo, dicentes: Non hic nostri dominabitur, sed Truto filius Gryni. Quid enim proderit nobis, occiso Godeschalco libertatem armis acquisivisse, si iste hæres Principatus extiterit. Jam enim plus iste nos afflixit quam pater ejus, appositusque Saxonum populo, novis provinciam Slaviæ involvet doloribus. Mox ergo conspirata manu statuerunt Trutonem in Principatum, exclusis filiis Godeschalci, quibus jure debebatur dominium Slavorum. Quorum filiorum junior fugit ad Danos, eo quod de Regia Danorum stirpe esset natus, senior vero Buthue declinavit ad Bardos, quærens auxilium a Saxonum Principibus, quibus pater ejus sæpe fidelis extiterat. Qui etiam rependentes beneficiis paternis gratiam, susceperunt pro filio prœlium, multoque expeditionum fatigio restituerunt ipsum in locum suum: attamen status Buthue semper erat infirmus, eo quod, cum Christianus esset & amicus Principum, apud gentem suam ut proditor libertatis haberetur.

Octavo anno Henrici, qui est Domini MLXIII. Adelbertus Bremensis Archiepiscopus ab Archiepiscopis Moguntino & Coloniensi in partem consilii Regis assumtus, secundum Egghardum, sæpius colloquendo cum Rege Henrico & obsequendo, ita sibi eum junxit, ut cæteris Episcopis postpositis, totus in eum inclinaretur, & ipse in regno quasi Monarchiam sibi usurpare videretur. Secundus vero postfeum fuit Comes Wernerus. Isti duo pro Rege imperabant: ab his Episcopatus & abbatiæ, ab his quicquid Ecclesiasticarum, quicquid secularium dignitatum est, emebatur, nec alia spes cuiquam, licet industrio & egregio viro, adipiscendi honoris ullius erat, quam ut hos duos prius ingenti prævisione (pensione) pecuniarum suarum saturasset. Isti etiam primo prædia Monasteriorum fautoribus suis pro lubitu suo distribuebant. Post etiam Monasteria inter se partiebantur, Rege ad omnia, quæ jussus fuisset, puerili facilitate annuente. Ipse quoque Adelbertus Archiepiscopus Bremensis duas occupabat Abbatias, puta Corbeyensem & Laurensem. Et ne illud cæteris Principibus esset ingratum, dedit Archiepiscopo Coloniensi duas, videlicet Malmendren & Endan, Archiepiscopo vero Moguntino unam in Salegenstad, Ottoni quoque Duci Bajoarorum unam in Altaha, & Rodolfo Duci Swevorum unam in Kenibeten. Enghelbertus VII. Archiepiscopus Magdeburgensis obiit, secundum Egghardum, cui in sedem successit Wicelo. Sigifridus Archiepiscopus Moguntinus, Guntherus Episcopus Babenbergensis, Wilhelmus Episcopus Trajectensis, aliique quam plures Præsules & Nobiles multo comitatu usque ad septem milia voto orando Jerosolymam petentes, ab Arabicis & barbaris in parasceve in quodam castello obsessi sunt, & tot occisi aut vulnerati, ut vix duo milia sint reversi.

Nono anno Henrici, qui est Domini MLXV. Arnulfus Wormatiensis Episcopus obiit, secundum Sigibertum, cui successit in sedem Adalbertus Monachus de Monasterio S. Galli, frater Ludolfi Ducis, uno pede omnino debilis, vir per omnia dignus spectaculo. Erat enim fortitudinis magnæ, edacitatis nimiæ, crassitudinis tantæ, quod aspicientibus horrorem magis incuteret, quam admirationem, nec ita Centimanus gigas aut aliud antiquitatis, si ab inferis emergeret, stupentis populi oculos in se atque ora converteret. Henricus Rex Pascha celebravit, secundum Egghardum, ubi Adelbertus Archiepiscopus Bremensis intra sacra Missarum solennia, dum debitum tantæ festivitati sermonem faceret, hominem ab infestatione dæmonis purgavit, fusis pro eo tam suis quam totius populi, qui aderat, precibus. Ea res grandi miraculo cunctis erat, quod vir tam pessimæ æstimationis in populo, qui vitam virtutum non haberet, signa virtutum faceret. Sed æmuli ejus hoc invidiose interpretabantur, non meritis ejus, sed præsentium populorum ascribendum esse tantæ rei effectum. Ibidem etiam tunc per concessionem ejusdem Archiepiscopi primum se Rex armis bellicis succinxit, statimque in Archiepiscopum Coloniensem ferro & igne præceps abiisset, nisi Imperatrix occurrisset. Inter cætera autem id potissimum ei invidiæ erat, quod ante aliquot, dum Imperatrici jus regni rerumque gubernacula eripere vellet, ipsum Regem pene in ultimum discrimen præcipitasset. Quorundam Pseudomonachorum privata ignominia, secundum Vincentium in Speculo, nomen bonorum Monachorum vehementer infamavit. Illi enim obmisso studio divinarum rerum totam operam pecuniæ & quæstibus impendebant, & pro Abbatiis & Episcopatibus aures Principum importune pulsabant, ac per ambitionis prærupta & pecuniarum male acquisitarum profusionem grassabantur ad Ecclesiasticas dignitates, seculares etiam emtores largitionis suæ immoderantia excludentes, nec venditor iniquus tantum audebat poscere, quantum emtor impius promtus erat solvere. Mirabatur denique mundus, unde ille scaturiret fluvius pecuniarum, unde tantæ opes in privatos homines congestæ fuissent, & eos potissime homines, qui crucis scandalum & paupertatis titulum professi sunt, ac præter simplicem victum & vestitum nihil se rei familiaris habere mentirentur. Ista Dominici agri zizania licet vineæ Domini arida sarmenta & stipula æternis ignibus præparata totum sacri gregis corpus quasi tabo quodam infecerat. Archiepiscopi Moguntinus & Coloniensis, secundum Sigibertum, ægre ferentes familiaritatem nimiam Adelberti Archiepiscopi Bremensis cum Rege Henrico, crebra conventicula fecerunt, & tandem adulta jam conspiratione, diem generalis colloquii omnibus regni Principibus indixerunt, ut tributariam (Treburiam) venientes, Archiepiscopum Bremensem communem omnium hostem omnes communibus studiis oppugnarent. Statuta ergo die affuit & Rex, sed tristis in Regem omnium vultus, tristis erat omnium sententia, ut aut se regno abdicaret, aut Archiepiscopum

ſcopum Bremenſem a conſiliis ſuis atque a regni conſortio removeret. Tergiverſanti, & quod potius eligeret, hæſitanti Regi anxio tandem viſum eſt Archiepiſcopum Bremenſem dimittere. Ejicitur ergo Adelbertus Archiepiſcopus contumelioſe cum omnibus ſuis fautoribus. Miſit tamen Rex cum eo amicorum ſuorum non modicam manum, ne ab æmulis ſuis inſidias in via pateretur. Et ſic iterum rerum publicarum adminiſtratio ad Epiſcopos rediit, ut ſinguli ſuis vicibus, quod Regi, quodque Reipublicæ opus eſſet, præviderent. Anno Archiepiſcopus Colonienſis & pius pater Monachorum, ſecundum Sigibertum, Monaſterium S. Michaëlis in monte Sibergo ſitum & a ſe conſtructum conſecravit. Harwicus Noricorum Rex, ſecundum Egghardum, in feſtis Paſchalibus cum mille pene navibus venit in Angliam regnaturus, & in urbe Eboracenſi plusquam mille laïcos & centum Presbyteros interfecit, cui Haroldus Rex Anglorum cum VII. legionibus occurrens, ipſum cum multis occidit. Interim Wilhelmus Comes Nordmannorum cum Francis Angliam intravit, & conſerto cum Anglis prælio, Haroldum cum multis millibus peremit, & regnavit in Anglia pro eo annis XXVI. Hic Wilhelmus fuit filius Roberti filii Richardi ſecundi Comitis Normannorum ex concubina, qui prius quam naſceretur, vidit mater ejus inteſtina ſua per totam Angliam & Normanniam extenta, quo præfigurabatur pueri futura magnitudo. Natus vero jam, ut terram attigit, ambas manus junco, quo pavimenti pulvis cavebatur, implevit, ſtricteque corripuit pugnans. Unde obſtetrix clamavit, eum Regem futurum. Cum autem adoleviſſet, a Henrico Rege Francorum militiæ inſignia ſuſcepit, duxitque uxorem Mechtildem filiam Baldowini Comitis Flandriæ, & fuit Comes Normannorum XXX. annis. Huic Alexander Papa vexillum in omne regnum Angliæ miſit, cumque mare tranſiſſet, in egreſſu navis pene lapſus audivit acclamari ſibi a proximo milite: Tenes Angliam Comes Rex futurus. Haroldus autem Rex Angliæ a bello, quo Regem Noricorum devicerat, revertebatur. Cui Wilhelmus Monachum legatum miſit, tria ferentem, ut ſcilicet Haroldus vel regno ſecundum conditiones diſcederet, vel ut ſub eo regnaret, vel certe ſpectante utroque exercitu, gladio rem ventilarent. Haroldus vero legatum abſque reſponſo abegit, & Angli noctem illam in potibus & cantibus inſomnem duxerunt. Normanni vero confitebantur, & mane Corpori communicabant Dominico. Comes autem arma poſcens, caſu loricam everſam induit, quem caſum riſu corrigens, vertetur, inquit, Deo auxiliante, Comitatus meus in regnum. Utrobique ergo atrociter pugnatur. Angli namque tot Normannos ſtraverunt, ut foſſatum quodam cumulo cadaverum implentes, ipſum campi planitiei coæquarent. Tunc Haroldus ictu ſagittæ a longo in cerebro percuſſus interiit. Jacentis autem Regis femur unus militum gladio præſcindens, ignominia notatus eſt a Wilhelmo Comite, & militia privatus. Idem Wilhelmus ea die diſcurrendo, pugnando & exhortando tres equos ſub ſe confoſſos amiſit. Pugnatur itaque usque ad noctem & nichil ſangvinis e corpore ejus tractum eſt, quamvis jaculis multis percuteretur. Corpus autem Regis Haroldi matri repetenti Wilhelmus remiſit absque pretio, licet illa multa munera per legatos obtulerit. Die ergo Natalis Domini coronatus eſt ab Alredo Epiſcopo Eboracenſi, nolens benedictionem accipere a Stigando Archiepiſcopo Canthuarienſi, eo quod illegitime Epiſcopus factus eſſet. Hic Wilhelmus factus Rex, miſit Romam vexillum Regium Haroldi, quod erat in hominis pugnantis figura, auro & lapidibus pretioſis arte ſumtuoſa contextum. Urbem quoque Oxoniam rebellantem ſubegit, levi negotio parte muri cadente & ingreſſum illi dante. Quam partem ille audacius aſſiliit, proteſtans homines irreverentes auxilio Dei dejiciendos, quod unus eorum ſuper muros ſtans, nudato inguine, auram ſonitu inferioris partis turbaverat in contemtum Normannorum.

Decimo anno Henrici, qui eſt Domini MLXVI. Reynerus Miſnenſis Epiſcopus obiit ſecundum Egghardum, cui Cracht Præpoſitus Goslarienſis ſubſtituitur. Qui dum ſuſcepto Epiſcopatu Goslariam veniſſet, poſt refectionem in cubiculum, ubi theſauros ſuos, quorum nimius amator erat, nullo conſcio infoderat, quaſi paululum requieſcere volens, ſeſe incluſit. Cumque jam die vergente in veſperam, præter conſvetudinem ſomno indulgere videretur, rem inſolitam mirantes, cubicularii oſtium pulſare cœperunt, & nullo accepto reſponſo, tandem effractis foribus invenerunt ipſum fractis cervicibus colore tetro exanimem, ipſis theſauris ſuis modo miſerabili incubantem. Otto Marchio Thuringorum obiit, ſecundum Vincentium, gaudentibus de ejus morte omnibus Thuringis, eo quod ipſe primus ex Principibus Thuringorum decimas de ſuis poſſeſſionibus dare conſenſiſſet, ac per hoc maximam calamitatem genti ſuæ inveniſſe videretur. Sane Archiepiſcopus Moguntinus inſtinctu Henrici Regis animatus Synodum indixit in Erphordia celebrandam, ubi poſt longam altercationem Thuringi metu Regis potius quam juſtitia devicti, decimas in reliqvum tempus abſque retractatione dare profeſſi ſunt, Abbates etiam Fuldenſis & Herſefeldenſis decimas, ſed cum bono moderamine, dare ſe impoſterum obligarunt.

Undecimo anno Henrici, qui eſt Domini MLXVII. Hildebrandus Cardinalis, qui poſtea factus eſt Gregorius VII. ſecundum Sigibertum, cum eſſet legatus in Gallia & in Concilio contra multos Simoniacos proceſſiſſet, cum contra unum Epiſcopum infamatum procedere vellet, & ille teſtes, qui accuſaverant eum, corrupiſſet pecunia, dixit in Concilio: Ceſſet humanum judicium: producatur in medium oraculum divinum. Cum enim certum ſit, quod Epiſcopalis gratia ſit Spiritus Sancti donum, & quisquis Epiſcopatum mercatur, fecerit,

Digitized by Google

rit contra Spiritum Sanctum. Si tu contra Spiritum Sanctum non fecisti, dic Gloria Patri & Filio, & Spiritui Sancto. Quod ille intrepidus incipiens, cum Gloria Patri & filio dixisset, nullatenus & Spiritui Sancto dicere potuit, frequentius etiam repetendo. Sed postquam de Episcopatu ejectus est, tunc plene & faciliter illud dixit.

Duodecimo anno Henrici, qui est Domini MLXVIII. Agnes mater Henrici Regis, secundum Sigibertum, filia Principis Pictaviæ tædio affecta, vel forte divinitus compuncta, Ducatum Bayoariæ deposuit, & regni gubernacula penitus contemnens, pro Christo Romam se contulit, ibique dignis pœnitentiæ fructibus mira deserviens humilitate, post aliquot annos in Domino quievit. Nordmanni, qui in præjudicium Papæ & Ecclesiæ regnum Apuliæ occupaverant, secundum Vincentium, fines Campaniæ infestabant. Quos Godfridus Dux Spoletanus & Mechtildis Comitissa devota filia Sancti Petri expulerunt. Hæc Mechtildis, secundum Egghardum, fuit adeo potens, ut cum Imperatoribus multiplex bellum gessisset. Quæ cum amplissimis possessionibus abundaret, totum patrimonium suum super altare S. Petri obtulit, quod in hodiernum diem Patrimonium S. Petri nominatur ex ipsius largitione.

Tertio decimo anno Henrici, qui est Domini MLXIX. Ipse Rex Henricus adolescentiæ suæ ductus errore, secundum Vincentium in Speculo, legitimæ conjugis suæ obliviscitur, & tam nefandis criminibus involutus esse diffamatur, ut etiam Principes ejus ipsum regno privare molirentur. Anno autem Archiepiscopus Coloniensis offensis his, quæ male fiebant in palatio, administrationem rerum publicarum resignavit. At ubi Episcopus se in sua recepit, Rex Henricus tanquam severissimo pædagogo liberatus, adolescentiæ suæ usus levitate, mox omnia genera vitiorum, ruptis omnibus temperantiæ & modestiæ frenis præcipitem se dedit; Saxoniamque solam ex omni Imperio Romano cœpit colere, Principes despicere, Nobiles opprimere, inferiores sustollere, venatibus, lusibus, cæterisque talibus exercitiis plusquam justitiis faciendis operam dare, filias illustrium quibuslibet obscure natis conjugare, privata præsidia Principibus regni non satis fidens instituere, montes enim plurimos colliculosque Saxoniæ & Thuringiæ castellis munitissimis exstruxit, præsidiumque imposuit. Quibus cum victui necessaria minus sufficerent, permisit, ut ex proximis villis & agris hostili more agerent, & ad ipsa castella munienda circumquaque manentes cogerent villanos. His discordiæ seminariis contigit, Regi quamplurimos insidiatores tam vitæ quam regni succrescere.

Quarto decimo anno Henrici, qui est Domini MLXX. Godfridus Dux Lotharingiæ, secundum Sigibertum, omnibus pene terris magnitudine rerum suarum congestarum compertus & cognitus obiit, cui filius ejus Godfridus in Ducatu sibi successit, paternos sequens mores. Templum Regale in Quedelingburg, secundum Egghardum, cum omnibus attinentiis & ædificiis, vel divina ultione aut fortuita calamitate incensum est, & in cineres redactum. Henricus Rex Bichelinghen & Schedinghen duo castra, secundum Chronicam Saxonum, solo æquavit.

Quinto decimo anno Henrici, qui est Domini MLXXI. Lippoldus quidam Regi carissimus, cujus ope & consiliis familiarissime uti solitus erat, secundum Chronicas Saxonum, lapsus caballo, proprio mucrone transfoditur, & ilico expiravit. Quod factum intolerabili dolore & mœstitia Regem confecit: statimque Hersveldiam, quia prope erat, deportatum, in medio Ecclesiæ cum magni funeris officii pompa sepelivit, triginta quoque mansos pro anima ejus Monasterio condonavit in loco, qui Mertenfeld dicitur. Hunc enim ensem quidam auctumant fuisse, quo famosissimus quondam Hunorum Rex Attila in necem Christianorum & in excidium Galliarum debacchatus fuerat. Hunc enim gladium Ungarorum Regina, mater Salomonis Regis Ungarorum, Ottoni Duci Bayoariorum dono dederat, quia eo suggerente, Henricus Rex Romanorum Salomonem filium suum paterno regno restituerat. Per hunc Ottonem gladius iste devenit ad Theti filium Marchionis & Theti peremto, pervenit ad Henricum Regem, & de Henrico ad Lippoldum. De hoc, inquam, gladio legitur in Gestis Gothorum, quod Martis quondam fuerit. Hunc Martem belli præsidem & militarium armorum primum inventorem gentiles mentiebantur. Cumque post multa tempora pastor quidam inter terram leviter absconsum arando inveniret ex bovis sanguine, cujus pedem, dum in gramine pasceretur, vulneraverat, detulit ipsum ad Attilam Regem. Quem cum haberet, omnes aruspices & divinatores terræ ipsum fuisse Martis Dei bellorum, Regem certificaverunt, & quod ad interitum orbis terrarum, atque ad perniciem multarum gentium esset fatalis. Et hoc quidem oraculum verum fuisse, testantur excidia multarum nobilium civitatum Galliæ in tantum, ut gladius ille vindex iræ Dei sive flagellum Dei etiam a barbaris nuncupari mereretur. Anno Archiepiscopus Coloniensis, secundum Sigibertum, expulsis de Saleveld Canonicis, vitam instituit illic Monasticam, missis illuc de Sigeberg & de Sancto Pantaleone Monachis.

Sexto decimo anno Henrici, qui est Domini MLXXII. Cono, qui & Conradus, Primicerius Coloniensis, secundum Wilhelmum, a Henrico Rege ad suscipiendum Archiepiscopatum Treverensem missus capitur, & a Comite Treverorum Theoderico & a satellitibus ejus in sylvam ductus, de rupe alta præcipitatur trina vice, sed adhuc illæsus manens, gladio transverberatur. Corpus autem ejus foliis obregitur, sed a rustico ad villam defertur & sepelitur. Inde vero a Theoderico Virdunensi Episcopo transfertur in collegium Monasterium, ubi multis miraculis claret. Adelbertus Bremensis Archiepiscopus ante paucos annos de palatio Henrici Regis

Digitized by Google

Regis turpiter ejectus, secundum Sigibertum, nunc primus in palatio extitit, omnibus æmulis suis vel mitigatis vel fugatis, & solus Rege fruebatur, receptus nedum in Regis gratiam vel familiaritatem pristinam, sed pene in regni consortium, & omnium, quæ publice vel privatim erant agenda, societatem; ita enim callidis suis surreptionibus Regem quasi suum fecerat. Sed hic morbo & ætate postea exhaustus, cum diu per exquisitissimas Medicorum operas morti obluctatus fuisset, quasi naturam arte deludere posset, XVI. KL. Aprilis debitum humanæ conditionis exsolvit, & pertinacibus odiis hominum, quod nunquam poterat vivendo, tandem satisfecit moriendo. Erat plane vir admirandæ compunctionis, & potissime, dum salutarem Domini hostiam offerret, totus in lacrymas effluebat. Virgo quoque, ut ferebatur, ab utero matris suæ permanebat. Corpus ejus de Goslaria in Bremam delatum, & sepultum est. Post hujus vero Antistis mortem Henricus Rex Annonem Archiepiscopum Coloniensem precatus est, ut, sicut prius, rerumpublicarum administrationem resumeret. Diu tamen Archiepiscopus prædictus restitit Regi petenti, partim memor veterum injuriarum, partim quod homo totus in Deum suspensus, potius divinis quam secularibus negotiis implicari voluisset. Superatus tamen precibus Regis, eo moderamine, eaque industria & discretione rem tractabat publicam, ut profecto ambigeres, Pontificali eum, an Regali nomine digniorem judicares. Henricus vero Rex Aquisgranum profectus, Sanctum Speum Confessorem, & brachium Simonis Justi, cujus mentio est in Ewangelio, & caput Anastasii Monachi & Martyris, aliorumque Sanctorum reliquias ibi accepit, atque in Hartesborgh transtulit. Exhinc denique tendens in Bawariam vel Bayoariam, Ottonem Ducem, quem Henricus tertius Ducatu privaverat, sibi etiam rebellantem, usquequaque persecutus est, munitiones vero ejus quam plures destruxit, prædia vastavit, & ut verum reipublicæ hostem omnino delere conatus est. Econtra ille militibus electis instructus, ipse quoque manu fortissimus & animo efferatus, quia Regiis copiis confligere non poterat, nunc præda, nunc flammis, nunc ferro se foris obtulit, & injurias suas intrepide ulcisci satagebat. Ipso nempe Duce mediante, gens Saxonum non cessavit conjurationem adversus Regem unanimi conspiratione confirmare, & accusationes blasphemias infinitas ac inauditas ad Sedem Apostolicam in illum referre. Socios quoque sibi ex omni regno Teuthonico literis & nunciis facere laborabat. Nam primo Sifridum Archiepiscopum Moguntinum, Adelbertum Wormatiensem Episcopum, Ghebehardum Salzeburgensem Archiepiscopum, Adelbrionem Herbipolensem Episcopum, atque alios quamplures Præsules, indeque per ipsos & Alexandrum Papam sibi fautores effecit. Quorum insidiis territus Rex, Saxonia cessit, & in aliis partibus Rheni rebus agendis insistere cœpit.

Decimo septimo anno Henrici, qui est Domini MLXXIII. Anno Coloniensis Archiepiscopus & Hermannus Babenbergensis Episcopus, secundum Sigibertum, Romam missi sunt causa colligendorum, quæ Regi Romanorum debebantur. Qui legatione peracta, literas Alexandri Papæ detulerunt Regem vocantis ad satis faciendum pro Simoniaca hæresi & aliis gravibus quibusdam criminibus ad Papam delatis. Henrico Rege extra Saxoniam in rebus regni occupato, secundum Chronicas Saxonum, ipsi Saxones multa præsidia munitionesque fortissimas construxerunt. Paucas enim munitiones adhuc habebant. Insuper omnia castra, quæ Rex ædificaverat, funditus everterunt, inter quæ præcipuum Hartesborg diruptum est, & reliquiæ ac clenodia omnia transportata sunt. Monasterium quoque & conventum Canonicorum in [illegible] constructum pariter deleverunt, & quod dictu nefas est, innocentis cujusdam filii Regis ibidem sepulti ossa in contumeliam patris de sepulcro projecerunt. Alexander Papa Lanfranco Canthuariensi Archiepiscopo Romam venienti dignanter assurrexit, secundum Wilhelmum, professus, se insigne illud reverentiæ detulisse non honori Archiepiscopi, sed amori magistri sui. Duobus fratribus Russorum Regibus de regno contendentibus, secundum Vincentium, alter eorum a consortio regni pulsus, interpellabat Henricum Regem, se & regnum Russorum ei submittens, si ejus auxilio regno restitueretur. Sed id frustra factum est, quia gravissima dissensio in Imperio Romano, de qua supra dictum est, movebat Regem magis sua tueri, quam acquirere aliena. Rodolfus Dux Saxoniæ obiit, secundum Helmoldum in Chronicis Slavorum, cui successit Magnus filius ejus, natus sibi de filia Regis Danorum. Qui mox in exordio sui regiminis ad subjugandos Slavos rebelles animum convertit, exhortatus ad hoc per Buthue, filium Godeschalci Principis Obotritorum, quem Slavi dominio paterno privaverant. Buthue autem Magnum Ducem Saxoniæ in suum auxilium vocans, sic ipsum allocutus est; Novit Excellentia tua, Princeps Serenissime, qualiter pater meus Godeschalcus tuis subvenerit progenitoribus, Slavicam rebellionem reprimendo, nichil eorum prætermittens, quæ ad cultum Dei & fidem Principum pertinebant. Ego quoque paternam sequens modestiam, omni fide & probitate mandatis Principum me obtemperavi, innumeris me exponens periculis propter bonum terræ nostræ. Qualis autem merces & me & patrem meum exceperit, neminem puto latere, cum illum quidem vita, me vero patria exemerint Slavi hostes vestri & nostri. Si ergo honorem tuum & salutem tuorum curare volueris, viribus & armis utendum est, & prohibenda Slavorum insolentia, ne & ipsi ultra progredientes, & tua provincia abutantur. Quibus auditis, Dux Magnus respondit: Non possum hac vice per me egredi, eo quod impedimentis magnis detinear. Sed dabo tibi Bardos, Sturmaros, Holtzatos & Dithmarcos, quorum auxilio fretus, hostium impetus ad tempus excipere poteris. Ego autem, si necesse fuerit, quanto-

Digitized by Google

quantocius subsequar. Buthue ergo, assumtis fortibus Bardorum viris, transivit Albiam, & processit in terram Wagirorum. Nuncii quoque Ducis Magni percurrentes omnem Nordalbingorum provinciam, urgebant populum egredi in auxilium Buthue. Buthue vero præierat cum DC. viris armatorum, & veniens ad castrum Plunense, urbem præter spem apertam & vacuam viris reperit. Quam cum intrasset, mulier Teuthonica, quæ inibi reperiebatur, dixit ad Buthue: Accipe de spoliis, quæ asportare potes, & festina velociter egredi, quia per dolum factum est, ut urbs sic vacua dimitteretur. Nam audito introitu tuo, in crastinum Slavi cum maxima multitudine redibunt, & urbem hanc obsidione concludent. Buthue autem verba mulieris parvipendens, per noctem in oppido & castello permansit. Est autem urbs hæc, ut hodie videri potest, lacu profundissimo undique circumsepta, & intrantes eam oportet transire per longam pontis viam. In crastino ergo satis mane Slavorum infinita agmina juxta mulieris dictum urbem vallaverunt. Provisum autem fuerat, ne navicula aliqua in tota insula inveniretur, per quam obsessis facultas evadendi pateret. Buthue ergo cum sociis obsidionem cum maxima famis difficultate sustinuit. Quod percipientes Holtzati, Sturmari & Dithmarci, ad urbem acceleraverunt, ut obsessos liberarent. Cumque venissent ad rivulum, qui Swale dicitur, qui dividit Saxones a Slavis, præmiserunt virum scientem loqui Slavonice, ut exploraret, quid Slavi agerent, & quomodo amicis in expugnatione urbis succederet. Hic nuncius perveniens ad exercitum Slavorum, vidit eos præparare diversa machinamenta & instrumenta bellica expugnationi oportuna. Quos talibus verbis alloquitur: Quid facitis o viri perditi, expugnantes urbem & viros amicos Principum & Saxonum? Non utique conatus iste vobis cedet in prosperum. Mandat vobis Magnus Dux Saxonum ab obsidione quantocius discedere. Quod si non feceritis, sentietis in brevi ultionem. Qui cum anxii inquirerent, ubi jam Dux esset, respondit, ipsum in proximo adesse cum armatorum infinita multitudine. Truto autem Slavorum Princeps, assumto seorsum nuncio, quæsivit ab eo rei veritatem. Ad quem nuncius: Quid dabitis mihi pretii, si prodidero ea, quæ tu quæris, & si ordinavero, quod tuam habebis voluntatem super urbem, & super eos, qui in ea sunt? At ille promisit ei XX. marcas. Mox autem ut firmata esset promissio, dixit traditor Trutoni & sociis ejus: Dux iste Magnus, quem formidas, impedimentis tenetur gravibus, ne venire possit, sed Holtzati, Sturmari & Dithmarci egressi sunt in pauco numero, quos ego unico verbo seducam, & retrocedere faciam. His dictis transivit pontem, & dixit Buthue ac sociis suis: Consule saluti tuæ, & virorum, qui hic tecum sunt, quia Saxones, in quibus tu confidis, non venient hac vice succurrere tibi. Tunc ille consternatus animo dixit: Heu me miserum! quomodo sic deseror ab amicis. Male delusus sum, qui Saxonibus semper fidem tenui. Cui ille: Dissensio venit in populum, & reversi sunt unusquisque in domum suam. Alio ergo consilio tibi utendum est. Quibus dictis, reversus est proditor ad socios suos. Quærentibus autem Saxonibus, qualiter exercitus Slavorum se haberet? dixit traditor: Veni ad castrum, ad quod me misistis, & nullum, Dei gratia, periculum ibidem inveni, nec ullus obsidionis timor est circa amicos, sed potius vidi Buthue lætum in castro consistere, & omnem suam voluntatem obtinuisse. Quod audientes Saxones, retrocesserunt. Obsessi vero dolo traditoris decepti, a spe evasionis deciderunt, cœperuntque perquirere ab hostibus, si aliquid pro conservatione vitæ suæ recipere vellent. Quibus illi responderunt: Nos aurum vel argentum vestrum non cupimus, vitam autem & membrorum integritatem præbebimus, si exeuntes ad nos, arma dederitis. Quo audito, dixit Buthue ad socios: Durus nobis, o viri, sermo proponitur, ut exeuntes arma resignemus. In obsidione quidem fame cruciamur, sine armis vero ad inimicos exire, periculosum est valde, cum fides Slavorum incertissima sit. Videtur ergo mihi nostræ saluti expedire, ut vitam nostram aliquali dilatione redimamus, si forte nobis Deus alicubi auxiliatores misericorditer admittat. Quo contra socii dixerunt: Fidem Slavorum ambiguam valde profitemur, sed dilationem fiendam nobis expedire, non videmus, cum nemo sit, qui nos juvet, aut obsidionem solvat. Atrociorem autem mortem fames quam gladius affert. Melius est compendio vitam finire, quam diu torqueri. Videns ergo Buthue, socios velle egredi, jussit sibi cultiora exhiberi vestimenta. Quibus indutis, cum sociis egreditur, transieruntque pontem bini dantes arma, & ante conspectum Trutonis positi sunt. At ubi cum omnes præsentati starent, mulier quædam præpotens mandavit de castro Trutoni cæterisque Slavis dicens: Perdite viros, qui se tradiderunt vobis, & nolite servare illos, quia intulerunt maximas uxoribus & filiis vestris violentias. Quibus auditis, Truto & socii ejus mox irruerunt in eos, & omnes occiderunt. Et sic illa die cecidit robur Bardorum, & prosperatum est opus in manibus Trutonis, & obtinuit dominium super omnem Slavorum provinciam, attritæque sunt vires Saxonum, & servierunt Trutoni sub tributo, & omnis terra Nordalbingorum.

Decimo octavo anno Henrici, qui est Domini MLXXIV. Papa Alexander obiit, secundum Vincentium, & dissensio inter regnum & Sacerdotium oritur propter collationem Episcopatuum & Abbatiarum, de quorum collatione Principes se intromittebant.

De Gregorio VII. PP. CLXIIII.

Gregorius Papa, natione Tuscus, qui postea dictus Hildebrandus, ex patre Rustico, sedit annis XI. & mensibus duobus, secundum Martinum. Hic prius Monachus, deinde Archidiaconus Ecclesiæ Romanæ factus, in Papam concorditer est electus propter vitam suam laudabilem,

Digitized by Google

bilem, fine consensu tamen Henrici Regis. Ipsius quoque prudentia nedum in Italia, sed etiam in Teuthonia, refrenata est Sacerdotum incontinentia. Sub isto Gregorio, secundum Eggharddm, Romana Respublica & tota Ecclesia novis & inauditis schismatum erroribus periclitari cœpit. Cumque ipse absque Regis consensu, solis tantum Romanis faventibus, hunc apicem conscendisset, fuerunt, qui illum non canonice, sed tyrannice Papatum auctumarent sibi usurpasse; pro qua re etiam a nonnullis Episcopis abdicatus est, & præsertim ab Episcopis Teuthoniæ. Hi epistolam sibi miserunt inter alia verba hæc continentem, secundum Martinum: Quia ergo introitus tuus in perjuriis initiatus est, & Ecclesia Dei tam gravi tempestate per abusionem novitatum tuarum periclitatur, & vitam conversationemque tuam tam multiplici infamia dehonorasti, obedientiam, quam tibi nullam promisimus, nec de cætero ullam servaturos nos esse pronunciamus. Et quia nemo nostrum, ut tu publice declamabas, tibi hactenus fuit Episcopus, tu quoque nullius nostrum a modo eris Apostolicus. Hæc etiam dicit Egghardus in Chronicis.

Decimo nono anno Henrici, qui est Domini MLXXV. Gregorius Papa totus contra Henricum Regem, quia dissidium in Ecclesia fecerat, invehitur secundum Sigibertum, Romæ etiam celebrando Concilium generalis Synodi, omnes Simoniacos, Nicolaitas & Presbyteros uxoratos excommunicavit, ab officio divino cunctos removens, Laicis quoque Missas eorum audire interdixit, novo quidem exemplo, sed inconsulte & non sine præjudicio, qui contra Sanctorum Patrum sententiam, qui scripserunt, quod Ecclesiastica Sacramenta, puta Baptismus, Chrisma & Eucharistia, quia Spiritus Sanctus effectum eorum operatur, nec bonorum dispensatorum meritis meliorantur, nec malorum demeritis attenuantur; Et quia tam grave est scandalum exortum, ut nullius hæresis tempore Ecclesia graviore schismate scissa sit, his pro justitia, & illis contra justitiam agentibus, aliis a Simonia non declinantibus, aliis notam avaritiæ honesto titulo prætexentibus, continentiam paucis servantibus, multis etiam incontinentiam perjurio ac multiplici adulterio cumulantibus, ac propter hæc laicis insurgentibus contra Sacros Ordines, & se ab omni Ecclesiastica subjectione excutientibus; propter quod laici Sacramenta temerabant, parvulos per se baptizabant, sordido humore aurium pro oleo sacro & chrismate utebantur, in extremo vitæ viaticum Dominicum & usitatum Ecclesiæ obsequium sepulturæ a Presbyteris conjugatis recipere parvipendebant, decimas Sacerdotibus deputatas cremabant. Et ut in uno cætera perpendas, laici corpus Domini a Presbyteris conjugatis consecratum sæpe pedibus conculcabant, & sangvinem Domini voluntarie effundebant, & multa alia contra jus & fas gesta sunt in Ecclesia, ex quibus occasione sumta multi pseudomagistri exsurgentes in Ecclesia, profanis novitatibus plebem ab Ecclesiastica averterunt. In prædicto etiam Concilio Gregorius Papa Henricum Imperatorem excommunicavit, secundum Martinum, tanquam Ecclesiasticæ unitatis scissorem, sed tandem eum absolvit, & postea iterum excommunicavit. Henricus Rex Romanorum, secundum Vincentium in Speculo, manu valida ex Alemannia & Germania, Bohemia & Bayoaria congregata, Saxones petiit. Contra quem Saxonum Principes animos suos firmantes conspiraverunt, puta Wicelo Archiepiscopus Magdeburgensis, Buggo Episcopus Halberstadensis, Otto Dux, quem Ducatu Bayoariæ jam privaverat, & Welponi dederat, Magnus Dux Saxoniæ, Udo Marchio de Soltwedel, qui nunc de Brandeburg nuncupatur, & multi alii Nobiles, ad quorum audaciam refrenandam Rex celeriter venit cum suo exercitu in Saxoniam, adjuncto sibi Rodolfo Duce Swevorum & Burgundiæ cum aliis Principibus multis. Sed & Saxones non segnes viriliter occurrerunt in prælium, & convenerunt juxta flumen Unstrod terræ Thuringorum. Cum autem jam instaret pugna, factum est de consilio & consensu utriusque partis, ut laudaretur pax usque ad biduum, sperantes bellum pace sopiri. Saxones ergo pace delectati statim exuerunt se armis suis, & diffusi sunt per latitudinem campi, figentes castra, & curam sui habentes. Circa horam vero diei nonam, videntes speculatores Regis Saxones remissos & dispersos super faciem campi, nichilque mali suspicantes, festinantes nunciarunt Regi, quod Saxones se præpararent ad prælium. Concitatus ergo mox exercitus Regis, transmisso vado, irruerunt super quietos & inermes valde turpiter, & prostraverunt multa milia Saxonum in die illa. Cum ergo Saxones pro tuenda libertate bellum adhuc intentarent, Rodolfus Dux amator pacis primum Regio honori, deinde Saxonum saluti consulens, apud Saxones obtinuit, ut se in potestatem Regis traderent Principes eorum, ne aut captivitate gravarentur, aut sustinerent læsionis molestiam. Sed cum se Saxones Regiæ potestati tradidissent, Rex jussit eos arctiori custodiæ mancipari, non curans promissionis fidem. Unde contristatus Rodolfus Dux, valde doluit, quod promissum servare non potuit, ordinavit tamen, ut post dies paucos præter voluntatem Regis Principes Saxonum a captivitate solverentur, & ad propria reverterentur. Nunquam vero postea promissionibus Regis fidem adhibuerunt. Miserunt ergo Saxonum Principes nuncios ad Sedem Apostolicam, & conquesti sunt Papæ, qualiter Henricus divinæ legis prævaricator Ecclesiis Dei in statuendis Episcopis omnem Canonicæ electionis libertatem adimeret, ponens per violentiam Episcopos ad libitum suum; insuper quod more Nicolaitarum de uxore sua publicum fecisset prostibulum, subjiciens eam violenter aliorum libidini. Alia quoque plura scandalosa & enormia contra ipsum testati sunt. Quamobrem Dominns Papa zelo justitiæ permotus, missis legatis, ipsum peremtorie citari fecit & evocari.

Vicesimo anno Henrici, qui est Domini MLXXVI.

Digitized by Google

MLXXVI. Ordo Grandimontensis cœpit sub Sancto viro Stephano, secundum Vincentium. Qui quidem Stephanus filius fuit Stephani nobilissimi viri de partibus Averniæ, & à patre suo in sua pueritia ductus Beneventum, ubi a Sancto Milione Archiepiscopo septem annis educatus, regulam bene vivendi didicit. Indeque recedens, peragratis multis eremis, & de Canonicorum, Monachorum, Eremitarumque vita, quæ imitanda sunt, memoriæ commendatis, in Aquitaniam prope Lemonicas ad montem nemorosum, qui Muretum nuncupatur, Christo duce pervenit, ubi fontes reperit & rupes, terramque desertam & inviam, silvestrem & sterilem vidit, non hominibus, sed feris assvetam. Tunc gaudens Stephanus, ibidem se Deo serviturum omni tempore spopondit, & cum quodam annulo, quem de omni substantia sua habebat, semet ipsum virginem Deo desponsavit dicens: Ego Stephanus abrenuncio diabolo, & omnibus pompis ejus, & offero me Deo Patri, & Filio & Spiritui Sancto servitorem perpetuum. Scribensque professionem suam, posuit super caput suum, & facto de virgultis parvo tugurio, anno ab incarnatione Domini MLXXVI. agens ætatis suæ annum XXX. habitare incepit eremum, in jejuniis, orationibus & vigiliis continuis Deo serviens. Cibus namque ejus erat panis & aqua, & interdum farinulæ siligineæ parva sorbitiuncula, quæ cæteris minus sapida non voluptati, sed necessitati servit. Frequenter loricam ad carnem portavit, quousque plenam victoriam de se obtinuit. Indumenta vero super loricam hyeme & æstate erant æqualia. Stratus ejus erat ex tabulis ligneis ad instar sepulcri in terra consertis, omni lectisternio carens. Præter horas Canonicas & debita regularia, genuflexiones mirabiles terram deosculando, & cum fronte nasoque percutiendo humiliter faciebat, ita quod earum assiduitate manibus & genibus in modum cameli callos contraxerat, & nasum in obliqvum curvaverat. Post mortem vero ejus Fratres sui edocti voce cœlesti ter dicente in Grandimonte, in Grandimonte, in Grandimonte, corpus sanctum in Grandimontem transtulerunt, & ibidem caput religionis suæ constituerunt. Henricus Rex, secundum Vincentium, coacto Wormatiæ Concilio XXIIII. Episcoporum & multorum Primatum regni, decerni jubet omnia decreta & facta Gregorii Papæ irrita esse debere. Ibique omnes, præter paucos, Hildebrandum, qui & Gregorius, abjurant, eumque Papatu abdicandum esse judicant. Gregorius autem Papa econtra Imperatorem excommunicavit sub hoc obtentu, ut Primates Regni quasi justa causa excommunicato Regi contradicant. Eodem autem anno, secundum Egghardum, XVIII. Kal. Octobris colloquium maximum Principum apud Oppenheym factum est studio & ordinatione Hildebrandi Papæ, excitantis Saxones magnis muneribus; ubi pene totius Regni Principes, & maxime Saxonum & Alemannorum subjectioni Regis renunciabant, causam prætendentes, quod a duobus jam Papis vocatus, ad satisfactionem venire contemsisset. Hac commonitione coactus Rex, Romam humiliter veniam petiturus a Papa, inimicis suis hoc non sperantibus, contendit. Veniens ergo Romam, secundum Vincentium in Speculo, quare vocatus esset a Papa, audivit. Et quia ad ea rationabiliter respondere non valuit, se Pastoris summi arbitrio subjecit. Accepit ergo in mandatis, ut anno integro a Roma non discederet, eqvum non ascenderet, sed in veste humili circuiret limina Ecclesiarum, orationibus & jejuniis reddens Deo dignum pœnitentiæ fructum. Quod Rex humiliter adimplere promittebat. Videntes ergo Cardinales, & hi, qui de curia erant, quod præ timore Sedis Apostolicæ contremiscunt potestates, & curvantur genua horum, qui orbem portant, suggerunt Apostolico, ut Regnum transferat ad alium virum, dicentes, indignum esse, ut talis regnet, qui de publicis convictus est criminibus. Percunctante ergo Apostolico, quisnam in Alemannia dignus sit tanto culmine? designatus est Dux Swevorum Rodolfus, qui bonus esset vir & pacis amator, diligens justitiam, & timens Deum, ac circa cultum Sacerdotii & Ecclesiarum optime affectus. Cui mox Papa coronam transmisit auream, hoc versu insignitam:

Petra dedit Romam Petro, tibi Papa coronam.

Præcepitque Archiepiscopis Moguntino & Coloniensi, cæterisque Episcopis & Principibus, ut adjuvarent partes Rodolfi, & statuerent ipsum Regem. Quotquot ergo receperunt mandatum Domini Papæ, elegerunt Rodolfum in Regem, addictique sunt parti ejus Saxones, Swevi cæterorumque Principum civitates, præter civitates & Principes Rheni, qui non receperunt eum, nec Francorum populi, eo quod jurassent Henrico, & juramentum suum temerare nollent. Porro Henricus Rex existens Romæ, & mandatis Papæ parens in omnibus, ignarus erat malorum, quæ adversus eum agebantur. Surrexit ergo Adelbertus Argentinensis Episcopus, amicus Regis Henrici, & festinanter Romam vadens, diu quæsitum Regem tandem invenit. De cujus adventu Rex gavisus, cœpit percunctari de statu regni, si omnia in pace consisterent. Cui ille intimavit, novum Principem electum, & necessarium esse, ut Teuthoniam quantocius reviseret ad confortandos amicorum animos, & hostium conatus deprimendos. Cumque Rex diceret, nequaquam sibi licere, quod sine licentia Domini Papæ recederet: respondit Episcopus: Noveris certe, omne hoc conspirationis malum de fonte Romanæ perfidiæ emanasse. Imo si captivitatem evadere voles, de urbe tibi clanculo exeundum est. Egressus ergo Rex nocte urbem, Italiam transivit, firmatisque pro tempore rebus in Lombardia, venit in Alemanniam Teuthoniæ. De cujus adventu lætati amici & civitates ei faventes, jocundis vultibus ipsum receperunt. Qui congregato exercitu grandi, perrexit ad expugnandum Rodolfum. Fuit autem cum Henrico Rege famosissimus ille Dux Godfridus, qui postea liberavit Jerosolymam, & multi

& multi alii Potentum. Saxonum vero & Swevorum atque Burgundionum exercitus erat cum Rodolfo. Pugnaverunt ergo Reges mutuo, & victa est pars Rodolfi, cecideruntque Saxones & Swevi. Porro Rodolfus vulneratus in manu dextra fugit Martipolim, Wicelo autem Archiepiscopus Magdeburgensis a vulgaribus hominibus in fuga suspensus est. Magnus vero Dux Saxoniæ despoliatur, & Hermannus Comes de Anehald ejusdem Magni Ducis patruus, ac Adelbertus Wormatiensis Episcopus comprehensi, necnon plurimi de militibus Saxonibus turpiter intercepti sunt. Ex parte quoque Henrici Poppo vir miræ fortitudinis occubuit. Rodolfus ergo Rex vulneratus letaliter, cum moriturum se cerneret, dixit ad familiares suos: Videtis manum meam dextram vulnere sauciatam. Hac manu juravi Domino meo Henrico, ut non nocerem ei, nec insidiarer gloriæ ejus. Sed jussio Apostolica Pontificumque petitio me ad id deduxit, ut juramenti transgressor honorem michi indebitum usurparem. Juste ergo manu illa, qua juramentum feci, quod temeravi, mortale hoc vulnus accepi. Et hoc dicto, cum gravi molestia diem clausit extremum. Tunc Henricus Rex prosperis lætus successibus, Sweviam pervagatus castella fregit, munitiones cepit, & omnia depopulando inimicis suis formidinem, amicis vero adjecit fortitudinem. Ab hoc tempore, secundum Sigibertum, florere cœpit in Ecclesia Beati Quintini Baluacensi Ordo Canonicorum primum ab Apostolis, postea a Beato Augustino Episcopo regulariter institutus, sub Magistro Yvone venerabili, ejusdem Ecclesiæ Præposito, & postea Carnotensi Episcopo, qui librum illum magnum de Jure composuit, qui Yvonis Panormia intitulatur. Petrus Damiani Doctor solennis hoc in tempore viguit, secundum Vincentium. Hic Episcopatum suum causa Religionis & devotionis dimisit sine Papæ consensu; propter quod sibi injuncta fuit pœnitentia centum annorum a Papa, sed ipse epistolam scribens, Gregorio Papæ excusavit se, quod hoc fecisset ob Religionis zelum, & allegavit plures Sanctos Patres, qui simile fecissent, sicut S. Valerium Hipponensem Episcopum, qui sibi Beatum Augustinum subrogavit; Adelbertum Bremensem Archiepiscopum, qui habitum religionis induens, meruit corona martyrii laureari. Hic Petrus plura refert ædificatoria memoria digna. Inter cætera enim dicit, quod Dux quidam Venetiarum uxorem habebat tam delicatam, ut etiam communibus aquis se abluere dedignaretur, sed famuli ejus de rore cœlesti undique collecto, laboriosum ei balneum præparabant; cibos etiam suos non tangebat, sed ab eunuchis ejus alimenta quæque minutius conscindebantur in frustula, quæ mox illa quibusdam fuscinulis aureis & bidentibus ori suo adhibebat; cubiculum quoque ejus tot aromatibus & thymiamatibus redolebat, ut etiam dictu fœtidum sit & auditu incredibile. Sed dum adhuc viveret, vibrato super eam judicii divini mucrone, corpus ejus omne computruit, ita ut totum cubiculum intolerabili fœtore repleretur, nullusque eam ferre potuit, nec servus quidem, sed vix una ancilla, non tamen sine specierum redolentium auxilio, in ipsius servitio remansit, quæ tamen raptim accedens cursim recedebat. Diutius ergo hoc languore decocta & miserabiliter cruciata, amicis suis exultantibus, diem clausit extremum. Huic narrationi potest aptari illud Apoc. XVIII. Quantum glorificavit se in deliciis, tantum date ei tormentum. Omnis enim caro, quanto tenerius & mollius educatur, tanto in deteriorem putredinem vertitur. Narrat idem Petrus aliud. In Monasterio S. Vincentii statutum erat, & per triennium jam servatum, ut cum horis Canonicis, Beatæ etiam Virginis officia dicerentur. De quo quidem statuto Monachus quidam nomine Gazo reprobæ vitæ, sed accuratæ facundiæ, murmurare cœpit, & quæstionibus suis obtinuit, ut horæ Beatæ Virginis amplius non dicerentur. Mox innumeræ adversitates contra dictum Monasterium oriuntur, deprædationes, conflagrationes, & familiæ trucidantur. Itur tandem ad Henricum IIII. Imperatorem, qui respondit: Frustra venitur ad me. Dico, eis hoc accidisse, quia Matrem pacis abjecerunt a se. Et mox in terram prostrati nuncii dicunt, se nunquam de cætero laudes Beatæ Virginis obmissuros; & sic pacem recuperaverunt. Idem ait: Quidam Princeps Salernitanus cum quadam die prospexisset de monte Vellino flammas erumpere, protinus ait: Procul dubio aliquis sceleratus dives in proximo moriturus est, & in infernum descensurus. Est enim consuetudo talis ibi, ut imminente morte divitis reprobi mons ille flammas evomat piceas & sulphureas. His dictis, superveniente proxima nocte, dum idem Princeps securus cum meretrice concumberet, exspiravit. Quæ meretrix, ut postea retulit, quid sibi contigisset, ignorans, diutius super se pertulit, & vix tandem a se non hominem, sed cadaver projecit. Idem aliud: Quidam tonsor alienam suem furatus est: erat tamen tonsor ille fur magnus, sed hospitalis valde. Interea adest Jesus in effigie pauperis, & tanquam prolixos crines gerens, rogabat tonsorem, ut ipsum raderet. Ille protinus reverenter assurgens, assumtis forpicibus, ipsum tondere cœpit. Quod dum faceret, reperit in occipitio ejus duos oculos latitantes. Expavit ille, & quæsivit, quid hoc esset? Cui ille, ego, inquit, Jesus vocor, qui undique cuncta contemplor, & istis oculis vidi suem, quam in cavea conclusisti; moxque disparuit. Compunctus ergo fur ex miraculo, suem restituit. Idem aliud: In Bononiæ partibus duo quidam amici & compatres in convivio discumbebant, quibus allatus est gallus, quem unus illorum arrepto cultello, ut moris est, in frusta dissecuit, circumque piper cum liquamine superfudit. Quo facto, alter ait: Pro certo compater sic explicuisti gallum istum, ut ipse Petrus, etiamsi vellet, ipsum reintegrare non posset. Cui mox intulit alter: Plane non solum Petrus hoc non posset efficere, sed & si ipse Christus imperaret, hic gallus non resurgeret. Ad hanc vocem repente gallus vivus, & plumis suis

Digitized by Google

suis coopertus exsilivit, alas percussit, & cecinit, plumas excussit, totumque liquamen super eos, qui convescebantur, conspersit. Ilico sacrilegi illi blasphemi in aspersione piperis lepra percussi sunt. Quæ lepræ plaga etiam in posteris eorum hæreditaria permansit usque ad obitum eorum, & in famulatum subacti sunt Bononiensi Ecclesiæ.

Vicesimo primo anno Henrici, qui est Domini MLXXVII. Oencius Romanorum præfecti filius, secundum Vincentium, in nocte Nativitatis Christi, cum Papa primam Missam in Ecclesia Beatæ Mariæ majoris ad præsepe Domini celebraret, ipsum Papam cepit, & in turri sua posuit, quem Romani eadem nocte eripiunt, & turrim destruentes, prædictum Oencium extra urbem depellunt, & exilio damnant. Inter Henricum Regem & Rodolfum, secundum Vincentium, secundo fit bellum in loco, Fladicheim dicto, & Saxones in primo congressu turpiter terga vertunt. Ibi Fratizlaus Dux Bohemiæ regalem lanceam Rodolfi adeptus est, qui exinde permissione Henrici Regis semper quemvis illius gentis Ducatu insignem in omni festiva processione præcedit. At Henricus Rex propriis castris restitutus de armigeris, quos in eis reliquerat, pene nullum invenit. Una autem ex legionibus Saxonum in primo congressu pugnam deserens, quia nebulosus aër erat, furtim castra Regis Henrici invasit, & multos armigeros comprehendens, eos strangulavit, multaque auferens spolia fugam iniit. Rex autem dimisso exercitu, in Franconiam cum paucis perrexit.

Vicesimo secundo anno Henrici, qui est Domini MLXXVIII. Sanctus Stephanus, pater & institutor Fratrum Ordinis Grandimontensis, secundum Vincentium in Speculo, multis cœpit clarere miraculis. Quæ quidem miracula fieri videns Prior loci illius, timuit sibi & aliis Fratribus quietem minui, & internæ suavitatis dulcedinem tardius ex hoc experiri, si turbæ populorum locum illum causa miraculorum frequentarent. Unde veniens ad sepulcrum Sancti viri, ita dixit: Serve Dei, tu ostendisti nobis paupertatis viam, & toto conamine docuisti nos incedere per eam. Nunc vero de arta via ad latam & spatiosam tuis nos vis miraculis revocare, & qui prædicasti solitudinem, nunc in solitudinem forum & nundinas vis congregare. Non curiositate tali ducimur, ut miracula videre cupiamus. Sanctitati enim tuæ satis credimus. Cave ergo, ne de cætero miracula facias, quæ tuam extollant sanctitatem, & nostram destruant humilitatem. Non sic tuæ provideas laudi, ut nostræ sis immemor salutis. Quod si aliter feceris, tibi dicimus per obedientiam, quam tibi fecimus, quod ossa tua hinc extrahemus, & in flumen spargemus. Cumque Prior sic Sanctum Dei correxisset, amplius nullum visum est ab illo in loco illo fieri miraculum.

Vicesimo tertio anno Henrici, qui est Domini MLXXIX. Tertia pugna facta est inter Reges Henricum & Rodolfum, secundum Egghardum, in orientali Francia, ubi ex utraque parte multi corruerunt prope Medilrichstad. Nam ipse Rodolfus electus in Forchem in Regem Romanorum a Principibus, prout supra dictum est, & a Sifrido Archiepiscopo Moguntino coronatus, mox Herbipolim obsedit, sed eam non expugnavit. Quidam rusticus cum Vicario suo ad ligna cædenda pergebat, secundum Petrum Damiani, & ecce serpens trabalis magnitudinis duobus capitibus attollens colla, in eos impetum fecit. Quorum unus eorum securi sua unum caput ejus amputavit, & mox ei securis de manu in terram cecidit: quem serpens iratus mox altero capite mordicitus apprehendit, & spiris suis ipsum involvens, in speluncam suam secum traxit. Qui cum traheretur, clamavit ad socium, ut eum defenderet, vel securim, quam in manu tenebat, sibi daret. Qui timens, noluit, sed fugit, & ideo a Sacerdotibus tanquam reus mortis exilium subire est coactus. Expeditio quarta Henrici Regis contra Rodulfum Regem peracta est prope Elistram flumen, secundum Egghardum, in quo bello Rodulfus cecidit cum multis Saxonibus & Swevis, vulneratus mortaliter in dextra manu. De quo casu XX. anno Henrici supra in fine actum est. De hoc quidem Rodulfo dicit Hildebrandus Papa, qui & Gregorius VII. in quadam Epistola sic: Episcopi & Principes ultramontani audientes, Henricum Regem non servare, quod nobis promisit, quasi desperati de eo, sine nostro consilio elegerunt sibi Rodulfum Ducem Swevorum in Regem.

Vicesimo quarto anno Henrici, qui est Domini MLXXX. Henricus Rex, secundum Sigibertum, habito conventu Episcoporum & Principum Moguntiæ profesto Pentecostes, decrevit Papam Gregorium deponere velut regni proditorem. Et colligens exercitum grandem, ad Italiam se transtulit, occupansque matrem Ecclesiarum Romam, multos cives interfecit, & Gregorium Papam de Roma fugavit, Wicbertumque Ravennensem Episcopum in Papam ordinari procuravit, a quo tunc Imperiali benedictione percepta, a populo Romano salutatus est Augustus. Ex quo quidem facto grave schisma in Ecclesia ortum est, & multis duravit annis. Nam quidam pseudomonachi, secundum Egghardum, Papam Gregorium totius vesaniæ pestiferum principem, & præcipue Romanæ Sedis invasorem affirmantes, Apostolica Sede pellendum quamvis absentem dijudicabant, & Wicbertum Ravennensem Archiepiscopum ei subrogandum eligebant. Hujus autem decreti conclusio talis fuit. Quia, inquiunt, illum constat non a Deo electum, sed a se ipso in fraude & pecunia impudentissime oblectum. Qui Ecclesiasticum subvertit Ordinem, qui Christiani Imperii conturbavit regnum, qui Regi Catholico & pacifico, si permitteretur, corporis & animæ intentat mortem, qui perjurium defendit, & inter concordes discordiam seminavit, inter pacificos lites, inter fratres scandala, inter conjuges divortia, & quicquid quietis inter pie viventes stare videbatur, concussit. Nos ergo autore Deo congregati in unum, legatis ac literis freti XIX. aliorum Episcoporum, die sancto præteritæ

Digitized by Google

ritæ Pentecoſtes Moguntiæ congregatorum, contra eundem Hildebrandum procaciſſimum, ſacrilegia & incendia mandantem, perjuria & homicidia defendentem, Apoſtolicam Sedem de corpore & ſangvine Domini in quæſtionem ponentem, Berengarii hæretici antiqvum diſcipulum, divinationum & ſomniorum cultorem, manifeſtum Nigromanticum, Phitonico (Pythonico) ſpiritu laborantem, & idcirco a vera fide exorbitantem, judicamus canonice depellendum & deponendum, & niſi ab ipſa Sede, his auditis, deſcenderit, in perpetuum condemnandum. Acta autem ſunt hæc VII. Kal. Julii feria V. Indictione tertia. Contra hos Anſelmus Epiſcopus Lucenſis eruditiſſimus, ingenio acutiſſimus, facundia præcipuus, & quod omnibus majus eſt, in timore Dei & converſatione ſancta nominatiſſimus, ſcripſit dicto Wicberto Ravennenſi Archiepiſcopo epiſtolam, ipſum ſuperbum & prævaricatorem nominans, in qua inter alia ſic ſcripſit: Ut ergo a Beato Gregorio Papa, qui & Hildebrandus dictus, patre noſtro dicam, quod Cornelio ſcripſit Beatus Cyprianus: Factus eſt Epiſcopus de Dei & Chriſti ejus judicio, de Clericorum pene omnium & ut verius dicam, omnium teſtimonio, de plebis, quæ tunc aderat, ſuffragio, de Sacerdotum antiquorum & bonorum virorum collegio, dum nemo ante ſe factus eſſet, & dum Alexandri locus, id eſt, Sancti Petri ſedes & gradus Sacerdotis cathedræ vacaret. Quo occupato, & de Dei voluntate atque omnium noſtrum conſenſu ordinato, quisquis jam Epiſcopus voluerit fieri, foris ut fiat neceſſe eſt, nec habet Eccleſiaſticam ordinationem, qui Eccleſiæ non tenet unitatem. Quisquis ille fuerit, licet multum de ſe jactans, ſibi plurima vendicans, profanus eſt, alienus eſt, foris eſt; & cum ſecundus eſſe non poſſit, quisquis poſt unum, qui ſolus debet eſſe, factus eſt, jam non ſecundus ille, ſed nullus eſt. Hæc valde contraria ſunt ſententiæ priori.

Viceſimo quinto anno Henrici, qui eſt Domini MLXXXI. Terribilis terræmotus cum magno mugitu terræ factus eſt in Italia VI. Kal. April. ſecundum Vincentium in Speculo, prima hora noctis, prænuncians forte imminens malum, quod in toto orbe inſonuit, & unde terra doluit. Henricus namque Imperator ad debellandum Hildebrandum Papam Italiam iterum repetiit. Contra quem Papa urbibus & caſtellis munitis ad reſiſtendum ſe armavit, eumque Romam hoſtiliter venientem non recepit. Henricus autem Imperator expugnatis urbibus & caſtellis, quæ contra ſe pro Hildebrando ſe munierant, Romam Leoninam obſedit, ante caſtellum S. Petri caſtra ſua ponens, ubi etiam per biennium crebris urbanorum incurſibus infeſtatus, parva manu multa virilia magnifice peregit. Anſelmus oriundus in confinio Burgundiæ, ſecundum Sigibertum, florebat in Nordmannia, Beccenſis Monaſterii Abbas eximius, & pro ſua ſanctitate & ſapientia nominatiſſimus, factus eſt poſtea Canthuarienſis Archiepiſcopus. Hic ſanctus vir, ſecundum Vincentium, ſcripſit Proſologion, id eſt Alloquium de Deo, contra quod opus quidam aliud ſcriptum compoſuit, ad quod Anſelmus Reſponſionem edidit. Item ſcripſit Monologion, id eſt Soliloquium de Sancta Trinitate lib. I. Item de Veritate lib. I. Item de Concordia liberi arbitrii & præſcientiæ divinæ atque prædeſtinationis necnon & gratiæ lib. I. Item de Caſu diaboli lib. I. de Peccato originali lib. I. de Incarnatione Verbi lib. I. de Sacramento altaris lib. I. de Azymo lib. I. Item Cur Deus homo? lib. I. de Grammatico lib. I. de Conceptu virginali lib. I. item Parabolarum & proverbiorum ſuorum lib. I. item Epiſtolarum ſuarum ad diverſas perſonas lib. I.

Viceſimo ſexto anno Henrici, qui eſt Domini MLXXXII. Hermannus quidam nobilis & præpotens ex Germania, ſecundum Egghardum, per adverſarios Henrici Rex Romanorum conſtituitur. Cui qvanqvam in divitiis & rebus bellicis nemo in Alemannia poſſet æqviparari, ſumto tamen Regis nomine, tam ſuis quam alienis cœpit in brevi deſpectui haberi. Multi in diverſis mundi partibus, ſecundum Wilhelmum, a morſibus luporum perierunt, & præſertim in Italia & Lombardia.

Viceſimo ſeptimo anno Henrici, qui eſt Domini MLXXXIII. Hermannus Rex, ſecundum Vincentium, orientalem Franciam hoſtiliter invaſit. Henricus vero Imperator Paſcha celebrans apud Sanctam Rufinam, moxque Romam rediens, caſtra poſuit ad occidentalem partem Caſtelli Sancti Petri. Capta eſt tandem urbs Roma feria ſexta ante octavas Pentecoſtes, Hildebrandus vero Papa in caſtro Creſcentii, quod vulgo domus Thiderici dicitur, incluſus, exſpectabat eventum rei; Imperator autem in Palatino monte munitionem inſtituens, non paucos viros, quos in præſidio poſuerat, ingraveſcente ſuper eos æſtatis inconſveto calore, amiſit. Sed & alios de exercitu multos eadem mortalitas abſumſit. Capitolium autem & urbem Leoninam Rex deſtruxit. Quod videntes Romani, XX. obſides ex Nobilibus Regi conſignaverunt, petentes, ſibi diem conſtitui, in quo Papa & omnes Senatores ad præſentiam ejus venirent. Qui diem ſtatuens Kalendas Novembris, ipſe ad montana aſcendit, refrigerium quærens. Poſt cujus receſſum Robertus Gwiſcardi cum exercitu magno Romam veniens, Gregorium Papam in Palatio Lateranenſi reſtituit. Henricus autem Imperator in montanis commorans usque ad ſtatutum tempus, Romam rediit, ſed Papa ad præſentiam ejus non venit. Occulte namque fugiens, Salernum ſeceſſit, & ibi usque ad diem obitus ſui permanſit, paucis diebus poſtea ſupervivens, vexationis tædio conſumtus.

Viceſimo octavo anno Henrici, qui eſt Domini MLXXXIIII. Imperator Henricus ſecundum Egghardum, Natale Domini Romæ apud Sanctum Petrum celebravit, circa Kalendas vero Februarii in Campaniam tranſiens, ipſam & magnam partem Apuliæ expugnavit & ſibi ſubjecit, eo quod Hildebrando Papæ favebant. Poſt hoc per legatos Romanorum rogatus, ut pacifi-

Digitized by Google

pacificus rediret, Romam rediit, & ad portam Lateranensem castra sua ponens, omnes deditios accepit, feria autem sexta ante diem Palmarum, multis stipatus Nobilibus, cum gloria magna urbem intravit, ducens secum prædictum Wibertum Archiepiscopum, alias in Papam electum, per Pontifices Alemanniæ. Qui sequenti Dominica per multos Pontifices & præsertim Bononiensem, Mutinensem & Tervinensem in Papam ordinatus est & consecratus, ac in Sedem Apostolicam solenniter inthronizatus, Clemensque Tertius vocatus, a quo Henricus Rex cum Bertha Regina in sancto die Paschæ Imperiali benedictione insignitur & coronatur. Post hæc Henricus Imperator de Italia egressus, Augustam urbem obsedit, expugnavit & cepit.

De Clemente Papa intruso CLXV.

Clemens Papa, qui & Wibertus Archiepiscopus Ravennensis, ex Patre Philippo, sedit annis IIII. Hic Clemens, secundum Martinum, catalogo Summorum Pontificum non annotatur, eo quod violenter intrusus, Papatum sibi injuste vendicavit, Ecclesia etiam ipsum inter Clementes Apostolicos numerari non permittit, a quibusdam tamen Chronographis Clemens III. intitulatur. Isto Clemente per Imperatorem installato, secundum Martinum, ipse Rex Henricus Gregorium Papam in castro Crescentii cum Cardinalibus suis obsedit. Sed audiens, quod Robertus Gwiscardi Rex Apuliæ in adjutorium Papæ cum exercitu copioso de Apulia veniret, destructo Capitolio & urbe Leonina, fugit cum suo Clemente Senas. Rex vero Robertus eodem die urbem capiens, ac ferro & igne in magna parte eam consumens, Gregorium Papam liberavit, & in Palatium Lateranense restituit. Hic Gregorius postea in reversione Imperatoris ab Urbe in Apuliam descendens, exul Salerni defunctus est, multis clarens miraculis.

Vicesimo nono anno Henrici, qui est Domini MLXXXV. Hermannus Rex, cum orientalem Franciam devastasset, secundum Sigibertum, & jam quoddam castrum, quod ceperat, ingrederetur, porta castri corruente, ipsum cum pluribus oppressit. Synodus universalis Moguntiæ celebratur a Clemente Papa, secundum Egghardum, cui Henricus Imperator interfuit, ubi præsentibus multis Episcopis, omnes rebelles Episcopi Imperatori deponendi judicantur, & non Episcopi anathemate condemnantur. Pestilentia maxima quasi per totum orbem deſævit, secundum Wilhelmum, & æstatis fervor tam intensus fuit, etiam in partibus borealibus, ut nedum homines, sed & pisces in agris perirent. Bruno natione Teuthonicus, secundum Sigibertum, de urbe Coloniensi, literis plene eruditus, Remensis Ecclesiæ Canonicus & scholarum Rector, relicto seculo, eremum Carthusiæ fundavit, & propositum Monasticæ conversationis durum instituit. Hujus sancti propositi cooperator existens bonæ memoriæ Hugo Graymopolitanus Episcopus, ab eodem Brunone habitum Monasticum sumsit, cunctisque inhabitantibus insigne exemplum præbuit.

Tricesimo anno Henrici, qui est Domini MLXXXVI. Civitas Syracusana maximum sustinuit terræ motum, secundum Vincentium, adeo ut Dominica die hora tertia, dum Missa cantaretur, Ecclesia major cadens, populum & Clerum opprimeret, Sacerdote, Diacono & Subdiacono Missam celebrantibus cum uno Presbytero tantum salvis, non sine magna omnium admiratione & gratiarum actione. Nimia aquarum inundantia multis in locis fuit, secundum Egghardum. Nam etiam in Italia diluvies tanta extitit, ut rupes plures liquefactæ villas innumeras destruerent. Domesticæ quoque aves, puta pavones, gallinæ, grues & anseres a domibus se separantes, factæ sunt sylvestres. Translatio B. Nicolai de Myrrhea civitate Lyciæ facta est, secundum Vincentium in Speculo. Nam Venetianis meditantibus auferre corpus illud sacrum a Myrrhea urbe per Turcos desolata, præoccupaverunt eos Barenses cives numero XVII. ab Antiochia Myrrheam venientes, qui a quatuor tantum Monachis inibi inventis extorserunt sibi ostendi tumbam Sancti Nicolai. Qua ostensa & effracta, ossa sancta in liquore olei natantia integro numero extraxerunt, & Barum cum gaudio detulerunt, a depositione ejus anno DCCLVI. Cum autem corpus illud sanctissimum Barum pervenisset, innumeris miraculis, sicut & prius in Myrrhea urbe decorabatur.

Tricesimo primo anno Henrici, qui est Domini MLXXXVII. Amphul Rex Galliciæ in Hispania Sarracenos fortiter debellavit, secundum Vincentium, & Tholetum urbem eorum maximam per aliquot annos obsessam, tandem expugnavit, divino auxilio suffragante, ac cultum Christianitatis in ea dilatavit. Hermannus Regio nomine deposito, secundum Sigibertum, permissione Henrici Imperatoris, ad propria est reversus, & post dies paucos in cujusdam opidi obsidione est interemtus. Henricus Imperator expeditionem contra Saxones faciens, secundum Egghardum, præliabatur cum eis & Swevis in suburbio Herbipolensi, & utrobique plura corruerunt millia.

Tricesimo secundo anno Henrici, qui est Domini MLXXXVIII. Terræ motus magnus factus est per Italiam, secundum Egghardum, in urbibus & circumjectis montibus, & corruerunt multæ turres, Ecclesiæ & domus, oppresseruntque innumeros homines diversarum conditionum.

De Victore III. PP. CLXVI.

Victor Papa, qui & Desiderius, Abbas Cassinensis, ex patre Gregorio, sedit V. mensibus & diebus XXV. secundum Martinum. Hic verus Dei famulus promotus ex instigatione devotæ Mechtildis & aliorum Principum in contemtum Imperatoris post mortem Gregorii VII. Papæ, præsidente cum eo Clemente intruso. Hic Victor sanctus cum in gravi infirmitate laboraret factus Papa, precibus a Deo obtinuit, ut infra paucos dies ab hac vita tolleretur.

Qui-

Digitized by Google

Quidam vero dicunt, quod veneno in calice misso, dum missam celebraret, est extinctus a fautoribus Clementis. Herkinbaldus Comes Arelatensis, secundum Vincentium in Speculo, vir devotus, in judicio ob zelum justitiæ nullius accepit personam. Hic infirmus existens, lectoque graviter decumbens, in camera sibi propinqua clamorem fœmineum audivit. Cui sciscitanti, quid esset, celata est ei veritas facti. Tunc mittens pro puero cameræ, ait ei: Præcipio tibi sub privatione oculorum tuorum, ut mihi dicas veritatem. Qui expavescens ait: Domine filius vester fœminam vi opprimere laboravit, sed illa malum hoc abhorrens sic clamavit. Ad quod verbum nimis motus Comes, dixit duobus militibus suis: Ite festinanter, & suspendite illum. Quod illi se facturos promittentes, egressi sunt, & juveni svaserunt, ut a præsentia patris sibi caveret. Præceptum autem Comitis milites implere non audebant, sed post horam reversi, se fecisse, quod imperaverat, asserebant. Quinto vero die juvenis putans, patrem suum de culpa sua immemorem esse, vel ad minus mutatum esse, aperto ostio cameræ introspexit. Quem ut infirmus Comes vidit, ipsum verbis blandis advocans, juxta se sedere fecit. Qui mox uno brachio collum ejus stringens, & altero pugionem de latere filii extrahens, gutturi ejus infixit, & occidit, cunctis stupentibus & horrentibus. Infirmitate autem invalescente, Episcopus vocatus cum Sacramento venit. Cui infirmus cum maxima effusione lacrymarum omnia peccata sua confessus est, tacita juvenis filii interfectione. Super quo Episcopus miratus dixit: Quare celatis homicidium filii vestri, quod gravissimum peccatum est & crudelissimum? Cui decumbens: Neque hoc esse peccatum judico, imo opus meritorium esse credo, & ideo hoc mihi remitti a Deo ut peccatum non deposco, sed meriti præmium elargiri expecto. Ad quem ait Episcopus: Nec ego vobis corpus Christi tradam, nec a peccatis vos absolvam, cum impœnitentem vos inveniam. Si autem corpus Christi cupitis recipere, oportebit vos illud peccatum confiteri, & veniam pro eo a Deo petere. Respondit Comes: Non ex rancore aut ira, sed zelo justitiæ permotus illum interfeci. Et si vos corpus Christi michi negaveritis, ego corpus & animam meam illi commendo, in cujus timore executor extiti justitiæ. Nunquam enim aliquis pater plus filium suum dilexit, quam ego illum. Sicque eo non communicato Episcopus abscessit. Quo mox revocato, dixit ei infirmus: Videte Domine Episcope, si in pyxide Corpus Domini habeatis. Quod cum fecisset, nec aliquam hostiam in ea invenisset, ait ille: Ecce quem michi negastis, ipse se michi non denegavit. Erat autem adhuc sacramentum in ore ejus, quod Episcopo ostendit. Episcopus autem stupens, Comitem petiit, ut pro se Dominum exoraret. Et hoc miraculum ad honorem Dei & Comitis prædicti commendationem de umbonibus publicari fecit.

De Urbano II. PP. CLXVII.

Urbanus Papa, qui & Oddo Monachus Cluniacensis, post Episcopus Ostiensis, ex patre Petro, sedit annis XI. & mensibus VII. secundum Martinum. Iste Papa redarguit Imperatorem, quod cum sorore sua concubuisset, Imperator vero reprehendit Papam, quod Simoniace promotus fuisset. Unde Papa coram Imperatore & Principibus, quos ad hoc vocaverat, se cum corpore Christi expurgavit, sumendo ipsum super sua innocentia, & hoc idem fieri voluit ab Imperatore. Qui renuens sumere corpus Christi pro sibi objectis, mox a Papa excommunicatur. Imperator vero gratiam Papæ quærens, postea in brevi ab ipso est absolutus cum debita satisfactione, grisei panni & nigræ cappæ induitione, jejuniique panis & aquæ alternatis diebus, & psalterii cottidiana peroratione. Hæc omnia Imperator devote ad tempus implevit.

Tricesimo tertio anno Henrici, qui est Domini MLXXXIX. Pestilentia sævissima fuit in occidentali parte Lotharingiæ, secundum Sigibertum, ubi multi sacro igne interiora consumente computrescentes, exesis membris instar carbonum nigrescentibus, vel miserabiliter moriebantur, aut manibus & pedibus putrefactis truncati, miserabiliori vitæ reservabantur. Henricus Imperator castra de Lichen terræ Thuringorum obsedit, secundum Egghardum. Quod Egbertus Lantgravius percipiens, cum Imperatore bellum durum commisit in Vigilia Natalis Domini, & ipsum fugere coëgit, innumeros sternendo. Hic idem Egbertus Lantgravius de Brunswicensium Principum sanguine ortus, postea interfectus est in quodam molendino fugiens imbrem. Ubi dum quiete sedisset, & sopori se dedisset, ab amicis Imperatoris interemtus est. Iste etiam Egbertus fundator extitit collegii Sancti Cyriaci extra muros urbis Brunswicensis.

Tricesimo quarto anno Henrici, qui est Domini MXC. Ipse Henricus Imperator nuptias Coloniæ celebravit, secundum Sigibertum, quondam Henrici Marchionis relictam, Ruscorum Regis filiam ducens in uxorem. Vermiculi valde ignoti visi sunt per multas regiones, non procul a terra volantes, ita ut manu vel virga tangi possent, magnitudine quidem muscis æquales, sed longitudine satis deductiores, secundum Vincentium in Speculo, quorum multitudo lucem solis densitate causata negavit, terras occupantes in spatio trium aut quatuor miliarium. Hujusmodi autem bestiolam maxima secuta est mortalitas tam hominum quam pecudum, ex eorum corruptione causata.

Tricesimo quinto anno Henrici, qui est Domini MXCI. Thidericus VII. Comes Hollandiæ obiit, secundum Wilhelmum, cui Florentius filius suus successit. Henricus Imperator hoc anno rursus Italiam ingreditur, secundum Sigibertum, & ibi fere per VII. annos moratur. Yvo Præpositus Sancti Quintini Beluacensis fit Episcopus Carnotensis secundum Sigibertum. Iste Yvo decreta Apostolica, quæ prius Isidorus in

in unum volumen maximum redegerat, quod non nisi difficulter & sumtuose transcribi poterat, abbreviavit, & per capitula distinxit, ac multas Sanctorum Doctorum sententias eisdem capitulis inseruit. Diversas etiam Epistolas variis Principibus & Prælatis destinavit, vitiorum objurgationes duras continentes, & doctrinis sanis plenas. Facula grandis per aërem volabat, secundum Vincentium in Speculo, ab oriente in occidens tendens: & eclipsis solis notabilis valde extitit IX. Kal. Septembris.

Tricesimo sexto anno Henrici, qui est Domini MXCII. Wilhelmus Rex Angliæ, filius Wilhelmi Regis, secundum Wilhelmum in Chronicis, vir magnæ severitatis, regnare cœpit. Hic Rex ita prodigus erat factus ex liberalitate nimia, ita superbus ex magnanimitate, quod parum Deum veneraretur, hominem vero nullum. Pretium autem vestium suarum in immensum extendi volebat, dedignans, si quis hoc allevasset. Quodam autem mane, pro calcearetur novas caligas, requisivit a cubiculario, quanti constarent pretii. Cumque ille respondisset, quatuor solidos Anglicanos, indignabundus & furens ait: Pessime ribalde, decet Regem caligas deferre tam vilis pretii? Vade, & affer emtas pro marca argenti. Ivit ille, & multo viliores attulit, & quanti præceperat pretii emtas mentitus est. Tunc Rex ait: Istæ caligæ Regiæ conveniunt Majestati. Ex hoc ergo tempore cubicularius pretium vestimentorum ejus pro voluntate sua pensabat, multa suis utilitatibus exinde nundinans. Tandem exhaustus Rex expensis indiscretis, ad rapinas se contulit, & mortuis Ecclesiarum Pastoribus, Episcopis & Abbatibus res inventas omnes rapuit, reditus quoque earum omnes imposterum fisco Regio applicavit, substituens in locum defuncti Pastoris quemlibet, non pro morum, sed pro nummorum experimento. Judæos insuper in Londoniis animavit ad pugnandum contra Christianos, pronuncians quoque si vincerent, in eorum sectam transiret. Magno quoque timore Episcoporum & Clericorum res acta est, Christianis tamen gloria victoriæ potitis, quamvis Judæi multotiens jactitarent, se non ratione, sed violentia superatos. Invadiato autem fratre suo Roberto apud Nordmanniam pro summa X M. marcarum, importabile edictum pensionis per totam Angliam posuit, cumque Episcopi & Abbates Regem frequenter adirent, de hoc quærimoniam moventes, respondit: Nunquid habetis scrinia, auro & argento confecta, ossibus mortuorum plena. Capsulas ergo Sanctorum denudare & spoliare coacti sunt, crucifixum deplumare, calices conflare, non in usum pauperum, sed in fiscum Regium. Venationes quoque adeo prohibuit, ut capitale crimen incurreret, qui cervum aut quamcunque feram caperet. Tantus tumultus turbinum, fulgurum & ventorum inter se dissidentium factus est in Anglia, secundum Vincentium, ut solum in Londoniis plusquam DCCC. domos dejiceret. Quatuor etiam tigna de tectis Ecclesiæ Sanctæ Mariæ XXVI. pedes in longitudine habentia, tanta violentia ventorum in humum sunt pacta, ut vix três pedes extra terram apparerent. Mirabile, inquam, valde erat, qualiter duritiem stratæ publicæ vicerint, & ibi eodem ordine ponerentur, quo in tecto ab artifice fuerant collocata, quæ tandem propter impedimentum transeuntium in planitiem terræ desecta sunt, eo quod aliter erui nequirent.

Tricesimo septimo anno Henrici, qui est Domini MXCIII. Fulco Comes Andegavensis senescens, secundum Wilhelmum, Jerosolymam adiit, ubi a duobus servis suis sacromentis ad hoc coactis, ut, quod juberet, facerent, per publicam stratam tractus est nudus ad sepulcrum Domini, Turcis & Sarracenis inspectantibus. Alter enim servorum restem ligneam collo ejus intorserat, alter flagris terga nudati urgebat. Inter hæc autem tormenta Comes clamabat: Accipe Domine miserum Fulconem, perjurum tuum, profugum tuum. Domum tamen propriam contra desiderium suum regressus est. Nannetis erant duo Presbyteri, secundum Wilhelmum, pactum ad invicem statuentes, ut, qui prior eorum moreretur, alteri appareret infra XXX. dies a morte. Quorum unus tandem prior decessit, & altari infra XXX. dies apparens, ait: Agnoscis me frater? At ille: Etiam. Cui defunctus: Ecce juxta placitum nostrum veni, & si volueris, adventus meus erit tibi commodus, mihi tamen omnino est infructuosus, quia sempiternis damnatus sum ignibus. Sine pœnitentia enim sunt in inferno Dei judicia. Pro criminibus enim meis puniar. Et curvatis in volam digitis, tres guttas a se defluentis tabi in eum jaculatus est, quarum duæ guttæ timpora, tertia vero frontem contingentes, cutem velut ignito jaculo perforaverunt, foramina magna efficientes. Et dixit defunctus ille vivo Sacerdoti: Ista nisi neglexeris, erunt tibi in documentum, & salutis tuæ munimentum. Quibus dictis, disparuit. Superstes ergo omnia vendens, & dans pauperibus, Sanctum Melanium Redonis adiit, & ibidem Monachus effectus, vitam sanctam ducere cœpit.

Tricesimo octavo anno Henrici, qui est Domini MXCIIII. In Anglia tanta aquarum inundantia facta est, secundum Wilhelmum, ex abundantia imbrium, quantam nullus meminerat, & accedente hyeme, flumina sunt ita congelata, ut equis & curribus essent pervia, quod tamen rarissimum est in illis regionibus. Vratislaus Dux Bohemorum, secundum Egghardum, in venatione de equo corruens, subito defunctus est. Sanctus vero Ladislaus Rex Ungarorum pro eodem tempore obiit feliciter in Domino. Conradus filius Henrici Imperatoris Aquisgrani in Regem Romanorum coronatur, secundum Egghardum. Hujus Conradi mater fuit Bertha Imperatrix. Hic cum adolevisset, patri rebellare cœpit. Alium etiam habuit filium Henricus Imperator æquivocum sibi de ultima uxore sua filia Regis Ruscorum, qui post eum imperio potitus est. Nobilis quædam mulier, Margareta dicta, generum suum juvenili ætate & specie decorum multa diligentia pro amore filiæ

filiæ ſuæ accurabat, ſecundum Sigibertum. De quo dum turpis oriretur ſuſpicio, mulier infamiæ ſuæ impatiens, ipſum generum ſuum a duobus famulis ſuis occidi occulte procuravit, poſtmodum vero pœnitens homicidium Presbytero confeſſa eſt. Sed elapſo aliquanti temporis ſpatio, Presbyter cum ea litigans, homicidium in faciem ſibi exprobravit. Nunciabatur ſtatim hoc malum per amicos interfecti juvenis Vicedomino Laudunenſi Frederico, a quo mox mulier citatur. Margareta homicidium confitetur, & ideo igni condemnatur. Ducta igitur prævie ad Eccleſiam Beatæ Virginis, peccatum ſuum coram Deo & hominibus debito ordine enarravit, & ſic meritis & precibus Beatæ Virginis humiliter ſe recommendavit. Miſſa autem mulier in ignem, nullatenus ſenſit incendium, ſed divina protecta gratia, igne conſumto, illa permanſit illæſa. Quod factum cognati adoleſcentis occiſi non divinæ virtuti aſcribentes, ſed potius fragilem lignorum materiam cauſantes, iterum ſuccendunt ignem circa eam fortiorem. Sed nec ſic profecerunt, imo conſumto illo igne, nec pilus capitis ejus læſus inventus eſt. Quo viſo miraculo, dimiſſa eſt mulier libera, & confeſſionis proditor Presbyter comprehenſus eſt, & in ignem miſſus, ac incontinenti combuſtus; Deus vero ab omnibus inſpectoribus eſt altis vocibus benedictus.

Triceſimo nono anno Henrici, qui eſt Domini MXCV. Urbanus Papa, ſecundum Wilhelmum, primum ſuum Concilium apud Claromontem celebrans ſtatuit, ut Epiſcopi vel Abbates, aut aliqui de Clero, aliquam Eccleſiaſticam dignitatem de manu Principum vel quorumcunque laicorum non accipiant: & ut Clerici in duabus civitatibus vel Eccleſiis præbendas non habeant: & ut nemo ſimul ſit Abbas & Epiſcopus: ut Eccleſiaſtica dignitas a nullo ematur aut vendatur: ut nullus alicujus ſacri ordinis carnali commercio utatur: ut eis auferantur Eccleſiaſticæ dignitates, qui ſcienter a ſe vel parentibus ſuis emtas habuerint. Ut eis ignoſcatur, qui hoc ignoraverint a Canonibus eſſe prohibitum. Ut nemo laicorum a capite jejunii, nemo Clericorum a Quinquageſima uſque in Paſcha carnes edant. Ut in Sabbato Paſchæ non niſi poſt nonam officium celebretur. Ibi etiam excommunicavit Philippum Regem Francorum & omnes, qui eum vel Regem vel Dominum ſuum nominarent, & ei obedirent, eo quod vivente uxore ſua legitima, alterius viventis ſuperduxerat uxorem, & ſimiliter maledictam illam concubinam ejus, ac omnes, qui eam Reginam vel Dominam ejus vocarent, donec alter ab altero diſcederet. Similiter Wicbertum Papam & Henricum Imperatorem, qui ipſum manutenebat, & cæteros omnes, qui eis conſentirent, anathematizavit. Decreta etiam Hildebrandi Papæ revocavit ibidem. Statutum eſt etiam ab eodem ibidem, ut horæ Beatæ Virginis cottidie dicantur, officiumque ejus die Sabbatina ſolenniter fiat. In quo etiam Concilio nunciabatur Ieroſolymæ captio & Chriſtianorum oppreſſio: propter quod Urbanus Papa ſermonem faciens ad populum, exhortabatur ipſum ad crucem ſumendam in ſubſidium Terræ Sanctæ.

Quadrageſimo anno Henrici, qui eſt Domini MXCVI. Petrus Hiſpanus, ſecundum Vincentium in Speculo, per totum Imperium prædicavit crucem, exhortans Principes & populum pro liberatione Terræ Sanctæ ultra mare proficiſci; & plurimum quidem profecit, quia oſtendit Epiſtolam de cœlo ſibi miſſam, ut aſſeruit. Innumerabiles ergo populi una inſpiratione permoti, & variis ſignis eis oſtenſis, alii ab aliis animati, Duces, Comites, Potentes, Nobiles & ignobiles, divites & pauperes, liberi & ſervi, Clerici & Monachi, ſenes & juvenes, omnes uno animo undique concurrunt ab Hiſpania, a Provincia, ab Aquitania, a Britannia & Schotia, ab Anglia, Nordmannia & Francia, a Lotharingia, Burgundia, Germania & Teuthonia, ab Italia, Lombardia & Apulia, a Saxonia, Slavia, Dacia & Swecia, a Polonia, Ungaria & Bohemia, ac cæteris regnis & provinciis, virtute & ſigno Sanctæ Crucis ſignati & armati, vindicare cupientes injurias Dei, & nominis Chriſtiani hoſtes debellare, firmiſſima pace interim ubique compoſita & ordinata. Et primo Judæos in urbibus aggreſſi, compulerunt eos ad credendum in Chriſtum, & nolentes trucidaverunt, rebus ſpoliaverunt, ac urbibus eliminaverunt. Fuerunt autem inter iſtos, qui Chriſti Crucem aſſumſerunt pro liberatione Terræ Sanctæ Godefridus Dux Lotharingiæ, Euſtachius & Baldewinus fratres ejus, omnes filii antiqui & famoſi Godefridi, Anſelmus de Rybodimonte, Baldewinus Comes Montenſis, Robertus Comes Flandriæ, Stephanus Comes Bleſcenſis, Hugo Magnus frater Philippi Regis Francorum, Robertus Comes Nordmanniæ, Raymundus Comes Sancti Ægidii, Loyamundus filius Roberti Wiſcardi Regis Apuliæ, Rogerius Dux Apuliæ & Tancredus frater ejus. Horum omnium curam & auctoritatem ſuſcepit vir eximius Hymarus Podienſis Epiſcopus, eiſque conſilio & doctrina uſque ad captam Antiochiam plurimum proficuus fuit. Hujus etiam viæ incitator Petrus Lombardus Eremita extitit, qui uſque ad captam Ieroſolymam in multis utilis cum exercitu Dei perſeveravit. Nunquam autem tot gentes, ſecundum Wilhelmum, in unam convenerunt ſententiam, quorum numerus opinionem vincebat hominum, quamvis æſtimaretur ſexagies centum millia hominum, qui omnes Ieroſolymam pergebant ad liberandam eam.

Quadrageſimo primo anno Henrici, qui eſt Domini MXCVII. Exercitus Dei aggreſſus terminos Paganorum, viriliter egit, ſecundum Vincentium in Speculo. Primumque fuit eis bellum ad pontem Phaphar fluminis IX. KL. Martii, ubi multi Turcorum occiſi ſunt. Secundum bellum fuit apud Niceam III. Non. Martii, in quo ſimiliter Pagani victi ſunt. Capta ergo Nicea captaque Laodicea, cum eſſent plus quam CCCM. armatorum in exercitu Chriſtianorum,

norum, tanta eis omnium rerum suppetebat copia, ut aries uno nummo, & bos vix XII. nummis venderetur. Deinde cum procederent de captatione Nicææ urbis, pervenerunt ad pontem quendam, ubi Turcos innumeros invenerunt congregatos cum Sarracenis, Angulanis & Persis, quorum exercitus continebat CCCLXM. armatorum, & similiter ibidem invenerunt Arabes innumeros. Cum his Domini exercitus congressus faciens, ceciderunt de barbaris multa milia. Et hoc prælium actum est in Kal. Junii. Inventum est autem in tentoriis barbarorum auri & argenti magna copia, & equi, boves, cameli, mulæ, verveces & asini plurimi, ac supellex copiosa. Post hoc Christiani venerunt Iconium, & post ad civitatem Erachiam, quæ Turcis abjectis, illis se tradidit. Et inde cum magna difficultate venerunt ad vallem Antiochiæ, quæ est metropolis Syriæ. Hanc primo obsedit Boamundus Rex Apuliæ XIII. Kal. Novembris a tribus portis, ubi in castris tanta fames facta est, quod asello onus vendebatur VIII. puratis, qui valent denariorum CXX. solidos. Quidam autem Admiratus sive Admiraldus Turcorum nomine Pyrrhus in Antiochia fuit, qui fœdus amicitiæ per fideles internuncios cum Boamundo inierat, fama ejus allectus. Hic Boamundo filium suum misit obsidem, & reddebat ei tres turres, quas tenebat; & sic capta est civitas. Cassianus autem Imperator Turcorum inter fugientes delituit, cujus caput Armenii abstulerunt, & Boamundo detulerunt. Corberannus autem Princeps eorum, qui ad auxilium Antiochiæ confluxerant, accepta licentia sæviendi in Christianos a Calipha suæ gentis Apostolico, innumeros coadunaverat, inter quos fuerunt Admiraldus Ierosolymorum, Rex Damascenorum, & Sensadolus filius Cassiani Imperatoris Turcorum interfecti, cum quibus civitatem Antiochiæ captam a Christianis obsedit. In hac urbe fames maxima exorta est. Nam panis paximacius & permodicus Bizantino vendebatur, carnes vero equinæ & asininæ pro Imperialibus computabantur deliciis, gallina V. solidis, ovum duobus solidis, nux vel glans denario appretiabatur. Hoc inediæ malum continuis XXXVI. diebus toleraverunt obsessi. Tredecim autem homines laboriosi & fortes foderunt a mane usque ad vesperam, & invenerunt lanceam Domini nimis alte infossam. Cum ergo Christiani exirent in prælium contra Corberanum, visus est exercitus exire a montibus innumerabilis, insidentes omnes equis albis, & in manibus vexilla alba præferentes, cujus Duces erant Sancti, Georgius, Mauritius, Demetrius & Mercurius, qui Julianum Apostatam interfecerat. Victi ergo Turci fugerunt, innumeris ex eis interfectis. Captique sunt ibi equi multi, jumenta, oves & boves innumeri, ac gazæ infinitæ, & in civitatem redacta sunt omnia, commissumque fuit hoc prælium IIII. Kal. Julii. Infra urbem autem Antiochiæ sunt quatuor montes satis alti, in quorum sublimiori castellum est, quod toti præminet civitati, deorsum vero civitas decenter est constructa, & muro duplici circumdata. Murus quoque interior amplus & altus in quadris lapidibus compactus est, in quo sunt turres CCCL. formosis mœnibus venustatæ, & defensæ propugnaculis. Murus vero exterior non est tantæ celsitudinis, est tamen admirandæ venustatis. Urbs autem in se continet CCCLX. Ecclesias, & Patriarcham habet, cui subjiciuntur CLIII. Episcopi. Ab oriente clauditur montanis, ab occidente muros civitatis præterfluit fluvius Pharfar. Octoginta & quinque Reges eam sublimando nobilitarunt, quorum primus fuit Antiochus, a quo & condita est civitas & nominata. Hæc post Romam, Constantinopolim & Alexandriam, secundum Wilhelmum, quarto loco cunctis per orbem civitatibus prælata est. Fluvius etiam ibi est, qui modo Farvus, sed olim Orons dictus est, duodecimo ab urbe miliario pelago influens, fluentis rapacibus & ipse impetu frigidioribus, salubris auræ temperie civitati medetur. Commeatum navium opidanis invehens, perseverantiam obsidentium quantolibet tempore deridet. Est præterea ipsa civitas mœnibus tuta, montibus ardua. Ecclesia Beati Petri & Ecclesia Beatæ Mariæ, quamdiu ibi Turci fuerunt, illibatæ permanserunt. Hanc urbem Christiani, secundum Baldricum in Historia Jerosolymitana, per VIII. menses & unum diem obsederant, & ceperant. Post vero in civitate jam capta gentiles obsessos Christianos tenuerunt per tres hebdomadas. In qua obsidione tantus confluxit gentilium exercitus, ut nullus copiosiorem meminerit se vidisse vel audisse. Requieverunt autem Christiani in ea per V. menses & IX. dies. Post hoc perventum est ad Marram civitatem opulentam, quæ capta est hora vespertina diei Sabbati III. Idus Decembris, in qua Christiani morati sunt per mensem unum & dies tres in tanta fame, ut carnes Turcorum comederent.

Quadragesimo secundo anno Henrici, qui est Domini MXCVIII. Exercitus Dei, secundum Vincentium in Speculo, cum magno labore, tandem pervenit Jerosolymam, eaque obsessa, cum laboraret pro victus & maxime aquæ penuria, omnes ex communi decreto nudis pedibus cottidie exorando circuibant civitatem. Octavo ergo hujus humiliationis die, obsidionis vero XXXIX. die capta est Jerusalem Idus Julii, in sexta feria, & in templo Salomonis & in porticu ejus Christiani cum Paganis, quinto bello conserto, tanta in eos cæde debacchati sunt, ut in sanguine occisorum equitarent usque ad genua equorum. Cumque ordinatum esset, qui Jerosolymam deberent retinere, jam Principibus de repatriando conferentibus, ecce Rex Sarracenorum ad debellandum eos venit Aschalonam cum centum milibus equitum & CCCCM. peditum. Cui cum occurrisset exercitus Domini, in quo non plus quam VM. equitum & XVM. peditum erant, Deo pro servis suis clamantibus pugnante, & nube eos protegente ab æstu solis, Sarraceni solo impetu Christianorum territi, omnes projectis armis fugam

Digitized by Google

fugam ceperunt. Et in hoc sexto bello IIII. Kal. Augusti commisso cæsa sunt centum millia Paganorum, in porta vero Aschalonæ suffocati sunt ad duo millia, eorum autem, qui in mari perierunt, & inter spineta silvarum consumti sunt, numerus præ multitudine nescitur. Duce autem Godefrido electo in Regem Jerosolymorum remanente, cæteri Principes repatriaverunt. Capta est autem Jerosolyma post annos circiter CCCCLXXXII. ex quo sub Heraclio Imperatore secunda vice capta possessa est a Sarracenis. Hic Godefridus Dux Lotharingiæ Imperatori Henrico militaverat contra Hildebrandum Papam, & in oppugnando Romam partem muri, quæ ei obtigerat, primus irrupit. Postea præ nimio labore & nimia siti nimium vinum hauriens, febrem quartanam incidit; audita autem fama viæ Jerosolymitanæ, illuc se iturum vovit, si Deus ei redderet sanitatem. Quo voto emisso, mox vires ejus penitus refloruerunt. In obsidione vero Antiochiæ civitatis Turcum quendam, cum eo petentem singulare certamen, per medium a lateribus gladio suo dissecuit, cujus dissecta medietate jam in armis palpitante, reliquam tulit equus, cui insederat. Sic enim firmatus Turcus ille insederat equo suo, forte sellæ affixus. Idem Godefridus alterum Turcum equo congressum, librato in caput ejus ense, a vertice usque ad inguina discidit, & ex eodem ictu sellam & spinam dorsi equi penitus divisit. Ceperunt ergo Christiani in hac via peregrinationis Terræ Sanctæ Antiochiam, Tripolim, Akron, quæ tunc Ptolemaida vocabatur, Cæsaream, Marram & Jerosolymam, ac pene totam Terram Sanctam. Antequam autem Antiochia caperetur, secundum Martinum, Sanctus Andreas apparuit cuidam rustico simplici, dicens: Veni, ostendam tibi lanceam, per quam Jesus Christus fuit perforatus. Qui rusticus, capta civitate, cum aliis fodiens in Ecclesia S. Petri, lanceam invenerunt. Dubitantibus autem plerisque, an ipsa esset vera lancea, quidam nomine Bartholomæus per Christum certificatus, cum ipsa lancea per ignem XIII. pedum ad hoc factum transivit illæsus. Et sic fideles cum lacrymis intrepidi procedentes per Akron pervenerunt Cæsaream. Cum autem essent prope Cæsaream, accipiter quidam columbam super exercitum volitantem graviter plagatam dejecit in terram, quæ columba deferebat literas talem continentes sententiam: Rex Akron Duci Cæsareæ salutem. Generatio canina venit gens contentiosa, contra quam per te & per alios volo legem tuam defendas. Idem annuncia aliis circumjacentibus civitatibus. Vale. Ordo Templariorum per Godefridum Regem Jerosolymorum institutus est, secundum Vincentium, de militibus & militaribus sui exercitus. Hic Ordo Templariorum est nominatus, quia juxta templum Domini est institutus, & pro custodia & tuitione ejusdem templi est instauratus.

Quadragesimo tertio anno Henrici, qui est Domini MXCIX. Henricus Imperator, reprobato filio suo majore Conrado, quem alias Aquisgrani coronaverat in Regem, filium suum juniorem Henricum ibidem in Regem coronari fecit. Conradus siquidem jam per quasdam Italiæ partes sceptrum & dignitatem Regiam annis pluribus obtinuerat, tantum odorem bonæ indolis suæ per orbem diffundens, ut nemo sapiens salutem Reipublicæ in ipso constituendam dubitaret. Erat enim vir per omnia Catholicus, Papæ subjectissimus, miseris & præcipue militibus inopia gravatis compassione & fructu misericordiæ proximus fiebat. Nemini contemtum, nemini vim, nemini præjudicium intentans, omni personæ omnique conditioni fuit affabilis. Et ideo Deo & hominibus dilectus, patrem suum Dominum suum vel Imperatorem suum nominavit. Adventantes a palatio patris sui sub appellatione conservorum, licet infimos, sociali benevolentia pertractavit. Corpore extitit decorus & statura venustus. Glano Rege Danorum subitanea morte defuncto, secundum Helmoldum in Chronica Slavorum, fratre Haroldi, quem interfici procuraverat, ut pro eo regnaret, Erikus Eghote frater suus successit. Hic Erikus sic cognominatus est, primo, quia mox, ut regnum accepit, tanta fertilitas terræ reddita est, quæ regnum Danorum tempore Olavi sui prædecessoris ex toto deseruerat, ut modius parvus cujuslibet bladi nisi duos valeret denarios usuales, qui perantea ultra quatuor solidos valuisset. Secundo dictus est Eghote, quia ita magnus homo fuit, ut supra omnem populum ab humeris sursum videri posset, habens in se fortitudinem quatuor virorum fortium. Tertio, quia ita bonus fuit regno, ut cum ad Terram Sanctam proficisci pararet, Dani tertiam partem omnium bonorum suorum, voluerint dare Terræ Sanctæ pro redemtione S. Crucis, ut ipse in regno maneret. Sed propter hoc manere noluit, imo extunc iter arripuit cum magna militia, illi exercitui Domini se jungens, de quo immediate supra dictum est. In reversione vero de expeditione sancta in Cypro defunctus est cum multa lamentatione suorum; cui successit Nicolaus filius suus, qui cum Magno filio suo regnavit pluribus annis. Godofredus Dux, secundum Vincentium, electus est a Principibus Christianis in Regem Jerosolymorum. Post recessum Principum cæterorum coronatus & unctus est a Patriarcha Jerosolymitano, viro devoto, in Regem, juxta illud Metristæ:

Anno milleno cum centeno minus uno
Jerusalem scribo captam Duce sub Godefredo.

De Paschali II. PP. CLXVIII.

Paschalis Papa, qui & Reynerus, natione Tuscus, ex patre Volfranno, sedit annis XIX. & diebus VIII. secundum Martinum. Iste Cardinalis existens S. Clementis, sanctæ fuit conversationis, & de Abbate Romano in Cardinalem, & de Cardinalatu promotus est in Papam. Hunc Papa Urbanus moriturus, spiritu instructus divino, Papam designavit futurum.

Quadragesimo quarto anno Henrici, qui est Domini MC. Ordo Cistertium Fratrum cœpit per Robertum Abbatem Molisinensem Diœcesis Lingonensis Ordinis S. Benedicti, secundum Wilhelmum, qui cum XXI. Monachis eremum Cister-

Digitized by Google

Cistertii petiit, unde idem ordo denominationem accepit: ubi freti consilio & auctoritate Hugonis Archiepiscopi Lugdunensis, Sedis Apostolicæ tunc legati, & Waltheri Cabilonensis Episcopi, necnon Oddonis Ducis Burgundiæ, inventam eremum in Abbatiam construere cœperunt. Conradus Trajectensis inferioris Episcopus, secundum Wilhelmum, feria quarta Paschæ post Missam ab eo celebratam, in domo propria, a quodam famulorum suorum turpiter occiditur, nullo alio apud eum de familia sua existente. Wicbertus Archiepiscopus Ravennensis, qui Gregorio VII. pulso per Imperatorem Henricum intrusus Papatum sibi usurpaverat, & Clementem III. se nominaverat, obiit secundum Egghardum, vir utique ingenio, facundia, nobilitate propaginis reverentiaque personæ insignis. Henricus autem Imperator percepta morte sui Antistitis alium in locum ejus instituisset, nisi rogatus per Principes & dissvasus fuisset.

Quadragesimo quinto anno Henrici, qui est Domini MCI. Godofridus Rex Jerosolymorum obiit, secundum Sigibertum, cui Baldowinus frater ejus in regno successit, coronatus apud Bethleem in Regem a Patriarcha Jerosolymitano. Vix enim erant tunc in tota militia Christianorum CCCC. milites & tot pedites, qui Jerosolymam, Ramam, Capham & Joppen custodiebant. Postea cepit Baldowinus Cæsaream Palæstinæ, ubi captus est Admiratus sive Admiraldus urbis & Episcopus eorum. Ibi etiam Turcus quidam percussus pugno Christiani in collo, bizancios evomuit multos. Mares enim intra gingivas, mulieres vero intra vulvas suas bizancios absconderant. Subegit etiam idem Rex Baldowinus postea Tiberiadem, Sydonem, Akaron & cunctas urbes maritimas. Boamundus autem filius Regis Apuliæ cum reverteretur de expeditione Jerosolymitana, per insidias cujusdam Admiraldi Turcorum captus est & detentus, sed per Dei gratiam liberatus, argenteos compedes, quibus vinculatus fuerat, Antiochiam secum attulit, & non multo post in Gallias venit, offerens catenas Sancto Leonardo, & ibi tunc uxorem duxit filiam Regis Francorum. Antiochiæ vero civitati præfuit prædictus Boamundus, post quem Tancredus frater ejus in ea principabatur. Conradus Henrici Imperatoris senior filius immatura morte præventus, secundum Wilhelmum, veneno, ut putabatur, intoxicatus, plenus fide & virtutibus obiit in Domino. Testantur enim, qui aderant, in brachio corporis defuncti crucis signaculum subito exortum se vidisse, ipsasque ejus exequias miraculis quibusdam honoratas fuisse a divina bonitate & clementia.

Quadragesimo sexto anno Henrici, qui est Domini MCII. Henricus Imperator, habito cum Principibus colloquio, Romam se profecturum, & generale Concilium circa Kalendas Februarii ibi se convocaturum condixit, quatenus tam sua quam Papæ causa Canonice ventilata, Catholica inter regnum & Sacerdotium confirmaretur unitas, quæ tot annis scissa permanserat. Sed proh pudor! dictum suum non servavit, imo Paschali Papæ alium supponere post Wicbertum cogitavit. Post mediam vero Quadragesimam convenientibus totius Italiæ Præsulibus, & Ultramontanorum & Patrum plurimorum legatis, Synodus magna Romæ est habita, ubi inter alia sic subscripsit Synodus illa: Anathematizo omnem hæresim, & præcipue eam, quæ statum præsentis Ecclesiæ perturbat: quæ docet & astruit, anathema esse contemnendum, & Ecclesiæ ligamenta esse spernenda. Promitto autem obedientiam Apostolicæ Sedis Episcopo Domino Paschali ejusque successoribus sub testimonio Christi & Ecclesiæ, affirmans, quod affirmat, damnans, quod damnat sancta & universalis Ecclesia. Paschalis autem propter Imperatorem Henricum promulgavit sententiam talem: Qui tunicam Christi scindere, & Ecclesiam rapinis & incendiis, luxuriis, perjuriis, homicidiis & adulteriis maculare non cessavit, primo a beatæ memoriæ Papa Gregorio, postea sanctissimo Urbano Papa prædecessoribus nostris excommunicatus est. Nos quoque perpetuo anathemati ipsum subjicimus, & id notum esse volumus omnibus, & maxime ultramontanis, quatenus ab ipsius se contineant iniquitate. Per hæc ergo acta Paschalis, & per Principum Imperii supplicationem, & quia, qui aptus assumeretur, non inveniebatur, quievit Imperator de Papæ contra Paschalem substitutione. Hæc Vincentius.

Quadragesimo septimo anno Henrici, qui est Domini MCIII. Henricus Imperator Nativitatem Domini Moguntiæ celebrans, secundum Egghardum, filio suo Henrico se reipublicæ administrationem commissurum, seque sepulcrum Domini visitaturum, per Emochardum Episcopum publice prædicari fecit. Indeque favorem maximum tam vulgi quam Principum & Clericorum regnique totius acquisivit. Multos etiam ex diversis Regni partibus ad ejusdem itineris comitatum se præparare voto ipsius accendit. Cuno filius Ottonis Comitis, unus de magnis Comitibus, secundum Egghardum, cui nihil in omni rerum humanarum indigentia deficiebat, sed superabundabat, quorundam hominum funestorum conspiratione noctu, dum iter ageret, invaditur & occiditur, sicut & ante triennium Henricus Crassus ejusdem Comitis germanus & natu senior, qui totius Saxoniæ principatum secundus a Rege gerebat, a Frisonibus, quibus præerat, insidiis vallatur, & fugiens vulneratur a nautis simul & suffocatur, uterque toti regno multum dolendus.

Quadragesimo octavo anno Henrici, qui est Domini MCIIII. Tildebertus Metrista & Petrus Alfonsi claruerunt, secundum Vincentium. Hic Petrus quondam Judæus & Moyses dictus, Judaismum reliquit, & ad fidem Christi conversus, libellum satis elegantem edidit, in quo contra Judæos & Sarracenos egregie disputavit. Edidit etiam librum gratiosum ad filium suum, insinuans ei bene vivendi modum, qui incipit: Dominus in hoc Opusculo. Baptizatus vero est in civitate Ostensi sub manibus ejusdem Episcopi

Digitized by Google

fcopi nomine Stephani, & ab Alfonfo Rege Hifpaniæ de facro fonte fufceptus in die Petri & Pauli Apoftolorum; unde dictus eft Petrus propter reverentiam Principis cœlorum, & Alfonfus propter reverentiam Principis terreni, fcilicet patris fui fpiritualis. Henricus Imperator Natale Domini Ratifponæ celebravit, fecundum Sigibertum. Ubi poft aliquot dies excitabatur contra Sigihardum Comitem feditio tam furibunda, quod nullo, nec Imperatoris filio interveniente fedari potuit, donec ab hora tertia usque in horam nonam in hofpitio obfeffus, tandemque fractis foribus ipfe prius confeffus, & fumto Dominici corporis facramento, capite truncatus eft. In Diœcefi Spirenfi fangvis ex panibus fluere vifus eft, fecundum Vincentium, nec non & in lenticularum edulio prodigiofe repertus, civile imo inteftinum bellum portendere fecundum antiquam Hiftoriæ Romanæ fimilitudinem conjiciebantur. Circa folftitium quoque æftivale inter grandinum lapides, in pago Wirciburgenfi de aëre decidiffe fertur tantæ magnitudinis glacies, quod in quatuor partes divifa, totidem hominibus importabilis videretur. In cœnobio Fuldenfi exitialis lues primo Abbatem & poft multos Monachos extinxit, fecundum Wilhelmum. Superftites autem cœperunt primo fibi quisque timere, & orationes ac eleemofynas uberiores facere, fed proceffu temporis metu poftpofito, remiffius agere. Et præcipue Cellarius, qui palam clamitabat, non effe rationabile, quod mortui plura confumerent, quam vivi potuiffent. Quadam ergo nocte tarde pergens in dormitorio folus, vidit in Capitulo Abbatem & omnes Fratres, qui illo anno obierant, eo ordine federe, quo decefferant. Tremens vero ille, & fugere geftiens, vi retrahitur in Capitulum, & increpatur, ac graviter difciplinatur, audivitque verba Abbatis taliter dicentis: Stultum eft de alterius morte emolimentis inhiare, cum quibus mortalis fit. Impium eft etiam, cum Monachus omnem vitam fuam in Ecclefiæ confumfit obfequio, ut careat faltem unius anni poft mortem ftipendio. Scito ergo, te citiffime obiturum, fed quicquid per te fiet, quibus abftulifti, referetur commodum. Vade ergo, & alios corrige exemplo, quos corrupifti verbo. Abiit ille, & nichil fe vanum vidiffe, tam recentibus plagis quam morte proxima demonftravit confratribus fuis. Civitas Lubicenfis terræ Wagirorum conftruitur & fundatur per Trutonem Principem Slavorum, fecundum Chronicam Lubicenfem, prope villam, quæ Swartowe nuncupatur. Sed in hoc loco non diu perfeveravit, quia fecundum Helmoldum in Chronica Slavorum, deftructa fuit a Slavis non diu poft ipfius inftaurationem, & fecundum eum, fundata fuit ibidem a prædicto Trutone eo anno, quo contra Buthue filium Godefchalchi triumphaverat, qui fuit annus Domini MLXXIII. Hoc autem præfenti anno fundata fertur in loco, ubi in præfentiarum fita eft, per eundem Trutonem Principem Slavorum, & mercatoribus repleta. Caftrum vero eidem urbi junxit folenne, in quo ipfe cum fuis fe locavit, & ab eo inimicis fuis reftitit.

Quadragefimo nono anno Henrici, qui eft Domini MCV. Terræmotus maximus factus eft Ierofolymis, fecundum Vincentium, in vigilia Nativitatis Domini, & Ierofolymitæ innumerabilem multitudinem Paganorum ftraverunt, victoria gloriofa eis de cœlo collata. Dum Imperator Henricus Natale Domini Moguntiæ celebraret, fecundum Egghardum, filius ejus Henricus contra jus naturæ & fas legum in patrem infurgens, quam indigne eum tractaverit, declarat Epiftola, ex ore ipfius patris fcripta ad Philippum Regem Francorum, & fimiliter Epiftola, quam fcripfit Principibus & Epifcopis Teuthoniæ, de quibus agetur infra. Infurgens ergo Henricus filius contra fuum patrem Henricum, primo hærefim a Pafchali Papa fupra condemnatam, & ipfe anathematizans, obedientiam Ecclefiæ Romanæ profeffus eft. Deinde fœderatis fibi Principibus Alemanniæ & Franciæ orientalis, ad Saxones fe convertit, a quibus honorifice fufceptus, in Qvedlingburg Pafcha celebravit. Ubi in brevi tempore univerfis Saxoniæ urbibus potitus, & ab Optimatibus ut Rex honoratus, totum Saxoniam Ecclefiæ Romanæ reconciliavit, Epifcopisque & Clericis conventum generalem indixit in urbe regia Northufenfi IIII. KL. Junii, ubi fuper difciplina Ecclefiaftica cum eis vellet contractare. Et convenit ibidem multitudo maxima. Henricus vero Rex benignitatem & humilitatem prætendens, conventui fervorum Dei non nifi vocatus intereffe voluit. Tandem in abjecto productus habitu, locoque ftans remotiore, fed propius reducto, omnibus juxta Principum decreta leges fuas, jura & privilegia rationabiliter innovavit, & alia ad rempublicam pertinentia ftudiofe profecutus eft. Inter hæc obortis lacrymis, Regem cœli cunctamque cœlorum militiam teftabatur, fe nulla regendi cupiditate paternum regnum velle ufurpare, neque Dominum & patrem fuum a Romano deponi Imperio exoptare, fed fe S. Petro fuisque fucceforibus ac legi Chriftianæ fubjicere vellet humiliter, & eisdem fideliter defervire. Quod verbum omnis multitudo laudavit, lacrymas fimul & preces tam quo patris converfione, quam pro filii profperitate fundens, voce magna exclamavit Kyrie eleifon. Deinde per Theutoniam multis animofe magnificeque tam per patrem quam per filium geftis, caftris, tandem circa fluvium Rhenum in contrarium pofitis, fpectaculo nimis horribili per triduum continuum ex una parte fluminis Imperatoris, ex altera parte Regis figna volitabant. Frequentia quoque ex ipfo fluminis alveo duella graffabantur, & non paucos ex utraque parte gladius abfumfit. Sed die proxima ante congreffionem belli certiffime futuram, Principes, qui capita & robur exercituum effe videbantur, pacifice colloquentes, tandem parum emolimenti tam duro & tam periculofo negotio ineffe unanimiter confiderantes, indeque populo Chriftiano ex utraque parte parcendum, imo parricidiali pugna cef-

fandum

Digitized by Google

sandum pari voto judicabant. Imperator autem consternatus animo, supplex Principum suorum petit adjutorium, nec impetrat. Instruitur etiam secretis filii sui literis & nunciis, suos se conspiratione procurante, beneficiis & muneribus multis tradituos Papæ Paschali. Propter quod sicut erat solers & in omnibus circumspectus Imperator, latenter e castris subtrahitur. Sicque divina dispositione uno salvo, multorum, qui fundendus credebatur, sangvis salvatur. Quo audito, unusquisque ad propria rediit. Tandem colloquium generale indicitur apud Moguntiam super causa istius dissidii, & Principes per Papam jam corrupti judicant, quod pater & filius separatim agant, & pater in castro fortissimo decreta Principum expectet. Unde vulgariter dictum est, patrem a filio captum & custodiæ mancipatum. Henricus ergo Imperator proditum se intelligens, in Leodio urbe ad tempora meliora se recepit. In supra dicto autem conventu Northusensi Episcoporum & Principum simonia & hæretica pravitas interdicta omnino fuit. Ubi etiam a Saxonia omnes increduli excommunicati, & injusti expulsi sunt Episcopi, & loco eorum justi & boni sunt restituti. Ibi etiam Fredericus Halberstadensis Episcopus propter Simoniam est dejectus. Episcopi vero Hildenshemensis & Padelburnensis propter eorum inobedientiam privati sunt sedibus suis, & Episcopus Myndensis propter inobedientiam similiter est depositus, & alter loco illius substitutus. Ibi etiam Monachi de Ysenburg redierunt ad suum Monasterium, de quo jam diu exulaverant, eligentes sibi Abbatem Martinum nomine. Hos, inquam, Monachos Fredericus Episcopus Halberstadensis expulerat de Monasterio suo Ysenburg, quia sibi obedire nolebant, eo quod excommunicatus & raptor esset communium stratarum. Duo orbes in modum solis & lunæ formati, secundum Sigibertum, cottidiano soli similes apparuerunt, omni colorum specie radiantes instar arcus cœlestis.

Quinquagesimo anno Henrici, qui est Domini MCVI. Paschalis Papa Henricum Imperatorem excommunicavit, secundum Vincentium & Helmoldum, & eo usque sententia invaluit, ut collecta generali curia Principes Teuthoniæ Henrico diadema tollendum & ad filium ejus æquivocum transferendum decernerent, qui jam dudum per patrem in Regem fuerat designatus. Missi ergo sunt Moguntinensis, Coloniensis Archiepiscopi & Wormatiensis Episcopus a Principibus universis ad Imperatorem, qui tunc in regio castro Hingelesheym consistebat, ut mandatum Principum ad ipsum deferrent. Unde ad ipsum venientes dixerunt. Fac nobis reddi coronam, annulum, purpuram, & cætera, quæ ad investituram Imperialem sunt pertinentia, filio tuo deferenda. Illo autem percunctante dejectionis suæ causam, responderunt: Cur quæris de his, quæ ipse optime nosti? Meministi, qualiter universa Ecclesia tui causa maximo schismatis errore jam multis laboraverit annis: qualiter Episcopatus, Abbatias cæteraque Ecclesiæ regimina fecisti venalia, nec fuit in constituendis Episcopis ulla legitimæ electionis facultas, sed sola pecuniæ ratio. Pro his & aliis causis variis sanxit auctoritas Apostolica, favitque Principum universitas, te non solum regno, verum & Ecclesiastica communione privandum. Quo contra Rex ait: Dicitis, quod spirituales dignitates vendidimus pretio. Vestra siquidem potestas est tale crimen mihi imponere. Dic o Moguntine Antistes, adjuratus per nomen Dei, quem exegimus aut recepimus censum? vel quam pecuniam postulavimus, quando te Moguntinæ Ecclesiæ præfecimus? Tu quoque Coloniensis per fidem te contestamur. Dic, quid nobis dedisti pro sede, cui nostri gratia præsides. Illis fatentibus, nil pecuniæ hujus rei gratia aut oblatum, aut acceptum, ait Rex: Gratias Deo agimus, quod in hac parte fideles inventi sumus. Certe dignitates hæ duæ præstantissimæ sunt, & magnum quæstum cameræ nostræ referre potuissent. Porro Wormatiensis, qualis a nobis susceptus sit, & ad quid promotus, si pietate vel quæstu erga ipsum usi fuerimus, nec vos ipsos latet. Condignam ergo nostris beneficiis rependitis gratiam. Nolite, quæso, participes effici eorum, qui levaverunt manus suas adversus Dominum & Regem suum, & temeraverunt fidem & juramentorum sacramenta. Ecce jam deficimus, parumque nobis vitæ restat, senio & labore confecti. Sustinete modicum, & nolite gloriam nostram confusione terminare. Si autem nobis omnino cedendum dicitis, & manet fixa sententia, præfigantur induciæ: statuatur dies placiti, & si curia adjudicaverit filio nostro coronam, manibus propriis eam sibi imponemus. Illis autem in contrarium contendentibus, & dicentibus, se negotium, pro quo missi essent, fortiter & constanter expleturos, Rex parumper avulsus ab eis, fidelium suorum requisivit consilium. Videntes autem, quod legati venissent militia stipati, & non esse locum resistendi, fecit sibi regiam exhiberi purpuram. Qua indutus, & in sedem receptus, legatos alloquitur, dicens: Hæc quidem Imperialis honoris insignia michi præstitit æterni Regis pietas & Principum Regni concors electio. Potens est autem Deus, qui me ad hoc culmen sua dignatione provexit, michi conservare, quod concessit, manusque vestras ab incepto opere cohibere. Divino enim præsidio, cui semper innixi sumus, inniti oportet omni militia & armis destitutos. Hactenus externis bellis implicati, custodiæ nostræ diligentiam adhibuimus. Hoc autem intestinum malum, sicut nec suspectum habuimus, sic nec præcavimus. Quis enim in orbe Christiano tantum nefas consurgere crederet, ubi jurata Principi sacramenta fidelitatis irritentur, suscitetur filius adversus patrem, postremo nulla beneficii gratia honestati exhibeatur. Certe Majestas Imperatoria illam erga hostes honestatis consvevit observare disciplinam, ut proscribendis vel damnandis induciarum remedia non negaverit, ante præmonens quam feriens, prius invitans ad gratiam, quam damnans

per

Digitized by Google

per sententiam. Quis tantam mentis alienationem a fidelissimis amicis, & maxime a Pontificibus credere potuisset. Dominum ergo factorem orbis vobis proponimus, ut ipsius terror vos coërceat, quos pietas a malo non revocat. Quodsi nec Deum nec honestatem propriam reveremini, ecce præsentes sumus: violentiam in præsenti reprimere non possumus. Necessarium enim est vim sustinere, cui refragari locus non valet. Cœperunt ergo Pontifices hæsitare, quid acturi essent. Rerum enim magnarum ingressus sunt difficiles. Tandem Moguntinus allocutus est socios, dicens: Quousque trepidamus o socii invictissimi? Nonne officii nostri est Regem consecrare, & consecratum investire? Quid ergo Principum decreto impendere licet, eorundem auctoritate tollere cur non licet? Quem ergo meritum investivimus, immeritum cur non devestiamus? Statimque accepto conamine, Imperatorem aggressi sunt, eique coronam de capite abruperunt. Deinde sublatum de sede, purpura cæterisque, quæ ad sacram investituram pertinent, funditus exuerunt. Qui confusione circumdatus, ait ad eos: Videat Deus, & vindicet in vos, qui inique agitis contra me. Ego quidem nunc luo peccata adolescentiæ meæ, recipiens a Deo stateram æqui ponderis, ignominiam & confusionem tantam, quantam nemo Regum ante me sustinuisse certum est. Non tamen vos ideo immunes a peccato estis, qui levastis manus adversus Dominum vestrum, & prævaricati estis jusjurandum, quod jurastis. Videat Deus & ulciscatur in vos, Deus, inquam, ultionum Dominus. Non consurgatis, neque crescatis, neque prosperetur honor vester, sitque portio vestra cum eo, qui tradidit Christum Dominum. At illi obturantes aures suas, perrexerunt ad Henricum filium suum, deferentes ei imperialia insignia, firmantesque eum in Imperio. Pater autem fugiens a facie filii, pervenit ad Ducatum Lymburgum, accelerans, ut evaderet manus quærentium animam ejus. Erat autem in regione illa Princeps nobilis, quem Henricus Imperator depositus, adhuc sui compos Ducatu de Lymburg privaverat, & alteri dederat. Accidit ergo, ut idem Princeps forte venationi insistens esset prope viam, quam Cæsar transivit, in comitatu suo vix IX. viros habens, qui in sua desolatione apud ipsum remanserant. Qui animadvertens Imperatorem esse, & intelligens, ipsum fugere a facie filii, quia factum jam quodammodo perceperat, sedens in equo, assumtis militibus, insecutus est Regem velocius. Quem videns Imperator, & reputans hostem, cœpit timere de vita. Et exclamans voce magna, cœpit postulare veniam. At ille: Male erga me Domine veniam meruistis, qui mihi quondam supplicanti omnem gratiam negastis, & Ducatu meo me injuste privastis. Hoc est enim, inquit Cæsar, quod nunc luo, quia filius meus surrexit contra me, & destitutus sum omni honore meo. Videns ergo Princeps ille Regem turbatum & desolatum, ac in ultimis tribulationibus constitutum miseratione commotus, dixit ad ipsum: Licet quondam sis potestate tua in me abusus, Deus tamen novit, quod magna super te pœnitudine commoveor. Impietas enim magna adversum te commissa est ab eis maxime, quibus pius & beneficus semper extitisti. Quid ergo tibi videtur? Estne tibi inter Principes relictus amicus? Cumque Cæsar se diceret ignorare, eo quod nondum aliquid pro esset tentatum: ait ille: Potens est Deus adhuc resarcire honorem tuum, eo quod inique actum sit adversum te. Fac ergo, ut suadeo. Ascende castrum hoc, & habeto corporis fessi curam. Ego autem mittam ad regiones & civitates tentando, sibi alicubi auxilium invenire potero. Forsitan non ex toto defecit justitia a filiis hominum. Misit ergo Dux ille circumquaque pro militibus, collegitque circa DCCC. armatos, assumtumque Cæsarem perduxit in Coloniam civitatem magnam. Colonienses vero receperunt eum. Quod cum percepisset filius, venit cum grandi exercitu, & obsedit Coloniam. Cumque obsidio vehementer invalesceret, Cæsar timens civitati, nocte elapsus fugit Leodium. Et convenerunt illuc ad ipsum omnes viri constantes, & quorum corda miseratio tetigerat. Perspecto ergo Imperator auxiliatorum numero, dimicare statuit. Quem cum filius persequeretur in manu forti, ille egressus est in occursum ejus ad aquas Mosanas. Rogavit autem Principes Rex & omne robur exercitus, dicens: Si fortissimus Deus me adjuverit hodie in prœlio, factique fuerimus in conflictu victores, servate mihi filium meum, & nolite interficere eum. Commissum est ergo prœlium, & prævalens pater, fugavit filium trans pontem, multique illic occisi sunt gladio, & plures aquis præfocati. Rursus instauratum est prœlium, & pater conclusus & comprehensus. Quantas autem contumelias quantave opprobria vir ille magnificus in diebus illis pertulerit, sicut relatu difficile, ita auditu lamentabile est. Insultabant ei inimici, illudebant ei & amici. Denique, ut ajunt, pauperculus quidam, sed literatus, coram omnibus sic locutus est ad eum: Inveterate dierum malorum nunc venerunt peccata tua, quæ prius operabaris, judicans judicia injusta, opprimens justum; & dimittens noxium. Cui cum astantes irascerentur viri sensati, compescuit eos Cæsar, dicens: Sinite eum, ut maledicat, quia voluntas Dei est. Erat autem illic Episcopus Spirensis Cæsari quondam dilectissimus. Nam & Imperator Ecclesiam B. Virginis apud Spiram fundaverat. Dixit ergo Cæsar ad amicum suum Episcopum Spirensem: Ecce destitutus regno decidi a spe, nihilq; mihi utilius pro nunc video, quam renunciare militiæ. Da ergo præbendam mihi apud Spiram, ut famulus Dominæ meæ Dei Genitricis esse valeam. Novi enim literas, & possum adhuc subservire choro. Ad quem Episcopus ille, per Matrem, inquit, Domini non faciam tibi, quod petis. Tunc suspirans Cæsar & lacrymans ait ad circumstantes: Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. Mortuus est ergo non diu post Leodii Cæsar, stetitque corpus ejus inhumatum in capella quadam deserta V. annis

Digitized by Google

annis propter sententiam excommunicationis. O magna Dei judicia & inscrutabilia, quæ ostensa sunt in tam præpotenti viro! Sperandum est autem, quod caminus ille tribulationis decoxerit in eo scoriam, & rubiginem omnem abstulerit peccatorum. Quotiens enim in præsenti vita judicamur, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.

De Henrico V. Imp. LXXXVI.

Henricus Quintus Henrici IIII. filius cœpit an. mundi VMLXVII. Olymp. CCCCLXVII. anno tertio, Urbis conditæ MDCCCLVI. Domini vero MCVI. & annis XXI. imperavit, secundum Martinum. Hic Henricus, secundum Vincentium, apud Moguntiam conventum Principum convocavit in Natali Domini, qvantus per multa annorum curricula a quoquam visus est. Fertur enim LII. ibidem tunc Principes fuisse vel amplius, adeo ut solus Magnus Dux Saxoniæ ætate decrepitus notaretur defuisse. Apostolicæ etiam sedis legati, puta Albanensis & Constantiensis Episcopi sententiam anathematis in Henricum IIII. Imperatorem a tot sibi succedentibus Papis sæpius promulgatam, scriptis simul & dictis testificabantur ibidem. Qua de causa cum ipse de castello, quo manebat, exhibere tentaret animose, Principes propter cavendum tumultum vulgi, suæ parti potius quam filii favere solentis, ipsi Imperatori occurrerunt in Gylenheym, tandemque generali & proditioso illum circumvenientes concilio perducunt usque ad hoc, quod Imperialia insignia, crucem scilicet & lanceam, sceptrum, globum & coronam filii potestati tradidit, prospera illi imprecans, illumque Primatibus multo fletu commendans. Hoc ergo ordine Henricus V. primum a patre Henrico Imperatore, demum ab omnibus regni Principibus in Regem jam secundo est electus, & a legatis Apostolicis per manus impositionem Catholice confirmatus, acceptis tam ab Episcopis quam laicis juxta morem patriæ sacramentis.

Primo anno Henrici, qui est Domini MCVII. Robertus Wiscardi Rex Apuliæ, secundum Martinum, vicit Alexium & Tymmanum Imperatores Constantinopolitanos. Iste Robertus de Francia venit Romam cum exercitu magno, volens, si posset, urbem occupare. Sed vi repulsus, regnum Apuliæ cepit. Habuit autem filium Rogerium Regem Siculorum & filiam Constantiam Imperatricem, matrem Friderici Imperatoris, qui contra Ottonem invaluit. Iste Rogerius genuit Willerum Regem Apuliæ, qui fuit in omnibus gloriosus, cujus tempore Regnum Apuliæ divitiis & deliciis præ cæteris regnis affluebat. Habuit etiam supra dictus Robertus & alium filium Boamundum, qui mare transiit pro liberatione Terræ Sanctæ, ut supra anno Domini MXCVI. patuit. Henricus Rex Romanorum legatos suos Romam misit, viros sagaces, puta de Lotharingia & Germania Brunonem Treverensem, de Saxonia Henricum Magdeburgensem Archiepiscopos, a Francia orientali Ottonem Babenbergensem, de Bayoaria Everhardum Eystadensem, ab Alemannia Gherhardum Constantiensem Episcopos, aliosque nonnullos Abbates notabiles, pluresque Nobiles de latere Regis laicæ professionis, qui & de objectis rite rationem reddere, & de incertis sagaciter investigare, & per omnia Ecclesiasticis utilitatibus sapienter consulere erant idonei: illudque mandati præcipuum eis inter cætera dedit, ut si fieri posset, Dominus Apostolicus suam transalpinis partibus exhibeat præsentiam. Et sic per tot annos jam obnubilata lux fidei partibus nostris exoritur, depopulatur & ventilatur, dijudicatur & convincitur, respuitur & condemnatur hæresis Clementina & Wicbertina ac Henriciana. Ecclesia autem Romana jam cornibus sibi exaltatis, ossa Wicberti Papæ de solenni sepulcro suo, quod per sex annos jam in Ecclesia Ravennensi quieverat, projici fecit, universaque ejus instituta velut invasoris Apostolici annullavit. Hoc anno Wernherus Ministerialis Regis, secundum Egghardum, qui Marchiæ Aquinæ præerat, collectis undecunque per Italiam copiis, corruptisque pecunia nonnullis Romanis, dum Papa Paschalis in finibus Beneventanis immoraretur, Abbatem de Farfara Cathedræ S. Petri imposuit, & ipsum Papam Cæsaris sub Silvestri vocabulo appellari præcepit, qui tamen post paululum a fidelibus Paschalis Papæ eliminatus est. Legati Henrici depositi Imperatoris, secundum Vincentium, per Adelbertum Comitem juxta Tridentum civitatem capiuntur de mandato Imperatoris novelli, sed per Welofonem Ducem Noricum tertia die supervenientem liberantur. A prima hebdomada Quadragesimæ cometa immensi fulgoris usque ad Domini Passionem apparuit. Quidam in Alsatia Henrico Regi novo rebellare moliebantur, & Henricus pater Regis destitutus Imperator non modica sibimet auxilia contra filium attraxit, puta Episcopum Leodiensem, Henricum Ducem Lotharingiæ, & urbes Coloniensem, Juliacum, Bunnam & Veronam, cæteraque partis illius oppida, ut vir bellator ab adolescentia sua argumentose se contra filium suum præparavit. Henricus vero Rex novellus, juvenili accensus animositate, se paravit ad occurrendum, præmisitque CCC. viros, qui pontem super Mosam fluvium in loco, qui dicitur Wegesaz, constructum observarent. Ipse autem Aquisgrani in palatio cœnam Domini celebrare volebat. Unde Henricus Dux Lotharingiæ cum Imperatoris antiqui exercitu regios milites ad pontem invasit, cinxit, oppressit, stravit & captivavit, quorum etiam quosdam fluvius absorbuit. Henricus ergo Rex propter eventum rei, secundum Egghardum, festa Paschalia Bunnæ celebravit, ubi Henricum Ducem Lotharingiæ judicio optimatum reum majestatis læsæ & hostem reip. Ducatu privavit, & generalem expeditionem contra Lotharingiam, accepto a Principibus sacramento, per totum regnum indixit & paravit. Et exhinc ad partes superiores se contulit, memor patris sui prudentiæ, experientiæ bellicæ & animositatis. Inter hæc Henricus senior Imperator Coloniam proficiscitur, Archiepiscopum expellit, civita-

Digitized by Google

vitatem fortiſſime munit, & inde Leodium redit. Menſe igitur Junio Henricus Rex junior cum XXM. Coloniam obſidet, & quatuor hebdomadas ibi caſſo labore conſumit. Inter hæc legati Imperatoris deſtituti Henrico Regi & Principibus ſuis literas deferunt in hæc verba: Henricus Dei gratia Romanorum Imperator Auguſtus Epiſcopis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, cæteriſque Regni Principibus, gratiam & dilectionem dignantibus eam recipere. Conquerimur Deo omnipotenti, & Dominæ Sanctæ Mariæ, beatoque Petro Apoſtolorum Principi Patrono noſtro, & vobis Principibus omnibus, quod injuſte & inhumane ac crudeliter confiſi in illa fide, de qua dubitare non debueram, tractati ſumus, & tam honore regni, quam præſidiis & omnibus, quæ habebamus contra divinum & humanum jus, ad infamiam & improperium regni ita exſpoliati ſumus, ut nichil penitus præter ſolam vitam relictum nobis ſit. Et quia cum conſilio & rogatu filii noſtri fide & ſecuritate vitæ & honoris noſtri ab eo prius accepta, fiducialiter & deſideranter Moguntiam in præſentiam legati Romani & Principum tenderemus, ut eorum diſpoſitione ageremus tam de ſtatu Eccleſiæ & honore Regni, quam de ſalute animæ noſtræ, ipſe non eſt veritus in hac voluntate & obedientia nos contra datam fidem capere, & usque ad articulum mortis ferme deducere. Non auſi ſumus ita nos illi credere, ut injuriis & contumeliis nos pro voluntate ſua, ſicut prius valeat, pertractare. Quapropter multum rogamus vos & obnixe precamur, ut pro timore Dei & honore regni, ac honeſtate veſtra ſtudere dignemini, quomodo de injuria in manibus veſtris mihi illata, per vos juſtitiam poſſimus recuperare. Nos quoque pro conſilio veſtro & eorum, qui nos non odiunt, parati ſumus tam filio noſtro, ſi in aliquo eum offendimus, quam alteri in regno libenter emendare. Parati ſumus inſuper & Domino Papæ reverentiam debitam & obedientiam ſincero corde penetraliter exhibere, & tam conſilio veſtro quam ſpiritalis patris noſtri H. Cluniacenſis Abbatis, aliorumque virorum religioſorum de ſtatu Eccleſiæ & honore Regni, quantum in nobis eſt diſponere. Cum ergo ad hoc parati ſimus, rogamus vos, & obnixe precamur, quatenus pro Deo & honore Regni ac veſtro, inſtanter moneatis filium noſtrum, cum nulla ei adverſum nos reſidua ſit occaſio, ut aſſerit, quod amodo deſiſtat nos & fideles noſtros perſequi, & quiete ac pacifice vivere permittat. Quod ſi noluerit, rogamus vos per auctoritatem Romanæ Eccleſiæ, cui nos committimus & honorem Regni noſtri, ne ſuper nos & ſuper fideles noſtros veniatis, quia manifeſtum eſt, eum non divinæ legis zelo, aut dilectionis Eccleſiæ Romanæ, ſed concupiſcentia regnandi, patre injuſte eo privato hoc incepiſſe, apud quem ſi interpellatio noſtra ullaque alia interventio ad præſens prodeſſe poterit, appellamus Romanum Pontificem & ſedem venerabilem Romanam & Eccleſiam. Henricus autem Rex ex Optimatum conſilio, legationem vicariam invectivam & impactivam multum & calliditate plenam patri deſtinavit, quam tamen prius publice prædicari per Henricum Magdeburgenſem Archiepiſcopum fecit. Hocque facto, ſuorum animos ſecum valde roboravit. Henricus ergo eximperator & Henricus exdux Lotharingiæ exercitum undecunque conflant, & adhuc vel ſemel tentare fortunam omnimode parant. Dum autem hæc agerentur, Henricus ſenior Imperator Leodii defunctus eſt VII. Idus Auguſti, quo die matrem ſuam Eccleſiam apud Unſtrod invadens, innumeras animas ad inferos præmiſit, eademque die Martis, qua etiam cuncta ſua prœlia paganico auſpicio perpetrare conſvevit, Leodii ſepultus eſt. Sed tandem juſſu Regis Spiram delatus eſt, inhumatus permanens per luſtrum ob excommunicationis ſententiam. Hic Henricus ſecundum Wilhelmum, Hildebrandi Papæ inimicus, & ea occaſione a filio ſuo turpiter & nequiter Imperio dejectus, fuit ore facundus, ingenio acer, eleemoſynis largus, quem natura ad imperandum omnibus habilitaverat, ſexagies & bis acie collata dimicavit. Plures autem ex adverſariis ejus vitam ſuam exitu miſero finierunt, & quia juſtitias Imperii defendere, & in ſtatu priſtino conſervare conabatur, pericula multa ſuſtinuit & perſecutiones. Quidam ex adverſariis dicti Henrici Imperatoris, homo potens & famoſus, dum ſecundum Vincentium, reſupinata cervice in convivio reſideret, repente a muribus circumvallatus eſt, ut nusquam poſſet effugere. Tantus enim erat numerus beſtiolarum, ut in qualibet provincia ampla tot eſſe non putarentur, nec fuſtibus aut baculis quibuscunque fugari poterant, nulli tamen nocere tentabant niſi illi ſolum. Quem quidem dentibus & terribili quodam occentu perſequebantur. Iſte ergo a famulis ultra jactum ſagittæ in pelagus provectus eſt, ſed fruſtra. Nam continuo tanta copia murium inundavit, ut mare paleis conſtratum jurares. Et cum tabulata navis corroderent, & aqua per rimulas & roſuras ſubintraret, famuli timentes naufragium, puppem ad litus reduxerunt. Miſer ergo ille in terram reductus, mox totus dilaceratus, horrendum murium famem explevit. Henrico igitur Magno tam miſerabiliter expedito & terminato,

Deſinat elatis quisquam confidere rebus,
Inſtabilesque Deos & lubrica numina diſcat
Illa manus, quæ ſceptra mundi geſtabat,
Cujus ſe totiens ſubmiſit ad oſcula ſupplex
Nobilitas, nunc inhonorus, & derelictus ab omnibus,
Diuque inhumatus, nec ſepulcri meretur honorem.

Secundo anno Henrici, qui eſt Domini MCVIII. Papa Paſchalis, ſecundum Egghardum, celebrato Concilio præſentibus legatis Henrici Regis Romanorum, Teuthonicos ſchiſmaticos abſolvit, & ad unitatem Eccleſiæ reduxit. Per tantam enim regni latitudinem tantum ſchiſma fuit, ut pauci Sacerdotes & Clerici Catholici reperirentur. Charta caritatis conſcripta eſt a S. Stephano Abbate Ciſtertienſi, & a XX. aliis Abbatibus,

batibus, Apostolici sigilli auctoritate roborata, secundum Sigibertum. Ab illo ergo tempore rejecerunt ab Ordine Cistertiensi frocos & pellicea, scamina & capucia, feminalia, pectina, coopertoria & stramenta lectorum, ac diversa ciborum fercula & sagina, ac omnia, quæ puritati regulæ adversabantur. Abjecerunt etiam Ecclesias, altaria, oblationes, decimas & sepulturas aliorum hominum, & furnos, molendina, villas & villanos, quia nec in Vita S. Benedicti, nec in ejus Regula legebant, eundem Sanctum hujusmodi possedisse, nec fœminas Monasterium ejus intrasse, nec mortuas ibi sepultas fuisse, excepta sorore sua S. Scholastica, dicentes, Deum Benedicto præcepisse, ut Monachus a secularibus actibus se faciat alienum. Decimas quoque dicebant a sanctis Patribus in quatuor partes distributas, unam Episcopo, alteram Presbytero vel Clerico, tertiam hospitibus ad illam Ecclesiam venientibus, seu viduis & infirmis, seu pauperibus alium victum non habentibus, quartam vero restaurationi Ecclesiæ. Et quia in hoc computo personam Monachi, qui terras suas possidet, unde per se & per pecora sua laborando vivat, non reperiebant, idcirco hoc velut aliorum jus injuste sibi usurpare decernebant. In parochia Ligiensi porca sive sus enixa est porcellum habentem faciem hominis. Natus est etiam ibidem, secundum Vincentium, pullus gallinæ quadrupes. Henricus Rex Natale Domini Ratisponæ celebravit, secundum Sigibertum, præsentibus legatis Paschalis Papæ, cujus adventum Rex apud Auguftam aliquamdiu præstolatus fuerat. Sed Papa proterviam Teuthonicorum declinans, & adhuc animosum cor Regis adolescentis considerans, necdum ostium in Germanicis partibus esse apertum gemens, per Burgundiam transivit in Cluniacum, ubi quondam Abbas fuerat, & tandem circa Ascensionem Domini Concilium non modicum apud Trecas tenuit, ubi inter alia sententiam de libera Pastorum electione, & de coërcenda laicorum in Ecclesiasticas dignitates præsumtione, juxta prædecessorum suorum decreta promulgavit. At Rex Henricus, peragratis Saxoniæ finibus, post Paschale festum Moguntiæ actum, eidem Concilio se vicinum, non tamen præsentem se exhibuit cum nonnullis Episcopis & Optimatibus, cum quibus etiam inito concilio legatos transmisit, per quos tam Papæ quam universæ Synodo potestatem constituendorum Episcoporum, privilegiis Apostolicis excommunicationis sententia vallatis, in contrarium conatibus inflicta, Karolo Imperatori suisque successoribus concessam notificaret. Super qua quæstione, quia in alieno regno quidquam diffiniri, utpote Romano jam incipiens potiri sceptro, Henricus non patitur, induciæ sibi totum sequentis anni spatium Romam veniendi, & tandem causam generali Concilio ventilandi conceduntur. Papa ergo humilitatem in cordibus Germanicis, quam speraverat, non inveniens, querulose Romam revertitur: Rex vero Henricus Ratisponam profectus, colloquium ibi cum Bayoariis habuit. Henricus Dux Lotharingiæ, qui secundum Egghardum, primo de Imperatore Henrico seniore ad filium suum Henricum Regem transiens, eum contra patrem animaverat, & demum a filio ad patrem rediens, partes filii debellaverat; mortuo Imperatore, se ut reum Majestatis Regiæ filio ejus tradidit: qui ab eo carcerali custodiæ traditus est, de qua tamen per industriam suam evasit, sed Ducatus ejus datus Godefrido Comiti Lovaniensi. Philippus Rex Francorum obiit secundum Vincentium, & apud Floriacense cœnobium est tumulatus. Henricus filius Godescalci Principis Obotritorum, secundum Helmoldum in Chronica Slavorum, postquam Truto Princeps Slavorum senio confectus erat, egressus de Dacia, in quam fugerat, cum dictus Truto fratrem suum Buthue interfecisset, reversus in terram patris sui. Cui cum Truto introitum præcluderet, ille collecto de Danis atque Slavis magno navium numero, percussit Aldenburg & omnem maritimam Slavorum provinciam, duxitque de eis prædam infinitam. Et cum hoc secundo & tertio fecisset, factus est timor magnus omnibus Slavorum populis, insulas & litora maris inhabitantibus, ita ut ipse Truto præter spem Henricum ad pacis conditionem admitteret, & concesso ei introitu villas sibi optimas ad habitandum concederet. Nec tamen Truto hoc egit bona intentione, eo quod dolosus esset. Virum enim bellicosum & juvenem fortem, quem vi nequibat, fraude opprimere satagebat, insidias, ubi poterat, ei ponere disponens. Sed Henrico ad cavendum insidias Trutonis & consilium & dolus non aberant. Nam Domina Slavina uxor Trutonis sæpius Henricum præmonuit, denuncians ei insidias. Et hoc ideo fecit, quia marito suo jam vetulo, si possibile foret, (ei) nubere affectabat. Unde etiam instinctu ejusdem fœminæ Henricus invitavit Trutonem ad convivium, quem multa potione temulentum, cum æstuarium, in quo sedebant, se curvando & inclinando exire deberet, eo quod ostium bassum esset, Danus quidam ad hoc conductus securi ipsum percussit, & caput uno ictu amputavit. Et accepit Henricus Slavinam uxorem, & obtinuit principatum in terra. Occupavit autem munitiones, quas ante habuit Truto, & reddidit hostibus ultionem. Tunc etiam accessit ad Magnum Ducem Saxoniæ, & fecit ei juramentum fidelitatis & subjectionis. Sed & Nordalbingorum populos, quos Truto vehementer attriverat, iste convocavit in unum, & iniit cum eis pactum firmissimum nulla bellorum tempestate violandum. Et lætati sunt Holtzati, Sturmari & Dithmarci cæterique Saxones Slavis vicini, eo quod corruisset hostis eorum maximus, & surrexisset pro eo Princeps novus, qui salutem diligeret populorum. Servieruntque ei ex animo, properantes cum eo ad varia bellorum pericula, parati cum eo vivere & mori feliciter. Audientes autem Slavi, quod Princeps novus surrexisset, qui Christianas leges diligeret, & tributa Principibus solvi præciperet, vehementer indignati sunt. Et convenerunt omnes orientales Slavi, & una volunta-

Digitized by Google

luntate ſtatuerunt pugnandum contra Henricum, deſignantes locum & diem conventionis. Nunciatum eſt autem Henrico, quod egreſſus eſſet Slavorum exercitus ad perimendum ipſum. Qui ſtatim direxit nuncios ad accerſendum Magnum Ducem Saxoniæ,& fortiſſimos Bardorum, Holtzatorum, Sturmarorum & Dithmarcorum. Qui omnes occurrerunt promto animo, & progreſſi ſunt in terram Polaborum in campum, qui Smylowe dicitur, ubi exercitus hoſtilis erat diffuſus ſuper latitudinem campi. Videns ergo Magnus Dux, quod exercitus Slavorum grandis eſt & armis bene munitus, timuit congredi. Protractumque eſt bellum a mane usque ad veſperam, eo quod internuntii tentarent pugnam conditionibus dirimere. Dux quoque exſpectabat auxilium militum, quos ſuperventuros ſperabat. Factum eſt autem circa occaſum ſolis, & ecce ſpeculator Ducis nunciat, militiam armis inſtructam eminus accedentem. Quibus viſis, Dux gaviſus eſt, & animi Saxonum extolluntur, & perſtrepentibus tubis congreſſi ſunt in prœlium. Et diruta eſt acies Slavorum, disjectique ſunt viri animoſi, & occiſi ſunt in ore gladii. Et facta eſt victoria illa Saxonum celebris & recordatione digna eo quod affuerit Dominus credentibus in eum, & concluſit multitudinem in manu paucorum: Factusque eſt Henricus Dominus totius provinciæ Slavorum, & ſervierunt ei ſub tributo. Porro in univerſa Slavia non erat Eccleſia neque Sacerdos, ſecundum Helmoldum, niſi in urbe tantum Lubicana, eo quod Henricus Princeps poſt mortem Trutonis ibi Eccleſiam erexiſſet, & cum familia ſua ibi frequenter moraretur, & de caſtro, quod Truto ibidem conſtruxerat, inimicos ſuos debellaret, prout ſupra tactum eſt anno XLVIII. Henrici IIII.

Tertio anno Henrici, qui eſt Domini MCIX. Mortuus eſt Magnus Dux Saxoniæ, ſecundum Egghardum, filius Rodulfi Ducis, filii Bernhardi Ducis, filii Bennonis Ducis, filii Hermanni primi Ducis Saxoniæ. Et dedit Henricus Rex Ducatum Saxoniæ Ludero Comiti filio Ghevehardi Comitis de Suppelingborg, eo quod Magnus Dux non haberet filium, ſed duas filias, quarum una Eylike nomine nupſit Ottoni Comiti de Oſterbergh, genuitque ei Albertum Marchionem cognomento Urſum. Altera vero filiarum Vulfildis nomine data eſt Catulo Duci Bayoariæ, quæ peperit ei Henricum Leonem. Luderus autem, qui de ſanguine Widekindi Regis Angarorum deſcenderat, obtinuit Ducatum Saxoniæ, & gubernavit ipſum cum modeſtia, habens ſub ſe tam Slavos quam Saxones. Plures autem Comites alii cum Ludero prædicto de ſemine Widekindi deſcenderant, puta Ballenſtedenſes, Brunſwicenſes, Ringelenſes, Werlenſes & alii quamplurimi Cometias & dominia plurima poſſidentes. In diebus ergo illis accidit, ut latrunculi Slavorum venirent, in Sturmariam ad tollendam prædam jumentorum, & ad captivandum homines prope urbem Hammeburg. Comes autem provinciæ illius, Godefridus audiens Slavos adveniſſe, cœpit cum aliquibus civibus de Hammeburg & ſuis familiis perſequi latrones. Sentiens vero eorum multitudinem, ſubſtitit aliquantulum, donec ei auxilium majus adveniret. Quem præteriens quidam ruſticus, cujus uxor & filii captivi ducebantur, dixit Comiti: Quid tardas virorum viliſſime, cor habens muliebre & non virile? Certe ſi videres uxorem tuam & filios tuos abduci, ſicut vides de meis fieri, non ſubſiſteres. Ad quid, rogo, obligamur tibi ſolvere tributa, ex quo trepidas defendere nos & terram noſtram. Feſtina ergo liberare captivos, ſi amplius a nobis honorari volueris in terra noſtra. Comes autem verbis ruſtici provocatus, hoſtes velociter inſecutus eſt. At illi poſuerant poſt ſe inſidias, & cum præteriret Comes cum paucis, ſurrexerunt Slavi de inſidiis, & percuſſerunt Comitem cum XL. viris, & abierunt viam ſuam cum præda, quam rapuerunt. Caput autem Comitis Godefridi abſciſſum ſecum abduxerunt, quod poſt multo pretio redemtum, in patriis reconditum eſt ſepulcris cum corpore ſuo. Cometiam autem hanc vacantem dedit Luderus Dux Saxoniæ Nobili viro Adolfo de Schowenburg, virtutibus militaribus & induſtria tunc in partibus occidentalis Saxoniæ ſingulariter adornato. Et ſic Adolfus Comes factus eſt de non Comite, & fecit pacem firmiſſimam cum Regulo Slavorum Henrico filio Godeſcalci ex filia Regis Danorum. Cum autem Henricus Slavorum Princeps ſederet in urbe Lubicana quiete, ſecundum Helmoldum, ecce improviſo ſupervenit Ranorum ſive Rugianorum exercitus, & ſubvecti Rani per alveum Trabenæ, urbem navibus circumdederunt. Videns autem Henricus Princeps improviſum obſidionis malum, dixit ad Ducem exercitus ſui: Conſulendum eſt ſaluti noſtræ & virorum, qui nobiſcum ſunt, & neceſſarium mihi videtur, ut exeam ad procuranda auxilia, ſi forte valeam urbem ab obſidione liberare. Eſto ergo vir fortis, & conforta bellatores, qui in urbe & caſtro ſunt, & ſervate mihi ea in diem quartum. Tunc enim, ſi vixero, apparebo ſuper montem illum. Et elapſus eſt nocte cum duobus viris, & venit in terram Holtzatorum, nuncians eis imminens periculum. At illi mox conglobati convenerunt, occurrentes cum eo in prœlium. Et venerunt prope munitionem, quæ jam oppugnabatur ab hoſtibus, & locavit Henricus ſocios in latibulis, præcepitque eos in ſilentio eſſe, ne forte hoſtes audirent murmur multitudinis & equorum hinnitum. Avulſusque a ſociis uno tantum contentus famulo, venit ad locum, quem ſuis præſignaverat, & unde videri poterat ab urbe. Cujus faciem præfectus militiæ urbanæ callide obſervans, oſtendit eum amicis, quorum animi conſternati erant. Nam fama ad eos pervenerat, quod Henricus ea nocte, qua egreſſus fuerat, captus fuiſſet ab hoſtibus. Contemplatus ergo ſuorum periculum & obſidionis fervorem, reverſus eſt ad ſocios, & commutato itinere, circumduxit exercitum per viam maris usque ad oſtium Trabenæ, quod Travemunde nuncupatur, deſcenditque per viam,

qua

Digitized by Google

qua Ranorum equites deſcendere debebant. At ubi Rani viderunt multitudinem per iter maris deſcendentem, putabant, quod equites ſui eſſent, & exierunt de navibus in occurſum Henrici cum gaudio & plauſu. At illi facto magno clamore, inſiluerunt ſubito in hoſtes, & perterritos inopinato caſu ad naves usque propulerunt. Et facta eſt ruina magna exercitus Ranorum illa die, cecideruntque interfecti coram urbe Lubeke circiter VIM. Nec fuit minor numerus eorum, qui aquis præfocati ſunt, quam qui gladiis interierunt, feceruntque magnum tumulum, in quo corpora interfectorum ſunt projecta, & in memoriam victoriæ locus tumuli illius vocatus eſt Raniberg usque in hodiernum diem. Magnificatus eſt ergo Dominus Deus in manu Chriſtianorum in ipſo die. Locus vero præfatus Raniberg eſt prope urbem ad parvum ſpatium, ubi impræſentiarum eſt ſituata. Ex quo manifeſte apparet, primam fundationem ſuam eſſe factam a Trutone in loco, ubi jam ſituata exiſtit, cum ante hæc tempora non legatur ſub aliquo Authentico Chronographo fuiſſe deſtructa, ſed potius poſt.

Quarto anno Henrici, qui eſt Domini MCX. Ipſe Henricus Rex, ſecundum Egghardum, volens captioſe & doloſe experiri caſtitatem & probitatem uxoris ſuæ, commiſit uni militum ſuorum, ut ſuam tentaret uxorem de actu Venereo, ſi aliquo modo eam inclinare poſſet ad ſuam voluntatem. Cumque prædictus miles verbis dulcibus Imperatricem invaderet, & inſtanter ei ſuum exponeret deſiderium, illa velut caſta & honeſta mulier ac Deum timens, militi nequam viriliter reſtitit, & omnino ſe nolle facere affirmavit, quod affectaret, cum magna etiam indignatione ipſum repellens & redarguens, quod tale nefas de ea præſumeret. Miles vero quia a Rege audaciam acceperat, verbis ipſam pulſando deſtitit, & fortius eam aggrediens importunis precibus & comminatoriis affatibus, & ultimo vim ei inferre velle proteſtans ſuum deſiderium ab ea impleri poſtulavit. Regina ergo videns impudentiam militis, nec ſuſpicans impoſitionem eſſe viri ſui, ſed metuens de honoris ſui infamia, tandem ei conſenſit verbo, non animo, aſſignans ſibi tempus & horam, in quibus commode ad eam poſſet accedere. Quo reſponſo habito, miles lætus receſſit, & Henricum Regem ad partem trahens cuncta, quæ ſibi acciderant, ei intimavit. Interim vero Regina ſex fortes viros juvenes induit veſtibus muliebribus, qui in latibulis poſiti, venientem militem fortiter percuterent, & indignanter amoverent. Rex autem audiens, uxorem ſuam conſenſiſſe militi tentatori, exutis veſtibus propriis, induit ſe veſtimentis militis, & hora noctis conſtituta rediens de via, quam ſimulaverat, perrexit ad locum militi deputatum. Quem videntes adoleſcentes in angulo occultati, & putantes militem eſſe, in ipſum irruerunt, & fuſtibus ipſum atrociſſime percutientes, ad terram usque proſtraverunt. Qui vocibus miſerabilibus cameram replens, ſe fore Regem exclamavit. Cujus vocem agnoſcentes famuli, a verberibus deſiſtebant, ſe excuſantes quod militem illum ſe putaſſent percuſſiſſe. Regina ergo egreſſa de ſuo cubili, dixit Regi: O Domine mi Rex, non decet Majeſtatem veſtram ſic illudere uxori veſtræ, & tradere eam viro ſceleratiſſimo, ac deturpare thorum veſtrum regium. Rex vero confuſus voluiſſet occidiſſe juvenes percuſſores, niſi Proceres ſui ei reſtitiſſent. De conſilio tamen Nobilum ſuorum militem illum occulte interfici juſſit, ne factum tam execrabile divulgaretur. Philippo Regi Francorum nuper defuncto ſucceſſit Lodowicus filius ejus ſecundum Wilhelmum, cognomento Groſſus, & regnavit XXX. annis. Hic vir extitit bellicoſus, acer in hoſtes, ac in agendis rebus ſtrenuus. Nam Theobaldum Comitem Bleſenſem, & Hugonem de Piſtiaco ſibi ſubjecit, & caſtrum ejus funditus ſubvertit. Milonem quoque de Monte Letherii, Oddonem Comitem Corbeyenſem, Hugonem de Creciaco & Thomam de Marna tyrannum perpetuo exhæreditavit. Haymonem & Dominum Borboniæ ſuppeditavit, & opida ac munitiones omnium eorum juriſdictioni ſuæ ſubegit. Inſuper Borchardum Præpoſitum Brugenſem interfectum, in cloacam projici fecit, Bertoldum ſocium ſuum vivum cum cane ſuſpendit, Iſaac vero tertium ſocium ſimiliter ſuſpendit propter Karolum Comitem Flandriæ conſangvineum Lodowici Regis, quem iſti in Eccleſia orantem ſub proditione interfecerunt. Cum Brizanorum & Stoderanorum populi, hi videlicet, qui Havelberg & Brandeburg habitant, ſecundum Helmoldum, rebellare Henrico Regulo Slavorum pararent, ipſe congregato exercitu de amiciſſimis Nordalbingorum populis, venit Havelberg, & opidum obſedit, præcepitque omni Obotritorum populo, ut deſcenderet ad expugnationem urbis. Et crevit obſidio in dies & menſes. Interea perlatum eſt ad Miſcue filium Henrici, quod gens quædam eſſet e vicino fertilis omnibus bonis, habitatoresque ejus ſederent quieti, & nullius tribulationis experti, dicti Livi ſive Livones. Aſſumſit ergo ſecum CC. Saxones & CCC. Slavos, omnes electos, & abiit inconſulto patre iter bidui per anguſtias nemorum & difficultates aquarum ac paludes, irruitque ſuper ſecuros & impavidos, & duxit ex eis infinitam prædam & captivos homines multos, abieruntque onuſti. Cumque in reditu difficiliora paludis tranſirent, ecce circumjacentium locorum incolæ pariter conglobati in pugnam proruunt, volentes liberare captivos. Videntes ergo hi, qui erant de Miſcue parte, ſe immenſa multitudine hoſtium circumfuſos, viamque ferro aperiendam eſſe, adhortati ſunt ſe mutuo, totisque viribus uſi, omnem obſiſtentium multitudinem illam peremerunt, & Principem eorum captivum ſecum duxerunt. Veneruntque ad Henricum & exercitum, qui erat in obſidione cum ſalute, victoriamque & multas divitias ſecum reportantes. Poſt paucos vero dies Brizani cæterique rebelles pacem poſtulaverunt, datis obſidibus, quos Henricus Princeps poſtulaſſet, atq; in hunc modum ordinatis rebus

rebus & fedatis rebellibus, Henricus reverſus eſt ad propria cum ſuo victor glorioſus.

Quinto anno Henrici,qui eſt Domini MCXI. Ipſe Rex Romanorum Henricus, conventu Procerum in Frankenford habito, ſecundum Sigibertum, Sifridum Palatinum Comitem apud Wirciburgenſem Epiſcopum cuſtodiæ deputavit, eo quod prodente Henrico quondam Duce Lotharingiæ, jam in gratiam Regis recepto, in necem & regnum Regis inſurgere conciliatus ſit. Ibi etiam depoſito Godefrido Fuldenſium Abbate, Wolfhelmum eis præfecit ex eadem congregatione. Poſt hoc ad Poloniam gentem longinquam movit exercitum, multoque & diuturno ibidem deſudans labore, negatum a terra illa extorſit tributum debitum. Woldemarus filius Henrici Reguli Obotritorum a Ranis ſive Rugianis interfectus eſt, ſecundum Helmoldum in Chronicis. Quamobrem pater dolore pariter & ira permotus, omnem animum vertit ad rependendam occiſoribus talionem. Miſit ergo nuncios in univerſas Slavorum provincias ad contrahendā auxilia, & convenerunt omnes pari voluntate,ut parerent juſſui Principis, & expugnarent Ranos, & fuerunt innumerabiles quaſi arena maris. Nec his contentus Henricus, miſit ad accerſendos Saxones, eos ſcilicet, qui Holtzati & Sturmari dicuntur, commovens eos, & ſecuti ſunt eum ex ſpeciali amicitia, numero quaſi mille DC. Tranſito ergo flumine Trabena, abierunt per longiſſimos fines Polaborum & Obotritorum, quouſque pervenirent ad Panym flumen, id eſt Peyna. Quo tranſito,direxerunt iter ſuum verſus urbem Wolgaſt, quæ apud urbaniores vocatur Julia Auguſta propter urbis illius conditorem Julium Cæſarem. Illic autem invenerunt Henricum eos exſpectantem. Et pernoctaverunt, figentes caſtra longe a mari. Mane autem facto, convocans Henricus populum, allocutus eſt eos, dicens: Magna o viri debetur vobis gratulatio, qui ad oſtenſionem benevolentiæ veſtræ longius veniſtis,laturi nobis opem contra hoſtes ſæviſſimos. Notum ergo vobis eſſe cupio,quod Rani, ad quos modo tendimus, directis ad me nocte nunciis, ducentis marcis pacem obtinere quærunt. Super hac re nihil mihi ſine conſilio veſtro diffiniendum eſt. Et ſi decreveritis acceptandum, acceptabo, ſi vero recuſandum, recuſabo. Ad quem reſponderunt Saxones, dicentes: Nos quidem, o Princeps, licet pauci numero ſimus, honoris tamen atque virtutis cupidi, gloriam pro quæſtu nullo modo ducimus acceptandam. Ranos ergo, qui filium tuum occiderunt, pro ducentis marcis in gratiam recipiendos noſtro requiris conſilio. Revera nomini tuo magno condigna ſatisfactio. Abſit a nobis talis injuria, ut unquam facto huic conſentiamus. Nec enim ideo uxores, filios & patriam noſtram reliquimus, ut hoſtibus cavillationem, & filiis noſtris opprobrium ſempiternum hæreditemus. Quin potius perge, ut cœpiſti: tranſi mare, utere ponte, quem ſtravit tibi bonus artifex Chriſtus. Admove inimicis tuis manus. Videbis nobis glorioſam mortem maximum eſſe lucrum. His exhortationibus animatus Princeps, movit caſtra de loco illo, & perrexit ad mare, quod ſtratum erat glacie firmiſſima ob algorem hyemis, ſtatimque tranſitis ſylvis & arundinetis, venerunt ſuper mare. Ecce illic agmina Saxonum & Slavorum diffundebantur ſuper faciem maris per diſtincta vexilla, expectantia Reguli præſentiam, eratque exercitus ille grandis valde. Omnibus ergo ordinate per ſingulas acies conſiſtentibus, ſoli Duces egreſſi ſunt ad ſalutandum Regulum Henricum, & pronis vultibus adoraverunt. Quos reſalutans Henricus & exhortans, cœpit percunctari de itinere, & quinam in proceſſu belli eſſe deberent primi. Singulis autem Ducibus exercituum certamen offerentibus, reſponderunt Saxones: Noſtri juris eſſe dinoſcitur, ut ad bella procedendo nos primi ſimus, & recedendo ultimi inveniamur. Legem ergo a patribus noſtris nobis traditam & hactenus poſſeſſam, & in hoc loco minime negligendam eſſe arbitramur. Et annuit eis Henricus Regulus. Et licet Slavorum multus eſſet numerus, Henricus tamen non ſe credebat eis, eo quod ipſe noſceret omnes eorum conditiones. Levatis ergo ſignis, Saxones præceſſerunt in fronte, cætera vero Slavorum agmina in ſuis ordinibus ſubſecuta ſunt. Et tota die ambulantes in glacie & nive, tandem circa horam IX apprehenderunt terram Rugianorum. Statimque villæ litori contiguæ inflammatæ ſunt. Dixit autem Henricus Princeps ad exercitum: Quis ibit ex nobis ſpeculari, ubi exercitus conſiſtat Ranorum? Videtur enim mihi, quaſi videam eminus multitudinem nobis appropinquantem. Miſſus ergo cum aliquantis Slavis ſpeculator Saxonum, in momento reverſus eſt, nuncians, hoſtes adeſſe. Dixitque Regulus ad ſocios: Mementote o viri, unde veniſtis, & ubi conſiſtitis. Ecce menſa poſita eſt, ad quam æquo animo nobis accedendum eſt. Nec eſt locus ſubterfugii, quin oporteat nos participari deliciis ejus. Ecce mari undique concluſi ſumus. Hoſtes ante nos, & hoſtes poſt nos, periitque a nobis fugæ præſidium. Confortamini ergo in Domino Deo excelſo, & eſtote robuſti viri bellatores, quia e duobus unum reſtat eligendum aut vincere aut mori fortiter. Sed hoc nobis magni ſolatii erit & ſpei, quod contra inimicos Dei bellaturi ſumus. Inſtruxit ergo Henricus aciem, ipſe conſtitutus in fronte cum robuſtiſſimis Saxonum. Videntes ergo Rani impetum viri & fervorem bellandi exercitus ejus, timuerunt timore magno, miſeruntque Flaminem ſuum,qui cum Principe Henrico de pace tractaret, & primo CCCC. deinde DCCC. obtulit marcas. Cumque exercitus remurmuraret indignans, urgerentque aciem ad congreſſum, corruit Sacerdos Ranorum ad pedes Principis, dicens: Ne iraſcatur Dominus noſter ſuper ſervos ſuos. Ecce terra in conſpectu tuo eſt: utere ea, ut libet. Omnes in manu tua ſumus: quicquid impoſueris nobis oneris, faciemus. Quatuor ergo milibus & DCCC. marcis pacem mercati ſunt. Acceptis ergo obſidibus & juramentis fide-

fidelitatis de ſubjectione ſervitutis perpetuæ, Henricus Regulus in terram ſuam reverſus eſt, dimittens unumquemque ad proprias redire ædes.

Sexto anno Henrici, qui eſt Domini MCXII. Henricus Rex Romam perrexit propter ſedandam diſcordiam, quæ erat inter Regnum & Sacerdotium, ſecundum in Speculo. Quæ quidem cœpit a Gregorio VII. & exagitata eſt a ſucceſſoribus ſuis, Victore, Urbano & Paſchali, & magnum ſcandalum ex ea ortum eſt toti mundo. Rex enim uti volens conſvetudine & auctoralibus privilegiis Imperatorum, qui a Karolo Magno, qui primus Germanorum imperavit, Romam jam per CCC. & eo amplius annos imperaverunt ſub LXIII. Apoſtolicis, & dederunt licite Epiſcopatus, Abbatias, virgam & annulum, & hoc eſſe ſuum jus allegabant. Contra hanc majorum auctoritatem cenſebant Papæ Synodali judicio, nec poſſe nec debere dari per virgam vel per annulum Epiſcopatum, vel aliquam Eccleſiaſticam dignitatem aut inveſtituram a laicali manu. Et quicunque ita Epiſcopatum vel dignitatem aliam aut inveſtituram accipiebant, excommunicabantur. Propter hanc præcipue cauſam Rex Romam tendebat. Et ſiqui Lombardorum quoquo modo ei reſiſtere tentabant, potenter eos conterebat. In reconciliatione autem facta inter Papam & Regem talis ordo obſervatus eſt, ſecundum Helmoldum in Chronica Slavorum. Cum enim Rex Romam veniret, ut Imperialis honoris faſtigium reciperet de manu Summi Pontificis, Dominus Papa Paſchalis valde lætatus, miſit ad circumjacentes regiones accerſiri numerum Cleri, ut Regem venientem honorifice reciperet. Suſceptus ergo cum magno Cleri urbiſque tripudio, cum perveniretur ad conſecrationem, exegit Papa ab eo juramenta, quatenus in Catholicæ fidei obſervantia & Apoſtolicæ Sedis reverentia, ac Eccleſiarum defenſione fidelis exiſteret & perſeveraret. Sed Rex ſuperbus jurare noluit, dicens, Imperatorem nemini debere jurare, quia juramentorum Sacramenta ei eſſent exhibenda. Facta eſt ergo contentio inter Papam & Regem, & interceptum eſt officium conſecrationis. Statim armatus Regis exercitus injecit manus in Clerum, & ſpoliaverunt eos veſtibus ſacris. His auditis, Romani proruunt ad obſiſtendum, ortumque eſt bellum in domo Beati Petri, quale non eſt auditum a diebus multis. Prævaluit autem exercitus Regis, & attrivit Romanos interfectione magna, & repleta eſt domus ſanctificationis cadaveribus, profluxeruntque de corporibus occiſorum rivuli ſangvinis adeo, ut Tiberina fluenta rubricarentur. Poſt vero & Cardinales, qui interfectioni ſuperfuerant, in captivitatem ſunt reducti. Poſtquam vero profecti ſunt de Roma captivi Papa & Cardinales in collis funes gerentes tanquam ſuſpendio digni, dixerunt quidam Epiſcopi Papæ: Magnum facinus commiſſum eſt in te, Pater Sancte, & Clerum tuum, ſed mala hæc exigentibus noſtris peccatis improviſa fuerunt. Aſſentire ergo neceſſarium eſt tibi Regi & complacere, ut & ipſe placetur nobis, & perfice in eo opus benedictionis tuæ. Reſpondit Papa: Quid dicitis fratres? Virum hunc iniquum, virum ſangvinum & doloſum a nobis conſecrandum conſulitis? Abſit a me verbum, ut ego conſentiam conſecrationi ejus, qui ſe ipſum execrabilem reddidit. Pulcre quidem expiavit manus ſuas ad percipiendam conſecratio, qui aras Dei perfudit cruore Sacerdotum. Cumque illi dicerent, bonum eſſe ſaluti ſuæ & ſuorum, qui erant in captivitate, ut Regem placaret, reſpondit: Non timebo Dominum veſtrum Regem. Occidat corpus, ſi voluerit, & amplius non habebit, quod faciat. Sed dico vobis in veritate, quod de cætero non aſſequetur victoriam, nec videbit pacem in diebus ſuis. Sed nec filium generabit, qui ſedebit in ſolio ſuo poſt eum. Cumque hæc denunciarentur Cæſari, valde iratus effectus, juſſit omnes captivos decollari in facie Papæ, ut vel hoc deterreret ipſum. Papa vero conſtanter hortabatur eos mori pro juſtitia, promittens eis vitam æternam. At illi unanimiter provoluti pedibus ejus, orabant dilationem vitæ. Tunc ſanctus Pontifex profuſis lacrymis conteſtatus eſt cordium inſpectorem, potius ſe velle mori, quam conſentire voluntati Regis, ſed ipſum præpediret omnibus jure impendenda compaſſio. Fecit ergo, quod neceſſitas imperabat, & promiſit, ſe Regem conſecraturum, ut captivitas relaxaretur. Reverſus ergo in urbem, fecit Papa cum Cardinalibus Regis voluntatem, conſecrando ipſum in Imperatorem. Quo conſecrato & coronato, poſt lectum Ewangelium, tradidit ei Papa ante altare Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum, in oculis omnium Principum privilegium inveſtituræ Epiſcoporum & Abbatum, tam per annulum quam per virgam, ut ſcilicet abſque Simonia & violentia Epiſcopis & Abbatibus regni ejus libere electis, inveſtituram annuli & virgæ conferre poſſet, poſt inveſtituram tamen Canonicam conſecrationem accipere deberent ab Epiſcopis, ad quos pertinere tale officium dinoſceretur. Confirmationis autem & pacis inter Apoſtolicum & Imperatorem forma fuit talis: Domine Imperator hoc corpus Domini, (oſtenſo ei Corpore Dominico in celebratione Miſſæ) natum ex Maria Virgine, paſſum pro nobis in cruce, ſicut Sancta & Apoſtolica tenet Eccleſia, damus tibi in confirmationem veræ pacis inter me & te. Puer naſcitur in Lauduno geminus a clune ſuperius ſecundum Sigibertum, duo habens capita usque ad renes cum ſuis brachiis & duo corda.

Septimo anno Henrici, qui eſt Domini MCXIII. Nobilis quidam Caſtellanus & Princeps Laudunenſis, ſecundum Vincentium, Geraldus nomine, dum in Eccleſia Sanctæ Dei Genitricis urbis Laudunenſis flexis genibus ſuppliciter oraret, ab inimicis ſuis, qui eum alibi aggredi non audebant, doloſe circumventus eſt. Unde ab oratione ſurgens, diverſis gladiorum plagis ibidem interficitur. Cujus quidem ſanguine pavimentum Eccleſiæ reſperſum, cum multotiens aqua perfuſum non poſſet ad plenum ablui, & de hoc plures mirarentur. Magiſter

Digitized by Google

giſter Anſelmus tunc temporis ejus Eccleſiæ Decanus, vir ſcientiæ & eloquentiæ diſertiſſimus, quibusdam ſecrete loquens fertur prænunciaſſe illam ſanguinis effuſionem non niſi ejusdem Eccleſiæ concrematione abluendam eſſe. Et ſic contigit poſtea in veritate. Nam eodem anno Waldricus Epiſcopus Laudunenſis per cives illius urbis gladiis confoſſus interiit feria V. hebdomadæ Paſchalis. Tumultuante ergo tunc impetu multitudinis confuſæ, domus Epiſcopi ſuccenditur. Unde & ipſa Eccleſia B. Virginis & Eccleſia S. Johannis Baptiſtæ in Abbatia Monialium cum omnibus vicinis Eccleſiis concremantur. Henricus Imperator multos Epiſcopos, Abbates & Principes Spiram convocans, ſecundum Sigibertum, cum eis ſolenniter anniverſarium patris ſui celebravit. Nam toto quinquennio ſuſpenſa ſepultura Apoſtolica autoritate, ab eisdem Sacerdotibus, qui & Romæ coram Papa pœnitentiæ illius teſtimonium reddiderant teſtificantibus, reddebatur & concedebatur, & ibidem ſepelitur in loco patris ſui. Hanc quidem ſolennitatem ſepeliendi patrem ſuum dicunt quidam Imperatorem feciſſe præcedenti anno, cum niſi perſteterit inhumatus.

Octavo anno Henrici, qui eſt Domini MCXIIII. Dominus Sigibertus, venerabilis Monachus Gemblacenſis cœnobii, vir in omni ſcientia literarum ingenioſus, temporum deſcriptor & Chronographus obiit, cujus ſcriptis frequenter in Opere præſenti uſi ſumus, ſuis autem confratribus moriendo graviſſimum mœrorem abſentiæ ſuæ reliquit. Paſchalis Papa Romæ graves ſuſtinuit injurias ſecundum Vincentium. Objiciebatur enim ſibi, quod Henricum tyrannum, reipublicæ vaſtatorem & Eccleſiarum deſtructorem conſecraſſet in Imperatorem, & inſuper privilegio ſacrilego de inveſtitura Prælatorum ei condonaſſet. Propter quod in Concilio habito Lateranis XV. Kal. April. in urbe Romana, ne aliquis de fide ejus dubitaret, coram omnibus dixit: Amplector omnem divinam Scripturam Veteris & N. Teſtamenti, Legem a Moyſe datam, & a Sanctis Prophetis ſcriptam. Amplector IIII. evangelia & VII. Canonicas Epiſtolas, & Epiſtolas glorioſi Apoſtoli Pauli; Canones Sanctos Patrum, quatuor Concilia, puta Nicenum, Epheſinum, Conſtantinopolitanum & Chalcedonenſe, ac etiam Antiochenum, ac decreta Romanorum Pontificum, & præſertim Gregorii VII. & Urbani II. & quæ ipſi laudaverunt, laudo, quæ tenuerunt, teneo, quæ confirmaverunt confirmo, & quæ damnaverunt, damno: repello, interdico & prohibeo omnino, & in his ſemper perſeverabo. Quibus dictis, Gerardus Engoliſmenſis Epiſcopus, legatus in Aquitania ſurrexit, & aſſenſu communi Papæ & totius Concilii legit coram omnibus hanc ſcripturam. Privilegium illud, quod verius non eſt privilegium, ſed dici debet pravilegium, pro liberatione captivorum Eccleſiæ a Domino Paſchali Papa per violentiam Regis Henrici extortum, nos omnes in hac ſancta ſynodo congregati, canonica cenſura & eccleſiaſtica auctoritate, judicio Sancti Spiritus damnamus & irritum eſſe judicamus, & omnino nequid habeat auctoritatis & efficacitatis, penitus excommunicamus, quia videlicet continetur, quod electus canonice a nemine conſecretur, niſi prius a Rege inveſtiatur, quod eſt contra Spiritum Sanctum & Canonicam inſtitutionem. Perlecta charta, acclamabant omnes Amen, Amen. Quibus Archiepiſcopi & Epiſcopi centum ſe ſubſcripſerunt. Apud Ravennam & Parmam, ſecundum Egghardum, intra mœnia urbium & in agris ſangvis pluit in menſe Junio. Et Idibus Novembris in ſuburbio Antiochiæ noctu terra dehiſcens, terras multas & domus adjacentes cum ſuis inhabitatoribus abſorbuit. Baldewinus Rex Ieroſolymitanus cum Rogerio Comite Antiochiæ contra Turcos in prœlium vadit, ſecundum Vincentium, ſed Rogerio cum exercitu ſuo juxta flumen quoddam reſidente, Rex cum ſuis proceſſit, ut adventum Turcorum exploraret. Turci vero montem quendam occupantes, inſidias per quatuor loca ſtatuerunt, ſingulis inſidiis quatuor milia equitum deputantes, a quibus ex improviſo Rex undique circumſeptus, mille quingentis ſuorum interfectis, ipſe fuga miſerabili vix evaſit.

Nono anno Henrici, qui eſt Domini MCXV. Turci cœnobium in monte Thabor ſitum, ſecundum Vincentium, funditus everterunt, Monachis interfectis, & ab omnibus abductis. Robertus Rex Ungarorum, ſecundum Wilhelmum, admonitus per Paſchalem Papam, reſignavit ad manus Papæ literas inveſtituræ Epiſcoporum & aliorum Prælatorum regni ſui, quas usque ad illa tempora Reges Ungariæ facere conſveverunt ex indulto Sedis Apoſtolicæ. Henricus Imperator Natale Domini, ſecundum Egghardum, Erpisford, quæ & Erphordia dicitur, celebravit, ubi cum Principes Saxoniæ ſe non præſentarent, commotus valde Imperator bona eorum diripi, & poſſeſſiones eorum incendiis devaſtari præcepit, & in diebus feſtivitatis illius, & poſtea caſtrum Hartisburg longa obſidione delevit. Duo milites in partibus Italiæ, ſecundum Egghardum, inimici ad invicem ſe perſequantur totis viribus illorum. Unus autem eorum ſæpius S. Jacobum viſitaverat Compoſtellæ, & ſibi devotus extitit. Hic miles cum ſuum inimicum adeſſe cerneret, nec manus ſuas evadere poſſet propter exercitum ejus nimis fortem, quem ſecum duxerat, invocabat S. Jacobum, promittens ei dextrarium ſuum, ut ipſum de periculo mortis eriperet, quod ſibi imminebat. Cumque fugeret ante faciem hoſtis ſui, & ille fortiter ipſum inſequeretur, viſus eſt S. Jacobus in medio eorum in dorſo ſuo clypeum habens latum, in quo omnia tela miſſa ab hoſtibus & ictus excepit, & militem ſuum illæſum per ſex miliaria inimicos ſuos fugientem ad locum ſecurum perduxit.

Decimo anno Henrici, qui eſt Domini MCXVI. Bernhardus Nobilis de Burgundia, ſecundum Wilhelmum, natus ex patre Teſtelino, Domino opidi Fontanorum, & matre Aelet,

Digitized by Google

let, sex fratres habuit futuros Monachos, & unam sororem Sanctimonialem Scholasticam nomine. Hujus mater cum ipsum gestaret in utero, somniavit, se habere in utero catulum ex toto candidum, sed in dorso subrufum & latrantem: responsumque est ei, quod infans ille contra inimicos Dei magnos latratus facturus esset, & vitam mundam ducturus. Sub hoc Sancto viro Bernhardo Cœnobium Claravallense est fundatum, cui ipse primus Abbas præfectus est anno V. ab ingressu Ordinis Cistertiensis. Nam ipse S. Bernhardus hoc anno Cistertium cum fere XXX. sociis ingressus, militavit sub Abbate Stephano, qui tertius fuit Abbas in Cistertio. Cœnobium vero Porticinense a Hugone Matisconensi, qui prius fuit Episcopus Altisiodorensis, fundatur, cujus etiam Monasterii Abbas ipse factus est. Fuit autem S. Bernhardus XXVII. annorum, quando factus est Abbas Clarevallensis.

Undecimo anno Henrici, qui est Domini MCXVII. Henricus Imperator, secundum Egghardum, Saxoniam sibi rebellantem devastare cœpit, & contra Saxones plura castra erexit. Cui Reynhardus Episcopus Halberstadensis, Luderus Dux Saxoniæ, & Hermannus Comes de Horneburg cum multis aliis occurrerunt in Welpesholte, ubi partibus congressis bellum commissum est, & interfectis multis de Imperatoris exercitu, Rex victus est, occiso Hogero Comite de Mansvelt. In hujus victoriæ memoriam Saxones in loco belli capellam construxerunt, in qua statuam in modum viri armati armis patriæ locaverunt cum galea ferrea. Hunc virum rustici illius terræ & rudes Sanctum Tyodute vulgariter nominant, quasi Saxones victoriam ipsius auxilio habuerint. Imperator vero perdita victoria, juxta vaticinium & maledictionem Paschalis Papæ, qui prædixit, ipsum victoriam nunquam habiturum, curiam statuit in Moguntia celebrandam. Ubi cum esset, a Moguntinis vallatus & impugnatus, & nisi datis obsidibus, quod ea, quæ petebant, certissime confirmasset, ipsum palatium cum omnibus existentibus in eo, crudelissima nece corruisset incensum. Quidam ex Clero Romano, secundum Vincentium, contra Paschalem Papam consurrexerunt, & successive tres hæresiarchas, scilicet Albertum, Agyulfum & Theodoricum contra ipsum in Papas erexerunt, objicientes sibi privilegium de investituris Prælatorum Henrico tyranno datum, ut supra dictum est anno VIII. Henrici, de quibus finaliter bene triumphavit, quamvis primo multas sibi fecerint infestationes, non quærentes, quæ Dei sunt, sed quæ sua.

Duodecimo anno Henrici, qui est Domini MCXVIII. Paschalis Papa Romæ pridie Non. Martii Concilium generale celebravit, secundum Vincentium, in Ecclesia Lateranensi, congregatis ex diversis provinciis & regnis multis Principibus & Episcopis, ubi privilegium Imperatori datum de investitura Episcoporum & Abbatum condemnatum est secundario a Papa sub his verbis: Postquam Dominus Deus de me servo suo fecit, quod voluit, & me populumque Romanum per captivitatem tradidit in manus Henrici Regis, videbam cottidie passim fieri rapinas, incendia, cædes & adulteria. Quæ mala cupiebam auferre ab Ecclesia & populo Dei. Et quod feci pro liberatione populi Dei, feci necessitate coactus. Feci autem ut homo, quia sum pulvis & cinis, & fateor, me male egisse. Sed rogo vos omnes, orate pro me ad Dominum Deum, ut indulgeat mihi. Illud autem malum & iniquum scriptum, quod in tentoriis Regis factum est, quod ex pravitate sui pravilegium, non privilegium dicitur, condemno sub perpetuo anathemate. Et rogo vos omnes, ut idem mecum faciatis. Et exclamaverunt universi, fiat, fiat! Sexta autem Concilii sic Ecclesiam alloquitur: Ecclesia primitiva Martyrum tempore floruit apud Deum, sed non apud homines. Deinde conversi sunt ad fidem etiam Reges, Imperatores Romani & Principes, qui matrem suam Ecclesiam sicut boni honoraverunt, prædiis, allodiis, secularibus honoribus & dignitatibus, juribus quoque regalibus, & insigniis, ut Constantinus & cæteri fideles. Et tunc Ecclesia cœpit florere tam apud homines quam apud Deum. Habeat ergo mater & Domina nostra Ecclesia sibi a Regibus & Principibus collata, dispenset & tribuat ea filiis suis, sicut scit, & sicut vult. Privilegium autem investituræ volens obliquare, iteravit sententiam Papæ Gregorii VII. & investituram Ecclesiasticam rerum Ecclesiasticarum a laica manu rursus removit sub anathemate dantis & recipientis. Sanctus Norbertus fundator Ordinis Præmonstratensis, secundum Wilhelmum, a partibus Lotharingiæ veniens, divino fervore succensus, prædicationi operam dedit efficacem, & per aliquantum temporis spatium nudis incedens pedibus etiam brumali tempore, multos ab erroribus convertit. Mosa fluvius, secundum Egghardum, juxta Abbatiam, quæ Sustula dicitur per terræmotum quasi pendens in aëre, fundum suum visus est deseruisse. Pro eodem tempore in partibus Italiæ in urbibus Mediolanensi, Pisana, Papiensi, Placentiana & Veronensi tantus terræmotus factus est, ut homines extra urbes fugerent, ne opprimerentur ædificiorum ruinis.

Tertio decimo anno Henrici, qui est Domini MCXIX. Civitas Leodiensis diversis plagis attrita est. Nam V. Non. Maj. dum in Ecclesiis vesperæ cantarentur, subitus tonitrus cum terræmotu omnes homines ad terram stravit, & fulmen a læva templi ingressum non modicas crustas de muro hinc inde dejecit, & trabes turris discidit. Subsecutus est fœtor intolerabilis, adeo ut multo aromatum odore vix potuerit expelli. Ibidem insuper VII. Idus Junii circa horam IX. nubes subito rupta a monte, qui dicitur Roperti, subjectam sibi partem civitatis penitus oppressam pessundedit, adeo ut multa domus dirueret, & immensam annonam perderet, ac matrem duos infantes altrinsecus in brachiis amplexam necaret. Ibidem Kal. Jul. circa horam sextam turbo nimis vehemens & ob-

Digitized by Google

& obſcurus civitatem operuit, & nubes ex abrupto ſciſſa ita omne tectum majoris Eccleſiæ dejecit, ut & imbribus pateret, & totum pavimentum perfunderet. Ilico fulmen a parte aquilonis ingrediens quendam Clericum retro altare Sanctorum Coſmæ & Damiani in pulpito legentem, & alterum ante crucifixum orantem, tertium de ſcriptorio Eccleſiæ proximo ingredientem in ipſo Eccleſiæ ingreſſu extinxit.

De Gelaſio II. PP. CLXIX.

Gelaſius Papa, natione Campanus de urbe Gayeta, Romanæ Eccleſiæ Cancellarius, ex patre Georgio, ſedit uno anno, & V. diebus, ſecundum Martinum. Contra hunc Henricus Imperator, quia ejus electioni non interfuerat, Hiſpanum quendam nomine Burdinum ordinari fecit, quem Gregorium VIII. nominavit. Sicque ſchiſma, quod jam ſperabatur ſepultum, crudeliter reſuſcitavit. Gelaſius vero Papa Viennæ Concilium celebrans, per Cunonem Cardinalem ejus legatum, ibidem Imperatorem cum ſuo Papa damnavit & excommunicavit. Cumque idem Gelaſius Papa ob timorem Henrici Imperatoris cum Cardinalibus Gayetam tranſiret, & per mare in Franciam pergeret ad celebrandum Remis Concilium, veniens Cluniacum ibidem defunctus eſt.

Quarto decimo anno Henrici, qui eſt Domini MCXX. Baldowinus Secundus Rex Jeruſalem, ſecundum Vincentium, Chriſto, pro quo multa prælia geſſerat, animam fidelem reddidit, prius tamen alterum Baldowinum Rohas Regem pro ſe deſignans. Sepultus eſt autem juxta fratrem ſuum Godefridum in loco Calvariæ, in Mauſoleo pulcro, non ſine gravi planctu multorum Chriſtianorum. Quidam Ferrandus nomine cum filio ſuo Nicolao peregrinari volens, cum aliis fidelibus verſus S. Jacobum, ſecundum Wilhelmum, hoſpitatus eſt apud Tholoſam urbem. Hoſpes autem domus illius improbus exiſtens, ſcyphum argenteum in ſacculum patris truſit occulte. Mane vero facto, recedentes peregrinos hoſpes inſequitur, & ſcyphum cauſans perditum, ipſum tandem de ſacco Ferrandi extraxit, & ſic furtum ſibi impoſuit. Ferrandus autem ad judicem trahitur, & ſuſpendio condemnatur. Quod audiens Nicolaus filius ejus, ad judicem feſtinavit, & ut patrem ſuum ſalvet, ſe reum furti confitetur. Filius ergo ſuſpenditur, & pater triſtis peregrinationem perſecutus eſt. Reverſus autem pater Tholoſam, patibulum filii ſui viſitaturus. Cui cum appropinquaret, ſuſpenſus filius clamavit ad patrem, & dixit: Gaude pater, quia vivo, & S. Jacobus me pavit. Quod cum judici narraretur, dixit: Ita vere vivit, ſicut hi pulli, qui aſſantur, de veru cantantes volant. Quo dicto, mox pulli illi cantantes de igne volaverunt. Viſo ergo hoc ſigno, judex ſtatim filium ſuſpenſum ſolvi præcepit, & patri reddi, ac hoſpitem, qui ipſum ſuſpendi fecerat, in locum ejus affigi. Jeroſolymis in die Reſurrectionis Dominicæ, ſecundum Vincentium, cœlum in meridie apertum tantam lucis claritatem effudit, ut luce ſolis clarior per unam horam & amplius appareret, per idem autem foramen crux non modica dependens apparuit, cui tam auri quam gemmarum varietas inſerta diſcerni poterat evidenter. Circa feſtum S. Andreæ luna XIII. exiſtente, facta eſt eclipſis ſolis, & ipſe ſol verſus eſt in colorem ſangvineum, ſecundum Vincentium. Quæ quidem eclipſis contra naturam accidit, ut notum eſt. Poſt hoc in vigilia S. Thomæ Apoſtoli prima hora noctis viſi ſunt armigeri multi in aëre igneis loricis & armis induti, horribiliter præliantes ad invicem & ſe fugantes ab aquilone verſus orientem, & tandem evanuerunt.

De Calixto II. PP. CLXX.

Calixtus Papa, natione Burgundus ex patre Henrico, ſedit annis ſex, menſibus tribus & diebus XXIII. ſecundum Martinum. Hic dictus fuerat Gvido, filius Henrici Comitis Burgundiæ, & Archiepiſcopus Viennenſis. Factus autem Papa a Romanis evocatur, & cum gaudio magno recipitur. Burdinus autem Antipapa adventum ſuum audiens, in Sutrio ſe recepit, quem obſeſſum cum Romanis Papa cepit, & poſitum in camelo, verſa ejus facie ad anum cameli, & habentem in manu caudam cameli pro fræno, ad urbem ſe præcedere fecit, & poſt in turri Fumonis eſt retruſus. Cuno Cardinalis Peneſtrinus, ſecundum Egghardum, adhuc legatione Gelaſii Papæ functus, Synodum Coloniæ cum Teuthonicis habuit, ubi Imperatoris excommunicationem promulgavit. Alterum quoque Synodum in Fricelar indixit, ubi & prædictam excommunicationem confirmavit. Imperator autem auditis his, efferatus animo, Italiam cum exercitu magno petiit, & deprædationibus ac incendiis furens, tandem ipſe totius regni Epiſcoporum & Principum nunciis compulſus, generalem fieri apud Triburium conventum conſenſit, ubi omnibus pacatis, legati Romanorum nunciant Papæ Kalixti confirmationem. Ordo Præmonſtratenſis cœpit, ſecundum Vincentium in Speculo, cujus loci & Ordinis fundator vir Dei Norbertus extitit. Hic de partibus Lotharingiæ oriundus, genere, divitiis & facundia clarus fuit, Principibus ſummis familiaris & notiſſimus exiſtens. Qui divino fervore ſuccenſus, ſimul Diaconus & Presbyter ordinatus eſt: paupertatis Chriſti tunica induitur, verbo prædicationis ferventiſſime inſtat, & bajulans ſibi crucem, nudus nudum ſecutus eſt Chriſtum. Hic S. Norbertus cum XIII. ſociis in Præmonſtrato loco ſecundum tenorem regulæ B. Auguſtini Deo militare cœpit in Laudunenſi Diœceſi. Martinus in Chronica ſua dicit, hunc Norbertum Colonienſem fuiſſe, ſicut & Bruno fuit, qui Ordinem Carthuſienſium cœpit. Caminenſis urbs & ſedes Ducis Pomeraniæ Wirtizlai convertitur ad fidem per Ottonem Epiſcopum Babenbergenſem, ſecundum Egghardum, cooperante Bolizlao Duce Polonorum baptizato a quodam Bernhardo Hiſpano Epiſcopo, viro devoto & ſancto. Eodem anno converſum eſt ad fidem per eundem Ottonem caſtrum fortiſſimum Pyricſtum cum ſuo opido & adjacente regio-

Digitized by Google

regione, demta Julio urbe fortiſſima & copioſa fundata per Julium Cæſarem, a quo & nomen accepit. Hujus cives ſanctum Antiſtitem Ottonem armata manu, fuſtibus & lapidibus impetentes, urbem exire compulerunt.

Quinto decimo anno Henrici, qui eſt Domini MCXXI. Henricus Imperator, ſecundum Chronicam Saxonum, ductu Frederici de Arensberg Saxoniam ingreditur, ſed videns Epiſcopos & Clerum illius terræ ab ejus communione abſtinere, ad Franciam convertitur. Monaſterium Canonicorum regularium fundatur in Luttere prope Bruneſwik, ſecundum Egghardum, per Bernhardum Comitem de Halvesleve: poſtea tamen excluſis Canonicis, introducti ſunt Fratres Ordinis S. Benedicti, ut infra patebit ſuo loco. Otto Babenbergenſis Epiſcopus, vita & ſanctitate eximius, ſecundum Helmoldum in Chronica Slavorum, claruit. Hic invitante & adjuvante Bolizlao Duce Polonorum, Deo placitam adiit peregrinationem ad gentem Slavorum, qui Pomerani dicuntur, & habitant inter Oderam fluvium & Poloniam, prædicavitque barbaris illis Verbum Dei, eo cooperante & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis; omnemque gentem illam cum Principe eorum Wirtizlao convertit ad Chriſtum præter unam civitatem ſupra in præcedenti anno poſitam, ut ibidem patuit.

Sexto decimo anno Henrici, qui eſt Domini MCXXII. In parochia Treverenſi, ſecundum Wilhelmum, in menſe Junio glacies miræ magnitudinis de cœlo decidit, ædificia plura evertens. In Halberſtadenſi etiam Epiſcopatu grando IX. villarum finibus non ſolum frumenta, ſed & beſtias agri cum volatilibus innumeris conſumſit. Calixtus Papa, ſecundum Martinum, Compoſtellanum Epiſcopum propter reverentiam corporis S. Jacobi Apoſtoli, qui ibidem requieſcit, Archiepiſcopum fecit, ſubjiciens ſibi Emeritoriam provinciam: qui libellum conſcripſit de miraculis ejus, quæ ſparſim legerat, in unum volumen colligendo. Cœnobium Falderenſe terræ Wagirorum, ſecundum Helmoldum in Chronica Slavorum, fundatur ab Adolfo Comite de Schowenburg, nuper a Ludero Duce Saxonum Comite facto, ut ſupra patuit tertio anno Henrici V. Hoc quidem cœnobium inpræſentiarum Bardesholm nuncupatur, translatum de novo Monaſterio in locum præſentem.

Decimo ſeptimo anno Henrici, qui eſt Domini MCXXIII. Henricus Imperator rebelles ſibi Moguntinos affligere laboravit, ſecundum Egghardum. Et primo navium commeatum omnibus modis interclusit, deinde præſidiis circumcirca munitis, nundinas & mercantias, aut quicquam victualium civitati afferri prohibuit. Poſtremo in obſidionem ejusdem civitatis publicam expeditionem fieri demandavit. Sed Deus miſſo ſpiritu pacis in corda Principum, ipſorum conſilio, perſvaſione & obſecratione, Regis indignatio in tantum eſt mitigata, ut ipſe totum negotium non ſuo, ſed Optimatum utriusque partis arbitrio terminandum decerneret. Curia ergo in Wirciburg profeſto Michaëlis indicitur. Ubi cum conveniſſent, Henricus Imperator ſponſionis ſuæ non immemor, omnes quæſtiones, quæ ventilabantur, non ſuimet arbitrio, nec ſuorum quorumlibet contentione, ſed juxta Senatus conſilium omnia concludi conceſſit. Pax ergo inſtituitur, Regalia vel fiſcalia Regno, Eccleſiaſtica Eccleſiis, prædia deprædatis, hæreditates hæredibus, omnique conditioni vel perſonæ propria adjudicatur juſtitia. Prædones etiam & fures edictis Imperialibus perſequendos eſſe, & legibus antiquis coercendos, unanimi conjuratione firmatum eſt. Stetin civitas Pomeraniæ regionis converſa eſt per Ottonem Epiſcopum Babenbergenſem, virum ſanctum hoc modo, ſecundum Egghardum. Cum enim beatus Præſul Otto & Apoſtolus Pomeranorum a Papa Calixto deſtinatus Stetinenſem urbem intraſſet, & in ea IX. menſibus continuis Verbum Dei ſeminaſſet oportune & importune, ac plures homines in ea convertiſſet, quidam Domizlaus dictus, vir magnarum divitiarum & generis nobilitate inter cives illos præcipuus erat, & tanto honore ab omnibus colebatur, ut nec Dux ipſe Wirtizlaus quicquam ſine ſuo conſilio ageret & aſſenſu. Maxima etiam pars urbis Stetinenſis, quæ principatum omnium civitatum Pomeraniæ obtinens, quatuor montes ſuo ambitu habebat incluſos, propinquis & affinibus Domizlai plena erat. Sciens ergo Sanctus Otto, quod ſi hunc Domizlaum cum ſuis propinquis Chriſtianæ fidei ſubderet, exemplo ejus plurimi converterentur, omnem ſuam diligentiam in ipſum convertit. Sed quia durus erat, nec de facili perſvaſibilis, primum abſente eo, uxorem ejus & filios ad fidem convertens baptizavit. Quo facto, Domizlaus graviter indignatus, de finibus illis Ottonem Epiſcopum pellere tentavit. Sed eo orante ad Deum cum lacrymis, Domizlaus timore Dei pariter & amore tactus, tanquam ſi ei de cœlo diceretur: Domizlae, quid me perſequeris? olim quidem debui perdere, ſed ſervus meus Otto oravit pro te: repente de lupo mutatur in agnum, lacrymisque perfuſus, pedibus Ottonis proſternitur, & humiliter indulgentiam locumque pœnitentiæ ab eo poſtulat. Quo benigne ſuſcepto, & paterne conſolato, revelat ei in confeſſione, ſe olim in Saxonia baptizatum, ſed propter divitiarum copiam ſibi inter barbaros ſibi plus accreſcentem quam inter Chriſtianos, apoſtataſſe a fide. Errore ergo gentilitatis ab eo penitus remoto, propugnator fidei validiſſimus factus eſt, multoque amplius correctus profuit, quam errans unquam obfuerat. Moxque plures quam LX. de familia ejus ſunt baptizati. Conſequenter vero omnes propinqui ejus cum domeſticis ſuis ejus exemplo & attractione ejus excitati fidem receperunt. Sicque factum eſt, ut de die in diem creſcente fidelium numero, tota civitas cum adjacente provincia fidem ſuſciperet.

Decimo octavo anno Henrici, qui eſt Domini MCXXIIII. Maximo Principum conventu facto in Wormatia, ſecundum Vincentium, affue-

Digitized by Google

affuerunt Apostolicæ Sedis legati, Episcopus puta Ostiensis & alii duo Cardinales ob reconciliationem Regni & Sacerdotii missi, ubi prudenti solicitoque cunctorum Principum consilio pro pace & concordia utriusque prædictæ partis, per unam vel amplius hebdomadam tractatum est in tantum, ut adjuvante eo, in cujus manu cor Regum est, omnis Augusti animositas ad obedientiam & reverentiam Sanctæ Matris Ecclesiæ etiam ultra spem plurimorum reducta sit integraliter. Qui mox ab Apostolicæ Sedis Apocrisariis in communionem fidelium receptus, tam ipse Imperator quam universus sibi subjectus exercitus, generali absolutione pariter & speciali potiti sunt. Qualiter autem investituras cæteraque spiritualia negotia, quæ tanto tempore Reges Romanorum administraverant, ipse Imperator humiliatus pro Christo in manus Episcopi Ostiensis, ac per ipsum Domino Nostro Jesu Christo suæque Ecclesiæ in jus perpetuum dimiserit; rursumque qualia sibi ad honorem Regni conservandum dictus Episcopus per Apostolicam auctoritatem concesserit, utriusque partis melius edocebant scripta inferius notata, quorum tenor talis fuit: Ego Henricus, Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, pro amore Dei & sanctæ matris ecclesiæ Romanæ, ac Domini Papæ Calixti, & pro remedio salutis animæ meæ, dimitto Deo, & Sanctis ejus Apostolis Petro & Paulo, Sanctæque Catholicæ Ecclesiæ omnem investituram per annulum & baculum, & concedo in omnibus Ecclesiis fieri electionem Canonicam & liberam consecrationem. Possessiones & regalia B. Petri a principio hujus discordiæ usque nunc, sive tempore patris mei sive etiam tempore meo ablata, quæ ego habeo, eidem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ restituo, quæ autem non habeo, eidem ut restituantur, fideliter juvabo. Possessiones etiam omnium aliarum Ecclesiarum & Clericorum, de consilio Principum meorum & justitia, quæ habeo, reddam, & quæ non habeo, ut reddantur, fideliter juvabo. Ego Calixtus, servus servorum Dei, dilecto filio Henrico Romanorum Imperatori semper Augusto concedo electiones Episcoporum & Abbatum Teuthoniæ, qui ad Regnum pertinent, in præsentia tui fieri absque Simonia & aliqua violentia, ut siqua inter partes discordia emerserit, Metropolitani & comprovincialium Episcoporum consilio vel judicio, saniori parti assensum vel auxilium præbeas. Electus autem Regalia per sceptrum a te recipiat, exceptis omnibus, quæ ad Romanam Ecclesiam pertinere dinoscuntur, & quæ ex his jure tibi debet, faciat. Ex aliis vero partibus Imperii consecratus, Regalia infra sex menses per sceptrum a te recipiat. De quibus vero mihi querimoniam feceris, secundum officii mei debitum, auxilium meum præstabo. Do etiam tibi pacem veram & omnibus, qui in tua parte sunt vel fuerunt per tempus hujus discordiæ. Ordo Templariorum, secundum Vincentium, ex militibus congregatis in Jerusalem cœpit per Baldowinum II. Regem Ierosolymitanum sub Henrico V. Imperatore. Et dicti sunt Milites templi, quia in porticu templi sedes Ordinis eorum est statuta. Et confirmatus est postea hic Ordo per Honorium II. Papam. Julin civitas magna terræ Pomeranorum a Julio Cæsare ædificata, conversa est ad fidem, secundum Helmoldum. Hujus cives, prout supra anno Henrici V. decimo septimo patuit, cum eis S. Otto Episcopus Babenbergensis Verbum Dei proponeret, ipsum armata manu invadentes, gladiis, fustibus & lapidibus percutientes, extra suam urbem fugaverunt. Sed audientes anno sequenti, Stetin urbem famosam fidem Christi recepisse, nutu divino compuncti, prædicationi viæ veritatis Ottoni Antistiti, quem alias eis prædicare volentem repulerant, legatos solennes ad revocandum ad se miserunt. Quibus ille visis, pietatis zelo motus dixit: Quid venistis ad me hominem, quem odistis, & expulistis a vobis? At illi veniam petentes ajunt: Domine Pater, antiquam patrum nostrorum & majorum legem sine consensu Principum & Primatum, quos in Stetinensi nostra metropoli veneramur, infringere non præsumsimus, sed postquam Deus tuus per te sibi subegit Principes nostros, nos absque omni contradictione monitis tuis parere, & salutis doctrinam excipere parati sumus. Quo audito, Præsul Domini, positis genibus, gratias egit clementiæ Salvatoris, profectusque cum eis, debita a Julensibus reverentia susceptus est. Quibus viam veritatis cum omni diligentia aperire studuit, & eos sacro baptismate renovavit. Computatum est autem baptizatorum numerus fuisse XXIIM. & CLVI. Demyn civitas cum castro suo fortissimo fidem Christi ab eodem Ottone Episcopo suscepit pro eodem tempore. Et dicta est urbs Demyn, veteri interpretatione, quasi domina mundi ob fortitudinem & solennitatem castri adjacentis a Julio Cæsare fundati, secundum Chronicam Slavorum. Cujus insignis fortitudinis excellentiam ruinæ patentes ostendere videntur. Ex tunc namque non cessavit Antistes ille invictissimus ab incepto opere, donec integram Pomeranorum provinciam cum omnibus suis Primoribus & Nobilibus Christo Domino lucratus fuisset.

Decimo nono anno Henrici, qui est Domini MCXXV. Henricus Imperator Nativitatem Domini Trajecti Frisiæ celebravit, secundum Egghardum, ubi orta discordia magna inter aulicos & ministeriales Episcopi ejusdem urbis, fit clamor horribilis, quasi a Trajectensibus sit facta conjuratio contra Imperatorem. Plures ergo ex opidanis capiuntur, & in turrim fortissimam plures se recipiunt, ut resistant. Episcopus vero quasi pravi consilii particeps, & ob hoc quasi læsæ Majestatis reus habitus, carcerali custodiæ mancipatur, a qua postea magna pecuniæ summa, multis illius patriæ primoribus, & maxime Frederico Coloniensi Archiepiscopo intervenientibus, vix redemtus est mulctatus. In pago Wormatiensi videbatur per aliquot dies non modica multitudo armata equitum euntium & redeuntium, & quasi ad placiti colloquia

Digitized by Google

loquia nunc hic, nunc illic turmas facere, secundum Vincentium, circa horam vero IX. cuidam monti, unde & exisse videbantur, se reddiderunt. Tandem quidam non sine magno timore eis crucis signo munitus appropinquavit, & mox quendam sibi occurrentem per nomen Domini Nostri perjuravit ad manifestandum sibi, qui sint, & quid prætendant. Cui ille: Non sumus, ut putas, phantasmata, nec militum, ut a vobis cernimur, turba, sed animæ militum non longe ante hoc tempus interfectorum, arma vero & habitus, & ea, quæ prius fuerunt nobis instrumenta peccandi, nunc nobis sunt materia tormenti: & vere totum ignitum est, quod cernitis, quamvis vobis hoc ipsum hoc non videatur. Apparuit autem & inter eos Emicho Comes ante paucos annos occisus, qui orationibus & eleemosynis se de pœnis illis posse liberari edocuit, & ad dicendum amicis suis ipsum astrinxit. Baldowinus Rex Ierosolymorum a Sarracenis præventus capitur, secundum Vincentium. Propter quod Sarraceni valde animati, LXM. bellatorum educunt, ut Christianos a finibus illis eliminent. Christiani vero more Ninivitarum generale jejunium utrique sexui, omni ætati & cunctis jumentis & pecoribus indicunt. Quo expleto, cum tribus milibus militum & IIIIM. peditum contra Sarracenos egrediuntur. Principes autem gradiebantur in fronte puta Patriarcha pro vexillo bajulans crucem dominicam. Abbas vero olim Cluniacensis Pontius nomine, lanceam Domini portabat Christi lateri olim infixam, Episcopus vero Bethleemites ferebat in pyxide lac Virginis Gloriosæ. Splendor ergo de cœlo super Paganos subito cecidit, & enervati mox fugere inceperunt. Unde percussi sunt a Christianis nedum viris, sed & mulieribus in illo die plusquam XXXM. Submersi vero sunt in aquis circiter XIIM. Omnes autem Christiani incolumes reversi sunt in propria, gloriam Deo canentes, & laudantes ipsius clementiam.

Vicesimo anno Henrici, qui est Domini MCXXVI. Comes de Haldesleve Bernhardus, secundum Chronicam Saxonum, obiit sine hærede, & devoluta est Comitia illa ad Luderum Ducem Saxoniæ filium Gevehardi Comitis de Suppelingburg. Hic Bernhardus fundavit conventum Canonicorum regularium in Luttere. Ad prædictum etiam Ducem devoluta est hæreditas dominii de Brunswich. Qui quidem Luderus, mortuo Duce Magno Saxoniæ, obtinuit Ducatum a Henrico V. Imperatore cautulose valde & satis mirabiliter. Nam Henrico prædicto Mediolanis in balneo existente, venit quidam literarum lator in habitu Saxonico. Quem videns Luderus, ipsum ad suum hospitium secum duxit, ac ipsum vino inebrians, ab ipso causam sui itineris investigavit. Comperto ergo Magni Ducis Saxoniæ obitu, nuncium illum cuidam suo militi commendans, ipse ad stubam, ubi Imperator lavabatur, acceleravit, & evaginato gladio ad Regem intrans dixit: Quare Rex non solvis mihi damna, quæ in tua expeditione jam per biennium a me contracta sunt. Cui Imperator: Nonne sufficit tibi, quod promisi daturum me tibi dominium primum, quod in regno nostro vacare contigerit. Tunc Luderus intulit: Ducatum ergo Saxoniæ mihi conferas, quia ille pro præsenti vacat per mortem Magni Ducis. Cui Rex: Est certissime Magnus Dux defunctus? ait Luderus: In veritate, mortuus est. Tunc contulit ei Ducatum Saxoniæ propter timorem mortis & promissionem ei prævie factam.

De Honorio II. PP. CLXXI.

Honorius Papa, qui & Lambertus, natione Bononiensis, ex patre Lodowico, sedit annis sex, mensibus tribus, & diebus XV. secundum Martinum. Iste prius Episcopus Ostiensis fuit, & factus Papa descendit in Aquilegiam, ut eam, quia de jure B. Petri erat, tueretur contra Rogerium Comitem Siculum. Sed cum Papa vidisset infidelitatem Baronum & Procerum terræ illius, saniori usus consilio, Rogerium cepit in gratiam, & facto ei homagio & fidelitate firmata, ipsum de Ducatu Apuliæ investivit vel potius regno. Factus est autem hic Lambertus Episcopus Papa, eo quod legationem Germanicam fideliter prosequens, concordiam inter Sacerdotium & Regnum procuravit in Wormatia. Tyrus urbs lingva Hebræa Sordicta appellata, Phœnicis provinciæ, maxima & antiqua civitas in corde maris sita, secundum Vincentium, Sidoniorum colonia, negotiatorum refugium, emporium totius orbis, olim quidem insula, sed a Nebuchodonosor & Alexandro Regibus propter expugnationem multis aggeribus in brevi comportatis, terra solida facta, pridem a Nabuchodonosor expugnata, & post ab Alexandro destructa, sed juxta prophetias post LXX. annos reædificata, hoc anno capta est a Christianis, & Imperio Romano subacta. Puer in pago Tulifeld nascitur, secundum Egghardum, cujus dextrum crus intumescens puerum diutissime afflixit, & tandem crus in loco collectæ putredinis crepuit, & pro sanie, mirabile dictu, grana tritici non pauca, & siliginis, hordei & avenæ evidenter effudit.

Vicesimo primo anno Henrici, qui est Domini MCXXVII. In Hasbania secundum Vincentium, muliercula quædam bis monstrum gemini corporis est enixa, aversis vultibus & sibi corporibus hærentes, ante quidem effigiem hominis, retro vero faciem canis prætendens, integrum membrorum utriusque corporis ordinem habebat. Henricus Imperator, quia suum patrem, secundum Egghardum, turpiter dehonestaverat, & Ecclesiæ caput Papam Paschalem, ac Clerum totum enormiter læserat, justo Dei judicio sine hærede creditur decessisse, nec filium nec filiam relinquens. Cumque Pascha Domini Leodii celebrasset, & inde Aquisgranum tenderet, morbo molestari cœpit. Propter quod ibi aliquamdiu moratus, demum Ultrajectum, id est in Trajectum Frisiæ reversus est. Cumque cerneret, mortem se non posse evadere, vocatis ad se Methilde Imperatrice sua conforte, & Frederico Duce Sveviæ suo consobrino,

Digitized by Google

brino, ac cæteris Primatibus, de statu Regni consilium dedit. Imperatricem autem fidei Frederici dicti commisit, coronam cæteraque regalia, vel quæ ad conventum Principum conservanda in castello firmissimo, quod Trifelz dicitur, reponi dispofuit, sicque viatico Christi & Sacramentis communicans, diem clausit extremum X. Kal. Junii. De hoc Henrico Imperatore fabulose fertur, quod se quasi mortuum finxerit, & occulte fugiens in Cluniacum, ibidem Monachus factus sit. Sed in veritate hoc contigit, quod quidam Pseudoimperator in Alemannia surrexit, qui per aliquot annos apud Solodorum in reclusione vivens, tandem inde egressus, Imperatorem Henricum se esse mentiendo dixit. Et cum multos seducendo ibidem collegisset complices & defensores in tantum etiam, ut pro eo graves pugnæ & homicidia fierent, aliis eum recipientibus, aliis seductorem ipsum palam profitentibus, tandem declarata ipsius falsitate, Cluniaci in Monachum attonsus est.

De Lothario II. Imp. LXXXVII.

Lotharius Dux Saxoniæ, qui & Luderus, Romanorum Imperator LXXXVII. cœpit anno mundi VMLXXXVII. Olymp. CCCCLXXI. anno IIII. Urbis conditæ MDCCCLXXVI. Domini vero MCXXVII. & annis XII. imperavit, secundum Martinum. Ex Chronicis Saxonum, defuncto Henrico, legati Apostolicæ Sedis Archiepiscopi & Episcopi cum Optimatibus Imperii ex condicto convenientes Moguntiæ, consultant & toti Imperio Romano de Rege substituendo. Lotharius ergo Dux Saxoniæ, vir sapiens & industrius, præpotens divitiis, Ecclesiastico juri devotus atque victoriosus eligitur omnium consensu, & a Frederico Archiepiscopo Coloniensi benedicitur & ungitur, omni Clero & populo diem solennem celebrantibus. Iste Luderus filius fuit Gevehardi Comitis de Supplingburg, ad quem devolutus fuit Comitatus de Haldesleve defuncto Bernhardo Comite. Cessit etiam eidem Ludero ex Rixa uxore sua filia Henrici Pingvis, filii Ottonis Ducis de Northem, qui Otto fuit de stirpe Widekindi, hæreditas de Brunefwic. Successores enim hujus Widekindi obtinuerunt multas Comitias & dominia, puta in Saxonia Stekelenborg, Ringhelen, Stoterlingborg & Werle: in Angaria sive Westphalia Engheren, & in Frisia fuerunt potentes. Hunc Luderum Reynerus patruus ejus Episcopus Halberstadensis primo apud Imperatorem cognatum Rixæ uxoris suæ locaverat. Ubi cum se primo molliter gereret, mater Rixa hoc ægre ferens, misit sibi gladium exterius regie adornatum, quem extrahens, invenit ipsum interius ligneum. Quod videns, ipsum abjecit, & post virilis factus, quasi vi extorsit ab Imperatore Ducatum Saxoniæ, prout supra anno Henrici V. vicesimo. Fuit namque Luderus iste vita & honestate gloriosus, &, electus in Regem vocatus est Lotharius. Dedit autem Gertrudem filiam suam Henrico Duci Bayoariæ, qui dictus est Catulus, & ei Ducatum Saxoniæ concessit. Qui Henricus Dux de Gertrude uxore sua genuit Henricum Leonem, qui ex patre obtinuit Ducatum Bayoariæ & Saxoniæ, ex matre vero hæreditatem de Brunswic. Genuit etiam ex ea Juttam, quam duxit Fredericus frater Conradi Regis, & genuit ex ea Fredericum Primum Imperatorem, qui postea exhæreditavit Henricum Leonem filium avunculi sui, cum tamen ipse eum fecerit Imperatorem. Lotharii autem Regis bella & gesta magnifica etiam extra Saxoniam in Svevia & in partibus superioribus, solenniter sunt descripta, eo quod esset vitæ honestate & Imperii regimine gloriosus & illustris.

Primo anno Lotharii, qui est Domini MCXXVIII. Comitia de Marka in Westphalia sumsit exordium sic, secundum Wilhelmum. Duo fratres Adolfus & Everhardus de Italia venientes, duo castra Altena & Aldenborg ædificaverunt: Everhardus tamen postea fit Monachus, sed Adolfus secularis remanens fundavit Monasterium in Aldenborg, in quo & postea sepultus est. Iste Adolfus fuit primus Comes de Altena & Aldenborg. Hic genuit Brunonem, qui tempore Lotharii Ecclesiæ Coloniensi præsedit, & Adolfum Comitem. Adolfus Comes secundus genuit Fredericum Archiepiscopum Coloniensem, Everhardum Comitem de Altena & Engelbertum Comitem de Monte, ac Brunonem Archiepiscopum Coloniensem. Everhardus tertius Comes genuit Adolfum Archiepiscopum Coloniensem, qui factus est Archiepiscopus anno Domini MCXCIII. Item genuit Fredericum & Everhardum. Fredericus IIII. Comes de Aletena genuit Adolfum primum Comitem de Marka, qui fuit V. de Altena. Adolfus primus Comes de Marka opidum Ham construxit anno Domini MCCXXV. & Blankensten anno sequenti. Adolfus autem postquam genuit Engelbertum & Ottonem obiit anno Domini MCCXLIX. Engelbertus fuit secundus Comes de Marka, & genuit Everhardum, qui fuit III. Comes de Marka. Hic castra Bredenvord, Ahus, Raffenberg, Volmenstene, Ysenberg, Waffenberg, Rodenberg, Hovestad Ecclesiæ Coloniensis destruxit, castrum Dulmene cepit, opida Werle & Rekelinghusen similiter destruxit. Engelbertus IIII. Comes de Marka castrum Osthof destruxit. Adolfus filius ejus Comes V. de Marka primo Dinkslake & postea Mendene proditiose cepit & destruxit. Hujus filius Engelbertus Comes VI. adhuc puer est. Adolfus ergo primus Comes de Altena & frater suus Everhardus dominabantur in castris Altena & Aldenborg. Everhardus erat in bello, quod inter Ducem de Limborg & Brabantinos ac Flamingos gerebatur, & propter magnam stragem hominum ibi factam gravi conscientia urgebatur, cum redisset ad terram suam. Pœnituit ergo, & omnia relinquens, nocte in habitu vili clam recessit de Altena, ac perpetuum exilium assumsit, & peregrinatus est primo Romam, post ad S. Jacobum, postea venit ad Grangram Griseorum Monachorum Monasterii, quod Morimundus dicitur, & ibidem porcos pascebat. Duo autem milites de Comitia de Marka peregrinantes de via dubitabant, & a subulco

ſubulco per nuncium de via ſciſcitati ſunt. Quem cum viderent famuli militum, ipſum mox cognoverunt eſſe Everhardum Comitem de Marka. Tunc famuli reverſi ad milites, dixerunt ſubulcum eſſe Everhardum Dominum eorum. Milites autem ad paſtorem venientes, & ita in veritate invenientes, acceſſerunt Magiſtrum Grangiæ, & ſibi notificaverunt, quis ejus eſſet ſubulcus. Qui factum hoc Abbati Monaſterii inſinuans, prædictos milites ad ipſum perduxit. Qui ab eis veritatem rei inquirens, paſtorem ad ſe vocavit præſente Priore, & de conditione ſua, ſtatu ac eventu tandem certificatus per faſſionem propriam, ipſum Monachum illius Monaſterii fecit, & religioſe vivere inſtruxit. Poſt aliquod autem tempus, Everhardus de licentia Abbatis ſui fratrem ſuum Adolfum Comitem de Altena viſitavit, & caſtrum Aldenborg cum multis poſſeſſionibus obtinuit ad cœnobium Ciſtertienſis Ordinis conſtruendum. Eodem quoque modo Monaſterium dicti Ordinis in monte S. Georgii fundari procuravit, ubi tandem Everhardus in Abbatem eligitur & benedicitur. Adolfus vero primus Comes de Altena moritur, & in Monaſterio Aldenborg ſepelitur.

Secundo anno Lotharii, qui eſt Domini MCXXIX. Lotharius Rex contra Bohemos vadens, ſecundum Vincentium, quorundam ſuorum Principum traditione magnam ſtragem ſuorum militum paſſus eſt, DXL. occiſis. In Syria exercitus Domini bis aggreſſus eſt Sarracenos, ſecundum Vincentium, & in primo bello ceciderunt de Paganis duo milia, & DC. & de Chriſtianis ſolum XV. in ſecundo vero duello licet quaſi Chriſtianorum victa videretur acies, tamen auxiliante Deo revigorati hoſtes absque numero ſtraverunt. Karolus Comes Flandriæ filius Kanuti Martyris & Regis Danorum, ſecundum Wilhelmum, propter juſtitias, quas exercuit, proditione quorundam Optimatum ſuorum Brugis in Eccleſia S Donati Martyris orans trucidatus eſt cum duobus filiis ſuis; cui Lodowicus Rex Francorum ſucceſſorem poſuit Wilhelmum filium Roberti Comitis Nordmannorum. Sed horrenda animadverſione Karolus vindicatus eſt. Proditores enim ejus, dum capti fuiſſent, aut exterminati ſunt auxilio, aut percuſſi gladio, aut affixi patibulo, aut eliſi præcipitio, aut convicti duello, & rotis alligati, vix aliquo evadente, omnes perierunt. Lotharius Rex filiam ſuam Gertrudem dedit Henrico Duci Bayoariæ, ſecundum Egghardum, cognomento Catulo, id eſt Welpe, cum Ducatu Saxoniæ & Weſtphaliæ. Cujus pater erat Henricus Niger Dux Bayoariæ, qui ex matre traxerat originem de Saxonibus, quia Vulpidis erat filia Ducis Magni Saxoniæ. Hic rediit Ducatus Saxoniæ de ſemine Hermanni filii Wilingi ruſtici.

Tertio anno Lotharii, qui eſt Domini MCXXX. Multi de pago Sveſſonico ſacro igne ſuccenſi, ſecundum Chronicas Francorum, ad Eccleſiam B. Mariæ Virginis in urbe Sveſſionenſi ſitam convenerunt, ibique diebus paucis miſericordiam Dei & B. Virginis adjutorium præſtolantes, ſanitatem meritis ejus conſecuti ſunt, ita ut intra XV. dies centum & tres nominati ab hoc igne reſtinguerentur. Apud villam vero, quæ Kala dicitur, in territorio Sveſſionum, mulier ob partus difficultatem laborans tribus hebdomadibus periclitabatur, perſvaſaque a vicinis mulieribus, vovit coram eis, ſe ituram nudis pedibus ad B. Virginem Sveſſionis. Quo voto emiſſo, mox mulier liberata eſt, ſed ordine ſtupendo. Nam prius ex utero ſuo miſit tres lapides; primum in magnitudine ovi anſerini, ſecundum in magnitudine ovi gallinacei, & tertius non minor aliqua nuce erat. His lapillis effuſis, ſtatim ſecutus eſt partus infantis cum maximo dolore. Lauduni in Eccleſia S. Johannis, ſecundum Wilhelmum, de conſilio Regis & Principum Franciæ mulieribus, quæ malæ famæ erant, ejectis, & Monachis in eorum locum ſubſtitutis, Drago religione & facundia venerabilis a Bartholomæo Epiſcopo primus Abbas ordinatur. Hic poſtmodum a Papa Innocentio Romæ Oſtienſis Epiſcopus conſecratur, & Cardinalis creatur. Cœnobium Urſicampi fundatur a Lothario Rege, ſecundum Egghardum, & dotatur bonis multis.

Quarto anno Lotharii, qui eſt Domini MCXXXI. Thidericus Comes Hollandiæ IX. ſecundum Wilhelmum, filius Florentii Craſſi & Petronellæ cœpit, & cum ſua matre Comitatum Hollandiæ adminiſtravit. Abbatia in Walkenred Ciſtercienſis Ordinis fundatur a Lothario Rege Romanorum ultra montem Hartonis, ſecundum Egghardum, & Cœnobium apud Bellismontem fundatur eodem anno. Hugo de S. Victore, Doctor venerabilis Halberſtadenſis diœceſis & Saxo natus, floruit Pariſius. Hic Canonicus Pariſienſis exiſtens, cum in ultima infirmitate laboraret, & nullum cibum retinere poſſet, Corpus Dominicum ſibi dari cum multa inſtantia poſtulavit. Tunc Fratres ejus turbationem quietare volentes, hoſtiam non conſecratam pro Corpore Dominico ei obtulerunt. Quod ille in ſpiritu cognoſcens ait: Miſereatur veſtri Deus Fratres. Cur me deludere voluiſtis? Ille enim non eſt Dominus meus, quem portaſtis. Mox illi ſtupefacti, verum Chriſti corpus attulerunt, & ſibi tradiderunt. Tunc Hugo videns, quod recipere non poſſet absque periculo, elevatis in cœlum oculis dixit: Aſcendat Filius ad Patrem, & ſpiritus ad eum, qui fecit illum. Et his dictis, mox exſpiravit, & Corpus Dominicum ibidem disparuit,

Quinto anno Lotharii, qui eſt Domini MCXXXII. Apud Parthenopolitanam urbem, ſecundum Egghardum, Norbertus fundator Ordinis Præmonſtratenſis conſecratur Archiepiſcopus conſentiente Lothario Rege.

De Innocentio II. PP. CLXXII.

Innocentius Papa, natione Romanus ex patre Johanne, ſedit annis XII. menſibus VII. & diebus VIII. ſecundum Martinum. Iſte totam Eccleſiam ſimul & Monaſterium S. Salvatoris a fundamentis renovavit. Contra hunc Innocentium electus eſt & ordinatus Petrus Leonis.

Ad

Ad cujus ſchiſmatis peſtem ſedandam S. Bernhardus Claræuallenſis Abbas vocatus multum laboravit & profecit. Sane namque Innocentii Papæ vita & fama ac ſcientia digna ſummo Sacerdotio habebantur. Petrus autem Leonis ad hunc honoris apicem ambiens, a ſuis fautoribus Cardinalibus pretio corruptis electus eſt, & Anacletus dictus. Congregaverat enim pecunias innumeras tam in exactionibus Curiæ, quam in legationum negotiis, quas ad exſpectatas nundinas reſervavit. Inſuper & paterni cenſus ampla congeries eatenus ſigillata, & modo diſtributa in populum, ad fas & nefas plebem armaverat. Quibus elargitis, donaria Regum in ornamentis Eccleſiæ ab ipſis evulſit altaribus jam electus, & cum calices frangere, & cruces aureas membratim dividere, profani Chriſtiani vel erubeſcerent vel timerent, quæſiti ſunt Judæi, qui vaſa ſacra & imagines Deo dicatas audacter comminuerent. Cumque omnes Eccleſias clenodiis aureis & argenteis atque theſauris ſpoliaſſet, & cum ablato illo theſauro Romanos corrupiſſet, Innocentius Papa nullum ſubſidium in urbe Romana habens, cum Cardinalibus ſuis in duabus galeis tranſivit in Galliam, & a Rege Francorum Lodowico honorifice ſuſceptus eſt, & adjutus fideli auxilio B. Bernhardi Claræuallenſis Abbatis. Poſtquam vero in Claromonte & Rhemis Concilia ſua celebraſſet, in reditu pacificatis Januenſibus & Piſanis, Januenſem Epiſcopum, qui ſub Mediolanenſi Archiepiſcopo militabat, fecit Archiepiſcopum, & Piſanum Primatem totius Sardiniæ. Poſt hoc Innocentius celebravit Concilium Leodii, præſentibus Lothario Rege & Rixa uxore ſua cum XXXVI. Epiſcopis, & ibidem Otto Halberſtadenſis Epiſcopus reſtituitur ſedi ſuæ, de qua ejectus fuerat.

Sexto anno Lotharii, qui eſt Domini MCXXXIII. Philippus puer, filius Lodowici Regis Francorum, ſecundum Vincentium, nuper in Regem Francorum unctus, dum in civitate Pariſienſi equo veheretur, porcus equi pedibus ſe ſubmittens, equum dedit præcipitem ſuper puerum, & ipſum extinxit, de cujus ſubita & miſeranda morte Francis luctus excrevit & lamentum. Synodus magna Rhemis celebratur ab Innocentio Papa, ſecundum Wilhelmum, in qua multis ad honorem & Eccleſiæ profectum diſpoſitis & ordinatis, Lodowicum pro Philippo fratre ſuo, quem de equo projectum porcus occiderat, vivente adhuc patre coronavit in Regem. Ibidem etiam Petrus Leonis ab omnibus Galliæ & Germaniæ Epiſcopis anathematizatur. Lotharius Rex expeditionem faciens in Italiam, ſecundum Vincentium, cum Archiepiſcopis & Epiſcopis, Innocentium Papam cum Cardinalibus Romam deduxit contra Petrum Leonis, qui Monaſterium S. Petri munierat. Lotharius autem potenti manu Innocentium Papam in Eccleſia Lateranenſi in ſedem ſuam Papalem collocavit. Innocentius vero Papa honorem ſibi impenſum recompenſando, ipſum Lotharium in Imperatorem conſecravit & coronavit cum Rixa conſorte ſua, Imperatricem eam creans & coronans.

Septimo anno Lotharii, qui eſt Domini MCXXXIIII. Cum eſſet hyems valida, Comes Hollandiæ Thidericus, ſecundum Wilhelmum, filius Florentii, contra Friſones proficiſcens, cum veniſſet Algmare, Friſones impetum ejus ferre non valentes fugerunt. Omnes autem per glacies Friſiam pervagatus, villas incendit quamplurimas, captivosque multos cum præda magna abducens ad propria reverſus eſt. Sanctimoniales de clauſtro Saxoniæ Stoterlingborg dicto, ſecundum Egghardum, ordinante hoc Petronilla Comitiſſa Revelborg in Hollandiam deductæ ſunt, quarum religio & induſtria hodie in his, quæ per earum magiſterium informatæ ſunt, apparet. Otto Halberſtadenſis Epiſcopus, ſecundum Egghardum, Romæ a Papa Innocentio denuo deponitur propter Simoniacam pravitatem, quam in aliis perſequebatur, ipſe reus. Lotharius Imperator Nurenbergenſem urbem ſubdidit Imperio, ſecundum Egghardum, manu violenta eam ſibi rebellantem impugnando. Wilhelmus Comes Pictaviæ Romam proficiſcitur, ſecundum Wilhelmum, & inde ad S. Jacobum peregrinatur: ubi poſitus in Eccleſia S. Jacobi in die Paraſceves ante majus altare ſpiritum ſuum efflavit, & ibidem ſepultus eſt. Hic morti proximus Proceres, quos ſecum habebat, conteſtatus eſt, ut filia ſua major Abenordis Lodowico Regi Francorum cum Ducatu Aquitaniæ in uxorem tradatur. Quod & factum eſt. S. Godehardus Epiſcopus Hildenshemenſis de tumba levatur, ſecundum Egghardum, comitantibus ſignis variis & miraculis.

Octavo anno Lotharii, qui eſt Domini MCXXXV. Trajectum Friſiæ comburitur, ſecundum Wilhelmum, cum omnibus eccleſiis ſuis. Eodem anno duo circuli circa ſolem apparuerunt hominibus exiſtentibus in Padelburna, quorum minor circulus Eccleſiam, major vero civitatem ambiebant: eadem vero die hora IX. incinerata eſt civitas cum Eccleſia majore. Vicelinus Presbyter oriundus prope urbem Mynden in villa Quenhamele, ſecundum Helmoldum in Chronica Slavorum, ſita ſuper ripam Wyſer fluvii, veniens in urbem Lubicanam terræ Wagirorum ad Henricum Regulum Slavorum, rogavit ipſum, ut ſibi daret facultatem prædicandi Verbum Dei infra terminos ſui Principatus. His enim diebus non erat Eccleſia neque Sacerdos in univerſa gente Luticiorum, Obotritorum & Wagirorum, niſi tantum in urbe Lubeke, eo quod illic eſſet Henrici prædicti Reguli familiare contubernium & manſio principalis, quia ipſe eam jam per Trutonem fundatam valde ampliaverat & emendaverat, & ſimiliter caſtrum ejus. Eccleſiam autem Henricus in hac urbe ædificaverat, ſitam in monte ſuper Trabenam aquam, quæ modo S. Johannis in arena nominatur, quam poſtea Kanutus Obotritorum Regulus dedicari fecit in honorem S. Johannis Baptiſtæ. Prædictus ergo Vicelinus Sacerdos per Norbertum Archiepiſcopum Magdeburgenſem ordinatus, & a Henrico Regulo Slavorum ad ſeminandum Verbum

Dei

Digitized by Google

Dei in populo Slavorum una cum aliis duobus Sacerdotibus, Rodolfo scilicet Hildenshemensi & Ludolfo Verdensi Canonicis, opus Dei aggressus est, & magnum fructum in populo inculto & rudi divino adjutus auxilio operatus est.

Nono anno Lotharii, qui est Domini MCXXXVI. Ipse Lotharius Imperator zelo divino succensus, secundum Egghardum, vires Imperii denuo excitavit pro Ecclesia, & contra Rogerium Comitem, qui contra Papam Regnum Siciliæ occupabat, una cum Papa Innocentio Apuliam potenter intravit, & Rogerio fugato de Sicilia, constituerunt Ducem Apuliæ Raynonem Comitem. Hic victoriæ Pisani navigio Imperatori & Papæ plurimum astiterunt. Devicto autem Rogerio, Lotharius intravit cum Innocentio Papa Brensem urbem, quam etiam ceperant. Et in die Pentecostes, cum Papa missam ibidem celebraret, visa est corona aurea allata de cœlo pendere super Ecclesiam in aëre, ac super eam sedere columbam. Fumus etiam aromaticus visus est evaporare prope coronam, & duæ candelæ magnæ cernebantur adjunctæ circa coronam ardere. Quid vero prædicta visio prætendebat, nulli hominum cognitum erat, sed conjecturabatur significare concordiam & caritativam familiaritatem illorum duorum magnorum Principum, Papæ scilicet & Imperatoris coronandam perpetua beatitudine Salvatoris. Slavi Selandiam Danicam intraverunt cum magno populo, secundum Helmoldum, & terram illam ex integro deprædantes, Roschilde opidum funditus destruxerunt. Henricus Princeps Slavorum obiit in Lubeke, secundum Helmoldum, cujus filii Swentepol senior & Kanutus junior de principatu paterno contendere cœperunt. Sed Swentepol dominium obtinens cum adjutorio Adolfi Comitis Holtzatorum & Sturmariorum obsedit plures urbes terræ Obotritorum. Quibus subactis reversus est Lubeke. Frater autem ejus Kanutus interfectus in opido Luttikenburg, Swentepol vero non longe post occisus est dolo cujusdam Dasonis prædivitis de Holtzatia, & remansit in Principatu Swynike filius ejus. Sed & hic statim post interemtus est in Ertineburg villa trans Albiam. Et sic in brevi defecit stirps Henrici Reguli Slavorum, & Principatus ille devolutus est ad manus Nobilissimi Principis Kanuti filii boni Erici Regis Danorum. Swentepol ergo reversus Lubeke, ut supra immediate tactum est, secum duxit venerabiles Presbyteros Rodolfum & Volkquardum, ut salutem populi procurarent, eis prædicando Verbum Dei. Qui benigne recepti per mercatores, habitaverunt in Ecclesia sita in colle super flumen Trabenam.

Decimo anno Lotharii, qui est Domini MCXXXVII. Adolfus Comes Holtzatorum & Sturmariorum obiit, secundum Helmoldum, relictis duobus filiis, quorum senior Hartungus vir militaris habiturus erat Comitiam, & Adolfus junior filius literis erat dedictus. Imperatore ergo Lothario exercitum grandem in Bohemiam ducente, Hartungus Comes cum aliis Nobilibus multis in prælio interfectus est. Propter cujus mortem Adolfus frater suus, postpositis scholis, assumsit Comitiam terræ Nordalbingorum, & factus est vir prudens, & in divinis humanisque negotiis sagax & exercitatus. Adalbertus Archiepiscopus Bremensis, secundum Helmoldum, transiit Albiam de Brema veniens, visitaturus Hammeburg & Nordalbingorum provinciam, venitque in villam Myldorp terræ Dithmarciæ, habens in Comitatu suo Vicelinum Sacerdotem devotum. Tres autem sunt Nordalbingorum populi, puta Sturmari, Holtzati & Tithmarci, tenentes jura Saxonum & ritum Christianum & nomen. Consistente ergo Pontifice Adalberto in Myldorp, venerunt ad ipsum cives de Faldera, rogantes dari sibi Sacerdotem. Est autem Faldera pagus Holtzatorum versus illam partem, quæ Slavos attingit: statimque Antistes conversus ad Vicelinum Sacerdotem dixit: Si tuum propositum est laborandi in Slavia, vade cum hominibus istis, & utere Ecclesia eorum, eo quod sita sit in terminis utriusque provinciæ. Quo respondente, præsto sum, ait Præsul ad viros illos: Vultis vobis dari Sacerdotem prudentem & idoneum. Quibus dicentibus, se hoc petere, & gratum velle habere, commisit eum cuidam Markrado civi præpotenti de Faldera, præcipiens ei, ut dignam personæ gereret sollicitudinem. Florentius frater Thiderici Comitis Hollandiæ a Frisonibus accersitus, secundum Wilhelmum, ipsis confœderatus est, & per annum integrum a mense Augusto in Augustum in Frisia manens, fratri & patriæ insidias & damna, in quantum potuit, machinatus est. Alcmare namque succendit, & prædam multam abduxit. Cui & rustici multi de terra confœderati sunt, & ad Harlem urbem usque ipsum cum Frisonibus perduxerunt, ac incendia multa fecerunt. Redeuntes autem in Frisiam, socios conspirationis exterminio Comitis Thiderici juxta eorum demerita reliquerunt. Hujus patriæ gens Frisonica, quamvis his temporibus ruralis valde sit & inculta, antiquitus tamen militaribus exercitiis multum erat dedita, ut puta populus, qui multas terras & provincias exterruit & vastavit gladiis suis. Nam Karolus Magnus cum isto populo multas sibi gentes rebelles perdomuit, & plures urbes sibi subjugavit. Quapropter ipsos Frisones valde extollens ultra cæteros Saxonum populos nobilitavit, prout clarius patet legenti Bullam ejus super hac excellentia eis data ab ipso, quam primæ parti Chronicæ hujus inserui, cum de temporibus dicti Imperatoris Karoli scriberem. Nicolaus Rex Danorum, secundum Helmoldum, detruncavit omnes Teuthonicos in terra sua inventos. Unde commotus Lotharius Imperator contra ipsum, regnum Danorum cum manu valida intravit. Cumque videret Nicolaus Rex, quod se defendere non valeret contra Imperatorem, gratiam ipsius quæsivit. Imperator autem extunc statuit curiam celebrari in Halberstad tempore Paschali, ubi Nicolaus Danorum Rex veniens cum fratre suo Eriko, Imperatori homagium

magium fecit, jurans sibi cum suis Principibus, quod ipse & omnes sui successores Regnum Daciæ ab Imperatore suscepturi essent. Hanc quidem dignitatem acquisivit Lotharius Imperio Romano. Inter multos viros religiosos secundum Jacobum de Voragine, Bernhardus Abbas Clarævallensis eminentissimæ sanctitatis & scientiæ florebat. Qui multorum miraculorum patrator, & Verbi Dei ferventissimus prædicator, atque Monasteriorum multorum fundator existens, animarum lucris fervide insistebat adeo, ut magistri scholarum cum magno Clericorum comitatu, etiam de longinquis regionibus ad ejus optabile magisterium confluerent, centenario & eo amplius numero domum probationis suæ replens. Una enim die probationis tempus perficientes, XL. Monachi effecti sunt professionem faciendo. Hic vir sanctissimus natus fuit in Burgundia ex parentibus Deo dilectis, cujus pater Tecelinus miles strenuus exstitit, mater vero ejus Aaleth nuncupata fuit. Hæc VII. pueros genuit mares & unam fœminam, mares autem omnes futuros Monachos prævidit, & fœminam Sanctimonialem. Mox autem ut filium peperisset, Deo ipsum offerebat, & propriis uberibus nutriebat. Cum autem puerum hunc Bernhardum gestaret in utero, vidit in somnis catulum candidum, sed in dorso subrufum latrantem se in utero habere. Quod somnium cum viro devoto cuidam narrasset, ille respondit: Optimi catuli mater eris, qui contra Domini inimicos magnos faciet latratus. Erit enim prædicator egregius, & multos convertet peccatores. Cum autem Bernhardus adhuc puerulus dolore capitis ægrotaret, venientem ad se mulierem, ut dolorem suis carminibus mitigaret, cum indignatione magna repulit & abjecit, & extunc de Dei misericordia sanatus est. In sacratissima autem Nativitatis nocte Christi, cum puer Bernhardus matutinale officium exspectaret, & in qua homo Christus natus fuisset, scire affectaret, apparuit ei Christus puerulus, quasi iterum ante oculos suos ex utero nascens. Unde quamdiu vixit, illam fuisse horam nativitatis Domini putavit. Videns autem diabolus propositum bonum pueri, multos sibi tentationis laqueos opposuit. Cum autem una dierum in quandam mulierem oculos aliquamdiu fixos tenuisset, continuo de seipso erubescens, in stagnum aquarum gelidarum insiliens, tam diu in eo mansit, donec concupiscentiæ fervor recessisset. Cum autem in domo cujusdam matronæ hospitaretur, & illa ipsum pulcrum esse considerasset, in concupiscentiam ipsius nimis exarsit. Cum autem seorsum sibi lectulum fecisset, de nocte ad eum silenter accessit. Quod cum ille sensisset, mox clamavit: Latrones, latrones. Quæ ad vocem clamantis fugiens, cum familia surgeret, & latrones quæsivisset, & nullum invenisset, reposuit se ad quietem. Tunc illa misera denuo surgens, lectulum ejus aggressa est. Illo vero iterum clamante, ut prius, latrones iterum fugit. Famulis autem domus iterum surgentibus, quærentibus, & nihil percipientibus, & sic iterum ad requiem se ponentibus, tertio infelix illa juvenem tentans, & iterum repulsa clamoribus pristinis, vix confusa abscessit. Cum autem mane facto socii perquirerent, quid somniasset, quod toties latrones clamasset, respondit: Hospita mihi nitebatur thesaurum irrecuperabilem castitatis. Perpendens ergo Bernhardus ex hoc facto, non esse tutum cohabitare serpentibus, deliberavit ingredi Ordinem Cistertiensium. Quod cum fratres ipsius agnoscerent, omnibus modis ipsum a tali proposito nitebantur retrahere, sed divino adjutus auxilio, ipse omnes fratres suos ad idem propositum induxit. Ingressus ergo Ordinem prædictum, in tantum se cœlestibus cœpit occupare negotiis, ut tandem vix corporeis sensibus uteretur. Fratres vero sui ipsum tandem secuti sunt, & Domino ferventer servire in illa religione studuerunt. Pater autem, qui solus domi remanserat, tandem ad prædictum Monasterium evolavit, & ibi per tempus aliquod vitam suam in senectute bona finivit. Soror quoque ejus seculo nupta, cum in deliciis & divitiis periclitaretur, instigante spiritu bono quadam vice, suos fratres visitatura ad Monasterium venit. Cumque eam vidisset Bernhardus in apparatu superbo, ipse eam tanquam rete diaboli ad capiendas animas abhorrens, eam sprevit, sibi loqui dedignans. Videns autem illa, quod nullus fratrum suorum ei occurreret, sed ab uno illorum, qui tunc portarius erat, stercus sericis involutum vocaretur, tota in lacrymas resoluta dixit: Etsi peccatrix sum, Christus tamen pro talibus mortuus est. Quia vero me peccatricem sentio, idcirco bonorum consilium requiro. Et si frater meus despicit carnem meam, rogo, quod non despiciat animam meam, pro qua Christus passus est. Veniat, & sorori miseræ viam Dei ostendat, & quicquid ipse præceperit, ipsa adimplebit. Cum autem mulier hæc dixisset, Bernhardus cum fratribus suis ad eam exiit. Et quia a viro suo eam separare non potuit, primo ei omnem mundi gloriam interdixit, & formam matris eidem imitandam indicens, eam dimisit. Quæ ad virum suum rediens, tandem precibus multis ab ea fatigatus, eam licentiavit. Quo soluta, mox Monasterium intravit, & vitam in virtutibus informans, religiose conversata est usque in finem. Cum autem B. Bernhardus post multa opera virtuosa tandem morti appropinquaret, dixit fratribus suis: Tria vobis observanda relinquo, quæ in stadio præsentis vitæ, quo concurri, memini me pro viribus observasse. Nemini scandalum facere volui, & si aliquando incidit, sedavi, quantum potui, minus semper sensui meo quam alterius credidi. Læsus de lædente nunquam vindictam expetii. Ecce caritatem, humilitatem & patientiam vobis pro testamento relinquo. Postquam ergo plura miracula Dominus per ipsum operatus fuisset, & Monastica C. & LX. fundasset, multosque libros & tractatus compilasset, consummatis vitæ suæ annis circiter XLIII. feliciter obdormivit in Domino.

Undecimo anno Lotharii, qui est Domini MCXXXVIII.

Digitized by Google

MCXXXVIII. Rani ſive Rugiani venientes cum exercitu multo inopinate navigio coram Lubeke, ſecundum Helmoldum, & urbem vacuam viris invenerunt, quam mox obſidentes navibus, caſtrum cum urbe ex toto demoliti ſunt. Sacerdotes vero, barbaris in unam Eccleſiæ januam irruentibus, per aliam elapſi, beneficio vicini nemoris ſalvati ſunt, & ad Falderenſium pagum refugium habuerunt. Nec longe poſt interfectis Swentepol Principe & Swynike filio ejus, translatus eſt Principatus ad Kanutum filium boni Erici Regis Danorum exulantem per conceſſionem Adelberti Marchionis. Hic Kanutus tandem veniens Lubeke urbem deſolatam & pro majori parte deſtructam, dedicari fecit Eccleſiam, quam Henricus Princeps Slavorum quondam conſtruxerat. De iſto Kanuto ſic habetur in Chronica Lubicenſium. Erikus Bonus ille Rex Danorum, de quo ſupra dictum eſt anno XLIII. Henrici IIII. cum ſe devoviſſet ad iter Jeroſolymitanum, fratri ſuo Nicolao filium ſuum Kanutum parvulum & regnum pariter commendavit, accepto juramento, quod ſi non rediret, filio ſuo Kanuto, poſtquam adoleviſſet, regnum traderet. Cum ergo Nicolaus Regem Erikum in via Jeroſolymitana obiiſſe percepiſſet, ipſe licet concubinarius & illegitime natus, Regnum ſibi uſurpavit, eo quod Kanutus adhuc parvulus eſſet. Sed & huic Nicolao erat filius nomine Magnus, qui cum Kanuto Regis Erici filio nutriebatur in futuras bellorum commotiones & ruinam Danorum. Ut autem Kanutus adolere cœpit, timens, ſe inſidiis patrui ſui faciliter obrui poſſe, tranſtulit ſe ad Lotharium Imperatorem, & manſit apud illum aliquot diebus. Inde vero tandem reverſus in patriam, a patruo ſuo Nicolao benigne eſt receptus, & Ducatu Jutiæ eſt potitus. Cœpit autem vir pacificus regionem pacificare, afferens viros deſertos de terra. Interfectis ergo filiis Henrici Reguli Obotritorum Swentepol & Kanuto, Kanutus Dux Jutiorum adiit Imperatorem Lotharium, & emit Principatum Obotritorum multa pecunia, & omnem poteſtatem, qua Henricus Regulus prædítus fuerat. Cui Imperator Lotharius impoſuit coronam, ut eſſet Rex Obotritorum. Unde reverſus in terram ſuam, invenit Lubeke deſolatam, ubi, ut dictum eſt, dedicari fecit Eccleſiam, quam Henricus ædificaverat, ſitam in colle ſuper Trabenam, & reformare cœpit civitatem a Ranis nuper deſtructam. Abbatia Foſſæ Novæ Ordinis S. Bendicti fundata eſt in finibus Campaniæ. Similiter & eodem anno cœnobium in Amelingesborne, ſecundum Egghardum, conſtructum eſt in finibus Weſtphaliæ & Saxoniæ. Petrus Leonis Antipapa impœnitens moritur, ſecundum Vincentium, & cadaver ejus in latebris ſepelitur, & usque hodie fovea illa a Catholicis ignoratur. Norbertus Archiepiſcopus Magdeburgenſis, ſecundum Egghardum, mutavit Canonicatum Eccleſiæ B. Mariæ in Magdeburg in Ordinem Præmonſtratenſium, quem ipſe fundaverat. Similiter & Canonicatus Eccleſiarum Brandeburgenſis & Havelbergenſis in ejusdem Ordinis fratres variavit. Caſtrum Montis Victorialis terræ Holtzatorum, quod in vulgari Segheberg nuncupatur, conſtruitur a Lothario Imperatore. Monaſterium quoque, quod ſub caſtro ſituatum eſt, ſecundum Helmoldum, pro eodem tempore fundatum eſt ab eodem Principe, cooperante Adolfo Comite, Vicelino vero Sacerdoti Falderenſi commiſſum eſt ad perficiendum. Gherardus Engoliſmenſis Epiſcopus, ſecundum Vincentium, inſtigante diabolo, factus fuit dudum ſchiſmatis autor & defenſor, quod inter Innocentium & Petrum Leonis olim ſurrexerat. Hic Petro Leonis Romæ ſæviente miſit ad ipſum, rogans, ut ei legationem concederet, & ipſe ei, fidelitate jurata, obedire vellet, inſuper & Principem terræ, & quoscunque poſſet, ad ejus imperium declinaret. Gaviſus homo perditionis, locum ſe inveniſſe, in quo latitaret, ſuamque malitiam dilataret, cito annuit & libenter, & miſit ad eum Gylonem Tuſculanum Epiſcopum Cardinalem, qui ſolus de Romanis cum Petro Portuenſi Epiſcopo ei adhærebat. Gherardus ergo, reſumtis cornibus, quod antea non præſumſerat, jam publice facere audebat. Ab his ergo duobus violenter expellitur Wilhelmus Epiſcopus Pictavienſis de ſua Sede, vir honeſtus & Catholicus, & pro eo alius quidam nobilis genere, ſed degenerans fide intruditur. Similiter & Lemovicenſis Eccleſia vim patitur, Ranulfo Doracenſi Presbytero in ea intruſo, & vero Paſtore depulſo. Qui Ranulfus non diu poſt ſupinus cadens de equo, in via plana exſpiravit. Audiens autem hæc Gamfredus Carnotenſis Epiſcopus venerabilis, cui a Papa Innocentio Aquitaniæ legatio commendata eſt, duxit ſecum S. Bernhardum Abbatem Clarævallenſem, & venientes Vannetum, ſanata eſt ibidem mulier quædam per virum Sanctum, quæ jam per ſex annos ab incubo dæmone fuerat oppreſſa. Decanus vero Eccleſiæ Pictavienſis altare, in quo S. Bernhardus Miſſam celebraverat, deſtruere auſus eſt. Sed & ipſe poſt breve tempus percuſſus a Deo, exſpiravit. Archipresbyter quoque, qui Petri invaſoris Eccleſiæ Pictavienſi Synodum denunciabat, coram ipſis, quos ad conventum perfidiæ invitabat, a diabolo correptus interiit. In multos etiam alios, qui in ſchiſmate illo ferventiores extiterant, manus Dei manifeſtam exercuit ultionem. Tandem Principe reconciliato, & Epiſcopis, qui expulſi fuerant, in Sedibus ſuis collocatis, Gherardus ſolus perſeverans in malitia, ſine confeſſione & viatico in ſuo lecto repente ſuffocatus inventus eſt.

Duodecimo anno Lotharii, qui eſt Domini MCXXXIX. Monaſterium Canonicorum in Luttere, ſecundum Egghardum, mutatum eſt in conventum Fratrum Ordinis S. Benedicti a Lothario Imperatore, & illi Monaſterio magnas gratias & indulgentias obtinuit a Papa pro feſtivitate Apoſtolorum Petri & Pauli. Kanutus Rex Obotritorum invitatus in dolo ad colloquium familiare a Magno filio Nicolai Regis Danorum, interficitur ibidem ab eodem Magno, ſecundum Helmoldum. Quod audiens Lotha-

Lotharius Imperator, & dolens de nefanda interfectione viri tam nobilis, intravit Daciam cum magno exercitu contra dictum Magnum. Sed proch pudor, corruptus pecunia egressus est, nichil ad rem faciens. Locus autem ubi Kanutus interfectus est, Ringstech dictus est. Ericus vero frater Kanuti cognomento Hasenvot, id est Pes leporis, eo quod semper fugeret, in ultionem sui fratris congregavit exercitum, & veniens in occursum Magni, fugatus est in opidum Sleswik. Quam urbem Nicolaus Rex Danorum & Magnus filius suus obsidione circumdantes cum magna Danorum multitudine, civitati violentiam intulerunt. Venit autem in auxilium civitati Adolfus Comes Holtzatiæ, sed & ille ab exercitu Danorum fugatus est cum perditione non modica suorum. Tandem obsidio soluta est propter rigorem hyemis, & reversi sunt Dani in terram suam. Kanuto autem successerunt in Principatu Pribizlaus & Nyclotus filii sui, qui mox Regnum paternum diviserunt. Nyclotus enim obtinuit terram Obotritorum, quæ modo Mykelingburg nuncupatur, & terram Slavorum. Pribizlaus vero accepit in sortem suam terram Wagirorum. Wagiria namque terra intra se continet urbes & opida, puta Lubeke, Todislo, Sigeberg & Pagum Suentinensem usque ad Egdoram fluvium. Idem etiam Pribizlaus possidebat magnam partem terræ Nordalbingorum, puta Luttikenburg, Aldenburg, Plune, Oytin, Kylensem urbem, & omnem regionem, quæ clauditur mari Baltico & Trabena. Et sub istis Principibus iterum rapinæ, furta & latrocinia, quæ olim avus eorum Henricus Regulus eliminaverat, exerceri ab incolis cœperunt, ac fidei novella plantatio incrementum suum perdens, ex toto aruit & defecit. Erikus vero frater Kanuti interfecti in maritinam Scaniæ regionem se transtulit, conquerens ubique fratris sui necem perniciosam. Quem soli Scanienses contra Nicolaum Regem in suum elegerunt. Quod audiens Magnus, venit contra ipsum cum classe magna navium. Cum ergo Magnus in sacro dies Pentecostes aciem urgeret, nec solennitati parcere vellet, licet ab Episcopis moneretur, cecidit Magnus cum omnibus Danis illo die juxta Fothswik, & cum eo sex Episcopi, omnes victi a solis Scaniensibus, quorum Episcoporum quatuor erant de Jutia, unus de Selandia, & unus de Svecia, & multi Nobiles de Dacia cum eis. Nicolaus vero Rex Danorum elapsus, navigio venit Sleswik, ubi mox interfecerunt ipsum sutores opidi in favorem Erici victoris. Magnificatum est ergo nomen Erici, & regnavit in Danorum & Sveorum Regnis gloriose, & genuit filium Noesweyn. Orta est autem controversia magna inter Hennricum Ducem Bayoariæ generum Lotharii Imperatoris & Adelbertum Marchionem orientalium Saxonum, qui nunc Martiales nominantur, secundum Chronicam Saxonum. Contentio autem illa de Ducatu Saxoniæ ortum habuit, & multum invalescere cœpit, eo quod Conradus Dux Sveviæ factus Rex Romanorum partes Marchionis foveret. Unde & ipse castrum Luneburg cum civitatibus Bardewic & Brema occupans, occidentali Saxonia potitus est. Sed & Nordalbingorum fines partibus ejus applicati sunt. Quamobrem Comes Adolfus Secundus provincia pulsus est, eo quod fidem Rixæ Imperatrici & genero ejus temerare noluisset. Comitiam autem ejus, urbes & servitia Henricus de Badewide, de genere Comitum de Orlemunde, beneficio Adelberti Marchionis protunc Ducis Saxoniæ assecutus est. Inter hæc Pribizlaus, sumta tyrannide de castro & urbe Lubek, omnia funditus demolitus est. Non multo post venit quidam Rasche dictus de genere Trutonis quondam Principis Slavorum & fundatoris urbis Lubike cum classica manu, arbitratus, se hostem suum Pribizlaum in Lubeke reperturum. Duæ enim cognationes Trutonis scilicet & Henrici propter Principatum Slavorum contendebant. Sed non invenientes Pribislaum, Rasche cum suis, relicta Lubeke urbe & castro, & omnia circumjacentia solo æquaverunt, & locus urbis & castri planus relictus est. Lotharius Imperator, secundum Egghardum, Italiam intravit, & totam Apuliam fidelitati Ecclesiæ subegit. De Italia autem rediens, prope Nurenberg infirmatus obiit, sed a suis militibus transvectus est in Luttere, ubi quiescit cum Rixa consorte sua. Romæ obiit quidam dictus Johannes de Longo tempore, secundum Vincentium, eo quod esset CC. & LXII. annorum, cum moreretur. Fuerat enim hic homo armiger Karoli Magni, & suo tempore plura fecerat laudabilia in diversis prœliis.

De Conrado III. Rege Rom. non Imperatore.

Conradus III. Dux Sveviæ, Henrici V. nepos de sorore sua Agnete, Romanorum Rex, cœpit anno mundi VMXCVIII. Olympiadis CCCCLXXIIII. anno primo, Urbis conditæ MDCCCLXXXVII. Domini vero MCXXXIX. & regnavit XIIII. annis, secundum Martinum. Iste caruit benedictione & corona Imperiali, quia præventus fuit morte, licet se disposuisset ad suscipiendam eam, præsertim cum Eugenius Papa frequenter ipsum ad hoc invitasset. Iste nitebatur Henricum Leonem privare Ducatu Saxoniæ & Westphaliæ, sed non valuit. Henricus Dux Bayoriæ Catulus, gener Lotharii, secundum Helmoldum, Ducatum Saxoniæ recuperavit, auxilio fultus Rixæ Imperatricis, & Adelbertum Marchionem de Saxonia fugavit. Unde & Comes Adolfus rediit in Comitiam Nordalbingorum. Videns autem Henricus de Badewide, quod contra Adolfum subsistere non posset, succendit castrum Sigeberg. Arcem vero firmissimam Hammeburg, quam Adolfi Comitis murato opere construxerat, ut esset urbi præsidium contra impetus barbarorum, & quicquid notabile Adolfus senior ædificaverat, Henricus de Badewide, fugam meditans, demolitus est.

Primo anno Conradi, qui est Domini MCXL. Henricus Catulus, id est Wolpe, Dux Bayoariæ & Saxoniæ, obiit secundum Egghardum, cui successit

Digitized by Google

ſucceſſit Henricus Leo filius ejus adhuc juvenis. Domina vero Ghertrudis mater Henrici Leonis juvenis dedit Henrico de Wadewide Wagirenſem terram, accepta ab eo pecunia multa, volens ſuſcitare preſſuras Adolfo Comiti, eo quod non diligeret eum. Sed ſtatim poſt hoc eadem Domina Gertrudis nupſit Henrico fratri Conradi Regis Romanorum, & ſic alienata eſt a negotiis Ducatus Saxoniæ & Bayoariæ. Acceſſit autem Adolfus Comes ad Henricum Leonem Ducem juvenem & ad Conſiliares ejus, acturus cauſam ſuper Nordalbingorum & Wagirorum terras. Diſſenſiones ergo iſtæ inter Henricum de Badewide Comitem & Adolfum Comitem taliter pacatæ ſunt, ut Adolfus Sigeberg & omni Wagirenſium provincia potiretur, Henricus vero in recompenſationem pecuniarum ſuarum reciperet Ratzeburg & terram Polaborum, quæ in præſentiarum Ducatus eſt in ſeptentrione verſus Albiam. Et ex tunc Adolfus Comes Sigeberg caſtrum reædificavit, muroque cinxit. Et quia terra fuit deſerta, miſit in regiones nuncios, ut, ſiquis paſcuorum & agrorum ſatilium arctaretur penuria, veniret cum familia ſua, & terram optimam, terram ſpatioſam & uberem fructibus, piſcibus & carnibus redundantem, ac paſcuis commodam & fertiliſſimam accepturus. Ad hanc vocem ſurrexit innumera multitudo de variis nationibus, aſſumtis familiis ſuis cum facultatibus, venerunt in terram Wagirorum ad Comitem Adolfum, poſſeſſuri terram, quam eis pollicitus erat. Et primi quidem Holtzanſes acceperunt ſedes ſuas in locis tutiſſimis ad occidentalem plagam Sigeberg circa flumen Trabenam, campeſtria quoque & Ventinevelt, & quicquid a rivulo Svalen usque Agrimeſon & lacum Plunenſem extenditur; Darginenſem vero pagum Weſtphali, Utinenſem Hollandrini, & Zuſele Friſones incoluerunt. Porro Plunenſis adhuc deſertus erat pagus, Aldenborg vero & Luttikenburg & cæteras terras mari contiguas dedit Slavis incolendas, factique ſunt ei tributarii, excludens Pribizlaum, qui ſibi Wagirorum terram & partem Nordalbingorum terram uſurpaverat, ut ſupra anno præcedenti dictum eſt. Poſt hæc Adolfus Comes circuiens terram Wagirorum, venit ad locum, qui Butu dicitur, invenitque vallum ibi urbis deſtructæ, quam ædificaverat Truto tyrannus, & Rani ac Kaſche de genere Trutonis prædicti deſtruxerant, ut ſupra patuit anno præcedenti. Et vidit inſulam ampliſſimam gemino flumine cinctam. Nam ex una parte Trabena, & ex altera parte Wokniza præterfluit, habens uterque fluvius paludoſam & inviam ripam, ex ea vero parte, qua terreſtre iter ei continuatur, eſt collis contractior vallo caſtri præſtructus. Videns igitur induſtrius vir competentiam loci & amœnitatem portumque nobilem, cœpit illuc reinſtaurare civitatem, quam Truto olim ibidem locaverat, & Henricus Regulus ampliaverat, vocavitque eam nomine antiquo Lubek, quod Slavonicum idioma eſt, & in vulgari Teuthonico amœnum ſonat, eo quod locus amœnus eſſet & delectabilis. Miſitque mox nuncios ad Nyclotum & Pribizlaum fratres Principes Obotritorum, amicitias cum eis componens, & omnes nobiliores provinciæ illius donariis & muneribus aſtrinxit, ut terram ejus comparare & defendere ſatagerent. Cœperunt ergo inhabitari deſerta Wagirenſis provinciæ, & numerus accolarum ejus valde multiplicabatur. Lubicenſis quoque urbs novella incrementa cepit continua, & mercatorum copia de diverſis partibus confluxit. Hildegardis altera Sibylla naſcitur prope Pingviam ſuper Rhenum flumen, ſecundum Vincentium in Speculo. Hæc multa & miranda prædixit. Quantæ autem ſanctitatis fuerit hæc ſancta mulier, oſtenditur in Epiſtola Gebenonis in Pentachronon S. Hildegardis, ubi dicitur: Sancta virgo Hildegardis & magiſtra Monaſterii S. Ruperti, quod ſitum eſt apud Pingriam, quantæ ſanctitatis quantique meriti fuerit apud Deum & apud homines, caritatem veſtram latere non credo. Sed ſi forſitan ignoratis, legite libellum vitæ ejus, legite diverſas epiſtolas Magnatum terræ ad eam transmiſſas, & præſertim trium Apoſtolicorum, puta Eugenii, Anaſtaſii & Adriani, Conradi quoque Regis & Frederici I. Imperatoris, Patriarchæ Jeroſolymitani, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum & Præpoſitorum, & tunc dicere poteſtis in veritate: Magnificavit eam Deus in conſpectu Regum, & facies Principum admirata eſt eam. Hæc ſancta virgo libros quosdam, Deo jubente, imo cogente, ſcripſit, in quibus quædam valde utilia & noſtris temporibus neceſſaria de præſenti ſtatu Eccleſiæ & de futuris usque ad Antichriſtum, & de ipſo Antichriſto prophetavit. Sed quia omnes libros ejus pauci habere poſſunt, vel legere ea, quæ de futuris temporibus & de Antichriſto in tribus libris ſuis, ſcilicet Sci vias, quem nominavit ſic, eo quod doceat ſcire vias, & Libro Divinorum Operum, & libro Epiſtolarum ſuarum prophetavit, in hunc unum libellum ex maxima parte collegi, & prout melius potui in quinque tempora ordinavi. Quæ quidem quinque tempora qui diligenter legere & ſtudioſe diſtinguere voluerit, & præſentem ſtatum Eccleſiæ, & omnia futura tempora & pericula ac adventum Antichriſti, quaſi in ſpeculo pervidebit. Unde, ſi placet vobis, vocetur liber ipſe Speculum Futurorum Temporum ſive Pentachronon Sanctæ Hildegardis, id eſt de quinque temporibus, de quibus in eo prophetat. Penta enim quinque & chronos tempus Græce dicitur. Scire autem volo vos & omnes, qui prophetiam hanc lecturi ſunt, quod omni prophetiæ, quæ divinitus eſt revelata, major fides eſt adhibenda, quam quibuslibet libris quamcunque magnis, teſte Apoſtolo Petro, qui cum magnum miraculum, quod in transfigurato Domino eſt factum, introduxiſſet in Epiſtola ſua ſecunda, ad inſinuandam & comprobandam divinitatem Domini Jeſu, dicens: Et hanc vocem nos de cœlo allatam audivimus, cum eſſemus cum ipſo in monte ſancto: quaſi parum hoc eſſet in comparatione ad prophetiam. Et ideo ſubjungit, dicens: Sed

Digitized by Google

Sed habemus firmiorem Propheticum sermonem, cui bene facitis intendentes. Ex Prologo in librum eundem: Sciendum, quod libri Sanctæ Hildegardis recepti & canonizati sunt a Papa Eugenio in Concilio Treverensi, præsentibus multis Episcopis tam Teuthonicorum quam Francorum, & S. Bernhardo Abbate Claravallensi. Ex alio Prologo: Libros Sanctæ Hildegardis plures legere fastidiunt & exhorrent, pro eo quod obscuro & inusitato stylo loquitur, non intelligentes, quod hoc est argumentum veræ prophetiæ. Omnes enim Prophetæ obscure loqui quasi in usu habent. Unde est illud in Psalmis: Tenebrosa aqua in nubibus aëris, id est obscura scientia in Prophetis. Inusitato autem stylo loquitur, quia, secundum Petrum in Epistola secunda, omnis Prophetia propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines, & ideo loquuntur, sicut Spiritum accipiunt. Epistola S. Bernhardi ad Sanctam Hildegardim Ordinis sui: Dulci in Christo Hildegardi filiæ Bernhardus Claravallensis dictus Abbas, si quid potest oratio peccatoris. Quod de nostra exiguitate longe aliter quam sese nostra constantia habeat quidam sentire videntur, non nostris meritis, sed stultitiæ hominum imputandum est. Congratulamur gratiæ Dei, quæ est in te. Et ut Dei gratiam habeas, toto ei humilitatis & devotionis affectu studeas respondere, admonemus, sciens, quod Deus superbis resistit, & humilibus dat gratiam suam. Quod in nobis est, obsecramus & exhortamur. Cæterum ubi interior eruditio est & unctio docens de omnibus, quid nos aut docere possumus aut admonere? Diceris cœlestia secreta rimari, & ea, quæ supra homines sunt, Spiritu Sancto dinoscere. Unde rogamus magis & suppliciter postulamus, ut nostri memoriam habeas apud Deum, & eorum pariter, qui nobis spirituali societate in Domino juncti sunt. Nam cum spiritus tuus Deo conjungitur, confidimus, quod nobis multum prodesse valeas & subvenire. Multum enim valet deprecatio justi assidua. Nam etiam pro te assidue oramus, ut conforteris ad bona, instruaris ad interiora, dirigaris ad permansura. Vale. Epistola S. Hildegardis ad S. Bernhardum. In Spiritu mysteriorum Dei tibi dico, o venerabilis Pater, qui mirabiliter in magnis honoribus virtutis Dei valde metuendus es, quod sum valde constricta in visione, quæ apparet mihi in spiritu mysteriorum, quam non video exterioribus oculis carnis. Ego misera & plusquam misera in nomine fœmineo ab infantia mea vidi magna mirabilia, quæ lingua mea non valet proferre, nisi quod me docet Spiritus Dei, qualiter ego dicam. Ea, quæ tibi dicta sunt de me, Pater, secundum hunc modum sunt: Scio in textu interiorem intelligentiam, expositionem Psalterii, Ewangelii & aliorum voluminum, quæ monstrantur mihi in hac visione, quæ pectus meum tangit & animam meam, sicut flamma comburens docet me hæc profunda expositionis. Sed tamen non docet me literas in Theutonica lingua, quas nescio, sed tantum scio in simplicitate legere, non in abscissione textus, quia homo sum indocta de ulla magistratione cum exteriori materia, sed intus in anima mea sum docta. Volo ergo Pater, ut propter amorem Dei in orationibus tuis mei recorderis. Vale, vale in anima tua, & esto robustus in certamine Domini, Amen. Ex Pentachrono Hildegardis Cap. XXXVIII. De cœlo vocem verba ista sonantem audivi: Omnipotens Deus paupercülam fœmineam formam, per quam hanc edidit scripturam, oculo suæ misericordiæ ungere dignatur: quoniam ipsa absque omni securitate vivit, nec etiam sententiam ædificationis scripturarum, quam Spiritus ad ædificationem Ecclesiæ proposuit, & quæ velut murus magnæ civitatis sunt (forf. profert). Hæc enim a die nativitatis in doloribus infirmitatum quasi reti illaqueata est, ita ut in omnibus venis & medullis ac carnibus suis doloribus vexetur, nec tamen dissolvi eam Domino placuit, quia per cavernam rationalis animæ quædam mystica Dei spiritualiter videt. Hæc autem visio ejusdem venas hominis ita pertransiit, ut propter eam ipsa multa fatigatione sæpe commoveatur, aliquo tamen tempore levius & aliquo depressius in fatigatione infirmitatis laborans. Unde etiam mores a diversis moribus hominum habet alienos, quemadmodum infans, cujus venæ nondum ita plenæ sunt, ut mores hominum discernere possit. Complexionem de aëre habet, ideoque de ipso aëre, de pluvia, de vento & de omni tempestate infirmitas ei infixa est, ut nequaquam securitatem carnis in se habere possit, alioquin inspiratio Spiritus Sancti in ea habitare non valeret. Sed Spiritus Dei magna vi pietatis suæ eam interdum ab hac infirmitate quasi ratione cujusdam refrigerii suscitat, quatenus officialiter cum inspiratione Spiritus Sancti in seculo vivere possit. Omnipotens autem Deus, qui omnem fatigationem passionis ejusdem hominis cognovit, veraciter gratiam suam in ipsa perficere dignetur, ut pietas ejus in hoc glorificetur, & cum illius anima de hoc seculo migraverit, ad æternam gloriam ab eo clementer suscipi & coronari gaudeat. Sed liber vitæ, cujus scriptura Verbum Dei est, per quod Verbum omnis creatura apparuit, & quod omnem vitam secundum voluntatem æterni Patris velut in se præordinaverat, exspiravit hanc scripturam per nullam scientiam humanæ doctrinæ, sed per simplicem & indoctam fœmineam formam, ut sibi placuit, mirabiliter edidit. Unde nullus hominum tam præsumtuosus sit, ut verbis hujus scripturæ aliquid vel augendo apponat, vel minuendo auferat, ne de libro vitæ & de omni beatitudine, quæ sub sole est, deleatur, nisi propter exaltationem literarum aut dictionum, quæ per inspirationem Spiritus Sancti simpliciter probata sunt, fiat. Qui autem aliter præsumserit, in Spiritum Sanctum peccat. Unde nec hic nec in futuro seculo hoc ei remittetur.' Frequenter dicit de se S. Hildegardis: Ego paupercula & indocta fœminea forma vidi &c. Hæc plures Epistolas scripsit ad diversas

Digitized by Google

versas personas, puta ad Eugenium Papam, ad Anastasium Papam, ad Adrianum Papam, ad Conradum Regem Romanorum, ad Cistertienses, ad Archiep. Coloniensem, ad Archiep. Treverensem, ad Beatum Bernhardum, & cæteras multas Aschalona urbs ingens capta est a Christianis, secundum Martinum, in Terra sancta. Richardus de Sancto Victore & Petrus Lombardus, secundum Wilhelmum, qui Libros Sententiarum composuit, floruerunt, qui Petrus fuit Episcopus Parisiensis.

Secundo anno Conradi, qui est Domini MCXLI. Henricus Leo Dux Saxoniæ & Westphaliæ congregavit exercitum magnum, secundum Chronicas Saxonum, ut acciperet Ducatum patris sui, quem Henricus vitricus ejus frater Conradi Regis occupabat. Ducissa vero Saxoniæ uxor ejus mansit in Luneburg castro. Fuit autem Adolfus Comes Nordalbingorum in domo Ducis, & in obsequiis Ducissæ solicitus ac officiosus paterque consilii, propter quod & Rex Danorum ac Principes Slavorum eum venerabantur. Henricus autem Leo Ducatum Bayoariæ paternum, quamdiu Conradus Rex vixit, obtinere non potuit. Siccitas tanta fuit in Francia, secundum Vincentium, ut flumina, lacus, stagna, fontes & putei aquis carerent. Ignis quoque per rimas terras intrabat, qui nec imbre nec frigore nec quacunque arte exstingvi poterat. Petrus Abalardi insignis Magister & scientia clarus floruit, secundum Egghardum, sed de fide perfide docuit. Hujus scripta pariter & ipsum Innocentius Papa damnavit, eo quod pretium redemtionis nostræ evacuans, nichil aliud nobis in sacrificio passionis Dominicæ commendaverit, nisi virtutis exemplum & amoris incentivum. Quod enim Scripturæ perhibent, illo sangvine pretioso genus humanum redemtum esse, in illo solo constare dixit, quod exemplum nobis exhibitum est usque ad mortem pro veritate & justitia certandi, & adhibitum est velut quoddam incentivum amoris, cum ex impenso amore data sit occasio sic reamandi. Contra hunc Petrum hæreticum scripsit B. Bernhardus Epistolam. Quidam Magister Arnoldus, secundum Vincentium, prædicavit in urbe Romana reprehendendo divitias & superfluitates. Propter cujus verba multi Romanorum Magnates ipsum sequebantur, sua pauperibus erogantes. Qui postea captus, in contumeliam Clericorum est suspensus.

Tertio anno Conradi, qui est Domini MCXLII. Eclipsis solis magna facta est XIII. KL. April. hora IX. S. Bernhardus, secundum Vincentium in Speculo, publice & solenniter disputavit coram Rege Conrado & in præsentia multorum Episcoporum & Abbatum contra Petrum Abalardi, & vicit ipsum rationibus & argumentis, manifeste ipsum confundens. Innocentius Papa apud Aquas Salvias fundavit Monasterium S. Anastasii Martyris, secundum Egghardum, constructis ibidem cœnobialibus mansionibus, & petivit a Claræwallensi Cœnobio Fratres & Abbatem illuc destinari. Missus est ergo illuc Bernhardus Pisanæ Ecclesiæ olim Vicedominus in Abbatem.

Quarto anno Conradi, qui est Domini MCXLIII. Virgo quædam Ymmeke dicta secundum Vincentium vexabatur a dæmone, & ad Vicelinum Sacerdotem Falderensem ducebatur. Quem dæmonem cum sanctus Presbyter quæreret, cur vas incorruptum ipse autor corruptionis intrasset: ille respondit, quia, inquit, me jam tertio offendit. Cui Vicelinus: In quo te offendit? Negotium, inquit, meum jam tertio impedivit. Bis enim transmisi fures ad perfodiendum domum, sed hæc sedens apud focum, clamoribus eos exterruit. Nunc quoque legatione principis nostri functurus in Daciam, hanc in via offendi, ulturus, quod me tribus vicibus offendit. Cum ergo vir Dei conjurationis verba adversus eum conaretur exprimere ait dæmon: Cur pellis me ultro paratum egredi, jam enim abibo ad proximam villam, visitaturus sodales meos, qui ibi latent. Ad quem Sacerdos: Quod tibi est nomen? & sunt sodales tui? aut cum quibus habitant? Ego, inquit dæmon, Rufinus vocor. Sodales mei, de quibus quæris, hic duo sunt, unus cum Rothosco, & alter cum muliere quadam in eodem opido. Hos hodie visitabo. Inde in Daciam proficiscar. Et hæc dicens, egressus est virginem, & ipsa liberata est. Quod autem hic dæmon in Daciam iverit, rei probavit eventus. Nam Erico Rege occiso, gravis perturbatio surrexit in gente illius regni & afflictio.

Quinto anno Conradi, qui est Domini MCXLIIII. Henricus germanus Lodowici Regis Francorum, secundum Wilhelmum, apud Clarævallem factus est Monachus, quia non diu post ad Episcopatum Belvacensem assumtus est.

De Cœlestino II. PP. CLXXIII.

Cœlestinus Papa, natione Tuscus ex patre Nicolao, sedit V. mensibus & XXIII. diebus. Hic propter brevitatem sui regiminis, secundum Martinum, nichil scriptura dignum de eo reperitur in Chronicis. Hic prius dictus fuit Gvido. Rodolfus Nyromandorum Comes, secundum Vincentium, uxorem suam legitimam repudiavit, & Petronillam uxoris suæ sororem duxit. Propter quod & ipse excommunicatus fuit, & Bartholomæus Laudunensis, Simon Nomoniensis & Petrus Sylvanectensis Episcopi, qui divortium illud procuraverant, sunt ab officiis suis suspensi usque ad tempus reconciliationis eorundem.

Sexto anno Conradi, qui est Domini MCXLV. Lodowicus Rex Francorum cepit Vitriacum urbem Comitis Theobaldi, secundum Wilhelmum, ubi admoto igne incensa est Ecclesia, & in ea M. & CCC. homines utriusque sexus sunt combusti. Quidam juvenis Willermus dictus, secundum Vincentium, interfectus est a Judæis in die sancto Parasceves in castro Norwich, cujus anima ducta est per Angelum ad diversa pœnarum loca, & post hoc ad locum amœnum paradisi, ubi ipsa libenter mansisset. Quibus locis sic ei ostensis, dixit sibi Angelus: Reducam te ad corpus tuum, ubi vitam tuam pristinam recuperabis; in qua si virtuose vixeris,

Digitized by Google

ris, locum amœnum paradisi intrabis, ibidem semper mansurus. Resuscitatus ergo Willermus, vitam deificam duxit ad finem.

De Lucio II. PP. CLXXIIII.

Lucius Papa, qui & Gerardus, natione Bononiensis, ex patre Alberto, sedit uno anno & mensibus IX. secundum Martinum. Hic prius Presbyter Cardinalis S. Crucis Ecclesiam illam cum claustro a fundamentis renovavit.

Septimo anno Conradi, qui est Domini MCXLVI. Libri Johannis Damasceni, secundum Egghardum, translati sunt de Græco in Latinum a Burgundione cive Pisano; in quorum uno continetur Orthodoxæ fidei Traditio in IV. libros diviso, & in centum Capita distincto. Edissa Mesopotamiæ civitas, in qua secundum Vincentium, Thomæ & Thaddæi Apostolorum corpora fuerunt, & quæ sordibus idololatriæ nunquam polluta erat, ex quo primitus ad Christianismum conversa est, a Turcis obsessa est & capta, & infinitus populus in ea interemtus est.

Octavo anno Conradi, qui est Domini MCXLVII. S. Bernhardus in Alemannia multis miraculis coruscavit, secundum Vincentium. Apud Spiram namque urbem tantus concursus erat populi in prædicatione dicti Sancti, ut Conradus Rex, ne populus Bernhardum comprimeret, deposita chlamyde, ipsum in proprias ulnas suscepit, & de basilica eduxit, ubi crucem prædicabat. Ad quod opus perficiendum cum majorem Ecclesiam intraret, imago quædam lignea vetustate quasi consumta & deformis Virginis Gloriosæ salutavit eum Gallice, dicens: Ben venia mi Fra Bernharde; & ille: Grant merce mi dompna.

De Eugenio III. PP. Romano CLXXV.

Eugenius Papa, qui & Bernhardus Abbas S. Anastasii, natione Pisanus, quondam Monachus Claræuallensis, ex patre Bernhardo, sedit annis VIII. mensibus tribus & diebus XX. secundum Martinum. Contra hunc virum sanctum & multo honore dignum Romani erigunt Patricium & Senatorem, & Eugenium a sede sua depellunt. Qui pulverem pedum in litigantem excutiens, transit in Gallias. Hic cum esset Abbas S. Anastasii, ex insperato apud Ecclesiam S. Cæsarii a Cardinalibus est electus propter metum Senatorum. Unde ad Farfense Monasterium se transferens, vocatis ibidem Cardinalibus & Prælatis, benedictionem consecrationis recepit. Hunc, cum simplex esset, Deus mirabili gratia & eloquentia perfudit. Huic redeunti ad urbem Clerus & populus Romanus cum magna lætitia occurrit, cantans: Benedictus, qui venit in nomine Domini. Hic a Lodowico Rege Francorum Christianissimo in Franciam vocatus, cum ipsum transmarina cruce signasset, & concilium Rhemis celebrasset, rediit ad urbem Romam. Hujus autoritate confirmati sunt Regulares Canonici in Ecclesia S. Wicberti in Quedelingburg. Ipse etiam canonizavit S. Henricum Imperatorem in Babenberg sepultum, cujus Episcopatum ipse fundavit.

Nono anno Conradi, qui est Domini MCXLVIII. Lodowicus Rex Francorum, secundum Vincentium, Edissæ urbis Mesopotamiæ captæ zelo succensus, apud Viceliacum affixo sibi crucis signo, cum Regni Principibus & innumerabili multitudine populi transmarinam peregrinationem assumsit. Tornacensis Ecclesia, secundum Wilhelmum, quæ per DC. annos a tempore S. Medardi sub Episcopo Nomonensi constituta, sine proprio fuerat Antistite, hoc anno proprium accepit Episcopum Anselmo Abbate S. Vincentii apud Lugdunum ab Eugenio Papa consecrato in Episcopum ejusdem urbis. Gilbertus Porrectanus Episcopus floruit. Hic in Concilio Rhemensi, secundum Wilhelmum, a B. Bernhardo disputante cum eo singulariter, tanquam sui temporis singularis athleta devictus est hæreticus; qui licet in sacris literis esset plurimum exercitatus, tamen sublimiora se scrutatus sapuit ad insipientiam sibi, resiliens tamen ab errore indulgentiam ab Ecclesia est consecutus.

Decimo anno Conradi, qui est Domini MCXLIX. Rex Conradus in Frankenford in festo Purificationis B. Virginis a S. Bernhardo misso ab Eugenio Papa insignitus est crucis charactere cum cunctis fere Teuthoniæ Principibus, secundum Vincentium in Speculo. Accepit namque Sanctæ crucis signaculum de manu B. Bernhardi Conradus Cæsar, Lodowicus Rex Francorum cum uxore sua, & meliori populo suo fere toto, Vratizlaus Dux Bohemiæ, Henricus Dux Lotharingiæ, Welpe Dux Burgundiæ, Henricus Leo Dux Saxoniæ & Westphaliæ, Conradus Dux Sarigæ, Albertus Marchio de Soltwedel, Borchardus Comes de Pletzeke, Adolfus Comes de Schowenborg & Holtzatiæ, Hartwicus Archiepiscopus Bremensis cum universis Saxoniæ & Westphaliæ Episcopis, Otto Episcopus Frisingensis, Udo Episcopus Citzensis, & multi alii Principes & Prælati. De Anglia etiam, Flandria, Brabantia & Hollandia Britanniaque cum CC. pene navibus proficiscuntur. Et numerus armatorum exercitus Christiani de Nobilibus duntaxat LXXXM. absque vulgo, cujus non erat numerus. Transito igitur Ungariæ regno, pervenerunt ad fines Græciæ, miseruntque legatos ad Regem Græcorum, ut eis conductum præstaret. Ille licet admodum territus, annuendum tamen decrevit, dummodo pacifici ad se venissent. Qui remandarunt, se nihil inquietudinis moliri, qui propter ampliandos pacis fines peregrinationem salutarem assumserunt. Dedit igitur eis Rex Græciæ juxta placitum suum conductum, & forum abundans rerum venalium exhibuit, ubicunque castra locanda essent. Multa vero portenta & signa visa sunt in exercitu illis diebus futuræ cladis & calamitatis demonstrantia, quorum quidem præcipuum fuit, quod vespere quodam quædam nebula densissima cooperuit castra. Qua recedente, universa papilionum tegmina adeo sanguine respersa comparuerunt, quasi pluvia sanguinea de cœlo cecidisset. Quod videntes Reges, conjecerunt, se ad maximos labores & mortis pericula

Digitized by Google

cula fore evocatos. Nec fefellit eos conjectura. Non enim multo post venerunt in montana quædam, ubi, cum invenissent vallem pratis rivuloque decurrente commodissimam, castra sua fixerunt in devexo latere montis. Porro jumenta cum bigis & quadrigis victualia farcinasque militum portantibus armentorumque ad esum carnium servientium ingens numerus, in vallis medio collocata fuerant prope decursum aquarum & pascuorum commoda. Appropinquante vero nocte, audita sunt in montis supercilio fragor tonitruum & sonitus tempestatis magnæ, & ecce in noctis medio, nescio an nubium eruptione aut quo eventu alio, torrens ille abundantius erumpens, quicquid vallis ille habuit de hominibus & jumentis, in momento absorbuit, & in mare proximum projecit. Hanc igitur primam exercitus jacturam exceperunt milites peregrinationis illius. Cæteri vero, qui residui fuerant, perrexerunt cœpto itinere, transeuntesque Græciam pervenerunt ad regiam urbem Constantinopolim. Ubi per aliquot dies exercitu recreato cum stetissent, procedentes inde venerunt ad sinum maris, qui vulgari nomine Brachium S. Georgii dicitur. Ibi providerat Rex Græciæ eis naves ad transducendum exercitum. Transmisso ergo mari, Lodowicus Rex Franciæ direxit iter suum versus Jerosolymam, & pugnantibus secum barbaris, universum quasi fuum perdidit exercitum. Conradus vero cum L. milibus armatorum nobilium & innumerabili plebe peditum Iconium pervenit. Et transito mari similiter, incursione Turcorum pariter & dolo Græcorum, quia calcem farinæ miscuerant, quam Cæsaris exercitui vendebant, ac famis & sitis penuria, ultra medium amisit exercitum. O judicii Altissimi inscrutabilia! Tanta enim fuit clades utriusque exercitus & miseria inexplicabilis, ut calamitas eorum, qui interfuerunt, adhuc hodie lacrymis deplangatur. Cum superstite tamen populo Conradus Cæsar & Lodowicus Rex Terram sanctam peragrantes, plura bella cum inimicis Christi gesserunt, non tamen id, propter quod venerant, perfecerunt, amittentes multa milia suorum, plura tamen milia hostium sternentes. Tandem Conradus Rex Alemanniæ suo cum exercitu modico ad Portugallensem urbem Galaciæ nobilissimam applicans, adoraturus ad S. Jacobum, receptus est a Rege Portugalensi cum gaudio. Rogavit ergo Rex Conradum Cæsarem, ut, si propter Deum pugnaturi exissent, fieret sibi auxilio contra Lacebonam civitatem, cujus incolæ barbari fines Christianorum inquietabant. Cujus petitioni condescendens Rex Romanorum, abiit cum Rege Lacebonam in magna navium copia, & urbem terra marique vallantes, ac fortiter eam impugnantes, tandem ipsam expugnaverunt & ceperunt. Expulsis ergo partim barbaris & partim occisis, divisaque præda ab exercitu Cæsaris, Rex Galaciæ pro sua parte urbem vacuam recepit, & fidelibus eam replens, facta est ibidem Christianorum colonia usque in præsentem diem. Lodowicus autem Francorum Rex a Palæstina navigans, ut in patriam rediret, Græcorum insidias incurrit. Cumque ab eis captus, Corphunum ductus fuisset, Gregorius Dux exercitus Regis Siciliæ urbem aggreditur, præliandoque cum Græcis, plures Græcorum nobiles cepit, Lodowicum Regem liberavit, & in terram suam in pace transire fecit. Rediens ergo Henricus Leo Dux Saxoniæ ad partes una cum Conrado Duce Sarigæ, Alberto Marchione de Soltwedele, Conrado Comite de Within, Adolfo Comite de Schowenborg & Holtzatiæ, Hartwico Bremensi Archiepiscopo, ac cæteris Saxoniæ Episcopis & Westphaliæ, ad Obotritos & Lucicios Slavorum gentes se convertit, ulturus neces & exterminia, quæ intulerant Christi fidelibus & præcipue Danis. Audiens ergo Niclotus Princeps Obotritorum, quod congregatus esset exercitus ad destruendum eum, convocavit universam gentem suam, & cœpit ædificare castrum Dubin, ut esset populo refugium in tempore necessitatis. Exercitus autem Ducis nondum Albiam transierat, sed tempus oportunum exspectabat, in Saxonia de peracto labore parum se recreans. Interim Nyclotus sentiens, irrevocabilem esse juratæ expeditionis profectionem, clam paravit navalem exercitum, & transito freto, applicavit classem ad ostium Trabenæ, percussurus omnem Wagirensium provinciam, priusquam Saxonum exercitus suis infunderetur terminis. Transmisitque vespere nuncium Sigiberg, eo quod promisisset Comiti, Adolfo præmonere eum. Sed eo non invento, rediit nuncius ad naves. Illucescente ergo die Sanctorum Johannis & Pauli, descendit navalis Slavorum exercitus per ostium Trabenæ. Tunc cives Lubicanæ urbis, audito murmure exercitus, inclamaverunt viros urbis & castri dicentes: Audivimus clamores quasi magni exercitus supervenientis, & nescimus, unde sit. Miseruntque ad forum civitatis nunciare populo imminens periculum. Sed populus multa potatione vespertina temulentus, neque de lectis neque de navibus excitari potuit, quousque hostibus circumvallati, naves mercibus onustas injecto igne perdiderunt. Interfecti sunt ergo illic die illo ad CCC. & eo amplius viris in urbe Lubicana. Rodolfus vero Sacerdos dum ad castrum fugeret, præventus a barbaris multis gladis & lanceis confossus interiit. Porro hi, qui in castro erant, biduo atrocissimam obsidionem pertulerunt. Duæ quoque equitum turmæ omnem Wagirensium terram pervagantes, quicquid in suburbio Sigeberg repererunt, demoliti sunt. Pagum quoque, qui Dargune dicitur, & quicquid infra Trabenam a viris Westphalis, Hollandrinis cæterisque extraneis populis incultum fuerat, flamma vorax absumsit. Occideruntque multos viros, qui armis obsistere tentabant, & duxerunt uxores eorum & filios in captivitatem. Pepercerunt autem viris Holtzatensibus, qui habitabant ultra Trabenam ad occidentalem plagam Sigeberg, substiteruntque in agris opidi Cuzalme, & non adjecerunt ultra progredi. Villas etiam, quæ erant in campestri-

peſtribus Zwentinevelde, & quæ extenduntur a rivulo Sualen usque ad rivum Agrimeſon & lacum Plunenſem, non devaſtaverunt, nec quicquam attigerunt de ſubſtantia hominum illic degentium. Propter quod verbum volavit de Holtzatis illis, quod hoc perturbationis malum ipſi conflaſſent propter odium advenarum, quos Adolfus Comes adunaverat ad incolendam terram de remotis partibus. Sed & Utinenſis civitas adjuta locorum firmitate ſalvata eſt. Slavi ergo Wagirenſium terra abuſi, noviſſime venerunt ad pagum Zusle vaſtaturi Friſonum coloniam, quæ illic erat, quorum numerus ad CCCC. & eo amplius viros computatus fuerat. Advenientibus vero Slavis, vix centum remanſerunt in munitione, cæteris in patriam ſuam reverſis propter ordinandum peculium ſuum illic relictum. Succenſis ergo, quæ foris erant, hi, qui in munitione erant, graviſſimam impugnationis ſuſtinuerunt jacturam, utpote viri pauci a tribus milibus Slavorum fortium fortiter impugnati, illis quidem victoriam indubiam præſumentibus, his vero ultimum ſpiritum dilatione pugnæ redimentibus. Sed cum viderent Slavi, quod victoria non cederet eis, promittunt Friſonibus vitam & membrorum integritatem, ſi de munitione egreſſi arma dederint. Cœperunt ergo quidam ex obſeſſis appetere deditionem ob ſpem vitæ. Quos arguens fortiſſimus Sacerdos Gerlanus, quid eſt, inquit, viri, quod agere vultis? Putatis, vos deditione vitam redimere, aut barbaris fidem ineſſe? Fallimini viri compatriotæ. Frivola eſt hæc veſtra opinio. An neſcitis, quod in omni advenarum genere apud Slavos gens deteſtabilior Friſonibus nulla eſt? Sane fœtet eis odor veſter. Quare ergo abjicitis animos veſtros ultro properantes ad interitum? Conteſtor vos per factorem orbis, cui non eſt difficile ſalvare in paucis, ut adhuc paululum dimicare ſatagatis. Quamdiu enim vallo hoc circumdamur, ſumus manuum noſtrarum & armaturæ compotes, & vita nobis in ſpe ſita eſt. Inermibus vero nihil niſi mors reſtat ignominioſa. Gladios ergo veſtros, quos ſibi reſignari expetunt, mergite potius in medullis eorum, & eſtote ultores ſanguinis veſtri. Et hæc dicens, oſtendit eis magnanimem ſpiritum, objectiſque portis, cum uno tantum viro hoſtium cuneos propulit, percuſſitque manu propria ingentem Slavorum numerum. Excuſſo denique uno oculo, & ventre perfoſſus gladio, nihil remiſſius egit in pugna, divinum quoddam robur tam in corpore quam in anima præferens. Nihil itaque melius a notiſſimis illis Sarujæ filiis aut a Maccabæis quondam pugnatum eſt, quam a Sacerdote Gerlano viriſque paucis in caſtro Zuſele, defenderuntque munitionem ſuam de manu barbarorum. His auditis, Adolfus Comes congregavit exercitum, ut pugnaret cum Slavis, & ejiceret eos de terra ſua. Quo rumore comperto, Slavi redierunt ad naves cum captione hominum & varia ſupellectili, quam deprædati ſunt in terra Wagirorum.

Undecimo anno Conradi, qui eſt Domini MCL. Trajectum inferius ſecundum Wilhelmum, incendio terribili conſumtum eſt, & Eccleſia S. Martini cum aliis tribus, puta S. Johannis Baptiſtæ, S. Pauli & S. Petri exuruntur, ac Capella Sanctæ Crucis, in qua conſumtis per ignem omnibus, ſola imago Salvatoris crucifixi illæſa permanſit. Fama volavit per univerſam Saxoniam & Weſtphaliam, ſecundum Helmoldum in Chronica Slavorum, quod Slavi facta eruptione bellum contra Wagirenſium populum agerent. Unde feſtinare cœpit omnis illa expeditio Saxonica ſigno crucis inſignita deſcendere in terram Slavorum. Partito ergo exercitu, duas munitiones obſederunt, Dubin ſcilicet Dumin, & erexerunt contra eas machinas multas. Venit etiam Danorum exercitus, & additus eſt his, qui obſederunt Dubin, & crevit obſidio. Una ergo dierum conſiderantes hi, qui tenebantur incluſi, quod Danorum exercitus ſegnius ageret, eo quod domi pugnantes foris imbelles ſunt, facta ſubita eruptione, percuſſerunt ex eis multos. Ob quod exercitus Saxonum permotus nimis pertinacius inſtabat expugnationi. Dixerunt autem ſatellites Ducis Saxoniæ Henrici & Marchionis Adelberti ad invicem: Nonne terra, quam devaſtamus, terra noſtra eſt? & populus, quem expugnamus, populus noſter eſt? Quare ergo ſumus hoſtes noſtrimet & diſſipatores vectigalium noſtrorum? Nonne jactura noſtra redundat in Principes noſtros? Cœperunt ergo ex illa die in exercitu facere tergiverſationes, & obſidionem multiplicatis induciis relaxare. Quotiens enim in exercitu vincebantur Slavi, detinebatur exercitus, ne fugitantes inſequerentur, & ne caſtrum caperent. Ad ultimum conventio talis facta eſt, ut Slavi fidem Chriſtianam reciperent, & relaxarent Wagiros & Danos, quos in captivitate habebant. Multi ergo eorum falſo baptizati ſunt, & de captivitate relaxaverunt homines ſenes & inutiles, cæteris retentis, quos ſervitio aptos conſpiciebant. Taliter ergo grandis illa expeditio cum modico profectu ſoluta eſt, & ideo non multo poſt in deterius coaluerunt. Namque neque baptiſma ſervarunt, neque manus a deprædatione Danorum & aliorum fidelium cohibuerunt.

Duodecimo anno Conradi, qui eſt Domini MCLI. In Territorio Gebennenſi, ſecundum Egghardum, lupus quidam corporis magnitudine & animi ferocitate aliis beſtiis multum diſſimilis, homines devoravit plusquam XXX. utriusque ſexus. In aliis etiam locis hoc anno lupi etiam ſimiliter in homines plus ſolito ſæviebant, populum multum devorando. Videns Dominus Hartwicus Hammeburgenſis & Bremenſis Archiepiſcopus, ſecundum Helmoldum, quod pax erat in Slavia, propoſuit reædificare ſedes Epiſcopales, quas barbaricus furor olim deſtruxerat in Slavia, puta Aldenburgenſem, Razeburgenſem, Mykilenburgenſem, e quibus Aldenburgenſem Magnus Otto Primus inſtituerat, ſubjiciens ei Polabos & Obotritos in terminis Holtzatorum usque ad flumen Penam & civitatem Demyn. Poſuitque in Aldenburg pri-

Digitized by Google

primum Pontificem Marconem. Post hunc secundus erat Egwardus, tertius Wago, quartus Eziko, quintus Volkquardus, sextus Reynbertus, septimus Benno, octavus Meynerus, nonus Abelinus, decimus Ezo. Hujus temporibus surrexit in Ecclesia Hammeburgensi Magnus Adelbertus, qui de peregrinis Episcopis, quos in mensa sua habebat, Johannem statuit Episcopum in Mykelenborg, Aristonem in Ratzeburg, atque in hunc modum Aldenburgensis Sedes divisa est in tres Episcopatus. Postquam ergo permittente Deo propter peccata hominum Christianitas annullata est in Slavia, vacaverunt hæ sedes annis LXXXIIII. usque ad tempora Hartwici Archiepiscopi, qui propter generis nobilitatem duplici principatu clarus, magno studio insudavit pro recuperandis Suffraganeis Episcopis Daciæ, Norwegiæ, Sveciæ & Slaviæ, quos Hammeburgensi Ecclesiæ quondam pertinuisse commemorat antiquitas. Sed cum obsequiis & variis donariis nihil profecisset apud Papam & Cæsarem, ne omnino careret Suffraganeis, aggressus est saltem abolitos Slaviæ Episcopatus suscitare. Accersitum ergo venerabilem Sacerdote Falderensem Aldenburgensi Sedi consecravit Episcopum, cum jam esset provectæ ætatis, & mansisset in terra Holtzatorum XXX. annis. Porro in Mykelinburg ordinavit Dominum Everhardum, & consecrati sunt ambo in Rossevelde, missique in terram egestatis & famis, ubi erat sedes Satanæ & habitatio omnis spiritus immundi. Factaque sunt hæc inconsulto Duce Henrico & Comite Adolfo. Unde accidit, ut amicitia, quæ erat inter Dominum Vicelinum & Comitem, deinceps rumperetur. Nam antea eum ut patrem venerabatur. Tulit ergo omnes decimas anni illius, quæ Pontifici novo provenire poterant. Tunc abiit Episcopus ad Ducem Henricum, rogaturus veniam, & susceptus est ab eo cum honore & reverentia. Et ait Dux ad eum: Dignum quidem fuit, o Episcope, ut vos nec salutarem nec reciperem, eo quod nomen istud me inconsulto receperitis. Ego enim hujus rei mediator esse debueram, maxime in terra, quam patres mei favente Deo in clypeo & gladio obtinuerunt, & mihi possidendam hæreditaverunt. Sed quia sanctitas vestra mihi dudum comperta est, & progenitores nostri vos ab initio fidelem probaverunt, decrevi jam noxæ hujus oblivisci, promotionique vestræ pleno favore occurrere, ea tamen conditione, si investituram Episcopalem de manu mea recipere volueritis. Hoc enim pacto res vestræ processum habere poterunt. Quod quidem verbum Episcopo Vicelino visum est valde durum, eo quod esset præter consvetudinem. Episcopos enim investire solius Imperatoriæ Majestatis est. Quidam autem fidelium Ducis Henricus de Wicha, vir potens & militaris ac Episcopi amicus dixit ad eum: Facite, quod vobis utile est. Appropinquate Domino nostro, & facite voluntatem ejus, ut ædificentur Ecclesiæ Slaviæ, & dirigatur cultus domus Dei in manibus vestris, alioquin frustrabitur labor vester, eo quod nec Cæsar nec Archiepiscopus possit juvare causam vestram, Domino meo obnitente. Deus enim dedit ei universam terram hanc. Quid autem grande requirit a vobis Dominus meus, quod vobis illicitum sit aut verecundum? Quin potius res facilis est & conducens fructum magnum, ut Dominus accipiat virgulam, & det in manum vestram pro signo investituræ sitisque de cætero familiares Ducis, habentes honorem inter gentes, ad quas ire disponitis convertendas. Rogavit autem Episcopus sibi dari inducias, ut deliberaret super verbo isto. Dimissus ergo pacifice venit Bardewic, ubi mortali tactus ægritudine, per dies aliquot moratus est. Illic enim incidit paralysim, in qua usque ad extremum vitæ suæ laboravit. Sedata vero aliquantulum ægritudine, perductus est Falderam in vehiculo. Ubi cum Deus ei vires restituisset, abiit Bremam consulturus Archiepiscopum & Clerum super verbo hoc, quod imposuerat ei Dux. Qui omnes una eademque sententia refragari cœperunt, dicentes: Scimus quidem, o venerabilis Pontifex, sanctitati vestræ bene notum esse, quid vobis super verbo hoc expediat; sed quia venistis audire consilium nostrum, breviter respondemus, quod sentimus. Primum ergo in hoc negotio pensari decet, qualiter investituræ Pontificum Imperatoriæ tantum dignitati permissæ sunt, quæ sola excellens, & post Deum in filiis hominum præeminens, hunc honorem non sine fœnore multiplici sibi conquisivit. Neque Imperatores dignissimi levitate aliqua usi sunt, ut Episcoporum Domini vocarentur, sed compensaverunt noxam hanc amplissimis Regni divitiis, quibus Ecclesia copiosius aucta & decenter honorata, jam non vile reputet, se in modico cessisse subjectioni, nec erubescat uni inclinari, per quem possit in multos dominari. Ubi, quæso, est Dux vel Marchio tam magnus, qui Pontificibus manus suas non offerat? Certatim, ut videtis, currunt homines, ut participes fiant beneficiorum Ecclesiæ. Vos ergo honorem hunc pessundabitis, & infringetis jura magnis autoribus edita? Dabitisne Duci isti manus vestras, ut vestro exemplo Episcopi incipiant esse Principum servi, qui solebant esse Principum domini? Non decet honestatem vestram ætatis decore maturam, ut per vos incipiant abusiones fieri in domo Domini. Longe fiet a vobis verbum istud. Et si furor Principis erga vos effrenate egerit, nonne melius est ferre jacturam bonorum temporalium quam honoris. Auferant Principes, si velint, decimas, obcludant vobis introitum parochiæ vestræ; tolerabilis erit vobis ista molestia. Habetis certe Falderensem domum, in qua tute interim consistere possitis, & præstolari in silentio salutare Dei. His & hujusmodi verbis averterunt eum, ne voluntatem Ducis adimpleret. Parturivit sane persvasio ista novellæ plantationi multiplex impedimentum. Quotiens enim Pontifex ille Ducem adiit, interpellatus pro negotiis Ecclesiæ, ille se paratum respondit ad omnia, quæ poposcerit, si primum sibi honor debitus exhiberetur. Pontifex autem humilis facile inclinatus fuisset, ut

Digitized by Google

propter bonum Ecclesiæ suæ Duci secularis honoris famulatum præstitisset, si Archiepiscopus & cæteri Bremensium Clerici non obstitissent. Fecit ergo Vicelinus Episcopus, quod status assumti oneris requisivit, Ecclesias parochiæ suæ visitavit, ministrans plebibus monita salutis, & præbens eis pro jure officii sui spiritalia, licet ipse non meteret eorum temporalia. Nam Comes Adolfus decimarum reditus tollebat. Dedicatum est autem eo tempore Oratorium Cuziline, quæ alio nomine Hogerstorp dicitur. Similiter & Ecclesia Bonrehovedæ tunc dedicata est. Venit inde ad novam civitatem, quæ Lubeke dicitur, confortare manentes illic, & dedicavit ibi altare Domino Deo. Inde progrediens visitavit Aldenburg, ubi Sedes Episcopalis constituta fuerat, & receptus est a barbaris habitatoribus terræ illius, quorum Deus Prone dictus est. Porro nomen Flaminis, qui præerat superstitioni eorum, erat Mike, sed & Princeps terræ vocabatur Rochel, qui fuerat de semine Trutonis, idololatra & pirata maximus. Cœpit ergo Pontifex barbaris illis proponere viam veritatis, adhortans eos, ut, relictis idolis suis, festinarent ad lavacrum regenerationis. Pauci autem Slavorum applicuerunt se fidei, eo quod non essent inclinata corda Principum ad edomanda corda rebellium. Dedit autem Episcopus carpentariis & cæsoribus lignorum ad ædificandum sanctuarium, & inceptum est opus fabricæ prope vallum urbis antiquæ, quo omnis terra propter mercatum convenire solebat. Adelbertus Marchio de Soltwedele, qui nunc Brandeburgensis dicitur, secundum Helmoldum, cum de transmarina expeditione reversus esset pariter & de Slavonica, vocatis hominibus de Hollandia, Selandia, Brabantia & Westphalia, ab urbe Soltwedele usque ad saltum Bohemicum terram suam tradidit eis inhabitandam. Has, inquam, terras olim Saxones dicuntur inhabitasse, sed Slavi Saxones expulerunt, plures eorum interficiendo. Unde eo tempore Stendal urbs condita est, & terra vicina a Flamingis est inhabitata. Sehusen vero & terminos pratenses & paludosos Hollandrini incoluerunt, & vagos decursus Albiæ fluvii aggeribus, prout in suis consueti erant terris, artaverunt.

Tertio decimo anno Conradi, qui est Domini MCLII. Abbatia Cistertiensis Ordinis, quæ Insula Beatæ Mariæ dicitur, secundum Egghardum, fundatur in Diœcesi Monasteriensi. Malachias Hyberniensis Archiepiscopus & Apostolicæ Sedis Legatus, secundum Wilhelmum, obiit in Claravalle, multis miraculis coruscans. Tondalus Hyberniensis miles raptus est in ecstasim, secundum Vincentium in Speculo, vel forte realiter defunctus est, & postea resuscitatus per reductionem animæ ad corpus Angelico ministerio, & vidit visiones mirabiles & horribiles. Hic quidem nobilis fuit genere, & egregius corpore, sed de salute animæ suæ quasi nullam habuit curam. Nam graviter ferebat, siquis aliquid de salute sua dicere sibi volebat. Ecclesiam Dei vitabat, pauperes videre non poterat, joculatoribus vero & vagis omnia distribuebat. Hic cum multos haberet amicos, specialiter tamen unum præ omnibus habebat, cui pecuniam suam concesserat. Cumque statutum tempus advenisset, in quo debitor ipsum persolvere promiserat, visitavit ipsum Tondalus, ut moneret ipsum de facienda persolutione. A quo amicabiliter receptus, mansit cum eo tribus diebus, in quibus negotium suum sibi exponebat. Cui cum debitor responderet, quod pecuniam jam ad manum non haberet, unde ipsum persolveret, iratus Tondalus recedere disponebat. Debitor autem ipsum placare volens rogavit, ut, priusquam recederet, cibum cum eo sumeret. Resedit miles ad rogatum debitoris, & comedere cum eo cœpit. Cumque manum extendisset ad cibum subito percussus est infirmitate ita, ut manum retrahere ad se non posset. Invalescente autem morbo clamare cœpit terribiliter, moxque corruens, corpus ejus exanime factum est. Assunt omnia signa mortis, concurrit familia, tollitur cibus, lacrymantur amici, corpus extenditur, & involvitur linteo, pulsantur campanæ, parantur exequiæ, accurrit Clerus, miratur populus, totaque civitas boni militis morte turbatur. De quarta ergo feria usque ad Sabbatum sic mortuus & inhumatus jacuit, eo quod in sinistra parte pectoris diligenter palpantibus calor modicus videretur consistere. Post hoc redeunte spiritu respirare cœpit, & cunctis audientibus dixit illud ex Psalmis: Quantas ostendisti mihi Domine tribulationes, multas & malas, & conversus vivificasti me, & de abyssis terræ reduxisti me. Cuncta ergo, quæ habuit, dedit pauperibus, & vitam mutare promittens, omnia, quæ viderat, ibidem narravit, dicens: Anima mea de corpore exiens, primo vidit infinitam multitudinem immundorum spirituum me circumdantem, & cantantem, quod anima mea cibus esset ignis inexstingvibilis. Dixeruntque: Ecce misera ad socios tuos, quos toto nisu quæsivisti, cum quibus in æternum es arsura, nunc venisti. Inter hæc vidit mea anima a longe stellam lucidissimam, & sperare cœpit de salute. Erat autem Angelus Dei. Et appropinquans mihi dixit: Ave Tondale. Et respondi: O pater & Domine, adjuva me. Et dixit Angelus: Modo nominas me patrem & dominum, quem semper tecum habebas, & nunquam curasti. Ego, postquam creata es, semper tecum fui, & nunquam consiliis meis acquievisti, spiritui vero nequam semper obedivisti. Misericordia tamen Dei impræsentiarum tibi aderit, quam nunquam meruisti. Sequere me, & quod videris, memoriter tene, quia ad corpus reverteris. Anima autem sequebatur, & Angelus præcessit. Ad vallem ergo terribilem venerunt, profundam, tenebrosam, ardoribus plenam, operculum ferreum spissitudinis sex cubitorum ardentissimum & fœtidissimum habentem, ubi animæ miseræ & tormentabantur, & ad tormenta nova iterum renovabantur. Post hoc venerunt ad montem maximum, horridissimum, & solitudine vastissimum, qui transeuntibus angustum valde præbebat iter. Ex una parte

Digitized by Google

parte montis erat ignis ſulphureus & tenebroſus, ex alia parte glacies clariſſima immeabilis & ventus fortius pellens ad barathrum ignis. Tortores autem ibi cum furcis ferreis & ignitis ac tridentibus acutiſſimis animas ad pœnam ignis vel frigoris rapiebant. Poſt venerunt ad vallem profundiſſimam & tenebroſam nimis, in qua ſonitum ſulphurei fluminis & ululatum miſerorum audiebat damnatorum, & fumus ſuper omnia fœtidus de ſulphure & cadaveribus corruptis ſentiebatur. Ibi erat pons de uno monte ad alium porrectus ſuper vallem mille paſſuum longitudinis, & latitudinis ſemipedalis, a quo ponte anima vidente multi cadebant in vallem. Ultra pontem hunc Angelus animam meam deduxit illæſam. Poſt per denſiſſimas tenebras tranſeuntes, vidit anima mea a remotis beſtiam horribilem omni monte majorem, cujus oculi quaſi colles igniti, os patens tantæ quantitatis, ut capere ſimul poſſe videretur decem milia armatorum, & flamma nimia de ore ejus procedebat. In hanc beſtiam animæ miſeræ cogebantur intrare. Fœtor autem intolerabilis ex ore illo proceſſit, & planctus lugubris de ventre ejus audiebatur. Spiritus vero immundi ante os iſtud perſiſtentes animas miſeras prius miſerabiliter afflictas in ipſum ingredi compulerunt. Et dixit Angelus animæ meæ: Hæc beſtia Acheron vocatur, & devorat omnes avaros. Cumque beſtiæ appropinquarent, Angelus diſparuit. Et mox anima mea in ventrem beſtiæ per dæmones tracta eſt. Sed quanta ibi ſit paſſa, lingva enarrare non ſufficeret. Invenit ſe tandem, neſciens quomodo, extra beſtiam ſtantem, & videns Angelum lucis, gaudens laudavit miſericordiam Dei. Poſt euntes viderunt ſtagnum amplum valde & intempeſtuoſum, cujus fluctus ad cœlum ſe levabant. Et erat ſtagnum plenum horribilibus beſtiis. Pons per ſtagnum tranſiens longitudinis erat ad duo miliaria, latitudinis vero unius palmæ. Longior ſiquidem erat & anguſtior ſuperiori. Eratque pons plenus clavis ferreis acutiſſimis in modum acus, qui tranſeuntium pedes penetrabant. Omnes autem beſtiæ ad pontem illum venientes, cibum inde ſumebant, id eſt animas illum tranſire non valentes. Et dixit angelus animæ meæ: Hæc pœna tibi & aliis furibus & raptoribus debetur. Tranſi pontem iſtum. Cumque anima mea valde trepidaret, in maximis anguſtiis conſtituta, tandem poſuit pedem ſuper ipſum, & divinum invocans adjutorium, illæſa eum pertranſiit. Poſt venerunt ad vallem fabrorum, ibique vidit fabricas, in quibus erat luctus maximus. Vidit namque tortores ignitas forcipes in manibus habentes, extrahere cum eis animas de fornace ardentiſſima, & eas poni ſuper incudes ignitas, & ſic eas cudi, ut ferrum, uſque ad liquefactionem, & demum in flammas fornacis retrudi. Quibus cum appropinquaſſent, Angelus diſparuit. Tunc dæmones miſeram animam meam rapientes cum ferreis forcipibus, poſt eam miſerabiliter clamantem in clibanum ardentem miſerunt, & tandem ignitam extraxerunt, ac incudi impoſitam cum malleis ipſam crudeliter cuderunt ictibus immaniſſimis, & iterum ignibus injectam, & flammis exuſtam inſtar candentis ferri ſcintillantis, denuo eam extraxerunt, & incudi imponere diſpoſuerunt. Sed præter ſpem adjutorii anima mea de manibus tortorum rapta eſt. Cui mox Angelus apparens, eam conſolabatur. Poſt venerunt ad puteum inferni, tribulationibus cunctis præcedentibus incomparabilem. Ubi vidit principem tenebrarum vinctum jacere. Erat autem dæmon ille beſtia nigerrima, formam habens hominis a pedibus uſque ad caput, ſed caudam & plurimas plumas, nec minus quam mille manus habebat. Fuit autem longitudinis centum cubitorum, groſſitudinis vero XXX. Unaquæque autem manus digitos XX. habebat, quorum quilibet centum palmas in longitudine continebat. Ungves habebant digiti lanceis militum groſſiores & longiores. Roſtrum ejus erat longum & diſtortum. Cauda vero aſperrima erat & aculeata. Jacuit autem monſtrum iſtud ſuper cratem ferream ſubſtratis ardoribus, & ligatum fuit per ſingulas membrorum juncturas catenis ignitis. Poſt hæc evaneſcente fœtore & tenebris fugatis, ac timore pulſo, vidit tandem anima mea campum amœnum valde, odoriferis floribus plenum, in quo multæ animæ hominum utriusque ſexus pſallebant gaudentes. Ibi nunquam nox, quia ſol ibi non occidit. Ibi fons erat vitæ & aquæ vivæ. Tunc ait Angelus animæ meæ: Hæc requies tua in ſeculum ſeculi. Quibus viſis, mox anima mea ad corpus eſt reducta. Et ſic Tondalus vitam ſuam emendavit.

Quartodecimo anno Conradi, qui eſt Domini MCLIII. In pago Sweſſonico, ſecundum Wilhelmum, cum hyemali gelu terra vehementer indurata fuiſſet, ceſpes plurimæ longitudinis & latitudinis de terra ſubito ſine manibus avulſus, longe ad locum altum eſt tranſlatus. In territorio Tornacenſi, ſecundum Vincentium, in villa Sempis dicta quædam puella XIIII. annorum morbo quodam correpta eſt, in quo per XLV. hebdomadas laborans, nihil omnino comedit, in die vero Paſchæ percepta communione convaluit, & mox appetitum comedendi recuperavit. Henricus Leo Dux Saxoniæ congregavit exercitum, ut iret in Bayoariam ſive Bavariam, & requireret Ducatum, quem vitricus ſuus Henricus frater Conradi Regis occupabat. Venit ergo ad eum Vicelinus Epiſcopus Aldenburgenſis in Luneburg caſtrum, rogans, ut ſemper ſolebat pro Epiſcopatus ſui promotione. Cui Dux: Faciam, quod optatis, ſi ad nos reſpectum habueritis. Ad quem Epiſcopus, paratus ſum, inquit, propter eum, qui ſe humiliavit propter nos, me ipſum in proprietatem dare alicui de clientibus veſtris, potius tunc vobis, cui Deus ampliorem inter Principes contulit magnificentiam pariter & potentiam. Et his dictis, fecit, quod neceſſitas imperabat, & accepit Epiſcopatum per virgam de manu Ducis. Tunc placatus Dux ait: Quia videmus vos obedientem eſſe voluntati noſtræ, oportet & nos ſanctitati veſtræ condignam exhibere

Digitized by Google

hibere reverentiam, & petitioni vestræ de cætero proniores adesse. Sed quia nunc in procinctu sumus itineris, & ordinatio vestræ causæ prolixum tempus requirit. Damus interim vobis villam Butzowe, quam petistis, cum sua pertinentia, ut ædificetis vobis domum in medio terræ vestræ, & præstolari possitis reditum nostrum. Tunc enim propitio Deo disponendis rebus vestris propensius instabimus. Rogavit etiam Episcopus Comitem Adolfum, ut huic donationi præberet consensum. Cui respondit Comes: Ex quo Dominus meus flexus est ad pietatem, decet nos voluntati ejus concurrere, & pro posse nostro ei suffragari. Possessionem igitur, quam Dominus meus promisit Episcopo, & ego permitto. Insuper & cedo de medietate decimarum, ut cedant in usus Episcopi non ex debito, sed ex gratia, eo quod res Episcopales nondum ordinatæ sint. Commisit ergo, secundum Helmoldum, Dux Henricus custodiam terræ Slavorum atque Nordalbingorum Adolfo Comiti, compositisque rebus in Saxonia, profectus est cum militia sua, ut reciperet Ducatum Bavariæ. Porro Domina Clementia Ducissa remansit Luneburg, fuitque Comes clarissimus in domo Ducis, & officiosus in obsequio Ducissæ & consilii. Quamobrem venerabantur eum Principes Slavorum, & maxime Reges Danorum, qui laborantes intestino bello, unus præ alio certabat ipsum prævenire muneribus. Lodowicus Rex Francorum reversus de expeditione Ierosolymitana cum uxore sua Alienor de filia Comitis Pictaviensis, secundum Vincentium, eam repudiare disposuit, eo quod multum incontinens esset, nec se ut Reginam, sed quasi meretricem haberet. Quod cum illa intellexisset, ab eo declinavit, & ad Henricum Ducem Nordmannorum se transtulit, qui ipsam sibi uxorem duxit. Propter quod factum inter ipsum & Regem discordia maxima orta est. Postea tamen Rex Henricum Ducem in gratiam recipiens, dimisit sibi uxorem. Hic Henricus Dux mox Stephano Rege Anglorum defuncto, Angliam intravit, & integritate Regni potitus, pacem antiquam reformavit, ac filios quatuor de prædicta Regina suscepit, puta Henricum, Richardum, Johannem & Ganfredum. Tres autem primi sibi in Regno successerunt, quartus vero factus est Comes Britanniæ. Recepit etiam de eadem uxore quatuor filias, quarum unam dedit Regi Castellæ, unde orta fuit Blanka, Regina Franciæ. Alteram dedit Alexio Imperatori Constantinopolitano. Tertia nupsit Duci Saxoniæ, & quarta accepit Tholosanum Comitem. Moabitæ & Sarraceni ingredientes Regnum Mauritanum, secundum Vincentium, ipsum igne & ferro vastaverunt, & Regem ipsorum patibulo affixerunt. Quo expedito, ultra progressi, Regnum Bulgarorum similiter demoliti sunt, Regem ipsorum suspendentes. Intrantes vero Regnum Siciliæ, recepti sunt ad pugnam, & victi per Regem Siciliæ, & de Regno expulsi, multis interfectis.

Quinto decimo anno Conradi, qui est Domini MCLIIII. Metis urbs Lotharingiæ cum Duce suo bellum gerens, secundum Wilhelmum, succubuit. Et interfecti sunt de civibus circiter duo milia, & multi in captivitatem sunt ducti. Rogerius Rex Siciliæ utilis multum & strenuus obiit, secundum Wilhelmum. Quod Robertus de Bothua, vir plenus omni malitia, intelligens, nepotis sui castra ingressus dolose, tyrannidem magnam exercere cœpit in terra. Qui etiam spiritu zelotypiæ succensus, quendam sibi satis fidelem hominem cum alio viro & muliere intra domunculam comburendos jussit concludi. Illi vero instar antiquorum trium puerorum, domo ardente, & flamma super capita eorum in modum lucidæ nubis volitante, illæsi permanserunt. Quos foras egressos cum denuo persequeretur iniquus ille minister, cui nequam dominus hoc facinus injunxerat, & evaginato gladio unum ex eis ferire voluisset, repente quidam invisibiliter retro ipsum per comam capitis apprehendit, & cum equo, cui insidebat, ad terram elisit. Ipse autem ad Sanctum se iturum promittens, vix evasit. Alii autem de igne erepti, vitam suam emendaverunt. Gratianus Monachus de Glusa civitate provinciæ Tusciæ natus, Decretum composuit, secundum Vincentium. Eodem anno Conradus Rex obiit sine corona Imperiali, & sepultus est in Babenberg.

De Frederico I. Imp. LXXXVIII.

Fredericus Primus, Dux Sveviæ, nepos Conradi prædecessoris sui, cœpit anno mundi VMCXIII. Olympiadis CCCCLXXVII. anno primo, Urbis conditæ MDCCCCII. Domini vero MCLIIII. & XXXVI. annis imperavit. Iste fuit ex Agnete sorore Henrici V. quæ quidem genuit tres filios, puta Henricum, Fredericum & Conradum. Fuit autem iste largus, strenuus & in omnibus gloriosus. Habuit autem uxorem Beatricem de Burgundia, de qua genuit Henricum VI. qui ei successit, qui & duxit Constantiam XL. anno Regis Siciliæ, Apuliæ & Calabriæ filiam, quæ anno suo XLI. eidem Henrico peperit Fredericum Secundum. Fredericus etiam iste Primus genuit Fredericum Ducem Sweviæ & Conradum Ducem & Philippum, contra quem fuit electus Otto Quartus. Temporibus hujus Frederici fuit Adolfus Secundus Comes de Altona, qui genuit Fredericum, Everhardum & Brunonem. Fredericus factus est Coloniensis Archiepiscopus, & cum Frederico Imperatore profectus est contra Mediolanum urbem, & obiit tandem in Papia, cujus ossa relata sunt ad partes suas, & in Bergne sepulta. Ex Chronica Saxonum. Fuit autem Fredericus Primus filius Frederici fratris Conradi Regis. Siquidem Henricus Niger Dux Bawariæ ex Wulfilde uxore sua genuit Henricum Catulum, qui duxit Gertrudem filiam Lotharii Imperatoris, & genuit ex ea Henricum Leonem. Qui ex patre obtinuit Ducatum Bawariæ & Saxoniæ, ex matre vero hæreditatem de Brunswic. Pater enim ejus fuit filius Henrici Nigri Ducis Bawariæ & Wulfildis filiæ Magni Ducis Saxoniæ. Unde pervenerunt ad eum Ducatus

Digitized by Google

Ducatus Bawariæ Saxoniæque. Mater autem ejus Gertrudis filia fuit Luderi sive Lotharii Imperatoris, per quam venit ad eum Brunswic. Henricus etiam Catulus ex Gertrude genuit Juttam, quam duxit Fredericus frater Conradi Regis, & genuit ex ea Fredericum Primum Imperatorem. De hac stirpe erat Conradus Episcopus Constantiensis, qui canonizatus est.

Primo anno Frederici I. qui est Domini MCLV. venit Nyclotus Princeps Obotritorum, secundum Helmoldum, ad Dominam Clementiam Ducissam in Luneburg, & conquestus est coram ea & amicis Ducis, quod Kicini & Circipani paulatim rebellare inciperent, & negarent tributa juxta morem solvere. Et destinatus est Adolfus Comes & populus Holtzatorum ac Sturmariorum, ut adjuvarent Nyclotum, & coërcerent rebellionem dictarum gentium. Abiit ergo Comes duobus milibus & amplius electorum, Nyclotus vero contraxit exercitum de Obotritis. Et abierunt pariter in terram Kycinorum & Circipanorum, & pervagati sunt terram hostilem, omnia igne & gladio devastantes. Fanum quoque celeberrimum cum idolis & omni superstitione demoliti sunt. Videntes autem indigenæ, quod non essent eis vires resistendi, redemerunt se immensa pecunia, & defectum vectigalium reintegraverunt. Tunc Nyclotus delectatus victoria, gratias Comiti retulit amplissimas. Ab ea ergo die firmatæ sunt amicitiæ inter Comitem Adolfum & Nyclotum, habueruntque frequentius colloquium Lubekæ vel Travemundæ pro commodis utriusque terræ. Fuit autem pax in terra Wagirorum, & accepit per Dei gratiam novella plantatio continuum incrementum. Forum quoque Lubicense crescebat per singulos dies, & multiplicabantur naves mercatorum ejus. Dominus quoque Vicelinus Episcopus incolere cœpit insulam, quæ dicitur Bozoe, & habitavit sub fago, quousque construerent casas, in quibus consistere possent. Cœpit autem illic Ecclesiam ædificare in nomine Domini & in honorem B. Petri Apostoli. Porro utensilia domus, & quæ sufficerent pro procurandis aratris, providit Episcopus de Cuzelina & Faldera. Cum autem hæc in provincia Slavorum gererentur, Henricus Leo Dux Saxoniæ morabatur in Swevia, intentans Henrico vitrico suo bellum, sed non valens. Henricus vero Dux & vitricus ejus posuit custodiam per omnem Sweviam, ne forte Dux Leo elaberetur. Quod intelligens Henricus Leo, fecit denunciari omnibus amicis suis tam liberis quam ministerialibus, ut convenirent ad quandam urbem, acturi cum eo diem solennem; fecitque verbum hoc diffamari in auribus vulgi, & assumtis tribus viris fidissimis, vespere quodam mutavit vestem, & elapsus de castro, nocturnum aggressus est iter, & transiens medias hostium insidias, quinto die apparuit in Brunswic. Quo viso lætati sunt amici ejus, qui antea mœrore confecti fuerant ex rumoribus insidiarum sibi in Swevia paratarum. Evermodus Præpositus de Magdeburg, secundum Helmoldum, ordinatus est Episcopus Ratzeburgensis, & dedit Henricus Comes Polaborum illi insulam ad inhabitandum prope castrum, & CCC. mansos resignavit Evermodo novo Episcopo in dotem Episcopii. Dictus ergo Episcopus ædificare cœpit habitationem in insula prædicta, & factum est postea cœnobium Præmonstratensis Ordinis. Interfuit autem his rebus agendis Ludolfus Præpositus de Cuzilina, & dixit ad Comitem Polaborum, præsente Comite Adolfo: Quoniam Comes Polaborum benefacere cœpit erga Pontificem suum, decet, ut mihi Comes non faciat minorem partem suam. Ampliora enim de ipso præsumenda sunt, utpote de homine literato, habente scientiam rerum Deo placentium. Tunc Adolfus Comes Wagirorum secutus factum Comitis Polaborum, remisit de beneficio suo CCC. mansos, qui omnes mansi tam Comitis Polaborum quam Comitis Wagirorum oblati sunt per manus Henrici Leonis Ducis in dotem Aldenburgensis & Ratzeburgensis Ecclesiarum. Prœlia multa commissa sunt in regno Danorum, secundum Helmoldum, ex eo quod tres essent illius Regni hæredes, puta Sweyn filius Erici Regis, Woldemarus filius Kanuti Regis, & Kanutus filius Magni Regis, de Regno Danorum litigantes. Miserunt ergo hi tres nuncios suos ad Comitem Adolfum pro assistentia, sed placuit Comiti Kanuto auxilium ferre, spretis cæteris. Propter quod zelo motus Sweyn, assumta manu armata, transivit in Wagriensium Nordalbingorumque terras, & accendit Aldenburg, demolitusque est omnem terram maritimam. Et digressus inde, combussit suburbium Sigiberg, & quæcunque in circuitu erant, vastavit. Totius autem hujus mali impositor erat quidam Ethelerus de Dithmarcia natus, qui divitiis Danorum exaltatus, omnem fortem virum sibi sociaverat de Holtzatia, factusque Dux exercitus Regis Sweyn, volebat Adolfum Comitem provincia sua pellere. Quod percipiens Adolfus Comes, misit ad Kanutum, suggerens ei, ut veniret cum exercitu oppressurus Sweyn: ipse enim vellet esse auxilio cum quatuor millibus bellatorum. Rex autem Sweyn protunc moram trahebat in Sleswic opido. Videns ergo Ethelerus Princeps exercitus Sweyn, quod resistere non posset Kanuto, abiit ad ipsum in dolo, & data pecunia Principibus exercitus, seduxit adolescentiam Kanuti, ut rediret ad terram suam ignorante Adolfo Comite, & ut dimitteret exercitum. His ergo ad libitum ordinatis, rediit Ethelerus Sleswik mane pugnaturus cum Adolfo Comite, & ipsum percussurus repente. Eodem vespere quidam familiaris Comiti Adolfo erat Sleswic, qui sentiens dolositatem, quæ adversus Comitem parabatur, transiit cum festinatione locum, & veniens in castra Comitis, dixit: Deceptus es o Adolfe! Kanutus enim & ejus exercitus, in cujus auxilium tu venisti, reversus est in terram suam, fidem tenens more Danico, & tu solus hic jaces. Ecce venturus est cras mane Ethelerus, pugnaturus tecum cum multitudine maxima Danorum. Comes autem hæc audiens, turbatus valde recessit a loco quan-

Digitized by Google

quantocius,& vertit iter suum ad Egderam fluvium. Tanta enim festinantia præterlapsi sunt sui, ut Comite veniente ad Egderam flumen, de quatuor millibus armatorum vix CCCC. viris reperti sint. Quos Comes exhortans ait: Licet fratres & amicos nostros fugaverit cassus timor, mihi tamen videtur utile hic subsistere propter custodiam terræ nostræ, quousque directis nunciis cognoscamus, quid faciant inimici nostri. Statimque misit nuncios, qui veritatem perferrent de hostibus. Quibus revertentibus cum celeritate, & annunciantibus adventum inimicorum, Comes exhortans suos ad viriliter pugnandum, juramentis eos constringi fecit ad simul permanendum. Præcepit ergo Comes effringi pontem, & posuit custodiam in locis, in quibus permeabilis erat fluvius, nequis effugeret. Oratione denique facta ad Salvatorem omnium a communitate, venit nuncius, qui dixit, transduci per villam, quæ Stubbi dicitur. Ad quos festinavit Comes, ut pugnaret cum eis, postquam transiret universus exercitus. Statimque, ut congressi sunt, Comes equo dejectus est, quem duo milites mox elevantes, equo restituunt. Et facta est pugna vehemens, & victoria visa est utrique parti ambigua, quousque unus de exercitu Comitis clamaret, ut poplites equorum hostium fortiter cæderentur. Quod cum fieret, equis cadentibus, sessores loricati pariter cadebant. Sicque cadens Ethelerus interfectus est, & cæteri nobiles occisi sunt & capti. Quod videns Rex Sweyn ex altera parte fluminis consistens, fugam iniit, reversus Sleswic inglorius. Comes vero reversus ad propriam terram cum captivis multis satis pinguibus, Deo laudes retulit pro gloriosa victoria.

De Anastasio IV. PP. CLXXVI.

Anastasius Papa, natione Romanus ex patre Benedicto, sedit anno uno & mensibus V. secundum Martinum. Iste fecit ad Sanctam Mariam Rotundam novum palatium. Dedit etiam Ecclesiæ Lateranensi calicem pulcrum pensantem XX. marcas argenti puri. S. Bernhardus Abbas Claræ vallensis, secundum Egghardum, post actus claros & multarum animarum lucra copiosa quievit in Domino Jesu, Doctor Ecclesiæ egregius, mellifluus & devotus. Luderus Rex Ierosolymitanus, secundum Vincentium, Regni integritate potitus, Ascalonem Palæstinæ urbem obsessam diu tandem cepit, non sine gravi dolore & damno ac profligatione multa suorum. Fertur autem, quod tamen plures ex militibus templi. qui civitatem se posse capere putabant, ingressi, & mox a Paganis truncati fuissent. Cæteri obsessores Christiani ante crucem Domini se prostraverunt, & mox exaudiri meruerunt. Nam urbani divina virtute exterriti, urbem Christianis tradiderunt sub illa conditione, ut cum suis rebus & familiis abire possent illæsi. Quod eis concessum est liberaliter.

Secundo anno Frederici, qui est Domini MCLVI. Ædificatæ sunt plures Ecclesiæ terræ Nordalbingorum, secundum Helmoldum, puta Zusele, Luttikenburg & Radekowe. Comes quoque Adolfus restauravit castrum Plunense, & urbem reformavit a Slavis destructam. Fredericus Rex curiam suam pronunciari fecit Martispolin civitatem Saxoniæ, & mandavit Principes universos solenniter adesse. Curiam autem hanc ideo celebrare voluit, ut Henricum Leonem Ducem Saxoniæ & Adelbertum Marchionem de Soltwedele componeret, qui propter mortem cujusdam, Hermanni pecuniosi interfecti in castro Wirteburg discordabant; insuper etiam propter Regem Danorum dissensionem removendam. Missa ergo legatione, Reges Danorum tumulantes evocavit. Tunc Kanutus venit ad Henricum Ducem Saxoniæ, rogans, ut ejus conductu curia Regis Romanorum potiri valeret. Porro Hartwicus Bremensis Archiepiscopus conduxit Regem Sweyn, habens inter multos Religiosos Dominum Vicelinum Aldenburgensem Episcopum in suo comitatu. In hac ergo curia apud Martipolim celebrata, quæ nunc Magdeburg nuncupatur, Principes Danorum pacati sunt, Sweyn in Regem dato & coronato, cæteris ejus dominio subjectis. Dissensio vero, quæ erat inter Henricum Ducem & Adelbertum Marchionem, sedari non potuit, eo quod Principes elati Regis recentis monita parvipenderent.

De Adriano IIII. PP. CLXXVII.

Adrianus Papa natione Anglicus ex patre Wilhelmo, sedet annis IV. & mensibus V. secundum Martinum. Hic prius extitit Episcopus Albanensis, & Apostolus Norwejæ, & dicitur fuisse primus Papa, qui in urbe veteri cum sua curia moram traxerit. Ipse etiam propter vulnerationem unius Cardinalis totam urbem usque ad condignam satisfactionem Ecclesiastico suppposuit interdicto. Regem etiam Siciliæ Wilhelmum Ecclesiæ rebellem excommunicavit, qui postea absolutus, Domino Papæ homagium faciens, Regnum suum ab ipso suscepit pariter & coronam.

Tertio anno Frederici, qui est Domini MCLVII. Adelbertus Marchio de Soltwedel, secundum Egghardum, expugnavit Brandenburg, pellens inde Slavos & suos in urbem illam locans, & mutato nomine in posterum se scripsit Marchionem de Brandenburg. Videns Henricus Leo Dux Saxoniæ, quod, secundum Helmoldum, Lubicana civitas ditaretur & augmentaretur & frequentia mercatorum, dixit ad Adolfum Comitem Wagirorum, qui ipsam restauraverat: Perlatum est ad nos jamdudum, quod urbs nostra Bardewic magnam civium diminutionem patiatur propter civitatis vestræ Lubicensis forum, eo quod mercatores omnes ad ipsam commigrent. Idem quoque conqueruntur, qui sunt Luneburg, quod Suetia nostra deteriorata sit multum propter Sultiam vestram, quam Todeslo habere cœpistis Rogamus ergo vos, ut detis nobis medietatem civitatis vestræ Lubicensis, & medietatem Sultiæ vestræ Todeslo: sicque poterimus tolerabilibus ferre desolationem urbis nostræ Bardewicensis & Sultiæ nostræ Luneburg, alioquin præcipiemus, ne de cætero

Digitized by Google

cætero fiant mercantiæ in Lubeke. Non enim ferendum eſt nobis, ut propter aliena commoda deſolari patiamur paternam hæreditatem. Comes autem Adolfus petitioni Ducis condeſcendere noluit, & ideo Dux Henricus negotiationes amplius fieri Lubekæ prohibuit, ac fontes ſalis obturari præcepit. Elizabeth Sanctimonialis terræ Saxoniæ, ſecundum Chronicas Saxonum vidit viſiones mirabiles, inter quas & Angelus ſibi familiaris librum, qui dicitur Viarum Dei, oſtendit eidem. Diem quoque ſanctiſſimæ Translationis in cœlum Virginis glorioſæ Matris Dei ſibi revelavit. Theodericus Comes Hollandiæ IX. filius Florentii & Petronillæ obiit, cui Florentius filius ejus ſucceſſit.

Quarto anno Frederici, qui eſt Domini MCLVIII. Lubicenſis civitas incendio conſumitur, ſecundum Helmoldum. Quo damno recepto, cives & mercatores Lubicenſes miſerunt ad Henricum Ducem, dicentes: Jamdiu forum non fuit in Lubeke propter prohibitionem tuam, nos tamen ſub ſpe recuperandi forum, in loco noſtro manſimus, ac etiam ædificia multo labore & ſumtu conſtructa nos abire non permiſerunt. Nunc vero domibus conſumtis ſupervacuum eſt reædificare, ubi non ſinitur eſſe forum. Da ergo nobis locum alium in terra tua conſtruendi civitatem mercantiis noſtris aptam, & ibi ædificabimus. Rogavit iterum Dux Henricus Comitem Adolfum, ut nunc ſaltem locum incendio deſolatum ſibi dimittat, ut ibi ſumtibus ſuis civitatem reſtauret. Quod cum Comes facere omnino renueret, ædificavit Henricus Dux civitatem novam ſuper fluvium Wokeniza non procul a Lubeke in terra Polaborum, & appellavit eam nomine ſuo Lowenſtad. Sed cum locus non eſſet idoneus, Dux itero petiit Comitem pro Lubeke, multa promittens eidem, ſi voluntati ſuæ parere vellet. Comes tandem victus precibus & ſponſionibus Ducis, voluntati ejus ceſſit, & reſignavit Henrico Duci caſtrum Lubeke & inſulam ejus. Statim ergo mercatores, Duce jubente, reverſi ſunt Lubeke cum gaudio, & deſtructa nova urbe Lowenſtad, cœperunt in Lubeke Eccleſias, domus & muros civitatis reinſtaurare. Ex tunc miſit Dux nuncios ad provincias & civitates maritimas ſingulas, offerens eis pacem, ut haberent liberum tranſitum ad civitatem ſuam Lubeke. Et ſtatuit illic monetam & teloneum ac jura civitatis honeſtiſſima publicavit. Et ab illo tempore proſperatum eſt urbis, & multiplicatus eſt numerus accolarum ejus. Vicelinus Epiſcopus Aldenburgenſis, ſecundum Helmoldum in Chronica Slavorum, plenus virtutibus obiit in Chriſto. Sedit autem in Epiſcopatu annis V. & menſibus duobus, corpus vero ejus tumulatum eſt in Falderenſi Eccleſia, præſente Evermodo Epiſcopo Ratzeburgenſi & officium peragente. Agebatur autem intentius memoria boni patris tam in Faldera, quam in Cuzelina. Fuitque præfixum curatoribus, quid ſingulis diebus deberet dari in eleemoſyna pro remedio animæ ejus. Fuit autem in Cuzilina Sacerdos quidam Nolchardus nomine, miniſter menſæ, qui primus ad Falderam cum Domino Vicelino venerat, induſtrius valde in rebus extrinſecis. Hic ergo eleemoſynas pro anima boni Paſtoris diſtribuendas dare neglexit, parcus nimis in rebus illis. Apparuit ergo ſanctus Pontifex mulieri cuidam exeunti in pago Sigiberg, amictus cultu Sacerdotali, & dixit ad eam: Vade & dic Nolchardo, quod impie agit circa me, ſubtrahens ea, quæ pro remedio animæ meæ devotio Fratrum fieri ordinavit. Cui mulier, quis, inquit, Domine vobis vitam & linguam donavit? Nonne fama latius perſonuit, vos multis diebus lingua privatum, & poſtremo morte defunctum. Unde ergo vobis iſta? Quam ille blando vultu conſolans ait: Ita eſt, ut loqueris, ſed hæc melius reſtaurata nunc recepi. Nuncia ergo memorato Sacerdoti, ut celerius ſuppleat, quod ſubtraxit, & hoc etiam adjunges, ut IX. officia expleat pro me. Et his dictis receſſit. Cumque hæc dicerentur Sacerdoti, confeſſus eſt culpam, & promiſit emendam. Poſt tranſitum autem Vicelini Epiſcopi, Fratres de Faldera receſſerunt a ſubjectione Aldenburgenſis Epiſcopatus ob laboris faſtidium, & elegerunt ſibi Præpoſitum dominum Epponem virum ſanctum. Electio vero Epiſcopalis Domino Duci Henrico reſervata eſt. Fuit autem eo tempore Sacerdos quidam Geroldus nomine, de Swevia natus, Capellanus Ducis, ſcientia divinarum Scripturarum adeo imbutus, ut neminem in Saxonia videretur habere parem. Habebat autem Sacerdos iſte Deo devotus propoſitum aſſumendi habitum religioſum in loco, qui Redegheshuſen dicitur, ſed curiæ Ducis ad tempus hærebat corpore magis quam animo. Ubi ergo fama vulgavit, Vicelinum Epiſcopum obiiſſe, Duciſſa allocuta eſt Geroldum Sacerdotem, dicens: Si tibi propoſitum eſt ſerviendi Deo ſub auſteritate vitæ, aſſumito tibi laborem utilem eſt fructuoſum, & perge in Slaviam, & ſta in opere, in quo fuit Vicellinus Epiſcopus. Hoc enim faciens, & tibi & aliis proderis, quia omne bonum in commune deductum majus bonum eſt. Accerſivit ergo Domina per literas Ludolfum Præpoſitum Cuzilina, commendatumque Sacerdotem tranſmiſit cum eo in Wagirenſem terram, ut in Epiſcopum ibidem eligeretur. Quod ad nutum Dominæ Clementiæ Duciſſæ ita factum eſt, non tamen extunc ſic electus conſecratus eſt, eo quod, qui conſecraret, abeſſet. Dux autem Henricus etiam præſens non erat, occupatus cum Frederico Rege in Italica expeditione. Fredericus Rex, ſecundum Vincentium in Speculo, pro coronatione ſua Romam ſe tranſtulit, ducens multos Principes & Duces ac Epiſcopos ſecum, & præſertim Henricum Leonem Ducem Saxoniæ & Weſtphaliæ. Rege autem appropinquante Romam, ſecundum Helmoldum in Chronica Slavorum, Romani legatos ſuos miſerunt ad ipſum in caſtra, qui dicerent ei, paratum eſſe ſenatum & univerſos cives urbis ad recipiendum eum cum gloria, ſi ſe eis exhiberet Imperatorio more. Quo quærente modum ſe exhibendi eis, illi reſponderunt: Regem pro-

pter Imperiale fastigium Romam venientem decet venire in curru aureo purpuratum, agentem præ curribus suis tyrannos bello subactos. Et quia Roma mater est Imperii, ideo oportet ipsum dare senatui, quæ edictis Imperatorum præfixa sunt, puta XV M. librarum argenti puri, ut per hæc suscitentur animi senatorum ad benevolentiam, & sic ei exhibeant honorem Imperialem & triumphalem. Et quem electio Principum fecit Regem, autoritas senatus perficiat Cæsarem. Tunc Rex subridens ait: Grata est promissio, sed nimis cara executio. Magna postulatis o viri Romani. Puto, quod occasiones quæritis adversum nos, imponendo nobis prius inaudita. Consultius vero ageretis, si his omissis, amicitiæ nostræ potius quam armorum caperetis experimenta. At illi pertinacius instabant, dicentes: Jura civitatis nullatenus sunt irritanda, & gerendus est mos senatorum: alias seris suis portæ civitatis sunt claudendæ ad tuum introitum. His auditis, Rex missa legatione per honorabiles Episcopos, accersivit Dominum Adrianum Papam in castra propter participationem consilii sui. Romani denique Papam in multis offenderant, & ideo ad Regem libenter venire, ut contra Romanos querelas proponeret, satagebat. Veniente ergo Papa in castra, Rex festinus occurrit, & desidenti de mulo tenuit strepam, & duxit ipsum per manum in tentorium. Facto autem silentio, locutus est Dominus Episcopus Babenbergensis verbum ex ore Regis & Principum, dicens: Honorabilem sanctitatis tuæ præsentiam Apostolice Pontifex, sicut jam dudum sitienter desideravimus, ita & nunc lætanter suscipimus, gratias agentes bonorum omnium largitori Deo, qui nos deduxit incolumes in hunc locum. Notum ergo tibi esse cupimus, Pater Reverentissime, quod omnis hæc Ecclesia de finibus orbis propter honorem regni collecta, adduxit Principem suum ad tuam beatitudinem promovendum ad culmen Imperialis honoris, virum utique nobilitate generis conspicuum, victoriis felicem, pacis amatorem, justitiæ zelatorem, & super omnia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ filium & defensorem, & nihil negligere volentem, quod ad honorem Dei & Apostolorum Principis exhibendum majorum jubet traditio. Restat ergo sanctissime pater, ut & tu circa eum peragas ea, quæ tua sunt, ut ea, quæ de plenitudine culminis Imperialis ei desunt, per Dei gratiam tuo opere suppleantur. Ad hæc Dominus Papa respondit: Verba sunt frater, quæ loqueris. Dicis, Principem tuum condignam B. Petro exhibuisse reverentiam, sed videtur B. Petrus magis inhonoratus esse ab eo. Nam eum dextram debuisset tenuisse strepam, tenuit sinistram. Hæc cum per interpretem Regi dicta fuissent, ipse humiliter ait: Dicite ei, quod defectus hic non fuit indevotionis, sed inscitiæ. Non enim tenendis strepis magnopere studium dedi. Ipse namque mihi primus est, cui tale obsequium impendi. Cui Papa respondit: Si, quod facillimum fuit, per ignorantiam neglexit, qualiter, putatis, expediet maxima. Tunc Rex aliqualiter motus ait: Vellem melius instrui, unde mos iste inoleverit, ex benevolentia, an ex debito? Si ex benivolentia, nihil causari habet Dominus Papa, si vacillaverit obsequium, quod de arbitrio, & non de jure subsistit. Si vero ex debito institutionis hæc reverentia debeatur Principi Apostolorum, quid, rogo, refert inter dextram & sinistram strepam, nisi ut servetur humilitas, & curvetur Princeps ad pedes summi Pontificis. Diu acriterque disputatum est, sed postremo recesserunt ab invicem sine osculo pacis. Timentes ergo hi, qui columnæ Regni esse videbantur, ne forte rebus inactis frustra laborassent, multa persvasione vicerunt cor Regis, ut Dominum Papam revocaret in castra. Quem redeuntem Rex recepit integrato officio. Omnibus autem exhilaratis dixit Papa: Adhuc superest unum, quod debet facere Princeps vester. Acquirat B. Petro Apuliam, quam Wilhelmus Siculus per vim possidet. Quo facto, veniat ad nos coronandus. Responderunt Principes, dicentes: Diu est, ex quo fuimus in castris, & desunt nobis stipendia, & tu dicis tibi Apuliam acquiri, & sic demum ad consecrationem venire. Dura sunt hæc, & super vires nostras. Impleatur opus consecrationis, ut pateat nobis reditus patriæ, respiremusque paululum de labore, & postea redibimus expediti, expleturi, quod faciendum restat. Moderante ergo Deo, sub quo curvantur, qui orbem portant, cessit Apostolicus, & assensit postulationi Principum, factaque concordia assederunt in consilio, acturi de introitu urbis & cavendis insidiis Romanorum. Cum hæc sic agerentur Romæ, ut dictum est, interim Geroldus electus Aldenburgensis ex promotione Clementiæ Ducissæ abiit in Saxoniam, de Luneburg egressus, & veniens Martipolim, ubi tunc Hartwicus Archiepiscopus Hammeburgensis & Bremensis residebat, ut ab eo consecrationis beneficium perciperet. Archiepiscopus vero quendam Præpositum bene erga se meritum hoc honore remunerare decreverat, & ideo adventum Domini Geroldi electi audiens, turbatus est animo, cœpitque velle cassare electionem factam, prætendens Ecclesiæ immaturitatem, & eam personis adhuc vacuam sine sui permissione nec eligere nec decernere quicquam posse. At Geroldus cum suis obtendere cœpit, ratum esse opus electionis, quam fecisset postulatio Principis, concordia Cleri & aptitudo personæ. Ad quod Archiepiscopus: Non est, inquit, hujus temporis vel loci talium explanatio. Expediam hanc causam, cum rediero ad Bremense Capitulum. Videns autem Electus Hartwicum Archiepiscopum adversantem sibi, remisit Ludolfum Præpositum & eos, qui cum eo venerant, in Wagiram, ipse vero abiit in Lombardiam & Italiam ad Henricum Ducem. Ad quem cum venisset, benigne ab eo susceptus est. Et ducens ipsum ad præsentiam Domini Papæ, ait: Rogo vos, Beatissime Pater, ut hunc Electum Aldenburgensem, quem Archiepiscopus Bremensis consecrare recusat, dignemini benedicere, & sibi consecrationis beneficium impendere. Qui mode-

Digitized by Google

modeſte recuſavit, dicens: Poſtulata libenter facerem, ſi fieri poſſet ſine Metropolitani injuria. Nam Dominus Hartwicus Archiepiſcopus literis ſuis te prævenit, rogans, ut de hac conſecratione ſuperſedeam, cum ſibi in ea verecundia fieret. Quo audito, Dux ſubticuit. Cum ergo appropinquaret urbi Romanæ, miſit Rex clam noctu DCCCC. loricatos ad domum S. Petri una cum legatis Domini Papæ. Qui perferentes mandata Papæ ad cuſtodes, intromiſerunt milites per poſticum domus. Mane ergo facto, venit Rex cum omni exercitu, præcedensque Dominus Papa cum Cardinalibus, recepit eum ad gradus, & intrantes domum B. Petri, aggreſſi ſunt opus conſecrationis. Porro milites armati ſtabant circa templum, obſervantes Regem, quousque perficerentur myſteria. Poſtquam autem conſummatum eſſet opus impendendæ Auguſtæ dignitatis in eo, egreſſus eſt Imperator muros urbis, & laſſitudine gravati refecti ſunt cibo. Infra prandium vero Lateranenſes, facta irruptione, transgreſſi ſunt Tiberim, & primo quidem caſtra Ducis Saxoniæ, quæ muris erant contigua, turbaverunt. Vociferansque exercitus de caſtris prorupit ad obſiſtendum, & factum eſt bellum potens in illa die. Illic Henricus Leo Dux viriliter pugnavit in capite, & Romani victi ſunt, & paſſi ruinam magnam. Poſt factam victoriam, magnificatum eſt nomen Ducis ſuper omnes, qui erant in exercitu. Volens ergo Papa honorare Ducis virtutem, transmiſit ei munera, præcepitque nuncio, dicens: Dic Duci, quod craſtina die, ſi voluerit, Electum ejus conſecrabo. Et lætatus eſt Dux de promiſſione. Mane ergo facto, fecit Papa pulcram feſtivitatem, & conſecravit Epiſcopum Aldenburgenſem cum magna gloria. Reductis ergo Romanis in gratiam Imperatoris, expeditio retorſit iter ad recedendum. Et deſerentes Italiam, venerunt in Lombardiam ad Veronam urbem, ubi contigit Imperatorem grave diſcrimen incurrere. Veronenſium ſiquidem lex eſt, Imperatori Lombardiam ingredienti pontem manibus ſternere in flumine, quod Edeſa dicitur, cujus impetus inſtar torrentis violentus nemini vadoſus eſt. Cum ergo tranſiſſet exercitus, ſtatim poſt pons ille a flumine raptus eſt, properansque exercitus venit ad anguſtam viam, cui Cluſa nomen eſt, ubi inter ſcopulos montium cœlo contiguos iter adeo in artum trahitur, ut duobus pariter incedentibus commeatum vix præbeat. At Veronenſes ſupercilium montis occupaverant, miſſisque jaculis neminem tranſire ſinebant. Requirebant autem ab Imperatore, quid pro ſalute ſui ſuorumque dare vellet. Imperator ergo tam flumine quam montibus undique cinctus, animo valde anguſtiabatur. Ingreſſusque tabernaculum, diſcalceatus pedes adoravit coram vivifico ligno ſanctæ crucis. Nec mora, divinitus inſpiratus invenit conſilium. Fecit ergo vocari eos, qui de Verona ſecum erant, & ait ad illos: Oſtendite mihi callem abſconditum, qui ducit in ſupercilium montis, alioquin jubebo vos occidi. At illi timentes detexerunt ei abſconditum montis aſcenſum. Statimque aſcendentes fortiſſimi militum, ſupervenerunt hoſtibus a tergo, & disjectos pugna comprehenderunt multos eorum, & perduxerunt eos in conſpectum Imperatoris, qui omnes fecit patibulis appendi. Sicque remotis offendiculis, exercitus perrexit itinere ſalvo.

Quinto anno Frederici, qui eſt Domini MCLIX. In Pago Ruthenenſi quædam tempeſtas gravi flagello caſtigavit populum Dei, ſecundum Vincentium. Nam lupi feroces ab uberibus matrum parvulos rapiebant & devorabant. Mulier autem quædam nomine Stephana de urbe Treverenſi, cujus frater jam pernicioſa illa clade perierat, in Vigilia Aſſumtionis B. Virginis hortum ſuum intravit, ut ſpicas colligeret. Nebuloſum quippe tunc erat cœlum. Et ecce, duo lupi accurrerunt cum tanto ſtrepitu, ac ſi equites plures adveniſſent. Quorum unus illam per guttur, alius ſublevatis ad umbelicum veſtibus, diverſis letalibus vulneribus vulneratam, non recto tramite per villam, quo frequenter fugari ſolebant a canibus, ſed trans muros duos & ſepes tres velut ovem projicientes, ad ſylvam pertraxerunt. Sylva vero per dimidium miliare diſtabat ab urbe. Mulier autem adhuc ſpirans, ſpiritum exhalatura, in virtute Spiritus Sancti & benignitate Virginis Mariæ feris præcepit ferocibus, ne corpus ſuum ulterius lacerarent, & ne etiam diutius in eam graſſarentur, inhibuit. Mox beſtiæ illæ ab ejus laceratione deſtiterunt, & corpus exſangve a ſupervenientium beſtiarum infeſtatione defenderunt. Inter hæc mulier cum canibus quærebatur, & ſequenti die per ſangvinis veſtigia inventa in villam delata eſt adeo lacerata, quod vix in ea cognoſci poterat hominis forma. Plectrum etiam lingvæ non movebatur ad aliquod verbum formandum. Victualia quoque ori infuſa, per foramina gutturis & pectoris exibant, modico incorporato. Nervorum etiam contractione & membrorum læſione genua pectori adhærebant, & vulnera, de quibus non modica caro detracta fuerat a feris & comeſta, cute ſuperduci non poterant. Hanc ergo parentes ſui impoſitam vehiculo, nocte ad remotam villam detulerunt, quæ dimiſſa præ foribus monſtrum ab intuentibus putabatur. Et ne diutius apud eos moraretur, ligatam aſino quaſi truncum procul duci fecerunt. Deſcendens ergo aſinus quoddam montis præcipitium, bibiturus de torrente, qui rabido decurrebat in valle, caput depoſuit, mulierque, quæ laxe dorſo aſini alligata erat, in aquam lapſa eſt. Sed Virgo Maria non potuit pati, ut ſubmergeretur paupercula illa. Abſtracta autem de flumine, in horreo cujusdam nobilis, cujus cor Dominus ad hoc inclinaverat, ab hominum ſequeſtrata conſortio ſolitaria jacebat, quia præ fœtore ejus & vulnerum immanitate gravabantur intuitus omnium hominum & olfactus. Miles autem ille curam illius agens, vulneribus vinum & oleum infundi jubebat. Mulier ergo interim cura medentium & refocillatione ciborum reformabatur, ſed in modico. Ipſa vero ſemper Dei

Digitized by Google

Genitricem in mente ruminabat, per eam ſanari ſe ſperans, ſignisque & nutibus, & quibus poterat verbulis, ad Rothemador ſe ferri precabatur. Ad quam Eccleſiam miſeratione multorum eſt delata. Ubi cum incurvata ſurſum reſpicere non poſſet,perſiſtens in oratione & cordis cognitione, exaudire tandem meruit & ſanari. Geroldus factus Epiſcopus Aldenburgenſis, & a Papa conſecratus, venit ad Eccleſiam ſuam, ſecundum Helmoldum. Quam inveniens modicam eſſe, & niſi unum altare habentem, ac populum ejus idola colentem, nihil de reditibus invenit ad illam Eccleſiam pertinentibus,niſi ſolum XIIII. marcas,omnibus aliis bonis, quæ Adolfus Comes eidem largitus fuerat, ablatis. Sed Henricus Dux de Italia rediens, reditus ſibi augmentavit, & locum in ædificiis emendavit. Eccleſia vero Lubicenſis principalis adhuc modica erat, ſicut impræſentiarum patet, puta capella cum unico altari, quam Vicelinus Epiſcopus conſecraverat in honorem B. Johannis Baptiſtæ, & nominatur ad S. Johannem in arena, quia collis, in quo ſita eſt, arenoſus eſt. Primus autem Epiſcopus Aldenburgenſis Eccleſiæ in ipſius prima fundatione per Ottonem I. facta fuit Marco, ſecundus Cowardus, tertius Wago, quartus Ezico, quintus Folquardus, ſextus Reynbertus, ſeptimus Bruno, octavus Meynerus, nonus Abelinus. Quo defuncto, Eccleſia Aldenburgenſis diviſa eſt in tres Epiſcopatus, & factus eſt Ezo decimus Epiſcopus Aldenburgenſis per Adelbertum Archiepiſcopum Hammeburgenſem. Johannes autem poſitus eſt tunc per eundem Adelbertum Archiepiſcopum Epiſcopus in Mykelenburg, & Ariſton Ieroſolymitanus in Ratzeburg. Poſt Ezonem relapſis Slavis in Paganiſmum puta anno Domini MLXVI. incepit Slaviæ deſolatio, & vacavit Sedes Aldenburgenſis per annos LXXXIIII. Et tunc S. Vicelinus factus fuit Epiſcopus Aldenburgenſis per Hartwicum Archiepiſcopum Bremenſem, in Mykelenborg vero tunc ordinabatur Epiſcopus Dominus Eymenhardus, & in Ratzeburg Dominus Evermodus Epiſcopus conſecratus eſt.

Sexto anno Frederici, qui eſt Domini MCLX. Dani iterum de Regno contendentes, ſecundum Helmoldum, terras prœliis & devaſtationibus damnificabant. Hujus turbationis cauſam miniſtrabant tres, puta Kanutus, Sweyn & Woldemarus, quorum quilibet Rex eſſe voluit, licet Sweyn per Fredericum Imperatorem in Regnum ſolus eſſet ſublimatus. Diſſenſiones iſtæ tandem ſedatæ ſunt mediante Helia Epiſcopo Ripenſi, ac cæteris Epiſcopis & Nobilibus Regni. Et diviſum eſt Regnum in tres partes, & data eſt Jutia ſive Jutlandia Woldemaro, Selandio Kanuto & Schania Sweyn, quæ pars viris, caſtris & armis ac cæteris derivaminibus præſtantior eſt cæteris partibus. Cæteras vero inſulas minores partiti ſunt cuilibet pro ſua facultate. Poſt hæc Kanutus & Woldemarus fecerunt convivium magnum in Selandia civitate Roſchild, & invitaverunt cognatum ſuum Sweyn, ut exhiberent ſibi honorem. At ille ex ingenita crudelitate, ubi in convivio ſedit, & vidit Reges & convivas impavidos, cœpit cogitare de inſidiis. Et annuente Sweyn, allati ſunt gladii, & inſilientes in Reges perfoderunt Kanutum. Sed ut percuſſor vibravit ictum in caput Woldemari, ille fortius exiliens, excuſſit lumen, & ſalvante eum Deo, in tenebris evaſit, uno tantum vulnere ſaucius. Fugiens ergo in Jutiam, commovit univerſam Daciam. Tunc Sweyn contraxit exercitum de Selandia & de inſulis maris, & transfretavit in Jutiam, ut expugnaret Woldemarum. At ille producto exercitu, occurrit ei in manu valida. Et commiſſum eſt prœlium non longe a Wyberge,& occiſus eſt Sweyn in die illa, & omnes amici ejus pariter. Et ſic Woldemarus obtinuit Regnum Danorum. Geroldus Aldenburgenſis Epiſcopus, conveniente univerſo Slavorum populo ad forum Lubicenſe, in die quadam Dominica, ſecundum Helmoldum, verbum exhortatorium pro ipſius converſione integra ad fidem propoſuit plebi, ut Deum unum coleret, qui in cœlis eſt, & percepta Baptiſmi gratia, renunciaret operibus malignis, deprædationibus & latrociniis Chriſtianorum. Cui reſpondit,omnibus aliis tacentibus, Pribizlaus Regulus Slavorum: Verba tua o Pontifex, verba ſunt Dei & ſaluti noſtræ congrua. Sed quomodo ingrediemur viam hanc, irretiti tot malis. Principes etiam noſtri tanta ſeveritate graſſantur in nos, ut propter vectigalia & ſervitutem melior ſit nobis mors quam vita. Ad quem Epiſcopus ait: Quia Principes veſtri hactenus abuſi ſunt gente veſtra, non eſt mirandum. Non enim arbitrantur Principes veſtri peccare in illis hominibus, qui ſunt cultores diaboli & non veri Dei. Subjicite ergo vos Creatori veſtro, ſuſcipientes Baptiſmi gratiam, & tunc in tranquillitate vivere poteritis, ſicut Saxones & alii fidem Dei habentes. Et ait Pribizlaus: Si Domino Duci placuerit & tibi,ut nobis ſit vobiſcum unius culturæ ratio, dentur nobis jura Saxonum in prædiis & reditibus, & libenter erimus Chriſtiani, ædificabimus Eccleſias,& dabimus decimas noſtras. Quo habito verbo, abiit Geroldus Epiſcopus ad Henricum Ducem propter colloquium provinciale, quod laudatum erat Ertineburg, & evocati venerunt illuc Reguli Slavorum ad diem placiti. Tunc hortante Epiſcopo Dux habuit verbum ad Slavos de Chriſtianitate. Ad quem Nyclotus Regulus Obotritorum ait: Sit Deus, qui in cœlis eſt, Deus tuus: eſto tu Deus noſter, ut ſufficit nobis. Et corripuit eum Dux de verbo blaſphemiæ. De promotione vero Epiſcopatus & Eccleſiarum ædificatione nihil amplius eo tempore actum eſt, eo quod Dux noviter de Italia rediens, totus quæſtui & exactioni deditus eſſet. Camera autem ejus inanis erat & vacua. Tunc quaſi ex impatientia motus Epiſcopus, dixit Duci: Ecce, jam curiam veſtram longo tempore ſecutus ſum, & fui vobis oneri. In Wagiram quoque veniens, non habeo, quod manducem. Cur ergo impoſuiſtis mihi onus nominis hujus. Melius mihi fuit multo ante quam nunc. His verbis

pro-

Digitized by Google

provocatis Dux, accersivit Comitem Adolfum, & habuit cum eo rationem de CCC. mansis, qui oblati fuerant in dotem Episcopii. Tunc designavit Comes Episcopo in possessionem Utyne, id est Oytin opidum & Gamale cum appendiciis eorum. Et tunc Episcopus cœpit ædificare civitatem Utyne, & instituit ibidem Ecclesiam collegiatam. Visæ sunt in cœlo de nocte tres lunæ, secundum Egghardum, sociatæ, in quarum media apparuit signum crucis. De mane vero apparuerunt tres soles, quorum duo successive disparentes redacti sunt in unum solem. Geroldus Episcopus Aldenburgensis volens placare Archiepiscopum Hartwicum de offensione, quam circa ipsum incurrit ex eo, quod contra suum beneplacitum consecratus fuit Episcopus, & transiens Albiam, secundum Helmoldum, venit in opidum Staden, & ibidem Archiepiscopum invenit. Cumque ob fastum elationis Dominus Hartwicus Geroldo Episcopo diutius protraheret præsentiæ suæ accessum, essetque difficilis ad recipiendum ipsum, dixit Episcopus ad Abbatem de Reddegeshusen ad eos, qui cum eo venerant: Quid hic residemus fratres? Eamus videre faciem hominis. Et nil trepidans, ingressus est ad Archiepiscopum, accepitque osculum sine verbo salutationis. Ad quem ait Geroldus Episcopus: Mihi cur non loquimini? Quid peccavi, ut non merear salutari? Demus, si placet, arbitros, qui judicent inter nos. Veni, ut scitis, Martipolim: postulavi benedictionem, & renuistis. Necessitate ergo compulsus abii Romam, impetraturus a Sede Apostolica, quæ mihi a vobis sunt injuste denegata. Justior ergo mihi est irascendi ratio, qui mihi onerosam itineris hujus imposuistis necessitatem. Ad quem Archiepiscopus, quæ, inquit, tam inevitabilis causa vos propulit Romam ad subeundum viæ laborem & expensas sumtuum? An quia in longinquo positus, postulationem vestram ad faciem Ecclesiæ nostræ distuli? Distulistis, ait, Geroldus velut infirmaturus causam nostram. Hoc enim, ut verum fateamur, verbis apertius prosecutus estis. Sed gloria Deo, qui perfecit nos in ministerio suo, laboriosa quidem sed grata assecutione. Tunc Archiepiscopus, Apostolica, inquit, Sedes potestate sua, cui certe obniti non possumus, usa est in consecratione vestri, quæ ad nos de jure spectabat. Sed huic injuriæ rursus providit remedium, designando nobis per literas, nihil in hoc facto autoritati nostræ de vestra subjectione subtractum. Respondit Geroldus Episcopus: Scio quidem, nec diffiteor hoc ita esse, ut dicitis, & ob hoc ipsum veni, ut exhibeam me in his, quæ digna sunt vobis, ut sopiantur discordiæ, & instaurentur ea, quæ pacis sunt. Justum quoque arbitror, ut nobis provideatis sustentationis adminiculum, cum militantibus justa debeantur stipendia. Et his dictis, statuerunt ad invicem amicitias, promittentes alterutrum in necessitatibus opem vicariam. Adrianus Papa obiit, & facta est in Ecclesia Romana maxima turbatio, secundum Vincentium. Nam Cardinales ab invicem divisi, duos elegerunt Romanos Pontifices, puta Rolandum Cancellarium & Octavianum, gravi schismate Ecclesiam dirumpentes. Unde Principes & Proceres diversarum regionum turbati, quidam uni, & quidam alteri adhæserunt. Imperator vero Romanorum Octavianum, qui se Victorem nominavit, suscepit, licet Reges Franciæ ac Angliæ & Henricus Dux Saxoniæ Rolando, qui se Alexandrum nuncupavit, faverent.

De Alexandro III. PP. CLXXVIII.

Alexander Papa natione Tuscus ex patre Ranucio, sedit annis XXII. & mensibus sex, secundum Martinum. Iste pro primo Papatum renuit, & consuluit eligi Octavianum, hominem senem & reverendum, Imperatoris cognatum, sed ambo consecrati sunt. Alexander vero instigatus per amicos ægre ferentes electionem Victoris, tandem consensit, & astutiam quandam excogitans, dixit: Svadeamus Victori, ut Imperatorem excommunicet pro eo, quod uxorem suam reliquerit. Quod si fecerit, ab Imperatore propter invidiam deponetur: sin autem, habebimus occasionem deponendi eum. Quod sic factum est. Nam cum Victor nollet eorum consiliis acquiescere, tunc fuit ipse destitutus, & Alexander fuit de novo electus. Sed Imperator audiens dissensionem Paparum, curiam suam posuit in Papia ad concordandum ipsos, ubi congregati Episcopi & Abbates multi, cognita causa, Alexandrum condemnaverunt, & Victorem confirmaverunt. Et inde schisma & scandalum in Ecclesia quasi XX. annis pullulavit. Alexander autem in Galliis recipitur, & Victor in Lombardia & Alemannia nutriebatur. Hic Alexander statuit, ut nullus Sanctus veneretur, nisi autoritate Apostolica sit canonizatus. Iste S. Bernhardum canonizavit. Hic etiam Alexander vicit IIII. Schismaticos, puta Octavianum, qui se nominavit Victorem, Gvidonem, qui se Paschalem appellavit, Johannem qui se Kalixtum dixit, & Alandonem, qui se Innocentium vocavit. Quorum tres fuerunt Presbyteri Cardinales, qui per Alexandrum excommunicati, omnes mala morte perierunt. Hic Papa Fredericum Imperatorem, qui dictos schismaticos manutenebat successive, ad concordiam Ecclesiæ adjutorio tamen Ducis Venetiarum revocavit. Duo concilia, unum Thuronis & aliud Romæ celebravit. Sub ejus temporibus terræmotus magni fuerunt per loca, ita quod civitas Antiochena & Tripolis ceciderunt, Damascus cum multis aliis civitatibus subversa est, secundum Vincentium. Tunc quoque Catinensis civitas penitus est eversa, & plusquam XXM. hominum mortui sunt, & mare ad VM. hominum in Sicilia submersit. Hujus tempore Mediolanum, Cremona & Placentia contra Papiam unam civitatem construxerunt, quam, ut famosior fieret, ab Alexandro Papa Alexandriam nominaverunt. Qui Papa post ad petitionem Lombardorum dedit eis Episcopum. Papiensem vero Episcopum crucis & pallii dignitate privavit, eo quod Frederico Impera-

peratori tunc, & ab antiquo Regibus persecutoribus Ecclesiæ semper adhæsisset.

Septimo anno Frederici, qui est Domini MCLXI. Cives Moguntinenses Archiepiscopum suum in Ecclesia, S. Jacobi crudeliter occiderunt, secundum Vincentium, in die S. Johannis Baptistæ. Rex Alapiæ, secundum Egghardum, Edissam civitatem, quæ in Genesi Arath nominatur, expugnavit & cepit, Francosque ibi captos aut morte aut servitute damnavit. Archiepiscopum vero civitatis quasi ducem gregis cum omni Clero, qui Christum noluerunt abnegare, in media urbe coram se decollari præcepit. Sic ergo Edissa civitas, quæ ab Abagaro Rege ipsius orthodoxo, cui Christus ante passionem suam, sicut in Ecclesiastica legitur Historia, scripsit Epistolam, & deinde per Apostolum Thomam Christo dedicata fuerat, tunc primum a gentibus profanatur & possidetur, novorum Martyrum sanguine purpurata. Henricus Leo Dux Saxoniæ & Westphaliæ, secundum Helmoldum, gentem Slavorum sibi rebellare nitentem hostiliter invadere paravit. Episcopos vero in Slavia locavit, puta Evermodum in Ratzeburg & Brunonem in Mykelenburg. Videns autem Geroldus, urbem Lubicensem valde ditari, & Aldenburg depauperari, rogavit Henricum Ducem Saxoniæ, ut sedes cathedralis, quæ huc usque fuerat in Aldenburg, transferretur Lubeke, eo quod civitas hæc esset populosior, & locus munitior, & omni prorsus aptitudine commodior. Quod cum placuisset Duci, constituerunt diem, quo Prælati venirent Lubeke, ordinaturi de statu Ecclesiæ & Episcopatus. Et designavit Dux locum, in quo ædificari deberet Oratorium in titulum Matricis Ecclesiæ, & areas claustrales designans, constituit illic præbendas XII. Clericorum canonice viventium. Tertia decima vero præbenda Præpositi esse deberet. Et dedit Geroldus Episcopus in stipendia Fratrum decimas quasdam, & tantum de suis reditibus, quas solvit Slavia, quantum pro præbendis sufficere posset perficiendis. Et resignavit Comes Adolfus villas oportunas prope Lubeke, quas statim Dux obtulit in usus Fratrum. De telonio vero assignavit cuilibet Fratrum duas marcas Lubicensis monetæ. Insuper & alia pluria privilegia contulit, quæ in Lubicensi Ecclesia continentur. Posuitque illic Præpositum Dominum Ethelonem, cujus memoriam faciemus inferius cum laude propter opera ipsius virtuosa. Henricus Leo Dux Saxoniæ evocatus per Fredericum Imperatorem in expeditionem contra Mediolanenses, secundum Helmoldum, terræ suæ prudenter providit. Nam missis nunciis, vocavit Woldemarum Regem Danorum ad colloquium, & junxit cum eo amicitias. Et rogavit Rex Ducem, ut ordinaret sibi pacem de Slavis, qui sine intermissione infestabant Regnum suum. Quamobrem præcepit Dux Slavos ad præsentiam ejus venire, puta Nyclotum, Pribizlaum & cæteros, ac astrinxit eos præcepto & juramento, ut servarent pacem cum Danis & Saxonibus usque ad redituum suum. In hunc modum rebus ordinatis, Dux profectus est in Lombardiam cum Adolfo Comite de Schowenborg & Nordalbingiæ, & venit ad exercitum Cæsaris, cum quo Mediolanum impugnabat. Ubi venit ad Fredericum Victor Papa electus contra Alexandrum in castra. Adunato ergo consilio, receperunt eum Reynoldus Coloniensis & Conradus Moguntini Archiepiscopi, & omnes, quos Imperialis aut timor aut favor agebat. Porro Alexandrum recepit Ierosolymitana Ecclesia & Antiochia, præterea omnis Francia, Anglia, Hispania, Dania & omnia regna, quæ sunt ubique terrarum; insuper Cistertiensis Ordo, qui eidem universus accesserat, in quo sunt Archiepiscopi & Episcopi quam plures & Abbates amplius quam DCC. ac Monachorum inæstimabilis numerus. Quamobrem iratus Cæsar proposuit Edictum, ut omnes Monachi Cistertiensis Ordinis, qui in suo consisterent Regno, aut Victori se subscriberent, aut Regno pellerentur. Qua sententia divulgata, difficile est dicere, quot patres, quanti Monachorum greges, relictis sedibus suis, in Franciam transfugerint. Pontifices etiam plures sanctitate insignes in Lombardia & in universo Regno Principis violentia sedibus suis pulsi sunt, & alii in locum eorum substituti. Cum autem Dux Saxoniæ Henricus cum Frederico Imperatore ultra annum in expugnatione urbis Mediolanensis laborasset, accepta licentia a Cæsare, reversus est in Saxoniam. Slavi vero de Aldenburg & Mykelenburg compotes sui propter absentiam Principum violaverunt pacem in terra Danorum, fuitque terra Nordalbingorum in tremore a facie Regis Danorum. At Geroldus Episcopus tum per se tum per nuncios iram Regis mitigare studuit, induciis tempus redimens usque ad Ducis adventum. Redeunte ergo Duce & Comite, præfixum est colloquium provinciale omnibus Marchomannis, Teuthonicis & Slavis in loco, qui dicitur Berenworde. Rex quoque Woldemarus venit usque Ertheneburg, & conquestus est Duci omnia mala, quæ intulerant sibi Slavi, prævaricatores mandati publici. Et timuerunt Slavi venire in præsentiam Ducis, eo quod culpæ suæ essent conscii. Et dedit eos Dux in proscriptionem, & fecit omnes suos paratos esse ad expeditionem. Tunc Nyclotus videns animum Ducis contra se fixum in malum, proposuit primum irrumpere Lubeke, & misit illuc filios suos cum insidiis. Eo autem tempore habitavit Lubekæ Sacerdos quidam venerabilis nomine Atthelo, cujus domus vicina erat ponti, qui pertransivit flumen Wokenize versus austrum. Is forte parari fecerat fossam longissimam ad conducendum rivum, qui longiusculé. Insidiæ ergo Slavorum festinantes, ut præriperent pontem, impeditæ sunt fossa, passique sunt errorem in quærendo transitu. Quos videntes hi qui erant de domo Sacerdotis, clamaverunt voce valida, & conterritus Sacerdos occurrit velociter ex adverso. Exercitus enim jam erat in pontis medio, & portam pene apprehenderat. Sed celerrime missus a Deo Sacerdos, pontem de catena levavit,

Digitized by Google

vit, & ſic inimicos excluſit. Quo audito, Dux illic poſuit cuſtodiam militum. Extunc intravit Dux terram Slavorum in manu valida, & vaſtavit eam igne & gladio. Et videns Nyclotus virtutem Ducis, ſuccendit omnia caſtra ſua, puta Ylowe, Mikelenborg, Zwerin & Dobin, præcavens per hoc obſidionis periculum, & unum ſolum caſtrum ſibi retinuit ſcil. Würsle ſitum prope flumen Warnowe juxta terram Kicinæ. Ibi exibant per ſingulos dies, & explorabant exercitum Ducis, & percutiebant de inſidiis incautos. Una ergo dierum dum exercitus moraretur juxta Mykelenburg, egreſſi ſunt ad nocendum filii Nycloti Pribizlaus & Wirtizlaus, & percuſſerunt quosdam de caſtris, qui exierant ad frumentandum. Quos inſecuti fortiores de exercitu, comprehenderunt multos eorum, fecitque Dux eos ſuſpendio affici. Filii autem Nycloti, amiſſis equis & viris melioribus, venerunt ad patrem. Quibus ille dixit: Æſtimabam, me viros enutriſſe, ſed vos mulieribus fugaciores eſtis. Egrediar ergo ipſemet, & experiar, ſi forte majora promovere poſſim. Et exiit cum electorum numero, & collocavit inſidias in latibulis prope exercitum. Tunc exiere pueri de caſtris ad quærendum pabulum, & venerunt prope inſidias. Porro milites venerunt intermixti ſervis fere LX. omnes induti loricis ſub veſte intrinſecus. Quod non advertens Nyclotus, equo velociſſimo perlatus eſt inter eos, conatus quendam transfigere. Sed lancea pertingens ad loricam, caſſo ictu reſiliit. Volens ergo ad ſuos reverti, circumventus ſubito atque trucidatus eſt, nemine ſuorum ſibi præſidium ferente. Caput vero ejus præciſum in caſtra perlatum eſt non ſine admiratione multorum, quod tantus vir, tradente Deo, de omnibus ſuis ſolus ceciderit. Tunc filii ejus, audita morte patris, ſuccenderunt Würsle caſtrum, & occultaverunt ſe in nemoribus, familias vero ſuas tranſtulerunt ad naves. Dux ergo demolitus omnem terram, cœpit reædificare Zwerin, & communire caſtrum, & poſuit illic Nobilem quendam Guntzelinum virum bellicoſum cum militia. Poſt hoc redierunt filii Nycloti in gratiam Ducis, & dedit eis Dux Würsle & omnem terram. Porro terram Obotritorum diviſit militibus ſuis poſſidendam, & collocavit in caſtro Cuſſin Ludolfum quendam Advocatum de Bruneswic. Apud Mylicon fecit eſſe Ludolfum de Peyna, Swerin vero & Ylow Guntzelino commendavit, faciens ipſum Comitem in Zwerin. Porro Mykelenburg dedit cuidam Nobili nomine Henrico de Schaten, qui etiam de Flandria adduxit multitudinem populorum, & collocavit eos in Mikelenburg & in omnibus terminis ejus. Et poſuit Dux Epiſcopum in terra Obotritorum Dominum Bernonem, qui defuncto Emehardo, Magnopolitanæ præſedit Eccleſiæ. Porro Magnopolis ipſa eſt Mykelenburg, & ſcripſit in dotem Magnopolitanæ Eccleſiæ CCC. manſos, ſicut antea fecerat Ratzeburgenſi & Aldenburgenſi. Et facta poſtulatione, obtinuit apud Cæſarem autoritatem ſuſcitandi Epiſcopatus, & dandi ac confirmandi in omni terra Slavorum, quam vel ipſe vel progenitores ſui ſubjugaverunt clypeo ſuo & jure belli. Quamobrem vocavit Dominum Geroldum Epiſcopum Aldenburgenſem, Dominum Evermodum Ratzeburgenſem, Dominum Bernonem ſive Brunonem Magnopolenſem, ut reciperent ab eo dignitates ſuas, & applicarentur ei per hominii exhibitionem, ſicut mos eſt fieri Imperatori. Qui licet hanc impoſitionem difficillimam judicarent, ceſſerunt tamen propter eum, qui ſe humiliavit propter nos, & ne novellæ plantationes caperent detrimentum. Et dedit eis Dux privilegia de poſſeſſionibus & reditibus & de juſtitiis. Et præcepit Dux Slavis, qui remanſerant in terra Wagirorum, Polaborum, Obotritorum & Kicinorum, ut ſolverent reditus Epiſcopales, qui ſolvuntur apud Polonos & Pomeranos, hoc eſt de quolibet aratro tres modios ſiliginis, & XII. nummos monetæ publicæ. Et auctæ ſunt decimationes in terra Slavorum, eo quod confluerent de terris ſuis homines Teuthonici ad incolendam terram ſpatioſam, fertilem frumentorum & commodam paſcuorum ubertate, abundantemque piſce, carne & omnibus bonis. Eodem tempore orientalem Slaviam tenebat Adelbertus Marchio, cui cognomen Urſus, qui etiam ampliſſime proſperatus eſt in funiculo ſortis ſuæ. Omnem enim terram Brizanorum, Stoderanorum, multarumque gentium habitantium juxta Abilam & Albiam miſit ſub jugum ſuum, & domavit rebelles eorum. Filii Nycloti Pribizlaus & Wirtizlaus non contenti terra Kicinorum & Circipanorum aſpirabant ad recuperandam terram Obotritorum, quam Dux eis abſtulerat jure belli. Quorum inſidiis recognitis Guntzelinus Comes de Zwerin & Præfectus terræ Obotritorum intimavit Duci. At ille rurſus poſuit eos in iram & indignationem, & venit cum exercitu gravi in terram Slavorum hyemali tempore. Porro illi conſederunt in urbe Würle, & munierunt caſtrum contra obſidionis impetus. Et præmiſit Dux Guntzelinum & fortiſſimum quemque, ut præoccuparent obſidionem, ne forte elaberentur Slavi. Ipſe vero quantocius profecutus eſt cum reliquo exercitu, & obſeſſa eſt munitio, in qua fuit Wirtizlaus filius Nycloti & multi Nobilium, inſuper vulgus promiſcuum multum valde. Et Pribizlaus ſenior natu cum numero equitum tranſierat in abdita nemorum, percuſſurus de inſidiis incautos. Et gaviſus eſt Dux gaudio, eo quod Slavi obfirmatis animis exſpectaverint eum in munitione, & præbita ſit ei facultas obtinendi eos. Et dixit ad juniores de exercitu, quos prœliandi ſtulta cupido incitabat hoſtem provocare: Quare, quod ſupervacuum eſt, acceditis ad portas urbis, & ſtruitis pericula vobiſmet ipſis? Fruſtratorii ſunt hujusmodi congreſſus & ruinoſi, ſed potius conſiſtite in tabernaculis veſtris, ubi non jaculari ſagittis hoſtium poſſitis, & habete cuſtodiam obſidionis, nequis elabatur. Noſtri vero ſtudii erit, ut ſine tumultu & ſine ſtrage per Dei gratiam urbe potiamur. Et ſtatim præcepit ex

Digitized by Google

ex abundanti nemore ligna conduci, atque aptari bellica instrumenta, qualia viderat facta in Lombardia, fecitque machinas efficacissimas, unam tabulatis compactam ad perfringendos muros, alteram vero excelsiorem & in modum turris erectam & super exaltatam castro, ad dirigendas sagittas, & ad abigendos eos, qui stabant in propugnaculis. A die, qua erecta est fabrica, nemo Slavorum ausus est proferre caput, aut apparere de propugnaculis. Eo tempore Wirtizlaus graviter vulneratus est sagitta. Quadam vero die perlatum est ad Ducem, quod Pribizlaus cum turma equitum apparuerit non longe a castris. Ad quem requirendum transmisit Adolfum Comitem cum electa juvenum manu. Qui tota die paludes & nemora oberrantes transierunt, sed neminem invenerunt, delusi a ductore, qui majorem hosti quam Duci favorem accommodaverat. Præcepit autem Dux pabulatoribus, ne quoquam exirent eo die, ne forte hostem inciderent. At Holtzatorum quidam fuerunt ita cervicosi, ut non curarent de mandato, sed egressi sunt ad frumentandum. Quibus superveniens Pribizlaus, & super incautos irruens, prostravit ex eis ad centum viros. Reliqui vero fugerunt in castra. Quapropter Dux ira acrius motus, ferventius urgebat obsidionem. Jamque munimenta castri cœperunt trepidare. Tunc Wirtizlaus omni spe deposita, accepto conductu venit ad castra ad Comitem Adolfum, ut acciperet ab eo consilium. Cui respondit Comes: Sera quidem medicinæ consultatio est, quando æger desperatus est. Pericula nunc imminentia debuissent ante fuisse prævisa. Quis quæso tibi consilium dedit, ut obsidionis periculum incurreres? Magnæ fuit amentiæ ponere in nervo pedem, ubi non sit diverticulum vel nulla evasionis facultas. Nil ergo nisi deditio: siquid potest esse, salutis potest esse compendium. Et ait Wirtizlaus: Fac pro nobis verbum apud Ducem, ut sine periculo vitæ & membrorum damno admittamur deditioni. Tunc Comes perrexit ad Ducem, & alloquens eos, in quibus pendebant consilia, manifestavit eis negotium. At illi tentata voluntate Principis, dederunt manus, ut quicunque Slavorum se daret in potestatem Ducis, membris & vita potiretur, sub ea tamen conditione, ut & Pribizlaus ab armis discederet. Tunc conductu clarissimi Comitis exierunt de munitione Wirtizlaus & omnes Nobiles Slavorum, & venerunt ad pedes Ducis. Et suscepit eos Dux, & reclusit in custodia. Præcepit ergo Dux, ut quicunque Danorum captivi haberentur in castro, potirentur libertate. Et exiit multitudo maxima, imprecantes Duci fortissimo bona pro sua ereptione. Porro castrum & vulgus ignobile fecit servari, & præposuit eis Ludemarum quendam veteranum fratrem Nycloti, ut præesset terræ, & faceret ea, quæ subjectos decent. Wirtizlaum vero Slavorum Regulum duxit secum in Brunswic, & astrinxit eum manicis ferreis. Cæteros vero Nobiles dispertivit per custodias, quousque solverent novissimum quadrantem. His ita gestis, humiliatæ sunt vires Slavorum, & recognoverunt, quod leo fortissimus bestiarum ad nullius pavebit occursum. Pribizlaus ergo, qui erat senior natu & acris ingenii, cupiens fratri captivo subvenire, cœpit per nunciorum manus attentare Principis animum, & rogare ea, quæ pacis sunt. Cumque Dux requireret obsides, ut firma esset sponsionum fides, ait Pribizlaus: Quid opus est Domino meo, ut a servo suo requirat obsides? Nonne fratrem meum & omnes Nobiles Slavorum tenet in custodia? Teneat eos loco obsidum: abutatur eis, ut libuerit, si temeraverimus fidem. Dum hæc per nuncios agerentur, & daretur Pribizlao spes amicitiæ, aliquantulum temporis fluxit sine bello, fuitque pax in Slavia a mense Martio usque ad Kalendas Februarii, & omnia castra Ducis erant illæsa, puta Malchowe, Cusin, Zwerin, Ylowe, Mikelenborg & Würle. Fredericus Imperator, secundum Egghardum, divisit Austriam a Ducatu Bavariæ, & fecit de Austria specialem Ducatum, & dedit illum Henrico patruo suo. Ducatum vero Bayoariæ sive Bavariæ dedit Henrico Leoni Duci Saxoniæ, eo quod in Romana expeditione se virilem & fidelem Cæsari ostendisset. Hic Fredericus destinavit Reynaldum Archiepiscopum Coloniensem & Christianum Archiepiscopum Moguntinum cum magno exercitu Romam, ut Alexandrum urbe pellerent Papam. Romani vero comperto introitu dictorum Episcoporum, exierunt cum grandi exercitu pugnaturi pro Alexandro Papa, sed Archiepiscopi cum suis victoriam obtinentes, percusserunt de Romanis circiter XIIM. Quod audiens Papa, clanculo de Roma recessit, & Spoletum intravit. Archiepiscopo vero, ut Papam percepissent fugisse, eodem itinere ipsum insequentes, Spoletum obsederunt, & expugnationi operam dederunt. Papa vero non confidens de viribus urbis, assumsit habitum incognitum, & clam recedens, ad Regem Franciæ viam suam direxit. Audiens autem Imperator, Regem Francorum non curare literas, quas sibi & universis Imperii Principibus miserat, prohibens, ne quis Principum Alexandrum recipere præsumeret, congregata maxima armorum multitudine, auxilio fultus Regis Danorum & Ducis Bohemorum, venit in Burgundiam. Sed Rege Angliæ & Comite Flandrensi auxilium ferentibus Regi Francorum, Imperator nihil profecit. Videns autem Fredericus, Lodowicum Regem Franciæ magnanimum & quasi parvipendentem Majestatem Imperialem, misit de novo ei literas, invitans ipsum ad colloquium familiare in Leonam urbem juxta Araram fluvium terræ Burgundionum sitam: & annuit Rex. Præterea misit Imperator ad Regem Ungariæ & cæteros Principes totius Imperii, & ad Archiepiscopos & Episcopos Regni sui, ut venirent ad locum statutum. Grandis igitur exspectatio universorum Principum ad tam celebrem curiam, quo uterque Papa & tanti Reges terrarum conventuri ferebantur. Tunc abierunt simul Woldemarus Rex cum Episcopis Daniæ, Hartwicus Archiepiscopus Bremensis,

Digitized by Google

ſis, Geroldus Epiſcopus Lubicenſis, & Adolfus Comes Nordalbingorum cum multis Saxoniæ Nobilibus ad præfixum colloquium. Henricus vero Dux Saxoniæ in Bavaria conſtitutus per aliam viam venerat. Lodowicus ergo Rex Franciæ, cujus præcipue exſpectabatur adventus, ut intellexit, Cæſarem appropiare cum exercitu & armis multis, dubitavit occurrere illi. Sed propter fidem ſacramentorum venit ad locum placiti die conſtituto, qui fuit dies Decollationis B. Johannis Baptiſtæ, & exhibuit ſe in pontis medio ab hora tertia usque ad horam IX. Porro Cæſar nondum venerat. Quod Rex Franciæ accipiens pro omine, lavit manus ſuas in flumine in teſtimonium, quaſi qui fidem pollicitam reddiderit, & digrediens inde, abiit ipſo veſpere Dunonam. Veniens ergo noctu Cæſar, intellexit, Regem Franciæ diſceſſiſſe, & miſit honorabiles perſonas denuo accerſere eum. Sed ille nulla ratione vacare potuit, gratulans Deo, ſe & fidem ſolviſſe, & ſuſpectam Cæſaris manum evaſiſſe. Ferebatur enim a multis, quod Cæſar ipſum circumvenire decreverit, & propter hoc contra pactionum tenorem armatus advenerit. Sed ars arte deluſa eſt. Francigenæ enim ingenio alacriores, quod armis & viribus impoſſibile videbatur, conſilio evicerunt. Tunc Cæſar vehementer iratus & irritatus ſeceſſit a curia, intentans Francigenis bellum. Alexander vero Papa confortatus ab illo tempore magis invaluit. Henricus autem Dux Saxoniæ & Bavariæ declinavit in Bavariam, & compoſitis illic rebus reverſus eſt in Saxoniam.

Octavo anno Frederici, qui eſt Domini MCLXII. Henricus Leo Dux Saxoniæ & Bavariæ, ſecundum Chronicam Saxonum, dedit urbi Lubeke perpetuo omnes villas circumjacentes eam, & omnes manſos cultos & incultos, & poſuit telonium & monetam in ea. Statuit etiam duobus diebus in hebdomada fieri forum generale, puta ſecunda & quinta feriis, & per hoc ſtatutum nundinæ annales ſunt ſopitæ, quæ annuatim conſveverant ibi eſſe, prout ſunt adhuc in vicinis civitatibus. Inſuper dedit eisdem civibus autoritatem eligendi viros prudentes & honeſtos in Conſules & Proconſules, qui civitatem regerent. Huc usque enim habuerant ſolos Burgimagiſtros & ſcultetos, prout in opidis conſveverunt eſſe. Ordinavit etiam Henricus Dux, ut quolibet anno fiat tribus vicibus publice in foro conventio & ſeſſio judiciaria Advocatorum urbis, in qua ſeſſione Notario locum Principis tenenti Burgimagiſtri in ſignum ſubjectionis ſe humiliter præſentare teneantur, & ab eo recipere judiciariæ poteſtatis autoritatem. Et illa ſeſſio ſeu conventio vulgariter Vogheding nominatur, & obſervatur in præſenti tempore. Geroldus Lubicenſis Epiſcopus poſt celebres Paſchæ ferias cœpit infirmari, & lecto decubuit usque in Kalend. Julii ſecundum Helmoldum. Oravit autem Dominum, ut differretur ei vita, quousque dedicaretur Oratorium Lubicenſe, & Clerus recenter adunatus convaleſceret in ſtatu ſuo. Nec mora, adjutus divinitus aliquantulum convaleſcere cœpit. Adiit ergo Ducem in opidum Staden, & contulit cum eo de commodis Lubicenſis Eccleſiæ. Cujus verbis Dux condelectatus monuit, ut quantocius rediret Lubeke, paraturus ea, quæ dedicationi oportuna erant. Et rogavit Dux Archiepiſcopum, ut concurreret ſecum ad conſummationem officii. Cujus petitioni acquieſcens Hartwicus Archiepiſcopus, aggreſſus eſt iter in Wagirenſem terram, & in tranſitu dedicavit Falderenſem Eccleſiam, quam ſanctæ memoriæ Vicelinus Aldenburgenſis Epiſcopus & fundaſſe & poſſediſſe dinoſcitur. Et fecit Archiepiſcopus Præpoſito illi & Fratribus multa bona, præcepitque ut locus ille de cætero Novum Monaſterium vocaretur. Antea enim Faldera vel Wippendorp vocabatur, nunc vero Bardesholm eſt nuncupatus. Fuit autem illius loci Præpoſitus Hermannus, qui olim Lubeke ſub barbarica tempeſtate multos pertulerat labores, ſociatus in prædicatione Evangelii Domino Ludolfo Sigisburgenſi Præpoſito & Brunoni Aldenburgenſi Presbytero. Hic ergo Hermannus ſucceſſerat in procurationem Novi Monaſterii venerabili viro Epponi, cujus ſanctitas inſignis ab omnibus cum pietate recolitur. Perfecta igitur dedicatione Novi Monaſterii, tranſiit Dominus Archiepiſcopus Sigeberg, & ibi uſus eſt diverſorio Comitis Adolfi. Poſt hoc venit Lubeke, & ſuſceperunt eum Dux & Epiſcopus cum magna gloria, & aggreſſi ſunt opus dedicationis. Et obtulerunt ſinguli voluntaria cordis ſui munera, Henricus Dux, Geroldus Epiſcopus & Adolfus Comes, dederuntque prædia & reditus ac decimationes in ſubſidia Cleri. His rite peractis, reverſus eſt Archiepiſcopus in locum ſuum. Interim ſentiens Geroldus Epiſcopus dilatos Dei munere ad tempus dolores rurſus invaleſcere, ſtatuit viſitare omnes Eccleſias ſuæ Diœceſis, a nullo quærens ſtipem, ne cui eſſet oneroſus. Paternam quoque gerens ſolicitudinem, filiis ſuis abundanter erogavit monita ſalutis. Forum etiam Plunenſe, quod ſingulis Dominicis diebus frequentabatur a Slavis & Saxonibus, in verbo Domini prohibuit, eo quod populus Chriſtianus, deſerto cultu Eccleſiæ & Miſſarum ſolenniis, mercationibus tantum operam daret. Perluſtrata ergo omni parochia ſua, Epiſcopus noviſſime venit Luttikenburg conſolari manentes illic, expletisque divinis myſteriis, viribus corporis cœpit repente deſtitui, perlatusque Boſoe, multis diebus lecto decubuit, nunquam tamen Miſſarum ſolenniis usque ad diem obitus ſui defuit. Audita ergo boni Paſtoris ægritudine, venerunt ad eum venerabiles viri, Odo Lubicenſis Eccleſiæ Vicarius & Ludolfus Præpoſitus Sigibergenſis cum fratribus utriusque congregationis. Cumque Fratres tandem conſummationis ſuæ finem imminere viderent, impenderunt ei ſacræ unctionis officium. Sicque Sacramentis ſalutaribus communitus, illuceſcente die carnis ſarcinam depoſuit. Corpus autem ejus traditum eſt ſepulturæ honeſtæ in medio Baſilicæ, quam ipſe fundaverat; cui Conradus ſucceſſit in ſedem Epiſcopatus, de Monaſterio

Digitized by Google

sterio Redingenhusen assumtus, in quo Abbas extiterat. Henricus Leo Dux Bavariæ & Saxoniæ rebus ad nutum ordinatis in Bayoaria, ad quam post completam dedicationem Lubicensis Ecclesiæ transierat, secundum Helmoldum, reversus est in Saxoniam, & accersito Clero Lubicensi dedit eis Pontificem Dominum Conradum Abbatem de Reddegenshusen, germanum Domini Geroldi defuncti nuper Lubicensis Episcopi. Quod licet Hartwico Archiepiscopo & omnibus pene Lubicensibus esset contrarium, prævaluit tamen Ducis voluntas, cui refragari formidolosum erat. Recepit autem sacrum Ordinem per manus Hartwici Archiepiscopi in urbe Stadensi. His diebus Wirtizlaus Nycloti filius, qui in vinculis Ducis tenebatur in Brunswic, mandavit Pribizlao fratri suo per nuncium, dicens: En ego teneor vinculis æternis inclusus, & tu negligenter erga me agis. Evigila ergo mi frater, & viriliter age, & quod pace non potes, armis extorque. Nonne recogitas, quod pater noster Nyclotus cum Luneburg teneretur in custodia, neque prece neque pecunia redimi potuit? Postquam autem virtutis instinctu arripuimus arma, & fecimus incendia & exterminia urbium, nonne dimissus est? His auditis, Pribizlaus collegit latenter exercitum, & venit improvisus Mykelenburg. Henricus autem de Schaten præfectus castri tunc defuit, & populus, qui erat in castro, fuit sine Principe. Accedens ergo Pribizlaus ait ad viros, qui erant in munitione: Magna, o viri, tam mihi quam genti meæ illata est violentia, qui expulsi sumus de terra nativitatis nostræ, & privati sumus hæreditate patrum nostrorum. Vos quoque injuriam hanc cumulastis, qui invasistis terminos nostros, & possedistis urbes & vicos, qui nobis debentur hæreditaria successione. Ponimus ergo vobis optionem vitæ & mortis. Si volueritis aperire nobis munitionem, & reddere terram nobis debitam, deducemus vos pacifice cum uxoribus & filiis & universa supellectili. Siquis autem Slavorum quippiam abstulerit eorum, quæ ad vos pertinent, ego in duplo restituam. Quodsi nolueritis egredi, sed urbem hanc pertinaciter defendere, juro vobis, quodsi faverit nobis Deus de victoria, omnes vos occidam in ore gladii. Ad hæc verba Flamingi jacula direxerunt, & vulnera infligere cœperunt. Slavorum ergo exercitus viris & armis potentior, vehementi pugna irrupit munitionem, & occiderunt omne masculinum in ea, nec reliquerunt de populo advenarum vel unum. Uxores vero & parvulos duxerunt in captivitatem, & succenderunt castrum igne. Post hæc converterunt faciem suam ad castrum Ylowe, ut destruerent illud. Porro Guntzelinus Præfectus terræ Obotritorum, audiens per exploratorum manus, exiisse Slavos, præierat cum paucis militibus Ylowe, ut fieret urbi præsidio. Vastata ergo Mikelenburg, Pribizlaus antecessit exercitum cum fortissimis, ut præoccuparet obsidionem, nequis forte effugeret. Quod audiens Guntzelinus, dixit ad suos: Exeamus velociter, & pugnemus cum eo, priusquam veniat reliquus exercitus. Lassi enim sunt de pugna & strage, quam fecerunt hodie. Et responderunt ei fideles sui: Non est nobis cautum egredi. Statim enim, ut exierimus, Slavi, qui sunt intra urbem hanc, & videntur stare nobiscum, claudent portas urbis post nos, & nos erimus exclusi, urbsque cedet in manus Slavorum. Et displicuit verbum hoc in oculis Guntzelini & virorum ejus. Convocans ergo omnes Teuthonicos, qui erant in urbe, dixit ad eos in audientia Slavorum, qui fuerant in urbe, de quibus fuerat traditionis timor: Relatum est mihi, quod Slavi, qui nobiscum sunt intra portas urbis, juraverint Pribizlao, ut tradant & nos & urbem. Audite ergo, o viri compatriotæ, qui destinati estis in mortem & exterminium, statim ut videritis perfidiam, objicite vos portis, & mittite ignem in mœnia urbis, & exurite perfidos hos cum mulieribus & parvulis. Moriantur una nobiscum, nec fiat aliquis ex eis superstes, ut non glorientur de interitu nostro. His auditis, exterriti sunt animi Slavorum, nec ausi sunt aggredi, quod animo conceperant. Vespere autem facto, venit universus exercitus Slavorum ante castrum Ylowe, & allocutus est Pribizlaus Slavos, qui erant in eo, dicens: Notum est omnibus vobis, fratres, quantæ calamitates & pressuræ apprehenderint gentem nostram propter violentam Ducis potentiam, quam exercuit in nos, & tulit nobis hæreditatem patrum nostrorum, & collocavit in omnibus terminis ejus advenas, puta Flamingos & Hollandrinos, Saxones & Westphalos atque nationes diversas. Hanc injuriam zelatus est pater meus usque ad mortem. Frater quoque meus ob hoc ipsum vinculis tenetur æternis inclusus, & nemo remansit, qui cogitet bonum genti nostræ, aut velit suscitare ruinas ejus, nisi ego solus. Revertimini ergo ad cor, o viri reliquiarum Slavici generis, & resumite audaciam, & tradite mihi urbem hanc, & viros, qui injuste occupaverunt eam, & ulciscar in eos, sicut ultus sum in eos, qui invaserant Mikelenburg, & cœpit eos commonere super promisso. At illi negaverunt timore perterriti. Secesserunt ergo Slavi longe a castro, eo quod ingrueret nox, & castra metanda essent. Advertentes autem Slavi, quod Guntzelinus, & qui cum eo sunt, viri fortes & bellicosi sunt, nec posse munitionem capi sine maxima strage, primo diluculo retrocesserunt ab obsidione, revertentes ad loca sua. Guntzelinus ergo velut torris erutus ab igne, relicta Ylowe & collocata illic Slavorum custodia, transiit Zwerin. Et læti sunt habitatores urbis de insperato adventu ejus. Quinta ergo die, postquam percussa est Mykelenburg, descendit Berno sive Bruno venerabilis Episcopus cum Clericis paucis de Zwerin tumulare interfectos, gestans in collo suo Sacerdotalia indumenta, in quibus sacrificium offerre mos est. Et figens altare in medio interfectorum, obtulit pro eis hostiam salutarem Domino Deo cum luctu & tremore. Quo jam officium peragente, insurrexerunt Slavi de insidiis, ut percuterent Pontificem, & qui cum eo erant. Sed cele-

Digitized by Google

celeriter missus, eos supervenit quidam Richardus de Soltwedele cum militia. Hic autem, eo quod Guntzelinus obsessus erat Ylowe, egressus fuit in auxilium ejus; & iter faciens, casu supervenit Mykelenburg, cum Pontifex cum suis esset jam in mortis articulo. Cujus adventu territi Slavi fugerunt, & salvatus est Episcopus, & explevit opus pietatis, & tumulavit de interfectis ad LXXX. corpora, & post hoc reversus est Zwerin. Statim pariter Pribizlaus rursus collecta manu venit Malchowe, & allocutus est habitatores urbis, dicens: Scio quidem, vos esse viros fortes & nobiles ac obedientes imperio magni Ducis Domini vestri. Volo ergo pervadere ea, quæ vobis sunt utilia. Reddite mihi castrum, quod olim fuit patris mei, & mihi nunc hæreditaria successione debetur, & ego vobis exhiberi faciam conductum usque ad ripas Albiæ. Si quis eorum, quæ ad vos pertinent, quicquam violenter attigerit, ego in duplo restitui faciam. Quod si conditionem hanc optimam inutilem judicaveritis, oportebit me rursum experiri fortunam meam, & congredi vobiscum. Mementote, quid contigerit habitantibus Mykelenburg, qui spreverunt conditiones pacis, & provocaverunt me in suum damnum. Tunc milites custodes præsidii videntes, non esse locum pugnæ, eo quod hostes multi, auxiliatores vero pauci, impetraverunt conductum extra terminos Slaviæ, & Pribizlaus recepit castrum. Audiens ergo Henricus Leo Dux labefactari res in Slavia, contristatus est animo, & misit interim robur militum Zwerin ad custodiendam eam, & præcepit Adolfo Comiti & majoribus de Holtzatia, ut transirent Ylowe, & essent tutamen castri. Post hæc congregavit exercitum grandem, & vocavit cognatum suum Adelbertum Marchionem orientalis Slaviæ, & omnes fortissimos totius Saxoniæ in auxilium, ut redderet Slavis malum, quod fecerant. Sed & Woldemarum Regem Danorum adduxit cum navali exercitu, ut vexaret eos terra marique. Et occurrit Adolfus Comes Duci cum omni Nodalbingorum populo juxta Malchowe. Dux vero, ibi transiit Albiam, & attigit terminos Slavorum, fecit Wirtizlaum Principem Slavorum suspendio interfici prope opidum & castrum Malchowe, eo quod pessundaverit eum frater ejus Pribizlaus, & prævaricatus fuerit promissiones pacis, quas pactus fuerat. Et præcepit Dux Adolfo Comiti per nuncium, dicens: Surge cum Holtzatis & Sturmariis & cum omni populo, qui tecum est, & præcedite Ducem usque in locum, qui dicitur Viruchye. Idem factus est Guntzelinus Præfectus terræ Obotritorum, & Reynoldus Comes Tithmarciæ, & Christianus Comes de Aldenborg, quæ est in Amerland terræ Frisonum. Hi omnes præcedent tecum cum armatorum numero, qui ad ipsos pertinet. Tunc abiit Adolfus Comes cum cæteris Nobilibus, qui secum deputati fuerant juxta mandatum Ducis, & venerunt ad locum, qui dicitur Viruchye, & distat ab urbe Dymyn duobus fere miliaribus, & metati sunt illic castra. Porro Dux & cæteri Principes morati sunt per aliquot dies cum reliquo exercitu & curribus ferentibus victualia in via. Universus vero Slavorum exercitus consederat in urbe Dumyn, fueruntque Principes eorum Kazimar & Bugeslaf Duces Pomeranorum, & cum his Pribizlaus autor rebellionis. Miseruntque nuncios ad Comitem, volentes per eum admitti ad conditiones pacis, & promiserunt tria milia marcarum. Rursum alios mittentes, promiserunt duo millia. Et displicuit verbum hoc Comiti Adolfo, & dixit ad suos: Quid vobis videtur, o viri sapientes, quod heri promiserunt tria millia marcarum, nunc offerunt duo millia. Verbum istud non est quærens pacem, sed provocans ad bellum. Miserunt ergo Slavi noctu speculatores in castra, explorare statum exercitus. Aldenburgensium vero Slavi fuerunt cum Adolfo Comite, sed insidiose. Nam quæcunque gerebantur in exercitu, remandaverunt hostibus per manus exploratorum. Dixerunt ergo Adolfo Comiti Marchardus Senior terræ Holtzatorum & cæteri, qui intellexerunt verbum absconditum: Auditu certissimo comperimus, quod hostes nostri præparent se ad bellum. Sed nostrates segnius ajunt, nec in vigiliis nec in custodiis debitam exhibent diligentiam. Adhibe ergo cautionem populo, eo quod Dux bene præsumat de te. Et dissimulavit Comes cæterique Nobiles, & dixerunt: Pax & securitas: emortua est enim virtus Slavorum. Defecit ergo in exercitu custodia. Moram autem faciente Duce, defecerunt exercitui alimenta, & destinati sunt pueri, qui ire deberent ad exercitum Ducis propter victualia afferenda. Quibus primo diluculo iter aggressis, ecce in ascensu clivi apparuerunt cunei Slavorum cum populo innumerabili tam equitum quam peditum. Quibus visis, retorserunt pedem pueri, & clamore valido dormientem excitaverunt exercitum: alioquin omnes mortem somno copulassent. Tunc viri illustres atque militares Adolfus Comes atque Reynoldus cum paucissimis Holtzatensibus, qui forte somno excitati maturius accurrerant, exceperunt hostes in descensu clivi, & contrita est prima acies ab eis, & percusserunt eos usq; ad interiora stagni. Quos subsecuta secunda Slavorum acies apparuit instar montis, & percussi sunt Adolfus Comes & Reynoldus Comes & fortissimi, quique cum eis ceciderunt. Et obtinuerunt Slavi castra Saxonum, & diripuerunt prædas castrorum. Porro Guntzelinus & Christianus, & cum eis amplius quam CCC. milites conglobati in unum continebant se in latere pugnæ, ignorantes, quid agerent. Formidolosum quippe erat congredi cum hostium agmine, omnibus sociis aut interfectis aut fuga disjectis. Accidit autem, ut cuneus quidam Slavorum veniret ad tabernaculum quoddam, ubi multi erant armigeri & equi plures. Quibus expugnandis cum valentius instarent, armigeri clamaverunt ad dominos suos, quorum globus fuit e vicino: Quid statis o fortissimi milites, & quare non succurritis servis vestris? Rem utique turpissimam agitis. Qui concitati clamore suorum servorum insiluerunt

Digitized by Google

luerunt in hostes, & quasi cœco furore pugnantes liberaverunt servos suos. Deinde castris fortius immersi, difficile dictu est, quantos ictus dederint, aut quantas strages hominum fecerint, donec victrices illas Slavorum acies disjicerent, & reciperent castra, quæ perdiderant. Denique Deus Slavis miscuit spiritum vertiginis, & ceciderunt de manibus optimorum militum. Et audierunt Saxones, qui erant in latibulis, & regressi sunt, & sumta audacia fortiter insuli sunt hostibus, & percusserunt eos attritione magna nimis, & repletus est campus ille acervis mortuorum. Et venit Dux festinanter, ut fieret suis præsidio, & vidit ruinam, quæ facta est in populo suo; & quod mortuus est Adolfus Comes & fortissimi quique, resolutus est in lacrymas multas. Sed dolorem ejus mitigavit copiosior victoria & cædes Slavorum maxima, qui ad IIIM. & quingentos connumerati sunt. Præcepit ergo Dux corpus Adolfi Comitis concidi frustratim, & assum condiri ope pigmentorum, quo posset circumferri, & patriis inferri monumentis. Et impletum est vaticinium, quod cecidit, priusquam paterentur, sæpissime reiterans versum: Igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas. Slavi ergo, qui effugerant manus gladii, venerunt Dumyn, & succenso castro illo potissimo, transierunt ad interiora Pomeraniæ regionis, fugientes a facie Ducis. Sequenti autem die venit Dux cum universo exercitu Dumyn, & reperit castrum exustum, & collocavit illic partem exercitus, ut deponerent vallum, & adæquarent solo, & ut curam exhiberent vulneratis, quibus opus esset, ipse vero cum reliquo exercitu ivit in occursum Woldemari Regis Danorum, & abierunt sociata manu, ut depopularentur latitudinem Pomeraniæ regionis. Quam cum demoliti fuissent, & ex integro Slavos humiliassent, reversi sunt ad sedes proprias cum victoria solenni.

Nono anno Frederici, qui est Domini MCLXIII. Petrus Lombardus Episcopus Parisiensis, secundum Vincentium, obiit, simul finiens Sententias & vitam. Versus:

M. C. sex decies annosque recollige ternos,
Tunc Petrus istius sparsit odore libros.
Addideris si forte decem, quod passio Thomæ.
Pontificis sit ibi, quam cantat Canthua pro me.

Fridericus Imperator Victorem, & Alexandrum Papas Biruncia, vocavit ad judicium Principum, secundum Vincentium, sed Victore comparente, Alexander venire renuit. Propter quod Victor confirmatus est ab Episcopis ibidem præsentibus, & Alexander damnatus ac excommunicatus. Comitiam Holzatorum, Sturmariorum & Wagirorum administrabat Mechtildis relicta Adolfi Comitis a Slavis interfecti, cum filio suo Adolfo adhuc tenello, secundum Chronicam Slavorum, & immutata est facies terræ, eo quod justitia & quies Ecclesiarum, sublato pio patrono, penitus infirmaretur. Propter consurgentes tamen motus bellorum posuit Dux Henricus puero tutorem Henricum quendam de Thuringia natum, avunculum pueri, virum utique otium vitantem, & totum armis deditum. Convocatoque fidelium suorum consilio, Pribizlaum Principem Slavorum, quem multis, ut supra dictum est, prœliis expulerat patria, admisit ad gratiam, & reddidit ei omnem hæreditatem patris sui, terram scilicet Obotritorum, præter Zwerin & attinentia ejus; & fecit Pribizlaus Duci & amicis ejus securitatem fidelitatis, nulla deinceps bellorum tempestate corrumpendam.

Decimo anno Frederici, qui est Domini MCLXIIII. Congregavit Dux exercitum grandem, secundum Helmoldum, & intravit orientalem Saxoniam, ut pugnaret cum inimicis suis in medio terræ ipsius. Et viderunt, quod venit cum manu forti, timuerunt occurrere illi. Et fecit plagam magnam in terra illa, & vastavit eam incendiis & deprædationibus, & pervagatus est terram usque ad muros Magdeburg. Deinde convertit exercitum in occidentales partes, ut compesceret tyrannidem Christiani Comitis de Aldenburg, quæ est in Amerland terræ Frisonum. Et improvisus venit Bremam, & recepit eam, & fugit Christianus Comes in abditas Frisiæ paludes, & irripuit Dux Bremam, & deprædatus est eam. Et transfugerunt cives ejus in paludes, eo quod peccassent adversus Ducem, & jurassent Christiano. Et posuit eos Dux in proscriptionem, quousque interventu Archiepiscopi Bremensis Hartwici mille & eo amplius marcis argenti pacem indepti sunt. Christianus autem Comes post paucos dies mortuus est, & sopita sunt mala rebellionis ejus. Hartwicus vero Archiepiscopus decrevit apud se declinare tumultus bellorum, & posuit se in Hammeburg solitarium & quietum, structuris claustralibus & suæ Ecclesiæ commodis intendens, castra tamen sua Vriburg scilicet & Horborg communire studuit, & congessit illic armorum apparatum & escas, quæ sufficerent in menses & annos. Fredericus Imperator denuo Italiam ingressus, secundum Vincentium in Speculo, obsidione magna secundario vallavit Mediolanum cum multis Principibus & Episcopis. Ad cujus obsidionem Henricus Leo Dux Saxoniæ & Bawariæ invitatus ab Imperatore, venit cum exercitu magno, habens in suo comitatu M. & D. milites. Imperatore autem urbem obsidente, cives captam Imperatricem in contemtum Cæsaris super asinam posuerunt, versa facie ad caudam asinæ, & ei caudam asinæ pro freno ad manus tradentes, ad Imperatoris exercitum contumeliose transmiserunt. At ubi cum veniret, de asina illa deponi noluit, nisi prius per Cæsarem videretur sic tractata, licet Nobiles omnes hanc dehonestationem multum ægre ferrent, & eam deponere de asina tentarent, ne Imperator in ejus contumelia nimis confunderetur. Videns autem Cæsar uxorem suam taliter venire, & considerans malitiam civium, ut prudens Princeps dissimulavit pudorem risu quodam formato, & consolabatur Dominam, ad patientiam eam hortando. Ad septennium autem, secundum Egghardum, Cæsaris obsidio duravit, sed tertio obsidionis anno Henri-

Digitized by Google

Henricus Leo, Dux Bayoariæ & Saxoniæ licentiam ab Imperatore petiit repatriandi, favens Mediolanenſibus ob munerum copioſitatem ei per cives oblatorum, ut vulgabatur. Imperator autem ejus receſſu ſatis gravatus, humiliter petivit, ut ſecum perſeveraret, ſed Henricus procaciter negavit. Fredericus vero Imperator coram Duce ſe proſternens, & coronam ante pedes ſuos ponens, ſuppliciter precabatur ipſum, ut maneret, ſed Optimates Henrici Ducis hoc disſvaſerunt, dicentes, quod corona Imperii, quæ venit ad ejus pedes, procul dubio ſuper caput ejus aſcenſura eſſet. Henricus ergo ſuperbus valde, nec Imperatorem levare voluit a terra, nec preces ejus exaudire. Quod ut vidit Imperatrix, ipſum levans ait: Surgite Domine mi Sereniſſime, & memor eſtote caſus iſtius, & memor ſit omnipotens Deus, qui colla ſuperborum humiliat. Ab illo ergo tempore fortuna potentiſſimi Ducis labefactari cœpit, & Imperator ipſum cum omnibus Principibus humiliare cogitavit. Cives vero Mediolanenſes quamdiu poterant Cæſari reſiſtere, laborabant. Sed tandem fame & penuria victualium coacti ſunt ad tradendam urbem in manus Imperatoris. Henricus autem Leo Dux Saxoniæ cum ſuis receſſerat, & Reynaldi Archiepiſcopi provinciam, qui in obſidione cum Cæſare occupatus erat, intraverat ad devaſtandam eam. Fredericus ergo Imperator urbe capta, muros civitatis & turres ejus ſolo æquavit, & cives oneribus graviſſimis caſtigavit. Cum autem omnes interficere diſponeret propter contumeliam uxori ſuæ factam, interventu Principum tali confuſibili obſequio a morte liberati ſunt, ut ſcilicet aſina ad palum fortiter ligata, & cauda ejus ſublevata, quilibet civis in vulvam ejus ficum poneret propria manu, & naſum ſuum ano aſinæ infigens, ficum de vulva aſinæ dentibus ſuis extraheret & devoraret. Quod cum plurimi de nobilioribus facere reculantes trucidarentur, alii furorem Cæſaris formidantes, unus alium prævenire enitens, genua ad poſteriora aſinæ flectebant, & mandatum regium, ut vitam redimerent, exequebantur. Quod quidem deteſtabile obſequium ab hora prima diei usque ad veſperas duravit. Cum autem multa millia hominum & præſertim potiores taliter ficus devoraſſent, Rex miſericordia motus, reliquis parcendum eſſe, per præconem clamari fecit. Omnes tamen ſucceſſive bini & bini coram Imperatore cadentes in terram, miſericordiam ejus implorabant. Concilium magnum Thuronis, ſecundum Wilhelmum, ab Alexandro Papa celebrabatur, in quo coram multis Archiepiſcopis & Epiſcopis excommunicatus eſt Victor Antipapa & Fredericus Cæſar.

Undecimo anno Frederici, qui eſt Domini MCLXV. Richardus de S. Victore, Doctor Pariſienſis Canonicus, ſecundum Vincentium, & Petrus Comeſtor Trecenſis Eccleſiæ Presbyter floruerunt. Hic Petrus ſecundum quosdam compoſuit Hiſtoriam Scholaſticam, & fecit ſequentia metra in honorem Virginis Glorioſæ:

Si fieri poſſet, quod arenæ, pulvis & undæ,
Undarum guttæ, roſæ, gemmæ, lilia, flammæ,
Æthera, Cœlicolæ, nix, grando, ſexus uterque,
Ventorum pennæ, volucrum, pecudum genus omne,
Sylvarum rami, frondes, avium quoque plumæ,
Ros, germen, ſtellæ, piſces, angves & ariſtæ,
Et lapides, montes, convalles terræ, dracones
Lingvæ cuncta forent, minime depromere poſſent,
Quæ ſis vel quanta virgo Regina Maria,
Quæ tua ſit pietas, nec litera neu docet ætas.

Hic poſt ſanam doctrinam & multorum utilium Opuſculorum compilationem obiit Pariſius in Quadrageſima, in cujus Epitaphio taliter ſcribitur:

Petrus eram, quem Petra tegit Doctorque Comeſtor
Nunc comedor: vivens docui, nec ceſſo docere.

Mauritius Pariſienſis Epiſcopus Eccleſiam, cui præerat, funditus conſtruxit, ſecundum Wilhelmum. Hic ob induſtriam & literaturam de infimo ſtatu paupertatis magnæ ad Pontificalem dignitatem provectus eſt. Nam etiam cum eſſet juvenis ſcholaris, & eleemoſynam mendicaret, noluit quamcunque accipere ſtipem ſub pacto tali, ut nunquam fieret Epiſcopus Pariſienſis. Maxima orta eſt tempeſtas XIII. Kal. Martii, ſecundum Egghardum, & aquæ maris involverunt omnes fines Friſiæ, Hollandiæ, Selandiæ ac terram paluſtrem Albiæ & Wiſeræ. Karolus M. de tumba elevatur Aquisgrani a Cæſare Frederico, ſecundum Egghardum, cum magna frequentia Principum & copioſa multitudine Cleri, in hymnis & canticis ſpiritualibus. Hæc tamen elevatio recitatur per alios facta non hoc anno, ſed poſt expugnationem urbis Mediolanenſis, in qua ad ſeptennium ſecundum quosdam, vel ad quinquennium ſecundum alios fuit occupatus.

Duodecimo anno Frederici, qui eſt Domini MCLXVI. Sanctus Thomas Canthuarienſis Archiepiſcopus, ſecundum Wilhelmum, inſtante ſuæ perſecutionis tempeſtate, declinans iras malignantium, ſeceſſit ad Papam Alexandrum, qui tunc in Francia exulabat, & apud eum permanſit diebus multis, in ſanctitate & juſtitia ſerviens Domino. Accidit autem una dierum, cum Apoſtolicus ſederet cum Epiſcopo, & forte ſitiret, dixit puero aſſiſtenti ſibi: Affer mihi aquam de fonte, ut bibam. Erat enim tempore æſtivo & ferventi. Quæ cum allata fuiſſet, dixit Papa Epiſcopo: Benedic frater & bibe. Qui benedixit aquam, & mox converſa eſt in vinum. Et bibens dedit Apoſtolico. Cumque Papa intellexiſſet eſſe vinum, clam vocato puero, dixit ad eum: Quid attuliſti mihi? Qui reſpondit: Aquam Pater Sancte. At ille: Affer mihi adhuc de eadem. Cumque hoc ſecundo factum fuiſſet, iterum dixit Papa ad Epiſcopum Thomam: Benedic ſecundo frater, & bibe. At ille virtutem de ſe exiiſſe ignorans, ſed credens, ex induſtria vinum allatum fuiſſe, bene-

Digitized by Google

benedixit, & iterum in vinum transmutata eſt, bibensque dedit Papæ. Et ille adhuc non credens, ſed putans, errore pueri factum eſſe, tertio clam præcepit afferri aquam. Et guſtavit Papa aquam eſſe, priusquam benediceretur ab Epiſcopo, & iterum benedicta ab eo tertio, facta eſt optimum vinum. Tunc expavit Apoſtolicus, intelligens, ipſum ſanctum virum eſſe, & habuit ipſum poſt hoc in maxima reverentia, locando ipſum ſemper ſupra ſe. Woldemarus Rex Danorum, ſecundum Helmoldum in Chronica Slavorum, collegit exercitum magnum navalem, ut iret in terram Rugianorum ad ſubjugandam eam ſibi. Et juverunt ipſum Kazimar & Buggezlaf Duces Pomeranorum, & Pribizlaus Kyzinorum & Circipanorum Princeps. Proſperatum eſt ergo opus Regis Danorum, & obtinuit terram Rugianorum in manu forti. Et dederunt ei pro ſua redemtione, quicquid Rex imponebat. Et fecit produci ſimulacrum illud antiquiſſimum Swantewird, quod colebatur ab omni natione Slavorum, & miſit funem in collum ejus, & trahi fecit per medium exercitum in oculis Slavorum, & fruſtatim conſciſſum fecit in ignem projici, ac deſtruxit fanum cum omni religione ſua. Et præcepit Rex, ut diſcederent ab erroribus ſuis, & aſſumerent cultum veri Dei, & dedit pecuniam magnam ad ædificandas Eccleſias, & erectæ ſunt XII. Eccleſiæ in terra Rugianorum. Et affuerunt ibi Pontifices, puta Abſolon Roſchildenſis & Bruno Mykelenburgenſis. Hi adjuverunt manus Regis cum omni diligentia, ut perficeretur cultus domus Dei in natione prava & perverſa. De iſtis regionibus & aliis vicinis ſiquis diſcretionem habere voluerit, advertat, quod Slavorum populi ſunt varii, ut ſufficienter exprimitur in Chronicis Slavorum, circumdati mari Balthico ſic dicto, quod in modum balthei longo tractu per Scythicas regiones protenditur usque in Græciam. Dicitur & mare Barbaricum vel Scythicum a gentibus barbaris, quæ ipſum circumſident. Dani ſiquidem & Svedones ſive Sveones ac Normanni ſeptentrionalem ſitum & omnes ejus inſulas continent. Auſtrale vero litus cum ſuis inſulis Slavorum incolunt nationes, quarum ab oriente primo ſunt Ruci ſive Rutheni, deinde Poloni, habentes a ſeptentrione Pruthenos, ab auſtro Bohemos & Moravos vel Carinthos & Sorabos. Poſt Polonos vero verſus occidentem ſequuntur Slavi, qui antiquitus Wandali, nunc autem Wynnuli ſive Wynidi nuncupantur. Harum gentium primi ſunt Pomerani, quorum ſedes protenduntur usque ad flumen magnum Oderam. Eſt autem Odera aqua ditiſſima & fertilis, & oritur in profundisſimo ſaltu Moravorum, qui ſunt ab oriente Bohemiæ, ubi & Albia naſcitur. Albia quidem primo ſuo impetu Bohemos alluit cum Sorabis, medio vero curſu Slavos dirimit a Saxonibus, Odera vero tranſit per medios Wyndorum ſeu Wynnulorum populos, dividens Pomeranos a Wilzis, in cujus oſtio, quo Balthicum mare alluit, in inſula quondam fuit ſita nobiliſſima civitas Vynneta, de qua magna & vix credibilia referuntur. Fuit enim maxima omnium urbium, quas Europa habuit, quam Slavi, Græci & advenæ Saxones pari licentia inhabitabant, & Chriſtianiſmum usque ad urbis excidium non recipientes oberrabant. Cæterum moribus & hoſpitalitate nulla fuit gens honeſtior & benignior, mercibus omnium nationum locuples. Quidam autem Rex Danorum maxima claſſe ſtipatus hanc funditus evertiſſe memoratur, cujus impræſentiarum manifeſta manent veſtigia & reliquiæ. Tribus autem fretis alluitur illa inſula, quorum unum dicunt eſſe viridiſſimi coloris, alterum vero ſubalbi coloris, & tertium motu furibundo perpetuis ſævit tempeſtatibus. Sunt & alii Slavorum populi, qui inter Albiam & Oderam degunt, longoque ſinu ad auſtrum protenduntur, ſicut Heruli & Geveldi, qui habitant prope Hoboldam fluvium, & Lebuzini, ac Welini, Stoderani, & plures alii. Poſt Oderæ inſuper meatum & varios Pomeranorum populos ad occidentalem plagam occurrit Wynnulorum provincia, eorum ſcilicet, qui Tolenſi ſive Redarii dicuntur. Civitas vero eorum vulgatiſſima Rethre ſedes idololatriæ eſt, & Princeps inter eorum Deos Redegaſt nominatur. Civitas hæc LX. habet portas incluſas undique lacu profundiſſimo. Deinde venitur ad Circipanos & Kiripanos, quos a Tolenſis & Redariis ſeparat fluvius Panyn, qui Pena vulgariter dicitur, & civitas Dymine, quæ modo Demyn dicitur, id eſt domina mundi propter adjacens caſtrum fortiſſimum, quondam a Julio Cæſare conſtructum, ſed tandem a Henrico Leone Duce deſtructum. Kiripani vero ſive Kicini & Circipani circa Panym, Tolenſi quoque & Redarii trans Panym habitant. Hi quatuor populi a fortitudine Wilzi ſive Lucici appellantur. Ultra iſtos ſunt Lignones & Warnani. Hos ſequuntur Obotriti, quorum civitas eſt Mikelenburg, & inde Polabi, quorum civitas eſt Ratzeburg. Inde vadit fluvius Wokenitza, & alter Trabena, in quorum medio civitas eſt Lubica, per quam venitur in Wagiram, cujus civitas eſt Aldenburg maritima. Sunt & aliæ maris inſulæ a Slavis incultæ, quarum una Ymbria, quæ in vulgari Vemere dicitur, & oppoſita eſt Wagiris, ita ut poſſit ex ea videri Aldenburg; altera vero longe major contra Wilzos ponitur, quam incolunt Rani ſeu Rugiani. Sunt & aliæ nationes Slavorum, puta Brizanorum & Scobrianorum populi, hi videlicet, qui Havelberg & Brandeburg inhabitant, & e vicino eorum gens Slavorum fertilis omnibus bonis, & habitatores quieti, dicti Lini ſeu Lignones. Hæc de diverſitate Slavicæ gentis dicta pro præſenti ſufficiant.

Tertiodecimo anno Frederici, qui eſt Domini MCLXVII. Multi terræmotus per diverſas mundi partes facti ſunt, ſecundum Vincentium, qui Eccleſias, domus, turres & caſtra ſubverterunt, & innumera millia hominum terra hians deglutivit, ac ruina ædificiorum interemit. Inter cæteros homines, qui tam repentino cadebant excidio, Hermannus quidam Viennenſis, ſed Antiochiæ educatus, cum eſſet in caſtro Curſario, quod eſt de jure Patronatus Eccleſiæ

cleſiæ B. Petri, & videret coruſcationes, fulgura, tonitrua, & quod hiatus terræ ex his duntaxat, qui erant in Eccleſia, plusquam CXL. homines deglutiſſet vivos, & ipſe collotenus jam dilapſus, Beatiſſimam Matrem Domini apud Rothemador patrocinantem invocavit, & preces ſuas mox exauditas perſenſit. Nam cum circumquaque ruentes rugitarent, ipſe licet artaretur a terra & pene ſuffocaretur, auxilio tamen Beatiſſimæ Virginis extractus evaſit vivus. Eodem quoque anno in Sicilia Cathamia (Catana) urbs ante primam horam diei terræmotu ſubvertitur,& Epiſcopus,Clerus Abbasque cum XL. Monachis & omnis populus circiter XVM. morte pereunt repentina.

Quarto decimo anno Frederici, qui eſt Domini MCLXVIII. Henricus Leo de peccatis ſuis Deo dignam proponens agere pœnitentiam, viſitare voluit ſepulcrum Domini, ſecundum Chronicas Saxonum. Aggreſſus ergo iter illud ſalutare, ſumſit in comitivam gratam Conradum Epiſcopum Lubicenſem, qui Geroldo defuncto ſucceſſerat, & prius Abbas in Reddingeshuſen Monaſterio extiterat, Henricum Abbatem Sancti Ægidii in Brunſwic, Bertoldum Abbatem de Luneburg,Pribizlaum Regulum Slavorum, Guntzelinum Comitem de Zwerin,& Sifridum Comitem de Blankenburg, ac alios quamplures. Terræ vero ſuæ tutelam commiſit Domino Wichmanno Archiepiſcopo Magdeburgenſi, & profectus eſt cum magna gloria de Brunſwic poſt octavas Epiphaniæ, & venit cum omni comitatu ſuo Ratisponam, ibique ſolenniter egit diem Purificationis cum Optimatibus terræ, quorum etiam ſolenniores peregrinationis ſuæ fecit ſocios, puta Fredericum Marchionem de Sudbach (Sultzbach,) & Marquardum Marchionem de Stire. Et ſic proceſſit in Regnum orientale ad Henricum Ducem Auſtriæ vitricum ſuum, qui totus feſtivus occurrit ei in caſtro Nuenburg cum maximo Cleri plebisque tripudio, ubi mater ejus Domina Ghertrudis memorabilem ſortita eſt ſepulturam. Inde honorifice duxit eum in civitatem metropolitanam Wene, ubi comparatis navibus, frumento, vino & cæteris neceſſitatibus copioſe onuſtatis, Dux cum ſuis navale iter per devexa Danubii arripuit. Servi vero cum equis via terreſtri perrexerunt, veſpertino tempore venientes ad locum determinatum, ubi naves applicuiſſent. Dominus etiam Epiſcopus Wormatienſis huic itineri ſe ſociavit, non peregrinationis gratia, ſed legatione functus Imperatoris ad Regem Græcorum Manoe (Emanuelem) pro filia ſua filio ejus in matrimonio ſocianda. Dux etiam Auſtriæ Henricus pulcra claſſe proſecutus eſt Ducem Saxoniæ, ducatum ei præbens, & humanitatis neceſſaria abundantiſſime adminiſtrans. Cum magna ergo commoditate ad urbem, quæ Meſeburg dicitur, pervenerunt, ſita in confinio Ungariæ. Ubi legatus Regis Ungarorum Florentius paratus fuit ad recipiendum Henricum Ducem Saxoniæ una cum Henrico Duce Auſtriæ, cujus ſororem Rex habebat. Et ita procedentes cum ſumma tranquillitate applicuerunt ad urbem Graniz munitiſſimam naturaliter. Nam ex uno latere cingitur Danubio, ex alio ambitur alveo profundiſſimo, nomen habens ex eodem alveo Grane dicto. Graniz igitur veniens Henricus Leo Dux, mœſtitia maxima gravatur. Nam ipſa nocte ſui ingreſſus Rex Ungariæ veneno interiit, appotiatus, ut dicebatur, a fratre ſuo, quem de terra ejecerat. Unde gravi afflictione constricti Principes extranei ignorabant, quid agerent. Dux enim Saxoniæ cum ſuis graviter angebatur, eo quod in peregrinatione conſtitutus, tute ulterius progredi non poſſet. Nec minus Dux Auſtriæ torquebatur de tam ſubito Regis interitu, eo quod inteſtatus obiiſſet, & ſororem ſuam viduam prægnantem quaſi exſortem regni ſine hærede reliquiſſet. Conſilio ergo habito, miſſi ſunt ad Archiepiſcopum, qui tunc in civitate Regiis in exequiis erat occupatus, Conradus Epiſcopus Lubicenſis & Henricus Abbas Brunswicenſis, rogantes, quatenus ipſius ordinatione Dux Saxoniæ Henricus Ducem itineris habere potuiſſet. Qui benivolum ſe huic negotio exhibuit, & convocatis Principibus tandem ab eo ordinatum eſt, ut Florentius ſupradictus cum Duce pergeret. Dimiſſus ergo Dux cum ſuis, proſpere navigabat per aliquot dies, & incidit periculum, quod vulgariter Schere dicitur, quod ibi ſcopuli immaniſſimi inſtar montium prominentes, quorum uni caſtellum impoſitum eſt, interceptis aquis meandi facultate ſubtracta, difficillimum illic navigantibus tranſitum fecerunt. Aquæ enim in artum collectæ primo quidem conſurgentes intumeſcunt, & poſtea magno fragore in præceps cadunt. Omnes tamen naves nutu Dei illic illæſæ tranſierunt, ſed ſolus Dux ibi naufragium pertulit. Quod videntes hi, qui in caſtro erant, navicula arrepta, eum ad terram traxerunt. Guntzelinus autem Comes & Jordanus dapifer cum aliis natando evaſerunt. Reſtaurata ergo nave, pervenerunt ad Brandiz urbem Græcorum Regis, ubi deficientibus aquis, naves in ſicco ſteterunt. Ibi enim Danubius ſubterraneo meatu abſorbetur in amnem parviſſimum, & poſt longa terrarum ſpatia turgentibus fluctibus ebulliens in Sowam protrahitur. Relictis ergo navibus, terreſtrem viam ingreſſi, intraverunt nemus illud maximum & notiſſimum, quod Bulgherwald dicitur, ubi multum laboraverunt tam ipſi quam equi eorum, trahentes in plauſtris & carrucis copiam victualium. Cumque creberrime plauſtra contererentur, & omnes labore nimio deficerent in reficiendis & ſublevandis curribus, & proceſſum nullum haberent, eo quod dictum fuiſſet,ut confracta una carruca omnes ſubſiſterent, quousque ea reparata, omnes procederent, animadvertens Dux, quod ob tædium tanti laboris nimiam facerent moram progrediendi, præcepit, ut relictis plauſtris victualia jumentis imponerent, & ſic abirent. Videns ergo immenſos acervos farinæ puriſſimæ projectos, vaſa vinaria plurima & vino plena relicta& quicquid accuratius ſibi quisquam præcaverat diverſis condimentis, miratus eſt

Digitized by Google

est eorum curiositatem pariter & detestatus. Procedentes ergo appropiabant urbi, quæ Ravenelle dicitur, quæ in nemoris medio sita est, cujus habitatores Servi dicuntur & filii Belial, sine jugo Dei illecebris carnis & gulæ dediti, & secundum nomen suum omnibus immunditiis servientes, ac juxta locorum qualitatem bestialiter vivendo, belluis etiam grossiores, subjecti tamen noscuntur Regi Græcorum. Cujus legatum Ducem Henricum præveniens in urbem, quam Rex Græcorum sibi concesserat, præcepit civibus, ut Ducem Saxoniæ honorifice in urbem reciperent, & in omnibus necessariis ei sufficienter subvenirent. Qui ejus præcepta contemnentes, dimiserunt eum vacuum, & sine honore abjecerunt. Qui reversus ad Ducem renunciavit ei, quod audierat. Et venit Dux cum suis prope urbem, & ibi castra metatus est, & iterum misso nuncio, mandat, se pacifice venire, rogans, ut conductorem ab eis recipiat, & sic in pace discedat. Cumque hoc sæpius attentatum fuisset, & nihil profecissent, Dux ait ad suos: Justum quidem est, ut in peregrinatione positi cum omni pace & mansvetudine incedamus, & ideo cum signis bellicis ad urbem Regis procedere non debuimus. Sed quia isti filii Belial, quæ pacis sunt, non sectantes, bellum nobis intentare videntur: levate signa, & procedamus. Deus patrum nostrorum nobiscum sit, pro cujus nomine peregrinamur, & ejus præcepta secuti, domos & fratres, uxores & filios ac agros reliquimus. Hic viribus utendum est. Pugnemus fortiter. Quicquid ipsi placuerit, fiat, quia sive vivimus sive morimur, Domini semper sumus. His dictis, levantes signa, profecti præterierunt urbem, nec longe castra metati sunt in valle longissima super rivum pellucidum, habentes a dextris montana, a sinistris vero rubum densissimum. Hoc ergo muniti præsidio, incenderunt ignes maximos, & ordinatis excubiis per castra curam corporum suorum habuerunt, & dormitaverunt. Tunc ecce in media nocte filii Belial in unum ex omni nemore conglobati, fecerunt quatuor turmas, & per vices in quatuor partibus ululantes, invalescebant maximis clamoribus, volentes sic terrere exercitum Ducis, ut fugientes bona sua projicerent, & illi prædam eorum raperent. Dux autem consurgens cum suis ad arma convolabat, & circuibat Henricus Marschalcus, cogens omnes milites ad vexillum Ducis convenire. Famuli etiam suorum ex una parte sub custodia equos servabant, quibus præceptum erat, ut, si priores insultum hostium excepissent, sine mora militibus nunciarent, ut præsidio eis fierent. Fuit autem numerus virorum educentium gladium ducenta milia. Cumque, ut dictum est, milites omnes ad Ducem venirent, ascenderunt ad eum Conradus Episcopus & Abbates Henricus & Bertoldus, & sedebant juxta Ducem. Duce autem sedente in armis, accensus est clibanus ingens, & stabant ante eum Guntzelinus Comes & quique robustiores mutuis se exhortationibus confortantes; & subito prodiit sagitta, & cecidit prope eos. Unde exterriti, celerius arma arripuerunt. Statim autem venit nuncius, qui dixit, quod castra Wormatiensis Episcopi essent occupata ab hostibus, & unus militum interfectus esset sagitta, ac duo alii servi, quorum unus usque ad medium diem supervixit, & mortuus est. Tela namque habent intoxicata, & quicquid vulneraverint, mortem evadere non potest. Audito ergo tam tristi nuncio, subito missi sunt ad castra Episcopi, XX. milites loricati, qui venientes hostes fortiter cædendo premebant. Unus vero militum balista sua feriens, nutu Dei e regione percussit Ducem eorum, & transfodit illum. Quo mox cadente, alii fugam inierunt, & non adjecerunt ultra impetere castra Ducis. Facto autem mane, orta est nebula densissima, & præcepit Dux, ne castra moverent, donec deficeret nebula. Cum vero sol incaluisset, profecti sunt, & viderunt eminus hostes tota die insidiantes, si aliquem ex eis rapere potuissent. Et sic illæsi transito nemore, venerunt ad urbem Niceam. Ubi Dux honorifice susceptus est, & lautissime ministratum est ei & omnibus de impensa Regia. Inde vero deductus est Andernopolim (Adrianopolim), deinde Junopolim, & ita profecti in Parasceve venerunt circa Constantinopolim, ibique celebrantes Dominicam Passionem & Sabbathum sanctum, mane in die Resurrectionis Dominicæ peractis solenniter mysteriis & prandio facto, ascenderunt curiam Regis. Præmiserat autem Dux munera multa & pretiosa juxta morem terræ nostræ, puta equos pulcerrimos sellatos & vestitos, loricas, gladios, vestes de scarleto, & vestes lineas tenuissimas. Rex autem indutus ornatu Regio cum summis Pontificibus & Optimatibus ac Principibus suis præstolabatur adventum Ducis. Erat autem in eodem loco curia venationis amplissima murata ad ostendendam gloriam suam. Præceperat enim Rex Principibus suis & Optimatibus Regni, ut omnes interessent huic solennitati in cultiori apparatu suo. Videres ergo illic tentoria innumera erecta, byssina, purpurea cum capitibus (forf. tapetibus) aureis, & pro uniuscujusque magnificentia vario decore ornata. Veniens ergo Dux, gloriose susceptus est. Et quia processionis solennitas instabat, procedebat Rex cum Duce. Erat autem strata semita quædam tota purpurea, desuper tecta auri frigiis, & ornata aureis lampadibus & coronis. Hanc viam incedebat statio Clericorum & Pontificum, prosequente Rege cum Duce & militibus tantum peregrinis, & ita procedebant ad tentorium aureum, quod totum incanduit gemmis & lapidibus pretiosis. Inde per eandem viam reversi sunt ad Ecclesiam, & collocatus est Rex in throno suo excelso, & Dux in alio juxta eum, & missarum solennia celebrabantur. Quibus expletis, Rex cum Duce ad mensam accessit, & lautissime procurati sunt. Comestione vero facta, cum Rex cum Duce lætior esset, movit quæstionem Episcopus Wormatiensis una cum Lubicensi Episcopo literatioribus Græcorum de processione Spiritus Sancti. Dicunt enim Græci, Spiritum Sanctum tantum procedere a Patre, & non a Filio, verbis Domini

Digitized by Google

Domini nimis inhærentes, qui de processione Spiritus Sancti loquens ait: Cum venerit Paraclitus, qui a Patre procedit, &c. Opponentibus autem illis, quod Spiritus Sanctus procedit a filio sicut a Patre, quia Spiritus Sanctus est Patris & Filii, & cum Spiritus Sancti gratia datur hominibus, profecto mittitur & a filio, procedit a Patre, procedit & a filio, quia ejus missio ipsius processio est. Græcis ad hoc contradicentibus quasi plenis autoritatibus nondum conclusi, Abbas Henricus vir literatissimus & facundissimus modeste inchoans inquit: Nunc erratis o Catholici & religiosi viri, dicentes, Spiritum Sanctum solum a Patre procedere, & non a Filio, quia plane procedit a Filio sicut a Patre. Quod negare hæreticorum est. Quod enim de utroque procedat, divinorum testimoniis eloquiorum comprobatur. Dicit enim Apostolus: Misit enim Deus Spiritum Filii sui in corda nostra. Ecce hic dicitur Spiritus Filii Dei. Et alibi: Qui autem Spiritum Christi non habet, non est ejus. Ipse etiam Filius de Spiritu Sancto ait: Quem ego mittam vobis a Patre. Patris autem Spiritus dictus est, ubi legitur: Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis. Et ipse Christus dicit alio loco: Quem mittet Pater in nomine meo. His & aliis autoritatibus ostenditur, quod Spiritus Sanctus procedit a Patre & Filio. Ad illud autem, quod de Evangelio opponitis, qui a Patre procedit, ita respondemus, quia, cum dicat in eo veritas, Spiritum a Patre procedere, non addidit: solo, & ideo etiam a se procedere non negat, sed ideo Patrem tantum nominat, quia ad eum solet referre etiam, quod ipsius est, quia ex illo habet. Vestri etiam Doctores unam eandemque sententiam esse intelligentes, qua Spiritus Sanctus dicitur procedere a Patre & filio, & esse Spiritum Filii & Patris, professi sunt, Spiritum Sanctum procedere a Patre & Filio, & a Filio sicut a Patre. Unde Athanasius in Symbolo Fidei ait: Spiritus Sanctus a Patre & Filio non factus, nec genitus, sed procedens. Ecce Spiritum Sanctum a Patre dicit procedere & a Filio. Johannes vero Chrysostomus in quadam Homilia dicit: Iste est procedens a Patre & Filio, qui dividit dona sua, prout vult. Cyrillus quoque Episcopus ait: Spiritus Sanctus intelligit per se, secundum quod Spiritus est & non Filius, sed tamen non est alienus ab eo. Spiritus enim veritatis nominatur, & profluit ab eo, sicut a Deo Patre. Ecce etiam a vestris doctoribus aperta habetis testimonia, quibus Spiritus Sanctus dicitur a Patre & Filio procedere. His aliisque autoribus non valebant contradicere Græci, sed concedere compulsi sunt, Spiritum Sanctum procedere ab utroque. Et magnificatus est Abbas Henricus in conspectu Regis, Principum & Pontificum, laudantes doctrinam ejus. Regina autem donavit Duci Saxoniæ samittos plurimos, ita ut omnes milites suos vestiret samittis, quibus addidit Regina cuilibet militi pelles varias & pelliculam Zabolinam. Porro Rex dedit Duci navem firmissimam omnibus necessariis copiose onustatam. Quam ingrediens Dux cum suis, navigare cœpit. Et factus est motus magnus in mari, ita ut omnes mortem imminere formidarent. Erat autem in navi vir quidam bonæ conversationis, qui ob imminens periculum valde anxiebatur, & inter ipsas mentis turbationes somno subito depressus, vidit astantem sibi virginem pulcerrimam dicentem sibi: Numquid times maris periculum? Cui respondit: Domina clarissima, tenent nos angustiæ, & nisi Deus cœli respexerit nos, quantocius peribimus. At illa, Confide, inquit, quia non peribitis, sed propter orationes cujusdam in hac navi me invocantis liberemini. Quod de quo dictum fuerit, licet non sit expressum, tamen, qui visionem viderat, de Henrico Abbate dictum affirmabat. Nec fefellit eos visio. Cumque nimis turbarentur, aspexerunt nautæ lapides patentes quasi ostium, & direxerunt navem contra ipsum. Et cecidit spiritus procellæ, & siluerunt fluctus ejus, & navis illæsa pertransiit, & laudaverunt Deum, qui mortificat & vivificat. Dux ergo applicans ad Accaron, magnifice susceptus est ab Accaronitis, & ascensis equis, mulis & asinis, ad urbem Jerosolymitanam processerunt. Et occurrerunt eis Templarii & Hospitalarii, & deduxerunt Ducem in Sanctam Civitatem, & susceptus est a Clero cum laudibus & hymnis Dei. Obtulit autem Dux ad Sanctum Sepulcrum pecuniam multam, & contulit Basilicæ, in qua lignum Domini repositum fuit, annuos reditus pro luminaribus & lampadibus conservandis, ornavitque Basilicam musivo opere, & ostia ejusdem vestivit argento purissimo. Templariis quoque & Hospitalariis dedit arma plurima & M. marcas argenti ad comparandum prædia, quibus tyrones tenere possent tempore belli. Visitavit quoque omnia loca sancta, in quibus Henricus Abbas missas celebravit. Quibus locis cum omni devotione pertransitis, reversus est Accaron, & ibi valedicens Conrado Episcopo Lubicensi & Bertoldo Abbati Luneburgensi, qui ambo infirmitate gravi laborabant, profectus est Antiochiam, prosequentibus eum Templariis cum turba multa. Bertoldus autem Abbas ibidem rebus excessit humanis, sed Conradus Lubicensis Episcopus barcham ingrediens, navigio secutus est Ducem. Crescente autem corporis molestia cum jam applicaret ad urbem, quæ Surs (Sur) dicitur vel Tyrus, spiritum Deo reddidit. Cujus corpus in civitatem perlatum, devotissime terræ commendatum est. Dux autem horum decessum audiens, valde turbatus est. Henricus vero Abbas licet satis extenuatus, cum Duce perrexit viam, quam cœperant. Dux autem Henricus missis legatis ad Mylonem Sarracenum, rogavit, ut per terram suam ei ducatum præberet. Qui missis ad eum XX. viris de nobilioribus suis, mandavit eum cum pace per terram suam deduci. Quod comperiens Dux in dolo factum, noluit per terram suam transire. Princeps autem Antiochiæ, qui ipsum honeste tractaverat, naves ei providit. Quas ingressus cum equis & omnibus, quæ habebat, ad urbem, quæ Portus Simeonis (dicitur,) expansis

pansis velis nocte & die eundo, partem terræ illius præteriit. Cumque ad quandam civitatem, quæ Torsult dicitur, applicuissent, quam postea idem Mylo expugnans sibi subjugavit in ultionem, quod peregrini ibidem præterlapsi fuissent, Soldanus Turcorum misit ei quingentos milites, qui eum per terram Mylonis deducerent cum omnibus, quæ ipsius erant. Profecti autem per triduum, transierunt per terram desertam, inviam & inaquosam, quæ Rumenia dicitur, ubi multum laboraverunt, portantes in equis omnia necessaria, etiam aquam, quam biberent tam ipsi quam jumenta eorum. Et sic pervenerunt ad civitatem, quæ Heraclia dicitur, quam Heraclius Princeps Jerosolymitanus olim tenebat, & postea Imperator factus Hierosolymam expugnabat, & Cosdroë interficiebat. Ubi veniens Dux, honorifice susceptus est a Turcis, & inde deductus in Araxat, ibidem Soldanus ei occurrit lætissime, & amplexatus ipsum & deosculatus dixit, ipsum suum esse consanguineum. Cumque Dux requireret affinitatem consanguinitatis, ille respondit: Quædam nobilis matrona de terra Teuthonicorum nupsit Regi Ruthenorum, qui genuit ex ea filiam, cuius filia devenit in terram nostram, de qua ego descendi. Benedicebat autem Soldanus Deum cœli, quia Dux Mylonem evaserat, dicens, eum infidelem & traditorem; & si in terram devenisset, profecto ipsum rebus vel etiam vita privasset. Dedit autem Soldanus Duci donaria plurima, puta mantellum & tunicam de optimo serico, qui propter operis excellentiam fecit inde fieri casulam & dalmaticas. Post hoc adducti sunt equi MDCCC ut eligeret, quos vellet. Dixit ergo Dux militibus suis, ut quisque acciperet equum, quem voluisset. Deinde educti sunt caballi fortissimi XXX. cum frenis argenteis & sellis optimis de ebore compositis, quos Duci tradidit. Dedit etiam ei sex domos filtrinas secundum morum terræ illius, & sex camelos, qui eas ferrent cum famulis, qui eos ducerent. Addidit quoque his omnibus duos leopardos & unum leonem fortissimum domesticum, qui omnes docti erant sedere in equis, ac famulos, qui eos regerent. Cumque Rex ipsum benignissime tractasset, ipse Henricus Dux cœpit ipsum familiariter redarguere de superstitione gentilitatis, multa dicens ei de incarnatione Christi & fide Catholica. Qui respondit Duci: Non est difficile ad credendum, quod Deus, quando voluit, de intemerata virgine carnem assumsit, qui hominem primum de terra plasmavit. Et licet hoc Soldanus possibile assereret, non tamen ab idolis recessit. Dimissus itaque Dux a Soldano, deductus est in civitatem Eunyn, quæ principalis urbs est Turcorum. Et inde progressus venit in terram desertam nimis, ubi multis siti & fame deficientibus, ultra procedere vix poterant. Inde tamen procedens venit cum maximo labore ad nemus maximum, quod dividit terram Turcorum & Græcorum. Quod triduo cum difficultate transiens, venit ad urbem Regis Græcorum Castellum Alemannorum dictam, quia Godefridus Dux olim eam tenuerat, & inde totam Turkiam sibi subjugaverat. Inde profectus venit ad urbem fortissimam Anikkam nuncupatam, quam idem Godefridus nimio labore expugnaverat. Progrediens quoque ulterius per Brachium S. Georgii, venit ad urbem Willekume, & inde pervenit Constantinopolim. Ubi receptis equis, quos in exitu ibidem reliquerat, abiit Magnopolim, ubi Rex erat Græcorum. Qui multum lætatus est de reditu ejus, & cum decentissime eum tenuisset per aliquot dies, dedit ei XIIII. mulos oneratos auro & argento ac sericis vestibus, & perduci ipsum fecit usque Niceam. Ubi pertransito nemore magno, pervenit ad Regem Ungariæ noviter factum post mortem fratris. Qui honestissime ipsum pertractans, dedit ei salvum conductum per Regnum suum, & sic tandem pervenit Dux ad fines notos & proprios agros, rediens tandem in Brunswic, & ditans Ecclesias reliquiis Sanctorum, quas in via a diversis receperat Principibus & civitatibus. Et fieri fecit de diversis sericis pannis casulas & dalmaticas ac alia ornamenta altaris. Postquam vero modicum pausaverat in Brunswic, venit Luneburg. Et venerunt ad ipsum Canonici Lubicenses, rogantes, ut ipsius providentia unum idoneum Ecclesiæ suæ caput & Pastorem habere valerent, ex quo venerabilis Antistes Conradus defunctus esset in via peregrinationis suæ. Affirmabant denique, quod omnes de unanimi consensu in personam Henrici Abbatis de Brunswic convenissent, unde ipsum Ecclesiæ suæ præficiendum omnino exorabant. Quibus Dux respondit: Fateor, personam hanc valde idoneam esse & virum prudentem ac religiosum, sed quia fidelitatem viri & conversationis ejus gratiam expertam habemus, ideo præsentia ipsius in domo nostra Brunswic non sine gravi jactura carere possumus. Ne tamen tantæ utilitati contraire videamur, consentimus vestræ petitionis affectioni. Unde virum venerabilem cum honore ad sedem Lubicensis Ecclesiæ deducite, & ei omnem reverentiam & subjectionem exhibete. Venerunt ergo Brunswic Odo Decanus & Arnoldus Thesaurarius una cum Henrico Præposito Ducis Notario, & ingressi Capitolium præsente Abbate de Reddegenshusen Sigebodo & Godefrido Præposito Brunswicensi, & detulerunt literas Ecclesiæ memoratæ in hunc modum sonantes: Fratres Ecclesiæ Dei, quæ est in Lubeke, sacro Conventui Monasterii Sancti Ægidii in Brunswic salutem & dilectionem in Christo. Cumque ad salutationis verba Fratres humiliter inclinarent, adjecerunt: Noverit dilectio vestra, quia mater nostra, sancta videlicet Ecclesia Lubicana patre suo viduata est. Et quia diu sine Pastore esse non possumus, ideo omni solicitudine nobis vigilandum est, ut in domo Dei prudentem & fidelem dispensatorem habeamus. Unde immensas gratias Deo referimus, quod eum, in quo nobis complacuit, invenimus, Dominum videlicet Henricum Abbatem vestrum, virum prudentem & religiosum, quem non solum electione Canonica nobis præficiendum decrevimus,

Digitized by Google

mus, sed etiam Principis nostri Ducis, qui ipsum nobis in Dominum & Patrem spiritualem designavit, autoritate usurpavimus. Quapropter rogamus, ut in hoc una nobis consentiatis, & ordinationi divinæ non contradicentes, simul eum nobiscum ad apicem Sacerdotii summi promoveatis. Fratribus autem de tam honesta sui Patris promotione congaudentibus, sed absentatione tam pii Pastoris condolentibus ita respondit Electus: Opus quidem difficile & nimis arduum est, ad quod me vocastis Fratres & Domini mei, & ultra vires meas esse certissime recognosco. Sed quia nemo venit ad hoc idoneus, nisi qui vocatur a Deo, ideo divina dispensatione ad hoc ministerium me vocari non ambigo, quia omnis potestas a Deo est. Et quia, qui potestati resistit, divinæ ordinationi resistit, ideo ecce ad obediendum venio, necessitate tamen magis quam voluntate. Et ita profectus cum eis de Monasterio S. Ægidii, cui X. annis præfuerat gloriose, venit ad Ducem in Luneburg. Et accipiens ab eo Pontificalem investituram, deductus est in Lubeke cum honore, & devotissime susceptus est a Clero & populo. In die vero S. Johannis Baptistæ præsente Duce consecratus est a Domino Walone Havelbergensi, a Domino Evermodo Ratzeburgensi & a Domino Bernone sive Brunone Mikelenburgensi Episcopis.

Quintodecimo anno Frederici, qui est Domini MCLXIX. Henricus Leo, Dux Saxoniæ & Bavariæ, secundum Chronicam Saxonum, super basim lapideam erexit effigiem leonis ex ære fusam, in urbe Brunswic prope Ecclesiam majorem, quasi Colisæum suum, cum ipse Leo cognominaretur & esset animo. Principes & Nobiles, qui arrogantiam Henrici Ducis Saxoniæ pariter & excellentiam detestabantur, secundum Egghardum, ac forte ipsius prosperis successibus invidebant, consuluerunt Frederico Imperatori filio amitæ ejusdem Henrici Ducis, ut ipsum Henricum Leonem humiliaret. Quibus Imperator eo facilius & libentius assensit, quia jam rancorem gravem contra ipsum in corde suo gerebat propter verecundiam, quam sibi fecerat in obsidione urbis Mediolanensis, a qua ipse Henricus recesserat cum suis Imperatore invito & ejus humilibus precibus parvipensis. Propter quod Imperator crimen læsæ Majestatis ei opposuit in præsentia Principum totius Alemanniæ, quos ad colloquium vocaverat in urbem Merseburg. Et extunc de communi assensu omnes illi Principes in ejus depositionem & privationem conspiraverunt pariter & persecutionem. Noluit tamen protunc Imperator aliquid contra ipsum attentare, sed prius voluit ipsum legitime citari & manifeste convinci. Henricus Leo Dux Saxoniæ & Bavariæ, secundum Egghardum, uxorem suam Clementiam sororem Bertoldi Ducis Zaringiæ repudiavit propter consanguinitatis propinquitatem, ut dicebatur, & duxit Mechtildem filiam Regis Angliæ, devotam valde & pauperum ac Religiosorum amatricem, cujus nuptias in Brunswik magnifice celebravit. Paschalis Antipapa successor Victoris obiit, secundum Wilhelmum, & Kalixtus Papa, quia antea Johannes dictus fuit, in ejus locum eligitur & confirmatur ac consecratur. Hic Kalixtus Antipapa per Fredericum Imperatorem violenter in sedem suam introductus est. Nam in diebus illis Fredericus Imperator, secundum Helmoldum in Chronica Slavorum, morabatur in Italia, & contritæ sunt rebelliones Lombardorum a fortitudine virtutis ejus, & effregit civitates plures populosas & munitas. Et convertit faciem suam, ut iret Romam ad debellandum fautores Alexandri Papæ, & ad introducendum Kalixtum. Cæsar ergo obsidens Januam, quæ fuit partium Alexandri, præmisit Reynoldum Coloniensem & Christianum Moguntinum Archiepiscopos, & partem exercitus jussit præire Romam. Et venerunt Tusculanum, quod non longe est a Roma. Quorum introitu comperto, Romani exierunt cum immenso exercitu, pugnaturi propter Alexandrum. Et egressus Reynoldus cum militibus Teuthonicis, pugnaverunt pauci contra innumeros, & obtinuerunt Romanos in campo, & percusserunt ex eis ad XIIM. & persecuti sunt fugientes usque ad portas urbis. Et corrupta est terra propter cadavera mortuorum, & permanserunt uxores Romanorum viduæ in annos multos, eo quod defecissent viri inhabitatores urbis. Ipsa autem die, qua hæc gesta sunt Romæ, pugnavit Cæsar cum Januensibus, & obtinuit victoriam, compos effectus civitatis. Et assumto exercitu, abiit Romam, & invenit Reynoldum Archiepiscopum & exercitum, quem præmiserat, lætantem de victoria. Et admovit exercitum, ut caperet Romam, & expugnavit domum B. Petri, quia præsidium Romanorum illic erat, & jussit ignem portis immitti, & abegit Romanos a turribus per vaporem fumi, & obtinuit templum, & replevit ædem interfectis, & inthronizavit Kalixtum in cathedram, & egit illic solennitatem B. Petri ad Vincula. Admovitque manum Lateranensibus, ut destrueret eos, dederuntque ei pro vita simul & civitate, quicquid postulavit, & accepit filios Nobilium obsides, ut de cætero obedientes essent Kalixto fide irrefragabili. Secuta autem est hos prosperos successus Cæsaris repentina calamitas. Tanta enim pestilentia Romam invasit, ut infra paucos dies universi pene interirent exercitus Cæsaris viri. Mense autem Augusto pestiferæ nebulæ in partibus illis surrexerunt, & mortui sunt ea pestilentia Reynoldus Coloniensis Archiepiscopus, Hermannus Verdensis Episcopus, qui erant duces consilii Regii. Præterea nobilissimus adolescens Conradi Regis filius, qui duxerat unicam filiam Henrici Ducis Saxoniæ, ibidem vita decessit. Insuper plures Episcopi, Principes & Nobiles ipso tempore interierunt. Cæsar vero cum residuo exercitu reversus est in Lombardiam. Joachim Abbas & Propheta in Calabria extitit, secundum Vincentium in Speculo. Hic plures libros super Jeremiam, Apocalypsim & omnes Prophetas scripsit. Ipse etiam de Antichristo prophetavit, dicens: Cum fuerint MDCCC.

Digitized by Google

MDCCC. & LX. anni transacti, nascetur Antichrist s. Monasterium Dobberanense prope Rost. k Ordinis Cistertiensis, secundum Chronicas Lubicensium, fundatur per Guntzelinum Com: tem Zwerinensem, vel secundum quosdam, per Pribizlaum Obotritorum (Principem.)

Sextodecimo anno Frederici, qui est Domini MCLXX. Henricus filius Frederici Cæsaris, secundum Vincentium, Aquisgrani in Regem Romanorum coronatur per Archiepiscopum Coloniensem Reynerum. Germarus Princeps Ranorum sive Rugianorum, secundum Chronicam Lubicensem, Baptismi fidem suscepit cum omnibus Ranis sibi subjectis. Fuit autem ista tertia conversio istius patriæ a temporibus Karoli Magni & Lodowici filii sui Imperatorum. Armigeri ignei visi sunt bellare in aëre tempore nocturno, secundum Vincentium. Quod quidem portentum præsagium fuit futuræ stragis populi, quæ facta est eodem anno. Nam Henricus Rex Angliæ intrans Normanniam, innumerabilem populum peremit. Inde vero procedens cum Lodewico Rege Francorum & Philippo Comite Flandriæ obsedit Rothomagum urbem, quam expugnarunt illi Principes, & populum infinitum occiderunt. Robertus Præpositus de Area, filius unius pauperis fabri, secundum Egghardum, duos regebat Episcopatus, puta Atrebatensem & Tornacensem. Qui, ut quidam volunt, ad tantos devenit honores ex eo, quod familiaritatem cum dæmone contraxit. Hartwicus Bremensis Archiepiscopus, secundum Helmoldum, sede sua pellitur per Henricum Ducem Saxoniæ, & castrum Vriburg in litore Albiæ situm, quod ad Ecclesiam Bremensem pertinebat, funditus destruitur per eundem Ducem.

Decimo septimo anno Frederici, qui est Domini MCLXXI. Pribizlaus Obotritorum Princeps, secundum Chronicam Lubicensem, sedens quietus & contentus in portione terræ sibi a Duce Henrico gratiose restitutæ, restauravit urbes & opida tempore gwerræ vastata. Receperat namque a Duce prædicto omnem hæreditatem paternam terræ Obotritorum, præter Zwerin castrum & urbem ac pertinentia ad castrum. Quod quidem castrum cum suis attinentiis consignavit Guntzelino & hæredibus suis perpetuo possidendum. Frederico Imperatore Erphordiæ terræ Thuringorum existente, secundum Egghardum, septem Principes & multi Nobiles cum fere centum militibus submersi sunt in latrina, Imperatore vix se salvante, nullo tamen Episcopo vel Clerico ibidem pereunte aut periclitante. Henricus autem Comes de Swartzeburg ibi profundius corruit, qui assidue sic jurare consvevit: Si hoc fecero vel dixero, aut non fecero, submergar in latrina. Imperator autem ea de causa Erphordiam accesserat, ut Archiepiscopum Moguntinum confirmaret, & Lantgravium Thuringorum.

Decimo octavo anno Frederici, qui est Domini MCLXXII. In Egmunda villa terræ Hollandiæ, secundum Wilhelmum, natus est agnus, unum caput habens & duas partes posteriores cum sex pedibus & duabus caudis. Et conjecturatum est a quibusdam, duas partes posteriores significare Hollandiam & Frisiam, quæ ad unum Comitem quasi ad unum caput sint reducendæ. Pribizlaus Regulus & Princeps Obotritorum, secundum Chronicam Lubicensium, urbem Rostok de parvo opido fundavit & ampliavit, trahens ipsam ad flumen Warnowe; civibus autem dedit autoritatem constituendi Consulatum juxta formam & modum civitatis Lubicanæ. Alexander Papa intelligens, secundum Vincentium, Imperatorem sævire propter ipsum, diversa prœlia movendo, & Ecclesias Gallicanas propter eum persequendo, noluit causa esse cædis tot Christianorum. Unde in forma pauperis Sacerdotis peregrinantis clam aufugiens, se ad liberam Venetiarum urbem transtulit, & declinans ad Canonicos S Salvatoris, ductus est per eosdem ad Monasterium B. Mariæ de Caritate, ubi in habitu incognito ipse ignotus eisdem Fratribus humiliter ser vivit per aliquod tempus. S. Thomas Canthuariensis Archiepiscopus patitur mortem pro justitia Ecclesiæ suæ. Hic vir Dei, secundum Jacobum de Voragine, dum in curia Regis Angliæ Henrici esset, & ibidem multa irreligiosa & inordinata fieri videret, curiam illam deseruit, & Canthuariam se transferens, illius Ecclesiæ Archiepiscopo se sociavit, a quo Archidiaconus factus, tandem ad preces Regis Cancellarius ipsius factus est, ut sua prudentia malorum, qui erant in curia, coërceret defectus. Quem Rex postea Archiepiscopum fieri ordinavit. Quem gradum cum adeptus esset, subito mutatus est in alterum virum, carnem suam cilicio, jejunio & vigiliis multis castigavit. Non solum enim cilicio pro camisia utebatur, sed etiam femoralia cilicina usque ad poplitem deferebat. Tredecim quoque pauperum pedes cotidie lavabat, & eos lotos pascebat, atque cuilibet argenteum largiens, remittebat. Libertates Ecclesiæ suæ pro viribus defendere satagebat, & perversas consvetudines hactenus servatas, quæ suæ Ecclesiæ jura & libertates infringere videbantur, abolere studebat, & per hoc Regis indignationem incurrebat. Rex vero ipsum flectere ad suam voluntatem laborabat, sed minime hoc efficere poterat. Cumque Rex sibi minaretur, Principum suorum deceptus consilio, ad tempus Regi consensit. Sed cum videret, ex hoc consensu periculum Ecclesiæ suæ imminere, consensum revocavit, & pœnitentiam de eo agens, se ipsum ab officii sui executione tam diu suspendit, quousque a Papa restitueretur. Rex autem, quod ab eo impetraverat, & ad quod consensum suum dederat, petivit literis suis confirmari. Quod cum facere omnino renueret, Rex ab eo recessit cum indignatione maxima. Cumque vir Dei mortem sibi imminere videret, dedit locum iræ, & discessit in Franciam ad Alexandrum Papam, qui protunc etiam ibidem exulabat. Henricus autem Rex misit ad Papam contra Archiepiscopum, petivit, ut causa sua discuteretur. Sed cum pro Archiepiscopo sententiaretur a Papa & Cardinalibus, Rex majori invidia contra ipsum pro-

Digitized by Google

provocatus, juſſit omnia bona ipſius & ſuorum amicorum diripi & confiſcari. Thomas vero ſemper Deum pro Rege exorabat. Cum autem in curia Regis Lodowici eſſet in Francia, & ab eo bene tractaretur, contigit, Regem ſemel ſolennes hoſpites (habere). Quibus cum prandium pararetur, accidit, filium Regis parvulum coquinam ingredi, & caſu in vas quoddam jure carnium elixarum plenum prolabi, & ſubito ſuffocari. Quod familia videns, lugubres illos rumores ad Reginam detulit. Mater vero multum turbata, factum hoc lamentabile occultavit, ne convivæ ſolennes turbarentur, & hoſpitum Regalium adventus luctu & mœrore diſſolveretur. Qui quidem caſus mœſtitia & dolore plenus virum ſanctum non latuit, ſed in ſpiritu ipſum intelligens, mox orationes ſuas devotas ſilenter ad Dominum Deum fudit, pro ſuſcitatione illius pueri obnixe deprecans. Qua oratione facta, cum Principes omnes invitati læti conſediſſent, facto manu ſilentio, Archiepiſcopus dixit Reginæ: Jubeat Magnificentia veſtra ferculum, quod in cubiculum Regium collocaſtis, inter convivas hos afferri, ut Deus omnipotens pro ſuis beneficiis glorificetur, & gaudium hoc carnale ſpirituali jocunditate geminetur. Novi enim ego, quid actum ſit de filio Regis unico. Conſternantur hoc verbo Archiepiſcopi animi convivantium, ſtupet Rex, & Regina quaſi viribus deſtituta, inter manus Nobilium labitur. Tunc Rex proſiliens de menſa, ad cubiculum feſtinavit, & oſtio reſerato, invenit juvenem in lecto Regio ludentem. Quod cum matri intimaretur, reſumto ſpiritu, de terra ſurrexit, & omnibus ſeriem facti recitans, eos valde lætificavit. Gloria ergo Deo immenſa canitur & meritis Sancti Antiſtitis, qui ſuis orationibus puerum vitæ reſtituit priſtinæ & incolumitati. Legitur etiam de eo, quod, cum una dierum ſederet in menſa Regis, & comederet, & Regina videret extremitates manicarum Præſulis eſſe ligamento quodam conſtrictas, quaſi aliquid in eis haberet, quod elabi non deberet, dixit ad ipſum: Pater ſancte, quid cari habetis in manicis veſtris ſic conſtrictis & ligatis? Fecerat enim hoc Archiepiſcopus, ne forte vermes in cilicio geniti ex humorum corruptione foras caderent, & pudorem ſibi facerent. Reſpondit autem vir ſanctus, neſciens præ pudore, quid diceret: Domina Regina, habeo in eis reconditas margaritas. At illa: Quæſumus, oſtendatis eas nobis. Cumque Epiſcopus ſe excuſaret, quod protunc hoc facere non poſſet, quia eas perdere formidaret: illa more fœmineo negatum poſtulans fortiter inſtitit, ut ſaltem aliquas ex eis videre mereretur. Audiens autem ſanctus Præſul inſtantiam mulieris importunam, confiſus in Deo intra ſe parum oravit, & ſumta fiducia in virtute Dei, manicas reſeravit, & nobiliſſimas margaritas, prout dixit, inde excuſſit. Quas cum Regina vidiſſet, & eas ſibi retinere poſſe obnixe rogaret, vir Dei eis nullo modo carere poſſe pro præſenti affirmavit, & eas recolligens, in manicas repoſuit, & ſic in priſtinam materiam ſunt redactæ. Legitur inſuper unum aliud notabile de eodem ſancto viro. Cum itaque S. Thomas ſcholaris juvenis adhuc exiſtens, ſcholas cum pueris aliis frequentaret, habuit devotionem magnam ad B. Virginem. Unde cotidie ſpirituales orationes ad ipſam fecit, & caſtitatem Deo & ſibi conſervare perpetuam devovit, ac ipſam in ſuam dilectam & amicam ſpiritualem prælegit, frequenter ſuis patrociniis ſe recommendans. Cum autem feſtum Circumciſionis Domini adeſſet, in quo novus incipere conſvevit annus, & ſodales ſui quaſi omnes gloriarentur de jocalibus pro novo anno a ſuis dilectis eis oblatis, ipſe apud ſe cogitans, turbatus eſt in corde ſuo, quod nihil talium de ſua amica recepiſſet, de quo etiam apparere poſſet, quod & ipſe prædilectam haberet. Mane ergo facto, ſanctus puer coram imagine Beatæ Virginis poſitus, in lacrymas reſolutus eſt, & orans dilectam ſuam, ait: Cariſſima Virgo Maria, cœlorum Regina, ego te prælegi in ſponſam & amicam meam ultra omnes mortales virgines & præ omnibus ſolam. Ego tibi virginitatem meam obtuli, quam propter te nunquam violabo. Rogo ergo te, digneris & mihi ſervo tuo aliquid elargiri, quod ob tui amorem cuſtodire valeam, & meis ſociis oſtendere queam, ut & ipſi videant, quod etiam & ego ab amica mea ſim exeniatus novo anno. Mirum in modum! Oratione juvenis vix completa, imago Beatiſſimæ Virginis in altari manum ſuam extendit, & ſcholari illi parvam pyxidem porrexit, dicens: Hoc clenodium in pyxide hac recluſum pro amore meo conſerva, & eo utere, cum Sacerdos fueris effectus. Quod juvenis accipiens cum gratiarum actione devota, & veniens domum, pyxidem aperuit, & invenit præparamentum operoſiſſime & ſubtiliſſime elaboratum, in nullo deficiens. Quo recepto gaviſus eſt valde, & clenodium ipſum ad firmam poſuit cuſtodiam. Huic ſancto viro in perſecutione actuali exiſtenti, & in Francia exulanti divinitus revelatum fuit, quod ad Eccleſiam ſuam reverſurus eſſet cum gloria, & demum palmam martyrii ibidem percepturus. Septimo ergo anno ſui exilii redeundi ſibi conceditur facultas, & ab omni populo & Clero honorifice ſuſcipitur. Ante ipſius autem Martyrium juvenis quidam moritur, cujus anima uſque ad ſummum Sanctorum ordinem deducitur, ubi inter Apoſtolos quandam ſedem vidit. Percunctanti autem, cujus eſſet illa ſedes, Angelus reſpondit, quod cuidam Sacerdoti magno Anglorum a Domino reſervaretur. Sacerdos autem quidam miſſam de Beata Virgine cotidie celebrabat, eo quod aliam dicere non ſciret. Qui cum apud Archiepiſcopum accuſaretur de ſua ignavia, ſuſpenſus eſt per Epiſcopum ab officio. Cum autem Sanctus Antiſtes cilicium ſuum conſuere vellet, & ſub lecto, quouſque oportunitatem haberet, collocaſſet, B. Virgo apparuit Sacerdoti illi ſuſpenſo, & multum dolenti dicens: Vade, & dic Archiepiſcopo, quod illa, ob cujus amorem miſſas dicebas, ejus cilicium, quod in tali loco depoſuerat, conſuit, & ſericum rubeum, cum quo refecit, ibidem reliquit. Et illa ipſum rogat,

gat, ut interdictum suspensionis a te tollat. Quæ verba cum Sacerdos Præsuli sancto diceret, mox suspensionem relaxavit, Sacerdotique hoc occultare, quamdiu viveret, præcepit. Defendit denique Sanctus vir, ut prius, Ecclesiæ suæ jura, nec a Rege minis aut precibus flecti poterat ad consensum suæ voluntatis. Tunc milites armati missi a Rege, venerunt ad mansionem Archiepiscopi, & ipsum quæsierunt. Quibus occurrens dixit: Ecce ego, quid vultis? At illi, venimus, inquiunt, ut occidaris. Qui ait: Pro Deo paratum me invenietis mori & pro defensione justitiæ & libertate Ecclesiæ meæ. Si ergo me quæritis hac de causa interficere, vobis ex parte Dei & sub anathematis maledictione præcipio, ne horum cuiquam noceatis, qui mecum sunt. Deo autem & B. Mariæ Virgini & Sanctis hujus Ecclesiæ Patronis me & causam meam commendo. His dictis, corona sacri capitis præscinditur, cerebrum per Ecclesiæ pavimentum spargitur, & sic Martyr consecratur. Dum autem Clerici & Monachi in ejus exequiis Requiem Æternam inciperent, chori Angelorum astantes, Missam Martyris inceperunt, concinentes: Lætabitur justus, & tunc Clerici officium hoc prosecuti sunt. Propter hujus Sancti viri interfectionem Alexander Papa misit duos Cardinales ad Galliæ partes, ubi Henricus Anglorum Rex in Tusculanam urbem citatus venit, & jurejurando se expurgavit de morte sancti Antistitis. Sed quia occasione turbationis, quam contra ipsum habuerat, occisus fuerat, ideo pro eo obtulit CC. milites ultra mare peregrinaturos, & per annum ibidem permansuros, ac pro fide ibidem pugnaturos. Se ipsum vero cruce signans, infra triennium illuc transfretaturum se promisit. Hujus Sancti Martyris tumba pretiosa nimis extitit, de puro auro fabricata, & diversis lapidibus pretiosis ornata, inter quos unus lapis insignis habetur, qui miraculose de annulo Lodowici Regis Francorum, cum ipsum causa devotionis visitaret, prosiliit, & tumbæ se infixit, quem vir aureus in dextra parte thecæ virgula aurea ostendit. Lapis ille sapphirus est. Hugo venerabilis Abbas Lovævallis multa sanctitatis indicia ostendit, secundum Wilhelmum. Ad istum columba nive albior volans, & in aure ejus rostrum suum figens, dixit ei verbis humanis: In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, para te. Mandat tibi S. Bernhardus, ut vadas facere pacem inter Papam & Imperatorem. Quod & postea factum est. Fredericus Imperator, capto Mediolano, secundum Vincentium, murum civitatis altissimum prorsus delevit, & annis V. angustiosis oneribus cives crudeliter vexavit. Trium quoque Magorum corpora, quæ in urbem illam anno Domini CCCXIIII. B. Eustorgius ab urbe Constantinopolitana transvexerat, proh dolor! in Coloniam Teuthoniæ civitatem inclytam per Reynaldum Coloniensem Archiepiscopum transvehi permisit. O Mediolanum! O civitas præclara, tantarum reliquiarum thesauro spoliata, tantoque servitutis opprobrio prostrata! Ubi nunc est murus altissimus, qui te undique circuibat? ubi turres mirabiles? ubi trophæorum & triumphorum jactantia? Tua nunc saltem radicitus depressa est arrogantia. Post annum vero quintum suæ captionis, urbs hæc a servitutis vinculo relaxatur, & reflorere incepit. Fuit autem Mediolanum a Gallis conditum, anno post Romam conditam CCCLXIIII. ante nativitatem vero Domini CCCCIII.

Decimo nono anno Frederici, qui est Domini MCLXXIII. Veneti cum Imperatore discordare cœperunt, secundum Vincentium. Est autem Venetiarum urbs in quadam insula fundata non natura, sed arte quadam & industria humana compacta. Nam, ut tradunt Historiæ antiquæ, Rex Gothorum Attila Aquilegiam, habitatores ejus fugavit. Qui ad locum illum venientes, ibidem insulam congesserunt, & eam a venalitate Venetiam appellaverunt, urbem in ea fundare incipientes. Habitaverant enim ibidem duo cives ab initio fundationis illius insulæ, unus dives & alter pauper; dives autem mercantiæ operam dedit, quærens a paupere, si quid pecuniæ vellet cum eo componere ad negotiandum, qui respondit: Pecuniam nullam habeo, sed sunt mihi duo catti venales, quos, si volueris, recipias, & melius nostrum cum eis facias. Hos dives ille secum attulit, & casu in locum quendam venit, ubi mures fere totum vastaverant locum. Ibi cattos suos pro magna pecunia vendidit, cum qua negotiatus, bona multa socio suo lucratus est. Cum autem Alexander Papa in urbe Venetiarum ferviret in Monasterio Beatæ Mariæ, secundum Egghardum, quidam peregrinus, divina procul dubio ordinatione, votivus ad visitandam Terram Sanctam venit de Gallia in urbem Venetiarum. Ubi, dum ex devotione circuiret Ecclesias, tandem venit ad Monasterium B. Mariæ de Caritate, vidensque, missam celebrare Alexandrum Papam in habitu & forma simplicis Sacerdotis, statim cognovit eum, eo quod pluries in Francia ipsum vidisset. Et mox vadens ad Sebastianum inclytum Ducem Venetiarum, sibi indicavit, quod Alexander summus Pontifex in tali Ecclesia in forma Sacerdotis simplicis missam celebrasset. Quod audiens Dux, sumta secum nobilium Senatorum turma, una cum Patriarcha Gradensi & Episcopo Castellano, qui protunc ibidem peregrini aderant, ad præfatum Monasterium pro requirendo Papa processit. Quem cum vidisset ex ostensione illius peregrini Gallici, qui ei hoc revelaverat, & in veritate ita esse comperisset, flexis genibus se exhibuit, ad oscula pedum suorum, præsentans ei chlamydem, mitram & alia ornamenta Apostolica quæ ad hoc facta in promto habebat. Et confortabat ipsum in Domino, ut deposito metu, assumeret animum virilem, quia esset in urbe tutissima, in qua ipsum pro viribus defendere vellet, contra omnem principem mundi. Papa autem ultra se celare non valens, ac considerans seriosam & ferventem intentionem Ducis ac civium Venetiarum, benedictionem suam contulit Domino Duci & toti patriæ. Procedens ergo Dominus Papa de Monasterio cum Duce & aliis Prælatis ad Ecclesiam S. Marci, stetit

tit

Digitized by Google

tit in choro ejusdem Ecclesiæ, & acceptum cereum candidum dedit Duci in manus suas dicens: Karissime fili, accipe hunc cereum; & eo ad perpetuum honorem tuum utere in processionibus in signum, quod tu & successores tui semper eritis Catholicæ fidei fideles Principes. Dux ergo Sebastinus & omnis populus urbis prædictæ miserunt solennes nuncios ad Imperatorem Fredericum, ut Papam Alexandrum ei reconciliarent, & pacem ac unitatem in Ecclesia Dei facerent. Qui cum ad Imperatorem venirent, benigne & gratanter sunt ab eo recepti & pertracti. Sed cum negotium suum solicitare inciperent, durum & ingratum receperunt ab eo responsum. Mandavit enim Fredericus ambasiatoribus, ut Duci & civitati dicerent, quod Papam fugitivum sibi mitterent, & defendere ac tenere ipsum desisterent. Quod si facere recusarent, extunc ad bellum se disponerent, quia contra eos tanquam Imperii traditores procedere omni virtute sua vellet. Redeuntes nuncii renunciaverunt Duci & communitati urbis Venetiarum Imperatoris durum verbum. Quod Papa audiens, multum expavit, sed benignus Dux ipsum consolatus est, dicens: Ob amorem fidei Catholicæ & honorem Sanctæ Matris Ecclesiæ viriliter defendemus vos. Sitis tantum constantis animi, & nolite timere. Sebastinus ergo Dux & totus Senatus cum populo universo rebus bellicis comparatis, se exituros ad pugnandum pro justitia totis viribus armaverunt. Paratæ ergo sunt XXX. galeæ cum fortissimo exercitu, & ventis prosperc flantibus Papa eos hortabatur, ut viriliter pugnent contra Dei & Ecclesiæ inimicos, quia omnibus eis concederet de omnipotentis Dei & Apostolorum Petri & Pauli autoritate remissionem omnium peccaminum suorum. Duci vero dedit ensem pro se & suis successoribus in signum perpetuæ justitiæ, cujus Protectores esse deberent. Nunciatur ergo Duci, quod hostes cum LXXV. galeis adessent, quorum Capitaneus esset Henricus filius Imperatoris, nuper Romanorum Rex factus, & jam pervenisset ad Pontiam Sabloye in confinibus Histriæ. Quod ut Dux audivit, taliter locutus est ad suos: Sequamini me fiducialiter, quia primus in acie existens experiar hunc ensem in hostes. Deum & justitiam pro nobis habemus, & ideo neminem timere debemus, in cujus virtute unus fugat mille. Congressi ergo simul navali bello pugnaverunt fortiter, & Domino Deo Duci assistente, & pro eo pugnante, factus est victor, & Henricum Imperatoris filium cum LX. galeis vicit & recepit, cæteris vel igne aut unda consumtis. Quo triumpho peracto, Dux cum captivis & suis Venetias revertitur, & cum inæstimabili gaudio a Papa & Clero ac universo populo recipitur, captivis in custodias securas destinatis. Henricus autem Rex Romanorum, ut a captivitate liberaretur, promisit, se pacem facturum inter patrem suum & Papam, aut iterum in captivitatem reversurum. Quod & efficaciter adimplevit. Nam præstita fide & datis obsidibus Henricus ad patrem suum revertitur, & cum eo de pace & reconciliatione Alexandri Papæ seriosissime tractans, post multam disceptationem tandem patrem suum ad pacis fœdera inclinavit sub juramento præstito de fide servanda. Quo habito, Rex ad Ducem revertens cum literis Imperatoris aureo signeto roboratis, bono fine omnia conclusit. Respexerat namque Deus de solio suo excelso super filios hominum, & ortus est in Ecclesia Dei dies lætitiæ cessante schismate, quod jam XX. annis Ecclesiam Dei dissipaverat, & facta est pax inter Regnum & Sacerdotium, & coadunata est Ecclesia in Alexandro, factumque est unum ovile & unus pastor totius Ecclesiæ Dei.

Vicesimo anno Frederici, qui est Domini MCLXXIIII. Alexander Papa Concilium generale Venetiis convocans, secundum Vincentium in Speculo, Fredericus Imperator ad Papam venit cum LXXXVI. Episcopis & multis Principibus, ubi Imperator se humilians coram summo Pontifice & Christi vicario, petiit veniam. Papa autem, Imperatore prostrato coram eo, pedem dextrum levans, super scapulam Cæsaris posuit, & dixit: Super aspidem & basiliscum ambulabo, & conculcabo leonem & draconem. Deinde ipsum a sententia excommunicationis absolvens, ipsum levavit & osculatus est. Calixtum vero Antipapam damnavit cum omnibus sibi adhærentibus. Et sic inveteratum schisma sopitum est ex toto mortificatum. De Venetiis autem Alexander Papa Romam, a qua jam diu absens fuerat, rediit, & Lateranis iterum Concilium colligens, quatuor schismaticos & Pseudopapas vicit & damnavit, puta Octavianum, qui & Victor, Gvidonem, qui & Paschalis, Johannem, qui & Calixtus, & Laudanum, qui & Innocentius dicti fuerunt, quorum tres fuerunt Presbyteri Cardinales, qui per Alexandrum successive excommunicati, omnes mala morte perierunt. S. Thomas Archiepiscopus Canthuariensis, secundum Wilhelmum, ab Alexandro Papa catalogo Sanctorum annumeratur, ipsum canonizando. Odalricus Episcopus Halberstadensis autoritate Apostolica jussus est reverti in sedem suam, secundum Egghardum. Sed & manus Imperatoris erat cum ipso, in omnibus confortans eum. Statim ergo ad introitum illius Episcopi commota est terra, quia faventibus sibi Principibus orientalibus, contra Henricum Ducem Saxoniæ multa moliri cœpit. Gerone ergo Episcopo intruso fugato, & omnia, quæ multis annis in Ecclesia illa per eum ordinata fuerant, cassata sunt. Omnes vero ordinati a Gerone, ab officio suspensi sunt. Ecclesiæ quoque, quas ipse consecraverat, imo magis exsecraverat, clausæ sunt usque ad reconsecrationem. Corpus quoque B. Bernhardi Episcopi, quod ipse transtulerat, per Odalricum iterum terræ recommendatum est.

Vicesimo primo anno Frederici, qui est Domini MCLXXV. Noradinus Rex Turcorum, secundum Vincentium in Speculo, obiit, & Saladinus genere ignobilis, sed consilio & armis strenuus, Regnum ejus occupavit, & filios Noradini

Digitized by Google

radini exhæreditavit. Hic etiam Ægyptum aggressus, Babylonem & Taheram Regni caput cepit, & Mulenem Regem peremit, omnemque stirpem Regiam exterminavit. Syriæ quoque Regnum & Ægypti sub una redegit potestate. Magna pars Antiochiæ terræmotu horribili corruit secundum Martinum, Jerosolyma vero valde tremuit, sed non corruit. Alexander Papa Episcopum Papiensem crucis & pallii dignitate, quibus, secundum Wilhelmum, uti consvevit ab antiquo, privavit.

Vicesimo secundo anno Frederici, qui est Domini MCLXXVI. Robertus Præpositus de Area, de quo supra mentio habita est, secundum Egghardum, a quibusdam ribaldis occiditur, procurante necem ejus de Anesiis milite. Philippus filius Lodowici Regis Francorum, secundum Vincentium, in die omnium Sanctorum Rhemis consecratur in Regem a Gwillerino avunculo suo, de Archiepiscopatu Senonensi in Archiepiscopum Rhemensem translato, astante Henrico Rege Anglorum ex una parte coronam super caput Regis Franciæ ex debito obsequio & subjectione humiliter tenente.

Vicesimo tertio anno Frederici, qui est Domini MCLXXVII. Henricus Episcopus Lubicensis tertius, successor Conradi, secundum Chronicam Lubicensem, construxit Monasterium Ordinis Sancti Benedicti in Lubeke in honorem Mariæ Virginis Gloriosissimæ & B. Johannis Evangelistæ, & posuit in eo Monachos dicti Ordinis. Henricus Leo Dux Saxoniæ & Bavariæ, secundum Egghardum, circumdedit urbem Brunswic fossatis & vallis, & munivit eam muro solenni, timens Imperatoris irruptionem & Principum Cæsari contra se faventium. Henricus Episcopus Lubicensis, secundum Chronicam Lubicensem, fundato opere novellæ plantationis, puta Monasterio S. Johannis in urbe eadem ipsam Ecclesiam consecravit in die S. Ægidii Abbatis, assistentibus ei Ethelone Præposito majoris Ecclesiæ & Odone Decano. Sed quia propter paucos reditus Episcopales eam dotare non poterat magnifice, contulit tamen eidem in dotem dimidiam villam Tangheveld, & aliam villulam Clene dictam, & tres dimidias decimationes in Gladeburge majori & minori, & in Stubbekestorp; curtes etiam in civitate suis propriis donariis comparavit, persolventes annuatim octo marcas; & quosdam agros dedit in campo ejusdem civitatis. Et ita omni devotione tenellæ plantationi insistebat non fine magna æmulatione quorundam, qui ejus studiis salutaribus invidebant.

Vicesimo quarto anno Frederici, qui est Domini MCLXXVIII. Equus quidam, secundum Egghardum, locutus est sessori suo, dicenti sibi: Bibe diabole; invitum, inquit, poteris me ad aquas ducere, sed me invitum non poteris adaquare. Fredericus Imperator, secundum Vincentium, Longobardiam repetiit ad obsidendam urbem Palea, quæ nunc Alexandria dicitur. Mediolanensis urbs iterum Imperatorem Fredericum offendit, secundum Egghardum, contra quos Cæsar omnes Principes Alemanniæ in suum auxilium vocavit, & præsertim Henricum Leonem, Ducem Saxoniæ & Bavariæ. Ad cujus imperium se omnes Principes paraverunt pariter & venerunt, præter Ducem Henricum, qui noluit contra civitatem illam venire, eo quod dominium quoddam in ea a civibus recepisset. Imperator ergo cum valida manu ipsam impugnans, tandem secundario eam expugnavit, & funditus eam destruxit. Ipsa iterum tamen in paucis annis restaurata est. Philippus Rex Francorum filius Lodowici, secundum Wilhelmum, patre suo adhuc vivente, sed paralysi gravi laborante in tantum juramenta exhorruit, quod, si etiam fortuito vel improvise miles quiscunque vel alius in taberna ludens, eo præsente jurasset, mox ipsum in flumen vel lacum projici jussisset. Quod pluries ab eo expertum est. Et ideo per edictum publicum tandem statuit hoc in posterum firmissime fore observandum.

Vicesimo quinto anno Frederici, qui est Domini MCLXXIX. Fredericus Imperator solennem curiam tenuit in Herbipoli, secundum Vincentium in Speculo, in qua congregati extiterunt plures Principes seculares & spirituales. Ad hanc curiam citaverat Imperator peremtorie Henricum Leonem Ducem Saxoniæ, Angariæ & Bavariæ. Cum autem jam tertio citatus, non compareret, de communi consensu omnium Principum, ab omni Ducatu, dignitate, gloria & honore militari, quos vel quas idem Dux in feodum a Romano Imperio acceperat, aut Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus & quibuscunque personis Ecclesiasticis receperat & tenuerat, destituitur & privatur, autoritate Imperiali. Facta est autem hæc destitutio & privatio in Geylehusem Dominica Judica. Chronica tamen Slavorum discrepat a prædictis, & de loco curiæ & de modo processus judicialis. Dicit enim sic: Imperator Fredericus reversus de Italia posuit curiam suam in Wormatia, & ad ipsam citavit Henricum Ducem Saxoniæ ad comparendum ibidem & ad respondendum objiciendis. Quod intelligens Dux Henricus, venire dissimulavit. Imperator autem aliam curiam posuit in Martipolim, id est Magdeburg, ubi Theodericus Marchio de Landesberg duellum contra ipsum Henricum Ducem expetiit, imponens ei quasdam Imperii traditiones. Verius tamen propter indignationem id factum fuisse creditur, quia Slavi excitati a Duce, omnem terram Marchionis illius, quæ Luzacia dicitur, irrecuperabiliter devastaverant. Ad hanc ergo curiam iterum citatus Henricus Dux sæpe dictus venire contemsit. In Haldesleve tamen constitutus, per internuncios colloquium Imperatoris expetiit. Imperator vero ad ipsum exivit ad locum placiti, quem Dux verbis compositis lenire studuit. Fredericus autem Imperator V. milia marcarum argenti puri ab eo postulavit, hoc dans ei consilium, ut hunc honorem Imperatoriæ Majestati deferret, & sic ipso mediante gratiam Principum, quos graviter offenderat, recuperaret. Illi autem durum est visum tantam persolvere pecuniam, & ideo non acquie-

Digitized by Google

acquiescens verbis Imperatoris abscessit. Exinde Imperator tertiam ei curiam Goslariæ præfixit, nec minus illam subsedendo neglexit. Imperator itaque procedens in concionis sententiam contra ipsum, quæsivit, quid super hæc justitia fiendum decernat, quod tertio legitime citatus & evocatus judicium declinasset, & per contemtum & contumaciam ad audientiam suam venire dissimulasset. Cui per sententiam Principum responsum est, quod justitia dictante, omni honore & dignitate sit destituendus, ita ut proscriptione publica dijudicatus, & Ducatu ac omnibus beneficiis & dignitatibus careat, & alter in locum ejus consurgat. Confirmata ergo sententia illa, Imperator id adjudicavit fieri, quartam tamen de superabundanti & ex rogatu Principum curiam ei indixit in Herbipolim. Ad quam cum venire contemsisset, fecit, ut ex sententia Principum instructus fuerat. Unde Bernhardum Comitem de Anehald pro eo Ducem Saxoniæ constituit, & Episcopis, ut sua reciperent, quæ in beneficiis ab eis habuerat, mandavit, ac bona ipsius publicari fecit. Dux vero audiens, se condemnatum & dignitatibus privatum, dixit, injuste secum fore processum, ex eo quod de Svevia esset, nec aliquem proscriptione posse damnari, nisi prius convictum in terra nativitatis suæ. Imperator autem ulterius contra ipsum sæviens, Ducatum Bayoariæ sive Bavariæ patruis Henrici Leonis dimisit, Ducatum vero Angariæ sive Westphaliæ dedit Ecclesiæ Coloniensi, pro eo quod Reynoldus Archiepiscopus Coloniensis ei fidelis coadjutor in expugnatione urbium Italicarum extitisset, & illo in tempore Henricus Leo ab Imperatore indignanter recedens, diœcesim suam invasisset, & vim gravem intulisset. A prædicto autem Comite Bernhardo, loco Henrici Leonis Duce Saxoniæ facto, omnes Duces Saxoniæ moderni processerunt. Philippus Archiepiscopus Coloniensis, secundum Wilhelmum, Ducatum Angariæ sive Westphaliæ accepit a Frederico Imperatore in beneficium perpetuum Ecclesiæ Coloniensi incorporatum. In cujus donationis firmitatem irrevocabilem dictus Philippus Archiepiscopus largitus est ad expensarum relevamen Imperatori prælibato VM. florenorum. Hic Philippus castrum Rynekke, quod Reynoldus ædificare inceperat, perfecit, & castellanis munivit. Fundavit etiam castrum Permund super Weseram flumen. Curtem autem in Sozato decenter ædificavit, & similiter in Rekelinghusen, insuper curtem in Brule, in Lechenich in Rudenque. Castrum quoque Aspele prope Reez fundavit. Emit etiam plura castra, puta Wassenberg, Rudeke, Deest, Olebugge, Are, Kempenich, Burgethen, Blankenburg, Dale, Nuwenburg, Froylbrecht, Tekeneburg, Wyschene, Iloye, Hagghene, Ytere, & plura alia. Proprietatem autem horum castrorum dedit Beato Petro, sed Principibus & terrarum Dominis dedit quædam ex eis jure feodali possidenda. Philippus iste coronavit Henricum filium Frederici Imperatoris in Regem Romanorum Aquisgrani. Odelricus Episcopus Halberstadensis, secundum Chronicam Saxonum, occupavit montem Hoppelberg, firmans illic præsidium, & adjuvabant eum manus orientalium Principum. Quod audiens Henricus Leo destitutus Dux, venit illic cum multitudine armatorum, & fugatis hostibus, fregit munitionem. At illi, resumtis viribus, cœpto operi institerunt; cumque secundo eis occurreret Henricus Leo, illi invalescentes, exercitum Henrici in fugam verterunt, & pluribus captivatis, spolia multa abduxerunt. Multi etiam perierunt ibidem suffocati in locis palustribus. Defunctus est etiam tunc temporis Henricus Comes, vitricus Comitis Adolfi Nordalbingiæ adolescentis, cujus mater Mechtildis prudens & religiosa relicta Adolfi a Slavis nuper interfecti, domum illius & Comitiam prudenter regebat. Philippus Archiepiscopus Coloniensis, secundum Continuatorem Chronicæ Slavorum, fortem contraxit exercitum, & in manu valida pertransivit cunctam terram Henrici Leonis, & timuerunt omnes a facie ejus. Facta autem sunt abominabilia mala in persecutione ista, eo quod viri iniqui & filii Belial, qui comitabantur cum eo, nequissimi essent in sceleribus perficiendis. Factæ autem sunt cimiteriorum deprædationes, exustiones Ecclesiarum, & multa loca religiosa destructa sunt, ita ut, quod actu est gravius, sponsas Christi quasi captivas abducerent, & eas prostituendo, templa Dei non manufacta libidinose pollucrent. Quis non gemat, quod Sacerdoti sacrosanctis mysteriis insistenti non pepercerunt, sed impingentes in ipsum, necdum plene completis sacramentis calicem de manu ejus rapuerunt. Multa etiam alia sceleratissimi illi perpetraverunt, quæ propter enormitatem fuit horribile scribere. Philippus autem Archiepiscopus Coloniensis procedens usque Haldesleve, quam Wichmannus Archiepiscopus obsederat, cum Principibus orientalibus confortans manus eorum, reversus est in locum suum, non tamen sine gravi compunctione; quia propter eum occasio multorum malorum data fuerat. Crevit autem obsidio in menses & dies, eo quod Bernhardus Comes de Lippia, præfectus urbis illius, vir strenuus valde esset & in militia exercitatus, ac locus palustris ob hyemis mollitiem expugnari non posset. Cumque tædio diutini laboris deficerent, tandem quoddam novum genus expugnandi excogitaverunt, ut scilicet aquarum inundantia eam suffocarent. Cumque vallo facto excogitatum opus constantissime peragerent, aquæ usque ad trabes domorum excreverunt, sed adhuc veri bellatores civitatem tenuerunt. Tandem conditione interposita, Bernhardus cum suis liber egreditur, & civitas funditus destruitur. Hartwicus Bremensis Archiepiscopus obiit, cui in sedem successit Baldewinus, secundum Continuatorem Chronicæ Slavorum. Hic multum neglexit *Ecclesiam suam, & ideo de ipsius conversatione melius est silere quam loqui. Quo decedente, electus est in Pontificem Dominus Bertoldus, vir prudens & literatus valde. In isto quidem electio Henrico Duci destituto

stituto primo complacuit, sed postea mutata voluntate displicere cœpit. Et quia in eo infra sacros ordines celebrata est electio, visum fuit ipsi electo minus canonice electionem in eo factam fuisse. Unde missa legatione ad Dominum Apostolicum, ipse omnem seriem electionis sibi intimavit, submittens se suo judicio, ut si eam approbaret, rata maneret, si vero non, irrita haberetur. Papa autem cognita viri prudentia, & quia multum fructum in Ecclesia Dei facere posset, electionem ipsius approbavit, & per scripta sua eum confirmavit. Bertoldus ergo promotus ad Ordinem Subdiaconatus, denuo in Pontificem electus est, ut siquid in priori electione minus canonice factum fuisset, eo ad sacros Ordines promoto, Apostolica autoritate legitime suppleretur. Interim Alexander Papa convocato iterum Prælatorum Concilio Romæ in palatium Constantini, & pergebant illic multi Episcopi, & multi ordinati a schismaticis, sperantes, se gratiam Apostolici invenire ad exequendum officium suum. Et præcipue venerunt de Ecclesia Halberstadensi, quæ per Geronem nimis dilapidata erat, tam Monachi quam Clerici, & clementiam Apostolicæ sedis quæsierunt. In qua quidem profectione erat Thidericus de Hilleneburg, quia fere tota congregatio Monachorum suorum in salicibus organa sua suspenderant, exceptis paucis senioribus, qui ante schisma ordinati fuerant. Cumque omni instantia laborassent, postulantes Apostolicam pietatem, tandem de ordinatis a Gerone dispensatum est, ut, quia idem Gero non a schismatico, sed a Catholico Hartwico Bremensi Archiepiscopo ordinatus & consecratus fuerat, ordinati ejus per gratiam, Apostolicam in receptis Ordinibus perstiterunt, & ad majores per benedictionem ascenderunt. Ipse etiam Gero hanc obtinuit gratiam ut officium Pontificale in omni loco libere exequeretur, præterquam in Episcopatu Halberstadensi. Venit etiam illuc Bertoldus Electus Bremensis, recepturus in promotione officii sui Apostolicam benedictionem. Quem Dominus Papa benigne suscipiens, omnem honorem ei deferebat, ita ut in Concilio Prælatorum cathedram suam inter summos Pontifices collocaret, & eum infulatum coram se residere faceret. Cumque in proximo Sabbato promovendus esset in Sacerdotem, & sequenti Dominica in Episcopum, feria sexta ad vesperam venit nuncius Henrici Ducis, scilicet Præpositus quidam, qui acutissimus erat perorator. Et quia idem notus erat summo Pontifici, statim intravit ad ipsum. Mane autem facto, cum se Bremensis Electus ad recipiendos ordines præpararet, & ei Hubaldus Cardinalis, qui post Alexandrum factus est Papa, in quo sententia Romani consilii pendebat, præparaturam suam deputasset, clamatum est a cubiculariis Papæ. Veniant Bremenses. Venit ergo Dominus Bertoldus Electus cum suis, & Dominus Apostolicus egressus de cubiculo suo dixit ad eum: Frater, quia infra sacros ordines ad dignitatem Pontificalem electus es, cassamus electionem tuam. Cumque quidam astantium dicerent: Domine, meminerit pietas vestra, quod electionem ipsius approbaveritis. Apostolicus autem in cubiculum, unde egressus fuerat, reversus est. Bertoldus autem non sine rubore magno discessit, in cujus locum postea electus est Sifridus filius Adelberti Marchionis, cui Henricus Dux in omnibus assistebat propter patrem suum.

Vicesimo sexto anno Frederici, qui est Domini MCLXXX. secundum Vincentium, Alexander Papa Fredericum Imperatorem & Emanuelem Regem Græcorum Wilhelmumque Siculum ac Lombardos ad concordiam reduxit. Evermodus Episcopus Ratzeburgensis defunctus est, vir religiosus valde, secundum Continuatorem Chronicæ Slavorum. De hoc Sancto Patre fertur, quod cum quodam tempore Henricus Comes de Ratzeburg duos captivos haberet insignes de Frisia, & eos tyrannico more crudeliter tormentaret, Evermodus Episcopus eis compatiens, sæpius Comitem, ut eos absolveret, exorabat. Sed ille nulla motus miseratione, minime eis parcebat. Inter hæc dies Paschalis superveniens, captivi pro reverentia festi divinis intererant, sub custodia tamen durissime compediti. Cumque Episcopus, facta aspersione, ad eos devenisset, catenas aqua benedicta miseratione ductus aspersit his verbis: Dominus solvit compeditos: Dominus erigit elisos. Et mox cum magno strepitu catena crepuit, & illi soluti Deum glorificabant. Hæc in monte S. Georgii acta sunt, ubi tunc Sedes Episcopalis erat. Boya autem sive catena ad indicium rei gestæ in Ecclesia multis diebus pependit. Alio quoque tempore memoratus Præsul cum Domino Hartwico Archiepiscopo Bremensi in Dithmarica erat in quodam colloquio. Cum vir Dei missam publice præsente Archiepiscopo celebraret, accidit, ut effusione sangvinis facta, quidam Dithmarcus quendam de melioribus terræ occidisset. Quod cum innotuisset Episcopo, ad reconciliationem laborare studebat, & ut moris est, inter missarum solennia illum, cujus cognatus ciciderat, obnixe deprecabatur, ut proximo suo indulgeret, replicans de Oratione Dominica: Dimitte nobis debita nostra, &c. Cumque ille tumida mente induratus, hoc nullo reputaret (modo), Episcopus de altari descendens, ad ipsum accessit, & cum Sanctorum reliquiis ad pedes illius se projecit. Cumque ille juramentis terribilibus per Deum & Matrem ipsius se ipsum constrinxisset, nunquam sibi hoc dimissurum, Episcopus pro benedictione contradicenti alapam maximam dedit. Et mox ille promtissime manibus extensis quod petebat, annuit, & proximum ad pacem & misericordiam recepit. Quod divinitus factum credimus, & per alapam dæmonem fugatum. Huic sancto viro successit Sifridus, prius quidem Præpositus in Gerthowe, vir bonæ opinionis. Odalricus Episcopus Halberstadensis, secundum Egghardum, omnibus modis importune Henrico Leoni Duci destituto resistebat, ita ut excommunicationis maledicta in eum sæpius proferret. Facta autem suspen-

Digitized by Google

ſuſpenſione divinorum in toto Epiſcopatu illo, tantum in Monaſteriis ſub ſilentio divina celebrabantur, januis clauſis tamen propter excommunicatos. Dux autem valde timens excommunicationem, venit in Halberſtad cum ſuis, & in contritione cordis humiliatus eſt ad pedes Domini Epiſcopi, & ſolutus eſt a vinculo anathematis tam ipſe quam ſui. Et facti ſunt amici ad invicem Dux & Epiſcopus, ſed tamen modico hoc duravit tempore. Nam idem Epiſcopus impatiens otii & quietis erat, & iterum occaſione accepta additus eſt inimicis ſuis, & multa contra ipſum moliri cœpit; & factus noviſſimus error pejor priore. Wichmannus Archiepiſcopus Magdeburgenſis, ſecundum Egghardum, reduxit Henricum Leonem in gratiam Imperatoris cum filiis, ſcilicet Ottone, qui poſtea factus fuit Imperator, Henrico & Wilhelmo tali conditione interpoſita, ut renunciaret omni impetitioni & juri, quod habuerat in Ducatibus, puta Bavariæ & Saxoniæ ac Angariæ, juribus illis demtis, quæ in Dominiis habebat Brunſwicenſi ſcilicet & Luneburgenſi, quod efficaciter fecit. Cum hoc & abjuravit terram propriam in tribus annis ſe non viſurum, ſed exilium per triennium illud patienter ſe paſſurum ſpopondit. Et ſic ipſe & filii ſui fere per ſpatium LVI. annorum nullum alium titulum habuerunt præter illum, quod Domini nuncuparentur de Luneburg & Brunſwic usque ad Ottonem filium Wilhelmi, quem Fredericus II. fecit Ducem, & Dominium illud Brunswicenſe commutavit in Ducatum, ut ſuo loco patebit. Hæc tamen reconciliatio pariter & abjuratio terrarum potius facta videtur & verius, ſecundum Continuatorem Chronicæ Slavorum, anno XXVIII. Frederici Imperatoris, ut clare patere per bella ſubſequentia per eum & cum eo facta & habita. Henricus Leo Dux deſtitutus, ſecundum Continuatorem Chronicæ Slavorum, congregato exercitu, direxit ipſum in Angariam, quæ nunc Weſtphalia dicitur, per manus Adolfi Comitis de Schowenburg, Bernhardi Comitis de Ratzeburg, Bernhardi Comitis de Welpe, Guntzelini Comitis de Swerin, Ludolfi Comitis de Harlemund & Wibrandi fratris ejus, ut pugnarent contra inimicos ſuos, qui fines ſuos in partibus illis occupabant, puta contra Simonem Comitem de Tekenenburg, Hermannum Comitem de Ravensberg, Henricum Comitem de Arnsberg, Widekinum Comitem de Swalenberg, & alios plures, & ſederunt contra Oſenbrugge urbem. Cumque appropinquaſſent hoſtes, attriti ſunt Weſtphali plaga magna, eo quod Saxones, qui Holtzati dicuntur, viri ſint absque miſericordia & humani ſangvinis avidiſſimi effuſores, & non parcit oculus eorum ætati vel ſexui. Unde hi omnes, quos oppoſitos habebant, inſatiabiliter neci tradiderunt. Plures tamen a militibus in captivitate ducti ſunt, inter quos præcipuus extitit Simon Comes de Tekenenburg, qui a Henrico conjectus in vincula, conſtrictus manicis ferreis jacuit. Poſtea tamen ſolutus a vinculis, ſub juramento fidem faciens, factus eſt Duci Henrico fideliſſimus, & in omni illa controverſia ſecum fideliter perſeverabat. Facta eſt autem diſceptatio inter Henricum Leonem & Adolfum Comitem ac cæteros Nobiles de captivis. Dixit autem Henricus ſui juris eſſe, ut omnes captivi ſibi redderentur. Cui conſentiebat Guntzelinus Comes de Swerin. E contra alii dicebant, ſe ſtipendiis propriis militare, & ideo juſtum eſſe, ut de captivis ſuam partem reciperent. His contradictionibus Adolfus Comes animum Henrici Ducis ad amaritudinem magnam provocavit, & ex illo die ſeminarium diſcordiæ inter illos pullulavit & crevit.

Viceſimo ſeptimo anno Frederici, qui eſt Domini MCLXXXI. Odalricus Halberſtadenſis Epiſcopus, ſecundum Egghardum, zelo ductus antiquæ æmulationis, multis perturbationibus Henricum Ducem deſtitutum infeſtavit, ex quibus Eccleſiæ ſuæ gravis jactura eſt ſubſecuta. Nam cum ſæpiſſime eruptiones fierent de Halberſtad & de Horneburg caſtro, & ſuccenderentur villæ Henrici, & homines ſui aut mutilarentur, aut occiderentur, aut captivi ducerentur, tanta motus inquietatione, coadunatus amicorum ſuorum turmis, eas in partes illas miſit. Abeuntes ergo, exuſtiones & deprædationes villarum multarum fecerunt. Venientes tandem Halberſtad, ſine reſiſtentia magna civitatem obtinuerunt. Facta ergo diſcurſione per urbem, multa ſpolia acceperunt, urbe adhuc illæſa permanente, quæ undique clauſa & munita fuerat, in qua Dominus Epiſcopus cum multitudine armorum conſiſtebat. Providentia vero civium, qui periculum incendii timuerant, proviſum fuit, ut in tota civitate ignis non inveniretur, nec multum ab hoſtibus quærebatur ignis, eo quod propter ſanctimoniam loci parcerent urbi. Cumque unus in loco uno conturatum inveniſſet ignem, ex eo calam quandam incendit, & mox creſcente incendio tota civitas conflagrata eſt. Major etiam Eccleſia S. Stephani & Eccleſia B. Virginis cum omni ornatu ſuo exuſtæ ſunt, ac multitudo Clericorum, quæ quaſi in aſylo ſe receperat, cum ſuis ſanctis locis incinerata eſt. Dominus quoque Odalricus Epiſcopus in domo propria igne circumdatus, cum ſuo cognato Romaro Præpoſito & aliis multis captivatus eſt. Reliquiæ quoque B. Stephani quaſi ſemiuſtæ adductæ ſunt. Depopulata ergo urbe, ſacrilegi illi reverſi ſunt Brunſwic. Henricus autem cum audiſſet civitatis deprædationem & vidiſſet captivorum multitudinem, lætatus eſt valde. Sed cognita incineratione tantarum Eccleſiarum, & tot Clericorum, videns quoque Dominum Epiſcopum cano capite grandævum captivum adductum, reliquias inſuper B Stephani ſemiuſtas cernens, & ſqualore incendii fuſcatas: dejecta facie ubertim lacrymas fudit, præter voluntatem ſuam hæc facta conteſtans. Nec tamen ad præſens captivitatem illam relaxavit, ſed Odalricum Epiſcopum Ertneburg deduci juſſit, & honeſte tamen ſub cuſtodia, tractari fecit. Quem Mechtildis Duciſſa religioſa Domina, filia Henrici Anglorum Regis, pro reverentia Sacerdotii ve-

vestibus decentibus induebat, & de necessariis copiose sibi providebat. Romarus vero consangvineus in castro Sigeberg sub custodia tenebatur. Interea homines de Hornburg injurias Domini sui vindicare volentes, frequenter insultum in homines Ducis Henrici fecerunt, villas eorum incendiis vastando. Unde Henricus offensus exercitum misit, & castro exusto, in solitudinem illud redegit. Post hoc in Nativitate Domini diem solennem egit Dux in Luneburg, & vocans Odalricum Episcopum, statuit cum eo conditiones pacis. Et relaxata captivitate, cum honore ipsum ad propria remisit. Veniens autem Episcopus in Huseburg, infirmitate gravatus lecto decubuit, & crescente dolore, vitam ibidem terminavit. Adveniente autem Maji mense, cum expeditione magna intravit Henricus Thuringiam, & Northusen urbem igne combussit. Cui occurrit Lodowicus Lantgravius cum multitudine armorum. Cum quo prælio commisso, ipsum captivavit cum fratre suo Hermanno Palatino, Thuringis multis vel occisis aut fugatis. Exaltatum est ergo cor Henrici Leonis destituti, & reversus est Brunswic in gaudio cum multitudine captivorum militum & militarium, ac spoliis multis. Cumque una dierum intraret ad eum Adolfus Comes Holtzatorum, congratulando ei de victoria, & licentiam petendo redeundi ad propria: Guntzelinus Comes de Zwerin verbis calumniatoriis eum in conspectu Henrici Ducis alloqui cœpit, & diversa infidelitatis opera sibi improperavit. Sed Adolfus sufficienter se expurgans de objectis, cum commotione & ira magna a Duce recessit, imputans Henrico Duci destituto, quod tales injuriosas oblocutiones sibi Guntzelinus ex impositione sua fecisset. Unde alienatus est a Ducis amicitia cum multis Nobilibus sibi faventibus. Et sic infirmata est pars Henrici notabiliter ex recessu eorum. Henricus autem ut cognovit, quod defecisset ab eo Adolfus, occupavit omnem terram ejus trans Albiam, & expugnavit castrum Plüne, & ejectis suis hominibus, collocavit illic Martradum Præfectum Holtzatorum. Castrum vero Sigeberge, quia inexpugnabile erat, diutina illud obsidione vexavit per Bernhardum Comitem de Ratzeburg, quod Mechtildis mater Adolfi Comitis fortiter tenebat. Exsiccata tandem castri cisterna, sitiebant hi, qui in castro obsessi erant, & necessitate compulsi sub conditione pacis castrum dederunt. Et præfecit Henricus castro Lippoldum quendam natione Bavarum, virum prudentem & strenuum. Domina vero Mechtildis cum suis abiit in Schowenburg. Porro Adolfus cum amicis & cognatis suis Honroth castrum cepit & destruxit, quod e regione castri sui ultra Wyseram fluvium Conradus de Rothe ædificaverat. Henricus autem Leo Dux destitutus vexilla omnium, de quibus victoriam ei Deus concesserat in anno præcedenti de Westphalis coram Osnaburga, puta Simonis de Tekenenburg, Hermanni Comitis de Ravensberg, Henrici Comitis de Arnsberg, & Wedekini Comitis de Swalenberg, ac vexilla Thuringorum, quos coram Northusen viceret & Molhusen urbibus Imperii, puta Lodowici Lantgravii & Hermanni Palatini, nec non Odalrici Episcopi Halberstadensis secum detulit Brunswic, & posuit ea in Ecclesia S. Blasii, ubi pendent hodierna die. Ad captivos autem redimendos missus fuit nigromanticus quidam cum legatis. Quod cum Dux Henricus percepisset, quasi gratis eos libertati dedit, dicens: Nolo, quod vos diabolo tradatis, cum sitis consangvinei mei. Illis autem diebus ædificavit Henricus Leo duo castra in terra sua, puta Langhensteen & Horneburg, ut ab ipsis se defenderet de hostibus suis. Kazimarus Dux Pomeranorum defunctus est, secundum Chronicam Slavorum, Henrico Leoni amicissimus. Et defecerunt per obitum dicti Principis Slavi de favore Henrici Ducis, eo quod Bugzlaus Imperatori conjunctus esset, & ei hominium fecisset, & tributa solveret. Fredericus Imperator videns, quod Comites & Nobiles plures a Henrico Leone Duce destituto recessissent, secundum Egghardum, venit in Saxoniam, & timuerunt valde omnes viri bellatores in castris Ducis existentes. Et eo appropinquante castris, castrenses Saxones timore ducti omnia castra firmissima in potestatem Cæsaris tradiderunt. Multi etiam ministerialium ejus, qui a cunabulis Duci servierant, ut Henrichus de Wicha, Lippoldus de Hertesberg, Ludolfus de Peyna, & alii plures recesserunt ab eo, & Imperatori se subdiderunt. Invaluit ergo Imperator, cum obtinuisset castra firmissima, puta Hertesberg, Lichtenberg, Blankenburg, Heymburg & Rhegensteen, & convertit exercitum suum ad expugnandum Leuenburg, quod tamen post paucos dies traditum est in manus ejus. Tunc Imperator veniens, occupavit montem excelsum prope Goslariam, qui Mons fractus dicitur, id est Brokenberg, & reædificavit ibidem castrum Hartesburg, firmans ipsum valido muro. Hunc montem olim firmissime ædificaverat Henricus IIII. Imperator, contra quem filius suus Henricus surrexit, & ipsum de Regno expulit. Cum in festo Nativitatis Christi, secundum Continuatorem Chronicæ Slavorum, Henricus Leo Dux destitutus solennem diem ageret in Luneburg, cœpit ipse Henricus incusare coram Nobilibus suis Bernhardum Comitem de Ratzeburg de conspiratione contra ipsum facta, imponens ei notam perfidiæ & traditionis. Cumque Comes ad objecta nihil digne responderet, captivavit ipsum Dux Henricus cum Volrado filio suo, & veniens Ratzeburg cum exercitu, obsedit castrum. Cui succurrerunt Lubicensis urbis cives in navibus multis, cum machinis & bellicis instrumentis, & crevit in dies obsidio & populos. Necessitate ergo compulsi, qui castrum inhabitabant, tradiderunt ipsum Duci. Bernhardus autem Comes, quem Dux Henricus secum duxerat, coram castro Ratzeburg lapsus de manibus Ducis, fugit cum uxore sua & filiis in Godebuz. Quem mox secutus Henricus, expugnavit castrum Godebuz, & spolia multa ibidem accepit. Fugiens autem Bernhardus

Digitized by Google

hardus Comes ad Bernhardum Comitem de Anahald factum Ducem Saxoniæ per Imperatorem, apud eum se continuit. Henricus ergo Leo, ejectis omnibus de favore Bernhardi Comitis existentibus, solus potitus est omni terra, & cœpit munire castra capta, puta Ratzeburg, Godebuz, Sigeberg & Plune, plurimum confidens in potentia sua & victoriis suis.

Vicesimo octavo anno Frederici, qui est Domini MCLXXXII. Fredericus Imperator totus infusus finibus Henrici Leonis Ducis destituti, secundum Continuatorem Chronicæ Slavorum, in manu valida intravit terram ejus, ejecturus ipsum de terra sua. Timens autem, ne post ipsum insurgerent insidiæ, Philippum Archiepiscopum Coloniensem cum suis Principibus præcepit observare Brunswic. Bernhardus vero Dux Saxoniæ & Otto Marchio Brandeburgensis deputati sunt Bardewic propter Luneburgensium insidias. Ipse vero Imperator in comitatu suo habens Bolizlaum Ducem Bohemiæ, Ottonem Marchionem Misnæ, Wichmannum Archiepiscopum Magdeburgensem, Fredericum Episcopum Babenbergensem, Abbates Fuldensem, Corbeyensem & Herseveldensem, cum multo robore militari Suevorum, Bayoarorum, Francorum, & convertit exercitum suum versus Albiam. Appropinquante autem Imperatore partibus Henrici, Lodowicus Lantgravius & Hermannus Palatinus, quos Henricus Leo adhuc captivos in Luneburg tenebat, ducti sunt in Sigeberg, & ibidem artius sunt custoditi. Henricus autem Leo Dux destitutus tunc temporis erat Lubeke constitutus, muniens civitatem illam, & erigens multas machinas. Quibus dispositis, in die Apostolorum Petri & Pauli abiit Dux Ratzeburg. Mane autem facto sequentis diei, inde transiens, iter suum direxit versus Albiam. Quem secuti sunt omnes, qui in castro erant, quasi deducentes eum cum gaudio. Videntes autem hi, qui de parte Bernhardi Comitis eorum ibidem remanserant, quod vacuum esset castrum, repente occupaverunt illud, & capta arce, concluserunt valvas ejus, & quotquot remanserant de familia Henrici, ejecerunt foras. Audiens ergo Henricus Leo, quod factum erat in Ratzeburg, frendens animo reversus est ad castrum, & invenit contra se obstinatos animos illorum. Tunc misit repente ad Lippoldum in Sigeberg, & Plüne ad Martradum, ut quantocius venirent cum Holtzatis, si forte possent ejicere eos, quia pauci erant. Interim venit, qui diceret, jam appropinquare Cæsarem; & sic imperfecto negotio relicto, abiit amarus valde indignatione animi sui, & venit Ertheneburg. Ubi videns, appropinquare castra Cæsaris, succendit ipsum castrum, & ingressus naviculam, per devexa Albiæ proficiscens, abiit Stadis. Fredericus vero Imperator, transito flumine Albiæ, venit tandem prope Lubeke, & occurrit ei exercitus Slavorum & Holtzatorum. Woldemarus quoque Rex Danorum cum multa classe navium venit ad ostium Trabenæ, & obsessa est urbs Lubicana terra marique. In civitate vero Lubeke erant Simon Comes de Tekenenburg, & Bernhardus Comes de Aldenburg Frisiæ, Bernhardus Comes de Welpe, & Martradus Præfectus Holtzatorum cum Emekone de Nemore, & quibusdam aliis Holtzatis, viris strenuis, & multitudine magna civium. Rex vero Woldemarus cum multo comitatu veniens ad præsentiam Imperatoris, se sibi in omnibus familiarem exhibuit, & filiam suam filio suo Henrico Duci Svevorum desponsavit. In illo autem tempore obsidionis Dominus Henricus Episcopus Lubicensis in urbe erat, quem adeuntes Burgenses dixerunt: Rogamus Sanctitatem Vestram, Venerande Pater, quatenus ad Dominum Imperatorem exeatis, & ei verba nostra intimetis sub hoc tenore: Domine Imperator servi vestri sumus, & Imperatoriæ Majestati Vestræ servire parati sumus. Sed quid contra vos fecimus, quod tanta obsidione a vobis conclusi sumus? Civitatem istam hactenus ex munificentia Domini nostri Henrici Ducis inhabitavimus, quam etiam ad honorem Dei & robur Christianitati ædificavimus. Hanc ergo in manus vestras non trademus, sed ipsius libertatem viribus & armis, quantum possumus, constantissime tuebimur. Hoc tamen rogamus apud Magnificentiam Vestram, ut data conditione pacis eamus ad Dominum nostrum Ducem, percunctaturi ab eo, quid sit faciendum, qualiter & nobis & civitati nostræ in præsenti calamitate sit consulendum. Qui si liberationem nobis promiserit, justum est, ut ei civitatem servemus: sin autem, quod placitum est in oculis vestris, faciemus. Quod si facere nolueritis, sciatis, omnes nos pro defensione civitatis nostræ magis optare honeste mori, quam fidei violatores permanentes inhoneste vivere. Henricus ergo Episcopus ad voluntatem civium urbem exiit, & ad Imperatorem properans, verba sibi commissa fideliter peroravit. Fredericus vero Imperator gavisus de adventu Episcopi, eo quod pro fama bonæ opinionis ipsum diligeret, sic ad ipsum ait: Multum quidem gaudemus de adventu vestro, venerande Pater, & admodum gratum habemus frui vestro aspectu & colloquio. Sed quod cives vestri arrogantiam verborum nobis offerunt, ac quod civitate mox nobis non aperiunt, credimus, quod nec vobis nec alicui, qui sanæ mentis est, justum esse videatur. Fatemur quidem, hanc nostræ munificentiæ (f. nostra munificentia) quandoque nepotis nostri Henrici fuisse, sed ex quo ille propter suam contumaciam decreto omnium Principum publicam proscriptionem meruit, justissime hanc nostro vendicamus titulo. Et nunc quidem valet manus nostra reddere eis, quod meruerunt. Sed quia nos censura justitiæ omnibus magis patientiam exhibere oportet quam vindictam: ecce in hoc eis consentimus, ut, sicut postulant, eant ad Dominum suum, & cum eo de statu suo conferant, unum scientes, si in redeundo nobis urbem non aperuerint, graviorem de hac mora sentient ultionem. Episcopus ergo reversus in civitatem, civibus, quæ a Cæsare audierat, nunciavit. Qui sine mora accepto conductu iverunt Stadium, ubi

Digitized by Google

ubi Dux erat. Imperator autem considerans invaletudinem Episcopi, quia crebris accendebatur febribus, misit ad ipsum Physicum suum, ut remediis oportunis ei subveniret. Post aliquot autem dies Burgenses reversi cum Guntzelino Comite de Swerin, ex præcepto Ducis in manus Cæsaris civitatem tradiderunt. Verum antequam civitatem ei aperuissent, exierunt ad eum rogantes, ut libertatem urbis, quam a Duce prius acceperant, obtinerent, & justitias, quas in privilegiis scriptas haberent, ac terminos, quos in pascuis, sylvis & fluviis huc usque possederant, ipsius autoritate & munificentia possidere valerent. Imperator vero annuit petitioni eorum, & non solum ista confirmavit, sed & plura superaddidit. Et quicquid a Duce de teloneo ad stipendia Canonicorum in Lubeke & Ratzeburg deputatum fuerat, ratum judicavit. Concessitque eisdem civibus gratiose, ut amplius caput essent omnium civitatum maritimarum, & quod Consulatus eorum aurum deferre posset, & eo uti, ut milites. Et insuper omnes impræsentiarum de Consulatu existentes & in perpetuum futuros assumsit de speciali gratia in Consiliatores Imperii. Comiti autem Adolfo medietatem tributorum totius urbis de teloneis, molendinis & trapezitis in beneficium dedit, eo quod multum Imperio serviviſſet, & propter ipsum ad tempus exilium passus fuisset. Et ita ingrediens urbem, magnifice susceptus est cum hymnis & canticis a Clero & populo. Aliquot ergo diebus transactis, Imperator inde regrediens transivit Albiam, & castra metatus est prope Luneburg ad plagam occidentalem. Henricus autem Dux in urbe Stadii erat constitutus propter loci firmitatem. Maximo enim vallo civitatem illam circumdederat, & munitiones fortissimas cum machinis ibidem construxerat. Videns autem Henricus Leo in arto se positum, rogavit per nuncios Imperatorem, ut salvo conductu suo venire valeret Luneburg, sperans aliquo pacto apud ipsum misericordiam invenire. Qui cum inter Erthneburg & Bardewic conduceretur, occurrit ei multitudo militum de castris Imperatoris, pacifice ipsum salutantes. Quibus resalutatis, non consveveram, ait, in his conductum alicujus accipere, sed potius dare. Et ita veniens Luneburg, omnibus modis per internuncios animum Imperatoris lenire studuit. Captivos etiam suos, puta Lodowicum Lantgravium & Hermannum Palatinum fratrem suum de captivitate laxavit, sperans, se beneficiis his aliquam gratiam mereri. Nihil tamen gratiæ inde consecutus est. Imperator autem inde proficiscens, curiam apud Qvedelingburg ei præfixit, ut ibi inter Principes, quid de eo fieri deberet, justitia mediante decerneretur. Unde gavisi sunt omnes amici Henrici Leonis, sperantes aliquid boni ibidem pro eo ordinandum fore. Ubi cum nihil de causa sua tractatum fuisset propter seditionem inter ipsum & Bernhardum Ducem Saxoniæ adversarium ejus Cæsar aliam curiam ei in Erphordiam indixit. Tunc autem temporis Sifridus Archiepiscopus Bremensis in plenariam restitutionem recepit Stadium urbem cum aliis, quæ ante Henricus Leo de Ecclesia Bremensi possederat. Sexcentas tamen marcas argenti Philippo Archiepiscopo Coloniensi persolvit, quem rogaverat, ut cum exercitu veniens, stadium expugnaret. Comes ergo de Ratzeburg Bernhardus & Adolfus Comes de Schowenburg & Holtzatia castra & provincias suas per Imperatorem recuperaverunt. Henricus autem Leo veniens ad curiam sibi præfixam, se totum submisit gratiæ Imperatoris, projiciens se ad pedes Imperatoris. Quem de terra levans, osculatus est non sine lacrymis utriusque. Et licet Cæsar sibi misertus libenter fuisset, propter jusjurandum tamen in præsentiarum hoc facere non potuit. Denique cum omnes Principes ad dejectionem ipsius aspirarent, juravit eis per thronum regni sui, nunquam ipsum in gradum pristinum restiturum, nisi fieret id de beneplacito omnium. In hoc tamen circa ipsum dispensatum est, quod patrimonium suum, ubicunque terrarum esset, sine omni contradictione liberrime possideret. Henricus ergo destitutus Dux per triennium terram suam abjuravit, ut infra tempus illud terram suam nullo modo intraret, nisi per Imperatorem revocaretur. Profectus est ergo ad generum (socerum) suum Henricum Regem Anglorum cum uxore & liberis, & apud eum moratus est omni illo tempore. Quem Rex Angliæ honestissime recipiens, ipsum quasi Principem super Regnum suum constituit, & omnes qui secum exulabant, donis multis dotavit. Unde quidam Metrista super casu isto lugubri hos versus fecit:

Quicquid inest mundo, mutatur prætereundo,
Quæ steterant fundo stabili, trepidant ut arundo,
Gloria, Majestas, virtus, mundana potestas
Res subeunt mœstas, quas & consumit egestas,
Vana salus hominis, (claudit miser omnia finis,)
Vis perit a Dominis. Vana salus hominis.
Pompa perit facilis, prosapia cessat herilis:
Mors premit hanc similis. Pompa perit facilis.
Cuncta cacumina, cœli lumina sunt ruitura.
Sola per omnia stabunt tempora secla futura.
Hinc (sit) gloria, laus, victoria cunctipotenti,
Qui novit (movet) omnia, & (qui) regit omnia lege potenti. Amen.

De Lucio III. PP. CLXXIX.

Lucius Papa, natione Tuscus, qui & Humbaldus dictus, ex patre Florentio, sedit annis IIII. & mensibus II. Hic instituit, ut in missa Presbyteri concubinarii, quamdiu ab Ecclesia toleratur, & quamdiu non est condemnatus, potest audiri sine peccato mortali, & possunt ab eo recipi Ecclesiastica Sacramenta. Iste etiam ab urbe expulsus est, & multi ex suis turbati, oculis sunt privati, multi quoque in asinis positi,

Digitized by Google

ti, & eversis vultibus de urbe sunt portati & evecti, secundum Martinum.

Vicesimo nono anno Frederici, qui est Domini MCLXXXIII. Henrico Leone in exilio degente, secundum Chronica Saxonum, Bernhardus Comes de Anehald accepit Ducatum Saxoniæ, Adolfus vero Comes de Schowenburg duxit uxorem filiam Comitis de Dassele, agente hoc Philippo Archiepiscopo Coloniensi, cujus propinqua erat. Cumque Adolfus obtinuisset omnem terram patris sui, ejecit omnes inimicos suos de terra, qui in diebus Henrici Leonis contra eum senserant, puta Martradum Præfectum Holtzatorum, pro quo quendam Siricum nomine substituit, & Heyneconem virum strenuum, ac plures alios, quorum quidam transeuntes ad Regem Danorum, morati sunt apud ipsum. Alii vero ad Bernhardum Comitem de Ratzeburg euntes, tempus exilii sui peregerunt. Bernhardus autem Dux Saxoniæ cum Ottone fratre suo Marchione veniens Erthneburg, magnificum se illic exhibuit, & nobiliores terræ adesse præcepit, ut receptis ab eo beneficiis suis hominium ei facerent, & fidelitatem ei per sacramenta jurarent. Cumque se ei exhibuissent, Bernhardus Comes de Ratzeburg, Jordanus Comes de Dannenberg, Henricus Comes de Lowthe, & Guntzelinus Comes de Zwerin, expectatur Adolfus Comes de Schowenburg & Holtzatia, sed non venit. Unde ipsum Dux suspectum habere cœpit, & exinde occasiones discordiæ inter eos exortæ sunt. Bernhardus autem Dux eo tempore ædificare cœpit Lovenburg super litus Albiæ ad orientalem plagam de Erthneburg, & desolato hoc castro, murum, quo cingebatur, destruxit, & ex lapidibus illis castrum suum novum fundavit & firmavit. Transitum etiam navium, qui ibi erat, apud Lovenburg esse præcepit. Sed cives Lubicenses coram Imperatore conquesti sunt de mutatione illa, quod propter longiorem & difficiliorem viam, maximam haberent in transcundo difficultatem. Quapropter præcepit Imperator, ut apud Erthneburg naves Albiam transirent, ut prius. Dux ergo Bernhardus volens nominis sui ostendere potentiam, novis exactionibus provinciales suos gravare cœpit, & ideo Principatus ipsius versus est sibi in odium, & gloria ejus ad nihilum redacta est. Sifridus quoque frater ejus Archiepiscopus Bremensis Comitiam Dithmarciæ Adolfo Comiti adimere conatus est, & ad Bernhardum fratrem suum Ducem Saxoniæ transferre. Quam Adolfus Comes viribus & armis invito Archiepiscopo obtinuit, & eam sui juris esse manifestavit. Woldemarus Rex Danorum obiit, secundum Continuatorem Chronicæ Slavorum, & regnavit Kanutus filius ejus pro eo. Ad quem misit Imperator Sifridum Archiepiscopum Bremensem cum aliis quibusdam Nobilibus pro sorore sua, quam pater ejus Woldemarus nuper coram Lubeke filio suo desponsaverat, & ut partem pecuniæ solveret ut ibidem protunc laudatum fuerat. Hæc enim pactio desponsationis fuit inter Imperatorem & Regem Danorum, ut quatuor milia marcarum argenti puri cum filia persolveret, & ut in ipso tempore, quo filiam præsentaret, partem pecuniæ, prout tunc sibi visum fuisset, solveret, & post sex annos desponsationis, dum nubilis ætas advenisset, tota pecunia ex integro persolveretur. Hæc utrobique literis & sigillis firmata erant, ut siquid horum negligeretur, hæc desponsatio irrita haberetur. Venerunt ergo ad Egdoram fluvium legati Imperatoris cum CCCC. equis, quibus Adolfus Comes abundanter per triduum necessaria ministravit. Kanutus autem Rex sororem suam cum indignatione eis tradidit, adjunctis equitaturis cum vestibus mediocribus non juxta Regalem magnificentiam, & partem quandam pecuniæ, ut dictum erat, persolvit. Jam enim inter Imperatorem & Regem ipsum discordia erat, quia Imperator ab ipso homagium exigebat, quod ei Rex negabat propter generum suum Ducem Henricum, quem de terra sua ejecerat. Henricus Lubicensis Episcopus obiit feliciter in Domino, secundum Chronicam Lubicensem, plenus meritis, in cujus sedem successit electione Canonica Conradus Secundus, vir literatus & facundus. Hic Conradus non permittebat aliquem Clericum de alieno Episcopatu in sua diœcesi parochiam tenere, dicens, neminem posse duobus dominis simul servire, & super hoc Lucii Papæ literas obtinuit. De supra dicto autem defuncto visio talis fertur facta. Quædam Sanctimonialis in Kevena virgo devota vidit in visione Dei columbam nive candidiorem volare in sinum ejus. Quæ dum nimis ex hoc exhilarata fuisset, cœpit ei pastum offerre. Quæ ait: Non comedam: neque enim columba sum, sed mercede conducta sum, ut dicam tibi, quæ sim. Illa vero timore perterrita dixit: Dic, quid mercedis accipiens huc venisti, & quæ sis. Cui illa inquit: Si per circuitum anni ob memoriam mei dixeris psalmum In exitu Israel de Ægypto, dicam tibi, quod cupis. Cumque hoc devotissime se facturam promisisset, dixit: Ego dicor Henricus, & fui Antistes in Lubeke. Cui illa: Ubi nunc est conversatio tua? Qui ait: Inter choros Angelorum. Ex qua visione manifestum est, ipsum Sanctum Dei esse. Bernhardus Dux Saxoniæ cum diversis novitatibus suos provinciales gravaret, secundum Chronicam Saxonum, contra Comites Nordalbingiæ, Ratzeburg & Zwerin quædam inepte molitus est. Adolfo siquidem Comiti omnem terram, quæ Radekowe attinere dicitur, quam Dux Henricus prius habuerat, & Todeslo opidum adimere conatus est. Urbem quoque Lubeke sibi usurpare tentabat, sed Imperator eam propter utilitatem tributorum, & quia in fine Imperii sita est, sibi retinuit, pro qua Duci Bernhardo Hidzakker & XX. mansos valde bonos consignavit. Quia vero Adolfus medietatem tributorum de urbe Lubicana ex Imperatoris beneficio habebat, ideo ipsam magis Bernhardus Dux impetebat. Comiti vero de Ratzeburg & Comiti de Swerin partem quandam beneficiorum suorum diminuere laborabat. Unde commoti ex hoc & conglobati in unum, castro ejus Louen-

Digitized by Google

Louenburg insidiantes ipsum expugnare cœperunt. Cumque coram eo ordinassent obsidionem, & machinas erexissent, post paucos dies ipsum solo æquaverunt. Dux autem talionem eis reddere non valens, Imperatorem adiit, & hæc in præsentia ejus conquestus est. Illi autem cupientes excutere jugum ejus de cervicibus suis, quos ei amicos esse sciebant, de terra fugare conati sunt. Unde congregato exercitu clam terram Slavorum intrantes, occulto quodam aditu occupaverunt noctu castrum Ylowe. Et clanculum illud intrantes, matrem Nycloti, qui Wiztizlai filius erat, inde ejecerunt, & cæteris captivatis, castrum ipsum succenderunt, ac depopulata omni terra, reversi sunt ad loca sua cum spolio multo. Borwinus vero filius Pribizlai, qui filiam Henrici Leonis exulantis habebat Mechtildem, obtinuit castra Rostok scilicet & Mykelenburg cum suis urbibus. Nyclotus autem fugiens, ad Ducem Bernhardum se contulit. Quem Otto Marchio de Brandenburg frater Ducis Bernhardi in castro Havelberg collocavit. Unde frequenter eruptiones faciens, terram Slavorum constanter vastavit. Quem adjuvabat Germarus Princeps Rugianorum, Bogezlaus vero Dux Pomeranorum fovebat partem Borwini, & sic consangvinei illi intestina bella ad invicem gerebant. Prævalebat tamen pars Nycloti, eo quod Germarus vir strenuus terram Circipanorum, quæ Tribuzes contigua erat, plurimum vastaret. Cumque quodam tempore Borwinus terram Rugianorum piratis vastaret, captivatus est a Germaro. Qui conjecit ipsum in vincula, & postea ipsum misit Kanuto Regi Danorum, apud quem diu in custodia servabatur. Contra Nyclotus cum in terra Bugezlai prædas capere niteretur, captivatus est ab eo, & conjectus in vincula. Sed cum diu in custodia servatus fuisset uterque, tandem soluti sunt ea conditione, ut a Rege Danorum terram suam susciperent, & obsides, quos habere voluisset, darent. Dederunt ergo obsides XXIIII. inter quos Borwinus filium suum dedit, & recessit a castro & urbe Rostok, tradens illud nepoti suo, ipse vero Ylowe & Mykelenburg in possessione fortitus est, Rege Kanuto sic disponente, qui jam terram Slavorum sibi tributariam facere cogitaverat. Rostok autem castrum situm super Warnowe flumen, apud se civitatem habebat, quam Pribizlaus Obotritorum Princeps ædificaverat, prout supra XVIII. anno Frederici patuit, qui fuit Domini MCLXXII. Quod quidem castrum Godescalcus Slavorum Regulus fundaverat, cum adhuc in Paganismo sæviret, & Christianos terræ suæ contiguos persequeretur.

Tricesimo anno Frederici, qui est Domini MCLXXXIIII. Fredericus Imperator in Italiam profectus cum Philippo Archiepiscopo & filio suo Henrico Duce Sveviæ, ac multis aliis Principibus, contra Romanos & cæteros sibi rebellantes pugnavit, & ex eis in diversis pugnis & bellis prostravit circa XXXM Kanutus Rex Danorum, secundum Continuatorem Chronicæ Slavorum, terram Slavorum incessanter infestabat. Sed Slavi pro posse ei resistentes occupaverunt vadum, quod Danos transire oportebat, firmantes ex utraque parte castella, de quibus piratas eorum jaculando obruerent. Catenis etiam ferreis semitam maris claudere tentabant, sed nihil tali molimine facere poterant. Nam Dani venientes in manu forti, munitiones fregerunt, & infusi finibus eorum sicut locustæ universam faciem terræ repleverunt. Slavi vero impetum eorum ferre non valentes, in castris suis se receperunt. Illi autem abusi provinciis eorum, comedentes medullam terræ eorum, reversi sunt ad loca sua. Quodam ergo tempore Bugezlaus Dux Pomeraniæ propinquum suum Germarum Principem Rugianorum impetebat, talionem ei reddere volens, eo quod idem Germarus Regi Danorum in subactione Slavorum prompte assisteret, quia, ex quo Christianitatem acceperat, sub istius ditione consistebat. Ascendit ergo in terram Ranorum cum DCCC. piratis, credens omnem terram illius cum tali populo consumturum. Germarus autem occurrens ei subito, ipsum in fugam vertit. Siquidem Dani non longe insidias sibi tetenderunt. Quos Slavi de suis esse credentes, nihil mali suspicati, remigabant ad eos. Illi autem insultum in eos facientes cum Ranis, eos insequuntur, alios quidem trucidantes, alios captivantes & plures mari immergentes. Slavi ergo videntes se circumventos, & in perturbatione inopinata consilium non habentes, mari se immiserunt, & evadere sperantes natando, aquis præfocati sunt. Quidam vero litus apprehendentes, relictis navibus, per sylvas & nemora in locis palustribus oberrantes, fame & siti perierunt. Germarus autem cæteris omissis, Bugezlaum insequitur. Ille vero saluti suæ consulens, celeri fuga elabitur. At Germarus post tergum ejus clamavit, dicens: Quid facis o Princeps Bogezlae? Nonne nigrum & horridum Germarum te ligaturum jactabas. Expecta! expecta! ut servum tuum abducas, quem consortem tuum habere nolebas. At ille fugiens salvatus est. Sicque humiliatæ sunt vires Slavorum, & servierunt Danis sub tributo, tradito castro Waligast in manum Regis cum XII. obsidibus. Philippus Rex Francorum & totus populus, secundum Wilhelmum, vidit hostiam consecratam sanguine profluentem, & corporale in tribus locis, in quibus transponebatur tinctum, & cruore maculatum, & post vidit eandem hostiam in formam carnis lividæ transformatam. Manee (Emanuel) Rex Constantinopolitanus defunctus est, vir devotus & justitiam diligens. Hic filium parvulum post se regnaturum reliquit. Erat autem tunc quidam inveteratus dierum malorum Andronicus dictus, filius fratris Regis defuncti. Hic cupiditate regnandi motus, tutorem se filii Regis affirmavit, & cœpit regnare quasi pro puero causam acturus, & regnum nepoti fideliter conservaturus. Cumque tali occasione invaluisset, cœpit seditiones concitare, & persecutiones facere in eos, qui de parte Regis defuncti videbantur esse. Et cum omnes, qui de sua

Digitized by Google

sua parte erant, exaltasset, & alios aut humiliasset aut interfecisset, fecit occulte Reginam matrem juvenis Regis educi, & in mare præcipitari. Sicque quoque omnes, quos in Regno sibi adversari timebat, aut vita privabat, aut exilio damnabat. Habebat autem quendam auricularium, specie quidem Monachum, sed in veritate diabolum, qui ad hominum perditionem sub specie religionis angelum lucis de se formaverat, secundum Vincentium, cujus usus consilio omnes, quos ille ei suspectos faciebat, hos ille statim exterminio tradebat. Cumque una dierum puer de matris absentia conquereretur, ille respondit: De matris absentia non sis solicitus: salva enim est, & in tuto loco consistit. Et cum per singulos dies puer molestus esset, matrem ejus requirendo, ille respondit: Mater tua quidem salva est, sed ne diutius de absentia ejus tristeris, ad eam quantocius ibis. Et jussit occulte puerum educi, & ut matrem submergi. Quo facto, sponsam pueri duxit in uxorem repudiatis duabus, quas antea duxerat legitime. Post hoc dixit ad auricularium suum: Quid tibi videtur? Mansitne aliquis in Regno, qui insidietur adhuc honori meo? Est adhuc, ait, unus de cognatis tuis, quem suspectum habeo. Sed quia illum propter nimis propinquam consanguinitatem vita privare non potes, ideo reclude ipsum in claustro Monachorum, ut vel sic cesset tibi vel Regno tuo malignari. Quod cum factum fuisset, adjecit: Numquid jam bene stant omnia? Ille respondit: Bene quidem stant omnia, sed de sponsa tua non bene sentio. Ipsa enim videtur contra te amaritudines habere propter prioris sponsi memoriam. Sed hæc in confessione examinanda est, ut sic occulta cordis ejus manifesta fiant. Tu vero simulato vultu Sacerdotis vicem accipias. His auditis, dixit Andronicus ad sponsam suam: Usque quo morabuntur in corde tuo cogitationes noxiæ? Video, in te amaritudines esse. Sed vade, & confitere peccata tua, ut sis a pravitate cordis mundata, & sic poteris æquanimiter videre faciem meam. Illa autem abeunte, prævenit eam Andronicus, assumtoque Sacerdotali habitu, dixit ad eam: Filia, confitere peccata tua, & noli abscondere a me sermonem. Vicem enim Christi teneo, & quia ipse novit omnia, nihil abscondas in tua conscientia. Illa autem simpliciter de venialibus, utpote juvencula, quæ criminalia non noverat, confitente, ille subjunxit: Numquid Regem sincere diligis virum tuum? Ait illa: Diligo quidem Regem, ut Dominum & maritum meum, tamen, si filio Regis, qui occisus est, nupsissem, ipsum magis diligerem, quia sibi desponsata fueram. Nunc autem, quia sic oportet fieri, istum fideliter diligo, & fidem conjugalem integraliter ei reservabo. His auditis, ille indignans surrexit, & abiit, & eam, ut cæteras, repudiatam in exterminium misit. Post hæc cum completa esset iniquitas illius, & justo judicio Deus malitiæ ejus finem imponere decrevisset, senex ille nequam Andronicus consuluit collateralem suum Monachum, dicens: Numquid adhuc sperandum est, quod ablatis æmulis securus super thronum regni mei sedere valeam? Cui ille respondit: Securus quidem vivere poteris, sed de Monacho illo cognato tuo solicitudinem, quamvis modicam, habeo. Qui si extinctus fuerit, de cætero sine omni timore quiescere poteris. Tunc Rex, misso nuncio, illum accersiri jussit. Ille, audito nuncio, expavit, & venire distulit. Statimque mittens, convocavit amicos & notos, & legationem Regis eis exposuit, seque indubitanter ad mortem vocari sciens, rogavit eos, ut latenter sumtis armis secum ad Palatium pergant. Qui constanter accincti armis & animis ibant secum. Veniens autem ad primam custodiam, statim ipsum janitorem interfecit; & idem fecit ad secundam. Sicque cum strepitu ingressus aulam, dixit Regi: Ecce assum. Ad quid enim vocastis me? Erat enim Rex cum paucis in cubiculo, quia terrente eum conscientia sua de tot & tantis sceleribus peractis, nusquam audebat tute consistere. Cui Rex: Vocavi quidem te, sed revertere, unde venisti; quia inordinate intrasti. Non revertar, ait, sed scio, quod post necem multorum etiam quæris animam meam. Et irruit in eum. Ipse autem fugam iniit, & per quendam occultum transitum evasit, & venit in castellum cujusdam Principis, quem idem tyrannus pro causa injusta effossis oculis excæcaverat. Dixitque ad illum Principem: En inimici quærunt animam meam. Rogo, ut facias mecum misericordiam, & præsidio mihi fias. At ille respondit: Quamvis injustum judicium exercueris in me, probabo tamen, si potero, salvare te. Et recepit ipsum in castrum. Monachus vero, qui suus erat consangvineus, cum cognovisset, quod illuc fugisset, insecutus est eum. Quem juvabat omnis populus, senes & juvenes, eo quod omnibus odiosus esset. Et vi tollentes eum de castro, reduxerunt in urbem Constantinopolitanam, & tractum per plateas, infinitis contumeliis ipsum affecerunt, ac sine omni miseratione multiplicibus pœnis animam illam miseram tandem de corpore excusserunt, feceruntque ei, sicut male egerat proximis suis, vindicatusque est sangvis innoxius in illa die. Porro Regnum ejus ad æmulum suum Emanuel translatum est. Fredericus Imperator, secundum Vincentium in Speculo, curiam famosam celebrari indixit apud Moguntiam in festo Pentecostes, ubi filium suum Henricum Cæsarem declarare proposuit. Et venit ad curiam illam omnis potestas & principatus Archiepiscoporum, Episcoporum & Principum secularium. Cumque in sancto die Pentecostes jam instante processionis hora, Imperator Ecclesiam intrasset, & coram eo sederent Summi Pontifices & Principum conventus, surrexit Abbas Fuldensis, & sic ei locutus est: Rogamus Serenitatem vestram Domine, ut audiatis. Ad hæc Imperator: Audio. Et ille: Domine diu est, quod Dominus Coloniensis, qui assidet, Fuldense Cœnobium, quod gratia Dei & vestra munificentia regimus, quodam jure suo privavit. Cui Imperator: Assignate jus, quod dicitis. At ille: Fuldensis Ecclesia hanc habuit

Digitized by Google

habuit prærogativam, ab antiquis Imperatoribus indultam, ut quotienscunque Moguntiæ generalis curia celebratur, & Dominus Archiepiscopus hujus Sedis a dextris sit Imperatoris, Abbas Fuldensis sinistram ejus teneat. Et quia diu Dominus Coloniensis nos in hac parte supplantavit, rogamus, ut vestro interventu hodie locum nobis debitum sibi non usurpet. Tunc dixit Imperator Archiepiscopo Coloniensi: Audistis, quid dixerit Abbas? Secundum petitionem rogamus, ut hodie jocunditatem solennitatis nostræ non turbetis, sed locum, quem sui juris esse affirmat, ei non negetis. Ad hæc verba surgens Archiepiscopus, dixit: Domine, ut sinceritati vestræ placet, fiat. Dominus Abbas locum, quem desiderat, teneat. Ego autem salva gratia vestra ad hospitium meum vadam. Cumque jam abire pararet, surrexit de latere Imperatoris frater ejus Palatinus de Rheno, & dixit: Domine, homo sum Domini Coloniensis: justum est, ut ipsum sequar, quocunque ierit. Deinde surgens Comes de Nassowe dixit: Et ego cum gratia sequar Dominum Coloniensem. Similiter & Dux Brabantiæ & alii viri multi dixerunt. Respondens autem Lodowicus Lantgravius Thuringorum, qui fuit homo Abbatis, dixit Comiti de Nassowe: Bene hodie beneficium vestrum demeruistis. Cui ille: Et merui, & merebor, si hodie necessitas exegerit. Abeunte ergo Archiepiscopo, Rex Henricus adolescens videns, seditionem periculosam fieri, exiliens de sede sua, suspendit se in collo Archiepiscopi, & dixit: Rogo te, Pater amantissime, ut maneas, ne gaudium nostrum in luctum convertas. Ipse quoque Imperator rogavit eum & dixit: In simplicitate cordis nostri, quod dictum est, diximus, & vos in perturbatione animi abire vultis. Nolite malum hoc facere, & quietem nostram in seditionem periculosissimam permutare. Cui ille, Non credebam, inquit, quod tantam injuriam in conspectu Principum mihi inferre voluissetis. Ecce in servitio vestro senui, & certamen, quod pro vobis certavi, testantur cani capitis mei in periculo vitæ meæ multotiens constitutus. Et quod majus est, proh dolor! animæ meæ tribulationes & angustias multas transivi, nec alicubi pro honore Imperii mihi aut rebus meis peperci. In Lombardia enim fidelitatem meam vidistis, apud Alexandriam devotionem meam sensistis, & quæ in Saxonia non semel fecerim, sæpius animadvertistis. Et cum in omnibus his nulli secundus fuerim, miror, quod hodie Abbatem istum mihi præferre volueritis, de cujus præsumtione vos ipsum suspectum habeo, quia, nisi voluntatem vestram in mea humiliatione sensisset, nunquam adversum me calcaneum suum levasset. Nunc ergo, si placet, ponantur sedes solito. Si sedem meam dejecerit sine contradictione, similis sit altissimo. Siquidem Archiepiscopus Coloniensis arrogantiam Abbatis præsenserat, & ideo cum quatuor milibus & LXIIII. viris armatis ad curiam venerat. Tunc surrexit Imperator, & dixit: Innocentiam quidem nostram in hac impositione verbis prætendimus. Sed si adhuc diffiditis, juramento nos in præsentiarum expurgare velle non dubitetis. Et extendit manum quasi jam supra reliquias positurus. Ad hæc verba requievit spiritus Archiepiscopi, & dixit: Sufficit mihi, quia illa verba pro juramento mihi sunt, sed tamen hi, qui causa perturbationis hujus fuerunt, non facile ab hac suspicione purgabuntur. Imperator autem dixit Abbati: Oportet vos ab hac justitia vestra, quam exigitis, temperare, & locum Archiepiscopo superiorem dare. Sedata itaque hac controversia, coronatur Imperator, & cum Imperatrice & filio coronatis processit. Abbas vero non sine rubore locum inferiorem tenuit. Cumque per aliquot dies maximo tripudio curia illa celebraretur, una dierum venit turbo vehemens, & subito dejecit structuram illam ligneam, in qua sedes Principum factæ erant, & attriti sunt in ea XX. homines, & sic soluta est curia illa. Tempestatem autem illam creditur diabolus fecisse, iratus, quod seditio Principum per ipsum mota in finem deteriorem non pervenisset. Lodowicus vero Lantgravius Thuringiæ timens indignationem Philippi Archiepiscopi, secutus est eum in Coloniam, nec prius ab eo discessit, donec sedata commotione illa, gratiam ipsius invenisset.

Tricesimo primo anno Frederici, qui est Domini MCLXXXV. Legati mittuntur a Belo Rege Ungariæ ad Philippum Regem Francorum, secundum Vincentium, ut daret ei in uxorem Margaretam sororem suam, quondam Reginam Angliæ, Henrici Regis defuncti relictam, sub quo S. Thomas Canthuariensis fuit; & Philippus Rex annuit, donaque Regalia ei dedit. Fredericus Imperator & Lucius Papa ad maximam discordiam sunt, secundum Vincentium, propter electionem Archiepiscopi Treverensis, quorum eligentium una pars Volkmarum elegit, & altera Rodolfum. Cumque inter hos electos schisma esset, Volkmarus quasi de electione præsumens, eo quod a saniore parte electus esset, ad sedem Apostolicam appellavit, Rodolfus vero electus a parte infirmiore ad Imperatorem se transtulit. Imperator autem audiens dissensionem factam in electione, investituram dedit Rodolfo, Apostolicus vero confirmabat electionem Volkmari. Procedente ergo tempore cum Volkmarus sequeretur curiam Romanam, & pro suo negotio solicitus esset, Papa missa Epistola, citavit Rodolfum peremtorie, qui tunc apud Imperatorem erat. Quod Imperator audiens, ægre ferebat, ipsum tamen, ne contumax videretur, ad audientiam venire hortabatur, mittens secum duos Decretistas & duos Legistas, qui partem Rodolfi defenderent. Et cum ad judicium perventum fuisset, & ex utraque parte plura allegata fuissent, nullo dato fine, Rodolfus ad Imperatorem reversus est, Volkmaro apud Papam permanente. Interea Henricus Rex Romanorum filius Imperatoris juvenis & superbus pro Rodolfo Decanum & Canonicos quosdam Confluentiæ, qui pro parte Volkmari stare videbantur, calumniatorie aggressus est, & ablatis stipendiis, domos & possessio-

Digitized by Google

fessiones eorum exterminari præcepit. Papa vero exinde magis commotus, Volkmarum ad Pontificatus apicem promovere decrevit. Quod Imperator audiens, per suos Papæ mandavit, dicens. Si Volkmarum contra meam voluntatem promoveritis ad Episcopatum, omnem familiaritatem inter nos habitam perpetuo exspirasse omnino sciatis. Taliter ergo ab invicem disturbati Papa & Imperator, quicquid moliebantur, cassum fuit. Siquidem inter plurima negotia agebat Imperator cum Apostolico de filio suo Rege, ut coronam Imperii super caput suum poneret. Sed quia placabilem eum non habebat, consecrationem illius differebat, dicens: Non possunt simul duo Imperatores regnare, nec filium Imperialibus insigniri insigniis, nisi prius pater ea deposuisset. Sifridus Archiepiscopus Bremensis, defunctus est, secundum Egghardum, cui in sedem successit Hartwicus, ejusdem Ecclesiæ Canonicus. Hic Comitiam Dithmarciæ quam Adolfus Comes Holtzatorum vi otinuerat, instanter postulavit. Adolfus autem Comes animadvertens, in hac possessione causam suam esse minus justam, Comitiam Archiepiscopo resignavit, sed ab eo CC. modios avenæ Stadensis mensuræ in beneficio perpetuo accepit, literis patentibus firmato. Nobilis quædam Romana Priscilla nomine, secundum Egghardum, filii sui Theodori pulcritudine permaxime tentabatur. Ipsum namque tenerrime diligebat, & ideo jam adolescentem ab osculis & amplexibus, nec etiam a proprio lecto repellebat. Sed amor hic naturalis tandem in corruptelam degenerans, pro marito senatore in remotis partibus existente filius admittitur, & Venerei actus in invicem continuantur. Concepto tandem fœtu, mulier misera corde & corpore angustiata, spe tamen veniæ permota, ab orationibus, jejuniis & eleemosynis non desistebat. Tandem puerum natum occultare volens, peccatum peccato addidit, & ipsum mox natum suffocavit & abscondit. Diabolus autem volens eam confundere, assumto habitu clerici, judici & Senatoribus dixit: Audite incredibile auditu, horribile dictu, sed crudele factu. Mulier ista Priscilla, quam bonam & honestam reputatis, crudelissima est & pessima. Nam de proprio filio suo Theodoro conceptum & natum infantem propriis manibus occidit, & in latrinam projecit. Quibus consternatis & non credentibus ait dæmon: Examinetur ipsa, & interim ignis præparetur, quo, si victa fuerit, projiciatur viva: sin autem, ego in eo comburar. Illa ergo vocata venit, cui Judex assurgens, eam juxta se posuit, & dixit: In gravi facto & horribili te accusat, de quo multum dolemus. Confitere ergo, vel expurga te ab objecto. Acceptis ergo induciis ad respondendum, toto corde & corpore provoluta ad pedes Lucii Papæ, facti seriem integre sibi exposuit, cum multis lacrymis confitendo. Qui videns ejus contritionem, confortavit eam, & sibi injungens solam Dominicam Orationem, exhortabatur eam, ut ad B. Virginem confidenter pro adjutorio recurreret. Quod & devote fecit. Statuto ergo die cum ancilla sua curiam Judicis intravit, & recepta honorifice ab omnibus, in medio omnium collocatur. Tunc ore omnium clauso & auribus apertis, judex ait Clerico: Ecce, quam accusasti, adest. Narra, si quid habes contra eam, & respondebit. At ille intuens mulierem, mirabatur, quæ esset, & ait: Hæc non est illa incestuosa meretrix & homicida, quam accusavi. Hæc enim est mulier sancta & devota. Maria enim Mater Jesu assistit ei, & eam custodit. Tunc omnes in stuporem versi, frontes crucis signaculo signaverunt. Quod diabolus non ferens, quasi fumus evanuit. Sicque mulier illa liberata est ab infamia, & acquisivit grande nomen in omni populo Romano. Philippus Rex Francorum, secundum Wilhelmum, gravatus de intolerabili fœtore platearum urbis Parisiensis, omnes plateas ejus & vicos fecit duris lapidibus sterni, per hoc tollere volens antiqvum urbis nomen. Antiqui namque civitatem illam Lutetiam a luti fœtore vocarunt. Sed posteri hoc nomen propter fœtorem abhorrentes, a Paride Alexandro filio Priami Parisius nominaverunt.

De Urbano III. PP. CLXXX.

Urbanus Papa, natione Lombardus ex patre Petro, sedit anno uno & mensibus IX. De isto Papa propter temporis brevitatem scriptura nulla refert opera memoria digna aut Chronicis inferenda.

Tricesimo secundo anno Frederici, qui est Domini MCLXXXVI. Monasterium in Reynevelde fundatur ab Adolfo Comite Holtzatorum, secundum Continuatorem Chronicæ Slavorum, & locantur in eo Fratres Ordinis Cistertiensis, & perficitur in V. anno post inceptionem. Terra Lyvoniæ ad fidem convertitur per Meynardum Sigibergensem Canonicum Regularem, secundum eundem Continuatorem. Cum autem vir iste devotus per aliquot annos cum mercatoribus illic moratus fuisset, & ad seminandum Dei verbum gentili illi populo operam dedisset indefessam, sensit manum suam invalidam ob autoritatis carentiam, licet auditorum devotio non modica videretur. Accedens ergo ad Hartwicum Bremensem Archiepiscopum, suam intentionem, & populi, cui prædicaverat, devotionem sibi & Capitulo indicavit. Qui sperantes ipsum plantando & rigando incrementum Domini percipere, ipsum ad prædicandum gentibus miserunt, & ipsum Pontificali dignitate sublimantes, majori autoritate roboraverunt. Ipse ergo humilis & devotus suis auditoribus vitæ spargens semina arguendo & obsecrando duritiam gentilium fregit, & ipsorum corda ad finem intentum Deo cooperante direxit. Fundata est ergo ab eodem Domino Meynardo Sedes Episcopalis in Lyvonia in loco, qui Riga dicitur, ubi villa quædam valida erat, quæ fuit locus mercatorum, in honorem Virginis Gloriosæ, & in eodem loco dictus Episcopus post multos labores fructuosos defunctus est. Cujus sedem fortitus est Dominus Albertus Abbas de Lucka, vita & opi-

Digitized by Google

& opinione præclarus, qui tandem ibidem martyrio ab infidelibus coronatus est. Eodem in loco postea civitas pulcra constructa est ab eodem Alberto Episcopo, prout infra patebit anno Ottonis Quarti V. qui est Domini MCCV. Henricus Leo Dominus de Brunswic & Luneburg, transactis jam diebus peregrinationis suæ, secundum Continuatorem Chronicæ Slavorum, reversus est in terram patrum suorum, & sedit in Brunswic cum uxore & filiis suis, contentus patrimonio suo, quod tamen in magna parte a multis occupatum fuerat. Imperator vero verbis consolatoriis per literas suas frequenter ei bonam spem faciebat, quam tamen variis præpeditus casibus, ad effectum minime perducebat. Nam quicquid adversitatis ei in temporibus illis accidisset, sive a Domino Apostolico, sive a Philippo Archiepiscopo Coloniensi, aut a Kanuto Rege Danorum, qui filiam Henrici prædicti habebat, semper ipsum Henricum suspectum habebat, quasi per eum aut propter eum sibi hoc factum esset. Ideoque suæ causæ segnius intendebat. In ipso autem reditu suo Henricus Leo audiens, Dominum Hartwicum ad apicem Bremensis Ecclesiæ sublimatum, lætatus est valde, eo quod quandoque ipsum familiarem sibi habuerat, dum succedentibus prosperis Notarius in curia sua extitisset, per quem etiam Canonicam portionem in Ecclesia Bremensi obtinuerat. Et rogavit eum, ut ad familiare colloquium ei occurreret in loco sibi placito. Qui minime acquiescens, nec videre nec salutare eum dignatus est, non adversitatis, sed prosperitatis amicus existens. Henricus Rex Romanorum Frederici Imperatoris filius duxit in Italia uxorem, secundum Vincentium, Constantiam Wilhelmi Siculi amitam, & celebravit nuptias in confinibus Papiensium & Mantuanorum, cui solennitati intererant nedum Principes & Nobiles Italiæ, sed & Alemanniæ. Numerus autem militum, qui in dictis nuptiis fuerunt, est XLM. absque reliquo vulgo. Lodowicus etiam Lantgravius Thuringiæ filius sororis Imperatoris, repudiata uxore sua, quam prius habebat, ob titulum consanguinitatis, duxit in uxorem Margaretam matrem Kanuti Regis Danorum. Quæ dum cum multo thesauro & supellectili egressa esset de terra sua, occurrit ei Lantgravius ad Egdoram flumen, & suscipiens eam de manu Regis & Episcoporum ejus, ibat per viam suam gaudens. Adolfus vero Comes de Schowenburg & Holtzatia eos per terram suam ducens, largissime eis providebat. Defuncto Lucio Papa, cum Urbanus locum ejus sortitus esset, Imperator Fredericus & cum illo similiter discordare cœpit, secundum Egghardum, eo quod Urbanus ipsum, sicut & Lucius, impeteret de matrimonio Dominæ Mechtildis, de Episcoporum exeniis (xeniis) & de Abbatissarum stipendiis, ita ut manifeste ipsum citaret, & excommunicationis maledictionem ei intentaret. Propter quod turbatio non modica in Ecclesia Dei inter hos mundi cardines exorta est. Filius quoque Imperatoris Henricus hujus turbationis non parva extitit causa & occasio. Nam in ipso tempore in Lombardia positus, Episcopum quendam ad se venire jussit, cui dixit: Dic nobis Clerice, a quo investituram Pontificalem accepisti? Tunc ille respondit: a Domino Papa. Cui Rex rursum: Dic iterum Clerice, a quo investituram Episcopalem accepisti? Et ille denuo respondit: A Domino Papa. Cumque tertio eisdem verbis requisitionem faceret, dixit Episcopus: Domine, nihil de Regalibus possideo, nec ministeriales nec curtes regales habeo. Idcirco de manu Domini Papæ parochiam, cui præsum, teneo. Tunc indignatus Rex præcepit servis suis, ut pugnis eum cæderent, & in lutum platearum ipsum conculcarent. Quod factum omnibus Principibus & populis displicuit, quia post Decium nihil tale de Regibus auditum fuit. Adolfus Comes Holtzatorum reædificare cœpit castrum ad ostium Trabenæ, quod a Slavis exustum fuerat, quando Fredericus Imperator Lubeke obsederat, secundum Continuatorem Chronicæ Slavorum, locum tamen in ædificando mutavit. Nam cum prius in aqua ipsum castellum situm fuisset, ipse super litus maris in ipso introitu Trabenæ id fundavit, ut eo facilius piratæ intrantes obrui potuissent. Porro cives de urbe Lubicana ex eodem opere valde commoti fuerunt, ex eo quod Adolfus Comes ab eis telonium postularet, quod tamen illi unanimiter sibi dare negabant. Unde grandis controversia inter eos orta est. Dixit enim Comes, telonium sui juris esse, quia tempore Henrici Leonis illic non sine telonio transierant. Alii autem affirmabant, hoc non de jure factum esse, sed propter petitionem ipsius Henrici ad castri sustentationem ad tempus permissum fuisse. Ob hanc ergo contradictionem, quicquid commoditatis in suis terminis cives ante videbantur habere in fluminibus, pascuis & sylvis, Comes omnino abstulit. Insuper etiam quosdam cives Lubicenses in opidis Todeslo & Hammeburg præpediendo detinuit, & bona eorum quasi pro telonii pignore sibi usurpavit. Cum autem cives de hoc sæpius apud Imperatorem conquesti fuissent, & ipse frequenter suos, ad pacem inter eos reformandam delegasset, nihil in causa profecerunt. Tandem mediante Imperatore de telonio hoc pacto liberati sunt, ut CCC. marcas argenti Comiti darent, & Comes juri suo de telonio amplius requirendo renunciaret. Similiter pro pascuis, fluviis & sylvis CC. marcas persolverent, & sic a mari usque Todeslo libere fruerentur ipsis, exceptis his, quæ ad stipendia Monachorum in Reynevelde deputata fuissent. Super his autem privilegiati sunt ab Imperatore, & hæc in processu temporis a nullo hominum temere variari possunt aut mutari. Fredericus Imperator misit ad Kanutum Regem Danorum legatos solennes, secundum Chronicam Lubicensem, pro pecunia, quam pater suus Woldemarus cum filia sua suo filio socianda policitus fuerat, quam idem Kanutus partim jam exsolverat. Et quia Kanutus Rex pecuniam sub pacto promissam solvere recusavit, idcirco Imperator non ob repudii occasionem, sed

propter

Digitized by Google

propter pactionis immutationem Regi ſororem ſuam intactam, cum tali apparatu, quo eam receperat, reſtituit, alia uxore jam filio ſuo Henrico matrimonialiter copulata. Quod Kanutus graviter accipiens, manifeſtas ex illa die inimicitias contra Imperatorem exercere cœpit, ita ut omnem terram Wagirorum, Holtzatorum, Sturmariorum & Polaborum usque ad Albiam ſui juris eſſe diceret, & eam per Slavos, quos ſibi aſtrinxerat, frequenter vaſtaret. Mater etiam ejusdem Kanuti Regis a Lodowico Lantgravio Thuringiæ repudiata, & ad terram nativitatis ſuæ reverſa ſine honore, conqueſta eſt in multis a marito ſuo fuiſſe injuriata. Unde etiam magis ſtimulatus Kanutus, juſtam contra Teuthonicos cauſam ſe habere arbitratus eſt.

Triceſimo tertio anno Frederici, qui eſt Domini MCLXXXVII. Hartwicus Archiepiſcopus Bremenſis, ſecundum Egghardum, congregato exercitu cum manu valida intravit Dithmarciam, ut eos, qui ſibi contradicebant, ad deditionem compelleret. Illi autem pro ſua liberatione multam pecuniam promiſerunt. Sicque Epiſcopus cum magna ad propria reverſus eſt jactantia, credens, ſe in omnibus proſpere egiſſe. Sed ex eodem facto materia, non dico, confuſionis, ſed humiliationis in eadem ſuborta eſt Eccleſia. Nam cum Adolfus Comes Nordalbingiæ & Thidericus Comes de Aldenburg, ac cæteri Nobiles ſtipendium militiæ, quod eis Archiepiſcopus Bremenſis promiſerat, requirerent, ille tam ea, quæ eis promiſerat, quam alia multa ab eo inutiliter conſumta reddere non valens, neceſſitate compulſus, reditus Epiſcopales ad triennium tollere & ſublevare abjuravit, ut ſic infra illud tempus omnia debita ex integro ſolverentur. Archiepiſcopus vero ſolum de his, quæ de Eccleſiarum & cimitiriorum conſecrationibus ſubſequi poterant, ſuſtentabatur. Dithmarci autem pecuniam, quam polliciti fuerant, perſolvere non valentes, ad Woldemarum Sleſvicenſem Epiſcopum ſe transtulerunt, qui erat filius Kanuti Regis Danorum. Hic Woldemarus poſtea a Svenone invitatus ad convivium, inter epularum ſolatia proditioſe occiſus eſt, vir utique dives valde non ſolum in ſtipendiis Epiſcopalibus, ſed & de latiſſimo patris, quod ſibi remanſerat, patrimonio. Sicque datis obſidibus additi ſunt Dithmarci Regno Danorum, ſervieruntque S. Petro in Sleſwik, ut ante eidem ſervierant in Brema. Otto Marchio Brandeburgenſis obiit, ſecundum Egghardum, cui in Principatu ſucceſſit Henricus filius ſuus. Hic Henricus hoc anno fundavit Eccleſiam S. Nicolai in Stendal terræ ſuæ.

De Gregorio VIII. PP. CLXXXI.

Gregorius Papa, natione Beneventanus ex patre Alberto, ſedit uno anno & diebus XXVIII. ſecundum Martinum. Hic curiæ Romanæ Cancellarius exiſtens in Papam electus eſt. Ipſe enim zelando pro Terra Sancta, literas miſit ad diverſos Principes & provincias, exhortando eos ad iter ſanctum. Facta etiam pace inter Januenſes & Piſanos obiit immatura morte. Fuit autem literis & facundia præclarus, ſed puritate vitæ præclarior. Cum Baldewinus Rex Jeroſolymorum, ſecundum Vincentium in Speculo, refrenatis undique Chriſtianæ Religionis hoſtibus, Regnum ſuum in omni juſtitia adminiſtraret, manu Domini tactus, qui, quos diligit, corripit, infirmitate lepræ cœpit tabeſcere, & de Regni ſucceſſore ſolicitus eſſe. Ipſe enim filium hæredem non habebat, quia cœlibem agens vitam, in caſtitate Domino famulabatur perpetua. Habebat tamen ſororem, quam cuidam Wilhelmo, nobili & ſtrenuo viro, fratri Conradi Marchionis de Monte ferreo tradiderat, ex qua nepotem parvulum ſuſcipiens, nomen ſuum ei impoſuerat, & Balduinum ipſum nominaverat. Hunc cum eſſet annorum V. de conſilio Domini Patriarchæ & Principum conſenſu ac Templariorum & Hoſpitalariorum militum beneplacito in Regem ungi fecit & coronari. His itaque diſpoſitis, Rex infirmitatis moleſtia deficiens, Regulo parvulo cognatum ſuum Raymundum Comitem de Tripoli in tutorem conſignavit, & tandem in Domino moriens, fine bono quievit. Parvulus autem Rex anno ætatis ſuæ IX. patrem ſuum moriendo ſecutus eſt. Qui cum honeſte in ſepulcro patrum ſuorum ſepultus fuiſſet, acceſſit mater ad Dominum Patriarcham, & ſic locuta eſt ei: Domine, tu ſcis, quod frater meus mortuus eſt, ſimul & filius meus, qui in Regem per te unctus fuerat & coronatus, & nemo relictus ſit, quem jure hæreditario Regnum contingat præter me, quæ & filia Regis ſum, & ſoror & mater. Nunc ergo rogo, ut miſericordiam mihi oſtendas pariter & juſtitiam, & coronam mihi debitam non mihi deneges. Cui Patriarcha: Scio quidem, quod filia Regis ſis, ſimul & ſoror & mater pueri Regis defuncti. Sed quomodo tibi corona debeatur, non video, cum fœmina ſis, & maxime terra iſta ferociſſimis & innumeris hoſtibus vallata ſit, & idcirco nomine fœmineo non valeat regi, niſi forte per maritum tuum illam obtinere poſſes, ſi tamen idem ad regnum aptus & idoneus inveniretur. Ad quem illa, habeo, inquit, maritum & genere nobilem, corpore validum, virtute præſtantem, qui & gloria ac honore dignus exiſtit coronari, quem, ſi mecum juſtitiam facere volueris, ad præſentiam tuam adducam, ut de manu tua benedictionem pariter & coronam accipiat. Mortuo ſiquidem Wilhelmo Siculo invito fratre ejus Baldowino, alium virum mulier hæc duxerat Gvidonem nomine, quem non longe locaverat, & ipſum ad verbum Patriarchæ coram eo ſtatuebat. Qui mox de aſſenſu illorum, qui de latere Patriarchæ erant, ab ipſo Patriarcha in Regem unctus eſt & coronatus Dominica ipſa, qua cantatur Omnes gentes plaudite. Quæ quidem ſubitanea conſecratio ideo facta eſt, quia non bene ſentiebant de Raymundo Comite de Tripoli, quia idem ad Regnum aſpirans, cum Soldano familiaritatem habere videbatur. Diſplicuit tamen factum iſtud militibus Hoſpitalariis, eo quod ipſum Regnum poſitum eſſet a Baldowino Rege defuncto in manus dicti Raymundi Comitis ad XIIII. annos de conſenſu Principum & militum Regni. Gwido ergo confirmatus

Digitized by Google

firmatus & coronatus in Regem, misit ad Primates Regni, ut venientes hominium & fidelitatem ei promitterent, & beneficia regalia de manu ejus reciperent. Inter quos etiam misit ad Comitem de Tripoli, ut, sicut præ cæteris dignior videretur, ita præ cæteris Regem sua exhibitione celeri honoraret. Qui audiens, quod factum est, respondit nuncio: Baldowinus quidem puer, qui in Regem unctus fuerat, recenter est defunctus, & neque, si alius Rex est, audivi, & tu me dicis ad Regem debere properare. Quis est iste sermo, quem locutus es? Quis unquam regnavit sine electione Principum & consensu populi? Nemo enim se ipsum Regem facere potest, nisi tyrannice velit dominari. Omnibus autem notum est, Baldowinum Regem me tutorem pueri Baldowini Regis statuisse XIIII. annis, quod multorum Principum & Religiosorum militum testimonio probare possum, quos spero propositum illius mutare non velle. Quod si quidem, quod absit, fecerint, me tamen scias ad Regem tuum venire non velle, quia nihil mihi cum Rege tuo. Quæ enim possideo, magis ex libertate quam ex beneficio teneo. His dictis, avulsus est ab eo, & ille ad Dominum suum reversus est. Hac ergo occasione discordabant Rex & Comes ille per annum & dimidium, & manifestas inimicitias in invicem exercebant. Invalescebat tamen pars Regis in eo, quod Nobiles Regni veniebant ad ipsum, & homagium sibi faciebant. Comes vero quasi fuga lapsus abiit Tiberiadem. Saladinus autem Rex Damasci, cognita controversia Regis & Comitis, lætatus est valde, quia Terræ Sanctæ semper insidiatus fuit, & tali occasione introitum terræ habere arbitrabatur. Unde Comiti literas scripsit, ipsum consolando in dolo dicens: Constans esto, quia scio, quod injuste tecum agitur. Tibi enim ex dispensatione Baldowini Regis defuncti regnum debetur. Quod ut contra Gvidonem vi obtinere valeas, ego tibi ad contrahendam militiam pecuniam dabo copiosam. Quod si hoc modo prævalere non potueris, ego per me ipsum in manu valida veniam, & ejectis hostibus tuis de terra, te super omnes Regem constituam. Tu tantum jura per legem Dei tui, ut liberum mihi transitum per te permittas, & te cum tuis salvum servabo. Comes ergo sub juramento astrictus est Soldano, cujus auxilio multa contra Gwidonem molitus est. Saladinus vero collecto exercitu non solum ex finibus Regni sui, sed etiam de Regnis finitimis contrahens auxilia, ad destructionem Terræ Sanctæ se paulatim præparabat. Inter hæc fuerunt, qui dicerent de domo Hospitalariorum B. Johannis: Vos contra populum Dei inique agitis, & cum Comite conspirationem fecistis, quia, nisi ille de vobis confideret, nunquam contra Regem talia præsumeret. His auditis, Rothgerus Magister de eadem domo, vir prudens & religiosus, abiit ad Comitem, & sic locutus est ei: Quid gloriaris in malitia, qui potens es iniquitate? Quare contra populum Dei cogitasti prœlia? Tu cum Juda traditore portionem tuam posuisti, dum cupiditate regnandi seductus, contra religionem Dei cœli Soldano fidem fecisti. Sed nunc acquiesce consiliis meis. Reconciliare Deo, quem abnegasti: reconciliare Regi, quem offendisti, ne fiant novissima tua pejora prioribus. His exterritus Comes dixit: Cur me sic invadis serve Dei? Nonne tu scis, quod mecum injuste agitur? Ego enim de his, quæ juste possedi, violenter dejectus sum. Recordare, quam rationabili dispensatione Regis Baldowini, quam promta voluntate Patriarchæ & consensu maturo omnium Nobilium Regni tutelam pueri Regis accepi ad XIIII. annos, sive idem puer duraret, sive vita decederet. Et cum jam luce clarius constet, me tibi vera fore locutum, tamen ne tantorum videar occasio malorum, & populi Dei sim perditio, ecce acquiesco consiliis tuis, & cum Rege compositionem faciam, si tamen ea, quæ in negotiis Regni expendi, restituere spoponderit. His auditis, reversus Rothgerus venit ad Regem, & audita per ordinem ei exposuit. Et bonus est visus sermo in oculis ejus. Rex autem non solum ea, quæ expenderat, reddere promisit, verum etiam ad beneficium suum divitias & honores addere spopondit. Cumque reversus esset ad Comitem, ut eum ad præsentiam Regis conduceret, mandavit ei per suos Comes dicens: Vide, ne per viam, qua veneras ad me, revertaris, quia insidiæ ibi sunt. Filius siquidem Saladini latenter terram intraverat, Comite tamen conscio, & cum X. milibus consistebat in valle Chanaan. Quidam etiam Canonicorum veloci cursu venientes, affirmabant, castra hostium prope esse, eorum præsidium flagitantes. Quibus auditis, Rothgerus Magister Fratrum S. Johannis divertit ad Magistrum Templi, qui non longe in castello Saba cum quinquaginta militibus consistebat. Consilio autem habito, miserunt exploratores, qui reversi dixerunt, non nisi duo milia esse. Illi enim insidias in montibus ex utraque parte non attenderant, & sic exploratores delusi sunt. Milites autem Christi gavisi sunt, dicentes: Tradidit eos Dominus in manus nostras. Cumque ascenderent ad eos, illi fugam simulabant, donec insidiæ, quæ latuerant, exsurgerent. Et sic circumdantes omnes illos, in ore gladii eos percusserunt. Militibus ergo Christi in Domini confessione occumbentibus, illi cum gaudio ad sua reversi sunt. Saladinus autem audiens, Rothgerum cecidisse, lætatus ait: Nunc conclusi sunt Christiani in manibus nostris, quia mortuus est ductor eorum. Admoto ergo exercitu cum multitudine gravi, intravit Terram Sanctam per pontem Tiberiadis, & juxta Saffret castra metatus est. Rex autem Ierosolymorum cum omnibus terræ Primatibus, inter quos Episcopi erant cum ligno Domini, occurrit ei, & e regione castra metatus, montana erant inter eos. Cumque per aliquot dies in excubiis fuissent, & utrobique ad invicem accedere formidarent, Saladinus cum omni multitudine Tiberiadem reversus est. Populus autem Domini credens, cum fugam inire, ascendit in montana. Saladinus autem expugnavit Tiberia-

Digitized by Google

Tiberiadem, & fuccendit eam igni. Comes vero de Tripoli disfvafit militibus Christi ascendere in montana, dicens: Non ascendatis in montana, quia impetum Saladini ferre non potestis. Sed si ille terram exire dispofuerit, victoriam maximam reportabitis. Castrum autem, quod fuccenfum videtis, meum est. Non ergo sit vobis cura de eo: ego jacturam hanc libenter fustinebo. Ille vero etsi fraudulenter, prudenter tamen locutus est. Sed non est confilium contra Dominum, qui propter malitiam hominum terribile fuper terram illam exercere voluit judicium. Cumque omnino cum Saladino pugnare decrevissent, Comes fubtractus ab eis cum fuis, intravit castrum firmissimum. Saladinus autem cognofcens, Christianos afcendisse in montana, & ibidem per biduum fiti exaruisse tam homines quam jumenta, dixit fuis: Filii mortis funt homines isti, quia non folum fiti defecerunt, fed cum fint pauci numero, effugium eis ipfa negabit loci angustia. Appropinquante ergo parte adverfa, ordinata est acies Christianorum, & erat Rex in capite cum Epifcopis, & victoriofissimo ligno fanctæ crucis. Quem fequebantur Templarii & Hofpitalarii cum Baronibus, militibus & populo terræ. Sicque desiderata congressione facta, confligunt fideles cum infidelibus. Sed Christiani amore mortis animati, audacter irruerunt in eos, & vi hostiles acies irrumpentes, manus fuas Domino confecraverunt. Cecideruntque adverfarii a dextris & a finistris. Sed quia fiti exaruerant, infirmati funt, nec fuit, qui adjuvaret. Et prævaluit pars adverfariorum, & captivatus est Rex, Epifcopi truncati funt, & Crux Domini a fuis hostibus capta est, omnesque fere aut occisi funt gladio, aut hostilibus manibus comprehensi. Fit ergo clamor gentilium ad cœlum, blafphemantium nomen Domini, & fubfannantium populo Dei. Sequenti die inter ipfa funera thronum fuum Saladinus erexit, ponensque coram fe crucem Domini, circumstante multitudine Procerum fuorum, præcepit adesse multitudinem captivorum Christianorum, ponensque in cœlum os fuum, fic omnibus locutus est: Vos estis infelices illi cultores illius Nazareni, qui dicitur Jefus, qui dudum a Judæis in terra ista crucifixus est, quem quidem vos vana fuperstitione delusi, Deum vestrum creditis, & mutato ritu facrificiorum, qui ab antiquis patribus in Lege Dei ordinatus est, pro carnibus & fanguine hostiarum, pauxillum panis & vini fub facramento carnis & fanguinis illius crucifixi offertis. Et hac præfumtione diu terram meam & patrum meorum vobis ufurpastis. Sed nunc, quid possit Deus vester, vidistis. Unde per virtutem Dei mei Mahumet manum meam excelfam vidistis. Eligite ergo unum e duobus, aut mihi confentientes Deum meum adorate, aut fub cruce Dei vestri decollationis fententiam accipite. Cui milites refpondentes dixerunt: Veri Dei Jefu Christi cultores fumus Nazareni, qui opere Spiritus Sancti de immaculata virgine conceptus & natus est, & pro peccatis omnium in fe credentium in hac terra crucifixus, non folum de morte refurrexit, verum etiam ad cœlos afcendit, pro cujus nominis amore bonum certamen certavimus, & curfum confummare felici perfeverantia optamus: Hunc adoramus, hunc laudamus, hunc Deum & Dominum omnium confitemur. Illum vero Mahumet filium perditionis, quem Deum tuum dicis, irridemus, qui fuis præstigiis feduxit corda hominum fimplicium, ipfumque negamus, exfecramur, & fimiliter te cum tuis tortoribus defpicimus. His dictis, omnes a confpectu fuo ejecti funt, & altera die Templarii & Hofpitalarii decollati funt, eo quod illos præ cæteris exofos habuerit. Occifo ergo populo Dei, Saladinus obtinuit totam terram, & depopulatis omnibus, civitates cunctas munitas percussit in ore gladii, omnia quoque loca fancta destructa funt. Religiofæ etiam perfonæ virorum & mulierum aut trucidatæ funt, aut in captivitatem ductæ. Primo namque Saladinus obtinuit Akron, deinde venit Surs, quod alio nomine Tyrus dicitur, & per menfem impugnavit eam. Quam cum capere non posset, eo quod Comes de Tripoli eam fortiter defenderet, abiit Sidon (Sidonem), & cepit eam. Deinde expugnavit Beleth, & postea Baruth (Berythum). Quam cum obtinuisset, creavit fibi nomen novum, quod ibidem coronatus est, & Rex Babyloniæ falutatus. Inde via, qua venerat, reverfus venit Afcalonem, & eam obfedit, quam Fratres de Hofpitali fortiter munierant. Quam cum expugnare non posset, dixit Regi captivo Gwidoni: Perfuade populo tuo, ut tradant mihi civitatem hanc, & alias, quas tenent Templarii, & ego te a captivitate relaxabo & XXX. de nobilioribus tecum. Qui lætatus misit ad Afcalonitas, & eis fic locutus est: Rogo, ut faciatis mihi mifericordiam, & liberetis me a captivitate, & viros, qui mecum funt, quia fic & fic Saladinus locutus est. Qui refponderunt: Tu quidem Rex noster eras, fed nunc nec te ipfum nec alios falvare potes. Et ideo fcias, quod civitatem Domini gentibus non tIademus. His auditis, Saladinus fortius impugnavit civitatem, erexitque contra eam machinas, & fregit cum eis munitiones, & turres dejecit. Quod videntes, qui intus erant, pro liberatione Regis obtulerunt civitatem. Quam Saladinus tunc acceptare noluit fub conditione priori. Sed Rex tandem cum paucis liberatus est, & qui in civitate erant, exierunt illæsi. Saladinus vero intravit eam. Post hæc convertit exercitum fuum ad expugnandam Urbem Sanctam Jerufalem, & obfedit eam. Quidam autem de melioribus, qui in ea erant, animaverunt cæteros, dicentes: Pugnemus viriliter, & moriamur cum fratribus nostris. Nonne iste est locus Dominicæ Passionis, in quo Christus pro nobis mortuus est. Alii autem, qui nondum mori parati erant, pro fua liberatione miferunt legatos ad Soldanum. Qui propter frequentes oblationes peregrinorum credens, civitatem opulentissimam esse, infinitum aurum postulavit ab eis, ut fcilicet quilibet pro fua liberatione daret mille Byzanteos. Sed cum multo minus exhiberent, tandem post multas alter-

Digitized by Google

altercationes deventum est ad hoc, ut præter majores & ditiores quilibet masculus daret X. aureos, & fœmina V. & qui hanc pecuniam dare non possent, manerent servi & ancillæ gentium. Cum autem Saladinus sic obtinuisset Sanctam Civitatem, non pepercit manus ejus Sanctuario Dei, sed ipsum templum stabulum fecit equorum, omni ornatu ejus destructo in contumeliam Christianæ Religionis. Sepulcrum tamen Dominicum religiosis viris sub tali conditione commissum est, ut tributum de oblationibus peregrinorum annuatim solverent. Statuit insuper Saladinus, ut quilibet peregrinus, qui Sepulcrum Domini in posterum visitaret, unum Byzantheum aureum pro conductu solveret, & quod nullus eorum arma secum deferret. Sicque humiliata civitate sancta, renovatum est illud lamentabile carmen Jeremiæ Prophetæ: Quomodo sedet sola civitas plena populo, &c.

Tricesimo quarto anno Frederici, qui est Domini MCLXXXVIII. Maxima multitudo Judæorum habitabat Parisius, secundum Vincentium, quæ de diversis orbis partibus ob diuturnitatem pacis ibidem convenerat, & in tantum ditati erant ibidem, quod fere medietatem urbis Judæi sibi vendicassent, servos autem & ancillas Christianas in domibus suis habebant, qui etiam cum eis Judaizabant, cives vero & milites ac rusticos de suburbibus, opidis & villis usuris suis valde gravabant. Sed & vasa sancta nomine vadii tenentes, offas vini de calicibus comedebant, & de ipsis bibebant. Quidam etiam ex eis crucem auream & libros Evangeliorum auro & gemmis ornatos cum aliis vasis ab officialibus Regis perscrutari timentes, in cloacam, ubi ventrem purgare solebant, proh dolor! projecerunt. Exiit ergo Edictum a Rege Philippo, ut omnes Judæi de Regno suo expellerentur. Propter quod Edictum quidam Judæorum conversi sunt ad fidem, quibus Rex omnes possessiones suas concessit. Quidam vero Prælatos, Principes & Barones muneribus corruperunt, ut animum Regis a proposito revocarent, sed frustra. Capti ergo sunt hoc anno omnes Judæi per totam Franciam in Synagogis suis in Sabbatho ante Lætare; & primo quidem spoliati sunt vestibus, auro & argento, eisque ejectis, & possessionibus eorum mobilibus & immobilibus ad fiscum Regium devolutis, Rex omnes eorum Synagogas, quas scholas suas vocabant, mundari jussit, & eas contra voluntatem omnium Principum in Ecclesias dedicari fecit, ac altaria in eis fieri & consecrari, ut, ubi Christus prius more Judæorum blasphematus esset, amplius a Clero & populo die noctuque laudaretur & benediceretur. Philippus Archiepiscopus Coloniensis Philippum Regem Francorum, secundum Wilhelmum, & Baldowinum Comitem Hannoniæ terrore suo ad hoc coëgit, ut ipsi proprias terras suas longe lateque incendiis vastarent, ne prædictus Archiepiscopus cum suo exercitu valeret ad eos pervenire. Hic Philippus Archiepiscopus in festo Palmarum solennem curiam Coloniæ tenuit, cui Philippus Comes Flandriæ, Lodowicus Lantgravius Thuringiæ, Episcopi Monasteriensis & Eystensis (f. Eystadensis), ac omnes Nobiles terrarum eorundem numero circiter IIIIM. militum intererant. Unde indignatus Fredericus Imperator, & oblitus servitiorum illius, contra Archiepiscopum præfatum cum Rege Francorum est confœderatus. Et ob hoc pontem per Mosellam flumen fieri jussit. Sed Archiepiscopus Dei fultus auxilio ipsum pontem violenter abstulit, & omnes machinationes ejus elisit. Lubicensi Ecclesia orbata Pastore suo, secundum Chronicam Lubicensem, Hartwicus Bremensis Archiepiscopus videns Canonicos ejusdem Ecclesiæ segniter agere circa electionem novi Episcopi, huic ordinationi se inseruit, & Canonicos omnes per literas in Hammeburg in Epiphania Domini citavit, cum eis super eodem negotio colloquium habiturus. Qui cum in Stadio positus esset, propter glacies hyemales flumen transire non poterat, sicque casso itinere Canonici ad loca sua reversi sunt. Circa festum vero Purificationis Mariæ Archiepiscopus venit Lubeke, & invenit eos discordantes in electione. Major namque pars convenerat in Abbatem Herseveldensem fratrem ipsius Archiepiscopi, pars vero altera in David Præpositum ejusdem Ecclesiæ. Cumque neutra pars prævalere posset, pari voto & unanimi consensu convenerunt in personam Domini Theoderici, qui Præpositus erat in Sigeberge, virum justum, pium & mansvetum. Qui cum absens esset, & a Canonicis sibi de electione intimatum esset, cœpit omnibus modis recalcitrare, plus oneris quam honoris sibi impositum esse proclamans, nec sine lacrymis id affirmans. Non sum, inquit, Propheta nec filius Prophetæ. Cum autem ad exhortationem Archiepiscopi & Adolfi Comitis consensum dedisset, nec temere aliquid aggredi videretur, mansit in Præpositura sua toto illo anno, donec circa Bremam revertente Imperatore de Italia, occurreret ei cum Archiepiscopo in Ghillenhusen. Ubi accepta Episcopali investitura de manu ipsius, reversus est cum Archiepiscopo Bremam. Sicque Dominica Gaudete in Domino unctus oleo sanctificationis consecratus est, & infula decoratus. Inde vero ab Adolfo Comite honorifice deductus est in Lubeke, & a Clero & populo ibidem receptus.

De Clemente III. PP. CLXXXII.

Clemens Papa natione Romanus ex patre Leone, sedit sex annis & XVI. diebus, secundum Martinum. Hic statuit, quod tempore feriarum non fiat traductio sponsarum, puta a Dominica ante Ascensionem Domini usque ad octavas Pentecostes, a Dominica Adventus usque ad octavas Epiphaniæ, & a Dominica Quadragesimæ usq; ad octavas Paschæ. Etiam statuit, ut, qui sibi procuraret abscindi virilia, nullo modo celebraret Missam, & ut nullus Clericus pugnet in duello, nec pro se pugiles introducat.

Tricesimo quinto anno Frederici, qui est Domini MCLXXXIX. Philippus Rex Francorum, secundum Wilhelmum, Deo vovit, quod omnes

Digitized by Google

omnes veſtes ſuas, quamdiu viveret, pauperibus & Eccleſiis Dei intuitu donaret, malens nudum Chriſtum in pauperibus veſtire, quam hiſtrionibus & adulatoribus veſtes dando peccatum committere, cum hiſtrionibus dare ſit dæmonibus immolare. Ad vindictam zeli domus Dei & ad ultionem innoxii ſangvinis effuſi, glorioſi Principes terrarum & Nobiles univerſi unanimiter ad expeditionem Ieroſolymitanam aſpirabant, ſecundum Continuatorem Chronicæ Slavorum, & ſignati ſigno crucis ſanctæ in remiſſionem ſuorum peccaminum ad iter ſe diſponebant. Inter quos præcipuus & ſignifer erat Dominus Fredericus Imperator, qui expeditionem prædictam prudenter ordinans, præcepit Imperii ſui peregrinis tam equeſtribus quam his, qui navigio ituri erant, ut adveniente Majo omnes parati eſſent. Cum eo autem iter ſanctum arripere conati ſunt Reges hi, Philippus Rex Francorum, Henricus Rex Anglorum, & Wilhelmus Rex Arragoniæ; ac Principes, ſcilicet Archiepiſcopi, Robertus Rhotomagenſis, Richardus Canthuarienſis, Henricus Treverenſis, Bernhardus Remenſis & Bertoldus Salzburgenſis; Epiſcopi vero Philippus Beluacenſis, Conradus Carnotenſis, Hermannus Metenſis, Henricus Conſtantienſis, & Bertoldus Wormacenſis; Duces vero Burgundiæ, Sweviæ, Lotharingiæ & Auſtriæ; Comites quoque Flandriæ, Hollandiæ, Gelriæ, Sancti Pauli & Campaniæ, cum multis Nobilibus, Baronibus & militibus provinciarum diverſarum. Imperator vero Moguntiæ per prædicationem Godefridi Herbipolenſis Epiſcopi apud Goslariam pro diverſis negotiis Regni tractandis curiam generalem indixit, ubi quoſdam Principes diſcordantes reconciliavit, quædam etiam caſtella propter latrocinia, quæ de eis dirimi præcepit, ut ſic pacatis omnibus iter propoſitum tanto devotius quam liberius expleret. Henricum Leonem Dominum de Brunswic etiam adeſſe mandavit, ut diſcordiam inter ipſum & Bernhardum Ducem Saxoniæ pendentem ſopiret. Accedente ergo veris tempore Fredericus Imperator iter ſalubris peregrinationis arripuit. Procedens ergo de Ratiſpona cum ſuo exercitu, innumera multitudine hominum diverſarum provinciarum ſuum exercitum præcedente, venit in Auſtriam. Cui occurrit cum multo comitatu Dux ejuſdem provinciæ, Imperatorem honeſte ſuſcipiens, & in urbe Viennenſi ipſum jocunde recreans. Inde circa feſtum Pentecoſtes procedens, venit ad Portam Regni Ungariæ. Quem Rex lætanter ſuſcipiens, omnem decentiam ei per feſtum exhibuit. Inde vero Rex Imperatorem deduxit in urbem Attilæ, ubi per quatuor dies venationi intendens, inde proceſſit, & venit ad fluvium, qui Sowa dicitur, ubi multitudo exercitus Imperialis numerata eſt, & inventa ſunt quinquaginta milia militum & centum milia armatorum ad bella valentium. Ibique ſedens pro tribunali judicia ſua exercuit, ibique duo mercatores decollati ſunt, & quatuor clientibus manus ſunt amputatæ, quia pacem in exercitu irritam fecerunt, & juratam fregerunt. Profecti autem inde venerunt ad Marowa fluvium, ubi Rex Ungariæ Imperatori multa plauſtra miſit cum farina onerata, ibique Rex valedicens Imperatori, dedit ei quatuor camelos pretioſis muneribus oneratos, ad valorem quinque milium florenorum. In ipſa die venit ad Imperatorem Dux Græciæ, dans ei vas aureum, quod duabus anſis levari conſvevit, & tanta victualia, quæ exercitui ad octo dies ſufficerent. Omnes autem arctas vias Dux Græciæ ſibi aperiri fecit, & deduxit ipſum per Bulgariam circa feſtum Johannis Baptiſtæ. Et per nemora difficilia pergentes, venerunt Ravenelle, quod caſtrum firmiſſimum erat. Et inde caſtra moventes, venerunt Ymopolim civitatem magnam, ſed deſertam, in qua dum totus exercitus hoſpitatus fuiſſet, vix alternæ domus inhabitatæ ſunt, ibique per tempus aliquod morati ſunt. Cui exercitui fideli invidens Dux de Brandiz, qui eſt in confinibus Bulgariæ, feſtinus præcurrit ad Regem Conſtantinopolitanum, & dixit ei: Quid hoc facere voluiſti, ut hominibus tam impiis tranſitum per terram tuam præbeas? Non parcit manus eorum alicui civitati, ſed omnia vaſtantes ſuæ ſubjiciunt ditioni. Unde pro certo ſcias, ſi terram tuam intraverint, te de ſolio tuo ejicient, & Imperium tuum obtinebunt. His verbis nimis credulus Rex & exterritus nuncios Imperatoris, qui pro ſalvo conductu venerant, puta Epiſcopum Monaſterienſem & Reynerum Comitem de Naſſowe cum quingentis militibus comprehendi fecit & captivari. Imperatore vero in Ymopoli urbe moram faciente, ipſe miratus eſt, quod non redirent hi, quos ad Regem pro bono pacis miſerat. Cumque diutius exſpectaſſet, & ſui non eſſent reverſi, indignatus omnem circa regionem vaſtare cœpit, & ad inopiam maximam terram illam in omnibus ſuperabundantem perduxit. Tranſactis ergo aliquot hebdomadibus, caſtra moverunt de illo loco, & venerunt Andropolim, ubi per VII. hebdomadas hoſpitantes, ſimilia perpetraverunt, ibique reverſi ſunt nuncii Imperatoris cum obſidibus quinquaginta, firmam pacem & omnia, quæ Imperator optabat, afferentes. Acceptis ergo obſidibus in media Quadrageſima, relicta Andropoli proſpere procedentes, in Paſcha venerunt ad Brachium S. Georgii, ibique caſtra metantes, ſuum Paſcha cum gaudio celebrabant. Proxima vero die claſſem intrantes, tranſierunt vadum. Quibus Rex tot naves providerat, ut omnis exercitus cum ſuis attinentiis transmearet. Poſt maris ergo tranſitum cum adhuc exercitus Dei in terra Regis Græcorum eſſet, propter obſides, quos ſecum tulerant, occurrerunt eis Turſi, inſidias tendentes. Quos illi primo non attendebant, quia pauci erant, nec eos malum machinari cogitabant. Illi vero de die in diem multiplicabantur ſicut arena maris, & nocte ac die erant circa ipſos. Cumque concluſi eſſent in manu hoſtili, non tamen a cœpto itinere ceſſabant. Jam enim Rumeniam terram deſertam & inviam intrabant, & defecerunt jam panes in ſacculis eorum. Fuerunt tamen

tamen inter eos, qui panes mellitos, cum in abundantia eſſent, ſibi præparaverant, & ex eis ſuſtentabantur. Qui vero ſimile opus non fecerant, aut carnibus equinis & aqua, aut radicibus veſcebantur, aut fame usque ad mortem affligebantur. Cumque vires ad ambulandum non haberent, ceciderunt in faciem ſuper terram, ut martyrium pro nomine Domini ſuſciperent. Inimici vero irruentes ſuper eos, ſine omni miſeratione eos trucidaverunt. Sic enim Chriſtiani ordinabant acies ſuas, ut pedeſtres & infirmi medii eſſent, equeſtres vero propter inſultum hoſtium a dextris & a ſiniſtris procedebant. Sæpius etiam exercitus Chriſti inſultum in hoſtes faciens, proſtravit quandoque ad tria milia, quandoque ad V. milia ex eis, nec tamen ceſſabant inſequi eos. Imperator vero quamvis ſe circumventum hoſtibus non dubitaret, non dimiſit tamen obſides, quos tenebat. Cum ergo poſt longam famis maciem populus Dei ſperans refectiones invenire, & poſt diutinos labores requiem, ecce filius Saladini Imperatori mandavit, dicens: Si per terram meam ſecurum habere vis tranſitum, de quolibet tuorum aureum mihi dabis Byzanteum. Quod ſi non feceris, ſcias, quod in craſtino bello te excipiam. Cui Imperator reſpondit: Inauditum quidem eſt, quod Romanorum Imperator ulli mortalium tributa unquam ſolverit, ſed ipſe ea magis exigere conſvevit quam ſolvere, tamen, quia exhauſti ſumus viribus, & ut cum pacis quiete viam noſtram facere valeamus, unum denarium, qui maulat dicitur, tibi voluntarie perſolvam. Quem ſi acceptare volueris, bene quidem; ſin autem; pro nomine Chriſti libenter tecum præliabimur. Eſt autem maulat de viliore numiſmate, qui nec totus eſt aureus nec totus cupreus. Nuncius itaque reverſus intimavit hæc domino ſuo. Imperator vero convocata ſaniori parte exercitus ſui, quod agebatur, expoſuit. Ad hæc omnes illi uno ore reſponderunt, dicentes: Bene quidem, ut Imperialem decet Majeſtatem, reſpondiſti tyranno. Nos tamen ſcias nullam pacis conditionem, quia nihil niſi vincere aut vinci cupimus. Placuit autem Imperatori tanta virorum Dei conſtantia, & illuceſcente aurora ordinata acie, filius ejus Dux Sweviæ cum fortiſſimis bellatoribus in fronte ſtetit. Ipſe vero Imperator cum reliquis hoſtes, qui a tergo inſiſtere vellent, percuſſurus accingitur. Pugnabant ergo Chriſti milites animis & viribus, & qui Martyrum olim roborabat conſtantiam, ipſe horum etiam firmabat perſeverantiam. Cadebant autem adverſarii a dextris & a ſiniſtris, nec erat numerus certus interfectorum. Sicque vi portas irrumpentes, omnes, qui in Iconio urbe, coram qua præliabantur, erant, percuſſerunt in ore gladii. Reliqui vero in caſtris, quæ civitati conjuncta erant, ſe receperunt. Et ſic humiliatis hoſtibus intus & foris, per triduum in ipſa civitate Turcorum capitali morantes, ſe victualibus civium recreaverunt. Tunc Soldanus honorabiles nuncios oneratos muneribus Imperatori miſit, dicens: Bene quidem Domine Imperator in terram meam veniſti, ſed quod juxta magnificentiam tuam a nobis receptus non es, tibi quidem glorioſum eſt, ſed nobis ignominioſum. Iſta tamen præter voluntatem meam acta ſcias, quia in lecto ægritudinis decumbens, nec mei nec aliorum compos eſſe valeo. Nunc ergo rogo, ut mecum miſericordiam facias, & pro conditione pacis obſides, quoscunque volueris, recipias. Quæ Imperator acceptavit, & ſecundum beneplacitum ſuum pax firmata eſt. Procedens ergo inde, pertranſivit terram Armenorum, & pervenit ad flumen Saleph, ubi caſtrum ejusdem nominis ſitum eſt. Quo cum perventum fuiſſet, propter nimiam æſtus intemperiem pulveriſque ſqualorem, Dominus Imperator in eodem fluvio lavari ſimul & refrigerari diſpoſuit. Siquidem idem fluvius non multum latus fuit, curſum tamen velocem propter montium circumgyrationem habebat. Aliis ergo ad vadum tranſeuntibus, ipſe multis invitis aquam ingreditur, ſperans, ſe natando poſſe transmeare. Sed impetu fluminis arreptus, quo nollet, vi trahitur, & priusquam ſui ſibi ſubvenire potuiſſent, aquis ſuffocatus periit. Fit ergo mœror omnium una voce plangentium: Quis nos conſolabitur in hac peregrinatione noſtra, quia cecidit propugnator noſter? Multo ergo ploratu & ululatu Dei populus tabeſcebat, ſed filius ejus conſolabatur eos, dicens: Pater quidem meus defunctus eſt, ſed vos conſtantes eſtote, & videbitis auxilium Domini ſuper vos. Et quia idem filius Dux ſcilicet Sweviæ in omnibus prudenter ſe gerebat, omnes, defuncto patre, principatui ejus ſe ſubdiderunt. Qui ultra progredientes, pervenerunt Antiochiam. Princeps autem Antiochiæ filium Imperatoris cum ſuo exercitu reverenter ſuſcipiens, ipſam urbem ei conſignavit, ut de ipſa ordinaret, quod vellet. Plurimum enim ipſi civitati infeſti erant Sarraceni, ita ut ipſam diutius tenere deſperaret propter frequentes inſultus eorum. Cum ergo ibidem ad pauſandum aliquantulam moram faceret filius Imperatoris, & populus famelicus vino & cæteris alimentis civitatis immoderate uti cœpiſſet, nimia mortalitas inter eos orta eſt, ita ut plures ex nimia repletione morerentur. Multi etiam Nobiles & boni viri propter nimium æſtum interierunt. Inter quos Dominus Godefridus Herbipolenſis Epiſcopus, qui eandem peregrinationem in magna parte regebat, ex hoc incolatu migravit ad Dominum. Dux vero Sveviæ Imperatoris filius, locatis in urbem Antiochiæ CCCC. militibus, cum reliquis procedens, tandem venit Akron, ubi invenit manum validam Chriſtianorum, qui eandem civitatem obſederant. Multum autem confortata eſt pars Chriſtianorum in adventu ipſius Ducis. Sed eo ibidem moram faciente, & cum hoſtibus confligere diſponente, immatura morte præventus eſt. Sicque expeditio illa quaſi terminata eſt & fere annihilata. Illi tamen, qui ibidem remanebant, expugnationi civitatis operam dabant. Gwido autem Rex Jeroſolymorum a captivitate ſolutus, a Tyro venit cum CC. militibus, & obſidioni junctus eſt,

Digitized by Google

eſt, ac in immenſum eorum crevit militia. Cum ergo Gwido Rex civitatem obſideret cum militibus Teuthonicis, & cum his, qui de Lombardia & Tuſcia ac de exercitu Imperatoris defuncti advenerant, Saladinus eos ſine intermiſſione infeſtabat, ita ut ſe illic ſubſiſtere deſperarent. Sed Dominus reſpiciens de excelſo ſolio ſuo ſuper deſolatos peregrinos ſuos, miſit eis auxilium. Nam tertio Kal. Septembr. apparuit multitudo navium de diverſis mundi partibus venientium, quas Dominus per tædioſiſſimas circumgyrationes regionum ita illæſas gubernaverat, ut nunquam ſecundus ventus eis deficeret, aut aliquem hominem perdidiſſent. Fuerunt autem LXVI. naves grandes expanſis velis applicantes, quibus junctus erat quidam Princeps de Avenſe nomine Jacobus cum V. magnis navibus, armatis viris & victualibus plene onuſtis. Inter hos Primates erant Henricus Comes de Aldenburg, Albertus Comes de Poppenburg, Conradus Marchio Ferrarienſis, Theodericus Comes de Clivis, & Wydekinus Advocatus de Ryeden, miſſi per Henricum Regem Romanorum patri in adjutorium. Saladinus vero, qui cum innumerabili multitudine proxima die ſuper milites Chriſti irruere diſpoſuerat, cognito adventu tantæ claſſis, primo quidem obſtupuit, & in amaritudine cordis anima ejus contabuit, quia, quos a terra arcere non poterat, ad deſtructionem ſui veniſſe non dubitabat. Cum ergo portum apprehendiſſent, & egreſſi fuiſſent naves, vallaverunt per gyrum civitatem: Illo tamen non obſtante, homines Saladini, quoties eis placuit, cum camelis intervenerunt & exierunt urbem per portam, quæ reſpiciebat ad orientem. Et idcirco in multo labore & periculo fere per menſem in obſidione laborabant, ita ut multum exhauſti ex continuis vigiliis & excubiis vix ſpirare valerent, eo quod Sarraceni ſine intermisſione ſagittis & incurſibus eos inquietarent. Unde miſerunt Tyrum pro Raymundo Comite de Tripoli & Lodowico Lantgravio Thuringiæ, qui nuper jam de terra ſua venerat cum multa copia militum & victualium, rogantes, ut præſidio eis fierent. Venerunt ergo in manu forti, & lætati ſunt in obſidione conſiſtentes. Dominus etiam Patriarcha in caſtra venerat, qui animos plurimorum confortabat. Ordinata ergo acie, omnis multitudo equeſtrium & ſagittariorum in campeſtribus erant. Cæteri vero contra inſultus eorum qui in urbe erant, caſtra ſervabant, & fugata ſunt caſtra Saladini. Quod videntes hi, qui naves ſervabant, vociferati ſunt, fugere Saladinum. Sicque liberati ſunt hi, qui in caſtris erant. Porro campeſtres fugientem Saladinum perſecuti ſunt in montana, & reverſi ſunt, timentes inſidias. Cumque pedites in caſtris raperent ſpolia eorum, orta eſt inter eos ſeditio de quadam mula, quæ rapiebatur ab omnibus, trahebatur ab omnibus, ita ut mutuo pararentur ad bellum. Quod cognoſcentes Sarraceni, cum inſidiis irruerunt ſuper eos, & proſtraverunt ex eis circa mille viros, & cæteri fugerunt ad caſtra. Ex illo facto ſtatuerunt, ut vallo ſe circumdarent, ne amplius hoſtibus ſubitanea præda fierent. Foderunt ergo duo foſſata magna, unum verſus civitatem, & aliud verſus campeſtria, & ex hoc præſidio vacabant otio, concluſis his, qui in urbe erant, quibus libertas exeundi & intrandi ſubtracta eſt. Agente autem Lodowico Lantgravio & cæteris Nobilibus multo labore & expenſis tres turres ligneas, eas contra civitatem erexerunt, ſed illa inſtrumenta exeuntes in urbe Græco igne injecto combuſſerunt. Extunc poſt paucos dies mortuus eſt & Lantgravius, & populus Chriſtianus quaſi ſine Principe eſſe videbatur. Quos tamen in tantis neceſſitatibus Deus reſpiciens, miſit eis in auxilium Philippum Francorum Regem. Qui veniens in manu valida, cœpit vallare civitatem, & erexit coram ea machinas. Henricus vero Angliæ Rex ex altera parte etiam advenerat, qui in expugnatione & vaſtatione Regni Cypri ſe hucusque occupaverat. Quo acquiſito & ſpoliato bonis ſuis, tradidit ipſum Gwidoni Regi Jeroſolymorum poſſidendum ſub tributo, qui ſuo jam Regno privatus extiterat. Vaſtato ergo Cypro, Henricus Rex applicuit Akron, & utens viribus ſuis una cum Rege Francorum artabat civitatem. Milites autem Chriſti tradentes ſe periculo ſine inter miſſione nocte dieque ſuffoderunt muros urbis & turres ejus, & tandem eas præcipitaverunt, & neceſſitate compulſi, qui intus erant, de civitatis deditione tractare cœperunt. Miſerant frequenter Saladino nuncios, ut eos, ſicut promiſerat, liberaret. Quod cum efficere non poſſet, tradiderunt urbem in manus Regum. Captivatis autem omnibus, qui intus erant, pro ſua liberatione dederunt pecunias multas, inſuper ligni Dominici reſtitutionem promiſerunt. Datis ergo obſidibus, acceperunt unius menſis inducias. Abeuntes itaque ad Saladinum, de ligni quidem Dominici reſtitutione nihil profecerunt, ſed nec pecuniam promiſſam ultra datam jam ſolvere potuerunt, & ita reverſi intraverunt civitatem, & trucidati ſunt VIIIM. virorum gentilium. Nobiliores tamen civitatis maxima pecuniæ ſumma ſe redemerunt. Capta igitur civitate Philippus Rex Francorum ingreſſus navem, ad propria reverſus eſt. Rex vero Angliæ cum ſuo exercitu & Chriſti militia ſe convertit ad expugnandam Aſchalonem. Quod videntes ejus inhabitatores, ſuccenderunt eam igne, & fugerunt. Ipſe vero Rex Henricus deſolatam urbem ingrediens, reædificavit eam, inſtaurans muros & turres ejus. Quo facto, Rex volens reverti ad loca ſua, pacem firmiſſimam fecit cum Saladino tribus annis & XL. diebus quæ tamen pax ſtare non poterat, niſi Rex deſtrueret Aſchalonem. Quam etiam neceſſitate compulſus deſtruxit, quia inhabitatores habere non potuit, qui poſt ejus receſſum eam obtinere potuiſſent. Naves ergo ingrediens, ivit per Bulgariam, & inde ad partes ſuas pervenit. Et ſic, proh dolor! Terra Sancta in manibus remanſit impiorum minime liberata.

Triceſimo ſexto anno Frederici, qui eſt Domini MCXC. Dum adhuc Imperator in expeditione prædicta conſtitutus viveret, ſecundum Con-

Continuatorem Chronicæ Slavorum, & Adolfus Comes de Schowenburg & Holtzatia in ipſa expeditione cum Imperatore occupatus eſſet, Henricus Leo Dominus de Brunſwic, qui jam reverſus erat de exilio Anglicano, introductus eſt Stadium per Hartwicum Archiepiſcopum Bremenſem jam ſibi reconciliatum, quod ſibi reſignaverat. Quod audito, Nobiles Holtzatorum & Sturmariorum ei occurrerunt, & pacifice ipſum recipientes, introitum terræ ſuæ ei obtulerunt. Qui gaviſus eos exaltare promiſit. Unde ſtatim occupare cœpit loca Comitis Adolfi, puta Hammeburg, Plüne & Ythzeho, & ejecit homines Comitis ex eis. Quod videntes Adolfus Comes de Dasle, qui tunc in terra gerebat vices nepotis ſui, & Domina Mechtildis mater Adolfi Comitis de Schowenburg, ac Domina Adelheydis uxor Comitis de Schowenburg, in urbe Lubicana ſe receperunt. Henricus vero Leo, collecto exercitu de Stadio, Brema, Holtzatia Sturmaria, Dithmarcia & Polaborum terra, fretusque auxilio Kanuti Regis Danorum, vallavit Bardewic urbem opulentam, aſſiſtentibus etiam ſibi Bernhardo Comite de Ratzeburg, Bernhardo Comite de Welpe & Helmoldo Comite de Swerin. Rebellabant autem hi, qui in urbe erant, nec tradere volebant ei civitatem. Sed prævaluit Henricus Leo ſæpe dictus Dominus adverſus eam, & capta eſt ac devaſtata per eum. Nec pepercerunt viri bellatores Eccleſiis vel cimiteriis, ſed ablatis omnibus, ſuccenderunt quasdam ex eis. Cauſa autem deſtructionis hujus civitatis fertur fuiſſe talis. Nam, ſecundum Egghardum, Henrico jam privato Ducatibus ſuis, & intrare eam volenti, ut conſveverat, cives introitum negaverunt portis clauſis, & muros aſcendentes, poſteriora ſua nudata probroſe ei oſtenderunt. Propter quod dedecus urbem jam capiens, eam funditus deſtruxit, Eccleſiis quibusdam dimiſſis, ſed ipſis ſpoliatis. Potentiores autem cives captivans, patibulis eos affixit, eorum bonis in Luneburg transmiſſis. De lapidibus quoque & lateribus domorum & murorum civitatem Luneburg fundavit. Sanctum vero Aegiſtium unum de LXXII. Domini diſcipulis ibidem ſepultum, qui urbem prædictam converterat ad fidem, Kanutus Rex, ut quidam volunt, in Sveciam direxit, aliis quod adhuc ibidem reſideat translatus de humo, aſſerentibus. Proſperatus ergo Henricus Leo in ſuo propoſito & animoſus factus, circa feſtum B. Martini ſecundam expeditionem inſtauravit, capta urbe Bardewic in vigilia Apoſtolorum Simonis & Judæ, & ad obſidionem urbis Lubicanæ ſe diſpoſuit. Cumque jam civitati dictæ appropinquaret, territi, qui intus erant propter deſolationem Bardewic proxime factam, miſſis nunciis pacifice ipſum ſuſceperunt ſub tali tamen conditione, ut Adolfus Comes de Dasle & mater ac uxor Comitis de Schowenburg, cum omnibus eorum hominibus & bonis, quæ ibidem habebant, libere exire valerent. Quod eisdem conceſſum eſt. Cumque Henricus obtinuiſſet civitatem, & omnem terram Adolfi Comitis Holtzatorum, protunc occupati in Jeruſolymitana peregrinatione, ſtatim expugnavit caſtrum Lovenburg Ducis Bernhardi, quod poſt menſem traditum eſt in manus ejus ſub hac conditione, ut, qui in caſtro erant, illæſi abirent cum omnibus ſuis. Succedentibus ergo his proſperitatibus, exercitum duxit ante caſtrum Sigiberg, quod ſolum adhuc homines Comitis Adolfi peregrini tenebant, per manum Walteri de Valdenſile, quem juvare cœperunt Holtzati & Sturmarii, pœnitentiam agentes de priori facto. Unde mutata eorum voluntate, alienati ſunt a Henrico Leone, & liberatum eſt caſtrum auxilio Egonis de Sture & amicorum ſuorum. Et ſic rurſus infirmata eſt pars Henrici in illis partibus. Poſtea adveniente Majo, Henricus Leo ulciſci ſe volens de adverſariis ſuis, ordinavit exercitum in terram Holtzatorum per manum Bernhardi Comitis de Ratzeburg & Helmoldi Comitis de Zwerin ac Jordani Dapiferi, & exeuntibus illis de Lubeke, non longe ab urbe congreſſi ſunt cum Holtzatis, & in fugam verſi ſunt armigeri Henrici Leonis, & captivati ſunt Helmoldus Comes de Zwerin, & Jordanus Dapifer, & ducti ſunt in Sigiberg. Multi vero in flumine Trabena ſubmerſi ſunt, & plures interfecti. Bernhardus autem Comes de Ratzeburg fuga vix elapſus eſt. Non multo vero poſt Helmoldus a captivitate ſolutus, ſolvit CCC. marcas argenti. Jordanus vero, quia pecunioſus erat, pro ſua liberatione dedit quingentas marcas puri argenti. Egghardus in Chronicis ſuis loquens de morte Frederici Imperatoris dicit: In regno Turquiæ nobiliſſimæ & opulentiſſimæ ſunt civitates centum, demtis caſtris, opidis & villis, inter quas eſt Melademe, quæ fuit Patria Sancti Georgii. Alia dicitur Labigarme, ubi Fredericus Imperator contrivit plusquam CCM. Turcorum. Et tunc acquiſivit Iconium. Sed cum inde verſus Jeruſalem pergeret, in flumine Saleph ſubmerſus eſt. Huic Frederico Imperatori a quodam incluſo prædictum erat, quod aquis ſuffocaturus eſſet. Propter quod non per mare, ſed per terram, quantum poterat, ad Terram Sanctam ire voluit. Veniens ergo ad quendam decurſum aquarum, delectatus earum limpiditate, ſudoremque ex labore contractum abluere cupiens, peritia natandi confiſus aquis ſe commiſit. Abſtractusque repente valido impetu, & alliſus lapidi in aquis latitanti, miſerabili mortis genere interiit. Cumque jam mori inciperet, talem dicitur emiſiſſe vocem: Benedictus Crucifixus Dei Filius, quod aqua me ſuſcipit, quæ me regeneravit, & me facit martyrem, quæ me fecit Chriſtianum. Corpus autem ejus Antiochiam delatum per filium ejus Fredericum Ducem Sweviæ, in Baſilica S. Petri honorifice tumulatur. Ibidem etiam Florentius Comes Hollandiæ decimus languore correptus obiit, cui ſucceſſit Theodericus filius ejus. Cives quidam urbium Lubicenſis & Bremenſis, ſecundum Egghardum, erant in exercitu Chriſtianorum, qui venerant cum Adolfo Comite Holtzatorum in ſubſidium Terræ Sanctæ. Hi cives videntes, plures Teuthonicos peregrinos infirmos jacere in

in locis diverſis campi abſque curis & ſolicitudinibus quorumcunque, & pati miſerias & inedias magnas, miſericordia moti, acceperunt velum latum de quadam navi magna, & inde facientes tentorium, collegerunt omnes illos infirmos ſauciatosque, & locaverunt eos ſub hoc tentorio. Et horum curam geſſerunt per totum tempus illud, quo exercitus Chriſtianorum erat in expugnatione Akaron. Cum autem poſt obitum Frederici Imperatoris Adolfus Comes recedere diſponeret, prædicti cives tentorium illud cum infirmis commiſerunt Capellano Frederici Ducis Sweviæ filii Imperatoris defuncti, & Camerario ejusdem. Qui duo de beneplacito dicti Frederici Ducis dictum locum cuſtodiendum acceptaverunt propter Deum & ſalutem animarum ſuarum. Et ædificantes ibidem domicilia, inſtauraverunt quandam capellam ibidem in honore Sanctiſſimæ Virginis Mariæ, & nominaverunt conventiculum illud Hoſpitale B. Virginis domus Teuthonicæ. Qua quidem domo ſic fundata, plures venerunt honorabiles viri de Teuthonicis peregrinis, & ſe illis junxerunt in dicto ſervitio infirmorum. Fredericus etiam Dux ſcripſit Cœleſtino Papæ, qui tunc electus erat, pro confirmatione novæ Religionis inceptæ, & eam obtinuit per promotionem Henrici VI. qui tunc regnare cœpit, fratris ſui. Unde nominata eſt Religio illa Fratres de Hoſpitali domus Teuthonicæ. Capta vero urbe Akron a Chriſtianis, Fratres illi locum emerunt intra muros urbis illius, & ibi templum conſtruentes, Domino ibidem ſervire cœperunt. Ibidem quoque Dux Sveviæ Fredericus ſepultus eſt apud prædictos Fratres. Tandem convenientes Principes & Prælati Chriſtianorum, qui protunc in acquiſitione Terræ Sanctæ illuc convenerant, in curia dictorum Fratrum de Domo Teuthonica conſilium habuerunt de incepti ordinis proſecutione. Et placuit eis, ut quidam de Fratribus occuparentur in infirmorum peregrinorum miniſtratione in hoſpitali, & quidam in defenſione fidei armis uterentur; & quod univerſi Fratres iſti haberent Magiſtrum ſemper militem, qui eis præeſſet, & neceſſaria utrisque partibus Fratrum adminiſtraret. Principes autem & Prælati in hoc concilio præſentes fuerunt Patriarcha Jeroſolymitanus Johannes, Gwido Rex Jeruſalem & Cypri, Philippus Rex Francorum, Henricus Rex Anglorum, Nicolaus Archiepiſcopus Nazarenus, Guntſalvus Epiſcopus Tyri, Bartholomæus Epiſcopus Cæſarienſis, Chriſtianus Epiſcopus Bethlehemita, Conradus Magiſter templi, Vincentius Magiſter Hoſpitalis S. Johannis, Conradus Archiepiſcopus Moguntinus, Epiſcopi Padowenſis, Merſeburgenſis & Conſtantienſis, Henricus Comes Palatinus Rheni, Fredericus Dux Sweviæ, Henricus Dux Brabantiæ, Lodowicus Lantgravius Thuringiæ, & Adolfus Comes de Schowenburg, Henricus Comes de Aldenburg, Albertus Comes de Poppenburg, Conradus Marchio Ferrarienſis, & Thidericus Comes de Clivis. Hic autem Ordo modicus & pauper crevit in Ordinem ditiſſimum & potentiſſimum, ut patet de Fratribus Pruziæ, Lyvoniæ & Rheni. Et qui primitus ſtatuti ſunt ſervire infirmis, in proceſſu temporis dominari cœperunt in ſummis. Abbas quidam de Calabria, ſecundum Vincentium, nomine Joachim, ſparſit hæreſim ſuam in corda hominum ſimplicium: Hic fertur ſpiritum habuiſſe propheticum, & compoſuiſſe librum de ſex ætatibus, ubi tempus præſens poſuit in ſexta ætate. Prophetavit de Summis Pontificibus futuris, depingens eos in diverſis figuris & imaginibus juxta conditionem vitæ cujuslibet, quam acturus eſſet. Sed quia in pluribus mendax & hæreticus repertus eſt, ideo non videtur habuiſſe ſpiritum veritatis, ſed potius falſitatis.

De Henrico VI. Imp. LXXXIX.

Henricus VI. filius Frederici I. Imperatoris, cœpit anno mundi VM. CL. Olympiadis CCCCLXXXV. anno primo, Urbis conditæ MDCCCCXXXIX. & annis X. imperavit, ſecundum Martinum. Iſte ſtrenuus fuit in agendis, acer in hoſtes, & omnibus accedentibus largus & munificus. Cum eo Philippus Archiepiſcopus Colonienſis Romam ivit, & ipſum anno tertio Regni ſui in Imperatorem a Cœleſtino Papa conſecrari procuravit. Eodem etiam menſe Archiepiſcopus cum Imperatore Apuliam ingreditur cum exercitu ſuo, & traditum eſt Regnum Tuſculanum Romanis ab Imperatore, & deſtructum eſt ab eis.

Primo anno Henrici, qui eſt Dom. MCXCI. Diſſenſio magna orta eſt inter Reges Philippum Franciæ & Henricum Angliæ, ſecundum Wilhelmum, propter quædam caſtra & terras eis adjacentes, quæ pater ſuus Lodowicus filiæ ſuæ Margaretæ pro dote tradiderat, quando eam Henrico Regi patri hujus Henrici Regis Angliæ in matrimonio copulaverat ſub tali conditione, ut, ſi prolem ex ea non ſuſciperet, poſt Henrici Regis mortem ad Regem Franciæ dos rediret. Super his querelis ſemper a Philippo Rege Henricus Rex monitus fuerat, ſed ipſe minime curabat. Sed tandem Philippus Rex, congregato exercitu magno in Pago Bituricenſi, Aquitaniæ fines ingreſſus eſt, & caſtrum Yſoldinum & Trariacum ac plures alias munitiones expugnavit & cepit, & terram usque ad caſtrum Rodolfi depopulatus eſt. Tunc Henricus Rex & Richardus Comes exercitum contra Francigenas educentes, ab obſidione caſtri Rodolfi eos removere conati ſunt, ſed non potuerunt. Miſerunt ergo ſolennes nuncios religioſos cum legatis Romanæ curiæ, qui ibidem pro pace facienda venerant ad Philippum Regem, qui ex parte illorum Principum præſtita cautione firmarent, quod ipſi de tota querela Regi ſatisfacere vellent. Et ſic datis induciis Franci ad propria redierunt. In Henrici ergo Regis exercitu quidam Ribaldus erat, qui cum teſſeris ludis, blaſphemiam gravem in Deum & Matrem ſuam ſanctam fecit. Unde perdita pecunia, venit furibundus ad Eccleſiam; & videns ibi imaginem Virginis Glorioſæ, verbis turpibus eam alloquitur, recipiensque lapillum, in imagi-

Digitized by Google

imaginem projecit, & brachium pueri Jeſu fractum in terram excuſſit, de qua fractura ſangvis abundanter effluxit. Quem ſangvinem multi capientes, a variis langvoribus plures curaverunt. Hunc brachium Johannes filius Regis Angliæ ſecum ſumſit, & pro magnis reliquiis reſervavit. Ribaldus vero ille a dæmone arripitur, & usque ad exitum animæ miſere maximis cruciatibus torquetur. Audiens Henricus Rex Romanorum tyrannidem Henrici Leonis, ſecundum Egghardum, indignatus eſt valde, & præſertim ex eo, quod Adolfi Comitis terram ſibi uſurpaverat, qui cum patre ſuo peregrinatus fuiſſet. Impetu ergo quodam venit Brunswic, volens vaſtare eam. Quam cum expugnare non poſſet, adiit Limbere caſtrum, quod erat Conradi de Rothe, volens capere illud. Sed cum nec hoc efficere valeret, amaro animo reverſus eſt ad propria, Hartwicum tamen Archiepiſcopum Bremenſem, qui hujus turbationis cauſa fuit, de ſede ſua expulit. Ille vero iram Regis ferre non valens, in Angliam profectus, per annum ibidem deguit. Poſtea reverſus, ad Henricum Leonem ſe contulit. Qui mediante Conrado Archiepiſcopo Moguntino & Philippo Archiepiſcopo Colonienſi pro gratia Regis laborare cœpit. Qui ſtatuens ei curiam in Fulda, ita ipſum in gratiam recepit, ut muros urbis Brunswic in quatuor partibus deponeret, caſtrum Lovenburg dirimeret, Lubicanam vero civitatem dono Regis dimidiam haberet, & dimidiam Adolfo Comiti cum omni terra ſua ſibi relinqueret, qui poſtea in Auguſta civitate defunctus eſt. Henricus vero filius ejus ſenior cum Henrico Rege Romanorum Romam, & poſt in Apuliam cum LX. militibus ivit. Henricus tamen Leo nec muros depoſuit in Brunswic, nec Lovenburg deſtruxit, nec etiam dimidietatem Lubicanæ urbis Adolfo Comiti, ſicuti promiſerat, conſignavit, imo nec terram ejus infeſtare ceſſavit. Adolfus autem Comes de peregrinatione Ieroſolymitana revertens in Italiam, intellexit, Henricum Leonem terram ſuam ſibi uſurpaſſe. Unde vadens ad Henricum Regem Romanorum, qui tunc in Swevia erat, injuriam ſibi factam per dictum Henricum cauſabatur. Henricus vero Rex ipſum conſolans, magnis muneribus eum remuneravit, & reſtitutionem terræ ſuæ ſibi promiſit. Cum ergo Adolfus veniſſet Schowenburg, vidit ex omni parte præcluſum ſibi introitum ad Holtzatiam, quia Henricus Leo omnia loca circa Albiam tenebat, puta Stadium, Lovenburg & Boytzenburg. Nec etiam per Slaviam intrare poterat, quia Borwinus gener Henrici ibi inſidias tetenderat. Abiit ergo ad Bernhardum Ducem Saxoniæ & ad Ottonem Marchionem de Brandeburg, & hi ipſum in manu valida usque Erthneburg perduxerunt. Ubi occurrens ei Adolfus Comes de Dasle nepos ejus cum multitudine Holtzatorum & Sturmariorum, ac cum uxore & matre ejus, ſuſcepit illum gaudens. Bernhardus quoque junior filius Comitis Bernhardi de Ratzeburg, quem Henricus per diſpenſationem Domini Papæ de Clericatu ad militiam transtulerat, quia patri unicus extiterat, timens perdere terram ſuam, venit ad Bernhardum Ducem Saxoniæ & Ottonem Marchionem, ſub nomine Regis Romanorum ſe ad eos transtulit. Et ſic alienatus eſt a Henrico Domino de Brunswic, & cœpit Adolfo Comiti in omnibus aſſiſtere. Pater vero ſuus Bernhardus ad Henricum Leonem ſe divertens, manſit apud eum diebus multis, poſtea tamen infirmitate tactus, ad Ratzeburg Monaſterium & non caſtrum reducitur, ubi filio ſimul & uxore ejus curam de eo gerentibus, per aliquod tempus ægrotans, finem tandem clauſit extremum. Hic Bernhardus Comes jam defunctus patrem habuerat Henricum Comitem de Bodwide, qui tempore Conradi Regis Romanorum terram intraverat, vivente adhuc Henrico de Welpe Duce Bayoariæ & Saxoniæ patre Henrici Leonis. Hic Henricus Comes cum Adolfo ſeniore patre hujus Adolfi Comitis de Schowenburg gwerram habuit, contra quem Henricus Comes Wagiram terram obtinere volens multum laborabat. Prævaluit tamen Adolfus terram ſuam obtinendo, Henricus vero Comes Ratzeburg cum terra Polaborum ſtabili beneficio a Henrico Leone obtinuit. Iſte Henricus Comes filium habuit Bernhardum, qui ipſo patre defuncto ſtrenue ſe gerebat, & Slavorum inſultus ſæpe cum difficultate ſuſtinebat. Hic Bernhardus uxorem nobilem duxit de Slavia, Margaretam filiam Ratibur Principis Pomeranorum. Sicque hoc matrimonio terræ confœderatæ ſunt in pace. Genuit autem ex ea filios Volradum, Henricum & Bernhardum. Volradus autem & Henricus militari collegio applicati ſunt, Bernhardus vero ad Clericatum promotus, in Magdeburg præbendam obtinuit in Eccleſia majori. Volradus autem quodam tempore adverſus Slavos bellum ſuſcipiens, peremtus eſt, & in Ratzeburg ſepultus ſub epitaphio tali:

> Dum premis hoſtiles cuneos, fortiſſime miles,
> Heu Volrade ruis, flenda ruina tuis.
> Tu de morte patris, ultor patriæ quaſi matris
> Et defenſor eras. Præmia nunc referas!

Frater vero ejus Henricus vitam finivit in pace. Sic deficiente patre & fratribus duobus, Bernhardus tertius filius, relicto Clericatu diſpenſatorie tamen, miles factus uxorem duxit nobilem Alheydem, filiam Comitis de Harlemund.

Secundo anno Henrici, qui eſt Domini MCXCII. Dum Bernhardus Dux Saxoniæ, ſecundum Continuatorem Chronicæ Slavorum, reſtituiſſet Adolfum Comitem de Schowenburg in propriam terram, reverſus eſt cum nepote ſuo Ottone Marchione de Brandeburg in propriam terram. Adolfus vero Comes prædictus & Bernhardus Comes de Ratzeburg obſederunt urbem Lubeke, vallantes eam exercitu magno, uterque conſiſtens in terra ſua, & eam homines Henrici fortiſſime tuebantur. Huic urbi Henricus Leo Dominus de Brunſwic præfecerat Luthardum quendam filium Wal-

Waltheri de Berge, virum strenuum valde, qui in ipsa obsidione cum constanter ageret, ipsam moriendo usque in hodiernum diem conservat. Adolfus autem videns, civitatem non multum curare obsidionem, quia liberam exeundi & redeundi per Travenam fluvium habebat (viam), cum maximo labore magnis trabibus ipsum flumen obstrui fecit. Sicque artata est civitas valde. In ipsa autem obsidione abiit Adolfus ad Kanutum Regem Danorum, salutans eum simul & gratias agens maximas, quod tempore peregrinationis suæ terra sua pacem firmissimam habuisset, quod tamen sine causa factum non fuerat, quia frater Regis Woldemarus Dux Sleswicensis post exitum Comitis in manu valida fines ejus intraverat, & ab Adolfo Comite de Dasle nepote ipsius, ipso tamen renitente, obsides receperat ob hanc occasionem, ne Dithmarci ipsum impeterent, qui tunc sub Holtzatis consistebant, nec aliquid contra regnum Kanuti molirentur. Salutato autem Rege Comes ad obsidionem reversus est. Henricus autem Leo compatiens civibus inclusis, conducto exercitu, direxit ipsum ad civitatem per manus Conradi de Rothen, qui tunc ab eodem Henrico Stadium tenebat, & Bernhardi Comitis de Aldenburg. Cumque clanculo transissent Albiam versus Lovenburg, venerunt prope Ratzeburg, & exterruerunt homines Comitis Bernhardi de Ratzeburg, qui prope urbem Lubicanam excubias observabant prope villam Herneborg. Qui mox fugam capientes, in Ratzeburg se receperunt. Sicque soluta obsidione ex parte illa, cives egressi de civitate, rapuerunt spolia & victualia, quæ illic inventa fuerunt, & reversi sunt in urbem. Altera autem die aurora surgente, assumtis armis egressi sunt de urbe, præcedente Bernhardo Comite de Aldenburg & Conrado de Rothe, pugnaturi cum hostibus in medio terræ eorum. Illi autem licet pauci & impari numero, occurrerunt eis non longe a civitate, & occupaverunt vadum, quod transituri erant Lubicenses ad amnem, qui Swartowe dicitur, ibique fortiter dimicantes, mox Lubicenses fugere cœperunt, & in urbem se receperunt. Bernhardus autem Comes de Ratzeburg reversus est cum omnibus suis, & castra metatus est prope civitatem ad meridianam plagam, mane cum civibus, si illic egrederentur, præliaturus. Quod præsentiens exercitus Henrici Leonis, qui in urbe erat, in nocte egressus ad septentrionalem plagam, per alteram viam, ad proprias ædes reverti cogitabat, & erat fluvius Wokenitza in medio eorum. Sicque ad invicem accedere non valebant. Bernhardus autem Comes de Ratzeburg transitum hostium intelligens, insecutus est exercitum Henrici. Adolfus vero in castro Sigiberg infirmitate detinebatur. Cumque exercitus Henrici esset prope Boytzenburg, Bernhardus Comes de Ratzeburg cum suis ipsum aggressus est, & commissum est prœlium inter ipsos. Et cæsi sunt de Henrici exercitu multi, cæteri vero vel capti sunt, vel turpi fuga elapsi. Adolfus autem, audito tam læto nuncio, quasi ex infirmitate convaluit. Unde mox cogitare cœpit, si forte Deo propitio Stadium occupare posset. Nam plurimi de Comitia Stadensi captivati erant, quos secum vinctos tenebat, quia usus prudenti consilio, eos a militibus, qui eos ceperant, dato pretio emerat. Hi quidem captivi spem bonam ei fecerant, ut, si ipsum placatum invenirent, potius ei, quam Henrico parati esse vellent. Insuper in omnibus se sibi servire velle promittebant, ut eorum consilio & auxilio Stadium acquireret. Comes ergo Adolfus animatus & instructus per eosdem, congregato exercitu in Hammeburg, invasit insulam vicinam, quæ Gorieswerder dicitur. Qui formidantes furorem ipsius, venerunt ad ipsum, & fœdus amicitiæ cum eo statuerunt. Congregatis ergo navibus omnibus, quæ tunc inveniri poterant, Comes cum omni multitudine navigabat Stadium, & cœpit incendere quasdam villulas in ulteriori ripa fluminis, & rumor jam insonuit in aula Henrici Leonis, Comitem venire in manu valida, & timuerunt timore magno. Nondum enim consolationem de mortuis vel captivis, quos perdiderant, receperant. Et dixit vir proximo suo: Melius est, ut serviamus Comiti, cui Principes universi favent, & per quem recuperare poterimus captivos amicos nostros, quam Henrico Duci destituto, contra quem totus clamat mundus. Conradus autem Rothe Capitaneus & Præfectus urbis videns, quod futurum erat, timens seditionem populi, qui exacerbatus fuerat propter amicorum suorum perditionem, stratis equis suis, pro quodam negotio se iturum simulavit. Unde ibidem relicta uxore sua & tota supellectili, celeriter abscessit non reversurus. Tunc qui in castro erant, pacifice venerunt ad Comitem, & se ac urbem suam ei obtulerunt. Cumque Adolfus Comes urbem & castrum obtinuisset, uxorem Conradi cum omnibus, quæ ipsius erant, in jumentis & plaustris deduci præcepit in magna liberalitate. Sed ut ajunt quidam, in tanta liberalitate Comes delusus est, quia mulieres in plaustris pro loricis virorum in saccis deferebant cumulos thesaurorum. Luneburgenses tamen viriliter resistebant Comiti, & eruptiones sæpius facientes, deprædationes & latrocinia in Comitiam Stadensem continuo faciebant. Cives autem Lubicenses diutina inclusione fatigati audiverunt de mutatione facta cum Stadensibus, & turbati valde, cœperunt & de urbis suæ tractare. Facta est autem dissensio inter eos. Quidam enim dixerunt: Tradamus civitatem Kanuto Regi Danorum, ut gratiam ipsius inveniamus, qui nos ab omni infestatione eripere potens est. Insuper in regno suo nos negotiari permittet. Et quis est, qui nos inquietare poterit, si ipsum habebimus protectorem? Alii autem dicebant: Non sic: nam civitas nostra sub ditione Romani Imperii constituta est, a quo si alienata fuerit, proscriptione Imperatoris multabimur, & sic odibiles erimus omnibus, & mercatores nostri nullibi negotiari poterunt. Sed si placet, tradamus eam Ottoni Marchioni de Brandeburg, ut ipse eam sub nomine Imperatoris accipiat; sicque libera-

liberabimur a tyrannide Comitis istius, ne nobis imperet. Adolfus autem Comes hæc cognoscens, magis artabat civitatem. Unde territi cives urbem ei aperuerunt sub hac conditione, ut Henrici Leonis homines illæsi abirent. Data autem civitate, Adolfus ad Imperatorem profectus est. Qui pro laboribus suis omnes reditus Imperio debitos liberaliter ei permisit. Bernhardus autem Dux Saxoniæ, videns, quod Adolfus Comes Holtzatorum urbem Lubicanam obtinuisset & Stadium, sperans, per eum plurimum prævalere in terra, veniens cum uxore sua in manu valida & omni supellectili circa Cathedram B. Petri, vallavit castrum Lovenburg. Quem constanter juverunt Adolfus & Bernhardus Comites. Cumque diutina obsidione artasset castrum, ita ut jam fame deficere inciperent, qui in castro erant, & Dux Saxoniæ quasi securus, distracto exercitu, solus excubias observaret, venerunt amici Henrici Leonis, puta Bernhardus Comes de Welpe & Helmoldus Comes de Swerin cum his, quos contraxerant, esurientibus laturi victualia, si possent, vel ipsos ab obsidione liberaturi. Cum autem transirent aquas, Dux Bernhardus primo quidem eos non attendebat, sed cum multiplicati fuissent, inhibere eos volebat, sed non poterat. Illi autem confortati viribus & armis, cum his, qui in castro erant, dimicaturi campum petunt. Dux vero, quid faceret, nesciebat: exercitus enim ejus, ut dictum est, distractus erat. Adolfus namque abierat, & Bernhardus Comes Barsich castrum cum suis expugnabat. Ipse tamen viriliter agens arma arripuit, sed victoriam non obtinuit. Siquidem omnibus suis captivatis, solus ipse vix evasit. Uxor vero sua, relicta omni supellectili, abiit Ratzeburg. Sicque præter spem Lovenburg castrum liberatum est. Comitissa castri Braya, secundum Wilhelmum, muneribus Judæorum corrupta, tradidit eis quendam Christianum, cui falso furtum imponebant & homicidium. Hunc ergo Judæi antiquo odio commoti, manibus a tergo ligatis, spinis coronatum per totam villam fustigantes ducebant, & postea patibulo affigebant. Quod audiens Philippus Rex Francorum, familiaribus suis ignorantibus, quo iret, subito iter arripuit, Christianæ Religioni compatiens, & apud Brayam veniens, comprehensis LXXX. & amplius Judæis, omnes comburi fecit.

De Cœlestino III. PP. CLXXXIII.

Cœlestinus Papa, natione Romanus ex patre Petro Bubonis, sedit annis tribus & mensibus duobus, secundum Martinum. Iste consecratus est in vigilia Pentecostes, & fecit Palatium ad S. Petrum, ac consecravit Henricum VI. in Imperatorem secunda die suæ consecrationis cum Constantia uxore sua. Postquam vero Henricus consecratus est, intravit Regnum Siciliæ, & cœpit terram usque Neapolim, ipsamque urbem obsedit per menses tres. Ibi ejus exercitum tanta clades invasit, quod fere omnes mortui sint. Ubi etiam Philippus Archiepiscopus Coloniensis mortuus est. Apuliam tamen & totum Regnum sibi subjugavit, & rebelles diversis pœnis afflixit. Tancredum autem filium Tancredi Regis Siculorum cum matre sua Margareta & Regem Empiretharum (Epirotarum) secum in Alemanniam duxit captivos. Henricus Comes Campaniæ, cui Henricus Rex Angliæ exercitum suum commiserat, secundum Wilhelmum, videns Terram Sanctam desolatam, pietate motus, maluit ibi cum suis in labore pio manere, quam ad terram suam cum rubore reverti. Quod videntes Milites templi & peregrini, qui ibi erant, & ponderantes ejus in Domino constantiam, ipsum in Regem Urbis Sanctæ unanimiter elegerunt, Gvidone [in] Cypro Rege permanente. Et quia adhuc juvenis erat, sibi filiam Regis Ierosolymitani in matrimonio copulaverunt, Patriarcha autem ipsum in Regem unxit & coronavit.

Tertio anno Henrici, qui est Domini MCXCIII. Kanutus Rex Danorum exacerbatus a Comite Adolfo, secundum Continuatorem supra dictum, fines ipsius in manu valida intravit, terram ejus rapinis & incendiis vastatrus. Woldemarus siquidem Kanuti Regis filius Sleswicensis Episcopus factus contra Kanutum patruum suum pro Regno inimicitias susceperat, & auxilium Regum Norwegiæ & Sweciæ sibi contraxerat. Cui ex altera parte favebant amici Imperatoris, Otto scilicet Marchio Brandeburgensis, Adolfus Comes Holtzatorum, & Bernhardus Comes de Ratzeburg. Cumque Woldemarus produceret exercitum contra Kanutum Regem, eo tempore Adolfus Comes cum multitudine magna transiens Egdoram fluvium, omnem terram Regis vastavit usque Sleswic, ibique accepto sinistro nuncio, cum præda magna reversus est. Woldemaro namque Episcopo a quibusdam amicis insidiose persvadebatur, ut memor consangvinitatis & pristinæ familiaritatis cum Rege ad gratiam Regis accelerarer, & ipsum procul dubio omni amicitia dignum honoribus & divitiis ampliaret. Talibus ergo consiliis acquiescens, volubilitatem fortunæ & falsitatis mundanæ expertus est. Unde cum se in Regis gratiam daret, non solum ipsum compedibus, sed & manicis ferreis constrinxit fere XIII. annis. Tunc Rex ad subveniendum Henrico Leoni fines Comitis Adolfi cum armorum fortitudine intravit. Cui Comes, licet impari numero occurrit. Adventum namque Regis Comes diu ante præsenserat. Unde non solum Ottonem Marchionem, sed & militum manum validam contraxerat. Sed Rege moram longam faciente, Marchio cum multis abierat, & tunc subito Rex venit, & Comes obviam ei exivit cum paucis. Cumque Comes videret Regis fortitudinem, legatione missa rogavit pacem fieri. Unde mille & CCCC. marcis gratiam Regis obtinuit, & uterq; exercitus in locum suum reversus est. Absalon Archiepiscopus Lundensis Regni Daciæ secundum Chronicam obiit, vir religiosus & magni consilii. Hujus industria omnes Ecclesiæ totius Regni prius discordantes uniformes in officio divino factæ sunt. In Cathedrali namque sede crucem

Digitized by Google

crucem affigi præcepit, ut ab introeuntibus & exeuntibus reverentia magis Crucifixo quam sibi fieret. Huic sancto viro successit Andreas Regalis aulæ Cancellarius, vir literatissimus, nec minori gratia præditus, quam suus prædecessor sanctissimus.

Quarto anno Henrici, qui est Domini MCXCIIII. Albertus Episcopus Leodiensis a facie Imperatoris Henrici fugiens, secundum Wilhelmum, dum apud Wilhelmum Archiepiscopum Rhemensem moraretur, ab ejusdem Henrici legato in die S. Bartholomæi occiditur, eo quod contra voluntatem ejus canonice esset electus & consecratus. Unde jure Martyr Christi dicendus est. Saladinus Damasci & Salahadinus obiit, secundum Vincentium. Hic cum sentiret, sibi mortem imminere, signiferum suum vocavit, dicens ei: Tu, qui consvevisti vexillum meum deferre in bellis, fer & jam vexillum mortis meæ, pannum scilicet vilem per totum Damascum super lanceam, clamitando: Ecce Rex orientis moriens non fert secum, nisi tantum hoc pallium vile. Et sic mortuus est. Successerunt autem ei duo filii ejus, puta Saphadinus, qui super Syriam, & Mezalinus, qui super Ægyptum principabatur. Veruntamen inter eosdem & Saphadinum, qui fuerat frater patris eorum, de Regno diu concertatum fuit. Defuncto Philippo Archiepiscopo Coloniensi, secundum Egghardum, Adolfus Comes de Marka in locum suum electus est.

Quinto anno Henrici, qui est Domini MCXCV. Rex Francorum Philippus Normanniam ingressus, secundum Wilhelmum, Vernolium urbem obsedit, & parte murorum destructa, audiens nuncium, quod a Normannis Ebroyca urbs, quam Rex munierat, capta esset, iratus ab obsidione recessit, & fugatis Normannis, ipsam funditus evertit, ac Ecclesias Dei in spiritu vehementi contrivit propter civium infidelitatem urbem viriliter non defendentium. Henricus Leo Dominus de Brunswic & Luneburg, secundum Continuatorem Chronicæ Slavorum, pro Imperatoris favore & amicitia ac sua promotione laborans, filium suum Henricum ad ipsum misit, ut a suo latere non recederet, quousque per eum omnem terram trans Albiam recuperaret. Cui bonam quidem spem Imperator fecerat, non tamen eam, quæ non confundit. Nam spes illa de die in diem quasi evanescens, nil firmitatis propter varia negotia Cæsaris habere visa est. Unde idem filius Henrici quasi desperans recessit, & alia practica usus tandem ad gratiam Imperatoris, non tamen ad paterni honoris restitutionem devenit. Nam quia præclarus erat genere, nobilis virtute, speciosus forma & validus corpore: ideo filiam Palatini de Rheno sortitus est in uxorem. Qui quoniam patruus Imperatoris erat, Imperator ipsum pro hujusmodi copula vehementer redarguit. Sed quia legitimus contractus dissolvi non potuit, paulatim mediante virtute & generositate juvenis Palatinus gratiæ Imperatoris appropiavit. Tunc denique temporis Imperator in Apuliam secundam expeditionem fieri ordinavit. Et quia in ipsa expeditione idem Henrici Leonis filius in omnibus ad placitum Imperatori deservivit, non tantum Imperatoris gratiam, sed & omnem dignitatem generis sui de manu Imperatoris suscepit jure hæreditario possidendam. Tunc nova lux in Saxonia orta est, quia ex illo tempore familiaritate tanta adhæsit Cæsari, ut nil contra ipsum de cætero moliri decreverit. Sicque ex omni parte terra marique cessaverunt deprædationes, furta latrociniaque & pax terris ubique sociata est. Henricus autem Leo Dominus de Brunswic variis negotiis deditus, quæ ad domus Dei cultum & ornatum spectabant, in Brunswic residuum vitæ suæ tempus quietus exegit. Imperator vero in Apuliam profectus, prosperatus est in via sua, quia defuncto Tancrado adversario suo totum Regnum Wilhelmi, quod per uxorem suam Constantiam ad ipsum devolutum erat, ad voluntatem suam obtinuit. Cujus aulam ingrediens, lectos, sedilia & mensas ex argento, vasa vero ex auro purissimo invenit conflata. Reperit etiam thesauros absconditos, & omnem lapidum pretiosorum & gemmarum abundantiam, ita ut oneratis CLX. somariis auro, argento, lapidibus pretiosis & vestibus sericis, gloriosus ad terram suam rediret. Cum autem terras Teuthoniæ attigisset, insecutus est eum celeri cursu Imperatricis nuncius, quæ in Apulia remanserat, nuncians, inventos thesauros esse Roggerii Regis. Vetula enim quædam apud Imperatricem erat, quæ de familia Roggeri fuerat, & hoc gazophylacium a Secretario Regis didicerat, quod in muro antiquissimo reconditum, diligentissime linito pariete & superducta pictura subtili, omnibus indagabile videbatur. Cum ergo hic thesaurus proditus Imperatori innotuisset, mandavit Imperatrici dicens: De illo thesauro, quod tibi bonum videtur, facito, me autem scias hoc tempore in Apuliam non reversurum. Ipse enim Imperator liberalissimus erat, cujus magnificentiam Deus ampliare volens, dedit ei thesauros absconditos, quos tamen non nobilioribus, sed pauperibus militibus, Religiosis & cæteris indigentibus legaliter impertiebatur. Discordia magna orta est inter Regem Arragoniæ & Raymundum Comitem S. Ægidii, secundum Vincentium, quæ cum nulla ratione sedari posset, tandem miraculose sopita est. Nam Deus cuidam pauperi carpentario Durando nomine apparens, dedit ei quandam imaginem Virginis Gloriosæ in pergameno depictam, filium suum in ulnis gestantis, in cujus circumferentia scriptum erat: Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem. Hanc imaginem cum prædicti Principes cum reverentia ad instructionem dicti carpentarii accepissent, & deosculati fuissent, facti sunt perpetui amici. Hanc eandem imaginem populus terræ illius hodierna die in magna habet reverentia. Hartwicus Archiepiscopus Bremensis de sede sua dudum ejectus per Henricum Imperatorem, secundum Chronicam Slavorum, reversus est ad Ecclesiam suam. Cujus regressum audiens Adolfus, venit Bremam, congratu-

Digitized by Google

gratulans de ipsius adventu, simul & certificari volens, si vere per Imperatoris promotionem, vel aliunde redierit. Ipse enim, cum idem Hartwicus exularet, omni conatu apud Imperatorem laborabat, ut ad statum pristinum rediret. Ideoque & nunc magis exultabat, & pro hac vicissitudine aliquid ab eo gratiæ exspectabat. Veniens ergo Bremam, & auditis hinc inde partibus, displicuit ei, quod non per ostium intrasset. Et ideo sic ordinatum est ab ipso & ab aliis amicis Imperatoris, ut, cum Archiepiscopus ille aliquid in civitate illa ordinare vellet de Ecclesiasticis duntaxat factis, non nisi una die vel duabus ad majus toleraretur, nec redditibus, qui sub interdicto depositi erant, uteretur, donec ista Cæsari insinuassent, & ipsius voluntatem cognovissent. Hæc autem ordinatio Hartwico Archiepiscopo valde displicuit, qui se jam libere reditus Episcopales invadere posse putavit. Adolfum vero Comitem, qui nedum Comitiam Stadensem, sed & alias res Episcopi de mandato Imperatoris in magna parte tenebat, graviter arguere cœpit, & ipsum invasorem Ecclesiæ suæ appellavit. Adolfus autem quasi censura Ecclesiastica injuste gravatus, Sedem Apostolicam appellavit. Et veniens Bremam, in absentia Archiepiscopi post appellationem legitime interpositam, se injuste excommunicari causabatur, nec ideo a redditibus tollendis abstinere debere, quos ipso in peregrinatione constituto, Dominus Imperator sub interdicto posuisset, & post reditum ipsius in manu ejus consignasset, nisi iterum sua autoritate Imperator hoc immutasset. Se enim gratiam potius quam iram meruisse dicebat, qui non solum Archiepiscopo, sed & toti Ecclesiæ Bremensi semper fidelis extitisset, & per ipsius laborem Beatus Petrus non tantum Stadium, sed & Dithmarsiam, quæ ad Regnum Danorum translata fuerat per Dithmarsos, recuperasset. His non obstantibus, interdictum strictissimum in Ecclesia Bremensi & tota Diœcesi tenebatur, nec pueri baptizabantur, nec mortui sepeliebantur. Cum ergo civitas Bremensis hac pestilentia diutius laborasset, & corruptio cadaverum, quæ inhumata in cimiteriis jacebant, homines plurimum læderet, temperata est sententia, ut scilicet in majori Ecclesia divina fierent, & communitas illic ad audiendum divina conflueret. Comes tamen & Advocatus civitatis cum majoribus civitatis, qui reditus Episcopales colligebant, in banno perseverarent, & nullus eis præsentibus divina celebraret. Hæc autem omnia propter absentiam Imperatoris fiebant, qui tunc in Apulia erat, & totam Apuliam, Calabriam, & Siciliam, quæ Regna jure hæreditario ex parte uxoris suæ Constantiæ eum attingebant, Imperio subjugabat. Quo reverso, Dominus Archiepiscopus DC. marcis gratiam Imperatoris promeruit, & Adolfus Comes Comitiam Stadensem in beneficio suscepit, cum tertia parte redituum, & omnis excommunicatio plenarie relaxata est. Berno Episcopus Mykelenburgensis obiit. Hic primus fuit de titulo Ecclesiæ Swerinensis, secundum Chronicam Lubicensem, & omnes sui sequaces Episcopi Swerinenses sunt vocati. Unde eadem sedes propter tyrannidem Slavorum translata est de Mykelenburg in Swerin, quia sæpius dictus Berno Antistes a Slavis contumeliatus est, qui eis datus fuit a Henrico Leone. Nam frequenter ab illis ludibrio expositus, ad sacrificia dæmoniorum artabatur, sed per Christum confortatus, culturas dæmonum eliminavit, lucos succendit, & pro Gryddracco Sanctum Godehardum Episcopum venerari constituit. Huic sancto viro successit Dominus Bruardus ejusdem Ecclesiæ Decanus in Sedem Pontificalem.

Sexto anno Henrici, qui est Domini MCXCV. Rex Moabitarum cum multitudine maxima Hispaniam intravit, secundum Vincentium, & Christianorum terras vastavit. Cui Hildefonsus Rex Castellæ cum exercitu occurrit, & pugna commissa, victus est a Moabitis, vix tamen cum paucis captionem evasit. In hoc quidem bello plusquam LXM. Christianorum cæsi referuntur, sed de barbaris nulla facta est mentio ab Historicis.

De Innocentio III. PP. CLXXXIIII.

Innocentius Papa, natione Campanus ex patre Transmundo, sedit XXI. annis, mensibus tribus & diebus XX. secundum Martinum. Ipse Papa literatissimus extitit, & fecit librum de Miseria Conditionis humanæ, & librum Decretalium colligi fecit. Hospitale S. Spiritus Romæ instituit. Hic etiam statuit, licitum esse, infirmis esum carnium in Quadragesima ad majus periculum evitandum. Inter civitates Franciæ, puta Compendium & Claræmontem, secundum Vincentium, tanta aëris intemperies surrexit, quod similis a pluribus annis non est audita. Nam grando tam grandis cecidit cum pluvia inconsueta, quod formam ad instar ovorum prætenderet & magnitudinem, & multos homines occideret. Vineta etiam & fructus ac segetes agrorum ex toto destruxit. Corvi etiam magni visi sunt in aëre, ferentes titiones ignitos in rostris, quibus incenderunt diversas civitates & villas. Hæc autem creditur fuisse orta propter tyrannidem & superbam discordiam Regum, puta Philippi Regis Francorum & Richardi Regis Anglorum, quas Deus sic punire decrevit. Nam illo anno ambo Reges maximam copiam populi aggregantes, invenerunt se mutuo prope Yfoldym. At, ubi cum congredi disponerent & præliari, nescio quo spiritu ductus, bono tamen, ut præsumitur, Richardus Rex armis projectis venit ad Philippum Regem, & se coram eo humilians, petiit ab eo infeodationem Normanniæ & Picardiæ, propter quas terras jamdudum discordaverant. Quibus in feodum receptis, Richardus Rex hominium fecit Philippo Regi, & firmata est pax inter eos perpetuo duratura. Sed non diu post Richardus Rex rumpens pacis fœdera, quæ ambo pepigerant, ingressus est Franciam, & per traditionem quorundam obtinuit Willon castrum, & funditus ipsum destruxit. Quod Philippus Rex audiens, viceversa intravit Angliam, stipatus militia valida,

Digitized by Google

lida, & vallans caſtrum Albamalla, infra VI. hebdomadas ipſum expugnavit, & ipſum funditus evertit, caſtellanis captivatis.

Septimo anno Henrici, qui eſt Domini MCXCVII. Henricus Rex Jeroſolymorum, ſecundum Vincentium, jacens in quadam feneſtra aulæ Regiæ, & volens diligenter proſpicere pro quodam facto de feneſtra, nimis reclinavit corpus ad extra protendens. Unde de ſpectaculo illo cadens, caput ad petram alliſit & exſpiravit. Henricus Leo, inclitus quondam Dux Saxoniæ, Angariæ & Bayoariæ, nunc autem ſolus Dominus de Brunſwic & Luneburg, diem ſuum clauſit extremum, ſecundum Chronicam Saxonum. Qui licet in orbe famoſus extitiſſet, nihil tamen de omni labore ſuo conſecutus eſt niſi ſatis miſerabilem in Brunſwic tumulationem, ubi una cum uxore ſua Mechtilde, muliere devota & nobili, filia Henrici Regis Angliæ ſepultus eſt. Hujus quidem obitum quidam Metriſta deplangens ait:

Princeps laudande, jam lætus ad æthera ſcande:
Cultor pacis eras, nunc divitias tibi veras
Reddat Rex Regum, qui ſolus regnat in ævum.
Enituit late virtus tua cum pietate,
Nobilitas morum, cum flore decoris honorum.
Ad cultum Chriſti tu Slavos perdomuiſti,
Qui per Doctores Satanæ ſprevere furores,
Atque Dei cultum ſatagunt attollere multum.
Structor multarum ſic crederis Eccleſiarum.
Non eſt gens, quæ te non miretur, bona de te
Dum recolit rite: te noverat ultima Thule
Quæ ſua donavit, te Græcia magnificavit,
Jeruſalem tota, tua conſpiciens pia vota,
Te colit econtra cum Rege ſuo Patriarcha.
Non aberat triſtis livor virtutibus iſtis,
Sed pro preſſuris ſeclis potiere futuris.
Conjuge conjuncta, maneat merces tibi multa,
Quo Chriſto gratum pia depromſit famulatum!
Excelſi donis, durat benedictio prolis,
Et nutu Chriſti regnant, quos tu genuiſti.

Reliquit autem hic Henricus hæredes, Henricum, Ottonem & Wilhelmum. His quidem filiis ſuis Henricus Leo taliter diviſit hæreditatem: Nam Henrico ſeniori dedit Brunſwic cum attinentiis ſuis, Wilhelmo vero contulit Luneburg & Lovenburg cum pertinentiis eorum, ſed Ottoni dedit Haldesleve cum ſuis attinentiis. Wilhelmus poſtea genuit Ottonem primum Ducem de Brunſwic. Ante illius enim tempora nec Brunſwic nec Luneburg Ducem proprium habuerat, ſed ambo erant ſub Ducatu Saxoniæ. Otto vero frater Wilhelmi ſupra dicti poſtea factus eſt Imperator. Henricus autem progenitus Leonis prædicti obtinuit Brunſwic & Stadium, quam urbem poſtea idem Henricus dedit cum tota Comitia Eccleſiæ Bremenſi. Dedit etiam Eccleſiæ Magdeburgenſi Sommerſcheuburg & Anvorde. Circa finem vero vitæ ſuæ hic Henricus Ottoni filio fratris ſui Wilhelmi reſignavit Luneburg & Brunſwic. Mauritius Epiſcopus Pariſienſis obiit, ſecundum Wilhelmum. Hic quatuor Abbatias fundaverat, & moriens rotulum cum hac forma ſcripſit: Credo, quod Redemtor meus vivit, &c. & ſupra pectus ſuum extendi præcepit, ut quilibet legere poſſet. Et hoc ideo fecit, quia tempore ſuo hæreſis quorundam de reſurrectione pullulabat. Diſſenſio magna orta eſt inter Philippum Regem Franciæ & Philippum Comitem Flandriæ propter terram Viromandia dictam, ſecundum Vincentium. Hanc enim Comes præfatus longo tempore, Lodowico Rege adhuc vivente, cum pace & quiete, licet injuſte poſſederat, & adhuc pertinaciter obtinere laborabat. Ob hoc Rex exercitum verſus urbem Ambianis collegit, cujus multitudinem & robur Comes videns ac timens, fugæ præſidium quæſivit. Habito ergo cum ſuis conſilio, principem militiæ Regis Theobaldum Comitem Bleſenſem & Gwillerinum, Archiepiſcopum Remenſem, ipſius Regis avunculos, per internuncios vocavit, ipſisque mediantibus Regi totam Viromandiam reſtituit. Caſtrum tamen S. Quintini atque Peronam tantum ad vitam ſuam ſibi dimitti petiit & obtinuit. Referebant autem boni viri Ambianenſes Canonici, quod, dum Rex juxta caſtrum, quod Bonas dicitur, moram faceret, tam homines quam equi totius exercitus, inſuper & equi bigas trahentes per campos meſſes conculcaverunt, & maximam partem cum falcibus præſciderunt, & equis ſata dederunt ad comedendum, ita quod nihil pene virens ſuper terram remaneret. Erat enim tempus, quando meſſis in ſpica florem producit. Unde ſuccedente tempore, Deo operante, miraculoſe contra omnium opinionem & ſpem, ita plene & abundanter meſſis reſtituta eſt, ut poſt granorum excuſſionem & areæ ventilationem centuplum æſtimatum inveniretur non ſolum de ſpicis conculcatis, ſed etiam de his, quæ cum falcibus ſectæ fuerant, & equis datæ. In loco vero, ubi Comes Flandriæ cum ſuo exercitu jacuerat, ita virentia omnia ſunt exſiccata, quod etiam herbæ ſuper terram in ipſo anno non ſunt repertæ.

Octavo anno Henrici, qui eſt Domini MCXCVIII. Richardus Rex Angliæ, ſecundum Wilhelmum, obſedit caſtrum Lemovicenſe in Comitatu quodam Regni ſui. Ad quod quidem caſtrum fugerat quidam miles, qui maximum invenerat theſaurum, quem Comes ſperabat habiturum. Rex autem poſtulavit militem ſibi præſentari a Comite, ſed Comes militem reddere noluit Regi propter inventum theſaurum. Cum ergo Rex expugnare inciperet caſtrum, quidam de caſtellanis arcum ſuum tetendit, & telum cordi Regis infixit, ac ipſum occidit. Poſt hunc frater ſuus Johannes Regnum accepit cognomento abſque terra, & caſtrum prædictum inexpugnatum permanſit. Philippus Rex Francorum, ſecundum Vincentium, Stephanum Nomonenſem Epiſcopum ad Knutum Regem Danorum miſit, rogans, ut unam de ſororibus ſuis ei remittat in uxorem accipiendam.

Digitized by Google

Quod ille gratanter acceptans, Ingeburgem ei tradidit, puellam devotam & bonis moribus ornatam. Hanc Philippus Rex apud Atrebatum in uxorem duxit,& eam in Reginam coronari fecit. Sed non multo post, instigante diabolo, Rex ipse maleficiis quibusdam ut dicebatur, impeditus, uxorem tam diu cupitam exosam habere cœpit, & tandem per Carolum Comitem Flandriæ linea consanguinitatis computata, matrimonium dirimi fecit, divortiumque celebravit. Regina tamen ad Danos redire nolens, in loco religioso Galliæ manere decrevit, malens conjugalem continentiam perpetuo servare, quam alteri juncta primi matrimonii fœdera violare.

Nono anno Henrici, qui est Domini MCXCIX. Henricus Imperator in Colloquio Principum Argentinæ existens, secundum Egghardum, recepit Epistolas Innocentii Papæ per venerabilem Gregorium Cardinalem latas, in quibus Papa in remissionem peccaminum suorum sibi injunxit expeditionem Ierosolymitanam pro liberatione Terræ Sanctæ per ipsum perficiendam, quam pater suus Fredericus inchoaverat, & vitam suam in ea propter Christum finierat. Quam Henricus cum omni cordis alacritate & animi promtitudine assumsit, & eam se completurum repromisit. Unde mox destinavit legatos honorabiles in Apuliam ad Dominum Conradum Cancellarium suum, qui tunc ibidem negotiis Imperialibus erat implicatus, mandans ei, ut toto studio disponeret ibidem pro dicta peregrinatione sequenti anno peragenda, in auro, frumento, vino & navibus plurimis. Cujus zelo plurimi accensi Magnates & militares signaculo crucis tempore suo signati sunt. Inter quos erant Henricus Palatinus de Rheno, Otto Marchio de Brandenburg, Henricus Dux Brabantiæ, Hermannus Lantgravius Thuringiæ, Walraven Comes de Lindberg, Wilhelmus Dux Austriæ, Adolfus Comes Holtzatiæ, cujus jam secunda peregrinatio erat, Hartwicus Archiepiscopus Bremensis, Rudolfus Verdensis Episcopus, & quam plures alii Principes, Barones, Comites & Milites.

Decimo anno Henrici, qui est Domini MCC. Venit tempus ab Imperatore statutum, quo a Principibus arripi debebat expeditio salutaris versus Terram Sanctam, secundum Continuatorem Chronicæ Slavorum. Et egressus est exercitus Dei bellaturus adversus Satanam & ejus ministros, & quidam navali, alii vero terrestri via pergentes, Domino Duce tandem loca sancta apprehenderunt. Imperator vero interim in Apulia existens, variis adversitatibus & prœliis detinebatur. Nam de traditione sua per aliquorum nobilium illius Regni practicationem sibi constabat. Quapropter infinitum thesaurum in stipem militiæ erogans, omnem virum fortem & validum sibi sociavit. Contigit tamen, ut ipsos adversarios suos traditores comprehenderet, & tunc de eis dignam ultionem accepit. Nam illi quidem, quem contra se Regem creaverant, diademate imposito, clavis acutissimis cum diademate caput transfixit, alios autem suspendio, aut incendio, aut aliis diversis pœnis extinxit. Post hoc generalem curiam in Palerma civitate Regia edixit, & procedens in concionem, taliter omnibus locutus est: Scimus quidem, vobis omnibus constare de nostra iniqua traditione, sed quia Deo favente ipsos sceleris capitaneos comprehendimus & convicimus, convictosque, ut læsæ Majestatis reos damnavimus, non intendimus ex hoc facto ulterius quamcunque capere ultionem. Remittimus ergo ex animo in communi toti Regno consensum pravæ conspirationis, quam in nos feceratis, Regem contra nos suscitando, & gloriæ nostræ insidiando. Tantum de cætero filii pacis sitis, & vobiscum sit Deus pacis & dilectionis. Talibus enim alloquiis multam gratiam Regni invenit, & de cætero terra quievit. Cum autem hæc agerentur in Apulia, exercitus Saxonum & Slavorum pro Christo crucem deferentium appropiabat, & Comes Adolfus cum nobilioribus suis eum salutare veniebat. De quorum adventu nimis lætatus Imperator, jocundissime eos suscepit. In eodem temporis articulo classis peregrinorum, quam Dominus per tædiosissimam viam maris illæsam servaverat, prosperis ventis cum XLIIII. velis ad Messinam urbem Siciliæ cum gaudio applicuit, quorum adventus tam Imperatori quam omnibus Teuthonicis ibidem existentibus nimiam fecit lætitiam. Imperator autem ad ultionem inimicorum crucis Christi immensum contraxerat exercitum de Swevia, Bayoaria, Francia, Franconia, Lotharingia, Austria, Normannia, Lombardia, Italia, Teuthonia & Saxonia, ac de aliis variis mundi partibus usque ad CLXXXM. armatorum, e quibus omnes meliores de ipsa Imperatoris familia cum Domino Conrado Cancellario devotissimum illud peregrinationis iter unanimiter susceperunt. Cancellarius vero iste in eadem expeditione ordinatus Sacerdos & Episcopus, multas gazas secum duxit pro tyronibus ab Imperatore deputatas, qui prœlia Domini viriliter gesserunt. Circa festum ergo B. Ægidii de Messina urbe profecti, ad portum Akron in festo S. Mauritii prospere pervenerunt. Cancellarius tamen cum Adolfo Comite Holtzatorum apud Cyprum adlitavit, Regem ejusdem insulæ coronaturus diademate eidem ab Imperatore transmisso. Sane idem Rex sub ditione Constantinopolitani Imperatoris prius constitutus, ad majorem suæ gloriæ cumulationem, a Gloriosissimo Romanorum Augusto coronari desiderantissime expetiit. Expletis ergo negotiis illis, repedatis navibus, Akron prospere velificabat. Ubi consistens, tristis percussus est nuncio de morte Henrici Comitis Campaniæ Regisque Ierosolymitani, qui paucis ante diebus morte inopinata decesserat. Siquidem Sarraceni, eruptione facta, civitatem Joppen vallaverant obsidione. Quo audito, præfatus Henricus Ierosolymorum Rex subito arma arripuit, ut præsidio fieret civitati obsessæ. Christiani autem, qui intus erant, plus in sua animositate, quam in Domi-

Digitized by Google

Domino confidentes, apertis oſtiis urbis hoſtes cædere cœperunt. Quibus illi acrius inſiſtentes, in fugam eos compulerunt. Cumque Chriſtiani ſe in civitatem recipere conarentur, qui intus erant fideles, hoſtium impetum timentes, valvas urbis clauſerunt, amicos pariter & inimicos excludentes, & ſic innumeram fratrum ſuorum jacturam effecerunt. Cæſis ergo fidelibus illis, Sarraceni expugnationi urbis operam dederunt, & eam tandem capientes, cunctos in ea inventos homines trucidaverunt. Videns autem Ieroſolymorum Rex Henricus, tot Chriſtianorum neglectam ſalutem eſſe, Akron cum ſuis revertitur, aulam Regiam ingreditur, & dum ſolus cum ſolo ſuper exedras pro captando aëre ſtaret, ſubito corruit, & fracta cervice exſpiravit. Sub eodem ergo tempore peregrini applicantes Akron, audita perditione fratrum, ad arma cucurrerunt, ſi forte Chriſto auxiliante hoſtes ſternere, vel prædam capere potuiſſent. Sed Sarraceni deſtructa civitate cum captivis & multa præda repedaverunt. Coadunato itaque exercitu Dei, omnes perrexerunt Tyrum. Ubi contemplatis viribus ſuis, ordinaverunt acies adverſus Sidonem. Venientes autem ad Sidonem, ſine habitatoribus eam invenerunt. Qua deſtructa usque ad ſolum, ad Sareptam Sidoniorum iter ſuum converterunt. Ubi ſimilibus expeditis, ad fontem hortorum tandem pervenerunt, & inde faciem ſuam ad Baruch verterunt. Cujus inhabitatores mox urbem deſolatam relinquentes, caſtrum nobiliſſimum urbi conjunctum viris fortiſſimis munierunt, repoſitis illic victualibus & armis pluribus. Videntes ergo caſtellani, terreſtrem contra ſe venire exercitum, navali expeditione adhuc latitante, apertis portis caſtri, hoſtibus obviam proceſſerunt. Hoc viſo, fideles auxilium de cœlo implorantes, piis mentibus ſe contra eos armaverunt. Facto ergo congreſſu, modo hac modo illac volubilis fortuna ſe trahebat. Comes autem Holtzatorum Adolfus cum quodam Bernhardo Nobili de Horſtemer latenter in inſidiis reſidebat, donec exitum rei adverteret. Videns ergo principem caſtri illius in fervido equo dextrario eminus venientem, & multorum interitum petentem; cui ex adverſo occurrens, valido impetu tam equum quam ejus ſeſſorem ad terram dejecit. Quo ſubito cadente, extra ſe rapitur, & mentis impos circumſpexit, ſed non affuit auxiliator. Tandem ad ſe reverſus, vires reſumere conatus eſt. Sed nihilo minus impetu validiori iterum proſtratus, equinis pedibus conculcatus eſt. Secundo conſurgens equum ſuum brachiis tenere tentavit. Sed tertio caſu ſupinatus, circa umbilicum lancea hoſtili perforabatur. Inter hæc factus eſt tumultus hoſtium, auxilium ſauciato ferre conantium. Quibus cum Adolfus Comes cum ſuis fortiter reſiſteret, captivati ſunt de adverſariis duo inſignes nobiles, & magnificatus eſt Comes, Domino Deo ei auxilium ferente. Cum autem hæc agerentur, exercitus navalis peregrinorum proſperis velis urbi deſolatæ appropiavit, in qua tantum captivi Chriſtiani remanſerant. Qui videntes vela quadrata, Chriſtiana intellexerunt eſſe agmina. Unus autem ex eis aſcendens turrim, quæ cæteris excelſior erat, reſeratam per inſtrumenta a Sarracenis ibidem relicta, cuſtodes turris pauſantes invenit, & irruens ſuper quietos, repentino interitu eorum ſoporem in necem convertit. Arrepto itaque ſigno, nutu, quo poterat, navales ad ſubverſionem urbis invitabat. Quod videntes, Dei miraculum credebant, & celerius applicantes, turmatim litus apprehenderunt. Cancellarius vero, qui cum ipſis erat, quantocius caſtrum ipſum apprehendit. Hoſtes ergo territi, eo quod maxima eorum ſpes cecidiſſet in interitu Principis eorum, & jam in perditione turris fortiſſimæ, per loca deſerta & invia fugere cœperunt, nullum vitæ præſidium niſi montes & petrarum ſciſſuras æſtimantes. Servi autem Chriſti urbem & caſtrum gaudenter intraverunt, caſtrumque omnibus divitiis repletum invenerunt. Vinum quoque & triticum ac omnia ad victum pertinentia in abundantia repererunt, quæ ad tres annos ſuis inhabitatoribus ſufficere potuiſſent. Telorum inſuper & baliſtarum ac arcuum illic tanta fuit copia, ut naves duæ maximæ ex eis onuſtari potuiſſent. Eſt enim Baruch nobiliſſima civitatum, & nobiliſſimum præſidium illius regionis, quæ quia in optimo portu maris eſt ſita, omnibus introitum præbet & exitum. Nec ulla poteſt ibi navis aut galea prætcrlabi, quin ſponte aut invite portui illi addatur. Habet etiam talem prærogativam eadem civitas, ut omnes Reges illius terræ ibidem coronari oporteat. Unde Saladinus cum eam cepiſſet, ibi coronatus eſt, & Rex Jeruſalem & Babyloniæ appellatus. Moram autem ibi exercitu Domini faciente, & muros deſtructæ civitatis reparante, ſiniſtra fama de morte Imperatoris illic pervenit, quæ non modicam populo Dei fecit triſtitiam. Diſſolvebantur enim manus virorum fortium, quia ſicut in tali mutatione ſolet fieri, alius cogitabat perdere dignitatem ſuam, alius beneficium, alius patrimonium, ſicque fluctuabant quaſi cogitationes omnium. Inter has autem fluctuationes non defuit ſpiritus conſilii, qui colligationes impietatis diſſolvere conſvevit, & fluctuantes homines confortare. Unde Principes, celebrato colloquio, hoc ſtatuerunt, ut omnes Regni Primates ibidem facerent fidem juratam Imperatoris filio, & ſic quievit commotio. Aliud quoque ibidem habuerunt conſilium, quærentes, quis Regno Ieroſolymitano dignus Adminiſtrator inſtitui videretur, ex quo Rex vita exceſſiſſet. Viſum eſt ergo omnibus Regem Tyri ad talem ſufficere Principatum. Qui vocatus ad eos honorifice venit, ibique ſociata ei Regina vidua, Rex Jeroſolymorum ab omnibus eſt declaratus. His omnibus devote cooperabatur Princeps Antiochiæ, qui cum multis copiis armatorum de finibus ſuis illuc venerat, & bene proſperatis jamjam reditum maturabat. Volens autem Princeps iſte ſuos præſtare, quid actum erat, dimiſit columbam. Solent enim exeuntes illius terræ homi-

Digitized by Google

homines ad quævis negotia secum asportare columbas, quæ domi aut ova aut pullos habent noviter editos, & si in via forte oporteat accelare nuncium, scriptas literas sub umbilico columbæ subtiliter ponunt, & eam avolare permittunt. Quæ cum ad fœtum naturali ductu properant, amicis desideratum nuncium celeriter apportant. Hac arte usus Princeps memoratus, quod factum erat, per columbam citissime suis nunciabat. Qui cognoscentes Sidonem destructam, & Baruch captam, eruptione facta, attentare volebant, si & ipsi hostibus suis dominari potuissent. Cum ergo Principibus valedictis, ad sua Princeps Antiochiæ remearet, & expansis velis Lystris approximaret, cœlitus exterriti ejus inhabitatores, arrepta fuga, montes camposque petierant. Princeps vero urbem intravit, & collocatis ibidem militibus, præsidium Christianorum tutissimum fecit. Restaurata denique urbe Baruch (Berytho) per exercitum Christianorum, & ordinatis ejus inhabitatoribus, Domini exercitus reversus est Tyrum. Ubi pausati aliquo tempore Christi fideles, conversa est tota expeditio ad castrum fortissimum nomine Thorotum, quod a Tyro per diætam distabat. Illuc itaque venientes, maxima obsidione vallaverunt castrum illud. Et quia locus ille præruptus erat nimis & quasi inaccessibilis, novo genere expugnandi omnino incognito usi sunt. Fuerunt sane nonnulli de Saxonia, quibus notum erat, qua arte excavatur mons argentarius dictus Rammesberg prope Goslariam locatus. Cumque tali arte montem cavarent maximo labore & expensis, & apposito igne, prout libuit, muros cadere facerent, hostes exterriti nesciebant, quid agere deberent, dum castrum sic subrui quasi sine instrumentorum vehementia viderent. Cum autem per mensem opus constanter urgeretur, hostibusque nulla facultas evadendi videretur, consternati mutuo dicebant: Viri fratres, quid faciemus? Hoc genus mortis qualiter effugiemus? Taliter fratres & consanguinei nostri in Akron perierunt, qui in oculis nostris una die IIIIM. sententiam decollationis subierunt. Provideamus ergo nobis & parvulis nostris, quia hoc genus hominum nimis pertinax est & nostri sangvinis cupidissimum. Consultum ergo nobis videtur, ut gratiam ejus petamus, & dextras eis demus. Cumque hoc sæpe apud se revolverent valde turbati, una dierum stantes in muro, loquebantur his, qui excubias observabant: Rogamus, ut sub pacis conditione copiam detis nobis loquendi vobiscum. Quod cum factum fuisset, dixerunt: Obsecramus vos, ut nobis dicatis, quæ sine simulatione & dolo quærimus. Quisnam est Deus vester? aut cujus sunt hæc castra, quæ opposita habemus? Qui responderunt: Castra, quæ videtis, sunt Henrici Palatini de Rheno, filii Ducis Henrici Leonis nominatissimi. Ad hæc illi: Vellemus, si fieri posset, loqui Principi illi. Quid, inquiunt, cum Domino Principe loqui velletis cum pacis disturbatores sitis & circumventores veritatis? At illi: De veritate quidem loqui vellemus & de pacis unione. Ad petitionem ergo illorum venit Palatinus, dextras dedit & accepit. Ad quem illi: Coartamur nimis in hac obsidione. Idcirco rogamus te Princeps Gloriose, ut tuo conductu in cœtum Principum veniamus, ut de castri deditione & nostra salute cum eis disponamus. Quibus ait Palatinus: Præsumimus de gratia Principum, quod ducatu nostro absque metu ad eorum præsentiam venire possitis. Sed quia sapientis est semper omnia consulte agere, insinuato eis desiderio vestro, quantocius ad vos revertar. His dictis abiit, & Henrico Duci Brabantiæ, qui ab omnibus Princeps exercitus ordinatus fuerat, voluntatem Castellanorum aperuit. Qui mox septem Principes ad eos destinavit, qui eos audirent, & audita referrent. Qui cum castro astarent, dixerunt obsessi: Rogamus clementiam vestram, ut patientiam in nos habeatis, & Christianæ Religionis memores, quæ, ut famatur, omnem exercet pietatem, ipsam quoque in nobis ostendatis. Nos enim licet Christiani non simus, non tamen sine religione vivimus. Nam, ut speramus, Abrahæi sumus, & a Sara uxore ejus Sarraceni vocamur. Si vero credendum est, quod Christus verus Deus sit & homo, & in cruce vos liberaverit, & ideo formam crucis vos habere gloriemini, ipsam & in nobis advertere poteritis. Unde constat, quod licet dispar sit religio, unum tamen nos habere Deum Creatorem & Patrem comprobamur. Ideoque constat, nos esse fratres, non professione, sed natura & humanitate. Quapropter attendentes Patrem vestrum, parcite fratribus vestris. Omnia enim nostra sunt vestra, dummodo vivendi vobiscum sit nobis copia. Jam nichil est, quod nobis arrogare possumus, de statu tamen nostro, qualis huc usque fuerit, aperuimus. In castro, quod videtis, principatum habuimus, quia inter nostros de meliori prosapia sumus. Unde placeat vobis, quod captivi vestri simus, quia pro nostra liberatione non solum jam thesauros plurimos, sed & Christianos innumeros recipere poteritis captivos. De his autem, qui in castro sunt, fiat, si placet, talis conditio, ut relictis omnibus suis, egrediantur, nil præter simplicem vestitum portantes. Quod si inventus quisquam fuerit, aurum, argentum vel gemmas aut vestem pretiosam, aut aliquid aliud ferens præter id, quod determinatum est, sine omni mora capite plectatur. Hæc vobis gratanter offerimus, quia nil nisi vivere quærimus. Istius castri vestri sit possessio, dummodo nobis sola detur evasio. Placuit autem Principibus illis talis oblatio, & missum est pro Domino Cancellario, ut suo beneplacito firmaretur dicta ordinatio. Ille tamen propter corporis debilitatem excusatum se haberi petiit, asserens, ratum se habere, quicquid pro communi bono Principibus expediens videretur. Cumq; per aliquot dies hæc tractarentur, firmata est pacis conditio, hoc svadente Cancellario, ut obsides darent, quousque promissa solverent, & sic ad sua remearent. His itaque dispositis, cum castrenses suis hanc feriem exponerent, displicuit talis conditio pluribus, & gravis inter eos

facta

Digitized by Google

facta est altercatio. Quidam namque dicebant, ista se persolvere non posse. Alii vero alios animabant, dicentes: Nonne castrum fortissimum tenemus, munitum viris fortissimis & armis? Stemus simul, ut vim vi repellere possimus. Et sic controversia impediente, promissa mutata sunt, & pactio concepta suum non est fortita effectum. Evacuata ergo pace, arma arripuerunt, necad persolvendum, sed ad dimicandum se præparaverunt. Econtra Christiani ad resistendum se armaverunt, ad machinas cæteraque instrumenta bellica convolantes. Castellani vero, neglectis obsidibus illo die, omni se virtute defendere nitebantur. Nostrates autem minus prospere agebant, eo quod hostes magis ac magis contra eos invalescebant. Nimia enim callentes astutia ipsum fossatum, de quo plurimum confidebant, destruxerunt, & plures in eo aut succenderunt, aut gladiis necaverunt. Quosdam etiam vivos extrahentes, ablatis capitibus de muro præcipitaverunt. Ecce, ad quid nostrates miseros discordia perduxerit! In castro enim unanimes fuerunt, nostri autem diffidentes partim pugnabant, & partim diversis negotiis vacabant. Deficiebant inter hæc populo Dei cibaria, & necesse habebant Tyrum mittere pro victualibus comparandis. Propter timorem tamen hostium non fuit paucorum ista legatio, sed plurimorum. Dividebant ergo exercitum, ut alii pro victualibus irent, alii vero in excubiis remanerent. Tunc itaq; temporis exierunt de Perside, Media & Damasco innumeri Sarraceni, ut obsessis subvenirent, & castrum de manibus Christianorum liberarent. Scientes ergo Principes exercitus Christi, sibi imminere hostes, consilio habito in Vigilia Purificationis, enunciari fecerunt in castris suis, ut omnes mane parati essent confligere cum hostibus. Fit ergo omnibus commune gaudium, sermonibus se invicem confortantibus & exhortantibus pro Christo aut vinci aut vincere velle. Cumque omnes crastinam salutem sperarent, & ad certandum devote se præpararent, subito sermo exiit inter fratres, quod tota familia Cancellarii & aliorum Principum, omnibus rebus suis jumentis impositis, versus Tyrum iter arriperet. Qua novitate omnes exterriti, cœperunt & ipsi sua colligere, jumentis imponere, & certatim post ipsos evitando vel peditando properare. Fuerunt ergo tumultuationes fugientium, de tali mutatione mœrentium, & de rerum suarum distractione dolentium. Cum ergo soluta obsidione, apud Tyrum & Akron se recepissent propter rumores, qui eos de morte Imperatoris terruerant, cœperunt de reditu disponere, & de statu eorum, qui remanere debebant, ordinare. Adveniente ergo Martio, ascensis navibus, omnes fere Principes cum nobilioribus populi ad propria redierunt. Henricus Imperator Panormi moritur, in toxico extinctus, secundum Vincentium, & orta est dissensio inter Principes Teuthoniæ, quibusdam Ottonem filium Henrici Leonis, quibusdam vero Philippum Ducem Sweviæ, fratrem Henrici Imperatoris eligentibus. Innocentius vero Papa, ne promoveretur Philippus, ei se opposuit propter patrem suum Fredericum I. & Ottoni adhæsit, eumque in Regem Romanorum Aquisgrani coronari præcepit per Adolfum Archiepiscopum Coloniensem.

De Ottone IIII. Imp. XC.

Otto Quartus de Poyters, filius Henrici Leonis Magni, Romanorum Imperator XC. cœpit anno mundi VMCLX. Olympiadis CCCCLXXXVII. anno primo, urbis vero conditæ MDCCCCXLIX. Domini autem MCC. & XV. annis imperavit. Iste Otto cum Philippo Duce Sweviæ electus extitit, & de his duobus facta est illa Decretalis Extra de Electione Cap. Venerabilem. Defuncto autem Henrico, secundum Martinum, factus est conventus Principum super Imperii administratione Ratisponæ, in quo Philippo Duci Sweviæ unanimiter omnes assenserunt, ita quod Fredericus filius Henrici Imperatoris puer quinquennis patri succederet, & Philippus Dux Imperialia disponeret & regeret. Quod ut firmius haberetur, factus est secundus conventus. Ad quem quia Adolfus Archiepiscopus Coloniensis vocatus non fuit, seminarium discordiæ & schismatis Imperio Romano immiscuit. Siquidem adunatis sibi Principibus, quos habere potuit, Ottonem Saxonem Aquisgrani inthronizavit. Cujus electionem Innocentius Papa adversarius Philippi propter Henricum Imperatorem fratrem ejus, qui contra Christianam Religionem in Regno Siciliæ Archiepiscopos & Episcopos trucidaverat, & contra Romanam Ecclesiam semper tyrannidem exercuerat, confirmavit & ratificavit, licet alii Principes Electores omnes elegerint Philippum. Quem juverunt Saxones, Bayoarii, Swevi, Bohemi, Francones, & a Domino Tarentino est consecratus. Innocentius autem Papa omnes fautores Henrici Imperatoris defuncti, ipso prius anathematizato, excommunicavit.

Primo anno Ottonis, qui est Domini MCCI. Caristia maxima fuit in Francia, secundum Vincentium, in qua Boherienses Monachi Ordinis Cistertiensis multos pauperes paverunt eleemosynis suis. Philippus electus Rex Romanor. & a Tarentino consecratus, secundum Egghardum, Coloniam ire volens, ab Ottonis fautoribus est prohibitus. Propter quod in Saxoniam se vertens, venit coram Brunswic urbem, & eam obsedit, sed ab amicis Ottonis Regis coactus est recedere. Okkerus Dux Bohemorum a Philippo Romanorum Rege in Regem Bohemorum provectus est, secundum Egghardum. Prius namque Bohemiæ Principatus Ducatus fuerat. Hic Ogkerus Rex Bohemorum a Philippo factus ipsum tandem Philippum Regem deseruit, secundum Vincentium, & cum Hermanno Lantgravio Thuringiæ pro Ottone Rege decertans, totam Thuringiam & Misnam usque Hallis vastavit. Philippus autem Rex urbem Witsensee obsedit postea, a cujus facie Hermannus Lantgravius fugiens, ab Ogkero primo Rege Bohemorum angustiatus, redire ad

Digitized by Google

ad ſuam gratiam eſt compulſus. Otto vero Rex ut eo fortius Goſlariam artaret, caſtrum Herlingburg ædificavit. Deinde Adolfus Archiepiſcopus Colonienſis corruptus pecunia per Comitem Juliacenſem, Ottonem Regem ignorantibus Colonienſibus deſeruit, propter quod ab Innocentio Papa & Ottone Rege depoſitus eſt ab Archiepiſcopatu, & Bruno Præpoſitus Bunnenſis ei eſt ſubrogatus. Quod audiens Philippus Rex, potenter Coloniam intravit, & Brunonem ſubſtitutum Archiepiſcopum captivans, Herbipolim miſit. Innocentius vero Papa Hugonem & Leonem Cardinales deſtinavit ad concordandos Reges Philippum & Ottonem. Sed illi nihil proficientes, a Philippo muneribus onerati, reverſi ſunt ad Papam. Philippus ſiquidem maximam partem Imperii obtinuit. Otto vero Richardum Regem Angliæ avunculum ſuum & Comitem Flandriæ in ſuam partem traxit. Rex etiam Francorum Philippus Duci Sweviæ Philippo confœderatus eſt. Duravit autem iſtud ſchiſma usque ad annum Domini MCCXII. Ogkerus Rex Bohemorum factus, ſecundum Egghardum, uxorem ſuam repudiavit, aliam de Ungaria ducens. Propter quod Thidericus Marchio Miſnenſis, frater repudiatæ, commotus una cum Bernhardo Duce, qui Philippi Regis Romanorum familiares fuerunt, hoc ipſum obtinuerunt, ut Regnum Bohemiæ Ogkero adultero auferret, & ad Theobaldum puerum, qui tunc apud Magdeburg ſtudebat, Theobaldi filium transferret. Quod cum Ogkerus perciperet, commotus valde, a Philippo Rege eſt alienatus, & Hermanno Lantgravio Thuringiæ confœderatus, ut ſupra tactum fuit. Hi contra Philippum ſentientes, multa mala adverſus ipſum machinari cœperunt. Hermannus ergo Lantgravius, qui filius ſororis Frederici Imperatoris fuerat, immemor conſangvinitatis & jurisjurandi, ad Ottonem Regem ſe transtulit, ita ut Northem & Molhuſen urbes ab ipſo in beneficio ſuſciperet, & cum eo adjuncto Ogkero Rege Bohemorum exercitum contra Philippum educeret, ac propriam terram ea occaſione irrecuperabiliter devaſtaret. Philippus autem Rex cum maximo exercitu Lippoldo Archiepiſcopo Moguntino auxilium ei ferente, & aliis multis Nobilibus, Thuringiam intravit, & Erphordiæ conſiſtens, totam terram in circuitu vaſtavit. Necminus qui deforis erant, provinciam ſunt demoliti. Sunt enim Bohemi natura pravi, actu ſcelerati, & nunquam expeditionem ſuſcipere volunt, niſi liberam habeant poteſtatem vaſtandi loca ſancta & dehoneſtandi. Cum ergo adverſarii cum Philippo congredi timerent, omnia pervagantes, Thuringiam rebus multis ſpoliaverunt. Sane XVI. Eccleſiæ Conventuales Religioſorum, tam virorum quam mulierum cum CCCLX. parochiis a Bohemis deſtructæ ſunt, & cum cæteris mobilibus ipſa ornamenta Eccleſiarum a ſceleratiſſimis viris illis inquinati ſunt. Vidiſſes illic peſſimum quemque, quod dictu nefas eſt, pro camiſia indutum alba, accinctum ſtola, alium pro tunica uti Dalmatica, tertium pro chlamyde amictum caſula. Alterius cujusvis ſcelerati equus palla altaris diſcurrebat coopertus, & quod ſine lacrymis & gemitu vix dici poteſt, religioſas & nobiles Deo dicatas fœminas ad ſtrepas equorum ligatas captivas trahebant, & templa Dei non manu facta libidinoſe polluebant, inter quas nonnullæ hoc genere tormenti ad mortem usque ſunt vexatæ. Bohemus iſte nequiſſimus usque Hallis urbem Saxoniæ ſæviens, & enormia perpetrans, per terram Marchionis Miſnæ, ut de eo vindictam expeteret, ad ſua reverſus eſt loca, non tamen ſine gravi jactura ſuorum. Otto vero ad ſua reverſus, nondum dimiſſo exercitu, ædificavit caſtrum firmiſſimum Herlingberg, unde Goſlaria nimis eſt afflicta. Siquidem civitas ipſa inedia & fame laborabat, in oriente quidem oppoſitum habens caſtrum novum, in occidente vero caſtrum Lichtenberg. Nec permittebantur civitatem intrare plauſtra & vehicula, quæ civibus incluſis neceſſaria afferrent. Medio tamen tempore Lichtenberg a Hermanno Comite de Hartesburg inſidioſe captum eſt, & ſic civitas de tam arta obſidione partim liberata eſt, poſtea tamen occaſione ejusdem caſtri Goſlaria quaſi deſolata eſt & vaſtata. Philippus denique Rex contracto exercitu multo, Ottonem iterato impetiit, & veniens Brunswic, civitatem artare cœpit. Tunc temporis Otto Rex defuit, ſed frater ejus Henricus Comes Palatinus urbem conſtanter defenſavit. Adverſarii tamen ipſam civitatem circa Monaſterium S. Ægidii intrantes, & pontem occupantes, ipſam fere urbem irruperant. Quod percipientes qui intus erant, in alio latere civitatis occupati, ubi cum robore exercitus Philippus eſſe videbatur, ſubito ad reſiſtendum converſi, hoſtes in fugam compulerunt. Interea quidam latrunculi domum B. Ægidii, quæ contigua erat, irrumpunt, & quadam barbarica ferocitate Monachos invadunt, veſtes exuunt, officinas clauſtrales ſuis utenſilibus privant, ita ut ipſi oratorio non parcentes, & ſecuribus oſtia frangentes ornamenta Eccleſiæ diripere conarentur. Conradus tamen Cancellarius, audita direptione Eccleſiæ, cum multitudine ſupervenit, & raptores illos procul abegit, ablataque reſtitui coëgit. Crevit autem civitatis obſidio per aliquot dies, ſed intra exiſtentes ciborum copia fruebantur, extra vero manentes, fame & inedia cruciabantur. Homines ſane Ottonis, qui exteriores excubias obſervabant, in rupibus, vallibus & ſylvis latitantes, plauſtra cum victualibus de diverſis locis & civitatibus venientia, impetu valido præpedientes, hominibus occiſis, victualia in diſperſionem dederunt. Conditione ergo pacis interpoſita, obſidio illa ſoluta eſt, & illi inglorii diſceſſerunt, nec ultra urbem illam impetere auſi ſunt.

Secundo anno Ottonis, qui eſt Domini MCCII. Northuſen urbs Thuringorum, ſecundum Chronicam Saxonum, ab Ottone obſidione artatur, & tandem ab eo capitur & ſpoliatur. Michael Decanus Pariſienſis ſecundum Wilhelmum, in Patriarcham Ieroſolymitanum eſt

Digitized by Google

est electus & confirmatus, vir in regendis scholis & elargiendis eleemosynis ac cæteris operibus virtuosis gloriosus. Sed Domino aliter ordinante post XV. dies a Clero Senonensi in Archiepiscopum est postulatus, & iterum confirmatus. Apud Rosetum in Bugia, secundum Vincentium, in sacrificio altaris vinum visibiliter est mutatum in sangvinem & panis in carnem. Constantinopolis urbs Regia capta est a Francis, secundum Vincentium, & Venetis. Et mirum erat propter civitatis fortitudinem & antiquam prophetiam. Prophetatum siquidem erat, quod capi deberet per Angelum. Et sic homines credebant, eam non posse capi virtute humana. Sed prophetia ista fefellit eos pro tanto, quod eam non debite intellexerunt. Hostes namque per murum, ubi Angelus depictus erat, intraverunt, & in hoc incolæ se deceptos cognoverunt, puta in æquivocatione nominis Angeli. Franci autem & Veneti Baldowinum Comitem Hollandiæ Imperatorem Græcorum inibi statuerunt, alio interfecto. Philippus Rex Romanorum, secundum Continuatorem Chronicæ Slavorum, cum militum manu valida partibus Ottonis Regis appropiabat. Otto autem Rex Brunswic consistens, collecto pulcro militum exercitu & civium, qui propter continuas bellorum exercitationes gladiis, loricis, lanceis & sagittis abundabant, obviam ei processit, prope Goslariam castrametatus. In comitatu vero ejus erat frater ejus Henricus Comes Palatinus cum copia armatorum, quos de Aldenburg, Brema & Stadio contraxerat. Cumque fratres vallati tantis exercitibus prope villam, quæ Borchtorp dicitur, consisterent, discordia inopinata repente emersit, quæ semper suos cives miseros facit. Et sic illa congregatio in stuporem versa, infecto negotio soluta est. Palatinus sane, qui partes fratris constanter juvabat, continuas minas a Philippo audiebat, quod dignitatem Palatii, quam circa Rhenum habebat, perderet, nisi a fratre suo recederet. Durum ergo visum est Palatino utrobique dispendium pati, puta in fratris servitio sua expendere, & neglecto Philippo dignitatem Palatii amittere. In ipso ergo congressionis articulo fratri Regi ita locutus est clanculo: Frater, ego tibi quidem servire dupliciter teneor, & jure consangvinitatis & fide Regiæ Majestatis. Ut ergo tibi plenarie valeam assistere, æquum est, ut aliquid emolumenti debeam a te accipere. Dimittas ergo mihi civitatem Bruneswic & castrum Lichtenbergh, & his munitionibus roboratus, omnibus adversariis tuis circumquaque resistere ero paratus. His auditis, frater ejus Otto cum indignatione magna respondit: Non sic frater mi: magis expedit me primo Regni gubernacula potenter possidere, & sic omnia, quæ volueris una mecum æqualiter poteris tenere. Nolo, ut quadam formidine territus aliquo modo facere videar, quæ forte quasi pœnitens inposterum mutare compellar. Quo audito, Palatinus sine deliberatione & sine necessitate, relicto fratre multis mirantibus & lacrymantibus, ad Philippum transiit, & Otto Rex in Brunswic rediit. Inter hæc tamen mala Goslarienses a Brunswicensibus continuas oppressiones tolerabant, quia eos frequenter foris negotiantes vel captivabant, vel casulis eorum argentariis destructis, supra modum damnificabant. Philippo ergo ad partes reverso, Otto Rex, congregatis amicis suis, Goslariam obsidione vallavit. Et quia ex magna parte jam desolata erat, nec militum manu munita, subito hostium incursu capitur, & direptionem maximam patitur. Præsidio tamen erat ei Hermannus Comes de Hartesburg cum paucis, qui quoniam hostibus resistere non valebat, irruentibus inimicis fugiens, solum cum suis evasit. Depopulata est ergo Regia illa civitas, ita ut captivatis civibus, plaustris innumeris de diversis locis adductis, per octo continuos dies spolia deferrentur civitatis. Inter quæ tanta erat copia piperis & aromatum, ut ea modiis partirentur. Et quia ipsa civitas diu contra Ottonem steterat, alii ipsam igne supposito succendere volebant, alii Ecclesias destruere parabant. Quidam etiam Ecclesiam B. Matthiæ armati intrantes, coronas aureas & cætera ornamenta innumera a Regibus collata diversis auferre nitebantur. Sed hac voluntate divinitus mutata, obsides civium acceperunt, & civitatem illæsam usque ad Regis adventum reliquerunt. Placuit autem hoc Regi, & ut eam securius possideret, quædam ablata civibus reddidit, & ipsam de cætero sibi subjectam tenuit.

Tertio anno Ottonis, qui est Domini MCIII. Tartari Regem habuerunt David nomine, secundum Vincentium, filium Presbyteri Johannis Regis Indorum, qui, ut eis videbatur, nimis tyrannice eos rexit, & ultra consvetum eos exactionavit. Unde in ejus mortem conspirantes, consilium inierunt, ut ipsum interficere possent. Quidam ergo astutus inter eos erat Cyngiscam nomine, qui tale dedit consilium, ut scilicet quatuor viri eligerent quintum, deinde IX. viri decimum, deinde XIX. viri vicesimum, & deinceps sic ascendendo, donec perveniretur ad millesimum. In quem tunc illi sic electi convenirent & concordarent, ille eorum deberet esse Rex, & sibi obedire deberet omnis populus Tartarorum ut Regi eorum. Et si quis foret transgressor præcepti Regis, mox interfici deberet. Placuit autem consilium istud omnibus, & ad electionem procedentes, tandem concordatum est in unum, quem Chaam appellaverunt, & ille Imperator eorum factus est, & fuit primus Tartarorum Imperator, quem unquam habuerant. HicChaam factus Imperator, præcepit omnibus Tartaris sub pœna mortis, ut tribus vitiis renunciarent, ne Deus cœlorum eis irasceretur & contrariaretur, quæ sunt mendacium, furtum & adulterium. Quo præcepto dato, Chaam divisit eos in duas turmas, in quarum una ipse mansit, & alteri præcepit Capitaneum supra dictum Cyngiscam. Et intraverunt ambo exercitus Regnum Indorum, & consumserunt in ore gladii omnem hominem eis resistere nitentem. Erat enim populus innumerabilis velut arena maris. Ad Regem autem eorum

Digitized by Google

rum David pervenientes, ipsum occiderunt, & nemo erat, qui resistere poterat fortitudini illorum. De his Tartaris plura scribit Vincentius in Speculo & alii Chronographi, de quibus pauca hic tangam. Est autem populus iste forma turpis, oculos habens communiter grossos, facies latas, staturas breves, crura curta, ad currendum velox, venationi valde deditus, & uterque sexus immundus quoad omnia. Non curat edere de mensis & mensalibus, nec utitur mappis ad tergendas manus. Loquitur ululando, ut lupus, vel boando ut jumentum. In domibus raro moratur, sed in tentoriis, artem sagittandi & venandi optime noscit. Carnibus vescitur omnium animalium & hominum. Impudicitiam diligit ultra modum: nam quot mulieres potest nutrire, tot recipit uxores. Sanguinem humanum sitit nimis, ipsum fundendo & bibendo. Nunquam jejunat, parum orat. Cum hostem suum capit, illum circumdant omnes amici illius, qui cepit eum, & quilibet gladio suo vel cultello utriusque sexus ipsum transfodit, & ad vulnus os suum applicat, & sanguinem de corpore perforati sugit. In prœliis suis non vacat incendiis vel spoliis, sed solum quærit perdere vitam hominum, in quo valde delectatur. Deum cœli colit, sed cum illo plures habet alios, sortilegiis & divinationibus ex toto deditus est. Plures etiam alias conditiones habet vitiosas & abominabiles, quas propter turpitudinem earum scribere dedignor. Regnum ergo Tartarorum hoc anno incepit, quod huc usque semper sub Indorum Rege servire & vivere cogebantur, modo vero nedum proprio Regno contenti sunt, sed & Indorum Regnum ex toto sibi subjugaverunt: Quo Regno subacto, in orientalem plagam cum suo exercitu se diverterunt, & urbes castraque innumera suæ dominationi subdiderunt. Deinde ad austrum se transferentes, expugnaverunt Persarum, Medorum & Assyriorum Regna. Descripta aliqualiter conditione naturali Tartarorum, restat & aliqua ponere de Presbytero Johanne & suo Regno, cum & de ipso in præsentiarum habita sit mentio. De hoc Johanne dicit Galvilensis Episcopus in Relatione de Syria sic. Presbyter Johannes ultra Persidem & Armeniam in extremo orientis habitans, Rex & Sacerdos cum gente sua Christianus est, sed Nestorianus hæreticus. Hic Reges Persarum & Medorum petens, Ecbatanam sedem Regni eorum expugnavit, triduoque compugnantes cruentissima cæde, Johannes Victor extitit. Fertur de antiquo Magorum esse genere, quorum mentio fit in Ewangelio, eisdemque, quibus & illi gentibus, imperans tam gloriosus est, ut non nisi sceptro smaragdino uti dicatur. Ex Epistola Johannis Presbyteri Regis Indiæ ad Emanuelem Græcorum Imperatorem. Presbyter Johannes, potentia Dei & virtute Domini Nostri Jesu Christi, Rex Regum & Dominus dominantium amico nostro Emanueli. Accipe Hyercam in nomine nostro, & utere, quia libenter utimur Lechiro tuo. Si ad dominationem nostræ Majestatis venire volueris, majoris & dignioris nostræ domus Principem te constituemus. Si autem redire ad propria volueris, locupletatus redibis. Si vero non veniendo excellentiam nostram cognoscere volueris, sine dubitatione crede, quod ego Presbyter Johannes Dominus dominantium præcello in omnibus divitiis, quæ sub cœlo sunt, & virtute ac potentia omnes Reges universæ terræ. In tribus enim Indiis est dominatus magnitudinis nostræ. Septuaginta namque duæ provinciæ nobis sunt, quarum paucæ sunt Christianorum, & unaquæque habet Regem proprium, qui omnes sunt nobis tributarii. In terra nostra nutriuntur & oriuntur elephanti, dromedarii, cameli, hypothami (hippopotami) cocodrilli (crocodili), pantheræ, onagri, leones, albi & rubei, ursi albi, merulæ albæ, cicadæ mutæ, griphones, tigrides, lamiæ, hyenæ, equi agrestes, asini agrestes, boves agrestes, homines agrestes, Fauni, Satyri, Pygmæi, Cephali, gigantes cubitorum XL. Cyclopes & Phœnix. Terra nostra melle fluit, & lacte abundat. In aliqua terra nostra

Nulla venena nocent, nec garrula rana coaxat;
Scorpio nullus ibi, nec serpens serpit in herba.

Nilus fluvius de Paradiso exiens quandam provinciam nostram diversis meatibus rigat, & inveniuntur ibi gemmæ smaragdi, sapphiri, carbunculi, topazii, chrysolithi, onichim (onyches), berilli, amethysti, sardii & corallia. In alia provincia nostra piper universum nascitur. Quod cum maturescit, veniunt universi cum palea & aliis focalibus, nemus, quod est plenum serpentibus, succendentes. Serpentibus vero mortuis, universi piper colligunt de arbusculis combustis. In aliqua etiam provincia nostra juxta torridam zonam sunt vermes salamandræ, non valentes vivere nisi in igne, & faciunt pelliculas circa se sicut vermes, qui faciunt sericum. De hac pellicula vestes habemus & pannos ad omnem usum excellentiæ nostræ. Hi panni non lavantur nisi in igne fortiter accenso. In auro & argento ac lapidibus pretiosis & in omni genere animalium innumeroque gentium non credimus habere parem sub cœlo. Nullus pauper habitat inter nos, nec fur aut prædo invenitur apud nos, nec adulterium aut avaritia. Quando ad bella procedimus, XIIII. cruces magnas & præcelsas factas de auro purissimo & lapidibus pretiosis, in singulis plaustris loco vexillorum ante faciem nostram portari facimus, & unamquamque sequuntur XM. militum & CM. peditum armatorum, exceptis illis, qui sarcinis & curribus & inducendis victualibus pro exercitu deputati sunt. Quando vero simpliciter equitamus, majestatem nostram præcedit crux lignea nulla pictura, neque auro neque gemmis ornata, ut semper memores simus passionis Domini Nostri Jesu Christi, & vas aureum plenum terra, ut cognoscamus, quod caro nostra in suam redigetur originem. Portatur etiam ante nos aliud vas argenteum plenum auro, ut omnes intelligant, nos esse Dominum dominantium uni-

univerſæ terræ. Singulis etiam annis viſitamus corpus S. Danielis Prophetæ cum magno exercitu in Babylone deſerta, & omnes ſumus armati propter Tyros (f. Tyrcos). Palatium autem, quod inhabitat dominatio noſtra, ſimile eſt Palatio, quod ædificavit Sanctus Thomas Gundoforo Regi Indorum. Laquearia, tigna & epiſtylia ſunt de lignis cethim, tectum de ebeno, ne aliquo caſu poſſit comburi. In extremitatibus ſuper culmen Palatii ſunt duo poma aurea. In unoquoque ſunt duo carbunculi, ut aurum ſplendeat in die, & carbunculi luceant in nocte. Majores portæ palatii ſunt de Sardonico immixtæ cornu ceraſtes, ne aliquis cum veneno latenter poſſit intrare; cæteræ vero ex ebeno, feneſtræ de cryſtallo. Menſæ, ubi curia noſtra comedit, aliæ ſunt ex auro, aliæ ex amethyſto. In palatio meo de nocte lumen non accenditur, niſi quod nutritur de balſamo. Lectus noſter eſt de ſapphiro propter virtutem caſtitatis. Mulieres noſtræ ſpecioſiſſimæ non accedunt ad nos niſi quater in anno cauſa procreandorum filiorum, & ſic a nobis ſanctificatæ recedunt. Semel in die comedit curia noſtra. In menſa noſtra cotidie comedunt XXXM. hominum præter hoſpites. Hæc menſa eſt de pretioſo ſmaragdo, quam ſuſtentant duæ columnæ de amethyſto. Hujus lapidis virtus neminem ad menſam ſedentem permittit inebriari. Singulis menſibus ſerviunt nobis VII. Reges, unuſquiſque illorum in ordine ſuo, Duces LXII. Marchiones C. Comites CCCLXX. exceptis, qui diverſis officiis deputati ſunt. Abbates etiam ſecundum numerum dierum ſerviunt nobis in capella noſtra, & ſingulis menſibus redeunt ad propria, & alii totidem ſingulis Kalendis ad idem officium Capellæ revertuntur. Pater autem meus ob ſanctitatem & juſtitiam ejus vocabatur quaſi Deus, cui dictum eſt in ſomnis: O quaſi Deus ſurge, fac fieri Palatium filio tuo tibi naſcituro, qui erit Rex omnium Regum terrenorum & Dominus dominantium univerſæ terræ. Cumque evigilaret pater meus, valde perterritus eſt, & ecce vox alta, quam etiam omnes, qui aderant, audierunt, dixit: O quaſi Deus, fac, quod præceptum eſt tibi, noli hæſitare. Palatium igitur pater meus fieri juſſit, in cujus fundamento & parietibus non ſunt niſi lapides pretioſi & aurum liquatum optimum pro cæmento. Tectum ejus eſt de ſapphiris lucidiſſimis & topaziis præclariſſimis, ut ſapphiri inſtar cœli & topazii inſtar ſtellarum ſint. Pavimentum quoque eſt de magnis tabulis cryſtallinis. Nulla diſtinctio vel camera eſt in Palatio. Quinquaginta columnæ de auro puriſsimo ſunt in eo, & uniuſcujuſque columnæ longitudo LX. cubiti; groſſitudo autem cujuſlibet eſt, quantum quinque homines ſuis ulnis poſſunt cingere, & unaquæque habet in cacumine ſuo carbunculum unum adeo magnum, ut eſt quartale modii unius. Dictus eſt autem hic Rex potentiſsimus Presbyter propter hanc cauſam, dapifer ejus eſt Primas & Rex, pincerna ejus eſt Archiepiſcopus & Rex, Camerarius Epiſcopus & Rex, Marſcalcus Rex & Archimandrita, Princeps equorum Rex eſt & Abbas. Ideoque excellentia Johannis ſe vocari talibus nominibus non eſt paſſa. Elegit enim minori nomine nuncupari propter humilitatem, quia Presbyter eſt abſolute inferior omnibus ſupra dictis.

Quarto anno Ottonis, qui eſt Dom. MCCIIII. Philippus Rex Romanorum, ſecundum Chronicam Saxonum, ſecundam expeditionem in Thuringiam ordinavit, & obſidione maxima vallavit civitatem Witzenſe, quæ in medio terræ Lantgravii ſita eſt. Cumque per aliquod tempus creviſſet obſidio, Hermannus Lantgravius nimis afflictus erat, quia Regi reſiſtere non valebat. Tunc venit confœderatus ſuus Ogkerus Rex Bohemiæ amico ſuo auxilium laturus. Qui cum eſſet prope Orlemunde, intelligens potentiam Philippi Regis, expavit, & qualiter evaderet, omnino tractare cœpit. Contulit tamen doloſe cum Conrado Marchione de Landesberg, qualiter ad gratiam Regis eo mediante venire poſſet. Cumque Marchio id fideliter agere apud Regem ſpopondiſſet, dicebat Bohemus: Quia nunc inſtat tempus prandii, vos ad caſtra revertimini. Sciatis tamen, me finaliter ad gratiam Philippi velle venire, & nullo modo hinc recedam, niſi per vos faciem ejus videam. Cum ergo Marchio ad caſtra remeaſſet, ilico Bohemus, relictis omnibus ſuis cum caſtris, excepta ferula, qua Bohemi uti ſolent, aſcenſo caballo, fugam iniit. Quem cum CCCC. viris Henricus Palatinus & Otto Comes de Withilisbach perſecuti ſunt uſque ad ſylvam Bohemicalem. Quod videns Hermannus Lantgravius magis timuit, & nullum videns ſubterfugium, nulla prorſus conditione interpoſita, ad pedes Philippi ſupplex venit. Qui cum diutius in terra jaceret, & eum Rex de perfidia & ſtultitia nimis argueret, tandem circumſtantium ſupplicationibus permotus, eum a terra levavit, & ad oſculum pacis recepit. Ogkerus vero Rex in tantum a Philippo eſt humiliatus, ut dimidietatem Regni ſui vix obtineret, reliquam vero partem Theobaldo filio fratris ſui aſſignavit poſſidendam. Otto Marchio Brandeburgenſis, ſecundum Continuatorem Chronicæ Slavorum, graviter infeſtabat Kanutum Regem, ſuæ ditioni quoſdam ſubjiciens Slavos, quos Rex ſuos aſſerebat eſſe. Unde commotus Rex, expeditonem contra ipſum ordinavit, & claſſe magna terram ſuam intravit per Oderam aquam, quæ in mare deſcenſum habet. Cui occurrerunt Rugiani cum Polabis & Obotritis, Rex tamen in inſula Mone conſiſtebat, Petro Cancellario ejus exercitum ducente. Cumque eis Marchio occurriſſet in multitudine militum & Slavorum, ex utraque parte ceciderunt multi. Inter cæteros autem Durbernus frater Epiſcopi Cancellarii Regis occubuit, & ipſe Cancellarius Petrus vulneratus captivatus eſt, ſicque expeditio illa ſoluta eſt. Cancellarius autem Regis Epiſcopus Roſcildenſis in gravi cuſtodia tenebatur ab Ottone, ſperans, per eum multos captivos ſe redempturum, aut multam partem Slavorum propter eum lucraturum. Cumque diutius teneretur, ex vulnere ſuſcepto cœpit infirmari aliqualiter, ſed

Digitized by Google

ſed ipſe callidus & aſtutus majorem de ſe ſimulavit infirmitatem, quaſi de ſe deſperaret. Marchio ergo quaſi quadam humanitatis compasſione victus, timens etiam infamiam, ne Epiſcopus in cuſtodia nimis dura deficeret, eum indulgentius tenere cœpit, cuſtodem ſpecialem ſibi deputans Ludolfum nomine, qui ipſum reſpiceret. Epiſcopus autem nacta opportunitate cum ſuo cuſtode de ſua liberatione tractare cœpit, & tandem cuſtode corrupto promiſſis & cooperante Epiſcopus eripitur, & ad propria revertitur, Ludolfus vero non modica mercede remuneratur. Kanutus Rex Danorum, ſecundum Continuatorem ſupra dictum, contra Adolfum Comitem Holtzatorum exercitum magnum eduxit ad Egdoram flumen in loco, qui Reynoldesburg dicitur, pro eo quod Ottonem Marchionem de Brandenburg contra ipſum roboraſſet. Cui Comes occurrit cum innumero populo, auxilium ei ferente Ottone Marchione cum armatorum exercitu copioſo. Aderant etiam ei Symon Comes de Tekenenburg, Bernhardus Comes de Welpe, Mauritius Comes de Aldenburg, & alii multi Nobiles, milites & militares. Dominus quoque Hartwicus Archiepiſcopus Bremenſis huic exercitui non defuit. Hos omnes Comes Adolfus ſuis ſumtibus glorioſe procuravit diebus multis non ſine multorum admiratione. Cum ergo aqua eos ab invicem divideret, & Rex ad iſtos ire diſſimularet, nec iſti eum invadere auderent, Rex tandem caſtra movens, ad propria reverſus eſt, & ſic expeditio illa ſine pacis conditione ſoluta eſt. Adolfus vero Comes poſt Regis receſſum caſtrum Reynoldesberg antiquiſſimum reformare cœpit, ſperans, ſe hac munitione Regis impetum poſſe evadere. Sed Rex non immemor injuriarum ſuarum, adveniente Majo, iterum congregato exercitu, ad Egdoram flumen venit, cui Comes Adolfus cum ſuis occurrit. Qui cum impetum Regis ferre non valeret, conditione pacis interpoſita, ſic ad gratiam Regis venit, ut ipſum caſtrum Regi daret, & Comes ſua quiete gauderet. Kanutus autem Rex ipſum caſtrum ampliando firmiter ædificavit, locatis illic viris armatis plurimis. Pontem quoque latiſſimum ſuper Egdoram ſterni fecit, & exinde liberum introitum & exitum in terram Comitis habuit. Sicque paulatim contra Comitem occaſiones diſcordiæ exortæ ſunt. Adolfus tamen Comes una cum Adolfo Comite Dasle Lovenburg obſidere cœpit, ædificato caſtro Hardenberg, per quod nimis Lovenburg caſtrum artavit, ita quod caſtellani nec exitum nec introitum habere poſſent. Crevit ergo obſidio, quia Comes copiam navium de Hammeburg adduxerat, quas viris, armis & machinis optime munierat. Cumque caſtrum & per terras & per aquas nimis artaretur, & Henricus Palatinus Comes illud liberare non valeret, deficientibus jam victualibus, caſtellani de dedicatione caſtri tractare cœperunt, miſſisque clanculo legatis ad Kanutum Regem Danorum, caſtrum ei exhibuerunt. Qui gratias agens, miſit ad eos Rodolfum de Holtzatia virum illuſtrem, ut ei caſtrum loco ſui reſignarent, & vexillo Regio ſibi illud intitularent, promittens, ſe in brevi venturum, & caſtrum de manibus hoſtium liberaturum. Quod intelligentes Comites, ipſum caſtrum impugnare cœperunt, & quia victualia defecerunt, ipſum eo citius ſibi ſubjugaverunt, & expugnatum ceperunt. Hoc audiens Kanutus Rex, & callide diſſimulans, ipſos Comites amplius exoſos habere cœpit. Poſtea tamen, mediantibus amicis, Comes Adolfus ad gratiam Palatini venit, & facti ſunt amiciſſimi, ita ut Henricus Palatinus patrimonio ſuo, quod prope Albiam habebat dictum Gamme, ipſum infeodaret, & Comes ei DCC. ſolveret marcas Lubicenſes.

Quinto anno Ottonis, qui eſt Domini MCCV. Judæi contra omnium opinionem, ſecundum Wilhelmum, per Philippum Regem Francorum, qui eos expulerat de Regno ſuo, Pariſius revocantur, & idem Philippus Eccleſias Dei & omnem Clerum perſequi cœpit ex inſtigatione Judæorum. Hartwicus Archiepiſcopus Bremenſis obiit, ſecundum Chronicam Saxonum, cujus Eccleſiæ Canonici, celebrato colloquio, Dominum Woldemarum Epiſcopum Sleswicenſem, qui protunc a captivitate Danica ſolutus, in Bononiam tranſierat, de unanimi conſenſu ſibi in Paſtorem poſtulaverunt, Borchardus tamen majoris Eccleſiæ Præpoſitus cum quibusdam ſuis fauctoribus prædictæ poſtulationi intereſſe nolebat. Hammeburgenſes vero Canonici propter Regem Danorum tum in hac electione ſuſpecti erant, ideoque absque eis celebrata eſt. Qui videntes ſe deſperatos, conſtanter poſtulationi reclamabant, dicentes, ſuam Eccleſiam matrem eſſe Eccleſiarum parochiæ Bremenſis, & ideo primam vocem merito & jure ſe habituros. Bremenſes tamen, miſſis legatis Domino Woldemaro Bononiæ conſtituto, poſtulationem ſuam canonice factam inſinuaverunt. Qui acceptis ſociis & legatis Bremenſibus Domino Apoſtolico ſe præſentavit. Papa autem gaviſus, Electum Bremenſem honorifice ſuſcepit, non tamen ad ſtatim ejus promotionem proſecutus eſt. Woldemaro autem in curia commorante, venerunt legati Hammeburgenſium Canonicorum, poſtulationi Woldemari contradicentes. Venit etiam & legatus Regis Danorum Petrus, Præpoſitus Roſchildenſis, electionem factam evacuans virtute jurisjurandi Regi Kanuto per Woldemarum præſtiti in captivitate detentum, quod videlicet nunquam in loco illo reſidere vellet, ubi Regi Danorum gravis eſſe putaretur. His ergo auditis, Papa Woldemarum per dies aliquot detinuit, quousque deliberaret, quid de ipſo ordinaret. Woldemarus vero videns ſe artatum loco, absque licentia abſceſſit, & ad Ottonem Romanorum Regem ſe transtulit. Quem ille Bremam cum honore miſit. Qui gaudentes ipſum honorifice receperunt. Papa autem miſſis epiſtolis ad omnes Eccleſias Germaniæ, Galliæ & Alemanniæ, Woldemarum inobedientem excommunicavit. Bremenſes tamen ad tempus hoc ignorabant, quia literas Apoſtoli-

cas

Digitized by Google

cas nemo eis porrigere audebat, donec in quadam miſſa publice a quodam quaſi cum cæteris offerente in altari locatæ ſunt. Rex autem Danorum audiens introitum Woldemari, venit cum exercitu magno, impedire volens ejus receptionem, ſed non valens. Woldemarus vero electus Archiepiſcopus terram Regis infeſtare diſpoſuit, cumque bellum inter eos pararetur, ipſius propoſitum variis eventibus eſt præpeditum. Borchardus enim majoris Eccleſiæ Præpoſitus, ad Archiepiſcopatum aſpirans, quosdam habens electores de Hammeburg & Brema ad Regem venit, & ab eo inveſtituram Pontificialem accepit, cumque potitus fuiſſet Hammeburg, per quosdam amicos Regis Stadium occupavit. Quod intelligens Woldemarus Archiepiſcopus electus, convocatis amicis ſuis, Stadium obſedit, & ipſam violenter capiens, omnia, quæ intus erant, ſuo exercitu conſignavit; quia præda maxima omnia vaſtantes, eam quaſi vacuam reliquerunt. Rurſus vero pars Borchardi invaluit, & capto Stadio, illic habitare cœpit. Terræmotus maximus factus eſt in Brandenburg, ſecundum Egghardum, & in aliis Marchiæ partibus circumquaque, & plures corruerunt turres, Eccleſiæ & domus in civitatibus ejusdem terræ. Richardus Rex Angliæ, ſecundum Vincentium, Lothas cœpit, & Canonicos S. Martini Thuronenſis ejiciens, rebus ſuis ſpoliavit. Quo audito, Philippus Rex Francorum viceverſa omnes Eccleſias terræ ſuæ, pertinentes ad Epiſcopatus & Abbatias Regis Angliæ cepit, & Monachos ac Clericos Deo ſervientes ejecit, eorumque reditus in ſuos uſus convertit, inſuper totam Nordmanniam pertranſiens, multa caſtra & opida expugnavit, protendens iter ſuum usque ad montem S. Michaelis. Nordmanni autem videntes Regis ſeveritatem, & attendentes, quod a Richardo Rege Angliæ nullum habere poſſent præſidium, ſubdiderunt ſe ſponte Philippo Regi. Et ſic Philippus recuperavit Rothomagum & totam terram Nordmanniæ, quam avus ſuus ad CCC. annos poſſederat. Albertus Epiſcopus, ſecundum Chronicam Lubicenſem, conſtruxit urbem Rigenſem terræ Lyvoniæ. Hic Albertus ſucceſſerat Domino Meynardo Epiſcopo primo Rigenſis Eccleſiæ, qui totam Lyvoniam ad fidem Chriſti converterat, & Epiſcopatum Rigenſem fundaverat, ut patuit ſupra anno Frederici Imperatoris XXXII. Domini vero MCLXXXVI. Niclotus & Borwinus fratres & Principes Slavorum, ſecundum Continuatorem Chronicæ Slavorum, expeditionem ordinaverunt in terram Adolfi Comitis de Dasle. Quibus idem Adolfus occurrit cum ſuis ad locum, qui Warzikowe dicitur. Cumque acies ordinaſſent, utrobique Nyclotus prior inſultum in hoſtes faciens, interfectus eſt, vir utique bonus & prudens, cujus ruina totam Slaviam in mœrorem & luctum convertit, ita ut in ultionem ipſius multi poſtea perirent. Nam cognito caſu tanti viri, hoſtes acrius inſtiterunt, & in maxima ſtrage Saxones ſtraverunt, ita ut vix Comite cum paucis evadente, exceptis captivis, DCC. viri Teuthonici gladiis Slavorum interirent. Deficientibus ergo viris, terra ſpatioſa quaſi inculta manebat, tribulosque & ſpinas germinabat, nec aratrum aut jugum quodcunque boum ſentiebat. Exinde autem Comes Adolfus prædictus terræ ſuæ minus gratus fuit, qui tantæ ruinæ cauſam præſtitit. Sane Adolfus Comes de Dasle prædictus cum Adolfus Comite Holtzatorum nepote ſuo Dithmarſiam, quæ Regi Danorum ſubjecta videbatur, intraverat, & eam ſpolitatam non parva cæde affecerat. Non minus autem Adolfus Comes Holtzatorum inſidias ſuorum tolerabat propter quosdam, quos pecunia multaverat, puta Henricum Buſche, Eggonem de Sturgia & Brunonem Tralowe. His congaudentes illi, quos Comes de terra ejecerat, & apud Woldemarum Ducem Sleswicenſem in Jutia exulabant, puta Stakko & fratres ejus Wydagus, Rodolfus, Ubbo, Tymmo & Marquardus, omnes conſangvinei Martradi Præfecti Holtſatorum quondam per Henricum Leonem conſtituti, qui a Comite Adolfo terra pulſus cum uxore ſua Yda defecerat. Hi cotidie per ſe ipſos vel per internuncios zizania diſcordiæ in terra Comitis præfati ſeminare non ceſſabant, ita ut jam inſtante gwerra, quosdam in ſuam partem allicere tentarent. Quidam etiam promiſſionibus beneficiorum in partem Regis & fratris ſui Woldemari Ducis fuerunt inclinati. Cum ergo quaſi omnes meliores in partem Regis & fratris ſui tracti fuiſſent, circa tempus piſcationis halecum, quæ in Scania fieri conſvevit, quam cives Lubicenſes frequentare ſolent, ubi etiam eo tempore cum navibus ſuis & rebus ſunt detenti per Regem, & in captivitatem ducti, Woldemarus Dux cum expeditione magna terram Adolfi Comitis intravit, cui Comes in occurſum cum ſuis venit ad locum Salnowe dictum. Congreſſione autem facta, pars Comitis infirmata eſt, ita ut multi gladiis hoſtium trucidarentur, alii vero captivi ducerentur. Comes vero fuga elapſus, in Hammeburg ſe recepit. Ipſo vero tempore Woldemarus Dux Ytzeho opidum obtinuit, Sigeberge vero & Travemunde obſidere fecit, Plüne quoque, quod magnum prædium videbatur, ab ipſo captum eſt. Circa feſtum autem Apoſtolorum Simonis & Judæ rurſus inſtaurato exercitu, una cum Petro Epiſcopo Roſchildenſi, viro conſilii magni, terram Comitis intravit, & quia prædictus Adolfus Comes terram exierat, venit prope Hammeburg, ubi occurrentibus provincialibus, honorifice ſuſceptus eſt a Clero & populo. Sequenti vero die caſtra movens, venit Bergherdorp, & tertia die proceſſit usque Lovenburg. Comes autem de Dasle, cognita virtute Ducis, timens traditionem, ſimiliter & ipſe terram exierat. Qui autem remanſerant, timentes impetum Ducis, accepto conſilio, Duci prope Lovenburg obviam venerunt, & ei caſtrum Ratzeburg & introitum terræ obtulerunt. Dux autem videns, quod Lovenburg capere non poſſet, reædificato Hardenberg, & relictis ibidem militibus & armis cum victualibus, proceſſit Ratzeburg. Sicque potito

Digitized by Google

potito hoc castro, illi de Wittenburg & Godebuz etiam dextras dederunt. Dux ergo prospere in omnibus agens, applicuit ad civitatem famosam Lubeke, sciens, nomen suum dilatari, si tantæ civitati dominaretur. Cives autem advertentes, quod ex omni parte terra in conspectu Ducis tremeret, & parata esset ad deditionem, ita quod nullum introitum vel exitum per terram aut per mare habere possent, necessitate coacti, habito consilio, nominatiores urbis Duci, cum esset apud Bredenvelde, occurrerunt, & civitatem ei obtulerunt, sicque suos captivos cum navibus suis & rebus recuperaverunt. Dux ergo Woldemarus, acceptis obsidibus tam de dicta urbe Lubicana quam de aliis opidis & castris, ad propria cum gaudio reversus est, præficiens castro Sigeberg advocatum Tymmonem, fratrem vero ipsius Marquardum deputavit Travemundæ, Stakkonem autem Comitem Dithmarsiæ declaravit, & fratrem ejus Widagum Plünæ præfecit, Rodolfum quoque in Hammeburg locavit, ut qui propter ipsum exulaverant, ab eo etiam commoda & beneficia reciperent. Hoc ergo anno urbs Lubicana nobilis, & Imperiali tantummodo fastigio regio digna, ignobilitati Danorum subacta est, nulla, proh pudor! expugnationis angustia pressa, sed solo leporino timore civium væcordium victa, & servivit eisdem sub tributo XXIII. fere annis usque ad annum Frederici secundi Imperatoris duodecimum. Tunc enim de pulveribus se erigentes, sopitas quasi vires resumserunt, & ignominiosum illud Danicæ servitutis jugum potenti manu abjecerunt.

Sexto anno Ottonis, qui est Domini MCCVI. Vermendosio miles, secundum Vincentium, qui mortuus fuerat, revixit, & multa futura variis prædicens hominibus, longo tempore sine nutrimento corporali quocunque vixit. Duo Reges Paganorum, puta de Blankem & Bulgaria bella gerentes contra Cumanos Græcos & Turcos, secundum Vincentium, obtinuerunt eos in campo, & interfectis potioribus Græcorum & Turcorum, reversi sunt ad ædes proprias cum victoria. In Ascensione Domini reparata est pax inter Philippum Regem Franciæ & Richardum Regem Angliæ, secundum Wilhelmum, & sequenti proxima secunda feria, Lodowicus Philippi Regis unigenitus Blankam Hildefonsi Regis Castellæ filiam & Richardi Regis neptem duxit in uxorem. Pro quo matrimonio Johannes Rex Angliæ, qui Richardo successerat hoc anno defuncto, omnes urbes, munitiones, castra, totamque terram, quam Rex Franciæ ceperat, quitavit præfato Lodowico & suis hæredibus. Totam etiam terram cismarinam post decessum suum, si ipsum sine hærede legitimo mori contingeret, concessit eidem. Richardus autem Rex hoc anno juxta Lemovicas, ubi castrum obsedit propter militem quendam ibi manentem, qui thesaurum invenerat, letaliter sagitta vulneratus occubuit post paucos dies, & sic frater suus Johannes ei in Regno successit. Adolfus Comes Holtzatorum, secundum Chronicam Lubicensem, dolens de perditione suæ terræ, contractis navibus & copiis armatorum de Stadio, quam urbem adhuc tenebat, occupavit Hammeburg circa festum S. Andreæ. Unde territi homines Regis Danorum & Ducis, fugam inierunt cum Rodolfo eorum advocato. Comes vero Adolfus sperans prospere agere propter Lovenburg, Sigeberg & Travemunde castra, quæ sibi favebant, in Hammeburg civitate usque ad Nativitatem Domini perduravit. Woldemarus vero Dux Sleswicensis, audito introitu Adolfi Comitis in Hammeburg, celeriter expeditionem faciens, evocavit amicos suos de Nordalbingia, Wagira, Slavia & Dithmarsia, & ad obsidionem ejusdem urbis properavit. Nec defuerunt Comites Obotritorum Guntzelinus & Borwinus, auxilium Duci ferentes. Adolfus autem seductus a referentibus, qui ipsum fraudulenter certificaverant, nullatenus Ducem venturum propter festum Nativitatis Domini, quod festivis potationibus Dani honorare consueverunt sub vulgari nomine Juel, repente circa vigiliam Nativitatis Domini Ducem cum infinitis armatis sensit adesse. Quo percepto, fugam libenter cepisset, sed nulla protunc sibi patebat, eo quod algore hyemis tam Albia quam Alstria flumina constricta erant. Comes ergo in arto positus, quid faceret, aut quo se verteret, ignorabat, quia ex omni parte inimicorum rabies eum urgebat. Tractabant autem sui cum eo, si forte nocturno tempore aliis dormitantibus ad arma convolantes violenter exire potuissent. Sed nec hoc possibile erat propter excubias, quæ undique ordinatæ erant. Cumque dies B. Stephani adesset, sic ordinabatur, ut Comes Lovenburg Woldemaro Duci resignaret, & sic ipse cum suis liber abiret. Ad hoc negotium expediendum ordinatus est Guntzelinus Comes de Zwerin, qui Adolfum Comitem sub pacis conditione duceret Lovenburg, ut promissum Duci fideliter solveret. Cum autem cognovissent Dithmarsi Adolfum Comitem de urbe Hammeburg egressum castris Guntzelini Comitis de Zwerin consistere, conati sunt sive ex motu proprio, sive ex inductione aliorum in unum conglobati, pacis rupto fœdere, Adolfum prædictum interficere. Facto ergo tumultu, Guntzelinus cum suis fortiter resistebat. Sicque supervenientes alii Principes, Adolfum de manibus Dithmarsorum liberaverunt. Dux ergo Woldemarus castra movens, venit cum Adolfo Lovenburg, ut promissum persolveret: Qui cum castellanis suppliciter satis loqueretur, ut sui miserentes, castrum pro sua liberatione redderent, illi nulla ratione ei acquieverunt. Exinde ergo Comes compeditus & vinculatus, non sine magna contumelia per omnia loca, quibus antea dominatus fuerat, deductus, Daciam captivus intravit. Philippus Rex Romanorum, secundum Chronicam Saxonum, curiam suam tenuit in Magdeburg, incedens ibidem coronatus cum uxore sua diademate Regali, Otto vero Rex opidum Calve igne concremavit. Quod audiens Archiepiscopus Magdeburgensis, venit cum suo exercitu prope Helmstede, opidum ipsum incineravit, & Werberge

Digitized by Google

berge caſtrum expugnavit, ac ſolo ipſum æquavit. Aſſumto quoque exercitu Philippi Regis, obſedit Brunſwic, licet circa urbem ipſam nihil efficeret. Kanutus Rex Danorum cum beneplacito Woldemari Ducis fratris ſui, ſecundum Chronicam Lubicenſem, Dominam Helenam ſororem ſuam cum magna ſolennitate Wilhelmo filio Ducis Henrici Leonis, fratri Ottonis Regis Romanorum ſociavit matrimonialiter. Unde lætati ſunt omnes amici Henrici Ducis, & omnis terra Holtzatorum & Sturmariorum, ſperantes, eum cum ſorore adepturum totam terram patris ſui. Sed fefellit opinio plures. Ipſe tamen gener Regis a Rege & fratre ſuo Duce in multis honoratus, dignitatem ſui nominis in multis extollebat. Proxima vero æſtate Rex Kanutus venit Lubeke, & glorioſe receptus eſt a Clero & populo. Ad cujus introitum redditum eſt caſtrum Travemunde, quod Regi non parvam fecit lætitiam. Rex autem procedens, venit coram Molne opido, & ipſum in deditionem accipiens, coram Lovenburg ſe locavit cum fratre ſuo Woldemaro. Sed cum ipſum caſtrum diu impugnantes capere non poſſent, ad propria ſunt reverſi.

Septimo anno Ottonis, qui eſt Domini MCCVII. In Salaberia urbe Regni Angliæ, ſecundum Wilhelmum, quidam advocatus furiis atrociſſimis nequitiarum ſuarum invectus in omne nefas contra ſexum utrumque exarſit, nec Deum timens, nec hominem quemcunque verens. Hic tandem, licet ſero ſatis, mortuus, & in cimiterio ſepultus, per tres ferme menſes urbem prædictam totam tam formidoloſis tumultibus & graſſationibus horribilibus exagitavit & exterruit, ut ſingulis noctibus ad horam poſt crepuſculum in nulla platea vel vico quicquam vel homo vel brutum aut inſtrumentum quodcunque, in domibus vero vix aliquid ſalvari poſſe videretur. Si autem homo vel brutum ei occurriſſet, lacerabatur, vel aliud, quicquid in via, ſi obſtitiſſet, totum atterebatur. Quid autem hoc eſſet, aut propter quid fieret, ignorabatur, ſed quod initium a cimiterio, & terminum ad ipſum haberet, bene perpendebatur. Circa finem ergo tertii menſis luna plena & aëre ſereno exiſtentibus, juvenis animoſus in feneſtra turris Eccleſiæ contra noctem ſe locavit, de qua totum cimiterium diſtincte videre poterat, & circumſpexit diligenter. Hora igitur conſveta ſepulcrum advocati velociter aperitur defuncti, & coopertorium ſublevatur, advocatusque erigitur. Qui pannum, quo involutus erat, complicans, ad angulum ſepulcri poſuit. Sepulcrum ergo exivit defunctus, & cimiterium pertranſiit, ac a canibus totius civitatis ibi propter conſvetudinem congregatis, & eum exſpectantibus inſecutus, latratibus & morſibus eſt receptus, eo tamen utraque manu ſe defendente, & canes raptos a ſe projiciente, ac nunc unum nunc alium, quem rapuiſſet, lacerante. Interea juvenis de turri deſcendens, de ſepulcro pannos cadaveris in angulo tumuli repoſitos abſtulit, & ad locum ſuum reverſus obſervavit, quid defunctus facturus ſit. Cadaver ergo illud maledictum actum a diabolo per vicos omnes urbis & plateas ſingulas percurrens, tandem ad ſepulcrum rediit, ſed pannos ſuos non inveniens, olfaciendo more canis circuivit, & eos quæſivit. Poſt juvenem autem in turri ſedentem cum pannis torvo vultu reſpiciens, tandem turri appropinquavit, & mox ſicut lacerta murum turris aſcendit. Juvenis autem hoc videns, per funem campanæ ſe de turri demiſit, & ad altare majus currens, pannos prædictos ſuper altare poſuit, ac ſe ſuper eos locans, crucem rapuit ad defendendum ſe contra diabolum. Cadaver denique ad feneſtram turris venit, & per eundem funem deſcendens, ad altare cucurrit, & pannos ſuos repetiit. Sed cruce ſibi per juvenem, ad quamcunque partem acceſſiſſet, objecta, præpeditus eſt pannos recuperare. Cumque cadaver & juvenis diu ſic colluctati fuiſſent, tandem cuſtos Eccleſiæ ad officium matutinale pulſavit, & cadaver a dæmone dimiſſum coram altari cecidit, totam Eccleſiam fœtore intolerabili replens & corruptione. Juvenis autem alienatus a ſenſibus præ timore, quemcunque vidit, in altari adhuc ſuper pannos ſedens, tanquam dæmonem exhorruit crucem opponens eidem. Poſtea vero juvenis vi raptus ad lectum portabatur, & diu langvens tandem, ſed non plene curabatur, narrans ſingula, quæ ſibi accidiſſent. Cadaver vero extra urbem tractum, in turpi loco eſt concrematum, & quaſſatio illa dæmonum amplius non eſt viſa. Kanutus Rex Danorum obiit, ſecundum Continuatorem Chronicæ Slavorum, & Woldemarus Dux Sleswicenſis frater ejus ſucceſſit ei in Regno. Qui accepto regimine circa menſem Auguſti, cum magna gloria venit Lubeke, ibique in gaudio immenſo Rex Danorum, Slavorum & Nordalbingorum proclamatur & ſalutatur. Dehinc ergo procedentibus Archiepiſcopo Lundenſi, Petro Epiſcopo Roſchildenſi & cæteris Epiſcopis Nobilibusque terrarum Daciæ, Slaviæ, Nordalbingiæ, Rugiæ, Obotritorum & Polaborum, Rex vallavit caſtrum Lovenburg. Cumque caſtra metatus fuiſſet, erexit machinas multas & alia inſtrumenta bellica. Viri quoque ſagittarii & baliſtarii continue Caſtellanos inquietabant, & viciſſim vulnera dabant & accipiebant. Cumque diutius hæc exercitatio fieret, & Rex caſtro dominari non poſſet, eo quod caſtellani viri bellatores eſſent, & caſtrum nimis munitum fuiſſet, tandem conditione pacis interpoſita, colloquium Regis caſtellani poſtulant. In quo de redemtione Adolfi Comitis tractatum eſt, & mediante Archiepiſcopo Lundenſi & Epiſcopo Roſchildenſi fratre ejus, ac Primoribus Regni diffinitum eſt, ut caſtellani caſtrum reddant, & Comes datis obſidibus a captivitate liberetur. Dedit ergo Adolfus duos filios ſuos & filium cognati ſui Ludolfi de Dasle, & filium Henrici Comitis de Dannenberg. & jurejurando firmatum eſt, ut obſides poſt X. annos liberi eſſe debeant. Si vero Rex infra hoc tempus vita deceſſerit, obſides reddantur. Si vero Adolfus Comes defecerit, non minus hoc fieri debebit. Sicque

Digitized by Google

Sicque castrum Regi datum est, & Adolfus Comes liber reversus.

Octavo anno Ottonis, qui est Domini MCCVIII. die XXX. mensis Maji, secundum Vincentium, fit terræmotus maximus in Terra Sancta, & vox terribilis auditur. Magna quoque pars urbis Accon seu Akron cum Regis Palatio corruit, multusque populus periit, Tyrus vero pene subversa est & Archas opidum munitissimum ad solum usque subrutum est, Tripolis insuper major pars ruit, & plebs plurima suffocata est, Anthorados vero illæsa est servata, quia in ea B. Petrus Apostolus primam Basilicam Dei Genitrici construxisse perhibetur. Lodowicus Thuringorum Lantgravius, filius Hermanni, & postea B. Elisabeth maritus, secundum Egghardum, in castro Wartberg nascitur. Woldemarus Danorum Rex, secundum Chronicam Danorum, accepit in uxorem Margaretam filiam Johannis Regis Bohemorum. De quibus nuptiis cum exercitu transiens, cepit castrum Erthneburg, & ipsum ad solum destruxit propter castrum suum Lowenburg, cui damnosum videbatur. Gamfredus Cancellarius Regis Angliæ Poeta maximus floruit, secundum Wilhelmum. Hujus Cancellariatus tempore Richardus Rex interfectus fuit; & quia in excommunicatione majori defunctus est, quam incidit propter interfectionem Religiosorum & Clericorum, inhumatus per plures annos stetit, cumque nec prece nec pretio cujuscunque Papa Innocentius flecti potuisset ad hoc, ut Rex ille absolveretur & sepeliretur, Gamfredus sciens, Papam virum doctum & delectari multum in poëmatibus & dictamine Poëtico, composuit librum pulcrum stylo Poëtico, in quo autoritatem, clementiam & ingenium ipsius in tantum extulit, ut ob illius libelli favorem, ipse Gamfredus a Papa in Regis Richardi defuncti causa, suam obtineret voluntatem. Liber autem ille incipit Papa stupor mundi. Klinghezor, Astronomus & dictator, secundum Egghardum, in Septem Castris Regni Ungariæ floruit. Hic conceptionem Beatæ Elizabeth filiæ Andreæ Regis Ungariæ prævidit & annunciavit. Octavianus Cardinalis Ostiensis & Johannes Episcopus Velletrensis legati Papæ in Galliam mittuntur, secundum Vincentium, ut Regi Philippo Ingeburgem uxorem suam, filiam Kanuti Regis Danorum sibi reconciliarent. Tunc convocatum est Concilium Svessionis a prædictis legatis, cui Rex Philippus interfuit cum Ingeburge & Principibus suis, ubi per XV. dies disputatum est de matrimonio Regis & Reginæ. Post multas autem multorum Jurisperitorum altercationes, Rex tædio affectus cum Ingeburge uxore sua mane ipsis insalutatis abscessit, remandans eis per nuncios, quod Ingeburgem sicut suam duceret, nec amplius ab ea separari vellet. Cumque Rex Parisius redisset, invenit Mariam, quam superduxerat, jam defunctam, de qua filium & filiam susceperat. Hos pueros Papa Innocentius legitimavit, & veros hæredes regni ejus constituit.

Nono anno Ottonis, qui est Domini MCCIX. Margareta Regina Danorum, filia Johannis Regis Bohemorum, Woldemarum Electum Bremensem reconciliavit Woldemaro Regi Danorum, & ipsum de sua captivitate ex integro libertavit & quitavit. Elizabeth beatissima nascitur, filia Regis Ungariæ Andreæ, secundum Egghardum, quæ postea copulata est Lodowico Lantgravio Thuringiæ. Petrus Rex Arragoniæ, secundum Vincentium, Regnum suum obtulit Innocentio Papæ, illudque S. Petro & Ecclesiæ Romanæ in perpetuum constituit censuale pro salute animæ suæ & suorum progenitorum, ut annuatim de camera Regis CCL. vasfæ mutinæ Apostolicæ Sedi reddantur, & ipse ac successores ejus eidem Ecclesiæ specialiter fideles & tributarii esse teneantur. Thidericus Comes Hollandiæ nonus obiit, secundum Wilhelmum, cui post tumultum magnum Wilhelmus frater ejus successit. Alheydis siquidem Comitissa uxor Thiderici defuncti, volens Comitatum a Wilhelmo removere, filiam suam Lodowico Comiti de Loen tradidit. Wilhelmus autem in orientali Frisia a fratre suo sibi concessa positus, cum rem gestam intelligeret, tristis in Hollandiam furtive venit, & latenter in Flarding transiens in veste peregrina, tandem a viris de Selandia cognitus est. Hi ipsum Wilhelmum bene poterant, & ipsius adventum desideranter præstolati fuerant. Unde ipsum officiosissime recipientes, in Sirixze eum duxerunt cum solennitate, & in Dominum terræ unanimiter promoverunt. Lubicana civitas de Imperialis fastigii decore in Danicam servitutem degenerando collapsa, secundum Egghardum, cibus ignis facta est & ex integro conflagrata, demtis V. ædibus de universitate tot ædificiorum a Domino misericorditer conservatis, de domibus autem illis superstitibus quinque strata illa seu vicus, qui Quinque domus vulgariter dicitur, nomen suum accepit. Versus.

Anno milleno ducenteno quoque nono
In Viti festo Lubek perit igne molesto,
Quinque tantum ædes remanserunt ibi
stantes.

S. Dominicus, Ordinis Fratrum Prædicatorum institutor & magister, natione Hispanus de villa Kalaroga Oxoniensis diœcesis, secundum Vincentium, vir scientia & spiritu Dei plenus & vita sincerus, relicta mundi vanitate, receptus est a Dydaco Episcopo Oxoniensi in Canonicum Regularem. Alii autem dicunt, ipsum ad hunc ordinem esse receptum anno Innocentii III. Papæ nono, qui fuit Domini MCCIII. Et hoc magis consonat computationi annorum illorum, quibus in dicto ordine constitutus laboravit contra Albigenses hæreticos prædicando. Siquidem XII. Abbates Cistertiensis Ordinis cum uno Apostolicæ Sedis legato mittuntur ab hoc Innocentio Papa in terram Albigensium, ut fidem Catholicam prædicarent, & hæretica venena, quæ terram illam repleverant, pro viribus extirparent & propulsarent. Quibus de Hispania Dydacus Oxoniensis Episcopus jungitur, habens in comitatu suo Fratrem Dominicum. Post biennium autem redeuntibus ad propria legato

Digitized by Google

legato sedis Apostolicæ & XII. Abbatibus dictis ac Dydaco Episcopo, B. Dominicus solus cum paucis sibi adhærentibus perseveravit in prædicatione indefesse & in impugnatione hæresis, quam per annos continuos X. puta usque ad tempus Lateranensis Concilii, quod celebratum est anno Domini MCCXV. sub eodem Innocentio. Ad quod B Dominicus profectus est cum Fulcone Episcopo Tholosano, cum quo Papam Innocentium adiit, petens, ut sibi confirmare dignaretur ordinem, qui Prædicatorum diceretur & esset, quem prius matura mente conceperat & voto tractaverat. Qui cum non statim acquiesceret, nocte visum est eidem Pontifici in somnis, quod Lateranensis Ecclesia gravem subito minaretur ruinam. Quod dum timens aspiceret, ex adverso vir Dei Dominicus occurrebat, humerisque suis suppositis totam illam fabricam casuram sustentabat. Evigilans autem Papa, & visionem intelligens, petitionem viri Dei hilariter acceptavit, exhortans ipsum, ut ad Fratres suos rediret, & Regulam aliquam approbatam sibi eligerent, & sic ad ipsum rediens confirmationem ad libitum reportaret. Erant autem Fratres numero circiter XVI. quos convocans, invocata primum Spiritus Sancti gratia Regulam B. Augustini Doctoris & Prædicatoris egregii, ipsi pariter & re & nomine Prædicatores futuri unanimiter elegerunt, & quasdam artiores vitæ consvetudines sibi per formam constitutionum observandas postea statuerunt. Electa autem Regula, rediens Romam B. Dominicus, apud Perusium Dominum Innocentium defunctum invenit, & Honorium III. in Papam electum, a quo mox Ordinis confirmationem impetravit anno itaque Domini MCCXVI. IX. Kal. Januarii in crastino B. Thomæ Apostoli apud S. Petrum anno Pontificatus dicti Honorii primo.

Decimo anno Ottonis, qui est Domini MCCX. Johannes Anglorum Rex, secundum Wilhelmum, obsedit urbem Andegavensem, & eam expugnavit atque destruxit, solo eam æquans. Stralesund urbs ex opposito terræ Rugiæ condita est secundum quosdam a Woldemaro Rege Danorum. Versus:

Annis ducentis tibi denis mille retentis
Facta Stralesundis urbs habens nomen ab undis.

Alii dicunt, eam Germarum Ranorum Principem fundasse; alii, quendam Pomeranorum Ducem. Philippus & Otto Reges Romanorum, secundum Vincentium, prope Coloniam congressi, acriter pugnaverunt, ubi Otto Rex graviter vulneratus est, & Adolfus Archiepiscopus Coloniensis captivatus, sed tamen in brevi a captivitate est liberatus sub hoc pacto, ut ab Ottone recederet. Ottone autem victo & fugato, Philippus urbem Coloniensem obsedit, eo quod Rex Otto fugiens eam intrasset. Contra quem cives egressi pugnaverunt, sed victi a Philippo, urbem ei resignaverunt. Otto vero fugatus, ad urbem Bremensem se transtulit. Quem cives Bremenses pariter & Stadenses in hilaritate magna susceperunt, & ei se subdiderunt. Adolfus autem Archiepiscopus ab Ottone recessit, & Philippo juramentum fidelitatis præstitit. Recessum autem hujus Archiepiscopi ab Ottone non solum practicavit timor & anxietas captivationis, sed potius Wilhelmus Juliacensis Comes, qui nedum hunc Principem, sed & plures alios Primates ab ejus adhæsione subtraxit. Siquidem Comes iste contra Ottonem Regem insidias moliri incipiens, literas & nuncios occulte Philippo direxit, hoc demandans, quod si ipsum divitiis & honoribus ditare vellet, non solum omnes Principes fauctores Regis Ottonis, sed & Archiepiscopum Coloniensem in suam partem inclinare vellet. Qui gavisus, hoc remandavit, ut super hoc negotio ad locum determinatum sibi occurreret. Quod & fecit. Philippus ergo eum sibi sub juramento artius astringens, curiam quandam DCCC. marcas annuatim solventem ei in beneficio concessit, & ditatum auro & argento vestibusq; pretiosis & equis ad sua remisit, omnesque ejus familiares bene induit. Wilhelmus ergo Comes ipsum Archiepiscopum & omnes nobiliores Principes ita præstigiis suis circumvenit, ut omnes Ottoni renunciarent, & in partem Philippi se darent. Quid plura? Prævalente conspiratione, Philippus potenter Aquisgrani ducitur, ab Adolfo Archiepiscopo Rex consecratur, & in Sede Imperiali collocatur. Displicuit tamen factum istud Coloniensibus, qui prius Ottoni fidem fecerant, & corde magis sibi quam Philippo favebant, arguentes super hoc Archiepiscopum suum, quod eis inconsultis tantam novitatem præsumsisset, multumque sibi supplicabant, ut factum illud retractaret, revocantes ei ad memoriam factum Domini Papæ, qui ad ipsius petitionem Ottonem in Regem confirmasset, & nulli nisi ipsi manum imponere decrevisset. Cum autem Archiepiscopum ad eorum voluntatem inclinare non possent, directæ sunt literæ ad Papam tam Regis Ottonis quam Capituli majoris Ecclesiæ & civitatis, ei, quod factum fuerat, fideliter intimantes. Unde motus Papa, per Apostolica scripta mandavit, ut infra sex septimanas Adolfus Archiepiscopus Sedi Apostolicæ se præsentaret, & de objiciendis se excusaret. Cujus mandatum Archiepiscopus parvipendens, ejus præsentiæ se non exhibuit. Unde dati sunt judices, puta Henricus Canonicus S. Gereonis, Anselmus & Christianus parochiani, qui ipsum legitime citatum monerent, ut errori suo renunciaret. Quod si omnino nollet, ipsum excommunicatum dejicerent, & alium idoneum Ecclesiæ suæ præficerent. Quod postea sic factum est. Nam eo per judices Papæ excommunicato & deposito, Bruno Præpositus Bunnensis in Archiepiscopum Coloniensem coram omnibus eligitur & in Sedem Episcopalem collocatur, prout sequenti anno tangetur.

Undecimo anno Ottonis, qui est Domini MCCXI. Adolfus Archiepiscopus Coloniensis, secundum Vincentium, per judices Papæ, puta Henricum, Anselmum & Christianum Canonicos citatur ad respondendum super contuma-

cia sua & infidelitate desertionis erga Dominum Apostolicum commissa, & quia monitis judicum prænominatorum obedire renuit, nec respondere objectis curavit, per ipsos judices publice excommunicatur, deponitur & condemnatur, & alius loco ipsius subrogatur, prout supra tactum est. Thidericus Episcopus Lubicensis obiit in Domino, secundum Chronicam Lubicensem, in cujus locum electus est Dominus Bertoldus, qui sextus extitit in ordine Pontificum dictæ Ecclesiæ. Woldemarus Rex Danorum, secundum Continuatorem Chronicæ Slavorum, terram Pruthenorum suæ subjugavit ditioni, & fecit eam sibi tributariam virtute gladii. Quo expedito, exercitum suum direxit in Stetinensem Ducatum, in quo sibi subjugavit civitates & opida multa. Protunc etiam reædificavit castrum Demyn & opidum ejus.

Duodecimo anno Ottonis, qui est Domini MCCXII. Conradus Marchio de Landesberg, secundum Egghardum, percussit Polonos multos prope urbem Lebuz terræ Luzatiæ, & obtinuit civitatem & castrum. His temporibus floruit Helynandus Frindi montis Monasterii Monachus in territorio Belvacensi, vir religiosus & facundia disertus. Hic Chronicam diligenter ab initio mundi usque ad tempora sua in volumine quodam maximo digessit. Woldemarus Archiepiscopus Bremensis vita excessit, secundum Chronicam Saxonum, in cujus sedem electus est Dominus Gherardus Osnaburgensis Ecclesiæ Præpositus. Philippus Rex Romanorum, secundum Vincentium in Speculo, turpiter occiditur in Babenberg ab Ottone de Wycelingibach Palatino, & ibidem sepelitur. Hujus autem Principis interfectionem proditiosam clarius describens Continuator Chronicæ Slavorum, sic dicit: Cum Philippus Rex contra Ottonem Regem Romanorum & Woldemarum Regem Danorum venire disponeret, & contracto exercitu innumero, in Babenberg consisteret, repente miserabilis & inopinata dissensio inter ipsum & Ottonem Palatinum Comitem orta est. Sane Rex Philippus filiam suam Ottoni, utpote viro nobili desponsare decreverat. Sed quia idem Otto nimis erat crudelis, mutata voluntate sua & propositum desponsationis mutaverat. Quod intelligens Otto Palatinus, pro filia Ducis Poloniæ Henrici laborabat, dixitque Philippo Regi: Domine, meminisse volumus clementiam vestram, quam fidelis vobis semper extiterim, & quanta in gwerris vestris expenderim. Idcirco peto nunc, in modico sitis pro me, & literas recommendatorias Domino Duci Poloniæ dirigatis, ut cœptum desponsationis negotium mediante vestra Majestate, perficiatur. Cui Rex: Id libenter faciam. Et ille gavisus de promisso, jussus est post horam reverti. Quo abeunte, scriptæ sunt literæ, & sigillo Regio signatæ. Cumque Palatinus literas accepisset, mox incidit menti ejus suspicio. Unde dixit ad quendam sibi familiarem: Aperi mihi literas, ut sciam tenorem earum. Qui perlectis literis expavit, & literas exponere recusavit. Sed tandem compulsus eas legit. Palatinus autem audiens tenorem earum, graviter exasperatus est, sed tamen ira dissimulata, ad Philippum quasi jocundans & congratulans introibat, mortem tamen Regis animo meditabatur. Una ergo dierum Philippo in cubiculo secretius consistente, Palatinus nudo gladio in atrio regali quasi ludens incedebat. Sicque accedens ad cubiculum Regis, ostium clanculo pulsabat, & ingressus simili modo coram Rege se gerebat. Cui Rex, depone, inquit, gladium, quia non est eo opus modo. At ille: Opus imo est, ut tu perfidiam tuam luas. Et statim uno ictu cervicem ejus sic tetigit, ut secundum vulnus apponere necesse non esset. Cumque, qui aderant, impetere ipsum tentassent, ille aperto ostio mucrone viam sibi fecit securam, & violenter exiliens fugam dedit. Et sic Philippo interemto, Regnum ipsius cessavit. Hujus Principis morte turbata est omnis terra. Regina autem, audito tam tristi nuncio, contabuit, & quia prægnans erat, ad mortem usque afflicta est. Cujus quidem Reginæ dolorem Regisque interfectionem dolosam quidam Metrista deplangens, sic ait:

Morte viri pressa nimioque gravamine torta
Prolis, sicque duo vita privantur in uno.
Omnia sunt hominum tenui pendentia filo,
Et subito casu, quæ valuere, ruunt.
Nam qui dispensat, labentia secula pensat,
Virtutum mores, qui pravi, qui meliores,
Exaltans humiles, ponit de sede potentes,
Usu ne vili solio dominentur herili:
En vir tantarum possessor divitiarum
Est subito raptus, tenui vix vulnere tactus,
Et mox Majestas cessat, genus atque potestas.
Quam bene Psalmista sensit, quo præcinit ista:
Vana salus hominis, non ergo sit tibi finis
Spes thesaurorum, quia nullus fructus eorum.

Uxor ergo gravida, viri sui interfectione percepta, præ cordis dolore & mœstitia intolerabili mox spiritum exhalabat. Philippo ergo occiso, Otto in Halberstad a magna multitudine Principum de novo in Regem eligitur. Post hoc in proximo festo S. Martini Episcopi in Frankenford curia famosa posita, Principes Bayoariæ, Sweviæ & Franconiæ Ottonem in Regem unanimiter receperunt, ubi omnia Imperialia insignia sunt ei præsentata. In hac ergo congregatione Principum Otto Concilium convocans, tractare proponebat de futura consorte sua. Erant namque ibidem congregati multi Archiepiscopi & Episcopi & Principes seculares, puta Archiepiscopi Moguntinus, Treverensis, Coloniensis, Magdeburgensis, Bremensis; Episcopi, Salzeburgensis, Herbipolensis, Argentinensis, Spirensis, Babenbergensis, Halberstadensis, Verdensis, Hildeshemensis & Padelburnensis; Johannes Rex Bohemorum, Dux Bayoariæ, Dux Charintiæ, Dux Lotharingiæ, Dux Austriæ, Dux Brabantiæ & Dux Saxoniæ, Marchio Moraviæ, Marchio Misnæ, Marchio de Brandenburg, Lantgravii Thuringiæ & Hassiæ, alii quoque plures Comites, Barones, Nobiles & milites, Prælati etiam multi & Doctores juris utriusque. Ordinatis ergo ibidem multis

Digitized by Google

multis & variis negotiis & firmata pace, Dominus Rex pro ſpeciali negotio aſſumtis duobus Cardinalibus puta Oſtienſi & Peneſtrino, quos Innocentius Papa ad conventum prædictorum Principum deſtinaverat, & Epiſcopis ac Doctoribus Juris de legitimanda ei filia Philippi Regis occiſi Beatrice nomine, ſic omnibus locutus eſt: Rogamus omnes vos in Domino, ut verba mea attendatis. Deus cœli poſt multas adverſitates cum beneplacito omnium veſtrum Regnum nobis donavit, ita ut non immerito in gratiarum actione dicere poſſimus cum Propheta: Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli. A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris. Et cum conſtet vobis omnibus, quod optio nobis non deſit de illuſtriſſimis fœminis, quas habet orbis Romanus, e quibus ſponſam nobis eligere poſſumus, tamen, quia celebris hic conventus pendet de articulo filiæ Philippi Ducis Sweviæ interemti, quam conſangvineam noſtram nemo dubitat, veſtro nos ſubmittimus arbitrio & conſilio, ut juxta ſalutem animarum veſtrarum ſincere deliberetis, omni ſcrupulo favoris aut timoris ſemoto, quid nobis ſuper hoc ſit faciendum. Si enim ſex milibus annorum vel amplius victuri eſſemus, magis omni illo tempore cœlibem eligeremus ducere vitam, quam cum animæ noſtræ periculo ducere uxorem. Nemo enim generoſitatem, gloriam ac divitias hujus virginis attendat, quæ omnia ſaluti animæ minime æquiparari poſſunt. Hæc enim omnia nobiſcum ſunt, ſalutem vero animæ adhuc non ſumus ſortiti, licet firmiter eam habiturum ſperemus. Nunc ergo, ut eſt tactum, ſuper hoc deliberetis, ut congruum & ſalutare nobis reſponſum reddere valeatis. Omnibus ergo ad colloquium euntibus, Rex ait Henrico fratri ſuo Palatino, qui a dextris ejus erat. Volumus, ut hic ſedeas, ne quemquam tua præſentia de ulla ſuſpicione terreat. Facta ergo longa diſputatione, tandem ad Regem reverſi ſunt. Poſuerant autem verba ſua in ore Lippoldi Ducis Auſtriæ viri facundiſſimi & literati, qui ſic coram Rege locutus eſt: Domine Rex, placet, ut audiatis reſponſum Dominorum Cardinalium, Prælatorum, Principum & Magiſtrorum. Ad quem Rex: Audio. At ille: Noverit Sublimitas veſtra, quod iſte tam celebris conventus Cardinalium & Prælatorum auctoritatem Domini præferentium, ac omnium literatorum omnino vobis decrevit expedire pro bono pacis & ſtatu Romani orbis, ut virginem, de qua mentio habetur, uxorem ducatis; hoc addentes, ut omnis auferatur trepidatio conſcientiæ, duas congregationes Monachorum præclaras liberrime faciatis. Nos quoque vobis non deerimus, facultates & eleemoſynas largas erogando. Ad hæc Rex: Nos conſilium ſanum & bonum tantæ autoritatis non refragantes, veſtris acquieſcimus dictis. Vocetur ergo puella. Quæ cum a Pontificibus & Principibus glorioſe fuiſſet adducta, Rex conſurgens ei de throno ſuo, eam cum inclinatione recepit. Qua inclinante, producens annulum, eam coram omnibus ſubarravit, & in oſculo amoris recepit, ac eam inter Cardinales, quorum cathedra e regione coram facie Regis erat, reſidere præcipiens, ſic omnibus dixit: Ecce Reginam habetis, ipſam, ut decet, honorate. Ordinatis autem legatis honeſtis, eam honeſtiſſime una cum ſorore ſua uſque Brunſwic deduci præcepit, ipſe vero in terra illa permanens, de conſecratione Imperiali tractare cœpit.

Tertio decimo anno Ottonis, qui eſt Domini MCCXIII. Ipſe Otto Rex poſt feſtum B. Johannis Baptiſtæ, ſecundum Continuatorem Chronicæ Slavorum, curiam indixit celebrari in Auguſta civitate. Ubi convenerunt omnes illius terræ Principes, cum quibus habuit myſterium conſilii ſui, ut ſcilicet ipſis cooperantibus cum gloria & honore perciperet Imperialem benedictionem. Ad quod negotium deputati ſunt plurimi Principes & Prælati, puta Archiepiſcopi, Treverenſis & Magdeburgenſis, Epiſcopi Herbipolenſis, Argentinenſis, Spirenſis, Wormatienſis, Conſtantienſis, Baſileenſis, Metenſis & Pathavienſis; Abbates de Thuore, de Auguſta, de Eyſteth, de Praga, de Elmoth, de Augia, de S. Gallo, de Kempte, de Wiſtenberg, de Zelſe, de Prume & de Corbeya. Quibus adjuncti ſunt Principes, Duces Bayoariæ, Auſtriæ, Lotharingiæ, Carinthiæ & Saxoniæ, Marchioneſque Moraviæ & Miſnæ, ac Comites plurimi. Sicque circa Aſſumtionem B. Virginis Alpium juga Rex ſcandere cœpit, & tranſiens per montes & valles, venit ad tranſitum artum montibus præcluſum, qui Veronenſium Cluſa dicitur. Illic exercitus erat fortium propter ipſius caſtri amplitudinem, qui contra Veronenſes gwerram diutinam habebant, & eos non parum infeſtabant. Adveniente ergo Rege, ipſum caſtrum Regi offerunt, per quod plurimum toti terræ fuit dominatus. Veronenſes tamen ipſos caſtellanos adhuc infeſtare non ceſſabant propter Regis offenſam, quam ex hoc incurrerunt. Datis tamen poſtea multis milibus marcarum, in gratiam ejus recepti ſunt. Inde procedens per omnes Lombardiæ & Italiæ civitates, ab omnibus honorifice receptus eſt. Et inde tandem venit ad urbem Bitermis, ubi in magna ſolennitate Cleri & populi occurrit ei Dominus Papa Innocentius. Quanto autem jubilo cordis ſe mutuo receperint in multis oſculis & amplexibus, præſens ſcriptum vix exprimere ſufficit. Feria ergo ſexta poſt feſtum Michaëlis venit Rex Romam adorare cum devotione, Sanctos Apoſtolos & urbem Regiam omnibus modis honorare. Habuit autem in comitatu ſuo ſex milia loricarum, demtis baliſtariis & caterva illa honorabili Epiſcoporum, Principum & Prælatorum. Dominica igitur die poſt feſtum Michaëlis, cum proceſſio fieret ad atrium B. Petri, facta eſt preſſura nimia advenientium ad gradus Monaſterii S. Petri, & via omnino negabatur proceſſioni. Sed larga manu Regis ſpargebantur argentei innumeri, & tandem vix obtinebatur aſcenſus. Sicque in Dominica, qua cantatur, Da pacem Domine, Dominus Rex in magna pace fit Princeps pacis, & Im-

Digitized by Google

& Imperator est consecratus & coronatus. Finito ergo officio, Dominus Papa ad Imperatorem novum misit, obnixe ipsum vocans ad convivium. Quem Dominus Imperator precibus cernuis obtinuit venire secum. Cum ergo ventum fuisset ad equos, Dominus Imperator non immemor Apostolicæ reverentiæ, quæ exhibenda est ab eo Christi vicario, strepam ipsius devote apprehendit. Sicque ad locum convivii perventum est, ubi & omnibus lautissime est procuratum. Hujus autem Ottonis pater Saxo Henricus Leo pro crimine læsæ Majestatis ab Imperatore Frederico convictus, & universorum Principum Imperii judicio condemnatus, a suis Ducatibus extitit projectus, ut supra patuit in temporibus ejusdem Frederici.

Quarto decimo anno Ottonis, qui est Domini MCCXIV. Otto Imperator jusjurandum, quod Domino Papæ in sua coronatione juraverat, fregit, & perjurus factus est, secundum Vincentium. Nam antequam coronaretur Otto, juravit Patrimonium B. Petri indemne Ecclesiæ suæ conservare, & quoslibet molestatores & injuriatores pro viribus coërcere. Contra quod juramentum realiter fecit. Nam sicut dudum in animo conceperat, castra & munitiones Ecclesiæ Romanæ occupare cœpit, puta Racophonum, Montem Flasconis & pene totam Romam. Inde vero transiens in Apuliam, expugnavit terram Frederici filii Henrici VI. Imperatoris, cepitque multas urbes & castella in Regno Apuliæ, quod totum est de feodo B. Petri. Cumque ea, quæ occupaverat Otto Imperator, nullo modo vellet resignare, quin etiam a suis, quos in castris posuerat, Romipetas & peregrinos spoliari faceret, Papa convocato Fratrum concilio, excommunicationis in ipsum promulgavit sententiam. Deinde cum nec sic resipiscere vellet, sed magis induratus Ecclesiæ res violenter sibi usurparet, Papa omnes fideles ejus ab obedientia & subjectione ipsius absolvit, & sub anathematis maledictione prohibuit, nequis amplius eum Imperatorem haberet aut nominaret. Sicque Principibus ab eo recedentibus, Fredericus filius Henrici VI. Imperatoris in Regem Romanorum est electus. Fuit autem annus Domini MCCXIII. quando Otto Imperator est coronatus secundum computationem præsentis Chronicæ annorum, & anno Domini MCCXV. Fredericus fuit electus. Alii tamen Historici in hoc articulo discrepare videntur.

Quinto decimo anno Ottonis, qui est Domini MCCXV. Catholici Mynerbiam urbem obsederunt, & eam ceperunt, secundum Vincentium, dederuntque opinionem inhabitatoribus, ut, qui hæresim vellent abjurare, libere possent recedere, qui autem non vellent, interfici deberent. Inventi ergo sunt inibi circiter CLXXX. homines, qui potius comburi vellent, quam hæresin abjurare, & cremati sunt omnes. Ferme etiam castrum fortissimum obsessum est. Obsessi autem in eo longa obsidione fatigati, dum in nocte fugere vellent, ab excubiis capti sunt & gladiis interfecti. Amalaricus hæreticus de territorio Carnotensi oriundus, secundum Vincentium, Parisius constanter affirmavit, quod quilibet homo tenetur credere, se esse membrum Christi, & hoc unum esse de articulis fidei, sine quo homo non potest salvari. Post mortem autem ejus ex seminariis doctrinæ suæ surrexerunt quidam, errores inauditos confingentes, puta quod Patris potestas duravit solum, quamdiu viguit lex Mosaica, & post potestas Filii usque ad tempus prædicationis Apostolorum duravit, & extunc omnia Sacramenta novæ Legis finem habuerint; tempus vero Spiritus Sancti post finem novæ Legis dixerunt incepisse, & in hoc tempore unumquemque per gratiam Spiritus Sancti tantum interius sine aliquo actu exteriori inspiratum salvari posse. Caritatis autem virtutem sic ampliabant, ut id, quod alias peccatum esset, si fieret in caritate, jam non peccatum dicerent. Propter quod stupra, adulteria, incestus & fornicationes audacter committebant, eo quod ex amore fierent. Hujus autem sectæ plures Sacerdotes, Clerici & laici utriusque sexus detecti sunt & capti, & coram Concilio ibidem congregato convicti sunt & condemnati, de ordinibus degradati, curiæ seculari traditi, & igne concremati. Amalaricus autem hæresiarcha etiam ibidem combustus est, cujus ossa & cineres ad sterquilinia sunt projecta. Wilhelmus Dominus de Brunswic & Luneburg, frater Ottonis Imperatoris depositi obiit, & sepultus est in Luneburg in Monasterio S. Michaëlis sito in castro ejusdem, secundum Chronicam Saxonum. Hic post se reliquit filium Ottonem adhuc infantulum.

De Frederico II. Imp. XCI.

Fredericus II. filius Henrici VI. Imperatoris, Rex Siciliæ, cœpit an. mundi VMCLXXV. Olympiadis CCCCXC. anno primo, urbis conditæ MDCCCCLXIII. Domini vero MCCXV. & XXXIII. annis imperavit, & postea depositus fuit per Innocentium IIII. & eo viventi electi sunt duo Reges Romanorum successive, quos Henricus de Hervordia in ordine Regum Romanorum non posuit, & ideo dicit in suis Ætatibus, Fredericum istum imperasse XLIV. annis, ascribens ei illos annos, quibus illi duo Reges eo invito regnaverunt, ut infra patebit. Hic Fredericus, secundum Martinum, cum electus esset in Frankenford a Principibus in sua absentia, vocatus ab eisdem venit de Sicilia Romam, & a Romanis honorifice receptus est. Principes siquidem Teuthoniæ, non diligentes Ottonem Imperatorem propter Henricum Leonem patrem suum destitutum, suggerente Philippo Rege Francorum, qui Philippo Regi Romanorum adhæserat, & Ottonis adversarius fuerat, Fredericum istum unanimiter elegerunt, Papa Innocentio dissentiente, sed tamen ad tempus propter rerum novitatem dissimulante, quia ipsius progeniem non amabat. Nam Innocentius Papa Fredericum primum avum istius Frederici toto corde detestabatur, & ideo timebat hunc sicut alium futurum fore Ecclesiæ perse-

Digitized by Google

persecutorem. Nec fefellit ipsum timor suus, sed quod verebatur, accidit. Fredericus autem Secundus electus, ut præmissum est, de Roma per mare descendit, & veniens Januam, cum gaudio receptus est, faventibus ei Bonifacio Marchione Ferrariensi & civibus Papiensibus ac Cremonensibus, necnon cunctis Italiæ & Lombardiæ urbibus, solo Mediolano excepto, quæ ipsum odivit propter avum suum Fredericum I. qui eam nimis turbaverat. Transiens quoque Alpes, intravit Teuthoniam, & venit prope Constantiam. Ad hanc autem urbem Otto Imperator destitutus exercitum suum transmiserat pridie, quam ipse veniret. Constabat enim sibi de adventu Frederici. Veniens ergo Otto prope Constantiam ad tres leucas, viriliter repulsus est. Dicebatur autem, quod si Fredericus per tres horas diutius moram in Alpibus fecisset, Teuthoniam nunquam intrasset. Otto autem a Constantia pulsus, venit Brizacum. Cujus urbis cives, quia contumeliis & injuriis a vasallis Ottonis afficiebantur, & filiæ ac uxores eorum ab eisdem violabantur, non minori dedecore, quam a Constantia, ipsum a se ejecerunt. Fredericus vero ab his & aliis civitatibus Imperii honorifice est receptus. Hic Fredericus super omnes Imperatores Alemanniæ gloria & divitiis abundavit, sed eis supra se fuit usus & contra Deum. Nam postea Dei Ecclesiam non ut matrem, sed quasi novercam tenuit, & quantum potuit, perturbavit. Quapropter Honorius Papa, qui ipsum coronaverat, sibi & Ecclesiæ ipsum rebellem inveniens, excommunicavit, & omnes Principes & Nobiles ab ejus fidelitate absolvit, prout & prædecessori ejus contigerat.

Primo anno Frederici, qui est Domini MCCXVI. Rex quidam Sarracenorum, secundum Vincentium, Memmilinus dictus, id est Rex Regum, collecto magno exercitu Paganorum, fines Hispaniæ est ingressus, & in superbia magna contra Christianos furens, obtulit eis bellum. Qui pugnantes contra ipsum in fide & nomine Christi, vicerunt illum. Ibi namque fuerunt viri fortes de Regno Francorum, & Rex Arragoniæ Petrus probissimus miles, qui etiam in signum victoriæ misit Romam lanceam & vexillum Memmilini Regis, quæ in præsentiarum in Ecclesia B. Petri habetur. Woldemarus Rex Danorum, secundum Wilhelmum, Margareta filia Regis Bohemiæ defuncta, accepit in uxorem sororem Ferrandi Comitis Flandriæ, mulierem valde pulcram & moratam. Javallum civitas populosa obsidetur a Catholicis, secundum Vincentium, propter hæreticos inhabitantes eam, coram qua innumera multitudo fidelium trucidatur, post longam tamen obsidionem tandem capitur, & LXXIIII. milites in ea inventi patibulis appenduntur. Deinde castrum ejus, quod Mons Gaudii dicitur, a castellanis fidelibus traditur sub hac conditione, ut ipsi salvis rebus & corporibus eorum libere discederent. Obsessum fuit etiam ab eisdem & aliud castrum inexpugnabile, quod tandem & similiter capitur, & Domina castri Gysanda dicta, quæ de fratre pariter & filio suo concepisse fertur, in puteum projicitur, & acervus lapidum super eam protinus cumulatur. Corpora autem fidelium coram urbe supra dicta & castris per Episcopos & Abbates sepeliuntur, super quibus ante eorum sepulturam globus igneus de cœlo descendit, cunctis videntibus & admirantibus. Apud Lemovicas matrona quædam moritur, & sudario involuta reservatur, secundum Wilhelmum. Cujus exequiæ cum pararentur, resurgens a morte, dixit, B. Mariam Magdalenam sibi labia tetigisse, & se mox spiritum resumsisse. In festo vero ejus venit eadem mulier Vizeliacum cum sudario & aliis ejus vestibus multis. Philippus Rex Francorum, collecto maximo exercitu, intravit Flandriam, secundum Wilhelmum, & expugnavit Ypram, Casellum & quasi totam Flandriam usque Bruggis, & posthabita sua voluntate de Bruggis, obsedit Gandavum, classis autem Regis mansit apud Bruggis in Portu nomine Dani. Ferrandus autem Comes Flandriæ & Comes Boloniensis, ac Comes Salisberiensis cum potentia magna venientes, naves Regis occupabant numero MDCC. Quo audito, Philippus Rex, obsidione Gandavensi intermissa, navibus salvandis occurrit; ubi prœliando cum hostibus multos occidit, multisque de eis subversis, plures captivavit, ac totam in circuitu regionem incendit & vastavit. Reversus vero in obsidionem Gandavi, recepit obsides de Gandavo, Ypra, Bruggis, Insula, Duaco, & in Franciam rediit. Porro obsides Gandavi, Ypræ & Bruggis pro XXXM. marcarum argenti puri in pace reddidit suis locis, Insulam vero propter malitiam habitantium in ea funditus evertit, Casellum vero semidirutum reliquit, sed Duacum in manu sua retinuit. Otto Imperator destitutus, secundum Vincentium, cum adjutorio Johannis Regis Angliæ & Ferrandi Comitis Flandriæ contra Philippum Regem Francorum dimicans, victus est in die B. Mariæ Magdalenæ. Rege siquidem Anglorum Johanne in partibus Andegaviæ debacchante, Otto congregavit exercitum fortem in Comitia Hannoniæ in urbe Valentiana consistens, fueruntque cum eo Missi a Johanne Rege Comites Baloniæ, Salesberiæ & Flandriæ. Dux quoque Brabantiæ, cujus Otto filiam duxerat, defuncta jam Beatrice filia Philippi Regis Romanorum nuper interfecti, venit cum multis Proceribus & militibus in auxilium Ottoni. Philippus vero Rex Franciæ magnum etiam exercitum congregans, terram Ferrandi Comitis intravit ipso die B. Mariæ Magdalenæ, & transiens per eam, incendio & ferro ipsam demolitus est, eo quod cum Ottone se contra eum erexisset. Otto autem cum exercitu suo venit ad castrum, quod Morethania dicitur, & ibi ipsum Rex Philippus invadere proposuerat, sed dissvaserunt hoc Barones, eo quod nisi artus ab eo patebat meatus. Vicecomes vero Meleduni cum quibusdam Equitibus divertit ab exercitu Regis, ut perscrutaretur hostium vias, & veniens ad quendam locum eminentem, de quo exercitus Ottonis videri pote-

Digitized by Google

poterat, & videns ipsum, mox reversus nunciavit Regi inimicorum propinquitatem, cumque Rex hostium adventum audiret, mox Ecclesiam S. Petri, quæ prope eum erat, ingreditur, & brevem faciens orationem, statim egreditur, ac alacri vultu equum ascendens, ubique ad arma proclamari jussit. Clangunt ergo tubæ, & exercitus Regis, qui jam pontem quendam transierat, revertitur. Vexillum quoque S. Dionysii, quod omnes in bello præcedere solebat, revocatur. Rex ergo velociter aciem pugnæ disposuit, eo quod hostes a retro jam accedere perciperet. Quem videntes adversarii præter spem suam sic conversum, & ad pugnam paratum, horrore quodam percussi, diverterunt ad dextram partem itineris trepidantes. Habebant enim hostes Regis Philippi solem directe contra se, sed exercitus Regis ipsum habuit in humeris, & uterque exercitus stabat ad prœlium se præparans. Rex autem Philippus antequam congrederetur, hac brevi & humili exhortatione milites suos est allocutus, Otto, inquit, cum suis a Domino Papa excommunicatus est, quia destructores Ecclesiarum Dei sunt & hostes Dei, & pecunia, quæ illis pro stipendio ministratur, de lacrymis pauperum acquisita est. Nos autem, licet peccatores, tamen Christiani sumus, & communione Ecclesiæ fruentes, Cleri libertatem pro posse nostro defendimus. Unde de Dei misericordia fiducialiter præsumentes speramus, quod de Ecclesiæ suæ hostibus dabit hodie nobis triumphare. His ergo dictis, milites benedictionem petierunt a Rege, & statim concrepantibus tubis, insultum in hostes viriliter fecerunt, hunc Psalmum devote concinentes: Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prœlium &c. Galtherus autem Comes S. Pauli, quia quibusdam suspectus erat, quasi favens hostibus, cum electis militibus suis mira velocitate per medium hostium transivit, multos prosternens, & per aliam partem reversus est ad suos. Quem non minore audacia Comes Bellimontis cum suis & Dux Burgundiæ secuti sunt. Cumque pugna hæc fortissima trium jam horarum spatio durasset, tandem totum belli pondus in Ferrandum Comitem Flandriæ versum est. Qui multis vulneribus confossus & in terram prostratus, Hugoni de Maroys fidem dedit captivationis. Cæteri vero omnes, qui in ea parte campi pugnabant, aut interfecti sunt, aut capti, aut turpi fuga elapsi. Interea legiones communiarum venientes, quantocius ad aciem Regis, ubi signa Regalia videbant, accurrerunt, quæ tunc ferebat Gnalo miles fortissimus, & aciem militum penetrantes, ante Regem se posuerunt, inter quos Otto erat cum suis militibus. Quo viso, milites Philippi Regis processerunt, seque Ottoni & suis furore Teuthonico solum Regem quærentibus opposuerunt. Nam Otto, Ferrandus & Comes Boloniæ, sicut postmodum a captivis revelabatur, juramento firmaverant, quod omnibus aliis neglectis, ad aciem Regis Philippi anhelantes, ipsum omnino occidere voluissent. Propter quod Otto cum suis non nisi contra Regem pugnaverunt & suam aciem. Ferrando vero jam capto, Comes Boloniæ ad Regem in ipso pugnæ principio pervenerat, sed cum prope eum esset, Dominum suum, ut arbitrabatur, reverens, cum Roberto Drocarum Comite congressum habuerunt. Regis igitur Philippi militibus virtute mirabili furorem Teuthonicorum contra Regem conceptum impedientibus, pedites ipsum Regem circumdederunt, & lanceis ac uncis gracilibus ipsum de equo ad terram projecerunt. Quod videns Petrus Comes Altisiodorensis, de equo suo prosiliens, se pro Rege ictibus hostium exposuit, & a peditibus est interfectus. Interim Rex de terra surgens, cito inopinata levitate equum reascendit, ante cujus oculos etiam occiditur Stephanus de Longocampo miles probus, cultello in capite per luminare recepto. Habebant enim hostes cultellos inconsvetos, quibus pro gladiis utebantur, longos, graciles & teracutos (peracutos), Francorum tamen virtus indefesse prævaluit. Pulsata ergo tota Ottonis acie, tandem ad ipsum pervenerunt. Quem Petrus Malentinus per frenum apprehendens tenuit, & extra exercitum ducere voluit, sed non valuit, quia turba forti confertus erat. Sed Geroldus Stropha cultellum in ejus pectus impegit, & propter armorum densitatem ipsum vulnerare non valens, ictum reiteravit. Sed huic secundo ictui caput equi, quod erat erectum, obviavit. Pugio ergo mira fortitudine percutientis impulsus, penetravit cerebrum equi per oculum receptus. Equus itaque letaliter vulneratus se gyravit, & versus illam partem, quo fugere poterat, se vertens, ab exercitu recessit, & latitudinem campi petiit. Quo viso, ait Philippus Rex: Hodie faciem ejus non videbitis. Cum ergo paululum processisset, equus labitur, & mox ei alius recens adducitur. Super quem cum ascendisset, fugæ turpi se commisit, eo quod Francorum virtutem diutius ferre non valeret. Cæteri vero, dum eorum Dominum fugere viderent, fortiter pugnare cœperunt, & Comitem Barensem in terram jecerunt; quem etiam occidissent, nisi Thomas de S. Valerio cum suis supervenisset, & ipsum de manibus eorum eripuisset. Tam viriliter etiam exercitus Ottonis pugnavit, ut signiferum Regis Philippi perimentes, vexillum in toto irrumperent & suppeditarent. Ottone tamen fugiente, Comes Boloniæ non fugit, sed fortiter dimicans, a nemine superari potuit, fugientibus Ducibus Lovaniæ de Limburg & Hugone de Bonis. Sed tandem Petrus de Rynella miles fortis, qui equo suo occiso pedes pugnabat, ad ipsum Comitem accessit, & elevato equi tecturo, mucronem usque ad capulum in equi ventrem fixit. Lapso ergo equo, Comes supinus jacuit, dextrum femur habens sub equo, quem Johannes de Vigella miles captivavit. Cumque quasi omnes equites Ottonis vel capti, vel interfecti aut fugati essent, Rex Philippus suorum numerum recensuit post victoriam, & nisi solum VIII. de viris nominatis occisos invenit. Infra dies ergo paucos vulneratis per medicos sanatis, incolumes reversi sunt. Fuerunt autem capti de exercitu

Digitized by Google

citu Ottonis V. Comites, XXV. Barones & multi milites & militares, cum quibus in magna gloria urbem Parisiensem intravit. Innocentius Papa generale Concilium, quod Lateranense dicitur, Romæ celebravit, secundum Vincentium. Ad istud Concilium ivit B. Dominicus cum Fulcone Episcopo Tholosano, ut supra dictum est anno IX. Ottonis. Hoc tempore B. Dominicus orans, secundum Jacobum in Passionali, vidit in spiritu Christum in aëre & tres lanceas, quas manu tenebat, contra mundum vibrantem. Cui mater ejus occurrens, & ad genua ejus procidens, oravit, ut justitiam suam misericordia temperaret; addiditque: habeo fidelem nuncium & strenuum pugilem, qui ubique discurrens, totum tibi mundum subjugabit. Alium quoque servum fidelem sibi in adjutorium dabo, qui secum similiter decertabit. Cui filius, Vellem, inquit, videre eos, de quibus loqueris. Produxit ergo B. Virgo S. Dominicum. At Christus: Vere bonus & strenuus pugil est iste. Obtulit secundo B. Virgo S. Franciscum, quem ut primum Christus commendavit. S. ergo Dominicus in visione dicta socium suum diligenter considerans, quem prævie non viderat, sine indice recognovit, & in amplexus ejus & oscula ruens, in Ecclesia S. Petri ait: Tu es socius meus mihi datus, tu pariter curres mecum. Stemus simul, & nullus adversarius contra nos prævalebit; Visionemque prædictam sibi per ordinem enarravit. Et extunc factum est eis cor unum & anima una in Domino. Quod & apud posteros mandaverunt perpetuo observari. Tempore hujus Concilii Lateranensis Innocentius Ecclesiam S. Mariæ Transtiberim consecravit. Demum (cum) propter subventionem Terræ Sanctæ inter Pisanos & Januenses ac Lombardos facere pacem intenderet, in itinere adhuc constitutus, apud Perusium defunctus est, ibique in Ecclesia S. Laurentii tumulatus. Hic libellum Abbatis Joachim, quem contra Magistrum Petrum Lombardum composuit, damnavit. Damnavit etiam quendam Almaricum Carnotensem cum sua doctrina, prout habetur Extra. de Constitutionibus C. Damnamus; cujus errores inferius ponentur.

De Honorio III. PP. Rom. CLXXXV.

Honorius Papa, natione Romanus ex patre Nicolao, sedit annis X. & diebus XVIII. secundum Martinum. Hic Ecclesiam S. Laurentii extra muros & Basilicam, quæ dicitur Sancta Sanctorum, renovavit, & in eadem Ecclesia S. Laurentii consecravit quendam Petrum Comitem Altisiodorensem in Regem Constantinopolitanum, & Fredericum Regem Siciliæ in Imperatorem in Ecclesia S. Petri in die B. Cæciliæ. Ordo præclarissimus Fratrum Prædicatorum confirmatur per Honorium Papam ad devotissimas instantias B. Dominici, secundum Vincentium, fundatus ab eo in salutem animarum Christi fidelium super prædicatione verbi Dei & audientia confessionum, & artatus sub regula eximii Doctoris B. Augustini IX. Kal. Januarii Romæ apud S. Petrum, Pontificatus Honorii III. anno primo. Beati siquidem Patres Dominicus & Franciscus, novorum Ordinum prædicatorum scilicet & Minorum fundatores sub Innocentio III. Papa cursum suum in Domino inchoaverunt, & sub ejus successore Honorio III. feliciter consummaverunt. Celebrato itaque Concilio Lateranensi, Summus Pontifex Innocentius III. ordinans quædam circa negotium fidei in partibus Tholosanis peragenda, decernensque super his scribere B. Dominico, & eis, qui cum eo erant, accersito notario, dixit ei: Sede, scribe super his Fratri Dominico & sociis ejus in hæc verba. Et stans paululum, & intra se cogitans, Noli, inquit, scribere sic, sed hoc modo: Fratri Dominico & cum eo prædicantibus in partibus Tholosanis. Statim aliquamdiu meditans plus, sic, inquit, scribe: Magistro Dominico & Fratribus Prædicatoribus salutem & Apostolicam benedictionem. Nutu autem Dei tunc præsens aderat sanctus Pater. Qui audiens verba vicarii Jesu Christi, gavisus est valde, & deinceps in curia & ubique extra ipse & filii sui cœperunt se Fratres Prædicatores nominare, & ab aliis sic appellari. Verum quia habitus Ordinis magis videtur cœlitus ostensus, quam industria humana inventus, parum advertendum est de eo, quod B. Dominicus & alii primitivi Fratres aliquamdiu superpelliceis lineis usi sunt ad modum Canonicorum Regularium, in quo Ordine ipse sanctus Pater & Professus fuerat & Supprior constitutus. Sed postmodum B. Dominico adhuc vivente, Magistro Reynaldo Decano S. Aniani Aurelianensis super Ordinis ingressu cum sancto Patre conferente, eidem Magistro graviter decumbenti desperantibus Medicis, nocte quadam B. Virgo apparens, salutari unctione ipsum perunctum sanavit, sibique habitum Ordinis prædicti ostendens novum, inquit: En habitus Ordinis tui, de cœlo tibi allatus. Qua apparitione patefacta, Fratres Ordinis habitu cœlitus ostenso uti cœperunt. Venerabilis etiam Abbas Joachim Floriacensis Ordinis institutor Fratribus suis habitum, quem dictus Reynaldus Decanus a B. Virgine acceperat, prophetice demonstrans, in quodam Monasterio sui Ordinis depingi fecit in Calabria dicens: Cito surget in Ecclesia Dei Ordo novus docentium, cui præerit unus major, & cum eo & sub eo erunt XII. præfatum Ordinem regentes. Quia, sicut Jacob Patriarcha cum XII. filiis suis ingressus est Ægyptum, sic ipse cum suis XII. in illo ordine ingredietur mundum, & illuminabit ipsum. Parcat illis Dominus, qui occasionem & causam dederunt. Divina præterea providentia beatum virum Dominicum nobili prole fœcundavit & progenie. Nam dispergente eo Fratres suos tanquam quosdam radios, imo quasi quædam luminaria, ubique terrarum cœperunt submittere corda & corpora sua jugo Christi Decani, Præpositi, Archidiaconi, Abbates, Priores, Cantores, Monachi, Canonici Regulares & Seculares, ac diversarum facultatum Doctores, aliæque personæ vita & scientia eminentes. Et infra breve tempus provincias omnes

Digitized by Google

omnes ultra mare & citra Fratribus Ordinis ornaverunt, & civitates ac villas magnas collegiis & ecclesiis multis repleverunt.

Secundo anno Frederici, qui est Domini MCCXVII. Johannes Rex Angliæ, secundum Wilhelmum, de communi consensu Principum & Nobilium Regni obtulit Deo & Apostolo ejus Petro ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ & ejus Pontificibus in perpetuum successurisRegnum Angliæ totumque Regnum Hiberniæ, cum omni jure ac pertinentiis eorundem, in remissionem peccatorum suorum & totius generis sui vivorum & defunctorum. Fecitque & juravit pro prædictis Regnis hominium Deo & prædictis suis Apostolis ac Pontifici præsenti & futuris, ut ea de cætero tanquam feodotharius reciperet ac teneret ab ipso Papa ejusque successoribus, ita ut de propriis reditibus prædictorum Regnorum pro omni servitio & consvetudine Ecclesia Romana S. Petri mille marcas argenti percipiat annuatim, puta in festo S. Michaëlis quinquaginta (leg. quingentas), & in Paschate totidem; septingentas quidem pro Regno Angliæ, & CCC. pro Regno Hiberniæ, salvis sibi & hæredibus suis justitiis, libertatibus atque regalibus suis. Fredericus Imperator quendam Siculum nomine Jordanum in sedem ferream candentem posuit, secundum Vincentium, & coronam ignitam clavis ferreis capiti ejus incussit, pro eo quod miserat Imperatrici clenodia clara, & receperat clariora. Gloriabatur enim, se futurum Regem, & Constantiam auctrum. Quendam etiam Richardum per plateas tractum suspendi fecit, quia ipsum intoxicare proposuerat. Simon Comes Montis fortis, secundum Vincentium, paucos secum habens, per Regem Arragoniæ obsessus est in mense Septembri in terra Albigensium in castro nomine Morello. Hæc autem obsidio tale habuit initium. Venerabiles Archiepiscopi Petrus Senonensis & Robertus Rothomagensis, ac Henricus Comes Nyvernensis, ac alii multi Barones & Nobiles de Regno Francorum cruce signati in partes Albigensium ad debellandam hæresim accincti fortitudine devenerunt, & urbem Biterrim opulentissimam ceperunt, in ea amplius quam LXXXM. interficiendo. Cum autem urbem prædictam funditus destruxissent, inde ad urbem Karkasonam accedentes, eam in brevi debellabant. Volentes ergo repatriare, invocata Spiritus S. gratia, de communi consensu Simonem Montisfortis elegerunt, ut Christianorum præesset exercitui. Qui opus Dei libens acceptavit, urbes ac castella debellavit, & hæreticos ac eorum fautores interire sæva morte coëgit, multa Dei prœlia gerendo. Ad ultimum vero Rex Arragoniæ & Comes S. Ægidii cum multitudine innumerabili obsederunt ipsum in Morello castro. Qui cum non haberet secum nisi CC. & LX milites, & circiter DCCC. satellites, pedites vero citra DCCCC. sed inermes, audita missa & invocata Spiritus Sancti gratia, de castro exivit, & cum eis pugnans, de h[illegible]ibus XVIIIM. occidit, ipsumque Regem Arragoniæ interfecit, de numero vero suo nisi octo peregrinos perdidit. Fuerunt siquidem secum peregrini cruce signati contra Albigenses hæreticos, nuptias detestantes, & carnes comedi prohibentes, aliaque multa fidei contraria afferentes, de quibus omnibus gloriose triumphavit.

Tertio anno Frederici, qui est Domini MCCXVIII. Terminatum est Concilium illud famosum, quod Innocentius III. inceperat, Lateranense per Honorium III. secundum Vincentium, & duravit tamdiu propter multimodas involutiones Ecclesiæ, occasionatæ (occasionatas) ex discordia Sacerdotii & Regni, quia Otto destitutus Imperator suos habuit fautores, & Fredericus institutus Imperator suos, & tam Dei Ecclesiam quam Regnum perturbabant. Innumeri etiam hæretici Ecclesiam Dei lacerare non cessabant, provincias & Regna inficientes. In hoc quidem Concilio pene congregati erant omnes Episcopi & Abbates, necnon Prælati inferiores Galliæ, Italiæ & Teuthoniæ, & fuerunt MCCCC. & XV. Patres. Ibi decretum est, quod in V. gradu consangvinitatis matrimonium possit celebrari, sicut in septimo prius contrahebatur, & multa alia utilia. Urbem Lubicanam cives muro cinxerunt, secundum Chronicam ejusdem, & turribus ornaverunt ac munierunt, contra Danos castrum eorum inhabitantes, & se nimium gravantes exacerbati. Cogitaverunt namque ex eo tempore, quomodo a jugo illorum se excutere possent. Rex Anglorum Johannes obiit in Domino, secundum Wilhelmum. Post cujus mortem Lodowicus filius Philippi Angliam intravit ad subjugandum sibi Regnum, sed in modico proficiens, Proceres fidelitatem, quam sibi promiserant, non servaverunt. Woldemarus Rex Danorum, secundum Chronicam Lubicensem, quandam munitionem prope Hammeburg ædificavit, similiter & Albertus Comes Holtzatorum fundavit aliam. Et sic ab istis duabus munitionibus coëgerunt civitatem, ut sic se Regi traderent, sumens occasionem Rex ex hoc, quod Ottonem depositum Imperatorem intromisissent & recepissent. Rex tandem urbe potitus, dedit eam Alberto Comiti Holtzatorum in perpetuum dominium & hæreditatem, sumens ab eo quingentas marcas argenti. Hic Albertus ædificavit etiam turrim fortissimam prope Travenmunde, sed eam postea cives Lubicenses dejecerunt. Otto destitutus Imperator Arksleve castrum expugnavit, secundum Chronicam Saxonum, & ipsum incineravit, pro eo quod raptores stratæ communis in eo tutarentur.

Quarto anno Frederici, qui est Domini MCCXIX. Libri Almarici & Joachim Abbatis hæresiarcharum comburuntur, secundum Vincentium. Hic Almaricus asseruit ideas, quæ sunt in mente divina, & creari & creare. Dixit etiam: ideo finis omnium dicitur Deus, quia omnia reversura sunt in eum, ut in eo immutabiliter quiescant, & unum individuum, & incommutabile in eo permaneant. Dixit enim, Deum esse essentiam omnium creaturarum & esse omnium. Dixit etiam, quod in caritate consti-

Digitized by Google

constitutis nullum peccatum imputatur. Unde sub tali pietatis specie sequaces ejus omnem turpitudinem libere committebant. Asseruit etiam, quod si homo non peccasset, in duplicem sexum partitus non fuisset, nec generasset, sed eo modo, quo Sancti Angeli multiplicati sunt, multiplicati fuissent & homines, & quod post generalem resurrectionem uterque sexus adunabitur, sicut prius fuit in creatione. Hi omnes errores inveniuntur in libro, qui intitulatur Pamphyseon, qui ponitur inter libros Parisius damnatos. Hic Almaricus Parisius combustus fuit cum multis discipulis suis. Invenitur etiam liber, qui dicitur Evangelium Æternum, vel Liber Joachim, erroribus plenus, de quo sequentia sunt extracta. Errores namque primæ partis sunt hi. Primus est, quod Evangelium æternum, quod idem est, quod doctrina Joachim, excellit doctrinam Christi, & omne Vetus & Novum Testamentum. Secundus est, quod Evangelium Christi non est Evangelium regni, & sic nec ædificatorium Ecclesiæ.

Tertius est, quod Novum Testamentum est evacuandum, sicut jam Vetus evacuatum est.

Quartus est, quod Evangelium Christi non durabit in virtute sua nisi per sex annos proxime futuros, id est usque ad annum Domini MCCLX. qui est annus Richardi Regis Romanorum tertius.

Quintus est, quod illi, qui erunt ultra tempus prædictum, non tenentur recipere Novum Testamentum.

Sextus est, quod Evangelio Christi aliud Evangelium succedet, & sic per contrarium Sacerdotio Christi aliud Sacerdotium succedet.

Septimus est, quod nullus simpliciter est idoneus ad docendum homines de spiritualibus, nisi illi, qui nudis pedibus incedunt.

Secunda pars, quæ appellatur Concordia Veteris & Novi Testamenti, sive Concordia Veritatis, continet hos errores sequentes: De primo libro hujus partis

Primus error est, quod quantumcunque Dominus affligat Judæos in hoc mundo, tamen aliquos reservabit, quibus bene faciet in fine etiam in Judaismo manentibus, & quod in fine liberabit eos ab omni impugnatione hominum, etiam in Judaismo perseverantes.

Secundus est, quod Ecclesia nondum peperit neque pariet filios ante finem Regni Imperialis, quod finietur post sex annos proxime sequentes. Et per hoc datur intelligi, quod Religio Christiana, quæ jam multos peperit ad fidem Christi vocatos, non est Ecclesia.

De secundo libro ejusdem partis Primus error est, quod Evangelium Christi neminem ducit ad perfectionem.

Secundus est, quod adveniente Evangelio Spiritus Sancti, sive clarescente opere Joachim, quod dicitur Evangelium æternum sive Evangelium Spiritus Sancti, evacuabitur Evangelium Christi.

Tertius est, quod spiritualis intelligentia Novi Testamenti, etsi judicat, temerarium est judicium ejus, & non est ei acquiescendum, & quod ipsa Romana Ecclesia animalis est, & non spiritualis.

Quartus est, quod tertius ordo electorum, qui secundum eundem librum est Ordo Religiosorum, non tenetur se exponere morti pro defensione fidei ac pro conservatione cultus Christi in aliis hominibus.

Quintus est, quod recessus Ecclesiæ Græcorum a Romana Ecclesia fuit de Spiritu Sancto, & per hoc datur intelligi, quod viri spirituales non tenentur obedire Ecclesiæ Romanæ, nec acquiescere ejus judiciis, etiam in his, quæ Dei sunt.

Sextus est, quod Papa Græcus magis secundum Spiritum quam Papa Latinus, & per hoc magis est in statu salvandorum, & quod magis est ei adhærendum, quam Papæ Romanæ Ecclesiæ.

Septimus est, quod sicut Filius operatur salutem populi Latini sive Romani, quia ipsum repræsentat, sic Spiritus Sanctus operatur salutem populi Græci, quia ipsum repræsentat, ac per hoc datur intelligi, quod Pater salvat populum Judaicum, quia ipsum repræsentat.

Octavus est, quod, sicut veniente Johanne Baptista, ea, quæ præterierant, reputata sunt vetera propter nova supervenientia, ita adveniente tempore Spiritus Sancti sive tertio statu mundi, ea, quæ præcesserunt, reputabuntur vetera propter nova, quæ supervenient; per quod datur intelligi, quod Novum Testamentum reputabitur vetus, & projicietur.

De tertio libro hujus partis unus error extractus est, puta quod Spiritus Sanctus accepit aliquid ab Ecclesia, sicut Christus in quantum homo accepit a Spiritu Sancto.

De quarto libro ejusdem partis, in primo Tractatu inveniuntur errores duo.

Primus est, studium enumerandi & concordandi carnales genealogias, quæ fuerunt in primo statu mundi, & spirituales genealogias secundi status mundi, est contra Apostolum, dicentem 1. ad Tim. I. Rogavi te, ut denunciares quibusdam, ne aliter docerent, neque intenderent fabulis & genealogiis interminatis, quæ magis quæstiones parant quam ædificationem, quæ est in fide.

Secundus est, Studium manifestandi momenta & tempora eorum, quæ venient in secundo statu mundi, est contra illud Actorum: Non est vestrum nosse tempora vel momenta &c.

In secundo vero Tractatu ejusdem libri errores inveniuntur duo:

Primus est, quod Christus & Sancti Apostoli ejus non fuerunt perfecti in vita contemplativa.

Secundus est, quod activa vita usque ad Joachim fructuosa fuit, sed modo fructuosior non est; contemplativa vero ab ipso Joachim fructificare cœpit, & a modo in perfectis successoribus ipsius perfectius manebit; & per hoc datur intelligi, quod ordo electorum ad quem pertinet activa vita, amodo non fructificabit in ædificatione & conservatione Ecclesiæ, sed ordo Monachorum amodo in his fructificabit.

De quinto libro ejusdem partis in Tractatu de

Digitized by Google

de septem Diebus inveniuntur quatuor valde suspecta & diligenter examinanda.

Primum est, quod aliquis de Ordine Religiosorum futurus est, qui præferetur omnibus Ordinibus dignitate & gloria, & in quo implebitur promissio Psalmi, dicentis: Et dominabitur a mari usque ad mare.

Secundum est, quod ille Ordo, in quo implebitur dicta promissio Psalmi, tunc convalescat, ita quod Ordo Clericorum desinet parere.

Tertium est, quod Ordo Parvulorum est ille Ordo, in quo implebitur dicta promissio.

Quartum est, quod sicut in primo statu commissum fuit regimen totius Ecclesiæ a Patre aliquibus de ordine conjugatorum, in quo autorizatus fuit ille ordo, & in secundo statu commissum fuit aliquibus de Ordine Clericorum a Filio, in quo ab ipso glorificatus ille Ordo: sic in tertio statu committetur alicui vel aliquibus de Ordine Monachorum a Spiritu Sancto, in quo ab ipso Spiritu Sancto ille Ordo glorificabitur.

In Tractatu vero de Joseph & Pincerna, cui somnium aperuit, invenitur, quod Prædicatores, qui erunt in ultimo statu mundi, majoris erunt dignitatis & autoritatis, quam primitivæ Ecclesiæ Apostoli. Et plura alia deliramenta in eodem libro reperta sunt, propter quæ omnia liber, qui Evangelium Æternum dicitur, condemnatus est.

Fredericus coronatus est Aquisgrani a Brunone Archiepiscopo Coloniensi, secundum Egghardum. Eodem anno tantæ inundationes aquarum factæ sunt, quod in diversis partibus maris submersi sint plusquam LXXXVM. hominum.

Quinto anno Frederici, qui est Domini MCCXX. Fredericus Rex, secundum Vincentium, celebrem curiam tenens in Frankenford, procuravit per omnes Principes fidelitatem filio suo Henrico adhuc puero promitti; quem Engelbertus Archiepiscopus Coloniensis, defuncto Brunone, Aquisgrani in Regem coronavit, patre adhuc solum Rege existente. Sicque ordinatis Teuthoniæ negotiis, & commendato filio suo & Regno prædicto Engelberto Archiepiscopo, ipse Fredericus post festum Johannis Baptistæ Italiam ingreditur virtute magna, & in die Beatæ Cæciliæ in urbe Romana per Honorium Papam gloriose Imperator coronatur. Otto destitutus Imperator præ melancholia & confusione, secundum Egghardum, obiit in castro Hartisburg, & sepultus est in Brunswic. Hic ineffabili contritione compunctus ante mortem suam, absolutus est a sententia excommunicationis per Sifridum Halberstadensem Episcopum; & extunc Fredericus firmatus est in Imperio, quasi non habens adversarium. Ordo Fratrum Minorum fundatus est a S. Francisco, viro miræ devotionis, secundum Vincentium, & confirmatur hoc anno ab Honorio Papa. Hunc sanctum virum Franciscum Beatissimus Pater Dominicus Institutor Ordinis Prædicatorum in quadam visione intuitus, postea cognovit, quem prius visione corporali non viderat.

Sexto anno Frederici, qui est Domini MCCXXI. Vasalli Ecclesiæ Bremensis, secundum Chronicam Saxonum, cum astutia obtinuerunt castrum Vördis, quod erat Domini Henrici de Brunswic Palatini fratris Ottonis Imperatoris destituti & defuncti. Conduxerant namque quendam rusticum nomine Odbertum, ut fingeret se sanctum & potentem facere miracula. Hic residens in villa Bokele, fecit magnum concursum populi, ita ut etiam a remotis partibus ad ipsum confluerent. Vasalli ergo prædicti videntes concursum factum, venerunt & ipsi causa devotionis fictæ in magna copia, & intraverunt opidum Vörden, asserentes, se venisse de longinquis partibus ad quærendum S. Odbertum. Et sic capta opportunitate, castrum non caute custoditum intraverunt, & interficientes inibi inventos, ipsum ceperunt & obtinuerunt. Ordo Eremitarum Fratrum vallis scholarum ab Honorio Papa ad petitionem Prioris eorum registratus est. Jam enim prædicti Fratres scilicet Vallis scholarum, secundum Henricum de Hervordia Ætate VI. Cap. XCIII. aliquanto tempore antea certam vivendi formam juxta B. Augustini Regulam observandam elegerant, & de approbatis Religionibus constitutiones quasdam assumserant, quas Honorius confirmavit. Incepit autem hunc Ordinem quidam Wilhelmus, secundum Vincentium in Speculo, qui Scholaris fuit Parisius, & postmodum in Burgundia rexit, & tandem cum scholaribus suis ad eremum convolavit, & formam vivendi paulatim, ut dictum est, ex diversis Religionibus sibi suisque collegit & conscripsit.

Septimo anno Frederici, qui est Domini MCCXXII. Virgo Deo devota S. Clara, Professa in Ordine S. Damiani, secundum Vincentium, fundavit Ordinem Clarissarum & instituit, obtinens devotis suis precibus hujus piæ instituti onis a Domino Honorio Papa confirmationem. Hic quidem Ordo Clarissarum postea autoritate Apostolica subjectus est curæ & disciplinæ Fratrum Ordinis Minorum. Passagium maximum & expeditio grandis fit a Principibus diversis in Terram Sanctam pro ipsius liberatione, secundum Vincentium in Speculo. Nam Andreas Rex Ungariæ, pater S. Elisabeth, propter Christum crucem accipiens, una cum Ducibus Austriæ & Bawariæ & magno populo mare intravit, & post diutinos labores Cypro applicans, terræ illius Regem secum sumsit cum viris fortibus & bene armatis multis. Cum his portum Terræ Sanctæ apprehendens, habuit obvium Johannem Regem Jerusalem. Qui Reges hos duos cum aliis Principibus in magno gaudio suscepit, & solenniter procuravit. Habuerunt autem prædicti Reges in comitatu suo Archiepiscopum Nycossiensem & plures alios Episcopos. Facto ergo uno glorioso exercitu de his tribus Regibus & Ducibus prænominatis ac Episcopis, adjunctis eisdem Militibus Hospitalis & Templi, directum est iter versus Damiatam urbem fortissimam. Quam obsidentes diu, & tandem cum magnis laboribus & sumtibus

Digitized by Google

bus expugnantes ceperunt, & turrim in portu Nili fluminis constitutam obtinuerunt in die S. Bartholomæi Apostoli, non tamen sine divino miraculo, quia tam turrim quam civitatem ceperunt absque sangvinis humani magna effusione. Durante tamen obsidione, perierunt in urbe epidemia & fame circiter LXXXM. hominum. Dum vero Christiani urbem intrarent, invenerunt in plateis & domibus jacere tantam multitudinem cadaverum. Unde ex intolerabili fœtore illorum cadaverum multi Christiani infecti sunt & mortui. Post captionem vero dictæ urbis, supervenerunt ad ulteriores expeditiones fiendas Dominus Galtherus Patriarcha Ierosolymitanus, secum deferens crucem Domini. Cum eo etiam venerunt Episcopi Mediolanensis, Trecensis & Brizensis cum Italorum militia copiosa. Durante autem hac expeditione circa Damiatam occupata, Coradinus filius Saphadini Soldanus Turcorum, Ierosolymam funditus destruxit in confusionem Christiani nominis præter templum & turrim David. De sepulcro autem Domini glorioso, an destrui deberet, consilium habuerunt Sarraceni. Sed huic temeritati nemo manus apponere præsumsit propter loci reverentiam. Nam credunt, Christum Jesum de Maria virgine conceptum & natum, & sine peccato vixisse, ac plusquam Prophetam fuisse, cœcos illuminasse, leprosos mundasse, mortuos suscitasse, & ipsum cœlos ascendisse non discredunt, ut scribitur in eorum Alchorano. Cum autem Soldanus prædictus in Sanctæ Urbis destructione occuparetur, in mense Martio applicare cœperunt ad portum Acon sive Akron coghones cruce signatorum ex provinciis Coloniensi, Treverensi & Bremensi multitudo maxima. Excitata enim fuit quælibet prædictarum provinciarum per signa & portenta, quæ apparuerunt in cœlo, ad sumendam crucem. Nam in Diœcesi Monasteriensi Coloniensis provinciæ in villa Bedom Frisiæ in mense Majo feria sexta ante festum Pentecosten, cum crux ibidem prædicaretur, triplex crucis forma ibidem apparuit in aëre, duæ candidæ, quarum una ad aquilonem & alia ad meridiem apparuit sine effigie humana, tertia media inter has & situ & colore, habens crucis patibulum & figuram hominis in eo pendentis, elevatis brachiis & extensis, cum infixione clavorum in manibus & pedibus, & capite inclinato. In provincia vero Bremensi in quadam villa tempore prædicationis apparuit crux cœrulea, & movebatur ab aquilone ad meridiem. Istis autem signis dictæ provinciæ studio magno & sumtibus fere CCC. naves armigeris plenas & necessariis victui præparaverunt. Capta ergo civitate Damiata divino adjutorio, ceperunt Christiani & Thanis castrum fortissimum a fluvio Thanis denominatum non minori miraculo. Nam Sarraceni, visis Christianorum exploratoribus, putantes, totum Christi exercitum venire, reseratis portis castri fugerunt. Fuit autem castrum illud firmissimum, septem habens turres testudinatas, duplici fossato & duplici muro cinctum. Lacum quoque habuit in circuitu diffusum & piscibus plenum, sic quod de piscariis ejus solvebantur annuatim Soldano IVM. marcarum, avibus etiam in sylvis abundans & feris. Hoc enim castrum est, de quo Isaias dicit: Stulti Principes Thaneos, sapientes consiliarii Pharaonis, consilium insipiens. De hoc quidem castro lapidatus fuit Jeremias Propheta. Peregrini ergo Passagiarii urbem Damiatam, quam ceperant, reddiderunt Coradino Soldano, & ipse reddidit eis viceversa captivos Christianos citra CCC. & XXX. quos ceperat Ierosolymis; insuper & magnam partem crucis restituit, quam exercitus Christi perdiderat sub Gwidone Rege Ierosolymorum, de quo supra dictum est, ac alia plura beneficia peregrinis impendit. Civitas autem hæc Damiata naturali situ loci multum fuit munita. Clavis enim erat & antemurale totius Ægypti, inter Ramesse & campum Thaneos sita in terra Gessen, fuitque triplici muro gradatim cincta, sic quod exterior fuit humilior, medius altior, sed interior eminentior. In medio autem muro XXVIII. turres principales erant, binas vel ternas testudines habentes. Johannes autem Rex Ierosolymorum propter amissionem Damiatæ urbis, quam Soldano restitui oportuit propter redemtionem captivorum, puta Pelagii Patriarchæ, Templariorum, Hospitalariorum totiusque pene exercitus Christiani, præter Johannem Regem vix evadentem, quos omnes Soldanus captivaverat, & propter infirmitatem exercitus Christi, mare transfretavit, auxilium petiturus a Papa & Imperatore. Quo ad Imperatorem veniente ipse Fredericus Cæsar unicam Regis filiam duxit in uxorem, & hoc matrimonium confirmavit Imperator juramento in præsentia Honorii Papæ & suorum Cardinalium. Duo itaque illi Reges Ungariæ scilicet & Cypri, qui cum Ducibus, Episcopis & Nobilibus in subsidium Terræ Sanctæ venerant, Jordanem transierunt, ubi corpora sua lavantes, per triduum pausaverunt, copiam pabuli & victualium invenientes. Deinde loca sancta visitantes, super litus maris Galilææ consederunt, & Bethsaidam urbem Andreæ & Petri viderunt, ac loca, ubi Christus discipulos vocavit, & ubi siccis pedibus super mare ambulavit, nec non turbas in deserto pavit, ubive montem ascendit orare, & ubi cum discipulis post resurrectionem manducavit, & sic per Capharnaum descendentes, reversi sunt Acon sive Akron. Andreas autem Rex Ungariæ cum magno exercitus sui damno ad patriam rediit, Gallici quoque cum suis mare navigantes, agros paternos repetierunt, fuga quasi elapsi satis turpi.

Octavo anno Frederici, qui est Domini MCCXXIII. Tartari terram, quæ Georgia dicitur, intraverunt, secundum Vincentium, eamque vastare cœperunt, & in Tripoli civitate Georgiæ VIIIM. hominum peremerunt. Propter quod etiam VII. homines pedibus erectis, capitibus suppositis, in septem locis eminentibus suspenderunt. Tartari siquidem in signum victoriæ unum de mille occisis quasi millenarium

Digitized by Google

rium taliter eligere consveverunt. In hac etiam civitate parum ante Tartarorum adventum supra VIIM. homines occisi sunt. Fuit autem Georgia antiquitus Antiocheno Patriarchæ Patriarchatui subjecta cum Armenia & Cappadocia sive Turquia. Post Georgiam autem intraverunt Tartari majorem Armeniam, & eam vastantes sibi subjugaverunt. In hac Armenia est civitas nobilis, quæ Any vocatur, ubi sunt mille Ecclesiæ, & CM. domus inhabitatæ, quam Tartari ceperunt in XII. diebus. Prope Any est mons Ararath, in quo arca Noæ requiescit, & in pede montis illius est prima civitas, quam ædificavit idem Noë Ladivine dicta. Woldemarus Rex Danorum, secundum Chronicam Danorum, construxit urbem Revaliam Estlandiæ, mercatoribus pronunc plenam, quæ jam una est de potioribus terræ Livoniæ. Gherardus Archiepiscopus Bremensis obiit, secundum Egghardum, cui Gerardus Præpositus Padelburnensis successit in sedem. Hic obtinuit castrum Ottersberg contra Bernhardum Comitem de Welpe. Berengaria Regina Danorum, soror Ferrandi Comitis Flandriæ obiit, secundum Chronicam Danorum, relinquens post se tres filios, Erikum, Abelem & Woldemarum. Hi tres successive in Reges sunt sublimati. Pro eodem tempore obiit & Albertus Marchio de Brandenburg. Woldemarus Rex Danorum, secundum Chronicam Danorum, coronari fecit Woldemarum filium suum in Regem in opido Sleswic. Hic quidem fuit tertius Woldemarus in ordine Regum Daciæ, & junior inter fratres suos. Rogerius Comes de Valkensteen, secundum Egghardum, expugnavit Quedelingburg, & destruxit munitiones ejus, & muros dejecit. Eodem anno defunctus est Thidericus Marchio Mysnæ. Simon Comes Montisfortis, secundum Vincentium, in obsidione Tholosana percussus lapide bumbardæ, in crastino Nativitatis B. Johannis Baptistæ defunctus est. Istud malum in spiritu præviderat S. Pater Dominicus. Vidit enim in somnis quandam arborem quantitate altam, ramorumque expansione diffusam, densarum quoque frondium venustate pulcerrimam, ac in ramis ejus multitudinem avium quiescentem copiosam. Post paululum autem arbor hæc corruit, & omnis ille cœtus volatilium dispersus aufugit. Intellexit autem B. Pater spiritu Dei plenus, Comiti Montisfortis, magno Principi, pupillorum & peregrinorum Christi tutori, mortem imminere, sed & rei postea docuit eventus.

Nono anno Frederici, qui est Domini MCCXXIIII. Henricus Palatinus, Dominus de Brunswic & Luneburg, frater Ottonis, pacificatus est cum Ecclesia Bremensi, secundum Egghardum, & extunc obtulit S. Petro Apostolo Comitatum Stadensem cum omnibus ejus vasallis & pertinentiis; & recepit idem Henricus dominium suum a Domino Gerardo Archiepiscopo Bremensi in feodum, quod postea Fredericus Imperator confirmavit aurea sua bulla in curia Imperiali Ravennæ celebrata. Elisabeth virgo Deo devota, filia Andreæ Regis Ungariæ, secundum Vincentium, tradita est in uxorem Lodowico Lantgravio Thuringiæ, viro per omnia fideli & devoto, qui postea obiit in peregrinatione Jerosolymitana. Isleve opidum Comitis de Mansvelt situm infra Hartonem, secundum Chronicam Saxonum, periit inundatione aquarum multarum. Sanctissimus Pater & institutor Ordinis Prædicatorum Dominicus quievit in Domino VIII. Id. Augusti, secundum Egghardum, alii tamen Chronographi, puta Vincentius in Speculo, Jacobus in Passionali, & Henricus de Hervordia Ætate VI. referunt, ipsum migrasse post Ordinis sui confirmationem anno sexto, qui fuit Domini MCCXXI, quibus magis standum est. Cujus exequiis interfuit Dominus Hugolinus Ostiensis Episcopus & Apostolicæ Sedis in Lombardia legatus, postmodum vero Gregorius IX. Papa factus. Corpus quoque ejus sacrosanctum cum digna devotione idem Hugolinus per se ipsum in Ecclesia Fratrum Prædicatorum Bononiæ sepulturæ tradidit; cujus quidem obitum pariter & sepulturam Dominus Jesus multis gloriosis honoravit signis & miraculis.

Decimo anno Frederici, qui est Domini MCCXXV. Woldemarus Rex Danorum, secundum Chronicam Lubicensem, captivatur cum Woldemaro filio suo jam in Regem coronato a Henrico Comite de Zwerin in nocte S. Johannis ante portam Latinam in tentorio suo. Dani autem excubias Domini sui Regis minus caute observantes, sed potius inebriati dormitantes, neglexerunt Principum suorum salutem. Quorum ignaviam Henricus Comes, cujus castrum obsidebant, attendens, armata manu valida super hostes irruit improvidos, plures Danosque interficiens, ambos Reges cepit, & in Dannenberg ducens, castrali custodiæ eos mancipavit, constrictos compedibus & manicis ferreis. Ubi aliquamdiu manentes, postea reducti sunt in Zwerin, & turri injecti. Hammeburgensium cives per Woldemarum Regem subacti jugo Holtzatorum Comitum, Alberto Comite defuncto, cui homagium & fidelitatem juraverant, Adolfo successori suo rebellare cœperunt, secundum Chronicam Lubicensem. Qui collecto magno exercitu, urbem dictam Hammeburg obsidione vallavit in carnisprivio, & expugnavit castrum, quod Comes Albertus construxerat. Cum autem cives viderent, se non posse resistere Comiti, eo quod de die in diem obsidio invalesceret, dederunt se & civitatem suam sibi suisque successoribus jure hæreditario in subjectionem perpetuam nunquam abolendam. Henricus Rex Romanorum, filius Frederici Imperatoris, secundum Vincentium, accepit in uxorem filiam Lippoldi Ducis Austriæ, Conradus vero filius Ducis Austriæ duxit in uxorem sororem Lodowici Lantgravii Thuringiæ, quorum nuptiæ in Nurenberg urbe solenniter sunt celebratæ. In eadem autem civitate Rex Henricus sedens pro tribunali, facta est dissensio magna in populo & tumultus propter quandam sententiam a Rege promulgatam, a quo quidem tumultu facta est tanta pressura, quod

Digitized by Google

quod circa XLVIII. extincti sunt homines, inter quos erant XXII. milites.

Undecimo anno Frederici, qui est Domini MCCXXVI. Wilhelmus Episcopus Nyvernensis, secundum Wilhelmum, peritus in utroque jure migravit ad Dominum. Hic tempore maximæ caristiæ duo milia pauperum cotidie pavit, & alia plura opera virtuosa peregit. Adolfus Comes de Marka opidum Ham construxit, secundum Vincentium, in partibus Westphaliæ super Lippiam & Orsnam flumina. Henricus Comes de Swerin, secundum Egghardum, bellum habuit cum Ottone Domino de Luneburg, & Otto victoria potitus, fugavit Henricum, & plures de suis vel occidit aut captivavit. Eodem anno iterum Henricus exercitum adunavit, & contra Ottonem supra dictum properans, bellum durum cum eo gessit, ac tandem ipsum superans, captivavit eum in campo, quem mox secum adducens in Zwerin, juxta Reges Danorum ipsum locavit compedibus vinctum.

Duodecimo anno Frederici, qui est Domini MCCXXVII. Henricus Palatinus Dominus de Brunswic obiit sine hærede, secundum Egghardum, & extunc Comitatus Stadensis cessit in jurisdictionem Ecclesiæ Bremensis. Fredericus vero Imperator Dominium Brunswicense & civitatem sibi usurpavit tanquam ad Imperium devolutum, & vasallos suos in eam misit. Quod percipiens Otto nondum captivatus, urbem Brunswic obsedit, & expugnando exercitum Imperatoris, eam cepit, & sic Dominus factus est urbis illius. Thomas Doctor sanctissimus & flos Theologorum, de Comitum Aquinorum nobili prosapia ortus, secundum Vincentium, tanquam sidus clarissimum in aëre nebuloso oriens, in mundum nascitur, matri suæ prophetice prænunciatus a quodam viro sancto. Henricus Rex Romanorum filius Frederici Imperatoris, secundum Vincentium, solennem statuit curiam in Bardewic urbe desolata cum Engelberto Archiepiscopo Coloniensi, quem secum duxerat pro liberatione Woldemari Regis Danorum & filii sui æquivoci. Sed protunc Principes hi nihil profecerunt in negotio, propter quod venerant. Rex tamen Woldemarus eodem anno se ipsum redemit & filium suum pro LXM. marcarum Lubicensis monetæ, demtis aliis clenodiis ad tria milia marcarum ejusdem monetæ æstimatis, quæ superaddere ipsum oportuit. Otto etiam Dominus de Brunswic & Luneburg se liberavit ab eadem captivitate XM. marcarum dictæ monetæ. Engelbertus autem Archiepiscopus Coloniensis cum ad partes rediret, turpiter occisus est a Frederico Comite de Altona consangvineo suo in Monasterio Ghevelsberg. Honorius Papa Romæ moritur, secundum Martinum, & in Ecclesia B. Mariæ Virginis sepelitur.

De Gregorio IX. PP. CLXXXVI.

Gregorius Papa, natione Campanus ex patre Formoso, sedit annis XIII. & diebus XVI. secundum Martinum. Hic Hugolinus dictus, prius erat Ostiensis Episcopus Cardinalis, & consecratus est in die S. Gregorii, & ideo Gregorius nominatus. Ipse sententiam, quam Honorius Papa suus prædecessor contra Fredericum Imperatorem fulminaverat, roboravit per Raymundum Ordinis Fratrum Prædicatorum Pœnitentiarium suum, eo quod Patrimonium Ecclesiæ in magna parte sibi usurpasset. Et cum Papa ab Imperatore in urbe obsideretur, & videret quasi omnes Romanos pecunia Cæsaris corruptos, accipiens Apostolorum capita, & processionem cum eis faciens a Laterano usque ad S. Petrum, animos Romanorum sic ad se revocavit, ut pene omnes contra Imperatorem crucem acciperent. Quod Imperator, qui se jam credebat urbem ingressurum, audiens timuit, & longe ab urbe recessit. Lubicensis urbis cives miserunt ad Fredericum Imperatorem nuncios solennes, secundum Chronicam Lubicensem, offerentes ei civitatem suam, eo quod per Fredericum I. avum suum Imperatorem fuisset victoriose & virtute belli ad Imperium acquisita ac acceptata in tuitionem Imperialis Majestatis, nec non privilegiis ejusdem dotata. Quam oblationem spontaneam civium gratanter acceptans, ipsam Lubicanam urbem & suos inhabitatores ipse Fredericus in ditionem, jurisdictionem pariter & defensionem Imperii iterum recepit, & eos a fidelitate & pactione quacunque contracta & facta cum Woldemaro Rege Danorum totaliter & simpliciter absolvit, ac libertates eorum antiquas Bulla Imperiali roboravit & innovavit, nec non novas adjecit liberaliter. Quod factum percipiens Woldemarus Rex, & ægre valde ferens, quod ipsi spreto eo, se Frederico Imperatori dedidissent sine sui requisitione, indixit eis bellum, locum & tempus eis præsignans. Et colligens exercitum fortem & magnum, cum classe navium grandi applicuit terræ Dithmarsiæ, cujus incolas coëgit, ut contra cives Lubicanæ urbis se juvarent. Quod inviti tamen & violenter compulsi se facturos promiserunt. Lubicenses autem in suum auxilium interim vocaverant Gerardum Archiepiscopum Bremensem, Albertum Ducem Saxoniæ, Adolfum Comitem Holzatorum, Henricum Comitem de Zwerin, & Borwinum Dominum Slavorum. Hi Principes & Domini exeuntes cum civibus urbis Lubicanæ in pulcro exercitu, invenerunt Woldemarum Regem & Ottonem Dominum de Brunswic & Luneburg cum Dithmarsis & suis in plano myricæ Bornehovede. Tithmarsi autem videntes exercitum Lubicensem copiosum, & diversorum Principum baneriis & vexillis redimitum, attendentesque, quod Lubicenses semper eis servivissent, & utiles in futurum esse possent, nec ipsi etiam eisdem civibus pacem solito more interdixissent, imo ad locum illum venire contra ipsos compulsi essent & coacti, relicto Danorum exercitu, Lubicanæ militiæ se immiscuerunt. Quod factum non modicum Danico exercitui attulit detrimentum. Commissum est ergo prœlium in die illa, quæ fuit dies B. Mariæ Magdalenæ, & ceciderunt Dani & auxiliatores sui, victique sunt ab exercitu Lubicensi,

Digitized by Google

censi, non tamen sine notabili & prodigioso mirabilique adjutorio B. Mariæ Magdalenæ & præsidio. Alexander namque de Soltwedele Burgimagister & caput urbis prædictæ cum concivibus suis ad bellum properaturus, votum Deo & B. Mariæ Magdalenæ fecerat de communi consensu omnium civium, ut si Deus meritis Sanctæ illius mulieris, in cujus die sancta conflicturi essent, victoriam de inimicis suis eis concederet, ipsi Monasterium novo Ordini Prædicatorum in loco castri ad honorem Dei, Beatissimæ Genetricis suæ & S. Mariæ Magdalenæ ædificare vellent. Mirum ultra modum. Cum ambo exercitus ad locum pugnæ convenissent, radii solares, objectaliter Lubicensium oculos obfuscantes, ne inimicos clare viderent, miraculose versi sunt & retorti in faciem hostium. Beata namque Maria Magdalena visibiliter apparens suis, radiis solaribus se opposuit, & micantes fulgores in faciem Danorum reflexit, Lubicensibus subsidium conferens & umbraculum faciens. Potiti ergo victoria Lubicenses, cum captivis multis reversi sunt in urbem suam, Deum & B. Mariam Magdalenam benedicentes de triumpho glorioso. Rex vero inglorius turpi fuga elapsus, cum paucis vix evasit. Ottonem autem Dominum de Brunswic captum dederunt Lubicenses Alberto Duci Saxoniæ, ut de ipso faceret, quid vellet. Cæteris vero singulis Principibus partiti sunt nobiles captivos, unicuique secundum suam exigentiam & virtutem. Cumque civitatem Lubicanam reintrassent cum exercitu suo & comitatu Nobilium, qui secum prœlium gesserant, mox ad expugnandum castrum urbis manum apposuerunt, & capto eo, statim ipsum diruentes, solo æquaverunt. In ipso autem loco castri juxta votum suum solenne Monasterium erigentes, Fratres novellos Prædicatores de Magdeburg & Brema vocatos in ipsum locaverunt. In perpetuam autem hujus triumphi memoriam cives Lubicenses, ipso die mulieris sanctissimæ, singulis annis cunctis pauperibus, in Virginis Gloriosæ Ecclesia collectis, eleemosynam largiuntur. Fratres etiam ante dicti Prædicatores in refectorio suo ob eandem memoriam, dolium plenum cerevisia eodem die pauperibus impertiuntur. De victoria, inquam, hac & de locatione prænominatorum Fratrum quidam Metrista sic ait:

Anno milleno, duo CC. septemque viceno
In fontis capite cecidit gens Danica lite,
Magdala quando pia scandit super astra Maria.
Hic quoque tunc gratus Fratrum fuit Ordo locatus,
Et datur, o Christe, locus aptus Fratribus iste.

Fratribus Minoribus datus fuit locus in urbe Lubicana pro ædificando Monasterio hoc eodem anno ante prælibati belli inceptionem secundum Egghardum, quamvis quædam Chronicæ videantur auctumare, quod anno immediate præcedente Fratres Ordinis S. Francisci sint in civitatem præfatam intromissi. Quicquid tamen sit de controversia hac, notum tamen est, Fratres Minores locum habuisse in Lubeke ante introductionem Fratrum Ordinis Prædicatorum.

Tertio decimo anno Frederici, qui est Domini MCCXXVIII. Fredericus Comes de Altona a Coloniensibus est captus, secundum Wilhelmum, & per sententiam judicialem condemnatus est morti, ac ut latro rotatus propter interfectionem Engelberti Archiepiscopi Coloniensis. S. Franciscus institutor Ordinis Fratrum Minorum obiit in Domino, secundum Vincentium, plenus operibus virtuosis, & multis coruscans signis & miraculis. Philippus Rex Francorum obiit, secundum Wilhelmum, anno regni sui quinquagesimo, & in Ecclesia S. Dionysii Martyris est sepultus. Hic Rex mirabile condidit testamentum. Nam Johanni Regi Jerosolymorum centum libras Parisienses & totidem Templariis totidemque Hospitalariis assignavit in subsidium defensionis fidei & Terræ Sanctæ. Multos etiam Regno Comitatus acquisivit, puta Wiromandensem, Claræmontensem, Bellomontensem, Pontinensem, Aloncconensem, Cenomannensem, Thuronensem, Andegavensem & Pictaviensem; cui successit in Regno Lodowicus filius suus XI. illius nominis, sed XL. Rex Francorum, & solum tribus annis regnavit. In isto rediit corona ad stirpem Karoli M. quia mater ejus fuit filia Baldowini Comitis Hanoniæ, qui fuit de sanguine Karoli Magni. Woldemarus Rex Danorum, secundum Chronicam Saxonum, cum liberaretur de captivitate Henrici Comitis de Zwerin, de qua supra anno Frederici X. mentio facta est, abjuravit & renunciavit toti terræ Holtzatorum, quam usque tunc sibi violenter usurpaverat, ponens pro obsidibus filios suos Erikum & Abelem ac plures alios Nobiles Regni sui, quam tamen fidem & abjurationem temeravit hoc anno. Nam in eo cum potenti manu intravit Holtzatiam & obsedit castrum Reynoldi. Contra quem exierunt Adolfus Comes Holtzatiæ & Henricus Comes de Swerin, & transeuntes paludes cum labore magno, percusserunt multos de Regis exercitu. Rex vero inde se transferens intravit Dithmarsiam, multos de ipsis interficiens, ex eo quod alio anno, spreto eo, ad Lubicenses contra promissum se transtulissent in bello, & contra se dimicassent, & subjugavit sibi terram illam, non tamen sine magna strage suorum. Transactis autem aliquot septimaniis, Rex Woldemarus iterato rediit in Holtzatiam, & expugnavit castrum Reynoldi. Adolfus vero Comes Holtzatorum & Henricus Comes de Zwerin ac cives Lubicenses se invicem confœderantes, miserunt pro Alberto Duce Saxoniæ, ut veniret in Nordalbingiam, recepturus cum adjutorio eorum Ratzeburg & Lovenburg cum Ducatu illo, quem Fredericus I. Imperator avo suo Bernhardo Duci promiserat, & quem jamdudum Woldemarus Rex injuste possederat. Interim Woldemarus cum exercitu suo venit Ytzeho, & devastavit regionem illam, sustinuit tamen magnum detrimentum sui exercitus coram opido Ytzeho. Inde vero procedens, castrametatus est coram Sigeberg, munitionem fortem

fortem contra caſtrum erigendo, nihil tamen contra caſtrum profecit, ſed de ſuis plures amiſit. Amalaricus Comes Montisfortis ſucceſſor Simonis, ſecundum Vincentium, de partibus Albigenſium rediit ad patriam propter inopiam victualium, relinquens Carkaſonam urbem munitiſſimam & alia caſtra, quæ cum labore maximo & ſumtibus graviſſimis, ac ſanguine multorum fidelium fuerant acquiſita, & jam per annos XIIII. a Catholicis poſſeſſa, in manibus inimicorum fidei.

Quarto decimo anno Frederici, qui eſt Domini MCCXXIX. Lodowicus Lantgravius Thuringiæ obiit feliciter in Domino, ſecundum Egghardum, in peregrinatione Jeroſolymitana, maritus B. Eliſabeth, filiæ Andreæ Regis Ungariæ. Poſt cujus mortem relicta ſua Domina Eliſabeth multa paſſa eſt incommoda ab amicis viri ſui defuncti, qui eam de caſtro Wartberg opprobrioſe ejecerunt cum parvulis ſuis, & omnibus bonis ſuis ſpoliaverunt, non habentem locum, ubi prima nocte quieſceret. Quæ ad omnia adverſa patientiſſime ſe habens, præ inopia & paupertate cœpit egere. Otto Dominus de Brunſwic & Luneburg ereptus de captivitate, in qua detentus fuerat ex parte Lubicenſium, ſecundum Chronicam Saxonum, pro ſua liberatione reſignavit caſtrum Hitzakker Alberto Duci Saxoniæ. Gherardus Archiepiſcopus Bremenſis concordiam & amicitiam fecit, ſecundum Chronicam Lubicenſem, inter Woldemarum Regem Danorum & Adolfum Comitem Holtzatorum. Et in ſignum veræ pacis & amicitiæ, Abel filius Regis & Dux de Sleſwic accepit in uxorem filiam Adolfi Comitis, junior vero filius Woldemarus duxit in uxorem filiam Regis Portugaliæ in opido Rypenſi.

Quinto decimo anno Frederici, qui eſt Domini MCCXXX. Quidam trufator veniens in Flandriam, finxit ſe Baldowinum Comitem quondam Flandriæ, & poſtea factum Imperatorem Conſtantinopolitanum eſſe. Cui multi Nobiles & ignobiles favebant, quia multa ſigna & acta notoria dicebat de Baldewino illo, quibus probabat ſe illum eſſe. Et ſic ei adhærebant potiores terræ, & ſibi rebelles viriliter expugnabat. Sed tandem dolus ejus & fraus detecta ſunt, & traditus eſt Comitiſſæ Flandriæ; quem diverſis pœnis afflictum, ultimo ſuſpendi fecit in patibulo. Adolfus quintus Comes de Altona, filius Frederici rotati in Colonia, ſecundum Vincentium, conſtruxit ſuper Ruram fluvium, ubi Yſenburg dirutum extitit, caſtrum forte Blankenſteen, & multum ampliavit dominium ſuum. Caſtrum quoque de Marka obtinuit a quodam Rabodone, & opida Untorpe, Unna & curiam Haveſtorth; & exhinc amplius Comes de Marka nuncupatus eſt. S. Franciſcus Confeſſor glorioſus de tumba levatur, ſecundum Vincentium, & canonizatur a Papa Gregorio IX. Fredericus Imperator diſcordans cum Gregorio Papa, & in excommunicatione Eccleſiæ conſiſtens, ſecundum Vincentium Terram ſanctam adiit, majorem calamitatem quam conſolationem eidem terræ afferens, ubi uxorem ſuam ſecundam ducens accepit in matrimonio filiam Johannis Regis Jeroſolymorum, & per hoc pacem firmavit cum Paganis. Soldanus autem extunc reſtituit Imperatori Jeruſalem, Nazareth, Bethlehem, & terram circumjacentem verbo, ſed non facto, ore, non corde, ut poſtea rei probavit eventus. Papa vero Gregorius interim exercitum colligens, caſtra & civitates Imperii ſuo ſubjugavit dominio. Quod percipiens Fredericus Imperator, reverſus in Italiam, cum magno labore Papæ reſtitit, & Imperii caſtra per Papam expugnata, Imperio recuperavit non ſine gravi Eccleſiæ jactura & damno.

Sexto decimo anno Frederici, qui eſt Domini MCCXXXI. Lodowicus Rex Francorum cum multis Nobilibus cruce ſignatis contra Albigenſes hæreticos procedens, ſecundum Vincentium, cum veniſſet in Avinionem urbem inexpugnabilem, ſeptem jam annis excommunicationi gravi ſubactam propter hæreticam pravitatem, portæ civitatis claudebantur, & Rex pertranſitum habere non potuit. Quod videns Rex, urbem ipſam obſedit, & expugnationi ejus, in quantum valuit, operam dedit. In hac quidem obſidione & expugnatione interfecti ſunt de Catholicis in Regis exercitu circiter duo milia hominum telorum imbribus, lapidum jacturis & infirmitate naturali. Tandem tamen Avinionenſes coacti, datis CC. obſidibus de melioribus civibus juraverunt ſtare mandatis Eccleſiæ. Juſſu ergo legati ſedis Apoſtolicæ & Rege imperante, foſſata civitatis ſunt repleta & ſolo æquata, muri circumquaque dejecti ſunt, & fere CCCC. domus in modum turrium ædificatæ dirutæ ſunt. Rex autem inde movens exercitum, per provinciam illam divagatus, caſtra & urbes omnes ditioni ſuæ ſubdidit uſque ad leucas quatuor a Tholoſa. Gherardus Archiepiſcopus Bremenſis reformavit caſtrum Sluttere, quod Stedengi deſtruxerant. Protunc etiam Papa Gregorius prædicari fecit crucem contra eoſdem Stedingos ad ordinationem prædicti Gherardi Archiepiſcopi, & excitavit plures Principes ad exterminium eorum. Otto autem Dominus de Brunswic & Luneburg attulit ſubſidium eisdem Stedingis, & incendiis vaſtavit villas & munitiones univerſas uſque ad portas urbis Bremenſis. Cauſa enim hujus diſcordiæ erat donatio Comitatus Stadenſis, quam Henricus Comes Palatinus & Dominus de Brunswic fecerat Eccleſiæ Bremenſi in honorem S. Petri Apoſtoli. Henricus Comes de Swerin obiit, ſecundum Chronicam Obotritorum, cui ſucceſſit Guntzelinus tertius hujus nominis filius ſuus. Albertus Comes de Orlemund, alias captivatus a Henrico Comite Zwerinenſi noviter defuncto, ſecundum Chronicam Obotritorum, ſolutus eſt a captivitate reſignando Alberto Duci Saxoniæ caſtrum Lovenburg. Et ſic retinuerunt caſtrum illud Duces Saxoniæ uſque in hodiernum diem. Gherardus Archiepiſcopus Bremenſis, ſecundum Chronicam Saxonum, collecto pulcro exercitu, ivit contra Stedingos hæreticos, ubi relinquens Her-

Digitized by Google

Hermannum fratrem suum interfectum Comitem de Lippia, magnum sui exercitus detrimentum passus est. Woldemarus junior filius Woldemari Regis Danorum, secundum Chronicam Lubicensem, obiit in Coldinghe, & parum post mortua est & uxor ejus in puerperio, filia Regis Portugalliæ. Demyn civitas protunc Regis Danorum, secundum Chronicam Obotritorum, capta est per Slavos, & sic redemta est de manibus Danorum, sub quibus dedignantur esse cunctæ gentes orbis terrarum.

Decimo septimo anno Frederici, qui est Domini MCCXXXII. Stedingi homines nimis crudeles, secundum Egghardum, Borchardum Comitem de Aldenburg interfecerunt cum CC. viris de exercitu suo, qui omnes crucem contra eosdem hæreticos acceperant ab Archiepiscopo Bremensi. Ozilienſis Episcopatus fundatur, secundum Vincentium, in Estlandia per Woldemarum Regem Danorum. Caristia gravissima Franciam angustiavit, secundum Wilhelmum, ita ut populus gramina & folia arborum, ut bestiæ, devorarent. Mensura namque frumenti, quæ alias X. valebat solidos, jam pro centum solidis vix emi poterat. Hanc quidem mediam maxima sequebatur mortalitas. Hugo Comes Marchiæ, & Theobaldus Comes Aquitaniæ contra Lodowicum Regem conspirantes, secundum Vincentium, fœdus ad invicem percusserunt, trahentes in partem suam Comitem Britanniæ. Quod ut Rex percepit, exercitum magnum congregavit, habens in comitatu suo Apostolicæ Sedis legatum, Philippum Comitem Baloniæ patruum suum, & Robertum Comitem Drotensem, & cum his Cartheriam properavit. Quod videns Theobaldus Comes Aquitaniæ, & timens Regis furorem, a proposito malo resilivit, subdens se humiliter Domino Regi. Rex itaque duos alios Comites, Marchiæ scilicet & Britanniæ, Regali edicto semel, bis & ter ad colloquium vocavit. Tunc illi stultitiam propriam pariter & Regis clementiam attendentes, humiliter ei remandaverunt, quod apud Vindecinum, si ei placeret, cuncta, in quibus fore fecissent, ad plenum emendare vellent. Et hoc promissum expleverunt, & sic Regem placaverunt.

Decimo octavo anno Frederici, qui est Domini MCCXXXIII. Lodowicus Rex Francorum obiit, secundum Wilhelmum, cujus Regnum accepit Lodowicus XII. progenitus ejus Rex Francorum XLI. ætatis annum XIIII. completurus, & coronatus est. Ferrandus Comes Flandriæ, qui jam pluribus annis Parisius in captivitate tentus fuerat, secundum Vincentium, quem Philippus Rex in bello contra Ottonem IIII. commisso captivaverat, multa pecunia redemtus est. Fredericus Imperator propter persecutiones Henrici Regis Romanorum filii sui, secundum Vincentium, Alemanniam intravit, & veniens Wormatiam, duxit tertiam uxorem suam. Prima namque uxor sua filia fuit Petri Regis Arrogoniæ, de qua susceperat Henricum Regem Romanorum. Secunda fuit filia Johannis Regis Jerosolymorum, & cum ea recepit Regnum Jerosolymitanum, Johanne Rege Akron permanente, quæ peperit ei Conradum Regem. Sed jam tertio duxit filiam Regis Anglorum in Wormatia, ubi eo existente, Henricus Rex filius suus paternam gratiam quærens, se sibi præsentavit. Quem pater captivum misit in Apuliam, ubi in captivitate permansit usque ad mortem. Cum autem Imperator Wormatiæ resideret, cives Lubicenses scripserunt sibi querulando de gravaminibus & molestiis, quas Woldemarus Rex Danorum & Adolfus Comes Holtzatorum eis intulissent. Propter quod Imperator prædictum Adolfum Comitem cum Lubicensibus ad se vocavit, ut de eorum discordia plenius informaretur. Qui venientes ad Principis præsentiam, dissidii sui causam coram eo proposuerunt. Imperator vero, auditis utriusque partis querelis, tanquam pius Dominus concordavit Comitem & civitatem, ita ut Adolfus renunciaret omni juri, siquod ipse vel sui progenitores in dicta civitate habuissent, pro se & omnibus suis hæredibus, ut sic præfata urbs cum omni jure soli Imperio amplius subjecta esset. Pro qua quidem integrali renunciatione Adolfus Comes accepit ab Imperatore VM. marcarum, quarum quælibet valuit XIII. solidos Anglicanæ monetæ. Exercitus Christi in magno numero, secundum Vincentium, transivit mare versus Livoniam, ut fidei inimicos debellaret, sed nescio demeritis quorum exigentibus interfecti sunt de ipsis Christi peregrinis citra duo milia, cæteris ad propria reversis.

Decimo nono anno Frederici, qui est Domini MCCXXXIIII. Magna dissensio orta est Parisius inter Clerum & cives, secundum Vincentium, & cives, stante schismate, plures de Clericis & Scholaribus interfecerunt. Propter quod Clerici Studium illud de urbe tollentes, in Andegaviam transtulerunt. Lodowicus vero Rex Francorum videns, de instinctu suorum Consiliariorum Studium literarum, quod primo ab Athenis Romam, & a Roma Parisius venerat, a Francia alienari, graviter doluit, & cum diligentia majori, qua potuit, Studium revocans, fecit Magistris & scholaribus per Burgenses satisfieri, & decenter eos foveri mandavit. Albertus primus Rigensis Episcopus obiit, secundum Egghardum, & Ecclesia Bremensis jure suo utens, Albertum Scholasticum Bremensem eidem Ecclesiæ in Episcopum præfecit. Rigenses vero Canonici libertate electionis gaudere volentes, quendam Nicolaum elegerunt. Post longum autem super eadem causa litigium Papa Gregorius Bremensibus perpetuum silentium imposuit, declarans, Rigensem Ecclesiam amplius debere habere liberam & propriam electionem. Antonius de Ordine Fratrum Minorum ex Hispania oriundus, secundum Wilhelmum, vir magnæ religionis floruit. Hic prius dictus Fernandus in Ordine S. Augustini primo habitu susceperat, sed postea habitum Fratrum Minorum suscipiens, ad locum venit, qui S. Antonius dicitur. Unde ex illo loco deinceps se Antonium appellari rogavit,

Digitized by Google

vit, ut sic importunitas quærentium se sub ignoto nomine facilius declinari valeret.

Vicesimo anno Frederici, qui est Domini MCCXXXV. Dominus Bertoldus Episcopus Lubicensis obiit, secundum Chronicam ejusdem, in cujus sedem electus est Dominus Johannes Decanus dictæ Ecclesiæ, qui mox consecratus Episcopus, dedicavit Ecclesiam Monasterii Ordinis Cistertiensis in Reynevelde prope Lubeke ad duo miliaria situati. Magister Jordanus Ordinis Prædicatorum secundus post B. Dominicum plenus virtutibus multis floruit, secundum Vincentium. Hic cum ultra mare transiret ad prædicandum barbaris Verbum Dei, & veniret ad portum Terræ Sanctæ, ibidem submersus interiit cum duobus sociis peregrinationis suæ, Fratribus Ordinis sui & XC. personis secularibus, propellente eos ad litus maris sævitia. Dum autem corpora jacerent inhumata, ut testantur illi, qui de ipso naufragio evaserunt, & qui Sanctos propriis manibus sepelierunt, luminaria de cœlo super illos singulis noctibus effulserunt. Sed & cruces multæ super illos & a multis visæ sunt. Quod quidem (ad) miraculum incolæ loci confluentes, tanti odoris fragrantiam hauserunt, ut juxta testimonium illorum, qui post visa miracula tres illos sepelierunt, usque post X. dies odor nimius ab ipsorum manibus non recederet. Sed & per sepulturæ circuitum ejusdem odoris suavitas latius emanabat, usque quo Fratres de Acon seu Akron cum barka venientes, illos in Ecclesiam suam transtulerint, ubi & dictus Pater Sanctissimus miraculis coruscat, multaque multis beneficia præstat. Hic autem Frater Jordanus fuit secundus Magister Ordinis, natione Saxo de Comitia Dasle in Dioecesi Hildenshemensi. Electus autem fuit in Magistrum tertio Capitulo generali Parisius celebrato anno Domini MCCXXII. Erat autem tunc Prior Provincialis Lombardiæ. Temporibus enim suis Ordo merito & numero multum fuit dilatatus. Mille Fratres & amplius manu sua fertur ad Ordinem recepisse & habitu induisse. Hic literas primus ad provincias a Capitulo generali misit. Sub ipso Fratres primo ad legendum Parisius licentiati sunt. Et quia Doctores egregii multi mox circa principium ordinem intraverant, ideo duas scholas ibidem acceperunt. Iste Magister Jordanus XV. fere annis Ordinem optime rexit. Scripsit autem Postillam grossam super Apocalypsim, item super Priscianum minorem, & quædam Geometralia delicata. De hoc Patre vide totam tertiam partem libri, qui dicitur Vitas Patrum. Fredericus Imperator, secundum Egghardum, reconciliatur Papæ Gregorio, & ipse Papa absolvit Imperatorem ab excommunicatione, in qua jamdudum steterat, nec eam curaverat usque modo.

Vicesimo primo anno Frederici, qui est Domini MCCXXXVI. Richardus Rex Arrogoniæ successor Petri, secundum Vincentium, expugnavit & cepit insulam Majoricarum & Valentiam civitatem, ubi S. Vincentius Martyr gloriosus fuit passus. S. Elisabeth vidua, filia Andreæ Regis Ungariæ, secundum Egghardum, post multa incommoda & agones difficiles, & post innumera laudabilia opera, obdormivit feliciter in Domino, mulier incredibilis patientiæ, & sepulta est Marthburg urbe terræ Thuringiæ. Hujus autem mulieris vitam & conversationem ac miræ patientiæ virtutem describens quidam authenticus, dicit: Erat enim in Alemannia Princeps illustris Hermannus Thuringiæ Lantgravius, in cujus curia sex erant viri milites natu non infimi & morum honestate conspicui, cantilenarumque confectores curiosi. Habitabat etiam pro tunc in Ungaria in terra septem Castrorum nobilis quidam vir & dives, trium milium florenorum habens annuatim censum nomine Clynghesor multum ingeniosus & literatus in omni scientia & præsertim in Astronomia. Hic Philosophus ad dijudicandas prædictorum sex virorum terræ Thuringiæ cantiones, in Thuringiam de voluntate Principis Hermanni est adductus. Qui antequam ad Lantgravium præfatum introisset, nocte quadam in Ysenaco opido constitutus, stabat in area hospitii sui, & respiciens per fenestram, astra matutina diligenter intuitus est. Tunc rogatus ab his, qui aderant, siquæ vidisset secreta aut futura, ut ediceret, ait: Dico vobis, quod hac nocte nata est Regi Ungariæ filia, quæ erit mulier sancta, tradeturque hujus Hermanni Principis filio in uxorem, de cujus sanctitatis præconio exultabit universa terra. Ecce qui per Balaam hariolum incarnationis suæ prænunciavit mysterium, ipse per hunc Philosophum prædilectæ famulæ suæ Elisabeth prædixit ortum, conversationem & connubium. Regnabat itaque protunc in Ungaria Andreas Rex, divitiis & potentia clarus. Cujus uxor Gertrudis nobilis Carinthiæ Ducis filia sibi peperit filiam, quæ in Christo regenerata, nomen accepit Elisabeth, & non diu post prædicti Principis Hermanni Lantgravii filio Lodowico est desponsata. Nam anno a nativitate hujus puellæ quarto Hermannus Lantgravius solennes utriusque sexus misit legatos in Ungariam pro prælibati Regis Andreæ filia suo filio copulanda. Qui a Principibus & Prælatis, quorum pertransiere terras, cum summa honorificentia recepti sunt: Venientes ergo ad castrum Regium munitissimum, quod Presburg dicitur, jocunde & Regaliter recepti sunt & tractati. Erat autem Andreas Rex quietus vir & bonus, uxor vero ejus mulier virtuosa, quæ femineæ conditioni animum virilem inferens, Regni negotia tractabat, & sic filiæ transmittendæ expeditius procurare poterat necessaria. Datis ergo muneribus & clenodiis multis legatis & nunciis prædictis, dispositisque largiter omnibus necessariis, cum proficisci vellent, auro & argento sericisque parvulam involutam, ac in cunabulo argenteo reclinatam, illis paranymphis nobilibus præsentavit Regina filiam suam, dicens: Domino vestro dicite, ut animo sit quietus & valens, & ego ipsum maximis divitiis, si Dominus mihi vitam dederit, magnificabo. Transmisit quoque

Digitized by Google

que cum filia vasa aurea & argentea multa & varia, & diademata pretiosa ac ornamenta annulorum, monilium & vestimentorum innumera, necnon dolium argenteum pro balneo filiæ suæ aptum. Beata itaque Elisabeth parvula valde & doli nondum capax, nec ratione utens, jam in se futuræ perfectionis imaginem præferens, cum desponsata esset viro suo, frequenter ante altare provoluta, pavimento ore adhærebat, genuflexionesque multiplicans, complicatis manibus & oculis erectis, cœlestibus, ut poterat, intendebat. Ludens etiam cum puellis suis, saliendo capellæ appropiare gestiebat, & cum intrare non poterat, saltem lumina & parietes contingendo osculis honorabat. Paribus quoque in mensura se commensurans prosternendo, occasionem veniam faciendi quærebat. In ipsis insuper ludis provinciæ congruis, lucrandi spem ad Deum contulit. Nam pauperculis puellis de lucro suo dabat decimam, aliaque munuscula eis conferebat per hoc ad dicendam orationem Dominicam & Salutationem Angelicam obligans. Videns etiam B. Elisabeth, quod Christiani quique in veneratione & cultu Apostolorum, patrocinia eorum promereri satagerent, pietatis desiderio accensa castitatis amatrix Johannem Ewangelistam virginitatis custodem optabat habere in Apostolum. Unde præmissa oratione supplici, ad electionem Apostoli una cum aliis pueris humili corde processit. Et ecce nutu Dei juxta desiderii sui votum primo, secundo & tertio ei Apostolus se obtulit concupitus. Quem tota devotione amplectens, cum pietatis studio ita coluit, ut, quicquid ab ea in hujus Apostoli nomine, sive in injuriis relaxandis sive in beneficiis conferendis peteretur, nunquam negaret, sed hilari liberalitate mox præstaret. Sanctificabat denique simplex puella hæc conversationis puritate diem Sabbati, semper diebus Dominicis & festivis aliquid de ornamentis suis corpori suo subtrahens, sciens, quod non in nitore vestium, sed in humilitate mentium divinitas honoraretur. Ideoque suis temporibus ante meridiem pro Dei reverentia nec chirotecas induit, nec manicas consuendo constringere voluit. Cotidie etiam animæ suæ aliquid propter Deum subtrahere curans, suam studuit frangere voluntatem. Unde in ludis puerilibus cum successus prosperi animum ejus delectarent, continens se, modo, inquit, in optimo successu ludum propter Deum dimittam. In choreis quoque semel tantum circumiens, sufficit, ait, mihi unus pro mundo circuitus, reliquos autem pro Christi nomine prætermittam. Crescebant namque & simul nutriebantur Agnes soror Lodowici sponsi Elisabeth puella speciosa, & ipsa Elisabeth filia Regis virgo devota cultuque consimili ornabantur. Cumque decenter & composite, auroque & gemmis coronatæ ex more subsequente Domina Sophia matre Lodowici, relicta Hermanni Lantgravii jam defuncti, ad Ecclesiam processissent, & loca sua tenerent, mox Elisabeth coronam de capite suo deponens, & juxta se collocans, ad caput non reposuit, nisi divinis officiis consumatis. Et dum super hoc socrus admirans, eam redargueret, respondit: Absit, ut in conspectu Dei Regisque omnium Jesu Christi, quem spinis coronatum propter me aspicio, ego res vilis & lutea fastu elationis coronata appaream. Erant autem tunc in aula Lantgravii potentes quidam Secretarii, piis ejus actibus invidentes, qui amaris verborum injuriis eam afficiebant, & protervis insultationibus ejus teneritudinem perturbare conabantur. Nam cum nubilis facta esset, a cognatis proximis vasallis & Consiliariis Lodowici sponsi sui, qui eam diligere potius & ei obsequi debuissent, manifestas persecutiones perpessa est. Machinabantur namque persvadendo Principi, ut repudiata patri suo Regi remitteretur, eo quod minus quam decuit dotis cum ea suscepisset, asserentes, quod & dotem pingviorem & potiora auxilia posset per filiam cujuspiam proximioris Principis obtinere. Ipsa quoque Domina Sophia operose satagebat, ut cum religioso habitu in aliquo cœnobio Monialium locaretur. Inter hæc turbativa cordis Elisabeth exul a domo paterna & patria hujus mundi peregrina contemtui se habere perpendens, divinæ dispositioni per omnia se commendavit, ancillarum pedissequarum ex more ei adhærentium gaudebat consortio in tantum, ut socrus ei dedignans diceret: Non in Principum dominantium, sed in famularum servientium numero, Elisabeth, debueras fuisse computata. Erant autem tunc in Thuringia quidem nobiles viri justi, prædictorum machinationibus irrationabilibus obsistentes, inter quos fuit Waltherus de Varila miles, vir bonus, qui a patre Lodowici destinatus in Ungariam, beatam hanc virginem Elisabeth adduxerat in Thuringiam. Hic vice quadam ad Lodowicum sponsum ejus iter agentem accedens in campo, secrete dixit: Placeat tibi Domine, ut loquar ad te, & ut tu mihi indices, quod fuero sciscitatus. Cui benignus Princeps dixit: Loquere confidenter, & ego tibi, quicquid conveniens fuerit, revelabo. Dic ergo, inquit, miles obsecro mihi, quid de filia Regis facere decreveris? Duces eam in uxorem? an patri suo remittes? Tunc Princeps, demonstrato magno, quem præ oculis habebat, monte, dixit: Vere, si hic, quem vides, mons a radice usque ad summum aureus esset, hunc mihi oblatum facilius contemnerem, quam Elisabeth conjugium refutarem. Sentiant alii & loquantur, quid velint. Elisabeth ego diligo, ejusque contubernio nihil in mundo præpono. Tunc miles, Peto, ait, mi Domine, ut mihi liceat eidem hæc nunciare. At ille dulciter ait: Dic ei secure, & pro intersigno præsenta ei, quod tibi porrexero. Proferensque de bursa sua, dedit militi illi, quod apud se habebat speculum duplex, eburneis inclusum sedibus, ex una parte simplex vitrum, & ex altera parte imaginem gerens crucifixi. Quod cum sancta virgo illa a milite sibi oblatum pro intersigno veritatis verborum, quæ sibi referebat, recepisset, conceptum inde gaudium risu jocundo propalavit. Anno ergo ab Incarnatione Domini MCCXXIIII.

Digitized by Google

MCCXXIIII. Lodowicus Lantgravius Thuringiæ inclytam virginem Elisabeth Regis Ungariæ filiam duxit in uxorem, conjunctusque est vir fidelis virgini fideli, sanctus sanctæ, innocens innocenti. Cumque dies nuptiarum peractæ fuissent, ipsa Christi famula corpus suum multis vigiliis & abstinentiis cœpit macerare, singulis noctibus surgens ad orandum. Marito quoque dormiente vel etiam dissimulante, multociens surrexit & oravit, ipso quandoque cum ea surgente & orante. Teneritudini vero ejus compatiens, frequenter ab ea petiit, ne se affligeret indiscrete. Ad quod cavendum, manum ejus castissimus juvenis manu sua tenuit, quousque orasset, exhortans ipsam & deprecans, ut ad quiescendum se poneret, & a vigiliis lassa membra refocillaret. Tanto denique fervore Dei famula ad vigilandum in orationibus æstuabat, ut pedissequæ committeret, instruens eam, ut trahendo ejus pedicam, eam excitaret, ne somnolenta tepesceret. Accidit ergo per errorem, ut venerabilis Ysildrudis pedicam traheret viri dormientis. Qui evigilans, conjugisque devotionem cognoscens, sustulit patienter. Magister etiam Conradus, cui se de consensu viri sui obedire voto constrinxerat, in mandatis ei dederat, ne de quibuslibet bonis injuste acquisitis vesceretur. Cui in hac abstinentia tres pedissequæ suæ consentientes, petierunt licentiam sibi indulgeri a Principe, ut a talibus abstinere possent. Quibus benigne annuens dixit: Hoc & ego libens facerem, nisi aliorum detractiones & scandala formidarem, adjuvante tamen Domino, statum meum cito aliter ordinabo. Accidit autem, ut in quadam solennitate magna, pretiosioribus vestibus gemmisque multis adornata, de castro Warthberg descendens cum socru sua alioque multo comitatu, Ecclesiam quandam castro vicinam introisset. Elevans autem oculos, quos semper in introitu Ecclesiæ ad crucem dirigere solebat, respexit imaginem Crucifixi, & considerans eam nudam & spinis coronatam clavisque confixam, compuncta intra se meditari cœpit, dicens: En pendet Deus tuus nudus, & tu homo vilis & peccatrix vestibus pretiosis operiris. Spinis caput ejus pungitur, & tuum caput auro redimitur. Hac itaque compunctione sic affecta, cecidit quasi exanimis effecta. Quo viso, astantes turbati tollebant eam, & ad ostium Ecclesiæ propter refrigerium capiendum deducebant, faciem quoque ejus aqua benedicta, quæ aderat ex more, conspergebant, donec ad se reversa, ad locum, ut missam audire consuevit, properaret. Post paucos autem dies dotavit eam Deus dote bona, fœcundans ejus uterum prole masculina, & peperit filium nomine Hermannum, qui successor patris factus est Thuringiæ Lantgravius. Deinde peperit & filiam, quam Dux Brabantiæ postea duxit in uxorem. Interimque aliam enixa est filiam, quæ in virginitate permanens, in Aldenburg cœnobio famulabatur Domino, Abbatissa facta Monialium. Accidit insuper alia vice, ut a patre ejus Rege Ungariæ plures nobiles in Thuringiam destinati venissent, nec ipsa cultum haberet suæ dignitati congruum, dixit ad eam Princeps: Doleo soror cultu condigno præsentibus his Nobilibus te carere, & me tempus, ut tibi de ornatu provideam, non habere. Cui illa: Non magnipendas dilecte mi frater tale quid, quia in ornatu vestium nunquam proposui gloriari. Cumque tandem, ut in conspectum Nobilium veniret, evocaretur, induit eam Dominus cyclade auro & gemmis texta, & immensis monilibus eam ornans, gloria & honore eam coronavit. Ecce enim apparuit signum de cœlo, & visa est mulier illa sancta omnium oculis hyacinthinis vestibus insignita, quæ margaritis pretiosissimis erant ornatæ. Nec consimilis pretiositas vestimentorum unquam apparuerat super terram. Super quo stupens & admirans maritus, dum ab ea quæreret, pie subridens ipsa, talia, inquit, scit Dominus Deus, cum voluerit, operari. Contigit insuper & alio tempore, quod in magna quadam festivitate in castro Maithburg Principum multitudo & Nobilium advenisset, & in cœnaculo majori ad convivium congregatis eisdem Principibus, conjugis Lodowici Principis præsentia expectaretur, sed eam casu tali contigit retardari. Procedentem enim ad Palatium de Ecclesia Dominam quidam mendicus sub gradu jacens, ut sui misereretur ob honorem S. Johannis Evangelistæ, importunis clamoribus invocavit. Tunc de gradu respiciens ad pauperem, nec tempus, inquit, nec munus, quo tibi subveniam, habeo. At ille magis ac magis clamabat, ut aliquid acciperet, iterans sæpe nomen Apostoli sui. Tunc illa pretiosum, quod gestabat, mantellum exuens, tribuit clamitanti. Quod ille mira celeritate complicans, abscessit. Quod videns dapifer, qui ad vocandam eam venerat, revertens convivium intravit, & coram omnibus Principibus & nobilibus hospitibus dixit Lantgravio: Judicet nunc Dominus meus, si rationabile sit, quod nostra Domina hac vice protrahit convivium, & tot Nobilium impedit solatium. Vestivit enim in hac hora quendam pauperem ultra modum prodigaliter & indecenter pallium suum pretiosius ei tribuendo. Tunc mitissimus Princeps subridens, a cœtu Nobilium conjugem advocaturus discessit. Quam in conclavi inveniens, dixit ei: Veniesne ad prandium nobiscum dilecta soror? Cui illa: Parata sum ad omne mandatum tuum mi frater carissime. At ille: Ubi est pallium tuum nobile? Ad quem respondit: In partica (f. pertica) pendet cubiculi nostri. Currens autem ancilla, mantellum, quod Domina sua pauperi tribuerat, in pertica thalami reperit divinitus reparatum. Quo circumdata cœlestis fœmina, ad convivium processit, eo magna confusione perfuso, qui mulierem sanctam invidiose accusaverat. Quodam etiam alio tempore cum caristia maxima totam angustiaret terram & fere per biennium durans, multos extinxisset, tunc misericors fœmina miserorum compassione permota, omnem annonam de suis granariis collectam in eleemosynas pauperibus erogavit. Quod ægre valde

Digitized by Google

valde ferens Domina Sophia mater Lodowici, filio revertenti ad castrum, quia absens fuerat, cum hæc per Elisabeth fierent, graviter conquesta est de prodigalitate suæ uxoris. Et cum copia magna familiarum & cibandorum in castro essent, & penuria grandis frumenti in terra, quod æque bene spoliasset castrum blado, & privasset familiam nutrimento necessario. Cumque vir pius iret cum matre sua ad videndam relationis veritatem, invenit granaria plus solito omnibus necessariis plena. Quod cum mulier videret, verecundata nimis erubuit, non tamen a Sanctæ fœminæ æmulatione se refrenare potuit, videns tot virtutes circa eam Dei gratia fieri. Sub castro autem dicto Marthburg de consensu viri sui Elisabeth hospitale solenne fundaverat, & in eo infirmos & debiles utriusque sexus, qui ostiatim panem mendicare non poterant, locaverat. Hos singulis diebus visitans, quosdam propriis manibus cibavit, quosdam lavit, & quorundam lectos stravit. Contigit igitur semel, Sanctam mulierem castrum præfatum descendere, viro suo propter negotia terræ domi non existente, & in gradibus castri quendam hominem visu horribilem, lepræ elevantia ultra modum sordidatum reperire, ipsius gratiam humiliter implorantem. Quem cum intueretur, nimia compassione commota, ipsum sub mantello suo recepit, & castrum cum eo reascendens, & in proprium commodum ipsum deducens, balneum sibi fieri fecit, propriisque eum manibus lavit, & in lectum, in quo cum viro suo pro tempore dormire consvevit, ipsum collocavit, & recessit. Lodowicus autem vir ejus, negotio suo expedito, ad castrum reversus est. Quem mox mater ejus furibunda adiit, & præ amaritudine cordis vix verba exprimere valens, dixit: Nunc poteris videre, fili & Domine, qualem uxor tua ad te gerat favorem, & quomodo te & nos diligat. Locavit enim ad stratum tuum hominem immundissimum & pestifera contagione sordidissimum, cunctisque hominibus merito horridum & abominabilem, ut forte & tu inficiaris de ipsius squaloribus. Quo audito, Lodowicus Princeps benignus obstupuit, naturali commotus pavore pariter & horrore. Et procedens cum matre sua ad cubiculum in cordis perturbatione non modica, veritatem experiri voluit narrationis tam execrabilis. Cumque ambo thalamum ingrederentur, viderunt, crucifixum Jesum in lecto recumbere. Cui stupefacti cum appropinquare trepidarent, visio illa sancta disparuit. Post illum ergo diem Princeps ille devotus nulli aliquid turbativum aut indiscretum de sua conjuge sancta referenti credere voluit, videns omnes actus ejus miris & portentis esse plenos. In his autem diebus contigit, de mandato Summi Pontificis crucem prædicari in subsidium Terræ Sanctæ. Tunc quidem multi Archiepiscopi & Episcopi, Principes, Nobiles, & alii quamplures Christi fideles Zelo fidei accensi, contra inimicos Christi, cruce ejusdem signati sunt. Lodowicus vero eximius Princeps & vir Christianissimus, habito cum Conrado Episcopo Hildenshemensi consilio, ab eodem cruce signatus est in nomine Domini. Signum tamen suæ peregrinationis assumtæ mox non affixit, ne uxor sua, quæ ipsum tenerrime diligebat, de ipsius absentia futura prolixa nimis turbaretur, sed ipsum occultum manere mandavit iter suum, quoad tempus opportunum. Quod tandem Elisabeth cum marsupium viri plus solito revolvi & tractari cerneret, intelligens, miro stupore resoluta est & consternata. Cujus mœstitiam svavissimus Princeps divinis monitis & dulcibus verbis delinire studuit, & cor ejus in Domino Jesu quietare. Dispositis ergo singulis necessariis terram suam pariter & assumtam viam concernentibus, devotorum & religiosorum hominum orationibus se recommendans, iter sanctum aggressus est. Cum autem venisset ad mare, cœpit corpus ejus paulisper febribus inquietari. Videns ergo, mortis periculum sibi imminere, vocato Patriarcha Ierosolymitano, ab ipso extremæ unctionis Sacramentum accepit, & tandem devote in Domino obdormivit. Retrocesserunt denique nuncii in Thuringiam, legationem lugubrem de morte Principis piissimi reportantes. Providebat tamen prudentia discretorum, ne flebilis hæc fama ad aures Elisabeth subito referretur per indiscretos, sed visum est, per matrem defuncti Dominam Sophiam hoc fieri magis posse & debere. Quæ assumtis quibusdam Nobilibus & discretis matronis, in castrum Warthberg ad nurum veniens, reverenter & benigne ab ea recepta est. Quæ cum sedissent, dixit socrus ad nurum suam: Forti animo esto, filia mi carissima, nec turberis super eo, quod circa virum tuum & filium meum divina dispositione gestum est. Quæ verba socrus suæ de viri captivitate, & nequaquam de ejus morte intelligens, respondit cum fiducia, dicens: Si captivus detinetur frater meus, (sic ipsum nominare consveverat) Dei & amicorum nostrorum poterit adjutorio liberari. Cui socrus: Non captus, sed mortuus est. Tunc illa connodans digitos, super genuaque remittens, mœstissima ait: Mortuus? mortuus est & mihi mundus, & omnia, quæ in mundo blandiuntur. Quo dicto, repente consurgens cum fletu, celeri gressu longitudinem palatii cum impetu pertransiit. Extra se namque posita mente, usquequaque percussisset, nisi paries obstitisset. Accedentes autem, qui aderant, eam de pariete abstraxerunt, & dolorem suum, quantis poterant, consolatoriis verbis delinire studuerunt. Non multo tempore post, quidam Vasalli defuncti Principis, qui fratrem ipsius Henricum juvenem regere debuerant, Dei timore postposito, & propriæ honestatis beneficium obliti, percussam a Deo persecuti sunt, & super dolorem vulnerum novorum dolorem addentes, ipsam de castro & de cunctis possessionibus turpiter ejecerunt. Descendens ergo de sublimi castro filia Regis flens & tristis, & declivum montis cum suis ad adjacens castri opidum Ysenac dictum properans, in cujusdam civis hospitio est recepta, ubi cum suis parvulis

Digitized by Google

parvulis & pedissequis duabus in multa jocunditate mansit, confirmata virtute ex alto per illam noctem. Media autem nocte surgens, ad matutinas Fratrum Minorum perrexit, rogans eos, ut hymnum decantarent, Te Deum laudamus, in suis tribulationibus Deo gratias referens. Cumque nullus amplius auderet eam hospitio recipere, confugit ad domum Domini, & cum pedissequis ingressa est Ecclesiam, & sedit in ea. Et cum asperum frigus esset, nesciebat, quo cum parvulis suis diverteret. Erat autem in prædicto opido quidam æmulus ejus habitationem habens, in qua multa habitacula erant. Quorum unum cum intrasset, compulsa est in arto loco cum tota sua familia permanere. Cui hospes & hospita non caritatis beneficia, sed hostilitatis multa gravamina intulerunt. Egrediens ergo inde, parietibus, qui eam a pluvia & frigore protexerant, valedixit, dicens: Hominibus libens valedicerem, si, cur hoc facerem, causam haberem. Fuit & tunc ibidem paupercula mulier infirma & vetula, cui Sancta Elisabeth multa beneficia fecerat, & multociens recreaverat. Eratque arta via quædam, ubi pro luti profunditate lapides erant transeuntibus locati. Occurrit autem benefactrici suæ & Dominæ illa vetula, eique nolens cedere in artitudine illius viæ, impegit ignobilis in nobilem, poterva in mansvetam, omnium beneficiorum præteritorum immemor. Corruit ergo in lutum profundum Dei famula, ex toto in vestibus suis inquinata. Quod cum multa patientia sustinens, elevata multum risit, lavitque in gaudio vestes suas fordidas in flumine, & in veri agni sanguine cuncta patienter supportavit. Videns autem nobilis & religiosa Domina de Kitzingen ejus matertera ipsius paupertatem, miserta ejus, ipsam allatam ad Episcopum de Babenberg evexit. Qui avunculus illius existens, benigne & reverenter eam pertractavit. Sciens autem venerabilis Antistes illud Apostoli: Adolescentiores viduas volo nubere, & filios procreare, cogitavit eam alicujus Principis matrimonio copulare. Quod factum & ipsam non latuit. Cumque pedissequæ ejus, quæ cum ea votum castitatis emiserant, Episcopi potentiam formidantes, cum ea super hac materia querulando cum lacrymis solicite loquerentur, consolans eas dixit: Inspector cordium & absconditorum cognitor Dominus novit votum continentiæ, quod viro meo vivente emisi puro corde & fide non ficta. Ideo de ipsius misericordia confidens, impossibile esse non dubito, quod meam non conservet contra omne consilium humanum aut violentiam castitatem. Non enim conditionatum, si amicis placeret aut proximis, sed spontaneum & absolutum edidi votum continentiæ servandæ post mortem dilecti fratris mei, ad honorem conditoris mei. Et si aliam evadendi viam non reperirem, occulte nasum propriis truncarem manibus meis, ut sic omnis me abhorreret homo tam turpiter mutilatam. Cum autem defunctus esset in Apulia illustrissimus Lodowicus Lantgravius, thuraverunt ipsum Nobiles viri, apud illum manentes, & involventes corpus ejus decentibus & fortibus pannis, honorifice illud tumulaverunt. Peracta vero peregrinatione effossum corpus decoctione diligenti excoriaverunt illud, ossa a carnibus denudantes. Quo facto, receperunt ossa candida, & scrinio novo imposita, ac reverenter cooperta ad patriam transferre non distulerunt. Cumque Babenberg appropinquassent, reliquiarum adventum Domino Episcopo denunciaverunt. Tunc Pontifex filiam sororis suæ Dei famulam Elisabeth, defuncti Principis relictam, ut occurreret reliquiis mariti sui, advocavit. Ordinaverat autem vir prudens pro honestate & consolatione Dei famulæ, ut omnes Nobiles terræ suæ utriusque sexus in occursum funeris ejus accederent, laterique famulæ Dei assisterent, & ne deficeret, confortarent. Collatis itaque ibidem reliquiis ante conspectum venerabilis relictæ, reseratum est scrinium, & ossa denudata, & ostensa oculis ejus. Quantus autem dolor & mœror tunc in corde ejus fuerit, solus ille scire poterat, qui abscondita cordium novit. Et licet indicibili mœrore cor ejus absorptum fuisset, memor tamen divinæ misericordiæ ait spiritum resumendo: Gratias tibi ago Domine Jesu, quod ancillæ tuæ ingens, quod habui, desiderium in aspectum ossium dilecti fratris mei adimplere, & afflictam ac desolatam animam meam dignatus es misericorditer consolari. Ipsum, inquam, tibi a semetipso & a me in subsidium Sanctæ Terræ tuæ oblatum non invideo. Et licet eum dilexerim ex toto corde meo, & ut tu scis Domine Deus, quod ejus desiderabilem præsentiam omnibus hujus mundi deliciis anteferrem & gaudiis, si tua benignitas mihi ipsum concessisset, optaremque omni tempore vitæ meæ in egestate & mendicitate vivere, dummodo ejus frui contubernio de beneplacito tuo mihi licuisset. Nunc vero & me tuæ voluntatis dispositioni committo. Nec enim etiam, si possem eum ad vitam vellem minimo capitis mei capillo præter tuum beneplacitum revocare. Egressaque Ecclesiam, in quodam prato consedit, petivitque ad se ingredi Nobiles illos de Thuringia peregrinos, qui reliquias Principis adduxerant. Quibus ingredientibus, Regalis illa fœmina reverenter & humiliter assurrexit & sibi eos assidere jubens, locuta est eis benigne, injurias suas ipsis inter cætera & molestias, quas pertulerat, enarrando. Post peractam ergo, ut dictum est, condignam funeris sepulturam, viri illi honorabiles Dominæ suæ valedicentes, repatriaverunt, & in Thuringiam venientes, Henricum fratrem defuncti Principis unanimiter adierunt. Quorum unus dixit: Eja mi Domine, quid fecisti? quod fratris tui relictam mœstissimam filiam Regis, quam consolari & honorare debueras, sine causa de suis possessionibus & bonis tam turpiter ejecisti, & inopem ac mendicam fecisti? Pupillos quoque fratris tui, quos tua gubernare deberet tutela, præ inopia matris elongari & separari ab ea oportuit, cujus mali causa tu es. Ubi, rogo, tunc

Digitized by Google

tunc fuit affectus fraternus? Quid sexus fragilis, vidua desolata, mulier afflicta & exul potuit? Quid denique fœmina nocere valuit? Proh dolor! Deum irritasti, personam tuam inhonorasti, Thuringiam confudisti, famam tuam fœdam & maculis indelebilibus plenam ostendisti. Et ecce certissime formido vindictam Dei intolerabilem tibi & terræ tuæ superventuram, nisi satisfeceris placando fœminam tam sanctam, tam beatam. Qui respondit: Valde doleo, quod factum est; ideoque ut gratiam in oculis ejus inveniam, omne, quod desiderat soror mea Elisabeth, faciam, & hoc secundum vestræ voluntatis arbitrium paratus sum pro viribus adimplere. Respondit Pincerna: Hoc est, Domine, omnino necessarium tuæ æquitati, si iram Dei placare volueris & evadere. Cumque hæc per dictos venerabiles viros ad illustrem Dominam relata fuissent, respondit: Castra, civitates, opida & terras, quibus implicari & distrahi oportet, habere nolo, sed pro his, quæ mihi jure debentur respectu dotis, peto mihi exhiberi de gratia fratris mei illa, quibus uti valeam, & expendere libere ad votum pro salute dilecti mei defuncti. Quod totum ad voluntatem ejus impletum est. Civitas quoque Marthburg ultra omnem petitionem suam subjecta est jurisdictioni suæ ad vitam suam cum omnibus pertinentiis suis. Ad hanc ergo urbem se transtulit cum sua familia, prope quam solenne ædificavit hospitale, cujus ipsa Magistra extitit usque in finem vitæ suæ, infirmis & pauperibus serviens, & Deo indefesse plures lucrifaciens. Accidit autem eo tempore, ut pater suus Rex Vngariæ solennem mitteret Comitem cum multo comitatu, ut reduceret ad aulam suam Elisabeth filiam suam. Audierat enim Rex gloriosus, quod filia sua ejecta de bonis suis tanquam mendica viveret, & omni solatio privata esset. At Comes prædictus cum venisset Marthburg cum sua familia, & invenisset filiam Domini sui Regis sedentem ad colum, & nentem lanam ut pauperculam, præ admiratione signo crucis se signans dixit: Nunquam huc usque visum est vel auditum, filiam Regis tanti lanam fusare. Tentavit proinde nobilis nuncius ille paternus animum mulieris Sanctæ ad hoc flectere, ut ad patrem & ad Regnum, unde originem habuisset, remearet. Sed illa paupertatem Regalibus thesauris præferens, & exilium pro dominio eligens, induci nullo modo potuit, ut cum Comite ad terram nativitatis rediret. Tunc illi frustrati desiderio suo, in terram suam reversi sunt, nostra vero quæstuaria ad colum suum rediens, mox apprehendit fusum, & propriis manibus laborando victus quæsivit usum. Tanto itaque studio huic instabat operi, ut sæpe debilis lectoque decumbens lanam fusaret. Mulier autem quædam surdum habens filium, ad consolatricem miserorum ipsum in Marthburg detulit, ipsi suffragium imploratura. Quam cum in hospitali quæsitam non invenisset, reliquit ibidem puerum, & abiit ad quærendam ipsam. Advenit interim famula Dei Elisabeth & inveniens puerum solum, dixit ad ipsum: Quis te huc adduxit bone puer? Qui dum nil responderet, erat enim mutus simul & surdus, Elisabeth blandiens ei, responsum instanter ab eo requisivit. Ignorabat enim Dei amica miseram pueri conditionem. Tunc illa: Loquere mi puer carissime in nomine Domini Jesu Christi. Tunc apertæ sunt aures pueri, & solutum est vinculum linguæ ejus, & respondit, dicens: Mater mea me huc adduxit. Mox evocata casu Elisabeth, supervenit mater pueri, & audiens mutum loqui infantem, expavit vehementer, & dixit: Quis tibi loquelam concessit fili mi? Non enim venerat mulier cum filio ad impetrandam loquelam filio suo, fidem tantam non habens de sanctitate Dominæ suæ Elisabeth, sed ad eleemosynam petendam. Respondit puer: Intravit quædam Domina, & benigne me allocuta, quæsivit, unde advenissem. Et cum nihil sibi respondere valerem, dixit mihi, ut in nomine Jesu Christi sibi loquerer; & mox loqui scivi, & respondi. Tulit ergo mulier puerum suum, magnificans Deum, & rediit in domum suam. Postquam autem S. Elisabeth hospitale prope Marthburg construxisset, servitiis pauperum tanquam ancillam se mancipavit, & tam solicite quidem pauperibus & debilibus ministrare curavit, ut eos balnearet, cibaret, ad secessum portaret, immunditias eorum tergeret & lavaret, lectos sterneret, cameras purgaret, & omnia servilia opera faceret, quæ etiam ancillæ facere recusarent. In ipso autem pauperum obsequio tam fervida extitit & humilis, ut quandam pauperculam & quendam virum monoculum scabie enormi per totum corpus tabefactum una nocte VI. vicibus propriis brachiis ad opus naturæ bajulaverit, & pannos ejus sordidatos totiens laverit. Peplo quoque suo plurimorum immunditiam de naribus & oculis ac aliis vulneribus ulcerosis defluentem tersit & removit, in nullo abhorrens tractare squalores hujusmodi, sed in eis propter Deum ut in aromatibus delectans. Quadam etiam die tempore Quadragesimali in Ecclesia existens, sic ad altare oculis defixis intenta manebat, ac si ibidem divina præsentia objectaliter frueretur, & sic per magnum temporis spatium divina consolatione est refecta. Deinde domum reversa dum se præ debilitate in ancillæ gremium appodiasset, & per fenestram oculos in cœlum defixos teneret, tanta hilaritate facies ejus perfusa est, ut tandem in risum altum resolveretur. Quæ cum diu tam jocunda visione lætificata fuisset, subito in lacrymas est conversa. Sed mox sursum oculos extollens, pristina jocunditate potita est, oculos vero claudens, præviis lacrymis irrigabatur. Et hæc vicissitudo visionis usque ad tempus Completorii duravit. Cum vero diu tacens, nullum verbum emisisset, tandem prorumpens in verba hæc, ait: Si tu vis esse mecum, & ego ero tecum, & nunquam a te separabor. Postmodum vero dum ad se reversa ab ancilla rogaretur, ut ad Dei honorem & ejus ædificationem, quid viderit, indicaret, ipsa petitione ancillæ suæ in-

stanti

Digitized by Google

stanti devicta dixit: Vidi cœlum apertum, & Jesum vultum suum ad me benigne inclinantem; ego vero de sua ineffabili pulcritudine jocundata, tandem de vultus sui subtractione remanebam multo mœrore confecta, qui mei misertus, me iterum sui vultus ostensione lætificans ait: Si tu vis mecum esse, ego ero tecum. Cui ego respondi: Si tu vis esse mecum, &c. ut supra. Cum autem B. Elisabeth de ærumnis & laboribus hujus mundi ad æternitatis gloriam sibi paratam transitura esset, apparens ei visibiliter Dominus, vocavit eam, dicens: Veni electa mea, & ingredere tabernacula dilecti tui. In illo, inquam tempore vir venerabilis Conradus, cui alias obedientiam fecerat Elisabeth, gravi infirmitatis molestia torquebatur, & introivit ad eum visitandum mulier Sancta. Factum est autem, dum confabularentur, interrogavit eam Sacerdos debilis, dicens: Qualiter, mi Domina & filia post mortem meam statum tuum proponis ordinare. Tunc Dei famula de morte Sacerdotis nihil respondens, sui ipsius obitum eidem indubitatum prædixit, quem Spiritu Dei revelante certitudinaliter præcognovit. Post diem autem quartam famula Dei ægritudinem incidit, in qua ex hac luce subtracta est. Cumque per dies XII. in ægritudine laborasset mulier Sancta, assidens lecto ejus una ancillarum suarum, audivit quasi intra guttur ejus vocem dulcissimam. Post paululum vero convertens se ad ancillam, dixit ei: Ubi es dilecta. Respondit ancilla: Assum. Et adjecit ancilla: o Domina, quam dulciter cantastis ad parietem versa. Quid, rogo, audivistis, aut quid vidistis? indicate mihi. At illa: Dico tibi, quod inter me & parietem avicula quædam mihi dulcissime cantavit, cujus dulcedine excitata, oportuit & me cantare. Tertia vero die ipsius obitum præcedente, jussit a se omnes seculares personas excludi, nec etiam Nobiles voluit ad se intromitti. Requisita vero, cur advenientes Nobiles excluderet, ait: Volo de extremo stricti judicii examine & de meo omnipotente judice meditari. Post hoc Dominica ante Octavas S. Martini post cantatas matutinas confessionem suam fecit. Audito autem primo galli cantu, Elisabeth dixit: Ecce instat hora, in qua Virgo peperit: modo loquamur de Deo & puero Jesu. De qua materia loquens, jocundissima fuit, ac si in nullo pateretur; & dixit: Licet debilis sim, nullam tamen infirmitatem, molestiam sentio aut dolorem. Et hæc dicens, omnes sibi astantes Deo devote recommendavit, & tandem jubilando requievit quasi suaviter obdormiens. Et mox audiebatur in aëre jubilus in modum Responsorii illius, Regnum mundi, & omnem ornatum &c. Sanctissimus Pater Dominicus Ordinis Prædicatorum institutor, secundum Vincentium, Reate a Domino Papa Gregorio IX. canonizatur, & a tumba elevatur, anno a confirmatione Ordinis sui XX. ab obitu vero suo XII. cujus tumba cum Bononiæ aperiretur, fragrabat quasi apotheca nobilissimorum ungventorum, & omnes infirmi odorem illum sentientes, a quacunque detinebantur infirmitate, curati sunt.

Vicesimo secundo anno Frederici, qui est Domini MCCXXXVII. Lodowicus Rex Francorum accepit in uxorem, secundum Wilhelmum, Margaretam filiam Comitis Provinciæ. In quo tempore fames maxima Franciam perturbavit & Aquitaniam. Gregorius Papa crucem prædicari mandavit contra Stedingos prope Bremam commorantes, secundum Egghardum, eo quod vacabant auguriis, sortilegiis & phitonicis (pythonicis) responsionibus, & doctrinam ac libertatem S. Matris Ecclesiæ parvipendentes, Religiosos & Clericos persequebantur & cruciabant omni genere tormentorum, &, quod omnibus deterius est & execrabilius, Sacramentum Eucharistiæ turpissime tractabnt. Quæ omnia probata sunt & scripta Domino Gregorio per Dominos Episcopos Bremensem, Myndensem, Lubicensem & Razeburgensem. Fredericus Imperator filio suo Conrado, quem de filia Regis Ierosolymorum Johannis acceperat, Alemanniam commisit regendam, secundum Vincentium, ut eo liberius aliis Imperii negotiis posset insistere, & ultra montana se transferens, Lombardis bellum intentare cogitavit. Cujus adventum cum perciperent, exercitum contra ipsum eduxerunt. Sed cum jam congressio exercituum fieri deberet, Longobardi terga dederunt. Fredericus vero eos insequens, Vincentiam urbem expugnavit & cepit. Gevehardus autem Comes de Arnsteen cum parte exercitus Paduam vallavit, & impugnans eam tandem obtinuit. Mediolanenses vero cives interim exercitum copiosum educentes contra Imperatorem, venerunt in campum. Quos Fredericus Cæsar audiens adesse, licet modicum haberet exercitum, ad pugnandum tamen se disposuit. Cum autem Imperatori dissvaderetur bellum per quendam Nobilem de Cremona, ait: Deum & justitiam præ oculis habentes, nullius pavebimus occursum. Pugnabo cum eis in nomine Domini. Quibus congressis, Imperator victoria de cœlo potitus, interfecit illo die, licet saucius, de hostibus XV M. hostium, Capitaneum vero Mediolanensium nomine Stanhardum, qui Potestas erat, super litus maris patibulo affixit.

Vicesimo tertio anno Frederici, qui est Domini MCCXXXVIII. Wismaria urbs terræ Obotritorum fundatur per Guntzelinum Comitem de Zwerin, secundum Chronicam Obotritorum, destructo opido Mykelingburg. Castrum autem ejusdem opidi antea per Slavos dirutum erat cum Monasterio Monialium ab antiquo in eo situm. Quidam Fratres Ordinis Prædicatorum, secundum Vincentium, crucem contra Stedingos de mandato Papæ prædicantes de conventu Bremensi, sunt ab illis hæreticis martyrio coronati. Adolfus Comes Holtzatorum contrahens amicitias cum Woldemaro Rege Danorum, conspirationis dolum iniit cum eo contra urbem Lubicanam, immemor multiplicis beneficii, quod ab ea receperat,

Digitized by Google

rat, secundum Chronicam Lubicensem. Unde Reg magnam classem navium misit cum multitudine armatorum per mare; similiter & in terra magnum adunavit exercitum cum adjutorio Comitis Adolfi. Quibus fortiter munitus venit ad os Trabenæ fluminis, & ibidem duo fortissima erigens castra, obstruere nitebatur viam maris, ne amplius naves portum Lubicensem attingere valerent. Et submersit ibidem navem grandem coghonem plenam lapidibus maximis, catenasque fortes ferreas duxit per latitudinem alvei, & recessit. Cives vero urbis recessum percipientes, in manu forti exierunt cum machinis aut bumbardis, & castra per Regem erecta mox destruentes, & plures in eis captivantes, instrumentis suis fossatum novum ac transitum profundum mari fecerunt, per aliam viam mercatorum naves excipientes. Cumque in præfatis laboribus occupati essent, venerunt navigio Revalienses mercatores cum maximis cogonibus, & per impetuosum transitum dictarum navium, catenas per mare deductas quasi restes fregerunt, & urbem præfatam Lubeke a tali gravamine libertaverunt. Propter quod, ut dicitur, mercatores prælibatæ urbis Revalienses absque pedagio & vectigali, quidajo & teloneo libere venire possunt & recedere ad forum Lubicense, quod alii mercatores minime possunt. Rex autem videns, se in proposito suo frustratum, grandibus & multis navibus iterum portum Lubicensem repetiit. Sed parum & prope nihil ibidem perficere potuit, eo quod cives Lubicenses sex magnis coghonibus repletis viris electissimis armatis suum defensarent portum. Videns vero Woldemarus Rex, Lubicenses tam fortes in mari, timens secessit cum suis in portum Warnowe, & coram Warnemunde se locavit. Quod cum Lubicenses percepissent, mox missis nunciis nunciaverunt Slavis præsentiam Regis, quibus ipse Rex multum onerosus fuerat. Qui colligentes maximum populum, venerunt per terram, & Lubicenses per mare. Et uterque exercitus Regem circumdans, cum ipso pugnare cœpit. Sed Rex victus, turpem fugam iniit, & Lubicenses naves Regias succenderunt, prædam de eis capientes, ac homines in eis inventos vel occidentes aut captivantes, & sic cum victoria ad propria reversi sunt.

Vicesimo quarto anno Frederici, qui est Domini MCCXXXIX. Crucem ex præcepto Papæ prædicatam contra Sledingos, secundum Egghardum, acceperunt Gerardus Archiepiscopus Bremensis, Henricus Dux Brabantiæ, Florentius Comes Hollandiæ, Wilhelmus Comes de Clivis & Henricus Comes de Aldenburg. Hi Principes & Comites cum pulcro exercitu Stedingos Christi hostes invaserunt terra marique, numero fere XLM. & commisso cum eis prœlio Sabbato ante Rogationes, occisi sunt de Stedingis circiter VIIIM. alii vero in fugam versi sunt, & multi aquis præfocati. Exercitus autem Christi terram illorum pervagans, occidit omne, quod vivebat, præter jumenta, quorum maximam prædam abduxit. Sicque divina favente gratia exterminati pessimi illi homines utriusque sexus, nec parcitum est pueris eorum, eo quod de malo ovo pullus generatur semper pessimus. Raymundus generalis Magister Ordinis Prædicatorum tertius, secundum Vincentium, & Domini Papæ Gregorii IX. summus Pœnitentiarius floruit. Hic ad commissionem dicti Papæ Gregorii collegit ex SS. Patrum sententiis volumen solenne Decretalium, quod modernis temporibus in Ecclesia legitur, & quo utuntur in scholis scholares & Magistri jura legentes. Compegit etiam magnam Summam Juris Canonici, quæ in Ecclesia Dei non modicum fructum fecit. Unde quidam Metrista de eo dicit:

Iste Raymundus Doctor pius atque facundus
Has Decretales compegit judiciales.

Florentius Comes Hollandiæ, secundum Wilhelmum, suffocatus est in torneamento juxta Corbeyam in mense Junio. Abel Dux Sleswicensis, secundum Chronicam Lubicensem, accepit in uxorem Mechtildem filiam Adolfi Comitis Holtzatorum, licet hoc patri suo Woldemaro Regi multum displiceret, quia timuit ex hoc fratri suo Eriko onerosum fieri propter auxilium Comitis Adolfi, prout etiam infra probabit rei eventus. Otto Marchio de Brandenburg, secundum Egghardum, captus est per Dominum Ludolfum Episcopum Halberstadensem, quem tamdiu captivum tenuit in castro Langhensteen, quousque idem Marchio resignaret eidem Episcopo Haldesleve cum suis attinentiis. Addidit etiam duo milia marcarum eidem Episcopo pro plena redemtione captivitatis suæ.

Vicesimo quinto anno Frederici, qui est Domini MCCXL. Fredericus Imperator curiam solennem Moguntiæ celebrans, secundum Vincentium, filiam Regis Angliæ quartam duxit uxorem. Ibi autem Otto filius Wilhelmi Domini de Brunswic & Luneburg, quem alias cives Lubicenses in prœlio cum Woldemaro Rege Danorum habito captivaverant, omne jus & proprietatem, quam in prædicto dominio habuerat, eidem Imperatori & Romano Imperio resignavit penitus & in toto. Propter quod Fredericus Imperator illud dominium in Principatum & Ducatum redegit, & eidem Ottoni de novo concessit, ac de Imperiali autoritate & consensu suorum Principum statuit & ordinavit, quod tam sexus fœmineus quam masculinus de ipso Ottone Duce pro tempore procreatus & procreandus, in ipso Ducatu jus hæreditarium habeat in perpetuum, ut sic tollantur lites & controversiæ habitæ cum progenitoribus Ottonis præfati propter privationem Ducatuum Bayoariæ, Angariæ & Saxoniæ factam Henrico Leoni Magno atavo suo. Translatio B. Elisabeth viduæ, secundum Egghardum, facta est KL. Maj. præsente Imperatore cum multis Alemanniæ Principibus in die S. Walburgis Virginis in urbe Martburg, quam Deus eo die variis solennibus glorificavit signis. Quidam nobilis

Digitized by Google

nobilis & potens Turcus Paparoyssole nomine, secundum Vincentium, affectabat fieri Soldanus Turcorum, & ideo maximum congregavit exercitum ad persequendum & interficiendum, si fieri posset, Soldanum suum. Cumque una dierum iter faceret cum suo exercitu, obvium habuit quendam rusticum alte vociferantem & dicentem: Domine, adjuva me propter nobilitatem tuam, quia lupus quidam violenter filium meum rapuit, & abscessit. Homo ille nobilis commotus ex miserabili planctu pauperis, jussit mox suos festinare post lupum, & liberare puerum rustici. Qui venientes prope lupum, viderunt juvenem incolumem apud bestiam sedere. Quem mox rapientes, rustico illæsum restituerunt. Tunc rusticus ait Nobili illi: Quia ex probitate tua misertus es mei, & puerum mihi ablatum incolumem restituisti, de duobus unum elige tibi, aut divitias hujus mundi, aut honorem & statum ejus; & quodcunque ex his elegeris, dabo tibi. Cui Paparoyssole ait: Quis es tu, qui talia dare promittis, cum tamen ipse pauper & mendicus appareas. Respondit rusticus: Ego sum Dei nuncius & minister, & ambulo cum deabus, quæ Nymphæ nuncupantur. Ad quem Dominus ille: Divitiis & bonis temporalibus non egeo, sed jam copiosus sum in eis. Si inveni in oculis tuis gratiam, dona mihi statum mundi, & adjuva me, si potens es, ut Soldanus efficiar. Tunc rusticus ait: Congrega amicos & notos tuos, & expugnationi castrorum & urbium insiste viriliter. Ne formides hostes aggredi, nec tu nec quicunque de tuis amplius vulnerari poterit aut occidi vel vinculari. Quibus dictis, rusticus cum puero suo abscessit, & Paparoyssole lætus effectus, cum suo exercitu forte castrum obsidione vallavit, quod erat Soldani & Armenorum. Cumque oppugnare inciperet castrum, ceciderunt de suis CCXX mortui, & plures vulnerati sunt. Quo viso, dixerunt consangvinei interfectorum ad Paparoyssole: Quare decepisti nos, promittendo nobis incolumitatem, & ne vulnerari deberemus aut occidi. Quibus ait Nobilis: Sic promisit mihi nuncius Dei. Responderunt: Diabolo forte credidisti, & ille decepit te. Expectate, inquit Paparoyssole, diem crastinum cum patientia, & tunc victoria nobis concedetur. Altera die Nobilis ille exhortans suos, processit ad expugnandum castrum contra Armenos, sed mox telo inimicorum percussus, cecidit ipse quasi exanimis factus. Qui sentiens, se morti propinquum, loquebatur exercitui suo, dicens: Ne terreamini, o milites fortissimi, quod ceciderim ego. Estote vos viri robusti, & pugnate viriliter contra inimicos vestros. Ego vadam ad Deum, & quæram, cur me sic deluserit. Et hæc dicens, spiritum efflavit. Illi autem videntes, caput suum occubuisse, mox aliud caput sibi statuentes, expugnationi operam dederunt, & castrum ipsum obtinentes, quotquot invenerunt in eo, occiderunt, ac castrum ipsum funditus destruxerunt.

Vicesimo sexto anno Frederici, qui est Domini MCCXL. Fredericus Imperator iterum a Papa excommunicatur propter Patrimonium S. Petri per eum occupatum, secundum Vincentium. Qui itinera Romana observans, insidiatus est Romipetis & peregrinis. Propter quod Jacobus Penestrinus Episcopus in Franciam legatus Papæ latenter mittitur, causa petendi subsidium. Fredericus autem rem intelligens, mandavit per literas Lodowico Regi Francorum, quod personis Ecclesiasticis Regni sui & cunctis, quos prædictus Jacobus secum Romam ducere vellet, liberum transitum per mare vel per terram omnino negaret. Et extunc Imperator mare terrasque diligenter fecit custodiri. Jacobus ergo peracto negotio rediens, ab Imperatore capitur; sed & Dominus Otto Cardinalis, jam pridem in Angliam ab ipso Papa missus, eodem tempore rediens, a Frederico Cæsare detinetur. Eodem quoque tempore Papa Synodum Episcoporum & aliorum Prælatorum Franciæ per Jacobum ad se vocatorum celebraturus, in mari eos perdidit. Nam Conradus filius Imperatoris vias maris observans, ipsos atrocissime invasit, & post bellum asperum peractum eos cepit, & in diversis munitionibus eos incarceravit. Qui de captivitate literas gemitibus plenas scripserunt Lodowico Regi Franciæ, petentes, ut eos eriperet. Lodowicus autem vir magnæ sanctitatis Sacerdotibus Dei condolens, scripsit Imperatori amico suo, ut Prælatos Franciæ, quos captivos detineret, ad preces suas libertati redderet. Cui Imperator sic rescripsit: Non miretur Regia Celsitudo, si Prælatos Franciæ Cæsar in angusto tenet Augustus, qui ad Cæsaris angustias anhelabant. Lodowicus vero Rex rescripsit Imperatori sic: Tenuit hactenus indubitanter fiducia nostra, quod inter Imperium & Regnum nostrum longo temporis tractu nulla suboriretur materia, odium vel scandalum paritura, cum prædecessores nostri Reges Francorum universi usque ad tempora nostra Imperii sublimitatem zelaverint, & nos, qui post ipsos, Deo volente, regnamus, in eodem proposito permanemus. Sed vos unitatem pacis & concordiæ dirumpentes, Prælatos Regni nostri ad Sedem Apostolicam accedentes ex obedientia & fide, quam Ecclesiæ tenebantur, nec cujus poterant recusare mandata, in mari, quod moleste ferimus, capi fecistis, & eos sub gravi custodia detinetis. Nam sicut ex eorum literis didicimus, nihil contra Imperialem Celsitudinem cogitaverant, etiamsi Summus Pontifex fuisset ad aliqua indebite processurus. Unde cum in eis nulla vestri gravaminis inveniatur causa, decet Altitudinem vestram dictos Prælatos Regni nostri debitæ restituere libertati. Provideat ergo Imperialis prudentia, & ponat in statera judicii, quod rogamus, nec velit trahere locum a potentia vel voluntate. Nam Regnum nostrum non est adeo debilitatum, quod permittat se vestris calcaribus perurgeri. Imperator hæc intelligens, & inimicitias sibi multiplicari formidans, accepto prius a Prælatis Franciæ sacramento, quod in malum suum nihil essent acturi, omnes

Digitized by Google

omnes eos libertati dedit. Haquinus Rex Norwegiæ, secundum Chronicam Lubicensem, interfecit filium suum proprium cum alio Duce Regni sui.

Vicesimo septimo anno Frederici, qui est Domini MCCXLII. In Burgundia, secundum Wilhelmum, per terram solutam a terræmotu a montibus circiter VM. hominum sunt suffocati. Raymundus Magister fit Ordinis Prædicatorum tertius in generali Capitulo celebrato Bononiæ hoc anno, secundum Vincentium. Hic Constitutiones Fratrum eorundem per capitula distinxit & ordinavit. Cumque per biennium gloriose Ordinem prædictum rexisset, ad magnam suam instantiam & propter ejus debilitatem nimiam in sequenti Capitulo generali fuit absolutus a Magisterio per Papam, & alius loco ejus electus & institutus. Placentini rebelles Imperatori, secundum Vincentium, tres potentes milites ejus in patibulis suspenderunt cum omnibus eorum indumentis in confusionem magnam ipsius. Woldemarus Rex Danorum obiit, secundum Chronicam Danorum, & Ericus filius suus progenitus Regnum ejus adeptus est. Contra quem mox se erexit Abel frater ejus Dux Sleswicensis, & fultus auxilio Adolfi Comitis Holtzatorum & aliorum plurimorum, fratrem suum graviter persecutus est. Lodowicus Rex Francorum secundum Wilhelmum, cum exercitu maximo ivit in Picardiam contra Hugonem Comitem Flandriæ, & expugnavit in ea castra diversa, Hugoni vero auxilium ferebant Henricus Rex Angliæ & Richardus frater suus. Cumque Lodowicus Rex in Picardia suam voluntatem perfecisset, disposuit transire in Angliam contra præfatos Reges. Quod Henricus Rex intelligens, obviavit ei cum exercitu prope Calleberg castrum, quod Lodowicus obsederat, ubi congressum facientes hostilem, interfecti sunt de exercitu Regis Henrici circa tria milia armatorum. Videns autem Henricus suorum stragem, nocte ingruente aufugit, & Lodowicus victoriosus in patriam rediit. Huic Lodowico nati sunt duo filii, quorum unus Lodowicus & alter Philippus dicti sunt.

Vicesimo octavo anno Frederici, qui est Domini MCCXLIII. Agger prope valvam urbis sic nominatam civitatis Lubicanæ, secundum Chronicam ejusdem, comportatus est a civibus propter rumorem vulgatum incursionis futuræ Turcorum, qui protunc in Lyvonia sævientes, plura castra & civitates expugnabant, & innumeros homines interficiebant. Facta etiam fuit pro eodem tempore maxima cædes peregrinorum & exercituum Christi contra barbaros illos transeuntium de Alemannia in Prutziam, ubi Theodericus de Haseldorp occubuit cum tribus milibus armatorum. Conradus filius Frederici Imperatoris, secundum Vincentium, intravit Lombardiam cum exercitu magno, & veniens Papiæ, obsedit eam, ac expugnando cepit eam, Dominum vero urbis captivavit, & plures cives ante eorum deditionem interemit.

De Cœlestino IV. PP. CLXXXVII.

Cœlestinus Papa, natione Lombardus ex patre Bernhardo, sedit mensibus X. & diebus XV. secundum Martinum. Hic Gumfredus dictus Sabinensis Episcopus extitit, vita & scientia commendabilis valde. Fuit autem senex & infirmus, & ideo cito defunctus est, & sepultus in Ecclesia S. Petri. Gayazadinus Soldanus Turcorum defunctus est, secundum Vincentium. Post cujus mortem pacati sunt & concordati Turci & Tarthari, & facti sunt Turci Tartharis tributarii. Promittebant namque, se soluturos in perpetuum annuatim Tartharorum Imperatori duodecies CM. florenorum, quingentos pannos sericos, quingentos equos magnos & totidem mulos, VM. ovium, & IIIM. vaccarum. Tributum autem istud quolibet anno mittere tenebantur in propriis expensis & periculis in Morigam urbem magnam Tarthariæ.

Vicesimo nono anno Friderici, qui est Domini MCCXLIIII. Adolfus Comes de Schowenburg & Holtzatiæ factus est Frater Ordinis Minorum de consensu uxoris suæ Heylewigis, & ædificavit Ordini suo conventum in urbe Kil terræ Holtzatorum, vestitus tamen fuit in conventu Hammeburgensi, secundum Chronicam Lubicensem. Cognovit autem idem Frater Adolfus carnaliter suam præfatam uxorem post factam professionem, & genuit ex ea filium. Factus est autem Sacerdos ex dispensatione Papæ, & reliquit post se tres filios Johannem, Gherardum & Luderum, quibus posuit in tutorem Abel Ducem de Sleswic svagerum suum, ut terram suam tueretur. Gens Tartharorum cum Batho Principe eorum, secundum Vincentium, orientalibus partibus tyrannice subactis, in duo agmina se diviserunt, & Ungariam simul & Poloniam intraverunt, ac campestri bello cum eis habito, Colomannus Dux, frater Regis Ungariæ, & Henricus nobilis Dux Slesyæ occiduntur, primus in Pannonia & alter in Polonia. Reliquum vero vulgus tam in viris quam in mulieribus, quotquot invenerunt, in ore gladii delentes, sic terras illas & maxime Ungariam redegerunt in vastitatem, ut præ fame & inedia matres suorum filiorum vescerentur carnibus, & plerique pulveribus cujusdam montis pro farina uterentur, ac cadavera hominum mortuorum devorarent. Interfecerunt insuper canes & murilegos, si quos invenire potuissent, & comederunt. Prædicti etiam Tarthari totam Turquiam invadentes, igne & gladio vastaverunt eam, quæ tamen terra fortissima habet castra & urbes munitas.

De Innocentio IV. PP. CLXXXVIII.

Innocentius Papa, natione Januensis ex patre Martino, sedit annis IX. & mensibus VIII. secundum Martinum. Iste prius Senobaldus dictus, super Presbyteros constituit vicesimam, decimam & quintam, quod huc usque inconsuetum

Digitized by Google

ſvetum fuerat, in fine autem poſuit ſex denarios ſuper marcam. Hic ſedes Cardinalium vacuas a multo tempore, de honeſtis perſonis ex omnibus mundi partibus electis reſtauravit, & Eccleſiam a temporibus B. Gregorii M. multis debitis obligatam per induſtriam ſuam exoneravit. Ipſe etiam inſtituit in Lugduno, ut octavam B. Virginis in ipſius nativitate omnis Eccleſia celebraret ob talem cauſam. Gregorio enim IX. defuncto, Romani omnes Cardinales in quodam conclavi incluſerunt, ut eo citius Eccleſiæ providerent de Paſtore. Sed cum per plures dies concordare non poſſent, & ipſi a Romanis multa incommoda ſuſtinerent, voverunt Reginæ cœli, quod ſi ejus meritis concordarent, & libere abire poſſent, octavas ſuæ nativitatis diu neglectas vellent ſtatuere celebrandas. Sicque in Dominum Cœleſtinum concordarunt, & liberati per hunc Innocentium, votum ſuum impleverunt. Iſte etiam Papa feſtum Annunciationis Virginis Glorioſæ, quod eſt fons & origo omnium feſtivitatum, cum ſuis Cardinalibus in tanta reverentia habebat ſuis temporibus, ut per totum annum diem, in qua veniebat idem feſtum, jejunaret, & multa bona ex tali jejunio provenerunt ſibi & Eccleſiæ.

Triceſimo anno Frederici, qui eſt Domini MCCXLV. Tarthari duos milites captivaverunt Chriſtianos de Francia, ſecundum Vincentium, quos armis induentes præceperunt, ut ſimul prœliarentur, quia omnino mori deberent. Hoc autem ideo Tarthari illi fecerunt, ut modum dimicandi Chriſtianorum videre poſſent, & ipſum addiſcere. Sed milites illi ſic bene armati ſe ipſos nolebant interficere, ſed mutuo ſe exhortantes, viriliter in barbaros illos proſilierunt, & XXX. de potioribus interficientes, pariter cum illis occubuerunt. Plures etiam de aliis graviter vulnerati fuerunt. Hi Tarthari tantum terrorem ſuis exercitibus ſic provincias pervagantes Chriſtianis incuſſerunt, ut Papa ad inſtantiam Regis Ungariæ, Ducum Auſtriæ & Carinthiæ generalem daret indulgentiam Terræ Sanctæ omnibus, contra ipſos ire, & cum ipſis confligere volentibus. Apud Cremonam orta tempeſtate maxima ſecundum Egghardum, cecidit lapis grandis, in quo crucifixi imago erat impreſſa, deſuperque exaratum erat literis aureis Jeſus Nazarenus Rex Judæorum. Cecidit autem in Monaſterio S. Gabrielis. Quo lapide in aqua poſito, inunxerunt Monachi oculos aqua illa Fratris cœcutientis, & mox clare vidit. Plures etiam alii infirmi aqua illa curati ſunt. Duo milia mulierum exierunt de Aſeron civitate Turcorum, ſecundum Vincentium, ad balnea, quæ per tres leucas ab urbe illa diſtabant. Cum ergo in balneis eſſent, venit exercitus Tartharorum, qui inimici Turcorum erant, repente ſuper eas. Quæ videntes, ſe non poſſe effugere, cogitaverunt, ut ſe Bayoneo totoque exercitui ſuo perpetuæ ſervituti offerrent. Venientes ergo ei obviam in lyris & tympanis, & aliis diverſis inſtrumentis muſicis, quæ plures de eis ſecum tulerant, cantabant coram Bayoneo Principe Tartharorum & Batho Duce eorum, & ſe ſibi & exercitui obtulerunt ad voluntatem. Sed nec ſic animi eorum mitigati ſunt, ſed mox omnes illas mulieres ibidem interfecerunt. Iſtud autem malum in præcedenti potius anno ponendum eſt.

Triceſimo primo anno Frederici, qui eſt Domini MCCXLVI. Lodowico Rege Francorum ægrotante circa feſtum Luciæ, ſecundum Vincentium, apud Pontizaram anima illius alienata eſt a corporeis ſenſibus, & tam vehementer rapta, ut a multis æſtimaretur mortuus. Cum vero ab illa ecſtaſi ad ſe reverteretur, crucem protinus pro peregrinatione transmarina petiit & accepit. Interim vero Soldanus Babyloniæ invitavit Coraſminos, & conduxit eos, ut irent in Regnum Jeroſolymitanum, pugnaturi contra Chriſtianos. Qui venientes in ipſum Regnum, vicerunt Chriſtianos ante Gazam urbem magnam, & multum populum Domini, eo permittente, ſtraverunt, peccatis forte eorum vel noſtris exigentibus. Et inde procedentes, civitati ſanctæ Jeruſalem gravamina intulerunt, multos Chriſtianos inibi inventos perimentes. Propter quod Odo Tuſculanus Epiſcopus Cardinalis miſſus ab Innocentio Papa in Franciam, multos Principes exhortatione ſua ad crucis ſignaculum ſubeundum animavit, & ad transfretandum cum Ludowico Rege excitavit. Apud Avinionem urbem paſſus eſt Frater Wilhelmus Ordinis Prædicatorum mortem ab hæreticis, & duo alii Fratres ejusdem Ordinis cum eo, puta Bernhardus de Rupe forti & Garſianus de Aura. Quidam Turcus cupiens effici Rex, ſecundum Vincentium, compulit matrem ſuam ad hoc, ut ipſum diceret, illegitimum fratrem Regis Turcorum pro tunc viventis, in facie Nobilium terræ. Et cum mater ſua hoc dixiſſet, ait Turcus ille Cotherinus nomine; Ex quo auditis me fratrem Regis, conſulo, ut me in Regem acceptetis, & ego vobis & regno proficuus ero. Allecti illi promiſſionibus illius, conſenſerunt ſibi, ipſum in Regem ſublimantes. Qui tranſiens de civitate ad civitatem, cepit eas in deditionem. Cumque hanc fatuitatem per IIII. menſes jam exercuiſſet, & cum XXM. armatorum jam equitaret, venit ad caſtrum Ixonium nomine, quod caput erat caſtrorum & urbium Regni; ubi mandans intromitti, ſtatim introductus eſt, & captus, & mox patibulo affixus eſt.

Triceſimo ſecundo Frederici, qui eſt Domini MCCXLVII. Tarthari iterum Turcos bello aggrediuntur, rupto fœdere, quod alias ſimul pepigerant, ut ſupra patuit anno Frederici XXVIII. ſecundum Vincentium, & totam terram eorum usque ad Iconium civitatem Regiam devaſtant. Soldanus vero Turcorum, relictis tentoriis fugere cœpit præ formidine. Habuit autem Soldanus iſte bigas XL. oneratas armis & loricis, habebatque circiter tria milia ſummariorum (ſaumariorum) ſupellectilibus ſuis oneratorum: Camelos quoque XXX. habuit bizanciis aureis ſpiſſis & latis ad palmæ latitudi-

Digitized by Google

tudinem onustos, quorum unusquisque valebat C. bizancios communes. Habebat insuper CCC. summarios Soldanis oneratos, quorum quilibet portabat XLM. Soldanorum. Habebat etiam tres scalas, in quarum una erant sex gradus, in secunda quatuor, & in tertia tres; erantque duæ primæ argenteæ, tertia vero aurea. Porro vas argenteum, de quo bibebat Soldanus vinum cum suis militibus, erat magnitudinis duorum modiorum, & amplius. Vasa quoque aurea & argentea diversimode fabricata ibi erant in multitudine tanta, quod implebatur ex eis domus una. Fertur autem, quod thesaurus Imperatoris Græcorum Emanuelis perditus ibidem, mille curribus auro & argento oneratis abductus est. Habuit quoque Soldanus sæpe dictus in exercitu suo XLM. lancearum quarum cuspides erant ex auro puro. Dominus Johannes Episcopus Lubicensis obiit, secundum Chronicas ejusdem, & electus est in locum ejus Frater Johannes Lector Ordinis Minorum. Hic autem Frater Johannes non est electus statim post mortem prædicti Johannis Episcopi defuncti, sed post sex integros annos, in quibus Canonici concordare non poterant in sua electione, uno non favente alteri honorem, primo est electus dictus Frater in Antistitem dictæ Ecclesiæ. Interim autem Dominus Albertus Episcopus Rigensis tutor extitit Ecclesiæ Lubicensis, residens in hoc loco. Monachi Ordinis S. Benedicti in Monasterio S. Johannis Evangelistæ urbis Lubicanæ degentes, secundum Chronicam ejusdem, monasterium suum pariter & civitatem deseruerunt, & in terra Wagirorum novum cœnobium fundaverunt, quod Cismariam nuncupaverunt. Causa autem recessus illorum fuit discordia inter Abbatem & Consulatum habita, quæ sedari aliter non poterat. Locum autem desolatum dicti Monasterii intraverunt Sanctimoniales Cistertiensis Ordinis de consensu Abbatis & Fratrum suorum.

Tricesimo tertio anno Frederici, qui est Domini MCCXLVIII. Adolfus Comes Holtzatiæ Frater Minor factus, secundum Chronicam Lubicensem, venit de curia Romana, & dispensationem a Papa Innocentio obtentam secum deferens, ordinatus est Sacerdos, & primam suam missam celebravit in conventu Hammeburgensi Ordinis ante dicti cum magna solennitate & concursu Nobilium & vulgarium. S. Edmundus Canthuariensis Archiepiscopus canonizatur apud Lugdunum ab Innocentio Papa Regni Francorum. Pro eodem tempore Innocentius Papa fecit Cardinales Magistrum Odonem Cancellarium Parisiensem & Fratrem Hugonem Provincialem Franciæ Ordinis Fratrum Prædicatorum. Hic Hugo primus Cardinalis fuit de illo Ordine assumtus, & fuit primus Postillator, qui totam Bibliam egregie & magistraliter postillavit, ita etiam quod secundum Ecclesia adhuc non habuerit. Plures etiam alios libros hic Doctor composuit Scholasticæ disciplinæ perutiles, ac super quatuor libros Sententiarum pulcerrime scripsit. Prœlium maximum commissum est inter Regem Ungariæ & Ducem Austriæ, secundum Vincentium, & Rex Ungariæ obtinens triumphum, interfecit Ducem & omnes Nobiles illius Ducatus, & dominium hoc jure belli devolutum est ad Regnum Ungariæ. Unde Metrista quidam ait:

Anno milleno, centeno, terque triceno,
His quinquagena si misces, oc bene disces,
Austria quod tota sit Principibus viduata,
Terraque cornuto discet servire tributo.

Gherardus & Johannes, filii Adolfi Comitis facti Frater Ordinis Minorum, revertentes de Studio Parisiensi cum Magistro eorum Hermanno magno Philosopho, secundum Chronicam Lubicensem, fecerunt ipsum Plebanum in Sancto Portu, id est Hilghenhavene. Papa Innocentius post magnum & longum tractatum habitum cum Frederico Imperatore de pace Ecclesiæ, secundum Vincentium, dum ipsius contumaciam pertinacem vidisset, occulte Januensium auxilio pervenit Lugdunum. Ubi celebrans Concilium generale cum Cardinalibus & sacro Prælatorum conventu super criminibus & excessibus gravibus Frederici Imperatoris, ipsum in die lunæ ante festum B. Mariæ Magdalenæ, omni dignitate privavit, & omnes sibi subjectos a fidelitate sua absolvit, & cum juramentis pro tali fidelitate servanda emissis sub quacunque forma dispensavit, strictissime prohibens, ne quisquam dicto Frederico tanquam Imperatori vel Regi aliqualiter obediat, aut ei auxilium aut favorem præstet, contrarium vero facientem subjecit anathemati & maledictioni perpetuæ. Insuper Principibus Teuthoniæ, ad quos de jure spectat Regis Romanorum novi electio, dedit liberam eligendi potestatem, mandans, ut quantocius ad eam procederent, quia Imperatorem in præsentiarum non haberent. Istius tam acuti & seriosi processus contra Fredericum fuit multiplex causa, ut ex Chronicis Francorum colligitur. Prima est, quia fidelitatem & juramentum, quod Ecclesiæ fecerat propter Regnum Siciliæ sibi concessum, & propter promotionem ad Imperium temerarie violavit, imo eos, qui homagium & fidelitatem Ecclesiæ fecerant, absolvit, & fecit dejerare, & eos sibi fidelitatis sacramentum præstare. Secunda fuit, quia pacem inter se & Ecclesiam factam & juramentis suis firmatam violavit, pluribus non erubescens perjuriis irretiri. Forma autem pacis & concordiæ fuit hæc: Quod remitteret omnem offensam Teuthonicis & Siculis ac aliis quibuscunque, qui contra ipsum Ecclesiæ adhæsissent. Item quod non impediret, quin postulationes, electiones & confirmationes Ecclesiarum aut Monasteriorum per Imperium & Regnum libere fierent secundum statuta Concilii generalis. Item quod tallyæ & collectæ personis Ecclesiasticis & rebus earum deinceps non imponerentur. Item quod persona Ecclesiastica de cætero civili vel criminali causa non conveniretur coram judice seculari, nisi super feodo, quod civiliter habe-retur.

Digitized by Google

retur. Item quod Templariis & Hospitalariis & aliis personis Ecclesiasticis de damnis, ipsis per se vel suos irrogatis satisfaceret competenter. Sed omnium istorum nullum penitus servavit, quia de dictis hominibus & Nobiles & ignobiles quamplures cum uxoribus & filiis eorum captivavit, & bonis omnibus spoliavit, & terras Ecclesiæ impudenter invasit. Item ipso procurante XL. vel plures sedes Archiepiscopales, Episcopales & Abbatiæ aliæque Ecclesiæ in Regno & Imperio usque ad dictum Concilium vacaverunt in grave earum præjudicium & periculum animarum, in quibus non solum possessiones, prout voluit, fecit occupari, sed etiam calices, cruces, thuribula & alios thesauros sacros ad pannos sericos fecit auferi velut cultus nominis divini contemtor. Item Clerici collectis & talliis affligebantur, & nedum ad judicium seculare trahebantur, sed etiam, ut asserebatur, subire duellum cogebantur, incarcerabantur, occidebantur, & in patibulis in opprobrium clericalis Ordinis cruciabantur. Templariis etiam & aliis in nullo satisfecit. Tertia causa est: sacrilegium quoddam, quod perpetraverat, emendare recusavit. Nam cum Oddo Portuensis Episcopus & Jacobus Penestrinus Episcopus Cardinales & Apostolicæ sedis legati, ac quamplures Ecclesiarum Prælati & Clerici tam religiosi quam seculares irent ad Papam pro Concilio celebrando, quod post idem Fredericus jusserat convocari, ipsos in mari circa Pisas capi fecit, quibusdam eorum submersis & nonnullis interemtis, aliis hostiliter fugatis, & bonis eorum privatis, & de loco ad locum in Regno Siciliæ opprobriose deductis, & ibidem diris carceribus cruciatis. Quarta causa fuit pravitas hæretica, de qua argumentis efficacibus non immerito suspectus habebatur, primo quia excommunicatus per dictos duos legatos & per Gregorium Papam contemnens fecit sibi divina profanari, constanter affirmans præfati Papæ sententiam non vereri, & sententias, quas ipse, contemtis clavibus Ecclesiæ contemserat, cogebat alios non servare. Et sic illud privilegium Ecclesiæ a Domino Jesu traditum, quodcunque ligaveris, etiam ipsi Ecclesiæ vel diminuere aut auferre satagebat, quod est hæreticum, ut patet in Decretis XXII. Di. c. Omnes. Secundo quia Sarracenis conjunctus erat amicitia, ipsorumque ritus amplectebatur. Uxoribus etiam, quas habebat successive, more Sarracenorum eunuchos castrari fecerat, & pro custodia deputabat: Quod quoque execrabilius est, cum esset in partibus transmarinis, facta compositione cum Soldano Babyloniæ, cui nomen Mahumeth, in domo Domini diebus & noctibus permiserat publice proclamari nomen Dei Sarracenorum Mahumeth. Vasthasio etiam Ecclesiæ inimico & excommunicato filiam suam tradiderat in uxorem. Pluraque alia commiserat nefanda, in quibus incorrigibilis & religionis inimicus apparebat. Eodem anno procuravit Innocentius Papa Henricum Lantgravium Thuringiæ eligi in Regem Romanorum. Lodowicus Rex Francorum arripiens iter Jerosolymitanum, secundum Vincentium, venit in Regnum Cypri, & ibidem hyemavit. Rex vero Cypri cum omnibus Nobilibus & Prælatis Regni sui signum crucis assumens, juravit, se cum Rege Francorum profecturum contra Sarracenos. Ivit etiam cum Lodowico Rege, Oddo Episcopus Tusculanus Cardinalis & Apostolicæ Sedis legatus. Cum autem Terram Sanctam intrarent Christiani, fugerunt Pagani de Damiata urbe, & Christiani mox eam ceperunt die VIII. post festum S. Trinitatis. Fuerunt etiam in hac expeditione cum Rege Franciæ & Cypri Robertus Comes Atrebatensis & Karolus Comes Andegavensis, & multi Episcopi & Barones Regni Francorum. Capta ergo Damiata urbe, processit Lodowicus Rex cum Rege Cypri & aliis Principibus contra Sarracenos, qui in Massagora civitate Ægypti convenerant. Cum autem Christianorum exercitus transire deberet vadum cujusdam fluminis, Pagani cum arcubus & balistis cæterisque instrumentis bellicis transitum occupaverunt. Sed gloriosus Deus servis suis assistens, deduxit eos per compendium viæ, ne in manus inciderent impiorum. Pervenientes autem ad civitatem prædictam, innumerum populum congregatum invenerunt, cum quo Christiani in nomine Domini congressum facientes, ultra VIIIM. de Sarracenis prostraverunt, & urbem expugnando plures captivaverunt. Habita ergo urbe Massagora, plures Christiani spoliis & deprædationibus vacantes, dimisso exercitu suo, ad opida circumjacentia accelerarunt, ut ea devastarent & spoliarent. Super quos Pagani irruentes, qui in insidiis latuerant, multos occiderunt & captivaverunt. In his diebus mortuus est Soldanus Babyloniæ, & reliquit post se filium. Qui patre defuncto, de partibus orientalibus maximum exercitum adducens, cœpit prœliari contra Christianos. Lodowicus autem Rex Francorum videns fortitudinem hostium, retrocessit cum suis, in urbe Damiata se salvare intendens. Sed Sarracenorum multitudo ipsum persequens, cepit ipsum cum duobus Comitibus suis & aliis multis Nobilibus. Quibus in vinculis conjectis, Rex Cypri cum cæteris, qui evaserant, colloquia amicabilia cum filio Soldani defuncti fieri procuravit, in quibus concludebatur, quod pro redemtione Regis Francorum & omnium suorum captivorum Damiata urbs reddi deberet Soldano libera, & XIIM. Bizantiorum subrogari eidem, & sic libertati restitui. Quæ cum sigillata & laudata fuissent ab utraque parte, populus vulgaris Sarracenorum dissentiens & reclamans Soldanum furibundus interfecit, captivos vero Christianos, qui in Deum suum Mahumeth credere promittebant & fidem Christianam deserere, servituti suæ subjiciebant, qui vero hoc facere contemnebant, gladiis perforabant, exceptis Principibus & paucis Nobilibus, quos exactionabant secundum eorum statum & facultatem, & abire sinebant numero fere quingentos de XIIM.

Digitized by Google

De Henrico Rege Romanorum.

Henricus Raspe Lantgravius Thuringiæ regnare cœpit anno mundi VMCCVIII. Olympiadis CCCCXCVI. anno quarto, urbis conditæ MDCCCCXCIX. Domini vero MCCXLVIII. & duobus annis regnavit, secundum Martinum. Hic Rex electus est a duobus Archiepiscopis Moguntino scilicet & Coloniensi, approbante eorum electionem Innocentio Papa. Hic Raspe fuit cognominatus, pro eo quod Raspenberg castrum fundaverat. Ipse autem in sangvine proprio suffocatus interiit, & caruit benedictione Imperiali, unde in numero Imperatorum ponendus non est, sed solum Regum Romanorum.

Primo anno Henrici, qui est Domini MCCXLIX. Innocentius Papa prædicari fecit crucem contra Conradum Frederici II. Imperatoris destituti filium circa fines Franciæ & Theutoniæ, ut eo promtius homines irent contra ipsum in auxilium Henrici Regis Romanorum. Innocentius Papa misit quendam Anschelinum Fratrem Ordinis Prædicatorum, secundum Vincentium, cum tribus aliis Fratribus, puta Simone de S. Quintino ejusdem Ordinis, Johanne de Plano Carpino & Benedicto Polono Ordinis Fratrum Minorum, cum literis Apostolicis ad exercitum Tartharorum, qui protunc fuit in Perside distante ab Acon sive Akron ad XLVIII. vel amplius diætas. In hujusmodi autem literis Papa hortabatur Tartharos, ut ab hominum strage desisterent, & fidei veritatem reciperent. Fratres autem præfati iter sanctum arripientes, tandem cum maximis laboribus ad exercitum Tartharorum pervenerunt, cujus Princeps Bayotni vocabatur. Audiens autem Bayotni in tentoriis sedens in vestimento deaurato advenisse Fratres, misit ad eos de Baronibus suis quosdam cum interpretibus de Græcis & Latinis, ut interrogarent eos, cujus nuncii essent. Quibus Frater Aschelinus tanquam principalis legatus respondit: Ego sum Domini Papæ nuncius, qui apud Christianos dignitate major est omni homine mortali. In hoc verbo illi multum scandalizati & indignati dixerunt: Numquid non scit Papa tuus, quod Cham est Dei filius, & quod Bayotni est ejus Princeps. Quibus respondit Frater: Quis sit Chaam, quis Bayotni, Dominus Papa nescit, nec eorum nomina unquam audivit. Sed hoc a pluribus audivit, quod gens quædam, quæ Tartharorum dicitur, de finibus orientalibus jam dudum exivit, & plures regiones dominio suo subjugavit, ac nulli parcens hominum conditioni, infinitam multitudinem stravit. De qua strage ipsum multum dolens, & maxime de Christianorum cæde, & ideo de consilio Fratrum suorum Cardinalium misit nos ad Principem exercitus Tartharorum, exhortans ipsum & omnes alios, qui ei obediunt, ut amplius ab hominum interfectione, & maxime Christianorum cessent, ac de perpetratis flagitiis pœniteant, prout tenor literarum suarum plene manifestat legentibus. Rogamus ergo eum per vos, ut Domini Papæ literas recipiat, & viso illarum tenore, per suas literas vel per nuncium vel saltem de solo verbo per me Domino Papæ respondeat. His itaque dictis, Barones prædicti ad suum dominum sunt reversi, & verba Fratris quoad omnia puncta ei retulerunt. Cumque quasi per unius horæ spatium in tentoriis Tartharorum Barones perdurassent, tandem mutatis vestibus ad Fratres redeuntes dixerunt: Si vultis faciem Domini nostri videre, & ei Domini vestri literas præsentare, oportet, ut eum adoretis tanquam filium Dei regnantem super terram terna genuflexione. Quod cum Fratres facere omnino renuerent, sed dicerent, se velle ei reverentiam facere tanquam terrarum Principi capite inclinato & caputio deposito propter bonum pacis, licet talis reverentia Pagano non sit exhibenda saltem a Dei Sacerdotibus & Christianis. Cumque Barones responsa Fratrum audissent, indignati valde, ad dominum suum sunt reversi, & Fratres tanquam rebelles & læsæ Majestatis reos accusaverunt. Batyoni autem hæc audiens, sententiam decollationis contra eos tulit, quam utique executioni mandasset, nisi Deus aliter de servis suis ordinasset. Nam una de uxoribus Batyoni veniens, hoc fieri omnibus modis dissvasit, eo quod & nunciis suis consimile contingere assereret, ad quascunque terras eos in futurum missurus esset. Cujus persvasione prudenti mitigatus Princeps sententiam latam mutavit, & iterum mittens Barones cum scribis, notariis & interpretibus, fecit literas Domini Papæ ad idioma Tartharicum transferri & escribi. Quibus literis intellectis, mox Domino Papæ rescribens, tales fieri fecit literas: Dispositione divina ipsius Chaam transmissum verbum Batyoni. Papa ita scias, tui nuncii venerunt, & tuas literas ad nos detulerunt, in quibus taliter scripseras: Homines multos occidis & interimitis ac perditis. Præceptum Dei stabile & statutum ejus, qui totius orbis faciem continet, ad nos tale est: Quicunque statutum meum audierit, super propriam terram & patrimonium suum sedeat; qui autem præceptum & statutum meum non audierit, sed irritum ipsum fecerit, deleatur & perdatur. Nunc super hæc istud statutum vobis transmittimus. Si vultis super terram vestram & patrimonium vestrum sedere, oportet, ut tu Papa in propria persona ad nos venias, & ad eum, qui totius orbis faciem continet, accedas. Si vero præceptum Dei nostri stabile non audieris, iram ipsius tibi thesaurizabis. Responsum hujus præcepti & transcripti cito ad nos remittas, & si venire volueris aut inimicus manere, significes. Istud præceptum in manu Aybeg & per manus Sargis. His literis receptis, Frater Aschelinus cum sociis suis in magnis periculis & laboribus ad Papam Innocentium est reversus. Apud Iconium in quodam Palatio crux quædam erat sculpta, secundum Vincentium, quidam autem joculator ibidem coram omnibus cum urso lusit; ursus vero, levato crure, supra illam crucem minxit, & statim omnibus videntibus exspiravit. Cum autem

tem Sarracenus quidam hoc videret, & attenderet, Christianos de hoc gaudere, ac Deum de illo miraculo benedicere, doluit, & indignatus, crucem contemtibiliter manu sua percussit. Quo facto, mox manus ejus cum toto brachio exaruit. Alius quoque Sarracenus a potatione surgens & illam Christianorum benedictionem parvi pendens, in contemtum Christianitatis super crucem mingere disposuit, sed subitanea morte præventus periit. Abel Dux de Sleswic venit cum Teuthonicis in Füne terram Danorum, secundum Chronicam eorundem, & igne succendens opidum Odenze, incineravit ipsum, & plures villas gladio vastavit, Erikus autem Rex Danorum fratris fugiens furiam, ascendit castrum Swyneburg. Erikus Rex Sveorum obiit in Gotlandia, secundum Chronicam Lubicensem, propter cujus mortem populares Regni rusticum quendam sibi præfecerunt in Regem. Qui Regnum acceptans, plures Nobiles occidit, scribens se pro Duce Sveorum, & non pro Rege. Hic plura privilegia Lubicensibus contulit & mercatoribus Teuthonicis in Regno suo negotiantibus.

Secundo anno Henrici, qui est Domini MCCL. Erikus Rex Danorum, secundum Chronicam Danorum, contra Lubicanam urbem se erigens, damna perplura illi civitati intulit, mercatores quosdam in Scania captivando, sicut a patre suo Woldemaro factum audiverat, & alios in mari spoliando. Cives vero urbis ante dictæ quarundam civitatum freti auxilio, naves armatorum multitudine onustas plures & magnas versus opidum Copenhaven direxerunt, & expugnantes tam opidum quam castrum ceperunt, & ad solum usque destruxerunt, cum magna præda Lubeke revertentes. Fredericus II. post suam depositionem ab Imperio, secundum Egghardum, cum inter cæteras civitates Lombardiæ urbem Parmam tanquam sibi magis exosam forti manu vallasset, & a legato Domini Papæ & a Parmensibus viriliter persequeretur, tandem victus est ab eisdem: Qui amissis thesauris & aliis rebus suis, in Apuliam rediens, ibidem in infirmitatem cecidit gravem, & sine pœnitentia ac Sacramentis Ecclesiasticis in anathematis vinculo est defunctus. In qua infirmitate positus, Manfredus filius ejus concubinarius Regnum Siciliæ ambiens & thesaurum ejus uno Secretario Regis conscio, timens, ne convalesceret, cervicali super faciem posito suffocavit eum. Et sic per tale nefas Regnum obtinuit, quousque dum Karolus frater Regis Franciæ tunc Comes Provinciæ per Urbanum IV. vocatus, & sub Clemente IV. veniens, ipsum Manfredum regno & vita privavit. Post mortem vero dicti Frederici in duas partes Electores Imperii se dividentes, quidam Regem Castellæ & quidam Comitem Cornubiæ fratrem Regis Angliæ in Regem Romanorum elegerunt. Henricus Rex Romanorum de Lantgravio Thuringiæ Rex factus, secundum Vincentium, defunctus est, in cujus locum per ordinationem Innocentii Papæ Wilhelmus Comes Hollandiæ in Regem Romanorum est electus.

De Wilhelmo Rege Romanorum.

Wilhelmus Comes Hollandiæ regnare cœpit anno mundi VMCCX. Olympiadis CCCCXCIX. anno primo, Urbis conditæ IIMI. Domini vero MCCL. & VII. annis regnavit. Hic in Missya est electus feria V. post festum Michaëlis, secundum Vincentium, & a Wilhelmo Episcopo Sabinensi Cardinali coronatus. Sed propter insolitam coronationem multi Principes ipsum Regem nominare dedignabantur. Cives quidem Aquisgrani ipsum recipere recusabant, Frederico deposito, fidem servare volentes. Propter quod Papa crucem contra civitatem dictam prædicari fecit. Eodem tempore Henricus frater Comitis Gelriæ in favorem Wilhelmi Regis, cujus sororis filius ipse erat, factus est Leodiensis Episcopus, & cum Rege fuit in obsidione Aquisgrani. Caruit autem Wilhelmus Rex benedictione Imperiali, & in numero Imperatorum non ponitur.

Primo anno Wilhelmi, qui est Domini MCCLI. Erikus Rex Danorum venit in Sleswik ad Abel fratrem suum Ducem de Sleswic, secundum Chronicam Danorum, nihil mali suspicans, eo quod anno præcedenti discordia eorum sopita fuerat. Existens ergo in solatiis, & ludens in Schako cum Hermanno Kerkwerder milite, captus est per Lagonem militem in nocte S. Laurentii ex ordinatione Abel Ducis. Quem prædictus Lago in parva navi vexit in aquam Sly, & ibidem decollatum dimersit in profundum, Abel vero extincto fratre suo Eriko Rege, intravit Daciam, ubi electus in Regem, coronatus est in die omnium Sanctorum cum Mechtilde uxore sua. Miles autem ille Lago, Erici Regis interfector non audens diutius morari in Ducatu Sleswicensi, tulit substantiam suam, & se transtulit in opidum Kil terræ Holtzatorum. Una ergo dierum idem Lago ludens ad aleam rixari cœpit cum socio suo. Qui pugionem extrahens, ipsum transfodit, facinoris sui talionem in ipsum retorquens. Hermannus etiam Kerkwerder miles, qui cum Eriko Rege luserat ad Schakos; & proditionis forte conscius fuerat, a fossoribus & rusticis interemtus est. Fernando Rege Castellæ Tholosæ existente, secundum Vincentium, quidam Judæus volens locare vitem quandam in terram, reperit in quodam antro profundo libellum in asseribus ligatum, quantitatem unius Psalterii tenentem. In hoc quidem libro facta fuit mentio de tribus mundi ætatibus, quarum tertia ad tempora Antichristi foret duratura. De hac ætate ibidem scriptum erat sic: In principio ætatis tertiæ nascetur Jesus Christus unigenitus Dei filius ex Maria Virgine, & liberabit mundum morte sua pretiosa. Hanc Scripturam cum Judæus ille legisset, mox cum omni familia sua cucurrit, & se baptizari fecit. Wilhelmus Rex Romanorum, secundum Wilhelmum, duxit in uxorem filiam Ottonis Ducis de Brunswic

Digitized by Google

wic Helenam nomine, quorum nuptiæ celebratæ sunt in Brunswic. In quarum nuptiarum prima nocte, corruit palatium incendio consumtum, de cujus conflagrationis periculo vix Rex cum Regina evasit. Duo autem sartores in consuendis Regalibus vestibus occupati incendio illo perierunt, & corona Regalis cum multis clenodiis igne consumta est. Palatium autem istud situm erat apud Ecclesiam S. Blasii, ubi & in præsentiarum simile locatum est juxta leonem æreum, quem Henricus Leo erexerat in memoriam perpetuam nominis sui. Erico Danorum Regi hoc anno interfecto, ante suam necem in lecto quiescenti, secundum Egghardum, apparuit per visum S. Wenzlaus Martyr Dux quondam Bohemorum, & quod suæ mortis genere mori deberet, sibi insinuavit, ac ut sibi Monasterium construeret, injunxit. Qui jussa perficiens, cœpit ad honorem S. Martyris in Revalia urbe terræ Estlandiæ Monasterium fundare Ordinis Cistertiensis magnarum possessionum, sed antequam consummaret cœnobium, occisus est secundum revelationem S. Martyris. In Burgundia per terram solutam a montibus, secundum Vincentium, circiter VM. hominum suffocati sunt. Nam ingens mons ab aliis se dividens per plura miliaria cujusdam vallis transiens, ad alios montes accessit, in valle omnes villas terra & lapidibus operiendo. Eodem tempore & in Toleto Hispaniæ quidam Judæus, minuendo unam rupem pro vinea locanda & amplianda, in medio lapidis invenit concavitatem unam, nullam penitus divisionem habentem neque scissuram. Et in concavitate illa invenit unum librum quasi folia lignea habentem; qui quidem liber tribus linguis scriptus, puta Hebraica, Græca & Latina, tantum de litera habebat, quantum unum Psalterium, & loquebatur de triplici mundo ab Adam usque ad Antichristum duraturo, proprietatem hominum cujuslibet mundi exprimendo. Principium vero tertii libri posuit de Christo sic: In tertio mundo Filius Dei nascetur ex Maria Virgine, & pro hominum salute patietur. Quod legens Judæus, mox cum tota domo sua baptizatus est. Media pars urbis Lubicanæ terræ Wagirorum incinerata est in die Sancti Barnabæ Apostoli, secundum Chronicam ejusdem, & ex illa die statutum est a Consulatu, ut, qui domum aliquam reformare vel novam ædificare vellet, non de luto, sed de lateribus ipsam faceret. Et sic civitas Lubicana antea lutea facta est lateritia.

Secundo anno Wilhelmi, qui est Domini MCCLII. Frater Petrus Veronensis, Prior Conventus Cumanensis Ordinis Prædicatorum, secundum Vincentium, occiditur pro fide Catholica, & Martyr consecratur. Hujus S. Martyris epitaphium Albertus Magnus componens, in ipsius sepulcro sculpi fecit tale:

Præco, lucerna, pugil Christi, mundi fideique
Hic silet, hic tegitur, jacet hic mactatus inique.

Hic a Domino Innocentio IIII. Papa missus contra hæreticos, ab ipsis Sabbato in Albis interficitur. Eodem vero anno Dominica prima Quadragesimæ sequentis fuit per eundem Papam Catalogo Sanctorum ascriptus, festum vero ejus mutatum fuit propter celebritatem Dominicæ Resurrectionis, quæ ut sæpius pro tunc occurrit puta Nonis Aprilis, & institutum est celebrari KL. Maji. Passus est etiam cum eo socius suus Frater Dominicus, qui ibidem letaliter vulneratus, V. die cœlum penetravit sangvine laureatus. Cum autem B. Petrus adhuc vivens quendam hæreticum in urbe Cumana convertisset, & ille per alios hæreticos iterum fuisset seductus & relapsus, accidit, ut S. Petrus ipsum visitaret. Qui respuens ejus consortium, domum suam sibi interdixit. A quo cum Petrus causam quæreret, dixit seductus: Decepisti me verbis tuis fallacibus. Ad quem Petrus: Quomodo tibi constat, quod te deceperim. Respondit hæreticus: Fratres mei duxerunt me ad quoddam templum miræ altitudinis & pulcritudinis, in quo vidi Christum & ejus matrem cum tota cœlesti curia in cathedris sedere aureis, a quibus sum misericordiam consecutus, & a quibus audivi, quod tu falsa doces. Cui Petrus ait: Si ista vera sunt, & hæc cum tuis poteris & mihi ostendere, adhærebo & ego tuis, & quæ prædicavi, revocabo. Quod verbum hæreticus detulit ad suos complices. Et gavisi valde, crastinum diem statuerunt, ut S. Petrum ad locum præfatum ducerent. Petrus autem mane consurgens, missam celebravit, & duas hostias consecrans, unam in missa sumsit, & alteram in quadam pyxide reverenter deposuit. Quam secum deferens sub cappa, cum hæreticis ad locum spectaculi perrexit. Qui videns claritatem palatii, & fulgorem residentium in eo ac pulcritudinem assistentium, subrisit. Tunc illa, quæ ab hæreticis credebatur Mater Dei, dixit S. Petro: Cur maledicte Petre cum erroribus tuis decipis creatos & redemtos per filium meum? Cui Petrus: Quæ estis vos, quæ talia dicitis? Ego inquit, sum Mater Dei, & hic est Jesus Christus filius, & hi sunt Angeli servientes filio meo & mihi. Tunc S. Petrus extrahens Corpus Dominicum de pyxide, ait: Si vos estis Mater Dei, & hi Angeli vestri, exhibete reverentiam filio vestro, & ipsum adorate. Ecce verus Filius Dei & Filius Virginis Mariæ. Quo viso, mox diabolica illa illusio cum strepitu maximo & clamore horribili evanuit, & invenerunt se omnes in loco fœtido & immundo constitutos. Quod videntes hæretici, relictis erroribus suis, ad veram fidem sunt conversi. Ad instantiam Lodowici Regis Francorum magna pars S. Crucis a Constantinopoli Parisius est translata, secundum Wilhelmum. Hæc quidem Crucis delatio est facta per Lodowicum Regem, cum de captivitate reverteretur de partibus transmarinis, de qua supra dictum est. Henricus miles cognomento de Myldorpe, secundum Chronicam Lubicensem, bellum gessit cum Abel Rege Danorum in Selandia. Et victo-

Digitized by Google

victoriam Henricus obtinens, stragem maximam fecit de Danis; Rex vero collecto populo vindicare se volens, intravit Frisiam vicinam Dithmarsis, eo quod Frisones illi Henrico militi auxilio fuissent, & cum ipsis confligens, mox victus est ab illis & interfectus, & Christoferus frater ejus Regnum Danorum est adeptus. Audiens autem Woldemarus filius Abel Regis, in Studio Bononiæ degens, patrem suum interfectum, Lombardiam reliquit, & veniens prope Coloniam, a vasallis Archiepiscopi Coloniensis capitur, & custodiæ mancipatur. Hic postea redemtus per avunculum suum Johannem Comitem Holtzatorum, qui in eodem Studio secum steterat, solvit pro eo sex milia marcarum argenti puri. Qui Woldemarus veniens in patriam, factus est Dux in Jutia per Christoferum Regem in opido Koldinghen.

Tertio anno Wilhelmi, qui est Domini MCCLIII. Urbis Sundensis cives infesti esse cœperunt Lubicensibus, secundum Chronicam eorundem, & præjudiciales in multis. Quod valde ægre ferentes cives de Lubeke, & eorum præsumtionem ac poterviam a se removere satagentes, classem nauticam viris armatis & bellicis instrumentis copiose oneratam eduxerunt, & mare transeuntes, urbem Sundensem prædictam in Circipanorum terra sitam obsidione gravi vallaverunt, & tandem eam expugnantes, virtute magna ceperunt, spoliaverunt, & gladiis suis innumeros peremerunt. Potiores vero cives & pecuniosos captivantes, secum Lubeke deduxerunt. In hoc autem bello & in pluribus aliis, in quibus contra Danos & alios eorum hostes dimicantes, victoria potiti sunt Lubicenses. Capitaneus & Dux exercitus eorum fuit strenuus & victoriosus ille Burgimagister eorum Alexander de Soltwedele, qui probitate sua & virtute hoc promeruit, ut ipse simul cum fratre suo Arnoldo in Consulatu sederet, quod nec per antea nec in antea ullis duobus fratribus concessum est ibidem, nec juxta statum prælibatæ urbis in perpetuum concedetur. In Hallis Sveviæ perfidissimi pullulaverunt hæretici, secundum Vincentium. Hi claves Ecclesiæ parvi pendentes, contra S. Ecclesiam in publicis stationibus latrabant ut canes. Bernhardus Episcopus de Padelbrunna obiit secundum Egghardum, cui successit Dominus Symon de Lippia, cujus frater Hermannus electus fuit pro eodem tempore in Episcopum Monasteriensem, pater vero eorum Bernhardus factus est Monachus in Corbeya, deinde factus est Abbas in eodem Monasterio, & demum factus est Episcopus Mindensis. Opinio vehemens suscitata est in populo de Frederico II. Imp. destituto, quod adhuc viveret, & quod pluribus locutus esset in castro Kufhusen nunc deserto terræ Thuringiæ. Iste Fredericus fuit ultimus Imperator de sangvine Principum de Brunswic, quia post Conradum IIII. & Henricum VI. Imperatores, iste obiit de progenie prædicta. Hic, inquam, Fredericus II. dicendus est magis vocalis quam realis sive naturalis filius Henrici VI. Quod sic patere potest. Nam idem Henricus VI. Constantiam duxit sexagenariam in uxorem anno DN. MCLXXVI. Peperit autem Fredericum istum anno DN. MCXCV. puta anno ætatis suæ LXIX. Nolunt ergo quidam credere, Constantiam in tali ætate peperisse, & ob hoc creditur fallaciter introisse progeniem Principum de Brunswic. Huc usque Frater Vincentius, Lector Conventus Januensis Ordinis Prædicatorum Speculum suum Historiale produxit, prout patet ipsum Speculum intuenti. Iste venerabilis Pater tria solennia fecit Specula puta Doctrinale, in quo fundamenta & nucleum posuit omnium scientiarum in universali, incipiendo ab inferiori facultate puta Grammatica, & ulterius gradatim procedendo per singulas scientias usque ad Theologiam inclusive. Secundum, quod fecit, dicitur Naturale, in quo omne, quod naturalem concernit cursum rerum & earum notitiam luculenter edocet. Tertium intitulatur Historiale, in quo facta omnium Principum spiritualium & secularium aliarumque utriusque sexus personarum acta describit. Inseruit etiam eidem libro diversorum Doctorum flores & doctrinas notabiles ac passiones Sanctorum sanctarumque personarum, propter quæ opera ipsius memoria gloriosa est in Dei Ecclesia. Wilhelmus Romanorum Rex solennem indixit curiam Principibus omnibus in Frankenford celebrandam, secundum Egghardum. Ad quam visitandam cum se Otto Dux de Brunswic disponeret, præventus morte obiit in festo SS. Primi & Feliciani anno vitæ suæ XLVIII. relinquens post se IIII. filios, puta Albertum, Johannem, Conradum & Ottonem. Albertus autem successit patri in Ducatu Brunswicensi & Johannes in Ducatu Luneburgensi, sed Conradus factus est Episcopus Verdensis & Otto Episcopus Hildenshemensis. Gwido Comes Flandriæ & Fredericus Comes Barensis, secundum Wilhelmum, devicti & capti sunt in Selandia in die S. Odalrici; ubi etiam capti sunt & occisi circiter LXM. armatorum, Comes autem Barensis ibidem amisit oculum captus & tentus a Comite de Clivis.

Quarto anno Wilhelmi, qui est Domini MCCLIV. Christoferus Rex Danorum coronatur, secundum Chronicam Lubicensem, in opido Yderstad terræ ipsius.

De Alexandro IIII. PP. CLXXXIX.

Alexander Papa, natione Campanus ex patre Dominico, sedit annis VIII. & mense uno, secundum Martinum. Hic prius dictus Reynerus & postea Alexander, canonizavit Anagine S. Claram Ordinis S. Damiani & plures alios Sanctos & Sanctas catalogo Sanctorum sociavit. Reprobavit etiam duos libellos valde pestiferos Wilhelmi de S. Amore Canonici Beluacensis, quorum unus tenuit, quod omnes Religiosi etiam Verbum Dei prædicantes & de eleemosynis viventes salvari non possent. Alter vero asseruit inter cætera erronea, quod Ewangelium Christi & doctrina Novi Testamenti, sicut nec Veteris, ad perfectionem neminem perducit, & quod

& quod evacuanda sit post MCCLXIX. annos, & quod in LX. anno inchoari debeat doctrina Joachim, quam ipse Ewangelium Æternum nominavit, totam perfectionem salvandorum illi attribuendo. Albertus Dux de Brunswic, secundum Egghardum, reformavit castrum Hartesburg jam duabus vicibus destructum; hoc tamen promiserat Gerardo Archiepiscopo Bremensi se nunquam restauraturum, eo quod stratæ communi esset onerosum, & sui inhabitatores frequenter esse consveverunt raptores, prout & in præsentiarum existunt. Fredericus Razeburgensis Episcopus diem clausit extremum, secundum Obotritorum Chronicam, cui in sedem successit Odalricus de Bluchtere, vir magnæ probitatis. Johannes IV. Ordinis Prædicatorum Magister generalis natione Teuthonicus, antea Bosnensis Episcopus terræ Ungariæ obiit. Hic electus erat in Magistrum in Capitulo Parisiensi celebrato anno DN. MCCXLII. Qui existens Provincialis Ungariæ factus est Episcopus Bosnensis, cessit tamen Episcopatui ex dispensatione Papæ, & factus est Provincialis Lombardiæ, postea vero electus est in Magistrum, cui electioni renitens, defendit se Episcopali exemtione, sed per privilegium Domini Gregorii Papæ, quod tunc Fratres propter hoc ipsum impetraverant, compulsus est officium suscipere. Hic vir Dei plenus omni virtute fertur vivus & defunctus miraculis claruisse. Conradus Rex Siciliæ filius Frederici II. ut defuncto patre Regnum prædictum susciperet, secundum Wilhelmum, per mare in Apuliam pervenit, & expugnata Neapoli urbe Regia, muros ejus funditus evertit, qui non diu post a medicis intoxicatus periit.

Quinto anno Wilhelmi, qui est Domini MCCLV. Orta est nova secta hæreticorum, secundum Wilhelmum, & primo visa est in urbe Parisiensi. Hanc sectam professi nominabant se Pastores, quorum non fuit numerus. Venerunt autem Parisius, in principio se habentes ut viri sancti, & ideo a laicis sunt recepti & approbati in tantum, ut etiam cum ipsis contra fidem sentirent. Dicebant enim, se habere autoritatem benedicendi, consecrandi, baptizandi, ligandi & solvendi, & hanc autoritatem a Clericis tam inferioribus quam superioribus esse ablatam asserebant. Et dum Clerus eorum erroribus resistere vellet, irruerunt in eos, & plures ex eis occiderunt de Fratribus Prædicaribus (forf. legend. Prædicatoribus), Minoribus & cæteris Clericis, removentes ipsos cum indignatione de prædicationis loco. In ipsum vero Episcopum Parisiensem insultum facientes exprobraverunt, & sic inter Clerum & populum maximum concitaverunt tumultum, sed auxiliante Domino, tota eorum depressa est præsumtio. Nam primum ab Episcopo sunt excommunicati, & postmodum a Rege & populo interfecti. Alexander Papa viris religiosis & maxime Fratribus Prædicatoribus & Minoribus extitit beneficus & gratiosus, secundum Egghardum. Qui quidem Fratres licet sint de jure communi privilegiati & licentiati ad prædicandum Verbum Dei & ad audiendum Confessiones fidelium in omnibus diœcesibus, ubi Episcopis semel fuerint præsentati, ut patet in Clementinis R. de Sepulturis. Est dudum: tamen ipse de speciali favore & gratia prædictis Fratribus dedit privilegium declaratum juris ad obstruendum ora loquentium iniqua. In hoc quidem indulto præcipit omnibus Archiepiscopis & Episcopis requisitis per dictos Fratres cum indulto prælibato, quod faciant in suis diœcesibus a subditis suis Presbyteris vel laicis reclamari, revocari & retractari tanquam falsum & erroneum, siquis eorum dixerit vel dixisse deprehensus fuerit aut docuisse publice vel occulte, quod volentes confiteri prædictis Fratribus præsentatis, ut præmissum est, teneantur primo petere licentiam a Plebanis suis, & quod defensores illorum talia dicentium sint habendi tanquam rebelles Romanæ Ecclesiæ. Et siqui talia docuisse deprehensi fuerint, & ea revocare recusaverint ad primam Episcoporum jussionem, debent ad hoc compelli per excommunicationis sententiam & per privationem beneficiorum suorum. Hujus autem Alexandri IV. bulla super hujusmodi materia est in Magdeburg in conventu Fratrum Minorum, & incipit: Ad audientiam, nec dubium, quin etiam sit apud Fratres Prædicatores in eodem vel in alio loco.

Sexto anno Wilhelmi, qui est Domini MCCLVI. Lodowicus Dux Bayoariæ, secundum Wilhelmum, uxorem suam Sinwerdem decollari præcepit, falsum crimen ei imponendo, ut forte aliam ducere posset. Rigensis Episcopatus factus est Archiepiscopatas per Alexandrum IV. ex ordinatione Alberti Episcopi ejusdem Ecclesiæ. Wilhelmus Rex Romanorum, secundum Wilhelmum, navali bello Frisones vicit, & eos sibi subjugavit, VM. circiter interfectis. Hoc anno, secundum quosdam Lodowicus Rex Francorum de captivitate in patriam rediit, siquidem post liberationem suam a captivitate, de qua se redemerat & suos cum CM. Byzanciorum, remansit in urbe Acon sive Akron, & aliis illius terræ munitionibus fere per sex annos, ad regionis illius munitionem, antequam repatriaret. Nec per illud tempus panem suum otiosus comedit, sed civitatis Acon & castri Caiphas turres & muros, qui ceciderant, reparavit in propriis expensis, Cæsaream quoque, Joppen & Sidonem urbes muris & turribus cinxit. Postquam autem in Franciam rediit, statuta multa pro Regni reformatione condidit, oppressiones pauperum, acceptiones munerum, omnia verba turpia vel in contumeliam vergentia aut contemtum Dei, matris suæ benedictæ aut Sanctorum ejus, ludosque taxillorum, fornicationes & frequentationes tabernarum, meretricia & cætera multa sub magnis pœnis prohibuit edicto publico. Post quod quidem edictum civis quidam Parisiensis in Deum publice blasphemavit, quem Rex mox candente ferro cauterizari fecit in terrorem aliorum. Ayto Magnus Rex Armeniæ, secundum

Digitized by Google

dum Egghardum, venit de partibus longinquis ad Mangotan Imperatorem Tartharorum, qui solenniter receptus est ab eo & gratiose tractatus, deditque Imperator Regi autoritatem & facultatem petendi, quodcunque vellet, & ipse in omnibus eum exaudire promisit. Petivit ergo Ayco Rex Armeniæ septem petitiones: prima fuit, quod Imperator dignaretur fieri Christianus; secunda, quod pacem perpetuam cum Christianis teneret: tertia, quod omnes Christiani in ditione sua positi liberi essent ab exactionibus: quarta, quod mitteret populum in Terram Sanctam ad recuperandam eam Christianis: quinta, quod præciperet Tartharis in Turkia habitantibus, ut destruerent civitatem Baldach, & Principem ejus Kalif occiderent, quod Christianis gravis esset: sexta, ut sibi privilegium daret, quod in suis necessitatibus Tartharos evocare posset in auxilium: septima, quod antiquas libertates & jura Armenorum inter Tartharos habitantium innovaret & confirmaret. In his septem petitionibus fuit Rex Ayto ab Imperatore Mangotan clementer & efficaciter exauditus Dominus de Cocyato tres nobiles pueros cuniculos in nemore suo insequentes capi fecit, secundum Wilhelmum, & ante causæ, generis & ætatis cognitionem suspendi in patibulo. Quod Lodowicus Rex audiens, doluit vehementer, & ad talionem illum maleficum damnare volens, sed cum pace Regni non valens, tandem pro vita sua maledictus ille XM. librarum dedit, & duas capellas ad celebrandum missas cotidie in perpetuum pro pueris instituit, Rex autem cum pecunia illa scholas & dormitorium Fratrum Prædicatorum Parisius & Ecclesiam Fratrum Minorum ibidem construxit.

Septimo anno Wilhelmi, qui est Domini MCCLVII. Comes de Berneburg Bernhardus, secundum Chronicam Lubicensem, duxit in uxorem filiam Abel Regis Danorum interfecti & nuptiæ celebratæ sunt in Hammeburg. Gerardus Archiepiscopus Bremensis obiit secundum Egghardum. Hic cum esset Canonicus Ecclesiæ Padelburnensis, venit una dierum ad eum homo quidam longæ staturæ, & dixit ei: Considera diem hunc, & revoluto anno in hoc die eligeris in Præpositum hujus Ecclesiæ, quam Præposituram cum habueris, mihi duas marcas dabis. Quod facturum Gherardus se spopondit. Et sic factum est. Postquam autem factus fuerat Præpositus, iterum una dierum reversus est vir ille, & dixit ei: Hodie anno decurso eligeris in Archiepiscopum Bremensem, quo habito, dabis mihi marcas. Quod etiam promisit Gerardus se facturum, & sicut vir prædixit, evenit. In hac autem Pontificali dignitate quidem constitutus, venit tertia vice ad ipsum vir ille, & dixit ei: En bis verum tibi prædixi, & modo tertio dicam tibi tertium verum: in dignitate hac perdurabis XL. annis complete. Sed in hoc præsagio parum erravit. Nam dictus Gerardus vixit in Archiepiscopatu Bremensi XXXVIII. annis & mensibus IIII. Wilhelmus Rex Romanorum congregato exercitu, infidelitatem Frisonum rebellare ei incipientium castigare volens, ad eos intravit secundum Wilhelmum, & in die Conversionis S. Pauli cum eis certamen grande agens, multis occisis de Frisonibus tandem, & ipse ab eisdem occisus est. Quo interfecto & Frederico de medio sublato, Electores Imperii & Principes discordare cœperunt in electione. Quidam enim Alfonsum Regem Castellæ, alii vero Richardum Comitem Cornubiæ fratrem Henrici Regis Angliæ in Regem Romanorum elegerunt.

De Richardo Rege Romanorum.

Richardus Comes Cornubiæ regnare cœpit anno mundi VMCCXVII. Olympiadis D. anno tertio, urbis conditæ IIMVIII. Domini vero MCCLVII. & XV. annis regnavit. Iste solum primo electus est ab Archiepiscopo Moguntino, sed Dominus Papa suam electionem ratificavit & confirmavit, secundum Chronicas Romanorum, ex eo quod mox in principio electionis suæ dedit Ecclesiæ Romanæ duas civitates, puta Ascensom & Taurinensem. Alii vero Electores Alfonsum Regem Castellæ elegerunt, unde schisma inter hos duos Reges diu duravit. Alfonsus autem electus statim Aquisgrani transiens, & per Conradum Archiepiscopum Coloniensem in Regem Romanorum est coronatus. Audiens autem Richardus, quod Electores alii in Alfonsum consensissent, aspirans valde ad Regnum, magnam pecuniæ summam secum detulit in Alemanniam, & primo Archiepiscopum Moguntinum de captivitate redemit pro VIIIM. marcarum fortium Sterlingorum ab Alberto Duce Brunswicensi, qui ipsum ceperat. Dicunt quidam, quod Richardus iste secum detulerit XXVIII. tunnas auro & sterlingis fortibus plenas; alii dicunt, se vidisse XXXII. currus, quorum quemlibet currum equi VIII. fortes trahebant ferentem unam tunnam tria amen vini capientem sterlingis plenam. De hujusmodi autem pecuniis Principes Electores fecit suos amicos tantos etiam, ut primam vocem revocantes, ipsum in Regem Romanorum unanimiter eligerent & coronarent. Sed quia Imperiali benedictione caruit, in Imperatorum numero minime reperitur, sed solo Regis nomine insignitur.

Primo anno Richardi, qui est Domini MCCLVIII. Fecit Deus in Ordine Fratrum Prædicatorum splendere duo luminaria magna, puta Fratrem Thomam Aquinatem & Dominum Albertum Episcopum Ratisponensem, de quibus luminaribus verificari potest illud Zachariæ IIII. Isti sunt duæ olivæ & duo candelabra lucentia omnibus, quæ in domo Dei sunt; luminare, inquam, majus, ut præesset diei, & luminare minus, ut præesset nocti Gen. I. Per luminare enim majus S. Thomas accipitur. Quanquam enim omni dubio semoto uterque sanctissimus fuerit, Albertus tamen Catalogo Sanctorum nondum ascriptus est sicut Thomas, & ideo Thomas major est. Diem autem Theologiam & noctem Philosophiam naturalem dicimus, quia per hanc ut per diem maculæ vitio-

Digitized by Google

vitiorum deteguntur; per illam vero ut per noctem non apparent, juxta illud Ovidii:

Nocte latent mendæ, vitioque ignoscitur omni.

Nec obstat, quod Albertus major & prior natu sit, quia luna prior natu est quam sol. Unde & Poetæ dicunt, Dianam, per quam luna designatur, primo natam, & ea obstetricante natum esse Phœbum fratrem ejus, per quem sol intelligitur. Prius etiam animale est & post quod spirituale. Thomas ergo in Facultate Theologica ut sol præclarissimus inter Doctores sui temporis lucet, & Albertus in naturalibus scientiis tanquam luna inter stellas præ omnibus Philosophis splendet in firmamento æternitatis. Libellus pestifer Wilhelmi de S. Amore Canonici Beluacensis, compositus & intitulatus, de Periculis Mundi, combustus est per Papam Alexandrum in Ecclesia Cathedrali Anagine secundum Wilhelmum, tum propter hæreses in eo contentas, tum etiam, quia contra Religiosos seditionem & scandala suscitabat. Continebat enim, quod omnes Religiosi, etiam Verbum Dei prædicantes, & manibus non laborantes, sed de eleemosynis viventes, salvari non possent. Contra hunc, cum citatus esset per Papam ad curiam, Frater Albertus natione Swevus sacræ Theologiæ Doctor Ordinis Prædicatorum mittitur ad respondendum ei super contentis in dicto libro. Veniens autem Frater Albertus Anaginem, ubi tunc erat curia, cautelose investigavit de libello prædicto, siquis ipsum haberet; compertoque, quod apud Scriptorem esset, dedit pecuniam, quam scriptor postulavit, & libellum recipiens, ac per quaternos dissolvens, totum in illa nocte per scriptores plures copiari fecit, & scriptori reddidit redintegratum. Habuit ergo Fr. Albertus dictum librum integrum per diem usualem & noctem ante audientiam super hac re futuram. Cumque liber legeretur, & Fr. Albertus, sicut erat facundissimus, responderet, in labiis ejus Deus tantam infudit gratiam, quod omnes, qui ipsum audiebant, versi in stuporem dicerent: Nunquam sic locutus est homo. Et glorificabant Deum, qui talem hominem ad hoc elegerat, qui Ordines suos sanctos a lingva nequam defendere valeret. Responsiones autem Fratris Alberti stantis in Consistorio super objectis fideliter repertatas Thomas de Aquino Frater ejusdem Ordinis & Magister in Theologia abbrevians, & in unum redigens libellum ordinavit ex eis volumen pulcrum & gratiosum, qui intitulatur Thomas contra Wilhelmum de Sancto Amore, & a pluribus habetur. In Vita tamen S. Doctoris Thomæ dicitur, quod ipse per se specialem fecit Tractatum contra prædictum Wilhelmum hæreticum, inductus ad hoc ex injunctione Magistri Ordinis generalis & precibus Fratrum suorum. Taurinenses cives de consilio Astensium ceperunt Comitem Sabaudiæ Dominum suum, secundum Wilhelmum, nomine Thomam. Quod Alexander Papa graviter ferens propter bona plura, quæ Ecclesiæ fecerat Comes ille, excommunicavit Taurinenses & Astenses, & bona eorum per Regem infiscari præcepit. Bonifacius vero Electus Lugdunensis & Petrus de Sabaudia fratres dicti Thomæ Comitis Taurinum obsederunt, pontemque super Padum occupaverunt, castra quoque vicina multipliciter afflixerunt, sed urbem capere non potuerunt propter ipsius munitiones fortissimas, & propter inhabitantium strenuitatem. Conradus Comes de Eversteen, secundum Chronicam Saxonum, suspensus est ab Alberto Duce de Brunswic pedetenus, capite deorsum pendente, eo quod raptor esset & spoliator stratæ communis; ex quo tamen facto valde justo & sancto Albertus Dux indignationem multorum justitiam odientium incurrit.

Secundo anno Richardi, qui est DN. MCCLIX. Christoferus Rex Danorum obiit, secundum Chronicam Danorum, post se relinquens Ericum filium septennem. Quem cum Dani in Regem elegissent, orta sunt in Regno bella & gwerræ multæ. Nam Comites Holtzatorum Jutiam intrantes, multa incolis illis damna inferebant. Istud locum habebit inferius anno VIII. Richardi. Bonaventura Frater Ordinis Minorum in Sacra Theologia Magister in Cardinalem est assumtus ab Alexandro Papa, & floruit Doctor eximius, secundum Egghardum. Hic plura utilia & subtilia scribens, nominatus est a suis Fratribus Doctor Devotus, sed quia in pluribus sensit cum Doctore S. Thoma de Aquino, idcirco a suis non est multum dilectus. Vincentius Speculator gloriosus Frater Ordinis Prædicatorum obiit feliciter in Domino secundum Egghardum. Hic Lector extitit Conventus Beluacensis, cum Speculum Historiale componeret, Lodowico Rege Francorum de copia librorum sibi providente. Woldemarus Dux Sleswicensis, filius Abel Regis Danorum defuncti, obiit secundum Chronicam Danorum, cui successit frater suus Ericus, qui Germani Domini Rugianorum filiam accepit in uxorem. Gerardo Archiepiscopo Bremensi defuncto, secundum Chronicam Saxonum, succesit in sedem per Canonicam electionem Hildebrandus Præpositus Ecclesiæ Brunswicensis, vir magnæ prudentiæ.

Tertio anno Richardi, qui est Domini MCCLX. Florentini & Lucani intraverunt Comitatum Senonensem, secundum Wilhelmum, sed fraude suorum circumventi plusquam VIM. eorum capti sunt & interfecti ab exercitu Manfredi Regis Siciliæ & Jordano Comite Senonensi Germarus Princeps Rugianorum intravit Selandiam terræ Danorum, secundum Chronicam Danorum, ducens secum magnum populum, & obsidens opidum Nestwede expugnavit ipsum, vastavitque multas villas circumquaque igne, & gladio innumeros Danos occidit. Ob quod factum Dani in tanto odio habent dictum Principem, quod pauperes & mendici Regni illius dedignantur eleemosynas recipere ad orandum pro salute animæ ipsius.

Digitized by Google

us Karolus Comes Andegaviæ frater Regis Lodowici Marsiliam suo Dominio subjugavit secundum Wilhelmum. Post modicum vero tempus iterum rebellare sibi visi sunt, & omnes homines partem ipsius Karoli foventes apprehendentes interfecerunt. Quod Karolus percipiens collecta manu potente, Marsiliam diutina obsidione fatigavit, & victualium penuria summe eos affligens, tandem eos ad deditionem coëgit, seditionis vero illius autores publice decollari fecit. Terram etiam Bonifacii Comitis Provinciæ, qui Marsilienses confortaverat (intravit), & castella ejusdem expugnavit, & in deditionem suscepit, ipsum Comitem procul a finibus ire compellens. Rodolfus Archiepiscopus Magdeburgensis, secundum Chronicam Saxonum, subitanea morte periit, in mensa sedens cum multis in magnis lætitiis & solatiis. Belo Rex Ungariæ, secundum Egghardum, propter terras quasdam Odakerum Regem Bohemiæ bello aggreditur, habens XLM. equitum Christianorum & Paganorum. Rex vero Bohemiæ cum CM. eis occurrens, in fugam vertit Ungaros, Belone Rege Turcorum (f. Ungarorum) graviter vulnerato, & præter occisos gladio submersi sunt de Ungaris plusquam XVM. hominum. Halaho Princeps Tartharorum frater Mangotan Imperatoris gentis ejusdem secundum Wilhelmum maximum exercitum colligens intravit Turkyam, & obsedit Baldach urbem magnam, & diebus XX. eam impugnans, tandem cepit, ac Kalif Principem urbis captivavit. Cumque omnes homines utriusque sexus civitatis interfecisset, & in castro Kalif, maximum thesaurum invenisset, redarguit Kalif, quod de tanto thesauro stipendiarios non conduxisset, qui ipsum juvissent contra hostes suos. Inclusit ergo ipsum Kalif in camera lapidea, & posuit ante ipsum aurum & argentum in copia, dicens: Epulare de his, quæ sic ob parcitatem tuam reservasti, nec alium cibum habebis. Et sic tandem fame defecit.

Quarto anno Richardi, qui est DN. MCCLXI Henricus Comes de Luzeleburg obsedit castrum Namursiæ, urbe ipsum juvante, & Imperatrice Constantinopolitana solum superius fortalitium obtinente & defendente ibidem inclusa. Ad cujus exilium Comitissa Flandriæ & Comes Angi & alii fratres Imperatricis cum multis Francorum milibus venientes, parum profecerunt. Tanta fuit inundatio aquarum in plerisque partibus mundi, secundum Egghardum, quod segetes in campis & grangiis germinaverint, & racemi in vineis ad debitam maturitatem pervenire non potuerint. Unde & vina nova fuerunt adeo immatura, quod cum vultus horrore bibebantur. Milites quidam in Saxonia dicti de Asseburg, secundum Chronicam Saxonum, cum essent potentes, prædas incessanter rapuerunt tempore multo de Ducatu Brunswicensi. Videntes vero Alberti Ducis dissimulationem, in contemtum ipsius tandem lupum super leonem, qui ipsum leonem lacerabat, in clypeis depingi fecerunt, cum leones duo Ducis insignia essent, & militum illorum lupus unus. Quod attendens Dux, exacerbatus multum, dictos præsumtores persequi cœpit, nec cessavit a persecutione, donec de terra eos fugasset. Unde usque hodie circa Brakele manere dicuntur. Castrum vero eorum Asseburg, a quo nomen habere videntur, datum fuit perpetuo Alberto Duci de Brunswic & hæredibus suis. Quidam Gerardus Satarelli de Perma secundum Egghardum, novam sectam inveniens, instituit Ordinem Apostolorum, cujus Ordinis fratres nemini subesse deberent nisi soli Deo. Hi Fratres currere deberent per mundum evangelizando Verbum Dei, & solum vivere deberent de eleemosynis. Habitus autem eorum deberet esse mantellus albus ad modum pallii ad collum elevatus cum tunica alba in longis crinibus, & quandoque in soleis deberent incedere, & quandoque nudis pedibus secundum exigentiam locorum & temporum. Hi licet exterius boni apparerent in habitu, interius tamen erant incontinentiæ vacantes & spurcitiis pleni. Quod factum cum ad aures Alexandri IIII. Papæ pervenisset, ipsam sectam & omnes eorum errores damnavit, quod & Nicolaus IIII. Papa similiter fecit. Duravit tamen hæc secta perniciosa usque ad tempora Bonifacii IX. habens errorum suorum multos discipulos & magistros, de quorum numero unus combustus extitit Lubeke sub Fratre Eylardo sacræ Theologiæ Professore & Inquisitore Ordinis Prædicatorum nomine Wilhelmus in habitu supra dicto incedens, prout infra patebit. Halaho Princeps Tartharorum, secundum Wilhelmum, legatos suos destinavit ad Ayconem Regem Armeniæ, rogans, ut ad se veniret, & secum pergeret ad recuperandam Christianis Terram Sanctam. Qui mox tanquam bonus Christianus exercitum collegit, & veniens cum XIIM. armatorum equestrium & LXM. peditum, dixit Halahoni Principi Tartharorum: Est civitas in Syria Halapi dicta, quam primo oportet nos expugnare, si absque impedimento voluerimus Terram Sanctam intrare. Cujus consilio Princeps annuit, & cum Rege pergens, dictam urbem Halapi obsedit, ipsamque in X. die obtinuit, & populum innumerum inibi peremit. Cum vero inde procederent, & versus Jerosolymam tenderent ad expugnandum Saracenos, nunciatum est Halahoni Principi, quod Mangotan frater suus Imperator Tartharorum defunctus esset, & totum Imperium in manibus suis staret. Propter quos rumores valde turbatus, præfecit Regno Syriæ, quod sibi subjugaverat virum strenuum nomine Gwyboga, committens sibi Regnum, & præcepit ei, ut Christianos foveret, & præsidio eis esset, filium vero suum Abaga reliquit in Tharusio, & profectus est. Dum vero Regno suo appropinquaret, nuncium recepit, qualiter Tarthari Colibam fratrem suum in Imperatorem elegissent. Quo audito, retrocessit, & Tharusium intravit, ubi filium suum reliquerat. Moratus autem aliquamdiu in urbe prædicta Bartha, Princeps Syriæ cum manu forti Sarracenorum egressus, venit contra ipsum pugnaturus super quo-

Digitized by Google

quodam flumine fortissima glacie strato. Cum vero ambo exercitus illam glaciem conscendissent, & bellare incepissent, ob gravissimum pondus exercituum rupta est glacies, & ex utraque parte multi submersi sunt, Principibus cum paucis vix evadentibus. Gwyboga autem Princeps Regni Syriæ institutus per Halahonem, qui Syriam sibi subjugaverat, valde dilexit Christianos, & defensavit eos, prout commiserat sibi Halaho Princeps Tartharorum. Christiani autem in urbe Sidone exeuntes multum gravabant Sarracenos, & damna eis inferebant exactionationibus tyrannicis & interfectionibus. Cum ergo querimoniæ fierent a Sarracenis Principi prædicto Gwybogæ contra Christianos, ipse Princeps literis suis supplicavit Christicolis, ut rudi populo Sarracenorum parcerent, & si quas injurias ab eis reciperent, hoc sibi intimare deberent, & ipse sic eos corrigere vellet, quod in posterum simile non attentarent.

Quinto anno Richardi, qui est Domini MCCLXII. Henricus Rex Angliæ venit in Franciam cum multis Regni sui Principibus & Nobilibus, secundum Wilhelmum. Quem Lodowicus Rex Parisius recipiens cum gaudio, per dies plures splendide procuravit. Post idem Rex Henricus a conventu S. Dionysii in cappis sericis cum magna solennitate suscipitur, cui aurem cuppam & scyphum magni ponderis contulit Conventus. Lodowicus autem Rex eum sæpe apud S. Dionysium visitavit, remorsum conscientiæ sentiens pro terra Normanniæ & aliis terris, quas Philippus Rex Franciæ avus suus Johanni Regi Angliæ patri hujus Henrici abstulerat, pacem cotidie satagens facere cum eo, quod tandem complevit. Nam Henricus Rex de expressa voluntate fratris sui Richardi Regis Romanorum ac de consilio Principum ac Prælatorum Angliæ quitavit in perpetuum Regibus Franciæ, quicquid juris habebat in Ducatu Normanniæ & Comitatibus Andegaviæ, Senomanniæ, Pictaviæ, Thuronis & eorum feodis. Rex vero Francorum Lodowicus dedit Regi Henrico magnam summam pecuniæ cum quadam terra, quæ Petragoricum nominatur, & prope Vasconiam situatur, sub tali conditione, quod cum terra totam Vasconiam de cætero a Regibus Franciæ teneret in feodum, & inde homagium faciens, in numero Baronum Franciæ scriberetur, & tandem Dux Aquitaniæ de cætero unus de Franciæ Paribus appellaretur. Quod homagium præsentibus pluribus Principibus & Prælatis utriusque Regni fecit Henricus Rex cum juramento pro Burdegalia, Baronia & Vasconia, ac pro cæteris, quæ in Lemonicensi, Petragoricensi, Agonensi & Xantonensi Episcopatibus ex dono Regis Franciæ possidebat. Manfredus Princeps Tharentinus bastardus Frederici II. Imp. secundum Wilhelmum sub quadam Conradini filii Conradi fratris sui simulata protectione tutoria, ad quædam castra & civitates Regni Siciliæ contra mandatum Ecclesiæ Romanæ coronari se fecit. Propter quod & propter alios suos nefarios actus Alexander IIII. ipsum excommunicavit, & Principatu Tharentino & aliis dignitatibus & honoribus quibuscunque tanquam rebellem & hostem Ecclesiæ Romanæ, suorum jurium invasorem & occupatorem sacrilegum, & tanquam sociatum nefando fœdere Sarracenis, ac eorum ductorem & protectorem publicum autoritate Apostolica privavit. Cives Lubicenses, secundum Chronicam eorundem, freti auxilio Danorum de Mykelingburg puta Johannis, qui alio vulgari nomine Knese Janike nuncupabatur, & Henrici filii sui, qui postea captus est in Terra Sancta, expugnaverunt castrum Darsowe, & ipsum destruxerunt, custodemque castri militem suspenderunt, eo quod raptor esset & prædonum fautor. Prædicti autem Principes contulerunt civitati Lubicensi privilegium tale, puta quod in perpetuum nullus cujuscunque conditionis vel autoritatis existat, castrum illud reinstaurare poterit aut debebit, collis autem castri illius in præsentiarum apparet. Soldanus Ægypti intelligens, quod Tarthari Regnum Syriæ sibi subjugaverant, & jam Sarracenos opprimerent, secundum Wilhelmum, exivit Ægyptum cum magna potentia pugnaturus contra Gwiboga Principem Tartharorum, & congressus cum eo, percussit ipsum in prælio, & cum eo cæsa sunt circiter XVIM. Tartharorum, cæteri vero Tarthari terra pulsi sunt, & redemtum est Regnum Syriæ de manibus eorum. Comes Holtzatiæ Johannes venit profesto Nativitatis Christi in urbem Lubicanam, secundum Chronicam Lubicensem, lætari cupiens cum civibus. Venerat etiam pro eodem tempore miles quidam nomine Borchardus Voet, qui alias a prædicto Comite terra pulsus exulabat. Hic Miles, quia in civitatis securitate ibi erat, venit ad Comitis societatem, & forte eidem Comiti aliquam contumeliam fecisset. Quod perpendens Comes Johannes, gladium suum arripuit, & vibrato eo, insecutus est Militem fugientem a capite Vallis piscatorum usque ad puteum prope cimiterium B. Virginis positum, per latam plateam sic nuncupatam, ibique ipsum apprehendens interfecit. Quod cives videntes, nitebantur comprehendere Comitem. Qui fugiens ad valvam, quo itur versus Holtzatiam, & ibi veniens, invenit cives ipsum capere laborantes. Quod cernens Comes, mox se vertit, & versus Ecclesiam S. Nicolai iter suum dirigens, casu unam de turribus Ecclesiæ apertam invenit, & eam ascendit. Quam cum cives circumdarent, ne evaderet, compulsus tandem se captivum dedit Burgimagistris urbis. Qui ipsum includentes in Consistorio, posuerunt vigiles, qui ipsum custodirent. Tandem ex ordinatione quorundam de Consilio civitatis, venit quædam turma Holtzatorum gratia placitandi cum civitate de Domino eorum. Hi cum appropinquarent Consistorio, ipse per quoddam manutergium per fenestram se submisit, cadens in terram. Quem mox arripientes armigeri, equo imposuerunt, & cum eo urbem festinanter exierunt. Et sic evasit

Digitized by Google

evasit manus civium, non tamen sine favore & dissimulatione Consulatus civitatis.

Sexto anno Richardi, qui est Domini MCCLXIII. Relicta Petri Militis Monasterium ingreditur cum unica filia sua Alheyde, secundum Wilhelmum, ubi cum Deo per aliquot tempora militasset cum filia sua, ipsa mater ad Deum migravit, Alheyde superstite manente. Hæc cum valde speciosa esset, adeo etiam, ut multi Nobiles & potentes ad ipsam videndam & alloquendam dictum Monasterium frequentarent, quod virgini illi non modicum attulit detrimentum devotionis suæ. Cum autem hæc frequentatio virorum de die in diem cresceret & multiplicaretur, tandem puella tædio victa oratorium intravit, & ad Deum lacrymas uberes fundens dixit: Video mi Domine Jesu Christe, ex carne, qua induisti me, animæ meæ imminere periculum. Quanquam enim animum meum fortiter fixerim, ut nulla prorsus vanitate commovear, tamen non parum pertimesco dare me posse ruinam debilibus, ut tententur & ruant. Rogo ergo te misericordissime Pater & Domine, ut speciem meam in tantam fœditatem commutes, ut carnis miseræ turpitudo in horrorem sit potius, quam pulcritudo fuerat in favorem. Quo dicto, mox lepra fœdissima contabuit. Nam de vultu eruperunt pustulæ, oculi intumuerunt, os laceratum patuit, nasus gibbosus factus est, & alienam faciem penitus ostentabat. Egrediente ergo illa de oratorio, occurrit ei frater suus miles nobilis Tidericus, & vix eam cognoscens per habitum inconsvetum & dissimilem ab habitu aliarum virginum, quem ferre consveverat, quærit, an ipsa sit. Quæ cum responderet: ego sum, mox miles ex toto eam videre exhorruit. Cæteræ quoque virgines videntes eam, flebant admirantes, quid tam subito sorori suæ accidisset. Turbatis etiam amicis & cognatis, medicus vocatur. Qui videns eam dixit, incurabilem lepram eam incidisse, nec melius ei esse consilium, nisi ut extra omnium hominum consortium locaretur. Quod quidem sic factum est. Quod ut audivit confessor ejus Frater quidam devotus Ordinis Prædicatorum, venit ad illam. Et eam mire gaudentem inveniens, quæsivit causam inopinati morbi. Quam cum virgo illa per ordinem suo narrasset confessori, Frater ille turbatus & non modicum commotus contra eam dixit: O stultissima fœminarum, quæ in contumeliam Dei & in animæ tuæ detrimentum opus Dei precum instantia destruxisti, & amicos tuos, qui Deum laudabant in forma tua, ad blasphemandum nunc propter tale diffortunium coëgisti. Certamen quoque tuum nobile & victoriæ palmam tibi in magnum meritum cedentia perdidisti. Age ergo nunc carissima filia consulte, & precibus insiste, quibus poteris, & ad contrarium rei gestæ divinam interpella misericordiam. Hoc dicto, Frater recessit. Illa autem totaliter in lacrymas resoluta, oravit ad Dominum dicens: Domine Deus Dominator vitæ meæ, ut liberiori mente & puriori spiritu servirem tibi, hoc in me flagellum lepræ a bonitate tua fidis precibus expetii & impetravi. Sed quia audio a patre meo spirituali, cui me tota fiducia commisi, me contra salutem meam & amicorum meorum a te omnium Domino obtinuisse: quare exoro te ob benignissimam tuam caritatem, ut me tuum plasma restaures, speciem, quæ tuæ placuerit voluntati, mihi largiendo. Mira Dei misericordia, quæ voluntatem timentium se semper facit. Vix puella verba complevit, & mox Deus ei tantam carnis sanitatem & corporis formositatem contulit, ut vix primæ pulcritudini comparari valeret. Quo viso, gaudet frater miles, & sororem suam reputat a morte suscitatam. Fama hujus facti per totam diffunditur patriam; lætantur amici pariter & conventus virginum, nec quisquam amplius in virginis illius sanctæ pulcritudine motus est concupiscentia prava quacunque, Christi pietatem omnes collaudantes.

De Urbano IV. Papa CXC.

Urbanus Papa natione Gallicus ex patre Lodowico, sedit annis tribus & mense uno. Hic prius Jacobus dictus Patriarcha Ierosolymitanus extitit, & Papa factus, instituit festum gloriosissimi Corporis Christi ad instantiam Fratris Thomæ de Aquino Doctoris eximii Ordinis Prædicatorum. Eodem autem anno Græci recuperaverunt Constantinopolim, faventibus eis Januensibus in odium Venetorum secundum Martinum.

Septimo anno Richardi, qui est Domini MCCLXIIII. Lodowicus Rex Francorum Philippo filio suo Ysabellam filiam Regis Arragoniæ desponsavit, secundum Wilhelmum. Et propter hoc matrimonium Rex Arragonum quitavit in perpetuum Reges Francorum, quicquid in civitatibus Carcasona, Biterris & Amiliano possidebant. In signum vero pacis & concordiæ, quam de cætero in Regno Franciæ & cum Francis tenere intendebat, & vice versa Rex Franciæ quitavit Regem Arragoniæ in Comitatibus Amampuriarum, Rocilionis, Barthimoniæ & Cataloniæ, quicquid in eis requirebat. Johannes Comes Holtzatiæ veniens in adjutorium avunculo suo Erico Duci de Sleswic, secundum Chronicam Lubicensem, contra Christoferum Regem Danorum, & egerunt in myrica Loheyde bellum, victusque est Rex & captus cum uxore sua Margareta, & ductus est in Hammeburg. Videns autem Johannes Comes oportunitatem se vindicandi in cives Lubicenses propter captivitatem, quam ab eis pertulerat, eo quod exercitum tunc haberet ad manum, rogavit omnes, qui secum erant, ut injuriam ejus secum vindicarent. Quod cum Lubicensibus innotuisset, statim vocaverunt Albertum Ducem de Brunswic, ut eis ferret præsidium. Qui veniens cum magna virtute armorum, una cum Lubicensibus intravit Holtzatiam, ac igne & ferro devastantes totam illam patriam, ceperunt Plüne opidum & castrum & urbem Aldenburg, ac obsederunt civitatem Kilensem per mensem, machinis & bumbardis suis

Digitized by Google

suis plura damna urbi inferendo. Soluta tandem obsidione reversi sunt Lubeke, & Duci de sua fidelitate & laboribus debitis remunerationibus solennibus respondentes gratias egerunt. Apud Urbem veterem Hugo Doctor venerabilis & Cardinalis Sabinensis Ordinis Prædicatorum obiit, plenus virtutibus & signis coruscans, secundum Martinum, & sepultus est apud Fratres Prædicatores præsentibus ad exequias funeris sui Domino Urbano IV. PP. & Cardinalibus ejus ac aliis multis Prælatis. De hoc S. Patre legitur, quod cum semel in junioribus constitutus impeteretur a quadam muliere de actu carnali, ipse eidem fœminæ assignavit tempus & horam ad conveniendum. Qua tempore statuto veniente, vir Dei magnum parari fecit ignem. Quo parato & in latitudine strato, vir ipsum ingrediens dixit mulieri: Veni huc mecum ad peragendum, quod cupis. Sedens autem vir sanctus in igne, nec pilus vestium suarum est læsus. Videns autem meretrix virtutem divinam operari in viro Dei, confusa recessit. Johannes Comes Holtzatorum obiit, & sepultus est in Reynevelde Monasterio Ordinis Cistertiensis, secundum Chronicam Lubicensem. Reliquit autem post se tres filios, Johannem, Adolfum & Albertum, & unam filiam, quam in uxorem accepit Otto Marchio Brandeburgensis. Hi tres fratres nati erant de filia Alberti Ducis Saxoniæ, & obtinuerunt mediam partem Comitatus Holtzatorum, aliam autem partem Gheradus frater Johannis defuncti patruus eorum possidebat. Hic Gherardus habuit uxorem filiam Kneze Janiken Domini de Mykelenborg, Johannes autem senior natu accepit in uxorem filiam Erici posteà Regis Danorum, Adolfus vero accepit filiam Mestwini Ducis Pomeranorum, sed Albertus junior factus est Præpositus Hammeburgensis.

Octavo anno Richardi, qui est Domini MCCLXV. Albertus Dux Brunswicensis venit in opidum Sleswic ad tractandum cum Erico Duce de Sleswic de redemtione Christoferi Regis Danorum & Margaretæ uxoris suæ. Ad hoc quidem colloquium & plures alii Principes convenerunt. Sed cum Albertus Dux nihil ibi concludere posset, assumtis secum exercitibus Principum ibidem congregatorum, intravit Marchionatum Misnensem, & pugnavit cum Marchione. Et victus est Albertus Dux & captivatus cum multis Comitibus & Nobilibus, ac tentus in captivitate ultra annum. Karolus frater Lodowici Regis Francorum, secundum Wilhelmum, transivit cum magno exercitu in Siciliam pugnaturus contra Manfredum Regem destitutum per Papam de Regno, quod sibi usurpaverat violenter. Veniens autem Manfredus in occursum ejus cum suo exercitu, bellum iniit cum eo. Manfredus tamen spe sua privatus occubuit in prœlio, & Karolus Regno illo Siciliæ est potitus. Johannes Dux de Luneburg frater Alberti Ducis de Brunswic captivi, secundum Chronicam Saxonum, duxit in uxorem filiam Gerardi Comitis Holtzatorum. Christoferus Rex Danorum redemtus est de captivitate per solutionem summæ pecuniarum, puta XXXM. marcarum argenti, & rediit in Regnum suum cum uxore sua, sed paucis diebus supervivens, obiit in eodem anno, cujus Regnum accepit Ericus filius ejus parvulus, & regnavit cum matre sua Margareta. Hic Ericus Rex postea adultus accepit in uxorem Agnetem filiam Ottonis Marchionis de Brandeburg. Symon de Monte forti filius senioris, Comitis Montisfortis, secundum Wilhelmum, vir in armis strenuus, Comitatum Leucestriæ in Anglia possidens, sororem Henrici Regis habuit uxorem, ex qua filios V. suscepit, puta Henricum, Symonem, Richardum, Gwidonem & Almaricum. Hunc Symonem Henricus Rex & Edwardus primogenitus ejus, & maxima pars Baronum Angliæ contra juramentum suum facere quærebant inducere, sed nihil proficientes, contra ipsum exercitum collegerunt. Symon autem cum Comite Glocestriæ & civibus Londoniensibus eis viriliter occurrens, exercitum eorum dissipavit, Rex vero cum filio suo fugiens in Abbatiam quandam, a Symone Comite captus est. Sed Comes Glocestriæ tanquam fraudulentus Anglicus Symonem tradidit, & Edwardum primogenitum de captivitate liberavit, ac cum eo fœdus contra Symonem Comitem pepigit. Symon autem Comes Leucestriæ doli ignarus, filium suum Henricum cum exercitu ad agendam prædam emisit. Quod sentiens Comes Glocestriæ cum Edwardo filio Regis, & ipsum sine militia videntes, collectis viribus ipsum invaserunt, & ipsum Symonem ac Henricum filium ejus interfecerunt. Perfidi quoq; & pessimi illi Anglici Symonem occisum virilibus privabant, & membratim lacerabant. Quæ membra Monachi colligentes, in Monasterio suo Eirarend, juxta quod prælium commissum est, sepelierunt, ad cujus tumulum ægroti multi sanantur. Quibus miraculis apparet, Christum martyrium suum acceptasse. Albertus Magnus, Sacræ Theologiæ Doctor Parisiensis dignissimus Ornis Prædicatorum, secundum Henricum de Hervordia & instructor S. Thomæ Doctoris ejusdem Ordinis floruit. Hic natione Teuthonicus quasi alter Aristoteles, vel si fas est dicere, plusquam Aristoteles, in Naturalibus & Dialecticis artibus eruditissimus fuit. Aristoteles namque illa, quæ scripsit, ex libris magistri sui Platonis habuit, Albertus vero ex naturali ingenio proprios libros edidit stylo difficili. In Theologia etiam non parum laboravit, & præsertim cum nullæ concordantiæ Bibliæ temporibus suis adhuc haberentur collectæ, ostendit, se totum Vetus pariter & Novum Testamentum in pectoris sui scrinio habere, cum super Lucam & Matthæum scriberet. Factus autem Ratisponensis Episcopus non diu in Pontificali solicitudine mansit, sed caritativis & devotis exhortationibus venerabilis Patris Fratris Humberti generalis Magistri Ordinis Prædicatorum ad dictum Ordinem est retractus. Qui inter cæteras dulces & motivas admonitiones scripsit sibi hæc verba: O utinam si potius filium meum

Digitized by Google

meum amantissimum Albertum vidissem in feretro defunctum, quam in cathedra sublimatum. Propter quæ & quamplura alia verba, Papa Clemente IIII. permittente renuncians Episcopatui, rediit ad Ordinem & ad Fratres suos Coloniensis conventus vivens cum aliis Fratribus sub disciplina Regulari. Fuit namque Doctor iste sanctus, humilis, pudicus, affabilis, studiosus, & in omnibus Deo deditus & devotus. In Hildensheym primus fuit Lector, post in Vriburgo, post in Ratispona, & post in Argentina, & exinde Parisius ivit, & Sententias cum omnium admiratione solenniter complens, Magister in Theologia excellentissimus factus est. Post tres autem annos Magisterii sui Coloniam mittitur pro Regente & B. Thomas Aquinates, ut sub Doctore tanto studeret, ad eundem locum venit. Post hoc Albertus fit Provincialis Teuthoniæ, & tunc Monasterium Sororum Ordinis Prædicatorum apud Sozatum, quod Paradisus dicitur, recepit & fundavit, & Sorores per se introducens, benedictione sua stabilivit. Exinde vero Ratisponensis Episcopus factus est, sed post annos tres turbinibus tumultuum diversorum cum nimis quateretur, renunciavit Episcopatui, certos reditus Ecclesiæ suæ consensu sibi retinens, quibus, cum oportunum esset, uteretur, & in Coloniam ad Fratres suos reversus est, ut dictum est. Ubi totus studio deditus & devotioni, dulcedinem doctrinarum suarum quasi apis argumentosa dulcia sua mella colligens, postea prædicationibus suis ferventibus populo Dei propinavit. Et ut vitæ suæ utilitas pariter & sanctitas in summa exprimantur, Coloniæ positus studuit, dictavit, scripsit, oravit, & ex devotione sæpe lacrymatus est. Locum sepulcri sui singulis diebus visitans, vigilias pro se legit, quasi jam defunctus esset. In horto vel in alio loco secreto solus existens, cautionem cum lacrymis ad B. Virginem suspirando canere solebat. Ab omnibus autem Regularibus, secularibus, senioribus, junioribus, majoribus & minoribus honorabatur, & præsertim a Sifrido Archiepiscopo Coloniensi specialiter diligebatur & venerabatur. Scripsit autem prædictus Doctor Albertus de diversis materiis, puta Theologiæ. Philosophiæ moralis, naturalis & rationalis, Astronomiæ, Astrologiæ, Geometriæ & Arithmeticæ facultatis circiter centum & LX. volumina. Practicam vero Nigromantiæ quidam nequiter & mendose sibi imponunt, cujus speculativam etsi forte propter curiositatem vel desiderium omnia sciendi scibilia, aut experimentalem certitudinem in juventute habuerit, senectutis tamen ejus maturitas & vitæ probatæ sanctitas omne tale respuit, quod post ejus obitum signo evidentissimo ostensum est, ut inferius dicetur, Tandem labore multo pariter & senio fractus cum jam quasi deliraret, & Sifridus Archiepiscopus eum videre & loqui sibi desideraret, ad ostium cameræ Magistri Alberti propria manu pulsans, ipse Albertus de intus respondit: Albertus non est hic. Quod audiens Archiepiscopus, in lacrymas resolutus dixit: Vere non est hic & abscessit. Et post hoc anima illa laboriosissima & sanctissima a carne soluta est, & a congregatione omni Collegiorum Religiosorum & Dominorum in circuitu ac totius civitatis Coloniensis, necnon Domini Sifridi præsentia exequiæ funeris solenniter peractæ sunt, & corpus humatum est in chori medio Fratrum Prædicatorum. Et quanquam Doctor hic ante infirmitatem ultimam, in qua decessit, propter laborum multiplicitatem & vitæ annositatem quasi delirus appareret, in extremis tamen positus, Dei gratia ei suffragante, usum rationis ex integro dicitur recuperasse & valde sensatus fuisse. Unde in hac infirmitate laborans, fertur misisse pro Priore & Senioribus Conventus illius. Quibus ei assistentibus dixit: Carissimi Patres. Dudum verbum vulgatum fuit de me, quod in arte Nigromantiæ tritus, varia insolita & vix credibilia per eam sim operatus, propter quæ multi opinati sunt, me non in via salutis, sed reprobationis ambulasse, & in statu damnationis esse. Sed vere mi (mei) Patres absque meis demeritis hoc verbum passus sum, & parcat de sua magna misericordia illis Deus, qui mihi hoc imposuerunt. Testis enim conscientiæ meæ Dominus Deus est, cui notum est, quod, licet plura legerim & scripserim de illa arte, & aliqua etiam practicaverim in ea, nunquam tamen hoc feci propter quamcunque levitatem exercendam, aut ministrandam occasionem vel audaciam utendi illa arte, sed solum ad capiendum experimentum, an aliquid veritatis vel fundamenti esset in ea, motus cupiditate sciendi omnia scibilia ab humano ingenio. Et ut certitudinaliter cognoscatis, me non taliter judicari a Deo, qualiter judicor ab hominibus, rogavi obnixe Dominum Deum, ut de statu meo futuro vos misericorditer certificet tali signo: post triduum enim sepulturæ meæ monumentum aperire debetis, in quo si tunc me inveniretis in dorso jacentem consveto modo, pro certo sciatis, me damnatum; si autem videritis, me erectum in genibus stare, & versum ad orientem tanquam orantem, noscatis, me procul dubio vel jam salvatum, aut in via salvationis constitutum. Et his dictis valedicens Patribus & Fratribus, migravit ad Dominum. Transactis ergo tribus diebus, Prior juxta venerabilis Magistri mandatum sepulcrum aperiri fecit præsentibus Senioribus & videntibus cunctis, qui affuerunt, sanctus vir inventus est in genibus stare verso vultu ad majus altare. Quo viso, multum gavisi Patres, tumulum claudi jusserunt, & in signum sanctitatis ejus lapidem sepulturæ ad altitudinem trium digitorum elevari fecerunt, circumdantes ipsum quibusdam ferramentis, ne pedibus transeuntium leviter calcari possit, & Deum glorificantes de sua clementia, quæ præsto est omnibus timentibus eum.

Nono anno Richardi, qui est Domini MCCLXVI. Humbertus Ordinis Prædicatorum generalis Magister V. vir magnæ literaturæ & multum devotus floruit, secundum Henricum de Hervordia. Hic pulcerrimam & multum

tum copiosam fecit Expositionem super Regulam B. Augustini, ex nobilitate sua Aurea Expositio nuncupatam; insuper subtilem & valde utilem compegit Tractatum de tribus Essentialibus Religionis, ac plura alia pulcra composuit ad incrementa virtutum promoventia. Urbanus Papa Karolo Comiti Provinciæ Fratri Lodowici Regis Francorum, secundum Wilhelmum, Regnum Siciliæ, Ducatum Apuliæ & Principatum Capuæ misit per Symonem Presbyterum Cardinalem, conferens hæc sibi suisque hæredibus usque in quartam generationem inclusive possidenda, dummodo Manfredi hæredibus resisteret, & Ecclesiam Romanam juxta posse defensare satageret. Usurpaverat enim ille contra Conradinum nepotem suum Regnum Siciliæ, & Ducatum Apuliæ & Calabriæ ac Campaniæ, necnon totum B. Petri Apostoli Patrimonium, multa gravamina Ecclesiæ inferendo violenter & nequiter. Gwido Cardinalis missus a Papa Urbano, secundum Egghardum, venit in urbem Lubicanam, ubi receptus est cum magno honore per processionem totius Cleri & meliorum civitatis utriusque sexus. De Lubeke vero navigio transfretavit in Daciam pro liberatione Archiepiscopi Lundensis solicite laborans. Sed cum apud Ericum Regem Danorum nihil proficeret, ipsum excommunicavit in proprio Regno, festinans tamen, ut manus ejus evaderet. Wismaria civitas terræ Obotritorum, secundum Chronicam Lubicensem, quasi ex integro incinerata est, demtis paucis ædibus in crastino Ascensionis Domini. Bondokdak Soldanus Babyloniæ, secundum Egghardum, cum magno populo perrexit contra Armenos. Ayto autem Rex Armeniæ transierat cum multis milibus armatorum ad Abagathan Imperatorem Tartharorum, quod Soldanum non latebat. Filii vero Regis Armeniæ Aytonis cum illis, quos habere poterant, Soldano obviam venerunt, & quia modicum exercitum habuerunt, victi sunt a Sarracenis; quorum unus captivatus est a Soldano, & alter interemtus. Sancta Hadwigis Ducissa Slesiæ canonizatur per Urbanum Papam, licet alii dicant, hoc factum a Clemente IV.

Decimo anno Richardi, qui est Domini MCCLXVII. Sanctissimus Doctor Thomas de Aquinorum Comitum prosapia genitus, lumen Ecclesiæ universalis & gloria Ordinis Prædicatorum floruit, secundum Egghardum. Hic gloriosissimus Doctor dictis & scriptis suis universam Ecclesiam Catholicam mirifice decoravit. Et licet a quibus perfidis & Deo odibilibus Clericis & Religiosis ironice & derisorie livore invidiæ agitatis Doctor communis appelletur, in ipsius Sancti vituperationem & Ordinis sui contumeliam, propter stilum suum planum & intelligibilem, illos sibi præferentes, qui verbis vanis & terminis inusitatis ventum verberantes super se ambulant, nec vocem propriam intelligunt, nec fructuosi legentibus existunt, tamen merito & in veritate Doctor communis bene dici potest & est. Taliter enim ipsum nominantes, ut Caiphas pessimus, cui similes sunt contra mentem suam locuntur veritatem. Fuerunt namque ante ipsum Doctores, qui solum doctos & ingeniosos per dictorum suorum obscura verba erudiebant, & rhetoricos colores scriptis suis immiscebant, ut fuerunt SS. Jeronymus, Augustinus, Ambrosius, Origenes, Naziancenus, Dionysius, & eis consimiles, quorum scripta glossis & expositionibus indigent. Fuerunt insuper Doctores, qui solos inscios & idiotas instruebant, ut fuit Alexander de Villa Dei, Donatus, Priscianus & Cato. Fuerunt quoque instructores medii, qui & mediocres ac parum provectos in scientiis, & aptos ad literas imbuebant, ut fuerunt Aristoteles, Averroys, Euclides, Strabus (Strabo) & similes Philosophiæ commentatores. Sed Doctor iste sanctissimus in Summis suis & scriptis Theologicis instruit majores & doctos. In Philosophicis autem & moralibus Commentis suis informat mediocres & aptos, & in Dialecticis Tractatibus erudit juvenes studentes. Non enim est inter omnes modernos Doctores quiscunque, cujus doctrina tam avide legitur, cujus libri a Magistris tam sedulo pronunciantur, & cujus volumina tantum sunt multiplicata & tam communia sicut sunt S. Thomæ Doctoris in singulis orbis universitatibus. Propter quod vere & propriissime Doctor communis potest & debet dici. Confundantur ergo & erubescant illi maledici, qui hoc nomen probrose & vituperiose sibi imposuerunt, quod pro gloria & honore nedum suo est, sed & totius Ordinis sui & universalis Ecclesiæ, quia unumquodque quanto communis, tanto divinius censetur esse. Cæterum insignis hic Doctor ex injunctione Urbani IV. Papæ ad confutationem errorum diversorum hæreticorum, tunicam Christi inconsutilem bestialiter lacerantium, compegit librum subtilem & sententiis altis plenum, quem contra Gentiles intitulavit. Quo completo, ipsum prælibato Domino Apostolico præsentavit, qui cum magna gratitudine S. Doctoris laborem perutilem & Ecclesiæ necessariam acceptans dixit eidem: Mi Frater Thoma carissime gratissimum & multum necessarium Ecclesiæ Dei Sanctæ exhibuisti obsequium. Et ideo postula quodcunque nobis possibile, & tibi concedemus. Cui Doctor sanctus respondit: Pater Beatissime, nullam desidero promotionem aut statum ab Ordinis mei obedientia me eximentem. Sed si gratiam inveni in oculis vestris, hoc tantum peto & ex toto corde desidero in laboris mei recompensationem, & præcipue ad Dei gloriam & honorem, ut Sacrosancti Dominici corporis & Sangvinis Sacramentum autoritate vestra sibi speciale & solenne vendicet festum, quod Ecclesia Dei annuatim peragat per orbem universum congrua veneratione & devotione condigna. Audiens autem Papa Doctoris devotissimi salubre desiderium, omni possibilitate merito persequendum, dixit: Petitio tua grata & favorabilis, imo toto studio & nisu adimplenda, interlocutione indiget, matura Fratrum nostrorum & sano

Digitized by Google

ſano conſilio. Eapropter cum eis de ea colloquium habebimus, & tuo deſiderio, in quantum poterimus, ſatisfacere ſatagemus. Revertente ergo S. Doctore ad propria, & pro reſponſo grato anhelante, contigit divina procul dubio diſpenſatione, quod cum Dominus Papa de prælibatæ petitionis materia cum Cardinalibus collationem habuiſſet, & factum fortasſe per eos difficultatum eſſet, quidam Sacerdos cujusdam villæ non procul ab urbe poſitæ; ſuam celebraret miſſam, devotus & commendabilis vitæ. Hic quidem Presbyter ſæpe per antea fluctuantibus cogitationibus hæſitare conſveverat ex diabolica immiſſione de veritate Sacramenti & ejus integritate, & pro illo tempore illa hæſitatio plus ſolito ipſum vexabat. Perveniens autem in miſſa illa ad hoc, ut hoſtiam jam conſecratam & populo oſtenſam reponere deberet ſuper corporale. Quod cum feciſſet, mox ſpecies panis transmutatur in effigiem pueri crucifixi, ſangvinem de vulneribus de facto emittentis, in tantum etiam, ut loca corporalis ſub vulneribus tingerentur cruore effluxo. Quod videns Sacerdos, vehementer territus obſtupuit, & in lacrymas multas reſolutus, Dominum in corde ſuo exoravit, ut ſibi hoc hæſitationis peccatum indulgeret, quia de hujusmodi Sacramenti veritate nunquam amplius dubitare vellet. Quo voto emiſſo, ſtatim effigies illa iterum verſa eſt in priſtinam panis ſpeciem, ſed tinctura effluxi cruoris miraculoſi corporali impreſſa, in locis, ubi vulnera manuum, pedum & lateris aptata fuerant, remanſit madida & rubricata. Finita ergo miſſa, Sacerdos cum omni reverentia & tremore corporale complicans, protinus Papam Urbanum adiit, & ſibi omnia per ordinem narrans, corporale illud in documentum actæ veritatis oſtendit. Quæ audita & viſa cum Papa Urbanus coram Cardinalibus recitaret, & evidentiam facti oſtenderet, perpenderunt omnes, hoc factum ſtupendum a Deo ideo fieri permiſſum fuiſſe & contigiſſe, ut S. Doctoris petitio executionem ſortiretur efficacem. Papa ergo accerſito eo, ſibi de communi omnium aſſenſu injunxit, ut Hiſtoriam pulcram de Sacramento prædicto componeret & dictaret. Qua perfecta, ipſe juxta ſuum deſiderium feſti ſolennitatem novam inſtituere vellet. Quod ſecundum promiſſum utriusque partis tandem completum eſt.

De Clemente IIII. PP. CXCI.

Clemens Papa, natione Provincialis ex patre Petro, ſedit annis ſex & diebus XXII. ſecundum Martinum. Hic Gwido dictus uxorem & liberos prius habens, fuit famoſus advocatus & Regis Franciæ Conſiliarius. Sed poſt uxore defuncta propter vitam ſuam laudabilem factus eſt Epiſcopus Podienſis, & poſt Archiepiſcopus Narbonenſis, tandemque effectus eſt Sabinenſis Epiſcopus Cardinalis, & miſſus ab Urbano Papa in Angliam pro pace reformanda. Ubi cum eſſet, Papa Urbano Peruſius defuncto, electus eſt a Cardinalibus in Papam. Hic ante legationem Anglicanam miſſus etiam fuerat in Daciam, ubi Regem Danorum Ericum excommunicavit. Iſte ſpiritu prophetiæ ornatus fuit in factis Karoli Regis Siciliæ contra Conradinum nepotem Friderici II. quem cepit & decollavit prope Neapolim cum multis Nobilibus. Ayco Rex Armeniæ familiare colloquium poſtulavit cum Bondokdak Soldano Ægypti, ſecundum Egghardum, & obtinuit ab eo. Convenientes ergo petiit humiliter Ayco Rex filium ſuum ſibi reſtitui de captivitate. Cui Soldanus conſenſit ſub conditione tali, ut ſi ordinare poſſet apud Imperatorem Tartharorum, quod ſibi reſtitueretur Sangorbaſtar amicus ſuus & Princeps militiæ ſuæ, quem Tarthari ceperant, & in vinculis tenebant. Quod Rex Ayco ſe facturum promiſit, & ad effectum perduxit. Quo libertati reſtituto, Rex filium ſuum ſimiliter accepit liberum. Gwido Antiſiodorenſis Epiſcopus, accepta autoritate abſolvendi a Papa, ſecundum Wilhelmum, abſolvit exercitum, quem contra Manfredum Karolus cum Papa & Rege Franciæ congregaverat, ab omnibus ſuis peccatis, injungens eis pœnitentiam, ut in Manfredum & Teuthonicos ac eorum auxiliatores ictus geminarent. Manfredus ergo Rex tribus præliis a Gallicis doloſe vincitur, & in tertio caſualiter occiditur, & prope urbem Beneventanam per Karolum ſepelitur.

Undecimo anno Richardi, qui eſt Domini MCCLXVIII. Burgerus Dux Sweorum obiit, ex ruſtico Dux factus, ſecundum Chronicam Danorum, qui ex humilitate ſe Regem nec ſcribere nec ab aliquo nominari voluit, licet tamen multum fructuoſus Regno extiterit. Huic ſucceſſit Woldemarus filius, & in Regem unctus & coronatus eſt. Ayco Rex Armeniæ cum adjutorio Alahonis Imperatoris Tartharorum in Turkia plures civitates & caſtra expugnavit, ſecundum Egghardum, & poſtquam XLV. annisglorioſe rexiſſet, & pro Eccleſia Dei & augmentatione fidei plura ardua bella egiſſet, Regnum ſuum filio ſuo reſignavit. Et ipſe Deo quiete ſervire cupiens, religionis habitum aſſumſit, ac nomen novum ſibi imponens, Macarium ſe nominavit, & tandem poſt glorioſos in Domino agones perpeſſos, felici fine requievit. Dominus de Valkenberg frater Engelberti Archiepiſcopi Colonienſis, ſecundum Wilhelmum, cum ſuis complicibus tempore nocturno muros urbis Colonienſis perfodere, & ſubintrare niſus eſt. Sed deprehenſus in conatu ſuo bello congreditur, & ipſe cum multis aliis interficitur a Colonienſibus.

Duodecimo anno Richardi, qui eſt Domini MCCLXIX. Conradus Epiſcopus Lubicenſis ſubito defunctus eſt in nocte ſancta Paſchæ, cum crucem cum Canonicis levaſſet; cui in ſedem ſucceſſit Dominus Johannes. Eodem tempore Johannes Dux Luneburgenſis fodit novam ſalinam in eadem civitate longe fertiliorem priore. Principes Saxoniæ & aliarum nationum, ſecundum Chronicam Saxonum, puta Albertus Dux de Brunswic, Johannes Dux de

Digitized by Google

de Luneburg, Otto Marchio de Brandeburg, Wilhelmus Marchio Misnensis, Gerardus & Johannes Comites Holtzatorum curiam tenuerunt solennem in Quedelingburg, & ibidem erant multa practicata & conclusa pro exinanitione civitatum & humilatione earum. Ibidem etiam isti duo fratres Albertus & Johannes Duces de consilio Ottonis Marchionis avunculi eorum Ducatum de Brunswic & Luneburg, qui unus huc usque fuerat, inter se diviserunt, ita quod Albertus, qui major natu erat, obtineret Brunswic, & Johannes Luneburg cum civitatibus & castris, villis ac vasallis cuilibet ipsorum ad partem suam deputatis.

Tertio decimo anno Richardi, qui est DN. MCCLXX. Maxima Sarracenorum multitudo ex Africa per angustum mare transiens in Hispaniam, secundum Martinum, & adjuncta Sarracenis ibidem existentibus, maximam tyrannidem in Christianos exercuerunt, intendentes recuperare quam perdiderant Hispaniam per Karolum Magnum. Sed Christiani partium illarum adunati, & cruce signatorum ex diversis partibus adventantium auxilio freti, licet cum multo Christianorum sangvine de ipsis Sarracenis triumphaverunt. Soldanus Babyloniæ Armenia devastata, secundum Martinum, Antiochiam unam de famosioribus urbibus orbis cepit, & tam viris quam mulieribus interfectis, ipsam in solitudinem redegit. Ericus Rex Danorum filius Christoferi, secundum Chronicam Danorum, reædificavit castrum Coldinghen. Quod causam schismatis ministravit inter se & Ericum Ducem de Sleswic, & multa inde mala secuta sunt in utriusque terris. Dominus Wichmannus, Præpositus B. Virginis, Ordinis Præmonstratensis in Magdeburg, Comes de Lindowe natu existens, Ordinem intravit Fratrum Prædicatorum, secundum Egghardum, in conventu ejusdem civitatis. Qui mox Frater factus, se in Rupin opidum transtulit, & ibidem Ordini suo solenne Monasterium fundavit; ubi factus primus Prior, multis claruit miraculis, vivens incorruptibili corpore. Contigit namque eundem Dei famulum, cum jam senuisset, pro negotiis Conventus sui præpeditum, ultra stagnum, quod Conventui adjacet, existere, & ex itineris labore valde famelicum esse. Non enim poterat sine gravi molestia ultra consvetam horam prandii jejunare. Ut autem audivit per campanam conventus, horam esse manducandi, & ipsum debere adhuc per longum spatium circuire aquam ad ingrediendam urbem, ad quem laborem faciendum sentiebat se vires non habere præ fame & siti, ait socio suo: Fili, sequere me confidenter. Signans autem se crucis signaculo, transivit per compendium viæ, aqua se sub pedibus ejus se meabilem & solidam præbente Dei virtute. Et venit ad conventum per flumen, & introduxit Fratres ad refectorium, socio suo non per laticem, sed per terram ipsum post longam horam sequente.

Quarto decimo anno Richardi, qui est DN. MCCLXXI. Conradinus filius Conradi ex filia Ducis Bayoariæ, secundum Wilhelmum, faventibus sibi Principibus Apuliæ & Calabriæ, & Henrico fratre Regis Hispaniæ, & avo suo Duce Bayoariæ sibi auxiliantibus, ex Teuthonia, Sicilia & Hispania, exercitum validum contra Karolum Comitem Provinciæ, occupatorem Regni sui congregavit. Plures namque factum Karoli pro desperato habebant, tum propter exercitus Conradini virtutem tum propter Regni Siciliæ pene totius rebellionem, tum etiam quia reputabant, Karolum Regni invasorem, Conradinum vero legalem hæredem. Karolus autem in suo exercitu habebat Gallos viros fortissimos in maxima copia. Congressi ergo cum aciebus viriliter, dimicatum est, sed Conradinus, qui potiorem visus est habere expeditionem, victoria destitutus a Gallis vincitur & capitur, & V. Comites nobiles de suo exercitu interficiuntur, puta Gabianus, Jordanus, Bartholomæus & duo filii sui. Postremo vero & Conradinus interfectus est. Omnes autem isti non in pugna, sed prælio peracto captivati decollati sunt. Antequam tamen truncarentur, juxta quandam Capellam spatio magno sericis strato pannis per totum in eo locantur, & vigilias missamque pro defunctis propriis auribus decantari & celebrari audiverunt, indulto etiam eis spatio confitendi. Quibus expletis, decollati sunt. Johannes Teuthonicus dictus Semeca, Præpositus S. Stephani in Halberstad, secundum Egghardum, contra Clementem Papam appellavit propter decimam exactam. Propter quod ipsum Papa excommunicavit, & Præpositura sua privavit. Ex quo facto grave schisma in Ecclesia ortum est, & gravius surrexisset, nisi mors utrumque in brevi de medio sustulisset. Defuncto Erico Duce Sleswicensi, secundum Chronicam Danorum, Ericus Rex Danorum Ducatum Sleswicensem sibi usurpavit, filiis Erici Ducis defuncti Woldemaro scilicet & Erico ad regimen adhuc ineptis. Quod ægre ferentes Comites de Holtzatia, Ducatum illum a Danis usurpatum cum manu valida intraverunt, & usque Sleswic ipsum demoliti sunt spoliando & abducendo, quæcunque capere potuissent, nemini parcentes, nec resistentiam habentes.

Quintodecimo anno Richardi, qui est DN. MCCLXXII. Lodowicus Rex Francorum minime territus ærumnis præteritis, expensis & laboribus, quos fecerat & pertulerat ultra mare temporibus transactis, ad idem salutare iter se denuo disposuit. Buonus denique Rex Armeniæ filius Ayconis nuncios solennes miserat ad Abagathan Imperatorem Tartharorum, desiderans ab eo, ut auxilio sibi foret ad recuperandam Terram sanctam ipsis Christianis, Sarracenos expellendo. Imperator autem Tartharorum lectis literis Regis, libenter annuit, svadens Regi, ut ad Romanum mitteret Pontificem legatos suos, ut & ipse præsidium ei ferret, cum quibus & ipse nuncios suos destinare ad eundem paratus esset. Missi ergo solennes Ambasiatores ab Imperatore Tartharorum & Rege Arme-

Digitized by Google

Armenorum ad Papam Clementem venerunt. Quos Præsul summus honorifice recepit & reverenter pertractavit. Convocato ergo Prælatorum Concilio, de ipsorum consilio & assensu decimam dari mandavit a quolibet Clerico, quam colligens in subsidium Terræ sanctæ, transmisit Regibus prædictis. Ambasiatores vero eorum fidei Christianæ se submiserunt, & qui non erant baptizati, sacro fonte renati sunt. Hac legatione, Regum alienigenarum permotus Lodowicus Rex Francorum Christianissimus, secundum Wilhelmum, adjuncto sibi Rege Navarræ & quampluribus Nobilibus & Prælatis Ecclesiarum, pro recuperatione Terræ sanctæ iter arripuit. Ad hoc autem, ut terra ipsa facilius recuperari possit, incidit eis salubre consilium, ut scilicet Regnum Thunicii, quod in medio consistens, non modicum transeuntibus impedimentum præstabat, primo sub Christianorum dejicerent potestate. Cum ergo portum & Carthaginem, quæ est prope Thunicium, potenti manu cepissent, epidimia, quæ illo anno permaxime circa maris confinia efferbuerat, in eundem Christianorum exercitum nimis sævire cœpit. Et primum quidem seniorem filium, Regis Franciæ, & post Dominum Albanum Cardinalem legatum Papæ, deinde ipsum Christianissimum Regem cum pluribus Comitibus, Baronibus & Nobilibus, ac aliis personis Communibus de medio sustulit. Quam feliciter autem prædictus Lodowicus Rex vitam suam terminaverit, Henricus Rex Navarræ Domino Tusculano Cardinali per literas significavit. Nam in infirmitate sua constitutus, nomen Domini laudare non cessavit, & orationem illam semper interseruit dicens; Fac nos, Domine, prospera mundi despicere, & nulla ejus adversa formidare. Orabat etiam pro populo, quem secum conduxerat, dicens: Esto, Domine, plebi tuæ sanctificator & custos. Et cum appropinquaret fini vitæ suæ, prospexit in cœlum, dicens: Introibo in domum, adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo. Et illo dicto, obdormivit in Domino VIII. KL. Septemb. primo fluxu ventris & post febre acuta vexatus. Ex cujus morte territus Christianorum exercitus est & turbatus, Sarracenorum vero populus exhilaratus est. Delata autem sunt ossa ejus sancta in scrinio apud S. Dionysium tumulanda in Francia, ubi postmodum pluribus gloriosis invenitur claruisse miraculis, cui successit Philippus tertio genitus filius ejus & regnavit XLII. Rex Francorum XV. annis Karolus vero Rex Siciliæ, pro quo Lodowicus frater suus adhuc vivens miserat, navigio cum maxima multitudine advenit, de cujus adventu Christianis non modicum gaudium & Sarracenis tristitia non parva accrevit. Sed cum ex adventu dicti Karoli Regis Siciliæ, & ex adventu Edwardi Regis Angliæ, ac multitudine Frisonum & aliorum peregrinorum diversarum provinciarum in tantum crevisset Christianorum exercitus, quod circa CCCM. pugnatorum æstimaretur, ac etiam præsumeretur, quod non solum Terram Sanctam, sed & totum Sarracenismum Christo subjugare debuissent, peccatis Christianorum exigentibus absque ulteriori fructu & utilitate est dispersus tantus populus. Nam legatus Papæ qui ipsos dirigere debuerat, per mortem subtractus est. Terra etiam Sancta, ad quam ire volebant, gubernatore peregrinorum carebat, quia Patriarcha, qui in Terram S. missus fuerat, defunctus erat, Sedes etiam Apostolica, quæ utrobique providere debuerat, tunc vacabat, Henricus quoque Rex Navarræ, qui infirmus de Africa recesserat, in Siciliam veniens, defunctus est.

De Rodolfo Rege Romanorum.

Rodolfus Rufus Comes de Havenkesberge de Swevia, vel secundum Chronicam Francorum, Comes de Assario, cœpit anno mundi VMCCXXXIII. Olympiadis DIII. anno tertio, urbis conditæ IIMXXIII. Domini vero MCCLXXII. & XVIII. annis regnavit. Hic Archiepiscopo Moguntino Principes Electores convocante, secundum Martinum, in Frankenford ab omnibus concorditer est electus, Imperiali tamen benedictione caruit. Fuit autem ad quindenam in Bobarte, & ibi præsentata fuit ei lancea Domini & corona. Dehinc veniens Aquisgrani, ab Engelberto Archiepiscopo Coloniensi in die S. Severini cum uxore sua est coronatus cum sancta Romana corona, quod nunquam cuiquam Regi accidisse dicitur post Karolum Magnum; &, ut plures retulerunt in Concilio sequenti coram Papa & Prælatis Ecclesiæ, crux aurea fulgens super Ecclesiam B. Virginis Aquisgrani visa est, ubi Rex coronabatur, in signum approbationis divinæ de electione & coronatione facta illius Regis. Hic fuit in armis strenuus & fortissimus, & Papa in favorem Ecclesiæ suam approbavit coronationem.

Primo anno Rodolfi, qui est DN. MCCLXXIII. Hildebrandus Archiepiscopus Bremensis obiit, secundum Chronicam Saxonum, cui successit in sedem Gysebertus de Brunkhorst.

De Gregorio X. PP. CXCII.

Gregorius Papa, natione Lombardus ex patre Lodowico, sedit annis tribus & diebus X. Hic ante electionem suam Theobaldus dictus, Archidiaconus Leodiensis Ecclesiæ extitit, dum in Akron urbe transmarina esset apud Edwardum Regem Angliæ, in Papam est electus, & III. Idus Februarii coronatus & consecratus. Iste veniens Lugdunum, convocavit ibidem Concilium generale; cui Philippus Rex Francorum occurrens, multum reverenter eum suscepit, & recedens, milites plures pro custodia illius reliquit, præficiens eis Humbertum consanguineum suum. Henricus Dominus de Mykelenburg terræ Obotritorum, secundum Chronicam Obotritorum, crucem accipiens ab Episcopo Razeburgensi., mare transivit in subsidium Terræ Sanctæ, sed in manus Soldani Damascenorum incidens, captus est ab eo, & tentus XXVI. annis. Wilhelmus de Brabantia, vir literatissimus Ordinis Prædicatorum obiit secun-

Digitized by Google

cundum Wilhelmum. Hic transtulit omnes libros Aristotelis Naturalis & Moralis Philosophiæ ac Metaphysicæ de Græco in Latinum, verbum e verbo, quibus studentes nunc utuntur in scholis. Hoc autem fecit ad instantiam S. Thomæ Doctoris de Aquino Ordinis ejusdem. Nam temporibus Alberti Magni translatione veteri omnes utebantur. Plura etiam alia idem Frater Wilhelmus scripsit utilia. Henricus filius Richardi Regis Romanorum defuncti venit Viterbii, propter Regnum paternum obtinendum, secundum Wilhelmum. Quem Gwido de Monte forti filius Simonis de Monteforti Comitis Licestriæ in bello Anglicano de consilio hujus Henrici peremti circumventum insidiis Gallicorum, qui cum Philippo Rege Francorum redeunte de Africa præsentes erant protunc, ictu cultelli per latera sæpius iterato interfecit. Soldanus Babyloniæ cum exercitu magno intravit Turkiam, secundum Egghardum, ubi plures Tartharos ibidem inventos occidit, & urbes ac castra expugnans, cum maxima præda thesaurorum & virorum ad propria rediit, ducens secum Capitaneum terræ illius Parvana dictum, qui Soldano favens, terram in manus ejus tradiderat. Quod percipiens Abagathan Imperator Tartharorum, collegit exercitum grandem, & fultus adjutorio Buoni Regis Armeniæ amici sui, transivit post terga Bendukdak Soldani. Quem adhuc inveniens in finibus Turkiæ, bellum cum eo aggressus est, & interficiens de exercitu ejus VM. hominum, apprehendit prædam ab eo captam, & abduxit, cepitque traditorem terræ Parvanam, & vivum ipsum bulliens & decoquens, ipse Imperator partem de eo comedit, & aliam Principibus per Regnum devorandam destinavit.

Secundo anno Rodolfi, qui est Domini MCCLXXIIII. S. Thomas de Aquino egregius Doctor migravit ad Dominum in Monasterio Fossæ novæ Ordinis Cistertiensis anno vitæ suæ quinquagesimo inchoante, vocatus ad Concilium Lugdunense per Gregorium X. secundum Henricum de Hervordia. In hoc quidem Concilio plures Ordines mendicantium sunt abjecti & reprobati, Ordines vero Prædicatorum & Minorum evidenter utiles S. Ecclesiæ sunt declarati, & ideo approbati sunt & confirmati, Ordines autem Eremitarum & Carmelitarum in solito & consveto statu sunt relicti, nec tamen approbati sunt nec confirmati, bigami, qui etiam protunc clericalem deferebant tonsuram, hoc facere de cætero prohibiti sunt. Anastasia Domina de Mykelenburg, secundum Chronicam Obotritorum, de consilio & ex persvasione patris sui Barnam Ducis Stetinensis, tradidit filiam suam Lutgardem Pribizlao Duci Gnesensi Regni Poloniæ. Cum autem nuptiæ istæ celebrarentur, Dominus de Mykelenburg captus erat a Soldano Sarracenorum. Postquam vero Pribizlaus Dux Lutgardem uxorem suam IX. annis habuisset, ipsam in vigilia B. Martini turpiter strangulavit, cujus innocentiam & vitæ sanctimoniam Dominus, ut dicebatur, multis ostendit miraculis. Engelbertus Comes de Marka per Hermannum de Lön nobilem invaditur, secundum Wilhelmum, vulneratur & captivatur, & ad castrum ejus Bredenvord ducitur, & ibidem tam ex vulnerum atrocitate, quam ex mœrore casus sui diem clausit extremum. Hic Comes fratrem habuit Ottonem seniorem se, Canonicum Leodiensem, qui laicari volens, petivit a fratre suo portionem hæreditatis suæ. Propter quod dissensio orta fuit inter eos, sed illa taliter fuerat sedata, ut duo castra puta Altona & Blankensteyn cum omnibus jurisdictionibus suis Ottoni cederent. Sed eo jam sine hæredibus defuncto, dominium fuit reintegratum. Papa Gregorius in Lugduno generale Concilium celebravit, secundum Egghardum, ubi quingenti Episcopi & LX. Abbates & de aliis inferioribus Prælatis prope mille congregati fuerunt, ubi ordinatum est in subsidium Terræ sanctæ & ad annos sex a Clero decimam, multis quidem dure ferentibus, sed pluribus consentientibus dari. Ad illud Concilium convenerant Græci promittentes redire ad Ecclesiæ unitatem; in cujus signum confessi sunt Spiritum S. a Patre & Filio æqualiter procedere, Symbolum fidei in Concilio solenniter decantando, ubi etiam tres Tartharorum Principes baptizati sunt. Woldemarus Rex Sweciæ, secundum Chronicam Danorum, gratia indulgentiarum obtinendarum peregrinatus est Romam. Post cujus recessum Magnus frater suus de Regno se intromisit: quem Sweorum populus pro Rege acceptantes, & sibi fidelitatis sacramenta præstantes, verum Regem eorum post peractam peregrinationem revertentem de Regno suo expulerunt, gloria sua ipsum privando. Caristia maxima mundum gravavit, secundum Egghardum, incipiens in Quadragesimæ tempore, & durans usque ad messem. Sed Deo ordinante post messem, tanta copia frugum facta fuit, ut modius siliginis, qui tempore caristiæ VI. vel VII. solidis emebatur, IX. denariis venderetur. Et sic de cæteris frumentis. Temporibus istis Deus in Ordine Fratrum Prædicatorum velut in firmamento cœli duo posuit magna luminaria, puta S. Thomam & Albertum Magnum, velut luminare majus & luminare minus, cæteros vero Doctores lucidos fecit, & posuit in hoc ordine tanquam stellas in claritate differentes, ut corda tenebrosa hominum simplicium doctrinis suis illuminarent, puta, Robertum Anglicum Archiepiscopum Canthuariensem, & post Episcopum Portuensem Cardinalem; Petrum de Tharentasia Cardinalem Ostiensem, & post Innocentium V. Johannem Parisiensem Magistrum in Theologia, plura utilia scriptitantem, Ulricum Teuthonicum Doctorem eximium, plura volumina componentem, Wilhelmum Archiepiscopum Lugdunensem, Jacobum de Voragine Episcopum Januensem. Johannem Lectorem Compositorem Catholicon & triplicis Summæ Juris, Raymundum, Cardinalem & Summum Pœnitentiarium ac compilatorem Decretalium & Summæ Juris egregiæ, Hugonem Cardinalem & Postillatorem totius Veteris Testa-

Digitized by Google

Testamenti, Humbertum dicti Ordinis Magistrum generalem & expositorem solennissimum Regulæ B. Augustini, Vincentium trium Speculorum collectorem nobilissimorum & plures alios insignes.

Tertio anno Rodolfi, qui est Domini MCCLXXV. Amalaricus Clericus, filius Simonis Montisfortis in Anglia interfecti, secundum Wilhelmum, dum per mare sororem suam duceret in Walliam ad Principem Walliæ, ut eam acciperet in uxorem, Edwardus Rex Angliæ ipsum cum sorore sua capi & in carcerem poni fecit. Princeps vero Walliæ indignatus, a Rege Angliæ recessit, fidelitatem ei subtrahendo, & ei rebellando. Unde montem quendam in confinio illarum terrarum incastellavit. Quem montem Rex terra marique obsidens, multa milia ibidem de suis perdidit per infestationem Principis Walliæ. Sed tandem Princeps ille per Regem ad talem deditionem recipitur, quod nomine & autoritate Principis Walliæ fungeretur, quamdiu ipse viveret, sed ad hæredes suos, siquos generaret, Principatus illius autoritas minime deveniret. Et sic Rex ei uxorem suam reddidit. Amalaricum vero, quia Clericus erat nomine Prælatorum suorum, diu sub arta custodia reservavit. Woldemarus Rex Sweorum reversus de peregrinatione sua Romana, secundum Chronicam Danorum, & Regno suo privatus per Magnum fratrem suum, junxit se Erico Regi Danorum, & apud ipsum manens cum uxore sua & liberis, impugnavit Regnum Sweciæ cum adjutorio dicti Erici Regis. Magnus vero frater prædicti Woldemari intelligens, Ericum Regem Danorum fovere fratrem suum, & ei auxilio esse, cum magno exercitu classis navalis intravit Scaniam, & demolitus est omnem terram illam, & cum maximo spolio reversus est in Regnum suum.

De Innocentio V. PP. CXCIII.

Innocentius Papa, Burgundus ex patre Matthæo, sedit mensibus VIII. & diebus X. secundum Martinum. Iste prius Petrus de Tharentasia dictus, Doctor extitit Theologiæ & Frater Ordinis Prædicatorum, factusque Archiepiscopus Lugdunensis & post Cardinalis Ostiensis apud Aretium Tusciæ creatus, electus est in Papam & consecratus in die S. Agnetis. Hic cum esset inter Ordinis sui obedientiam constitutus, in quodam Capitulo coram Magistro generali accusatus fuit per quosdam æmulos suos. Quem idem Magister in Capitulo ad statuam vocans, crimen falso sibi impositum ei objecit. Cum autem dictus Magister Petrus staret, & verba increpantis se cum patientia audiret, nola portæ importune pulsabatur. Ad cujus impetuosum pulsum quidam juvenis Frater surgens & cito currens, voluit pulsantis negotium sciscitari. Veniens ergo ad portam, invenit ibidem viros honorabiles, petentes, ut eis Magister Petrus de Tharentasia vocaretur. Qui cum de licentia Magistri generalis ad portam veniret, mox solennes illi nuncii debitam ei honoris reverentiam exhibentes, literas Lugdunensis Capituli de concordi electione & Bullas Domini Papæ de electionis confirmatione ei obtulerunt, ipsumque Archiepiscopum Lugdunensem salutarunt. Cujus nuncii boni veritatem cum Magister Petrus videret, reversus ad locum Capituli, & iterum verba Magistri repetentis audiens, taliter fertur dixisse: Magister reverende, peto licentiam loquendi pauca verba. Quod cum Generalis annueret, ait: Pater venerande, quidam fratres falso me accusantes laqueum paraverunt pedibus meis, sed Dei gratia laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Et mox producens literas Apostolicas, ostendit se confirmatum Archiepiscopum Lugdunensem. Quod Magister Ordinis videns, consternatus valde petiit veniam pro se & Ordine suo. Quam libens dulcis Magister & Dominus Petrus indulsit, & Fratribus benedicens abscessit. De isto venerabili Magistro Petro etiam narratur, quod cum Gregorius X. defunctus esset, & ipse Cardinalis Ostiensis existens una cum aliis Cardinalibus in conclavi esset pro novi Pontificis electione fienda, unus inter eos Cardinalis erat Anglicus, qui ob verbum jocosum, quod dictus Magister Petrus solitus erat dicere, puta ergo bibamus, ipsum non bene poterat (ferre). Hic Anglicus cum præmeditatione sibi quædam metra fecerat, quibus prædictum Magistrum Petrum confundere cogitabat, si verbum illud jocosum in seriosis suis factis, quæ præ manibus habebant, ipsum dicere contingeret. Existentes ergo in conclavi, ubi Papam eligere debebant, & audiens Petrum in cursu verborum aliquid sibi forte displicibile dici, prorupit ex inadvertentia in proverbium solitum, dicens: ergo bibamus. Tunc mox Anglicus ille subintulit metra per se confecta, dicens:

Dum clausi stamus, qui dicit (dixerit) ergo bibamus,
Rebus pensatis reputatur vir levitatis.

Petrus autem audiens verba insultationis ab eo studiose composita, respondit improviso per duo metra dicens:

Anglicus Angelus est, cui nunquam credere fas est:
Anglicus a tergo caudam gerens (gerit), est pecus, ergo bibamus.

Cujus ingenium perpendentes cæteri Cardinales, ipsum unanimiter in Papam elegerunt. Sed proh dolor! non diu in Papatu vixit ex ordinatione forte ejusdem Anglici & sibi similium, qui honori suo insidiabantur, per intoxicum ipsum expediendo. Iste Innocentius gloriose scripsit super Apostolum & super IIII. libros Sententiarum.

Quarto anno Rodolfi, qui est Domini MCCLXXVI. Gallici Pamphiloniam in Regno Navarræ ceperunt, secundum Wilhelmum, urbes expugnaverunt, & ut Sarraceni, viros & mulieres interfecerunt, matronis & virginibus nequiter stupratis.

De Adriano V. PP. CXCIIII.

Adrianus Papa, natione Januensis ex patre Johan-

Digitized by Google

Johanne, sedit mense uno & diebus IX. secundum Martinum. Hic prius Humbertus dictus nepos extitit Innocentii IIII. & ab ipso in Cardinalem S. Adriani promotus fuit. A Domino vero Clemente IIII. Papa missus fuit in Angliam pro discordia inter Regem & Regni proceres sedanda. Iste factus Papa statim Constitutionem a Gregorio X. editam in Concilio Lugdunensi de constrictione Cardinalium propter electionem Summi Pontificis suspendit, proponens eam aliter ordinare. Sed morte inopinata præventus ipsam sic suspensam reliquit successori suo. In Trajecto superiori facta solenni processione trans pontem in Vigilia S. Margaretæ cum maxima pompa cereorum artificialiter ornatorum, secundum Wilhelmum, postquam Clerus & Religiosi cum Reliquiis transierant, sequenti gravi pressura multitudinis, pons in medio fractus est, & posterioribus anteriores ad casum vergentibus, circa centum homines submersi perierunt. Ex hoc solennitas processionis versa est in vocem mœroris. Bendokdak Soldanus Babyloniæ in toxico periit, secundum Wilhelmum, in cujus Regnum jure hæreditario successit filius suus Mellechsaid. Sed quia Regno inutilis inventus est, exulari compulsus est, & in locum ejus erectus Elphi strenuus & sagax miles. Lubicana civitas incinerata fertur hoc anno in festo S. Viti Martyris secundum quendam Metristam dicentem:

M. ducenteno sexto quoque septuageno
In Viti festo Lubek perit igne molesto.

Istud autem vel simile incendium narratur contigisse in eadem urbe & pro eodem die anno Domini MCCIX. secundum Metra sequentia:

Anno milleno ducenteno quoque nono
In Viti festo Lubek perit igne molesto
Quinque tantum ædes remanserunt ibi stantes.
(Tantum quinque ædes commanserunt ibi stantes.)

Sed forte bina vice talis conflagratio civitati huic accidit. Certum tamen est, quod post ultimam combustionem domus lapideæ factæ sunt cum muris contiguis, ne amplius tam generale incendium urbem destrueret, sicut aliæ civitates circumjacentes. Johannes Episcopus Lubicensis obiit, cui in sedem successit Dominus Borchardus vir circumspectus & prudens,

De Johanne XXI. PP. CXCV.

Johannes Papa, natione Hispanus, sedit mensibus VIII. & diebus VIII. secundum Martinum. Iste prius Petrus dictus fuit in diversis scientiis famosus, & primo erat Tusculanus Episcopus. Hic florem scientiarum & dignitatem Pontificatus quadam stoliditate deformabat adeo, ut industria naturali pro parte videretur carere. Pauperibus tamen & divitibus pariter communem se exhibebat. Multos egentes studium literarum diligentes fovit, & in Ecclesiis eos beneficiis ditavit. Sed cum sibi vitæ spatium in annos plurimos extenderet, & hoc coram aliis assereret, subito casu periit. Nam camera nova, quam pro se Viterbii juxta palatium construi fecerat, subito corruit, & ipse solus ea ruente interiit, sexta autem die post lapsum vita excessit Sacramentis prævie perceptis.

Quinto anno Rodolfi, qui est Domini MCCLXXVII. Abagathan Imperator Tartharorum misit Magandanorem fratrem suum cum XXXM. armatorum in Syriam contra Elphi novellum Soldanum, secundum Egghardum, ut Regnum illud sibi subjugaret. Et mandavit dictus Imperator fratri suo, ut Regem Armeniæ & omnes Christianos, quos habere posset, in subsidium suum ad se invitaret, & si castrum quodcunque expugnaret, ipsum Christianis ad fidelem custodiam traderet, quod in ipsis certam fidelitatem inveniret. Egit ergo Magandanor secundum fratris sui Imperatoris præceptum, & assumto secum Rege Armeniæ, in magna potentia ingressus est Regnum Syriæ cum multis Christianis, & ipsum peragrans vastavit in magna parte. Elphi autem Soldanus ingressum hostium percipiens, exivit obviam exercitui Tartharorum cum maximo Sarracenorum populo, & veniens prope urbem Camellam, invenit ibidem inimicorum agmina. Rex namque Armeniæ vallavit ex una parte Sarracenos, & Tartharorum Princeps ex altera, Christiani vero vada observabant, ne hostes elaberentur. Cum autem uterque exercitus Christianorum & Armenorum congressum facerent in hostes, & jam innumerum populum Sarracenorum prostravissent, ac fugientes Sarracenos insequerentur, & sic ab invicem dividerentur, Magandanor Princeps Tartharorum turpiter agens, fugam cum suis iniit, & Christianos ac Armenos in manibus inimicorum dereliquit. Quod videntes Sarraceni, vires suas resumserunt, & fortiter in suos hostes impetum facientes, potiores de Armenorum exercitu devicerunt, Rege cum paucis viris evadente, Christiani vero de suis majorem partem revertentes ad propria perduxerunt.

De Nicolao III. PP. CXCVI.

Nicolaus Papa, natione Romanus ex patre Paulo, sedit annis tribus & diebus XX. secundum Martinum. Hic prius dictus Johannes Gayetanus (Cajetanus) de domo Ursinorum amator extitit Cleri & Religiosorum, & maxime Ordinum mendicantium, quibus solennia contulit privilegia. Iste Fratrem Jeronymum legatum Græcorum Ordinis Fratrum Minorum fecit Cardinalem, & alium Fratrem ejusdem Ordinis constituit Episcopum Tudertinum, duos quoque Fratres de Ordine Prædicatorum assumsit in Cardinales. Ipse etiam Palatium S. Petri multum ampliavit, & quamplurima ædificia erexit juxta Pratellum, fontemque ibi scaturire fecit, & arboribus diversis ornavit. Parum autem post promotionem suam per

Digitized by Google

per aliquot dies Tiberis Romæ in tantum excrevit, quod super altare B. Mariæ Rotundæ ad IIII. pedes & amplius ascenderet. Johannes Dux de Luneburg filius Ottonis primi Ducis de Brunswic obiit circa festum B. Luciæ, secundum Chronicam Saxonum, cui successit Otto filius suus; Ottoni vero dedit postea Lodowicus Rex Romanorum filiam suam Mechtildem in uxorem, de qua genuit tres filios, scilicet Lodowicum, Ottonem & Wilhelmum.

Sexto anno Rodolfi, qui est Domini MCCLXXVIII. Nicolaus Papa Karolum Regem Siciliæ a Vicaria Tusciæ removit, & Constitutiones faciens tam de electionibus Prælatorum quam de electione Senatorum Urbis Romanæ, se Senatorem ad vitam suam fieri procuravit, faciens per suos Senatoriam fere per duos annos administrari. Hic Papa misit ad Karolum Regem Siciliæ in Apuliam unum de Cardinalibus, volens super amotione ejus de Vicaria Tusciæ & Senatoriæ urbis Romæ continentiam, patientiam & obedientiam ejus experiri. Sed hunc ex relatione Cardinalis humilem & discretum plusquam credidit, invenit. Magister Johannes de Aurelianis Cancellarius Parisiensis per Papam Nicolaum ad Episcopatum Parisiensem promotus, seculo valedicens, totum dimisit propter Deum, & in domo Fratrum Prædicatorum religionis habitum induit, & pauper cum pauperibus Fratribus Domino famulabatur. Everhardus filius Engelberti Comes de Marka, secundum Wilhelmum, castrum Bredenvord, in quo patris sui defuncti corpus detinebatur, obsedit. Castrenses vero obsessi licet inviti corpus reddiderunt, & Everhardus Comes ipsum Cappenberg sepelivit; non tamen propter redditionem cadaveris obsidio illa soluta est. Nocturno ergo tempore castrum, omnibus fugientibus, qui in ipso erant, desolatum derelinquitur, & ipsum per Everhardum Comitem usque ad solum destruitur. Humbertus Generalis Magister Ordinis Prædicatorum V. obdormivit feliciter in Domino, secundum Martinum. Ad instantias pias hujus venerabilis Magistri Constitutio Innocentii IIII. est revocata. Hic etiam Magister Officium divinum Fratrum ex Officio Gallicano ordinavit & correxit, & postea per Martinum IIII. Papam est Ordini confirmatum. Ordinavit etiam sui Magisterii tempore fieri librum, qui Vitas Fratrum intitulatur. Rodolfus Rex Romanorum, citato Odakero Rege Bohemorum, secundum Egghardum, pro eo quod injuste possideret civitatem Egrensem cum adhærentiis ejus, puta Ducatibus Austriæ & Carinthiæ, Marchionatu Stiriæ & Herbipoli urbe; & eo non comparente, sibi abjudicata sunt in curia Spirensi prædicta dominia, & Imperio adjudicata. Quem Odakerum Regem cum resignare nollet prælibata bona, Rex Romanorum bello invasit, & ipsum interficiens, fere VIM. hominum peremit. Et sic terras illas amplius quiete possedit bello justo acquisitas. Aquisgrani miserabilis strages facta est in die S. Gertrudis, secundum Wilhelmum. Nam Comes Guliacensis (Juliacensis) qui per XXX. annos Ecclesiæ Coloniensi infestus extiterat, & duos Pontifices ejus successive captivaverat, dolose cum armatis civitatem ingressus est, sed a quodam de suis traditus, irruente in ipsum urbis populo, ipse cum multis Nobilibus est occisus.

Septimo anno Rodolfi, qui est Domini MCCLXXIX. Bellum grande actum est in die S. Pauli primi Eremitæ prope castrum Vrose juxta Magdeburg, secundum Chronicam Saxonum, convenientibus ibidem Ottone juniore Marchione de Misna cum Comitibus de Reghensteen, de Hademersleve & de Arensteen ex una parte: ex altera vero Ottone Comite de Anehald Duce exercitus cum Magdeburgensibus & vulgo terræ copioso. Ubi milites B. Mauritii ex parte Magdeburgensium victoria potiti, interfecerunt dictum Comitem de Arensteen, capto Marchione Misnensi cum pluribus Nobilibus. Quem triumphum plura mala sunt secuta. Nam promissis, minime observatis, Otto Marchio Ecclesiæ terminos graviter infestavit, & contra Albertum Ducem de Brunswic conjuratio & conspiratio valida facta est, ac ejus fines incendiis & rapinis sunt damnabiliter devastati. Albertus Magnus Magister in Theologia Ordinis Prædicatorum olim Episcopus Ratisponensis obiit in Domino secundum Martinum. De hujus venerabilis Patris obitu plura notabilia tacta sunt supra VIII. anno Richardi. Woldemarus exulatus Rex Sweorum dedit se in gratiam fratris sui Magni Regis, qui violenter se ingesserat ad regnandum, secundum Chronicam Danorum, qui ipsum cum decenti familia apud se tenuit ad tempora vitæ suæ, sed oportebat primum ipsum renunciare omni juri suo, quod in dicto Regno sibi competere asseruit. Et sic Magnus frater suus Regni illius gubernacula obtinuit. Albertus Dux de Brunswic obiit ipso die Assumtionis B. Virginis, secundum Chronicas Saxonum, relinquens post se duos filios, Henricum scilicet, qui postea amisit castrum Herlingberg, & Albertum Pinguem. Hic Albertus Dux defunctus olim Guntzelinum Comitem de Swerin terra sua & Comitatu suo privaverat, quem habuit ad australem partem Albiæ fluminis, eo quod spolium commiserat in sylva Wunnekenbruk dicta prope Todeslo terræ Holtzatorum, & de curribus multa bona Lubicensibus abstulerat.

Octavo anno Rodolfi, qui est Domini MCCLXXX. Erat in Saxoniæ partibus prope Goslariam in Monasterio Gerenröde dicto Monialis quædam Agnes nuncupata, secundum Chronicam Saxonum, quæ compulsa est una cum aliis Sororibus ad tempus ad ædes paternas remeare propter devastationes frequentes bonorum Monasterii sui. Quæ cum ad parentes suos redisset, & speciosa satis esset, diabolo instigante & fragilitate fœminea permittente, a quodam generoso cliente imprægnata est. Partui ergo appropinquans, anxia fugit ad campum, & puero edito, adest diabolus in specie Sacer-

cerdotis, dicens ei: Quid agis mulier? Scio te prolem peperisse. Sed consule jam honori tuo, ne & tu cum parentibus tuis confundaris. Parvulum ergo in stagnum proximum projicias. Si enim aliquamdiu vixerit, latere non poterit. Tunc misera mater miro ponderis certamine fatigata, sed tandem erubescentia sceleris vicit maternum pectus, & infantem tamen baptizatum in ipso flumine mox suffocavit. Cui statim diabolus insultans inquit: O fœminarum crudelissima, quid egisti? Nihil amplius restat melius, nisi ut sine scandalo tui & tuorum & sine periculo gravioris mortis, facta mihi prius confessione, te cum prole tua submergas. Quod si non feceris, facinus tuum omnibus amicis tuis & judici terræ prodam. Quo audito, omnibus membris tremens, in terram se prostravit, & B. Virginem, cui semper devota, invocavit contra diabolum in adjutricem. Nec mora, vidit mulier diabolum quasi fumum disparentem. Quæ mox prorumpens in laudem Virginis, ipsi servire in omnibus diebus vitæ suæ promisit. Venit ergo in urbem, quæ Halberstad dicitur, & hospitio suscepta a quadam venerabili persona, locuta est cum quadam Judæa nomine Sara, ut ejus parvulum enutriret. Mansit autem cum Judea illa per annos duos in tanto mœrore, ut vix aliquis eam ridere videret, bis in hebdomada jejunans in pane & aqua. Interim autem illi Saræ Judææ de Cristi pietate & fide, ac de bonitate matris ejus prædicabat, eo quod eloquens esset & prudens, & in tantum eam exhortabatur ad fidem, ut verba sua, Deo cooperante, cor suum penetrarent. Unde Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam addiscens, omni die orabat Christum & ejus Matrem. Quod cum Judæus vir Saræ adverteret, cœpit juvenculam illam habere suspectam tanquam suæ uxoris seductricem. Unde cogitare intra se cœpit diabolo immittente, dicens: Si hanc patieris tecum morari, convertet uxorem tuam ad fidem Christianam; si vero eam dimiseris, & a te separaveris, carebis uxore tua, quia procul dubio eam sequetur. Interfice ergo eam occulte, & securus eris de omnibus. Unde mox surgens, extracto (fors. gladio) interfecit eam in lecto dormitantem. Quod videns Judæa, exhorruit, sed contradicere non audebat. In noctis ergo medio cum signum fieret, ut Judæi synagogam intrarent, Judæus iste domum exivit, & synagogam visitavit, relicto cadavere in lecto. Cogitavit enim corpus educere exanime, cum reverteretur. Quo recedente, Judæa in lecto jacens, clara visione aspexit Gloriosam Virginem Mariam cum duabus puellis ad mulierem occisam ingredi, & ex pyxide quadam, quam una puellarum deferebat, vulnus interfectæ perungere, occisam vero mox surgere, & cum Virgine Benedicta cameram exire. Judæa autem post egressum puellarum surrexit de stratu suo, videre volens, si visio illa veritatis aliquid haberet, vel an delusio fuisset. Et accedens ad lectum Agnetis, non invenit eam. Maritus autem rediens de synagoga, etiam locum interfectæ ab eo accessit, & non invento cadavere, credidit, uxorem suam ipsum removisse, nolens credere verbis ejus narrantis sibi visionem, quam viderat. Vix ergo completi sunt dies XL. & ecce venit mulier peregrina salutans Judæam & virum suum ex parte Agnetis nutricis pueri eorum. Quod audiens Judæus, miratus dixit: Nonne ego occidi illam? quomodo ergo nunc vivit? Cui uxor dixit: Potens est Dominus Jesus famulam suam occisam vivificare. Tunc ait Judæus: Hoc est, quod semper timui, & propter quod eam occidi, quia timui, quod te seduceret. Unde pecuniam, quam in domo promtam habuit, colligens, ab uxore protinus recessit. Judæa vero cum filiis suis duobus mox ad Ecclesiam properans, se cum eis baptizari fecit, & bona sua pauperibus distribuens juxta Sacerdotis consilium, cum parvulis suis urbem exivit, & ad locum, ubi Agnetam cognovit esse, perrexit. Agnes autem cum gaudio suscipiens Gertrudem sic enim vocata est in baptismo, & ipsam ut bonam vivere docuit Christianam. Una ergo dierum dixit Gertrudis conversa ad Agnetem: Miror valde, soror mea Agnes, quomodo revixeris, cum ego te viderim interfici. Cui Agnes: Novit Christus Dominus, quod licet vulneris diri cicatricem habeam, nullum tamen interfectionis sensi dolorem. Videbar insuper quasi a somno excitari. Excitata vero timui viri tui furorem, & ideo recessi latenter tibi non valedicendo. Videns ergo Gertrudis cicatricem vulneris, recitavit Agneti visionem in hora interfectionis suæ sibi apparentem. Propter quod Deum pariter laudantes & Matrem suam benedictam, ipsis devote servire studuerunt. Nicolaus Papa tactus apoplexia, obiit in castro Suriani, secundum Martinum, sed Romæ est sepultus cum solennitate.

De Martino IIII. PP. CXCVII.

Martinus, natione Gallicus ex patre Bartholomæo, sedit annis quatuor & mensibus tribus. Hic prius Simon dictus Cardinalis extitit titulo S. Cœciliæ, & missus fuerat in Franciam bina vice, primo ab Urbano IIII. & post a Gregorio X. secundum Martinum Antequam vero assumeretur in Cardinalem, erat Senator Romanus. Iste Teuthonicos valde exosos habuit propter quoddam factum, quod Parisius sibi accidit satis verecundum & contumeliosum. Borchardus Episcopus Lubicensis interdictum posuit in civitate prædicta propter sepulturam cujusdam viduæ Rigborg dictæ. Ipsa enim in extremis posita, rationis tamen compos sepeliri elegerat coram testibus idoneis apud Fratres Minores ejusdem urbis. Sed electione tali canonica facta non obstante, Sacerdotes parochiæ suæ eam sepelire parabant. Quod Fratres percipientes, cum processione venerunt ad Ecclesiam parochialem, & missa defunctorum finita, funus suum tulerunt de Ecclesia, & ipsum apud se sepelierunt. Propter quod Episcopus provo-

provocatus contra Fratres, interdictum posuit per totam civitatem. Fratres vero injuriam suam ægre ferentes, appellationem legitimam interponendo, causam suam ad curiam Romanam detulerunt. Et quia Episcopus interdictum nimis iniquum & præjudiciale etiam secundum judicium laicorum & simplicium positum, tollere noluit, expulsus est & ipse & Canonici de urbe prædicta, & tamdiu extra civitatem morati sunt, quousque interdictum hoc relaxatum est. Causam autem Fratrum Dominus Jacobus de Columnis Cardinalis S. Mariæ ex commissione Domini Papæ discutiens determinavit pro Fratribus prædictis Minoribus, interdictum cassavit & annullavit. Et sic lite cessante, Episcopus & Canonici ad curias suas sunt reversi Fratribus invidentes, secundum Chronicam Lubicensem.

Nono anno Rodolfi, qui est Domini MCCLXXXI. sedata est discordia inter Ericum Regem Danorum & Woldemarum Ducem de Sleswic, secundum Chronicam Danorum, & Woldemarus Dux recuperavit terram suam, quam violenter Rex sibi abstulerat, & Ducem quasi exulaverat, eo quod non haberet de toto Ducatu suo nisi Gottorpe castrum quod Rex expugnare non poterat, sed ipsum alio castro e regione constructo sic vallaverat, ut vix egredi Dux auderet de castro Gottorpe. Hammeburg civitas Holtzatiæ ultra mediam longe partem incinerata est, secundum Chronicam Lubicensem, & plures homines utriusque (sexus) perierunt in igne sua bona redimere satagentes. Piscis marinus captus est juxta Schagen locum quendam maris Baltici, secundum Chronicam Danorum, figuram gerens leonis, cujus captio præsagium extitit futurorum malorum diversorum. Nam Panormitani in Regno Siciliæ rabie canina succensi Gallicos, qui ibidem morabantur omnes tam mares quam fœminas occiderunt in contemtum Karoli Regis, qui Gallicus erat; mulierum etiam latera, quæ de Gallis conceperunt, aperuerunt, & fœtus suos ejecerunt, antequam nascerentur. Hoc autem stupendum malum ordinaverat fieri Petrus Rex Arragoniæ. Quo facto, idem Petrus collecta magna multitudine armatorum, intravit Regnum Siciliæ ipsum occupans, & Regem Siciliæ se nominari faciens. Quod Martinus Papa audiens, ipsum Petrum Regno Arragoniæ simpliciter privavit, & ipsum Karolo de Valerio nepoti suo filio Philippi Regis Francorum donavit.

Decimo anno Rodolfi, qui est Domini MCCLXXXII. Abagathan Imperator Tartharorum abiit cum Magandanore fratre suo & copioso exercitu in Ægyptum contra Soldanum Babyloniæ, secundum Egghardum, in qua via dicti Principes a propria familia intoxicati fuerunt infra IX. dies. Quorum quidem interitus dolorosus fuit & Tartharis & Christianis, quorum fautores erant. Post hos Imperatores electus est quidam Tangadar dictus, qui Christianos exosos habens, persecutus est eos usque ad internecionem. Nam destruens omnes Ecclesias in Regno suo erectas, & prohibens celebrationem divinorum, cogere cœpit omnes Christianos transire de Lege Christi ad legem Mahumeti, sicut ipse fecerat de Christianismo apostatans, ad Paganismum se transtulerat. Iniit etiam pacta & concordiam cum Soldano Æegypti in destructionem Christiani tituli. Argon autem frater Tangadar Imperatoris Tartharorum condolens Christianis in persecutione, scripsit Cobulathan magno Imperatori Tartharorum, ut fratrem suum prohiberet, ne amplius Christianos vexaret, quos omnes antecessores sui fovissent & defensassent. Quod Imperator ille Magnus fecit, & Tangadar a persecutione Christianorum cessavit. Sed intelligens, fratrem suum se accusasse coram Magno Imperatore, exercitum magnum collegit, & in terram fratris sui veniens, castra & urbes expugnare cœpit. Argon autem frater ejus cum adjutorio Dei & Christianorum prece armatus fratrem prœlio aggreditur, ac ipsum capiens & interficiens, coxit ipsum secundum morem patriæ, & cum suis Principibus ipsum devoravit. Et factus est Argon Imperator Tartharorum loco fratris, & mox exercitum educens contra Soldanum Ægypti, ipsum fugavit ad octo diætas, interficiens de Sarracenis circiter quinquaginta milia & DCC.

Undecimo anno Rodolfi, qui est Domini MCCLXXXIII. Philippus Rex Francorum, secundum Wilhelmum, tenuit Parisius magnum Parlamentum, ubi acceptavit Regnum Arragoniæ sibi pro filio suo Karolo oblatum. Concessæ etiam sunt sibi decimæ Ecclesiarum pro negotio eodem expediendo, crux insuper prædicabatur contra prædictum Petrum Regem destitutum Arragoniæ & occupatorem Regni Siciliæ in adjutorium Regi Franciæ. Johannes de Vercellis Magister generalis Ordinis Prædicatorum VI. obiit in Domino. Fuerat etiam provincialis Lombardiæ vir magnæ prudentiæ. Hic transferri fecit corpus B. Dominici in arcam nobilem, quæ facta fuit anno Dn. MCCLXVII. Prœlium maximum commissum est inter opida Godebusch & Greves molen terræ Obotritorum in crastino festi S. Johannis ante portam Latinam secundum Chronicam Obotritorum, per Dominos Henricum & Johannem filios Domini Comitis de Mykelingburg captivi Soldani ex una parte, & Dominos Duces de Luneburg & Saxoniæ ac Marchiones Misnæ & Brandeburg, & victoria gloriosa cessit de cœlo Dominis Comitibus de Mykelenburg adolescentulis propter preces devotas Dominæ Anastasiæ matris dictorum Comitum mulieris sanctæ. Eodem anno exusta est curia prædictorum Dominorum de Mykelenburg in Wismaria urbe sita ab igne proprio. Philippus Rex Francorum Mariam quondam filiam Ducis Brabantiæ puellam pulcram & prudentem, secundum Wilhelmum, accepit in uxorem.

Digitized by Google

rem. Eodem anno Rex Navarræ moritur, relinquens de uxore sua sorore Comitis Atrebatensis unicam filiam Johannam nomine totius Regni hæredem, quam adhuc in cunabulis vagientem mater festinanter in Franciam asportari fecit, metuens Navarrorum infidelitatem, Rex autem Franciæ Philippus educari eam fecit. Spectabant namque ad ipsam puellam Regnum Navarræ, Briæque & Campaniæ Comitatus hæreditario jure. Rex ergo Philippus tutor matris & filiæ fit, & Pampilonem ac alia dominia bene disponi fecit. Solennis inquisitio fit de vita & miraculis sanctæ memoriæ Lodowici Regis Francorum.

Duodecimo anno Rodolfi, qui est Domini MCCLXXXIIII. Mendosus quidam senex nomine Fredericus Holtstuch, secundum Wilhelmum, venit de Colonia in Nussyam & dehinc in Wesaliam, pro Frederico II. Imperatore se gerens, ubi ipsum cives comprehendentes ob metum Rodolfi Regis Romanorum combusserunt extra urbem suam. Pro eodem tempore alius vesania consimili excæcatus venit in urbem Lubicanam terræ Wagirorum, eundem Imperatorem se fore asserens. Quem vulgus dictæ civitatis minus circumspectus tanquam Regem equo impositum cum honore magno per urbem deducens, reverentiam magnam exhibuit. Erat autem protunc in dicta civitate Lubicensi Proconsul quidam industrius & astutus Henricus Steneke nominatus, qui in negotiis civitatis pluribus & variis præfatum Fredericum Imperatorem visitaverat, & colloquia diversa cum eo habuerat. Hic cum prædicto trufatore Imperatorem se mentiente contulit de multis peractis coram vero Frederico Cæsare negotiis, quæ sibi & dicto Imperatori Frederico peroptime nota fuerant. Sed cum ad ea, quæ sibi Proconsul ille proponebat, valde impertinenter responderet, cognovit, ipsum deceptorem esse. Unde mox ordinavit cum familia civitatis, quod saccum pro sarcophago, & aquam pro cimiterio sibi vendicabat. Audacia Comitissa de Zwerin mater Guntzelini Comitis, secundum Chronicam Obotritorum, obiit in Domino piis actibus plena, & sepulta est in choro Fratrum Ordinis Minorum, quod Monasterium ipsa propriis sumtibus fundaverat. Controversia maxima orta est inter Olaum Regem Norwegiæ & mercatores civitatum tam orientalium quam occidentalium plagarum, & conspiraverunt contra prædictum Regem omnes illæ civitates præter Bremensem, & occupaverunt magnis navibus portum, ne quicquam Regi aut toti Regno adduci potuisset: Propter quod tanta caristia & fames facta est in Regno illo, ideo necessitate compulsus Rex cum omnibus pacem desiderans facere, posuit Magnum Regem Sweorum mediatorem inter se & civitates prædictas, ad quem etiam & mercatores causam suam referebant. Rex ergo Magnus fecit concordiam & amicitiam inter partes, injungens Olao Regi magnam pecuniæ summam, quam mercatoribus daret in sublevamen damni recepti a Rege illo.

Tertio decimo anno Rodolfi, qui est Domini MCCLXXXV. Karolus Rex Arrogoniæ, secundum Wilhelmum, filius Philippi Regis Francorum obiit, cujus corpus aromatibus conditum, in Neapolim translatum est, & in Ecclesia majori honorifice sepultum.

De Honorio IIII. PP. CXCVIII.

Honorius Papa natione Romanus ex patre Francisco, sedit annis tribus & mensibus duobus, secundum Martinum. Prima siquidem, qua Cardinales convenerunt ad electionem faciendam futuri Pontificis, quæ fuit secundus dies Maji, iste erat inhabilis ad Papatum, eo quod esset impotens corpore & manibus, & esset Diaconus Cardinalis, sed Dominus Latinus Cardinalis Ostiensis fecit eum habilem, quia mox ordinavit ipsum Sacerdotem, & sic coronatus est Dominica die in altari S. Petri, celebrato primitus officio Missæ. Hic prius dictus Jeronymus Sabellensis fuit multum pacificus & quietus. Philippus Rex Francorum infinita quasi armatorum multitudine congregata, secundum Wilhelmum Regnum Arrogoniæ filio suo concessum expugnare cœpit, & Januam urbem potentissimam capiens ad exhortationem Johannis legati Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis titulo S. Cæciliæ, nulli ætati, sexui, conditoni, personæ vel loco pepercit, sed omnes gladio trucidavit, & urbem destruxit. Et inde procedens Gerundam civitatem obsedit, ubi ipse Petrus Rex Arrogoniæ in obsidione civitatis propriæ vulneratus non diu post diem clausit extremum. Gerunda igitur civitas Philippo Regi se subdidit, quam Rex reformari & muniri fecit. Rediens autem Rex Philippus de expeditione Regni Arrogoniæ, moritur in Pyrpiniano, cujus carnes & viscera Narbone in Ecclesia majore sunt tumulata, ossa vero ejus ad S. Dionysium apud patrem suum S. Lodowicum sunt relata, sed cor ejus apud Fratres Prædicatores, reclamantibus multum Monachis S. Dionysii, eo quod sepultura Regum esset in Ecclesia S. Dionysii, Philippus filius suus & Regni successor honorifice sepelivit, & cœpit Philippus Rex Francorum XLIIII. regnare.

Quarto decimo anno Rodolfi, qui est Domini MCCLXXXVI. Ericus Rex Danorum a propriis satellitibus occiditur, secundum Chronicam Danorum, in nocte S. Cæciliæ, relinquens post se tres filios, puta Ericum, Christoferum & Woldemarum, & successit ei Ericus primogenitus in Regno, sed quia puerilis adhuc erat, Woldemarus Dux de Sleswic factus est tutor Regni. Veniens autem Woldemarus Dux in Selandiam, colloquium habuit cum Regina & Nobilibus terræ de negotiis Regni disponendis. Cumque, ut putabat, in securitate & amicitia staret in placitis, innotuit ei, quod ex dolositate innata Danorum insidiæ sibi pararentur.

Digitized by Google

rentur. Qui mox ad arma festinans, cum suis super traditores illos ruit, & multos de perfidis Danis interficiens, Regi Dapiferum, qui traditionis illius impositor extitit, captivavit, & secum in Alsen in turrim Northburg transvexit, ac vinculis duris mancipavit. Miles vero quidam Nicolaus dictus filius Johannis letaliter sauciatus in Lubeke urbe defunctus est. Pro eodem tempore mortuus est in eadem civitate Albertus Comes de Everfteen, qui etiam pro cura illuc venerat, & sepulti sunt ambo in Ecclesia majore. Regnum Poloniæ per Marchiones de Brandeburg & Misnæ desolatur, secundum Egghardum. Nam Marchiones prædicti Regnum Poloniæ cum maximo exercitu ingredientes, ipsum igne & gladio demoliti sunt, Regem vero eorum Wirtizlaum in lecto comprehendentes interfecerunt, civitates, quoque, castra, villas & terras sibi propinquiores in deditionem recipientes, jure belli perpetuo possidenda, ad Prutziam terram fertilem & populosam se transtulerunt, in longitudine circa LX. miliaria continentem, & eam consimiliter sibi subjecerunt. Quam quidem terram Cruciferi de Domo Teuthonica quasi metis suis conterminam per longa tempora desiderantes, tandem a supra scriptis Marchionibus magna pecuniæ summa emerunt, & eam pleno jure possidere videntur, quanquam Poloni nunquam nec in præsentiarum ab ejus impetitione quiescant. Injuriam hanc antiquam Rex Polonorum postea temporibus Lodowici Marchionis corde revolvens, Letwinis Paganis consilio & beneplacito Johannis XXII. Papæ, ut dicebatur, qui Marchionem Lodowicum propter patrem suum Lodowicum Regem Romanorum odivit, amicitia, fide & fœderibus sociatur, sperans, per eos de Markmannis se posse vindicare, quod viribus propriis propter Marchionis potentiam attentare non præsumebat, sed duxit Paganos per Poloniam & terminos alios quosdam Christianorum ad devastandum Christianos. Qui stragem maximam in metis Marchiæ & Poloniæ facientes, exercitum ad interiora terræ duxerunt, & Præpositum de Bernowe hominem corpulentum & pingvem vinxerunt, caput inter crura torserunt, & dorsum ejus gladiis aperuerunt, ac profluvium sangvinis attendentes, de exitu belli per ipsum divinare cœperunt. Interim de partibus omnibus Marchiæ vicinis quasi ad ignem communem extingvendum concurrentibus, Pagani cum Polonis meditati sunt (mediati sunt). Sed præoccupati ab incolis terrarum prosternuntur, capiuntur & interficiuntur, paucis per paludes & alias terras invias elapsis. Judæi in urbe Pragensi Regni Bohemiæ, secundum Egghardum, quendam famulum nomine Wernerum, qui pro mercede eis serviebat, Christianus existens, in die Parasceves martyrio coronaverunt, omnia genera pœnarum & contumeliarum Christi sibi infligendo, cui Christiani duas Ecclesias ibidem fabricaverunt.

Quinto decimo anno Rodolfi, qui est Domini MCCLXXXVII. in festo S. Nicolai ex inundatione maris, secundum Wilhelmum, submersæ sunt XV. insulæ cum XLVM. hominum utriusque sexus vel citra. Everhardus Comes de Marka adolescens generosus castrum Ahus super Lippiam Archiepiscopo Coloniensi pertinens obsedit, & post aliquot dies ipsum cepit & destruxit, secundum Wilhelmum. Interim vero Sifridus Archiepiscopus Coloniensis castrum Woring reædificavit, quod facere non debuisset, & telonia nova & inconsveta exegit, ac alia multa inordinata fecit. Facta est ergo confœderatio Ducis Brabantiæ cum civitate Coloniensi, quibus Comes de Monte, Comes Guliacensis, Comes de Marka, Comes de Woldegge & quamplures alii Nobiles sociati sunt. Sifridus vero Archiepiscopus Coloniensis, Comes Gelriæ, Comes de Lutzelenburg, Comes de Nassowe, Comes de Valkenberg, & quamplures alii Nobiles consimilem ligam & contractum fecerant, sibi invicem adjutorio esse jurantes velle, & contra inimicos similiter stare.

Sexto decimo anno Rodolfi, qui est DN. MCCLXXXVIII. In die S. Bonifacii fuit famosum illud bellum in Woringe commissum per Dominos Sifridum Archiepiscopum Coloniensem & Ducem Brabantiæ. Pars autem Archiepiscopi populo militari & numero pugnatorum partem Ducis non modicum excedebat. Aciebus ergo ordinatis in campo juxta Woringe castrum congressi sunt, & totum pondus prœlii in Ducem Brabantiæ versum est. Quidam autem Gelrenses Ducis Brabantiæ tentoria spoliantes, cum præda fugerunt. Quos & plures alii, ne perderent ea, quæ rapuerant, sequi cœperunt. Ex istorum fuga pars Ducis confortata est, licet adhuc infirmior maneret alia, & pugnavit viriliter, & tandem victoria potita est. Cessit ergo fortuna Duci Brabantiæ & suis, & capti sunt Sifridus Archiepiscopus Coloniensis per Comitem de Monte, & Comes Gelriæ per Ducem Brabantiæ. Interfectus est autem Comes de Lutzelinburg Henricus cum duobus fratribus, & frater Archiepiscopi Cononiensis, ac strages maxima facta est militarium & plurium aliorum nobilium. In Missali vero libro villæ Woringæ sic scriptum est: M. & C. in bello interfecti sunt, & post bellum de captivis vulneratis mortui sunt DCC. Henricus autem Comes de Lutzelinburg & frater ejus Comes de Valkenberg ibidem occubuerunt. De ignotis vero sepulti sunt in cimiterio Woring apud sepem DC. Post commissum autem prœlium Everhardus Comes de Marka rediens in Westphaliam, opidum Werle vallavit, & ipsum expugnavit, murosque ejus dejiciens, opidum incineravit, castrum etiam Wolmensteen, quod erat Episcopi Coloniensis, expugnavit. De qua expugnatione ultra procedens, cepit castrum Ysenburg. Hæc autem omnia Comes de Marka faciliter facere poterat, quia Sifridus Archiepiscopus in castro novo Comitis de Monte captivus tenebatur. Pro redemtione autem sua Archiepiscopus

Digitized by Google

pus prædictus dedit Comiti de Monte tria castra, puta Woldenberg, Rodenberg & Mendene, & sic liber abscessit. Comes vero Gelriæ pro sua liberatione dimisit Duci Brabantiæ Ducatum de Lymburg, quem quidem Ducatum idem Dux Brabantiæ emtum a Comite de Monte, qui ipsum post Mortem Comitissæ Gelrensis filiæ Ducis de Lymburg patrui sui sine hærede decedentis jure hæreditario possidebat, jam sibi vendicaverat.

De Nicolao IIII. PP. CXCIX.

Nicolaus Papa natione Lombardus ex patre Fabiano, sedit annis V. & diebus XXII. secundum Martinum. Hic fuerat generalis Minister Ordinis Fratrum Minorum, & inde assumtus in Cardinalem, post factus est Papa. Hic creavit in Presbyterum Cardinalem Fratrem Hugonem de Bylonio Ordinis Prædicatorum, & Fratrem Matthæum de Aquasperata Ministrum generalem Ordinis Minorum fecit Episcopum Portuensem. Ista etiam volens Græcos ad gremium Romanæ Ecclesiæ revocare, eundem ad eos misit. Ipse quoque Ordinem Pseudo-Apostolorum, prædecessorum suorum vestigiis inhærendo, exterminare laborabat indefesse.

Decimo septimo anno Rodolfi, qui est Dn. MCCLXXXIX. in villa Eginhusen prope Sozatum urbem Westphaliæ, secundum Egghardum, natus est puer masculus, faciem habens ad dorsum, manus autem & pedes & totum corpus reliquum correspondenter habens ad pectus & ventrem. In villa etiam Meyenberg, ubi scaturit fluvius Werna, qui transfluit Hervordiam, natus est puer masculus, habens vittam rubeam collo suo ter circumductam, & in extremitate quasi nodo colligatam sub mento, & post nodationem utramque partem vittæ per utramque mammillam ad ventrem usque dependentem. Comites de Holtzatia Henricus & Johannes cum magno exercitu intraverunt Dithmarsiam, ut eam sibi subjugassent, quia antiquitus ad ditionem eorum pertinuerant, secundum Chronicam Lubicensem. Cumque hostibus appropinquassent, casu cattus quidam ante exercitum Holtzatorum cucurrit per viam, qui creditur fuisse diabolus. Quem cum anteriores exercitus illius inclamarent, posteriores credebant esse fugiendum. Unde continuo illi fugam capientes, dimiserunt socios suos in manibus inimicorum, qui omnes vel occisi sunt vel capti. Unde autem venerat cattus ille, aut quo devenerit, ignoratur usque hodie. Aliquorum autem opinio erat, quod fugam hanc aliqui de nobilibus Holtzatorum Dithmarsis faventibus ordinaverant. Discordia autem ista inter Holtzatos & Dithmarsos tandem sopita est aliqualiter per hoc, quod Henricus Comes Holtzatorum accepit in uxorem filiam Gyseberti Comitis de Brunkhorst fratris Archiepiscopi Bremensis, qui auxilio Dithmarsis fuerat in prœlio supra dicto. Johannes Dominus de Mykelenburg juvenis accepit in uxorem Helenam filiam Wenzlai Domini Rugianorum, qui secundum Chronicam Obotritorum, ex parte matris erat de generoso sangvine Ducum de Brunswic, quorum nuptiæ cum magno tripudio sunt celebratæ in opido Sterneberg terræ ejusdem. Molendina noviter constructa in urbe Lubicana apud majorem Ecclesiam versus austrum, secundum Chronicam ejusdem, primo molere cœperunt hoc anno in magnum commodum dictæ civitati.

Decimo octavo anno Rodolfi, qui est Domini MCCXC. Rodolfus Rex Romanorum, secundum Egghardum, diem suum clausit extremum, & sepultus est in Spyra. Veneti corpus S. Jacobi de Furlivio Ordinis Prædicatorum a Forliviensibus petierunt, secundum Henricum de Hervordia, magnam pecuniam pollicentes, sed non obtinuerunt, quia cives Forlivienses eo carere noluerunt propter crebra miracula, quæ per eum Dominus operari dignabatur. Et attendendum, quod sanctum istum fratrem Jacobum Dominus innumeris & singularibus miraculis gloriose exornavit, de quibus unum, quod cor meum dulciter afficit, referam ad fidelium ædificationem. Fœmina quædam spectabilis fuit dicto Fratri Jacobo, dum viveret, multum devota, cui & peccata sua confiteri consveverat, & ab eo verba salutis & exhortationis audire. Ista corpus Fratris Jacobi sanctissimum, dum jaceret in feretro, videre desiderans, Ecclesiam intravit, & pannum feretri ad introspiciendum sublevavit. Et ecce subito defunctus manum extendens ultra feretrum, mulierem per brachium apprehendit, strinxit & detinuit, & nequaquam abire permisit. Populi vero copiosissima multitudine ad tam singulare spectaculum concurrente, viderunt omnes & singuli fœminam viventem per hominem defunctum captivatam detineri. Mulier autem compuncta ad cor redit, confessorem petit, peccatum quoddam, quod in corde suo latebat occultum, omnibus videntibus lacrymose confitetur, absolvitur, & pœnitentia ei injungitur, & virtus Dei in Sancto suo evidentissime declaratur. Istis enim sic actis, defunctus mox mulierem dimittit, manum ad locum suum reponit, & mulier soluta magna voce Deum in S. Jacobo mirabilem exclamans benedicit. Et omnis plebs, ut vidit, dedit gloriam Deo. Sane dum mulier adhuc a sancto Fratre detineretur, campanæ omnes in turri per se sine adminiculo cujuscunque pulsabantur motæ miraculose. Quod factum quia dubium apud quosdam erat, Forlivienses per viros honestos veraces & fide dignos plures in turri juxta campanas transeuntes examinari fecerunt, & miraculose hoc fieri invenerunt.

De Adolfo Rege Romanorum.

Adolfus Comes de Nassowe cœpit anno mundi VMCCLI. Olympiadis DVII. anno primo, urbis conditæ IIMXLI. Domini vero MCCXC. & IX. annis regnavit, secundum Martinum. Iste electus fuit in discordia cum Alberto

Digitized by Google

berto Duce Austriæ filio Regis Rodolfi, & post annos VIII. ab eodem Alberto victus est Adolfus & interfectus in die SS. Processi & Martiniani in bello publico. Monasterium Monacharum in Rune incineratum est per latrunculos, secundum Chronicam Obotritorum, ex quo incendio pauperes illæ Moniales damna & incommoda multa sunt perpessæ tam corporum quam timeo animarum. Cives Lubicenses guerram gerentes cum Ducibus Saxoniæ de Louenburg, secundum Chronicam eorundem, habuerunt in auxiliatores Dominos Slavorum cum pulcro exercitu. Ad quorum Ducatum cum venissent, quasi omnes villas demoliti sunt. Obsidentes autem castrum Razeburg cum machinis, bumbardis & aliis rebus & instrumentis bellicis, ipsum in magna parte destruxerunt. Videntes ergo Duces audaciam & constantiam Lubicensium, pacem cum eis fecerunt sub tali conditione, ut omnia castra, munitiones & prædia, de quibus usque in præsens rapinas & spolia perpetrassent castrenses & inhabitatores eorum, funditus destruerent. Quæ cum Duces annuissent, mox Lubicenses Ducatum illum pertranseuntes in eo & in partibus vicinis circumcirca sequentia dejecerunt castella, puta Walrowe, Klokestorpe, Karlowe, Möstindusowe, Slawekestorpe, Lynowe & Nannendorpe; sed postea reinstaurata sunt aliqua illorum in non modicum malum civitatum & terrarum Obotritorum, Polaborum, Wagirorum & Slavorum.

Primo anno Adolfi, qui est DN. MCCXCI. Everhardus Comes de Marka, secundum Egghardum, in subsidium Comitis de Tekeneburg Ottonis nepotis sui Pagum Osnaburgensem per VIII. dies continuos vastavit gladio & igne, Sifrido Archiepiscopo Coloniensi, Episcopis Myndensi & Padelbrunnensi, Domino Gerardo de Lippia, ac multis aliis Nobilibus & militaribus in urbe Osnaburgensi congregatis, nec exire audentibus in occursum Comitis. Akaron, quæ ab antiquo Ptolomaida nominabatur, urbs fortissima, in die S. Potentianæ virginis, Dei potentia manum subtrahente a Christianis propter eorum peccata, potenter a Sarracenis victa est & capta. Cujus quidem captionis & devastationis modus talis fuit, secundum Egghardum. Erat enim civitas hæc in litore maris sita, ex lapidibus quadris & sectis constructa & murata, ac turribus excelsis & fortibus & non ad jactum lapidis distantibus ab invicem circumdata. Unaquæque vero illius urbis porta infra duas turres erat locata, & muri erant tam ampli & lati, quod currus alteri obviatim in muro cedere potuisset. Et talem dispositionem versus mare habebat. Versus terram vero civitas erat muris duplicibus & fossatis profundissimis munita, & diversis propugnaculis ac vigilum custodibus securata, plateæ quoque civitatis ad intra erant mundissimæ, & omnes domorum parietes in altitudine erant æquales, ex lapidibus sectis constructæ, ac domus ad intra uniformiter fenestris vitreis & picturis mirabiliter ornatæ. Desuper vero plateæ pannis sericis ob solis ardorem ac aliis linteaminibus pulcris erant coopertæ, unusquisque autem platearum angulus turrim habebat fortissimam portis ferreis & catenis fortibus munitam. In circuitu quoque civitatis ad intra fortissima fuerunt castra constructa, in quibus Principes & Nobiles habitabant. Sed in civitatis medio mechanici & mercatores, quilibet juxta suam facultatem, in specialibus habitabant plateis, & omnes urbis inhabitatores, ut quondam Romani pro Nobilibus Domicellis se gerebant. Nobiles autem & Principes hujus urbis inhabitatores fuerunt hĩ: Primus inhabitator & principalis fuit Rex Jerosolymorum & sui fratres & parentela, deinde Princeps Galilææ & Princeps Antiochiæ, Capitaneus Regis Franciæ, Dux Cæsareæ, Comes de Tripoli, Comes de Yapha, Dominus de Baruch, Dominus de Sur, Dominus Tiberiadis, Dominus de Sagette, Dominus de Yblin, Dominus de Pisa, Dominus de Arsuph, Dominus de Vaus & Dominus de Blansagarda. Hi omnes Principes & Domini coronis aureis insigniti more Regio in plateis incedebant, familia maxima eos sequente in vestibus pretiosis, auro, argento & margaritis adornatis. Omni vero die ludos, torneamenta, hastiludia & varias deductiones militares ac omnia exercitiorum genera ad militiam pertinentia continuabant. Habitabant etiam in eadem civitate Fidei Catholicæ propugnatores fideles, puta Magister & Fratres militiæ templi, omnes milites in armis, Magister & Fratres S. Johannis Jerosolymitani, Magister & Fratres de domo Teuthonica, Magister & Fratres S. Thomæ Canthuariensis, Magister & Fratres Hospitalis, Magister & Fratres S. Lazari, omnes milites in armis. Hi omnes in Acaron deguerunt, & die noctuque cum satellitibus & familiis eorum contra Sarracenos pugnaverunt. Cæterum habitabant in prælibata urbe ditiores sub cœlo mercatores de omni natione mundi, & præsertim Pisani, Januenses, Veneti, Constantinopolitani, Florentiani, Romani, Parisienses, Carthaginenses, Damasceni & Ægyptii, de quorum maledicta discordia urbs hæc nobilis est desolata. Ad hanc, inquam, civitatem regalem deferebantur omnia, quæ in mundo reperiri poterant propter Nobiles, Principes & locupletes in ea habitantes. De aliis vero conditionibus virtuosis & notabilibus ac mirabilibus ornamentis præfatæ urbis longum esset disputare. Hæc, inquam, fuit illa gloriosa ab olim Ptolomaida, in qua Judas Machabæus a Tryphone fuit dolose interfectus. Hæc est etiam illa Akaron, in qua idolum erat Beelzebub, de quo in libris Regum dicitur, quod Ochosias Rex Israel cecidit per cancellos cubiculi sui in Samaria, & post casum dixit ad servos suos: Ite ad Deum Akaron Beelzebub, & consulite eum, si evadere potero ab hac infirmitate. Hæc autem civitas tam gloriosa tamque insignis tale sui honoris & pulcritudinis sumsit exterminium. Nam dum ipsa in tanta gloria esset constituta, diabolus semen suum pestiferum cujuslibet

Digitized by Google

libet communitatis corruptivum, ipsam videlicet discordiam inter Januenses & Pisanos in urbe dicta habitantes seminavit, suscitando in eis maledictam & virulentam illam partiam Lombardicam inter Guelphos & Gebelinos dudum habitam, a qua vel simili scissura & alibi Christianis plura evenerunt mala. Hi, inquam, Gelphini, qui & Pisani, & Gebelini, qui & Januenses, fœdus cum Sarracenis pepigerant, ut eo expeditius inter se & liberius ob execrabile hoc odium a partialitate illa subortum possent in urbe bella exercere. Sentiens autem hæc Urbanus IV. Papa, civitati condoluit, & XIIM. stipendiariorum in subsidium civitati transmisit, ne in tali discordia urbs a Sarracenis caperetur. Qui per mare in Acaron venientes, nil boni ibidem operati sunt, sed die noctuque in tabernis & locis impudicis immorantes, peccata peccatis junxerunt, & iram Dei contra urbem & inhabitatores ejus acrius provocaverunt. Mercatores etiam & peregrinos in stratis publicis deprædati sunt, & pacem urbis perturbantes, multos interficiebant, ac de honestissimo illo loco quasi latronum speluncam faciebant. Audiens autem hæc Sapherach Soldanus Babyloniæ vir sagax & in armis famosus, & sciens, in Acaron odiosam illam discordiam sævire, convocavit concilium Magnatum suorum in Babylonem, & celebrans Parlamentum, conquestus est Principibus suis super injuria sibi illata per Acaronitas irritando fœdera & pacta cum eo contracta. Et mox ut consensum habuit a Proceribus Regni sui, se vindicandi de injuriatoribus Christianis Akaron habitantibus, exercitum maximum adunavit, & coram prælibata urbe se locando tentoria, sua fixit, expugnaturus, si posset, eandem, Et primo devastans & destruens omnia vineta & sata civitatis, pomæria amœnissima & molendina extra urbem locata penitus demolitus est. Quæ mala videns Magister Templariorum Polycarpus, miles multum astutus & strenuus, timuit exitium civitatis propter civium discordiam imminere, habuit concilium cum aliis Magistris & Fratribus militibus Ordinum de pace recuperanda, & malis imminentibus præcavendis. Et quia Soldanus sibi valde amicus erat & familiaris, exivit ad eum extra urbem, quærens ab eo, si fœdera rupta valeret civitas aliquo modo recompensare. Cujus humilitatem pariter & amicitiam Soldanus attendens, generose sibi concessit arbitrium, ut si quilibet illius urbis inhabitator unum denarium Venetianum sibi solvere vellet, pacem ipse eis redderet, & ad propria rediret placatus de offensa. Quo habito, Magister Templariorum gavisus rediit, & universum urbis populum convocans, Ecclesiam S. Crucis intravit, & exposuit ei, qualiter suis precibus a Soldano obtinuisset, quod quilibet homo uno denario Venetiano solutas treugas & rupta fœdera emendare valeret, & pacem reparare. Et hoc fieri omnino judicavit expediens, allegans, quod per civium dissensiones majus damnum civitati eveniret. Quod ut audivit populus incultus & vulgus civitatis, una voce clamabat, ipsum traditorem esse urbis & reum mortis. Magister autem tumultum populi formidans, Ecclesiam exivit, & vix manus furentis multitudinis evasit, atque Soldano, quod sibi acciderat, intimavit. Unde Soldanus civium contumaciam ægre ferens & pertinaciam, ac eorum discordiam non modicum ponderans, fixit tentoria sua prope urbem, & machinas erigens XL. diebus & totidem noctibus, sine intermissione eam igne, lapidibus, sagittis & jaculis impugnavit, ita ut cœlum lapides, ignem & tela ningere videretur. Quidam autem honestus miles, qui protunc in quadam turri civitatis stabat, retulit, quod cum lanceam contra Sarracenos projicere vellet de turri quod antequam lancea terram attingeret, crepuit in plurimas partes divisa telorum impulsu. Erant autem protunc in Soldani exercitu sexies centena millia armatorum, de quibus centum millia semper civitatem impugnabant, illisque fessis, alia centum millia ad idem exercitium redibant, & CCM. stabant ante portas civitatis parata ad bella, siqui exivissent, reliqua vero CCM. ipsis erant ad omnia in supplementum. Nec tamen propter hoc periculosissimum malum portæ civitatis claudebantur, nec erat diei hora, quacunque vel per Templarios aut per alios Fratres Ordinum in urbe commorantium fierent cum Sarracenis gravissima bella. Sed Paganorum illorum in tantum crevit numerus, quod centum millibus interfectis, mox ducenta millia redirent. Non tamen in omnibus his Christiani amisissent civitatem, si se invicem fideliter juvissent. Fuerunt namque cives ad se invicem tam hostiles & invidiosi, ut cum Sarraceni ab extra se oppugnarent, ad intra se ipsos occiderent, nec una pars aliam videns occumbere a barbaris, eam juvabat, sed hostibus intrantibus, & castrum vel domum cujuscunque invadentibus, minime respicere curabant. Quilibet enim in tantum confidebat in fortitudine & munitione sui castri vel domus suæ, ut de nullius alterius castro vel domo curaret. Et in tali discordia sic perseverantes, soli Magistri & Fratres Ordinum se defendebant, & contra infideles viriliter certabant, donec quasi omnes interfecti essent. Nam Magister & Fratres de Domo Teuthonica cum eorum familiis omnes simul una hora interfecti sunt. Cumque innumera bella & conflictus civitas jam pertulisset, & dies XL. suæ obsidionis advenisset, infinitis ex utraque parte interfectis, capta est flos omnium civitatum orientalium Akaron XII. die mensis Maji. Quod audientes omnes civitates circumjacentes, puta Japha, Baruth, Tyrus, Sidon, Jerusalem, & Aschalon, cæteræque urbes & opida, relictis omnibus, in Cyprum fugerunt. Cum autem Sarraceni Akaron caperent, juxta castrum Regis Jerusalem foramen fecerant, per quod intraverunt. Et cum essent cum civibus in urbe, adhuc cives in pertinacia sua perdurantes, una pars fortior aliam

Digitized by Google

aliam debiliorem defendere recusabat, sed quilibet pro se & suo castro ac domo certabat. Sed multo difficilius & longius Sarraceni laboraverunt in expugnando eam ad intra, quam laboraverant eam oppugnando ab extra, quia erat mirabiliter & intra munita & firmata. Huic malo expugnationis Sarracenorum fuit junctum & aliud, exigentibus procul dubio inhabitantium delictis, puta quod etiam quatuor elementa pugnare videbantur contra civitatem. Nam aër tam obscurus & nebulosus factus est, ut dum unum castrum vel palatium expugnaretur aut cremaretur, in alio castro videri non posset, quousque etiam & ipsorum castrum vel domus alia impugnaretur vel incenderetur. Ignis etiam contra civitatem bellabat, quia sua conflagratione eam incinerabat, nec extingvi a quoquam poterat. Terra insuper contra urbem militabat, quia ejus sangvinem sitiebat & absorbebat. Aqua similiter se hostem ostendebat, quia, cum esset in mense Maji, quo mare tranquillum esse consvevit, ipsum tamen protunc furiosissime fremebat, & multos in Cyprum fugere volentes de civitate per mare, in profundum trahebat. Famabatur enim, quod uxores Principum & filiæ Nobilium se transferre volentes in Cyprum, venerunt ad mare cum omnibus clenodiis suis & jocalibus, & non invenerunt quamcunque navem eas recipere aut salvare volentem. Propter quod alta voce clamare cœperunt, ut siquis nauta esset, qui omnia earum clenodia recipere vellet, & etiam eas in uxores ducere aut alias eis abuti, quod ille veniret, & eas ad quamcunque terram vellet, deduceret. Cumque in tantis angustiis constitutæ essent nobiles illæ fœminæ, venit quidam nauclerus cum magna navi, & applicans litori, ubi stabant fœminæ, recepit omnes illas cum omnibus clenodiis earum, & gratis deduxit eas in Cyprum & abscessit, nec in hodiernum diem scitur, quis ille vir fuerit, unde venerit, aut quo venerit. Præter has autem domicellas sic miraculose ereptas omnes aliæ mulieres vel submersæ sunt vel interfectæ. Qualis vero aut quantus dolor & calamitas tunc temporis in illa fuerit civitate, nullus plene explicare valet. Cum itaque Sarraceni jam essent in urbe, antequam de castro ad castrum, de palatio ad palatium, & de platea ad plateam pugnando & interficiendo discurrerent, tot utriusque partis sunt homines occisi, quod per mortuorum cadavera velut per pontem transirent. Urbe ergo ad intra expugnata, cæteri, qui in ea adhuc superstites erant, ad fortissimum castrum Templariorum confugere cœperunt, & per duos menses fortiter se contra hostes defensarunt, tam acriter cum eis pugnando, ut quasi omnes Nobiles Soldani coram castro illo interficerentur. Nam licet tota civitas ad intra esset combusta, tamen adhuc turres urbis a multis Nobilibus & Fratribus Ordinum illæsæ tenebantur. De his turribus prohibebatur Sarracenis ingressus civitatis, quousque omnes Nobiles Paganorum, qui urbem ingressi fuerant, prosternerentur de turribus. Quod cum viderent alii Sarraceni, qui adhuc intra urbem erant, per murum perforatum fugientes civitatem exierunt. Templarii vero & reliqui, qui in castris erant, videntes, quod plures Sarraceni subtus minas, quas sub majori turri castri fecerant, laterent, nec eis lapidibus aut aliis instrumentis nocere possent, majorem castri turrim suffoderunt, & super minas & Sarracenos eam cadere fecerunt, & sic indifferenter omnes mortui sunt intra urbem existentes. Sarraceni vero extra urbem constituti cum talia fieri viderent, & exercitum suum deficere pro majori parte cernerent, cum Templariis & Christianis superstitibus treugas fecerunt in dolo tamen, & sub tali pacto, ut castrum sponte darent ad manus Paganorum, & omnia bona sua deportarent securi de vita, ut sic Sarraceni castrum illud destruere valerent. Quo destructo ipsi Templarii & cæteri Christiani civitatem reædificare possent, & eam inhabitare ut prius. Cumque Templarii Sarracenis crederent, & eis castrum traderent, ac turres civitatis, quas adhuc tenebant, ipsi perfidi Pagani omnes Christianos indifferenter occiderunt, exceptis paucis Nobilibus, quos captivos in Babyloniam secum duxerunt. Et sic Akaron vacua remansit & deserta, sicut adhuc est hodierna die. Numerus autem occisorum de Christianis in Akaron commorantium fuit CM. & VM. evaserunt autem manus impiorum hinc inde circiter CCM. numerus autem barbarorum interfectorum fuit quasi CCCM.

Secundo anno Adolfi, qui est DN. MCCXCII. Magister Henricus de Gandavo Doctor solennis dictus, secundum Egghardum, floruit. Hic scripsit Summam Theologiæ, verborum quidem intricatione & obscuritate obtusioribus onerosam, sed sensuum subtilitate plurima & profunditate mirabili refertam & fœcundam. Floruerunt etiam hoc in tempore Frater Jacobus de Viterbio Ordinis Eremitarum & Gotfridus de Fontibus, ambo Doctores venerabiles, qui Quodlibeta scripserunt. Isti Doctores tres prænominati quamvis in scriptis suis quandoque cum S. Thoma de Aquino, quandoque contra ipsum sensisse videantur, Gotfridus tamen prædictus in Quolibet XII. Quæst. V. docuit esse sal, quod condiret doctrinas omnium Magistrorum temporum illorum. Henricus Dominus Slavorum interfectus est in venatione a filiis suis in Vigilia S. Dionysii, secundum Chronicam Obotritorum, eo quod ipse non permisisset eos regere terram juxta eorum improbam voluntatem: Propter quod forefactum filii illi merito exulati sunt ad Dominis de Mykelenborg Henrico & Johanne. Duo autem isti fratres exulati cum Nicolao patruo eorum Domino Slavorum coram opido Parchem venerunt in prælium cum Dominis de Mykelenburg, & obtinentes Slavi victoriam percusserunt de exercitu Dominorum de Mykelenburg circa CCC. auxiliante eis Hermanno Rybe milite strenuo & Capitaneo Alberti Ducis Saxoniæ. Ericus Rex Danorum filius Erici, secundum

Digitized by Google

dum Chronicam Danorum, eduxit exercitum contra Woldemarum Ducem de Sleswic. Sed Dux prævalens multitudine armatorum, compulit Regem ad pacis fœdera. Erant namque in exercitu Ducis MDC. armigeri, & in exercitu Regis nisi DCCC. Unde aciebus belli utrobique ordinatis ad pugnam, dissensio soluta est, & Rex reddidit Duci Lalandiam, quæ terra discordiæ extitit causa, & Principes amici facti sunt. Monasterium Sororum Ordinis Prædicatorum in Blankenburg constructum est, secundum Henricum de Hervordia, super flumen Hunta situm per Comites de Aldenburg. Baydo Imperator Tartharorum præcepit omnes Christianorum Ecclesias destructas per Sarracenos reædificari, secundum Egghardum. Quod ægre ferentes quidam Tarthari, qui occulti Sarraceni erant, Legem Mahumet observantes, destinaverunt nuncios ad Casan filium Argon, & Imperium Tartharorum sibi promiserunt, si venire vellet contra Baydo Imperatorem. Casan autem honoris cupidus annuit, & exercitum grandem colligens, contra Baydo perrexit. Baydo autem Imperator adventum Casan intelligens, ad resistendum sibi se disposuit. Cumque ambo exercitus in campum procederent, & jam bellum aggredi vellent, ecce Tarthari illi, qui occulte Sarracenis favebant, verum Dominum eorum Baydo turpiter & traditorie deserentes, ad Casan se contulerunt. Quorum tradimenta cum Baydo vidit, fugam iniit, sed in fuga illa interemtus est, & Casan Imperium obtinuit in bonum magnum omnium Christianorum in Tartharia existentium & in confinibus eorum.

Tertio anno Adolfi, qui est DN. MCCXCIII Adolfus Rex contra Marchiones de Misna profectus est, secundum Egghardum, habens in suo exercitu præter alios Principes Everhardum Comitem de Marka. Sifridus vero Archiepiscopus Coloniensis interim Comitatum de Marka vastavit, contra quem Simon Dominus de Lippia viriliter certavit, partem Comitis Everhardi defendendo. Magister Armengandus Blasii de Montepessulano, Doctor in Medicina præcipuus, secundum Wilhelmum, transtulit Canones Avicennæ cum Commento Averroys de Arabico in Latinum. Averroys autem in principio dicti Commenti dicit de libro isto sic: Avicenna intitulavit librum hunc (de) Partibus Medicinæ. Ipse enim universaliter concludit & comprehendit eas, & est cum hoc melior valde pluribus aliis Introductionibus & Summis in Medicina compilatis, & cum hoc est compilatus ordine valde competenti ad tenendum vel memorandum & ad delectandum animam. Et parum infra dicit idem Averroys: Et ex nunc imploro divinum auxilium ad perficiendam nobilem intentionem horum dictorum & eximiam ac laudabilem speculationem eorundem, necnon ut me perducat cum omnibus fidelibus, ad quod ducere me debent sui bonitate & gratia ejus servitium atque timor.

Quarto anno Adolfi, qui est Domini MCCXCIIII. In die S. Remigii Confessoris, secundum Chronicam Saxonum, suspensi sunt in Brunswic X. magistri gildonum, XI. vero decollatus est, sed XII. evasit peregrinationi insistens Aquisgrani. Viam enim illam arripuerat ante istorum comprehensionem. Causam autem interfectionis istorum non reperi in exemplari. Nicolaus Papa Ordinis Fratrum Minorum obiit Romæ. Hic secundum Egghardum cum se moriturum cerneret, convocavit omnes Cardinales, quibus coram eo positis, absolvit eos de Cardinalatu de plenitudine potestatis, & mox vocatis tot Fratribus sui Ordinis, creavit eos in Cardinales, præcipiens eis, ne amplius quemcunque eligerent in Papam nisi de Ordine suo nec creari permitterent Cardinalem nisi de eodem Ordine. Papa autem Nicolao defuncto, Cardinales antiqui de absolutione sua nihil curantes, transtulerunt se in Perusium, & ibidem Cœlestinum elegerunt, novelli vero Cardinales unum de eorum cœtu elegerunt in Summum Pontificem, Ecclesiam proh dolor! dividentes & schisma facientes. Et de tali vesania remansit vulgare verbum usque in præsens, quamvis ego non credam hoc verum esse, quod Ordo Minorum semper singularem habeat Papam. Et in præsentiarum sunt quidam in superioribus partibus de Ordine eodem dicti Fratricelli, qui Papam habent, quem vulgus nominat Sanctum Papam.

De Cœlestino V. PP. CC.

Cœlestinus Papa, natione de Terra laboris ex patre Martino, sedit mensibus sex & diebus XX. secundum Martinum. Iste genere fuit nobilis, religione Anachorita, vita & opinione clarissimus, propter quod & Papa electus est. Hic Cœlestinus prius dictus Petrus de Marone, electus est Perusius in die S. Johannis Baptistæ, ubi Cardinales se transtulerant pro libera electione facienda. Iste cum vicarius & imitator Christi vere mitis esset & humilis corde, constituit in primo Consistorio suo, quod extunc nec Papa nec Cardinales cum tanta pompa solennibus equis uterentur, nec mulis quidem, sed asinis veherentur tantum, dicens: Jesus Christus Filius Dei humilis asini dorso vectus est, cujus nos imitatores esse debemus. Ex qua constitutione offensam incurrit omnium Cardinalium rancorosam. Benedictus autem Cardinalis pontificari desiderans, & causas omnium agens, animos omnium eorum de die in diem contra Papam amaricavit, & corda singulorum sibi amore junxit. Inter alia quoque legitur dixisse: Quia Papa Dominus noster est, libenter sibi obediemus: asinemus nunc: iterum forte aliquando equitabimus. Ex altera parte, se Papæ familiariter sociavit, de sua debilitate sibi compatiens, eo quod octogenarius esset, & de tanto pondere regiminis homini etiam validissimo gravi nimis & quasi importabili ipsum gravatum esse, cottidie cum singultibus & gemitibus querulans. Fuerat autem hic Cœlestinus de Ordine S. Damiani, de quo fuit

Digitized by Google

fuit & S. Clara, vivens sub Regula B. Benedicti in quodam deserto monte apud urbem Salamovam in Apulia in magna austeritate, multos habens discipulos. Istius electio fuit tam admiranda quam inopinata. Steterant namque Cardinales per longum tempus in discordia, concordare non valentes, tum de sua absolutione facta in aliorum creatione per Nicolaum disputantes, tum etiam quia Benedictus Cardinalis se ingessit, & ad Papatum anhelavit, potiores in ipsum consentire trepidabant. Sed tandem in hunc Petrum de Marona omnes concordaverunt, scientes, eum virum prudentem & sanctum. Qui si electionem suam non recusaret propter prædecessores sui Nicolai Ordinationem, tunc nec ipsi amplius sibi haberent timere. Transibat autem hic Cœlestinus in asino, ubi necesse habebat ire, vilis in persona, sed honorabilis in sanctitatis fama, raro loquebatur, & multa miracula per eum Dominus operatus est. Sed quia laborem & solicitudinem tanti officii ex debilitate corporis, quia octogenarius erat, sufferre non valuit, ideo Papatui renuncians cessit, & alteri locum solicitudinis dedit. Cujus quidem cessio practicata fertur subdole per Benedictum Cardinalem successorem suum. Ordinavit enim quendam, qui in persona Angeli sibi in cubiculo loqueretur per fistulam transmissam in cubile per murum, & quiescenti sæpius diceret: Cœlestine, Cœlestine, nisi Papatui renunciaveris, animam tuam salvare non poteris, quia supra vires tuas est negotium, quod assumsisti. Quod cum frequenter audiret Cœlestinus, agitabatur spiritus ejus, nesciens, quid faceret. Nam videbatur sibi, quod Papatui renunciare non posset, cum renunciatio fiat ad manum superioris. Unde de consilio dicti Benedicti condidit Constitutionem, quod Papa statui suo possit renunciare, & sic seductus Papatui renunciavit. Quo facto, mox Benedictus est electus & Bonifacius VIII. nominatus. Et ex hoc de eo vulgariter dicitur, quod ut vulpes intravit. Post cessionem autem factam Petrus de Marone fugere voluisset, & redeundo ad eremum latitasse, sed successor ejus Bonifacius, timens periculum pariter & scandalum, apprehendit eum, & posuit in castro Funonis in custodiam. Et ut eo cautius teneretur, posuit postea ipsum in conclavi quodam honesto, & providit sibi de vitæ necessariis, quamdiu vixit, in quo loco & mortuus est. Bonifacius autem Papa postea Constitutionem Cœlestini de Renunciatione Papatus, non tamen illam, quod Papa & Cardinales asinare debeant, & non equitare, posuit in libro VI. Decretalium Extra. de Renunciatione c. Quoniam quidam. Johannes Dux Brabantiæ, qui magnificus victor in bello Woring extiterat, secundum Wilhelmum, per hastiludium interiit in Bare, cui Johannes filius ejus successit. Sifridus etiam Archiepiscopus Coloniensis, qui in eodem bello victus fuit, obiit eodem anno, & in sedem ejus successit Vitoldus de Holte.

Quinto anno Adolfi, qui est Dn. MCCXCV. Florentius filius Wilhelmi Regis Romanorum Comes Hollandiæ, secundum Wilhelmum, ab illis de Velsen interficitur, cui Johannes filius suus successit.

De Bonifacio VIII. PP. CCI.

Bonifacius Papa, natione Gaytanus ex patre Humberto, sedit annis VIII. mense uno & diebus sex, secundum Martinum. Hic prius dictus Benedictus Cardinalis extitit S. Martini, & electus in Papam consecratus est in Neapoli in profesto Nativitatis Christi, ubi Prædecessor ejus resignaverat. Incepit autem quodam singulari modo potentiam suam & Papalem magnificentiam extollere. Ipse autem ultimus Papa fuit in vera Cathedra Romana usque ad Urbanum VI. qui Romæ sedit, & sub quo diutinum illud schisma cœpit, de quo infra suo loco dicetur. Hic instituit, ut in quatuor festivitatibus principalioribus puta Nativitatis Domini, Paschæ, Pentecostes & Assumtionis Virginis Gloriosæ, exclusis excommunicatis, divina celebrentur tempore interdicti, sed Corpus Dominicum populo non ministretur, & statuit festum IV. Evangelistarum & IV. Doctorum Catholicorum per totam Ecclesiam celebrari sub festo duplici. Casan Imperator Tartharorum, secundum Egghardum, videns fraudulentos & dolo plenos esse Sarracenos, qui ipsum ad Imperium promoverant, cœpit animum convertere ad Christianos, & eos diligere tanquam viros fideles, & mittens pro Capitaneis & potioribus Sarracenorum captivavit eos, & plures de ipsis decollavit; destinavitque nuncios solennes ad Reges orientis puta Armenorum & Georgianorum, desiderans ab eis, ut de armis sibi providerent & Regnis suis propriis, ac in victualibus provisionem facerent, quia in brevi venturus esset ad eos, & cum eorum auxilio præliaturus contra Soldanum Babyloniæ hostem eorum. Reges autem ante dicti nuncios Imperatoris cum magna reverentia receperunt, & eos multum benigne tractantes, juxta desiderium Domini eorum ad bellum se præpararunt.

Sexto anno Adolfi, qui est Dn. MCCXCVI. Johannes Dux Brabantiæ filius Johannis Victoris belli Woring, secundum Wilhelmum, cum Everhardo Comite de Marka Rekelinghusen opidum Archiepiscopi Coloniensis obsedit, expugnavit & vastavit, deinde Wassenburg castrum cepit, & similiter destruxit. Stephanus Magister Ordinis Prædicatorum VIII. obiit in Conventu Lucano provinciæ Romanæ, secundum Egghardum. Hic fuerat Prior Provincialis Franciæ & Magister in Theologia, & in Magistrum Ordinis electus est in Capitulo generali in Colonia assignato, sed per Papam translato Romam. Bonifacius Papa processus graves fecit contra Columnenses occasione & causa tali, secundum Egghardum, quod Stephanus de Columnis thesaurum Domini Papæ deprædatus fuit. Propter quod Domini Jacobus & Petrus de Columnis Cardinales, videntes

Papam contra se motum, libellum famosum contra ipsum confecerunt, & ad multas mundi partes direxerunt, asserentes in eorum libro, ipsum non esse Papam, sed Cœlestinum inclusum. Unde citati non comparuerunt, & ideo tanquam schismatici ab eo sunt damnati, & privati capellis rubeis & omnibus beneficiis suis Ecclesiasticis ac titulo Cardinalatus; insuper bona ipsorum & filiorum Johannis de Columnis, puta Agapiti & Stephani sunt pariter confiscata. Et super hæc Constitutionem edidit Decretalium Extra. de schismaticis lib. VI. C. Ad succidendos. S. Lodowicus Rex Francorum, secundum Wilhelmum, canonizatur a Bonifacio VIII. Papa in Urbe veteri tertio Idus Augusti.

Septimo anno Adolfi, qui est Domini MCCXCVII. Tanta inundatio aquarum fuit Parisius, secundum Wilhelmum, quod ambo pontes cum omnibus eorum ædificiis desuper constructis perierunt corruentes. Matrona quædam honesta in Sozato terræ Westfaliæ, secundum Egghardum, filiam peperit, quæ usque ad genua immersa fuit cuidam massæ carnis magnæ, sicquod illa massa quasi ore quodam deglutiverat illam puellam usque ad genua; & mater quidem in partu moriebatur, massa vero scindebatur, & puella de massa scissa extrahebatur grandis multum & integro corpore, & tribus diebus supervixit. Otto Dux de Brunswic intravit urbem Hannover, secundum Chronicam Saxonum, & captivavit potiores civitatis, & duxit eos secum; cives vero illius urbis transtulerunt se ad Sifridum Episcopum Hildenshemensem, Ducem deserendo. Filia Gyod Comitis Flandriæ desponsata est Edwardo filio Regis Angliæ, secundum Wilhelmum. Quod quidem matrimonium ex invidia impedire volens Philippus Rex Francorum, Gyod Comitem Flandriæ & Robertum filium suum cepit, virgo vero illa nobilis dicto Edwardo desponsata tradita est Reginæ Franciæ, apud quam aliquamdiu manens, obiit tandem veneno extincta. Bolizlaus Polonorum Rex interfectus est in urbe Rogozna a propriis suis militibus, secundum Egghardum. Ericus Rex Danorum duxit in uxorem sororem Birgeri Regis Sweorum, secundum Chronicam Danorum, qui quidem Birgerus Rex per antea in suam uxorem acceperat sororem præfati Erici Regis.

Octavo anno Adolfi, qui est Domini MCCXCVIII. Everhardus Comes de Marka cum exercitu copioso, in quo erat Comes de Woldegge, venit in auxilium Regi Angliæ Edwardo & Gyod vel Gwidoni Comiti Flandriæ captivo contra Philippum Regem Franciæ, secundum Wilhelmum, & intrantes villam Ypre, illam non sine magno suorum periculo custodierunt. Rex autem Francorum potenter obsedit villam Risle, a cujus exercitu Anglorum exercitus cottidie vexabatur, Brugis & etiam aliæ civitates Flandrenses subjicere se Regi meditabantur. Augustinianus ex opido Lemegowe terræ Westphaliæ oriundus, secundum Chronicam Saxonum, cognomento Felix, alias apostaverat a fide, & circumcisus Judæis associatus fuerat, sed hoc anno Parisius deprehensus est & combustus. Cives Lubicenses capitaneum sive advocatum exercitus habentes fidelem nomine Nicolaum Lindowen, secundum Chronicam eorundem, miserunt ipsum in terram Slavorum, ut ibidem quosdam civitatis prædictæ caperet inimicos. Qui ignorans vias & semitas terræ illius, duxit secum quendam notum, cui viæ constabant, ut sic expeditius inveniret, quos quærebat. Sed de ductore factus est seductor & traditor. Nam ribaldus ille ibat latenter ad hostes urbis Lubicensis, & informavit illos de numero personarum exercitus, & locum eis constituit, in quem Lubicenses ducere vellet. Raptores autem his intellectis, multitudine se armarunt, & subito irruentes super capitaneum, ipsum cum suis interfecerunt, paucis evadentibus.

Nono anno Adolfi, qui est Domini MCCXCIX. Bonifacius Papa librum VI. Decretalium publicari fecit, secundum Egghardum, V. Non. Martii, quem librum per tres solennes Doctores Decretorum fecerat compilari, plura nova in eo instituens; quem Doctoribus & Scholaribus universitatum transmisit, mandans, quatenus eo amplius uterentur in judiciis exercendis & scholasticis actibus. Ericus Rex Danorum discordans cum Domino Johanne Archiepiscopo Lundensi, secundum Chronicas Danorum, multas injurias & opprobria ei intulit. Archiepiscopus vero ad Curiam vadens Romanam contra Regem, causam suam Papæ intimavit. Cui Papa satisfacere volens, misit secum Ysarium Cardinalem & legatum suum in Daciam, ut Regem cum Archiepiscopo componeret. Quod cum Cardinalis illuc veniens nullo modo efficere potuisset, Rege contradicente nec placari volente, posuit in omni illa terra strictissimum interdictum, & inde cum Archiepiscopo recedens, reversus est ad curiam. Sed non diu post Rex Danorum Cancellarium suum Martinum ad curiam mittens, composuit se ex parte Regis cum Archiepiscopo suo, & relaxatum est interdictum, ac Archiepiscopus cum Cancellario reversus est. Bonifacio Papa Reate cum curia sua persistente, in festo S. Andreæ Apostoli tam vehemens terræmotus in vicinis partibus factus est, secundum Egghardum, qualis unquam auditus est. Nam diruit multa ædificia in pluribus locis, & multis diebus & noctibus perduravit. Unde Papa territus fugit ad conventum Fratrum Ordinis Prædicatorum Reate, qui in altiori & tutiori loco positus erat. Adolfus Rex Romanorum in die SS. Processi & Martiniani bello aggressus est Albertum Ducem Austriæ, secundum Chronicam Saxonum, sed victoria de cœlo collata est Alberto, & Adolfus Rex ab eo occisus est. Quem Albertum statim post Electores Principes in Regem elegerunt, & in die S. Bartholomæi Apostoli Aquisgrani est coronatus a Vicoldo Archiepiscopo Coloniensi.

De

Digitized by Google

De Alberto Rege Romanorum.

Albertus Dux Austriæ, filius Rodolfi quondam Regis Romanorum, cœpit anno mundi VMCCLX. Olympiadis DIX. anno primo, Urbis conditæ IIMXLIX. Dom. vero MCCXCIX. & regnavit X annis, secundum Martinum. Iste mox coronatus misit nuncios solennes ad curiam pro confirmatione electionis & coronationis suæ, quas multis rationibus Papa motus tunc repulit & penitus annullavit, sequenti tamen anno eas ratificavit & confirmavit, ei subjiciens Regnum Francorum, sicut & alios Reges. Et hoc fecit contra Philippum Regem Franciæ, quem juste excommunicaverat, eo quod impedivisset matrimonium Edwardi Regis Angliæ & filiæ Comitis Flandriæ puellam primo captivando & postea intoxicando; Item quod nullum permitteret ire versus Romanam curiam de Regno suo, nec aliquam pecuniam inde asportari. Albertus Dux junior de Brunswic, secundum Chronicam Saxonum, permissus est ingredi nocturno tempore urbem cum exercitu magno per quendam Conradum molendinarium, extra valvam S. Andreæ commorantem, & ipse Dux absque aliqua strage aut cæde quorumcunque cepit civitatem, & eam sibi subjugavit in die S. Pancratii. Gravis discordia exorta est inter Borchardum Episcopum Lubicensem & Canonicos suos ex una parte & Consulatum civitatis ex altera parte propter prata, aquas, mansos & nemora loci, ubi quondam antiqua civitas Lubicana jacuerat, quæ omnia Canonici sibi ascribebant, sed Consulatus oppositum asserebat. Propter quod Episcopus interdictum in urbe posuit, sed cives appellationem interposuerunt, & ipsis civibus Fratres utriusque Conventus Prædicatorum scilicet & Minorum adhæserunt, & super appellatione civitatis divina celebrarunt. Propter quam adhæsionem factam a Fratribus prædictis, Gilbertus Archiepiscopus Bremensis instigatus per prædictos Episcopum & Canonicos, ipsos Fratres excommunicavit, licet minime posset, & per totam provinciam suam literas scripsit Episcopis Suffraganeis suis, ut & ipsi similiter eos excommunicarent, & suos subditos sub sententia simili prohiberent, ne quidquam eis darent, nec eos prædicare permitterent in suis diœcesibus, aut confessiones audire. Quod totum factum est, & Fratres illi hoc totum malum patienter sustinuerunt propter civitatem. Communitas autem stante hac lite Episcopum & Canonicos expulerunt de urbe, & curias eorum violenter fregerunt, & eos spoliarunt.

Primo anno Alberti, qui est DN. MCCC. Bonifacius Papa ultima die mensis Aprilis electionem Alberti Regis approbavit & confirmavit, pulcrum sermonem faciens in Consistorio, cujus thema erat illud secundi Machabæorum primo Refulsit sol, qui erat sub nubilo, & subjunxit, secundum Henricum de Hervordia: Legitur in Genesi, quod Deus fecit duo magna luminaria, unum, quod præesset diei, & alterum nocti. Licet enim per hæc duo magna luminaria primo & materialiter intelligantur sol & luna, mystice tamen Papa & Imperator. Tamen una persona quibusdam tanquam lux diei, aliis tanquam luna nocti præesse debet, utpote Imperator, qui est vel futurus est, bonis ut sol diei, malis ut luna nocti, omnibus quidem præesse debet singulariter & universaliter. Nec habet locum, quod dicitur de stultitia & superbia Gallicana, quod non recognoscat superiorem. Omnes talia dicentes mentiuntur per gulam suam. Ipse enim Imperator solus est Monarcha mundi, & non est aliquis, cui non præest, & omnia Regna mundi tenentur ab eo. Sic & omnino de necessitate salutis est omni humanæ creaturæ subesse Romano Pontifici, ut in Extravagante Unam Sanctam dicitur. Numquid non Gallici & urbes suas & gentis ritum ac linguam, quod non est nisi balbutiamentum quoddam linguæ Latinæ, per gladium Romanorum acceperunt, coacti barbarismi sui deponere rud tatem. Numquid non Romanis dominantibus eas terras Martyres beatissimi Dionysius & alii Martyrio suo decorarunt. Hic sol & lux ista tempore ingratitudinis sub nubilo, quo ipse nobis, & nos ei fuimus ingrati, fuit sub nubilo. Sed nunc quidem refulsit. Prius enim fuit sub nubilo superbiæ & ignorantiæ. Advertentes autem, quod ipsa lux hoc abducto nubilo quovis per humilitatem, nos tanquam Patrem, qui Vicarius sumus Jesu Christi, in terris recognoscens, a nobis devote confirmationem electionis de se factæ sibi postulaverit indulgeri. Considerantes etiam, quod idem Rex processerit de sanguine Christianissimi Rodolfi Regis Romanorum, qui semper fidelis fuit & devotus Ecclesiæ Romanæ, electionem de se factam confirmamus & ratificamus, ac supplemus omnem defectum, siquis est in materia vel in forma, promittentes eidem aperte, quod ei astabimus in jure Imperii reformando, sicuti nobis ipsi in jure Ecclesiæ. Postea immediate Cancellarius Domini Regis assumsit verbum, dicens inter cætera: Sicut in universo est causa prima movens scilicet Deus, causa secunda exequens cœlum, & tertio sequitur finis: sic & in Ecclesia necessarius est hic ordo. Prima causa movens es tu Pater beatissime, exequens Rex Romanorum, ex quibus bene ordinatis sequitur tertium scilicet pax in orbe terrarum. Tu vero solus Dominus es: leva manum tuam, & elevabitur aquila, & exequetur motus tuos. Et Papa ad Ambasiatores Regis ait: Dominus vester Rex, ut intelleximus, aliquas fecit colligationes & confœderationes cum quibusdam Regibus & specialiter Franciæ, non quod de illis timeamus, quia Deus sic animam nostram conducat, quando separata fuerit ab hominibus, si omnes Reges & Domini de mundo essent simul colligati & confœderati contra nos, non curaremus, dummodo veritas esset pro nobis, alioquin bene corrigi vellemus rationabiliter. Ipsum Regem ab hujusmodi colligationibus & con-

Digitized by Google

confœderationibus quibusvis pœna vel non pœna vallatis, quæ vergi (vergere) videntur in præjudicium Romanæ Ecclesiæ vel Imperii absolvimus, & decernimus penitus esse nullas. Et subjunxit: Veniat ergo audacter Rex, & se de Imperio intromittat. Quibus dictis personaliter incepit cantare Te Deum laudamus, quod completum fuit altissimis vocibus per Cappellanos suos & totum Clerum præsentem & astantem. Quo finito, Papa dixit Collectam Famulum tuum Regem &c. Robertus Ecclesiæ Sozatiensis quondam Canonicus & Scholasticus, opinione celebris, secundum Wilhelmum, a fide Christi turpiter apostatavit, & ideo divina ultione mirabiliter consumtus est. Cum enim hic esset autoritatis magnæ, tandem in melancholiam incidit, & fidem deseruit. Judæis enim associatus est, & circumcisus in Francfordia, & ibidem in ceremonialibus Judæorum imbutus, ac multis annis judaizans sorduit. Mortuus tandem hoc anno, in vasculo quodam conclusus est, & in paupere vilique biga per equum macilentum ut securius & secretius per pontem transiret civitatis, ne a populo attenderetur, ad sepulturam ductus est. Ad pontem ergo cum pervenisset biga cum rustico vectore, juvenis quidam levis de urbe & dissolutus, unus de ibidem ludentibus, inductus spiritu nescio quo, quæsivit a rustico, quid duceret. Qui respondit: Quid ad te? facias facta tua. Juvenis audiens, protervum rusticum esse, instabat quærendo, & rusticus magis protervire cœpit respondendo. Cumque sic conrixarentur, juvenis pugionem extrahens, vas, in quo cadaver latuit, perforavit, & mox flamma terribilis de vase per foramen cultello factum ebulliens, omnes accurrentes exhorruit (exterruit). Quo viso, Christiani vas illud de ponte præcipitaverunt in aquam. Sed nec aqua ignem illum extingvere potuit, sed cadaver illud maledictum cum vase, omnibus videntibus, ignis consumsit in aqua. Quod audientes Judæi, illum non legaliter vixisse contestati sunt. In villa Hagensi terræ Hollandiæ quædam fuit nobilis mulier Katherina dicta, uxor cujusdam Simonis militis a cunctis dilecta & omnibus placabilis, secundum Wilhelmum. Hæc quia læta & socialis esse consvevit, & præ cunctis illius terræ fœminis honestius & generosius se habere scivit, idcirco in omnibus conviviis quilibet Nobilis eam habere cupivit. Propter quod exosa habebatur a Domina terræ Margareta uxore Johannis Comitis Hollandiæ, nec eam rectis oculis inspicere potuit, eo quod plus se ab omnibus diligeretur & honoraretur. Contigit autem postea, prædictam Katherinam impraegnari a viro suo legitimo, & tandem parere duos pueros gemellos. Quod audiens Comitissa, livore fœmineo mota dixit: Nunc apparet in effectu finis levitatis & dissolutæ conversationis mulieris illius. Reputo enim tam impossibile quamcunque mulierem posse ex unico patre gemellos concipere, sicut me simul tot concipere fœtus, quot dies sunt unius anni. Quo dicto Comitissa tantum infamavit præfatam nobilem Catharinam, quod etiam a proprio viro divortio celebrato separaretur, & in Monasterio quodam Monachorum recluderetur. Cum autem hæc venerabilis mulier in suo Monasterio patienter subsisteret, supplicavit cernuis precibus instanter Domino, ut suam innocentiam modo sibi placabili dignaretur populo manifestare. Quæ plura? Accidit, & Comitissam Margaretam concipere & tandem parere, & enixa est simul CCC. & LXIIII. infantulos tam exiguos sicut polypos, perfectas & integras hominum effigies & omnia corporis lineamenta habentes, ac viventes. Quos obstetrices in magna pelvi recipientes deposuerunt, & una illorum aquam benedictam super eos spargens, omnes baptizavit. Regenerati vero mox omnes ab hac vita decesserunt. Divulgata statim fuit hæc fama, & factum hoc stupendum versum est in hoc proverbium, quod Deus ob injuriosam infamationem nobilis mulieris Katherinæ tantum prodigium ostendisset in ipsius infamatrice. Miles autem Simon generosus, comperta uxoris suæ innocentia, eam cum magna solennitate & gaudio amicorum suorum ad se recepit, & post cum ea laudabiliter vivens, tenerrime eam diligere cœpit

Secundo anno Alberti, qui est Dn. MCCCI. Dominus Henricus de Mykelenburg, quem Soldanus Babyloniæ XXVIII. annis, a tempore videlicet, quo Lodowicus Rex Francorum secundario pro liberatione Terræ Sanctæ cum exercitu multo mare transfretaverat, & qui diu in terra sua mortuus dictus fuerat, secundum Chronicam Obotritorum, cum unico famulo suo Hermanno captivitatem evasit. Servus autem ille Hermannus in captivitate texendi modum & faciendi pannos sericos & deauratos didicerat, & cum tali labore & mercede Dominum suum nutrierat. De loco ergo captivitatis proficiscentes, pervenerunt Romam, ubi Dominus Henricus a Papa Bonifacio honorifice susceptus est, & peccatorum suorum plenariam remissionem consecutus. Ibi quoque Dominus Henricus invenit Alexandrum Hunen Protonotarium civitatis Lubicensis, qui in causa dictæ civitatis, qua cum Episcopo suo, & ejus Capitulo civitas habebat, curiam visitaverat. Hic in expensis suis dictum Dominum Henricum usque Lubeke deduxit, ubi processionaliter Clerus & populus ei obviam venientes, cum honore magno ipsum receperunt. At ubi, ut refocillatus esset per aliquot dies & recreatus, solenni conductu armatorum ipsum in terram suam perduxerunt, mirantibus cunctis & dicentibus: Qui perierat, inventus est; qui mortuus putabatur, revixit. Teuthonicus quidam natione Bawarus Romam venit, SS. Apostolos Petrum & Paulum visitaturus, secundum Egghardum. Quem cum intuerentur Clerici, & viderent ipsum per omnia similem Domino Apostolico, retulerunt ipsi Papæ, peregrinum advenisse, qui ei simillimus per omnia appareret. Quem cum Papa vocasset, & eum

Digitized by Google

& eum diligenter intuitus fuisset, jocando dixit ad eum: Venitne, fili, mater tua unquam Romam aut ad partes istas, innuens per hoc, quod posset esse frater suus illegitimus ex parte patris Papæ & matris peregrini. Cui Bawarus, quid sibi jocus ille prætendat, intelligens respondit: Non, Pater beatissime, sed pater meus negotiator existens, pluries in partibus istis mercantias exercuit, eodem jaculo Papam feriens. Tunc Pontifex responso congaudens provido, dixit ad peregrinum: Certe peroptime mihi similaris: & promotum ipsum redire fecit ad propria. Casan Imperator Tartharorum audiens Mellothvasar Soldanum Babyloniæ esse in Hyana civitate Syriæ, secundum Henricum de Hervordia, adunato maximo exercitu properavit ad vallandum ipsum in dicta civitate. Quidam vero traditor in exercitu Casan Imperatoris dictus Kaycaf nunciavit ipsi Soldano adventum & intentionem Imperatoris Tartharorum, consulens ei, ut urbem exiret, & in campo Imperatorem exciperet. Soldanus autem juxta traditoris consilium faciens, exivit urbem cum innumero populo, & in occursum Casan venit. Imperator autem sentiens, Soldanum adesse, aciem suam disposuit, & equos removens cum suis pedester dimicare statuit, circumponens equos exercitui tanquam murum. Et congredientes simul pugnarunt a mane usque ad vesperam, & victoriam obtinuit Casan Imperator, & interfecit de Sarracenis tantam multitudinem, quod vix via esset Tartharis transeundi per cadavera. Soldanus tamen cum paucis evasit interfectionem & captivitatem. Casan autem cum prædam Sarracenorum inter suos divididisset, & per hoc eos benevolos & voluntarios ad suum mandatum reddidisset, iter suum direxit cum eis versus Damascum. Damasceni autem percipientes adventum Casan Imperatoris, & videntes, se non posse resistere multitudini Tartharorum, nec habere auxilium a Soldano eorum, miserunt honorabiles viros in occursum ejus cum clavibus civitatis, exhibentes se pronos ad recipiendum ipsum & homagium sibi faciendum. Quos Imperator læto animo recipiens, cum eis urbem intravit, & eam in deditionem accepit. Quo facto, nuncii ad Casan venerunt, intimantes ei, qualiter Caydo avunculus suus cum magno exercitu Persidem invasisset, & omnia inibi reperta vastaret. Quo percepto, Casan cuidam perfido traditori Capcap, cui bene credidit, urbem Damascenorum tradidit custodiendam, & ipse ad proprias partes rediit. Capcap vero traditor Præpositus Damasci constitutus, mox Imperatore ad propria reverso, misit nuncium ad Soldanum, sciscitans ab eo, an pro grato habere vellet, ipse Damascum sibi præsentare vellet. Quod gratanter Soldanus acceptans, sibi rescripsit, quod quam cito hoc faceret, ipse eum Dominum Damascenorum constitueret, & cum hoc sororem suam sibi in uxorem traderet. Quo habito, Capcap omnes Casan Imperatoris fautores ad partes longinquas pro negotiis destinavit, & interim Damascenos promissis ad hoc induxit, ut se ad Soldanum iterum transferrent. Quod & fecerunt. Cum autem Casan Imperator hæc perciperet, misit Cathelosam Ducem cum XXXM. armatorum, præcipiens Armeniæ & Cypri Regibus, ut secum pergant ad expugnandum Damascum. Ipse enim in brevi eos secuturus esset. Qui cum omnes congregati essent non procul a Damasco, venerunt nuncii diaboli, intimantes mendose, quod Casan in extremis jaceret moriturus, nec eos sequi posset. Et sic exercitus retrocessit. Casan autem audiens, exercitum deceptum per nuncios fallaces, exercitum maximum iterum colligens, perrexit una cum Regibus Armeniæ & Cypri usque ad flumen Euphratem, proponens pergere in Syriam contra Damascum. Quod percipientes Sarraceni, nec ei resistere valentes, omnia bona eorum ad civitates munitas & muratas introduxerunt, & omnes villas, sata ac prata virentia igne absumserunt, ne hostes venientes pascua invenirent pro equis pabulandis. Proposuerat enim Casan juxta flumen illud circa ver, cum herbæ inciperent crescere, ultra versus Damascum processisse. Sed impediente diabolo, nuncii iterum ad Imperatorem venerunt, qui sibi dixerunt, quod Caydo reversus totam terram suam devastaret. Quo percepto, Casan regressus cum exercitu, propositum mutavit, nec post per eum aliquid tentatum est, eo quod mors ipsum post modicum tempus de medio tulerit.

Tertio anno Alberti, qui est DN. MCCCII. Quidam recens versificator, cum gratia impetrandi beneficium Romam venisset, secundum Egghardum, & Bonifacius ipsum examinare volens diceret eidem: Comple per bonum versum illud, quod dicitur in hoc versu:

Interpone tuis interdum gaudia curis:

ille paulisper in terram prospiciens, mox elevavit faciem, & dixit:

Tu, qui perpetuis mentem cruciatibus uris,
Interpone tuis interdum gaudia curis.

Papa autem attendens ingenium Clerici, pingui beneficio ipsum remuneravit. Nicolaus de Tervisio IX. Magister generalis Ordinis Prædicatorum fuit electus in Capitulo generali Argentinæ celebrato, secundum Henricum de Hervordia. Erat autem tunc Provincialis Lombardiæ, & nunc assumitur in Cardinalem per Bonifacium Papam, postea vero Summus Pontifex factus est, & Benedictus XI. dictus. Post quem eligitur X. Magister Frater Albertus Januensis Bacularius in Theologia in Capitulo generali Marsiliæ celebrato. Erat autem dictus Albertus tunc Lector in Montepessulano. Hic tribus tantum mensibus præfuit, & mortuus est Anagniæ. Corpus cujusdam Armanni quod jam XXXII. annis quasi sanctum in Ecclesia Ferrariensi extiterat veneratum, secundum Egghardum, de mandato Inquisitoris hæreticæ pravitatis de Ordine Prædicatorum exhuma-

Digitized by Google

humatum pariter & combustum est, tanquam corpus hæretici damnati, & ejus ara satis pretiosa destructa est. Dominus Henricus de Mykelenburg alias captivatus a Soldano cum exercitu pulcro obsedit castrum Glesin, secundum Chronicam Obotritorum, auxiliante ei Alberto Marchione de Brandeburg. Quo expugnato & destructo, cum illo exercitu venit prope Wismariam, & coëgit cives, ut castrum suum Mykelenburg, quod tempore exilii sui destruxerant, sibi reædificarent. Ericus Rex Norwegiæ defunctus est, secundum Chronicam Danorum, non relinquens post se hæredem masculinum, sed solum fœmininum. Quapropter Haquinus frater suus Regnum suum adeptus est, qui filiam Comitis de Rupin duxerat, cujus mater erat filia (Domini) Rugianorum. Bonifacius Papa indutus ornamentis Pontificalibus locavit se in cathedram infula tribus coronis insignita coronatus & ostendit populo ibidem congregato Pontificalem suam dignitatem. Quo facto, surrexit, & ad locum secretum transiens, induit se vestimentis imperialibus ad hoc præparatis ex industria, & exiens corona Regia circulari stipatus, posuit se ad sedem imperialem, & tenens in manu dextra sceptrum, & in sinistra pomum aureum, dixit alta voce, secundum Egghardum: Ecce duo gladii hic, volens per hoc innuere, quod fungeretur utraque jurisdictione Pontificali videlicet & Imperiali. Hanc præsumtuosam ostentationem videntes Alberti Regis Romanorum nuncii, qui pro negotio quodam ibidem missi fuerant, non parum scandalizati sunt, scientes, nullum antecessorum simile attentasse. Albertus Rex Romanorum accepit in uxorem sororem Philippi Regis Francorum, secundum Wilhelmum, cujus nuptiæ celebratæ sunt solenniter Parisius, ubi præsens erat Dominus Gerardus filius Gerardi Comitis Holtzatorum, qui protunc factus fuerat Præpositus Lubicensis. Albertus Marchio de Brandeburg bellum habuit grande cum Domino de Rostok, secundum Chronicam Obotritorum, eo quod filiam suam sibi desponsatam repudiasset, & filiam Bugzlai Ducis de Wolgast duxisset. Sed Dominus de Rostok prudenti usus consilio, Regi Danorum se subdidit, & dominium suum ab eo in feodum suscepit. Propter quod Ericus Rex in auxilium ejus veniens cum magno exercitu, Marchionem debellavit, & pacem Domino de Rostok fecit. Henricus Comes Lutzelenburg obsedit Treverim, secundum Egghardum, urbem antiquam cum multo populo, & magna damna civitati illi inferens, vineta succidit, blada conculcavit, & cives tandem cogebat ad suam voluntatem; Wenzezlaus Dominus Rugianorum obiit, secundum Chronicam Danorum, relinquens post se filium æquivocum. Eodem anno obiit & Dominus Conradus Episcopus Verdensis filius Ducis Brunswicensis, cujus sedem obtinuit Fredericus cognomento Man. Philippus Rex Francorum villam Brugensem ingressus cum sua uxore, receptus est a civibus cum debita solennitate; & quia potiores cives dictæ urbis videbant, se cottidie gravari per Comitem Flandriæ Dominum suum, incitabant communitatem civitatis suæ & etiam totius terræ, ut se subjicerent Domino Regi, per quem defendi possent & tueri. Quod & factum est. Rex vero suscepto homagio urbis Brugensis, reversus est in Franciam. Post cujus recessum cum comunitas ponderare inciperet expensas, quas fecerat civitas in receptione Regis, & videret, se nihil recepisse recompensationis vel honestatis a Rege, cogitavit, Consulatum & majores urbis fructum eorum sustulisse. Unde conspirantes in invicem statuerunt Capitaneum unum lanificem, cui nomen Petrus Rex, & tumultuose procedentes, captivaverunt potiores urbis, & eos interfecerunt. Quod factum cum ad Regis Francorum notitiam pervenisset, misit protinus Comitem S. Pauli cum maximo populo in Brugis, ut seditionem Communitatis removeret. Qui intrans urbem in vigilia B. Laurentii, tantum fecit verbis suis mitibus & mansvetis ac sagacitate sua, ut cives consentirent in hoc, quod fossata urbis complanarentur, & sepes, quibus opidum erat circumdatum & munitum, deponerentur. Quibus omnibus dejectis & remotis ex ordinatione dicti Comitis S. Pauli, supervenit exercitus maximus de Francia missus a Rege, qui vindicare deberet necem fidelium suorum. Quod videntes cives, mox missis nunciis ad circumjacentes urbes, congregaverunt immensum populum, & intromittentes ipsum diluculo in civitatem, irruerunt cum eo super exercitum Regis inopinate, & interfecerunt pene omnes Francos, Regis offensam non formidantes.

Quarto anno Alberti, qui est Dn. MCCCIII. Wenzeslaus Rex Bohemorum obiit, secundum Egghardum, cujus filius ejusdem nominis in Regnum paternum sublimatus est, sed eodem anno interfectus est, nullum hæredem post se relinquens masculinum, sed duas tantum filias, quarum antiquior nepoti Regis Alberti desponsata est. Qui propter hoc etiam (ab) Alberto Rege de Regno Bohemorum infeodatur, & in Regnum potenter introducitur. Sed quia stabile non est, quod ille, per quem Reges regnant, non confirmat, postquam in Regno cum uxore sua Regina jam annos ferme IX. exegerat, Dominus inter Regem ex una parte, & Reginam cum Nobilibus & militaribus ex alia parte, spiritum vertiginis immisit. Siquidem quia impotens erat ad generandum, & in moribus distortus, insulsus & incivilis, ac in re militari ineptissimus, idcirco omnibus factus est invisus & odiosus. Unde postea Rege Alberto sublato de medio, iste Regno pulsus est, & Johannes Comes de Lutzelenburg introductus est & coronatus anno Dn. MCCCVIII. Otto Dux de Brunswic misit CCC. armatos contra Lubicenses, committens eis, ut quicquid invenirent coram urbe prædicta vel ad eam pertinens, igne vel gladio demolirentur. Quod cum per eos sic fieret, Capitaneus urbis illius cum stipendiariis & civibus quibusdam exiens,

exiens, hostibus obviam venit. Sed Saxones fortiores civibus interfecerunt dictum Capitaneum sive Advocatum cum fere centum civibus, secundum Chronicam Saxonum, cæteri vero partim saucii civitatem suam reingressi sunt, in equis tamen Saxones magnum damnum receperunt, paucis de eisdem captivatis. Corpus B. Mariæ Magdalenæ de spelunca translatum est, secundum Wilhelmum, ad S. Maximinum urbem, & in Ecclesia Fratrum Ordinis Prædicatorum cum veneratione multa est depositum, ubi Deus multa die hodierna operatur mira ad gloriam dilectæ famulæ suæ. Hujus civitatis S. Maximini Prior dicti Ordinis Prædicatorum Dominus est & Præceptor, nec talis absolvi potest a quocunque Ordinis illius Prælato aut confirmari nisi a Papa immediate, & est perpetuatus in officio suo sicut Episcopus vel Abbas, ut dicitur. Albertus Rex Romanorum bellum movit contra Archiepiscopos Treverensem & Coloniensem, secundum Egghardum, ac contra Ducem Brabantiæ Johannem propter telonia, quæ removere voluit. Comites autem Guliacensis & de Marka cum civibus Coloniensibus favebant Regi, & castra plura obsedit in provincia Treverensi, & ad deditionem ea compulit. Sed cum inter Bunnam & Coloniam castra metatus esset, facta est pax inter diffidentes, & remota est exactio indebita teloniorum. Philippus Rex Francorum venit in Flandriam cum exercitu valido prope Tornacum, secundum Wilhelmum, contra quem Flammingi arma ferentes in prœlium, percusserunt tres partes exercitus Regis, cum quarta autem vix ad terram suam rediit inglorius.

Quinto anno Alberti, qui est Dn. MCCCIIII. Everhardus Comes de Marka, & Otto Episcopus Monasteriensis obsederunt castrum Bredenvord, secundum Egghardum, & expugnarunt ipsum infra breve tempus, ac munierunt. Quo facto idem Comes castrum Hovestad vallavit, cepit & destruxit. Quod audiens Wigboldus Coloniensis Archiepiscopus, exercitum fortem misit contra Comitem in Zosatum, ut de urbe illa Comitem expugnet. Comes vero cum exercitu suo veniens, Zosatum obsedit, & per integrum diem villas per circuitum vastans, prædam magnam abduxit. Archiepiscopus autem post recessum ejus terram dicti Comitis invasit, & Unnam opidum atque totam de prope terram igne consumsit. Qua expeditione peracta, Zosatum Archiepiscopus ingressus, ægritudinem incidit, & tandem diem ibidem claudens extremum, sepultus est in Ecclesia majori urbis prædictæ, & sic Comes de angustiis suis liberatus est. Comites Holtzatorum Nobiles quosdam terræ suæ expulerunt, & bonis suis privaverunt propter eorum demerita, secundum Chronicam Lubicensem. Qui se transferentes ad Albertum Ducem Saxoniæ, suscitarunt displicentiam inter Principes prædictos, & congregantes exercitum DCCC. armatorum intraverunt Holtzatiam, & depopulati sunt regionem illam usque ad flumen Trabenam, vadum vero alvei ultra transeuntes, exterminaverunt multas villas, & plures homines captivarunt. Cumque reverti vellent trans vadum cum præda, Comites Holtzatorum cum pulcro exercitu vadum observantes, in hostes impetum fecerunt, & facta est pugna magna illo die, multique ceciderunt de Saxonibus, sed de Holtzatis pauci. Et quia Ducis exercitus ultra sex dies in terra Holtzatorum perduraverat, spoliando Comitatum, Lubicenses concordare & pacificare cupientes Principes discordantes, partes illas accesserunt, & placita cum utraque parte ordinantes fieri, tandem Dominos illos reconciliaverunt, & ab invicem in bona concordia eos recedere fecerunt. Ericus Rex Danorum & Woldemarus frater suus absolvuntur a sententia excommunicationis, secundum Chronicam Danorum, in qua per longum tempus detenti fuerunt propter injuriam Archiepiscopo Lundensi illatam, & interdictum, cui jamdudum totum Regnum subjacuerat, relaxatur. Defuncto Domino Johanne Episcopo Rigensi fratre Helmoldi Comitis de Zwerin in curia Romana, secundum Chronicam Lubicensem, Papa præfecit eidem Ecclesiæ Dominum Johannem Branz, Lundensi vero Ecclesiæ, dedit Ysarium quondam Legatum Papæ ad Regem Danorum in causa ejusdem Ecclesiæ. Otto Comes de Ravensberge dedit filiam suam Marscalco Regis Sweorum in uxorem, secundum Chronicam Danorum, eo quod prædives esset, sed ignobilis, de quibus nuptiis plura mala evenerunt. Nam eodem anno dictus Marscalcus filiam suam tradidit Woldemaro Duci fratri Regis Danorum in uxorem, de quo quidem matrimonio Ericus frater Woldemari Rex multum turbatus fuit. Unde veniens cum aliquibus fidelibus suis in Stokholm, cepit præfatum Marscalcum, & imponens ei traditionem Regni & fratrum suorum, fecit ipsum decapitari. Quod audiens Woldemarus Dux & frater suus, ordinavit celebrari divortium inter se & uxorem suam filiam Marscalci decollati propter cognationem spiritualem alias inter eos contractam, & nupsit filiæ Erici Regis Norwegiæ. In vigilia Nativitatis Beatæ Virginis, Anaginæ in patrio solio ac civitate originis suæ dum Papa cum curia sua resideret, secundum Egghardum, ubi tutus magis credebatur esse in gente sua ibi cum familiaribus suis traditus est & captus per Jacobum & Petrum de Columnis, olim S. Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & per filios Johannis de Columnis fratris dicti Jacobi & patris præfati Petri, & vinculis ferreis mancipatus, & thesaurus suus & Ecclesiæ ablatus est. Cardinales vero timentes sibi, relicto eo, omnes fugerunt, exceptis Dominis Petro Hispano Sabinensi & Nicolao Ostiensi Episcopis Cardinalibus. Bonifacius autem tot malis circumdatus est & inclusus, ut nunc ardeat & ferveat, nunc algeat & frigeat, nunc fervore distendatur, & nunc timore deprimatur, nunc spem liberationis supponat, & nunc livorem vindictæ vereatur. Et inter hæc mala sic exagitatus est, ut & carnes suas propriis dentibus laceraret. Digitos enim & manus

Digitized by Google

nus ac scapulas, & quicquid de corpore proprio dentibus suis capere poterat & attingere, furens ut canis rabidus devorabat, & sic tandem vitæ & persecutionis finem crudelem accepit. Unde in principio de ipso dicebatur: Intravit ut vulpes, regnavit ut leo, & exivit ut canis. Exemplo hujus omnes Prælati superiores discant superdominari Clero & populo, sed ad instar S. Gregorii ex animo curam gerere subditorum, & plus amari appetere quam timeri. Omnes autem manum habentes in dicto maleficio, per Benedictum Papam successorem suum de consilio Cardinalium sunt absoluti, & Jacobus ac Petrus Cardinales destituti de Columnis ad statum pristinum sunt repositi.

De Benedicto XI. PP. CCII.

Benedictus Papa, natione Lombardus ex patre Stephano, sedit uno anno & diebus XXI. Iste prius dictus Nicolaus Ostiensis extitit Episcopus Cardinalis. Fuerat autem Frater Ordinis Prædicatorum, de gradibus Ordinis sui puta Lectoratus, Prioratus, Provincialatus, Magistratus generalis, assumtus est in Cardinalem, & demum in Papam consecratus. Fuit autem genitus de pauperculis parentibus sed honestis. Mater enim ejus, viro suo defuncto, facta est lotrix Fratrum, & tunicellas eorum lavare solita est & reparare. De hac paupercula vidua narratur, quod, cum percepisset in Tervisio constituta, filium suum Nicolaum Papam esse factum, optavit ipsum videre in illo statu. Veniens ergo Romam, hospitata est cum matrona quadam venerabili & devota. Quæ intelligens, eam esse matrem Papæ, & videns eam vilibus indutam tegumentis, ob reverentiam Summi Pontificis, ne tam exilis status & despicabilis appareret in facie hominum, nec aspectibus se præsentaret tantorum Prælatorum in habitu tam abjecto, induit eam pretiosis vestibus, & ornavit eam cultu honesto & festivo. Et assumtis secum aliis matronis solennibus, Domino Apostolico matrem suam studuit honestiori modo quo potuit præsentare. Cumque præ foribus Palatii fœminæ hæ venerabiles Romanæ constitutæ introducere satagerent genitricem Papæ, & ille matris suæ præsentiam adesse intelligeret, jussit eam intromitti. Quam cum cerneret tam pretiosis decoratam vestibus & amictu tam splendido redimitam, licet eam agnosceret matrem suam esse, tamen fictam illam ingenuitatem & mentitam locupletationem spernens, ac potius in honesta paupertate gloriari delectans, quam palliata egestate gloriosus videri, dixit matronis illis honestis: Mulierem, quam adduxistis nostris aspectibus, pro nostra parente non noscimus. Scimus enim, nec veremur matrem nostram fore pauperrimam Fratrum Ordinis nostri lotricem, nec eam unquam ad statum huic consimilem pervenisse, aut talibus usam fuisse indumentis, & ideo istam ut nostram genitricem nec recipere volumus nec videre dignamur. Unde mox faciem suam ab ea vertens abscessit. Quod videns mater confusa valde ad hospitium cum matronis rediit, & statim abjectis vestibus accommodatis, solitum amictum reinduit vilem satis & deformem, & reversa ad Palatium cum eisdem Dominabus, & intromissa a filio suo Domino Apostolico in reverentia maxima recepta est, dicente coram omnibus: Ecce paupercula hæc vidua genitrix nostra est carissima. Et amplectens eam brachiis suis, juxta se eam collocavit, & confestim pro panno nobili mittens, vestimenta decentia pro ea fieri fecit, ac per tempus apud se refocillatam & bene ditatam ad propria remisit. Hic Papa Constitutionem Bonifacii antecessoris sui, quæ incipit Super Cathedram, per Italiam quidem, ubi curati Presbyteri de Parochianis suis nihil habent, sed quasi campanarii sunt, secundum Henricum de Hervordia, & idiotæ, & nihilominus Sacramenta ministrant, multum rationabilem, per Teuthoniam vero & Galliam ac partes cæteras, ubi Clerici parochiales omnia tollunt, primas exequias habent, decimis, oblationibus ac cæteris emolumentis superabundant, nec portionibus debitis fraudantur, gravem & temperamento moderandam revocavit, aliam constitutionem sanctissimam super eisdem punctis plenam bonitatis & æquitatis edidit, quæ incipit Inter cunctas.

Sexto anno Alberti, qui est Dom. MCCCV. Bernhardus Magister generalis XI. Ordinis Prædicatorum obiit in Conventu Treverensi in die S. Lamberti, secundum Henricum de Hervordia. Hic electus fuerat in Magistrum in Capitulo generali Coloniæ celebrato, & erat tunc Provincialis Provinciæ. Ericus Dux captivavit Birgerum fratrem suum Regem Sweorum cum Regina, secundum Chronicam Danorum, quæ captivitas multorum extitit causa malorum futurorum. In Marchia de Brandeburg prope opidum Vredelant in die S. Remigii, secundum Chronicam Obotritorum, ceciderunt de cœlo in modum grandinis lapilli igniti in terram, & incenderunt plurimas domus, cremaruntque quodlibet combustibile, quod tetigerunt, magna villis & urbibus inferentes (damna). Gysebertus Archiepiscopus Bremensis obiit in vigilia Nativitatis Virginis Gloriosæ, secundum Egghardum. Hic gloriose illam rexerat Ecclesiam XXXIII. annis. Quo defuncto, Capituli una pars elegit Decanum majoris Ecclesiæ cognomento de Wolpe in Præsulem, altera vero pars postulavit Laurentium de Brunkhorst Scholasticum ejusdem Capituli. Qui cum aliquamdiu litigassent in curia, transivit Scholasticus viam universæ carnis. Quo mortuo, declinavit Decanus ad partes Alemanniæ, & similiter diem clausit extremum. Quorum decessus cum Papæ intimarentur, præfecit Ecclesiæ Bremensi Dominum Johannem Grant Episcopum Rigensem, & Ecclesiæ Rigensi dedit in Episcopum fratrem Fredericum Lectorem Ordinis Minorum. Casan pissimus Imperator Tartharorum & maximus fautor Christianorum defunctus est, secundum Egghardum. Antequam tamen moreretur, condidit pulcrum testamentum, infinita bona pauperibus distribuens & Religiosis Christianis,

Digitized by Google

nis, licet Paganus esset, Carpandan autem fratrem suum instituit loco sui Imperatorem. Hic baptizatus erat & Christianissimus effectus ad ordinationem Erokaton matris suæ. Hæc fidem Christi susceperat, & fidelis usque ad mortem perseverabat. Carpandan tamen Imperator filius suus, quamdiu mater sua vixit, Christianus permansit, sed mox ea defuncta, fidem reliquit, & deliramentis Sarracenorum adhæsit.

De Clemente V. PP. CCIII.

Clemens Papa, natione Burdegalensis ex patre Lodowico sedit annis XI. & tribus diebus. Hic prius dictus Bertrandus electus est in vigilia Pentecostes, & coronatus die sancto in Lugduno præsente Philippo Francorum Rege, secundum Martinum. Cumque de loco coronationis ut Pontifex procederet cum comitiva regali, comprimentibus turbis depulsaque macerie cujusdam muri, corruit murus prope Papam, & amisit coronam de capite ejus, & carbunculus pretiosus de corona cecidit pretii sex milium florenorum. Ipse autem depositus de equo læsus non fuit, sed de circumstantibus XII. elisi sunt in tantum, ut in brevi postea vita excederent. Archiepiscopus Coloniensis eligitur in maxima discordia, secundum Wilhelmum. Nam quidam de electoribus nominaverunt Henricum de Verneburg Præpositum majoris Ecclesiæ ejusdem; quidam vero Sifridum Præpositum Bunnensem fratrem Sifridi Archiepiscopi defuncti; alii Wilhelmum Præpositum Trajectensem. Sed Henricus de Verneburg vadens ad curiam, confirmationem suæ electionis obtinuit a Papa Clemente.

Septimo an. Alberti, qui est DN. MCCCVI. Quidam hæresiarcha Dulcinus nomine Novariensis dioecesis filius cujusdam Sacerdotis, secundum Henricum de Hervordia, unus de discipulis Gerardi Sagarelli hæretici, qui novam vitam Apostolorum fictis & fallacibus suis doctrinis mentiebatur circa annos Dom. MCCLX. & per Inquisitores Fratrum Prædicatorum combustus fuit, dictæ maledictæ sectæ factus est caput, & errores erroribus addens, multa milia hominum utriusque sexus ad suam sectam traxit per quandam Margaretam maleficam & consortem suæ sectæ. Hanc secum duxit nominans eam sororem suam in Christo, & postquam deprehensa est gravida esse, ipse & sui asseruerunt, eam impraegnatam a Spiritu Sancto. Similiter & alii discipuli suas habuerunt amasias tanquam sorores in Christo. Contra hunc Dulcinum & suos complices de mandato Papæ fuit crux prædicata cum peccatorum remissione plenaria. Et plures Inquisitores Ordinis Prædicatorum moverunt exercitum Christi contra ipsum, sed prævalere non potuerunt, quia eorum fautores & defensores super numerum arenæ maris fuerunt multiplicati. Postea tandem Inquisitores prædicti una cum Episcopo Vercellensi cruce & plenaria remissione pronunciata, congregaverunt exercitum maximum contra Dulcinum hæreticum tunc in montanis Monariensibus commorantem, in quibus montanis tunc multi Dulcinorum discipuli propter intensa frigora & famem a viribus & vita deficientes in suis erroribus perierunt. Fidelium autem exercitus dicta montana armati fidei ardore ascenderunt, Dulcinum ceperunt, & cum eo circiter C. & LXX. personas utriusque sexus. Mortui vero fame & frigore ac interfecti gladiis fidelium quadringenti & amplius inventi sunt. Capta quoque cum eo fuit Margareta amasia sua hæretica & pertinax & malefica valde, & facta est de eisdem justitiæ debita executio per curiam secularem. Nam præfata Margareta ante oculos Dulcini membratim est divisa & conscissa, deinde ipse Dulcinus membratim inciditur, & amborum membra omnia pariter comburuntur cum quibusdam aliis complicibus suis, prout eorum scelera merebantur. Scripserat autem præfatus Dulcinus Epistolas tres, in eis nequiter & copiose delirans. In prima dicit, quod secta sua spiritualis sit, & novissimis his diebus in salutem animarum a Deo specialiter missa; insuper quod Clerici omnes seculares cum multis de populo & potentibus tyrannis, & omnes Religiosi & specialiter Prædicatorum & Minorum Ordinum Fratres sint adversarii Dei & ministri diaboli, quia Dulcinum & sectam suam persequuntur. Distinguit etiam quatuor status Sanctorum fuisse in propriis modis vivendi. In primo fuerunt Patriarchæ & Prophetæ & alii justi usque ad adventum Christi. Et in hoc statu laudat matrimonium causa multiplicandi genus humanum. In secundo statu fuit Christus & Apostoli & eorum sequaces sancti & justi, qui ideo venerunt, quia primi a statu eorum declinaverunt. Et fuit hic secundus status quasi medicina primi, & in isto statu melior fuit virginitas & castitas quam matrimonium, & paupertas quam divitiæ, & sine proprio vivere quam terrenas possessiones habere. Tertius status incepit a S. Silvestro tempore Constantini Magni, & hic successit secundo statui, quia posteriores in eo jam declinaverant a perfectione priorum. Et in hoc statu melius videbatur S. Silvestro & suis successoribus divitias & possessiones terrenas suscipere quam paupertatem Evangelicam sequi, ut populum melius regere possent. Sed quia in hoc statu refrigerari cœperunt a caritate Dei, sequitur quartus status vivendi, qui fuit beatorum Dominici & Francisci Confessorum. Hic etiam magis strictus fuit in possidendo res terrenas & dominium temporale quam B. Benedicti & Monachorum. Sed quia nunc omnes & Prælati & Clerici & Religiosi a caritate Dei & proximi refrigerati sunt, & declinaverunt a statu prædecessorum suorum, melius fuit & est reformare modum vivendi Apostolorum. Et hunc statum asserit vitam suam esse, quam Frater Gerardus Sagarelli Parmensis Martyr & Deo dilectissimus incepit, & usque in finem mundi perseveratutus est. Et hic est V. status & ultimus status. Scripsit etiam in hac Epistola & multa alia erronea, quæ pertranseo. In aliis autem duabus Epistolis suis errores multos ponit. Nunc autem

Digitized by Google

tem de erroribus Dulcini & Gerardi magistri sui & sequacium suorum est dicendum. Inprimis occulte docuerunt & docent, ubi possunt, quod tota auctoritas a Domino Jesu Christo collata Ecclesiæ est omnino evacuata, & jamdudum cessavit propter malitiam Prælatorum. Secundo quod Ecclesia Romana, quam tenent Papa, Cardinales, Clerici & Religiosi non est Ecclesia Dei, sed Ecclesia reprobata & sine omni fructu. Tertio quod Ecclesia Romana est illa meretrix, quæ a fide Christi apostatavit, de qua scripsit Johannes in Apocalypsi. Quarto quod tota potestas Ecclesiæ est in sectam, quæ dicitur Apostolorum, translata, & nulli alii habent potestatem quam habuit B. Petrus Apostolus. V. quod illi, qui sunt de secta illa, soli sunt Ecclesia Dei, & sunt in illa perfectione, in qua fuerunt primi Apostoli Christi, & ideo non tenentur alicui homini obedire, quia regula eorum, quæ fuit immediate a Christo, libera est & perfectissima vita. VI. quod nec Papa nec aliquis alius potest eis præcipere, quod deserant statum suum vel vitam tantæ perfectionis, nec etiam potest eos excommunicare. VII. quod de quolibet statu & ordine potest quilibet ad eorum statum transire, sive secularis sit sive Religiosus, ita quod vir sine consensu uxoris & uxor sine consensu viri potest relinquere statum matrimonii, & Ordinem eorum intrare, & quod nullus Prælatus Ecclesiæ Romanæ potest separare matrimonium, sed ipsi possunt. VIII. quod nullus ex eis licite potest intrare alium Ordinem sine peccato mortali, nec potest se subjicere cujuscunque hominis obedientiæ, quia hoc esset a vita perfectissima ad vitam minus perfectam descendere. IX. quod nullus potest salvari nec intrare Regnum cœlorum, nisi sit de secta & Ordine ipsorum. X. quod omnes, qui eos persecuntur, peccant, & sunt in statu damnationis. XI. quod nullus Papa Ecclesiæ Romanæ potest aliquem absolvere a peccatis, nisi sit ita sanctus, sicut B. Petrus Apostolus vivendo in omnimoda paupertate & humilitate, non faciendo guerras, nec aliquem persequendo, sed permittendo vivere quemlibet in sua libertate. XII. quod omnes Prælati Romanæ Ecclesiæ tam majores quam minores a tempore S. Silvestri, postquam declinarunt a modo vivendi priorum Sanctorum, sunt prævaricatores & seductores, excepto Petro de Marone, qui fuit Papa Cœlestinus appellatus. XIII. quod omnes Ordines Religiosorum & Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum & Prælatorum sunt ad fidei Catholicæ detrimentum. XIIII. quod laici non tenentur nec debent dare decimas alicui Sacerdoti vel Prælato Ecclesiæ Romanæ, qui non sunt in tanta perfectione & in tanta paupertate ut Apostoli. Et ideo dicunt, quod decimæ non debent dari nisi ipsis, qui dicuntur Apostoli, & sunt pauperes Christi. XV. quod quilibet homo & mulier licite possunt nudi simul jacere in uno lecto & in eodem lecto, & licite tangere se ipsos in omni parte sui corporis, & osculari invicem sine omni peccato, & conjungere ventrem suum cum ventre mulieris, nudum ad nudum, si stimulationem patiatur carnis, ut sic stimulatio cesset. XVI. quod jacere cum muliere, & ei non commisceri ex carnalitate, est majus bonum & mirabilius factum quam suscitare mortuum. XVII. quod perfectior est vita sine voto vivere quam cum voto. XVIII. quod Ecclesia consecrata non plus valet ad orandum Deum quam stabulum equorum vel porcorum, XIX. quod ita bene vel melius potest Deus adorari in nemore sicut in Ecclesiis. XX. quod nulla causa nec in aliquo casu debet homo jurare, nisi pro articulis fidei vel præceptis Dei, & si ipsi de aliis requirantur, licitum est eis sine peccato mentiri & veritatem suæ sectæ negare ore, dummodo teneat eam in corde, ad hoc ut evadant pœnam Inquisitorum, & debent respondere mentiendo vel negando seu palliando, quocunque modo possunt pertransire; si tamen non possunt mortem evadere, tunc aperte debent doctrinam suam profiteri, & patienter mori, & nullatenus aliquos de sociis suis cuicunque revelare. Modus autem persvadendi ipsorum talis est. Dicunt: vigilate & orate, & cantant eundo per villas & plateas, vel ubi fuerint auditores: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum; & aliquando cantant Salve Regina misericordiæ. Item prædictus Dulcinus habuit & tenuit, ut tactum est supra, amasiam nomine Margaretam, quam dicebat se tenere more sororis in Christo pudice & honeste, allegans, Christum habuisse amicam & sororem Magdalenam, & Johannem Evangelistam Drusianam, Petrum Tabitham, &c. Et simili modo discipuli Dulcini ducebant secum amasias, quas appellabant sorores in Christo, & cum eis jacebant in lectis, & ad libitum eas tangebant, asserentes mendaciter, se ex hoc nullis carnis tentationibus molestari. Expediti ergo sunt prædicti pessimi hæretici per Inquisitores Ordinis Prædicatorum, ut supra tactum est. Omnes Judæi Regni Francorum per ordinationem Philippi Regis capti sunt, secundum Wilhelmum. in die B. Mariæ Magdalenæ & expulsi de Regno, bonis eorum confiscatis.

Octavo anno Alberti, qui est Dn. MCCCVII. Hospitalarii cum exercitu Christianorum expugnare cœperunt insulam Rodis, secundum Wilhelmum, & adjacentes insulas V. vallantes eas exercitibus suis IIII. annis, & expugnantes Turcos, qui eas inhabitabant. Et finaliter eas Christiani obtinuerunt. Sunt autem ibi multi portus, & patet inde transitus conveniens Christianis in Terram Sanctam, Akaron & Cyprum. Ericus Rex Danorum cogitavit concordare dissidentes Comites Holtzatorum cum suis Nobilibus terra pulsis, secundum Chronicam Danorum, ac Dominos de Mykelenburg cum Ulrico Domino Slavorum, ut sic expeditius Comites & Domini prædicti ac alii Nobiles sibi auxilio esse possent contra Woldemarum Sweorum Regem & fratrem suum Ericum, qui Burgerum fratrem eorum captivaverant, & se Reges fecerant. Et evocavit in familiare colloquium Woldema-

Digitized by Google

demarum Ducem de Sleswic & Albertum Ducem Saxoniæ, Comites de Holtzatia, Dominos de Mykelenburg & Slavia, ac Lubicenses cives in Ymbriam insulam, & ibidem pacificavit & concordavit prædictos Dominos Comites cum suis Nobilibus, quos exulaverat. Reconciliavit insuper cives Lubicenses prælibatis Comitibus, & D Dominos de Mikelenburg reduxit ad amicitiam Dominorum de Slavia, ita quod pax & concordia inter omnes firmata est & stabilita. Videntes autem cives Lubicenses sinceritatem Erici Regis Danorum, receperunt ipsum in tutorem civitatis suæ & protectorem ad decennium, & regalem censum annuatim sibi solverunt. Quos Ericus Rex fideliter propugnavit & defendit usque ad suam mortem. Quibus omnibus bene pacatis & ordinatis, Rex Ericus pulcrum collegit exercitum de suis, adjunctis sibi Dominis præfatis & Comitibus, & classe grandi Sweciam tendens, applicuit urbi Stokesholm, Swagerum suum Birgerum liberare tentans. Sed ibidem nihil proficiens, reversus est cum magno detrimento suorum, quia fratres prædicti Birgeri Woldemarus & Ericus magnum populum adunaverant de Saxonibus, Pomeranis & Slavis, quibus castra & civitates munierant. Sorores Ordinis Fratrum Prædicatorum translatæ sunt de Lochen in Lemegow, secundum Henricum de Hervordia, ubi in majori pace quietiusque & securius Deo famulari poterant. Ibi ergo Monasterium pulcrum ædificantes, tandem dicti opidi omnes Ecclesias sibi incorporari procuraverunt. Albertus Marchio de Brandeburg, assumtis Henrico & Johanne Dominis de Mykelenburg, secundum Chronicam Obotritorum, & Ulrico Domino Slavorum, venit cum exercitu pul ro in Bohemiam ad auxiliandum Wenzlao Regi Bohemiæ, qui bella gerebat contra Albertum Regem Romanorum. Cum autem prædictus Rex Bohemiæ cum omni sua & suorum potentia populum copiosum eduxisset, in tanto etiam numero, quod æstimatione sua Terram Sanctam cum eo sibi subjugare potuisset, respexit ex adverso Albertum Regem Romanorum advenisse cum tanta multitudine armatorum, quod vix in Regis Bohemorum exercitu unus stare videretur contra tres de hostium suorum turmis. Quod videns Bohemorum Rex, obtulit se in gratiam Alberti Regis, & sic ad invicem pacati sunt sine conflictu. Istud autem factum locum habet debitum supra anno Alberti Regis tertio.

Nono anno Alberti, qui est DN.MCCCVIII. Cum apud Zosatum urbem Westphaliæ materia pro formanda campana magna in honorem S. Petri Apostoli, secundum Henricum de Hervordia, in fornace cum multis follibus apposi tis conflaretur, ut fusibilis fieret, bufo quidam grandis niger cruribus elevatis juxta laboratores oberrans, incendio fornacis per unum illorum virorum fuit injectus. Omnibus materiis tandem ad plenum liquefactis & præparatis, ducillus extrahitur, & fornax aperitur, ut per canalem materia liquida & ignita formam campanæ influat. Et ecce mirum dictu, mox bufo ille oculis ardentibus prior, fluida & ardentissima ipsum sequente materia, & corpus ejus sine medio contingente, fornacem per canalem egreditur. Clamor videntium hoc stupendum prodigium in cœlum extollitur. Meatus fornacis iterum recluditur, & bufo incendio denuo injicitur, & fornax studiosius accenditur à ministris. Iterum ergo ducillus educitur, & bufo sicut prius fornacem per foramen egreditur. Tertio in fornacem mittitur, & persevera in igne illo vehementer accenso illæsus Quo viso, quidam urceolum afferens cum aqua benedicta, bufonem ipsum simul & fornacem aspergit, & tunc injectus bufo in fornacem, subito quasi stipula per ignem absumtus est, & materia bene præparata formam influens in campanam bonam & sonoram transformatur. Henricus de Verneburg Electus Coloniensis rediit de curia confirmatus, secundum Wilhelmum, & mox castra dioecesis suæ compulit ad deditionem, castrum quoque Vorstenberg de novo fundavit & construxit. Milites multi & Nobiles cum opidanis & villanis Holtzatorum, secundum Chronicam Lubicensem, conspirationem gravem fecerunt contra Dominos suos Comites, confœderatis sibi D thmarsis. Quod percipientes Comites, exercitum congregarunt, & venientes usque Uetersten villam, invenerunt ibidem hostes suos adunatos, & perventum est ab utrisque partibus ad pugnam. Victoriam ergo Comites a Deo obtinentes, captivaverunt Capitaneum exercitus adversariorum cognomento Pels dictum, quem rotantes in patibulo suspenderunt, cæteros vero aut gladiis trucidantes aut captivantes cum triumpho & præda magna reversi sunt ad sedes suas, qui autem de Nobilibus fuga elapsi sunt, urbem Lubicanam intrarunt, ibidem commorantes cum uxoribus & filiis. Gerardus autem Comes roborari fecit turrim Travenmundæ contra Lubicenses. Propter quod cives cum Holtzatis Nobilibus contractum fecerunt contra Comitem Gerardum. Albertum quoque Ducem Saxoniæ de Louenburg conduxerunt in Capitaneum sui exercitus contra Comites Holtzatorum, similiter & Woldemarum Ducem de Sleswic. Gherardus vero Comes in suum auxilium adduxit Dominos de Mykelenburg & Dominos Slaviæ, & posuit se cum suis prope Lubeke in nemus prope Swartowe villam. De hoc loco cottidie accedentes urbem, deprædati sunt omnes eis occurrentes. Similiter Lubicenses cum suis vasallis & stipendiariis agmina Holtzatorum infestantes ad invicem bellicis exercitiis occupabantur. Henricus autem Dominus de Mykelenburg protunc ædificavit castrum in insula Priwa k ex opposito turris Travennemundæ, & de illis duabus munitionibus viam maris navibus obstruxerunt. Illis tamen non obstantibus & hostibus invitis naves intraverunt & exierunt portum Lubicensem, non tamen sine magnis laboribus & periculis ac expensis, quia mercatores semper tot armatis se munire oportebat, quod de hostibus se defenderent, & eis invitis transirent, quo vellent. Acceden-

Digitized by Google

cedente vero Quadragesima, cives Lubicenses egressi sunt cum omni sua potentia, & vallantes castrum in Priwalk insula constructum, ipsum machinis & bumbardis dejecerunt, turrim in Travennemunde erectam pro majori parte destruxerunt. Videns autem Ericus Rex Danorum, qui Lubicensis urbis amicus esse dicebatur, horum Principum & Nobilium terræ Holtzatorum contra suos Dominos se erigentium, ac civium civitatis Lubicanæ dissensionem ingrassari, se interponere non distulit, & concordiam inter eos fieri ordinavit secundum modum illum, qui positus est supra octavo anno Alberti, quæ historia hic locum habere debet. Borchardus Episcopus Lubicensis & Canonici sui, secundum Chronicam Lubicensem, concordati sunt cum Consulatu dictæ urbis & cum Fratribus Ordinum Prædicatorum & Minorum in ea degentibus, qui civitati adhæserant in causa sua, & divina celebraverant huc usque super legitima ipsius appellatione. Et promiserunt prædicti Episcopus & Canonici in reconciliatione facta, se nunquam vindicaturos in Fratres præfatos ob causam extunc sopitam & terminatam compositione amicabili, sed eosdem permissuros in antiquis eorum consvetudinibus & libertatibus stare. Sed hoc promissum ut fidei prævaricatores minime servaverunt, ut postea docuit rei eventus in postulatione quartæ irrationabili, cujus quartæ solutionem antecessores sui nunquam a dictis Fratribus postulaverant, nec ipsi per se.

Decimo anno Alberti, qui est DN. MCCCIX. Puer in Sozato nascitur sub tali constellatione, secundum Egghardum, ut manu sua dextra solo tactu omnem seram aperiret, cujuscunque esset firmitatis. Tertio Idus Octobris feria sexta capti fuerunt Templarii ubique in Regno Franciæ & Angliæ. Quod quidem factum multi admirati sunt, eo quod scirent illorum Templariorum militiam ab Ecclesia Romana privilegiatam, & causam captivationis ignorarent. Opinio tamen multorum fuit, quod propter possessiones, quas multas & magnas habebant in illis Regnis, hoc fieri Rex prædictus procuraverit. Sed verior causa fuit, quod plures ex eis etiam majores confessi sunt, ritum & professionem eorum fuisse ita abominabilem & illicitam, quod a nullo homine extra eorum Ordinem sciri posset. Plurimi vero ipsorum minime confiteri voluerunt, licet pœnis subjicerentur & tormentis. Christum quoque manifeste negaverunt, & in opprobrium Crucifixi in ipsum conspuerunt. Demum cum Sedes Romana, cui factum incredibile videbatur, & captionem prædictam ægre ferebat, effecta fuisset certior, in Pictaviensi curia, ubi tunc Papa morabatur, per informationem Philippi Regis Francorum, Karoli Regis Castellæ & Edwardi Regis Angliæ, quidam de Templariis producti sunt ad præsentiam Papæ, a quibus evidentiam facti veraciter cognovit. Tunc Clemens Papa literas destinavit ad universa mundi Regna & climata orbis, mandans, ut ubicunque Templarii essent, caperentur & extirparentur. Qui Ordo in modico tempore per universum orbem destructus est & extirpatus. Opidum Hamme terræ Westphaliæ Comitis de Marka incendio hostili consumtum est, secundum Egghardum. Et eodem anno in die B. Johannis Evangelistæ incinerata est Ecclesia Lateranensis Romæ, ob cujus conflagrationem lamentum maximum in urbe illa factum est. Everhardus Comes de Marka in gubernatorem Comitatus Gelriæ per Reynaldum seniorem Comitem assumitur, secundum Wilhelmum. Eo tempore milites, qui erant ex parte Episcopi Monasteriensis in castro Bredenvord, expulerunt eos, qui erant ibidem ex parte Everardi Comitis, unde gverra maxima exorta est. Nam Dulmene per Everardum Comitem capitur. Episcopus Monasteriensis Castrum Novum juxta Rykesmoth firmat, sed tandem sic pacificantur, quod castrum illud novum funditus diruitur, & Dulmene Episcopo restituitur.

Undecimo anno Alberti, qui est Domini MCCCX. Everardus Comes de Marka obiit, & in Vrendenberg Monasterio sepelitur, secundum Wilhelmum, cui succedens Engelbertus filius suus statim post mortem patris sui terram Osnaburgensium invasit, eam deprædando & igne vastando, sed ab Episcopo Lodowico illius Ecclesiæ captus & vulneratus est, sed mox super fide sua licentiatus, vincula non intravit. Lodowicus vero Episcopus letaliter sauciatus est, & vita excessit. Post cujus mortem Engelbertus captivus suus ingredi recusavit captivitatem, asserens, se solutum morte sui Capitanei, qui ipsum ceperat. Post mortem Casan Imperatoris Tartharorum amici & fautoris Christianorum, secundum Egghardum, Sarraceni infestare cœperunt Armeniam, & molestare Christianos, qui in Regno eorum habitabant, cottidianis incursibus. Armeni autem a nullo habuerunt præsidium nisi a solo Deo, quia novus Tartharorum Imperator Sarracenis adhærebat, persequens eos una cum Soldano Babyloniæ. In mense ergo Julii intrarunt Sarraceni Armenorum Regnum cum VIIM. armatorum, & ipsum igne & gladiis vastaverunt usque Tharsis urbem, de qua S. Paulus oriundus fuerat. Cum autem eorum voluntatem ad plenum complevissent, & jam Regnum exire vellent, venit eis obviam Rex Armenorum cum suis, adjunctis sibi paucis Tartharis, & eos bello aggressus percussit illos usque ad extremam internecionem. Comitissa de Mansvelt filia Comitis de Lukowe, secundum Henricum de Hervordia, per Trivanos ad visitandum parentes suos transiens in metis Saxoniæ, audivit inter salices, sibices (fors. filices), fagos & quercus vocem cujusdam hominis miserabiliter gementis & ejulantis. Ad quod perscrutandum, quid esset, misit familiam aliquam, quam tamen misericordia mota mox sequebatur. Cumque ad locum vociferantis venisset, vidit quendam Slavum profundam foveam facere, in qua patrem suum jam ligatum & lacrymantem ac filium petentem, ut sibi adhuc parceret, vivum sepelire proposuerat. Requisitus ergo a Comitissa, quid ageret, respondit, se patrem suum vivum velle sepelire, eo quod senio confe-

Digitized by Google

confectus laborare nequiret, nec panem, quo vesceretur, deservire. Petenti autem Comitissæ, ut patri antiquo parceret, Trivanus respondit: Non possum ipsum nutrire amplius propter multos pueros, quos habeo, nec ipse se ipsum juvare potest. Comitissa autem hoc audiens, dedit rustico illi summam pecuniæ, qua sustentare sufficeret senem illum per integrum annum, & recessit. Qua pecunia accepta, Trivanus patri vitam concessit per annum illum. Quo expleto, ipsum in eodem loco, ubi Comitissa ipsum liberaverat, mactavit. Quod factum verbis consonat Aristotelis in fine primi Topicorum: Bonum est mactare patrem in Trivanis. In die cœnæ Papa Clemens in Avinione magnum processum dedit contra Venetos, secundum Wilhelmum, in quo eos excommunicavit, & privavit consortio & commercio aliarum civitatum, ac personas & bona ipsorum exposuit volentibus & valentibus occupare, omnesque Religiosos mandavit exire Venetias & omnia alia loca ditioni eorum subjecta, eo quod ipsi Veneti Ferrariam urbem contra Ecclesiam indebite occuparent. Unde missus a latere Domini Papæ Arnoldus de Pelagina Diaconus Cardinalis recuperavit Ferrariam in festo B. Augustini non sine multa sanguinis effusione. Dicitur autem numerus occisorum uno die fuisse V M. hominum, exceptis illis, qui ante illud bellum & post de eodem negotio peremti sunt. Johannes Marchio Brandeburgensis cum magno exercitu intravit terram Slavorum, secundum Chronicam Obotritorum, & construxit ibidem castrum fortissimum Lubize, & defunctus fuit ibidem dictus Marchio, & Otto frater suus perduxit negotium ad finem intentum. Utynensis Ecclesia terræ Holtzatorum diœcesis Lubicensis, secundum Chronicam Lubicensem, fundatur cum Canonicis & præbendis. Albertus Rex Romanorum interficitur a filio fratris sui, secundum Egghardum. Cujus interfectionis causa videtur fuisse quia Rex omnia dabat propriis filiis suis, & de illo nepote suo parum vel nihil curabat.

De Henrico VII. Imp. XCII.

Henricus Comes de Lutzelenburg cœpit anno mundi VMCCLXXI. Olympiadis DXI. anno tertio, Urbis conditæ IIMLX. Domini vero MCCCX. & VII. annis imperavit. Hic cum esset vir magnificus, secundum Egghardum, armis & virtute singularis & omnibus amabilis, actitante germano suo Baldowino Treverensis Ecclesiæ Archiepiscopo, concorditer ab omnibus Principibus electus est in Regem Romanorum, & Aquisgrani coronatus in festo Epiphaniæ. Cujus nuncii solennes, puta duo Episcopi & tres Comites Papam adierunt Avinionis pro confirmatione electionis suæ. Qui mox electionem factam confirmavit, & ut ageret, quæ Regis sunt, concessit, tempus determinatum sibi assignans, quo Romam veniret, & benedictionem ac coronam Imperialem reciperet, puta biennium. Quod & sic ab eo completum est.

Primo anno Henrici, qui est Dn. MCCCXI. Johannes filius Henrici Regis Romanorum accepit in uxorem filiam Wenzlai Regis Bohemorum dudum defuncti. Nam secundum Henricum de Hervordia, Wenzlaus Rex moriens reliquit post se tantum duas filias, quarum antiquior nepoti Alberti Regis Romanorum desponsabatur, & idem sponsus ab Alberto Rege de Regno Bohemorum infeodabatur. Sed quia impotens inveniebatur ad generandum, & in moribus crudus & insulsus & in re militari ineptus, omnibus exosus factus est. Cum ergo Henricus Rex potenter regnare cœpisset, Primores Bohemiæ filiam Regni eorum juniorem eidem Henrico, pro filio suo primogenito Johanne obtulerunt. Henricus autem Rex, fortuna tam læto vultu principiis suis arridente, toto spiritu lætabatur. Unde omen cum puella & Regno gaudenter acceptavit, puellam filio suo desponsavit & eundem filium de Regno Bohemorum infeodavit. Bohemiam quoque cum ipso subintravit, & totum Regnum potenter occupavit, Regem alium exiliavit, & simpliciter eo privavit, Johannem filium suum in sedem Regni collocando. Qui postea in Regno confirmatus, ex dicta puella sponsa sua filios & filias generavit, quorum filiorum unus Karolus factus est Imperator, alius Margaretam juvenculam nobilem, ad quam Carinthia devoluta fuerat, uxorem accepit, & Carinthiam secum occupavit. Ericus Rex Danorum & Otto Marchio de Brandeburg convenerunt in Ribbeniz opidum, secundum Chronicam Danorum, & inter se concordaverunt de omnibus, quæ tam Rex contra Marchionem, quam Marchio antiqvus Johannes aut novellus Otto contra Regem habuerant huc usque. Et conclusum est finaliter a dictis Principibus, ut sequenti anno ambo Principes convenirent in urbe Rostok cum Principibus & Nobilibus, quos ad hoc habere possent. Et tunc ibidem Ericus Rex Ottonem Marchionem facere deberet militem cum aliis centum Nobilibus & Militaribus similiter ab eo militiam recepturis, & quod de illis centum deberent esse vel Principes aut terrarum Domini viginti. Canonici Ecclesiæ Lubicensis Canonicam portionem sub nomine Quantæ expressam & sic taxatam a jure, a Fratribus Prædicatoribus & Minoribus exegerunt, a prædecessoribus eorum nunquam per antea postulatam, secundum Chronicam Lubicensem, vindicare se nitentes de eisdem pro adhæsione nuper facta civibus dictæ urbis. Fratres autem causam suam ad curiam deduxerunt, scire volentes, an ad præfatam portionem postulatam teneantur, ex quo Presbyteri parochiales in prædicta civitate debitis oblationibus & portionibus minime defraudantur. Et quia dicti Fratres arbitris Fratribus Mendicantibus non faventibus suam causam subjecerunt in curia prædicta, idcirco sententiam iniquam contra se receperunt. Nec mirum, quoniam inimicis gladium de manibus resignaverunt. Bertoldus Episcopus Sleswicensis obiit, secundum Chronicas Lubicenses, in cujus locum electus est Dominus Johannes Decanus Lubicensis cognomento de Bokholte, & consecratus est in Razeburg. Marchiones de Bran-

Digitized by Google

Brandenburg Otto cognomento Pyl, eo quod telum diu tulisset in capite, & Hermannus frater suus cum quatuor milibus armatorum equestrium & VIIIM. equitum intraverunt terram Danorum de Slavia, & spoliis ac incendiis cuncta vastantes, erexerunt forte castrum Lubeze dictum moderno tempore, tunc vero Eldeneburg nominatum. Quibus in terra illa sævientibus, mortuus est nescio quo casu idem Hermannus Marchio non sine lamentis multorum, relinquens post se filium Johannem parvulum. Otto vero frater ejus post obitum Hermanni in Slavia perseverans, terram illam ex toto exinanivit. Quo ad libitum expedito, reversus est in Marchiam, & mox infirmitatem incidens, & domui suæ disponens, diem clausit extremum. Quorum fratrum successor, quia Hermanni filius adhuc puer erat, fuit Woldemarus filius fratris sui Ottonis. Hic Woldemarus propositum patris sui Ottonis perficiens, perrexit proximo anno Rostok, prout determinatum erat per Ericum Regem Danorum. Albertus Dux Saxoniæ decessit, secundum Chronicam Saxonum, cujus mors gemebunda & lamentabilis erat cunctis negotiatoribus & viatoribus terrarum nostrarum. Pax enim & securitas ambulandi & negotiandi erat suis diebus omni populo. Sed post ipsius mortem castrum illud formidabile & latibulum latronum Lynowe statim reformatum est, & raptoribus repletum, qui non sinebant transitum mercatorum fieri inter civitates Hammeburgensem, Luneburgensem & Lubicensem. Ericus vero frater suus, quia filium post se non reliquit Albertus, licet jam Subdiaconus esset ordinatus, Ducatum illum administrare cœpit, Clericatum postponendo. Lynonus Rex Armeniæ Christianus bonus apud se habuit Presbyterum quendam Rayconem (Haytonem) noinme. Hic Sacerdos plures conscripsit Historias, in quibus specialem mentionem fecit de Tartharis & eorum conditionibus. Dicit namque, eos habere Imperatorem potentem valde habitantem in superiori Tartharia in urbe quadam Jong dicta. Hic Imperator superior tres sub se habet alios Imperatores in omnibus sibi parentes, quorum primus Cappar nominatus regnat super inferiorem Tarthariam, & educere valet in prælium pro suo exercitu CCCCM. armatorum. Secundus Cothay dictus imperat Cowanis, & ad pugnam de viris fortibus valet congregare CCCM. Tertius vero Carpanda vocatus frater illius pii Imperatoris defuncti Casan, de quo supra gloriosa dicta sunt, regnat in Asia, cujus capitalis civitas Taurisium nominatur. Hic bellare consuevit contra Soldanum Babyloniæ & educere potest bellatorum CCCM. & VIM. Contra hos Tartharos periculosum est prœliari, quia tela, quæ jaciunt, sunt nociva, & quodlibet armorum genus penetrant. Cum enim fugam simulant, retrorsum sagittas mittere docti sunt sicut antrorsum, & dum æstimantur victi per fugam, mox se vertentes viriliter agunt, & victores efficiuntur frequenter. Castra quoque & opida, quæ expugnant, secundum Henricum de Hervordia, non sibi reservant, sed funditus destruunt, quia magis delectantur habitare in tentoriis quam in urbibus. Refert etiam prædictus Historicus Rayto (Hayto) de ipsis, quod optima quadam conditione pollent. Interrogati namque de veritate dicenda, nullo modo mentiri volunt, licet quandoque etiam ex hoc mortem eis imminere conspiciant, & promissa ubicunque & quomodocunque facta pro viribus implere student.

Secundo an. Henrici, qui est DN. MCCCXII. Henricus ordinatis in Teuthonia rebus, transivit in Italiam pro corona Imperiali obtinenda, secundum Egghardum. Veronenses autem audientes Henrici Regis adventum, pannis aureis aurifrigiatis & gemmis ornatis, cæterisque vestibus & pellibus variis ac monilibus & coronulis ac sertis, frondibusque & floribus aliisve quibuscunque rebus pretiosis urbem suam in occursum Regis ornantes & decorantes, jocundissime cum tympanis, citharis & tubis clangentibus aliisque instrumentis musicis cantantibus cum magno gaudio quasi quiddam divinum ipsum receperunt. Aliæ vero civitates illius patriæ tam magnæ quam parvæ claves portarum suarum cum muneribus Regi deferentes, ei se subdiderunt, & pecunias in subsidium expensarum ei transmiserunt. Mediolanum autem veniens, honorifice receptus est a Clero & populo civitatis, & per Episcopum Mediolanensem coronatus est aureola regali. Quod cives de Medoëtia (Modoëtia) percipientes, ægre valde tulerunt Regis coronationem secundam Mediolani factam, eo quod illa dignitate privilegio Imperiali dotata sit eorum civitas, quod in nullo alio loco Romanorum Rex secunda corona fulciri debeat quam ibidem. Aquisgrani namque ab Archiepiscopo Coloniensi coronam ferream accipere debet Romanorum Rex in signum, quod irrefragibiliter jura Imperialia defensare tenebitur. In Modoëtia vero secundam coronam argenteam percepturus est ab Episcopo Mediolanensi in significationem, quod Imperialis justitia clara esse debeat & lucida. Romæ quoque tertia corona debet exornari aurea a Summo Pontifice, in signum, quod ad instar auri puri, quod omne excellit metallum, Imperator omnes excellere debeat homines laicales honore, fama, sagacitate scientiæ ac morum nobilitate. Ericus Rex Danorum circa festum Johannis Baptistæ cum Nobilibus suis transfretans, venit prope Rostok civitatem, cives autem Rostoccenses Regem in urbem suam intromittere formidabant propter multitudinem Principum & Nobilium & suorum ibidem congregandam, secundum Chronicam Danorum. Propter quod Rex in campo magno & spatioso Hortus rosarum dicto prope urbem duo fieri fecit palatia grandia pannis sericis circumamicta, & tecta rubeis coopertoris, unum pro se & suis Principibus, reliquum vero pro Woldemaro Marchione Brandeburgensi & cæteris Nobilibus. Cum autem Marchio & omnes cæteri Archiepiscopi, Duces, Comites & Nobiles convenissent, Rex Danorum Ericus venit in cam-

campum cum Banerio suo & Baronibus ac militibus, Archiepiscopo & Episcopis suis, quorum omnium equi operti erant sericis cooperturis. Quibus illic consistentibus affuit Woldemarus Marchio cum grandi multitudine Principum spiritualium & secularium ac Nobilium, qui etiam omnes velatis equis ibidem comparuerunt. Principes autem spirituales, qui aderant, fuerunt hi, Archiepiscopi Magdeburgensis, Bremensis & Lundensis; Episcopi Hildeshemensis, Halberstadensis, Caminensis, Sleswicensis, Brandeburgensis, Lubicensis, Zwerinensis, Razeburgensis, Havelbergensis, Roscildensis, Odanensis & Aboënsis. Duces vero & Comites erant ibi multi ac Nobiles, milites, militares, Proconsules ac Consules diversarum civitatum necnon civium in tanta copia, ut præter equites vulgarium populorum & pedites utriusque sexus innumerabilium, galeatorum ibi VIM. & sexcenti fuisse referantur, secundum Henricum de Hervordia. Rex autem ordinaverat mantellos tot fieri de scarleto nobili vario subfurratos, quot Principes & terrarum Domini militari honore insigniri debebant. Cum ergo omnes parati essent, clangunt buccinæ, resonant trumpeta, & regalis curiæ solennitas inchoatur. Tunc Rex appropinquans cœtui Principum, fecit primo Woldemarum Marchionem militem, & XX. terrarum Dominos ac LXXX. Nobiles. Quibus militari gloria insignitis, misit unicuique pallium vario subfurratum juxta suam decentiam, & torquem aureum majus & minus pretiosum. Alii vero Principes de suis clientibus generosis honoris talis capacibus & aptis ad militiam fecerunt etiam & milites. Qui omnes militaria exercitia inceperunt, & per triduum continuarunt, astantibus ad spectacula illa Nobilibus, mulieribus & virginibus innumeris. Quanta autem solennitas in torneamentis, hastiludiis & choreis, quanta vero pretiositas in conviviis & contuberniis ibi fuerit, lingva humana vix explicare sufficit. Nullus enim ibi privatim ad convivium invitabatur, sed servatis Principum & Nobilium gradibus, omnes communiter splendide in mensis publicis epulabantur. Vinum autem bonum in abundantia apponebatur, de quo quilibet nedum in mensa sed & ante & post, quantum volebat, accipiebat. Ad instar quoque montis cumulum avenæ pro equorum pabulo congesserant, ut singuli, quantum vellent, caperent. Cœlum & natura huic favebant festo. Luna, sol & sidera clarius solito lucentia, terra, pontus & æther, quodlibet per sua ministeria, homines & animalia bruta ac pecora, pisces feræ & id generis (genus) alia festo congaudebant. Dies & noctes clarissimi fuerunt, nullus ventus, nulla tempestas, sed per totum aura quietissima, omnium rerum abundantia, ludorum varietas musicorumque modulata svavitas sensus convivarum demulcebant. Aquila etiam grandis magnarum alarum longo ductu circumvolitabat in aëre supra convivas, sed tandem subito descendens, super papilione Woldemari videntibus cunctis se locavit, & plusquam per integram horam ibidem quiescendo resedit. Sed tota illa solennitas quamvis bonum habuerit principium & medium celebre, quia in ea duo magni Principes pacificati sunt & confœderati, debili tamen fine conclusa est. Nam pro eo quod cives Rostoccenses Regem & Principes recipere recusarunt intra civitatem, totius illius congregationis exercitus in subversionem urbis conspiravit. Henricus Dominus de Mykelenburg sororem Rodolfi Ducis Saxoniæ duxit in uxorem, secundum Chronicam Obotritorum, & solennitatem nuptiarum suarum libenter in Wismaria urbe sua tenuisset, sed cives nolebant ipsum recipere, timentes civitati ex hoc periculum posse exsurgere. Nam talis Principum solennitas rarissime transire percepta est sine notabili perturbatione loci, in quo facta est. Propter quod dictus Dominus Henricus indignatus civitati, Regi Danorum adhæsit contra Rostoccenses, quibus jam Rex pacem interdixerat, & inimicitiam indixerat cum omnibus alia (aliis) in solennitate regia ibidem congregatis, ut & Rex viceversa sibi adhæreret in malum urbis Wismariensis.

Tertio anno Henrici, qui est Domini MCCCXIII. Henricus Dominus de Mykelenburg una cum Woldemaro Marchione partem Regis Danorum foventes contra Rostoccenses, secundum Chronicam Danorum, ex utraque parte fluminis Warnowe castra duo fortia construxerunt, & inter illa duo castra in aqua portum navium, naviculis ibidem submersis plenis saxis ingentibus obstruxerunt. Quod cum factum esset, & Principes ad propria remeassent, cives de Rostok in manu valida exierunt, & castra illa solo æquaverunt. Turrim quoque fortissimam ibidem ædificantes, viam maris denuo aperuerunt invitis omnibus Principibus supra dictis. Cum autem Henricus Romanorum Rex iens versus Romam, Mediolani constitutus esset, secundum Egghardum, Galeacius primogenitus Matthæi de Vice-Comitibus adolescens amabilis, Camerarius erat in domo Philippoldi de Turribus Domini Mediolanensis, utpote juvenis nobilis & consangvineus ejus. Cumque consilium circumventionis, quomodo Regem perderent, in hac domo per Nobiles tractaretur, hic ut Camerarius & juvenis hinc inde discurrens non attendebatur nec vitabatur. Quo factum est, ut totum consilium eorum & tempus & locum & modum, quo Regem perimere statuerunt, complete sciret. Unde mox juvenis patrem suum Matthæum adiit, & omnia percepta & machinata in mortem Regis sibi indicavit. Pater autem Galeacium filium monuit & hortabatur, ut diligentius investigans veritatem facti plene inquireret. Veritate ergo ad plenum comperta, patri iterum denunciavit. Et pater ejus Matthæus periculum moræ formidans, Regi Henrico totam traditionem exposuit, suggerens sibi, quod fidem confidenter in eum poneret, & ipse se de proditoribus suis gloriose vindicare vellet. Rege ergo annuente, Matthæus totum Regis exercitum bene armatum & ad bellum paratissimum clam per vicos & plateas circa Palatium Regis in domibus locavit, dans signum eis,

Digitized by Google

eis, ut quam cito campanam Palatii audirent, mox ipsi erumperent, & omne, quod eis occurreret, occiderent. Consilium autem illorum de Turribus erat, seditionem inter se fingere, & per plateas diffundi, & sic Regem ad sedandam seditionem exeuntem quasi casualiter & per ignorantiam interficere. Tempus ergo statutum ad maleficium impositum perpetrandum affuit, seditio commovetur, armati per vicos & plateas incredibili diffunduntur (multitudine), & usque ad Palatium Regis perveniunt. Quod videns Matthæus, festinavit ad campanam Palatii, & eam pulsavit, Teuthonici cum suis auxiliatoribus de latibulis suis eruperunt, & hinc inde cursitantes, omnes, quos invenerunt in plateis, occiderunt, nulli sexui vel ætati parcentes, & totam urbem trementem in potestatem Regis redegerunt. In hac autem seditione XVM hominum cæsa fuisse referuntur. Philippoldus autem de Turribus intelligens consilium eorum proditum esse, per fugam clam elapsus est, & in Papia, quæ tunc de potestate ejus erat, se recepit. Ad quem alii sicut ad caput domus de Turribus confugerunt. Palatia autem singula ad progeniem illorum de Turribus pertinentia solo æquata sunt. Matthæus vero quanquam senex & nobilis, militiæ tamen gladio non accinctus, per propriam manum Henrici Regis cingitur, Vicaria Mediolani sibi traditur, & ad nutum ejus omnia prudenter disponuntur. Rex autem Mediolani cum magna solennitate corona ferrea decoratus, ibidem hyemabat. Januenses quoque cives cum tota Riparia, similiter & civitates omnes Pedemontanæ præter Brixiam, modo civitatum aliarum Regi se subdiderunt, opes & sumtus ac militiam in auxilia transmittentes. Favebant autem illis de Turribus Brixenses, Papienses & Placentini. Lodowicus filius Lantgravii Hassiæ procurante Ottone Comite de Clivis, secundum Chronicam Saxonum, avunculo suo, in Episcopum Monasteriensem per Papam Clementem est promotus. Ericus Rex Danorum veniens cum multo populo ad os Warnemundæ in classe navali & instrumentis bellicis, turrim, quam Rostoccenses ædificaverant, expugnavit, & inde castrum fortissimum & regale fecit, quatuor alias turres in circuitu primæ turris erigendo, & fossatis profundis & latis muniendo, ponens in prædicto castro multitudinem armatorum cum bumbardis & balistis, ut custodirent ipsum ac defensarent. Quod ut communitas urbis de Rostok percepisset, multum ægre tulit, suspicans, quod de consensu Consulatus sui hoc factum fuisset. Propter quod indignati Consulatum suum invaserunt, & plures de ipsis interfecerunt, cæteris per fugam elapsis. Ex quo quidem facto maxima discordia inter cives orta est, quæ nec in præsentiarum sedata est, sed manet & forte manebit serpens in sua radice a progenie in progenies.

Quarto anno Henrici, qui est Domini MCCCXIIII. Henricus Rex Brixiam urbem sibi rebellem obsedit, non tamen sine sui exercitus gravi detrimento, secundum Henricum de Hervordia. Nam ibidem Germanus suus sagitta percussus interiit, & Veronæ in aquilonari latere chori Fratrum Ordinis Prædicatorum per Regem est sepultus. Inter alios autem multos miles quidem Teuthonicus strenue pugnans capitur, & ventre ejus a collo, usque ad pubes dissecto, viscera ejus canibus & suibus projecta sunt, cor autem hasta transfossum & igni assum, a militibus Brixensium quasi a canibus est devoratum, optantibus, quod similiter cor Regis devorare valerent. Cum autem Rex & urbem & nomen ejus delere satageret, consilio fidelium suorum a furore illo revocatus est, ne forte per hoc civitatibus aliis invidiosus redderetur. Unde obsidionis mense sexto civitatem in deditionem suscepit, muros ejus solotenus evertit, & rebellionis actores (an auctores?) interemit. In Brixia ergo ad libitum suum rebus ordinatis, in Mediolanum regressus est. Cujus Vicariam ex integro Matthæo denuo committens, post mensem progressus est Januam ad hyemandum, ubi Dominus Nicolaus Ostiensis Episcopus & Apostolicæ Sedis Legatus a latere venit ad eum, Imperii Coronam Romæ sibi impositurus. Defuncta autem Januæ Regina consorte sua, multum turbatus ipsam, sicut petierat, in choro Fratrum Ordinis Minorum per Episcopum Ostiensem sepelivit. Aymericus Magister Ordinis Fratrum Prædicatorum XII. absolvitur. Hic secundum Henricum de Hervordia, electus fuerat in generali Capitulo Tholosæ celebrato anno Domini MCCCIII. Erat autem tunc Lector Bononiensis electus in Provincialem Græciæ. Cessit autem Magisterio in generali Capitulo Neapolitano hoc anno celebrato. Woldemarus Dux Sleswicensis obiit, secundum Chronicam Danorum, & gavisus est Rex Ericus, stimulatus odio inveterato, quod ad ipsum habuerat. Gerardus etiam Comes Holtzatorum cœcus factus migravit a seculo, relinquens post se duos filios Gerardum & Johannem. Gerardus autem Præpositus Lubicensis existens & Subdiaconus, usus dispensatione Apostolica, accepit in uxorem relictam Woldemari Ducis de Sleswic defuncti, filiam Nicolai Comitis de Wittenburg. Regina quoque Danorum peperit filiam viro suo Erico Regi, quam relicta Erici Ducis de Lalandia levavit de Sacro Fonte. Quæ sic spiritualiter Regi Erico conjuncta, cogitavit sibi gratum facere servitium & acceptum. Unde præsentavit sibi literas quasdam Nobilium multorum Regni sui sigillatas, quas in cista quadam invenerat post viri sui mortem. In illis literis continebatur quædam conspiratio facta & contracta per Ericum Ducem defunctum virum mulieris illius & per Nobiles Regni in mortem Erici Regis. Quas literas cum Rex perlegisset, mox exercitum misit, & comprehendi fecit dictos conspiratores, de quibus quosdam rotavit, quosdam decapitavit, & plures de Regno expulit, omnibus bonis eorum confiscatis. Ducatum vero Lalandiæ ipse sibi vendicavit, eo quod Dux prolem non reliquisset, & usque in præsentem diem per Regem administratur.

Quinto anno Henrici, qui est Dn. MCCCXV. Rex Henricus de Janua Romam progrediens, a Luca-

Digitized by Google

Lucanis & Pisanis, cum magno honore receptus est, secundum Egghardum. Perveniens autem Romam, non ut putavit, suus adventus Romanis acceptus extitit & gratus, sed bello pulsus, a portis parum recessit, & vires resumens, mox retro actis Romanis, tanta strages civium facta est, ut per plateas humano sangvine rubricatas usque ad S. Petrum Rex prœliando sæviret, intrans per Lateranum. Postea tamen omnibus in concordiam & pacem per Cardinalem Ostiensem revocatis, Rex cum gloria per urbem circumductus est, & redeundo ad S. Petrum per Cardinalem eundem, solenniter est coronatus, & a Romanis Patricius, id est Pater urbis, Imperator & Augustus est appellatus. Clemens Papa Concilium generale celebravit apud Viennam, secundum Wilhelmum, sed Constitutiones in eo editas postea anno Lodowici tertio Regis Romanorum Johannes Papa ejus successor publicavit, ut patebit suo loco. Apud Marsiliam combusti sunt IV. Fratres Ordinis Minorum, secundum Autorem libri Inquisitionis, qui pertinaces fuerunt hæretici. Quos quidem Fratres propter perfidiam suam sic crematos Frater Petrus Johannis hæresiarcha impiissimus ejusdem ordinis, de cujus impietate infra dicetur, prædicavit & asseruit Martyres esse & Sanctos. Et dies interfectionis Fratrum præfatorum hæreticorum secundum eundem Fratrem Petrum censetur celebrandus & venerandus sub solennitate Sanctorum Martyrum. Sed mentita est iniquitas sibi, & ipse cum eisdem Fratribus diaboli martyribus sepultus est in inferno, ubi nulla veneratio aut festivitas, sed blasphemia, maledictio & sempiternus horror inhabitant Henricus Imperator coronatus de Roma rediens, & Pisis veniens, ibidem hyemavit, ubi Robertum Regem Siciliæ, secundum Egghardum, sententia mortis damnavit tanquam rebellem Imperio, traditorem & reum criminis læsæ Majestatis, prout clare deducitur in Clementinis de Sententia & re judicata C. Pastoralis. Eodem tempore Petrus de Marona quondam Papa Cœlestinus V. fuit Avinionis canonizatus, & sub nomine S. Petri Confessoris Catalogo Sanctorum ascriptus. In Vigilia S. Gregorii Papæ combustus fuit Parisius Generalis Magister Ordinis Templariorum, cum quodam alio magno Præceptore ejusdem Ordinis & aliis Fratribus multis. Et sic Ordo ille ex integro desiit esse. Eodem etiam tempore in Swydeniz terræ Polonorum multi sunt combusti hæretici, & similiter in aliis opidis circumjacentibus. Philippus Rex Francorum comburi fecit omnes leprosos Regni sui, secundum Wilhelmum, ex eo quod fontes, rivulos & puteos totius Franciæ & Flandriæ infecerant & venenaverant, ut sic Regnum ex toto corrumperent.

Sexto anno Henrici, qui est DN MCCCXVI. Regina Angliæ venit ad Philippum Regem Franciæ patrem suum, secundum Chronicam Francorum, querulose deponens coram eo contra uxores fratrum suorum Lodowici, Philippi & Karoli, qualiter adulteria exercentes cum tribus militibus Regni sui, scandalizarent & confunderent personam suam & omnium de sua prosapia existentium, & quod hoc facinus jam non occultum, sed vulgatum & publicum esset, & in fabulam hominum jam devenisset. Quod Philippus Rex audiens, consternatus valde imposuit Reginæ, ut, si posset, disponeret tempus & locum observando, ut simul comprehendi possent. Ipsa vero muliebri usa versutia, tandem simul eos comprehendit, & patrem suum superduxit. Quibus simul inventis, Rex fecit quamlibet mulierem in singulari turri includi, & pœnitentia affligi, milites vero fecit Parisius deduci. Quod factum cum fratres Reginæ percepissent, Philippus & Lodowicus uxores suas in turribus illis fecerunt fame cruciari, & tandem eas permiserunt ibidem mori. Karolus vero uxorem suam intime diligens, eam ad se recepit, emendam pro ea patri promittens. Milites autem illos jussit Rex per plateas urbis Parisiensis trahi ligatos ad pedes equorum, & postea rotari. Cum autem traherentur per plateas, diversis pœnis affligebantur & ludibriis. Post hoc in Vigilia Andreæ Rex in venatione existens, cum equo suo cecidit, & cum pede in strepa pendens, per campumque ductus, equo currente & frequenter ipsum calcibus feriente, spiritum tandem efflavit, cui Lodowicus filius suus successit in Regnum.

De Johanne XXII. PP. CCIIII.

Johannes Papa, natione de Cathurco ex patre Paulo, sedit XVIII. & diebus VIII. secundum Martinum. Hic prius dictus Jacobus Archidiaconus Romanæ Ecclesiæ existens, electus est in Lugduno in Conventu Fratrum Ordinis Prædicatorum, & coronatus in Avinione Nonis Septembris in Ecclesia Cathedrali, vir industrius & odiens valde vitium Simoniæ, ac justus & prudens, statura pusillus. Hic Papa literatos promovit, disciplinam triplicis lingvæ Hebraicæ, Græcæ & Latinæ apud Studia generalia vigere instituit, Beneficiorum quoque primos fructus per mortem vel resignationem vacantium sibi reservavit, ex qua cautela innumerabilem thesaurum cumulavit. Grandis pugna commissa est in Valsterbode terræ Scaniæ Regni Daciæ, secundum Chronicam Danorum, inter Danos & mercatores Teuthonicos, & ex utraque parte plures corruerunt. Caristia maxima universum gravavit orbem, juxta Metristam dicentem:

Ut lateat nullum tempus fame, tene cucullum
(vel h. m. Ut lateat nullum tempus famis, ecce CVCVLLVM.)

Si tamen attente inspexeris hoc nomen cucullum, invenies, caristiam præcedenti anno fuisse.

Septimo anno Henrici, qui est Domini MCCCXVII. Clericus quidam Michael vocatus valde familiaris extiterat Papæ Johanni in minoribus promotionibus adhuc constituto, secundum Gesta Romanorum Pontificum, & frequenter sibi promiserat, quod, si ad statum aliquem altum & potentem perveniret, ipsum pro suo posse promovere vellet. Cum vero jam Papa effectus fuisset, & pene Michaëlem ami-

amicum suum antiquum oblivioni tradidisset, ipse Clericus curiam Papæ adiit, videre volens, quid Papa erga ipsum acturus esset. Visitans ergo Palatium, a familia Papæ frequenter expulsus est. Qui videns, se ad præsentiam Papæ non posse pervenire, scripsit in bona litera ad fores Palatii hos versus:

Stat foris ante fores, Michael dicens, quod honores
Immutant mores, sed raro (raro tamen) in meliores.

Quos versus Papa legens, cognovit, hunc suum esse familiarem Michaëlem Clericum, qui versus istos scripsisset. Et vocans ipsum ad se, de bona & pingui promotione sibi providit. Henricus Imperator Florentiam sibi rebellantem cum forti vallavit exercitu, secundum Henricum de Hervordia. Cives ergo tandem fame & inedia victi Regi claves urbis suæ miserunt, & se ei subdiderunt. Obsidione autem soluta, Imperator febre acutissima correptus migravit a mundo, & quia corpus valde plectoricum habuit, idcirco corpus exanime totum denigratum est. Ob quam quidem corporis denigrationem quidam suspicati sunt, ipsum in toxico periisse. Cujus falsæ suspicionis mendosus ille Henricus Comes Flandriæ, quem figura nativitatis suæ nugigerulum & famosum mendaciorum compositorem mundo denunciavit, autor extitit & inventor, dicens, quendam Fratrem Bernhardum Ordinis Prædicatorum prædicti Serenissimi Principis Confessorem, in venenato Dominici Corporis Sacramento per eundem Fratrem sibi porrecto ipsum intoxicasse. Huic (Hujus) etiam impiissimæ impositionis assertores & confirmatores videntur fuisse & esse quidam sceleratissimi irreligiosi & litigiosi Fratres, sanctam quandam religionem professi, sed perfidi facti, in præclarissimum Prædicatorum Ordinem impingere malitiose non verentes, autumant, propter idem venenationis scelus omnibus Prædicatorum Ordinis Fratribus fore injunctum a Papa in pœnam, ut Sacrosanctum Corpus Dominicum de manu sinistra in eorum celebratione suscipere teneantur in perpetuum. Quod quidem dictum mendosum figmentum esse manifeste comprobatur ex hoc, quod indecens, impium & injustum valde ab omnibus ratione utentibus judicaretur, si in probrosam pœnam & infamiæ notam uni toti Ordini injungeretur aliquid observandum jugiter ob delictum unius singularis personæ, & idem tamen alii boni & religiosi viri pro commodosiori & competentiori modo in sui observant Ordinis disciplina. Nam Monachi Cistertiensis Ordinis in suarum missarum celebratione hunc habent communicandi ritum, ut de sinistra manu corpus Domini percipiant, & ab illis Institutores Ordinis Prædicatorum hunc modum tanquam convenientissimum & minus periculosum didicerunt, non primo post dicti Henrici Imperatoris decessum, ut false affirmant detractores, sed in initio plantationis ipsius Ordinis. Prætactum ergo nefas auditu horrendum, dictu execrabile, sed actu sceleratissimum valde impudenter homini imponitur religioso, & præsertim viro tanto & tali, de quo minimum mortalis culpæ malum nunquam est perceptum. Sed illi nimirum cani impudico talia mendacia confingere non est verecundum, qui proprias ignominias non valens celare, perfidiæ suæ evomuit multas doctrinas, & hæreses sparsit in corda simplicium, propter quas cum iniquis deputatus, & ignibus æternis addictus est cum suis confratribus infidelibus & minoribus in fide. Memorati autem Fratris Bernhardi quondam Confessoris Henrici Imperatoris defuncti innocentia & consequenter Ordinis sui, qui in ipsius infamatione secundum opinionem multorum videtur maculatus licet irrationabiliter, per diversorum honorabilium Principum & Prælatorum testimonia clara & patentia probata est & declarata, quorum dictis & scriptis potius fides est accommodanda, quam nugis impiorum de publicis erroribus & perfidiis convictorum. Et si, ut asserunt, Ordo Prædicatorum dici & esse debeat maculatus ob culpam dictæ personæ, si, quod absit, eam perpetrasset, in quantam tunc, quæso, luti profunditatem & stercoris fœditatem religio Ordinis illorum lapsa arbitranda est, qui propter eorum publica scandala, perniciosa schismata & pestifera documenta totius Christianismi infectiva publice tracti sunt, inscalati sunt, suspensi sunt, & ignibus cremati sunt, ut luce clarius videre poterit quilibet, libros Inquisitionum hæreticæ pravitatis perlegere non fastidiens, & ut etiam inferius in suis locis patebit. Personarum autem venerabilium excusatorias literas innocentiam prælibati Fratris Bernhardi tam nequiter infamati evidentissime probantes, ac ipsius laude dignam conversationem & virtuosam magnifice extollentes præsenti Operi oportunum & necessarium fore judicavi inserendas, ut sic ipsas legentibus luculenter innotescat, quam perniciosum mendacium infamatores præfati contra insontem confinxerunt. Primus autem honorabilis & fide dignus excusator, in cujus ore testimonium irrefragabile est & firmum, est Dominus Johannes & Princeps illustris Rex Bohemiæ, filius memorati Imperatoris defuncti, cujus literæ testimonialis tenor sequitur, & est talis. Johannes Dei gratia Bohemorum Rex Lutzeburgensisque Comes, universis præsentes literas inspecturis vel audituris salutem in eo, qui custodit veritatem in seculum, & facit judicium & justitiam omnibus injuriam patientibus. Quia Salvator Noster in hunc mundum venit, ut testimonium perhiberet veritati, & nos secundum modulum nostrum debemus, quantum possumus, ejus sequi vestigia, & maxime quando propter vanitates & insanias falsas veritas calcatur in plateis, ut ex hoc salus populi facilius impediatur (expediatur). Quod quidem maxime contigit ex eo, quod aliqui propriæ salutis immemores, bonam famam illorum diminuere satagunt, qui pro veritate prædicanda mittuntur, ut sint in lucem gentium, & loquendo ac exhortando usque ad ultimum terræ proficiant cuilibet in salutem. Quicunque enim cogi-

cogitant aut procurant infamiam contra Dei nuncios & ministros, procul dubio contra Deum & Dei populum consilium malignantur. De quibus Propheta ait: Supra populum tuum malignaverunt consilium, & Dominus ait in Evangelio: Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis, sive bonum sive malum. Nuper autem retulit coram nobis religiosus vir Frater Petrus de Castro Reynaldi Ordinis Fratrum Prædicatorum, quod in non modicum sui Ordinis dedecus & jacturam factæ sint Romantiæ, Chronicæ & cantilenæ ac muteti, in quibus continetur, quod claræ memoriæ Dominum & genitorem nostrum Imperatorem Henricum Frater quidam dictus Bernhardus de Montepolitiano dicti Ordinis in administratione eucharistiæ Sacræ venenaverit. Propter quod ad sanctæ veritatis defensationem prædictus Frater Petrus literam testimonialem a nobis sibi dari humiliter supplicavit. Nos autem supplicationi ipsius, prout de Deo & justitia tenemur inclinati, notum facimus universis, quod a principio, quando audivimus hos rumores, de prædictis nos & plures amici nostri diligenter, & contra prædictum Fratrem Bernhardum de Monte Poliaco nihil invenimus fide dignum. Idcirco ipsum firmiter credimus, imo dicimus, prædictum facinus nullo modo commisisse, præsertim cum prædictum Dominum nostrum genitorem in sua infirmitate ultima ipse idem Frater Bernhardus diligenti obsequio custodiverit, & deinde publice & pacifice in sua religione & in civitate Aretii inter fideles Imperii commorando, ubi a familiaribus prædicti Domini genitoris nostri ac a nostris faciliter capi potuisset, post mortem ipsius patris nostri longo tempore supervixerit, quod fuit non modicum innocentiæ ejus argumentum. Duæ etiam amitæ nostræ sorores sæpe dicti genitoris nostri habitum Ordinis Prædicatorum post mortem fratris sui susceperunt, quarum una fuit Priorissa in Monasterio dicti Ordinis, & ambæ professæ fuerunt in ipso Ordine, & permanserunt in eo usque ad mortem. Postea Domina Maria nostra germana suscepit habitum memorati Ordinis, tamen antequam profiteretur, inclytæ recordationis Karolus Rex Franciæ in uxorem petiit eam sibi copulari. Et sic facta Regina Franciæ, quamdiu vixit, habuit confessorem de Ordine prædicto, & sicut elegerat, habuit post suam mortem inter Sorores dicti Ordinis suam sepulturam. Et similiter ava (avia) nostra Domina Beatrix mater Domini genitoris nostri, quæ post eum per aliquod tempus supervixit, fecit se inter sorores prædicti Ordinis sepeliri. Nos quoque & carissima consors nostra habemus & habuimus confessores de Ordine sæpe dicto. Unde si nobis & amicis nostris apparuisset, quod aliquis de Fratribus Ordinis illius in Dominum genitorem nostrum tam dolorosum & nefandum flagitium perpetrasset, nunquam voluissemus tot & tantas familiaritates Fratribus dicti Ordinis exhibuisse. Idcirco rogamus universos, ut, sicut docet Apostolus, sint deponentes omne mendacium, & loquatur unusquisque veritatem cum proximo suo, & quod non credant narrationibus ignorantium vel forte malignari volentium, nec Romanciis, Chronicis fidem adhibeant, in quibus contra claram veritatem plurima dinoscuntur contineri. Nam hoc si fieret, esset in detrimentum salutis obloquentium, in exinanitionem famæ innocentis & in præjudicium genitori nostro. Rogamus & quemlibet, qui super hoc a Fratribus prædicti Ordinis fuerit requisitus, ut procuret, in quantum poterit, quod adversarii a prædictis æmulationibus arceantur, ita ut totus Ordo præfatus Fratrum Prædicatorum possit de cætero sine cordis molestia Deo nostro liberius famulari, & populum in viam salutis efficacius dirigere. Quæ ut perpetuæ firmitatis robur obtineant, præsentibus literis nostrum jussimus apponi sigillum. Datum in castro nostro Magduno super Euram sito Bituricensis diœcesis die XVII. mensis Maji anno Domini MCCCXXVI. Secundus venerabilis & veridicus excusator Fratris Bernhardi antedicti est venerabilis Dominus Gwido Episcopus Aretinus, cujus literæ excusatoriæ tenor sequitur, & est talis: Venerabili Patri suo & Domino singulari Domino Nicolao Episcopo Ostiensi Gwido miseratione divina Episcopus Aretinus, cum recommendatione se ipsum ad vota paratum. Noverit vestra reverentia per præsentes, quod post perturbationem, quam fideles Imperii maxime per Italiam receperunt de morte Serenissimi Imperatoris Henrici, in quo spes salutis & pacis omnium nostrum quasi certa & infallibilis quiescebat, alia surrexit ab ipsis fidelibus non utique permittenda oriri, sed omni severitate persequenda, eo quod totius Italiæ redundet in notam, necnon in S. Ordinis Prædicatorum, quem ob Dei & vestram reverentiam præcipue diligo & amplector. Nam cum solus Italicus religiosus vir Frater Bernhardus de Monte Politiano Ordinis memorati eidem Domino Imperatori in camera ministraret, ipsum infamaverunt, quod in sacra hostia, quod auditu horrendum est, præfatum Dominum venenaverit. Ego autem & cæteri fideles Imperii, qui fidem & sinceritatem novimus dicti Fratris, fide certa tenemus, ipsum Fratrem nequaquam tantum facinus admisisse. Nec quisquam sani capitis unquam potest fidem credulam adhibere, quod homo tam prudens & religiosus Sacerdos, de claro genere natus, cum proprio damno sui & Ordinis sui injuria, sui generis dedecore & patriæ infamia, tantum scelus perpetraverit, & illum perimere non formidaverit, a quo honor, vita & salus sua suorumque pendebat. Qui eo vivente in honore etiam Principibus æquabatur, cui cameræ patebant ostia, cui accessus ad Principem sine cujuscunque prohibitione patebat liber. Nunc autem post Domini sui necem necesse habet pro victu & vestitu ex more cum aliis Fratribus mendicare. Non enim tanti sceleris conscius fugit ad Imperatoris inimicos, ut inde proventum recipiat, sed cum amicis & devotis Imperio moram trahit & perseverat, paratus pro sua veritate & sinceritate tuenda, cum spe magna & fiducia parere justitiæ. Et inter

Digitized by Google

ter tales se reputat esse tutum, qui, si ad credulitatem hujus flagitii ex modica circumstantia commoverentur, eum dentibus suis laniarent. Faveat ergo, supplico, vestra prudentia viro insonti, & collaboret ad abolendam maculam tam injustam & perniciosam, ut paternitatis vestræ favore atque industria & patria & ordo ac Fratris persona de tanta infamia liberati, venerandæ dominationi vestræ gratiarum referant actiones. Datum Aretii die XIIII. mensis Septembris. Tertius excusator invictissimus sæpe dicti Fratris Bernhardi est illustris Comes Fredericus Montisfeltri una cum potestate, consilio & communitate civitatis Aretii, cujus excusatoriæ literæ tenor est talis in forma: Venerabili in Christo Patri & Domino, Domino Nicolao Velletrensi Episcopo, eorum Domino & benefactori. Fredericus Comes Montis Feltri, Potestas, Commune & Consilium civitatis Aretii cum recommendatione seipsos. Nuper audivimus, quod in plerisque locis religiosus vir Frater Bernhardus de Monte Politiano Ordinis Fratrum Prædicatorum de morte inclytæ recordationis Henrici olim Romanorum Imperatoris Domini nostri contra veritatem est horribiliter infamatus, & quod ejus occasione tam Ultramontani quam Italici Fratres dicti Ordinis & Religiosos cæteros persecuntur. Verum si nobilitatem generis ipsius Fratris & scientiam, honestatem & fidem, quam ad Dominum nostrum habebat, diligenter attenderent, de dicto Fratre tam horrendum facinus minime excogitarent. Nam vita sua & suorum a Domini nostri vita dependebat, & sua mors ipsum & suos continue cruciat & perturbat. Non enim fuisset religiosus, sed diabolus, qui dilectissimum Dominum nostrum in sui & totius Christianismi perniciem sic occidisset. Vestræ ergo venerandæ paternitati supplicamus, ut Dei intuitu non sinatis dictum Fratrem de tanto scelere infamari. Ipse enim Frater est in civitate nostra Aretii, & severissime puniremus eundem, si ipsum culpabilem aliqualiter putaremus. Scitis enim, quod error, cui non resistitur, approbatur, & veritas opprimitur, cum non defensatur. Datum Aretii die XV. mensis Octobris. Quartus irrefragabilis excusator est totus venerabilis cœtus Capitaneorum Imperii extra Florentiam constitutus, quorum literæ excusatoriæ tenor sequitur, & est talis: Venerabili Patri & Domino, Domino Nicolao de Prato Ostiensi Episcopo Cardinali, Capitanei Imperialis partis, quæ est extra Florentiam, eorumque Concilium, cum debita reverentia se ipsos ad vota paratos. Quanta simus perturbatione attriti, & damnis expositi per mortem serenissimi Domini Nostri Henrici, bonæ memoriæ Romanorum Imperatoris vestræ discretioni relinquimus æstimandum. Et licet in tanto mœrore, quem calamus non sufficeret explicare, simus constituti, tamen veritati occultæ ex multorum maliloquorum pravitate calumniam gravem patienti, quantum possumus, succurrere volumus. Quia ergo vir religiosus Frater Bernhardus de Monte Politiano, meritis suis nobis carissimus, in Ordine Prædicatorum constitutus, instigante veritatis inimico, ab aliquibus invidis & facinorosis de venenatione prædicti Domini nostri Henrici quondam Romanorum Imperatoris malitiose infamatus est, dominationem vestram certificare de ipsa impiissima infamationis hujus promulgatione & dicti Fratris Bernhardi innocenti conversatione cupientes, dicimus in nostris conscientiis, quod dictus Frater in morte prælibati Domini nostri culpam omnino nullam habuit, sed eidem Domino semper devotus extitit & fidelis. Est enim ipse Frater in Aretio paratus pro sua innocentia & veritate experienda omni homini respondere. Et nos suam sinceritatem & fidem semper fulciri tenemur & volumus, ac defensare testimoniis invictæ veritatis. Hoc enim vestra Paternitas clare de nobis, ut arbitramur, præsumit, quod, si eum culpabilem in hoc facinore possemus ex quacunque circumstantia suspicari, eum tanquam nostri nostrorumque destructorem & hostem atrocissime puniremus. Bene semper valeat Dominatio vestra veneranda. Quintus veridicus excusator Fratris Bernhardi sæpe dicti & Ordinis sui est Dominus Wilhelmus titulo S. Cœciliæ Presbyter Cardinalis, cujus literæ excusatoriæ tenor sequitur, & est talis. Venerabili in Christo Patri ac Domino amicoque singulari Domino Petro Mediolanensi Archiepiscopo, Wilhelmus miseratione divina tit. S. Cœciliæ Presbyter Cardinalis, salutem & sinceram in Domino caritatem. Status noster interpellat, & sermone artamur Prophetico oppressis subvenire personis, cogitque nos innocentum infamia ad ipsos compassione commoveri, necnon & Christi doctrina nos obligat studioso conatu ipsam pro posse defendere veritatem. Hinc est Pater Carissime, quod quorundam relatione dolentes didicimus, quosdam malignos homines, Deo permittente ac maligno spiritu, qui viros sanctos frequenter turbare nititur, instigante, in verba prorupisse tam execrabilis infamiæ præclarum Ordinem Prædicatorum, maculantis, quod non sunt veriti dicere, Dominum Henricum VII. Romanorum Imperatorem veneno vitam finivisse, studio cujusdam Fratris Bernhardi dicti Ordinis, in administratione Sacri Corporis Dominici, ipsum venenum sibi porrigentis. Propter quod impiissimum mendacium sic confictum gentes regionis vestræ contra dicti Ordinis Fratres in tantum ira & livore accensi sunt, ut pericula mortis intentare eisdem studeant, & diversis injuriis & contumeliis afficiant tam inhumaniter, quod quasi inclusi stare vel ad loca remota fugere compellantur. Proch pudor! hæc constat antiqui serpentis studia esse venenosa & futuri opera Antichristi conantium mutos facere Præcones & canes divinos, ne latrent contra veritatis inimicos, ut sic ipsis tacentibus ad devorandas oves Domini possint ingredi caulas. Sed quis sanæ mentis æstimare potest aliquem, in Religione tam sancta nutritum pariter & professum

facinus

Digitized by Google

facinus attentasse tantum tamque immane sacrilegium, quod summe horrendum est Christianis auribus commisisse, & potissime in personam, in qua singularis gloria totius Ordinis prædicti pendebat, ac ipsius Fratris, cui malitiose imponitur, suique totius generis & salus & fere vita ab ipsa quasi totaliter dependebat. Certe indiscretum valde esse apparet, fidem adhibere talibus. Inhumanum vero & flagitiosum est persequi ex talibus innocentes. Quapropter, vestram dilectionem, de qua pleno confidimus affectu, quo possumus, deprecamur, quatenus zelo Dei moti ac commissi vobis gregis, sic ad occurrendum huic morbo gravi & ad infundendum vinum & oleum vulneribus Ordinis tam præcipui valde enormiter sauciati, vestram solertem diligentiam applicetis, ut plebs vobis subjecta a tam enormi devio & malignandi studio totaliter revocetur, ut ipsi Fratres valeant secure servire Deo in his, quæ ad officium suum spectant, ac pacifice & quiete vivere inter ipsos. Revera, Pater Carissime, hoc si feceritis, vobis in magnam cedit gloriam, nosque, qui vestri sumus, ad vestra prosequenda beneplacita amplius astringetis. Consideret autem prudentia vestra, si ad hoc, ut expedire putamus, censura sit adhibenda Eccesiastica, in casu, si populus subjectus a Fratrum persecutione injusta non posset commode aliter revocari. Vale semper in Domino. Datum Carpentoratis Pridie Idus Aprilis. His ergo testimoniis veritatis debite & seriose pensatis, lucide patet cuilibet fideli Deum timenti, quod infamatores sceleratissimi sæpe dicti Fratris Bernhardi de Monte Politiano, & ex consequente Ordinis sui sunt maliloqui & mendosi, acuentes, ut gladium linguas suas, & tendentes arcum suum, ut sagittent in occultis immaculatum. Sed procul dubio hi viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos, & Dominus Jesus irridebit & subsannabit illos, perdetque omnes eos, qui locuti sunt mendacium, & dicat omnis populus Christianus & fidelis, fiat, fiat! Ne autem quis putet, præscripta veritatis testimonia a quoquam conficta esse, & in personis prænominatorum testificantium falsse allegata & subdole publicata, sciat quilibet lector præsentium circumspectus, quod omnes supra scriptas literas testimoniales & excusatorias asserit se vidisse sigillatas, & in manibus suis habuisse, ac eas perlegisse Dominus Johannes Episcopus Argentinensis sub testimonio literarum suarum sigillo suo signatarum. Quas quidem literas dicti Domini Johannis Episcopi Argentinensis testatur se vidisse & legisse Dominus Gherardus Dux natus de Monte, Præpositus & Archidiaconus Ecclesiæ Coloniensis litera sua patenti, quæ sigillata habetur a Fratribus Ordinis Prædicatorum Conventus Lubicensis provinciæ Saxoniæ, cujus literæ tenor sequitur, & est talis: Nos Gerardus de Monte, Præpositus & Archidiaconus Ecclesiæ Coloniensis, ac Cancellarius almæ universitatis ejusdem civitatis, universis & singulis, ad præsentia pervenerint, cupimus fore notum, quod vidimus & legimus quasdam literas vetustas, sigillo, vero quondam venerabilis Patris in Christo & Domini Johannis Episcopi Argentinensis piæ memoriæ communitas & roboratas, quarum tenor de verbo ad verbum sequitur, & est talis: Nos Johannes Dei gratia Episcopus Argentinensis. Ad universorum notitiam cupimus pervenire, quod nos vidimus & perlegimus literas diversas missas per fideles Imperii diversos, sub sigillis Dominorum primariorum, tenores, qui consecuntur, continentes. Johannes Dei gratia Bohemorum Rex Lutzelenburgensisque Comes, universis præsentes literas inspecturis, salutem in eo, qui custodit veritatem in seculum, & facit judicium & justitiam omnibus injuriam patientibus. Quia Salvator Noster &c. ut supra habetur. Venerabili in Christo Patri amicoque suo singulari Domino Petro Mediolanensi Episcopo, Wilhelmus miseratione divina tit. S. Cœciliæ Presbyter Cardinalis, salutem & sinceram in Domino caritatem. Status noster interpellat &c. Venerabili Patri suo & Domino speciali, Domino Nicolao Ostiensi Episcopo Cardinali, Gwido miseratione divina Episcopus Aretinus, cum recommendatione se ipsum ad vota paratum. Noverit Vestra Reverentia per præsentes, quod post turbationem &c. Venerabili in Christo Patri & Domino, Domino Nicolao Velletrensi Episcopo, eorum Domino & benefactori, Fredericus Comes Montis feltri, Potestas, Consilium & Commune civitatis Aretii, cum recommendatione se ipsos ad vota paratos. Nuper audivimus, & in plerisque locis &c. Venerabili in Christo Patri & Domino Nicolao de Prato Ostiensi Episcopo Cardinali, Capitanei Imperialis partis, quæ est extra Florentiam, eorumque Concilium cum debita reverentia se ipsos ad vota paratos. Quanta sumus perturbatione attriti &c. In testimonium ergo visionis hujusmodi literarum nos prædictus Johannes Argentinensis Episcopus sigillum nostrum duximus præsentibus apponendum. Datum Argentinæ anno Domini MCCCXIIII. III. Id. Febr. In evidens robur ac testimonium veritatis, quod nos Gherardus de Monte Præpositus, Archidiaconus & Cancellarius supra dictus, dictas literas præfati Domini Episcopi Argentinensis Johannis sigillo munitas vidimus atque legimus, sigillum nostrum duximus præsentibus appendendum. Datum Coloniæ an. Dom. MCCCCVIII. die XIIX. mensis Maji. Præter hæ scripta testimonia germanus sæpe dicti Domini Henrici Imperatoris defuncti Baldewinus dictus Archiepiscopus Treverensis, & quam plures alii Episcopi Italiæ disquisitione diligenti super prædicto negotio habita, vivis suis vocibus literisque sigillis suis roboratis innocentiam sæpe dicti fratris Bernhardi universis ostenderunt, fidele testimonium perhibentes in honoris dictæ personæ & sui Ordinis conservationem.

De Lodowico Rege Romanorum.

Lodowicus Dux Bavoariæ Romanorum Rex cœpit anno Mundi VMCCLXXVIII. Olympiadis

Digitized by Google

piadis DXIII. anno primo, Urbis conditæ IIMLXVII. Domini vero MCCCXVII. & XXXI. annis regnavit, secundum Chronicam Saxonum. Hic in discordia Principum electus est cum Friderico Duce Austriæ, & ideo multarum discordiarum & turbationum auctor extitit & occasio. Nam Petrus Archiepiscopus Moguntinus, Rodolfus Dux Saxoniæ, Wilhelmus Comes Palatinus Rheni & Woldemarus Marchio Brandeburgensis Lodowicum istum elegerunt tempore ad hoc statuto per illum, qui de jure & antiqua Imperii consuetudine potuit, id est per Archiepiscopum Moguntinum, & in loco a multis annis consueto. Post hoc nec loco nec tempore debitis observatis, Archiepiscopi Treverensis & Coloniensis Fredericum Ducem Austriæ elegerunt, & electionem Lodowici refutare curantes, dixerunt, ipsum tantum duas voces habuisse, & sic per hanc electionem nihil juris vel autoritatis acquisivisse. Sane cum Rodolfus Dux Saxoniæ in electione prioris Regis Henrici de Lutzelenburg piæ memoriæ fuerit, & ipsum Henricum in Regem nominaverit, dixerunt nunc, electionem non ad ipsum, sed ad Ducem Saxoniæ inferiorem illum scilicet de Lovenburg pertinere. Woldemarus etiam Marchio de Brandeburg absens eligere nec debuit nec potuit, ut videtur; & dato, quod potuerit, tamen Lodowicum nec corde nec ore, sed circumventus dolo per os alterius nominavit, Fredericum autem & corde & ore proprio Regem desideravit habere, unde & Fredericus voces trium Principum habuit. Electoribus namq; ad electionem convocatis, cum Woldemarus Marchio occasione habita venire vel nollet vel non posset, & tamen Fredericum Ducem Austriæ Regem habere desideraret, instrumentum super hoc solenniter confectum, & sigillo suo majore roboratum transmisit ad locum electionis per fidelem suum militem strenuum Nicolaum de Boek, occulte tamen tradidit eidem sub fide præstita membranas eodem sigillo sigillatas, quibus uti posset, prout volubilis fortuna exigeret, & res currens postularet. Nicolaus autem ut homo cupidus & ambitiosus cogitabat, quatenus per ministerium illud & laborem suum aliquid honoris vel dignitatis consequeretur. Unde videns, quod Fredericus non studio suo, sed per Marchionis instrumentum esset electus, nihil ab eo sperabat se promotionis consecuturum. Ideo sumta occasione ex eo, quod Lodowicus majorem favorem omnium & etiam prosecutionem haberet, & quod loco Marchiæ propinquior esset, ac Marchionem plus lædere posset aut juvare, ad ipsum se convertit, & instrumentum legale, sicut optime scivit, formavit, ac bene formatum de membrana sigillata sibi tradens, se ipsum sibi recommendavit. Elegit ergo Marchio Lodowicum non mente, sed instrumento taliter sophisticato. Lodowicus ergo instrumenta quatuor Principum Electorum producens, puta Archiepiscopi Moguntini, Comitis Palatini, Ducis Saxoniæ & Marchionis de Brandeburg, cum illis omni populo se verum electum Regem esse ostendit. Et sic Lodowicus per Petrum Moguntinum Archiepiscopum, & Fredericus per Henricum Coloniensem Archiepiscopum coronantur. Divisionem autem istorum Principum plurimi tam de mediocribus quam de maximis & eorum potentiam formidantes, & ne Regnum integrum ad unum eorum devolveretur, metuentes, conatu multo diu fovebant, faventes quidam uni & quidam alteri. Fertur autem Johannem Papam hac divisione inter Electos nunc uni nunc alteri scripsisse taliter: Dilecto filio N. Regi Romanorum, & postea Regno ad Lodowicum solum devoluto, manifeste & hostiliter eidem se opposuisse. Sed hic scrupulus per hoc tolli potest, quod prius Lodowicus nihil contra Ecclesiam gesserat, sicut postea pluries fecit, & ideo irrationabiliter factum non est, quod per prius & non postea Papa ipsum Regem scripserit.

Primo anno Lodowici, qui est Domini MCCCXVIII. Woldemarus Marchio de Brandeburg percepit, perperam egisse Nicolaum de Boek militem, secundum Chronicam Saxonum, quem cum instrumento suæ vocis ad electionem Regis Romanorum miserat, in quo Fredericum Ducem Austriæ corde & intentione elegerat, & cui etiam ad cautelam dederat membranam sigillatam, ut si in casu de Frederico prædicto mentio non fieret inter Principes Electores, ea uteretur Nicolaus ad Principum intentionem perficiendam. Propter quod comperta infidelitate sua, Woldemarus Marchio prædictum Nicolaum militem redeuntem in Vincula conjecit, & pomum coram eo, quo libenter vescebatur, poni jussit, cibum autem alium quemcunque sibi dari vetuit sub pœna mortis, turrim quoque, in qua vinctus tenebatur, claudi jussit firmiter & clusum (clausam) signavit. Et sic infidelitatis suæ pœnas digne luens Nicolaus inedia confectus tabuit, & tandem mortuus est. Frater Robertus Ordinis Fratrum Prædicatorum, secundum Henricum de Hervordia, conventus Avinionensis, genere nobilis, futuram prædixit pestilentiam generalem, eo quod spiritu Prophetico clareret. Fueruntque hæc suæ Prophetiæ verba: Locutus est in me Spiritus Domini, dicens: Vade ad illum, qui regit columbam meam, & propera ad cardines terræ, & dic eis: Nisi dimiserint avaritiam & Simoniam, sequetur eis tanta mortalitas, quod rivi sangvinei de sepulcris fluent. Quod quidem postea factum est in Avinione tempore generalis pestilentiæ. Nam novum cimiterium extra Avinionem factum fuit, in quo una die puta in Dominica Lætare fuerunt posita multa millia corporum humanorum ad unum sepulcrum commune. Pluvia ergo magna desuper veniens, corpora illa sic compressit, quod sanguis ex eis in agros instar rivulorum deflueret. Quod quidem non naturaliter, sed miraculose factum est, cum corpus quodlibet exanime careat sangvine saltem fluere valente. Hujus Fratris Roberti liber magnus habetur de Prophetiis suis. Miraculis etiam multis tam in vita quam in morte Frater iste claruit. Cum autem corpus ejus deferretur ad sepul-

Digitized by Google

sepulcrum, feretrum cum corpore divina virtute in tantum levabatur in altum, quod Subdiaconus cum cruce ipsum attingere non valeret, & sic corpus in aëre usque ad sepulcrum deductum est. Lodowicus Rex Franciæ constitutus in urbe Parisiensi, secundum Wilhelmum, mandavit cunctis subditis suis, ut arma arriperent, & secum pergerent contra Flandrenses in prœlium. Ipse enim destruendi voluntatem haberet totam illam terram, in quantum sibi possibile esset, & Deus permitteret. Hoc ergo edictum exivit de Regis mandato in Vigilia Pentecostes, sed Deo aliter ordinante, qui superbis semper resistit, in die S. Trinitatis ipse Rex ab hac luce subtractus est, & Flamingorum populus a tyrannica illa severitate est liberatus. Cujus Regnum adeptus est frater suus Philippus, vir mitis & benignus, eo quod Lodowicus filium non reliquisset nec filiam.

Secundo anno Lodowici, qui est Domini MCCCXIX. Lokoldus Dux Krakoviæ ungitur & coronatur in Regem Polonorum, secundum Egghardum. Ante ista enim tempora Poloni Regem non habuerunt, sed Ducem. Ob cujus gratiæ causam Rex Lokoldus totum Regnum suum tributarium fecit Romanæ Ecclesiæ in perpetuum, ita quod quilibet homo illius Regni solvere tenebatur Romanæ Sedi unum denarium usualem quolibet anno, qui quidem denarius nominatur Sancti Petri hodierna die. Rex Bohemorum Johannes cum exercitu pulcro peregrinatus est in Prutziam, secundum Egghardum, & cum Fratribus de Domo Teuthonica intravit terram Lithuanorum & Sametanorum, ubi simul castrum forte expugnaverunt, & plures in eo nobiles ceperunt, qui omnes sacramentum Baptismi cum magna devotione sibi dari petierunt & acceperunt. Clarissæ Ordinis S. Damiani, nunc autem sub regimine Ordinis Fratrum Minorum constitutæ secundum Chronicam Lubicensem, in novum Monasterium Ribbenitz sunt introductæ, inter quas recepta est Beatrix puella juvenis soror Domini Henrici de Mykelenburg fundatoris dicti Monasterii, quæ postmodum Abbatissa effecta pluribus annis laudabiliter virgines rexit. Johannes Papa Constitutiones Viennensis Concilii, quæ Clementinæ dicuntur, publicavit, secundum Johannem Andreæ, mittens eas universitatibus Avinionensi & Parisiensi, & mandans, ut eis amodo utantur in judiciis & scholis suis. Berengarius Magister Ordinis generalis Prædicatorum XIII. fit Archiepiscopus Compostellanus, secundum Henricum de Hervordia. Hic Magister Ordinis electus fuerat in Capitulo generali Barchinone celebrato anno Domini MCCCXII. erat autem tunc Provincialis Tholosanus. Hunc Magistrum miserat in Franciam legatum suum Papa Johannes, & propter hoc non fuit præsens in Capitulo supra dicto. Matthæus de Vicecomitibus Dominus Mediolanensis simul pro uno & eodem tempore quatuor exercitus potentissimos & regaliter ordinatos eduxit, secundum Henricum de Hervordia, cum quorum primo castrum Cremam, cum secundum urbem Alexandrinam, & cum tertio Januam civitatem obsedit, quartum secum Mediolani retinens ad reprimendos incursus, qui fortasse sibi accidere potuissent. Ex ordinatione vero illorum de Turribus Papa Johannes IIIIM. galeatorum & aliorum armatorum copiosam multitudinem misit in Lombardiam contra prædictum Matthæum, præficiens ei Philippum filium Karoli Comitis de Valerio fratris Philippi Pulcri. Quærebat autem Papa Johannes sic vindicare Domum de Turribus, æstimans, obsidiones supra dictas in continenti debere dissolvi propter Philippi adventum. Matthæus autem advertens intentionem Papæ, mandavit per nuncios existentibus in obsidionibus, ut nullo modo de loco recederent. Ipse enim cum Galeacio filio suo & militia, quam secum habebat, mansit ad excipiendum hostes sibi superventuros. Exercitum ergo, quem secum Mediolani habebat, in duas divisit partes, & parte validiore secum retenta, Galeacium primogenitum suum cum armatorum pulcra multitudine contra Philippum misit. Galeacius autem sagax existens cautuloseque agens, Papales illos omnes nihil talium opinantes, nec occursum inimicorum formidantes, sed spolia Lombardorum jam inter se mente votoque dividentes, exercitu suo subito & improvise cinxit, & quasi muro validissimo conclusit, in stuporemque & desipientiam vertit, ut jam non plane videre possent, quid in tam arduo casu acturi essent. Philippus ergo signum pacis erexit, & pacificum se exhibuit, Galeacius vero pacem acceptavit, exercitibus penitus immotis. Inclyti ergo Duces illi duorum tantorum exercituum ambo solertes & strenui Philippus & Galeacius in medio exercituum convenerunt ad colloquium familiare, & post pauca fide, pace & securitate datis reciproce & accepta pactione grandissima, jurejurando firmissime quilibet alteri pollicitus est, quod nec domus Franciæ domum Vicecomitum, nec e converso, quamdiu Philippus & Galeacius in humanis existerent, unquam in aliquo lædere aut offendere debeat vel quomodolibet molestare, sed quælibet domus aliam prosequi pariter & tueri pro viribus & fideliter defensare, arris pacis & muneribus pretiosis invicem sibi datis. Et sic pax & securitas ex utraque parte publice proclamatur. Gallici ergo per Galeacium exercitum ejus in solennitate multa cum tubis & instrumentis musicis bellorum ad Alpes usque perducuntur, & exinde in pace amicabiliter dimittuntur. Quibus abactis, Galeacius ad patrem Mediolanum regressus est. Pater autem de concordia & amicitia domus Franciæ, quam solam æstimaverat, & de filii sui sagacitate valde lætatus, Galeacium in obsidionem misit. Quo veniente, obsessi timore fracti, viribus & mente dejecti sunt. Unde castrum Crema expugnatum est & captum, & præda missa est Mediolanum. Postea urbs Alexandrina viribus & vulneribus multa obtenta est, & ad libitum Galeacii disposita. Ultimo tandem Nobilibus urbis Januensis, propter quorum discordiam sedandam Matthæus

eam obsederat, in concordiam; & pacem per eum revocatis, civitatem ipsam in deditionem accepit. Ericus Rex Danorum litem habens cum Woldemaro Marchione de Brandeburg, secundum Chronicam Danorum, traxit in partem suam Dominum Henricum de Mykelenburg, Ericum Ducem Saxoniæ de Lovenburg, Wirtizlaum Dominum Rugianorum, Gerardum & Johannem Comites Holtzatorum, Henricum Comitem de Swerin & civitatem Gripeswaldensem. Woldemarus vero Marchio habuit adjutores Dominos Ottonem Ducem de Stetin, Wirtizlaum fratrem Ottonis Ducem de Wolgast, & civitates Sundensem & Rostoccensem. Lubicenses vero & Wismarienses nulli in adjutorium venerunt, licet rogarentur ab utraque parte. Rex autem Ericus protunc tutor erat urbis Lubicanæ ab ea electus, sed Marchio erat tutor datus ab Imperatore, & ideo nullam partem offendere volebant. Quod utiq; fecissent, si uni vel alteri parti adhæsissent. Sed hæc controversia cito post sopita est per mortem Marchionis prædicti pariter & Regis. Kanutus cognomento Pors Dux Hallandiæ Regni Danorum, secundum Chronicam eorundem, diem clausit extremum, post se relinquens duos filios Haquinum & Kanutum natos de Ingelburge filia Haquini Regis Sweorum.

Tertio an. Lodowici, qui est Dn MCCCXX. Borchardus Episcopus Lubicensis defunctus est in opido Utinensi, secundum Chronicam Lubicensem, & successit eidem in sedem Dominus Henricus. Tholosanam Ecclesiam Papa Johannes promovit de Episcopali in Archiepiscopalem Cathedram, Ordinem vero Grandimontensium innovavit, elapsis ab exordio ejusdem CCXXXVIII. annis. Canonizavit quoque pro eodem tempore S. Lodowicum Fratrem Ordinis Minorum, filium Karoli Regis Siciliæ & Mariæ filiæ Regis Ungariæ; ipse vero Lodowicus factus fuerat Episcopus Tholosanus ante promotionem ejusdem Ecclesiæ in Archiepiscopatum. Erveus Brito natus, secundum Henricum de Hervordia, solennis Magister in Theologia, electus est in generalem Magistrum Ordinis Prædicatorum XIIII. in Capitulo generali celebrato in Lugduno. Adolfus Comes Holtzatorum interfectus est in castro Sigiberg dormiens in lecto cum uxore sua, secundum Chronicam Lubicensem, filia Domini de Mykelenburg, & sic Gerardus & Johannes Comites soli dominari cœperunt. Eodem anno prædictus Johannes Comes Holtzatorum captus est in castro suo Bramhorst, & ductus in opidum Kilense, ibidem in propria curia sua tentus est captivus, quousque occulte liberatus est ab amicis suis, & ductus in urbem Lubicensem, ubi per annum moram faciens, reductus est tandem per Lubicenses in idem opidum Kilense, & ibidem mansit ad tempora vitæ suæ. Hic magnificus Comes Johannes in parvo tempore multa passus est gravamina & turbationes. Nam sedens in mensa in opido Kilensi, fatuus suus Marquardus a quodam juvene trufatus, volens percutere dictum puerum se vexantem quodam osse, percussit Comitem in uno oculo, & ipsum excussit. Eodem tempore Christoferus filius suus quodam mane vadens ad opus naturæ a quibusdam de fenestra castri Kilensis projectus est in fossatum profundum, & interfectus est. Non diu post Adolfus filius suus secundogenitus, ut supra tactum est, interfectus est in castro Sigiberge, & ipse captivatus dies suos in mœrore terminavit. Pisani cum adjutorio Teuthonicorum, quos conduxerant, exeuntes in fortitudine magna, secundum Egghardum, potentem illam civitatem Luka expugnarunt, & ipsam spoliantes, multos Nobiles & divites in ea ceperunt, qui magnis pecuniæ summis se postea redemerunt. Gerardus Comes Holtzatorum filius Gerardi Cœci, timens circa ipsum fieri, sicut actum fuit erga patruum suum Adolfum filium Johannis, qui occisus fuit in lecto, venit in urbem Lubicensem cum consorte sua & familia propter securitatem vitæ, & morabatur ibidem. Cujus formidinem advertens Ericus Rex Danorum, practicavit per nuncios apud ipsum, quod Comitatum cum omni jure & pertinentiis suis resignavit pro pecunia competenti Johanni fratri suo juveni Comiti Holtzatorum. Ipse vero in civitate Lubicensi permansit ad tempora vitæ suæ, non diu tamen post defunctus ibidem, reliquit post se Gherardum filium suum.

Quarto anno Lodowici, qui est Dn. MCCCXXI. Woldemarus Marchio Brandeburgensis acutissima febre correptus, & diebus IX. cum magno planctu custoditus, & nullo herede relicto, defunctus est, secundum Chronicam Obotritorum, & pretiosis aromatibus conditus cum fastu magno sepultus est. Et licet jam nullus heres in Principatu illo relinqueretur, in brevi tamen tempore antecedenter, ut in Chronicis Principum de Brandeburg legitur, XIX. Marchiones simul vixerant, gloria, divitiis & potentia cunctos Teuthoniæ Principes antecedentes. Lodowicus ergo Rex Romanorum in Nuewenburg conventu solenni vocato, filio suo Lodowico Principatum Brandeburgensem regali potestate solenniter tradidit, a se & posteris suis perpetuis temporibus possidendum, quem usque ad ann. Dn. MCCCXLVIII. quiete possedit. Et tunc patre mortuo conspiratione Marcomannorum cum circumsedentibus Dominis per Rodolfum Ducem Saxoniæ procurata, fere totum Principatum amisit, parva sibi parte ultra Oderam remanente, ut infra patebit. Ericus Rex Danorum debitum universæ carnis exsolvit, secundum Chronicam Danorum. Cum autem moriturum se cerneret, convocari fecit Nobiles & Proceres Regni, suadens & mandans sub periculo exterminii sui & terræ destructione, ne aliquo modo Christoferum fratrem suum in Regem erigerent, quem ipse de Regno expulerat causa facinorum suorum. Rege ergo defuncto, Dani valde erant perplexi, hæsitantes, quem in Regem essent electuri. Teuthonici enim in Regno existentes libenter habuissent Ericum Ducem de Sleswic, & illis Nobiles de Iutia consentiebant. Sed his

Digitized by Google

his opposuit se Johannes Comes Holtzatorum introducens Christoferum fratrem Regis defuncti in Regnum cum multa potentia, qui tandem Rex electus est. Maxima inundatio aquarum ascendit in partibus stagnalibus, secundum Chronicam Obotritorum. Nam in urbe Lubicana flumen Trabena cooperuit pontem illum altum, per quem de civitate itur in terram Holtzatorum, & dejecit ipsum in magna parte. Multi etiam homines & jumenta innumera perierunt in domibus & stratis prope Trabenam situatis, & bona mercatorum plura in casis & cellariis sunt exinanita. Comes Holtzatorum Johannes venit cum suis Nobilibus in festo Thomæ Apostoli in villam Zusele, secundum Chronicam Lubicensem, ubi in occursum ejus venerunt quidam de Consulatu urbis Lubicensis missi ad habenda colloquia cum eo; & conclusum est ibidem per Comitem & Nobiles suos pro Lubicensibus, quod obtinere debeant in perpetuum Travenemunde cum communi deductu per aquam Trabenæ, qui vulgariter Veer nuncupatur, & alium consimilem transitum navalem, qui quondam Boni viri domus nominabatur, inter urbem Lubicanam & Heringwik positum; & quod etiam turrim, quam Woldemarus Rex Canorum ibidem construxerat, destruere possent ad libitum eorum. Insuper dedit Comes Johannes civitati prædictæ privilegium, quod in futurum nulli licere deberet ædificare castrum vel munitionem quamcunque prope Trabenam sine consensu & requisitione Consulatus Lubicensis. Pro omnibus his libertatibus & bonis dedit Comiti Johanni civitas præfata IIIIM. marcarum Lubicensis monetæ, Gerardus Comes Holtzatorum discordavit cum Erico Duce de Lovenburg, & construxit castrum quoddam parvum juxta opidum suum Molne contra voluntatem Erici & fratris Johannis, cujus filiam tamen habebat, secundum Chronicam Lubicensem, & ex illo castro multa sibi intulit damna, & compulit ipsum ad hoc, ut Alberto filio Ducis Johannis Swageri sui, quem defraudaverat in divisione terrarum, resignaret quatuor parochias Ducatus sui in recompensam fraudis. Quo expedito, defunctus est Johannes Dux Saxoniæ frater Erici, & uxor ejus, quæ fuit soror Gherardi Comitis Holtzatorum, rexit terram viri sui defuncti cum filio suo Alberto, quousque dicta Ducis relicta nuberet Erico Regi Danorum. Henricus Dominus de Mikelenburg, secundum Chronicam Obotritorum, exercitum educens contra Johannem Dominum de Slavia, convenerunt simul prope novum Brandeburg opidum, & Dominus Slavorum Johannes captus est ex sua parte, ex alia vero parte captus est per Slavos Henricus Comes de Swerin. Et cum Dominus de Mykelenburg victoriam obtinuisset, militem pro milite commutans & Nobilem pro Nobili, resignavit liberum dominum Johannem de Slavia pro redemtione Henrici Comitis de Swerin, & sic bellum inter eos sopitum est. Wirtizlaus Dominus Rugianorum classem navalem colligens, replevit eam multitudine magna populi, secundum Chronicam Danorum, vocavitque in suum adjutorium Christoferum Regem Danorum cum Saxonibus, Holtzatis, Sturmaris & Slavis. Rex autem Danorum secum ducens Woldemarum Ducem de Sleswic & Kanutum Ducem Hallandiæ intravit mare cum suis. Ericus vero Dux de Lovenburg in suo habens exercitu Albertum Ducem Saxoniæ juvenem & Guntzelinum Comitem de Wittenburg, venit cum eis ad locum præfixum prope Stralesunt urbem, ubi tentoria sua figens juxta arbusta Heyneholt vulgariter dicta, præstolatus est ibidem Danorum Regis adventum. Wirtizlaus autem Rugianorum Dominus intelligens, Ericum Ducem cum aliis sui exercitus Principibus advenisse, junxit se sibi cum suis. Henricus vero Dominus de Mykelenburg, adductis secum Comitibus Gherardo & Johanne Holtzatorum, Henrico de Swerin, Adolfo de Schowenburg & Domino Johanne Slavorum, venit via terrestri, ut auxilio fieret Wirtizlao Rugianorum Principi contra Sundensium cives. Otto quoque Dux Stetinensis cum Lodowico Marchione ex alia parte veniens in manu valida, Guntherum Comitem de Rupin sibi adunaverat. Cives ergo Sundenses audientes, Ericum Ducem cum grandi exercitu prope silvam prædictam consistere, & cæteros Principes terra marique adventuros prævenisse, statim ad amicos suos circumquaque nuncios miserunt, subsidium eorum implorantes, & sine mora venit eis auxilium de urbibus prope jacentibus adhuc ante solis ortum. Facto ergo mane, egressi sunt cives unanimiter cum eis, qui in subsidium ipsis advenerant, & magnam spem habentes in Domino, bellum cum Erico Duce & suis commiserunt, & victoria a cœlo potiti, ceperunt dictum Ericum Ducem cum omnibus Principibus & Nobilibus, qui cum eo advenerant. Wirtizlaus vero Dominus Rugianorum ad naves convolans, cum paucis elapsus est. Tunc cives Deum glorificantes, Duces & captivos cæteros cum inæstimabili gaudio in urbem introduxerunt. Quod factum Christoferus Rex Danorum percipiens, urbi navibus innumeris applicuit, & eam via maris obsedit. Henricus vero de Mykelenburg cum Holtzatis, Sturmaris & Slavis adveniens via terrestri, plagam urbis illam, qua venerat, occupavit obsidione dura. Similiter & Marchio cum adductis suis Principibus exercitu forti eandem vallavit urbem, & infatigabiliter eam impugnare cœpit. Cumque diutius terra marique diversis instrumentis bellicis oppugnando civitatem laborassent, nec eam expugnare aut capere possent, eo quod cives ad intra unanimes existentes viriliter hostibus resisterent, & in victualibus ac armis superabundarent pariter & viris animosis & bellicosis, soluta est tandem classis illa in mari, & exercitus Principum & Dominorum, qui per terras venerant, similiter reversi sunt ad ædes proprias, de suis plures relinquentes occisos, & multo plures sancios reducentes. Principes vero captivi apud cives remanserunt, donec magna pecuniæ

Digitized by Google

cuniæ summa suorum amicorum decreto taxata se redimerent.

Quinto anno Lodowici, qui est Domini M CCC XXII. Johannes Papa novum Ordinem dictum de Militia Christi in Regno Portugalliæ instituit, secundum Egghardum, ipsum fine eo fundans, ut bellando fidem defendant, & infideles evellant, juxta regulam & institutionem Ordinis Talatranensis; & sunt de obedientia Abbatis Monasterii de Alta Hassia Cistertiensis Ordinis. Reynoldus Comes Gelriæ per filium suum Reynoldum de consilio Comitissæ & Procerum terræ captivatur, secundum Wilhelmum, & usque ad obitum suum, sed cum multa decentia & humanitate, militum famulatu & ministerio ac omnium, quæ postulasset, exhibitione studiose custoditur in captivitate propter prodigalitatem suam. Timuit enim filius, quod exinanito Comitatu per nimis largas donationes patris, ipse tandem exhæreditaretur. Quod verisimiliter factum fuisset, nisi filius prædictus malum hoc prudenter præcavisset. Henricus Dominus de Mykelenburg bellare cœpit cum Marchione Lodowico de Brandeburg; & prœlium pariter (commiserunt) prope opidum Gransoye, ubi Marchio capiebatur, sed mox liberatus est virtute suorum viriliter dimicantium, amisit tamen de suo exercitu Comites de Regensteen & Mansvelt. Ipse vero Lodowicus de adverso exercitu cepit Johannem Comitem Holtzatorum & plures milites, cessit tamen victoria Domino Henrico de Mykelenburg. Marchio autem tenuit Johannem captivum per triennium, & tunc redemtus fuit eo pacto, ut duceret in uxorem Catharinam relictam Johannis Marchionis de Brandeburg. Berengarius Rex Sweorum existens in castro Nycopinghe, secundum Chronicam Danorum, vocavit duos fratres suos causa solatii, ut per festum Nativitatis Christi secum lætarentur, & gaudenter peragerent festivum morem patriæ Juel vulgariter dictum, sed totum in dolo. Cujus fraudis ignari Ericus & Woldemarus venerunt, prout frater eorum Rex desiderabat. Cumque in prima cœna securi & læti, ut putabant, recumberent, nihil mali suspicantes, subito tolluntur de mensa, & turris custodiæ inhumaniter valde mancipantur, & in tanta parcitate panis & aqua eis ministrabatur, ut ante XII. dies fame perirent. Quod horrendum flagitium cum Proceres Regni sui percepissent, Regem cum Regina a Regno projicientes, omnes conscios facti morte turpissima peremerunt. Filium vero Regis, qui jam in Regem coronatus fuerat, Magnum nomine in castro Stekeburg obsederunt, & capto castro, juvenem Regem accipientes, missam coram eo fieri fecerunt, & ut confiteretur, ac Sacramentum Eucharistiæ reciperet, exhortantes, ad ultimum capite truncarunt. Quo facto, Erici Ducis a Rege occisi filium nomine Magnum adhuc quinquennem in Regem Sweorum coronaverunt. Qui juvenis cum adolevisset, factus est duorum Regnorum Sweciæ scilicet & Norwegiæ Rex. Reynerus Comes Gelriæ filius Reynoldi captivi Alienoram filiam Regis Angliæ duxit in uxorem, de qua duos genuit filios Reynoldum & Edwardum. Hic Reynoldus Comes debilis erat capitis sicut & pater suus, quam quidem infirmitatem, secundum quosdam, a natura habuerat, similiter & omnes Comites Gelriæ, ut frequenter in senectute debilitarentur in capite. Philippus Rex Francorum obiit Parisius, secundum Wilhelmum, & Karolus frater suus ei successit in Regnum. Qui accepit in uxorem Mariam filiam Henrici VII. Imperatoris & sororem Johannis Regis Bohemiæ, quam traxit de Monasterio Ordinis Prædicatorum, nondum tamen professam. & factæ sunt nuptiæ solennes Parisius, ubi præsens erat dictus Johannes Rex Bohemorum frater suus. In Vigilia Nativitatis Virginis Gloriosæ, secundum Chronicam Lubicensem, Gerardus & Johannes Comites Holtzatorum cum omnibus, quos de terra propria, de Saxonia, de Westphalia & Mykelenburgensi Principatu habere poterant, intraverunt Dithmarsiam, & gladiis ac flammis magnam terræ partem demoliti sunt. Cumque de terra cum triumpho & maxima præda exire disponerent, nec possent latam viam exeundo tenere, quia vel forte non habebant, vel præ magnitudine prædæ non poterant, per strictum meatum denso nemore vallatum dictum vulgariter Hamme exire tentabant. Quos Dithmarsi prævenientes, & hinc inde in nemore latitantes, subito eos cum clamore invaserunt, & cum prolixis & gracilibus lanceis de nemore equos hostium perforantes, ac sagittis eos vulnerantes, plurimos equos cadere fecerunt. Posteriores vero pericula a tergo imminere conspicientes, anteriores, ut festinarent egredi, stimulaverunt, nec cogitantes de defensione, sed solum soliciti pro evasione, absque repulsu omnes pariter peremti a Dithmarsis perierunt. Occubuerunt autem ibidem Comites plures, puta de Wunstorp, de Gutzekowe & ambo Holtzatorum Johannes & Gerardus, ac plures milites & militares de Saxonia, Westphalia, de Mykelenburg & Slavia. Comitibus autem Holtzatorum successit Johannes filius Gerardi interfecti in bello præmisso. De Dithmarsis vero occisi sunt in terra eorum & nunc in vado Hamme circiter mille & sexcenti, sed de Holtzatorum exercitu pene duo milia perierunt. Hamme opidum terræ Comitis de Marka combustum est igne hostili, secundum Chronicam Saxonum. Eodem anno obiit Everhardus Comes de Marka, & in Vrendenberg sepultus est. Rex Danorum Christoferus concordiam iniit cum Henrico Domino de Mikelenburg, secundum Chronicam Obotritorum, propter damna, quæ Regnum pertulerat in briga quondam habita inter civitates Rostoccensem & Wismariensem ex una parte, & Dominum de Mykelenburg ex altera. Et tunc Rex concessit Domino Henrico de Mykelenburg & successoribus urbem Rostoccensem jure hæreditario in perpetuum possidendam. Qua concordia firmata, Rex cum amicis suis & exercitu pulcro venit per Trabenam flumen navigio, & posuit ten-

Digitized by Google

tentoria sua in loco, ubi castrum quondam erat Densscheburg dictum, ut ibidem præstolaretur adventum Lodowici Regis Romanorum, prout sibi per nuncium intimaverat. Proposuerat enim tradere filiam suam Lodowico Marchioni de Brandeburg filio Lodowici dicti Regis Romanorum, sed eo non veniente, sicut promiserat, Christoferus ad propria reversus est.

Sexto anno Lodowici, qui est Domini MCCCXXIII. Johannes Papa Constitutionem Nicolai Quarti Papæ, qui Frater fuerat Ordinis Minorum, quæ incipit Exiit, qui seminat, suspendit, prohibens sub sententia excommunicationis, ut nullus eam disputare aut glossare præsumat. Continet enim expositionem Regulæ Fratrum Minorum. Hanc autem Constitutionem Papa Johannes suspendit usque ad Sedis Apostolicæ beneplacitum, & ad hoc movebatur diversis rationibus, tum primo, quia argumentis & collationibus frequenter latens veritas aperitur, tum quia sub eadem litera latet frequenter multiplex intellectus, tum quia difficile fuit volentibus Constitutionem prædictam perfecte legere & intelligere, pœnas adjectas in ipsa Constitutione vitare, tum etiam quia de novo suborta erant quædam dubia, circa quæ veritas periclitari potuisset, & erroribus via dari. Et de omnibus his publicavit Johannes Constitutionem Papalem quæ incipit Quia nonnunquam. S. Thomas lumen Ecclesiæ universalis gloriosum, Ordinis Prædicatorum, Avinionis in Ecclesia majori canonizatur XV. KL. Augusti, & SS. Confessorum Catalogo ascribitur anno L. a transitu suo de hoc mundo. Hic vir sanctus, secundum Henricum de Hervordia, adhuc puer existens, Ordinem Fratrum Prædicatorum ignorantibus parentibus suis generosis ingressus, a fratribus suis carnalibus inde violenter extrahitur, & turris custodiæ per biennium mancipatur. Erat enim filius nobilis Comitis de Aquino in confinibus Campaniæ commorantis. Puella autem speciosa post plura alia certamina a puero viriliter peracta ad subvertendum animum ejus in turrim per fratres suos carnales introducitur, sed ipsa per titionem ardentem de habitaculo effugatur. Quo facto, juvenis in orationem mox prosternitur, humiliter a Deo petens sibi dari perpetuæ continentiæ castitatem. Mirum in modum. Ecce duo Angeli mox affuerunt, dicentes, ipsum a Deo fore clementius exauditum. Qui etiam circa renes ipsum stringentes & cingentes dixerunt: Ex parte Dei cingimus te cingulo castitatis, qui (quod) nunquam dissolvetur. Cujus muneris tam efficax fuit gratia, ut extunc nullo libidinis stimulo vexaretur. Tandem matre permittente, ad Ordinem reducitur, studio non segniter intendit, ut apis argumentosa spiritualia doctrinarum colligit, quæ postea in salutem multorum abunde effundat. Fratre autem Alberto Magno Coloniæ Studium regente, Thomas studens ingeniosus illuc mittitur. Qui speculum munditiæ, pudoris, humilitatis, devotionis & solidæ religionis existens, cum esset taciturnus & studiosissimus & in omnibus Deo devotus, Magistro percarus fit & familiaris. Chorus die noctuque ab eo frequentatur, refectorium & alia communia loca plurimum dilexit, & nihil eorum fastidivit. Quadam autem vice vadens ad chorum, cellam claudere neglexit. Magister casu pertransiit, cellam intravit, reportata & conscripta per Thomam de lectionibus & disputationibus auditis, ac subtilius multum emendata miratus notavit. Cuidam quoque bovem mutum Fratrem Thomam nominanti dixit: Dico tibi Frater, quod tempus veniet, in quo mugitum bovis istius totus admirabitur mundus. Hic bonæ indolis juvenis contemplationis & devotionis tanto replebatur gaudio, ut pluries, dum ad orandum totum spiritum suum collegisset, visus est quasi duobus cubitis elevatus a terra, nulli prorsus innixus corporeo fulcimento. Unde & circa finem vitæ suæ apud Neapolim in Ecclesia Fratrum orans, taliter visus est pendere in aëre, & tunc ab imagine crucifixi, ad quam versus orabat, hæc vox audita est: Bene scripsisti de me Thoma: quam ergo recipies de labore tuo mercedem? Et Thomas: Domine, non cupio aliam quam te ipsum. Quotiens autem Doctor Sanctus legere, dictare aut scribere voluit, prius orationi se dedit, & sic mox semper invenit, quod quæsivit, quasi ab aliquo didicisset. Unde per se fassus dixit, scientiam suam magis oratione se divinitus impetrasse, quam studio aut ingenio humano didicisse. Quadam etiam nocte Petrus & Paulus Apostoli de textu quodam dubio, cum super Esaiam scriberet, plenius ipsum informarunt. Cum autem S. Doctor ad Dominum migraret, non defuerunt signa miranda, quæ S. viri indicarent felicitatis æternæ ingressum. Stella namque & cometes, quæ decumbente S. Thoma super Monasterium Fossæ novæ Monachorum Cistertiensis Ordinis claritate mirabili apparuit, cum ipso sanctissimo viro disparebat. Obiit autem venerandissimus hic Doctor in via eundi ad Lugdunense Concilium, ad quod per Papam vocatus fuerat, in Monasterio supra dicto Fossæ novæ Anno DN. MCCLXXIIII. & sepultus est ibidem. Nec poterat Ordo suus Fratrum Prædicatorum corpus suum sanctissimum recuperare a Monachis dicti Monasterii propter verba dicti Doctoris, quæ in primo introitu suo ad ipsum Monasterium, infirmari incipiens, dixerat, puta: Hæc requies mea in seculum seculi: hic habitabo, quoniam elegi eam. Quæ verba ita glossabant, quasi Doctoris sancti intentio fuisset, apud eos velle in perpetuum manere. Sed aliam expositionem habere verba propheticæ locutionis, ostendit ordinatio divina, quæ corpus ipsum anno DN. MCCCXLIX. Ordini Prædicatorum restituit, in quo anno prophetia prædicta complementum habuisse ostenditur divinitus. Per seculum enim annus jubilæus quinquaginta annos continens intelligitur, & per medium seculi medius signatur jubilæus annus XXV. annos includens. Et sic a tempore obitus sui usque ad tempus illud, in quo Ordo Prædicatorum sacratissimum Doctoris corpus rehabere meruit, fluxerunt LXXV. anni, qui faciunt totum seculum & medium seculi,

Digitized by Google

culi, per quot annos Doctor sanctus se prædixerat apud Monasterium Fossæ novæ moraturum. Quibus expletis, divina dispensatione mediante, redierunt ossa Joseph ad fratres suos. Nam illo in tempore quidam in castro Biperni potentia fretus, cui ad fovendas inimicitias, quas gerebat, propriæ non suppetebant facultates, & ideo cogitabat ex raptu sacri corporis ipsum vel profanæ venditioni exponendo, vel impignorando sacrilegas sibi acervare divitias. Cogitavit quidem, sed non perfecit, quia nescit divina justitia subsidium præstare facinori, nec de Sanctorum Reliquiis sangvineas nutrire reliquias. Non latuit autem tam sæva profanitas virum inclytum Honoratum nomine Fundorum Comitem. Hic cogitamina scelerati hominis præveniens, astante ipsius Monasterii Abbate cum venerabili Leonardo Fundensi Episcopo, corpus sacrum mirabili fragrantia redolens, ubi jacebat, assumsit, & in civitate Fundorum, cujus ipse Dominus erat, in proprio Palatio collocavit, tam pretiosum thesaurum sub diligenti custodia ab incursu raptorum servaturus. Non defuit autem interim divinæ virtutis ostensio nec S. Doctoris evidens manifestatio. Nobilibus siquidem matronis Jacobæ inclitæ Comitissæ Fundorum & devotissimæ matri ejusdem Episcopi Fundensis juxta thecam sacri corporis vigilantibus, & mutuo cum hæsitatione quadam conferentibus, an, quod ibi ab eis venerabatur, S. Thomæ de Aquino verum corpus existeret, præfatus Doctor, easdem clara visione certificans, & velut ex theca progrediens, ac huc illucque perambulans, se patenter ostendit. Quas in habitu sui Ordinis læta facie intuens, ostensione manifesta monstravit, se ipsum esse Doctorem, quem honorarent; & mox in loculum, unde exiverat, se recepit. Non diu autem mansit incognitum grande hoc prodigium, & res gesta volat in publicum, ac ad Lodowicum Regem Siciliæ repente fama perducitur. Qui pluribus collectis Episcopis, Abbatibus, militibus & Sacræ Scripturæ Doctoribus, eos cum solenni apparatu destinavit ad Comitem Fundorum, munera grandia & pretiosa promittens, si Regno suo corpus sanctissimum largiretur. Addidit etiam, justum fore, ut ejus Regnum sumeret ex S. Doctoris præsentia gloriam, cujus stirpem clarissimam & inclytam progeniem aluisset & educasset. Sed non annuit Comes Regiis nunciis, indignum vehementer existimans, propriam spoliare patriam lucri temporalis obtentu. Fuerunt autem hæc nota venerabili Patri Fratri Heliæ Prædicatorum Ordinis tunc Magistro, magnarum virtutum viro. Hic capta benevolentia Comitis Honorati, qui etiam tunc Romam ob negotia Comitatus sui accesserat, ubi dictus Magister Helias residebat, ab eodem pretiosum thesaurum sacri corporis non minus justitia quam supplici postulatione petivit. Quid plura? Non defraudavit Dominus mentem ejus, sed post crebra colloquia Comes ille magnificus & justitiæ implevit debitum, & devoti Patris exaudivit affectum, sacrum Doctoris corpus eidem Patri & Ordini suo restituendo. Fuit autem extunc sacratissimum corpus illud repositum & locatum in Conventu Fundensi Fratrum Prædicatorum anno Dn. MCCCLXVII. Cives de urbe Brugensi Comitatus Flandriæ, secundum Wilhelmum, cum magno exercitu obsederunt opidum Sluze, & expugnarunt ipsum, interfeceruntque in eo Johannem fratrem Henrici Comitis de Flandria, & opidum ipsum incineraverunt. Rostoccensium cives Domino suo Magnopolensi Henrico magnam pecuniæ summam obtulerunt, secundum ChronicamObotritorum, ut destruere & solo æquare valerent castrum illud fortissimum, quod Ericus Rex Danorum construxerat in Warnemunde, & obtinuerunt ab eo. Dom. Papa Johannes Constitutionem edidit, quæ incipit Ad Conditorem Canonum, in quo statuit edicto in perpetuum valituro, secundum Henricum de Hervordia, quod in bonis, quæ post illud tempus obvenire contigerit Fratribus Minoribus vel Ordini ipsorum, exceptis Ecclesiis, oratoriis, officinis vel habitationibus dedicatis aut dedicandis, quæ ipsis obvenirent in futurum, jus nullum seu dominium aliquod occasione ordinationis cujuscunque a quocunque prædecessorum meorum super hoc specialiter editæ S. Romanæ Ecclesiæ acquiratur, sed ordinationes hujusmodi quo ad hoc habeantur pro non factis. Lodowicus Rex Romanorum Fredericum Ducem Austriæ contra se in Regem electum bello publico in campo vicit & obtinuit, secundum Eggardum, captivatumque mansuetius & honestius quo potuit tenuit, diligenter tamen & cautissime, ne clam aut violenter elaberetur, custodiri fecit. Tractatus autem diversi diversis in locis & temporibus per diversos etiam potiores orbis, puta Papam, Regem Franciæ aliosque Reges solicitius actitabantur. Sed Lodowicus Rex, ut erat in occurrentibus negotiis solertissimus, & in agendis sagax & circumspectus, nullam pecuniæ quantitatem attendens, ipsum in captivitate detinuit, & exacte servavit. Post multum vero tempus Principes illi duo nobiles mediatoribus & arbitris cunctis semotis, inter se nullo conscio convenerunt in amicitiam & concordiam firmam sic, quod Fredericus electionem totam de se factam in Romanorum Regem & omne jus, siquod ex ea quomodolibet assecutus esset aut consequi potuisset, similiter & coronam suam in manus Ludowici posuit, resignavit, & in integrum donavit. Insuper omnibus pro se totaliter & legaliter renuncians, & pro omnibus hæredibus suis in perpetuum futuris, amicitiam, fidem & prosecutionem sinceram per totam vitam suam secum & ad se firmiter habiturum promisit. Et hæc inter eos sic clam & occulte acta, postea publicis instrumentis solenniter super his confectis roboravit, & juramentis terribilibus confirmavit. Et sic Fredericus in Ducatum suum amicabiliter & cum magno comitatu deductus est. Fuerunt autem qui dicerent, Fredericum cautulose, sed imprudenter egisse, tot & tanta relinquendo, tot etiam & tanta pollicendo. Lodowicum vero virtuose quidem, sed insipienter fecisse, tot & tantis supra

Digitized by Google

pra cursum humanum & naturam promissis fidem adhibendo. Dominus Johannes Andreæ Bononiæ in suis scholis publicavit Novellam super Decretales ab ipso editam, secundum Henricum de Hervordia. Post hoc supervixit annis XV. & mensibus sex, & tunc defunctus est, & sepultus in habitu pariter & in Ecclesia Fratrum Ordinis Prædicatorum. Lodowicus Rex Romanorum post mortem primæ uxoris suæ, secundum Wilhelmum, accepit in consortem secundam filiam Comitis Hollandiæ, quorum nuptiæ sunt solenniter in Colonia celebratæ. Cumque hæc in Conventu Principum Coloniæ agerentur, interim Johannes Papa & Robertus Rex Apuliæ miserunt exercitum fortem, ut Mediolanum expugnarent. Sed cives urbis illius cum stipendiariis suis exeuntes, exercitum Papæ & Regis vicerunt, multos quidem occidendo, & cæteros in captivitatem ducendo.

Septimo anno Ludowici, qui est Dn. MCCCXXIIII. In villa Meyenburg Padelburnensis Diœcesis opilio quidam oves suas de sero in caulas concluserat, secundum Egghardum, tempore vero noctis sequentis lupus quidam grandis effracto pariete ovile superintravit, canis autem optimus, quem opilio ad arcendos lupos habebat, tunc fortasse dormiebat. Sed mox expergefactus, cum strepitum audisset, in caula furibundus exsiliit, ovile circuivit, aperturam, per quam lupus intraverat, invenit, & licet a lupo morsibus maximis arceretur, violenter tamen ad bestiam caulas intravit, ac datis acceptisq; vulneribus gravibus, lupum tamen tandem vincens jugulavit, & interfectum in medio caulæ quasi sepeliendum locavit, ovesq; omnes, quas occiderat, super ipsum cumulavit, & sic juxta cumulum cadaverum accubavit (accubuit.) Opilio autem mane surgens, ovile suum visitavit, & ipsum aperiens, oves occisas in cumulo jacentes conspexit, ac canem juxta eas quasi lassum recumbere vidit. Ira ergo nimis præcipiti furens nil bene discrevit, sed canem oves occidisse suspicans, cuspide invasit & occidit. Cadaveribus vero ovium hinc inde disjectis, lupum interfectorem ovium sub eis quasi sepultum invenit. Tunc opilio rem gestam intelligens, infelicem miserabiliter deflevit se ipsum. Canis autem pro fidelitatis suæ præmio primo a lupo laceratus, & post a domino suo interfectus jacuit. Videns enim opilio in primo ingressu caularum canem habere os cruentum æstimavit, canem momordisse oves & interfecisse, sed fefellit ipsum rabies sua indiscreta. Duo Lombardi ducebantur Avinionis extra urbem in Vigilia Assumtionis Mariæ, ut cremarentur pro sceleribus suis, secundum Wilhelmum. At ut senior in ignem projectus esset, fuit mox a flammis consumtus, junior vero cum igni imponeretur, in eo aliquamdiu stetit, sed cum magno tandem impetu ex eo prosilivit. Quem cum fortibus ligamentis iterum constringentes carnifices, palo cuidam alligassent, & in ignem denuo projecissent, subito omnia vincula sunt soluta, & juvenis de flammis ereptus stetit in terra illæsus. Quod audiens Johannes Papa, juvenem accersitum interrogavit, qua virtute hoc mirum sibi accidisset. Qui dixit: S. Virginem Mariam oculis corporeis vidi, & ipsa me de ignibus sua gratia liberavit. Propter quod factum tam miraculosum Papa Johannes in eodem loco parvam Ecclesiam in honorem B. Virginis ædificavit, & eam in propria persona consecravit. Christoferus Rex Danorum Nobiles plures Regni sui suspendit, secundum Chronicam Danorum, in patibulis ad hoc specialiter erectis, eo quod fratrem suum, ut sibi videbatur, vellent eo dejecto in Regem constituere; quod tamen in veritate ita non fuit. Henricus Dominus de Mykelenburg recepit ad se omnium Clericorum & Religiosorum reditus in suo Dominio degentium. Cui resistere nitebantur Monachi de Dobberan & de Dargun, ponendo interdictum generale & strictissimum per totum dominium suum. Qua tamen resistentia in tantum effecerunt, secundum Chronicam Obotritorum, ut Dominus cum eis se componens Monasterio de Dobberan molendinum in Godebuz opido in recompensationem damni consignaret. Comes de Zwerin Henricus captus est in terra Holtzatorum, secundum Chronicam Lubicensem, ubi tamen securum se arbitrabatur, & ductus est in castrum Plune, nec inde liberari potuit, donec pro sua redemtione IIIIM. marcarum Lubicensis monetæ exsolvisset. A festo S. Andreæ usque ad medium Quadragesimæ inclusive intensissimum fuit frigus in partibus Allemanniæ, secundum Henricum de Hervordia. Naves enim plures inter portum Flandrensem dictum Swen & Norwegiam glacie densissima constrictæ erant per totum hoc tempus, & paucissimæ post resolutionem factam integræ manserunt. Fuit & strata communis de civitatibus stagnalibus in Prutziam, Daciam & Livoniam per glaciem firmissimam equestribus & pedestribus. Fredericus Episcopus Rigensis scribens Papæ Johanni petivit, ut mitteret in legatione sua Episcopum unum & Abbatem unum ad Lithuanos, quia Rex eorum sibi promisisset, quod sacrum baptisma recepturus esset, & Monasteria ac Ecclesias fundaturus, si autoritas Apostolica sibi ad hoc suffragaretur, secundum Chronicam Lubicensem. Quod Papa confestim fecit. Cumque prædicti legati Episcopus scilicet & Abbas Ordinis S Benedicti in Livoniam venissent, & crederent, Regem velle baptizari juxta scripturam Episcopi Rigensis, ait Rex legatis: Papam vestrum non novi nec noscere cupio, fidem autem, quam ex traditione paterna accepi, in illa perseverabo certando pro ea usque ad mortem. Quibus auditis, legati ad curiam reversi sunt confusi.

Octavo anno Lodowici, qui est Domini MCCCXXV. In Verona urbe provinciæ Lombardiæ obiit quidam civis Gwido de Torno nuncupatus, secundum Chronicam Lombardorum. Hujus defuncti spiritus, transactis octo diebus a sepultura, apparuit uxori suæ sola voce, ipsum audiendo, sed neminem videndo. Cumque mulier ex frequenti tali apparitione & allo-

Digitized by Google

& allocutione territa nimium molestaretur, conquesta est tandem vicinis suis, nesciens, quid ageret. Qui audientes etiam hujusmodi vocem, consilium super isto inierunt. Perrexerunt ergo in die S. Johannis Baptistæ ad conventum Fratrum Prædicatorum cum vidua relicta dicti Gwidonis defuncti, revelantes Priori Monasterii casum prælibatum, & consilium quærentes ab eo, quid in hoc faciendum expediret. Prior autem dicti Conventus Johannes Gobi dictus una cum Lectore suo Doctore in Theologia & Magistro Philosophiæ, qui astutiores inter cæteros Fratres illos videbantur esse, perrexit ad Majorem urbis, & petiit, ut sibi assignaret aliquos fide dignos, qui secum pergere possent ad domum Gwidonis nuper defuncti, propter majorem securitatem & testimonium legitimum perhibendum de contingentibus in hoc facto. Susceptis ergo secum CC. armatis ex consignatione Potestatis urbis & fratribus suis supra dictis, confessus prævie omnia peccata sua, assumtoque secum Eucharistiæ Sacramento in quadam pyxide, processit ad domum prælibati Gwidonis defuncti. Et ad majorem securitatem ac malorum evitationem totum hospitium diligenter perscrutari fecit tam superius quam inferius, nequid mali ibidem latere posset. Et in singulis locis domus illius locavit tres armatos in nomine S. Trinitatis ad expectandum rei eventum. Facta autem tali dispositione, Prior aspersit aqua benedicta omnia loca hospicii, & quæsivit a vidua, ubi vox frequentius & notabilius audiretur. Quæ dixit: Circa locum illum, ubi vir meus obiit. Erat autem ibi scamnum quoddam, super quo Prior & Fratres consederunt, & vigilias cum IX. lectionibus legere cœperunt. Quibus finitis, VII. Psalmos pœnitentiales etiam ibidem legentes compleverunt. Post quorum omnium terminationem devotam, cum jam circa medium noctis esset, audiverunt quendam sonum quasi scopam per pavimentum deductam, nil tamen visui eorum se objecit. Tunc uxor defuncti astans cœpit mirabiliter terreri, & clamavit, dicens: Ecce Prior, ecce! Et alii circumstantes audientes sonum illum aliqualiter territi tacuerunt. Tunc quidam Petrus de Burgundia mulierem illam informavit, ut in nomine Jesu crucifixi quæreret, quis esset, qui talem sonum faceret? Qua sic interrogante, vox quædam tremula quasi infirmi cujusdam in medio cameræ respondit: Ego sum. Tunc illa ad informationem Prioris festine dixit: Adjuro te per benedictum nomen Jesu Christi, in cujus custodia & defensione pono animam meam & corpus meum, ne in aliquo me lædas, sed mihi dicas, si tu sis spiritus Gwidonis mariti mei, an alius spiritus? Respondit spiritus: Non possum tibi nocere neque volo: sum etenim spiritus Gwidonis quondam mariti tui. Tunc Prior cum sociis suis omni timore postposito se, quantum potuit, illi voci se junxit, & omnibus audientibus, qui aderant, dixit Prior: Adjuro te creaturam Dei per Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, & per virtutem conceptionis, nativitatis, passionis, mortis & resurrectionis Jesu Christi, ut, si tibi licitum est loqui & respondere, ad ea, quæ quæsiturus sum, mihi respondeas, nec de loco recedas, donec quæstionibus meis satisfeceris cum veritate & sine omni fallacia. Tunc vox illa altius & clarius quam prius insonuit, dicens: O Prior, festinanter interroga, quæ vis, & tibi respondebo in veritate ex permissione divina & illius, qui ductor meus est. Tunc silentio omnibus imposito, Prior proposuit illi spiritui quæstionem, dicens: Adjuro te per Filium Dei incarnatum, ut dicas mihi, an sis spiritus bonus vel malus? Respondit vox illa: Spiritus bonus ego sum, quia Dei creatura sum. Omnis autem creatura Dei, in quantum Dei creatura est, bona est, juxta scripturam dicentem: Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. Cum ergo sim spiritus Gwidonis noviter defuncti, bonus sum spiritus quoad naturam, sed malus quantum ad peccata, in quibus decessi, & propter quæ patior. Cui Prior: Dic mihi in veritate, an sis spiritus Gwidonis? Respondit vox: Ego sum anima & spiritus Gwidonis in veritate Dei Redemtoris mei. Tunc ait Prior: Ob hoc mihi videtur, quod tu sis spiritus ingratus tibimet & corpori tuo, quia per hoc, quod dixisti, te malum spiritum fore ex culpa tua, quam commisisti in vita ista, & ex pœna, quam pateris in illa vita, in qua jam es, injuriaris uxori tuæ, & suscitas scandalum eidem & corpori tuo. Nam huc usque homines civitatis hujus bonam habuerunt opinionem de vita tua, dicendo te probum & bonum virum, & jam ex fassione tua cognoscunt, te injustum fuisse, & uxorem tuam habuisse virum impium & malum; & sic infamas te & uxorem tuam; & sic ingratus es spiritus tibi & tuæ uxori. Respondit spiritus: Non sum ingratus spiritus mihi nec alteri cuiquam. Nam posito, quod tu dares alicui tunicam tuam, & ille propter hoc beneficium a te receptum paratus esset mori pro te, si opus esset: nunquid ille esset tibi gratus? Cui Prior, imo, inquit, certe gratissimus esset mihi. Tunc spiritus: Ego dum fui in corpore Gwidonis, nihil aliud ab eo recepi nisi tunicam mortalitatis suæ, & modo corpus Gwidonis jacet in terra sepultum, non sentiens laborem aut dolorem quemcunque. Ego autem spiritus ejus crucior pro peccatis corporis, cum mihi simpliciter nunquam placuerint, eo quod carnalia desideria semper militent contra animam, & caro semper contra spiritum concupiscat. Ne ergo corpus Gwidonis cum spiritu suo in die judicii morte æterna pereat, & quasi gratis hic crucior pro culpis corporis mei. Et ergo dicere non poteris, quod sim ingratus spiritus corporis mei, nec valet illud, Prior, quod dicis, me suscitare scandalum uxori meæ, & sibi injuriari, ex eo quod culpam Gwidonis confessus sum. Nam injuriari vel scandalum suscitare est malum alicujus repetere vel dicere in vituperium ejus, malum finem intendens. Et huic dictum est per Scripturam: Væ homini illi, per quem scandalum venit. Sed ego spiritus Gwidonis non sibi in vituperium facio, quod vobis loquor permissus

missus a Deo, sed potius sibi honorem facio & proventum in hoc, quod meam necessitatem & aliorum, qui in purgatorio cruciantur, vobis denuncio, ut nobis subveniam operibus vestris bonis. Nam tota hæc congregatio huc confluxit propter Gwidonem, ut pro eo suas orationes fundat ad Deum, ut ipse misericorditer liberet a malo pœnæ, sicut & tu Prior jam Deum pro me exorasti. Et sic clare patet per verba, quæ locutus sum, quod nulli injuriatus sum per ea, quæ dixi, nec scandalum suscitavi, sed proficuus fui & mihi & corpori Gwidonis ac uxori ejus. Secundo quæsivit Prior, dicens: Quomodo, rogo, potest quis esse malus post mortem suam, qui in vita sua fuit confessus & absolutus a suis peccatis, & accepit Sacramenta Ecclesiastica? Respondit spiritus: Defunctus aliquis potest esse malus dupliciter; æternaliter, ut sunt omnes damnati, & temporaliter, ut in purgatorio existentes, qui mali sunt usque ad tempus suæ expiationis. Unde quia ego confessus fui, & accepi Sacramenta Ecclesiastica, non sum simpliciter bonus quoad ablationem culpæ & pœnæ. A peccatis enim quis bene per confessionem & receptionem Sacramentorum absolvitur, sed non a pœnis omnibus. Nam non sufficit alicui confessio sine satisfactione debita. Quod ergo negligitur in pœnitentia in hac vita, supplebitur in purgatorio seculi futuri. Tertio quæsivit Prior, dicens: Scis etiam pronunc, aliquem esse salvatum vel damnatum, constitutus in temporali tua pœna? Spiritus respondit: Hoc non sum permissus tibi dicere. Nam omnis spiritus in purgatorio existens est dispositive bonus, quia disponitur ad fruendum bono æterno. Et ideo omnis hujusmodi spiritus debet esse verax. Sed nullus talis spiritus potest homini veraciter dicere de damnatione aut salvatione alicujus, nisi sit vel in cœlo aut in inferno ad videndum, qui & quot sint salvati vel damnati. Ego autem sum spiritus Gwidonis positus in loco purgationis peccatorum meorum, & nunquam fui nec ero in loco damnatorum. Similiter nec fui in loco beatorum nisi in spe, & idcirco non possum tibi veraciter dicere, qui vel quot sint damnati vel salvati. Tunc Prior cum impetu dixit spiritui: Modo mihi apparet, quod sis spiritus fallax. Nam Sacra Scriptura (testatur), quod Prophetæ in Veteri Lege veritatem dixerint de incarnatione Christi, & tamen Christum incarnatum nunquam viderunt. Similiter veritatem prædixerunt de resurrectione ejus, & de resurrectione mortuorum generali futura, quam nondum perceperant. Ergo a multo fortiori, tu qui modo exutus es & separatus a corpore, quod aggravat animam, & es purus spiritus, melius & clarius dicere poteris veritatem de damnatis & salvatis quam Prophetæ, qui homines mortales fuerunt. Respondit spiritus: Quicquid Prophetæ dixerunt de resurrectione futura & Christi incarnatione, hoc totum habuerunt ex Spiritus S. revelatione, vel bonorum Angelorum a Deo missorum, ad fidei testimonium & declarationem. Ego autem in pœna purgatorii positus sum usque ad tempus liberationis meæ, & tam diu mihi deficiet Angelorum revelatio & Spiritus S. allocutio. Nec alios Angelos video, nisi illos, qui me regere habebunt in hac pœna, nec Spiritus S. in me loquitur suam veritatem, nisi purgatus fuero. Ad quem Prior: Tu dicis, quod spiritus non potest dicere aliquam veritatem de damnatis vel salvatis: hujus oppositum habemus in S. Scriptura, puta quod etiam dæmones veritatem dixerunt de aliquibus salvatis. Respondit spiritus: Dæmones non possunt aliquid dicere de mysteriis cœlestibus nisi permissive, & in quantum habent per revelationem spirituum superiorum; nec similiter animæ in purgatorio aliquid scire possunt de hujusmodi divinis mysteriis propria virtute. Et ideo quamdiu ego in purgatorio fuero, nihil scire potero de præmissis nisi per revelationem quam adhuc non recepi. Quarto quæsivit Prior: Ubi es tu? Ad quem spiritus: Hic sum in purgatorio meo. Cui Prior: Ergo videtur hic esse purgatorium animarum, quia qua ratione tu hic purgaris, eadem ratione & alii hic purgari possunt. Sed locus, ubi animæ purgantur, dicitur purgatorium. Videtur ergo, quod locus iste sic & dici possit purgatorium. Ad quod ait spiritus: Duplex est purgatorium, sc. commune & speciale: particulare enim sive speciale potest esse hic, sed commune junctum est inferno, ubi damnati & purgandi eodem igne puniuntur. Ego autem de die in communi crucior, & de nocte in hoc particulari. Tunc Prior: Cur tu in particulari puniris purgatorio? Ait spiritus: Hic commisi aliqua peccata, pro quibus non satisfeci hic in vita; & insuper, ut hic vestram implorare valeam misericordiam, & sim aliis in vitæ suæ emendationem, ut eo ferventius sic suam peragant pœnitentiam. Quinto quæsivit Prior, dicens: Quid, rogo, gravat hominem plus in morte sua? Respondit spiritus: Concursus dæmonum, qui protunc ad hoc congregantur, ut hominem morientem in desperationem inducant, & a fide recedere faciant, ostendentes oculis eorum horribiles formas, stridentes dentibus in eos, & eos se velle devorare simulantes. Ad quem Prior: Et quid, rogo, protunc magis hominem confortat in tantis tribulationibus positum? Respondit spiritus: Meritum passionis Christi, beneficium Virginis Mariæ & intercessio Sanctorum. Cui Prior: Indica nobis, cur hæc plus confortent? Respondit spiritus: Libenter, & nunc ausculta: Siquis moriatur in peccato mortali sine cordis contritione & oris confessione, si copiam confitendi habere potuisset, tunc passio Christi in morte ejus recitabitur a bono suo Angelo, ad ostendendum hominem illum Deo esse ingratum ex hoc, quod noluit & potuit conteri & confiteri peccata sua, sed contemsit Sacramentum, quod peccatorem ex virtute passionis Christi emundat a peccatis, & reducit ad statum gratiæ & gloriæ. Et his dictis arripiunt ipsum dæmones, dicentes ei: O ingrate homo erga Deum misericordem, veni nobiscum ad infernum, ubi omnes ingrati Deo habitant. Siquis vero decedat contritus & confessus, licet non satisfecerit de peccatis confessis, tamen boni Angeli confortant ipsum contra

tra incursum dæmonum, dicentes ipsis: Nullam partem habebitis in hoc homine, quia meritum passionis Christi est scutum & medium inter vos & ipsum. Quibus spiritus maligni dicent: Hic homo sic & sic per omnia membra sua peccavit, & per omnes potentias animæ suæ deliquit. Ergo aliquid juris habebimus in hoc homine. Quibus boni Angeli respondebunt: Verum est, quod istis modis peccavit, & per omnes potentias animæ suæ deliquit, sed tamen de omnibus his contritus est confessus. Propter quod meritum passionis Christi erit sibi medium inter vos & ipsum, & nihil in eo habebitis, sed locus purgationis ipsum recipiet. Membra enim Christi pro eo passa absolvunt delicta membrorum suorum, & totum corpus Christi pro eo in cruce expansum erit sibi scutum contra fallacias vestras, quibus eum decepistis, & sic peccare fecistis. Similiter anima Christi, quam dedit pro isto homine, modo purgat animam istam ab omnibus peccatis suis, ita quod in hoc homine non remanet pœna æterna, sed solum transitoria, quæ absque ministerio vestro & nostro sibi a Deo infligetur. Meritum vero B. Virginis Mariæ similiter ipsum juvabit hoc modo. Si enim aliquis moriatur debite contritus & confessus, ut præmissum est, mox aderit Virgo Maria, alloquens dæmones hoc modo: Ego sum mater Christi, dicta Regina cœli, Domina mundi, Imperatrix inferni: in quantum mater Christi sum, rogabo filium meum, ut anima ista salvetur per meritum passionis humanitatis suæ, quam de me accepit; in quantum vero Regina cœli sum vocata, providebo animæ isti locum in cœlo; in quantum autem sum Domina mundi, volo cum consensu filii mei, ut orationes, eleemosynæ & omnia beneficia, quæ sunt in mundo facta a fidelibus vivis, sint animæ isti in remedium, & remissionem omnium peccatorum suorum; in quantum quoque sum Imperatrix inferni, ex parte filii mei vobis dæmonibus præcipio, ut hanc animam amplius non vexetis, sed eam in pace dimittatis. Et hoc dicto, mox Angeli aderunt & Sancti illi, quos coluit & honoravit vivens, rogantes pro misericordia Dei, & dicentes: Domine, qui descendisti de cœlo peccatores salvos facere, pro amore Virginis Matris tuæ miserere, animæ hujus fratris nostri vel sororis nostræ. Quibus peractis, anima illa deducetur per Angelum suum bonum ad purgatorium, & statim angelus suus malus & alii mali angeli ab ea recedent confusi, dolentes de ipsius salvatione. Et hoc modo meritum passionis Christi & beneficium B. Mariæ Virginis cum intercessione Sanctorum juvant homines in morte sua. Sexto quæsivit Prior: An homo in morte sua poterit videre Christum & matrem suam, ac cæteros Angelos & Sanctos sub forma eorum propria? Respondit spiritus: Non, nisi homo fuerit tam sanctus, quod non indigeat purgari igne afflictivo. Cui Prior: Videtur etiam mihi, quod non sint omnia vera, quæ mihi jam dixisti. Innuisti namque per verba tua, quod omnes illi Sancti assint morienti ad ipsum confortandum, quos homo in vita sua specialiter præ cæteris honoravit, quod non fieret, nisi moriens eos videret. Ad quod spiritus: Sancti assunt in morte hominis, & maxime illi, quos singulariter honoravit devotione peculiari, non tamen moriens propter hoc poterit eos videre in forma eorum propria, quia, si hoc fieret, cum non sit alia beatitudo corporalis, quam videre Christum & Sanctos in propria persona, nec alia spiritualis, quam videre Christum in persona divina, sequeretur, quod moriens in sua morte esset beatus, & prius beatus in corpore quam in anima, quod est absurdum & inconveniens. Septimo Prior quæsivit, an spiritus sciant facta hominum & amicorum suorum, postquam exuti fuerint a corpore? Respondit spiritus: Utique, non tamen scientia propria & naturali, sed revelata. Cui Prior: Potes ergo mihi dicere, de quo hodie celebraverim missam meam? Ait spiritus: Tu hodie de Spiritu Sancto celebrasti. Ad hoc Prior: Modo audio, te spiritum esse fallacem, quia non de Spiritu Sancto, sed pro animabus Requiem celebravi. Respondit spiritus: O Prior, bene scio, quod missa tua fuit de animabus fidelibus, & tamen non mentior, quia dixi, te celebrasse de Spiritu Sancto. Nam cum aliquid quæritur ab aliquo, illud, quod propinquius assidet cordi, citius profertur ab eo, a quo quæritur. Nam ex abundantia cordis os loquitur. Sed inter omnes missas celebratas & celebrandas propinquius adjacet menti meæ missa de Spiritu S. & missa de S. Trinitate. Tales missæ juvant me modo plus quam cæteræ. Et dicam tibi causam hujus rei. Dum ego vixeram in hoc exilio, sæpe totum nisum meum, sensus meos, & corporalem potentiam meam expendi in diversis peccatis, quæ omnia debuissem expendisse in divino obsequio, Deo Patri exhibendo fortitudinem, a quo omnis potentia & virtus derivatur. Sed proh dolor! eam expendi in vitiis carnis & rebus transitoriis, & ideo peccavi contra Patrem, cui omnis attribuitur potentia. Similiter peccavi utendo scientia & industria naturali contra Filium in divinis in studiis vanis, in deceptione proximi & circumventione simplicium hominum, quæ scientia Filio attribuitur in divinis, a quo omnis sapientia derivatur. Peccavi insuper contra Spiritum S. cui attribuitur omnis gratia & bonitas. Bona namque naturalia, ut pulcritudinem, eloquentiam, affabilitatem & cætera expendi in oblectamentis corporis, mundi & diaboli. De quibus omnibus licet contritionem habuerim, & ea confessus sim, tamen non satisfeci S. Trinitati de eis. Ideo Salvator meus disposuit, ut retulit mihi Angelus meus, quod missæ pro me celebratæ de S. Trinitate plus aliis missis debent me juvare. Et quia sæpius contra benignitatem Spiritus S. plus habere optavi de bonis temporalibus, quam Deus mihi impertiri decrevit, ideo modo ad satisfaciendum Spiritui S. pro peccatis meis, in hac parte mihi plus valent missæ de Spiritu S. pro me celebratæ. Sed quia tu Prior hodie in missa tua post principalem orationem dixisti orationem de Spiritu Sancto, quæ mihi plus valuit quam aliæ orationes missæ tuæ: idcirco de ea magis gaudebam

Digitized by Google

bam quam de residuo illius missæ, quod transivit in subsidium omnium Christi fidelium in communi. Orationes enim illæ tres de Spiritu S. fuerunt mihi singulare remedium pro peccatis meis prædictis. Non ergo mentitus sum dicendo, quod missam de Spiritu S. hodie dixeris, sumendo partem, quæ mihi specialiter profuit, pro toto, quod in communi omnibus fidelibus suffragatur. Octavo Prior quæsivit: Dic, rogo, pro quot animabus unus Sacerdos poterit celebrare, ita quod omnes participent de officio missæ suæ? Respondit Spiritus: Unus Sacerdos simul potest celebrare pro omnibus fidelibus vivis & defunctis, & quilibet eorum participationem habebit non partis, sed integræ missæ. Nam virtus Sacramenti Corporis Christi indivisibilis est, sicut & ipsum Sacramentum, & ideo totum Sacramentum extendit se ad omnes. Quia, sicut Christus Deus & homo semel levatus in cruce se totum obtulit Deo Patri pro salute totius generis humani; sic in missa cujuslibet Sacerdotis offertur totus Christus in Sacramento altaris pro salute omnium fidelium. Potest tamen Sacerdos suam intentionem in missa sua dirigere ad speciales animas, pro quibus specialiter legere intendit, & tunc illæ animæ specialius participationem consecuntur illius missæ integræ, cæteræ vero in communi. Nec missa celebrata pro omnibus fidelibus minus est efficax cuilibet, quam celebrata pro uno vel pro duobus aut tribus, quia hæc est differentia inter bonum spirituale & bonum corporale. Bonum enim corporale quanto plus partitur, tanto minus quilibet accipit, verbi gratia: si dividas pomum in plures partes, quanto magis dividis, tanto minus quilibet recipiens habebit; sed revera bonum spirituale quanto magis partitur, tanto magis in se augmentatur, & quilibet recipiens non minus recipit, quam in se totum est, verbi gratia: Si doceas plures dicere Pater noster, ipsa oratio ex hoc in se non diminuitur, sed tanto major ejus est effectus, quanto a pluribus addiscitur: sic est de missa cujuslibet Sacerdotis. Effectus enim missæ tanto major est in se, quanto a pluribus participatur, pro quibus tamen specialiter missæ celebrantur, illis specialius prosunt & efficacius. Sic & ego Gwido partim liberatus, & ex integro liberandus sum a pœna purgatorii per annos IIII. citius quam de termino mihi assignato fuissem propter speciales missas, quæ mihi leguntur & pro me celebrantur per quendam pauperem Religiosum cognatum meum, quem alias in scholis tenui in meis expensis per quinquennium, & talis jam pro me devote orat, cujus orationibus & missis adjutus liberabor in proximo Paschate. Quod si volueris probare verum fore, venias ad hunc locum in Pascha futuro, & si me non audieris, scias pro certo, me in cœlo regnare. Quod & idem Prior cum aliquibus de familia Johannis Papæ probavit verum esse, ut spiritus prædixerat. Nono quæsivit Prior, quæ orationes sint fidelibus animabus magis proficuæ post missarum celebrationes? Respondit spiritus: Vigiliæ, & maxime VII. Psalmi pœnitentiales cum letania. Cui Prior: Hoc videtur mihi inconveniens. Nam Christus composuit Pater Noster, & Angelus Ave Maria, ac Apostoli Credo, septem autem Psalmos cum letania & Vigilias Doctores Sancti composuerunt & legi instituerunt, quorum nullus attigit ad sanctitatem Christi, Gabrielis Archangeli & Apostolorum Domini. Videtur ergo, quod orationes ex ordinatione ipsorum institutæ non sint ita efficaces sicut sunt Oratio Dominica, salutatio Angelica & Symbolum Apostolorum. Respondit spiritus: Quantum ad sanctitatem componentium & instituentium sunt meliores & validiores oratio Dominica & cæteræ duæ orationes omnibus precibus & orationibus in Ecclesia Dei fieri consuetis præter missam, quæ simpliciter omnes excellit propter id, quod in ea offertur, puta Christus Dei filius. Sed tamen VII. Psalmi cum Letania & Vigiliæ, quantum ad intentionem ordinantium & instituentium, sunt orationes efficacissimæ animabus in purgatorio, quia directe ipsæ ordinatæ sunt in remedium peccatorum mortalium & aliorum delictorum. Nam primus, puta Domine, ne in furore &c. ordinatus est contra superbiam, ob quam Deus in furore suo jecit Luciferum de cœlo, & conclusit ipsum in inferno. Secundus Psalmus, puta Beati quorum &c. ordinatus est contra luxuriam, quæ hominem efficit bestialem, ut equum & mulum ratione carentes. Tertius Psalmus, puta Domine ne in furore secundum, ordinatus est contra acidiam, quæ hominem infirmum & debilem ad divinum obsequium, & surdum ad Verbi divini audientiam mutumque ad orationis effusionem. Et sic de cæteris Psalmis applicandis ad cætera capitalia delicta. Vigiliæ vero multum sunt efficaces & proficuæ animabus in purgatorio. Nam V. Psalmi & V. Antiphoniæ in Vesperis in complementum fiunt omnium neglectorum in X. præceptis divinis, novem vero Psalmi in Vigiliis disponunt animam & aptant ad IX. gradus Angelorum; novem autem Antiphoniæ cum tribus versiculis complent neglecta in XII. fidei articulis. Novem quoque lectiones institutæ sunt ad expianda peccata in IX. statibus humanis commissa, puta in paupertate & excellentia divitiarum, in juventute & senectute, in Clericatu & laicatu, in virginitate, conjugalitate & viduitate. Sed novem Responsoria ordinata sunt contra peccata aliena, quorum quilibet causa esse potest. Insuper V. Psalmi in Laudibus ordinati sunt ad abolenda peccata V. sensuum, & V. Antiphoniæ fiunt contra delicta V. sensuum interiorum & potentiarum animæ, quibus homo potius diabolo famulatur quam Deo. Duo denique Psalmi, puta Magnificat & Benedictus denotant, quod animæ purgatæ habebunt Deum magnificare & benedicere in perpetuum in cœlo in duplici consortio Angelorum scilicet & hominum, quæ consortia duo signant duæ Antiphoniæ eis junctæ. Duæ vero collectæ designant duas gratiarum actiones pro duplici beatitudine, essentiali scilicet & accidentali, ad quam anima purgata perducitur divina misericordia. Et his dictis, cœpit spiritus ingemiscere & dicere voce flebili: Si plura habes inquirere Prior, festina

Digitized by Google

stina proponere, quia tempus statim aderit, quo me silere oportebit propter pœnam me aggravantem. Cui Prior: Possumusne tibi in aliquo subvenire ad pœnæ tuæ alleviationem (allevationem)? Respondit spiritus: utique; si pro me velletis devote dicere quinquies V. Ave Maria. Quo facto, mox spiritus dixit: Regratior Deo & vobis: modo refocillatus sum, ut melius loquar vobis. Decimo quæsivit Prior dicens: Numquid dæmones possunt videre Corpus Christi in altari? Spiritus respondit: Possunt quidem visione intellectuali, qua clarius & luculentius vident quam homines aut quodcunque animal visione corporali, & ipsum videndo velint nolint adorare compelluntur divina virtute. Cui Prior: Possunt etiam dæmones impedire consecrationem Corporis Christi? Ad quem spiritus: Directe quidem non possunt, sed indirecte, puta in Sacerdotibus, qui indigne & indevote missas suas celebrant in peccatis mortalibus, impediendo eos per immissionem cogitationum vanarum, ne debite & totaliter, sed diminute verba consecrationis proferant & exprimant. Credimus tamen pie, quod in casu tali Summus Sacerdos illud, quod diminute & incomplete fieret, misericorditer suppleret & perficeret, ne populus ex ignorantia invincibili idololatriam committeret. Et talis impeditio dæmonum sæpe contingeret ex malitia ipsorum, nisi Angeli missis interessent, & malos angelos prohiberent & coercerent ab eorum malitia. Cui Prior: Estne aliquod efficax remedium contra hoc dæmonis malum? Respondit spiritus: utique, quia puritas propriæ conscientiæ & orationis devotio diaboli diminuunt virtutem. Ad quod Prior: Numquid est aliqua tam efficax oratio ad malum illud tollendum, ne scilicet Sacerdos sic distrahatur in missa ex hujusmodi tentatione diaboli? Respondit spiritus? Si Sacerdos mundo corde & corpore ac devota mente dixerit ante missam illam orationem, quam B. Ambrosius propter tale malum tollendum edidit, procul dubio diabolus non præsumeret nec auderet ipsum impedire, imo nec sineretur per virtutem dictæ orationis sibi appropinquare, quæ oratio incipit Summe Sacerdos & vere Pontifex &c. Cui Prior: Vidistine tu unquam corpus Christi, postquam de corpore tuo decessisti? Respondit spiritus: Vidi, inquam, oculis mentis & intelligibiliter, & nunc quidem in præsentiarum video, te habere venerabile Christi corpus in pyxide revelata mente, & ipsum adoro coram pectore tuo locatum. Ex qua responsione multum admirabantur tam Fratres quam alii hæc audientes, quia nullus scivit, Priorem Corpus Christi secum detulisse alio modo, quam quod ipsum in celebratione missæ suæ illo die sumserat communicando. Tunc Prior extraxit pyxidem de sinu suo, tenens eam in manu sua, & dicens: Si credis, quod hoc sit Corpus Christi, & omnes spiritus illud adorant, & si virtuti suæ non valent resistere, tunc in virtute ipsius tibi præcipio, ut sequaris me usque ad ulteriorem hujus domus portam. Respondit spiritus: Libenter sequar Dominum meum Jesum Christum, quem in manibus tuis geris. Tunc Prior lento gradu & tractim cœpit ire versus prædictam portam, præcedentibus ipsum duobus Fratribus cum aliis multis hominibus, qui aderant. Ipse autem Prior a tergo respiciens nihil se sequi vidit, sed sonum quendam mirabilem ad instar soni scopæ mundantis pavimentum domus post se audivit. Cumque pervenisset ad lectum uxoris, qui erat in sinistra parte illius cameræ, in quo illa jacuit quasi decumbens ex terrore frequentis apparitionis spiritus mariti & nimia fatigatione vigiliarum, illa mox stridere cœpit dentibus suis, & clamare quasi furiosa. Ad quam omnes cucurrerunt, quærentes, quid sibi mali accidisset. Quæ subito effecta quasi exanimis, nihil loquebatur. Quod Prior videns, rediit ad pristinum locum, de quo exierat. Illa autem post modicum intervallum omnibus silentibus clamavit, dicens: Domine Jesu Christe, qui me redemisti, adjuva me in ista fatigatione. Quod audiens Prior, interrogavit spiritum, quare uxor sua ita vexaretur? Respondit spiritus: Ipsa scit causam suæ tristitiæ, quam interroga, si eam cupis scire. Ad quam Prior: Bona Domina, indica mihi causam tuæ mœstitiæ. Quæ nihil sibi respondit. Tunc Prior ad spiritum ait: Adjuro te per Dei potentiam, & per virtutem incarnationis Filii sui, ac per merita omnium Sanctorum, ut dicas mihi causam, quare sic patiatur uxor tua. Cui spiritus: Ex quo omnino vis scire, dico tibi, quod pro quodam peccato gravi, quod simul commisimus in hoc loco, de quo tamen ambo confessi sumus, hæc sustinet. Non enim de eo adhuc satisfecit, & ideo Deus modo de ea pœnam extorquet. Tunc Prior ait Spiritui: Rogo te, ut reveles mihi hoc peccatum, ut præmonere valeam cæteros, ne simile committant. Respondit spiritus: Deus non vult, ut peccatum illud prodatur. Nam ex quo peccatum illud ambo confessi sumus vere contriti, Deus nobis remisit ipsum quoad culpam, non tamen omnimode quoad pœnam. Et ideo Deus pie erga eam faciens, eam punit pro eo hic in vita, sibi non reservans pœnam ad futuram vitam. Et quod deletum est a notitia Dei, non est rationabile, quod ad notitiam hominum deducatur. Potes ergo in generali homines exhortari, &(ut) pœnitentiam pro peccatis suis eis injunctam diligenter expleant, ne gravius a Deo vel hic vel in purgatorio puniantur. Nam ad præmonendum homines a periculis Deus permisit, me tecum loqui. Undecimo quæsivit Prior: Quomodo, rogo, potes loqui, cum non habeas instrumenta locutionis? Ait spiritus: Licet caream ore, lingva & cæteris instrumentis naturalibus, tamen ego, sicut & quilibet alius spiritus potest, formo mihi ex aëre instrumenta talia, quibus vocem formare valeo. Nam virtus loquendi non est in instrumentis, sed in spiritu movente talia instrumenta. Duodecimo quæsivit Prior dicens: Animæ quando judicantur a Deo, vel adhuc in corpore constitutæ vel exutæ? Respondit spiritus: Antequam anima exuitur a corpore, videt facta sua bona & mala, & videt Angelos suos bonos & malos in speciebus & formis

Digitized by Google

formis assumtis, minus tamen clare & magis secundum quantitatem delictorum & meritorum; deinde exutæ in parvissima morula judicantur a Deo ad purgatorium, cœlum vel infernum, & quasi in momento perducitur ad locum sibi deputatum. Nam sicut sole oriente lumen ejus mox diffunditur per totum emisperium (hemisphærium) suum, nisi impediatur ab aliquo obstaculo: sic anima adjudicata purgatorio vel alii loco, immediate illuc deducitur, nisi fiant statim orationes vel eleemosynæ impedientes ejus translationem, quia tales eleemosynæ & orationes possent fieri pro anima aliqua, quod pro totali pœna sibi injuncta in purgatorio expianda satisfieret, & sic anima illa evolaret. Taliter enim nuper contigit in villa Bononiensi circa quendam Fratrem morientem, qui rogavit Fratres suos, quod missas, quas jure Ordinis legere tenerentur post ejus obitum, ante ipsius obitum perficerent, & quas tunc legere deberent pro defunctis, nunc de B. Virgine celebrarent. Et ita factum est. Anima vero Fratris mox exuta evolavit, quæ alias in purgatorio ad tempus stetisset expurganda, si missæ illæ pro ea celebratæ non fuissent. Tertiodecimo quæsivit Prior, dicens: Numquid de duabus animabus in demeritis æqualibus decedentibus una citius liberatur quam alia? Respondit spiritus, quod sic: nam Deus pro certa hora remittit uni animæ tertiam partem pœnæ, alteri quartam, alii mediam, & alii totalem, prout pro eis secundum magis & minus opera bona fiunt, ac indulgentiæ acquiruntur ab amicis suis in hoc mundo, vel orationes a Sanctis in cœlo. Pro una ergo anima de illis duabus possunt fieri plura opera bona & plures orationes, quam pro alia propter multitudinem amicorum vel bonorum temporalium, quæ in mundo reliquit. Quarto decimo quæsivit Prior, dicens: Quid est, quod magis cruciat in purgatorio animas? Respondit spiritus: Duplex est pœna animarum, puta sensus & damni. Pœna damni consistit in dilatione visionis divinæ essentiæ, humanitatis Christi & Sanctorum. Et talis dilatio valde cruciat, juxta illud Sapientis: Spes, quæ differtur, affligit animam. Pœna vero sensus consistit in actione ignis & multis aliis modis pœnalibus, prout diversimode purgatorium Deus animabus infligit. Sed præ omnibus actio ignis magis cruciat, eo quod habeat virtutem magis afflictivam, tam ex natura quam ex Dei virtute, cujus est instrumentum. Cui Prior: Qualem pœnam habes tu? Respondit spiritus: flammam ignis. Ad quem Prior: Hoc non videtur verum, cum nihil agat ultra suam speciem (sphæram) & contra suam naturam. Ignis autem est quoddam corporale, & tu spiritus es. Corporale in spirituale agere non potest, quia sic ageret extra suam speciem (leg. sphæram) & contra naturam. Respondit spiritus: Naturali actione nihil agit ultra speciem (sphæram) suam. Ignis autem agendo in spiritum, non facit hoc actione naturali, sed virtute divina, cujus instrumentum est. Cui Prior: Cur ergo ignis te affligens non apparet, ex quo lucidæ est naturæ? & quare non comburit materiam sibi propinquam, sicut sunt asseres cameræ & cætera similia? Respondit spiritus: Jam audio, quod modicum lumen sapientiæ in te est. Nonne Deus, qui sua virtute agit in igne, & utitur eo ut instrumento suo, potest, quando vult suspendere virtutem ignis, & laxare eam, quando sibi placet, sicut fecit erga tres pueros in camino ardente positos, & cum L. oratoribus. Similiter etiam modo potest subtrahere fulgorem ejus, actione ipsius manente, cum hoc & naturæ sit possibile, sicut patet de calce & silice, in quibus substantia & actio ignis sine fulgore sunt ad extra apparente. Sic & ego ingredi possum domum hanc & egredi sine læsione cujuscunque combustibilis materiæ. Quibus dictis, ingemuit spiritus & lamentabatur. Prior autem timens, ne spiritus nimis fatigaretur quæstionibus suis, dixit: Creatura Dei, licentio te, ut requiem capias, quam Deus daturus est tibi. Et sic dimisit ipsum libertati suæ. Et extunc in nocte illa nihil amplius audiverunt. Post hoc in Vigilia Epiphaniæ ad majorem certitudinem de prædicto facto habendam, Prior iterum se transtulit illuc, & ducens secum Fratres prædictos cum multis aliis secularibus, in præsentia omnium illorum dixerunt officium mortuorum cum diversis orationibus & collectis. Tandem pulsatis matutinis in Monasterio S. Germani, audiverunt eundem sonum, quem in prima apparitione perceperant. Tunc Prior dixit viduæ domus, ut, sicut prius fecerat, inquireret, an ibi esset spiritus Gwidonis mariti sui defuncti. Qua quærente, respondit spiritus quod sic. Tunc Prior credens, quod tam diu staret secum, sicut in alia apparitione fecerat, non astrinxit ipsum conjurationibus ad remanendum, sed statim quæsivit ab eo, an ipsum agnosceret. Ad quem spiritus: Scio, quod Prior es in Conventu Ordinis Prædicatorum hujus civitatis. Cui Prior: Credis, Filium Dei veram assumsisse carnem humanam, remanente virginitate Matris suæ Mariæ intacta & inviolata. Respondit spiritus vocem extollendo: Hoc est, quod Angeli in cœlo vident, animæ in purgatorio sentiunt, & damnati spiritus in inferno credunt & contremiscunt. Deinde Prior quæsivit, an indulgentiæ pro se acquisitæ spiritibus & animabus in purgatorio existentibus prodesse possint, si ipse eis renunciaverit, & ad ipsas applicaverit, & participes fecerit? Respondit spiritus: Si cum illa conditione datæ sunt indulgentiæ, ut in purgatorio existentibus prodesse debeant, utique prodesse poterunt. Tunc Prior ait: Cur tu magis apparuisti hominibus hic in vita, quam alii spiritus? Ad quam quæstionem nihil respondens, subito disparuit, & videbatur omnibus circumstantibus, quod per eos transierit quidam ventus admodum debilis, sufflans leniter in eos. Et extunc amplius nihil de spiritu illo perceptum est per quemcunque. Unde opinabantur, quod residuum pœnitentiæ suæ compleverit in purgatorio communi. Bononienses, Florentini & quamplures aliæ civitates Italiæ cum satellitibus Papæ exeuntes, cum maximo populo obsederunt Lucanam urbem, secundum Henricum de Hervordia. Cives autem obsessæ civitatis habentes secum Capitaneum urbis Mediolanensis & mul-

& multos Teuthonicos stipendiarios, in occursum hostium suorum venerunt, & viriliter cum eis congredientes, acriter pugnarunt. Cum quibus Deus dimicans, victoriam Lucanis contulit, & de Florentinorum exercitu circiter LXVIM. armatorum straverunt, multis de eisdem submersis. Quos rumores lugubres cum Papa percepisset, turbatus est valde. Et quia Teuthonici pro magna parte hanc stragem fecerant, subtraxit Papa Alemannis gratiam suam diu Clericis eorum beneficia minime conferendo. Ericus Dux Jutiæ Regni Danorum, prodigi Woldemari filius, secundum Chronicam Danorum, obiit, cui successit Woldemarus filius suus puer vix X. annorum. Defuncto autem ipso Erico, Christoferus Rex Danorum sibi cessisse dicebat Langlandiam, quam Ericus invito Rege possederat. Sed contradicentibus Gherardo & Johanne Comitibus Holtzatorum avunculis Woldemari Ducis junioris, & ad suum favorem trahentibus Henricum Dominum Magnopolensem, Rex in proposito suo frustratus est. Fuerunt in Monasterio quodam Marchiæ Brandeburgensis trans Oderam, secundum Henricum de Hervordia, tres pueri religiosi annorum XVII. vel citra, Nicolaus Diaconus & duo Johannes Subdiaconi Deo singulariter devoti, & ea, quæ suæ professionis erant, servare soliciti cum omnibus sine querela conversantes. Horum unus Johannes, instante quadam communionis die, dixit Nicolao socio suo: Numquid confessus es frater? Respondit Nicolaus: Sum utique. Cui Johannes: Numquid bene confessus es? Dixit Nicolaus: Spero, quod bene. Et Johannes iterum: Ego scio, quod non bene confessus es; & exprimens peccatum, quod non erat confessus, dixit: Hoc peccatum confessus non es. Ad quem Nicolaus: Heu illud peccatum oblivioni tradideram. Vadens ergo Nicolaus, Johanne ignorante, confessus est illud peccatum cum lacrymis Prælato suo. Cui ad se redeunti dixit Johannes: modo bene confessus es. Et ait Nicolaus: Putabam, peccatum illud neminem scire nisi me solum. Cui Johannes: Præter te nullus homo scivit, sed Deus, quem nullum latet secretum, hoc mihi revelavit, & Spiritus Domini locutus est in me, volens, ut per me corripereris. Iste Johannes tam pauper fuit, quod nec librum quemcunque nec schedulam quamcunque scriptam habebat in cella sua. Procuravit autem sibi pennam & incaustum, & de pergameno quatuor quaternos ad mensuram pedalis quantitatis, & schedulas magnas sex, & in conspectu omnium, qui per cancellos ostii cellæ suæ transeundo videre voluissent, se posuit ad scribendum, cum tamen nec bene scribere nec legere sciret, nec intelligeret, quid legeret, nec sciret quæcunque dicere Latine. Scripsit ergo idiota talis & illiteratus sine quoque exemplari de capite suo tantum per manum & pennam in pellem transferendo. Et primo scripsit sex Epistolas nationibus diversis. Post scripsit librum magnum ad quantitatem libri Apocalypsis B. Johannis Apostoli, & ipsum Apocalypsim Johannis nominavit. Librum hunc & Epistolas dicit Fr. Henricus de Hervordia in manibus suis habuisse. Hi tres Fratres Ordinis Prædicatorum nominati vitam arctiorem vita sua quærentes, prius confitentur, communicant, & omnia sicut jam morituri essent, disponunt. Post habitum suum priorem transformatum, in mundum exeunt, prædicant, obsecrant, arguunt & increpant, vitam æternam pollicentur, & innumerabilem populum ad se trahunt. Nullus autem eos tangere præsumsit, ne forte tumultus fieret in populo. Nullis vero exhortationibus aut persvasionibus a proposito suo avelli potuerunt. Tandem cautulose capiuntur, ad monasterium reducuntur, ab invicem separantur, literati plures convocantur, ut videant, quid facto opus sit. Committitur ergo quilibet illorum alicui prudenti blanditiis, serio vel quomodolibet aliter examinandus. Qui cum in nullo devio aut crimine deprehendi possent, animadversum est, hæc singularitas (hanc singularitatem) puerorum horum innocentium hostis antiqui esse nequitias insidiosas. Corripiuntur ergo, & separati diversis Monasteriis deputantur emendati, & sub pœna magna prohibentur, nequid simile attentent amplius.

Nono an. Lodowici, qui est Dn. MCCCXXVI. Johannes Papa contra Lodowicum Regem longos & graves dedit processus, & eos publicavit; & Lodowicus contra Papam appellavit, sic proponens, secundum Egghardum. Nos Lodowicus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, proponimus contra Johannem, qui se dicit Papam, quod inimicus sit pacis, & intendat ad discordias & scandala suscitanda contra vitam, doctrinam & exempla Christi, cujus se Vicarium esse mentitur. Nec recogitat, quod B. Silvestro Papæ tunc latenti magnifice contulit Constantinus, quicquid Ecclesia etiam hodie libertatis obtinet & honoris. Ipse autem Silvestri successor, ut dicit, Imperio male respondet de beneficiis, sed ipsum exterminare conatur, & abutitur notorie plenitudine potestatis, quæ non nisi ad ædificationem Ecclesiæ datur. Sane constat, Imp. Romanum, ad cujus ipse præsumtuose tendit exterminium, a Deo est (esse) præparatum ad dilatationem Evangelii & ad fidem Catholicam a gravibus incursibus eruendam. Unde & Sacri Evangelii notorius est eversor & destructor, Archiepiscopatus, Episcopatus, Abbatias confert partialiter, & indignis omnino cujuscunque indignitatis & qualiscunque vitæ, dummodo sint Imperio Sacro rebelles & inimici. Imperialium vero nullus potest quomodolibet promoveri, quantumcunque dignus & sufficiens, quantumcunque peritus & doctus, quantumcunque bonæ vitæ & famæ. Fideles etiam Imperii bellis, fraudibus & dolis diversis, faucibus inimicorum suorum, quos ipse filios Ecclesiæ nominat, immittere nititur crudeliter devorandos, & Christianos veros & Catholicos falso dicit hæreticos, simul accusator, judex & testis existens. Et nominat multas civitates, & personas nobiles multas, in quibus dicit hoc patere. Ante tempus istud administrationem Imperii nobis interdicere non præsumsit, sicut nec de jure potuit, cum tamen & ante assumtionem suam & post ipsam jam per annos VIII. & ultra admini-

miniſtraverimus, & ipſe hoc ſciret maniſeſte. Cum enim vacante Imperio ad Comitem Palatinum Rheni de jure & approbata conſvetudine Imperii obſervata hactenus inconcuſſe, præſertim in partibus Alemanniæ competat jus administrandi jura Imperii, feoda Eccleſiaſtica & temporalia conferendi, & cætera alia negotia diſponendi. Iſte contendit, quod in nullum eventum ſibi competit, ad ſe vacantis Imperii adminiſtrationem pertinere. Dixit etiam in conſiſtorio maniſeſto, quod ipſe ad conculcandum ſerpentem æneum, id eſt Imperium Alemannorum omni tempore ſuo pro viribus vellet laborare & intendere toto poſſe. Inſuper tanquam vulpes ſubdola nunc nobis, nunc Duci Auſtriæ ſe favere fraudulenter oſtendit, ut nos ad invicem concitaret. Et ipſe nobis contendentibus & invicem nos extenuantibus, partem ſuam redderet pinguiorem. Nec etiam ſufficit ei contra Imperium temporale niti nequiter, ſed & contra Chriſtum, Virginem Benedictam & Sanctos Apoſtolos, quantum ad vitam eorum & actus inſurgit. Nam non ſolum vita ſua mala & a contemtu mundi aliena, ſed & hæretico dogmate & venenata doctrina in prædicationibus publicis aſſerit & affirmat, Chriſtum & Apoſtolos habuiſſe bona temporalia in communi eo modo, quo nunc habent alia collegia, quod dictum eſt notorie hæreticum & profanum & contra Evangelii Sacri textum & talia plurima. De Regula vero Fratrum Minorum & de B. Franciſco Lodowicus in Appellatione iſta proſequitur, & in Conſtitutiones Johannis Papæ Ad Conditorem & alias quaſdam impingit, dicens ibidem: Quæ Conſtitutiones ipſum ſicut maniſeſtum hæreticum & de corpore Eccleſiæ præciſum incidiſſe in damnatam hæreſin probant, & per conſequens ab omni ſtatu Prælationis depoſitum. De Paupertate quoque Chriſti & Apoſtolorum notabiliter multa dicit, ex quibus, ut dicit, patet, Johannem ipſum veraciter hæreticum extitiſſe. Quibus & aliis plurimis ſic propoſitis, idem Lodowicus proteſtatus fuit, dixit, juravit, provocavit, appellavit & ſuppoſuit legendo in ſcriptis, ut inferius continetur. Nos Lodowicus Romanorum Rex ſemper Auguſtus proteſtamur, quod prædicta non proponimus nec dicimus propter odium aliquod ipſius, qui ſe dicit Johannem Papam, ſed propter injuſtitias ſuas & maleficia ſua prædicta, nec in injuriam vel infamiam ipſius, ſed propter zelum fidei. Poſt multa ſubjunxit: Propter prædicta Concilium generale congregari petimus, & cum inſtantia petimus repetita. Et ne dictus Johannes contra Sacrum Imperium, Nos & ſtatum noſtrum & jura Imperii, & noſtras terras, Prælatos noſtros & Principes &c. ſpirituali gladio abutendo de facto procedat excommunicando, interdicendo, ſuſpendendo, privando, transferendo vel alias quomodolibet ordinando pro nobis & nobis adhærentibus, nunc & in futurum adhærere volentibus quibuscunque ad generale Concilium. Quod iterum & cum inſtantia repetita in loco tuto nobis & noſtri (forſ. noſtris) convocari petimus, & ad verum legitimumque futurum Summum Pontificem, & ad Sanctam Eccleſiam matrem noſtram provocamus & appellamus in his ſcriptis, & appellationes alias per nos factas innovamus, & apoſtolos teſtimoniales a vobis Principibus noſtris Eccleſiaſticis & mundanis ac Notariis publicis hic præſentibus cum inſtantia poſtulamus. Lokoldus Rex Polonorum collecto magno exercitu barbarorum de Regno Lithuanorum, quorum Regis filiam filius ſuus habebat in uxorem, ſecundum Egghardum, & de Regno Ungarorum, quorum Rex filiam ſuam habebat in conſortem, intravit Marchiam de Brandeburg contra Lodowicum Marchionem filium Lodowici Regis Romanorum, & obſedit Primiſlaviam opidum, & vaſtavit totam terram illam, captivavitque multos viros & mulieres, & ſecum transvexit in Regnum ſuum. Prutheni autem & Fratres de domo Theutonica in nullo nocuerunt exercitui Lithuanorum, nec impediverunt eorum tranſitum, quia prohibiti erant per Johannem Papam ſub excommunicationis ſententia, eo quod jam patrem Lodowici Marchionis excommunicaſſet tanquam Eccleſiæ hoſtem. Erat autem in Polonorum terra vir quidam ſtrenuus & audax nomine Hartwicus. Hic videns Dawidam Regem Lithuanorum de Ploſcowe tranſire, & attendens, quod Rex ille Chriſtianis multa gravamina & incommoda feciſſet, vires ſuas excitavit, & proſiliens in eum transfodit, & mox ſe vertens ab hoſtibus, velociter fugit, optimo inſidens equo, Rex autem Dawida corruens de equo exſpiravit. Henricus Dominus de Mykelenburg pugnavit cum Johanne Domino Slavorum prope villam Fredrikſtorpe, ſecundum Chronicam Obotritorum, & victoriam de eo obtinuit. Eodem anno obiit Nicolaus Comes de Wittenburg, relinquens poſt ſe duos filios Guntzelinum & Nicolaum. Albertus Epiſcopus Halberſtadenſis obiit, ſecundum Chronicam Saxonum, poſt cujus mortem electi ſunt duo Epiſcopi. Nam una pars Capituli elegit Albertum filium Alberti Ducis de Brunswic, alia autem pars elegit Dominum de Nendorpe. Qui vadens ad curiam, in via defunctus eſt. Papa vero dedit Epiſcopatum Gilberto fratri Johannis Comitis Holtzatorum, ſed Albertus electus Dux de Brunswic occupavit caſtra & munitiones. Otto Epiſcopus Caminenſis obiit, cujus Eccleſiæ Capitulum elegit in Paſtorem Magiſtrum Johannem Canonicum ejuſdem Eccleſiæ, oriundum de Gottingen terræ Saxoniæ. Sed Papa Johannes dedit Epiſcopatum Fratri Arnoldo Ordinis Prædicatorum, ſecundum Chronicam Obotritorum. Qui veniens in ſedem ſuam, ab aliquibus receptus eſt, & ab aliis refutatus. Et ſic magna diſcordia orta eſt in diœceſi, quam quidem controverſiam Papa per hoc ſedavit, quod prædicto Magiſtro Johanni electo contulit Eccleſiam Verdenſem, defuncto Nicolao Ketelhud Epiſcopo dictæ Eccleſiæ. Ingelburgis mater Haquini Regis Sweorum, ſecundum Chronicam Danorum, nupſit Kanuto Duci de Hallandia cognomento Porſe, quem Chriſtoferus Rex alias de ruſtico fecit militem & de milite Ducem. Hæ quidem nuptiæ celebratæ ſunt contra voluntatem Pro-

cerum

Digitized by Google

cerum & Nobilium amborum Regnorum Sweciæ ſcilicet & Norwegiæ, eo quod Dux ille de baſſo & ignobili genere natus non eſſet dignus tam generoſo ſangvini matrimonialiter copulari. Ad has quidem nuptias invitatus eſt Johannes Comes Holtzatorum. Qui dum in via transeundi illac eſſet conſtitutus, interfectus eſt Johannes Broctorp miles Comiti valde fidelis, & advocatus ſuus per quosdam de familia Comitis Johannis. Cujus necem cum Johannes Comes intellexiſſet, valde triſtis effectus retroceſſit, & veniens in terram ſuam, homicidas illos proſcripſit, perpetuo exilio eos damnans, uxores vero eorum & liberos de terra jecit, & omnia eorum bona fiſco ſuo applicuit. Bertoldus Comes de Hennenberg venit ad urbem Lubicenſem, ſecum ducens filium Marchionis de Brandeburg Lodowici juvenem IX. annorum, ſecundum Chronicam Lubicenſem, quem ultra transvexit in Daciam, ubi duxit in uxorem filiam Chriſtoferi Regis Danorum, & manſit apud illum usque poſt feſtum Epiphaniæ. In illis nuptiis plures fuerunt Principes, inter quos unus erat Henricus Dominus de Mykelenburg, qui magnam partem Marchiæ bello juſto ſibi acquiſierat. Rex vero volens habere placita cum eo de portione Marchiæ prædicta, poſtulavit Dominus de Mykelenburg inducias ſpatii unius diei, ut conſilium cum ſuis haberet amicis de negotio illo, & obtinuit. Sed induciis durantibus Henricus navem aſcendit ſilenter, & cum ſuis ad propria rediit. Finita autem ſolennitate nuptiarum, Bertoldus Comes de Hennenberg reverſus eſt Lubeke cum juvene Marchione, & vocans Henricum Dominum de Mykelenburg in colloquium, iniit cum eo fœdus, & dedit illi XXM. marcarum Brandeburgenſis monetæ. Et ſic Dominus Henricus reſignavit ſibi partem Marchiæ huc usque per ipſum poſſeſſam. Wirtizlaus Dominus Rugianorum obiit ſine hærede, ſecundum Chronicam Danorum. Pro qua terra habenda omnes Principes circumjacentes certabant, puta Rex Danorum, Dux de Wolgaſt, Dominus de Mykelenburg & civitas Sundenſis. Sed Chriſtoferus Rex Danorum obtinuit potiorem partem. Trittowe caſtrum ædificatur per Johannem Comitem Holtzatorum, ſecundum Chronicam Lubicenſem, contra caſtrum illud damnoſum Lynowe, qui locus Monachorum erat de Reynevelde, quibus Comes in recompenſam dedit alia bona, puta Arnsvelde & Woldehorne villas.

Decimo anno Lodowici, qui eſt Domini MCCCXXVII. Viſum (Viſus) eſt in metis Weſtphaliæ & Saxoniæ infra opidum Bodenwerder ſub montibus in depreſſo & lapilloſo litore Wyſeræ, ſecundum Henricum de Herverdia, quidam habens figuram hominis maſculi completam in membris omnibus, in longitudine cubitali vel paulo minus, veſtem habens de ſerico rubeo inſtar diploïdis gratioſe contextam & per cingulum corpori ſuo decenter aptatam. In cujus veſtis inferiori parte per totum circuitum quaſi loculi puellares pendebant ad reſervandum ſibi fila vel acus & hujusmodi. Duo igitur piſcatores videntes ipſum in litore quaſi puerum ludere lapilloſque colligere, naviculam celeriter ad litus dirigunt, ipſumque fugientem alter inſequitur, & inter ſcapulas remo percuſſum in terram ſtravit & apprehendit. Et cum caderet percuſſus, non loquebatur, ſed gemitum dedit ſingultuoſum. Ductus autem ad opidum ſupra dictum a Domino terræ, militibus, civibus, viris & mulieribus videbatur & tangebatur, ſed nec comedebat nec bibebat nec loquebatur. Poſt quinque autem dies de communi conſilio ducitur ad pontem Wiſeræ contra montem, & hominibus de longe ſe ſequentibus præceſſit, ſæpe retroſpiciens, usque dum monti jam appropinquaret, & tunc ſubito montem ſubintrans, inter arbuſta diſparuit. Dominus Borchardus de Scrapelo cognomento Lappe Magdeburgenſis Archiepiſcopus a civibus ſuis crudo quodam & barbarico genere mortis nequiter peremtus eſt, ſecundum Chronicam Saxonum. Sane Pontifex hic genere quidem nobilis moribusque ſobrius, pudicus, caſtus, prudens & facetus, cum Eccleſiæ ſuæ jura per cives prædictos & quosdam alios violata & conculcata ſuſcitare, & in priſtinam libertatem & vivacitatem revocare ſatageret, & injurias pro viribus propulſare, civium prædictorum rancoroſam odioſamque & furibundam incidit indignationem. Lingvis ergo eorum acutis quaſi novaculis ſubraditur, dentibus venenatis roditur & laceratur, ac inſidiis doloſis ſupplantatur. Et primo armis non civium ſuorum, ſed extraneorum diverſorum nunc horum & nunc illorum, per ipſos tamen cives clam vocatorum, atrocius & hoſtiliſſime cottidie perurgetur, de quibus tamen Deo ſibi auxiliante victoriam ſemper reportans, viriliter reſtitit. Sed tandem a civibus ſuis fraudulenter circumventus; de conſilio amicorum ſuorum amicitiam cum eis iniit, utrobique pace, fidelitate & amicitia jurejurando ſuper Corpus Chriſti firmatis. Sed poſt non magnum temporis intervallum odium, quod adhuc latebat in cordibus civium pace ſimulata palliatum detegitur, & ut virus ab interioribus ad cutem prodire compellitur ad ſcabiem & ulcera generanda. Unde Antiſtitem ſanctum in urbem Magdeburgenſem confidenter venientem & pacifice, nec quicquam mali ſuſpicantem violenter invadunt, capiunt, & in palatio ſuo quaſi in carcere concludunt. Mane autem facto, vidit Archiepiſcopus in oſtio cubilis reſerato creta ſcriptum: Verbum per Corpus Chriſti juraſti, ſed non tenuiſti. Quod exhorrens Epiſcopus, deleri juſſit. Sequenti vero nocte creta ſcribunt in eodem oſtio verſum talem:

Frangenti fidem, fides frangatur eidem,

Pacem ipſum & fidem juramentumque violaſſe fingentes. Quod Antiſtes diligenter attendens, ſimulque malitiam & odium eorum ad ſe mente revolvens, totus animo dejicitur. Unde blanditiis & promiſſis multis animos furentium emollire nititur. Sed illi nec blandientem nec promittentem aut damnantem attendunt, nefas tamen, quod facere intendebant, differunt in idonea tempora noctis. Qua adveniente, ipſum more furum clam in caveam quan-

quandam subterraneam profundam, fœtidam & tenebrosam, sed bene firmatam ducunt, & ipsum vinculis gravibus, horridis tenebris, fœtoribus, squaloribus contumeliisque & inedia arto (leg. atro) scilicet pane & aqua brevi macerantes ac martyrizantes diutius, quousque genus mortis, quod sibi parabant, invenirent. Ad illud ergo parricidium crudele explendum XIIII. viri sceleratissimi eliguntur, VIII scilicet de Magdeburg, IIII. de Hallis & II. de Calvis. Isti larvis simillimis per omnia cooperti, in tantum etiam quod unus ab alio discerni non poterat, & in indumentis conformibus tecti, de tenebris ad Pontificem tunc in cameram ipsam parum luminis habentem prodeunt, quilibet clavam in manu gestans, & circa Pontificem chorizantes ut dæmones & lemures nocturni discurrentes, unus eorum tandem caput ejus sacrum clava ferit, & cerebrum excutiens, cranium in profundum egit. Qua cæde peracta, satellites diaboli tenebris interioribus oppressi, ab invicem de tenebris exterioribus separati secundum condictum, ne quis alium cognosceret, larvati ad propria redeunt, clavas cum larvis deponunt, & mendacium spem ponentes, ut scilicet a nullo præterquam ab occisore sciretur, quis Archiepiscopum manibus suis interemisset. Corpus autem mortuum in vinculis & cavea dicta reliquerunt, quoadusque jam putrefactum in tantum extabuit, quod nisi per unicum signum agnoscebatur, licet a civibus Clero ostenderetur. Sublatum autem de vinculis & cavea cum multis Cleri lacrymis & gemitibus ac reverentia non modica, solenniter in medio majoris Ecclesiæ sepelitur, altare ad caput ejus fabricatur & ad pedes capisterium firmum ad oblationes fidelium recipiendas & conservandas. Tumuli quoque sui lapidem tali epigrammate signarunt:

Hic jacet omnis homo; quicquid virtutis in illis
Particulare fuit, hoc simul hujus erat.

In margine vero lapidis sic scripserunt:

Borchardus gratus Domino jacet hic tumulatus,
De Scrapelo natus, pro jure tuendo necatus.

Hanc autem interfectionem crudelissimam Deus postea diversis modis vindicavit in suis interfectoribus. Vacante ergo Ecclesia Magdeburgensi, Canonici ejus Heydenricum Decanum ejusdem Ecclesiæ virum decrepitum in Archiepiscopum elegerunt. Qui mox cives Magdeburgenses, Hallenses & Calvenses de morte Archiepiscopi suspectos excommunicavit, loca eorum subjiciens strictissimo interdicto. Episcopus autem Martipolensis frater dicti Archiepiscopi occisi dictos cives odiose persequi cœpit cum suis amicis & quibusdam Nobilibus, quibus iidem cives restiterunt, prout potuerunt. Archiepiscopus autem electus pro sua confirmatione iter arripiens versus Romanam curiam, in Franconia captivatus est per Lodowicum Regem Romanorum in odium Papæ & antecessoris sui Archiepiscopi occisi, qui dicto Regi & Lodowico filio suo Marchioni valde adversabantur, & in eadem captivitate post breve tempus defunctus est. Quo audito, Papa sibi electionem reservavit, & eodem anno filio Lantgravii Hassiæ Archiepiscopatum dedit. Quidam articuli de doctrina S. Thomæ de Aquino Ordinis Prædicatorum extracti per quosdam veritatis inimicos, & Parisius inconsulte condemnati per Stephanum Episcopum Parisiensem consultius revocantur & salvantur, secundum Henricum de Hervordia, cujus revocationis ad scholas hæc fuit forma: Universis præsentes literas inspecturis, Stephanus permissione divina Episcopus Parisiensis, salutem in omni salvatione. Magistra rerum experientia certis indiciis evidenter demonstrat, multa quibusdam temporibus ordinata consulte, novis emergentibus causis succedentibus temporibus in contrarium debere consultius immutari. Dudum siquidem quidam prædecessores nostri felicis memoriæ Parisienses Episcopi quosdam articulos, ne forsan eos male intelligentes caderent in errorem, tanquam erroneos per excommunicationis sententiam damnaverunt & interdixerunt expresse, quorum tamen nonnulli doctrinam eximii Doctoris B. Thomæ de Aquino tangere ab aliquibus asseruntur. Quam articulorum damnationem & sententiam venerabiles viri Decanus & Capitulum Ecclesiæ nostræ Parisiensis, sicut veritatis Zelatores, intimius considerantes, necnon doctrinæ & famæ B. Thomæ inustam denigrationem, veritatis occultationem & S. Romanæ Ecclesiæ non modicam dehonestationem, per venerabiles viros Magistrum Hanibaldum de Cethano Atrebatensem Archidiaconum S. Theologiæ Doctorem & Dominum Petrum de Fayello, Parisienses Canonicos eorum nuncios propter hoc ad nos specialiter destinatos nos requisiverunt, nobisque supplicarunt, quatenus vocatis omnibus Theologiæ Sacræ Doctoribus & Professoribus, ac cum eisdem communicato consilio & deliberatione habita diligenti, necnon cum aliis, qui de talibus & in talibus scire possunt veritatem, viam aperiamus, per quam in prædictis articulis, in quantum doctrinam B. Thomæ prædicti tangere videntur, & S. Romanæ Ecclesiæ ac prædicti Sancti honorem & reverentiam servare possimus. Nos ergo attendentes cum eis, quod sacrosancta Romana Ecclesia fidelium omnium mater & magistra in firmissima Petri Vicarii Christi confessione fundata, ad quam velut ad universalem Catholicæ veritatis regulam pertinet approbatio & reprobatio doctrinarum, declaratio dubiorum, & determinatio tenendorum ac refutatio errorum, præfatum Doctorem venerabilem, cujus doctrina fulget Ecclesia, ut sole luna, nuper SS. Confessorum ascribendum decrevit catalogo, diligenti discussione & examinatione præhabita super vita ipsius & doctrina, ipsumque quoad vitam puram & doctrinam salubrem orbi terrarum commendabilem prædicavit, cupientes gloriosum Deum in Sanctis suis apud fidelium devotionem in terris gloriosius exaltari, ac sanctissimæ matris nostræ prædictæ desiderantes vestigia sancta pro viribus imitari, dictumque Confessorem feliciter in cœlis regnantem apud terrigenas devotius & celebrius honorari. Præsertim

Digitized by Google

sertim cum fuerit & sit universalis Ecclesiæ lumen præfulgidum, gemma radians Clericorum, flos Doctorum, universitatis nostræ Parisiensis speculum clarissimum & insigne, claritate vitæ, famæ & doctrinæ velut stella splendida & matutina refulgens, per venerabiles & dilectos Consiliarios nostros fideles Magistrum Hugonem de Bisuntio Cantorem Parisiensem, Magistrum Stephanum de Nova villa & Oddonem Senonis Canonicos Parisienses inquisitione facta super articulis prædictis apud Doctores Theologicæ Facultatis in eorum congregatione generali regentium & non regentium, secularium & regularium ad hoc specialiter convocata, comperto per Dei gratiam, dictum Confessorem Beatum nihil unquam sensisse, docuisse vel scripsisse, quod sanæ fidei aut bonis moribus adversetur: de Consilio venerabilium virorum Decani & Capituli Parisiensis & venerabilis Domini Wilhelmi Dei gratia Archiepiscopi Viennensis, S. Theologiæ Professoris, & aliorum XXIIII. Magistrorum in Theologia, una cum Reverendo Patre prædicto in literis sub eorum sigillis per præfatos Commissarios nobis missis, necnon & XXIX. Baculariorum in Theologia, super hoc per literam eorum propriis inscriptionibus & sigillis munitam, nobis super hoc consulentium & humiliter rogantium, ac aliorum discretorum solenni & maturo super hoc consilio habito, supra dictam articulorum condemnationem & excommunicationis sententiam, quantum tangunt vel tangere asseruntur doctrinam B. Thomæ prædicti, ex certa scientia tenore præsentium totaliter annullamus, articulos ipsos non propter hoc approbando seu etiam reprobando, sed eosdem discutioni (discussioni) scholasticæ libere relinquendo. In cujus rei confirmationem & testimonium sigillum nostrum præsentibus est appensum. Datum apud Gentiliacum anno, quo supra, die Jovis ante sacros cineres. Et hæc litera in festo B. Thomæ Doctoris sæpe dicti sermone finito, toti Universitati Parisiensi per Magistrum Petrum de Palma omnibus congratulantibus & auscultantibus publicatur. Gerardus & Johannes Comites de Holtzatia cum manu valida venientes in Füne terræ Danorum, conspirationem & ligam quandam fecerunt contra Christoferum Regem Danorum cum Funensibus, & mox obsederunt castrum Nüburg, secundum Chronicam Danorum. Quod cum expugnassent & cepissent, Rex fugam capiens, transfretavit cum magna pecuniæ summa collecta in urbem Rostok. Ubi ad se invitans Dominos de Mykelenburg & Slavia, rediit fretus auxilio eorum cum mille armatis in Daciam. Sed Dani confœderati cum Holtzatis, iterum ipsum cum toto suo exercitu terra pellentes, & Regno privantes, elegerunt sibi in Regem Woldemarum filium Ducis de Sleswic juvenem XII. annorum. Hic Rex novellus celebrans curiam suam in Füne, concessit Gerardo Comiti Holtzatorum avunculo suo Ducatum in Jutia, Johanni vero Comiti dedit Langelande, Valsterbode & Ymbriam, quæ insula vulgariter Vemeren dicitur. Miles autem de Saxonia habuit tunc castrum Werdingburg, quod Gerardus Comes ab eo redemit pro IIIIM. marcarum Lubicensis monetæ, pro qua pecunia assignavit sibi castrum Sigeberge. Quod cum acceptasset, & sua in castro habuisset, nocte venerunt quidam, qui ascendentes murum castri, ceperunt illud aliis dormientibus, & vincientes omnes in castro inventos, projecerunt eos de castro per murum, & obtinuerunt castrum cum omnibus rebus militis prædicti.

Undecimo anno Lodowici, qui est Domini MCCCXXVIII. Edwardus filius Edwardi Regis Angliæ turpiter per malitiam uxoris suæ extincti, secundum Wilhelmum, post mortem patris accepit in uxorem filiam Wilhelmi Comitis Hollandiæ. Johannes Comes Holtzatorum, secundum Chronicam Lubicensem, accepit in uxorem Mirislawe filiam Nicolai Comitis de Wittenborg, sororem Guntzelini & Nicolai Comitum. Philippus Rex Francorum cum multo populo venit in Flandriam, & vastavit ibidem multa opida & villas, secundum Wilhelmum, Comes autem Flandriæ cum suo exercitu processit in occursum Regis, & pugnavit cum eo prope Tassele. Sed Rex fortificatus auxilio Swageri sui Wilhelmi Comitis Hollandiæ victoriam obtinuit de Flamingis, interfectis multis de ipsis. Brugenses autem cives, licet essent in campo, nulli tamen parti opem ferebant, sed Gandavenses Domino suo astiterunt. Rege vero reverso in Franciam, Comes Flandriæ cum adjutorio Gandavensium traditores suos de civibus Brugensium captivavit, & miserabili morte eos peremit. Frater Bruno de Warendorp Ordinis Prædicatorum domus Lubicensis migravit ad Dominum, secundum Henricum de Hervordia. Hic ab adolescentia sua Verbum Dei populo frequenter prædicans, culpas pauperum & divitum indiscriminanter sibi confiteri volentium audiens, salutaribus monitis omnes devotius erudivit, & nihil ad regulam suam seu constitutiones Ordinis sui quomodolibet attinens prætermittere curavit, omni tempore Refectorium, nocte dieque chorum frequentavit. In convictu sociali & solatiis inter Fratres sine querela vivens, de contingentibus nihil obmisit. Latenter autem & in cordis sui cubiculo ostio clauso Deo Patri, qui videt in abscondito, & unicuique secundum merita sua reddet in futuro, totus deditus, vitam artissimam, mentem sanctam, cor mundum & devotum, & in ipso corde dulcedinem quandam læte calideque per oculos lacrymantem, & singultuosius ad superna suspirantem semper habebat. Circulis enim V. ferreis ad cutem cinctus, & coronulis seu rotulis dentatis quotidie corpus suum affligebat, & macerando martyrizandoque premebat, ut sic licet animam sanctam gladius persecutionis fidei non abstulerit, tamen quia prædicando testis extitit Salvatoris & dictis enormibus cruciatibus quotidie corpus suum afflixit, palmam martyrii cum B. Martino non amitteret. Latitudo autem prædictorum circulorum ferreorum erat quasi duorum digitorum; coronæ seu rotæ majoris diametri latitudo erat quasi tertia pars pedis humani, cujuslibet rotulæ diametri duo (duæ,) de se

Digitized by Google

se in modum crucis intersecantes. In latere circumferentiæ cujuslibet rotulæ erant XII. clavi quasi stimuli, ut in corona Regali lapides pretiosi. Sicque in qualibet quarta rotulæ fuerint clavi vel stimuli tres. Diameter etiam uterque simul XII. clavos habebat, in quolibet sui brachio tres. Simul ergo in una rota vel coronula clavi XXIIII. erant. Circulus autem major dorsum ejus cum ventre cingebat, & in dorso quidem parte circuli cohærebant, in ventre vero jungebantur sic, quod clavo per utramque partem circuli transmisso & inferius repercusso confirmabantur. Quilibet enim circulorum ferramentis duobus cohærens, ut in manicis ferreis fieri solet, extendi poterat, & circa corpus recurvari. Circuli minores circa brachia fuerunt & coxas, & latera coronarum vel rotarum dictarum cum stimulis & clavis ad carnem erant versa, superficies vero earum plana ad vestes, ut quocunque se vel recurvaret, vel appodiaret aut genu flecteret, semper martyrium inveniret. Nam corona major contra cor super pectus, minores duæ circa cubitos, mediocres vero duæ circa genua, ad quemlibet cubitum una, & ad genu quodlibet una. Coronæ istæ cum stimulis suis per catenulas quasdam subtiles de metallo circa corpus suum applicatæ & ligatæ firmabantur, circa quod jam tanto tempore fuerant, quod injuncturis earum per rubiginem & lendium turpem multitudinem signabantur. Circulos hos cum coronis & catenulis distincte vidi, & manibus meis omnes cum reverentia & admiratione multa attrectavi in Conventu Lubicensi. Hæc Henricus de Hervordia. Ego vero præsentis Voluminis & Chronicæ hujus compositor eadem clenodia veneranda vidi, & manibus meis indignus attrectavi. Reperi etiam visitando cellam cujusdam Fratris defuncti, quandam schedulam vetustam & vix legibilem, scriptam manibus dicti Fratris Brunonis, in qua clare exprimit, propter quid tam duram vitam egerit, & quid circuli & coronæ cum stimulis significent. Cujus literæ tenor de verbo ad verbum fuit talis: Ad gloriam Beatissimæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus Sancti Dei mei, a quo est omne datum optimum, qui & seminat omne semen salutis in agros cordium hominum salvandorum, & ad profectum audientium, ut in humilitate pœnitentiæ & caritate devotius vivant illi omnibus diebus vitæ suæ. Ego Frater Bruno de Warendorp Ordinis Fratrum Prædicatorum Conventus Lubicensis facio pœnitentiæ & carnis semina mihi divinitus inspirata, quæ secuntur. Cingulum ferreum & alia ferramenta, quæ propter amorem Dei mei ob pœnitentiam delictorum meorum portavi, crucem pœnitentiæ & catenam carnis vocari volui; Crucem quidem pœnitentiæ, ut Christo confixus, corpus meum crucifigando (crucifigendo) peccata mea in hac cruce pœnitentiæ meæ crucifigerem pro nomine Crucifixi; catenam vero carnis vocavi, ut per ipsam Deo meo me, qui caro sum, & omnibus in carne ambulantibus alligarem fortius vinculo caritatis. In hac ergo cruce pœnitentiæ sive catena carnis quasdam spinas assignavi Beatissimæ Trinitati Deo misericordi, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat, ut meam approbaret pœnitentiam; quasdam vero clementissimæ matri misericordiæ, unico reclinatorio salutis humanæ, ut in die illa tremenda solutionis corporis & animæ, in sinum misericordiæ suæ me misericorditer reciperet, pia mater pio filio commendandum; quasdam autem Angelis Sanctis in gaudium, quibus est gaudium super peccatore pœnitentiam agente, discurrentibus inter Deum meum & me, ad pœnitentiam me excitando, & vota mea illi offerendo, illum placando, & dona sua mihi referendo, qui non cessant salutis meæ negotia agitare & procurare; quasdam quoque omnibus Sanctis, qui per septem dona Spiritus Sancti septem virtutibus Theologis & cardinalibus informati, per præcepta & consilia, per supererogationis & misericordiæ opera hujus maris magni pericula transierunt, & ad portum patriæ cœlestis pervenerunt, ut ipsorum meritis & orationibus adjutus, vestigia ipsorum imitando, quo ipsi præcesserunt, perveniam post hanc vitam; quasdam insuper Patriarchis per donum intellectus in fide illuminatis, ut ipsorum meritis in fide fidelis & firmus inveniar apud Deum; quasdam plerisque Prophetis, puta Johanni Baptistæ & cæteris, qui per donum consilii spe prædictis, spe sursum erectis, & miserationem Domini nobis facientibus, ut per idem donum Spiritus Sancti & per ipsorum merita spem obtinendi propitiationem omnium fragilitatum mearum mihi impetrent apud Deum; quasdam etiam SS. Apostolis per sapientiæ donum igne caritatis succensis, quorum corda in amore Jesu ferventia, illo in cœlum ascendente, post illum pariter ascenderunt, ut illorum meritis per donum idem caritatis succensus, cogitationibus, meditationibus, affectionibus, & omnibus interioribus meis quotidie sursum ducar, ubi videam Regem Regum in decore suo sedentem super solium suum excelsum & elevatum, in ea forma, qua æqualis est Patri in splendoribus Sanctorum, qua ante luciferum genitus est, in qua & Spiritus in eum prospicere desiderant Angelorum; quasdam martyribus, qui per donum fortitudinis roborati, fortesque facti in bello contra carnem, mundum & diabolum in tribulationibus Deum non deseruerunt, sed inter tormenta gaudentes & Deum benedicentes, alacriter pœnas & supplicia sustinuerunt, ut meritis ipsorum eodem dono fortitudinis roboratus, in meis vexationibus, pressuris & passionibus patiens & gaudens addiscam laudare & benedicere Deum meum; quasdam Confessoribus & Doctoribus, qui per donum scientiæ illuminati & succensi, zelo salutis proximorum & virtute prudentiæ prædicando, confessiones audiendo, scribendo, salutaria persvadendo, animarum periculis obstiterunt indefesse, ut ipsorum meritis eodem dono scientiæ viam prudentiæ illorum sic sequar, ut eorum operositas meam desidiam, negligentiam & insufficientiam impleat in prædictis; quasdam Sacris Virginibus, quæ per donum timoris virtute temperantiæ carnis desideriis reni-

Digitized by Google

tentes, Agnum sponsum Virginum immaculatum sine carnis macula sunt secutæ, ut eodem dono timoris ipsarum puritas carnis meæ fragilitatem impuritatemque purificet apud Agnum Virginum; quasdam denique generaliter omnibus electis Dei, qui per donum pietatis virtute justitiæ per præcepta, consilia & misericordiæ opera diversis inspirationibus S. Spiritus inspirati, nova & diversa exercitia virtutum invenerunt, ut ipsorum meritis per idem donum intra ipsorum numerum merear computari, ut sicut ipsi in hac vita fragili laverunt stolas suas, & candidas eas fecerunt in sangvine Agni, ita eorum orationibus adjutus, purgari & candidari merear in ista vita. Quasdam etiam spinas portavi pro peccatoribus, ut Pater misericordiarum corda eorum illuminaret, & cito converteret; quasdam pro pœnitentibus, ut illos in bonis operibus & virtutibus proficere faciat; quasdam insuper pro perfectis, ut illos in bono perseverare concederet; & quasdam pro animabus in purgatorio existentibus, ut Dominus eo citius eos liberaret. In his omnibus benedico & glorifico Deum meum, qui ex sua misericordia hoc mihi inspiravit. Cingulum autem istum ferreum sumsi in Novitiatu meo cum scriberetur anno Dn. MCCLXXXVI. ætatis meæ an. XXI. quem complevissem in die S. Vincentii, quando in circumcisione Ordinem intravi, usque nunc, ita tamen quod primis V. annis sub forma minus spinosa, post quos Dominus Jesus hanc formam mihi dedit. In figura vero passionis Domini Nostri Jesu Christi, crucem & lanceam, clavos & coronam & sex fibulas spinosas cum hac forma ultima suscepi in memoriam & honorem V. vulnerum, quæ in cruce pro me sustinuit Deus meus, supplicans ei singulis diebus & singulis noctibus, ut, sicut ipse mori voluit in cruce passionis suæ amarissimæ, sic etiam permitteret me in cruce mori veræ pœnitentiæ, & sicut ipse voluit nisi mortuus deponi de cruce passionis suæ, sic non me nisi mortuum deponi permitteret de cruce hujus pœnitentiæ; & sicut ipse immobilis perdurans in caritate vitam finivit, & ex caritate pro suis Crucifixoribus oravit, ac injurias dimisit, sic daret mihi in caritate vitam finire, & ex caritate pro meis injuriatoribus, turbatoribus, afflictoribus & persecutoribus exorare, & injurias dimittere pleno corde. Cinctoria autem crurium & brachiorum assumsi completis XXVIII. annis in ordine in capite jejunii. Pro his omnibus benedictus sit Pater & Filius & Spiritus Sanctus. Non putet quisquam, propter hæc ferramenta me debilitatum, tardatum, aut inutilem redditum ad labores communes Ordinis mei: sed sciant omnes, passionem intraneam & intrinsecam, quam patior, forte ex ruptura aliqua occulta circa vesicam mihi accidisse ex labore viæ, quam feci ex obedientia Ordinis mei, & ex illa passione ire non potuisse. Scripsi autem hæc anno Dn. MCCCXVII. passionis meæ jam tactæ anno VII. Si etiam Domino placuerit, hanc schedulam inveniri faciat; sin autem, occultam manere permittat. De hoc Domini semper voluntas fiat. Hæc omnia, ut præmisi, scripsi de schedula eadem, de qua hic mentionem facit, quæ erat propriis manibus viri Dei exarata. Flagitemus Dominum Deum, ut ejus meritis & precibus Christo convinculati, gloria & honore per ipsum coronari mereamur. Amen. Lodowicus Rex Romanorum, victo Frederico Duce Austriæ & Regno ad se solum devoluto, prout supra dictum est, expeditionem in Italiam paravit, secundum Chronicam Lombardorum. Quo pervento, per Johannem de Vicecomitibus Episcopum Mediolanensem apud Modoëtiam in Regem Lombardorum cum fastu magno & jocunditate coronatus est, juxta statutum Karoli Magni, ut dicunt eædem Chronicæ, quod a temporibus illis semper extitit observatum. Sic ergo Lodowicus Modoëtiæ coronatus, ulterius Romam pro completiva Imperialis Majestatis corona adipiscenda proficiscens, missis legatis solennibus in Avinionem ad Papam Johannem, Coronam Imperialem per ipsum sibi dari sincerius postulavit. Quem cum Papa reprobans coronare recusaret, Rex Romam proficiscitur, & ab Episcopo Aretino, astantibus pluribus aliis Episcopis, in Imperatorem gloriose coronatur, & a Romanis Patricius & Augustus more consveto acclamatur. Uxor vero ejus, filia Wilhelmi Comitis Hollandiæ, Imperatrix per eundem Episcopum benedicitur & coronatur, ex qua filium Romæ susceptum Romulum vocavit. Papa autem Johannes duos processus graves contra ipsum publicavit, in quibus ipsum omnibus juribus, siquæ per electionem vel consvetudinem assecutus fuit, pariter & Regno totaliter privavit, electionem ipsam cassavit, annullavit, & sententiam excommunicationis in ipsum aggravavit, ac communionem cum eo omnibus fidelibus strictissime interdixit; post vero ut rebellem Ecclesiæ & fautorem hæresis Minoristicæ de Paupertate Christi & Apostolorum ejus nec non hæreticum per se denunciavit. Econtra Lodowicus Rex Papam Johannem hæreticum scripsit, & ad futurum Concilium & Sanctam Dei Ecclesiam appellavit, ut supra IX. anno Lodowici patuit, ipsumque ut hæreticum de Papatu deposuit, & alium Papam per Clerum & populum Romanum more Patrum antiquorum eligi procuravit. Erat enim quidam Frater Ordinis Minorum Petrus de Corbario dictus Reatinæ diœcesis. Hunc Fratrem Petrum Romæ Antipapam ordinari fecit legibus & ordine perversis, & execratis orationibus execrari potius quam consecrari statuit, & Nicolaum V. appellari jussit. Cui Lodowicus obedientiam & reverentiam faciens tanquam Summo Pontifici, manum tenuit & deduxit, ac in locum Papæ collocavit, omnes solennitates de eo fieri disponens, quæ in electione & coronatione Papæ fieri consveverunt. Quibus peractis, Petrus Antipapa mox Cardinales fecit, & consistoria publica tenuit. Cardinalium vero unus fuit dictus Johannes de Vicecomitibus filius Domini Matthæi & frater Galeacii Episcopus Mediolanensis & jam fere totius Italiæ Dominus. Hic Nicolaus Antipapa simulacrum Papæ Johannis de lignis & straminibus factum, & ornamentis Papalibus omnibus

Digitized by Google

bus indutum, publice in Ecclesia coram omni populo in Pisana urbe, Lodowico Rege præsente, condemnavit ad ignem propter hæreses plures, quas eidem imposuit, & præsertim propter hoc, quod determinavit, hæreticum esse, qui diceret vel assereret, Christum & discipulos ejus nihil habuisse in proprio vel communi, & illam opinionem tanquam hæreticam damnaverat. Et videntibus omnibus, tradidit ipsum igni ad comburendum, & combustum est. Quibus ad nutum expeditis, Lodowicus proditionem & venenationem metuens, quia in Italia jam multo tempore manserat, & plures etiam potentes offenderat, in Teuthoniam potenter & cum jocunditate regressus est, & cum solennitate magna ibidem receptus. Petrus autem Antipapa in Italia mansit, in sua pertinacia perseverans, sed tamen post modicum tempus fine malo concludens. Hic Petrus perversus antequam habitum Ordinis Minorum assumeret, prout dicunt Chronicæ Romanorum, uxorem habebat Johannam relictam Matthæi de Corbario, cum qua habitaverat V. annis, & rupto fœdere conjugali ipsa vivente, Frater Minor factus est, uxore invita & reclamante ac Fratribus Minoribus scientibus & consentientibus. Spreta insuper tam Religionis quam Apostolicæ fidei professione, profanæ & infanæ electioni in Antipapam manum & animum dedit, & se Nicolaum V. a suæ partis consortibus nominari fecit, cœpitque agere & gerere se pro Papa in ipsa urbe Romana in opprobrium Dei & suæ Ecclesiæ Sanctæ, & in confusionem indelebilem totius Ordinis sui, & conatus est scindere tunicam Christi ut minister & membrum Antichristi. Præfata vero Johanna uxor ejus ipsum repetiit in judicio coram Episcopo Aretino oblato libello. Unde pro Johanna contra dictum Petrum per Dominum Johannem Episcopum Aretinum lata fuit sententia publice servato juris ordine die ultima mensis Novembris.

Duodecimo anno Lodowici, qui est Domini MCCCXXIX. Edwardus Christianissimus Rex Anglorum uxoris suæ petulantis & adulteræ fabricatione miserabiliter moritur, secundum Wilhelmum. Nam ferrum ignitum per quoddam cornu ano ejus intruditur causa medicinæ laxativæ. Et sic interius accensus & combustus occubuit, nullo exterius signo interfectionis aut vulnere in eo apparente. Huic in Regno successit Edwardus filius ejus, qui sicut pater ab illa Regina meretrice insidias perpessus, tandem eam cum adultero suo deprehendit, & ambos incarceravit & interfecit, dignam pœnam utrique pro meritis impendendo. Henricus Dominus de Mykelenburg duxit in uxorem, secundum Chronicam Obotritorum, filiam Guntheri Comitis de Rupin relictam Wirtizlai Domini Rugianorum, per quas nuptias sedata est discordia inter filios Domini Wirtizlai & Dominum de Mykelenburg ac Slavorum Dominum. Lokoldus Rex Poloniæ cum immenso armatorum exercitu intravit Prutziam, secundum Egghardum, & demolitus est opida diversa & villas, nec passus est a Pruthenis quamcunque resistentiam. Rege autem reverso ad propria, Fratres de Domo Teuthonica colligentes exercitum viceversa Regnum intrarunt Polonorum, & obsidentes castrum Reseys, quod erat Episcopi Tuymensis, expugnaverunt illud in die S. Alexii. Inde vero procedentes, vallaverunt castrum Aakil, & ipsum funditus destruxerunt, & cremati sunt in eo omnes ejus inhabitatores præter Capitaneum, quem captivantes, secum duxerunt. Fratribus insuper in Prutziam reversis, Rex Lokoldus circa festum S. Dionysii innumerabilem populum congregans de Polonis, Ungaris & Turcis, in Prutziam est reversus. Ubi cum venisset, pro primo destruxit Lyn opidum ignium injectione. Inde vero transiens, demolitus est omnem regionem a Culmensi urbe usque Gordin, nulli parcentes ætati vel sexui, sed omnes viventes gladius & ignis absumserunt. Cujus tyrannidem videns Wernerus Magister Fratrum de Domo Teuthonica, nec ei resistere valens, treugas iniit cum eo duraturas usque ad proximum festum Pentecostes, ponens eidem Regi in pignus credentiæ duo castra Doberyn scilicet & Bramburg. Antequam tamen dictarum induciarum terminus exspirasset, interfectus fuit Wenemarus prædictus Magister ab uno de confratribus suis in castro Marienburg. Quo defuncto, & novo Magistro reelecto, iterum cum exercitu pulcro Regnum Polonorum Fratres petierunt, treugas interrumpentes. Et primo aggressu castrum Bramburg, quod Magister Wenemarus defunctus pro pignore Regi obligaverat, circumdantes oppugnaverunt & ceperunt. Quo habito, terram Polonorum peragrantes, rapinis & incendiis plurima opida & villas in cineres redegerunt, perdurantes in Regno per VIII. septimanas. Pylir quoque & Vrigenstad castra demoliti sunt in expeditione prædicta. Quibus in Prutziam reversis, Lokoldus Rex Polonorum circa festum S. Galli revisit Prutziam, & maxima Pruthenis intulit damna in deprædatione opidorum, conflagratione eorundem & villarum multarum. Fratres vero de Domo Teuthonica præsentiam Regis percipientes, in occursum ejus venerunt cum amicis suis, & bellum cum eo inire non formidantes, multitudinem Polonorum maximam straverunt, multi tamen de Præceptoribus Fratrum interemti sunt cum aliis. Kanutus Porse famosus Dux Hallandiæ obiit, secundum Chronicam Danorum. Iste cum simplex esset cliens primo, & demum miles factus per Christoferum Regem, meruit sua strenuitate, ut in Ducem promoveretur per eundem Regem, & ut postea Ingeburgis mater Regis Sweorum & Norweorum, invito etiam Rege & omnium Procerum (omnibus Proceribus) Regnorum prædictorum in matrimonio sibi copularetur.

Tertio decimo anno Lodowici, qui est DN. MCCCXXX. Johannes Papa in publico consistorio, quamplurimis Prælatis Ecclesiarum, Magistris in Theologia & Doctoribus utriusque juris, ac Michaele generali Ministro Ordinis Fratrum Minorum præsentibus, pronunciavit literam Capituli Generalis Fratrum Minorum in Perusio celebrati, & per ipsos Fratres Minores per totum mundum missam, universis fidelibus

fore & esse hæreticam, pestiferam & venenosam. In qua quidem litera continebatur, quod totum Capitulum in personis singulis & omnibus concorditer & unanimiter profitebatur, & sigillis suis appositis protestabantur constanter omnes, quod non sit hæreticum, sed sanum, catholicum & fidele dicere & asserere, quod Christus & Apostoli sui nullius rei dominium habuerint in proprio vel communi, & quod in his, quæ leguntur habuisse, tantum habuerint absque jure aliquo simplicem usum facti. Ex qua pronunciatione Papali sequitur evidenter & notorie, quod totum illud Capitulum in singulis & omnibus suis personis sit hæreticatum, eo quod omnes & singuli Fratres dicti Capituli in literam præfatam hæreticam & Papali autoritate hæreticatam consenserint, & eam veram & Catholicam fore comprobaverint. Quod quidem factum manifeste cessit in perpetuam & indelebilem confusionem dicto Ordini, nulla ætate vel oblivione abolendam. Insuper quod execrabilius est, eodem anno præfatus Frater Michael generalis Minister Ordinis Fratrum Minorum clam de curia fugiens, appellavit Pisis ab hac Papæ pronunciatione ad Sacrosanctam Romanam Ecclesiam Catholicam & Apostolicam, ipsam autem Papæ pronunciationem asseruit hæreticam fore, quia ex ipsa, ut dixit idem Frater Michael, sequitur, quod Ecclesia Romana, quæ docet prædictum articulum in Constitutione vel Decretali Exiit, qui seminat, sit hæretica, & regula Fratrum Minorum, quæ hoc includit, & quod S. Franciscus & totus Ordo suus in hac securitate fundatus, & hanc veritatem in Capitulo protestatus, & alii Sancti Fratres ejusdem Ordinis, qui in dicta veritate finierunt dies suos, fuerint hæretici, & per consequens damnati. Exhortabatur etiam prælibatus Fr. Michael, secundum Henricum de Hervordia, & mandavit Fratri Wilhelmo Ministro provinciæ Mediolanensis primo, & post ipsum omnibus Ministris totius Ordinis, quod dicto Domino Johanni Papæ in hæresi, ut asseruit, deprehenso, & per Romanum Clerum & populum ac Nicolaum V. Papam cum Imperatoris consensu publice deposito, non obedirent, quia sibi obedire foret animam damnare, & se ipsum hæreticum confiteri. Unde dixit: Exhortor & svadeo, quod dicti hæretici præceptis & mandatis vel literis in nullo obedias, & interdicta per ipsum vel legatum ejus ipsius autoritate in terris provinciæ tuæ posita, non permittas aliquatenus observari, sed eis non obstantibus facias divina in dictis terris publice a Fratribus celebrari. Hæc omnia continebantur in litera, quam scripsit prædictus Frater Michael Minister generalis Wilhelmo Ministro provinciæ Mediolanensis. In eadem quoque appellatione, quæ longa est & diffusa, inter alia multa dicit præfatus Fr. Michael, quod Domino Johanni Papæ supra dicta pronuncianti in faciem restitit, & ille nihilominus in pronunciatione perseveravit, & ira commotus contra eum, in curia ipsum arrestavit, sed ipse clam elapsus, appellationem, quam in curia fecerat, Pisis publicavit. Cujus appellationis formam & articulorum in ea contentorum præsumtionem Papa Johannes audiens in communi Consistorio, præsentibus multis Ecclesiarum Prælatis & Magistris ac Doctoribus, dictum Fratrem Michaelem generalem una cum Magistro Henrico Bavaro & Petro de Ganduno (fors. Gandaro) Fratribus dicti Ordinis excommunicavit, & tanquam hæreticos manifestos condemnavit. Hoc, inquam, execrabile malum & tam lamentabilis confusio ac infamia deploranda nulli ordini in Ecclesia inquam accidisse memoratur, præter proh pudor! isti Ordini Fratrum Minorum. Sed justo forte Dei judicio actum est, ut alios infamare & denigrare non formidantes in laqueum inciderent, quem fratribus suis invidioso conamine & pernicioso studio parare satagerunt. Præfatam etiam excommunicationis sententiam contra generalem Ministrum ante dictum & ejus Fratres latam pariter & condemnationem Papa Johannes approbavit & confirmavit per quandam Constitutionem ab eo promulgatam, quæ incipit Quoniam vir reprobus Michael, quam si ad manum habuissem, loco huic de verbo ad verbum inseruissem. Secundario quoque Edicto publico Johannes Papa asseruit & docuit, ac doceri mandavit, quod affirmare Christum & ejus discipulos nihil habuisse in proprio vel communi, sit hæreticum & a fide sana alienum. Ac assertionem hujusmodi pertinacem deinceps esse erroneam & hæreticam diffinivit de maturo consilio Cardinalium & multorum Episcoporum, Doctorum & Magistrorum, cum contrarietur S. Scripturæ, quæ in pluribus locis S. Evangelii & Epistolarum eos aliqua habuisse saltem in communi testatur. Determinavit etiam ex eodem maturo consilio, quod pertinaciter affirmare, Christum & ejus discipulos in his, quæ ipsos S. Scriptura habuisse testatur, nequaquam jus ea vendendi, donandi, vel ex ipsis alia acquirendi habuisse, hæreticum esse & devium a fide Catholica, cum Sacra Scriptura testetur, ipsos præmissa fecisse & facere potuisse. Eodem anno Johannes Papa Constitutionem edidit, quæ incipit In agro Dominico, contra singularia, dubia & suspecta ac temeraria contra Beggardos & Beginas, asserentes & docentes, quod in anima nostra est a Deo increatum & increabile puta intellectus humanus. Item quod Deus neque bonus est neque malus, sed nec optimus, & tam male dictum est Deum esse bonum, sicut dicere album esse nigrum. Item quod in omni malo tam pœnæ quam culpæ manifestatur & relucet æqualiter gloria Dei. Item quod vituperans quanquam ipso peccato vituperii, laudat Deum, & quanto plus vituperat, & gravius peccat, tanto amplius Deum laudat. Item quod petens a Deo hoc vel hoc malum, petit & male, quia petit negationem boni & negationem Dei, & orat sibi Deum negari. Item quod in illis hominibus honoratur Deus, qui non intendunt res nec honores, nec utilitatem, nec devotionem internam, nec sanctitatem, nec præmium aut Regnum cœlorum, sed omnibus his renunciaverunt. Item quod homo debeat bene deliberare, utrum ipse velit a Deo aliquid recipere, quia

Digitized by Google

quia ubi esset homo a Deo recipiens, ibi esset sub Deo vel infra eum, sicut unus famulus vel servus, & Deus esset sicut Dominus in dando. Sed sic non debemus esse in vita æterna, sed debemus ei conregnare. Item quod nos transformamur totaliter in Deum, & convertimur in eum simili modo, sicut in Sacramento panis convertitur in Corpus Christi. Item quod quilibet talis dicere potest; quicquid dedit Pater unigenito filio suo in divinis, hoc totum dedit & mihi & sibi. Item, quod quicquid dicit Sacra Scriptura de Christo, hoc totum verificatur etiam de quolibet homine justo & bono. Item, quod quicquid est proprium divinæ naturæ, hoc totum proprium est homini justo & bono, & propter hoc homo iste operatur, quod Deus operatur, & creavit una cum Deo cœlum & terram, & est genitor Verbi æterni, & Deus sine tali homine nihil facere potest. Item, quod bonus homo debet conformare voluntatem suam voluntati Dei in omnibus, ut ipse velit Deo conformiter, quod ipse vult. Et quia Deus vult, me aliquo modo peccasse, ideo nollem ego, quod peccata non commisissem, & hæc vera pœnitentia. Item, quod si homo commisisset mille peccata mortalia, si homo esset ad talia dispositus, non deberet se velle ea non commisisse. Item, quod Deus non præcepit proprie actum exteriorem, nec actus exterior est bonus aut divinus, nec operatur in ipsum proprie Deus. Item, quod bonus homo est unigenitus filius Dei, quem Pater æternaliter genuit. Item, quod omnes creaturæ sunt unum pure nihil. Et innumera talia temeraria & ænigmatica propter hypocritas utriusque sexus hæreticaliter ob quæstum viventes, & singularem vitam ducentes, ac fucatam doctrinam quærentes, Papa præcepit universis & singulis in hac Constitutione in virtute sanctæ obedientiæ & sub sententia excommunicationis, quam scienter contrarium facientes incurrant, ne aliquis talia prædicet vel doceat, aut consimilibus inficere præsumat auditores. Contrarium facientes, præter pœnam prædictam, tanquam hæretici aut de damnata hæresi suspecti puniantur. Ericus Regis Danorum Christoferi filius obiit letaliter vulneratus in bello habito cum Holtzatis coram Gottorpe castro, quod Dani, secundum Chronicam Danorum, autumno (autumnali) tempore obsederant, Gerardo Comite extra terram peregrinante. Sed Johannes Comes Holtzatorum cum suo exercitu eos de obsidione ejecerat, & castrum manu valida liberaverat. Henricus Dominus de Mykelenburg obiit in die S. Agnetis, secundum Chronicam Obotritorum, relinquens post se duos filios Albertum & Henricum, quibus constituit duos tutores milites & duas civitates Rostoccensem scilicet & Wismariensem, qui rexerunt terram usque ad illud tempus, quo senior filius Albertus in uxorem duxisset sororem Regis Sveciæ. Hic tunc regimen ad manus recipiens, prudenter valde præfuit, & verbum bonum post se reliquit. Christoferus Rex Danorum per Johannem Comitem Holtzatorum regno pulsus, venit in urbem Lubeke, secundum Chronicam Danorum, & se composuit cum Johanne Comite & Gerardo patruo suo sub tali pacto, ut Rex eisdem Comitibus solveret LXXXM. (marcarum) monetæ Lubicensis, & tunc ipsi redderent sibi terram, quam jure belli sibi acquisierant. Ad certificandum autem Comites de dicta pecunia, posuit eis Rex pro pignore silvam Damcam cum VIII. parochiis circumjacentibus. Et sic Rex reductus fuit in Werdingburg. Quod Dani percipientes, obsederunt castrum illud. Sed Rex prævalens cum adjutorio Comitum, obtinuit victoriam de Danis. Eodem anno Dani de Jutia obsidione iterum vallarunt Gottorpe castrum cum magno populo pedestrium & equestrium. Sed Johannes Comes Holtzatorum obsessis auxilium ferens, victoriam obtinuit, & de Danis circiter DCCCC. interficiens, potiores Juthos captivos secum abduxit.

Quarto decimo anno Lodowici, qui est DN. MCCCXXXI. Circa festum Johannis Baptistæ concursu maximo, ut fieri consvevit in Monasterio Vrendenberg Coloniensis diœcesis, secundum Henricum de Hervordia, ad honorem Virginis Gloriosæ imminente, ecce tempestas maxima pluviæ & grandinis, tonitrui sævissimi & corruscationis exorta est, ex qua arbores multæ & ædificia innumera diruta sunt, & plures homines utriusque sexus a fulgure tacti sunt & extincti. Majores Italiæ & civitates potiores videntes, Lodowicum Regem Romanorum segniter agere contra Imperii inimicos, secundum Chronicam Lombardorum, & etiam timentes latam Papæ sententiam contra participantes & fautores suos invalescere, recesserunt ab eo, tam fidem quam obedientiam ei subtrahendo. Quod videns Petrus de Corbario Antipapa, Frater Ordinis Minorum, & considerans, periculosum esse statum suum, misit ad Johannem Papam, ab eo veniam postulans. Papa vero hoc intelligens, lætus factus eidem remandavit, quod secure veniret, quia gratiose secum agere vellet, dummodo in debita humilitate se præsentare vellet, & scripsit sibi modum veniendi & se præsentandi. Petrus autem omnia libens acceptavit, ex quo in vita salvandum se audiret. Et veniens, intravit Avinionem urbem, insidens mulo, & funem in collo gerens. Ejus autem introitum quasi tota civitas præstolabatur. Appropinquans autem palatio Papæ, mulum descendit, & ductus pedes ad præsentiam Papæ in habitu Fratrum Minorum, ad pedes Papæ cecidit; & misericordiam suam invocans ait: Pater Beatissime, peccavi in cœlum & coram te, & non sum dignus vocari filius tuus. Papa autem pedem dextrum levans, posuit super humerum ejus, dicens: Super aspidem & basiliscum ambulabo, & conculcabo leonem & draconem. Jugum meum super te fili perdite. Et erigens ipsum, posuit eum ad scalas & habitu prædicto, & infulatum mitra papyrea papali. In quibus cum stetisset in tertium diem, ipsum de scalis sumsit, & in quadam turri inclusit, victum sibi ministrans copiose usque ad diem obitus sui. O confusionem inauditam! stylo ferreo in silice durissimo indelebiliter sculptam, & utinam arte quavis abolendam! Malum esset, si verum esset, hominem intoxico perimere, sed malum

Digitized by Google

malum super pessimum, imo impium super omnem modum, Domini Jesu vicarium, Ecclesiæ caput & Christianorum Patricium more sceleratorum damnare. Christoferus Rex Danorum & Johannes frater suus cum multitudine armatorum intraverunt Holtzatiam more Danico, eos appretiantes & remunerantes, qui eos de patibulis exilii & proscriptionis liberaverunt, ut supra immediate patuit. Johannes namque frater Regis, secundum Chronicam Danorum, cum suo exercitu intravit opidum Todeslo, Rex vero cum suo populo venit de Dacia per Sleswic. Audiens autem Gherardus Comes, Regem venire per Sleswic, exivit in occursum ejus cum suis, Johanne fratre Regis hoc ignorante, & credente, quod Rex ad ipsum in Todeslo venturus esset. Exercitus autem Gherardi in multo infirmior erat exercitu Regio, habens secum Comites Wilhelmum de Harlemund, Borchardum de Svalenburg, Henricum de Brunkhorst, & Nicolaum ac Guntzelinum de Wittenburg. Unde ad invicem congressi, utraque pars fortiter pugnavit. Commissum ergo est prælium a CCCC. viris fortibus ex parte Gherardi Comitis Holtzatorum contra DCCC. armatos de parte Regis Danorum, & dono Dei Gerardus Comes Regem vicit, pene omnes aut interficiens aut captivans. Rex vero cum Woldemaro filio suo opidum Kil profugus intravit in magna amaritudine cordis sui. Quod cum Johanni fratri ejus nunciaretur, ad dictum opidum Kil festinanter properavit. Ubi veniens, fratrem suum Regem consolatus est. Et egressi ambo mœstitia pleni, ad propria sunt regressi.

Quinto decimo anno Lodowici, qui est Dn. MCCCXXXII. Visi sunt tres soles in aëre similis claritatis omnino, secundum Henricum de Hervordia. Siquidem nubes alba latitudinis trium cubitorum quasi per totum, & altitudinis illius, qua sol hora diei secunda in æstate levari solet ab oriente per meridiem & occidentem ac aquilonem itidem in orientem circumducta, ut circulus nitidus & vitta bissina in se reflexa videbatur, ultimum sui principio continuans, & inferius in parte sui quilibet æqualiter a terra sublevata; in oriente vero hyemali nubis istius, ut in alba corona gemma clara corpus solare nube clarissima quasi tectum latere videbatur; in meridie quoque nubis ejusdem alius sol primo similis apparebat, & in occidente hyemali ejusdem nubis tertius, omnes tres ex variis impressionibus aëris generati, & plusquam per horam clarissimi, tandem paulative attenuari cœperunt & obscurari, & paulo post subito totaliter disparuerunt, meridionali primo & post occidentali deficiente; orientali vero, qui quasi latibulum veri solis fuerat, per nubem nigram & aquosam obtenebrato, sequebantur autem impressionem hanc tempestates multæ, & pluviæ grandes & diuturnæ. Galeacius filius Domini Matthæi Vicecomitis Mediolanensis, secundum Egghardum, per Lodowicum Regem Romanorum inedia & fame extinctus est. Sane inter Johannem Papam & Galeacium Vicecomitem & Dominum Mediolanensem per mediatores & arbitros de pace & concordia latenter quidem, sed exacte tractabatur. Galeacius autem illectus promissis & fide Papæ per literam scribit, quod Imperatorem desereret, & Papæ adhæreret promissis & fide Papæ salvis, & quod votum Papæ in omnibus etiam contra quemcunque corde magno & animo promto fideliter & pro viribus adimpleret. Litera clauditur & Papæ transmittitur, sed latori in via violenter subtrahitur, & Lodowico præsentatur. Qua litera recepta, Lodowicus Rex Concilium Procerum Regni convocat, & clausula literæ propositum tangens, germanis Galeacii Lucæ & Marco in concilio prædicto præsentibus traditur, & quæritur, quam pœnam reus criminis læsæ Majestatis mereatur. Qui per eos nescientes, de quo diceret, morte dignissimus sententiatur. Tunc litera tota producitur, & publice coram omnibus legitur. Marcus ergo & Lucas valde confusi de sententia data per eos contra fratrem eorum, sed vinculari a Rege metuentes, a sententia sua priore minime variantur. Galeacius ergo captus, & in carcerem detrusus, inedia & fame peremtus est. Dux Brabantiæ Johannes bellum grande commisit cum Philippo Duce Burgundiæ, qui manu valida Ducatum suum intraverat ad debellandum ipsum, secundum Wilhelmum. Cui viriliter resistens, & divino adjutus præsidio, victoriam de eo obtinuit, secum habens Ducem Barensem cum XII. militibus, quos Edwardus Rex Angliæ sibi in favorem transmiserat. In congressu autem belli Johannes Dux Brabantiæ miles factus est a Domino de Kuk prope Monasterium Heliksem. Borchardus Comes de Swalenburg Gerardum Dominum de Lippia cum duello impetiit propter ipsum castrum Swalenberg, quod injuste possidebat, secundum Chronicam Saxonum, & ambo in pugnam congredientes in foro opidi Hamelen, victus est Gerardus de Lippia, & ductus per eundem Borchardum Comitem in captivitatem, & tamdiu tentus, quousque dicto Comiti satisfactum est de impetitione prædicta. Gertrudis filia militis cujusdam terræ Pruthenorum infirmabatur usque ad mortem, secundum Chronicam Lubicensem. Qua sic in extremis laborante, permissione divina factum est, quod mulier prædicta tollebatur de ægritudinis lecto operatione diabolica, & reponebatur phantasma quoddam ejusdem dispositionis & formæ in locum illius. Quod quidem phantasma se simulabat agonizare, & tandem se spiritum exhalare. Defuncto ergo phantasmate, ut putabatur, omnia agebantur circa ipsum, quæ fieri consveverunt erga hominem Christianum mortuum, & ultimo tandem sepultum est. Transactis autem aliquot diebus, contigit, Presbyterum senem pertransire nemus situm prope Danzeke civitatem. At ubi dum Sacerdos transiret, vidit mulierem prædictam Gertrudem jacere quasi semivivam. Quam elevans & refocillans, duxit eam in urbem prædictam. Cives vero cognita muliere, miserunt eam patruo suo Bertoldo Mergin dicto, qui ultra (eam) destinavit fratribus & sororibus suis. Videntes autem eam cognati sui, quidam ex eis dixerunt, quia ipsa est vera soror nostra;

Digitized by Google

noſtra; alii dixerunt, quia non eſt, ſed truſatrix & deceptrix. Quibus ſic diſcordantibus, tandem cremata eſt ab eis in opido Mewa, de cujus tamen incineratione varia ſecuta ſunt mala illi parentelæ pariter & terræ Prutziæ, ut infra patebit. Johannes frater Chriſtoferi Regis Danorum concordiam iniit cum Gerardo Comite Holtzatorum, ſecundum Chronicam Danorum, & pro liberatione captivorum, quos ceperat de exercitu fratris ſui anno præcedenti dedit Johannes Gerardo Comiti terram Füne, & ſic pacificati ſunt. Stante autem hac concordia & pace, Dani perfidi eodem anno irruentes ſuper Holtzatos in opido Lundenſi exiſtentes, interfecerunt eos, & inde procedentes obſederunt Helſingburg & alia caſtra Comitis Gerardi, & expugnarunt ea abſque reſiſtentia quacunque.

Sexto decimo anno Lodowici, qui eſt DN. MCCCXXXIII. Lokoldus Rex Polonorum in vindictam innocentis mulieris crematæ cum maximo populo intravit terram Pruthenorum, & commiſſum eſt grande prælium inter Polonos & Fratres de Domo Teutonica, & ceſſit victoria Polonis, ſecundum Egghardum, utrobique tamen ceciderunt multi. Captivati autem ſunt de Comitibus & Dominis terrarum, qui Pruthenis auxilium tulerant, Rueze de Plawis terræ Advocatorum & junior Comes de Honſteen. Comes vero de Aldenburg graviter vulneratus eſt in facie ſua, & multi milites & armigeri interfecti ſunt & captivati de Fratribus de Domo Teutonica, fratres vero mulieris combuſtæ anno præcedenti ibidem perierunt. Bononienſes cives nuncios ſuos miſerunt ad Johannem Papam, inter quos miſſus eſt Dominus Johannes Andreæ Doctor juris utriusque pro ſubſidio poſtulando contra Lodowicum Regem Romanorum & Gebelinos, qui dicto Regi adhærebant. Erat enim in Italia maxima partia duplicis generis hominum, puta Gelfini & Gebelini, quarum una favebat Papæ & Eccleſiæ, & altera Imperio & Lodowico. Propter has quidem partias Italia multa pertulit incommoda. Cum autem prædictus Dominus Johannes Andreæ ad præſentiam Papæ veniret, receptus eſt cum magno honore. Cui Papa tradidit maximum theſaurum vehendum in mulis multis, cum quo Johannes Andreæ ad partes Lombardiæ ſe tranſtulit, habens in comitatu ſuo ultra mille homines generis promiſcui, puta peregrinos, mercatores & ſatellites Bononienſis urbis. Horum theſaurorum tranſlationem quidem Teutonici Nobiles percipientes, aſſumſerunt ſibi circa CCCC. expeditos ſocios, & locabant ſe in latibulis, per quæ Johannes Andreæ neceſſe habebat tranſire. At ubi cum venirent, mox illi de latebris erumpentes, impetum in eos fecerunt, & de mulis ſingulos proſternentes, ac plures ſe defendere volentes vulnerarunt, necnon bonis illis omnibus ſpoliarunt. Chriſtoferus Rex Danorum obiit, poſt ſe duos relinquens filios, Woldemarum ſcilicet & Ottonem, ſecundum Chronicam Danorum, quorum dictus Woldemarus patri in Regno ſucceſſit. Papa Johannes jam ſenio confectus deſipuit partim ex ſenio & partim ex melancholia, eo quod tantum theſaurum perdidiſſet, & qui prius contra hæreticos diverſos laudabiliter & virtuoſe ſudaverat, & ab eis graves perſecutiones & periculoſas ſuſtinuerat, ac plura utilia contra eosdem ſtatuerat, poſtea per ſe errando docuit & prædicavit, quod animæ ſeparatæ a corporibus quantumcunque purgatæ non videant eſſentiam divinam viſione faciali & intuitiva, niſi poſt diem judicii reſumtis corporibus. Hunc errorem Papa Johannes, ſecundum Henricum de Hervordia, a patre ſuo quaſi per ſucceſſionem acceperat hæreditariam, & ob hoc eidem tenacius adhærebat. Sane pater Johannis Papæ cum aliquando viſionem Tondali militis audiſſet a narrantibus vel forte per ſe legiſſet, tantum in ea delectatus eſt, quod eam ſequenti nocte pectore ſopito ſomniavit, & ex integro totam per ordinem diſtincte vidit dormiendo. Quam ſic ſibi revelatam arbitrans, immutabiliter in ea permanſit, & inquiſitori hæreticorum Fr. Mauritio Ordinis Prædicatorum materiam de ſe tribuit inquirendi. Continet enim hæc viſio errorem de animabus ſeparatis, prout legentibus eam clare patere poteſt, quæ ſupra Anno tertio decimo Conradi III. ponitur, qui eſt Dom. MCLII. Sed hæc viſio & quælibet ei ſimilis calumniam patitur, quia nullus penitus locus vel ſtatus animarum eſt medius inter purgatorium & regnum cœlorum, licet B. Bernhardus in quodam Sermone de omnibus Sanctis contrarium innuere videatur, & Beda de Geſtis Anglorum Cap. CXXXII. Contra hanc hæreſim & contra ſuum Doctorem Papam Johannem Dominus Durandus fecit Tractatum, propter quod per Papam prædictum fuit ad curiam citatus, ſed non comparens fuit a Rege Franciæ defenſatus. Sed Frater Thomas Walloys ſolennis Doctor in Theologia Ordinis Prædicatorum provinciæ Angliæ exponens ſe periculo propter fidem Catholicam, prædicavit in Avinione publice coram Papa & toto conſiſtorio, & improbavit errorem Papæ in faciem ei reſiſtendo, omnibus Prælatis Eccleſiaſticis diu ſilentibus & diſſimulantibus. Imprecabatur inſuper publice maledictionem Dei in omnes, qui dicto errori Papæ conſentirent propter temporales promotiones, quas ab eo ſperarent, concludens ſic: Maledictio Dei Patris & Filii & Spiritus S. ſuper capita eorum, & dicat omnis populus Dei fiat, fiat! Poſt prædicationem vero prædictus Magiſter Thomas fecit proteſtationem ſub his verbis & ſub publico inſtrumento. Ego Fr. Thomas Walloys prædicavi præmiſſa publice coram multis, & in excuſationem meam dico ſic: Dicere animas electorum ante reſurrectionem generalem non videre Deum facialiter, aut eſt error manifeſtus, periculoſus & ſcandaloſus, utpote de cujus prædicatione jam tota Eccleſia Dei eſt ſcandalizata, aut non. Si ſic, videtur mihi, quod debeam merito excuſari, quia urgente me conſcientia talia prædicavi; ſi non, paratus ſum omnem pœnam ſubire mihi a quocunque judice imponendam. Propter quod non diu poſt ex prædicatione Papæ Johannis Fr. Thomas prædictus ab inquiſitore hæreticorum Fratrum Ordinis

Digitized by Google

dinis Minorum hæretico & fautore hæresis de Paupertate Christi & de divisione animarum separatarum capitur, & in conventu Fratrum Minorum in Avinione incarceratur. Ubi inæstimabilia tædia, incommoda & vexationes perpessus est pro fide Christiana. Sed res hæc ad Philippum Regem Francorum deducitur. Qui convocatis omnibus ad negotium illud fidei jure convocandis, prudenter & ut verus Christianus casum prædictum prosecutus est, ut patet ex tenore literæ subsequentis: Sanctissimo Patri & Domino, Domino Johanni, Dei providentia Sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ Summo Pontifici. Vestri devotissimi filii & servi ejusdem miseratione Petrus de Palude Patriarcha Jerosolymitanus, Petrus Rogerii Archiepiscopus Rhotomagensis, Wilhelmus Bernhardi Cancellarius Parisiensis, Johannes de Bolenciaco Archiepiscopus Vulcassini in Ecclesia Rothomagensi, Nicolaus de Lyra Ordinis Minorum, Johannes de Metheno Ordinis S. Benedicti, Matthæus de Archis, Petrus de Palma Prior provincialis Ordinis Fratrum Prædicatorum provinciæ Franciæ, Johannes de Caricampo Ordinis Cisterciensis, Petrus de Casa Prior Generalis Fratrum B. Mariæ de Carmelo, Simon de Mariis, Wilhelmus de Castro Reynaldi, Wilhelmus de Brema Ordinis Minorum, Wilhelmus Kalathoc Ordinis Prædicatorum, Olyanus Salahadini, Gerardus de Paganiis Ordinis Eremitarum S. Augustini, Petrus de Verbena Ordinis Vallis Scholarum, Nicolaus de Alexandria Ordinis Eremitarum S. Augustini, Petrus Horle, Nicolaus Boneti Ordinis Minorum & Durandus de Aureliaco Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Magistri, cum humillima sui recommendatione pedum oscula beatorum. Ad Vestræ deducimus notitiam Sanctitatis, quod Serenissimus Princeps ac Dominus Noster, Dominus Philippus Dei gratia Rex Francorum illustris, Dominia IIII. Adventus in suo regali Manerio sito in nemore vicinarum, nos fecit ad sui præsentiam vocari, assistentibus sibi excellentibus Principibus, Ducibus & Comitibus, & Reverendis Patribus, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus & his & illis quamplurimis, & aliorum tam Clericorum quam laicorum & Baronum ac Militum Consiliariorum suorum, Religiosorumque & secularium multitudine copiosa, nosque ore proprio requisivit, quod vellemus corporale juramentum præstare super petendis de statu animarum sanctarum a corporibus exutarum illud, quod sentiebamus, fideliter & absque palliationis cujuscunque velamine diceremus, causas aliquas exponendo, quæ ad hoc petendum suum animum inducebant, specialiter, quia audierat, aliquos in scholis sine rationibus aliqua circa illam materiam protulisse, propter quæ multorum tam Clericorum quam laicorum fuerant corda non mediocriter concitata, & ex quibus, ut dicebat, simplices trahi poterant in errorem. Nos autem, Pater Beatissime, attendentes, quod præfatum Serenissimum Principem & Dominum nostrum fundatorem Studii Parisiensis, Regemque excellentem revereri tenemur, & jussionibus ejus obedire, quodque ipsum ibidem dicentem audivimus, quod in hac materia non quærebat, quod in aliquo vestram tangere posset Sanctitatem; quinimo sicut filius vester devotissimus vestrum in omnibus zelabat ferventius honorem, & personam vestram sanctissimam ibidem magnis laudum præconiis extollebat; considerantesque, quod juxta Principis Apostolorum doctrinam de ea, quæ in nobis est, fide & spe parati debemus esse omni poscenti nos reddere rationem, petitum a nobis præstavimus juramentum. Quo præstito, fuerunt nobis propositæ duæ Quæstiones, prima: Utrum animæ Sanctorum in cœlis existentes videant divinam essentiam facie ad faciem ante resumtionem corporum & ante generale judicium. Secunda: Utrum visio, quam de divina essentia nunc habent, evacuabitur in die extremi judicii, alia succedente? Ad quas, sicut eramus juramento astricti, respondimus, quod sentiebamus. Singuli & sigillatim in hac sententia omnes convenimus, quod a tempore mortis Domini Nostri Jesu Christi, per quem pretium redemtionis generis humani extitit persolutum, omnes animæ SS. Patrum, quas ibidem Salvator Noster descendens ad inferos eduxit de limbo, cæterorumque fidelium, quæ de corporibus exierunt, non habentes purgabile, vel quæ jam in purgatorio sunt purgatæ, ad visionem nudam, claram & beatificam intuitivam & immediatam essentiæ divinæ & Beatissimæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus Sancti quam Apostolus 1. ad Corinth. XIII. visionem facie ad faciem nominat, sunt assumtæ, ipsaque Deitate Beata perfecte fruuntur, & jam, quod crediderunt, videntes, quod speraverunt, tenentes, non in spe, sed in re sunt beatæ. Quodque dicta visio, quam nunc habent, minime evacuabitur, resumtis corporibus, alia succedente, sed ipsamet in eis, cum sit vita æterna, perpetuo remanebit. Et pro firmo, Pater Sanctissime, omnes Doctores, qui nos in Parisiensi Studio præcesserunt, quorum scripta legimus, hanc sententiam tenuerunt, docuerunt, & in scriptis suis tenendam reliquerunt. Quare Vestræ Beatitudini, omni qua possumus humilitate & reverentia totis præcordiis supplicamus, quatenus prædictæ Quæstioni, in qua pro una parte Vestra Sanctitas pulcerrime & subtilissime allegavit, & quam plures autoritates adduxit, imo tot, quod non recordamur nos legisse Doctorem aliquem, qui ad unum propositum adduxerit tot & tantas, semper tamen recitando & non determinando, nec asserendo seu opinando, sicut audivimus, dignetur Sanctitas vestra finem dare, partem illam, in qua nutrita est devotio totius Christiani populi vestro regimini crediti, veram esse determinatione Apostolica confirmando. Sanctissimam personam vestram Ecclesiæ suæ Sanctæ regimini conservare dignetur Altissimus sanam & incolumem per tempora longiora; quæ nos habere dignetur in sui gratia de benignitate solita commendatos. Datum sub sigillis nostris Parisius in congregatione Magistrorum in Theologia generali Regentium & non Regentium, secun-

do

do die Januarii. Rex quoque Francorum Papæ literam similem scripsit, Dominus etiam Durandus de Sancto Portiano Magister in Theologia, Ordinis Prædicatorum, Episcopus Meldensis, fecit Tractatum acutum valde contra Papam in eadem materia, qui licet ad curiam citaretur, tamen defensus per Regem Francorum non venit nec comparuit. Papa autem Johannes, lectis literis Regis pariter & Universitatis, & percepta eorum serie, formidans totius curiæ tumultum & insurrectionem contra ipsum, publice in sermone suo prædictum errorem suum revocavit & retraxit, & supra dictum Fratrem Magistrum Thomam Walloys Anglicum de carcere cum solennitate eripuit, & ipsum pro injuriis suis impie sibi illatis, solennibus promotionibus honorare & remunerare promisit. Sed ipse Magister in recompensationem injuriarum illarum nihil recipere voluit honoris aut promotionis temporalis: potius apud Deum remunerari cupiens, qui corona æterna pro fide passos præmiare solitus est.

Decimo septimo anno Lodowici, qui est Dn. MCCCXXXIIII. In die S. Clementis & in nocte sequenti mare intumuit inopinate ex tempestatis vehementia, secundum Wilhelmum, & plura opida & villas operiens, plusquam VIM. hominum in diversis locis, prope mare situatis suffocavit. Lodowicus Marchio Brandeburgensis filius Lodowici Regis Romanorum intravit cum Fratribus de Domo Teutonica terram Lithuanorum, secundum Chronicam Lubicensem, & expugnarunt pariter multa castra, & diversas munitiones fortes everterunt. Henricus etiam Dux Bayoariæ pro eodem anno intravit terram Pruthenorum, & fundavit cum adjutorio Fratrum de Domo Teutonica in Lithuania castrum forte, quod Bayerburg nuncupavit. Wilhelmus Comes Flandriæ captivavit quendam Militem strenuum & fidelem Korstro nomine, secundum Chronicam Francorum, quem educens de civitate Brugensi, fecit ipsum decapitari. Quod valde ægre ferentes cives Gandavenses & tota patria, Comitem illum de terra expulerunt, & Edwardo Regi Angliæ contra ipsum totis viribus adhæserunt. Johannes Papa moritur tertio Non. Decemb. die Dominica, hora quasi prima, & fuit hic annus Pontificatus sui XIX. Moriturus itaque de proximo, ad exhortationem amicorum suorum, submisit se & doctrinam suam judicio Ecclesiæ Romanæ, & errorem suum supra dictum revocavit, in hæc verba: Credimus, quod animæ separatæ a corporibus & purgatæ sunt in cœlo, cœlorum regno & paradiso, & cum Christo in consortio Angelorum congregatæ, & vident divinam essentiam facie ad faciem clare, in quantum status & conditio animæ separatæ patitur & admittit. Fuit autem revocatio ista multis suspecta, tum quia a jam exspirante facta & quasi extorta, tum etiam quia ipse prius & scripserat & prædicaverat, quod visionem facialem claram status animæ separatæ non pateretur nec admitteret. Sed quia de revocatione ista instrumentum publicum fieri fecit, in quo & se & doctrinam suam totaliter Ecclesiæ Romanæ supposuit, a melioribus non dubia, sed bona & fidelis est judicata. Dicitur enim in revocatione illa sic: Siqua sermocinando, conferendo, dogmatizando, docendo seu alias quoquomodo diximus, prædicavimus vel scripsimus, quæ fidem concernunt Catholicam, Sacram Scripturam aut bonos mores, ea, in quantum consona sunt fidei Catholicæ, determinationi Ecclesiæ S. Scripturæ & bonis moribus, approbamus. Alias autem, illa habemus & haberi volumus pro non dictis, prædicatis & scriptis, eaque revocamus expresse. Ac prædicta omnia & alia, quæcunque dicta, prædicata & scripta per nos de quacunque materia, ubicunque & in quocunque statu, quem habemus vel hactenus habuimus, submittimus determinationi Ecclesiæ & successorum nostrorum. Hac revocatione facta, statim die & hora supra dictis spiritum efflavit, cui Benedictus XII successit.

De Benedicto XII. Papa CCV.

Benedictus Papa, natione Provincialis ex patre Simone, sedit annis VIII. mensibus duobus & diebus X. secundum Chronicam Francorum. Hic prius Jacobus de Furnerio dictus Abbas extitit Cistertiensis, & post Cardinalis tit. S. Priscæ factus, electus est tandem in Papam in Vigilia B. Thomæ Apostoli. Sequenti vero die consistorium tenuit, statuens & pronuncians primo, quod per vitam suam cum nullo pro causa quacunque uti vult gladio materiali, nec gwerram habere, sed pacem quærere, facere & fovere. Secundo, quod non vult, aliquem Religiosum ad curiam Romanam pro beneficio impetrando venire. Tertio, non vult, eos per appellationes correctiones effugere. Item eleemosynam mensæ Papalis restituit pauperibus, quæ ante per familiares Papæ diripiebatur, de qua centum personæ laute refici possunt. Item, omnem arrestationem in curia solvit. Item omnes Prælatos de curia recedere voluit, & in suis residere dignitatibus. Item nomina Gelfini & Gebelini interdixit sub anathemate, cum non pacis, sed discordiæ essent incitamenta.

Decimo octavo anno Lodowici, qui est Dn. MCCCXXXV. Otto filius Christoferi Regis Danorum defuncti & frater Woldemari Regis venit cum Juthis in magno exercitu prope Wiburg contra Gerardum Comitem Holczatorum, secundum Chronicam Danorum, & fortiter simul dimicantes, victus est exercitus Danorum a Holtzatis, & Otto frater Regis captus est, & ductus in castrum Segheberge. Johannes Comes de Hennenberg & duo alii Milites Ambasiatores Lodowici Regis Romanorum venerunt in urbem Lubicensem, secundum Chronicam eorundem, cum literis suis regalibus. Quas præsentantes Consulatui dictæ urbis, verbotenus dixerunt eisdem quod Dominus Rex mandaret ipsis, ut totis conatibus suis laborarent pro redemtione Ottonis fratris Woldemari Regis Danorum. Quod cum facere attentarent, nihil profecerunt. Eodem anno obiit Marquardus Episcopus Razeburgensis, cui in sedem successit Dominus Vulradus. Edwardus Rex Angliæ transnavigans mare, venit in Antdorpiam terræ Brabantiæ, secundum Wilhelmum. Ac ubi

Digitized by Google

ubi cum maneret aliquamdiu, uxor sua peperit sibi filium Leolinum nomine in Monasterio Monialium S. Michaelis, quod Monasterium utique aptus fuit locus, & bene competens & decens pro parturitione. Hic Leolinus adultus factus cepit in uxorem filiam Galeacii Domini Mediolanensis. Quibus nuptiis celebratis, non diu post veneno extinctus est. Post nundinas urbis Brugensis, piratæ sive raptores maris, secundum Chronicam Francorum, spoliantes mercatorum naves in portu Swen, tres magnos cogones pannis & speciebus aromaticis plenos rapuerunt, & in portum Secanæ transduxerunt. Naves autem illæ Prutheno-rum erant. Quo percepto, civitates orientalis maris puta Lubeke & cæteros nuncios miserunt ad Philippum Regem Franciæ in urbem Parisiensem, supplicantes, ut mercatoribus suis bona eis ablata & in Regnum suum deducta eisdem restituerentur. Rex vero nuncios civitatum benigne pertractans, restitui fecit ad ultimum quadrantem bona a suis rapta, & captivos eorum liberos remisit ad propria.

Decimo nono anno Lodowici, qui est DN. DCCCXXXVI. Benedictus Papa Decretalem condidit, quæ incipit Benedictus Deus in donis suis, in qua doctrinam superius tactam de animabus separatis hæreticam ostendit, & eam damnavit, secundum Henricum de Hervordia, sub verbis, quæ secuntur, Apostolica autoritate: Diffinimus, quod secundum communem Dei ordinationem animæ sanctorum hominum, qui de hoc mundo ante passionem Domini Nostri Jesu Christi decesserunt, necnon SS. Apostolorum, Martyrum, Confessorum atque Virginum, & aliorum fidelium defunctorum post sacrum ab eis baptisma susceptum, in quibus nihil purgabile fuit, quando decesserunt, ac animæ puerorum eodem Christi baptismate renatorum, ante usum liberi arbitrii decedentium, mox post mortem suam & post purgationem præfatam in illis, qui purgatione hujusmodi indigebant, & ante resumtionem suorum corporum & judicium generale, post ascensionem Salvatoris Nostri Jesu Christi in cœlum, fuerunt, sunt, & erunt in cœlo, cœlorum regno & paradiso cœlesti, cum Christo SS. Angelorum consortio aggregatæ, ac post Domini Nostri Jesu Christi passionem & mortem viderunt, vident & videbunt divinam essentiam visione intuitiva & etiam faciali, nulla mediante creatura in ratione objecti visi se habente, sed essentia divina immediate se nude & clare & aperte eis ostendente, quodque sic videntes, eadem divina essentia perfruuntur. Necnon quod ex tali unione, visione & fruitione eorum animæ, qui jam decesserunt, sunt vere beati, & habent vitam & requiem æternam, ac etiam, quod hujusmodi visio divinæ essentiæ ejusque fruitio actus fidei & spei in eis evacuent, prout fides & spes propriæ sunt theoreticæ virtutes. Quodque, postquam inchoata fuit vel erit talis intuitiva & facialis visio & fruitio in eisdem, eadem visio & fruitio sine aliqua intercisione seu evacuatione prædictæ visionis & fruitionis continua existit, & continuabitur usque ad finale judicium, & ex tunc usque in sempiternum. Diffinimus etiam, quod secundum communem ordinationem Dei animæ decedentium in actuali mortali peccato, mox post mortem suam ad inferna descendunt, ubi pœnis infernalibus cruciantur; & quod nihilominus in die judicii omnes homines ante tribunal Christi cum suis corporibus apparebunt, reddituri de factis propriis rationem, ut recipiat unusquisque, prout gessit in corpore suo sive bonum sive malum. Contrarium, istorum omnium aut singuli cujuslibet ipsorum scienter & pertinaciter tenens, docens vel defendens scripto vel verbo, sicut hæreticus habeatur. Tempore autumnali venerunt in aquam Trabenæ plures magni pisces sturiones maximi & cete grandia, secundum Chronicam Lubicensem, quorum aliqui habebant in longitudine XX. vel XXIIII. pedes, & capti sunt a civibus Lubicensibus prope pontem Holtzatorum urbis ante dictæ, quod alias nunquam visum fuerat aut perceptum a quoquam. Magnus Rex Sweorum misit Euphemiam sororem suam in Rostok urbem, quam duxit in uxorem Albertus Dominus de Mykelenburg in eadem civitate, præsentibus multis Principibus & Nobilibus, secundum Chronicam Danorum, ubi dictus Albertus factus est Miles ab Erico Duce Saxoniæ. Post hoc in crastino S. Johannis Baptistæ idem Albertus cum sua sponsa transfretavit in Sweciam, filium Roldolfi Ducis Saxoniæ & filium Gerardi Comitis Holtzatiæ, ac plures alios Nobiles, Milites & Militares. In mari autem existens cum suis, venit in occursum ejus Regina Sweciæ, & cum magno gaudio recipiens Albertum Swagerum suum, duxit ipsum in Calmerem. Ubi moram facientes per V. dies, ultra processerunt in Stokholm urbem Sweorum principalem. Rex autem Magnus adventum eorum percipiens, omnia disponebat ad benignam receptionem adventantium amicorum pertinentia. Ad hunc locum protunc venerat Engelbertus Episcopus Darbatensis, ordinaturus pro sua diœcesi necessaria. Quem alii Episcopi provinciales honorantes, ipsum missam celebrare fecerunt, in qua officium coronationis Regiæ perficientes, Regem Sweorum Magnum & Reginam coronaverunt.

Vicesimo anno Lodowici, qui est Domini MCCCXXXVII. Stephanus Comes Galiacensis cum aliis viris solennibus, secundum Wilhelmum, a Lodowico Rege Romanorum missus in Avinionem ad Papam Benedictum pro concordia facienda inter ipsum & Papam, nihil profecit. Karolo Rege Francorum defuncto sine hærede, Philippus Comes de Valerio Regnum occupavit. Quod percipiens Edwardus Rex Anglorum, jure hæreditario Regnum ipsum Francorum ad se pertinere pronunciavit, & inter eos maximum bellum exortum est. Ad cujus facti majorem intellectum attendendum, quod Philippus Pulcer Rex Francorum duos fratres habuit Karolum & Lodowicum. Karolus autem Comes Valeriæ existens genuit Philippum, & Lodowicus genuit filiam nomine Johannam. Idem etiam Philippus Pulcer tres filios habuit & unam filiam, quam Edwardus Rex Anglorum incly-

Digitized by Google

inclytus matrimonialiter ſibi copulans, ſuſcepit ex ea Edwardum nunc Regem Anglorum, & filiam Alienoram conſortem poſtea Ducis Gelriæ. Filiis autem tribus Philippus Pulcer Rex dedit uxores, & primogenito de his dedit Clementiam filiam Regis Siciliæ, quæ juxta nomen ſuum clemens extitit & pia in pauperes, humilis & pudica. Uxores vero aliorum duorum filiorum, utpote delicatius educatæ & plusquam oportuit libere, eo quod nimis diligerentur a viris ſuis, conſvetudinem adulterandi cum camerariis ſuis juvenibus gratioſis habebant. Contigit autem, prædictam Reginam Angliæ filiam Philippi Pulcri Regis Francorum ad viſendum patrem & fratres ſuos ac uxores eorundem, quas ſorores ſuas nominavit, in Franciam venire. Quæ veniens ad patrem & fratres ſuos, dedit cuilibet uxori cujuslibet fratris ſui inter alia clenodia annulum pretioſum valde, juniori vero, ad quam majorem conceperat gratiam, dedit pretioſiorem præ cæteris annulum. Factum eſt ergo una dierum, ut Regina Angliæ cum duabus uxoribus juniorum fratrum ſuorum & familia decenti ad plantarium prope urbem Pariſienſem ſuper Secanam flumen ad ſolatiandum properarent. Ubi oſtiis ſuper ſe clauſis cum ludere cœpiſſent & jocari, dicta Regina Angliæ annulum pretioſum, quem juniori uxori junioris fratris, ad quam majorem conceperat gratiam, dederat, in manu Camerarii ſui juvenis gratioſi vidit. Qua petente, ut ſibi annulum oſtenderet, juvenis eidem Reginæ tradidit annulum ad videndum. Quo conſiderato, quæſivit Regina, unde tam nobilem annulum recepiſſet? Cui juvenis: Annulum hunc mihi fœmina nobilior & pulcrior totius mundi contulit & donavit. Regina vero ſilens adoleſcenti annulum reddidit, pudore nimis perfuſa. Ludentibus autem eis, hi & hæ pedibus terram pulſant chorizando; hi & hæ brachia nectunt luctando, hi currunt & diſcurrunt hinc inde ut juvenes, qui exercentur tyronizando, ſicque diſcurrentes, interdum quaſi ſine ſtudio & caſu quælibet inter brachia amaſii ſui concludebatur, oſculabatur, impudice tractabatur, & quaſi ſine cura quælibet ſic egerit, de brachiis elabebatur. Et ut eo plus res lateret Reginam Angliæ, adoleſcentes prædicti & ipſam Reginam brachiis ſuis amplectentes, circa pectus eam tractare cœperunt impudenter. Propter quod ludus ille in ſeriem (leg. ſerium) vertitur, Regina dedignans exaſperatur, & patruo ſuo Karolo querulatur, rem geſtam per ordinem ſibi narrans. Quod audiens Karolus, fratri ſuo Philippo Regi Francorum intellecta indicavit. Philippus autem Rex, audito tam ſceleroſo facto exaſperatus valde, totum illud factum tam quoad inquiſitionem diligentem faciendam, & quoad judicialem executionem finaliter adjungendam fratri ſuo Karolo commiſit. Juſſu ergo Karoli prædicti Camerarii capiuntur, ligantur, cæduntur, & corrigiæ ad latitudinem duorum digitorum ab occipite per dorſum usque ad nates inciduntur & abſtrahuntur, ferventeque pice & plumbo liquido vulnera recentia replentur, & tandem horribilibus pœnis mactati, ad veritatem fatendam compelluntur. Faſſi vero de duabus illis uxoribus juniorum fratrum, tertia uxore primogeniti pudica & honeſtiſſima permanente, mox cruciatibus diris interficiuntur. Poſt hæc Karolus uxoribus illis adulterinis malum inferre diſponit. Antiquior autem de illis duabus crimen ſibi objectum conſtanter negat, & pro ſemper etiam usque ad mortem in negatione perſeverat. Maritus etiam ejus, quia multum eam amabat, ſerioſe eam excuſat, & quantum poſſibile eſt, in honore conſervat, ac in matrimonio ſuo eam poſtea, quoad vixit, retinebat. Junior vero, quæ uxor fuit junioris Karoli filii Regis, quia ſeparatæ ſeorſum ab invicem examinabantur, ad crimen objectum Karolo judici procaciter reſpondit, dicens: Et quid eſt, quod quæritis? & quid ad vos de factis meis? Quid ad vos de corpore meo? Numquid cura ipſius vobis commiſſa eſt? Numquid cuſtos corporis mei eſtis vos Numquid non uxor Karoli filii Regis ſum? Annon licet mihi ſine vobis facere, quod volo? Et quid magni, ſi cum adoleſcente gratioſo vel luderem, vel, ſicut objicitis, ſolatiata fuiſſem? Sicque contemtibiliter & procaciter fatueque crimen ſuum confeſſa eſt, confidens in marito ſuo, qui ipſam ardentisſime diligebat, nec posſibile credidit, quod ab eo unquam repudiaretur. Karolus ergo, marito ſuo permittente, ſed prohibente, ne in aliquo membro læderetur, eam duci fecit ad quoddam caſtrum, & quamdiu vixit, ibidem copioſe eſt procurata, latenter tamen & ſæpe Karolus maritus ejus ei condormivit. Primogenito ergo & ſecundogenito ſuis uxoribus (ſuas uxores) habentibus, ſolus Karolus junior frater uxore ſua caruit. Unde diſpenſationem a curia petiit pro uxore ſua prima vivente ſic repudiata aliam ſuperducere. Sed Papa petitionem hanc fieri negavit, eo quod ad primam frequenter acceſſiſſet, eam cognoſcendo ſicut uxorem. Karolus vero reſpondit Papæ, quod non adiret eam ut uxorem, ſed ut meretricem. Sed Papa in negatione perſeveravit. Interea Philippus Pulcer moritur, & primogenitus de his tribus filiis Regnum paternum adeptus eſt. Qui in Regno parum durans, tandem defunctus eſt ſine hærede, & tandem Regnum ad juniorem filium Karolum devolutum eſt, cæteris fratribus, ad quos Regnum pertinere poterat, defunctis. Quo comperto, Papa non roganti concedit, quod prima uxore illo modo, quo dictum eſt, vivente, aliam eidem ſuperducat. Henrici ergo Septimi Imperatoris Romanorum filiam Sanctimonialem Sororemque Fratrum Ordinis Prædicatorum nondum profeſſam nomine Mariam, in Valle S. Mariæ Treverenſis diœceſis, licet jam multos in dicto Ordine haberet annos, accepit in uxorem. Quæ cum omnibus eſſet amabilis, poſt paucos annos per mortem de medio ſublata eſt. Poſt hanc vero, ne Regnum ſine hærede maneret, Johannam ſupra nominatam, filiam Lodowici patrui ſui in uxorem ſibi copulavit. Et ſic tres uxores habuit, unam meretricem adhuc viventem, alteram Sanctimonialem defunctam, & tertiam ſibi propinquam in ſecundo gradu conſangvinitatis. Ultimus ergo iſte Karolus Philippi Pulcri filius tandem moritur,

Digitized by Google

tur, relicta Johanna uxore gravida. Quæ tandem filiam peperit, & Blankam eam nominavit, Deo sic utique disponente, quod de semine Philippi Pulcri nil impunitum remaneret, qui tam cupidus, avarus & crudelis in Templariorum deletione, Judæorum spoliatione & pauperum leprosorum combustione extitisset. Philippus ergo filius Karoli de Valerio fratris Philippi Pulcri Regnum Francorum, cum sic vacaret defuncto Karolo, occupavit, dicens, ipsum ad se pertinere, quia esset de latere masculino & filius fratris Regis Francorum. Edwardus autem Rex Angliæ viribus magnis ipsum impetit, quasi ad se Regnum pertineat, eo quod esset filius filiæ Regis ejusdem Francorum, nec esset lateralis, sed linea recta licet per fœmineum sexum a Philippo Pulcro descendisset, & quia non reascendendo, sed descendendo succedunt hæredes. Ideo sicut Philippo primogenitus suus, & primogenito secundogenitus, & huic tertiogenitus: sic & mater sua, quæ quarta proles erat, tertiogenito, scilicet Karolo jam defuncto succedere deberet, & ipse per consequens matri suæ. Impetiit etiam & per aliam viam partem Regni Franciæ magnam, quam a Regibus Angliæ Francigenæ non virtute armorum, sed solum dolis & fraudibus rapuissent. Ex causis ergo his & similibus inter Philippum hunc ex una parte, & Edwardum Regem Angliæ ex altera parte bellum magnum subortum est. Et discordia hæc sic radicata est inter duo hæc Regna, quod ad longa tempora sequentia non est evulsa, ut infra patebit diversis in locis. Hic Edwardus Rex Regnum Francorum ad plures annos in tantum vastavit, suppeditavit & exinanivit, & quasi sic in nihilum redegit, quod in Regno tanto tam cito talis desolatio fieri posse nullius virtute crederetur. Nationes autem omnes Edwardo favebant, ipsum justificabant, prospera sibi cupientes, & Philippus econtra cunctis erat execrabilis & odiosus. Edwardus ergo in omnibus fortiter & animose agens gloriosus factus est. Philippus vero Regnum Francorum, quod occupabat, custodiens, & se ipsum in Regno quasi latitans salvabat, & vana fabula & contemtibilis fit universis. Hic Edwardus Franciam, Vasconiam, Britanniam, Pictaviam, & alias Francorum provincias armis animosissime & potentissime vastans, omnia sibi subegit in eisdem, & demolitus est quædam per se, & quædam per primogenitum suum, ac plura per Henricum de Darbey Comitem & Lancastriæ Ducem. Philippus vero timidus & nulli se credens, in munitionibus mansit inglorius, Regnum & se ipsum pro posse tuendo.

Vicesimo primo anno Lodowici, qui est DN. MCCCXXXVIII. Edwardus Rex Angliæ, secundum Chronicam Francorum, venit cum CCC. & amplius navibus in Flandriam. Contra quem Flamingi exercitum ducentes, pugnaverunt cum Rege. Sed Edwardus prævalens, quasi infinitum interfecit populum de Flamingis, & multos eorum Nobiles captivos secum abduxit. Defuncta Lodowici Marchionis uxore prima filia Regis Danorum, ipse Lodowicus Marchio cum Margareta inclyta juvencula nobili de Carinthia contraxit, viro suo eam violenter auferendo. Nam cum illa virum suum filium Johannis Regis Bohemiæ filii Henrici VII. Imperatoris, qui ei ut uxori legitimæ jam per annos plurimos condormierat, non diligeret, sed ut impotentem coire detestaretur, & ob hoc ille eam tædiis, verecundiis & injuriis pluribus afficeret, illa clam legatos solennes Lodowico Regi Romanorum dirigens, a viro quidem suo separari, & filio suo Lodowico Marchioni in matrimonio copulari desiderare se significavit, simul & secum dicto Lodowico se spopondit daturam Carinthiam, ad se pleno jure legitimeque devolutam. Rex autem Romanorum Lodowicus ex litera intelligens fœminæ desiderium, illectus promissione petitioni annuit, filium vocavit, raptum Margaretæ persvasit, sed filius horrens factum refugit. Rex ergo Lodowicus exacerbatus contra filium, redarguit ipsum dicens inter alia: Numquid puellæ tam pulcræ, tam generosæ te requirenti condormire, ut ex hoc tantum dominium accipias, refugis & formidas? Post multa verba filius tandem patri persvasus assentit, & ejus consilio pariter & auxilio fretus, uxorem viro suo violenter subtraxit, & rapuit, ac divortium inter eam & virum suum solenniter celebrari fecit. Matrimonialiter illa sibi juncta, Carinthiam sibi tradidit, quam donationem Lodowicus Rex Romanorum Lodowicus confirmavit, & pro tempore perpetuo terram illam filio suo Lodowico & posteris ejus possidendam assignavit feodo Imperiali, omnem defectum, siquis fortassis commissus esset aut incidisset, de plenitudine Regalis potestatis tollens & supplens, secundum Henricum de Hervordia. Quod percipiens Papa Benedictus, Margaretam excommunicavit, eam impudicam protestans, & eam viro suo restitui mandavit. Rex autem Bohemorum Johannes injuriam filii sui uxore privati vindicare desiderans, cum tota sua suorumque virtute dimicare paravit, habens in exercitu suo præter suos multa millia Gallicorum cum magna potentia Regum Franciæ & Ungariæ. Dicuntur autem Rex Bohemiæ & Rex Ungariæ de suis & suis auxiliatoribus simul XIIM. galeatorum, præter alios Gallicos & Flamingos habuisse, Rex vero Romanorum & Marchio IXM. galeatorum validissima, & subito ad occurrendum hostibus contracta. Post hæc inter Reges & Principes dictos treugæ procurantur ad annos duos. Johannes autem Rex Bohemorum interim cœcutiens, nec propter hoc bella declinans, in prælio inter Reges Angliæ & Franciæ potenter commisso, Anglicana sagitta inimice emissa occiditur. Quo mortuo, filius suus Wenzlaus, qui postea Karolus IIII. dictus, bellum paternum reinstauravit & continuavit pro injuria fratris sui. Conspirationem ergo cum Marchomannis contra Lodowicum eorum Marchionem instaurans, subordinavit quendam Glebonem nomine, qui se diceret Woldemarum Marchionem, & illum acceptavit & approbavit pro dicto Woldemaro Marchione, & postea factus Imperator dedit illi Marchiam, & de ipso Principatu ipsum solenniter infeodavit. Lodowicus Rex Romanorum tenuit curiam solen-

Digitized by Google

solennem in Frankenford, secundum Henricum de Hervordia. Ad quam curiam venerunt Reges Angliæ & Bohemiæ, & Principes Imperii, & Electores Imperatoris, ac plures alii Principes, Duces, Marchiones, Comites, Barones & Milites innumeri, Archiepiscopi quoque, Episcopi & Abbates plurimi, ac Doctores utriusque juris periti, Magistri in Theologia & alii literati. Insuper & civitatum legati, & hominum aliorum spectabilium multitudo copiosa convenerunt. Horum omnium, quorum interesse poterat consilio studioso Lodowicus Rex tanquam Imperator plurima statuta, Ecclesiæ & Imperio ut asseruit utilia, & necessaria instituit, declaravit & promulgavit, de plenitudineque potestatis Imperialis vim legum eis dedit, & coram his omnibus, eis etiam acclamantibus & congaudentibus publice & solenniter perpetuis temporibus observanda mandavit. De quibus quædam extrahens, præsentibus inserere curavi. Primo namque statuit, quod ad Principes Electores Imperii Clericos & laicos immediate pertinere debeat electio Imperatoris. Secundo, quod electus per Principes concorditer vel in discordia, dummodo a majori parte Principum electus sit, efficitur verus Rex Romanorum postea in Imperatorem coronandus. Tertio, quod sic electus potest citra approbationem, assumtionem, nominationem vel confirmationem Sedis Apostolicæ jura Imperii & judicia exercere, & administrare. Quarto, quod post electionem hujusmodi sic electus & Electores debent notificare Domino Papæ, quomodo talem Catholicum & idoneum elegerint legitime in Regem Romanorum, petendo cum humilitate, ut sibi faveat coronationem & unctionem, & quod eas sibi impendat. Quod & facere ex tunc tenetur, nisi eum notorie sciat indignum notabili indignitate, & tunc potest sibi suum officium subtrahere. Et si Papa idoneo electo negaret coronationem & unctionem, tunc recipere posset & poterit ab alio Episcopo Catholico, & exinde intitulare & scribere Romanorum Imperatorem, licet per antea in esse, ex ipsa electione factus sit verus Imperator. Nam coronationes, inunctiones & benedictiones tales sunt quædam solennitates adventitiæ per Ecclesiam inventæ, solum nomen & non rem impendentes, in signum devotionis, humilitatis & unionis inter Ecclesiam & Imperium. Quæ ambo a Deo processerunt, & sunt inter se diversa, sicut spirituale & corporale, quæ essentialiter nihil habent commune, sed per accidens unita sunt causa defensionis mutuæ, quia una potestas alteram defendere tenetur, prout jura & Chronicæ docent antiquæ. Et Papa major est Imperatore, quia Dominus spiritualium & animarum, Imperator vero Dominus corporum & rerum corporalium. Et ideo Papa corrigere potest Imperatorem de peccato sicut alium Christianum. Quinto, quod Imperator Papæ præstabit & Ecclesiæ defensionis, devotionis & humilitatis, non autem homagii vel fidelitatis juramentum, quia temporalitatis nihil sibi tribuit, quæ quantum ad omnes procedunt ab Imperatore. Sed ratione delicti ipsum corrigere potest, & hoc juramentum est obsequium Christianitatis & fidei, adeo etiam quod si Principes requisiti hoc obsequium non præstaverint, possint excommunicari, ut patet XXIII. Q. V. C. Administratores. Sexto, quod regimen vacantis Imperii pertineat ad Papam, dixit, omnino esse falsum & ab omni veritate alienum, ac contra consvetudines approbatas, necnon contra Sacri Imperii libertatem & dignitatem, contraque jura & libertates Principum Electorum. Nam vacante Imperio, Comiti Palatino de Rheno de jure & approbata consvetudine Imperii observata hactenus inconcusse, administratio Imperii spectat secundum ordinationem Karoli Magni, qui Imperium ad se rapuit a Græcis, & in Teutonicos & Alemannos transtulit, sicut & Ecclesiam quasi ad nihilum redactam resuscitavit & ampliavit. Reyoldus Comes Gelriæ & Wilhelmus Comes Guliaci vel Juliaci, cum gradum Nobilitatis suæ factis quamplurimis insignibus gloriosius adornassent, secundum Chronicam Francorum, uterque in hac curia Frankenfordensi ad statum & gradum nobiliorem per Regem Romanorum provectus est, Reynoldus quidem in Ducem, & Wilhelmus in Marchionem sublimatus est. De solennitatibus autem omnibus, quæ secundum Imperii consvetudinem in talibus fieri solent, nihil penitus Rex vel potius jam Imperator nominandus prætermisit, omnia perficiens splendide & jocunde. Et notanter dico, Lodowicum Regem amplius nominari debere Imperatorem, & hoc virtute Constitutionis quartæ immediate supra tactæ, & per curiam Regiam de consensu Principum Electorum & omnium aliorum spiritualium & secularium ibidem congregatorum ordinatæ & promulgatæ, quæ in ipso antea completa fuit, & jam ratificata & approbata per Principes. Prædictus autem Comitatus Gelriæ, nunc vero Ducatus factus, primo Nobilis Advocatus Gelriæ nominari consvevit. Sed postea Comitia Sutphaniensi non habente hæredem masculum, sed tantum filiam puellulam, Advocatus Gelrensis duxit eam in uxorem, accepta cum ea Comitia Sutphaniensi, de qua per Episcopum Trajectensem infeodatus, amplius Comes est nominatus, & tandem cum divitiis & potentia invaluisset, Dux per Imperatorem etiam appellatus est. Comitem etiam Wilhelmum Guliacensem vel Juliacensem eodem modo Imperator fecit Marchionem. Et exhinc in eadem curia Lodowicus Imperator nullo cogente vel svadente coram Regibus & Principibus omnibus tam Ecclesiasticis quam secularibus & aliis universis rationem fidei suæ sonore, distincte & devotissime reddidit, & quod fidelis esset Christianus, clare planissimeque declaravit, singulis articulis fidei per aliquantulum temporis immorando, quemlibet eorum fideliter credere, & cuilibet imperterrite adhærere se protestans. Cumque pervenisset ad articulum, & unam S. Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, illi paulo plus immorabatur, asserens, se ab illo articulo nec etiam quantulumcunque declinare, aut in eo hæsitare, sed in eo fidelissimum & firmissimum esse velle. Unde dixit: Credimus enim, quod

Digitized by Google

quod Catholica Ecclesia docet & prædicat. Quare enim reciperemus Evangelium Matthæi, & non Thomæ vel Thaddæi, nisi quia Ecclesia docet, istud acceptandum, & non alia, ut in decretis Patrum orthodoxorum continetur. Et subjunxit: Nec obstat nobis, si de discordia inter nos & Papam aliquid nobis objiciatur. In omnibus enim ad fidem, justitiam, veritatem & bonos mores, Ecclesiæ consvetudines antiquas & approbatas pertinentibus, & in aliis quibuscunque justis & sanctis ad fidem qualitercunque necessariis, Papæ & Cardinalibus humiliter & promte semper obedivimus, obedimus & obediemus, nec ad dextram nec ad sinistram declinantes, quanquam eorum passiones & adinventiones novitatum periculosarum, ut Imperii læsionem, quinimo destructionem, quæ tandem utique vergunt in extremum malum, reipublicæ humiliationem & dejectionem Ecclesiæ, non approbemus. Post hæc omnia protestatus est, se petere & desiderare a Principibus omnibus & Christianis quibuscunque, quod Papam, siquo modo possent, ad cor & concordiam revocarent, tum quia fidelibus omnibus hoc expediret, tum quia veritas, quæ Deus est, non nisi in pace consvevit habitare, tum etiam quia dixit, se non esse tam impotentem vel humiliatum, quod vellet extraneis violentiis quibuscunque velut calcaribus perurgeri. Omnibus his peractis, sonore legit & distincte Credo in Deum Patrem omnipotentem, & Orationem Dominicam cum Salutatione Angelica, & valedicens Regibus & Principibus omnibus, cum exercitu suo magno regressus est in Monacum, & cæteri Principes ad partes suas reversi sunt.

Vicesimo secundo anno Lodowici, qui est Domini MCCCXXXIX. Rex Tartarorum honorabiles misit nuncios ad Benedictum Papam, petens sibi mitti viros religiosos, secundum Henricum de Hervordia, & in Lege divina eruditos pro salutifera gentis suæ conversione, Quod & Papa fecit. Multitudo locustarum in Ungariæ Regno, secundum Egghardum, inaudita visa est, quæ terræ fructum in plerisque locis depascentes, quasdam civitates per dies aliquot operuerunt, ita ut sol in eas radios suos spargere minime valeret. Edwardus Rex Angliæ cum potestate maxima mare transiens, Franciam est ingressus, secundum Wilhelmum, ubi consistens cum classe magna, navium, emisit literas ad Principes Alemanniæ, petens subsidium eorum. Qui omnes benivoli & promti venerunt in magno numero, puta Lodowicus de Brandeburg, Raynoldus Dux Gelriæ, Fredericus Dux Brabantiæ, Wilhelmus Marchio Guliæ vel Juliaci, Wilhelmus Comes Hollandiæ, & plures Comites Westphaliæ. Et intrantes Pikardiam, demoliti sunt magnam partem ejus. Edwardus autem libenter bello Philippum Regem Francorum aggressus fuisset, sed ipse nullibi comparere voluit, dissvadente sibi hoc Johanne Rege Bohemorum, qui protunc auxilio sibi erat. Et sic Principes Teutoniæ reversi sunt ad propria. Ludolfus Episcopus Swerinensis obiit in Butzowe, secundum Chronicam Obotritorum, cui in sedem succesit Dominus Henricus Bulowe, vir magnæ prudentiæ & sagacitatis in negotiis secularibus, & diu bene rexit Ecclesiam illam. Comes de Hennenberg Bertoldus obiit, cui successit filius suus Henricus in Comitatu. Hic Bertoldus non diu ante obitum suum procuraverat Lubicensi urbi a Lodowico Imperatore autoritatem faciendi auream monetam sub bulla aurea Imperatoriæ Majestatis. Principes terrarum Teutoniæ inferioris, puta Duces de Brunswik, de Luneburg, de Stetin, Saxoniæ & de Wolgast, Marchio de Brandeburg, Comites Holtzatorum, Swerin & Wittenburg, Domini de Mykelenburg, & Slaviæ, Archiepiscopus Bremensis, Episcopi Lubicensis, Verdensis, Brandeburgensis, Swerinensis, Razeburgensis & Havelbergensis, ac civitates sub eisdem Dominis militantes congregati fuerunt in urbe Lubicensi. Qui negotia Reipublicæ & præsertim mercatorum tractantes solicite, fecerunt pacem generalem omnium terrarum suarum ad sex annos inviolabiliter duraturam sub suspendii pœna. Quam quidem pacem jurejurando confirmantes, imposuerunt singulis eorum sub pœna banni perpetui & proscriptionis, nequis quemcunque dictam pacem quomodolibet infringentem teneat, foveat aut defenset, sed mox captum judicet secundum latam ab omnibus sententiam præscriptam. In eadem curia Principum Dominus Albertus de Mykelenburg dedit filiam suam Domino Nicolao Slavorum Principi, quorum nuptiæ statim post solenniter sunt celebratæ. Juxta Sozatum opidum Westphaliæ agricola quidam de villa Hemerde exiit in agrum cum IIII. equis ad excolendum ipsum, filium suum parvulum trium annorum solum secum deferens, secundum Henricum de Hervordia. Quem equo depositum cum in agro locasset, & equos ad laborandum aptaret, ecce subito nubecula nigerrima in modum parvæ columnæ aut virgulæ fumi gracilis & longa prope virum ascendebat de terra, & in circuitu ejus alia nubes alba major, quæ totam villam Hemerden operiebat, & de medio nubis nigræ scintillæ multæ quasi fornacis ardentis prorumpebant, & sonus ejus sicut aqua fabri, in qua ferrum ignitum extingvitur, & tanquam ollarum plurium aqua visiosa bullientium horridus ingruebat. Cumque arrepto filio, & ante se super equum posito, fugam pararet, cœlum totum piceum factum est, & cahos (chaos) horridum imminebat, coruscationes & tonitrua ingentia mugiebant, & omnia conquassabant. Virum vero ipsum equo insidentem, & puerum in sinu tenentem interfecit, equo & puero cum tribus aliis equis illæsis. Quod quidam Dei vindictam peccata occulta videntis & punientis interpretabantur; alii vero hoc mirabilibus factis divinis ascribebant. Pro eodem tempore in opido Gezeke ejusdem terræ quædam erat Canonissa, puella multum honesta jam annosa. Hujus pilos omnes per sinistram partem corporis, tam in capite quam in superciliis, palpebris, sub ascellis (axillis) & in inguine fulmen adurens, dextram totam reliquit intactam, nec quidquam corporis in aliquo læsit. Quod factum indubie ascribendum videtur actionibus occultis naturæ

Digitized by Google

naturæ fulminis, de quibus tractat diffuse Albertus Magnus Frater Ordinis Prædicatorum Magister in Theologia solennissimus in tertio Meteororum Cap. XIX.

Vicesimo tertio anno Lodowici, qui est Dn. MCCCXL. Gerardus magnificus Comes Holtzatorum, super omnes Principes sui temporis animosus & victoriosus, interfectus est in cubili suo clam & turpiter valde, secundum Chronicam Lubicensem. Dum enim exercitum pro tempore duceret, in custodiis magnis & excubiis dormire solitus erat. Et ob hoc quidam Dacus perfidus, quondam cubicularius suus, ad hoc nefas perpetrandum conductus, ingressum ad eum & egressum sciens distincte, ad ipsum in magna custodia dormientem in cubiculo intravit cum aliis LX. viris, ac si excubias exercitus observaret. Et sic dormientem clam mactavit, clamque recedens aufugit. Morte ergo Comitis comperta, clamor & luctus in cœlum attollebatur, totusque exercitus induitur mœrore & confusione. Sed consilio Procerum & amicorum suorum Henricus filius Comitis Gerardi interfecti de planctu surgens, lota facie, militem quemlibet sublevavit, & exercitum ipsum exhortationibus animosis confortans, expeditionem contra Danorum Regnum instauravit, & instar patris majorem Regni Danorum partem gladio sibi vendicavit, ac multo tempore tenuit. Tandem etiam interfectorem patris sui Dacum ipsum capiens demembravit, & singula membra rotis confregit, confracta vero in sublime levavit super rotas, corvis & avibus devoranda. Fuerant etiam interfecti cum dicto Comite Gerardo Capellanus suus Presbyter & Henricus Miles de Wictinkhove. Iste Gerardus Comes cum Regnum Danorum sæpe manu valida pervagaretur, tandem invalescens ipsum expugnavit, vastavit, & omnes in eo sibi contrarios debellavit, & sic Regnum pro majori parte potenter occupavit, donec sic nequiter peremtus est. In crastino S. Clementis & nocte sequenti ex vehementia ventorum mare intumuit in Selandia prope Flandriam secundum Wilhelmum, & in tantum fremuit, ut urbem Sirixensem & omnem terram subintrans, quidquid invenit, destruxit, sic quod toto illo anno terra undique nec arari nec seminari potuit propter maris salsuginem, homines etiam utriusque sexus cum parvulis ad VM. submersit & delevit, infinitis bestiis & jumentis suffocatis. Philippus Rex Francorum misit exercitum maximum de Francia in portum Swen navali classe ad debellandum Flamingos, secundum Chronicam Francorum, qui Anglicis favebant, & auxilium eis ferebant. Edwardus autem Rex intelligens factum hoc, multitudinem armatorum transmisit Flamingis in auxilium. Convenientes itaque ambo exercitus, bellum navale aggressi sunt, & pugnare incipientes in die B. Johannis Baptistæ de vespere, præliati sunt viriliter per totam illam noctem & per mediam diem sequentem, & victoriam Deus contulit Edwardo Regi Anglorum, & cæsa sunt de Francigenis XXXM. hominum & DCCC. de Anglicis vero & Flamingis circa IIIIM. perierunt. Tam horribile enim bellum non est habitum a memoriis hominum. Dimissis ergo navibus in mari cum diligenti custodia, Edwardus Rex cum suo exercitu intravit Pikardiam secundario & vallavit Doracum urbem, ac eam expugnavit. Pars vero exercitus se transtulit versus Sanctum Thomam urbem, ubi plures interfecit milites & cives illius civitatis. Rex autem Francorum Philippus, collecto novo exercitu venit ad S. Cornelium, & ponens se prope quoddam flumen, impedire nitebatur transitum hostium, non audens transvadare, nec bellum aggredi cum exercitu Anglorum. Ipsis ergo ibidem consistentibus, venerunt nuncii Papæ cum Comitissa Hollandiæ sorore Regis Francorum, & placitantes inter Reges prædictos, ordinaverunt treugas fieri per annum duraturas. Sicque obsidio urbis Doraci soluta est. Dux vero Brabantiæ de suis nobilioribus viris plures fecit rotari propter traditionem, quam eis imponebat. Sarraceni mare transfretantes, venerunt cum magno populo in Galliciam, secundum Chronicam Francorum, terram illam inhabitare proponentes. Christiani vero Deum & S. Jacobum invocantes, collegerunt exercitum, & in die S. Andreæ populum illum diabolicum aggredientes, cum mirabili adjutorio S. Apostoli Jacobi totam illam multitudinem straverunt & occiderunt, paucis evadentibus.

Vicesimo quarto anno Lodowici, qui est Dn. MCCCXLI. Lodowicus Marchio Brandeburgensis venit in urbem Lubicensem cum literis Imperatoris asserens, se esse tutorem civitatis datum ab Imperatore, & tollere debere census imperiales, secundum Chronicam Lubicensem. Quem cives cum magno honore recipientes, ipsum in tutorem & defensorem cum gratitudine acceptarunt, & debitum censum eidem solverunt. Tutor autem dictæ urbis per longa tempora fuerat nobilis Comes Bertoldus de Hennenberg vir magnæ prudentiæ. Sed eo præcedenti anno migrante. nunc Imperator filium suum misit. Woldemarus autem Dux de Sleswic & Jutiæ, & Henricus ac Johannes Comites Holtzatorum percipientes, Marchionem esse Lubeke, venerunt ad ipsum in urbem, & placitantes cum eo, convenerunt tandem in eam conclusionem, quod Woldemarum filium Christoferi Regis Danorum in Regnum patris sui, de quo jam diu exulaverat per expulsionem Gerardi Comitis Holtzatorum, qui Johannem fratrem Christoferi in Regnum introduxerat, Woldemaro filio ejus expulso, introducere vellent cum potentia. Quam quidem conclusionem etiam ad effectum suum perduxerunt. Rege ergo, Woldemaro in Regnum reverso Woldemarus Dux de Sleswic sibi in uxorem suam tradidit sororem suam in Sunderburg. Nuptiis vero solenniter peractis, Dux ipsum Regem deduxit in Wiberge castrum, ubi totum Regnum conveniens, receptus est a populo universo, & Rex appellatus est. Albertus Dominus de Mykelenburg in legatione Magni Regis Sweorum ad Lodowicum Imperatorem missus, tanquam paranymphus pro quodam conjugio sociando in Thuringia, a Gunthero Comite de Swartzeburg

burg cum omnibus suis est captivatus, secundum Chronicam Obotritorum, sed tandem per Lodowicum Imperatorem potenter est liberatus, & cum gloria in patriam suam est remissus, negotio suo peracto. Hic Dominus Albertus de Mykelenburg sumsit de uxore sua Euphemia sorore Magni Regis Sweorum tres filios, puta Henricum, qui duxit in uxorem Dominam Ingeburg filiam Woldemari Regis Danorum; Albertum, qui duxit in uxorem Rixam filiam Ottonis Comitis de Swerin; & Magnum, qui duxit in uxorem Elisabeth filiam Bugslavi Ducis de Wolgast. Genuit etiam Albertus prædictus de uxore sua duas filias, puta Ingeburg, quæ primo duxit Lodowicum Marchionem de Brandeburg, quo defuncto, duxit eam Henricus Comes Holtzatorum; & Annam, quam postea duxit in uxorem Adolfus Comes Holtzatorum. Domina autem Ingeburg filia Regis Danorum genuit Henrico Domino de Mykelenburg Albertum, qui tam ex deputatione Woldemari Regis in ultimis constituti, quam etiam post ejus mortem ex adjudicatione Karoli IIII. Imperatoris succedere debuisset in regno Daciæ, quamvis ex infidelitate Danorum fuerit impeditus. Edwardus Rex Angliæ, treugis terminatis, cum magna potentia Franciam est ingressus, secundum Chronicam Francorum, & prope urbem Parisiensem perveniens, in Pystiaco Monasterio Sororum Ordinis Fratrum Prædicatorum hospitatus est per triduum, venationi operam dans in illis tribus diebus, & de venatione sua Parisius mittens legationem Regalem oblationes & solennes, quas regio more ipse cum suis obtulit, cum missas audiret in Pystiaco, cum aliis suis donariis & eleemosynis largis Sororibus dicti Monasterii in urbe Parisiensi latitantibus, ob timorem Monasterio relicto, integraliter transmisit, orationibus suis se & causam suam ex intentione recommendans. Parisienses autem cives pavore magno exterriti, portas urbis claudebant, ædificia multa in murorum circuitu deponebant, fossata nova faciebant, & ad unam partem civitatis confugiebant, insultum Regis pavidissimi expectantes, Rege eorum Philippo quasi post balneum quiescente, & ut lepus timidus in nemore latitante. Cumque dictus Rex Philippus urbem exire non præsumeret, Edwardus per Franciam diffusus omnia vastavit, & tandem versus Angliam proficiscens, Calethum urbem obsedit. Quam tandem expugnans cepit, piratis multis civitatis illius interfectis, & urbe succensa. Danica gens perfida semper ab antiquo de Jutia castrum Scandalingburg obsidione circumdederunt, proponentes interficere omnes Teutonicos in eo & in omni regione circumjacente habitantes, secundum Chronicam Danorum. Quod cum perciperent Holtzati, qui in Füne morabantur, miserunt in subsidium obsessis DC. viros armatos. Quos cum adesse perciperent Holtzati, qui in castro erant obsessi, mox exierunt castrum pugnaturi cum Danis. Quibus dimicantibus, supervenerunt illi DC. viri, & subito irruentes super populum incultum & rusticalem, interfecerunt de ipsis circa duo millia & ducentos. Inter quos interfectus fuit & Capitaneus Juthorum, qui alias causa extiterat interfectionis nobilis Comitis Gerardi cum aliis duobus cum eo occisis.

Vicesimo quinto anno Lodowici, qui est DN. MCCCXLII. Apud villam Buderke terræ Westphaliæ ad orientem versus Sozatum, secundum Henricum de Hervordia, videbatur in aëre quædam exhalatio terrestris grossa quasi massa nigra, ad pedes XII. extensa ab interiori parte sui super terram tereti figura erecta, & quasi esset VIII. cubitorum alta. De cujus apertura superius ignis vehemens in flamma divaricata cum crepore & horribili sono exæstuans ad dimidiam horam sic videbatur in eodem loco. Post vapor ille vel exhalatio subito in ventum vertitur & villam Boderke circumiens, curtim quandam ex alia parte villæ Boderke versus occidentem æstivalem invasit, quercusque magnas & arbores omnes circa terram diminuens dejecit, domum vero magnam in altum levavit, totam levatam vertit, sic quod pars ejus inferior directe sursum fuit & superius, & sic versam cadere permisit, & confracta est totaliter nullo penitus hominum læso. Nam Deo utique disponente nullus fuit in curia præter unum puerulum, quem vapor ille in extremitate sua, ubi debilior erat, frequenter de terra rapiens & parum levans, tandem dimisit, & sic tandem totaliter disparuit. Woldemarus Dux Jutiæ & de Sleswic cum Comitibus Holtzatorum discordans, captus est a Holtzatis in venatione, secundum Chronicam Danorum, & ductus in Fune ad castrum Nüborg, ubi tentus fuit per biennium, & postea redemtus cum pecunia magna. Henricus Episcopus Lubicensis obiit in Quadragesima, & sepultus est in choro majoris Ecclesiæ quem ipse construxerat cum aula Episcopi solenni, secundum Chronicam Lubicensem, cui successit in sedem Dominus Johannes Scholasticus, & consecratus est Dominica Misericordias Domini ab Archiepiscopo Bremensi & Episcopis Zwerinensi & Razeburgensi, eodem autem die suæ consecrationis dedicavit ecclesiam majorem dictæ civitatis in honorem S. Johannis Baptistæ & SS. Nicolai & Blasii. Woldemarus Rex Danorum obsedit castrum Calingburg in Selandia Daciæ terra marique, sed Henricus Comes Holtzatorum veniens cum multitudine armatorum in magnis navibus, cepit omnes naves Regis, & duxit in captivitatem cunctos Danos in eis repertos. Civitates Lubicensis & Hammeburgensis litem suscitaverunt cum Nicolao & Henrico Comitibus Holtzatorum, eo quod vasalli dictorum Comitum spoliassent mercatores illarum civitatum, & Comites eosdem in suis maleficiis defensabant, nec justitiam de illis raptoribus cuiquam petenti aut querulanti facere volebant, secundum Chronicam Lubicensem. Johannes etiam Comes dictæ terræ in hac discordia stare noluit cum patruis suis Comitibus, sed contra eos concessit dictis urbibus castrum Segeberge ad certum tempus pro quadam summa pecuniæ, ut de illo castro valerent hostes suos debellare. Sed hoc negotium practicavit Advocatus Comitis Johan-

Digitized by Google

Johannis ad cautelam, ut scilicet eo expeditius perficere posset turrim illam magnam, quam ipse in castro ædificare cœperat Steghen dicto. De quo quidem castro postea civitatibus præfatis illata sunt multa incommoda. Lubicenses vero habito castro illo, suos posuerunt in illo vasallos, qui Holtzatis illis, qui civitatibus inimicabantur, damna intulerunt multa, nunc rapiendo pecora & jumenta, nunc incinerando villas & opida, & nunc captivando eos, qui se infestabant. CumqueComites viderent, cives contra eos ingrassari, verbis & promissis avertetunt cor Johannis Comitis patrui eorum a civitatibus prædictis, quibus huc usque præsidio fuerat. Quod cum sicapud Johannem Comitem practicassent, Henricus Comes una nocte clam intravit opidum Segeberge cum CC. viris armatis, & spoliavit ibi stabula Lubicensium & Hammeburgensium, multos pulcros equos capiens & abducens. Cepit etiam ibidem duos cives opulentos de Lubeke, quos secum ducens, magnam pecuniæ summam ab eis extorsit, non tamen sine traditione opidanorum de Segeberge, qui potius Dominis suis quam civitatibus favebant. Johannes Comes Holtzatorum tradidit matrimonio duas filias suas duobus fratribus Dominis Slavorum, secundum Chronicam Lubicensem, & celebratæ sunt nuptiæ in opido Plöne. Eodem tempore Henricus & Nicolaus Comites Holtzatorum solverunt a vinculis & captivitate Ottonem fratrem Woldemari Regis Danorum, quem ipsi ceperant in Italia, & miserunt ipsum Johanni Domino Slavorum, apud quem mansit ad tempus, & factus est postea Frater Ordinis de Domo Teutonica. Et sic Woldemarus mansit solus in Regno Danorum, & rexit in pace Regnum suum.

Vicesimo sexto anno Lodowici, qui est DN. MCCCXLIII. B. Petrus Martyr de Verona Ordinis Fratrum Prædicatorum apud Mediolanum in Capitulo generali tunc ibidem celebrato, secundum Henricum de Hervordia, per venerabiles Patres & Dominos Johannem de Vicecomitibus Archiepiscopum Mediolanensem & alios plures Episcopos, Magistrum Ordinis Prædicatorum & dicti Capituli diffinitores, assiste Domino Lukino, Domino Mediolanensi cum Nobilibus & potentibus quam plurimis, & populo maximo terræ, venerabiliter & cum solennitate multa transfertur, & in tumba pretiosissima devote locatur. Nec defuerunt miracula plurima, quæ Deum gloriosum & mirabilem in Sancto suo prædicarent, & S. Martyrem devote venerandum comprobarent & colendum festive ab universis Christi fidelibus. Cives Lubicenses querimonias graves deposuerunt coram Lodowico Marchione de Brandeburg tutore eorum contra Comites Holtzatorum Henricum & Nicolaum, secundum Chronicam Lubicensem, & easdem querimonias fecerunt etiam Lodowico Imperatori principali Domino suo. Quibus Imperator & Marchio miserunt CC. viros bellicosos valde, Bayoarios scilicet & Swevos in propriis Principum illorum expensis; quorum Capitaneus erat Fridericus de Lokken miles strenuus Vicemarscalcus Lodowici Imperatoris. Hi ducenti viri una cum civibus utriusque civitatis Lubicensis & Hammeburgensis intrantes Holtzatorum terras, pervenerunt usque Ytzeho opidum, cujus circumjacentes villas ex toto vastaverunt. Ex hinc pervagantes Danicam silvam, demoliti sunt omnes villas & opida terræ illius. Et cum pluries hæc & similia fecissent civitates prædictæ cum suis adjutoribus, & Magnus Rex Sweorum hoc percepisset, in favorem Comitum de Holtzatia captivavit omnes mercatores, quos in Regno suo invenire poterat, & bona eorum fisco Regio deputavit. Quod cum Lubicenses intellexissent, vice versa omnes de Swecia in sua urbe inventos vinculis mancipaverunt, bona eorum diripientes. Cumque mercatores duarum illarum civitatum a Rege Sweciæ tribularentur, venit Fredericus Marscalcus Imperatoris cum II. bellatoribus suis in Scaniam tempore capturæ halecum, & adjunctis sibi mercatoribus, iniit conflictum cum Sweorum mercatoribus pariter & Danis, & obtinens victoriam, cepit multos de Holtzatis Sweis, & Danis ac Funensibus, & misit omnes in urbem Lubicensem. Postquam autem probissimus iste Fredericus Marscalcus victoriam hanc habuisset, rediit ad partes suas copiose remuneratus a civitatibus prædictis. Tunc Lodowicus Marchio de Brandeburg alios misit viros civitatibus prædictis in auxilium, & similiter Imperator alios destinavit auxiliatores. Venit namque Guntherus Comes de Swartzeburg cum suis ex parte Imperatoris, & Henningus Buk Miles cum suis ex parte Marchionis. Hi viri dolosi & fraude pleni exeuntes in campum contra Holtzatos perperam mox egerunt, magis faventes Comitibus Holtzatiæ quam civitatibus, quibus auxilio esse debuerunt. Et quia cognoverunt dictorum Principum vasalli, quod cives urbium præfatarum validiores & fortiores essent quam Comites, fœdera inire & pacem fieri inter partes suaserunt, cum detrimento tamen civium prædicta concludentes. Quidam Clericus venit ad curiam Romanam, beneficium a Domino Papa Benedicto impetraturus, secundum Egghardum. Quem cum nimis tenacem & durum reperisset in petitionibus pauperum exaudiendis, scripsit hos duos versus in porta palatii:

A re nomen habe: benedic, Benefac Benedicte;

Aut hoc perverte, maledic malefac Maledicte.

Hic Papa defunctus est in Avinione IX Kal Maji, cui pro Epitaphio scribebatur ab aliquibus de morte ipsius minime dolentibus.

Hic factus est Nero, laicis mors & vipera Clero,

Devius a vero, cupa repleta mero.

De Clemente VI. PP. CCVI.

Clemens Papa, natione Hispanus ex patre Philippo, sedit annis X. & mensibus V. secundum Autorem Gestorum Romanorum Pontificum. Hic prius Petrus Rogerii dictus & niger Monachus Ordinis S. Benedicti existens, in Theologia Doctor, primo fuit Archiepiscopus Rothomagensis, & post Papa effectus. Factus autem Summus Pontifex nihil intentatum reli-

Digitized by Google

quit, in omnibus factis suis pariter & in vita sua plusquam debuit, secularis existens. Hic etiam Papa in consistorio publico promulgavit pacem inter Lodowicum Imperatorem & Ecclesiam, & quod se dedisset ad gratiam sedis Apostolicæ, & vellet satisfacere ad libitum Papæ, de quo curia erat valde gavisa. Postea misit Papa nuncios solennes cum literis suis ad Lodowicum Imperatorem, in quibus modus & forma emendæ continebatur, quam facere debebat. Primo, ut Imperium resignaret, & staret in arbitrio Papæ, an sibi vel alteri illud daret. Secundo, si maneret circa Imperium, quod extunc literas Sedi Apostolicæ perpetuo duraturas & majori sigillo munitas scriberet, continentes, quod nec ipse nec successores sui in perpetuum eligendi in Imperatores, de Imperio se intromittant nec de corona quacunque, nisi prius sint a Sede Apostolica confirmati. Et plures alios graves articulos continebat litera a Papa missa. Lodowicus autem visis literis Papæ, convocavit Principes Electores & alios Principes, consuluit eos super litera prædicta. Qui omnes una voce responderunt, quod nullo modo posset aut deberet facere secundum postulationem literæ, quia sic libertas suorum successorum tolleretur simpliciter. Unde nuncii Papæ revertentes vacui, mansit discordia inter Imperium & Ecclesiam. Aquæ universaliter in tantum inundaverunt, non solum ab alveis suis egredientes, sed & de terra prodeuntes, & de montibus quasi glomerando profluentes, ut veluti diluvio facto nimis elevatæ per agros & campos super segetes & arbusta ad instar fluctuum maris inundantes, a civitatibus quibusdam arcerentur labore & studio multo, ne super muros intrantes involverent universa, secundum Henricum de Hervordia. Nam in quibusdam earum omnia, puta muros, turres, domos lapideas & pontes subverterunt, lapides & ligna domorum & pontium ad loca remota subvehentes, cadavera vero hominum sepultorum e terris & cimiteriis evulsa devexerunt, ut postea inveniri minime potuissent. Cadaver enim unius viri de cimiterio novæ civitatis Lemegow subvectum aquis, postea in præsepi coram equis inventum est. Ostia quoque domorum fregerunt oves, boves & pecora & homines vivos rapientes, ultra murosque undis vicissim involventes abduxerunt, ut de matre Fratris Johannis Traphagen in Lemegow factum est, filio ejus vidente, & auxilium ferre non valente. Ibidem etiam juvencula quædam noviter nupta cum raperetur ab aqua, virum ejus alta voce invocavit, dicens: O cur sæpe dixisti, ut diligeres me? Cur si unquam me dilexisti, modo deseris me, modo auxiliari recusas? At ille: Et diligo te, & moriar tecum, vel juvabo te. Insiliens autem in aquam, & tentans eam juvare, simul cum ipsa periit. Quidam etiam famulus pauper in eodem opido totam suam substantiam expenderat in duobus equis, quos emerat. Qui videns inundationem subitam ingruere, ut se & equos prædictos salvaret, fortunæ se commisit. Unde projectis vestibus, unum equorum ascendit, & alium in freno duxit. Per aquarum vero vehementiam ultra muros novæ civitatis cum eis ductus & raptus, tandem ad montem quendam defluxit, equis suis natantibus, & ipso eos dirigente. Et sic ipse cum equis suis in monte terram habens solidam salvatus est. In Mynda etiam in tantum aquæ excreverant protunc, quod civitatem intrantes, per majorem Ecclesiam usque ad forum pervenerunt, & ostium parte civitatis quasi ascendentes, super pontem illum altum elevatæ sunt. In fluvio denique Wisera videbantur cistæ, lecti, sedilia & alia domorum utensilia, porci quoque, boves, oves, equi, arbores & casæ magnæ defluentes. In summitate etiam domus unius sic defluentis homo quidam divaricatis cruribus sedens & plangens, ponte fracto simul cum aqua versus Bremam descendebat. Fuit autem hæc inundatio in die Mariæ Magdalenæ & parum post & ante. Albertus Dominus Magnipolensis in vigilia B. Matthæi expugnavit opidum Grymme, secundum Chronicam Obotritorum, & restituit eam Domino Nicolao de Werle, cui erat traditiose per Capitaneos Ducum Stetinensium tempore pacis & treugarum ablata. Erat autem expugnatio illa durissima, eo quod valentiores illius Ducatus in magno numero obsessi essent in opido illo, qui omnes vel captivabantur, vel igne aut gladio trucidabantur, paucis fuga elapsis. Capta autem civitate, Dominus Albertus quendam Proconsulem urbis nomine Johannem Rike, qui dictam civitatem ad manum Stetinensium tradiderat, publice in conspectu omnium cremari fecit. Eodem anno idem Dominus Albertus auxilio Domini Henrici Comitis de Swerin, qui tamen post statim obiit, hostiliter pertransivit terram & Comitatus de Wittenburg & Razeburg, & munitiones raptorum dissipavit. Ædificavit etiam castrum nomine Bethowe in solo Episcopi Razeburgensis, quod tamen sequenti anno timens excommunicationem Episcopi destrui fecit funditus.

Vicesimo septimo anno Lodowici, qui est Domini MCCCXLIIII. Albertus Dominus de Mekelenburg fultus præsidio Ottonis Ducis Saxoniæ, secundum Chronicam Obotritorum, pervagatus est terram Lovenburg, & expugnata insula Dersing destructisque munitionibus ejus, atque expulsis inde Nobilibus de Scarpenberg, cepit opidum Razeburg in die S. Martini in aurora, & spoliato eo atque succenso, ipsum destruxit, Monasterio indemni conservato. Reges Ungariæ & Bohemiæ cum Wilhelmo Comite Hollandiæ & Henrico Comite Holtzatiæ cum maximo exercitu intraverunt terram Lithuanorum pro gloria nominis Christi & fide Catholica defendenda, secundum Chronicam Lubicensem, & demoliti sunt terram illam, maxima incommoda barbaris illis inferendo. Et majora quidem damna eisdem intulissent, nisi traditiose cum eis actum fuisset. Sane dicti Principes in obsidione erant cujusdam castri fortissimi, ad quod potiores de Lithuanis confugerant. Quod quidem castrum cum jam quasi expugnassent, Luderus Magister Fratrum de Domo Teutonica proditorie agens, misit nuncios cum literis ad Reges præfatos, scribens eis, pro auxilio ferendo. Quod si non statim fieret,

Digitized by Google

ret, absque dubio totam illam terram barbarica illa gens, quæ sine numero ad eos intraverat, sibi subjugaret, & sic Fides Christiana in finibus illis periret. Has literas Principes legentes mox obsidionem illam solverunt, & quam cito poterant, in Pruziam venerunt. Cum autem terram illam intrassent, invenerunt se delusos per prædictum Luderum Magistrum qui favebat obsessis in castro, & pro eorum redemtione mendacium illud confixerat de hostium ingressu. Unde regressi ad propria cum magna indignatione, frustrati sunt in proposito eorum. Fratres autem de Domo Teutonica iram Principum formidantes, Luderum Magistrum eorum nequam propter traditionem factam deposuerunt de officio, & carceri perpetuo ipsum mancipaverunt, alium loco ejus instituentes. Super Primislavia opido Marchiæ visa est crux maxima, secundum Egghardum, apparere in nocte B. Thomæ Apostoli, clara valde super lunā plena, in longitudine habens circa XL. pedes, ad blavium colorem aliqualiter tendens. Et conjecturabatur ab Astronomis significare futurum illud malum, quod Marchio Brandeburgensis legitur sustinuisse in illo ficto Marchione Woldemaro, de quo infra dicetur. Ericus Junior Dux de Lovenburg, patre suo defuncto, sed patruo suo Alberto vivente, deprædatus est stratam communem, spoliando currus mercatorum civitatum Lubicensis & Hammeburgensis ac Luneburgensis, & captivavit plures mercatores. De quo facinore multum dolens Albertus patruus suus, cum ei prædictæ civitates de Erico conquererentur, dixit: Juvate me, & ego astabo vobis, & ipse peccatum suum luet. Quod verbum cum gratitudine acceptantes cives, & exercitum fortem colligentes, cum præfato Alberto Duce Saxoniæ Erici Ducis intraverunt terram, & plura castra ac munitiones raptorum dejicientes, quoquot in eis invenerunt, patibulis appenderunt. Albertus autem Dux, Quadragesima adveniente, migravit ab hoc seculo. Albertus Episcopus Sleswicensis obiit in urbe Lubicensi, secundum Chronicam Lubicensem, & sepultus est in Conventu Fratrum Minorum, in cujus sedem electus est Henricus ejusdem Ecclesiæ Præpositus.

Vicesimo octavo anno Lodowici, qui est DN. MCCCXLV. Albertus Dominus de Mykelenburg per Carnisprivium solennem tenuit curiam in urbe Lubicensi cum multis Principibus, quorum discordias ibidem concordavit, secundum Chronicam Obotritorum. Procurator Ordinis Fratrum Minorum & ipse Minor accusavit quendam Fratrem ejusdem Ordinis nomine Hayabelum de hæresi coram Papa Clemente. Accusatus autem ad curiam vocatur. Procurator prædictus in consistorio dixit, ut habetur ex litera quadam in Avinione missa: certis relationibus, Frater, dicitur, te publice de ambone (umbone) prædicasse, quod sancta mater Ecclesia nunc sit meretricula, & quod omnes Cardinales sint nuncii Antichristi, & quod Papa Johannes & Papa Benedictus sint ambo damnati. Et alia plura dixisti veritate carentia & scandalosa. Quæ audiens Papa, facie mutatus dixit: Quid respondes ad hæc? Ipse autem Frater Hayabelus gaudenter & hilari vultu dixit: Ego in carcere positus propter odium & Verbum Dei, quod prædicavi, ex visionibus Dei habui, quibus resistere non debui, sed clamare & non cessare. Cui Procurator dixit: Violenter de carcere ereptus fuisti & non miraculose, ut asseris. Et quod verus hæreticus (sis), probo per hoc evidenter quod sub habitu tuo defers libros hæreticorum condemnatos. Siquis videre voluerit, & probare, me verum dicere, poterit. Quo audito, fit tumultus in Clero. Sed ille altius respondit: Omnia, quæ Procurator proposuit, vera sunt; & incepit per ordinem dicere & exponere, quæ præmissa sunt, nihil diminuendo, sed plura addendo. Istis sic stantibus & contendentibus, venit quidam Clericus cum bulla Papæ, quam projiciens ad pedes Papæ dixit: Retineatis bullam vestram. Ego hic jam per tres annos in magnis stans expensis, justitiam per vestram bullam prosequi non potui. Quod dixit propter verba Hayabeli Fratris hæretici, quibus dixerat, quod seniores non faciunt justitiam, sed pervertunt judicium propter pecuniam. Cum autem hæc Clericus dixisset, absque misericordia baculabatur, & tandem cum Fratre Hayabelo Minore carceri mancipatur. In Carinthia facti sunt terræmotus permaximi in die conversionis S Pauli, secundum Henricum de Hervordia, & in tantum homines terruerunt, ut de vita penitus desperarent. Duraverunt autem terræmotus isti per dies XXIV. per vices tantum, & una nocte fuerunt XX. terræmotus, de quibus XVI. villæ cum hominibus subversæ sunt, & una civitas tota Cenynge dicta cum Conventu Fratrum Minorum, quæ sic obruta fuit, ut non evaderet homo unus. Perierunt & ex dictis terræmotibus XXXVI. castra cum hominibus, sita in rupibus, duo etiam montes altissimi, inter quos strata erat regia, sic sunt conjuncti, quod via ibi esse non poterit in æternum. Clemens VI. Papa in Cœna Domini Lodowicum Imperatorem publice deposuit, secundum Chronicam Romanorum, & omnes subditos suos a fidelitate sua absolvit. Et non longe post aliqui Principes Electores, puta Archiepiscopi Treverensis & Coloniensis, Rex Bohemiæ Johannes, & Rodolfus Dux Saxoniæ elegerunt Wenzeslaum Marchionem Moraviæ in Regem Romanorum in Bunna, & ibidem ipsum coronaverunt.

Vicesimo nono anno Lodowici, qui est DN. MCCCXLVI. In Comitia de Marka quidam homo Dei circa meridiem sole clarissimo existente deambulans in nemore & orans, secundum Wilhelmum, vidit distinctissime militum & militarium multitudinem magnam in equis magnis & agilibus quasi in torneamento coram se ludentes, & se agitantes, ac vicissim clypeis se tangentes, quorum quemlibet optime & nominatim cognoscebat, sed nemini est ausus loqui. Unus autem eorum equum magnum sine sellore, cui sella devexa sub ventre versus terram pendebat, manu circa se ducebat. Quem videns vir Dei sibi velle loqui, sumta audacia ait illi:

Digitized by Google

Numquid Dominus estis Gerwinus de Rynkenrode. Et ille: sum utique. Tunc vir Dei cæteros nominans dixit: Numquid isti sunt illi, quos nominavi. Cui defunctus ait: Mirabile est, quod dubitas, cum tanto tempore nos noveris, & sic distincte videas. Respondit vir Dei: Æstimabam, vos omnes mortuos esse. At ille: Opinari poteris, quid volueris, sed tu vides, nos hic esse. Ad quem vir Dei: Cujus est equus iste sine sessore. Ille quasi collo sonans, ah! ah! ah! ideo, inquit, venimus huc, ut hoc investigares. Audi & intellige, ac aliis denuncia. Equus hic est Adolfi Comitis de Marka: sella sic dependet, quia nullus hominum super ipsam sedebit, nisi Comes ipse. Infra duos menses sella ista tolletur, & dorso equi aptabitur, & suis cingulis firmabitur, & post aquis Phlegetontæis aspergetur, ut horribilius ardeat. Intellige, quæ dico. Unde infra idem tempus Comes Adolfus aquis Phlegetonteis aspersus, hunc equum ascendet, nobiscum sic per devia discursurus, eo quod opidum Mendene proditiose ceperit & destruxerit, Ecclesiæ pertinens Coloniensi, Ecclesiamque & turrim ibidem everterit, campanas & baptisterium in terram suam transmiserit, campanas quidem in Kamen & baptisterium in Unna, ac organa per fistulas ad partes illas deportari fecerit, necnon in Monasterium Vrendeberge, cujus Ecclesia in honorem Virginis Mariæ consecrata est, Corpus Christi reclusum in pyxide deportari mandaverit, dicens, merito filium debere esse cum matre. Hæc Adolfo Comiti annunciabis, & mortis suæ certam diem & horam designantes, simul omnes disparuerunt. Homo autem Dei, pilis capitis sui omnibus horrentibus pronus in terram corruit, mente captus & a sensibus alienatus. Ad se tandem reversus cum Comiti visionem revelare pertimesceret, pedissequæ cuidam de curia Comitis antiquiori & honestiori totum factum enarravit, ut per illam ad Comitissam, & per eam ultra ad Comitem negotium deduceretur. Pedissequa tamen prius confessorem suum Fratrem Henricum de Attendorn Ordinis Prædicatorum consuluit. Qui territus valde in Sozatum properavit ad seniores suos, & consilium ab eis requirens, nomen Phlegetonteis aquis, quod vir Dei retinuerat & enarraverat, nec ipse nec confessor, quid significet, intellexerat, sibi ab eis exponebatur, & respondebatur, viro Dei fortassis totum ex debilitate capitis accidisse. Sed quia tempus certum & in brevi futurum de morte Comitis expressum est, non negligendum fore consultum est, quin de factis suis & de cursu status sui cautior redderetur. Frater ergo Henricus narravit consilium sibi datum a Patribus suis, & illa indicavit Comitissæ, Comitissa vero omnia Comiti intimavit, qui velut somnia & phantasmata ficta omnia deridebat. Nulla enim protunc cujuscunque fuit suæ mortis dispositio aut suspicio. Sed veniente termino viro Dei prædicto, Comes subito defunctus est, & mercedem sui laboris recepit, ac prophetia viri Dei circumquaque divulgata est. Comiti autem mortuo successit Everhardus filius suus. Petrus Leodiensis Episcopus obiit filius dicti Adolfi defuncti Comitis & frater Everhardi de Marka, secundum Wilhelmum, in cujus sedem rediit filius dicti Everhardi Comitis de Marka. Hic discordias cum civitatibus suis & præsertim urbe Leodiensi habens, eduxit exercitum contra eas, fultus adjutorio Wenzlai filii Johannis Regis Bohemorum, qui postea Karolus IIII dictus est, & aliorum multorum Principum. Leodienses vero cum suis collegiis civitatibus ex adverso ad pugnam prodeuntes congressi sunt cum Episcopo suo prope Leodium, & victores effecti percusserunt magnum populum. Occubuit autem ibidem Comes de Valkenberg, & plures alii Nobiles & milites, Wenzlaus autem Marchio Moraviæ filius Johannis Regis Bohemiæ vix manus eorum evasit.

Tricesimo anno Lodowici, qui est DN. MCCCXLVII. Pestis gravissima cœpit in Terra sancta, secundum Egghardum, ex quodam igne pestifero de cœlo lapsa, quæ postea diffusa est per totum orbem. Gens barbarica juxta Livoniam degens vulgariter Esten dicta, secundum Chronicam Danorum, a fide & Christianitate recedens propter gravissimas exactiones, quas a Christianis Principibus pertulerant, in Paganismo nunquam passa, se in invicem collegit, & adunans exercitum innumerum irruit super Teutonicos de Livonia prope se commorantes, & mercimonia tractantes, & nulli ætati vel conditioni parcens interfecit, quicquid Christiani nominis erat utriusque sexus. Habitavit autem populus iste in nemoribus, & ideo civitates & villas, quas cepit, destruxit. Tempore autem hyemis succedentis locum mansionis sibi faciebat prope Ozele opidum, ubi Episcopatus est, & locum illum fortiter muniebat. Sed Fratres de Domo Teutonica in proxima hyeme per glacies durissimas ad ipsos barbaros pervenerunt, & munitionem eorum destruentes, omnes ibidem inventos interfecerunt. Woldemarus Rex Danorum venit in urbem Lubicensem cum Erico juniore Duce de Lovenburg, secundum Chronicam Danorum, ubi cum per triduum moram traxisset, transfretavit in Prutziam, cupiens ulterius proficisci cum Fratribus de Domo Teutonica contra inimicos crucis Christi. Sed quia protunc expeditio nulla fieri potuit, ipse cum prædicto Erico Duce & cum quibusdam de suis Nobilibus mare transiens, peregrinatus est versus Terram sanctam, ubi Ericus Dux Woldemarum Regem coram sepulcro Domini fecit Militem Christi. Edwardus Rex Anglorum, secundum Wilhelmum, exercitum maximum contrahens, transivit in Franciam contra Johannem primogenitum Philippi Regis Francorum habentem multitudinem populi innumeram. Sed post congressum exercituum pugnantium acriter concessa est de cœlo victoria Edwardo, & interfecit de Francorum agmine centum millia hominum, Delfino cum paucis de manibus Anglorum vix elapso. Wilhelmus Comes Hollandiæ, secundum Wilhelmum, Trajectum inferius Frisiæ per sex hebdomadas continuas obsedit cum LXXXVIM. armatorum electorum, & omnem sui partem valde angariavit. Obsidio tandem præ-

prædicta sic solvebatur. Trajectenses enim cives juxta ordinationem Dominorum placitantium pro concordia taliter Comitem placaverunt, ut bini & bini nudis pedibus & capitibus, discinctique processionaliter civitatem exeuntes, ad pedes Comitis provoluti, primo duo, & post alii duo, & sic ulterius procedendo gratiam suam & amicitiam deposcerent. Quod facientes, in gratiam Domini recepti sunt cum solutione XXM. librarum Hollandrensium, & promissione fideli tali, quod in antea semper in expeditione fienda in terra duntaxat cum tota potentia sua Domino Comiti famulari tenebuntur sub propriis suis expensis.

Tricesimo primo anno Lodowici, qui est Domini M CCC XLVIII. In Sozato opido Westphaliæ, secundum Egghardum, natus est agnus cum duobus capitibus; quorum unum erat inferius formam habens agninam, & alterum erat superius formam gerens avis. Quod quidem videbatur Astrologis portentum esse & virtute stellarum formatum. Wilhelmus Comes Hollandiæ in die SS. Cosmi & Damiani, secundum Wilhelmum, intravit Frisiam cum DCCCC. armatis, quorum CCCC. milites erant, & cum omnibus illis ibidem interemtus est. Comes namque priusquam totus exercitus naves exiret, Frisonibus nimis præcipitanter & impetuose occurrit in campum cum paucis, sed diu pugnans cum eisdem viriliter, tandem periit capite truncatus. Quo interfecto, Imperatrix & Regina Angliæ ambæ sorores Comitis de successione hæreditaria contendere cœperunt. Sed Imperatrix successionem obtinuit, & cum suo filio, Wilhelmo defuncto successit. Lodowicus Imperator Romanorum cum tribus filiis suis Lodowico Marchione de Brandeburg, Wilhelmo Comite Hollandiæ & Romulo, ac cum maximo exercitu venit in Frankenford, secundum Egghardum, ubi constituerat diem placitorum fieri cum Archiepiscopo Moguntino, cum quo discordabat Dux Bayoariæ patruus Lodowici Cæsaris, ut eos concordaret. Dux autem in sua comitiva & pro sua parte habuit Johannem cœcutientem Regem Bohemiæ, Rodolfum Ducem Saxoniæ, Wilhelmum Marchionem Misnæ, Guntherum Lantgravium Hassiæ, & plures alios Nobiles. Hi omnes proposuerant novam fecisse electionem contra Lodowicum de Rege Romanorum, sed Lodowicus Imperator admonitus, ad locum illum cum fortitudine maxima venit, volens resistere inimicis. Quod cum Dux Bayoariæ cum suis percepisset, non fuit ausus venire ad locum Lodowici, sed retrocessit cum suis in Bunnam civitatem Rheni, & ibi electionem celebrans conceptam cum Principibus supra nominatis, erectus est Wenzlaus Marchio Moraviæ in Regem Romanorum contra Lodowicum. Totum autem istud fabricavit Johannes Rex Bohemiæ, volens confundere Lodowicum Imperatorem propter uxorem filii sui raptam, quam dederat filio suo Lodowico Marchioni de Brandeburg. In Unna opido Comitis de Marka diabolus quendam famulum Tiderici Sobben Militis suffocavit, strangulans eum in domo Ludolfi Pitten, secundum Henricum de Hervordia. Protunc etiam in eadem domo diabolus femoralia dicti Militis Tiderici totaliter incineravit, sic quod præter circulos ferreos nihil ex eis remaneret. Sane miles vadens dormitum, femoralia sub lecto suo inter IIII. asseres, quorum quilibet terram tangeret, & quilibet alteri bene conjungeretur, occultavit, & cameram super se bene clausit. Mane facto, Miles a multis, quia Officialis Comitis erat, petebatur, cumque tardaret exire cameram, & ob hoc importune vocaretur, respondit: Venirem statim, sed perdidi quandam vestem. Aperit tandem cameram, quærunt secum, & non invenientes exeunt. Et ecce in medio domus femoralia dicta jacent incinerata, sic tamen, quod cinis habuit figuram & dispositionem femoralium totalem sicut ante combustionem. Scriptor autem civitatis illius Henricus, volens Militi portare vestam illam, pro linteo cineres in manus recepit, nec quicquam ex eo nisi tantum circulos non incineratos invenit. Miles factum videns & non multum attendens jocabatur dicens: Istud fecit hospes meus Ludeke, qui etiam cum viveret, frequenter mecum solatiari solebat. Fuerat autem hospes Ludeke infra octo dies mortuus. Edwardus Rex Anglorum iterum Franciam potenter intravit, & eam undique devastavit, secundum Wilhelmum, ponens se tandem prope urbem Parisiensem cum suo exercitu, ibidem XI. diebus consistens, & inde demum versus Ambianis tendens, præstolari disponebat prœlium cum Philippo Rege Francorum. Habuit autem præfatus Edwardus Rex Ducem exercitus sui Henricum Nobilem Comitem Holtzatorum, virum bellicosum & victoriosum. Rex autem Philippus in occursum Regis Anglorum venit cum Regibus Johanne Bohemorum, Petro Rege Navarræ & Bizantio Rege Majoricarum, & commissum est prœlium ex utraque parte durissimum. Rex autem Angliæ tandem Dei gratia victor effectus, cepit Philippum Regem Francorum per manus Henrici Comitis Holtzatorum Militis invictissimi, & interfecti sunt Johannes Rex Bohemiæ, Adolfus Dux Lotharingiæ, Fernandus Comes Flandriæ, & Bernhardus Comes de Altona cum cæteris XXIIIIM. armatorum. Rex autem Edwardus strenuitatem & virilem animum Comitis Henrici de Holtzatia attendens, & præsertim bonum, quod sibi in hoc prœlio fecerat, concessit eidem & suis successoribus in perpetuum censum CCC. nobilium annuatim sublevandum, dummodo ipse & sui successores post eum singulis annis Regi Anglorum se repræsentaverint, & in necessitatibus Regni se fideles vasallos exhibuerint. Rege autem Edwardo in Francia pugnante, Fernandus Rex Schotorum intravit Angliam, ut devastaret Regnum fratris suæ matris. Sed Anglici viriliter ei resistentes, ceperunt Fernandum Regem, & de exercitu suo interfecerunt circiter XIIM. Et sic utrobiq; processit prospere Edwardo. Rediens autem Edwardus de conflictu Francorum, obsedit Caliacum, id est Kaliz urbem, ubi ædificans castrum, prohibuit per illud, ne aliquid opido adveniret de victua-

Digitized by Google

ctualibus, sed sibi omnia necessaria de Anglia fecit adduci, nec ab ista obsidione recessit, quousque urbem cepisset, & forte castrum in ea construxisset. Quamplures equestris Ordinis homines in diversis partibus mundi conspirationes, confœderationes conjurationesque & quasi sectulas quasdam facientes, & eas certis nominibus discernentes exsurrexerunt in præjudicium Dominorum maximum & discrimen, Reique publicæ non modicum gravamen & detrimentum, secundum Henricum de Hervordia, in Teutoniæ quidem partibus sectam hanc Lollardorum, hanc de cygno, hanc de spata, rota, stella, sagitta, & aliis certis & diversis nominibus appellantes, Ecclesiam miserabiliter involvunt. Habet autem quælibet earum numerum militum & militarium copiosum, quædam CC. quædam CCC. quædam plures & quædam pauciores, & instar locustarum interdum subvolantium, & olera totaliter depascentium, omnia demolientes atque vastantes. De his videre poteris in Ætatibus Fratris Henrici de Hervordia. Ultra mare in terris, ubi piper & zinziber crescit in Dathagio, flumen, quod dictam urbem pertransit, repletum est vermibus & serpentibus venenosis, secundum Chronicam Francorum. Qui exeuntes aquas demoliebantur omnem fructum terræ; & quicunque aquas illas tangebat, cecidit extinctus. Eodem tempore inter Cathagum & Persidem cecidit ignis de nubibus, & consumsit plures urbes, opida & villas cum omnibus inhabitatoribus, nec poterat igni illi quæcunque materia resistere, & dabat ex se maximum fumum horribiliter fœtentem. Quicunque autem naribus suis fumum sentiebat, moriebatur statim; qui vero ipsum videbat, non odorans fœtorem, moriebatur infra sex dies. Et ubicunque homines illi applicabant, pestem secum ferebant, & homines alios inficiebant. Quæ quidem calamitas causa extitit generalis epidimiæ & mortalitatis. Nam XII. galeæ in his partibus pro mercimoniis afferendis venerant. Qui videntes fumum ignis, reversi sunt ad partes suas. De quibus duæ venerunt in Januam, duæ in Constantinopolim & Peram, aliæ vero navigaverunt in Siciliam & Marsiliam, quædam autem ex eis pervenerunt in Sardiniam, ubi Dominus Archassar maximum exercitum congregaverat, de quo exercitu mortui sunt XL M. qui omnes in mare sunt projecti. Ad quamcunque ergo terram homines illi in galeis illis declinabant, mortalitatem secum ferebant, & populum innumerum inficiebant. Albessessu autem Rex Tartarorum de Vellemaro urbe magna viam fieri fecerat per deserta nemora compendiosam versus urbem Januensem in labore maximo. Cum autem una dierum cum exercitu pulcro transiret per viam illam causa videndi, qualis fieret, subito venit post ipsum quidam nuncians ei & dicens: Domine Rex, postquam recessisti de domo tua, defunctæ sunt LXXX. mulieres de uxoribus tuis, & quasi omnes homines civitatis tuæ cadunt, & subito moriuntur. Quo audito, Rex valde territus dixit: Deus Christianorum se vindicat in nos, & vult procul dubio nos omnes Christianos fieri. Et statim missis nunciis, jussit ad se convenire Consiliarios suos. Quibus ait: Disponatis vos omnes, ut una mecum sacru... baptisma recipiatis. Hæc enim pestis ingruit demeritis nostris, quia Christianos persecuti sumus, & eorum fidem recipere dedignamur. Quibus in concilio sic occupatis, ecce navis pertransiens cum mercatoribus intimavit Regi, quod Christianorum partes mortalitas maxima quasi desolatas redderet. Quod ut Rex audivit, alterius mentis effectus, in Paganismo perduravit. Lodowicus Rex Romanorum viam universæ carnis ingressus est die XII. mensis Octobris, secundum Egghardum. Siquidem cum ipse lætus & jocundus, ut solitus erat, existeret in mensa cum Borchgravia de Nurenberg, quam singulariter diligebat, & a qua sæpe visitabatur, cui etiam propter hoc suspicio venenationis ipsius per quosdam imponebatur, puncturas cor tangentes percipiens, statim ut forte solebat, cum aliquid tale sentiret, eo quod sæpe creditur intoxicatus fuisse, prosiliit de mensa, vomitum facere quærens. Postea in venationem perrexit, ut motu & labore calefactus in corpore reformaretur. Ubi ursus magnus venatoribus occurrit, quem Imperator viriliter impetens persecutus est. In quo impetu contigit ipsum de equo cadere, & totum corpus gravi collisione conquassari, ex quo casu repente viribus corporis cœpit destitui. Unde levatis oculis & manibus in cœlum, oravit cum fletu magno, dicens: O Domine omnipotens & misericors, miserere mihi pauperi peccatori, quia etsi vere in multis peccavi, nunquam tamen, ut tu Deus misericordiarum scis, te corde aut fide negavi. Et hæc dicens spiritum efflavit, & in Novaco cum fastu regio sepultus est. Fuit autem Lodowicus iste corpore magnus & formosus, quem ad regnandum natura præaptaverat statura rectum & altum, cervice flexibilem. Fuit denique fronte lata & læta patulus & apertus, oculis claris, perspicacibus & comibus allectivus, capillis & barba prolixis niger & diffusus, colore candidus & rubicundus, totoque corpore perpulcer & vultu gratiosus, sed parum calvus & aliquantulum simus, pectore mediocriter elevatus, brachiis & cruribus lacertosis fortis, firmus, agilis & robustus, frequenter hastatus ut Romulus incedens. Fuit etiam solers multum, ad quævis agenda sagax & circumspectus, cibo paulisper deditus, sed potu parco sobrius & temperatus. Thorum vero legitimum non excessit, choreas plusquam ad Principem pertineat, non dico, frequentavit sed dilexit. Nulli gravis erat nec cuiquam molestus, modestus & humilis, affabilis & benignus, utpote qui plus amari quam timeri cuperet ab universis. Sed hæc omnia tam grata & tam læta sola contumax superbia, & ad sedem Apostolicam rebellio pertinax, & fautoria hæresis de paupertate Christi & Apostolorum inquinant, denigrant, & totaliter in nihilum redigentes evacuant. Nam ut rebellis Ecclesiæ Romanæ per Johannem Papam excommunicatur, a quolibet statu & ab omni gradu dignitatis cujuscunque deponitur, & tandem ut suspectus de pluribus hæresibus, & præsertim propter hæresim de

Digitized by Google

de paupertate Christi & Apostolorum ejus condemnatur ut hæreticus, & toti mundo damnatus denunciatur. Fautoria autem quorundam ad eum, qui de hæresi volunt eum excusare, fatua est & periculosa. Dicunt enim, quod laicus indoctus & illiteratus de paupertate Christi & Apostolorum ejus quid potuit scire? cum ante paucos annos nec inter Doctores & literatos de hoc etiam quæstio versaretur? Nam ad ordinationem Fratrum Minorum sub sententia excommunicationis prohibitum fuit, ut de hac materia nullus disputaret, aut sic vel sic opinaretur, ut patet in Extravagante Exiit qui seminat. Credidit autem in his eis, quos bonos & Christianos ac veros Catholicos Ecclesia vel reputavit vel toleravit, & Confessoribus suis viris discretis & virtuosis. Sed hæc & similia fatua sunt & periculosa. Numquid fatuum est defendere partem, quam ignoras, de qua fortassis ignorantiam etiam negationis habes? Numquid fatuum est, subditum judici contragarrire, juxta illud Ecclesiastici VIII. Noli contra judicem garrire. Justum enim judicium judicat. Numquid enim periculosum est, serpentem in gremio vel basiliscum in sinu fovere, hæresim videlicet quamcunque. Numquid etiam periculosum est & fatuum, cum quis proprium non habeat judicium vel assensum, quod in crimen transeat alienum. In his enim, quæ fidei sunt, non alteri cuicunque seorsum, sed Papæ, qui regit Ecclesiam, quæ non potest errare, quia regitur a Spiritu Sancto, & Christus rogavit pro ea, ut non deficiat fides ejus, credendum est. Qui enim credunt alienis a Papa & sibi contrariis in fide, non intrat per ostium, sed ascendit aliunde, & per consequens fur est & latro. Funeralibus autem exequiis Imperatoris more & honore debitis peractis, Lodowicus Marchio de Brandeburg filius ejus in Ducatu Bayoariæ successit eidem, cujus etiam titulis & dominationi prius parvo tempore accesserat Carinthia per uxorem indirecte acquisita. Principatibus ergo duobus maximis totius Teutoniæ de Brandeburg & de Bayoaria, & cum his Carinthia dilatatus, & ex hoc in superbiam elevatus, displicentias & despectum, quæ, sicut asseruit, ad Marchomannos homines incultos & ad terras eorum diu corde celaverat, aperuit, eosque gravaminibus, angariis, taliis, exactionibus plurimis & violentis ac fraudulentis, tyrannice premens afflixit. Illi autem sub pondere tyrannidis ejus quasi gravi onere pressi suspirant ad libertatem, addicti servilitati gementes aspirant. Civitates eorum ad redemtionem quærendam conspirant, conspirationi suæ principes & Dominos circa Marchiam quamplures associant, hominem sortis vilissimæ Glebonem subordinant, & ipsum esse Marchionem Woldemarum, jam prius ad annos XXX. defunctum affirmant, atque eum de longa peregrinatione pœnitentiali reversum diffamant, eique tanquam Principi vero de longo exilio reverso conjocundantes in omnibus obsecundant. Ille vero Principatum sibi exhibitum acceptans licet infirmum & instabilem curias tenet, placita frequentat, circuit cum exercitibus per terras & loca singula, recipiuntur ab eo feoda, præstantur homagia, firmatur cum multis antiqua concordia & amicitia, Lodowico Marchioni criminationes inferuntur & probra multa, Officiales ejus vel interficiuntur vel ejiciuntur de terra, sicque tandem toto fere Principatu idem Lodowicus deturbatur. Quod audiens cum esset in Bayoaria, neque enim potuit neque voluit in Marchia manere, tum quia detestabatur gentem cum terra, tum quia uxor ejus libentius fuit in Bayoaria, propter quam relicta Marchia frequenter mansit in Bayoaria, vel Carinthia, quasi contemnens arroganter respondit: Jam dudum solicitus fui, qualiter de illa gente terrisque despicabilibus convenienti modo me subtraherem, nunc Deo volente non oportet amplius me de hoc solicitari. Ad cor tamen rediens exasperatur tum propter conspirationes, tum propter criminationes & vilificationes, tum propter suorum interfectiones & expulsiones, & tum propter damna sibi suisque nequiter illata, & præcipue propter Rodolfum Ducem Saxoniæ patri suo Imperatori sibique juramento fidelitatis astrictum, proditorem infidelem & nequitiarum harum omnium inventorem & seminatorem. Quod postea coram Karolo Rege & coram Principibus quibuscunque & Dominis omnibus, de prædictis omnibus & singulis denunciavit & declamavit. Et (ad) ostendendum, quod proditor esset, corpore suo proprio chirothecam suam coram eodem Karolo Rege sibi porrigens exhibuit. Bellum ergo parat Lodowicus, & tempore multo cum Marchomannis aliisque ipsum continuat. Tandem Marchiæ majorem partem germano suo Romulo, qui filiam Regis Poloniæ in uxorem habuit, donavit, Rege Romanorum hoc approbante. In Avinione, Marsilia, Montepessulano urbibus Provinciæ, imo per totam Provinciam, Vasconiam, Franciam & per omnem Mediterranei maris oram usque in Italiam, & per urbes Italiæ quamplurimas, puta Bononiam, Ravennam, Venetias, Januam, Pisas, Lucam, Romam, Neapolim, Messanam & urbes cæteras epidimia tam ingens, atrox & sæva violenter incanduit, quod in nullo dispar sexu, in ætate nulla dissimilis, masculos & fœminas, senes & juvenes, nobiles & plebejos, pauperes & divites, laicos & Clericos generali tabe delevit, in tantumque lues suborta populum corripuit & depopulata est, ut in plerisque locis ministri sepeliendorum funerum primum multitudine cadaverum gravarentur, post difficulter invenirentur, post non sufficerent, & tandem penitus non essent. Et ut paucis verbis exprimam ingens factum, tam pestifer ignis epidimialis conflagravit, ut non quem numerum hominum in illis partibus absumserit, sed quantum reliquerit, inquirendum videatur. Nam vir uxorem, uxor virum, mater filiam & illa matrem, pater filium & e converso, frater sororem & illa fratrem, & postremo quilibet quemlibet amicum tabescere incipientem contagionis timore reliquit. Venetiis namque una die scilicet Resurrectionis Dominicæ DCCCC. homines præter parvulos absumtos fuisse compertum est. In Avinione vero a KL. Febr. usque ad

Digitized by Google

ad Kal. Octobr. centum millia perierunt. Duo piscatores per Rodanum de partibus inferioribus cum piscibus ascendentes Lugdunum subintrant, & continuo vicus, ubi hospitabantur, inficiebatur, & a minimo usque ad maximum, a puero usque ad senem decrepitum viri & mulieres simul illorum duorum piscatorum pestifera contagione morientes, ita quod nec unus superfuit, perdebantur. Habuit autem lues hæc cursum suum per annos multos, & a meridie lente diffundebatur in aquilonem, sic quod an. Domini MCCCL. venit in Teutoniam, & plures ejus provincias, puta Bayoariam, Sweviam, Alsatiam, Franconiam, Thuringiam, Saxoniam, Westphaliam, Hollandiam, Brabantiam, Frisiam Slaviam & Daciam. Et in ejus

Principio cœlum spissa caligine terras
Pressit, & ignavos inclusit nubibus æstus,

cœperuntque nasci in inguinibus hominum vel in aliis locis delicatioribus glandulæ in modum nucis vel dactyli, quas mox subsequebatur febrium intolerabilis æstus, ita ut in triduo homo extingveretur; si vero aliquis triduum transegisset, spem recepit vivendi. Erant autem ubique luctus & lacrymæ. Nam ut vulgi rumor sonuit, quærentes cladem vitare, hinc inde fugerunt, & relinquebantur domus desertæ habitatoribus, solis catulis domus servantibus. Pecualia sola remanebant in pascuis nullo astante pastore. Cerneres quidem villas seu castra repleta agminibus hominum, postera die universis vel mortuis, vel fugientibus cuncta esse in summo silentio. Fugiebant quoque filii cadavera parentum insepultorum, parentes obliti pietatis viscera notos relinquebant æstuantes. Siquem antiqua forsitan pietas perstringebat, ut sepelire vellet proximum, restabat ipse insepultus, & dum obsequebatur, perimebatur. Dum funeri obsequium præbebat, ipse funus sine obsequio manebat &c.

De Karolo IIII. Imp. XCIIII.

Karolus filius Johannis Regis Bohemiæ cœpit anno mundi VMCCCIX. Olympiadis DXIX. anno secundo Urbis conditæ IIMXCIX. Domini vero MCCCXLVIII. & regnavit annis XXXII. Iste ad X. menses ante mortem Imperatoris Lodowici contra eum electus est in Regem Romanorum, & ut eligeretur in Regem Romanorum, datæ sunt & per se ipsum & per Papam Clementem VI. & per Baldowinum Archiepiscopum Treverensem germanum avi sui Henrici VII. Imperatoris pecuniæ inæstimabiles Principibus Electoribus, ut sic per ipsum resisteretur Lodowico Imperatori, cujus potentiam pariter & astutiam omnes metuebant. Ante electionem autem suam dictus fuit Wenzlaus, sed post per Electores Karolus appellatus est. Habuit autem Karolus voces quatuor, puta Gerlaci Moguntini, Baldowini Treverensis & Henrici Coloniensis Archiepiscoporum, ac Rodolfi Ducis Saxoniæ. Ipse quoque per se tunc Rex erat Bohemiæ. Unde Papales dixerunt, eum completam electionem habere, Imperiales vero & fautores Lodowici dixerunt, electionem ejus penitus esse nullam, & ipsum nec motivis, nec loco, nec tempore nec modo debito esse electum. Motiva enim debita ad Imp. eligendum sunt reipublicæ bonum generale, bonum regimen, gubernatio, pacificatio, salus & protectio totius orbis terrarum, Evangelii quoque & Fidei Christianæ dilatatio. Karolus autem in Regem nominatus est non propter generale bonum, sed propter alicujus aliquam vel qualemcunque particularem commoditatem vel consanguinitatem. Qualiter enim nominavit eum Archiepiscopus Treverensis Baldowinus, qui fuit germanus avi sui, vel propter turpem quandam Simoniacam utilitatem, qualiter nominatus fuit per Rodolfum Ducem Saxoniæ & Henricum Archiepiscopum Coloniensem. Vocem siquidem Ducis Rodolfi pro IIM. marcarum argenti puri mercatus est, Archiepiscopi vero Coloniensis, qui pauper & miser erat, pro VIIIM. marcarum argenti, & quitatione sex millium scutatorum aureorum, quæ singulis annis Cameræ Papæ solvere tenebatur. Qualiter nominavit eum Gerlacus Moguntinus, qui & Archiepiscopus factus est, ut Karolum Regem nominaret. Instante enim electione vocem recepit factus per curiam Archiepiscopus, quia vocem Hartwici de Werneberg Archiepiscopi, ejusdem Ecclesiæ nullatenus habere potuerunt, eo quod fidelis & confœderatus esset Lodowico. Unde & Papa Clemens ipsum tanquam fautorem hæretici & Ecclesiæ Romanæ rebellem de Archiepiscopatu deposuit, & Gerlacum filium Comitis de Valkenbergh substituit propter vocem, qui tamen Gerlacus usque ad dicti Hartwici de Werneberg intrare non potuit Archiepiscopatum Moguntinum nec præsumsit, sed apud patrem latuit, in mortem senis sibi spem ponens. Nec etiam loco debito Karolus fuit electus puta Frankenford, nec loco debito est coronatus, scilicet Aquisgrani, & in Bunna & quasi latenter sine consveta solennitate; nec tempore debito, hoc est Imperio sic vacante, quod per nullum administretur, quod tunc non fuit, quia & tunc & post Lodowicus potenter imperavit. Debitum etiam tempus est, quod per Comitem Palatinum Rheni fuerit ad eligendum assignatum, ad quod etiam per eundem Principes Electores fuerint ad eligendum convocati. Ad Comitem siquidem Palatinum Rheni de jure & antiqua consuetudine Regni pertinet hæc determinare. Sed nec istud in electione Karoli observatum est, nec modus debitus tentus, ut in unum convenientes tandem eligerent, sed clam & per literas res tantum acta est. Comes autem Palatinus Rheni Principes ad eligendum convocare noluit, quia fidelis & consanguineus Imperatoris adhuc viventis & potentis. Frankenfordenses autem & Aquenses & ipsi constanter & fideliter adhærentes Imperatori, alios admittere recusarunt, absolutionem Papæ a fidelitate parvi pendentes. Hæc ex litera Palatini Rheni Regi Poloniæ transmissa. Imperatore vero Lodowico jam defuncto, Comes Palatinus Rheni Principes ad eligendum convocavit, & dictis quatuor non venientibus, Archiepiscopus Moguntinus Hartwicus de Verneborg, & Lodowicus Marchio de Brandeburg, & ipse Guntherus Comes Pala-

Digitized by Google

Palatinus Comitem de Swartzeburg Guntherum nomine in campis Frankenford in Regem Romanorum solenniter elegerunt, aliis comparere vel non audentibus vel dissimulantibus. Guntherus autem mox ut electus est, & ab introitu Frankenford urbis per cives arceretur, exercitu validissimo urbem prædictam potenter obsedit secundum antiquam consvetudinem, quam Frankefordenses habebant, scilicet quod nullum Regem habentem adversarium in Regno in urbem suam susciperent, nisi prius ipsam urbem IX hebdomadibus obsedisset, ut hac occasione Reges bello congrederentur in campo, & divisioni finem imponerent, vel ut unus regnaret, & alius timidus & inglorius remaneret. Per sex ergo hebdomadas Guntherus jam urbem obsederat, nec Karolus ipsum viribus quærebat, placitis tamen eum petebat. Sed Guntherus placita respuebat in tantum, quod jam & ab amicis & aliis timebatur. Intoxico ergo viruloso impetitur, cum aliter vinci non posset. Quod Guntherus sentiens, cum jam viribus corporis cœpisset destitui, & apud se de vita desperaret, Principes ad placitandum admisit. Unde de pecuniis maximis ipse pro se & suis hæredibus certificatus, Regnum Karolo resignavit, ac ipsum Regem salutavit, & mox mortuus est. Karolus autem primo cum Palatino venit in concordiam, & vocem suam recipiens, filiam suam duxit in uxorem. Postea vero cum nec per Teutoniam ire posset, nec in Bohemiam reverti propter Lodowici Marchionis potentiam, tandem ex condicto pacifice conveniunt in Ysenaco Karolus & Lodowicus, & ipsi duo soli concluduntur in conclavi quodam in Conventu Fratrum Ordinis Prædicatorum per horas plusquam sex, & tandem in concordiam & amicitiam convenerunt. Quod quidem ex hoc conjecturabatur, quod Lodowicus Karolum ut Regem Romanorum venerabatur, & insignia Imperii, quæ pater suus habuerat, sibi præsentavit, Karolus vero ipsum Lodowicum de Principatibus Bayoariæ, Brandeburgensi & Karinthiæ solenniter infeodavit, ac Margaretam, quam fratri suo abripuerat, uxorem habere quiete permisit. Et sic quievit tumultus ille totus, præter conspirationem & proditionem Rodolfi Ducis Saxoniæ de Marchia Brandeburgensi factam. Ipse enim Dux, cum quo, ut putabatur, fidelissimo sibi filioque suo quasi fidelitatis juramento in perpetuum constricto, quælibet secreta Regni Lodowicus Imperator tractare, & quamplurima ad consilium & votum ejus agere solitus erat, ipsum prodidit. Nam & hunc sicut Archiepiscopum Coloniensem indigentem & miserum paupertas impulit, ut pecuniis multis acceptis per viam aliam iret, fidem rumperet, Imperatorem proderet, adversarium ei per vocem suam constitueret, & postea contra filium ejus Marchionem de Brandeburg Lodowicum conspirationem, seditionem & proditionem quandam singularem prius in partibus illis inauditam ageret, ut dictum est supra de trufatore Woldemarum antiquum Marchionem se fingente, quem ad hoc faciendum induxerat. Principium autem Regni hujus Karoli multum videtur memorabile propter monstra & portenta ac singularia facta plurima, quæ tunc contigerunt. Nam Marchio Brandeburgensis ad XXX annos jam mortuus, revixit, pestilentia sævissima populum fœdissima tabe subito delevit, gens sine capite Flagellariorum adventum Christi prænunciavit, fontes, fluvii & putei per diversas provincias intoxicabantur, Judæi crudeliter mactabantur, leprosi innumeri incinerabantur, conjurationes, rebelliones & hujusmodi plurima per diversos actitabantur, phantasmata per diversas Teutoniæ partes & portenta varia apparebant, prout infra clare patebit.

Primo anno Karoli, qui est Dn. MCCCXLIX. Marchio Juliacensis a filiis suis capitur per practicationem uxoris suæ & militum quorundam, & diu in turri detinetur. Guntherus de Swartzeburg Rex Romanorum a quibusdam electus, secundum Egghardum, Frankenford obsedit, sed non diu in obsidione perseverans intoxicatus est & tandem defunctus, ut supra patuit. Mirabilis visio apparuit, secundum Henricum de Hervordia. Est enim quædam Ecclesia baptismalis prope Myndam urbem Westphaliæ ad dimidium miliare in villa Dankerdissen dicta, & juxta villam illam ad latus aquilonare non remote nemus magnum, vastum & paludosum, quercubus quidem & fagis ac arboribus magnis satis densum, & sub magnis illis arboribus, virgultis, arbustis, vepribus & spinis valde refertum, quod incolæ Sandvord appellant. Ad istud nemus hoc anno prid. Id. Jun. hora diei sexta cum sol rutilaret absque nubibus, & terram totam suo fervore torreret, custos dictæ Ecclesiæ subintrans ad secandum ligna, post laborem quievit sub alta & patula fago inter vepres & spineta. Et ecce tres viri flammas terribiles efflantes eidem appropinquarunt, unus præcedens quasi ad dirigendum alios, duo vero scilicet Wernerus de Hasle, & Plebanus de Vrilede Clerici sequentes, & inter se super manus sedem magnam portantes. Et Plebanus de Vrilede duos magnos nigros canes teterrimos ferebat, super qualibet scapula unum. Custos autem hæc videns dixit: Eja Domini mei, non lædatis me. At illi: Non lædemus te, sed signum, quod videris, accipies. At ille: Pro quo sedem hanc vacuam tam magnam & tam flammeam ut aurea videatur, defertis, & quamdiu sic eam feretis? Respondit primus: Pro Decano Sancti Johannis Myndensis Ludolfo & Officiali Episcopi sedem hanc deferimus & feremus CL. diebus, quod est usque ad festum Theodori Martyris, quod celebratur V. Idus Novembris. Illa die super sedem istam ipse sedebit. Tunc enim morietur, præmium operum suorum, ut res expostulat, nobiscum in æternum recepturus. Eleva sursum oculos tuos, & vide. Iste suspiciens, vidit in aëre feretrum igneum: Tunc illi: Super isto primo ponetur Ludolfus, & post in hac sede locabitur. Et iterum dixit: Respice in nos, ut signum accipias. Et efflantes ignem de se, palpebras ejus & supercilia omnesque pilos capitis ejus exusserunt, cutem quoque comburentes vitiaverunt, atque dixerunt: Hæc

Digitized by Google

Hæc omnia nunciabis Ludolfo, quis scit, si convertatur & sanetur; & sic subito visio hæc disparuit. Custos autem in terram prosternitur, & quasi genibus dissolutis ad ambulandum impotens efficitur. Sed tandem rependo & reptando de nemore miserabiliter evolvitur, & veniens ad domum suam, petit ab uxore, ut, si ignis in domo esset, quod ipsum extingveret, ne de novo per ignem terreretur. Super stratum ergo suum quasi jam moriturus ponitur, Presbyter vocatur, custos confitetur, & ad moriendum se disponit. Post vero melius incipiens habere a multis in civitate visitatur, narrat fideliter multis & multotiens totam visionem. Qua per civitatem vulgata, Henricus de Hasle Burgimagister Myndensis cum comitiva sua equites vadunt in Dankerdissen villam, & dictus Burgimagister sub comminatione mortis & sub pœna suspendii cohibuit custodem, ne amplius cuiquam visionem illam narrare præsumeret. Custos vero urbem illam ad tempus vitavit intrare, sed tamen ad se venientibus in villam suam cunctis requirentibus visionem fideliter & cum gemitibus narravit. Mansit autem custos prædictus in villa illa, custodiam Ecclesiæ ut prius agens, & post in pestilentia communi cum aliis defunctus est. Nona tandem dies Novembris appropinquavit, Ludolfus Decanus discrasiatus est, debilitatus & infirmatus, & in aperto cum aliis de visione supra dicta risit & jocabatur, latenter tamen & in se multum anxiatus & turbatus est, in nullo tamen correctus vel emendatus est. Erat autem pecuniosus multum & avarus, & istis etiam jam infirmus, omnibus aliis ad divinum cultum pertinentibus neglectis, pascebatur, inpingvabatur & dilatabatur, nec alio quoquam præter avaritiam & gulam delectabatur. Infirmus ergo lecto decumbit, salus a Medicis desperatur, postea morbus aggravatur, oriente die prænunciata loquela privatur. Habebat autem cistam magnam cum thesauris suis in lobio super se, sub qua dormire consvevit. Hanc, cum loqueiam amisisset, aperientes testamentarii sui thesauros auferebant. Ipse vero, quod potuit, faciens, cum lingva non posset, motu capitis, oculorum & manuum displicentiam omnibus ostendit. Et cum instaret hora per phantasmata præsignata, vultum horribilem distorquens, spiritum miserum efflavit. Videntes autem circumstantes, & prophetiam mente revolventes, timuerunt valde. Woldemarus Rex Danorum vallavit exercitu suo castrum Werdingburg in Lalande, secundum Chronicam Danorum, volens Holtzatos, qui in eo erant ex parte Comitis Johannis, propellere. Quod cum Johanni Comiti intimaretur, mox congregans populum multum, venit obsessis in auxilium. Magnus autem Rex Sweorum audiens hanc controversiam, intercepit eam, & ambas partes componens, ordinavit, ut Rex Danorum daret Comiti Johanni VIIIM. marcarum argenti, & quod Comes redderet Regi terram illam Lalande. Quod cum factum esset, Principes concordati discesserunt. Albertus & Johannes Domini de Mykelenburg circa festum Nativitatis Virginis Gloriosæ iverunt in Pragam cum solenni comitiva ad Karolum Regem Romanorum, secundum Chronicam Obotritorum, quos Rex honorifice susceptos gloriose sublimavit in Duces cum omni solennitate debita & consveta eos promovens. Qui reversi ad partes, instauraverunt gwerram contra Ottonem Comitem de Swerin, volentes recuperare terras, quas Henricus Leo olim Dux Saxoniæ & Westphaliæ Domino Pribizlao Slavorum Regulo abstulerat, cujus veri hæredes essent, quas dictus Comes Otto in præsentiarum possidebat. Eodem tempore Albertus Dux Magnopolensis opidum Wittenburg & castrum suum potenter expugnavit. Quod percipiens Woldemarus Rex Danorum, in favorem Lodowici Marchionis contra Albertum Ducem, qui fictum Woldemarum Marchionem introduci juverat, collecto exercitu navali invasit insulam Pole, omnia in ea vastans & depopulans. Quem Albertus Dux tunc in Wismaria consistens viriliter terra propulit, & ad naves fugavit, multis Danis interfectis, & pluribus submersis. Henricus Nobilis Comes & famosus Miles Holtzatorum obsedit castrum Steghen, quod erat Nobilis clientis Hennekini de Hommersbotele, secundum Chronicam Lubicensem, cui Comiti auxilio erant civitates Lubicensis & Hammeburgensis. Woldemarus autem Rex Danorum fugatus de Pole cum suo exercitu per Albertum Ducem Magnopolensem, venit in Holtzatiam, ut præsidio fieret obsessis in castro Steghen. Cum vi armorum Rex redimere non posset prædictum Hennekinum Homersbotele, placitando tamen tantum effecit, quod Comes Henricus solvere debebat VM. marcarum Lubicensis monetæ, & recipere pro illa pecunia omnia pertinentia ad castrum prædictum, & ea perpetuo possidere, sed castrum ipsum destrui funditus deberet, & Hennekinus terram Holtzatorum exire super gratia Comitis Henrici & suorum successorum. Quæ omnia sic facta sunt. Civitates de Marchia ad instinctum & practicationem quorundam Principum, puta Archiepiscopi Magdeburgensis, Rodolfi Ducis Saxoniæ & Alberti Ducis Magnopolensis receperunt quendam trufatorem se mentientem Woldemarum antiquum Marchionem esse, & se jam revertentem de longinqua peregrinatione, secundum Chronicam Saxonum, prout supra dictum est. Lodowicus tandem resignavit Marchionatum hunc Romulo fratri suo, qui Romæ natus fuerat. Qui tandem multis prœliis actis cum eo, trufatorem illum de terra fugavit. Qui veniens in opidum Dessowe situm super Albiam in Comitatu de Anehalt, ad extremam tandem paupertatem devenit, & ibidem defunctus est. Edwardus Rex Anglorum cepit Caliacum urbem potenter, secundum Wilhelmum, cum jam ipsam ultra annum obsedisset, quam fortiter munivit, & usque ad præsens tempus eam retinuit. Magister Johannes Damekowe scripsit amicis suis ad urbem Lubicensem, secundum Chronicam eorundem, de causis pestilentiæ protunc currentis in diversis mundi partibus, ac venturæ ad Saxoniæ, Slaviæ cæterarumque regio-

Digitized by Google

regionum orientalium partes, ut firmiter supponeret.

Secundo anno Karoli, qui est DN. MCCCL. Phantasma quoddam singulare apparuit in Syrenberg opido Lantgravii Hassiæ, secundum Henricum de Hervordia. Nam quoddam singulare nescio quid, si tamen fuit aliquid, & non phantasma tantum, audiebatur, manusque parva hominis mollis & gratiosa videbatur & tangebatur, & forte per mille homines tacta fuit & attrectata. Aliud autem illius nihil tangebatur nec videbatur, sed vox hominis quasi rauci distincte audiebatur. Cum autem quæreretur, quis esset, respondit: Homo verus sum sicut vos, Christianus sum sicut vos, in opido Gotinghen baptizatus. Et si quærebatur, quod est nomen tuum? respondit: Reyneke. Sed numquid solus es? Respondit: Non, sed sumus populus magnus. Et quid facitis? Respondit: Comedimus, bibimus, uxores ducimus, generamus, filias desponsamus, & filiis uxores damus, seminamus, metimus, & alia quælibet, sicut & vos, facimus. Sed ubi habitatis? Numquid hic? Respondit in monte Kirkenberg habitamus, qui est juxta opidum Cyrenberg, hic autem in opido per vices hospitamur cum isto probo homine hospite nostro. Sed numquid in monte, qui dicitur Berenberg, aliqui de vestris manent? Utique multi; sed gens mea decens est & faceta; illi vero ribaldi sunt, disturbia multa suscitantes, & terras involventes. Sed numquid possunt in hac domo vobiscum aliqui hospitio recipi? Respondit: Hic nolumus, ne hospes noster gravetur. Sufficit enim, quod curialiter recipit nos. Potest etiam recipere, si vult, aliquos ad domum suam pertinentes per cognationem vel affinitatem. Quidam autem hoc tentare volebant: hospes dissvasit. Illi non acquieverunt, sternebatur eis in dolio, ut eo melius simul essent. Nocte tumultus in domo, & præcipue super eos indicibilis factus est. Exclamant ejulantes & eripi desiderantes. Tandem alloquitur eos Reyneke, dicens: Procacitas vestra causa tumultus ipsius est. Sed caveatis amodo, & quiescatis nunc secure. Et sedens super dolium, diu cum eis famulabatur. Quidam autem cognatus hospitis eorum, & improviso venit ad eum, & cum non haberet, quod sibi ministraret, turbatus est. Cui Reyneke: Non turberis: satis dabo sibi. Mensam igitur pulcram cum omnibus requisitis, pane triticeo & bono vino, cerevisia bona, carnibus elixis & frixis ac ferinis Reyneke præparavit, & cognatum hospitis sui laute vivere fecit. Matrem autem hospitis sui vetulam odivit, dicens: Mala mulier est; sed ancillam domus nomine Styneke puellam pulcram multum dilexit. Isti puellæ Hermannus Scardenberg famulus domus & amicus Reynekini singularis pomum dedit. Quem Reynekinus reprehendit, dicens: Non facias hoc iterum. At ille: Nihil feci, nisi quod pomum ei dedi. Cui Reynekinus: Scio, quod plus facere proposuisti. Cuidam alteri gratioso persvasit, ut Stineken duceret in uxorem, & ipse eum ditaret. In taberna quoque unus fuit, qui juravit, quod manum Reynekini perforaret. Vadens ergo ille ad domum hospitis sui, & dixit: Esne hic Reynekine? Cui ille: Sum utique. Ad quem ille: Ostende mihi manum tuam. Cui ait Reynekinus: Ego ostendam tibi temet ipsum unum rybaldum vilem & terræ hujus proditorem. Recedas a me. Sciebat enim Reynekinus, quid ille juraverat. Cui socius ille: Saltem ego ostendam tibi manum meam. Quam cum extenderet ad ipsum, Reynekinus eam cuspide perforavit. Cæterum una dierum cum Reynekinus fabularetur cum Hermanno Scardenberg famulo domus, quem dilexit, & tempus protraheretur, dixit sibi Reynekinus: Oportet me præsentem esse in festo nuptiarum filiæ meæ, quam desponsavi juveni probo Estrian dicto. Festum autem illud nunc faciemus; & recessit. Insuper de Haldesleve castro Ecclesiæ Magdeburgensis per Lantgravium Hassiæ obsesso dixit Reynekinus, quod in deditionem esset tradendum, & quod in cibariis jam deficerent, nec essent omnes castrenses concordes, nec essent in eo nisi octo cordati homines, alii autem nihil valerent. Plura autem talia dixit hic Reynekinus, & plura alia fecit. Judæi per Teutoniam & plures alias provincias cum mulieribus & parvulis ferro & igne crudeliter sunt consumti & interemti, secundum Chronicam Francorum, tum propter eorum divitias copiosissimas, quas plerique Nobiles & pauperes ac eorum debitores sibi usurpare quærebant, tum etiam propter aquarum infectiones & venenationes impiissimas per plures eorum factas ubique terrarum, ut quidam putabant. Cui suspicioni & famæ generalis infectio hominum & pestis fidem faciebat. Ad mortem autem hanc Judæi læti & cum tripudio se præparabant, primo parvulos, post fœminas, & ultimo se ipsos incendio tradentes, ne humana infirmitate per eos quidquam contra legem eorum fieret. Gens quædam sine capite multitudine & subitanea surrectione sui adventus mirabilis universis Teutoniæ partibus facta est, secundum Henricum de Hervordia. Nam subito exsurgens, Cruciferos & Flagellatores se gens illa nuncupavit. Dicebantur autem hi homines quasi prophetice sine capite, scilicet Acephali, vel quia ad literam caput autenticum suæ sectæ non habebant, quo dirigerentur & unirentur, vel quia sine capite, id est sine cerebro vel prudentia, sed ut fatui pietatis quidem speciem prætendentes, & fermento stultitiæ suæ omnia corrumpentes; Cruciferi autem dicebantur, vel quia crucem in viis ante se ferebant, vel quia ad modum crucis in processione se prosternebant, aut crucem vestibus consutam deferebant; Flagellatores vero dicti sunt propter flagellationes, quibus pœnitentiam agere videbantur se verberando. Fuit autem quodlibet flagellum baculus quidam, a quo tres chordulæ in extremitatibus suis nodos magnos habentes dependebant. Per talia flagella se nudos percutiebant & flagellabant in tantum, quod corpus livore deturpatum tumescebat, & sanguis ad inferiora defluebat, imo sparsione sua parietes vicinos deturpabat, eo quod nodi in flagellis illis haberent duo ferramenta acuta, sicut acus in modum crucis eos penetrantia. Et vidi ego, cum

Digitized by Google

se flagellarent, aliquando ferramenta prædicta carni taliter infigi, quod uno tractu quandoque & quandoque duobus non extrahebantur. Ex singulis autem nationibus vel fortassis ex urbibus se consociantes, per totam terram discurrebant. In campis etiam & agris sine ordine, sicut occurrebat, crucem sequentes ibant, sed cum ad civitates, villas magnas vel opida venissent, processionaliter incedebant, capucio vel pileo parum ad frontem velandam protracto, tristibusque & demissis oculis per plateas cum cantu devoto dulcique melodia, & sic Ecclesiam intrantes, clauserunt eam super se, & vestes deponentes, sub custodia posuerunt. Pannis quoque lineis multas plicas habentibus, ut est inferior pars vestis muliebris, quæ Teutonice Kedel dicitur, corpus ab umbilico inferius cooperuerunt, superiori parte totaliter nuda remanente, flagella manibus acceperunt. Quibus dispositis, ostium Ecclesiæ meridionale, siquod erat, aperiebatur, senior prius Ecclesiam egrediebatur, & ad orientalem partem ostii juxta viam se prostravit super terram, post eum secundus ad partem occidentalem, postea tertius juxta primum, & quartus juxta secundum, & sic deinceps se prostraverunt. Quidam autem eorum dextram sublevando quasi juraturi, quidam super ventrem, quidam super dorsum, quidam in latere dextro & quidam in sinistro jacuerunt, exprimentes sic peccata, pro quibus pœnitentiam agebant. Post hoc unus eorum cum flagello unum percussit, dicens: Deus tribuat tibi remissionem peccatorum tuorum omnium. Surge. Tunc ille surrexit. Post similiter fecit de secundo, & sic per ordinem de singulis aliis. Et sic omnibus stantibus, & binis binisque ad processionem ordinatis, duo ex eis in medio processionis inceperunt alta voce cantionem unam devotam cum melodia dulci, unum versum ejus ex integro prosequentes, & processione tota eundem versum cantando resumente. Cantores insuper secundum versum ex toto prosequebantur, & tota processio eundem resumpsit prosequendo, & sic consequenter canticum usque in finem prosecuti sunt. Cum autem psallendo venirent ad partem cantionis, ubi de passione Christi mentio fiebat, ubicunque tunc erant sive in terra munda sive lutosa sive spinosa aut lapidea, ibi subito se pronos in terram projiciebant, non geniculando successive, aut aliquo alio fulcimento se committendo, sed quasi lignum cadendo se totos super ventrem, faciem & brachia dejiciebant, & in modum crucis jacentes orabant. Cor etiam lapideum fuisset, quod talia sine lacrymis aspicere valuisset. Post signo dato per unum eorum surgebant, cantionem suam processionaliter ut prius prosequentes, & frequenter cantionem dictam iterabant de Christi passione, & totiens prostrationem faciebant. Et tunc cum redirent ad ostium Ecclesiæ, per quod exierant, in ipsum regrediebantur, vestes suas resumebant, pannos lineos deponebant, & procedentes de Ecclesia nihil a quoquam petebant, nec cibum aut hospitium requirebant, sed eis oblata sponte libenter & cum gratitudine accipiebant. Et licet omnia prædicta aliqualem viderentur sanctitatis habere colorem, tamen sicut infelix lolium & lappæ tenaces sæpe segetibus se immiscent, & eis intercrescunt, sic isti apparentibus eorum bonis operibus illicita immiscuerunt. Nam prædicationis officium cum pœnitentiæ flagellis pertinaciter indocti & stolidi homines sibi usurparunt. De Religiosis autem & Clericis ac Ecclesiæ Sacramentis non sobrie sentiebant nec loquebantur, objurgationes & correctiones respuebant, & persuasiones fastidiebant, imo simpliciter contemnebant. Unde & Fratres duos Prædicatores eis occurrentes, & eos de eorum temeritate redarguentes, nitentes occidere, cum agilior elapsus aufugisset, alium ad mortem lapidarunt, & mortuum lapidibus obrutum reliquerunt in finibus Misnæ. Et simile duobus aliis ejusdem Ordinis contigisset, nisi cautulose manus eorum evasissent prope Aquisgranum. Quidam de Nobilibus terræ Holtzatorum conspirationem fecerunt contra proprios Dominos suos, proponentes eos exhæredatos terra pellere, secundum Chronicam Lubicensem. Quod Henricus & Johannes Comites percipientes, exercitum fortem collegerunt de fidelibus suis Nobilibus & civibus, & properantes contra hostes suos primo obsederunt Renseburg castrum, in quo erat Marquardus Westenze, & ceperunt ipsum expugnando. Post hoc valiaverunt Lakeburg, quod erat ejusdem Marquardi conspiratoris, & similiter expugnarunt illud. Deinde castrum Woltorp obsidentes, ceperunt tandem ipsum. Comes vero Johannes & cives Hammeburgenses obsidendo castrum Lynowe expugnarunt, quod alias Henricus Bruktorpe & Ludolfus Scarpenberg ceperant, & multa inde damna mercatoribus intulerant. Nobiles autem hos & suos conspiratores Comites & civitates Lubicensis & Hammeburgensis terra propulerunt, & castrum ipsum funditus everterunt. Raptores autem præfati, quorum castrum fuerat, & qui terra privati sunt, ad Albertum Ducem Magnopolensem se transtulerunt, & sub suo præsidio stratam communem ut prius spoliarunt. Propter quod civitates prædictæ Lubicensis & Hammeburgensis una cum Luneburgensibus Albertum Ducem prædictum impetierunt, dicentes: Antequam Dux factus fuistis, eratis pius, justus & strenuus stratæ defensor & mercatorum, prout Vestram Magnificentiam bene decebat, sed modo Princeps factus non utique militum, ut cæteri Principes, sed potius latronum & raptorum, gloriam vestram maculatis, raptores fovendo & fures defendendo, & cum eisdem portionem vestram statuendo. Quibus respondit Albertus Dux licet minus prudenter & juste: Quia angarior undique hostibus, & artor nimis infestationibus prædonum, idcirco clavum clavo retundens, raptores & latrones tolero in urbibus meis, ut per ipsos resistere valeam inimicis. Quæ quidem responsio causa extitit ruinæ & destructionis plurium munitionum terræ suæ, ut inferius patebit.

Tertio anno Karoli, qui est Dn. MCCCLI. Pestilentia gravissima fuit in tota Teutonia, secun-

Digitized by Google

cundum Henricum de Hervordia, sic quod in plerisque locis vix tertia pars populi superfuit. Incepit namque epidimia hæc sævissima in Terra Sancta & in partibus superioribus transmarinis, prout supra patuit, & transiens mare secundum modum ibidem expressum, pervenit in Franciam, Italiam, Siciliam & Lombardiam, puta anno Domini MCCCXLIX. Anno vero sequenti venit pestis illa mortifera in Teutoniam, transcendens montes Alpios & Lombardicos, & devoravit sua ingluvie homines quasi infinitos. Tacens enim de cæteris urbibus, castris, opidis & villis, scribo secundum audita a viris fide dignis & veridicis, quod in sola urbe Lubicensi clade illa mordaci absumta fuerint XCM. hominum. Tanta namque hominum copia ad illam urbem confluxerat ex diversis mundi partibus propter prosperam mercimoniorum expeditionem & affluentiam bonorum, quæ ibidem tractabantur, quod civitatem illam cives decreverunt ampliare, & dispositionem de facto ad hoc fecerant, prout refert Chronica urbis prædictæ. Sed postquam exinanita est & privata per mortalitatem prædictam tanta hominum copia, mansit urbs ipsa in limitibus antiquis. In prædicta autem pestilentia obierunt in Conventu Ordinis Prædicatorum in urbe prædicta XXXVIII. Fratres, quorum obitus futurus in dicto certo numero præostensus fuit in quadam visione evidenti. Erat enim in dicto Monasterio Fr. quidam conversus Johannes Westphal nominatus, vir bonus, simplex & devotus. Hic procurator dicti Conventus existens, una nocte audivit, in cubiculo suo jacens, subtus se in domo hospitum multitudinem Fratrum ad mensam se ponentium, quasi pransuri fuissent. Quorum quidam in forma servitoris loquens coco per fenestram coquinæ, dixit alta voce: Coce, præpara te ad ministrandum Fratribus his cibum, qui peregrinaturi sunt & recessuri ab isto loco. Cocus autem verus in lecto suo quiescens de hoc facto nihil sciebat, sed tamen quidam de coquina in persona coci respondens, servitori cibum postulanti dixit: Quot sunt Fratres pransuri & recessuri? Respondit minister: XXXVI. Fratres sunt de isto Conventu, & duo Fratres hospites, qui abhinc recedent. Frater autem Johannes conversus Procurator prænominatus audiens, tot Fratres velle comedere in nocte, & cibum eorum postulari, mirabatur de hora insolita, & cur sibi nullus locutus fuisset de ciborum præparatione, cum ipse talia haberet dispensare. Unde surgens de stratu suo, per foramen quoddam, per quod de cella sua ad domum illam respicere poterat, prospexit, & videns mensam plenam Fratribus in albis sedentibus, velatis tamen faciebus, quemadmodum mos est Fratribus defunctis & sepeliendis fieri, obstupuit, & non audens descendere dormitorium, nimio horrore concussus, reposuit se ad lectum suum, nec cuiquam visionem indicavit, donec pestilentia ista sopita esset. Et tunc in veritate comperit, eam præsagium fuisse obitus Fratrum illorum in prædicta epidimia inibi defunctorum, quorum numerus erat XXXVI. & duo Fratres de Conventu Hamburgensi supervenerant, qui etiam ibidem defuncti sunt. Conventus Fratrum Minorum in urbe Lubicensi, quia ruinosus erat & non bene provisus in sua constructione, secundum Chronicam Lubicensem, destructus est funditus & reædificatus per Emekinum Gardianum dicti Monasterii de pecunia quasi infinita in pestilentia sibi oblata. In qua quidem peste in dicta civitate infra unum diem naturalem, puta ab uno vespere Vigiliæ S. Laurentii ad reliquum vesper (leg. vesperum) ejusdem festi obierunt mille & quingenti homines. Tecta turrium Ecclesiæ B. Virginis in urbe Lubicensi, secundum Chronicam ejusdem urbis, erecta sunt & muris supposita in illa æstate etiam de eadem pecunia epidimiali. Hartwicus Ritzerowe, vir strenuus & Advocatus Erici Ducis Saxoniæ de Lovenburg & Henricus Lucowe Advocatus Lubicensis cum exercitu pulcro venerunt in terram Comitatus de Wittenburg, secundum Chronicam Lubicensem. Ubi primum vallantes munitionem dictam Nyenkerke, quæ erat illorum de Tzule, incineraverunt eam, interficientes sex raptores in ea inventos, & detentos ibidem in vinculis mercatores solverunt. Abhinc recedentes venerunt in Kemmyn castellum, & similiter illud igne combusserunt, & captivos solverunt. Post hoc se transferentes in Teslyn munitionem fortem, & inde in Kussyn, quæ erant illorum de Stuken, & eas solo æquarunt. Et sic reversi sunt ad propriæ ædes. In Dathagio urbe Persarum, secundum Egghardum, aqua quædam innumeris repleta est serpentibus & vermibus, quæ profluens replevit totam terram innumeris venenosis animalibus, quæ vorantes (vorantia) semina & fructus, quidquid tangebant, inficiebant. Aquam autem illam quicunque tangebant, mox exspirans corruebat. Infra Carthaginem vero urbem tres ceciderunt lapides de aëre, quorum quilibet habebat magnitudinem modii, homines autem illius terræ receperunt unum de lapidibus illis, & imposuerunt ipsum mulo, & tulerunt illum ad Dominum terræ illius pro magno portento. Magnus Rex Sweorum cum magno exercitu transiens contra Ruthenos, obsedit castrum Pekesar, & expugnans cepit ipsum, secundum Chronicam Danorum, quod quidem captum bene muniens cum CCCC. armatis, reversus est in Sweciam. Rutheni autem, audito Regis recessu, venerunt in multitudine gravi, & applicatis instrumentis bellicis, obtinuerunt castrum, & interfecerunt de Sweis, quotquot invenerunt, potiores vero captivos secum duxerunt. In opido Hamelen super Wiseram flumen singularis pestis exorta est, secundum Chronicam Saxonum. Fovea namque quædam fodiebatur in area cujusdam civis. Quam cum aliquantulum profundam fecisset, fossor in imo existens, nescio a quo tactus subito exspiravit. Post quem alius descendens, ut primum extraheret, & ipse mox extinctus est. Fama ergo hæc per opidum diffunditur, omnesque admiratione & metu consternantur. Lues quidem videbatur, sed causa ignorabatur. Tertius ergo cautius agere volens, fune forti se cingi fecit circa pectus,

Digitized by Google

pectus, ut per ipsum subito extraheretur de fovea, si opus esset, & intromitti se fecit. Cumque ad medium fossati pervenisset, toto corpore stupidus factus est. Signo ergo dato, mox extractus est semivivus, & aliquantulum sic permanens, tandem revivisscit, per longum tamen tempus lecto decubuit. Hujus autem facti causam nullus scire poterat, nec scitur usq; in præsens nisi conjecturaliter, quod scilicet vermis quidam fuerit nomine basiliscus visu suo homines interficiens. Petrus Johannis Frater Ordinis Minorum provinciæ Narbonensis hæresiarcha pessimus, oriundus de villa Ceriaco Bituricensis diœcesis zizania suæ perfidiæ jam dudum sparserat, LVI. errores docendo, propter quos a Papa Johanne XXII. damnatus extiterat, secundum Autorem librorum Inquisitionis parte tertia Q. XV. hoc anno Viterbii ut pertinax hæreticus est combustus in habitu Fratrum Minorum, prius degradatus & inscalatus. Super condemnatione autem errorum dicti hæretici Fratris Petri Papa Johannes Constitutionem edidit specialem, quæ incipit Cum inter nonnullos. Pax bona & concordia firmata est inter Principes & civitates, puta Ericum Ducem de Lovenburg, Henricum, Johannem, Nicolaum & Gherardum Comites Holtzatorum, Lubicenses, Hammeburgenses & Luneburgenses, secundum Chronicam Lubicensem. Vigore autem hujus pacis cives Lubicenses cum adjutorio Hartwici de Ritzerowe advocati dicti Ducis expugnaverunt munitionem Bernstorpe, quod erat Nobilium de Tzule. In quo castello inventi sunt XV. raptores, & omnes sunt suspensi. Post hoc circa festum Johannis Baptistæ virtute ejusdem pacis Ericus Dux de Lovenburg, Johannes Comes Holtzatorum & Lubicenses cives destruxerunt infra paucos dies munitiones fortes subsequentes & multum reipublicæ damnosas, puta Sechere, Nyendorpe, Borgaderstorpe, Lanken, Nannendorpe, Stenhorst, Kulpin, Gudowe & Reborst. Non longe post cum prædicti Dom. & cives Lubicenses vellent prælibatarum munitionum aggeres & valla solo æquare, ne iterum dicti raptores alia castriola super eisdem erigerent, prædictus Hartwicus de Ritzerowe cum XX. armatis transiens versus munitionem Galline in Comitatu de Wittenburg sitam, reperit quosdam raptores in ea. Quibus cum diceret, quod Lubicenses cum magna potentia venirent ad destruendum castrum, mox ipsi relicto loco satis munito, ad nemora vicina convolarunt, timore Lubicensium exterriti. Hartwicus autem videns castellum vacuum, ipsum incendit & terræ æquavit. Annus jubilæus præcedenti anno incepit in Romana urbe celebrari sub Clemente VI. secundum Chronicam de Hervordia, & anno præsenti se terminavit, in quo turmatim homines utriusque sexus & cujuslibet status Romam visitabant in remissionem peccatorum suorum. Dominus Johannes Mul Episcopus Lubicensis obiit, cui in sedem successit Bertrammus Kremon, & sedit annis XXVI. Mirabilis casus accidit in opido Wittenburg, secundum Chronicam Obotritorum. Nam homo quidam captus fuit ibidem propter incinerationem nocturnam. Hic homo ad ostensionem suæ innocentiæ elegit ferre ferrum ignitum, & sic se expurgare de imposito. Cumque ferrum ignitum manibus suis per spatium aliquantulum tulisset, projecit ipsum in terram cunctis videntibus, qui affuerunt, nullum usturæ in manibus suis vestigium relinquens. Sed mox metallum de manibus projectum coram oculis omnium disparuit, mirantibus universis. Elapso vero anno vir quidam plateam reparare volens, lapides removit, & in arena fodiens, reperit ferrum prædictum. Quod cum in manus reciperet, cuti suæ adhæsit, & manum exustam in toto reliquit. Quod factum stupendum cum castellano denunciaretur, hominem illum captivavit, & examinatum reum incensionis supra dictæ reperit, & sic rotari ipsum fecit.

Quarto anno Karoli, qui est Dom. MCCCLII. Cives Lubicenses & Hammeburgenses placita habentes cum Comitibus Holtzatorum, ad memoriam eis revocabant conclusionem ad tres annos factam super destructione castri Linowe, quæ ad effectum nondum esset perducta, & quod verbum suum, quod Regi Danorum Waldemaro promisissent, non servarent, secundum Chronicam Lubicensem. Quæ quidem admonitio corda Comitum sic tetigit, ut cum prædictis civitatibus taliter convenirent, quod determinato die cives potenter se coram prædicto castro præsentarent cum instrumentis consvetis & necessariis, & ipsi Comites cum suis similiter adesse vellent. Statuto ergo die adveniente prædictæ civitates cum multo venerunt populo & diversis instrumentis bellicis. Affuerunt & Comites prælibati cum Nobilibus suis non libenter videntibus castri destructionem, sed eis invitis, civitates populum suum exhortati sunt, ut manus violenter apponerent, & castrum solo æquarent. Quod & mox factum est. Habuerunt autem Lubicenses protunc de civibus suis mille & quingentos armatos, Hammeburgenses etiam circiter mille viros secum tulerant. Dissipatum est ergo hoc castrum funditus in crastino S. Michaelis, & fundamenta ejus evulsa sunt in tantum, ut nec vestigium castri appareret. Henricus Comes de Darben Regni Angliæ, qui & Dux Lancestriæ cum multitudine copiosa tam Nobilium quam militarium Angliam exivit, in Prutziam peregrinaturus, & ad fidem Christianam & gloriam nominis Jesu Christi dilatandam, cum Paganis prœliaturus. Præmisit autem ante se ad duas vel tres diætas cum thesauro maximo viros strenuos milites & alios in armis electos, circa CCCC. cum famulis & servitoribus eorundem, secundum Chronicam Saxonum. Isti per terras omnes & per Westphaliam pacifice transeuntes, tandem Padelborne pervenerunt, securitatem non ducatu cujuscunque, sed viribus & potentia propria perquirentes. Transitus autem Anglicorum ad Johannem de Padberge, Hunoldum de Plettenberge, Simonem de Redberg Comites & alios aliquot grassatores, vispiliones & raptores, de viis & agris furtis & rapinis prædas abigere solitos deducebatur. Qui statim convenientes electissimam prædonum & latrun-

Digitized by Google

latrunculorum Westphaliæ, quibus terra illa affluere consvevit, catervam congregaverunt, & Anglicos de Padelburne exeuntes præcucurrerunt per compendium, & stratam communem præoccupaverunt. In mirica ergo contra Lippespring castrum adunati arma sua seque considerantes, exercitum suum & aciem terribilem ac invincibilem ordinarunt, & Anglicis quasi vir unus omnes simul conglobati festinanter occurrentes, splendidissime omnes a majore usque ad minorem, a Domino usque ad famulum perfecte armati extiterunt. Nam cum radiis tangerentur solaribus, quasi sidera fulgebant, ita etiam ut ab eis & arbores & montes mirifice resplenderent. Exercitum talem tam pulcre, tam valide & decenter ordinatum, licet non magnum, nullus meminit se vidisse. Anglici quoque, quia per narratores istos contra se venire cognoverant, aciem suam non ignavi, sed viri astuti & bellatores acutissimi ordinaverunt. Congredientes ergo atrocissime ex utraque parte dimicaverunt. Sed Anglici tandem utpote in terris ignotis & alienis præliantes victi sunt, capti & spoliati, & in magnam terræ illius Westphaliæ confusionem indelebilem probi homines & virtuosi per vispiliones, latrunculos & raptores pessimos sunt abducti. Prædones autem prælibati spoliis & exactionibus illorum peregrinorum Christi in tantum sunt ditati, quod Hunoldus castrum in Loen prope Sozatum cum tota Tiderici de Honrode Militis hæreditate sibi comparavit, Johannes vero de Padberge castrum in Wunnenberge data pecunia Domino de Buren occupavit: Et sic proh pudor! de aliis. Utinam aliquando ut membra putrida fœdaque ab honestis militibus severius abscindantur, qui totam illam patriam tam turpi & sceleroso facto conturbaverunt & maculaverunt! Halberstadensis Episcopus & cives dictæ urbis litem gravem gerebant cum Comitibus de Reghensteen, secundum Chronicam Saxonum, & plura sibi invicem damna & incommoda inferebant. Adveniente ergo sacratissima Nativitatis Christi nocte, Comites prædicti cum exercitu suo urbi Halberstadensi appropinquantes, silenter muros civitatis perfoderunt, civibus communiter in suis Ecclesiis existentibus & divina audientibus. Et facto foramine, unus post alium subintrans civitatem, tandem unanimiter ad Ecclesias festinarunt, in cumulos magnos juxta numerum principalium Ecclesiarum se dividendo, & sic improvisos subito irruerunt, multos cives ceperunt, plures occiderunt, & captos per antrum in muro factum secum abduxerunt. Sed non diu post eodem anno Advocatus Episcopi Halberstadensis Rodolfus Dorstal dictus unum de Comitibus prædictis Reghensteen cepit. Quem mox suspendere affectans, arborem, cui ipsum alligaret, habere non potuit. Unde ipsum interficiens, ad hastam suam ipsum ligavit tanquam suspensum, & recessit. Comminatus namque fuerat dictus Comes Advocato illi, quod quamcito illum habere posset, suspendio ipsum afficeret. Quapropter & ipse Rodolfus hoc idem genus mortis Comiti infligere cogitabat, sicut & fecit, licet imperfecte.

Quinto anno Karoli, qui est DN MCCCLIII. Woldemarus Rex Danorum congregavit exercitum magnum contra Albertum Ducem Magnopolensem & alios Principes, qui fictum Marchionem de Brandeburg introduxerant, puta Ottonem Archiepiscopum Magdeburgensem, Rodolfum Ducem Saxoniæ & Albertum Comitem de Anehalt, secundum Chronicam Danorum. Et veniens obsedit opidum Stratzeburg, quod mox expugnans, cepit ipsum & intravit. Albertus autem Dux Magnopolensis hoc percipiens, congregavit magnum populum, & insecutus Regem cum suo exercitu, venit & ipse coram Stratzeburg, & conclusit Regem in opido. At ubi Dux Albertus constitutus intellexit, Romulum fratrem Lodowici Marchionis exercitum magnum congregasse ad subveniendum Regi obsesso; unde recedens ab obsidione, ivit in occursum Romulo, & invenerunt se mutuo prope Odersberg juxta Oderam flumen. Ubi congressi ambo exercitus, prœliati sunt prœlio magno. Sed Albertus Dux obtinens triumphum a Domino, captivavit circa CCCC. de exercitu Romuli, plures vero fugam capientes aquis sunt præfocati, Romulus autem ipsemet quartus vix manus Ducis evasit. Cum autem hæc Regi nunciarentur, consternatus valde de Stratzeburg recessit, & amplius fortificatus auxilio Ducis Stetinensis, processit in Marchiam, & proveniens prope opidum Vredeberg, mox ipsum expugnavit & cepit. De quo ultra procedens, obsidione vallavit Berlin urbem, ubi cum in expugnatione civitatis illius occuparetur, fecit multos ibidem milites. Albertus autem Dux de Mykelenburg cum suo exercitu post Regem accelerans, reperit ipsum coram Berlin. At ubi cum esset uterque exercitus, & ad pugnam se disponerent, Consiliarii utriusque Principis in hoc convenerunt, ut Dominos suos componerent. Videbatur namque eis consultius actum, si pax & concordia audaciam Principum sedarent, quos tot trucidatorum calamitas sic exacerbaverat. Conceptum ergo suum quilibet Domino suo proposuit, & annuentibus Principibus ordinatum fuit negotium sub tali pacto, ut, quicquid in festo proximo Pentecostes Rex Sweorum Magnus cuilibet Principi faciendum diceret, in hoc quilibet contentus esse deberet. Et sic obsidio soluta est, & treugæ firmatæ sunt. Adveniente autem festo Pentecostes sic placitatum fuit per Regem Sweorum Magnum, quod ultra pecuniam, quam Marchio Romulus dedit Duci Alberto pro captivis suis redimendis, ipse Marchio dimisit homagiale servitium, quod adhuc habuit in terra Stargardensi, & accipiens in uxorem Ingeburg filiam Alberti Ducis, nihil in dote cum ea accepit nisi Lentzen opidum & castrum cum suo territorio, sed pro vitalitio dedit sibi Romulus Marchio Arneburg, Werben, Sehusen & Parleberg cum attinentiis eorum. Quibus Principibus sic concordatis, Woldemarus Rex Danorum, Romulus Marchio & Ericus Dux

Digitized by Google

Dux Saxoniæ de Lovenburg simul curiam Karoli intrarunt Regis Romanorum, causam scire volentes, cur præfatus Rex Karolus legasset trufatori illo (illi) Marchiam de Brandeburg in præjudicium enorme Lodowici Marchionis. Quibus sciscitantibus respondit Karolus, quod hoc ideo fecisset, quod Otto Archiepiscopus Magdeburgensis, Rodolfus Dux Saxoniæ, Albertus Comes de Anehald, qui ejusdem Woldemari defuncti Marchionis avunculus fuerat, & Albertus Dux Magnopolensis sub juramento suo juridice præstito dixerant, quod dictus mendosus vir esset verus idem Woldemarus, quem vulgaris populus dicebat defunctum, & quod esset legitimus hæres illius terræ; & super illorum Principum juramento ei Marchiam restituisset tanquam sibi injuste ablatam. Cui responderunt Woldemarus Rex & cæteri, qui cum eo venerant Principes: Nos juridice & sufficienter probare volumus, Archiepiscopum prædictum & suos complices falsum jurasse. Ergo Serenissime Princeps, in sententia injuste lata muta decretum. Tunc Karolus Rex annuit Principibus illis, ut cum trufatore illo agerent, prout justitia exigeret. Cujus sententiam cum fictus ille Marchio percepisset, fugam iniit, declinans ad terram Alberti Comitis de Anehald in opidum Dessowe, & ibidem in miseria vitam suam terminavit. Romulus vero, cui frater suus Lodowicus Marchiam resignaverat, eam obtinuit, & Woldemarus Rex opida in ea capta libertati dedit. Bulco Dux de Swydenitz potentissimus in Regno Poloniæ Karolo Regi Romanorum rebellare cœpit, secundum Chronicam Saxonum, quem Rex cum maximo exercitu aggressus, vicit ipsum gravi cæde. Bulco autem Dux gratiam Regis requirens, sub tali pacto eam assecutus est, ut post mortem Ducis præfati urbs Swidenitz cum omnibus ad eam spectantibus ad Karolum Regem cum omni jure pertineret, & non amplius ad suos hæredes. Lancea Christi, brachium dextrum S. crucis cum uno clavo, mensale Christi, quo usus fuit in cœna, gladius Karoli M. qui Gaudiosa dicebatur, secundum Henricum de Hervordia, & quem ab Angelo acceperat, ac ossa ejusdem Karoli M. cum multis aliis reliquiis de Nurenberga urbe in Bohemiam sunt translata, & in Karlsteen castro regio sunt recondita.

Sexto anno Karoli, qui est Dn. MCCCLIIII. Otto Dux de Luneburg frater Wilhelmi obiit in die S. Magni Martyris, secundum Chronicas Saxonum. Hic cum fratre suo Wilhelmo contulit scholas cum centum marcis reditibus annualibus Monasterio S. Michaëlis in castro Luneburg.

De Innocentio VI. PP. Rom. CCVII.

Innocentius Papa, natione Gallicus ex patre Stephano, sedit annis VII. & diebus XVIII. secundum Gesta Summorum Pontificum. Hic prius Stephanus dictus, post Episcopatum Claremontensem factus est Episcopus Ostiensis & summus Pœnitentiarius, & demum factus est Papa. Factus autem Papa mox novam exactionem in totum Teutoniæ Clerum facere parans, mandavit Archiepiscopis Moguntinensi, Treverensi & Coloniensi, ut ipsi primo dent decimas de omnibus beneficiis, proventibus & reditibus suis, & tunc facilius de comprovincialibus eorum poterit & aliis Clericis habere. Requirebat etiam decimas de Clericis decedentibus & de omnibus, quæ relinquerent. Sed novitati huic Clerus totus mox in principio sui obviandum existimans, nihil penitus dare decrevit. Karolus Rex Romanorum Barones & Nobiles Regni Bohemiæ ac cives Pragenses sibi rebelles per industriam & astutiam cujusdam Monachi Tiderici Koghelwid dicti penitus sibi subjugavit, secundum Chronicas Saxonum. Hic Frater Tidericus Monachus erat Ordinis Cistertiensis de Monasterio Lenyn terræ Marchiæ, & astutissimus hominum existens, multis annis rexit curiam Imperatoris in Praga, cujus astutia primo innotuit Imperatori Karolo taliter: Abbas enim suus cum ipsum præfecisset cuidam officio exili, puta ut caseos Monasterii colligeret, & rationem ex eis redderet, videns ipsum bene vestitum, mirabatur, unde vestes tam pretiosas sibi comparasset. Quo accersito, quæsivit ab eo, a quo haberet, quod tam pulcre vestitus incederet, cum tamen pauperrimus fuisset, antequam officium suum valde tenue sibi commisisset. Cui Frater Fridericus respondit: Domine, scriptum legi:

Assatura macra, de qua nil pingue resultat.

Caseorum namque custodiam mihi commisistis, & quot a præsentantibus mihi recepi, tot semper usui Fratrum ministravi, non tamen tales, quales accepi. Arte enim mihi cognita pinguedinem ab eis extraxi, adipem vendidi, & ex pecunia inde accepta vestes meas emendavi. Quam quidem astutiam cum Karolus in Marchiam veniens ab Abbate Fratris Tiderici audisset, ipsum secum sumsit, & castrum quoddam dilapidatum & suis proventibus destitutum sibi commisit. Una autem dierum Rex volens experiri, an ad comedendum haberet Monachus suus, improvise ad ipsum venit, pransurus cum eo. Frater autem Tidericus audiens Regem adesse, nec multum adhuc habens, de quo ipsum reficeret, incidit sibi consilium satis rarum. Apprehendit namque omnes porcos adjacentes villæ, & præcisis omnibus eorum auribus & caudis, permisit eos abire. Ex quibus egregium ferculum faciens, recepit Dominum suum cum solennitate. Quam astutiam Rex videns, promovit ipsum ad majora, & commisit sibi curam curiæ suæ totalem, quam cum magna prudentia & sagacitate regens, cuncta bene disposuit & ordinavit. Cumque jam pluribus curiam Regis peroptime & multum provide rexisset, & locuples multum factus fuisset, invidebant sibi Nobiles curiæ, & macularunt ipsum apud Regem, dicentes, quod nimium sibi bona Regni imbursaret, nec unquam adhuc rationem de sublevatis Domino reddidisset. Rex autem satisfacere volens impudentiæ & livori Nobilium suorum, præfixit sibi diem, ut rationem redderet de sibi commissis. Cui Frater Tidericus ait: Domine Rex, tam prolixum terminum habere non indigeo pro ratione reddenda Dominationi Vestræ, sed in præsenti hora paratus sum rationem

Digitized by Google

nem facere de sublevatis & expensis per me. Ecce Princeps, inquit, Illustrissime, habitum hunc & equum unum cum modica pecunia in mea bursa ad Vestram deduxi Majestatem. Hæc mihi liceant, quæso, reassumere & mecum abducere, & tunc habeo, quæ mea sunt. Omnia autem alia, quæ videor possidere, vestra sunt, & non mea, nisi in quantum vestra magnificentia mihi dignabitur pro meis laboribus & sollicitudinibus gratiose elargiri. Quo audito, dixit Rex illis, qui ipsum accusaverant: Estne de vobis aliquis, qui consimilem mihi velit reddere rationem de sibi commissis & per eum bonis Regni tractatis. Tunc omnes confusi subticuerunt. Unde, quia Rex Fratrem Tidericum invenit tam fidelem in omnibus, & vidit ipsum fructuosum & utilem, idcirco pro primo in laborum fidelium remunerationem promovit ipsum in Episcopum Myndensem, & postea cum oportunitas se obtulisset, provexit ipsum ad Archiepiscopatum Magdeburgensem. Frater Johannes de Rupescissa Ordinis Fratrum Minorum Pseudopropheta nominatus in Avinione est incarceratus propter varios errores suos, secundum Autorem libri Inquisitionis, quos de Antichristo prophetando tenuit & docuit. Lubicenses cives cum adjutorio Alberti Ducis Magnopolensis, secundum Chronicam Obotritorum, obsederunt plures munitiones, in quibus raptores manifesti sederunt, & ex eis communem stratam mercatorum damnificaverunt. Quas omnes expugnantes funditus everterunt, puta Dusowe, Lassan, Redevin, Domenitz, Meyenburg & Muggenburg, raptores vero in castellis inventos suspenderunt. Otto Comes de Swerin alias dictus Comes Rosa obiit sine hærede, secundum Chronicam Obotritorum, cujus Comitatus cessit fratri suo Johanni Comiti de Tekeneburg. Albertus autem Dux Magnopolensis Comitatum Swerinensem habere desiderans, urbem Swerinensem obsedit, quæ caput erat Comitatus illius, erigens contra eam castrum quoddam de lignis constructum, nequis de urbe exire aut eam ingredi posset. Swerinenses autem cives cautulosi & astuti sic intra urbem suam ordinaverunt, ut libere intrare & exire civitatem tam versus terram quam etiam aquam valerent, Duce Alberto ignorante. Multis etiam & variis usi sunt cautelis ad nocendum hostibus, & ad capiendum eos. Nam quinque mulieres villanas se fingentes, & ova, butyrum pullosque venales deferentes exercitum intraverunt, & sic apud eos divagantes, quædam eorum ædificia erecta incenderunt latenter & destruxerunt. Quandoque vero ut piscatores prope litus, ubi exercitus inimicorum residebat, retia sua laxantes, pro piscibus homines capiebant & abducebant. Cumque Albertus Dux diutina obsidione urbem Swerinensem cum suo exercitu vallasset, nec suam voluntatem virtute armorum aut pressura famæ (leg. famis) vel inediæ obtinere posset, dedit animum placitis & colloquiis amicabilibus. Unde placitando cum civibus & Nobilibus terræ, tandem pro quadam summa pecuniarum Comitatum illum mercatus est a Johanne Comite de Tekeneburg. Quam tamen summam ad plenum non persolvebat dicto Comiti, dolose & mendose eidem Johanni Comiti imponens traditionem terræ suæ, ut sic occasionem acciperet non solvendi summam pecuniarum promissam. Lubicenses cives cum maxima potentia exeuntes, venerunt ad castrum illud famosum in malitia, & cunctis mercatoribus peregrinisque periculosum Gorlose dictum, & ipsum obsidentes, infra paucos dies expugnarunt & incinerarunt, raptores vero omnes in eo repertos suspenderunt. Quo destructo, ad aliud castrum non minus periculosum & damnosum se transferentes, secundum Chronicam Obotritorum, Stavenowe nuncupatum, ipsum consimiliter expugnaverunt & solo æquaverunt. De isto autem Stavenowe in initio obsidionis duo viri fortes & animosi exierunt in vigilia Palmarum, & contra XIIII. cives viriliter dimicaverunt, ac illæsi ab eis recesserunt. Unus etiam alius animosus de turri castri Gorlose in sua expugnatione se præcipitavit, & toto exercitu invito manus hostium evasit. Edwardus Rex Anglorum intravit Franciam cum maximo populo, secundum Chronicam Francorum, & demolitus est plura (opida) & villas. Johannes vero filius Philippi defuncti Rex Francorum factus venit in occursum ejus cum CCM. bellatorum, proponens prœliari cum Edwardo Rege habente solum XXIIIIM. armatorum. Sed apud Johannem Regem Franciæ quidam vir magnæ prudentiæ & fortitudinis existens Hermannus de Codbusch dictus bellum dissvasit Francigenis. Sed illi parvipendentes consilium suum, congressi sunt cum Anglicis. Anglici vero victoriam de hostibus suis obtinentes, ceperunt Johannem Regem cum filio suo Philippo & plures alios Principes & Nobiles. Occubuit autem in illa pugna Dux de Borbun, & sepultus est Parisius, & interfecti sunt multi milites & militares Regni. Primogenitus autem Johannis Regis Delphinus Regni existens cum LXM. armatorum turpi fuga elapsus est, patrem cum fratre in manibus inimicorum relinquens.

Septimo anno Karoli, qui est Dn. MCCCLV. Henricus Dux Brunswicensis natu, filius Alberti Ducis per multos jam annos invasor Episcopatus Hildenshemensis, secundum Henricum de Hervordia, per Papam Innocentium absolvitur a sententia excommunicationis & vinculo per plures Papas sibi inflicto, & non sine multorum Clericorum & laicorum scandalo solenniter Episcopus pronunciatur, datis, ut fertur, in cameram Papalem XXIIM. scutatorum aureorum. Iste Henricus juvenis Ottone de Waldenberg Episcopo potente & victorioso adhuc vivente, sed jam senio prægravato, & propter hoc multa dissimulante, dictum Episcopatum semper ambiens, tumultus & contentiones ac commotiones multas in terra excitavit. Episcopus autem castrum Ecclesiæ Waldenberg, ut quiesceret, eidem Henrico tradidit, per hoc paci diœcesis & tranquillitati cupiens providere. Sed hoc quidem non pacis, ut Episcopus speraverat, sed multorum seminarium extitit disturbiorum. Nam non diu post Episcopus mori-

Digitized by Google

moritur, Henricus de castro Woldenberg Episcopatum per vim obtinere nititur, Capitulum ad providendum sibi de Episcopo congregatur, provisio tandem quatuor Canonicis committitur, puta Hermanno de Werberge Decano, Lippoldo de Stokheym Archidiacono Goslariensi, Sifrido de Quervorde Archidiacono civitatis & Ottoni de Eversteen Scholastico ac Henrico prædicto de Brunswic. Per tres ergo ex illis, scilicet per Hermannum, Sifridum & Ottonem & per se ipsum Henricus eligitur, Lippoldus autem de Stokheym sic artatus dixit: Et ego cum non possim aliud, in nomine diaboli nomino similiter eundem. Electione sic celebrata & pronunciata, decretum Moguntiam mittitur, electionis & electi confirmatio petitur, & sede Moguntina vacante, per majoris Ecclesiæ Capitulum confirmatur. Ecclesia vero Hildenshemensis cum opidis, castris & munitionibus per sic electum & confirmatum invaditur & tenetur annis multis violenter occupata. Interea negotium deducitur ad Papam Johannem, puta Episcopum Hildenshemensem esse defunctum. Qui quia provisio pertinebat ad curiam, Ericum juvenem nobilem filium Comitis de Schowenburg Episcopum substituit eidem. Siquidem cum olim Episcopo Hildenshemensi Henrico in curia mortuo, secundum Ecclesiæ cursum antiquum ad sedem Apostolicam esset provisio Episcopatus Hildenshemensis devoluta, Capitulum Hildenshemense dictum Ottonem de Woldenberg electum a se & sibi multum profuturum designans, Papæ cum precibus humilibus obtulit, supplicans, quod electionem eorum de Ottone prædicto protunc admitteret, & jus, quod habebat Ecclesia Romana, pro illo, qui substituendus esset, Ottoni reservaret. Papa petitionem admisit, & sic secundum antiquum Ecclesiæ cursum, Ottone defuncto, Ecclesiæ Hildenshemensi de Erico prædicto providit. Ericus ergo Hildenshemensis Episcopus, faventibus sibi civibus Hildenshemensibus, urbem ipsam potenter ingreditur, sed tandem ab eisdem civibus proditus urbem egressus est, & cum urbe pluribus annis grandia prœlia gessit. Demum in pestilentia communi rebus humanis Ericus excessit, & Henricus de Brunswic ab adversario est liberatus. Inter hæc autem Ecclesiasticarum personarum quædam curiæ Romanæ devotius obediebant, quædam vero contemnebant, omnia divina profanantes. Henricus autem electus obedientes persequitur, eos affligit, & omnibus rebus spoliat: Abbates obedientes deponit, & profanos subrogat, Canonicos majoris & aliarum Ecclesiarum obedientes Papæ ejicit, Plebanos & Clericos parochiales de beneficiis exturbat, profanis substitutis. Quibus omnibus sic crudeliter & miserabiliter per multos annos contra pios actis, Henricus tandem, ut dictum est, Episcopus Hildenshemensis pronunciatur. Qui autem obedierant, in nullo sublevantur, profani sine pœna, quacunq; simul omnes absolvuntur. Henric. de Hervordia Frater Ord. Prædicatorum usque ad annum præsentem suas perduxit Ætates sex, contentas in quatuor voluminibus, de rebus memorabilioribus diserto stilo confectis. Karolus transire volens montes & visitare Romam pro corona imperiali adipiscenda, secundum Chronicam Saxonum, a Lodowico Duce Bayoariæ, qui Marchio quondam fuerat de Brandeburg, & jam fratri suo Romulo eam resignaverat, conductum per suam terram & auxilia militaria amicabiliter & humiliter postulavit, missis ad ipsum solennibus nunciis. Quos Lodowicus contumeliosis pertractans verbis, remisit vacuos ad Karolum, dicens, ipsum mendosum Principem esse & dolosum, quia plura sibi promisit, sed nullum eorum sibi tenuisset. Reversis nunciis cum contumelioso responso, Rex ad vindicandam injuriam suam a Principibus hortabatur, qui tunc actualiter secum erant in obsidione Herbipolensis civitatis. Misit ergo Karolus Rex alios nuncios Lodowico Duci, committens eis dicendum, ut vel in petitione sua sibi condescendat, vel ad pugnam se disponat. Quibus auditis, Dux subridens dixit: Quod Rex vester bello me impetere præsumat, nullo modo credo. Mentitur enim istud, sicut & alia plura mentitus est. Date ergo manus pro Principe vestro & ego jurabo vobis in fide mea, quod omnia præterita mendacia sua ulciscar, dummodo hoc intendat, quod modo se facturum promittit. Cumque hæc verba Ducis legati Karolo Regi retulissent, bellum utrobique paratur. Rex autem Romanorum circa VIIIM. armatorum fortium in campum produxit, Lodowicus vero cum XXM. virorum bellatorum in occursum Karolo venit. Cujus multitudinem videns Rex, bellum cum eo inire formidavit. Mediatores autem Principes in tantum laboraverunt, quod ambo Principes, semotis exercitibus, seorsum soli convenerunt. Rex ergo de novo Lodowico Duci multa pollicitus est, quibus tandem vix Lodowicus adhibuit fidem. Adunatis ergo & concordatis Principibus, ipse Lodowicus auxilia militaria & conductum salvum nedum per terram suam, sed etiam usque Romam Regi concessit. Cum quibus Rex Romam veniens, a Romanis honorifice est receptus. In die ergo Paschæ per Cardinalem Ostiensem ad hoc a Papa directum Karolus cum uxore sua imperiali gloria est coronatus, & Augustus a Romanis acclamatus. Sed post statim quasi venaturus elapsus ex urbe, totam Romanorum intentionem de privilegiis suis innovandis fefellit.

Octavo anno Karoli, qui est Dn. MCCCLVI. Rupertus Princeps Walliæ Regni Anglorum bellum gessit cum Johanne Rege Francorum redemto cum maxima pecuniæ summa de captivitate Edwardi Regis Angliæ, secundum Chronicam Francorum. Et Princeps ille Rupertus potitus victoria, iterum Regem captivavit, & captivum duxit secum in Burdeum, & ab illo loco ipsum transvexit in Angliam, & in vincula conjecit. Armicanus Archiepiscopus & Primas Angliæ, secundum Wilhelmum, impugnavit impiissime Religiosos mendicantes de voluntaria paupertate, volens rationibus & autoritatibus ostendere, eos necessario debere laborare manibus ad victum acquirendum, prout etiam alias Wilhelmus de S. Amore fecerat; contra

Digitized by Google

contra quem S. Thomas de Aquino & Albertus Magnus, Doctores eximii ambo Fratres Ordinis Prædicatorum pulcre scripserunt, ostendentes, rationes suas vanas & frivolas esse, nec ipsum intellexisse sane sanctorum Doctorum autoritates. Sed cum hic Armicanus coram Papa in publico Consistorio prædicando deficeret in suis probationibus, arestatus fuit autoritate Apostolica in curia, & ibidem tandem miserabiliter defunctus quasi incarceratus. Petrus Rex Arrogoniæ regio honore pro Christi nomine pariter & amore deposito, secundum Chronicam Francorum, humilem habitum & mendicitatem Ordinis Fratrum Minorum assumsit, & in eo usque ad mortem feliciter certavit.

Nono anno Karoli, qui est DN. MCCCLVII. In Confluentia, ubi Mosella Rhenum influit, puella IX. annorum a coco patris sui impregnata filium pulcrum edidit contra communem naturæ cursum, secundum Chronicam Francorum. Qui puer in mundum veniens ex utero natus in omnibus locis viro debitis crines habere videbatur, & præsertim in mento & ingvine. Eodem quoque anno idem vel simile fertur contigisse in Sozato opido Westphaliæ, ubi puella mox nata mamillas tumescentes & pilos sub axillis & in ingvine habens, mox fluxum menstruorum passa est. Quibus per omnia simile ponit Albertus Magnus in Commento secundi Philosophicorum, dicens, hoc absque dubio accidisse propter fortitudinem caloris formantis & maturantis conceptum fœtus in utero materno. Woldemarus Rex Danorum curiam celeberrimam tenuit in urbe Lubicensi, secundum Chronicam Danorum, ad cujus curiæ solennitatem plures Principes & Nobiles convenerunt, & præsertim Wilhelmus Dux de Luneburg, Casumarus Dux de Stetin, Warslaus Dux de Wolgast, Ericus Dux Saxoniæ de Lovenburg, Albertus Dux de Mykelenburg, Romulus Marchio de Brandeburg, Henricus & Nicolaus Comites Holtzatorum, Ericus Dux de Sleswic & Adolfus Comes de Schowenburg, & plures Nobiles, Milites & Militares hastiludia & torneamenta exercentes. Ubi etiam pacem generalem terrarum statuentes, ipsam suis juramentis confirmandam inviolabiliter sub pœna mortis & suspendii compromiserunt. Fratres Ordinis Minorum in urbe Lubicensi Capitulum suum provinciale celebraverunt profesto Pentecostes.

Decimo anno Karoli, qui est DN. MCCCLVIII In die S. Walburgis mercatores Alemanniæ, secundum Chronicam Francorum, locum mercantiæ suæ principalem, qui in vulgari Stapel nuncupatur, quem huc usque in Brugis habuerant, transtulerunt in Dordracum ad tres sequentes annos proxime futuros propter quandam discordiam inter Flamingos & dictos mercatores exortam. Sed postea in urbe Lubicana discordia prædicta sopita est & sedata in parte, & tandem in toto firmata est & perfecte consummata in Brugis per venerabiles Proconsules Bernardum Oldenburg Lubicensem, Johannem Cordelitz Thoronensem, nuncios civitatum maritimarum ex parte mercatorum ad hoc specialiter missos. Karolus Imperator Constitutiones & leges statuit de diversis casibus & negotiis Imperii, & præsertim de ordine stationum & sessionum inter Principes Electores tenendo, & in cæteris actibus curiæ Imperialis, & de officiis eorundem exercendis in eadem valituras & duraturas in perpetuum, secundum Auream Bullam ejusdem. Has quidem Leges confirmavit & roboravit sigillo suo aureo, & quaternum leges prædictas continentem nominavit Bullam Auream. Ordo autem Principum prædictorum est & debet esse talis in sessione dictæ curiæ Imperialis aut Regalis. Archiepiscopus namque Treverensis in diœcesi sua & Archicancellariatu ac provincia sua curia Imperatoris vel Regis Romanorum actualiter existente, ex opposito & lineari directione versus faciem Imperatoris sedeat; Moguntinus vero Archiepiscopus in suis Diœcesi & provincia & extra provinciam suam in toto Archicancellariatu suo, provincia Coloniensi duntaxat excepta; ac demum Archiepiscopus Coloniensis in suis Diœcesi & provincia & extra provinciam suam in toto Archicancellariatu suo, in dextro latere Imperatoris vel Regis Romanorum sedeant, in omnibus publicis actibus Imperialibus, puta judiciis, collationibus feodorum & refectionibus mensarum. Sane Treverensis Archiepiscopus est Archicancellarius Imperii vel Regni Romanorum per Galliam & Regnum Arelatense; Archiepiscopus vero Coloniensis Archicancellarius est Italiæ, sed Archiepiscopus Moguntinus Archicancellarius est Germaniæ, Rex autem Bohemorum immediate post Archiepiscopum Moguntinum, Coloniensem vel Treverensem, illum scilicet, qui tunc temporis pro qualitate locorum vel varietate provinciarum dicto lateri dextro Imperatoris vel Regis Romanorum assidere contigerit, locum habeat. Post quem in eodem latere Comes Palatinus Rheni secundum locum debet tenere immediate, ad sinistram vero partem immediate post illum, quem ex prædictis duobus Archiepiscopis in latere sinistro sedere continget, primum locum Dux Saxoniæ, & post illum Marchio Brandeburgensis alterum obtinebit. Rex namque Bohemorum Sacri Imperii Archipincerna est, & primam vocem tenet inter Principes seculares. Per quod patet, falsam esse opinionem quorundam dicentium, Regem Bohemorum non debere electioni non interesse Principum, nisi in casu, quo partes eligentium fuerint æquales, & ad quam partem ipse Rex tunc declinaverit, illa Regem obtinebit. Hujus autem opinionis oppositum directe asserit Bulla Aurea Karoli supra dicta. Et propter hunc septenarium numerum Electorum oportet necessario partes fore inæquales eligentium. Comes autem Palatinus Rheni Sacri Imperii Archidapifer est. Hic non habet potestatem convocandi Principes Electores post mortem Imperatoris vel Regis Romanorum pro nova electione fienda, secundum Bullam Auream supra allegatam, sed Archiepiscopus Moguntinus illius est autoritatis, licet Fr. Henricus de Hervordia oppositum dicat, quia forte Bullam hanc

Digitized by Google

Auream non vidit, vel forte suis temporibus nondum data fuit. Dux autem Saxoniæ Sacri Imperii est Archimarscalcus, Marchio vero de Brandeburg Sacri Imperii est Archicamerarius. Et sic quilibet Principum Electorum suum determinatum habet officium in curia sæpe dicta. In processionibus vero vel deambulationibus, ubi insignia imperialia deferri debent ab Officialibus curiæ prædictæ, Archiepiscopus Treverensis semper & ubique in directa linea diametrali ante Imperatorem vel Regem Romanorum transeat immediate, dummodo imperialia insignia in tali processione vel deambulatione non deferantur. Si autem talia insignia deferri debeant, tunc Dux Saxoniæ imperialem ensem deferens, Imperatorem vel Regem Romanorum immediate præcedere debet, ut sit inter Imperatorem & Archiepiscopum Treverensem, alii autem duo Archiepiscopi Moguntinus & Coloniensis loca collateralia tenere debent immediata, prout in refectione mensarum ea tenere solent. Comes quoque Palatinus Rheni pomum imperialem portans, & Marchio Brandeburgensis sceptrum deferens, a sinistro latere Ducis Saxoniæ linealiter gradiantur, Rex autem Bohemiæ Imperatorem sive Regem Romanorum immediate nullo interveniente sequi debet. Officia etiam dictorum Principum secularium diversa esse debent & distincta. Primo namque Imperatore vel Rege in solio vel sedia regia residente, Dux Saxoniæ officium suum agat hoc modo. Ponetur enim ante solium vel sedem sessionis Imperialis aut Regalis acervus avenæ tantæ altitudinis, quod pertingat usque ad pectus equi, super quo Dux sedebit, & habebit in manu baculum argenteum & mensuram argenteam, pensantes simul XII marcas argenti. Et sedens in equo, primo mensuram eandem de avena plenam accipiat, & famulo primitus venienti eam præsentet. Quo facto, figendo baculum in avenam recedat. Et Vicemarscalcus ejus, puta Nobilis de Papenheym accedens, vel eo absente, Marscalcus curiæ ulterius avenam illam distribuat. Ingresso vero Imperatore vel Rege Romanorum ad mensam cum cæteris Principibus & Prælatis, benedicet mensam eandem Archiepiscopus ille, in cujus provincia vel Archicancellariatu curia celebratur, & benedictione completa, iidem Archiepiscopi Electores omnes si affuerint, vel duo aut unus, sigilla & typaria imperialia sive regalia a Cancellario curiæ recipiant, eoque, in cujus Archicancellariatu curiam ipsam celebrari continget, in medio procedente, & aliis duobus ex alterutro latere sibi conjunctis, sigilla & typaria ipsa omnes quidem baculum, in quo suspensa fuerint, contingentes, ea portent ante Imperatorem vel Regem Romanorum, reverenterque ponant super mensam. Imperator vero sive Rex eadem mox sibi & aliis Archiepiscopis restituat, & in cujus Cancellariatu hoc factum fuerit, is sigillum majus collo appensum usque in finem mensæ gestabit & deinceps, donec ad hospitium perveniat ab Imperiali vel Regali curia equitando. Et baculus ipse, de quo præmittitur, esse debet argenteus XII. marcas argenti habens in pondere, cujus tam argenti quam pretii partem tertiam unusquisque Archiepiscoporum ipsorum persolvat. Qui baculus protinus una cum sigillis & typariis debet Cancellario curiæ imperialis assignari in usus suos beneplacitos convertendus. Postquam autem is, quem ordo tetigerit portando sigillum majus ab imperiali curia ad hospitium suum redierit, statim sigillum ipsum per aliquem de suis familiaribus prædicto curiæ imperialis Cancellario tenebitur elargiri. Deinde Marchio Brandeburgensis Archicamerarius accedat super equo, habens argenteas pelves in manibus cum aqua ponderis XII. marcarum argenti, & pulcrum manutergium, & descendens de equo det aquam Imperatori vel Regi Romanorum pro manibus abluendis. Quo facto, Nobilis de Frankensteyn Subcamerarius Sacri Imperii equum & pelves Marchionis de Brandeburg pro se recipiat, & in suos usus ad libitum convertat. Deinde Comes Palatinus subintret super equo, habens in manibus IIII. scutellas argenteas cibis bonis impletas, quarum scutellarum quælibet habeat tres marcas argenti in statera; & descendens de equo ponat cibum ante Imperatorem vel Regem Romanorum in mensa sedentem. Quo facto, & cibo ab Imperatore vel Rege Romanorum ad placitum gustato, magister coquinæ ille sive Nobilis de Northenberg equum & scutellas Comitis Palatini recipiat, & in usus suos beneplacitos expendat. Post hæc Rex Bohemiæ Archipincerna veniat similiter super equo portans in manibus cupam sive scyphum argenteum ponderis XII. marcarum argenti coopertum, vino aqua mixto repletum; & descendens de equo, scyphum ipsum Imperatori vel Regi Romanorum præsentet ad bibendum. Quo potu gustato ab Imperatore vel Rege, Vicepincerna Nobilis scilicet de Lymburg equum & scyphum Regis Bohemiæ ad se recipiat, & in suum usum vertat. Similiter & baculum ac mensuram argenteam Vicemarscalcus Nobilis de Papenheym de Duce Saxoniæ super memorato recipiat, & in suos usus expendat. Si autem prænominati Viceofficiales in præfata curia imperiali vel regali præsentes non existant, tunc prædictæ curiæ cotidiani Officiales in consimili ministerio eis communicantes vice absentium tollant fructum. Imperialis insuper mensa vel Regalis sic debet aptari, ut ultra alias aulæ tabulas in altitudine sex pedum sit altius elevata, in qua præter Imperatorem vel Regem Romanorum duntaxat in die solennis curiæ, quo prædicta peraguntur ministeria a Principibus, nemo collocetur. Mensa vero Imperatricis sive Reginæ Romanorum parari debet in latere dextro aulæ, ita quod ipsa mensa tribus pedibus imperiali sive regali mensa sit bassior & totidem pedibus eminentior supra sedes & mensas Principum Electorum. Qui quidem Principes sic locentur, ut singuli singulas habeant mensas suas in eadem altitudine situatas, ita quod septem mensæ sint, tres a dextris & tres a sinistris, & septima directe versus faciem Imperatoris vel Regis Romanorum; & in his mensis sedendo teneant isti Principes ordinem illum, quem tenere debent in sessionibus vel processioni-

Digitized by Google

sionibus supra scriptis; nec quemcunque Principem, cujuscunque status existat, deceat sedere in dictis mensis Electorum Principum, nec licere debet alicui dictorum secularium Principum Electorum, peracto sui officio debito, quod se ad mensam locet, quousque alicui suorum Conprincipum Electorum adhuc restat aliquid agendum, sed tamdiu coram mensa sua stet, donec cæteri sua officia compleverint. Hæc ex præfata Bulla Aurea hujus Karoli IV. Imperatoris excerpsi, & præsentibus utiliter inserui.

Undecimo an. Karoli, qui est Dn. MCCCLIX. Johannes Rex Francorum, data magna pecuniæ summa redemtus est cum filio suo Philippo, secundum Chronicam Saxonum, a captivitate Principis Walliæ, pendente tamen adhuc lite inter ipsum & Edwardum Regem Anglorum. Arnoldus de Villa Preodii Vercellensis Diœcesis, Ordinis Fratrum Minorum, in diversas hæreses & errores est lapsus, secundum Autorem libri Inquisitionis. Docuit namque & tenuit, quod nec Christus nec Apostoli quodcunque habuerint in proprio vel communi, quem tamen errorem per antea reprobaverat & damnaverat Johannes XXII. Papa pro hæresi, ut supra patuit. Tenuit etiam & docuit, quod nullus possit damnari, deferens habitum Ordinis S. Francisci; asseruitque constanter, B Franciscum omni anno semel descendere de cœlo ad purgatorium, & eripere inde animas omnium illorum, qui illo anno defuncti, in habitu Ordinis sui exstiterunt sepulti & ad purgatorium fuerant missi. Hujus autem erroris assertores nedum sed & publici pronunciatores ac prædicatores plures in Ordine prædicto in præsentiarum existunt, qui ausu temerario talia figmenta & mendacia non verentur populo intimare. Imo temporibus meis, me præsente in provinciali Synodo in urbe Hammeburgensi celebrata anno Dn. MCCCCVI. per Dn. Johannem de Slamestorp Archiepiscopum Bremensem, & Dominos Johannem de Dulmen Lubicensem, Rodolfum natu Ducem de Mekelenburg Swerinensem, & Dithlevum Parkentin Razeburgensem comprovinciales Episcopos præfatus Dominus Johannes Episcopus Lubicensis Doctor utriusque Juris Parisiensis, vir multum solennis & Pater Religiosorum hunc errorem in publico consistorio, ipsis Fratribus Minoribus ibidem præsentibus objecit coram tota Bremensi provincia tanquam per dictos Fratres publice prædicatum in urbe Lubicensi. Supra scriptum autem Fratrem Arnoldum hæreticum Nicolaus Emerici inquisitor hæreticæ pravitatis Ordinis Prædicatorum, ex jussu Domini Urbani V. Papæ, postea in præsentia Domini Berengarii Episcopi Vercellensis damnavit, degradavit, & judicio seculari tradidit ad comburendum; ipsius quoque scripta & prædicata in consimili materia similiter damnavit, hæreticavit & reprobavit.

Duodecimo an. Karoli, qui est Dn. MCCCLX. Edwardus Rex Anglorum cum maxima multitudine navium intravit Secanam partium Franciæ, secundum Chronicam Francorum, & navibus in tuta custodia dimissis, egressus in fortitudine exercitus sui, Remensium & Metensium accessit fines, & transferens se ad urbem Rhemensem, obsedit eam. Quæ cum esset bene munita viris bellicosis, solvit obsidionem post mensem, & intravit Burgundiam eam vastaturus. Sed Johannes Rex Francorum videns, se non posse resistere potentiæ Edwardi Regis, treugas iniit cum eo duraturas per tres sequentes annos, intentum suum obtinens per magnarum summarum auri solutionem. Kynstod Rex Lithuanorum captus in die Palmarum per Magistrum & Fratres de Domo Teutonica terræ Prutziæ, secundum Chronicam Lubicensem, & mansit in captivitate in castro Marienburg usque ad festum B. Lucæ, & tunc clam elapsus de manibus eorum, evasit favore custodum pecunia corruptorum. Quo elapso, Magister Prutziæ exercitum magnum colligens, Regem fugitivum insecutus reintravit Lithuanorum terram, & eam in magna parte devastans, tandem obsedit Kauwenpelle, & ipsum vi expugnans, cepit in eo Waydoch filium Kinstoti Regis. Et de barbaris illis multos interficiens, duxit secum in Prutziam cum filio Regis prædicto duo millia captivorum. Wilhelmus Dux de Luneburg discordans cum Domino Mauritio Decano Bremensi natu Comite de Alldenburg, secundum Chronicam Saxonum, ædificavit super flumen Wummena castrum forte, quod Pontem Leonis nuncupavit vulgariter Lowenbrugge, ut eo fortius diœcesim Bremensem impugnaret.

Tertiodecimo anno Karoli, qui est Domini MCCCLXI. Cometa magnorum radiorum in oriente apparuit, secundum Egghardum, quo disparente, Innocentius Papa obiit, sepultus in Avinione. Consistorium urbis Lubicensis incensum est & combustum per negligentiam illorum, qui pulveres pro bombardis sive petrariis parabant, secundum Chronicam Lubicensem. Cum enim prædictos præparassent, locabant eos in quodam loco Consistorii non caute custoditos ab igne. Pulveres ergo per incuriam in nocte accensi domum ipsam succenderunt, & antequam extingui potuisset, eam in cineres redegerunt. Woldemarus magno armatorum numero aggregato, venit navigio in Godlandiam, & pervagans terram, igne & ferro cuncta vastavit. Cumque opidum Wisbu obsideret, secundum Chronicam Danorum, cives videntes, se Regi non posse resistere, obviam ei processerunt, & ditioni suæ se subdiderunt. Rex autem totam illam terram Regno suo jungens, thesaurum maximum auri & argenti inde rapuit, & ad propria ditatus rediit. Ericus Dux de Lovenburg expugnavit & cepit opidum Plawe cum castro adjacente in die S. Bartholomæi, secundum Chronicam Obotritorum. Quo facto, Woldemarus Rex Danorum placita ordinans fieri inter Duces Albertum Magnopolensem & Ericum de Lovenburg, sic tandem eos pacificavit & concordavit, ut dictus Ericus Dux restitueret Alberto Duci castrum Plawe, & ipse Albertus eidem Erico resignaret Godebuz opidum & castrum in pignus, quousque sibi restitueret Boytzenburg opidum & castrum. Ericus autem Dux credens verbis Regis & Alberti Ducis ac promissionibus eorum, resignavit dicto

cto Alberto Duci castrum Plawe, sed ipse deceptus in fide sua nec Godebuz nec Boytzenburg reaccepit. Rex vero Woldemarus, quia hanc rem tam subdole practicaverat, recepit in pretium laboris ab Alberto Duce Helsingburg in possessionem perpetuam. Cumque Ericus Dux hanc fraudem videret, rescindens pactionem & pacem inter se & Albertum Ducem factam, exercitum contra ipsum movit, & cum eo in prœlium veniens in pago Yellande, ac victoria de cœlo potitus, occidit pariter & captivavit de exercitu Alberti Ducis circiter CCCC. milites & militares. Audientes autem Henricus & Nicolaus Comites Holtzatorum Ericum Ducem esse in expeditione contra Albertum Ducem, venerunt & ipsi contra dictum Ericum, & obsederunt munitionem Krummesse. Quod percipientes illi de Lovenburg & cæteri Ducatus illius inhabitatores, conflictum cum Holtzatis inierunt, & circa LX. armigeros de Holtzatis ceperunt & abduxerunt. Et sic utrobique Erico arrisit fortuna.

De Urbano V. PP. CCVIII.

Urbanus Papa, natione Provincialis ex patre Lamberto, sedit annis IX. mensibus tribus & diebus XVI. secundum Gesta Romanorum Pontificum. Hic prius Wilhelmus dictus Abbas extitit Marsiliensis Ordinis S. Benedicti, (&) multa passus est propter Ecclesiam. Nam missus ante Papatum suum per Innocentium Papam ad Barnybo Dominum Mediolanensem tyrannum, compulsus est per ipsum devorare Bullas Papales, quas secum tulerat ab Innocentio Papa missas ipsi tyranno, & post exire civitatem in comitiva multarum meretricum & ribaldorum. Civitates maritimæ, quarum caput dudum extitit urbs Lubicana, cum navali exercitu magno Danorum Regnum intraverunt, vastantes eam in manu forti. Rex autem Woldemarus, secundum Chronicam Danorum, cum eisdem navali bello congressus, prœliati sunt pariter prœlio magno. Christoferus autem filius Regis Danorum lapide percussus est tam letaliter ibidem, quod in brevi periit. Cum autem exercitus prædictarum civitatum post pugnam naves exivissent, deprædaturi Danorum terram, & ipsas non bene munitas reliquissent, Rex cum suis eas invasit, & sex de majoribus cogonibus eisdem abstulit, & recessit. Ob quam negligentiam & quædam alia, quæ sibi objiciebantur, Dominus Johannes Wittenburg Proconsul urbis Lubicensis & protunc Capitaneus expeditionis prædictæ, in sua reversione ad urbem captus est, & fere per biennium in vinculis tentus, & tandem capite plexus, ac in Ecclesia Fratrum Ordinis Prædicatorum sepultus.

Quartodecimo anno Karoli, qui est Domini MCCCLXII Rex Anglorum Edwardus circa Quadragesimam appropinquans urbi Parisiensi, secundum Chronicam Francorum, cum grandi armatorum multitudine, obsedit ipsam per quindenam, neminem exire permittens aut intrare. Post octavas vero Paschæ idem Rex Edwardus transtulit se cum suo exercitu in Normanniam. Ubi cum opida & villas devastaret, facta sunt tonitrua & fulgura horribilia, & perierunt percussi fulmine fere CCCC. viri fortes. Cum autem Rex videret, manum Domini pugnare contra se, iniit placita cum Nordmannis & Francigenis, & firmata pace & concordia, captivi ex utraque parte libertati dati sunt. Major Ecclesia urbis Magdeburgensis dedicata est a Tiderico Kogelwid Archiepiscopo dictæ Ecclesiæ, secundum Chronicam Saxonum. Cognomen autem illud prælibatus Tidericus acceperat ex eo quod Ordinis S. Benedicti Monachus esset in Lenyn Monasterio vestitus terræ Marchiæ. Engelbertus Comes de Marka, magno stipatus armatorum exercitu terram Wyland invasit, & incendio eam vastavit, secundum Egghardum, propter quoddam carmen Satyricum sive reprehensivum, quod incipit Audivit Westphalia. Hoc carmen in Brema compositum fuerat in ipsius Comitis vituperium & infamiam. Wilhelmus Dux de Luneburg exercitum educens contra Ericum Ducem Saxoniæ de Lovenborg, expugnavit & cepit castrum Rybenburg & insulas Kerkwerder & Nyegamme, secundum Chronicam Saxonum. Pater autem Ducis Erici jam decrepitus in castro dicto Rybenburg residens, ut audivit adventum Wilhelmi Ducis, de castro recessit, & versus Nyenburg tendens ad Johannem Comitem de Hoya, qui filiam suam habuit in uxorem, in via de equo cecidit, & paucis diebus ex læsione sumta supervixit. Cumque Wilhelmus Dux castrum Ribenburg & alia cepisset, ædificavit castrum forte in Gammerorde. Quo constructo & munito, transtulit se versus Erthneburg, & ipsum opidum pariter & castellum capiens, ibidem castrum fecit & firmavit, ac ipsum Vighenburg nuncupavit. Nicolaus Comes Holtzatorum obsedit castrum Braberg in Füne terræ Danorum situm, secundum Chronicam Danorum, cum CC. armatis. Quod ut Woldemarus Rex percepisset, venit in auxilium obsessis cum mille & CC. armatis. Cum quo Nicolaus Comes bellum aggressus plures de Danis mactavit, sed tandem in fine pugnæ Dani prævalentes captivarunt quasi omnes Holtzatos demto Comite, qui vix cum paucis evasit. Virgo Elizabeth soror Henrici Comitis de Holtzatia XXII. annorum per fratrem suum Henricum Haquino Regi Norwegiæ filio Magni Regis Sweorum sub gravissimis perjurii pœnis arbitratis, quæ pars a contractu deficiens incideret, circa Carnisprivium est desponsata, & postea circa festum Jacobi Apostoli ab eodem Rege Haquino per solennes Procuratores & nuncios in Holtzatia in castro Plüne, ubi stetit inter brachia dicti fratris sui Henrici & patrui sui Adolfi sustentata per manum Hermanni de Vitzen personam præfati Regis Haquini protunc gerentis, matrimonialiter cum debita solennitate est subarrata, ac eidem Regi per verba de præsenti copulata, necnon Regina Norwegiæ effecta virtute dicti matrimonii contracti. Et omnia prædicta facta sunt per manum præfati Hermanni de Vitzen Militis ab eodem Rege Haquino missi, in hoc negotio personam ejus repræsentantis & tenentis, secundum Magistrum Eylardum Schonevelt in sua Chronica. Quibus quidem solennitatibus

Digitized by Google

nitatibus expletis, dictus Hermannus Miles & sui socii præfatam virginem recipientes de domo fratris sui, ad naves deduxerunt cum comitiva decenti, & Sabbato quatuor temporum ante festum Christi Trabenam exierunt, versus Sweciam tendentes. Sed infortunio accedente, per ventum contrarium coacti sunt in Danicas declinare partes. Quod Woldemarus Danorum Rex percipiens, navem cum virgine rapuit, & ipsam captivam ad castrum suum deduxit spoliatam rebus & familia sua. Sequenti autem æstate Woldemarus Rex curiam solennem proclamari fecit in Roschildensi opido celebrandam, ad quam tres Reges convenerunt, puta Woldemarus Danorum, Magnus Sweorum & Haquinus Norweorum. Ubi Rex Haquinus jura matrimonii transcendens, uxore sua legitima Elizabeth sorore Henrici Comitis Holtzatorum ab ipso primo desponsata, & post, ut præmissum est, matrimonialiter subarrata, ac per verba de præsenti sibi copulata in manu Hermanni de Vitzen Militis personam suam in hoc negotio integraliter tenentis, in captivitate detenta, licet adhuc virgine existente, Margaretam filiam Woldemari Regis Danorum desponsavit, & in thorum suum de facto recepit, sed non impune. Divina enim justitia hanc fraudem & legitimi matrimonii prævaricationem mox in utramque partem condormientium vindicavit. Nam mater sponsi Domina Blanka Regina Sweciæ, & frater sponsæ Christoferus unicus filius Regis Danorum ibidem citharam exultationis in luctum vertentes moriebantur, homagium vasallorum Regni Sweciæ a Rege Magno in pœnam pacti violati est remotum, & Comiti Henrico assignatum. Siquidem in pacto desponsationis inter Regem Sweorum Magnum & Comitem Holtzatorum Henricum sic erat arbitratum de consensu & consilio Procerum Regni Sweorum & Consiliariorum Comitatus Holtzatorum & fidejussione eorundem firmatum, quod si ipsa sponsalia Domini Henrici Comitis culpa non procederent, extunc castrum Calmarine, quod tunc pro magna pecunia ex parte Regni in pignus habebat dictus Henricus Comes, deberet restituere, & ultra hoc LXM. marcarum puri argenti solvere, pro quibus deberet obsides tradere. Si vero eadem sponsalia ex culpa Regis Sweorum in suo processu impedirentur, extunc Rex Magnus deberet dominium Regni perdere, & omnes vasalli & Capitanei Regni Sweorum deberent se cum castris terris & subditis a Domino Magno subtrahere, & ad Dominum Henricum Comitem transferre, & in eum tanquam in legitimum Dominum eorum se tenere. Medio autem tempore Albertus Dux Magnopolensis filiam suam Ingeburg per mortem Lodowici Marchionis de Brandeburg interim viduatam famosissimo militi & in tota Christianitate militari gloria & strenuitate præclariori Domino Henrico prælibato Holtzatorum Comiti in matrimonio copulavit. Cum ergo Comes Henricus per suos Vasallos & Capitaneos, quos adhuc in castro Calmarino habuit in Swecia, & per alios viros bellicosos, quos ad hoc specialiter transmisit, Regem Magnum & Proceres Regni fidejussores pro violato pacto impeteret sub retentione honoris sui, & pene solutionem hostili manu extorquere satageret, multi de Primoribus Regni honorem fidei suæ favori Regio præponentes, ad Comitem Henricum in Holtzatiam transfretarunt, & ipsum in Dominum suum & tanquam Dominum suum in Regnum Sweciæ invitando, se ipsos cum omnibus suis castris, terris & hominibus eidem juxta pactum fideliter obtulerunt. Quos idem Comes ad fratres uxoris suæ filios Alberti Ducis Magnopolensis, puta Henricum, Albertum & Magnum ad Regnum Sweciæ natos, quia a Domina Euphemia sorore Magni Regis Sweciæ genitos direxit, ut, quemcunque ex illis tribus eligerent, eidem omne jus & dominium in Regno Sweciæ sibi per modum pœnæ violati pacti acquisitum simpliciter donando resignaret. At illi elegerunt Ducem Albertum inter illos filios medium. Fuerunt autem nomina illorum sic eligentium Dominus Nicolaus Episcopus Lyncopensis Archicamerarius Regis, Dominus Thomas Episcopus Wexoensis Consiliarius Regni, Dominus Karolus de Thutten Marschalcus Regis, Dominus Nicolaus Sturssen Dapifer Regis, & Dominus Ericus Karlsf Magister Cameræ Regiæ milites, ac Boethius Jonsson postea Dapifer cum eorum complicibus. Cum his ergo & cum aliis Principibus & Nobilibus, puta Henrico Comite Holtzatorum sæpe dicto, Gunthero Comite Rupinensi ac Laurentio Domicello de Werle, necnon exercitu electo militum & militarium copioso, Dominus Albertus Dux Magnopolensis tulit filium suum Albertum in Regnum Sweciæ ad illud jure possidendum pariter & tuendum. Et exeuntes Warnowe fluvium in navibus solennibus in profesto S. Martini, primum Calmarinæ applicuerunt; & exinde ulterius procedentes, in vigilia B. Andreæ Apostoli civitatem Stokholm admissi leviter introierunt. Accedente ergo Quadragesima, Officiales & Consiliarii Regni cum aliis Capitaneis & Nobilibus convenerunt Dominica Reminiscere prope Upsaliam ante lapidem regium, ubi Reges Sweorum antiquitus & illis etiam temporibus eligi consveverunt, præmissis tamen medio tempore debitis & legitimis proclamationibus seu citationibus omnium, qui sua interesse crederentur, per totum Regnum publicatis, & ibidem judicio disposito ac consilio habito, & Rege Magno per contumaciam absente, ob certas causas, in quibus notorie cunctis scientibus reus extitit, propter quas secundum leges Regni de libro ibidem lectas, dominium perdere, & de Regno deponi meruit & juste potuit, reprobato ac deposito, coram Dominis Ducibus Magnopolensibus ac aliis Principibus & Nobilibus, necnon multitudine militum & militarium populique infinita, præfati Officiales & Consiliarii Regni, quorum verbum in omnibus supra dictis Dominus Karolus de Thusten Marscalcus, sicut ad ejus spectabat officium, tenuit, Albertum juniorem Ducem Magnopolensem, servatis de consvetudine Regni in talibus servandis, unanimiter & concorditer in Dominum suum & Regem Swe-

Digitized by Google

Sweciæ elegerunt, receptisque ab eo juramentis a novibus Regibus ibidem præstari solitis, ipsum super lapidem collocando inthronizarunt, ac cum fastu Regio ipsum mox in Ecclesiam Archiepiscopalem Upsalensem introducentes, Te Deum laudamus cantari, & missas celebrari cum festivis laudibus fecerunt. Et sic expletis omnibus solennitatibus ad hujusmodi officium requisitis, populum licentiantes, conviviis regalibus cum gaudio vacaverunt. Dominus autem Magnus videns se depositum, & alium loco sui sublimatum, adjutorio filii sui Haquini Regis Norwegiæ & quorundam aliorum sibi adhuc adhærentium contra Albertum Regem novellum diu rebellavit. Sed treugis tandem interpositis & secura ac pacifica die placiti signata, in Junekopinghe simul convenerunt Rex Albertus & Principes ac Consiliarii Regni ex una parte, & Dominus Magnus cum suis fautoribus ex alia parte, & ibidem placitando & colloquendo, tandem usque ad hoc negotium deductum est, quod Dominus Magnus sponte coram omnibus dixit ad Albertum Regem: Dilecte avuncule Alberte, ex quo sic evenit, nulli libentius faveo de Regno quam tibi, quia tu es ita propinque natus ad hoc sicut filius meus Haquinus. Ipse enim est filius fratris ad ipsum, & tu es filius sororis ad ipsum: & tu & ego satis habemus in Regno. Faveas ergo mihi de Westgothia ad tempora vitæ meæ, reliqua vero omnia habeas tu. Cum autem mortuus fuero, tunc retineas unum cum reliquo. Quamvis autem hanc orationem conclusivam omnes placibiliter acceptarent, tamen quia Dominus Magnus propter absentiam filii sui Haquini sufficientem fidem seu cautionem de observando condictu ibidem protunc facere non potuit: idcirco treugis prolongatis, alium diem placitorum pacificum pro futura æstate statuerunt ad perficiendum & consummandum finaliter jam conclusa. Et interim Dominus Magnus in nullo debebat Albertum Regem in Regno Sweciæ impedire. Quod bona fide inviolabiliter se observaturum promisit, tacta pyxide, in qua erat Corpus Domini super altare solenniter coram omnibus hoc jurando. Super qua fide Albertus Rex exivit de Swecia versus partes orientales ad subjugandam sibi Fynlandiam, & Albertus Dux pater ejus cum aliis Principibus & Nobilibus navigavit versus partes Teutonicas, paucis tamen validis ad Regni custodiam relictis.

Quintodecimo anno Karoli, qui est Domini MCCCLXIII. Gazophylacium sive locus thesaurorum Fratrum de Domo Teutonica terræ Prutziæ violenter effractum est in castro Marienburg per pistorem & cocum castri, & ablata est magna pecuniæ summa, secundum Chronicam Lubicensem. Fures autem prædicti evaserunt manus Dominorum suorum præter unum, qui deprehensus fuit in Goslaria urbe terræ Saxoniæ, qui tormentatus ibidem, ut socios proderet, descripsit unum complicem in furto. Damno igitur per Fratres in Marienburg comperto, misit magister eorum diversos dicti Ordinis Fratres cum familiis decentibus per partes mundi diversas ad inquirendum violatores præfati thesauri. Cumque unus ex his nunciis inquisitoribus venisset in urbem supra dictam Goslariam, & negotium suum exposuisset hospiti suo uni de Consularibus viris dictæ civitatis, ait nuncio illi: Nuper quidam trufator captus est in hac urbe & rotatus. Qui dum quæstioni exponeretur & examinaretur, fassus est inter alia nefanda opera, furtum illum commisisse, de quo vos mentionem facitis; & dum de complicibus sciscitaretur, prodidit unum, cujus talem descripsit fore conditionem pariter & dispositionem. Quibus enarratis, compertum est, eundem esse in prædicti Fratris & nuncii comitiva, qui negotium agitabat. Quem mox captivantes, reduxerunt secum in Prutziam, & reum ipsum invenientes, patibulo affixerunt. Karolus Imperator cum solenni comitiva Principum venit in Avinionem visitaturus Dominum Apostolicum Urbanum, secundum Chronicam Francorum. Cujus faciem videns Papa, ipsum cum magno honore suscepit. Nec tantam humilitatem ostenderat quiscunque Imperator aut Rex Romanorum ab anno DN. MCCXVI. puta a tempore Frederici II. Imperatoris. Ericus Dux de Lovenburg volens transfretare in Daciam, secundum Chronicam Saxonum, ad Regem Woldemarum, ut ei auxilio fieret contra suos molestatores, fecit tutores Ducatus sui Consulatum urbis Lubicensis, confidens potius de ipsis quam de quocunque Principe circumjacente. Qui attendentes confidentiam Ducis Erici & etiam fidelitatem, quam alias ostenderat erga ipsos in destructione diversarum munitionum sui Ducatus, in qua civitatem adjuverat, præfuerunt terræ suæ fideliter in ipsius absentia, opponentes se propter eum Alberto Duci Magnopolensi, & Henrico ac Nicolao Comitibus Holtzatorum, qui libenter ei nocuissent in absentia ipsius.

Sextodecimo anno Karoli, qui est Domini MCCCLXIIII. Quidam Frater Religiosus lector existens in civitate Magdeburgensi, secundum Chronicam Saxonum, diabolica deceptus fraude titulo Christianitatis & Religioni suæ sanctæ renunciavit, & in eadem urbe ad Judæos pergens, ritum judaizandi perfidum assumsit, ac circumcidi se fecit. Quod execrabile malum cum ad aures suorum Patrum Conventus antedicti pervenisset, contristati sunt valde tam de perditione Fratris sui, quam de infamatione Ordinis & nota perfidiæ. Ordinantes ergo currum cum quatuor robustis Fratribus, & accepta licentia Domini Archiepiscopi, ad quem dicti Judæi spectabant, miserunt eos in Sudenburg cum quibusdam de familia dicti Archiepiscopi, ubi habitatio est Judæorum. Qui simul villam Judæorum ingressi, apostatam illum impiissimum quæsitum & inventum apprehenderunt, & vincientes ipsum, currui imposuerunt, & de villa recesserunt, invitis Judæis. Cumque ad medium Novi fori pervenissent, & populus ad lugubre hoc spectaculum undique concurreret, advenit & prædicti apostatæ soror carnalis, clamoribus & ejulatibus miserabilibus aërem replens, & deprecans germanum suum atque exhortans, ut pœnitentiam de peccato suo ageret,

& ad

Digitized by Google

& ad cultum Christianum compunctus rediret. Cui sic rogitanti & lacrymanti sorori miser ille respondit: Bona soror, noli tristari, nec turberis: frater tuus morietur hodie bonus Judæus. Quod cum dixisset, mox cultellum, quem sub mantello absconderat, eduxit, & ipsum cordi suo fortiter imprimens, infelicem animam efflavit. Sororem autem dicti Fratris desperati hæc videntem tam horribili modus videndi invasit, ut, quamdiu viveret, mortis horrendæ fratris signum apud se deferret. Hoc, inquam, factum stupendum & ego Cursor Sententiarius constitutus in conventu Ordinis nostri ejusdem civitatis Magdeburgensis recitari audivi a quadam persona devota Catharina Rupines dicta, cui ipsa soror præfati Fratris sic perditi oretenus prædictam historiam narraverat cum lacrymis multis. In aurora diei Beatorum Martyrum Processi & Martiniani Magister militiæ Woldemari Regis Daciæ Petrus Danus nuncupatus, secundum Chronicam Obotritorum, cum magno numero navium veniens prope Wismariam urbem Obotritorum, cœpit spoliare portum ejusdem civitatis. Woldemarus vero Rex pro eodem tempore alia classe navali Ymbriam insulam impugnabat. Quod ut Wismariensibus innotuit, mox in navibus remigabilibus hostibus occurrerunt, & duellum durissimum in mari a mane usque ad vesperas cum eis agentes, ipsos tandem manu violenta vicerunt, Petro Dano Capitaneo cum CLX. armatis captivato, cæteris vel unda absorptis, aut gladio mactatis, vel forte fuga elapsis. Plures etiam de Wismariensium civibus vulnerati sunt, deficientibus quibusdam, & aliquibus mortem evadentibus & sanatis. In cujus quidem victoriæ memoriam perpetuam simul & gratitudinem dies dictorum SS. Martyrum singulis annis festive & solenniter celebratur per totam civitatem, & stipæ (stipes) dantur eodem die omnibus pauperibus generaliter in honorem Dei & SS. dictorum. Captivi autem omnes turribus sunt mancipati, sed Petrus Capitaneus cum uno alio viro solenni in cellario civitatis, ubi jam pro tempore vinum trahi solet, locatus est, & vinculis commendatus satis tamen humaniter & gratiose. Die ergo quadam cum captivitatis suæ custodes mero forte vel potius servisia (cerevisia) inebriati essent in tantum etiam, ut apud se dormitare inciperent, Petrus claves cippi pendentes apud unum, de eis clam abstulit, & vincula sua sociique solvens liberos sese effecit. Solutis ergo pedibus, cum socius suus Nicolaus surgeret, & ire tentaret, minime potuit. Quod ut vidit Petrus, ipsum dorso suo imposuit, & clam exiens cellarium, januamque silenter claudens, cum eo abscessit. Cumque custodibus civitatis, quia nox erat, obviaret, quæsierunt illi, quis ipse esset, & quid deferret. Quibus Petrus ait: Bonus sum socius, & virum porto ebrium, quem usque ad aquas ferre, & in eas projicere propono, ut sobrius efficiatur. Dicentibus autem eis, an ipsum juvare deberent, respondit, quod solus ad hoc perficiendum sufficiens esset. Et sic dimissis eis, venit ad portam civitatis, ubi mox parvam charybdim inveniens, elapsus est de manibus eorum. Ex hac ergo victoria, quam Wismarienses de prædicto Petro habuerunt, est in proverbium versum, quod festum Sanctorum Martyrum nuncupatur festum Petri Dani in urbe Wismariensi.

Decimo septimo anno Karoli, qui est DN. MCCCLXV. Wilhelmus Dux de Luneburg obiit, secundum Chronicam Saxonum, & quia hæredem propinquum de sanguine suo non habuit, adoptavit, dum adhuc in vita subsisteret in successorem Ducatus sui Magnum Ducem de Brunswic, qui erat natus Dominus de Zangerhusen. Qui quidem Otto (leg. Magnus) post mortem dicti Wilhelmi utrumque Ducatum satis magnanimiter rexit & potenter. Albertus frater Ducis Magni junioris de Zangerhusen factus est Archiepiscopus Bremensis, secundum Chronicam Saxonum. Hic Dominus Albertus perpessus est postea maximam & pudibundam nimis infamiam, ut suo loco patebit. Quidam scholaris erat in urbe Lubicana Nicolaus nomine, qui hospitio receptus erat in platea molendinaria, secundum Chronicam Lubicensem. Hic juvenis quadam die gravatus somno mirabili & inconsueto dormire cœpit, & somnium illud usque in diem alterum continuans, ab incolis domus quasi perditus requisitus est, sed tandem in loco, ubi dormiebat, puta in laqueari supremo domus inventus est. Cumque nec clamoribus nec motione quacunque aut tractu etiam fortissimo excitari potuisset, timentes, ipsum fore extinctum aut suffocatum, circa pectus suum tandem palpantes, manifestis indiciis spiritum vitæ in eo adhuc consistere cognoverunt per cordis motionem & anhelitus sensibile spiramen. Quid amplius? Juvenis ille in tali dormitatione usque ad septennium perdurans, omnes ad ipsum accedentes vertit in stuporem. Sed tandem periodo soporis sui expleta, juvenis evigilavit, nec macrior effectus quam cum obdormisset, ac per longa tempora post cum hominibus conversatus est, dicere non valens, qualiter sibi fuisset. Hoc anno ante obitum Wilhelmi Ducis de Luneburg, de quo supra in principio hujus anni mentio habita est, sedata fuit gwerra diu habita inter Wilhelmum prædictum Ducem & Ericum Ducem de Lovenburg, & hoc per industriam Johannis Comitis de Hoya, secundum Chronicam Saxonum. Accepit namque dictus Wilhelmus Dux filiam Ducis Erici de Lovenburg in uxorem parum ante mortem suam, & restituit ei castrum Erthneburg ac omnem terram, quam vi armorum ei abstulerat. Castrum vero Byegenburg & castrum Gammerort funditus destructa sunt, castrum quoque Ribenburg cum suis attinentiis dedit uxori suæ pro vitalitio postea ad dominium paternum rediturum ea defuncta.

Decimo octavo anno Karoli, qui est Domini MCCCLXVI. Woldemarus Rex Danorum victus formidine Principum jam Regno suo insidiantium propter civitatum donaria multa & magna, & timore infidelitatis suorum ac austeritate civitatum, exivit Daciam, secum ducens magnum thesaurum, secundum Chronicam Danorum, & transiens per Marchiam, spoliatus est

est multis bonis. In Primislavia autem opido aliquamdiu manens, tandem per Saxoniam & Misnam perrexit ad partes superiores Galliæ sub salvo conductu Principum, & pervenit in Avinionem urbem, ubi adhuc curia Papæ residebat, ibique a Domino Papæ honorifice est susceptus, & per collationem rosæ Dominica Quadragesimæ quarta honoratus. Maxima congregatio populi ex omni natione & gente collecti in numero circiter habens XXXM. armatorum venit in Italia, secundum Chronicam Lombardorum. Hic populus Florentiam, Bononiam, Mediolanum, & cæteras urbes fortissimas successive obsedit, & plurimis opidis, munitionibus & castellis destructis, fere totam Italiam & Lombardiam oppressione magna exturbavit. Dominus Ruthenus de Plawis quatuor advocatos suos quatuor castrorum inexpugnabilium in quoddam vetus horreum & desertum intrare coëgit, secundum Chronicam Saxonum. Quibus ingressis, mox ignem domui circumposuit, & illos in ea simul concremavit, eo quod castra illa in manus Dominorum Karoli Imperatoris & Frederici Marchionis Misnæ, quorum exercitus ea obsederant, sine defensione & resistentia resignassent. Quibus castris sic acceptis, Karolus cum toto illo exercitu in Bayoariam processit contra Borchgravium de Nürenberg, qui sibi rebellavit, & plura castra & civitates Imperii violenter detinuit. Quem tandem ad obedientiam & deditionem Imperii coëgit. Puer quidam Johannes dictus venditus Judæis in Goslaria terræ Saxoniæ a quadam vetula urbis illius, secundum Chronicam Saxonum, manibus & pedibus est ab eis truncatus, & tandem extinctus, & sepultus in porta cœli Monasterio Fratrum Eremitarum S. Augustini, in pede Harthonis sito prope opidum Werningrode. Vetula autem illa pessima igne cremata est, & omnes Judæi criminis conscii sunt decapitati & bonis privati per cives urbis prædictæ. Brema civitas Westphaliæ circa mediam noctem sextæ feriæ hebdomadæ Pentecostes tradita est per quosdam suos cives in manus Alberti Archiepiscopi ejusdem Ecclesiæ, & capta est ab eo spoliata, secundum Chronicam Saxonum. Cum autem familiares Episcopi domos mercatorum & pannicidarum deprædarentur, dixit Archiepiscopus ad eos: Numquid socii pars mea in panno est, quem apprehendistis? Tunc unus extrahens quandam peciam tres vel IIII. ulnas continentem, projecit in sinum Archiepiscopi, & dixit: Quia socius estis periculi, merito socius eritis & lucri. Accipite ergo Domine & vos partem spolii in sortem vestram. Post mensem vero, id est Sabbato ante festum Apostolorum Petri & Pauli, de consilio prudentum pariter & auxilio Comitum, puta Conradi de Oldenburg & Ottonis de Delmenhorst recuperata est civitas, & expulsi sunt hostes, traditores vero cives suspensi sunt ante fores domorum suarum.

Decimo nono anno Karoli, qui est Domini MCCCLXVII. Gherardus Episcopus Hildenshemensis durum gessit bellum cum Principibus Ottone Duce de Brunswic, Tiderico Archiepiscopo Magdeburgensi & Alberto Episcopo Halberstadensi, & victoriam a Virgine Gloriosa obtinens Gheardus Episcopus, captivavit Principes supra dictos & plures Nobiles. Albertus autem Episcopus Halberstadensis pulcram fecerat Logicam, cum Doctor esset Parisiensis & Rector. Urbanus Papa cum suis Cardinalibus se transtulit Romam de Avinione post Pascha, cujus præsentia caruerat Romana urbs a tempore Bonifacii VIII. usque nunc, & fluxerunt anni LXV. ut habetur ex Gestis Romanorum Pontificum. Ubi cum esset constitutus cum Karolo Imperatore, ipsum ibidem secundario coronavit in Augustum Romanum. Et tunc magnifice a populo Romano est salutatus, privilegiis eorum antiquis prius per ipsum innovatis & confirmatis. Rex Cypri Johannes expugnavit Tripolim & duas alias civitates a Paganis occupatas, secundum Egghardum, sed reversus in Regnum proprium, a germano suo traditore est interfectus Guntsalvo nomine. Christianus Comes de Aldenburg & Dominus Mauritius Decanus majoris Ecclesiæ Bremensis, secundum Chronicam Saxonum, in profesto B. Praxedis Virginis apud Blexen cum DC. vel amplius armatis a Frisonibus sunt crudeliter interfecti. Gerardus Comes de Mansveld Setichenbeke Monasterium Ordinis S. Benedicti funditus destruxit, & Monachos ejus diversis suppliciis affectos tyrannice interfecit, secundum Chronicam Saxonum; Abbatem vero dicti Monasterii manibus & pedibus ad perticam magnam ligatum inter duos ignes tornari & assari fecit, eo quod Fredericum Marchionem Misnæ cum exercitu suo de obsidione castri & opidi Ysleve redeuntem in suo Monasterio hospitio recepisset & pavisset. Cives Lubicenses gwerram habentes cum Nobilibus & Militaribus de Bükwolde terræ Holtzatorum, eos de terra ejecissent & exterminassent, nisi compositio intervenisset amicabilis, secundum Chronicam Lubicensem. Demoliti tamen sunt durante lite illa plures eorum munitiones, puta Wyddole, Henningstorpe, Snykrode, Swynekule, Schonekamp & Roberstorpe.

Vicesimo anno Karoli, qui est Domini MCCCLXVIII. Otto Marchio de Brandeburg, qui Romulo successerat, secundum Chronicam Saxonum, vendidit Karolo Imperatori Marchiam de Brandeburg pro vili & exili pretio, puta pro urbibus Lanfe & Hersprunk (Lauffet Herspruk) cum adjacenti territorio prope Nurenberg. Quæ quidem terra respectu Marchiæ erat sicut lenticula Jacob ad primogenituram Esau. Alveldia opidum terræ Saxoniæ in die omnium Sanctorum a Duce Ottone de Leyna capitur, secundum Chronicam Saxonum, opidum autem ipsum ad Episcopatum Hildenshemensem pertinebat. Henricus Comes de Honsten cum adjutorio civitatum Erphordiensis, Molhusensis & Northusensis castrum Hansteen expugnare volens plenum raptoribus obsidione vallavit. Otto vero Dux de Leyna licet faveret raptoribus, pro hac tamen vice se indifferentem esse Comiti & civibus supra dictis promittebat, non juvando partem hanc vel illam. Quibus

Digitized by Google

bus ergo expugnationi castri viriliter insistentibus, ipse Dux Otto perperam agens, & fidem præstitam turpiter violans, absque præmonitione in magnam sui honoris jacturam cum collecto populo ex adverso advenit, & in expugnatores castri latrunculorum ipse plusquam latro existens inopinate irruit, & plures ex eis interfecit, cæteros vero omnes captivavit, & secum in opidum Gotingense introduxit. Occubuit autem in hac pugna Henricus Comes de Honsteen. Civitates vero prædictæ terræ Thuringorum usque in diem hodiernum infortunium illud non recuperaverunt. Conradus Comes de Aldenburg una cum Comitibus de Delmenhorst & de Deſhold cæterisque Militibus & Militaribus multis, se vindicare cupientes de Frisonibus ob interfectionem Christiani Comitis de Aldenburg & Mauritii Decani Bremensis præcedenti anno factam, intraverunt Frisiam ad septentrionalem plagam versus opidum Norden, ipsum demoliri tentantes incendiis & deprædationibus. Sed Frisones ipsi mox conglomerati, hostibus manu violenta occurrerunt, & commisso cum eis duro bello, secundum Chronicam Saxonum, victoria iterum potiti sunt, & interfecerunt de Westphalis circiter quingentos milites & militares, solum tribus Frisonibus peremtis. Congregatio maxima civitatum de Anza facta est in urbe Coloniensi, secundum Chronicam Lubicensem, ubi omnes illæ civitates conspirarunt contra Woldemarum Regem Danorum ad resistendum ei & suis auxiliatoribus, qui jam Regno pulsus apud Principes diversos erat, & eos contra civitates prælibatas concitabat. Quidam Begghardus in urbe Erphordensi terræ Thuringorum crematus est, secundum Chronicam Saxonum, eo quod quandam puellam nudatam & procumbentem ad jussum suum sub spe promissæ sanitatis a retro more Canis voluisset cognoscere, cujus clamore dictus nequam comprehensus est.

Vicesimo primo anno Karoli, qui est Domini MCCCLXIX. Cives Magdeburgenses contumeliose poni fecerunt Decanum majoris Ecclesiæ suæ per suspensorem & alios viros viles & contemtibiles ad publicum cippum civitatis, secundum Chronicam Saxonum, & post hoc ipsum perpetuo proscripserunt, pro eo quod rogatus & vocatus contemsit ad eos venire. Pro eodem tempore cives Berlinenses ceperunt Notarium Archiepiscopi Magdeburgensis Tiderici, cum ibidem esset cum Duce Saxoniæ de mensa Dominorum suorum, & ipsum decapitaverunt, ex eo quod vadens ad balneum, unam pulcram Dominum sibi occurrentem salutasset & solicitasset plus placito ad secum balneandum. De quibus factis utraque civitas postea usque ad satisfactionem congruam angustatæ, multa incommoda sustinuerunt. In Northusensi urbe Thuringorum deprehensi sunt ultra XL. homines utriusque sexus in hæretica pravitate infectæ, secundum Chronicam Saxonum, de quibus VII. impœnitentes cremati sunt, alii vero ab erroribus resilientes pœnitentiam susceperunt ab inquisitore hæreticorum Magistro Waltero Ordinis Prædicatorum Fratre. Pro eodem tempore circa festum Purificationis, præcipiente Domino Urbano Papa, & cooperante Karolo Imperatore, secta Beggardorum & Begwinarum ac Swestrionum persecuta est & damnata ac valide impugnata ubique in Alemannia, de quibus quidem duo in Erphordia in pertinacia sua obdurati, per prædictum Inquisitorem Magistrum Walterum Kerlinger sunt combusti, alii vero & aliæ quamplures publicam peregerunt pœnitentiam, sectam cum erroribus abjurantes. Karolus Imperator exercitum congregavit LXXM. pugnatorum, secundum Chronicam Romanorum, cui Papa in auxilium destinavit XXXM. ad impugnandum Barnabo Dominum Mediolanensem. Hic exercitus grandem patiebatur molestiam a solis ardore, & nimiam sustinuit penuriam in aquis recentibus & victualibus hominum & jumentorum, & ideo libentissime pugnassent cum hostibus, ut vel sic eorum calamitas citius terminata fuisset, quia vix tot occisi fuissent in prœlio, quot inedia & fames absumsit. Sed Karolus, proh pudor! corruptus a Mediolanensi Domino per oblationem thesauri maximi pugnare recusavit. Unde recedens cum suo exercitu, Papales in illis miseriis reliquit. Civitates de Anza post fugam Woldemari Regis Danorum de Regno suo, & post confœderationem factam in Colonia inter civitates prædictas, secundum Chronicam Danorum, Daciam cum fortitudine intrarunt. Ubi soli Lubicenses mille & DC. armatos habuerunt in suis expensis. Et expugnationibus castrorum viriliter insistentes, pro primo Copenhaven castrum fortissimum vi ceperunt. Duces autem totius hujus exercitus fuerunt venerabiles viri Everhardus Mürman & Godscalcus de Attendorn Lubicensis urbis Consulares. Capto autem Copenhaven castro principali Regni Danorum, ad alia castra impugnanda se contulerunt, & primo Helsingore, deinde Nycopinge, Valsterbode, Schonöre & Alsholm expugnantes, damna maxima incendiis, cædibus & deprædationibus Danis ipsis intulerunt. Proceres autem & Nobiles Regni Danorum videntes, se non posse resistere virtutibus civitatum, placita cum ipsis pacifica fieri statuerunt. Et ut ab ulteriori devastione Regni desisterent, obtulerunt eis terram Schaniæ ad annos XVI. possidendam cum omni jure, obventionibus & derivaminibus, in recompensationem damni, quod Rex eorum mercatoribus intulisset. Quibus annis excursis, civitates prælibatæ terram Schaniæ liberam Regi & Regno resignare deberent cum suis attinentiis & juribus, cum quibus eam in refusionem damnorum suorum acceperant. Quam pactionem cum civitates acceptassent, & ipsa sufficienter jurata & sigillis firmata fuisset, exercitus urbium prædictarum ad propria est reversus. Quidam honorabilis vir civis urbis Lubicensis - - - - Murkerke dictus, reditus habens annales & villas in terra Holtzatorum sub dominio Nobilium de Bökwolder, censum suum extorquere non poterat de villanis Nobilium prædictorum, eo quod ipsi Nobiles defensare niterentur rusticos illos in sua protervia contra civem prænominatum. Qui tandem cum adjutorio

torio concivium suorum bona villanorum illorum violenter invasit, & pignora sufficientia de equis, vaccis & pecoribus ac supellectilibus pro suis censibus injuste detentis rapere conatus est. Quod percipientes Nobiles supra dicti Bökwoldere, cum suis conglobati, in insidiis se locaverunt, & civem ante dictum Murkerken comprehendentes, captivum secum duxerunt, & in vincula conjecerunt, affligentes ipsum pœnis variis & tormentis. Nam ad chordas ipsum trahentes, in faciem ejus conspuebant, pilos capitis & barbæ suæ evellebant, ac plura alia opprobria ei inferebant. Ex quibus tandem vexationibus & cruciatibus nimis fatigatus & debilitatus, mortis infirmitatem incurrebat. Datus tandem libertati ad tempus sub tali pacto, ut in termino sibi assignato aut vivus vel defunctus per Lubicenses dictis Nobilibus restituatur, infra quod tempus in Lubeke per amicos refocillari & recreari conabatur. Attenuatus tamen & debilitatus in tantum fuerat in suppliciis illatis, ut die statuto accedente, quo præsentandus fuisset, ipse diem clauderet extremum. Quem cum amici sui sic defunctum inferrent, ut spoponderant, ipsi Nobiles Bökwolder mortuum virum decapitaverunt tanquam raptorem, & ipsius caput in despectum civitatis prælibatæ in pertica quadam levaverunt, ac coram villa, de qua pignora juste tulerat, locaverunt. Quorum contumeliam Lubicenses ægre ferentes, cum tota eorum potentia exierunt, & munitiones omnes dictorum Nobilium expugnantes solo æquaverunt, rapientes omnia in eis inventa, & interficientes plures. Nomina autem dictarum munitionum destructarum supra posita sunt (sub finem anni 1367.), in quo anno factum istud contigisse dicitur. Nicolaus Bruscowe civis Lubicensis propter quasdam literas contra ipsum scriptas per aliquos de Consulatu urbis prædictæ, secundum Chronicam eorundem, desperate agens, chorum Ecclesiæ B. Virginis est ingressus, & Consules civitatis ejusdem in suis stallis stantes, & divina audientes hostiliter invasit, interficiens quodam cultello ad hoc assumto Dominum Bernhardum Oldenburg, & alios duos se capere volentes vulnerans. Apprehensus tamen est dictus Nicolaus a satellitibus Consulatus in ipsa Ecclesia, & projectus in vincula, ac die alia rotatus & divisus in IIII. partes. Lithuani cum maximo populo intrarunt Prutziam, & ibidem expugnaverunt tria castra, atque incinerarunt eadem, abducentes omnes in eis inventos gladiis nondum peremtos, secundum Chronicam Lubicensem. Inde vero recedentes, intraverunt Mazoviam, & obsidentes urbem Poethos, expugnaverunt eam, ac interfecerunt quodlibet vitam habens humanam. Prutheni autem interim castrum Godeswerder construxerunt. Quod Lithuani percipientes, ipsum obsederunt, & expugnatum ceperunt, roborantes ipsum copia armatorum. Sed Fratres de Domo Teutonica in hyeme proxima dictum castrum vi obtinuerunt, & CCC. Lithuanos in eo repertos interfecerunt. Herbipolis urbs solennis ab Alberto Episcopo suo proprio gravi obsidione vallata est, secundum Egghardum, & vineæ undique conculcatæ sunt & destructæ Propter quod cives ad intra exacerbati totum Clerum demtis solis Religiosis expulerunt, & curias ac domos Sacerdotum spoliantes incenderunt. Sed datis tandem magnis pecuniis per cives omnia sopita jurgia & pacificata litigia utriusque partis.

Vicesimo secundo anno Karoli, qui est Dn. MCCCLXX. Urbanus Papa a Roma reversus in Avinionem, mox intoxico expeditus periit, & sanctus vir a pluribus est reputatus propter virtuosæ vitæ insignia.

De Gregorio XI. PP. CCIX.

Gregorius Papa, natus de terra Lemovicensi ex patre Nicolao, sedit annis VII. & diebus XXII. ut habetur ex Gestis Romanorum Pontificum. Hunc Papam quidam autumat fuisse de Ordine Fratrum Minorum, sed false, secundum Egghardum, decepti forte in hoc, quod sepeliri fortassis voluit in habitu dicti Ordinis, prout Magnates Italiæ & Prælati magni quamplures in habitibus Religiosorum sepulti dinoscuntur. Fratres de Domo Teutonica & quamplures Principes cum suis exercitibus conflictum habuerunt cum Paganis in Rudowe prope Koningesberg, secundum Chronicam Lubicensem, & Christiani triumpho a cœlo potiti interfecerunt innumerum populum barbarorum. Marscalcus autem Fratrum de Domo Teutonica cognomento Schumekop ibidem cum paucis est interfectus. Pestilentia permaxima civitates maritimas & præsertim Lubicanam urbem vastavit parum minori strage quam fecerat epidimia generalis ante XX. annos, secundum Chronicam Lubicensem. Ericus junior Dux Saxoniæ de Lovenburg, defuncto patre suo, secundum Chronicam Saxonum, in Kalingburg Regni Danorum & sepulto apud Fratres Minores ibidem, accepit in uxorem filiam Magni Ducis de Brunswic, qui successit Ottoni. Huic etiam Magno homagium fecerunt & Luneburgenses, eo quod Wilhelmus Dux eorum defunctus sine hærede masculino, ipsum in filium & successorem suum adoptasset, contra voluntatem tamen Karoli Imperatoris. Assumtus ergo Magnus Dux de Brunswic in tutorem & Dominum Ducatus Luneburgensis, terram Alberti Ducis Magnopolensis infestare cœpit. Albertus vero Dux insultum Magni Ducis ægre ferens, exercitum coadunavit, & prœlium cum ipso aggressus, in campo ipsum vicit, & de exercitu Magni circa DC. captivavit. Ipse vero Magnus Dux cum paucis vix evasit, & postea amicos suos, quos amiserat, cum VIM. marcarum argenti puri a captivitate redimere coactus est. Quam quidem pecuniam a civibus Luneburgensibus extorquere nitebatur, cujus orbis tutor & Dominus factus fuerat. Quod audiens Karolus Imperator, mandavit omnibus civitatibus & Nobilibus Ducatus Luneburgensis, ne sibi obedirent, sed Alberto filio Rodolfi Ducis Saxoniæ filii filiæ Ducis Wilhelmi quondam Ducis Luneburgensis defuncti, quem eis pro vero hærede & Domino assignavit. Qui mox receptus a Luneburgensibus & Nobilibus dicti Ducatus, Magno Duci de Brunswic viriliter repugnavit, & in

Digitized by Google

& in curia Imperatoris per judicialem sententiam contra ipsum Magnum obtinuit, quod ipse declarabatur Ducatum Luneburgensem in præjudicium Ducis Saxoniæ & Sacri Imperii injuste occupasse, nec aliquod jus hæreditarium ad ipsum habere aut habuisse. Karolus Imperator & Rex Bohemorum Philippum Ducem Austriæ sibi rebellantem subjugare satagens, exercitum copiosum contra ipsum collegit, secundum Chronicam Saxonum. Cui in occursum veniens Philippus Dux cum XVIIIM. armatorum Imperatori timorem incussit, vincens multitudine exercitus sui furorem Imperatoris. Cumque Karolus virtute armorum adversarii sui audaciam reprimere non valeret, ad innatam & sæpius practicatam fraudulentiam recurrens, astutia & dolo ipsum superare tentavit. Unde missis nunciis, secreto vocavit pacifice potiores tres exercitus Ducis Philippi, quasi tractaturus cum eis de concordia. Quibus venientibus promisit LXM. florenorum, ut ordinarent Domini sui Ducis recessum, & sibi timorem incuterent, ut formidine pulsus fugeret. Quam pecuniæ summam tres illi Milites acceptantes, fugam Domini sui, ut Imperator optabat, se practicaturos spoponderunt. Reversi ergo in castra Ducis Philippi, dixerunt Domino suo: Nos ad explorandam Imperatoris aciem sub habitibus ignotis venimus in castra inimicorum, & recensentes exercitum, reperimus ipsum in duplo & amplius fortiorem nobis. Quare omnibus modis tuæ & nostræ saluti consulimus, ut furori Cæsaris cedamus recedendo ab hoc loco. In proximo enim est, ut super nos irruat, & omnibus nobis interemtis, dominetur omnium, quæ nostra sunt. Animosus enim Princeps est & innumerabili armatorum cinctus multitudine. Hæc cum Dux audisset a viris famosis & fortibus, consternatus animo, & exhortationibus tantorum virorum contradicere non audens, exercitum movit, & cum suis terga dedit. Quod intelligens Imperator, insecutus est Ducem viriliter, plures de fugientibus capiens, & multos interficiens. Philippus tamen cum majori parte exercitus sui munitiones proprias apprehendit. Peracto autem hujus traditionis malo, tres illi proditores curiam Imperatoris pro mercede iniquitatis solvenda visitantes & sublevanda, recepti sunt cum solennitate magna & honore, refectisque eis, Karolus cuilibet eorum solvit XXM. florenorum Bohemicalium singulariter ad hanc solutionem fabricatorum, quorum quilibet grossum non valuit. Recepta autem pecunia, traditores ad propria sunt reversi. Cum dicti Milites florenos a Karolo Imperatore receptos expendere inciperent, inventi sunt falsi & quasi nullius valoris esse. Quod ut milites viderent, & deceptos se cognoscerent, Imperatoris præsentiam iterato repetentes, causati sunt, se fore trufatos per falsam Regis monetam. Quibus Imperator ait: Recedite a facie mea perfidissimi homines, & proprii Domini vestri traditores: pecuniam vestris operibus condignam recepistis; nec audeat aliquis vestrum inposterum se nostris aspectibus præsentare, alioquin vestris actibus dignam impendam recompensationem. Quibus auditis, traditores timentes confusi ad propria redierunt.

Vicesimo tertio anno Karoli, qui est Domini MCCCLXXI. Cives de Luneburg conspirantes ad invicem contra Magnum Ducem de Brunswic, tutorem suæ civitatis, propter quasdam insolentias & oppressiones contumeliosas a suis in civitate factas, ac alia plura gravamina sibi malum intentabant. Et licet prædictum Albertum filium Rodolfi Ducis Saxoniæ in Dominum acceptassent jam, ut dictum est anno præcedenti immediate, tamen hic Magnus violenter castra Ducatus tenebat vigore tutoriæ, & se pro Domino Luneburgensi gerebat. Magno igitur Duce in castro Tzelle constituto, nocte præcedente vigiliam Purificationis Virginis Gloriosæ, per nuncium fidelem & expeditum pacem Duci prædicto literatorie interdixerunt. Nuncius autem ille quam cito literam interdictionis Duci Magno præsentasset, negotium se expediturum in opido fingebat, & mox equum ascendens, celerius quo potuit versus Luneburg festinavit, tribus equis per viam illam cursitando interfectis. Perspecta litera Dux Magnus mox famulum misit, qui per noctem illam laborans equitando, quasi in aurora ad urbem pervenit. Ante illius tamen noctis vigilias sive vesperas, quæ fuit vigilia Purificationis, cives quasi oraturi & vesperas audituri, ut consueverant, castrum ascenderunt, & sub mantellis arma ferentes, portam veri castri apprehenderunt, & portarium mox interficientes, ad interiora castri venerunt, Sigibandumque Militem Capitaneum Ducis eis insultantem straverunt, & totam familiam castri ejecerunt. Religiosos quoque & Scholares in Monasterio castri divina celebrantes omnes removerunt, & ipsum castrum fortiter munierunt. Cumque nuncius missus a Duce prope castrum venisset nocte, & custodes inclamaret, respondit unus de civibus, quid sibi hoc vellet, quod sic intempestæ noctis venisset. Ait nuncius: Dic Domino Sigibando Militi, quod caute vigilet, & castrum custodiat, quia cives de Luneburg pacem Domino Duci interdixissent, & inimici sui facti essent, ac ipse Dux proxima die sibi indubitanter subventurus esset in manu valida armatorum. Cui inquit civis: Accipe tecum, virorum vilissime, lapidem hunc ad deferendum Domino tuo Duci. Et emisit mox lapidem de bumbarda cum sonitu terribili. Quod audiens famulus, clamavit dicens: Heu perdita est corona Ducatus de Luneburg! Et sic vociferans abscessit. Accedentes autem cives, impetuose & sine mora castrum destruxerunt, & Monachis, qui in eo Monasterium habuerant, locum intra urbem pro novo cœnobio ædificando consignaverunt. Quo facto, Albertus filius Rodolfi Ducis Saxoniæ, cui Imperator Ducatum Luneburgensem adjudicaverat, intravit urbem Luneburg. Cui mox cives homagium fecerunt, & major pars Procerum terræ. Qui statim transtulit se cum exercitu suo ad opidum Wynsen, & ipsum expugnavit, deinde castrum ipsum obsidione vallavit. Sed Magnus Dux de Brunswic veniens cum maxima multitudine armatorum, Albertum coegit

Digitized by Google

egit ad obsidionis solutionem. Eodem autem anno Albertus Dux Saxoniæ & Luneburg vallavit castrum Lowenrode prope Honnover urbem situm, & ipsum expugnavit & funditus destruxit. Dominus Johannes de Homburg Baro & Sifridus de Salderen Nobilis cum exercitu collecto virorum strenuorum numero circiter DCC. armatorum, venerunt prope urbem Luneburg in nocte XIM. Virginum, civibus dormitantibus & nihil mali suspicantibus. Et ascendentes murum civitatis cum scalis gracilibus ad hoc aptis, ante auroram diei clam urbem intraverunt, secundum Chronicam Saxonum. Expergefactis autem civibus vel ex sonitu armorum aut aliunde, tumultus factus est in urbe. Sed quidam Nobilis ex vasallis civitatis Helricus Wesenberg dictus cives compescens, ne præcipitanter agerent, placitare cœpit cum hostibus, & colloquia pacis habere cum eis ex industria, ut sic interrupto hostium impetu & tardato insultu, cives ad bellum se armare commodosius valerent & convenire. Quibus sic placitantibus, intellexit dictus Henricus, burgenses præparatos ad pugnam. Unde dixit inimicis: Vadam ad cives & per nos conclusa eis insinuando pacem facere tentabo. Ad quos cum pervenisset, ad pugnandum ipsos animavit. Unde cives conglobati & animosi effecti, impetum in hostes viriliter fecerunt, & auxilio divino accedente eos vicerunt, multos interficientes, & cæteros captivantes. Ibidem enim interfectus est Sifridus de Zalderen & multi alii Nobiles. Captivatus quoque est Dominus Johannes de Homburg Capitaneus exercitus illius cum cæteris multis. Et postea decollati sunt plures de eis, qui in libro civitatis inventi sunt proscripti, cæteris exactionatis & pro eorum pecunia redemtis. Cum autem investigarentur singulorum nomina ad experiendum, quis eorum proscriptus esset, unus eorum quæsitus cognomen extraneum valde finxit, ut evaderet mortem, dicens Dunnescheten Erwete vocor. Cujus cognomen tam turpe & abominabile audiens judex, quasi indignando dixit: Tollatur omnino ille garsio de mundo cum pudibundo nomine: nauseam mihi fecit in ferculo, quo vesci frequenter delectabar. Et sic cum aliis plexus est capite, mortem ex eo incurrens, per quod salvari sperabat. De tempore hujus facti quidam Metrista fecit hos versus:

Anno milleno, C ter uno septuageno,
Nocte puellarum monos & data mille sacrarum,
Muros conscendunt, Luneburg subvertere tendunt:
Sic occiduntur, velut in sacco capiuntur.

Circa tempus carnisprivii commissum est prœlium maximum inter Lithuanos & Fratres de Domo Teutonica prope villam Rudowe juxta opidum Koningesberge. Ubi occubuit Marscalcus terræ illius cognomento Schumecop cum ducentis Fratribus suis, Lithuani vero & Rutheni ibidem sine numero perierunt; de qua strage quidam versificator hæc fecit metra:

Annis M tria C uno juncto septuaginta
Exurge quare prope Rudoweque notare,
Schumekop Marscalcus tunc ruit ense necatus,
Cum famulis Milites duo C pariter quoque Fratres.
Certus Lethwinis abest numerusque Ruthenis,
Et qui fugerunt, geluque fame perierunt.

Grande prœlium commissum est prope opidum Guleke a Ducibus Brabantiæ & Juliacensi secundum Chronicam Francorum. Duci namque Brabantiæ fuit auxilio Comes S. Pauli cum multis Flamingis, & Duci Juliacensi astitit Dux Gelriæ cum Westphalis multis & Hollandrinis. Et victor effectus est Juliacensis, & cepit Ducem Brabantiæ, Comes autem S. Pauli ibidem occubuit gladio hostili interemtus, & multi Nobiles ex utraque parte perierunt, Dux quoque Gelriæ graviter vulneratus extitit sagitta in capite fixa, ut vulgabatur, a proprio satellite. De hoc triumpho Dux prædictus Juliacensis valde ditatus est & sui hæredes & successores. Albertus Dux Magnopolensis durum certamen certavit cum Bugslao Duce de Wolgast & Warslao Duce Stetinensi prope villam Damgarde, cujus belli victoriam Albertus Dux obtinens, secundum Chronicam Obotritorum, cepit Duces prædictos & Wydekinum Buggenhaghen Militem cum multis Nobilibus, Militibus & Militaribus, interfectis non paucis ex utraque parte. Interim autem cum ibidem Albertus Dux in expeditione illa occuparetur, Magnus Dux de Brunswic cum multis Nobilibus & exercitu valido ab alia parte Ducatum Magnopolensem per Albiam est ingressus, & duro prælio cum quibusdam militaribus & civibus ad custodiam patriæ relictis commisso, victus est a dictis Magnopolensibus, pluribus interfectis & non paucis ad naves fugientibus cæterisque captivatis. Ibidem etiam duo Comites de Deshold capti sunt, Magno Duce cum paucis vix elapso. Albertus Dux Saxoniæ & Luneburgensis expugnavit Pattenhusen castrum, & ipsum munivit suis viris armatis, secundum Chronicam Saxonum.

Vicesimo quarto anno Karoli, qui est Dn. MCCCLXXII. Magnus Dux de Brunswic & Otto Comes de Schowenburg præliati sunt in myrica Luneburgensi contra invicem bello durissimo, secundum Chronicam Saxonum, & interfectus est ibidem Magnus Dux cum multis auxiliatoribus suis, Otto vero Comes victor effectus cum triumphali gloria ad propria est reversus, ducens secum captivos multos & pingues. Quo prœlio commisso in die B. Jacobi Apostoli, placitatum est per Nobiles & Proceres utriusque Ducatus Brunswicensis & Luneburgensis inter Albertum Ducem Saxoniæ filium Rodolfi & filios Ducis Magni noviter interfecti, & conclusum est ab utraque parte pro conservatione pacis & amicitiæ perpetuæ, quod Albertus Dux, cui dudum Ducatus Luneburgensis adjudicatus extitit per Karolum Imperatorem, acciperet in uxorem relictam Magni Ducis. Et hoc factum est, & per hoc matrimonium omnis displicentia & controversia inter prædictos Ducatus & eorum Duces diu habita sopita est ex integro & terminata. Prædictus autem

Digitized by Google

autem Dux Magnus occisus de Zangerhusen natus susceperat de prædicta uxore sua jam relicta quatuor filios, quorum genealogia, ut plenius cognoscatur, est advertendum, quod Otto Dux de Brunswic & Luneburg, de quo supra Anno Domini MCCLIII. dictum est, cum esset in procinctu adeundi curiam Principum in Frankenford, quam Wilhelmus Romanorum Rex statuerat Principibus, subtractus est ab hac luce in die SS. Primi & Feliciani, relinquens post se quatuor filios, puta Albertum, Johannem, Conradum & Ottonem. Albertus autem senior successit patri in Ducatu, Conradus factus est Episcopus Verdensis & Otto Episcopus Hildenshemensis. Et sic manserunt soli hi duo fratres seculares Albertus scilicet & Johannes. Tunc hi duo de consilio Ottonis Marchionis de Brandeburg avunculi eorum Ducatus de Brunswic & Luneburg diviserunt inter se, ita ut Albertus, qui major erat natu, obtineret Brunswic & Johannes Luneburg cum civitatibus, castris, villis ac vasallis ad partem suam deputatis. Post hujusmodi autem divisionem Dux Johannes de Luneburg genuit illustrem Principem Ottonem Ducem, cui Lodowicus Rex Romanorum Mechtildem sororem suam matrimonio copulavit, de qua idem Otto genuit nobiles Principes Lodowicum Episcopum Myndensem & Ottonem ac Wilhelmum fratres, qui, heu, sine hæredibus decedentes, reliquerunt Ducatum in manibus filiorum Alberti Ducis de Brunswic fratris Johannis ante dicti. Et primo venit in manus Lodowici filii Ducis Magni senioris de Brunswic, cui Wilhelmus Dux filiam suam ex Apostolicæ Sedis dispensatione desponsavit, & tandem matrimonio copulavit. Deinde vero Lodowico prædicto sine hærede decedente, pervenit Ducatus ad fratrem suum Magnum juniorem dictum de Zangerhuzen, qui ex supra dicto Alberto Duce fratre Johannis Ducis ante dicti de Luneburg procreati sunt. Postea vero sæpe dicto Magno Duce juniore cognomento de Zangerhusen fratre prædicti Lodowici Ducis adhuc vivente, ex procuratione, ut dicitur, civium de Luneburg, ad Albertum Ducem Saxoniæ filium Rodolfi, supra dicti Wilhelmi nepotem devenit. Deinde ipso Duce Alberto sine hærede migrante, ad Wenzlaum Ducem patruum ipsius Alberti pervenit. His duobus ultimis Ducibus Alberto scilicet & Wenslao, Karolus Imperator Ducatum Luneburgensem tanquam ad Romanum Imperium devolutum legitime concesserat & donaverat, & ambo miserabili morte obierunt sine hæredibus. Alberto namque crus integrum per machinam avulsum est in obsidione castri Rigling, & mortuus est, ut suo loco patebit. Wenzlaus vero intoxico periit, & sepulti sunt ambo in Luneburg. Et sic iterato Ducatus de Luneburg ad filios præfati Magni junioris de Sangerhusen devolutus est. Qui filii quatuor fuerunt puta Fredericus, Bernhardus, Henricus & Otto. Otto autem factus est Archiepiscopus Bremensis, & Fredericus Dux de Brunswic. Bernhardus vero & Henricus aliquamdiu quasi exilium passi, eo quod Luneburgenses eos in Dominos acceptare nollent, tandem ex divina ordinatione de eis victoriam obtinentes, ad possessionem dicti Ducatus pervenerunt, ut infra patebit, & post eos filii eorum.

Vicesimo quinto anno Karoli, qui est Dn. MCCCLXXIIII. Civis quidam urbis Lubicanæ nomine Johannes Tramme Dominum Bertramnum Episcopum Lubicensem ex parte materteræ suæ viduæ sæpius monuerat pro quibusdam reditibus annualibus exsolvendis per ipsum, sed in nullo profecerat. Tandem vero tædio victus, de jussu Domini Jacobi Plescowen Burgimastri ad curiam dicti Domini Episcopi Coldehof nuncupatam, parum ab urbe prædicta distantem accessit, secum ducens XII. cives ejusdem civitatis secundum Chronicam ejusdem, & pro pignore dictorum redituum solvendorum quædam jumenta apprehendens, in urbem Lubicensem deduxit. Quam inpignorationem factam cum Episcopus percepisset, querimoniam contra dictum civem deposuit ad Consulatum civitatis, & ipsum ut violatorem pacis juratæ accusavit. Comites etiam Holtzatorum, in quorum terra hoc factum contigit, consimiles querelas fecerunt dicto Consulatui, petentes justitiæ complementum fieri. Consulares autem civitatis videntes serium Comitum de Holtzatia, & timentes occasionem ministrare eisdem malignandi, omnes cives, qui inpignorationi prælibatæ interfuerant, suspendio adjudicaverunt, & singulos patibulis novis præparatis appenderunt. Proconsul autem ille Jacobus Plescowe, qui suum consensum dederat ad pignus illud auferendum, licentiam dedisse omnino negabat. De quo quidem facto civitas universa non modicum fuit turbata. Accidit autem non diu post, quod quidam Nobilis Holtzatus Henningus de Hadelen dictus spolium in civem quendam Lubicensem committeret. Quo percepto, Consulatus mox misit ad Comites terræ illius, petens justitiam fieri de raptore suo, qualem & ipsi fecissent eis de civibus suis. Qui responderunt nunciis civitatis: Si cives vestræ civitatis crescunt vobis in arboribus, poteritis facere cum eis, quod libuerit; nostræ vero terræ homines in maximis educantur laboribus & sumtibus, & ideo non possumus nec volumus eos tam faciliter destruere. Et quasi confusi nuncii recesserunt. Consulares urbis Coloniensis quendam lanificem maleficum judicantes condemnarunt ad mortem, secundum Chronicam Francorum. Quod cæteri lanifices audientes, conglobati cum aliis mechanicis, in duas turmas se diviserunt. Quarum una turma accedens, violenter damnatum hominem rapuit de manibus lictoris; alia vero turma consistorium adiens, consulares illos interficere studuit. Consules autem insultum communitatis videntes, amicos suos mercatores & alios viros honorabiles vocaverunt. Quorum auxilio animati Consules, turmæ, quæ ipsos invadere nitebatur, obviam venerunt, & cum ipsis prælium agentes durum, cunctos occiderunt. Accelerantes vero ad secundam turmam, eam extra valvam urbis fugere compulerunt, & claudentes portas civitatis, omnes

Digitized by Google

omnes illos proscripserunt, & bona eorum in utilitatem urbis converterunt.

Vicesimo sexto anno Karoli, qui est Domini MCCCLXXV. Cives de Brunswic insanientes & furibundi effecti manus suas cruentas in suum jecerunt Consulatum, aliquos decapitando, & alios gladiis & fustibus mactando, ac plures de civitate fugando, persequentes omnes, qui de eorum progenie erant, secundum Chronicam Saxonum. Insuper velut homines brutales omni ratione carentes, cellaria civitatis intraverunt, & vasorum vasa excutientes, vina & cerevisiam in terram profluere fecerunt, ac domos Proconsulum & Consulum ingredientes rapuerunt omnia in eis inventa. Unum vero Burgimagistrum quasi decrepitum Tylonem de Damme pingvem & impotentem per urbem contumeliose traxerunt, & ad medium fori cum eo pervenientes, ipsum super quandam sedem locaverunt, eo quod præ senio & gravedine corporis in genibus stare non valeret, & sic ipsum decapitaverunt. Cæterum quod omnia hæc mala superabat, consimilem crudelitatem fieri in aliis Saxoniæ urbibus cupientes per communitates, literas ad communes civitatum circumquaque destinaverunt, conquerendo de irrationabili & importabili gravamine exactionis & de tyrannico regimine sui Consulatus, quibus jamdudum sua communitas fuisset gravata & tribulata. Quæ quia diutius tolerare non poterant, idcirco coacti fuissent hoc malum attentare, licet invite fecissent. Quorum malitiam & intentionem perversam civitates de Anza attendentes, dictam urbem proscripserunt, & communicatione anzæ privaverunt. Sed communes dictæ urbis Brunswicensis hunc pœnam parvipendentes, Consulatum novum elegerunt de mechanicis & manualibus officiis, & regimen antiquum & laudabile meliorum urbis ex toto exterminaverunt. Comites de Deshold & quamplures alii Nobiles numero circiter quingenti opidum Aldenburg in confinibus Frisiæ situm nocturno tempore capere tentaverunt. Unde murum opidi scandentes, versus castrum urbem antiquam ingressi sunt. Quorum strepitum quidam in taberna taxillis ludentes cum percepissent, hostes adesse mox clamarunt. At unus eorum ad nolam currens, signum dedit ad arma fore accelerandum, secundum Chronicam Saxonum. Ad cujus pulsum cives confestim excitati in utraque urbe supra domorum suorum ascenderunt tecta, & lapidibus avulsis, progressum eorum in tantum impediverunt jacturis fortibus, quod burgensis interim conglobati posse recuperabant ad expellendum inimicos de urbe. Quo facto, cum uterque exercitus in campo plano convenisset, aciebus ordinatis, congressio agminum facta est, & utrobique acriter pugnatum est. Sed tandem cives victores effecti Comites interfecerunt cum multis aliis. Decanus vero Bremensis captus est cum pluribus Nobilibus, & Conrado Comiti de Aldenburg præsentatus, qui ipsum castigando in cippo docuit ire ad chorum.

Vicesimo septimo anno Karoli, qui est Dn. MCCCLXXVI. Consulares urbis Northusensis terræ Thuringorum in die S. Valentini Martyris a communitate sua capiuntur & incarcerantur, secundum Chronicam Saxonum, & in sequentis noctis medio fere omnes decollantur. Hoc autem malum ortum habuit a Brunswicensibus, qui præcedenti anno exemplum præbuerant insurgendi contra rectores suos. Qui autem de Consularibus manus homicidarum evaserant, proscripti sunt, & exilio perpetuo damnati cum uxoribus & filiis suis, ac omnibus bonis suis privati. Albertus Archiepiscopus Bremensis frater Ducis Magni de Brunswic turpissime infamatur & accusatur per Dominum Johannem Decanum suum cognomento de Cestersfled postea Episcopum Verdensem tanquam hermaphrodita habens utriusque sexus genitalia, & quod muliebribus utatur ad libitum. Ob hanc, inquam, infamationem tam abominabilem & tanto viro multum verecundam, secundum Chronicam Saxonum, dictus Princeps examinatus est in urbe Hammeburgensi præsentibus multis Nobilibus, Prælatis & Burgimagistris civitatum Lubicensis, Bremensis & Hammeburgensis, & inventus est judicio omnium prædictorum vir perfectus & expers impositi defectus. Sed quia ut adversarii sui objurgabant, talis examinatio non fuit facta via & ordine juris servatis, idcirco compulsus est per eundem infamatorem pudibundum & suos complices altera vice in alio loco tam inhonestam subire inquisitionem. Quæ quidem sequenti anno facta sunt in urbe Sundensi coram venerabilibus Episcopis Zwerinensi & Oziliensi, vocatis ad hoc in testimonium præsentibus Notariis publicis, Prælatis & Religiosis dictæ civitatis, & iterum ibidem inventus est innocens tam malitiosæ impositionis. Karolus Imperator sequenti die XIM. Virginum venit in urbem Lubicensem cum uxore sua & multis Principibus, & receptus est a Clero & civibus in gloria & solennitate maxima, secundum Chronicam Lubicensem. In ipsius autem comitiva extiterunt hi Principes, Fredericus Archiepiscopus Coloniensis, Albertus Dux Magnopolensis, Albertus Dux Luneburgensis, qui tunc infeodatus est ab Imperatore de Ducatu Luneburgensi, Otto Marchio Brandeburgensis, Wilhelmus Marchio Misnensis, Jodocus Marchio Moraviæ, Henricus & Nicolaus Comites Holtzatorum, Guntherus Comes de Rupin, & plures alii Barones, milites & militares. Mansit autem dictus Imperator per X. dies in Lubeke in gravibus expensis dictæ urbis. Cumque civitatem ingredi deberent, primo capellam B. Gertrudis intrans una cum consorte sua Imperatrice, ibidem se induerunt imperialibus ornamentis, fastu regio se decorantes. Quibus dispositis ad ingressum urbis, ascenderunt equos magnos & fortes, & introducti sunt in urbem alternatim sub papilionibus. Frænum autem caballi Imperatoris duo Burgimagistri manibus tenebant, ex utroque latere equi gradientes pedestres. Ambulatorem vero Imperatricis freno regebant duo Consulares, & quatuor domicelli civitatis papilionem cujuslibet deferebant. Quilibet tam de Consularibus quam de Domicellis vel auro aut argento insignitus

Digitized by Google

gnitus copiose secundum status & conditionis suæ exigentiam, sub cujus umbra incedentes urbem sunt ingressi. Porro ante Imperatorem unus equo insidebat Consul civitatis prædictæ, deferens claves ejusdem civitatis in partica (pertica), in signum subjectionis Imperialis Majestatis. Post quem immediate ibat Albertus Dux Saxoniæ & de Luneburg, ensem imperialem deferens, & post illum Otto Marchio de Brandeburg sceptrum Regium in manibus gerens, post hos Imperator immediate processit. Ante Imperatorem vero Fredericus Archiepiscopus Coloniensis incedebat cum pomo aureo, quem ipse immediate sequebatur. Cæteri vero Principes & Nobiles Imperatricem immediate sequebantur, quilibet secundum gradum & nobilitatem suam. Ingredientibus ergo eis primam urbis valvam, stabant ex utraque parte viæ regiæ mulieres potiores totius civitatis & virgines ornatæ cultioribus indumentis, ad recipiendum Imperatorem & suam uxorem præparatæ. Processio insuper solennis totius Cleri & Religiosorum cum reliquiis & Cruce Dominica Imperatoriæ obviam venit Majestati, & jocundum ejus adventum reverenter excepit. Qua receptione facta, & cruce ab Imperatore & ejus consorte deosculata, processio Cleri præcessit, & totam urbem pertransiens cum sequela regii exercitus in majorem ecclesiam usque pervenit. Ubi omnes existentes, Clerus solenniter cecinit: Ecce advenit Dominator Deus, & regnum in manu ejus & potestas & imperium, & versum: Deus judicium tuum Regi da &c. Quo cantico expleto, Imperator cum suis plateam regiam transiens, ad hospitium sibi paratum perrexit, quod erat in cornu plateæ Beati Johannis, ubi postea morabantur Domicelli Darsowen dicti. Nox autem quælibet pro tempore mansionis Imperatoris in urbe prædicta in diem clarum vertebatur præ multitudine lucernarum de qualibet domo civitatis dependentium. Stantibus ergo Proconsulibus & Consularibus urbis supradictæ in præsentia Imperatoris, dixit Karolus: Grates sint vobis Dominis urbis nostræ de solenni nostri & nostræ consortis receptione. Cui senior Burgimagister Jacobus Plescowe dictus humiliter respondit: Serenissime Princeps, nolite nos nuncupare Dominos, sed Vestræ Majestatis immeritos servitores & famulos. Cui respondit Rex: Registra antiqua Imperatorum continent, urbem hanc unam esse de quinque civitatibus principalioribus Imperii, & Consulares urbis vestræ esse de juratis & Consiliaribus Imperatoris, exire & intrare valentes ipsius consilium ubique & semper absque licentia petita, prout cæteri jurati ejusdem facere consueverunt. Merito ergo Domini dicendi estis ex hujusmodi privilegio de singulari favore, ab Imperiali Majestate vobis indulto. Civitates autem prædictæ sunt Roma, Venetia, Florentia, Pisa & Lubica. Fuit autem in prædicta civitate Lubicensi protunc magna solennitas peracta propter Principum præsentiam in exercitiis militaribus tam per Nobiles & Militares quam per domicellos urbis, & deducti sunt dies illi in lætitia magna & jocunditate mirabili. Gravem infirmitatem & inconsuetam Deus permisit vexare homines prope Rhenum commorantes, secundum Chronicam Francorum. Nam antequam passio eorum instaret, homines utriusque sexus quædam apprehendit inepta lætitia & exultatio, ita quod saltare & chorizare inciperent cum risu inordinato & cachinnatione vana. Qua quidem jocunditate cessante, homines corruebant supini in terram quasi apoplectici, & venter eorum procellosas quasdam motiones gravissimas ostendebat quasi follis ventum trahens & expellens, nec requiem habere poterant, quousque viri tres vel quatuor pedibus suis ventrem patientis calcando comprimerent. Et cum hæc retorsio violenta eis fieret, delectabantur, & bene eis erat. Hæc pestis mirabilis per Rhenum descendit, & usque in Westphaliam pervenit. Inventum est tamen postea ab astutis Clericis, quod ex diabolica obsidione hoc hominibus contingebat, & ideo sacris conjurationibus & exorcismis diabolicas has vexationes removerunt. Woldemarus Rex Danorum postquam regnum suum reintraverat, & concordiam cum civitatibus fecerat, migravit ab hoc seculo, secundum Chronicam Danorum, hoc anno. Cujus filia Margareta uxor Haquini Regis Norwegiæ filii Magni Regis Sweorum post patrem regnavit in Danorum Regno, & in brevi defuncto viro suo Haquino, & capto Alberto Rege Sweorum, facta est trium Regnorum Regina de consilio pariter & auxilio civitatum stagnalium, & præsertim urbis Lubicensis, cujus Burgimagister Henricus Westhof dictus in magna parte hoc practicavit. Ex hac quidem Regnorum unione protunc bona æstimata innumera postea secuta sunt civitatibus prædictis & mercatoribus incommoda. Audiens autem Albertus Dux Magnopolensis obitum Woldemari Regis, collegit magnum exercitum, & transiens mare pervenit in Daciam, ut Regnum illud filio suo Henrico in manu forti acquireret, Alberto alio filio suo jam Rege Sweorum constituto, sed nihil proficiens, eadem via reversus est, qua venerat.

Vicesimo octavo anno Karoli, qui est Domini MCCCLXXVII. Wigboldus Episcopus Colmensis terræ Prutziæ capitur in proprio castro per Johannem Truswitz militem, & in quoddam densum nemus ducitur, secundum Chronicam Lubicensem, ubi per VII. hebdomadas vinculis detentus, dedit tandem pro sua redemtione magnam pecuniæ summam, promittens cum hoc suos persecutores velle ordinare absolvi a sententia excommunicationis, aut dare eisdem IIIIM. florenorum. Archiepiscopi Coloniensis, Moguntinensis, Treverensis & Salceburgensis se opponentes Gregorio Papæ prohibuerunt suos Clericos, ne decimam sibi darent, quam ab omnibus Clericis postulaverat, secundum Gesta Summorum Pontificum. Decedente interim Archiepiscopo Moguntino, Papa dedit illam Ecclesiam Episcopo Babenbergensi nato de Marchionibus Misnæ. Sed Capitulum Moguntinum postulans Episcopum Spirensem Dominum de Nassowe natum, castra & civitates sibi tradidit, de quo schismate magna terrarum devastatio secuta est. Tanklem civitas Ducatus

Digitized by Google

tus de Wolgast incendio gravi periit, de qua conflagratione quidam Metrista sic ait:

Annis M. tria C. L. bis X. sex superadde,
Euphemiæ nocte Tanklem perit igne repente.

Eodem tempore duæ civitates in Flandria, secundum Chronicam Francorum, puta Cassand & Osburg submersæ sunt ex nimia aquarum inundantia. Karolus Imperator una cum Wilhelmo Marchione Misnæ & aliis Comitibus multis & Nobilibus obsedit urbem Erphordensem, secundum Chronicam Saxonum, terræ Thuringorum, habens in suo exercitu, ut famabatur, XLM. armatorum, & vastans villas circumjacentes ac vineta destruens, civitati in se parum, vel nihil nocere potuit, Adolfo de Nassowe electo Moguntino in urbe existente. Hæc autem gwerra orta est ex hoc, quod Papa Gregorius dederat Archiepiscopatum Moguntinum Lodowico Episcopo Babenbergensi fratri Wilhelmi Marchionis Misnæ, & hanc donationem Karolus Imperator ob favorem Marchionis libenter ad effectum perduxisset. Wenzlaus filius Karoli Imperatoris Rex Bohemorum coronatur, secundum Chronicam Saxonum, in Regem Romanorum Aquisgrani per Fredericum Archiepiscopum Coloniensem de consensu Principum Electorum, quos Karolus magna pecuniæ summa benivolos ad hoc reddiderat. Turris valvæ civitatis Lubicensis, per quam itur in terram Holtzatorum, fundatur & ædificatur, secundum Chronicam ejusdem. Medio autem tempore via dirigens currus adventantes in urbem prædictam facta est per Trabenam in modum pontis strata super pramonibus ex opposito plateæ fossa pistorum dictæ, & duravit pons ille per totam æstatem. Papa Gregorius transtulit se in Romam de Avinione propter aversionem plurium Principum, Episcoporum & civitatum ab obedientia ipsius, sed postea redeuntium ad caulas. In nocte S. Brixii tam vehemens fuit ventus, ut magnam petiam plumbi de turri S. Jacobi cum tignis & tegulis transferret ad cimiterium S. Spiritus in urbe Lubicensi, secundum Chronicam ejusdem. Eodem quoque turbine plures arbores sylvæ ejusdem urbis dictæ Swerin in vulgari radicitus sunt evulsæ pariter & eversæ. Gravis controversia suborta est in urbe Lubicana inter Consulares dictæ urbis & mechanicos, secundum Chronicam ejusdem. Displicentia autem ista surrexit ex quadam nova & inconsueta exactionatione, quam Consulares facere nitebantur in cives suos, puta ut ultra consuetam taxam census, qui vulgari nomine Schot nuncupatur, quilibet civis unam marcam Lubicensem superadderet. In molendino autem cives dare consueverunt de blado suo moliendo mensuram quandam matta dictam, & illam etiam duplicare volebant. Quas quidem exactionationes insolitas admittere recusantes mechanici, conspirationes contra consulatum facere tentabant. Convenientes ergo simul in Ecclesiam Fratrum Minorum mechanici & aliqui de mercatoribus cum eis, vocarunt ad se Proconsules urbis illius. Quibus præsentibus petivit communitas depositionem illius marcæ solvendæ ultra pensionem solitam, & quod matta sive portio illa molaris in suis maneret metis consuetis humiliter supplicavit ob pacis & concordiæ conservationem. Quam petitionem Burgimagistri acceptantes dixerunt, se eam libenter velle Consulatui proponere, & de ea gratum responsum, ut præsumerent, reportare. Et sic factum est. Nam viri oculati & sagaces consulares commotionem & insuetum fieri in urbe formidantes, voluntati furibundi populi condescenderunt, & sic displicentia illa sopita est & sedata. - Lithuani & Rutheni cum multo collecto populo terram Pruthenorum intrantes, omnes villas circa Insterburg & Jurgensburg vastaverunt, secundum Chronicam Lubicensem, & tandem castrum Zythen vallantes expugnaverunt, abhinc vero post tres menses recedentes, venerunt prope Mynsterberg, ubi maximam prædam pecorum & jumentorum rapientes, multam etiam stragem populi fecerunt.

Vicesimo nono anno Karoli, qui est Domini MCCCLXXVIII. Dominus Bertrammus Episcopus Lubicensis obiit in Profesto Epiphaniæ, secundum Chronicam ejusdem. In cujus sedem electus est Dominus Johannes Clenedenst Decanus dictæ Ecclesiæ. Hic cum iret versus curiam Romanam pro sua confirmatione, & venisset in Pragam urbem Regni Bohemiæ, mox innotuit ei, quod Papa jam de Pastore dictæ Ecclesiæ providisset, qui esset Frater Ordinis Prædicatorum Nicolaus dictus. Hic in conventu suo Lipczensi dudum fuerat lector & Prior. Quod cum dictus Dominus Johannes percepisset, statim retrocessit. Nicolaus vero ille veniens in urbem Lubicensem, cum solennitate consueta per Capitulum & Clerum receptus est & introductus, sed non diu in hac sede mansit, quia Papa de Ecclesia Mysnensi sibi providit. Quo recedente, Dominus Conradus de Gysenhem locum suum subintravit, & in die Ascensionis Domini primam suam Pontificalem in summo celebravit. Dux Polonorum cognomento Albus, eo quod alias in ordine Fratrum de Domo Teutonica fuisset, secundum Chronicam Lubicensem, resignavit Ducatum suum in manum Regis Ungariæ. Cui Rex pro illa resignatione dedit in prompta pecunia XIIM. florenorum Ungarorum, & promisit annuatim velle solvere mille florenos ad vitam suam, dummodo religionem, quam reliquerat, reassumeret. Deposuerat enim prædictum religionis habitum ob hoc, quod Ducatus ille ad ipsum devolutus fuisset per decessum omnium hæredum ad ipsum pertinentium præter eum. Fratres de domo Teutonica terræ Prutziæ cum innumero populo intraverunt terram Lithuanorum, secundum Chronicam Lubicensem. Quod Algertus Rex ipsorum percipiens, processit eis obviam, & industrius existens, tali cautela in malum Christianorum usus est. Invitavit namque Marscalcum terræ & alios commendatores potiores ad tentoria sua, ut cum eo comederent, pacem interim cum eis statuens. Cujus invitationi consentientes Prutheni doli ignari, ad convivium Regis venerunt, paucos circa eorum victualia relinquentes. Barbari vero interim

Digitized by Google

terim conglobati Christianis insciis & cum Rege eorum solatiantibus, cum impetu in custodes victualium & tentoriorum irruerunt, & illis interfectis, omnia, de quibus vivere debebant, abduxerunt. Quod cum Regi & Pruthenis convivantibus intimaretur, indignatus Rex valde licet in dolo, petiit hoc sibi non imputari. Sed Prutheni in proposito suo frustrati, ad propria cum confusione magna sunt reversi, immemores illius doctrinæ Sapientis: Ne credas inimico tuo in æternum. Rex Ungarorum cum immenso exercitu contra barbaros prope Rutziam situatos egressus, expugnavit ibidem V. castra fortissima, & interfecit pariter ac captivavit populum nimium, & maxima præda stipatus reversus est cum triumphali pompa in Regnum suum. Fredericus Dux Austriæ venit in Prutziam cum duobus millibus armatorum, secundum Chronicam Francorum, pugnaturus cum infidelibus pro fide, cui associati sunt Fratres de domo Teutonica cum exercitu pulcro, & pergentes simul demoliti sunt omnem terram circa Grogii & Pascowe. Fratres etiam de Lyvonia ejusdem Ordinis pro eodem tempore exeuntes contra Lithuanos, congressi sunt cum eis in prœlium, & victoriam a Domino obtinentes, percusserunt in ore gladii totam multitudinem Paganorum. Karolus Imperator cum Rodolfo Duce Saxoniæ & Alberto Duce de Brunswic & Luneburg obsederunt castrum Dannenberg in myrica Luneburgensi situm, secundum Chronicam Saxonum, quibus Lubicenses cives in auxilium adduxerant DC. armatos cum duabus machinis. Bombardæ enim protunc non erant ita communes, sicut nunc sunt. Quod castrum cum Imperator expugnasset, dedit ipsum Ducatui Luneburgensi. Recedens autem inde, venit in Anghermunde cum Ducibus prædictis, puta Wirtizlao Duce Slesiæ, Alberto Duce de Brunswic & Luneburg, Rodolfo Duce Saxoniæ & Erico Duce de Lovenburg. Ubi Karolus Imperator concessit de potestate Imperatoria Erico Duci de Lovenburg & suis hæredibus, quod pari jure electionem Regis Romanorum habere deberet in perpetuum cum Duce Saxoniæ de Wittenberg, & alternatis vicibus eligere deberent. Capitanei autem exercitus Lubicensis erant viri venerabiles Simon Swerting & Gerardus de Attendorn Consulares.

De Urbano VI. PP. CCX.

Urbanus Papa, natione Neapolitanus ex patre Philippo, sedit annis XI. & diebus XX. ut habetur in Gestis Romanorum Pontificum. Iste prius Bartholomæus dictus Archiepiscopus fuit Barensis, & Romæ electus est in Papam. De isto Papa prophetatum est taliter: De inferno natus es, ad infernum redibis, & infernus te exspectat. In sua electione erant Romæ congregati XVI. Cardinales, qui venerant cum Gregorio Papa Romam, alii vero Cardinales remanserunt in Avinione contra voluntatem Papæ.

Tricesimo anno Karoli, qui est Domini MCCCLXXIX. Florentius Dux Lotharingiæ cum exercitu valido venit in Prutziam, secundum Chronicam Lubicensem, & assumtis Fratribus de domo Teutonica in magno numero, intravit terram Lithuanorum. Et prospero successu eis arridente, commiserunt prœlium durum cum infidelibus, & ceperunt DCCC. Lithuanos nobiliores totius terræ eorum. Qua victoria valde animati ultra processerunt, & villas ac opida vastantes, infinitum populum occiderunt, & præda immensa capta, reversi sunt cum nobili triumpho. Flamingi arrestantes omnia bona mercatorum de partibus orientalibus Brugis existentium, secundum Chronicam Francorum, plures de eorum mercatoribus in captivitatem posuerunt, quæ Brugis Lapis nominatur. Hanc quidem contumeliam injuriosam Flamingi fecerunt mercatoribus prædictis, eo quod jura sua & libertates antiquas a diversis terræ illius Principibus datas defensare nitebantur. Wilhelmus etiam Comes Flandriæ civitatibus & terræ adhærens contra mercatores, eos tyrannice multum persequebantur, cives tamen Gandavenses mercatoribus ante dictis favebant, & eos tuebantur, quantum poterant. Propter quam displicentiam plura sunt mala subsecuta, ut suis locis infra patebit. Karolus Imperator cupidus & pecuniam sitiens, XVI. civitates in Swevia Principibus & terrarum Dominis exposuit venales, subjiciens eas jurisdictioni eorum, quæ liberæ fuerant, & ad Imperium pertinuerant. Cumque simili modo & alias urbes vendere voluisset XIIII. in numero, ipsæ civitates ligam quandam indissolubilem ad invicem firmantes, conjurabant fidelem assistentiam in omnibus periculis & adversitatibus. Et hoc quidem fecerunt de consilio cujusdam Proconsulis urbis Ulmonensis, quæ caput illarum XIIII. civitatum existit. Quam confœderationem cum Imperator percepisset, indignatus valde obsedit unam de dictis urbibus conjuratis. Sed mox aliæ civitates ad ligam prædictam pertinentes, cum exercitu potentissimo venerunt, & urbem obsessam liberarunt, Karolum fugantes. Nec post illum diem Imperator ausus est aliquam illarum civitatum impugnare aut molestare. Quod videntes cæteræ civitates jam extraneis Principibus subactæ, in supra dictam ligam & concordiam conjuraverunt, & sic per defensionem aliarum urbium se a jugo suorum Dominorum novellorum excusserunt, & pristinam libertatem recuperarunt. Tidericus Comes de Marka obsedit civitatem Tremonensem cum duobus millibus armatorum, secundum Chronicam Saxonum, credens per traditionem capere urbem. Sed cives muniti & bene ad intra concordati Comiti viriliter resistebant, indemnes permanentes ex tali obsidione. Civitatibus de Anza in urbe Labicana congregatis nuncii Flamingorum de Brugis venerunt, secundum Chronicam Lubicensem, in civitatem prædictam Lubicensem, volentes excusare cives & Comitem terræ suæ de contumelia facta mercatoribus orientalibus & aliarum civitatum. Et pro earum excusatione allegaverunt mandatum Comitis Flandriæ Wilhelmi, qui hoc fiendum jusserat propter certas causas soli Comiti notas, quas rationabiles habuisset. Et super tali allegatione & excusatione ostenderunt literas Comitis prædicti sigillo

Digitized by Google

gillo munitis. Civitates tamen prædictæ de Anza illam excusationem frivolam & insufficientem reputantes, pro certiori experimento & examine clariori illius exorbitationis cum nunciis prædictis Flamingorum transmiserunt quatuor Proconsules civitatum, viros honorabiles, puta Jacobum Plescowe de Lubica, Everhardum Wistrate de Tremonia, Johannem Cordeliz de Thorona & Ludolphum Goldenstede de Hammeburg, ad urbem Brugensem, ut negotium illud luculenter examinarent, & de justitiæ æquitate cum Gandavensibus & cæteris urbibus illius terræ studiose tractarent.

Tricesimo primo anno Karoli, qui est Dn. MCCCLXXX. Albertus Dux Magnopolensis, vir prudens multum & astutus ac strenuus miles obiit in Carnisprivio, secundum Chronicam Obotritorum, & sepultus est in Dobberan Monasterio Ordinis S. Bernhardi. In ultimis autem constitutus vocavit ad se filios suos Henricum & Magnum Duces, & consulens eis paterno affectu dixit: Si Principes terræ vestræ & Domini esse & manere cupitis, pacem habete cum civitatibus circumjacentibus, & præsertim Lubicensi. Hoc enim est, quod vobis pro testamento salubri do, & hoc consilium ipse servavi, & ob hoc omnium meorum subditorum potens præceptor semper extiti. Ducatum autem Magnopolensem post obitum dicti Alberti administrare & regere cœpit Henricus fervidus pacis zelator effectus. Marstallus urbis Lubicanæ igne conflagratus est (conflagravit) jam secundario, & in ipsa conflagratione plures equi combusti sunt in catenis ligati, secundum Chronicam Lubicensem, magnum etiam damnum illatum est urbi in consumtione fœni & avenæ. Pro eodem etiam tempore castrum Albiæ, quod Novum opus appellatur, constructum per Hameburgenses, consimili ignis calamitate periit. Cives urbis Gandavensis discordantes cum Wilhelmo Comite Flandriæ, exercitum CXLM pugnatorum eduxerunt, secundum Chronicam Francorum, cum quo totum pervagantes Comitatum, igne & gladio universa vastabant, & plura castella & opida expugnabant, captivantes innumeram multitudinem populi, & prædam inæstimabilis pretii abducentes. Audiens autem hanc calamitatem Comes Wilhelmus, cum suis Nobilibus fugam iniit, terram linquens in manibus inimicorum. Causa autem hujus discordiæ duplex fertur fuisse, prima, quod Gandavenses defendebant mercatores orientales contra Comitem; secunda, quod cives urbis prædictæ consentire nolebant in exactiones irrationabiles & inconsvetas Comitis Flandriæ, quibus communitates & præsertim cives Gandavenses gravare nitebatur. Exactiones autem prædictæ talem habuerunt originem. Ante annos duos Wilhelmus Comes Flandriæ castrum construxerat fortissimum & amplissimum prope Gandavum urbem, distans ad dimidium milliare nomine Wonderegen. In alleviamen autem expensarum factarum in constructione hujus castri postulavit Comes a Gandavensibus LXM. leonum aureorum, quorum quilibet valebat alteram dimidiam marcam Lubicensis monetæ. Quam quidem pecuniæ summam, quia cives Comiti dare recusabant, comminationes eis faciebat. Quod intelligentes cives cum indignatione extra urbem ipsum expulerunt, & curiam suam, quam in civitate habebat, spoliaverunt, omnia inventa auferentes. Illatam autem hanc injuriam Comes valde ægre ferens, sequenti anno maximum exercitum coadunavit, & veniens cum CCM. armatorum, inter quos Brugenses erant & cæteræ civitates terræ suæ, obsedit Gandavum in duobus locis; & perseverans in illa obsidione per totam æstatem non potuit expugnare urbem. Sed ipsi cives interim urbem suam exeuntes cum maximo exercitu, expugnabant duas civitates, puta Delremunde & Alst, & devastabant totam terram infra urbes dictas & Gandavum sitam, nec poterat Comes cum omnibus suis eos impedire aut prohibere. Quod ut Comes vidit, obsidionem solvit, & recessit.

Tricesimo secundo anno Karoli, qui est Dn. MCCCLXXXI. Urbanus Papa artare & restringere cœpit Dominos Cardinales, secundum Chronicam Romanorum, ad observantiam regularis vitæ. Quod dum Cardinales sustinere nolentes, Anagine se transtulerunt in terra Honorati Gaytani Comitis Fundorum. Nomina autem Cardinalium a Papa Urbano VI. se separantium fuerunt Robertus Gebennensis titulo Sanctorum Apostolorum Cardinalis, Petrus titulo S. Laurentii in Lucina Cardinalis, Geroldus titulo S. Clementis Cardinalis & Petrus tit. S. Eustachii Cardinalis. Hi autem quatuor rotæ currus diabolici ad vehendum infinitos homines in barathrum perditionis, horrendum & periculosum schisma in Ecclesia Dei suscitantes, Robertum Gebenensem prædictum in Antipapam elegerunt, sumentes pro occasione, quod non liberi, sed coacti a Romanis Urbanum elegissent. Unde ipsum electum Antipapam Clementem VII. nominarunt. Sed occasio illa falsa multis visa fuit ex eo, quod facta electione Urbani post tres vel quatuor menses dicti Cardinales & cæteri Prælati ab electo & consecrato Papa Urbano benedictiones Papales, beneficia, bullas & absolutiones receperunt, quæ omnia consensum manifestum in electionem factam & approbationem ostendebant evidentem. Regina autem Neapolitana & Honoratus Comes Fundorum ipsum Clementem Antipapam cum suis Anticardinalibus Avinionis transduci fecerunt. Ubi se locans, consentientibus Regibus Franciæ & Arrogoniæ ac pluribus aliis Principibus, indissolubilem ligam erroremque ineradicabilem in Ecclesia Dei seminavit. Quod quidem schisma ab illo tempore, quo incepit, duravit usque ad annum Domini MCCCCXVII. inclusive. Clemens vero Antipapa sedit annis XVI. post quem electus est Petrus de Luna, & vocatus Benedictus XII. qui usque ad unionem vivens indurato animo pro aliquo tempore dixisse fertur, cum circa ipsum de unione fienda & cessione laboraretur: Per nostram barbam Papa mori volumus. Barba enim ejus protunc prolixa erat, quia ultra annum in captivitate protunc tentus fuerat propter cessionem faciendam

Digitized by Google

endam per Regem Arrogoniæ, quam tamen in vita sua non fecit. Papa autem Urbanus, audita electione facta de Clemente, excommunicationis sententiam contra ipsum & suos electores fulminans, contra eosdem crucem prædicari mandavit. Quod & vice versa Clemens de Urbano & suis fautoribus fieri ordinavit, & uterque Ecclesias & beneficia concessit, & Episcopos ac Sacerdotes consecravit, & Ecclesiam Dei scandalis innumeris replevit. Propter quod diversæ controversiæ & brigæ in Clero totius Ecclesiæ Dei exortæ sunt ac divisio & schisma populi universalis. In Ecclesia quoque Lubicensi protunc duo de Episcopatu contendebant, unus Conradus datus ab Urbano & alius Johannes Wittenburg dictus missus a Clemente. Sed Urbanista sedem obtinuit Clementista extra urbem pulso. Gandavenses cives statuentes sibi Capitaneum Philippum de Artevelde, cum maximo exercitu venerunt prope urbem Brugensem, secundum Chronicam Francorum, quam obsidione gravi circumdantes, tandem bellum aggressi sunt atrocissimum cum Brugensibus & suis auxiliatoribus. Gandavenses autem triumphantes in pugna illa plusquam XXM. hominum interfecerunt, ac etiam urbem ipsam expugnantes ceperunt, & tunc intra eam ultra XXXM. hominum straverunt, necnon urbem spoliaverunt bonis infinitis. Quod videntes superstites homines civitatis, homagium ipsis Gandavensibus fecerunt, destituti adjutorio Comitis eorum & aliorum, quorum præsidio merito gaudere debuissent. Mechanici urbis Lubicensis & præsertim carnifices gwerram novam & dissensionem periculosam suscitarunt, de Consulatu suo diversas libertates novas & inconsvetas postulantes, secundum Chronicam ejusdem. Quidam ergo burgenses mercatores pro salute civitatis zelantes, pro meliori judicarunt pro pace & concordia fienda, ut dies placitorum statueretur, & in Ecclesiam B. Catharinæ utraque pars conveniret. Quod cum fieret die statuto, ab utraque parte plura mota sunt, & altercationes diutinæ factæ. Sed tandem conclusa sunt, ibidem quædam utrique parti placentia & rationi consona. Cumque amicabilis compositio jam practicata pronunciari deberet, mechanici literas a Consulatu super suis libertatibus & juribus sibi dari importune postulaverunt, diabolo eos instigante, non contenti, quod hujusmodi libertates libro civitatis annotarentur. Quorum protervíam Consulares attendentes, tales literas eis dare abnuerunt in illo loco & pro illo die, sed super illo articulo deliberare ut valerent, petierunt, & sequenti Dominica die se super postulata respondere velle spoponderunt. Die ergo Dominica adveniente convenerant in nocte præcedente mercatores plures turmatim ad diversas domos bene armati, & præsertim domicelli civitatis, qui circa CCCC. armatos congregaverant. Et erat in universo numerus armatorum, ut dicebatur, circiter VM. qui Consulatui suo viriliter astare proponebant. Ad hanc quidem armatorum cohortem faciendam moti fuerunt domicelli, quia perceperant, dictos mechanicos plures convenisse, & se ad pugnam armasse. Hoc, inquam, disturbium, licet in officio missæ Lætare cantaretur in illa Dominica die, in urbe tamen maximam causavit tristitiam & turbationem. Tandem Deo ordinante, cum iterum Consulatus & communitas convenirent in eadem Ecclesia Fratrum Minorum, dictam controversiam bono fine concluserunt, tali addita conditione, ut ante dicti carnifices, qui hujus displicentiæ causa extiterant, coram Consulatu suo se humiliarent, & veniam de illata irreverentia suppliciter poscerent, & quod in emendam ipsi carnifices cum XX. equis & armatis semper parati esse debeant, quandocunque per Consules postulantur. Karolus Imperator obiit in Praga, & sepultus est in Ecclesia majori.

De Wenzlao Rege Romanorum.

Wenzeslaus filius Karoli IIII. Rex Bohemorum cœpit anno Mundi VMCCCXLI. Olympiadis DXXV. an. IIII. urbis cond. IIMCXXXI. Domini vero MCCCLXXX. & regnavit XXI. annis. Sed quia Imperiali benedictione & corona caruit, ideo in numero Imperatorum non invenitur, secundum Chronicam Romanorum. Hic patri suo in multis dissimilis, maximus meri potator extitit, & ut plurimum ebrius fuit, vesanus & lascivus, nec studuit rempublicam augmentare, sed semper in deliciis existens, pro corona Imperiali adipiscenda non laboravit, nec Augusti nomine dignus fuit. Studium Pragense non fovit neque dilexit, prout pater ipsius fecerat, in spiritu forte præcognoscens, quod maximum malum Ecclesiæ inde oriturum foret, & quod exterminium in futurum fieret. Unde multa homicidia in clericis graduatis & non graduatis, in Nobilibus & civibus, in Religiosis & secularibus commisit, lictorem Henzel nomine pro compatre habuit, & propriam uxorem in lupanari prostituit, quæ postea cibum sumere, ut dicebatur, recusavit, sed inedia voluntaria confecta vix refocillari valuit. Hic tyrannus multotiens intoxicatus extitit, sed semper per vomituum procurationem mortem evasit, diabolo forte ipsum pro suæ malitiæ instrumento conservante in multarum periculum animarum.

Primo anno Wenzlai, qui est Domini MCCCLXXXI. Pilleus titulo S. Praxedis Cardinalis missus est ab Urbano Papa in Alemaniam, secundum Chronicam Romanorum, ut rebelles sibi Archiepiscopos & Episcopos ad gremium Ecclesiæ reduceret, & crucem contra Clementem prædicari mandaret. Sed non diu post hic ab Urbano apostatans, ab eo excommunicatus est, Papa vero Urbano defuncto postea tempore Bonifacii IX. in gratiam Ecclesiæ rediit. Urbanus Papa post apostasiam Cardinalium, qui cum Gregorio de Avinione Romam venerant, novos creavit Cardinales, secundum Chronicam Romanorum, inter quos erant duo de ordine Fratrum Minorum, quos postea in carcere interfecit, & duo de Ordine Fratrum Prædicatorum, qui usque ad finem in gratia sua steterunt. Unus etiam erat de Ordine Cisterciensi, quem etiam interemit in carcere crudelitate

litate nimia furens. Causa autem recessus Cardinalium antiquorum ab eo duplex fuit, una quidem tyrannis intolerabilis, ob quam in periculo vitæ semper stetissent, si apud ipsum mansissent; secunda vero & principalior fuit coactio facta eis per Romanos in electione Summi Pontificis. Cum enim in conclavi essent constituti, & discordarent in electione novi Papæ, coacti sunt per Romanos finem electionis facere sub comminatione periculi vitæ. Et quia concordare non poterant, dixerunt Romanis se urgentibus, quod Bartholomæum Archiepiscopum Barensem elegissent, licet hoc (non) fecissent, ut postea asserebant. Quo audito, clamor Romanorum insonuit, ut moris est, Bartholomæum fore Papam concorditer electum. Et sic vellent nollent oportuit, ut ipsum consecrarent, & agerent circa ipsum, quæ de essentia sunt benedictionis & consecrationis Papæ. Insuper Urbanus sic electus & consecratus coëgit cum Romanis dictos Cardinales, ut ab eo beneficia peterent, benedictionem reciperent, & reverentiam ac obedientiam debitam in omnibus sibi facerent, & quod ad Principes terrarum & ad Prælatos Ecclesiarum scriberent, se dictum Urbanum elegisse canonice, & ipsum verum & legitimum Papam esse Romanum. Quæ omnia si ex coactione & comminatione perditionis vitæ processissent, ut constanter Cardinales antiqui dixerunt, procul dubio ipse Urbanus Antipapa fuisset, & Clemens per eosdem Cardinales postea libere & canonice electus verus Papa fuisset, & sui sequaces. Sed alii opinionem contrariam tenentes affirmant, Romanos nullam electoribus intulisse violentiam aut mortis formidinem incussisse, sed ob suam discordiam vota sua in hunc Bartholomæum libere transtulisse, & de omnium consensu & voluntate libera ipsum consecratum fuisse. Sed quia prædictus Urbanus homo seriosus existens & Deum timens, levitates Cardinalium & inordinationes eorum pati noluit, & ad vitam regularem cogere cœpit, idcirco, ut Aethiops, pellem mutare non valentes leviter, ab ipso apostataverunt, ut alium sibi clementiorem eligentes, tales evasiones frivolas pro suis excusationibus confinxerunt Flagellatores per mundum vagabundi discurrentes, in Franconiam prope Nurenberg urbem pervenerunt, secundum Chronicam Francorum. Quos Pilleus Legatus Urbani fugavit per excommunicationis sententiam latam in eos & in omnes eorum fautores & defensores ac nutritores. Conradus Magister de domo Teutonica cum valido exercitu exiens Prutziam, ingressus est terram Lithuanorum, secundum Chronicam Lubicensem, & vallans castrum Anenpyl, expugnavit ipsum, & captivavit in eo CCCC. armigeros, castrum vero succendit. Inde procedens, aliud obsedit castrum Dirsunen dictum. Sed eo vacuo invento, ipsum destruxit. Castrenses enim fugam ceperant timore percussi ex alterius castri fortissimi conflagratione. Urbanus Papa in die sancto Pentecostes coronavit Karolum de Pace in Regem Neapolitanum, secundum Chronicam Romanorum. Qui quidem Rex veniens cum magno exercitu in Regnum Apuliæ, fugavit Ottonem de Brunswic Ducem, qui sibi hoc usurpaverat sine consensu & approbatione Ecclesiæ, cujus patrimonium est; & captivavit Reginam, quæ de manibus Ecclesiæ Regnum ipsum transtulerat, in qua quidem captivitate permansit ad tempora vitæ suæ. Hic Karolus Rex postquam in Regno prædicto per triennium cum maximis expensis perdurasset, privatus est eo per Urbanum Papam, ut infra patebit. Albertus Dux de Luneburg & cives Magdeburgenses & Brunswicenses obsederunt castrum Twiflinge in hebdomada Rogationum, secundum Chronicam Saxonum, & expugnantes ipsum funditus everterunt. Berlin civitas Marchiæ Brandeburgensis tam vehementer flammis consumta est, secundum Chronicam Obotritorum, quod vix sex domus in ea relictæ sunt. Quem ignem imposuisse creditur quidam Ericus Valke dictus, qui postea interfectus est per quendam pretio conductum. Cujus quidem interfecti caput ponebatur super valvam civitatis, per quam itur versus Odersberg. Lodowicus Rex Ungariæ obsidione gravi vallavit urbem Venetiarum, secundum Chronicam Romanorum, & in tantum angariavit cives illius urbis, quod se sibi subdidisse voluissent ad tempus vitæ suæ. Sed Rex subjectionem illam voluit omnino esse perpetuam. Compulit tamen eos cum auxilio Lipoldi Ducis Austriæ & civium Januensium, ut omni mense stipendiariis suis darent CM. ducatorum, & quod mutarent sigillum suum, ne amplius se scriberent Dominos maris, & quod sibi traderent Tervisium & Marchiam, ac omnes expensas suas & omnium suorum solverent ultra datam pecuniam ibidem factas. Prœlium maximum gestum est inter Ruthenos & Tartaros, secundum Chronicam Lubicensem, juxta Blewasser; & interfecti sunt ex utraque parte dimicantium fere CCM. hominum. Rutheni tamen victoria gaudentes, cum maxima præda reversi sunt ad patrias ædes. Sed cum jam securi esse viderentur, ecce subito Lithuani vocati in auxilium Tartarorum irruerunt super Ruthenos, & prosternentes innumeros, rapuerunt prædam captam de manibus eorum. Cives Brunswicenses solennem emendam fecerunt in die S. Hippolyti publice coram civitatibus multis ad hoc vocatis in urbe Lubicensi apud cimiterium majoris Ecclesiæ pro exorbitatione & insurrectione, quam fecerant in Consulatum suum, secundum Chronicam Saxonum, de quo aliquos interfecerant, & aliquos exulaverant. Ob hanc autem enormem violentiam urbs prædicta Brunswicensis banno jam subjacuerat civitatum de Anza & proscriptioni eorum (earum) per annos ferme octo, ita quod nullus de Brunswic mercator negotiari poterat in quacunque civitate aut loco Anzæ prædictæ subjecto sub privatione vitæ & bonorum suorum ac etiam illorum, qui cum eo mercatus fuisset (cum eis mercati fuissent). Sed hac emenda facta, reconciliati sunt civitatibus, & reassumti in societatem Anzæ & collegam. Forma autem emendationis eorum expressa non erat in exemplari. Epidimia maxima desævit in urbe Lubicana, secundum

Digitized by Google

dum Chronicam ejusdem, & decesserunt in ea ultra X M. hominum utriusque sexus demtis parvulis. Clemens Antipapa quendam misit in Episcopum Darbatensem Johannem Heket dictum, secundum Chronicam Lubicensem, quem Fratres de domo Teutonica terræ Lyvoniæ foventes, cum militibus & militaribus terræ Wirlandæ & Harien, ordinaverunt ei quatuor castra. Sed ad illam intentionem hoc fecerunt, ut per illum Episcopum sibi totam diœcesim acquirerent. Capitulum vero præfatæ Ecclesiæ alium elegerat in Antistitem Tidericum Damerowe dictum, qui confirmatus per Urbanum vi fugavit alium datum de partibus, adjutus auxilio Archiepiscopi Rigensis, civium urbis Darbatensis & totius terræ illius. In urbe Ruthenorum capitali Ploscowe Rex erat Sirgalus dictus, secundum Chronicam Lubicensem. Hunc cives dictæ urbis contumeliose tractantes equo imposuerunt, & extra urbem ipsum ducentes, prohibuerunt ipsum, ne sub pœna capitis eam reintraret. Quod contumeliosum factum multum ægre ferens Rex ille, pacem & concordiam fecit cum Christianis de prope commorantibus & Ruthenis terræ illius, de qua ipse oriundus fuerat; & ipsos in suam partem trahens, conquestus est eis contumeliam sibi factam. Qui omnes sibi condolentes, exercitum copiosum coadunaverunt. Et adjunctis sibi Christianis, urbem illam Regi suo rebellem obsidione magna circumdederunt. Cives autem urbis obsessæ Magistro Lyvoniæ, qui præsens in obsidione illa erat, libenter se subdidissent, si eos in suam defensionem recipere voluisset. Sed Regi illi nullo modo se subjicere volebant, imo potius mori affectabant. Magister autem propter injuriam Regis deditionem civitatis renuit, volens in illo casu facere, sicut sibi in consimili optaret fieri. Cumque jam per XVI. hebdomadas urbem obsedissent, nec eam capere aut expugnare possent, licet plura damna & incommoda eis intulissent, Rex cum Magistro obsidionem solvit, & recessit. Wilhelmus Comes Flandriæ & militares sui exilium secum passi cum innumerabili populo collecto venerunt prope Ypram urbem suam, secundum Chronicam Francorum, habens dictus Comes in suo exercitu Reges Franciæ, Hispaniæ & Castellæ, Duces Burgundiæ & Barensem, Comites vero Sabaudiæ, S. Ægidii & S. Pauli, ac plures alios Barones, Milites & Militares. Quam quidem civitatem impugnans obsidione gravi vallatam expugnavit, cepit, spoliavit & vastavit. Civitates autem cæteræ Flandrenses exercitum grandem adunantes, Comiti in occursum venerunt, cum quibus bellum aggressus, vicit eas habentes XLM. pugnatorum. Pugna autem peracta, omnem terram inter Ypram & Brugensem urbem positam demolitus est. Brugis quoque veniens, ipsam ad deditionem compulit. Inde procedens, opidum Dam, & deinde Ziüs opidum expugnans sibi subjecit, forte castrum prope dictum Zlus fundans & tandem perficiens.

Secundo anno Wenzlai, qui est Domini MCCCLXXXII. Henricus Dux Magnopolensis, vir magnæ justitiæ & pacis princeps obiit, secundum Chronicam Obotritorum. Hic Dux latrones & raptores tanto zelo persecutus est, nulli statui vel conditioni parcens, quod ex frequenti suspendio, quo ipse propriis manibus raptores & fures hujusmodi patibulis affixit, nomen sic acquisierat, ut Dux suspensor a cunctis nuncuparetur. Continuo enim apud se restes & funes habuit, quocunque pergeret, ut apprehensos fures vel raptores appendere arboribus paratus esset. Huic in Ducatu successit Magnus frater suus. Petrus Dux Andegavensis cum exercitu LXM. hominum Lombardiam intrans, & per Italiam transiens, tandem in Regnum Apuliæ pervenit, secundum Chronicam Francorum, proponens de captivitate liberare Reginam Neapolitanam, in qua Karolus de Pace Rex per Papam factus ejusdem Regni eam tenebat. Sed postquam in Regno prædicto ultra biennium in maximis expensis & laboribus stetisset, ibidem defunctus est, Regina in captivitate permanente. Fredericus filius Magni junioris dicti de Zangerhusen, frater Bernhardi, Henrici & Ottonis Ducum de Brunswic, adolescens existens, secundum Chronicam Saxonum, nutriebatur in castro Wulfesbotel, & quasi scutifer a castrensibus reputabatur, eo quod patruus suus Otto Dux de Leyna, qui tutor erat horum fratrum, dure ipsum regeret, & contemtibiliter se erga ipsum haberet. Quod juvenis ægre ferens, injuriam suam Brunswicensibus conquestus est. De ipsorum ergo consilio, una dierum advocato castri præfati in taberna se ingurgitante, Fredericus arripuit claves castri de manibus portarii viri decrepiti, & pontem mox elevans, ipsum sera firmavit, pergensque ad carceres, vinctos, quos Otto Dux captivos tenebat in stratis publicis captivatos & spoliatos, solvit, & cum eis mœnia castri munivit. Miserat etiam dictus Fredericus juvenis Dux, cum hæc facere proposuisset, nuncium ad cives de Brunswic pro adjutorio celeriter sibi transmittendo. Quos cum venire prospiceret, banerium Brunswicense erexit, & ipsis venientibus castrum aperuit, & eos intromisit. Sicque ipse Fredericus ad paternam hæreditatem devenit, Ottone ultra sylvam pulso. Conradus Magister Fratrum de domo Teutonica terræ Prutziæ abiit cum duobus Episcopis, & cum multis sui Ordinis Fratribus Commendatoribus in quandam insulam Kyrsemyl dictam, præstolaturus ibidem adventum Yagail & Styrigail fratrum Regum Lithuanorum, qui se promiserant illuc venturos, & sacrum baptisma recepturos. Cum autem dictus Magister Conradus cum illis Prælatis & Fratribus militibus ibidem usque in tertium diem perdurasset, secundum Chronicam Lubicensem, nec præfati Reges venissent, comperit figmentum esse & traditionem quandam ordinatam per Julianam matrem illorum Regum natione Ruthenam, ut sic forte prædicti Lithuanorum Reges Magistrum prælibatum & suos Fratres possent simul congregatos capere & abducere. Unde Magister quantocius ad propria reversus, congregavit magnum populum, fretus auxilio Wytoldi filii Kinstoti Regis interfecti per eosdem Reges fratres. Et veniens prope

prope castrum Tracken, expugnavit ipsum virtute magna, & interficiens omnes in eo repertos, munivit castrum viris suis fortibus. Inde vero proficiscens cum suo exercitu, obsedit Ville opidum. Quod similiter expugnans & capiens, ipsum flammis exussit, & rediens cum victoria, magnam prædam hominum, jumentorum & bonorum multorum secum duxit. Cum autem Lithuani recessum Magistri percepissent, mox exercitum colligentes, castrum Tracken vallaverunt, & Christianos in eo relictos pro castri custodia ad hoc vi compulerunt, ut castrum hostibus resignarent, salvis tamen eorum vita & rebus. Quibus recedentibus Lithuani castrum sunt ingressi, & quia muri castri illius per machinarum jacturas multum erant debilitati & infirmati, in illa nocte cum Christiani recessissent, subito Dei forte nutu muri illi corruerunt, & fere omnes illos barbaros contriverunt.

Tertio anno Wenzlai, qui est Domini MCCCLXXXIII. Cuidam adolescenti in urbe Lubicensi furtum quoddam imponebatur, propter quod suspendio adjudicabatur feria VI. ante festum Viti Martyris, secundum Chronicam Lubicensem. Hic cum duceretur per suspensores ad patibulum, & juxta morem interficiendorum adoraret coram cruce extra valvam urbanam posita in quadam concavitate cujusdam pilaris de lateribus murati, visa est imago illa sanctæ crucis, ut vulgabatur, caput, quod brachio appodiatum habebat, erigere, & post terga suspendendi recedentis respicere. Ob cujus quidem signi famam postea ædificata est quædam capella circumdans pilare prædictum cum eadem imagine, erecto capite stante in præsentiarum, & oculos versus furcas dirigente. Ad hanc etiam imaginem concursus mox magnus factus est, & crebra a divina clementia ob populi conceptam devotionem circa eam fiebant prodigia & signa evidentia, & innumeri apportabantur baculi claudorum sanitatem crucis sanctæ gratia adeptorum. Plura etiam alia miracula sunt & ibidem recitata, quæ Dominus operatus extitit in crucis suæ honorem & in signum innocentiæ interfecti hominis illius. Melchior Episcopus Swerinensis frater Ottonis Ducis quondam Regis Neapolitani natu de Brunswic, intoxico periit Clericorum suorum, secundum Chronicas Obotritorum. Sane clerici quidam æmuli sui, eo in urbe Rostoccensi existente, & ad transeundum versus Butzowe castrum suum se disponente, medonem veneno mixtum, quem libenter bibere solebat, sibi propinaverunt. Qui potu illo hausto, iter versus dictum opidum arripuit cum familia sua, & ad viam veniens, ardentissime inflammari cœpit, eo quod perceptum intoxicum efficaciter agere inciperet. Perveniens ergo ad portas opidi Butzowe, reperit mulierem cum fragis ibidem sedentem ex industria clericorum malignorum. A qua cum fructus illos emeret, & cum aviditate nimia sumeret, venter ejus intumescere ultra modum cœpit, & tandem præ tumoris magnitudine crepuit, & sic cadens mox spiritum efflavit. Clerus universus urbis Vratislaviensis expulsus est de urbe, secundum Chronicam Saxonum, per cives dictæ civitatis, permittente Wenzlao Rege Romanorum, & omnia eorum bona sunt confiscata. Urbanus Papa concordavit & pacificavit Adolfum de Nassowe cum Lodowico Episcopo Babenbergensi, secundum Chronicam Francorum, dicto Adolfo Archiepiscopatum Moguntinum conferendo, & Lodowicum præfatum in Archiepiscopum Magdeburgensem promovendo. Hic Lodowicus Archiepiscopus cum eodem anno, secundum Chronicam Saxonum, in Calviz opido chorizaret cum mulieribus, & choream illam continuasset per totam diem usque ad noctis medium, gradus consistorii dicti opidi, super quo chorizabant, ardere cœperunt. Archiepiscopus autem evadere volens ignem, assumta una de melioribus dominabus, gradus illos confestim descendere nisus est. Sed cum in medio graduum esset, mox gradus illi corruerunt, & ipse cum eis cadens, fractis cervicibus exspiravit. Lodowicus Rex Ungariæ & Dalmatiæ obiit in Cirnach civitate Ungariæ in die S. Lamberti, supra domo autem illa, in qua moriebatur, stella perlucida visa fuit. Hic Rex, secundum Chronicam Francorum, adeo devotus erat, ut horas Canonicas cottidie psalleret. Iste Rex habuit uxorem Elisabeth dictam, sororem Regis de Bossen, ex qua genuit duas filias, puta Mariam, quam duxit Sigismundus filius Karoli IIII. Imperatoris, cum qua obtinuit Regnum Ungariæ, sed tamen cum multa sangvinis humani effusione & gravibus expensis, ita ut Marchiam de Brandenburg, quam pater suus Karolus sibi donaverat jure hæreditario possidendam, Jodoco Marchioni Moraviæ avunculo suo impignoraret. Genuit etiam Lodowicus Rex secundam filiam Hadwigem dictam, quam Wilhelmo filio Lippoldi Ducis Austriæ postea a Swiceris interfecti desponsavit. Sed tamen eam non obtinuit propter avaritiam Polonorum. Nam Regnum Poloniæ dedit Lodowicus Rex pater suus filiæ suæ Hadewigi, eo quod Rex esset trium Regnorum, puta Ungariæ, Dalmatiæ & Poloniæ. Sed eo defuncto, Poloni, spreto Wilhelmo sponso Hadewigis, dederunt eam Yagail Regi Lithuanorum, qui ob hoc baptizatus est cum multis Lithuanis in castro Krakoviensi Regni Polonorum.

Quarto anno Wenzlai, qui est Domini MCCCLXXXIIII. Urbanus Papa dedit Ecclesiam Swerinensem Johanni Poto. Sed Capitulum Swerinense alium elegerat, cui castra & munitiones tradiderat. Datus vero Episcopus residebat in Sundensi urbe & excommunicabat electum & suum Capitulum, ut vel sic ipsum reciperent, secundum Chronicam Obotritorum. Sed per talem excommunicationem datus nihil profecit. Electus autem a Capitulo Dominus Johannes Junghe dictus est Ecclesiæ illius Canonicus. Henricus Episcopus Oziliensis captivatur a quibusdam Canonicis suis, & ducitur in Hapezele in Lode, & vinculis ferreis mancipatur, secundum Chronicam Danorum. Postea autem non audentes eum ibidem retinere Canonici, timentes Archiepiscopum Rigensem, ne ipsum eriperet, projecerunt ipsum vinctum

Digitized by Google

ctum in latrinam, & suffocaverunt ipsum. Hoc malum sibi contigit a clericis suis pro eo, quia Capitulum intellexerat, quod diœcesin tradere voluisset in manus Principum secularium. Wicholdo Duci existenti in castro Ville, patre suo Kinstoto jam interfecto, cives opidi Ville magis faventes Yagail filio Algerdi fratris Kinstoti Regis, cucurrerunt unus post alium, ac si furem quendam insequerentur ad castrum. Et sic per talem astutiam, secundum Chronicam Lubicensem, plures in castrum venerunt. Qui mox irruentes in inventos in castro, ipsos interfecerunt, & mittentes post Yagail, castrum sibi præsentarunt, Wicholdo fuga elapso. Qui colligens exercitum de Sametis, Tracken castrum obsedit, volens illud capere. Tunc Syrgail & Yagail venientes cum maximo populo & Fratribus de domo Teutonica terræ Lyvoniæ, venerunt obviam Witholdo filio Kinstoti Regis, & ceperunt ipsum, turrique castri Ville eum manciparunt, ubi & pater suus captivatus mortuus fuerat. Otto Dux de Leyna, Albertus Archiepiscopus Magdeburgensis post Lodowicum electus, Albertus Episcopus Halberstadensis, Fredericus Dux Brunsvicensis, Albertus Dux de Salina, Bosso Comes de Regensteen, Henricus Comes de Honsteen, Guntherus Comes de Stalberg, Conradus & Tidericus Comites de Wernigrode, & plures alii Comites & Nobiles in pacem terræ generalem conjuraverunt, quam etiam strenue & rigide satis per aliquot annos servaverunt, & seriose prosecuti sunt, secundum Chronicam Saxonum, suspendentes & interficientes omnes cujuscunque status, nobilitatis aut conditionis existerent, quos capere poterant violatores. Ribbeniz opidum terræ Magnopolensis, secundum Chronicam Obotritorum, quasi ex integro incineratum est, demtis Monasterio Clarissarum & paucis ædibus prope valvas opidi situatis. Archiepiscopus Londoniarum Thomas Regni Angliæ per Regem dicti Regni decapitatus est ob traditionem sibi impositam, secundum Chronicam Francorum, cujus caput cum mitra ad hoc formata in pertica longa est positum, & per urbem delatum, & tandem in ponte locatum. Fredericus Dux de Brunswic & Bernhardus de Zangerhusen frater ejus duxerunt in uxores duas filias Wenzlai Ducis Saxoniæ & de Luneburg, secundum Chronicam Saxonum. Hoc autem factum est propter pacem & concordiam faciendam inter Duces prædictos, sed tamen parum profuit. In urbe Lubicensi quidam hermaphrodita gratam habens personam extitit, de die pro Sacerdote se gerens, & missam legens, in nocte tanquam meretrix cuilibet volenti se supposuit, secundum Chronicam Lubicensem. Hujus autem execrabilis vitæ usum pudibundum ad longa tempora tenuerat, & plures juvenes corruperat. Sed tandem ultio divina opera tam funesta & turpia, quæ diu in tenebris nescientiæ latuerant, in lucem produxit tali modo. Famulus quidam fabrilis, qui multotiens in actibus fornicariis secum communicaverat, quodam die Dominico Ecclesiam, ubi missam celebrabat, intravit. Quem videns stare in altari, & missam celebrare, obstupuit; vadensque propius, attente ipsum inspexit; & videns certissima signa in facie ipsius sibi nota, reperit secundum omnem suam æstimationem, ipsum esse illum, cum quo tanquam cum muliere concumbere consuevit. Revelans autem famulus iste alteri criminis conscio suspicionem suam, observabant ambo diligenter egressum suum de Ecclesia & ingressum domus & inhabitationis suæ, & tandem viderunt, ipsum ingredi casam illam, quam ambo pro actu nefario fornicationis visitare solebant. Quod cum vidissent, venerunt ambo de sero ad dictum locum, sed nisi unus eorum ille scilicet qui primo suspicionem conceperat, manifeste ad ipsum intravit, altero latitante de prope. Disponentibus ergo eis ad actum consvetum, iste diligenter palpare cœpit, etiam succubo invito, loca pudibunda, & mox in veritate reperit membrum virile non modicum junctum sexui fœminino. Quo habito, statim socium vocavit apud se latitantem, ut & ipse pariter veritatem facti tam stupidi cerneret in evidentius testimonium, quam violenter ipsum examinando ambo cognoverunt. Mane autem facto, famulus ille ferrarius principalis misit socium suum ad Notarium judicum dictæ civitatis, secundum Chronicam Lubicensem, ipso apud hermaphroditam permanente, ne de manibus suis elaberetur. Qui mox veniens cum bedellis ipsum captivavit, & exacte cum testibus idoneis examinavit. Miser autem ille tormentis devictus, fassus est coram testibus illis, se pluries in actibus fornicariis viris miscuisse, & non ordinatus Sacerdos plures missas celebrasse. Ob quæ enormia facinora tandem in habitu muliebri eductus, traditus est igni ad comburendum, stipiti alligatus. Concursus inopinatus populi & subitus fieri cœpit de variis mundi partibus in Wilznacum villam terræ Prigniz diœcesis Havelbergensis tali modo, secundum Chronicam Obotritorum. Raptores quidam villam præfatam incendentes pariter & Ecclesiam combusserunt. Contigit autem post festum Nativitatis Virginis Gloriosæ, Plebanum dictæ villæ incineratæ hospitari in proxima villa. Cui dormitanti in nocte, vox quædam facta est, dicens: Surge, & vade in villam tuam, & præpara te ad celebrandam missam. Quam quidem vocem cum audisset, æstimabat somnium fore, & ideo ipsam non curabat. Cumque jam tertia vice sonum eundem percepisset, mane facto in villam suam venit, & in altari relicto post incinerationem ecclesiæ duo luminaria ardentia videns, multum consternatus accessit, & reperit in panno albo trinam hostiam in unam quasi redactam & sanguinolentam. Quam magna veneratione in altari prædicto recondens, Episcopum Havelbergensem mox adiit, & quid tam insigni novitati opus esset, inquisivit, enarrans sibi ordinem facti per singula. Qui veniens cum Sacerdote prædicto in Wilznacum, & inveniens, narratum esse veridicum, hostias illas reverenter in crystallo quodam posuit, & miraculum in partibus vicinis suæ diœcesis populo intimari præcepit. Hoc quidem modo concursus ibidem factus innumeros

Digitized by Google

meros populos attraxit ad visitandum locum prædictum. Ubi quidem Deus ad gloriam sui sacri Corporis plura operatur miracula etiam hodierno die, quibus tamen signis & virtutibus innumera admiscentur frivola & minus vera ob cleri illius perniciosam avaritiam. Urbanus Papa propter multa gravamina a Romanis sibi illata transtulit se Neapolim cum Cardinalibus suis, ut habetur ex Gestis Romanorum Pontificum. Sed ubi sperabat invenire requiem & præsidium, reperit inquietudinem & persecutiones maximas per Karolum Pacis Regem Apuliæ, quem ipse Regem fecerat, sibi paratas. Cujus molestias tandem sustinere dedignans, clam de Neapoli recessit cum Cardinalibus, & castrum Luteriense petiit, in quo postea Karolus ipsum obsedit usque ad victualium inopiam & famis perpessionem. Monasterium de antiquo Hilgendael Ordinis Præmonstratensium translatum est intra urbem Luneburgensem.

Quinto anno Wenzlai, qui est Domini DCCCLXXXV. Urbanus Papa privavit Karolum de Pace Regno suo Neapolitano, secundum Chronicam Romanorum. Rex autem hoc percipiens, ipsum in castro Luteriensi obsessum tenuit a principio Quadragesimæ usque ad festum B. Mariæ Magdalenæ, in qua obsidione Papa plura sustinuit incommoda & gravamina. Tandem venit maxima multitudo hominum de societate peregrinantium, quæ in fugam vertit Regis exercitum, sed tamen ipsum apud se detinuit liberatum de obsidione Regis, quousque Januenses venientes magnam pro eo pecuniæ summam solverunt, & ipsum secum in urbem Januensem perduxerunt. In castro autem Luteriensi, ubi Papa obsessus extiterat, ipse in crastino Circumcisionis sex notabiliores Cardinales captivaverat, quos pœnis coëgerat ad veritatis fassionem, ut scilicet dicerent, quod ipsum Papam vel tradendi vel intoxicandi voluntatem habuissent. Quos quidem Cardinales secum in Januam deduxit, & ibidem eos in carcere strangulavit. Albertus Dux Saxoniæ & de Luneburg obsedit castrum Rikeling, secundum Chronicam Saxonum, in quo erant Nobiles de Manslo, qui sibi rebellabant, & in Ducatu Luneburgensi plura mala suscitabant. Ubi præfatus Albertus Dux lapide machinæ percussus, crus amisit, & tandem interiit. Nec tamen cæteri obsessores ad rogatum dicti Ducis Alberti in ultimis constituti ob hoc ab incepto negotio destiterunt, sed in expugnatione castri perdurantes, tandem compulerunt Nobiles illos obsessos, ut castrum resignarent, salvis eorum vita & rebus, & terram exirent super gratia Wenzlai Ducis successoris Alberti. Magnus Dux Magnopolensis obiit circa festum Paschæ, secundum Chronicam Obotritorum, cujus obitus potius jocundus extitit suis quam dolorosus, eo quod Dominus fuisset infidus & dolosus, honestatem non curans militarem. Cujus Ducatum accepit Albertus filius Henrici Ducis Suspensoris Principis pacis. Cives Lubicenses convenientes cum Alberto Duce Magnopolensi, ligam fecerunt cum eo de pace generali servanda, & de persequenda impietate raptorum stratæ communis, secundum Chronicam Obotritorum. Qua confœderatione firmata, Dux Albertus una cum Lubicensibus, Rostoccensibus & Wismariensibus angulos raptorum intravit, eos expugnavit, & munitiones eorum destruxit. Capitanei autem raptorum & fautores eorum fuerunt, quos in dicta expeditione quærebant perdere Moltzan de Stortzowe, Hennekinus Mallin, de Gömetowe, Henricus Bülowe de Prensberge, Henricus Bülowe de Trützem, & Tydericus Bülowe de Radem. Osnaburgensis urbis cives litigantes cum Comite de Tekenenburg, collegerunt exercitum, auxiliantibus eis Monasteriensis urbis civibus, secundum Chronicam Saxonum, & intrantes Comitatum illius, expugnaverunt IX. castra jurisdictioni Comitis subjecta. Ultimo vero castrum Linghe obsidentes, Comitem in angustiam magnam constituerunt. Videns autem Comes, quod castrum prædictum civitatibus in obsidione positis resistere non posset, placitare cum eis cœpit, eorum amicitiam, licet tarde satis, recuperare affectans. Unde cives illi de Comite illo propositum suum obtinentes, coegerunt ipsum ad hoc, ut promitteret literis & juramentis, se amplius nunquam velle adversari civitatibus prædictis, sed eas in omni amicitia confovere. Karolus de Pace Regno Apuliæ jam privatus per Papam, ab Elisabeth Regina Ungariæ relicta Lodowici & Proceribus Regni invitatur contra Sigismundum, filium Karoli Imperatoris & fratrem Wenzlai Regis Romanorum novumque Regem Ungariæ, sed jam terra pulsum, secundum Chronicam Francorum, ut Regnum accipiat, & regnet super Ungaros. Qui cum in Regnum venisset, & jam XXXII. diebus in eo regnasset, cœperunt ipsum habere exosum tam Regina quam Barones & Nobiles Regni, & præsertim Maria uxor Sigismundi Regis expulsi, filia Lodowici Regis defuncti, ob præsumtuosa verba Karoli, quæ locutus fuerat. Dixerat enim stomachando, quod cito in Regem Romanorum coronari vellet, & tandem Karolus V. salutari semper Augustus, & quod Wenzlaum de suo Regno pellere vellet, sicut jam fratrem suum propulisset. Quorum verborum præsumtionem quidam Nobilis Mariæ Reginæ favens valde ægre tulit, & Karolum Regem propterea redarguit & reprehendit etiam tam dure, ut ipse Karolus motus dictum Nobilem ad maxillas percuteret. Quod videns famulus illius Nobilis, mox pugionem extrahens, Regem in caput tam fortiter percussit, ut cultellus capiti infixus per unum oculorum exiret. Quo facto, Rex cecidit, & spiritum mox efflavit. Defunctus ergo Karolus stetit inhumatus per longum tempus, ex eo quod per Urbanum excommunicatus esset, necdum a sententia esset absolutus. Omnes etiam Italici, qui cum ipso venerant, sunt interfecti ab Ungaris. Turris media Ecclesiæ B. Virginis in Sundis corruit clara die super dictam Ecclesiam, secundum Chronicam Lubicensem, & comminuit majorem partem basilicæ, & campanæ de turri cadentes fractæ sunt. Sed precibus Virginis Gloriosæ intervenientibus actum est Dei bonitate, quod nullus hominum ex periculoso casu illo læsus est,

licet

Digitized by Google

licet illa Ecclesia stetisset aperta, & plures per eam transissent, ut moris est in urbibus illis maritimis. Civitas nobilis Lubicensis tradita fuisset suis hostibus a pessimis quibusdam suis inhabitatoribus ipso die Lamberti Martyris, & capta, & omnes Consulares urbis illius interfecti fuissent, nisi Dominus Jesus de immensa sua clementia super eam vigilasset, & propositum diaboli ac membrorum ejus frustrans, manus traditorum abbreviasset, secundum Chronicam Lubicensem. Cujus quidem traditionis impositores & practicatores quatuor extiterunt mechanici, puta Henricus Paternostermaker, officium habens cognominis, Arnoldus Synnighe Varifex, Johannes Kaleveld & Hermannus de Mynda ambo pistores. Hi viri sangvinum & dolosi in quadam domo in foro Clingenberg sita convenire consveverunt, quam dictus Arnoldus Synnighe inhabitabat, cum de concepta traditione loqui vellent. Et astute procedentes in practica sua, cautelas adhibuerunt necessarias, ne consilium eorum occultum manifestaretur aut proderetur. Erat enim eorum hic practicandi modus, prout fassi fuerunt per se tormentis victi, quod cuicunque revelare volebant eorum propositum, illum prius oportebat facere juramentum, quod sive sibi placeret revelandum sive displiceret, nulli viventi ipsum diceret, quamdiu viveret. Quo juramento præstito, arcana cordis sui sibi aperiebant. Et qui tunc in eorum propositum consentiebat, illum signabant in chartulam quandam, qui vero eis adhærere in concepto malo renuebat, sacramento constrictum abire sinebant. Pauci tamen erant, qui negotio exposito dissentiebant, quia semper tales ad hoc vocare studebant, quos sciebant aliquas contra Consulatum concepisse displicentias. Et sic quasi de omnibus mechanicis sibi quosdam attraxerant, qui execrabile eorum propositum cum eis se expleturos promiserant. Disposuerant etiam ad extra cum aliquibus hostibus civitatis terræ Holtzatorum, quorum Capitaneus erat Dithlevus Godendorp, qui etiam idem negotium de traditione & captione civitatis prædictæ apud Nobiles Holtzatorum practicabant, cum eadem cautela de juramento præstando celationis, antequam sibi aliquid revelaretur. Et statuta est certa dies & hora, quando urbem ingredi deberent, quam eis sine omni fallo pro eadem hora aperire vellent. Quibus ingressis, viriliter eos juvare deberent in interfectione Consulatus, & vice versa ipsi intranei extraneos constanter juvare vellent in civitatis captione, & mercatorum & domicellorum spoliatione. Dies autem & hora eis præfixa fuerunt dies sabbatina, quæ erat festum S. Lamberti Episcopi & Martyris, & hora octava ante meridiem, & pro illa hora patula esse deberet valva urbis, & omne prohibens eorum introitum remotum esse debuisset. Quam quidem horam ut eo commodosius captarent Holtzati ingressuri, referuntur in nocte S. Lamberti jam venisse prope civitatem, & latitasse in parva dumo Risebusch dicta, ubi de mane visi fuerunt a rusticis ligna venalia ad urbem deferentibus, & hoc referentibus civibus. Cumque taliter, ut præmissum est, malitiosa hominum astutia singula ordinasset, divina bonitas ante oculos suæ clementiæ statuens continuum servitium fervens & devotum bonaque opera plurima suorum fidelium secularium & regularium utriusque sexus, quæ in dicta urbe fieri consveverunt, & singulis diebus fiunt, alium & sibi magis placentem incepti negotii disposuit & ordinavit finem & exitum. Fuerunt namque de Nobilibus & Militaribus illis, quibus lugubre hoc negotium revelatum fuerat quidam, quibus destructio tam nobilis civitatis, & tanta sangvinis innoxiorum effusio valde displicebat, qui forte requisiti pro adhæsione negaverant consortium, & abhorruerant maleficium. De his, inquam, probis viris unus, semota tardatione ulteriori, equum suum ascendit, & itinere celeri pergens, venit de vespere sextæ feriæ in urbem prælibatam, & intrans domum venerabilis viri Domini Johannis Persevale Proconsulis facie velata caputio, ne nosceretur, petiit pro eo, ubi esset, quia ad eum haberet verba, quæ perferret. Cui cum diceretur, quod non ipse, sed filius suus æquivocus præ manibus esset, ait: Vocetur ille, ut veniat. Cum autem filius prædicti Burgimastri præsens astaret, dixit Nobilis ille nuncius: Vidissem libenter patrem vestrum, sed quia illum pro præsenti habere non possum, contentus sum in persona vestra. Date, rogo, mihi potum, ut semel bibam, quia festinus veni per viam. Allatum ergo vitrum cum cerevisia vir ille accipiens in manus, gustavit de potu & dixit: Dico tibi vitro, & nulli alteri viventi, quod nisi cautum fuerit & circumspecte præpeditum hujus urbis imminens malum, cras hora septima vel quasi hæc civitas interius & exterius erit tradita in manus inimicorum suorum, & interficientur in ea omnes Consulares ejus & cuncti eorum fautores. Quo dicto, vitrum cum cerevisia ad parietem allisit, & mox equum suum ascendens, portam civitatis exivit. Auditis autem his verbis, Johannes Persevale, protinus consistorium petens ipsum ingreditur, & singula verba toti narravit Consulatui. Qui consternati valde ex relatione facta, negotium tam horridum & formidabile cum maturitate pertractantes, ad memoriam revocarunt pristina quorundam civium facta in eundem finem vergentia. Et singulis studiose pensatis, expediens fore concluserunt pro salute communi, ut mox omnia clauderentur valvarum ostia civitatis, & nocte futura & immediate sequentibus noctibus medius Consulatus vigilias noctis custodiret cum comitiva sufficienti, & diligenter respiceret totam urbem, circumeundo clausuras portarum, & an alicubi conventicula fierent quorumcunque in domibus aut vicis. Quod cum, sicut conclusum erat, nocte sequenti feriam sextam fecissent, Consules urbis invenerunt manifesta indicia & vestigia revelatæ traditionis ab incolis impositæ. Cumque prope domum Johannis Kaleveld pistoris in foro Klingenberg situatam unius de principalibus traditoribus pervenissent, equitando cum turma copiosa armata, expergefactus pistor ille & territus valde, de cubili protinus prosiliit, credens, quod hostes urbis a foris in auxilium eis adven-

Digitized by Google

adventuri, jam urbem intrassent. Sed cum luna clare micante videret equestres illos esse suum Consulatum & vasallos civitatis cum domicellis & mercatoribus multis, attonitus nimis & vix spiritum retinens dixit: O sangvis Christi, nimis diu dormitavimus. Mane ergo facto, suspicio facta est Consularibus propter quasdam conjecturas de Henrico Paternostermaker. Quem mox capientes, vinculis manciparunt. Qui statim fassus est scelus impositum, & dictum Johannem Kaleveld asseruit esse consentaneum suum. Audientes autem, dictum Henricum reum esse traditionis tam nefariæ, commoti valde satellites civitatis, qui ipsum ceperant, cum tanta furia ipsum in locum furum projici fecerunt, ut ex casu illo parum superviveret, in eodem loco decedens. Quem tamen postea cum aliis mortuum traxerunt per plateas, & rotatum in quatuor partes diviserunt. Deinde proditum Johannem Kaleveld inquirentes, inventum captivaverunt, & ab eo tormentis gravibus tam complices suos quam totam seriem negotii extorserunt. Et sic ex fassione sua captus est Hermannus de Mynda pistor, tertius principalis impositæ traditionis. Quartus vero impositor principalis dicti sceleris Arnoldus Synnighe nuncupatus, eodem mane audita captura Henrici Tornatoris Paternoster, mox fugam capiens, subtiliter elapsus est. Ex fassione ergo trium prædictorum plures capti sunt de singulis officiis mechanicorum, & præsertim de carnificibus multi proditi fuerunt, de quibus omnibus quidam rotati sunt & divisi in partes quatuor, quidam simpliciter rotati, quidam decollati publice & quidam occulte. Divisi autem in partes positi fuerunt ad quatuor plagas urbis. Tot vero de die in diem prodebantur per captos de dicta proditione rei, quod tandem Consulares misericordia moti super miseris mitius agere inciperent cum eis, quosdam solum decollando, pluribus prius miserabiliter tractis per plateas & rotatis, quosdam nocturnis temporibus interficiendo, ne parentela confunderetur, & demum omnes licentiando, ut fugerent, qui se reos in facto sentirent. Et quia Deus misericors misericorditer de sua benignitate magna dictam civitatem a tanto periculo liberavit: idcirco in signum gratitudinis & in rei factæ memoriam perennem, singulis annis in die S. Lamberti Martyris prælibati, Consulares urbis solenniter celebrari faciunt & decantari in organis majoribus in singulis Ecclesiis dictæ civitatis missas de S. Trinitate, de B. Virgine & de prædicto Martyre. Cum autem dies & hora Nobilibus Holtzatorum designata adessent, ipsi cum suo exercitu modo eis dato valvis urbis se præsentaverunt. Sed eis clausis inventis, & signis proditi consilii repertis, confusi recesserunt. Conradus Fratrum de domo Teutonica Magister terræ Pruthenorum cum maximo exercitu Lithuanorum terram repetens, secundum Chronicam Lubicensem, bellum durum habuit cum Witholdo filio Kinstoti Regis, & ipsum captivans secundario, ab eo in promisso recepit, quod baptizari vellet, & bonus fieri Christianus. Super qua promissione facta juramentoque firmata dictus Magister Conradus tria castra suo Ducatui contigua sibi legavit, ut de illis sibi rebelles subjugaret Christianus factus, & ad titulum Christianitatis profitendum suos subditos compelleret. Quibus castris receptis, omnes Christianos in eis inventos interfecit, & castra illa incendio consumta solo æquavit. Comes Virtutum die sequenti B. Valentini bellum gessit cum Barnabo Domino Mediolanensi tyranno impiissimo, secundum Chronicam Romanorum, & victor factus ipsum captivavit, & in turri fortissima commendavit (legend. & turri fortissimæ commendavit), ac dominium suum obtinuit, eo quod ipse multa mala Ecclesiæ intulisset. Hic Barnabo tyrannus diversis Religiosis confusiones & injurias irrogavit, & præsertim Fratribus Minoribus, quibus babata affigi fecit gumphis ad pedes eorum tanquam caballis, pro eo quod, ut sibi videbatur, nimium discurrebant per urbem Mediolanensem. Providit enim eis per hoc, ut calceis suis parcere possent. Tempore autem quodam generale eorum Capitulum celebrari debebat in Mediolano, ipso protunc Domino civitatis existente. Ad quod quidem Capitulum Gardianus eorum Magister in Theologia petere volens subsidium a prædicto Barnabo, accessit ad portam palatii Domini, desiderans intromitti ad præsentiam ipsius, ut unicum verbum sibi loquatur. Custos autem portæ vadens ad Dominum nunciavit, Fratrem adesse Minorem, qui peteret introitum ad gratiam suam, ut solum verbum sibi diceret. Dominus autem præfatus non bene potens sustinere Fratres illos, cum audisset, Fratrem illum nisi unicum verbum sibi velle loqui, & non valeret subito excogitare verbum, per quod totam orationem mendicativam exprimere posset, dixit portario: Intromittas Fratrem illum, sed dicas ei seriose, quod si plura verba locutus fuerit coram, quam id solum, quod proponere promittit, mendacii sui gravem a nobis reportabit vindictam. Audiens autem Gardianus ille serum tyranni a portario sibi proponi, & timens furiam sævientis Domini, composuit in animo verbum, per quod solum suum exprimeret intentum. Et veniens ad Dominum, cecidit ad genua reverentiam ei exhibendo, & dixit voce sonora: Vipa (Vipa enim edulium est ex vino & pane factum), per hoc verbum mendicare intendens in subsidium Capituli panem & vinum. Barnabo autem attendens astutiam Fratris, & intelligens ipsius intentionem, fractus in furia sua subrisit ob verbum illius Fratris, & jussit sibi ministrari copiam utriusque. Maximum prœlium commissum est inter Reges Hispaniæ & Portugalliæ, secundum Chronicam Francorum. Nam Rex Portugalliæ acceperat crucem ab Urbano Papa contra Regem Hispaniæ, qui Clementem Antipapam defensabat, & pugnavit cum eo, & interfectis quasi omnibus de exercitu Regis Hispaniæ, vix ipse Rex cum paucissimis evasit. Conradus Magister Fratrum de domo Teutonica terræ Prutziæ ingressus cum tota potentia Regnum Lithuanorum, venit ad flumen Mergan, secundum Chronicam Lubicensem, ubi invenit Regem Styrgail cum maxi-

Digitized by Google

maximo exercitu vada fluminis observantem,& transitum eorum impedire nitentem. Sed Christiani Dei adjutorio freti pertransierunt vadum cum salute fugantes exercitum Paganorum cum magna cæde. Ingressi ergo terram opulentam frumento & pecudibus, vastaverunt omnem illam regionem, interficiendo omnem hominem inventum, & perseverantes in tali exterminatione per XXII. dies, asportaverunt bona maxima. Interim vero ut Christiani essent occupatione in depopulatione terræ, Stirgail collegit infinitam multitudinem Lithuanorum & aliorum circumjacentium Paganorum, & occupans vada, per quæ Christianos necessario oportebat exire, magnis arboribus cæsis & fossatis profundis, præstolabatur eorum exitum. Qui cum egredi vellent cum præda, invenerunt vada præclusa & vias invias factas. Sed Christiani in Domino confidentes viriliter se excusserunt de jugo barbarorum, & cum præda capta victoriose redierunt, occisis ultra VIIIM. Lithuanorum viris.

Sexto anno Wenzlai, qui est Domini MCCCLXXXVI. Carnifices & pistores opidi Tanklem Ducatus de Wolgast ad instar urbis Lubicanæ civium concitaverunt communitatem contra Consulatum suum, moti ex hoc, quod de villis vicinis rurales apportare permittebantur carnes & panes, quia ex hoc ipsi, ut causabantur, damna & exterminia paterentur, non curantes, quod pro communi bono talis esset permissio. Unde conspirantes in invicem, observabant Consulatum integraliter esse congregatum in consistorio. Quo habito, venerunt armata manu, & fores consistorii violenter rumpentes, in Consulares furibundi irruerunt, & gladiis suis omnes occiderunt, demto uno, qui eo quod pridie, quam hoc fieret, uxorem duxerat, absens erat. Sed cum quasi insanientes de consistorio currerent, ipsum obvium in platea habuerunt. Ad quem unus carnificum rabido cursu prosiliens, ipsum fuste ad caput percussit, prostravit & interfecit. Occiso ergo sic integro Consulatu, latrones una cum aliis potioribus mechanicis novum Consulatum instituerunt, & sedibus suis installaverunt. Bugslaus autem de Wolgast audiens lugubre hoc factum, non condignam talionis pœnam, sed pecuniariam de interfectoribus expetens, constitutum novum a communitate confirmavit. Judæi magnam habuerunt convocationem in Witzenfeltz terræ Misnæ, secundum Chronicam Saxonum, & ad illam congregationem convenerant de omnibus partibus mundi, & præsertim a Jerosolymitanis plagis & de Italia, celebraturi quasi generale Concilium. Et a Principibus terrarum obtinuerant salvum conductum, ut secure venire & redire valerent, sed propter quid convenerant, sciri non poterat. Erat autem protunc quidam pauper Nobilis, degens prope castrum Gevekensteen juxta urbem Hallensem. Hic accepit ad se quosdam alios Nobiles indigentes & militares plures, & observavit reditum illorum Judæorum. Qui cum pertransirent locum, ubi insidias posuerant, irruit repente super improvidos, & plures ex eis interficiens, quosdam vero capiens, spoliavit illos, & bona eorum diripuit. Valuit autem spolium illud ad VM. sexagenarum Bohemicalium. Cumque illi, qui subterfugerant manus raptorum, causarentur de spoliatione eorum coram Marchione Misnensi Wilhelmo, & iste Nobilis citaretur ad respondendum, cur salvum conductum Marchionis prævaricatus fuisset, comparens respondit: Ex jure divino inimicus Ecclesiæ & injuriator illius nullis gaudere debet emunitatibus & libertatibus Ecclesiæ ejusdem. Sed nec Dei inimicus securari potest a quocunque homine. Et sicut inimicus Domini mei terrestris est hostis meus, sic multo magis inimicus Dei mei, qui est cœlestis Dominus meus & Creator, est hostis meus. Et quia Judæus quilibet manifestus & publicus Dei hostis est, ideo est & publicus hostis meus. Et ergo bona, quæ ab eo sustuli, bona sunt publici inimici mei. Unde juste ea rapui, & juste possidebo. Nec spero, me deliquisse, sed fideliter egisse circa Dominum meum. Margareta relicta Haquini Regis Norwegiæ & filia Woldemari Regis Danorum, cœpit esse Domina trium Regnorum, puta Daciæ, Sweciæ & Norwegiæ, secundum Chronicam Danorum, & potenti manu sagacique ingenio illa rexit, quoad vixit. Modus autem acquisitionis illius Tetrarchiæ & dominii illorum Regnorum fuit talis: Cum civitates stagnales terram Scaniæ resignassent eidem Dominæ Margaretæ & Olavo filio suo, quam jam per XVI. annos possederant pro recompensatione damni, quod dictæ civitates passæ fuerant ex parte Regni Danorum; ipsa intravit Jutiam, & tenens ibidem diem placitorum, cum Comitibus Holtzatorum, pacem fecit cum eis perpetuam. Concessit etiam protunc eisdem Comitibus & suis successoribus Ducatum Sleswicensem jure hæreditario possidendum, dummodo tamen infeodationem a Regno Danorum reciperent modo debito & consveto, & evocati sibi servirent. Cum autem hoc factum esset, timor invasit omnes Regni Proceres & Nobiles milites ac militares, scientes Reginam mulierem esse astutam valde & potentem. Unde venientes omnes, subdiderunt se sponte sibi & Olavo filio suo. Margareta vero prudenter agens, convocari fecit singulos singuli Regni Advocatos, & cum illis transiens de castro ad castrum, absolvit unum Advocatum unius castri, & posuit eum advocatum alterius castri. Sicque faciendo cum omnibus, misit illos de una advocatia ad alteram, prout Abbas mittere consvevit Monachos suos de uno Monasterio ad aliud. Et sic infra quartale unius anni mulier illa sagax & industria, quæ prius pauperrima fuerat, eo quod omnia ejus castra impignorata tenerentur, ditissima & potentissima effecta est, possidens jam ex parte viri sui Norwegiam defuncti, ex parte patris similiter defuncti Daciam, & de proximo possessura Sweciam per Regis Alberti capturam. Yagail Rex Lithuanorum baptizatur in urbe Krakovia in majori Ecclesia, secundum Chronicam Lubicensem, & Bolezlaus nuncupatur, ac Hedwigis filia Lodowici Regis Ungariæ defuncti sibi in matrimonio copulatur, licet contra ipsius volunta-

Digitized by Google

luntatem, & sic pariter in Regem Poloniæ coronatur cum uxore sua sponsa. Multi etiam Nobiles milites & militares Lithuanorum cum suo Rege sunt baptizati. Hæc Hedwigis Regina prius desponsata fuerat Wilhelmo filio Lippoldi Ducis Austriæ, sed ei violenter ablata isti in uxorem dabatur ea invita. Fratres de domo Teutonica terræ Lyvoniæ cum suo Magistro Wenemaro terram intrarunt Lithuanorum, maximum exercitum ducentes, auxilium eis ferente Rege Ruthenorum de Ploscowe, secundum Chronicam Lubicensem. Cum quibus bellum aggredientes, captivaverunt ex ipsis duo millia & CC. ceperuntque de equis eorum tria millia, & interfecerunt populum innumerum. Quidam de familia Ditlevi Godendorpes Nobilis terræ Holtzatorum, sed raptoris stratæ communis, deprædati sunt cives urbis Lubicensis, secundum Chronicam Obotritorum, sed in tali facinore deprehensi per stipendiarios dictæ civitatis suspensi sunt in patibulis. Quod audiens præfatus Ditlevus raptor, coadunatis aliis prædonibus, insidias posuit prætactis stipendiariis, & mittens quosdam de suis ad villam Kürowe, præcepit illis, ut dictam villam spoliarent, & in casu, si satellites Lubicenses eos persequi tentarent, ut præsumebat, quod tunc fugam simularent usque ad eos, designans eis locum, ubi latitare vellent. Cumque sic fieret, ut præfertur, & raptores illi villam spoliassent, statim innotuit Lubicensibus spolium esse commissum. Qui mox mittentes Advocatum eorum Heynonem Scarpenberg, & Wendelbernum Bernstorp Advocatum opidi Molne cum stipendiariis utriusque civitatis, mandarunt ipsis, ut raptores viriliter persequerentur. Veniens autem in campum Heyno Advocatus Lubicensis, divisit socios in tres turmas, puto octo ad unam plagam, quibus præfecit Hermannum Korner in Capitaneum, & octo ad aliam plagam, quibus in Capitaneum præfecit Hermannum Kran. Ipse vero Heyno Advocatus Lubicensis cum Wendelberno Advocato apud se retinuit X. satellites, & tenere decrevit mediam viam, ut sic infallibiliter una illarum turmarum apprehendere posset hostes, ne evaderent; & quæ turba inimicos primo inveniret, fugam simulare deberet, & turmam mediam inquirere cum eis. Media autem via tendebat versus opidum Kil, quam Advocati verius præsumebant raptores illos velle transire, & ideo ipsi illam cum majori turba tenuerunt, certificati quodammodo vestigiis equestrium multorum repertis. Cum autem Advocati prædicti cum suo cumulo opido Kilensi appropinquarent, Ditlevus Godendorp sæpe dictus de insidiis subito erumpens cum forti exercitu Holtzatorum irruit super Advocatos prælibatos. Ipsi tamen equis velocibus insidentes cum se perditos conspicerent ob multitudinem hostium, calcaribus utentes equos agitabant, & ante raptores viam apprehendentes, opidum Kilense præsidio capere conati sunt. Sed videntes cives angustiatos Lubicensium vasallos, ipsis refugium negaverunt, & fores opidi coram eis clauserunt. Tunc Advocati spe evadendi privati, hostibus faciem dederunt, & viriliter cum eis dimicantes, ac plures trucidantes, tandem & ipsi mactati sunt. Cum autem præfatus Hermannus Korner cum suis octo sociis latrones inquirens, per comperta vestigia versus opidum Kil tenderet, ignarus illius, quod circa dictos Advocatos actum fuerat, venit ad locum, ubi socios reperit interfectos. Unde valde dolens, quod factum erat, opidum ipsum intravit, redarguens Kilenses, quod tam impie erga suos egissent amicos præcludendo eis viam refugii. Et conducens ibidem currus, interfectos in eis locavit, & versus urbem Lubicanam eos vexit pariter & introduxit non sine populi magna commotione & mœrore. Sepulti autem sunt prædicti Advocati in Ecclesia S. Jacobi Apostoli urbis ejusdem. Tidericus Comes de Werningrode vocatus est per Principes Saxoniæ, qui pacem communem juraverant, ad colloquium, secundum Chronicam Saxonum. Qui veniens in Blankenburg opidum, accusatus est per Bossonem Comitem de Regensten coram Alberto de Quervorde Archiepiscopo Magdeburgensi, Ottone Duce de Leyna, Henrico Comite de Honsten, & cæteris Nobilibus in die B. Mariæ Magdalenæ tanquam pacis juratæ violator & perjurus. Qui mox a dictis Principibus condemnatus est, & suspendio adjudicatus. Qua sententia prolata, Conradus de Werningrode armiger accessit, & jussus a Principibus proprii Domini sui caput vulneravit. Quo facto, mox cæteri Nobiles pugiones suos corpori Comitis infixerunt, & sic interfectum freno sui caballi appenderunt in signum suspensionis. Romæ tenebræ fuerunt densissimæ, secundum Chronicam Romanorum, durantes per XXXVIII. horas, ita ut in die vix homo vicinum suum cernere valeret. Facti etiam sunt ibidem pro eodem tempore terræmotus maximi, propter quod vulgus & Clerus lætanias decantarunt, Dominum deprecantes, ut furorem suum ab eis clementer averteret. Lippoldus Dux Austriæ duro bello aggressus est Swyceros, secundum Chronicam Francorum, pro eo quod urbes & castra, quæ ad Ducatum suum alias pertinuerant, ad redimendum pro pecunia sibi tradere nolebant. Sed Swyceri conglobati maxima multitudine miserunt tria millia virorum fortium in occursum Ducis, ut cum eo prœliarentur. Quos Dux aggressus, plures ex ipsis stravit, cæteros fugans usque ad interiora montium. Tunc totus exercitus Swycerorum latitans in montibus erupit, & Ducem cum suis circumdans cum XXXM armatorum, quasi universum Ducis exercitum contrivit. Ubi occumbens Lippoldus Dux cum fere XVIII. Principibus, cunctus ejus populus aut interfectus est aut captivatus. Præpositus Ecclesiæ Coslinensis electus in Antistitem dictæ Ecclesiæ, secundum Chronicam Obotritorum, cum esset in via transeundi versus Stetyn, ut ibidem consecraretur, a famulo suo cibum cum cultello sibi appodiante intoxicatus est. Nam cornu quoddam veneno plenum habens sub brachio sinistro, in ipsum totiens cultellum trusit, quotiens Domino suo cibum apponere voluit Mortuus est ergo subito in prandio illo illo sine Sacramentis.

Digitized by Google

mentis. Albertus Sweorum Rex solennem tenuit curiam in Wismaria urbe Obotritorum, secundum Chronicam eorundem, ad quam multi Principes convenerunt, puta Wenzlaus Dux Saxoniæ, Bugzlaus Dux de Wolgast, Ericus Dux de Lowenburg, Nicolaus Comes Holtzatorum, Adolfus Comes de Schowenburg, Otto Comes de Hoya, Guntherus Comes de Rupin, Laurentius Dominus Slavorum, & plures alii Nobiles milites & militares. Affuerunt etiam dictæ curiæ Consulares & Domicelli diversarum civitatum, & honestas curiæ illius ac gloria in actibus militaribus ibidem exercitatis data est per nobiles mulieres Henningo Koninghesmarke militi strenuo & famoso. Et duravit solennitas curiæ illius per octo dies, in quibus fiebant torneamenta, hastiludia & cætera exercitia militaria. Domicelli urbis Lubicensis in Carnisprivio elegerunt XII cœcos validos, quos prævie crapulis & potationibus reficientes, lætos & audaces fecerunt, secundum Chronicam Lubicensem, deinde loricis thoracibusque ac cæteris armis veteribus corpora eorum induerunt, & capitibus eorum galeis inversis impositis, ne videre possent, cœcos se mentientes, ad pugnandum eos disposuerunt. Quibus sic armatis dabatur cuilibet clava ad manum, & introducebantur in locum in publico foro ad hoc spectaculum factum quadrangularem asseribus circumdatum. At ubi dum starent armati ad certamen ridiculosum, introducebatur ad eos porcus quidam fortis, quem ictibus mactare debebant & percussum devorare. Ad quod jocale insolitum congregabantur nedum parvuli & juvenes, sed & senes & provecti, mulieres & virgines, Clerici & laici, præstolantes, quid dicti cœci cum porco essent acturi. Porcus vero ille sentiens se conclusum inter illos, cessit ictibus, in quantum potuit, & cum tangeretur ab uno feriente se clava, cucurrit furibundus per medium cœcorum, & simul quandoque tres vel quatuor cursu suo rabido dejecit. Cœci autem cæteri stantes cum sentirent socios cadere, credentes porcum esse, fortiter percutere conati sunt, & sic durius cædendo socios pro porco straverunt. Cumque sic diutius laborassent, se invicem potius quam bestiam fatigando, alligata est collo porci nola, ut vel sic saltem ipsum percutere valerent. Quo facto, miseri illi fortius & plus solito se ipsos cædere cœperunt. Nam porco sonante per nolam, quilibet ipsum prope se fore æstimabat, & sic viriliter percutiendo quandoque simul tres vel quatuor in unum clavis suis impingentes, ipsum ad terram violenter prostraverunt læsum. Tandem porcus agitationibus variis potius quam ictibus hinc inde discurrendo fessus, a cœcis illis prosternitur & occiditur, & sic ludus ille terminatur. Conradus de Gysenhem Episcopus Lubicensis obiit sequenti die S. Trinitatis, secundum Chronicam Lubicensem, in cujus sedem electus est Dominus Johannes Clendenst, qui alias etiam electus fuerat, quando Papa dederat Fratrem Nicolaum de Ordine Prædicatorum in Episcopum eidem Ecclesiæ. Agnes mater Wenzlai Ducis Saxoniæ & soror Adolfi Comitis de Schowenburg obiit, secundum Chronicam Saxonum, & sepulta est in Razeburg. Hæc Domina tam virilis extitit, ut toto tempore, quo Ericus Dux de Lovenburg maritus suus in peregrinatione Jerosolymitana erat occupatus, ipsa plura bella personali præsentia gereret contra terræ suæ hostes. In senectute autem sua Dominus eam visitavit, cœcitate eam percutiens.

Septimo anno Wenzlai, qui est Domini MCCCLXXXVII. Bernhardus filius Magni Ducis de Zangerhusen captivatur a Nobilibus de Stenberghe, secundum Chronicam Saxonum, & in Bodenburg castro vinculis mancipatus diu tenetur, sed tandem redemtus est solutione VII florenorum. Gotingensis civitas obsidetur per Ottonem Ducem de Leyna proprium ejus Dominum, secundum Chronicam Saxonum. In obsidionis autem hujus tempore Otto Dux castrum construxit prope urbem, ut per ipsum eam expugnaret. Sed cives nacta oportunitate suam civitatem unanimiter exierunt, & castrum illud cum instrumentis ad hoc factis funditus destruxerunt. Quod videns Otto Dux, placitare cum civibus statuit, & eorum pertinaciam formidans amicabiliter se cum eis composuit. Engelbertus Comes de Marka resumsit litem antiquitus habitam cum urbe Tremoniensi, cui auxilio fuerunt Fredericus Archiepiscopus Coloniensis & Johannes Dux de Monte. Et construxit dictus Comes Engelbertus tria castra prope urbem, secundum Chronicam Saxonum, de quibus prohibuit, ne civitati aliquid adduceretur. Ad intra tamen cives concordes & unanimes existentes, sua sagacitate & virilitate hostibus restiterunt. Olavus Rex Danorum juvenis, filius Margaretæ & Haquini Regis Norwegiæ viam universæ carnis transivit, secundum Chronicam Danorum, post cujus mortem Margareta Regina virum induens, & gladio femur cingens, Danorum Norweorumque Regna ad manus accepit, & ipsa provide ac sagaciter gubernavit. Fredericus Rex Francorum cum grandi exercitu portui Swen applicuit, secundum Chronicam Francorum. Ubi capiens omnes mercatorum naves ibidem inventas, eas viris armatis onustavit, & bellicis instrumentis aptis ad expugnationem urbium & castrorum, & elevatis velis, iter suum direxit versus Angliam, sed importuno vento repulsus, castrametari coactus est apud Burdeum. Ubi cum venisset, naves suas victualibus replevit, & iterum navigando mare cum suo exercitu obvios recepit Anglicos in multitudine armatorum. Ubi ambo exercitus navali bello congressi acriter pugnarunt. Sed Anglici victoria potiti, ceperunt omnes Francorum naves, quas una cum pugnatoribus secum in Angliam deduxerunt, Principes tamen Franciæ in parva navi elapsi manus hostium suorum evaserunt. Post hoc statim Anglici cum eisdem navibus exeuntes Regnum suum, & in portum Swen pervenientes, spoliaverunt Kracas & galeyas mercatorum, & bona immensa ex eis receperunt. Dehinc in eodem transitu navigantes in portum alterum Secanam dictum, rapuerunt omnia ibidem inventa, navesque innumeras igne

Digitized by Google

igne concremarunt. Circa festum Margaretæ Virginis Beatissimæ facta est magna congregatio civitatum de Ansa in urbe Lubicana, secundum Chronicam ejusdem, ad quarum conventionem venerunt & Albertus Sweorum Rex, Margareta Regina Daciæ & Norwegiæ, Ericus Dux de Lovenburg, Nicolaus & Adolfus Holtzatorum Comites, & plures Nobiles milites & militares. Affuerunt insuper & plures Ambasiatores diversorum Principum, puta Ducis Burgundiæ, Comitum Flandriæ & Hollandiæ. Civitatum quoque Consulares missi sunt illac, puta Gandavensis, Brugensis, Yporensis, Dordracensis, Sutphaniensis, Rigensis, Darbatensis, Thoronensis, Elvingensis, Rostoccensis, Hammeburgensis, Bremensis, Sundensis, Gripeswaldensis, Luneburgensis & Wismariensis. Hi omnes diversa negotia tractabant, Regna, civitates & mercatores concernentia. Cives autem Lubicenses singulares deposuerunt querimonias contra Holtzatorum Comites, eo quod latrones, traditores & raptores publicos defenderent & foverent. Ubi tandem post diversas altercationes conclusum fuit, ut omnes prædicti latrones caperentur, ad quamcunque plagam aut terram declinarent vel Regnum, & quod nullibi tuti haberentur, fautores vero, defensores & hospites eorum pari pœna punirentur per Dominos vel civitates. Sigismundi frater Wenzlai Regis Romanorum factus Rex Ungariæ, secundum Chronicam Bohemorum, ab uxore sua Maria filia Lodowici Regis Ungariæ defuncti haberi cœpit contemtui & parvipendi in omnibus factis suis. Ipsa enim quasi Rex omnia Regni negotia disponere nisa, mandata Sigismundi viri sui irritare & annullare studuit. Fecit insuper propriam fieri monetam, & in florenis sculpi fecit Maria Rex Ungariæ. Quod ut Regni Proceres viderunt, Regem arguere cœperunt, asserentes, Regio honori non esse conveniens, mulierem principari viro tam industrio. Rex autem exacerbatus pariter & animatus talibus increpationibus, Reginam ad locum secretum recepit, & eam tam dure castigans correxit, ut veniam a Rege petens, emendam & subjectionem debitam promitteret. Quod & non diu post facto evidenti ostendit. Erant enim tunc temporis quidam potentes Regni Proceres, qui vitæ Regis insidiabantur. Hi intelligentes, Reginam a Rege dure correptam esse, æstimabant eam more fœmineo ob hoc Regi indignari, ab ipsa sciscitati sunt, an nocte proxime futura Rex ei condormire vellet, promittentes, se injuriam suam velle vindicare. Quibus respondit quod sic. Quo habito, disposuerunt se, ut Regem nocte proxima apud Reginam interficerent. Maria autem Regina ut nobilis & generosa mulier faciens, & interitum viri sui abhorrens, Regem seorsum alloquitur, dicens: Quia Sancti Apostoli Pauli doctrina instruimur, malum pro malo reddere non debere, sed malum in bono vincere, moneo te, ne hac nocte mihi condormias, quia si hoc feceris, ab æmulis tuis interficieris. Quæsita enim sum, an mecum eris futura nocte, & dedi sciscitantibus affirmativam, volens experiri malum contra te conceptum. Rex igitur gratus uxori simulavit se mansurum apud Reginam per noctem, sed sero facto elapsus est clanculo. Cumque in noctis silentio hostes sui se armassent, & cubiculum Regis vi rumpentes cum impetu intrassent, solam Reginam invenerunt in lecto simulatorie dormitantem, sonitum per nares in signum profundæ dormitionis faciendo. Quod ut viderunt, confusi & consternati facti dixerunt ad invicem: Hæc meretrix procul dubio secretum nostrum prodidit, & Regem admonens abire fecit, & idcirco a nobis pro Rege merito interficienda est. Ad quod verbum unus illorum motus, & Reginæ misertus dixit: Non potest, fratres, hoc esse verum, cum recenter & in brevi Rex crudeliter eam tractaverit. Talibus igitur verbis aversi a proposito malo cubiculum exierunt, nihil mali Reginæ inferentes. Mane autem facto Regina, quid sibi acciderat, Regi retulit, & personas honori suo & vitæ insidiantes prodidit. Quos omnes Rex capiens fecit decollari, & post illum diem uxorem suam valde dilexit.

Octavo anno Wenzlai, qui est Domini MCCCLXXXVIII. Civitates de Ansa iterum in Lubicensi urbe congregatæ, secundum Chronicam ejusdem, statuerunt, ne amplius quisquam mercator sub pœna privationis vitæ & omnium rerum suarum cum Flamingis se occuparet in quibuscunque negotiis, quousque dictæ civitates aliud decernerent faciendum. Hoc quidem edictum a dictis civitatibus ideo emanavit, quia Flamingi & præcipue Brugenses mercatoribus orientalibus injuriantes, privilegia eorum temeraverant, & jura eorum antiqua violare non cessabant. Idem statutum pro eodem tempore factum est contra Neugardiam & Ruthenorum fines visitantes causa mercantiæ propter eandem injuriam mercatoribus factam. Wenzlaus Dux Saxoniæ & Luneburgensis intoxico, ut famabatur, periit, vir pacificus & Deum timens, secundum Chronicam Saxonum. Pro eodem tempore Albertus Dux Magnopolensis filius Henrici Ducis obiit juvenis existens. His etiam diebus obiit Domina & mater Frederici, Bernhardi & Henrici Ducum de Brunswic, relicta Magni Ducis de Zangerhusen. Wilhelmus Dux Gelriæ acutissimum bellum gessit cum Duce Brabantiæ, secundum Chronicam Francorum, & victoriam de Brabantinis obtinens, captivavit circiter CCCC. Nobiles innumeris interfectis, licet Brabantini in decuplo plures armatos habuissent. Fredericus Francorum Rex venit cum multo populo contra Wilhelmum Ducem Gelriæ, secundum Chronicam Francorum, & intrans Ducatum Juliacensem, non audebat Ducatum Gelriæ ingredi. At ubi cum Rex esset, quanquam stipatus multis millibus armatorum, multa tamen passus est detrimenta exercitus sui, nihil memoria aut scriptura dignum agens contra dictum Ducem. Videns ergo Wilhelmus Dux, Deum misericorditer ipsum protexisse, & victoriam sibi de hostibus suis contulisse, concepit ad Dei honorem & sanctæ fidei defensionem proficisci velle contra Paganos; & propositum suum ad effectum salutarem perducens, arripuit iter cum pulcro exercitu,

Digitized by Google

citu, & transiens per Westphaliam & Saxoniam, venit tandem in Ducatum Pomeranorum, ubi a vasallis illius Ducis, eo dissimulante captivatus est, multis de suis interfectis, & ductus est in castrum Valkenburg. Quod percipientes Fratres de domo Teutonica terræ Pruthenorum, cum maximo exercitu venerunt, & castrum dictum obsidione vallarunt, & expugnantes ipsum cum instrumentis debitis, tandem ipsum ceperunt, Ducemque Wilhelmum libertati restituentes, multos de castellanis suspenderunt, alios captivantes. Dux vero infamiam militiæ formidans, liber esse noluit, nisi ille, qui ipsum ceperat, lingva & manu captivitatem relaxaret, & juri suo renunciaret, quod in eo per capturam sibi vendicaverat. Quod cum factum esset, Dux sub salvo conductu Principum ad propria reversus est. Pestilentia gravissima partes maritimas & præsertim urbem Lubicanam molestabat, secundum Chronicam ejusdem, quæ incepit circa festum SS. Petri & Pauli fortius desævire, & durans usque ad festum S. Martini, plusquam XVIIIM. hominum absumsit. Congregatio Principum magna facta est in Nuburg Regni Danorum, secundum Chronicam eorundem, & præsentes ibi fuerunt Margareta Regina Daciæ & Norwegiæ. Gerardus Dux de Sleswic, Nicolaus & Adolfus Comites Holtzatorum, multique Episcopi & Prælati. Ibi quoque contractus alias conceptus inter Regnum Danorum, Ducem de Sleswic & Comites Holtzatiæ ac confœderatio utriusque partis conclusa sunt & consummata hoc tenore, puta quod Comites Holtzatorum Ducatum Sleswicensem jure hæreditario amodo possidere debebunt, sed infeodationem ipsius humiliter recipere a Regno tenebuntur, & de Ducatu illo in suis necessitatibus ipsi Regno famulari; quodque senior Comes de Holtzatia succedere debebit defuncto Duci Sleswicensi, si in casu defunctus Dux liberos post se non reliquerit. Insuper ibidem diffinitum est, quod amodo nulla lis aut discordia suboriri debebit inter Daciæ Regnum & Comites prædictos. Siqua vero controversia in futurum surrexerit, tunc Dani debebunt eligere de Holtzatis Nobiles, & vice versa Holtzati duos Nobiles de Danis eligere habebunt. Et hi quatuor litem illam submovere & sopire facultatem habebunt juxta posse. Si vero hi quatuor pacem facere non poterunt, tunc ipsi quatuor sic electi ultra se tenebuntur eligere unum, in quo pendere debebit totum discidium, ut, quicquid ipse dixerit faciendum, utrique parti placere omnino debebit sine ulteriori contradictione. Cæterum statutum est ibidem & laudatum, quod una pars alteri tenebitur esse præsidio, & in auxilium sibi venire in omni necessitate, ad quam postulabitur. Hæc quidem sic conclusa, diffinita & arbitrata sunt sigillis utriusque partis roborata in perpetuum duratura. Dux Lancastriæ Richardus Regni Anglorum, secundum Chronicam Francorum, fit Rex Hispaniæ. Pro eodem tempore Papa Urbanus obiit, cui epitaphium tale sculptum extitit:

Urbanus calvus jacet hic sub marmore duro.
Utrum sit salvus, non curavi neque curo.

Wennighe castrum expugnatum est, & captum per Lubicenses & vasallos Adolfi Comitis Holtzatorum, secundum Chronicam Lubicensem, & mox incineratum & funditus eversum.

De Bonifacio IX. Papa Rom. CCXI.

Bonifacius Papa, natione Neapolitanus, ex patre Stephano, sedit annis XV. mensibus duobus & diebus sex, secundum Chronicam Romanorum. Hic prius Petrus dictus Cardinalis fuit Ecclesiæ Romanæ, & electus ac coronatus est ibidem in die Quatuor Coronatorum. Iste bonus temporalis extitit & largus, diversos annos jubilæos constituens in diversis mundi partibus, motus necessitate & utilitate Ecclesiæ Romanæ, cujus patrimonium per pecunias pro Deo sibi oblatas redemit & libertavit per prædecessores suos alienatum. Margareta Regina Danorum & Norwegiæ, secundum Chronicam Danorum, ædificavit castrum novum contra Axewalde castri Alberti Regis Sweorum, & posuit in eo Capitaneum suum Swarte Schonnig nuncupatum. Præter cujus castri fundationem castellani in Axewalde degentes maximam victualium passi sunt penuriam. Quod Albertus Rex intelligens & ægre valde ferens, Margaretæ Reginæ pacem interdixit, & mox colligens exercitum validum de Obotritis, Saxonibus, Slavis & Sweis, proposuit dictum castrum suum Axewalde ab inopia & penuria illata eripere, & ipsum victualibus relevare. Quo per Reginam cognito, ipsa exercitum pulcrum adunavit, & occursum Regis misit. Cujus quidem exercitus Dux & caput extitit Henricus Parowe miles strenuus & famosus. Albertus autem Rex in suo exercitu habuit Ericum filium suum Episcopum Scarensem, Ulricum filium Johannis Ducis Stargardiæ & Guntherum Comitem de Rupin. Et quia nimis avidus & festinus fuit Albertus Rex in aggressu pugnæ, nolens suorum debitam præstolari præparationem, sed præcipitanter transiens vallem quandam paludosam, leonina fronte hostes quæsivit, idcirco quanquam in exordio certaminis prospere agens, jam duo baneria prostravisset, tamen in processu pugnæ succubuit, & captus est cum omnibus Principibus suis Nobilibus. Henricus vero Parowe miles ibidem interfectus est, & quamplures alii milites & militares partis utriusque. Hujus autem dejectionis & diffortunii magna extitit causa Gerardus Snakenburg in aggressu prœlii miles factus, qui novæ militiæ suæ maculam inferens, turpem fugam iniit cum LX. armatis. Dum autem hæc agerentur, Margareta Regina rei exitum anxie præstolabatur in castro Werdingburg. Cui cum rumores victoriæ nunciarentur, læta valde currum ascendit, & festina veniens in Bahusen, Principes captivos gratulabunde suscepit. In illa autem nocte Regi Alberto tanta violentia facta est in tortura, ut mox duo castra Reginæ resignaret, Axewalde scilicet & Rummelburg. In hac captivitate tentus est Rex Albertus per septennium cum Erico filio suo, cæteris Principibus interim redemtis pro pecunia competenti. Electus Swerinensis traditorie occisus est per quosdam de familia sua pecunia corruptos, secundum Chronicam Obotritorum, quorum Capitaneus

Digitized by Google

taneus fuit Tidericus Zegelcke, sed tandem omnes deprehensi sunt, & tracti per plateas ac rotati. Milites & Militares multi de Ducatu Luneburgensi & Prignyz conglobati venerunt prope Todeslo opidum terræ Holtzatorum, ut ipsum caperent & deprædarentur. Et apprehendentes primo vaccas ejus & pecora, ea abducere conati sunt. Eadem autem die congregati extiterunt in dicto oppido pro reparanda pace communi terrarum illarum Gerardus Dux de Sleswik, Nicolaus & Adolphus Comites Holtzatiæ, & Lubizensium ac Hammeburgensium cives cum suis stipendiariis. Isti tamen pauca arma secum sumpserant, eo quod bellare minime cogitaverant. Cumque perplexi starent nescientes, quid agerent, ecce venit nuncius, referens, advocatum urbis Lubicensis cum quibusdam Vasallis & civibus dictæ civitatis in pulcro exercitu esse in campo, & hostibus insidias tendere. Tunc animati Principes & Nobiles & alii cum civibus civitatum prædictarum exierunt, & dicto Advocato subsidium præbuerunt. Et tunc hostes viriliter insequentes, prædam ablatam recuperaverunt, ac plures de ipsis interfecerunt, multoque plures captivaverunt. Bugzlaus Dux de Wolgast accepit in uxorem relictam Comitis de Mansfeld, secundum Chronicam Obotritorum. Hæc soror extitit Henrici & Bernhardi filiorum Magni Ducis de Zangerhusen, pulcra mulier valde. Horum nuptiæ celebratæ sunt in castro Tzelle. Civitas Tremoniensis amicabiliter componitur cum Engelberto Comite de Marca sub hoc pacto, secundum Chronicam Saxonum, ut castra constructa in detrimentum prædictæ urbis per Fridericum Archiepiscopum Coloniensem funditus everterentur; insuper quod Tremoniensis civitas censum annualem hactenus Comitibus de Marka solutum pro defensione ejus, amplius non obligaretur solvere; deberet tamen dicta Tremoniensis civitas dicto Comiti concedere XXM. florenorum Rhenensium, quæ ipse Comes temporibus suis solvere non teneretur, sed mox eo defuncto hæredes sui ea exsolvere deberent. Cujus obligationis fidejussores sunt civitates subscriptæ, scilicet Sozatum, Hama & Unna. Judæi in die sancto Pascha post cœnam interfecti sunt in Praga urbe Regni Bohemiæ, & domus eorum sunt incensæ, secundum Chronicam Bohemorum, cujus quidem facti causa extitit talis & origo. Sacerdos quidam parochialis infirmum quendam cum sacramento Eucharistiæ visitare volens, prope vicum Judæorum transivit. Quem Judæorum filii videntes ex præviis fortassis parentum suorum ex informationibus & exhortationibus instigati, in fidei Christianæ detrimentum & Sacramenti non modicam contumeliam & dehonestationem lapillos & fæces de plateis colligentes in ipsum projecerunt. Quod ut viderunt Clerici & Studentes ac cæteri fideles, ex more laudabili Sacramentum comitantes, communitatem concitarunt, ut Dei injuriam vindicarent. Et quia Christiani populi devotio adhuc ex communione recenti per acta eodem die, & ex solennitatis actuali commemoratione habita fervens erat, facta est subita insurrectio populi vulgaris & commotio, & irruentes super Judæos, interfecerunt gladiis, quotquot invenire potuerunt, ætati aut sexui parcentes, domos vero illorum bonis spoliantes incenderunt. Quod videntes plures Judæorum uxores, parvulos suos in ulnas rapuerunt, & sponte se igni committentes, se vivas in flammis sepelierunt, ne Christianorum ludibriis, ut timebant, exponerentur.

Nono anno Wenzlai, qui est Domini MCCCLXXXIX. Nicolaus de Vitzen miles resignavit Margaretæ Reginæ Danorum duo castra fortia Regni Sweorum, necessitate & vi compulsus secundum Chronicam Obotritorum, puta Calmeren & Sulverburg, quæ pater suus Hermannus de Vitzen miles Jure hereditario sibi reliquerat possidenda, qui & in captura Alberti Regis occubuerat. Ditlevus de Godendorp Nobilis terræ Holtzatorum gladiis stipendiariorum urbis Lubicensis minutatim articulatur & interficitur in cimiterio cujusdam villæ terræ suæ, secundum Chronicam Lubicensem. Hic Capitaneus fuerat illorum, qui advocatos dictæ urbis cum suis sociis prope opidum Kielense occiderant, & insuper illorum, qui urbem Lubicanam per traditionem quorundam civium voluissent cepisse, prout ut supra V. anno Wenzlai patuit. Fratres de domo Teutonica terræ Prutziæ cum magno exercitu exeuntes vallarunt castrum Villæ fortissimum, secundum Chronicam Lubicensem. Quod licet fortiter impugnarent machinis & instrumentis aliis, ipsum tamen expugnare non valuerunt, eo quod Bolezlaus Rex Poloniæ in eo esset cum IIIIM. virorum electorum & viriliter ipsum defensaret. Bernhardo per promotionem Alberti Ducis Luneburgensis in extremis laborantis, & suadentis civibus, ut dictum Bernhardum fratrem Frederici & Henrici in dominum suum reciperent, Duce facto & non diu post captivato a Stenbergensibus, & in Bodenburg vinculis mancipato, Luneburgenses, secundum Chronicam Saxonum, Wenzlaum fratrem Alberti supra dicti pro tutore terræ defensore contra Henricum fratrem dicti Bernhardi captivati, qui vices fratris in Ducatu Luneburgensi tenere laborabat, vocaverunt. Quo veniente castrum in Wynsen super ripam fluminis Alre juxta pontem erexerunt & castrum Zelle præstructis munitionibus obsidione circumdederunt. In qua tamen obsidione plures terrarum domini noscuntur fuisse, puta Comites de Hoya de Schowenburg, de Regenstein, Episcopus Myndensis & plures alii. Hi tamen omnes obsidionem solventes in sacra nocte corporis Christi, versus Winsen cesserunt. Quam solutionem velle fieri intelligens Henricus Dux fretus auxilio fratris sui Frederici Ducis de Brunswik & amicorum suorum, & præcipue civium urbis Brunswicensis hostes confestim insecutus est, ad ipsos perveniens in mane sancto diei festi prædicti, & prœlium durum cum eis aggressus prope flumen Alre ponte transito & disjecto, ne qui ab eo fugerent ex utraque parte fortiter dimicatum est, multis hinc inde cadentibus & interfectis. Cessit tamen ad ultimum Henrico Duci

Digitized by Google

Duci victoria, altera parte captivata, paucis elapsis. Qua quidem fortunata victoria pauper Dux ille Henricus erectus est & ditatus, & statim post suum fratrem Bernhardum de captivitate redemit, Dux vero Luneburgensis facto cum magna solennitate in urbem introductus est.

Decimo anno Wenzlai, qui est Domini MCCCXC. Marchiones Moraviæ Jodocus & Procopius venerunt in Marchiam de Brandenburg, secundum Chronicam Saxonum. Emerat enim dictus Jodocus Marchiam de Brandeburg a Carolo Imperatore defuncto. Hi Marchiones Gwerram concitaverunt contra Henricum & Bernhardum Duces de Luneburg Castrenses vero de Knesbeke relictis eorum propriis Ducibus de Luneburg subdiderunt se Marchionibus prædictis. Egerant etiam ipsi Marchiones tantum apud Fredericum Ducem de Brunswic pecuniis suis, ne dictus Fredericus Dux fratres suos juvaret. Bernhardus vero & Henricus Duces colligentes exercitum de mille & ducentis armatis, obsederunt castrum Snakenburg & similiter Gartowe castrum, & ceperunt ambo expugnatione virili. Deinde procedentes versus urbem Soltwedel, demoliti sunt omnia sata terræ illius. Quo expedito, venerunt cum suo exercitu prope castrum Klotzeke, quod erat Nobilium de Quidzowe, & omnia ibidem vastaverunt, & cum magna præda ad propria sunt reversi. Cives de Hammeburg, secundum Chronicam Saxonum, invitis Bernhardo & Henrico Ducibus de Luneburg, construxerunt castrum novum Gryndesmur contra Horburg castrum eorum. Quidam stipendiarius urbis Hammeburgensis habebat uxorem lubricam, & de adulterinis actibus valde suspectam, secundum Chronicam Saxonum. Contigit autem dictum stipendiarium invitari ad quoddam convivium cum uxore sua & multis aliis utriusque sexus personis. Cum autem discumbentes lætarentur, quidam uxori illius assidens cum ea jocabatur, labra oris sui digito percutiendo, & sic eis tactis sonitum faciendo. Quod ut vir ejus vidit, indignatus uxorem palma ad genas percussit, redarguens eam, quod inter cæteras mulieres tales levitates a viro alieno absque contradictione sustinuisset. Mulier autem rubore perfusa tacuit, non tamen minus intra se cogitavit, valde ægre ferens contumeliam in publico a suo marito sibi illatam. Cumque eodem sero reversi ad domum propriam, præfatus Vasallus servisia repletus in sede quadam dormitaret, & caput sibi a retro per sedis dorsum dependeret, mulier instinctu diabolico agitata, & livore invidiæ ad vindicandam contumeliam excitata, honoris & periculi vitæ immemor, securim arripuit & eam viriliter guturi dormientis mariti immergens ipsum protinus occidit. Quo maleficio ad campanarium Clericum, qui ipsius Amasius exitit, cucurrit, & perpetrati sceleris seriem sibi exponens, ut se juvaret, supplicavit ad sepeliendum cadaver viri interfecti promitens ei, quod extunc semper eam ad suam voluntatem habiturus esset. Miser ille adulterinis promissionibus illectus, parricidæ domum adiit, & quia nox obscura valde erat, fossorium secum sumpsit, ac fossam in cimiterio faciens, cadaver illud cum mulieris adjutorio sepelivit, & revertens cum meretrice domum ei condormivit. Cum autem impudice viventes, peccatum peccato junxissent, incidit mulieri anxietas & horror intolerabilis ex immissione diaboli. Cogitavit namq; nullo modo posse latere homicidium, si corpus interfecti in illo loco maneret humatum, eo quod quilibet transiens cimiterium sciscitaturus esset, quisnam ibidem tam noviter tumulatus fuisset, & sic ob absentiam viri sui occisi suspicio mala de ea fieri posset. Stimulante ergo illa fletibus & rogatibus amasium suum tandem ambo surrexerunt & sepulcrum, in quo corpus interfecti positum fuerat, denuo aperientes, ipsum extraxerunt, & in domum suam reduxerunt, ac igne copioso accenso intra domum cadaver ipsum in eum projecerunt. Cumque corpus illud ardere cœpisset, tantus fœtor factus est, ut vicinos quosque expergefaciens surgere compelleret & inquirere de insolitæ illius exhalationis corruptæ causa & orrigine. Cum autem fœtoris prædicti vestigium prosequerentur, compertum est tandem stipendiarii supra dicti domum efflare corruptionem. Pulsantes ergo ad januam cum aperire abnuerent intra existentes præruptis violenter foribus intrarunt, & in igne facto partem magnam inconsumpti hominis invenerunt. Quo viso stupore percussi ambos captivaverunt, & judicibus civitatis præsentarunt. Et sic tormentis examinati ambo inventi sunt rei. Unde mulier cremata est, & campanarius rotatus. Johannes Dux Stargardiæ cum pulchro exercitu transfretavit in Sweciam secundum Chronicam Obotritorum, & receptus in urbe Stokholmensi prœliari disposuit cum Margareta Regina Danorum pro liberatione Alberti Regis Sweorum patrui suo. Non enim habuit alium manendi locum, eo quod quasi totum Regnum Sweorum se jam Mariæ prædictæ subdedisset, sola urbe hac in fidelitate Regis Alberti persistente. In hoc autem itinere, quo Johannes Dux mare transierat, tam sæva tempestas orta fuit, ut cogonem magnum in profundum pelagi dimergeret cum multis militaribus & armatis. Qui vero ex illis fluctus maris evaserant in turbine illo, capti sunt ab hostibus. Quidam etiam nauta Rorbeke dictus perperam agens duxit navem suam plenam bonis armatis de prædicti Ducis Johannis exercitu in Carmariam urbem, & tradidit eos in manus inimicorum suorum. Bonifacius Papa festum visitationis Virginis gloriosæ a suo prædecessore conceptum celebrandum instituit, ob schismatis antiquati extirpationem in die Sanctorum Processi & Martiniani martyrum, cum eisdem indulgentiis, quæ ab Urbano IIII. concessæ sunt pro festo corporis Christi, secundum acta Romanorum Pontificum. Pro eodem tempore ab eodem Papa Bonifacio anticipabatur annus jubilæus cum omnibus indulgentiis & gratiis consuetis statuens cum hoc, quod inantea semper in tricesimo anno celebrari ibidem debebit propter notabilem vitæ humanæ abbreviationem. Sancta Brigitta vidua de terra Sveorum orta, secundum Chronicam Danorum, a Bonifacio Papa canonizatur, sepulta in

ta in Wasteen Monasterio terræ ante dictæ, quod propriis sumptibus fundaverat. Margareta Comitissa Hollandiæ filia Comitis de Clivis, secundum Chronicam, Conventum novum fundavit in opido Hagensi terræ Hollandiæ, locans in eo Fratres Ordinis Prædicatorum. Hunc autem Conventum pulcris & pretiosis clenodiis adornavit, & Fratres dictos multis diebus de sua mensa cibavit & sustentavit. Pro eodem tempore Wenemarus de Buren nobilis vasallus Ducis Gelriæ novum Conventum eidem Ordini ædificavit prope Tyle opidum ejusdem Ducatus Gelriæ, cujus quidem Monasterii Frater conversus idem Weremarus effectus est & professor. Eodem etiam tempore Frater & Dominus Hupertus, titularis Episcopus & Vicarius in spiritualibus Episcopi Trajectensis, novum instauravit Monasterium Sororum Ordinis ante dicti in opido Wik terræ Hollandiæ, & ipsum bonis & congruis reditibus dotavit.

Undecimo anno Wenzlai, qui est Domini MCCCXCI. Molne opidum Ducatus de Lovenburg in feria V. Pentecostes ignis conflagratione periit, vix V. domunculis cum labore opidanorum præservatis. Hic notum cupio esse singulis præsentia lecturis aut audituris, quod infra scriptis narrationibus & historiis autores non adhibui, eo quod eas in codicibus authenticorum non repererim, sed eas solum vel sic fieri viderim, aut sic facta a fidis narratoribus studiosa investigatione audiverim. Quæ vero occurrerunt tempore compilationis infra positorum, suis compositoribus ea applicavi, nihil eorum inserens huic operi ut sententiarius vel diffinitor, sed solum ut humilis & simplex narrator. Fossatum novum & valde sumtuosum cives Lubicenses fieri fecerunt inter opidum Molne & flumen Delmenowe dictum. Per hoc autem fossatum naves transire valent de urbibus Luneburg & Hammeburg usq; Lubeke. Cum autem Albertus Rex Sweorum redemtus a Danica captivitate reverteretur ad patrias sedes, cives impetiit Lubicenses de dicto fossato, causans, quod per terram suam sine suo beneplacito & assensu fodissent, & sic partem terræ suæ sibi violenter abstulissent. De qua damnificatione recompensationem petiit sibi fieri secundum rectæ rationis dictamen & exigentiam justitiæ. Sed Lubicenses minus caute Regi prædicto suum damnum refundere recusantes, stipendiarios multos de Saxonia & Westphalia ad se vocarunt, & eos contra Regis insultum, siquem facere attentasset, in magnis expensis tenuerunt. Quos cum diutius in gravamen magnum civium sustentassent & fovissent, oportuit adhuc benivolentiam Regis cum humilitate urbis dictæ Consulares captare cum magna pecuniarum summa. Albertus Archiepiscopus Magdeburgensis, & Bernhardus ac Henricus Duces de Luneburg cum exercitu copioso obsederunt castrum Klotzke plenum raptoribus, & expugnantes ceperunt ipsum, ac patibulis appenderunt omnes in eo inventos. Circa festum Assumtionis B. Virginis Johannes Dux de Stargardia & filii sui Ulricus & Johannes una cum civibus Rostoccensibus & Wismariensibus transfretaverunt iterum cum magno numero armatorum in Sweciam. In quo transitu applicantes insulæ Borneholm, intraverunt ipsam, & deprædati sunt eam. Inde navigantes venerunt Gotlandiam, & similiter illam spoliantes, tandem pervenerunt in Stokholm civitatem. Contra hanc urbem Dani ædificaverant duo castra, quorum unum mox exercitus Ducis expugnavit & cepit. Sed quia alterum in alti montis cacumine fundatum erat, idcirco ipsum tam cito vincere non poterant nec capere. Coram isto ergo castro Dani placitare cœperunt cum Duce Johanne, & treugas ab eo obtinuerunt ad proximum festum Pentecostes duraturas. Ad has inducias postulandas compulit eos fames & penuria victualium maxima, & si tunc exercitus Ducis in castri expugnatione perseverassent, totum illum Danorum exercitum & cor Regni in arto positum lucratus fuisset, & consequenter Albertum Regem, pro quo certabat, liberasset. Sed non erant omnes æque fideles Domino suo, pro cujus liberatione exierant in prælium, prout sonabat canticum super hac expeditione confectum. Otto Dux de Leyna cum urbe sua Gottingensi iterum discordans, secundum Chronicam Saxonum, Ecclesiam prope urbem sitam incastellavit, sed cives castellum constructum mox diruentes, XX. armigeros in eo ceperunt. Cum autem prædicti cives Gottingenses litem hanc cernerent ingrassari (f. ingrossari) & multi essent in urbe sua, qui inutiles videbantur ad defensionem civitatis, sed essent in gravamen tantum, usi cautela prudenti, licet non pia, præconizari fecerunt per civitatem cuilibet pauperi debere dari eleemosyna larga venienti hora determinata ad cimiterium prope valvam urbis extra muros situm, ut pro pace Deum exoraret. Ad hanc ergo eleemosynam tollendam cum omnes indigentes ad constitutum locum convenissent, data est cuilibet stipa (stips) satis bona juxta promissum, sed portæ civitatis clausæ sunt, nec intromissus est amplius quisquam illorum egenorum, qui urbem exierant, sed dictum est eis, ut quilibet iret, ubi se nutrire posset, quousque civitas de periculo imminenti eriperetur. Okko Friso filius Kenonis interfectus est proditiose a suis, pro eo quod Miles factus esset, æstimantes ipsum Frisonicam generositatem sprevisse, & ab eis degenerasse. Sed uxor ejus in vindictam viri sui de terra egrediens, & denuo revertens secum duxit Comites de Aldenburg, de Defholt & de Delmenhorst, & veniens obsedit. Ecclesiam a Frisonibus incastellatam, quam expugnans, inventos in ea circa ducentos Frisones fecit decapitari. Hujus terræ Frisiæ conditiones satis exiles considerans ipse Albertus Magnus Episcopus Ratisponensis & Frater Ordinis Prædicatorum, eas tali pulcro comprehendit metro, dicens:

Frisia sentina mundi, cui dyda bovina
Est focus, urina lixivia, feraque vina.

Rostoccenses & Wismarienses pro ereptione sui Regis Alberti expeditiori evocari fecerunt omnes deprædari volentes tria regna super forte sua propria, quod ad se venirent, quia ad eos securum habere deberent refugium, & in suis urbi-

urbibus morari, exire de eis & redire, raptaque in illis tribus regnis expendere, libere vendere & in usus suos beneplacitos commutare. Qua evocatione facta, tot venerunt piratæ & raptores, quod quasi totum mare nedum orientale seu Balticum, sed & occiduum pelagus replerent, nullis parcentes navigantibus, sed toti orbi insidiantes. Hi prædones maris Vitalianos se appellantes, quæcunque rapiebant, ad dictas duas civitates perducebant, nec a civibus earum quæstio fiebat, unde bona illa venissent, aut quibus abstulissent amicis vel inimicis, sed grata erant & beneventa omnia, ubicunque essent acquisita, dummodo eis apportarentur, quæ raperentur. Et singulariter gaudebant dictarum civitatum cives, cum bona Lubicensium mercatorum rapta adducebantur, quia opinione sua soli Lubicenses Regem eorum vinctum tenebant, nec sine eorum consensu captivitatem suam evadere valeret. Sed veritate carebat eorum æstimatio, eo quod ipsi Lubicenses licet non viribus & armis, nunciis tamen & literis suis fidelius & efficacius quam proprii Regis cives pro sua ereptione laborabant, quod postea rei probabat eventus & veritas.

Duodecimo anno Wenzlai, qui est Domini MCCCXCII. Ericus Dux de Lovenburg exercitum fortem educens perrexit adversus Borchardum de Lutzowe, & accendens plures villas in terra opidi Wittenburg, expugnavit in dominio dicti Borchardi V. munitiones fortes, puta Pressyre, Nyendorpe, Krempze, Swechowe & Thurowe, & munitiones has omnes destruxit præter ultimam, quam pro se retinens, fortiter munivit ad resistendum hostibus. Raymundus Pater venerabilis Magister generalis Ordinis Prædicatorum obiit in Norenberga, & sepultus est in Conventu Ordinis sui, in cujus locum electus est in proximo generali Capitulo Frater Thomas de Firmo, vir magnæ literaturæ & Professor sacræ Theologiæ. Sigismundus Rex Ungariæ cum adjutorio Jodoci & Procopii Marchionum Moraviæ intravit Turchiam, & depopulatus est eam, urbes & castra, opida & villas expugnando, conflagrando & funditus destruendo. Quibus ad propria redeuntibus, Turci & Tartari conglobati, Regnum Ungariæ intraverunt & majora damna quam ipsi passi sunt ab Ungaris, eis intulerunt. Johannes Archiepiscopus Rigensis persecutus est a Fratribus de domo Teutonica terræ Lyvoniæ in tantum etiam, quod terram linquere pulsus est. Qui mare navigans, Lubeke venit, moram ibi trahens per integrum annum, inde autem se transferens ad Wenzlaum Regem Romanorum in Bohemiam, causabatur se passum injurias & contumelias a Fratribus prædictis. Cui Rex condolens, omnia bona arrestavit ad Fratres illos pertinentia in Regno Bohemiæ inventa. Scripsit insuper Rex pro dicto Archiepiscopo ad Papam super gravaminibus ejus remediandis. Interim & prædicti Fratres suos legatos ad Papam destinarunt cum muneribus pretiosis. Papa autem utrique parti satisfacere volens, dedit Archiepiscopatum Rigensem uni Sacerdoti de Ordine dictorum Fratrum, & Johannem Archiepiscopum Rigensem fecit Patriarcham Lithuanorum, & sic Archiepiscopatus Rigensis Ecclesiæ ad Fratres de domo Teutonica devolutus est. Universitas studii Erphordiensis terræ Thuringorum diœcesis Moguntinensis vigere cœpit, confirmata per Bonifacium Papam, & studio Theologiæ decorata.

Tertiodecimo anno Wenzlai, qui est DN. MCCCXCIII. Cives urbis Sundensis magnam multitudinem piratarum, mare sub nomine urbium Rostoccensis & Wismariensis perturbantium, comprehendentes, captivos in suam perduxerunt civitatem, quos præ numerositate omnes turribus mancipare non valentes, deficientibus eis cippis & catenis, plures eorum intra lagenas concluserunt, colla eorum fundis eorum cingentes, & unam tunnam cum pirata incluso super aliam consimiliter raptore refertam locantes, & cumulum magnum facientes, sic captivos jacere fecerunt in alterum diem non sine eorum pœna gravi & cruciatu, sequenti vero die omnes extra urbem ductos decollari fecerunt. Mortalitas maxima urbem Lubicensem & cæteras circumjacentes civitates maritimas & terrestres angustiavit, tollens de medio in sola urbe Lubicensi circiter XIXM hominum. Bellum grande prope Beynem villam non procul a Goslaria urbe actum est, secundum Chronicam Saxonum, ubi Fredericus Dux Brunswicensis captivavit Johannem de Swichelde & Henricum de Stenberghe milites cum DC. armatis militibus & militaribus, multos ex eis interficiens. Ipse vero Fredericus Dux protunc tres amisit milites in principio certaminis noviter creatos, cives urbis Hallensis, qui sepulti sunt in Brunswik apud Fratres Prædicatores. Henricus vero de Stenberghe Miles ex vulneribus receptis in prœlio confestim obiit in loco pugnæ peractæ. Victoria autem hujus belli a Deo concessa fuit Frederico Duci de Brunswic indicio manifesto. Nam devictis jam fere omnibus ex parte dicti Ducis dimicantibus, mox supervenit quasi a Deo missus Borchardus de Godenstede Miles cum LX. viris armatis fortibus & recentibus, & irruens furioso impetu super hostes, prostravit victores, & redemit devictos. Engelbertus Comes de Marka pertransiens Rhenum, intravit pagum Coloniensem cum multis Principibus & Nobilibus, in exercitu suo habens mille & CCCC. armatos, & devastans terram circumquaque, perduravit in locis inimicorum per IX. dies continuos absque resistentia quacunque. Accepit etiam ultra XLM. florenorum de opidis & villis, ne ea incenderent, & CCC. plaustra vini, ne vineta demoliretur. Præter omnem autem exactionem prætactam, de Bunna urbe magnam accepit pecuniæ summam pro conservatione vinearum, & ne urbs prædicta læderetur impugnatione. Urbs Lubicensis ex parte civitatum de ansa misit duos Proconsules ad placitandum cum Ruthenis ad Lyvoniam, puta Godefridum Travenam & Johannem Nygebur. De quibus duobus, expeditis negotiis suis ad placitum, Godefridus prædictus Godefridus obiit in Darbato, & sepultus est in Ecclesia Fratrum Prædicatorum. Bernhardus

dus Dux de Luneburg & Otto Comes de Hoya intraverunt dioecesim Osnaburgensem cum pulcro exercitu, & depopulati sunt opida & villas XXX. ex eis incinerando. Ceperunt quoque spolia multa de vaccis, equis & pecoribus, & prædam secum ducere satagebant. Cumque prope opidum Vechte transirent cum spolio, opidani exercitum hostium invaserunt, & cum eo viriliter dimicantes, prædam eis abstulerunt, ac inimicos de finibus fugarunt. In opido Gartze Marchiæ de Brandeburg quidam raptor, transactis jam octo annis, decapitatus fuerat, & corpus ejus in quodam cimiterio opidi prædicti sepultum fuerat, cujus quidem caput, secundum Chronicam Saxonum, hoc anno viro cuidam Bernhardo de Puteo dicto die clara apparuit. Non etiam loquebatur sibi, sed tantum aperuit os suum, & extendit lingvam rubeam valde ex ore in modum rosæ recentis vernantem. Wilhelmus Marchio Misnæ litem gerens cum Wenzlao Rege Romanorum, secundum Chronicam Saxonum, expugnavit in Regno Bohemiæ X. castra fortissima, & captivavit Nobiles plures Bohemos, ac prædam magnam abduxit. Bonifacius Papa in diversis mundi partibus & præsertim Alemanniæ contulit Ecclesiis remissionem plenariam peccaminum, salutem hominum, ut pie creditur, potius quam pecuniam sitiens. Clemens Antipapa obiit in Francia in autumno, secundum Chronicam Francorum. Quod percipiens Karolus Rex Francorum, prohibuit Cardinales, ne ad electionem alterius Pontificis accederent. Sed ipsi Regis prohibitionem non curantes, elegerunt alium, quem Benedictum XIII. nuncuparunt, alias dictum Petrum de Luna, virum nobilem de sangvine Regis Arrogoniæ.

Quartodecimo anno Wenzlai, qui est Domini DCCCXCIIII. Wenzlaus Rex Romanorum captus est a Proceribus Regni Bohemiæ, & in castro Pragensi est vinculis mancipatus, secundum Chronicam Saxonum, propter levitates suas & facta enormia, quæ per ipsum fiebant & facta erant, & quia non curabat facta Regni disponere, & Regna sua cum debita providentia, honestate & sagacitate gubernare. Idcirco alium in locum suum ordinare cogitabant. Sed Johannes Dux de Gorlitz frater suus maximum exercitum colligens, violenter compulit Nobiles Regni Bohemiæ & cives Pragenses ad restituendum Regem libertati pristinæ. Circa festum Assumtionis Mariæ Lubicenses cives cum aliquibus civitatibus maritimis transierunt mare in classe pulcra, & venerunt in Daciam ad Margaretam Reginam propter redemtionem Alberti Regis Sveorum, secundum Chronicam Danorum. Hi cum venissent Heschinburg, ubi Regina residebat, contigit ibidem flebilis casus. Nam quidam Dani in stuba quadam existentes cum Teutonicis inceperunt brigare insimul primo verbis contumeliosis & postmodum verberibus tam duris, ut plures ex utraque parte interficerentur. Quod percipiens Gregorius Swerting Proconsul urbis Sundensis, festinavit currere ad castrum, ut Reginæ indicaret seditionem exortam. Cumque sic cursitaret per plateam, obviavit ei quidam Danus furiis invectus evaginatum tenens gladium in manibus suis, quem mox elevans percussit caput Proconsulis, & continuo ipsum interfecit. Quod videntes cæterarum urbium stagnalium ambasiatores, ascensis navibus reversi sunt ad propria. Stokholmensis civitas Regni Sweorum Alberto Regi captivo de omnibus Regni urbibus sola favens & fidelis existens, contra Margaretam Reginam Danorum & contra proprii Regni Proceres militans, magna victualium penuria angariabatur. Cui subvenire cupiens Magister Hugo Miles, qui Capitaneus piratarum Rostoccensium & Wismariensium extiterat, cum VIII. navibus magnis onustis frumento & blado cæterisque ad victum necessariis mare intravit, exercitum pulcrum habens virorum bellatorum. Cum autem Danicum attigisset portum, ventus contrarius ad manus inimicorum ipsum perduxit. Aura vero intensissimo gelu stringere cœpit mare, & naves illas glacies cinxit, ne de loco moverentur. Quod videns Magister Hugo, prudenti usus consilio, suos ad nemora vicina destinavit, ut ligna cæderent & apportarent. Quibus ad naves subductis, & navibus compactis & conglobatis, cunctas illas naves aggere ex lignis confecto circumdedit, & aquas sine intermissione superfundens, quasi muro gelido totam illam classem conclusit. Dani autem suos hostes videntes sic glacie constrictos & captivatos, bellica instrumenta puta machinas & cattos mox applicantes, expugnationi navium operam dederunt efficacem. Hugo vero Miles vir cautulosus & industrius, suis laboribus insudans, fossato lato præcedenti vespere naves & aggerem suum muniverat, Danis nescientibus, sed illa nocte ex rigiditate nimia algoris ipsum fossatum tenui glacie stratum erat, & modica nive conspersum. Quod Dani non perpendentes, putaverunt solidam esse glaciem per totum maris spatium usque ad naves. Unde instrumentum, quod cattum nominabant, in quo multi erant viri armati, applicare aggeri sine formidine nitentes, cum supra fossatum venirent, soluta est glacies in momento, & totum hoc instrumentum cum omnibus viris in eo contentis mari est immersum. Quod ut viderunt Vitaliani in navibus constituti, clamarunt alta voce hostibus insultando: Cas, cas, cas. His autem & consimilibus exercitiis bellicis cottidie fatigabantur ab inimicis geliditate dura algoris constricti & detenti, sed divina gratia semper protecti, jactus lapidum machinæ navibus in nullo nocuerunt. Tandem Deo volente, inopinata & subita resolutione nocturna glacies illa soluta est, & sic classis illa libertate potita, flante vento prospero vela sua levavit, & salvo itinere portum Stokholmensis urbis festina apprehendit, ac populum illum famelicum a periculo magno liberavit. Bonifacius IX. Papa misit literas suas Karolo Regi Francorum, secundum Chronicam Francorum, præcipiens, ut Benedictum Antipapam ad obedientiam Romanæ Ecclesiæ compelleret, & ut sic ab erroribus suis resiliret, alias tam contra Benedictum prædictum quam contra ipsum per censuras ecclesiasticas procedere inten-

Digitized by Google

intenderet. Cujus literis respondens Rex, misit nuncios solennes viros Religiosos de Ordinibus Carthusiensium & Prædicatorum, exhortans Romanum Pontificem, ut pro unione fienda statuat fieri generale Concilium, & in illa decernatur a jurisperitis, quis eorum verus Jesu Christi existat Vicarius; & quem tunc illud generale Concilium decreverit verum fore Antistitem, illi procul dubio adhærere promitteret. Bonifacius autem Papa super hæc rescribens dixit, se verum esse Papam, nec dubium quodcunque in hoc velle ponere. Profesto exaltationis sanctæ Crucis Fratres Prædicatores in civitate Lubicensi suum solenniter celebraverunt provinciale Capitulum; & pro tunc etiam corpus integrum de Sanctis Innocentibus fuit introductum in urbem prædictam cum solennitate per Fratres Capitulares, & locatum in conventu Ordinis Prædicatorum. Otto Dux de Leyna obiit, homo multum animosus & diversorum prœliorum victor, secundum Chronicam Saxonum, cui Otto filius suus successit contrariæ conditionis existens. Fuit enim homo quietus & pacificus, potius Deo & Ecclesiis serviens quam seculari militiæ. Hallensis urbs diœcesis Magdeburgensis duplici periit calamitate, puta conflagratione & epidimia. Flamma namque vorax domos pene omnes absumsit, & pestilentia sæva homines delevit.

Quinto decimo anno Wenzlai, qui est DN. MCCCXCV. Albertus Archiepiscopus Bremensis frater Magni Ducis de Brunswic obiit, ille videlicet, qui turpi infamia denigratus extiterat per Johannem Tzestefled Decanum dictæ Ecclesiæ, secundum Chronicam Saxonum. Huic successit in sedem Otto frater Frederici Ducis de Brunswic. Sundenses cives, qui jam dudum cum suo Consulatu discordaverant, concordati sunt cum eodem, & reversi sunt in urbem, qui longo tempore exilium passi sunt de Consularibus, & in locum pristinum sunt repositi. Quidam vero defuncti de illis, qui exulaverant, similiter reintroducti sunt, & in monumentis patrum suorum sunt sepulti. Unus quoque eorum cognomento Wulflam defunctus in exilio, ad urbem est reductus, & ex practicatione filii sui Wulfardi Wulflam in locum suum, quem in consistorio tenere solitus fuerat, est locatus, ac si actualiter viveret, in recompensationem injuriarum sibi per cives illatarum. Nicolaus Mallin & Otto Molteke Capitanei raptorum stratæ communis & mercatorum colligentes exercitum de consortibus suis, perrexerunt ad castrum Gutzekowe, ipsum expugnare proponentes. At ubi cum essent, & expugnationi fortiter insisterent, supervenerunt Sundensium & Gripeswaldensium cives & raptores illos in fugam vertentes, occiderunt de ipsis plures, cum quibus occubuit & dictus Nicolaus Mallin. Sed non diu post Otto Molteke vindicare volens socios suos & consangvineos, quos Sundenses in mari captos decollaverant, apprehendit vaccas urbis illius. Quod audientes burgenses, mox insecuti sunt hostes, & dictum Ottonem captivantes secum in civitatem suam duxerunt, & altera die suspenderunt, cæteris vel interfectis vel fuga turpi elapsis. Jodocus Marchio Moraviæ & de Brandeburg mutuo accepit a Wilhelmo Marchione Misnæ XLM. sexagenarum Bohemicalium, in cujus pecuniæ pignus tradidit sibi Marchionatum Brandeburgensem; & sic iterum cessit alteri Domino dicta Marchia. Cui tandem omnes civitates & castra ominium fecerunt. Cives urbis Rostoccensis exeuntes cum mille armatis circa festum S. Margaretæ destruxerunt funditus munitionem fortem Arneshope dictam juxta Santwustrowe sitam. Hanc munitionem Bugzlaus Dux de Wolgast construxerat, & eam fossatis latis & profundis circumdederat, proponens ibidem quendam portum navibus se facturum in præjudicium civitati Rostoccensi. Sed cives castellum hoc evertentes, fossata solo repleverunt. Ditlevus Præpositus Ecclesiæ Razeburgensis eligitur in Episcopum ejusdem Ecclesiæ & confirmatur. Hic vir valde beneficus extitit & largus, suis amicis in necessitatibus subveniens pariter & egenis. Circa festum Pentecostes civitates stagnales miserunt suos ambasiatores ad Margaretam Reginam Danorum pro liberatione Alberti Regis Sweorum & filii sui. Alii autem Principes secum capti jam redemti erant. Lubicensium nempe nuncii erant Henricus Westhof & Johannes Nygebur ambo Proconsules. Hi cum cæteris nunciis civitatum prædictarum navigantes mare, venerunt in Scaniam, & inde procedentes versus castrum Lyntholm, Reginam ibidem invenerunt. Placitantes ergo cum ea per dies aliquot, in hanc tandem concordabant conclusionem, quod Regina ad preces & instantias civitatum Lubicensis, Thoronensis & Sundensis Albertum Regem & Ericum filium suum ad tres annos licentiare vellet immediate sequentes sub tali pacto & condicione, quod tres illæ civitates, cum quatuor adjungendis aliis, puta Elvigensi, Revaliensi, Gripeswaldensi & Danensi, pro dicto Rege Alberto & suo filio fidem facere deberent, ut infra expressum tempus se cum præfata Regina pro se & cæteris captivis Nobilibus & non nobilibus amicabiliter componeret, & ipsius voluntati pareret cum effectu. Et in casu si hoc interim non fieret, quod extunc prædictum Regem & filium suum cum omnibus suis concaptivis non redemtis prælibatæ civitates ipsi Margaretæ Reginæ personaliter præsentare tenerentur & deberent in eodem loco, semotis omni excusatione, dolo & fallacia quacunque, aut Reginæ eidem solvere indilate LXM. marcarum argenti puri. Et licet ante dictæ civitates in hanc conclusionem consensissent cum Regina, & Alberto Regi ac Erico filio suo omnia placuissent, tamen ipsum Regem Albertum & Ericum filium suum atque cæteros captivos solvi aut libertati dari debere nolebant, nisi ipsæ civitates certificatæ essent, & ad manus earum prius resignata esset urbs Stokholmensis & castrum ejus, ac omnia ad ea pertinentia sub literis & sigillis prædictorum Alberti Regis & Erici filii ejus & a fidejussoribus ad hoc postulatis. Quibus ad singula expeditis, Rex ipse Albertus & filius suus Ericus, ac cæteri omnes captivi soluti sunt, & civitatibus præsentati, cum quibus

Digitized by Google

quibus ipsi Principes ad propria sunt reversi. Postquam igitur Albertus Rex reversus esset in terram suam, Vitaliani sive piratæ perpendentes, se amplius non posse mare infestare sub præsidio civitatum consveto & absque vitæ periculo, transtulerunt se ad partes diversas. Sed antequam divisio hæc fieret ab eisdem, & civitates supra dictæ pro liberatione Regis solicite laborarent, ipsi Vitaliani adunati, Norwegiæ portum quærentes apprehenderant, & opidum Bergense expugnaverant, mercatores ibidem existentes & opidum defendere nitentes vicerant, & eos ac opidum ipsum omnibus bonis suis spoliaverant, necnon cum thesauro immenso ad urbes suas reversi fuerant, in quibus prædam suam vendiderunt, pecuniasque pro eis receptas expenderunt, & cives illos satis indigentes ditaverunt. Hac direptione commissa, & interim Rege redemto, ut præmissum est, Vitaliani illi ab invicem separati sunt. Nam quidam de eis numero circiter quadringenti cum navibus suis se mari commiserunt, in Russiamque tandem pervenerunt. Ubi rapinis operam dantes, multa bona mercatorum rapuerunt, & cum ipsis recedentes in Alemaniam reverti laborarunt. Sed oberrantes in mari devenerunt tandem ad quorundam hominum partes, quorum nec ritum nec idioma intellexerunt. Cum quibus cum pugnarent, plures de ipsis interfecerunt, & pecora ac victualia eorum rapuerunt. Inde vero navigantes, attigerunt terram illam, ubi montes Caspii situantur. Ubi invenientes inæstimabilem populum, putabant eos fore Judæos rufos montibus illis inclusos. Cum istis iterum pugnantes in litoribus multos peremerunt. Non tamen in plana terra cum ipsis bellum aggredi ausi fuerunt, eo quod innumerabiles essent. Non procul autem ab illa plaga navigio transeuntes, invenerunt homines totaliter hirsutos in litoribus maris cursitantes velut bestiæ indomitæ. Quas in pace relinquentes, navigaverunt tam diu vagando & oberrando itinere ignoto, quod tandem hominem Teutonicum invenerunt natione Westphalum, per raptores forte a finibus suis abductum. Hic prædictos Vitalianos dirigens per solis considerationem, in notas partes tandem perduxit. Et sic vix media istorum prædonum pars ad terminos Teutonicos rediit, cæteris sociis amissis vel in prœliis in via habitis, aut morte præventis. Quidam etiam eorum in prima divisione ad partes Frisiæ occidentalis se transtulerunt, quidam vero mare Hispanicum quærentes, mercatores ibidem infestare conati sunt, quorum Capitanei fuerunt Wigboldus, Godfridus Michaelis & Stortebeker, ac cæteri. Robertus Episcopus Padelburnensis filius Johannis Ducis de Monte constitutus in obsidione castri Padberg telo percussus est, & reductus in Dringenberg castrum mox defunctus est. Bygorgius Perusinorum Dominus & Dominus de Malatesta Ecclesiæ Romanæ, secundum Chronicam Romanorum, plura gravamina intulerunt, plura quoque castra & civitates ad Patrimonium S. Petri pertinentes Ecclesiæ abstulerunt expugnando eas. Ratenowe opidum Marchiæ de Brandeburg situm prope fluvium Habela, captum est per Albertum Archiepiscopum Magdeburgensem per traditionem opidanorum suorum in vigilia B. Barbaræ Virginis de mane & spoliatum; traditores vero illos, postquam dictus Archiepiscopus opidum ceperat, expulit de terra cum uxoribus & filiis, timens circa illum eos facturos, sicut erga suum fecerant Dominum. Infra octavas Assumtionis Virginis Gloriosæ cecidit in urbe Lubicensi grando tantæ quantitatis, ut vinceret magnitudinem ovi, habens impressam imaginem humanam. Quædam etiam illarum imaginum erant barbatæ, & quædam velatæ crispis peplis, ut retulerunt veridici, qui in manibus suis grandines dictas habuerant.

Sextodecimo anno Wenzlai, qui est Domini MCCCXCVI. In Trajecto inferiori quidam Frater Ordinis Minorum Jacobus nomine pro titulari Episcopo se gerens & non existens, multos decepit Clericos & Religiosos Sacros Ordines, ut æstimabant, ab eo recipientes. Varios etiam ipse confirmavit pueros, plures virgines coronavit, Ecclesias consecravit, & cætera officia exercuit Pontificalia. Hujus quidem perfidi fratris malitia, Deo volente, tandem detecta est & publicata, & dictus frater per Dominum Fredericum Episcopum Trajectensem captus est & examinatus, & tandem propria fassione inventus est falsarius literarum Apostolicarum. Propter quod ibidem per sententiam supra dicti Episcopi a cæteris titularibus Episcopis est degradatus, & post judici seculari traditus ad comburendum. Qui gratiam sibi faciens, primo in caldarium vacuum ipsum posuit in signum, quod ut falsarius comburi vel bulliri meruisset, sed postea extractum decollari fecit. In Colonia Agrippina magna dissensio orta est inter Consulatum strictum & latum, quæ quidem discordia tale fertur habuisse exordium: Quidam notabilis cives de lato Consilio per strictum Consilium dictæ civitatis exilio damnabatur. Quod ægre ferentes illi de lato Consilio tantum effecerunt apud principes & communitatem, quod propter eorum preces & instantias importunas exulatus ille revocabatur, & ad pristinum statum & locum reponebatur. Qui ad statum suum reductus, cum suis laboravit occulte ad vindicandum se de contumelia sibi facta, & tantum practicavit inter illos de amplo Consilio, quod illi conjurarent in interfectionem illorum de arto Consilio. Quæ conspiratio tandem innotuit illis de stricto Consulatu. Unde sine mora amicis convocatis cum valida manu irruerunt super eos de lato Consilio, & captivantes omnes incarcerarunt. Quo facto, mox communitas exacerbata utrumque Consilium cepit, & turribus mancipavit, ac novum Consulatum ex integro instauravit, quosdam de potioribus urbis, quosdam de mercatoribus & quosdam de mechanicis eligendo, decernens & statuens de communi consensu totius communitatis, nunquam amplius esse debere duplex consilium, sed unicum & simplex. Albertus Rex Sweorum & Wilhelmus Marchio Misnæ & de Brandeburg convenerunt in opidum Parleberg terræ Prignitz. Ad quorum conventum missi sunt

Digitized by Google

sunt solennes nuncii de civitatibus maritimis, ut cum præfatis Principibus tractarent de pace communi terrarum suarum. Ubi tandem, cooperante Deo, firmata est pax generalis terrarum duratura ad sex annos. Et dicti Principes pariter & civitates conjurabant & promittebant, se peremturos omnes pacis factæ violatores. Henricus frater Johannis Ducis de Stargardia introductus est cum exercitu pulcro in Darbatum civitatem Lyvoniæ. Quem Darbatensis Episcopus vir decrepitus gratanter & reverenter recipiens, Ecclesiam suam sibi resignavit, & in filium ipsum adoptavit. Pro eodem tempore Lithuani & Rutheni in magna multitudine venerunt in Lyvoniam, secum ducentes Ottonem fratrem Ducis Stetinensis, quem Wenzlaus Rex Romanorum miserat in Archiepiscopum Rigensem assumendum contra datum Archiepiscopum a Papa Bonifacio, qui erat de Ordine Fratrum de domo Teutonica. Hunc Ducem cives Darbatenses etiam honorifice receperunt, & ei adhærentes promiserunt, quod auxilio sibi esse vellent totis conatibus pro acquirenda possessione sedis suæ, & ad expellendum ejus adversarium, qui jam castra & civitates possidebat. In Carnisprivio Albertus Rex Sweorum curiam solennem tenuit in Zwerin, ad cujus curiæ festum plures convenerunt Principes & Nobiles. Protunc etiam celebrabantur nuptiæ solennes Regis Alberti & Agnetis sororis Ducum de Luneburg & Brunswic, & Erici filii dicti Regis Alberti ac Margaretæ filiæ Ducis de Wolgast, & sic ex causa multiplici curia illa jocunditate & lætitia erat referta. Cum autem uxores Ducum de Brunswic & Luneburg, quæ prædictis nuptiis interfuerant, reverterentur ad proprias ædes, & venissent in Ultzen civitatem cum magno populo, supervenit & Henricus Dux de Luneburg ex præordinatione sua, & eandem urbem ingressus est, & convocans Consulatum dictæ civitatis ad Consistorium, præcepit suis militibus & militaribus, ut eosdem ibidem custodirent, ne dictum locum mutarent, & ipse interim cum cæteris sibi faventibus quandam urbis valvam cepit & incastellavit, muniens muris novis & fossatis. Quo castro bene firmato, Consulares de captivitatis loco licentiavit, & ipse pariter de urbe recessit, & opidum Winzen accessit, ubi omnes naves ibidem repertas sale onustas arrestavit, scribens singulis civitatibus sui Ducatus, & prohibens, ne aliquis quæcunque bona urbi Luneburgensi apportaret sub pœna privationis vitæ. Cogitabat enim dictus Henricus Dux humiliare Luneburgenses, & ex consequenti cæteras sui Ducatus civitates. Sed Luneburgenses videntes Henricum Ducem contra se velle malignari, vocarunt in eorum auxilium Lubicenses & Hammeburgenses, qui ut fideles vicini eis astiterunt, & exercitum fortem mittentes castrum Horborg obsederunt. Dux autem exercitus utriusque erat Johannes Hoyer Proconsul Hammeburgensis. Et fortiter expugnationi insistentes machinis & bumbardis suis, grandes petias turri & cæteris ædificiis abstulerunt castri, & procul dubio ipsum expugnassent & cepissent, si omnes sui impugnatores æquali fidelitate laborassent perseverando. Sed nescio quo casu interveniente, mox jussu dicti Johannis Hoyer Capitanei soluta est obsidio, & exercitus Ducatum de Luneburg ingressus, inæstimabilem adunavit prædam de villis myricæ opulentissimis. Cives vero Luneburgenses cum suis stipendiariis aliam myricæ plagam invadentes, deprædati sunt villas plures. Interim Henricus Dux ostium aquæ Delmenowe obstruere volens, demersit naves lapidibus plenas in ipsam, ne sal Luneburgense ad dictas veheretur civitates. Sed Lubicenses & Hammeburgenses cum copiosa multitudine armatorum venientes, aliud fossatum fecerunt, exhibentes per hoc aquis novum meatum, per quem naves cum sale faciliter & commode transire valerent. Quo expedito, inde recesserunt, & prope Winzen opidum se locarunt ipsum obsidentes. Cum autem Dux prædictus seriem civitatum cerneret, placita cum eis iniit, & treugas ad triennium ad invicem statuentes, ad propria redierunt. Turci populum innumerabilem congregantes, Regnum Ungarorum intraverunt, & diversa prœlia cum incolis Regni agentes, multum populum peremerunt. Sigismundus autem Rex Ungariæ a Papa tandem obtinuit generale passagium fieri contra inimicos fidei. Ad quod multi Principes diversarum provinciarum, puta de Francia, Anglia, Burgundia, Germania & Alemannia confluxerunt. Qui cum exercitu quasi infinito Regnum Turcorum intrantes, innumerum Paganorum populum cum divino adjutorio prostraverunt, pluresque urbes, castra, opida & munitiones expugnantes ceperunt. Post quam victoriam Christicolis divinitus datam, Rex Sigismundus iterum bellum contra eosdem Turcos paravit. Sed quia omnis superbia casum meretur, illi de Francia & Anglia arroganter agentes contenderunt de prima acie obtinenda & congressu, dicentes, ipsis de jure deberi ex Regnorum suorum dignitate. Rex vero Ungariæ ob bonum pacis eis de congressu favit, & illi stomachando in hostes irruentes, triumpho destituti sunt. Tunc animati Pagani viriliter egerunt, secundum Chronicam Francorum, & quasi totum Christianorum exercitum crudeliter interfecerunt, captivantes Philippum Ducem Burgundiæ & plures alios Principes & Nobiles. Sigismundus autem Rex cum paucis evasit. Quem insequentes Turci Ungariamque intrantes, depopulati sunt urbes, expugnaverunt castra, ac villas & Monasteria multa destruxerunt, & nisi Deus de sua clementia speciali aliter disposuisset, omnes illas partes usque ad mare gladius barbarorum vorasset. Albertus Dux Bayoariæ & Comes Hollandiæ cum adjutorio Anglorum, Flamingorum & Brabantinorum intravit Frisiam, suæ dominationi eam cupiens subjicere. Sed parum & prope nihil agens, imo potius patiens, multos de suo exercitu amisit. Thuringorum urbes, puta Erphordenses, Molhusenses & Northusenses una cum Ottone de Leyna & Henrico Comite de Honsteen castrum Hindenburg exercitu suo vallaverunt, & ipsum expugnantes & incendentes, raptores in eo degentes per fumum incen-

incendii exire compulerunt. Quos capientes in patibulis novis inter Northem & Osterode opida suspenderunt numero circiter XLII. Castrum vero prædictum destruentes, ad aliud prope ipsum situm Grifensteen dictum se diverterunt, & ipsum tandem ut primum solo æquaverunt, raptoribus latenter elapsis.

Decimo septimo Wenzeslai, qui est Domini MCCCXCVII. In urbe Lubicensi & cæteris civitatibus maritimis maxima mortalitas efferbuit, plura millia hominum de medio tollendo; similiter & in Bremensi civitate plusquam VIIIM. hominum epidimia absumsit. Nicolaus Comes Holtzatorum obiit, vir magnæ astutiæ & pacis amator. Quo defuncto, fratres ejus inter se discordare cœperunt de successione tam Ducatus de Sleswic quam Comitatus Holtzatiæ. Ad quam seditionem removendam dies placitorum locata est in Todislo opido dictæ terræ profesto Pentecostes. Quo veniente, convenerunt ibidem Albertus Rex Sweorum, Henricus Dux de Luneburg, Ericus Dux de Lovenburg, Adolfus Comes de Schowenburg & Comites Holtzatorum. Qui simul tractantes de concordia fratrum Comitum prædictorum, nihil concludere potuerunt, quod dictis Comitibus placeret. Quod videntes Principes, cum indignatione recesserunt. Nobiles autem terræ Holtzatorum percipientes, Principes nihil conclusisse in concordia & pace fratrum, alium diem placitorum per se statuerunt, & in illo soli Nobiles terræ cum suis Comitibus convenientes, ad hanc tandem conclusionem negotium perduxerunt cum beneplacito Comitum, quod ille, qui major natu inter eos esset, pronunc & semper Dux de Sleswic fieret, & Ducatum illum ad IX. annos possideret cum tertia parte terræ Holtzatiæ, alii vero fratres alias duas partes in sortem reciperent secundum suam primogenituram; novem autem annis elapsis, ille, qui Dux esset, contentus esse deberet in solo Ducatu ad suam vitam. Ericus filius Alberti Regis Sweorum obiit in Godlandia, & periit spes Alberti Regis de recuperatione Regni sui, Margareta vero Regina Danorum non mediocriter gavisa est de obitu illius. Pro eodem tempore obiit & Dominus Johannes de Sinchen, qui Archiepiscopus Rigensis fuerat, & per Bonifacium Papam factus Patriarcha & Primas terræ Lyvoniæ & Lithuanorum. Quo defuncto, sex Canonici ejusdem Ecclesiæ Rigensis in exilio constituti, in loco, ubi degebant, alium novum Archiepiscopum elegerunt, sed electus ille nec confirmatus est, nec ad sedem suam pervenit. Canonici Ecclesiæ Swerinensis privaverunt Rodolfum Episcopum eorum castro Bulzowe, cura temporali, & autoritate totali, solum pro præbendario ipsum nutrie proponentes. Cujus quidem contumeliæ auctor & impositor extitit Johannes Berchteheyle Canonicus Ecclesiæ prædictæ, qui postea ultione divina visitatus, ad plenum luit suum peccatum, quod in suo commiserat Prælato. Nam fuit postea captivatus ab Alberto Rege Sweorum, & turri mancipatus diebus multis, & per eundem Regem combustus fuisset ut Domini sui traditor, nisi mirabiliter vincula evasisset. Facta autem violenta injuria præfato Episcopo Rodolfo, consangvinei sui puta Johannes & Ulricus Duces Stargardiæ & fratres sui ex una parte, & Ericus Dux de Lovenburg, & Albertus Comes Holtzatorum cum suis exercitibus diœcesim illam ingressi sunt ex alia parte, & bona illorum Canonicorum invadentes omnia demoliti sunt flammarum exustione, pecorum & jumentorum abductione, ac plurimorum opidanorum & rusticorum locupletiorum captivatione. Maxima controversia orta est in Anglia inter Richardum Regem Anglorum & Nobiles ac Proceres Regni ejusdem, secundum Chronicam Anglorum, hac de causa: Tempore enim illo, quo Richardus Rex acceperat uxorem sororem Wenzlai Regis Romanorum, & eam in Angliam susceperat, portaverat secum Regina quandam pulcerrimam Dominam, in cujus amorem inardescens Dux Hiberniæ, duxit eam in uxorem, prima uxore repudiata. Quod amici illius abjectæ multum ægre ferentes, cogitabant vindicare injuriam mulieris illius, sed non audebant in continenti hoc attentare, quia Dux ille a Rege valde diligebatur. Accidit autem, ut Richardus Rex timens periculum Duci Hiberniæ imminere ex amicis spretæ uxoris, vocaret ipsum ad se & ne sibi timeret de insidiis, misit sibi banerium suum cum multis armatis. Cujus transitum observantes amici dictæ mulieris, cum exercitu magno super ipsum irruerunt, & totum illum Regis exercitum percusserunt in ore gladii, solo Duce cum suo Confessore evadente. Procedentes ergo ulterius isti in furia sua, Londoniarum urbem intraverunt, & fere omnes Regis amicos interfecerunt, bonaque eorum abstulerunt, ac Regem Richardum, qui tunc in urbe illa præsens erat, contumeliis gravibus dehonestaverunt. Dux autem Gloverniæ tribus vicibus coronam de capite Regis rapuit, cum indignatione dicens: Tu corona hac Regia indignus es, cum non sis verus noster Rex natus, & talem defendere niteris, qui adulterino thoro sacramentum veri matrimonii prævaricatus est. Quæ omnia Rex patienter sustinens, dedit locum vesaniæ eorum. Eodem anno defuncta uxore sua Anna sorore Wenzlai Regis Romanorum, Richardus Rex in Franciam transfretavit, & duxit in uxorem filiam Regis Francorum Karoli. Et sic cum illis nuptiis sopita & terminata est lis & discordia inveterata inter dictos duos Reges. Sed concordia illa non multum lætificavit Principes Angliæ, timentes, quod per hoc connubium nimis roboraretur potestas ejus super illos. Quod ut formidabant, postea evenit. Proceres ergo Regni videntes Regem Francorum confœderatum Regi suo, occulte machinati sunt in mortem ejus, quærentes ipsum interficere. Sed Rex admonitus per amicos suos, habuit consilium cum Henrico Duce Lancastriæ patruo suo & cum paucis aliis de consiliariis suis, & de consilio illorum congregavit exercitum, & obsedit castrum, in quo Dux Gloverniæ residebat, qui caput erat omnium inimicorum Regis. Et postulans Ducem sibi præsentari sub pœna privationis vitæ omnium in castro existentium, traditus est ei, Quem vinciens præcepit

Digitized by Google

cepit duci in castrum Cali & extra Angliam, & ibidem strangulari. Quod & sic factum est. Deinde captivavit Comitem Armidel, & convicit ipsum publice coram omnibus de traditione sua. Quo convicto, ille extraxit literam Regio sigillo insignitam continentem, quod Rex omnem offensam ei misericorditer condonasset, & in amicum sincerum ipsum recepisset. Hanc, inquam, literam Archiepiscopus Cantuariensis Cancellarius Regni fratri suo Comiti prædicto Rege ignoto sigillaverat. Propter quod Archiepiscopus ille exilio damnatus est, & Comes ille capite truncatus. Fecit etiam capi Comitem Wornis, & similiter ipsum exiliavit. Et sic Rex expeditis suis inimicis pacifice ad tempus breve Regnum suum possedit. Hitzeke Præpositus Friso quatuor habens castra, Brüke, Wumunde, Aurikeshove & Marienhove, collegit ad castra prædicta piratas & raptores maris, & defensavit eos, partem suam de rapinis recipiens. Hi raptores mare infestabant sub illo prætexto, quod Hollandrinis insidiari & nocere vellent, quorum hostes erant. Quicunque tamen mercator in mari occidentali reperiebatur, ille Hollandrinus ab eis putabatur, & sic per eos spoliabatur. Una autem vice magna navis onusta vario & cera per eos rapiebatur, pro cujus redemtione prædicti prædones receperunt a mercatoribus VIIIM. nobilium, sed valuit in se ultra XLM. Ventus validissimus & valde impetuosus surrexit in nocte B. Cœciliæ, qui multas ecclesias, turres, domus & arbores innumeras dejecit in diversis partibus mundi, eo quod valde generalis esset.

Decimo octavo anno Wenzlai, qui est Dn. MCCCXCVIII. Marstallus urbis Lubicensis en tertia vice accensus est, sed equi pro majori parte salvati sunt in nocte Sanctæ Elisabeth. Gwerra, quæ ad tres annos sub induciis statuta extitit, prout præcedenti anno tactum est, quæ inter Ducem de Luneburg Henricum & suam civitatem vertebatur, sedata est jam & sopita cum gravibus expensis & laboribus. Et in majorem firmitatem pacis & concordiæ impignorata sunt castra infra scripta per Henricum Ducem & fratrem ejus Bernhardum ad tempus civitatibus infra scriptis, puta Horburg Luneburgensibus, Blekede Hammeburgensibus & Ludershusen Lubicensibus, civitati vero Hannover in hoc satisfaciebant, quod castrum contra se constructum funditus destruebatur, & similiter castrum in Ultzen erectum eversum est præter turrim antiquam, quæ mansit valva civitatis, sicut prius fuerat. Priores tres Ordinis Carthusiensis venerunt in die S. Clementis in urbem Lubicensem; & ulterius procedentes in villam Arnesbuke terræ Holtzatorum diœcesis Lubicensis, acceptarunt ibidem locum ad fundandum Monasterium Ordini suo; & relinquentes in loco prædicto IIII. Fratres religiosos & exemplares dicti Ordinis, qui incepta perficerent, ultra progressi sunt prope Rostok urbem Ducatus Magnopolensis diœcesis Swerinensis, ubi & alium locum acceptarunt pro Monasterio construendo, cui nomen Marien est. Mosathan Tartarorum Imperator magnas passus est persecutiones a Proceribus Regni sui, qui ipsum deponere nitebantur. Sed tandem compulsus, transtulit se ad Alexandrum Ducem Lithuanorum alio nomine dictum Vitolt, conquerens ei super injuriis & gravaminibus sibi a subditis suis exhibitis. Cui Alexander compatiens, magnum exercitum collegit de quibusdam Tartaris suo Imperatori faventibus & Lithuanis ac Ruthenis, & pertransiens totam Tartariam usque Capha, vastavit igne, gladio mactavit, & captivavit, quosquos invenit, Proceres & Nobiles, nec desistebat a persecutione & devastatione, donec totum Regnum subjecisset prælibato Imperatori. Comes Virtutum Johannes Dominus Mediolanensis factus est Dux a Wenzlao Rege Romanorum, secundum Chronicam Francorum, qui mox exaltatus in tantam prorupit superbiam, ut omnes Principes Italiæ & Lombardiæ suæ ditioni subjicere niteretur, & Rex eorum fieri laboraret. Quod attendentes Nobiles & Principes Italiæ & Lombardiæ ac civitates, confœderationem & ligam quandam invicem fecerunt contra dictum Ducem novellum, bella infatigabiliter contra ipsum moventes, & tandem ipsum viribus destituentes. Adversarii autem sui erant tyranni, puta Paduanus, Mantuanus, Florentinus & Remelus, ac civitates videlicet Florentia, Bononia, Ferraria, Padua, Mantua, Pisa & Remula. Fratres de domo Teutonica terræ Prutenorum cum magno exercitu exeuntes circa medium Quadragesimæ venerunt in Godlandiam, & expugnantes urbem, secundum Chronicam Danorum, Wisbu dictam, ceperunt eam. Et procedentes inde subjugarunt sibi totam terram illam, expellentes Vitalianos, qui ibidem dominabantur, & sic facti sunt Domini illius terræ de consensu & practicatione Alberti Regis Sweorum. Post hoc circa festum Galli dictus Albertus Rex terram Prutenorum ingressus est cum duobus Proconsulibus civitatum Rostoccensis & Wismariensis, sperans magnam summam pecuniæ se sublevaturum pro dicta terra, ut eam in toto resignaret Prutenis, eo quod adhuc Rex Sweciæ nominaretur. Sed nemo ei aliquid dabat, unde vacuus & frustratus spe sua reversus est. Banaham Dux de Wolgast cum collecto exercitu naves est ingressus, simulans se iturum contra hostes & perturbatores maris; sed iter suum in alium finem dirigens, transivit in Norsunt, & ibidem mercatorum naves spoliavit, ac plures mari immersit. Cumque commissa præda reverti niteretur, ecce navium magna classis mercatorum in Bergam Regni Norwegiæ ire tendens sibi obviavit, & prælium cum eo durum agens, omnes illos sic dispersit, ut nec una navis juxta aliam maneret, multis submersis, compulsique sunt raptores illi in diversas mundi partes & plagas fugiendo declinare. Wenzlaus Rex Romanorum prope Rhenum consistens, dissensiones & gwerras plures sedavit. Sed quod in pacificando hostes apud Deum promeruit, hoc in illicito quodam facto ex toto amisit. Nam plures virgines Deo consecratas de Monasteriis & claustris extraxit, & secum in Bohemiam vexit, stupri flagitio occasionaliter si non efficaci-

 ter

Digitized by Google

ter exponendo, & vasa Spiritui Sancto reservata turpiter maculando. Civitates illæ septem, quæ pro redemtione Regis Alberti & suorum concaptivorum fidejusserant Magaretæ Reginæ Danorum, prout supra anno XV. Wenzlai tactum est, intra duo festa Assumtionis videlicet & Nativitatis Virginis Gloriosæ se disponentes ad explendum promissum, miserunt Bertramnum Wulflam Burgimagistrum Sundensem ad Albertum Regem Sweorum, sciscitantes ab eo, an solvere vellet LXM. marcarum argenti, prout Margaretæ Reginæ Danorum spopondisset, vel an redire vellet cum suis in captivitatem. Albertus autem Rex astutiis mundi plenus literas scripsit, & per eundem Proconsulem eas transmittere in Stokholm simulavit, supplicans, ut tanquam fideles sui se non desererent in suis necessitatibus, sed se traderent in manus Reginæ, quia amplius eos defendere non posset, ut sic liberari posset a sua captivitate. Fuerat autem sic conclusum per civitates prælibatas & Reginam, cum de redemtione Regis ageretur, quod si pecuniam supra expressam solvere non vellet aut non posset, quod ex tunc aut urbem Stokholmensem cum suo castro & pertinentiis ad ipsum Reginæ ex integro resignaret, aut in captivitatem rediret. Quam literam licet sic, ut præmittitur, scribi fecerit, non illam tamen, sed aliam sigillatam alterius tenoris nuncio civitatum porrexit transferendam, & Stokholmensibus præsentandam. Cum autem Proconsul præfatus ad socios cum litera redisset, & illi unanimiter transfretantes ad urbem sæpe dictam venissent, ut ipsi eam acceptarent cum suo castro ad fideles manus Reginæ juxta tenorem literæ a Rege Alberto nuncio supra scripto lectæ, cives perlecta litera eam civitatibus ostenderunt, & talem formam, ut ipsi asserebant, non continere eis ostenderunt. Cives tamen illi potius verbis civitatum illarum quam literis Regiis credentes, juxta fidem præstitam ab ipsis, se Reginæ subdiderunt, civitatem suam & castrum manibus & literis sibi resignando, & homagium fidelitatis præstando. Et sic Rex a captivitate, & civitas a fidejussione facta solutæ sunt. Die octavo post festum S. Jacobi Apostoli concludebatur depositio Benedicti Antipapæ fienda in Regno Francorum, secundum Chronicam eorundem. Sane Dux Bithuricensis ambonem ascendens de mandato Regis Karoli & consensu universitatis Parisiensis, ac Principum & Prælatorum Regni, pronunciavit præfatum Benedictum Antipapam depositum fore legitime, & ipsum esse perjurum & hæreticum. Propter quod dixit Regem mandare & Prælatos universis subditis Regni, quatenus amplius prælibato Benedicto hæretico & legitime deposito nullam reverentiam aut obedientiam exhiberent, sub pœna privationis vitæ & maledictionis æternæ, nec quamcunque causam imposterum ad suam curiam deducerent sub eadem pœna. Positus est etiam tunc per Regem Francorum & Prælatos Regni Alexandrinus Patriarcha, & Remensis ac Rothomagensis Archiepiscopi cum eo, qui beneficia conferrent, & Prælatos inferiores instituerent. Reges autem qui Regi Francorum adhæserunt in causa ista, fuere Angliæ, Castellæ, Portugalliæ & Navarræ. Rex vero Arrogoniæ solus prædictum Benedictum in sua pertinacia fovebat, eo quod de sanguine suo esset. Dux Norfols & Dux Derbi Regni Angliæ discordias graves ad invicem habebant, eo quod unus alteri traditionem Regis & Regni imponeret, secundum Chronicam Anglorum, & ut veritas facti tam flagitiosi evidenter elucesceret, duellum certo die adinvicem agere compromiserunt. Cumque dies statuta pugnæ adesset, & ambo in campum venissent pugnaturi, Rex pius Richardus hanc crudelitatem abhorrens, ambos Duces perpetuo exilio condemnavit.

Decimo nono anno Wenzlai, qui est Domini MCCCXCIX. Asperitas maxima hyemis fuit, diu ultra consvetum durans, nec alicujus tunc viventis hominis memoria intentius frigus fuisse recolebat. Ambulari enim tunc poterat a Lubicana urbe ad civitatem Sundensem in solida glacie, & de Sundis in Daciam etiam in curribus & equis. In hac autem hyeme Fratres de domo Teutonica terræ Lyvoniæ cum XVM. armatorum occupantes terras Samettharum, interfecerunt ex eis IIIIM. & plures ex eis captivaverunt, de pecoribus autem & jumentis prædam immensam abduxerunt secum ad propria revertentes. Albertus Comes Holtzatorum cum multo populo Frisiam ultra Egdoram flumen intrans, depopulatus est eam, subjecitque eam sibi, colligens de ea XVIM. marcarum Lubicensis monetæ. Everhardus Episcopus Lubicensis obiit feria sexta ante Dominicam Palmarum, in cujus sedem electi sunt duo, puta Magister Johannes Dulman auditor causarum Romanæ curiæ & Magister Henricus Wolleri. Sed Magister Johannes tanquam magis notus Pontifici & Satrapis ejus confirmatus est. Hadewigis Regina Poloniæ filia Lodewici quondam Regis Ungariæ obiit plena virtutibus. Per hanc Bolezlaus Rex Poloniæ factus est Christianus, qui ante ipsius connubium Yagail dictus Rex erat vel Dux Lithuanorum & Paganus. Alexander, qui & Vitold dictus Dux Lithuanorum, collecto exercitu maximo, intravit Regnum Tartarorum, ubi prœlia grandia agens cum ipsis, victoriam a cœlo obtinuit de duobus certaminibus, in quibus Tartari amiserunt CCM. armatorum; sed in tertia pugna succumbens Alexander, vix cum octo viris evasit manus hostium. Perierant autem de toto Lithuanorum exercitu CM. armatorum. Albertus quondam Rex Sweorum, Wilhelmus Marchio Misnensis & de Brandenburg, & Laurentius Dominus Slavorum congregati in opido Parleberge, pacem generalem terrarum suarum, quam alias inceperant ibidem, protunc concluserunt, firmantes eam literis & juramentis suis. Cum autem prædicti Principes in tam salubri occupatione essent constituti, raptores diabolica instigatione agitati, qui in opido & castro Lentzen residebant, exeuntes, castrum, quod Albertus Rex contra eos erexerat, destruxerunt traditorie ipsum capiendo, & opidum dictum Lentzen reintraverunt. Quod audientes Principes ibidem

Digitized by Google

dem congregati, cum manu valida præfatum opidum obsederunt, & ipsum tandem expugnantes ceperunt. Raptores vero in eo repertos patibulis appenderunt, & cæteros elapsos proscripserunt. De Lentze autem procedentes ultra ad castra, & munitiones de prope jacentes vallarunt, & nemine in eis invento, ea succenderunt. Nomina autem dictarum munitionum protunc destructarum sunt Wusterowe, Mezekowe, Mankemus & Kummerlose. Nuncii Fratrum de domo Teutonica terræ Prutziæ venerunt in Wismariam urbem Obotritorum, secum deferentes thesaurum magnum, quem obtulerunt Alberto Regi, prout alias secum convenerant pro terra Godlandiæ. Quam quidem terram eisdem Fratribus resignavit cum omni jure suo, quod in ea habuerat, perpetuo possidendam. Civitates stagnales navigantes in Daciam, convenerunt in Selandia, ubi placitantes cum Margareta Regina pacem firmam fecerunt inter mercatores suos & tria illa Regna Daciæ, Sweciæ & Norwegiæ; & confœderati sunt ibidem, & compromiserunt pariter, quod totis viribus satagere vellent ad extirpationem piratarum. Receptæ etiam sunt protunc ibidem in gratiam Reginæ civitates Rostoccensis & Wismariensis. Henricus Dux Lancastriæ patruus Richardi Regis Angliæ captivavit ipsum Regem Richardum, & carcerali custodiæ eum commendavit, atque post dies paucos ipsum crudeliter strangulavit, se ipsum in Regem loco sui eligi & coronari procuravit. Factus autem Rex, tyrannica impietate in plures desævit Prælatos & Religiosos, dicti Richardi Regis interfecti fautores & amicos, mortibus diversis eos multando. Hic Richardus flebili memoria ab omnibus Deo dilectis recolendus, vir extitit magnæ devotionis, justitiæ zelator, pacis amator, & Religiosorum pater & fautor. Horas hic diurnas pariter & nocturnas, quando commode potuit, aut audivit aut legit studiose secundum Breviarium Fratrum Ordinis Prædicatorum, tanquam in sacris Ordinibus constitutus. Propter quod haud dubium pro justitia fidelitateque sua mortificatus, pretiosa est in conspectu Domini interfectio ipsius & suo crudeli interfectori damnosa. Quædam hominum multitudo magna promiscui sexus conglobata, puta LXXXM. hominum vel amplius albis indumentis vestitorum apparuit, in Italia terras peragrans, secundum Chronicam Romanorum. Hæc turba cum alicui civitati appropinquaret, recipiebatur solenniter ab incolis urbis cum processione devota Cleri & populi. Et cum ipsam urbem ingrederetur, clamabat voce sonora: Pax & misericordia, & cantabat carmen illud de Passione Virginis Gloriosæ: Stabat mater dolorosa &c. Quicunque autem se tunc illis jungebat ex illa civitate, illi promiserunt Fratres & Sorores illius sectæ, quod nunquam moriturus esset subitanea morte, nec etiam ex illa clade, quæ tunc in partibus illis sæviebat. Maxima enim illis diebus vigebat in partibus illis epidimia. In dicta autem comitiva fuerunt, ut dicebatur, Episcopi, Abbates & plures alii Prælati; insuper Comites, Barones, Milites & Nobiles multi. Hi prædicabant hominibus & vitia eorum redarguebant. Ulricus & Johannes Duces Stargardiæ collecto exercitu venerunt prope Prenislaviam urbem Marchiæ de Brandeburg. Quod ut viderunt cives, exierunt cum tota potentia sua, ut hostibus resisterent. Duces vero exercitum civium mox recensentes, celeriter inter civitatem & cives se locarunt, & repente in eos irruentes, captivaverunt fere omnes burgenses dictæ civitatis, & confestim ab eis homagium fidelitatis postulaverunt. Quo præstito, cum eis urbem intraverunt, & exactionantes eos, LXM. sexagenarum Bohemicalium ab eis extorserunt, abducentes pro pignoribus dictæ summæ potiores cives civitatis illius. Fratres Ordinis Prædicatorum urbis Lubicensis vetus (veterem) chorum dejicientes, novum reædificaverunt satis solennem.

De Ruperto Rege Romanorum.

Rupertus Dux Bayoariæ & Comes Palatinus Rheni cœpit anno mundi VMCCCLX. Olympiadis DXXIX. anno tertio, urbis conditæ IIMCL. Domini vero MCCCXCIX. & annis XIIII. regnavit. Hic ob desidiam, negligentiam & inordinatam vitam Wenzlai Regis Bohemorum in Regem Romanorum est provectus, ipso Wenzlao Romanorum Rege vivente & abjecto. Fuerat namque præfatus Wenzlaus sæpe admonitus a Pontificibus summis Urbano VI. & Bonifacio IX. & ab Electoribus Imperii, ut se emendasset. Sed quia hoc facere renuit, Rupertus prælibatus est in Frankenford electus in Regem Romanorum, & a Frederico Coloniensi Archiepiscopo Aquisgrani coronatus, & quia benedictione Imperiali caruit, idcirco numero Imperatorum non est annotatus.

Primo anno Ruperti, qui est Dn. MCCCC. Fredericus Nobilis Dux Brunswicensis, visitato novo Rege Romanorum, est prope Frislariam gladio Frederici de Hertegeshusen Militis perforatus V. die mensis Junii, quæ erat vigilia Pentecostes, secundum Chronicam Saxonum. Erat autem prædictus Fredericus Dux Princeps pacis, verbo verax, hominibus affabilis & dulcis. Propter hujus Principis mortem multæ gwerræ, multarum terrarum devastationes, multa homicidia, rapinæ & incendia facta sunt. Laurentius Slavorum Dominus obiit, & sepultus est in Gusterowe in Ecclesia majore terræ suæ, cui filius suus senior Balthazar successit in dominio, Wilhelmo juniore in Studio degente. Hic Balthazar hoc anno cum exercitu satis exili claustra Lubicensium ingressus, villam Wislo prope Swerin silvam sitam incineravit, & vaccas urbis apprehendens absque resistentia & insecutione quacunque abduxit. Gerardus Herbipolensis Episcopus cives illius urbis sibi rebelles & contumaces in prœlio prostravit, multos interficiens. Rotari etiam plures ex eis fecit, quorum capita lanceis imposita victor effectus per urbem circumduxit, & non per portam, sed muro civitatis in magna parte dejecto ipsam intravit. Quo Episcopo defuncto, successit Johannes in Episcopatu, vir pacificus & devotus. Hic universitatem in urbem suam locavit, & a Papa confir-

Digitized by Google

firmari eam procuravit cum privilegiis & gratiis consvetis. Sed eo decedente, & ipsa universitas secum mox abscessit. In Colonia quidam civis multum devotus apud Fratres Prædicatores moratus interficitur cum famulo suo a quodam scriptore sibi valde familiari. Qui captus postea rotatus est; nomen autem civis sic interfecti fuit Johannes Bersword dives & eleemosynarius magnus. Ericus Dux Saxoniæ de Lovenburg obiit, post se filios V. relinquens, puta Ericum, Magnum, Ottonem, Gherardum (Bernhardum) & Johannem, cui in Ducatu successit Ericus senior natu, Magnus vero factus Episcopus Caminensis postea translatus est ad Ecclesiam Hildeneshemensem, Johannes autem interfectus est prope villam Rosenburg a quodam mercatore sagitta, Gherardus (Bernardus) vero & Ericus adhuc vivebant, cum hæc scriberentur. Tidericus quidam Hollandrinus Præbendarius Fratrum Prædicatorum in Conventu Hammeburgensi quandam interfecit mulierem etiam præbendariam in eodem conventu latenter, nec sciri potuit, quis occisor ejus fuisset Cum autem Quadragesima advenisset, prædictus Tidericus latro peccatum suum cuidam Fratri ejusdem Conventus confessus est, cui nomen Matthias. Quem cum Frater ille absolvere nollet, sed ad superiorem remitteret, cogitavit homicida ille diabolica suggestione motus, quod Frater ille facinus suum prodere vellet, eo quod ipsum absolvere recusasset. Propter quod nacta oportunitate accessit Fratrem illum Matthiam quodam die Dominico in ambitu Fratrum eorunden sub silentio summæ missæ sibi obviantem, & ipsum cultro suo transfodit, tria letalia vulnera sibi imprimendo, & abscessit. Frater autem ille sic confossus cadens mox spiritum efflavit. Ericus Dux de Lovenburg cautulose ascendens castrum Berghedorp, quod patruus suus Lubicensibus pro magna pecuniæ summa impignoraverat, ejecit Ottonem de Ritzerowe dictæ civitatis Advocatum, qui dictum Ericum sub fide præstita intromiserat. Otto vero præfatus videns se deceptum per Ducem Ericum ante dictum, loco castri Bergerdorp, quod a Lubicensibus custodiendum receperat in manus fideles, & jam in bona fide perdiderat, proprium castrum suum Ritzerowe ipsis civibus resignavit, & se ipsum eisdem captivum præsentavit, ac civitatis vincula, & claustra sponte intravit, non diu post præ melancholia diem claudens extremum.

Secundo an. Ruperti, qui est Dn. MCCCCI. Ipse Rupertus Rex Romam pro corona Imperiali adipiscenda ascendere nisus est, sed in sumtibus & expensis deficiens, & etiam per quosdam Italiæ tyrannos præpeditus, iter suum retraxit, & ad propria reversus est. Wilhelmus Marchio Misnensis & filii fratris sui Fredericus & Wilhelmus urbem Pragensem cum maximo exercitu obsederunt, & damna non modica eidem intulerunt, secundum Chronicam Saxonum. Pro illo namque tempore erant Marchiones isti, puta Wilhelmus senior Monoculus, qui primo duxerat sororem Jodoci & Procopii Marchionum Moraviæ. Qua defuncta, duxit in uxorem filiam Ottonis Ducis de Leyna, & ab istis duabus uxoribus nullam prolem suscepit. Erat & Balthazar frater prædicti Wilhelmi Monoculi Lantgravius Thuringiæ, qui filium genuit Fredericum nomine. Iste Balthazar duxit relictam Ducis Frederici de Brunswic filiam Rodolfi Ducis Saxoniæ, a qua prolem nullam habuit. Extiterat & Fredericus frater dicti Wilhelmi Monoculi secundus, qui tres reliquit filios, puta Fredericum, Wilhelmum & Georgium. Clerus Halberstadensis propter quasdam discordias inter ipsum & cives ejusdem urbis subortas exivit civitatem dictam metu victus, & divisim sparsus est in opida & civitates circumjacentes, moram in eis trahens, demto Henrico Rintdorp mercenario parochiæ S. Pauli, secundum Chronicam Saxonum. Hic in eadem urbe cum aliquibus aliis Sacerdotibus sibi in conscientia similibus profanavit, contra mandata Rodolfi Episcopi Halberstadensis nati Comitis de Anahald. Religiosi vero mendicantes Ordinum Prædicatorum & Minorum Conventus suos deferentes propter Clerum urbem prædictam exierunt, paucissimis exceptis, qui ob custodiam loci remanentes, & interdictum strictissimum observantes, perpessi sunt multas tribulationes & contumelias a civibus eis illatas & penurias victualium, stantes conclusi & quasi incarcerati in suis Monasteriis. Quibus patienter & libenter pro Deo & justitia toleratis, tandem redemti sunt concordia & reconciliatione partium intervenientibus. Barnham Dux de Wolgast & Balthazar Dominus Slavorum cum CCCC. fere lanceis venerunt prope urbem Lubicensem, & vi transeuntes munitiones & fossata urbis, incenderunt prope munitionem dictam Vredeburg tabernam quandam S. Christophori, ductore eorum existente Henrico Distelvink. Cives autem Lubicenses percipientes hostes adesse ad capienda arma propulsatione campanæ & clamoribus consvetis se invicem hortati sunt. Cumq; copiosam multitudinem cives eduxissent, & extra valvam molendinariam se congregassent, equestres, quorum Capitaneus erat Jordanus Plescowe Proconsul, vir industrius & expeditus, inimicis obviam perrexerunt. Territus autem Barnham Dux de multitudine civium, fugam cepit cum suis, & veniens ad antrum, per quod intraverat, ipsum obstructum & munitum armatis & balistariis reperit. Quod cernentes Principes, multum consternati festinaverunt ad castra Ducis de Lovenburg, ut ibidem exitum terræ invenire valerent ad evadendum manus civium. Ericus autem Dux ipsos Principes Præsidium suum quærentes salvare cupiens, transitum per sua claustra eis concessit. Et sic manus Lubicensium evaserunt, non tamen sine amissione plurimorum tam virorum quam equorum in cursu illo interfectorum, Barnham Dux etiam saucius evasit non tamen letaliter.

Tertio anno Ruperti, qui est Dn. MCCCCII. Wilhelmus Marchio Misnensis Donyn castrum prope Dreseden situm obsedit & expugnavit, secundum Chronicam Saxonum, castrensibus penitus

Digitized by Google

penitus amotis. Eodem tempore obiit Georgius junior filius Frederici fratris Wilhelmi Marchionis. Cometa magnus apparuit in occidente tempore Quadragesimæ, & duravit per mensem & amplius; qui tandem disparuit, dum Wenzlaus Rex Bohemorum secundario a fratre suo Sigismundo Rege Ungariæ caperetur. Quem captum in Viennam urbem deduxit, sed tandem fuga elapsus in Bohemiam rediit. Anglipetæ Hammeburgensium duplex certaverunt bellum navale cum piratis, quorum Capitanei in primo conflictu fuerunt Wichmannus & Nicolaus Stortebeker. Et Hammeburgenses ex eis interfecerunt CCXL. prope insulam Terræ Sanctæ, LXX. vero secum duxerunt in suam urbem, & ibidem decollati sunt. Capita autem eorum prope Albiam in quodam prato locata sunt. In secundo vero certamine navali fuerunt Capitanei piratarum Godfridus Michaëlis & Wigboldus Magister in Artibus, & capti sunt ab Anglipetis mercatoribus dictæ civitatis circiter LXXX. Hi omnes ut primi in urbem Hammeburg sunt ducti pariter & decapitati, ac aliis appositi in eodem prato. Ulricus Dux Stargardiæ intrans Marchiam de Brandeburg cum exercitu valido, obsedit opidum Vredeburg; quod tandem muris ascensis cepit, & bonis omnibus spoliatum ipsum incendit. Inde vero transiens ad opidum Strutzeberg, similiter & ipsum cepit, spoliavit & conflagravit. Clerus urbis Magdeburgensis a communitate ipsius quasi furente invaditur, secundum Chronicam Saxonum, & Canonicorum curiæ & Vicariorum domus violenter franguntur & spoliantur: duæ vero domus eorum incinerantur, ipsis Canonicis & Vicariis fuga elapsis cum clenodiis majoris Ecclesiæ. Totum autem hoc malum, & quod postea secutum est, a moneta sumsit exordium. Margareta trium Regnorum Regina cremari fecit publice in Valsterbode quendam, qui pro filio suo Olavo se gerens, plura signa & conditiones veri filii sui in se habere ostendit, instructus forte, ut dicebatur, per quandam mulierem, quæ tempore dicti Olavi filii Reginæ apud ipsam Reginam existens curiæ servierat. Wilhelmus quidam albis vestibus indutus, & pro Apostolo se gerens, venit in urbem Lubicanam, & multo tempore inibi degens, vitæ suæ strenuitate ad extra apparente multos homines sibi fecit familiares & favorabiles utriusque sexus. Sed tandem malitia sua ad intra palliata in patulum prodire cœpit per varia impudicitiæ signa & verba diversis personis expressa & turpia exercitia cum pluribus habita. Propter quod a bonis & honestis mulieribus accusabatur apud inquisitorem hæreticæ pravitatis Magistrum Eylardum de Ordine Prædicatorum tanquam de hæresi suspectus. Qui ipsum capi fecit per famulos civitatis prædictæ, & coram multis Clericis, Religiosis & laicis diligenter ipsum examinavit pluribus vicibus. Quem postremo multis audientibus, diversis erroribus & hæresibus infectum reperiens carceri adjudicavit, & emendam promittenti crucem ut pœnitenti misericorditer imposuit. Cum autem in carcere constitutus esset, crucem, quam inquisitor ante dictus humiliter ferendam sibi imposuerat, cum irreverentia & contemtu contumeliose de collo rapuit, videntibus carceris custodibus, & ipsam in terram projecit, ac pedibus calcavit. Quod facinus cum inquisitori indicaretur, dictum hæreticum de carcere tulit, & cum magna solennitate in publico loco coram infinita populi multitudine, post sermonem gloriosum ab eodem inquisitore factum, ipsum judicio seculari tradidit tanquam relapsum & ignibus reddendum. Qui tandem combustus est.

Quarto anno Ruperti, qui est Domini MCCCCIII. Canonici & Vicarii urbis Magdeburgensis reconciliati civibus dictæ civitatis reversi sunt ad curias suas & domos suas in bona quinta feria, secundum Chronicam Saxonum. Quibus omnia damna per cives eisdem illata, quæ sub juramento se dicebant passa, per promtam pecuniam sunt integraliter soluta. Henricus Dux de Brunswic & Luneburg cum fratre suo Bernhardo, post mortem Frederici fratris sui interfecti factus, vindicare necem fraternam disposuit, secundum Chronicam Saxonum, & educens exercitum validum cum adjutorio Ottonis Ducis de Leyna, Hermanni Lantgravii Hassiæ & Henrici Comitis de Honsteen, obsedit castrum Gebelhusen per unum milliare distans a Duderstad opido, & ipsum expugnavit & cepit. Wismariensis urbis cives quendam militem Johannem Goer de Ducatu Magnopolensi in patibulum commune furum suspenderunt, eo quod Alheydem uxorem Johannis Schelp civis urbis ejusdem rapuisset & abduxisset, cum multis clenodiis aureis & argenteis viro suo furtive subtractis, & in manica sua inventis, precibus & minis Alberti quondam Regis Sweorum minime flexi aut fracti. Presbyter quidam Nicolaus Ville dictus delatus inquisitori magistro Eylardo ordinis Prædicatorum in urbe Sundensi captus est, & per eum examinatus coram multis Prælatis, Clericis, Religiosis & laicis, & inventus hæreticus pertinax & induratus, nec ad gratiam Ecclesiæ reverti volens, degradatus est in publico foro per inquisitorem prædictum, & judicio seculari traditus ad comburendum. Quod eodem die factum est. Eodem anno idem inquisitor quandam mulierem sibi delatam examinavit in civitate Rostoccensi, quam etiam hæreticam inventam pertinacem & induratam, nec ad gremium ecclesiæ reverti volentem judicio seculari tradidit comburendam. Quæ cum igni astaret jam projicienda in eum, filius suus uterinus Frater Ordinis Cistertiensis eam ad pœnitentiam exhortatus est verbis dulcibus & devotis. Quem contumeliose reprehendens dixit: Taceas tu adulterine fili: nunquam meis gestatus es visceribus. Quod audiens Frater confusus & mœrens abscessit. Similiter & in urbe Wismariensi dictus inquisitor pro eodem tempore quendam Beggardum socium Wilhelmi in Lubeke incinerati Bernhardum nomine examinatum & hæreticum inventum induratum comburi fecit.

De Innocentio VII. PP. Rom. CCXII.

Innocentius Papa, natione Neapolitanus, sedit

dit tribus annis & diebus XVI. Hic prius dictus Cosmarus Cardinalis extitit, & Romæ electus est & coronatus in die S. Johannis Baptistæ, Benedicto Antipapa adhuc vivente, & in sua vesania perdurante. Albertus Archiepiscopus Magdeburgensis obiit, vir prudens & victoriosus, in cujus sedem electus est Guntherus Comes natus de Swartzeburg satis juvenis, & confirmatus est. Myndensis civitas terræ Westphaliæ fortissimum pontem per Wyseram flumen fecerat de lapidibus quadris sectis: sed hic pons resolutis glaciebus impetuosa compressione quassatus est & dejectus.

Quinto anno Ruperti, qui est Domini MCCCCIIII Ericus Dux de Sleswic, Albertus & Nicolaus Comites Holtzatiæ cum quingentis armatis terram Dithmarsiæ intraverunt ipso die S. Dominici Patris & institutoris Ordinis Prædicatorum, eam igne & rapinis vastantes. Sed cum exire vellent per meatum strictum Hamme dictum, Dithmarci hinc inde in nemore vicino latitantes, lanceis suis longis & gracilibus equos Holtzatorum perforarunt pariter & sagittis sauciaverunt. Exinde autem viros armatos equis labentibus subactos sine difficultate interfecerunt, paucissimis fuga salvatis. Saucios autem Dithmarci de vicinis villis accurrentes, quoscunque palpitare cernebant, confestim occidebant. In campo autem occisorum cadavera jacentia aves & canes lacerabant, & difficulter permissa sunt Principum & majorum corpora sepulturæ tradi. Singulis igitur annis Dithmarci solenniter diem illum festivant in memoriam victoriæ in eo habitæ. Rodolfus Episcopus Halberstadensis obiit in excommunicatione majori, secundum Chronicam Saxonum, pro eo quod quendam Canonicum in turri propriis strangulaverat manibus. Propter quod diu stabat inhumatus in quadam ecclesia deserta; & ei successit in sedem Otto vir sagax & pius. Hic eodem anno captus est in die S. Bonifacii a Wiperto Comite de Barby, & ductus est in castrum Block. Cives Lubicenses de beneplacito Ulrici Ducis de Stargardia se locaverunt in opido Sterneberg cum suo exercitu, volentes bella movere contra Balthazar Dominum Slavorum. De quo exercitum ducentes, perrexerunt versus Parchem opidum, cujus vaccas apprehenderunt & abduxerunt, duce exercitus eorum existente Jordano Plescowe Proconsule. Intraverunt secundario locum quendam Hortum rosarum dictum propter villarum numerositatem & loci firmitatem ac terræ illius fertilitatem, & illum pro magna parte vastavernt. Inde procedentes versus opidum Gusterowe, ipsum obsederunt, & expugnare cœperunt. Quod videns Balthazar Dominus Slavorum, placitare cum eis cœpit, & treugas ad tempus dantes adinvicem, ad propria sunt reversi.

Sexto anno Ruperti, qui est DN. MCCCCV. Gravis in urbe Lubicensi desævit mortalitas, & decesserunt in civitate illa a festo Corporis Christi usque ad festum S. Martini circiter XVIIIM. hominum. Henricus Dux de Brunswic & Luneburg captus est a Bernhardo Domino de Lippia, & valde inhumaniter tentus ab eodem, & mansit in captivitate illa citra annum. Redemit autem se promittendo se soluturum CM. florenorum & jurando; de qua summa solum XVM. sunt persoluta a fidejussoribus suis. Communitas urbis Myndensis contra suum Consulatum se erigens, elegit pro Capitaneo suo quendam concivem suum Scramme dictum. Et tyrannizare incipientes communes contra potiores, eos de urbe expulerunt, demtis quibusdam de Consilio, qui manum in facto habentes, communes animabant ad perficiendum, quod inceperant. Uxores autem expulsorum Consularium positæ sunt simul ad unum magnum currum, & eductæ in magna contumelia, insultantibus eis pueris & senibus, & bona omnium eorum confiscata sunt. Hermannus autem Swarte Proconsul unus de exulantibus plura interim Myndensibus damna intulit. Nam molendinum civitatis incineravit, plures cives captivavit, & præcipue impositorem hujus discordiæ Scrammen, quem captum propria manu suspendit. Hic Hermannus Swarte Burgimagister, vir astutus & activus, coram Ruperto Rege Romanorum contra præfatam civitatem querimonias deposuit, & eo justificato cum suis participibus, ex quo alia pars citata non comparuisset, bannum imperialem contra eum obtinuit. Quod quidem bannum pro viribus prosequens, a Principibus & civitatibus circumjacentibus impetravit prohibitionem adductionis victualium, & sic illi civitati nihil adducebatur. Quam quidem prohibitionem cives percipientes eis damnosam, imo destructivam suæ civitatis, compulsi sunt prælibatos exulatos & proscriptos Consulares, contra proprium juramentum de non intromittendo eosdem in perpetuum ab eis præstitum, cum gloria magna recipere & introducere cum suis uxoribus.

Septimo an. Ruperti, qui est DN. MCCCCVI. tertio Idus Januarii venerunt in urbem Viterbiensem ad Consistorium publicum Legati Romanorum viri XVIII. elegantes ad præsentiam Domini Papæ Innocentii & Cardinalium, secundum Chronicam Romanorum, offerentes sibi plenum urbis dominium sub instrumento publico. Postea vero ore & manu obtulerunt sibi claves urbis & sigillum cæteraque Principatus insignia, prout in Bulla sua plenius continetur super his confecta, cujus tenor incipit: Quoniam summus opifex. Henricus Dux de Brunswic & Luneburg propter crudelem detentionem, quam in sua captivitate pertulerat a Domino Bernhardo de Lippia, factus est hostis dicti Bernhardi, & colligens exercitum, obsedit castrum Pol. Quod tandem cepit in nocte Sanctæ Paschæ, cum vigiles nihil mali suspicarentur, per murum ad eos intrans; quod captum fortiter munivit. Exinde progrediens versus Horne opidum, intra ipsum locavit, & de eo omnem terram Domini de Lippia vexavit, spoliavit, & incendiis crebris vastavit. Tectum altum & pretiosum turris Ecclesiæ S. Johannis in Luneburg in die Annunciationis Virginis Gloriosæ incensum est fulmine & exustum; campanæ vero solutæ corruerunt & confractæ sunt. Eclipsis solis notabilis valde facta est in die S. Viti hora quasi

Digitized by Google

quasi [?]ta de mane cum magnis & inconsuetis tenebris, ita ut fere nox putaretur, & duravit per quartale unius horæ. Homines autem ob insolitam obscuritatem prius non perceptam in stagnalibus partibus multum consternati sunt & territi, timentes mundi finem imminere. Otto Archiepiscopus Bremensis obiit, frater Ducum de Brunswic & Luneburg, in cujus sedem electus Dominus Johannes de Rameslo Præpositus de Hadelen, vir utique simplex ad literas, sed industrius valde ad temporalia bona disponenda. Hic plura castra Ecclesiæ suæ impignorata redemit, & diœcesi proficuus extitit. Devastationes terrarum factæ sunt per Guntherum Archiepiscopum Magdeburgensem & cives ejusdem urbis & Hallenses ex una parte, & Albertum Comitem de Anehald & Comites de Dessow & Koten ex altera parte: sed tandem villis destructis & subditis depauperatis, gverra sopita est.

De Gregorio XII. PP. Rom. CCXIII.

Gregorius Papa Venetianus sedit annis duobus & mensibus V. Hic prius Angelus de Corario dictus Patriarcha fuit Constantinopolitanus, & postea Presbyter Cardinalis titulo S. Marci Romæ electus est in Papam in die S. Andreæ, & coronatus est in die S. Nicolai, Benedicto Antipapa vivente. Iste immediate post coronationem suam juravit tactis præcordiis, propriis se laboraturum totis conatibus pro unione Ecclesiæ & depositione schismatis, etiamsi resignare & cedere Papatui ipsum oporteret, in casu si alias unio fieri non valeret. Et statuit fieri communes orationes pro eadem causa per universum orbem. Promisit insuper se non augmentaturum numerum Cardinalium ante unionem factam ex eadem causa. Quod & Cardinales secum in conclavi constituti ante electionem factam juraverunt. Sed Papa factus, nullum eorum tenuit aut implevit. Testes autem vocati, cum jurarent Papa & Cardinales, fuerunt isti: Barontus Philippi de Pistorio literarum Apostolicarum scriptor publicus & Apostolicus Notarius, Stephanus Gerii de Prato, Gerlacus Heriberti de Esth diœcesis Colomensis, Clemens de Bayoaria & Franciscus Hoglet Leodiensis diœcesis, Jovanellus Bramericus Cameræ Basilicæ Principis Apostolorum de urbe publica Notarii. Wilhelmus Marchio Misnensis Monoculus obiit in opido Grymme, secundum Chronicam Saxonum. Iste Marchio maximum damnum terris suis intulit immutatione monetæ, quæ post mutationem vix tertiam partem valoris retinuit. Dominus Gerardus de Hanze Præpositus majoris Ecclesiæ Hildeneshemensis, pro eo quod deprædari ordinaverat nuncios Romanæ Ecclesiæ, secundum Chronicam Saxonum, qui reditus annuales Præpositure suæ attulerant uni Cardinali pertinentes, captus est & turri inclusus per Johannem Episcopum dictæ Ecclesiæ, & postea expeditus miserabiliter.

Octavo an. Ruperti, qui est Dn. MCCCCVII. Philippus Dux Burgundiæ, secundum Chronicam Francorum, ad quem Comitatus Flandriæ devolutus erat, quandam summam pecuniæ a Consulatu civitatis Brugensis postulabat sibi dari in subsidium expeditionis suæ. Quam cum Consulares prædicti sibi dare renuerent, contulit se ad communitatem dictæ urbis, conquerens ei, quod tale subsidium Consules sibi negassent. Quod quidam honoris cupidi audientes, qui etiam dictis Consularibus male favebant, conventionem talem cum Duce fecerunt, ut si privilegium tale communitati conferre vellet in perpetuum duraturum, quod scilicet & mechanici amplius eligi deberent in Consulares urbis illius, & etiam si præsentem Consulatum deponere vellet, & alium de mechanicis & mercatoribus novum instituere, ipsi, qui constituerentur Consules, sibi postulatam pecuniam largiri vellent. Quod per Ducem juxta desiderium illorum factum est, & pecunia ei soluta est. Sed regimen institutorum de novo per breve tempus duravit. Nam vix tribus annis excursis omnia privilegia illa, per quæ mechanici regnare cœperant, sunt revocata, & Consulatus expulsus manu potenti Principum est reintroductus cum honore, & schismatis hujus autores malo fine vitam terminarunt. Albertus quondam Sweorum Rex & Dux Magnopolensis obiit in Swerin, relinquens post se Albertum filium suum & Johannem patruum suum. Qui ambo Ducatum dividentes præter civitates Rostoccensem & Wismariensem, quarum ambo Domini erant, quilibet suam rexit partem. Conradus Soltowe Episcopus Verdensis Sacræ Theologiæ Professor obiit in castro Rodenburg, in cujus sedem electus est Henricus Comes de Hoya, cui præsentata sunt castra & urbes; Gregorius vero Papa unum alium dedit Ecclesiæ, sed non admittebatur per Capitulum, licet a Henrico Duce manutentus degeret in Luneburg. Carpentarius quidam in Wismaria urbe Obotritorum phrenesi tactus, lucida habere consuevit intervalla. Hic in crastino B. Jacobi Apostoli infirmitate consveta laborans, recepit ad manum bipennem, & arripiens pueros suos, tres, quos habebat satis formosos, unum post alium crudeliter per medium secuit. Mater autem puerorum cum quarto gravida existens, cum hanc terribilem videret inhumanitatem, mox a retro accurrit, & virum brachiis amplectens, necem ultimi pueri impedire nisa est. Quod cum vir furibundus persensit, de brachiis uxoris se excutiens cum impetu se vertit, & uxorem prægnantem confestim interfecit. Hæc mala cum perpetrasset homicidia, domum suam sic sangvinolentus & cum cruenta bipenne exivit, & ad socios suos, ubi quandam ædificabant domum, venit. Quem cum viderent sic dispositum, sciscitati sunt ab eo, quid egisset? Inter quorum verba in momento ille ad se reversus, perpendit immanitatem sceleris sui per ipsum perpetrati. Quod cum plene cognovisset, domum reversus cultellum, quem apud se habuit, extraxit, & mox cordi suo profundius, quo potuit, infixit, & sic cadens exspiravit. Stokholmensis civitas Regni Sweorum a fulmine conflagrata est post octavas Paschæ, in cujus incineratione circiter mille & DC. homines incendio perierunt; plures & mulieres, virgines & alii

Digitized by Google

& alii homines divites volentes se & sua salvare, magnam navem clenodiis & aliis rebus pretiosis onustaverunt. Quos plures alii secuti, ut evaderent, navem cum eis, vellent nollent, ascenderunt, & tandem ipsam mari immerserunt, ac simul perierunt. Ipso die S. Ieronymi tres Presbyteri, puta Johannes Colne Officialis Archidiaconatus Trebulensis & Plebanus B. Virginis, Henricus Gergenowe Plebanus S. Jacobi, & Wilhelmus Capellanus S. Nicolai loco Plebani sui de manibus elapsi, in contemtum Conradi Bonowen Plebani in Voghedeshaghen Ecclesiæ matricis omnium Ecclesiarum urbis Sundensis, ligati sunt ad scalas tres, & in ignem copiosum projecti factum in foro novo dictæ civitatis, ac ad pulveres usque concremati per bajulatores urbis ante dictæ. Hæc exorbitatio stupenda ideo contigit, quod prænominatus Conradus Bonowe Plebanus, non ut Sacerdos sed ut raptor publicus, altera die cum multis armatis coram urbe prælibata Sundensi se præsentaverat, & villas spoliaverat, vaccasque & pecora rapuerat, ac quibusdam bajulatoribus extra muros civitatis laborantibus manus & pedes amputaverat. Et hoc totum malum ideo fecerat, quia Consulatus urbis prohibuerat cives suos, ne amplius tam excessivas & sumtuosas exequias per agerent pro amicis suis defunctis, quales huc usque peregissent, quia cederet in magnum gravamen communitati, & pauperibus præsertim in onus importabile. Cum autem Rodolfus Episcopus Swerinensis Sacerdotum suorum interfectionem tam crudelem percepisset, strictissimum in dicta civitate posuit interdictum, & interim causam illam destinavit ad curiam; quæ tamen postea sopita & terminata fuit per publicam emendam, actoribus & consentientibus absolutis per Fratrem Gherardum Pœnitentiarium Papæ Ordinis Prædicatorum de curia ad hoc specialiter missum. Hostiles devastiones terrarum factæ sunt per cives Bremenses, quibus auxiliabantur Otto Comes de Hoya & Otto Comes de Delmenhorst. Contra hos certabant viriliter Tidericus, Christianus & Mauritius Comites de Aldenburg. Christianus tamen Comes captus est a Bremensibus ultima die mensis Januarii, & turri mancipatus. Hyems & geliditas asperrima fuit & intensissima, & duravit a die S. Martini usque ad medium Quadragesimæ. Omnes autem aquæ sive stagnales sive maritimæ equitari poterant, & currus onusti in eis duci in omnem terram. Gregorius Papa Romanus & Benedictus Antipapa cum eorum Cardinalibus, ex instigatione Karoli Regis Francorum ac aliorum Principum & Prælatorum Regni ejusdem, concordaverunt de loco conventionis puta Saona civitate pro unione Ecclesiæ fienda, secundum Chronicam Francorum, & compromiserunt, quod ambo cedere vellent Papatui in proximo festo omnium Sanctorum, ac concorditer & unanimiter providere vellent Ecclesiæ de unico Pastore, & sic maledictum schisma, quod jam fere ad XXX. annos durasset, terminaretur. Sed proh pudor! totum illud promissum per Regem Karolum & Principes tam salubriter elaboratum in nihilum redactum est, quia noster Gregorius quo spiritu nescio ductus retrocessit, & negavit cessionem Benedicto Antipapa in suo promisso permanente, & se loco determinato præsentante. Propter quod protractum est negotium Ecclesiæ & impeditum usque ad annum sequentem. Clerus Halberstadensis suis civibus est reconciliatus, secundum Chronicam Saxonum, ex industria Frederici de Werberg novi Episcopi urbis ejusdem, & quilibet suam reintravit habitationem.

Nono anno Ruperti, qui est Domini MCCCCVIIII. Ambo collegia Cardinalium considerantes Paparum suorum versutiam, ac subterfugia eorum Christicolis periculosa, in castro Liburno prope Pisam sito convenerunt, ubi statuerunt fiendum generale Concilium in dicta urbe Pisana in proximo festo Annunciationis Virginis Gloriosæ, & ambos Antistites evocandos esse ibidem, ut sic inibi uniti detestabile & inveteratum schisma sepeliretur mortificatum. Sanxerunt insuper ibidem, quod si in casu ambo venire recusarent, aut unus veniret & alter non, quod æque bene Concilium illud de Summo Pontifice providere deberet Ecclesiæ Catholicæ, ambobus juridice depositis & abjectis. Hoc quidem statutum ambo collegia Cardinalium literis suis denunciarunt Principibus & Prælatis per orbem universum. Diffidium maximum & periculosum ortum est inter communitatem & Consulatum urbis Lubicensis, quæ quidem dissensio & discordia ex hoc fertur sumsisse initium. Vulgo namque sive communitati videbatur, quod Consulares sui gravamina multa & exactiones indebitas ac inconsvetas eis imponerent tam in annuali censu & tributo, quod vulgariter Schot & Vorschot nuncupatur & in Czisa quam in aliis accidentalibus exactionibus, non considerans, quod ad talia exigenda cogebatur & angebatur Consulatus propter expensas varias necessario & factas & fiendas in diversis negotiis civitatis, de quibus vulgo nihil constabat. Unde communitas propter hæc & alia sinistre suspicata, inducta forte per quosdam honoris & status cupidos, computationis ratiocinationem insolitam a Consularibus importune & impudenter postulavit. Quam quidem computationem licet præter bonam consvetudinem Consulatus prædictus absque formidine reddidisset, & fecisset cuilibet audire debenti vel volenti, & præsertim communitati illi eam impetuose præcipitanterque postulanti, si rabiem sui furoris ad ipsam pacifice audiendam temperasset. Sed quia viri sagaces & experti viderunt populum illum nimis provocatum & invidia æstuantem, ac sangvinem eorum sine modo sitientem, omni ratione submota sævire, vesaniæ suæ locum dederunt. Clam ergo pro majori parte Consulares ipsi urbem egredientes, quidam in Hammeburg, quidam in Luneburg, & quidam in cæteras civitates sibi placitas se receperunt, omnia, quæ ad eorum officia pertinebant, in custodia bona relinquentes eorum, qui intra urbem de Consularibus manere statuebant, puta libros civitatis, sigilla, vasa argentea & alia clenodia pro honestate eorum & civitatis servientia. Nomina autem Consularium urbem exeun-

Digitized by Google

exeuntium in tali disturbio fuerunt hæc: Henricus Westhof, Goswinus Klinghenberg, Jordanus Plescowe & Marquardus de Damen Burgimagistri, Bruno de Warendorp, Henricus Meteler, Tidemannus Junghe, Reynerus de Calviz, Hermannus Westphal, Nicolaus de Stiten, Hermannus Yburg, Henricus Rapesulver, Conradus de Alen & Jacobus Holk. Nomina autem remanentium in civitate & fortunam suam cum infortunio stare volentium fuerunt, Arnoldus Sparenberg, Gerardus Hoyeman, Albertus de Ponte, Marquardus Bonehorst, Conradus Brekewold, & Johannes Schotte. Cum Consularibus autem egredientibus plures domicelli exierunt, exulationis consortium propter eos subeuntes, & multas penurias & injurias cum eis patienter sufferentes. Consules vero remanentes in domibus suis se continebant, nec ad consistorium properabant per totum illud tempus, quo socii illorum exulabant. Præfatis ergo Consularibus partim per fugam elapsis, & partim præ timore in ædibus suis latentibus, autores hujus miserrimi schismatis, puta Hermannus de Alen, Johannes Langhe, Eylerus Stange, Simon de Todeslo, Henricus Runghe, Johannes Grove, Johannes Plote, Henricus Bloyebom, Conradus Zemelowe, Johannes Kogeldal, & Heyno Sobbe, communitatem concitaverunt, ut novum instituerent Consulatum. Unde mittentes pro Domino Johanne Episcopo Lubicensi, ostenderunt sibi consistorium civitatis suæ destitutum solatio & præsentia Consulatus, & urbem imperialem stare absque judicibus, rectoribus & capitibus, quod judicaverunt omnino fore indecens & periculosum suis inhabitatoribus. Super hac ergo desolatione dictum Dominum Episcopum requirebant in testem & suos Canonicos, qui secum venerant; & super hac requisitione confici fecerunt incontinenti publica instrumenta. Episcopus autem eos caritative & paternaliter exhortans consuluit, ne Consulatum novum instituerent, quia tantæ autoritatis non essent, & indignationem Imperii, Principum & civitatum incurrerent; & ex his sequeretur indubitanter civitatis exinanitio & eorum destructio. Cujus salubrem exhortationem quidam ratione minus utentes, incitaverunt populum furiosum ad inferendum Episcopo contumelias & dehonestationes. Quorum vesaniam Præsul venerabilis formidans, bonis verbis & lenibus responsionibus eos demulcens, ab eis quantocius recessit. Quo recedente, communitas de unanimi consensu novos Proconsules & Consules mox creaverunt. Quos quidam præsumtuosus Sacerdos Henricus Punt nuncupatus autoritate prætensa Imperii & usurpata installavit, & ad locum Consulatus tam in choro Virginis Gloriosæ quam in consistorio introduxit. Consulares autem isti usurpata autoritate sic creati fuerunt partim de mercatoribus & partim de mechanicis collecti, quorum Proconsules constituti sunt hi, puta Hermannus de Alen, Johannes Langhe, Simon Todeslo & Eylerus Stanghe. Consules vero præsentibus inserere obmisi certis ex causis. Hi quatuor Burgimagistri prætensi causas discernere, officia disponere, judicia exercere, & cætera agenda ex parte civitatis perficere, ac singula juxta urbis præfatæ exigentiam administrare cœperunt, ac si vera imperiali autoritate debito ordine fungerentur. Trajectum superius obsessum est a Domino Parwiz Barone & civibus urbis Leodiensis per integram æstatem, secundum Chronicam Francorum, erat numerus obsidentium fere CM. & XLM. armatorum, nec tamen per eos civitas extitit expugnata aut capta, licet maxima sustinuisset incommoda. Causa autem obsidionis fertur fuisse, quod pars Cleri Leodiensis cum civibus dictæ urbis elegerat filium Domini de Parwiz in Episcopum Leodiensem contra Johannem filium Alberti Ducis de Bayaria & Comitis Hollandiæ dudum electum Episcopum dictæ Ecclesiæ, sed nondum consecratum, & electioni illi factæ de filio Parwiz civitas Trajecti superioris adhærere nolebat. Obsidione igitur soluta, Dominus Johannes Bayoarus electus Leodiensis cum adjutorio Wilhelmi fratris sui Comitis Hollandiæ, Ducis Burgundiæ & Ducis Brabantiæ Leodienses bello aggressus est, & victoria de cœlo potitus, ceciderunt die illo de exercitu Leodiensium circa XXXVIM. pugnatorum, peremtis etiam Domino de Parwis & filio ejus.

De Alexandro V. PP. Rom. CCXIIII.

Alexander Papa, natione Cyprus, sedit uno anno & mensibus duobus. Hic prius dictus Petrus de Candia Archiepiscopus fuit Mediolanensis & Frater Ordinis Minorum. Fuit etiam solennis Magister, & pulcre scripsit super libros IIII Sententiarum. Iste ab ambob9 collegiis Cardinalium electus est super Gregorio & Benedicto destitutis & dejectis in unicum Pastorem Romanæ Ecclesiæ. Modus autem electionis hujus Alexandri V. legitur fuisse talis: Cardinales collegiorum utriusque Papæ celebraturi generale Concilium in urbe Pisana, prout ordinatum fuerat anno præcedenti in castro Liburno, intraverunt urbem prædictam profesto Annunciationis Virginis Gloriosæ, & mox prædictos Summos Pontifices Gregorium & Benedictum secundum juris ordinem citaverunt. Quibus statuto tempore non comparentibus, ipsos legitime deposuerunt tanquam schismaticos, hæreticos & perjuros; ipsisque juridice depositis, ingressi sunt Cardinales utriusque partis conclave sabbato post festum S. Viti, & ibidem steterunt per dies XII. Die autem XII. quæ fuit festum SS. Johannis (leg. Petri) & Pauli, concorditer elegerunt Dominum Petrum de Candia, qui die septima mensis Julii, quæ fuit Dies Dominica, coronatus est Pisis cum solennitate magna. Numerus autem Cardinalium Papam eligentium erat XXIIII. erantque præsentes in Concilio prælibato quatuor Patriarchæ, puta Constantinopolitanus, Ierosolymitanus, Aquilegiensis & Alexandrinus Archiepiscopus Narbonensis Camerarius Apostolicus, Archiepiscopus Mediolanensis electus. Ambasiatores Archiepiscoporum etiam ibidem erant, puta Moguntini, Treverensis, Coloniensis, Salzeburgensis, Remensis, Rothomagensis, Canthuariensis, Bisuntinensis, Turricensis, Magdeburgensis & Ebracensis.

 Fue-

Digitized by Google

Fuerunt & ibidem nuncii Regum Franciæ, Angliæ, Ungariæ, Poloniæ, Portugalliæ, Siciliæ & Bohemiæ; nuncii quoque Ducum Austriæ, Lotharingiæ, Bayoariæ, Burgundiæ, Brabantiæ, Masoviæ & Lancastriæ; nuncii Marchionum & Comitum Ferrariæ, Moraviæ, Misnæ, Flandriæ, Hollandiæ, Sabaudiæ & Palatini de Rheno; Ambasiatores Dominorum Ymolensis, Paduani, Januensis, de Malatesta & Crena; Ambasiatores universitatum Parisiensis, Montispessolani, Tholosanæ, Pragensis, Bononiensis, Oxoniensis & Viennensis; nuncii insuper diversarum civitatum, collegiorum & Monasteriorum circiter C. & LXXXII. Magistri Ordinum de domo Teutonica, S. Johannis, Hospitaliorum, Prædicatorum, Minorum, Augustinensium, Carmelitarum & Servorum B. Mariæ. Erant etiam in prædicto Concilio Potestates & S. Theologiæ Doctores C. & XL. Juris Canonici & Civilis C. & LX. & de aliis inferioribus Prælatis, Abbatibus, Prioribus, Præpositis & Decanis in numero immenso.

Decimo an. Ruperti, qui est Dn. MCCCCIX. Omnes nationes Studii Pragensis præter Bohemorum nationem transtulerunt se in urbem Lipzensem, ubi autoritate Papæ novam fundarunt universitatem, Dominis Marchionibus Frederico & Wilhelmo loca idonea pro ea disponentibus & aptantibus, donantibusque annuos reditus & salaria sufficientia Doctoribus & Magistris ibidem legere disputareque volentibus. Ericus Dux de Lovenburg cepit opidum Molne per inductionem Johannis Moller Proconsulis ejusdem opidi. Quo capto, incastellavit ecclesiam parochialem, de qua se contra cives Lubicenses defendere parabat. Sed cum cives prædicti hoc percepissent, venerunt in maxima multitudine cum machinis & bumbardis plurimis, & impugnantes opidum, Ducem cum suis fugere coëgerunt. Dux vero opidum relinquere coactus, ipsum incendit, & pro parte majori eum (id) incineravit; quod tamen eodem anno reinstauratum est in pulcriori forma quam antea fuerat. Comes de Solniz castrum suum Ottensteen propter victualium inopiam tradidit in manus Episcopi Monasteriensis Ottonis nati Comitis de Hoya anno secundo obsidionis suæ in die S. Jacobi Apostoli. Civitates Rostoccensis & Wismariensis per informationem & ordinationem quorundam civium urbis Lubicensis, puta Conradi Zemelowen, Johannis Ploten & Johannis Bloyebom, LX. viros clamare & importune loqui audentes contra suum Consulatum elegerunt, qui facta & ordinata per Consulares decernerent, an justa essent vel injusta, expedientia pro bono communi aut minus proficua. Hi quidem viri LX. diversa Consulatus sui decreta mutaverunt, revocaverunt & annullaverunt, & tandem ipsum Consulatum antiquum deponentes, novum instituerunt secundum modum & formam a Lubicensibus receptam. Wismariensium tamen Consulares amoti in urbe sua remanserunt, nec eis quæcunque molestia inferebatur, sed permissi sunt pacifice morari in domibus suis & uti bonis suis ad libitum. Rostoccenses vero quosdam de Consularibus abjectis turribus injecerunt, & quosdam de urbe expulerunt, bona eorum sibi usurpantes. Consulares igitur hi a communitatibus in utraque civitate erecti propria temeritate & usurpata autoritate regebant, judicabant, condemnabant, & alia quævis officia disponebant, sicut ab aliis veris suis Consularibus fieri viderant. Cumque Johannes & Albertus Duces Magnopolenses cognovissent hoc temerarium factum in urbibus suis esse commissum, intraverunt primo civitatem Wismariensem, & convocaverunt novum illud Consilium, quærentes, qua autoritate se pro Consularibus gererent, & cur Consulatum eorum deponere præsumsissent, dure eos super tanta temeritate reprehendentes. Quod ut commune vulgus percepit, cum gladiis & fustibus Duces illos furibundo impetu quærens, curiam ipsorum violenter intravit, & gladiis suis lectos, stramina, & omnia, quæ poterat, perforans, Principes suos interficere nitebatur. Sed ipsi per civitatis portas elapsi, manus impiorum vix evaserunt, nec amplius urbem illarum aliquam ingredi ausi sunt.

Undecimo anno Ruperti, qui est Domini MCCCCX. Cives Lubicenses exacerbati contra Ericum Ducem de Lovenburg propter incinerationem opidi Molne, ingressi sunt in manu valida terram suam, plures munitiones & villas in ea vastantes. Et venientes prope castrum Razeburg, opidum ipsum primo expugnare cœperunt. Quod videntes castrenses & opidani, per pontem fluvii hostibus occurrunt. Quem pontem cum transissent, & numerositatem inimicorum vidissent, mox retrocedentes ad opidum festinarunt. Quos cum Lubicenses insequerentur, & vocibus terribilibus posteriores angariarent anteriores ad interficiendum, quotquot possent, Razeburgenses etiam & suos stimulare cœperunt, ut fugam festinarent. Cumque jam magna pars opidanorum pontem transisset, & ultimi in pontis medio essent, pons ipse mox fractus corruit, & plures opidanos aquis immersit.

De Johanne XXIII. PP. Rom. CCXV.

Johannes Papa, natione Neapolitanus, sedit annis V. mensibus II. & diebus XIII. Iste prius dictus Balthazar Cardinalis extitit titulo S. Eustachii. Fuit autem electus & coronatus in Bononia, Gregorio adhuc vivente, & in Regno Neapolitano residente. Iste durus valde extitit Bononiensibus tempore sui Cardinalatus, ædificans ipsis invitis castrum fortissimum in civitate ipsorum. Cives Lubicenses cum multo populo exeuntes vallaverunt munitionem Ritzerowe, & ipsam fortiter impugnantes, eam tandem ceperunt & solo æquaverunt. Postea vero civitas ipsa ipsum castellum reformavit, & ipsum fortiter muniens, armatos in eo locavit. Hammeburgensium communitas ad instar Rostoccensium & Wismariensium LX. viros elegerunt super suum Consulatum, qui statuta & ordinata varia a suis Consularibus revocaverunt & mutaverunt. Quendam namque civem Heynonem Brant dictum, discordiæ civitatis illius autorem, Consulatus civitatis ante dictæ incarceraverat, sed communitas ex instinctu LX. virorum

rorum illorum adiit Christianum Militis Proconsulem, præcipiens ei sub obtentu vitæ suæ, quatenus dictum Heynonem libertati sine mora restitueret. Quod confestim sic factum est. Consulares insuper dictæ urbis civem unum in suum elegerant consortium Gherardum Quigborn dictum. Sed dicti LX. viri ipsum Gerardum sua dignitate privaverunt, & destitutum in domum suam redire jusserunt non reversurum ad consistorium pro Consulari. Consulares quoque de Lubicana urbe exulantes, & in dicta civitate Hammeburgensi degentes removerunt, prohibendo eisdem ingressum urbis eorum sub pœna mortis. Lubicensis urbis communitas anno præcedenti etiam LX. viros supra novum suum Consulatum elegerat, supra quos ultra alios XII. viros, plenipotentes eos nominantes constituebant præsenti, qui omnia concepta per Consulatum, & approbata per sexaginta postremo, examinare & determinare vel etiam reprobare posse habebant juxta eorum videre & beneplacitum.

Duodecimo anno Ruperti, qui est Domini MCCCCXI. Polonorum Rex Bolezlaus cum innumera multitudine Paganorum, Lithuanorum & Christianorum intravit Prutziam, fretus auxilio Vitoldi seu Alexandri Ducis Lithuanorum. Ubi congrediens cum Fratribus de domo Teutonica, bellum durum pariter dimicarunt. Sed Rex victoriam de Fratribus dictis obtinens, interfecit ex ipsis Fratribus circiter CCCC. sed de Prutenis cæteris innumeros. Quo bello peracto, Rex terram Prutenorum ultro ingressus, opida, villas & munitiones plures destruxit, ac potiores civitates in deditionem accepit. Progressus vero ulterius, castrum illud Regale & fortissimum Marienburg dictum obsidione gravi vallavit, non tamen expugnare potuit propter animositatem & virilitatem Domini de Plawe, qui ipsum cum suis fortiter defensavit in favorem Magistri Fratrum, cujus frater erat carnalis. Ericus Dux Pomeranorum assumtus in adoptivum filium Margaretæ Reginæ Danorum, & factus Rex trium illorum Regnorum Daciæ, Sweciæ & Norwegiæ, discordare cœpit cum Henrico Duce de Brunswic & Luneburg tutore filiorum sororis suæ Ducum parvulorum de Sleswic, secundum Chronicam Saxonum. Colligens ergo Henricus Dux exercitum validum, auxiliantibus sibi Bernhardo fratre suo Duce & Adolfo Comite de Schowenburg, ac Holtzatorum Nobilibus, Regi Erico & Danis grande intulit excidium bellando cum ipso & occidendo in pugna multos pluresque captivando. Cujus tamen victoriæ actor & causa efficiens post Deum, a quo principaliter omnis triumphus est, extitit Adolfus Comes prædictus & non Henricus Dux, eo quod ipse Henricus in illo conflictu personaliter non fuerit, sed solus Adolfus cum paucis de exercitu Saxonum. Videntes ergo Ericus Rex & Margareta Regina audaciam & animositatem Principum adversariorum, colloquia favorabilia cum præfato Henrico Duce habuerunt, & tantum cum eo effecerunt, quod ipse cum suis retrocessit, & ad propria reversus est. Post cujus recessum & alii Principes, qui auxilio ei fuerant, licet minus contenti de eo recesserunt. Et sic gwerra illa incepta pro parvulis illis Ducibus de Sleswic multum inconvenienter relicta est & gravibus periculis exposita. Si enim protunc Henricus Dux in prosecutione expeditionis inceptæ perseverasset, totum malum subsequens absque forte impeditum & sopitum fuisset. Egrensis urbis cives egressi in manu forti duo castra prope civitatem suam sita destruxerunt, quæ raptorum erant refugia, & deprædationibus stratæ communis vacantia. Medium opida de Wyda terræ Advocatorum cum Monasterio Sororum Ordinis Prædicatorum conflagratione impetuosa periit. Ob cujus Monasterii reformationem compulsa est Priorissa cum duabus Sororibus exire, & terras diversas peragrare mendicando ostiatim in villis, opidis & civitatibus contra illarum Sororum formam & modum Religionis. Debent enim tales ex Ordinis sui institutione esse inclusæ, & nunquam foras exire. Sed necessitas infortunii sui earum effregit legem, & compulit ad alias illicitum. Post triennium autem de mendicatione revertentes, solennem eleemosynam secum de omnibus necessariis duxerunt, & Monasterium suum pulcre reformaverunt. Jordanus Plescowe Burgimagister destitutus urbis Lubicensis & in exilio constitutus, ex parte sociorum suorum secum exulantium tanquam caput & magis activus negotium expulsionis eorum assumsit sub omnium expensis, & in prosecutione ipsius indefesse laborans, una cum Reynero de Calviz collega suo, curias Principum adiit diversorum, injuriam suam & suorum sociorum cunctis patefaciens, & favorem atque auxilium eorum implorans. Veniens ergo in curiam Ruperti Regis Romanorum, & secum ferens literas promotorias Principum & civitatum, petiit sibi fieri justitiæ complementum de injuriis, damnis & gravaminibus sibi & suis illatis a Regis clementia & Majestate Rex autem incontinenti causam commisit judici curiæ Regiæ Gunthero videlicet Comiti de Swartzeburg, ut circa eam juridice procederet, & partem adversam ad respondendum querelis Jordani Proconsulis Lubicensis indilate evocaret & citaret. Quod ad Regis mandatum mox factum est. Citati ergo cives Lubicenses, qui locum Consulatus usurpatum violenter tenebant, Octo cives versus Heydellberg, ubi protunc curia Regalis residebat, destinaverunt, qui causam civitatis suæ, licet injustam, ut veram, justam & rationabilem defensarent, quæ inter civitatis inhabitatores & Consulares fugatos vertebatur. De prædictis autem civibus missis in causa civitatis quatuor erant Proconsules prætensi, & quatuor cives astutiores quos habere poterant, quorum nomina fuerunt hæc: Eylardus Stanghe, Tidericus Steen, Johannes Grove, & Marquardus Schutte Consulares, Johannes Kogeldal, Henricus Runghe, Johannes Plote & Johannes Bloyebom cives. Sed hi octo minus discrete & valde injuste agentes, veritatem & sententiam in judicio pronunciatam occultaverunt communitati, cum reverterentur, & aliam minus veram

Digitized by Google

ram confingentes pro eis sonantem civibus proposuerunt, se causam, pro qua ivissent, lucratam reportare gloriantes, & causam oppositam & adversam in expensis damnatam & perditam esse. Et sic occultata veritate suis figmentis populum illum in suo regressu in præsumta sua temeritate firmaverunt, & se ac urbem suam gravioribus periculis innodaverunt. Nam si veritatem rei gestæ & processum judicii fideliter communibus retulissent, procul dubio incepti in destructionem civitatis eorum vergentis collum fregissent, urbemque sæpe dictam ab irrecuperabilibus damnis exemissent & præservassent.

Tertio decimo anno Ruperti, qui est Domini MCCCCXII. Margareta Regina Danorum obiit die quarta mensis Novembris, sepultaque est cum maxima exequiarum solennitate in Ecclesia majori opidi Roscildensis. Clerus majoris Ecclesiæ Brunswicensis cum quibusdam aliarum Ecclesiarum collegiatis & quarundam Ecclesiarum parochialium Sacerdotibus brigare cœpit & discordare cum Consularibus ejusdem urbis propter beneficium cujusdam Clerici Henrici puta Herbordi a Papa beneficiati, quem Canonici majores admittere recusabant, & Consulares totius civitatis promotionem ipsius, quia in servitio eorum erat, effectum sortiri satagebant. Consulibus autem in sua causa quædam adhærebant Ecclesiæ parochiales, & Ordines Mendicantium civitatis prædictæ, & hi omnes super appellatione urbis prælibatæ facta publice & juridice divina celebrabant. Partes autem prædictæ se invicem excommunicaverunt divina celebrantes, nec tamen una pars alteram in divinis vitabat, sed æque bene ipsam excommunicatam fore asserebat, quod non modicum scandalum in oculis simplicium suscitabat, eo quod una pars alterius excommunicationem parvi pendens, apertis januis divina celebrarent. Ingrassata est tandem hæc dissensio in tantum, ut Canonici urbem exirent, communitatis incursionem formidantes, & secum reliquias Ecclesiarum suarum deferrent, concitando ad extra contra cives Dominos Duces Henricum & Bernhardum, & Episcopos Halberstadensem & Hildeneshemensem. Et duravit dissidium hoc ad plures annos, & tam civitati quam Canonicis plura dispendia & damna interim accreverunt. Quædam mulier in Lafferde villa Saxoniæ peperit puerum, secundum Relationem veridicam, cujus totum corpus effigiem habuit virilem, demto solo capite, quod speciem catti in omnibus prætendebat quoad anteriorem partem faciei, sed posterior pars capitis horribilem busonis formam figurabat. Hoc quidem deforme monstrum hæc mulier ideo vulgabatur peperisse, quia frequenter matrem suam verbis pertractans probrosis, eam vocare solebat veterem busonem.

Quarto decimo anno Ruperti, qui est Dn. MCCCCXIII. Incensa sunt in majori Ecclesia (forsan urbis Lubicensis) schola & dormitorium Canonicorum ex negligentia cujusdam Clerici lumen non conservantis. Johannes Papa ob metum Regis Neapolitani de Roma in Bononiam se transferens cum suis Cardinalibus, maximum bonorum suorum sustinuit detrimentum. Nam Rex post recessum Papæ Romam intravit, & Palatium Papæ spolians, omnes Clericos & curtizanos, qui remanserant, de urbe fugavit, & bona eorum diripuit, plures interficiens, castrum quoque Angeli ex traditione cepit, peremtis omnibus in eo inventis. Fredericus & Wilhelmus Marchiones Misnæ valde amaricati contra inimicos Christi, secundum Relationem veridicam, una & eadem die omnes Judæos terrarum suarum cum uxoribus & liberis eorum ceperunt, & turribus manciparunt, omnibus eorum bonis confiscatis. Hoc, inquam, malum juste super eos venit propter quendam puerum Christianum, quem emerant a quodam rustico, quem voluissent trucidasse. Rusticum autem illum Principes in quatuor partes vivum dividi facientes, ad quatuor rotas posuerunt. Sigismundus Rex Ungariæ gravi obsidione Venetias vallavit, prout alias fecerat Lodowicus Rex prædecessor suus, & incendiis, rapinis ac devastationibus terrarum ad eas pertinentium vacans, multis incommodis inhabitatores plusquam per annum vexavit. Pluribus etiam negotiatoribus & civibus ejus manus & pedes amputavit. Fratres quidam de Ordine S. Brigittæ viduæ de Swecia, venientes in Ducatum de Lovenburg, ab Erico Duce campum quendam cum adjacenti nemore prope opidum Molne emerunt, & ibidem de consensu Episcopi Razeburgensis Ditlevi Monasterium ædificare cœperunt, Fratres & Sorores simul recipientes. Rupertus Rex Romanorum obiit Princeps pacis & justitiæ cultor.

De Sigismundo Rege Romanorum.

Sigismundus Rex Ungariæ filius Karoli IIII. cœpit anno mundi VMCCCLXXIIII. Olympiadis DXXXII. anno secundo, urbis conditæ IIMCLXIIII. Domini vero MCCCCXIII. & regnavit annis - - - Hic electus est in Frankfordia ab Electoribus Imperii, & coronatus in Aquisgrano a Frederico Archiepiscopo Coloniensi in die S. Martini. Sigismundus iste diversa gessit prœlia in favorem fidei Christianæ contra Turcos & cæteros barbaros, & eos sæpius devicit, quandoque tamen succumbens ab eisdem gravia incommoda & damna perpessus est. Largus autem & beneficus extitit suis militibus, justus in judiciis & speciosarum amator fœminarum. Provisor Erphordensis Johannes de Nassowe ex latere sinistro Fratribus Ordinis Prædicatorum dictæ civitatis graves intulit injurias occasione cujusdam imaginis Salvatoris, ad quam vulgus gratiam conceperat. Quam ut a conspectu hominum removerent, Fratribus præcepit, ut sic visitatio & concursus cessaret populi. Quod cum Fratres facere recusarent, in ipsos juris ordine minime servato excommunicationis sententiam promulgavit, eorum exemtiones & libertates allegatas parvipendens. Insuper coëgit dictos Fratres, ut conventum suum linquerent per talem injuriosam interdicti positionem & alias tyrannicas executiones contra Fratribus participantes, quibus populum a visitatione Ecclesiæ Fratrum coërcuit. Quam injurio-

Digitized by Google

riosam persecutionem intelligens Magister Robertus Provincialis eorum, dictum Provisorem personaliter citari fecit ad curiam Romanam. Quod cum sibi innotuisset, ipse cautulose agens, cum Priore dicti Conventus Erphordensis compositionem iniit, & Fratres ad cautelam absolvit, exulantesque Fratres ad Conventum revocavit, Provinciali ante dicto irrequisito & ignorante. Sed Deus bonorum & malorum justus remunerator non diu post de dicto persecutore pauperum Fratrum se vindicans permisit, ut forte peccatis suis exigentibus vitam merito fine concluderet. Dominus de Heldrunghen castrum Honsteen per practicationem Tiderici Comitis de Honsteen patrui Henrici Comitis de Honsteen mane cum suis intravit, funem in manibus gerens, quo dictum Henricum Comitem suspendio interficere voluisset. Et inveniens patrem decrepitum præfati Henrici Comitis juxta focum se calefacientem sedere, secundum Chronicam Saxonum, cum adolescentulo fratre dicti Henrici Comitis, ipsos captivavit. Interim autem sæpe dictus Henricus Comes in lecto apud uxorem quiescens, & tumultum audiens, nudus e lecto exilivit, & linteaminibus colligatis de fenestra se emisit, & evasit. Castrum tamen ipsum captum fuit per dictum Dominum de Heldrungen, & fortiter munitum, uxore Henrici Comitis dimissa cum clenodiis, quæ per se deferre valebat. Eodem tamen anno per ordinationem dicti Henrici Comitis præfatus Dominus de Heldrunghen interfectus est in Hartone a carbonariis & villanis ob favorem dicti Henrici.

Primo anno Sigismundi, qui est Domini MCCCCXIIII. Hartesburg castrum fortissimum obsidetur per Principes, puta Guntherum Archiepiscopum Magdeburgensem, Bernhardum Ducem de Brunswic, qui hoc anno cum fratre suo Principatus suos diviserat, & in sortem suam Ducatum Brunswicensem susceperat cum suis attinentiis, Henrico Duce de Luneburg permanente, secundum Chronicam Saxonum, Henricum Episcopum Halberstadensem, & civitates Magdeburgensem, Brunswicensem, Halberstadensem, Goslariensem, Osterwicensem & Helmstadensem, & per plures Nobiles, Milites & Militares. Hi Principes & civitates expugnationi castri prædicti viriliter insistentes cum bumbardis grandibus & instrumentis aliis variis ipsum infestaverunt, & turres ac domos conquassantes, tandem ad hoc coëgerunt castellanos, quorum Capitanei & Domini castri erant Brandanus de Swichelde & Conradus germanus suus, ut in gratiam Principum prædictorum se humiliando darent, & ipsum castrum dictis Principibus resignarent, salvis rebus suis & vita conservatis. Fredericus Marchio de Brandeburg & Guntherus Archiepiscopus Magdeburgensis castrum Plawense, per miliare distans ab urbe Brandeburgensi terræ Marchiæ obsederunt, & tandem ipsum expugnaverunt. Captus est autem in dicto castro Johannes Quidsowe frater Tiderici Quidsowe, & turri mancipatus in opido Calve, ac inibi tentus ultra annum & dimidium. Capto autem castro prædicto, Fredericus ad interiora Marchiæ cum exercitu illo se transferens, sex munitiones fortissimas simul vallavit & impugnavit, & tandem eas expugnavit & obtinuit, ac earum Dominos Nobiles de Marchia fugavit, puta Tidericum Quidsowen, Wipertum de Rochowe & Ganz de Putlist. Hi omnes raptores erant, & deprædationibus stratæ communis se nutrire consveverant. Postea tamen a dicto Frederico Marchione in gratiam sunt recepti, & ad loca sua remissi. Una pars Consulatus civitatis Groningensis terræ Frisiæ cum aliquibus de communitate, alteram partem communitatis de urbe prædicta expulit, quinque Consulares oppositæ partis interficiendo in Consistorio. Capitaneus autem partis victricis erat Coppin dictus Burgimagister prædives & potens valde. Contigit autem non diu post, quod Keno Friso Nobilis terræ castrum quoddam obsideret, quod Groningensium erat. Quod cum Coppin intellexisset, cum civibus Groningensibus mox exivit, auxilium laturus obsessis in castro. Quorum egressus mox intimatus est expulsis civibus per fautores suos, qui in urbe remanserant. Qui illico venientes cum turma maxima, urbem intraverunt, occupatisque turribus, civitatis valvas clauserunt, & hostes suos, qui se expulerant, de urbe excluserunt, ipsi intra remanentes. Fredericus Archiepiscopus Coloniensis obiit, in cujus sedem electus est a majori parte Capituli Tidericus Præpositus de Bunna, natus Comes de Morse, avunculus defuncti Frederici, quem ipse vivens Capitulo exposuerat. Johannes Papa & Cardinales sui cum cæter. Episcopis & Prælatis ad hoc specialiter convocatis, statuerunt futurum Concilium generale celebrandum in Constantia, ad perficiendam unionem Ecclesiæ inceptam pro instanti festo omnium Sanctorum. Quem quidem locum Dominus Papa Johannes cum Cardinalibus ingressus est in die Apostolorum Simonis & Judæ. Cives Lubicenses miserunt in Constantiam urbem ad Sigismundum novum Regem Romanorum pro defensione causæ, quæ vertebatur inter ipsos & Consulatum exulantem dictæ civitatis. Jordanus autem Reynerus Consulares & actores causæ prædictæ ex parte exulantium jam erant in Constantia, & informabant ipsum Cæsarem, ac querimonias deponebant contra suos adversarios. Qui autem mittebantur de prætenso dictæ civitatis Lubicensis Consulatu, fuerunt isti, puta Eylerus Stanghe, Henricus Schonenberg, Marquardus Schutte & Johannes Grove, omnes Proconsules. Hi magnam pecuniæ summam secum ducentes, Constantiensem urbem attigerunt, & coram Regis præsentia constituti, causam suæ civitatis exposuerunt, & ad objecta eis per partem adversam, prout poterant, responderunt. Postulabant tamen a judice curiæ alium diem sibi assignari ad deliberandum super responsione meliori facienda. Qua assignata, dicti nuncii Regem accedentes, benevolentiam suam solenni captabant propina, & ut eis propitius esset, obnixe supplicarunt. Sed propina illa non obstante, cum dies juridica adesset, causa utriusque partis in medium est proposita. Et tunc partes hinc

hinc inde studiose sunt examinatæ, & causa inter Principes ad plenum est ventilata, & tandem negotium illud discussum est, & sententia promulgata est contra quatuor præfatos nuncios, & in expensis sunt condemnati, alia parte justificata. Quo facto, nuncii prædicti confusi & turbati, Regi se protinus obligarunt ad solvendum XXVM. florenorum, ut sententiam contra se latam ad tempus suspenderet, & causam exequi prohiberet ad certum tempus; & quod eis concederet aliquas gratias ad tempus duraturas, per quas communitatem suæ civitatis quietarent & contentam redderent. Rex autem multis indigens, petitioni eorum annuit, promissum acceptavit, gratias eis concessit sententiæ latæ omnino contrarias. Conditionem tamen annectebat talem, qua honori suo consuluit, voluntati nunciorum paruit, nec tamen notabile detrimentum justificatis Consularibus attulit. Gratiæ autem per Regem eis concessæ fuerunt illæ: Prima; Consulatus profugus de urbe Lubicensi perpetuo introitu carebit. Secunda; mechanici & mercatores semper urbem dictam regere debent. Tertia; Bannum regale contra urbem Lubicensem fulminatum vigorem non habebit. Conditio vero annexa dictis gratiis fuit talis: & si prælibatam pecuniæ summam XXVM. florenorum Regi promissam post ejus sublevationem Rex dictæ civitati non restituerit aut restitui fecerit ante instans festum S. Georgii, extunc gratiæ illæ effectum suum habebunt; si vero hoc fecerit, gratiæ nullius efficaciæ erunt. Posuit enim Rex gratias has largiendo certissime se ordinaturum, quod dictæ pecuniæ ante dictum festum civitati Lubicensi restituerentur. Præfatum autem inconveniens Rex ex pecunia videtur fecisse, & ideo oportuit justificatos Consulares patientiam habere ad breve tempus. Cum his itaque gratiis supra dicti nuncii reversi sunt ad propria, quibus Rex suos junxit ambasiatores, puta Dominum de Zydowe Baronem cum sua societate, ut promissam pecuniam Regi reportarent. Hi civitatis nuncii una cum Regis vasallis Lubeke venerunt circa festum S. Jacobi, & cum adjutorio dicti Baronis taliter communitatem civitatis informarunt de negotio eis commisso, ut ipsa optime contenta in sua pertinacia constantius se firmaret.

Secundo anno Sigismundi, qui est Domini MCCCCXV. Johannes Papa Sacrum Constantiense Concilium incipiens celebrare, solennem fecit processionem cum Cardinalibus & Prælatis omnibus. Qua processione facta, missa solennis de Spiritu Sancto per Cardinalem Florentinum est celebrata in ecclesia majori. Qua finita, Dominus Papa stans in sede sua, locutus est ad Sacrum Concilium alta voce, dicens: Istud Concilium principaliter tenere decrevimus pro restauratione Ecclesiæ Dei tam in capite quam in membris. Et exhortabatur omnes, ut se disponerent ad recte & juste consulendum, & quod omnes libere & sine formidine loquerentur. Et tunc cœpit facere pulcrum sermonem, protestans sub juramento, in eo se libenter velle cedere Papatui ob Sanctæ Ecclesiæ unionem perficiendam. Sed proh pudor! statim post juramentum suum violans, & clam fugiens recessit de Concilio nocturno tempore transformato habitu, & ivit in Schalhusen, & ultra de illo loco in Loufenberg. Propter quam turpem fugam postea per Regem captus est & incarceratus, ut statim infra patebit. Concilium vero, comperta ejus fuga, mox ipsum juridice citavit, & post contumaciam ipsum legitime deposuit cum aliis duobus Antipapis tanquam perjurum & schismatis fautorem, disponens se ad alterius electionem. Insuper decernit, statuit & ordinat dicta Sancta Synodus pro bono unionis Ecclesiæ Dei, quod nullo unquam tempore reeligantur in Papam Dominus Balthazar de Cossa nuper Johannes Papa XXIII. nec Petrus de Luna Benedictus XIII. nec Angelus Corarii Gregorius XII. in suis obedientiis sic nuncupati. Et si contrarium factum fuerit, illud sic ipso facto irritum & inane; nullusque cujuscunque dignitatis & præeminentiæ, etiamsi imperiali, regali, Cardinalatus vel Pontificali dignitate præfulgeat, eis vel eorum alteri contra hoc decretum ullo unquam tempore obediat seu adhæreat, sub pœna fautoriæ dicti schismatis & maledictionis æternæ, ad quas contra præsumtores, siqui in posterum fuerint requisiti, etiam cum invocatione brachii secularis & alias rigide procedatur. Articuli autem, propter quos dictus Johannes Papatu fuit privatus, plures fuerunt, quos ob reverentiam Apostolici status præsentibus inserere dedignabar, cum hæc scriberem, eo quod sint piarum aurium offensivi & Ecclesiastici honoris valde derogativi. Sigismundus Rex Romanorum intelligens destitutum Papam Johannem profugum esse, & suæ custodiæ per Concilium commendatum, cum suo exercitu versus Nuenburg festinavit, ubi ipsum inveniens, mox captivavit, & in Viennam captivum transmisit, ac fideli custodiæ Ducis Bayoariæ resignavit. Dux vero dictum Dominum in Manheym castrum fortissimum transvexit, & turri mancipavit. Fredericum autem Ducem Austriæ, qui dictum profugum Papam foverat in suo recessu, ut dicebatur, Sigismundus Rex persequens, plures civitates ejus & castra obsedit & expugnavit & multum humiliavit. Ericus Dux de Salina durum bellum gessit cum Henrico Comite de Honsteen, secundum Chronicam Saxonum, & cepit ipsum cum multis militaribus terræ Thuringorum. Ipse etiam Dux in eadem pugna amisit plures de suis, quos superstites exercitus Comitis Henrici captivos introduxerunt in opidum Elrik ultra Hartonem situm. In generali Capitulo Florentiæ celebrato profesto S. Ieronymi per Fratres Ordinis Prædicatorum, electus est venerabilis Frater Leonardus de Florentia Magister in Theologia in generalem Magistrum dicti Ordinis. Ericus Rex Danorum cives Lubicenses pro captura halecum juxta consvetudinem annualem in Scania existentes captivavit numero fere quadringentorum, & omnia eorum bona ibidem habita arrestavit, violenter eos ad hoc compellens, ut sub juramento omnia conscriberent eorum bona per eos in Scaniam deducta & ibidem comparata. Quorum tamen quosdam

dam secundum favorem & informationem illorum, qui ex parte exulantium Consulum dictæ civitatis Lubicensis secum degebant, turribus injecit, & compedibus ferreis atrociter constrinxit; quosdam vero liberos ire permisit, locum eis assignans, quem non transgrederentur sub juramento præstito. Hæc quidem captivatio quamvis quoad aliqua injusta fuerit & minus æqua quoad ipsum Regem & suos Officiales, eo quod super fide & securitate antiqua & consveta, ac etiam de novo ab Advocato Regis in partibus Scaniæ residente, expostulatione mercatorum Lubicensium jurata & præstita eisdem, quæ in vulgari Mute nuncupatur, ipsam terram ingressi fuissent, nec Rex aut ejus Advocatus illam datam & juratam securitatem & pacem modo consveto eis interdixisset. Fuit tamen ultra modum salubris & utilis, imo necessaria nedum dictæ urbi Lubicensi & suis inhabitatoribus, verum etiam universitati totius ansæ. Nam si prædicta captura facta non fuisset, gloriosa illa civitas, quæ corona & caput omnium civitatum totius Europæ, per nimis duros & inexpertos inhabitatores destructa fuisset & exinanita, & per consequens cæteræ urbes suo exemplo in periculo fuissent. Propter quod merito Rex ille Ericus in hoc facto salutari dicendus est amicus non solum dictæ urbis Lubicanæ, sed etiam & aliarum de mercantia se nutrientium, & ab omnibus illis diligendus & glorificandus. Ipse enim uti Princeps sagax & industrius per minus malum vitare & impedire studuit maximum & irrecuperabile excidium boni communis, quod semper pie sustinendum, imo commendandum est in solicitatore. Non enim in hoc facto, ut pie credendum est, Ericus illustris Rex suum intendebat fructum aut lucrum procurare, sed sæpe dictæ civitatis bonum & salutem conservare. In cujus argumentum & veritatis evidentiam licentiavit quosdam de captivis ad transfretandum & ad faciendum persvasiones efficaces dictæ civitatis communitati, ut se cum exiliatis suis Consularibus componerent; promittens eisdem in bona fide, quod si pacem, concordiam & amicitiam facerent inter partes has discrepantes, quod extunc ipse Rex omnia captivorum bona ad ultimum quadrantem restituere vellet, & ipsos captivos libertati dare. Sed si hoc efficere non valerent, extunc captivi licentiati in termino eis præfixo redire deberent in captivitatem, amplius eam non evasuri cum vita, & omnia eorum bona esse deberent Regis. Ex quibus luculenter apparet, captivitatem illam non fuisse factam in Regis lucrum aut commodum, sed in profectum & salutem urbis Lubicensis, & ad impediendum multiplex discrimen & nimiam ruinam civitatis illius. Si enim tot viri notabiles & pecuniosi capti non fuissent, populus vulgaris & præsertim potiores sedem Consulatus violenter usurpatam & potenter tam diu possessam tam faciliter non deseruissent, nec admisissent reintroductionem exulantis Consulatus.

Tertio anno Sigismundi, qui est Domini MCCCCXVI. Henricus Rex Anglorum cum exercitu magno intravit Franciam, obsidioneque vallavit urbem Heringulet, & post paucos dies eam expugnavit & cepit. Karolus autem Rex Francorum magnum populum aggregans, acceleravit obsessis ferre præsidium. Unde Anglorum exercitum duro bello aggrediens cum ipso viriliter pugnavit. Victoriam tamen ad ultimum Henricus Rex obtinuit, infortunium hoc infidelitate Francorum causante. Dux namque exercitus Francorum perperam agens, & potius Anglicis quam proprio favens Domino, tergiversari cœpit. Quod videns unus militum Karolo Regi fidelis, mox ipsum gladio transfodit. Quem incontinenti complices traditoris illius interfecerunt. Perierunt autem in conflictu hoc de exercitu Francorum XXII. terrarum Domini, puta Duces, Comites Baronesque. De Militibus vero & militaribus ac cæteris armigeris circiter VIIM. corruerunt. De exercitu etiam Anglorum tres Comites interfecti sunt, sed de militaribus & vasallis cæteris citra XIIM. interemta sunt. Duces Magnopolenses de Stargardia Ulricus & Johannes litem gerentes cum Balthazar Domino Slavorum, multa damna sibi invicem intulerunt, villas incinerando, munitiones vastando, & plures homines captivando & interficiendo. Balthazar vero inter alios cepit Militem præpotentem Henricum Molteken & pecuniosum, quem nimis exactionare volens in tormentis extinxit. Duces vero de Stargardia Dominum de Waren patruum dicti Balthazar captivarunt, & diu in vinculis ipsum tenuerunt. Interveniente tandem amicabili compositione per Fredericum Marchionem de Brandeburg practicata, dissensio illa sopita est, & captivi redemti sunt. In territoriis Marchionum de Misna, Lantgravii Thuringiæ, & Comitis de Swartzeburg plures inventi sunt hæretici multorum errorum periculosorum assertores, relicti de semine infelicis illius hæresiarchæ Conradi Fabri dudum defuncti. Frater autem Henricus Schonevelt Magister Sacræ Theologiæ & inquisitor Ordinis Prædicatorum ad has partes veniens, plures ex his sibi delatis examinavit, & eos infectos diversis erroribus reperiens, quibusdam resilire cupientibus pœnitentias imposuit; quosdam vero in pertinacia sua obduratos judicio seculari tradidit. Sed Principes supra dictarum terrarum audientes, hæreticis illis terras suas esse infectas & diffamatas, post inquisitoris recessum tam pertinaces quam pœnitentes illos hæreticos sexus utriusque ex condictu simul apprehenderunt, & una & eadem die circa CCC. cremaverunt. Parisiensis universitas intelligens, Papam Johannem fugam cepisse, & Concilium Constantiense deseruisse, secundum Notarium Actorum dicti Concilii, condolens valde Ecclesiæ Dei periclitanti, epistolam compassivam dictæ destinavit congregationi Synodali pariter & consolativam sub horum verborum tenore: Pulcræ pacis faciem intueri speravimus, Reverendissimi Patres, sacrumque & insigne collegium, & velut in exitu Israëlis de Aegypto ab hostibus schismatis militantem Ecclesiam gloriose triumphare. Sed nunc etsi non extincta, multis tamen spes illa collapsa est, cum patrem filios, pastorem oves linquentem audivimus,

Digitized by Google

vimus, nec intelligere possumus, quid sibi vult alias hæc scrutatio. Quis locus ei dabitur aptior & acceptior civitate quam elegit? Quæ magis fida habitatio, quam cum filiis ex omni genere & nationibus præcipuis ad ipsum confluentibus? Si de securitate ambigitur, anne Rex Romanorum & Ungarorum habuerit custodiam, cujus famam, cujus gloriam communes ad astra voces efferunt? Nec vestræ fraternæ devotioni aberant, quæ nos prope contractum optatæ illius unionis, a qua nunc fortasse retrocedimus, deduxerunt. Dicat, quo patrocinio roborari possit Concilium, cujus autoritas in Ecclesia Christi præsidet. Aut enim se non verum & indubitatum, ut tenemus, asserat, si Concilio acquiescat major sibi præsenti non absenti gloria. Si declinat ad sinistram, jam autoritati, quam a Concilio Pisano accepit, videbitur & sibi ipsi derogari. Sed quid intendit, judicatis difficile. Hoc tamen sacro a vestro petimus collegio, ut per omnem viam tentetur ejus reductio, ut omnes, quos gratulantes effecerat, sibi non inveniat indignatos, & contendentibus non detur occasio, ut suam Sanctitatem in populis scandalizent. Attamen persistite, quæsumus. Nam instat caritas, clamat populus & supplex matrona ostendens ubera lacerata, comas defluentes & perfusas lacrymis genas. Petit Ecclesia mater alma, ut suæ afflictioni compatiantur filii, quos nutrivit. Jam spes Ecclesiæ tota apud vos est. Jam a vobis pax & populi salus exquiruntur. Et vos unanimiter agite, manete constantes. Jam enim amplioribus vigiliis & ferventioribus laboribus opus est. Non dispergatur sine fructu Concilium, quod tanto labore congregatum est, sed permaneat, quousque populo quietem dederit. Et nos ejusdem præcepta reverenter amplectentes, & sacris ejusdem sanctionibus credimus indubie, ac mandatis cum humilitate parebimus, non recusantes nos & quæcunque nostra ad tanti boni consummationem exponere cum adjutorio benignissimæ Trinitatis, quæ vos juvet, & dirigat gressus vestros propter salutem populi in viam salutis, sanitatis & pacis æternæ. Concilio Constantiensi jam capite carente, & Papa Johanne captivato & incarcerato, secundum Notarium supra dictum, Domini Cardinales & Prælati majores in Concilio congregati, totum illud collegium in quatuor diviserunt nationes, puta Italicam, Gallicam, Germanicam & Anglicanam, & cuilibet nationi præfecerunt quatuor Prælatos, qui autoritate plenaria fungentes cum Cardinalibus, negotium Ecclesiæ agere debebant, quorum tituli fuerunt hi: De natione Italica Archiepiscopus Januensis, Episcopus Concordiensis, Episcopus Adriensis, Episcopus Tervisinensis. De Gallica, Archiepiscopus Bisuntinensis, Episcopus Eb. (forsan Eboricensis), Episcopus Gebennensis, Magister Benedictus Orator universitatis Parisiensis. De Germanica, Archiepiscopus Rigensis, Episcopus Tridentinensis, Episcopus Ripensis, electus Poznaniensis. De Anglicana, Episcopus Battoniensis, Episcopus Zariberiensis, Episcopus Litefeldensis, & Abbas S. Mariæ Eboracensis. Hi nationum Primicerii cum cæteris Concilii præcipuis Prælatis cottidie conveniebant, & invicem tractabant, disponebant & ordinabant, quæ necessaria erant pro unione universali fienda. Et primo duos Antipapas Benedictum scilicet XIII. & Gregorium XII. sic in suis obedientiis nominatos evocabant, legitimeque citabant ad comparendum in Concilio prædicto Constantiensi sub certis & expressatis terminis. Quorum unus Angelus videlicet Corarii, Gregorius XII. dictus per suum legitimum comparuit Procuratorem, puta Karolum de Malatesta, qui tandem sponte & libere in persona dicti Gregorii cessit Papatui prætenso in forma juris, alio Benedicto contumaciter se absentante. Cujus quidem contumacia cum legitime fuisset denunciata & probata in sessione publica, fuit tandem & ipse judicialiter depositus, & a Papatu suo prætenso dejectus, ac omni honore, gradu & dignitate privatus. Quibus antiquati schismatis capitibus sic præcisis, ut præmittitur, manum dederunt consequenter ad eradicandos hæresium errores in Ecclesia Dei subortos. Quorum quidem errorum fons & origo extitit maledictus ille Anglicus Johannes Wiklef Magister in Theologia & Presbyter indignissimus. Hic quidem convictus hæreticus, imo hæresiarcha impiissimus, licet in vita sua ab Edwardo Anglorum Rege defensatus non sit combustus, post mortem tamen suam per practicationem quorundam doctorum ordinis prædicatorum apud Richardum Regem fuit tandem incineratus corpore extumulato. Hujus, inquam, hæretici articuli erronei apud Constantiam in sacro concilio sunt denuo damnati & reprobati, & fuerunt lecti & recitati in publica sessione per Archiepiscopum Januensem in hac forma; Isti sunt articuli Magistri Johannis Wiklef condemnati Londoniis in Anglia in conventu Fratrum Prædicatorum anno DN. MCCCLXXX. ab Archiepiscopo Canthuariensi & XIII. aliis Episcopis, ac a XXX. Doctoribus Theologiæ per prius, & nunc quidem a præsenti sacro Concilio Constantiensi.

Primus. Substantia panis & vini materialis manet in Sacramento altaris post consecrationem.

II. Accidentia panis & vini non manent sine subjecto in eodem Sacramento.

III. Christus non est in eodem Sacramento identice & realiter in propria præsentia corporali.

IV. Si Episcopus vel Sacerdos est in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non consecrat nec baptizat.

V. Non est fundamentum in Ewangelio, quod Christus missam ordinavit.

VI. Deus obedire debet diabolo.

VII. Si homo fuerit debite contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua & inutilis.

VIII. Si Papa est præscitus & malus, & per consequens membrum diaboli, non habet potestatem super fideles ab aliquo sibi datam, nisi forte a Cæsare.

IX. Post Urbanum VI. non est alius recipiendus in Papam, sed vivendum est more Græcorum sub legibus propriis.

X. Contra Scripturam Sacram est, quod viri ecclesiastici habeant possessiones.

XI. Nullus Prælatus debet aliquem excommunicare, nisi sciat prius ipsum excommunicatum a Deo: & qui aliter excommunicat, fit hæreticus & excommunicatus.

XII. Prælatus excommunicans Clericum, qui appellaverit ad Regem & ad Concilium Regni, eo ipso est traditor Regni & Regis.

XIII. Illi, qui dimittunt prædicare vel audire Verbum Dei propter

Digitized by Google

propter excommunicationem hominum, sunt excommunicati, & in die judicii traditores Christi habebuntur.

XIV. Licet alicui Diacono vel Presbytero prædicare Verbum Dei absque autoritate Sedis Apostolicæ vel Episcopi.

XV. Nullus est Dominus civilis, nullus est Prælatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali.

XVI. Domini temporales possunt ad libitum auferre bona temporalia ab ecclesiis possessionatis habitualiter delinquentibus, id est ex habitu non solo actu.

XVII. Populares possunt ad arbitrium suum Dominos suos delinquentes corrigere.

XIIX. Decimæ sunt puræ eleemosynæ, & parochiani possunt propter peccata suorum Prælatorum ad libitum suum eas auferre.

XIX. Speciales orationes applicatæ uni personæ per Prælatos vel Religiosos non plus prosunt eidem quam generales cæteris paribus.

XX. Conferens eleemosynam Fratribus mendicantibus est eo facto excommunicatus.

XXI. Si aliquis ingreditur Religionem privatam qualemcunq; tam possessionatorum quam mendicantium, redditur ineptior ad observantiam mandatorum Dei.

XXII. Sancti instituentes Religiones privatas, sic faciendo peccant mortaliter.

XXIII. Religiosi viventes in Religionibus privatis non sunt de Religione Christiana.

XXIV. Fratres tenentur per labores manuum victum quærere, & non per mendicitatem.

XXV. Omnes sunt Simoniaci, qui se obligant orare pro aliis in temporalibus eis subvenientibus.

XXVI. Oratio hominis præsciti ad nihil utilis est.

XXVII. Confirmatio juvenum, Clericorum ordinatio, locorum consecratio reservantur Papæ & Episcopis propter cupiditatem lucri temporalis & honoris.

XXIIX. Universitates, studia, collegia, graduationes & magisteria in eisdem sunt vana, a Gentilibus introducta, & tantum prosunt Ecclesiæ sicut diabolo.

XXIX. Excommunicatio Papæ vel cujuscunque Prælati non est timenda, quia est censura Antichristi.

XXX. Peccant graviter fundantes claustra, & ingredientes sunt viri diabolici.

XXXI. Ditare Clerum est contra regulam Christi.

XXXII. Sylvester Papa & Constantinus Imperator errarunt graviter Christi Ecclesiam ditando.

XXXIII. Omnes de Ordinibus Mendicantium sunt hæretici, & dantes eis eleemosynam sunt excommunicati.

XXXIV. Religionem ingredientes aut aliquem Ordinem eo facto inhabilis est (inhabiles sunt) ad observandum divina præcepta, & perveniendi ad Regnum cœlorum nisi apostataverint ab eisdem.

XXXV. Papa cum omnibus Clericis suis possessiones habentibus sunt hæretici, eo quod possessiones habent, & omnes consentientes eis puta Domini seculares & laici.

XXXVI. Ecclesia Romana est Synagoga Satanæ, nec Papa est immediatus & proximus Vicarius Christi & Apostolorum.

XXXVII. Decretales & Epistolæ sunt apocryphæ, & seducunt a Christi fide, & Clerici sunt stulti, qui eas student & legunt.

XXXIIX. Imperator & Domini seculares seducti sunt a diabolo, ut Ecclesiam dotarent de bonis temporalibus.

XXXIX. Electio Papæ a Cardinalibus a diabolo est introducta.

XL. Non est de necessitate salutis credere, Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias.

XLI. Error est, si per Romanam Ecclesiam quis dicat Ecclesiam universalem aut Concilium generale, aut pro quanto negaret Primatum Summi Pontificis super alias Ecclesias particulares.

XLII. Juramenta illicita sunt, quæ fiunt ad roborandos humanos contractus & commercia civilia.

XLIII. Augustinus, Bernhardus, Benedictus, Dominicus, Franciscus, & cæteri damnati sunt, nisi pœnituerint in fine de hoc, quod fecerunt Ordines vel intraverunt; & sic a Papa usque ad infimum Religiosum omnes sunt hæretici.

XLIV. Omnes Religiosi & Religiones indifferenter sunt servi diaboli, & a diabolo introductæ.

Hos articulos erroneos & scandalosos tenuit & docuit prædictus Johannes Wiklef, & multos in eis habuit discipulos & sequaces, quorum præcipuus extitit Magister Johannes Hus Bohemus, qui eosdem tenuit & defensavit, & plures de propriis addidit. Hic citatus fuit per Procuratores Concilii Constantiensis ad comparendum & respondendum sibi objiciendis ibidem. Qui citatus venit in Constantiam, & obtulit se ad respondendum. Cumque sibi objicerentur articuli per eum dogmatizati, respondit illos veros esse & Catholicos, & affirmavit se illos velle defendere usque ad mortem. Obtulit insuper quendam libellum per ipsum compositum, in quo plures continebantur articuli erronei. Qui liber examinatus est a pluribus Magistris, & repertus est hæreticalis. Articuli autem in eo contenti formaliter & elective sunt hi:

I. Nullus præscitus est verus Papa vel Prælatus aut Dominus.

II. Nullus præscitus aut in peccato mortali constitutus sedet in Apostolica vel Episcopali sede, nec habet autoritatem in populo Christiano.

III. Nulli præsciti sunt de Ecclesia, nec illi, qui Christi vitam non imitantur.

IV. Illi soli sunt de Ecclesia, qui sedent in Sede Petri, habentes autoritatem Apostolicam, & qui Christum & Apostolos ejus imitantur.

V. Omnis bene vivens secundum vitam Christi, potest & debet docere palam, & prædicare etiam non missus per quemcunque Prælatum vel curatum, imo etiam hoc potest & debet facere, licet sit prohibitus ab eis & excommunicatus, quia bona vita & scientia sufficienter mittunt talem.

VI. Papa Romanus alius a Christo non est universalis Episcopus, nec Ecclesia Romana habet Primatum super alias Ecclesias, nisi forte a Cæsare.

VII. Papa non debet nominari sanctissimus, nec pedes ejus beati, nec sunt osculandi.

VIII Secundum doctrinam Christi non est infligenda mors etiam hæreticis incorrigibilibus, nec fulminandum est interdictum.

IX. Subditi & plebeji possunt & debent passim & publice detegere & redarguere vitia suorum Prælatorum, velut habentes autoritatem a Christo & exemplum a Paulo illud faciendi.

X. Solus Christus & non Papa est caput Ecclesiæ universalis.

XI. Sola Ecclesia continens prædestinatos & bene viventes est universalis Ecclesia, cui debetur obedientia, & non illa Romana, quæ aliarum magistra male nominatur.

XII. Prælatis & superioribus præscitis vel male viventibus nulla debetur obedientia a subditis.

XIII. Oblationes & decimæ Ecclesiæ & Ecclesiasticis factæ sunt puræ eleemosynæ.

XIV. Ecclesiastici male viventes possunt & debent per laicos coërceri per subtractionem decimarum & oblationum & aliorum emolumentorum temporalium.

XV. Benedictiones Ecclesiasticorum præscitorum vel male viventium sunt maledictiones & execrationes apud Deum, juxta illud: Maledicam benedictionibus vestris.

XVI. Temporibus istis, puta Anno Dn. MCCCCXVI. & multis antea temporibus nullus est vel fuit verus Papa, nulla insuper Ecclesia vera aut sedes, quam Romanam dicimus, quibus esset obediendum, sed sunt & fuerunt Antichristi, & Synagoga Satanæ & Clerus Judæ proditoris.

XVII. Omnis datio pecuniarum Ministris Ecclesiæ facta in ministratione spiritualium quorumcunque reddit Ministros hujusmodi Simoniacos & Gyezitas.

XIIX. Excommunicatus a Papa si appellat ad Christum, præservatur, ut excommunicationem hujusmodi timere non habeat, sed eam spernat.

XIX. Omnis actus extra caritatem factus est peccatum.

Omnes autem articuli isti condemnati sunt in publica sessione cum libello suo sub tali verborum forma: Sacrosanctum generale Concilium Constantiense divinitus in Spiritu Sancto congregatum, & Catholicam Ecclesiam repræsentans, ad perpetuam rei memoriam. Quia teste veritate arbor mala malos fructus ferre consuevit: hinc est, quod vir damnatæ memoriæ Johannes Wiklef sua mortifera doctrina, non in Christo Jesu per

Digitized by Google

per Evangelium, ut olim Sancti Patres fideles filios genuere, sed contra Christi salutarem fidem velut radix virulenta plures genuit filios pestiferos, quos sui perversi dogmatis reliquit successores. Adversus quos hæc Sancta Synodus tanquam contra spurios & illegitimos filios cogitur insurgere, & eorum errores ab agro Dominico tanquam vepres nocivas cura pervigili & cultro autoritatis Ecclesiasticæ resecare, ne ut cancer serpant in perniciem aliorum. Cum itaque in sacro generali Concilio nuper Romæ celebrato decretum fuerit, doctrinam damnatæ memoriæ Johannis Wiklef damnandam esse, & libros ejus hujusmodi continentes fore tanquam hæreticos comburendos, & doctrinam ipsam damnatam, insanam & pestiferam includentes combustos fuisse cum effectu notum sit, ac hujusmodi decretum autoritate hujus sacri Concilii fuerit approbatum: nihilo tamen (minus) quidam Johannes Hus in hoc Concilio personaliter constitutus, non Christi, sed potius dicti Johannis Wiklef hæresiarchæ discipulus, post & contra damnationem hujusmodi ausu temerario contraveniens, errores ejus plures & hæreses, tam ab Ecclesia Dei quam etiam a cæteris olim reverendis Patribus Archiepiscopis, Episcopis diversorum regnorum, Magistris in Theologia plurimorum studiorum condemnatos dogmatizavit, asseruit & prædicavit; præsertim condemnationi prædictæ scholasticæ ipsorum articulorum Wiklef factæ pluries in universitate Pragensi, cum suis complicibus in scholis & prædicationibus suis publice resistendo, ac ipsum Johannem Wiklef virum Catholicum & Doctorem Evangelicum in favorem doctrinæ ejus, coram multitudine Cleri & populi asserendo declaravit, cæteros etiam articulos supra scriptos & plures alios merito damnabiles tanquam Catholicos asseruit & publicavit, qui in libris ipsius Johannis Hus & opusculis notorie continentur. Quapropter habita per prius plena informatione de præmissis & diligenti deliberatione reverendissimorum in Christo patrum dominorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, & cæterorum Prælatorum ac Magistrorum sacræ paginæ & utriusque juris multitudine copiosa, hoc sanctum Concilium Constantiense declarat, & diffinit, articulos supra dictos, qui reperti fuerunt in ejus libris & epistolis propria sua manu scriptis, & quos etiam idem Johannes Hus judicialiter in publica audientia coram patribus & prælatis hujus sacri concilii confessus fuit in suis libris & opusculis contineri, non esse Catholicos, nec tanquam tales esse dogmatizandos, sed ex eis plures erroneos, alios scandalosos, alios piarum aurium offensivos, pluresque temerarios & seditiosos, ac nonnullos eorum notorie hæreticales seu hæresim sapientes, & jam dudum a Sanctis Patribus & generalibus Conciliis reprobatos & damnatos, ipsosque prædicare & dogmatizare aut quomodolibet approbare districte prohibendo. Sed cum supra scripti articuli expresse contineantur in libris seu tractatibus suis, puto in libro, quem intitulavit De Ecclesia, & aliis suis opusculis: ideo libros ipsos & suam doctrinam & singulos tractatus & opuscula in Latino sive vulgari Bohemico per ipsum edita, aut in quocunque alio idiomate per alium vel alios translata, hoc sacrum concilium reprobat atque damnat, ipsosque comburendos solenniter & publice in præsentia Cleri & populi in urbe Constantiensi & alibi decernit & diffinit; adjiciens propter præmissa omnem ejus doctrinam merito esse & fore suspectam in fide, & ab omnibus Christi fidelibus evitandam. Et ut de medio Ecclesiæ illa perniciosa doctrina elimінetur, hæc sancta synodus prorsus jubet per locorum Ordinarios, Tractatus & Opuscula hujusmodi per censuram Ecclesiasticam, etiam si opus fuerit, cum adjectione pœnæ fautoriæ hæresis diligenter inquiri, & repertos igne publice concremari. Siquis autem hujus sententiæ & decreti violator aut contemtor extiterit, statuit eadem sancta synodus per locorum ordinarios & inquisitores hæreticæ pravitatis contra talem vel tales veluti suspectum vel suspectos de hæresi procedendum. Visis insuper processibus & actitatis in causa inquisitionis de & super hæresibus contra Johannem Hus habitis & factis, & habita per prius fideli & plenaria commissariorum in hujusmodi causa deputatorum relatione aliorumque Magistrorum in Theologia ac juris utriusque Doctorum in, de & super actis & actitatis & dictis testium fide dignorum plurimorumque aliorum, quæ dicta ipsi Johanni palam & publice lecta fuerunt coram Patribus & Prælatis hujus sacri Concilii, & per quorum testium dicta apertissime constat, eundem Johannem Hus multa mala, scandalosa, seditiosa & periculosa dogmatizasse, ac ea per multa annorum pericula prædicasse: eapropter Christi nomine invocato, hæc sancta Synodus Constantiensis, solum Deum præ oculis habens, per hanc diffinitivam sententiam, quam profert in his scriptis, pronunciat, decernit & declarat dictum Johannem Hus fuisse & esse verum & manifestum hæreticum, ipsumque errores & hæreses ab ecclesia Dei dudum damnatos & damnatas, & plura scandalosa, piarum aurium offensiva, temeraria & seditiosa dogmatizasse & publice prædicasse, in non modicum divinæ majestatis & universalis Ecclesiæ opprobrium ac fidei Catholicæ detrimentum, claves etiam Ecclesiæ & censuras ecclesiasticas vilipendisse, in quibus per multos annos perstitit animo indurato, Christi fideles per suam pertinaciam nimium scandalizans, cum appellationem ad Dominum Jesum Christum tanquam ad summum judicem obmissis ecclesiasticis mediis interposuit. In qua multa falsa & injuriosa posuit in scandalum sedis Apostolicæ & censurarum Ecclesiasticarum detrimentum. Idcirco propter præmissa & alia plura præfatum Johannem Hus hæreticum fuisse & esse, hæc sancta synodus pronunciat, & tanquam hæreticum judicandum & condemnandum fore per præsentes; ipsumque Johannem Hus populum Christianum maxime in Regno Bohemiæ in prædicationibus suis publicis & scripturis per eum compilatis seduxisse, ac ejusdem populi Christiani non veracem prædicatorem Evangelii Christi secundum expositionem Sanctorum Doctorum, sed verius fuisse seductorem. Verum quia per ea, quæ hæc sancta synodus vidit & audivit, cognovit eundem Johannem Hus pertinacem, incorrigibilem & adeo talem, quod non cupiebat ad gremium sanctæ matris Ecclesiæ redire, neque hæreses & errores per eum publice prædicatos & defensatos abjurare: idcirco hoc sacrum concilium eundem Johannem Hus ab Ordine Sacerdotali & aliis Ordinibus, quibus extitit insignitus, deponendum & degradandum fore declarat & decernit, committensque nihilominus Reverendo in Christo Patri Archiepiscopo Mediolanensi & sibi coadjunctis Episcopis, ut in præsentia hujus sacri Concilii degradationem prædictam, secundum quod Ordo juris requirit, debite exequatur. Quæ, inquam, degradatio, ut præmittitur, per executores præfatos mox in effectum peracta est. Quo expedito, iterum supra dictus Archiepiscopus Januensis surrexit, & quandam schedulam alta voce legit sequentia continentem: Hæc sacrosancta synodus Constantiensis Johannem Hus, attento quod Ecclesia Dei non habeat ultra quid agere, judicio seculari dereliquit, & ipsum curiæ seculari relinquendum fore decernit. Qua schedula lecta, confestim Potestas urbis accessit, & ipsum hæreticum rapiens, extra urbem duxit, & ignibus ibidem paratis tradidit ad comburendum. Dominus Balthazar de Cossa, in tribulationibus gravibus positus, amicabilem scripsit epistolam Sigismundo Romanorum Regi, auxilium suum & favorem humiliter implorans flebilibus verbis in hoc tenore: Carissimo in Christo filio Sigismundo Romanorum Regi semper Augusto & Ungariæ Regi illustrissimo, ea salute, quæ Christus est & omnium vera salus, perpetuo & feliciter adimpleri. Licet, Carissime Fili, prudentiam tuam præ cæteris hujus ævi Regibus Rex Regum insigniverit cunctarum varietate virtutum: licuit tamen sæpe sæpius ac profuit, ad viva-

Digitized by Google

vivaciora virtutum studia mentes etiam pervigiles excitare. Propter quod & te, ut ad clementiam, quæ sola solidat Regum thronos, qua ex innata bonitate ad miserendum quantiscunque tuis offensoribus non solum liberaliter, sed etiam usque ad prodigalitatis speciem hactenus supererogasse dinosceris, erga nostram personam in præsenti, quam permittendo Deo non absque nostra, fatemur, injuria incidimus casu excitare possumus, quasi confidentissimis susurriis (fors. suspiriis) duximus suggillandum. Plurima eorum, quæ tibi per diversos voce viva significare curavimus præsentibus repetentes, ut efficaciorem vim nostræ petitioni tribuat modorum petendi multiplicatio frequentata. Quantis itaque, dulcissime ac carissime fili, tenerrimæ dilectionis affectibus & effectibus, a primordio assumtionis nostræ ad summum Pontificatus apicem, gratis te nostra flagitarunt præcordia, liceat, quæsumus, liceat cum Tua Serenitate confabulari. Nonne, ut plurima gratia brevitatis transeamus, defuncto felicis memoriæ Ruperto, te non tam propter te, sed universitatis populi Christiani salutem, in cordis arcano cunctis viventibus præeligentes, prædestinavimus in Regem Romanorum, tuam ad Serenitatem, ut onus illud assumere dignaretur, solicitudine supplici curavimus prævenire, & ad eundem effectum nostros nuncios ad Principes Electores & alios iteratis & reiteratis non piguit vicibus destinare. Quantaque vigilantia, ut diversa de te facta electio convalesceret, usque ad præfatum atque perfectum non cessavimus insudare, novit tua Serenitas, norunt etiam tui nuncii variique ipsius negotii tractatores. Demum cum nostram præsentiam desideraret ipsa tua Serenitas, quanta, quæsumus, promtitudine mentis desideriis tuis satagebamus occurrere? Nonne viarum discrimina & alia nobis incumbentia peragenda nobis fuere pro nihilo reputata, sed etiam in tractatibus hujusmodi quanto qualique studio ad tui honoris tuæque consolationis augmentum nostros conatus extenderimus, non alius quam tui ipsius testimonio relinquatur. Denique dum cogitantibus nobis de Concilio convocando per tuos ad nos nuncios destinatos requirentes, ut de tempore locoque celebrandi Concilii tuis nos votis conformaremus, Cardinales misimus, qui sine exceptione tuæ per omnia acquiescerent voluntati. Cæterum de adventu nostro ad Constantiam, quam elegeras, cum per tuos nuncios solicitaremur, nostro reacceperunt pro responso, quod sanitate desuper nobis concessa, absque dubio veniremus; infirmitate vero forsan gravati gestatoriis ferremur. Porro si pedum officiis aut cum claudicantibus calcaneis id foret agendum, id idem nihilominus ageremus. Demum & si nos a luce hac migrare contingeret, in satisfactionem præmissorum perfectam corpus nostrum illuc perferri præciperemus. In his omnibus tuæ dilectioni plusquam salvis conductibus ac aliis quibuscunque præsidiis, sincerissima fiducia innitentes, sed pauca existimantes, quæ fecimus de affectu locupletissimo quantumlibet majora faciendum in nostra possumus conscientia gloriari. Et ecce in urbis Romanæ negotiis, in Patrimonii S. Petri recuperatione prorsus postpositis, nullis dissvadentium receptis suggestibus, ad Constantiam te, fili carissime, tempore promisso prævenimus, tuum adventum nosti quantum & qualiter fuimus grato animo præstolati. Hæc, fili carissime, ex dilectione purissima tuæ personæ, hæc, carissime fili, ad tui honoris sublimationem duximus liberaliter peragenda. Cumque nullis dilectio valeat mercibus comparari, nullis aliis queat quam vicissitudinariæ dilectionis retributionibus recompensari, ad te tanquam unicum post Deum spei nostræ refugium dirigimus desideria cordis nostri. Ad te devotissimas preces, pro dilectione dilectionem requirentes, effundimus, obsecrantes per viscera misericordiæ Domini Nostri Jesu Christi, memor esto verbi tui, in quo mihi spem dedisti. Hæc nos consoletur in humilitate nostra. Et si cum causa sive sine causa iratus fueris, misericordiæ recorderis, nomenque egregium clementiæ ne, quæsumus, in hoc casu pati patiaris instantiam, sed qui aliis offensionibus atrocissimis parcendo te liberalem præbere consveveras, parce quoque nobis, & misereri ne spernas, ne quæsumus pietatis tuæ præclaræ titulo notam crudelitatis inferri permittas. Potes itaque, si velis, &, ut velis, deposcimus erga sacrum Concilium, quod tua sapientia tuaque potentia tanquam firmissimum fundamentum suffultum est tuis intercessionibus operari, ut tui contemplatione honoris, personam nostram habeat recommendatam, & unione Ecclesiæ semper salva, honorem, famam & statum nostros post dimissionem Papatus, quam pridie obtulimus, atque dudum aliquoties in manibus tuis posuimus, quantum possibile fuerit, salvare & custodire dignetur, & alia nostram salutem respicientia prosequaris magnifico cum effectu. Pro quibus apud districtum Judicem inter alios misericordiæ cultores, cum omnes gratia egeamus, & tu misericordiam & alia retributionum præmia uberius consequeris, & per universum orbem inter optimos Imperatores hujusmodi clementiæ glorioso titulo mereberis computari. Super quibus dilectionis virtus te cogat nobis celere piumque remandare responsum. Datum Cellæ Constantiensis Dominica die XXVI. Maji, Pontificatus nostri anno quinto. Stephanus Rex Portugalliæ magnam illam Sarracenorum civitatem Seps nominatam obsidione navali circumdedit, & eam tandem cum maximis laboribus cepit, non tamen sine notabili adjutorio divino & prodigioso. Visus namque extitit vir quidam armatus equo insidens magno, & gladium vibratum in manu tenens per urbem cursitare, & interficere, quotquot occurrebant. Nec est agnitus miles ille, nec læsus a quocunque illa die, licet innumeros solus occidisset. Rex autem potitus victoria de cœlo, urbem est ingressus, & interfecit omne vitam habens humanam, nulli parcens ætati aut sexui. Major tamen pars Paganorum extra urbem fugiens evasit. Cumque per aliquod tempus Rex in urbe perdurasset, & eam juxta posse firmasset contra insultum Sarracenorum, ex traditione cujusdam proprii sui militis promissis barbarorum corrupti ipsam urbem Rex absque dubio perdidisset pariter cum vita sua, nisi Deus de sua bonitate proditionem illam manifestasset. Erat enim quidam meatus subterraneus factus ab infidelibus, quo illi, qui intra urbem erant, egredi poterant ad libitum, protendentem (protendens) se ad medium miliare ultra civitatem. Hic meatus intra urbem forti claudebatur ostio. Meatum autem istum Regi & Christianis ignotum quidam miles, Sarracenorum pecunia corruptus aperuerat, ex informatione ipsorum, ut sic barbari illi tempore nocturno ingredi potuissent, si permissi fuissent, & mactasse totum Regis exercitum. Sed famulus militis traditoris proditionem intelligens, Regi negotium indicavit, & Rex sic inveniens, ut cliens dixerat, ostium illud firmavit, ac militem traditorem cremari jussit. Hanc quidem historiam mihi narravit quidam Frater Ordinis Prædicatorum Engelb. rtus dictus, qui supra dictis interfuerit, & primam missam post urbis captionem in ea celebraverat. Sigismundus Rex Romanorum causa concordandi Reges Franciæ & Angliæ, primo Franciam, & demum Angliam in gravibus expensis & laboribus intravit, sed parum vel prope nihil inter eos concludens de pace, tandem in Constantiam reversus est. Ambasiatores Reges Romanorum duo, quorum unus Procopius Miles & alter Jodocus Canonicus Basileensis nuncupati, urbem Lubicensem in vigilia Palmarum intraverunt. Qui quidem nuncii plura practicantes negotia ex parte Regis prælibati, postulaverunt inter cætera XVM. florenorum, quæ dicto Regi Romanorum promiserant quatuor illi Proconsules, qui in Constantiam missi fuerant ab urbanis dictæ Lubicanæ civitatis ultra illa XXVM. florenorum, de quibus supra mentio facta est. Prælibati autem Regis Romanorum nuncii, quia venerant cum plena Cæsaris autoritate faciendi, ordinandi, insti-

nstituendi, destituendi, judicandi, salvandi & damnandi secundum exigentiam negotii, propter quod venerant, prout secundum Deum & justitiam eis videretur expedire: idcirco inprimis statuerunt sub pœna privationis vitæ, ne aliquis conventicula aut congregationes faceret privatas diurnas vel nocturnas in loco quocunque. Sed hoc statutum statim violaverunt quidam mechanici feria V. ante festum Pentecostes, convocationem suorum complicum & sociorum clanculo fieri ordinantes in taberna quadam ad Maricam dicta pro conspiratione facienda contra eorum molestatores aut invasores, si qui futuri essent, eo quod timerent sibi vehementer. Quod percipientes nuncii Regales, Consulatum civitatis protunc præsidentem ad hoc cogebant autoritate Regia, ut personaliter irent cum suis stipendiariis, & illos capi facerent, ac turribus & vinculis manciparent, quousque ipsi deliberarent, quid de ipsis fieri oporteret. Captivati ergo sunt eadem hora XVIII. cives, inter quos erant Henricus Poling burgimagister & Heyno Sobbe Consul ambo aurifabri. De his tamen captivis soli Heyno Sobbe Consularis, & Hermannus Rubowe pistor decollati sunt feria V. ante festum Trinitatis tanquam capitanei & actores dictæ congregationis, cæteri vero perpetuo exulati sunt & proscripti banno Regio. Ericus Rex Danorum in Vigilia Pentecostes cum innumeris navibus Holtzatorum intrans portum prope Ymbriam insulam applicuit, & totam ipsam una cum Glambeke castro suo absque omni resistentia cepit, & sibi subjugavit. Castrum vero ipsum tam leviter captum armatis suis munivit, & vallis atque fossatis novis circumdedit. Cum vero inibi per aliquot dies moratus fuisset, exiens dictam insulam, secum transvexit XX. viros ditiores terræ illius in obsides, ut sic expeditius sibi solverent XXM. marcarum Lubicensis monetæ, quæ incolæ illius terræ exsolvere spoponderant, ne incendio eam vastaret. Eodem tempore anni præsentis, quo captivi cives urbis Lubicanæ adhuc detinerentur in Dacia, dicta civitas misit quosdam Consulares pro redemtione captivorum ad Regem Danorum. Quibus nunciis in Dacia existentibus Ericus Rex exhibuit se soluturum pro Rege Romanorum illa XXM. florenorum, quæ Rex dictus Romanorum sublevaverat pro sigillatione quarundam literarum præjudicialium sententiæ cujusdam in curia sua promulgatæ pro exulante Consulatu ejusdem civitatis Lubicensis, datarum tamen sub illa conditione, quæ expressata extitit supra anno DN. MCCCCXIIII. Hanc quidem pecuniam Rex Ericus dictæ urbis nunciis exsolvere velle se dixit ad illam cautelam, ut prædictæ literæ vigorem suum amitterent. Nam cum illa conditione datæ erant, quod si ante instans festum S. Georgii dicta pecuniæ summa restitueretur Lubicensibus a quocunque ex parte Regis Romanorum, quod extunc nullius esse deberent gratiæ literatoriæ datæ roboris vel autoritatis. Et ideo hujusmodi pecuniæ solutionem Rex Ericus exhibuit fieri dictis nunciis ante statutum festum. Sed ipsi Consulares missi pecuniam illam sublevare recusabant, dicentes, se hoc non habere in commisso. Et sic vigor literarum illarum contra exulantem Consulatum obtentarum exspirabat virtute illius exhibitionis ad solvendum; & sic per consequens Rex Romanorum salvatus est de indecenti literarum prælibatarum collatione in urbe Constantiensi facta. Captivi tamen in suis remanserunt locis in Dacia usque ad Consulatus antiqui reintroductionem. Jeronymus Magister Artium Johannis Hus hæretici jam combusti discipulus in urbe Constantiensi a præsidentibus Concilii captus est tanquam de hæresi multiplici suspectus, & tandem examinatus inventus est erroribus diversis irretitus. Quos quidem errores timore forte mortis victus, juridice & publice coram Prælatis Concilii dicti revocavit & abjuravit. Sed statim post diabolica instigatione deceptus recidivavit, & retractationem errorum suorum constantissime revocavit. Qui iterum captus & vinculis injectus tandem judicialiter est convictus, condemnatus, degradatus, & ultimo judicio seculari traditus & combustus. Cumque ad mortem duceretur, cecinit Responsorium illud: Circumdederunt me viri mendaces &c. Et cum in scala ligatus elevaretur, ut in ignem projiceretur, alta voce cantare incepit Te Deum laudamus, sed injectus mox a prosecutione subticuit. Feria tertia post festum S. Trinitatis Consulares Lubicenses dudum exulati, & multa gravamina in exilio suo passi, cum honore magno in civitatem suam sunt reintroducti & recepti. Modus autem dictæ reintroductionis fuit iste: Consulares sæpe dicti exiliati, cum tempus redemtionis suæ advenisset, sicut per Ericum Regem Danorum practicatum fuerat, appropinquarunt ipsi & loco. Unde venientes prope urbem Lubicanam, locaverunt se in castello per milliare distante ab urbe Crummesse dicto per aliquot dies ibidem pausantes. Ad quos plures cives etiam de æmulis suis benivolentiam eorum captare cupientes, de urbe venerunt cum muneribus diversis victualia ultra necessitatem eisdem afferentes, & cum eis lætantes in apparentia saltem, quia plures ex corde de introitu eorum dolebant. Die igitur supra dicta unanimiter apud S. Georgium extra urbis valvam convenerunt. Ad quos exeuntes supra scripti Regis Romanorum nuncii, Procopius Miles & Jodocus Canonicus, de quorum practica præsens negotium pro magna parte processerat, eos in ingressu civitatis associaverunt. Processionaliter ergo transeuntes, processit Dominus Jordanus Burgimagister, ad cujus latus dextrum se sociavit Procopius Miles. Post quos transivit Marquardus de Damen Proconsul, cui se junxit Jodocus Canonicus Basiliensis. Quos sequebantur Consules, qui exulaverant, secundum primogenita eorum, quibus associati fuerunt quatuor Proconsules prætensi Consulatus & cæteri Consulares juxta ordinem suum. Deinde comitabantur omnes Domicelli, qui cum suis Consularibus exilium passi fuerant. Hæc caterva regia ordinate progrediens ad spectaculum traxit & commovit populum innumerum utriusque sexus partim totis præcordiis gaudentem, & partim ex mœrore gementem. Non enim erant æqualiter omnibus beneventi. Hæc autem processionalis progressio continuata est usque ad ecclesiam B. Virginis Mariæ. Ubi cum pervenissent, dicti Regales nuncii duos Burgimagistros ad manus trahentes, introduxerunt ad loca honoris consueta, eos sedibus installando in choro dictæ Ecclesiæ; similiter & Consules alios locis suis debitis restituerunt. Quo facto, missa de S. Trinitate solenniter est celebrata: Qua terminata, processio prædicta reinstaurata est, & progressa de Ecclesia ad consistorium civitatis, in quo Consulares prælibati secundum primitias cujuslibet loca sua receperunt. Et sic toto Consulatu debite restituto, præfati Regis Romanorum nuncii regimen urbis Lubicanæ autoritate Regia ipsis restitutis commendarunt totaliter & ex integro. Illis autem sic sedentibus in sede præceptoria, Proconsules & Consules, qui usurpative huc usque civitatem rexerant, coram ipsa sede se statuerunt, & depositis caputiis ac humiliter inclinantibus veniam ab illo vero Consulatu suo petierunt, supplicantes instanter, ut ob Dei mortem sibi gratiose indulgere dignarentur offensas & injurias multipliciter eis irrogatas. Quibus pro omnibus respondit Dominus Jordanus Plescowe dicens: Ut nobis peccatoribus eo clementius propitietur & parcat misericors Deus, remittimus vobis cordialiter ob Dei amorem omnes offensas & injurias in nos per vos & vestros commissas & animo libenti. Parcat, precamur, vobis pius Deus. Ob quod verbum tam gratiosum & pium plurimorum oculi lacrymis rigabantur ubertime. His solenniter peractis, Consulatus jam restitutus videns debitum suum numerum valde diminutum per decessus suorum sociorum, puta Henrici Westhof, Goswini Klingenberg Proconsulum, Brunonis Warendorp, Conradi de Alen, Hermanni Yburg & Bernhardi Plescowen Consulum infra exulationis hujus tempus defunctorum, revocaverunt ad se quosdam de consociis suis Consularibus,

laribus, qui intra urbem remanserant, puta Marquardum Bonehorst, Albertum de Ponte, Gerardum Hoyeman, Conradum Brekewold & Arnoldum Sparenberg Consules. Quibus accersitis & juxta se collocatis, superlegerunt alios novos, puta quatuor de Consulatu deposito, duos de domicellis & quinque de mercatoribus, ut sic numerus Consularium consvetus urbis Lubicensis reintegraretur. Nomina autem electorum de novo fuerunt, Tydemannus Steen, Johannes de Hervordia, Ditmarus de Tunen & Lodowicus Krul; hi fuerant in Consulatu destituto. Johannes Darsowe & Tydemannus Mürkerke; hi erant de Domicellis civitatis. Johannes Gherwer, Johannes Bere, Tydemannus Tzerntyn, Albertus Erp, & Johannes de Hamelen; isti mercatores erant. Introducti autem fuerant solum octo de antiquis Consularibus, puta Jordanus Plescowe, Marquardus de Damen Proconsules, Henricus Meteler, Reynerus de Calniz, Nicolaus de Styten, Hermannus Westphal, Henricus Rapesulver & Tydemannus Junghe Consules, & faciunt in universo viginti quatuor. Et hic est & fuit antiquus & ab Imperatoria Majestate approbatus numerus Consulatus Lubicensis. Quibus sic ordinatis, electis & evocatis ac juxta se locatis, integratus ille cœtus Consularium tractare cœpit negotia commune bonum suæ civitatis concernentia, & pro pace, concordia & unione communitatis expedientia. Fuit autem dies illa celebris & jocunda nedum civitati illi, sed & cunctis urbibus & terris circumjacentibus & vicinis. Ad perpetuam autem hujus facti memoriam statutum est in civitate prædicta, ut dies illa annuatim solenniter peragatur in qualibet urbis ecclesia cum missarum celebratione in organis majoribus, ut calamitas ipsorum de hominum reminiscentia non elabatur. Dominus Balthazar quondam Papa Johannes XXIII. in captivitate constitutus, anxietate cordis sui suppressus, ex intimis cordis suspiriis & gemitibus hæc protulit metra, & in scripturis redegit:

Qui modo summus eram, gaudens de nomine Præsul,
 Tristis & abjectus nunc mea fata gemo.
Excelsus solio nuper versabar in alto,
 Cunctaque gens pedibus oscula prona dabat.
Nunc ego pœnarum fundo devolvor in imo,
 Et vultum informem quemque videre piget.
Omnibus e terris aurum mihi sponte ferebant:
 Sed nec gaza juvat, nec quis amicus adest.
Sic varians fortuna vices adversa secundis
 Subdit, & ambiguo numine ludit atrox.
Cedat in exemplum cunctis, quos gloria tollit:
 Vertice de summo mox ego Papa cedo (cado).

Rodolfus Episcopus Swerinensis natus Dux de Stargardia migravit a seculo, in cujus sedem electus est Henricus de Nowen Canonicus ejusdem Ecclesiæ, & confirmatus est per Concilium Constantiense, concurrente assensu Johannis Archiepiscopi Bremensis. Studium Pragense per Concilium Constantiense ex toto dissipatum est, & remotum ab illo loco, ac prohibitum est sub sententia excommunicationis, ne quisquam gradus aut dignitates ibidem amplius recipiat. Studentes autem & Magistri de loco recedentes in Liptzensi urbe se receperunt; Marchiones autem Wilhelmus & Fredericus Studium acceptantes, commoda plura cuilibet Facultati construxerunt, & annuales reditus Magistris collegiatis & aliis ad sufficientiam procurarunt. Rodenburg castrum captum est non obsidione violenta armatorum, sed astutia Ducis Henrici de Luneburg, & diu tentum per eundem contra Henricum natu Comitem de Hoya electum Ecclesiæ Verdensis, cujus Ecclesiæ castrum erat. Cives Wismarienses attendentes mutationem regiminis urbis Lubicensis factam esse, & Consulares dudum expulsos civitatem intrasse, ac potenter jam imperare super expulsores suos, timuerunt sibi gravius & periculosius malum imminere, eo quod ipsi & Principes suos pariter & Consulatum suum graviter offenderint, nec jam a dicta civitate Lubicensi vel auxilium aut consilium sperare possent, cum suis Principibus diem placitorum amicabilium fieri ordinaverunt, quæ fuit dies Commemorationis (an conversionis?) Apostoli Pauli. Qua adveniente, potiores cives una cum suo prætenso Consulatu & maxima vulgaris populi comitiva exeuntes civitatem, venerunt ad locum, ubi Johannes & Albertus Duces sui erant. Ad quos cum pervenissent, de equis suis protinus descenderunt, & coram Dominis suis proclivi (proclives) genua flectentes, veniam humiliter de suis exorbitationibus postulaverunt, regnoscentes (recognoscentes) se injurias graves eisdem intulisse. Quos quidem tam cernuis vocibus & supplicibus gestibus misericordiam implorantes pii Principes in gratiam suam receperunt. Cives vero benignitati suorum Principum congaudentes, pro abundantiori emenda Ducibus illis XM. marcarum Lubicensis monetæ larga manu erogarunt, ut sic indignatio eorum erga civitatem & cives concepta funditus sopiretur. Quibus sic gestis, ut præmittitur, Duces illi ascensis equis suis cum civibus illis urbem sunt ingressi, secum ducentes quosdam de Consulatu antiquo, qui expulsi fuerant & proscripti. Accedentes ergo consistorium civitatis antedictæ Duces illi, ad sedem dicti consistorii se posuerunt, & Consulares illos veteres juxta se locaverunt, ac ad numerum debitum consulatus illius urbis complendum & perficiendum quosdam de civibus potioribus & mercatoribus, puta Gobelinum de Stella, Johannem Vressen, Henricum de Haren, Petrum Wilde & alios plures notabiles, neminem tamen de mechanicis evocaverunt, & eos apud cæteros Consules sedere fecerunt, committentes eisdem regimen civitatis suæ. Revocaverunt insuper & annullarunt omnia facta, ordinata & statuta Consularium prætensorum, quæ antiquis libertatibus & honestatibus quomodolibet præjudicialia erant & contraria. Erphordensis Ecclesia major terræ Thuringiæ pro saniori parte & potiori igne conflagrata est (conflagravit). Burgimagistri illi quatuor prætensi urbis Lubicensis circa festum Assumtionis Virginis Gloriosæ de mandato nunciorum Regis Romanorum adhuc inibi moram trahentium, ducti sunt in captivitatem & turribus mancipati, in quibus tenti sunt usque ad festum S. Michaëlis. Tunc enim erepti sunt per supra dictos nuncios sub tali conditione suis juramentis firmata, ut quantocius se Regi Romanorum personaliter præsentarent ad respondendum & expurgandum se de regalibus objectis. Quod quidem promissum duo ex eis mox post ereptionem impleverunt equitando in Constantiam, puta Marquardus Schutte & Johannes Grove; alii vero duo, puta Henricus Schoneberg & Eylerus Stange infirmitatibus suis præpediti, suos miserunt procuratores, spondentes se viam arrepturos personaliter, quamcito convalescerent. Quod etiam & ipsi statim post fecerunt. Venientes autem hi quatuor ad præsentiam Regis in Constantiam, sic facta & negotia sua, propter quæ venerant, expediverunt practica mirabili, quod in pace & sine ulteriori impetitione ad proprias ædes sunt reversi. Henricus Dux Sleswicensis adolescentulus & Henricus Comes Holtzatorum gwerram inceptam Ericum Regem Danorum animo magnifico prosequentes, & prædicti Regis potentiam mature pensantes, vocaverunt in suum auxilium omnes volentes super sorte propria tria illa Regna impugnare spoliis & deprædationibus, exemplum capientes a Rostoccensibus & Wismariensibus, qui pro liberatione Regis Alberti Domini sui simili modo fecerant, & Danis non pauca damna intulerant. Cujus quidem evocationis occasione tam grandis congregatio piratarum facta est, ut non solum Regna illa, sed & omnium terrarum mercatores per eosdem molestarentur & damnificarentur. Hujusmodi autem discordia juxta vulgatum verbum ex eo orta est, quod, cum Henricus Dux de Sleswic humiliter suam infeodationem a

Digitized by Google

Rege suo Erico, ut tenebatur, peteret, ipse Rex ab eo exegit, ut prius resignaret totaliter & ex integro ad manus suas Ducatum, ut sic simpliciter staret in voluntate Regis infeodatio prædicti Ducatus ad conferendum ipsum ad libitum suum, cui vellet. Et quia talem omnimodam & nudam resignationem Dux de consilio amicorum & juratorum suorum facere recusavit tanquam inconsvetam, idcirco Rex cum dictis Principibus Holtzatorum gwerram hanc resuscitavit. Propter quod ipsi Holtzatorum Principes Dux & Comes exercitum pulcrum colligentes, Ymbriam insulam accesserunt, & Danos, qui in eam venerant, expugnantes, ipsam denuo sibi subjugaverunt in die B. Severini Episcopi. Quo triumpho peracto, castrum ejusdem insulæ Glambeke dictum, quod Rex Ericus ceperat, & valde munierat aggeribus & vallis fortibus, ac defensatores armatos in copia reliquerat, obsederunt, coram eo machinas, bumbardas & cattos erigentes, & continuis impugnationibus castellanos fatigantes. Cumque circa duos menses in magnis laboribus & frigoribus ipsum impugnassent, tandem in die B. Luciæ castrum manu violenta obtinuerunt, & omnes in eo inventos captivaverunt, duos ex eis suspendentes, qui traditores castri extiterant. Opidum Meram in Ducatu Austriæ situm ex inundantia aquarum de montibus concurrentium ex nimia continuatione pluviarum quasi medium absorptum est; nec solum dictum opidum, sed & plura alia castella, opida & civitates prope flumina & intra montes situata in periculis magnis fuerunt. Seditio grandis orta est in Danzeke urbe terræ Prutenorum inter communitatem & Consulatum occasione monetæ. Et fugam ceperunt Burgimagistri dictæ civitatis, castrum Fratrum de domo Teutonica loco præsidii petentes. Quod ut quidam de civitate perceperunt, violenter domos illorum Proconsulum dirumpentes spoliarunt. Commendator autem castri audiens insultum factum, violatores prædictos cepit, & inceptores illius disturbii decapitari fecit numero XVIII. alios vero circiter XL. exilio damnavit cum uxoribus & liberis, bona eorum confiscando. Henricus Dux de Luneburg frater Bernhardi Ducis de Brunswic obiit in Ultzen opido, & sepultus est in Brunswic in tumulo paterno, cui in Ducatu successit Wilhelmus filius ejus. Hic Henricus a quibusdam dictus est Rex myricæ Luneburgensis propter inconsvetam securitatem & pacem tempore sui regiminis in ea observatam, cujus turbatores totis persequebatur conatibus, non parcens ætati vel conditioni personarum. Ad cujus dicti probationem recitatur de eo in Chronicis Saxonum. Cum uno tempore Advocatus castri Cellæ vir nobilis iret versus Luneburg ad disponendum pro adventu Ducis Henrici, contigit ipsum pertransire quendam villanum arantem in campo. Hic rusticus mantellum suum secus viam locaverat, ut labore suo expleto ipsum reindueret. Cujus togam videns Advocatus prædictus, ipsam accepit & induit, eo quod ventus aquilonaris ipsum urgeret penetrans vestes. Et dixit villano, quod non indignaretur, quia indubitanter eam reducturus esset. Rusticus vero ille non credens Advocato, quia similes sibi raro ablata restituerent, verbis restitit, nec consentire voluit in ablationem pallii sui. Sed Nobilis ille negationem villani non curans cum mantello induto recessit. Post cujus recessum non diu venit Henricus Dux, & dictum rusticum præterire volens, audivit ipsum clamantem & audientiam petentem. Quem Dux subsistens ad se venire fecit, & ejus querimoniam de ablatione pallii sui cum nimia cordis amaritudine audivit, promisitque rustico, quod togam suam sibi reddere deberet, qui eam tulerat, cum usura. Henricus ergo Dux, expletis negotiis suis in Luneburg, cum ad locum redisset, ubi dictus Advocatus mantellum rustico invito abstulerat, ipsum Advocatum apprehendit, & de spolio commisso dure ipsum redarguens, ad arborem proximam tandem ipsum appendit. Quod quidem factum quanquam crudele videretur quoad causam suam, signum tamen erat magni Zeli & fervoris pro pace conservanda communi. Propter quod juste orandum est ab omnibus, ut Princeps pacis cum Rege Regum pacifico mereatur in pace sempiterna requiescere. Petrus Episcopus Roscildensis Regni Daciæ mercatorum Teutonicorum pater & fautor obiit; in cujus sedem Cancellarius Regis Daciæ electus est, & confirmatus a Concilio Constantiensi. Rostoccenses cives videntes, quod Lubicenses & Wismarienses suum Consulatum antiqvum expulsum reassumsissent contra proprium eorum juramentum, & præsertim quod Wismarienses se cum Dominis suis composuissent sine requisitione eorum, diutius & suam reconciliationem protrahere non audebant. Consulatum ergo suum exulantem per eos multis modis offensum ad inductionem civitatum Lubicensis, Hammeburgensis, Sundensis & Luneburgensis, pro eodem negotio ibidem existentium in Adventu Domini, in suum pristinum statum & honoris locum solenniter reposuerunt per se, & non per manus Principum suorum, sicut in Wismaria factum fuerat. Pro emenda tamen & recompensatione injuriarum Ducibus irrogatarum solverunt sponte & libere VIM. marcarum Sundensis monetæ, eo quod pauperiores essent Wismariensibus, & sic per illius pecuniæ solutionem spontaneam sopitum est omne jurgium eorum. Johannes Dux Magnopolensis accepit in uxorem sororem Erici Ducis de Lovenburg sibi attinentem in tertio; propter quod per magnum tempus excommunicatus ipse cum uxore sua vitabatur a multis in divinis officiis, sed tandem per dispensationem sedis Apostolicæ a vinculo anathematis est absolutus. Karolo Rege Francorum in lecto ægritudinis posito, Wilhelmus Comes Hollandiæ secundogenitum Franciæ filiæ suæ Jacobæ maritum per mortem primogeniti fratris sui jam Delphinum factum Franciæ, cum maximo exercitu armorum in Regnum introduxit, auxiliante ei Philippo Duce Burgundiæ, sperans Regem moriturum in illa infirmitate, & sic ipsum fore futurum Regem. Sed Dux Aurelianensis & cæteri Principes Regni cum adjutorio Parisiensium tertiogenitum secundogenito præferre nitentes, ipsum in Regem post patris decessum sublimare contenderunt, in despectum & contumeliam Ducis Burgundiæ, quem summo odio persequebatur ob necem Ducis Aurelianensis.

Quarto an. Sigismundi, qui est DN. MCCCCXVII. Quidam sutor in urbe Pragensi Regni Bohemiæ hæretica infectus peste, discipulus Johannis Hus in Constantia combusti, per Wenzlaum Regem Bohemiæ igne crematus est, pro eo quod sacramenta Ecclesiastica ministrare præsumsisset tanquam Sacerdos. In urbe quadam quidam Judæus Jacobus dictus cum Christianis frequenter de fide contendere solitus fuit, ut ipsos in aliquo confundere posset. Accidit autem in sacro Paschali tempore, ut idem Judæus ecclesiam Christianorum intraret in habitu ignoto, sciens, protunc Christianos communicaturos, ut & ipsum sacramentum Dominici corporis perciperet, non quidem ad salutem animæ suæ, sed ad ludibrium & contumeliam sacramenti & fidei. Accedentibus ergo fidelibus & ipse perfidus accessit, & sacramentum vivificum ore polluto accipiens, mox se a Sacerdote divertit, & corpus Christi ex ore sumens, in manu sua reclusit. Qui statim ut manum clausit, quasi vagitum parvi pueri audivit de vola prodeuntem. Aperiens autem manum, in ea infantem pulcrum respexit, & vocem desuper audivit dicentem: Puer natus est nobis. Nemo autem vocem illam audivit nisi ipse, licet crederet, quod & alii circumstantes eam secum audivissent. Unde vehementer consternatus & territus timuit, ne hoc prodigium Christianis innotesceret, & sic Judæus ab eis agnosceretur & interficeretur. Unde infantem

mox

mox arripuit, & ori suo iterato imposuit, ut ipsum devoraret. Puer vero ad instar ossis induratus, a dentibus Judæi nec dividi nec masticari potuit. Quo laborante in masticando, puer in ore suo clamans dixit: Non est bonum, panem filiorum dare canibus. Quod Judæus audiens, in magnis angustiis constituitur, & intra se cogitans dixit: Quid faciam miser? Si audierint hanc vocem Christiani, me capient, & crudeliter interficient, & sic in opprobrium generis Judaici vertetur, quod ego miser in contumeliam fidei Christianæ facere præsumsi. Puerum ergo sub chlamyde recipiens, ecclesiæ foras (fores) egreditur, proponens ipsum in locum lutosum projicere & suffocare. Cumque portam cimiterii exire vellet, mox vidit quendam horribilem hominem lateri suo adhærentem, & secum ire disponentem. Ad quem ait Judæus: Tu quis es? Ait ille: Ego diabolus sum. Stupens autem Judæus ait: Quo tendis? Respondit dæmon: Tecum ibo, & cum perfeceris, quod cogitas, cervices tibi confringam. Quod audiens Judæus anxiatus nimis, cimiterium regreditur, & subito dæmon disparuit. Pauper autem iste in cimiterio deambulans ignorabat, quid agere deberet, ut confusionem evaderet. Frequenter enim cimiterium exire, & ad duam suam festinare tentabat, sed quotiens portæ cimiterii appropinquabat, totiens diabolum ibidem inveniebat, mortem ei comminantem. Miser ergo ille homo in maximis tribulationibus constitutus circumspexit & auscultavit, an etiam aliquis Christianorum angustias suas attenderet. Qui cum circumspiciens neminem videret in cimiterio, eo quod jam hora prandii esset, ante pedes suos, ubi stabat, foveam fecit, & puerum, quem sub pallio tenebat, in ea posuit & sepelivit. Quo puerum sepeliente, mox vocem centurionis audivit dicentem: Vere filius Dei erat iste. Admirans autem Judæus de voce tam sedulo audita, gavisus est, quod de infante expeditus esset. Unde ad domum reverti accelerans cum ad portam cimiterii venisset, dæmonem ibidem, ut prius, reperit. Cui Judæus ait: Quis es tu? Ad quem diabolus: Dixi jam tibi pluries, quod dæmon sum, & tecum pergere paratus, quocunque ieris, nec vivus a me recedes. Judæus autem hoc audiens attonitus valde, amplius cimiterium exire formidabat. Reversus ergo est ad locum, ubi puerum sepelierat. Cumque diutius ibidem stetisset, nesciens, quid acturus esset, tandem cogitavit intra se Dei inspiratione edoctus: Ecce miser vidisti, quot & quanta miracula Deus hodie pie te respiciendo erga te fecerit. Et si veritas fidei Christianæ non subesset, ista utique tibi non accidissent. Si vero diaboli illusio fuisset, diabolus in facto isto te tam frequenter non impedivisset, imo factum istud ad Christianorum promovisset. Illo apud se talia cogitante, contigit quendam Christianum cimiterium ingredi. Quem statim Judæus advocans dixit: O homo Dei, voca mihi Presbyterum hujus Ecclesiæ propter Deum. Homo autem ille attente considerans vocantem se, cognovit ipsum esse Judæum illum, qui cum Christianis semper contendere consvevit de fide. Et factus est mox concursus populi admirantis, quid sibi hoc vellet, quod Judæus ille Sacerdotem desideraret. Accersitus ergo Plebanus venit. Ad quem Judæus dixit: O Domine mi, ego miserrimus Judæus hodie corpus Christi dolose & fraudulenter cum aliis Christicolis sumsi, & taliter mecum actum est, singula sibi enarrans per ordinem. Rogo ergo vos, misereminí meí; & procidens ad terram, veniam postulavit. Sacerdos autem hæc audiens obstupuit, & solus rem tam grandem tractare formidans, Episcopum urbis adiit. Episcopus vero una cum Plebano illo ad dictum cimiterium properavit, & secundum quod a Sacerdote audierat, Judæum examinavit. Quo singula confitente, Episcopus Clero convocato, locum sepulturæ aperuit, & hostiam ibidem sepultam reperit, quæ Episcopo panis apparebat & aliis circumstantibus Christianis, sed solo (soli) Judæo videbatur puer esse, ut prius. Tunc Episcopus se discalceans, cum processione solenni reverenter locum prædictum accessit. Cumque corpus Dominicum de lacu elevasset, facta est vox de cœlo dicens cunctis audientibus: Surrexit Christus, & cœlum ascendit. Quo dicto, mox Angeli assistentes sacrum corpus de manibus Episcopi receperunt, & in aëra sublevantes, officium diei illius Resurrexit &c. solenni cantu inceperunt, & ascendendo continuaverunt. Quo facto, Judæus ille baptizatus est cum multis aliis Judæis. Miles quidam Regni Bohemiæ montem Cutniz cum familia multa ascendit, & opidum dicti montis intrans, quandam ecclesiam parochialem est ingressus, missam in dolo auditurus. Erat enim Husita de secta hæreticorum Regni. Cumque apud altare, ubi Sacerdos missam celebrabat, staret, quousque celebrans sangvinem sumsisset, & calicem de manibus in altari locasset, miles ille accessit, & calicem arripiens, ecclesiam festinus egressus est, & ad tabernam cum eo properans, autoritatem bibendi de eo sibi usurpavit, ac toti familiæ suæ concessit in contumeliam sacramenti & vilipensionem Sacerdotii. Cumque Sacerdos prædictus injuriam Dei valde ægre ferens tristis per plateam incederet post missam, a casu occurrit sibi frater suus uterinus. Qui videns fratrem suum melancholicum, quæsivit causam suæ perturbationis. Quam cum ei per ordinem recitasset, respondit: Esto boni animi, frater mi: ego non comedam, donec Dei contumeliam & fidei injuriam vindicavero. Nacta ergo oportunitate, frater Sacerdotis sociorum suorum, qui pro mineris fodiendis in monte illo laborare consveverunt, cinctus caterva imperterrita, qui omnes æquo animo vindicandi Dei contumeliam factam secum venerant, militem de taberna exeuntem viriliter aggreditur, & cur fratri suo in loco sacro tantam intulisset violentiam percunctatur. Cui cum stomachando Nobilis ille responderet, germanus Presbyteri pugionem extraxit, & in ventrem suum profunde immersit. Quod ut famuli militis cernerent, irruere cœperunt in interfectorem. Sed mox socii occisoris accurrentes, omnes de familia militis occiderunt numero fere XX. viros fortes. Civitatis Lubicensis Consulares reintroducti autoritate Regia, & ad regimen ejusdem urbis repositi, alias civitates maritimas ad se vocaverunt, ut juridice discuterent & decernerent de bonis & rebus eorum, quæ in tempore exulationis eorum ablata & occupata erant per quosdam civitatis ejusdem inhabitatores. Venientes ergo dictæ civitates, puta Hammeburgensis, Sundensis, Rostoccensis, Luneburgensis, Wismariensis & Gripeswaldensis, in quarum sententiam tam Consulares Lubicenses quam communitas dictæ urbis arbitrabantur, se pro tribunali in consistorio Lubicensi posuerunt ipso die S. Antonii Abbatis, stantibus extra sedes Consulatu Lubicensi ex una parte & communitate dictæ urbis ex altera parte, & judicium suum de die in diem continuantes per quindenam, ibidem quis, quid, cui & quantum exsolvere & restituere teneretur & deberet decreverunt, & super his sententias irrevocabiles ac irrefragabiles fulminaverunt, silentium perpetuum cuilibet parti, ne inposterum occasione prædictæ expulsionis & commissorum infra tempus exulationis per cives aut introductionis Consulatus antiqui quiscunque alium impetere, molestare, vexare aut perturbare quovis modo per se vel per alios præsumat aut fieri procuret. Henricus Dux Sleswicensis, Henricus Comes Holtzatorum, Balthazar Dominus Slavorum, & plures milites ac militares de Ducatu Luneburgensi & Comitatu de Schowenburg intraverunt Jutiam sive Jutlandiam cum manu valida, & villas plures ac opida depopulantes, tandem unum forte castrum Tunderen dictum obsederunt, expugnarunt & ceperunt cum omnibus in eo contentis, ac suis armatis ipsum munierunt. Inde vero procedentes in Frisiam castro illi propinquam, eam sibi subjugaverunt, magnam pecuniæ

Digitized by Google

niæ summam ab incolis suscipientes, & ad propria cum triumpho revertentes. Sed Dani audientes Holtzatos Frisones sibi subjugasse, ad recuperandam illam terram se armaverunt. Et exeuntes circa Quinquagesimam de Fune, Jutia & Selandia in magno numero, Frisiam ante dictam intraverunt, & incendiis ac rapinis eam in magna parte devastantes, plures Frisones interfecerunt, & multo plures captivarunt. Sed ipsi Frisones robusti homines existentes, & potius sub Holtzatis quam sub Danis esse volentes, inopinatam incursionem Danorum conglobati pugna grandi exceperunt, & cum eis bellum durum agentes, innumeros Danos gladiis & fustibus suis straverunt, de terra sua tandem eos projicientes, & prædam eorum cum captivis recuperantes. Ulricus Dux de Stargardia ipso die S. Cœnæ ab hac luce subtractus est, Princeps invictissimus. Hic varia bella magnifice & alia facta laude digna gloriose peregit, sed tandem proh dolor! ab intimis suis, ut publica fama personuit, intoxicatus, in doloribus & cruciatibus magnis spiritum efflavit. Conradus Bonowe Presbyter parochialis ecclesiæ Voghedeshaghen & Archidiaconus Swerinensis interfectus est a Deghenero Bugghenhagen armigero nobili propter multiplices suas exorbitationes. Hic licet Sacerdos esset, insignia tamen Presbyterialis honoris vilipendens, armis usus est militaribus pariter & actibus. Unde innumera exercens facta bellica, & in laicalem ex toto degenerans conversationem, tandem exitum accepit juxta demerita sua, & vitam suam inordinatam pessimo fine conclusit. Delphinus Franciæ, qui filiam Wilhelmi Comitis Hollandiæ in uxorem duxerat, & quem dictus Wilhelmus cum adjutorio Philippi Ducis Burgundiæ in Regnum Francorum duxerat anno præcedenti, intoxico periit per procurationem Ducis Aurelianensis, ut vulgabatur, qui tertiogenitum ei præferre laborabat. Vincentius Frater Ordinis Prædicatorum & Doctor Theologiæ, de Regno Arrogoniæ oriundus, officium prædicationis ad instar Apostolorum agens, civitates, castella, urbes, opida & villas circuivit, & populum innumerum congregans in campis prædicavit, ac doctrinas suas variis signis & patentibus miraculis confirmavit. Arguebat enim ipse severissime vitia, & exhortabatur ad virtutes, nulli parcens gradui vel dignitati aut conditioni, emendavitque suis sermonibus multos tyrannos, & emollivit plures induratos. Wilhelmus Comes Hollandiæ & Dux Bayoariæ diem suum clausit extremum, causante mortem suam obstructione tibiæ suæ. Hic quia hæredem masculinum non habuit de se genitum, sed filiam solum, de successione Comitatus plures contenderunt. Dux enim Brabantiæ, qui filiam dicti Wilhelmi Jacobam in uxorem duxerat, licet ei in secundo gradu consangvinitatis attineret, Comitatum illum ex parte uxoris suæ sibi vendicabat. Johannes etiam electus Leodiensis frater dicti Wilhelmi defuncti, quia de latere gladiali erat, Comitatum de jure ad se pertinere asserebat. Propter quod de dicta successione plura orta sunt bella, & populus multus interemtus est. Sed tandem prælibatus Johannes frater Wilhelmi tutariam patriæ sibi violenter acquisivit, & dominium in ea administravit. Adolfus Comes de Clivis & Fredericus Borchgravius de Nurenberg cum magna solennitate provecti sunt per Sigismundum Regem Romanorum in Concilio Constantiensi ad dignitates altiores. Nam de Comite Clivensi factus est Dux, & de Borchgravio factus est Marchio de Brandeburg cum assignatione terræ Marchiæ. Ericus Rex Danorum circa festum Trinitatis intravit mare cum innumeris navibus & populo multo, & in eo per longum temporis spatium perdurans, nulli terræ aut portui applicare tentavit. Propter cujus applicationis prorogationem Holtzati nomen derisorium sibi imponentes, castorem ipsum appellabant, eo quod caudam suam de aquis extrahere formidaret, ut putabant. Sed ipse Rex prudenter & cautulose in hoc egisse videtur. Scivit namque Holtzatorum Principes pauperes esse, & plures habere stipendiarios. Quos si tam diu in suis expensis tenerent, se ipsos exenterarent. Et ideo in mari tam diu se continuit, ut penuria victualium coacti Holtzatorum auxiliatores ab invicem discederent. Venerat namque Holtzatis in auxilium Albertus Dux junior Magnopolensis cum CC. armatis vel paulo pluribus, qui adhuc Regnum Sweorum impetebat hæreditate paterna. Serviebant etiam Holtzatis nobiles & militares de Schowenburg. Quibus simul adunatis interim, quod Rex sic in mari natabat, Holtzati Jutiam prope Vlenzeburg sunt ingressi, & villas plures sunt depopulati, spolia multa abducentes. Adveniente autem festo Divisionis Apostolorum, Rex aquas deserens, aridam petiit, & suo exercitu urbem Sleswicensem circumdans, undique Albertum Ducem Magnopolensem in ea conclusit. Dominica vero die post festum præfatum, Rex opidum Sleswic expugnando obtinuit, & Albertum Ducem ad hoc compulit cum omnibus suis, ut ad ipsum exiret in campum, & gratiam suam humiliter peteret, si vitam obtinere vellet. Rex autem ut clemens Princeps ipsum cum suis in gratiam recepit, sed dictum Albertum Ducem sibi promittere & jurare fecit, quod nec ipse nec sui successores in perpetuum illa tria Regna impetere vel infestare vellent quocunque jure. Audientes autem cives Hammeburgenses Regem Sleswic opidum obtinuisse, misericordia moti super Principum suorum calamitate & desolatione, mox naves parabant, terra marique Dominis suis in auxilium venire accelerabant. Et colligentes pro primo DC. balistarios, versus Gottorp castrum eos præmiserunt, secuturi quantocius cum exercitu armatorum copioso. Quod & statim fecerunt. Percipientes insuper Bernhardus Dux de Brunswic, Wilhelmus Dux de Luneburg, & Otto Comes de Hoya Danos intrasse Holtzatiam, cum exercitu valido Albiam transeuntes, Holtzatis in auxilium venerunt. Et primo inter partes pacem facere tentantes hi Principes, sub salvo conductu præsentiam Regis adierunt, secum ducentes Henricum Ducem de Sleswic. Cumque diutius pro concordia & pace placitando laborassent, nec quid boni concludere potuissent, eo quod utraque pars justitiam pro se allegaret, nec ab ea recedere vellet quovis modo, tandem Principes ab invicem recesserunt hostes permanentes. Tunc Bernhardus Dux de Brunswic cum aliis Principibus, adjunctis sibi Hammeburgensibus cum CC. armatis, habens in universo DC. armatos equites & circiter XXM. peditum castro Konnighesburg applicuit. Sed Dani in occursum Duci venientes cum mille quingentis & eo amplius armatis ac XXXM. peditum, Holtzatos in fugam verterunt, paucis peremtis ex utraque parte. Holtzati vero cum suo exercitu castrum Stubbe vallantes, ipsum expugnaverunt, & XVI. viros in eo capientes, ac plura bona in eo rapientes, ipsum solo æquaverunt. Philippus Dux Burgundiæ magnum aggregans exercitum, urbem Parisiensem obsidione vallavit fretus Anglorum auxilio. Delphinus autem Regni juvenis existens, protunc apud patrem tenebatur. Quem Dux Burgundiæ perimere laborabat, ut sic eo amoto, ipse Regnum adipisci valeret, eo quod Karolus Rex decumbens esset. In hac quidem obsidione Ducis exercitus per dies morabatur multos, urbem expugnare vel capere non valens. In crastino B. Margaretæ Virginis destructum est castrum illud solenne Ytzelsteen nuncupatum super flumen Ysle locatum per cives Trajectenses, qui Domini Wilhelmi de Egmund hostes erant, ad quem dictum castrum pertinebat. Hujus autem Wilhelmi filius Arnoldus factus fuit postea Dux Gelriæ loco junioris Domini de Erkel interfecti, qui hæres fuisset dicti Ducatus. Johannes electus Leodiensis comperta morte fratris sui Wilhelmi Comitis Hollandiæ, ad hæreditatem fraternam

nam aspirabat. Et veniens cum pulcro exercitu in Hollandiam, receptus est pacifice in Dordraco per cives dictæ urbis. Qui mox ei ut vero & legitimo Domino suo homagium fecerunt, & fidelitatem subjectionis promiserunt, licet aliæ civitates & castra Hollandiæ & Selandiæ hoc sibi facere recusarent, sed Jacobæ filiæ Wilhelmi Comitis defuncti loco patris fidelitatem juraverint. Johannes autem licet vir pusillaris esset, negotium tamen suum vigilanter & sagaciter prosequens, plures de parthia opposita astutiis suis in favorem suum traxit pariter & minis. Stante igitur hac dissensione, Walraven de Brero Baro & tutor ac Dux exercitus Dominæ Jacobæ quosdam cives urbis Harlemensis cepit, & in castrum Hagense vinctos perduxit, eo quod ad partem Domini Johannis se transtulissent. Quos communitas Harlemensis volens eripere de captivitate, venit cum duobus milibus ad obsidendum dictum castrum Hagense. Walraven autem Baro hos percipiens, occurrit eis cum LX. armatis, & subito irruens super pavidos & quasi inermes, cepit totam illam multitudinem absque interfectione cujuscunque, & eam duxit secum in Hagam opidum, rediens cum glorioso triumpho. Ericus Rex Danorum Frisiam Egdorensem iterum intrans cum exercitu valido in vigilia Assumtionis Virginis Gloriosæ, igne ac ferro eam vastavit, & infinitam pecudum & jumentorum multitudinem secum abduxit; terram etiam illam de novo sibi subjugavit, eam bonis multis spolians, ac LXXX. potiores Frisones in obsides secum Sleswic deducens. Statim vero post ipso die S. Mauritii Dithmarsi calamitatem dictorum Frisonum augentes in favorem Holtzatorum, cum multo populo terram eandem Frisonicam sunt ingressi, & spoliis ac incendiis enormibus sunt depopulati. Prædam quoque nimiam de jumentis & pecoribus rapientes, incolas ad hominium ipsis faciendum compulerunt. Quo facto exegerunt ab eisdem XXIIIIM. marcarum Lubicensis monetæ. Quibus solvere promittentibus, Dithmarsi simplicibus eorum verbis credere noluerunt, sed ut certior eorum fieret sponsio, potiores Frisonum XXX. secum, ut prius Rex fecerat, abduxerunt. In exercitu autem Dithmarsorum plures erant Frisones, qui de manibus Erici Regis lapsi, cum Dithmarsis habitabant. Quædam extranea & prævie non visa vagabundaque multitudo hominum de orientalibus partibus venit in Alemanniam, perambulans totam illam plagam usque ad regiones maritimas. Fuit etiam in urbibus stagnalibus, incipiens ab urbe Luneburgensi, & perveniens in Prutziam peragravit civitates Hammeburgensem, Lubicensem, Wismariensem, Rostoccensem, Sundensem & Gripeswaldensem. Turmatim autem incedebat, & extra urbes in campis pernoctabat, eo quod furtis nimium vacaret, & in civitatibus comprehendi timeret. Erant autem numero circiter CCC. homines utriusque sexus, demtis parvulis & infantibus, forma turpissimi, nigri ut Tartari, Secanos se nuncupantes. Habebant etiam inter se Principes suos Ducem scilicet & Comitem, qui eos judicabant, & quorum mandatis parebant. Fures autem erant magni, & præcipue mulieres eorum, & plures de eis in diversis locis sunt deprehensi & interfecti. Litteras quoque promotorias Principum & præsertim Sigismundi Regis Romanorum apud se ferebant, propter quas a civitatibus, Principibus, castris, opidis, Episcopis & Prælatis, ad quos declinabant, admissi sunt & humaniter tractati. Eorum autem quidam equitabant; quidam vero pedes (pedites) gradiebantur. Causa autem hujus divagationis eorum & peregrinationis dicebatur fuisse aversio a fide & recidivatio post conversionem suam ad Paganismum. Quam quidem peregrinationem continuare tenebantur ex injuncta eis pœnitentia ab Episcopis suis ad septennium. Henricus Rex Angliæ in Regno Francorum sæviens, per dies multos in eo perduravit, & plura castra, urbes & opida obsedit & expugnavit. Cujus quidem diutinæ perdurationis causa extitit, quod Philippus Dux Burgundiæ, Karolo Regi Francorum rebellans Parisiensem urbem obsederat, favens potius Anglorum Regi, quam proprio suo Principi, faciensque in Regno divisiones & schismata. Ericus Rex Danorum ad preces & instantias civitatum maritimarum treugas iniit cum Henrico Duce de Sleswic, duraturas usque ad proximum festum Johannis Baptistæ sub tali pacto, ut in dicto festo Principes & civitates ad hoc eligendo convenirent Lubeke vel ad alium locum convenientem, & decernerent utriusque partis justitiam; & illi habere deberent autoritatem diffiniendi causas utriusque partis, & quicquid ipsi decernerent & sententiarent, in hoc ambæ partes contentari deberent; & si in casu una illarum partium decreto illorum Principum & civitatum consentire nollet, quod extunc contra illam partem tanquam pacis hostem & discordiæ amicam tota illa universitas Principum & civitatum consurgere deberet, & quantum posset, eam humiliare. Quibus ex utraque parte confirmatis literis & sigillis roboratis, partes ab invicem discesserunt. Vitaliani Holtzatorum in profesto S. Dominici Confessoris deprædati sunt in mari naves Episcoporum Lundensis & Roscildensis, auferentes de eis vasa argentea & alia clenodia pretiosa pro honestate mensarum servientia ceperuntque in eisdem cistas & armaria, variis vestibus suffurratis plena & aliis clenodiis argenteis, quibus milites & militares ac cæteri vasalli Episcoporum se ornare voluissent in curia Regis; nec ad plenum æstimari poterat pretiositas & valor spolii illius. In crastino Apostolorum Simonis & Judæ Comes de Regensteen expeditionem facturus collegit exercitum de nobilioribus militibus & militaribus Ducatus de Brunswic & diœcesium Hildeneshemensis & Halberstadensis, ac de Nobilibus prope Hartonem degentibus. Et vadens contra Episcopum Merseburgensem, intravit fines suos, & spoliavit villas diversas. Cumque in deprædatione prædicta Comes dictus sollicitus esset, Fredericus Marchio Misnensis una cum civibus urbium Liptzensis & Merseburgensis in occursum ei venit, & prœlium cum eo committens, captivavit Comitem ante dictum & milites plures ac nobiles numero fere LX. prope opidum Zorbeke, & duxit omnes captivos secum in castrum & urbem Liptzensem. Post aliquot tamen dies licentiavit milites & militares cæterosque captivos super fide præstita, sed Comitem captivum tenuit ad magnum tempus. Concilium Constantiense diutinis jam laboribus & expensis gravissimis fatigatum pro sacra unione Ecclesiæ Dei facienda, licet diebus multis indefesse laborans, de capite Ecclesiæ concordare non valuerit propter diversarum nationum varias altercationes & dissensiones huc usque habitas, tamen pronunc Dei gratia favente sedatis contentionibus, concordavit in quosdam in certo numero constituendos, qui una cum Cardinalibus Conclave ingrediantur, & Papam eligant idoneum Ecclesiæ universali utilem & proficuum. Ingressi ergo sunt conclave Domini Cardinales, ad quos specialiter spectabat electio Papæ, quibus juncti sunt de nationibus Prælati in certo numero, quorum nomina inferius ponentur, & clausum est conclave super ingressos, ne exiret unus eorum ante electionem completam. Qui autem ingressi sunt pro electione facienda, fuerunt hi: Cardinales electores, Johannes Ostiensis & Vicecancellarius Romanæ Ecclesiæ, Jordanus Albanensis, Antonius Bononiensis, Angelus Panestrinus, de Ursinis, Laudensis, Petrus Salviensis Cardinales Episcopi; Franciscus Venetiarum, Johannes Ragusinus, Johannes Aquilinensis, Gabriel Cenensis, Angelus Veronensis, Almanus Pisanus, Gwilricus S. Marci,

Thomas

Digitized by Google

Thomas Tritarisensis, Simon Pemensis, Branda Placentinus, Petrus Cameracensis, Petrus de Fuxo, Antonius de Selanco Cardinales Presbyteri; Amodeus Salutiarum, Renoldus de Brancasiis, Lodowicus de Flisco, Oddo de Columnis, Lucidus de Comitibus Cardinales Diaconi. Nomina autem Prælatorum & Magistrorum Cardinalibus adjunctorum sunt hi: De natione Italica, Archiepiscopus Mediolanensis, Episcopus Melfrensis, Generalis Fratrum Prædicatorum, Pandolfus de Malatestis, Jacobus de Tamplo. De natione Gallicana, Patriarcha Constantinopolitanus, Archiepiscopus Thuronensis, Archiepiscopus Bithuricensis, Episcopus Gebennensis, Abbas Cluniacensis, Prior Rhodi. De natione Germanica Archiepiscopus Gnesensis, Archiepiscopus Rigensis, Episcopus Traguriensis, Nicolaus Dinckelspon Magister in Theologia, Conradus de Sozato Magister in Theologia, Lambertus de Stipite Doctor Decretorum. De natione Hispanica, Episcopus Conoënsis, Episcopus Pastensis, Episcopus Aquensis, Philippus de Medalia Magister in Theologia, Vallascus Perri, Ambasiator Regis Portugalliæ, Gundisalvus Garciæ Doctor utriusque juris. De natione Anglicana, Episcopus Londoniensis, Episcopus Bathoniensis, Episcopus Norwicensis, Episcopus Litifeldensis, Abbas Eboracensis & Thomas Cancellarius Regis Decanusque Eboracensis. Omnes isti electores in Conclavi constituti, invocata primum Spiritus Sancti gratia, a quo corda fidelium diriguntur, unanimiter & concorditer elegerunt in unicum Pastorem & Summum Pontificem Dominum Oddonem de Columnis.

De Martino V. PP. CCXVI.

Martinus Papa, natione Romanus, sedit annis XIIII. prius dictus Oddo, Cardinalis Diaconus extitit, & electus est in Papam in Concilio Constantiensi ab electoribus supra expressatis, & consecratus in die S. Martini Episcopi, & idcirco Martinus dici voluit & nominari. Concilium autem istud tribus annis & VII. hebdomadibus celebratum est in loco supra dicto, & multa sunt in eo statuta & innovata, & in scriptis redacta, sed non sunt in sequentibus Synodis confirmata & ratificata, puta Papiensi & Cenensi. Mansit autem Martinus Papa post suam coronationem in Constantia usque ad proximum festum Paschæ, tractans interim in eodem Concilio cum Prælatis de Reformatione Ecclesiæ Dei quoad singulos status Clericorum & Religiosorum. Qua reformatione concepta & in scriptis redacta, ulterius disputatum est de tempore & loco Concilii futuri, in quo incepta reformatio perficeretur, & ad effectum debitum perduceretur. Et positum est futurum generale Concilium ad quinquennium celebrandum in Papia. Dominus de Erkel junior, patre suo adhuc in captivitate Comitis Hollandiæ tento in Golda, ad se convocans meliores totius Ducatus Gelriæ, exercitum duxit; & veniens, obsidione vallavit Gorkem opidum, & expugnans ipsum, compulit opidanos ad deditionem. Quod ut Walraven Baro cognovisset, adunavit & ipse exercitum fortem de Hollandrinis & civibus urbis Trajectensis, & accessit dictum opidum Gorkem jam captum per Dominum de Erkel, & ipsum reexpugnavit & cepit. Quibus introeuntibus in opidum, interfectus est Walraven Baro & Capitaneus Dominæ Jacobæ, & Dominus de Erkel similiter interemtus est. Occubuerunt insuper ibidem nobiliores viri de Gelria, & de Hollandrinis interfecti sunt circiter duo millia armatorum, ipsis tamen Trajectensibus opidum obtinentibus & victores existentibus. Totus autem exercitus Domini de Erkel collectus fuerat Duce Gelriæ ignorante, cujus verus successor Dominus de Erkel fuisset & hæres ad Ducatum Gelriæ.

Quinto anno Sigismundi, qui est Dn. MCCCCXVIII. Comes Sabaudiæ factus est Dux in Concilio Constantiensi per Sigismundum Regem Romanorum. Urbs Parisiensis Regni Francorum capta est ab exercitu Philippi Ducis Burgundiæ in die S. Barnabæ Apostoli, ipso Duce in Basilea apud Sigismundum Romanorum Regem existente & ignorante; & interfecti sunt in ipsa civitate viri innumeri & mulieres urbem defendere satagentes. Hæc autem lamentabilis perditio urbis hujus regalis originem habuit ex parthia execrabili civium & bello intestino. Nam una pars civitatis Duci favebat Burgundiæ, & altera hærebat Comiti de Armiaco, qui intra urbem existens vices Regis insanientis & valde infirmantis gerebat, Delphino adhuc juvene existente. Hic Comes cum partem Ducis cerneret validiorem sua parte & fortiorem, & de die in diem invalescere obsidionem, Henrico Regi Angliæ, qui protunc cum magno exercitu in Francia sæviebat, nuncium misit, ut statuto tempore in loco ad hoc disposito urbem accederet, quia ipse eam sibi ad capiendum tradere vellet. Quam impositionem Comitis cum alia pars civium perciperet, cautulose tempus & horam ingressus Regis prævenit. Nam mox missis nunciis ad Ducis exercitum in obsidione laborantem, ipsum accersivit, & ut nullo modo tardaret ad capiendam civitatem supplicavit, quia ipsam in manus suas tradere vellet, ne ab Anglicis caperetur, pro quibus jam dispositum esset & missum per oppositam partem. Exercitus ergo Philippi factum intelligens, acceleravit, & urbi appropinquans hora noctis designata eam ingreditur, ac fretus auxilio carnificum & aliorum civium partem Ducis foventium, urbem ipsam obtinuit, & omnem hominem adversarium interfecit indifferenter, Comitem vero de Armiaco captivantes, ex industria reservavit, ut thesaurum Regis sibi proderet. Sed eo hoc facere recusante, exercitus ipsum occidit, & inhumatum in publica platea jacere per triduum permisit. Interfectus est autem illo die Doctorum, Scholarium & Magistrorum numerus magnus cum aliquibus Episcopis & Prælatis pluribus, eo quod præcedenti anno in Constantiensi Concilio ipsum Ducem graviter infamassent, & plura enormia contra ipsum deposuissent in publico Consistorio. Ex hac, inquam, insurrectione & Magistrorum interfectione ac Studentium, universitas excidium passa est & dissipata, & cæteri Magistri & Scholares ad diversa alia Studii loca se transtulerunt. S. Richardus Archiepiscopus Eboracensis Catalogo Sanctorum Martyrum est ascriptus. Hic Sanctus vir innocenter & sub fide præstita interfectus est per Henricum Ducem Walliæ, filium Henrici Regis Angliæ hoc modo: Rex enim Henricus sæviens in Clerum & Religiosos, plures Episcopos, Prælatos, Religiosos & etiam Principes cum interfici fecisset propter suspicionem traditionis, quam de eis conceperat sinistre informatus, simile malum & de Sancto isto Archiepiscopo suspicabatur. Unde mittens pro Henrico filio suo Duce Walliæ, jussit ei, ut dictum Episcopum de medio tolleret. Henricus autem tyrannico patris præcepto annuens, Eboracensem urbem accessit, & Richardum Archiepiscopum ad se extra civitatem accersi fecit. Quem venientem absque ulla audientia mox decapitari in campo jussit. Cujus sanctissimi viri innocentem necem Dominus Jesus ostendere volens, miraculis & signis evidentissimis ipsum clarere fecit. Nam in ipsa decollationis hora turris majoris ecclesiæ corruit, ecclesiam tamen ipsam non lædendo, nec cuiquam nocendo. Insuper Henricus Rex, qui hujusmodi interfectionem fieri mandaverat, in ipso ictu detruncationis mox lepra percussus est, & non diu post defunctus. De hoc Sancto Martyre stupendum quiddam recitatur a veridis prodigium. Eo enim interfecto, mox Deus varia signa erga sepulcrum suum visitantes causa devotionis operari dignatus est. Quæ signa fieri & videntes & audientes homines utriusque sexus, ipsum Sanctum Martyrem pro justitia mactatum venerari cœperunt, & plures imagines, brachia, pedes, capita, cæteraque membra humana juxta diversitatem miraculorum & infirmitatum fugatarum homines ipsi de cera formantes ad sepulcrum ipsius detulerunt pariter & obtulerunt. Quod intelligens Henricus interfector ejus, nec honorem hunc fieri viro Dei sustinere valens,

trabes

Digitized by Google

trabes grandes, quas vix XX. vel plures viri fortes ferre poterant, supra sepulcrum S. Richardi poni jussit, & ipsum eisdem operiri, ne amplius accedere quis valeret. Sed quid actum est? Anachorita quidam divino instinctu admonitus in die quadam accessit dictum sepulcrum, & pluribus videntibus trabes illas ponderosissimas successive sine omni difficultate quasi perticas leves sustulit & asportavit. Quo miraculo vulgato, & in veritate comperto, nec Rex nec filius ejus amplius ausi sunt dictum Sanctum molestare. Ericus Rex Danorum cum suis ex parte una, & Henricus Dux de Sleswic ac Henricus Comes Holtzatorum parte ex altera, una cum nunciis civitatum maritimarum, prout supra patuit anno præcedenti, diem unam determinatam ad placitandum & ad decernendum de utriusque partis justitia ac de sedanda lite inter eas pendente statuerant, quæ fuit dies S. Johannis protunc proxime futura. In quo die se obligaverant ambæ partes cum suis conventuras sub amissionis juris sui pœna. Sed statuto die adveniente, licet in magnis expensis prædicti Domini de Holtzatia cum suis Principibus arbitratis & arbitris causæ pendentis ad hoc vocatis adessent, & loco prædiffinito se personaliter præsentassent, præsentibus etiam plurium civitatum Consularibus etiam similiter ad hunc diem placitorum vocatis & rogatis, Rex ipse Danorum minime comparuit, nec fidem datam servavit. Propter quod præfati Dux & Comes tam Principibus & Nobilibus præsentibus quam etiam civitatibus humiliter supplicarunt, ut illam absentiam & contumaciam Regis ita seriose ad profectum eorum converterent, & juri suo suffragari facerent, sicut procul dubio fecissent pro Rege, si ipsi præsenti congregationi se absentassent, & diem illum laudatum non observassent. Quo contra Ericus Krummedik miles & alii, qui de parte Regis ibidem missi fuerant, excusare Regem nitebantur, dicentes ipsum legitime fuisse impeditum propter venti contrarietatem. Sed quia excusatio illa frivola fulcimentum veritatis non habebat, eo quod & ipsi prosperitate venti usi ad locum illum de eisdem partibus incolumes venissent, idcirco Principes, qui ibidem convenerant, puta Wilhelmus Dux de Luneburg & Adolfus Comes de Schowenburg, in quos prædicti Henricus Dux de Sleswic & Henricus Comes Holtzatorum arbitrati fuerant, indignati ad propria sunt reversi. Similiter & civitatum nuncii, qui in gravibus expensis viam illam fecerant, Lubeke sunt regressi, frustrati spe bona & proposito suo. Stipendiarii urbis Sundensis conducti ad hoc, ut piratas & raptores maris mercatores damnificantes debellarent, per se ipsos pelago infesti, deprædati sunt quosdam cives propriæ urbis, ac multos alios negotiatores spoliaverunt. Quorum fraudem & malitiam cives Sundenses percipientes per relationes & querelas eorum, qui bonis suis privati per eosdem, manus suas evaserant, captivaverunt ex ipsis stipendiariis XVI. quorum capitaneus & ductor Lintstowe cognominabatur, aliis fuga elapsis. Et comperta veritate rei gestæ, omnes illos decapitaverunt, solum prædictum Lintstowen tanquam propriæ civitatis traditorem, & propter jusjurandum, quod fecerat civitati, rotantes, & rotatum ut perjurum patibulo appendentes. Civitates de ansa vel hansa evocatæ ad colloquium generale per Lubicenses, convenerunt in eandem urbem. Nomina autem civitatum, quæ ibidem convenerunt, sunt hæc: Coloniensis, Magdeburgensis, Brunswicensis, Hammeburgensis, Rostoccensis, Hildenshemensis, Halberstadensis, Goslariensis, Bremensis, Osnaburgensis, Sozatiensis, Monasteriensis, Tremoniensis, Rigensis, Darbatensis, Revaliensis, Luneburgensis, Stetinensis, Sundensis, Wismariensis, Gripeswaldensis, Colbergensis, Godlandensis, Elbiensis, Thoronensis, Davantriensis, Stendalensis, Swullensis, Campensis, Soltwedelensis, Honnoverensis, Stadensis, Kilensis, Rugenwoldensis, Gotingensis, Dordracensis, Harlemensis, Amsterdamensis, Anklemensis, Myndensis, Buxtehudensis, Sutphaniensis, Novimagiensis, Wesaliensis & Harderwicensis. Harum civitatum nuncii præsentes in civitate Lubicensi cœperunt tractare negotia, utilitatem boni communis & mercantiæ concernentia. Miserunt etiam quosdam de suis collegis & sociis ad Ericum Regem Danorum ipso die Divisionis Apostolorum pro investiganda causa, quare dictus Rex nuper ad diem placitorum per ipsum constitutum non venisset, & cur tot solennes personas ad tanta discrimina & expensas inutiles traxisset. Et hæc quidem missio fiebat ad petitionem Henrici Ducis de Sleswic. Materia autem in præsenti convocatione tractata & tandem conclusa in articulos speciales redacta est, & scripto publico civitatibus cunctis Ansæ transmissa, quorum articulorum hic fuit ordo & numerus. Primus

I. Nullus civis amplius facere debet quamcunque suorum concivium convocationem, congregationem aut conventionem aut commotionem concitare in communitate, vel parthias suscitare contra suum Consulatum sub pœna privationis vitæ, quam incurrere debet ipso facto.

II. Si inposterum aliquis de Consulatu cujuscunque civitatis, vel pars Consulatus per communitatem deponeretur violenter, illa civitas ipso facto privata esse deberet civitatum aliarum de Ansa consortio & auxilio, nec amplius gaudere deberet privilegiis & libertatibus earundem, donec delictum suum emendaret, omnia ad pristina reducendo.

III. Si alicujus civitatis Consulatus per suam communitatem privaretur violenter aliquo, quod ad ipsius honestatem & autoritatem consuetam pertineret, illius civitatis Consules nullibi admitti deberent ad concilia & tractatus aliarum civitatum de Hansa; & si illa communitas non emendaret delictum suum, de ipsa Ansa secludi deberet in pœnam.

IV. Nullus sive sit civis hospes habens negotiari coram Consulatu civitatis, secum amplius ducat plures quam sex; si autem adduxerit plures, totiens duas marcas argenti puri solvet, quot fuerint personæ super numerum taxatum adductæ.

V. Nullus gaudere debet privilegiis & libertatibus mercatorum, nisi sit civis alicujus civitatis de Ansa; nec debet quiscunque effici civis duarum civitatum simul, nec esse caput mercatorum, quod vulgariter Olderman dicitur, nisi civis sit alicujus urbis de Ansa.

VI. Quicunque mutuo acceperit pecuniam ab aliquo in una civitate, & non persolvendo eam, intraverit aliam urbem ad manendum ibidem, non debet recipi ab illa civitate in securitatem, id est leyde; & si assecuratus fuerit ex ignorantia, in nullo sibi suffragari debet.

VII. Nullus emere debet pannum unius terræ vel civitatis nondum tinctum aut coloratum, & ipsum transferre ad colorandum in aliam terram vel civitatem, sed ubi emtus fuerit pannus, ibi & colorandus est sub pœna privationis ejusdem panni.

IIX. Nullus civis vel hospes debet segregare pecuniam vel monetam magis ponderosam vel meliorem a minus bona vel minus ponderante propter lucrum suum; qui autem hoc fecerit & deprehensus fuerit, expelli debet de civitatibus cunctis Hansæ, nec alicubi pati debet ad manendum.

IX. Nullus monetarius conflare debet monetam auream vel argenteam alicujus Principis vel civitatis ad faciendum monetam alterius civitatis sub pœna privationis bonorum illorum.

X. Nullus monetarius conflare debet monetam suam, quam ipse fecit, aut illarum civitatum, cum quibus concordat in pondere auri vel argenti monetando, sub pœna solutionis centum marcarum monetæ Lubicensis.

XI. Nemo aurifabrorum conflare debet pecuniam monetatam in sua fornace sub pœna perjurii.

XII. Non debet quiscunque mercator vel nauta emere bladum vel frumentum, antequam crescat, vel alleca (halecem) strumulum aut capturam ejus aut pannum,

num, antequam fiat. Si autem oppositum factum fuerit, tunc venditor dabit civitati suæ X. marcas, & emtor privabitur bonis emtis in pœnam.

XIII. Nullus nauclerus aut mercator debet onustare navem blado aut frumento, & ducere per portas Norsund aut Beltsund, aut per Albiam vel Wyseram, nisi de civitatibus de Ansa sub pœna privationis bonorum suorum.

XIV. Nullus laicus consignare debet personis Ecclesiasticis debita sua activa ad monendum, sed debet ea se monere & extorquere a suis debitoribus per jus civile, dummodo justitiæ complementum a suo civili judice habere poterit, sub pœna expulsionis de omnibus civitatibus de Ansa.

XV. Nullus vendere debet arma vel victualia piratis, raptoribus aut latronibus sub pœna privationis vitæ.

XVI. Si aliqua navis periclitata fuerit in mari, extunc naucleri obligantur ad fideliter laborandum pro conservatione bonorum mercatorum, & pro illo labore debent remunerari competenter.

XVII. Nautæ ducentes blada vel frumentum, debent esse obligati ad refrigerandum illa pro sua necessitate, ne corrumpantur, & pro illo labore debent specialiter pretiari.

XIIX. Nullus nauta debet navem suam ultra metam onustare sub pœna refusionis damni; & si in casu nullum sequeretur damnum, æque bene nauta ille pretium suum amittere debet & naulo privari in pœnam.

XIX. Siqui piratis & raptoribus maris bona mercatorum per eos deprædata violenter abstulerint, mediam partem bonorum illorum sic ablatorum ipsi retinebunt & residuam partem mercatoribus spoliatis restituere tenebuntur: Si autem per naves a civitatibus de Ansa ad protectionem maris missas hoc factum fuerit, tunc bona illa integraliter restitui debent illis, quibus ablata fuerunt.

XX. Nullus sub pœna privationis vitæ emere debet bona per piratas vel vitalianos rapta, aut in mari per naufragium aut periclitationem aliam amissa, aut ab alio inventa & detenta violenter.

XXI. Nullus nauta post festum S. Martini navigare de quibuscunque partibus, aut recedere de loco, ubi hyemavit, ante festum Cathedræ S. Petri, navibus cerevisia vel halecibus onustis duntaxat exceptis. Illæ enim naves, si post festum S. Nicolai onustarentur, ad portum suum transire possent, si valerent, & etiam statim post festum Purificationis recedere a portu, ubi hyemassent, cum licentia possent.

XXII. Si naucleri & familia nautarum in periculis & necessitatibus maris non juverint fideliter dominos suos ad conservationem bonorum in navibus contentorum, aut recesserint pertinaciter a suis nautis in tali necessitate, illi mox turribus & vinculis mancipari debebunt, cum ad portum pervenerint, & puniri in pane & aqua per quindenam.

Ultra hos Articulos plura alia ibidem statuta fuerunt, quæ quasdam particulares concernebant civitates, quæ præsentibus annotare obmisi gratia brevitatis. Civitatibus igitur in compositione & ordinatione articulorum tactorum occupatis, nuncii ad Ericum Regem Danorum missi in causa Holtzatorum sunt reversi in die S. Jacobi Apostoli, & relationem fecerunt de legitima excusatione Regis prædicti, dicentes ipsum fuisse impeditum rationabiliter, & ideo merito fore excusandum. Nam idem Rex tempore debito & loco congruo navem ascenderat ad transfretandum, sed disfortunio interveniente per rupturam navis, ipsum retrocedere oportebat. Quo sic navem exeunte & recedente, prosperitas venti in adversum & contrarium ventum versa est. Hac quidem excusatione recitata, paucissimi de civitatibus, imo nec Principes Holtzatorum pro sufficienti & ratiocinabili impedimento ipsam admiserunt vel acceptarunt. Dux Brabantiæ, qui Jacobam filiam Wilhelmi Comitis Hollandiæ defuncti in uxorem duxerat, Dordracum urbem Hollandiæ obsidione vallavit, ut sic Comitatum Hollandiæ ex captura civitatis illius sibi acquirere valeret, quem jure hæreditario ex parte uxoris suæ sibi vendicare nitebatur. Johannes vero frater dicti Wilhelmi Comitis, qui eundem Comitatum ad se pertinere juste asserebat, pro eo quod jure Imperiali mulier hæres patriæ esse non posset, in ipsa urbe per Ducem obsessa cum pluribus erat armatis. Opidum etiam Brile terræ Selandiæ, quod solum inter omnes civitates Comitatus cum urbe Dordraco Johanni homagium fecerat, tempore obsidionis illius piratas plures conducebat, & cum eis Oceanum pelagus hostiliter infestabat, nulli navi transitum permittens vel in Flandriam aut in Angliam securum. Cumque fere sex hebdomadæ transissent in obsidione prædicta, cives Dordracenses una cum supra dicto Johanne intelligentes, se multos habere fautores in exercitu Ducis, unanimiter urbem exierunt, & viriliter invadentes exercitum Brabantinorum, ipsum fugere coëgerunt, plures de eo interficientes, & multos captivantes de Nobilibus & militaribus. Quo fugato, urbem suam cum triumpho sunt ingressi. Ordo S. Brigittæ viduæ confirmatur per Martinum Papam, cujus Ordinis Fratribus & Sororibus in prædictæ confirmationis litera ab eodem Papa datur forma habitus & regula vivendi. Martinus Papa revocavit generaliter omnes indulgentias ad instar a temporibus Gregorii XI. promittens se velle cavere in futurum de nimia effusione consimilium indulgentiarum. Johannes Walrode Archiepiscopus Rigensis transfertur ad Ecclesiam Leodiensem, Johanne ejusdem Ecclesiæ electo facto tutore Hollandiæ. Johannes autem Habundi factus est Ecclesiæ Rigensis Archiepiscopus. Sed præfatus Johannes Walrode ad Ecclesiam Leodiensem veniens, a Leodiensibus eodem anno est expeditus per intoxicum, ut fama asseruit publica; cui defuncto successit filius Domini de Hynsberg. Communitas urbis Vratislaviensis Regni Poloniæ, ad instar multarum civitatum tyrannice agentium, jam duduum suum deposuerant Consulatum propter nimia debita per eos, ut vulgo videbatur, irrationabiliter contracta, & de anno in annum semper inantea novum Consulatum instituerant usque in præsentiarum antiquos removendo, ut sic forte omnes successive consulari valerent. Cumque præsenti anno Consulatus jam electus debita antecessorum suorum exacte considerarret, & ea rationabiliter a justis & necessariis causis contracta inveniret, judicavit ea de bonis communitatis non immerito fore solvenda. Et ut hoc commodosius fieret, statuit certam pecuniæ summam solvi debere a civibus secundum exigentiam facultatis cujuslibet. Quod ut communitas audivit, mox furore accensa, diabolicam conspirationem iniit, & prædictum Consulatum invadendo armata manu crudeliter trucidavit. Et iterum novum Consulatum creans, in peremtorum locum posuit. Quod quidem detestabile latrocinium percipiens Sigismundus Rex Romanorum, in urbem prædictam venit, judicaturus de sanguine innocentes effuso, eo quod urbs prædicta ad Romanum pertineat Imperium. Ubi cum venisset, lacrymis & fletibus fœminarum relictarum interfectorum Consulum motus ad faciendum eis justitiæ complementum, omnes facti illius conscios vocavit ad consistorium civitatis, & eos inibi reclusit. Secunda vero feria post Reminiscere captivos illos educi jussit, & ipsos in foro civitatis decapitari fecit numero XXVI. cæteros vero, qui fugam ceperant, banno imperiali proscripsit, & perpetuo exilio condemnavit cum uxoribus & liberis suis, bona ipsorum fisco civitatis applicando. Quo facto, novum Consulatum instituit secundum morem antiquum dictæ urbis, & eam ad pristinum statum reduxit. Erphordiæ quidam Judæus crematus est per Johannem de Nassowe Provisorem Archiepiscopi Moguntini circa festum Johannis Baptistæ. Hic vilissimus Judæus antecedenter tribus vicibus se baptizari fecerat, & jam quarta vice sacro fonte se renasci velle finxerat, allectus pecunia & dona-

donariis, quæ inde sibi proveniebant a patrinis & matrinis. Boleslaus Rex Poloniæ tot Turcos utriusque sexus fecit baptizari, ut singulis singula nomina imponere non valens ob multitudinem renascentium, cunctis masculis uniusvillæ tantum unum nomen daret, & similiter omnibus fœmellis ejusdem villæ unum nomen imposuit. Piratæ per Wyseram ascendentes Vredeburg castrum expugnaverunt, & in eo quendam Arnoldum Consulem urbis Bremensis captum interfecerunt. Quod cives dictæ civitatis percipientes exierunt in fortitudine magna, & castrum ipsum cum adjutorio quorundam Frisonum expugnantes ceperunt, & XLII. tam de Frisonibus quam de Vitalianis in eo comprehendentes secum Bremam duxerunt, & capitibus privaverunt eos interficientes.

Sexto anno Sigismundi, qui est DN. MCCCCXIX. Dominus Archiepiscopus Treverensis obiit, in cujus sedem electus est Otto Præpositus ejusdem Ecclesiæ natus Comes de Zegenhagen, vir magnæ prudentiæ & probitatis. Hic confirmatus in Archiepiscopum, omnes Judæos de sua provincia expulit, magis eorum exhorrens malitias, quibus suam diœcesim macularent, quam ponderans lucrum vel commodum, quod ex eis habere potuisset; bona vero eorum omnia confiscavit restituens cuilibet Judæo XXX. denarios, in memoriam venditionis Christi pariter & vindictam; reddidit etiam pignora circa eos inventa omnibus debitoribus eorum, quæ ipsi pro mutuis a Christianis acceperant, postulans ab eisdem debitoribus solam summam a Judæis eis concessam. Martinus Papa a loco Concilii recedens, viam suam versus Gebennam direxit, ubi aliquamdiu moram faciens, sed propter victualium inopiam inde se transferens, Mantuam urbem adiit, hyemale tempus inibi pro quiete sua acturus. Quo expleto, inde recessit, & in Florentiam civitatem magnam secessit, pro commodo suo ibidem eligens Conventum Fratrum Prædicatorum latum & spatiosum. Dux Mediolanensis Margaretam uxorem suam mulierem devotam suspectam tenens de adulterio decollari fecit. Hoc autem crimen falso sibi imponens, occasionem sumsit eam interficiendi, eo quod militaris esset, & non de generoso sanguine orta. Acceperat enim eam jam provectæ ætatis & annosam propter castra & civitates, quæ ad eam pertinebant, & multam pecuniam, quam habebat, quibus ipsum quasi de stercoribus erexerat; sed pro suis beneficiis tam male eam remunerabat. Prope opidum Blomenberg terræ Saxoniæ quidam latrunculi in nemore latitantes captivaverunt juvenculam cum scholari juvene, exeuntes de Padelburna urbe Westphaliæ. Quos dicti latrones ad interiora sylvæ trahentes, scholarem illum mox interfecerunt, sed puellam libidini suæ reservantes, sortem dederunt, quis eorum eam primo violaret. Cum autem ille, super quem sors ceciderat, eam stuprasset, communicavit eam aliis sociis. Qui cum malitias suas cum ea exercuissent, arripuit eam primus violator, & dixit ad eam: Ostende mihi pecuniam apud te absconsam, aliter morieris in momento. Quæ mox prodidit sibi aureos in comis capitis conditos. Quibus receptis, dixit latro: Nunc te oportet mori, ne nos prodas. Quæ statim super collum viri ruens, lacrymosis precibus ait: Noli interficere me frater mi carissime, sed veni mecum & tanta bona tibi dabo, quod quamdiu vixeris, satis habebis, & ego uxor tua ero. Respondit latro: Diligis me in tantum carissima soror? Vere, inquit illa, ita te diligo sicut fratrem carnalem. Tunc scelerosus ille homo ait: Amplectere ergo me bona uxor, & osculum mihi præbe. Quod cum illa non amore, sed potius timore mortis ducta faceret, ille pugionem extractum in latus ejus fixit, & eam a se projecit exspirantem. Hæc omnia non diu post comprehensi & rotati confessi fuerunt se fecisse. Husitæ hæretici in urbe Pragensi de fidelibus se vindicare volentes, & mortem Magistri eorum Johannis Hus & Jeronymi ejus discipuli in ipsos retorquere satagentes, conglobati ad Monasterium Carthusiense cucurrerunt, & ipsum funditus evertentes, plures de Monachis trucidarunt. Similiter & aliorum Religiosorum Conventus invadentes spoliarunt, & pro majori parte ipsos dejicientes, Religiosos omnes fugaverunt, plures eorum occidentes. Monasteria quoque Monialium subverterunt, nonnullis virginibus violatis & turpiter tractatis. Sacerdotes vero de eorum secta non existentes de urbe expulerunt, ecclesias destruxerunt, imagines Sanctorum combusserunt, Reliquias Sanctorum pedibus nefandis conculcarunt, & Christo Domino in suo Sacramento & Sanctis suis multiplices blasphemias intulerunt. Anglici expugnantes Rothomagum urbem opulentam, in ea plures Religiosos interfecerunt Karolo Regi Francorum fideles, & præsertim, ut famatur, plures Fratres de Ordine Prædicatorum, quorum coram Deo mors pretiosa est, eo quod pro justitia certantes & pro Regis fidelitate occubuerunt. Ditlevus Episcopus Razeburgensis obiit, in cujus sedem electus est Johannes de Krempa, vir simplex sed astutus in temporalibus. Dominus & Frater Johannes Dominici Cardinalis Ragusinus Frater Ordinis Prædicatorum obiit in Moravia. Hic missus fuit a Papa Martino ad prædicandam crucem contra Husitas Regni Bohemiæ hæreticos. Karolus Delphinus Franciæ & Philippus Dux Burgundiæ amicitiam & concordiam contrahere volentes, statuerunt diem placitorum, secundum Chronicam Francorum; & pro firmiori contractu inter eos fiendo convenerunt in hoc, quod interim quilibet eorum se disponeret jejuniis & orationibus congruis ad receptionem devotam Dominici Sacramenti, in evidentius signum fidei faciendæ & amicitiæ reparandæ ac submotionis omnis doli & fictionis. Quo die statuto veniente, qui erat Sanctorum Martyrum Mauritii & sociorum ejus, præfati Principes loco ad hoc præfixo se præsentaverunt, & dispositi ad Sacram communionem, Dominicum Corpus Sacrosanctum sumserunt hoc modo: Sacerdos enim ad imperium Philippi Ducis Sacram hostiam divisit in duas partes, & cuilibet Principi unam partem hostiæ ministravit, in signum unitatis & pacis perpetuæ inter eos conservandæ. Sumto igitur Dominici Corporis Sacramento, Principes hi optime, ut putabatur, pacificati & concordati, ab invicem discesserunt, & sibi ut amici valedixerunt. Post hoc paucis diebus transactis, Karolus Delphinus Franciæ Philippo Duci Burgundiæ significavit amicabiliter, ut ad se venire dignaretur, quia tractaturi insimul essent de negotiis Regni. Dux autem dolum minime suspicans propter Sacramenta præstita, assensum veniendi dedit nuncio, licet a suis incautaretur, ne ad plenum de eo confideret. Quibus se præavisantibus respondit: Non potero salubrius & gloriosius mori, quam in tali fide sumta & præstita. Veniens ergo ad castrum, ubi Delphinus sibi constituerat veniendum, & ubi sibi insidias paraverat, intromissus est cum paucis Nobilibus, & pons castri post ipsum elevatus est & firmatus. Cumque Dux ipse de fide securus colloquia amicabilia cum Principe Francorum se habiturum crederet, verba in medium proponuntur contumeliosa & rixæ suscitativa. Dux vero intelligens se traditum, modeste ad omnia respondere cœpit. Sed talibus verbis suis lenibus non obstantibus, quidam civis Parisiensis Capitaneus castri illius insultum faciens in Principem, pugione suo caput Ducis sauciavit. Tunc demum cæteri gladios extrahentes, ipsum Ducem cum omnibus secum intromissis Nobilibus trucidaverunt, reddentes sibi vicem pro interfectione Ducis Aurelianensis, qui ab ipso Duce juxta famam publicam etiam traditorie & in bona & præstita fide interfectus fuerat. Fundabat enim se Karolus Delphinus super illo versu Metristæ:

Frangenti fidem fides frangatur eidem;

& super doctrina Ewangelica: Eadem mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis. Cujus necem cum cæteri

cæteri Nobiles, qui in suburbio remanserant, percepissent, ad propria in magnis doloribus sunt reversi. Rudolfus Dux Saxoniæ de Wittenberg, missus a Sigismundo Rege Romanorum ad Bohemos, ut ipsos ad obedientiam reduceret exhortationibus salutaribus, si posset, ab eisdem malitiose interfectus est veneno propinato. Johannes de Nassowe Archiepiscopus Moguntinus obiit circa festum S. Michaelis, in cujus sedem electus est Comes Rheni ex quadam dignitate sic dictus. Dominus Balthasar olim Johannes XXIII. PP. sed nunc a Papatu ejectus, & diutina captivitate afflictus, libertati est restitutus de gratia Domini Martini Papæ & Sigismundi Regis Romanorum, & assignatus est Episcopo Lubicensi ad ducendum in Florentiam sub salvo conductu Principum, & ad præsentandum præsentiæ Papæ. Cum autem Balthazar esset in via, & duceretur sub custodia diligenti Episcopi Lubicensis & aliorum de comitiva sua, percepit, quod ad castrum sororis Papæ deduci deberet, & in eo incarcerari, consveta astutia usus practicavit in ipsa via, quod pro quadam pecunia satis magna tradita est ei possessio cujusdam castri fortissimi deprope jacentis. Quo castro in dominium suum recepto, lætus valde, comitivæ suæ, quæ ipsum ducebat & ducendo custodiebat, solennem fecit cœnam, & multum vinum sibi propinavit. Qui fortiter bibentes facti sunt læti, biberuntque tam egregie, quod ad stratum deducti, profundissimo sunt depressi & gravati somno. Quibus dormitantibus, ipse Balthazar surgens, equum suum stravit, & ipsum ascendens, opidum, in quo hospitatus fuerat, egressus est, prævia dispositione per ipsum facta de portæ reseratione, & accelerando per viam cum famulo uno ductore conducto, ad castrum illud, cujus possessionem sibi acquisierat, pervenit. Facto autem mane, Episcopus Lubicensis & cæteri, in quorum custodia Balthazar fuerat, intelligentes ipsum elapsum esse de manibus suis, satis turbati sunt; & ad castrum, ad quod fugerat, festinantes, cum eo tantum effecerunt promissionibus & juramentis fidelitatis sibi præstitis de securitate vitæ & libertate omnimoda, quod cum eisdem iter inceptum repetiit, procedendo ultra cum eis versus Florentiam, & ibidem etiam cum eis perveniendo. Cum vero civitati appropinquarent, jussit, ut vel ipsi præcederent urbem intrando sine eo, vel ut ipsi subsisterent, & ipse eos solus cum famulo præcederet, quia omnino liber civitatem ingredi vellet, & omnino liber ad præsentiam Papæ venire. Quod sic factum est. Qui Papæ se præsentans cum humilitate & decentia debita, Papa ipsum ad gratiam suscepit, & infra breve tempus ipsum Episcopum Cardinalem creavit. Henricus natus Comes de Werningerode Episcopus Halberstadensis obiit, in cujus sedem electus est Dominus Johannes de Hoyme Scholasticus dictæ Ecclesiæ. Johannes & Albertus Duces Magnopolenses, Ericus Dux de Lowenburg, & Otto Dux Stetinensis cum mille armatis & amplius intrarunt Marchiam de Brandeburg, ut Johannem adolescentem Ducem de Stargardia captivum in Tangermunde castro eriperent, & obsidione primum vallantes Strazeburg, ipsum expugnare cœperunt. Dux autem Stetinensis unam valvam opidi observans cum CCCC. armatis, in ea parte, ubi infirmius erat, scandere cœpit. Quod videntes cives & quidam Nobiles ad intra existentes, bumbardas & balistas, quas in turribus muri habebant, aptarunt, & mox cum ipsis lapides jacientes, unico impetu ultra XX. armatos straverunt. Lapis namque unam bumbardam exiens simul quatuor viros fortissimos interfecit, ut retulerunt Nobiles, qui intererant. Nam caput primi cum galea dejiciens, ac secundum per medium dividens, tertio brachium cum ense abstulit, & quarto crus præscidit. Quod cum viderent hostes, territi murum reliquerunt retrocedentes. Aliam vero opidi partem, cum prædicta fierent, Rostoccenses & Wismarienses cum exercitu Johannis Ducis de Mykelenburg infestabant, jam prope murum constituti, & ipsum perforare nitentes instrumentis ferreis. Non enim habebant scalas, quibus murum ascenderent quidam eorum, sed pugionibus suis muro infixis ipsum scandere nitebantur. Cives vero opidi, expeditis ex altera parte Stetinensibus & eis fugatis, ad illam partem cucurrerunt, ubi alter exercitus intrare laborabat; & mox ascendentes munitiones muri, bumbardis & petrariis suis manualibus ac balistis fortiter in hostes impegerunt. Et qui balistas & alia instrumenta bellica non habebant, lapides de summitate muri avulsos in hostes projiciebant, & eos ad terram dejiciebant. Qui tandem durissimos civium ictus & jactus amplius ferre non valentes, de muris ad fossata lapsi, ut ranæ præcipites se dederunt, & evadere, ut melius poterant, reptando manibus & pedibus festinaverunt. Plures autem in impugnatione illius opidi occisi sunt telis & lapidibus civium & Nobilium opidum defendentium. Videntes ergo Principes animositatem opidanorum, ab eis confusi & multum damnificati recesserunt; nec ulterius procedere ausi sunt ad expugnandum castrum & urbem Tanghermunde, ex quo in tam exili opido se tam viriliter defensassent. Circa festum B. Mariæ Magdalenæ quidam Spirensis mercator volens pro sua negotiatione Argentinense visitare forum, obvium habuit in nemore svagerum suum, cujus filiam mercator habebat, & ab ea jam pueros acceperat. Quem videns latro ille dixit negotiatori: O svagere, necessitate jam cogor te interficere. Cui mercator subridendo ait, credens jocum esse, qvod dicebatur: Qvomodo sic loqveris care amice? Non est, inqvit latro, jocus, qvod dico; intendo enim certissime facere, qvod loqvor. Et vibrans gladium, nisus est percutere svagerum suum. Qvod cernens ille, nec habens, qvo se defenderet, precatus est ipsum, dicens: O dilecte svagere, miserere propter Deum amici tui, & memorare salutis paupercula filiæ tuæ & suorum parvulorum, & non committas tantum malum in fideli amico tuo. Qvicqvid de me fieri desideras, ad votum tuum fideliter implebo. His & aliis verbis similibus motus latro dixit: Mirabiliter in hanc miseriam deveni, ut oporteat me sic latrocinari. Sunt enim in hoc nemore circiter LX. viri interfectionibus & rapinis vacantes, in qvorum consortium ego, proh dolor! deductus sum. Hi me in hunc locum miserunt, ut latrocinando aliqva eis acqviram. Si ergo te jam dimitterem, nec aliqvis alius forte occurreret spoliandus, indignationem eorum incurrerem nihil apportando. Consilium ergo meum est, ut tu & ego pariter salvemur, si aliqvam pecuniam tecum habes, partem illius mihi des ad offerendum sociis, & partem tibi reserves, ac mecum venias ad locum, ubi congregati sunt, & fingas te unum de sociis nostris jactitando, qvod bonam summam lucratus sis de qvodam, quem interfeceris. Insuper informavit ipsum de proverbiis & nutibus, qvibus alter alterum agnoscens, de societate eum esse nemo illorum dubitaret. Qvibus auditis, negotiator ille latronis manus evadere non valens, acqvievit ejus consilio, & extrahens X. florenos tradidit ei, decem etiam ipse & in manus recipiens, locum, ubi raptores erant, petierunt simul gradientes. Cumqve proverbiis consvetis socios salutarent, & pecuniam acqvisitam in medium producerent, recepti sunt ab eis cum gaudio. Tantus enim eorum erat numerus in nemore illo & in aliis vicinis latibulis, qvod personarum qvalitas & conditio cujuslibet de facili a quolibet sciri non poterat. Transactis ergo tribus vel quatuor diebus, quibus mercator prædictus inter illos nequam moram traxerat, dixit secreto ad svagerum suum: Estne desiderium tuum ab his latronibus separari?

Cui

Cui ille: valde libenter. Tunc mercator capitaneos societatis alloquens dixit: Frustra laboribus insudamus gravibus, & periculis vitæ nos exponimus absque lucro. Scio quendam mercatorem locupletem valde, qui cum pecunia magna in brevi tempore iturus est de Spira in Argentinam. Vultis ergo, ut vadam ad observandum transitum ejus cum uno socio, & pecuniam illius infallibiliter reportabo. Cumque illi fidem cum juramento postularent, & ille præstasset, jussus est ire cum socio sibi placito. Tunc negotiator ille svagerum suum assumens, ab eis recessit, & directius, quo potuit, Argentinam urbem adiit, svagerum suum licentians, ut iret, quo vellet, eo quod urbem illam intrare non auderet. Accedens itaque protinus mercator ille Consulatum civitatis, narravit eis omnia per ordinem, quæ sibi acciderant in via. Quod cum viri illi audissent, mox congregantes multitudinem armatorum, exiverunt urbem de nocte, & circumdederunt nemus, in quo latrones illi latitabant, ne evaderent. Et intrantes interiora ejus secundum directionem mercatoris, comprehenderunt omnes illos, & secum in urbem deduxerunt; examinantesque eos asperiori modo, quo poterant, cognoverunt ex fassione illorum, quod illud latrocinium ultra XX. annos continuassent, & quod ultra duo millia essent in diversis partibus latentia, qui modo consimili se nutrirent, & de eorum societate essent. Capti ergo sunt per proditionem istorum latronum plures cives notabiles fere de omnibus civitatibus Rheni, qui latrociniis supra dictis conscii erant, & tales fovebant partem suam recipiendo; qui omnes vel rotati sunt, vel suspensi aut in Rheno submersi. Prope nemus autem illud Monasterium quoddam erat, in quo socii illi, cum aliqua lucrati essent, recipiebantur, & ea cum Monialibus illis expendebant, impudicitias & turpitudines cum eisdem exercentes. Quod quidem Monasterium Principes & civitates destruentes, meretrices illas comprehenderunt, & stipitibus alligatas Rheno immerserunt. Submersi vero illi utriusque sexus homines visi sunt in pluribus locis Rheni litoribus applicuisse ac civitatibus diversis, secundum relationem veridicorum, qui se eos vidisse juraverunt. Henricus de Owen Episcopus Swerinensis obiit, in cujus sedem electus est Dominus Johanes Wangelin Canonicus dictæ Ecclesiæ. Universitas Rostoccensis fundatur hoc anno, incepitque mox suas lectiones & alios actus scholasticos in crastino S. Martini finita missa solenniter decantata per Episcopum Swerinensem Dominum Johannem illius universitatis Cancellarium principalem. Dominus Balthazar Cardinalis, olim Papa Johannes XXIII. sed ob unionem Ecclesiæ perficiendam depositus in Constantiensi Concilio, obiit in Florentia in Vigilia Nativitatis Christi. Clerus Brunswicensis, qui exilio diutino laboraverat, civitati suæ reconciliatus est. Civitas enim in causa litigii contra invicem diu habiti triumphans in curia Romana, decimam quarundam villarum ad Clerum prælibatum pertinentium recepit in refusionem damni sui, & sublevavit tam diu, quousque expensæ factæ per civitatem ad plenum solutæ sunt; & sic concordati per mediatores solennes, Canonici urbem reingressi sunt.

Septimo anno Sigismundi, qui est Domini MCCCCXX. Rex Hispaniæ mercatoribus Alemanniæ terram suam interdixit, prohibens eos, ne amplius pro mercimoniis ad se venirent, sed Brugis præstolarentur Hispanorum naves, quæ ab antiquo & semper illuc venire consveverunt, & merces suas deferre dictis mercatoribus. Contra cujus prohibitionem dicti mercatores Alemanniæ multis navibus adunatis & fortiter munitis armatorum copia, violenter Hispanorum portus ingressi sunt, & negotiationes suas ibidem facientes, ac mercibus multis naves suas onustantes recessum paraverunt. Rex vero hæc percipiens & non parum ponderans mercatorum præsumtionem ac sibi factam per eos contumeliam, exercitum collegit navalem, quo portum, quem ingressi fuerant mercatores, occupans, bellum durum cum eis aggressus est, mutuo dimicantes pugna acerrima. Rex vero multitudine armatorum vincens mercatores, fere omnes occidit paucis elapsis, cepit etiam XLVIII. naves negotiatorum plenas mercibus, & eas ad propria deduxit. Dominus Johannes Dulman Episcopus Lubicensis obiit. Hic Doctor Decretorum & auditor causarum curiæ dudum existens, fautor maximus & pater fuit Religiosorum & pauperum nutritor; probissimus etiam hominum extitit, & pacis ac justitiæ zelator. In ejus sedem electus est & confirmatus Dominus Johannes Schele Canonicus dictæ Ecclesiæ, vir sagax & circumspectus. Et licet hic ante suam promotionem & assumtionem Religiosis esset minus favorabilis, in Pontificem tamen sublimatus mutatus est in virum alterum, & factus Religiosis benignus & familiaris, justitiæ cultor & Musicus magnus existens. Fredericus Marchio de Brandeburg Princeps victoriosus Gorlose castrum expugnando obtinuit situm in Ducatu Magnopolensi. De hoc castro latrocinia & rapinæ variæ fieri consveverunt. Eodem anno idem Marchio Fredericus opidum Ketterangermunde dictum propter hæreticorum quorundam inhabitationem, Duci Stetinensi pertinens cepit, & plures in eo milites & militares captivavit. Stipendiarii urbis Lubicensis mare intrantes piratas Holtzatorum, qui in mari mercatores spoliaverant, quæsierunt. Quos tandem invenientes, cum ipsis prœlium inierunt, & vi eos compulerunt, ut naves suas linquerent, & fugam per terram caperent, in opidumque Hilgenhavene se reciperent. Quos viriliter insequentes, ibidem de ipsis XXI. comprehenderunt, & vinculis eosdem mancipari fecerunt in opido prædicto, eo quod opidani eos de judicio eorum tolli nollent. Quibus tandem ibidem decapitatis per bedellum Lubicensem, præter capitaneum eorum; qui Lubeke ductus, & ibidem de suis complicibus examinatus, tandem & ipse capite truncatus est. Cives Stadenses ad invicem discordantes, multa civitati suæ gravamina & dispendia suscitarunt. Quidam enim de Consularibus prosperitati sociorum suorum invidentes, cum importuno adjutorio quorundam mechanicorum, aliquos de Consulatu & urbe expulerunt & proscripserunt. Sed hi coram civitatibus & Ansa injuriam eis illatam conquerentes tantum practicarunt, quod Stadium urbs cum suis inhabitatoribus de consortio omnium civitatum de Ansa ejecta est & præcisa. Cui malo junctum est aliud non minus formidabile, puta ad querelas unius honestæ mulieris dicta civitas Stadensis citata est per Regem Romanorum Sigismundum, & demum post contumaciam ejus banno imperiali est innodata. His gravaminibus sic subacta urbs præfata, nullibi apparere ausa est, nec mercantias exercere permissa est. Hæreticus quidam Jacobus Bremer dictus de opido Vordensi Bremensis diœcesis Diaconus, veniens de Praga in Saxoniam, Gunthero Archiepiscopo Magdeburgensi delatus est tanquam de multiplici hæresi suspectus. Quem Archiepiscopus prædictus capiens secum duxit in Magdeburg a Prælatis & Doctoribus examinandum. Cujus examinationi plures interfuere Prælati & Magistri, puta: Guntherus Archiepiscopus, Hermannus Episcopus Bersabensis & Frater Ordinis Prædicatorum, Johannes de Hoyme Præpositus majoris Ecclesiæ, Johannes Redekin Decanus ejusdem Ecclesiæ, Johannes de Lippia Ordinis Augustinensium, Petrus Rumelant Ordinis Prædicatorum, ambo Doctores Sacræ Theologiæ, & plures alii Prælati. Guntherus vero Archiepiscopus dictum Fratrem Petrum suum in causis fidei constituit inquisitorem. Quem Jacobum inquisitor factus coram

ram Archiepiscopo & Prælatis examinans, reperit ipsum diversos tenere articulos partim erroneos & partim hæreticales, quos se velle defendere etiam usque ad mortem constanter asseruit, publice etiam requisitus coram populo civitatis in novo foro dictæ civitatis ad hoc spectaculum congregato. Articuli autem, quos tenuit & defendere voluit, sunt isti:

I. In divinis est tantum una persona sicut & essentia.
II. Generatio naturalis non est ponenda in divinis nec processio aliqua.
III. Spiritus Sanctus non procedit a Patre & Filio tanquam ab uno principio.
IV. Deus post creationem hominis & ornatum sex dierum, nihil de novo condidit, cujus similitudinem in sex diebus non creavit.
V. Deus non dedit novam legem, quæ dicitur lex Evangelica.
VI. Deus datione exteriori legem, quam dedit Moysi, dedit & Adæ.
VII. Deus non potest annullare individuum unius speciei, nisi annullet totum universum.
VIII. Wiclef post mortem incineratus & injuste per ecclesiam damnatus.
IX. Deus non est factus homo, sed cum homine.
X. Non est ponendum fuisse Christum nec Virginem Mariam.
XI. Virgo Gloriosa non fuit mater Dei nec mater Christi.
XII. Jacob filius Isaac naturalis est Deus essentialiter.
XIII. Ille Jacob est pro nobis passus, mortuus & crucifixus.
XIV. Signum Sanctæ crucis & lignum crucis non sunt alicujus virtutis.
XV. Corona spinea, lancea, clavi & sepulcrum Christi omnia sunt vana.
XVI. Baptismus fluminis non est alicujus vigoris.
XVII. Deus in sacramento altaris est cum pane, sicut cum ligno & lapide in sua natura.
XIIX. Substantia panis & vini manent post consecrationem in sacramento altaris.
XIX. Substantia est accidens & omne accidens substantia.
XX. Augustinus, Gregorius, Basilius, Benedictus, Bernhardus & cæteri Doctores Ecclesiæ sunt damnati.
XXI. Christus non est in Sacramento vere & realiter in propria persona corporali.
XXII. Apostoli nunquam fuerunt.
XXIII. Papa non est Vicarius Christi nec Dei nec alicujus autoritatis ex parte Dei.
XXIV. Christus non est chrismate unctus.
XXV. Indulgentiæ nec prosunt vivis nec defunctis animabus.
XXVI. Sacramenta confirmationis & extremæ unctionis non sunt alicujus virtutis.
XXVII. Sacramentum Ordinis secundum ritum ecclesiæ impensum non imprimit characterem, nec est alicujus vigoris.
XXIIX. Pœnitentia exterior, quæ fit per confessionem & per Sacerdotis absolutionem, in omnibus suis suppositis non est necessaria ad salutem.
XXIX. Judas Scarioth est Jacob & Propheta & salvatus est.
XXX. Multa continentur in Evangelio falsa.
XXXI. Evangelia nulla sunt, nec Job unquam fuit.
XXXII. Decreta Patrum & Decretales non sunt alicujus autoritatis, nec sunt observanda.
XXXIII. Totus mundus & tota Ecclesia errat, demto Jacobo Bremer, qui dixit, se in istis articulis non errare, concessit, se tamen ante hoc tempus sæpius peccasse.
XXXIV. Nullum jejunium ab Ecclesia institutum est obligatorium.

Supra scriptos articulos prælibatus Jacobus hæreticus Magister artium Pragensis, sæpe per Fratrem Petrum Inquisitorem supra dictum admonitus & exhortatus, ut eos revocaret, constanter asseruit, affirmavit & approbavit dicens; Omnes contraria his credentes sunt omnino damnandi. Cujus pertinaciam, imo verius insaniam videns Archiepiscopus, per supra dictos Magistros & alios Prælatos quamplures ipsum degradari jussit, & degradatum judicio seculari tradidit comburendum. Quod factum fuit extra urbem feria secunda post Lætare. Piratæ multi conglobati naves onustas cerevisia coram Hammeburg in flumine Albiæ apprehendentes abduxerunt, & alia bona in eis reperta in via distribuentes & vendentes, sed partem eorum reservantes castro Swanestede applicuerunt. In hoc castro quidam Nobilis extitit Capitaneus Hartwicus Breyde dictus, constitutus per Henricum Ducem de Sleswic. Cives autem Hammeburgenses spolium factum coram civitate sua percipientes, confestim naves intraverunt, habentes in eis circa mille armatos & CCC. sagittarios, & persequentes viriliter hostes, in supra dicto castro eos fore intellexerunt. Cui cum applicuissent cives, raptores dicti fugæ se commiserunt, retro munitionem elabentes. Quod audiens Henricus Dux, qui una cum Hammeburgensibus piratas illos insecutus fuerat, vehementer commotus, vocavit Hartwicum Capitaneum ante dictum, & postulans ab eo restitutionem bonorum per fures prædictos sibi adductorum, comminatus est sibi mortem, nisi ad plenum omnia restitueret. Cui Hartwicus respondit: Domine Dux, si in hoc castro quicquam inveniri poterit de bonis mercatorum ablatis per piratas illos, suspendio me interficiatis. Quod verbum Dux acceptans, castrum ascendit, & inquisitionem diligentem faciens, reperit in eo plura de bonis prædictis. Propter quod Dux in furorem versus præfatum Hartwicum omnino suspendisset, nisi cives Hammeburgenses pro eo instanter intervenissent. Privatus est tamen castro prædicto & omnibus in eo habitis, & terra pulsus est. Adolfus Dux Clivensis & frater suus Gerardus de Comitatu de Marka contendentes, multa & gravia damna suis terris intulerunt. Hujus autem controversiæ occasio fertur fuisse talis: Dux enim iste præjudicialis fratri suo existens, ut fratri videbatur, filiæ suæ adhuc infantulæ & elingui fecit omnes civitates, castra & opida facere homagium, dicto fratre suo inscio & ignorante. Quo facto, præfatus Dux munitiones occupare cœpit. Gerardus vero Comitatum de Marka ex facto fraterno amittere timens, qui jure hæreditario ad ipsum spectabat, fratri suo Adolfo facem interdixit, & bellum paravit, habens pro se & in suos auxiliatores opidum Hamme & paucos vasallos dicti Comitatus. Episcopus etiam Monasteriensis Otto & frater suus Comes de Hoya auxilio ei fuerunt. Quorum fultus præsidio, opida spoliavit & villas plures incineravit, ac quosdam Ducis vasallos captivavit. Adolfus autem Dux Clivensis Keyserswerde castrum multis diebus oppugnavit, sed ipsum expugnare non valuit. Quod quidem castrum Gerardus Archiepiscopo Coloniensi impignoravit, ut ipsum defenderet, & in suis necessitatibus ei præsidium ferret. Hi duo fratres postea multis annis bella ad invicem gerentes, vastarunt proprias terras, expugnaverunt castra, ceperunt munitiones, incineraverunt villas & opida, & evisceraverunt subditos suos, nec concordari poterant per quoscunque Principes vel civitates, licet multotiens hoc per plures tentaretur, & plura placita propter hoc fierent. Ericus Rex Danorum cum magno navium numero mare intravit circa festum Pentecostes, & ex opposito insulæ Ymbriæ se locans in portu Lalandes-ellenbogen vulgariter dicto, tandem in Vigilia Visitationis Virginis Gloriosæ Ymbriam insulam invasit suo exercitu, & cum incolis insulæ bellum aggressus est durissimum. Holtzatorum

Digitized by Google

zatorum autem & Sleswicensis Principes multos vasallos & armigeros incolis insulæ in auxilium miserant, qui bumbardis manualibus & petrariis ac balistis & arcubus muniti, plures Danorum naves perforarunt & submerserunt, ac innumeros Danos in eis & Sweos interfecerunt. Balistarii quoque & hastarii tam viriliter certaverunt, quod pro illa vice terram intrare non poterat seu insulam. Frustratus autem Ericus Rex illa die in suo proposito propter fortitudinem & virilitatem Holtzatorum ac incolarum Ymbriæ, qui telis, hastis & bumbardis suis in illo conflictu multos etiam Nobiles Danorum prostraverant, & aquis immerserant, altera die cum tribus millibus peditum & octingentis viris equestribus portum Hilgenhavene apprehendit, & ibidem terram Holtzatorum ingrediens, opidum Aldenburg spoliavit & incendit, & aliquos inibi interficiens, circiter C. opidanos captivos secum abduxit. Reingressus ergo mare parum pausavit ab impugnatione hostium suorum. Die vero octavo festivitatis illucescente, denuo expugnationi Ymbriæ insulæ operam dans efficacem, ipsam hostiliter invasit certamine duro. Dani namque naves suas egredientes, nitebantur insulam intrare totis nisibus. Holtzati vero ascensum de mari ad litus prohibere ipsis satagentes, viriliter armis suis in eos impegerunt. In quoquidem certamine populus immensus ex utraque parte corruit. Rex enim plures ibidem milites & militares amisit. Sed tandem multitudine armatorum Holtzati & incolæ terræ retro acti & victi, Dani invitis ipsis aridam apprehenderunt. Quam potenter peragrantes depopulati sunt, interficiendo omnes & captivando ejus inhabitatores. In hac autem captione insulæ prædictæ & expugnatione ipsius tanta crudelitas & tyrannis peracta est a Danorum exercitu, Rege eorum forte ignorante aut prohibere non valente, in Sacerdotibus, virginibus, mulieribus & cæteris personis inermibus, quod abominabile & horrendum est audire. Sacerdotes namque in ecclesiis violenter effractis immisericorditer sunt trucidati, Corpus Dominicum in diversis locis irreverenter & indignanter de pyxidibus argenteis est projectum, mulieres plures interfectæ sunt, multæ raptæ tam maritatæ quam virgines & abductæ, solæ autem vetulæ ob deformitatem relictæ sunt intactæ. Quo latrocinio pariter & sacrilegio multiplici peracto, exercitus ille Danicus de insula recessit. Cujus transitum Holtzati percipientes, rursum insulam intrarunt cum multitudine peditum, & expugnationi castri Glambeke, quod Rex jam denuo expugnaverat & fortiter munierat, insistentes protunc nihil proficere potuerunt. Sigismundo Rege Romanorum in montibus Cuthniz residente pro festo Corporis Christi, & contra hostes fidei hæreticos Bohemos ad pugnandum se disponente, venit quidam miles perfidus Zencho dictus, dolis plenus, & pœnitentiam simulans, veniam a Rege petiit, & emendam spopondit. Rex autem pietate vel forte affectione privata motus, ipsum in gratiam recepit, & cum literis regalibus ad castrum Pragense, quod Rex jam per suos ceperat, ipsum destinavit, committens sibi curam ipsius & administrationem. Cumque castrenses visis epistolis regiis ipsum intromisissent cum multis armatis, quos sibi associaverat, postquam a Rege recesserat, Catholicos & fideles Regis, quos in castro invenerat, invasit hostiliter, & omnes occidit, castrum vero ipsum cum suis complicibus munivit, & sibi usurpavit, & quod magis detestandum est, Reliquias Sanctorum in castro repertas in ignem projecit & concremavit, clenodia vero diversorum Monasteriorum ad dictum castrum pro securitate deducta rapuit, & ad alia loca transportavit. Sed non diu post cum dictus Zencho vir sacrilegus & hæreticus pro negotiis suis expediendis castrum Pragense exivisset, quidam Nobilis Johannes Polenz de Lusatia exercitum colligens, ipsum castrum adiit, & se Zenchonem simulans in bannerio, equis, apparatu & cæteris rebus, quibus ipse æstimari poterat, intromitti postulavit. Custodes autem castri decepti, & Zenchonem æstimantes, dictum Johannem cum suis intromiserunt. Qui mox in castellanos irruens, omnes interfecit, & castrum fortiter suis viris munivit & fortificavit. Lubicenses & Hammeburgenses cives ipso die Beatorum septem Fratrum Martyrum castrum Bergherdorp obsederunt, habentes in suo exercitu circa DCCC. armatos equestres, pedestres vero circiter duo milia virorum fortium, de balistariis autem prope mille. Et accedentes primo opidum, ipsum incenderunt, & bonis supellectilibusque ipsum spoliarunt; deinde expugnationi castri insudantes, cum bumbardis & petrariis diversis tecta domorum castri dejecerunt, nec requiem castrensibus quamcunque habere permiserunt per dies quatuor. Quinto tandem die aurora surgente, ignis impositus prope vallum castri ardere cœpit fomentatus pice & pulveribus salpetrinis, qui vehementer angarians castrenses, ipsos de vallo recedere coëgit, & castrum petere. Quos mox insecuti cives civitatum prædictarum, vallum apprehenderunt. Et sic prope castrum pervenientes, & bellica instrumenta applicantes, ipsum viriliter expugnare cœperunt. Nobiles ergo in castro residentes cum viderent hostium seriem, & considerantes se non posse evadere manus eorum, eo quod Ericus Dux eis auxilio esse non valeret, ipsum tandem castrum sponte resignaverunt ad manus Proconsulum dictarum civitatum sub illa conditione, ut eis liceret cum rebus suis & familiis libere abire. Quod ad nutum sic factum est. Exeuntes ergo castrum numero fere XL. claves castri Burgimagistris Jordano videlicet Plescowen Lubicensi, & Henrico Hoyer Hammeburgensi tradiderunt. Qui mox ingressi banneria sua de castro extenderunt, & suos Capitaneos in eo locaverunt, quibus ipsum castrum ad fidelem custodiam commendarunt. Quo expedito, mox partem exercitus transmiserunt prope Albiam ad quoddam castellum expugnandum Ribenburg dictum. Cui cum applicuissent, confestim traditum est eis castellum a castrensibus, eo quod pauci in eo essent, nec exercitui resistere valuissent. Et sic iterum illo habito, banneria sua ex eo protenderunt in signum possessionis adeptæ. Dehinc autem procedentes, munitioni Kudworde dictam oppugnarunt, ad eundem Ericum Ducem de Lovenburg pertinentem, & expugnantes ceperunt eam, & funditus destruxerunt. Intervenerunt tandem treugæ amicabiles inter Ducem prædictum & civitates prælibatas, & quieverunt ab ulteriore expugnatione castrorum ad quindenam. Qua transacta, convenerunt in opido Parleberg Fredericus Marchio de Brandeburg, Wilhelmus Dux de Luneburg, Casimarus Dux de Stetin, Johannes & Albertus Duces de Mykelenburg, Ericus Dux de Lovenburg, Balthazar Dominus Slavorum, Ganz de Puthlist Baro, & civitatum nuncii Proconsules, Lubicensis, Hammeburgensis, Rostoccensis, Luneburgensis & Wismariensis. Hi Principes & civitates placitantes adinvicem, tantum effecerunt & concluserunt, quod pax & concordia generalis terrarum suarum secuta est, & captivi ex parte Principum Marchionis & Ducis Stetinensis ac Ducum de Mykelenburg in vinculis usque modo tenti, omnes redditi sunt libertati. Lubicenses etiam & Hammeburgenses, sic cum Erico Duce & suis fratribus sunt concordati, quod dictus Ericus Dux & sui fratres renunciaverunt omni juri, quod habere & habuisse videbantur in castris illis duobus Bergerdorp scilicet & Ribenburg ac in pertinentiis singulis ad ipsa pro se & suis hæredibus in perpetuum, & quod dicta castra cum suis attinentiis & juribus pertinere debebunt ad prædictas duas civitates in perpetuum

Digitized by Google

tuum literis suis sigillatis protestati sunt. Resignaverunt insuper iidem Duces de Lovenburg civitati Lubicensi quasdam literas eis sigillatas a dicta civitate super annuales reditus perpetuos trecentarum marcarum Lubicensis monetæ, quos solvere tenebantur Lubicenses Ducibus prædictis & suis hæredibus perpetuo. Pro quibus reditibus vice versa Duces prædicti defendere tenebantur dictam civitatem in suis necessitatibus & stratam communem. Et quia ipsi Duces a longis temporibus hoc non fecerant, imo potius civitatem ipsam infestaverant & damnificaverant, ac stratam ipsam vel per se vel per alios deprædari vel faciebant aut permittebant, idcirco non immerito reditibus illis privati sunt in pœnam. Cives Groningenses circa festum Pentecostes intrantes Frisiam occidentalem, Liwardiam opidum obsederunt & expugnantes ceperunt. Quo spoliato ad Scauriam opidum se diverterunt. Quod multo populo vallantes, diebus multis ipsum impugnarunt, & tandem suam voluntatem de eo obtinentes, ipsum ceperunt & spoliaverunt. Wartizlaus Dux de Wolgast Degenardum Buggenhagen evocavit, & ad secum prandendum invitavit confidenter in quoddam molendinum propeurbem Sundensem situm, cum aliis duobus Burgimagistris civitatis ante dictæ. Sed ipsis Proconsulibus in negotio urbis suæ præpeditis, Degenardus Nobilis & Marscalcus Ducis ad convivium venit nil mali suspicans. Cum ergo in mensa sederet, venit quidam dicens, advenire armatos multos. Quod audiens præfatus Nobilis ait: Illi forte quærunt me. Et mox surgens de mensa, recedere tentavit. Tunc unus de astantibus famulis Ducis confestim gladium extrahens, in caput ipsum percussit, & in terram prostravit. Interim alii supervenientes ipsum occiderunt & recesserunt. Sundenses autem cives percipientes malum, quod factum erat, mox per nuncium destinatum castra interfecti Nobilis custodientes munierunt, intimantes eisdem gestæ rei seriem, ut suæ saluti providerent. Insuper omnes homicidas illos proscripserunt. Et nisi castrenses dicti Degenardi interfecti præmoniti fuissent per Sundenses procul dubio castrum Wolde nuncupatum amisissent. Nam mox interfecto præfato Degenardo, Dux Scutiferum ipsius interemti Degenardi equo imposuit, & cum quibusdam armatis ad prædictum castrum destinavit, ut tanquam notus & Domini castri illius familiaris introitum postularet. Quod tamen cum fieret, intromissus non est. Judæi Ducatus Bayoariæ Bohemorum hæreticis clam arma diversa & pecunias in subsidium suæ perfidiæ & pertinaciæ miserunt, contra Catholicos eos fortificantes. Quod Fredericus Dux Bayoariæ percipiens, captivavit omnes Judæos sibi subjectos, & spolians eos bonis suis incarceravit. Karolus Rex Francorum postquam damna & gravamina innumera a Henrico Rege Angliæ pertulisset, & civitates, castra, opida & terras populumque multum amisisset, tandem circa festum Apostolorum Petri & Pauli compositionem & confœderationem atque pacta iniit cum eo, ac fœdus pepigit in grave præjudicium Regni, & præsertim hæredis & filii sui Karoli Delphini. Modus autem conventionis & compositionis fuit iste, secundum Chronicam Francorum. Sane Rex Henricus in uxorem duxit Catharinam filiam Karoli Regis Franciæ, interposita hac conditione, quod præfatus Rex Henricus fieri & esse deberet post mortem prælibati Karoli Regis verus hæres Regni Franciæ & sui successores post ipsum in perpetuum, & esse ac nominari duorum Regnorum Rex Franciæ scilicet & Angliæ. Sed ante ipsius Regis decessum ipse Henricus Rex non deberet nominari Rex Franciæ, sed tutor Regni & hæres, non obstante, quod verus & naturalis Regni hæres Karolus Delphinus prælibati Karoli Regis Franciæ filius legitimus adhuc in vita persisteret & contractui illi contradiceret. Huic autem irrationabili compositioni & pacto consenserunt Proceres Regni fere omnes, & ipsum Karolum filium legitimum & hæredem paterna hæreditate privaverunt, sibi objicientes perfidiam enormem, quam erga Philippum Ducem Burgundiæ ostendisset. Contractus autem iste infra scriptos continebat articulos, sigillo majori Regiæ Majestatis & Procerum Regni signetis roboratos.

I. Per fœdus conjugii pro bono pacis contracti inter Regem Henricum & filiam nostram Catharinam, ipse Henricus Rex nobis atque carissimæ consorti nostræ Ysabelli filius effectus est adoptivus, & nos ac consortem nostram habebit ut patrem & matrem.

II. Idem filius noster Henricus Rex non turbabit nec inquietabit aut impediet nos, ne teneamus aut possideamus, quoad vixerimus, prout tenemus & possidemus de præsenti coronam & dignitatem Regalem Regni Franciæ, & reditus, fructus & proventus eorundem, ad sustentationem status & honoris nostri & præfatæ consortis nostræ.

III. Filia nostra Catharina percipiet & habebit dotem in Regno Angliæ, quemadmodum Reginæ Angliæ hactenus habere consueverunt, puta ad summam XLM. nobilium annuatim eidem persolvendam indilate.

IV. Si contingat præfatam filiam nostram ipsi filio nostro Henrico Regi supervivere, percipiet ipsa & habebit in Regno Franciæ dotem ad summam XXM. scutorum de Francia annuatim de illis certis terris & dominiis, quæ tenuit & habuit inclytæ recordationis carissima Domina nostra Blanka quondam contoralis recolendæ memoriæ Domini Philippi proavi nostri Regis Franciæ.

V. Immediate post obitum nostrum & extunc deinceps Corona & Regnum Franciæ cum eorum juribus & pertinentiis universis erunt & manebunt prædicti filii nostri Henrici Regis & hæredum suorum in perpetuum.

VI. Ex eo quod frequenter infirmamur, & non possumus in nostra persona intendere disponendis Regni negotiis, idcirco ad totam vitam nostram facultas & exercitium regendi & disponendi Rempublicam dicti Regni Franciæ cum consilio Nobilium & prudentium ejusdem Regni nobis obedientiam, penes eundem filium nostrum Henricum Regem erunt & manebunt, ita quod extunc & deinceps ipsam per se ipsum ac etiam per alios, quos cum concilio prædictorum Nobilium ad hoc duxerit deputandos, regere possit & gubernare ad honorem Dei & nostri ac dictæ nostræ consortis, nec non boni publici profectum & salutem.

VII. Idem filius noster Henricus Rex pro posse suo faciet, quod curia Parlamenti Franciæ conservetur in autoritate & superioritate sibi debitis, in omnibus & singulis locis nobis nunc aut in futurum subjectis vel subjiciendis.

IIX. Idem filius noster Henricus Rex pro suo posse cavebit & observabit omnibus & singulis Nobilibus Comitatibus, civitatibus, castris, opidis, villis & personis nobis nunc subjectis & in futurum subjiciendis sua jura consuetudines, privilegia & libertates inviolabiliter observari.

IX. Idem filius noster diligenter & fideliter pro posse suo laborabit, ut justitiæ complementum fiet (fiat) in dicto Regno Franciæ secundum leges, consuetudines & jura ejusdem Regni absque personarum acceptione, & tenebit subditos Regni nostri in tranquillitate &, ac pro posse defendet eosdem contra violentias & oppressiones quorumcunque.

X. Idem filius noster laboravit pro posse & quantocius ad ponendum in obedientiam nostram omnia & singula castra, civitates, opida, villas, loca, patrias, & perso-

Digitized by Google

personas infra Regnum nostrum nobis rebellantia & adhærentia parti Delphini.

Hi Articuli in prædicta compositione & confœderatione jurati sunt ab utraque parte. Karolus tamen filius Karoli Regis Delphinus Regni istos articulos cum sua confœderatione revocavit, annullavit & reclamavit sub instrumentis publicis, & a principio eis contradixit. Hammeburgenses XII. magnas naves parantes, viris armatis repleverunt, & super propria sorte & fortuna mare intrantes, Danorum fines sunt aggressi. Ubi exercitum quendam Danorum obvium habentes, cum eo prœliati sunt; & dimicantes adinvicem, & navibus suis in naves hostium impetuose impingentes, tres de ipsis cum omnibus contentis mari immerserunt, viris circiter ducentis ibidem submersis, alios vero gladiis suis trucidantes, de omnibus victoriam obtinuerunt, pluribus captivatis. Quo triumpho habito, quasdam insulas ultra Ripensem urbem sitas intraverunt, & ex integro eas depopulantes, prædam magnam inde extraxerunt, & ad propria salvam perduxerunt. Cumque ad portum proprium pervenissent, spolium acquisitum diviserunt, & captivos suos numero CXX. loco & tempore congruis exactionaverunt, gavisi de victoria de cœlo ipsis collata circa festum Inventionis S. Crucis. Cum autem hæc agerentur per cives prædictos, Henricus Dux de Sleswic, conducto exercitu copioso, ex altera parte Regnum Danorum intravit, secum habens prope XXXM. peditum & octingentos armatos equestres. Et obsidione forti circumdans castrum Hadersleve & opidum, compulit opidanos ad trium millium marcarum Lubicensis monetæ solutionem, ut ab incendio & prœlio eis parceret. Quo facto, omnes villas circumjacentes opulentissimas deprædatus est, villanos vero ditiores captivos secum abduxit. Pestilentia quasi generalis totam Alemanniam afflixit. Incepit namque in Lombardia, & paulatim descendens per Rhenum, civitates illas opulentas & populosas valde extenuavit; de Rheno vero per Westphaliam serpens, & inde per Hassiam & Thuringiam tandem venit in Saxoniam, ubi plures civitates fere evacuans, iter suum direxit ad stagnales. Quas urbes sigillatim sævitia gravi visitans, ad orientalem pariter & borealem plagas se divertit. Obierunt namque in castro Vellin terræ Lyvoniæ CCXXXVI. Fratres de Domo Teutonica. In Riga vero, Darbato & Revalia populus innumerus decessit. Occiduam etiam terræ plagam peragrans, quartum ferme hominem absumsit. Martinus Papa de Florentia recedens, iter suum versus Romam direxit: Quam urbem ingressus circa festum nativitatis Virginis Gloriosæ, jocundum diem toti civitati & patriæ fecit. Albertus Dux Saxoniæ de Wittenberg quoddam nemus prope dictum opidum situm intravit cum sua uxore & Nobilibus multis utriusque sexus, annua salatia peragere volens juxta consvetudinem Principum Saxoniæ. Noctis ergo crepusculo accedente cum omnes essent in quiete, nescio cujus impositione domus, in qua Nobiles illius convivii dormitabant, accensa est, & subito igne invalescente consumta, ac Milites & Militares plures in flammarum ardoribus sunt exusti. Dux vero Albertus cum sua consorte de fenestris mansionis suæ nudus cum nuda exiliens, ignium furiam vix evasit, cunctis supellectilibus in cineres redactis. Ericus Rex Danorum & Henricus Dux Sleswicensis convenientes ad placitandum in Vlenzeburg opidum profesto S. Martini per solicitationem & practicationem civitatum maritimarum, quæ libenter concordiam & amicitiam inter ipsos fieri vidissent, tandem post altercationes & jurium suorum allegationes varias, in hoc de unanimi consensu concordabant, ut in proximo festo Pentecostes iterato in certo & deputato loco convenirent, puta Rex in Ymbria insula cum suis, & Henricus Dux cum suis in Aldenburg ad placitandum & tractandum ibidem de pace & amicabili compositione. Et ut hoc competentius & expeditius fieret, Rex VII. Principes nominavit, de quibus tres, quos commodius habere posset, secum ad locum suum transducere vellet & deberet; & similiter Dux VII. alios expressit, de quibus etiam & ipse tres secum adducere deberet. His autem sex Principibus sic adducendis totum discordiæ negotium discutiendum, diffiniendum & finaliter terminandum committi deberet plenarie & integraliter. Si vero illi sex Principes concordare non possent in unam sententiam, extunc ipsi sex Principes unum, quemcunque vellent, eligere deberent Principem de se vel de aliis Principibus, cujus sententiæ irrefragabiliter standum tunc esset sine quacunque contradictione. Principes autem nominati a Rege fuerunt Fredericus Marchio de Brandeburg, Johannes Dux Magnopolensis, Otto & Casimarus Duces de Stetin, Wartislaus & Barnam Duces de Wolgast, & Albertus Comes de Neugarden. Principes vero Henrici Ducis fuerunt Otto Episcopus Monasteriensis, Bernhardus Dux Brunswicensis, Wilhelmus Dux de Luneburg, Ericus Dux Saxoniæ de Lovenburg, Adolfus Comes de Schowenburg, Ericus Comes de Hoya & Balthazar Dominus Slavorum. Laudatum fuit etiam ibidem & statutum, ut a festo proximo S. Catharinæ usque ad festum S. Michaelis proxime futurum treugæ esse deberent firme in dominiis Principum prædictorum Regis scilicet & Ducis, nec quisquam alteri nocere deberet infra tempus præscriptum. Et hoc arbitrium per utrosque Principes promissis firmatum est, & literis sigillatis. Prælibatis autem Prælatis interfuerunt Principes & civitates infrascripti, puta Archiepiscopi Lundensis & Upsaliensis, Episcopi Sleswicensis, Lubicensis, Scarensis, Ripensis, Roscildensis & Aboensis, Johannes Dux de Mykelenburg, Henricus Comes Holtzatorum, Lubicensis, Sundensis, Rostoccensis, Hammeburgensis, Gripeswaldensis & Wismariensis. Hi totis viribus pro terrarum conservatione & Principum concordatione laborabant, licet gratitudines modicas de sua solicitudine reportarent. Husitæ heretici suam vesaniam grossioribus excessibus execrabiliorem facientes, reliquias Caroli IIII. patris Sigismundi Regis Romanorum in contemptum Regiæ Majestatis extumulaverunt circa festum omnium Sanctorum, & eas incineraverunt. Quorum Tyrannidem Sigismundus Rex audiens, exercitu valido collecto, urbem Pragensem obsedit, vindicare volens injuriam paternam. Sed illi immensum populum perfidorum congregantes, prœlium cum Rege commiserunt, & de fidelibus circa VM. interfecerunt, castrum vero Vicegrad, in quo Regis familia erat, expugnantes, omnes inibi repertos trucidaverunt. In hac autem strage flebili ultra X. Nobiles Comites & Barones ac Milites leguntur occubuisse. Sundenses & Gripeswaldenses cives necem crudelem Nobilis viri Degenardi Bugenhagen vindicare cupientes, castrum Usedum obsederunt in manu valida. In hoc autem castro interfectores quidam erant dicti Nobilis. Et ipsum expugnantes ceperunt, castellanis fugam capientibus, & suis stipendiariis ipsum munierunt in Adventu Domini. Post festum vero Nativitatis Christi intelligentes præfati cives, quod actores memorati homicidii in castro Nesserowe se recepissent, una cum adjutorio quorundam Nobilium de Molteken dictorum, castrum ipsum obsidione magna vallaverunt, & oppugnantes ipsum ad ultimum obtinuerunt, quod destruentes solo æquaverunt. In hac munitione captivaverunt circa XVI. viros, quos omnes vivos secum in urbem Sundensem perduxerunt, vincientes eos manicis ferreis & compedibus. Capitaneus autem castri Nicolaus Starkowe dictus videns, se manus civium evadere non posse per terram, naviculam ascendit ad transfretandam aquam. Sed quia navicula parva erat & tornatilis, in ea armatus se regere non valuit. Unde mox eversa est, & armiger aquis præfocatus est. Quem tamen Sundenses post sex fere septimanas quæsitum & inventum mortuum

Digitized by Google

mortuum & quasi corruptum in urbem detulerunt, & postea corio bovino impositum supra rotam locaverunt extra civitatem. Captus fuit etiam inter vivos Johannes Bere Nobilis actor principalis latrocinii, qui vinculis injectus est, & tandem per sententiam damnatus ad mortem tractus est per civitatem, & rotatus finaliter.

Octavo anno Sigismundi, qui est DN. MCCCCXXI. Henricus Comes Holtzatorum obiit in principio Quadragesimæ, & sepultus est in Titzeho (Itzeho). Adoptaverat etiam ipse vivens Adolfum fratrem Henrici Ducis de Sleswic in filium & successorem suum, & ideo ipse Adolfus receptus est a Proceribus terræ in Dominum & Comitem præfatæ terræ. Johannes de Slamestorp Archiepiscopus Bremensis obiit in castro Vordis, in cujus sedem electus est Nicolaus natus Comes de Delmenhorst. In cujus electi confirmatione devoluta est per donationem ejusdem electi Comitia de Delmenhorst ad Ecclesiam Bremensem, & jam tres Comitias habet dicta Ecclesia, puta Comitiam Stadensem, Comitiam Dithmarsiæ & Comitiam de Delmenhorst, omnes tamen jure donationis. Cives quidam urbis Brutzele terræ Brabantiæ Domino suo Duci rebellantes, & schisma in civitate prædicta suscitantes, ipsam communitatem contra Ducem concitare laborabant. Quos Dux humiliare proponens, amicis suis in urbe degentibus in Consulatu & extra literatorie per nuncium demandavit, se adventurum certo die & hora cum exercitu grandi in perditionem sibi rebellantium. Contigit autem, cum literarum portitor in via esset, & per Comitem S. Pauli fratrem dicti Ducis iter faceret, quod dictus Comes latori literarum (se) obviam daret. Cui Comes ait: Quæ causa itineris tui, & quo tendis? Respondit nuncius Fero, inquit, epistolam germani vestri in Brutzele destinatam. Quam cum Comes ab eo extorsisset violenter, & eam legisset, apud se ipsam retinuit cum suo latore; & mox retroducens, urbem præfatam intravit, ac literas illas communitati insinuavit. Cives vero diem & horam in litera præfixas observantes de adventu Ducis, armis (se) unanimiter induerunt, & latitantes in domibus vicinis portæ, quam ingressurus erat, Ducem cum suo exercitu intrare permiserunt, & in hospitiis suis recipi. Nocte vero adveniente cum Dux & cæteri Nobiles in suis hospitiis securi consedissent, & armis se spoliassent, subito cives ex insidiis erumpentes, violenter domos intraverunt, & totum Ducis illius exercitum captivaverunt, ac vinculis manciparunt. In hoc quidem exercitu capti sunt Dominus de Hynsberg pater Episcopi Leodiensis Comes de Morse frater Archiepiscopi Coloniensis, Præpositus Aquensis, & plures alii terrarum Domini. Illi vero de Consulatu, qui Duci favebant, & hujus mali conscii erant, omnes capti sunt & decollati, Nobiles vero postmodum pecunia se redemerunt. In diebus Rogationum villani & rurales prope Mosellam fluvium non procul a Trevirensi urbe commorantes, cum cruce & Reliquiis ac imaginibus Sanctorum prædia, agros & vineta circumeuntes, ut moris est patriæ illius, tandem ad Mosellam pervenerunt. Quam cum eorum parochialis Sacerdos navigio transire vellet cum dictis Reliquiis & Cruce, prohibitus fuit a rusticis illis & admonitus, ne quam illam transiret, eo quod Crux Ecclesiæ suæ nunquam per dictum flumen transvehi potuisset absque notabili periculo ducentium ipsam. Sacerdos autem virorum illorum veteranorum admonitionem parvipendens, & eam uti erroneam redarguens dixit: Præcipio omnibus vobis sub pœna excommunicationis, ut unanimiter mecum flumen istud transvadatis. Et intrans navem cum Cruce & Imaginibus, commovit totum populum ad transfretandum. Quibus in navi existentibus, & ad medium alvei pervenientibus, navicula illa aquis est immersa sine omni tempestate cum tota illa multitudine. Numerus autem submersorum utriusque sexus extitit fere CXL. paucissimis enatantibus. Quorundam autem submersorum cadavera de his propriis vidi oculis, in partibus illis protunc existens. Bohemorum hæretici sævientes in Ecclesiam Dei universalem, plures civitates & opida Regni expugnaverunt, & fideles in eis inventos aut trucidaverunt, aut fugaverunt, Monasteria destruxerunt, ecclesias subverterunt & innumeros Religiosos & Presbyteros occiderunt. Retulit etiam quidam Frater Ordinis Prædicatorum natione Bohemus, missus ad generale Capitulum Metense ex parte provinciæ Bohemiæ, quod protunc de solo Ordine suo XIIII. Conventus funditus destruxissent, & quod pene omnes illorum Conventuum Fratres peremissent. Asseruit etiam idem Frater, me audiente, plura Monasteria Ordinum S. Benedicti, Carthusiensium, Minorum, Augustinensium & aliorum plurium per eosdem esse eversa & multas ecclesias collegiatas ac parochiales, & quod manus eorum sacrilega nulli parceret sexui, ætati, conditioni aut statui fidelium. Hi nequam infidissimi exercitum maximum ducentes, sub dolis & deceptoriis modis montem Cuthniz ceperunt & obtinuerunt, in quo thesaurus protunc residebat Regis. Rex autem Romanorum Sigismundus huic direptioni & invasioni damniferæ resistere minime poterat, eo quod protunc angariatus a Thursis (Turcis), in defensione Regni Ungariæ occupatus esset, prout litera suæ excusationis Principibus Electoribus & cæteris Nobilibus in Nurenberga protunc congregatis per ipsum destinata clare ostendebat. Thomas frater Henrici Regis Angliæ Pascha suum tenere cupiens Parisius, cum solenni militia Angliam exivit, & Franciam intravit. Cujus Principis ingressus Delphino mox innotuit. Qui confestim exercitum colligens, dicti Principis Thomæ adventum præstolatus est. In quinta autem bona feria Principes præfati Karolus & Thomas sibi mutuo juxta dictam civitatem occurrerunt, & prœlium validum certantes pugnaverunt ad invicem. Delphinus tamen victoria a cœlo potitus, Thomam Ducem cum VM. armatorum stravit & interfecit. Occubuit etiam inter alios Nobiles quidam Episcopus, qui non ad pugnandum, sed potius ad convivandum & solatiandum Angliam exierat. Bernhardus Dux de Brunswic, Wilhelmus Dux de Luneburg, Johannes Episcopus Halberstadensis, & civitates dictorum Principum gwerram hostilem gesserunt contra Johannem Episcopum Hildenshemensem & Nobiles diœcesis illius, & in hac controversia non modica damna utrique parti sunt illata & incensiones villarum, deprædationes opidorum, & devastationes segetum & frugum terræ, ac interfectiones & captivationes diversorum, & duravit infelix hæc dissensio multis diebus. Duces autem supra dicti in suos auxiliatores traxerant Fredericum Marchionem de Brandeburg, Henricum Ducem de Sleswic, Adolfum Comitem Holtzatorum, & plures alios Nobiles. Qui multum populum adunantes, magnalia varia in diœcesi ante dicta effecerunt, Nobiles plures captivando, & castrum novum prope Stadem castrum Wereburg dictum erigendo. Quadam etiam vice cum Hildenshemensibus Nobilibus prœliando ceperunt sex Canonicos dictæ Ecclesiæ, quos vinculis duris mancipantes, docuerunt eos potius debere ire ad chorum quam ad prœlium. Johannes vero Episcopus Hildenshemensis in suum subsidium invitaverat Ottonem Episcopum Monasteriensem fratrem suum & Comites de Hoya suos consanguineos ac Nobiles de Spegelberg, Lichen & Hansteen. Johannes Episcopus Sleswicensis Frater Ordinis Minorum Doctor Theologiæ obiit, in cujus sedem electus est Dominus Henricus Fabri Præpositus ejusdem Ecclesiæ. Fredericus & Wilhelmus Marchiones Misnæ cum copioso exercitu Bohemicam sylvam transcendentes, prope Brux civitatem conflictum durum cum hæreticis commiserunt. Quibus tandem devictis & ad urbem confugientibus, Principes prædicti civitatem obsederunt, & viri-

Digitized by Google

& viriliter eam oppugnare cœperunt. Hæretici autem cautulose agentes, duos ceperunt fideles, quos captivos prævie tenuerant, & eos asseribus affigentes, ipsos jaculis & telis hostium opposuerunt, de urbe eos protendentes, ut sic tales lædere formidantes, ab obsidione Principes recederent. Sed fideles illi sic ligati & morti expositi, constanter animaverunt Principes, ne ipsis parcerent, sed viriliter inimicos Christi debellarent. Factum est ergo divina gratia disponente, ut illæsis fidelibus sic vinctis, Principes victores effecti & urbem expugnaverint & infideles illos, quotquot occurrerent, occiderint. Martinus Papa ob fidei sanctæ & universalis Ecclesiæ defensionem, & instantiam fidelem Sigismundi Regis Romanorum literas suas patentes per universum direxit orbem, exhortans cunctum populum Catholicum, & præsertim Principes tam spirituales quam seculares & Rectores civitatum ac communitates urbium in Domino, quatenus ad Dei laudem & propriæ salutis incrementum se disponerent, vel alios disponi ordinarent ad transeundum cum armis contra Bohemos fidei inimicos, & ad debellandum eosdem, ne pejora damna & graviora pericula fidelibus succrescerent. Et ut eo ferventius & promtius imminentibus periculis fideles occurrerent, Papa præfatus Martinus omnibus vere contritis & confessis, qui exercitui Christianorum interessent, aut alium loco sui mitterent, aut pecuniam secundum bonorum suorum facultatem in subsidium transmitterent, plenissimam contulit suorum peccaminum remissionem, bullis suis roboratam. Quarum indulgentiarum tam larga & salubris participatio in tantum corda fidelium inflammavit, ut de universis Christianismi plagis populus innumerus conflueret, & ad præfatum Regnum Bohemiæ cum suis armis se transferrent profesto S. Bartholomæi Apostoli eis ad hoc præfixo. Retulerunt etiam quidam de hac expeditione sancta reversi, quod ultra centum Principes, Comites, Marchiones, Barones & terrarum Domini huic passagio affuissent, qui libentissime sanguinem suum pro fidei defensione fudissent, si Ecclesiæ Sanctæ negotium fideliter a mundi capitibus actum fuisset & expeditum. Sed quia, proh dolor! Rex Romanorum Sigismundus, qui per prius, ut apparuit, animo ferventi per literas suas Papam solicitaverat, & Principes terrarum pro executione seriosa fienda, postea nescio qua intentione hortabatur eosdem ad protelationem faciendam, mandans literatorie Principibus civitates & castra Regni vallantibus, ut suum adventum de quindena in quindenam præstolarentur. Allegabat etiam causam suæ absentationis fore Paganorum incursionem Regno Ungariæ proxime futuram, & se jam multa passum fuisse per eosdem. Sed Principes in Regno Bohemiæ jam congregati excusationes suas minus rationabiles & sufficientes fore existimantes, Concilium convocarunt, tractaturi, quid eis in hoc casu consultius agendum foret. Cum autem jam in consilio actualiter occuparentur, ecce subito tentoria & tabernacula omnium eorum accensa sunt, & cuncta in cineres fere redacta, quæ in eis continebantur; per quem autem aut cujus impositione illud malum agebatur, omnino non sciebatur. Quod videntes Bohemi, qui in opido Zathz erant, sub fumo illo Christianorum exercitum subito invaserunt, & multis bumbardis manualibus & balistis simul intonantes, plurimos occiderunt. Et sic fidelium exercitus se dissolvens, quilibet ad propria inglorius remeavit. Fredericus Marchio de Brandeburg ob quoddam factum minus justum & damnosum contra se commissum per Lodowicum Ducem Bayoariæ, exercitum conduxit validum, & intrans Ducatum ejusdem Lodowici, expugnavit infra breve tempus ultra XXXVI. civitates, castra & opida, de suo inimico gloriose se vindicans. Epidimia maxima efferbuit in urbibus maritimis puta Lubicensi, Hammeburgensi, Bremensi & Luneburgensi. Duravit autem calamitas hæc in urbibus prædictis ultra biennium, & amiserunt Fratres Prædicatores in Lubeke XIIII. Fratres potiores & notabiliores. Adolfus Dux de Monte revertens de quodam Monasterio, in quo cum sua amica solatia habuerat, captivatur a Domino Barensi, uno milite de sua comitiva interfecto & altero elapso. In crastino S. Elisabeth tanta inundatio aquarum facta est in finibus Hollandiæ & Selandiæ, ut plures urbes & opida pericula maxima sustinerent. Dordracum etiam tanta vorago fundo quasi carens ex parte illa, quæ mare respicit, subripuit, ut quasi media deglutiri timeretur. In partibus etiam eisdem ultra XVI. parochiæ cum omnibus attinentiis suis, hominibus & pecudibus, domibus & ecclesiis a mari absumtæ sunt, nec est spes relicta amplius restaurandi absorpta. Philippus Dux Mediolanensis circa festum Christi, mediante tradimento quorundam civium, solennem & famosam cepit illam civitatem Januam, partialitate & discordia civium, quæ magistra destructionis existunt facultatem & oportunitatem ministrantibus.

Nono anno Sigismundi, qui est DN. MCCCCXXII. Frisones occidentales sponte se Johanni tutori Hollandiæ subjicientes, homagium fidelitatis præstiterunt eidem. Et ut præfata subjectio firmior haberetur, permiserunt dictum Johannem tutorem castra fundare & instaurare in eorum terra, & ea munire. Sed quia assveta libertas sub jugo servitutis diu se non patitur artari, Frisones prælibati vix ad tres menses fidelitatem juratam servantes, pacta inita rumpere & violare non formidarunt. Unde munitiones noviter fundatas a Domino Johanne sæpe dicto destruentes, Dominum Florentium de Alkoma militem strenuum Capitaneum dicti Domini Johannis interfecerunt, Stavream etiam opidum expugnarunt, & Hollandrinos ex parte Johannis tutoris custodientes opidum fugaverunt. Wilhelmus Dux de Luneburg & Otto filius Bernhardi Ducis de Brunswic cum exercitu pulcro in die Sacræ Cœnæ Dominicæ prope castrum Grone venientes, suos hostes Hildenshemensis diœcesis obvios habuerunt. Cum quibus prælium durum aggressi, facti sunt victores, & pene centum armigeros de nobilioribus dictæ diœcesis in campo obtinuerunt. De Canonicis vero Ecclesiæ ejusdem capti sunt plures, & unus eorum natus Dux de Lovenburg Albertus dictus interemtus est. Quo prælio peracto, exercitus Ducum expugnationi castri præfati Gröne insudantes, tandem ipsum ceperunt, Dominis de Hanze & Spegelberg capitaneis adversarii exercitus fuga elapsis. Damnis tandem & gravaminibus expensarum utraque pars fatigata, compositionem amicabilem, mediante Tiderico Archiepiscopo Coloniensi iniit. Duces tamen de Brunswic & Luneburg castrum Borgtorp, quod lite pendente construxerant, retinuerunt cum bonis ad villam illam pertinentibus de jure & consvetudine antiqua. Insuper obtinuerunt dicti Principes castra Osen & Gröne pro redemtione captivitatis Domini de Spegelberg senioris, juniore fuga elapso, cui in subsidium victus contulerunt perpetuo jure possidendum castrum Hachemolen, captivi vero cæteri propriis pecuniis sunt redemti. Feria tertia post Dominicam Palmarum quidam raptores conglobati de Marchia Brandeburgensi & Prigniz ac de Ducatu Magnopolensi numero fere CLXXX. quorum Capitanei erant Reymarus de Plesse, Baldewinus de Taberna, Johannes Quidsowe & Nicolaus Ruer, animo deprædandi stratam communem & mercatores, convenerunt inter Albiam & Molne opidum. Lubicenses autem cives præavizati & moniti per fautores suos, collectionem dictorum raptorumque non ignorantes, nocte præcedenti miserant suos stipendiarios ad observanda vada & introitus viarum, ut hostium jam ingressorum exitum prohiberent aut impedirent. Cumque prædones ante dicti adventum Lubicensium pari-

pariter & Hammeburgensium, quos Lubicenses pridie, quam venirent, in suum auxilium vocaverant, percepissent, timentes multitudinem civium, per antra, per quæ intraverant, exire festinabant. Sed cum cognoscerent ea obstructa & munita armatis viris, mox dorsa vertentes, fugæ præsidio se commiserunt, recto itinere Ducis Erici de Lovenburg castrum petentes. Et ne in manus civium traderentur & occiderentur, se omnes captivos Erico Duci sponte obtulerunt, magis de ipso confidentes quam de burgensibus. Dux autem Ericus licet forte sciret eos spolium jam commisisse, tamen confidentia eorum ad ipsum habita ad pietatem motus, fidem eis præstitit, & securitatem promisit, ipsos ut suos captivos colligens in suum castrum. Lubicenses ergo & Hammeburgenses, qui hos inimicos suos in tantum angustiaverant, ut sic se captivos tradidissent, castrum præfatum Lovenburg accedentes cum multitudine armatorum, Ducem Ericum hortabantur, ut suos sibi traderet hostes. Quod cum facere renueret, asserebant se non minus posse facere ex rigore justitiæ, quin & ipsum ut suum & communis boni hostem persequerentur, & se de eo vindicarent ob injuriam, quam eis faceret. Quod audiens Dux, & indignationem dictarum civitatum formidans, eo quod duo castra in brevi ei abstulissent, tradidit raptores illos in manus civium sub pactione & conditione tali, ut eos conservarent in sospitate corporis & vitæ, quia alias ipse Dux ex sponsione eis facta honoris sui detrimentum pateretur. Cumque raptores illi intellexissent se civitatibus fore præsentandos, prope XX. de ipsis fidem præstitam violantes, latenter recesserunt, nec amplius comparuerunt. Cæteri vero divisi sunt in partes, & Lubicenses circiter LXXX. secum sumserunt cum rebus ad se pertinentibus, armis videlicet & equis, & introductos in urbem turribus commendarunt. Residua autem pars cessit Hammeburgensibus in sortem suam, quæ apud eos similiter vinculis mancipata est. Equi vero captivorum & arma devoluta sunt ad stipendiarios civitatis utriusque. Quibus sic expeditis, dicti captivi aliquamdiu in vinculis tenti, tandem exactionati sunt juxta facultatem cujuslibet, & libertati donati, præstito prævie juramento de non nocendo amplius dictis urbibus & earum civibus ac mercatoribus, nec se vindicando ob perpessam captivitatem, quod juramentum vulgariter orveyde nuncupatur. Philippus Dux Mediolanensis opidum Veltzen in Ducatu Austriæ situm cautulose cepit in die Palmarum. Quod cum Switzerenses percepissent, cum exercitu magno venerunt ad recuperandum opidum præfatum. Dux vero Mediolanensis similiter cum multitudine armatorum eis obvians processit in campum. Uterque enim exercitus pugnam meditabatur. Et tandem congredientes dimicando, utrobique plures corruerunt, interfecto Angelo de Pergamo Capitaneo dicti Ducis. Cumque Switzerenses suum obtinere non valerent propositum, per mediam Ducis aciem transeuntes invitis hostibus, ad propria sunt reversi. Henricus Anglorum Rex circa festum Purificationis Mariæ expugnavit civitatem in Francia Mewys dictam cum suo castro forti. Quam in deditionem accipiens, castrum suis viris armatis munivit. Cives antiquæ urbis Pragensis, qui pro majori parte Teutonici sunt, & fideles, ægre ferentes blasphemias & sermones impacivos cujusdam Fratris Johannis de ordine Augustinensium, qui in eadem civitate prædicator extitit Hussitarum, hæreticus cum eis factus, ipsum ceperunt cum aliquibus sociis suis, & decapitaverunt. Quod factum audiens quædam vetula hæresi infecta, caput dicti apostatæ Fratris Johannis rapuit, & per urbem novam discurrens quasi vesana clamavit: Ecce caput sanctissimi nostri prædicatoris Fratris Johannis in civitate veteri crudeliter interfecti. Quo audito, hæretici novæ civitatis Pragensis suam communitatem concitaverunt contra Consulatum antiquæ urbis. Quæ mox in furiam versa, protinus Consistorium cum armata manu adiit, & plures de Consularibus occidens, ipsum etiam Consistorium destruere nisa est. Lubicenses & Hammeburgenses mille armatos adunantes cum bumbardis petrariis & cæteris instrumentis bellicis, ingressi sunt navigio Frisiam occidentalem, & venientes prope Dokkem opidum, invenerunt quoddam castrum constructum a piratis, & vallis ac aggeribus fortiter munitum, in quo C. & LX. Vitaliani vel amplius residentes mare infestabant. In opido vero Dokkem ultra CCCC. raptores consimiles continebantur, qui deprædationibus mercatorum operam dantes, cunctos spoliabant prætereuntes. Audientes autem Nobiles terræ prædictæ, & præsertim cives Groningenses advenisse civitates præfatas cum exercitu suo, gavisi sunt valde, & colligentes & ipsi agmen pulcrum, venerunt ipsis in auxilium, & fideliter ipsis assistentes, expugnaverunt munitionem a piratis fabricatam. Raptores vero in ea repertos partim extunc occiderunt, partim vero captivos ad tempus servantes, tandem decapitarunt numero fere XLIIII. Castrum quoque expugnatum destruentes solo æquaverunt. Quorum interitum pyratæ alii in opido Dokkem constituti percipientes, fugam navigio inierunt. Post quorum recessum civitates supra dictæ ingressæ opidum Dokkem, multa mercatorum bona inibi recondita invenerunt. Propter quod domus omnium illorum Frisonum, in quorum mansionibus talia bona repererant, funditus everterunt, & substantias eorum confiscantes, secum abduxerunt. Cum autem hæc agerentur per dictos cives, interim Vitaliani Holtzatorum numero quingenti naves Erici Regis Danorum onustas alimoniis & aliis bonis diversis, versus Vlenzeburg tendentes numero XVI. apprehenderunt circa festum Mariæ Magdalenæ, & pluribus Danis in eisdem repertis mari immersis, dictas naves in portum Kylensem perduxerunt. Eodem etiam tempore Henricus Dux de Sleswic, assumtis circiter XXXM. equestrium & pedestrium terræ suæ, versus Dorninghen castrum, quod Rex Danorum Ericus protunc obsidione dura vallaverat, se transtulit, & dictum castrum invitis Danis cibavit, duas etiam munitiones coram eo per Danos erectas dissipavit, & ad propria illæsus remeavit. Henricus Rex Angliæ obiit in Francia in Vigilia B. Augustini in quadam puerili ægritudine, quæ pokken dicitur, relinquens post se Humfredum fratrem suum & filium quendam biennem. Post cujus obitum potiores Anglici Parisius existentes inde fugerunt in Rothomagum, timentes invadi a civibus Parisiensibus partem Karoli Delphini foventibus.

Decimo an. Sigismundi, qui est Dn. MCCCCXXIII. Danorum exercitus Tunderen castrum obsedit, & ad expugnationem ipsius manum validam apposuit. Castrenses vero Holtzati, quasi non curantes inimicos suos, dissimulabant inertiam & segnitiem defensionis mentientes, nec eis resistere velle simulantes, ac velut dormitantes cautulose permiserunt tot hostes vallum castri ingredi, & murum castri scandere, quot viribus suis præsumebant posse devincere. Quibus murum ascendentibus, mox Holtzati in castro latitantes proruperunt, & trabibus grossis in summitate muri pendentibus solutis, casu earum omnes ascendentes dejecerunt, ac multum populum prope murum consistentem & ipsum murum ascendere nitentem peremerunt. Multi etiam bumbardis petrariis & balistis saucii occubuerunt. Numerus autem interfectorum circa castrum repertorum erat CCCXLVI. demtis illis, qui in via & nemoribus deficiebant vulnerati letaliter. Periit etiam inter hos Tunno Ronnowe miles famosus & plures alii militares; cæteri vero Dani fuga elapsi sunt, castrum illæsum relinquentes. Lubicen-

Digitized by Google

bicenses in Vigilia B. Matthæi Apostoli cum mille armatis naves intrantes, mare ingressi sunt, & cum venti prosperitate Scaniam tendentes, in suam comitivam Rostoccenses & Wismarienses cum DCCC. armigeris assumserunt, Sundensibus & Gripeswaldensibus domi nescio ob quam causam remanentibus. Hammeburgenses vero cum exercitu pulcro virorum bellatorum numero DCCCC. Albiam descendentes, eodem tempore Danicos portus & insulas per mare Oceanum petierunt, hostes suos inquirendo. Et venientes prope saltum Ripensem, naves eis alias ablatas per piratas ibidem repererunt, velis, ancoris cæterisque instrumentis aliis necessariis privatas, quas omnes igne immisso combusserunt. Inde vero navigantes, tres insulas opulentas deprædati sunt, cum spolio multo ad naves revertentes. Rex autem Danorum videns civitates contra se venisse cum magno populo, clam collegit exercitum, volens Hollandrinorum naves, quas valde grandes ibidem habebant in partibus Scaniæ pro halecum captura, cum suis armatis replere, & cum eis civitatum naves debellare. Sed civitatenses admoniti per quosdam nautas, mox naves illas invaserunt, & eas velis, ancoris & cæteris instrumentis necessariis privaverunt, chordam illam magnam, qua malus firmatur, gladiis suis secantes & destruentes. Quam astutiam Rex audiens, & frustratum se in suo intelligens proposito, capitaneos dictarum civitatum evocari fecit, & de die certa & loco placitorum cum eis convenit. Dies autem futurorum placitorum fuit dies S. Martini, & locus Nygecopinge villa Regni sui civitatibus vicina. Sed dies illa placitorum, sicut & plures aliæ antecedenter per eundem Regem positæ, solum tali intentione videbatur excogitata, ut videlicet exercitus collectus a civitatibus dispergeretur, & ex illa ac consimili frequenti exercituum dispendiosa congregatione tam leviter dissipata communitates urbium eviscerarentur & gravarentur, & sic excitatæ contra suos Consulares & Rectores adinvicem præliarentur, & sic ipse in pace relinqueretur. Boleslaus Polonorum Rex una cum Vitoldo Duce Lithuanorum circa festum Bartholomæi Apostoli cum ducentis fere millibus hominum Prutziam intravit, castra, civitates & opida expugnare & terram vastare proponens. Prutheni vero adventum hostium sentientes, exercitum XXIIIIM. armatorum collegerunt, & inimicis obviam ire nitentes, vada cujusdam fluminis occuparunt, quod transire necessario habebant. Cumque exercitus Regis Poloniæ de die in diem intantum fortificaretur, ut diutius transitum dictorum vadorum Prutheni hostibus prohibere non valerent, retrocesserunt, & civitates ac castra ingressi, ea munierunt. Rex autem castrum Lobowe obsidione fortissima circumdans, ipsum expugnare cœpit. Sed castrenses viriliter se defendentes circa duo millia Paganorum occiderunt. Consumtis autem octo diebus in expugnatione dicti castri, obsidio illa soluta est, & Rex cum suo exercitu ad castrum Resenburg transiit expugnandum. Castrum autem illud Episcopus illius diœcesis absque munitione debita, dimiserat, & ab eo recesserat. Civitatem quoque castro adjacentem proprii inhabitatores incenderant. Unde Rex veniens, castrum & civitatem suis occupavit stipendiariis. Ipse vero ultra procedens, terram Colmensium igne & ferro ex integro devastavit. Major tamen pars populi tam terræ illius quam aliarum villarum & opidorum cum suis familiis, uxoribus & liberis atque jumentis ad insulam inter Wysalam & Trevenitz flumina sitam se locavit, & vada illorum fluviorum sic firmavit & obstruxit, quod exercitus hostium minime ipsam ripam intrare potuit. Polonis ergo sic in Prutzia sævientibus, quidam Frater de domo Teutonica cum VIIIM. pugnatorum Poloniam intravit, & expugnatis V. civitatibus interfectisque innumeris populis, tandem Grone Monasterium Monachorum, quod Poloni incastellaverant, funditus evertit, truncato Capitaneo castelli illius. Et cum hæc agerentur in Regno Poloniæ, interim Rex cum suo exercitu Colomensem urbem ingressus est violenter, & incastellans majorem ecclesiam civitatis cum domibus circumjacentibus Canonicorum, ipsam fortiter munivit. Quod percipientes Prutheni, innumero populo urbem prædictam obsederunt, & Regem prædictum quasi captivum in ipsa civitate tenentes in tantum angariaverunt propter inopiam victualium, ut ipsum ad placitandum cum eis compellerent, licet incomparabiliter eis fortior existeret. Rex ergo Boleslaus & Vitoldus Dux treugis firmatis, populum communem ad propria remittentes, cum Fratribus de domo Teutonica conventiones & pacta sigillis suis firmiter roborata inierunt. In his autem contractibus conclusum fuerat, quod Prutheni duo castra Nesse & Dranenburg funditus evertere debuissent, quæ claves erant terræ Prutziæ. Quibus semotis, Poloni ad libitum semper terram Pruthenorum intrare valuissent. Sed Tidericus Archiepiscopus Coloniensis & Lodowicus Dux Bayoariæ missi per Principes Electores in Prutziam supervenerunt, & pacta illa quoad castrorum destructionem autoritate Regis Romanorum & Principum Electorum revocantes & cassantes, de novo placitare inceperunt cum Rege & Vitoldo ac Pruthenis, & tandem fine bono concluserunt pacem facientes inter partes prædictas. Molhusensis civitas terræ Thuringiæ quasi media igne consumta est in Vigilia Corporis Christi per impositionem quorundam traditorum; qui tandem in proxima villa comprehensi sunt & rotati. Johannes Dux Magnopolensis obiit in castro Swerinensi in die S. Galli, relinquens post se duos filios parvulos. Post cujus transitum Albertus filius Alberti quondam Regis Svveorum solus Ducatum administravit, paucis tamen diebus. Nobiles de Ekesveldia exercitum colligentes, cives Molhusenses deprædari statuerunt. Sed Capitaneus dictæ urbis gnarus congregationis illius cum CC. armatis adventum eorum præstolabatur; similiter & Lantgravius Thuringiæ præmonitus venit cum CC. viris fortibus, eo quod tutor & conservator urbis esset Mulhusensis. Cum ergo hostes jumenta civitatis & pecora apprehendissent, & abducere niterentur, dictus Capitaneus urbis a tergo ipsos impetuose invasit, cum eis viriliter prœliando, Lantgravius vero cum suis in faciem eis resistens plures stravit & captivavit. Cives ergo cum suis auxiliatoribus victores effecti captivaverunt de hostibus circiter CLXIIII. reliquis de manibus eorum elapsis. De Nobilibus autem captivatis fuerunt duo de Lichen, duo Adolevessen & unus de Hansteen Duces exercitus supra dicti. Albertus Dux Saxoniæ de Wittenberg obiit in die S. Jacobi, non relinquens post se hæredem seminis sui masculinum. Quo defuncto, Ericus Dux Saxoniæ de Lovenburg scribere se cœpit Ducem Saxoniæ de Wittenberg & consequenter Electorem Sacri Imperii ac Marscalcum ejusdem. Tunc quidem de isto Ducatu plures se intromittere cœperunt & contendere, sed unus contendentium cum allatura recessit, prout inferius patebit. Rumpoldus Dux Slesiæ missus est in Daciam ad Regem Danorum pro concordia facienda inter ipsum & Principes Holtzatorum. Qui veniens in urbem Lubicensem honorifice multum tractatus est. Procedens tandem versus Daciam cum comitiva decenti, pervenit in opidum Vlenzeburg in Vigilia S. Martini. Henricus autem Dux de Sleswic illis diebus exercitum magnum congregaverat, habens secum Wilhelmum Ducem de Luneburg & Adolfum Comitem de Schowenburg cum CCCC. ferme armatis, & iter suum versus dictum opidum Vlenzeburg direxit, & in aurora diei Sancti prædicti Martini opidum aggressus est, ipsum oppugnando prope castrum. Cumque jam Holtzatorum exerci-

Digitized by Google

ercitus ingressus suburbium duas opidi valvas dissipasset, mox Dani expergefacti, vias curribus & doliis advolutis obstruxerunt, & fortiter hostibus resistentes, ipsos tandem de suburbio expulerunt manu violenta, utrobique tamen paucis occumbentibus & captivatis. Rumpoldus autem Dux, qui opidum vespere intraverat, confestim exurgens, ad Henricum Ducem de Sleswic perductus est. Qui mox se interponens, & furiam Holtzatorum verbis lenibus demulcens, promisit se a Rege Danorum procuraturum discordiæ illius finem bonum & pacem perpetuam, eo quod venisset propter eandem causam cum plena autoritate Regis Romanorum, exhortans Principes illos, ut cum suis ad loca propria remearent, nullo modo hæsitantes de promisso. Wilhelmus ergo Dux Luneburgensis cum cæteris Nobilibus fidem verbis Rumpoldi Ducis adhibens retrocessit, & dictus Dux Rumpoldus præsentiam Regis accessit, ac Sigismundi Regis Romanorum, cujus legatione fungebatur, intentionem eidem expressit, & singulis studiose masticatis breviter circa ipsum tantum effecit, quod ipsum Regem & Henricum Ducem ad amicitiam singularem retraxit, ita quod Rex Henricum Ducem in suam gratiam recepit, & in favorem specialem munera speciosa sibi tribuit. Insuper in familiarem confœderationem posuit Regem & civitates maritimas, quarum nuncii præsentes erant, sopitis cunctis retroactis displicentiis. Et ut hæc amicitia concors, ut præmittitur, inita firmior & confidentior permaneret, dedit Ericus Danorum Rex Principibus Holtzatorum & nunciis civitatis Lubicensis dona magnifica & regalia, prohibens districtissime, ne amplius in Regno suo quiscunque Advocatus bona mercatorum quorumcunque per naufragia periclitata arrestare aut sibi usurpare præsumat, sed potius dicta bona ipsis mercatoribus libere restituat. Duci vero Rumpoldo dedit filiam Ducis Pomeraniæ suam consanguineam in recompensationem laborum suorum, solvens cum hoc cunctas expensas in Dacia & in urbe Lubicensi factas. Largitus est insuper eidem Duci regalia clenodia diversa ac magnam auri summam. His omnibus solenniter expletis, & Erico Rege in magno gaudio constituto, proh dolor! extrema gaudii luctus immensus occupare cœpit. Nam Princeps ille illustris & Angelus pacis Rumpoldus epidimiæ labe tactus lectum ægritudinis incidit. Qui sentiens mortem sibi imminere, Regi seriosis verbis & monitis salubribus imposuit, ut pacem & concordiam per ipsum inceptam ad effectum perduceret. Quod cum Rex cum effusione lacrymarum & suspiriis profundis indubitanter se facturum promisisset, Dux spiritum efflavit non sine maxima assistentium perturbatione. Quem Rex cum solennibus exequiis tumulari fecit in Hadersleve, licet sui vasalli ipsius corpus libenter ad suas partes reduxissent. Post quarum exequiarum peractionem familiares Ducis defuncti Rex ad propria remisit, sufficientes expensas eisdem conferendo. Karlsteen castrum Regis Bohemorum hæretici Pragenses expugnare volentes, cum exercitu maximo ipsum obsederunt. Johannes autem Polenz Capitaneus ejus in magnis constituitur angustiis. Quod percipientes Lodowicus Dux Austriæ ex una parte, & Fredericus Marchio Misnæ ex altera, collectis exercitibus, veniunt obsessis in adjutorium, adjuncto eisdem Frederico Marchione de Brandeburg in partibus Sweviæ residente. Qui pugnantes viriliter cum hæreticis, de ipsis ultra tria millia occiderunt, cæteris in fugam versis, & castrum prædictum victualibus relevantes, reversi sunt ad propria. Fredericus Dux Bayoariæ obiit in die Panthaleonis Martyris. Huic Duci Fredericus Marchio de Brandeburg plura castra & urbes abstulerat bello justo. Jacoba filia Wilhelmi Comitis quondam Hollandiæ, quæ alias nupserat avunculo suo Duci Brabantiæ, & propter carnis propinquitatem de mandato Papæ ab eo separata extiterat post biennalem copulam, hoc anno juncta est matrimonialiter Umfredo Duci Glocestriæ fratri Henrici Regis Angliæ defuncti. Hoc quidem matrimonium dicta Domina Jacoba subiit, ut sic virtute Anglorum Comitatum Hollandiæ recuperare valeret, quo privata erat per Johannem fratrem patris sui Wilhelmi defuncti, qui tutor Comitatus illius factus fuit. Philippi Ducis Burgundiæ nuper a Carolo Delphino Franciæ, fidei prævaricatore turpiter interfecti relicta, obiit veneno extincta a propria pedissequa, ut publica sonuit fama; hæc autem relicta filia fuerat Karoli Regis Francorum. Fredericus Marchio de Brandeburg placita habuit in opido Parleberg terræ Prignitz cum Alberto Duce de Mykelenburg propter plures captivos, quos uterque Princeps ceperat, redimendos. Et simul soli convenientes, seclusis utriusque Principis Consiliariis, quibus pax odiosa erat, amicitiam perpetuam mutuo firmarunt, & omnes captivos libertati restituerunt; Johannem tamen Ducem Stargardiæ, quem diu captivum tenuerat, in captivitate pristina retinuit, suam redemtionem suspendens ad tempus oportunum. Castrum vero Gorlose & Domese, quæ jure belli acquisierat, de sua benignitate præfato Duci Alberto libere resignavit, tradens eidem in matrimonium filiam suam parvulam in signum pacis & amicitiæ perpetuæ. Karolus Rex Francorum diem suum clausit extremum, post se relinquens filium æquivocum & Regni hæredem verum. Ad hunc licet jure hæreditario Corona Regni esset devoluta, tamen quia pater suus Karolus adhuc vivens successionem Henrico Regi Angliæ jam defuncto & suis hæredibus resignaverat de consensu quorundam Procerum Regni, idcirco Principes Angliæ una cum Duce Burgundiæ Philippo filio Philippi interfecti a dicto Delphino eidem restiterunt, in quantum potuerunt. Hyems intolerabilis multis fuit, incipiens circa festum Elisabeth, & durans usque ad Quadragesimam. Tanta enim rigiditate gelu illud Balthicum mare constrinxerat, quod quidam mercatores asserebant se equitasse in soliditate glaciei de Prutzia in Lubeke per viam regiam, quam naves transire consueverunt. Martinus Papa misit in legatione sua Dominum Brandanum Cardinalem titulo S. Clementis Placentinum ad visitandum Clerum in Alemanniam & ad reformanda collapsa status Sacerdotalis & sacræ Religionis. Qui licet in locis, quæ visitabat, defectus emendaret, & statuta relinqueret observanda pro reformatione prælibata necessaria, post suum tamen recessum parum vel nihil profuit visitatio facta. Piratæ mare infestantes cum barcis tribus grandibus invasi sunt per Anglicos, Hollandrinos & aliarum terrarum mercatores. Et de ipsis raptoribus una navis aquis est immersa cum XL. prædonibus; alia barca cum XXX. & amplius vi ventorum in Prutziam est deducta, ubi omnes capti sunt & decollati; tertia vero plena prædonibus a Hollandrinis devicta est, & perducta in opidum Enkhusen, & ibidem plexi sunt numero XLII. Wilhelmus Dux de Luneburg duxit filiam Frederici Marchionis de Brandeburg in die S. Viti, quarum nuptiarum solennitas peracta est in civitate Luneburg, præsentibus multis Principibus. Alteram vero dicti Marchionis filiam accepit in uxorem Albertus Dux de Mykelenburg, & nuptiæ illæ celebratæ sunt in Tangermunde etiam in præsentia multorum Principum & Nobilium. Johannes Episcopus Hildenshemensis natus Comes de Hoya vitam commodosam in senio agere volens, resignavit Episcopatum suum ad manus Domini Magni Episcopi Caminensis fratris Erici Ducis de Lovenburg ex dispensatione Papæ Martini. Et solvit dictus Magnus Episcopus summam certam Johanni Episcopatum sibi resignanti de præsenti, & soluturum se obligavit annuatim ad tempora vitæ ejusdem Johannis quandam aliam summam. Resignavit etiam idem Magnus Episcopus Ecclesiam suam Caminensem sub eadem dispensatione Papali ad manus

Erici

Digitized by Google

Erici Regis Danorum; ad cujus procurationem Papa dedit eandem Ecclesiam Cancellario dicti Regis, & ipsum in Episcopum confirmavit. Ericus Rex Danorum Archiepiscopum Upsalensem accusari fecit coram Papa de quibusdam gravibus excessibus per eum commissis, & autoritate ejusdem Domini Papæ de Ecclesia sua ipsum jecit, & quendam Fratrem Ordinis S. Brigittæ virum devotum in locum ejus subrogavit. Tanklem opidum Ducatus de Wolgast incineratum est quasi ex integro cum Conventu Fratrum Augustinensium,& duravit conflagratio illa ultra medium annum, ita quod ignis ille extingui non potuit, comburens etiam fundamenta in profundo terræ. Eodem tempore consimili conflagratione consumta est Danzeke civitas terræ Prutziæ pro majori parte cum Conventu Fratrum Prædicatorum. Duderstad etiam civitas terræ Saxoniæ exusta est pari conflagratione & horribili. Perierunt namque in ea ultra CC. homines utriusque sexus, qui ignem illum edacem nullo diffugio evadere poterant. Concilium generale, quod Martinus Papa celebrandum constituerat ad quinquennium post suam coronationem in Papia, ultra translatum est per Præsidentes dicti Concilii Papiensis propter absentiam Papæ celebrandum Cenis (Senis) pro alio tempore.

Undecimo anno Sigismundi, qui est Domini MCCCCXXIIII. Halberstadenses cives seducti persuasionibus cujusdam Matthiæ Longi civis ejusdem urbis, sed alias expulsi propter suas involutiones periculosas, quandam commotionem & insurrectionem fecerunt, captivando quosdam de Consularibus suis & eos incarcerando. Quod malum cum Johannes Episcopus civitatis ejusdem & aliæ civitates confœderatæ dudum cum dicta urbe Halberstadensi,puta Aschersleve & Quedelenburg percepissent, mox venerunt prope urbem,& evocari fecerunt Capitaneos dicti schismatis, & consuluerunt eisdem, ne amplius exorbitarent, aut violentiam committerent ulteriorem in capitibus & superioribus eorum. Si enim causas haberent contra eos rationabiles, deberent contra eos justitiæ complementum postulare a judice eorum, & cum tali violentia non procedere. Quibus cives illi ut furiosi & ratione non utentes responderunt, quod ad propria redirent in pace, & disponerent de factis suis, prout eis placeret; ipsi autem cum Consularibus suis aliqua haberent agere, quæ sine eis optime perficere vellent. Et sic dorsum vertentes civitatem sunt ingressi, & die altera tres Consulares, quorum unus Proconsul erat, decollaverunt. Quibus interfectis, statim domos eorum sunt ingressi, & deprædati sunt omnia eorum bona. Post hoc plures alios cives de potioribus captivantes, juxta facultatem cujuslibet ipsum exactionaverunt. Quod videntes amici & familiares interfectorum, fugam ceperunt, vicinas civitates intrantes, & injuriam eis illatam causantes. Aliqui etiam de profugis ad urbem Lubicensem recursum habuerunt, violentias eis factas exponentes. Quidam insuper præsidium Sigismundi Regis Romanorum implorantes, justitiam eis fieri postularunt. Cæteri quoque ad castra vicina se transferentes, exercitiis militaribus & armata manu de suis oppressoribus se vindicarunt, magna damna civitati inferendo. Videntes tandem illi, qui turbationem hanc fecerant, quod circumquaque inimicis vallarentur, & hostes sui de die in diem augmentarentur, suum Episcopum prius spretum & turpiter abjectum humiliter adierunt, & pecunia ac precibus cernuis ipsum placantes, amicitiam suam recuperarunt. Qua reconciliatione facta, stipendiarios conduxerunt, & se defendere manu valida contra inimicos suos statuerunt. Sed Magnus Episcopus Hildenshemensis eorum præsumtam audaciam reprimere satagens, cum exercitu pulcro ad urbem eorum venit, vaccas apprehendit & abduxit, insequentes truncavit, captivavit & prostravit. Sed nec sic castigati ad animum sunt reversi, sed in sua pertinacia obstinati, concives suos innumeris turbationibus gravaverunt. Quorum malitiam periculosam advertentes cæteræ civitates, de unanimi consensu copiosum cumulaverunt exercitum una cum Johanne Episcopo Halberstadensi, & properantes simul dictam civitatem obsidione valida circumdederunt, caventes, nequis de urbe illaberetur (elaberetur). In dicto autem exercitu erant Johannes Episcopus Halberstadensis, cives Magdeburgenses, Brunswicenses, Hallenses, Hildenshemenses, Luneburgenses, Goslarienses & Honnoverenses. Hi tamen omnes frustrati sunt in hoc proposito, quod de obsessis in urbe nemo evaderet. Nam totius dissensionis caput Matthias supra dictus cum filio suo fuga elapsus manus omnium ad tempus evasit. Cujus fugam intelligentes civitatum capitanei, mox proclamari fecerunt se daturos centum sexagenas grossorum cuilibet ipsum captivanti. Transiens ergo dictus Matthias in habitu peregrino cum filio suo Hartonem, occurrit quibusdam raptoribus Dei nutu. Qui mox ipsum cum filio apprehendentes, eos vinxerunt. Cognitus mox ab uno prædonum, exhibuit eisdem centum florenos, ut liberos eos abire permitterent, habens apud se cirtra DC. florenos, quos secum de urbe attulerat. Sed principalis eorum audiens ipsum esse Matthiam Longum, ex fama cognovit eum fore illum, qui multa in urbe Halberstadensi mala fecerat,& propter quem civitas eadem obsessa esset. Unde vinctum ipsum cum filio suo per Hartonem duxit, & ambos Episcopo Halberstadensi in obsidione constituto præsentavit. Cui statim Episcopus, ut civitates promiserant. centum sexagenas de pecuniis juxta eum repertis elargiri fecit. Quibus mox in vincula conjectis, postulavit Episcopus a civibus obsessis fratrem Matthiæ & alium ejus complicem de urbe sibi præsentari. Quod cum cives facere renuerent, & ad rebellandum suos animarent, Episcopus &cæteri Præceptores exercitus instrumenta bellica applicari mandaverunt. Et sic cum petrariis, machinis & bumbardis urbem oppugnare cœperunt, projicientes lapides grandes, & plures domos destruentes. Quibus jacturis territi communes & vulgares, tumultum intra urbem concitarunt, & Consulares ac potiores compulerunt, ut mandatis Episcopi obedirent, & postulatos sibi traderent ad puniendum. Quod cum factum esset, quatuor prælibati impositores discordiæ decollati sunt in exercitu, & claves civitatis traditæ sunt Domino Johanni Episcopo & Capitaneis civitatum. Illi vero de qualibet civitate unum in urbe Halberstadensi dimittentes, ut per eos collapsa repararentur, & novus Consulatus constitueretur, ad propria sunt reversi. Feria secunda post Lætare Syfridus de Spanheym Magister Lyvoniæ obiit evocatus ad Christi tribunal modo horribili tali: Sane juvenis mercator in urbe Rigensi erat, natus de Lubicensi civitate dictus Marquardus Klempowe, dilectus ab omnibus & bonæ opinionis existens. Huic autem adolescenti Magister ante dictus matrimonio copulare volebat quandam mulierem infamem Odelam dictam, suam, ut famabatur, concubinam. Mercator autem ille attendens ad obscuritatem famæ mulieris prædictæ, renuit omnino ducere eam. Quod audiens mulier, & se contemtam ab eo intelligens, more crudelitatis fœmineæ juvenem prædictum coram Magistro præfato mendose & falso accusavit, furtum ei imponens. Qui statim mercatorem capi fecit, & vinculis detineri. Et licet adolescens evidenter se expurgaret, & suam innocentiam apertissimis argumentis comprobaret, ac preces multorum pro eo porrectæ Magistro extitissent, in nullo tamen animus dicti Magistri immutari potuit. Sed quia negotiator ille ad nutum suum mulieri nubere noluerat, & Magistri verbum in hoc

Digitized by Google

hoc parvipenderat, ipsum suspendio adjudicavit. Cum ergo adolescens ille extra urbem ductus coram patibulo staret, & jam appendi deberet, clamavit voce magna, audiente omni populo & lacrymante: Quia sententia hujus terreni judicis injuste damnatus sum ad mortem, æternum judicem & verum appello, ante cujus tribunal cito peremtorie hunc judicem Sifridum Magistrum Lyvoniæ, quatenus XIII. die ab hac hora mecum coram eo compareat, auditurus verum judicium & justam sententiam. Quo dicto, appensus patibulo est & mortuus. Quo defuncto, & fama citationis ad dictum Magistrum perducta, ille factam citationem vilipendens, & ad consveta facta cum amasia sua divertens animum, dies illos breves transivit incolumis. Die autem XIII. cum in prandio cum amicis sederet, vel ut quidam referunt, in stratu recumberet, subita infirmitas ipsum invasit, & accurrentibus familiis tremula voce dixit: Oretis omnes Deum pro me, quia oportet me ab instanti recedere. Video enim illum, qui me citavit, nec amplius est spes vitæ meæ. Et his dictis, oculos evertit, & horrendum vultum ostentans spiritum efflavit. Quo mortuo, mulier illa ab alio mercatore impetitur cognomento Schymmelpennig, & furtum sibi verum vice versa ab eo imponitur. Quæ fidejussores pro se statuens, promittit se velle respondere juridice impetitori suo. Sed dimissa mox radi se fecit ut Clericum, & equum ascendens cum quodam ad hoc conducto terram exivit, & Prutziam intrans, manus evasit quærentis animam ejus. Dux Mediolanensis Philippus circa festum Johannis Baptistæ bellum durum pugnavit cum Florentinis, & victoriam de eis obtinens, interfecit de stipendiariis civium circa IXM. Usus namque fuit cautelis & astutiis suis fodiendo in terra foveas, & eas occultando arbustis & aliis stramentis, in quas improvidi hostes labentes interfecti sunt. Bracius Nobilis & potens Miles Ecclesiam Dei multis tribulationibus vexavit, & castra ac civitates S. Petri expugnavit, Clerum dehonestavit, ecclesias violavit, ac mala inexplicabilia Papæ ac Romanis intulit diebus multis. Pro nunc autem exercitum ducens, Papæ & Romanis bellum indixit, humiliare proponens ex toto Papam & Clerum suum. Martinus autem satellites & stipendiarios suos in occursum suum misit. Romani vero per vias eis notas transeuntes cum suo exercitu taliter disposuerunt. Bracio inscio, ut utroque fine ipsum concluderent. Aggressus ergo bellum ipse cum paucis contra stipendiarios Papæ, ab eis mox prostratus est & interfectus. Quod videntes de exercitu Bracii cæteri, in fugam versi sunt, ipsisque nescientibus fugiendo in manus Romanorum inciderunt. Qui multos occidentes pluresque captivantes, Romam secum deduxerunt. Sepultus est dictus Bracius prope ecclesiam S. Laurentii in loco non consecrato, eo quod in excommunicatione decessisset. Anglici transfretantes mare circa festum B. Johannis Baptistæ, venerunt in Franciam cum magno populo, & sociantes se suis, qui jam in Francia erant, bellum assumserunt cum Francigenis certo die se dimicaturos. Die autem statuto pugnæ adveniente, uterque exercitus acies suas disposuit. In capite autem exercitus Francorum constituti erant Schoti, quos collegerant ex illis, qui exulabant pulsi terra sua. Quibus congressis, pugnarunt acriter ex utraque parte. Schoti autem de Anglicis plures straverunt; Francigenæ etiam viribus suis utentes, de Anglicis magnum numerum interfecerunt. De Francorum vero exercitu plures ceciderunt, & in ambiguitate diu pendebat victoria, sed potior spes pro parte Francorum erat, quia stipati erant turma maxima Scotorum virorum fortium. Cum autem jam in procinctu esset, ut Francigenæ victores effecti fuissent, magna pars exercitus Francorum ad rapiendos equos Anglorum avida, ab exercitu suo se divertit, credens se jam vicisse & triumphatores existere. Quod cernentes Anglici, viriliter partem exercitus sibi relictam invaserunt, & prostratis universis Schotis, tandem & Francigenas vicerunt. Cæsi ergo sunt de Francorum exercitu die illa circiter IXM. armatorum, supputatis Schotis, qui VM. fortium virorum perdiderant, de Anglicis vere ferme VIIIM. peremta sunt. Lodowicus Rex Apuliæ pulsus Regno per uxorem suam, locavit se apud Papam in Roma, Regina vero advocans Regem Arrogoniæ, tradidit sibi Regnum Apuliæ, ut ipsam defenderet contra virum suum. Sed non diu post sentiens Rex Arrogonum Reginam non bene sentire de eo, spoliavit Neapolim urbem opulentissimam, & inexplicabilem thesaurum inde colligens abscessit, Lodowicus autem postea reconciliatus uxori per Martinum Papam, rediit in Regnum suum. Albertus Dux Magnopolensis obiit, & sepultus est in Dobberanensi Monasterio. Post cujus decessum regimen Ducatus assumserunt civitates Rostoccensis & Wismariensis, qui tutores facti sunt filiorum Ducis Johannis, ad quos Ducatus devolutus est, eo quod Albertus supra dictus sine sui seminis hærede decesserit. Sponsa autem sua filia Marchionis Frederici, accepto castro de Wittenburg cum opido & pertinentiis suis & opido Ribnitz cum suis attinentiis pro vitalitio suo, ad ædes paternas rediit intacta a viro suo. Ericus Rex Danorum circa festum Assumtionis Virginis Gloriosæ exiens Regnum suum, intravit per Ducatum Stetinensem Pomeraniam, cujus hæres erat, & aliquamdiu ibi moram faciens, remisit ad Regnum suum quosdam de familia sua, parcens expensis; & inde procedens cum XL. equis, pervenit tandem ad Regnum Ungariæ in Oven urbem regiam, & ubi Sigismundus Rex fortissimum ædificabat castrum. Apud quem Ericus Rex per tempus manens, citari fecit Henricum Ducem de Sleswic, cum quo litem habebat pendentem. Dux autem Henricus citatus transmisit Dominum Johannem Episcopum Lubicensem suum legitimum Procuratorem pro defensione causæ suæ. Qui cum ad curiam Regis Romanorum pervenisset, & causa litis inter Principes ventilata esset in judicio Regis, nescio qua ex causa, an pecunia suffragante, an potestate prævalente, aut favore inclinante, sed hoc scio, quod pars Henrici Ducis succumbens in expensis damnata est, & diffinitiva sententia contra eam lata est a judice curiæ, ita quod Ducatus Sleswicensis cum omnibus suis pertinentiis de jure esse debeat Erici Regis, & ad Regnum suum pertinere, & sibi quantocius ex toto & integraliter resignari a Henrico usurpatore ejusdem. Procurator autem Ducis Henrici Johannes Episcopus Lubicensis audiens se & suam partem gravatam per iniquam sententiam, mox a dicto gravamine appellavit, Sedem Apostolicam provocans, appellationemque interpositem promulgari faciens per Dominum Nicolaum Præpositum Sleswicensem. Qui etiam personaliter infra tempus a jure statutum ipsam prosecutus est, ipsam curiam adiens, & negotium solicitans juxta posse. Causa autem immediate delata ad curiam assumta est per Dominum Apostolicum, & mox cassata est sententia, imo verius suspensa usque ad plenam audientiam utriusque partis. Ericus ergo Rex, lucrata sua causa, ut sibi pro primo videbatur, reysam suam, ob quam principalius exierat, perficere nitebatur, disponens se ad peregrinationem Jerosolymitanam. Erat autem tunc apud Regem Romanorum filius Regis Constantinopolitani, militiæ deserviens. Hic intelligens Regem Danorum velle peregrinari Jerosolymis, vocavit secreto pictorem, & ipsum conduxit ad effigiendam faciem Erici Regis. Qua imagine habita misit eam clam Soldano Damascenorum, demandans eidem, quod Rex trium Regnorum venturus esset Jerosolymis consimilis formæ. Quem si compre-

Digitized by Google

comprehenderet, infinitum thesaurum forte dare valeret. Rex autem Ericus illius traditionis ignarus viam inceptam arripuit, & veniens prope Venetias, a Duce & civibus urbis illius cum solennitate magna receptus est & honore. Et ibidem navem sibi comparans, cum familia pauca eam ingressus est, in forma famuli & servitoris uni civi Venetiarum adhærens, & sic in habitu ignoto & vili terram Paganorum transiens. Cum autem Terræ Sanctæ applicuisset, & pro eorum salvo conductu a Soldano quidam Nobilis Sarracenus eis designatus esset, qui ipsos duceret, recepti sunt ab eo exeuntes de navi, & perducti in Jerusalem. Protunc autem clausum erat Sepulcrum Domini propter spolium quoddam commissum per Catalanos, nec volebat dictus Soldanus, quod quicunque peregrinus Sepulcrum Domini accederet, nisi prius damnum suis illatum refunderetur. Sed dictus civis Venetianus, cui Ericus Rex ut famulus adhærebat propter securitatem, tantum apud Principem Sarracenorum effecit, ut pro illo tempore duntaxat clausura illa laxaretur. Et sic Ericus Rex templum est ingressus pariter & sepulcrum Domini, & votum suum explevit, ob quod venerat. Cive autem illo recedente, templum iterato clausum est ut prius, & accessus ejus peregrinis est interdictus. Cumque devotione sua expleta Rex ad navem reverteretur, dixit Nobilis ille, qui salvum conductum eis exhibuerat, Erico Regi secreto: Credis homo, quod nobis ignotus sis, qui in forma clientis apud civem istum vagaris: tu enim es trium Regnorum Princeps, & Danorum Rex nuncuparis. Et ut scias me te optime cognoscere talem esse, ecce imago faciei tuæ, nostro Domino Soldano destinata. Quam cum Rex videret, consternatus valde fertur dedisse Nobili illi summam pecuniæ satis largam, ut ipsum in pace transire permitteret. Quo navem ascenso cum sua comitiva, non per Venetias, sed per aliam viam reversus est in Ungariam, & inde in Regnum suum. Dux Mediolanensis Philippus cum exercitu copioso intravit Pykardiam, expugnans urbes, & evertens munitiones diversas. Hanc autem expeditionem fecit in favorem Karoli Delphini Francorum, & contra Philippum Ducem Burgundiæ, cum quo litem singularem gerebat. Plures etiam urbes & castra dictus Dux expugnavit in Italia, hostilem discordiam gerens cum Florentinis; cui favebant Martinus Papa & Sigismundus Rex Romanorum, mittentes eidem stipendiarios multos ad humiliationem dictæ civitatis Florentinæ. Johannes Habundi Archiepiscopus Rigensis obiit feria sexta Pentecostes, in cujus sedem electus est Præpositus ecclesiæ ejusdem. Circa idem tempus obiit & Johannes Episcopus Hildenshemensis, qui ecclesiam suam dudum Magno nato Duci de Lovenburg resignaverat. Fredericus Episcopus Trajectensis obiit, vir prudens & magnæ probitatis; cui Ecclesiæ Papa dedit in Pontificem Episcopum Spirensem, transferendo ipsum de sua Ecclesia ad Trajectensem Parochiam. Sed ipse utpote vir provectæ ætatis ipsam resignavit, & tunc Papa eandem dedit Suedero Præposito dictæ Ecclesiæ electo per quosdam Canonicos illius Ecclesiæ, cujus Præposituram contulit suo avunculo. Cæteri vero de Capitulo dictæ Ecclesiæ Trajectensis elegerunt in suum Episcopum Dominum Rodolfum natu Comitem de Desholt contra Suaderum natu Dominum de Kulenburg in gravamen tamen Ecclesiæ. Hic Rodolfus electus tam castra quam civitates Diœcesis in tuitionem recepit, & ea cum suis pertinentiis administravit, licet per Apostolica mandata & excommunicationem ipse & sui adhærentes satis graviter infestarentur ad magnum tempus. Otto Episcopus Monasteriensis germanus Episcopi Hildenshemensis Johannis obiit, in cujus sedem electus est germanus Tiderici Archiepiscopi Coloniensis Comes natu de Moisen juvenis satis Henricus dictus.

Duodecimo anno Sigismundi, qui est Domini MCCCCXXV. feria quinta ante Dominicam Esto mihi Wirtizlaus Dux de Wolgast, Casymarus Dux Stetinensis & Otto frater suus cum exercitu armatorum venientes prope opidum Prinslaviense Marchiæ de Brandeburg, & ipsum cum cautelis & astutiis militaribus ac instrumentis bellicis invadentes, tandem ipsum expugnarunt & ceperunt, civibus ex crapula & ebrietate serotina sussusis & torpescentibus. Nobilis autem quidam Frederici Marchionis Advocatus in urbe protunc existens fortiter hostibus restitit cum suis, & plura in certamine vulnera suscepit. Qui tandem videns cives segniter agere, equum ascendit, & urbem exiens saucius, castrum suum quantocius petiit. Quidam vero cives de potioribus numero XII. etiam fugam capientes, ad dicti Advocati castrum festinarunt. Quos Nobilis intromittens, eos captivavit, & in vincula jecit, dicens: Justius est, quod Dominus noster Marchio vos captivos teneat, quam Dux Stetinensis, quem turpiter agendo, nec vos viriliter defendendo introire fecistis, & traditores vestræ civitatis facti estis. Hoc idem etiam fertur dixisse Otto junior Dux die altera captionis civitatis. Nam cum die sequenti populum civitatis convocassent ad Conventum Fratrum Prædicatorum, in quo Duces hospitabantur per illud tempus, & vidissent magnam multitudinem populi, dixit Otto Dux: Video vos cives in bono esse numero, & ideo, si probi viri fuissetis & fideles Domino vestro, nunquam intrassemus ad vos contra vestram voluntatem. Tunc tota illa multitudo homagium fecit Principibus illis & juramentum fidelitatis. Johannes natus Dux Bayoariæ & tutor factus Hollandiæ veneno extinctus periit. Erat enim dicto Domino Johanni familiaris multum quidam perniciosus miles Johannes de Vleet dictus. Hic corruptus pecunia & promissionibus quorundam vitæ dicti Domini Johannis insidiantium, intoxicavit sæpe dictum Johannem Dominum suum & amicum in potione quadam. Quam cum Dominus Johannes gustasset, & sentiret venenum esse, ad vomitum mox se provocavit, & intoxicum sumtum eructavit. Militem vero illum statim capi fecit, & confessum nefas suum mox in quatuor partes dividi jussit, & quamlibet partem in una quatuor plagarum terræ Hollandiæ suspendi mandavit. Leonardus Statii generalis Ordinis Fratrum Prædicatorum Magister in Theologia obiit in Florentia in crastino B. Benedicti. Hic pro hoc anno posuerat generale Capitulum celebrandum in civitate Lubicensi & Conventu Ordinis sui. Sed morte præventus, mutatum fuit generale Capitulum in provinciale propter obitum dicti Magistri, & celebratum ibidem pro festo Pentecostes. Umfredus Dux Glocestriæ frater Henrici Regis Angliæ defuncti mare transiens cum Anglorum exercitu, venit in Hannoniam, quæ jure hæreditario spectabat ad Dominam Jacobam filiam Wilhelmi Comitis quondam Hollandiæ, & divortionatam uxorem Adolfi Ducis Brabantiæ, nunc autem copulatam matrimonialiter eidem Umfredo Duci, & receptus est a Bergensibus, ubi dicta Domina Jacoba tunc residebat. Cujus adventum percipiens Adolfus Dux Brabantiæ, qui jus matrimoniale in dicta Domina Jacoba adhuc constanter sibi vendicabat, & per eam ex consequenti Comitatum Hollandiæ, cujus hæres erat, collegit exercitum magnum, & veniens in Hannoniam, obsidione cinxit urbem Bergensem supradictam. Erant autem auxilio Duci Brabantiæ Wilhelmus Ducis Burgundiæ frater illegitimus, vir multum bellicosus, Comes S. Pauli frater Ducis Brabantiæ, Episcopus Leodiensis, & alii plures Nobiles & civitates, habentes bellatores in universo LXXXM. Quorum vivacitate & militari exercitio continuato jam fere ad quindenam exterritus Umfredus Dux, placita & treugas sibi concedi a Principibus postulavit & impetravit. In quibus tandem sic ordinatum est, ut dictus Umfredus Dux cum suis Angliam repe-

repeteret, missurus ad Romanam curiam pro nova & matura declaratione, quis de duobus Principibus illis melius jus matrimoniale in prædicta Jacoba haberet, & ille eam obtineret cum Comitatu Hollandiæ. Wilhelmus Marchio Misnensis obiit circa festum Matthiæ Apostoli, cujus frater Fredericus supervivens obtinuit Marchionatum solus cum Ducatu Saxoniæ, quem multa pecunia a Sigismundo Rege Romanorum mercatus est pro se & suis hæredibus perpetuo obtinendum. Quidam Clericus degebat in Hammeburg urbe, cui in juventute sua porci & sues ambas manus morsibus crudelibus abstulerant; nec sedes aut vestigia digitorum eidem erant, sed posterior pars palmæ in utroque brachio vix apparebat. Hic homo extremitatibus palmarum junctis competentem scripsit literam, libros ligavit, vestes consuit, & calceos suos subunculavit, ac alia opera manualia diversa sine manibus perfecit. Pro eodem tempore erat in Moguntia quidam homo, qui pedes habens flexibiles ut manus, brachia habuit nimis curta, & manus omnino ineptas ad opera manualia. Hic vir mira arte pedibus suis opera manuum exercuit, chartulas scribendo, in lutis & quinternis ludendo, & plura alia auditu stupenda faciendo. Sed quod his magis stupendum est, in Hollandia opido Schiddam puella quadam viguit, quæ supra humanum modum vivens, nullo cibo materiali sive naturali uti consvevit in XXVI. & amplius annis, sed Dominicis diebus per anni circulum Sacra Communione refici solita est. Corpus vero suum post diutina dierum spatia tandem sic est consumtum, ut a pectoralibus inferius usque ad pedes sola nervorum compago ossa in suis detinens naturalibus locis subducta cute appareret. Nec virtus erat ei quodcunque membrum propria valetudine de artubus inferioribus posse movere. Huic virgini prosemel Sacerdos causa experiendi certitudinem rei tam stupendæ, obtulit hostiam non consecratam loco Sacramenti Eucharistiæ. Quam cum puella gustasset, mox quasi agonizans deficere cœpit, & nisi in continenti cum Sacramento idem Sacerdos puellæ infirmanti succurrisset, procul dubio eadem spiritum exhalasset. Gerardus natus Comes de Marka colligens magnum exercitum, intravit Ducatum Clivensem contra Adolfum fratrem suum Ducem Clivensem, qui ipsum exhæreditare quasi nitebatur, plura opida incendit, villas destruxit, habens in suo exercitu Tidericum Archiepiscopum Coloniensem, Wilhelmum Ducem de Luneburg, Ottonem Ducem juniorem de Brunswic, & plures Nobiles de Saxonia & Westphalia. Cujus animositatem pariter & fortitudinem formidans Adolfus Dux, amicabilem iniit cum suo fratre compositionem parvo tempore durantem. Martinus Papa ob metum offensionis Regis Romanorum, remisit causam, quæ inter Ericum Regem Danorum & Henricum Ducem de Sleswic vertebatur, & per justam appellationem ad sedem Apostolicam devoluta fuerat, ad Curiam Sigismundi Regis Romanorum, ut ipsam per eum inceptam discuteret finaliter & terminaret. Rex enim Romanorum, ut audivit causam jam a se decisam & sententiatam fore assumtam a Papa ad determinandum, spreta & abjecta Regis sententia, scripsit literam Domino Papæ in hæc verba: Ex quo, Pater Sancte, falcem vestram mittere nitimini in messem nostram contra Evangelicam prohibitionem, causas Principum vobis vendicando, scitote firmiter, quod & nos falcem nostram extendere non formidabimus de cætero in messem vestram, Ecclesiæ bona nobis usurpando, ubicunque poterimus. Adolfus Dux Brabantiæ iterato exercitum colligens, venit in partes Hannoniæ, & obsedit Bergensem urbem, ex ea violenter extrahere proponens Dominam Jacobam suam uxorem licet divortionatam. Quod audiens Umfredus Dux Glocestriæ, festinavit cum populo multo ad transfretandum mare, ut obsessæ uxori suæ occurreret. Et veniens in Hannoniam, receptus est ab Adolfo cum prœlio gravi, & victus est Dux Glocestriæ cum suo exercitu, & interfecti sunt plures de Anglicis, multi etiam sunt orbati oculis, truncati manibus & pedibus, & sic ad propria cum contumelia sunt transmissi, Umfredo Duce cum paucis vix evadente. Nobiles de Swichelde proscripti sunt de Hildenshemensi Diœcesi per Magnum Episcopum ejusdem Ecclesiæ propter damna ab eisdem illata & alios graves excessus suos. Sed non diu post revocati sunt in gratiam dicti Episcopi interventione Wilhelmi Ducis de Luneburg eis suffragante. Anglici castrum quoddam fortissimum in finibus Normanniæ obsidentes, navibus magnis numero XVI. plenis armatis ipsum vallaverunt. Aqua vero dictum castrum ambiens crescebat & decrescebat infra diem naturalem juxta tempus suum. Cujus castri obsidionem intelligentes Britones, collecto exercitu pulcro, venerunt navigio obsessis in auxilium cum multis navibus remigabilibus. Coggones autem & galeæ Anglorum in decrescentia maris limo sunt infixæ, nec se movere valebant. Quod attendentes Britones, navibus suis parvis hostibus applicuerunt, & accedendo ac recedendo ad libitum inimicos suos Anglicos in luto detentos oppugnaverunt, interficientes ex eis ultra VM. & reliquos captivantes. Gans de Putlist Baro exercitum colligens de Prignitz & de Marka Brandeburgensi, intravit Ducatum de Mykelenburg ad deprædandum ipsum. Cujus adventum sentiens Matthias Axcowe Miles & Capitaneus dicti Ducatus, Dominis terræ parvulis existentibus, mox convocavit de armigeris terræ & de civibus Wismariensibus, quos habere potuit, transitum dicti Baronis præpedire satagens. Quorum uterque exercitus bello se excipientes viriliter pugnaverunt. Sed Magnopolenses victores effecti, captus est ibidem Baro ille Gans junior, & plures Nobiles secum, & ductus est in castrum Butzowe, ac per Johannem Episcopum Swerinensem turri mancipatus. Wilhelmus & Christophorus Domini Slavorum cum pulcro exercitu Marchiam intrantes, prope Wistok opidum villas quasdam incenderunt, & pecora jumentaque cætera rapuerunt. Johannes autem junior Marchio filius Frederici præsciens hostium adventum, adunavit armigeros pedestres & equestres, & egressum Slavorum præoccupans & observans juxta Priswalk opidum, cum eis bellum aggressus est, solis occasu imminente. Et pugna utrobique invalescente, Helmoldus de Plesse Miles de Mykelenburg cum XL. & ultra lanceis turpi fuga dilapsus est. Dimicantibus ergo fortiter aciebus, Johannes Marchio victoria potitus est, in suo habens exercitu Comitem de Rupin, & antiquiorem Gans de Putlist. Et victi sunt Slavi, & interfecti multi ac captivati. Occubuit autem inter cæteros Christophorus Dominus de Waren, Wilhelmus vero captus fuisset, nisi se Henricus Moltzan Nobilis interposuisset; qui captus est ibidem cum Johanne de A. Consule Rostoccensi. Currus etiam plures quam DCC. cum victualibus & instrumentis bellicis adducti per Slavos cesserunt Marchioni cum equis & ductoribus eorum. Philippus Dux Burgundiæ factus est tutor Comitatus Hollandiæ, Adolfus vero Dux Brabantiæ in tuitionem suam accepit Hannoniam, Jacoba autem filia Wilhelmi dudum defuncti, quæ dictam Comitiam Hollandiæ hæreditario jure ad se pertinere constantissime affirmabat, una cum matre sua missa est in Gandavum urbem Flandriæ cum solenni comitiva ad manendum ibidem ad tempus in custodia secura per dictum Ducem Burgundiæ, ne forte amplius propter eam tot homines interfici contingeret, & propter alias causas amicis suis notas. Ipsa tamen astuta existens, non diu post corrupto ejus custode promissis & muneribus, in habitu virili clam urbem exiens, paratos ibidem equos ascendit, & festinanter viam transiens, tandem in Hollandiam pervenit. Ubi recepta est a civibus de Golda, eo quod potius sibi faverent, quam Duci Burgundiæ, cui protunc potiores civitates Hollandiæ homagium fecerant, demtis Golda,

Digitized by Google

da, Sconhove Harlemunt & Vyane. Hæc quidem opida Dominæ Jacobæ juramenta fidelitatis præstabant, ut hæredi veræ in sua prima receptione. Intraverunt etiam tunc cum Domina prædicta Hollandiam viri dudum exilio relegati numero fere DC. qui de parthia & favore erant dictæ Dominæ Jacobæ. Quorum adventum percipientes cæteri Nobiles de parthia opposita, in suum adjutorium vocaverunt cives Harlemenses, Amsterdamenses, Delfenses & Leydenses, & circa festum Michaëlis exierunt cum exercitu suo, & versus Goldam urbem tendentes, pugnare cum hostibus statuerunt. Jacoba autem natu Comitissa Hollandiæ audiens inimicos suos adesse, exivit in manu valida, & hostes bello excipiens, prostravit multos de ipsis, & plures captivavit, cæteris in fugam versis. Ex qua victoria nomen ejus celebre haberi cœpit. Apprehendit etiam banneria quatuor civitatum prædictarum, & ea in signum victoriæ secum in Goldam duxit, captivosque custodiæ deputavit. Nicolaus Archiepiscopus Bremensis discordare cœpit cum Wilhelmo Duce de Luneburg & Ottone filio Bernhardi Ducis de Brunswic, & terræ utriusque deprædatæ sunt & succensæ. Fredericus Marchio de Brandeburg constitutus in Nurenberga, intellexit Cazymarum Ducem de Stetyn & Wartizlaum Ducem de Wolgast opidum Stratzeburg terræ suæ expugnasse, & in Ukerensi territorio graviter debacchari, transtulit se in Marchiam stipatus militia plurium Principum, colligensque & suos de Marchia, intravit Ducatum Stetinensem, & obsidione circumdans Castrum Quatuor rotarum, gravibus jacturis impegit in ipsum, ac tecta ipsius dejecit. Angustiati autem castrenses, pro redemtione ad suos miserunt Principes. Qui de Polonis, Pomeranis, Pruthenis & cæteris gentibus exteris multum populum adunantes, Fredericum Marchionem bello aggressi fuissent, nisi ipse sibi consulens, soluta obsidione, ad propria reversus fuisset, coram dicto relinquens castro instrumenta bellica & cætera, quæ attulerat. Prope castellum Montisflascum quidam latrunculi latitantes conventionem fecerant cum quibusdam tabernariis ejusdem opidi, quatenus peregrinos & Romipetas adventantes ad se dirigerent, & nunciis suis de eorum adventu eos incautarent, & ipsi latrones vice versa portionem prædæ hospitalariis eisdem fideliter impertirentur. Contigit ergo hoc anno circa festum B. Johannis Baptistæ duos Presbyteros ad curiam Romanam tendentes hospitari in dicto opido apud quendam de collegis dictorum prædonum, filium habentem, qui eosdem Clericos per viam venientes ad sui patris hospitium invitaverat, extra portam urbis constitutus pro peregrinorum exspectatione, ut moris est Italorum. Sacerdotibus autem istis in hospitio prandentibus, filiusfamilias prædictos adiit latrones, admonens eos, ut solicite duorum Clericorum observarent transitum, quia putaret eos abundare auro. Quibus sic aliquamdiu confabulantibus, venit cursu rabido eorum speculator, nuncians adventum Clericorum. Qui mox eos invadentes, & ad nemoris interiora trahentes spoliaverunt, & dure eos percusserunt, semivivo uno relicto, sed altero manus eorum evadente saucio, & versus castellum, quod exierant, cursitante. Erat autem dicti opidi Capitaneus civis Florentinus honestus vir & justus. Ad quem veniens vulneratus Clericus, conquestus est ei de spolio perpesso & læsione enormi sui ipsius & socii sui in loco deprædationis relicti, & quod traditi essent per filium tabernarii, apud quem pransi fuissent. Videns autem judex Clericum crudeliter tractatum, quæsivit, an hospitem suum agnosceret, & domum, ubi moram traxissent. Qui respondit, quod sic. Præfectus ergo urbis, assumtis satellitibus, perrexit cum Presbytero ad tabernam, in qua manducaverat. Aspiciens autem Clericus, vidit filium tabernarii reversum, quem inter latrones invenerat, dum ipsum invasissent, & qui eos tradiderat. Unde exclamans, a Potestate justitiæ complementum de traditore sibi fieri postulavit. Quem judex mox comprehendens & examinans, reperit omnes conscios in domo illa existentes. Vincti ergo sunt pater, mater & filius, & ad quæstum expositi. Qui prodentes mysterium conventionis cum latrunculis in nemore degentibus, in custodiam missi sunt. Præfectus vero, collectis circiter quadringentis cum arcubus, balistis & lanceis, nemus illud circumdedit, ne quisquam de latentibus elaberetur. Et penetrans interiora nemoris cum satellitibus suis, pervenit tandem ad locum, ubi latrones illi cubabant. Et irruens super eos, omnes captivavit numero XXXIIII. Quos secum in castellum ducens, in crastino simul patibulis appendit cum tabernariis & tabernatricibus multis, qui cum eisdem conventiones consimiles fecerant. Ericus Rex Danorum astutia mundana usus inconsueta tamen, monetam fieri fecit novam ex toto cupream, & illam solam recipi præcepit, ut vulgabatur, & non aliam ab incolis Regni sub pœna privationis omnium bonorum. Et ut moneta prædicta ad manus omnium eo expeditius veniret, mandavit omnibus sibi subjectis, ut monetam quamcunque aliam, siquam haberent, suis præsentarent campsoribus & monetariis, & novam pro ea reciperent ab eo factam, qua in emendo & vendendo, & nulla alia uti deberent. Quod præceptum injustum satis, ut apparet, opidani & villani audientes, & pœnam appositam incidere formidantes, monetas extraneas argenteas & aureas supra dictis monetariis præsentaverunt, & pro auro & argento cuprum receperunt, & sic Regem ipsum suosque campsores & monetarios ditaverunt, se ipsos vero depauperaverunt. Videntes autem mercatores & advenæ prudentiam hanc mundanam non in bonum eorum vergere, merces suas apud se retinuerunt, & res pro rebus commutare studuerunt. Regina tamen non valens audire detractiones & oblocutiones hominum, in dedecus & vituperium honoris Domini sui Regis & mariti sonantes, statim post dictam monetam cupream abjecit, & bonam monetam cum civitatibus maritimis æquivalentem fabrefecit, ac eam recipi ab omnibus mandavit. Johannes Dominus de Erkel post diutinam captivitatem liberatus est hoc anno de vinculis, in quæ ipsum conjecerat ante annos fere XII. Wilhelmus Comes Hollandiæ dudum defunctus. Eripuit autem ipsum Philippus Dux Burgundiæ, cum ingrederetur dictum Comitatum cum potentia. Et factus est dictus Dominus de Erkel Consiliarius Arnoldi Ducis Gelriæ filii filiæ suæ ac etiam Ducis Burgundiæ. Mercatores & piscatores diversarum mundi partium, qui ob capturam halecum in Scaniam Regni Danorum singulis annis transire soliti erant, hoc anno ipsam visitantes, & ad consvetam capturam solicitudinem debitam adhibentes, parum vel nihil capere potuerunt; & non solum hoc anno, sed deinceps licet consueto tempore venirent, & omnem diligentiam suam facerent, prope nihil tamen prendere potuerunt. Piscis autem ille Danicum pelagus pertransire assvetus, in mari oberrans, plagas illas Scanicas omnino liquit, Dei, ut timetur, vindicta hoc disponente, & occiduum mare transiens, Flammigenas ditare jam satagit. Osnaburgensis Ecclesia, quæ satis diu viduata steterat, relicta per Henricum Comitem Holtzatorum, qui ipsius Antistes fuerat non tamen consecratus, jam recepit in Pastorem Comitem natum de Desholt, virum probum & discretum. Qui mox Episcopus factus rixari cœpit contra vicinum suum Episcopum Monasteriensem bellum movendo. Sed Nicolaus Archiepiscopus Bremensis dictos Pontifices pacificans, amicabiliter eos composuit. Neugarden urbem regiam Ruthenorum tanta lues & mortalitas turbavit, ut quasi vastata videretur. Homines namque civitatis illius in plateis deambulantes quasi desperati subito ciciderunt & exspirarunt. Eratque tantus fœtor in urbe, ut sola aëris corruptione homines deficerent. Mortui enim referuntur inibi infra annum dimidium pene LXXXM. hominum. Dominus Jordanus Plescowe burgimagister urbis Lubicensis obiit in epi-

epidimia. Hic Deo & hominibus dilectus Proconsul, dictæ nedum civitatis Lubicensis, sed & omnium civitatum de Ansa honor extitit & gloria, multarum virtutum redimitus excellentia. Fuit nempe pacis amator fervidus, viduarum & pauperum protector strenuus, discordantium partium reconciliator avidus, tyrannicæ dominationis effractor animosus, justitiæ zelator piissimus, servitii divini promotor promtissimus, Religiosorum fautor carissimus, & Politicæ rectitudinis æmulator sincerus. Similis illi in urbibus Ansæ temporibus suis nemo inventus est; secundum nulla habuit, & vix inantea habebit. Hæretici Regni Bohemiæ ultra quatuor millia lancearum adunantes, urbem Duxa dictam Marchionis Misnæ forti obsidione vallarunt. Fredericus autem Marchio præscius adventus hostium eandem civitatem munierat viris fortissimis quingentis, qui in ea erant, cum obsidio hæc fieret. Extra urbem vero in duobus locis sex millia armatorum locaverat, ut obsidentes propulsarent, & vallatis auxilio fierent. Cumque hostes ex una parte urbem oppugnare disponerent, Capitaneus dictæ civitatis perperam agens, assumtis pugnatoribus a Marchione missis, civitatem per oppositam portam exivit, dicens ad latitantem exercitum velle pergere, & eorum fultus subsidio improvisos hostes impetere, & sic eos percutere. Quibus egressis, unus civis fautor hæreticorum mox de muro elapsus, hostibus absentiam virorum eos debellare valentium insinuavit. Quod audientes hæretici, expugnationi urbis mox operam dederunt, & statim, civitate capta, eam intraverunt, & tam senes quam juvenes utriusque sexus fideles, ac eorum parvulos vagientes gladiis suis trucidaverunt. Quidam autem vitam eorum ad tempus conservare cupientes, ecclesiam majorem intraverunt, & se ex ea defendere tentaverunt. Quod videntes impii, ecclesiam populo plenam obstruxerunt, & ignem apponentes, eam cum hominibus combusserunt. Sicque sævientibus illis maledictis, omnia civitatis ædificia flammis sunt consumta, muri diruti sunt & disjecti, exercitibus Misnensium vel ignorantibus traditione Capitanei urbis seductis, vel hostibus præ timore appropinquare non audentibus. Hi, inquam, hæretici permissi sunt divina forte vindicta favente propter fidelium peccata hæc agere, Rege Romanorum & cæteris terrarum Principibus non obsistentibus, & allegantibus pro sua excusatione, quod Dominus Papa & alii majores Prælati Ecclesiæ, qui magna habent dominia, & potentes existunt, ob fidei defensionem & hæresis extirpationem, quæ a Clero exordium sumsit, merito apponere deberent manus suas vindices, & non facerent. Cum autem hæc agerentur per infideles in Duxa, exercitus fidelium ad pugnandum se præparabat. Destructo vero castro & civitate accensa, hæretici ad propria redire conati sunt. Super quos exercitus Marchionis subito de latibulis erumpens irruit, & de hostibus illis ultra tria millia prostravit. Et quamvis in hoc loco, sicut & in pluribus aliis, populus hic diabolicus fortiter sit attritus a fidelibus, nihil tamen videtur conculcatio hæc ponderanda in comparatione ad mutuam eorum exinanitionem. Infideles enim contra Catholicos eorum continuis insudabant prœliis. Nam majores inferiorum, & vice versa minores superiorum mansiones destruxerunt, ut sic necessitate compulsi eis contra viriliter adhærerent, & spoliis ac latrociniis studiosius & avidius insisterent. In proprias quoque villas & civitates irruentes, victualia omnia inibi reperta consumserunt, & utensilia cuncta abducentes, eas vacuas reliquerunt, ne fideles forte venturi quicquam commodi invenirent. Sicque omnia desperatione quadam diabolica indiscrete agentes, se ipsos depauperaverunt, & Regnum suum nobile ad nihilum quasi redegerunt.

Tertio decimo anno, qui est DN. MCCCCXXVI. Anglici cum XII. vel amplius magnis navibus Selandiam petentes onustis armatorum multitudine, & non longe a portu Sirixensium applicantes, terram illam spoliare nisi sunt circa festum Purificationis. Habuerunt autem secum ductores plures Hollandrinos terra dudum pulsos, quos vulgariter Ballinger vocabant. Quorum adventum percipiens Philippus Dux Burgundiæ tutor dicti Comitatus, cum suis Flamingis junctis sibi Hollandrinis & Selandrinis incolis terrarum, cum bello duro terra marique Anglicos invasit, & tandem triumpho glorioso potitus, fere omnes interfecit. Numerus autem Anglicorum occumbentium fertur fuisse mille quadringenti, de parte vero Ducis circiter quadringenti referuntur peremti. Quo prœlio peracto, Goldenses cives una cum vasallis Dominæ Jacobæ villas quasdam prope Oldewater opidum sitas impetentes, eas spoliaverunt, villanos captivaverunt, ecclesias violaverunt, bona in eis custodita rapuerunt, & plura enormia in dictis ecclesiis Domini timore penitus semoto perpetraverunt. Hoc anno factus refertur ab Astrologis fuisse concursus planetarum in unam domum præter Venerem, & illa conventio tempora causavit periculosa, & annum eventibus mirabilibus & inconsuetis plenum. Instabant namque in omnibus ferme mundi partibus seditiones, & prœlia parabantur in utroque statu Clericali scilicet & laicali, nec erat locus præsertim in nostra Europa a commotione seditiosa immunis; pestilentiæ etiam & graves subitaneæ mortalitates regiones cunctas vexabant. Audiebantur insuper in singulis mensibus fere hyemalibus tonitrua, & micabant coruscationes e nubibus, tempestates quoque sævissimæ sine intermissione exortæ mare agitabant, & innumeros homines, quos gladius in arida non voraverat, in aquis pelagus & procella ejus absorbebant. Non fuit autem in memoriis hominum annus tam indisciplinatus & turbativus visus aut perceptus. Philippus Dux Mediolanensis prœlium certans cum civibus civitatum Florentinæ & Venetiarum, victoriam de ipsis obtinuit, & innumeros de ipsis interemit. Sed non diu post dictæ civitates cum potentia magna exeuntes urbem Brixensem obsederunt, & eam expugnantes tandem ceperunt, spoliantesque eam, thesaurum immensum deportarunt, non paucis occisis & captivatis de viris Ducis præfati. Sigismundus autem Romanorum Rex partem Ducis fovens, ipsius exercitum roborare, & expeditionem grandem instaurare contra dictas civitates velle minatus est. Cujus potentiam pariter & animositatem expertam formidantes, ambasiatores solennes, Dominos videlicet Padowensem & Veronensem ad ipsum miserunt, ut pacem cum eo facerent, & benevolentiam ipsius captarent. Qui oblatis, ut famabatur, quadringentis millibus ducatorum, cives dictarum urbium alis Aquilæ Regiæ subjecerunt, & fœdus perpetuum cum ipso percusserunt. Circa festum Johannis Baptistæ impii hæretici Bohemorum cum maximo exercitu fideles Marchionis Misnæ quærentes Uthzense opidum obsederunt. Opidani autem adventum hostium sentientes, proprium opidum incenderunt, secum bona sua tollentes, & fugam capientes. Frederico autem Marchione in partibus non existente, Dominam terræ adierunt, & calamitatem suam ei exposuerunt. Audiens autem Marchionissa suam urbem hostibus vallatam, Domino suo Marchione in Nurenberg in Concilio Principum occupato, collegit subito exercitum grandem de omnibus urbibus, castris & opidis Thuringiæ & Misnæ, & accersivit Comites & Nobiles sui Principatus, recensuitque populum suum collectum, & invenit circiter XXM. virorum fortium, & transiens cum his saltum Bohemicum, pervenit ad agmina inimicorum Christi, & commisso bannerio Domini sui cuidam Bossoni Militi cognomento Vicedum, quem probum æstimabat athletam, bellum iniit cum hostibus. Hæreticorum autem exercitus munitio-

tionem fortissimam sibi fecerat de curribus multis in magnum circuitum ductis, longis catenis colligatis & compactis mirabili & inconsueta structura, ne dissolvi valerent. Et infra hanc munitionem currilem dictam vulgariter Wagenburg sagittarii & lancearii eorum stabant, & hi exercitum adversariorum lædere poterant, illæsi ipsi permanentes. Cumque acies armatorum simul congrederentur, & jam vix se contingere cœpissent, improbus Bosso ille signifer & miles perfidus, dejecto bannerio, turpissimam cum suis iniit fugam. Quod videntes posteriores exercitus orthodoxi, consternati valde & ipsi terga fugiendo dederunt. Hæreticorum ergo multitudo cernens fidelium agmina dispergi, suos agitavit insultum facere in hostes. Unde commisso conflictu cum remanentibus, occiderunt ex eis, fama certissima affirmante, plusquam duodecim millia, cœteris elapsis cum pudore. Plures autem Nobiles, Barones & Milites in hac pugna flebili mactati sunt. Hoc, inquam, proditionis malum fertur fecisse dictus Bosso in vindictam fratris sui, quem Fredericus Marchio ob sua tradimenta interfici jusserat. Et sic ambo traditores effecti nomen suum turpiter macularunt. Comes de Berneburg aliter dictus de Anehalt spoliavit mercatores stratæ communis inter urbes Magdeburgensem & Hallensem, & bona eis ablata dicto castro Berneburg advexit. Negotiatores autem ad præfatas civitates accedentes, conquesti sunt se deprædatos per Comitem prælibatum. Quod audientes Consulares earum, mox de civibus propriis ac vicinis eorum Nobilibus exercitum copiosum adunarunt, & versus castrum ante dictum Berneburg properantes, ipsum obsederunt, & oppugnare cœperunt. Quibus in actuali expugnatione laborantibus, supervenit a casu Wilhelmus Dux de Luneburg a Frederico Marchione, apud quem negotium habuerat expediendum revertens. Hic cernens avunculo imminere periculum, placitare cum civitatibus amicabiliter cœpit, & tandem Comitem prædictum cum civibus illis sic concordavit, ut deprædationem consimilem in perpetuum abjuraret, & singulis mercatoribus per ipsum damnificatis per quinquennium ad plenum satisfaceret. Marchio junior Johannes de Brandeburg patre suo absente collegit exercitum fortem, instigatus per cives urbis Prinslaviensis, quibus multum graves extiterunt Cazymarus & Otto Duces de Stetyn, qui urbem ipsam ceperant. Et procedens versus dictam civitatem intromissus est noctu cum suis per portas suburbii fluvio Ukeræ vicinas, ignorantibus viris, qui ex parte Ducum Stetinensium majores valvas occupabant, & eas quasi incastellaverant. Cum ergo Johannes Marchio esset in urbe cum suo exercitu, cœpit impugnare portas incastellatas, applicans eisdem bellica instrumenta. Cui resistentes earum inhabitatores cum bumbardis & balistis, pro suo posse se defendere conati sunt. Sed cives stramina & cætera focalia majori portæ applicantes & ignem immittentes, fumo permaximo in tantum castrenses angariarunt, ut se in manus Marchionis captivos traderent. Quod percipientes aliam portam tenentes, placita cum dicto Principe inierunt, & sic securitatem ab eo obtinentes vitæ & rerum suarum, portam illam deseruerunt, & urbem exierunt cum suis rebus. Stetinensium autem Duces audientes Marchionem intromissum, & suos angariari, venerunt cum populo, sperantes urbem obtinere. Sed cum civitatem viderent armatis plenam & munitam suosque fugatos, confusi retrocesserunt. Nicolaus Archiepiscopus Bremensis pecunia multa conductus per Okkonem Domicellum Frisiæ occidentalis, intravit Frisiam cum pulcro exercitu, habens secum Tidericum Comitem de Aldenburg, Johannem Comitem de Hoya, Conradum Comitem de Desthold & Baronem de Ridberg. Et prædam magnam apprehendens de pecoribus & jumentis, destinavit eam per dictum Tidericum Comitem cum multis balistariis ducendam in Aldenburg. Ipse vero cum aliis Comitibus & militaribus totoque exercitu suo insultum Frisonum præstolari conatus est, nimis confidens in potentia sua. Quorum adventum intelligens Fokko, cum suis, quos habere poterat, processit in occursum hostium suorum; & convenientes ac bellum durum insimul agentes, Fokko bravium (brabeum) obtinuit victoriæ. Perierunt ergo plures in conflictu illo de exercitu Archiepiscopi, aut aquis immersi aut gladiis mactati, captusque est Nicolaus Archiepiscopus Bremensis vulnere gravi saucius. Occubuerunt autem in prœlio hoc Conradus Comes de Desthold & Baro de Ridberg cum multis viris bellicosis. Qua pugna peracta, pauci de exercitu Archiepiscopi superstites relicti sunt. Fratres Ordinis Prædicatorum suum generale Capitulum celebrarunt in Bononia sub Fratre Thoma de Regno Bacalario Sacræ Theologiæ, eis dato Vicario generali per Martinum Papam, ubi ab eisdem Fratribus electus est in Magistrum generalem Ordinis ante dicti Frater Bartholomæus Magister in Theologia de provincia Provinciæ Regni Francorum pro festo Pentecostes. Danorum Rex Ericus populum innumerum de tribus Regnis suis colligens, in totale exterminium Henrici Ducis de Sleswic & suorum fratrum exarsit. Unde adunato exercitu maximo, terra marique urbem Sleswic obsedit, & montem vulgariter dictum Hesteberg occupans, ipsum fossatis profundis & latis & aggeribus ac vallis fortissimis munivit & incastellavit in profesto B. Mariæ Magdalenæ. Regis autem adventum sentientes Duces de Sleswic, cum fideli adjutorio civium de Hammeburg & Procerum utriusque terræ Ducatus & Comitatus, castrum Gottorp & dictam urbem Sleswicensem aggeribus & vallis fortissimis sic munierunt, & armatis ac balistariis cæterisque instrumentis bellicis necnon victualibus copiosis repleverunt, ut ad resistendum Danorum impetuosis incursibus viriliter essent animati. Constructa ergo munitione per Regem, quæ vulgariter Bolwerk nuncupatur, & robustissimis Sweorum, Danorum Norweorumque viris commendata, expugnationi urbis Sleswicensis insistere tentavit. Unde in militaribus exercitiis se utrobique exercitantes, nunc damna parti adversæ intulerunt, nunc vero vice versa similia recipientes, diem laboribus & fatigationibus ad solis usque occasum deduxerunt. Utraque autem parte hostium occupationi duræ insudante, Vitaliani quidam numero fere DCti, qui Danorum perfidiam abhorrentes Daciam reliquerant, & ad Hammeburgensium cives se contulerant, piratica classe ipsos Danos infatigabiliter vexabant, & plures naves victualibus, instrumentis bellicis, armis, trabibus & lignis grandibus ad castella instauranda & erigenda aptatis, aliisque rebus bonis variis onustas auferebant. Cernens autem Henricus Dux Sleswicensis potentiam Regis viribus suis incomparabilem, accessit urbem Lubicensem, & civium subsidium humiliter implorans, ad animum eisdem revocavit, qualiter sui progenitores transactis temporibus a Danico jugo eos liberassent, & pro redemtione urbis suæ vitam suam exposuissent, ut sic vicissitudinem gratiosam, imo de jure debitam rependentes, a periculis imminentibus, nedum Holtzatorum populis, verum etiam propriæ suæ civitati & cæteris urbibus maritimis, eos liberando, Regis exercitum furiosum debellare satagerent, ac irrecuperabile malum, quod præ foribus esset, præpedire juxta posse non negligerent. Vulgariter enim dici consuevit, sapientis esse consilium, a foribus vicini malum removere, ne propriis appropinquet. Sed majores civitatis nescio qua causa moti, mox recipere Principis ante dicti frequentem postulationem de auxilio

d by Google

auxilio ferendo distulerunt, nec eis statim ad libitum responsum consolatorium dederunt. Sed tandem bene deliberati convocarunt ad familiare colloquium propinquarum urbium Consulares, & cum sinceritate tractantes & masticantes negotium Holtzatorum, ad ultimum concluserunt in invicem quosdam fore mittendos ex parte civitatum ad Regem Ericum, qui pro pacis reformatione sincere & seriose laborarent, & inter Principes, si quo modo possent, amicitiam facerent. Missi ergo sunt de urbe Lubicensi duo, puta Henricus Rapesulver Proconsul & Tydemannus Tzerntin Consularis, de urbe Sundensi Conradus Biscop Burgimagister & Johannes Burowe Consul, de urbe Rostoccensi Fredericus de Tzeyne Proconsul & Henricus Grenze Consularis, de urbe Wismariensi Johannes Banstowe Proconsul & Petrus Wilde Consul. Hi viri providi octo & circumspecti quatuor civitatum dictarum Regem Danorum adierunt inventum in Hademersleve terræ Jutiæ, & pro compositione amicabili Regis & Ducum de Sleswic ac Holzatiæ constanter laborarunt. Interim autem, quo hæc placita fierent, Dani & Holtzati bellica continuantes exercitia, flumen illud Sly dictum navibus a Danis est repletum, & os fluvii per Holtzatos alias obstructum, est reseratum per Danos. Quibus mox obviantes Holtzati, de introductis navibus plures incenderunt, & multas aquis immerserunt bumbardis manualibus perforatas. Dux etiam Henricus collecto exercitu equitum & peditum copioso, eodem tempore violenter Danis invitis, castrum Gottorpe, urbem Sleswic & opidum Renzeburg cibavit, plures Danos ipsum impedire nitentes trucidans. Coram opido quoque Vlenzeburg ultra tria millia vaccarum & jumentorum apprehendit, & abducens ea, in castra sua deduxit. Pluries etiam de utroque exercitu modo pauci, modo plures se invadentes certabant, sed quasi in omni conflictu Holtzatis fortuna arridente, cæsi sunt Dani & victi. Ambasiatoribus igitur supra dictis a Rege Erico sine grato responso reversis, statim generale colloquium pro instanti festo Exaltationis S. crucis fiendum in urbe Rostoccensi est statutum. Ad quod convenerunt Lubicenses, Hammeburgenses, Sundenses, Luneburgenses, Gripeswaldenses, Wismarienses & Anklemenses. Qui seriose & mature negotium hujus periculosæ dissensionis masticantes, & ex ea perpendentes omnium dictarum civitatum destructionem imminere, tandem inter se concluserunt summe opus fore, ut dictæ civitates confœderationem indissolubilem promitterent, & eam literis suis sigillatis roborarent, ad resistendum Regi Danorum, ne limites Regnorum suorum hucusque sibi præfixos transcenderet aut excederet; & etiam ad laborandum totis conatibus, ut munitionem prope Sleswic urbem factam de aggeribus & vallis funditus everterent & destruerent, & quod in hanc præfatam omni nisu, quo possent, Henricum Ducem & suos fratres cum omnibus suis auxiliatoribus traherent, receptis ab eisdem literis sigillatis & fidejussoribus idoneis in robur & testimonium præmissorum in perpetuum duraturum. Qua confœderatione & compromissione civitatum ante dictarum in urbe Rostoccensi facta, regressi sunt in urbem Lubicensem omnium præfatarum civitatum nuncii, præter Gripeswaldenses & Anklemenses, qui dictam confœderationem contra Regem & Ducem eorum, qui cum Rege erat, inire nolebant. Ubi cum essent constituti, vocatus est Henricus Dux de Sleswic de Regnevelde Monasterio, ubi cum multo desiderio præstolabatur rumores sibi jucundos. Quo in præsentia civitatum constituto, dictæ civitates ligam inviolabilis adhæsionis & confœderationis perpetuæ cum eo & omnibus suis sequacibus ac hæredibus contraxerunt, & quod a dicta confœderatione, nulla causa emergente, recedere debeant, valeant aut possint, juramentis suis firmaverunt, ac literis sigillatis roboraverunt. Quibus sic ordinatis & laudatis, singuli ad propria sunt reversi. Dissidium grave erat inter Wilhelmum Ducem de Luneburg & Nicolaum Archiepiscopum Bremensem, quod valde impediebat Holtzatorum prosperitatem. Nam dicti Principes omnes terrarum Dominos vicinos eis occupabant in eorum expeditionibus contra invicem fiendis, & ideo Holtzatis nec ipsi nec cæteri Principes auxilio esse poterant. Propter quod quidem dissidium tollendum in favorem Holtzatorum civitates destinaverunt quosdam de Consularibus suis ad dictos Principes. De urbe enim Lubicensi missi sunt Conradus Brekewolt Proconsul & Johannes Bere Consularis, de Hammeburg Henricus Hoger Proconsul & Ericus de Tzeven Consul, de Luneburg Johannes Viscule Burgimagister & Fredericus Hoyeherte Consularis. Hi viri spectabiles una cum Bremensibus in opido Verdensi convenerunt, ubi ad placitandum dicti duo Principes erant venturi. Et hi tam fideliter tamque vigorose negotium eis commissum agitarunt & practicarunt, ut dictos Ducem & Archiepiscopum integraliter & perfecte concordarent, atque amicitiam perpetuam inter eos facerent. Qua discordia sopita, tota illa provincia ad ferendum auxilium Holtzatorum Principibus se præparabat. Nobiles quidam Holtzatorum assumtis ducentis vel paulo plus Vitalianis & aliis vasallis in profesto B. Matthæi Apostoli Ymbriam insulam navigio intraverunt, & prope Glambeke castrum se locaverunt, ac quibusdam ex eis scalis erectis murum castri scandere incipientibus in aurora, quibusdam bumbardis crepantibus, quibusdam vero arcubus & balistis tela mittentibus, infatigabiliter ipsum impugnare studuerunt. Quorum insultum pariter & tumultum audientes castellani, timore magno exterriti sunt. Considerantes autem Regem in actuali obsidione urbis Sleswicensis cum suis fore occupatum, & ad præsidium eis ferendum præpeditum. Perpendentes insuper numerositatem hostium & paucitatem suorum, mortisque periculum imminens formidantes, tutius esse in animo statuerunt se committere gratiis Holtzatorum, quam se discriminibus exponere, & inutiliter certare. De communi ergo concreto & consensu sociorum dextras inimicis dederunt, & castrum ad manus Holtzatorum resignarunt, cum rebus suis salvi recedentes. Expulsi cives Groningenses terræ Frisiæ auxilium Fokkonis tutoris terræ ejusdem implorantes, circa LXXX. viros meliores dominii sui in suum subsidium ab eo receperunt. Quos armigeros secum ducentes circa festum B. Martini, dictam urbem ingressi sunt sine formidine & timore, & procedentes usque ad forum civitatis, bannerium suum erexerunt. Attoniti autem potiores cives urbis de adventu tam inopinato hostium, quidam ex eis latibula quæsierunt, quidam vero magis cordati per urbem cursitantes, cives ad pugnandum animaverunt. Quibus adunatis, & ad dimicandum contra hostes congregatis, illi, qui ad capiendam urbem intraverant, in foro stabant, & pacem civibus verbis lenibus promittebant, asserentes se venisse non ad perdendum eos, sed ad salutem & profectum eorum & ad manendum cum eis pacifice. Ad cujus probationem & argumentum veritatis, arma sua deponere parati essent. Cumque hæc agerentur, Bruno Klinghe & Henricus de Ponte Proconsules cum fere ducentis civibus, quos collegerant ex diversis angulis civitatis, ad forum, in quo hostes reliquerant, accelerantes, nec de promissione pacis eorum aliquid audire curantes, impetum in eos fecerunt, & gladiis ac fustibus omnes illos prostraverunt, circa LX. de ipsis captivantes, & eodem die eos decollantes. Elapsi tamen sunt quidam Capitanei

Digitized by Google

tanei eorum, puta Johannes Hugink, Rodolfus de Vreme & Wilhelmus Wichering, Rodolfo Horniken occiso, qui Bacalarius utriusque Juris extiterat. Cadavera vero omnium trucidatorum humata sunt in campo tanquam ecclesiastica sepultura indigna. Fokko autem, cujus nobiliores Frisones interfecti erant, valde indignatus, in vindictam suorum castrum Okkonis Bruke dictum expugnavit, & solo ipsum æquavit cum duabus aliis munitionibus fortibus. Soldanus Sarracenorum circa festum Visitationis Virginis Gloriosæ collecto exercitu centenorum millium, venit navigio in Cyprum, & subjugato sibi toto Regno illo, demta Famagusta urbe principali Regni munitissima, sub ditione Januensium degente, captivavit Johannem Regem Cypri, Philippo filio ejus interemto cum Comite de Heynberg & altero Milite famoso peregrinis Terræ Sanctæ, ac innumero fidelium populo. Ad cujus Regis redemtionem Martinus Papa quosdam misit nuncios per universum Christianismum cum indulgentiis remissionis plenariæ omnium peccatorum, ut pecuniam colligerent, per quam idem Rex redimi valeret. Cum autem prædictus Sarracenorum Princeps Regno Cypri capto & vastato, classem suam barbaricam versus Sanctam direxisset Terram, obviam habuit navem peregrinorum Christianorum copia onustam de Alemanniæ partibus numero fere CCCLX. Quam ut vidit, mox exercitum destinavit, ut ipsam caperet, & præsentiæ suæ sisteret. Crudelissimi ergo homines illi canina rabie insanientes navem illam comprehenderunt, & totam illam multitudinem Mahumeto Deo Sarracenorum sacrilego immolare nolentem, sed Christum Dei filium crucifixum clara voce confitentem crudeliter interfecerunt, demtis LX. mulieribus, quas incestuosa cupiditate ducti suis libidinosis voluntatibus reservarunt. Inter quas XXIII. erant vetulæ, quas abire fecerunt illæsas. Cæteras vero illecebrosis turpitudinibus exponentes, secum duxerunt. Duo autem viri, quorum unus Sacerdos erat dictus Henricus Wydoghe de urbe Lubicensi, alter vero laicus adolescens timore humano victi, inter mulierculas præfatas se miscuerunt, eo quod imberbes essent, & peplis se detexerant, ut sic cum eis manus sacrilegas tyranni evadere potuissent. Sed cum actus fornicarios cum eisdem forte exercere tentassent, & se delusos per hos duos vidissent, impii illi ipsos vestibus suis spoliantes, nudos ad arbores ligarunt, & tam diu eos lapidarunt, quousque ex toto conquassati Deo animas suas redderent. Quo facto, corpora illorum simul cum corporibus in navi interfectorum, inter quos alius erat Sacerdos de urbe Lubicensi dictus Johannes Bustroye, igni injecerunt & concremarunt. Naucleros vero XVI. qui Nomen Domini blasphemare recusabant, eisdem flammis vivos exustos ad cœlum transmiserunt, cæteris libertati restitutis, qui a fide apostatare non formidarunt. Civitatum maritimarum nunciis post initam & confirmatam confœderationem cum Principibus Holtzatorum in urbe Lubicensi factam, quælibet civitas se disponere cœpit in præparatione navium, in congregatione armatorum, in reparatione instrumentorum bellicorum & in procuratione victualium. Quibus ad nutum ordinatis, & conventione facta de die exitus & de loco, quem primo invadere vellent, miserunt nuncios, qui uno determinato die simul de omnibus civitatibus præsentiam Erici Regis accederent, & literas earum personæ suæ, & non alteri cuiquam offerrent. Qui nuncii simul in die B. Lucæ Evangelistæ ad præsentiam Regis venerunt, & rumores sibi, ut credo, non jocundos literatorie intimaverunt. Literis autem civitatum coram Rege lectis de pace interdicta & hostilitate inita, mox nuncii regales destinati sunt ad civitates & castra Regnorum ad præavizandum Capitaneos eorum, ut vigilanter ea custodirent, quæ eis tradita essent per Regem. Illi vero, qui in obsidione urbis Sleswicensis constituti erant & vallum inhabitabant, mandato Regio jussi sunt locum linquere, & ad propria redire. Qui statim præcepto Regis parentes obsidionem solverunt, & accenso vallo cunctisque cremabilibus inflammatis, Daniam repetierunt. Quorum recessum Holtzati de castro Gottorpe & de Sleswic percipientes, eos insecuti sunt, quosdam de posterioribus apprehendentes & captivantes, & quosdam gladiis suis trucidantes. Cæteri vero inhabitatores urbis Sleswicensis vallum desolatum intraverunt, & plura victualia relicta reperientes secum detulerunt. Petrariam quoque magnam rapientes de manibus vehentium eam, introduxerunt in castrum Gottorpe. Ingressæ sunt ergo mare omnes simul prædictæ sex civitates cum centum & amplius grandibus navibus & parvis profesto Omnium Sanctorum, habentes armatos viros circiter sexies mille. Cum autem apud Wismariensium portum, qui Litus album dicitur, omnes dictæ naves aggregatæ fuissent, & ibidem percepissent, Gherardum Ducem Holtzatorum cum pulcro exercitu esse in mari, & eorum adventum præstolari cum gaudio, toto nisu conati sunt viam maris arripere ad appropinquandum amicis. Sed cum jam per XV. dies in exspectatione venti prosperi jacuissent, & plura incommoda turbinis impetuosi, imbrium inundantiæ & intensissimi frigoris ibidem pertulissent, tandem classem illam mœrore non modico solverunt, & velis subductis ad proprios portus compulsi necessitate redierunt. Henricus Dux de Sleswic non dormitans pro illo tempore, quo exercitus civitatum in mari consisteret, sed vigilanter & viriliter agens, equestrium & pedestrium copiosum assumsit exercitum, secum ducens bellica instrumenta expugnationi castrorum necessaria, & obsidens molendinum quoddam situm inter Sleswic & Vlenzeburg opida, quod Ericus Rex in transitu suo, quo ad vallandum castrum Gottorp venerat, expugnaverat & incastellaverat, ac fortiter munierat. Hoc quidem molendinum sic incastellatum Holtzatos non mediocriter impediebat, ne dictum opidum Vlenzeburg via recta, ut soliti erant, adirent. Impugnans ergo viriliter ipsum castellum Dux cum suis instrumentis, ipsum tandem cepit, & in eo LX. viros & XL. equos reperiens, omnes abduxit. Invenit etiam in dicto molendino varia instrumenta bellica & magnam copiam victualium. Quæ omnia colligens abduxit, & molendinum destruxit. Guntherus Archiepiscopus Magdeburgensis graves discordias cum civibus urbis Hallensis gerens propter salinarum censum, quem sibi dare negabant, diversa eis intulit damna per deprædationes villarum, captivationes civium, & spoliationes curruum bona burgensium hinc inde deferentium. Cives vero vice versa Archiepiscopo suo incommoda plurima inferentes, quædam castella expugnaverunt, Nobilium diœceses & plures viros de diversis urbibus, opidis & castris captivarunt & exactionarunt. Ob has autem controversias removendas utraque pars grandibus expensis mutuo se fatigantes, coram Romanorum Regis judicio vicibus variis certabant, sed in nullo proficiebant. Sed attendentes civitates vicinæ displicentiam hanc vergere in exterminium nedum civitatis Hallensis & Archiepiscopi præfati, sed etiam totius diœcesis & civitatum adjacentium, quæ occasione hujus dissidii detrimenta varia sustinebant: unde dies placitorum statuentes, convenerunt in Magdeburg Brunswicenses, Hallenses, Helmstadenses, Aquenses & Calvenses. Guntherus vero Archiepiscopus huic congregationi urbium junxit & suos, puta Ernestum Comitem de Berneburg & potiores de Capitulo majoris ecclesiæ Magdeburgensis. Qui simul placitantes, magnis laboribus & fatigationibus multis tandem bono fine concluserunt, submotis omnibus discordiis & displicentiis cus

Hallenses tamen Archiepiscopo Gunthero in sublevamine expensarum XIXM. sexagenarum grossorum antiquorum erogarunt, & dictus Archiepiscopus eosdem cives suos de banno regali, in quod ceciderant, libertavit.

Quarto decimo anno Sigismundi, qui est Domini MCCCCXXVII. Hæretici Pragensium sævientes in oves Christi, innumera mala hoc anno ipsis intulerunt. Nam versus Austriam primo tyrannizantes, opida diversa destruxerunt, non procul a Vienna urbe retrocedentes, & nulli ætati vel sexui parcentes. Insuper & versus Moraviam tendentes & Slesiam, demoliti sunt urbes & opida, & omnes in eis habitantes trucidabant. Ad partes vero Misnæ & Lusatiæ declinantes, primo Bruxensem urbem vallaverunt, & in quodam monticulo castriolum erexerunt, ut ex eo urbem debellarent. Sed cives animosi cum quibusdam satellitibus Marchionis exeuntes post recessum Husitarum, prædictum castellum vi expugnarunt, & funditus perverterunt, circa XXIIII. hæreticos in eo captos trucidantes. Dehinc pergentes inimici Christi, ad Luzatiam devenerunt, & vallantes opidum Lubanense, ipsum oppugnare cœperunt. Cives vero hostium potentiam formidantes in primis, sed mox confortati a Domino audaciam capientes, in magno numero urbem exierunt, ut impetum facerent in eos. Sed nimiam multitudinem cernentes inimicorum, dorsa dederunt, & ad intrandum opidum suum acceleraverunt. Quod videntes hæretici, mox fugientes insecuti sunt, & cum ipsis urbem ingressi. At ubi cum pervenissent, per urbem furiosi discurrerunt, & omne masculinum genus interfeceruut. Plebanus autem dictæ civitatis populum alloquens, exhortabatur ipsum ad fidei constantiam & ad patientiæ perseverantiam. Quod audientes impii, dictum Plebanum rapuerunt, & cuilibet manui & pedi alligantes equum unum, quemlibet equum ad plagam terræ alteri oppositam agitarunt, & sic in quatuor partes violenter Sacerdotem illum diruptum diviserunt. Cumque lugubris hæc strages in urbe prædicta fieret, Clerus totus ad ecclesiam, ut ibidem salvaretur, confugit, & Antiphonam devotam intonans Salve Regina misericordiæ, auxilium Virginis implorare cœpit. Quorum cantum furiosi viri audientes, ad ecclesiam cucurrerunt, & eam cum cruentis gladiis intrantes, juvenes scholares per crines receperunt, ac per medium secuerunt. Presbyteros vero omnes gladiis perforantes, illam ecclesiam cruore roseo Martyrum Christi consecrarunt. Qua lamentabili cæde peracta, urbem spoliantes incenderunt. Mulierculas autem juvenes secum rapientes, vetulas abjecerunt vivas. Consumta autem dicta civitate, ad aliam se diverterunt Goldberg dictam; quam similiter destruentes, omnem populum perdiderunt. Plura quoque Monasteria virorum & mulierum destruentes, Monachos interfecerunt, virgines vero libidinosis suis actibus reservarunt. In Moravia autem subsequentia opida per hæreticos hoc anno incinerata sunt, puta Loem, Nykkelburg castrum, Snaym, Koernuenburg, Nuenburg, Volkensteen, Klosternuenburg, Valkenberg, Sterneberg & Zittave. Adolfus Dux Brabantiæ obiit, in cujus Ducatum successit frater suus Comes S. Pauli, eo quod prolem non haberet. De cujus obitu gavisa est Domina Jacoba hæres Hollandiæ, quam contra legem Canonicam duxerat in uxorem. Per Regnum Arragoniæ horribilis & inconsuetus terræmotus factus est, durans fere ad tres hebdomadas, qui plures subvertit urbes, dejecit turres & castra, ac populum innumerum subruit. Philippus Burgundiæ Dux exercitu fere XVIM. pugnatorum Sevenburg castrum vallavit Comitatus Hollandiæ, & satis diu ipsum oppugnans, tandem magnis laboribus & damnis ipsum expugnavit, & cepit in eo Dominum de Sevenburg Baronem cum multis aliis Nobilibus. Quod audiens Domina Jacoba, consternata est valde, eo quod ipsum solum de cunctis terræ patris sui Nobilibus fautorem & defensorem habuisset. Otto junior Dux de Brunswic, Magnus Episcopus Hildenshemensis & Johannes Episcopus Halberstadensis adunantes exercitum cum adjutorio civitatum Magdeburgensis, Brunswicensis, Hildenshemensis, Halberstadensis & Goslariensis, Helmstadiensis ac Osterwicensis, circumdederunt castrum Wydela, quod inhabitabant illi de Swichelde Conradus & Brandanus, qui de ipso stratam spoliabant. Quod mox ceperunt absque resistentia, quia dicti Nobiles fugam cum suis ceperant, adventu Principum & civitatum percepto. Quo habito, declinabant ad aliud eorundem, quod Biscoppeslutter nuncupatur. Quod similiter sine defensoribus reperientes ipsum ceperunt, & utrumque munientes, in quolibet unum Capitaneum ex parte Principum, & alterum ex parte civitatum statuerunt. Supra scriptos autem Nobiles raptores cum tota eorum progenie dicti Principes & civitates proscripserunt, & de Saxonia exterminaverunt usque ad condignam emendam. Ploscowe civitas Ruthenorum obsessa per Vitoldum Ducem Lithuanorum & per Episcopum Darbatensem, capta est & subacta terræ Lyvoniæ cum Regulo suo & omnibus Satrapis ac Optimatibus Regni illius, qui intra urbem suas mansiones habuerunt cum Rege suo, & spoliata est innumeris bonis. Civitates stagnales exercitum magnum colligentes, & cum eo magnas naves onustantes, Balthicum intraverunt mare post medium Quadragesimæ, & applicantes insulis Danicis, deprædati sunt plures ex eis, auxiliante eis Gerardo Duce juniore de Sleswic. Nomina autem insularum spoliatarum per eos sunt Leze, Erre cum suo castro, Laland, Mone, Borneholm, & Geyzor, copiosam prædam in eis colligentes & abducentes. Quibus ad voluntatem expeditis, tota illa classica multitudo ad instantiam & inductionem Gerardi Ducis versus Vlenzeburg castrum & opidum tendens, obsidione forti ea cinxit in parte marina. Henricus vero Dux Sleswicensis cum exercitu Holtzatorum copioso equestrium & pedestrium a parte terrestri ea vallavit in diebus Rogationum. Quibus sic undique constrictis hostium agminibus, & nullum diffugium videntibus, aut subsidium a quoquam sperantibus, verbis tamen procacibus & importunis se nullum timorem habere ostenderunt, & lætis suis apparitionibus omnem formidinem abdicarunt. In castro autem prædicto Capitanei erant Gerardus Episcopus Arhusensis & Petrus Jöns Miles, secum habentes castri defensores viros utique fortes in bono numero & animosos. Sed nondum impugnabantur ab obsessoribus, eo quod tam Principes quam civitatenses in hoc concordassent, quod expugnationi nemo insistere deberet ante crastinum diem Ascensionis Dominicæ, sperantes bellica instrumenta expugnationi dictæ necessaria de proximo adventura. Qua concordantia Principum & civium non obstante, quidam Consularis Johannes Kletzeke dictus urbis Hammeburgensis nescio quo motus instinctu vitalianis & stipendiariis dictæ suæ civitatis, quorum Capitaneus erat, in Vigilia Sanctæ Ascensionis tunnam cerevisiæ propinavit, ut ea exhausta in castra inimicorum tela jacerent ignita, & sic bellum suscitarent, attædiatus forte, quod tanta multitudo armatorum in expeditione, propter quam venerant, non occupabatur, & tempus illud tam inutiliter, ut æstimavit, expendebatur. Evacuata ergo lagena a satellitibus præfatis, crepusculum noctis affuit, & totus fere exercitus, demtis excubiis observantibus, in profunda quiete accubuit. Qui ebrietatis furore æstuantes, mox surrexerunt, & castrum accedentes, tela ignita ab eodem Johanne Consule eis tradita in obsessos miserunt. Quidam vero de illis suffusis tironibus, suis clamoribus horribilibus Principem in papilione dormitantem & Nobiles Holtzatos excitarunt, vociferantes jam cives urbium maritimarum castrum ascendisse, & ipsum quasi victis hostibus expugnasse. Quorum terribiles clamores

res expergefactus Henricus Dux de Sleswic audiens obstupuit, & confestim surgens de stratu suo, in quo modicæ quieti se dederat, & ad breve spatium post labores nimios pausaverat, lorica se induit, acceleransque ad castrum non advertit, siquis se sequeretur. Æstimabat enim invincibile dedecus sibi fore, quod castrum sine eo a civibus caperetur, non attendens condictum, quod fecerat cum civitatibus de non impugnando quodcunque ante crastinum Ascensionis Dominicæ. Unde animositate naturalis ingenuitatis stimulatus, & generosi sanguinis fervore accensus, scalam ad sepem erexit castro circumductam, quam mox ascendens, anteriores castri munitiones præripere festinavit. Cernens autem hanc indiscretam Principis audaciam Henricus de Anevelt miles fidelissimus, & Domini sui periculum formidans, clamavit: Quid facitis mi Domine? Nolite accedere tam prope: faciliter lædi possetis, & sic luctum & mœrorem omnibus nobis faceretis. Cujus redarguentis vocem audiens quidam Dacus intra scepta (septa) latitans, ad sepem mox accessit, & personam Ducis attente considerans, cuspide sua ipsum transfodit. Quo vulnere letali accepto, pius Dominus astantibus fertur dixisse: Tollite me hinc festinanter, & intra tentoria me deferte, quia fessus effectus hic diutius manere non possum. Cognoscentes autem Nobiles letaliter ipsum sauciatum, super dictam scalam, quam ascenderat, eum locaverunt, & ad locum quietis deferre festinarunt. Sed proh dolor! bajulantium incuria neglectus, de scala ad terram collapsus est, & gravi læsione quassatus. Unde vix in papilionem devectus, spiritum altis suspiriis efflavit. Quantus autem mœror & lamentum, quanti vero dolores & flebiles gemitus in populo nedum Holtzatorum & civitatum maritimarum, verum etiam in universis partibus, ad quas rumores illi lugubres pervenerunt, & quibus prævie hujus pii Principis probitas & commendabile nomen sermonibus referentium nota erant, exorti sint de subita & insperata nece ipsius, lingua humana non sufficit enarrare. Prælibato igitur Domino Henrico Duce tam doloroso casu de medio sublato, & ejus corpore in Ythseho delato ac honorifice sepulto, Adolfus frater suus post ipsum senior onus belli mox assumsit, & tam suos quam cives urbium ibidem constitutos constanter exhortabatur, ut viriliter opus, quod pro communi bono terræ Holtzatiæ & civitatum suarum inceperant, ad finem salutarem perducerent, in obsidione ipsa incessanter perseverando, & indefesso certando. Sed heu Principis illius desiderium non est sortitum optatum effectum. Nam Johannes Bere Consularis & Capitaneus urbis Lubicensis in hac expeditione cum suo collega Bertoldo Robant Consule, & Johannes Kletzeke Capitaneus urbis Hammeburgensis cum Simone de Trajecto suo socio, ambo Consulares, audientes præfatum Ducem Henricum tam miserabiliter interfectum, absque ulteriori mora, spretis obsecrationibus & precibus lacrymosis desolatorum Principum Adolfi & Gerardi Ducum de Sleswic & Holtzatiæ, vela sua elevaverunt, & ad propria festinaverunt. Quorum recessum cæteræ civitates videntes, erectis consimiliter suis velis, partes suas repetierunt, Holtzatorum exercitum in maximis tribulationibus constitutum & auxilio destitutum relinquentes. Rodolfus electus Ecclesiæ Trajectensis, Swedero Episcopo confirmato ejusdem Ecclesiæ viriliter resistens, tanquam in possessione plena habens urbem prædictam Trajectensem cæterasque civitates prope flumen Ysle sitas ac castra fortiora diœcesis, plura damna sibi suisque fautoribus intulit, villas deprædando, sata conculcando, villanos captivando & opidanos, ac viros bellatores multos occidendo. Cujus confirmati Episcopi infortuniis compatiens Arnoldus Dux Gelriæ exercitum pulcrum adunavit, & sibi auxilio esse cupiens, territorium vulgariter dictum Betowe accessit, quod jam Trajectenses in manu valida intraverant, & eam spoliantes demoliti fuerant, villas incinerando, multos viros captivando, & bona eorum diripiendo. Ubi dum constituti essent ambo exercitus, Petrus Lauriz Capitaneus vir bellicosus valde & audax assumtis trecentis vel paulo plus armatis, obviam hostibus processit. Rodolfus vero electus cum duobus vero millibus audiens Gelrensium adventum, cumulum compressum & artum de suis faciens, ne hostes multitudinem fugerent, aciem suam disposuit, & dimicandum cum adversariis statuit. Quod cernens animosus athleta Petrus Gelrensium signifer, non exspectans Domini sui exercitum sequentem se quatuor millium pugnatorum, cum suis trecentis vel parum amplius viris super hostes ruit & duris ictibus aciem dividens, per medium ipsorum saucius tamen transivit, omnibus fere suis aut captis vel interfectis. Ipse quoque letali vulnere accepto parum processit, sed mox de equo cadens spiritum emisit. Quidam tamen dicunt, quendam carnificem ipsum interfecisse, eo quod capi ab eo non vellet ipsum parvi pendendo. Cujus casum percipiens Arnoldus Dux, metu gravi repercussus retrocessit. Ericus Dux de Enbeke de progenie Ducum de Brunswic obiit. Hic communis stratæ & mercatorum inimicus existens, valde a probitate patrui sui Henrici Ducis de Luneburg degeneravit. Archiepiscopus Moguntinus Conradus exercitum pulcrum misit in Hassiam circa festum S. Laurentii ad deprædandam terram illam, constituens Ducem exercitus filium sororis suæ cum Provisore Erphordensi. Quem exercitum advenisse intelligens Lodowicus Lantgravius, collegit multitudinem armatorum copiosam. Et convenientes ambo exercitus inopinate prope villam quandam, in invicem irruerunt, & commisso prœlio durissimo, cessit victoria Lodowico, & cepit pene totum exercitum Archiepiscopi cum suis Capitaneis. Numerus autem captivorum fuit CCC & XL. vel citra, pluribus interemtis. Provisor autem ille Erphordensis maximus fuit tyrannus & de illegitimo natus thoro Comitum de Nassowe ac persecutor Religionum sævissimus. Cives Hammeburgenses unum de suis Consularibus captivaverunt, & in domo pedelli civitatis ipsum cippo & vinculis injecerunt, pro eo quod in expeditione contra opidum Vlenzeburg & ejus castrum facta, Capitaneus dictæ urbis existens, contra laudatum & arbitratum ab omnibus tam Principibus quam civitatibus fecisset; & quod occasione sui facti Henricus Dux de Sleswic miserabiliter interfectus fuisset. In hoc quidem carcere quanquam prædictus Consul crudelissime, ut famabatur, tormentatus fuisset pro fassione facienda de culpa sibi imposita & de proditione illorum, qui de Consularibus sibi hoc crimen faciendum jussissent, neminem tamen nominare voluit conscium facti, quod gesserat. Duces Bawariæ Johannes & Henricus, Fredericus Dux Saxoniæ simul & Marchio Missnensis, Fredericus Marchio de Brandenburg, Treverensis & Saltzburgensis Archiepiscopi, ac alii plures Comites, Barones & Nobiles, collecto exercitu maximo, puta CCM. armatorum secundum æstimationem peritorum, de diversis mundi partibus, suffragantibus ad hanc populosam collectionem indulgentiis remissionum omnium peccaminum, per Martinum V. Papam elargitis, intraverunt fines Bohemorum ad dolendum pestiferum illud genus hæreticorum in eis subortum. Quo exercitu in dicto Regno constituto, hostis ille fraudulentus, qui indesesse mundum circuire satagit, quærens, quem devoret, Principibus prædictis, peccatis forte nostris exigentibus, satellites suos sociavit, & cordibus eorum suggerendo immisit, puta arrogatiam & fastum dominandi, cupiditatem

Digitized by Google

tatem dominium suum ampliandi, lucrum temporale zelo fidei præponendi, & propter talia consequenda rixas & lites suscitandi, ut sic honor Dei & defensio fidei impediretur, ac populus in nomine Domini adunatus ab invicem separaretur. Unde quid actum est? Principes enim prælibati Regnum inimicorum Christi invadentes, opida quædam parva expugnarunt & incolas infideles trucidantes, ea incenderunt, quosdam etiam captos hæreticos converti recusantes in ignem projectos concremarunt; magnas vero civitates aut expugnare formidantes propter earum resistentiam, aut impugnare nolentes, antequam determinatum esset, quis eorum eas possessurus esset, si caperentur, parum contra eas attentaverunt. Et quia de possessione castri vel civitatis nondum expugnatæ concordare non poterant, ideo nihil memoria dignum agentes, quasi frustrati in proposito recedebant. Post quorum recessum hæretici Toconiam urbem circumdantes expugnare cœperunt. Quæ quia in pabulando fidelium exercitum & necessaria eis ministrando se exhauserat; non habens arma defensiva aut invasiva, nec etiam habens victualia, capta est ab infidelibus, & ex toto destructa; interfectique sunt in ea omnes incolæ ejus ab homine usque ad pecus. Hoc autem malum ortum habuit ex cupiditate Principum supra dicta, quorum si Dei honor & fidei zelus pugnæ causa extitisset, procul dubio in prosecutione expeditionis tam salubris animosius perseverassent. Rodolfus Electus Trajectensis cum civibus urbis suæ exiens, adjunctis sibi Dominis de Buren & Præposito Aquensi fratre suo Baronibus, quasi totam terram Ducatus Gelriæ pertransivit gladiis & spoliis devastando eam, & ignibus conflagrando. Arnoldus vero Dux Gelriæ cum magno exercitu interim castrum Oye, quod erat prædicti Præpositi Aquensis, obsedit, & ipsum tandem expugnans cepit, ac ipsum Domino Johanni de Erkel patri matris suæ custodiendum tradidit ad manum fidelem. Dominus Otto Rur Episcopus Havelbergensis obiit, in cujus sedem electus est Magister Fredericus Doctor Decretorum ejusdem Ordinis. Nuncio vero pro confirmatione obtinenda ad curiam misso, & eo in reversione constituto, dictus electus & jam confirmatus decessit. Post cujus obitum mox Fratres dicti Monasterii ad electionem novi Antistitis processerunt, & Deo concordiam in electione Fratribus inspirante, unanimiter Plebanum de Parleberg cognomento Butzee in Præsulem sibi elegerunt. Pro cujus confirmatione cum iterum ad Dominum Apostolicum mitteretur, & jam confirmatio in foribus esset, solvebat & ille Electus debitum conditionis humanæ. Et sic frustra duplex pecuniæ summa satis pingvis curiæ Romanæ est allata & soluta. Vice insuper tertia ad novi Episcopi electionem convocati Fratres, discordes facti sunt in votis, nec quis faciliter inter eos inveniri poterat, qui electioni suæ consentire volebat, timentes omnes subitaneum duorum Electorum decessum. Sed tandem in quendam satis juvenem Fratrem Electores concordantes ipsum sibi caput & patronum constituerunt, & ipsius confirmationem tertio a curia afferri ordinaverunt, periculo consveto amplius minime subsecuto. Marchio Ferrariensis Johannes captus est a Philippo Duce Mediolanensi cum multis aliis Nobilibus in prœlio commisso cum Venetis & Florentinis. Hic Marchio paucis annis prævie decursis decapitari fecerat uxorem suam sororem Domini de Malatesta, & cum ea proprium filium suum, cujus noverca dicta uxor fuerat. Causa autem interfectionis eorum extitit incestuosus amor utriusque nedum suspectus, sed a Principe deprehensus post frequentem amborum admonitionem caritativam. Sigismundus Romanorum Rex exercitum colligens magnum, ipsum misit contra Turcos juxta relatores veridicos. Cui exercitui præfecit quendam civem Florentinum Pypowe cognominatum, ipsum de imis erigens, & primo Militem faciens, postea in Ducem ipsum promovit. Qui erectione inconsueta subito sublimatus, viribus & animo promereri Principatum sibi immerito datum satagens, contra hostes Domini sui venire in prœlium festinavit. Et sic bellum durum cum eis dimicans, tandem victor fortuna sibi favente effectus est, ultra XLM. armatorum prosternens. Exercitus tamen Ungarorum multos amisit gladiis inimicorum interemtos. Philippo Duce Burgundiæ cum Domina Jacoba filia Wilhelmi Comitis Hollandiæ placitante, & pro pace & concordia terrarum laborante, Wilhelmus de Brero Baro & Capitaneus dictæ Dominæ Jacobæ assumtis profugis & exilio damnatis terræ Hollandiæ Ballinger vulgariter nominatis, numero fere quadringentis ac cæteris de favore dictæ Dominæ existentibus, intravit navigio mare Oceanum, & applicans opidis Enkhusen & Memerik nuncupatis, primum expugnavit & spoliavit. Sed secundum caper satagens, expugnationi illius operam dedit. Quod percipiens Rolandus Utstede miles & Capitaneus Ducis Burgundiæ Philippi, mox multitudinem armatorum adunavit de civibus Harlemensium, Dordracensium, Leydensium, Delfensium, Hagensium, Amsterdamensium, cæterarumque urbium Comitatus Hollandiæ, & pergens obsessis in auxilium, primo navali pugna hostes invasit, & cum eis viriliter decertans, tres naves armatis plenas barsen nuncupatas mari, ut famabatur, immersit. Deinde in aridam descendens cum suis, bellum durum cum adversariis suis est aggressus, & tandem triumpho de cœlo adepto, totum fere Dominæ Jacobæ exercitum Capitaneus ille Ducis vicit & prostravit, plures captivans, & multo plures interficiens. Inter cæteros autem captivos vinctus est Wilhelmus de Brero Dux exercitus Dominæ Jacobæ & custodiæ mancipatus in urbe Harlemensi. In Enkhusen vero decapitati sunt plures de profugis terræ Ballinger dicti. Numerus autem captivorum & interfectorum exercitus Dominæ Jacobæ fertur fuisse circiter DC. viri. De parte vero altera circa ducentos gladios vulgatur absumsisse. Prædicta, inquam, Domina Jacoba primo nupserat secundogenito Regis Francorum; quo toxico interfecto, accepit matrimonio Adolfum Ducem Brabantiæ suum consangvineum. Cui cum per biennium condormivisset, separata est ab eo jussu Romani Pontificis propter propinqvitatem nimiam attinentiæ carnalis, & tradita est Umfredo Duci Glocestriæ. Quorum tamen matrimonium iterum casu rationabili interveniente solutum est, ea in statu viduali permanente, quousque tertio matrimonialiter jungeretur, ut infra patebit. Nicolaus Archiepiscopus Bremensis redemtus est de captivitate Frisonica, in qua ipsum Fokko Uke ultra annum tenuerat, pro summa satis pingvi per practicationem Hisconis Præpositi. Durante autem prædicta dissensione, Fokko præfatus, ut dicebatur, timens sibi & Ecclesiis patriæ suæ, tulit scrinia aurea, cruces & alia clenodia pretiosa, & transmisit omnia illa pro secura custodia Domino Ottoni Episcopo Monasteriensi, qui fautor suus erat & vir boni nominis, & in suis expeditionibus ipsum frequenter juvare solitus erat. Hic Fokko fraudulenter egerat erga Okkonem a longis temporibus, & ipsum patrimonio suo libenter privasset, si facultatem habere potuisset. Pater enim Okkonis ipsum suum filium dicto Fokkoni ut tutori fideli commiserat in sua juventute, ut sibi suisque bonis paternis fideliter præesset, & ipsum, quantum valeret, in omnibus tueretur. Sed ipse Fokko, defuncto patre dicti juvenis Okkonis, omnia bona ipsius sibi usurpavit, & dictum juvenem quasi exulem de hæreditate paterna repuit, & Frisonibus, attracta sibi familiaritate quorundam extraneorum & amicitia, principari studuit & præesse viribus totis.

Digitized by Google

Sed postea Deo ordinante, qui nullum malum impunitum vult transire, suam infidelitatem ad plenum luit exilium passus, & ad ultimum crudeliter interfectus. Civitates sex maritimæ, puta Lubicensis, Hamburgensis, Rostoccensis, Sundensis, Luneburgensis & Wismariensis expeditionem grandem ordinantes contra Ericum Danorum Regem, cum multo populo mare intraverunt, & vento prospero comitante, circa festum B. Mariæ Magdalenæ locum Norsunt apprehenderunt, cum Danis pugnare cupientes. Hamburgenses autem cum suis navibus ab aliis aliquantulum disgregati, ad certandum cum hostibus se paraverunt. Quos Dani mox invadentes, cum ipsis acriter pugnarunt. Sed multitudine Danorum tandem victi Hamburgenses succubuerunt, multis de eis occisis & pluribus captivatis. Lubicenses vero eodem tempore cum Sweis congressi, ipsos viceruut, & captivos eos secum in urbem suam deduxerunt. Bello vero illo peracto, & civitatibus ad propria remeantibus, venerunt naves Baycales pretiosis onustæ mercibus, & in manus Danorum inciderunt numero ferme XXXVI. quarum mercatores capti sunt, & omnibus bonis spoliati, & in vincula conjecti. Philippus Dux Burgundiæ cum exercitu valido intravit Diœcesim Trajectensem in parte illa, quæ Ducatui adjacet Gelrensi, & fovens manum Arnoldi Ducis Gelriæ & Suederi Episcopi Trajectensis obsedit manu forti opidum Amersford. Rodolfus vero Electus ejusdem Ecclesiæ stipatus militia Westphalorum de Diœcesibus Monasteriensi & Osnaburgensi, ac Comitatibus Tekenenburg, Desholt & Benthem, necnon multorum aliorum de Diœcesi Trajectensi intraverat dictum opidum Amersford, ante Ducis præfati adventum, cum DC. armatis, ut præsidio esset eidem. Factum est autem in profesto Apostolorum Simonis & Judæ, ut Dux Burgundiæ expugnationi opidi insisteret, quod vallaverat, & plures de suis jam murum scandere attentarent, aurora consurgere incipiente. Quod cum cernerent viri illi animosi, qui in opido erant, sinebant scandentes ingredi opidum ad numerum quingentorum virorum vel citra, simulantes se ingressum eorum non attendere. Quibus intromissis, mox de domibus erumpentes armigeri Rodolfi Electi, una cum civibus in eos viriliter irruerunt, & omnes illos, qui per murum intraverant, ceperunt, capi vero nolentes plures interfecerunt. Occubuit autem inter cæteros Dominus de Lilydam Baro & Rolandus de Urstede Miles etiam interfectus est. Quorum tumultum Philippus Dux ab extra existens audiens, & suos captivatos intelligens, obsidionem solvit, & Comitatum Hollandiæ intravit, partem exercitus Arnoldo Duci Gelriæ relinquens, ut ea uteretur contra hostes, prout posset. Okko de Palude & Fokko Uke Domicelli Frisonum gravem inter se gerentes discordiam, se invicem valde læserunt deprædationibus & spoliis variis, ministrante eisdem causas dissidii pestifera illa partialitate vulgariter dicta Huk & Cablav, quæ occasio est & a diu fuit devastationis terrarum illam bassarum. Prope festum ergo Omnium Sanctorum dictus Fokko collecta Frisonum multitudine fines Okkonis ingressus est. Ubi devastationi & direptioni bonorum pagi illius insistens, damna gravia hominibus illis intulit. Cujus sævitiam sentiens Okko, exercitum armatorum, citius quo potuit, adunavit de sibi faventibus Frisonibus & Vitalianis, ex diversis nationibus ad se confluxis; & in occursum Fokkonis pergens, ad ipsum tandem pervenit. Commisso ergo bello duro ex utraque parte, victoria Fokkoni tandem collata est. Captus autem est Okko in illa pugna cum toto fere exercitu suo, & mox ipsum Okkonem occidissent, nisi eum Fokko violenter raptum de manibus eorum liberasset & abduxisset. Quo ablato furiosus ille populus in Vitalianos irruit; & cunctos trucidavit. Occubuit etiam in dicto prœlio vitricus Okkonis & frater illegitimus Okkonis captus est, fratre illegitimo uxoris ejus interemto. Anglorum gens cum C. & XL. navibus Regnum suum exiens armatorum copia refertis, versus Britanniam iter suum direxit; & veniens prope portum Rotzil, obvios habuit Britones pariter & Hispanos in multitudine grandi. Qui pugna dira congressi, tam acriter die illa præliati sunt, ut utriusque exercitus sangvine mare Oceanum rubricatum sit. Britones tamen bravium (brabeum) victoriæ obtinentes, de Anglicis ultra VIIIM. straverunt, eorum navibus in Britanniam deductis. Ericus Rex Danorum cupiens forte discordiam inter communitates & Consulatus civitatum maritimarum suscitare, destinavit literas quasdam ad quamlibet urbem communitatibus præsentandas, continentes confœderationes speciales contractas inter civitates prædictas & Ericum Regem sine consensu & requisitione comunitatum suarum. His literis & alias junxit, in quibus supplicavit humiliter & obnixe vulgari populo, quatenus Consulatum suum inducere & exhortari studerent, ut de injusto bello, quod secum agerent contra firmata pacta juramentis & sigillis suis desisterent, & de damno gravi contra Deum & justitiam sibi ab eis illato, satisfactionem debitam exsolverent. Per hæc autem scripta intendebat Rex irritare & commovere ipsas communitates adversus suos superiores & Consulares, prout & factum est in quibusdam civitatibus. Nam prædictis literis a vulgaribus receptis & perlectis, factus est tumultus ingens in populo. Wismarienses enim cum regias epistolas perspexissent, & articulos in eis contentos cum maturitate masticassent, missis satellitibus urbis autoritate sexaginta virorum, quos antecedenter inter se elegerunt, & super Consulatum suum sic statuerunt, ut ipsi & facta Consularium decernerent, & emendanda corrigerent, nec amplius Consulatus eorum quicquam ardui sine eorum requisitione attentare præsumeret, capi fecerunt Consularem unum Henricum videlicet de Haren, quem in dicto Regis negotio suspectum habebant, & ipsum turris custodiæ commendaverunt. Post hunc & alium Burgimagistrum Johannem Banscowe jam fuga elapsum comprehendi fecerunt, & in eadem turri ipsum vinculis constrinxerunt. Transactis vero aliquot diebus, tandem ad domum lictoris ducti sunt ad majorem eorum confusionem, & postea in foro publice condemnati coram judicio, & confestim capitibus truncati in Adventu Domini. Rostoccenses quoque consimiles literas recipientes ab eodem Rege, commoti sunt valde contra Consulatum suum, & ad instar Wismariensium mox sexaginta viros eligentes, ipsis commiserunt, ut bonum suæ civitatis attenderent, & de urbis regimine solliciti essent. Hi viri sic electi a communitate statim jura antiqua civitatis, libertates civium & indulta gratiosa mechanicis & mercatoribus olim concessa a prædecessoribus Consulatus sui recensentes, composuerunt ex eis quosdam articulos, unitatem & concordiam civium conservaturos, & regimini communis boni proficuos. Quibus ad unam schedulam collectis, præsentiam sui Consulatus adierunt, & lectis articulis petierunt humiliter voce concordi, ut illos suis civibus ratificarent, & munimine majoris urbis sigilli roborarent. Videntes autem Consulares tumultum factum in populo. consternati sunt valde, & periculum vitæ formidantes, mox promiserunt se facturos libenter, quod postularent, dummodo pacifice crastinum diem exspectare vellent. Quod cum se facere velle respondissent, separati sunt ab invicem. Die vero crastina illucescente, Henricus Katsowe Proconsul equum suum ascendit, & negotium fingens arduum civitati imminere, extra urbem perrexit, nec illo die propter ipsius absentiam civibus illis promissum signaturæ est servatum. Altera vero die duo alii, puta Henricus Buek & Frederi-

Digitized by Google

cus de Tzene Burgimagistri valvam aliam civitatis exeuntes, in opida proxima secesserunt. Consequenter & quartus Proconsul Johannes Othberg die tertia urbem exivit, & opidum Ribbenitz est ingressus. Quorum recessum cives percipientes convenerunt, & factum inceptum absque prudentum forte requisitione & consilio prosequi satagentes, Burgimagistros illos absentes citaverunt, citatosque peremtorie evocarunt, & tandem non comparentes proscripserunt perpetuo. Hammeburgensium insuper cives contra suum Consulatum quodammodo etiam exacerbati, & ipsi tot eligentes viros Consularibus suis eos junxerunt. Qui negotia civitatis suæ tractare, & emendanda emendare nitentes, judicaverunt expedire pro bono communitatis dictæ urbis, ut vinctus eorum Johannes Ketzeke ob culpam suam captivatus judicaretur & puniretur. Quod & sic factum est. Nec tamen ob illam culpam, propter quam captus extiterat, interfectus fuisset, si ori suo custodiam posuisset. Dixerat enim publica voce Consulatum suum non veracem, sed mendacem esse, & falsum dixisse. Propter quod & quædam alia dictus Johannes productus est in profesto Conversionis S. Pauli, & judicio præsentatus, & tandem morti condemnatus, ac in foro publice plexus.

Quinto decimo anno Sigismundi, qui est Domini MCCCCXXVIII. quidam cives urbis Sundensis de officio braxaturæ existentes machinati sunt in mortem sui Consulatus. Quorum malum propositum intelligentes Consulares, eos capi fecerunt numero sex, & ab ipsis torturis consvetis veritatem facti extorquentes, in publico foro eos capitali sententia puniverunt, misericorditer eis parcentes de rotatione, cujus genus mortis merito perpessi fuissent. Henricus de Marwe Miles & Præpositus Aquensis natus Dominus de Buren, cum multis aliis militaribus, vasallis & civibus civitatum Trajectensis, Davantriæ, Campensis & Swullensis opidum Kulenburg impugnare & capere tentantes valvam, qua itur in Trajectum, apprenderunt. Quam plures viri dicti exercitus ingressi, de opidanis circa XX. occiderunt. Cæteri vero in ponte erant, quem Nobiles supra dicti artificiose fecerant super fluvium Ysle, quem si stabili gressu exercitus ille transisset, procul dubio opidum ipsum obtinuisset. Sed quia pali pontis in limo fixi fuerant, idcirco pons ipse firmitatem non habens depressus pondere corruit, & fere omnes in eo stantes præcipites aquis immersit. Quo diffortunio opidani animati cæteros superstites de exercitu Trajectensium aut captivarunt aut interfecerunt, paucis evadentibus. Fredericus Marchio Misnensis & Dux Saxoniæ obiit in Vigilia trium Sanctorum Magorum, relinquens post se quatuor filios, puta Fredericum, Sigismundum, Henricum & Wilhelmum. Fredericus autem primogenitus regimen Principatuum paternorum patre defuncto assumsit. Hujus autem Principis obitus Ecclesiæ Dei valde nocivus extitit, eo quod virilis fidei propugnator fuerit, & Bohemorum Christi hostium animosus debellator. Qui non mediocriter gavisi fuerunt, mortem Principis immaturam percipientes. Quo humato in castro Mysne, mox Fredericus primogenitus ejus Ducatum Saxoniæ intravit, & fidelitatis juramentum a Proceribus & castrensibus ac civitatibus dicti Ducatus expostulans, in deditionem omnes accepit juxta privilegii formam a Sigismundo Romanorum Rege patri suo indulti super Ducatu prælibato. Rostoccenses videntes se Burgimagistrorum solatio destitutos ex recessu illo spontaneo, inito consilio communi, totum suum Consulatum, quem vehementer suspectum habebant de confœderatione cum Rege Danorum facta, prout in literis Regiis communitati eorum missis evidenter continebatur, de consilio & assensu totius communitatis deposuerunt, & quemlibet in domum suam ire mandarunt, nec reverti ad sedem consularem, nisi vocatum. Quo peracto, sexaginta illi viri, qui alias electi fuerant a dicta communitate, ut factis Consulatus superintenderent, & defectuosa emendarent, freti potestate Dominæ Ducissæ & tutorum terræ ob suorum Principum puerilem ætatem regentium, in omnibus factis bonum communitatis suæ civitatis concernentibus specialiter eis commissa & concessa, Johannem de A Consulem jam destitutum accersi fecerunt, & ipsum in sedem Consulatus honorifice reposuerunt, consignantes ei locum superioris Proconsulis & autoritatem conferentes. Quo in sede Burgimagistri locato autoritate prætacta, de decreto illorum LXta virorum idem Johannes Proconsul factus, alios V. qui in Consulatu priori fuerant, ad se vocavit, & partem solicitudinis suæ eis communicavit, ad sedem honoris eos reponendo. Hi sex sic restituti, alios XVIII. viros ad regimen tantæ urbis aptos & idoneos de mercatoribus & cæteris civibus potioribus evocaverunt, & eos juxta se collocaverunt, & sic numerum consuetum consulatus urbis illius compleverunt. De prælibatis autem Consularibus duos insuper pro primo honorantes, Johanni de A Proconsuli junxerunt in subsidium laborum, & eos in Burgimagistros sublimaverunt, quorum unus Gerardus Wynman & alter Johannes Bernhardi nuncupati sunt. Consulatu ergo tali modo & ordine, ut præmissum est, constituto, Proconsules illi & Consules inter se officia sua distribuentes juxta morem, negotia communitatis agere cœperunt, judicia exercendo, administranda dispensando, defectus corrigendo, & omnia tractando secundum consuetudinem antiquam & ad tenus (leg. hactenus) tentam formam Consulatus. Similiter Wismarienses propter consimiles Danorum Regis literas suum habentes Consulatum de confœderatione periculosa suspectum, ipsum totaliter deposuerunt, autoritete eadem fungentes, qua Rostoccenses in simili facto usi fuerant. Et de sexaginta viris suis ac de quibusdam mechanicis, quod tamen inconsuetum erat civitatibus illis maritimis & quasi præjudiciale cæteris urbibus, novum Consulatum instauravèrunt. Cujus quidem numero ad perfectum deducto, ex sic novis & noviter creatis Consularibus quatuor Proconsules statuerunt, quorum nomina sunt: Everhardus Groteek, Nicolaus Jesop, Petrus Loste & Johannes Sasse. Quibus institutis, senior Dux terræ illius vix octennis, præsente Ducissa matre illorum Ducum Magnopolensium, & Matthia Axcowe tutore terræ illius, prælibatum Consulatum novellum juxta ordinem suæ evocationis in consistorium introduxit & installavit, & autoritatem regendi urbem illam, judicandi, corrigendi & dispensandi omnia & singula commune bonum ipsius concernentia juxta morem legalem & continentiam privilegiorum a Principibus progenitoribus dicti juvenis Ducis civitati eidem indultorum efficaciter eis concessit & commisit. Falsarius quidam nomine Marcellus pertransiens civitates maritimas, venit tandem in urbem Lubicensem cum socio quodam cruce signato de Ordine S. Johannis. Marcellus autem iste Ordinis erat Fratrum Minorum, licet habitu debito non uteretur, sed barbatus incedens cum talari tunica, cinctus subtus chorda Minoristica, pro Magistro in Theologia se gerebat. Hi duo fingentes se missos autoritate Apostolica ad colligendum pecunias per certas provincias pro redemtione Johannis Regis Cypri nuper a Sarracenis captivati, quandam Bullam Papalem apud se gestabant, cujus autoritate ab omnibus peccatis & casibus indifferenter homines cujuscunque conditionis & status essent, absolvi faciebant, indulgentias pœnæ & culpæ conferentes omnibus, qui juxta suam facultatem ad liberationem dicti Regis captivi manus suas porrigerent adjutrices. Insuper & literas dederunt confessiona-

Digitized by Google

sionales, quarum vigore absolvi possent in ultimis ab omni sententia & casu reservato, & plenariam consequi valerent pœnæ & culpæ remissionem. Cum hac quidem Bulla falsa & deceptoria diversas jam mundi partes transierant, & multorum fidelium animas in barathrum damnationis secum traxerant. Sed cum urbem Lubicensem dicti deceptores ingressi essent, pro fundatione dictæ suæ autoritatis pestiferæ, Præsulem urbis accesserunt, & negotium suum eidem patefecerunt. Dominus vero Johannes Episcopus Lubicensis personas, ut vir astutus, diligenter considerans, & Bullam ei exhibitam maturo examine perlustrans, reperit tandem ipsam falsam. Quod attendens socius Marcelli Johannita, terrore nimio percussus, gravem incidit infirmitatem, in qua in paucis diebus laborans, tandem decessit. Quo defuncto, Marcellus ab Antistite prædicto mox arrestatur. Qui cautulose agens, ut dicebatur, tradidit eidem Episcopo pecuniæ bonam summam, ut sic evaderet manus suas, ad manum fidelem, promittens & jurans se locum illum non velle mutare, nisi prius ad omnia sibi objicienda sufficienter respondisset. Qua fide præstita sub fidejussorum dignorum consignatione, puta Gerardi de Florentia civis dictæ urbis, & filii Lodowici de Bononia inibi etiam commorantis, prædictus Frater Marcellus clandestine & furtive abscessit. Cujus fugam percipiens Johannes Episcopus, festinanter post ipsum destinavit nuncios ad capiendum ipsum, si inveniri potuisset. Sed ipse falsarius fugax & dolis plenus cautulose alvei fluenta transiit, & insidias sibi paratas evasit, ad Rheni partes viam suam dirigens. Videns autem Præsul Lubicensis se delusum, mox ad curiam Romanam nuncium direxit, Domino Papæ fideliter insinuans rem gestam. Qui confestim rescribens mandavit, ut, quam cito copia ipsius haberi posset, caperetur, & tanquam falsarius literarum Apostolicarum damnaretur. Scripsit idem Dominus Papa Cardinali Angliæ, quem ad partes Alemanniæ ad extirpandam hæresim Bohemicam & ad alia Ecclesiæ negotia agenda legatum suum direxerat, ut eundem falsarium inquiri faceret, & pœnis debitis comprehensum puniret. Cujus mandatum prædictus Cardinalis cum recepisset in Treveri urbe tunc constitutus, mox nuncios expeditos versus Coloniam, ubi ipsum adventasse jam veridicis rumoribus perceperat, destinavit, & se ad eum venire quantocius præcepit. Qui litera Cardinalis recepta & perlecta, sperans promotionem aliquam ab eo percepturum, conspectui suo se præsentare festinavit. Ad cujus præsentiam cum falsarius ille pervenisset, statim ipsum comprehendi jussit, & vinculis ferreis constringi. Expedito autem negotio, propter quod Dominus Cardinalis illuc venerat, descendit per Rhenum, & pervenit in Coloniam Agrippinam, secum deferens Fratrem Marcellum, compedibus & vinculis irretitum. At ubi dum esset constitutus, nescio cujus auxilio aut qua arte a vinculis se excussit, & de manibus custodum mirabiliter elapsus est. Audiens autem Dominus Henricus Cardinalis fugam falsarii, commotus valde contra custodes ejus, de ambonibus ecclesiarum publice pronunciari fecit, ut, siquis ipsum comprehenderet, & eum sibi præsentaret, CCC. florenos ipse recepturus esset. Quod quidem promissum multos fecit solicitos ad quærendum ipsum. Quæsitus ergo per omnes vicos, domos & maneria dictæ urbis, tandem in quodam Monasterio Monialium comprehensus est a quodam satellite Archiepiscopi Coloniensis, & Cardinali præsentatus. Cui cum Dominus ille cum gratitudine solvere voluisset promissam pecuniæ summam, clientulus ille solum XL. florenos recipiens, contentus Domino retulit grates. Falsarium ergo prædictum Cardinalis juxta demerita punire volens, primo ipsum publice inscalavit; deinde in tribus processionibus denudatus incedens, tandem incarceratus est in castro Archiepiscopi Brüle dicto, vitam suam inibi in pœnitentia dura terminaturus. Ubi in miseriis & ærumnis gravibus constitutus epistolam dictavit lugubrem, calamitatis suæ seriem per ordinem enarrantem. Quam prædicto Cardinali destinavit, ut ea perlecta ad faciendam misericordiam cum eo viscera suæ pietatis moverentur. Epistolæ autem illius tenor sequitur, & est talis: Reverendissimo in Christo Patri Inclytoque Principi & Domino, Domino Henrico miseratione divina titulo S. Eusebii Presbytero Cardinali, Apostolicæ Sedis Legato, Marcellus captivus se recommendatum optans dicit: Tandem Princeps Illustrissime, tandem quid mœroris amplius effar (an effabor?) Quid Pater Excelse vociferans clamabo? Quid ulterius quam in virga tuæ indignationis tabesco? Cui amplius voces querulas explanabo, si tu Dominus meus, si tu refugium spei meæ, in quem misera anima mea confidebat, servi tui recordatus non fueris? Cur mitis Domine elongasti a me amicum & proximum? Obtexisti me caligine in furore tuo, & lucernam splendoris mei obumbrasti. Sunt enim omnia speciosa mea in squalorem eversa. Serena commutasti in nubilum, ac faciem meam confusione attritam verecundia impegisti. Confregisti cornu gloriæ meæ a facie tribulantis, dexteram tuæ miserationis avertisti retrorsum, & grandi exterminio mihi diem omnis lætitiæ subvertisti. In tenebris demum collocasti me quasi mortuum sempiternum, increpidinem calamitatis meæ ærumna invalescente gravasti. Cur te Patrem, Patrum optime, humiliati oratio flectere non potuit? Cur non dixisti cum Domino: Mortem peccatoris nolo, civilem dico, sed ut magis convertatur, & vivat? Et cum iratus fuero, minime recordabor. Quis hoc de te alias audivit, quod tua pietas corde contritos deseruit, & in se sperantes despexit? Quis reorum te invocavit, & derelictus est? Quis in te speravit, & desertus est? Exaudiebas enim & corripiebas, eruebas & confovebas. O heu! heu! dignissime Patrum, cur ipse petii fugam? Non fueram fugiens, ut fugerem, sed ut starem, fugerim (fugeram). Quomodo hoc? An nescit tua Præclaritas, quantis votis ac suspiriis exposcebam, ut tuus non solum, sed cunctorum vernaculorum heriliumque ac clientum tuorum servunculus micis de tua mensa cadentibus saturandus potuissem cum gratia tua sub aura accubare? Hæc quantis lacrymis quantisque singultibus a Proceribus tuis, primumque a Clementia Tua impetravi, testis es: testes sunt & illi, qui exuberantia pietatis sæpe mecum compassionis lacrymas effuderunt. Tu autem grandi fremitu, quando ultimo Tuæ Majestati astiti, demum torturam, & tandem me Coloniensis Antistitis custodiæ relicturum comminatus es. Ut ergo ibi non essem, fugii, & ne tecum venirem, evasi. Potuisti ea fuga irritari ut homo, sed ut sapiens debuit tanta sublimitas micantibus virtutum præinsignita monilibus, sicut aruspices & thimones, de quibus Homerus & Varro autumant, primos repente contundere motus, crispantes carinas in tranquillum convertere, & virus Phlegetontis in nectare Tantali commutare, juri naturæ compati, quod dedit, quod quisque contraria fugiat, & se tueatur ubique. Ergo Princeps inclyte, hæc præcordia tuæ miserationis relaxa. Satis sic: cesset jam mucro, vibrans tandem capulus conquiescat. Audi ecce jam quibuslibet pœnis multatus sum. Prius quidem Treveris custodiæ actus, privatus bonis, longo itinere ludibrio ad Coloniam deportatus, attritus vinculis. Et postquam fœmina, a qua semper egressa est iniquitas, latitantem invenit, statim tumultuosus confluxus hominum accurrebat utriusque sexus, rabido adventantes sacerdotes cachinnabant in miserum, didascali conspuebant, obstupebant docti, subsannabant indocti. Vulgus hæreticum conclamabat, parvulorum magna congeries & infantum extorquebat clamoribus vinctum. Tradebar illico

illico universæ civium cohorti, & stipatus lictoribus laicisque manibus compressus tractibus violentibus educebar, tantoque agitabar fremitu & pressura, ut supra omnem impietatem verenda paterent. Tali ergo tunsione adductus, publica custodia servatus sum. Demum tribus processionibus, populo inspectante, detectus in publicum, intrususque iterum asperrimo carceri, in antrum deterrimum & foveam feralissimam submissus per funem, plures dies ibidem incibatus remansi, catenis immanissimis utraque manu astrictus. Ultimo heu! heu! Domine mi ex ore tuo sententia sicut sagitta vibratus sum, & opprobrioso cunctis spectaculo inscalatus, artubusque nimia lassitudine prægravatis, statim currui injectum vinctumque ad hunc locum duxerunt, & troicientes (trajicientes) in lacum deteriorem liquerunt, ubi est fletus & stridor, ubi umbra mortis & stupor, ubi in sterquilinio sedeo, ubi febre & ægritudine incalente membra debilia mortem exoptant, ubi fame nuditateque pereo. Ubi est ergo nunc tua mansvetudo? ubi gratia, non quam promerui, sed quam pollicientem (quæ pollicentem) Principem decet? Ubi compassio viscerosa? Heu! cesset jam manus tua, & jube me ad tuam misericordiam pervenire. Salvum me fac, & exaudi me. Eripe me de lacu, & a timore tuo erue animam meam. Jube quæso Coloniensi Antistiti, ut tua me educat miseratione de carcere, & in statum libertatis reducat. Magnificentiam tuam in me servo tuo ostende, & saltim libros & vestes, quorum quæstu possim remeare ad propria, si tua præsentia dignus non sum, restituere non dedigneris. Vale trino ævo Excelse Princeps & Reverende Pater, sintque apud Tuam Clementiam Amulius & Richardus viri præclari vere tibi fidi oratores pro misero me peccatore. Civitates maritimæ superius sæpius memoratæ in gwerra veteri & discordia jam dudum versata inter se & Ericum Regem Danorum perseverantes, ad expeditionem navalem ordinandam contra eundem Regem se iterum disposuerunt. Reparatis ergo navibus & victualibus necessariis, ordinatisque stipendiariis & tironibus in multitudine copiosa cum armatis ac instrumentis bellicis bene provisis, Dominica Palmarum mare intraverunt, & in portu Wismariensi se sociaverunt, pro Capitaneo principali & præcipuo habentes Gerardum Ducem de Sleswic juniorem in propria navi cum centum armatis Nobilium Holtzatorum. Quælibet vero civitas quosdam de suis Consularibus pro Capitaneis particularibus in suis habebat navibus, qui populum subjectum regerent, & ad pugnandum contra hostes animarent. Quibus in loco determinato collectis & adunatis inventæ sunt CC. & XL. naves, inter quas plures erant grandes & ad pugnandum formatæ altæ & prominentes. Numerus vero armatorum in classe hac magnifica fertur fuisse XIIM. demtis Vitalianis proprias suas naves ferentibus, & super propria sorte militantibus, quorum numerus ad DCCC. personas & amplius se extendebat. Feria ergo secunda Paschæ vela sua levantes, cum vento prospero die sequenti Danicas insulas attigerunt. Et locum maris castrum Copenhaven præterfluentis Norsund dictum apprehendentes, non procul a portu regio Reveshol nuncupato simul se locarunt ancoras figendo. Ericus autem Rex Danorum præcognoscens civitates venturas, naves suas in antro præfato Reveshol recondens, introitum portus illius hostibus præclusit munitionibus fortibus, in ore antri prædicti constructis, munitis bumbardis & balistariis multis. Naves etiam suas, quas grandes habebat & multas, sed inclusas in antro sæpe dicto, armatis viris repleverat ad hoc, ut si forte civitatenses tanquam viri animosi violenta manu dejectis munitionibus dictum locum intrare contenderent, naves suas defendere & hostibus resistere valerent. Cumque exercitus Ducis & civitatum cernerent sine intolerabili damno & nimio periculo suorum non posse artitudinem loci, in quo Regis naves locatæ erant, se intrare, ut pugna manuali ad invicem dimicarent, instrumentum quoddam ex multis malis navium illarum, quas ad dictum antrum Reveshol mari immergere proponebant, compactum construxerunt, quod vulgariter Vloet nominabant, & in eo bumbardas & petrarias suas majores collocantes, lapides ex eis sine intermissione jecerunt in Danicam classem, & plures naves inimicorum vel perforantes, vel violento saxorum impetu confringentes, innumeros in eis Danos nobiles & ignobiles necaverunt. Danica vero gens vice versa innumeris suis bumbardis viriliter utentes, castra Teutonicorum indefesse exterruerunt tam de opido Copenhaven & castro ejus, quam de navibus antro reclusis, saxa projicientes & tela innumera mittentes. Paucos tamen speciali Dei gratia & omnino incomputabiles ictibus suis vel jactibus Dani de Teutonicis ferientes vulnerarunt, & perpaucos occiderunt in dicto conflictu, quamvis simul quandoque ducentæ vel amplius bumbardæ referantur a veridicis concrepasse (concrepuisse). Cum autem hæc agerentur, illi, qui ad hoc ordinati erant, ut naves dispositas ad obstructionem dicti Reveshol mari immergerent, ne amplius naves Regis exeundi facultatem haberent, aut aliæ intrandi, officium suum omnes debite exsecuti sunt, & portum illum grandium navium submersione repleverunt, præter Wismarienses, qui segniter & minus provide agentes, navem suam, quam ex transverso ad locum suum concludendum immergere debuissent, in oblongum immerserunt, & sic viam exeundi patentem Danicis navibus licet artam satis reliquerunt. Cujus facti ignaviam Dani considerantes, mox classe sua integra portum illum præripuerunt, & instrumentis suis viriliter utentes prohibuerunt cives, ne dicto loco sic indebite obstructo amplius appropinquare valerent. Unde quasi confusus & frustratus civitatum exercitus in suo proposito sumtuoso valde retrocessit. Bartholomæus Voet Capitaneus Vitalianorum Rostoccensium & Wismariensium in classe civitatum transiens cum DC. viris animosis usque Norsunt, cum eisdem aliquamdiu pausavit. Sed tandem a Duce Gerardo de Sleswic Capitaneo licentiam postulans impugnandi & spoliandi ulteriores Danorum partes super sua sorte propria, iter suum direxit versus Norwegiam. At ubi veniens cum suo exercitu, applicare mox nisus est opido Bergensi. Quorum adventum percipientes Anglici, qui ibidem Normannorum strumulos & cæteros pisces aridos & alia mercimonia apportantium præstolabantur forum, & timentes universum Holtzatorum & civitatum maritimarum exercitum adventasse, mox suas naves intraverunt, & velis erectis fugam cursu veloci ceperunt. Episcopus etiam Bergensis consimili formidine percussus, omnia sua in manibus hostium relinquens, in unam Anglorum scapham prosiliit, & cum ipsis protinus aufugit. De quorum recessu gavisi Vitaliani pariter & animati, opidum dictum Bergense manu armata intraverunt, & omnes opidanos captivantes spoliaverunt. Curiam quoque Episcopi irruptione hostili intrantes, inibi reperta rapuerunt. Liberariam insuper suam ostiis ferreis clausam violenter frangentes, libros omnes inventos abduxerunt, & cistas magnas ferreis ligaturis munitas instrumentis suis reserantes, clenodia Pastoralia & alia multa pretiosa vasa argentea ibidem reperta sustulerunt, & secum deportaverunt. Et quod super omnia eorum augebat fortunam, Normanni, qui mercatoribus pisces, pelles ferinas & cætera varia apportare soliti sunt, jam cum navibus onustis aderant, & forum suum juxta morem eorum antiquum facere proponebant. Sed Vitaliani absque solutione omnia eorum rapientes, & ad naves suas ferentes, ac velis levatis cum toto spolio portum Wismariensem apprehenderunt, ubi bona eorum dividentes & vendentes emere volentibus, ad expeditionem aliam faciendam se præparaverunt. Adolfus de Sleswic, cum adjutorio Ottonis junioris Ducis de Brunswic

Digitized by Google

Brunſwic & Comitum de Schowenburg & Hoya, ac trium civitatum Lubicenſis, Hammeburgenſis & Luneburgenſis, intravit Jutiam terram opulentam nimis. Quam pertranſiens abſque reſiſtentia quacunque, adunavit jumentorum & pecorum ac ſupellectilium maximam prædam, & eam abduxit. Fertur autem a veridicis, qui interfuerunt expeditioni, dictam prædam comprehendiſſe de ſolis pecudibus, pecoribus & jumentis circiter XXXM. demtis clenodiis argenteis, veſtimentis variis utriusque ſexus & utenſilibus domorum. Quibus ad caſtrum Gottorp deductis, & juxta militarem decentiam partitis, ad propria ſunt reverſi Principes & vaſalli. Henricus Archiepiſcopus Rigenſis una cum ſuis comprovincialibus Epiſcopis, puta Tiderico Darbatenſi, Henrico Revalienſi & Chriſtiano Oſilienſi Concilium provinciale celebravit profeſto S. Michaelis. In quo quidem Concilio plura negotia dictam provinciam concernentia tractarunt, prout fieri conſvevit in talibus Synodis per Metropolitanos congregandis, inter quæ præcipuum erat de Apoſtolico præſidio implorando contra eorum moleſtatores & injuriatores. Ad cujus negotii expeditionem perficiendam deſtinati ſunt duo de qualibet Diœceſi dictæ provinciæ, quorum principalis Legatus erat Decanus Revalienſis. Quibus duo Proconſules urbium Rigenſis & Darbatenſis filios ſuos adoleſcentes ſpecioſos & ingenioſos ſociarunt pro Studentibus alicui Univerſitati Italiæ aſſignandis. Hi ergo nuncii cum ſua familia XVI. in numero exiſtentes, in principio Quadrageſimæ partes illas exierunt equeſtres, onuſti pecuniarum magna ſumma & clenodiis pretioſis, & venientes prope flumen Dune dictum, a quodam Goswino Aſſcheberg Ordinis Domus Teutonicæ Fratre & Advocato caſtri Grebin arreſtati ſunt & detenti. Clerici autem ægre ferentes violentam detentionem, allegarunt privilegia clericalia & pœnas ac cenſuras graves, quas incidunt manus violentas in Clericos extendentes. Sed ille timore Dei poſtpoſito & propriæ ſalutis immemor illos Clericos, ablatis prævie literis eorum & perlectis, tanquam traditores terræ primo pecuniis ſpoliavit & rebus, & demum exutis veſtibus, omnes in flumen ligatos projecit & ſubmerſit. Quibus tam crudeliter expeditis, mox dictus Goswinus Advocatus quatuor Præſulibus ante dictis literam ſcripſit formam talem continentem: Noveritis, Domine Antiſtes Rigenſis cæterique Suffraganei Eccleſiæ ejusdem, quod Clericum veſtrum Wulehavere cognominatum Decanum Revalienſem cum ſuis collegis & ſociis detinui, ſpoliavi & tandem ſubmerſi tanquam traditores noſtræ terræ autoritate propria, nullo inſtigante homine aut jubente de meis ſuperioribus vel confratribus. Et utinam vos omnes in eadem mea poteſtate habuiſſem, eundem finem vitæ veſtræ impoſuiſſem. Siquid ergo pro facto illo attentare decreveritis, perſonæ meæ & nulli alteri impendere poteritis. Valete. Philippus Dux Burgundiæ & Jacoba hæres Hollandiæ dudum litigantes pro dicto Comitatu Hollandiæ, prœlia multa & terrarum devaſtationes graves commiſerunt, populumque innumerum ex utraque parte amiſerunt. Sed tandem videntes diſcordiam eorum ad nihil aliud quam ad deſtructionem præfati Comitatus & perditionem populi vergere, placita inierunt amicabilia circa feſtum Johannis Baptiſtæ, & auxilio divino operante ſe invicem ſibi favorabiliter reconciliarunt, & fœdera perpetua percuſſerunt, tali conditione adjecta, ut parthia illa inveterata in perpetuum ſit anathematizata, & ſopita ſit omnis controverſia omnium hominum terræ illius nobilium & non nobilium, & quod licitum ſit cunctis terra pulſis & exulantibus ad cauſas ſuas reverti cum reacquiſitione amiſſorum bonorum ſuorum. Inſuper Domina Jacoba dici & eſſe debet Domina terræ Hollandiæ, nec unquam nubere debet cuiquam ſine ſcitu & conſenſu dicti Domini Philippi Ducis; ipſe vero tutor eſſe debet & Dominæ Jacobæ præfatæ & totius Comitatus Hollandiæ, quousque exurgat quis, qui jure hæreditario dictum Comitatum regere debeat & valeat. Supra Rhenum quædam villa erat, cujus nomen narrator ignorabat, in qua latrocinia a multis annis fuerant in peregrinis & mercatoribus per hoſpitalarios dictæ villæ perpetrata, ſed tandem DEo malitiam eorum ultra ferre nolente, doloſitas & deceptio eorum tam pernicioſa detecta eſt, & intimata Domino dictæ villæ in caſtro proximo commoranti. Qui diligenti inquiſitione facta, in veritate ſic eſſe inveniens juxta narratum, villam dictam funditus deſtruxit, hoſpitalarios vero omnes utriusque ſexus manibus ſub genibus ligatis in Rhenum projici juſſit, fiſco ſuo omnia eorum bona reſervans. Peſtifera Bohemorum gens enormiter in Chriſti fideles deſæviens, cum maxima multitudine armatorum Sleſiam denuo intravit, ubi pene V. civitates pulcras & populoſas funditus deſtruens, cunctos homines in eis inventos occidit, Eccleſias etiam & Monaſteria vaſtans, Religioſos & Presbyteros variis mortibus peremit, Suppriorem quoque Fratrum Prædicatorum de Conventu Frankenſteen virum valde devotum igne facto de Sanctorum imaginibus incineravit. Hibernienſis inſulæ inhabitatores Regno Anglorum rebellare nitentes, damna plura eisdem Anglicis intulerunt. Quod attendentes Proceres Regni, miſerunt contra eos Comitem Marchiæ, ex eo quod Rex Anglorum adhuc puer exiſteret, ad debellandum eos. Oderunt enim Principes Angliæ dictum Comitem ob hoc, quod de proſapia & ſanguine Regis Richardi dudum interfecti eſſet, & timebant ipſum ad Regnum anhelare. Propter quod miſerunt ipſum adverſus homines illos rebelles, ſperantes ipſum interfici debere ab eisdem. Qui veniens in Hiberniam cum exercitu magno, ſtragem ingentem fecit in populo, ſed & ipſe tandem, ut ſperatum erat, ibidem occubuit.

Sexto decimo anno Sigismundi, qui eſt Domini MCCCCXXIX. Sigismundus Rex triumphavit contra Turcos prœlio maximo, caſtrum, quod dividit Turcos ipſos ab Ungaris, expugnans & capiens, ac multitudinem barbarorum illorum innumeram perimens. Anglici exeuntes Regnum ſuum, & ſe jungentes eis, qui in Regno Franciæ hoſtiliter ſæviebant, urbem Aurelianenſem vallaverunt exercitu magno tripartito. Erat autem Dux exercitus eorum Dux Sarum vel Saribenenſis, vir ſtrenuus & victorioſus. Cujus urbis obſidionem ægre ferens Dominus de Armiag, in dicta civitate cum multis viris fortibus exiſtens, una cum civibus principalem partem exercitus tripartiti aggreſſus eſt. Et viriliter cum eo dimicans, tandem victoria potitus eſt, ſtravitque totam illam multitudinem numero VIIM. armatorum, ubi & Dux exercituum Saribenenſis pariter occiſus fuit. Quorum ſtragem cæteri duo exercitus ad aliam urbis plagam conſtituti percipientes, in fugam celerem mox verſi ſunt. Bartholomæus Voet cum ſua ſocietate numero fere CCCC. portum Wismarienſem relinquens circa Dominicam in Paſſione Norwegiam repetiit. Cujus portum feria ſexta Paſchæ apprehendens, opido propinquare feſtinavit, & ipſum impugnare cœpit. Bergenſes autem curias Regis & Epiſcopi fortibus viris munierant, & de illis opidum defendere ſatagebant. Cumque dicti Vitaliani jam plures jaculis arcuum & baliſtarum ſuarum transfixiſſent de caſtellanis, & expugnationi opidi viriliter inſiſterent, venit quidam juvenis famulus cujusdam mercatoris Teutonici, & vocans ad partem dictum Bartholomæum Capitaneum, dixit ei, ſunt, inquit, etiam plures de veſtris in mari, qui vobis auxilio eſſe poterunt, ſi oportunum fuerit? Qui reſpondit: Neſcio plures de proximo. At ille: Valde ergo neceſſarium eſt pro ſalute veſtra quantocius fugam capere. Præſciebatur namque adventus veſter ad quatuor dies, & miſſi ſunt nuncii ad convocandam totam patriam, quæ vos navali bello in proximo excipiet. Capitaneus

Digitized by Google

quoque hujus opidi cum tota communitate, terrestri aggressu die hodierno similiter vos invadet, & sic inter duo agmina citissime eritis conclusi. Fugite ergo, consulo, in altitudinem maris sine mora, ut sic securi de terrestri exercitu classem venturam solam eo expeditius viribus vestris valeatis evincere. Bartholomæus autem consilium juvenis non parvipendens, mox cum suis naves ingreditur, & via, qua venerat, reversus ad pelagus, aspicit multitudinem navium recto tramite faciem suam petentium, de quorum adventu tam repentino non parum consternatus est, sed mox animum capiens, ad viriliter pugnandum socios exhortatur. Norwegi namque illi ultra centum naves armatis viris refertas habentes, appropinquare cœperunt. Et Vitaliani ultra VII. non ferentes, multitudine hostium minime exhorruerunt, sed confestim in medium eorum irruentes, dimicare cum ipsis fortissime statuerunt. Dani ergo in primo congressu se viriles ostendentes, unam de septem navibus Teutonicorum comprehenderunt. Quam abducentes, in ea XIX. viros fortes armatos captivaverunt, & sic solum sex naves Vitalianis remanserunt. Alii tamen ex hoc infortunio in nullo fracti, sed fortius irritati viribus suis usi sunt, & primo de majoribus navibus duas expugnantes, cunctos in eis repertos interfecerunt. Easdem vero naves suis replentes sociis, iterum alias duas de potioribus potenti manu obtinuerunt, & similiter inventos in eis obtruncantes, neminem captivum receperunt. Quibus iterum ad suum usum aptatis, in plures parvas carinas Normannis plenas impingentes in earum cursu in maris profundum cum omnibus contentis demerserunt. Quatuor autem prædictæ naves majores plenæ fuerant nobilibus & potioribus terræ, qui omnes interfecti sunt gladiis Teutonicorum numero fere CCCti, de submersis vero in parvis naviculis certus non est numerus. Videntes autem cæteri in aliis navibus constituti tantam cædem factam in fortioribus suis, timore maximo percussi, fugam celerem, ut se salvarent, inierunt. Quibus in mari ad nutum expeditis, & suis, quos amiserant, recuperatis, cæterisque hostibus per mare dispersis, & ad propria festinantibus, Vitaliani iterato certamine opidanos impugnare meditati sunt. Ad quod reverti cum se disponerent, viderunt socios suos, quos in portu Wismariensi reliquerant, cum X. fere velis eis appropinquare. Quos secum sumentes, reversi sunt ad expugnandum opidum. Sed illuc venientes, neminem repererunt resistere eis audentem. Omnes fuga elapsi (erant.) Intrantes ergo opidum, curiam regiam succenderunt pariter & Episcopi domum ac quasi villam totam. Et domos spoliantes ac naves Normannorum, immensa bona de eis sustulerunt in strumulis, carnibus, buthyro, clenodiis argenteis, pannis & pecuniis. Ac cum omnibus his Bartholomæus cum suis sociis versus Albiam se transferens, urbi Hammeburgensi applicuit, alia societate per aliam viam hostium fines pro lucro meliori invadere nitente. Circa festum Ascensionis Domini potiores de curia Reginæ Danorum Philippæ naves prævie dispositas, & cunctis ad pugnam necessariis onustas intraverunt cum grandi exercitu de fortioribus Danis collecto, numero fere mille CCCC. & iter suum versus urbem Sundensem dirigentes, in portu ejus naves incendere, villas spoliare & cives captivare proposuerunt. Cum autem dicti Dani circa noctis medium cum LXXV. & amplius navibus urbi prædictæ applicuissent, mox, ut conceperant, naves omnes inventas concremabant, quas asportare nequibant, quas vero abducere poterant, secum ferebant. Coram civitate vero die illucescente, moram trahentes aliqualem, cum bumbardis suis lapides intra urbem jecerunt, & populum improvisum valde exterruerunt. In pontibus quoque civitatis prope muros chorizantes, imperterritos & cum civibus pugnare se promtos ostenderunt. Cives autem intra urbem suam se continentes, ad ipsos exire, & cum ipsis dimicare ausi non fuerunt. Cumque juxta voluntatem suam omnia egissent, ad naves regressi sunt, & vento contrario eos compellente, urbem Sundensem linquere, & aquas ascendere versus Wolgast coacti sunt. Ubi cum moram aliqualem facerent, casu venerunt naves de urbibus Lubicensi & Wismariensi cum mercibus suis. Quas cives videntes Sundenses, & ad vindicandum se de hostibus inardescentes, mox naves ipsas exoneraverunt, & armatis viris eas repleverunt, ac alias proprias naves, quas incombustas mare conservaverat, aptantes, consimiliter fortibus & audacibus viris onustarunt. Horum autem virorum pro honore civitatis prœliari volentium Capitaneus erat Magister Paulus gubernator cujusdam navis, vir utique animosus & ad bella navalia imbutus. Johannes etiam de Lippia Burgimagister quosdam notabiles cives colligens, barcam intravit, & ad pugnandum contra hostes eos exhortans, virilem animum se habere ostendit, fama publica hoc attestante. Redeuntibus igitur inimicis, & urbem pertransire conantibus, Magister Paulus cum suis viris cordatis impetuoso cursu navium suarum in Danos illos irruit, & viriliter cum ipsis pugnans, majores eorum naves vicit, ac gladiis & lanceis cæterisque instrumentis bellicis in ipsis repertos prosternens, suis sociis eas replevit. Quibus navibus rursum forti impulsu in minores scaphas impingens, cunctos contentos in eisdem pelago absorptos extinxit, sicque manu valida, quibus potuit navibus hostium se applicans, multos peremit, pluresque captivavit. Consimiliter vero alii cives animosi in cæteris navibus constituti, virilitate & audacia dicti Magistri Pauli confortati, inimicorum agmini se jungentes percusserunt Danos illos in furore suo, & plures ex eis in fugam verterunt. Cumque unam de potioribus navibus plenam Nobilibus Danorum, quorum Conradus de Indagine Capitaneus erat, expugnassent, & omnes in ea constitutos captivassent, decem cives, qui dictos captivos tuerentur, ne a cæteris civibus iterum invaderentur, ad eos imposuerunt. Illi vero perfidi effecti, & non formidantes votum capturæ publicæ emissum violare, cum ventum cernerent sibi proficuum, velum suum levaverunt, & cum civibus impositis partes Danicas veloci cursu petierunt, suam improbitatem per hoc excusare nitentes, quod manu ad manum recepta capti non fuissent. Sundenses igitur modica classe sua septem videlicet navium de LXXV. navibus Danorum armatis viris repletis victoriam obtinentes non sine divino speciali auxilio, captivos suos numero circiter CCC. ad urbem suam secum duxerunt, & custodiæ satis miti commendantes, tandem eos gratiose exactionaverunt, & ad propria redire permiserunt. Regnum Francorum per multos annos ab Anglicis graviter attritum, hoc anno misericors DEus ex alto respexit, & redemtionem insperatam & insolitam, imo vix prævie auditam ei misit. Sane juxta vulgare & famosum verbum, in Lotharingiæ Ducatu quædam extitit puella Johanna nuncupata, XIV. fere annorum, quæ rurali de domo nata, pecora patris sui in campis pascere solita fuit. Hæc virgo spiritu Angelico afflata, jussa est pergere in Franciam, & dicere Karolo Delphino: Hæc dicit Dominus, & ego ejus ex parte, nisi vitam tuam emendaveris, & de peccatis tuis pœnitentiam condignam egeris, in gladio hostium tuorum consumeris. Sed si ad DEi nutum te rexeris, vitam tuum mutando, & ejus mandata servando, Regnum tuam ex integro reformabit, cunctos tuos coram te prosternet inimicos, & te potentem Francorum Regem constituet. Cumque puella præfata ad Domini mandatum, paterna domo relicta, Franciam adiret, & in eam veniens magnis laboribus dictum Dominum Delphinum inquirendo tandem invenissent, conspectui suo se præsentari a familia instanter postulavit. Quæ quanquam pro primo ob puerilem ætatem, incomtam rusticanamque personam a vasallis Principis despi-

despiceretur, propter verborum tamen prudentum affluentiam & gratam eloquentiam desuper sibi datam, ac negotii proponendi salutaris exigentiam, tandem ad Domini præsentiam est introducta. Stans igitur Johanna DEi nuncia coram Karolo Francorum Delphino, verba, quæ DEi ex parte peroratura venerat, absque omni formidine constanter expressit, & virtute ejus, qui ipsis cooperabatur, Principis animum in tantum mutavit, ut omni mox semota vanitate virum alterum se faceret, & cunctis diaboli actibus ac oblectamentis totis nisibus renuncians, juxta puellæ consilia a Deo sibi missæ ex toto se regere promitteret. Manens igitur dicta Johanna apud Karolum Delphinum, juxta inspiramenta divina negotia Regni cum eo prosequens, omnibus bellis inantea gerendis personaliter interesse voluit, & propriis manibus juxta Prophetiam Venerabilis Bedæ in metris repertam banerium Regni ferre studuit. Quorum metrorum tenor est talis:

Vis con, VI culli, bis septem C sociabunt
Gallorum pulli tauro nova bella parabunt:
Ecce boant bella, portat vexilla puella.

Dicitur etiam de hac virgine, quod, cum Anglici Aurelianensem urbem obsidione vallassent, ipsa ad exercitum eorum veniens, hortabatur eosdem, ut ab urbe recederent, quia Deus civitatis illius defensor esse vellet, & omnes casuri coram ea forent, nisi ab obsidione & a pugna desisterent. Quod ita factum fuit, sicut virgo prædixit. Narratur insuper a veridicis de eadem puella, quod finem vitæ suæ prædixerit, & ipsius morte Regni calamitatem fore terminandam pronunciaverit. Cujus quidem virginis conditiones, vitæ terminum & verborum prognosticationes Universitas Parisiensis quibusdam metris complectitur, dicens:

Virgo puellares artus induta virili
Veste, Dei nutu properat relevare jacentem
Luciferum Regemque, suos delere nefandos
Hostes, præcipue qui nunc sunt Aurelianis.
Urbe sub, at (ac) illam deterrent obsidione.
Et si tanta viris mens est se jungere bello
Arma sequique sua, quæ nunc parat alma puella
(Arma sequendo, suis quæ nunc parat alma puella),
Credite fallaces Anglos succumbere morti,
Morte puellari Gallis sternentibus illos.
Et tunc finis erit pugnæ, tunc fœdera prisca,
Tunc amor & pietas & cætera jura redibunt,
Certabunt de pace viri, cunctique favebunt
Sponte suo Regi, qui Rex liberabit (relevabit) & ipsos.
A modo nullus erit Anglorum perfidus hostis,
Qui se Francorum præsumat dicere Regem.

Commissa autem feruntur hoc anno tria prœlia ingentia, quibus interfuisse personaliter famatur, & ipsius virtute vel potius Dei in ea operantis de quolibet victoria per Francigenas est reportata. Adepto igitur triumpho de Anglicis coram urbe Aurelianensi, Karolus Delphinus de consilio Johannæ virginis perrexit ad urbem Rhemensem, postulaturus unctionem hæredibus Regni debitam, & in tali civitate ab ejus Archiepiscopo juxta statuta Regni percipienda. Cujus præsentiam Rhemenses cum debita reverentia recipientes, & consilio accersiti Archiepiscopi sui & omnium ad hoc negotium requirendorum usi, ipsum cum omni gratitudine in Regem suum acceptarunt, & officium coronationis regiæ mediante eorum Antistite sibi impendi procurarunt, ut communis de partibus illis venientium affirmat sententia. Wismarienses cum suis Vitalianis & quibusdam Rostoccensibus mare intrantes circa festum Nativitatis Mariæ, quasdam comprehenderunt naves de Swecia censum annuum Regi Danorum ex parte Regni illius debitum deferentes. Viri autem in navibus illis constituti numero fere CCCti certamine duro contra Wismarienses prœliati sunt, de ipsis multos vulnerantes & quosdam interficientes. Sed Vitaliani civitatum præfatarum triumpho obtento ultra ducentos Sweos captivaverunt, & naves eorum magnis bonis onustas ad portum Wismariensem cum captivis deduxerunt, omnia inter se dividentes rapta. Civitates sex maritimæ, puta Lubicensis, Hammeburgensis, Rostoccensis, Sundensis, Luneburgensis & Wismariensis, Wilhelmum Ducem de Brunswic conduxerunt magna pecuniæ summa, ut earum Capitaneus & Dux exercitus existens cum CCCCris lanceis Jutiam intraret, & ad mensem ad minus inibi perdurans contra Regem Danorum cum Principibus Holtzatorum prœliaturus subsisteret. Ingressus igitur dictus Dux cum taxato numero armatorum circa festum Exaltationis S. Crucis Jutiam, adjuncto ei Holtzatorum exercitu copioso, & moram trahens plene per mensem in eadem terra, opidum Oppenra cum suo castro obsidione vallavit, & ad ultimum cum maximis laboribus expugnavit, captivans in dicto castro circa LX. viros. Quibus expugnatis, & viris ac instrumentis fortibus & necessariis munitis, obsidio illa soluta est, eo quod dies contractus jam exspirassent, & Principes omnes ac vasalli ad propria sunt reversi. Ratisponenses cives cum suo Episcopo graviter discordantes, prœlium durum cum ipso dimicaverunt. Sed Episcopus victor eorum effectus plures de civibus captivavit & vinculis constrinxit, villas etiam & opida vinetaque & prædia civitatis vastavit, & damna varia intulit. Cujus jugum moleste ferentes cives exercitum fortem de prope jacentibus civitatibus & opidis ac castris colligentes, iterum cum eo bellum aggressi sunt, & pugnantes utrobique viriliter, tandem victoria civitatensibus arrisit. Ceperunt igitur Ratisponenses in illa pugna plures Nobiles & vasallos Diœcesis, & ceciderunt multi gladiis eorum interfecti. Otto filius Ducis Bernhardi de Luneburg discordans cum Wilhelmo Duce de Brunswic patruo suo, Ducatum suum in sua absentia, cum occupatus esset in negotio civitatum maritimarum, deprædatus est. Quod intelligens Wilhelmus Dux constitutus in urbe Lubicensi, festinus rediit ad partes suas. Et colligens in parvo tempore exercitum grandem de Nobilibus diœcesium Coloniensis, Hildenshemensis, Padelburnensis, Halberstadensis & Monasteriensis, de Hassia, Lippia & Thuringia, venit ad castra dicti Ottonis Ducis, & obsedit opidum Pattensen. Cujus expugnationi dans operam efficacem, ipsum tandem cepit. Ulterius vero procedens ad Hallerburg castrum, obsidione forti ipsum occupavit. Videntes autem Brunswicenses & Luneburgenses cæteræque civitates Principum illorum, hanc dissensionem in destructionem vergere terrarum, treugas inter ipsos fieri, ordinaverunt. Interim dicti Principes causam sui dissidii ad tres principaliores civitates Ducatuum suorum transtulerunt, pro arbitris illas statuentes, puta Brunswic, Luneburg & Honnover ad discutiendum discordiæ suæ negotium. Quæ causam ad se devolutam mature masticantes, tandem Principes prælibatos amicabiliter concordarunt. Casimarus Dux Stetinensis & Otto frater suus anno præcedenti a civibus urbis Stetinensis subsidium postulaverant suarum expensarum fiendarum in reysa contra hæreticos Husitas, quam facere proposuerant. Sed illa petitio occasio fuit mali subsequentis. Nam cum cives anno præsenti petitionem Principum admisissent, & Consulares ærarium civitatis inane & vacuum fore assererent, nec summam postulatam a Ducibus se dare posse protestarentur, burgenses colloquia super hujusmodi civitatis inopia habentes, rationem sibi fieri a Consulatu unanimiter postulaverunt. Quam principaliores Proconsules duo, puta Johannes Grabowe & Gerardus Rode, qui præ aliis bona civitatis plenius tractaverant, vel facere

Digitized by Google

cere formidantes, aut facere recusantes, ne posteris suis gravamen relinquerent insolitum, urbem exierunt, & curiam Ducum Stetinensium petentes, injurias & violentias eis irrogatas eisdem querulose exposuerunt. Principes autem auditis querelis Burgimagistrorum, confestim equos ascenderunt, & urbem præfatam accedentes, secum duos illos Proconsules introduxerunt. Quos urbem ingressi loco suæ dignitatis pristino restituerunt, & duos communitatis Capitaneos & prolocutores apprehendentes, ipsos rotari fecerunt. Burgimagistri vero illi a Principibus adjuti, gratitudinem debitam Dominis suis ostendere cupientes, de consensu consodalium suorum ipsis XIIM. marcarum Lubicensis monetæ donaverunt in promta pecunia, ut sui pii Domini & defensores essent & manerent ac civitatis suæ. Et sic sopita est illa discordia. Herbordus Dukkel Proconsul urbis Bremensis ante triennium cum quibusdam suis collegis furia communitatis dictæ urbis cogente fuga elapsus, & post divagationem per loca varia pro suæ injuriæ suorumque sociorum querulosa denunciatione. Principibus & civitatum rectoribus necessario facienda, tandem in opido Stadensi ad tempus hospitatus est. Cives vero Bremenses post ipsius & quorundam aliorum Consularium egressum, cæteros remanentes in civitate Consulares quasi abjicientes, novos viros juxta videre suum communi bono urbis suæ magis proficuos in Consulatum erexerunt, qui negotia civitatis agerent, ut sui prædecessores, judicio intenderent, & neglecta ac per incuriam collapsa antiquorum novi emendarent. Sed hæc novi Consulatus creatio in maximum cessit dictæ civitati detrimentum, ut inferius clare patebit. Osnaburgenses, collecto exercitu pulcro ex civibus propriis & vasallis Diœcesis suæ ac Monasteriensis Ecclesiæ, iter suum direxerunt versus Hervordiam, apprehensuri vaccas urbis ejusdem, & deprædaturi villas de prope jacentes. Sed Hervordenses cives hostium adventum non ignorantes, freti auxilio Domini de Lippia & quorundam aliorum amicorum suorum, urbem suam in manu valida exierunt, & hostes suos bello duro aggredientes, cum ipsis viriliter dimicaverunt. Quos tandem Deo propitio devincentes, plures de ipsis prostraverunt, & plusquam XL. armatos de potioribus dictarum Diœcesium & civium urbis Osnaburgensis captivaverunt, & in urbem suam secum perduxerunt. Urbs Imperialis Aquisgranum turpiter tradita est per quosdam Burgimagistros ejusdem civitatis in manus trium Principum puta Ducis de Monte, Comitis de Hinsberg & Comitis de Derneburg. Qui urbem prædictam intrantes in manu forti circa festum Omnium Sanctorum, plures cives resistere eis volentes occiderunt, & tandem civitatem illam sibi subjecerunt, salvis tamen juribus imperialibus, & Domino Romanorum Rege homagium principale in ea retinente. Hæretici Husitæ circa festum S. Martini Bohemiam exeuntes intraverunt Luzatiam, & expugnantes Gobin urbem parvam, sed populosam, & cunctum populum in ea repertum interfecerunt. Monasterium quoque Celle dictum multum solenne destruentes, omnes Monachos in eo deprehensos, truncatis prævie manibus & pedibus, tandem trucidaverunt. Coram urbe etiam Vratislaviensi eodem tempore sævientes, villas undique destruxerunt, & plures homines utriusque sexus peremerunt.

Decimo septimo anno Sigismundi, qui est Domini MCCCCXXX. Philippa Regina Daciæ, Sweciæ & Norwegiæ obiit in Swecia in Vigilia Regum, & sepulta est in Wasteen Monasterio principali Ordinis S. Brigittæ: pro cujus animæ salute Ericus Rex Danorum dictum Monasterium solenni eleemosyna dotavit, summam trium millium nobilium eidem largiendo. Archiepiscopus Treverensis Dominus & Comes natus de Tzegenhagen obiit intoxico, ut publice famabatur, extinctus a proprio vasallo. Hic vir devotus erat & justiarius (forf. justitiarius) magnus, diligens Clericos & præsertim Religiosos. Cum autem morti propinqvum se cerneret, & a Nobilibus & vasallis circumstantibus multum deplangeretur, fertur dixisse Clericis & laicis in magnis & altis suspiriis: Utinam diœcesim hanc juste & bene rexissem. Tunc respondentibus astantibus, quod valde bene, juste & pacifice cunctis præfuisset, ait: Inter vos, proh dolor! mihi inpræsentiarum astat, qui mortis meæ causa est efficiens. Tunc unus de astantibus zelo justitiæ accensus dixit: O dulcis Domine & Pater, prodite illum nobis, & sic tractabimus eum, quod inposterum nemini Principum nocebit. Ad quod verbum Præsul piissimus respondit: Et quid mihi prodesset mors ipsius, cum ego supervivere non valeam? Dominus enim noster Christus dixit: Nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur, & vivat. Quod & sibi opto ob salutem animæ meæ. Et hæc cum dixisset, mox efflavit spiritum. Dominus Johannes Wangelin Episcopus Swerinensis obiit, in cujus sedem electus est Dominus Hermannus Koppen Canonicus ejusdem Ecclesiæ. Hæretici Husitæ de secta Orphanorum intrantes Misnam cum grandi exercitu, expugnaverunt urbes diuersas & opida, ac populum innumerum trucidaverunt. Contra quos Principes Alemanniæ bassæ se armantes exierunt, puta Wilhelmus Dux de Brunswic, qui hoc anno cum patruo Bernhardo Ducatus Luneburgensem & Brunswicensem dividens, ipse Brunswicensem obtinuerat, Bernhardo in Luneburgensi manente. Guntherus Archiepiscopus Magdeburgensis, Johannes Marchio de Brandeburg, Magnus Episcopus Hildenshemensis, Johannes Episcopus Halberstadensis, Fredericus Lantgravius Thuringiæ, & plures Comites, Barones, Nobiles & Milites cum centum ferme millibus armatorum. Sed quia Fredericus Marchio Misnensis, nec quiscunque alius Princeps ac civitas dictæ terræ poterat aut volebat ipsis respondere de damno, siquid passuri forent, idcirco dicti Principes ad propria sunt reversi. Quorum Principum torporem erga fidei negotium cernens Wilhelmus Dux Brunswicensis, nec sustinere valens postulationem eorum minus deificam, peregrinationem Terræ Sanctæ assumsit, & Dei gratia comite iter suum perfecit, & sospes rediit ad partes Teutonicas, manens tandem multis diebus apud Sigismundum Regem Romanorum. Satellites vero diaboli in damnifero eorum proposito procedentes, populum Dei in regione illa in tantum angariarunt, ut plures fugam capientes, urbes proprias & opida aut incenderent, aut vacuas relinquerent. Post plurima tandem flagitia in terra illa perpetrata ad urbem Plawensem se diverterunt, quam cum suis duobus castris funditus evertentes, innumerum populum ibidem mactarunt, conventum quoque Fratrum Prædicatorum destruentes, plures de Fratribus interfecerunt. Qua plaga ad libitum pervagata & demolita, versus Franconiam se diverterunt. Erphordenses autem & Jenenses cætereque civitates Thuringiæ transitum eorum formidantes, valde munierunt se fossatis latis & profundis ac vallis fortissimis. Et hoc idem fecerunt civitates potiores Saxoniæ & Marchiæ. Venientes autem in Franconiam, primum Babenbergensem urbem aggressi sunt, cujus cives magna pecuniæ summa se redimentes, ab eorum infestatione ad tempus sunt exemti. Dehinc autem transeuntes, civitati Norenbergensi se applicuerunt. Quorum gravamen cives metuentes, maluerunt moneta ab impiis se eximere, quam terræ suæ & opidorum ac castrorum pericula incurrere. Unde summam XIIM. florenorum, ut dicebatur, eis donantes, eos a se recedere fecerunt. Nec sic satiati canes illi infernales, in tres turmas se dividentes, unam versus Poloniam, alteram ad Austriam

Digitized by Google

am, & tertiam in Ungariam destinaverunt, atque inibi plura prœlia cum fidelibus certantes, postea ad propria redierunt. Johannes Bantzkowe, filius Johannis Bantzkowe Proconsulis quondam Wismariensis alias ibidem decollati,ad curiam Sigismundi Regis Romanorum se transferens, de injusta patris sui interfectione querimonias graves coram præfato Rege deposuit contra dictam civitatem Wismariensem. Ubi adjutus promotionibus diversorum Principum & civitatum, tandem practicavit apud eundem Regem in tantum, quod gravem sententiam contra dictam civitatem fulminaret. Qua obtenta, ad partes rediit, & cum adjutorio civitatum aliquarum, & præsertim Lubicensis, cujus Consulatus executor regiæ sententiæ datus erat, ad talem finem perduxit, ut emendam publicam & satisfactoriam pro injuria & damno sibi illatis reciperet. Civitatibus ergo illis de executione prædicta plene expeditis, abjectos dictæ urbis Wismariensis Consulares, cum adjutorio Catharinæ Ducissæ Magnopolensis & filiorum ejus Principum terræ, sedibus suis restituerunt, semotis illis, qui loca illa injuste & violenter sibi vendicaverant. Karolus Rex Francorum novellus plura gessit bella victoriosa, virtute & meritis Johannæ Puellæ Regno illi a Deo concessæ, contra Anglorum Principes & Philippum Ducem Burgundiæ eorum auxiliatorem, innumerum populum de eorum exercitibus prosternendo, & urbes plures ac castra expugnando. Dux Brabantiæ Antonius viam universæ carnis ingrediens, prolem masculinam post se non reliquit. Cujus Principatum Philippus Dux Burgundiæ obtinens ut verus hæres, factus est potentior & ditior Princeps Christianissimi totius, paucis Regibus exceptis. Civitates sex maritimæ superius sæpius expressatæ pro die placitorum amicabilium tenenda cum Erico Rege Danorum, naves intraverunt circa festum B. Bartholomæi Apostoli, & mari transito, opido Nygekopinge applicuerunt loco ad hoc eis deputato. Ubi cum Rege & suis Consiliariis diu placitantes pro pace communi obtinenda, bono fine negotium totum, ut fama publica sonuit, terminassent, nisi Rostoccenses minus provide, ut multis videbatur, imo satis indecenter agentes impedivissent. Ipsi namque per quindenam & amplius in conciliis & tractatibus civitatum existentes, audiverunt singula secreta & conceptus varios tam pro se quam contra suos inimicos masticatos, & tandem sine quacunque præmonitione facta ab eis se divertentes, ad partem adversam se contulerunt, pacem a Rege Erico cum conditionibus honori eorum minime congruentibus oblatam amplectendo. Rex enim pro pace perpetua obtinenda tres articulos a civitatibus supradictis exegerat, super quibus cum civitates aliæ quinque se deliberare velle cum civibus suis respondissent, ipsi Rostoccenses dictis articulis sine deliberatione præhabita se subdiderunt, & pacem illam pro sua urbe acceptarunt. Quarum civitatum divisionem Rex audiens, non mediocriter gavisus est, & mox ipsis Rostoccensibus pacem acceptatam indulsit, & eam pro eis publice præconizari coram suis mandavit, ac ipsos cum CCCtis armatis de suis ad urbem eorum destinavit. Articuli autem, per quos dictæ civitates pacem perpetuam cum Erico Rege consequi potuissent, sunt hi:

I. Damna in invicem illata & recepta, vel sopita esse debent ex utraque parte, vel taxari a viris sagacibus, & quæ pars majora sustinuit, altera eidem ea refundere debet.

II. Ex quo civitates supra dictæ Regi Erico injuste interdixerunt pacem, ut firmiter supponitur, & hostes ejus contra Deum & justitiam factæ sunt, & sic coronæ ejus Regiæ injuriam gravem irrogarunt, idcirco talem emendam ei facere debent, qualem in consimili casu ab eo postulare vellent.

III. Confœderationes & pacta cum eo inita, & ex utraque parte sigillata & jurata, manere debent firma in perpetuum, & nullo eventu irritari debent.

Cum his articulis civitatum nuncii ad propria revertentes, eos suis Consulatibus primo, & postea suis communitatibus proposuerunt. Quos mature considerantes & studiose masticantes, perpenderunt ex eisdem cum honore pacem oblatam non posse eos amplecti. Eapropter iterato destinaverunt ad dictum Regem Ericum in Daciam nuncium Conradum Episcopi Proconsulem Sundensem, ut ipse tanquam singulariter notus & familiaris Regi, ipsum ad ulteriorem commoveret clementiam erga salutem populi communis tam propriæ terræ quam circumjacentium nationum ostendendam. Qui tandem parum utilitatis apud ipsum efficiens, viam indirectam & valde impertinentem suis concivibus, prout postea effectus ostendit, transivit, Rostoccensibus se conformans prævie errantibus, & pacem oblatam eisdem a Rege Erico acceptans pro sua civitate, ac prævaricans amicabilem confœderationem alias initam cum cæteris civitatibus maritimis & juratam, ut supra suo patuit loco. Cum vero præfatæ sex civitates nuncios suos apud Regem habuissent in placitis, prout immediate supra dictum est, Catharina Ducissa Magnopolensis per practicationem Henrici Buk & suorum sociorum Proconsulum urbis Rostoccensis exulantium, ut dicebatur, collecto interim exercitu magno, ipsum destinavit ad obsidendam dictam urbem Rostoccensem, habens in proposito eam capiendi, spoliandi, plures in ea interficiendi, & ad ultimum humiliandi eam non sine consensu & auxilio quorundam in ipsa urbe commorantium. Sed res ipsa humana astutia præconcepta divina dispositione aliter ordinata est. Nam cives & Consulatus civitatis illius moniti per Wilhelmum Dominum Slavorum eorum concivem, valvas urbis suæ clauserunt, & turres ejus fortibus viris & instrumentis necessariis munierunt. Quod percipientes, qui ad capiendum urbem venerant, confusi inde recesserunt, & ad villam Warnemunde se transferentes, eam incenderunt cum ecclesia ipsius. Portum etiam ejus, aliquibus navibus immersis, obstruere nitentes, ad propria sunt reversi. Altera vero die cives dictæ urbis conglobati, bona Nobilium terræ illius, qui exercitui interfuerant, invaserunt, & omnia spoliantes, curias, castriola & villas eorum igne combusserunt. Portum quoque navium in Warnemunde obstructum protinus reseraverunt, & multa alia damna tam Nobilibus terræ quam Proconsulibus exiliatis intulerunt, qui hujus mali causa erant originalis. In exercitu autem supra dicto Principes & terrarum Domini, qui coram urbe Rostoccensi baneria sua laxaverant, fuerunt, Otto Dux de Luneburg, Ericus Dux de Lovenburg, parvuli Duces de Mekelenburg, Hermannus Episcopus Zwerinensis, Johannes Comes de Hoya, & plures alii Nobiles & Milites ac cives Wismarienses. Sed longe melius fuisset pro dicto Ducatu Magnopolensi & exulantibus illis Consularibus Rostoccensibus, quod exercitus ille collectus non fuisset, eo quod plura damna ex eo secuta sunt & pericula majora, ut timetur, futura. Johannes Comes de Hoya circa festum Nativitatis Mariæ Virginis intrans diœcesin Bremensem, conflictum habuit cum Nobilibus & civibus quarundam civitatum Diœcesis. Et victoriam de illis obtinens, captivavit ultra ducentos, & prostravit plures, opidani autem de Wildeshusen multi abducti sunt captivi. Bremenses quendam Johannem Vasmer dictum Burgimagistrum eorum, sed profugum, captivarunt, & ipsum secum in urbem ducentes, capite privarunt, bona ejus confiscantes. Profesto S. Martini iterum Lubicenses cum Wismariensibus & Luneburgensibus Daciam intrantes ad habenda placita cum Erico Rege Danorum de pace & concordia, quarum carentia utriusque partis homines detrimenta passi

Digitized by Google

passi sunt irrecuperabilia. Sundenses autem & Rostoccenses a dictis tribus civitatibus jam recesserant, & pacis fœdera eis parum proficua cum præfato Rege percusserant contra eorum juramenta & sigilla, per quæ se colligaverant, ne ab invicem recederent in hac lite in quocunque casu. Cum autem placita prædicta fieri deberent inter Regem & civitates, Dani cum numero navium copioso mare Balticum intrabant ad deprædandam Alzen insulam, & ad expugnanda castra ejusdem. Sed Holtzatorum Principes propositum Danorum intelligentes, Sunderburg castrum fortiter munierunt armatis & instrumentis bellicis; ipsam quoque insulam vasallis suis & Vitalianis multis repleverunt, in quorum auxilium Lubicenses ultra DC. balistarios destinaverunt. Hammeburgenses vero & Luneburgenses similiter suos miserunt in bono numero pro defensione dictæ insulæ. Quorum omnium præsidio fulti castrenses utriusque castri, tam insulam quam castra ipsa contra Danos defensarunt, prohibentes eosdem, ne terram ipsam contingerent. Illis vero sic in mari natantibus, Dominus de cœlo Holtzatis auxilium ferens, tempestate valida mare concussit, & procellarum impetuositate Danorum naves sic conquassavit, ut nulla apud aliam manere valens, pene decem ex eis cum omnibus contentis undis immergeret. Cujus infortunii jactura territus Ericus Krummedik Miles & Capitaneus classis regiæ, vela sua levari jussit, & Danicum portum, quem exierat, repetiit inglorius. Cum autem dictus Ericus Miles curiam Regis sui intrasset, & placita inter dictum Regem & civitates cum magnis laboribus quasi jam ad conclusionem pacificam deducta percepisset, mox subdolis sermonibus suis omnia actitata interrupit, & utriusque partis pacis tractatores amicabili confœderatione fere junctos, pessimo susurro ab invicem removit. Pro eodem festo B. Martini Tidemannus Steen Proconsul Lubicensis ultra tres annos in vinculis dictæ tentus, a turris custodia liberatur, & in domum suam locatur, inde non exiturus sub juramento sine consensu & licentia Consulatus Lubicensis. Et ad hanc fidem faciendam non suffecit simplex juramentum ab eo præstitum, sed oportuit ipsum superaddere fidejussores viros probos & probatos, qui pro se fidem facerent creditivam. Circa festum B. Elisabeth Sigismundus Rex Romanorum in sua legatione destinavit quendam Archiepiscopum Regni Ungariæ ad Alexandrum Ducem Lithuanorum, alio nomine Vitoldum nuncupatum. Cui in eadem legatione sociavit Guntherum Archiepiscopum Magdeburgensem, imponens eisdem Archiepiscopis, ut dictum Ducem sua ex autoritate in Regem Lithuanorum ungerent & coronarent. Promiserat enim prævie Dux Alexander prælibatus Regi Romanorum ante dicto se missurum contra Christi inimicos hæreticos centum millia lancearum in propriis expensis, & eadem se tenturum per annum integrum in Regno Bohemiæ, si ipsum Regem facere vellet. Sed antequam dicti Archiepiscopi ad Ducem prædictum pervenirent, impensuri eidem regale fastigium, ipse Dux ab hac luce decessit. Propter quod dicti Legati in suo frustrati proposito, ad propria sunt reversi. Principatum autem prætacti Alexandri defuncti sibi usurpavit Swythergeyl frater Bolezlai Regis Poloniæ, quem ipse Rex Bolezlaus exosum habens, exercitum contra eum eduxit, volens eum Ducatu illo privare. Sed Swytergeyl Dux contra fratrem suum Regem multum populum congregans, in occursum ejus perrexit, & prœlium committens cum eo valde durum, ipsum in campo obtinuit, & secum in captivitatem duxit, ac vinculis mancipavit, prout sibi alias fecerat, ipsum ad septennium captivum tenens, & post Regno privans. Anglici cum eorum Rege Henrico vix octenne vel citra mare transfretantes, ipsum in Caliz castrum deduxerunt. Ubi multis diebus cum eo persistentes, ob metum Karoli Regis Francorum novelli ipsum ad interiora Regni Francorum conducere formidabant, audientes dictum Karolum Regem cum puella a Deo sibi data in omnibus prospere agere diversis prœliis hostem suum Philippum Ducem Burgundiæ debellando, & plura castra & urbes expugnando. Dominus Christianus Cobant Episcopus Oziliensis cum fratribus de Domo Teutonica terræ Lyvoniæ discordans, ad Ericum Regem Danorum se transtulit, cupiens ipsum contra suos injuriatores in defensorem invocare, & suam diœcesim in sua absentia ad manum fidelem commendare, ut dicebatur. Post cujus recessum Magister Lyvoniæ timens forte diœcesim illam ad manus exterorum Principum devenire, exercitum fortem adunavit, & intrans Oziliensem pagum, civitates & castra vallavit, & tandem singula expugnans, suæ ditioni omnia subjecit, & dictum Episcopum in curia Romana residentem Ecclesia sua privavit. Philippus Dux Burgundiæ accepit in uxorem filiam Regis Portugalliæ, quorum nuptiæ celebratæ sunt circa Carnisprivium in urbe Brugensi in Flandria cum magna solennitate, præsentibus multis Principibus & Nobilibus utriusque sexus. Hic Dux Philippus, decedente Duce Brabantiæ hoc anno, factus est Princeps Ducatus ejusdem, & per consequens potentior Dominus totius Alemanniæ. Nam in sua potestate habet plures Ducatus, Comitatus & terrarum dominia, puta Burgundiam, Brabantiam, Flandriam, Hollandiam, Selandiam, Picardiam, Amyeusem Comitatum, & plura alia Dominia. Civitates Alemanniæ bassæ, puta Erphordensis, & Yenensis terræ Thuringorum, Magdeburgensis, Brunswicensis, & Luneburgensis terræ Saxoniæ Frankenvordensis & Berlynensis terræ Marchiæ de Brandeburg, ac plures aliæ civitates & opida timentes incursionem hæreticorum de Bohemia super se venturam, quæ jam plures Principum terras vastaverat, quælibet earum in circuitu suo fieri fecit fossatum ingens, vallis & aliis fortibus munitionibus circumseptum & roboratum pro defensione sua, ne hostibus facilis ad eas pateretur (pateret) aggressus. Et hæc quidem fortificatio dictarum civitatum nedum utilis existit ad prohibendam vesaniam impiam Hussitarum in Christi oves sævientium, sed etiam ad obviandum tyrannicæ machinationi quorumcunque urbibus ante dictis injuriari conantium. Nec civitates prælibatæ in fodiendo & firmando fossata illa pepercerunt quibuscunq; Monasteriorum aut Ecclesiarum locis, prædiis, hortis vel mansionibus, sed quæcunque loca videbantur eis apta ad fossata talia perficienda, per illa fodiebant, non curantes displicentias quorumcunque, eo quod forte damna taliter illata eisdem refundere Ecclesiis vel Monasteriis proponerent ad dictamen hominis rationabiliter judicantis.

Decimo octavo anno Sigismundi, qui est Domini MCCCCXXXI. Ipse Sigismundus Rex convocationem Principum grandem fieri constituit in urbe Norenbergensi Diœcesis Bambergensis, ad tractandum cum eis de statu utriusque gladii, spiritualis scilicet & temporalis. Ubi tandem convenerunt plures Archiepiscopi & Episcopi, Duces, Comites, Barones & Milites, Principum Ambaxiatores & civitatum diversarum nuncii. Dominus etiam Papa Martinus ad dictam Principum congregationem destinavit Dominum Julianum Cardinalem Diaconum S. Angeli, quem postea Eugenius successor suus misit legatum ad partes easdem, ut de extirpatione hæreticorum cum Principibus seriose tractaret. Hi ergo Principes gloriosi spirituales & seculares Ecclesiæ & Regni Romani necnon cæterorum Regnorum & provinciarum pericula imminentia provida sinceritate masticantes, & matura deliberatione perpendentes, in invicem conclusive judicarunt expedire pro

pro bono statu utriusque Principatus fieri passagium generale & expeditionem universalem in proximo festo B. Johannis Baptistæ contra dictos hæreticos. Ad quam expeditionem eo ferventius & promtius per Christi fideles Dominus Papa Martinus omnibus & singulis expeditioni prædictæ interesse volentibus, aut pro se alium vel alios mittere satagentibus, aut juxta eorum facultatem expensas relevare curantibus dictæ expeditioni necessarias, plenam remissionem omnium peccaminum suorum misericorditer indulsit. Concessit insuper autoritatem Prælatis quibusdam instituendi Confessores speciales, qui cruce signare & absolvere poterant pœnitentes, & dispensare cum eisdem in omni casu & voto etiam sedi Apostolicæ reservatis. Prætactas etiam gratias & indulgentias omnes Eugenius Papa successor dicti Martini Papæ ratificavit & confirmavit in Conventu Principum in Norenberga celebrato, per manus Domini Juliani Cardinalis sui legati, ad hoc specialiter destinati. Martinus Papa diem suum clausit extremum Romæ die ultima mensis Februarii. Hic valde prudenter rexit Ecclesiam Dei, summopere cavens largitionem gratiarum & indulgentiarum indiscretam.

De Eugenio PP. CCXVII.

Eugenius Papa, natione Venetus, qui & ante Gabriel dictus, sedit annis. . . . . Hic prius fuit Cardinalis Senensis & consanguineus Domini Gregorii XII. Papæ, qui ipsum ad Cardinalatum assumserat sui Papatus tempore, & concorditer electus est in Papam IIII. die mensis Martii. Dithmarsi circa Dominicam in Passione exeuntes cum aliquibus navibus, novo operi in fluvio Albiæ locato applicuerunt. Quod expugnare nitentes, suburbium ipsius incenderunt, & pecora ac jumenta plura rapientes, ea secum duxerunt, cum ad propria reverterentur. Castrenses vero oppugnatoribus viriliter resistentes, aliquos de Dithmarsis suis bumbardis straverunt. Quod factum Hammeburgenses cum percepissent, ægre valde tulerunt, & timentes eosdem Dithmarsos graviora damna facturos in deprædatione navium suarum de Flandria venturarum, destinaverunt eisdem navibus in subsidium DC. armigeros & balistarios, ut eis salvum pararent conductum. Quibus dederunt in Capitaneum Martinum Swartecop consularem dictæ civitatis, virum utique probum & industrium, committentes eidem, ne quicquam attentaret contra quoscunque, sed solum præstolaretur adventum amicorum suorum de Flandria venturorum. Cum autem prædicti stipendiarii civitatis ante dictæ terræ Dithmarsiæ appropinquassent, dixit quidam sibi consultum videri, ut pro victualibus augmentandis vaccas & pecora aliqua de terra tam abundanti auferre non tardarent, eo quod hoc sine periculo fieri posset. Quod verbum cum Martinus Capitaneus eorum audisset, reprehendit illum, verbis tamen levibus, qui spolium hoc faciendum suaserat, dicens se esse prohibitum quamcunque terram invadere aut spolium quodcunque facere, sed solum in strata regia consistere, & naves amicorum de Flandria exspectare. Quod audientes cæteri leves & improvidi, facta honesta minus ponderantes, verba probrosa & contumeliosa in dictum Consularem depromentes, ipsum traditorem suæ civitatis fore clamabant. Quod ut audivit, mox fertur dixisse: Hoc malum de me in veritate nunquam comperiri debet. Ego paratus ero ad omnia communitati proficua corpus & animam exponere. Et mox de scapha exiliens cum bannerio civitatis suæ aridam petiit, & ipsum in terram fixit, & sub eo cum ducentis vel citra permanere statuens, cæteros misit ad perficiendum opus, quod facere intenderent. Tunc illi discurrentes per villas, eas incendere & prædam rapere tentarunt. Quorum adventum percipientes Dithmarsi, mox adunati de vicinis locis in hostes impetum fecerunt. Sed illi protinus fugam capientes, ad naves suas iter suum direxerunt. Dithmarsi vero quantocius hostes insequentes, super exercitum Martini Consulis casu inopinato irruerunt, & ipsum cum suis prosternentes interfecerunt, paucis elapsis. Alexander Dux Lithuanorum aliter dictus Wytold, vir magnæ potentiæ & Princeps multarum terrarum, viam universæ carnis transiit, nullum post se relinquens sui seminis hæredem. Hic in ultimis constitutus Nobiles sui Principatus, quos habere potuit, coram se convocari jussit, & in præsentia eorum juramento suo protestatus est, nullum esse veriorem sui Dominii hæredem, quam Swytergail fratrem Boleslai Regis Polonorum. Insuper coram eis confessus est, se dicto Principatu ipsum annis multis privasse violenter & injuriose, & de hoc valde dolere. Huic autem Swytergail dictus Wytold quoddam territorium exile concesserat in suo Ducatu, de quo se medio tempore nutrierat, violenter tenens pro se prædictum Principatum ad tempora vitæ suæ. Rex autem Poloniæ Boleslaus alias ante dictum Swytergail fratrem suum captivaverat, ipsum vi tenens citra septennium. Qui tandem adjutorio Dominorum de Domo Teutonica terræ Pruthenorum ereptus, se ipsis pacto perpetuo confœderavit. Hic Principatum sæpe dictum Lithuanorum adeptus, fratrem suum Regem Poloniæ præfatum cum populo maximo terram suam ingressum, & ipsum Dominio suo cupientem privare, expulit, & retrocedere compulit virtute magna, de suo exercitu circiter VM. prosternendo. Husitæ cum maxima multitudine Bohemorum Regnum suum exeuntes, exercitum suum in duas diviserunt partes, quarum una versus Austriam se transferens, prope urbem Viennensem se locavit, vastas & igne gladioque demoliens plures villas & opida. Quam partem tandem Dux Austriæ cum adjutorio Ungarorum bello aggrediens, ipsam fere totam delevit divino fultus auxilio. Ceciderunt enim ex eisdem in duplici conflictu fere XIIIIM. hominum, partim gladiis interemta partim aquis absorpta. Altera vero pars diabolici exercitus ad Luzatiam, & inde ad Marchiam de Brandeburg declinans, plures civitates parvas & opida est demolita. Inter quas potior est Gobin urbs satis pulcra, cujus inhabitatores in ore gladii consumens, civitatem illam munivit suis armatis satellitibus, & inde circumjacentia loca diutinis insultationibus terribiliter turbavit pariter & vastavit. Principes Holtzatorum Adolfus & Gerardus fratres variis vicibus prævie castrum Vlenzeburg cum suo opido capere tentantes, nec prosperitatem quoquomodo in annis præcedentibus, prout supra patuit, obtinere valentes, Domino hoc anno favente post medium Quadragesimæ exercitum adunaverunt ducentorum armatorum vel paulo minus, suffragantibus eis Lubicensibus & fideliter assistentibus, & venientes prope castellum prædictum Vlenzeburg ipsa die Dominica Palmarum, dispositione astuta prævie ordinata per quosdam opidanos, qui Principibus præfatis favebant, ipsum, populo in Ecclesia existente pro divinis audiendis, animo virili intraverunt, metum omnem, qui plerumque in viros constantes cadere consevit, retro se projicientes. Cumque jam in opidum se omnes recepissent, mox forum opidi petentes, bannerium suum in ipso firmaverunt, & Principes in continenti a quodam Milite Milites effecti, alios X. Nobiles militaribus insigniis dotaverunt. Quo facto, opidanos exercitiis bellicis aggressi sunt, & variis periculis se & suos exponentes, viriliterque gladiis & arcubus utentes, tandem Deo miraculose & misericorditer eis cooperante, opidum ipsum ceperunt, potiores in magno numero sibi subjugando. Quod videntes plures de Danis opidum inhabitantibus, mox ad castrum cucurrerunt, hostium adventum lugubri voce nunciantes. Principes autem cum

Digitized by Google

cum suo bannerio in medio opidi subsistentes, cæteri vasallorum cum Lubicensibus ad Monasterium Fratrum Minorum se conferentes, effractis januis ipsum intrarunt, & juramentum a Fratribus extorquentes, inibi cum eis ad manendum loca disposuerunt. Capto igitur opido prædicto, statim Principes Lubicensi pariter & Hammeburgensi urbibus scripserunt, ut eis auxilio fierent, & opem ferrent. Quorum literis a civitatibus perlectis, sine mora utraque civitas populum copiosum eis in subsidium destinavit, adjunctis suis exercitibus Consularibus duobus de qualibet urbe, qui dictum populum regerent, & ad fideliter assistendum prædictis Ducibus ipsum animarent. Misit etiam cum dicto exercitu quælibet civitas instrumenta sua bellica ad castri expugnationem necessaria cum victualibus copiosis. Frisones etiam Egdorenses gavisi valde de captura opidi, & de Principum prosperitate lætati, continuo se ipsis subdiderunt, & in magna multitudine virorum fortium in auxilium eorum venientes, instrumentis suis ruralibus secum allatis, circa castrum fodere cœperunt. Et fossata lata & profunda facientes, fere totum castrum eisdem a parte terrestri circumdederunt brevi in tempore. Quibus quidem fossatis quasdam munitiones apposuerunt, de quibus aggeres & dicta fossata tuentes, castrenses ipsos ita angariaverunt, ut nec ipsi de castro, nec forinsecus quisquam exitum habere valerent vel aditum. Intra opidum vero quædam domus lapidea grandis & fortis constructa fuerat, prope castrum sita, cujusdam Militis habitatio existens, de qua Dani intra latitantes multa incommoda Holtzatis & suis adjutoribus intulerunt. In quam domum bumbardarum magistri suis petrariis fortiter & pluribus vicibus impingentes, eam tandem sic perforaverunt, ut nullus Danorum in ea amplius latibulum suum faceret. Similiter & ipsi castrenses suis bumbardis Holtzatos molestantes, quasdam domus opidi graviter læserunt cum suis inhabitatoribus. Cumque sic intra opidum per civitatenses & Holtzatos illi, qui castrum tuebantur, artarentur, & extra per Frisones & villanos suis fossatis & munitionibus ab eisdem factis de die in diem magis angariarentur, cœperunt tandem in victualibus ultra modum deficere. Et ideo missis nunciis per viam maris, quam adhuc apertam & minus occupatam habebant, Danorum Capitaneis suam intimaverunt penuriam, protestantes, quod, si infra duas septimanas cum victualibus eis non subveniretur, oporteret eos necessario castrum linquere, & fugam capiendo saluti suæ providere. Quod audiens Ericus Krummedik Miles, timuit Holtzatos prosperari in captura castri. Et ideo exercitum colligens, intravit naves circiter XVI. onustas vitæ necessariis, & vento sibi cooperante applicuit castro Vlenzeburg, & ipsum cibavit, & libere inde recessit circa dies Rogationum, Holtzatis impedire non valentibus, sed cum cordis amaritudine hoc cernentibus. Quod quidem factum inspetatum cum civitatibus illis quatuor, quæ adhuc cum Hollzatis vinculum confœderationis insolubiliter tenebant, aliis duabus perperam agentibus, innotuisset, valde consternatæ mox naves magnas numero XVIII. disponentes, ac victualibus & instrumentis bellicis fortibusque armatis in grandi copia onustantes, eas per viam maris versus Vlenzeburg castrum destinaverunt, ut Danis transitum maris omnino præcluderent, ne amplius castro illi auxilio essent quovis modo. Quæ venientes in portum, prope castrum se locaverunt. ad talem tamen distantiam, ut a castrensibus de facili molestari non possent. Locum autem maris, quem Dani consueverant ad subveniendum castro, ita stipitibus & palis grandibusque trabibus per aquas terræ infixis, occupaverunt, quod a nullo homine forinsecus adveniente, subsidium quodcunque sibi afferre poterat. Naves etiam suas armigeri civitatum arte mirabili valde ita munierunt, quod ab omni periculo ab extra eis adventuro securi consisterent. Huic autem exercitui tanta copia & abundantia vini, frumenti, cerevisiæ, pullorum, ovium & boum cæterorumque victualium nedum necessitati humanæ servientium sed & voluptati, affluebant & apportabantur, ut omnia in optimo foro per totum obsidionis tempus, quod a Dominica Palmarum usque ad Nativitatis Gloriosæ Virginis festum duravit, haberentur. CumqueDani castrum inhabitantes, quorum Capitanei erant electus quidam Episcopus & Petrus Johannis Miles, viri strenui & multum famosi numero fere DCC. tam diutina obsidionis vallatione artati, sua cottidie victualia consumerent, nec quodcunque augmentum necessariorum undecunque sperare possent, compellebantur cottidie parcius & magis parce laborantibus indefesse in defensione castri cibum ministrare. Victualibus ergo fere consumtis, tota multitudo, paucis exceptis, aquam necessitabatur bibere, & panem grossissimum paleis plenum, eo quod molendino carerent, nec molere valerent grana, nisi instrumento quodam querne dicto, quo tandem hordeum conterebant, edere, quodam pulmentario gratiose eis superaddito per vices. Cui etiam multitudini ad ultimum pro vitæ sustentatione esui humano inconsuetum cessit in cibum cottidianum caro equina & pariter canina, quæ tandem ut carnes pullorum dulces & delectabiles eis fuissent, fame coco existente optimo, dummodo earum copiam habere potuissent. Interim autem cum hæc agerentur in castro, Principes Holtzatorum cum suis amicis, Nobilibus, Militibus & Militaribus & cæteris civitatum civibus diversa prœliorum exercitia cum Danis in opido Haders leve degentibus, frequenter habuerunt, nunc quosdam capiendo, nunc prosternendo, nunc villas spoliando & jumenta abducendo, & alia varia exercitibus consueta faciendo. Bina vero vice ambo exercitus inopinate sibi occurrentes acriter pugnarunt, & pro qualibet vice victoria Holtzatis arridente, interfecti sunt de Danis & captivati circa C. & XL. viri. Quorum diffortunium existentes in castro in gravi angaria percipientes, suæ saluti providere deliberaverunt, æstimantes, eis melius fore, ut castrum, quod nullo modo diutius propter victualium carentiam & succurrendorum impossibilitatem tenere poterant, Holtzatis resignarent, quam quod inevitabili periculo vitæ infructuose se ipsos longius affligerent, & propter insperabilem consolationem amplius se conturbarent. De unanimi ergo consensu & beneplacito omnium suorum consociorum colloquium Principum postulantes pariter & obtinentes, cum ipsis tandem concluserunt, ut omnes liberi, salvis personarum suarum rebus, castrum exirent, & prædictos Holtzatorum Principes cum civitatum Capitaneis libere ingredi permitterent. Quod quidem sic factum est feria VI. ante supra dictum festum natale Virginis Gloriosæ. Quo capto, mox ipsum ad nutum reformare & emendare studuerunt cum effectu ex lapidibus domus illius magnæ coram dicto castro situatæ, quam funditus everterunt. Post hoc vero paucis elapsis diebus cum exercitu forti castrum Nyehus obsidentes, ipsum tandem sine magnis laboribus & expensis obtinuerunt, quod mox quidem destruentes solo æquaverunt. Deinde & aliam munitionem fortem nomine Runthof ad Ericum Krummedik pertinentem solotenus destruxerunt, abducentes bona in ea reperta. Bremensis civitas per practicationem quorundam de antiquo Consulatu dictæ urbis banno imperiali est subacta. Quod audientes cives, statim ceperunt omnes de prædicto veteri Consilio in urbe sua commorantes numero XVIII. turribus injecerunt, & vinculis constrinxerunt ferreis, imponentes eis, quod innodationis illius banni causa effectiva essent. Magdeburgenses cives incursionem inimicorum fidei formidantes, suam urbem fossatis amplis & profundis cum diversis propugnaculis fortibus munitis roboraverunt, & se ad defendendum locum suum cum universis instrumentis bellicis necessariis munitiones prædictas disposuerunt. Et considerati-

tione

Digitized by Google

tione diligenti omnia loca suæ urbis perscrutantes, invenerunt tandem circa curiam Archiepiscopi civitatem fore satis infirmam & minus bene munitam. Quem locum magis securum facere proponentes, Archiepiscopum suum Dominum Guntherum adierunt, & periculum civitatis suæ ex illius loci infirmitate contingi posse, modo honesto & amicabili eidem insinuarunt, supplicantes humiliter & constanter, ut de tali periculo ipsos assecurare non tardaret. A quo cum responsum consolatorium minime habere possent, exasperati valde locum illum manu violenta invaserunt, & deponentes minus proficua, magnam turrim in eo erexerunt, ac muros urbis ibidem emendaverunt, ac locum illum juxta utilitatem communis boni firmaverunt. Quod factum percipiens Guntherus Archiepiscopus, contra cives multum provocatus est. Et præavizans suos Canonicos, ut sibi mansiones alias quærerent, & clenodia Ecclesiæ suæ asportarent, tandem civitati pacem interdixit, vocans in suum adjutorium circumjacentes Principes, puta Johannem Marchionem de Brandeburg, Magnum Hildensemensem Episcopum, Johannem Halberstadensem Antistitem, fratrem suum Comitem de Swartzeburg, cæterosque Comites de Anahalt, de Berneburg, de Regensten atque alios Hartonis Comites & Nobiles. Cives vero pro sua parte non dormitantes, in suum auxilium traxerunt cives de Brunswic & Helmestede, de Halberstad, Aschersleve & Quedelingburg, & si ampliori subsidio opus habuissent, civitates Thuringiæ eos secutæ fuissent. Lubicenses etiam cives circa LXXX. viros expeditos pro juvamine eis transmiserunt, qui mox ut Archiepiscopatum intrassent, incendere cœperunt & spoliare villas, & cuncta devastare. Ipsis etiam Domicellus de Plesse cum centum armatis opem ferebat. Hi viri bellatores cottidie civitatem exeuntes, diversa damna in deprædationibus villarum, in interfectionibus hominum & rapinis pecorum & jumentorum innumerabilium Archiepiscopo & suis adhærentibus intulerunt. Vice versa & Dominus Guntherus Archipræsul stratam communem vastans, omnes vias fere præclusit, prohibens, ne dictæ civitati Magdeburgensi quicquam adveheretur curribus quibuscunque. Cumque hæc controversia de die in diem magis ingrassaretur, nec quisquam de Principibus indormientibus aut civitatibus inter dictas partes aliquid boni efficere potuisset, tandem Hallenses cives se interponentes tantum egerunt, ut pars quælibet suos eligeret arbitros duos, quibus totalem dissidii causam committentes, omne eorum jus discutiendi, partes componendi, & discordiam finaliter pacificandi facultatem dederunt. Qui quidem arbitri electi, ut præmittitur, partium causam usque ad sequens B. Martini festum suspendentes, pacem interim firmam teneri utrobique autoritate arbitratoria statuerunt. Johannes de Krempe Episcopus Razeburgensis obiit, vir pacificus & simplex. Cujus decessum Dominus Papa Eugenius percipiens, eidem ecclesiæ prævidit (providit) & in Episcopum ei dedit Dominum Christianum Kubant, dicti Ordinis & Capituli Fratrem, & quondam Episcopum Oziliensem. Sed Capitulum prædictæ Ecclesiæ dationem ante dictam ignorare simulans, in Præsulem sibi elegerunt quendam confratrem Ordinis sui Pardem de Knesbeke nuncupatum. Qui ad curiam Romanam se transferens, post diutinos labores & graves expensas tandem suam a Domino Apostolico confirmationem & investituram obtinebat. Reversus ergo de curia ad sedem suam post fere medium annum a die exitus sui, circa festum Johannis Baptistæ primam suam pontificalem missam celebravit in loco cathedrali. Philippus Dux Burgundiæ Johannam virginem a Deo datam in salutem Regno Francorum, post diversos conflictus victoriales & solennes, tandem cepit, non casu sed proprio vaticinio hoc prædicente, & Anglicis eam tradidit, pecunia forte, ut vulgabatur, suffragante. Qui ardenti desiderio eam apprehendentes, in Angliam deduxerunt, & eam variis prævie injuriis quassatam & contumeliis affectam ad ultimum igne combusserunt. Cujus innocentis & Deo dilectæ puellæ interfectionem tam crudelem ipse Dominus copiose vindicans, diversa illi Regno mala supervenire juste permisit. Nam primum epidimia terribilis sæviens quasi tertiam populi partem de medio sustulit. Deinde bellum intestinum ortum causa novæ hæresis pullulantis in dicto Regno antiquus hostis suscitavit. Demum vero grandia prœlia populus Regni prælibati forinsecus decertans succubuit, multos Principes & Nobiles sedule amittens, nec dum finis tamen incepti mali. Sigismundus Rex Romanorum in Italiam pro Corona Imperiali gloriose adipiscenda se transferens, inimicos fidei in Christi fideles crudeliter desævire permisit. At ubi cum venisset, non omnia ad nutum sibi succedere expertus est. Perduransque inibi per tempus satis prolixum, multas sustinuit adversitates. Vitaliani Wismariensium, quorum Capitanei Heyno de Scowen & Johannes Blokener dicti sunt, quasi infinita spolia & damna tribus Regnis illis, puta Danorum, Sweorum & Norweorum, hoc anno intulerunt. Plures namque grandes naves variis bonis refertas eisdem abstulerunt, plures viros in eisdem repertos aut trucidarunt gladiis & arcubus, aut captivarunt aut mari immerserunt. Mercatores quoque diversarum regionum in prædictis Regnis negotiari volentes ab eisdem comprehensi sunt, & spoliati rebus suis. Universitas Parisiensis intelligens, ex ordinatione felicis recordationis Domini Martini V. Papæ in Concilio Constantiensi facta, fore congregandum generale Concilium in urbe Basiliensi celebrandum, decrevit illac destinare suos ambasiatores, qui negotia Universitatis ibidem peragere valerent, & pro fidei orthodoxæ defensione ac Ecclesiæ Dei reformatione constanter cum aliis Ecclesiæ ejusdem Prælatis fideliter laborarent. Missi ergo sunt a prædicta Universitate Doctores solennes in Sacra Theologia & Jure Canonico cum comitiva decenti. Qui venientes in Basileam, invenerunt nondum Prælatos quoscunque advenisse ad negotium Ecclesiæ supra dictum expediendum. Unde ab instanti suas miserunt literas Domino Juliano S. Angeli Diacono Cardinali, qui ex ordinatione prædicti Domini Martini Papæ defuncti, pariter & ex confirmatione Domini Eugenii IIII. Papæ moderni legatus in Alemanniam exstiterat, & Præsidens in dicto instanti Concilio usque ad personalem præsentiam Domini Apostolici moderni ejus autoritate esse debebat, & sibi suum adventum & causam sui adventus nunciaverunt, rogantes instanter, quatenus eos sua præsentia visitare & consolari dignaretur, ac generalem Synodum, prout pro Ecclesiæ Dei & omnium Christi fidelium a prætactis Summis Pontificibus ordinatum esset, studiose satageret inchoare. Scirent enim pro certo locum illum esse deputatum a prænominatis Ecclesiæ summis Rectoribus pro dicto Sacro Concilio celebrando, & ipsum verum esse caput & promotorem sæpe dicti instantis Concilii eorundem Summorum Pontificum autoritate institutum, prout Bulla Domini Eugenii Papæ moderni clare edoceret. Cujus tenor sequitur in forma, & est talis: Eugenius Episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Juliano S. Angeli Diacono Cardinali, Apostolicæ Sedis Legato salutem & Apostolicam benedictionem. Certificati jam per literas tuas de solicitudine & circumspecta diligentia, quam habes in prosequendo causam fidei contra Bohemos hæreticos, tuam prudentiam commendamus, & te perseverandum hortamur, quantum cum decentia fieri potest. Præterea cum felicis recordationis Martinus V. Papa prædecessor noster inter cætera tibi injunxerit præsidere debere autoritate Apostolica in Concilio generali in Basiliensi civitate celebrando, si ibidem esset concursus & congregatio Prælatorum tanta, quod merito & rationa-

Digitized by Google

tionabiliter celebrari debuisset & deberet. Et sicuti accepimus, usque nunc pauci aut nulli convenerunt, & propterea non sit opus alium destinare, sed sit potius exspectandum. Placet nobis & volumus, tibique mandamus, quatenus expedito negotio Bohemorum, cujus finis exspectatur in brevi, tuos gressus dirigas ad prædictam civitatem Basiliensem, & ibi, prout opus videris esse, juxta tibi injuncta & ordinata in Concilio Constantiensi optime provideas, prout de tua prudentia & circumspectione plenius confidimus. Datum Romæ apud S. Petrum an. Incarnat. Dominicæ MCCCCXXIX. Pontificatus nostri anno primo. Ipse autem Dominus Julianus Legatus mandatum Apostolicum exequi cupiens, cum hoc tempore, quo jam instabat celebrationem Sacri Concilii inchoari, circa expeditionem adversus pestiferam hæresim Husitarum esset pro causa fidei admodum occupatus, ad rogatum prædictorum Ambasiatorum Universitatis Parisiensis & aliorum proborum virorum Ecclesiæ universalis bonum sitientium, suas ad hanc civitatem vices gerentes destinare curavit, ac postmodum quantocius fuit possibile, personaliter ad dictam urbem accessit, ut injunctum sibi Præsidentiæ officium posset in celebratione dicti Sacri Concilii generalis præstante divini muneris gratia adimplere. Paucis ergo diebus elapsis expeditus de negotio, cui aliquamdiu insudaverat, prout poterat, venit ad urbem Basiliensem, acturus Ecclesiæ causam juxta posse. Ubi paucos videns adesse Prælatos, mox scribere curavit circumquaque Ecclesiarum Rectoribus & Religionum Præsidentibus, mandans, ut personaliter locum Sacri Concilii inchoandi visitare non tardarent, & secum Doctores in Theologia & Jure Canonico pariter & Civili adducerent; vel qui legitime impediti essent, ad minus suos nuncios & oratores idoneos pro tractando Ecclesiæ negotio destinarent. Cujus quidem Domini Juliani mandato promte plures parentes tam Clericorum secularium quam Religiosorum Prælati, præfato loco protenus se præsentarunt. Plures etiam nedum Clericorum, sed etiam diversarum regionum & provinciarum Principes in aliis negotiis arduis legitime occupati suos cum quarundam civitatum nunciis oratores miserunt pro negotio universalis Ecclesiæ tam salubri inchoando. Cumque jam per tres menses & ultra cum Prælatis & cæteris, qui ad locum illum causa celebrationis dicti Concilii generalis convenerat, stetisset, & plures tractatus cum eisdem habuisset super ipsius inchoatione, stabilitate & celebratione Concilii, tandem decretum fuit ab omnibus fieri debere primam Sessionem. Quæ dum celebraretur in modo & forma, ut in medietate subjungetur, decretum fuit in ea, quod cum, ut ex præmissa Bulla Domini Eugenii Papæ moderni Papæ clare patet, hæc civitas sit verus locus congregationis generalis Concilii deputatus, & assit a jam diu tempus ipsius Concilii celebrandi, Sacrosanctæque Sedis Apostolicæ non desit autoritas, quod tunc in hac civitate & loco sit generale Concilium legitime stabilitum, canonizatum & fundatum, & quod ad ejus celebrationem accedere teneantur omnes tam Prælati quam cæteri, qui de jure & consuetudine ad Concilia generalia sunt merito astricti. Modus autem & forma inchoationis hujus Sacri Concilii & Sessionis primæ sequitur, & fuit talis: In loco, puta in majori ecclesia Basiliensi, ubi tenta fuit prima Sessio, celebrabatur solennis missa per Prælatum ad hoc deputatum. Qua missa durante, omnes Prælati habitibus suis consuetis fuerunt induti, & sederunt in loco sessionis secundum suas dignitates. Missa vero finita, omnes Prælati in eadem Sessione præsentes induerunt se pluvialibus, & habuerunt mitras albas in capitibus, solo Prælato præsidente in Concilio demto, qui mitram habuit aurifixatam & notabiliter ornatam. Hic quidem Præsidens, associatis Diacono & Subdiacono ac aliis multis in sacris habitibus sedebat in cathedra in medio chori, habens dorsum ad altare versum & vultum ad Prælatos congregatos. Cumque omnia sic essent ordinata, clamavit Diaconus alta voce: Orate. Quo dicto, omnes Prælati flectebant genua sua, & per aliquod intervallum temporis orarunt sub silentio juxta devotiones suas. Postquam vero in illa oratione aliquamdiu stetissent, iterum Diaconus alta voce clamavit, dicens: Erigite vos. Et tunc omnibus surgentibus & stantibus erectis, ipse Præsidens etiam erectus hanc orationem dixit alta voce: Assumus quidem peccati immanitate detenti, sed in nomine tuo specialiter congregati, Domine Sancte Spiritus, veni ad nos, & esto nobiscum, & dignare illabi cordibus nostris, & doce nos, quod agamus, quo gradiamur, & ostende, quod efficere debeamus, ut te auxiliante tibi in omnibus placere valeamus. Esto solus suggestor & effector judiciorum nostrorum, qui solus cum Deo Patre & Filio possides nomen gloriosum. Non nos patiaris perturbatores esse justitiæ, qui summam diligis æquitatem. Non in sinistrum nos ignorantia trahat, non favor inflectat, non acceptio muneris corrumpat. Sed junge nos tibi efficaciter solius tuæ gratiæ dono, ut simus in te unum, ne deviemus a vero, quatenus in nomine tuo collecti, sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis scientiam, ut hic a te non dissentiat nostra sententia, & in futurum pro bene gestis consequamur præmia sempiterna Amen. Prædicta autem oratione finita, Cantores Concilii inceperunt antiphonias Exaudi nos Domine, quoniam benigna est misericordia tua &c. Salvum me fac &c. Gloria Patri &c. Quo cantu finito Diaconus iterum clamavit Orate. Quo dicto, omnes, ut prius, flexis genibus orarunt. Et facto parvo intervallo, demum Diaconus alta voce dixit Erigite vos. Tunc omnibus erectis, Præsidens iterum dixit hanc orationem: Oremus. Mentibus nostris, quæso Domine Spiritum Sanctum benignus infunde, quatenus in nomine tuo collecti, sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis justitiam, ut in nullo a te dissentiat voluntas nostra, sed semper rationabilia meditantes, quæ tibi placita sunt, exequamur, per Christum Dominum Nostrum, Amen. Quibus sic peractis, omnes flectebant genua, & duo, qui ad hoc deputati erant, ante altare steterunt, & litaniam inceperunt, Cantoribus & aliis respondentibus. Et cum perventum fuisset ad locum, ubi cantari debebat, ut Dominum Apostolicum &c. Præsidens, qui cum aliis stabat, flexis genibus surrexit, & vertendo se ad populum, dedit benedictionem cantando dicens: Ut hanc Sanctam Synodum & omnes gradus Ecclesiasticos benedicere digneris: & Cantoribus respondentibus Te rogamus &c. Iterum repetiit secundo & tertio dicens: Ut hanc S. Synodum &c. Responderunt Cantores, ut prius, Te rogamus &c. Completa vero letania, Præsidens oravit, dicens: Oremus, & Diaconus subjunxit: Flectamus genua. Subdiaconus vero dixit: Levate. Deinde Præsidens prosequebatur orationem, dicens: Da, quæso, Ecclesiæ tuæ, misericors Deus, ut Spiritu S. congregata, hostili incursione nullatenus turbetur, per Christum Dominum Nostrum, Amen. Hic sic cantatis, Diaconus posuit librum Evangeliorum super pulpitum inter altare & Præsidentem locatum, & legit Evangelium Vos estis sal terræ &c. Quo lecto, Præsidens primo fecit collationem, exhortando omnes & singulos ad solicitam meditationem de & super omnibus causis, propter quas Sacrosancta Synodus esset congregata. Deinde flexis genibus, incepit alta voce: Veni Creator Spiritus. Quem hymnum decantabant alternatim existentes in sessione. Quo finito, duo pueri cum candelis circa altare positi cecinerunt: Emitte Spiritum tuum, & creabuntur, & cæteri responderunt: & renovabitur facies terræ. Postea Præsidens subjunxit: Oremus. Deus, qui corda fidelium Spiritus Sancti illustrasti &c. & tunc iidem pueri cantabant: Benedicamus Domino &c. Quibus expletis, Præsidens & omnes

Digitized by Google

omnes Prælati alii se locabant, & mitras super capita sua reponebant & tunc unus Prælatus, qui ad hoc deputatus fuerat, legit Decreta in Sessione illa expedienda. Et in eodem ambone cum dicto legente erant Præsidentes deputationum Concilii, quorum quilibet pro sua deputatione respondebat: Placet, coram Notariis publicis Concilii, qui ad hoc specialiter fuerunt requisiti, ut talia in publica instrumenta redigerent, ad perpetuam facti memoriam. Wilhelmus Dux Brunswicensis visitare cupiens neptem suam, quam Fredericus Dux Austriæ dudum duxerat in uxorem, commisit Fratri suo Henrico Duci & Brunswicensibus Ducatum suum, ut ipsi fideliter præessent, & ipsum tuerentur in sua absentia. Tradidit etiam in familiarem custodiam Annam uxorem suam eisdem filiam Frederici Marchionis de Brandenburg cum liberis suis, quæ castrum Wulfesbotel inhabitabat, & profectus est cum comitiva decenti Nobilium & Militarium. Qui veniens in Austriam, a suo swagero Frederico honorifice & decenter receptus est & tractatus. Cum vero dictus Wilhelmus Dux in Austria moram aliquantam faceret, eo quod suos cum exercitu Ducis Austriæ in auxilium Karoli Francorum Regis contra Philippum Ducem Burgundiæ misisset, interim Henricus Dux frater dicti Wilhelmi, cui ut fratri fideli omnia sua commiserat, nescio quorum instinctu quosdam vasallos secum sumens, prædictum castrum Wulfesbotel intravit, ac ipsum violenter sibi usurpavit, castri Dominam indignanter abjiciendo & excludendo. Quod factum flebile cum Wilhelmo Duci in partibus remotis constituto intimaretur, consternatus confestim ad propria remeavit. Veniens ergo cum amicis suis prope castrum sæpe dictum, ingredi a fratre suo est prohibitus. Cujus rei novitatem admirans, & fratris infidelitatem multum ægre ferens, Magnum Hildensemensium Episcopum adiit, & injuriam a fratre suo sibi factam lacrymabiliter conquestus est. Qui tandem Principi in bona fide tam detestabile malum factum exhortens, juri suo favorabiliter adhærere decrevit, & una cum eo tam Duci Henrico quam civitati Brunswicensi, cujus suggestione, ut dicebatur, ductus tantam perfidiam commiserat, pacem interdixit. Quod percipientes Brunswicenses, cives Magdeburgenses in suum auxilium invitarunt. Qui ipsis mox adhærentes, stipendiarios multos eis destinarunt. Ex utraque ergo parte dissidentium multa gravia exercitia bellica acta sunt & damna illata in combustione villarum, captivatione hominum, abductione jumentorum, deprædatione stratarum communium & destructione terrarum, ita quod tandem nulli mercatorum peregrinorum aut negotiatorum patuit securitas transeundi per Saxonicas regiones. Demolitis autem per gyrum villis & prædiis, & exhaustis civium & opidanorum marsupiis, tandem Lodowicus Lantgravius Hassiæ & Johannes Marchio Brandeburgensis, una cum Ottone Duce de Luneburg mediatores pacificos se exhibentes, dissidium hoc pestiferum sedarunt sub tali pacto, ut videlicet Henricus frater Wilhelmi Ducis Ducatum Brunswicensem sibi retineret, & Wilhelmo Duci suo frater solveret XIIII M. sexagenarum grossorum; & ipse Wilhelmus in suam sortem reciperet Dominium de Homborg & civitatem Honnoverensem cum suis attinentiis, castris scilicet & villis, & sic amici essent. Quod sic est factum. Concilium Basiliense jam noviter inceptum suos misit Ambasiatores & oratores solennes, Prælatos scilicet & S. Theologiæ ac Juris Canonici Doctores cum litera sua exhortatoria, ut juxta posse pestiferos illos hæreticos ad gremium Ecclesiæ reducerent, & errores suos rationibus, autoritatibus & persuasionibus, in quantum valerent, refellerent. Tenor autem literæ S. Concilii, quam secum deferebant, sequitur, & est talis: Sacrosancta Basiliensis Synodus in Spiritu S. legitime congregata, universalem Ecclesiam repræsentans, universis viris Ecclesiasticis, Nobilibus & toti populo Regni Bohemiæ unitatem & pacem in Christo JEsu Domino Nostro. Compulit nos caritas JEsu Christi egredi de terra nostra & cognatione nostra, & intrare locum, quem ostendit nobis Dominus pro pace Ecclesiæ & salute populi Christiani. Et quid mirum, si pro Christo in terra aliena peregrinari decrevimus, cum ipse Dominus noster pro nobis durissimam usque ad mortem crucis peregrinationem pati dignatus sit? Si ergo Deus ita dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, & nos merito ita ipsum diligere debemus, ut pro ovibus suis, si oporteat animas nostras, libenter exponamus. Quod quidem, quantum divina gratia nobis inspiraverit, erga omnes prompto animo facere parati erimus. Et ob hoc ex omni ecclesia ad sacrum generale Concilium convenimus, ut expulsis de populo Christiano erroribus, sedatis bellis, & extinctis vitiorum illecebris, fidei unitas, animorum concordia & sanctorum morum disciplina ubique serventur, & ipsa Ecclesia mater nostra toto orbe terrarum diffusa in pace & unitate refloreat. Et quamquam plurima in hoc S. Concilio immineant, quibus necessario providendum est, nihil tamen ante oculos nostros tam sedulo versatur, quam ut vos in eadem unitate nobiscum congregemini & conjungamini. Si sciretis, quanto affectu salutem & pacem vestram exoptamus; si corda nostra caritate erga vos ardentia intueremini, obmissis omnibus sine mora huc properantes, projiceretis vos in ulnas nostras confidentes, quod a nobis, qui vos propter Christum ut nos ipsos amamus, requiem animabus vestris invenire possetis. Et forsan dissidium vestrum aliquamdiu Deus in Ecclesia sua permisit, ut per experientiam cognoscentes, quanta mala ex divisione fraterna oriuntur, postea alter alterum perfectius diligamus, ut unitas, qua nihil inter homines reperitur melius, cautius deinceps custodiatur. Christus enim oravit, ut non solum Apostoli, sed omnes, qui per verbum eorum credituri erant, unum essent, sicut Pater & Filius unum sunt. Et in hoc dixit cognosci discipulos, si dilectionem ad invicem haberent. Si ergo cupimus Deo placere, si Christi discipuli esse & videri volumus, laboremus pro viribus, ut unum simus, dilectionemque & concordiam, sicut Christi fideles decet, invicem habeamus. Ostendamus secundum primitias Ecclesiæ, ut multitudinis credentium sit cor unum & una anima, sicut unus est nobis Deus, una fides & unum baptisma, ita nos ejusdem Patris filii simus unanimes, ut habitare unius moris nos dignos faciat in domo sua. Quam bonum enim & quam jocundum tunc erit, cum in eadem Sanctæ Matris Ecclesiæ domo concorditer habitabunt fratres in unum? Quanta lætitia erit in cœlis, si vos, qui aliquamdiu a nobis divisi fuistis, iterum in unitate & caritate nobiscum reconciliemini? Ecce Spiritus S. ex omni natione congregat fratres, ut, sicut ipse caritas est, ita in caritate uniat, ut juxta promissionem Christi, omnem nos doceat veritatem, quæ ad salutem nostram est necessaria. Scimus etenim, quod cœlestis noster Paterfamilias bonum fidei semen in terra seminaverat, sed venit inimicus homo, & superseminavit zizaniam. Putamus multum boni seminis adhuc superesse, nec radicem omnino aruisse. Speramus quoque terram adhuc esse idoneam ad fructificandum in domo Domini, dummodo superinfundatur ros Spiritus S. qui illam fœcundet, & herbas noxias evellat. Credimus insuper molestum vobis fore, ut tot strages, incendia, depopulationes & infinita mala conspicere, quæ ex hujusmodi dissidio cottidie contingunt, (eveniat), vosque optare pacem & patriæ quietem. His nusquam melius provideri poterit, quam in hoc Sacro Concilio, ubi uni-

Digitized by Google

universalis convenit Ecclesia. Hic quicquid pertinet ad fidei veritatem, quicquid ad pacem & concordiam, quicquid ad vitæ puritatem & divinorum mandatorum observantiam, omni cum diligentia & libertate tractabitur. Licebit nempe omnibus exponere, quicquid Christianæ Religioni expedire judicaverint. Licebit consulere & procurare remedia. Aderit plane Spiritus S. in cujus nomine congregata est hæc Synodus. Ipse enim erit Dux & rector Concilii perfecte illuminaturus corda omnium, ut viam ambulent veritatis & pacis. In ipso fiduciam habemus, quod, si huc puro corde & bona intentione accesseritis, procul dubio læti & consolati in patriam redibitis, genti vestræ pacem, quietem gratiamque Dei & hominum deferentes. Audivimus quippe, quod sæpe conquesti estis, non esse vobis traditam, qualem voluissetis, liberam audientiam. Jam cessabit omnis querelæ occasio. Ecce jam locus & facultas plenæ audientiæ præbetur. Jam invitamini non coram paucis, sed coram universis audiemini. Audietis & nos, & ipse S. Spiritus astabit medius judex & arbiter, quod in Ecclesia sua tenendum & agendum sit. Erimusque simul in oratione perseverantes, & tam diu ac tam ferventer suam pietatem jejuniis & gemitibus, precibusque & obsecrationibus ac sanctis operibus interpellabimus, quousque ipse caritatis actor & veritatis doctor corda universi populi illustrabit ad cognoscendam amplectandamque veritatis & unitatis semitam. Ob hoc enim potissime in Ecclesiam Spiritus S. introduxit Concilia, ut, si qua circa fidem inter Christianos dissensio exorta fuerit, omnibus in unum convenientibus per invocationem nominis sui veritas evidenter appareat. Sæpe etenim in Christiana Religione pullularunt errores, opiniones & schismata, sed interventu Sanctorum Conciliorum Spiritus S. procul illa effugavit & penitus extinxit. Si ergo veritatem fidei diligitis, si pacem optatis, si honor Christi vobis curæ est, jam re ipsa ostendite. Nullo unquam tempore aut loco efficacius ac commodius quam hic & modo omnia ista fieri poterunt. Proinde vos ex toto corde & tota anima per ipsum Spiritum S. hortamur, rogamus & obsecramus, ut, postquam ostium ad tantum bonum apertum videtis, ne differatis introire, & ad hoc Sacrosanctum Concilium in nomine Jesu Christi confidenter accedere, ut unanimiter audiamus verbum hoc, quod Spiritus S. in Ecclesia sua est facturus. Et licet hunc locum securum & liberum omnibus venientibus statuerimus, ne tamen aliqua forsan occasione retrahi possitis, nos paratos offerimus plenum & sufficientem salvum conductum veniendi, standi & redeundi his, quos destinare volueritis nomine, nomine universalis Ecclesiæ concedere, ac facere omnia, quæ pro tutela & securitate ipsorum expedire videbuntur. Rogamus tamen, ut viros tales mittatis, super quos Spiritus Dei requiescere speretur, mites scilicet, timoratos, humiles corde & pacem optantes, & non solum, quæ sua sunt, quærentes, sed quæ Jesu Christi, qui vobis & nobis ac toti populo Christiano hic pacem & salutem, & in futuro seculo vitam æternam donare dignetur, qui vivit benedictus in sempiterna secula, Amen. Ut autem evidenter cognoscatis zelum nostrum ad pacem & salutem Regni vestri tendere, præter has literas etiam tres alias ejusdem tenoris attenus vobis transmisimus. Et ut hoc sanctum opus commodius perfici possit, destinavimus versus Nurenbergam venerabiles ac magnæ sanctitatis viros, Fratrem videlicet Johannem Sacræ Theologiæ Magistrum Priorem Basiliensem Ordinis Prædicatorum, & Fratrem Johannem de Mulenbron Ordinis Cistertiensium, ut circa prædicta omnem diligentiam adhibeant, tractentque vobiscum, quomodo & qualiter venire, stare & redire libere valeatis. Datum Basileæ die XXVI. mensis Novembris, anno Domini MCCCCXXXI. Indictione IX. Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris ac Domini nostri, Domini Eugenii IIII. Papæ anno primo. Qui venientes cum comitiva decenti, & in salvo conductu Principum Frederici Marchionis de Brandeburg & Wilhelmi Marchionis Badensis in urbem Egrensem, recepti sunt honorifice a civibus civitatis prædictæ. In ea autem urbe manentes, miserunt nuncios honorabiles ad præfatos Husitas hæreticos cum litera supra scripta generalis Concilii, suppliciter exorantes, ut propter salutem eorum propriam & fidei unitatem potiores eorum Doctores & majores ad eos mittere dignarentur, ut cum eis tractatus & colloquia amicabilia habere possent, & conferre cum eisdem de quibusdam articulis, in quibus a Romana Ecclesia dissentire viderentur. Esset enim immane sacrilegium & peccatum horribile scindere tam crudeliter tunicam Christi inconsutilem, pretioso sangvine suo tam laboriose conglutinatam, & diutius fovere schisma hoc mortiferum in Regno eorum exortum. Quos protinus exaudientes Bohemi, destinarunt ad locum præfatum Procopium eorum Capitaneum cum aliis pluribus literatis, Artium Magistris & Presbyteris, committentes eidem, ut adversariorum audirent intentionem & causam adventus. Qui veniens cum sua societate in Egram, tam ab incolis quam forinsecis benigne est receptus. Convenientes ergo simul ad locum deputatum pro colloquio seu disputatione fienda super certis articulis, Bohemi suos in scripto porrexerunt, & præsertim quatuor illos principales, in quibus tota eorum controversia & perfidia fundari videbatur. Quorum primus fuit Communio sub utraque specie ad salutem necessaria. Secundus, Multiplicatio beneficiorum Clericis mortifera. Tertius, Correctio Prælatorum subditis licita. Quartus, Seminatio verborum Dei cunctis libera. Quibus masticatis, & cum deliberatione matura pensatis, responsum est eis in scripto de singulis diserte satis & sufficienter. In hac quidem disputatione, quæ fere per mensem duravit, cottidie fiebant replicationes & altercationes variæ juxta cujuslibet instare volentis conceptum. Quæ tamen omnes solutæ sunt sufficienter a Doctoribus per Concilium missis, prout acticata clare testantur a Notariis conscripta. Cumque in dicta civitate Egrensi hæretici prædicti nec disputationibus nec salubribus persuasionibus a suis erroribus possent avelli seu averti, convenerunt tandem concorditer in conclusionem illam, quod si salvo conductu illorum Principum & aliorum, quibus credere vellent, possent ad locum S. Concilii transire, & ibidem ad tempus pacifice stare, ac inde libere recedere, vellent libenter cum ipsis Concilii nunciis locum prædictum visitare, & ibidem Consilia sana Prælatorum audire, & audita, si qua digna relatione acciperent, suis complicibus & fratribus fideliter referre. Hac sponsione ab omnibus approbata, elegerunt Principes Fredericum & Wilhelmum supra dictos præsentes ambos, & civitates Nurenbergensem ac Egrensem, ut hi ipsis Husitis pacem & conductum promitterent sub fide bona talibus pœnis vallata, ut si in assumta via vel exeundo, vel in loco Concilii stando, aut inde redeundo a quocunque læderentur, aut verbis contumeliosis vel factis ostenderentur, aut captivarentur, vel quovis modo in eorum transitu impedirentur, extunc dicti Principes esse deberent Bohemorum legitimi captivi, ac si in justo bello essent capti. Civitates vero præfatæ in casu prædicto cedere deberent in jus & dominium dictorum Bohemorum, ac si consimiliter in justo bello eas expugnassent & cepissent. Quæ omnia sigillis Principum prælibatorum & civitatum sunt roborata & confirmata. His, ut præmittitur, sic conclusis, ambæ partes orthodoxorum & hæreticorum uno comitatu iter suum ad locum Sacri Concilii direxerunt, requisito tamen prævie consensu & beneplacito Bohemorum,

Digitized by Google

rum, quorum nuncii erant. At ubi cum venissent, locati sunt Husitæ prædicti ad hospitia solennia, & pro suis pecuniis caritative & honeste sunt tractati. In hoc, inquam, Concilii loco factæ sunt solennes disputationes & altercationes scholasticæ cum hæreticis prædictis per diversos Sacræ Theologiæ Doctores, & præsertim Religiosos, quorum unus Magister Johannes de Ragusio & alter Magister Johannes Caltyseren dicti, ambo de Ordine Prædicatorum, qui eos graviter suis rationibus artabant, & omnes eorum motas rationes & autoritates solvebant, ac argumentis fortissimis sic ora hæreticorum obserabant, quod amplius nil ad suorum articulorum defensionem proponere auderent. Et quia semper vel arguendo vel respondendo sucumbere se cernebant, ubicunque vel quandocunque fiebant disputationes publicæ & disceptationes, ideo victi frequenti confusione & rubore absque cupito fine, insalutato hospite recesserunt. Philippus Mediolanensis Dux hostiles gwerras gessit cum Florentinis & Venetis. Quæ, inquam, civitates cum cæteris urbibus, opidis & castris, suis ditionibus subjectis, contra dictum Ducem stipendiariorum multitudinem maximam conduxerant, & jam multa prœlia cum eodem certaverant in non parvam vastationem terrarum utriusque partis. Duci autem Philippo favebat Sigismundus Romanorum Rex, dictis duabus civitatibus nimis infestus propter urbes diversas ad Imperium pertinentes ex jure antiquo, quas violenter ipsæ civitates duæ, ut Rex asseruit, occupabant. Papa vero Eugenius, quia Venetus natus, civitates illas duas fovebat, & quantum poterat, ipsas vasallorum suorum armis defendebat. In partibus autem Italiæ Sigismundus Rex per tempus satis prolixum manens, securum transitum ad urbem Romanam habere non valebat, Papa cum sibi adhærentibus ipsum impediente.

Decimo nono anno Sigismundi, qui est Domini MCCCCXXXII. Henricus Hogeri Proconsul civitatis Hammeburgensis redemit se & plures alios secum captos de diutina & dura Danorum Regis captivitate, solvens eidem Regi X M. marcarum Lubicensis monetæ. Solutione autem facta & literis sibi datis super libertate plenaria sui & suorum, Dani nova & minus honesta usi astutia, eundem Proconsulem angariaverunt ad hoc promissum, quod nisi Sweos Lubicensium captivos libertaret, denuo ut eorum verus captivus claustra & vincula eorum redeundo intrare deberet. Ipse vero Proconsul pactione tam injusta nondum plene firmata, cautulose manus eorum evasit, & confestim scapham intrans, cum vento prospero portum Lubicensium apprehendit. Pro eodem tempore Hammeburgenses duos habebant milites captivos & tertium militarem. Hi duo Milites, quorum unus Luderus Kabel dictus, & alter Hennyngus Pudbusch pro sua redemtione solverunt V M. marcarum Lubicensis monetæ, hac conditione adjecta, ut perfectam & finalem libertatem absque omni impetitione dicto Henrico Proconsuli procurarent a Rege eorum. Quod si facere non possent, ad pristinam captivitatem redire tenerentur. In cujus sponsionis testimonium tertius captivus Militaris remansit obses in dicta civitate Hammeburgensi, qui frater extitit Domini Gherardi Episcopi, qui alias in castro Vlenzeburg fuerat obsessus. Eugenius Papa propter varias causas se moventes Concilium generale ab urbe Basiliensi penitus removit, & civitati Bononiensi ipsum assignavit celebrandum ibidem, præcipiens Præsidenti & omnibus Prælatis in Basilea congregatis, ut quantocius locum illum desererent, & ad urbem Bononiensem se transferrent. Cui præcepto non parentes Prælati, solennes nuncios ad Dominum Apostolicum miserunt, & rationibus diversis se legitime excusantes, ac motiva Papalia nulla esse clare ostendentes, Ecclesiæ universali translationem illam omnino non expedire rescripserunt. Papa vero rationes Concilii & Prælatorum parvipendens, & suas valere autumans, Archiepiscopum Colocensem cum aliis duobus Episcopis destinavit, committens eis, ut Dominum Julianum Præsidentem Concilii & cæteros Prælatos informarent, & seriosis monitis exhortarentur ad obediendum mandatis Apostolicis. Quod si non facerent, tunc acrioribus stimulis eos agitare proponeret. Audiens autem Concilium Domini Papæ serium & constantiam solutionis Concilii factæ, seriosius se opponere importunitati suæ decrevit. Unde ad memoriam revocans determinationem Doctorum & Prælatorum in Constantiensi Concilio factam cum sincera & matura deliberatione, quod in certis casibus Concilium generale legitime congregatum autoritatem super Papam haberet, & præsertim in reformatione universalis Ecclesiæ, de maturo consilio & assensu omnium Prælatorum hoc legitimum generale Concilium repræsentantium autoritate Jesu Christi, qua in hac parte fungebatur, Dominum ipsum Eugenium citavit, præcipiens ei, ut dictam Concilii solutionem & translationem retractaret & annullaret, & loco deputato Concilii per se & suum prædecessorem se præsentaret, aut loco sui alium cum plena autoritate sua transmitteret. Quod si non faceret, ipsum Concilium prout de jure posset & deberet, contra ipsum procedere intenderet. Swytergayl Dux Lithuanorum post obitum Wytoldi diversa prœlia cum Boleslao Polonorum Rege gessit. Hic Rex alias dictum Swytergayl fratrem suum captivum tenuerat ad septennium, & gravia incommoda ei intulerat. Sed ille amicorum auxilio liberatus, eundem Regem ex odio inveterato persequi jam animatus est. Boleslaus autem Rex præferre satagens Sigismundum filium Wytoldi, quem pater ineptum ad regimen judicans, & Switergayl Ducatui præficiens adoptaverat, ipsum contra patruum suum animavit & instigavit, conferens ei exercitum fortem ad fugandum ipsum de patria. Qui audaciam capiens ex Regis instigatione, & confidens in fortitudine exercitus sui, castrorum possessores ad amicitiam & familiaritatem suam traxit, & homagium fidelitatis ab eis suscepit. Quod percipiens Swytergail, ad Fratres de domo Teutonica terræ Prutziæ confugit, & se ipsis vinculo confœderationis perpetuo obligavit. Fratres vero gavisi de amicitia tanti Principis, multitudinem armatorum ei accommodarunt. Quam cum gratitudine Dux acceptans, illi exercitui Ruthenos, Lithuanos & Paganos innumeros Ducatui suo vicinos adjunxit, & contra Sigismundum suum adversarium castrametatus est. Quorum uterque exercitus sibi occurrentes prœliati sunt viriliter, & ex utroque exercitu multi ceciderunt. Sed tandem Swytergail victoria potitus, hostem suum in fugam vertit. Boleslaus autem Rex Polonorum audiens Pruthenos confœderatos esse Duci Lithuanorum, treugas cum ipsis factas revocavit & cassavit, & ad pugnandum contra eos se disposuit. Magdeburgenses quia alias incursum Husitarum & Orphanorum hæreticorum verisimiliter formidantes, urbem suam in ea parte, ubi periculum imminere timebatur, emendaverant, eo quod nec ab Archiepiscopo eorum, nec a Canonicis, quorum locus erat, postquam sæpius admoniti fuerant per cives, emendam recepissent, indignationem Antistitis sui gravem incurrerunt. Quæ, inquam, indignatio ex levi causa exorta in periculosum crevit dissidium, prout in anno præcedenti tactum est. Canonicis igitur cum Ecclesiæ majoris Reliquiis & clenodiis in locis sibi congruis exulantibus, ecclesiarum Rectores suis majoribus se conformantes & quasi tribulationis eorum participes esse volentes, parochias suas Capellanis commiserunt, & urbem exeuntes, mansiones ubi poterant, receperunt. Divina ergo in majori ecclesia Magdeburgensi penitus cessarunt celebrari, & similiter in aliis ecclesiis collegiatis, sed in Mona-

Monasteriis Religiosorum celebrabantur & in parochialibus ecclesiis. Deducta est tandem hujus dissensionis causa ad Concilium Basileense per Archiepiscopi & Canonicorum Procuratores, & citati sunt cives ad comparendum. Ad quod quidem Concilium cives duos miserunt, puta Johannem Lindowen Proconsulem & Wenemarum Scabinum dictæ civitatis, ut causam suam defenderent, & ad objecta & objicienda ex parte eorum responderent. Commissariis ergo utriusque partis in loco Concilii constanter laborantibus in causarum defensione, promulgata est quædam sententia excommunicationis contra cives Magdeburgenses, & positum est interdictum ecclesiasticum in urbe eadem per quendam judicem Erphordiæ residentem. Cujus interdicti occasione cives amaricati & irritati vehementer, exercitum collegerunt cum adjutorio Brunswicensium & Hallensium, vocantes in subsidium Henricum Ducem de Brunswik. Et exeuntes urbem in manu valida cum bumbardis & aliis instrumentis bellicis, primum aggressi sunt opidum Calve. Cujus castrum obsidentes & impugnare disponentes, ipsum sine magno labore in deditionem suam acceperunt cum opido suo. Cujus turrim post paucos dies dejicientes solo æquabant. Dehinc vero procedentes Aquensem urbem vallarunt. Quæ territa ex captura castri & opidi Calvis, portas Magdeburgensibus reserarunt, & se eis subjecerunt. Capto autem castro Aquensi & opido, versus Stadford (leg. Stasford) castrum forte iter suum direxerunt. Quod similiter sine magno tumultu capientes, eo quod in eo Canonici essent majoris Ecclesiæ, nec tantæ multitudini resistere didicissent. Similiter & Wansleve castrum sine contradictione magna eis se subdidit, furorem civium formidans. Solum autem castrum Egele dictum suo Domino remansit inexpugnatum, de omnibus Ecclesiæ munitionibus circa urbem Magdeburgensem locatis. Guntherus autem Archiepiscopus de uno castro ad aliud fugatus, præ tristitia & mœrore patriam reliquit, & ad fratrem suum in Thuringiam se transferens, in castro Sundershusen ad tempus pausavit. Transactis vero diebus aliquot, cum familia decenti locum Concilii adiit, ubi aliquamdiu moram cum Prælatis Ecclesiarum traxit. Tempore æstivo quidem miles dictus Broderus piratarum Capitaneus natus Sweus, homo dissolutus & levis cordis, mare intravit cum multis Danis, mercatorum naves de Livonia & Prutzia venientes aut illuc transeuntes spoliare affectans. Rex autem Danorum eidem militi omnia necessaria dari ordinavit, & naves suas victualibus & instrumentis bellicis onustari. Cui etiam Ericus Krummedik Miles se associavit cum magnis cogonibus plenis armatis viris, particeps fortis illius esse cupiens. Quibus in pelago natantibus, venerunt Rigensium mercatores IIII. naves ferentes cum mercibus multis & pretiosis. Quas naves Broderus invadens manu hostili, tres de ipsis expugnavit & cepit, & mercatores cum mercibus captivos secum duxit in Daciam. Quarta vero navis hostium manus evadens adjutorio Heynonis de Schowen & sociorum suorum Trabenam apprehendit cum mercibus suis. Partitis autem spoliis inter consocios, Broderus mare reintravit cum majori populo, audacior factus de præda capta & lucro acquisito. Cujus præsentiam in mari existentem percipientes Lubicensium mercatores, portum Revaliensem cum mercimoniis visitare solentes, onustaverunt suas naves. Quibus in auxilium dedit civitas IIII. naves magnas ad prælia maritima constructas & aptatas, plenas viris armatis & instrumentis bellicis, quibus duos Consulares viros animosos in Capitaneos assignarunt. Hæ naves mare intrantes, vela sua confestim levarunt, & cursu lento, quia ventum lateralem habebant procedentes, Danicis tandem ripis, ubi hostes latitabant, applicuerunt. Videns autem eos Ericus Krummedik Miles, & considerans naves eorum grandes esse & multas, tremulus factus cum suis mox retrocessit. Broderus vero Sweyn miles animosus & levis cordis existens, remque parum ponderans, aviditate lucri prævie recepti motus, suos socios sic allocutus est: Viri fratres & fortissimi athletæ, virilem jam assumite animum, & constanter pugnate, quia omnium harum navium nobis occurrentium hodie Domini erimus. Erat enim tam fervide accensus ad bona mercatorum rapienda, quod non attenderat alias recessisse naves in classe sua sibi junctas. Cumque jam priores naves grandes ipsum pertransissent, Broderus cum cogone suo armatis viris referto duas barcas posteriores observans, ipsis applicuit, non videns in eis armatos quoscunque, sed solos nautas & naucleros in loco eminentiori stantes ad regendum naves, cæteris omnibus ex industria in charybdi (carina) latitantibus. Impingens autem miles in scapham primam, mox omnes armigeri quasi de somno excitati, de cavernis proruperunt, & bumbardis suis crepantibus, balistis & arcubus tela ad modum grandinis jacientibus, in Danos illos fortiter insilierunt. Desuper vero magnis lapidibus de vertice mali cadentibus hos prostraverunt, & illos conquassaverunt. Alia vero mercatorum barca in continenti ab altera parte adveniens, & navi Danorum hostiliter impingens violentia vehementi, quasi dirupta media ipsa cessit impingenti. Cujus armati fortiter insurgentes hostes percusserunt in ore gladii cum furore nimio, & plures vulnerarunt. Prosilientes ad ultimum ex utraque navi mercatorum armati in Danicam barcam, ipsum Broderum militem cum omnibus in ea existentibus captivarunt, & vinculis, cippis & compedibus eos manciparunt, multis in mare saltantibus & submersis. Numerus autem captivorum erat fere ducenti LX. spoliatis autem ipsis Danis suis armis, reperti sunt apud Broderum floreni CCCCti. Potiti ergo victoria Lubicenses, naves suas verterunt, & prospero vento flante, Trabenæ portum cum ingenti gaudio intrarunt. Rumor autem adepti triumphi incontinenti ad urbem perveniens Lubicensem, lætitiam fecit magnam in populo. Sed non tale gaudium cor Regis Danorum exhilaravit, imo timor & tremor super ipsum & omnes suos Consiliarios venerunt, & præ dolore quasi contabuerunt, qui antecedenter lætati fuerant, cum spolia mercatorum diviserant. Cives ergo & civissæ Lubicenses cum perciperent adventum Broderi Sweyn & sociorum ejus, urbem in magno numero exiverunt, cupientes ipsos videre. Introducti ergo in civitatem, turrium custodiæ omnes traditi sunt. Ubi tamen non diu tenti, cum pietate & misericordia magna exactionati sunt, & tandem licentiati. Broderus tamen ex certis causis aliquamdiu captivus tenebatur, liberum habens transitum intra civitatem. Veneti & Florentini hoc anno in gratiam Sigismundi Regis Romanorum recepti sunt, qui multis annis discordiam cum eo habentes, varia sibi invicem incommoda intulerunt. Harum etiam civitatum practicatione facta est amicitia inter Sigismundum Regem & Dominum Papam Eugenium. Papa enim dissensione inter se & Regem Romanorum Sigismundum durante decreverat, ipsum Corona Imperiali ad tempora vitæ suæ debere caruisse: sed facta amicitia, confestim sibi mandavit, ut ad coronam recipiendam quantocius festinaret. Revaliensis civitas ex proprio igne combusta est quasi ex integro cum ecclesiis suis & pulcro Conventu Fratrum Ordinis Prædicatorum. Eugenius Papa loci Concilii generalis translationem & mutationem innovans, districte mandavit Juliano Cardinali S. Angeli ac Prælatis omnibus in Basilea congregatis, ut quantocius locum illum relinquerent, & in Bononiam se transferrent ad celebrandum inibi Sacrum generale Concilium. Locus etenim

ille

Digitized by Google

ille aptior & competentior foret pro dicto Concilio celebrando quam urbs Basiliensis, tum quia Græci, qui reverti ad gremium matris Ecclesiæ cuperent, commodius ibi venire possent, qui Basileam transire abhorrent; tum quia ad illum locum ipse absque periculo & timore venire posset, sine quibus Basileam attingere nullo modo valeret; tum etiam quia in hoc loco Papalis autoritas & Concilii magis vigorosa esset quam in Basilea, ubi Alemannorum Prælati quasi in propriis foribus existentes, & castra & civitates suas munitissimas penes se habentes, animosiores existunt & minus corrigibiles. His motivis alia plura adjungens Papa, judicavit Bononiensem urbem convenientiorem esse locum pro Concilio generali celebrando, quam Basileam, & ideo merito sibi in translatione prædicta fore consentiendum. Julianus autem Præsidens Concilii constitutus autoritate tam Apostolica quam præcedentis Concilii Constantiensis, Christi Capitis Ecclesiæ universalis fungens potestate, præcepit Eugenio & omnibus sibi adhærentibus sub anathematis maledicto, quatenus translationem loci Concilii factam revocaret, & cum suis vel in propria persona, siquo modo valeret, vel in aliena cum plena autoritate Basileam peteret, cassans & annullans eadem autoritate Concilii Basiliensis, solutionem, admonitionem vel translationem per Eugenium tentatam. Quæ omnia sic facta Concilium præcepit redigi in publica instrumenta.

De Sigismundo I. Imp. Rom.

Sigismundus, filius Karoli Quarti Imperatoris Rex Romanorum, cœpit anno mundi VMCCCXCIIII. Olympiadis DXXXV. anno IIIIo. Domini vero MCCCCXXXIII. & imperavit annis . . . . . Hic veniens Romam circa festum Ascensionis Domini cum Principum & Nobilium comitiva & apparatu decenti, receptus est cum gloria & honore a Domino Papa & Senatu Romano ac tota civitate, & Corona Imperiali a Domino Eugenio Papa gloriose & cum magna solennitate est decoratus & insignitus.

Primo anno Sigismundi, Dn. vero MCCCCXXXIII. In Bohemia cataractæ cœli apertæ sunt, & cataclysmus factus est maximus, & descendit aquarum vehementia per Albiam & cæteros rivos & fluenta, & submersit primo in Bohemorum Regno opida & villas quam plures, propter perfidiam, ut creditur, habitantium in eo. Deinde transfluxit per Misnam regionem, & destruxit in ea villas plures, & pontem urbis Dreseden subvexit & removit. Per fluvium etiam Salam impetuose transiens, muros urbis Hallensis prope Salmam transcendit, & salsuginem in dulcedinem vertit. Cæteri etiam rivuli mixti aquæ cataclysmi, adjunctis eisdem aquis nivium & pluviarum in tantum crescebant, quod suis impetuosis cursibus in regione Thuringorum ultra XL. villas cum pecudibus & jumentis & pecoribus absumserunt, multis etiam hominibus suffocatis. In pluribus etiam aliis territoriis hoc anno inundantia aquarum ex cataclysmis causata, damna incredibilia hominibus intulit. Pruthenorum Domini de domo Teutonica per omnes regiones & provincias suos miserunt nuncios, colligentes stipendiarios ad resistendum Boleslao Regi Poloniæ, qui bellum eis indixerat, & nedum Polonos cæterosque Christianos sibi subjectos, sed & Paganos crucis Christi inimicos, & Husitas hæreticos turmatim per mundum discurrentes, & fidelium receptacula toto conatu devastantes, contra eosdem congregare satagebat. Quorum angustiis condolens pius Dominus Plawensis, cum XL. equestribus se illac transtulit, & locans se in urbem Coningesberg, insultum hæreticorum, qui Regi Poloniæ contra Pruthenos auxilio esse intendebant, viriliter repressit, & plures de eis occidit, prœlia diversa cum eis habendo. Protunc enim dicti hæretici exercitum habentes fere sex millium armatorum in Marchia ultra Oderam flumen sævientes, plures civitates, opida & villas vastaverunt. Inter quas una dicta est Soldin, ubi pulcrum Conventum Fratrum Prædicatorum destruxerant, ipsum incinerando. Cardinalis S. Angeli Julianus Præsidens Sacri Concilii Basiliensis, de tempore in tempus cum Prælatis ibidem congregatis rite & Canonice Sessiones diversas celebravit, citans semper & evocans secundum Juris formam Dominum Eugenium Papam, ut se loco Concilii legitime deputato personaliter, si posset, vel mediate persona legitima cum autoritate plena præsentaret, & ut tentatam dissipationem ac solutionem Concilii & ejus translationem revocaret, monuit & exhortatus est. Sed videns in omnibus his seriosis factis se nihil proficere undecim jam Sessionibus celebratis, decrevit de consilio & assensu omnium Prælatorum, statuto ad hoc certo die, duodecimam cum solennitate se fore celebraturum, & in ea contra Dominum Eugenium Papam juridice processurum, quæ dies XIII. fuit mensis Julii. Qua die adveniente, incepit dictus Dominus Julianus XIImam celebrare Sessionem in forma & modo inferius notatis, & sub tali tenore: Sancta Ecclesia Catholica in Sacro Constantiensi Concilio conveniens, cum adverteret neglectum Sacrorum Conciliorum præteritis temporibus occasionem fuisse hæresium, errorum & plurimarum difformitatum in populo Christiano; ipsorumque Conciliorum frequentationem optimum fore dictarum pestium & malorum antidotum, divina inspiratione instituit deinde certis modo & tempore generalia concelebrare. Prius autem, ne quisquam de ipsorum Conciliorum potestate hæsitaret, declaravit Concilium generale Catholicam Ecclesiam repræsentans, potestatem a Christo immediate habere. Cui quilibet, cujuscunque status aut dignitatis etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ ad fidem pertinent & ad extirpationem schismatis atque ad generalem reformationem Ecclesiæ in Capite & in membris. Quodque ejus mandatis, statutis, ordinationibus & præceptis super præmissis seu ad ea pertinentibus quicunque, etiamsi Papalis fuerit dignitatis, obedire tenetur. Contumaciter vero contemnens, nisi resipuerit, condignæ pœnitentiæ subjiciendus est, & debite puniendus, etiam ad alia Juris subsidia, si opus fuerit, recurrendo. Autoritate ergo memorati Concilii Constantiensis ac deinde ex instituto Sacri Concilii Senensis, approbationeque felicis recordationis Martini Papæ V. & moderni Domini Eugenii Papæ IIII. hæc S. Basiliensis Synodus in Spiritu S. legitime congregata, ad opus generalis reformationis Ecclesiæ in capite & in membris, nec non ad extirpationem hæresium omni cum diligentia in sui primordio procedere decrevit. Sed quoniam absque pace Christianorum Principum hæc duo sacratissima opera non facilem executionem habere poterunt, professa est etiam ad pacem concordiamque Christiani populi velle totis viribus laborare, quemadmodum attenus fecit, fecissetque uberius ac forte felicius, nisi gravibus fuisset per præfatum Dominum Eugenium obstaculis impedita. Et quoniam inter Christianos nemo est, cujus pro sua dignitate magis intersit, quam Summi Pontificis hujusmodi sacris operibus intendere: hæc Sancta Synodus a suæ congregationis initio Dominum Eugenium per binos ambasiatas cum magna instantia deprecata est, ut suas operas, consilia & auxilia ad ipsum Concilium fovendum & promovendum vellet impendere. Cum vero ab ipso Domino Eugenio, pro suo Pastorali officio omne genus subsidii & suffragii speraremus, lugubri nuncio ad nos perlatum est hoc Sacrum Concilium tam solenniter institutum, & pro tam necessariis negotiis congregatum, in publico Consistorio de facto, cum de jure non posset, tentasse dissolvere. Quod nos audientes, tristitia consternati

Digitized by Google

nati magnoque mœrore confecti fuimus, necnon nos Sacrum Concilium celebrantes, hujusmodi prætensa dissolutio supra modum scandalizavit, imo & omnem populum Christianum, qui tam sanctorum operum felicem exitum magno cum desiderio exspectabat. Existimans tunc hæc Sancta Synodus, sinistris informationibus ipsum Dominum Eugenium fuisse circumventum, mox ad eum venerabilem Episcopum Lausanensem & Decanum Trajectensem oratores destinavit, eidem ostensuros causas prætensæ dissolutionis a veritate procul esse; supplicantesque, ut, cum hujusmodi res graviter & notorie Ecclesiam perturbaret, plurimæque in populo Christiano calamitates secururæ essent, ipsam dissolutionem tam scandalose factam omnino revocaret, & huic Sanctæ Synodo, sicut dignitatem suam decebat, cum effectu adhæreret. Sed ipsorum oratorum precibus & orationibus nequaquam motus, eos ad nos vacuos remisit. Quod tam grave scandalum & notorium hæc Sancta Synodus ferre non valens, ipsum Dominum Eugenium in publica Sessione monuit, ut infra IIII. menses prætensam dissolutionem tot scandalorum causam penitus aboleret. Interim autem & post carissimus Ecclesiæ, Ecclesiæ filius Sigismundus Romanorum Imperator semper Augustus, tanquam Advocatus Ecclesiæ fidelis, pluribus notabilibus Ambasiatis ac crebris literis ipsum Dominum Eugenium humillime deprecatus est, ut ab hujusmodi Ecclesiæ perturbatione omnino desisteret. Ad ipsum etiam zelo fidei & Ecclesiæ succensi quam plures Reges & Principes, Cardinales atque Prælati, tam in curia Romana quam extra rogando, obsecrando monendoque sedula cum instantia fecerunt. Et quidem tot preces & requisitiones undique sibi porrectæ sunt tam pie, humiliter & devote, ut, quod dolenter referimus, si pax & tranquillitas Ecclesiæ sibi fuisset cordi, nullatenus dissentire potuisset. Circa ipsorum autem IIIIor mensium exitum ad nos IIIIor oratores transmisit, non ut emendarent, sed ut errata defenderent, nosque increparent, quod mox suæ prætensæ dissolutioni non paruissemus. Quibus per responsiones hujus Sacri Concilii veritas tam juris divini & humani, quam sine consensu Concilii dissolvere nequeant, quam facti, quod causæ dissolutionis prætensæ veræ non fuerant, extitit luce clarius patefactum. Transactis autem his IIIIor mensibus, cum in publica Sessione promotores Sacri Concilii ipsius Domini Eugenii contumaciam accusantes, eum contumacem declarari peterent: Sancta Synodus a dictis Oratoribus exoratur, ut supersedere dignaretur, protunc usque ad alios tres menses distulit. Et (cum) nulla suæ emendationis apparerent indicia, imo cottidie in suo proposito durius perseverans, innumeris modis, quos honestatis causa reticemus, ipsam Sanctam Synodum dissipare & evertere conaretur: nos licet suadente justitia acrioribus remediis uti potuissemus, nihilominus mansuetudinis nostræ non immemores, iterum ipsum monuimus, & ex parte Dei omnipotentis præcepimus, ut infra LX. dies dissolutionem prætensam prorsus revocaret, & Sacro Concilio pure, simpliciter & cum effectu adhæreret. Quibus exactis, iterum per promotores Sacri Concilii ipsius Domini Eugenii contumaciam fortius accusantes, instantius interpellati fuimus, ut ad declarationem contumaciæ & ad pœnas, quas tanta contumacia exigebat, procederemus. Sed nihilominus aliquamdiu differre decrevimus, si forte tantam Sacri Concilii pietatem videns, ipse quoque ad pietatem flecteretur. Interea quatuor alii sui oratores ad nos supervenerunt, varias secum difficultates & involutiones afferentes, per quas monitioni nostræ nullatenus parebatur, nec prætensa dissolutio irritabatur, sed potius firmabatur. Multa etiam alia in his continebantur non mediocriter absurda & Sacro Concilio præjudicialia, quibus sine Dei offensa & gravi jactura Ecclesiæ nullatenus assentire poteramus, prout hæc in responsionibus dictis Oratoribus XVI. die Julii traditis describuntur diffuse. Post duos itaque menses, qui XIX. die Februarii exspirarunt, usque ad præsentem diem patienter distulimus, sperantes ipsum Dominum Eugenium tandem plenam adhærentiam præbiturum; sed, ut rei evidentia jam demonstrat, quo magis pulsatur, eo magis obturat aures suas, & quanto secum benignius agitur, eo tenacius in suæ dissolutionis proposito perseverat. Et quantum ex ejus verbis factisque colligi potest, nihil aliud prætendere videtur, nisi ut Ecclesiam pessundet, jusque sibi ac successoribus faciat non solum abrogandi ritum Sacrorum Conciliorum, & ea pro libito dissolvendi, sed & ipsorum sacra decreta, Dei spiritu promulgata, a quibus status pendet universalis Ecclesiæ, irritandi & abolendi, & præsertim declarationem illam, quod in his, quæ ad fidem & ad extirpationem schismatis ac generalem Ecclesiæ reformationem in capite & in membris pertinent, quilibet etiam Papalis dignitatis decretis generalis Concilii subjiciatur. Ex quibus quot & quanta mala & scandala nunc & in futurum succrescere possint, satis omnibus liquet, & in præfata Responsione satis exprimitur. Cum ergo jam ultra annum & dimidium incassum apud eum laboraverimus, nec in nostris aut aliorum precibus vel monitionibus flecti velit, nec eum quantacunque mansuetudo ac patientia ad ea, quæ pacis sunt & rationis, movere queant, quid amplius frustra morandum est? Forsitan patientiam nostram assensum putat, & ex longa dilatione fiduciam perseverandi assumit, quasi arbitretur se bene fecisse, nec Ecclesiam in eum quicquam posse, cui nullam irrogare pœnam ausa est. Veremur enim, ne facilitas veniæ incentivum sibi tribuat delinquendi, timemusve si delicta notoria intacta dimittamus, fovere ipsa judicemur. Christus Deus Noster cum in Jerusalem pergeret opus nostræ redemtionis expleturus, & Petrus eum prohibere vellet, compescuit eum dicens: Vade retro Satana: scandalum mihi es, quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed quæ hominum. Paulus autem cum vidisset Petrum Apostolorum Principem circa observationem legalium reprehensibilem fore, & non ambulare ad veritatem evangelii, restitit ei coram omnibus in faciem, & eum a simulatione, in quam alios deducebat, veritatis zelo repressit. Ecclesia Catholica sæpe Summos Pontifices, sive a via deviantes, sive pravis moribus Ecclesiam notorie scandalizantes severiter correxit & judicavit. Neque ubi de fidei periculo aut scandalo Christianæ Religionis agebatur, Romanis Pontificibus Ecclesia pepercit. His exemplis & rationibus hæc Sancta Synodus excitata, habens a Deo immediate autoritatem animadvertendi in eos, qui ipsam non audierint; consideransque expedire tam saluti animæ ipsius Eugenii Papæ quam statui universalis Ecclesiæ, amodo in dictum Dominum Eugenium acrioribus remediis, quandoquidem leviora non prosunt, procedere decrevit. Et quanquam in tam notorie & incorrigibiliter scandalizantem Ecclesiam statim posset finalem ferre sententiam, nesciens tamen maternæ pietatis oblivisci, intuitu etiam præfati Serenissimi Imperatoris, qui per suas literas super hoc nos sæpius rogavit & scripsit, adhuc ipsum Dominum Eugenium tertio monere, ac tertiam ei indulgere dilationem proponit, ut in sua potestate sit, si velit pœnam evitare. Idcirco hæc præfata Sacrosancta Synodus præfatum Dominum Eugenium, cum quanta potest instantia & affectu, per viscera misericordiæ JEsu Christi rogat, orat, obsecrat, monet, citat & requirit, & ex parte omnipotentis Dei ultimo & peremtorie mandat & præcipit, ut prædictam prætensam notorie scandalosam dissolutionem penitus revocet, & hoc Sacrum Basiliense Concilium

per

Digitized by Google

per generalium Senensis & Constantiensis Conciliorum statuta, & approbatione felicis recordationis Martini Papæ V. ac ipsius Domini Eugenii legitime inchoatum declaret a tempore hujus inchoationis continuatum fuisse & esse, prosecutionemque semper habuisse, continuarique & prosecutionem habere debere, & ipse pure & simpliciter adhæreat cum effectu, ac hujusmodi revocationem declarationemque & puram adhæsionem per suas patentes literas more Romanæ curiæ bullatas huic Sacro Concilio notificet infra LX. dies a die præsentis publicæ Sessionis immediate sequentes. Quodsi prædicta omnia & singula infra præfatos LX. dies impleverit cum effectu, hæc Sancta Synodus ex sua solita benignitate & clementia, ipsum Dominum Eugenium & suos, quantum cum Deo poterit honorare & honorari, facere intendit. Si vero, quod absit, in pertinacia perdurans, omnia & singula prædicta infra præfatos LX. dies realiter & cum effectu non adimpleverit, elapsis LX. diebus extunc prout exnunc, & exnunc prout extunc hæc Sancta Synodus in virtute omnipotentis Dei, a quo super omnes Christi fideles immediate sibi potestatem vendicat, prædictum Dominum Eugenium tanquam manifeste contumacem & notorie scandalizantem Ecclesiam Dei, ab omni administratione Papatus in spiritualibus & temporalibus ipso facto suspendit, & suspensum esse declarat, processura tandem ad ulteriora usque ad sententiam finalem inclusive, si opus fuerit, ipso Domino Eugenio amplius non citato, prout Spiritus S. dictaverit. Omnem autem ipsius Papatus administrationem in his omnibusque, & in spiritualibus ac temporalibus, quæ ad solum Papam vel ad solam sedem Apostolicam de jure pertinere extunc noscuntur, eadem Sancta Synodus post dictum terminum ad se ipsam decernit & declarat ipso facto esse devolutam. Quicquid autem in casu prædicto per ipsum Dominum Eugenium elapso dicto termino ratione Papatus factum fuerit & attentatum, decernit irritum esse & inane. In quo casu omnes Reges, Principes, communitates & alios quoscunque, cujusvis status & dignitatis existant, hæc S. Synodus monet & requirit, & eisdem in virtute sanctæ obedientiæ & sub divini attestatione judicii mandat, Ecclesiasticis vero personis, quacunque dignitate, etiamsi Cardinalatus, Patriarchali aut Pontificali præfulgeant, sub pœnis, quas ipso facto incurrant, excommunicationis & suspensionis ab omnibus dignitatibus, beneficiis & officiis, quocunque nomine nuncupentur, etiamsi Metropolitanæ aut Cathedrales Ecclesiæ, sive in titulum sive in commendam obtineant. Vicariis autem, Gubernatoribus, vasallis, feudatariis & subditis Romanæ Ecclesiæ sub pœna privationis ipso facto omnium feudorum & aliorum quorumcunque jurium & privilegiorum, quæ ab ipsa Romana Ecclesia obtinent, districte præcipit, ut præfato Eugenio durante dicta suspensione, prætextu cujusdam juramenti, subjectionis ac promissæ fidelitatis, nullatenus ratione obediant. Adjicit quoque hæc Sancta Synodus, quodsi præfatus Dominus Eugenius, dicto termino LX. dierum pendente, aliquas promotiones fecerit ad Cathedrales Ecclesias vel Ecclesiasticas dignitates vel alia quæcunque beneficia aut officia in fomentum dictæ suæ dissolutionis prætensæ & enervationem seu impedimentum hujus Sacri Concilii, de quo ipsius arbitrio judicabitur, an factæ fuerint in fomentum, eadem hæc Sancta Synodus hujusmodi sic factas promotiones cassat, irritat, & annullat. Mandat præterea in virtute sanctæ obedientiæ & sub pœna privationis, quam ipso facto incurrant, omnium suorum beneficiorum, officiorum, commendarum, pensionum & gratiarum quarumcunque etiam expectantiarum, omnibus & singulis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, ac aliis ecclesiarum Prælatis, officialibus curtizanis & Clericis quibuscunque, in curia Romana degentibus, cujuscunque status & conditionis existant, quatenus in casu prædicto post lapsum dicti termini, infra XXX. dies proxime & immediate sequentes, a Romana curia recedant; & deinde Cardinales omnino sub pœna prædicta ad hoc Sacrum Concilium, omni mora postposita, veniant; Patriarchæ vero, Archiepiscopi & Episcopi ac alii Ecclesiastici, prout de jure & consuetudine ad generale Concilium venire tenentur, sub pœnis iter suum, sine fraude continuando ad hoc Sacrum Concilium, arripiant; reliqui vero, qui ad generale non obligantur venire, ad residendum & Deo serviendum in propriis beneficiis, vel ad hoc Sacrum Concilium sine mora omnes dispendio & omni fraude cessante se transferant, & accedant. Omnes autem causas tam ecclesiasticas quam profanas, civiles & criminales inter quascunque personas, cujuscunque status, conditionis vel dignitatis existant, in curia Romana pendentes, elapso dicto termino LX. dierum in casu prædicto, ab ipsa curia Romana eadem Sancta Synodus ad se advocat, & advocatas esse vult; expresse inhibens, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, omnibus judicibus, auditoribus & commissariis quibuscunque prædictæ curiæ, ne post dictos dies in præfatis causis procedere, aut quicquam agere quoquo modo præsumant. Quicquid autem contra hanc additionem & inhibitionem attentari contigerit, ipso jure decernit irritum esse & inane. Decrevit & hæc Sancta Synodus hujus Decreti publicationem in præsenti Sessione factam, ejusque affixionem in valvis majoris Ecclesiæ Basiliensis habere vim monitionis, citationis & executionis, & ita universos artare, ac si personaliter apprehensi eis intimatum fuisset. Insuper hæc Sancta Synodus declarat & protestatur, quod nihilominus dilatione hujusmodi LX dierum pendente, cum id rerum necessitas suadeat & qualitas, in ulteriori prosecutione Concilii & agendorum in eo procedere intendit, ordinate, debite & mature, nec propterea supersedere aliqualiter in processu.

Digitized by Google

cessu. Cives Bremenses XVI. potiores de antiquo eorum Consulatu capientes, carcerali custodiæ & duris vinculis tradiderunt, valde inhumaniter eos tractantes in fame ac inedia gravi eos affligentes. Ubi dum per plures dies miserabiliter cruciati fuissent, mirabili & inhumano modo per quædam instrumenta in turri illa confecta, uno viro super alio ascendente, quousque superior foramen ferramentis fortibus cancellatum attingeret, divino auxilio, quod devote invocabant, superiori vires concedente, testudinem lapideam foramini contiguam manibus suis ipse confregit, & mox per rupturam ascendens in noctis medio liber in cacumine testudinis stetit, Deum de miraculosa redemtione glorificans. Tunc apprehendens instrumentum, quod fecerant in turri de straminibus & fragmentis tunnarum simul compactis ad modum scalæ, ipsum tenuit tam diu, quousque unus post alium non sine speciali Dei juvamine omnes foramen hoc exivissent, præter unum, qui invalidus erat & infirmus, qui solus in turri remansit. Disposuerant autem prævie literis suis circa fratrem unius concaptivi, ut illa nocte cum navi juxta turrim prædictam adesset, & eorum observaret evasionem. Quo in deputato loco exspectante eorum adventum, unus mox post alium per dictum instrumentum de turri per fenestram descendit, & navem paratam intravit. Ultimus vero cum & ipse descendere vellet, vix ad medium spatium perveniens, fracto instrumento cecidit, & graviter se læsit. Sed alii accurrentes ipsum levaverunt, & secum ad navem deportaverunt. Tunc læti omnes remigare cœperunt, & salvo transitu, non tamen absque timore magno navigantes, tandum portum opidi Aldenburgensis apprehenderunt. Quos adesse percipiens Tidericus Comes de Aldenborg, confestim eos ad suum castrum recepit, & omnem humanitatem eis exhibuit. Mane autem facto, custodes carceris cum captivos visitare vellent, eos evasisse intellexerunt, unico captivo, qui remanserat, hoc eis indicante. Unde confusi, quod factum est, Consulatui civitatis intimaverunt. Sigismundus Imperator astutia & sagacitate, quibus præ cunctis pollebat Principibus sui temporis, vir industrius valde existens, usus, Italiam exivit circa festum S. Andreæ, & pertransiens partes intermedias, navigio venit in urbem Basiliensem, paucis scientibus. Quod percipientes Prælati Concilii, inæstimabili gaudio referti, ipsum cum reverentia multa receperunt. Attulit etiam secum majoris lætitiæ fomentum, puta Bullam sub brevi stylo, adhæsionem & approbationem Concilii Domini Eugenii, ac revocationem dissolutionis ejus factæ alias per eundem. Cujus bullæ tenor sequitur, & fuit talis. Eugenius Episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus Fratribus, Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis cæterisque Prælatis universis in urbe Basiliensi constitutis, salutem & Apostolicam benedictionem. Dudum Sacrum generale Basiliense Concilium per generalia Senensis & Constantiensis Conciliorum statuta ordinationemque felicis recordationis Martini Papæ V. ac nostram inchoatum, ex certis causis in aliis nostris literis expressis, ad civitatem Bononiensem de Fratrum nostrorum S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio commutavimus. Verum cum nonnullas ex dictis causis, quibus ad hujusmodi commutationem seu dissolutionem faciendam principaliter moti fuimus, aliter se habuisse & habere, quam nobis fuerat suggestum, revera jam cognoscamus, nihilque aliud optemus, quam quod hæreses, bella & morum difformitates de populo Christiano extirpentur, more prædecessorum nostrorum, qui comperta veritate, omnia in pristinum statum reintegrare consueverunt: decernimus & declaramus generale Concilium Basiliense, a tempore prædictæ inchoationis suæ continuatum fuisse & esse, prosecutionemque semper habuisse, continuarique ac prosecutionem habere debere, proinde (perinde) ac si nulla commutatio, translatio seu dissolutio facta fuisset; quinimo præfatam commutationem, translationem seu dissolutionem irritam decernentes, ipsum Basiliense Concilium pure, simpliciter cum effectu in omni caritate amplectimur, pro viribusque promovemus, & omni favore prosequi intendimus. Datum Romæ die XIII. mensis Novembris, Pontificatus nostri anno tertio. Qua visa Bulla & in publico lecta, gavisum est supra modum totum Concilium, Deum devote glorificans, qui Ecclesiæ suæ pacem & concordiam largiri clementer dignatus fuit. Transactis autem postea aliquot diebus, iterum & aliam literam bullatam solenniori stylo comtam super prædicta dissolutionis revocatione & Concilii pura adhæsione ad Sacrum Basiliense Concilium cum solenni ambasiata misit. Quæ desideranda & gratulabunda beneficia Apostolica Imperator Sigismundus intelligens advenire, cum glorioso apparatu ipse & Principes sui obviam eis processerunt, & Dominus Augustus Bullam ipsam ad Sceptrum Imperiale pendens, corona decoratus Regia, versus civitatem in magno honore devexit. Sacrum vero generale Concilium processionem solennem faciens cum vexillis & reliquiis in occursum Principum Apostolicam gratiam vehentium venit, & magna cum devotione & gaudio urbem ingressi tam Principes quam Prælati, dictam Bullam ad majorem Ecclesiam introduxerunt, & mox cum organis & humanis vocibus jubilantes, Te Deum laudamus devote promserunt. Bremensium cives ex practicatione studiosa civitatum Lubicensis, Hammeburgensis & Luneburgensis, adhærentibus eis mercatoribus dictæ Bremensis urbis antiqui Consulares exilium passi cum novis protunc regentibus civitatem, sunt concordati & pacati ac cum tota communitate; & sunt consequenter introducti in consistorium, & locati ad stalla consueta cum quibusdam de novis. Et factæ sunt ordinationes & statuta maximis pœnis vallata, ne quisquam eorum de antiquo vel novo Consulatu quempiam livoris causa, vel invidiæ, animo se vindicandi de veteri displicentia jam sopita & ter-

Digitized by Google

& terminata offendat verbo vel facto. Ad prædictum vero reconciliationis opus etiam Dominus Otto tutor Bremensis Ecclesiæ fortiter & efficaciter cooperatus est, bonum communitatis urbis illius ex corde affectans. Rodolfus Trajectensis Electus, defuncto Swedero Episcopo, confirmatus est in Episcopum Trajectensem per sedem Apostolicam. Recepta autem confirmatione, statim post suam celebravit missam Episcopalem prævie consecratus & ordinatus. Quidam tamen Canonici exulantes, percepta morte Swederi Domini de Kulenborg, Dominum Walravum de Morse fratrem Theoderici Coloniensis Archiepiscopi, in Episcopum Trajectensem, in quantum potuerunt, elegerunt, non obstante Apostolica confirmatione Rodolfi Episcopi. Electione autem celebrata, Concilium Basiliense adierunt prædicti Canonici Trajectenses profugi, & electionem sibi confirmari petierunt. Quam Synodus Basiliensis per dictum Dominum Theodericum Archiepiscopum Coloniensem confirmari mandavit, & confirmationem Domini Rodolfi Episcopi cassavit & annullavit, licet ipse Rodolfus Episcopus in Trajectensi Ecclesia jam plures Sacros Ordines celebrasset, & virgines sacras velasset. Papa autem percipiens Archiepiscopum Coloniensem confirmasse Walravum supra dictum in despectum suæ confirmationis, scripsit prædicto Archiepiscopo talis tenoris: Eugenius Episcopus servus servorum Dei, venerabili Fratri Theoderico Archiepiscopo Coloniensi salutem & Apostolicam benedictionem. Intelleximus, quod nonnulli asserti Canonici & Clerici Ecclesiæ Trajectensis ab ejus unione & reintegratione ac pace patriæ separati, sumta occasione per obitum bonæ memoriæ Swederi tunc Archiepiscopi Cæsariensis, olim vero Episcopi Trajectensis, ac si tunc præfatæ præesset Ecclesiæ, sicut ante præfuerat, non valentes dictæ Ecclesiæ non vacanti de Pastore idoneo providere, sed etiam potius & statum ejus pacificum perturbare, postularunt ad eandem tanquam vacantem dilectum filium Nobilem virum Walravum de Morse fratrem tuum, non in Ordinibus sacris constitutum, seque in actibus bellicis & aliis laicalibus officiis exercentem, & recursum ad te Metropolitanum pro admissione postulationis hujusmodi habuerunt. Qua parte recepta pariter & admissa, quantum in te fuit, ad prosecutionem ejus citationibus & mandatis pœnalibus contra venerabilem Fratrem nostrum Rodolfum Episcopum Trajectensem ac Clerum & populum diceris processisse. De quo miramur plurimum, quod & vix etiam credere possumus, & dolemus de te præsertim tali & tanto Prælato, beneficio Sedis Apostolicæ in tanta eminentia dignitatis Ecclesiasticæ constituto, quod velis contra jus & autoritatem Sedis ejusdem tale negotium attentare, & postulationem, quæ nulla est, admittere. Quæ etsi esset aliqua, & nunc vacaret Trajectensis Ecclesia, ad te deferenda non esset ecclesia nostræ dispositioni reservata. Nam licet ab olim electiones hujusmodi ecclesiarum ad Ordinarium, Romano Pontifice permittente, quandoque autem ad nostram nostrorumque prædecessorum de eisdem reservationem delatæ fuerint: postulationes tamen ab omni potestate ordinaria sunt remotæ, cum in eis necessariæ sint translationes & absolutiones a vinculo; vel aliarum dispensationum adminicula, quæ non possunt, nisi a præfata sede concedi. Accedit præterea efficacissima ratio caritatis humanæ, quæ debet te ab hoc proposito removere. Nam præter quam ad hoc negotium prosequendo, nos & Romanam offendis Ecclesiam, hujusmodi novitatem attentando, suscitas etiam magnam materiam scandalorum, & ipsam Ecclesiam Trajectensem & patriam ponis in periculum desolationis extremæ, quæ nos omni studio & diligentia removere curavimus. Cum enim in principio nostri Pontificatus invenissemus Ecclesiam & patriam ante dictas intestinis seditionibus laborantes, & bellicis cladibus pene confectas, volentes easdem reducere ad statum pacis & quietis, ac Cleri & populi saluti consulere, sicut nostro Pastorali spectabat officio, consideratis & mature discussis omnibus remediis, quæ ad tam pium opus necessaria videbantur, expediens esse cognovimus transferre præfatum Swederum, & ipsam Trajectensem Ecclesiam præsentem Episcopum Trajectensem, sicut fecimus, promovere. Et si forsan hujusmodi nostra provisio paucis aliquibus grata non fuerit propter eorum particulares affectiones, tamen, ut credimus, grata fuit Deo, grata etiam fuit & probata bonis hominibus, qui magis bonum diligunt commune, & recte judicant multorum salutem paucorum commodis præferendam. Quare Fraternitatem tuam hortamur, tibi nihilominus per Apostolica scripta mandantes, quatenus a præfata postulationis inanis prosecutione desistas, & quicquid per te in hac materia factum est, revoces, ac discordias jam sopitas ad paucorum instantiam suscitare & fovere non velis. De quo nobis plurimum complacebis. Poloni terram Pruthenorum intrarunt cum magno populo, secum ducentes hæreticorum exercitum de Bohemia, & peragrantes terram, demoliti sunt eam igne & ferro absque resistentia quacunque. Fratres autem de Domo Teutonica, qui Pruthenorum Domini esse volunt, in castris suis residebant, & armis suis ea defendere intendebant. Civitates vero, qui etiam plures armatos & balistarios habebant, tam de propriis stipendiariis & civibus, quam de alienis eis in adjutorium missis, libenter exercitia bellica cum hostibus habuissent, sed non audebant, eo quod Dominos videbant segniter agere. Qui si, ut famabatur, audacter hostes persecuti fuissent, gloriam triumphalem bonumque finem totius gwerræ obtinuissent. Nobiles tamen terræ & civitates placitantes cum Polonis, ad ultimum treugas ad X. annos duraturas constituerunt. Turma autem hæreticorum suum iter dirigens versus Cassubiam, villas & opida incendit plurima, ac plures fideles hostili gladio peremit. Adolfus Dux Sleswicen-

Digitized by Google

wicensis & Comes Holtzatiæ, defuncto fratre suo Gherardo Duce, uxorem duxit sororem Comitis de Honsten. Gherardus autem Dux frater ejus defunctus in uxorem acceperat Annam sororem Wilhelmi Marchionis Badensis, de qua genuerat duos gemellos multum graciles & teneros, vix palmæ longitudinem habentes, eo quod de gradibus cadens, abortum passa fuisset, tempus debitum parturitionis præveniens. Hæc autem partus acceleratio in cordibus improborum utriusque sexus materiam scandali & turpissimæ detractionis occasionem ministravit. Quæ tamen omnia, veritate clarissime comperta falsæ impositionis Domina illa generosa inventa est sustinuisse innocenter simul & patienter. Infantes namque ex utero materno prodeuntes, perfecti in omnibus corporum lineamentis inveniebantur. Idcirco maliloqui quidam obloquentes virile consortium alienum in genitrice matrimonii thorum legitimum mentiti sunt prævenisse, prout postea sufficienter probavit Physicorum peritorum & matronarum honestarum requisitum testimonium. Syboldus Friso in castro suo juxta Albiam situato dicto Syboldesborg pirata & raptores fovens, mare deprædationibus & rapinis infestabat, nullis mercatoribus parcens. Similiter Ymilo Friso in castro suo Emeden dicto sito prope flumen Ameza, consimiles prædones detinebat, mercatoribus de Albia in Flandriam & Hollandiam navigantibus, aut econtra plura damna intulerunt, spoliando eos & captivando. Quorum deprædationes Hamburgenses & Bremenses prohibere & impedire cupientes, exercitum navalem eduxerunt, & raptores prædictos persequentes, eos tandem in mari comprehenderunt. Quos bello navali impetentes, percusserunt plures gladiis suis, cæteros vero vincientes numero CCXL. secum in Hammeburg deduxerunt, & eos ibidem decollarunt. Transactis postea aliquot diebus, Frisones prædictis Capitaneis, puta Syboldo, Ymiloni Provest & Udoni filio Fokkonis invidentes, eo quod cæterorum potentium Frisonum munitionibus eversis, ipsi adhuc castra sua possiderent illæsa, invitaverunt prædictas civitates duas, obsecrantes, ut in eorum auxilium venirent, & se de hostibus suis vindicarent, eos penitus delendo, quia & ipsi eis fideliter auxilio esse vellent. Quod promissum civitates cum gratitudine accipientes, venerunt in fortitudine navigio ad castrum Syboldi, & ipsum obsederunt, & instrumentis suis bellicis ipsum impugnare tentarunt. Frisones vero equestres pariter & pedestres ex altera parte advenientes, castrum fortiter angustaverunt. Expugnationi itaque ex utraque parte viriliter insistentes, & in opere infatigabiliter perseverantes, ipsum castrum tandem ceperunt. Cum autem in obsidione castri ante ipsius expugnationem occuparentur, Syboldi & Udo Capitanei terræ exercitum fortem collegerant ad succurrendum obsessis, & ad debellandum Frisones terra castrum vallantes. Quorum adventum Frisones in obsidione positi adverterent, de exercitu civitatum CCC. balistarios secum sumentes, perrexerunt obviam Syboldo & Udoni, & occurrentibus sibi invicem exercitibus prope Nordam opidum, congressum fecerunt, & pugnantes viriliter, tandem Syboldus cum suis succubuit. Interfectus est autem ibidem Syboldus, & similiter Udo cum multis aliis, & plures captivati sunt, paucis fuga elapsis. Habito vero triumpho de Capitaneis, expugnationi castri institerunt, & ipsum, ut dictum est, capientes, solotenus destruxerunt. Quo penitus everso, mox ad expugnandum Emeden castrum animum & operam dederunt. Audiens autem Ymilo Syboldum & Udonem interfectos esse, & castrum eorum eversum, consternatus est valde. Consulens ergo saluti suæ, in gratiam Hammeburgensium se tradidit, & castrum eis resignavit. Qui mox castrum cum suis munientes, Ymilionem captivum in Hammeburg secum duxerunt. Et quia Hammeburgenses castrum Emeden non destruxerant juxta condictionem Frisonum & promissum, sed munierant ad possidendum, idcirco quadragesimali tempore adveniente, Frisones insurrectionem & tumultum suscitantes contra castrenses, ipsum castrum capere & destruere proposuerunt insidiis paratis. Quod mox percipientes in castro existentes, subito se armaverunt, & in hostes improvisos prosilientes, centum de eis occiderunt, castri insidias repellentes. Caristia Mysnam, Thuringiam cæterasque terras circumjacentes angustavit, ita quod maldrum, quod antecedenter pro duobus emebatur florenis Rhenensibus, hoc anno XI. & XII. constabat, & quilibet sanus homo vix pro grosso panem emere poterat ad saturitatem. Lodowicus Lantgravius accepit in uxorem sororem Frederici Ducis Saxoniæ & Marchionis Mysnæ, in cujus nuptiis plures fuerunt, & Nobiles hastiludia & torneamenta exercentes. Bernhardus Dux de Lovenborg exercitum collegit, deprædaturus terram Prignitz & Marchiam. Cum autem terras præfatas invaderet, & jam prædam copiosam apprehendisset, secuti sunt ipsum Nobiles de Prignitz cum multitudine equestrium & pedestrium, & irruentes in Ducis exercitum, straverunt plures de eo, & multo plures captivaverunt, prædam captam recuperantes. Bernhardus vero Dux fugæ præsidio adjutus vix evasit cum paucis. Casymarus Dux Stetinensis viam transiit universæ carnis, post se relinquens duos filios. Hic Dux Stetinensibus civibus valde durus & gravis extiterat, castrum intra civitatem instituens, & eos omnibus libertatibus antiquis & privilegiis spolians & privans. Cum autem in lecto ægritudinis constitutus esset, & se moriturum videret, vocari fecit coram se burgimagistros civitatis, committens eis curam Ducatus & suorum filiorum. Ad quod Proconsules verbum Ducis respondentes dixerunt: Cur tantam solicitudinem erga vestros assumere deberemus, cum vos nostram destructionem & nostræ civitatis semper sitiistis, privando nos omnibus gratiis a progenitoribus vestris nobis gratiose collatis. Nunquam ergo hoc vestrum desi-

Digitized by Google

desiderium adimplebimus, nisi prius gratias ablatas nobis restitueritis. Quod cum Dux audisset, incontinenti omnia privilegia & libertates pristinas eis indulsit, & sic ab hac luce subtractus decessit. Cives vero castrum de novo constructum destruentes, jugo illi duro dorsum subtraxerunt.

Secundo anno Sigismundi Imperatoris, qui est DN. MCCCCXXXIIII. Rex Portugalliæ prœlia capitalia duo cum Rege Granati Pagano victoriose cum certasset, disposuit se cum magna solicitudine & conatu ad tertium peragendum. Unde colligens exercitum validissimum de provinciis & Regnis vicinis, intravit dictum Regnum animo illo pio, ut si a Deo sibi facultas concederetur, ipsum fidei subdere vellet. Cooperante ergo sibi Domino, bellum cum dicto Rege statuto die aggressus est, stipatus militia Regali ad pugnandum satis docta. Quibus ex utraque parte viriliter certantibus, victoria tandem de cœlo Regi fideli collata est. Cujus virtute prostratus est fidei inimicus Rex Granati & captivatus, innumeris interfectis Paganorum. Reliqui vero Nobiles, vasalli & milites, Rege suo capto, arma projecerunt, dextras extendentes, & Regi Portugalliæ cum suo Principe & toto Regno se subjicientes, lavacro sacro renovari humiliter & instanter petierunt. Rex autem Pius hoc audiens, gavisus valde Regem cum mille & quingentis militibus baptizari fecit, adjunctis omnibus eisdem subjectis viris & mulieribus adultis & parvulis. Rostoccensis civitatis antiqui burgimagistri proscripti causam suarum injuriarum contra dictam civitatem & cives studioso fervore prosequentes, coram Domino Baldewino Abbate S. Michaëlis in Luneburg Decretorum Doctore Ordinis S. Benedicti judice eis dato a Concilio Basiliensi, ipse idem Dominus Abbas citata altera parte, & auditis objectis & responsis utriusque partis procedendo ordine juris debito, tandem sententiam protulit diffinitivam contra dictam Rostoccensem civitatem & ejus rectores, justificando alteram partem. Quam tamen sententiam præfatæ urbis cives calumniantes, & sibi præjudicialem reputantes, ab ipsa & ejus pronunciatione ad sedem Apostolicam appellaverunt. Sed Judex supra dictus dictam appellationem frivolam & nullam asserens, eo quod juxta Decretum Constantiensis Concilii generalis Synodus in certis casibus super Papam esset, & ex hoc a superiori ad inferiorem appellatum esset, contumaciam ipsorum debita animadversione punire volens, rectores prælibatæ civitatis & quosdam alios in causa prædicta manus habentes excommunicavit, & totam communitatem ecclesiastico suppofuit interdicto. Quo edicto percepto, ecclesiarum rectores censuram ecclesiasticam, ut de jure tenebantur, formidantes, edictum servari a suis Capellanis mandaverunt, per se urbem exeuntes, & in locis sibi congruis se reponentes. Quod percipientes cives, a cæteris Sacerdotibus pariter & Religiosis adhæsionem appellationis suæ requisierunt, & etiam minando adhærere recusantibus cum perpetuo eam quadam violenta postulatione quasi extorserunt. Cui tandem quidam Presbyteri & Religiosi Monasterii sui perditionem timentes adhærentes, divina in suis parochiis & ecclesiis celebrare conati sunt, multos in illa exorbitatione non parum scandalizantes. Cui malo & aliud formidabile satis additum est. Nam Sigismundus Imperator in dicto Concilio Basiliensi constitus, auditis querelis eorundem exulantium Proconsulum, & eis mature examinatis, dictam urbem Rostoccensem & suos inhabitatores banno imperiali subjecit, liberam dans cuilibet facultatem eos & eorum quemlibet capiendi, & bona eorum diripiendi, ac vinculis mancipandi. Cujus banni vigore freti antiqui illi Proconsules de urbe Wismariensi plures cives Rostoccenses spoliari fecerunt & captivari. Eugenius Papa indulgentias festivitatis Corporis Christi, quas primo Dom. Urbanus IV. ad excitandam fidelis (fidelium) devotionem ad dictum festum habendam contulerat, & postmodum Dominus Papa Martinus V. eadem causa eas duplicaverat, atque aliis gratiis salutaribus ampliaverat, ulteriori charismatum munere extollens clementer multiplicavit sua Bulla Papali, cujus tenor de verbo ad verbum sequitur, & est talis: Eugenius Episcopus, servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam excellentissimum Corporis & Sanguinis Domini Nostri Jesu Christi Sacramentum, quod appropinquante passionis ejus hora, Dominus ipse

Signo præcipui quovis dilexit amoris,

salubriter instituit, ejusq; commemorationem sacratissimam jugi mentis exultatione contemplantes. Ad hoc inter singulos hujusmodi mercatos sanguine spiritualia dispensare munera votis exposcimus, ut illi condignis assurgentes laudibus, sua frequentius ad ipsius venerationem Sacramenti corda dirigat, & eo quod corporalis habetur præsentia Salvatoris viatico, fructus vitæ complectentes æternæ, cœlestia conscendant, ipsum, qui se nobis in edulium tribuit, perpetuo conspecturi. Sane dudum piæ memoriæ Urbanus IV. prædecessor noster ad orthodoxæ corroborationem & exaltationem fidei, digne & laudabiliter statuens, ut de tanto Sacramento præter illam, quæ dietim in Ecclesia fieret, annuatim memoria solennior & specialior haberetur, & ad celebrandum ejus tam excelsum tamque gloriosum festum, quintam post octavas Pentecostes feriam designans. Ac Christi fideles quoslibet ad colendum illud donis spiritualibus animare volens, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui matutinali officio festi ejusdem in ecclesia, in qua illud celebraretur, interessent, centum; qui vero missæ, totidem; & qui primis ipsius vesperis & feris, similiter centum; illis vero, qui primæ, tertiæ,

tertiæ, sextæ, nonæ & completorii horarum officiis, pro qualibet ipsarum XL. eis autem, qui per octavas ipsius matutinalibus, vespertinis, missæ ac prædictarum horarum officiis interessent, singulis octavarum diebus similiter centum. Et subsequenter felicis recordationis Martinus Papa V. & prædecessor noster fideles eosdem ad impertienda pro veneratione Sacramenti hujusmodi potiora reverentiæ & devotionis exercitia firmare cupiens, singulis ex eis vere pœnitentibus & confessis, qui & quotiens in ipsius Sacramenti profesto jejunium, vel loco illius pium juxta suorum consilia confessorum opus facerent, etiam centum; & qui præmissis in Ecclesiis, in quibus illa celebrari contigerit, officiis interessent; nec non Episcopis & aliis Prælatis superioribus, qui dictis officiis libenter interessent, sed quo minus eis in ipsis ecclesiis interesse possent, pro conservandis suarum dignitatum juribus, & alias tunc legitime impeditis, pro matutinali ducentos, pro missæ officiis totidem, ac pro qualibet vesperarum etiam ducentos; reliquarum vero scilicet primæ, tertiæ, sextæ, nonæ, & completorii festi LXXX. Rursus autem in quibuslibet octavarum diebus, pro singulis matutinalium missarum & vesperarum similiter centum; nec non reliquarum horarum officiorum hujusmodi XL. illis præterea, qui processiones, in quibus ipsum vivificum Sacramentum dicto festo juxta præfatarum ritus ecclesiarum deferretur, continuo secuti forent, ac quibuslibet in festo & octavarum diebus hujusmodi pro pace & tranquillitate Ecclesiæ missas devote celebrantibus, pro singulis ipsarum, nec non aliis in eodem festo eucharistiæ Sacramentum devote sumentibus etiam centum singulis annis pro facto vice qualibet; eis quoque, qui, dum Corpus Dominicum communicandis deferretur infirmis, illud cum incenso luminari præcedendo vel sequendo venerarentur, similiter centum; & qui tunc illud alias devoti secuti forent, L. dies de injunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxarunt. Ac etiam ipse Martinus V. prædecessor noster, qui in festo & in diebus octavarum hujusmodi in terris ac locis, ecclesiastico quavis autoritate Apostolica suppositis interdicto, pulsatis campanis, januis apertis & alta voce excommunicatis prorsus exclusis, sed interdictis ut citius reconciliari studerent admissis, & illis, qui causam vel occasionem hujusmodi interdicto dedissent, altari tunc nullatenus appropinquantibus missæ & officia præmissa licite celebrari possent, Autoritate Apostolica duxit concedendum. Nos vero, quos interim ad Summi Apostolatus apicem divina clementia provexit, etiam pro frequentiori hujusmodi veneratione sacramenti summis gestientes affectibus, nostri partes ministerii salubriter impertiri, nec non relaxationes & concessionem prædictas Apostolici robore muniminis, Episcoporum notioni fidelium committentes, præmissis per eundem Martinum prædecessorem nostrum, ut præfertur, relaxatis diebus alios totidem dies pari fortitudine ab ipsis fidelibus consequendos adjicimus per præsentes. Et insuper universos Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos & alios ecclesiarum Prælatos monemus & exhortamur in Domino, ac eis per Apostolica scripta in virtute sanctæ obedientiæ stricte præcipiendo mandamus, & in remissionem peccatorum injungimus, ut per se vel per alios eorum subditis per singulas suarum civitatum & diœcesium ecclesias, in Dominica feriam & festum prædicta proxime præcedente, salutaribus ad venerationem potissimi sacramenti hujusmodi monitis & exhortationibus præsentium, quarum etiam tenor inter matutinales festi nec non dierum octavarum hujus lectiones recitantur, literarum continentiam & effectum publicare & insinuare procurent, ut ejusdem sacramenti suffragante mysterio subditi & fideles ipsi spiritualium gratiarum uberiori fulciantur augmento, & ab illo, qui se pro ipsis immolavit hostiam, post hujus vitæ cursum ad gloriam perducantur æternam. Verum quia difficile foret hujusmodi literas singulis exhiberi, volumus & eadem autoritate decernimus, quod earum transcripto manu & sigillo alicujus Episcopalis vel superioris ecclesiasticæ curiæ munito, tanquam præfatis, si originales exhiberentur, literis plena fides adhibeatur, ac perinde stetur, ac si originales literæ forent exhibitæ & ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXXXIIII. septimo Kal. Junii Pontificatus nostri anno IIII. Conradus natus Comes Palatinus de Rheno Archiepiscopus Moguntinus obiit circa festum Viti, in cujus sedem electus est concorditer Dominus Schenko de Erbach; sed datus fuit a Papa Dominus de Tzyrik, & sic inter dictos Dominos fuit dissensio gravis. Domina Jacoba filia Wilhelmi Comitis Hollandiæ defuncti, de consensu & beneplacito Philippi Ducis Burgundiæ tutoris ipsius, nupsit cuidam honesto militi præpotenti & diviti, cui nomen Franco de Borstel extitit. Huic autem militi dictus Philippus Dux contulit Comita-

mitatum de Ostervant, non tamen sine reciproco munere notabilis pecuniarum summæ. Bernhardus Dux de Luneburg obiit in castro Wynsen sito super Lo fluvio, in cujus Ducatum successit filius suus Otto, vir audaciæ magnæ & bellicosus. Civitas Lubicensis, cui emergentibus causis necessariis mercantiam generalem concernentibus, incumbit alias civitates de Hansa convocare ad colloquium circa festum Apostolorum Philippi & Jacobi suos destinavit nuncios ad singulas dictæ Hansæ urbes, eisdem demandans, ut pro festivitate proxima Pentecostes in prædicta Lubicensi civitate convenire minime negligerent, ad tractandum de variis negotiis bonum commune totius universalis mercantiæ tangentibus, & ad occurrendum diversis periculis imminentibus singularum nationum mercatoribus, nec non ad conciliandum super refusione & recuperatione innumerorum damnorum dictis civitatibus & negotiatoribus earundem illatorum per varios terrarum Principes & civitatum rectores, & præsertim Reges Daciæ & Angliæ, ac Principem Flandriæ & Hollandiæ necnon Dominum de Veren. Cui evocationi parentes nonnullæ de sæpe dictis civitatibus, puta Coloniensis, Magdeburgensis, Bremensis, Danensis, Brunswicensis, Tremoniensis, Hammeburgensis, Rigensis, Sozatiensis, Darbatensis, Stetinensis, Sundensis, Revaliensis, Monasteriensis, Rostoccensis, Osnaburgensis, Gripeswaldensis, Luneburgensis, Wesaliensis, Berlinensis, Franckenvordensis, Stadensis, Soltwedelensis, Wismariensis, Dusenburgensis & Kilensis; cæteræ vero civitates, quæ dictæ congregationi de jure interesse debuissent, & tamen legitima impedimenta veniendi ac excusationes rationabiles allegabant, vicinis urbibus vota & consensus in ordinandis disponendisque plenarie commiserant, ac si personaliter præsentes extitissent. His omnibus in prælibata Lubicensi civitate congregatis, tractare cœperunt de singulis negotiis, causis & materiis sibi & suis congruentibus & necessariis. Et ut eo fortius & animosius suis resistere valerent injuriatoribus & adversariis, solennem miserunt ambasiatam ad generalem Magistrum Ordinis de Domo Teutonica in Prutziam, puta Proconsules & Consules Coloniensis, Lubicensis, Danensis & Hammeburgensis, ut secum practicarent de confœderationis firma colligatione fienda & necessaria inter ipsum & civitates omnes de Hansa inviolabiliter in perpetuum observanda. Qui venientes in Prutziam, a dicto Magistro honorifice & multum gratanter sunt recepti, & solenniter tractati. Explicata autem suæ legationis causa coram Magistro & Commendatoribus terræ masticatum est negotium valde mature, & tandem ab eisdem conclusum est necessarium fore & multum expedire pro utraque parte tam Dominorum de Prutzia quam civitatum, ligam & confœderationem firmari perpetuam contra omnes molestatores & injuriatores utriusque partis. Quod quidem conclusum & sic laudatum tandem in scripto est redactum, & sigillo munitum majori dicti Magistri. Tradidit etiam dictus Magister generalis speciales literas ipsis civitatum nunciis, Regibus, Principibus & terrarum Dominis ac civitatum rectoribus deferendas, continentes initam confœderationem contra eorum molestatores perpetuo duraturam. Quibus literis receptis, & negotio suæ legationis ad nutum expedito, dicti ambasiatores civitatum licentiam receperunt, & ad propria, in periculo tamen gravi, remearunt. Interim autem cum hæc sic agerentur in Prutzia per sæpe dictos nuncios, alii solennes viri civitatum quatuor, puta Lubicensis, Hammeburgensis, Luneburgensis & Wismariensis iverunt in Daciam ad placitandum cum Erico Rege Danorum pro festo B. Johannis Baptistæ in opido Werdingburg dicti Regni, & ad tractandum de pace & concordia, ac sedandam litem damniferam & periculosam parti utrique. Duxerant autem civitates prædictæ secum pro suis consiliatoribus & complacitatoribus spirituales Principes duos, puta Verdens. & Razeburg. Episcopos. Rex vero Ericus pro suis Consiliariis collegerat plures Principes seculares & spirituales, puta Episcopos Hildensemensem, Lundensem, Roschildensem, Rypensem, Abowensem, & alios plures; Duces vero, puta Bavariensem, Pomeranensem, Sundensem, Lovenburgensem & Ducissam Magnopolensem, ac cæteros Comites & Milites. Cum quibus placitantes per mensem civitates prælibatæ, parum vel nihil ad pacem & amicitiam ac damnorum recuperationem tempore treugarum eis per Danos illatorum deserviens actum aut conclusum ibidem extitit. Unde quasi vacui revertentes, quod conclusum videbatur inter partes, civitatibus congregatis retulerunt. Quod cum audissent viri illi sagaces, non multum exhilarati, sed magis exacerbati contra Danos & etiam eos, qui nuncii eorum fuerant, quod juxta eis commissa factum non practicaverant, contra invicem murmurare cœperunt. Sedata tamen displicentia, tractare inceperunt negotia communi utilitati proficua, condentes leges & statuta ab omnibus civitatibus Hansæ & earum mercatoribus inviolabiliter observanda. Et ut eadem statuta aliis clarius innotescerent regionibus, & provinciis, destinare quosdam de suis collegis cum eisdem in Angliam, Daciam, Flandriam, Lyvoniam, Novogardiam, & Hollandiam ac Prutziam, & Rutziam decreverunt, tradentes eisdem nunciis suis literas confœderationis factæ inter Magistrum Prutziæ & civitates in terrorem adversariorum. Quibus legationis iter arripientibus, & cæteris negotiis necessariis pro conservatione communis mercantiæ ad nutum expeditis & ordinatis, alii civitatum nuncii ad propria sunt reversi in proxime futuro Pentecostes (festo) vel citra ad eandem urbem Lubicensem denuo reversuri ad concludendum bono & salubri fine opus inceptum. Eugenius Papa

Digitized by Google

Papa propter varia incommoda vexationesque & pericula verisimiliter sibi imminentia tam ex Romanorum machinatione, quam etiam Ducis Mediolanensis & Fortebracii Principis practicatione, clam de urbe Romana recessit, & navigio mare transiens, primo portum Pisanum & demum Florentinum cum prosperitate apprehendit, ubi receptus cum solennitate a civibus & Clero, ad tempus ibidem pausavit. Curtizani autem & cæteri curiales ministri percipientes Papæ recessum, ad sequendum ipsum continuo se pararunt. Et intrantes galeas paratas cum rebus suis, quidam eorum, cæteris per terras iter suum facere conantibus. Sed utraque societas diffortunium passa, in latrones incidit pessimos. Nam navigio gradientes obvios habuerunt Catalonienses piratas, qui ipsos bonis suis omnibus spoliarunt, & defendere se nitentes, quosdam in mare projecerunt, & quosdam gladiis suis mactarunt. Cæteros vero ad insulam parvam ducentes, ad aridam vilibus tegumentis opertos deposuerunt, ut se salvarent, si possent. Ipsi tamen in magnis laboribus solidam apprehendentes terram, paternas sedes revisere studuerunt; alii vero terras peragrantes non minori malo attriti sunt. Nam latrones de latibulis erumpentes diversis alternis vicibus, spolio triplici ipsos invaserunt, crudeliter eos cædendo, & fere usque ad braccas eos denudando. Cardinalis autem de Ursinis, cui infesti valde erant Romani, post recessum Papæ angariatus, ad castrum Angeli confugit, & ipsum cum sibi adhærentibus fortiter muniens, ab ipso de hostibus suis viriliter se defendit. Alii Cardinales cum Domino recesserant Papa, & manus Romanorum evaserant in galeis rebus eorum bene salvis. Prædictæ autem fugæ calamitatem Dominus Eugenius querulose deplangens, scripsit Concilio Basiliensi in hac verborum forma: Eugenius Episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus in sacro generali Concilio Basiliensi congregatis salutem & Apostolicam benedictionem. Existimaret forsitan aliquis ex his, quæ superiori tempore præcesserunt, mentes nostras non usquequaque sine nubilo existere. Sed si quæcunque per oratores nostros præsertim hoc ultimo loco, vobis offerri jussimus, recte intueri voluerit, serenitatem pectoris nostri, ut de nobis loquamur, satis intelliget. Neque id efficere difficile fuerat, qui vobiscum in unum finem semper processimus, solum in loco concilium celebrandi, salva semper pietate dissensimus. Nec mirum, cum Paulus & Barnabas propter Johannem cognomento Marcum invicem dissentientes separati fuerint, quos tamen Christi Evangelium copulaverat. Optamus enim pacem, optamus & Ecclesiæ informationem. Ob hanc rem non solum cessimus vobis, sed & per literas nostras Decreto vestro, quemadmodum dictastis, annuimus. Post hæc (in) majorem modum, ut præfati sumus, aperuimus cor nostrum iterum replicamus. Hoc nostrum propositum est, hic noster affectus vos amare ut filios, observare ut fratres, & in benedictionibus dulcedinis una vobiscum caritate constringi. Sic etiam de vobis confidimus, ut non alii apud nos sitis, sed pro ipsius Apostolicæ sedis reverentia fideles & devotos ad nos animos habeatis. Hujus siquidem confidentiæ signa perspeximus, primo quia ex nostro consensu ad sacrum generale concilium Basiliense plurimum lætati estis, iterum quod præsidentes nostros affectu & opere admonito (admoto) sic vobis conjunctos audivimus, ut pene unum in invicem esse videamur. Ex his congratulamur plurimum de vocationibus vestris, congratulamur Ecclesiæ Sanctæ, cui profectum provenire speramus, congratulamur & ipsi Apostolicæ sedi, quæ diu, non quidem defectu nostro, ut ita dicamus, sed temporis malignitate afflicta & angustiata consolari & honorari a vobis exspectat. Ut enim vetera veluti diu vulgata prætereamus, quis sine dolore & lacrymis transeat, quæ his diebus Romæ passi sumus? Non enim incognitum est, quid conspirationis in nos actum sit, quid in venerabiles fratres nostros, Sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinales, quid denique in nostros curiales omnes, quo etiam consilio, quibus modis, quo autore & quo fine omnia ista processerunt. Quid ultra hæc in aliis terris Ecclesiæ Romanæ cottidie machinetur, satis perspicuum est. Christus pro sua pietate omnes ad frugem melioris vitæ convertat? Ob has & alias justas causas censuimus malignitati esse cedendum. Itaque ex urbe profecti cum galeis & aliis navigiis, Deo propitio, in portum Pisanum pervenimus, deinde sani & incolumes, ipso Deo invitante, civitati Florentinæ applicuimus, in quem locum multo honore & reverentia ac devotione suscepti sumus. Superest, ut eo affectu, quo cœpistis, in Deum cottidie succrescentes, ad generalem Ecclesiæ reformationem sine ulteriori mora vigiles sitis, sic devotiones vestras exhortemur in Domino. Nostis enim, quantum ea indigeat Christiana religio, quia, ut ait Propheta, a planta pedis usque ad verticem non est in ea sanitas. Non enim multa disputatione opus est, sed observatione & exemplo, quibus veluti quodam optimo rectore ea, quæ a Sanctis Patribus divino Spiritu constituta sunt, dirigantur, suumque attingant effectum. Horum Sanctorum Patrum imitatores estote, sicut veri discipuli & filii Dei carissimi. Siqua ergo pietas, siqua consolatio in Christo in vobis est, implete desiderium nostrum, imo & bonorum omnium. Non deerit nobis gratia divina neque bonorum subsidia, si in Domino confidimus. Quantum autem ad nos pertinet, omnes operas nostras pro his libenter offerimus, nil pro nostro officio prætermittentes, quo gloriam Deo, pacem & salutem populo Christiano in his operibus sanctis vendicemus. Datum Florentiæ anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXXXIIII. IX. Kal. Julii, Pontificatus nostri anno IIII. &c. Græcorum

Impe-

Digitized by Google

Imperator Johannes solennes misit suos Ambasiatores ad generale Concilium Basil. cum literis suis, affectans ex toto corde pacem & unionem fieri inter Romanam Ecclesiam & Græcam. Quem quidem affectum suum literatorie expressit sub talibus verbis: Johannes in Christo fidelis Imperator & Moderator semper Augustus, Sacrosanctæ generali Synodo Basiliensi salutem in eo, qui est omnium salus. Literas Reverentiæ vestræ recepimus, per reverendos Antonium Episcopum Sundensem & Fratrem Albertum de Crispis Sacræ Theologiæ Magistrum oratores vestros. Ex quibus etiam relationibus præfatorum bene notamus optimam dispositionem atque intentionem vestram Deo amabilem, quas vestra reverentia pro tota Christianitate gerit, & specialiter pro nobis & unitate nostræ ecclesiæ sanctæ. Et super hoc lætati sumus, maxime quoniam hortamini pro illis, pro quibus & nos jam diu hortati sumus instanter Ecclesiam Romanam. Multotiens enim scripsimus & misimus pro unitate prædicta, ut omnibus notum est. Sed legationibus ex parte nostra factis & tanta solicitudine ostensa non obstantibus, circumstantiæ rerum non permiserunt, ut finem acciperet voluntas nostra. Ad præsens igitur de istis & eisdem dispositis vestræ Reverentiæ scribimus, quærentes fieri Concilium ycomeantum sub præsentia omnium personarum necessario debentium adesse, ut secundum antiquum ordinem & consvetudinem ycomeantorum Conciliorum & id omne, quod Deo dante in tali Concilio unanimiter & concorditer conclusum fuerit, hoc firmum haberi indubitanter & sine contradictione ac lite quacunque (contingat). Sed quoniam Vestra Reverentia in tempore præsenti tantam promtitudinem super istis ostendit, atque legationem specialem pro istis fecit, & hortata nos fuit literis & relationibus suorum oratorum: propter hoc & nos mittimus Ambasiatores nostros, puta familiarem Imperii nostri Prothonestratum (Protospatharium) Demetrium, Palæologum, Methotitem & Honoratum in sacris Monachis Abbatem sacri Monasterii Demetrii Isidorum, & familiarem nostrum Dissipatum, per quos petimus & rogamus vestram Reverentiam, ut ad hoc Deo amabile opus unionis conferatis omnem curam & solicitudinem ut fiat & concludatur dictum laudabile opus vestris studio & diligentia nostris correspondentibus. Cum vero sint aliqua necessaria ad hoc, & ejus operis extrema, commisimus istis prædictis nostris Ambasiatoribus, qui vestram Reverentiam latius & clarius informabunt, & referent eidem omnia. Placeatque vestræ Reverentiæ eisdem plenam fidem adhibere. Datum in nostra urbe Constantinopolitana anno Dominicæ Incarnationis MCCCCXXXIIII. die III. mensis Octobris. Nobiles Regni Bohemiæ, Barones & Milites cæterique vasalli exercitum fortem adunantes, versus urbem Pragensem iter suum direxerunt, & venientes prope civitatem in Vigilia Ascensionis Dominicæ, intromissi sunt a civibus antiquæ civitatis, quam pro majori parte Teutonici regere consveverunt. Cives autem dictæ antiquæ urbis una cum civibus mediæ civitatis arma capientes, & instrumenta sua bellica adaptantes, mane orto sole cum forensibus Nobilibus civitatem novam ejusdem urbis Pragensis viriliter impugnare cœperunt. Quorum seriem sentientes hæretici illius inhabitatores, ad arma mox cucurrerunt, & hostibus constanter resistentes, ingressum eorum ad se pro posse prohibuerunt. Sed Catholici viribus suis pariter & instrumentis adductis utentes, & oppugnationi indefesse insistentes, tandem urbis valvam confringentes, violenti manu sunt ingressi in die sancto Ascensionis Dominicæ, & acies perfidorum dirumpentes, percusserunt eos in furore suo a maximo usque ad minimum, & nec pepercit gladius fidelium mulieribus aut parvulis, nec ætati aut sexui, sed omnes inventos in ea vita privavit. In hoc autem loco maximus inventus fuit thesaurus, quem Taboritharum & Orphanorum viri de diversis mundi partibus adduxerant. Qua civitate nova capta, vastationi ampliori inimicorum Christi intendentes, Barones & Nobiles populum ad arma dispositum congregarunt. Eodem autem tempore Deo ordinante illi, qui urbem Pilzenam obsederant, ab obsidione recesserunt, ut scribit Kunzo Castellanus castri Karelsteyn Domino Imperatori Sigismundo, qui totam belli seriem & processum insinuans dicit: Cum enim Barones post habitam victoriam de nova civitate Pragensi, in ipsa Praga urbe adhuc populum cunctum ad arma validum congregarunt; recesserant enim pro eodem tempore hostes de obsidione Pilzenacensi, & jam versus Pragam iter suum direxerant, & venientes prope castrum novum, castrametati sunt ulterius versus Coloniam. Quo percepto, Domini Barones mox omnibus Nobilibus miserunt, ut in subsidium eorum contra hostes venirent sine mora. Tunc statim Dominus de Rosenborg gentem multam & fortem ad campum produxit. Domini vero Barones una cum civitate Pragensi etiam validam potentiam adduxerunt, quibus civitas Pilsenensis in bono numero armatorum venit, gavisa multum de solutione obsidionis facta. Cum autem progrederentur contra inimicos, & venirent ad castrum Karelsteyn, ego cum exercitu meo veni, habens quingentos equestres, & pedites mille ac currus triginta. Et cum omnes supra dicti convenissent juxta dictum castrum Karelsteyn, & aliquamdiu ibidem moram traxissent, populus communis clamare cœpit contra Barones murmurans & dicens: Ut quid ita inaniter perdimus tempus, & non progredimur contra hostes? Melius est enim pugnando mori pro fide, quam tam turpiter tempus consumere. Tunc Barones excitati clamoribus populi processerunt, & valida manu hostes persecuti sunt. Exercitus autem Husitarum & Orphanorum ac Taboritarum multum cum bumbardis majoribus

bus & minoribus castra nostrorum vexabant & perturbabant. Quod videntes Barones & Capitanei exercituum, acies suas ordinare cœperunt. Quo facto, acies utrobique contra se invicem processerunt. Eis vero procedentibus & congredientibus, nos ordinati eramus retro in parte posteriori. Sed mox, ut ordinatum erat, acies nostra terga vertit, fugam simulans & tunc nos, qui prius fueramus in cauda posteriori, facti fuimus in parte anteriori. Hostes autem hæc videntes, & nos fugere credentes buccinis clangere cœperunt, & vocibus horribilibus clamarunt, dicentes: Consurgite, consurgite, insequamur eos, quia ecce fugiunt. Et sic omnes adversarii nostri accelerantes, de castris & curribus suis sunt egressi tam pedestres quam equestres, & nostros persecuti. Nos autem, qui alias eramus in parte posteriori, & modo in fuga nostrorum facti in parte anteriori, videntes, quod hostes se a suis castris & curribus elongassent, festinavimus in nomine Domini, cujus negotium agebatur, & eos a tergo aggressi sumus, & sic intercepimus eorum regressum ad castra & currus. Barones vero nostri & alii Nobiles cum omni multitudine regredientes ab anteriori parte eos invaserunt, & sic ante & retro quasi conclusi ipsos ut manipulum excussimus & dejiciebamus, cædentes & interficientes impios. Multi autem ex ipsis libenter se captivos reddidissent, sed non erat tempus captivandi, sed tantum occidendi. Interfecti etiam sunt Procopius & cæteri Capitanei eorum cum toto exercitu eorum, paucis elapsis, Domino Deo nos præcedente & pro nobis pugnante. Cepimus autem omnes currus eorum, bumbardas & cætera bellica instrumenta cum armis eorum. De nostris autem Deo nos protegente nisi CC. prostrati sunt, sed de ipsis circiter XVIM. ceciderunt. Commissum est autem hoc prœlium salubre in planitie inter civitatem Cuzyn & Monasterium Schalitz, & capti sunt ibidem ultra occisos septingenti, & carceribus mancipati. Pro quo glorioso triumpho Domino Deo sit laus & gloria in seculorum secula Amen. Dithmarsi homines rurales & in moribus incomti extraneos eis dominari non sustinentes, in invicem partiti sunt schisma foventes. Harum partium Capitanei sunt Radolfus Kerstens & Kruse Johannes, quorum quilibet suos habuit fautores & sibi adhærentes de majoribus terræ. Hic autem Radolfus homo ambitiosus multum, parti adversæ graves frequenter intulit injurias, exactionando indebite nunc sibi & aliis terræ Capitaneis subditos, nunc vero interficiendo innoxios & domus multorum incinerando. Quæ mala & illis similia cum tandem nimis multiplicaret, alterius partis Capitaneus Kruse Johan dictus, vir pacificus & quietus, videns supra partem suam inquietudinem & damna ac gravamina ingrassari, arma cum suis assumsit, & adversarium persequi incipiens, loca sua & suorum valida manu invasit, villas vastavit & spoliavit, jumenta rapuit, homines captivavit, plures gladiis peremit, & domicilia eorum ignibus consumsit. Cui etiam faventes Hammeburgenses, in ejus auxilium circa sexcentos balistarios in Dithmarsiam destinarunt. Qui hostium terram peragrantes, strages & incendia tam crebra ipsis intulerunt, ut tandem ipsum fugam capere Radolfum, & terram suam deserere compellerent. Unde inter Holtzatos aliquamdiu latitans, ad ultimum placita cum suo adversario inire coactus est. Factæ sunt ergo treugæ ad breve tempus, & sic dissensio illa aliquantulum quievit. Consulatus civitatis Moguntinæ artatus ad inconsveta a civibus suis, urbem egressus est, quærens manendi locum ad tempus, ubi poterat. Quorum absentiam cives ægre ferentes, nec Consulatu carere volentes, novos Consulares statuerunt usurpata autoritate. Qui Consulares novelli considerantes suam civitatem maximis debitis fore gravatam, exactionare nedum cives suos, sed etiam Clerum totum cœperunt per taxationem quandam, quæ Tzisa vulgariter dicta est. Clerus autem dictæ exactioni se subdere recusans, nec de ea supportari volens, coactus est tandem urbem exire, & se locare in castris, opidis & civitatibus sibi congruentibus. Simile ejectionis malum ab urbe accidit Episcopo Babenbergensi pariter & Clero suo, ac etiam Archiepiscopo Magdeburgensi & suo Clero, prout supra latius tactum fuit. Treverensis etiam Archiepiscopatus per Electum de Manheym & datum Spirensem Episcopum divisus est, gravi jactura quassatus. Celebrat enim divina ipsa civitas Treverensis legitime, una cum aliquibus aliis urbibus, adhærens Spirensi dato a Domino Apostolico, sed profanant cæteræ civitates & ecclesiæ Diœcesis, tenentes cum Electo, cujus tamen melior videtur esse conditio; eo quod castrorum terræ possessor existat. Boleslaus Rex Poloniæ plusquam octogenarius carnis debitum solvit. Hic Rex in uxorem duxerat relictam cujusdam simplicis Militis, a qua duos susceperat filios, quorum senior duodennis vix ei in Regno successit. Saxoniæ Principes, puta Otto Dux de Luneburg, Otto Dux de Leyna, Henricus Dux de Brunswic, Wilhelmus frater suus & Fredericus Lantgravius Hassiæ una cum suis civitatibus obsederunt castrum Hachemole, quod erat Comitis de Spegelberg communium stratarum spoliatoris, & ipsum tandem expugnantes solo æquarunt. Hujus autem Comitis fautores & auxiliatores erant Theodoricus Archiepiscopus Coloniensis, Johannes Comes de Hoya & Dominus de Lippia, quorum præsidio & subsidio fultus, cum quingentis & amplius equis prædictorum Principum terras spoliavit, incendit villas & vastavit. Destructo autem prædicto castro Hachemolen, exercitus Principum ad aliud castrum Hallermunt dictum se convertit, sed ipsum expugnare non valens in brevi tempore, coram eo castriola & munitiones erexit, armatis ea muniens sufficientibus. Tunc Wilhelmus Dux partem exercitum capiens

piens versus Barenborg, quod erat Comitis Johannis de Hoya, ire festinavit. Quod mox non bene munitum inveniens, ipsum sine resistentia magna cepit, & suis munivit. Alia vero pars exercitus castrum Eversten impetens, & ipsum cepit, Domicellis Ruscheplaten dictis exclusis. Post paucos vero dies & aliud castrum eorundem Domicellorum Woldensten nuncupatum obsidentes obtinuerunt viri Ducis Ottonis cautulose. Comes vero de Spegelberg cum suo exercitu vaccas circa idem tempus coram opido Rintelen apprehendens abduxit, & opidum incendit. Magdeburgenses cum exercitu multo exeuntes castrum Plote dictum obsederunt, & expugnantes ceperunt ipsum. Generosus quidam vir, Engelbertus nomine, Sweus natus homo magnæ astutiæ & industrius exactiones intolerabiles & gravamina nimia, quibus ipse cæterique Nobiles Regni, ac alii burgenses, opidani villanique necnon populus universus ejusdem Regni Sweciæ opprimebantur & vexabantur a Danis castrorum Regni advocatis & capitaneis, per Ericum Regem positis & constitutis, diutius pati nec volens nec valens, contra dictum Regem Ericum se extulit & erexit cum suis, electus forte ad hoc a Domino ut alter Saul & roboratus ad protegendum populum suum, & ad debellandum justitiæ adversarium. Colligens igitur multitudinem populi grandem de terræ Nobilibus & urbanis, opidanisve & villanis, indigenis & advenis, Regi Erico prædicto pacem interdicere minime formidavit. Et fultus dicti exercitus collecti præsidio, stipatusque militia tam forti, Regnum in manu valida peragravit, urbes expugnando, castra noviter fundata dejiciendo & solo æquando, antiqua vero vi capiendo, & ditioni suæ in bonum & profectum Regni omnia subjiciendo. Capitaneos autem dictorum castrorum ac urbium natione Dacos removit, & Sweos eisdem præficiens juramento fidelitatis prævie accepto, ea custodienda & regenda ipsis commisit. Sicque in omnibus juste procedens, prospereque agens, atque sagaciter & bene cuncta disponens Regni negotia, omnium Prælatorum & Satraparum voluntates & consensus sua probitate & industria ad se inclinavit. Hanc autem bellicosæ exercitationis militiam præfatus Engelbertus superba quadam extollentia animi aut cupiditate arroganti dominandi nequaquam assumsisse creditur, sed quia innatæ miserationis pietate afflictis compatiens, multos perpendit enormes committi excessus per Danos castrorum Regni rectores, ac Ericum Regem dictos excessus multis vicibus querulose ad se delatos non corrigere, sed surdis auribus semper transire & dissimulare: idcirco universitatis bonum proprio præponens commodo, justitiæ executionem & inordinati regiminis emendationem, quas precibus frequentibus & monitionibus oportunis & importunis multiplicatis obtinere minime potuit, armorum virtute & fortium Sweorum ad hoc pium militiæ exercitium ad se inductorum animositate, in Regni profectum ad salutarem effectum deducere tentavit. Erat enim non aliud suæ intentionis propositum, quam ut per inceptum negotium Regnum Sweorum in suis antiquis libertatibus & privilegiis conservare posset, & mercatoribus cum suis mercibus solitum & securum transitum in Regnum prædictum & exitum faceret. Ad quod intentum pium & bonum perficiendum fortuna sibi mirabiliter arrisit, & omnium bonorum favor prosperitatem merito sibi suisque auxiliatoribus exoptavit. Rex autem Ericus audiens prælibati Engelberti actus & processus, & eos sibi præjudiciales nimium reputans, ac vergentes in Regiæ Majestatis suæ dedecus, literis suis seriosis & minis formidabilibus ab incepta præsumtione ipsum revocare, quantum potuit, laboravit. Sed parum valde, imo nihil scribendo vel minas eidem demandando profecit. Cogitans autem Rex virum illum personali sua præsentia exterrere, ut vel sic a proposito illicito resiliret, & in gratiam Regiam redire laboraret, parari jussit naves, quibus mare quantocius transire valeret, & Sweorum Regnum apprehendere. Quibus mox ad nutum præparatis, ipse cum quibusdam Nobilibus suis navem Sertum roseum nominatam intravit, cæteri vero vasalli & stipendiarii aliam navem grandem Krakam dictam ascendentes, cum Rege suo mare intrarunt, & navigantes pariter, sed non pari enfortunio (infortunio) ad portum optatum omnes pervenerunt. Nam exorta tempestate mare exagitatum navem illam magnam periclitari coegit, & procellarum impetuositate furibunda conquassata, homines circiter CLX. fluctibus pelagi immersi sunt, paucis in vita cum maximis laboribus & angustiis in fragmentis navis salvatis. Sertum vero roseum vix Dominum suum Regem salvum ad illum locum deferre valuit præ fluctuum immanibus impulsibus, ut parva schapha aridam anxius apprehenderet, sed eo exuto, mox a procellosis gurgitibus exagitatum crepuit, & in partes varias concussum periit cum quibusdam suis

Digitized by Google

suis inhabitatoribus. Veniens autem Rex in Sweciam, modicam inibi reperit consolationem suorum, sed quasi omnes potiores Regni sæpe dicto Engelberto adhærentes, adventum Regis sui minime curaverunt. Qui videns se a subditis suis spretum, & perpendens in manibus hostium se constitutum, in habitu peregrino clam, ut fertur, in Daciam reversus est.

Tertio anno Sigismundi Imperatoris, qui est DN. MCCCCXXXV. Dominus Baldewinus, Decretorum Doctor & Abbas Monasterii S. Michaelis in Luneburg Ordinis S. Benedicti, electus est & consecratus in Archiepisc. Brem. retentis sibi proventibus Abbatiæ prædictæ ad sex annos autoritate & gratia Apostolica. Sigismundus Imperator solennem tenuit curiam in urbe Frankenfordensi profesto S. Nicolai præcedentis anni. Ad quam venerunt Principes Electores Sacri Imperii seculares & cæteri Principes Alemanniæ, ac Marchiones, Comites, & Nobiles plurimi. Cum his autem Principibus Imperator tractabat de reformatione status secularis, incipiens a capite hujus status, puta a se ipso Imperatore, & ab his, quæ officium, dignitatem, decentiam & excellentiam ejus concernunt, & præsertim, in quibus hæc collapsa essent, & reformatione indigerent; insuper quæ castra, quæ civitates, quæ prædia & feodalia ipsius de jure essent, & a quibus injuste occuparentur. A dicto autem capite descendens ad membra principaliora, tractabat cum eisdem de statu Regum Imperio subjectorum & consequenter Principum Electorum Sacri Imperii, siqua in illis emendanda forent, & an omnes justo titulo potirentur, & an eorum Principatum absque fraude aut violentia ingressi essent, vel juste possiderent; ac quale regimen quoad se & quoad subditos eorum esset. Consimiliter de statu inferiorum Principum, Ducum, Comitum & Nobilium ibidem sufficienter & studiose tractatum est, siqua talium correctione digna inveniri possent. Rursus descendendo ad infima, puta ad castrenses, civitatenses, opidanos & villanos, & ad singulorum illorum statuum conditiones, consuetudines, leges & arbitria ponderata sunt ibidem singula. Ex quorum omnium tandem matura masticatione & attenta consideratione occurrebant dictis Principibus XVI. Articuli, in quibus universalis status laicalis reformatione summe indigeret, si irreprehensibilis esse deberet, & qui si emendarentur, infinita mala e mundo tollerentur. Hos tamen XVI. Articulos Principes sæpe dicti indeterminatos reliquerunt, sed fore determinandos in proximo festo S. Georgii in eadem civitate Frankfordensi ad quam protunc iidem & plures alii Principes conventuri essent, infallibiliter statuerunt. Intentio autem Imperatoris & cæterorum Principum, ob quam reformationem prædictam reformationi Clericalis status anteferre proposuerunt, talis erat juxta multorum peritorum æstimationem, ut sic laicali statu emendato, efficacius & seriosius cooperari valerent ad procurandam reformationem status Ecclesiastici, vi etiam, si opus esset, compellendo involuntarios & rebelles, resistentesque huic saluberrimæ & necessariæ reformationi, ad obediendum sanctis Statutis & Ordinationibus Concilii Basiliensis.

Digitized by Google

IV.
DESCRIPTIO ITINERIS IN TERRAM SANCTAM.

✲ ✲ ✲

VIA HIEROSOLYMITANA.

OMnis iturus Hierosolymam de suo loco notet iter usque Ungariam; ab Ungaria usque Hierusalem hic habet notatum.

In media aqua, quæ dicitur Fisgaga, incipit Ungaria. Inde super unum miliarium est civitas, quæ vocatur Heimenburch. Hinc in duobus ad civitatem quæ vocatur Raua. De illa civitate in tribus diebus ad civitatem, quæ vocatur Wzzenburch; & in aliis tribus diebus ad civitatem, quæ vocatur Hanenburch. In quatuor autem diebus ad civitatem, quæ vocatur Duldumast. Dehinc per sylvam & per lacus nimios atque trans flumen per navigium ad villam, ubi est habundantia panis, usque ad unam civitatem non longe hinc positam, quæ vocatur Dordomest in aliis quatuor diebus. Hinc per desertum & terram siccitatis, ubi non invenitur aqua in tribus diebus ad flumen magnum quod vocatur Suouua, in cujus ripa ultra flumen posita est civitas bona & dives, quæ vocatur Belgrada, initium Bulgariæ. De Bulgrada per desertum in septem diebus per sylvam nimiam & per montes & colles ad castellum, quod vocatur Nis. De Nis per desertum usque castellum, quod vocatur Straliz in quatuor diebus. De hoc castello in aliis quatuor diebus ad unum magnum fluvium præter alios fluvios multos, qui interfluunt Bulgariam. Ultra fluvium illum posita est civitas, quæ vocatur Philippoli; prima civitas est Macedoniæ regionis.

Ibi inter illum fluvium terminatur Bulgaria & incipit Macedonis.

De Philippoli civitate per quinque dies ad aliam civitatem, quæ vocatur Adrianopolis, pane & pisce & tota pingvedine terræ superfluens Romania. De Adrianopoli vero in aliis quinque diebus usque ad Constantinopolim civitatem. Infra has duas sunt castella quinque: de uno castello ad unum aliud itur per singulos dies; quæ etiam talibus nominibus vocantur: prima civitas Bargaropolis, secunda Erkanropolis, tertia Burgara, quarta Solumbrea, quinta Ziur. Infra Constantinopolin vero multæ divitiæ, multa mirabilia sunt. De Constantinopoli ad Naturam viginti quatuor leugæ; de Natura ad Sylumbriam viginti quatuor leugæ; de Sylumbria ad Rodoston quatuor leugæ; a Rodosto & Calipoli sex leugæ; a Calipoli & Panidos quater viginti & XIIII. l. de Panido ad Insulam Mitilenam C. l. de Mitilena ad Chium C. L. de Chio ad Samum C. l. de Samo ad Cho C. l. de Cho ad Rodos C. l. de Rodo ad Pateram C. l. de Patera ad Mirream L. l. de Mirrea ad Sataliam CL. l. de Satalia ad Veteram Sataliam C. l. de Vetera Satalia ad Antiochiam minorem LX. l. de Antiochia minore ad Tarsum LX. l. de Tarso ad Laudiciam LX. l. de Laudicia ad Gibeal XV. l. de Gibeal ad Turtusam XXX. l. de Turtusa ad Tripolim XXX. l. de Tripoli ad Gibelat XX. l. de Gibelat ad Berud LXXX. l. de Berud ad Sydonem LX. l. de Sydone ad Tyrum XL. l. de Tyro ad Akaron L. l.

Item aliud iter de Constantinopoli. De illa civitate itur per Naulum trans fluenta Danubii maris & sic juxta mare in duobus diebus ad villam, quæ vocatur Spilas, ibi est brachium maris in duobus diebus ad civitatem bonam Nikka, id est, Nicea; & inde in sex diebus ad Licaoniam; & in duobus diebus ad Spiricas. Ibi sunt mali homines. Armenia. Et tunc ad civitatem, quæ vocatur Kadea, in tribus diebus: & in aliis tribus Acurticupia oppidum. Deinde ad castellum Senephia in uno die; & in duobus diebus ad castellum Adina; & in uno die ad civitatem Mammistram; inde ad villam Bajas in duobus diebus; ad Antiochia in aliis duobus diebus, victu bonam & omni pretio eximiam: Inde ad S. Symeonem per medium diem; inde ad bonam civitatem Likka in duobus diebus; inde ad castellum Giura in uno die, & in altero die ad Torthus castellum. Hic finitur Græcia. De Torthus per desertum usque ad unam civitatem Saracenorum quæ Tripolis vocatur in duobus diebus. Ibi est prima Syria. Inde ad Gibel civitatem in uno die; & inde ad Barith castellum in uno die; inde ad castrum Siur in duobus diebus; inde ad Ramulam; inde ad castrum Eumaus in duobus diebus; & inde ad Jerusalem duodecim milliaria.

Ab occidente introitus Jerusalem per portam David intra civitatem est Sepulchrum Domini. In capite foris est medium mundi. Ultra in Jordanem est carcer, & ubi alapas illi dedit & ubi Dominus genua flexit & ligatio & flagellatio & ubi Pilatus fuit, & prætorium, ubi coronatus fuit corona spinea & mons Calvariæ, in quo crucifixus fuit. Subterius est Golgatha, ubi sanguis Domini cecidit per petra fixam. Super quem montem locus ubi Helena s. crucem invenit. Ibi deforis, ubi milites vestimenta ejus diviserunt. Ibi est sudarium ejus. Ibi prope est Ecclesia S. Johannis Hospitalis Dei,

Digitized by Google

Dei, ubi infirmi peregrini percottidie jacent, & Eccleſia S. Mariæ Magdalenæ & S. Mariæ Latinæ. Ab oriente templi Domini, quod Salomon fecit; in quo ſunt quatuor introitus ab oriente, ab occidente, a meridie, ab aquilone. Ab oriente portæ tres; ab occidente portæ tres; a meridie portæ tres; ab aquilone portæ tres. Ibi intus eſt altare S. Symeonis, ubi Dominus a matre fuit præſentatis. Subterius in Confeſſione, ubi aliquamdiu dormivit; ibi dicitur fuiſſe Archa fœderis, in qua fuerunt virga Aaron & tabulæ Teſtamenti & de manna Domini & ſeptem candelabra aurea. Ibi S. Johannes fuit nunciatus. A meridie eſt porta ſpecioſa, unde Dominus intravit in ramis Palmarum, quando ſedebat ſupra pullum aſinæ. Subterius eſt templum Salomonis. In angulo muri civitatis eſt cunabulum Domini & lectum genetricis Dei & balneum ejus. Subterius in muro civitate ab oriente eſt porta, quæ dicitur Principa, per quam Dominus ad paſſionem ductus fuit. Ex alia parte ab aquilone eſt probatica piſcina, quinque porticus habens quæ dicitur Bethſaida. Ab oriente eſt vallis Joſaphat, in qua ſancta Dei genitrix ab Apoſtolis ſepulta fuit. Ibi deforis eſt villa, quæ dicitur Gethſemani, ubi Juda Judæis Salvatorem tradidit. Exinde in longe, ſcilicet quantus eſt jactus lapidis, ubi oravit. Superius eſt mons Oliveti, unde Dominus in cœlum aſcendit. Subterius ex alia parte eſt Bethania, ubi Dominus Lazarum reſuſcitavit. Ibi eſt Eccleſia, ubi Magdalena pedes Jeſu cum lacrimis lavit & capillis terſit. A meridie eſt mons Syon, ubi ſancta Maria migravit. Ibi eſt locus, ubi Dominus lavit pedes diſcipulorum. Ibi eſt Galilæa, ubi diſcipulis poſt reſurrectionem apparuit & tabula in qua cum eis cœnavit; & ibi Spiritum Sanctum ſuper Apoſtolos in die Pentecoſtes miſit; & ibi eſt Eccleſia S. Thomæ Apoſtoli, ubi dixit, niſi videro in manibus ejus figuram clavorum, non credam; & ibi Dominus ei apparuit. Subterius eſt Galli cantus, ubi Petro Dominus peccata dimiſit. Ibi prope eſt natatoria Siloë. Ex alia parte eſt Acheldemac Sepultura peregrinorum. Bethlehem eſt longe ad Jeruſalem duas leugas. Ibi Dominus natus fuit; & puteus, ubi ſtella cecidit. Ibi CXLIIII. millia martyres, qui ab Herode interfecti fuerunt. Ibi deforis eſt tabula, in qua ſancta Dei genitrix cum tribus magis Dominum quærentibus comedit. De Jeruſalem ad fluvium Jordanis **X.** leugas. De Jericho autem ad unam leugam mons excelſus conſpicitur, ubi Dominus a diabolo fuit temptatus. Subterius eſt, ubi jejunavit quadraginta diebus & quadraginta noctibus. Idus Julii fuit introitus ſanctæ Civitatis, quando Dominus liberavit eam de poteſtate Saragenorum & miſit in manibus Chriſtianorum. Eodem die Diviſio Apoſtolorum.

Digitized by Google

V.

BREVIS HISTORIA OCCUPATIONIS ET AMISSIONIS TERRÆ SANCTÆ.

* * *

Terra Hierosolymitana semper variis casibus exposita fuit, & fere omnium gentium præda extitit, nunc Cananæorum possessio, nunc Judæorum, nunc Assyriorum, nunc Persarum & Medorum, nunc Macedonum, nunc Romanorum, nunc Sarracenorum, nunc Græcorum, nunc Latinorum. Et sic semper casibus subalternis civium suorum peccata deplorat. Nam illud mirabile est, quod Deus peccatores in terra illa diu non non tolerat, præveniens in præsenti eos, ne in futuro damnentur. Qualiter autem terra illa ad Latinos pervenerit, & qualiter perdiderint, & qualiter se mundus totus ad ejus ultionem armaverit breviter perstringendum est. Cum olim Jerosolimitanam provinciam Græci, sub quorum ditione fuerat, perdidissent, & longo tempore in potestate Sarracenorum extitisset, Latini de perditione terræ commoti, collecto exercitu venerunt in terram Jerosolymitanam, & per partes Antiochenas intrantes, volente Domino terram recuperaverunt. Horum Principes extiterunt Gotifridus de Bulion, qui fuit postmodum Dominus terræ Jerosolymitanæ, qui Princeps extitit Antiochiæ, & quidam alii. Cumque postmodum semen Gotfridi in terra generatione defecisset, personæ terræ Hierosolymitanæ & Barones ad Principes ultramarinos miserunt, rogantes ut ipsis principem destinarent, qui eos regeret, & furentibus resisteret Sarracenis. Qui habita deliberatione elegerunt quendam Fulconem Andegavensem, virum strenuum, & Regi Angliæ proxima linea consanguineum, & miserunt illum ad terram Jerosolymitanam. Hic Rex coronatus strenue terram rexit, duosque filios dereliquit, Balduinum & Amalricum. Quorum primogenitus Balduinus patri successit in regnum, vir strenuus & sapiens. Quo sine liberis decedente ad fratrem suum Amalricum regni potestas devoluta est. Qui ex uxore sua plurimum consanguinea duos filios habuit, scilicet Balduinum & Sibiliam. Aqua uxore, cum fuisset judicio ecclesiæ separatus accepit neptem Emanuelis Imperatoris Constantinopolitani, ex qua habuit filiam nomine Ysabel. Mortuo Amelrico, Balduinus ejus filius pro eo, vir strenuus, sapiens & justus, sed occulto Dei judicio leprosus fuit. Hic sororem suam, Sibiliam Guillermo cognomine Longaspea Marchioni de Monteferato tradidit in uxorem & ipsum Comitem Jopen constituit. Qui videlicet Guillermus ex ea genuit filium nomine Villielmum. Et mortuus est pater ejus Vilielmus Longaspea vir probus in armis & placidissimus. Rex vero Balduinus cum esset leprosus, & nollet uxorem accipere, nepotem suum septennem, filium Sibiliæ & Marchionis coronavit in Regem, relinquens illum in tutelam Raymondi Comitis Tripolitani. & mortuus est Balduinus, & appositus ad patres suos. Sibilia vero soror ejus, & Comitissa Jopen jam nupserat cuidam militi Guidoni de Lisignano, viro satis armis strenuo, sed fortuna & scientia inferiori. Non post multos vero dies mortuus est Rex puer Vilielmus. Sibilia vero mater pueri & Comitissa Jopen cum Patriarcha Eradio & aliis terræ personis procuravit, quod sibi & viro suo Guidoni regnum daretur: qui coronati sunt ignorante & irrequisito Comite Tripolitano, qui fuerat a Rege Balduino regni procurator, & bajulus constitutus. Ob quam causam Comes Tripolitanus cœpit ea machinari, quæ possent in Regis dedecus redundare. Et tam ipso, ut dicitur, procurante, quam etiam nostris peccatis exigentibus, culpa quoque Rainaldi Principis de Monrial, qui treugas, quas regnum Jerosolimitanum cum Sarracenis habebat, maxima præda capta, confregit; irruerunt Sarraceni in regnum Jerosolymitanum & Jerusalem hæreditatem Dei cum civitatibus & castellis universis anno ab incarnatione Domini MCLXXXVII. ac totum regnum usque ad internecionem contriverunt. In quo regno sola Tyrus urbs in corde maris posita, & fere ab ipso undique circumdata excidio perpetrato remansit. Quam postea Cunradus de Monteferrato frater Vilielmi, quem supra nominavimus, laudabili strenuitate defendit. Et tam in aqua quam in terris Sarracenis restitit gloriose. Prædicti namque excidii dato rumore per orbem fremuerunt gentes, & conturbata sunt regna. Venerunt a finibus terræ tribus Domini, liberare sacrificium ejus de manibus impiorum, portantes iniquitates in cubilibus suis, & de sua virtute deceptorie præsumentes. Primi ergo injuriæ Christi accurrerunt Italici homines bellicosi, discreti & regula sobrietatis modesti, prodigilitatis expertes, parcentes expensis, cum necessitas non incumbit, & quod inter omnes gentes scripta legum sanctione reguntur. Hi ducem proprium non habentes, sed suis obedientes, quos elegerant, tribunis, ad obsidionem urbis Accon, cum ipso Rege Guidone, qui fuerat a vinculis liberatus, porrexerunt. Est autem urbs Accon, quæ antiquitus

quitus Pthólomaida vocabatur, in litore maris sita; & ab ipso mari a meridie & occidente præclusa, ab oriente vero terra patet, ex qua parte urbem rebellantibus Turcis refertam Italici obsederunt. Quos postmodum Saladinus veniens cum multitudine infinita obsedit, credìditque illos propter paucitatem penitus deglutire; sed misericordia favente divina in contrarium cessit. Nam paucis diebus evolutis venerunt Daci, Normani, & Gotti, & ceteri populi insularum, quæ inter occidentem & septentrionem sitæ sunt, gentes bellicosæ, proceres corpore, mortis intrepidæ, bipennibus armatæ, navibus rotundis, quæ Ysnachiæ dicuntur, advectæ; nisi isti supervenissent Christiani penitus fuissent demoliti. Hi cum ipsis Ytalicis urbem obsederunt. Dum hæc apud Accon geruntur, Fredericus Imperator Romanorum cum exercitu perspicuo de Theotonia egrediens per Ungariam & Bulgariam & inde per Servigiam & per Macedoniam ac Græciam transiens in manu forti & brachio extento, in Lycaoniam transvectus est. Ibique de Philomena & Iconia & aliis civitatibus gloriose triumphans Saldano & Turcis rebellantibus domitis devenit in Armeniam, ubi peccatis nostris exigentibus & promerentibus dum in æstu maximo in flumine quodam, & dicunt quidam, quod Ferlim est nomen fluminis, lavandi causa descendisset, mortuus est; Et accessit damnum inextimabile Christianis. Fuit autem Fredericus Imperator vir christianissimus, bellorum omnium triumphator, animosus in infinitum, familiaris quibuslibet, victis dementissimus, obliviosus injuriæ, statura mediocris, corpore ruffus, ætate longævus; & quod corporis strenuitate non erat inferior quam ducatu regiminis. Huic in regendo exercitu successit filius ejus nomine patris sui Fredericus Dux Sueviæ armis strenuissimus. Quo per Armeniam ducente populum sive exercitum, in confinio ipsius Armeniæ & Syriæ non longe a nobili civitate Antiochia ingens plaga desævit in Alamannorum exercitu, & vel propter intemperiem aeris vel ciborum abundantia, a quibus se temperare nesciverunt, fere omnes mortui sunt, ac si nollent membra capiti suo supervenire. Ipse autem Dux Sueviæ cum paucis ad obsidionem devenit, ibique paucis diebus evolutis mortuus est. Fuerunt autem in exercitu Imperatoris isti Principes & Barones. Dux Sueviæ, Dux Bertoldus Meraniæ, Episcopus Erbipolensis, Archiepiscopus Tarentasianus, Episcopus Manisteriensis, Episcopus Pataviensis, Episcopus Ossiburgiensis, Episcopus Missiniensis, Episcopus Verdensis, Episcopus Basiliensis, Episcopus Leodicensis, Hermanus Marchio de Badin, Fredericus de Bergilen. Curradus de Dornare & Fredericus frater ejus, Gobertus & Pepo Comites & alii multi. Interea venerant ad obsidionem Accon Philipus Comes Flandriæ, Thebaldus & Stephanus Comites Campaniæ, & Henricus nepos eorum, qui postea Dominus terræ Jerosolimitanæ remansit, & Dux Burgundiæ, & alii plures barones. Cœperunt autem omnes potius lecacitatibus operam dare, quam expugnare civitatem. In diebus illis fuerat fames facta valida in terra illa, ita quod vestes & arma milites ob victum distraherent & mactarent equos. Unica enim gallina marsupium magnum evacuabat, imo quod deterius est, aurum cibaria non poterat invenire. Eodem tempore Conradus Marchio, quem supra memoravimus, homo sagacissimus, habens civitatis Tyri Dominium cœpit ad regni Hierosolymitani gubernaculum aspirare. Et in tantum sua astutia processit, quod Isabel filiam Regis Almerici, a viro suo Onfredo, qui regionis ultra fluvium Dominus erat, fecit ecclesiastico judicio separari; ipsamque in uxorem accepit. Eisdem diebus Philipus Rex Francorum pervenit ad obsidionem Accon; post cujus adventum aliquantis diebus tractis Ricardus Rex Angliæ, devicta insula Cypri, bonis omnibus expoliata ad eandem obsidionem pervenit. Venit autem cum eisdem regibus omnium incentiva malorum filia Diaboli, potentissima regina, discordia inferni & sedit in medio eorum cum sorore sua macilenta & livida scil. invidia; & tam ipsos reges, quam totum exercitum Christianorum in diversas voluntates distraxit. Cum enim Francorum regi pugna contra civitatem placebat, Anglico displicebat; & quod placebat Anglico, displicebat Franco; & in tantum hujusmodi aucta est discordia, quod fere inter se intestinum bellum moverunt; & inter alios omnes Principes & Barones duorum Regum effusa est discordia. Cum Rege Franciæ isti fautores extiterant; Dux Burgundiæ, Comes Clarimontis, Marchio Conradus, cujus potentia magna erat in exercitu, Templarii, & Januenses, & quidam episcopi & barones. In parte regis Angliæ fuerunt Comes Flandrensis, Comes Campaniæ, Rex Guido, & plures alii. His diebus Sibilia uxor regis Guidonis cum duobus filiis suis mortua est; & Marchio magis ac magis ad regnum aspiravit. His etiam diebus sunt mortui Comites Stephanus & Thebaldus frater ejus, milites strenui & sapientes, & mortuus est Comes Flandrensis & Langravius de Duringia vir strenuissimus per omnia, & celebri fama in perpetuum nominandus. Erectis igitur machinis & castellis contra mœnia civitatis Accon, urbem fortiter expugnare cœperunt, & Sarraceni non minus fortiter resistere conantes ædificia erexerant. Tandem volente Domino mura civitatis cœpere frangi propter utriusque regis ædificia; Et turris maledicta jactis lapidibus conquassari. Unde Christianorum animi eriguntur, Sarracenorum deprimuntur: Jam enim poterant Christiani muris fractis ingredi civitatem, cum Sarraceni pacta quærunt, reddere civitatem promittunt, & crucem dominicam & captivos Christianos, si ipsis solummodo servaretur vita. Placent pacta. Per manus Marchionis in potestate regum traduntur, civitas liberatur, & inter ipsos Reges dividitur: Et Sarraceni qui fuerant intus inventi, postea pacta servare nequissent, quia crux dominica nullo

Digitized by Google

nullo modo potuit inveniri, omnes decollati sunt. Rex Franciæ nacta occasione recessit, vices suas & milites Duci Burgundiæ commisit. Anglorum vero rex in terra Hierosolimitana remansit, & reædificavit Jopen & Ascalonam; Saladinum & exercitum ejus bello confregit, mercationes Saladini ad Damascum euntes cepit, Jopen postea a Sarracenorum insultibus strenuissime liberavit. His diebus Conradus Marchio factus est Dominus Hierosolimitanæ; & post paucos dies ab Assessinis interfectus est: Quæ fuerit causa interfectionis suæ, plus in opinione quam in veritate repertum invenitur. Quidam dicunt, quod Rex Angliæ procuravit mortem ejus, propter hoc, quod sororem suam in uxorem accipere noluit. Alii dicunt, quod Unfredus, Dominus de Monrial fecit eum occidi, propter hoc quod sibi uxorem suam Isabel, filiam Regis Almerici abstulerat. Alii dicunt, quod propria voluntate motus est Assessinus ad ipsum interficiendum, propter hoc quod quosdam mercatores terræ suæ apud Tyrum clam interfici fecit, ut eorum pecunias haberet, quia ditissimi erant. Fuit autem Conradus armis strenuus, ingenio & scientia sagacissimus, animo & facto amabilis, cunctis mundanis virtutibus præditus in omni consilio supremus, spes blanda suorum, & hostium fulmen ignitum, simulator & dissimulator in omni re omnibus signis instructus; respectu cujus facundissimi reputabantur elingues. Quem in hoc solo fuisse culpabilem dicunt, quod alterius uxorem a marito vivente seduxit, & fecit a viro suo separari, ipsamque uxorem accepit. Sed invidia serpens plurima contra eum confinxit. Item Rex Hierusalem, sub cujus infortunio sacrum regnum decessit, factus fuit Rex Cypri a Rege Angliæ. Mortuo vero Conrado Marchione Henricus Comes Campaniæ accepit Isabel filiam Regis Amalrici in uxorem, quæ fuerat uxor Marchionis, & dominium terræ Hierosolimitanæ suscepit. Rex vero Angliæ inter Christianos & Sarracenos quinquennalibus treugis compositis recessit; qui captus in Theutonia Austriæ traditus est Imperatori Henrico; & ducenta milia marcharum argenti in sua redemptione persolvit; liberatus vero in patriam propriam devenit; ibique postmodum fuit a quodam milite occisus. Fuit autem Ricardus Rex Angliæ homo ferocissimus, armis ultra modum strenuissimus, favorabilis, gloriæ cupidus, pecuniæ liberalis, quocunque ipsum trahebat impetus sequens, & quem ipsi Sarraceni plus Christianis aliis timuerunt. Treugis igitur sic dispositis, & ab utraque parte conservatis anno MCXCVII. Heinrico Imperatore procurante Alamani in terra promissionis venerunt homines bellicosi, ingenio crudi, expensarum prodigi, rationis expertes, voluntatem pro jure habentes, ensibus invicti, in nullis nisi in gentibus suis confidentes, ducibus suis fidissimi, & quibus vitam potius quam fidem posses auferre. Hi cum venissent in terram promissionis treugas fregerunt, urbem Beriti recuperaverunt, Jopen perdiderunt. His diebus Rex Henricus, qui Dominus terræ Hierosolimitanæ extiterat, de quadam fenestra palatii sui cecidit & mortuus est. Hujus uxorem nomine Isabel, quæ regnum hæreditabat, accepit Aymericus Cipri Rex; & coronatus est in regnum Hierosolimitanum. Alamanni vero ad obsidionem castelli Turonis accesserunt, ibique mensibus aliquot commoratis audita morte Imperatoris Henrici recesserunt. Quorum Principes fuerunt Conradus Manguntinus Archiepiscopus, Conradus Cancellarius Imperatoris, Henricus Saxoniæ Dux, Leopoldus Dux Austriæ, Dux Bragbantiæ, Hermannus Lantgravius Turingiæ, Heinricus de Kalindin Mariscalcus, & plures alii, quos ad præsens memorare non curo. Nulla est enim ambitio memorandi, quos plurimos constat fuisse & nullos. Deo gratias.

Digitized by Google

VI.

OLIVERI SCHOLASTICI HISTORIA REGUM TERRÆ SANCTÆ.

Incipit historia Regum terræ Sanctæ, quam Magister Oliverius Coloniensis Scholasticus in obsidione Damiatæ apud Ægyptios compilavit.

ALtissimus super unamquamque gentem posuit custodem. Pars autem Dei Israel facta est manifesta: Dominus enim elegit Syon Israel in possessionem sibi, urbem perfecti decoris. Gaudium universæ terræ separavit nobis in hæreditatem suam, cum regno lactis & mellis; quod adeo cultui suo specialiter appropriavit; nam diligit portas Syon super omnia tabernacula Jacob, ut nec Judæos transgressores Legis, nec Sarracenos spurcitiis terram inquinantes, nec Christianos provocantes oculos majestatis ejus diu sustineret in ea. Nam Babyloniis ipsam tradidit vastandam, deinde Romanis in capite suo penitus destruendam, postmodum Sarracenis occupandam, ac diutius detinendam. Cum autem pro peccatis suis recepissent supplicia, anno ab incarnatione MLXXXXV. Urbano Papa secundo Christianismum regente, qui apud Alverniam in Claro monte mense Novembri trecentorum patrum congregavit concilium; prædicatio crucis sumpsit exordium. Milites autem Christi æstate proxima iter arripuerunt per Bulgariam, quorum Duces & Principis secundum seculi dignitatem fuerunt Adimarus Podiensis Episcopus, Godofredus Dux Lotharingiæ, Hugo magnus, Robertus Comes Normanniæ, Robertus Comes Flandriæ, Raimundus Comes Provinciæ, Boamundus & multi alii barones. Petrus heremita exhortator optimus & indivisus comes fidelissimus; Hugo magnus frater Regis Philippi Francorum, incaute cum paucis iter agens, apud Duracum captus est, & usque ad Imperatorem Constantinopolitanum ductus. Godofredus Dux per Ungariam cum gente plurima profectus est. Raimundus Comes Provinciæ & Episcopus Podiensis cum Gotis & Wasconibus per Dalmatiam profecti sunt, Petrus heremita per Bulgariam.

II. Mense Octobri Robertus Willehelmi regis Anglorum filius, Comes Normanniæ, cum Comite Blesense Stephano & Anglicis, Britannis & Normannis iter arripuit. Hi omnes apud Niceam urbem per diversa Loca venientes, in unum exercitum coadunati sunt. Res digna memoriæ, in hujusmodi viæ casibus apud Brundisium accidit. Dum enim una navis prope littus periclitaretur inter cæteras, & ferme quadringenti peregrini submergerentur super undas, inter scapulas quorundam mortuorum, abstractis vestibus, signa crucis videbantur. In hoc miraculo refrigerium justorum evidenter apparuit, quacumque morte fuissent occupati. Christianorum exercitus apud Niceam congregatus ad sexcies centena millia computabatur. Compositis autem instrumentis bellicis & erectis contra civitatem, quam Turci tenebant, ac obsidione per quinque hebdomadas protelata, Imperator Græciæ callide de pace cum defensoribus urbis tractavit. Conditionibus autem compositis intrcire fecit Græcos Latinis exclusis, & ad placitum suum de thesauris imperatoris quædam distributio facta fuit tam Capitaneis, quam aliis bellatoribus. Urbe dedita profecti sunt milites Christi Antiochiam; sed inter eundum a Turcis multas sustinuerunt aggressiones & insidias, dampnificati plurimum ab eis & dampnificantes eos, inopiam victualium frequenter perpessi, nihilominus processerunt. Balduinus autem Comes, germanus Godefridi Ducis ab exercitu divertens ausu magno Tharsum Ciliciæ virtute cepit armorum, & relectis in ea custodibus versus Eufraten processit, comprehendens castra plurima. Cumque de ipsius virtute fama clarior longe lateque diffunderetur, princeps Edissæ civitatis, qui est in Mesopotamia Syriæ viginti fere miliaribus ab Antiochia distans, nuncios ad eum destinavit. Hic hæredem ex se natum non habuit, ideoque ad tutelam suæ civitatis præfatum Ducem vocavit in vita socium, post mortem hæredem futurum. Cives autem Edissæ oderant eum, & interempto priori Domino, Balduino subditi fuerunt.

III. Mense Octobri pervenerunt Franci Antiochiam Syriæ, & inventis in flumine Ferro aliquot navibus. Fecerunt inde pontem. Antiocheni vero metuentes obsidionem, miserunt ad regem Persidis, auxilium postulantes ab eo. Interea concives suos Christianos, Græcos, Syrios & Armenios interfecerunt plurimos; capita mortuorum extra muros jactantes ad ignominiam Christiani nominis. Porro milites Christiani victum sibi quærentes, provinciam vastabant in circuitu cum sui capitis periculo & truncatione multorum. Cum autem obsidionis incommodum protelaretur, imputantes dampna, quæ sustinebant & pericula suis peccatis, mulieres, etiam omnes conjugatas, separaverunt a castris, ne contaminarentur diutius per libidinis spurcicias. Cumque vastatis omnibus in circuitu fames invalesceret, & tam pauperes

Digitized by Google

pauperes quam divites opprimeret, equos, mulos & aſinos, canes etiam, comederunt & mures, inſuper beſtiarum coria dentibus terebantur. Inveterata jam computruerant tentoria; ideoque multi cœlo tegebantur umbraculis carentes, pluvias & frigora, ventos & calores ſine tabernaculorum defenſione tolerabant. Unde multi hujusmodi cedentes incommodis, ab obſidione tam aſpera ſe removerunt clam, vel per occaſiones. Stephanus Comes Belvacenus in Franciam rediit, pridie captionis civitatis in opprobrium ſui ſempiternum. Varius, ut fieri ſolet, erat aſſultus, vel dimicationis eventus: nunc noſtros nunc adverſarios interfecit gladius. Fluminis etiam vorago multos intercepit Chriſtianos. Cum autem patri luminum complacuit laborem conſummari, ſicut accepimus ab aſſertoribus veritatis, cuidam Turco dixit Dominus: Impero tibi, ut Antiochium reddas Chriſtianis. Ille vero miratus allocutionem, ſilentio texit viſionem. Iterum apparuit Chriſtus, eundem ſermonem repetens, & addidit: Ego ſum Chriſtus, qui tibi hoc impero. Ille, cui hæc dicta ſunt, Dominum ſuum Principem Antiochenum odiis, verſionem apperiens. Cui reſpondit incredulus: Numquid phantasmati vis obedire? ut ille ſiluit. Cui tertio apparuit Dominus dicens: Cur non exples, quod juſſi? non eſt hæſitandum tibi; nam qui hoc impero, Dominus ſum virtutum. Turcaque quod juſſum fuerat, amplius non diſſimulavit, &, filio proprio obſide dato Domino Boamundo, nocte quadam per ſcalas de cordis factas viginti de clientulis Chriſtianorum per muri faſtigium admiſit, qui porta velocius aperta Chriſtianos intromiſerunt. Interim per funes jam quadraginta milites aſcenderant, qui ſexaginta trium turrum cuſtodes interemerunt. Tunc omnes alta voce clamabant: Deus hoc vult, Deus hoc vult. Sane finem noctis aurora dabat, quando perfidis in caſtrum fugientibus civitas capta fuit. Ammiratus autem Antiochenus, Anxiatus nomine, a quodam plebejo de Armenia capite truncatus eſt. Acta ſunt hæc anno milleſimo nonageſimo octavo. Porro die ſequenti poſt urbem captam venit exercitus Perſarum ſub principe militiæ Corban. Sed quia victores noſtri mulieribus alienis abuſi ſunt, permiſit Deus in ira ſua ſexaginta fere milia Turcorum per caſtrum ſublime a parte rupis urbem introire. Pater autem, qui miſericordiæ recordatur, cum iratus fuerit, immiſſo terrore ſubito, regredi fecit eosdem, qui longius non progreſſi civitatem obſederunt. Sed Deus conſolationis per clericum fugientem mandavit, ut ajunt, militibus ſuis in hunc modum: Matris meæ precibus propiciabor vobis, pœnitentiam agite ſalutis medicinam. Indixerunt ergo triduum jejunium cum orationibus & eleemoſinis mandantes hoſtibus per Petrum heremitam, ut ab urbe recederent. Vel ſequenti die bellum exſpectarent, niſi forte per pauciores de utroque exercitu dimicare vellent, & pars victrix abſque contradictione poſſidere Antiochiam. Perſæ de ſua multitudine & noſtrorum imbecillitate, præſertim in equorum acie confiſi oblatæ conditioni contradixerunt. Æſtimabatur Sarracenorum exercitus equitum vel peditum ad trecenta millia, inter quos numerabantur Ammirati XXIX. Agoniſtæ Chriſti in ſolo Chriſto ſpem ponentes IIII. Calendas Julii egreſſi ſunt ad prælium, ſacerdotes amicti veſtibus albis, flentes & orantes ſequebantur armatos. Hugo magnus & Robertus Normannus & Comes Flandrenſis in acie prima proceſſerunt. Dux Godefridus cum Teutonicis & Lotharingis in ſecunda; Epiſcopus Podienſis in tertia cum Raimundo Comite, Waſconibus & cum Provincialibus. Extremam aciem duxit Boamundus. Poſt modicam defenſionem terga dederunt hoſtes, tentoria cum manubiis victoribus relinquentes parante Domino noſtro, cui eſt honor & gloria ut & potentia, triumphus & imperium. Amen.

IV. Anno gratiæ milleſimo nonageſimo nono menſe junio, ſeptimo die menſis vallata eſt Jeruſalem obſidione Chriſtianorum, fontibus, rivis & ſilvis plurimum indigens. Nam fons Siloa, quantum eſt jactus lapidis a civitate diſtans, quandoque modicas, quandoque largas aquas ſolet ex ſe emittere, qui ſub monte Syon in decurſione torrentis Cedron, brumali tempore per vallem Joſaphat defluere conſvevit, ab occaſu turrim habet Daviticam, ex utroque latere ſupplentem civitatis murum, montem Syon a meridie, ad orientem montem oliveti, mille paſſibus ab urbe diſtantem. Propter loci deſtructionem plura de ſitu ejus deſcribere non valemus nec audemus. Templum dominicum in magna veneratione ſervant Sarraceni, ubi legem ſuam libentius, quam alibi recitare ſolent. Hanc urbem Ælius Adrianus imperator quondam mirifice decoravit, plateas ejus & vicos decenter exornans, de cujus nomine, olim Ælia dicta fuit. Ad hanc expugnandam fideles ſcalas compoſuerunt, & machinas & arietes cum caſtro ligneo & diu multumque laborantes cum aſſultibus periculoſis; tandem applicatione caſtri coriis confecti muros potenter aſcenderunt, & civitate capta Feria VI. nec ætati pepercerunt nec ſexui. Supra Salamonis templum, quod Sarraceni fugientes aſcenderunt X. fere milia decollata fuiſſe legimus in Chronicis. Poſt ſtragem tantam domum, quam quilibet de victoribus prior occupavit, ex condicto tenuit cum manubiis ibidem repertis. In illa vero violenta direptione Arabes, Turci ac Æthiopes fere quingenti ſe receperunt in turri David, qui relictis omnibus per conditionem dimiſſi ſunt vivi & liberi, ac in Aſcalonem per conductum tranſmiſſi. Inventa eſt eo tempore particula dominicæ crucis, multis annis in quodam loco ſecreto diligenter abſcondita, demonſtrante Syro, qui cum patre ſuo reverenter eam in aurea theca ſecretius reſervavit. Incomparabilis iſte theſaurus ad templum cum magna delatus eſt ſolempnitate.

V. Quinto decimo Calend. Auguſti poſt urbem captam Godefridus Dux propter generis excellentiam & miliciæ ſtrenuitatem, ac morum

Digitized by Google

rum elegantiam in Regem Hierosolimitanum eligitur. Porro Rex Babilonis congregata multitudine bellum cum victoribus inire disposuit, vellens eos in civitate concludere. Nostri vero constantia fidei divinitus armati, contra Ascalonem acies direxerunt, præferentes vexillum ligni dominici, ubi comprehensa fuit non modica præda de bobus, camelis, ovibus & capris. Postmodum diligenter considerantes quod impedimento pugnaturis tale lucrum fore posset, publico præceperunt edicto, suæ libertati dimitti captiva prius animalia. Quæ cum errarent circa catholica castra a dextris & a sinistris, quasi minarentur ex industria hostes a longe speculantes homines esse reputabant. Ordinatis autem aciebus, & hinc inde adversum se concurrentibus, modico temporis intervallo spem suam in fuga posuerunt Babilonii. Nec profuit multis arborum ascendisse cacumina, quin sagittis percussi corruerunt ad terram, & sic unanimiter fugientes, nostros hilares fecerunt in divisione inæstimabilium spoliorum. Pauci christiani habentes auxilium de cœlo, multa milia perfidorum contriverunt, qui paulo ante comminati fuerant se Hierosolimitanos omnes interfecturos, & sepulchrum gloriosum dissipaturos. Post hanc victoriam Robertus Comes Normanniæ & Robertus Comes Flandriæ Constantinopolim sunt profecti.

VI. Anno revoluto decimo quinto Kalendis Augusti mortuus est Rex Godefridus. Ad caput hoc anni post captam contigit urbem, & substitutus est frater ejus germanus Balduinus, post captivitatem Boamundi a Turcis. Balduinus Jerosolymis iter arripiens insidias deprehendit Sarracenorum non longe a Beritho juxta mare via publica, ubi meatus est arctissimus, sed inevitabilis commeantibus. Ibi LX. armati C. millibus transitum prohibere possunt. Hunc tamen locum Balduinus viriliter evasit, cæsis & fugatis hostibus non sine gravi dispendio & incommodo suorum. Nam cum impossibilis esset transitus per angustas fauces, quas observabant perfidi. Regressus est Dux ad loca plana, simulata fuga, ubi pugnavit cum persequentibus & virtute divina vicit, captivis & spoliis plurimum ditatus. Unde propter hanc incredibilem victoriam barbari, qui urbes maritimas tenebant, Sydonem, Tyrum & Acconem timore percussi & amicitia contra nostros simulata, victualia miserunt. Oppidum autem Cayphas Tancredus jam tenebat. Porro Jerosolimitæ regi suo alacriter occurrerunt apud Joppen. Ubi Rex breviter commoratus, profectus est contra Ascalonem. Sciebat enim inimicos habentibus, requiem non esse dandam eis, ut vel tædio certaminis vi superentur, vel ad pacis compendium citius pertrahantur. De Ascalone procedens exercitus latrunculos in cavernis latitantes, igne græco accenso, ad hostium cavernæ violenter exire compellabant. Postmodum in Arabiam secesserunt, transeuntes Patriarcharum sepulchra, ubi corpora eorum gloriose condita sunt, ab urbe Jerosolyma quasi miliaribus quatuordecim distantia. Inde venerunt in vallem, ubi lacus est magnus, quem mare mortuum appellant, quia nihil vivit in eo, adeo salsus est, ut nec hominibus nec jumentis sit potabilis. Ab aquilonali parte fluvium habet Jordanicum, ab austro nullum habet exitum. Deinde processerunt ad vallem uberrimam, in qua Moyses, Domino jubente silicem bis percussit, unde fons erupit, qui rivulum facit adeo currentibus aquis habundantem, ut molendinum impellere valeat. Postmodum per Bethlehem & Sepulchrum Rachelis regressi sunt in Jerusalem ad regem coronandum in Basilica beatæ Mariæ apud Bethlehem nativitatis Domini die, nec amplius quam trecentos milites habebant, præter pedites, qui Jerusalem urbem, Joppen & Ramulam, quæ est Ramatha, ac Cayphas oppidum custodiebant; protegente autem ipsos altissimo inter tot milia persecutorum Domino serviebant. Apud portum Ludicenum classis Jenuensium & Italorum hiemabat, quæ verno tempore navigans applicuit Joppen, quorum auxilio Rex possedit oppidum Assuph, quod deditum est ipsi sine sanguinis impensa. Idem oppidum Godefridus Dux obsederat ante, nec tamen capere potuit. Nam turris lignea forinsecus adhæsit muro, quam ascendentes nostri bellatores & suo pondere deprimentes corruerunt ex ea fere C. viri prorsus insanabiliter læsi; Aliquantos etiam Sarraceni comprehenderunt vivos, quos in conspectu omnium appensos in cruce sagittis interfecerunt, alios in servitutem redigentes. In oppido præscripto Rex Balduinus præsidium collocans statim Cæsaream Palestinæ obsedit, quam ausu mirifico per scalas ascendentes, vi comprehenderunt armata. Ammiratum urbis & Archadium Episcopum perfidæ gentis cum multis aliis in ea cepit, an. MCI. Hæc civitas turris Stratonis fuit appellata. Post hæc congregati sunt Babylonii, quorum numerus supputabatur ad XI. milia equitum & XX. milia peditum. Milites autem Christiani fuerunt CCXL. pedites vero nongenti, qui sequentes vexillum crucis & omnipotenti se fideliter commendantes, post exhortationem Regis, qui erat consolator optimus ac bellator durissimus, prælium cum Babyloniis inierunt, & post stragem mutuam victi per armatos fidei fugierunt increduli. Fama refert, de equitibus & peditibus V. millia fuisse perempta, cum principe militiæ Babilonis. Ceciderunt de nostris septuaginta milites, sed pedites multo plures. VII. Idus Septembris.

VII. Anno M.CII. Congregati sunt apud Ascalonem Babylonii, ut Christianismum omnino destruerent, XX. milia equitum & X. milia peditum exceptis clientariis, qui camelos & asinos onustos minabant. Erant enim illo tempore in Joppe milites exspectantes passagium & equis carentes, qui in anno præterito, cum, per Romaniam peregre Jerosolymam pergerent, equos, & omnia, quæ habebant, amiserant ibidem. Fuerunt autem in illo exercitu Wilhelmus Pictaviensus Comes & Stephanus Comes Blesensis, Hugo magnus & Raimundus Comes Provinciæ, Stephanus Comes Burgundiæ, quos

Digitized by Google

quos Soliman Thurcus, cui pridem Franci Niceam urbem abstulerant, dispersit & confudit, interficiens amplius quam C. milia equitum & peditum, præter illos, qui per alias vias gradientes periculum mortis evaserunt. In illa confusione Francorum amissis omnibus, quæ habebat Comes Pictaviensis, vix pedester evasit. Alii autem per Antiochiam usque Torcosam venientes, quam tunc Sarraceni tenebant urbem ipsam potenter obtinuerunt. Porro Rex Balduinus venientibus occurrit ad meatum vallis angustæ prope Berithum, præcavens diligenter, ne Sarraceni præoccupantes viarum angustias transitum impedirent. Sane regressus Rex contra multitudinem Babiloniorum exercitu suo nondum coadunato, vel ordinato impetuose nimis processit, existimans, pauciores esse, quam invenirent in discrimine. Unde conclusus a multitudine cæsis & fugatis suis fugit Ramulam, in qua concludi periculosum existimans maluit alibi mori, quam in ea viliter intercipi. Unde assumtis quinque Comitibus, qui tamen ab adversariis retenti sunt, cum uno tantum milite & armigero suo per montana fugit. Interim manus hostilis arcem Ramulensem violenter obtinuit, captivos in ea partim occidens, partim secum trahens, ubi occisi sunt Stephanus Blesensis Comes, & Stephanus Comes Burgundiæ. Rex autem Asurt post multa pericula pervenit vivus, & cum Hugone de Tiberiade veniente cum LXXX. militibus subvenire Joppicis festinabat, & mittens in Jerusalem invocabat auxilium. Illi autem, qui se discrimini committentes iter aggressi sunt, occursu perfidorum plurimum dampnificati, vix pervenerunt in Joppen. Unde rex properabat committere prælium magis, quam obsidionem & machinarum præparamenta in civitate diutius exspectare. Unde accidit, ut oppitulante divina gratia, qui prius hostibus terga dederat, in hoc prælio victor triumpharet, non in multitudine vel humana fortitudine, sed de cœlo auxilium accipiens optimum. Equus enim præparatur ad diem belli, Dominus autem salutem tribuit.

VIII. Anno MCIII. Rex Accon obsedit, nec eam cepit, sed anno revoluto, tempore verno, gente sua congregata, cum Jenuensibus, qui LXX. naves rostratas habebant, per viginti dies commoratus, redditam sibi suscepit urbem VII. Idus Maji. Eodem anno commoti sunt Parthi & Medi, & qui habitant Mesopotamiam, ad Christianos perdendos, & prælio commisso cum eis juxta Racha victi sunt Christiani, & amplius, quam in anterioribus bellis, temporaliter confusi. Nam in illo prælio capti fuerant Balduinus Comes Edessenus & Goselmus cum Archi-Episcopo ejusdem loci. Boa mundus autem & Tancredus per avia & devia fugientes evaserunt vivi; multi alii fine beato migraverunt ad Dominum exemplo illius, qui apud Antiochiam non sustinens audire blasfemiam contra nomen Jesu Christi, virtute Sancti Spiritus armatus dicto contradixit & facto. Nam equum calcaribus pungens astantibus dixit: Si quis vestrum in Paradiso cœnare desiderat, mecum veniat, & mecum prandeat, mox Lancea vibrata inter hostium milia se mergens, primum obviantem sibi interfecit, & statim interemptus occubuit.

IX. Anno MCV. Rex Babilonis exercitum suum Ascalonam misit, ad præliandum contra Christianos, quos Rex coadunatis paucis, quos habuit, exspectavit Joppen, & mittens festinanter nuntios in Jerusalem ad Patriarcham & Clerum, orationes fieri devotas postulavit, in tantæ necessitatis articulo. Qui affligentes animas suas obsecrationibus & elemosynis studiosissime vacabant, nudis pedibus processionaliter gradientes per loca sancta, Die Dominica usque ad horam nonam non gustantes cibum, nec infantes suxerunt ubera, donec fame vexati clamarent ad Dominum. Patriarcha cum his, quos adducere potuit, apud Ramulam conjunctus est regi, bajulans crucem Dominicam. Milites nostri fuerunt quingenti præter alios equites; Pedites ad duo milia computabantur. Sarraceni vero pedites & equites æstimabantur ad XV. milia. Inter hos commissum est prælium. Christiani clamabant: Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat. In hoc bello regis apparuit strenuitas, qui sublato signo proprio de manu cujusdam militis cum paucis occurrit in Joppen, quia pars Sarracenorum illuc directa fuerat, civitatem comprehendere, quibus confectis rediens a multitudine pugnantium fugavit hostes & vicit. Ubi cecidit Jemelimuch Ammiratus dives; alter retentus est vivus; quatuor autem milia perfidorum referuntur occisa fuisse VI. Kal. Septembris. Victores jure belli tabernacula cum manubiis fugientium occupaverunt hilariter. Per Legem suam juraverunt hostes crucis, se Francos fugere nolle; sed postmodum maluerunt perjurium incurrere, quam mortis periculum subire. Adhuc classis Babilonica morabatur ante Joppen, cladem Christianorum exspectans, ut captivos & spolia fidelium deferret. Sed cum Rex caput Jemelimuch jactari præcepisset, intelligentes suæ gentis confusionem in portus Tyri & Sydonis secesserunt; sed &, cum regredi niterentur in Ægyptum, vi tempestatis compulsi portubus nostris inferebantur nolentes, de quibus XXV. naves Sarracenis plenas retinuerunt nostri.

X. Anno MCVI. Cometes apparuit. Eodem anno Hugo de Tyberiade contra Damascenos bellavit, sed bis repulsus ab eis, tertio victores superavit, CCC. ex eis occidens, ac totidem eorum equos retinens. Postmodum cum Balduino rege in expeditionem profectus, ictu sagittæ percussus occubuit. Sequenti anno Boamundus de Galliis regressus, civitatem Duratiam obsedit cum multitudine magna, fere per annum: quam tamen capere non potuit. Sed inito fœdere cum Imperatore Constantinopolitano rediit in Appuliam; major autem pars exercitus ejus Jerosolymam processit.

XI. Anno MCIX. Christiani Tripolim obsederunt, ubi discordia crevit inter Bertrandum Raimundi Comitis filium, & Willehelmum Jordanem

by Google

danem cognatum ipsius; sed Willehelmus, casu nobis incerto, ictu sagittæ clam nocte percussus interiit. Adveniente ergo rege Balduino ad supplicandum Jenuiensibus, ut citra mare moram facerent prolixiorem, Tripolitani defensores obsidionis incommodo nimis angustati sub pactione vitæ Tripolim dediderunt mense Junio.

XII. Anno MCX. Rex Balduinus Berithum obsedit, eamque potenter cepit, mense Aprili. Posthæc rege regresso in Jerusalem urbem applicuerunt Norenses cum classe LV. navium, quorum auxilio Rex obsedit Sidonem a terra, Norrenses vero a mari. Urbs autem se defendere nequiens se regi tradidit mense Decembri.

XIII. Anno MCXI. Rex Balduinus obsedit Tyrum, quæ Sorh hebraice dicitur. Ubi duas turres ligneas fieri fecit. Sed Tyrii duas eminentiores erexerunt ligneas, de quibus ignem super inferiores projicientes combusserunt illas. Et sic post obsidionem quatuor mensium Rex Accon regressus est, infecto negocio. Sequenti anno requievit terra Christianorum a bellis.

XIV. Anno MCXIII. facta est ecclipsis solis, mense Martio, luna XXVIII. Æstate sequenti congregati sunt Thurci trans Eufraten, Jerosolimorum partes adituri, & circumeuntes mare Galilææ per terram Zabulon & Neptalim, in insula quadam inter Jor & Dan, consederunt, procurantes insidias Christianis; & cum Rex illo tenderet, videns quingentos fere Thurcos ex insidiis erumpentes, incursum in eos fieri jussit, quos duo millia Thurcorum de insidiis prodeuntium repulerunt. Fugit Rex vexillo suo perdito, fugit & Patriarcha, ubi XXX. de melioribus militibus perdidimus; pedites vero CC. mense Junio. Sarraceni sublato regis tentorio & manubiis plurimis vastando terras processerunt Sichem vel Sichimam, quam urbem Neapolim diutius obtinuerunt. Quibus adjuncti Arabes & Ascalonitæ cum his, qui montana tenuerunt, loca culta vastarunt, usque ad antemurale Jerusalem. Interea vero X. Kal. Aug. & V. Kal. Aug. terræ motus factus est primo media nocte, secundo hora diei tertia. Apud Damascum est interemptus Mandulfus a quodam sicario Sarraceno, dives & potens inter Thurcos, qui mala multa Christianis intulerat. Anno sequenti multitudo locustarum de sinu Arabico catervatim ebulliens, terram promissionis vastavit tempore verno, deinde terræ motus urbes concussit, & homines interfecit a partibus Antiocenis usque ad terminos fluminis Eufrates.

XV. Anno MCXVI. Thurci inter Antiochiam & Damascum consederunt. Unde Doldequinus Princeps Damascenorum metuens vindictam pro morte Mandulfi, quem in prætorio sicut superius dictum est, consenserat dolose perimi, cum Rege Balduino & Rogerio Principe Antiocheno fœdus iniit, quod intelligentes Thurci simulata fuga delituerunt in cavernis. Interim Ascalonitæ cum classe Babilonica Joppen obsederunt per terram & mare, vexantes Christianos cum scalis, quas attulerant, sed nihil proficientes in primo vel secundo conatu recesserunt dampnificati. Porro Thurci, quos delituisse commemoravimus, audientes regem Jerosolymam in terram suam venisse, irruerunt improvisi, dampna plurima Christianis inferendo. Quod cum nunciatum esset Antiochenis, commiserunt cum eis pugnam, & fugantes eos tria millia de numero ipsorum dicuntur occidisse, præter captivos & spolia, quorum pretium æstimarunt ad CCC. millia Bisantiorum. Acta sunt hæc circa finem Augusti. Eodem anno Rex Balduinus profectus in Arabiam: ædificavit munitionem, quam regale castrum nominavit, non longe a mari rubro, quod distat a Jerosolyma quasi dierum quatuor itinere, & ponens ibi præsidium, anno sequenti reversus fuit ad illud visitandum, cum ducentis fere millibus procedens. Inde studio videndi mare rubrum, venit ad civitatem Helim, secus litus ejusdem maris, ubi populus Israeliticus mansionem quondam habuisse legitur; hoc mare rubrum dicitur, eo quod Saburra & lapilli rubri sint in fundo; unde intuentibus rubrum apparet, sed infusum vasi tanquam aliud mare apparet limpidum & album. Dicunt illud ab Oceano derivari, & quasi linguam erumpere, & usque ad Helim versus septentrionem protrahi, ubi finem facit non longe a monte Synai, sed quantum potest equus uno die proficisci. A rubro vero mari vel ab Helim memorata usque ad mare magnum, quo ab Joppe vel Ascalone sive Gaza versus Damiath pergitur, iter dierum quatuor vel quinque equitis ambulatione pergentes, æstimant. Quo sinu inter hæc duo maria cingitur Ægyptus tota, Numidia etiam atque Æthiopia, quam Geon fluvius Paradisi, qui & Nilus, circuire dicitur.

XVI. Anno MCXVII. Mense Majo facta est ecclypsis lunæ cum terræ motu magno. Visa sunt & alia portenta, quæ mors magnorum virorum subsequuta fuit. Mortuus est Paschalis Papa mense Januario, Balduinus Rex Jerosolymæ cum Patriarcha Jerosolymitano, & Imperator Constantinopolitanus Alexis. Obiit autem Balduinus anno MCXVIII. qui Accon, Asfurth, Cæsaream, Berithum, Sydonem, Tripolim recuperavit, & alia multa digna memoria gessit. Sepelierunt autem eum in Golgatha juxta Ducem Godefridum Germanum suum corpore recepto processionaliter a Jerosolymitis in die Palmarum. Substitutus est autem Regi defuncto Balduinus Comes Edessenus cognatus ipsius, unanimiter electus & die Paschæ consecratus. Contra quem exercitum coadunaverunt Babilonii in æstimatione XV. millium equitum, & XX. millium peditum, quibus Soldanus Damasci Doldequinus venit in adjutorium; classis etiam Babilonica per mare navigans accessit. His omnibus Rex novus occurrit ultra civitatem Philistinorum Azotum, & collocatis e regione hinc inde tentoriis, cum per tres fere menses differretur bellum, tandem absque congressu recesserunt ab invicem.

XVII. An-

Digitized by Google

XVII. Anno MCXIX. Rogerus princeps Antiochenus cum gente sua committens prælium contra Thurcos interemptus cecidit, & de Antiochenis septem millia sunt occisa; de Turcis vero nec etiam viginti. Princeps iste male vivendo iram Dei contra se provocavit. Adulter enim impudens erat. Exhæredavit etiam filium Boamundi Dominum suum, cum matre sua commorante in Appulia. Nobiles sui, tempore pacis luxui, vacabant, & quia se averterunt a Domino, traditi sunt in captivitatem & mortem. Rex autem Jerusalem cum Patriarcha, qui crucem Dominicam portabat transito Jordane cum Tripolitano comite & auxiliatoribus Edessenis, congregatis etiam Antiochenis, quos mors vel captivitas reliquerat, pugnavit cum Sarracenis juxta oppidum Sardanicum, habens milites septingentos. Thurci vero viginti millia, sed ante conflictum quidam Thurcus clamabat dicens: Cur vos Franci desipitis? Quare in vanum laboratis? Pauci multitudini nostræ resistere non valetis. Deus vester vos dereliquit, quia leges vestras estis transgressi, nec fidem nec veritatem invicem servatis. Bellum istud gravissimum erat, & anceps diu fuerat, donec opitulante virtute divina fugerunt perfidi. Rex per duos dies campum tenuit victoriæ. Antiochenus Patriarcha obviam procedens salutiferæ cruci, ac victrici populo, laudes Altissimo, sicut decuit, persolvit cum lætitia. summa potestas hanc victoriam dedit mense Augusto; crux triumphalis Jerosolymam relata fuit cum tripudio. Rex autem moram faciens jacentem principatum Antiochiæ, sine fraude cepit.

XVIII. Anno MCXX. Rex Balduinus secundus inferentes frumentum vel hordeum sive legumina per portas Jerosolymæ ab omni exactione prudenter absolvit, sive Christiani sint sive Sarraceni. Remisit insuper mercedem modiationis consuetudinariam. Mense Junio, cum iterum Antiochenis discrimen immineret, miserunt pro Rege; qui adveniens cum cruce sancta absque gravi congressu Turcos fugavit, & in eadem civitate moram fecit competentem. Anno sequenti rex congregavit exercitum contra Damascenos, qui, auxiliatores Arabes habentes, partes Tiberiadis vastabant. Cujus adventu procul audito ad propria remearunt Sarraceni. Rex autem castrum, quod Jarras nominant, ad nocumentum nostris ædificatum obsedit, cepit & destruxit. Postmodum anno proximo Antiocheni plurimum a Thurcis coarctati regis invocaverunt auxilium, qui sine mora veniens cum MCC. equitibus præter globum peditum, decem millia fugavit Alofilorum.

XIX. Anno MCXXIII. navigaverunt ad terram promissionis Veneti cum classe XX. & C. navium majorum & minorum bellatorum, instrumentis bellicis sagaciter munita cum XXV. millibus armatorum. Dicuntur advenisse per Mothonem & Rhodum. Eodem anno captus est Rex Balduinus a Balach Turco, qui ante Goselmum & Galeramnum ceperat. Eustachius autem vir strenuus & honestus, qui Cæsaream tenuit & Sidonem, electus est in capitaneum & propugnatorem Christianorum tempore captivitatis Regis. Nam mense Majo Babilonii cum bipartito exercitu terrestri videlicet & marino, irruerunt in Joppen, cum tormentis vehementissimis, telis etiam & lapidibus. Mulieres autem civitatis defensoribus aquam præbentes & lapides adminiculum attulerunt defatigatis & auxilium. Nam pauci fuerunt in civitate conclusi, & classis Babiloniorum LXXX. navium, vehementer eos arctavit. Muros in circuitu ceperunt hostes effodere, &, si moram fecissent, procul dubio civitas aut vi captatura fuisset, aut dedita. Porro rumor, qui Christianorum nunciavit adventum, Sarracenos se retrahere coegit. Apud Azotum commissum est bellum, in quo fugati sunt & occisi Babylonii & relicta sunt Christianis spolia multa, cameli quadringenti, asini quadringenti, tentoria cum varia supellectile. De XVI. milibus, quinque milia sunt interempta de nostris pauci. Post hanc victoriam Dux Venetorum Ptolomaidam applicuit, & certificatus de victoria Christianorum prosecutus est Babilonios per mare, & bifaria navigatione suos divisit; minorem partem versus Joppen, majorem vero in pelagus altius, ut Sarraceni visis a longe velis putarent esse peregrinos a parte Cypri ad terram promissionis tendentes. Unde Babylonii naves sibi viciniores invaserunt, quasi jam captas.. Veneti vero metu simulato protraxerunt conflictum, donec cum sociis navibus hostiles naves in circuitu concluderent. Ibi sanguis paganorum effusus est plurimus, captæ sunt naves opibus onustæ; deinde cum ultra Ascalonem victores procederent, obvias habuerunt X. naves lignamina deferentes ad componendas machinas. Illas ceperunt cum auro & argento, ac variis aromatibus, quæ deferebant, & sic quasdam secum traxerunt integras, alias concremantes. His ita gestis incolæ terræ promissionis condixerunt cum Duce Venetorum Tyrum obsidere. Quod pactum executi sunt XV. Kalend. Martii. Sane Tyrus est civitas valde famosa in corde maris sita, olim insula, postmodum per obsidionem Alexandri Regis Macedonum continuata in cinerem ab eo est redacta. Hæc civitas quondam a negociatoribus frequentabatur plurimum, opibus ditabatur immensis, quam alloquitur Ezechiel Propheta: Ecce ego adducam &c. & onus ipsius Prophetiæ describit Ysaias; nec ejus obliviscitur Josephus, nec Philostratus. Hujus civitatis opulentia peperit luxum, luxus peccata multiplicavit, unde sæpius puniri meruit. Propter scopulorum, quibus cingitur, ambitum, ignorantibus ejus situm aditus occurrit periculosus, ab oriente muro clauditur triplici cum turribus densis & celsis, nec multum ab invicem distantibus; nam ab illa parte aditus est & introitus ad terram. A parte vero septentrionis portus civitatis interior, inter turres geminas habet hostium, infra mœnia, ubi Rex Johan-

Digitized by Google

Johannes modernis temporibus castrum construxit egregium, quatuor turribus altis valde munitum, ac palatio regali decenter ornatum. Navibus portum ingredientibus tutelam parat insula maris æstum frangens, quem solus ventus aquilonaris molestare solet, & pro suis viribus concutere. In hoc portu Veneti classem suam locaverunt in tuto. Confugerunt in hanc urbem plurimi de civitatibus & oppidis, quæ Christiani vi vel per deditionem obtinuerunt, inexpugnabiliter se munitos credentes propter naturalem & artificialem Tyri munitionem. Hæc civitas quantum fuit delicatior, quando nec liberum habuit egressum, nec mercatorum utilem accessum, tanto citius defatigata molestiis & incommodis hostium supervenientium, maturato consilio de pace tractavit & exitu. Nam castellum ligneum, quod altius erexerunt nostri, cum tormentis machinarum cives terruit, & continuis periculis vexare non cessavit. Dux nihilominus Venetorum cum suis instrumentis requiem negavit afflictis. Cives e contrario genus omne defensionis excogitantes ac componentes, quantumcunque poterant, nostris intulerunt molestiam. Interim Ascalonitæ Jerosolymitis ac Joppicis latenter & patenter insidias & dampna non distulerunt inferre; sed malitia ipsorum compensata fuit a custodibus munitionum per captivos & occisos. Tyrii considerantes conditionibus suis nihil accrescere, sed in dies dampna sua multiplicatis doloribus augeri, victualia deficere, & sensim in arcto se constitutos, legatos miserunt ad Calipham Ægypti, & regem Damasci, ut afflictis subvenirent velocius, addentes, se pondus tormentorum amplius sustinere non posse. Nunciatur interea, quod Rex Damasci Doldequinus veniens ab una parte, & classis Babiloniorum ab altera totis viribus solvere obsidionem studeant. Unde nostri nihil de contingentibus obmittentes contra civitatem expeditos equites in occursum Regis Damasci & classem Venetorum contra naves Babiloniorum dirigere sagaciter ordinarant. Interim intelligentes nostri, quod Rex Damasci ad subveniendum properans, procedere timuit, cœpto negotio diebus & noctibus acrius instant ad hostium afflictionem. Interea juvenes Tyri quibusdam machinis nostris ignem apponunt, sed unus de numero fidelium memoria dignus ascendens in altum ignem extinxit, & licet de muris & turribus altis quasi signum ad sagittam densis jaculis appeteretur, nullum tamen vulnus accepit. Dum hæc apud Tyrum aguntur, Balach, qui Regem Balduinum cum aliis nobilibus in custodia tenuit, Jerapolim obsedit, & Dominum civitatis verbis pacificis ad se vocans occidit in dolo. Unde Gosselmus senior Comes Edessenus indignationis zelo viriliter accensus congressus cum Balac victor victo caput abscidit. Quod intelligentes Tyrii spe liberationis penitus deposita, mediante Rege Damasceno, vitæ suæ consulerunt hujusmodi conditionibus usi, quatinus salvis corporibus suis, & uxorum ac liberorum, totiusque familiæ suæ cum substantia rerum mobilium, civitate Christianis dedita liberum haberent egressum, nisi fortasse quibusdam allectis amore natalis patriæ placeret in Tyro permanere. Civitate gratia Dei a nostris recepta, non nisi quinque modii frumenti in ea reperti sunt. Introierunt autem orthodoxi III. Kalend. Julii anno MCXXIIII. Porro juxta pactionis fidem duæ partes civitatis regi, una Venetis obvenit.

XX. Eodem anno Rex Balduinus datis obsidibus pro centum millibus Michaelitarum a captivitate rediit liber. Qui mox Anthiochenorum virtute congregata, sperans liberationem obsidum suorum, qui pro ære alieno detinebantur, Halappiam obsedit. Sed intelligens multitudinem hostium adventare orienralium, regressus est Antiochiam infecto negotio. Interea Bursequinus inter Orientales potentissimus partes Antiochenas igne vastavit & spoliis. Rex vero, qui gemina solicitudine, regni videlicet & principatus, trahebatur anxius, supervenit cum mille & C. equitibus & duobus millibus peditum, cum numerus hostilis crevisset ad XV. millia, sed virtute regis regum victa fuit pars inimica, amissis, ut dicitur, duobus millibus; de nostris XXIIII. interempti sunt. Rex de manubiis soluta pecunia filiam suam obsidem liberavit festinanter.

XXI. Per idem tempus Rex potenter agebat in partibus Damascenis trahens secum prædam maximam. Interim Babilonii, qui quater in anno terram promissionis invadere consueverant, venerunt Ascalonam. Rex autem se collocans in insidiis, expeditos milites præmisit, qui se hostibus ostenderent. Unde factum est, ut Ægyptii minus cauti nostros persequerentur usque ad robur regis, ubi conclusi sunt & occisi XL. cæteris fugientibus Ascalonem.

XXII. Anno MCXXVI. Rex voce præconia totum robur suum ad prœlium vocans contra Doldequinum Regem Damascenorum proficiscitur, usque ad locum, in quo Doctor gentium vocem audisse dicitur: Saule, Saule, quid me persequeris? Ubi Rex exhortatione præmissa; Doldequinus similiter suos allocutus ad resistendum pro patria & pugnandum sagaciter hortabatur. Exinde congressæ sunt acies nimis hostiliter, pugnantes pro suis animabus viriliter ab hora diei tertia usque ad horam decimam, ancipiti discrimine contendentes pro victoria; tandem triumphator in Israel interpellante, sicut credimus, apostolo, pro suis conflictum terminavit per adversæ partis fugam. Dicuntur autem inter hoc bello cecidisse plus quam duo millia; de nostris XXIIII. equites, pedites LXXXVI. præter eos, quos in regressu, in quadam turri violenter obtenta, Rex interfecit, scilicet LXXXXVI. In alia vero turri, quæ defensa non fuit, viginti vivos comprehendit. Consequenter Comes Tripolitanus Pontius auxilio regis impiger Raphaneam obsedit, & ad deditionem coëgit ultimo die Martii. Interea Bursequinus oppida cum suburbanis Cœlesyriæ crudeliter invasit. Nomen

Syriæ

Digitized by Google

Syriæ quandoque largius, quandoque strictius accipitur. Secundum largam appellationem Syria dicitur provinciarum extensio, quæ initium habet a Tygri fluvio usque ad Ægyptum & a Cilicia usque ad mare rubrum, cujus in inferiori parte inter Tygrim & Eufratem Mesopotamia sita est, & ex hoc nomen habet, quod inter duos fluvios sita est; Potamos enim Græce, Latine fluvius plerumque dicitur; quæ, quia Syriæ pars est, ideo in Scripturis Mesopotamia Syriæ nuncupatur. Post hanc Celessyriæ regio ejusdem potissima distinctio, provincia continetur Antiochena, cui a Septentrione utraque Cilicia contermina est, quæ ejusdem Syriæ sunt partes. Ab austro vero Phœnici conjungitur, quæ in duas dividitur, quarum prima maritima dicitur, cujus metropolis est Tyrus, a rivo Valaniæ, qui est sub castro Margac, habens initium, finem ad lapidem incisum, qui dicitur districtum juxta vetustissimam urbem, quam Tyrum antiquam appellant. Altera vero Phœnicis Libanica dicitur, cujus metropolis est Damascus, quæ in Prophetia dicitur, ut ibi; caput Syriæ Damascus. Sunt etiam partes utraque Arabia, cujus prima metropolis est Bostrum, secunda ejus metropolis est Petra deserti. Et Syria Sobal, ejusdem Syriæ majoris pars est, cujus prima metropolis dicitur Sobal. Nihilominus tres partes sunt ejusdem Syriæ, cujus prima metropolis est Jerosolyma, quæ proprie nuncupatur Judæa; secunda Cæsarea maritima, tertia Scythopolis, quæ dicitur alio nomine Bethsam, cujus hodie locum tenet Nazareth, quæ similiter & ipsa metropolis est. Idumæa quoque ejusdem Syriæ majoris pars est, quæ novissima ad Ægyptum respicit. Ex prædictis constat, quod quandoque districtius, quandoque largius Syria dicatur. Porro rex intelligens vastari Cœlesyriam sine defensione, licet adventum Ægyptiorum suspectum haberet, viciniori tamen occurrens necessitati, ad partes illas celeriter accessit, & Bursequinum retrocedere coëgit, qui postmodum a domesticis & familiaribus interemptus occubuit. Posthæc Boamundus junior rebus suis cum Duce Apuliæ compositis, benigne receptus est a rege Balduino, cui & Antiochiam restituit cum omnibus, quæ patris sui juris erant; eidem etiam filiam suam secundo genitam uxorem dedit. Hic adolescens sequenti vere oppidum Caphardam obsedit, nec alicui de defensoribus suis oculus ejus pepercit.

XXIII. Prætermittentes ergo compendii causa, quæ mediis annis gesta sunt, quod non videntur memoriæ posteritatis multum prodesse ad XXX. annum stylum transferimus, cujus VIII. Idus Decembris, Rex & Principes sui cum magna multitudine christianorum confusi redierunt ad propria, tempestate multa imbrium & ventorum & nebularum impediti, ne Damascum obsiderent, vel (de) dampnis sumerent ultionem, quæ pertulerant in his, quos ad victualia præmiserant quærendo in terram hostilem. Illi siquidem ab invicem divisi & ambulantes incaute a Doldequino Principe Damasci fugati sunt turpiter, & occisi; præterea multi in captivitatem ducti. Posthæc Dominus Alapiæ invasit Antiochenos, cui occurrit Boamundus princeps adolescens, qui castra ponens in locum, qui dicitur Pratum palliorum, irruentibus subito in eum Alappinis, destitutus est a suis, & ab hostibus confossus occubuit, cujus relicta, filia regis Jerusalem, mulier nequam, libidine dominandi filiam unicam, quam ex Boamundo susceperat, exhæredare studuit, etiam proprium patrem venientem ob hanc causam non admisit; sed rex per quosdam fideles intromissos in urbem malitiam filiæ compressit, & nepti, cui principatus jure debebatur, prudenter consuluit; deinde reversus Jerosolymam diem clausit extremum, vicesima die prima mensis Augusti, anni MCXXX. primi.

XXIV. Successor autem Regis defuncti Fulco gener ipsius ex primogenita filia sua post iteratos conatus principissæ Antiochenæ, ut ad secunda matrimonia convolans, principatum obtineret, multos etiam potentes corrupisset, ne tamen malitiæ suæ fructum reportaret, rex exercitum duxit plurimum contra Thurcos, qui ad nocumentum nostrum Eufraten transierant, & cum securi vacarent in castris circa finem Alapiæ襲 ferociter in eos irruit, ipsos confecit, & suos in divisione spoliorum hilares effecit; ubi etiam perfidiorum tria millia cæsa fuisse perhibentur. Post hanc victoriam Raimundo de Anglia latenter evocato filia principis Antiocheni, uxor juvenis Boamundi, traditur, exclusa matre & delusa, quia nuptias ejusdem promissionibus falsis affectabat.

XXV. Iisdem temporibus Christiani contra crebros excursus Ascalonitarum, quos nutriebat Rex Ægypti, construxerunt castrum, Bersabeæ urbem videlicet veterem & dirutam. Hic locus, tempore filiorum Israel, terræ promissionis ab Austro fuit terminus, sicut ab alia parte Dan, sive Paneas, quæ Cæsarea Philippi nuncupatur, unde legitur: cognoverunt omnes a Dan &c. Hic fuit puteus Habræ, qui puteus Septimus dictus est. Posthæc Pontius Comes Tripolitanus captus est a principe Damasci Bezeuge nomine. Interea Johannes Constantinopolitanus Imperator Alexi filius, cum exercitu maximo Ellespontum sive Brachium Sancti Georgii transivit, & post itinera longa Tharsum primæ Ciliciæ metropolim sibi vendicavit, sicque universam Ciliciam, ab Antiocheno principe per annos XL. quietam possessam, violenter occupavit. Deinde progrediens cum exercitus sui multitudine civitatem obsedit Antiochenam.

XXVI. Ab alia parte Sanguinus Christianismi persecutor immanissimus Montem Ferratum supra civitatem Raphaneam situm obsidione cinxit. Ad tantum periculum Rex invitatus sicut impiger & sociorum consolator cum omnibus, quos adducere potuit, advenit. Quod intelligens Sanguinus stationem suam solvit, & in augustis faucibus cum rege pugnavit. Rex autem victus magis locorum difficultate

tate quam hostium probitate, se recepit in præsidio, nulla tamen inferens victualia, quæ castrensibus erant rara. In eodem prælio multi de nostris ceciderunt, & præter alios capti sunt viri nominati, Raimundus Comes Tripolitanus & alii plures equestris ordinis. At rex in angustia constitutus, misit ad Patriarcham Jerosolymitanum nuncios, ad Antiochenum & Edessenum Comites, ut velociter ipsi succurrant & suis. Antiocheni salutem regis suo periculo anteponentes, licet Imperator Constantinopolitanus in foribus eos urgeret, cum patriarcha & aliis copiis accelerant, quod regem latuit, Sanguino manifestatum fuit, unde verbis pacificis regem & suos in summa necessitate constitutos, ad talem necessitatem induxit, ut præsidium ipsi traderent, eos vero liberos abire permitteret, Tripolitanum etiam comitem, & quos in proximo prælio ceperat, libertati pristinæ restitueret. Hæc pacta servata sunt utrobique, quia tam vicinum liberationis auxilium rex penitus ignorabat. Statim princeps Antiochenus, cujus res in arcto positæ fuerunt, reversus invenit civitatem suam vexari per imperatoris assultus. Porro viri prudentes animadverterunt nimis periculosum esse, bellum inter Christianos geri, & quod res in eum casum invenire posset, ut malum inde proveniret incorrigibile. Pacem reformaverunt inter discordantes, ita, quod princeps fidelitatem juraret imperatori, & civitatem ab eo temeret, portasq; aperiret imperatori venienti, sive irato sive pacato. His ita compositis imperator hiemabat in Cilicia circa Tharsum in regione maritima. Veris autem redeunte tempore civitatem quandam Cæsaram obsedit, ad cujus castra Antiochenus & Edessenus Comites accesserunt, ubi princeps scacis & aliis vanitatibus magis, quam negotiis bellicis intendebat, ideoque gratiam imperatoris demeruit in tantum, ut, cum civitas per moram capi potuisset, imperator, capto suburbio & multo sanguine fuso, cives, ad amicabiles compositiones admitteret, ne civitas ad dominium principis perveniret. Et sic, accepta pecunia, Antiochiam profectus est, & ut decuit imperialem magnificentiam a patriarcha & clero & populo processionaliter receptus, civitatem introiit: sed cum vellet in arce civitatis præsidium ponere, populares Antiocheni crimen proditionis imposuerunt Edesseno Comiti. Sic orta seditione quibusdam etiam de familia imperatoris truncatis imperator oratione præmissa sedavit tumultum, ante civitatem castra sua collocans post excusationes per prudentiores Antiochenas factas rediit ad propria.

XXVII. Posthæc Sanguinus, de variis bellorum successibus elatus, cum multitudine gravi bellatorum usurpare sibi regnum Damascenum disposuit. Anardus autem Damasci procurator inferior viribus a rege Jerosolymæ ac principibus regni petens auxilium fœdus prudenter cum eis iniit, & præter alias cautiones filios nobilium obsides dedit, adjiciens interpositis conditionibus, quod Paneadensem urbem expugnare valerent suis & ipsorum viribus, quam olim Doldequinus violenter obtinuit, eam civitas in jure Christianorum rediret. Sanguinus tali fœdere territus ab infestatione Dammascenorum recessit. Paneas igitur obsidione cingitur, Ainardo regem fideliter adjuvante, quibus adjuncti sunt Princeps Antiochenus & Comes Tripolitanus, & post varia civium tormenta, præfato procuratore Damasceno mediante, qui pactorum legem inviolabiliter servavit, rex per deditionem civitatem sui juris recepit. Hæc est Cæsarea Philippi, quæ Paneas & alio nomine Belinas, & in libro regum Lesedan nuncupatur. Post quatuor fere annos a tempore reversionis suæ Johannes Imperator Constantinopolitanus iterum cum exercitu suo versus Antiochiam proficiscitur, & in via positus insistens venationis vanitati, dum sagittam toxicatam in aprum minus caute dirigere niteretur, in manu propria vulnus accepit a semetipso. Et dum consilium haberet a medicis, ut amputata citius manu, quia virus totum in ea remaneret, ne corporis interiora corrumperet, respondisse dicitur: indignum esse, ut Romanum Imperium una manu regeretur. Emanuelem igitur juniorem filium, qui tunc in castris erat, hæredem regni declaravit, ne Acephalus rediret exercitus, & sic rebus suis compositis diem clausit extremum. Interea contra excursus Ascalonitarum nostri duas adhuc munitiones construxerunt, de quibus cum Bersabeæ plurimum compressi sunt hostes. Posthæc rex & regina spaciandi causa de Ptolomaida sunt egressi. Sed rex admisso equo, dum fugientem leporem insequeretur, equo cespitante, contritum est caput ipsius sella super eum cadente, ita quod cerebrum per nares & os & aures fluens mortem iuduceret vulnerato anno gratiæ MCXLII. IIII. Idus Novembr. Cui successit in regno Balduinus tertius, ætatis suæ anno tertio decimo.

XXVIII. Circa regis hujus initia Sanguinus Edessam metropolim Medorum obsedit, quæ alio nomine dicta est Rages. Comes hujus civitatis in alio loco morabatur, inter quem & principem Antiochenum inimicitiæ jam fuerant manifestæ. Unde propter odium personæ princeps necessitati Christianæ subvenire recusabat. Sanguinus autem per cuniculos & occultos meatus suffosso muro & fulcris igne combustis civitatem violenter introivit, eamque cepit in ore gladii, cruore fidelium, nec ætati nec sexui parcens, tyrannide fuso. Hæc civitas ab Apostolo Thadeo conversa fidem Jesu Christi tenuit usque ad hæc tempora. In eadem urbe corpus beati Apostoli Thomæ dicitur esse repositum, corpus etiam Abigari regis, de cujus epistola Salvatori missa & alia a Salvatore remissa Eusebius Cæsariensis Episcopus in ecclesiastica historia scribit. Balduinus adhuc ætatis teneræ audiens castrum cui nomen erat vallis Moysi in Syria Sobal a Thurcis occupatum fuisse, collectis copiis militarib9 in Arabiam proficiscitur, ibiq; armorum virtute, vexatis adversariis, quod amiserat, recuperat.

Interea

Interea Sanguinus ultione divina percussus, a cubiculariis suis interfectus occubuit. Qui duos reliquit filios, quorum unus apud Musulam, reliquus, cui nomen Noradinus, apud Alappiam dominabatur. Non multo tempore post quidam potentissimus Thurcorum satrapa inito fœdere cum rege suggessit Christianis, ut armata manu Bostrum adirent, cujus ipse custos fuit, promittens, quod in manu regis traderet illud. Est autem Bostrum Petreæ Arabiæ metropolis, quod alio nomine Buthsereth dicitur. Hoc consilium Sarracenos non latuit, & cum nostri iter agerent, infidelium aggressiones sustinuit periculosissimas. Tandem cum multo labore perveniens ad castrum intellexit, quod uxor præfati Thurci illud in manus Thurcorum tradiderat. Unde Rex majori periculo suos reducere studuit. Nam hostes nec diebus nec noctibus requiem dabant Christianis, sagittas & alia missilia instar grandinis in eos jaculantes. Nostri vero mortuos suos & sauciatos jumentis imposuerunt, ne dampna gravissima per strata cadavera, si relicta jacerent, in viis manifeste cognoscerent hostes. Regio, per quam transierunt Christiani, vepribus & frutectis & carduis plena fuit, quæ succendentes inimici, sitim laborantibus auxerunt, & instar nebularum fumus texit gradientes. Nigredo præterea fuliginis facies eorum fuscavit. In hac angustia supplicabant Archi-Episcopo Nazareno, qui lignum dominicum bajulabat, ut pro eis oraret Dominum. Ubi virtus orationis tam evidens miraculum induxit, quod vis ventorum omnem illam molestiam converteret in hostes. Stupent perfidi novitate miraculi, & singularem reputant Christianorum fidem, quæ tantum possit a Deo suo beneficium impetrare. In hoc periculo, cum nostri ducem viæ non haberent, quidam, quem ignoramus, unde venerit, aut quo post Ducatum devenerit, agmina fidelium præcessit, perducens ad locum, in quo copiam aquarum invenerunt. His malis accessit clades Edessanorum, qui remanserant sub jugo perfidorum, postquam expugnati fuerunt a Sanguino. Cum enim Comitem Edessanum revocasset in civitatem, Noradinus congregata multitudine fere omnes extinxit; Comes tantum fugitivus evasit. Has & alias miserias Christianitas perpessa prope per omnes partes orientales ab apostolica sede postulavit auxilium. Summus pontifex Eugenius compassus, ut debuit, orientalium fletibus, prædicatores emisit, inter quos Beatus Bernhardus Clarevallensis Abbas extitit præcipuus. Eo tempore signacula crucis acceperunt Conradus Romanorum Imperator, & Lothewicus Rex Francorum, qui separatim gradientes per Austriam, Hungariam, Bulgariam & Græciam, post transitum Ellesponti plurima pericula passi sunt & dampna. Conradus Imperator tendens Iconium, in solitudinem vastam devenit, ubi congregata multitudine innumerabili Turcorum, cum etiam victualium paterentur inopiam de LXX. millibus loricatorum equitum, & numerosa multitudine peditum, vix decima pars evasit, aliis fame, aliis gladio pereuntibus, aliis in vincula conjectis, anno MCXLVI. mense Novembri. Imperator reversus Constantinopolim, tandem navigando pervenit Jerosolymam, ubi magnifice receptus gloriosum visitavit sepulchrum. Rex Francorum subsequutus Imperatorem, similiter plurima dampna perpessus per hostium aggressiones & famem navigio pervenit Antiochiam. Indicitur autem curia solempnis apud Ptolomaidam, a regibus & aliis Baronibus celebranda. Huic tractatui præter tres reges multi nominati interfuerunt viri; Theothinus Portuensis Episcopus, Apostolicæ sedis legatus; Gwido sancti Crisogoni presbyter Cardinalis, Apostolicæ sedis legatus; Frethericus Dux Svevorum adolescens, postmodum Imperator potentissimus; Theodericus Comes Flandrensis cum multis aliis. Hi ommnes communi consilio Damascum adeunt per Paneas & montem Libani, anno MCXLVI.

XXVIII. Fortitudo Damasci virgultum ejus, quod tamen Christiani violenter irrumpentes & occupantes aquas, terrorem nimium & desperationem hostibus incusserunt. Porro Damasceni nichil intemptatum relinquentes, promissa pecunia ac soluta, quæ tamen inventa est reproba, quosdam de filiis Belial, quorum nomina Dominus scit, corruperunt. Reges autem persvasi veneno proditionis a virgulto Damasci se transtulerunt in partem civitatis alteram, ubi frustra laborantes obsidione soluta inglorii redierunt, & sic Imperator ac Rex Francorum nichil in terra promissionis gerentes memoria dignum, reversi sunt ad propria.

XXIX. Noradinus interim considerans Christianorum paucitatem, principatum Antiochenum aggressus est in multitudine gravi. Princeps sicut vir impetuosus & incautus cum eo in patentibus campis pugnavit, ubi victus est & occisus, & cum eo Rainaldus Comes de Mares vir strenuus, cum multis aliis, occubuit. Posthæc Noradinus Harench occupavit, quam usque in hodiernum diem recuperare non valuit Christianitas. Edessanus etiam Comes nocturnum iter agens, & paululum divertens a suis captus est a latronibus & Alappiam ductus, ubi longo squalore carceris & catenarum pondere pressus miserabiliter exspiravit. Exinde nostri Gazam pro parte reparaverunt, ipsamque Militiæ Templi sagaciter assignaverunt possidendam. Ab illo autem tempore terrestris exercitus Ægyptiorum nostros rarius infestare præsumpsit. Interea Noradini potentia prævaluit in tantum, ut tres provincias, quæ Antiocheno Patriarchæ subjectæ fuerant, violenter occuparet, quas usque in hodiernum diem Sarraceni detinent, Edessanam videlicet, Jerapolitanam & Coriciensem.

XXX. Procedente tempore quidam nobiles Turcorum, qui Harioquin nuncupantur, Jerosolymam sibi hæreditario jure deberi dicebant, hortante matre & ignaviam inproperante cum armata militia ad civitatem sanctam ascenderunt. Contra quos in monte Oliveti constitutos Jerosolymitæ sunt egressi, & persequentes

tes eos fugitivos uſque ad vada Jordanis,& contemptis ſpoliis occidiſſe dicuntur ex eis quinque millia, anno MCLII. IX. Kalend. Decembr.

XXXI. De hac victoria populus fidelium confortatus Aſcalonem obſedit, & per longam moram defatigatus multo ſanguine ab utraque parte fuſo, tandem cives ad deditionem coëgit, anno MCLIIII. XII. die menſis Auguſti. Porro Rex Jeroſolymæ odio ſuæ paupertatis contra fidem publicam, & privatam veniens Treugam violavit, in qua Dominum offendit & homines, ideoque procedente tempore turpiter fugatus a Noradino, præſidium in ſola fuga ponens multos nobiles & ſtrenuos tunc amiſit. Rainaldus etiam Comes Antiochenus, qui Patriarcham melle linitum muſcarum punctionibus expoſuit, in compenſationem ſui ſceleris poſtmodum captivatus eſt a Sarracenis, & ignominioſe ductus Alappiam in horrore etiam carceris incluſus pœnitendi ſpatium habuit.

XXXII. Sane Balduinus Rex diem clauſit extremum, anno MCLXII. cui ſucceſſit Almaricus frater ipſius unicus, Comes Joppenſis & Aſcalonitanus. Hic circa principium ſui regni contra Soldanum Ægypti pugnavit, ipſumque devicit. Secundo etiam Ægyptum ingreſſus pro magna parte voti ſui compos effectus erat. Noradinus interea turpiſſime fugatus eſt, dum in terra Tripolitana delitiis vacaret. Hujus victoriæ Duces fuerunt Giſelbertus de Lacis, Princeps militiæ templi, & duo nominati viri, qui orationis cauſa Jeroſolymam aſcenderant, de Aquitania venientes, Gaufridus & Hugo de Linziaco. Hæc autem lætitia Chriſtianorum poſtmodum verſa eſt in luctum. Nam cum Noradinus ab obſidione cujuſdam caſtri metu noſtræ partis receſſiſſet, qui contra eum profecti fuerant, ſolutis aciebus nimis impetuoſe, poſt ipſum cucurrerunt, ipſe vero prævalens luctuoſum valde dampnum nobis intulit. Nam præter occiſos & ſpolia multa capti ſunt ea tempeſtate, & Halappiam in captivitatem ducti viri nominati, Boamundus Princeps Antiochenus, Rainaldus Comes Tripolitanus, Calammanus etiam Ciliciæ procurator & Hugo de Linziaco, & alii multi, anno MCLXV.

XXXIII. In hac deſolatione militiæ Chriſtianæ Noradinus Cæſaream Philippi vallavit obſidione, quæ dedita fuit ei anno MCLXVII. His ita geſtis Rex ab Ægypto rediit victor annuum tributum ex pacto percipiens, Sanar in regno Babilonis confirmato, & Siracuno principe militiæ Noradini, violenter expulſo. Noradinus autem poſt annum captivitatis principis Antiocheni, acceptis obſidibus, liberum in ſuum principatum dimiſit eum. Iisdem temporibus Siracunus quandam munitionem fortiſſimam in Sidonienſi territorio ſitam, quam Caveam Tyri appellant, in ſuam poteſtatem accepit, corruptis, ut dicitur, cuſtodibus. Eodem anno quædam alia Spelunca trans Jordanem in finibus Arabiæ militiæ templi deputata, proditorie, ut fertur, eidem Syracuno traditur.

XXXIV. Syracunus iterum collectis Sarracenorum copiis per ſolitudinem in Ægyptum proficiſcitur. Eſt autem natura viæ ejuſdem deſerti, ut violentia venti non minus periculis per terram, quam in mari itinerantibus ſoleat inferre. Elevatam enim in tranquillitate magna ſterilem arenam per maximos cumulos projicit eandem viam impediens, & hominum veſtigia delens, itinerantium etiam oculos claudens & eoſdem obruens. In hac tempeſtate Syracunus plurima dampna perpeſſus proceſſit nihilominus.

XXXV. Porro Rex Jeroſolymitanus pactorum ſuorum non immemor, cum exercitu deſcendit in Ægyptum per Peluſium civitatem famoſam, quæ nunc Belbeis vocatur, & ſic pervenit Cayrum, quæ civitas eſt caput regni, magnificis opibus decorata, habens juxta ſe Babilonem, quæ lingua Arabica Mazel appellatur. Hanc Babilonem Cambiſes dicitur conſtruxiſſe; Cayrum vero modernis conſtruxit temporibus Johar Princeps militiæ Meezidinallæ, (a) qui tunc in Africa regnabat, poſt quam dominio ſuo ſubjugavit Ægyptum. Alii aſſerunt hanc eſſe Menphim, quod ita reprobatur. Ultra Niliom enim quaſi decem miliaribus apparet civitas rumoſa vetuſtæ nobilitatis, & eximiæ nobilitatis argumenta præferens, quam etiam incolæ regionis Memphim veterem fuiſſe pro certo aſſeverant. Conſtructa eſt autem civitas Cayrum anno ab errore Mechemet CCCLVIII.

XXXVI. Siracunus, ſicut cautus & aſtutus, fluvium tranſiit ante occurſum hoſtilium legionum. Quidam autem de ſuis comprehenſi ſunt a noſtris, antequam Dominum ſuum ſubſequerentur, per quos multa didicimus de ſecretis adverſarii, præſertim quod in ſolitudine, ſicut præfati ſumus, multa ſuſtinuit adverſa. Porro Sanar Soldanus intelligens adverſarium ſuum jam in terra Ægypti potenter agentem regem Jeroſolymitanum modis, quibus potuit, in terra Ægypti detinuit. Unde inter regem & Calipham pacta ſunt renovata, tributum annum ampliatum. Ad relevandas autem curas expenſarum, donat ſtatim regi aureorum CCM. & ut firmiora ſint pacta, quæ inter regem & procuratorem Ægypti fuerunt inita, nuncii diriguntur ad Calipham. Venientibus ergo nunciis cum Soldano Cairum per tenebroſos meatus, quos Æthiopum multitudo cum armis obſervabat, ad ulteriora ſunt progreſſi. Deinde venerunt ad locum Lucidum avibus nobis ignotis repletum, poſtmodum ad alia monſtris, quibus Europa caret, referta. Demum perveniunt ad palatium, ubi Calipha, aureo ſedens ſolio, familiaribus ſtipatus, in magnificentia ſecularis pompæ, quæ aliorum regum excedit gloriam, ſe videndum oſtendit. Soldanus ter proſtratus ad terram, quaſi ſuplex adorabat eum, & audiens cauſam adventus, benigne reſpondit, & omnia pacta per abſentes inita porrecta dextra, præter morem ſolitum, nuda Hugoni Cæſarienſi, nuncio, regis firmiter approbavit muneribus, ut tantum Principem decuit, largiter collatis.

XXXVII. Calipha interpretatur ſucceſſor vel hæres, eo quod locum teneat ſui primi pro-

(a) Paulo poſt hic vocatur *Helmidinalla*.

phetæ.

Digitized by Google

phetæ. Dicitur etiam Mitilene, quod interpretatur Dominus noster. Idem Calipha delitiis vacat & otio, negotiorum exspers, procuratorem habet, qui universa administrat negocia tanquam alter Joseph, hanc potestatem gladii ab eo tenens Soldanus dicitur. Prioris nominis hæc ratio est, quod Mehemet perversor gentis illius, proximum successorem habuit quendam de cooperatoribus suis Bebetre nomine. Post quem in regno successit Homar. Hali autem quintus ab eo plus strenuus cæteris & jure militari præcellens, ipsius Mehemeth patruelis, successor ipsius dedignabatur appellari. Volebat enim major illo propheta dici, & ab hominibus haberi. Prædicabant etiam publice legem per angelum Gabrielem ad se, non ad Mehumet transmissam, sed errore deceptum Mehemet tradidisse divina præcepta, & hujusmodi exhortationibus invenit populum, qui sibi crederet. Unde scisma factum est inter eos usque in hodiernum diem, aliis asserentibus hunc perversorem potiorem fuisse, aliis majorem auctoritatem Mehemet concedentibus. Qui Mehemet sequuntur, Summi dicuntur, qui vero Hali, Sya nominantur. Occisus est prædictus Hali & obtinuit pars adversa principatum, & fuit penes sequaces Mehemet monarchia in oriente, & alios contrariæ opinionis viros opprimebant tanquam potestatem habentes. De stirpe Hali descendit quidam nomine Abdalla, qui se vocavit Mehedi, quod interpretatur complanans, quasi universa dirigeret ad quietem. Hic dominabatur in Africa & expugnavit Siciliam, qui detestabatur Mehemet & actus ejus. Hali autem Attanum extulit, & Calipham apppellavit. Hujus abnepos Ebuthem inus cognomento Helmidinalla, expugnavit Ægyptum per Johar Principem militiæ suæ, ubi caput regni construxit civitatem Chaire, quod interpretatur vincens, quasi Domini sui omnia vincentis futurum esset domicilium. Ab illo tempore usque ad Calipham, cujus mentionem fecimus in pactis cum rege firmatis, non defuit Caliphæ æmulus de Baldach de pari contendens, etiam præferens se illi.

XXXVIII. Siracunus partem militiæ suæ ad depopulandam insulam Meheleth misit, quo rex intellecto filium Soldani Chemel cum Milone de Planci eo transmisit, ubi viriliter pugnatum est; sed victi sunt Turci, & qui gladios evadere potuerunt, in flumine sunt submersi. Hanc insulam uberrimam facit divisio Nili, qui quasi quatuor hostiis mari conjungitur. Prima pars, quæ nostram Syriam inter atque antiquissimas duas urbes, Tafnim & Pharamiam mare ingreditur; secunda apud Damiatam urbem antiquam & nobilem; tertia apud Sturionem; quarta apud Resith. Omnis tractus Ægyptiacus, qui Æthiopum regioni continuari dicitur, inter duas solitudines jacet arenosas, perpetua sterilitate damnatas. Terra vero interjacens & humanis cultibus apta, certis temporibus ex abundantibns aquis Nili ubertate repletur maxima. A Cairo inferius versus mare planiora inveniens loca Nilus irrigans, excursus habet libros. Alexandria, quæ regni civitas ultima arentem contingit Lybiam. A Cayro sursum ultima civitas Ægypti occurrit Chus, Æthiopiæ contigua, ubi arenosorum collium patitur angustias. Hæc pars irrigui beneficium non sentit, quæ lingua eorum Seth appellatur. Terra pascua, vel quæ data fuit Jacob & filiis suis, Syriam respicit. Regio Ægypti CCCLXVI. tam urbes quam suburbana finibus suis dicitur cohercere.

XXXIX. Commissum est prælium inter regem & Ægyptios ab una parte & Siracunum cum Thurcis ab altera, in locis inæqualibus & arenosis, in confinio terræ cultæ, & terræ sterilis, cui nomen Heben, ubi pertinaciter pugnatum est usque ad Vesperam, ita ut neutri parti plena possit ascribi victoria. Vicit Rex & in fugam convertit partem illam, in qua Dux hostium certabat. Victus est Rex ab alia parte, ubi Hugo Cæsariensis cum Soladino consaguineo Syracuni dimicabat. Nox tandem prælium diremit. De parte Syracuni decrevisse dicuntur mille quingenti; Regis C. capti vel occisi sunt. Tanta vero multitudo fuerat de parte Syracuni, ut de XII. millibus IX. millia loricis tecta referantur & galeis. Reliqua tria inter sagittarios computabantur: Arabum X. aut XI. millia. Dicitur etiam habuisse, qui pro more suo lanceis utebantur. Regis autem militia ad CCCLXXIIII. æstimabatur, præter Turcupulos & Ægyptios molles & effœminatos, qui potius impedimento fuerunt quam auxilio bellatoribus. Rex Cayrum reversus est receptis paulatim suis, qui per fugam vel sequelam de conflictus tempestate fuerunt elapsi. Syracuno civitas Alexandria traditur, in qua præsidium posuit, Saladinum cum armatis M. ipse foris vagabatur ad deditionem, quos poterat, invitans. At Rex Alexandriam cum Saladino impiger obsedit, intercipiens alimenta, quæ de superioribus partibus Ægypti deduci solebant ad civitatem. Pomeria destruxit in circuitu, castrum ligneum & altum erexit, tormentis machinarum & aliis importunitatibus cives molestavit, nec eis requiem dedit. Intelligens Saladinus consilium de civitate restituenda Soldano Syracuno hoc significavit secretius. Qui considerans suos adversos casus, Hugonem Cæsarinum, quem tenebat captivum, mediatorem pacis destinavit. Rex & Soldanus conditiones acceptaverunt, regi triumphatori civitas aperitur, vexillum ipsius in arce ponitur. Syracunus per solitudinem revertitur. Rex cum suis tempore sibi placito victor ad sua remeavit.

XL. Nulla potentia longa est, & plerumque labor longævi temporis fatuo vel doloso subvertitur vel concutitur consilio. Rex enim avaritiæ suæ consulens & contra pactum veniens, quæ Caliphæ spoponderat in Ægypto & Soldano, Pelusinam civitatem nihil tale timentem crudeliter invasit, & sanguine civium eam aspersit. Hujus pravi consilii dicitur auctor fuisse Gerbertus Magister Hospitalis S. Johannis; Militia vero templi hujusmodi actibus cooperari recusavit. Sanar repentino rumore facti

regis consternatus in hanc deliberationis partem declinavit,ut regem muneribus placaret,& interim potentes de sua superstitione latenter in auxilium advocaret. Nuncios igitur destinavit ad Noradinum, qui gaudens de discordia confœderatorum Syracunum cum auxiliatorum copia misit in Ægyptum. Rex vero lento gradu Cayrum pervenit, cujus impetum Sanar suspectum habens constituit pecuniam, quam non de facili totum regnum cito persolvere posset, videlicet vicesies centena millia Bisantiorum,centum millia dari faciens in continenti. Interea certificatus est Rex Syracunum adventare cum Thurcis, unde se retraxit a Cayro per miliare, castra locans juxta ortum Balsami, & cum vana spe solutionis pecuniæ residuæ per VIII. dies traheretur a Soldano, pavens periculum, quod imminebat, per Pelusium reversus est ad propria. Syracunus vero magnifice receptus est a Soldano,nec tamen ferocitatem pectoris illius emollire poterat. Sanar nihil tale timentem improvidum sterni statuit, & capite truncari jussit. Deinde Caliphæ consvetam reverentiam exhibens, gladii potestatem accepit ab eodem. Sed post annum mortuus est, cui successit Saladinus miles strenuus & ultra modum liberalis. Calipha duos filios Sanar perimi jussit. Saladinus superiorem in Ægypto non sustinens Calipham cum omni generatione sua peremisse dicitur, nisi forsitan aliqui neci subducti fuissent latenter. Thesauros repertos largiter inter milites distribuit, in tantum, ut in opulentissimo regno ære gravaretur alieno.

XLI. Anno MCLXX. Manuel Constantinus Imperator ad occupandum regnum Ægypti misit classem magnam centum LXX.galeas cum aliis navibus equos deferentibus, habentibus etiam pontem ad ingressum & egressum; insuper dromones X. aut XII. cum victualibus aliisque necessariis,quibus præfecit virum industrium in hujusmodi negociis exercitatum Magelducam. Græci igitur cum rege Jerosolymorum apud Ascalonem congregati mense Octob. profecti sunt in Ægyptum, ingredientes Nilum inter Civitatem & Pharamiam, Metropolitanam Thaneos. Pharamia est urbs antiquissima nunc deserta, quæ raro incolitur habitatore. Exinde Damiatam pervenerunt prope civitatem castra locantes, inter fluvium & lacum VI. Kal. Nov. Turrim fluminis occupare non valuerunt,inter quam & civitatem catena protendebatur fortissima, quæ classi negabat ascensum. Composita sunt instrumenta bellica, meatus subterranei per suffossionem protensi; sed tanta multitudo Sarracen. supervenit, quod frustratus est christianorum conatus; fames etiam Græcos premebat, nec Latinis tanta ciborum erat copia, ut distributione facta sufficerent utrisque Palmarum caseos rodebant pro alimentis eis utentes. Insuper imbrium tantus supervenit fluxus, ut tentoria natare viderentur. Sex etiam galæ Græcorum per naviculam ignem deferentem, cum inter naves hæreret, combustæ sunt. At sollicitudo regis ab aliis propulsabat incendium. His omnibus necessitatibus concurrentibus per quasdam occultas conditiones pax componitur. Nostri vero sicut per terras & mare venerant, sic eodem tramite revertuntur in Syriam. Qui navigio revertebantur experti tempestatem validissimam paucis exceptis confractis navibus naufragium passi sunt cum damnis plurimis. Post hos casus adversos accessit ira desuper commovens & concutiens per terræ motus terribiles, quales ante visi non sunt, partes Phœnicis & Cœlesyriæ in Tyro & Tripoli. Nec defuit Sarracenis hæc tempestas in partibus Alappiæ. Palestinæ tunc pepercit Dominus per patientiam & longanimitatem ad pœnitentiam eam invitans.

XLII. Post hæc Saladinus, congregatis, ut dicitur, XL. millibus equitum Darum obsedit. Est autem Darum in Idumea situm. Asserunt autem antiqui a Græcis hunc locum quondam fuisse obsessum, unde Darum dicunt interpretatum domus Græcorum. Saladinus suburbium potenter expugnavit, & multo sangvine suso præsidium, in quo se superstites receperunt, acerrime vexavit. Ideoque Rex necessitatis compassione compulsus cum CCL. equitibus & peditum duobus millibus, compressis admodum cuneis, inter confertissimos hostes transiens castra locavit ante Darum, & Saladinum recedere coëgit, qui profectus est Gazam. Illuc quoque Rege sequente Saladinus post plurima damna, quæ nostris intulit, regressus est in Ægyptum. Per idem tempus martyrio coronatus fuit gloriosus Pontifex Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus.

XLIII. In provincia Tycensi circa Diocesim Antaderensem quidam popŭlus manet, habens castella decem cum suis suburbanis, qui computantur ad numerum sexaginta millium, vel amplius. Hi sunt Hasfessini, quorum præceptor Vetulus dicitur de Montanis, cui in omnibus etiam in atrocioribus obediunt. Isti meritorium sibi fore reputant, quemlibet, ad quem mittuntur a Vetulo, cultellis interficere. A pueritia loqui variis linguis didicerunt, in utroque sexu sicarii destinantur, inhabitu clericali, monachali, peregrino, seculari. Tædio longi temporis non avertuntur, nec timore mortis, perficere, quod conantur. Hi autem non hæreditario jure, sed prærogativa meritorum magistrum sibi præficiunt, quem subditi non verentur interficere, si ex causis fuerint contra ipsum indignati. Tributarii sunt Templariis, armorum potentia coërciti, qui etiam legem Mehemet strictius, quam alii Sarraceni servaverunt quadringentis fere annis, qua postmodum spreta, legem statuerunt pro suæ voluntatis arbitrio. Cum enim Evangelicam veritatem inspicerent, & sanam doctrinam Apostoli approbantes, magis in vindictam legis Evangelicæ, quam spurcitiam perversi dogmatis Mechemet, vinum bibere cœperunt, & carnem suillam comedere in contemptum erroris pristini. Aliquando dixerunt & adhuc familiariter aliquibus suggerunt, quod si potenter prævalerent adversus Sarracenos, ad ritum nostrum se transferre non dubitarent, sed quo animo istud dicant, penitus ignora-

Digitized by Google

ignoramus. Nuncium aliquando miserunt ad Almaricum regem secreta deferentem, quem Templarius quidam, qui speciales cum eo habebat inimicitias, in conductu regis interfecit. Unde idem maleficus a militia Templi tractatus ignominiose, conjectus fuit in vincula.

XLIV. Interim rex defunctus est anno MCLXXIII. Eodem etiam anno Noradinus rebus humanis exemtus est. Jure successionis substitutus est regi filius suus Balduinus, qui licet adhuc in puerilibus annis constitutus esset, signa tamen lepræ comperta sunt in eo, quæ procedente tempore patenter eruperunt. In hujus regis primordiis a rege Siciliæ ducentarum navium classis Alexandriam directa fuit, nihilque ibi proficiens, post moram VI. dierum confusa rediit ad mittentem. Per idem tempus Saladinus Negemedini filius Syracuni nepos ex fratre ignobili genere, sed consilio providus, militia strenuus, liberalitate præcipuus, per solitudinem profectus venit Damascum ad obtinendum regnum Syriæ, vocatione perfidorum, qui filio Noradini Domini sui adhuc impubere fraudulenter exhæredato venientem admiserunt. Deinde Cœlesyriam ingressus Hamam civitatem occupavit, & alias urbes plurimas hæredi Domini sui debitas. Alappiam etiam præsumptuosus occupavit, ut ibidem puerum hæredem comprehenderet, sed spe sua tunc frustratus, tractus ad alia, votis suis in hac parte non est potitus. Interea filii Noradini patruus inter orientales potentissimus, indignatus vehementer contra sui nepotis exhæredationem & ingratitudinem Saladini, cum armorum potentia & spiritus indignatione festinanter advenit. Hic Dominus erat famosissimæ civitatis Ninive, & quondam maximæ, quæ ad prædicationem Jonæ pœnitentiam egit, sed nunc destructa est, & cum habitatoribus suis ad alium locum translata, retenta dignitate pristina, modo Mussula dicitur. Nec ex ejus adventu territus Saladinus Bostrum primæ Arabiæ metropolim, insuper Eliopolim, quæ nunc Malbech appellatur, traditione civium introductus, possedit, & appropians Halappiæ cum præfato principe prælium commisit, in quo certamine superior, deficientibus Ninivitis, victoriam obtinuit. Eodem tempore Manuel Constantinopolitanus Imperator hostiliter contra Iconium profectus, quanto major erat copiis & dignitate, tanto ignominiosius victus in illo conatu gravissime damnificatus, succubuit. Eadem tempestate Theodericus Comes Flandrensis Terram promissionis ingressus parum vel nihil utilitatis attulit, & adorans in Jerusalem palmam, quod consummatæ peregrinationis indicium accipiens, ad propria rediit sine laude.

XLV. Saladinus potentia crescens & viribus, trahens ex Ægypto & Syria copiosum nimis exercitum in campestribus Palestinæ grassabatur, crudeliter incendiis, rapinis & hominum cladibus. Cum etiam ad montana transiturus timeretur, Rex Jerosolymæ virtute divina magis fretus, quem viribus humanis obviam processit tyranno. Sane commissum est prælium, viribus imparibus, sed auxilio de cœlo misso fugati sunt hostes, quorum tanta fuit multitudo, ut veridica relatio XXVI. millia equitum numeraret, gregariorum autem XVIII. millia. De egregiis vero mille, qui omnes croceis induti super loricas, Saladino concolores, ad tutelam corporis ejus familiarius assistebant. Solent enim Turcorum satrapæ & majores principes, quos ipsi lingua Arabica vocant Emur, adolescentes sive ex ancillis natos sive emptos, sive capta in præliis mancipia studiosius alere, & disciplina militari instruere diligenter; adultis autem, prout cujusque expetit meritum, dare stipendia, largas etiam possessiones conferre. In dubiis eventibus bellorum proprii conservandi corporis solent his curam committere, & in istis spem victoriæ ponere. Hos lingua sua vocant Mammeluc. Hi donec Dominus eorum fugeret, in conflictu viriliter & unanimiter perstiterunt. Ex hoc accidit, ut aliis fugientibus hi fere omnes occumberent. Fugitivos persequebantur nostri usque ad noctis obscuritatem a loco qui dicitur mons Gisari, usque ad Paludem, quæ vulgo dicitur Cometum. Per XII. milliaria vel amplius fugati sunt hostes & truncati. Christianorum lucra & adversariorum damna non sufficimus enumerare. De nostris in primo conflictu quatuor equites ceciderunt. De peditibus pauci respectu adversæ partis. Auxiliatores regis vix erant CCCLXXV, ut humano generi palam fieret, Domino, non hominibus, hanc victoriam ascribi debere. Aberat enim cum Comite Tripolitano, qui castrum Harench tunc obsederat, magister Hospitalis cum sua domo, & pars magna Militiæ Templi. Plures etiam alii. Facta est tam gloriosa victoria VII. Kalend. Decembris, die festo Katherinæ Virginis. In hoc bello divinitatis præsentia patenter affuit; nam etiam elementa pro populo Dei pugnabant contra insensatos. Sequenti siquidem die ac decem continuis frigoris & imbrium tanta supervenit importunitas, ut equi prius lassati omnino deficerent, & vis algoris homines extingueret. Ignari præterea locorum, cum redire putarent ad propria, nostris occurrerunt ad captivitatem vel necem. Arabes insuper infidum genus hominum, qui victos & fugitivos pro hostibus habere solent, turpis lucri causa, Laris accedentes ubi magnam partem exercitus reliquerat Saladinus, irruerunt in eos, cladem cladibus addentes, & sic residuum locustæ comedit Bruchus. Dicitur etiam Saladinus camelo invectus per fugam evasisse. Altissimus, qui dicit: gloriam meam alteri non dabo, majores regni, de quibus est supradictum, noluit adesse, ne stulta cogitatio vel temeraria locutio multitudini victoriam adscriberet. Dum hæc aguntur, Comes Tripolitanus & qui cum eo aberant, ocio vacantes & aleis, in obsidione non profecerunt.

XLVI. Eodem tempore Fredericus Imperator post vicesimum annum schismatis cum Alexandro Papa reconciliatus est apud Venetias.

Digitized by Google

XLVII. Anno gratiæ MCLXXVIII. congregatum eſt Romæ Concilium in Baſilica Conſtantiniana, quæ dicitur Lateranum, CCC. epiſcoporum, Pontificatus Domini Alexandri anno XX. menſe Martio. Per idem tempus Rex quoddam caſtrum conſtruxit ſuper ripam Jordanis, in loco, qui dicitur Vadum Jacob, a quo ipſe de Meſopotamia rediens cum duabus turmis nuntios ad fratrem miſit. Exinde rex proceſſit contra latrunculos, qui delitentes circa vias anguſtas, per quas ipſe tranſiturus erat, timentes ejus adventum, cum noſtros incedere incautius aſpicerent, licet inviti & prius de ipſa vita deſperantes, facti ſunt in ipſa neceſſitate fortiores, & exilientes ſubito regem & ſuos vehementer arctaverunt. Conſtabularius autem cum magno impetu ſe ipſis ingeſſit, regem protegens, qui vix fuga elapſus multos meo diſcrimine perdidit, Henfredum Conſtabularium lætaliter vulneratum & multos alios. Menſe ſequenti Saladinus crebros in partes Sidonis excurſus faciens compulit regem conatibus ſuis occurrere. Sed minus cautus poſt primos congreſſus, in quibus victor extitit, fugientes Sarracenos equites & pedites ſuos perſequi permiſit, qui onuſti ſpoliis, quaſi jam conſummato negotio nihil ſupereſſe, ſecuri per loca varia quieſcebant. Quibus per hoſtes ſupervenientes truncatis & in vincula conjectis rex in fugam verſus, amicorum ſuorum fretus auxilio, ſe recepit in tuto. Alii fugientes, vitantes ſcillam, ciderunt in charybdim, in anguſtias videlicet ſcabris rupibus obſitas, & penitus exitum negantibus ſe immergunt, ubi nec ad anteriora procedere, nec niſi cum periculo mortis in manus hoſtium redire dabatur. In hoc ſiniſtro fortunarum eventu captus eſt Amandus militiæ Templi magiſter, hujus adverſitatis, ut dicitur auctor, cum multis aliis. Ipſe vero in carcerem detruſus finem malorum mortem invenit. Ex hac Saladinus elatus victoria ad cumulum miſeriarum noſtræ gentis caſtrum, de quo ſuperius mentionem fecimus, obſedit, violenter cepit, occiſis Templariis & aliis omnibus, qui in ejus defenſione reperti fuerunt.

XLVIII. Poſthæc claſſis Saladini ex Ægypto veniens prohibita fuit nocere Chriſtianis in Comitatu Tripolitano propter fœdus, quod Saladinus cum Comite jam inierat, ſed apud Arados inſulam, naves collocaverunt in tuto, cui contra ponitur Tortuoſa, quæ ex eo Antarados appellatur. In hac Petrus Apoſtolus dicitur Baſilicam parvam in honorem beatæ Virginis conſtruxiſſe, quæ multo populorum frequentatur acceſſu, propter miraculorum, quæ ibidem fiunt, evidentiam.

XLIX. Mortuus eſt Alexander Papatus ſui anno XXIII. cui ſucceſſit Lucius Papa tertius. Eodem fere tempore Imperator Conſtantinopolitanus & Lothewicus Rex Francorum defuncti ſunt. Mortuus eſt etiam filius Noradini, quem Saladinus hæreditate paterna privaverat, ſola Halappia relicta. Iisdem temporibus quidam Hæretici Maronitæ, circa juga Libani commorantes, eccleſiæ Dei, abjurato errore ſunt reconciliati, qui prius dogmatizaverant in Domino Jeſu Chriſto unam tantum voluntatem & operationem fuiſſe. Hi viri fortes erant & in armis ſtrenui.

L. Mortuo Manuele Græcorum Imperatore, quia filius ejus Alexius, cui copulata fuit filia Regis Francorum, adhuc infra annos pubertatis conſtitutus fuerat; & Alexius Prothoſevaſto imperium procuraret, Græci odium inveteratum, quod contra Latinos fovebant, quos Manuel dilexit, fovit & exaltavit, ad conſummationem ſceleris perducere ſtudebant, ideoque Andronicum, qui Ponto præerat, non ſolum ad malum Latinorum, ſed etiam Procuratoris nequiter invitabant. Qui veniens cum exercitu magno ad urbem acceſſit, & ſecus Helleſpontem e conſpectu civitatis caſtra metatus univerſam Bithiniam occupavit. Cujus prævaleſcente potentia Prothoſevaſto captus, privatus eſt oculis & argumentis virilibus decurtatus. Hoc tumultu Latini territi & a quibusdam de conjuratoribus præmoniti cum XLIIII. galeis, quas in urbe receperunt, receſſerunt ad modicum, ut eventum rerum cognoſcerent evidentius. Græci ſuperiores in malitia eccleſias Chriſtianorum invaſerunt primo, deinde domos eorum deſtruentes, in perſonas religioſas & alios promiſcui ſexus ſævientes, infantes etiam crudeliter neci tradiderunt cum direptione ſubſtantiæ. Quo intellecto, qui in galeis erant per Sexton & Abidon & alia loca diſcurrentes ſcelus ſcelere, damna damnis compenſaverunt. Invenientes etiam circa Triſopolim ac alias urbes Macedoniæ galeas, quas ſibi aſſociaverunt, claſſem Græcis terribilem circumduxerunt. Andronicus interim urbem pro votis obtinens, puero Alexio, quem interficere moliebatur, reverentiam imperialem exhibuit, ut procurator imperii facilius conatum ad effectum perduceret. Acta ſunt hæc anno MCLXXX.

Interea navis, quæ mille quingentos peregrinos deferebat apud Damiatam periclitata a Saladino confiſcata fuit. Qui avaritiæ ſuæ conſulens, ut tam res quam perſonas lucrifaceret, contra regem Jeroſolymitanum occaſiones quærebat, renunciandi Treugis, quæ inter ipſos compoſitæ erant, & ſic fœdere ſoluto per cauſas frivolas, quas nectebat, navim retinuit & homines. Saladinus poſthæc ex Ægypto traxit exercitum, & ſolitudine per XX. dies tranſcurſa X. milliaribus a monte regali conſedit. At Rex juxta Petram deſerti, quæ eſt in ſecunda Arabia, caſtra fixerat. Boſtrum metropolis eſt ſita in Arabia prima, urbs vetus; ſed Petra deſerti in ſecunda; mons regalis in tertia. Interim Sarraceni latenter excurſum fecerunt in terminos noſtros, invadentes Buriam, quæ eſt juxta Naim, ſub monte Thabor, & homines cum rebus ſuis ignorantes renunciatum fuiſſe Treugis in captivitatem traxerunt. Erat in regione Suitæ trans Jordanem, a Tyberiade XVI. miliaribus diſtans, præſidium, quod dicebatur inexpugnabile, hoc ſimiliter aggreſſi ſunt inimici crucis, ſumentes audaciam ex abſentia regis ac roboris regni. Ibi fuit ſpelunca in latere cujusdam montis, cui ſubjectum erat immane præcipitium. A parte

vero

Digitized by Google

vero superiori nullus erat omnino accessus; ex alio latere tantum arcta nimis semita, per quam homini libero & ab omni onere expedito vix absque periculo iter præberetur. Hic locus tam munitus infra quinque dies in hostium transfertur potestatem; sed compertum est postea interventu pecuniæ hoc accidisse. Rex, qui terram Promissionis incaute reliquerat indefensam, nihil proficiens in occursu Saladini, reversus est ad fontem Sephoritanum.

LI. Saladinus interim congregata milicia fines nostros hostiliter ingressus, transito Jordane, partes Scythopolitanas invasit. Hæc est Bethsan tertiæ Palestinæ metropolis, inter Jordanem & montes Gelboe sita. Dicebatur autem a senioribus nostris, quod nunquam tanta Sarracenorum copia visa fuerit simul in Palæstina. Sed quia Deo possibile est in paucis multitudinem vincere, pars nostra juxta militarem disciplinam sollerter ordinata, hostes viriliter resistentes invasit & confecit, non sine multa sui sanguinis impensa. Dicuntur autem nostri septingenti fuisse equorum sessores; ex parte vero adversa viginti millia equitum. Hugo Tripolitani Comitis privignus cum Tyberiadensibus in hoc discrimine conspicuus memoriam meruit in benedictione commendandam. Qui, licet esset adolescentior, tamen supra ætatis illius vires cum acie, cui præerat, tres hostium cuneos violenter effregit, & in fugam convertit. De Principibus vero perfidorum quidam interfecti, territos alios campum deserere fecerunt. Eo die dicitur tanta fuisse caloris intemperies, ut ab utraque parte plures caumatis extingueret incommodum, quam ferri vorago sterneret. Saladinus ea confusione perturbatus, recidiva nostris moliebatur gravamina, mandans fratri, quem in Ægypto reliquerat, ut præparata velociter classe dirigeret eam Berithum. Ipse vero cum expeditis veniens equitibus Gazam & Ascalonam cum aliis Judææ munitionibus invaderet. Igitur adveniente classe Saladinus Berithum obsedit ab omni parte, telorum incommodis & suffossionibus defensoribus ejus requiem negans. Illi nihilominus omne genus defensionis opponebant, sed nimis arctati absque liberatoris auxilio resistere non valebant. Porro rex veraciter intelligens exercitum Ægyptiorum versus Darum tendere, decrevit hostem viciniorem potius aggredi pro liberatione Berithi, quam exercitu diviso utriq; periculo minori robore uno & eodem tempore indiscretius occurrere. Præparatis igitur de Accon & Tyro XXXIII. galeis, in propria persona itinere terrestri impiger ad hostiles acies properat. Quo comperto Saladinus regis adventu territus obsidione soluta turmas aliquantum cepit dividere, turres in circuitu valentes resistere dejiciens, insuper vineta cum pomœriis destruens, & sic galeas in Ægyptum remittens reversus est ad propria.

LII. Posthæc sicut vir vigilantissimus & laborum patiens, nostros contemnens, ampliare disposuit sui nominis famam; ideoque Eufrate transito quosdam vi armata potenter expugnans, alios pecunia corrumpens, nominatissimas urbes Mesopotamiæ Edessam & Carram suo subjugavit imperio. Et procedendo tantas contraxit copias, quod Mussulæ Dominus ipsi resistere non valebat. Sane rex & principes nostri merito indignati, quod eis contemptis hostis Eufratem transierat, opportunitatem ex absentia ejus nacti per terras hostiles excursum fecerunt. Deinde speluncam, quam superius commemoravimus nobis perditam, obsidione facta fatigatis usque ad desperationem defensoribus per deditionem receperunt eandem.

LIII. Tyrannus voti sui compos & prospera nimis usus fortuna, compositis rebus in subjecta sibi Mesopotamia victor revertitur per Cœlesyriam, intendens ad dominium Alappiæ, quæ sola sibi deerat de Noradini dominio. Ille siquidem, qui Halappiæ præsidebat, considerans, quod frater ejus Mussulæ Dominus longe potentior, tantæ prosperitati resistere non poterat, inconsultis Halappinis initis cum Saladino pactis Halappiam tradidit. Unde nobis periculum vicinius & timor corda vulnerans accessit. At Princeps Antiochenus, cui gravior metus incumbebat, ex hoste tam vicino Treugas cum ipso composuit. Incommodis nostris accrevit invalescens regis morbus, qui procuratorem regni Comitem Joppensem instituit, cum Saladinus contractis undique copiis & ad unguem armatis per Scytopolitanas partes veniens ad fontem Tubaniæ, qui oritur ad radices montis Gelboæ, consedit. Nostri autem ad fontem Sephoritanum congregati substiterunt. Deinde processerunt in campum magnum Esdrelon, & per acies ordinatas ad fontem Tubaniæ progressi sunt obviam hosti. Quo cognito Saladinus fontem deseruit, quem occupantes nostri sive per ignaviam Principis militiæ præfati Gwidonis, sive propter difficultatem locorum, in quibus se receperat Saladinus, apud Bethsan, more suo, castra vicina noluerunt attemptare. Interim hostes per vim Gerinum invaserunt, quidam etiam montem Thabor præsumpserunt ascendere, & ecclesiam Beati Heliæ violare, quod prius inauditum fuerat. At relligiosi viri, qui munitiorem locum tenebant, vi armata repulerunt insolentes. Iidem præsumptuosi descendentes de monte Thabor, montem illum, cui Nazareth civitas adhæret, ascenderunt, & territas mulieres cum parvulis & mulieribus in ecclesiam beatæ virginis se recipere coëgerunt. Nam viri bellatores aberant in castris Christianorum coadunati, vel ad urbes maritimas se transtulerant. Discurrentes etiam de castris Saladini prohibebant accessum ad castra fidelium, unde fames orta fuit inter nostros. Mittuntur ergo legati ad urbes maritimas, qui copiam victualium afferentes, cito famem repulerunt. Quidam tamen sine conductu incautius venienter comprehensi sunt cum sarcinis. Rivus etiam Tubaniæ tum præter solitum inveniebatur piscosus. Rumor in ambiguo est, quare militia nostra, quæ tunc plurima fuit & peditum magna copia, permitteret absque congressione turmas hostiles tam libere vagari.

Digitized by Google

gari. Dicunt quidam, hanc diſſimulationem odio Comitis Joppenſis cui ſatis inſufficienti, rex curam regni commiſerat, prævaluiſſe. Poſt paucos autem dies exercitus uterque ad loca tutiora diſceſſit.

LIV. Vix elapſo menſe Saladinus reparatis copiis Craccum obſedit, cui præerat de Caſtellione Rainaldus. Huic loco priſtinum nomen erat Petra deſerti. Applicans autem machinas & obſidionem firmans, ſine intermiſſione lapides contorquebat, munimenta locorum concutiens. Et licet caſtrum naturaliter ſit firmum, quia tamen armorum & viriliter reſiſtentium copia tunc defuit, caſtrenſes plurima damna pertulerunt & terrores. Rex interea, qui experimento certiſſime didicerat, Widonem in adminiſtratione regni non ſufficere, poteſtatem datam revocavit. Balduinus puer quinquennis conſenſu cleri & populi regia dignitate declaratur, inungitur & coronatur. Comes Tripolitanus ſtrenuus & magnanimus ad educendum & reducendum populum Dei princeps conſtituitur. Acta ſunt hæc anno incarnationis dominicæ MCLXXXIII. Interim Saladinus VIII. machinis erectis contorquens lapides, quaſi tonitruum fieret, terruit interiores, eoque ventum erat, quod eis præ nimio terrore confuſis nec audentibus comparare, hoſtes prædam, quam miſeri cives in vallum, quod præſidio conterminum ſuberat, immiſſis funibus impune occiderent, & diviſa membratim animalia ſibi extraherent ad cibum indemnes. Comes vero Tripolitanus opem laturus obſeſſis, cum militia Chriſtianorum advenit. Quod intelligens Saladinus obſidione ſoluta reverſus eſt ad propria. Hactenus virorum fortium geſta cum debitis titulorum præconiis & varios bellorum eventus, quanto potuimus, compendioſius proſecuti ſumus. De cætero materia memoria digna defecit. Annalium enim conſcriptores non qualia optant, ſed qualia miniſtrant tempora mandare ſolent literis ex officio.

LV. Summo poteſtas divitiis bonitatis, patientiæ & longanimitatis abundans cum magna tranquillitate judicat, & cum multa reverentia diſponit nos. Lento enim greſſu ad vindictam ſui divina procedit iracundia, ſed tarditatem pene ſupplicii magnitudine compenſat. Quoniam Deus patiens redditor eſt crucifixores ſuos per XLII. annos exſpectavit ad pœnitentiam. Induratos autem per duos urſos ſc. Veſpaſianum & Titum punivit usque ad exterminium cum ſigno doloris pœnam per Prophetam dicens: Heu conſolabor ſuper hoſtibus meis & vindicabor de inimicis meis. Poſt tempora Urbani Papæ ſecundi terram promiſſionis largo ſanguine martyrum frequenti ſudore confeſſorum recuperatam reſtituerat Chriſtianis, qui procedente tempore luxuria, ſuperbia vitæ, & avaritia in tantam prolapſi ſunt malitiam, ut ſuſcitaret eis adverſarium, cui reſiſtere non valebant, divinitatis ope deſtituti. Veri miſeri, quorum vindicta differtur poſt mortem, ut in plenitudine peccatorum puniantur æternaliter. Porro non ſinere ex ſententia propriæ voluntatis diutius oculos divinæ majeſtatis provocare, ſed adhuc in carne poſitis adhibere vindictam, clementiæ divinæ manifeſtum eſt indicium. Propter peccata ſuper terram multiplicata & iniquitates patrum noſtrorum populus orientalis & Jeruſalem venerunt in opprobium omnibus per circuitum ejus. Fuerunt & aliæ cauſæ occaſionales tanti periculi.

LVI. Mortuo ſiquidem rege leproſo, & puero in regem electo, cujus ſupra mentionem fecimus, defuncto, quia Wido Comes Joppenſis inutilis eſſe videbatur regno, multorum erat conſilium, ut copula maritalis, quæ inter ipſum & reginam, ſororem regis leproſi, contracta fuerat, diſſolveretur. Gerhardus autem, militiæ templi magiſter, fovebat hoc matrimonium, aſſerens illicitum eſſe, quod pro tali cauſa conjugalis ſocietas diſſolveretur, unde diſcordia ſatis evidens & contentio effuſa eſt ſuper principes. Rainaldus etiam princeps montis regalis, infra treugam, quæ cum Saladino & cum Widone fuerat inita, carvanam mercatorum venientem ex Ægypto ſpoliavit. Cumque rex a Saladino ſuper hæc conveniretur, & rex principem moneret, ut ablata reſtitueret, reſpondit, ſe cum Sarracenis Treugam habere nolle. Ex hoc facto commotus Saladinus, Tyberiadem obſedit, & mittens ſeptem millia electorum Thurcorum verſus Accon regiones vaſtavit. Porro Gerhardus militiæ templi magiſter cum LXXX. militibus ad tuendam Nazareth properavit, cui adjunctus fuerat magiſter Hoſpitalis, & alii usque ad numerum CXL. militum. Gerhardus iſte miles erat ſtrenuus, ſed impetuoſus & temerarius. Qui videns pueros & mulieres, aliosque Chriſtianos de Nazareth captivos abduci, contra conſilium prudentium, non conſiderans hoſtium multitudinem & fidelium paucitatem, imprudenter ordinatas acies hoſtiles invaſit, ubi magiſter hoſpitalis occubuit in prælio. Gerhardus autem illius temeritatis auctor per fugam evaſit, ſed de fratribus ſuis quidam occiſi, quidam capti diſcrimen ſubierunt. Factum eſt hoc in principio Maji ad Caſale Roberti. Idem magiſter procedente tempore culpas ſuas omnes ſanguine martyrii lavit. Nam in deſcenſu Turonis Saladini inter Accon & Caſale Acconenſis Epiſcopi pro defenſione Chriſtianitatis occiſus occubuit. Poſtmodum congregatus eſt exercitus Domini ad fontem Sephoritanum; Saladinus ab altera parte copias contraxit, & Tyberiade tunc relicta obviam venit ad prœlium, quod commiſſum eſt in valle non procul a Tyberiade diſtante, ubi rex victus cum majoribus Tyronem Hatthi aſcendit, ubi comprehenſus eſt cum principibus ſuis & aliis, & in captivitatem ductus.

LVII. Anno ab incarnatione Domini MCLXXX. VIII. menſe Julio, in die tranſlationis Sancti Martini, planctus & fletus orientalis eccleſiæ auditus eſt in terra Chriſtianorum, & plaga ejus corda fidelium graviſſime vulneravit. Nam Tyberiade deſtructa Accon dedita fuit victori, & Domina gentium princeps provinciarum facta eſt ſub tributo. Pro liberatione regis

Digitized by Google

regis & Gerhardi, prænominati magiſtri templi, paucorum etiam militum munita plurimum Aſcalona in Saladini tranſivit dominium; deinde Berithum & tota fere Palæſtina. Urbes etiam Phœnicis obtinuit, Sidonem & alias. At Tyrus & Tripolis in poteſtate remanſerunt Chriſtianorum. Cladem hanc graviſſimam audiens Urbanus Papa III. apud Ferrariam dolore tactus intrinſecus, & fere correptus migravit a ſeculo. Cui ſubſtitutus eſt Gregorius VIII. vir vitæ venerabilis ac religione plenus, qui infra duos menſes migravit ad Dominum, cui Clemens Papa III. ſucceſſit, qui prædicatores crucis per regna tranſmiſit occidentis. Frethericus Imperator compaſſus eccleſiæ Dei crucem accepit, & cum eo filius ipſius Dux Sveviæ Frethericus, adoleſcens indolis optimæ. Signati ſunt præterea Principes regni Teutonici plerique cum militum multitudine copioſa. Saladinus interfecto Principe Rainaldo poſt multam defenſorum vexationem Montem regalem & Craccum obtinuit, & ſitiens totum regnum Jeroſolymitanum Tyrum obſedit, quam capere non valuit propter loci munitionem. Nam miſerator Dominus Conradum Marchionem montis Ferrati tranſmiſit, qui cives ad deditionem, quam facere decreviſſe dicuntur, prudenter cohibuit.

LVIII. Dum hæc aguntur in partibus orientis. Philippus Rex Francorum & Henricus Rex Anglorum hoſtiliter nimis apud caſtrum Raul concurrentes, ordinatis hinc inde militum & ſatellitum aciebus, pugnam inire decreverant. Aderant autem nuncii ſedis Apoſtolicæ crucis prædicatores, qui ſaluberrimis perſvaſionibus Treugam modici temporis interpoſuerunt, & inter Giſortium & Thrie reges convenientes colloquium habuerunt, ubi conſilio Spiritus Sancti familiariter uſi, ambo ſalutiferæ crucis ſignum humeris ſuis affixerunt, nec explicari poteſt verbis gaudium, quod ex hoc ortum fuit, quando ad concordiam & oſculum pacis redierunt. Unde Barones utriusque regni & minores ipſorum exempla ſequentes, crucis ſignaculum alacriter ſuſceperunt. At Henrico Anglorum rege ante tempus expeditionis rebus humanis exempto ſucceſſit Richardus Comes Pictavienſis cruce ſignatus in regno, fratribus ſuis Henrico poſtgenito & Gofredo ſecundo genito, Comite Britanniæ, jam defunctis. Interim orientalis militia cum rege Widone apud Tyrum congregata Acconem civitatem obſedit, cum ſexcentis fere militibus, an. MCLXXXIX. menſe Auguſto. Grandis fiducia fidelium, quod tam modica manu obſidionem Acconitanæ civitatis tam audacter incohaverunt, inter malleum & incudem, inter ſcyllam & charybdim poſiti, quia Sarracenorum multitudo in civitate tenuiter obſeſſa, paucitatem noſtram copioſe ſupergreſſa, viribus vincere poterat & numero. Ab altera parte Saladinus de pluribus regnis copias contraxit, quæ terram occupaverunt, ut locuſtæ, milites Chriſti cingentes & obſidentes. Noſtri vero cum jam hoſtibus in contemptum veniſſent propter raritatem bellatorum ſupervenit in auxilio opportuno claſſis quinquaginta vel plurium cogonum, ab aquilone navigans cum viro nobili Jacobo de Avennis. Unde nulli fidelium venire potuit in dubium, quin altiſſimus tale auxilium confidentibus in ipſo tranſmiſerit. Ex tunc milites Chriſti de auxilio divinitatis certiſſimi obſidionem firmantes, vallum modicum ad tutelam ſui periculi foderunt, & de antennis & malis navium barras ac repagula prudenter ac alacriter compoſuerunt. Porro Saladinus intelligens auxilium Chriſtianorum augmentari, crebros impetus fieri in eos præcepit. Similiter illi, qui civitatem tuebantur, prout temporis opportunitas offerebat, hoſtibus ſuis intentabant diſcrimen, & ſic per varios eventus belli tempus currebat obſidionis. Barones autem occidentalium partium cruce ſignati transfretantes laborantibus in obſidione Ptolomaidis ferebant auxilium.

LIX. Frethericus Imperator magnificum prout imperialem decebat coronam, trahens ſecum apparatum, & bellorum copiam; per Ungariam profectus venit Græciam, ſed Manuel Imperator Conſtantinopolitanus tranſitum ipſius per terram ſuam impedire conabatur. Unde Frethericus, princeps magnanimus, per totam hiemen magnam partem Græciæ potenter obtinuit & poſſedit. Diſcordiam etiam imperatorum auxit, quod Manuel legatos Fretherici Hermannum Monaſterienſem Epiſcopum & alios viros magnos captivos in Conſtantinopoli detinuit. Tandem pace reformata legati ſunt dimiſſi liberi. Et Manuel per Elleſpontum peregrinis copioſum navium præbuit, alia præterea commoda, ne terræ ſanctæ diutius differretur ſubſidium.

LX. Interea Soldanus Iconii multitudine Turcorum congregata, ad impedimentum imperatoris & damnum tranſmiſit. At Imperator per ſolitudinem devians famem ac ſitim aliaque pericula per aliquot dies paſſus, tandem per rupes & ſcopulos periculoſe deſcendens cum maxima jactura jumentorum ad terram pervenit planam & opulentam. Quia vero Saraceni non oppinabantur per loca tam invia & a publica ſtrata remota, Chriſtianos velle vel poſſe deſcendere, cautelam modicam rebus ſuis adhibuerunt. Profecti ſunt igitur Chriſtiani verſus Iconium per loca paluſtria, quæ violentia nimbi molliverat, adeoque de loricis & ſcutis viam ſternere pleriq; compellabantur. Turcorum vero multitudo maxima obviam proceſſit de Iconio. At Dux Sveviæ Frethericus adoleſcens ſpectabilis & ſtrenuus priores acies noſtrorum præcedebat intrepidus. Pater autem ipſius poſteriorem cuſtodiam tuebatur, & ſic viriliter ſuperata Turcorum multitudine Iconium hoſtiliter introieruut. Porro civitatis habitatores cum uxoribus & parvulis ſe receperunt in præſidio. Poſt aliquot vero dies pax compoſita fuit inter imperatorem & Soldanum, unde noſtri civitatem egreſſi caſtra metati ſunt in ſuburbanis Iconii, ubi commercia cum Sarracenis habentes utilia, equos & jumenta ſibi neceſſaria cum aliis rebus ſibi pretio competenti comparaverunt. Imperator acceptis XX. quatuor obſidibus a Soldano, qui ſpectabiles videban-

Digitized by Google

debantur & idonei, profectus inde proceſſit verſus Armeniam, ſed nec fœdus initum, nec obſides dati profuerunt, quo minus periculum Thurcorum imminentium noſtra gens evaderet. Ideoque Rex decollari juſſit obſides pro parte. Cumque Turci multiplicarentur, continuum periculum Chriſtianis imminebat. Unde per vias, quibus gradiebantur, imperator ſicut vir prudens & ſtrenuus ordinatis aciebus incedebat, cuſtodiens ſuos nec permittens eos, licet multum provocatos hoſtibus incaute occurrere. Tali diſciplina equites & pedites proceſſerunt, per dies multos requiem non habentes, niſi noctibus, quibus per ſollicitudinem excubiarum recreati quieverunt aliquantulum. Erat in hoc exercitu vir litteratus & facundus, cum aliis eccleſiarum prælatis, Sigelogus Herbipolenſis Epiſcopus, qui exhortationibus & conſolationibus caſtra Domini confortabat, aſperitatem viarum, & hoſtium inſtantiam ſalubriter oſtendens pro Chriſto fore tolerandam. Tempus erat æſtivum, quo ſole tenente Leonem Julius ardebat, unde magis defatigati tandem ad loca tuta pervenerunt Armeniæ. Imperator armorum pondere preſſus, & longi ſudoris incommodo gravatus, delectatus eſt ſpecie torrentis, quem tranſiturus erat, depoſitis veſtib9 nudus transnatare conabatur, ſed apertis poris corporis vi caloris aqua frigida ſubito interclusit vitalia, & ſic Princeps ille nobilis, Imperator ſtrenuus, miles providus, vir prudentia præcipuus diem clauſit extremum menſe Auguſto die dominico. Quis explicare valebit fletum nobilium, planctum militum, dolorem omnium de tanto Duce perdito, in quo fuit completum, quod ſcriptum eſt: Rectorem te conſtituerunt, eſto in illis, quaſi unus ex illis: quia tantam humilitatem militiæ Chriſtianæ magnificus Imperator exhibuit, ut etiam humiles de plebe fratres appellaret, & ſi rota carri fracta jacebat, inter eundum ſubſtitit, & alios ſubſiſtere fecit, donec damno reparato ſarcina procederet. Morti Principis hoc acceſſit periculum, quod exercitus tam copioſus factus acephalus per loca varia ſe diviſit. Nam Dux Sveviæ in campeſtribus ægrotabat Armeniæ nec montana conſcendere valuit propter infirmitatem. Major tamen pars multitudinis Antiochiam pervenit, ubi poſt longos labores & multam famem, quam paſſa fuit invia, otium & crapulam ſecuta, moribunda diminuta decrevit. Reſidui cum Duce Fretherico, tandem pervenerunt Ptolomaidam, ubi etiam ipſe adoleſcens magnæ probitatis diem clauſit extremum.

LXI. Philippus Rex Francorum & Richardus Rex Anglorum apud Meſſanam præparabant navigium. Rex Angliæ Archancredo, (*a*) qui regnum Siciliæ uſurpaverat, ſororem ſuam accepta pecunia pro donatione propter nuptias ſecum duxit, quæ Willechelmi regis Siciliæ quondam uxor fuerat. Hinricus primogenitus Fretherici patri ſucceſſit defuncto, qui Dominam Conſtantiam hæredem regni Siciliæ duxerat uxorem, ex qua genuit Dominum Fretherícum Imperatorem Romanorum & regem Siciliæ. Interea, qui Accon obſederant, agoniſtæ Chriſti famem maximam aliquando paſſi; quandoque etiam adverſorum caſuum in negotiis bellicis pulſabantur incommodis. Nam præter alia, quæ longum eſſet enumerare, peditum millia non pauca, qui ignaviam & inertiam equitibus inproperabant, & ex conducto poſt multas ſupplicationes & diſſvaſiones majorum, quibus experientia talium rerum nota fuit, ad caſtra Sarracenorum tendebant. Saladinus ſimulato metu retrocedere ſuos præcepit, pedites autem noſtri ſpoliis onuſti, cum redire cuperent, truncati ſunt in tanta quantitate, ut fluvius ſangvine permixtus occiſorum rubricatas magis quam cæruleas prætenderet aquas. Tandem Rex Francorum pervenit Accon & erigens machinas contra turrim maledictam noctibus & diebus ſine intermiſſione tormenta lapidum jactari præcepit. Interim Rex Anglorum ſponſam ſuam præmittens Berengariam filiam regis Navariæ & ſororem ſuam viduam regnum Cypri dominio Latinorum ſubjicere ſtudebat inter eundum. In hac inſula Kirſacus dominabatur græcus, qui nuncios præmittens & munera, in mari fluctuantes reginas hortabatur plurimum, ut regis in arida præſtolarentur adventum; ſed ipſæ prudenti conſilio recuſabant applicare, & poteſtati Græcorum ſe ſubjicere. Caritatis exemplum poſteris imitandum ſubjecta declarabit narratio. Eodem tempore tres naves peregrinis repletæ vi tempeſtatis periclitatæ fuerunt in Cypro. Kirſacus omnes peregrinos decollari juſſit. Cumque ad ſupplicium ducerentur, ſatelles quidam Kirſacii, natione Normannus, animam ſuam pro ipſis poſuit, & admiſſo equo velociter accurrens lictoribus ex parte Imperatoris præcepit, ut in executione tanti ſceleris ſubſiſterent, conſequenter Latinos allocutus, ut per fugam & latibula vitæ ſuæ conſulerent, hortabatur. Quo comperto Kirſacus ſatellitem interfici præcepit, & timens regis adventum, portum Limirunenſem, quantum potuit, munire procuravit, equitum & peditum copioſas ibidem ordinans acies. At Rex Anglorum adveniens gentem ſuam armatam per barcas litus aſcendere mandavit, & ipſe perſonaliter cum eis peditans hoſtiles acies viriliter invaſit, ac confecit poſt pugnam modici temporis. Græcus autem fugiens a facie perſequentis nullum ſibi tutum in inſula reperire poterat habitaculum. Nam Rex ejectis equis de mari perſecutus eum pugnavit cum ipſo, non longe a portu in locis campeſtribus, ubi victus eſt ſecundo, ſed ad montana confugit congregans auxiliatores Græcos & Armenos. Rex properans ad caſtrum Scelingis comprehendit illud, & in eo filiam Kirſacii cum ſupellectile multa. Tertio commiſſa fuit pugna inter Famaguſam & Nicoſſiam, ubi Kirſacus ſe recepit in caſtro firmiſſimo, quod Buffavent dicitur. Nihilominus Rex illud expugnavit, virtute magna, capiens in eo Kirſacum, & ſic dominio totius inſulæ potitus navigavit Ptolomaidam. Inter eundum vero navim magnam de Babilonia venientem, quam Dromonem appellant, expugnavit vehementer, quæ Accon ingreſſura fuit ad ſollatium obſeſſorum, repleta bellatoribus, & armis, victualibus, & igne

(*a*) Leg. forte *a Tancredo.*

Digitized by Google

igne græco, & serpentibus vivis ad toxicum conficiendum. Hæc diutius impugnata & multum defensa, tandem in profundum dimersa, cum his, quæ portavit, omnino periit. Post adventum regis Anglorum ad exercitum, Sarraceni diutina obsidione defatigati, cognoscentes Saladinum, eam solvere non posse, consilium deditionis inierunt, quod machinæ regis Francorum jam viam fecerant per murum, & regis Angliæ fama plurimum eos terrebat. Desperatis igitur rebus hujusmodi pacta pro longa concertatione finienda composuerunt, ut aperta civitate Christianis, si Saladinus lignum Dominicæ crucis, quod in prælio perditum fuerat, ecclesiæ Dei restitueret cum omnibus captivis, qui in sua tenebantur potestate, liberi dimitterentur defensores civitatis; sin autem, capitibus truncarentur. Nostris igitur urbem cum victoria & gratiarum actione ingredientibus, Saladinus se retrahens ad diem & locum constitutum cum multitudine captivorum, quos adduci jusserat, rediit. Clerus noster sperans se Dominicam recepturum crucem, nudis pedibus & sacris vestibus processionaliter obviam venit, militia gradatim incedebat armata, & cum veraciter intellectum esset, crucem sanctam nequaquam adesse, Rex Angliæ inter acies Saladini & nostras captivos decollari jussit, non veritus Sarracenorum multitudinem præsentem. Recuperata est Accon civitas, an. MCXCI. mense Junio.

LXII. Rex Francorum in terram suam rediit; Comes Flandrensis mortuus est ibi, & alii multi nobiles in obsidione vel regressu mortui sunt. Saladinus urbes maritimas jam destruxerat, unde habito consilio Rex Angliæ, pro Joppe reparanda, Ptolomaidam egreditur. Et cum procederet multitudo Turcorum maxima congregata, nostros ab omni parte jugiter infestabat. Sed post transitum fluminis districti cum posteriores acies nimis acriter urgerent inimici, Rex Draconem, quo pro vexillo utebatur, explicari jussit, ordinans legiones ad prælium, & juxta Casale bubalorum impetum faciens in hostiles acies, pugna commissa, Saladini robur defecit, ubi cecidit occisus Jacobus vir nobilis de Avenna. Exinde Rex Joppen reparavit, & Ascalonem, sed Francigenæ ulterius eum sequi recusabant, unde sine ipsis Darum obsedit, & per VIII. dies moram faciens, vi cepit illud & destruxit. Post Joppen munitam, intellexit Rex carvanam maximam ex Ægypto Jerusalem tendere, in qua camelorum multitudo copiosa, species aromaticales & alias merces preciosissimas ac inæstimabiles deferebat. Quo cognito, Rex per exploratores de Turone militum usque ad Cisternam rubeam cucurrit, & licet carvana custodiam haberet, ac armatorum stipata foret caterva, viriliter tamen in eam impetum faciens, ipsam cepit, & spoliis multis locupletavit exercitum. Post hujusmodi magnifica facta Rex audiens regem Francorum terram suam invasisse, præparato navigio apud Accon redire disposuit, Ascalona destructa, sed in Joppe præsidio posito. Interim Saladinus congregans exercitum Joppen obsedit, & erigens machinas primo die sui adventus tanta vi molarium muros concussit, & pro parte destruxit, quod desperantes Joppitæ Patriarcham & Albericum Remensem, quos ibidem reliquerat Richardus Rex, pro pactis deditionis emiserunt ad Principem nostrum. Hoc periculum nunciatum est regi apud Accon constituto, ipse vero compatiens Christianitatis damno, licet in procinctu jam esset redeundi armatis galeis & aliis navibus ad liberationem profectus est in periculo mortis positorum. Sarraceni victores civitatem jam repleverant, Christi se receperunt in Turone, nichil aliud exspectantes quam mortem, & servitutem perpetuam. Rex improvisus advenit liberator eorum de gentibus iracundis, qui, licet equos non adduceret, pugnavit tamen viriliter contra multitudinem perfidorum innumerabilem, quam violenter ejecit de civitate, sternens fugientes. Unde propter horrorem & fœtorem cadaverum castra metatus est extra muros, extendi faciens tentoria paucissima. Saphadinus quasi in pignus amicitiæ equum misit ei oris duri, nequiter exspectans, ut regem sessorem non valentem refrænare jumentum, inter hostiles acies præcipitaret. Mane facto hostium multitudo tentoria circumdedit, qui missum a viro doloso dextrarium, non ignorans fraudem ascendit, & per medios hostes cum paucis præcipiti cursu civitatem introivit, ubi receptus est sicut angelus Dei, quia credebatur esse perditus cum omnibus aliis, qui secum pernoctaverant. Deinde ordinans acies pugnavit cum Saladino, ipsumque retrocedere coëgit ad spatium miliaris unius, ad locum, qui Casale de plano nuncupatur, & sic populus liberatus laudem dedit Deo. Patriarcha vero cum his, qui ante adventum regis de salute suæ gentis cum tyranno tractaverant, ab eo detenti & supplicio deputati migraverunt ad Dominum. Postea Rex generali treuga cum Saladino composita, transfretavit, sed transiens per Alemanniam a Duce Austriæ captus Imperatori Hinrico fuit præsentatus, qui tenens ipsum in libera custodia honoravit plurimum. Tandem pecuniam accipiens ab eo, ducenta videlicet millia marcarum argenti, dimisit liberum, nec longo post tempore Imperator profectus in Appuliam, Salernum expugnavit potenter, Panormitanum palatium ac totum regnum Siciliæ sibi debitum victoriosus obtinuit, quem coronavit in Imperatorem Cœlestinus Papa.

LXIII. Ysabella Regina Jerosolymæ vivente Widone nupsit Conrado Marchioni de Monte ferrato, quem Hassessini sicariis cultris interfecerunt in Tyro; tertio nupsit Hinrico Campaniæ, qui per fenestram luriculis carentem ex improviso cadens exspiravit, quarto regi Heimerico. Sibilla & Ysabella fuerunt sorores; Sibilla nupsit Widoni regi. Ysabella nupsit Ansfrido de Turono. Secundo nupsit Conrado Marchioni de Monte ferrato, & plus vixit Wido Rex, quam Conradus.

LXIV. Imperatore Hinrico in Sicilia constituto, secunda expeditio transmarina fuit ordinata, in qua præcipui fuerunt regni Teutonici barones, Conradus Maguntinæ sedis Archi-Episcopus & sanctæ ecclesiæ Roma-

Digitized by Google

Romanæ cardinalis; Conradus imperialis aulæ cancellarius; Hinricus Comes Palatinus; Hinricus Dux Brabantiæ & plures alii, qui congregati apud Accon Marescalcum fecerunt Hinricum de Galadin justitiarium optimum: Ducem autem Brabantiæ, virum strenuum, modestum & castum Capitaneum elegerunt, & sic per terram & mare profecti sunt Berithum, plurimum eos urgente multitudine Turcorum in via, qui montana tenentes saxis pugillaribus & sagittarum grandine requiem negabant progressuris. Berithenses Sarraceni desperantes de civitatis defensione se receperunt in castro munitissimo, & cum naves Christianorum adventarent, egressi sunt communiter de præsidio ad classem considerandam & numerandam. Pauci vero Christiani captivi remanserunt intus, qui obseratis portis ascenderunt in arcem, & signo Christianitatis suæ dato in specula, venientem exercitum terrestrem properare fecerunt. Quo viso Sarraceni fugierunt omnes, & sic Dominus Berithum servis suis restituit, repletum victualibus & armis, an. MCXCII.

LXV. Ex hoc miraculo Christiani confortati Turonem castrum munitissimum obsederunt in terra Zabulon & Neptalim, quod defensores dedere volebant sub pactione vitæ & restitutione quingentorum captivorum. Hanc conditionem recusabant Teutonici stulte nimis, quia illi, qui fuerant in præsidio castri Beafort, & aliarum munitionum Sidonis idem fecissent. De sua vero virtute fallaciter confisi machinis & aliis instrumentis aggressi sunt castrum, tandem suffodientes murum, magnam ejus partem præcipitaverunt; castrenses nihilominus viriliter se opposuerunt introire volentibus. Posthæc Sarraceni renovato deditionis tractatu obsides dederunt. Sed sive severitatem Teutonicorum metuentes, sive Babyloniorum audientes adventum, relictis obsidibus, mutaverunt consilium. Interim mortuus est Imperator Hinricus in Messana, in ætate juvenili, Princeps valde discretus, & lingua latina competenter eruditus, relicto parvulo filio nunc Imperatore magnifico. His rumoribus adversis accessit eis, qui in obsidione Turonis morabantur, periculum advenientis exercitus in multitudine gravi Babyloniorum; unde, qui pacta Christianitati plurimum profutura recusaverant inire, relictis castris & infirmorum numerositate, turpi fuga per noctem se receperunt in Tyro, mense Febr. in purificatione beatæ virginis. Sarraceni similiter eadem nocte per aliam viam fugierunt. His ita gestis ortum est schisma in imperio; nam imperatrice defuncta, cum Dominus Frethericus parvulus utroque parente foret orbatus, multis etiam adversis casibus expositus, nutriretur in Sicilia, quidam de principibus regni Teutonici, quorum præcipuus fuit Adolfus Coloniensis Archi-Episcopus, elegerunt in Imperatorem Ottonem Pictaviensem Comitem, alii Philippum Ducem Sveviæ, patruum pueri, quem quidam Alemannus Comes Palatinus de Videlenbach, sedentem in conclavi tempore minutionis suæ, nihil tale timentem, nequiter interfecit, cujus mortem Hinricus de Caladin adeo persecutus fuit, quod eundem Sicarium viriliter occidit. Innocentius Papa, qui successit Cœlestino, favorem suum impendit Ottoni & eum Romæ coronavit in Imperatorem, qui nimium ingratus benefactori suo Patrimonium Sancti Petri statim post acceptam coronam invasit, nec pepercit puero, sed Appuliam hostiliter ingressus, Dominum & homines contra se provocavit, ideoq; summus Pontifex, multis præmissis ammonitionibus, excommunicavit eum. Deinde Barones ab ipsius fidelitate absolvit, & sic imperio perdito mortuus est in Saxonia cum signis maximæ contritionis. Innocentius Papa ingenio, facundia, memoria præcellens erat, in jure ac lege Domini eruditus valde, magnanimus plurimum, qui contumaciam regum & aliorum principum compresserat. Regem Francor. Philippum, uxorem suam sororem regis Daciæ, quam abjecerat superducta Teutonica, per interdictum Franciæ recipere coëgit. Johannem regem Angliæ, qui admittere recusavit ad sedem Cantuariensem Cardinalem Sanctæ Romanæ ecclesiæ Dominum Stephanum vita & scientia fulgentem per sententiam excommunicationis & interdictum Angliæ in tantum humiliavit, ut ipse & successores sui a sede apostolica regnum accipiant in perpetuum, cum annua solutione pecuniæ magnæ. Temporibus ejusdem Pontificis populus aquilonaris, qui amulabat in tenebris, vidit lucem magnam catholicæ fidei. Nam gens Livonum, Estonum, Prutonum variis erroribus delusa ignorans Dei filium & incarnati verbi mysterium, numina gentilium colebat, Dryades, Amadriades, Oreades, Napeas, Humides, Satyros & Faunos. Sperabat enim super lucos, quos nulla securis violare præsumsit, ubi fontes & arbores, montes & colles, rupes & valles, venerabantur, quasi aliquid virtutis & auspicii reperiri possit in eis: nunc autem sanam doctrinam secuta, ad Episcopum & pastorem animarum suarum conversa Jesum Christum, Pontificibus suis obediens, ecclesias ædificat & frequentat. legibus Christianis pro magna parte subjecta. Præterea Constantinopolitana civitas scismatica in diebus suis expugnata in dominium transiit & potestatem Christianorum. Insuper Tolosanum Comitem receptatorem & defensorem hæreticorum humiliavit & Albigenses hæreticos per largas remissiones Catholicis indultas, ad nihilum deduxit. Quos primo loco per prædicatores humiles & literatos ad orthodoxam fidem reducere studuit, deinde, quasi contra ethnicos & publicanos, peregrinos armatos transmisit. Amiramomelinus Rex Carthaginis in tantam surrexit elationem, ut missis litteris blasphemia plenis generaliter omnes Christi cultores ad conflictum invitaret, unde propter indulgentias a Domino Papa factas, de duobus regnis Franciæ & Angliæ multitudo maxima convenit apud Toletum, sed qui invitati erant, non fuerunt digni, diem conflictus exspectare; nec placere Domino videbatur, ut disposita cœlitus victoria multitudini bellatorum ascriberetur, & licet Rex Castellæ liberalissimus & miles secundum ætatis suæ vires strenuus, larga manu stipendia distribueret, reversi sunt tamen ad propria paucis remanentibus. Dux Austriæ propter viarum intervalla tarde venit, nec assequi diem belli valebat. Rex autem Castellæ, Arragoniæ & Navariæ in fide trinitatis & cum signo unitatis transeuntes portum obviaverunt principi perfidiæ, qui, licet eminentiorem locum occupasset, & numero equitum & peditum Christianos multipliciter vinceret, virtute tamen divina superatus in bello fugatus evasit, cœsis militibus Sarracen. multis & amissis civitatibus ac castris plurimis.

LXVI. Factum est hoc bellum an. MCCXII. XVI. die Julii feria II. Post hanc gloriosam victoriam idem apostolicus orientali ecclesiæ compassus, prædicatores crucis per regna misit occidentis, cor apponens ad liberationem terræ sanctæ, orationes generales instituit, Concilium indixit in Lateranensi Basilica anno MCCXIII. mense Novembri, cui interfuerunt quadringenti & XIII. Episcopi: abbatum & aliorum prælatorum ecclesiæ, turba convenit, quæ dinumerari facile non poterat: ubi principaliter ordinatum fuit, de his, quæ ad subsidium terræ sanctæ pertinebant. Terminus etiam generalis expeditionis præfixus erat; infra quem idem summus Pontifex obdormivit in Domino. Cui successit Honorius Papa, qui de latere suo misit Dominum Pelagium Albanensem Episcopum Apostolicæ sedis legatum in transmarinas partes cum potestate magna. Magister Robertus tituli S. Stephani in Cœlio monte, Presbyter, Cardinalis & Princeps Romanus cum exercitu magno Romanorum militum & popularium, equitum & peditum, armorum apparatu magnifico ac victualium copia se præparavit alacriter ad obsequium Domini nostri Jesu Christi, cui est honor & gloria & virtus & potentia per omnia secula seculorum. Amen.

VII. OLIVE-

Digitized by Google

VII.
OLIVERI SCHOLASTICI HISTORIA DAMIATINA.

✠ ✠
✠

Incipit historia Damiatena, cui Magister Oliverus præcedentis & hujus operis compilator & sanctæ crucis prædicator interfuisse non dubitatur.

PROOEMIUM.

LÆtetur mons Sion & exultent filiæ Judæ propter judicia Domini. Confiteantur Domino, quam magnifice fecit; scribentes & prædicantes annuncient mirabilia Dei, qui mandavit sanctificatis suis, & vocavit servos in ira sua, exultantes non in propriis viribus, non in operibus justitiæ, quæ fecerunt ipsi, sed in gloria majestatis ejus, qui in omnibus est benedictus in secula. Terra enim, de qua oriebatur panis, qui de cœlo descendit, in loco nativitatis suæ ferro succisa est in munitionibus multis, quas inhabitabant perfidi. Locus Saphiri lapides terræ hujus, quæ fuit possessio patriarcharum, alumna prophetarum, doctrix apostolorum, mater fidei. Glebæ illius aurum, quia sibi caritate cohæserunt & religionis custodes nunquam in ea defuerunt. Quæ quondam libera post singultos & crebra suspiria jam exultat in spe & de bonitate liberatoris sui confisa gaudens gaudebit, remota virga peccatorum a sorte justorum. Sane, qui vidimus & audivimus & intelleximus, scribimus omnibus orthodoxis absque falsitatis ammixtione, ut quicquid est virtutis usquam assurgat in laudem Dei & gratiarum actionem.

I. Anno MCCXVII. exspirante Treuga Christianorum & Sarracenorum in primo passagio generali post concilium Lateranense congregatus est exercitus Domini in Accon copiosus cum tribus regibus Jerusalem, Hungaro & Cypri, qui mistica munera secum non deferentes, parum egerunt memoria dignum. Affuit Dux Austriæ & Dux Maraniæ cum multis Comitibus, & viris generosis & milicia magna regni Teutonici. Aderant Episcopi peregrini. Archiepiscopus Nicossiensis, Joriensis, Agrenensis, Hungariensis, Bajocensis, Bavenbergensis, Sicensis, Monasteriensis & Trajectensis, & cum eis vir potens & nobilis, Dominus Galtherus de Avennis, qui reversus in passagio vernali XL. milites reliquit in servitio terræ sanctæ, quibus providit sumptus sufficientes per annum. Bawari insolenter & contra legem peregrinorum se habuerunt, hortos & pomeria Christianorum destruendo, ejicientes etiam de hospitiis suis religiosos, nec his contenti Christianos interfecerunt. Dux Austriæ sicut princeps catholicus per omnia Christo militavit. Patriarcha Jerosolymitanus cum magna humilitate cleri & populi tollens reverenter vivificæ crucis lignum feria VI. post festum omnium sanctorum profectus est ab Accon in castra Domini, quæ præcesserant ad Recordanam. Hoc autem dulce lignum post terram sanctam perditam reservatum fuit ad hæc tempora. Imminente siquidem conflictu Sarracenorum cum Christianis, tempore Soldani, sicut a senioribus accepimus, crux secta fuit, pars ad prælium delata, & ibidem perdita, pars reservata, quæ nunc exhibetur. Cum tali vexillo ordinatis aciebus processimus per planum Fabæ usque ad fontem Tubaniæ, multum eo die laborantes, & præmissis exploratoribus videntes ab adversariis concitari pulverem, incerti fuimus utrum contra nos an fugiendo properarent. Sequenti die per montes Gelboæ, quos habuimus ad dextram, & paludem ad sinistram, profecti sumus Bethsaidam, ubi castra fixerat adversarius; sed metuens tam ordinate procedentis & tam copiosi Dei viventis exercitus adventum, tentoria tollens & fugiens, terram vastandam militibus Christi reliquit. Unde Jordanem transeuntes in vigilia Sancti Martini corpora nostra pacifice lavimus in eo, quievimus per biduum ibidem copiam victualium & pabuli reperientes. Deinde super littus maris Galilææ tres mansiones fecimus, peragrantes loca, in quibus mirabilia salvator noster operari dignatus, corporali præsentia cum hominibus conversatus est. Conspeximus Bethsaidam, civitatem Andreæ & Petri, tunc ad casale modicum redactam. Demonstrata sunt loca ubi Christus discipulos suos vocavit, supra mare siccis pedibus ambulavit, turbas pavit in deserto, montem ascendit solus orare, & locus, ubi cum discipulis post resurrectionem manducavit, & sic per Capharnaum infirmos nostros & pauperes in jumentis portantes reversi sumus Accon.

II. In secundo equitatu adivimus pedem montis Thabor, primo aquarum inopiam, postmodum per defossionem copiam invenientes. Desperabant capitanei nostri de montis ascensu, donec, parvo Sarraceno nunciante, castrum fore comprehensibile, consilium inierunt. Prima vero Dominica adventus Domini, cum legeretur evangelium: Ite in castellum, quod contra vos est. Patriarcha præcessit cum signo crucis, episcopis & clero per clivum orantibus & psallentibus. Hic mons, cum præruptus sit undique & excelsus & quasi impossibilis ad ascendendum semitam tritam; milites tamen & satellites, equites & pedites viriliter ascenderunt. Johannes Rex Jerosolymæ cum milicia Domini Castellanum stravit, & Amiraldum unum primo impetu. Defensores castri, qui

Digitized by Google

qui intrepidi extra portas ad defendendum montem hostibus occurrerunt, in fugam convertit & stuporem. Sed rex, quantum meruit ascendendo, tantum demeruit descendendo. Descendens enim ipso die Dominico, & alios descendere faciens, per indultum spatium animavit incredulos; sed quo Dei judicio vel principum consilio exercitus Domini tunc descenderit, & inglorius recesserit, ignoramus. Hoc tamen scientes, quod divinorum judiciorum abyssus humanæ mentis oculos penetrare non potest. Multi autem Templarii & Hospitalarii, & quidam seculares in secundo montis ascensu, quando castrenses vires receperant, vulnerati sunt, sed pauci mortui. Credimus autem, Christum Dominum sibi soli hunc triumphum montis reservasse, qui cum paucis discipulis ipsum ascendit, gloriam futuræ resurrectionis ibidem demonstrando. Porro in primo & secundo equitatu, maximam multitudinem captivorum virorum & mulierum etiam parvulorum Christiani secum adduxerunt. Episcopus autem Acconensis parvulos, quos pretio vel prece obtinere potuit, baptizavit, & distribuens inter religiosas fœminas litteris applicare disposuit.

III. In tertio equitatu cui patriarcha cum signo crucis & sacri pontifices non interfuerunt, multa dampna & incommoda tam per latrunculos, quam hyemis asperitate, perpessi sumus, præsertim in vigilia nativitatis Domini, per viam, ubi multi pauperes & jumenta frigore perierunt, ac ipsa sacra nocte, in qua tempestatem terrestrem ventis & pluviis commotam sustinuimus gravissimam in finibus Tyri & Sydonis juxta Sareptam. Posthæc exercitus Domini in quadrifariam divisus est. Rex Ungariæ & Cypri Tripolim profecti sunt, ubi Rex Cypri adolescentulus diem clausit extremum; Rex Ungariæ brevi tempore commoratus cum magno dampno terræ sanctæ recessit, peregrinos enim & galeas, dextrarios & jumenta cum armis secum traxit, multum ammonitus a patriarcha, ne sic recederet; tandem excommunicatus cum sua sequela contumax abiit. Alia pars peregrinorum, pigrorum, & timidorum, & eorum, qui procumbentes & terram ore pleno de habundantia temporalium biberunt, remansit in Accon. Rex vero Jerusalem & Dux Austriæ cum Hospitalariis Sancti Johannis & Episcopis supradictis & quibusdam aliis castrum in Cæsarea Palestinæ brevi tempore & viriliter & constanter firmaverunt, licet hostis adventus frequenter nunciaretur. Per hoc castrum Deo dante civitas ipsa reparabitur. In Basilica principis apostolorum festum purificationis Patriarcha cum VI. Episcopis solempniter celebravit. Templarii vero cum Domino Galthero de Avennis & paucis auxiliatoribus peregrinis & Hospitali de domo Teutonicorum castrum Peregrinorum quod olim Districtum appellabatur, firmare cœperunt, quod situm est in diocesi Cæsariensi inter Cayphas & Cæsaream. Cujus situs talis est.

IV. Promunctorium altum & amplum mari imminet, munitum naturaliter scopulis, ad aquilonem, occidentem & austrum; versus orientem turris est firma, & dudum a Templariis ædificata & possessa, tam guerræ quam treugarum tempore. Turris autem ibidem posita fuit olim propter latrunculos, qui in via stricta peregrinis ascendentibus in Jerusalem & descendentibus ab ea insidiabantur, haud longe distans a mari, quod propter viam strictam Districtum appellabatur. Toto fere tempore, quo Cæsariense castrum firmatum est & consummatum, Templarii ex adverso promunctorii fodientes & laborantes per VI. ebdomadas tandem ad fundamentum venerunt, ubi murus antiquus spissus & longus apparuit. Inventa est etiam ibi pecunia in moneta modernis ignota, collata beneficio filii Dei militibus suis ad alleviandos sumptus & labores. Deinde in anteriore parte harenam fodientes, & deportantes, alius murus inventus est, & inter murorum planiciem fontes aquæ dulcis largiter ebulliebant, lapidum etiam & cementi copiam Dominus ministravit. Duæ turres ædificabantur ante frontem castri, lapidibus quadratis & dolatis tantæ quantitatis, ut lapis unus vix a duobus bubalis in curru trahatur. Utraque turris centenos habet pedes in longitudine, LXIII. in latitudine. Spissitudo binas includit testudines, altitudo paulatim ascendens celsitudinem promunctorii transgreditur. Inter duas turres murus novus & altus cum propugnaculis consummatus est, & miro artificio intrinsecus equites armati ascendere possunt & descendere. Item murus alius paulo distans a turribus extenditur ab uno latere maris ad aliud puteum habens æquæ vivæ. Inclusum promunctorium ab utroque latere muro cingitur alto & novo usque ad rupes; oratorium cum palatio & domibus plurimis includit. Hujus ædificii prima est utilitas, quod conventus Templariorum eductus de peccatrice & omni spurcitia plena civitate Accon, in hujus castri præsidio residebit usque ad reparationem murorum Jerosolymæ. Territorium munitionis hujus piscariis, salinis, lignis, piscinis, agris & herbis habundat; vineis plantatis & plantandis, hortis & pomeriis habitatores delectat. Inter Accon & Jerusalem nulla est munitio, quam teneant Sarraceni, unde de hoc castro novo plurimum dampnificantur increduli, & terrore divino ipsos fugante, loca culta deserere coguntur. Habet hæc structura portum naturaliter bonum, qui artificio adjutus poterit esse melior. VI. miliaribus distat a monte Thabor, unde hujus castri constructio præsumitur fuisse causa destructionis munitionis illius, quam in campo longo & lato, qui interjacet montanis castri hujus & montis Thabor, nec seminare, nec arare nec metere quisquam secure poterat, propter metum habitantium in eo.

V. Monasteriensis Episcopus apud Cæsaream obdormivit in Domino. Magister Thomas Theologus & Doctor bonus & opinionis claræ apud Castrum filii Dei diem clausit extremum. Posthæc exercitus Domini rediit in Accon.

Episcopi

Digitized by Google

Episcopi Alemanniæ se præparabant ad transfretandum, brevi tempore in promissionis terra commorati. Exspectabatur Passagium secundum & novum, & maxime classis ab aquilone veniens, quæ per angustum mare Carthaginis navigata sperabatur. A principio prædicationis crucis Christi Provincia Coloniensis studio magno, pluribus etiam sumptibus, fere trecentas naves præparavit, quarum quædam remanserunt, quædam vi tempestatis perierunt, sed major pars pervenit Ulixbonam cum magna virtute bellatorum. Ibi orta est discordia, quibusdam volentibus procedere, aliis hiemare cupientibus in obsidione castri fortissimi, quod Alcacia dicitur; & sic classis divisa est; pars apud Gajetam & Cornetum hiemavit; pars alia obsedit Alcaciam, duos habens capitaneos, Comitem Willehelmum de Hollandia & Comitem Georium de Withe. Captum est hoc castrum per Theutonicos & Frisones, & cum adhuc essent in obsidione, congregata contra eos Sarracenorum maxima multitudine, contra quam viriliter pugnaverunt Templarii & Spatarii cum militia Reginæ Portugaliensis, victi sunt virtute divina Sarraceni, Rex eorum unus occisus est, & cum eo plurimi trucidati & in captivitatem ducti.

VI. Excitata fuit Provincia Coloniensis ad obsequium salvatoris mundi per signa, quæ apparuerunt in cœlo; nam in Provincia Coloniensi & in diocesi Monasteriensi, in villa Frisiæ Betlem mense Majo VI. feria ante Pentecosten, cum prædicaretur crux ibidem, triplex forma apparuit in aëre, una candida versus aquilonem, alia versus meridiem ejusdem coloris & schematis, tertia medio colore colorata habens crucis patibulum & figuram hominis in eo suspensam elevatis brachiis & extensis cum fixione clavorum in manibus & pedibus & capite inclinato. Hæc media fuit inter alias duas, in quibus non erat effigies humani corporis. Alia vice & alio loco in villa Frisiæ Sucherhhusen, tempore prædicationis Christi, apparuit crux juxta solem cœrulei coloris, hanc viderunt plures quam priorem. Tertia fuit apparitio in diocesi Trajectensi in villa Doccen, ubi S. Bonifacius martirizatus fuit, ubi in die martyris ejusdem cum multa millia convenissent ad stationem ejusdem apparuit crux magna & alba, ac si trabs ex transverso trabis artificialiter composita fuisset. Hoc signum vidimus omnes. Movebatur autem paulatim ab aquilone ad meridiem. Credimus autem duas apparitiones fuisse demonstratas, ut omnis ambiguitas primæ visionis tolleretur, sicut dicit Apostolus de resurrectione Christi quod visus est Cephæ, postea undecim Apostolis, deinde plusquam quingentis fratribus.

VII. Anno gratiæ MCCXVIII. mense Martio applicare cœperunt ad portum Accon Cogones de provincia Coloniensi cum aliis paucis navibus de provinciis Bremensi & Treverensi. Tunc firmatum fuit consilium in Consilio Lateranensi cum Domino Papa Innocentio, bonæ recordationis habitum Romæ de inducenda militia Christianorum in terram Ægypti. Mense igitur Majo post ascensionem Domini, præparatis cogonibus, armatis galeis & aliis navibus oneratis de Accon profecti sunt, Johannes Rex Jerosolymitanus, Patriarcha cum Episcopis Nicossiensi, Bethlehemitano, Acconiensi, Duce Austriæ, tribus Domibus & copiosa multitudine Christianorum. Indicta fuit collectio navigantium apud castrum Filii Dei, quod Peregrinorum dicitur, sed flante borea Rege, Duce, & magistris Domorum ad indictum locum venientibus exercitus Domini prosperis velis præcessit, tertio die perveniens ad portum Damiatæ. Præfati autem Duces, quia modicam moram fecerunt in prænominato castro, subsequi non poterant exercitum usque in VI. diem, ab exitu de portu Accon. Multi etiam, qui præparati non erant, & moram aliquantulam navigantes fecerunt, aut omnino remanserunt, aut vi ventorum repulsi sunt in Accon, aut per tres vel quatuor epdomadas jactati per mare moram fecerunt. Archiepiscopus Remensis & Episcopus Lemovicenensis propter graves annos remanserunt in Accon. Lemovicenensis mortuus est ibi; Remensis vero reversus in passagio sanctæ crucis obiit invia. Applicantes autem ad portum Damiatæ elegerunt sibi capitaneum Comitem de Sareponte, & hostilem terram cœperunt, antequam Rex & prænominati Duces subsequerentur III. feria sine sanguinis impensa. Cum enim pauci Sarraceni occurrerent equites ad portum, Friso quidam, fixo in terra dextro genu & sinistra manu circumferens ancile, dextra spiculum vibravit ferreum, intuitus est eum Sarracenus, existimans eum ludere, sed subito eques cum equo percussus a Frisone interiit, & ad terram corruit. Fugientibus aliis absque omni impedimento castra metati sunt inter littus maris & ripam fluminis Nili Christiani cum admiratione magna subsequentium, quando tentoria fixa viderunt. Hoc etiam mirabile fecit Deus, quod in primo adventu fluminis aqua conjuncta mari dulcis hauriebatur, quæ postmodum multis vicibus salsa fuit usque ad casale, quod distat a Damiata sursum fere per miliare. Modico tempore post adventum Christianorum facta est ecclypsis lunæ fere generalis, quæ licet ex causis naturalibus in plenilunio plerumque proveniat, quia tamen Salvator dicit: erunt signa in sole & luna; hanc ecclypsim contra Sarracenos interpretati sumus, quasi portendentem ipsorum defectum, qui sibi lunam attribuunt, in detrimento vel incremento lunæ magnam vim ponentes. Legitur autem in Quinto Cretio, quod, cum Alexander Macedo, totius malleus orbis, contra Darium & Porum de Græcia profectus esset in Asiam, & acies hinc inde subsisterent ordinatæ, facta est ecclypsis lunæ, quam Alexander pro Græcis contra Persas & Medos interpretatus, suos animavit, & pugnans contra Darium vicit ipsum. Turris in medio fluminis sita capienda fuit ante transitum ipsius. Frisones tamen, impatientes moræ, transeuntes Nilum, jumenta Sarracenorum tulerunt & cupien-

Digitized by Google

cupientes in ulteriori ripa caſtra metari, ſtabant pugnantes contra Sarracenos, qui obviam de civitate proceſſerunt. Revocati ſunt per obedientiam, quia non videbatur principibus expedire, quod turris paganis repleta poſt tergum relinqueretur Chriſtianorum. Interim Dux Auſtriæ & Hoſpitale S. Johannis duas ſcalas præparaverunt ſuper duos cogones, Teutonici vero & Friſones tertiam navim propugnaculis munierunt, caſtellulo in ſummitate mali compoſito, absq; ſcalæ ſuſpenſione. Caput eorum Dux & Judex fuit Comes Adolfus de Monte, vir nobilis & potens, frater Colonienſis Archiepiſcopi, qui ante turrim captam mortuus fuit apud Damiatam. Scalæ Ducis & Hoſpitalis contra turrim directæ ſunt, circa feſtum S. Johannis Baptiſtæ, Sarracenis eam defendentibus viriliter. Hoſpitalariorum ſcala confracta cum malo cecidit, bellatores ſuos præcipitans; ſcala Ducis ſimili modo confracta, eadem fere hora, milites ſtrennuos & armatos corpore deciduos ſecundum animas levavit ad cœlum, glorioſo martyrio coronatus. Ægyptii lætati vehementer ſubſannantes levaverunt voces, tympanizantes & buccinis perſtrepantes, mœror & triſtitia Chriſtianos invaſit. Navis autem Teutonicorum & Friſonum inter turrim & civitatem anchoram habebat fixam, dampna plurima per Baliſtarios, qui intus locati fuerant, inferens Ægyptiis, præſertim illis, qui ſtabant in ponte inter civitatem & turrim porrecto. Ipſa vero navis a bellatoribus civitatis, turris & pontis jaculis & igne Græco impetebatur vehementius, tandem igne correpta fuit, & cum timerent Chriſtiani, ne conſummeretur omnino, defenſores illius ignem viriliter extinxerunt, & ſic tandem ſagittis tam intus quam foris quaſi caſtellulo collocato in ſummitate mali, in funibus etiam licet tenſis repleta cum magno Chriſtianitatis honore ad locum ſuæ ſtationis fuit reducta. Nobis modica etiam dampna intulit & ſuſtinuit navis una Templariorum propugnaculis munita, quæ hujus aſſultus tempore juxta turrim habebatur. Nos vero conſiderantes turrim capi non poſſe petrariorum & trabuculorum ictibus (hoc enim multis diebus fuit attemptatum) nec applicatione caſtri propter fluminis profunditatem, neque fame propter civitatis vicinitatem neque ſuffoſſione propter circumfluentis aquæ importunitatem, Domino demonſtrante & architectum providente ſumptibus Teutonicorum & Friſonum, eorumque labore, duos cogones conjunximus trabibus & funibus fortiſſime cohærentes, ſocia compaginatione vacillandi periculum prohibentes IIII. malos & totidem antennas in eis ereximus, in ſummitate caſtellulum firmum aſſeribus & opere reticulato contectum collocantes contra machinarum importunitatem coriis veſtivimus illud, & per circuitum & ſuper tectum contra ignem Græcum. Sub caſtellulo fabricata fuit ſcala funibus fortiſſimis ſuſpenſa & XXX. cubitis ultra proram protenſa, opere brevi tempore feliciter conſummato. Invitati ſunt ad illud videndum majores de exercitu, ut ſi quod deeſſet, quod ſumptibus vel humano ingenio ſuppleri deberet, indicarent, & accepto reſponſo, quod tale opus ligneum nunquam ante ſuper aquam compoſitum fuiſſet, properandum eſſe conſideravimus, quod crebris machinarum ictibus pons pro magna parte deſtructus fuit, qui de civitate ducebat ad turrim hoſtes fidei. Sexta igitur feria ante feſtum Bartholomæi nudis pedibus cum devotione gentis noſtræ ad ſanctam crucem proceſſionem fecimus, ubi implorato humiliter auxilio divino, ut res omni careret invidia & vana jactantia de qualibet gente, quæ tunc erat in exercitu, aliquos ad hujus negotii executionem invitavimus, licet gens Teutonicorum & Friſonum ad naves implendas ſufficeret & regendas.

IX. Die Sancti Bartholomæi VI. Feria, cum Nilus excreviſſet vehementer, & aquarum impetus negotium plurimum impediret, cum multa difficultate & periculo inſtrumentum hoc contra torrentem a loco, in quo fabricatum fuit, trahebatur ad turrim. Navis minor hujus machinæ ſocia proceſſit velificando, clerici nudis pedibus per littus ambulabant ſupplicantes. Cum ad turrim ventum eſſet, duplex illa compoſitio ad latus occidentale non poterat converti; ſed aſcendendo directe ad plagam aquilonarem applicabatur, funibus & anchoris tandem fixis, licet vis aquarum inundantium illud repellere moliretur. Machinæ quinque vel plures directæ fuerunt ſuper turres civitatis & collocatæ ad illud concutiendum; ſed una pernicioſior aliis poſt paucos ictus confracta quievit. Aliæ vero ſine intermiſſione, grandinis inſtar, lapides emiſerunt, nec minori periculo prior navis ad pedem turris collocata ſubſtitit. Ignis græcus cominus de turri fluminis, & eminus de civitate, fluminis inſtar, veniens, pavorem incutere potuit; ſed per liquorem acetoſum & ſabulum ac extinctoria ſubventum fuit laborantibus. Jacuit Patriarcha ante lignum crucis proſtratus in pulvere, ſtans nudis pedibus clerus, indutus legitimis ſtolis clamavit in cœlum. Defenſores turris extenſis lanceis anteriorem partem ſcalæ ſubterunxerunt oleo, deinde ignem appoſuerunt, qui erupit in flammas. Cumque Chriſtiani, qui in ea fuerunt, concurrerent ad ignis ſuffocationem, ſuo pondere caput ſcalæ depreſſerunt in tantum, ut pons tornatilis fronti appoſitus inclinaretur. Signifer Ducis Auſtriæ de ſcala corruit; Sarraceni vexillum Ducis tulerunt: Babylonii ſe viciſſe putantes vociferati ſunt, aërem clamore vexando. Chriſtiani de equis deſcendentes ad ſupplicationes ſe proſtraverunt, comploſis manibus, rugatis vultibus dolorem, quem pro illis habuerunt, qui diſcrimen ſuſtinuerunt in fluminis profundo, & totius Chriſtianitatis diſpendium proteſtando. Ad hanc populi devotionem & elevationem manuum in cœlum levavit ſcalam divina pietas, extinxerunt ignem fidelium lacrimæ, & noſtri reſumptis viribus cum defenſoribus turris gladiis, ſariſſis, clavis, & aliis inſtrumentis viriliter pugnaverunt.

Digitized by Google

gnaverunt. Miles quidam juvenis Leodiensis, primus turrim ascendit; Friso quidam juvenculus, tenens flagellum, quo granum excuti solet, sed ad pugnandum connexione catenarum præparatum ad dextram & sinistram fortissime percussit, & quendam tenentem sinum (*a*) croceum Soldani stravit, vexillum ei abstulit; alii post alios successerunt superatis hostibus, quos resistentes duros senserant & crudeles. O ineffabilis Dei pietas. O inexplicabilis Christianorum hilaritas, post planctum & luctum, post fletum & gemitum gaudium vidimus & triumphum. Te Dominum laudamus; Benedictus Dominus Deus & alia cantica gratiarum altis & præ gaudio cum lacrymis mixtis vocibus, repetitis laudibus, decantavimus. Interim Sarraceni, qui in interiore parte turris se receperant, igne supposito superficiem turris combusserunt, victores nostri calorem sustinere non valentes regressi sunt super scalam. Pons vero, qui in interiore parte turris præparatus erat, demissus est ad pedem turris aquis profundis & undique circumfluentibus angustum. Malleis ferreis aggressi sunt victores, defendentibus eam Sarracenis, qui erant intrinsecus. Stabat utrumque opus immobile. Asseres scalæ pro parte discussi sunt, & ambitus operis fortissimis funibus compositus, in multis locis perforatus est machinarum ictibus. Ab hora nona Feriæ VI. usque ad horam decimam sequentis Sabbathi duravit hoc periculum. Opus autem reticulatum, quod scalam protegebat, integrum permansit, cum castello, in quo stabant balistarii, lapidum jactatores, quod tuebatur eos. Tandem inclusi in turri colloquium petebant, & sese sub pactione vitæ dediderunt Duci Austriæ, præter illos, qui nocte præcedenti præcipites per fenestras evaserunt turris angustiam, quorum plures in flumine submersi sunt & interfecti; captivi vero numerati ad C. viros. Ab illo die, cum confusi essent Babilonii & territi, &, ut putabatur, ad fugam parati, principes nostri ad desidiam & inertiam devoluti, more suo, differendi negotii causam prætendebant; nec imitati sunt Judam Machabæum, qui videns, quod tempus juvabat ipsum, hostibus non dabat requiem.

X. Cogones se præparabant ad recessum, Frisonum & Teutonicorum abiit maxima multitudo in passagio sanctæ crucis instanti. Ad illud passagium venerunt quidam Romani, & posthæc Albanus Episcopus, (*b*) apostolicæ sedis legatus, & cum ipso Princeps Romanus, postmodum Burdegalensis Episcopus, qui utilem moram fecit, Andegavensis, Mantuanus, Humanus & Salpensis Episcopus; Deinde Magister Robertus de Corzim tituli sancti Stephani in Celio monte Presbyter Cardinalis, Parisiensis, Girodenus, Agrenensis, Hungrenensis episcopi, qui mortui sunt ante transitum fluminis in sabulo Damiatæ, Cardinalis Robertus similiter. Venit etiam Comes Nivernensis, qui imminente periculo cum Christianorum recessit scandalo (*c*) Comes de Marchia & Comes Barri & filius ejus frater Willehelmus de Carnoto, Magister militiæ Templi. Herveus de Wirsone, Irerius de Tocce, Oliverus filius Regis Anglorum & multi alii equestris ordinis & plebe, apud Damiatam diem clauserunt extremum. Multi pro Christo martyres, plures in Christo confessores apud Damiatam rebus humanis exemti migraverunt ad Dominum.

C. XI. Sapiens corde & fortis robore, qui facit magnalia & inscrutabilia & mirabilia, quorum non est numerus, qui excelsos judicat, qui ponit humiles in sublimi, ipse magnificatus est solus in obsidione Damiatæ. Non enim ut in aliis expeditionibus contra Sarracenos diversis temporibus ordinatis, per humanum consilium aut bellatorum ministerium, sed per semet ipsum, quod petere non præsumsit homo, per suæ divinitatis potentiam mirabiliter operatus est, non regibus nec aliis principibus vel nationibus, sed nomini suo dans honorem, ut in nobis peccatoribus completa sit promissio prophetica: vos tacebitis & Dominus pugnabit pro vobis. Post captam siquidem turrim in profundo fluminis Nili sitam, Saphadinus inveteratus dierum malorum dolore tactus nimio, exhæredator fratruelium suorum, & usurpator regnorum Asiæ, mortuus est & sepultus in inferno. Postmodum in festo Sancti Dionisii, Sarraceni cum galeis armatis improvisi venientes, & principia castrorum, ubi Romani tentoria fixerant, invadentes, modica manu Christianorum repulsi sunt, rege Johanne Jerusalemitano viriliter ibidem pugnante, ad exhortationem Bethlehemitani Episcopi, cum persequeretur recurrentes celeriter ad galeas, qui tamen gladios persequentium ac fluminis voraginem evadere non potuerunt. Sicut autem olim Ægyptii in aquis vehementibus maris rubri, sic in Nilo circiter ad mille quingentos submersi sunt, sicut a Sarracenis postea didicimus. Sane in Festo sancti Demetrii, qui frater uterinus S. Dionisii fuisse dicitur, summo diluculo castra Templariorum invaserunt hostes, & modicum dampnum nobis inferentes per expeditos equites nostros fugati sunt ad pontem, quem procul a nobis in superiori parte fluminis construxerant, & ibidem interempti sunt ad numerum quingentorum, sicut a transfugis intelleximus. Porro quia multi de populo Christiano placuerunt Domino, necesse fuit, ut temptatio proba-

(*a*) Leg. *Signum.* (*b*) Th. Gale hæc ita habet: *Albaniensis Episcopus Apostolicæ sedis legatus, deinde Magister Robertus de Corsu titulo S. Stephani in Celio Monte, Presbyter Cardinalis, Pariensis, Girondinensis, Agrensis, Hungariensis Episcopi, qui mortui sunt ante transitum fluminis in sabulo Damietæ. Cardinalis Robertus similiter venit & tunc temporis Burdegalensis Archi-Episcopus, qui moram fecit utilem apud Damietam & Episcopus Augustensis & electus Brixiensis qui brevem moram fecerunt, Luclenensis, Mantuanus & Salpensis Episcopi.* (*c*) Hic iterum apud Galeum inseritur: *Venit vero Ranulfus illustris Comes Cestriæ vir nobilis & potens regni Angliæ, qui longam moram & nimis utilem fecit apud Damietam, tandem cum favore totius exercitus recessit.*

ret

Digitized by Google

ret eos. Jonas pro anguſtia tempeſtatis in mare miſſus, & ventre piſcis concluſus, probatus rediit ad aridam. Apoſtolus triplici naufragio tribulatus evaſit, populus Domini præmiſſo triduano jejunio, quod clerus in pane & aqua ſervavit obedienter, & multis proceſſionibus ordinatis a venerabili Domino Pelagio Albanenſi Epiſcopo Apoſtolicæ ſedis legato, temptari meruit. Nam in vigilia ſancti Andreæ apoſtoli, intumuerunt fluctus maris creſcentes, & excurſum terribilem facientes usque ad caſtra fidelium, ab alia parte fluvius inundans occupavit incautos. Natabant temptoria, perierunt cibaria, piſces fluviales & marini ſe, quia nihil timentes, cubiculis ingerebant, quos manibus cepimus, quibus tamen deliciis carere voluimus, & niſi conſilio Spiritus Sancti ante proviſum fuiſſet in foſſato, quod in alios uſus factum fuerat mare conjunctum flumini, homines cum jumentis, naves cum armis & victualibus detraxiſſet ad hoſtes; nec etiam hoc periculum evaſerunt, quatuor cogones, ſuper quos ædificata fuerant propugnacula ad capiendam civitatem, qui uno impetu cum quinta navi, quæ inter eos hærebat, ad oppoſitam ripam vi ventorum præcipitati ante oculos noſtros ſunt igne Græco combuſti. Pepercit Dominus operibus Friſonum & Teutonicorum, quibus turris capta fuerat. Naves oneratæ, quæ in portu maris ſtabant, ruptis repente funibus perierunt. Duravit hæc tempeſtas per triduum continuum, quo elapſo Dominus, qui conſolatur populum ſuum in omni tribulatione, imperavit ventis & mari, ſtare faciens ipſum a fervore ſuo. Invaſit præterea multos de exercitu quædam peſtis, contra quam phyſici nullum ex arte ſua remedium invenire poterant. Dolor repentinus pedes invaſit, & crura, & conjunctim caro corrupta gingivas & dentes obduxit, maſticandi potentiam auferens; tibias horribilis nigredo fuſcavit, & ſic longo tractu doloris afflicti cum patientia multa migraverunt ad Dominum plurimi, quidam usque ad tempus vernale durantes, beneficio caloris evaſerunt liberati. Poſt dominicam tempeſtatem naves parabantur ad tranſitum fluminis, quæ cum magno periculo ſurſum aſcendentes, inter civitatem & turrim captam machinis & igne Græco cum jaculis plurimum ſunt impeditæ. Unde accidit, ut una navis Templariorum, vi torrentis rapta, prope ripam civitatis præcipitaretur ad hoſtes, qui, cum barbottis & uncis ferreis ipſam impugnarent diutius, ignem Græcum deſuper de turribus projicientes, & cum ſic prævalere non valerent propter defenſorum audaciam certatim navem aſcendentes, præcipites in eam deſcenderunt ad Templarios; ubi cum diutius pugnaretur, tandem navis perforata ſive ab hoſtibus ſive a noſtris, incertum habemus, profundum petiit, ſubmergens Ægyptios cum Chriſtianis, adeo ut vix mali ſummitas appareret ſuper aquam, & ſicut Samſom plures occidit moriens quam antea vivus, ſic & iſti martyres plures traxerunt in aquæ voraginem, quam gladiis interficere potuiſſent. Cives autem Damiatæ cruentam victoriam ſuam fere ſeptem planxerunt diebus; exinde pontem reparantes adeo aperturam reliquerunt anguſtam, ut naves noſtræ ſine periculo aſcendere non poſſent.

XII. Teutonici & Friſones zelo juſtæ indignationis accenſi, cum minori navi, cujus miniſterio turris capta fuit, quam Gallici ſanctam matrem appellant, pontem viriliter invaſerunt, auxilium non habentes, niſi de cœlo; pauciores autem viri quam decem de gente prædicta contra omnem fortitudinem Babyloniorum pontem aſcendentes ſpectante multitudine Chriſtianorum, & hanc audaciam plurimum extollente, fregerunt eundem, & ſic cum quatuor navibus, ſuper quas pons erat fundatus, reverſi ſunt cum triumpho, liberam viam & apertam ſurſum velificantibus relinquentes. His ita geſtis Sarraceni periculum, quod eis imminebat, attendentes, ripam nobis oppoſitam foſſatis & argilloſa materia, cum propugnaculis ligneis altis munierunt, machinas & petrarias ibidem locantes, nobis ſpem auferentes per locum illum tranſeundi. A caſali vero, quod per miliare fere diſtat a civitate, ubi hæc nova munitio terminabat per tranſverſum fluminis navium inmerſionem fecerunt cum palis infixis gurgiti. Nihilominus apoſtolicæ ſedis Legatus deſiderium bonum habens obſidendi civitatem, naves ſuperius congregatas urgebat ad tranſitum; unde cogones propugnaculis & caſtellulis, viris etiam armatis muniti cum galeis & aliis navibus Chriſto Duce præſcriptas immerſiones evaſerunt. Hoſtes autem diſſimulato metu, tres ordines armatorum ſtationi navium contrapoſuerunt, unam peditum ſuper ripam cum clipeis, quos targeas appellant, lineariter ordinatam, ſecundam poſt dorſum illorum ſimilem priori, tertiam equitum longam & terribilem, ictibus lapidum & telorum plurimum vexantes ſtationem Chriſtianorum. Sane nocte ſolempnitatis ſanctæ Agathæ virginis, cum coadunatus eſſet populus fidelium, qui ſequenti die tranſiturus erat, pluviæ & venti multum diſcriminis & difficultatis addiderunt noſtris. Sed fidelis Deus, qui non patitur ſuos temptari ſuper id, quod poſſunt, reſpiciens ad caſtra ſervorum ſuorum, quod ſecundum inferiores cauſas difficile fuerat vel impoſſibile, convertit in facultatem & gaudium, virtutis ſuæ innovans mirabilia. Poſt mediam ſiquidem noctem tantum pavorem Soldano Babilonis & Satrapis ejus incuſſit, ut relictis caſtris, etiam Ægyptiis ignorantibus, quos ad reſiſtendum ordinaverant, in ſola fuga ſpem ponerent. Quidam apoſtata, qui multo tempore legem Chriſtianorum tranſgreſſus, Soldano militaverat, ſtans in ripa gallice clamabat: Quare moramini? Quid trepidatis? Quid hæſitatis? Soldanus abiit. Et hoc dicto ſe in navicula Chriſtianorum recipi rogavit, ut in poteſtate ipſorum poſitus fidem dictis faceret. Summo igitur diluculo cum inchoatum Diei feſti eſſet officium per oratoria Chriſtianorum: Gaudeamus omnes in Domino: nunciata ſunt hæc Legato, Regi & aliis principibus. Itaque fugientibus Ægyptiis noſtri certatim

Digitized by Google

tatim alacriter & absque omni impedimento hostium & sanguinis impensa transierunt. Sed adeo limosa & profundioribus aquis difficilis fuit ad applicandum terra hostilis, ut vix equi sine sessoribus & sellis ejecti possent ascendere. Templarii præduces in ascensu equorum erectis signis properato cursu ad civitatem festinaverunt, sternentes perfidos, qui audacter de portis egressi venientibus occurrerunt. Non gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea, neque exultabitur serra contra eum, qui trahit eam. Miraculum istud, cui æquabimus vel cui comparabimus, nisi ei, quod legitur de Benadab rege Syriæ, qui obsedit Samariam, arctans eam plurimum, cui Dominus tantum immisit terrorem, ut relictis castris fugeret, & sicut per leprosum, qui in introitu portæ erat; illa fuga nunciata fuit Samaritanis; ita per leprosum in anima, præfatum videlicet apostatam, nunciata fuit Ægyptiorum fuga: & sicut ille populus Samaritanorum spolia in castris Syrorum relicta collegit, sic noster exercitus tentoria & manubias fugientium diripuit, targias plurimas & omnes galeas cum Barbottis & aliis navibus, quæ infra casale usque ad civitatem inveniebantur, cum aliis spoliis victores occupaverunt. Multi bellatores relictis uxoribus & parvulis territi propter inopinatum transitum de Damiata fugierunt, & sic per gyrum ac firmiter obsessa est civitas, exercitu continuato per pontis positionem utramque ripam contingentem. Per desidiam autem & inertiam eorum, quorum nomina Deus scit, factum est, ut hostes resumptis viribus & animis adveniente etiam Coradino, cum Alappinis & magna multitudine locum illum occuparent, a quo nostri transitum miraculosum fecerant, & sic nos obsidentes civitatem ipsi periculosius obsederunt, & nisi per divinum consilium prima castra, quæ erant inter mare & fluvium, retenta fuissent, maxime per Teutonicos & Frisones, portus nobis ablatus fuisset, & negotium plurimum periclitatum fuisset, & vacillasset. Ut autem miraculum transitus magis claresceret, ac soli Christo firmiter ascriberetur, ad tantam Sarraceni pervenerunt temeritatem, ut diluculo Sabbathi ante Dominicam Oculi mei semper nobis tale periculum non prævidentibus, cum gravi multitudine propius accedentes usque in fossatum se præcipitarent, sed divino auxilio cum dampno equitum & peditum repulsi sunt.

XIII. Anno gratiæ MCCXIX. Regina civitatum Jerosolyma, quæ videbatur in expugnabiliter munita, destructa est a Coradino filio Saphadini foris & intus, muri ejus cum turribus redacti sunt in acervos lapidum, præter templum Domini ac turrim David. De glorioso sepulchro destruendo consilium habuerunt Sarraceni, & per litteras comminati sunt, quas civibus Damiatæ transmiserunt ad ipsorum solatium. Sed huic temeritati nemo præsumpsit manus apponere propter loci reverentiam. Sicut enim in Alcorano, libro legis eorum, scriptum est, Jesum Christum credunt de Maria virgine conceptum & natum, quem sine peccato vixisse prophetam, & plus quam prophetam, protestantur, cœcos illuminasse, leprosos mundasse, mortuos suscitasse firmiter asserunt; verbum & Spiritum Dei & vivum ad cœlos ascendisse non discredunt. Sed passionem & mortem divinam, etiam naturam unitam humanæ naturæ in Christo & trinitatem personarum negant. Unde verius hæretici, quam Sarraceni nominari deberent; sed usus falsi nominis prævaluit. Unde quando tempore Treugarum sapientes ipsorum Jerosolymam ascendebant, codices Evangeliorum sibi postulabant exhiberi, & osculabantur & venerabantur propter mundiciam legis, quam Christus docuit, & maxime propter evangelicam lucem missus est angelus Gabriel, quod litterati inter eos sæpius repetunt & retractant. Lex autem eorum, quam Diabolo dictante ministerio Sergii monachi & apostatæ ac hæretici, Machometus Sarracenis dedit Arabice scriptam, a gladio cepit, per gladium tenetur & in gladio terminabitur. Machometus iste illiteratus fuit, sicut ipse testatur in Alcorano suo, & quæ prænominatus hæreticus dictavit ipse promulgavit & per comminationes observari statuit; luxuriosus enim fuit & bellicosus, ideoque de immundicia & vanitate legem tulit, quam carnaliter viventes in parte voluptatis firmiter observant. Et sicut legem nostram veritas & mundicia muniunt, ita errorem ipsorum timor mundanus & humanus ac voluptas firmissime custodiunt.

In die Palmarum anni præscripti inimici nostri multa comminatione præmissa, quod se ipsos vel nos omnes una die perderent, collecto terribili & innumerabili exercitu equitum & peditum irruerunt super nos, undique fossatum nostrum invadentes, & maxime pontem Templariorum & Ducis Austriæ, quem ipse cum Teutonicis defendere studuit. Hostes cum electis militibus de equis suis descendentes, cum Christianis atrociter pugnaverunt. Ceciderunt hinc inde mortui & vulnerati multi, tandem pontem ascendentes partem ejus combusserunt. Dux Austriæ præcepit suis, ut ponte relicto aditum darent instantibus & introitum; sed intrare non præsumpserunt propter miliciam nostram, quæ acies suas ordinaverat in subsidium munitiones defendentium. Mulieres aquam & lapides, vinum & panes bellatoribus intrepide ministrabant, orationi sacerdotes insistebant, vulnera sauciatorum ligantes & benedicentes. Eo die non est nobis datum spatium gestandi alias palmas, quam balistas & arcus cum sagittis, lanceas & gladios cum clypeis, adeo instabant & vexabant atrociter, qui venerant ad perdendum nos, studio liberandæ civitatis, ab ortu solis usque ad horam fere decimam: tandem defatigati se retraxerunt cum dampno maximo.

XIV. Instabat jam Passagium vernale, recessurus erat Dux Austriæ, qui per annum & dimidium fideliter Christo militaverat, plenus devotione, humilitate, obedientia, largitate, qui præter alios sumptus innumerabiles, quos in negotiis bellicis ac privatis elemosinis fecerat, Domui

Digitized by Google

mui Teutonicorum VI. millia marcarum argenti vel amplius ad comparandum prædium creditur contulisse, & castro Templariorum novo quinquaginta marcas auri. Cui etiam Comes Cestriæ quingentas marcas argenti donavit ad murorum & turrium firmamentum. In Kalendis Maji magna multitudo cœpit recedere peregrinorum, nobis in summo periculo relictis; sed pater noster benignus & misericors, Dux & propugnator noster, defensor sperantium in se, cui facile est in paucis sicut inmultis vincere, Jesus Christus, non permisit incredulos simul in nos irruere, donec novi recentesque peregrini cum copioso succursu supervenerunt; copia victualium & equorum nutu divino transmissa, collectionem fidelium lætificavit. Instaurato igitur agonistarum Christi numero in Festo ascensionis Domini more suo per aquas & per terram irruerunt perfidi, & multociens sic attemptantes prævalere non valuerunt, particulariter etiam nostros prope castra provocabant dampnificantes & dampnificati. Pridie vero Kal. Augusti omnem, quam habere poterant, adducentes copiam, post diutinos assultus tandem contra miliciam Templi transeuntes, & liceas (*a*) violenter rumpentes, nostros pedites verterunt in fugam, adeo ut totus exercitus Christianorum jam periclitaretur. Milites & equites de Francia seculares ter conati sunt ipsos repellere longius extra fossatum, sed non potuerunt. Sarraceni siquidem, (*b*) nostris fractis munitionibus ligneis, equitum & peditum acies ordinaverunt. Clamor ortus est insultantium, omnis multitudo eorum præparavit sequelam. Timiditas aucta est Christianis, sed Spiritus, qui induit Gedeonem, animavit Templarios. Magister Templi cum Maregscalco cæterisque Fratribus, qui tunc aderant, per exitum angustum impetu facto viriliter in fugam convertit incredulos. Domus Teutonicorum & Comites aliiq; milites de diversis nationibus videntes Templi miliciam in periculo constitutam festinanter per exitus sibi contra positos tulerunt auxilium; sic pedites Sarracenorum abjectis clipeis interficiebantur, præter eos, quos fuga præcipites percussoribus abstulit. Post equites nostros egressi sunt pedites nostri. Per modicum spatium se retraxerunt hostes, acies hinc inde substiterunt armatæ, donec crepusculum vespertinum prælium interemit. Sarraceni priores abierunt, occisorum corpora perfidorum strata jacebant juxta fossatum nostrum plurima præter eos, qui fauciati graviter vel leviter reducti sunt ad castra. Sic salvavit Deus in die illa sperantes in se, per virtutem Templariorum & eorum, qui ipsis cooperati discrimini se commiserunt. Pauci de nostris interfecti sunt, & capti. Instrumenta contra civitatem parata multiplici conatu defensorum Damiatæ combusta sunt fere. Pisani, Jenuenses, Venetiani firmiter affirmabant se civitatem expugnaturos per IIII. naves, super quas scalæ pendebant, sed ipsi non erant de genere virorum illorum, per quos facta salus in Israel est. Volebant enim sibi nomen facere, cum tubis & calamis & signis multis progressi. Legatus apostolicæ sedis sumptus eis præbuit copiosos de communi; Rex & alii cordas & anchoras, prout requirebant, habundanter exhibuerunt. Aggredientes itaque civitatem primo die multos interfecerunt & vulneraverunt, & quanto sæpius postmodum assultum fecerunt, tanto magis muri firmati sunt ligneis castellulis ac liciis; defensores etiam robustius & efficacius se venientibus opposuerunt, & sic scalæ mutilatæ per ignem ac pluries reparatæ, tandem infecto negotio reductæ sunt ad ripam, & sic veraciter deprehensum est, sola virtute divina Damiatam in manus Christianorum fore tradenda.

Nos vero insensati & immemores beneficiorum Dei provocavimus oculos divinæ majestatis contra nos, per desidiam majorum & murmurationes minorum. Pedites equitibus improperabant ignaviam; equites pericula peditum, quando contra Sarracenos egrediebantur, dissimulabant. Unde factum est, ut communibus culpis exigentibus in decollatione Sancti Johannis Baptistæ, licet vix invenirentur, qui in custodia castrorum remanerent, navalem & terrestrem exercitum educentes, ad castra Babiloniorum tenderemus, inter mare & fluvium, ubi dulcis aqua reperiri non poterat ad potandum. Ipsi vero sublatis tentoriis fugam simulabant, & cum processum fuisset a nostris adeo, quod appareret adversarios directa fronte nolle confligere, capitanei nostri longum inierunt consilium; utrum procederent, an redirent, discors inter eos sententia fuit. Interim solutæ sunt acies, præter ordinem illorum, quos in disciplina militari ligavit obedientia: Equites Cypri in dextro cornu constituti Sarracenis in cursum facientibus a latere, timiditatem suam ostenderunt. Italici pedites primo fugierunt post eos equites de variis nationibus, & quidam Hospitalarii Sancti Johannis Legato Romanæ sedis & Patriarcha, qui crucem bajulabat, multum, sed frustra supplicantibus, ut subsisterent. Æstus solis erat vehemens, pedites armorum pondere premebantur; calorem auxit labor viæ, & qui secum vinum detulerat in angustia sitis bibebat illud purum propter defectum aquæ. His omnibus concurrentibus, qui subsistentes se defenderunt, & post primitivos fugientes anhelo cursu terga dederunt, & extincti sunt sine vulneribus corruentes. Rex vero cum Templariis & domo Teutonicorum & Hospitalariis S. Johannis & de Hollandia & de Withe & Cestriæ Comitibus, Galthero, Bertoldo, (*c*) Francigenis & Pisanis Comitibus aliisque militibus impetum persequentium sustinuerunt. Rex igne Græco fere combustus fuit. Hi omnes pro muro fuerunt fugientibus. Quotiens facies suas hostibus ostendebant, totiens illi fugerunt, quando vero gradatim revertebantur ictus & tela inimicorum sustinuerunt.

(*a*) G. *licias*. (*b*) G. hic inserit: *intra mœnia nostra*. (*c*) G. habet: *Waltbero Britoldi qui apud Damietam, post captionem civitatis diem clausit extremum, Reginaldo de Ponte, Francigenis &c.*

Capti

Digitized by Google

capti sunt in illa defensione Christianitatis Beluacensis electus & frater ejus Camerarius Franciæ & filius ejus & Vicecomes de Pulchro monte, frater Andegavensis Episcopi, cum Johanne de Aras, viro nobili & strennuo, Hinricus de Ulma, & alii multi, qui trucidati sunt, & in captivitatem ducti. Templarii XXXIII. capti vel occisi sunt cum Marescalco S. Johannis, & quibusdam aliis Fratribus ejusdem domus. Nec evasit sine dampno domus Teutonicorum. Milicia Templi, quæ prima solet esse in congressu, ultima fuit in egressu; unde cum ad fossatum nostrum novissima rediret, foris substitit, ut anteriores intra mœnia, quantum possibile fuit, reduceret. Persecutores ad captivos deducendos & spolia colligenda tandem redierunt, sicut intelleximus postmodum a Sarraceno, quinquaginta capita Christianorum Soldano præsentantes. Mœror nostros occupavit, sed nulla desperatio. Pro certo habemus, quod pœna peccati fuit hæc castigatio, & minus erat in pœna, quam exegerat in culpa, ipso temperante vindictam, qui dicit animæ peccatrici: tu fornicata es cum multis amatoribus, tamen revertere ad me, & ego suscipiam te. Constat autem nobis, quod in præcipua milicia sua luctuosa sibi dampna sustinuerunt increduli. Dies illa dies tribulationis nostræ fuit, & increpationis divinæ. Sane miserator Dominus, qui non obliviscitur misereri, nec continebit in ira sua misericordias suas; qui in tribulatione peccata dimittit; qui dixit de tenebris lucem splendescere, luctum nostrum convertit in gaudium, mœrorem in lætitiam. Nam Soldanus unum de captivis mittens de pace vel Treuga nobiscum tractare cœpit, in quo tractatu fossatum nostrum & munitiones alias alacriter reparavimus.

XV. Interim nautæ Christianitatis proditores & cum eis peregrini plurimi, magis se ipsos amantes, quam fratribus compacientes, ante tempus consueti passagii agonistas Christi in summo periculo reliquerunt, elevatis velis abjecto portu, nobis mœsticiam, Babyloniis audaciam contulerunt, qui tractatum pacis intermittentes in vigilia S. Cosmæ & Damiani, & sequenti die festo, proximo etiam Sabbatho, cum galeis, & barbottis per flumen cum magonellis, targiis & fructibus (*a*) pro implendo fossato per terram, feritate barbarica & impetu consueto, nos impetierunt; sed durus bellator, triumphator in Israel, solita usus gratia, castra sua defendit, misso per mare Saverico de Mallium (*b*) cum galeis armatis & bellatoribus plurimis in ipso necessitatis articulo & nos clamantes in cœlum, nec trepidantes ad prælium, sed viriliter resistentes interfectos, sauciatos & confusos ab insultu triduano recedere coëgimus ipsius virtute, qui salvat sperantes in se. Interea civitas obsidione longa, ferro, fame & pestilentia graviter, & ultra, quam scribi potest, afflicta, in sola pace, quam Soldanus promisit, spem posuit. Adeo enim in ea fames invaluerat, ut cibi desiderabiles deessent; panis corruptus habundavit in ea. Durabilis non est annona Ægypti propter molles glebas, in quibus crescit, nisi superius circa partes Babilonis artificiose servetur in annos. Et, sicut audivimus, coctanum unum XI. bisantiis vendebatur in ea. Ex angustia famis diversa morborum genera vexabant eos, & inter cætera incommoda, quæ sustinuerunt noctibus, velut acrisia (*c*) percussi, apertis oculis nihil videre dicebantur. Soldanus de die in diem vanis promissionibus ipsos a deditione dehortatus, decepit miseros. Postremo autem portas suas obstruxerunt in intrinsecus, ne aliquis ad nos veniens de suis nunciaret nobis, quomodo dies afflictionis possederunt eos. Si qui vero per posticium vel de muris per funes evadere potuerunt, inflati & famelici civium suorum angustiam probabant evidenter. Illis etiam, qui foris in exercitu Sarracenorum nos obsederunt, copia panis & pabuli cœpit decrescere.

XVI. Nilus siquidem, qui post festum S. Johannis Baptistæ usque ad exaltationem sanctæ Crucis solet excrescere, & Ægypti planiciem irrigare, hoc anno more suo non ascendit ad signum, quod ponere solent Ægyptii; sed prout intelleximus magnam partem terræ siccam reliquit, quæ nec arari nec seminari poterat suo tempore. Unde Soldanus caristiam timens & famem, etiam amore retinendæ Damiatæ, talem pacem cum Coradino fratre suo Christianis intulit, ut crucem sanctam, quæ olim capta fuit in victoria Soldani, cum Civitate sancta & omnibus captivis, qui per regnum Babilonis & Damasci vivi reperiri possent, sumptus etiam ad reparandos muros Jerusalem redderet, insuper regnum Jerosolimitanum totaliter restitueret, præter Craccum & Montem regalem, pro quibus retinendis tributum obtulit quamdiu Treuga duraret. Sunt autem hæc duo loca in Arabia sita, septem munitiones firmissimas habentia, quæ negotiatores Sarracenorum & peregrini ipsorum Mecham tendentes, vel ab ea revertentes, transire solent; & qui hoc potenter tenuerit, Jerosolymam cum voluerit graviter nimis, cum agris & vineis lædere poterit. Hanc compositionem acceptandam & utilem Christianitati, Rex & Francigenæ & Comes Cestriæ, cum capitaneis Teuthonicorum censuerunt pertinaciter. Nec hoc mirandum fuit, quod longe minor a pace, quæ prius oblata fuerat, contenti fuissent, nisi sano consilio esset eis obviatum. Legatus autem & Patriarcha cum Episcopis & Archiepiscopis, Templariis & Hospitalariis, ac omnibus Italiæ Capitaneis, multisque aliis prudentibus viris efficaciter se opposuit huic tractatui, rationabiliter ostendens ante omnia Damiatam esse capiendam. Opinio diversa peperit discordiam, quæ cito sedata fuit propter communem necessitatem. Interea Soldanus magnam multitudinem peditum clanculo per loca palustria misit ad civitatem, quorum CCXL. Christianis dormientibus Liceas fuerunt ingressi, dominica nocte

(*a*) G. *targiis fruticibus.* (*b*) G. *Savareo de Maloleone.*

(*c*) G. *aorisia.*

Digitized by Google

post Festum Omnium Sanctorum, tandem per clamorem vigilum occisi sunt & capti, quos ad CC. & duos computavimus.

XVII. Nono Novembris Salvatore mundi regnante, & Domino Pelagio Albano Episcopo, Apostolicæ sedis legatione solerter ac vigilanter fungente, capta est Damiata absque deditione & sine defensione, sine violenta deprædatione cum tumultu, ut soli filio Dei ascribatur victoria, qui populo suo ingressum in Ægyptum inspiravit, & ibidem vires ministravit, & cum caperetur civitas, in oculis regis Babilonis, more suo, non fuit ausus Christi milites ad defensionem paratos per fossatum nostrum aggredi. Eodem etiam die fluvius excrevit uberrimis aquis fossatum nostrum implens. Ipse vero Soldanus confusus propria castra combussit & fugit. Deus autem, qui tertia die aquas sub firmamento in locum unum congregavit, ipse agonistas suos per aquas maris ad portum Damiatæ perduxit mense Majo, feria tertia: eosdem perduxit per Nilum ad obsidendam civitatem, mense Februario, Feria tertia idem cepit Damiatam inter aquas sitam mense Novembri feria tertia. Hanc urbem vitulæ consternanti, quæ tertio terræ motu subversa est, possumus assimilare. Vitulam appellamus propter ejus lasciviam. Piscibus enim, avibus & pascuis, frumento, hortis & pomeriis habundavit, negotiando, piraticam exercendo. Deliciis effluxit, in culpa, pereffluxit in gehenna; sed una hora venit ejus judicium. Consternantem dicimus, quia quasi tertio terræmotu habitatores ejus perierunt, ipsa tamen integra permanente. A Græcis & Latinis primo obsessa fuit, qui ab ea defecerunt. Deinde a Latinis fuit sub Almarico rege Jerosolymitano, qui non profecerunt. Hac vice tertia Dominus dominantium & Rex regum servis suis eam tradidit. Jesus Christus, qui vincit & regnat & imperat, qui sementis irrigua siccavit Ægyptiis, qui confudit operantes sericum & bissum, plectentes & texentes subtilia, tali duce Christi milites Damiatam ingressi, plateas invenerunt stratas cadaveribus mortuorum, pestilentia & fame deficientium, aurum & argentum multum nimis, pannos sericos negotiatorum in habundantia, supellectilem variam in superhabundantia. Civitas hæc præter naturalem situm loci, quo munitur, triplici cincta est muro, turribus latericiis multis & magnis firmissime firmata, clavis & antemurale totius Ægypti inter Ramasse & campum Thaneos sita, in terra, ut conjicere possumus Gorsen, quia pascualis est, quam petierunt filii Israel a Pharaone in tempore famis.

XVIII. Damiata inclita in regnis, famosa multum in superbia Babilonis, in mari Dominatrix, Christianorum spoliatrix, in ascensu persequutorum tuorum per paucas & modicas scalas comprehensa, nunc humiliata es sub potenti manu Dei, & adultero, quem diu tenuisti, projecto ad priorem virum tuum reversa es; & quæ prius parturiebas spurios, at modo paries filios legitimos ad cultum filii Dei, firmiter a cultoribus Christi possessa. Acconensis Episcopus ex te primitias animarum Deo solvit, parvulos tuos, qui in te reperti sunt ab ipso vitales, etiam morti proximos, babtismatis unda sacramentaliter mundando. Multiplices solvisti pœnas, quod præter eos, qui comprehensi sunt vivi in te, mortui tui promiscui sexus a tempore obsidionis in circuitu computantur ad XXX. millia & amplius, quos sine ferro & igne Dominus percussit, a modo sustinere dedignatus spurcitias in te commissas.

XIX. Gaudeat igitur universa ecclesia dignas gratiarum actiones referendo pro tali triumpho, & non solum pro Damiata, sed pro destructa perniciosa munitione montis Thabor, & pro aditu libero in Jerosolymam, ut ædificentur muri ejus, tempore ab altissimo proviso; pro Castro præterea Filii Dei, quod magnis sumptibus milicia Templi utiliter & inexpugnabiliter ædificat, de quo superius plenius scriptum est. (*a*) Lætare Provincia Coloniensis, exulta & lauda, quoniam in navibus, instrumentis bellicis, bellatoribus & armis, victualibus & pecunia majus auxilium tulisti, quam residuum totius regni Teutonici. (*b*) Cum autem Colonia civitas Sanctorum, quæ in hortis habitas, inter lilia virginum, rosas martyrum, violas confessorum, flecte genua cordis tui pro devotione filiarum tuarum magnificas gratiarum actiones altis vocibus resonando.

XX. Ante captionem Damiatæ Liber nobis apparuit Arabice scriptus, cujus auctor se Judæum vel Christianum vel Sarracenum fuisse negat in illo. Quisquis autem ille fuerit, prædixit mala, quæ Soldanus populo Christiano crudeliter intulit in destructione Tiberiadis, in victoria, quam de Christianis habuit, quando Regem Jerusalem & Principes ejus captivos duxit, civitatem sanctam possedit, Ascalonem destruxit, & quomodo conabatur Tyrum comprehendere, sed non profecit, & alia multa, quæ peccata temporis illius meruerunt. Prædixit etiam destructionem hortorum Palmeti Damiatæ civitatis, quam factam vidimus, quando librum hunc per interpretem inspeximus. Addit etiam Damiatam a Christianis fore capiendam. Soldani nomen non ponit, nisi per nigros oculos & crocea vexilla ipsum designat, insuper prædixit, quendam Regem Christianorum Nubianorum Mecham civitatem debere destruere, & ossa Machometi pseudoprophetæ dispersa projicere, & quædam alia, quæ nondum evenerunt; sed si completa fuerint, ad exaltationem Christianitatis, & depressionem Agarenorum evenient. Scimus quosdam gentiles ethnicos Spiritum Sanctum in ore habuisse, sed non in corde, & manifeste de Christo prophetasse, unde non miramur, si per canales lapideos purior aqua defluxit. Ad hoc fama discurrens per totum orbem, Damiatam a Christianis esse comprehensam, Georgiano-

(*a*) Sequentia in Galei editione non extant, usque ad verba: *Contrivit Dominus baculum &c.* sive ad Caput XXI. (*b*) In his verbis, *totius regni Teutonici*, definit Codex MStus Gudianus.

rum

Digitized by Google

rum litteras ad castra Catholicorum mitti persuasit, in quibus continebatur, quod indignata gens illa, vel excitata rubore, Rege convocante principes, decrevit & juravit, se obsessuram famosam civitatem Sarracenorum, allegans sibi verecundum esse, quod Franci de transmarinis partibus & ultimis terræ finibus venientes per mare spatiosum periculis plenum, tam munitam civitatem obsidione longa cepissent, nisi & ipsi, quibus erat facilius perfidos impugnare, Damascum vel alium locum nominatum virtute caperent armorum. Sunt autem Georgiani cultores Christi Persis vicini, longo terrarum tractu a terra promissionis distantes, quorum Dominium extenditur usque ad Caspios montes, in quibus decem tribus inclusi, Antichristi desiderant tempora; tunc enim erumpent, magnam stragem facturi. Georgiani bellicosi sunt homines, habentes rasuram in capite, clerici rotundam, laici quadratam; mulieres eorum equestris ordinis doctæ sunt ad prælium. Homines isti, quando ordinatis aciebus hostes sunt aggressuri, quilibet pugillarem cucurbitam repletam vino puro ebibit, & statim adversarios viriliter invadit. Computandum esse non dubitamus inter beneficia tutoris nostri Christi, quod a Siccariis persecutorum majores nostros defendit in obsidione Damiatæ. Usitatum siquidem habebant Hassessini, & eorum præceptor Vetulus de montanis cultellos emittere contra Christianos ad interficiendam vitam eorum, qui negotium Christianitatis propensius curabant. Nam tempore Treugarum filium Tripolitani Comitis, adolescentem spectabilem, in ecclesia Beatæ virginis apud Tortusam ante altare procumbentem nequiter interfecerunt, unde milicia Templi non cessavit eos persequi, pro tam religiosa emunitate violata, donec humiliarentur usque ad servitutem tributi; tria namque millia bisantiorum annuatim Templariis persolvunt. Ejusdem obsidionis tempore Rex Armeniæ Levo defunctus est in senectute bona. Mortuus est etiam Soldanus Yconii, qui creditur baptizatus fuisse; qui tantæ benignitatis erat in Christianos, ut Werram habens cum Sarracenis, solvi juberet Christi cultores, qui vinculatos invenit in munitionibus, quas expugnavit, etiam in optione illorum posuit, utrum in patriam suam redire vellent, an acceptis ab eo solidis sub ipso militare potius eligerent. Idem Christianos in tantum familiares habebat, ut custodes sui corporis constitueret eosdem, licet pater ipsius a Lascoro Græco fuisset interfectus. Manutenuit etiam Miralim filium Saladini exhæredatum contra filios Saphadini, quantum Caliphus permittebat de Baldah, Papa suæ gentis. Melchiseraph, filius Saphadini multa dampna Templariis intulit, cum essent in obsidione Damiatæ. Combussit enim oppidum Castri albi, & turres munitas destruxit; sed cum rediret in terram suam, victus est a Sarracenis. Eisdem temporibus Boamundus Comes Tripolitanus Antiochiam ingressus Rupinum quendam consanguineum suum de principatu civitatis illius violenter ejecit, magis eligens peccati temporalis habere jucunditatem, quam affligi cum populo Christiano. Unde Legatus apostolicæ sedis excommunicationis & interdicti sententias in ipsum ac Tripolim, & terras, in quibus deliquit, publice promulgavit.

XXI. Contrivit Dominus baculum impiorum, confregit cornu superborum, terribilis in consiliis super filios hominum, portas Damiatæ potenter aperuit. Ingredientibus nobis occurrit fœtor intolerabilis, aspectus miserabilis, mortui vivos interfecerunt. Vir & uxor, pater & filius, Dominus & servus se mutuis fœtoribus interemerunt. Non solum plateæ mortuis erant plenæ, sed in domibus, in cubiculis, in lectulis jacebant defuncti. Extincto viro mulier impotens surgere & sublevantis carens auxilio putredinem non ferens exspiravit, filius juxta patrem, vel e converso, ancilla, juxta Dominam vel vice versa languore deficiens jacebat extincta. Parvuli petierunt panes, nec erat, qui frangeret eis, infantes ad ubera matrum pendentes, inter amplexus morientium oscitabant. Delicati divites inter acervos tritici interierunt fame; deficientibus cibis, in quibus erant nutriti; pepones & allia, cepas & altilia, pisces & volatilia fructus arborum & olera frustra desiderabant. Multitudo vulgi contracta, vel oris molestia diutius fatigata deficiens aruit. Completum est in eis prophetæ vaticinium, pro suavi odore fœtor quasi cadaver putridum, non habebit consortium in sepultura.

XXII. Octogenta fere millia, sicut captivis referentibus didicimus, a tempore, quo perfecta est obsidio, perierunt in civitate, exceptis eis, quos sanos vel languidos invenimus, quasi tria millia, quorum CCC. spectabiliores utriusque sexus ad redemtionem captivorum nostrorum reservantur; (*a*) alii mortui sunt post victoriam; alii magno precio venditi; alii baptizati sunt & Christo donati. Civitas hæc gradatim murata, primum murum habet humilem ad custodiam fossati, secundum altiorem, tertium eminentiorem secundo. Murus medius XXVIII. turres habet principales, binas vel ternas testudines continentes, quæ omnes remanserunt integræ cum muris, præter unam, quæ crebris ictibus trabucci Ducis Austriæ concussa fuit aliquantulum. Adeo enim exercitus noster ad pigritiam resolutus fuit, ut milites odio dediti negligerent opus Dei, vulgus ad tabernas & negotiationes fraudulentas se convertit. Catti duo ad fossatum implendum ducti, magnis sumptibus compositi fuerunt, quorum unus in custodia regis, alter in custodia Romanorum combustus fuit, cum adhuc potentes essent in armis custodes civitatis. Fossæ duæ subterraneæ factæ fuerunt ad suffodienda fundamenta munitionum; sed labor iste frustratus fuit post expensas plurimas. Sic Dominus civitatem dare voluit integram sine da-

(*a*) Scripsit ergo author ipso Captionis articulo.

Digitized by Google

mno capientium eam & virtute. In commune juravimus omnes, ut asportata de civitate spolia redderentur inter victores dividenda; hoc etiam terribili anathemate fuit præceptum a Legato sedis apostolicæ. Transgressores perpetuo remanserunt infames, cum Achior, qui furatus est de anathemate Jericho, computandi. Veruntamen concupiscentia oculorum plures fures fecit. Suscepimus tamen ad utilitatem reipublicæ magnam partem deliciarum Ægypti in auro & argento, perlis & pomis ambræ, filis aureis & philacteriis variis, pannis sericis pretiosis, sicut enumerat Isaias: In die illa auferet ornamenta calciamentorum, & lunulas & torques, monilia & armillas, & mitras, discriminalia & perichelidas, & murenulas & olfactoriola, & inaures & annulos & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus & specula & sindones & vittas & teristra, quæ omnia dinumerare nemo poterat; sed ad ponderandum multum temporis expendimus, quæ distributa sunt per exercitum Domini cum annona, quæ reperta fuit in civitate. (*a*)

XXIII. Legatus apostolicæ sedis Damiatam cum appendiciis & pertinentiis regno Jerosolomitano contulit in perpetuum. Machumeria Damiatæ per invocationem sanctæ & individuæ trinitatis commutata in ecclesiam beatæ & gloriosæ virginis Mariæ in quadrum posita. Tanta fere ejus latitudo, quanta longitudo consideratur. Columnis sustentatur marmoreis centum quadraginta & una, septem porticus habens & in medio aperturam longam & latam, in qua piramis in modum ciborii sursum ascendit, extra latus occidentale coclea surgit, in altum, ad modum companilis: quatuor in ea fundata sunt altaria, titulatorium beatæ Mariæ primum, Principis apostolorum Petri secundum, Sanctæ Crucis tertium, beati Bartholomei, in cujus festo turris fluminis capta fuit, quartum: Inventa sunt in Damiata trabucculi quatuor cum petrariis & mangonellis plurimis; Balistæ cum torno fortissimæ; manualium balistarum & arcuum propter multitudinem nescimus numerum. Insuper omne genus armaturæ fortium, repertum Christianitati conservatur. Aurum & argentum cum perlis & aliis rebus mobilibus non solum inter clericos & milites, sed inter satellites, mulieres & pueros dividebatur proportionaliter. Turres civitatis cum domibus distributæ sunt inter regna, quorum bellatores convenerant ad ejus captionem, deducta primo loco sicut oportuit & decuit una turri, quæ Romanæ fuit assignata ecclesiæ cum porta ipsius, quæ olim dicebatur Babilonis, nunc autem appellatur Romana. Alia etiam turris Archiepiscopo reservatur Damiateno, & sicut olim civitas Dei viventis Jerusalem sancta capta fuit ab hostibus nocte, sic Christiani Damiatam ante diluculum obtinuerunt. Instrumentum, quo capta fuit turris fluminis

(*a*) Quæ sequuntur iterum non extant in editione Galei usque ad verba: *non minori miraculi* sive ad Cap. XXIV.

Teutonici, & Frisones in commune donaverunt. De quo factus est pons novus inter civitatem & castrum, quod construitur ad munimentum ripæ civitati contrapositæ duo castellula composita sunt ad custodiam pontis de instrumento eodem. Insuper de aliis arboribus, super quas scalæ pendebant, ædificatur specula super altitudinem Castri novi ad indicandum portum longe navigantibus. Pons vetus, qui mediante insula utramque ripam contingebat, obsidionis tempore multipliciter a Sarracenis fuerat attentatus, & a Christianis viriliter defensus, suo functus officio ad alios reservatur usus.

XXIV. Non minori miraculo immo majori donavit Dominus Christianis castrum Thanis mense Novembri in festo Clementis, qui habet habitaculum suum in mari. Nam missi sunt exploratores numero quasi mille viri in naviculis per parvum fluvium, qui fluvius Thanis appellatus est, ut de casalibus tollerent sibi victualia, & situm loci prædicti diligenter explorarent. Sarraceni, qui erant in præsidio castri visis Christianis, putantes totum exercitum adventare, seratis portis fugierunt. Nostri vero solum Christum capitaneum ibidem habentes, erumpentes claustra, intraverunt castrum. Testati sunt nobis redeuntes, se nunquam in plano fortius vidisse castrum. Septem turres habet firmissimas testudinatas, insuper per girum duplici fossato & utroque murato cingitur, habens antemurale. Lacus se diffundit in latum per circuitum in tantum, ut aditus equitibus hieme sit impossibilis, æstate difficilis, adeo ut per nostrum exercitum obsidione nunquam caperetur. Lacus piscosus est valde, de cujus piscariis Soldano Babilonis solvebantur annuatim IIII. millia marcarum argenti, sicut a senioribus indicatum est nobis; avibus insuper & salinis habundat; casalia multa per circuitum serviebant ei. Civitas ante castrum major Damiata, olim famosa, nunc autem ruinosa, magnitudinem testatur ædificiorum. Hæc est Tanis, cujus campi meminit propheta: coram pat. c. f. m. & Ysaias: stulti principes Taneos, sapientes consiliarii Pharaonis consilium insipiens dederunt. Hæc est Thanis, in qua lapidatus asseritur Jeremias. Destructa enim Jerosolyma a Babiloniis, & Gotholia ab Hismahele interfecto, reliquiæ populi contra consilium Jeremiæ profectæ sunt in Ægyptum, Jeremiam secum ducentes, qui mansit cum eis in Thanis. Et factus est sermo Domini ad Jeremiam in Thanis: Sume lapides grandes, & absconde eos in cripta, quæ est sub muro latericio Domus Pharaonis &c. Postmodum locutus est eis Jeremias: Hoc dicit Dominus: Ego juravi in nomine meo magno, quia omnes viri Juda, qui sunt in terra Ægypti, gladio & fame peribunt, donec penitus consumentur. Et insurrexerunt populi adversus Jeremiam, & lapidaverunt eum lapidibus, quos absconderat sub muro latericio. Ægyptii vero honoraverunt prophetam, sepelientes eum juxta tumulum regum, memores beneficiorum,

quæ

Digitized by Google

quæ præstiterat Ægypto. Oratione enim sua fugaverat bestias aquarum, quas Græci cocodrillos appellant. Alexander autem Macedo veniens ad sepulchrum prophetæ, cognoscens loci mysterium, transtulit ipsum in Alexandriam, & sepelivit gloriose. Cocodrillos autem apud Damiatam invenimus & occidimus. Est autem bestia crudelis homines & jumenta devorans, apertis oculis, solo visu ova sua fovet. Exclusi pulli statim fugiunt parentem tanquam hostem. Quos rapere potest in momento, glutit & devorat. Distat Thanis a Damiata itinere diei unius per mare versus terram promissionis, ut facile sit de Accon, vel de Damiata per mare vel per terram vel fluvium præsidium ibidem ponere, vel victualia transmittere. Dampna multa Christianis intulit in obsidione Damiatæ, quando naves ad nos accedentes vel a nobis recedentes vi ventorum delatæ sunt illuc. Nam Thanis littus maris arcuosum & importuosum, sinum facit amplum & latum, in quem naves devolutæ sine vento multum eis oportuno recedere non valent. (a)

XXV. Coradinus ex Ægypto reversus in Palestinam, Cæsariense castrum obsedit, quod erat in custodia Regis ac brevi tempore cepit illud & destruxit, defensoribus illius negligenter agentibus, qui tamen fere omnes evaserunt, quia liberum introitum & exitum habebant per mare. Deinde processit ad Castrum Filii Dei cum toto suo exercitu, & considerans illud ab omni parte, sagaciter intellexit, quod comprehensibile non erat; insuper Templarios ad omne periculum paratos invenit, qui castrum victualibus & omni armatura fortium munierant. Eodem tempore Templarii latrunculos Sarracenorum ab Accon repulerunt viriliter, occidendo quosdam, quosdam captivando. Coradinus autem auxilium postulabat a Sarracenis, ut ab ortu Solis venientes obsiderent Accon, quod efficere non poterant propter inexorabilem discordiam principum terræ ipsorum, Christianis plurimum oportunam quam Caliphus, eorum Papa, sopire laborabat.

XXXVI. Anno verbi incarnati MCCXX. Coradinus Princeps Damasci destruxit Saphet. Fuit autem hoc castrum Templariorum firmissimum, quod Saladinus, flagellum Christianorum, per longam obsidionem in tantum arctavit, ut defensores fame deficientes requisita licentia Magistri miliciæ Templi redderent illud tyranno. Quæ vox, quæ poterit lingua retexere, nobis sine nobis multiplicata Salvatoris beneficia, quem bonitas insolita & clementia naturaliter insita, intrinsecus etiam adveniens ecclesiæ continuata supplicatio, benignitatis oculo respicere castra fidelium suavitatis oculo devotionis induxerunt. Ipsum oratio lenit, lacrima cogit, & cujus laudi non sufficit obstupescens in corde conscientia, quomodo sufficere potest scribentis manus aut loquentis lingua? Veruntamen coacervari libet & ammirari licet modici temporis mirabilia, quæ descenderunt a patre luminum. Filii Israel præsentes erant, circumeuntes cum archa Domini, clangentes buccinis, & VIII. die vociferantes, quando ceciderunt muri Jericho, ut populus Domini liberum haberet ingressum: nos autem dormitavimus ante Damiatam pusillanimes, inertes, ad otium unanimes & torpentes, nihilominus ceciderunt muri Jerusalem & montis Thabor, Saphet & aliarum munitionum nobis hostililiter adversantium, insuper Damiatam contra voluntatem quorundam pseudo-Christianorum nobis donavit altissimus, ad hoc Thanis castrum inexpugnabile cum victualium copia in hostili terra de thesauro suæ largitatis contulit, qui manna de cœlo cultoribus suis pluit in deserto. Patet igitur omnibus hanc peregrinationem sanctam Deo gratam esse per evidentiam miraculorum & acceptam. Erubescant & confundantur, qui stipendia summi regis receperunt ab ecclesia, & negligenter militantes, vel ante tempus recedentes peregrinationem suam corruperunt, rationem reddituri judici, qui nec corrumpi nec decipi potest. Excitentur pigri, qui nondum votum suum sunt executi. Ruina enim est homini devotare sanctos & post votum retractare. Quam excusationem afferent in die tribulationis & angustiæ, qui labores aliorum abstulerunt, interficientes animas, quas veri prædicatores vivificaverunt, qui proprie consulentes avaritiæ, signaculum prædicationis & crucis de humeris miserorum, quos victi fecerunt, transgressores tulerunt. Revertantur etiam ad mentem, quos accusat reatus, convincit conscientia. Pro eo, quod falsas causas paupertatis vel debilitatis allegando, religionem examinatorum circumvenerunt, quorum solius Dei secundum veritatem est judicium. Defraudatores autem elemosinarum, quæ collatæ fuerunt in terræ sanctæ succursum, quia mentiti Spiritui Sancto culpas suas texerunt, cum Anania & Saphira portionem habituri peribunt, & cum Juda fure pessimo, & deinde sui proditore punientur gehennaliter, quasi proditores Christianitatis, stipendia militum sibi retinuerunt, dantes animas pro rebus transitoriis, quarum furtum suggessit cupiditas, immemores Jerusalem matris nostræ, quæ prostrata jacens in terra erigi desiderat a redeuntibus de captivitate Babilonica. Consolare civitas Dei, quia nationes ex longinquo ad te venient, & munera deferentes adorabunt in te; maledicti, qui contempserunt te, & condempnati, qui blasphemaverint te. Benedicti gaudebunt, qui reparaverint te; tu autem lætaberis in filiis tuis & beati omnes, qui diligunt te, & gaudent super pacem tuam.

XXVII. Factum est vertente anno, quando solent reges ad bella procedere; Johannes Rex Jerusalem castra fidelium reliquit, multas causas prætendens ad excusationem sui, & festinatum reditum promittens, anteriorum oblitus, ad posteriora se convertit. Aperiente manum Domino, qui portum Damiatæ replevit ubertate frumenti, vini & olei, adjuncta peregrinorum, & equorum copia numerosa, ut ad progrediendum in negotio feliciter inchoato nulla locum

(a) Hic finis est Codicis, quo usus est Galeus; & reliqua, quæ sequuntur, nunc primum prodeunt.

Digitized by Google

cum habebat excuſatio. Supervenerunt in VI. paſſagio medio Laudunenſis & Cœtenſis Archi-Epiſcopi, Faventinus & Reginus Epiſcopi, & nuncii regis Fretherici deferentes litteras cum aureis bullis, & adventum ipſius annunciantes. Aderat Brictienſis Epiſcopus, & Italiæ militia copioſa; Legatus autem non ſine magno gratiæ conſiderans privilegio, divino munere ſufficienter fuiſſe proviſum, in omnibus, quæ requirebat negotii proceſſus, angebatur dolore, quia tempus inutiliter præteriit, & oportunitas tanta periit. Unde convocatis majoribus ipſe primo loco, deinde Mediolanenſem Archi-Epiſcopum, & alii ſimiliter Epiſcopi perſvadere ſtudebant, progreſſum contra Soldanum, qui caſtra ſua poſuerat ſuper Nilum itinere diei unius a Damiata, ſed milites habita deliberatione huic exhortationi contradixerunt, hanc maxime cauſam prætendentes, quaſi Rex Jeruſalem aberat pro ſuæ voluntatis arbitrio, nec alius Princeps aderat, cui gens diverſarum nationum obedire vellet, ad educendum populum Domini, & ſic concordabant ad otium, ex quo mala multiplicata ſunt in caſtris. Menſe Julio ſupervenit Comes Matthæus de Apulia cum VIII. galeis, quarum duas curſarias inſidiantes Chriſtianis cepit in via maris.

XXVIII. Erubeſcat humanæ præſumtionis temeritas, quæ de ſuis vel alienis viribus fallaciter confiſa, patenter plerumque confunditur, ſicut in præfato Comite patuit; cujus adventum præcurrens fama, crebris rumoribus nunciavit, & quaſi per eum negotium procederet, occaſionibus dilatoriis differebatur progreſſus. Sed periit memoria tantæ ſpei cum ſonitu, nec tamen per Comitem ſtetit, quo minus ſpes ad effectum perduceretur optatum; quia teſte legato voluntas ejus prompta fuit, apparatus etiam, quem adduxit, & quem poſtmodum adjunxit, juxta militarem diſciplinam omnibus apparuit magnificus. Præterea moram in exercitu fecit utilem, ac officio militis Chriſti competentem. Ac poſtquam ipſe pervenit Damiatam, legatus cum eis, qui majorem zelum habere videbantur, cum omni natione, quæ tunc in caſtris erat, ac ipſo Comite Matthæo, quibus expedire videbatur, progreſſus contra regem Babilonis, conſilium habuit. Deinde Principes ac Duces multitudinis convocavit, & in ſermone publico populum torpentem ac otio deditum excitavit ad laborem. Sed majores, præſertim Francigenæ, huic perſvaſioni honeſtæ contradixerunt, Comitem de Arundello majorem inter Anglicos & nobiliorem inter Teutonicos ad impediendum legati propoſitum efficaciter inducentes. Inter alias frivolas cauſas regis Johannis abſentia allegabatur frequentius, qui contra pactum ſuum, quod apud Accon peregrinis in Ægyptum navigaturis fecerat, ut vivus & ſui juris ipſos non deſereret, contra ſponſionem veniens rediit in Accon, Chriſtianitatis non agens negotium, verſus Armeniam ſe præparavit ac iter arripuit. Filiam enim Leonis habens regis Armeniæ defuncti uxorem, regnum, ut dicitur, affectavit regionis illius, ſed ſpe ſua fruſtratus a Baronibus Armeniorum non eſt admiſſus. Eodem fere tempore regina cum parvulo filio regis diem clauſit extremum. Rupinus etiam princeps Antiochenus idem regnum appetebat, quem Catholicos primas nominatæ gentis in Tharſo civitate potenter obſedit, & comprehenſus & incarceratus ibidem vitam finivit. Favens autem juniori filiæ Leonis regis, cui pater ante mortem ſuam Principes regni jurare fecit fidelitatem, Catholicos modico tempore poſt defunctus eſt.

XXIX. Legatus poſt crebras ammonitiones publicas & privatas dolens tam copioſum exercitum ſtationarium, & non progreſſivum, & in proximo paſſagio fore retrogradum, operationis exemplo tandem alios ad ſequelam cœpit exhortari, extendi faciens tentoria ſua in loco campeſtri; ſed in tantum prævaluit contradictio majorum, ut etiam ſtipendiarii quidam Gallici & Teutonici, qui ſoldos ejus acceperant, procedendi laborem impedirent. Quorum quidam excommunicati, alii poſtmodum excommunicandi confuſi ſunt, & accepta ſtipendia pro rata temporis reſtituere compellebantur. Italici milites vana ſpe circumvenerunt religionem legati, promittentes progreſſionis auxilium, ſed filii Ephraim in & in. a. c. s. in. d. b. Aſpicientes enim manifeſte legati conſtantiam & itineris contra Soldanum audaciam, præſcriptis contradictoribus conſenſerunt, diſſvadentes progreſſum; cum tamen nec militum nec ſatellitum copia deeſſet Chriſtianis. Habundabant galeæ, præparatæ ſunt barbottæ, aderat ſagittariorum numeroſa multitudo, victualium habundantia, locus oportunus inter fluvium a dextris & lacum a ſiniſtris, quaſi Dominus nobis loqueretur. Quid eſt; quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci. An quod exſpectavi, ut faceret uvas, & fecit labruſcas? Nam præter alia, quæ ſufficienter a Domino proviſa fuerunt ad expeditionis profectum, ſicut ab exploratoribus noſtris didicimus, Rex Babilonis modicum etiam habebat auxilium & Boldewinorum adjuncta fuiſſet nobis multitudo nimia, uxores & liberos obſides datura, ſi viriliter egiſſe Chriſtianos experimento didiciſſent, ſicut per litteras eorum & nuncios intelleximus, & hoc probabile videbatur, quia Soldano ſervivit in angaria. Ipſi quidem olim dominabantur in terra Ægypti, donec a Saladino potenter oppreſſi, diſperſi ſunt per ſolitudines deſerti. Legatus poſt multas fatigationes, qui voluntariam ſequelam non habuit, præſertim quia fluvius jam crevit, regreſſus eſt ad antiqua caſtra, in publico ſermone multum ſvadens auctoribus impedimenti, ne opus Dei feliciter inchoatum perficeretur, ut ſe ipſos dijudicarent, ne a judice ſecretorum gravius judicentur. Nullus enumerare valet corruptelam exercitus noſtri, poſt Damiatam a Deo datam, & munitionem Thaneos ſuperadditam. Inertes & effœminati commeſſationibus & ebrietatibus, fornicationibus & adulteriis, furtis & lucris peſſimis infectus eſt populus. Poſtmodum quidam ex noſtris profecti ſunt per dietam unam in terram

ram

Digitized by Google

ram hostilem, reducentes captivos boves & equos. Deinde Templarii cum suo speciali comitatu veloci cursu processerunt ad oppidum maritimum, quod Broilus dicitur, & adduxerunt spolia multa, camelos circiter centum, captivos totidem equos, mulos, boves & asinos & capras, vestes & supellectilem multam infra duos dies naturales reversi; sed propter inopiam aquarum multi equi cum mulis defecerunt in via, ipsi tamen incolumes regressi sunt. Domus Teutonica cum multis aliis occurrit eis præ gaudio, sed moram faciens post tergum ipsorum, ex qua causa non satis constat, Veloces equites Turcorum aggressionem contra eos fecerunt super mare, territi vero de aliis nationibus fugierunt ab eis, sed Anglici & Flandrenses & Teutonici & Robertus de Bellomonte supervenientium sustinuerunt incursum; præceptor & marscalcus ejusdem Domus cum aliis fratribus & militibus seculi ferme XX. capti sunt, equi fugientium & sese defendentium interfecti sunt multi, quia nostri non ad pugnam, sed ad excipiendum Templarios fuerunt egressi, ideoque balistariis & arcuariis carebant.

XXX. Mense Augusto applicuerunt Damiatam XIIII. galeæ, a Duce Venetorum transmissæ pariter & armatæ, quæ modicam utilitatem attulerunt Christianis. Nam Rex Babilonis XXXIII. armavit galeas eodem tempore, quæ nobis inæstimabile dampnum intulerunt. Ceperunt enim naves mercatorum cum ipsis hominibus, quæ victualia versus Damiatam afferebant, peregrinos etiam captivos duxerunt, naves spoliantes & comburentes. Invaserunt insuper navem magnam, quæ comitem Henricum de Zwerin & alios nobiles Teutonicos deferebat, ad nos tendentes, sed ipsi viriliter se defenderunt, & multis piratis interfectis & sauciatis evaserunt feliciter perdito Scalandro uno de Domo Teutonica cum Ordeo, quem consumpsit ignis Græcus. Casum miserabilem hic interponere cogimur. Comes Retherus de Cathzen-Ellemboga ante tempus passagii cum magna multitudine peregrinorum a nobis recessit, multum exoratus & ammonitus a Domino legato, ne navim illam ascenderet, si proficisci vellet Thessalonicam, sed sine diminutione exercitus cum paucis iret in minori vase. Ipse vero cum Domino navis & multis peregrinis irrevocabiliter iter arripuit, ideoque legatus apostolicæ sedis navem illam maledictam excommunicabat, & omnes navigantes in ea, quæ prope Cyprum incidens in piratas combusta fuit. Comes tamen cum paucis enatans, naufragus evasit. Galeæ Venetorum & aliorum invitatæ ad accelerandum, tardius egressæ sunt de portu Damiatæ, tendentes versus Ressitum & Alexandriam, postquam descripto modo damnificati sumus a Sarracenis.

XXXI. Coradinus inertiam nostram cognoscens, de Syria congregavit exercitum, & Jerusalem civitatem Dei viventis ante destructam amplius destruxit, cisternas prius repletas dissipavit, columnas marmoreas asportari fecit Damascum, & per montana Palestinæ gradiens, & campestria, arbores fructiferas & vineas vastavit. Templarii intelligentes, quod Castrum Filii Dei vellet obsidere, turrim districti desertam in superiori parte destruere cœperunt. Ipse vero postmodum superveniens æquavit eam solo, succidens hortum pomiferum ante positum, tandem obsedit castrum cum Turcorum multitudine, ordinem tabernaculorum suorum extendens a flumine usque ad salinas. Hanc autem sumsit audaciam ex eo, quod intellexit circa principium Octobris septimum passagium tam modicum fuisse, non enim credimus tunc C. milites cum militaribus armis & equis in auxilium nostrum advenisse. Populi autem Accon ad Damiatam applicuit maxima multitudo, per sententiam ecclesiasticam de finibus suis expulsa. De illa vero numerositate licentiati sunt ad reditum, de quorum paupertate nobis constare potuit, alii ad cumulum suæ perditionis sine licentia, alii per fraudem extorta licentia redierunt ad propria. Pauci vero, quibus erat mens sanior, nobiscum remanserunt in exilio. Coradinus obsidione firmata, metuens excursum castrensium, fossatum fieri jussit inter castrum & sua tentoria, erigens tabernaculum unum, petrarias tres, Magonellas quatuor, diebus ac noctibus ictibus machinarum munitionem infestans, sed de turribus novis ac muro medio nec unum lapidem de suo loco movere valuit. Trabuculus autem castri cum petraria juxta se posita ac magonello trabuculum hostium & petrariam concutiens fregit. In palatio etiam Templariorum ibidem IIII. millia bellatorum cottidie reficiebantur præter illos, qui propriis sumptibus ad defensionem & provendendis victualibus de Accon advenerant. Legatus vero Reginam Cypri ac barones Siriæ Christianos per nuncios litteras festinanter invitavit ad subveniendum Christianitatis munitioni. Magister Templi cum probata militia Templariorum licentiatus a legato, pro tanta necessitate reversus ad castrum cum Coradino pugnare disposuit. Cyprenses vero militum ac sumtuum magnam adduxerunt copiam, Tripolitanus similiter & Dominus Berithi Gvido de Gibellulo cum aliis Polonis alacriter se præparabant ad succursum. Quod intelligens Coradinus per exploratores & Christianorum proditores, necessitate metus compulsus, turpiter ab obsidione recessit, multum a Castrensibus dampnificatus tam in hominibus, quam in equis. Ipse vero sicut superbus & arrogans comminatus fuerat, se castrum comprehensurum per obsidionem longam, sed divina virtus eum recedere coëgit, combustis castris propriis circa Novembris principium. De castri autem defensoribus multi sauciati, pauci vero defuncti sunt. Protegat altissimus hanc domum in honorem filii Dei constructam, Sarracenis odibilem, Christianis amabilem, tanquam antemurale civitatis Accon, super muros ejus sit angelorum custodia usque ad consummationem seculi. Sane fiduciam habemus in Domino Jesu, quam, qui cœpit inimicos crucis conterere, stabilis in gratia sua, tempore beneplaciti sui, perficiet.

Digitized by Google

ciet. Jam enim ultionis divinæ certum percepimus argumentum; nam in obsidione castri sicut ab exploratoribus nostris didicimus, & strata per campos cadavera visibiliter intelleximus, interfecti sunt ibidem VI. Ammirati, CC. Mameloti in armis doctissimi. Artuariorum vero & in machinis trahentium peremptorum a balistariis nostris, qui fuerunt CCC. nulla computatio fuit. Uno etiam die intefecti sunt equi CXX. magni pretii, inter quos erat unus XIIII. milibus dracmarum emptus, quem Seraphus Soldamus Halappiæ cuidam Amiraldo pro munere misit; aliorum equorum insuper & camelorum plurima dampna sustinuerunt Sarraceni.

XXXII. Mense Novembri Dominus Frithericus, filius imperatoris Heinrici, coronatus fuit in Imperatorem Romæ sub Honorio Papa in magna concordia regni & sacerdotii ac pace Romanorum, cruce signatus ad subsidium terræ sanctæ præparans se, præmittens etiam Ducem Bavariæ, qui venit Damiatam anno MCCXXI. in passagio VIII. cum Battavensi Episcopo, marchione de Hathe, Comite Widone de Brevenna & aliis nobilibus Mense Majo. Huic Duci commisit vicem suam Imperator, donec personaliter transfretaret. Porro legatus apostolicæ sedis considerans temporis oportunitatem, & ocii dispendium, iterum tractare cœpit cum duce de negotiis bellicis, pro quibus promovendis moram fecit in Ægypto. Institit præterea Dux præfatus, ut castra Soldani populus fidelium aggrederetur, priusquam fluvius solitum sumeret incrementum. Unde communi consilio baronum, militum ac popularium explicare cœpimus tentoria super fluvium extra castra mense Junio in festo Apostolorum Petri & Pauli. Deprehensum est assertione Beluacensis. Electi & aliorum, qui in captivitate detinentur, plurimorum etiam relatione, quod si legatus non fuisset præpeditus per contradictionem eorum, quorum supra mentionem fecimus, sed sicut ordinaverat, contra Soldanum processissent ante vel post incrementum fluminis, Ægyptus in sortem Christianorum devenisset. Tunc enim majores Ægypti discordabant a Soldano, & sicut Raab meretrix humanitatem populo Dei supplicans pro se & pro Domo sua, sic Ægyptii exenia miserunt, & munera nostris captivis in Kairo, supplicantes, ut eis mediantibus apud Christianos victores misericordiam invenirent. In octava Apostolorum feria III. legatus præmisso triduano jejunio & coadunato clero nudis pedibus cum Archi-Episcopis & Episcopis vexillum salutiferæ crucis processionaliter extra Damiatam detulit ad castra per ascensum fluminis collocata. In crastino Rex Johannes Damiatam rediit, comitatum adducens copiosum.

XXXIII. Incipiam & complebo dicit Dominus. Ecce ego faciam verbum, quod, quicunque audierit, tinnient ambæ aures ejus. Meum est dominium in regnis hominum, consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet, non est, qui resistere valeat vultui meo. Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra dispositionem voluntatis meæ, tanquam momentum stateræ sic est ante me orbis terrarum, & tamquam gutta roris ante lucem qui descendit in terram; Quis dicet mihi, quid fecisti? aut quis stabit contra judicium meum. Inveni David. s. m. s. s. m. v. e. Regem Indorum, cui præcepi injurias meas vindicare, contra bestiam tot capitum insurgere; cui contra regem Persarum victoriam contuli, magnam partem Asiæ pedibus ejus subjeci. Rex Persarum in nimiam elatus Superbiam, Asiæ monarcha esse voluit, contra hunc Rex David, quem dicunt filium Johannis Presbyteri primitias victoriæ tulit, deinde reges alios sibi subjugavit, & regna, &, sicut fama celeberrima nunciante didicimus, non est potestas super terram, quæ ipsi valeat resistere. Executor creditur esse divinæ vindictæ, malleus Asiæ. Sane post captam Damiatam legatus apostolicæ sedis recitari fecit in auribus multitudinis summatim & interpretative librum arabice scriptum, cujus considerantes & contemptantes ligaturam cum cartis, vetustum invenimus eundem. Qui liber Clementis intitulatur, scriptus, ut ajunt, ab ore principis Apostolorum ab ipso Clemente de revelationibus factis Petro inter resurrectionem & ascensionem. Incipit autem liber iste a creatione mundi, & consumatur in consummatione seculi, in quo præcepta salutis & consilia leguntur. Interserit autem prophetias, quorum quædam jam evidenter apparent completæ, quædam pendent de futuro. Inter alias dicitur civitatem aquosam a Christianis fore capiendam cum civitate una Ægypti. Addit etiam de Alexandriæ captione, nec tacetur Damascus, quæ servos Dei multum cruciavit & cruciat. Additur præterea de duobus regibus, quorum unus asseritur venturus ab oriente, alius ab occidente Jerosolymam, in illo anno, quo pascha erit tertio die Aprilis. Liber iste cum eo, cujus supra mentionem fecimus, etiam in multis concordat. Huic prophetiæ literæ plurimæ de victoria regis David scriptæ, cui fama inter Christianos & Sarracenos vulgata suffragatur. Vidimus etiam in argumentum hujus rei, captivos Christianos a nuntiis regis David in Balach liberatos, quos captos in obsidione Damiatæ, Rex Babilonis Calipho miserat pro munere.

XXXIV. XVI. Cal. Aug. militia Christiana apud Pharascum Casale, distans a Damiata tribus milliaribus congregata, per acies equitum, ac turmas peditum decenter instructa, procedebat alacriter. Æstimatores vero miliciæ. MCC. numerabant militariter armatos cum equitaturis, ad tale negotium peragendum necessariis, exceptis Turcopolis & aliis equitibus numerosis. Peditum armatorum certum numerum investigare nequivimus propter eorum copiam, quos Sarraceni locustis comparabant, quia magnum terræ spatium occupaverunt. Sagittariorum quatuor millia credimus convenisse, quorum quasi duo millia quingenti fuerunt ad Soldos. Inter majores naves & minores sexcentas XXX. computavimus, videlicet cogones trecentos cum galeis XVIII. armatis,

Digitized by Google

matis, insuper Scalandros, Tharidas, Barbottas, Cursarios & Barcas onera cum victualibus deferentes. Numerus hostium, qui VII. millia equitum nunciabatur a transfugis, forma castrorum talis erat. Fluvius a dextris instar muri tutelam præstitit navibus coopertus. A parte sinistra pedites erant pro antemurali lineariter & quasi processionaliter incedentes agmine denso. Equitum acies transversaliter a flumine usque ad peditum phalanges protendebantur, robur dantes & accipientes ab eisdem. Sagittariis Lancearii firmiter cohærebant, impetum hostilem sustinentes densatis ac directis lanceis, si quando cominus irruere præsumsissent. Sic equis & equitibus provisum est provido consilio, ne fauciarentur jumenta. Vulgus inerme cum sarcinulis super ripam fluminis gradiebatur tutissime, clerici pedites ac mulieres aquam deferebant remotioribus, peritiores contra versutias perfidorum in anteriori & posteriori custodia hostiles excursus prudenter exceperunt. Edicto publico terribiliter cautum erat, ne quis anteriorem aciem præcedere vel posteriorem subsequi aut aciem irrumpere quolibet ausu præsumeret. Exploratores hostium ab utraque parte fluminis copias nostras considerantes & ordinem disciplinæ militaris admirantes, dampna nihilominus conabantur inferre, sed tanta sagittariorum obstitit multitudo, ut eo die nullum de nostris captum, nullum intelligeremus sauciatum, qui agmini quadrato firmiter adhæsisset, legatus militibus ac satellitibus larga manu stipendia distribuit, naves armavit, nec corpori suo nec rebus parcens, ad opus perficiendum omnem, quam poterat, adhibens cautelam, una cum Johanne Rege Jerusalem & Duce Bavariæ archiepiscopis & episcopis, magistrisque domorum, qui vigilanter instabant & insudabant negotio.

XXXV. XIIII. Kal. Augusti misit Rex Ægypti robustiorem & majorem speciem suæ virtutis, quam tunc habebat, quatuor, ut videbatur, equitum millia, qui forinsecus girantes populum Domini, timide satis extremas peditum acies sagittis impetebant eminus, quibus nostri viriliter restiterunt, agmina sua propter hoc nullatenus rumpentes. Postera die nobis instabant acrius, & nostros plures sagittas expendere coëgerunt. In hoc biduo pauci de Christianis leniter fauciati, paucissimi mortui, sperandæ victoriæ fiduciam hostibus abstulerunt. Qui die tertio ad Dominum suum reversi pacificum nobis per Saremsac aperuerunt progressum, ante nos casalia comburentes. Veruntamen frumenti & ordei ac leguminis, palearum etiam copiam cum hortorum fructibus invenimus: incolæ cum mulieribus & parvulis a facie virtutis Dei fugierunt communiter. In vigilia S. Jacobi castra fiximus in capite insulæ triangulo, ubi Nilus bifariam dividitur, antiqua castra Soldani separans a nostris, in quibus post captam Damiatam moram fecit. In hoc loco fluvius Taneos recedens ab alveo discedente Damiatam, insulam cum eo facit, quæ XII. milliaribus in longum porrecta, casalia multa super aquas sita continet. Inter quæ nominata præ cæteris & opulentiora sunt super ripam ulteriorem, Symon & Saremsac, in quibus palatia regis magnifica fuerunt. Hæc insula appellationem sortita terra Damiata nuncupatur, quæ vero trans fluvium est, Taneos dicitur. Quæ autem trans fluvium Damiatæ latior invenitur, Mahalech nominatur. Ultra fluvium Taneos ad orientem infra dietam unam incipit Solitudo deserti, in qua tamen reperitur aqua per certas mansiones hominibus & jumentis sufficiens, si tamen amplietur fossoriis. Terminatur autem ad Darum & Gazam. Contra meridiem Babilon sita, terram Ægypti Babiloniam appellari facit. Civitatis hujus dispositio tripertita triangulatur. Ipsa civitas Babylon super Nilum ædificata, distenditur in longum & latum, habens plateas strictas, habitationes compressas propter populorum frequentiam, in qua Christianorum plures sunt ecclesiæ, & eorundem numerosa multitudo principi terræ sub tributo servientium. In hac deponuntur onera negotiatorum venientium de Alemania, Æthiopia, Libia & Perside & aliis regionibus. A parte versus Damiatam fere unius miliaris intervallo, Kairum ædificiis ac plateis spatiosis distentum, magnificas habet mansiones, in quibus terræ barones civesque nobiliores commorantur. Hac civitas penitus non descendit super fluvium sicut Babilon, sed spacium junceis radicibus consitum interponitur. Porro in eminentiori specula castrum regale conspicuum magnis turribus compositum eminet, & sic in modum trianguli tripertita disponitur ædificiorum magnitudo. Ab utroque vero latere castri descendit murus, Kairum & Babiloniam includens, interjacet autem spatium sabulosum hiis tribus ædificiis, in quo copiosus residere potest exercitus. Inter Kairum & Babiloniam, ecclesia beatæ Mariæ demonstratur, ubi cum puero Jesu moram fecisse dicitur, quando fugit in Ægyptum, & corruerunt idola Ægypti. Kairum distat a Damiata itinere trium dierum. A Kairo usque ad ortum Balsami distantia magni milliaris consideratur, qui terram habens sabulosam muro clauditur, fons est in medio, de quo trahit antiquorum relatio, & fama celeberrima divulgatur, gloriosam virginem ipsum oratione sua produxisse, ac pannos infantiæ salvatoris in eo lavisse. Colitur autem hic hortus in modum vinearum: truncus hujus spissitudinem habet caulis, virgulas a trunco pullulantes in altitudinem unius cubiti, ad modum salicis, cortex subalbi coloris nodulosus ac rivulosus. Sirobalsamum dicitur ejus lignum, Carpobalsamum semen, Filobalsamum folium modicum & præacutum ad similitudinem folii licoricii, Opobalsamum cum adjunctione; quorum cultores cortice tenus virgas incidunt, unde balsama generantur, ut per illas paulatim se colligens humor discurrat. Ope enim Græce, caverna dicitur latine. In autumno balsamum colligitur, sic contorquetur virgula & ungue confricatur, & per cocleam præacutam excipitur

tur ſtilla, quæ reponitur in vaſculis. Deinde ad ſolem excoquitur XX. dies, poſtmodum ad ignem deſpumatur, liquor vero dividitur per ampullas; nam de integra ſubſtantia poſt depurationem modicum remanet de balſamo non mixto. Venditores autem & revenditores reſinam ſolent apponere pineam vel terebintinam & emptores decipere, ideoque apud venditores rarum purum invenitur. Soldanus inter principes orbis pro magno munere in ampullis diſtribuere ſolet illud. Magiſter hujus horti Chriſtianus eſt, habens ſub ſe Chriſtianos & Sarracenos miniſtros. Infra Kairum ſpatium trium milliarium inſula parte porrigitur in longum & latum, ubi Nilus aquas in ſuo bipertito dividit, alveum implens, a parte una Damiatæ, Reſſiti, a parte altera. Reſſitum civitas fuit magna, nunc ruinoſa inter Alexandriam & Damiatam, ſed Alexandriæ longe vicinior, diſtans a Kairo duobus dietis. Apud Reſſitum & ſupra, fluvius eſt latior, aqua profundior, portus tranquillior, quam Damiatæ. Oneratas enim naves recepit, & exercitum copioſum collocare poteſt in inſula præſcripta. In cujus capite, cum eſſemus in obſidione Damiatæ, Soldanus fluvium a nobis auferre cupiens, & aquas ejus in alveum refundere, multum fruſtraque conatus poſt expenſas plurimas naturæ ſuum reliquit decurſum.

A Babilone ſuperius usque Leemanniam cultura terrarum ab utraque parte fluvius coarctatur, vaſtas habens utrobique ſolitudines. Leemannia ſpeciebus habundat aromaticis, quas per Ægyptum diverſis regni negotiatoribus deferentibus tranſmittit.

XXXVI. Ultra Leemanniam Æthiopia regiones habet latiſſimas, populum Chriſtianum innumerabilem, partim ſub regibus, partim ſub dominio Sarracenorum conſtitutum. Hic ſunt Nubiani, qui in Sacramento Altaris & aliis divinis officiis Jacobinis ſociantur, eo excepto, quod Nubiani ſoli parvulis ſuis Karacterem crucis ignito ferro trifariam in fronte altrinſecus juxta oculos imprimunt, nichilominus baptizant. Hii & illi literam habent Caldeam, in fermentato conficiunt, uno digito ſignaculum crucis faciunt, duas naturas unitas dant in una natura Chriſti. Forſitan nomen naturæ æquivocantes, ut ſecundo loco naturam pro perſona accipiunt. Georgiani & Græci per omnia concordant in officiis divinis, ſed Georgiani literam habent propriam, quorum codices in Monte Sancti Symeonis in columpna, ubi propriam habent eccleſiam, diligenter inſpicientes, per interpretem intelleximus, eos eundem ordinem evangeliorum habere, quam habent latini. Canones etiam evangeliorum per columpnellas arcuatas, ſicut & nos. Epiſtolarum Pauli idem prorſus apud eos eſt ordo cum noſtro; omnibus enim aliis epiſtolam Pauli ad Romanos præmittunt. Maronitæ Patriarcham ſuum habent in latere montis Lybani. Iſti formam eccleſiaſticorum officiorum acceperunt ab Innocentio Papa in proximo Concilio Laterano, & eam ſervant, quam tum eorum littera permittit, quæ eſt Caldea vel Caldeæ proxima. Iſtis adjuncti ſunt in ejusdem montis latere Neoforitæ, qui legem habent coopertam, quam filiis ſuis & nepotibus non exponunt, niſi anno XXX. ætatis eorum. Hæc eſt lex peſſima, quæ vult occultari, nec vult in luce videri. Cumque euntes per partes illas, ſcire vellemus, quare nunquam excepto hoc tempore uxoribus ſuis vel filiabus aut ſororibus ſuis legem ſuam revelaverint, reſpondit unus de ſenioribus; mulieres formatas eſſe a diabolo: & nos intulimus, cum hujusmodi mulieribus amplexibus vacatis, ergo diabolum amplexamini? Unde confuſus a nobis receſſit. Dolent utique Chriſtiani ſe tales habere vicinos. Armeni propriam habent litteram, quorum ſacerdotes in agro ſeparant granum, de quo conficere volunt hoſtias azimas, a communi annona ſeorſum triturant, ſeorſum molunt, & farinam conſperſam aqua eo die, quo conficere volunt corpus Domini, cum decantatione pſalmorum ante altare in panem azimum in forma Latinorum præparant, cum magna devotione celebrantes; ſed in hoc ſunt valde reprehenſibiles, quod natale Domini nobiſcum non celebrant, ipſo die arantes & ſeminantes, & eorum mulieres nent ac carminant. Diem Epiphaniæ baptiſterium appellant, ea ſolemnitate cum maxima populi frequentia conveniunt. Nativitatem Domini cum Epiphania celebrant, dicentes eo die Dominum fuiſſe natum, quo revolutis annis fuit baptizatus. Hi Romanis legibus ſe dicunt eſſe ſubjectos, & habent catholicon primatem, cui per omnia obediunt. Apud Antiochiam conſtituti Neſtorinos, qui propriam ibidem habent eccleſiam, diligenter examinavimus; qui dicunt, ſe credere duas naturas unitas in perſona Chriſti, & beatam virginem matrem Dei & hominis confitentem, ac ipſum Deum & hominem peperiſſe, quod Neſtorius negavit. Utrum autem ſic corde credant, ſicut ore confitentur, Deus novit. Syri litteram & cantum ac ſacrificii ritum habent Græcum. Sed linguam communem cum Sarracenis Arabicam in contractibus & epiſtolis, quas dirigunt. Jacobini per Ægyptum circumciduntur pro majori parte. Sed qui inter Medos & Perſas commorantur, baptiſmo ſunt contenti. Ruſſi linguam habent propriam, ſed in divinis officiis Græcis per omnia ſimiles inveniuntur. Hæ Chriſtianorum diverſitates per totam Aſiam Sarracenis ſunt permixtæ, ne gens illa perfida per ignorantiam ſe valeat excuſare. Longam digreſſionem fecimus non ſine cauſa, quatenus Ægypti ſitus & fluminis decurſus cum varietate Chriſticolarum, qui ſunt in Aſia, fidelibus evidentius appareat. Nunc ad ordinem hiſtoriæ reverſi, aſpergamus hunc libellum lacrimis, plangentes & lugentes Chriſtianitatis dampnum & opprobrium. Usque ad caſale Saremſac, cujus ſupra mentionem fecimus, magnum ac famoſum, utilis erat militiæ Chriſti proceſſus, ideoque Soldanus capta Damiata prudenter præcavens in futurum, quod accidere poterat, deſtruxit illud cum palatio ſuo ſpe-

Digitized by Google

ſpectabili ſuper Nilum ſito. Ultra locum iſtum fluvius curvatur atque reſtringitur, & quidam rivulus ab inſula Mahelech veniens fluit in eum, & creſcentibus aquis profunditatem cum dilatatione ſuſcipiens galeas aliaque vaſa mediocria valet inferre, quem Duces noſtri videntes pariterque contemnentes præterierunt, feſtinantes ad caput inſulæ. Populus etiam ſpe prædæ, quia falſo nunciabatur, Soldanum ad fugam præparari, properabat alacriter, ſicut aves ad laqueum, & piſces ad megarim. Rex autem Babilonis certificatus, Saremſac poſt tergum relicto, pedites & equites de regno ſuo præſertim Kairo atque Alexandria coadunavit in occurſum adventantium. Unde captivi noſtri conſiderantes Kairum habitatoribus ſuis eſſe vacuatam, conſilium inierunt, ut in adventu noſtro turres comprehenderent, & ipſas advenientibus aperirent. Sed divina diſpoſitio, quæ clementer audivit gemitum compeditorum, labores & dolores vinculatorum per noſtras anguſtias liberavit eoſdem.

XXXVII. Dum hæc aguntur in Ægypto, Seraphus rex, civitatis Medorum Rages, Coradinus Dominus Damaſci, cum principibus de Haaman & Chamela congregata de partibus Orientis, equitum multitudine maxima convenerunt apud Chamelam, unde timor magnus incurſus erat Antiochenis, & Acconienſibus aliiſque urbibus maritimis, quorum bellatores aberant in expeditione profecti. Suſpectam etiam habuit hanc collectionem, caſtrum Album in Comitatu Tripolitano. Diu multumque laborabant prænominati principes, utrum perſonaliter fratri ſubvenirent in Ægypto, an exercitum dividerent, obſidendo aliquam munitionem ipſorum. Urgebat potentia Regis David, qui victor contra Regem Perſarum in finibus Perſidis & Baldach potenter agebat, propter hoc timebant a finibus ſuis elongari. Conſiderabant etiam caſtrum Hoſpitaliorum vel Templariorum, de facili capi non poſſe tempore parvo. Prævaluit tandem conſilium hortantium profectum in Ægyptum, maxime, quia ipſorum frater in camelis curſariis frequenter nuncios miſit, ſupplicans ut venirent, adjungens, Chriſtianos in tali loco conſediſſe, quem abſque periculo relinquere non poſſent, aut ſi venientes prævalere contra non valerent, ſaltem pacem cum ipſis componerent. Has vires & tale conſilium Regina Cypri legato, fratres Hoſpitales & Templi Magiſtris ſuis conſcripſerunt, dehortantes exitum a Damiata, vel ſi eſſent egreſſi, in locis tutiſſimis ſibi providerent. Sed jam peccatis exigentibus omnium noſtrorum conſilium ſanum a principibus noſtris fuerat elongatum; ſic Julius Cæſar multipliciter præmonitus, & Alexander Macedo per noctis quietem præmonitus, cautelam periculi corporalis demeruerant adhibere. Ipſe Dominus ad Moyſen dixit ad filios Iſrael: Nolite aſcendere, neque pugnetis: Non enim ſum vobiſcum, ne cadatis coram inimicis veſtris; nihilominus aſcenderunt & victi ceciderunt. Rex autem Johannes profundius rem conſiderans, oblatam ſæpius ab hoſtibus compoſitionem potius acceptandam, quam longiori via populum fidelium productum, fortuitis caſibus exponendum prudenter oſtendit. Sed ſummus Pontifex compoſitionem fieri aliquam abſque ſpirituali eccleſiæ Romanæ mandato prohibuit. Imperator per literas auro bullatas pacem vel Treugam componi cum Sarracenis inhibuit. Interea caſtra firmavimus foſſato profundo; e contra pars adverſa murum fecit de terra, & alta propugnacula per oppoſitas ripas utriuſque fluminis, collocans in eis machinas, petrarias ac baliſtas cum torno, grave damnum hominibus & jumentis ad potandum adductis inferens. Adverſariorum vires quotidie creverunt, noſter conventus minoratus defluxit. Inſtabat paſſagium, crevit timiditas eorum, qui patenter vel fraudulenter abeuntes, in campo nos deſeruerunt. Naves etiam multæ relapſæ ſunt Damiatam pro victualibus adducendis, quæ redire non poterunt. Nam XVIII. die Auguſt. galeæ noſtræ captæ vel in fluvium merſæ hoſtibus audaciam addiderunt. Jam enim Soldanus partem galearum ſuarum per rivum, cujus ſupra mentionem fecimus, infra caſtra noſtra per inſulam Mahalech, in alveum fluminis nobis ignorantibus immerſerat, intercludens viam noſtris, ne deſcendere valerent nec aſcendere. Inſuper in utraque ripa usque Damiatam continua cuſtodia collocata, ſagaciter armatorum multitudine diebus ac noctibus obſervabat in tantum, ut gens noſtra nuncios mittere vel recipere nequiret. Ab illo die, quo fluvium amiſimus, frequenter noſtri conſules convenerunt, deliberantes, quid magis expediret, exſpectare galeas ab imperatore promiſſas in caſtris, an egredi quocunque diſpendio propter victualium diminutionem. Major pars conſuluit egreſſum, qui periculoſior erat, propter hoſtium adventum, & aquarum certiſſimum impedimentum. Quidam autem de Minoribus, qui vidit & audivit hæc, & rudi ſtilo, ſed veraci deſcripſit, exemplum David propoſuit, qui habens optionem in tribus, quorum quodlibet erat durum, qui nec famem VII. annorum, nec ab hoſtibus vinci tribus menſibus, ſed quod erat regi commune cum pauperibus elegit, peſtilentiam videlicet trium dierum, ſic iſte conſultus reſpondit cum infirmis & debilibus, ad quos deferendos nec naves ſuffecerunt, nec jumenta, in loco munito exſpectandum eſſe, quum victualia, ſi ſolerter diſtributa fuiſſent, adhuc per XX. dies ſufficere poterant. Veruntamen hoc conſilium non fuit acceptatum, ſed egreſſus magis placuit & nocturnus. In hoc Battavenienſis Epiſcopi & Bawariorum prævaluit ſententia. VII. igitur Kal. Septembris prima noctis vigilia cum deponerentur tentoria, homines propriæ voluntatis judicium rationis nullatenus ſequentes, ignem appoſuerunt tabernaculis primi, deinde alii quaſi certatim hoſtibus fugam propriam nunciantes, & Ægyptios, qui jam membra ſopori dederant, ad nos perſequendos invitantes. Eodem tempore Nilus plenum incrementum

Digitized by Google

acceperat, & plus ſolito exuberantibus aquis campos infuderat, prænominati etiam reges per deſertum venientes ſupra fluvium Thaneos apud Symonem, ubi pons collocatus erat, caſtra metati, quieverunt. Acceſſit cladibus noſtris, quod populus eo die plurimum inebriatus vino, cujus habundantia deferri non poterat, ſed gratis expoſitum incautos ingurgitaverat, ſoporatus in caſtris remanſit, aut per viam proſtratus excitari noluit, qui pro magna parte truncatus, aut captus a nobis defecit. Alii fluminis effluxiones nocturnis tenebris egreſſi, cum limo profundi miſerabiliter luctati, poſt alios remanſerunt. Alii cadentes in naviculas & pondere ſuo nimis prementes ſubmerſi ſunt. Eadem nocte camelos ac mulos onera portantes, vaſa videlicet argentea, veſtes & tentoria divitum, & quod diſpenſioſius erat, ſagittas defenſionis amiſimus. Templarii maximo periculo ſui poſtremam aciem ducentes pro tutela præcedentium ſicut in armis parati, ſibi firmiter cohæſerunt. Athii, qui præibant, diverſas vias ingreſſi ſicut oves errantes per nocturnas tenebras vagabantur. Ægyptii per ignem & fumum certificati de noſtra fuga, velociter ſunt nos inſecuti, damna, quæ non valemus explicare, Chriſtianis intulerunt. Nec minus periculi vel dampni ſuſtinuerunt illi, qui navigio per alveum deſcenderunt. Legati navis magnam partem infirmorum cum victualibus deferens, inſtar caſtri, viris armatis & ſagittariis optime munita, cohærentes ſibi naturaliter galeas protexit viriliter; nimis autem properans, forſitan propter impetum torrentis elongata, dampnoſius ab exercitu terreſtri cibos nobis opportuno tempore præbere non valuit. Porro unus de cogonibus noſtris, bellatoribus Teutonicis repletus, nimis elongatus a cogone Legati, multa bona temporalia deferens, & una galeuncula Templariorum, in qua quinquaginta fuerunt baliſtæ, præter aliam armaturam fortium comprehenſa defecit a nobis. Quid moror in dampnorum enumeratione, quæ nox illa nobis intulit. Noctem illam tenebroſus turbo poſſideat, non computetur in diebus anni, nec numeretur in menſibus. Sit nox illa ſolitaria, nec laude digna. In hujus noctis principio rex Ægypti miſſis velociter nunciis, rumpi fecit clauſoria riparum, quæ gens illa Caliph appellare ſolet, per quas nobis iter eſſe debuit. Nox ſua memorialis eſt Ægyptiis, nobis iſta. Ruptis habundanter aggeribus, aquarum ſuperabundantia per conductus ſequens declivitatem receptaculorum rarefactas longa ſiccitate glebas molliens in limum tenaciſſimum, qui ungulas jumentorum complexus, aream camporum ſatis fecit inequitabilem, plurimumque retinuit equos, & equites. Circa horam diei ſequentis feriæ ſextæ primam apparuit equitatus Turcorum terribilis & magnus, urgens nos a latere dextro, galearum aſcendentium atque deſcendentium importunitas a latere ſiniſtro, Nigrorum peditantium falanx, utens locis paluſtribus pro caſtro, poſt tergum inſtabat atrociter; etiam ab anteriori parte ſuperveniens adverſariorum cuneus requiem negabat. In hac anguſtia rex Johannes impetum fecit in Turcos ſibi contrapoſitos, & ſalvus ad ſuam aciem rediit. Templarii cum Hoſpitalibus S. Johannis, qui tunc erant conjuncti, non ferentes importunitatem Æthiopum, ipſos truncantes & in alveum ſicut ranas ſaltare fecerunt eoſdem, & accurrentes alii ſagittas miſerunt poſt illos, etiam applicare volentes, ad noſtræ partis ripam repulerunt. Sic de multitudine magna natantium & ſauciatorum periſſe referuntur circiter mille. Propter hunc caſum pars adverſa ſe retraxit aliquantulum. Cumque progredi nobis non daretur, Rex pauca tentoria, quæ remanſerant, explicari præcepit; nihilominus per totum diem illum nobis adhæſerunt adverſarii, per ſagittarios acriter inſtantes, quibus pedites contraponentes, pro vallo fuimus eiſdem uſi, qui ſagittas adverſum nos directas remiſerunt. Equites noſtri continuo pondere laborantes armorum peditibus præſidio fuerunt. Nocte ſequenti, ſive mandante Soldano, ſive rem ignorante, aggeres uberrimi ruperunt Ægyptii, & aquas inundare fecerunt ſuper capita dormientium. Et in aſcenſu auroræ, cum adhuc tenebræ operirent terram, Æthiopes pedites, qui fluminis voraginem evaſerunt, dampna ſua cupientes ulciſci, quaſi locuſtæ congregati, licet pro majori parte nudi forent, in acies poſtremas irruerunt. Videres moliri fugam agmine denſo milites noſtros ac ſatellites, vulgus etiam inerme timiditatem profiteri manifeſtam; ſed aquis undique clauſi, quo fugerent, non habebant. Mareſcalcus autem Templi cum acie ſua, quam ducebat, levato ſigno ſe convertit ad perſequentes, ipſoſque ſubſiſtere coëgit & retrocedere. Ea tempeſtate vexatio dans intellectum, principes multitudinis pro tractatu pacis mittere perſuaſit. At Imbertus procurator malitiæ trahens ſecum, quos ſeducere potuit, tranſivit ad hoſtes, omnem ſtatum noſtræ neceſſitatis exponens Soldano. Imbertus iſte conſiliis Domini Legati ſecretiſſimis intereſſe conſuevit, multo tempore proditor peſſimus. Nihilominus Soldanus nuntios patienter audivit, ac pendente colloquio ſuos ab infeſtatione noſtra ſubſiſtere præcepit. Cumque fratres ſui & maxime Dominus de camela nomini Chriſtiano plurimum infeſtus, ipſum dehortari conarentur a compoſitione, dicentes Francos aquis undique concluſos, evadere non poſſe; ipſe, ſicut prudens & manſuetus, magis compendium pacis, quam ſanguinis effuſionem ſitiens, cum fratribus ſuis ac majoribus regni myſterium conſilii ſui habens, regem Perſarum propoſuit in exemplum, qui nimis elatus animo propter multos eventus, ab ipſo rege Babilonis aliiſque regibus Aſiæ, ſervitutis ſeu ſubjectionis jugum exegit, quem Rex David campeſtri prælio devicit, Perſidem abſtulit, civitates maximas & opulentiſſimas deſtruxit. Poſt hæc nuntii pacis ab utraque parte collocuti, ſicut fieri ſolet in hujuſmodi rebus, protraxerunt negotium per totum Sabbathum & Diem dominicum ſequentem, usque ad ve-

ſperam

Digitized by Google

ſperam, nihil certi definientes. Ipſo vero Die decollationis S. Johannis baptiſtæ hora quaſi XII. noſtra pars ciborum ac pabuli inopia, ſed aquarum copia graviter preſſa, elegit honeſtius eſſe, feliciter vivere vel fortiter in bello mori, quam turpiter in diluvio perire. Sic omnibus Francis animatis ad pugnam, acies ſunt ordinatæ, hinc inde hoſtiliter & terribiliter ſeſe reſpicientes. Turci vero conſiderantes, quia vincitur aut gratis jugulo, qui provocat hoſtem, paulatim ſeſe retraxerunt, a regibus ſuis mandatum accipientes, nox etiam inſtans prælium impedivit. Inſuper tractatu pacifico pendente, proditionis nota timebatur a prudentibus, ſi commune bonum periculoſo rumperetur impetu.

XXXVIII. Trigeſimo itaque die Auguſti contrarietate rerum ad luctuoſam redacta concordiam, Ægypto dedimus manus & Aſſyriis, ut ſaturaremur pane, quos aquarum decurſus ciborumque defectus, non arcus vel gladius ſic humiliavit in hoſtili regione. Res miranda, res ſtupenda, res ad notitiam futurorum transmittenda. Uno eodemque tempore juſtum divinitatis judicium apparuit, & miſericordiæ temperamentum in auxilio opportuno patenter claruit. Exigebant vindictam divinæ diſtrictionis magnitudo ſcelerum ac multitudo criminum, ſed naturalis fons bonitatis, cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere, mitigavit juſtæ ſeveritatis ſententiam. Ad hoc incidimus in periculum, ut mediante miſericordia clareſceret miraculum. Deus non vult perire ſuam creaturam, ſed retractans cogitat, ne penitus, qui abjectus eſt, pereat. Angelus magni conſilii loquens pro homine, unum de ſimilibus interpellavit pro nobis, annuncians hominis æquitatem; licet enim peccatores ſimus, bajulantes tamen crucem, reliquimus domos, aut parentes, aut uxores, aut fratres, aut ſorores, aut agros propter ipſum, qui iraſcitur placidus, judicat tranquillus, flagellat benignus, verbera Patris habens, ubera matris habet.

XXXIX. Conditionibus itaque pro arbitrio Soldani compoſitis, confecta ſunt ab utraque parte pactorum inſtrumenta, præſtita ſolemniter juramenta, obſides hinc inde nominati. Ponens ergo manum dextram Soldanus ſuper cartam, cui ſubſcripſerat, juravit in hunc modum: Ego Kemel Rex Babilonis de puro corde & bona voluntate, & abſq; interruptione juro per Dominum, per Dominum, per Dominum & legem meam, me bona fide omnia firmiter obſervaturum, quæ ſubjecta manui meæ charta continet ſcripta; quod ſi non fecero, ſim ſeparatus a judicio futuro, ac ſocietate Mahumeth, & profitear Patrem & Filium & Spiritum Sanct. In hunc modum juraverunt Seraphus & Coradinus, & ipſorum ſpectabiliores Ammirati. Ecce quantis erroribus & contrarietatibus gens illa cœca laborat; ter Deum nominat, ſed ignorat myſterium Trinitatis diſtinguere, nomen Patris & Filii & Spiritus Sancti ad cumulum ſuæ damnationis abhorret. Si mala voluntate vel interruptione formæ Sacramenti jurant, dicunt ſe non teneri. Hujusmodi vero pacta continebat ſcriptura, ut veram crucem cum omnibus captivis quocunque tempore captis in regno Babilonis vel in poteſtate Coradini detentis, Chriſtianis reſtituerent, & recepta Damiata cum ſuis appendiciis, nos omnes cum omnibus rebus noſtris mobilibus liberos dimitterent, & annorum VIII. Treugam inviolabiliter obſervarent. Juraverunt majores noſtri, ſe captivos omnes Sarracenos, quos in duobus regnis Ægypti & Jeruſalem detinebant, liberaturos cum reſtitutione Damiatæ, & obſervatione Treugæ, niſi Rex coronatus veniens ipſam rumpere valeret. Inſuper dati ſunt obſides XXIIII. quos Soldanus elegit. Legatus, Rex Jeruſalem, Dux Bawariæ, & tres Magiſtri domorum cum aliis XVIII. Vice verſa filius Soldani, hæres regni, & unus de fratribus ſuis, de quorum numero ſunt multi & filii nobilium dati ſunt nobis, usque ad reditum ad Turonem, ac portum Damiatæ.

XL. Sciat omnis poſteritas nos ſecundum articulum neceſſitatis commutationem optimam feciſſe, quando pro una civitate, quam Chriſtianitas diu retinere non potuit; quia annona vel farina infra annum in ea corrumpitur, & ipſe Dominus Ægypti vix eam populare poteſt, Lignum noſtræ redemtionis redditum fuit, & tot millia captivorum, in quorum numero nos ipſos a maximo usque ad minimum computavimus, propriæ libertati ſunt reſtituti. Eraclius Imperator Perſidem ingreſſus, vix per quinque annos continuos ipſam expugnavit, & Coſdroë perempto, crucem Dominicam reportans, Zachariem Patriarcham cum populo captivo Jeruſalem triumphator reduxit. Soldanus Alexandrinum patriarcham, virum magnæ religionis & maturitatis morum captivum detinens, nobis aſcendentibus per Nilum abſolutum a vinculis & ſqvalore carceris liberum dimiſit. Hoſtes crucis in hac compoſitione ſe confuſos eſſe profitentur, dicentes: ſe propriam civitatem Damiatam recuperaſſe, Jeruſalem & alias munitiones regni digniſſimi deſtruxiſſe; Chriſtianos vero caſtrum unum inexpugnabile, in ipſa Paleſtina nimis eis nocivum, ipſis invitis erexiſſe. Præterea ſi perempti fuiſſemus, aut omnibus amiſſis incarcerati, Damiata gratis perdita, reſiduum terræ, quam tenent cultores Chriſti, certiſſimo titubaſſet periculo. Illi ſiquidem, qui remanſerant in cuſtodia Damiatæ, cum audiſſent caſus noſtros adverſos, relicta civitate pro magna parte fugierunt, & non ſolum illi, ſed qui novi recenteſque ſupervenerant, audientes famam ſiniſtram redierunt. Comes de Malta circa finem Auguſti Damiatam applicuit cum galeis XL. Hoſpitalarios Sancti Johannis & Templarios rebus ſuis ſpoliaverunt piratæ, militem unum nobilem ac religioſum fratrem Templi, in defenſione depoſitorum interfecerunt, alium fratrem militem Teutonicum vulneraverunt ad mortem.

XLI. Ante reſtitutionem Damiatæ Soldanus exequi cœpit, quod promiſerat. Nam Electum Beluacenſem, & quosdam alios captivos ſolutos a vincu-

Digitized by Google

a vinculis, ad castra sua mandavit adduci. Magister militiæ Templi & Magister de domo Teutonica missi sunt a principibus, ut juxta condictum & jurisjurandi relligionem civitatem redderent. Quod factum est absque magna difficultate. Nam desuper venientibus novis peregrinis, vir potens & strenuus, & constans non est inventus, qui vellet vel posset post præfatos eventus eam retinere. Regressa est igitur bestia in latibulum suum, in antro suo moratur. Si quæritur, quare Damiata tam cito redierit ad incredulos? inpromptu causa est. Luxuriosa fuit, ambitiosa fuit, seditiosa fuit. Deo præterea & hominibus nimis ingrata extitit. Nam, ut alia prætermittam, donata cœlitus illa civitate, in distributione divitiarum, quæ in ipsa fuerunt repertæ, nec vetula fuit exclusa, nec puer X. annorum & supra; soli Christo largitori bonorum, portio fuit negata, decima non soluta. Romani quondam gentiles crateram auream Apollini decimarum nomine dedicaverunt. Filii Israel de spoliis hostium Domino portionem suam assignare consueverunt. Filii Israel devictis Madianitis dixerunt Moysi, offerimus in donariis Domini, quod in præda auri potuimus invenire, pericelides, annulos, armillas, dextrariola, murenulas. In distributione turrium ac domorum gens illa laudabilis, obediens & strennua, quæ a principio cum magna virtute Damiatam applicuit, aut nullam habuit sortem aut vilem, & ultimam; cum tamen de classe cogonum, quos adduxit, victualibus & armis, castra fidelium repleta fuissent, turris fluminis capta, transitus ad oppositam ripam præparatus, pons superior ac inferior compositus, specula Turonis constructa, mœnia fossati munita. Contra talem ingratitudinem habet remedium, quam reddet Deus mercedem Servorum suorum inæstimabilem, & deducet eos in via mirabili.

Epistola Salutaris Regi Babilonis ab Auctore hujus operis conscripta.

Consequenter ad benignitatem ac liberalitatem tuam Mechi Kemel, stilum convertam, & quem viva voce non possum, scriptis alloqui desidero. Utinam agnosceres divinitatem in Christo, & mysterium incarnationis intelligere valeres, mortem Christi, quem vivum ad cælos adscendisse confiteris, credere posses. Nam in conceptione, nativitate, ascensione, futuro judicio nobiscum concordas. Christum maximum Prophetarum, virumque sanctissimum nunquam peccasse nec peccare potuisse credis. Loquelam Dei & animam Dei, quem tu dicis, ego verbum patris appello: ipsum de halitu Dei in virginali utero conceptum, ego de Spiritu Sancto profiteor. Tu eum virtutem Dei appellas, ego similiter. Cum simplicis naturæ sit Deus, & nihil sit in Deo, quod non sit Deus, & ipse halitu Dei sit conceptus; constat ipsum esse Deum. Et flatus Dei nihil aliud est, quam Spiritus Sanctus: & loquela Dei nihil aliud est, quam verbum Dei. Cum ergo sit verbum Dei, & in principio erat verbum, quod erat apud Deum, utique Deus erat verbum. Gens tua nos appellat incredulos, quod Deum unum in Trinitate & Trinitatem in unitate fideliter adoramus. Tu quando psalmum Davidicum decantas: Benedicat nos Deus, Deus, Deus noster b n. D. ter Deum nominas, & licet ignorans verbi virtutem, Deum Trinum distinguis. Idolatras nos appellas, quia creaturam veneramur. Procul est a nobis idolatria, quam jus naturale prohibet, & lex Domini detestatur. Theosebia patrem nostrum, qui est in cœlis, colimus, utrumque Deum; Latria, quæ ipsi soli debetur, adoramus; crucem sanctam atque alias imagines adoramus dulia; Humanitatem Christi Yperdulia. Imagines litteræ sunt Laicorum, quæ eos nobis ad memoriam revocant, quorum sunt imagines; devotionem excitant, & ex eis nunquam virtus egreditur. Judæis & Christianis certissime constabat de imagine Salvatoris, cui Judæi multipliciter illuserunt, clavis eam confixerunt, deinde lancea militis aperuerunt latus ejus, de quo sanguis & aqua largiter effluxerat. Apud Berithum factum est hoc miraculum. Ecclesia Dei celebrat illud quolibet anno, & merito, quod omnes Judæi, qui tunc aderant in Beritho, cum uxoribus & parvulis ad baptismum properaverunt. Juxta Damascum in casali Sardenai de icone benedictæ virginis oleum habundanter stillat, quod gens tua negare non potest, nec audet ibi commorari Christi cultoribus. In templo Salomonico, quod tui frequentant, imagines erant duo Cherubim de lignis olivarum, vestiti auro purissimo, & ex præcepto Domini in Sanctis Sanctorum positi. Erant insuper leunculi super luteres, & XII. boves, qui sustentabant mare æneum, resticula XXX. cubitorum ambiebat illud, habens intrinsecus ordinem sculpturarum histriatarum. In templo Ezechielis in parietibus erant pictæ facies hominis, & facies leonis juxta palmam. Ipse Dominus præcepit fieri serpentem æneum, contra serpentes ignitos, Verum quod populus Idololatriam in illo exercuit, Ezehias eum confregit. Suggeritur tibi falso, nos beatam Virginem & sanctas animas adorare. Sciasque, ipsam sanctam & sanctos suppliciter rogamus, ut pro nobis interpellent, in quibus spem suffragii ponimus, non salutis, quæ in solo Deo consistit. Arctam viam & angustam portam demonstrat lex Evangelica, castitatem docet, salus nobis est in castitate virginali vel conjugali vel viduali. Tua lex plateam habet amplam, portam spatiosam, quæ ducit ad inferos. Nam contra nuptias, quas Dominus in Paradiso fecit, ubi uni viro fœminam conjunxit unicam, IIII. uxores indulget assumendas propheta tuus cum solempnitate, concubinas sine numero. Præterea quod hiis deterius est, lex mortis docet, neminem in sua re peccare posse. Hæc perditionis doctrina peccatum contra naturam & crudelitatem contra servos & ancillas induxit. Docuit insuper tuus propheta, quod, qui inimicum occidunt, vel ab inimico occiduntur, paradisum ingrediantur, jucunditatem paradisi constituens in temporalibus divitiis, ubi esse tres fluvios vini, lactis & mellis & commixtionem fœminarum,

Digitized by Google

rum, afferuit in Alcorano libro tuæ legis. Verus doctor meus dixit: In regno cœlorum neque nubent neque nubentur, sed e. f. a. d. Futura funt enim salvandorum corpora post resurrectionem agilia, subtilia, fulgida, impassibilia eorum, quod deliciæ non corporales, sed spirituales in cognitione & dilectione ac fruitione Dei consistent. Præceptor noster etiam inimicum diligi jubet; Doctor tuus publice profitetur in libro suo, quem quidam Judæus & Sergius monachus apostata dictabant, se litteras ignorasse, & gratiam miraculorum non habuisse; sed comminatus est legem suam contempnentibus, quam cœlitus missam per Gabrielem Archangelum dixit, contradictores gladio subjugavit & bello. Salvator meus, amor & desiderium meum, Dominus meus & Deus meus, infirma mundi elegit, ut confunderet fortia, apostoli sui, quos misso Spiritu Sancto in una hora omnem scientiam & omnia linguarum genera docuit, quos propheta tuus viros albis vestibus indutos appellat, profecti prædicaverunt, Deo cooperante & f. c. f. s. docentes omnes gentes, baptizari in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Si gens tua doctrinam Christi & prædicationes ejus publice admitteret, ecclesia Dei gladium verbi Dei libenter ei mitteret, & ad consortium fidei catholicæ gaudens invitaret. Sed quando aliud remedium non invenit, contra potentiam Sarracenorum lex catholicorum Principum, gladio materiali ad defensionem Christianitatis & juris sui recuperationem licenter utitur. Nam vim vi repellere, omnes leges & omnia jura permittunt. Terram promissionis possederunt Christiani longissimo tempore, priusquam Mahumeth surgeret ad regimen, qui ex orphano & inope sublimatus fuit per connubium cujusdam cognatæ suæ prædivitis nomine Cadigam, ipse testimonium miraculorum & divinorum operum lucide perhibet Jesu Christo in libro suo, sicut tu nosti, & merito, quod nunquam sic locutus est homo, nunquam taliter apparuit in Israel. Quando Christianus & Judæus & Sarracenus convenerunt ad colloquendum de tribus legibus, Christianus legem Mosaycam tuæ legi merito præfert; Judæus legem Christi legi Mahumeth veraciter anteponit: Sarracenus legem Christi lege Mosayca meliorem firmiter afferit. Sic coram majoribus tuæ gentis aliquando factum fuisse cognovimus. Ecce duo testes alieni prorsus a nostra disciplina, nec a Domo nostra prodeuntes Judæus & Sarracenus, nostram legem extollunt, tuæ legis non invenitur nisi Domesticus. Ipse Mahumeth super omnes Christum Dominum Mariæ filium extollit; tu, quem Dominus ingenio ditavit, patientia multaque urbanitate moribusque laude dignis ornavit, Jesum Christum Dominum nostrum sanctissimum virorum, matrem ejus virginem sanctissimam fœminarum profiteris, cui cum Spiritum emitteret, clamans voce magna gentilis Centurio testimonium perhibens ait: Vere filius Dei erat iste. Daniel propheta, quem tu recipis, testimonium dat morti Salvatoris dicens: Occidetur Christus, & non erit populus ejus, qui ipsum negaturus est. Cum ergo sanctissimus & perfectissimus fuerit, quod nemo negare potest, cui omnes prophetæ testimonium perhibent, falsum dicere non potuit. At ipse dixit: Qui me videt & patrem meum. Et rursum: Ego & Pater unus sumus. Item hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum & q. m. i. x. Kemel augeat Dominus bonum, quod inte est, & auferat velamentum tenebrarum ab oculis cordis tui, ut plenitudinem veritatis agnoscas. Ego servus emptorius crucis, tuus libertus, nunquam ingratus ero tuis beneficiis. A seculo non est auditum erga conclusos ab hostium multitudine tantæ bonitatis exemplum. Cum enim nos in tuis manibus conclusisset Dominus, non te sensimus tyrannum vel Dominum, sed patrem in beneficiis, adjutorem in periculis, socium in capitaneis, patientem in nostris insolentiis. Majores nostros in castris tuis obsides, deliciis, quibus Ægyptus habundat, insuper largis muneribus etiam cum fratribus tuis corporali visione plurimum honorasti; nobis minoribus in libera custodia positis, quotidie vicena vel tricena millia panum cum pabulo jumentorum gratis misisti. Induxisti victualium commercia, præpararans pontem & siccari faciens vias, quas aqua fecerat invias; nos & nostra custodiri jussisti sicut pupillam oculi. Si aberraverat jumentum, reductum ad castra requisito Domino locum suum recepit. Infirmos nostros cum debilibus ad portum Damiatæ per terram & aquam tuis sumptibus deferri procurasti, idque quod his omnibus majus est, improperari nobis, moveri super subsannantium capita vel aliquo signo derisionis molestari edicto terribili prohibuisti. Intellexisse videris indignationem Domini expressam per Ezechielem sic: Pro eo, quod dixisti, euge, euge super sanctuarium meum, quod pollutum est, & terram meam Israel, quia desolata est, & super domum Juda, quam ducti in captivitatem, & eo, quod plausisti pede & gavisa es ex toto affectu super terram Israel, idcirco perdam te de terris & conteram. Quis te docuit verbum Jesaiæ dicentis: Subsannavit te virgo filia Syon, post te caput movebit filia Jerusalem, cui exprobrasti, & quem blasfemasti, & super quem levasti vocem tuam, & levasti altitudinem oculorum tuorum, ad sanctum Israel. In manu servorum tuorum exprobrasti Domino. Recte appellatus es Kemel, quod interpretatur consummatus, quod in politicis [vel urbanis] virtutibus reges & principes antecedis, de hoc præcipue commendandus, quod immunis esse diceris a crimine pessimo, quo gens tua laborat, publice statuens ephebiarum abominationes, & multiplicans offensiones in stagnum ignis & sulphuris, post hanc vitam detrudenda. Studeas obsecro, * supplico, stude consummare; quod cœpisti. Post liberationem captivorum, restitue nobis terram sanctificatam, hæreditatem Domini, civitatem sanctam cum omni jure suo. Frater tuus, qui tenet eam, vasallus tuus est, nec tuæ valet resistere voluntati. Hanc terram constat esse servorum Christi. Judæi quem hæredem

Digitized by Google

vineæ præsumpserunt occidere per Romanos Imperatores, Titum & Vespasianum expulsi sunt. Nam pater familias malos male perdidit, & vineam suam locavit aliis agricolis, qui reddant f. t. s. juxta quod fuit prædictum: Auferetur a vobis, r. & d. g. f. f. ejus. Bona fide & justo titulo summo prætore, hujus rei auctore, possederunt eam Christiani multis temporibus, donec Cosdroë Rex Persarum ipsos violenter ejecit, veniens Jerusalem, ubi virorum XI. millia peremit. Lignum Dominicæ crucis asportare præsumsit, Zachariam patriarcham cum aliis captivis traxit, Syriam & Palestinam bello premens, Libiam & Ægyptum incursans, cum Alexandria vastavit, & erant Sarraceni sub imperio Persarum; donec Mahumeth surgeret. Postmodum vice versa jugum tuæ legis Persas oppressit, Heraclii tempore, qui crucem sanctam & Zachariam patriarcham cum aliis captivis Jerusalem reduxit. Mahumeth mortuo Ebubebeth successit in principatu. Inter Sarracenos & Romanos bellum implacabile surrexit. Indignati itaque Sarraceni, quod togas non acceperunt ab ærario Imperatoris Heraclii, sicut alii milites, eventu vario cum Romanis confixerunt. Ebubebeth defuncto Humar dominabatur, qui templum Domini, quod extat hodie, a quibusdam dicitur construxisse; alii dicunt ab Helena Constantini matre; alii ab Heraclio a Perside reverso. Sarraceni capta Damasco, Phœnicem & Ægyptum occupant, Jerusalem biennio obsessam capiunt cum Antiochia & Syria totaque Perside. Posthæc Romani de Sarracenis CC. millia perimunt. Sarraceni stolo navium pene trium millium Constantinopolim triennio obsident, sed Bulgares ex eis XXXII. millia occidunt. Alii fame & frigore, pestilentia sine numero pereunt; & sic ab obsidione cum quinque navibus de tanta classe confusi redierunt. De Africa postmodum ebullientes Hispanos longo bello vexaverunt, quibus Karolus Rex fuit præsidio, innumerabilem multitudinem eorum, quæ supputabatur ad CCCLXXXV. millia, variis sternens spoliis. Obsessos etiam in Narbona duos eorum reges cum multis aliis interfecit, fugientes gladium, profundum maris non evaserunt. Postea Thurci de Caspiis portis erumpentes Armeniam infestant, quibus tamen divina virtus non defuit supplicantibus. Alii Ciliciam invadentes, Lippariam insulam vastarunt, & usque ad portum Romanorum venientes, instantia Leonis Papæ, cooperante sibi divina gratia, gravi turbine ventorum fere omnes perierunt. Mauri Beneventum occupant; Sarraceni Apuliam & Calabriam vastantes, Galianum montem occupant, inque firmata munitione multas Italiæ urbes debellantes, qui per militiam Johannis Papæ, conserta pugna, in tantum sunt atriti, ut omnes truncati vel capti succumberent, multis asserentibus apostolos, Petrum & Paulum in ilia pugna visos fuisse Christianis in auxilium. Urbs Jenuensis a Sarracenis ab Africa venientibus cum classe, capta in ore gladii cum thesauris asportatis, graviter nimis afflicta destruitur. Hujusmodi temporum tempestatibus longa concertatio facta est inter domum David, & domum Saulis. Cum autem complacuit ei, qui culpa offenditur, pœnitentia placatur, qui non continebit in ira sua misericordias suas, unum de minoribus elegit, Petrum Heremitam, quem præconem salutis constituit ad evocandam militiam Christianam, & quanquam fere C. millia peregrinorum per Græciam venientium a Turcomannis interimerentur, non tamen zelus Domini cessavit, donec per Godefridum Ducem Lotharingiæ, fratremque ejus Balduinum, postmodum per reges Jerusalem aliosque viros magnificos VIII. Idus Julii, feria VI. post annos circiter CCCCXX. ex quo sub Heraclio secunda vice capta fuit, & possessa Civitas sancta a Sarracenis, restituta est a Domino Christianis, qui ex tunc terminos suos per multiplices successus ampliavit fere a flumine Ægypti usque ad fluvium magnum Eufraten juxta promissum Prophetæ. Nam Balduinus Comes Edessanus, quæ est juxta Eufratem processu temporis, cum iterum multiplicarentur peccata super terram, patruus tuus Saladinus & pater tuus Christianos ejecerunt de possessionibus suis, in sola Tiro remanente cultura Christi de tam lato regno. Liquere tibi potest ex promissis Christianorum hanc esse terram, quam frater tuus tenet, pro Damiata reddere volebas eam totam, præter Montem regalem & Craccum cum suis pertinentiis & appendiciis. Nostri Montem regalem potiorem esse partem regni, & provinciam nobilissimam ac metropolim ditiorem aliis ad regnum Jerusalem pertinentibus, sine qua cum Cracco diu retineri non potest Civitas sancta: Unde principes nostri compositionem stabilem tecum inire non poterant. Destructum jacet regnum, & quod hodie dimitteres, cras recipere valeres, quando tibi placeret, vel fratribus tuis Treugam rumpere. Forsitan alii Christiano triumphus iste servatur a Domino, qui dominatur in regnis hominum. Ideoque multum nostris & tuis consulis, si prudentiæ tuæ studium efficax impendere curaveris ad perfectam pacem faciendam; nam legem Christi servantes nullatenus diu dissimulare possunt, suas injurias & exhæredationem. Præsertim quia Coradinus exactores suos constituit, qui peregrinos visitantes gloriosum sepulchrum spoliant & male tractant, qui tributum solvere nolunt propter obedientiam, vel non possunt propter indigentiam. Ista crudelitas & venerabilium locorum venalitas, legibus divinis & humanis contraria, bonis etiam moribus repugnat. Sapiens & potens Salomon Rex Jerusalem post dedicationem domus, quam ædificavit, altissimo principi orationem fudit, etiam pro extraneis a populo Israelitico de longe, de propinquo venientibus peregrinis, quos gratis & libenter admisit, ad sanctum seculare propter nomen Domini magnum, ut omnis natio, quæ sub cœlo est, vitulos labiorum offerant Domino in loco, quem Dominus pro salute generis humani separatim elegit. Templum Domini nec cum pretio nec sine pretio nostros intra re permittit

Digitized by Google

mittit frater tuus, sed tanquam incredulos & immundos repellit. Vere vos estis increduli, qui Jesum Christum de Spiritu Sancto conceptum & de virgine natum confitemini,& tamen filium Dei negatis, quia rem, sicut est, non intuemini, propter duritiam vestram & cor impœnitens. Nos trinum Deum profitemur, & unum trinum personaliter, unum essentialiter, unum Deum credimus, unum Dominum, unum omnipotentem, æternum, invisibilem, incomprehensibilem, ineffabilem, super omnem creaturam altissimum. Nam quod per superabundantiam dicitur, uni soli convenit: in sole radius est, color & splendor unicus, tamen ab omnibus conspicitur, similitudinem non invenimus, & tu animalis homo non percipis secreta divinitatis & mysterium Trinitatis. Consortem Deo nullum damus, sicut falso nobis imponitur. Quæ enim conventio, quod consortium creaturæ ad creatorem, temporalis ad æternum, corruptionis ad incorruptionem, visibilium ad invisibilem, utinam saperes & intelligeres ac novissima provideres. Quid tibi prosunt divitiæ? quid salutis afferunt divitiæ? Transeunt hæc velut umbra. Quæras igitur, quæ sursum sunt; sapias, quæ Dei sunt, accedas cum fiducia, corde contrito & humiliato ad thronum gratiæ Judicis benigni, & pete ab eo, ut veram Tibi fidem ostendat, vias tuas dirigat, & omni tempore consilia tua in ipso permaneant. Nam manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod manifestum est in carne, justificatum in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumtum est in gloria.

XLII. *Item Epistola salutaris Doctoribus Ægypti transmissa.*

Ptolomæus Philadelphus, rex quondam Ægypti, studiosus & librorum cupidus erat, per LXX. duos interpretes transferri fecit legem Domini de Hebræo in Græcum, quam apud se reposuit, & successoribus reliquit. Ideoque post præmissa convertam articulum ad vos sapientes & mathematicos Ægypti de scripturis, quas negare non potestis, studium vestrum conveniam, ut omnes ratione utentes Christianorum fidem intelligant, & vestras responsiones advertant. De Christi divinitate & personarum trinitate redemtorisque mundi passione, quæ hactenus recusastis admittere, brevis assumatur assertio, autoritate scripturarum firmiter suffulta. Christus, qui non venerat solvere legem, sed adimplere, VIII. die circumcisus fuit, & baptizatus anno ætatis suæ tricesimo, agnus sine macula, ut vim regenerativam inferret aquis. Et sicut circumcisio finem in Christi circumcisione accepit, ita consecratio baptismatis initium per baptismum Christi suscepit, circumcisio signum erat baptismi, quo veniente significatio cessavit, sicut flos præcedit fructum, sed veniente fructu flos decidit. Redemptor noster temptari voluit, nec filium Dei temptatum dicimus, sed virginis filium, in quo plenitudo filii Dei consistebat, si homo perfectus non vicisset illum, qui perfectum hominem vicerat, victoria ejus nobis prodesse non poterat. Qui Adæ victor extiterat in paradiso, & qui vicerat manducantem, victus est a Domino jejunante. Temptatus est, ut temptatorem cum omnibus temptationibus suis vinceret: Passus, ut universas passiones comprimeret: mortuus, ut mortis imperium subjugaret, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. De hac temptatione Zacharias ostendit mihi Jesum sacerdotem magnum, stantem coram angelo Domini, & Satan stabat a dextris ejus, ut adversaretur ei, & dixit Dominus ad Sathan: Increpet in te Dominus Sathan. Nunquid mentiri potuit, & se Deum dicere, si non erat; qui miracula fecit, quæ nullus alius facere potuit, cum Deus Hebræorum nunquam passus sit superbientes de populo suo, absque aliqua gravi plaga præterire; nam si Deus non esset, & se Deum diceret, mortuis vitam conferre non potuisset; nec imperare ventis & mari, nisi Dominus elementorum & totius creaturæ. Pater dicit filio: Filius meus es tu, ego hodie genui te, & filius patri: Ipse invocavit me p. m. e. Item ex utero ante lu. g. t; Et de Spiritu Sancto; Spiritum Sanctum ne aufer a me. Et rursum, Spiritu oris omnis v. e. J. cœlorum. Intelligite, quæ scribo. Non ita generat Pater Filium, sicut homo hominem. Nam Deus semper pater fuit, quia semper filius extitit, cujus pater est. Non ergo ex accidenti sortitus est hoc nomen; semper enim Pater & verbum & virtutem & sapientiam habuit. Verbum dicimus Dei virtutem Deique sapientiam, quæ semper in patre fuit. In corde patris hoc verbum semper fuisse, ipse Deus pater evidenter expressit dicens: Eructavit cor meum vb. Et ipsa sapientia dicit: Ego sapientia ex ore altissimi prodii. Ergo feci, ut oriretur lux, quando præparabat cœlos aderam c. e. c. c. stabiliens montes, firmans terram, fundens flumina. Ergo cum sine sapientia nunquam fuit & sine virtute, quis audet dicere, hoc nomen Deo ex tempore advenisse. Cum semper fuerit & sit pater, semper fuerit & sit filius, cujus pater est. Profunda sunt hæc & salubria, & sobrie cogitanda, sobrie tractanda. Mihi impossibile est generationis æternæ scire secretum, super omnem sensum est, quia pax Dei exsuperat omnem sensum, mens deficit, vox silet, non mea tantum sed angelorum; supra potestates & Cherubim & Seraphim sunt hæc. Mihi scire licet, quod natus sit, discutere non licet, quemadmodum natus sit. Huc Paulus raptus ineffabilia dicit. Generationem ejus quis enarrabit? Habet generationis insuitatæ gloriam, qui habet insuitatæ potestatis gratiam; temporalis etiam generatio filii inenarrabilis est. Sol vitrum sine sua vel illius læsione penetrat, sic integra virginitate sol justitiæ venit in mundum, &, ut sic nasceretur, illum decuit, nobis profuit, ut mundus natus, nos mundaret, potenter natus, nos infirmos roboraret. Partum virginis duo prophetæ prædixerunt; Esaias: Ecce virgo concipiet & pariet filium; Jeremias: Novum faciet Dominus f. i. ter. & m. c. u. Hic mulier

lier nomen ſexus eſt, non facturæ. Ignotus nobis per nomen proprium propheta ejuſdem virginis nomen expreſſit. Nam in longævis Thraciæ muris homo quidam fodiens, invenit lapideam archam, quam cum expurgaſſet & apparuiſſet, invenit mortuum jacentem, & litteras conglutinatas archæ continentes hæc: Chriſtus naſcetur de Maria virgine, & in eum credo; Sub Conſtantino & Hirena Imperatoribus, o Sol, iterum me videbis. Si hanc prophetiam non admittitis, quæ legitur in Romana hiſtoria, duorum præmiſſorum Prophetarum teſtimonium ſufficit. Veræ legis auctoribus vos convincam. Jeſum Chriſtum innocenter vixiſſe, ſancte & juſte & pie & maximis claruiſſe virtutibus legis noſtræ liber profitetur. Juſta enim defenſio & qua compellitur unusquisque, ſuæ relligionis auctoritate convinci. Conſtat ergo legem, quam dedit, irreprehenſibilem, honeſtam, ſalubrem eſſe, de qua teſtimonia proferre poſſem ſufficientia; ſed vos negatis in ewangelio ſcripta reperiri, quæ veſtris obſervantiis contradicunt. Epiſtolas Pauli non recipitis, qui ſaluberrima profert documenta, & converſationem noſtram honeſtis informat diſciplinis, ut ſobrie & juſte, & pie vivamus in hoc ſeculo e. b. ſ. & a. g. m. d. Hebræorum, Græcorum & Latinorum diſciplina Moyſen & Prophetas frequentant, probationes ſuas ex eis afferunt, fundamenta ſuarum aſſertionum in eis merito ponunt. Ezechiel ſecretorum Dei conſcius, vidit rotam in medio rotæ, Novum Teſtamentum in Veteri, quod unum prædicit futurum, aliud oſtendit factum. Conſequens eſt, ut paſſionem Chriſti & paſſionis circumſtantias ex his, quæ olim prædicta ſunt, in medium producamus. Nullum vero noſtræ legis ex prophetarum verbis invenimus fundamentum. Eſaias non ut propheta ænigmatice, ſed ut evangeliſta manifeſte paſſionem Chriſti ante prædixit. Et quia duris cordibus incredibilia de humilitate Chriſti dicturus erat, præmiſit, quis crediderit auditui noſtro. Divinitatis autem magnitudinem ſubjungens ait: generationem ejus quis enarrabit? De Juda proditore, qui fuit unus de XII. ait David, qui edebat panes meos. m. ſ. ſ. De pacto proditionis inito cum Judæis, Zacharias: Appenderunt mercedem meam XXX. argenteis. De rejectione pecuniæ idem: Projeci illos ad domum Domini ad ſtatuarium. Quod captus eſt in horto, Jeremias: Spiritu oris noſtri Chriſtus captus eſt in peccatis noſtris. Quod ligatus ad judicium ductus eſt, Eſdras: Vinxiſtis me non ſicut patrem, qui liberavit nos de terra Ægypti. Et alibi: Comprehendamus juſtum, quoniam contrarius eſt operibus noſtris, cum tamen volens venerit ad paſſionem aſello. Zacharias: Exulta ſatis, filia Syon, jubila filia Jeruſalem, ecce rex tuus venit tibi, juſtus & Salvator. Ipſe pauper aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum filium aſinæ, loquitur pacem gentibus. Unde ipſe dixit: & quidem in hac die, quæ ad pacem tuam, nunc autem abs te ſ. Sequitur: Poteſtas ejus a. m. v. a. m. & a. ſ. u. Ductus autem pontifex ad Pilatum, multipliciter eſt illuſus. Jeremias: in illuſione factus eſt populo huic. Job: Aperuerunt ſuper me ora ſua, exprobrantes percuſſerunt maxillam meam, ſaturati ſunt pœnis meis. Jeremias: Dabit percutienti ſe m. ſ. o. Michæas: Percuſſerunt maxillam judicis Iſrael. Eſdras: clamantes ante tribunal judicis humiliaſti me, ſuſpenſum in ligno morti tradidiſti me. Ligatus ad ſtipitem flagellatus eſt. Eſaias: Dorſum meum dedi in flagella, maxillas meas in palmas, faciem meam non averti a confuſione ſputorum. Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum. Coronatus eſt ſpinis. Jeremias: Spinis peccatorum ſuorum circumdederunt me populus hic. Eccleſiaſticus: Multi tyranni ſederunt in throno, & inſuſpicabilis portavit diadema. Hac corona coronavit eum noverca ſua ſynagoga, Gloria & honore pater ſuus, alia corona mater ſua. Egredimini filiæ Syon, & videte regem Salomonem in diademate, qua coronavit eum mater ſua in die deſponſationis illius. Feria VI. conceptus, & tunc deſponſavit ſibi eccleſiam. Teſtimonium contra innocentem. David: Inſurrexerunt in me teſtes iniqui & m. e. in. s. Expoliationem veſtium. Diviſerunt ſibi v. m. & ſ. v. m. s. Crucem ſuam propriis humeris portavit. Eſaias: Factus eſt principatus ſ. h. ejus. Hæc eſt clavis David poſita ſuper humeros ejus. In loco damnatorum crucifixus eſt. David: Propter verba la. t. e. c. u. d. latronis. Item de eſca & felle & aceto. Dederunt in eſcam. m. f. & in. ſ. m. p. m. a. De manibus extenſis, Abacuc: cornua in ma. ejus. ubi fortior fortem ſuperavit, ante faciem ejus ibit mors. Morte crucis tunc turpiſſima condemnaverunt eum, ſicut ſcriptum eſt in libro ſapientiæ. Nunc autem crux a ſupplicio latronum tranſivit ad frontes imperatorum. In cruce foderunt manus meas, & p. B. o. o. m. Moyſes in Deuteronomio ſcripſit: Erit vita tua pendens ante oculos tuos, & non credes vitæ tuæ. Aqua de latere ſalvatoris fluxit. Ezechiel: Ecce aquæ redundantes a latere dextro; quæ primo parvæ fuerunt usque ad talos, quando baptizati ſunt credentes de Judæis in Jeruſalem. Deinde aqua ad genua crevit; baptizati ſunt enim in Judæa, Samaria, Antiochia. Poſtmodum usque ad renes; nam aquæ baptiſmi per totum mundum fluxerunt, ab utraque parte torrentis ligna multa; omne lignum pomiferum juſtis afferens fructum, quod fructus ſunt in cibum; nam per bona opera & exempla paſcimur, & folia bonorum verborum ſunt in medicinam. Vere mortuus eſt in cruce. Daniel: occidetur Chriſtus, & non erit ejus populus, qui eum negaturus eſt. Dominus per Jeſaiam: propter ſcelus populi mei percuſſi. e. Paſſus eſt & mortuus Deus & homo, non in divinitate, ſed humanitate. Sol ſplendore ſuo arborem circumfundit, cum arbor inciditur, ictum ferientis ferri ſplendor ſolis excipit, priusquam pertingat ad lignum, ſed ſplendor a dolante nec incidi poteſt nec ſeparari: ſic divinitas nec ſeparari potuit, nec incidi. Quod autem paſſioni ſubjacuit videlicet humanitas, ſicut lignum & teneri potuit & ligari,

ri, vulnerari & pati. De ſepultura ejus, Jeremias: in ſepultura ejus reviviſcent mortui. Idem: mortificaverunt in lacum vitam meam, & lapidem poſuerunt ſuper me. A morte teneri non potuit, ſed ſurrexit. David: Non dabis ſ. vi corruptionis. Michæas: Ne læteris inimica mea ſuper me, quod cecidi, conſurgam. Præmiſſa prophetice prædicta in Jeſum conſtat eſſe completa, ſicut Matthæus & Johannes, qui cum ipſo ambulaverunt, & præſentes ambulabant, & præſentes omnia videbant, quando in terris viſus eſt, cum hominibus converſatus eſt, in ſuis teſtantur Evangeliis. Lucas ſimiliter, cujus laus eſt in Evangelio per omnes eccleſias. Item Marcus, qui ab ore Petri Apoſtolorum principis hoc audivit, & fideliter conſcripſit. In hoc ergo verbum verum eſt, quod alii ſeminaverunt, videlicet prophetæ, alii meſſuerunt, ſcilicet Apoſtoli; ipſi enim profecti prædicaverunt, Domino cooperante & ſermonem confirmante ſ. ſ. Si quas reſponſiones habetis, contrahite omnia, reſcribite, ut veritas aſſertionis fidei noſtræ clarius eluceſcat. Fides noſtra ſuper firmam Petram fundata, teſtimoniis patriarcharum, prophetarum, apoſtolorum & miraculorum inexpugnabiliter vallatur contra omnem altitudinem extollentem ſe adverſus veritatem & doctrinam Chriſti. Verbum crucis pereuntibus ſtultitia eſt; his autem, qui ſalvi fiunt, virtus Dei eſt. Crucifixum credimus, crucifixum prædicamus, crucifixum non erubeſcimus, in cruce Domini Jeſu Chriſti ſemper & ubique gloriamur.

XLIII. Amator hominum, rex gloriæ, mundi ſalvator, qui ſanctam habes ſcientiam & ſupra virtutem univerſam omnipotentiam, hos corripis, illos conſolaris, ſuperbiam noſtram humiliaſti, Damiatam ingratis auferendo, Armeniam & Antiochiam contra conatus malorum hominum miſericorditer conſervando. Nam qui in arce fuerunt, magnam cladem intulerunt Chriſtianitati, qui vero in valle tunc erant, impietatem cumulaverunt iniquitati, quibus concurrentibus, præſumptuoſe contra tuum bonitatem ab una parte patenter apparuit tua juſtitia, ab alia oculos aperire volentibus evidenter claruit tua conſuetæ pietatis miſericordia.

XLIV. Rupinus quondam Dominus Antiochiæ, nobilis valde genere, ſed pro defectu diſcretionis ad rerum magnarum gubernacula ſatis inſufficiens, auxilio Magiſtri Garini Hoſpitalis Sancti Johannis, & eorum, quos ipſe inducere potuit, Tharſum occupavit, impugnans Armenios pro regni deſiderio; quod Turcomannos Iconii non latuit, ſed animati pro Chriſtianorum diſcordia, catervatim irruerunt in Armeniam. Ut autem afferunt, & in animarum ſuarum periculo referunt, majores ejuſdem regni conquerendo, numeratis occiſis & captivis per Sarracenos, fugatis inſuper de terra propter rerum ſuarum amiſſionem ea tempeſtate diminutus erat Chriſtianorum exercitus in eadem regione ad XX. ferme millia. Super omnem igitur laudem tuam, quantum valeo, & quantum dederis, adjiciendo proſequar ſequentia.

XLV. Anno gratiæ MCCXXII. menſe Majo factus eſt terræ motus magnus in Ægypto, Lymocio, Nicoſſia, aliiſque locis ejuſdem inſulæ, præſertim in Papho etiam, ut civitas cum caſtro penitus ſubverteretur, homines promiſcui ſexus, qui in ea reperti ſunt tempore commotionis communiter extincti, portus ſiccatus, ubi poſtmodum aquæ vivæ fontes eruperunt. Menſe Junio ejuſdem anni Coradinus copioſum contraxit exercitum de Arabia, Palæſtina, Idumæa & Syria decem millia equitum, XV. millia peditum, contra Gwidonem de Biblio, qui ſicut homo nanus & malus participare nolebat treugam generalem, nec captivos Sarracenorum, quos tenebat, reddere; & licet locorum difficultate & Chriſtianorum auxilio ſatis eſſet munitus, treugam tamen iniit cum Coradino ſibi dampnoſam & nomini Chriſtiano verecundam. Ejuſdem anni menſe Junio, Philippus puer, filius Boamundi principis Antiocheni, factus eſt miles in Armenia, copulata ſibi matrimonialiter filia Leonis quondam regis Armeniæ, & coronatus cum ea ſolempniter in regem ejuſdem regni. Cumque nuptiæ celebrarentur, & ad tantum negotium jocundi convenirent Armenii, Thurci de Iconio cum magna multitudine terram eandem hoſtiliter ſunt ingreſſi, trucidantes, quos reperire poterant, & prædam multam ſecum trahentes. Aderat eodem tempore Boamundus princeps Antiochenus & Comes Tripolitanus, qui, licet paucos Latinos ſecum tunc haberet, non prævidens hoc malum, indilate tamen & ſtrenue cum filio ſuo rege, perſecutus eſt hoſtes per vias longas & aſperas, multiſque de ipſorum numero occiſis, ſicut vir ſtrenuus & in armis peritus extra terminos Armeniæ fugavit eoſdem. Poſthæc Armenii caſtrum quoddam valde munitum Sivilla nomine, ſitum in terminis Armeniæ & Turchiæ, quod Soldanus Iconii ipſis abſtulerat poſt mortem Leonis cum aliis quibuſdam munitionibus recuperaverunt. Interim Fredericus Imperator Romanorum & Rex Siciliæ quatuor galeas miſit Accon, vocans Regem, Patriarcham & Magiſtrum Hoſpitalis Sancti Johannis, qui transfretaverunt menſe Septembri, properantes ad Concilium Veronenſe, quod indictum fuerat a ſummo Pontifice ac Imperatore in Feſto Sancti Martini. Reverſus eſt eodem tempore cum præfatis principibus Dominus Pelagius, Albanus Epiſcopus, Apoſtolicæ ſedis legatus. Magiſter Templi cum milicia Domus ejuſdem remanſit in Terra promiſſionis ad cuſtodiam Chriſtianitatis ex conſilio baronum communi, transmiſſis nuntiis diſcretis & honeſtis ad idem Concilium,

Digitized by Google

VIII.
RELATIO
DE DAVIDE REGE TARTARORUM CHRISTIANO.

☆ ☆
☆

De Rege David filio Regis Johannis.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti Amen. Hæc est materia totius processus Regis David, filii Regis Israël, filii Regis Johannis credentis in Christo Jesu. Rex David præfatus, quem Deus protegat, est minor fratrum suorum. Pater ejus Rex Israel, cujus animæ Deus parcat; habuit sex filios & hic fuit minor omnium. Mortuo patre ejus successit frater ejus primogenitus & tam ipse Rex quam pater ejus Rex Israël & avi & proavi ejus erant obedientes magno Regi Persarum, qui vocabatur Chanchara, quod dicitur in lingua nostra Rex Regum & terra sua erat Achassar usque Bellagarum, quæ terra est ultra fluvium Geon. Præfatus autem Rex Persarum convocans astrologos suos, quæsivit ab eis ut ei futura prædicerent & quæ ventura essent post mortem ejus. Qui juxta consuetudinem eorum cœperant puerum unum virginem, quem minui fecerunt utroque brachio & sanguinem ejus recipientes in uno vase conjuraverunt illum. Puer autem antequam mortuus esset, prædixit, quendam David nomine, valde nobilem debere sibi subjugare regnum Persarum. Prædictus Chanchara, Rex Persarum, super hæc consuluit eos, si scirent in provincia illa Regem aliquem qui vocaretur David; qui dixerunt se nullum scire: tamen Rex Israel habuit filium unum parvulum, qui nullius valoris est. Dixit ergo Rex præfatus astrologis. Mittamus fratri suo, ut nobis eum mittat, & sic occidamus eum, & de ipso nos liberabimus. Misit præterea nuntios suos ad Regem videlicet fratrem David, ut ei fratrem suum mitteret, quia ei volebat benefacere & honorifice promovere. Frater vero David receptis super hoc nuntiis cum quibusdam fidelibus suis, de quibus potius confidebat, misit fratrem suum ad Regem Persarum, ignorans pravum consilium ejus. Veniente puero ad Regem Persarum lætatus est valde Rex de adventu suo. Puer autem osculatus est terram coram eo, eumque devotissime salutavit, qui valde formosus erat. Quem statim, ut Rex vidit, misertus est ei. Aderant ibi duæ uxores ipsius Regis, quarum una erat filia Regis Johannis, amita Regis Israël, fratris David; altera erat filia Regis Ganici; quæ dixerunt ei: Puer hic ad vos sub fide vestra advenit, & est sub umbra vestra, pedibusque tetigit tapete vestrum, quare vultis eum pro nihilo morti tradere. Et valde istud improperabant ei. Sic Rex verecundiam habuit in corde suo; deinde permissione divina dimisit eum repatriare. In continenti vero puer cum suis equitavit & instinctu divino per noctem & diem quadraginta leugas explevit. Post hoc accesserunt ad Regem scribæ & astrologi sui, improperantes, quod male fecerat, quia ipsum redire permiserat. Rex in continenti pœnitens misit post eum cursores, ut eum apprehenderent; quem invenire non potuerunt. Sic puer evasit divina voluntate. Deinde venit ad terram fratris sui.

De prælio Regis David & Chancara Regis Persarum.

Post spatium trium annorum mortuus est frater ejus. Omnes vero de regno convenientes elegerunt ipsum in Regem, pro eo quod videbatur formosus, discretus, magnanimus per virtutem divinam. Primo bono omine, promoverunt eum in ordinem, secundum consuetudinem prædecessorum suorum; deinde unxerunt eum in Regem, post hæc copulaverunt ei in uxorem filiam Regis de Machachi. David vero tantum laboravit, quod gentis maximam copiam congregavit, quam utique dinumerare nemo poterat: & invasit terram Chanchara Regis Persarum. Cui præfatus Rex occurrit in multitudine magna & ad invicem pugnaverunt. Sic voluntate divina & auxilio vivificæ crucis Rex David prævaluit, ipsumque devicit, & major pars gentis Regis Persarum occisa fuit, præter quosdam qui se lavacro baptismatis abluerunt. Captus est etiam dictus Chanchara Rex Persarum, & aureis compedibus astrictus super currum ductus est captivus in terram Israel. Prædictus autem Rex David subjugavit sibi totam terram illius, quod regnum vocatur Regnum Regnorum Sarracenorum. In ipso regno sunt sexaginta quatuor magnæ civitates & protenditur in septuaginta & octo dietas.

Quomodo Rex David expugnavit Charnamisan.

Venit Rex David ad terram, quæ dicitur Alaanar, quæ est in confinio Indiæ. In provincia vero in qua sita est præfata civitas Alaanar, sunt tot civitates, ut eas dinumerare nemo possit. Civitas, in qua Rex Persarum morari consueverat, Gasne vocatur, & maxima est & populosa valde, in qua sunt quingentæ Maumercæ & totidem scolæ & sexcenti Tundeti, ubi Sophy Sarracenorum hospitari consueverant, qui dicuntur in lingua nostra Monachi. Præfatus Rex David pugnavit cum Rege prædictæ terræ Alaanar & devicit eum & omnem exercitum ejus occidit, præter paucos qui ad fidem nostram

ſtram converſi ſunt. Subjugata itaque ſibi tota terra illa regreſſus eſt ad terram, quæ dicitur Chara. Tunc erant treugæ inter Regem Chara & Charnamiſan, quia erat inter eos odium pro indiviſo Bacharim & Samarchant & Bellecharim. Prædictus Charnamiſan miſit nuntios ſuos ad Regem David & concordavit cum eo, deditque ei totam terram, quam habebat ultra flumen Geon. Securus itaque factus de Rege David congregavit gentem maximam & ivit ſuper quandam provinciam, quæ vocatur Choraſan & venit prope Baldaht per ſex dietas. Qui miſit nuntios ſuos ad Chalyphum de Baldaht & diffidavit eum. Calyphus vero magno timore ductus, quia vires non habebat, ut reſiſteret ei, conſuluit ſuper hoc fideles ſuos. Qui dixerunt ei, ut rogaret Japhelit patriarchum Neſtolinorum, qui nuntiaret regi David, ut treugas frangeret Charnamyſan, ut vel ſic ceſſaret ab infeſtatione ſua. Præfatus ergo Chalyphus nocte equitavit cum ſuis, quia die equitare non conſueverat, niſi ſtatutis diebus, & ivit ad domum Patriarchæ, qui morabatur intus in Baldahc & rogavit eum dicens: In maxima neceſſitate peto auxilium tuum, quia fidus amicus in neceſſitate probatur. Ecce nequam iſte Charnamiſan ſuper nos potenter advenit, & ſi occupaverit terram iſtam omnes Chriſtianos morti tradet. De quo Patriarcha reſpondente, verum fore; Calyphus dixit: Tali modo me juvare poteris: Rex David & omnes, qui confidenter legem veſtram obſervant, obediunt tibi: Rogo ergo, ut per literas & nuntios tuos Regi David inſinues, ut treugam infringat inter ſe & Charnamyſan & ſic ceſſabit a moleſtatione noſtra. Reſpondit ei Patriarcha: Tu ſcis quia ſacramento tenemur omnibus prædeceſſoribus veſtris & vobis, ut nullas litteras mittamus alicui Regi Chriſtianorum, nec aliqua nova ſignificemus de terra veſtra. Ad hæc ſibi Calyphus reſpondit: Ego ſum Dominus hujus terræ & Calyphus Prophetarum Sarracenorum. Super hoc licentiam tibi concedo & literas ſecuritatis tibi tradam. Sic Patriarcha exaudiens preces Calyphi, miſit ad Regem David, ut dicto Charnamyſan treugas infringeret. Quo audito Rex David aggreſſus eſt terram Charnamyſan. Audiens iſtud Charnamiſan ad propria redit, de quo Calyphus valde lætatus eſt, afferens maximam quantitatem auri Patriarchæ. Quæ Patriarcha omnino recipere recuſavit, unum rogans ut faceret ei, daretque quandam Maumeriam, quæ erat ſuper Eccleſia Patriarchæ. Quam Calyphus ſic ſubverti fecit in nocte, ut in die etiam ſignum illius non compareret. Poſtquam Charnamyſan ad terram ſuam rediit, voluit libenter pacifci cum Rege David, quod ille penitus recuſavit. Congregavit autem gentem innumerabilem Charnamyſan & tranſivit ultra fluvium Geon, præparans ſe opponere Regi David. Quem Rex David viriliter devicit in campo, & major pars gentis ejus occiſa eſt. Afferunt quidam ipſum Charnamyſan fore mortuum, quidam vero dubitant, ubi ſit.

Quomodo Rex David ſubjugavit ſibi regnum Soldani.

Iterato congregavit gentem maximam Rex David & ſecum alios ſedecim potentes viros, quorum alius habebat centum millia hominum, alius ducenta millia vel parum plus vel parum minus & diviſo exercitu in quadraginta crucibus venit circa flumen Geon & cepit viginti quatuor magnas civitates præter villas & alia parva caſtra, quæ fuerunt ducenta. Cepit etiam regnum Soldani, Cattay, in quo ſunt quatuor magnæ civitates; & aliam provinciam, quæ dicitur Dolgoy, in qua ſunt octo magnæ civitates. Subjugavit etiam ſibi regnum de Marendran, quod regnum eſt in longitudine viginti dierum, & in latitudine duodecim. Hic eſt finis terrarum Charnamyſan.

De ſitu regni Soldani.

Regnum Soldani Tagyel eſt in introitu regni Perſarum, quod dicitur magnum regnum, quod per tres menſes vix poteſt equitari. Caput hujus regni eſt quædam civitas, quæ vocatur Ray & civitates munitæ quatuordecim & caſtra plus quam trecenta. In terra de Diarbachan ſunt aliæ ſedecim civitates & terra iſta eſt in longitudine quadraginta ſeptem dierum. Omnes præfatas terras iſtas ſubjugavit ſibi Rex David & caſtra locavit a Baldah per quinque dietas.

De nuntiis Regis David & Calipho.

Caput exercitus David terram Georianorum intraverat, quos devicit & abſtulit eis quadraginta caſtra, quia non ſunt vere credentes. Rex David, qui ſemper triumphet & vivat, miſit nuntios ad Calyphum de Baldach, qui tulerunt ſuper caput vexillum, in quo erat ſignum crucis. Intrantibus illis Baldach dixerunt Saraceni. Quare fertis ſuper caput veſtrum crucem, cum ſitis in Baldach? Qui dixerunt: Dominus noſter, Rex David præcepit nobis, ut hoc modo intraremus terram. Quod ſi nos prohibueritis, revertemur. Significatumque cum hoc Calypho, qui dixit, ut intrarent, ſicut vellent. Quibus intrantibus ſtatim, ut eos Calyphus videt, honorifice ſuſcepit. Cui nuntii dixerunt: Rex noſter David ſalutat te & ſignificat, quod noſter Jaſelyo, id eſt, Patriarcha, multum ſe commendat de te, pro quo ipſe concedit tibi ſextam partem, quam tenes, & vult habere Baldach, ut ſit ibi ſedes Patriarchæ noſtri. Quibus dixit Calyphus: Rex virtute divina ſubjugavit ſibi tantam terram & ubique perſonaliter eſſe non poteſt: Supplico ergo, ut me in terra iſta bajulum ſuum ſtatuat & dabo ſibi tantum pecuniæ quantum ipſe voluerit. Nuntii dixerunt: Non venimus ad quærendam pecuniam, ſed quia audivimus te dirui Sanctam Jeruſalem feciſſe. Tantum pecuniæ nobiſcum ferimus, quod muros ipſius auro & argento reædificabimus. Obrulit etiam nuntiis xenia centum millia bizantiorum, quæ nuntii recipere noluerunt. Contigit interea, quod Melycalem Soldanus Babyloniæ miſerat in exercitum Calypho quoſdam milites Chriſtianos, quos liberavit ad preces nuntiorum, quorum quidam ex eis Antiochiam venerunt, qui dixerunt, quod quando Rex David pervenit ad terram quæ dicitur Chasvin, quam ſibi ſubjugaverat, dimiſit ibi bajulum ſuum cum paucis, relinquens ipſam terram poſt tergum ſuum. Homines autem illius civitatis interfecerunt bajulum Regis cum omni familia ſua. Quod dum veniſſet ad notitiam Regis miſit partem exercitus ad obſidendam terram illam. Quæ obſeſſa fuit per ſex dies. Septimo vero die in medio noctis ceciderunt tres turres prædictæ civitatis & ingredientens Chriſtiani terram ipſam occiderunt octoginta millia hominum pugnatorum. Unde omnes credentes in Chriſto Jeſu monemus, ut orent Dominum, ut Regi David triumphus conſervetur & ſalus, quia obediens eſt Deo & ſanctæ Eccleſiæ quæ liberat credentes de manibus incredulorum, qui eſt rex regum, qui deſtruxit Legem Sarracenorum, qui tuetur ſanctam eccleſiam, qui eſt rex orientis.

(o)

Digitized by Google

IX.

POEMA GERMANICVM VETVS DE AMISSIONE TERRAE SANCTAE.

✠ ✠ ✠

Darum wolt er ſich noch naigen,
Und euch ertzaigen
Sein Tugent alſo gros.
Und weſten is (*a*) ſein Genos,
Daz im iſt ſo lait
Daz Laſter der Chriſtenhait:
Si teten im den Tot
Oder ſogetaneu Not,
Dy er nimmer überwund,
Daz er euch Herren gund
So vil Eren und Guetes.
Nu iſt mein Herr des Muetes,
Und wil euch ertzaigen daz,
Daz ein Haiden nie ſo lützel has,
Der Chriſtenhait getrueg.
Ainen funt chlueg
Mein Herr hat erfunden,
Den wier tzu diſen Stunden
Wollen füerlegen:
Mag euch der nicht erwegen,
Noch eurem Cardinal,
Daz ier tzu diſem mal
Peſſert, daz hie iſt getan
Den Haiden und dem Soldan;
Swas den furpas geſchiecht,
So hat mein Herr chain Schult nicht.
Er hat euch alſo heiſſen ſagen:
Im ſein hie erſlagen
In dem Vrid tzehen,
Die er ſelb hat geſehen
Fur tot vor ſich,
Daz waz genueg unpilleich.
Und doch wi gros dy Sach iſt,
So wil mein Herr an diſer Vriſt
Sich laſſen getzemen,
Und Peſſerung nemen,
Die ier leicht tuet.
Daz varund Guet
Daz hie iſt vorlorn,
Daz ſei alles vorthorn. (*b*)
Und füer die da ſint vordorben hie
Peſſert uns. Ich ſag euch, wie;
Der Haiden ainer ſprach tzu in:
Sendet meinem Herren hin
Der euwern tzehen Mann,
Und haiſſet in dy han
Tzu wandel (*c*) vor ſein Sariant. (*d*)
Es ſte in ſeiner Hant
Ier Leben und ier Geniſt
Und onrucht, (*e*) wer er iſt.
Den ier ſendet dar,
Iſt er gutes par, (*f*)
Daz iſt uns als mer,
Als ob er der reichiſt wer,
Der hie tzu Akers iſt geſeſſen.
Oder habt ier iemantz vorgeſſen
In euwer Priſaun, (*g*)
Oder nemt Gartzaun, (*h*)
Und haiſſet dy chlaiden ſchon
Dy Choſt und das Lon,
Domit man vertiget ſeu,
Daz ſelb woll wier eu
Beraites hie tzelen.
Nu hört, was wier mer welen,
Sprachen dy Haiden tzu den Herren,
Daz in an Guet noch an Eren
Nicht gewer, noch an dem Leben,
Doſ üer wel wier uns geben
In euwer Gewalt,
Daz ier uns behalt,
In Vangnüs pfhrange (*i*)
Zu Geiſel, als lange
Unz daz dy euweren chömen wider
Vröleichen und geſunter Lider.
Und wiſſet vor war,
Ob ier ſendet dar
Der aller teuriſten
Von Akers hundert Chriſten,
Wier weren wol füer ſy Pfhant
So vil Leut und Lant
Sint uns under tan.
Do was manig Man
Von den drein Orden, (*k*)
Der da gevangen was worden
In dy Haidenſchaft,
Die ier heten Chuntſchaft,
Die gehullen in der Mer,
Daz ietweder wer
Herr eines Landes;
Und daz hohes Pfhandes
An in wer mer den genueg.
Do diſeu Herren chlueg
Von dem Soldan
Ier Potſchaft heten getan;

(*a*) *Weſten is*, ſi hoc ſcirent. Paulo inferius recurrit: *ob ier weſt*, ſi ſciretis. (*b*) *Vortborn*, verdorben, perditum. (*c*) *tzu wandel*, in vicem, loco. (*d*) *Sariant*, ſerviens, miles. vid. Cangium in voce *Serviens*. (*e*) *onrucht*, non curetis, non ſitis ſoliciti. (*f*) *par*, egens, expr.

(*g*) *Priſaun*, Gall. *priſon*, carcer. (*h*) *Gartzaun*, milites mercenarios. (*i*) *pſ brange*, conſtrictione, contorſione. *Vringen* eſt *contorquere*, unde: *ich vrang*, contorquebam. (*k*) Tres ordines erant *Templariorum*, *Hoſpitalariorum* & *militum Teutonicorum*.

Uber

Digitized by Google

Uber all dy Red, dy do geſchach,
Berten, einer ſprach:
Dem Chünig von Chipper tzu Eren
DiSpitalaer und dy Deutſchen Herren,
Und den Künik von Armenie
Dy tzvvey beſprachen ſe,
Und dy Hohiſten von der Stat
Dy gehullen all an dem Rat,
Svver ditz auch irren vvold,
Denſelben man ſcholt
Füer ein Chetzer prennen,
Want man mocht an im erchennen,
Daz er chünftiges Lait
Wolt prüefen der Chriſtenhait.
Manger Hande dro
Teten ſy do
Dem, der do vvider icht (*a*) jech, (*b*)
Daz dy Sache geſchech,
Dy man da f er gegeben hat.
Mit demſelben Rat
Giengen ſi tzu dem mal
Fur den Cardinal,
Der tzu der vveil do lag,
Und des Pabſtes Gevvalt pfhlag.
Der aller peſt reden chund,
Der pat, daz er im gund
Tzu reden ainer ſtille,
Daz vvas der andern Wille.
Svvas do vvart geret
Mit ainer groſſen Pet
Der Sache man began.
Do vvas nindert ein Man,
Der ſich des habt vvider,
Er viel fur ſein Fues nider;
Do ſy der Pet begunnen,
Dy Tzeher in runnen
Von den Augen zu Tal.
Do vvart vragen der Cardinal:
Was deu Sach vvere.
Der Maiſter der Templere
Sagt im von Ort
Mit Worten tzu Wort;
Wie tugentleich der Soldan
Kegen in het getan
Uber den Schaden laſter vver,
Der im datz (*c*) Akers geſchehen vver
In Vridvverer Suen, (*d*)
Und vvas er noch vvolt tuen
Tzu Eren dem Chriſtentum.
Von ort untz an daz drum
Sagt er im dy Potſchaft,
Dy vorholn vor der Haidenſchaft
Der Soldan vverben lies,
Mer durch der Chriſten Genies,
Den durch chain ſein Ere.
Pfhligſt (*e*) du mit Lere
Ains Ordens Pruderſchaft,
Dartzu piſt du tzu torhaft;
Daz hor ich an dier vvol,
Ich en vvais, vvie ich is vor ſten ſchol,
Die Geſelſchaft prait,
Deu hie tzu Akers der Chriſtenhait
Mit den Haiden hat.
Es vver ein laſtervvereu Tat,
Precht uns der Soldan mit Liſten
Dartzu, datz vvier im Chriſten
Santen in dy Marter,
Domit ſi deſto harter
VVurden auf uns geſterkt.
Lievver Vater, nu merkt,
Sprach der Maiſter der Templer,
Lat euch nicht vveſen ſvver,
Daz ich ietzund reden vvil.
Ich pin untz an daz tzil,
In den Orden vvorden alt,
Daz ich niemer vvart getzalt
Vor Toren noch vor Äffen.
Schül vvier von euch Pfhaffen
Sülches Straffen dulden ſtet,
Daz der Pabſt ſelb ungern tet,
Des duld vvier nicht dy Lenge.
Ier vvert nicht halbes ſo ſtrenge,
VVer euch ſtet hie muet tzu vveſen;
Svvas vvier euch tzelen oder leſen,
Das vorvecht uns alles chlain:
Ier VVelt mer vviſſen ain,
Den alle, die hie ſein,
Dy mangen Herten-Pein
In ſtreiten hant empfhangen,
Di gegen den Haiden ſint ergangen,
Und noch mueſſen enpfahen.
Jer lat euch daz vorſmahen,
Daz der Pabſt vor guet nem,
Svven es alſo chem.
Der Chunig von Chipper ſprach:
Herr, ier habt nicht Ungemach
Von den Haiden erlitten.
VVert ier als oft über riten,
Als ich von in pin,
Es ſtüend aller eurer Sin,
Darnach uns ſtet unſer Gier
Durch evvger Gepot ſo ſei vvier
Von den Treuvven geſchaiden.
Daz erparmet den Haiden
Harter den eu.
Werleich um deu
Will ich nimmermer
Getrachten zo ſer
Gegen der Haidenſcheft.
Ich getrau mit meiner Chreft
Mein ſelbes Lant vvol gevriſten.
Get es über ander Chriſten,
Daz laz ich gegen Got ligen
Auf den recht ſchuldigen.
Geiſtlicher Vater, daz ſeit ier
Herre doch gelaubet mier,
Scholt ier ſtet hie beleiben,
Und Urleug treiben
Als vvier mit Haiden,
So lieſt ier euch ſchaiden
Noch vveiſer Leut Rat.
Des antvvurt im drat
Von Rom des Pabſtes Pot;
Er ſprach: Uns iſt von Got

(*a*) *Icht*, aliquid. (*b*) *jech*, loqueretur. (*c*) *Datz Akers*, h. e. *darzu Ackers*, Accone. (*d*) *In vridvver Suen*, in vridbarer Sühne, tempore pacis vel treugæ *Sühne* eſt pacificatio, pax; a *ſühnen*, conciliare, pacificare. (*e*) Hic referuntur verba ad petita reſpondentis Legati Papæ.

Digitized by Google

Gegeben und betzalt
Deu Er und der Gewalt,
Daz di Laien schüllen
Unser Gepot erfüllen;
Und daz wier Pfhaffen schüllen achten
Und sinnichleich betrachten,
Das tzu tuen sei das pest.
Herr Chunig, ob ier west,
Wie gar schadeper
Dem Christentuem wer,
Ob man den Haiden sant
Christen in ier Lant
Tzu Pesserung und tzu Rach.
Got an dem Ewangeln sprach:
Swas ier dem minnesten tuet
Tzu übel oder tzu guet,
Der mich gehöret an,
Daz habt ier mier getan.
Secht ob sich den gefüeg daz
Daz man vordien Gotes Has;
So das man arm Leut send
Zu töten in das Elend.
Aufftund ein Deutscher Herr.
Er sprach: Sulche Ler
Schult ier uns nicht vortragen.
Triegen und missagen,
Dessen ist grossen Sünd,
Des hab wier Urchünd
An der Schrift von Got;
Wan is sein Gepot
Ist der Zehener ains,
Grosses und rains
Daz man worhaft schal wesen.
Ich han wol hören lesen:
Der Munt, der do leuget,
Und mit Red betreuget,
Daz der dy Sel chrenchet,
Und in den Tot senchet.
Wier wissen daz wol,
Daz man den Haiden schol
Solcher Treuwe leisten nicht,
Davon chain schedleich geschicht
Den Christen wider var
Swen man wil nemmen war,
Welch ein Er uns das ist,
Tzu wiegetaner Vrist
Gegen uns ist gesprochen,
Wier haben unser Treu tzubrochen,
Und sein mainaid worden.
Uns lert unser Orden,
Swer sich an unser Treuwe let,
Dem schol beleiben stet
Swas im gelobt wiert:
Wand nichtz so ser untziert
Den Gelauben der Christenhait,
Als was tzu Sünden wiert gesait:
Daz ist auch gemainleich
Lasterwer und smechleich
Nach dem gewonleichem Sit,
Der der Werlt wont mit.
Heiliger Vater, nu secht,
Wie ser ier hasset, und wecht
Uns gaistleich Leut?
Schül wier füer heut
Worden von den Haiden
Getzalt tzu mainaiden
Und tzu Untreuvve?
Wan dy Sach ist neuvve,
Und ist geschehen so untaugen,
Ob wier sem (*a*) gern wolten laugen.
Si pevverent es tzu lest
An unser selbes Hantvest,
Dy Haiden und ier Baruch
Gegen uns der Treuvven pruch.
Und geschicht daz leicht vor dem Chaiser,
Schol denn vverden haiser
Unser Recht und unser Stim?
Chain Not ist so grim,
Noch entuet auch zo vve,
Wier scholdens leiden ee,
Und an dem Leib ersterben,
Ee an den Eren vorterben.
Der untugenthaft Cardinal
Hieng das Haubt hin tzu tal,
Daz er lang nicht auffach.
Uber lang er do sprach:
Ich hor vvol, ier Herren,
Jer vvolt an den Eren
Beheren und berauben
Den Christen Gelauben.
Man prüeft al da Gericht,
Daz ier gelaubt nicht,
Daz dem Pabst ist der Gevvalt
Von Got betzalt,
Svvas er auf Erden hie vorgeit,
Daz daz an Widerstreit
Vor Got ist vorgeben.
Dem Gevvalt vvelt ier vviderstreben,
Und vvelt under meinen Danch
Der Christen Ere machen chranch,
Und dy Haiden vristen,
So daz ier arem (*b*) Christen
Gevangen vvoldet senden.
Daz vvil ich ervvenden
Mit dem Gevvalt, den ich han.
Aufftund ein vveis Man,
Der Maister von Sant Johans Spital,
Der sprach tzu den Cardinal:
Herr, ich tuen euch chunt,
Daz ich tzu manger Stunt
Bei guten Pfhaffen pin gevvesen,
Dy han ich hören lesen
Und predigen auch alsus:
Es sprach Sant Augustinus;
Es sey vvider Got
Und Christenleich Gepot,
Es schülle niemant vorpringen
Sündigeu Tat auf den Gedingen,
Daz do von chem güet hernach,
Unser Herr auch selb sprach
An dem Evvangelio,
Daz stet geschriben also,
Got vorgeb der Sunde nicht,
Die vveil und er sicht,
Daz man nicht vvider geit und gilt.
Seit uns dy Schrift also gehilt,
So sei vvier tzu allen Stunden
Schuldig und gepunden,
Tzu laisten Treu und Warhait,
Und behalten unsern Ait.

(*a*) *Sem* contractum ex *sie ihnen*. (*b*) *arem* pro *arme*.

Gaistlicher

Digitized by Google

Gaistlicher Vater, ich hort
Neuleich von euch ain Wort
Reden aus der Schrift,
Daz mich vil sere trift;
Swer dem minnisten icht tue,
Der Got gehört tzu,
Daz sei im selb getan.
Nu sei der Soldan
Ledig seiner Geisel,
Ich pin Maister und Weisel.
Meins Ordens Pruderschaft;
Daz die und mein Geselschaft
Beleiben pei ieren Eren,
Darum wil ich gern
Der Tzechner ainer sein,
Und leiden allen den Pein,
Den mier Got hat beschaffen.
Uns mügen dy Pfhaffen
Vorgeben unser Missetat,
Swer Reu dar um hat.
Daz aver si dartzu tügen,
Daz si Sund erlauben mügen
In selb oder ander jeman,
Do chum ich nimmer an,
Daz ich daz gelauben welle;
Es füer chain Pfhaf tzur Helle,
Mecht er sich selber aus dem Pan
Oder von Sünden ledig lan.
 Dem Cardinal was Ungemach,
Tzornichleich er do sprach:
Allererst wais ich nu wol,
Wie ich vor sten schol
Euwer Mainungen.
Ich want, mier wer gelungen,
Do mich der Pabst sant
Her in ditz Lant
An des Gelauben drum
Tzu schaffen seinen Frum.
Ich trost mich euwer Pruderschaft,
Daz mier solcheu Geselschaft
Davon scholt wider varn,
Daz ich mocht wol bewarn
Des Gelauben und des Pabstes Er.
Nu entzeucht niemant so ser
Der Pfaffhait ieren Gewalt,
Den dy do sint getzalt
Got tzu sundern Chnechten,
So daz si teglich schüllen vechten
Gegen Gotes Wider Winden;
Di schüllen sich lassen vinden
Stetleich in dem Muet,
Daz si chainer Schlachte Guet
Darumb nemen tzu Miet,
Daz sich ier Wille davon schiet,
Und ier Gier tzu chainer Weil,
Si weren stetleich tzu Peil
Mit werleicher Hant
Um daz hailige Lant
Gegen den Saratzeinen.
Daz Chreutz daz si lassent scheinen
Vorgeund auf ier wat
Dem scholden si geben stat
Mitten in ieren Hertzen,
So daz si den Tod und den Smertzen,
Den Got hat daran erliten,
Bechlagten mit solchem Siten,
Daz si mit aler ier Chraft
Druchten dy Haidenschaft.
Also ier Orden sint gestift.
Nu scheuhent seu als ein Vorgift
Der Soldans Tzorn:
Sy went, sy sein vorlorn,
Ob is ein Weil an (*a*) Vride ste.
 Dirre Red sprecht nicht me,
Sprach der Maister der Spitaler;
Es wer uns tzu svver;
Wolt ier euch ser überdenchen,
Und unsern Orden chrenchen,
Des sei wier untz her überworden:
Die do unsern Orden
Stifter sint gewesen,
Dy horten also lesen.
An dem Ewangelio.
Do hat Got gesprochen also:
Swer mier nach wil volgen,
Der schol im sein erpolgen,
Er heb sein Chreutz, und volg mier nach
Füer ierdisch Freud und Gemach.
Unser Pruderschaft hat
Daz Chreutz genomen auf ier Wat,
Daz ist darum geschehen,
Wen wier daz Chreutz ansehen,
Daz es uns stum und man,
Waz unser Schepper doran
Hab erliten Marter
So daz sich dester harter
Unser Marter exhaitzet
In Gotes Lieb, und uns raitzet
Unser Pluet tzu vorgiessen.
Jer und ander Pfhaffen liessen
Di Haiden hintz (*b*) Rom reiten,
E man seu sech mit in streiten.
Swas ier und ander Pfhaffen
Mit der Tzungen müght geschaffen,
Dez lat ier euch dörch Got getzemen,
Aver daz Chreutz der Marter nemen
Daz widerstet euch ser.
Jer gert vil mer
In daz Himmelreich tzu varen
Tzu der Peichtiger Scharen,
Den in dy Schar der Martirer.
Es wer auch uns nicht tzu swer.
Wolt uns sein Got als wol lonen,
Wier essen auch Visch für Ponen.
 Tzu dem Cardinal
Sprach an demselben mal
Der Maister der Theutschen Herren
Ier schult uns nicht leren,
Wie wier schullen varen
Mit dem Swert und geparen:
Wan dar tzu seit ier unnutz.
Wier haben mangen Plutes Gutz,
Den wier vvol heten vormiten,
Von den Haiden erliten,
Und an Laster vorlan,
Het wiers nicht getan
Durnechtichleich durch Got.
Unsers Ordens Gepot.

(*a*) *An*, ohne, sine. (*b*) *Hintz* pro *hinzu* usque ad.

Weiſet uns und lert,
Swo (*a*) wier mit dem Swert
Und mit vechtunder Hant
Den Haiden daz Lant
Nicht mugen abertwingen,
So ſchul wiers tzu pringen
Mit Witzen und mit Liſten.
Hundert tauſent Chriſten
Sint der Haiden worden
Von unſern drein Orden,
Die der Sel frum
Und des Chriſtentum
Weren erlan,
Wolden ſy gepiten han
Untz ier von Rom wert chomen,
Und ſeu het genomen
Von der Haidenſchaft mit euwer Ler,
Uns hat untz her nicht zo ſer
Gefrumt gegen in,
Sam der ain ſin,
Swas wir in gelobt haben,
Daz wier daz nie übergaben.
Wir haben in gelaiſt.
Wan dy Hayden allermaiſt
Preiſent an der Chriſtenhait
Treu und Warhait;
Dy ſi lobent pei ier Got.
Nu iſt euwer Gepot,
Das wier des werden abtrun.
E ich des immer begun,
E wil ich vorlieſen daz Leben,
Und wil mich gevangen geben
Tzu Wandel dem Soldan
Fuer daz Laſter, daz im iſt getan
In dem Vried, den Wier,
Herr Chünik von Chipper, und ier
Haben beſtetigt.
Euwer Inſigel daz ligt
An den Hantveſten,
Und aller der peſten,
Dy dishalb mers ſint geſeſſen.
Swer ſich nu wil vorgeſſen
An der Treu und an den Aiden,
Dy von uns den Haiden
Sint gelobt und geſworn,
Daz beleibt vorporn
Von mier und meiner Geſelſchaft
Und aller der Pruderſchaft
Di daz Creutz tragen.
Nicht mer wil ich ſagen.
  Do mit er von dannen gie,
Und mit im alleu die,
Die gaiſtlich Pruder hieſſen,
Den Cardinal ſi lieſſen,
Do ſi in heten funden.
An denſelben Stunden
Von Akers der Poteſtat
Und die Hohiſten der Stat
Sprachen tzu dem Cardinal:
Pai deu Jamer und Qual
Von diſen Dingen noch geſchicht
Lat ier euch nemen nicht
Von diſen Sachen deſter drater,
Gaiſtlicher Vater,

(*a*) *Swo* id eſt *daſs wo.*

So wiert der Irreſal zo gros,
Daz dy Stat wirt plos
Eren und Guetes.
Wier ſein auch des Muetes,
Seit den Soldan wil getzemen
Und Peſſerung nemen,
Den Haiden tzu ſehen
Um daz im iſt geſchehen,
Dy well wir im gern tuen.
Daz dy Vridpereu Suen
Tzwiſchen uns beleib ſtet.
Wan ſwo man des nicht tet,
So ergieng der Schad und di Schand,
Deu in diſem Land
Deu Chriſtenhait nicht überwunde.
Si ſprachen: ſeint er in nicht gunde,
Daz ſi dem Soldan,
Als mangen armen Man
Hinwider ſanten ſo tzeſtet
Vor die, dy er vorloren het,
Und doch auf guet Sicherhait,
Daz in chainer Slachte lait
Geſchech an ieren Leiben;
Von Chinden und von Weiben.
Wolden ſich dreiſſig ſchaiden,
Und wolden ſich den Haiden
Auf ier Genad naigen;
Domit wolten ſi ertzaigen,
Swas in dem Vrid geſchehen wer,
Daz daz an ier Gever
Iſt geſchehen und ergangen.
Ubel wart in vorvangen,
Swas ſi dem Cardinal
Von Rom tzu dem mal
Gelegt heten fuer
Mit williger Chur.
  Derſelbe Phaffe ſprach:
E wolt ich ſolchen Ungemach
Von euch Herren erwerven,
Davon ich mueſt ſterben,
E ich chain Urlaub geb,
Oder meinen Willen darzu geb,
Daz man der Haiden Tzorn alſo wend,
Daz man in Chriſten ſend,
Daz ieren Muet alſo der chüel:
Daz wer von Rom dem Stüel
Ain Miswende gros.
Die Cardinal, mein Genos,
Wurden mir gehas,
Swen ich erlaubt das,
Des ier do habt Muet.
Es dunch euch übel oder guet,
Sprachen dy Akerſer,
Is iſt uns recht unmer;
Und wiſſet auch daz,
Daz wier euch fürpaz
Nimmermer nicht gevolgen.
Und daz euch erpolgen
Heut und vor diſeu Vriſt
Das Lantvolch alles iſt.
An Urlaub ſchiden ſi von dannen.
Greinen und tzannen
Mit im ſelber began
Des Pabſtes Chapelan.
  Do der Stat Rat von im quam

Und

Digitized by Google

Und der Povel vornam
Des Cardinals Unguete;
Tobsucht und Ungemüete
In daz Hertz in schos:
Mit ainem Sturm gros
Chomen si des mals
An des Cardinals
Herwerg gedrungen,
Sy wolten in han betwungen,
Daz er in volget nach.
Dem Chunig von Chipper wart gach
Und dem Chunig von Armenie;
Und weren nicht chomen se,
Er wer gehandelt alsso,
Daz er reuwig und unnro
Deu Mer het hintz Rom pracht.
Dy tzwen Chunig mit ier Macht
Geschueffen vil chaum
Von dem Povel sölchen Raum,
Daz si durch sy mit Cherg
Chomen tzu der Herwerg,
Do der Cardinal waz inne.
Dy Herren all ier Sinne
Und ieren Vleis cherten doran,
Daz sy daz Volch von dan
Prechten; an iern Gemach,
Vil chaum aver daz geschach.
Der Cardinal si pat,
Daz si tzu im chemen drat
Durch des Pabstes Ere.
Nu saumbten sich nicht mere
Dy tzwen Chunige jungen,
Dem Cardinal waz gelungen.
Do si chomen hin in.
Dy tzwen Herren paten in,
Des er ee was gepeten,
Durch ier Not si daz teten:
Wan in denselben Stunden worcht
Deu Angest und deu Vorcht
Deu paideu Weib und Man
Von dem Soldan
Und von den Haiden gewart.
Es lag nieman so hart,
Sam denselben tzwain Herren,
Swas si Guetes und Eren
Auf der Werld pfhlegen,
Daz ist den Haiden gelegen.
Dem Cardinal si daz sagten,
Ob si ser vortzagten,
Wer wolt in merken daz?
Vor des Soldans Has
Möchten si unlang weren,
Swen si scholden enperen
Der Helf der Spitaler,
Der Deutschen Herren und der Templer.
Allen den Gepresten,
Den si in chünftig westen,
Den teten si im chunt.
Der Cardinal an der Stunt
Dy tzwen Herren pat,
Daz si im geben Rat,
Ob im ier Helf dar tzu töcht,
Daz er gevahen möcht
Dy Poten des Soldans.
Sulches Archwans
Scholt ier uns überheben,
Daz wier euch dar tzu icht geben.
Rot oder Weisunge;
Sprachen dise Chunig junge.
Het der Pabst al sein Macht
Her tzu Akers pracht,
Es wer im tzu tuen swer;
Und westen is dy Akerser,
Daz ier sein habt Muet,
Si nemen davüer chain Guet,
Si totten euch mit ier Hant.
Der Cardinal seu do mant,
Und pat dy Herren vleissichleich,
Daz si ier fuerstleich
Genad an im bedechten,
Und nicht fuerprechten,
Daz er seu angesucht het;
Daz gelobten si im an der Stet
Der von Chipper und Armenia
Tzu dem Legat si sprachen sa:
Herre, secht, waz ier tuet:
Der Füersatz und der Muet
Der dreier Orden der Chreutzer
Und von Akers der Purger
Der ist euch wol chunt;
Si wellent an der Stunt
Senden fünftzig Man
Tzu Pesserung dem Soldan,
Und wellent auch dahin
Di teuwersten under in;
Und dy der hohisten Eren pfhlegen,
Dy habent sich bewegen,
Daz si dem Soldan ier Leben
Wellent auf Genad geben;
Und wellent e sterben,
E an den Eren vorderben,
Und von Treuwen werden getzalt.
Wurd ich dreier Tag alt
Sprach der Pfhaf Neides vol,
Ich under sten daz wol.
Di Herren do Urlaubs gerten;
Tzur Herberg si cherten.
In waz lang deu Nacht,
Wan der Schal und der Pracht
Was gros in der Stat,
Nu gepot und pat
Von Rom der Cardinal
Den Herren über al,
Dy Maister do waren
Der Oerden bei den Jaren,
Daz igleicher chem,
Und der pesten acht mit im nem,
Dy sein Orden dat het.
Daz Gepot und dy Pet
Tet er pey dem Pann,
Und daz man auch von dan
Dieweil nicht enlies schaiden
Dy Poten der Haiden.
Do igleich Maister vornam
Daz Gebot, daz im quam
Von des Pabstes Vorweser;
Als si vornamen di Mer,
Igleicher Maister vil schier
Nam seiner Prueder vier,
Und chomen al an ain Stat,

Und giengen do tzu Rat,
Waz man antwurten do scholt,
Ob der Cardinal wolt
Gegen in icht arges beginnen.
Mit Wiegetanen Sinnen,
Si sich des erwerten.
Do si di Nacht vortzerten,
Und der Tag hervvider quam,
Ieder Maister nam
Seiner Prüeder acht,
Dyer vveft in der Macht,
Tzucht und vveis tumes,
Daz des Ordens Frumes
Mit in vver vorsaumbt nicht.
Dy chomen gericht,
Da der Cardinal vvaz,
Der predigt und las
Weiser Red manig slacht,
Do mit er seu vvold haben pracht
Auf den Weg und auf daz Pfhat,
Di Herren, dy dar hat
Der Soldan gesant,
Daz si im dy tzu Hant
In sein Gevvalt heten gegeben,
Des begunden si im vviderstreben,
Und sprachen al gericht:
Des Gewaltes hab vvier nicht,
Wan hie tzu Akers dy pesten
Werleich sint den Gesten;
Mit solcher Wer pei,
Daz si vor uns vveren vrei,
Ob ich möcht gehan
Tzehen Stund als mangen Man,
Als unser aller ist,
Wier mochten in an dirre Vrist
Tuen chainen Ungemach.
Der Cardinal aver sprach:
Mier ist vor vvar chunt getan,
Jer Welt dem Soldan
Und der Haiden Admirat,
Vor dy er hie vorloren hat,
Als mangen Christen senden;
Daz müest immer schenden
Euvver Pruderschaft Nam,
Und vver ein evvigen Scham,
Ob er euch des betvvunge,
Daz im solche Pesserunge
Von euch schold vvidervarn.
Dy hohisten Prueder, dy do vvarn,
Dy sprachen al geleich:
Wier haben so offenleich,
Geistleicher Vater, dier gesait,
Daz uns von Hertzen ist lait
Das Laster und dy Smech,
Deu von diser Gech
Disem Land vvdervert,
Und daz vvier sein behert (a)
Unser Eren und Treuvven;
Daz mag uns immer vvol reuvven:
Und mit sulchen Dingen
Wier mugen inne pringen
Dy Haiden und den Soldan,
Daz vvier unschuldig sein daran.
Daz tue vvier vil gern,
Seit ier sein nicht vvelt enpern,
Sprach der Cardinal do,
So vvil ich also
Volsüeren des Pabstes Ere,
Daz es nimmermere
Euvver Orden mag ubervvinden,
Ob ier euch lat vinden
Meinem Gepot ungehorsam.
Seinen Stab er in di Hant nam,
Und ein Insel auf sein Haubt.
Er sprach: als mier ist erlaubt,
Gegeben und betzalt
Babstleicher Gevvalt,
Dishalb mers hie
Uber alleu die,
Dy da sint getauft,
Svver sich furpas strauft
Den Haiden tzu hulden
Aus der Tat und aus den Schulden,
Deu hie den Haiden ist getan,
Den chünd ich in Sant Peters Pan,
In des Pabstes und der Cardinal,
Und der Pischolf über al,
Die in al der Werld sint,
Es sei Man, Weip oder Chint,
Untz an daz drit Geschlecht
Chund ich in Gotes Echt,
Auch sei in heut vvider sait,
Svvas in al der Christenhait
Gueter Ding geschicht;
Daz si des nimmer nicht
Thailhaftig vverden
Tzu Himmel noch auf Erden.
Gotes Createuvver,
Erden, Luft, Wasser, Feuvver
Vorpann ich in heut,
Und dy Gemain aller Leut
Sei in benomen fur bas.
Ich chünd in den Gotes-Has
Und aller tzvvelf Poten,
Auch sei in vorpoten
Elleu Sacrament,
Die mit Mund oder mit Hent
Die Priester raichent und gebent
Denen, dy christenleichen lebent.
Do diseu Red geschach,
Der Cardinal vvas gach
In ain Chemnaten hin,
Daz tet er auf den Sin,
Daz im dy Herren tzu Has
Nicht dienten füerpas.
Wand des heten si gedacht,
Do eilt er, und gacht
Von in also drat,
Daz sy sein nicht gevvunnen stat.
Sich hueb ein Ludem also gros,
Daz daz Haus erdos,
Und do dy Akerser
Geuriesthen (b) dien Mer,
Do vvoldens aver han
Pas vordient den Pan
An demselben Pfhaffen.
Nu het er geschaffen
Derselbe Wüetereich,

(a) *behert* sive *beheret* hoc est *spoliati*, privati.

(b) Vetus glossator: *erforschten*.

Das

Das im haimleich
Ain Schef vvas berait.
Vil chaum er en pait,
Daz es Nacht vvart,
Doch möcht er der Vart
An grossen Pein
Nicht vvol bechomen sein,
Weren nicht chomen sa,
Von Chipper und Armenia
Dy Chunig hochgeporn
Satzten den Tzorn
In ainen Vrid über Tag.
Chainer Rue er do pfhlag
Dy Nacht der Legat,
Der hueb sich vil drat
Mit seinem Gesind,
Und gacht aufs Mer svvind:
Gegen Rom hin
Stund aller sein Sin.
Nu las vvier in varen.
Wie di Herren geparen,
Daz merkt und hort.
Der senfter Muet vvart tzu stört,
Do si sein vormisten,
Daz er mit solchen Listen
Von danne vvas entvvichen,
Daz muet seu sterchleichen.
Der Chunig von Armenii,
Der von Chipper, und alleu dy
Dy pei denselben Jaren
In der Stat tzu Akers vvaren,
Dy paten sich leren
Dy Geistleichen Herren,
Dy daz Creutz tragen,
Alsso hört ich sagen,
Si hiessen in Rat geben,
Wi si nu scholten leben
Mit den Haidenischen Gedingen,
Wi man scholt vertigen
Dy Herren, di dar hat
Gesant der Admirat,
So daz si übervvurden
Solcher Sorgen Purden
Und dez Argvvans
Der Haiden und des Soldans,
Daz er seu unschuldig sait
An dem Schaden und an der Smachait,
Dy er tzu Akers het genomen.
Dy Hohisten, dy dar waren chomen
Der Potestat und dy Gemain
Von Akers gros und chlain
Gegen den Gaistlichen Herren
Gros Pet begunden cheren.
Daz sy sich nemen an,
Die Sach gegen dem Soldan,
Und si volfuerten, als si vvesten;
Mit Geisel und mit Hantvesten.
Wolden si in daz machen guet;
Als man gevvisleichen tuet,
Daz sis mit Treuvven nicht vormiten,
Und alles daz mit in liten,
Daz in tzu Leiden geschech,
Ob vor dem Pabst icht jech
Der Cardinal in tzu Has,
Mit Treuvven vvolden si daz
Mit in dulden und leiden,
Und seu nicht vormeiden
Mit Helfe noch mit Rat.
Der Hochmaister pat,
Daz sy gueten Mueten hieten,
Und daz si sich berieten,
Und darüber voraiten,
Dye Vrist si beschaitten
Tzu drin gantzen Tagen,
So wolden si in sagen,
Watz si wolden tuen dar tzu.
Des nesten Morgens frü
Do samenten si sich hie
Dy Pruder alleu die,
Dy do vechten mit den Svverten:
An dy hohisten si do gerten,
Die si heten under in,
Daz si ier Witz und ier Sinn
Pei in selb hieten,
Und sich alsso berieten,
Daz si doran icht vorlüren,
Und dy gehaim icht vorchüren,
Dy sy mit dem Pabst heten,
Dez vvart vleissichleich gepeten.
Do si des Ratz begunden,
So si pest chunden,
Deu Sach vvart betracht.
Etleich heten in ier Acht,
Und vvagens tzu dem pesten,
Daz si mit den Gesten,
Dy dar sant der Admirat
Von Akers aus der Stat,
Sanden als mangen Man,
Als der Soldan
Datz Akers het vorlorn;
Daz der Haiden Tzorn
Wurde gestillet damit,
Untz daz der alt Vrid
Belib in seiner Stetichait,
Seid im mit Treuvven berait
Tzu steter Helf Wer
Deu Gemain der Akerser.
Do geviel etleichem daz,
Daz si erfüeren pas
Mit ier Poten drat,
Ob der Legat
Dem Pabst icht het gesait,
Daz im nicht behait.
Und ob daz vver geschehen,
So scholt man besehen,
Daz man mit Witzen und mit Sinnen
Dem Pabst precht innen,
Wie dy Sach vver gelegen,
Daz si dy vveil pfhlegen
Warnung gegen der Haidenschaft,
Untz datz dyselbe Potschaft
Von Rom her vviderchem;
Svvas man den vornem,
Daz man sich darnach richt,
Und sich dy vveil nicht vorpfhlicht
Gegen den Haiden durch ier Dro.
So rieten etleich also,
Seit si vveren begeben,
Und daz ier Orden und ier Leben
Dem Pabst tzu allen Stunden

Gehor-

Digitized by Google

Gehorsam wer gepunden.
Es vver ungevverleich
Svvas so chreftichleich
Des Pabstes Pot het vorpoten
Pey seim Pann und der tzvvelf Poten,
Und pei dem almechtigen Christ,
Des Vorvveser er ist
Und Sant Peters hie auf Erden,
Scholt daz von uns vverden
Vrevelleich übergangen
In Tvvangsal und in Pfhrangen
Möchten unser Oerden davon chomen:
Wir haben alleu vvol vornomen,
Wie starch der Legat
Den Pan gemacht hat.
Sunst giengens entvver
Dise hin, jene her
Misschullen an dem Rat.
Deu Gemain von der Stat
Traib ser dar tzue
Baide spat und frue,
Daz dem Soldan
Deu Pezzerung vvurt getan,
Dy ich hie vor sait.
Der Rat nicht behait
Der Gemain der Deuthschen Herren
Dy vorchten sich vorcheren
Den Pabst an dem Gevvalt,
Der im von Rom ist betzalt,
Wan es ist vvissenleich,
Daz so haimleich
Der Pabst nimmer ist;
Es sein tzu aller Vrist
Seiner Tuer-Hüeter
Und innerist Chamerer
Prueder von ier Orden;
Dez vveren si leicht vvorden
Von dem Pabst abgetan,
Het er chainen Archvvan
Gegen in gevvunnen,
Davon di Held vorsunnen
Dez Ratz gehullen,
Daz si vvolten ervullen
Daz Pot, daz in hat getan
Der Cardinal pei dem Pan.
Daz misseviel den andern,
Weislich si vvandern
Mit den Sachen begunden.
Tzu jungist si erfunden,
Ob sy den Sachen
Ein End vvolden machen,
Daz must geschehen mit dem Sin,
Daz sy vvelten vier under in
Der vvitzigesten und der pesten
Dy si unter in vvesten;
Und daz dy selben vier
Dy Prüeder alle schier
Horten haimleich
Igleichen sunderleich
Michel und vvenig.
Und svvo dy maist Menig
Hin gehal mit dem Rat,
Darnach scholden si sich drat
Mit dem Gescheft richten,
Do si sich sus vorslichten.
Der Prüeder der pesten,
Dy si under in vvesten,
Dy vvurden ausgelesen,
Sy musten Horer vvesen
Haimleich und stille
Wor igleichen sein Wille
In disen Sachen trueg,
Oder vvas in daucht Fueg,
Wie man do mit scholde varen.
Do sy al gehort vvaren,
Do gehal der maist Tail,
Is vvurd ein itvvis Mail
Jeren Oerden allen drein,
Seit sy heten unter inn
So mangen Man sinnenreich,
Und dem nicht teten geleich,
Daz sy sich vvitz vlissen.
Wan es ist gevvissen
Paideu jung und auch alt,
Daz is also ist gestalt
Um den Pan der Pfhafhait,
Svvo der hin vviert gelait;
Den Pan schol man vliehen,
Und schol daz nicht schiehen
Durch Christenleich Gehorsam,
Ob vor Got sey lam.
Dy Sach und unslecht,
Chrump und ungerecht,
Dy Pfhaffen darum vvissen schullen;
So schul vvier erfullen
Durch dy Vorcht Gotes
Dy Gehorsam iers Gepotes.

Chlegleich sy füergaben,
Wie sy sich scholten gehaben,
Ob der Chrieg vvurd lanch,
Oder von Siechtum vvurden chranch,
Und in leicht geschech tzu sterben,
Dy müsten vorterben
An unsers Herren Leichnam.
Es vver ein Dinch vvidertzam
Und ein grosses Unpild,
Svven Christenleicher Bevild
Ein Gaistlich Man enperen scholt.
Ob man daran nicht scheuhen scholt
Gotes Vorcht und Tzorn,
So vvurd ir Leunt verlorn,
Den ier Orden nimmer überbund
Tzu svviegetaner Stund.
In vvurd vorvvissen daz,
Daz sy mit Willen den Has
Mit vreveleichen Siten
Heten erliten
Des Pabstes und der Pfhafhait,
Darum sy tot vvurden gelait
Auf daz Velt, als dy Hunde,
Ob seu der Pabst funde
Vrevel und ungehorsam
Dez Gepotz, daz in seinem Nam
Het getan der Legat,
Den er her gesant hat.
Auch sint dy Pfhaffen so veraint,
Svven den vviert beschaint,
Daz von hin ist gestrichen
Der Cardinal fluchtichleichen

Durch

Digitized by Google

Durch dy Vorcht unser Gech,
Fuer ein grosseu Smech
Deest folium unum.
Dy Christen, als in tocht,
Do dy Prüeder niemen mocht
Geschaiden da van,
Si widerseffen den Pan,
Daran sy wurden ie strenger.
Do wolten nicht lenger
Der Haiden Poten da paiten,
Sy paten sich belaiten
An ier Gewarhait.
Daz ward in unvorsait.
Gros wart der Schal
Datz Akers, und dy Quai,
Do man dy Poten der Haiden
Von dann sach schaiden
Mit unvorrichtem Ende,
Do wunden dy Hende
Dy Christen all gemain
Gros und Chlain:
Es gie wol tzu irem Hertzen
Sorge und Smertzen,
Und chunftiger Ungemach,
Der in chürtzleichen geschach.
Nu lazze wier seu varen:
Got mües deu bewaren,
Dy da beleiben hie!
Hort, wie es dort ergie.
Dy Poten sach man streichen,
Sy chomen churtzleichen
Tzu dem Herrn Soldan.
Do sy denselben Man
Vorrichten der Mer,
Wie is hie ergangen wer,
Und wie sy is heten geschaffen,
Wie gar ser dy Pfhaffen
Trachten auf sein Ere.
Dye Poten reten mere,
Si sagten ym besunder
Alle dye Wunder
Hintz Ende von Ort,
Wie mit Werchen und mit Wort
Der Christen ierdisser Got
Mit Christenleichen Gepot
Und mit allem dem Gewalt,
Der im von Got wer betzalt,
Dartzu mit seinen Listen
Hie dishalb Mers dy Christen
Mit dem Pan het bedwungen,
Daz si Chain Pesserunge
Teten der Haidenschaft;
Und wie er di Pruderschaft,
Der daz Chreutz trait,
Het genumen und entsait
Irz Rechtz und der Gotes Er,
Ob man ser ymmer mer
Sech, dy geturst tuen,
Daz si Vrid oder Suen,
Oder chain Gehaim heten
Mit den, dy Machmeten
Erten und Tervagant.
Do der Soldan ervant
Daz ym nicht Pesserunge widerfuer,
Bey seinen Gotern er swuer
Auf der Christen Schaden,
Er ward so ser überladen
Mit Ubel und mit Tobsucht
Und mit Tzornes ungesucht,
Daz er davon wart chranch.
Und darnach unlanch,
Als dy Maister jahen,
Dy in sider sahen,
In ainen Sichtum er geviel,
Daz im daz Hiern stet wiel,
Und selten stille gelag.
Er posert sich von Tag tzu Tag,
So daz im der Leib swant.
Do der Soldan enpfhant,
Daz sich sein Dinch pessert nicht
Do hies er algericht
Prief schreiben und senden
In dy Lant allen Enden,
Do deu Haidenschaft wert,
An alleu dy Chünig er gert,
Dy Haidenisches Gelaubens sint,
Daz sy an Underwint
Und pald tzu im chemen,
Und vor seinen Tod nemen
Weisung und auch Ler,
Davon der Haidenschaft Er
Wurd gepessert also,
Daz sy beliben vro
Hinfüer ewichleichen.
Daz Gepot so vestichleichen
Den Chüngen allen wart getan
Von dem Baruch und dem Soldan,
Daz sy es ungern vormiten,
Si chomen alleu geriten
Darnach viel schier
Gantzer Mäneid vier
Etleich Chünig rait,
So lanch und so prait
Sint dy Lant der Haiden.
Mier ist also beschaiden.
Do sy chomen überal,
Do waz der Chünig Tzal
Mer, dan dreu hundert,
Ist iemant, den des wundert,
Der vrag der ainen, dy es sahen,
Deu mier des vorjahen,
Der dy Haidenschaft pfhlag,
Dy weil man vor Akers lag,
So gelaubt ers desterpas.
Deu Chlag het nicht Mas,
Der dy Chünig begunden,
Do sy so chranch funden
Den Soldan ieren Herren,
Wand er mit grossen Eren
Dez Gewaltes het gepfhlegen,
Daran im vvas gelegen.
Darum vvaren sy im holt.
Do der Tag vvesen scholt,
Daz er seu vvolt sehen,
Do macht man Wunder spehen
Von jemerleicher Chlag,
Do man an im sach
Sogetanen Ungemach
Den er nicht mocht übervvinden.
Von Alten und von Chinden

Wart do groffes Chlagen.
Do fy dez vorpfhlagen,
Do fprach der Soldan:
Ich wil euch wiffen lan,
Warum ich euch han befant:
Machmeten und Tervagant
Und unfern Got Appollen,
Der Gepot ich immer will ervollen,
Die nim ich tzu Getzeug,
Daz ich euch nicht enleug,
Und pit, feu mier genedig wefen,
Mag ich des Leibes nicht genefen,
Daz fy der Sel walten:
Wand ich han behalten
Jer Gepot und unfer E
Untz an des Todes Re.
Nu wil ich euch entflieffen,
Des fchol ich geniffen,
Den Tzorn und daz Lait
Daz mich in difeu Chranchchait
Meins Leibs hat pracht.
Jer habt des wol gedacht,
Do wier neft ftriten
Mit den vormalediten
Und den vorwaffen Chriften,
Tzu wiegetanen Vriften
Tzwifchen uns und in
Suen und Vrides Gewin
Wart beftetigt.
Wie deu Sach ligt,
Daz wiffent wol dy peften,
Daz wier mit Hantveften
Wurden wol vorricht.
Des habent feu nicht
Gegen uns behalten
Mit groffen und mit mannigvalten
Vreveln und mit Smechen,
Dy fy hant nür in gehen
Gegen uns getan,
Sprach der Soldan,
Daz han ich euch vorholn,
Und euch alles vor vorftoln.
Nicht, wand durch Guet
Han ich gehabt den Muet,
Daz ich gern het gefehen,
Swas uns Lafters ift gefchehen,
Heten fy uns daz benomen,
Es wer euch nimmer vorchumen.
Er hueb auf, und fait
Alle dy Gelegenhait,
Wie er dy Sach het gewandelt,
Daz datz Akers miffewandelt,
Wurden fein Sarriant,
Dy man im tot fant,
Auf feinen Hof gen Paldach,
Und welcher Pefferunge pfhlach
Gegen im tzu dem mal.
Ein Pfhaf hies Cardinal
Der lag datz Akers an der Stunt,
Do ich dem tet chunt
Dez Vrides Beftetichait,
Der tzwifchen uns was gelait
Tzu tzehen Jaren und mer,
Dez Lafters und der Uner
Wart uns mer bechant;
Dy Poten, dy ich dar fant,
Dy hies er plenden,
Und alfo plins herfenden,
Ditz Lafter ungeheuwer
Hal ich dannoch vor euwer
Alles auf den Gedingen,
Daz ich feu wolt inne pringen,
Daz wier uns Haiden
Ungern laffen fchaiden
Von Eren und von Treuwen,
Ob fi fich lieffen reuwen.
Jers Vrides Bruch.
Ich und der Baruch
Vorfuchten dazfelbe paz,
Und fandten an Underlaz
Unfer Fürften tzwelf dar.
Ich enwil euch nicht gar
Befchaiden und machen plos,
Dy Befchaidenhait gros,
Dy ich gegen in hies fuchen,
Ob fy noch wolten geruchen
Befferung mier tuen,
So wer ich gern in Suen
Mit in beliben untz an dy Tzeit,
Alfo der Vrid leit.
Daz heten fy leicht getan,
Do cham dar ein Man,
Der vvas Vorvvefer und Pot
Von ierem ierdifchen Got,
Der do Pabft ift genant,
Der hat daz erwant,
Daz uns von in nicht
Chain Pefferung gefchicht.
Ich pin dartzu tzu chranch,
Und fint di Sach all tzu lanch,
Daz wier feu all nicht en mögen
Sunderleichen euch vorlegen,
Als es in churtzer Vrift
Datz Akers ergangen ift,
Daz uns ift fchadper,
Und vvie dy Chreutzer
Sich des habent befprochen,
Daz der Vrid an uns tzubrochen
Ift, und auch vviderfait.
Manig Hertzen-Lait
Ift uns von in gefchehen e,
Sy habent tzu des Totes Re
Pracht manchen Haiden vvert,
Daz auch ich in dy Erd
Gelegt vvierd in churtzer Vrift,
Von iern Schulden daz ift.
Wan do ich gehort,
Daz daz unpilleich Mort
Ungepeffert fchold beleiben,
Do begund mich treiben
Der Tzorn in difeu Not,
Davon ich mus ligen tot.
Daz lat euch gechlaget fein,
Ier liben Vreunt mein.
Ich pit euch all und man,
Ob ich ie vordient han
Um euch chain guet,
Daz ier dem geleich tuet,
Und gevvert mich, dez ich ger,
Daz unfer Goter Er.

Wier

Wier beherten und behalten,
Ich main Machmeten den alten,
Tervaganten und Appollen,
Seit dy Christen ervollen,
Muellen, was mit in schaffen
Ein Volch haisset Pfhaffen,
Dy selben Trugner
Unsern Gotern sint unmer;
Wand sy habent mit iern Listen
Erplendet dy Christen,
Und pracht in sulchen Jersal,
Daz sy gelaubent über al,
Swas in dy selbe Pfhaf hait
Gepeut und vor sait
Pei ieres Pabstes Pan,
Dez wellent sy gelauben han,
Es sey als war und stet,
Als ob is Jhesus selber tet.
Ist auch dem alsus,
Daz von Nazaret Jesus
Sein Er und seinen Gewalt
Einem hat betzalt,
Der ist datz Rom wol erchant
Honorius ist er genant,
Dem dy Christen volgen müessen
An Henden und an Füssen
Ist er chrump und lam,
Dez mag sich immer schamen
Jesus der Christen Herr,
Daz er hat sein Er
Und sein selber Gewalt
Einem sulchem Schemler betzalt,
Der lam ist und chrump.
Daz dyselben Christen sein tump,
Daz schol man chiesen doran,
Daz sy petent an,
Der so lützel Witz hat,
Und mit in umgat
Anders, den im wol anstet.
Het Jhesus von Nazaret
Nicht mer Ubels getan
Den daz er ein sulchen Man
Sein Gescheft enpfholhen hat,
Es wer ein grosseu Missetat.
Er scholt dartzu han erwelt
Ainen geraden Helt,
Der manger ist bechant
In der Christen Lant.
Jhesus mit seinen Listen
Betreuget dy Christen,
Als er die Juden tet weilen,
Dy er pald hies eilen
Von der alten E tzu der neuwen,
Daz must in seit gereuwen.
Seiner Mueter Geslecht
Dy teten im vil Recht,
Daz si in totten en tzeit,
Und heten sy gehabt Peit,
Untz er elter wer worden,
Jüdischen Orden
Hiet er gar tzu stort.
Ich han also gehort,
Er hab mit seinen Tzauber-Listen
Gemacht dy Christen
So torhaft und so taub,
Daz ier E und ier Gelaub
Stet also in allen Landen,
Er sey wider erstanden
Nach seinem Tod am dritten Tag
Aus dem Grab, do er lag.
Do chomen sein Jungern tzue
Ains Morgens vil frue,
Und stulen in her aus,
In haimleicher Laus
Behielten sy den Leichnam,
Als ieren Listen vvol tzam;
Und jahen do offenbar,
Daz er erstanden vver,
Und hiet mangeu grosseu Schar
Gevvaltichleich und offenvvar
Aus den Weitzen genomen,
Dez hat er seu überchomen,
Daz sy dez alle nu nach jehen.
Doch vvais ich vvol, ist is geschehen,
Daz er erstanden ist,
Daz mues von Tzauber-List
Sein gemacht und getan.
Als vil ich der Puech chan,
So vvais ich vvol, daz von Natur
Chain Creatur
Tzu dem Leben erstet,
Fur daz der Tod an im erget,
Daz in der Witz ist tzu runnen.
Und vvier der Puch al vil chünnen
Und manig hoch Chunst,
Die uns Machmet von seiner Gunst
Geit vvillichleich und gern,
Daz sy der Genaden enpern.
Daz ist alles der Neit,
Der tzvvischen Jesum leit
Und unsern Götern; vverden
Wier haben so prait der Erden,
Wolt sich deu Christenhait
Tziehen von der Trugenhait,
Und unser Göter anpeten,
Svvas sy Landes heten,
Ob sy deu elleu vorlüren;
Und durch Machmeten vorchüren,
Ich vvold in ander Lant geben,
Schold ich lenger leben.
Dartzu sin aver si tzu stet
Svvie vil vveiser Ret
Dem Chaiser Fridreich
Teten getreuleich
Mein vordern und dy Haiden,
Doch vvolt er sich nicht schaiden
Von dem Ungelauben sein,
Svvas anders mocht gesein
Und Freuntschaft gehaim,
Dy het er mit der Haidenschaft,
Und sy mit im hin vvider,
Wer ich gesunder Lider,
Und hiet ich Trost zu dem Leben,
Den Rat, den ich euch vvil geben,
Den vvolt ich selb volfuren.
Er pat seu alleu, daz sy svvüren
Pey Apollen und Machmet,
Daz sy laisten sein Gepet,
Daz er tzu lesten vvolde piten.
Mit vreuntleichem Siten

Digitized by Google

Lobten si tzu laisten daz.
Nu höret doch, vvaz
Dyselb Pet wer
Dy der Chlagvver
Tet der Soldan.
Si musten vor in gan,
Und sunderleichen alle svveren,
Dy Christen sam pehern
Leibs und Gutes,
Svvas dar um iers Plutes
Möchten vorgiessen,
Daz sis darum nicht liessen:
Si trachten immer dar auf,
Daz Akers chem tzu hauf,
Und aus dem Grund vvurd tzubrochen,
Daz das Laster vvurd gerochen.
Daz in do vver entpoten,
Dez svvuren sy pei ier Goten.
Noch erputen sy mer
Dem Soldan Wierd und Er
Dy Chünig und Chunges-Genos,
Einer Pet vil gros
Gerten sy an in,
Seit er doch muest dahin,
Und nicht mocht genesen,
Daz daz sein Wil muest vvesen,
Daz sein Sun tzu Admirat
Wurt gechrönt an seiner Stat.
Derselben Pet vvas er vro.
Nu tuet damit, sprach er do,
Svvas euch gevalle und behag
An dem nesten Tag.
Dez Morgens vil fru
Griffen si dar tzu.
Der Soldan tzier
Het starcher Sün fier.
Den sy under in Westen
An dem Alter den pesten,
Den chrönten sy tzu Hant,
Und enpfhiengen von seiner Hant
Dy Chünig all geleich
Jederman besunderleich
Sein Lant und sein Chron,
Und svvuren im schon
Tzu fudern sein Ere
Hinfuer immer mere.
Alspald do daz geschach,
Der jung Soldan sprach:
Pin ich nu worden Soldan?
Ja Herre, dier ist undertan
Elleu Haidenischeu Diet
Deu stet in deiner Gepiet,
Sprachen dy Fürsten alle;
Swas dier nu wol gevalle,
Daz schol alles geschehen.
Er sprach: Zo wil ich euch vorjehen,
Daz mich dunchet guet,
Der Hervart, der wier haben Muet
Auf dy Christenhait,
Daz dy werd aufgelait,
Da mein Vater enkegen ist
Tzu solcher Tzeit und Vrist.
Er danne sterben schol,
So enpfhahent in hart wol
Unser Goter dy Heren,
Und danchent im dan der Eren,
Dy wier in tuen an disen Dingen,
Daz wier tzu Laid wellen pringen,
Dy tzu Got han erchorn
Jesum, der do wart geporn
In der Stat tzu Betlehem.
Den Gotern wiert genem
Mein Vater immer mer,
Daz dy Weisung und dy Ler
Von seinem Mund ist gesprochen,
Davon sy werden gerochen,
Nu hort, was sy teten,
Den sy gechront heten,
Der tzogt schon hin
Gechront vor in,
Im volget da nach
Mangen hohen Chunig man do sach,
Da der alte Soldan sas.
Vor Vreuden der vorgas,
Swas von Siechtum gewar.
Nu was auch chomen dar
Jer Maister der Waruch,
Daz ein schedleicher Druch
Und ein chrestigeu Smech
Der Christenheit geschech.
Swer des Vleissig wer,
Von aller seiner Sünden swer
Der Baruch den enpant,
Des ersten wart genant
Der Chunig von Marroch da,
Der swor dy Hervart sa
Dem Waruch und dem Soldan
Tzu füren funftzig tausent Man,
Grossen Danch sy dez gaben.
Er sprach: Ich möcht wol mer haben,
So ist daz wissenleich,
Daz ich aller tegleich
Mus in Warnung sein
Kegen ienen, dy ienhalb mein
Sitzent an dem Gemerch,
Der ist sülcher Sterch,
Daz ich in mües wider sitzen
Mit Manhait und mit Witzen
Mus ich trachten wider sy,
Der Chunig von Ispany,
Des Gewalt hat weiten Raum,
Auch schaidet nur ein Pfhlaum
Sein Herschaft und dy mein;
Da muessen aller tegleich sein
Viertzig tausent Man von meinen Wegen,
Dy der Hab und der Huet pfhlegen.
Der Chunig von Babilonie,
Seins Muetzs der vreie
Gab sich der Vart tzu Gesellen,
Dartzu Manhait und ellen
Pegund sein Hertz rüren,
Achtzig tausent Man lobt er tzu füren
Den Christen tzu Ungemach.
Den von Kaukasus man besprach,
Der lobt tzu der Stunt
Dem Waruch vor seine Sunt
Und tzu Eren dem neuwen Admirat
Hintz Akers vor dy Stat
Tzu füren werder Helt
Hundert tausent aus der Welt

Digitized by Google

Durch vorgiessen der Christen Pluet,
Und daz vvol behuet
Sein Lant vver dennoch
Den Chunig von Meroch
Vragt man, vvaz er furen vvold.
Der sprach: ich pin so holt
Machmeten und Tervaganden,
Daz ich vvil gern anden
An den Christen ieren Has,
Hundert tausent Man oder pas,
Dy Tzaghait sint par,
VVil ich füren dar.
Der Soldan vragt sa
Den Chunig von Alexandria,
VVes er gevvarten schold von im?
Der sprach: Herre, von mier nim,
Viertzig tausent Man für ich vvol,
Seit ich varen schol
So verraus meinem Lande,
Mier tuent ietzund Ande
Mit Urleug dy Venedier,
Ob des nicht en vver,
So vvold ich dier gern
Mein Schar tzu Dienst meren.
Der Chünich von Griffan
Lie sich den Soldan
Nicht lange piten,
Dreisig tausent vvol geriten
Lobte er tzu füren schier
Für Akers auf dy Rivier
Den Christen tzu Ungemach
Güetleich der Soldan sprach
Tzu dem Chunig von Colon:
Gench, daz dein Chron
Pei den höhisten hat Stat,
Und tue uns Helf und Rat,
Durch dein Er und meinen VVillen
La dich nicht bevillen
Auf dy Christen der Rais.
Er sprach: chainer Vrais
Dunchet mich tzu vil,
VVand ich schol und vvil,
Ungerochen lassen nicht
Dy schedleichen Geschicht,
Deu uns ist geschehen
Von den Christen, als ich hort jehen
Unsern Herren, deinen Vater.
Sein vverdes Leben hat er
Vorlorn von ier Schulden,
Si müessen von mier dulden
Ach und VVe.
Deinem Vater iche
Kegen dem Kaiser Fridreich
Tzvvaintzig tausend Held lobleich,
Daz vvil ich czvvispilen (a) nu.
Der Baruch und du
Von mier schült gevvis han
Viertzig tausent Man,
Dy vvil ich pringen dahin.
Den Chunich von Corduoin
Hies man gan hin fuer.
Mit vvilligs Hertzen Gier
Lobt er an seiner Schar
Dem Soldan tzu pringen dar

(a) duplicare.

Tzvvaintzig tausent Held vormessen,
Daz Akers vvurd besessen.
Den Chunich von Valfund
Patens mit geleichem Mund
Der Soldan und der Baruch,
Daz er des Vrides Pruch,
Der geschehen vvas an den Haiden
Von den Christen unbeschaiden
Hulf anden und rechen.
Darum ich mich besprechen
VVil gar lange nicht,
Aus meinem Land man mich sicht
Pringen ein solches Her,
Ob her über Mer
Der Chünich von Engelland chem,
Und daz er mit im nem
Den Chünich von Yspany,
Mit Streit vvold ich sy
Pesten auf dem Wal
Funftzig tausent mit der Tzal
Und als manger tzu Fues
Vor Akers mier volgen mues.
Den Chünich von Campasten
Sach man hin füer gen
Tzu dem Soldan. Er sprach:
Auf der Christen Ungemach
VVil ich gern varen
Mit sogetanen Scharen
Daz ier mier müest sagen Danch,
Sein ist aver nicht lanch,
Daz mich mein seliger Vater pat,
Ob sich gefüegt immer dy Stat,
Daz dy Christen und dy Haidenschaft
In Urleugs Feintschaft
Tzu ein ander chemen,
So schold ich vvarnemen
Ains Fursten von Deutschen Landen,
Hertzog Leupolt er in nande,
Also vver er gehaissen,
Aus eines Landes Chraissen,
Daz haisset Osterreich,
Demselben Fursten lobleich
Vor Tannat also gelanch,
Daz er vieng und betvvanch
Meinen Vater seligen.
Man het in toten sehen ligen,
Doch cham er so tzu Suen,
Daz er Sicherhait must tuen,
Daz er im und seinen Erben
Nimmer nicht scholden vverben,
Daz schad vver der Christenhait,
Im vver e vvider sait,
Daz vvil ich auch behalten.
Dar tzu hort man den alten
Soldan jehen:
Da daz ist geschehen,
Daz ist ein langeu Vrist,
Ich sag dier sunder List,
Is ist unlangeu Tzeit,
Daz der nest Streit
Tzvvischen uns ergie:
Vier Prüder ich do vie
Der partachten Herren,
Dy vvaren von verren
Landen her chomen,

Und

Und heten an sich genomen
Unser veint Orden,
Dy des sint en ain vvorden,
Es sei in an der Sel guet,
Swa sy unser Pluet
Mugen vorgiessen
Dez wenent sy geniessen,
Und wellent damit Jesum eren.
Dyselben het ich gern
Pracht tzu unserm Gelauben,
Denselben hies ich erlauben,
Daz si vor mier assen,
Und wen wier gesassen,
Und Churtzweil pfhlagen,
So hies ich mier sagen
Von den Fursten sunderleich,
Dy do so chostleich
Lagen vor Tannat,
Sunderleich ich seu pat,
Vorrichten mich der Mer,
Ob in ich chunt wer
Um denselben Hertzogen.
Do sagten sy mier unbetrogen,
Er wer tot vor mangem Jar,
Sy sagten auch mier vor war,
Sein Erben, dy er het lassen,
Dy sein Herschaft besassen,
Dy weren auch alle tot.
Grosser Chrieg und Not
Wer seit gewesen um dy Lant,
Doch weren sy tzur frembden Hant
Nu gentzleichen chomen.
Er sprach: Herr, ich vornomen
Euwers Vater Swester wer mein An,
An deu Sip ich euch man,
Ob daz sey dy Warheit,
Daz ier mier habt gesait.
Der alte Soldan sprach do:
So wold ich nimmer wesen vro.
Scholt ich dich nu triegen
Und in alten Tzeiten liegen?
Dar tzu mier tzu lieb was
Dein An, mein rechteu Pas,
Daz wis vor dy Worhait,
Daz du ledig pist der Sicherhait
Von im und von seinem Geslecht.
Dein Vater hat dich recht
Von im vorricht der Mer:
Chain Fürst was so achtper
Uber all den Christentuem.
Wer im beschert der Frum,
Daz er ein Haiden wer gewesen,
So wer er an der Sel genesen.
Ich wais daz fürwar,
Hiet er so manig Jar
Gedient Machmet
Als Jesu von Nazaret,
Der hiet in hoch ergetzet,
Und hiet in gesetzet
In dem Himel an sein Seiten.
Nahen und weiten
Gevriesch ich me so werden Man,
Wer er der Tauf gewesen an.
Do sprach der Chunich von Campasten:
So mag daz niemant underſtaen,
Seit der ain Man ist tot;
Daz dy von Akers leiden Not,
Daz wil ich mier enplanden.
Ich pring aus meinen Landen
Viertzig tausent werder Degen,
Dy vor Akers mit mier pfhlegen.
Den Chünik von Todern
Den sach man do gern,
Wan hoch er an im lag,
Man tzalt in tzu Mag
Dem Soldan so nahen,
Daz dy Haiden jahen,
Er wer so mechtig und so reich,
Daz siben Chunig dienstleich,
Dy ier Tzepter und ier Chron
Wierdichleich und schon
Von im tzu Lehen enpfhiengen.
Do sy gegen im pegiengen
Pet, daz er in hülfen scholt,
Er sprach: Wer ich euch nicht so holt,
Als ich euch doch von Schulden pin,
So wold ich doch dahin,
Sprach der von Todern,
Mein Göter schol ich eren,
Und danchen der Genaden,
Dy sy gevasset und geladen
Habent auf mich.
Kegen Akers den Strich
Pring ich mit mier dan
Sübentzig tausent Man,
Dy habt vor guet von mier,
Unser Göter und auch ier.
Des sagten si im grossen Danch.
Ain Chunich hin fuer sprang,
Der waz ein chreftiger Herr,
Sein Gewalt gie so ver
Untz an des Ertereiches drum
Tzu schaden dem Christentum
Pat in der Soldan um Steuwer.
Do sprach der ungeheuwer:
Durch unsern Got Jupiter,
Vorrichta mich der Mer,
Wie es um Akers leit.
Ist sy lanch, und als weit,
Und als vest als Babilon,
Da so grosseu Dinch von
Tet der Chunich Nabuchodonosor,
Dennoch mag si mier nicht vor
Dy lenge geheim.
Ich getrau den Chresten mein,
Ich gewinne wol als mangen Man,
Als der Chunich Cyrus gewan,
Der Babilon besas
Dem Chünig Walthasar tzu Has.
Ich han auch so vil Goldes,
Daz sich meines Soldes
Trosten alleu Taterer,
Da tzu sin Leut nicht so ler.
Deu erberen Lant,
Diu mier tzu Erben sint genant,
Arabia und Arabes,
Ich getrau in wol des:
Sy tuen mir solchen Rat,
Daz ich hintz Akers vor dy Stat
Hundert tausent Man pringe

Auf

Auf den Troſt und den Gedingen,
Daz yer Genad an mier ervollen
Machmet und Appollen.
Dar gie der Meden Chunich,
Der was piderb und frumich,
Daz ertzaigt er da,
Dem Soldan lobt er ſa
Willigeu Helf
In übermuetiger Gelf.
Den Gotern tzu Eren und dier,
Sprach er, ſo nim von mier
Tzwaintzig tauſent Helde vverd.
Füer Akers auf der Chriſten Erd
Mus man mich mit in ſehen,
Da man dy Chriſten ſchol vehen.
Der Chünich von Aſſyria
Mit groſen Eren vvaz er da,
Do man den um Helf pat,
Do gehies er an der Stat,
Daz er in dienſtleichen Siten
Tzu Füeſſen und geriten
Funftzig tauſend Man dar precht.
In mein und aller hohen Echt
Schullen dy von Akers ſein
Um des Sichtums Pein,
Den vvier an deinen Vater ſehen
Der nur von in iſt geſchehen,
Und von dem Pruch ierer Treuvven;
Er mag uns ymmer reuvven,
Schül vvier in vorlieſen,
Darum mueſſen ſy chieſen
Smertzen und Not
Und den grimmigen Tot.
Den Chünich von Egypten Lant
Der Soldan do mant,
Wie er im helfen vvold.
Der ſprach: tzvvar uns ſchold
Vorſmahen pilleich
Daz ſo gemainleich
Alleu dy Haidenſchaft
Mit ſo groſſer Chraft
Sich ſchol auferlegen,
Und fur ain Stat legen.
Haſt du des, Herr, gedacht,
Daz du mit diſer Macht
Hin über Mer var vvil
Tzu hant nach dem Tzil.
Svven du gevvinſt dy Stat,
So vvil ich Helf und Rat
Gern dar tzu tuen.
Wild aver du Vrides und Suen
Mit der Chriſtenhait pfhlegen,
Dy en halb Mers ſint gelegen,
So mac dich ſelber nicht,
Ich vvil mit tzvvaier Chunige Pfhlicht
Akers vvol gevvinnen,
Und töten dar innen
Alleu, dy da ſint,
Man, Weip und Chint,
Daz uns daz Laſter icht geſcech,
Daz man ſo mangen Chünik ſech
Vor ainer ſolchen Stat.
Des antvvurt im der Admirat,
Er ſprach: la dich nicht pevillen
Durch mich und der Goter Willen.
Du ſchafes nach den Eren
Weiſen und leren
Dich und ander mein Genos.
Wiert unſer Her ſo gros,
Wil ich gern laſſen
Auf dy Weg und auf dy Straſſen,
Deu hintz Rom get,
Daran der Chriſten Haubt ſtet.
Mocht ich in der gevvinnen
Den, der do vvont darinnen
Der Chriſten ierdiſcher Got,
Durch dez Geſcheft und Gepot
Dy ungetreuvven Akerſer
Meinem Vater tzu gever
Ier Treuvve habent tzu brochen,
Daz mus vverden gerochen
An dem Cardinal tump
Und an dem alten Chetzer chrump,
Dy en Jeſus an ſeiner Stat
Hintz Rom geſetzt hat,
Daz er der Chriſten ſchulle pfhlegen.
Seit du dich vvilt bevvegen
Hintz Rome der Rais.
Durch der Chriſten Vrais,
Sprach der von Egypten-Lant,
So gevvart von meiner Hant,
Dy mit mier varen müeſſen
Tzu Ros und auch tzu Vüeſſen
Hundert tauſent Man.
Der Waruch und der Soldan
Genad in des ſagten.
Ainen Chünich unvortzagten,
Des Lant haiſſet Palaſtein,
Den ſach man gen hin ein,
Do der Soldan ſas.
Der ſprach: ungern lies ich daz,
Svvie verre ich geſeſſen pin,
Ich chum ſelb dahin,
Do man Akers ſchol tzuprechen,
Und ſich an den rechen,
Dy ieren Got damit erent,
Daz ſy ier ſelbers Pluet vorrerent,
Und Willichleich vvellent ſterben,
Durch nicht, wan daz ſi vverben
Ungemach den Haiden.
Manig Veintſchaft iſt geſchaiden,
Deu ſachhaft iſt gevveſen.
Ich hort gern leſen,
Waz Jeſus van Nazaret
Hintz Apollen und Machmet
Hat tzu vodern und tzu ſprechen,
Wolden dy Chriſten rechen
Den Tod und deu Aribait,
Dy er tzu Jeruſalem lait,
Daz ſcholdens an den Juden tuen,
Mit den ſy habent gantzen Suen,
Und dy mit Weib und mit Chint
Elleichen pey in ſint.
Er vvaz pürtig von Betlahem,
Daz er dyſelben Stat nem,
Svvie ſi doch in beſtüend nicht,
Und tet mit Willen furtzicht
Auf daz ander Lant,
Daz uns tzu Erb iſt benant.
Der Soldan ſprach do:

Ich

Digitized by Google

Ich han gehortt so,
Sem en hies Joachim,
Von dem schüll gevallen im
Und tzu Erbe sein betzalt,
Swas in seiner Gevalt
Het der Chünik David;
Daz ist ein wunderleich Neit
Und ein mutvvilliger Haz,
Daz sich Jesus daz
Gegen uns antzeucht,
Und daz Unrecht nicht scheucht,
Sprach der von Palastin,
Man schol undervveysen in,
Ob sein dy Christen nicht envvizzen,
Do David hiet vorsliessen
Den Leib und daz Leben,
Daz het im Got gegeben
Tzvven Sün löbleich.
Nach im besas da Chünichreich,
Der do hies Salomon,
Do hies der ander Absolon,
Der seinen Has ervvarb,
Und in den Ungenaden starb.
Geprist im anders icht
Hintz uns, vvan daz ergicht
Erbschaft auf daz Lant,
So ist übel bevvant,
Daz dy Christen y. ehent all geleich,
Er sey gevvaltig daz Himelreich:
Seit sy dan ier Pluet
Um nicht dan durch Ubermuet
Gegen uns vorgiessen so gern,
Dez schüll vvier sy gevvern,
Sprach der Ungeheuvver,
So vvil ich dir tzu Steuvver
Furen dreissig tausent Man,
Dartzu scholt du gevvis han
Tzehen tausent Schützen,
Dy sich vvol lässent nützen,
Svvo man pei Veinden schol reiten,
In Sturm und in Streiten
Geschicht von in grosser Schad.
Dez sagten sy in gros Genad.
Der Chünik von Tandarnas
Pey grossen Witzen vvas,
Und vvaz gesessen verr,
Derselb alt Herr
Sprach tzu dem Soldan:
Herre, seit du hast vvan,
Daz du mit deiner Macht
Uber Mer hast gedacht
Auf dy Christenhait,
Auch vvaz man dir sait.
Ich pin pey meiner Tzeit
In mangem herten Streit
Kegen den Christen gevvesen
Daz ich dez Leibs pin genesen,
Und übervvorden grosses Schaden,
Der Götter Genaden
Han ich daran genossen.
Leut zo unvordrossen
Gesach ich nie an chainer Stat,
Als von Galilea hat
Jesus, den sy haissent Christ.
Mit seinem Tzauber-List
Hat er im gemacht dienst haft
Dy allerpesten Ritterschaft,
Dy ie beschain dy Sunne.
Dy sint auch so vorsunne,
Daz ich dier daz raten vvil,
Du las dich dunchen nicht tzu vil,
Svvie vil du Leut macht gevvinnen.
Mich dunchet in meinen Sinnen,
Man tue im daran unrecht,
Daz in sein selbs Geslecht
Mit ierm Gelauben vviderstreben,
Daz er tzu dem Leben
Sey mit Sigenuft
Erstanden aus des Todes Gruft.
Es mag vvol vvar sein.
Daz let er vverden schein
An manger Geschicht,
Wan vver er selb nicht
Lebentig vvorden
Wider der Natauvver Orden,
Mit vviegetanen Sachen
Mocht er den gemachen
Dy seinen lebentig an der Stund?
Mier ist daz vvol chunt,
Daz Jesus mit seinen Witzen
Achatzen und Mauritzen,
Und Georium den Hertzogen
Von dem Tod hat getzogen,
Und hat in gegeben
An der Stund daz Leben.
Denselben ellenthaften Man Georium
Hies der Chaiser Dacian
Durch der Christen Got töten,
Und in seinem Pluet roten.
Von den ist uns seit geschehen
Grosser Schad, hort ich jehen
Meinen Enen den seligen,
Do man vor Paldach sach ligen
Hertzog Gotvrid von Lutringen.
Den mocht nie tzu Laid pringen
Der Haiden Her gros;
Svven sy vil nahen plos
Waren an ierr Chraft.
Mit grosser Geselschaft
Sach man da tzu scaphen,
Daz liessen sy an chaphen
Alle die, dy Haiden vvaren,
Daz sy mit drin grossen Scharen
Tzu den Christen riten an.
Der dreier Schar Haubtman
Waren dy tzieren Degen,
Dy aines sint nu tot gelegen,
Und gemartert durch Jesum.
Mauritzen und Achatzium,
Und den Hertzog Geory,
Mendleich sach man dy
Der Christen Schar mern,
Und dy Haiden rern
Tzu der Erden nider.
Vor und sider
Ist is auch geschehen,
Daz habent vvol gesehen
Dy Haiden, und dy Christen nicht.
Er hiet uns dick pracht envvicht
Jesus mit der Christen Hant,

Wer

Digitized by Google

Wer Appol und Tervagant
Nicht gevvesen, und Juno,
Svvo du is nicht schaffest also,
Daz du hast über Chraft
Gegen Jesus Ritterschaft,
So pist du vorsaumpt gar.
Ich pring durch deinen Willen dar
Dreisig tausent Weigant
Von Tandarnas meinem Lant
Fur Akers auf daz Velt prait.
Gros Genad man im des sait.
Der Chunich von Grigolan
Dem neuwen Soldan
Tzu Dienst und tzu Eren
Sein Her lobt er meren
Mit tzvvaintzig tausent Mannen;
Mit den lobt er spannen
Fur Akers auf daz Velt
Manig herleich Getzelt.
Er wolt auch so berait sein,
Swen der Christen Pein
Daz Akers End nem,
Daz er mit den seinen chem
Mit Schiffung auf daz Mer
Mit so chreftiger Tzer,
Daz er nichtes vormist,
Oc es Jares Vrist
Vehen schold dy Christenhait.
Der Gesellikait
Und der grossen Treuwe
Dancht im der Soldan neuwe.
Der Chunich von Berbester
Manhaft und vester
Waz er an ellenthafter Tat,
Do in der Soldan pat,
Daz er sich dartzu berait,
Daz er dy Smech und dy Lait,
Deu datz Akers waren getan
Seinem Vater dem Soldan,
Hülf anden und rechen.
Dartzu hört man in sprechen:
Es ist nu ergangen lanch,
Daz aller mein Sin und mein Gedanch
Darnach ist gestanden,
Wolden sy ins enplanden
Ander Chünig mein Genos,
Daz wier ein Vart gros
Mit chreftigem Her
Teten über Mer
Den Christen tzu Gever.
Dy sint mier unmer,
Und pin in gehas
Allermaist um daz,
Swelch Christen begangen hat
Untreu oder maintat
Oder hat er so geworben,
Daz von seinen Schulden ist vordorben
Sein Vater oder Mueter;
Oder ist er zo unguter
Jendert gesehen,
Daz von im ist geschehen
Mörtleicheu Manslacht;
Oder hat er tzu Laid pracht
Pruder oder Swester;
Sprach der von Berbester;
Oder hat er so geschaffen,
Daz er chainen Pfhaffen
Ertöt oder gevangen hat,
Er sey Pischoff oder Prelat;
Oder hab gaistleichen Orden
Ist er von im worden;
Dez Lebens betaubet,
Gevangen oder beraubet;
Oder swie er hat gedient daz,
Daz man in durch Gerichtes Has
Scholde schaiden von dem Leben;
Daz wiert in alles vorgeben,
Und wiert von Sunden geschaiden,
Daz er auf uns Haiden
Her über var in churtzer Tzeit:
Seit in solche Pues geit
Dem hie auf Erden ist betzalt
Jeres Gotes Gewalt,
Und dem sy sint gehorsam.
Tzwar dem pin auch ich gram,
Er haisset Pabst, han ich gehort.
Daz demselben wurd tzustort
Sein guet Gemach, dez wer ich vro;
Welt ier is achten also,
Daz dazselb werd getan,
Sprach tzu dem Soldan
Von Verbesser der Tzier,
Daz dy Chünig all und auch ier
Unser Göte: damit eren,
Daz wier mit Her hin uber cheren,
Swen wier Akers gewinnen,
Daz wier dy Römer pringen innen,
Den Pabst und den Cardinal;
Swa wier der Christen Qual
Furpas mugen gemern,
Da welle wier mit eren
Unser Göter dy füessen,
Und wellen auch damit püessen
Unser Sunden Missetat.
Do sprach der Admirat.
Du redest als dy Weisen,
Man schol dich immer preisen,
Daz dich dein Wille trait
Tzu sogetaner Frümchait,
Als du hast vorgeben,
Ich wil auch ymmer darnach streben,
Daz wier volfüren daz.
So vvil ich dester pas
Daz Dinch greiffen an,
Funftzig tausent Man
Wll ich pringen mit mier
Für Akers auf dy Rivier
Durch der Christen Val.
Dez danchten sy im überal.
Ein Lant heisset Salaterre,
Davon ein grosser Herre
Drug Scepter und Chron,
Auch enpfhiengen schon
Trey Chünig von seiner Hant
Ier Chron und ier Lant,
Und waren im Dienstes undertan,
Der sprach tzu dem Soldan:
Ich pin als mechtig und als reich,
Als der Chünich von Vranchreich,
Der durch sein Ubermuet

So manig Rais tuet
Chöstleich her über Mer
Mit chreftigem Her
Unsern Schaden tzu meren;
Do mit vventer eren
Seinen Got Jesum.
Der vvent also sinen Frum
Hie tzu Paldach schaffen,
Als er mit seinen Pfhaffen
En halb Mers hat getan,
Daz Rom und daz Latran,
Wais Got, daz mag sich nicht gefügen.
Jesum schølt vvol genügen,
Das er datz Rom in der Stat
Machmeten vordrungen hat,
Darinne er gevvaltig vvaz,
Manig schon Tempel und Palast
Mit grosser Chost ungesvvacht
Waz im do gemacht.
Darinne vvaz in liechtem Schein
Manig Seul guldein
Lanch und gros,
Do Machmet und sein Genos
Und dy andern Goter aufsassen.
Dy Romer dez nicht vorgassen,
Damit si vvolden ervollen
Tervagandes Lob und Apollen,
Jovis und Mercurii,
Dy erten grosleichen si,
Untz daz dy Tzeit cham,
Daz Jesus den Tot nam
Von den Juden datz Jerusalem.
Ee aber dyselb Tzeit chem,
Do het Jesus der vorsunnen
Tzvvelf Jungern gevvunnen:
Under denselben het er
Ainen alten, der hies Peter,
Der vvas chundich und charch,
Derselbe sich vorparch,
Do in dy Juden viengen,
Und Unpreis an im begiengen.
Do jach der Abtrunner
Er vveſt nicht, vver Jesus vver,
Do in dy Juden habten an,
Er vver im gevvesen undertan.
Um dyselben Schulde
Gevvan er Jesus Hulde.
Domit daz er hintz Rom cham,
Dy Jungern er sich annam,
Dy jahan alle nach,
Swes er vorjach.
Mit Witzen und mit Listen
Machet er seu Christen.
Er begund seu berauben
Unsers Gelauben,
Und lert seu dy neuwen E.
Darum tet im vve
Der Chaiser Nero,
Den vvolt er auch also
Von den Gotern pracht han.
Do het er einen weisen Man,
Der vvaz gehaissen Symon,
Der nam in davon,
Daz sy in tzu den Stunden
Nicht übereffen chunden,
Noch von den Gotern pringen,
Darum sy ringen.
Pegunden ymmer mer darnach,
Daz sy sein chemen tzu Rach.
Derselbe Pfhaf Peter
Und einen Gesellen het er,
Der vvaz Paulus genant,
Der hat auch Chriechen daz Lant
Pracht in grossen Yersal.
An in paiden tzu ainem mal
Rach sich Chunich Nero,
Seinem Dyener Symon volgt er so,
Daz sy daz Leben vorluren,
Do sy den Tot churen.
Svvas er do Junger het,
Dy vvelten an der Stet
Tzu Maister ainen andern Pfhaffen,
Daz het auch Peter geschaffen,
E er vorlos daz Leben.
Der begund auch darnach streben,
Wie er dy Göter entert,
Und unsern Glauben vörchert.
Daz vvart auch an im gerochen:
Erslagen und erstochen
Ward ier vil an Masse,
Daz sy davon nie vvolten lazzen.
Dy behielten Peters Lere
So vestichleich und so sere,
Utz daz sy sich sein doch ervverten,
Und unsern Gelauben überherten,
Den seu gelert het Jesus.
Mier ist gesait alsus,
Daz in drin hundert Jaren
Tzvven und dreissig Pebst vvarn,
Dy sich allermaist liessen töten,
Und manger Marter nöten,
Durch iers Gelauben Willen,
Sy liessen sich nicht pevillen,
Sy vvagten Leib und Guet,
Und liten gros Armuet
Paideu spat und fru
Ee sy daz gar prachten tzu,
Und unser Göter gar vortriben,
Und daz ier Got und sy beliben
Datz Rom an dem Gevvalt,
Der in noch heut ist betzalt.
Di Genad im ervvarb,
Do Maxentius starb
Ein alter Trugner,
Der vvaz gehaissen Silvester,
Der schuf is also
Mit dem Chaiser Constantino,
Daz aller sein Wil ergie.
Svvas er ane vie,
Daz volfurt er alles sampt,
Alrerst vvurden vordampt
Unser Goter lobisam.
Geheſſig und gram
Ward in Weip und Man.
Tzu Rom und tzu Latran
Dy schonen Tempel gros
Wurden gemachet plos:
Alleu dy Getzierd,
Deu tzu Eren und tzu Wierd
Waren gemachet unsern Goten,

Deu

Digitized by Google

Deu hant sein tzvvelf Poten
Jesus vveihen haissen.
Aus Römischen Chraissen
Hat er dy Goter her vortriben,
Svvy gern dy nu hie beliben,
Nu vvil er seu durch seinen Has
Avver treiben furpas.
Leib und Guet,
Und aller Haiden Pluet
Schull vvier e vorgiessen,
Ee vvier dy Pfhaffen liessen
Chumen hie an den Gevvalt,
Den in ier Got hat betzalt
In der Christenhait.
Der Soldan sprach: Ich pin berait
Tzu schirmen unsern Gelauben,
Do man dy Akerser schol berauben
Leibs und Gutes,
Und sich satten iers Plutes.
Do sprach der manhaft:
So vvil ich meren dy Geselschaft
Mit funftzig tausent Degen,
Dy vor Akers schullen pfhlegen,
Svvas den Christen schedleich ist.
Dez sagt im an der Vrist
Der Soldan Lob und Danch,
Und sein Vater der chranch
Pat im Got vvesen holt,
Daz er seu also rechen vvolt.
Der mich der Mer vorricht,
Der vvest ier aller Nam nicht,
Svvas avver er ier chant,
Dyselben er mier nant.
Als ver ich sein bevveist pin,
Der Chunig, dy da chomen hin,
Der vvaz mit der Tzal
Ain michel Tail über al;
Als ich vor gesprochen han,
Dy lobten dem Soldan
Igleicher sunderleich
Tzu helfen vvillichleich,
Als verre als in tocht,
Und svvas der Man pringen mocht,
Deu Tzal vvart alleu angeschriben.
Do sy tzu Paldach vortriben
Der Tzeit vvol viertzehen Tag,
Do hueb sich Jamer und Chlag,
Hertzen-Lait und Not:
Der alt Soldan lag tot,
Daz vvaz in innerleichen lait.
Durch ier selber Werdichait
Beliben sy da pei einander
Ainer und der ander,
Untz sy den Toten vverden
Pestatten tzu der Erden
Nach der Gevvonhait und dem Sit,
Der den Haiden vvont mit.
Do daz alles geschach,
Der jung Soldan sprach
Tzu den Fürsten allen:
Nu lat euch missevallen
Meinenen Schaden und mein Laster,
Und müet euch dester vaster,
Daz mein Vater vverd gerochen
An den, dy da tzu brochen
An uns habent ier Treu.
Ich pin ein Man neu
An disen hohen Eren,
Ier schult mich vveisen und leren;
VVie ich bege euvvern VVillen,
Des laz ich mich nicht bevillen,
Als verre als ich is vormag,
Daz ier gedenchet der Chlaag,
Dy euch der vverd Man
Mein Vater hat getan,
Der von den Christen ist gesturtzet
In solch Lait, davon gechurtzet
Sein verdes Leben ist,
Daz vvir des in churtzer Vrist
Chomen tzu Rach.
Der Chunig Menig sich besprach,
In vvelcher Vrist daz mocht geschehen
Daz man seu scholt sehen
Daz Akers vor der Stat.
Sy vvurden des tzu Rat,
Und vvard also gemessen.
Etleich vvaren so ver gesessen,
Daz sy chaum über ein Jar
Mit grossem Her chämen dar.
Davon dy Hervart vvart gesprochen
Uber ein Jar und vier VVochen,
Dez vvart an der Stunt gesvvorn
Dem Soldan hochgeporn.
So deu selb Tzeit nem ein Ende,
Daz sy mit vverleicher Hende
Fur Akers vveren berait,
Und rechen euvvereu Lait
Und euvverr Göter smech
Daz nimmer mer geschech
Den Haiden chain Ungemach
Von den, dy man datz Akers sach.
Do daz bestetigt vvart,
Nu vvaren auch tzu der Vart
Dy Chünig alle berait;
Freuntschaft und Geselchait
Erpot in der Soldan.
Mit Urlaub schieden sich dan
Dy edlen Chünge vverd,
Ier igleicher chert,
Von dann er vvaz chomen.
Ich han also vornomen,
Ob daz vver ergangen,
Daz ygleichem gevangen
VVer Vater und VVeip,
Oder ob er den Leip
Damit scholt losen oder al sein Er,
Sy enmochten nicht so ser
Um Leut gevvorfen haben;
Golt und Silber sy gaben,
Als is vveren Stain.
Deu Genad vvaz nicht chlain,
Dy man den Haiden vortzalt:
Den dy da vvaren palt,
Do man Akers vvolt störn,
Dy vvolden in iern Chören
Dy Göter hoch setzen,
Und auch dez Lebens ergetzen,
Ob sy den Tot chüren;
VVaz sy darunder vorlüren,
Dez sagt man in vvenich vor.

Sich hub und ervvegt enpor
In aller der Haiden Lant,
Svvas man pey solchen Chresten vant,
Daz is vver so behend,
Daz is mocht in der Hend
Stab oder Stangen getragen,
Dy endorst niemant dar jagen,
Wan sy sein selb vleissig vvarn.
Nu las vvier daz varn,
Und sagen, vvie dy Akerser
Geparten, do in dy Mer
Chomen, und dy vviderpot;
Vil teuvver chlagten sy Got,
Daz der Cardinal ie vvart geporn,
Davon solch Tzorn
Und solch Schad scholt ergen,
Den niemant mocht understen.
Sy vvurden dez tzu Rat,
Daz sy sanden drat
Hintz Rom ier Potschaft
Der dreier Orden Maisterschaft.
Igleicher tzvven Pruder sant
Tzu dem Pabst, daz er gemant
Wurde von in.
Auch sanden sy dahin
Ainen Poten dy Venedier
Und von Jenau dy Purger,
Dy dem Pabst scholden sagen
Dy Worhait und Chlagen,
Dy Dro und dy Not,
Dy man in enpot
Aus der Haiden Lant.
Der Pabst dennoch vvant,
Dy Chlag, dy si do teten,
Daz sy daz mer heten
Tzu Ungelimpfh dem Cardinal;
Davon deu chunftig Qual
Von erste dar quam.
Wan dy Pfhaffen vvaren gram
Den Akerseren, um daz
Daz sy dem Cardinal vvaren gehas,
Der datz Akers vvas gevvesen.
Tzelen und vorlesen
Dem Pabst sy begunden
Daz pest, daz sy chunden,
Untz sy vorcherten den Man.
Der het dez gueten Wan,
Er vvolt Poten senden
Den Chungen allen Enden,
Und vven er aus mocht ervvegen,
Und vvolt auch selber tzu legen
Den Christen enhalb Mers,
Svvas er den vverleichs Hers
Mocht uberpringen
Mit Antlas oder mit Pfhenningen,
Und mit anderm Guet,
Des vvas im vvol tzu Muet.
Daz vvard im vvideraten:
Dy Cardinal daz taten;
Dy sprachen: Vater dier ist nicht lait,
Was man tuet der Pfhafhait.
Nu ist dier vvol gevvissen,
Wan deu Tzeit ist vorslissen,
Es ist nicht vollen ein Jar,
Den du selber sandest dar,
Und im gebe und betzalt
Dein selbers Gevvalt,
Daz er den volfuren scholt,
Dem vvurden seu nie holt,
Darum daz er rurt
Daz Recht und volfurt,
Daz vvaz in tzu svver,
Es daucht dy Akerser
Und deu Geistleichen Pruder uber al,
Dein Pot der Cardinal,
Rungen altzu ser darnach,
Daz in ier guet Gemach
Wurde tzu stort;
Darum sy ermort
Deinen Poten vvolden han;
Pey der Nacht er in entran
Vil chaum auf daz Wasser,
Wer er icht dester lasser
Mit der Vlucht gevvesen,
Er vver nimmer genesen.
Schullen sy dez nicht entgelten,
So gevvinnest du selten
Chainen Poten dartzu
Der es vvillichleichen tue,
Daz er von dier vverd gesant
So verr in vremdeu Lant.
Do sprach der Pabst Honory:
Svvas halt nu sy
Haben begangen,
Man schol nicht pfhrangen
Mit Helf an diser Tzeit:
Seit dy Sach also leit,
Ob man in nicht tzu Helf chem,
Daz man solchen Schaden nem,
Den dy Christen nicht ubervvunden.
Dartzu dy Pfhaffen begunden
Spotleichen tuen:
Vrid und Suen,
Gevvinnent sy vvol von den Haiden,
Es ist tzvvischen in paiden
Ein solcheu Cumpanei,
Daz sy sint sicher und vrei
Solcher Notturft, als sy sagen,
Daz dy Prüder von Akers chlagen,
Daz erget durch den List,
Svvas datz Akers geschehen ist
Smech dem Cardinal,
Daz vvier daz überal
Vorchiesen gegen in,
Sy legten so gar dahin
Dy geistleichen Herren,
Sy hieten sy von iern Eren
Vor dem Pabst geschaiden,
Weren der Haiden
Widerpot nicht gevvesen,
Dy da vvurden gelesen,
Daran ches man dy Warhait.
Der Poten ainer Sait:
Gaistleicher Vater und Herre,
Du scholt uns nicht so verre
Vor dier lassen hin legen,
Dy Oerten, der vvier pfhlegen,
Dy sint von deinen Vorvaren
Bestetigt vor mangen Jaren,
Und sint dier als undertan,

Als hie tzu Rom chain Man
Under der Pfhafhait;
Svver der Oerden ainen trait,
Des Leben ist stet auf der Wag,
An vvelcher Tzeit, an vvelchem Tag
Dy Haiden werdent geladen
Auf der Christen Schaden
Von ier Maisterschaft,
Mit vverleicher Chraft
Mües vvier denn vviderstreben,
Und in des Todes Vorcht geben
Paideu spat und fru
Schol man unser da spotten tzu
Vor dein tzu unserr Angesicht,
Tzvvar daz enfuget sich nicht.
Doch svvie es darum chumpt,
Uns enschat noch enfrumt
Der Cardinal Spot
Vor dem almechtigen Got,
Der da gevvissen hat,
Wie es um alleu Dinch stat.
Dy Poten chaum ervvurben daz,
Daz der Pabst an Underlas
Bey in sein Prief sant,
Dem Chünig von Engellant,
Dem von Yspani und von Vranchreich
Den hies er sagen chuntleich,
Wie angetragen vver
Ain Hervart gros und svver
Von den Haiden auf dy Christenhait,
Daz sy mit Helf berait
Weren dem Heiligen Lant.
Der Pabst seu des mant,
Und gab ins für ier Sund
Auch sant er an der Stund
Seinen Poten Chunich Rudolfen,
Daz er vver geholfen
Tzu schermen und tzu vristen
Vor den Haiden dy Christen.
Di Chunig jahen alle geleich,
Si tetens vvillichleich,
Man must aver lassen in der Weil,
Chain grosses Her mit palder Eil
Möcht niemant so verr pringen.
Nu begunden ringen ser
Der Maister der Spitaler,
Wie sy ier Macht gemerten,
Allenthalben sy cherten
Hie dishalb Mers in den Landen,
Svvas sy heuser erchanden,
Deu in undertenig vvaren,
Dar in begunden sy varen,
Und svvas si tzu den Stunden
Dar in Pruder funden,
Dy tzu chainer Wer toehten,
Und der sy enperen mochten,
Dy vvurden all tzu Hant
Uber Meer gesant,
Und vver den Orden vvolt enpfahen,
Dy liessen sy in nicht vorsmahen,
Dy des vvaren vvert,
Daz si Schilt oder Svvert
Mochten getragen.
Do es nahent den Tagen,
Daz sich ier Sorg scholt meren,
Do sach man übercheren
Tausent Pruder vverleicher Man,
Dy datz Venedien schiften an,
Dy vvaren all berait vvorden
In der Deutschen Herren Orden.
Jer Maister auch von Preussen
Gevvan der Chechen und der Heussen
Wol siben hundert oder mer,
Dy gegen Akers teten Cher.
Der Maister der Spitaler,
Ob der icht nutz vver
Nain tzvvar er in vvas,
Hie dishalb Mers er tzu samen las
Wol tzvvai tausent Pruder,
Von den vvart manig Fuder
Der Haiden gerert,
Mit den er über Mer chert.
Der Maister auch nicht müessig lag,
Der der Templer pfhlag,
Daz im allermaist gelegen
Svvas dy hi dishalb gutes pfhlegen
In Welchischen Landen,
Daz lies er im enplanden:
Von Haus tzu Haus er rait,
Und dy ier Hertz darzu jait,
Daz sy sich liessen getzemen
Den Orden an sich nemen
Got tzu Dienst um seinen Lon,
Dy enpfhieng er alle schon
Mit den und dy da vvaren ee,
Tzvva tausent Pruder oder me,
Sach man furen in
Kegen Akers hin.
Und dy Venedier
Mangen Chiel svver
Uber Mer sanden
Datz Akers und in den Landen
Svvas sy heten da,
Daz vvolden sy sa
Vor den Haiden vrein,
Und manig Galein,
Da berait Leut auf vvaren,
Dy liessen sy varen
Mit chostleicher Tzer
Kegen Akers über Mer.
Sam teten auch nu
Dy Herren von Jenau,
Dy hiessen übergachen,
Svvas sy möchte vorvahen,
Daz fanden sy hin
Den Akerseren tzu Gevvin
Werleicher Leut genuch,
Dy auf dem Wasser trueg
Manig Galey und Choch,
Und manig grosser Schoch
Cham auch durch Got hin gevaren,
Do sy alle chomen vvaren,
Der dy von Akers vvarten,
Durch schauvven si sich scharten,
Was sy heten vverleicher Leut,
Do ervand man bedeut
Mit rechter Tzal auf dem Plan,
Das hundert tausent Man
Dy vvaren vverleich berait
In eisneiner Chlait,

Dovon dy Held vvol vorſunnen
Manhait vil gevvunnen.
Sy gaben in ſelb guten Troſt,
Sy vvurden vvol erloſt
Der Sorg und der Vorcht,
Daz in nichts arges vvorcht
Der Soldan an der Stat.
Drei Mauvver ſy hat
Vor ier, und als mangen Graben.
Man ſach ſeu pas gehaben,
Den in tzu Muet vvas.
Do der Soldan gelas
Tzu ein ander ſein Macht
Fur Akers, als er het gedacht,
Dar tzogt er gevvaltichleich,
Es vvas als ungeleich.
Daz ſag ich ane Triegen,
Als do vier Tauben vliegen
Kegen tzehen ſcharen,
Dar in ſich ſamen dy Staren,
Swer prufen chan groſſe Her,
Daz Volch da her Terramer
Oranſe mit beſas
An der Tzal was
Bas als ungewegen
Dem Her, damit umlegen
Ward Akers von dem Soldan
Als ich vor geſprochen han.
Ey ſuzzer Got Herre,
Svvie tief und vvie verre
Wier uns darnach gedenchen,
So wil ſich nicht lenchen
Tzu vorſten unſern Sinnen
Dein wunderleich Peginnen,
Daz du ſo dic tueſt,
Seit du pervvungen nichts mueſt
Tuen mit deiner Hant Getat,
Wan als dein Wille ſtat;
So nimpt mich peſunder
Vor allen Dingen Wunder,
Warum du auf der Erden,
So vil haſt laſſen werden
Der ungeläubigen Samen,
Dy der Drivaltichait Namen
Nicht vor ein wareu Gothait jehent,
Wan ſy haſſent und vehent
Alle, dy daz beſchaint,
Daz ſy dich mit Treuwen maint,
Und Chriſtenleichs Gelauben ſein.
Daz wart vor Akers wol Schein.
Do ſy begunden tzogen tzu,
Daz waz ains Morgens fru,
Do dy Sonne vol erſchain
Datz Akers gros und chlain,
Man, Chint und Vrauwen
Giengen durch ſchauwen
Auf dy Turne hoch,
Jer Hertze Vreud vloch,
Und geſahen in vil Laid,
Do daz Velt und dy Haid
Wart bedacht mit den Saraceinn,
Swas von allen Vogeleinn
Wuchers chumpt und Frucht,
Daz wer ein michel ungenucht,
Ob deu nur Haiden aus tzugen
Und daz dyſelben flugen
Von neſt gewapent drat
Volwachſen an ier Stat,
So wer ier dennoch tzu vil.
Ain Dinch ich euch ſagen wil
Fur ein Worhait:
Wen alſo ward es mier geſait
Von warhaften Leuten,
Der dy Tzal mocht bedeuten,
Der dy dar chamen durch geliger,
Der iſt nindert lebentiger,
Wan nach der Schrift Mes
So iſt chain beſes
So hertes nie ergangen,
Seit dy Werlt iſt angevangen,
Als do der Chunik Darius,
Und ſein Sun Zilus
Heten beſeſſen
Chunik Walthaſar den vormeſſen
Tzu Babilonie in der Stat,
Svvas man davon geſchriben hat,
Geſprochen und geticht,
Daz iſt alles ennicht
Wider ditz Beſes hert
Der Haiden tzugevert
Waz ſo chreftig und ſo gros,
Daz ſein der Chriſten vordros,
Dy es daz Akers ſahen.
Si begunden tzu gachen
Mit Scharen entzichleich
Aller tegleich
Als ein vlieſſunder Wag
Wol viertzehen Tag
Vor Akers auf den Plan,
E der Soldan
Selb darcham.
Weiten Raum er nam
Des Gevildes vor ſich.
Daz ſach man do herleich
Pedechen und peſchutten
Mit Getzelten und mit Hütten,
Dy darauf vvurden geſpannen
Im und ſeinen Mannen.
Di do lagen nu darnider
Wider di do chomen ſider
Mit Hers Chraft hernach ſa,
Waren nicht halb da,
Sy tzogten tzu awer ſer
Wol fünf Wochen oder mer,
E dy Chünig chomen gar,
Dy alle gelobt heten dar.
Dye mich vorrichten der Mer,
Daz waren Prüder erber
Von der Templer Orden,
Sy waren des nicht überworden,
Sy heten auch erliten We,
Do des Todes Re
Datz Akers ergie.
Do dy Chriſtenhait enpfhie
Der Hayden Gerich,
Ich ſprach: Durch Got, vorricht mich
Ains Dinges, dez ich pin betrogen,
Seit der Haiden tzu tzogen
Vor Akers wert ſo lange Vriſt;
Teten ſis durch chainen Liſt?

Oder

Digitized by Google

Oder waz ier Menig so gros?
Daz machten sy mier plos,
Und jahen alle geleich,

Deest dimidia pagina.

Wart der Chunig Hant,
Do in von Chrichen-Lant
Datz Trojen besas
Um den totleichen Has,
Daz im sein Sun Paris nam
Sein schöns Weib Helenam.
Den Christen hie wiers geschach
Von manger hand Ungemach.
Do dy Haidenischeu Schar
Geherbergt heten gar
Alrerst dy vormaleditten

Iterum deest paginæ dimidium.

Do geriten ie so nahen,
Und wen sie seu sahen,
So eilten dy Puzger dohin
Wol berait kegen im,
Und striten mit im auf dem Plan
Wol funf Meil her dan
Durch Got und durch ier Er.
Owe dy saumpten sich ser,
Wes wellent sy beginnen,
Daz sy in lassent tzu rinnen
Manhait, dy in me tzeran.
Mier ist chunt getan,
Daz dy pesten von den Purgern
Chomen tzu den Spitalern,
Und paten seu sich beraiten
Nach den alten Gewonhaiten,
Daz vorsagten sy in gar,
Si sprachen: haist nemen war,
Wartzu dy Teutschen Herren tügen,
Oder waz sy volenden mügen.
Der Rat euch so wol behagt,
Do man widersagt
Pesserung dem Soldan
Um daz, daz im waz getan
Durch dy Dro der Pfhaffen.
Nu haisset seu schaffen,
Swie seu dunchet guet,
Wier sein so gemuet,
Ee wier uns liessen swachen,
Und unser Er minner machen,
E lies wier uns töten,
Und in dem Pluet röten.
Wier vorrichten uns wol:
Tu der Man, daz er schol.
Do daz horten dy vormessen,
Dy datz Akers waren gesessen,
Daz in dy Spitalern
Helf unberait weren,
Dy erschrichten von den Meren,
Und sanden tzu den Templeren,
Ob sy tzu Veld wolten reiten,
Und mit den Haiden streiten.
Dy ertzaigten auch ier Neit,
Der von in laider seit
Offenwar ist worden,
Daz si den heiligen Orden
Mit Gever hant getragen,
Als ier wol hört sagen,
So wier nu chomen an dy Jar,
Daz dem Pabst ward offenwar,
Un dem Chunich von Vranchreich,
Un der Pfhafhait all geleich,
Wie sy dy Werlt betrugen.
Nu hort, waz si hie vortzugen,
Do man seu tzu dem Streit par.
Es wer daz Akers in der Stat
Der Spitaler Gewalt
So gros und so manigvalt,
Daz sy seu nindert cheren
Liessen tzu chainen Eren,
Daz schain an mangen Sachen
Tzu den Poten sy sprachen
Unserr Weisung Pfhat
Den Akerseren vorsmacht.
Kegen dem Cardinal
Sprachen sy tzu dem Mal,
Do er dem Soldan
In ainem Vried sein Man
Lies toten und solgen,
Do wolt uns niemant volgen,
Dy auch des Dinges wielten,
Und den Rat innen hielten,
Dy auch sein walten noch
Allererst wolden si daz Joch
Uns auf deu Hals legen,
Sy schullen vor uns Vechtens pfhlegen,
Dy an dem Rat giengen fuer
Daz des Pabstes Tüer
Pfhlegent dy Deutschen Herren
Der Gehaim und der Eren,
Daz sy tzu Rom sint Chamerer.
Daz muessen dy Akerser
Pewainen und chlagen,
Es wer nie vortragen,
Daz Laster und der Ungemach,
Daz dem Soldan geschach
Von dem Cardinal hie;
Wan es in ainem Vrid ergie.
Do daz geschach also,
Des waren etleich vro,
Und daz man nicht Pesserung tet
Dem Soldan nach seiner Pet,
Daz waz der Deutschen Herren Schult,
Dy wolden der Pfhaffen Huld
Durch nichteu vorchiesen.
Darum mus man vorliesen
Datz Akers Er und Guet,
Und vorgiessen ier Pluet,
Dy da nicht fürpas mügen.
Lat sehen, welch nu tugen
Mit ier Helf und mit ier Rat,
Daz sy behalten dy Stat.
Uns ist daz wol chunt,
Daz in churtzer Stunt
Der Pabst un dy Cardinal
Den Prüdern von dem Spital
Und dem von dem Theutschen Haus
Senden ane Paus
Tzu Helf her über Mer
Ein chreftiges Her,
Da si den Haiden mit streiten;

Well

Digitized by Google

Well awer vvier des peiten
Dy vveil schol uns behüten Got.
Ditz retten sy in Spot
Und anderr Red genueg,
Niemant was so chlueg,
Der an ier Antwurt
Durnechtichleich spurt,
Wes in tzu Muet wer.
Dy hohisten Akerser
Suchten do drat
Der Dheutschen Herren Rat
Und ier Helf alsam.
Svvas, man dort vornam,
Daz vvart in auch chunt,
Dy selben Pruder sa tzu Stunt
Sprachen: ich sag euch vvie,
Ist iemant so getaner hie,
Der sich furchte so hart,
Der hab ander Dink zu vvart.
Svvas vvir mugen volenden
Mit Hertzen und mit Henden,
Des get an uns nicht ab
Des Leibs und der Hab.
Des pewag wier uns gar
An allerhand Var,
Do wier in disen Orden furen,
Und dy Gehorsam swuren.
Desselben Ordens Regel sait,
Wier schüllen dy Pfhafhait
Mit Gehorsam eren.
Wil uns daz iemant vorcheren,
Darum las wier sein nicht,
Was halt uns davon geschicht?
Wier werden nimmer gram
Dem Pabst noch ungehorsam.
Swem daz nicht behag,
Derselbe seinen Orden trag,
Swie so in geluft.
Gewin und Ferlust
Well wier mit euch leiden,
Und wellen nicht vormeiden
Mit den Haiden ainen Streit.
Swen euch dez dunchet Tzeit,
So sey wier berait.
Chain Tzaghait
Wirt an uns ersehen.
Es ist e geschehen,
Daz wier mit chlainer Chraft
Grosseu Her der Haidenschaft
Haben oft gevelt,
So sich Got hat gesellt
Tzu uns mit seiner Helf.
Svvi gar in vraidiger Gelf
Dy Haiden dovor vvüetten,
Sy chünnen sich dez nicht behüeten.
Wier gevvinnen in an ain Spil,
Daz vvier ier slahen vil,
Wil uns Got peigestan,
Als er dich hat getan.
Sy retten dem vvol geleich,
Do seu so menleich
Sy sahen geparn,
Dy dar chomen vvarn
Durch Got her über Mer,
Und der Venedier Her,
Und daz der Jenauvver.
Sy manten dy Akerser,
Daz sy vveren berait
Des Morgens, so is tait
Mit den Haiden tzu vechten.
Nu begunden sich tzu rechten
Des Volches ein michel Tail,
Und der Leben nu vvaz vail
Um daz evvig Leben,
Dy begunden darnach streben,
Daz man tzu Veld rit,
Und mit den Haiden strit.
Des Morgens do is tagt,
Als ich e sagt
Der Maister der Theutschen Herren
Mit den seinen het gern
Geriten in den Tor,
Den man des Obendes pat,
Daz sy sich liessen schauvven,
Wes man mocht getrauvven.
Do man auf tzelen scholt,
Derselben ain michel Tail vvolt
Fur dy Stat nindert reiten
Durch chain streiten:
Es vvurd e ein Ainunge
Tzvvischen der Samenunge
Der Gaistleichen Pruderschaft.
Sy vorchten, vvurt dy Haidenschaft
Der Mishelung inne,
Dy si heten dort inne,
Daz chem in tzu Unstaten.
Etleich, dy sich berait haten,
Dy cherten do vvider,
Doch sagt man uns sider,
Hetten dy Spitaler
Und auch dy Templer
Der Haiden Ernst gevvest.
Als si es vvosten tzu lest,
Si heten Helf nicht vormiten
Daz von in vvart gepiten:
Durch ein Hochvart, daz ergie,
Si vvolden vvarten, vvie
Man ier Helf chlagt,
Do daz Volch so vortzagt,
Do gerau es seu sere,
Wan man mocht nicht mere
Daz Volch mit chainen Dingen
Ab dem Gelauben pringen,
Jer Helf vver mit Gundervait,
So gros Ais man in sait
Von der grossen Uberchraft
Der vorvvassen Haidenschaft.
Deu Tzaghait do Worcht
An den Leuten solche Vorcht,
Daz si furbas heten nicht
Chain ander Tzuvorsicht,
Wie si sich ernerten,
Wan ob sy ervverten
Den Haiden vor dy Stat,
Deu grosseu Guet, dy sy hat,
Dy vorlos in Er und Guet,
Sy enhetten des chainen Muet,
Daz dy Haiden icht des erfunden,
Domit sy übervvunden.
Sust vvanten se, sy vveren erlost,

Secht,

Digitized by Google

echt, do velt in der Troft.
Nu höret, wie man des pegan.
Dy Haiden dem Soldan
Den Rat alle gaben,'
Daz er den erften Graben
Fült tzu. So daz gefchech,
Daz man dann befech,
Wie man dy Mauwer niderfties,
Und in den andern Graben lies.
Do hies der Soldan vil fru
Gemainleich greiffen tzu
Efel, Maul, Olbentin,
Swaz man der mocht gewinnen,
Dromedary und Chemmel und Mer-Rinder,
Starch Leut und nicht Chinder
Dartzu gefchaffen wurden,
Dy mit groffen Purden
Luden vil fchier
Daz Viech und dy Tyer,
Deu ich han genant,
Swas man Holtzes vant,
Stro, Wafen und Gras,
Daz tzu furen gut was,
Saher Ror und Laub,
Daraus manger groffer Schaub
Da gepunden wart fa,
Und an derfelben Stat da
Wart in den Graben gelegt.
Groffer Schal wart erwegt,
Do Leut und Viech auf
Chomen tzu Hauf.
Der Tier was an der Tzal
Wol dreiffig taufent überal,
Dy da trugen entzichleich
Tag und Nacht geleich
Tzu den Graben den Laft.
Und fwelchem geprast
Der Chraft von dem Gedrang,
Daz ertzent man nicht lang,
Daz halt wol wer genefen,
Daz muft des Todes wefen;
Wan man in in den Graben fties,
Deu daucht ein groffer Genies,
Ob damit wart der Graben vol.
So man dy Worhait reden fchol,
So nimpt mich befunder
Ob allen Dingen vvunder,
Wie man in fo churtzer Vrift,
Als mier davon gefagt ift,
Ain Werch als ungeheuwer
Von chlainer Chunft-Steuwer
Mocht volenden nie,
Als es da ergie.
In viertzehen Tagen,
Hort ich do fagen,
Wart der Grab flecht,
Manig Haidenifcher Chnecht
Vorlos darunder fein Leben,
E der Graben wart eben
So gemacht mit der Erden.
Es mocht nicht laider werden
Den Chriften in der Stat,
Do der Grab fo drat
Wart gefullet mit den Haiden.
Alr eft begunde laiden.
Alten und jungen
Der Prüder Mishelungen;
Und ier hochvertiger Sit,
Der in het gewont mit,
Der waz in alles noch pey;
Wan der Mauwer waren drey,
Und der Graben tzwen noch,
Manig fwers Ploch
Hiengens an dy Tzinnen.
Sy waren in den Sinnen,
Man wolt fturmen hin an;
Swas man fchold han,
Daz da fur guet wer,
Daz beraitten dy Akerfer.
Dartzu waz dey Haidenfchaft
Tzu weis und tzu fchalchhaft,
Daz fis alfo nicht übergaben.
Sy furen enhalb des Graben
Under dy Erden:
Sy wolten wiffenhaft werden,
Warauf ftund der Grunt.
Daz wart in churtzleichen chunt,
Wan fy vil fchier waren
Untz an den Grunt gevaren
Under der Chriften Danch
Wol funftzig Chlafter lanch.
Sy undervvorchten daz Gemeuvver,
Und tzunten da mit Feuvver
Daz Geroft an.
Do daz vorpran,
Do tet dy Mauvver Val
In den Graben tzu Tal.
Der her an tzu neft lag,
Chlegleicher Chlag
Hub fich do und groffer Schal
In der Stat uber al.
In vvas ungemach,
Do man dy Worhait fach,
Daz in fo churtzer Vrift,
Dy Haiden mit irem Lift
Heten fo gar unervvert
Der Stat Mauvver vorfchert.
Ja der Stat gelag der Schimpfh
Und der Ungelimpfh,
Ich main daz hochvertig Leben,
Des do pfhlagen dy begeben,
Dy daz Chreutz tragen.
Alrerft begunden fy chlagen,
Und fahen, ob in indert tocht,
Daz deu Stat deu Haiden mocht
Mit Streit gegreiffen an.
Nu het der Soldan
Daz Dinch alfo betracht,
Daz paideu Tag und Nacht
An ier igleich Purg-Tor
Wol berait hi vor
Hielten auf dem Plan
Funftzig taufent Man,
Dy nicht anders pfhlagen,
Wan daz fy da lagen
Tzu Huet vor igleicher Tüer,
Ob iemant chem herfur
Aus der Stat durch Streit,
Daz fi den als langeu Tzeit
Mit Streit vviderlegten,

Untz ſich aufwegten
Igleich Chunig mit ſeiner Schar.
Do des wurden gevvar
Datz Akers dy Herren,
Sy begunden da tzu cheren
Jer Witz und ieren Sin,
Waz in tzu Gevvin
Daz allerpeſt vvere.
Nu verainten ſich dy Akerſere,
Es fugt in allerpeſt,
Daz ſi beliben in der Veſt,
Untz dy Haiden do vordrus,
Daz wer in nutz,
Daz man mit in nicht ſtrit.
Wan ob man ſeu überrit,
Und wurden auch überwunden,
So enmochten noch enchunden
Daz Volch ſich erneren,
Noch dy Veſt erweren:
Es wer auch nicht gut getan,
Daz wider hundert ain Man
Sich Streitz underwund,
Seit man nicht enchund
Vinden dy Gelegenhait,
Daz den Haiden chain Lait
An ier Vorderben mocht geſchehen;
So ſcholt man nur beſehen,
Wie man der Stat wielt,
Und ſy lang behielt,
Untz dy Haiden do vordrus,
Und daz daz mer erdus
Hinüber Mer in dy Lant,
Ob den Pabſt ſein Treu ermant,
Daz er in Helf tet,
Und die hohen Chünge pet,
Daz ſi darfuren mit Her
Durch Got über Mer
Tzu Helf den Chriſten und dem Land,
Vil Poten man ſant
Her über Mer über al,
Dy der Chriſten Qual
Scholden chunden und chlagen,
Ob man in churtzen Tagen
In nicht tzu Helf chem,
Waz den Schaden nem
Deu Chriſtenhait en halb Mers;
Und wer in precht als vil Hers
Aus aller Chriſtenhait weit,
Daz man den Haiden Streit
Vor ainer Porten mocht gegeben,
So vriſten ſi vvol daz Leben;
Geſchech awer dez nicht ſchier,
So wurd Akers, dy Tzier,
Vorlorn und waz darin wer.
Diſeu laiden mer
Wurden ſchier geſagt
Den Chungen unvortzagt,
Dy dis halb Mers ſint geſeſſen.
Nu waz laider der vormeſſen
Chunich Rudolf erſtorben,
Der mit treuwen het geworben
Des Reiches und der Chriſtenhait
Ere und gros Wierdichait,
So er peſt chund.
Do dem Got nicht gund
Tzu leben furpaz,
Schaden ane Mas
Daz Reich davon enpfhie,
Swas anderr Chunig waren hie,
Dy pfhlagen nicht groſſer Eil,
Und der da tzu der Weil
Der Chriſtenhait Lere pfhlach,
So daz an im lag
Pebſtleich Gewalt und Ere,
Der ſaumpt ſich all tzu ſere:
Wan es lag alſo um in,
Daz hoher Witz und Sin
Im laider gepraſt.
Hertes Lebens-Laſt,
Het er pei ſeinen Tagen
Durch Got an im getragen
Und chund tzu ſolchen Sachen nicht,
Des ſtund es, laider, unvorricht
Tzu Rom über al.
Etleich Cardinal
Heten Des Genies;
Celeſtinus er hies.
Sein End und ſein Anevanch
Wer tzu ſagen tzu lanch;
Davon ich es wil
Sparen untz an daz Zil,
Daz wier von den Pebſten ſagen,
Waz igleicher pei ſeinen Tagen
Hat geſchaffen und getriben;
Da wiert von im geſchriben,
Daz von ſeiner Tzeit geſchach.
Der Akerſer Ungemach,
Waz von im unerwendet,
Wan er vvart vorſendet,
Daz er nimmer hervvider cham.
Benedictus daz Ampt in nam
Tzu demſelben mal.
Der vvaz ein Cardinal,
Do dy Akerſer volendet
Jer Potſchaft ſo gar unpevvendet;
Und um Helf heten
Von Rom den Pabſt gepeten,
Deu in laider vvaz ſain,
Do vvurden ſy en ain,
Daz ſy ſich kegen der Haiden Her
Wolden ſetzen tzu vver,
Als verr ſeu vvert das Leben,
Und vvolden in des vviderſtreben.
Deu tzvvo Mauwer und den Graben,
Den ſy noch mochten haben,
Daz man in die icht angevvunne,
Dy Haiden charch und vorſunnen
Lieſſen ins enplanden.
Do dy Mauvver vvaz geſtanden,
Daz vvaz ein aufgevvorſen Rain,
Do giengen gros und chlain
Mit ierem Getzeug hin,
Und tzugen den Puchel in,
Daz es eben ſlecht vvart,
Alſo daz in dy Vart
Hin tzu pehender vvaz.
Deu Tier, dy ich e las,
Deu giengen aver dar
Geladen hart ſvvar,
Und ſvvo dy Mauer er vvant,

Daz

Daz von den Stainn und von dem Sant
Der Grab vvaz nicht vol,
In dyselben Hol
Schut man aber vast
Allen den Last,
Den dy Haiden dar fürten.
Dy Christen sich rürten
Verre pas den e,
Sy teten harte vve
Den Haiden mit Schiessen,
Jer verliesen und geniessen
Wagen nahen geleich.
Ob des vvundert etleich,
Wie daz mocht ergen,
Dez gib ich tzu vorsten.
Svvie vil dy Haiden liden Not,
Dy von den Christen lagen tot;
Als vil vvaz ier, dester min
So vvas daz ier Ungevvin,
Tzu vviegetaner Stunt:
Ain Haiden vvart vvunt,
Sein vver lützel oder vil,
Den vvarf man an dem Tzil
In den Graben dar nider.
Manger gern vver hervvider
Aus dem Graben gechrochen,
So vvas daz Dinch alſo gesprochen,
Von dem Waruch, der da hat
Dy Ere, daz an im stat
Nach ier E Pebstleich Gevvalt,
So das im jung und alt
Mussen sein gehorsam,
Dy Haidenischer Prister-Nam
Tragent under in,
Si habent den Sin,
Svver nach seim Gepot leb,
Daz er dem vvol vorgeb
Alleu di Sünd und Missetat,
Dy er ie begangen hat,
Daz er darum fürpas
Appollen und Machmeten Has
Nimmer mer geduld
Um diselben Schuld.
Der Baruch het gepoten
Pei allen seinen Goten
Und pei des Pannen Purd,
Svvelch Haiden, so chranch vvurd
Von chainem Sichtum,
Daz er des Soldans Frum
Furpas mocht geschafen nicht,
Der scholt haben Pfhlicht
Mit Machmeten in dem Himelreich,
Daz er sich gütleich
Des Lebens bevveg,
Und in dem Graben still leg.
Durch daz selbe Gepot
Lag etleich Haiden tot,
Der vvol genesen vver,
Davon vvas den Christen swer
Halden oder lassen.
Do dy Haiden nicht entsassen
Des Lebens Vorderben,
Do vvart ier Val und ier Sterben
So chreftig und so gros,
Daz daz Pluet ubervlos
Alles, daz in dem Graben vvas.
Wunder vvaz daz iemant genas
In der Stadt noch hy vor.
Do daz Pluet enpor
Pegund vvallen und jesen,
Waz schold do genesen
Von so giestigem Tampfh?
Der in ainem Stampfh
Wasiliscum het tzu pert,
Der Gesmach vver nicht so hert,
Als der aus dem Graben gie,
Svver des Gesmaches icht enpfhie,
Der gevvan des genueg.
Dy Haiden vvaren so chlueg,
In den ichtes Eren lag,
Daz si sich hutten pei dem Tag
Von der Hitz und von dem Gestanch.
So musten under iren Danch
Dy Christen haben hin an,
Wan so tzehen tausent Man
Do dy Haiden do vorluren;
Den Schaden sy vorchuren
In ainer churtzen Weil.
Wan sy mit palder Eil
Als mangen schufen hinvvider,
Man slug ier so vil nider,
Hiet dy Mauvver nicht getan,
Deu in den Graben vvas gelan,
Man mocht uber dy Fluet,
Deu do vvas von dem Pluet,
Nimmer gegangen sein.
Svvie vil man vvarf darin
Holtz, Erd und Gras,
Dannoch des Graben vüll vvaz
Was Werch und Nas.
Nu erfunden dy Haiden daz,
Daz sy furten dahin
Holtz staudeich dar in,
Darauf Tuft und Stain
Unden gros, oben chlain
Hiessen sy tzu vüllen,
Und daz mit Erden hüllen.
Is geschach nicht in so churtzer Vrist,
Als man es hie list.
Langer Weil bedarft es vvol,
Daz der Grab vvart vol.
Nu secht auf Akerser,
Laid und Hertzen-Svver
Nahent euch und Ungemach:
Ich vven, das es nie mer geschach,
Daz do ergie von den Laiden
Und den vorvvassen Haiden,
Daz in funf Wochen
Erfult vvart ut tzu brochen
Ain Mauvver und tzvven Graben,
Dy Christen noch tzvvo Mauvver haben
Und ainen Graben: do enmiten
Dy Haiden giengen und riten,
Untz an dy Mauwer al gericht,
So daz sy ierret nicht.
Also heten si daz Lant
Gemacht slecht als ein Hant.
Do si volendet heten daz,
Sy ruchten aber furpas
In dy Erd und Gruben.

Wenriten auch huben
Tzu graben her enkegen
Mit Stichen und mit Slegen,
Vanden dy behenden
Dy Haiden wider wenden,
Daz sy icht gruben hindurch.
Dy Haiden gruben ein Furch
In dy Erd nicht enge,
Viertzig Chlafter nach der Lenge
Deuselbe Gruft het
Des Soldans Pet
Deu was anders nicht,
Wan daz si füren all gericht
Tzu der Grunt-Vest.
Do dy Haidenischen Gest
Untz an dy Mauwer chomen gar,
Und daz ier wurden gevvar
Dy Christen in der Stat,
Sy wider füren in drat,
Do si seu horten hemern.
Daz tengeln und daz temern
Mocht nicht grösser werden,
Als si heten in der Erden
Dy Christen und dy Haiden,
Si waren ungeschaiden.
Gros wart der Schal
Und der Haiden Val.
Wer iemant do gewesen,
Der dy von dann het gelesen,
Und her dan getragen,
Dy do wurden erslagen
In der Erden Gruft,
Daz dy Christen den Luft
Mochten han gewunnen,
So wer in nicht tzu runnen
Den Christen ierr Chraft.
Doch tötten sy der Haidenschaft
So vil, daz der Hauf
Der Toten gie auf,
Daz das selbe Hol
Uber al wart vol,
Ob sy gern mer heten gevochten,
Do enchunden noch enmochten
Sy tzu ein ander nicht enchomen,
Davon den Christen wart benomen
Deu Sorg und dy Vorcht,
Daz man furpas icht worcht
In der Erden an dy Mauwer.
Der Geding wart in sauwer:
Seu betrog der Soldan,
Wan sy heten des wan
Und vil starchen Sin,
Daz iemant tzu in
In der Erden sunch,
Untz daz man aus dem Tunch
Dy Toten vaigen raumbt.
Dez wart vil eben gegaumpt
Tag und Nacht von den Christen.
Nu überchom seu mit Listen
Von Babilon der Admirat;
Der hies an der Stat
Dishalb dem Ge ag,
Daz da von den Toten lag,
Würchen Tag und Nacht
Durch dy Erden einen Schacht
Langen und tieffen.
Dy Christen daz vorslieffen,
Wan sy heten chain Getrecht,
Daz man in sus geschaden mecht.
Do dy Haiden heten,
Als sy der Soldan het gepeten,
Wol und listichleich
Undervaren daz Ertreich
Untz an der Mauwer Grunt,
E es den Christen wart chunt,
Dy es hernach musten chlagen,
Do heten se hin in getragen
Pei der Nacht, daz niemant sach,
Holtzes so vil, do daz geschach,
Dy Haiden charch und munder
Rüsten hinunder,
Do dy Mauwer aufstund,
Als noch dy Rüster tuent,
Durch Enthaltnüs manig Joch
Und von Holtz manig Ploch
Gros und swer,
Wurffens in den Tuffer,
Und fulten in also gar,
Daz dy Christen des nicht wurden gewar
Des Werchs, daz do geschach
In tzu Schaden und tzu Ungemach.
Nu hört, wa von daz ergie,
Do si di Haiden hie
Vortriben aus der Luchen,
Do hies der Soldan ruchen
Verre hin dan pas
Daselb er aber nidersas,
In dy Erden und warcht.
Niemant daz marcht,
Warum er daz tet,
Wan an derselben Stet.
Do er dar begund graben,
Sy begunden hinn kegen haben
Dy Christen als ee,
Und wolden den Haiden vve
Als vor haben getan,
Do tet es der Soldan
Nur um dy Var,
Daz sy nicht vvurden gevvar
Des Feuvvers, daz dort geschach.
Der Akerser Ungemach
Was harte nahen.
Stechen und Slahen
Lie seu der Soldan genuch,
Mit Willen er vortrug
Den Schaden, den er chos,
Dy er in der Erden vorlos,
Wan der het er sich bevvegen;
Er lie dy Christen pfhlegen
Mit in nach ierem Muet,
Untz daz in daucht guet,
Do hies er tzünten an
Daz Gerüft, und do daz pran
Aines Morgens fru,
Do lief menichleich tzu
Mit Wasser in den Graben,
Und vvoldens es erleschr haben.
Si vvonten, es vver daz Loch,
Darinne dy Toten lagen noch,
Do vvas es dort unden

So

So verre, daz ſy nicht enchunden
Mit chainer Helf ſteure
Erleſchen daz Feuwer.
Vreud muſt in tzu rinnen,
Wan ſi ier nicht mochten gewinnen,
Daz penam in ſulchen Troſt.
Wan do daz Ertreich von dem Roſt
Sich tzu chlob und tzu ſpielt,
Daz dy Mauwer aufhielt,
Tzu hant dy Mauwer vallens pfhlag
In den Chraben, der do lag.
In geſchach me laider,
Do der Mauwer paider
Dy Akerſer heten vorlorn,
Si heten wol geſworn,
Daz dy Haiden den dritten Graben
Nicht gefult mochten haben
Mit ſchieſſen und mit Swertz-Champfh.
Nu was der Rauch und der Tampf,
Der da gie von dem As,
Daz in der Erden vorprunnen was,
So gar unmeſſig und ſo gros,
Daz dy Chriſten vordros
An den Tzinnen tzu weſen.
Dy Chriſten durch geneſen
Muſten den Luft ſuchen,
Und um den Graben enruchen,
Darin dy Mauvver vvas gevallen.
Do gepot der Soldan in allen
Den Haideniſchen Chnechten,
Daz ſy ſich dartzu gerechten
Mit Helfanden und mit Chemelein,
Und ſvvas der Tier mocht geſein,
Deu do tragent ſvveren Laſt,
Dy muſten avver vaſt
Paideu ſpat und fru
Den dritten Graben füllen tzu.
Auch ſchuf der Soldan
Peſunder Leut hin an,
Dy Stain und Erd uber al
In den Graben tzu Tal
Tzugen mit den Handen,
Do deu Mauvver vvas geſtanden.
Dem Soldan vvas Tzorn,
Daz er ſo vil het vorlorn
Der Olbentin ſein
Und auch der Chemmelein,
Der vor dreiſſig tauſent vvas.
Do man der Tzal nu las,
Do vvas ier chaum daz vierd Tail
Tzu einem Unhail
Tzalt in der Soldan das.
Der Grab, den man nu hinſas,
Daz der ſulcher Weit pfhlag
Und ſulcher Tief, dy man vvag
Fur dy andern Graben tzvven,
Dy man do vor ſach ſten,
Dy vvaren nicht ſo michel paid.
Den Haiden vvas laid,
Si vorchten in der Tzeit tzu rinnen,
Wan man nicht mocht gevvinnen
Der Dinge chainer Slacht,
Dy man fur hiet pracht,
Und in den Graben gelegt.
Den Baruch man ſlegt,
Daz er in deu Lant
Sein Haidniſch Priſter ſant,
Und daz er hies predigen,
Svver ſich vvolt erledigen
Von der Hellevveitz Pein,
Der ſcholde perait ſein
Tzu hant an Undervvint,
Man, Weip und Chint,
Daz ſy furen vor Akers hin,
Und daz ſy prechten mit in,
Svvas iederman gehaben möcht,
Daz tzu des Graben Ful töcht,
Svvie daz genant vver,
Daz oc niemant chem ler;
Es vveren jen oder dis,
Se ſcholden ſein gevvis,
Svver da daz Leben vorlur,
Und den Tot mit Willen chur,
Der chem deſſelben Tags ſchon
In Machmetz und Appollen Tron
Gechrönt und geſetzet,
Und auch gar ergetzet
Sorgen, dy er hie erliten het
Durch Appollen und Machmet
Und durch den vverden Tervagant.
Do daz in deu Lant
Von dem Waruch gepoten vvart,
Do vvart vor Akers di Vart
Von den Haiden ſo gros,
Daz ſein den Soldan vordros
Und vorcht deu Land vvurden leutpar,
Wan ſy chomen all dar;
Jeder Menſch von ſeiner Acht,
Etvvas in den Graben pracht.
In vvas alſo gepoten,
Svvas ſi ieren Goten
Opfhern wolden
Daz ſelb ſy ſcholden
Mit in dar pringen,
So möcht in gelingen
An der Göter Hulden;
Von denſelben Schulden
Vliſſen ſi ſich ſer,
Daz ſi prachten deſter mer.
Die es heten an iern Staten,
Diſelben geladen haten
Auf Olbentinnen Vollen
Gros Laſt von Paum - Wollen,
Dy auvver vvaren darnach,
Maul und Rinder man ſach
Laden mit Vlachs,
Hanf, Oel und Wachs
Prachten ſy ier Göter vverden,
Staudech, Stain und Erden
In Chörben ſi dar trugen.
Mau mocht do Wunder lugen,
Daz deu Haidenſchaft begie,
Do ſich daz Volch tzu lie.
Erden und Luft ſich bevvegten,
Do ſi ier Opfher legten
In den Graben tzu Tal.
Do vvart ſo gros der Schal,
Den daz Volch enport,
Daz man chaum gehort
In dem Her von dann.

Do hies der Soldan
Hin tzu machen vveiten Raum
Svvelcher Hande ſaum
Ain igleich Haiden pracht tzu,
Es wer ſpat oder fru,
Svvas den Saum getragen het,
Daz töt man an der Stet,
Und ſties es in den Graben nider,
Daz es icht mer chem hervvider
Gegangen aus dem Graben,
Was iederman mocht gehaben,
Daz er mit im het dar pracht,
In den Graben er des gedacht.
Etleich durch gros Gier,
Daz ſi ot chemen ſchier
Deſſelben Tags tzu Machmeten,
Als ſi gedingen heten,
Auf ſich vvurffen dy Purden,
Daz ſy deſter palder vvurden
In den Graben erdrucht,
Und daz ſeu Machmet tzucht
In den Himel tzu ſich.
Dy Chriſten chain Gerich
Teten an den Haiden,
Seu dorſt nieman ſchaiden,
Wan ſein vvas do unnot,
Do dy Haiden in den Tot
So vvillichleich giengen hin.
Wan ſy heten des Sin,
Als ſchier ſi den Tot genemen,
Und an den Himel chemen,
Machmet entslus in daz Tor,
Suſt het man in gepredigt vor.
Darum begunden ſi ſein gahen,
Dy Chriſten nur tzu ſahen,
Waz daz Dinch bedeut,
Daz als ein Viech dy Leut
In den Graben giengen,
Und den Tod enpfiengen.
Di höhiſten in der Stat
Giengen tzu Rat,
Was in tzu tuen vver,
Sich vorainten dy Akerſer,
Es vvurd in pitter oder ſauvver,
Dyvveil ſi heten noch dy Mauer,
So ſchold niemant vliehen,
Noch von danne tziehen
Auf chainer Schiffung,
Untz ob in noch gelung,
Daz ſich Got geruchte erparmen
Uber dy Chriſten armen,
Dy den Tot vvarten auf ſich.
Ey Herrigot, getörſt ich,
Mein Tzorn vvurt gegen dier ſtrenge:
Wes vvilt du vorhenge,
Daz du dein rechtes Erb-Lant,
Dar in du vvart Hailant
Piſt getzogen und geporn,
Wild laſſen vverden vorlorn,
Und tzu frömden Handen chomen.
Wurt den Chriſten Akers penomen,
So vverdent uns dy Steg
Vordurnet und dy Weg,
Do vvier dich ſuchen ſcholden,
Svven vvier Chriſten vvolden
Uns vorſünen mit dier,
So nach Sünden unſer Gier
Stünd nach recter Pues;
Waz man durch dich leiden mus,
Der uber Mer varen ſchol,
Daz vvaiſt du Herri-Got vvol.
Süſſer Got, durch daz lench
Dein Gemüet und Pedench
Wie dy Geſelſchaft
Der unrain Haidenſchaft
Pegunden vor Vreuden
Schallen und geuden,
Ob ſi ſich an uns gerechen,
Und Akers tzu prechen,
Den Schaden muſt du mit uns dulden.
Ob ich in deinen Hulden
Reden ſchol und gerar,
Herri-Got, ſo nim vvar,
Ob du kegen der Chriſtenhait
Vorhengeſt ſolcher Hertzen-Lait,
Daz du Akers vorvvandelſt,
Wie du dich ſelber handelſt?
Wiert uns deu Port und deu Hab
Datz Akers gelegt ab,
Wo ſcul vvier dann tzu cheren,
So vvier durch dich ſcholten eren
Mit ſuſſer Andacht und Gepet
Di Hailigeu Stat tzu Nazaret,
Darinne Maria enpfhie
Deu ſuſſeu Potſchaft, deu do gie
Von Gabrielis Munde,
Da von ſi an der Stunde,
Rainer Got, dein ſvvanger vvart,
Und do Maria, deu vil tzart
Von ier chintleichen Tagen
Daz rain Leben hat getragen,
Davon iſt ſi Got ſo genem.
VVie chöm vvier denn tzu Betlahem
Tzu der hailigen Stat,
Davon der Prophet hat
Gevveiſſaget alſo:
Betlahem, pis vro:
Du piſt deu minniſt nicht
Under allen Steten, dy man ſicht
In Juda dem Reich;
Aus dier gevvaltichleich
Ein Fürſt noch get,
An dem der Gevvalt ſtet,
Und dem deu Er iſt berait,
Daz er vveiſet und lait
Das Volch Iſrahel.
Derſelben Stat vvierd iſt hel:
VVan du ſeu heteſt erchorn,
Daz du vvurdeſt geporn
Menſchleicher Art tzu guet.
Du vorguſt auch do dein Pluet,
Und lit da durch uns Qual
Tzu dem erſten mal,
Do man dich peſnait
Nach der Judiſchait.
Du enpfhie auch do dy Er,
Daz dy drei Chunig her
Mit ier Opfher dich erchanden,
Do ſi von verren Landen
Ain Stern vveiſt untz dahin,

Da

Da du von in drin
Funden vvurdest, da du lach,
Und Maria, dy dein pfhlach,
Und Yoseph dein Pfhleger getreu;
Si sahen niemant vvan euch dreu.
Da vvas auch manig Engel,
Do der rain Lilgen-Stengel
Dein Mutter an deiner stat
Daz Opfher enpfhangen hat,
Golt, Weiroch und Mirren.
Schol uns des Gevverftes irren,
Daz vvier dich nicht eren da
An der Stat und andersvva?
Der unseligen Haiden Has,
Herri-Got, bedench dich pas,
Und hilf den Akerseren.
VVo schulla vvier den Martireren
Mit Andacht gedanchen des,
Das der Buetreich Herodes
Mit Mortgeitiger Hant
Galileam daz Lant
Hailig macht mit ier Pluet,
Daz der Ungemuet
Reu gevvan auf den Sin,
Ob er dich under in
Mocht haben do ervvischet,
Daz dein rains Pluet gemischet
Tzu dem andern vver.
Deu Tzal der Martirer,
Raineu Hertz begrausent,
Er vvas hundert tausent,
Und vier und viertzig tausent mer,
Den vvier durch dein Er
Sagen Lob und Preis
In dreier Jar-Chindes vveis,
Durch dich ier Pluet vorgussen
Vil gern vvier des genussen,
VVer is an deinen Genaden,
Daz du uns tzu den Staden,
Als vor, liessest cheren,
Daz vvier do mochten geeren
Galileam daz hailig Lant,
Da si hintz Himel sint gesant
Von Herodes Henden,
Und da du nach der Urstende
Mareien Magdalenn erschain
Und den Jungeren tzvvain,
Do si dich sahen in lichtem Schein,
Schol uns daz Lant nicht lieb sein?
So is entreuvven
Es schol uns immer reuvven,
Schül vvier den VVeg vorchisen.
Ja Herri-Got, vvie vvilt du vorliesen
Daz Lob und dy Ere,
Daz dy Christen nicht mere
Tzu der Arbait tügen,
Daz si gevaren mugen
Tzu dem Jordan,
Do Johannes der rain Man
Dich taufte Herri-Got
Nach deinem Gepot,
Davon vvier suffer trechten
Dein Genamen vvorden sein:
VVan du pist Christ, so sei vvier Christen.
Schulle uns mit ier argen Listen
Von den Genaden schaiden
Dy ungetreuvven Haiden,
Daz vvier dyselben Stat icht sehen?
Got Herre, laz nicht geschehen
Durch dein Parmung gros
Und durch daz Pluet, daz do vlos
Aus deinen VVunden manig runs,
Uberheb dich und uns
Dez spötleichen Geuden,
Daz dy Haiden vor Vreuden
Kegen uns begiengen,
Ob si di Er enpfhingen,
Das se uns gesigten an,
So sprechen si san
In Hochvart und in Spot:
VVo ist nu der Christen Got?
Sein Helf ist gelegen,
Durch den si sich pevvegen,
Habent Guet und Leib,
Dartzu ier Chint und ier VVeip
Der chains sich chan Sparn,
Svven si durch in vvellent varen
Auf uns Haiden daher,
Da si manig Hertzen-Ser
Leident und manig VVe
Auf dem vvüetunden Se,
Da si über müessen.
Da vvenent seu mit püessen,
Und dienen irem Herren.
Si scholden an Machmeten cheren
Mit ierem Gelauben,
Der chund seu berauben
Laides und Unmuet,
VVolden si Machmetes Guet
Und seiner Parmung getrauvven,
VVy vvellent si nu gepauvven
Jeres Herren Erb-Lant?
So si von unserr Hant
Akers vorliesen,
So müessen seu vorchisen,
VVen in dy Hab vvirt benomen,
Daz si icht furpas chomen
Tzu Nazaret und tzu Betlahem,
Noch hintz Jerusalem
Tzu Salomonis Tempel,
Da gut Pild und Exempel
Jesus den Juden vortrueg,
Und da er in genueg
Mit seiner VVeishait gros
Predigt und entslos
Der Propheten Schrift.
Diselben hailigen Stift
Mussen si vormeiden nu.
Derselb Man Jesu
VVas des nicht vortzigen.
Vor ainen Hailigen
Etleich in tzalten
Um deu manigvalten
Tzeichen, deu er hat
Begangen an der Stat,
Di Plinten hies er gesen,
Di Chrumpen macht er gen,
Di Stummen er reden lies,
Dy Behaften er hies
Ledig vvesen von den Gaisten,

Di

Di muften daz laiften,
Svvi ungern fi es teten.
Di funder Sichtum an in heten,
Dy macht er rain und gefunt.
Auch hies tzu manger Stunt
Dy Toten aufften,
Und dy perrifen gen,
Dy vor manchen Jaren
Siech gelegen vvaren,
VVelcher Hand Gepreften
Dy Leut an in vveften,
Des tet er in Helf-Schein,
Und dy tzvvelf Junger fein,
Den er dartzu feinen Gunft,
Gab und feiner Genaden Chunft,
Wan er mit Chunft und mit Liften
Seinn Diner dy Chriften
Tzu Jerufalem vil dick
Uns Haiden tzu Plik
Von Nöten hat erloft.
Wais Got, folchen Troft
Müeffen fy vormeiden nu.
Und do Martha Jefu
Manig Er erpot,
Svven im des waz not,
Daz er tzu ier cham,
Und Haus er do nam,
Deu im gütleich wart erpoten
Und feinen tzvvelf Poten.
Difelben Stat auch gern
Jefu Chrift tzu Eren
Suchent dy Chriften,
Durch daz er mit feinen Liften
Seinen Frum fchuf alda.
Sy müffen nu andersvva
Mit ier trugleichen Vienen
Jerem Herren dienen.
Si müffen auch der Vart ervvinden,
Da fich Jefus lies vinden,
Do er pey dem Pharifeo fas
Mit feinen Jüngern, und as,
Und dyvveil er fas alda,
Do cham aineu, hies Maria,
Deu vvas ein hoheu Sunderin,
Deu vvont damit gewinnen
Antlos ierr Schult,
Und vordient fein Hult,
Daz fy mit Hertzen-Geluft
Sein Fües chuft,
Und mit ier Tzehern betvvug;
Von ier er auch vortrug,
Daz fi mit edler Salben
Sein Fües allenthalben
Ernetzt und erveucht,
Dyfelben er erleucht
An denfelben Stunden:
Von allen ieren Sünden
Sy erledigt vvart.
Da müffen auch Fürvart
Dy Chriften haben fürpas,
Sy müffen auch vormeiden daz,
Wil fein Machmet geruchen,
Daz fy dy Stat icht fuchen.
Do Jefus von Nazaret
Daz erft Tzaichen tet
Vor Weiben und vor Mannen
Durch feinen Neven Johannen
An der Hochtzait fein
Macht er Waffer tzu Wein,
Als fy noch von im lefen:
Sy müffen auch der Stat entvvefen;
Da Jefus ier Herre
Begie folch Ere,
Da man in noch um preift,
Daz er mit funf Proten fpeift
Und mit chlaine Vifchen tzvvain
An Weip und Chint chlain
Fünf taufent Man.
Sy vvellent gedingen han,
Svves man an der Stat,
Do er dy Tzaichen pegangen hat
An ieren Got do gert,
Man vverd fein gevvert;
Es get in avver nicht tzu,
Wir fchullen fpat und fru
Trachten darnach,
Daz vvier gevvinnen Gemach
Vor den Getauften,
De uns dick beftrauften
Gutes und Eren
Durch Jefum ieren Herren,
An dem vvier unfern Has
Nimmer volenden pas,
Wan daz vvier Akers tzuprechen
Und uns dann rechen
An den Rittern tzieren
Seinen Soldinieren,
Dy durch in unfer Lant
Mit ellenchafter Hant
Dick hant geriten,
Und mit uns geftriten,
Davon vvier liten gros Pein,
Von in vvir auch vil dick fein
En fc impfhiert hart.
Daz Chreutz und den Part
Tragent fy durch in,
Daz fi gevvunnen ie den Sin,
Daz fi dem Soldan
Vorderbten fein Chaufman,
Und an uns prachen den Vrid,
Unfer aller Lid
Müffen vverden tzuprochen,
Ee das es peleib ungerochen.
Got Herr durch dein Güet
Nu vrift und behüet
Datz Akers deu vil Armen,
La dich feu Herr erparmen,
Wan du feu haft erloft
Von des evvigen Todes Roft
Mit deins Plutes vorgieffen.
Des las uns noch genieffen.
Got Herre, nu vvaift du vvol,
Seit ich dich manen fchol,
Daz du tzu Babylon
Daz Volch nem dovon,
Und ervvant das,
Daz fi icht pauten furpas
Auf Sennafor den Turn,
Deinen Tzorn fi churen
An fogetanen Sachen

Daz

Digitized by Google

Daz du mit tzvvain und sibentzig Sprachen
Seu tailt und underschiet.
Der Sprach aller geriet
Nur der secht Tail an dich,
Dy andern sechtzig habent sich
Von dier gevromdet verren,
So daz sy dein tzu Herren
Nicht jehent noch tzu Got.
Tzu deinem Gepot
Der Sprach nur tzvvelf stent,
Alfo daz sy begent
Deinen Willen, und sint Christen,
Dy scholt du Herre vristen,
Seit ier so lützel ist.
Vorschmechst du ier Genist,
VVer schol dier dann mere
Sagen Lob und Ere
Auf dem Perg Oliveth,
Do dich Judas vorraten het.
An derselben Stat
Deinen Vater du pat
Mit Sorgen angestleich,
Daz er überhüeb dich
Der pittern Marter.
Süesser Got tzarter,
Vor Sorgen vvas dier so hais,
Daz du Pluet-varben Svvais
Aus deinem rainen Leib lie.
Deu Erd, deu den Svvais enpfhie,
Und deu hailigen Stat,
Deu dy Tzeher hat
Auf sich genomen und enpfhangen,
Dy durch dein Augen sint gegangen,
VVie schüll vvier dahin chomen nu?
VVier vvissen vvol, daz du
So völlichleicher Güet pfhligst,
Daz du ungern vortzigst,
Svves vvier dich do peten.
Nu sich, vvie uns dy Haiden teten,
Ob uns deu Vart vvurt penomen,
Daz vvier nicht möchten dahin chomen,
Do man dich gevangen furt,
Und dich smechleich anrurt
Auf denselben VVegen
Mit Stossen und mit Slegen,
Untz daz si dich prachten in
In aines Juden Haus hin,
Der vvas ier Pischolf und hies Anne.
Von VVeib und von Manne
VVurt du gelastert und gesmecht;
Vornichtet und vorpfhecht
VVurt du süsser Jesu Christ,
Divveil dy alten iren List
Erfunden und vorcherten,
VVie sy dich geunerten
Des Morgens vor Pilato,
Dyvveil dy Juden vvaren vro,
Das sy des Stat heten,
Das sy dier Lait teten,
Nach ieres Hertzens Gier
Jeren Muet erchulten an dier.
VVan es vvaz ier chainer
Grosser noch chlainer,
Er tet dier Laides etsvvas,
Domit er seinen Has
An dier furpracht.
Alleu dy Nacht
Sach mans dich umtreiben.
Schol dy Stat von uns peleiben
Ungesucht furpas,
Da du hast erliten daz
Für unsern Sünden Main?
Nain, susser Got rain,
Du scholt uns gunnen
Der Vreud un der VVunnen,
Daz vvier den VVech dahin haben,
Da vvier uns Sünden-siech laben
Mit vvainen, svven vvier sehen
Deu Stat, do daz ist geschehen.
VVie möcht vvier daz erleiden?
Scholt vvier vormeiden
Dy heren Stat und dy lieben,
Da man dich furt mit tzvvain Dieben
Für Pilatum den Richter,
Do dy valschen Lügner
Jer Unpreis an dier teten,
VVarrabas vvart do erpeten
Der Morder, und genas,
Und alles, daz do vvas
Das schrai an der Stunt
Mit geleichem Munt,
Chreutz Jesum und hahen.
Dich chunt daz nicht vorvahen,
Daz in tzu lieb Pilatus
Deinen tzarten Leib alsus
Hies slahen an mit Rueten,
Daz man dy unguten,
Dy in do anslugen,
Sach aus dem Pluet do lugen,
Daz aus deinem Leibe spranch,
Als seu mit VVillen und mit Danch
Damit vveren bestrichen,
So ungenedichleichen
Schol es nimmer ergen,
Daz das dy Haiden understen,
Daz uns dy VVeg und dy Vart
Dahin icht vverden vorspart
Tzu demselben Ertreich,
Daz Got so übervlüssichleich
Mit seinem Pluet hat generzet,
Damit er hat gesetzet
In grosseu Vreud uns Arm.
La dich, Herr, erparm
Deineu chlaineu Christenhait,
Und gedench, vvie grosses Lait
VVier dar an churen,
Ob vvier daz Pfhat vorluren,
Da hin do du daz hast erliten,
Und vvie unsanft vvier vormiten
Dy Stat, do man dich hont
Und in Spot chront
Mit ainer Chron durnein
Nach manger hande Pein,
Den du enpfhangen het.
Nach der Juden Pet
Du vordampt vvurd,
Darnach ein svvereu Purd
Auf deinen Hals sy dier legten,
Dy ier vier chaum ervvegten,
Dy vasten sy auf dich aine,

Daz Chreutz gros und nicht chlaine,
Daz ſy dich tragen hieſſen.
Sy slugen und ſtieſſen
Dich ſuſſen Got tzarten;
Als ein Viech mit Garten
Wurd du von in gement.
Svvelchs Hertz ſich nicht ſent,
Daz es dier der Marter danch,
Der iſt feligs Muetes chranch.
Ob dich des Weges icht vordros,
Do du daz Chreutz gros
Auf deinen müeden Leib nem
In der Stat tzu Jeruſalem,
Ja tzvvar du trugſt ſvvar.
Und do du chom dar,
Daz do haiſſet Golgata,
Da namen ſy dich ſa,
Und nagelten dich ſer
An daz Chreutz her.
Hiet dein ieman vormiſt,
Der vver der Vart vvol gevviſt,
So vil vvas Plutes gegangen
Auf dem Weg von der Schrangen,
Untz daz man dich vol töt.
Do vvas der Weg aller röt,
Und ſvvas noch Plutes an dir vvas,
Damit die Stain und daz Gras
Wurden gerotet,
Do dich Longinus tötet
Mit ſeiner ſcharſen Lantzen.
Seit dy Stain gantzen
Sich des nicht enhielten,
Daz ſy ſich vor Jammer ſpieten,
Wer iſt den der Man,
Der ſich des enthalten chan?
Er vvain und chlag
Der Marter, der du pſhlag,
Darum daz vvier generen,
Und der Hell übervveren.
Got Herr, vven du lencheſt
Deinen Tzorn, und gedencheſt,
Wie unſerm Hertzen vver,
Svven vvier dy Stat ſelden ver
Vor Nöten muſten laſſen
Den Haiden vorvvaſſen,
Und unz ier anen muſten,
Als ſanſt lies vvier vorvvuſten
Rom und Latran.
Herr, gedench daran,
Wie dier ſelber daz tzimpt,
Ob uns der Soldan benimpt
Datz Akers deu Hab,
Und daz vvier laſſen ab
Tzu Jeruſalem unſer Gevert,
So enmug vvier dein Marter hert
An der Stat nicht pechlagen,
Da du ſei haſt getragen,
Daz tue vvier doch ungern.
Schullen dy Haiden eren
Jeren Got Appollen,
Und ſein Gepot ervollen,
Do du ſo manig Güte
Mit vvilligem Gemuete
Uns Arm haſt artzaiget.
Du haſt da vevaiget
Den Teuvel und übervvunden,
Der tzu allen Stunden
Gevangen und in Aigenſchaft,
Het uns erloſt nicht dein Chraft,
Seit du uns dann haſt erloſt
Von des evvigen Todes Roſt;
So geruch an uns meren
Dein Genad, und las uns eren
Mit andechtigem Gepet
Daz Erdereich an der Stet,
Und mit Tzehern übervvallen,
Da dein Pluet iſt aufgevallen.
Hore, Herri-Got, geruch hören,
Leſt du Akers ſtören,
So ſich, und erchenne,
Wie übel du denne
Tueſt der armen Chriſtenhait.
Wer ſchol daz gros Hertzenlait,
Daz du durch uns nem,
Daz Jeruſalem
Pevvainen und pechlagen,
Und liebleich tragen,
Und gedanchen im Hertzen,
Do du des Todes Smertzen,
Het übervvunden.
Do vvurt du enpunden
Von dem Chreutz vroen,
Und gebunden ſchon
In in neuvves Tuch vveis.
Daz tet mit groſſem Vleis
Joſeph dein Diner,
Do ims Pylatus der Richter
Erlaubt durch ſein Pet.
Ain neuvves Grab er het
In einen Stain gehauvven:
Tzu Geſicht unſer Vrauvven
Wurt du geleget darin.
Schull vvier nicht mer dahin
Chömen tzu demſelben Grab,
So vviert uns geslagen ab
Unſerr Vreuden ein Haubt?
Des vvurd vvier beraubt
Der Selden und der Genaden.
Des nem vvier tzvvivaltigen Schaden.
Der erſt Schad vver ungeheuwer,
Scholt uns dy Vart werden teuwer
Tzu der hailigen Stat,
Da ſich manig Sünder hat
Vorſuent mit dier,
So er nach ſeins Hertzen Gier
Hat gehabt Wolluſt,
Svvenn er wainend hat gechuſt
Dy Stain und daz Ertreich,
Da dein hailigeu Leich
Toteu iſt gewandelt,
So wer vvier übel gehandelt,
Und an Vreuden angerurt.
Den Schaden man wol ſpurt.
Der ander Schad wer ſo gros,
Daz er uns macht plos
An Vreuden und an hohem Muet:
Leib und Guet
Müſt uns von Schulden laiden,
Daz wier von ubeln Haiden
Den Gewalt müſten lan,

Daz

Digitized by Google

Daz si scholden inne han
Daz Grab, do du inne lag
Tzwo Nacht und anderthalben Tag.
Dartzu dazselb Erdreich
An Hailichait ist so reich,
Daz sy da schüllen vor Got
Jer unraineu Apgot
Anpeten und eren,
Und den Unglauben meren,
Des scholt du Herre nicht gestatten.
Du vvaist vvol, vvie si vveilen taten
In der alten Ee,
Do si den Juden taten vve,
Und Jerusalem überchomen.
Aus dem Tempel sy do nomen
Deu hailigen Vas
Dier tzu Smech und tzu Has:
Wan man des vvas ungevvon
Bey dem Chünig Salomon,
Daz deu Vas hailig erchant
Jeman rurt mit seiner Hant,
Wan um den es alſo lag,
Daz er solcher Weihe pfhlag,
Und es pilleichen tet.
Scholt vvier dy heiligen Stet
Vormeiden? daz vver unbehend.
Do du nach deiner Urstend
Wandelt und gie,
Und tzu ein ander samentdie,
Dy von dier vvaren entrunnen,
Do sy ersahen und erchunnen,
Daz es dier übel gieng,
Do man dich pey in vieng,
Und dich tot sider.
Darnach du seu hervvider
Gesament und las,
Und do dier Thomas
Graif in dain Wunden
An denselben Stunden,
Do du in erschin
Scholt vvier nicht mer dahin,
Da du daz pegangen hast,
Des müst vvier des Jamers Last
Tragen immer mer.
Was hierzst du des Er?
Scholt deu Haidenschaft
Werden do gevvonhaft
An der hailigen Stat ligen,
Daz vvier nicht vvurden vortzigen
Petleicher Pet,
Und deu Stat, do du tet
Dy Auffart hintz Himel
Aus diser Werlt Schimel
Tzu Gesicht deiner Jungern,
Dy der Minne Hitz, Hunger
Nach dier sendet und andet,
Untz datz du sandet
Den Hailigen Gaist vvider
Aufs Erdreich hernider,
Da sy erfullet vvurden
Der Seldenreichen Purden
Des Hailigen Gaist,
Des si vvaren vollaist;
Des pit vvier dich gern,
Woldest du uns gevvern,
Daz du uns liessest pauvven,
Svven sein Sund gerauvven,
Daz dy da vvurden gepüst,
Und daz auch vvurd gegrüst
Dein volchomunde Macht
Mit süsser Andacht;
Und alleu dy svver,
Deu uns anhangund vver,
Darum man dahin chem,
Daz scholt dier sein genem,
Den daz do schüllen sein
Dy vormalediten Sarrazein,
Die dich nicht tzu Herren nennent,
Noch vor vvaren Got erchennen,
Schullen dy do haben Pfhlich?
Naina, Herre, des tue nicht.
Durch dein selbes Ere
Wenda dy Hertzen sere,
Der dy Akerser auf sich vvarten,
Dy nu laider! vvenik tzarten
Der Soldan und dy Sein.
Vormeidet seu dy Helf dein
Und dein Genad auserchorn,
So vviert dy Mauvver vorlorn.
Seit si chainen Graben
Vor der Stat nicht haben,
So mugen sy vorderben.
Der Soldan begund vverben,
Wie er dy Mauvver gevvunne.
Manig Haiden vorsunnen
Riet dartzu daz pest,
Daz er chunt oder vvest:
Wan man chündet in allen,
Wer dem Soldan vvolt gevallen,
Und erberben sein Gunst,
Scholt mit Helf und mit Chunst
Spat und fru
Stevvren dartzu,
Daz deu Stat vvurd übervvunden.
Dy Weisen do erfunden,
Daz in nindert pas pehait
Deu Gelegenhait
Tzu varen durch der Erden Murch,
Denn pey der Purch,
Deu des Chunigs von Chipper vvas.
Der Soldan tzu ein ander las
Sein Maister Chunsten-reich,
Er hies seu taugenleich
Hin under varen dy Gericht;
Auch lies er des nicht,
Er hies dy pehenden
VVol an tzehen Enden
Durch dy Erden graben in:
Daz tet er auf den Sin
Daz in der Stat dy Christen
Der rechten Vart nicht vvesten.
Da in dy Haiden schaden vvolten,
Da sy datz Akers dolten
So manger hand Ungemach.
Manger, der es e vorsprach,
Der gehal mit Rat daran,
Ee so manig vverder Man
So gar ane Wer vordurb,
So vver pesser, daz man alſo vvurb,
Daz man auf daz Lant

Mit vverleicher Hant
Gegen den Haiden rit
Und da mit in ſtrit,
Und vleiſcleich vorſucht
Ob Got noch gerucht
Irre geniſt.
Ain Streit wart vorgewiſt.
Von den Prudern allen,
Den es vor het miſſevallen.
Dy pegunden alle dartzu raten,
Dy Geſt auch dazſelb taten,
Dy doch durch Got waren
Uber Mer gevaren,
Und dy Soldiner,
Dy dar ſant der Tzier
Hetzog der Venedier,
Und dy Jenauer
Heten dar geſant,
Und dy von Peis genant
Dy wurden all perait.
Des Morgens, do es tait,
Do hortens alle Mes,
Waz iederman weſt,
Daz ſeiner Sel was guet,
Daran volfürt er ſeinem Mut.
Do ſy dy Meſſ vornamen,
Und tzu ier Orſen chamen,
Ein Panier wart aufgepunden
An denſelben Stunden,
Darinne man marcht
Ein Pilde gewarcht
Recht als Gotes-Marter.
Ey ſüſſer Got tzarter,
Gedench derſelben Marter dein,
Und las diers enpfholhen ſein:
Hie get es an ein Vechten
Tzwiſchen den Haiden und Gotes Chnechten.
Di Porten man entslos,
Ein Stimme laut erdos,
Mit Andacht ſungen ſy do
Ein Lied, daz ſpricht alſo:
Sand Maria Muter und Mait,
Unſer Not ſey dier gechlait.
Damit ſtapften ſy hin
An dy Haiden, und teten in
Chreſtigen Schaden.
In Pluet ſach man ſy paden.
E ſy ſich geſampliert en,
Und tzu Streit gerotierten,
Ee waz ier manig tauſent tot.
Des chomen auch in Not
Dy Chriſten von den Haiden:
Sy waren ungeſchaiden.
Mit manger Poinder
Herter und ſwinder
Deu Haiden an ſeu druchten.
Dy Chriſten ſich ſmuchten
Tzu ein ander dick:
In Todes-Rick
Manig Haiden wart geſetzt.
E dy Chriſten geletzt
Wurden an ierr Chraft,
Do het deu Haidenſchaft
Chreſtigen Schaden genomen.
Der mit den Chriſten was chomen
Rot-Maiſter und Haubtman
Deu daucht, es wer wol getan,
Daz man des Tages aberit,
Und des andern Morgens ſtrit.
Sy drungen durch dy Geſt
Gegen Akers der Veſt
Durchriten ſy dy Haiden.
Sy waren leicht tzu ſchaiden,
Do ſein dy Chriſten daucht Tzeit,
Daz ſy von dem Streit
Wider in wolten cheren,
Dy Haiden ſahens gern,
Suſt heten ſis geliebt in.
Do dy Chriſten tzogten hin,
Und ſy des Schades war teten,
Sy achten, daz ſy vorlorn heten
Wol vier hundert Man.
Auch hies der Soldan
Lenger nicht peiten,
Er hies achten und reiten,
Wy vil er Schaden het genomen,
Do wart do vornomen
Tzaintzig tauſent der ſeinen.
Den vraidigen Sarrazeinen
Was Hertzen-Laid und And
Um den Schaden und dy Schand,
Dy ſy da heten genomen.
Do dy Chriſten wider in chomen,
Sy ſchuffen in Gemach.
Den Templern geſchach
Tzu wainen und tzu chlagen,
Do ſy der Arbait vorpfhlagen,
Und tzu ierem Haus chomen hin,
Do vormiſten ſy under in
Aines iers Prüder,
Der der Manhait ein Rüder
Wielt tzu allen Tzeiten,
Swa ſy waren in ſtreiten,
Do heten ſein Genies,
Pruder Perchtram er hies.
Nu hört, was an im ergie.
Seineu Prüder wanten hie,
Er vver in dem Streit tot,
Do lebt er und doch in Not:
Wan do er vom Roſſe cham,
Ainen Sin er do nam,
Ich wen, Got im den fugte,
Daz er nindert auflugte,
Noch tet als er lebt,
Swie manig Ors ob im ſtrebt,
Und lauffent über in ſpranch,
Do vor tet er chainen Wanch.
Er lag ot ſtille dem geleich,
Als er wer ein toteu Leich,
Und als er pfhleg chainer Macht,
Untz daz im chom dy Nacht,
Do daucht in, er het geſigt:
Ein Man, der icht witz pfhligt,
Swen es dem an dy Not chumpt,
Er vindet vvol, daz im frumt.
Alſo tet der ellens-reich,
Er ſleich taugentleich
Dahin, do man des Tags
Manges Stiches und Slags
Auf den Wal het gepflegen.

Digitized by Google

Dy da tot waren gelegen,
Aus den er ainen sucht.
Der Pruder des geruchت,
Daz er dez Haidens Harnasch nam,
Swas im des getzam,
Sich selber des gewert
Harnasch tzu haben und Swert.
Do er darin gewappent wart,
Er slaich an derselben Vart
Tzu ainen schönen Getzelt,
Daz waz gespannen auf daz Velt
Gegen der Stat aller nast.
Dy Haiden slieffen vast,
Dy in dem Gezelt lagen,
Aines Herren sy pfhlagen,
Dem warens all undertan.
Ain Liecht schön darinne pran
Vom Palsem chöstleich,
Er was ein Chunik reich.
Dy do schilt-wachten,
Auf sein Gevert nicht achten;
Sy heten es vor anders nicht,
Wan daz er het mit in Pfhlicht,
Und daz er wer ein Haiden,
Daz begund in laiden.
Nu hört, wie er tett,
Von igleichs Pett
Deu Swert er in stal.
Do er deu über al
Tzu seinen het gelesen,
Do lies er ier chainen genesen.
Der Pruder waz unvordrossen
Igleichem er deu Drossen
Mit ainem Messer ab snait.
Do seu daz tötleich Lait
Heten enpfhangen,
Do chom er gegangen
Uber den Chünik reich,
Den wecht er ungemechleich.
Do der Chünik erwacht,
Und aus dem Slaff erschracht,
Des er het gepflegen,
Do must er sich pewegen,
Daz er sich nicht enwert,
Wann er vver unervert
Gevvesen vor den Christen,
Der in mit sulchen Listen
Het da gevvunnen.
Der Pruder versunnen
Dem Chunig tzu hant
Ein sinvvel Holtz pant
Mit Riemen in den Munt
Daz er niemant chunt
Mit seiner Red tet,
Svvie man in gevangen het.
Bruder Perchtram der Tzier
Den Chünik Wapent schier
In aines Haidens Sarevvat,
Und als pald er im hat
Den Helm aufgepunden;
An denselben Stunden
Den Chunik Pruder Perchtram
Pey der Hende nam,
Und furt in unvormelt
Durch daz Her über Velt.
Er lies im nicht wesen gach.
Svver seu so sain gen sach
Der chund nict anders sich vorsten,
Wan daz sy vvolten lusmen gen,
Waz man auf der Mauvver vvorcht.
Der Pruder unervorcht
Do der hintzu chom nahen,
Do begund er gachen
Tzu dem Haus der Templer.
Wer auf der Mauvver vver,
Des vragt Pruder Perchtram.
Do man sein Stimme vornam,
Des gevvan an Freuden-Chraft
Der Maister und dy Pruderschaft
Der Templer-Orden,
Als vil als sy vor vvorden
Traurig seiner Vorlust,
Als vil sy in ier Prust
Und in ier Hertz Vreud namen.
Dy tzvven, dy da chomen,
Dy vvurden schier in lassen,
Do sy ein Weil gesassen,
Do sagt er in Mer,
Wer sein Gevert vver.
Des vreuten sy sich ser,
Daz im so groz Er
Was vvidervarn,
Alle, dy da vvarn,
Dy gefrieschen es des Morgens,
Sy pfhlegten chains Porgens,
Daz sy den Chunik liessen leben
Do must man in tzu schöner Huet geben
Alle dy Christen
Deu sy gevangen vvisten
In der Haiden Her.
Mit chöstleicher Tzer
Den Chunik sy inne hieten,
Dy seinen in berieten
In dy Stat, vves er vvolt,
Daz ein Chunik haben scholt
Dem deu er geschach
Der Pruder vvart hernach
Maister der Templer.
Nu hört, vvie dy Akerser
Wurben mit den Haiden.
Do seu niemant mocht geschaiden
Noch in Vrid mocht gesetzen,
Do vvolden sy letzen
Dy ellenthaften Degen
Mit Stichen und mit Slegen
Mit den Haiden also,
Daz sein vvurden unvro
Manig Haidenisches Weip,
Daz so manges Haiden Leip
Datz Akers vver peliben:
Do sy der Tzeit hin vortriben
Nach dem Streit sechs Tag,
Do legtens aver auf dy Wag
Von Akers dy vreuden Armen.
Ey vvolt sich Got noch erparmen
Uber dy ellenden,
Und vvolt in Trost senden,
Wy vvol daz seinen Genaden tzem,
Daz er tzu Helf chem
Den ellenthaften Degen,

Dy ſich do hant bevvegen
Des Leibs durch in.
Sy tzogent aver hin
Aines Morgens fru
Stapften ſy den Haiden tzu,
Si vundens aver laider nicht
Tzu dem Streit als unbericht,
Als ſy ſeu vor heten vunden,
Davon vil manig verch Wunden
Dy Chriſten enpfhiengen,
Wie ſis da pegiengen
Mit ein ander an dem Streit,
Daz pedorft langer Tzeit,
Scholt ich daz peſunder ſchreiben,
Des mus vil peleiben;
Wan des man nicht ſchol vordagen,
Des han ich ſo vil tzu ſagen,
Daz ich es mag volenden nicht.
Manig ſchedleich Geſchicht
Des Tages dy Chriſten churen,
Dy Templer vorluren
Jeren Maiſter in dem Streit,
Nahen und vveit
Waz des Manhait erchant.
Do den Chriſten geſvvant
Jer Manheit und ier Chraft,
Und daz deu gaiſtleich Pruderſchaft,
Dy da ſtreiten chunden
An in ſelben des enpfhunden,
Daz ſy weren müeder Lider,
Do cherten ſy wider
Werleich ab dem Plan,
Das vvart in guet Stat getan,
So daz in niemant tzogt nach.
Den Haiden ſo lait geſchach
Und von ier Streit ſo vve,
Daz ſy geruchten als e
Welhen Enden ſy cherten,
Do man deu gererten
Haiden aver tzalt,
Do vvaz ier gevalt
Ain und dreiſſig tauſent Man.
Von Babilon der Soldan
Hies under dy toten Chriſten gen,
Er vvolt daz underſten,
Daz der Chriſten chainer
Weder groſſer noch chlainer
Stüent des Nachtes auf.
Er hies ſeu tragen tzu Hauf,
Und vvolt auch nicht vormeiden,
Igleichem hies er ſneiden
Von dem Hals daz Haubt,
Dy Chriſten vvurden peraubt
Irre Geſellſchaft,
An dem des Ordens Chraft
Signuſt gevvan
Funftzehen hundert Man.
Der Chunik der nu gevangen ſas
Ervvarb den Akerſeren daz,
Svvas ſy der toten vvolten
Peſtatten, als ſy ſcholten,
Daz man in dy muſt vvider geben,
Und ſvvas noch vvas pei dem Leben
Gevangen Chriſten under in
Dy muſt man aver ſenden hin
Gegen Akers hin vvider,
Do ſich dy Chriſten nider
Gelieſſen nach dem Streit,
Und daz ſy gemaches Tzeit
Durch dy vvolten han,
Nu hört, vvaz da vvart getan.
Dy Hern Soldans Chnaben
Heten nu hindurch gegraben
Daz Gemauvver und daz Erdreich,
Daz ſy gevvaltichleich
Gingen in der Chlaus
Des Chünigs von Chipper Haus;
Doch halen ſy es ſere.
Sy heten gern mere
Gemachet der Invart.
Nu müet vil hart
Dy Venedier,
Daz dy Akerſer
Gepoten heten pey der Wid,
Svvie vil man Chumers lid,
Daz niemant ſcholt vliehen,
Noch von dann tziehen.
Di Schelch ungetreuvven
Plaſen und preuvven,
Pegunden ainen Rat,
Wie ſeu des gevvunnen Stat,
Daz ſy chemen von dannen;
Weiben und Mannen
Pegunden ſis vorhelen,
Und pegunden ains Nachtes ſtelen
Wol tzvvantzig Schef oder mer,
Deu luden ſi vil ſer
Mit ſo reicher Hab,
Daz des nicht gie ab,
Ob ſis vorchauffen ſcholden
Es hiet chaum vorgolten
Der Chunik von Vranchreich.
Do ſo gar haimleich
Dy Venedier
Heten gemachet ler,
Was ſy Gutes und Heuſer heten,
Nu hört, vvas ſy do teten.
Auf iere Schef ſy ſlichen,
Und ſanten haimleichen
Tzu den reichen Purgern,
Ob ſy in deſte holder vveren,
So vvolden ſes mit ier Guet
Pringen auf des Mers Fluet
Aus der groſſen Not,
So leit niemant gern tot.
Des andern Nachtes, hört ich ſagen,
So vil Gutes vvart getragen
Auf deu Schef der Venedier,
Daz man acht, daz des vver,
Als ich mit Warheit ſprechen vvil
Wol dreiſtund als vil
Als ſy do ſelber Gutes heten.
Da in dy Akerſer teten
Mit in tragen ſo gedon,
Do vveren ſeu der von
Geren gevveſen,
Sy pegunden ausleſen,
Und in daz Mer pollen,
Svvaz nicht envollen:
Daucht ſeu guet genueg,

Wan

Digitized by Google

Wan man in dar trueg
Silber, Golt, Geftain reich,
Daz fy vollichleich
Damit luden iereu Chiel,
Und do daz Volch hinan viel,
Und zu ier Guet vvolden gen,
Do begunden fes underften.
Den an deu Schef vvaz Not,
Dy muften leiden den Tot.
Deu ungetreuvve Diet
Dy Purger fchiet
Von Leib und von Guet,
In des Mers Fluet
Stieffen fes her nieder,
Und fo fy her vvider
An deu Schef vvolden fchvvimmen,
So flugen in dy Mort-Grimmen
Haubt und Hend ab.
Suft fchiedens von der Hab
Und von dem Leben alfam,
Swelcher hin nach fwam
Kegen den Scheffen auf ier Genad,
Do es tzu ver vvas dem Stad,
Tzu hant fy den erfchuffen.
Ob dy Venedier gefluffen
Auf daz Mer von dem Land,
Und do man das ervand.
Datz Akers überal,
Do hueb fich Jamer und Qual:
Von Schulden mufte chlagen,
Als ier habt gehört fagen,
Deu Gemain der Akerfer,
Daz dy Venedier
Alfo waren entwichen,
Und daz fy mörtleichen
An in heten gevaren,
Dy des Gutes peraubt waren,
Daz dy dartzu waren ertot.
Des wart Jamers genot
Manig getreuwes Hertz;
So was der ander Smertz,
Der den Armen gie nahen,
Daz dy Herren pegunden gahen
Der Maifter der Spitaler,
Vom Deutfchen Herren der Templer
Swas dannoch Schef do waren,
Der pegunden fy varen,
Und tailen deu under fich
Dy Vart engeftleich.
La dich, Herre Got, erparmen,
Dy do heten armen,
Und nicht tzu vliehen heten Troft,
Dy da waren unerloft.
Lat euch fagen, wie
Es um dy Schef ergie.
Dy do waren beliben,
Dy wurden angefchriben,
Und veftichleich behuet,
Swenn in des wurd tzu Muet,
Daz fy tzu wer nicht entöchten,
Dy denn entrinnen möchten,
Da fcholt man pefunder
Deu Schef tailen under.
Daz gelobten fy gemain,
Und dy weil fy des in ain
Wurden an ierr Rat,
Do hueb fich in der Stat
Gros Gefchel und Pracht:
Dy Haiden pey der Nacht,
Daz man darum nicht weft,
Von Chipper des Chunges Veft
Heten durchprochen
Mit drin weiten Lochen,
Deu darinn aufgiengen;
Sy tötten und viengen,
Swas darinne Leut was.
Der Chunik davon felb genas,
Daz er entzeit aus entran,
Do er der Geft fich vorfan;
Er faumt fich nicht mer.
Do dy Hertzen fer
Daz Volch in der Stat gevriefch
Harnafch menleich hiefch
Und peraiten fich tzu Streit.
In ainer churtzen Tzeit
Chomen dy Chriften,
Do fy dy Haiden wiften;
Dy Haiden auch gegen in drungen,
Hurta was do Swert erchlungen,
Dy aus den Helmn fchrieten Feuwer:
Gemach wart do teuwer:
Der Haiden wart ie mer,
Dovon dy Chriften fer
Gedrungen vvurden hinder fich.
Nu vvas daz Volch gemainleich
In der Stat tzu Streit chomen.
Do der Soldan het vornomen,
Daz fy ftriten in der Stat,
Do hies er viel drat
Seineu Durchvarer
Tzünten an dy Pfheiler,
Damit fy heten underfetzt
Dy Mauvver, dy nu vvaz tzu retzt,
Und des Grundes entloft,
Dy vveil daz Feuvver in der Roft
Under der Erden pran,
Dy vveil fchuef der Soldan
Werleicher Leut genueg
Dringen durch daz Lueg,
Daz vorhin in gemacht vvas,
Daz ierr chainer genas,
Dy da chomen hin under.
Daz vvas ein michel Wunder,
So gros vvas der Gedranch,
Hinder fich chainen Wanch
Nieman mocht getreten,
So groffeu Gier hin in heten,
Dy do ftunden under der Luchen.
Dringen und Druchen
Wart do fo gros,
Daz ein Widerftos
In der Stat vvart,
Daz fy dy Durchvart
Nicht mer gehaben mochten.
Tza hey vvie da vvart gevochten.
Es vvas um ainen mitten Morgen,
Daz fy der groffen Sorgen
Und des Streites pegunden,
Und e dy Chriften übervvunden
Dy Haidenifchen Diet,

Der

Der Tag hin vorschiet.
Es het der Haiden Val
Des Tages chain Tzal:
Wan, als ich euch sagen vvil,
Als untzelleichen vil,
Als ier hin in vvas chomen,
Den vvart allen daz Leben benomen.
Ich sag euch, vva von daz geschach;
Den aussern vvas hin in so gach,
Daz dy in der Luchen stunden,
Weder hin noch her enchunden
Her aus noch hinder sich.
Des gie des Totes Gerich
Uber seu von dem Tamph
Manig Haut sich ramph
Vor Hitz, als is pesengt vver.
Do dy Akerser
Enpfhunden und vornamen,
Daz nicht mer chamen
Der Haiden hindurch
Durch dy schedleichen Furch,
Und daz der vvas gemacht min,
Dy do vvaren dinn,
Do pegunden sy herfüer stüren,
Dy sich do heten in den Türen
Vorporgen und in deu Gadem.
Gros vvart der Chradem,
Der Schal und der Saus
Von Chipper in des Chunges Haus,
E sy alle wurden gevalt.
Der dy Toten wolt haben getzalt,
Der wer unmüessig gewesen.
Dy Christen wolten auch entwesen
Der Unmus und der Aribait,
Daz da icht wurt gerait
Jer Ferlust von den Leuten.
Ich chan euch nicht bedeuten
Den Jamer und deu Qual,
Daz Pluet het widerswal,
Daz man in Menschen Pluet
Untz an dy Sporen wuet.
Swas der Christen was gelegen,
Der Sel mues Got pfhlegen,
Und ruch in genedich wesen;
Dy aver waren genesen,
Den vvas Rue not.
Den Pfhaffen man gepot,
Daz sy sich dartzu
Richten des Morgens fru,
Daz von ieren Henden
Ane Missewende
Daz Volch wurt gespeiset
Mit dem Prot, daz do preisset
Aller Hailigen Munt,
Und dem deu wierd ist chunt,
Swenn vvier es haben genossen,
So wier uns entslossen
Daz tor aller Selichait,
Es ist auch unser Gelait
Hintz Got vor Sünden main.
Ee daz der Tag erschain,
Da must daz Volch erwachen
Sulch Pömern und Chrachen
In der Stat erwag,
Als ein grosser Donner-Slag,
Derselbe Saus erwiel,
Do deu Mauwer niderviel,
Dy des Grundes ler
Heten gemacht dy Durchvarer.
Von der Mauwer Valle
Erschrachen sy alle.
Do sy gie tzu Hauf
Dy Christen sich machten auf,
Wan sy des gewis waren,
Daz dy Haiden mit Scharen
In dy Stat riten,
Und da mit in striten,
Swenn dy Sun erschin.
Davon sy giengen hin,
Und teten ier Peicht.
Er vver gevvesen leicht,
Der sich hete nicht
Tzu den Sorgen vorricht,
Dy in vorvvissund lagen.
Dy vveil sy des pfhlagen,
Nu hört, vves auch der Soldan
Hy vor der Stat began.
Dy hohisten er besant,
Dy pat er und mant
Sein Gepet ervollen,
Machmet und Appollen
Hies er seu opfhern sa.
Um dy Er, dy sy im da
Heten gefuget,
Von Schulden mich genuget
Jerer Gnaden, er sprach,
Wann es e ni geschach
Noch hinfüer nimmer mer,
Daz den Haiden sulch Er
Wer geschehen,
Des musten mit im jehen
Alle, dy do vvaren,
Doch sach man seu geparen
Hart chlegleichen,
Daz sy chrefftichleichen
Schaden heten genomen,
Mocht man sein haben überchomen,
Und den Soldan alain.
Dy Chunig algemain
Hiet gedaucht daz pest,
Daz er dy Christen dy Vest
Hiet müessleich raumen lassen:
Wan sy vvidersassen
Dy getauften Ritterschaft
Und dy gaitstleich Pruderschaft,
Dy an in diche teten Mort.
Do daz der Soldan erhort,
Dem vvaz hertzenleichen Tzorn.
Gedencht, vvez ier habt gesvvoren,
Tzu den Haiden er sprach.
Jer vvisset vvol den Ungemach
Der meinem Vater vviderfur,
Mit euch allen ich nu svvor,
Daz ich daz scholde rechen
Hie tzu Akers an ven Vrechen,
Do ier und er mich chrönt.
Ich vver immer gehönt,
Wurt der Ait tzuprochen,
Daz es pelib ungerochen,
Do sy erchanden seinen Muet,

Swas in do dauchte guet,
Daz lobten ſy im anderwet.
Do hies er ſeu an der Stet.
Tzu den Karotſchen gen,
Dar auf ſach man ſten
Seineu Apgöter ſchon,
Ain guldeineu Chron
Igleichs auf het,
Apollo und Machmet,
Pallas und Tervaganden.
Mit Mund und mit Handen
Sy muſten an der Stunt ſweren
Dy Stat datz Akers peheren,
Dyweil ſy darinne wiſten
Einen lebentingen Chriſten.
Do daz Gelubde geſchach,
Der Soldan tzu in ſprach:
Nu ratet mier dartzu,
Wie man dem Dinge tue,
Daz wier alſo geſtreiten,
Daz man dy Sturms-Geiten
Wechtens müg geſatten.
Swas ſy uns Laides ie getaten
An Degemhait dy pewerten
Dy Pruder mit den Perten,
An den ſchulla wier nu rechen,
Wes dyſelben vrechen
Habent getroſt ſich,
Daz ſy wider mich
Sich ſo lange vorhalten.
Was Sinnes ſy walten,
Des nimpt mich peſunder
Ob allen Dingen Wunder.
Der hohen Chünig ainer ſprach:
Ich ſag euch, Herre, was ich ſach,
Do wier neſt ſtriten mit in,
Des ich ein Tor geweſen pin.
Ob ich es ſagen ſchol,
So wais ich nu wol,
Von vviegetanen Liſten
Jeſus Diener dy Chriſten
So weis ſint und ſo charch.
Des chund ich vor nicht vorſten,
Jer igleiches ſint tzwen;
Daz tuet alles Jeſus Liſt,
In igleichem Alten ein Junger iſt.
Do ſy des vordern Tages
Manges Stiches und Slages
Kegen uns pfhlagen,
Swas ier do wurden erſlagen,
Mit meinen Augen ich daz ſach,
Daz ſy in lieſſen weſen gach
Dy ſchoniſten Juncherren,
Daz ich nahen und verren
Nie geſach ier geleich.
Dy chomen taugenleich
Auf daz Wal geſlichen,
Und namen von ieglichem
Aus dem Mund ein Chindelein,
Von dem ſo Wunne-perender Schein
Gie und erlaucht,
Daz mich des wol pedaucht,
Ich het ſo ſchons nie geſehen.
Du ſcholt mier vorjehen,
Sprach der Soldan,
Wor chomen dy Man,
Von den du ditz ſehe.
Ich wais, ob es geſchehe,
Als ich mich vorſach,
Mich dunchet, in wer gach
Tzu varen auf in den Luft.
Ich wais wol, daz dein Guft
Den Chriſten geit Preis.
Jeſus ier Herre weis,
Der es mit Tzauber an in tuet.
Es vver auch vil guet,
Wolden unſer Goter her
An uns legen dyſelben Er,
Dy Jeſus an in peget,
Apollo und Machmet
Möchtens pas vol enden,
Sy ſcholden auch in uns ſenden
Jer Engel hernider,
Dy uns erchulten dy Lider,
Swen wier müed würden
Von überleſtigen Pürden
Streitens und Ungemach.
Dy Red, dy do geſchach
Vor dem Soldan,
Dy hort ein Chriſten Man,
Der het ſich geſchaiden
Von den Chriſten tzu den Haiden.
Und vvaz abtrünne vvorden
Der Dheutſchen Herren Orden
Dar inne er vvas gevvachſen,
Pruder Herman von Sachſen
Pey den Chriſten er hies.
Do er ſich den entſties,
Und daz er Haiden vvart,
Do vvart er ſo tzart
Den Haiden allen geleich,
Daz er gevvaltichleich
Wol tauſent Haiden pfhlag,
Dy Nacht und Tag
Laiſten ſein Gepot.
Do ſant unſer Herrigot
Seinen Gaiſt drat,
Der ſein Hant getat,
Durch dy er iſt geporen,
Ungern let vverden vorloren,
Tzu diſem Sünder.
Der betracht diſeu Mer
Vil taugen in ſeinem Hertzen,
Er gedacht an den Smertzen,
Den Got durch in erliten hat,
Und petracht ſa tzu ſtet,
Wie er mocht gepueſſen
Sein Sund gegen den ſüeſſen
Almechtigen Chriſt.
Nu vvais ich vvol, daz er iſt,
Gedacht er in ſeinem Muet,
So parmhertzig und ſo guet,
Daz er niemant vorſmecht,
Wer ſich tzu im necht,
Und den reuvvent ſein Sünd.
An derſelben Stund
Er ſich vvappent und rait,
Tzu den Seinen er ſait,
Sy ſcholden ſein peiten,
Er vvolt ein Weil reiten
Auf

Digitized by Google

Auf daz Velt durch Churtzweil.
Nu chert er mit palder Eil
Von der Haidenischen Pfhlicht,
Gegen der Stat all gericht.
Do er hin in cham,
Swer sein do war nam,
Den nam all besunder
Seins Gevertes Wunder.
Sich vorsahen dy Akerser,
Daz er gesant wer
Von der Haidenschaft
In etleicher Potschaft
In dy Stat tzu in.
Er rait al gericht hin
In der Dheutzschen Herren Haus
An Underlas und ane Praus.
Von dem Ors er sprangh,
Deu Weil daucht in tzu lanch,
E er den Hoch-Maister vant,
Dem viel er allzuhant
Nider vor sein Fuesse.
Er sprach: gunt mier, daz ich püesse,
Swas ich Sunden hab getan,
Ich pins Pruder Herman,
Der pei den Heiden ist gewesen.
Nu helft mit tzu genesen
An der Sel durch Got.
Nach euwerm Gepot
Wil ich in der Pues leben,
Doch wil ich gern darnach streben,
Schulle nüer der Tod sein.
Der Maister der Dheutzschen Herren
Sprach: Ich vvil mich gern
Um euvver Sach beraten.
Dy Prüder in alle paten,
Daz er im genedig vver.
Ich vvil euch churtzen dy Mer.
Sy gaben im vvider den Orden,
Waz er ie vvorden
Schedleich der Christenhait,
Deu Tat in sein Hertze snait,
Und bedacht sich des Ervollen
An den Haiden erhollen.
Dy Haiden vvaren perait
Tzu Streit, als ich vor sait,
Gros vvas ier Schallen,
Do deu Mauvver vvas nidergevallen.
Do schuef der Soldan
So vil Leut hinan,
Daz im deu Durchvart
Schier geraumpt vvart,
Ob ieder Haiden ain
Nur ainigen Stain
Von danne het getragen,
So vil vvas ier, hort ich sagen,
Sy heten gahes geraumbt.
Niemant sich saumpt,
Der tzu dem Streit gehort,
Grosser Schal sich enport.
Do der Admirat
Sich gevvapent hat,
Und in deu Stat vvolde,
Von Gestain und von Golde
Sein Wapen-Clait vvas vorvvierret,
Und herrleichen vortzimierret
Wart da manges Haidens Helm,
Der Staub und der Melm,
Der von der Mauvver vallen gie,
Der vvaz nu gelegen hie.
Mit manger Panier
Dy Haiden chomen schier
Getzogt in deu Stat.
Svves Gemuet also stat,
Daz er pfhligt gantzer Treuvven,
Der la sich anden und reuvven
Den Jamer und daz Chlagen.
Dez dy Christen pfhlagen.
Ain igleich Mensch schol gedenchen,
Ob icht sere mocht gechrenchen
Gesunder Leut Hertzen,
Als dy des Todes Smertzen
Gevvis vvissent vor in,
Jer genueg heten den Sin
Ob sy vvol mochten enpfhlichen,
Und dem Tod sich entziehen
Daz si sein teten nicht
Durch deu Tzuversicht,
Ob seu durch Got ierend nemen,
Daz seu gevvisleichen chemen
Tzu Got in daz Himelreich,
Des vvurden seu vestichleich
Getrost von den Pfhaffen.
Der Pischolf het geschaffen
Tzu demselben mal,
Daz dy Pfhaffen uberal,
Scholden des nicht lassen,
Sy scholden in allen Strassen
Aufften und predigen,
Wer sich erledigen
Von allen Sunden vvolt
Und vver den himelischen Solt
Von Got vvolt enpfhahen,
Der scholt des Tages gahen
Mit vverleichen Handen
Gegen Gotes Veianden.
Sy taten auch tzu vvissen,
Swes Leben do wurt vorslissen,
Und in Gotes Dienst sturb,
Daz er damit erwurb
Tzuhant dy ewig Ru.
Tzu hin her nu tzu,
Sprach in der Stat mennichleich.
Nu vvaren auch degenleich
Dy Christen berait,
Daz sy waren unvortzait,
Daz mocht man do wol chiesen,
Gewinnen und vorliesen
Legten sy alles auf dy Wag.
Der des Sturm Vann pflach,
Der chert gerichtes hin,
Do dy Haiden hin in
Durch dy Luchen riten,
Etzahey wy da wart gestritten!
Ey susser Got und tzart,
Pist du ye beswart
Von den gaistleichen Herren,
Dy man in grossen Eren
Datz Akers sach leben?
Daz scholt du in alles vorgeben.
Ey susser Jesu Christ,

Swie

Swie wol daz vvar ist,
Daz nicht geschicht so taugen,
Es sey vor deinen Augen,
Und svvie du hast chunt
In Himel und in Abgrunt,
So nim diers tzu ainer Churtzvveil,
Und siech herab ein Weil
Tzu deinen lieben Chnechten,
Und schau, vvie sy vechten.
Deu gaistleich Pruderschaft
Pegie an der Haidenschaft
Solchen Schaden und vve.
Heten sis gevvest, ee
Daz ier so vil do vver vorlorn,
Sy heten e vorchorn
Allen den Widerdries,
Den dem Soldan tun hies
Datz Akers der Cardinal,
Daz so eng vvart daz Wal,
Daz vvart den Christen guet,
Es vvart ein See von Pluet
In der Stat so gros,
Daz manger vvart dez Lebens plos,
Der nur darinne ertrank.
Svver des Lebens vvart so chrank,
Daz er von Ros viel nider,
Der cham nimmer vvider.
Dyvveil dy vverleichen striten,
Dy Pfhaffen des nicht vormiten;
An ier Gepet sy sich legten,
Sy manten und flegten
Got von Himelreich,
Daz er sich genedichleich
Pedecht gegen den Seinen,
Dy sich toten und peinen
Liessen durch seinen Willen.
Si liessen nicht pevillen,
Wan es im vvol getzam,
Sy trugen Gotes Leichnam
Für dy Chirchen heraus.
Do dy Haiden den Straus
Heten mit den Christen,
Svvas sy Glocken vvisten,
Dy vvurden alle erschellet,
Daz Got dester schierer vellet
Der unrain Haiden Leib.
Chind und Weip
Waren auch nicht fain,
Sy trugen gros Stain
In Venster und in Tzinnen,
Svvo sy des Stat mochten gevvinnen,
Daz Schaden chem davon.
Do teten sy gedon
Mit vverfen den Haiden.
Sy vvaren ungeschaiden,
Untz daz deu Sunn undergie.
Air erst der Soldan lie
Von dem herten Streit;
Im daucht, er hiet Tzeit
Tzu der Hervverge,
Er pfhlag grosser Cherge,
Und gedacht in seinem Muet,
Was man heut nicht tuet,
Daz tue man aver morgen.
Er vvas des ane Sorgen,
Daz darunder icht chem,
Daz im den Sig benem,
Deu Stat müst vverden vorlorn.
Der Haiden Her-Horn
Do daz erschellet vvart,
Do namen sy deu Vart
Tzu der Nacht Sedel.
In demselben Wedel
Do der Admirat
Tzogt aus der Stat,
Grossen Schaden er chos,
Funf Chünig er vorlos,
Dy in dem Sturm hert
Sich heten vvol ervvert,
Und ernert ieren Leib,
Den taten deu Weib
Mit Stainen so gedon,
Daz sy sturben darvon.
Do sy tzur Herberg chamen,
Und daz sy vornamen,
Wy vil sy Leut heten vorlorn,
Do vvart den Haiden so tzorn,
Daz sy dem Soldan vvurden gram.
Do der ander Tag cham
Do vvurt der Admirat
Mit den hohisten tzu Rat,
Dy dartzu chunden,
Dy rieten und erfunden,
Seu daucht daz das pest,
Daz man in dy Vest
Des Morgens aver rit,
Und dyvveil man mit in strit,
Do scholden dy hy vor
An deu Purg-Tor
Allenthalben eilen,
Mit Hachen und mit Peilen
Scholden sis aufprechen,
So mocht man sich gerechen
An den Getauften.
Man schuef, daz sy lauften
In deu Heuser gemain,
Und daz sy gros und chlain
Totten darinne.
Hört, vves sy peginne
In der Stat deu Diet,
Do der Soldan heraus schiet,
Dy nicht vvaren erstorben,
Dy vvaren nahen vordorben
Von des Asses vvas.
Do gebot man in daz.
Dieren, Chinden und Chnechten,
Dy nicht mochten gevechten,
Daz sy nicht anders pfhlegen,
Svvas toter Haiden do legen,
Daz sy dy tzugen ins Mer.
Der Soldan in seinem Her
Grossen Schaden gevvan.
Daz schuf Bruder Herman,
Der pei den Haiden vvas gevvesen,
Den sach man tzu sich lesen
Wol tzvvanitzig Pruder oder mer,
Den gab er deu Ler,
Daz sy sich vvapneten vil drat
Mit Haidenischer Sarvvat.
Ich vven, man dy nicht ver trug,

Wan ier was mer den genueg
Des Tages in der Stat peliben,
Niemant mocht han geschriben,
Geraitt noch getzelt,
Was ier des Tages wart gevelt
Der Haiden dort inne.
Tzu grossen Ungevvinne
Jer Ferlust dy Haiden achten,
Dy sy hin in prachten,
Der chom in aus dem Straus
Der vierd Tail chaum heraus.
Dort in pliben dreu Tail,
Do von was so wolvail
Der Haidenisch Harnasch.
Do des Tages Liecht erlasch,
Und der Man pegund scheinen,
Pruder Herman und dy seinen
Under dy Haiden do riten:
Er chund wol nach ierem Siten
Reden und geparen.
Er pegund varen,
Swo er dy müden West,
Dy des Tages in der Vest
Heten gevochten,
Dy chunden noch enmochten
Vor im nicht genesen.
Swo er seu vant Wesen,
Dar gacht er über Velt,
Und gie in deu Getzelt,
Mit seinen Gesellen
Totten und vellen
Nur, dy hohisten Er began.
Do der Soldan
Allermaist und hart
Wart an beswart,
Tzu den er sich füdert;
Und wie er sy ermüdert,
Darauff stund aller sein Sin.
Do daz Geschrai wart an in,
So chert er über Velt
In daz nest Getzelt
Swer in reiten sach,
In Haidenischer Sprach
Der vragt in der Mei,
Waz daz Geschell wer?
Es wart wol geacht,
Daz er dy ainen Nacht
Het vorderbet dem Soldan
Wol funfhundert Man
Und Mage dy pesten
Wol funftzig, dy sy darunder westen.
Des Morgens, e es tait,
Pruder Herman rait
Wider in dy Vest.
Des Morgens do dy Gest
Vor der Stat erwachten,
Und den Streit wolden achten,
Als sy sich des vordern Abendes vormassen,
Do musten sy do von lassen:
So gros wart ier Ungehag
In dem Her und deu Chlag
Um dy da waren erstorben.
Von dem Soldan wart geworben,
Daz sy vortzagten nicht:
Swie viel uns Laides geschicht,
Dester mer sy uns gelten müessen,
Wier schullen seu darum puessen
Mit Macht, wann daz sy ligen tot.
Der Soldan pat und gepot,
Daz sy tzu Streit wurden berair,
Swem er icht het vorsait,
Dy gewert er allesamt,
Daz dy Akerser vordamt
Wurden von seinem Tzorn,
Des wart von in vil gesworen.
Swy tzornig er doch wer,
Doch peliben dy Akerser
Tzwen Tag ungestriten,
Daz aver es wart vormiten,
Daz was dem Soldan vil lait.
Bruder Herman der rait
Des Nachtes aus der Stat,
Wievil er Laides tat
Den Haiden, des wer vil tzu sagen.
Nach den drein Tagen
Der Soldan cham aver gevaren
In dy Stat mit Scharen.
Grimmig was sein Gier,
Do engegent im schier
Von Akers dy Gemain
Gros und chlain,
Und richten sich tzu wer
Gegen der Haiden Her.
Diweil sy dort inne striten,
Dy aussern nicht lenger piten,
Als der Soldan geschaffen het,
Sy huben sich an der Stet
An deu Purg-Tor;
Dy do vvaren hie vor,
Dy durch hachten hin in,
Chain Torschom des nicht hin,
Es vvurd aufgeprochen.
Do deu Torn stunden entlochen,
Do liessen dy Sarrazein
Datz der Stat ungevochten ein,
Sy taten, als dy Veint tund:
Svvelchs Haus offen stund,
Darin chomen seu gedrungen
Alten und jungen,
Niemant sy des überhuben,
Sy ertotten und ersiugen
Weip, Chint und Man;
Alrerst sach der Soldan
Sein Vreud un sein Wunnen.
Von dem Streit im entrunnen
Von Akers deu Purger,
Igleicher eilt, daz er vver
Do haim, daz er pesech,
Wie Weip und Chint geschech.
Ey Got von Himelreich,
Wie tzürnest du greuleich.
Pedenk den grossen Smertzen,
Wie igleiches Hertzen
Wer, do er sach,
Daz gegen im ein Pach
Von seiner Vreunt Pluete vlos,
Ob den tzu leben nu vordros;
Wer vvil im daz vermerchen.
Der Ttzorn begund si sterken,
Und gab in neuvve Chraft,

Dez

Des engalt deu Haidenſchaft,
Deu dahin was chomen:
Ich han alſo vornomen,
Daz man tzu den Stunden
Het in der Werlt nindert funden
Ain Stat Akers geleich
Deu an Leuten wer ſo reich,
E ſy wart tzurüttet.
Des wurden uberſchüttet
In den Heuſern deu Haiden,
Den muſt ier Invart laiden,
Dy ſy heten getan,
Sy vvurden des nicht erlan,
Sy vvurden auch vordambt
Mit den Toten alleu ſamt.
Dyvveil ditz hie
In den Heuſern ergie,
Dyvveil ſtriten auf dem Platz
Dem Soldan tzu Tratz
Dy ellenthaften Pruder.
Ob man icht müder
Het tzu paiden Seiten funden,
Ja dy Haiden vvol gunden
Mit aller ier er Hab
Den Chriſten tzu ſtapfhen ab:
Wan ier vvas nu erslagen
So vil, daz ſy lagen,
Auf dem Wal tzu Hauf,
Daz vveder nider noch auf
Auf den Raveiten
Durch ſeu niemant mocht reiten.
Si teten in paidenthalben ſo vve,
Daz man Pluet ainen Se
In der Stat vlieſſen ſach.
Nu hört, vvovon daz geſcach.
Dy Porten vvaren alle hoch
Wenn aineu, dy nider tzoch,
Deu tzu Tal genaiget ſtund,
Wen es regenn pegund,
Daz des Waſſers Pegus
Het dahin aus ſeinen Flus,
Daz aus igleichem Haus ein Pach
Ran, und do daz geſchach,
Daz von haiſſem Pluet ran,
Do mocht daz niemant underſtan,
Es runn an dem Tzil
Der toten Leut ſo vil,
Dy man allermaiſt nidervelt,
Daz ſich daz Pluet an deu Svvelt
An demſelben Tor,
Daz ich nant vor,
Und von dem Widerſvval,
Wart in der Stat über al
Von dem Pluet ein Teich.
Der Soldan ſnelchleich
Stapfhet aus der Stat,
Dy er hin in gefurt hat,
Der volgt im von dem Straus
So lützel heraus:
Den Worten daz ſy ſcholden leben,
Mocht er tzu Miet han gegeben
Akers und Paldach:
Groſſe Chlag er pfhlag,
Do er tzu Herbergen cham,
Und daz man recht vornam,
Wie vil ſi Leut vorloren heten:
Appollen und Machmeten
VVart lützel Danch geſait:
Er vvaz gros und prait
Der Schad, den ſy do churen,
Man acht, daz ſy do vorluren
Vor Akers ſo vil Leut,
Daz ſy vvellent noch heut,
VVer ein Chunik mit Her,
Gevaren über Mer,
Er het dem Soldan
Deu Lant alleu gevvunnen an
Ane Streites Var,
Als gar vvaren ſy Leut par.
Dy Haiden daz ſelb erchunnen,
Daz ſeu muſten ſein entrunnen,
So daz Akers vver vvol geneſen,
VVer daz ain nicht gevveſen,
Daz in tegleichen
Aus allen Haideniſchen Reichen
Paideu ſpat und fru
Geruet Leut riten tzu,
Dy do dienten ier Goten,
Als in der VVaruch het gepoten.
Do der Soldan vvas chomen
Tzu der Herberg, als ier habt vornomen,
Durch Gemaches vvillen,
Do lieſſen ſich nicht pevillen
Dy armen Chriſten in der Stat,
Sy chamen vil drat,
Und prachen dy Svvelle,
Daz des Plutes Velle
Sich hin an vorſties.
Und do man auslies
Rinnen daz Pluet,
Do vvart des Mers Fluet
Von der Stat vvol ein Raſt
Gerotet ſo vaſt,
Als es von eitelem Pluet vver.
Nu hort, vvie man dy Akerſer
In der Stat ſach geparen,
* Svvas der veſten Heuſer vvaren,
Do ſampten ſich dy Chriſten in,
Dy do heten den Sin,
Daz ſy nach Gotes Lon ſtrebten:
Svvie chlain ier vvas, dy noch lebten,
Doch vvolten ſy daz Leben tzieren
In Gotes Dienſt, und ſich vveren,
Untz daz ſy alles gelegen.
Auch hort, vves da pfhlegen
Dy Pruder der dreier Orden,
Der vvas auch lützel vvorden,
Dy aver lebten noch,
Dy vvolten ie doch
Von Manhait geſten nicht.
Nach der himeliſchen Pfhlicht
Rungen ſy ſchon:
Der VVerlt und Gotes Lon
Chom ſeu vil teuvver an.
Do ſy nicht mer mochten han
Streite gegen den Haiden,
Do muſten ſy ſich ſchaiden,
Igleich tzogten in ier Haus,
Und vorsluſſen ier Chlaus,
Und ſchuffen in Gemach,

Digitized by Google

In vvas durft, daz daz gefcah;
Den Harnafch tzugen fy ab,
Svvas fy heten folcher Hab,
Deu in vvol geviel,
Daz trugen fy auf ier Chiel.
Dy heten auch gefchaffen
Uber al mit den Pfhaffen,
Daz fy nemen ane Tvval
Aus den Chirchen uber al
Daz hailig Hertuem,
Und vvas dartzu wer frum,
Daz Got tzu Dienft tocht,
Und daz man gefuren mocht,
Dez lieffen feu da nicht,
Dy Pfhaffen muften all gericht
Auf deu Schef mit in tragen,
Svvas ier do fiech lagen,
Dy nicht mochten geftreiten,
Dy vvurden an den Tzeiten
Auf deu Schef gefurt:
Svvelchen aver noch rurt
Manhait und Ellens-Chraft,
Dy noch mit der Haidenfchaft
Gern ftunden tzu Peil,
Dy peliben noch langeu Weil.
Der Soldan des nicht enlies,
Gen und reiten er hies
Alleu Tag in deu Stat,
Dy Haiden er mant und pat,
Seit in der Sig vver gegeben,
Daz fy niemant lieffen leben,
Dy Chriftens Namens pfhlegen,
Ob daz deu Haiden vorlagen,
Nain tzvvar fy enteten,
Do fy deu Stat gevvunnen heten,
Man fach feu nicht müeffig ligen,
Dy Heufer fy pey aintzigen
Erfuchten vil eben.
Waz do iemant pey dem Leben,
Den totten feu vil gar,
Auch namen vil eben vvar
Dy Chriften, dy da vvaren noch,
Svven fich daz Dinch alfo getzoch,
Daz fy fein Stat funden.
An denfelben Stunden
So drungen fy an dy Haiden,
Hurta vvy denn von in paiden
Wart geftriten und gevochten.
Svven dy Chriften nimmer mochten,
So heten fy den Sin,
Daz fy tzogten vvider in,
Do fy heraus chomen vvaren,
Suft chunden fy der Haiden varen;
Sy liten von in Hertzen fer,
Und fo dy geruten Her
Sant der Soldan in dy Stat.
So riten in vil drat:
Di Purger hin en begen
Mit Stichen und mit Slegen
Enpfhiengen fy dy Geft,
An Manhait vvaren fy veft.
Dy Pruder heten fich gar
Getailt in drey Schar,
Und dy Leut, dy in vvaren
Tzu Helf über Mer gevaren
Durch den himelifchen Gevvin,
Dy legten an under in,
Daz ie an ainem Tag
Ain Schar vor vechtens pfhlag,
Dy vveil fy tzu Streit tocht,
Und fvvene deu nimmer mocht
Tzu hant deu ander rait
Tzu den Haiden, und ftrait,
Untz daz fy müet vvart,
So chom deu dritte gefchart
Mit Streit an dy Sarrazzein,
Es vvart mangen Enden fchein,
Daz fy vvaren unvortzagt,
Svven es aver betagt
Des Morgens fru an der Tzeit,
So huben den erften Streit,
Dy vor dy andern vvaren gevvefen.
Sy vveren all vvol genefen,
Und vvolden fis auch han gethan,
Do macht Pruder Herman,
Den fy von Sachfen nanden,
Daz Rittern und Sarianden
Waz tzu vechten fo ger,
Daz ich nie mer
Von fogetanen Dingen
Hort gefagen noch gefingen,
Als ich do vornam.
Der Haiden fo vil cham,
Dy e vvaren Geft,
Dy vvurden in der Veft
Gevvaltig Herren;
Sich vvolden aver nicht cheren
An des Soldans Gepot
Dy Chriften, den durch Got
Waz ier Leben noch vail,
Jer vvaz ein michel Tail,
Dy mit den Haiden tzu Peil
Giengen noch alleu vveil.
Nu fecht auf ier Pfhaffen,
Wie iers habt gefchaffen
Alleu difeu Manslacht
Habt ier tzu ein ander pracht.
Ich vven, es dunch niemant guet,
Daz fo manges Menfchen Pluet
Von euvvern Schulden ift vorgoffen.
Peleibt ier fein ungenoffen,
Tzu Hail euch daz tzelt.
Alleu, dy do vvaren gevelt,
Von euvvern Schulden daz gefchach.
Nu liegt ier, und habt Gemach.
Ey Chaifer Conftantin,
Wor tet du deinen Sin,
Daz du den Pfhaffen gab
Den Gevvalt und daz Urlab,
Daz Stete, Purg und Lant
Undertenich ierre Hant
Und ierem Gevvalt fcholden vvefen.
Gaiftleicher Zücht-Pefem
Ift nu tzu fcharf vvorden.
Du fcholdeft in dem Orden
Dy Pfhaffen haben lan,
Als fein Sant Peter began,
Daz vver hoher Miete vvert.
Waz vvoldeft du daz Svvert
Den Pfhaffen tzu der Stol geben,

Dy

Dy damit nicht chünnen leben
Noch tzu Rect chunnen vvalten,
Lassen und halten,
Als man mit dem Svvert schol,
Daz chünnen sy nicht wol.
Sy habent es vorgramertziert,
Und daz vorierret
Mangern Ern und Gewalt
Dem, deu im vor watz petzalt.
Constantin, nu sich an,
Heteſt du tzu Latran
Den Pabſt den Salter laſſen leſen,
Und den Chaiser gewaltig weſen,
Als er vor deinen Tzeiten was,
So wor unser Spiegel-Glas
Akers deu werdeu Stat
Nicht vorloren ſo drat.
Wenn hiet ein Chaiſer daz vorgan,
Swenn im wer chunt getan,
Daz ſolcher Gewalt und Ant.
Dem hailigen Lant
Von den Haiden wer geſchehen,
Er het beſehen,
Wie man es undervaren ſcholt
Swaz dy Chriſtenhait datz Akers dolt
Jamers und Qual.
Der Pabſt und der Cardinal
Vil Ubel ſtelten ſich dartzu,
Si trachten ſpat und fru
Um daz Guet der Akerſer,
Daz dy Venedier
Mit Liſten gewunnen,
Do ſy von Akers entrunnen,
Vie in des würd ein Tail
Durch der Sele Hail
Hintz Rome gegeben,
Darnach ſach man ſeu ſtreben.
Daz aver dy Pfhafhait
Durch den Schaden der Chriſtenhait
In chainer Arbait ſey geſehen,
Daz iſt ſelten geſchehen,
Tzu chainem mal.
Hiet der Cardinal
Seinen Frum vormiten,
Und hiet nach ier alten Siten
Mit dem Soldan
Deu Prüder laſſen umgan,
So wer Akers nicht vordorben,
Noch ſo manig Menſch erſtorben,
Als do laider geſchach:
Lat euch den Ungemach
Pringen tzu ainem Ende.
Do ſy mit werleicher Hende
Des aller leſten Tages
Pfhlagen manges Slages,
Und do ſy abwolten reiten
An denſelben Tzeiten,
Wart Pruder Herman vorderbt,
Der mangen Haiden het erſterbt.
Unſerm Herri-Got tzu Eren.
Do dy Chriſten muſten cheren
Fluchtig von den Haiden,
Sy waren leicht tzu ſchaiden:
Es gie den Chriſten Not,
Wan ſeu waren alleu tot
Untz chaum an dreu hundert Man,
Dy mochten lenger nicht geſtan
Gegen den Haiden tzu Streit:
Wan Akers dy weit
Dy het nu deu Haidenſchaft
Peſeſſen mit ſolcher Chraft,
Daz chain Haus waz ler.
Man jach, was noch Chriſten wer
Den Haiden überworden,
Daz waz der dreier Orden
Prüderſchaft und Geſind,
Dy heten auch ſo geſchwind
Und ſo lang gevochten,
Daz ſeu nicht mer ermochten
Chainer Wer pfhlegen,
Des muſten ſy ſich pewegen
Der groſſen Herſchaft,
Eren und Gutes Chraft
Dwaz do mer den genuch,
Daz ich ſein noch ie gevvog,
Daz iſt allės ein Traum,
Svver ſein het gehabt gaum,
Dyvveil man vor dem Ungemach
Akers im vvierden ſach,
Der müeſt des mit mier jehen,
Er het nie geſehen
So gros Er und Reichtum,
Als der Chriſtenhait tzu Frum
Und auch Got tzu Eren
Do pfhlagen dy Herren,
Dy da fru und ſpat
Dey Chreutz tragen an ier Wat
Svvartz, rot und vveis,
Ein igleich Man mit Vleis
Merch, vvie in vver tzu Muet,
Do ſeu von Eren und von Guet
Muſten alleu ſchaiden,
Und es laſſen dėn Haiden.
Ich pin an dem Gelauben veſt,
Sy ſei dy allerpeſt
Tugent deu Gehorſam,
Der gaiſtleichs Orden Nam
Pfhligt und vvalt:
Svver ſeu recht behalt,
Der ſchol des gevvis ſein,
Daz er der Hellevveitz Pein
Und ſeiner Sunden ledig vviert,
Und daz er vviert getziert
Mit himeliſcher Wunn:
Wan ich daz vvol erchun,
Wer der Gehorſam-Peſem
Den Prudern nicht geweſen,
Sy hieten ſich e laſſen toten,
Und in dem Pluet roten,
E ſi von den Haiden
Weren geſchaiden
In ſo getanen Maſſen,
Dat ſi in heten laſſen
So gar unbenuet
Jer Er und ier Guet:
Seu luſt paz tzu ſterben.
Der Soldan begund werben,
Daz man dy Pruder all vieng,
So daz man tzu Sturm gieng
An ier veſten und Chlaus,
Es vvaren nur dreu Haus,

Di

Do man von dann muſte ſchaiden,
Und Akers laſſen den Haiden,
Do ſy pfhlagen groſſer Eren.
Welhen Enden ſy nu cheren,
Daz vvil ich euch ſagen.
Etleich chomen in churtzen Tagen
Hintz Peys und Jenaw gevaren.
Svvaz aver der Pruder vvaren,
Dy cherten nach ierem Muet,
Svvo ie den Maiſter dauchte guet,
Und dar in trug ſe in Sin,
Da cherten ſeu hin.
Nu hört, vvie der Soldan
Datz Akers began
Erchülen ſeinen Muet,
Der Wüetreich unguet
Er hies pald gahen,
Und alle dy vahen,
Dy noch lebentig vvaren.
Deu Chint under tzehen Jaren
Deu lies er geneſen.
Svvaz der andern moch gevveſen,
Dyſelben vvurden gar
Getailt in drey Schar.
In ain Schar het er geſchaffen
Alle dy Pfhaffen,
Dy man da gevangen het.
Auch vvaz des Soldans Pet,
Daz man in ainer Schar lies ſchauvven
Alle dy Vrauvven,
Dy man do gevangen vant,
Svvy ſy vvaren genant.
Do ſach man dy Man
In der dritten Schar ſtan.
Hört, vvie ſis anviengen.
Dy alten Haiden giengen
Tzu den Pfhaffen, und ſprachen do:
Jer mugt vvol ſe in unvro,
Daz ier nicht lieſſet euvvern Got,
So daz ier daz Gepot
Machmetes und Appollen
Woldet nicht ervollen,
Und ſeu tzu Götern vorchüert,
Dar um ier vorluert
Jer Genad und ier Huld.
Noch lat euch reuvven dy Schuld,
Und gelaubt an ſeu,
So las vvier eu
An dem Leib geneſen,
Und Haidniſch Priſter vveſen.
So iſt euch vvol gelungen;
Schon Vrauvven jungen
Geit man euch tzu chonen,
Und let euch mit in vvonen
Noch allem euvverm Muet.
Manger slacht guet
Und Wolluſt manigvalt
Man in vortzalt,
Da ſeu dy Haiden mit erten,
Ob ſy von dem Gelauben cherten.
Sy vorſprachen aver ſer,
Alleu dy Er,
Dy Jeſu Criſto vver
Wider Tzem und Unmer,
Durch deu ſy vvolten ſterben,
Und der Sel Geniſt ervverben,
Und des ſuezzen Leichnam tzart
Sy heten tzu der Hinvart
In ier Hertz enpfhangen.
Do deu Red vvaz ergangen,
Daz ſeu nicht mocht vorvahen,
Als uns dy Worhait jahen,
Weder Dro noch pet,
Nu hört, vvaz man do tet.
Dy Haiden ſprachen alſus:
Eucher Her-Got Jeſus
Der hat alſo geſchaffen,
Daz es töracht Pfhaffen
Im ſegent ein Prot:
Vor der Sel Not
Schol euch daz frumen
Tailen und drumen
In dreu man euch daz ſicht,
Alſuſt euch geſchiecht:
Der Soldan hies gahaen
Igleichen Slahen,
Und tailen tzu Stuchen drin,
Und hies dy Stuch vverfen hin
Und plonen vor dy Hund.
Darnach in churtzer Stund
Hies der Soldan
Vorſuchen an deu Man,
Ob ſy ſich vvolten vorcheren,
Und Machmeten eren
Vor Herren und vor Got.
Dy Chriſten heten nuer ieren Spot
Aus ier Abgöter tauben;
Von Chriſten-Gelauben
Mocht ſeu niemant pringen
Mit chainen Dingen.
Dy Haiden alt und greis,
Dy ſich da dauchten vveis,
Sprachen tzu den Chriſten:
Es vvent euch hie vriſten
Euchern Got Jeſum,
Der mag euch chain Frum
Mit ſeiner Helf geſein,
Daz iſt vvorden ſchein
An euchern Pfhefleichen Lerern,
Dy vvonten und ſy vveren
Jeſus ſo genem,
Daz er ſeu von dem Tod nem.
Des gevvert er ſeu nicht,
Davon iſt der Troſt envvicht,
Den es tzu im haben vvelt,
Seid mit dem Tod gequelt
Sint ſe in Pfaffen all geleich,
Dy im mannigvaltichleich
Gedient haben ſchon.
Sogetanen Lon
Geit er den ſeinen.
Er let vil vvol ſcheinen
Dy Warhait daran
Do man in began
Tzu Jeruſalem töten,
Und manger Marter nöten
Und Smech manigvalt,
Do in den Gevvalt
Pylatus vorlech,
Sein ſelbes Chun in do tzech

Ainer

Ainer Missewende gros,
Daz er Chrefte wer plos,
Das wer daran schein,
Daz er von des Todes Pein
Het erchucht Lazarum,
Und mocht im selb chain Frum
An der Stat erwerben,
Do er muest ersterben,
Und doch vil gern vver genesen,
Daz must alfo vvesen,
Sprach ainer aus den Christen,
Do der Teufel mit seinen Listen
Unsern Vater Adam
Pracht von der Gehorsam,
Daz er daz Gepot vorlie,
Daz er von Got enpfhie,
Do er in het gevvorcht aus Erden,
Do lies er in gevvaltig vverden
Des Paradeises, genucht
Nur der ainen Frucht,
Dy er in vormeiden hies,
Doran er im folchen Tziel ftics,
Svven er daz übertret,
Tzu hant er vordient het
Den evvigen Tod.
Von derselben Not
Mocht vvier nimmer sein chomen,
Het Gotes Sun nicht genomen
An sich dy Menschait,
An der er deu Marter lait,
Und vvillichleich durch uns ftarb,
Damit er uns ervvarb
Daz evvig Leben.
Dartzu hat er uns gegeben
Freies Hertzen Wal
Tzu cheren in den Val
Der Vorderbnüsse
Und der Helle Güsse,
Oder befitzen schon
Des Himelreichs Chron,
Den er da het perait,
Dy Armut und Aribait
Hie durch in leiden,
Und Wollust vormeiden:
Als avver vvier euch horen jehen,
Unser Got hab übersehen,
Daz man, fo in traut evvart,
Mit der Marter hab pefvvart
Und mit grosser Aribait,
Dez sey vvier vro und gemait,
Wann vvier vvissen daz vvol,
Daz Got Genaden ist fo vol,
Daz er fein Himelreich
Tailt gar geleich,
Des hab vvier Urchund.
Aller Tod - Sünd.
Sant Johannes vvart geftrauft,
Der Jesum Christum tauft,
Wan er gehailigt vvas,
E fein fein Muter genas,
Und vvie rain doch vver fein Leben,
So vvald in Got nicht überheben,
Es mueft hie auf Erden
Sein Pluet vorgossen vverden,
Und tragen der Marter Puerd,
Daz sein Lob defto grösser vvurd.
Sant Peter auch lait
Marter und Aribait,
Der im do vvas fo traut,
Daz er im ftille und überlaut
Gab und petzalt
Sein selbers Gevvalt
Uber dy Christenhait auf Erden.
Auch macht nicht über vverden
Sant Paulus der Gotes Tzart,
Er vvurd gemartert hart,
Der Christen Gelauben mer
Hat erleucht mit seiner Ler,
Den all ander Hailigen.
Daz laz vvier nuligen,
Sprachen dy Christen,
Ob vvier nicht mer vvisten
Geleichnus vor hand,
So habe vvier erchand
Und an euch gesehen,
So vvier der Worhait vvellen jehen,
Daz feu sein in Not,
Und in den pittern Tot
Gegangen vvillichleich
Durch dy trugenleich
Des Waruchs Ler,
Wie getaneu Er
Habt es damit ervvorben
Svvas Haiden ie sint erstorben;
Wie getan der Lon dort fey,
Der Gevvissen seit ier vrey,
So ist tzu manger Stunt
Uns Christen vvorden chunt,
Welchen Lon vvier enpfhahen.
Do dy Haiden fahen,
Daz feu nur vvolten fterben,
Und nicht nach Genift vverben
Gegen Appollen und Machmeten,
Nu hört, vvaz fy taten.
Mit Füessen und mit Henden
Nagelt mans tzu den Wenden,
Und schos mit Pfheilen tzu in,
Auf Marter vvelchen Sin
Igleich Haiden vant,
Den volfurt er tzu Hant,
Untz daz fy alleu vvaren tot.
Darnach der Soldan gepot
Vorsuchen an den VVeiben,
Ob fy vvolten peleiben
An Haidenischer Ee,
Oder in geschech VVe.
Tzu den sprachen do dy Haiden:
Nu seit ier geschaiden
Von Manne und von Magen,
Dy vveil fy des Lebens pflhagen,
Do er ir leicht tzu in vorcht,
Dy sint nu alfo entvvorcht,
Daz ier schier von in seit,
Davon tuet euch entzeit
Des Gelaubens ab,
Den euch Jesus gab,
Und haldet Machmetes Gepot,
Der ist ein vverder Got,
Daz er euch ergetzet,
Alles dez es seit entsetzet,

Deu

Deu ainen Man vorloren hat,
Ob deu an desselben Stat
Tzvvaier andern gert,
Der vviert sy gevvert
Und Gutes, als vil
Als si selb haben vvil.
Wisset ier Vrauvven,
Jer schult es auch noch peschauvven,
Daz dy Haiden mit den Weiben
Chünnen vortreiben
Dy Tag und dy Jar .
Wert ier sein recht gevvar,
So gereut es euch nicht.
Di armen Vrauvven heten pfhlicht
Mit Jamer und mit Chlagen
Jers Gepetes sy pfhlagen
Tzu der süssen Chunigin,
Daz sy dy vvaren Gotes-Min
An in stercht und mert,
So daz seu nicht vorchert
Weipleiche Plödichait
In chain Tzaghait,
Dy seu mocht perauben
Christenleichs Gelauben.
Gros Gepet sy teten
Tzu Sant Margareten
Und der guten Sant Katrein,
Daz sy gerucecht vrein
Vor poser Pecherung,
Daz dem Teufel an in icht gelung,
Und daz seu de Gotes-Chraft
Macht sigehaft
An dem Gelauben vest:
Do dy Haidenischen Gest
Ersahen und vorsuchten,
Daz dy Weip nicht geruchten
An seu tzu cheren,
Do begunden sis uneren
Ach Got, daz du vortrueg
Dy grossen Unfueg
Dy an den Wrouvven da geschach,
Den Jamer und den Ungemach,
Und den pittern Smertzen,
Elleu getreuvve Herzen
Scholden vvainen und chlagen.
Mich müet, daz ich mues sagen,
Und mag sein doch vorsvveigen nicht.
Darum svvenn dy Geschicht
Ain selig Man vornimt,
Dem Parmung tzimt,
Und dem Treuvve vvont pey,
Daz der dester veinter sey
Aller Haidenischen Frucht.
Nu hört dy Untzucht,
Dy sy begiengen an den Vrauvven,
Sy begunden schauvven,
VVelcheu svvanger und svver
Von der Natur-Last vver,
Deu vvart tzu hant en mitten
Aufgeslagen und gesniten,
Und vvart von ier genomen
Deu Frucht, der sy vvaz bechomen,
Deu vvart den Hunden gevvorfen.
Daz Unpild sy entvvorfen
Den Junch-Vrauvven vor,
Ob sys ab Christenleichen Spor
Mochten haben pracht,
Do vvaz in sein ungedacht.
VVan Got der vvaz so guet,
Daz er seu behuet
Mit seinem gotleichem Segen,
Daz man seu nicht sach pflegen,
VVan daz der Sel guet vvas.
Do der Vrauvven chaineu genas,
Sy vvurden all nu ertöt.
Dor Marter man do nöt
Dy Junch Fraun rain
Dy daucht es nur tzu sain,
Und müet, daz si nicht pald sturben.
Do dy Haiden gevvurben
Der Christen Schaden und Pein,
Dy laidigen Sarrazeein
Pegunden vor Vreuden
Schallen und geuden,
Daz sy vvol ervolt heten,
Dez seu der Soldan het gepeten,
Der seu dy Jungen hies vahen,
Und dy alten tzu Tod slahen,
Svvas man ir vinden mocht,
Und svvas tzu ichte tocht,
Daz des vvaz vvert,
Daz man sein tzu halten gert,
Daz furt er alles auf daz Velt.
Aller der Haiden Getzelt
VVurden gefullet Raubes,
Als Gras und Laubes
Heten sy tzu furen da
Der Soldan gepot sa,
Daz man dy Toten tzalt,
Dy man sach in der Gestalt,
Daz sy vverleich vveren gevvesen,
Nu vvurden da ausgelesen
In gueten und in gantzen Halspergen
An dy, dy mocht vorpergen,
Achtzig tausent toter Christen.
Dy Haiden auch nicht vormisten
Mit vverleicher Tzal,
Dy sy vunden über al
Dreissig tausent Man,
Dy ringen Harnasch heten an.
Elleu getreuvve Hertzen
Prufen disen Smertzen
Und den grossen Ungemach,
Der an der Christenhait geschach.
Seit der gevvafenten Val
So gros ist an der Tzal,
So mercht dy Geschicht,
VVie vil vvaz den der plossen nicht?
Man, Chint und VVeip,
Dy da vorluren den Leip,
Der vvaz vvol tzehen stund als vil,
Svvenn man seu recht vvil
Prüfen und rechen
Dy VVorhait schol ich sprechen,
Daz deu Christenhait
Sogetaneu Lait
An Leuten nie hat erchorn,
Seit daz Christ vvart geporn.
Herri-Got, sag an,
VVarum hast du daz getan?

Und

Digitized by Google

Und warum haſt du daz vortragen,
Daz vordorben und erſlagen
So manig Chriſten iſt?
Weder haſt du ier Geniſt
Vorſchmecht durch ier Sünd,
So ſcholſt du tzu der Stund
So genedig ſein geweſen,
Und hetzt ausgeleſen
Dy Guten von den Schuldigen.
Nu hab wier dich doch getzigen
Deiner Parmung her
Sey tauſent Stund mer,
Denn ier vor waz,
E dein Maria genas,
Und e du Menſch piſt worden
Wider naturleichen orden.
Nu wais ich wol, daz du tet
Durch dy entzigen Pet,
Dy gegen dier tet Abraham,
Do du Gomor und Sodomam
Woldeſt vorſenchen,
Do lie du dich lenchen,
Als ob du tzu den Stunden
In den Steten funf heteſt funden
Rechter Leut tzehen,
So wer nicht geſchehen
Uber ſeu dein Gerich.
Davon dunchet mich,
Seit Akers deu Stat
So mangen Menſchen hat
Seligen und rainen,
Ich vorſte wol dein Mainen,
Ob ichs erraten ſcholde,
Tzwar ſo enwolde
Ich es vor anders nicht han,
Als ich mich vorſtan
Wan daz du ſueſſer Schepfher
Dy Schar der Martirer
Haſt mit in gemert,
Getziert und geert
Derſelben Martirer Chor,
Ich han vornomen lange vor,
Daz deu Werlt nicht tzerge,
Du erfulleſt ee,
Und pringeſt e herwider
Der Engel Tzal, deu hernider
In Tiefels Weis ſint vorſtoſſen
Durch ieren Ubermuet groſſen.
Iſt daz der Red alſo iſt,
So haſt du an diſer Vriſt
Aines groſſen Chors Hol
Mit denſelben gemacht vol,
Dy datz Akers ſint vordorben,
Und in deinem Dienſt erſtorben.
Auch ſey euch daz geſait
Daz Gruntlos Hertzen-Lait,
Daz dy Chriſtenhait enpfhie,
Daz wart alſo gerochen hie
Mit ellenthafter Chraft
An der vorwaſſenn Haidenſchaft,
Daz ſich an den jungiſten Tag
Der Teuvel wol gefreuwen mag,
Seit in des getzimt,
Daz er uns tzu Vreuden nimt,
Daz vil Sel ſint pey im.
Auf mein Treu, ich daz nim,
Daz der Volant unſues
Pfhlag groſſer Unmues
Tzu Helle in ſeiner Veſt,
E daz er ſein Geſt
Geſedelt und gehauſt.
Mier aiſet und grauſt,
Swiewol es Haiden ſint,
Daz ſo manges Menſchen-Chint
Dy Helle ſchol pauwen,
Und Got nimmer mer geſchauwen,
Wann an dem leſten Tag,
So iſt auch tzu ainer Chlag
Es den Sandern geſchehen,
Daz ſy ſchüllen an in ſehen,
Swie vil der Chriſten tot wer.
Doch gelaubt vor ein wars Mer,
Daz der toten Haiden Tzal
Wart gerait über al,
Daz ier was dreiſſig tauſent mer.
Auwe diſer Er,
Deu dem Tiefel do geſchach,
Daz er ſeiner Vreuden ſo vil ſach
An menſchleicher Creiateuwer,
Daz chlag ich Got vil teuwer,
Wan ich der Helle niemant gan.
Nu hört, vvie der Soldan
Und ander ſein Haiden
Von Akers vvellent ſchaiden.
Eine Poten er ſant
Allenthalben in dy Lant,
Und hies uberal ſagen,
Svver furen oder tragen
Von Akers icht vvolt,
Daz der chomen ſcholt,
Und daz er do nem,
Svvas im getzem.
Dy der Potſchaft gevvar
Wurden, dy chomen dar,
Und namen, vvaz in tocht,
Und ſvvas der Man mocht
Von dannen varen oder pringen
Von ſogetanen Dingen,
Des man Er und Frum hat,
Des vand man alles ſtat.
Svvelch Haus erlert vvart,
Daz hies der Soldan vil drat
Tzu prechen und tzu furen.
Sy begunden es vaſt ruren.
In den ſechs Wochen
Tzu furt und tzu prochen
Ward Akers dy Veſt.
Waz nu vver daz peſt,
Es vragt der Soldan
Sein höhiſten Man.
Dy rieten im do daz,
Daz er chert furpas,
Seit man dez vver an Angſt,
Daz dy Chriſten vorlangſt
Sich mit chainem Her
Mochten gerichten über Mer,
So ſchold er dy ſcheiben
Alles vor ſich treiben,
Dyvveil ſy gieng ſo eben,
Der Soldan darnach ſtreben

Pegan ſer und hart,
Wie er dy Chriſten beſwart,
Als er ſeinem Vater ſwur,
Fur Caſtel Pilgreim er fur,
Daz waz ein ſchoneu Stat,
Dy gewan er vil drat,
Und nam da Leut und Guet,
Dy do waren ſo fruet
Under in und ſo vorſunnen,
Daz ſy von dann entrunnen,
Dy überwurden manger Swer.
Ich hort, waz do beliben wer,
Uber dy dy Not wer ergangen,
Ertöt und gevangen
Wurden ſy do alle.
Der Soldan mit Schalle
Dyſelben Stat auch zu fürt,
Daz Dinch er eilund rurt.
Mit dem Her fur er drat
Für ein ander Stat
In des Landes Chraiſſen,
Dy was Sutters gehaiſſen,
Und was auch der Chriſten,
Tzu retten noch tzu vriſten
Heten ſy chainen Muet,
Do in Akers dy guet
Nicht vormocht geweſen,
Do traut niemant geneſen.
Swer von dann entran,
Es wer Vraun oder Man,
Der het wol gevaren,
Dy aver da peliben waren,
Dy mochten dez nicht vormeiden,
Sy muſten ſunder leiden
Den Tod oder dy Vanchnüſſe
Auwe der Jamers Güſſe,
Dy der Chriſtenhait tzu flos!
Vil manger do ſein Pluet vorgos,
Got unſer Herre ſi enpfhie,
Swas an den ergie,
Dy da wurden erſlagen,
Dy dorft niemant ſer chlagen,
Wand mit dem, daz ſy ſturben
Daz Himelreich ſy erwurben,
Und waz in wol ergangen.
Dy aver wurden gevangen
Und gefurt in dy Haidenſchaft,
Dy wurden do gewonhaft
Der Haideniſchen Chetzerey,
Und wurden auch, laider, vrey
Der Genaden und des Frums
Des heiligen Chriſtentums,
Der laider von in wart vorchorn.
Auwe, der alſo wiert vorlorn,
Und doch getauft iſt,
Daz ſchol dier Herr Chriſt
Von Schulden erparmen,
Daz an den Selen armen
Wiert vorlorn dein Marter,
Daz reut mich vil harter,
Denn ichtes auf der Erden,
Wie chund auch immer werden
Chain ferluſt ſo engiſtleich:
Wann wier achten dich gelecih
Dem Herter getreuwe,
Der neuntzig und neune
Seiner Schefelein
Lies Weislos in der Wueſt ſein.
Dy er het vorchorn;
Daz ain, dazer het vorlorn,
Daz gie er ſuchen tzu hant
Uns iſt daz wol erchant,
Daz du ſüeſſer Herre Chriſt
Durch den Sunder geporen piſt,
Und geſtochen in dy Pruſt,
E du nemſt ſolheu ferluſt
An den lieben Schaffen dein,
E ſchold du wagund ſein
Neun und neuntzig durch daz ain
Hais pald und nicht ſain
Schaffen deinen Frum
Den Pabſt dein Vicarium,
Wie volchomen Sant Peter wer,
Doch e du in tzu Hüter
Deinen Pfhaffen erchos,
Dy da waren Weislos.
Do vragſt du in dreiſtunt,
Daz er dier machet chunt,
Ob er dich Herre mint,
Do vvas er ſo beſint,
Daz er dy Worhait tzoch an dich
Er ſprach: du vvaiſt vvol, daz ich
Dich, Herre, minne.
Was tuent nu ier Sinne
Di Cardinal, dy dartzu
Paideu ſpat und fru
Sint geſetzt und getzalt,
Daz ſi habent den Gevvalt,
Und dich ſchüllent pevvaren,
Alſo daz ſy recht varen,
Ob er dich habe lieb,
So daz er vor dem Dieb
Wach und nicht ſlaf, und hüte deiner ſchaf.
Den man ietzunt Pabſt ſicht,
Wais Got, der petert nicht,
Wann ob er petern vvolde,
Wais Got, ſo ſcholde
Er nicht Weſen ſain,
Mit dem Chaiſer vverden enain,
Wie der Wolf vvurd erdrucht,
Der da hat getzucht
Der Schaf, der er pfhlegen ſcholt,
Ob er deu retten vvolt,
Und getreuleichen pfhlegen,
So ſcholt er ſich pevvegen,
Und precht ein Her tzu ſamt,
Damit er vordamt
Seiner Schaf Diep;
Wais Got, und vveren ſy im liep,
Er ſcholt durch ſeu varen noch,
Als Sant Peter gein Antioch.
Ich fürcht, er tue ſein nicht,
Was den Chriſten geſchicht
Von dez Soldans Mannen,
Möcht man dy mit Pannen
Von den Haiden erledigen,
Und mit ſolchem predigen,
Daz das datz kome geſchech,
Mit Treuvven ſo beſech
Der Pabſt mit ſeinen Pfhaffen,

Ob

Digitized by Google

Ob er icht mocht geschaffen,
Und ob er mocht erlangen,
Dy datz Sutters wurden gevangen,
Daz er aver nach in setz,
Also daz er deu Fües netz,
Und sich über Mer vvag,
Ich vven, des Slaun im trag.
Es ist doch e geschehen,
Daz dy Pebst sint gesehen
Mit chreftigen Scharen
Selb über Mer varen,
Und mit vverleicher Hant
Um daz hailige Lant
Werben und ringen.
Nu vvellent sis tzu pringen
Mit Plei und Perment,
Daz man grossen Her übersent,
Und vvellent, sy beleiben hie.
Nu höret, vvie es dort ergie.
Got mit seiner Chraft
Erledig von der Haidenschaft
Dy gevangen Christen,
Und von dez Teuvels Listen
Dy seinen er behüet
Mit seiner almechtigen Güet.
Daz sy der Tauf nicht vorgessen.
Der Soldan vormessen
Hat den Ait vvol behalten,
Den im dy Haiden stalten,
Do in sein Vater chrönt.
Gesmecht und gehönt
Hat er dy Christenhait genuch,
Sein Gemüet er hoch trueg,
Daz es im also vvaz ergangen
Svvi vil er Schaden het enpfhangen,
Daz daucht in dennoch Gevvin.
Mit hohen Freuden fur er hin,
Von dan er vvaz gevaren,
Svvas noch Chünig vvaren,
Dy musten im des svveren
Daz sy chemen mit Heren
Des nesten Jars hin vvider,
So vvolt er dar nider
Prechen dy Stet,
Dy noch dy Christenhait het
In dem Chunigreich Juda
Tzu Jerusalem und Galilea,
Da vvolt er seu vortreiben.
Do nicht lenger vor Vrost peleiben
Mochten dy hohen Chünige reich
Do vertigt er seu minnichleich,
Und lie seu haim reiten,
Wan seu nicht lenger vvolden peiten,
Svvy gern ers het gesehen.
Wan ditz Dinch ist geschehen,
Svver daz vvissen vvelle,
Der merch und Zelle,
Svven man hat gespurt
Nach Christes Gepurt
Der Jar tzvvelfhundert
Und achtzig auspesundert,
Und dartzu tzehen Jar,
So ist deu Tzal gar.
Mier ist nicht recht chunt,
Wie der Soldan deu Stunt
Und den Winder vortrib,
Svvas ich davon schrib,
Daz tet ich nach Wan.
Do der Winder ein End vvol han,
Und als pald Gras vvart,
Do het auch sich tzu Hervart
Der Soldan berait,
Nicht lenger er do pait,
Er fur den Christen tzu Has
Für Trippol, und pesas
Dyselben Stat guet.
Svvie menleich gemuet
Dy Christen vveren dar inn,
Doch mochten sy mit chainem Sinn
Mit Chraft noch mit Listen
Sich vor den Haiden vristen.
In der Stat dy pesten
Den Forsatz vor vvol vvesten,
Den der Soldan seit pegie,
Davon pelaib ier lutzel hie,
Dy aver peliben da.
Uber dye gie sa
Der Haiden Gericht.
Der Soldan vvolt sich
Uber niemant erparm,
Seu vvaren reich oder arm,
Dy man so behend sach,
Daz sy dy Haidenischen Sprach
Mochten noch gelern,
Dy pehielten sy gern,
Und dy dartzu nicht tochten,
Noch gearibaiten mochten,
Dy musten den Tot leiden.
Der Soldan vvolt nicht vor meiden,
Er vvolt sich pas rechen
Auvve, vvas man tzuprechen
Sach schöner Türn und Palast,
Chain Haus so gros vvas,
Svven mans erlert het,
So tzuprach mans an der Stet
Uber al in der Stat
Dy Rinch-Mauvver hies er drat
Prechen dar nieder.
Man sagt uns sider,
Es vver da niemant genesen,
Wer daz Mer nicht gevvesen,
Daz vlos so nahen hin an,
Daz des Volches vil entran
In Scheffen auf daz Mer.
Do der Soldan und se in Her
Raubens vvurden sat
Do furen sy von der Stat,
Und besassen Bethlahem.
Doch e der Soldan dar quem,
Do vvart im geraten,
Dy Weisen daz taten,
Daz er dy Stat peleiben lies;
Des het er grossern Genies
An Silber und an Gold,
Svven er das vorhengen vvold,
Daz hin tzu Bethlahem
Dy getaufte Diet qvem
Tzu dem Munster auserchorn,
Da ier Herr Jesus vver geporn,
Da vvirt daz Opfher gros.

Svvenn

Wenn ier Gutes gemacht plos
Dy Christen, dy noch da Wesen,
Daz er seu nur last genesen,
Darum werdent sy der Haidenschaft
Ewichleichen cinshaft
Und dienstleichen undertan.
Der Rat geviel dem Soldan
Wol, und do er im behait,
Den Christen gab man Gelait,
Daz sy tzu Hof chemen,
Und da recht vornemen
Des Soldans Mainung.
Des vreuten sich alt und jung,
Do in der Trost wart gegeben,
Daz sy peliben pei dem Leben,
Daz pest, daz ie der man het,
Daz pracht er an der Stet,
Und ert den Soldan damit.
Dienstleich Geperd und sit
Pegiengen do dy Armen,
Daz sich der Soldan erparmen
Uber seu geruchte.
Der Pischolf vorsucht
An den Admirat,
Ob er im in der Stat
Urlaub vvold geben
Christenleichen tzu leben
Und ander gaistleich Leut.
Do sagt man Pedeut,
Es wolt der Soldan
Grossen Tzins von in han,
Swen er im den geb,
So het er Urlab
An tzu peten, wen er wolt;
Doch riet man im, daz er scholt
Eren und anpeten
Iren Got Machmeten,
So wer im wol geschehen.
Sy heten nu wol gesehen
Machmetes Gewalt
Und se in Genad manigvalt
Dy er den Haiden het ertzaigt,
Wan Akers wer genaigt,
Ob er mit Eren wold wesen,
Dy Haiden vil vorlesen
Dem Pischolf begunden
Daz Pest, daz si chunden
Von Machmetzs Eren.
Noch wolt sich nicht cheren
Der Pischolf an ier Rede,
Aus Christenleicher Pfhede
Mocht in niemant pringen.
Do liessen sy in dingen,
Alsso daz man im Urlaub gab.
Von danne mit chlainer Hab
Her über der Pischolf chert,
Er waz der Puch wol gelert,
Und waz gehorsam worden
Der Prediger Orden,
Und waz geporn von Vranchreich;
Des Gutes arm und Mutes reich,
Chert da hin vvider,
Do enpfhie in sider
Liepleich und schone
Der do tzu Vranchreich trug dy Chrone,
Tzu Gesind er in nam.
Der Soldan cham
Von Bethlahem der Vesten,
Mit Haidenischen Gesten
Dy Stat er besatzt,
Daz in nicht mer tratzt
Chain Christen fürpas,
Darum tet er daz,
Daz er di Haiden da pehaust,
Der Soldan lenger nicht paust,
Noch belaib datz Bethlahem,
Welhen Enden er sein Rais nem,
Daz vvart mier nicht gesait,
Davon peleibt es vordait
Von mier tzu disen Stunden.
Des nesten Jars vvart erfunden
Dise laide Geschicht
Pelaib vorsvvigen nicht.
In alleu dy Werlt erhal
Ein jemerleicheu Qval.
Dy datz Akers an der Stat
Der Soldan begangen hat,
Daz gevriesch auch sa
Der Chunik von Ethyopia,
Dem vvart darum so lait,
Daz sein Hertz vorsnait
Deu Geschicht, deu do vvaz geschehen,
Man hort in offenvvar jehen
Daz Lait und den Ungemach,
Der datz Akers geschach,
Den vvold er alsso chlagen,
Daz er nicht mer vvolt tragen
Chron auf seinem Haubt,
Es vvurd e beraubt
Von im alsso der Soldan,
Svvaz er den Christen het getan,
Daz in daz müst reuvven.
Er lobt pei seinen Treuvven,
Svver im dartzu riet,
Daz er den nimmer vorschiet
Eren noch Gutes,
Er vvaz so vestes Mutes,
Wie er sich gerech.
Er gepot ein Gesprech,
Dartzu er pesant
Dy pesten, dy man vant
In seinem Chunichreich.
Dy chomen chürtzleich
Als in der Chunik gepoten het,
Des Gier und des Pet
Was ot anders nicht,
Wan daz man in bericht,
Mit vviegetanen Dingen
Er dy Haiden möcht pringen
In Chumer und in Not.
Des pat er und gepot,
Den man an Witzen gab den Preis,
Daz sy vveren vveis.
Dy achten und erfunden,
Daz sy nicht pessers chunden
Den Chunik vveisen noch leren
Der Haiden Schaden meren.
In vvaz daz vvol erchant,
Daz Egypten-Lant
Ist so fruchtper,

Svven

Swen den Haiden nicht enwer
Desselben Landes Genucht,
Dy es hat an Getraides Frucht,
So weren sy arm an Getraid.
Recht als der Otter sein Waid
In dem Wasser sucht:
Alsam daz selb Lant berucht,
Mit Chorn alle dy Haidenschaft.
Wer Welle Wesen Wissenhaft,
Swa von daz Wesen schol,
Des peweis ich euch wol.
Es ist also gewant,
Daz in Egypten-Lant
Chain Regen nimmer chumt,
Nicht anders im frumt
An seiner Fruchtperchait,
Wan daz ein Pfhlaum prait
Durch daz Lant fleuset,
Derselb sich ergeusset
Vierstunt in dem Jar,
Davon daz Lant wirt gar
Erfeucht und ernetzet,
Und so sich daz Wasser gesetzet
An sein Stat hin wider,
Also daz es wiert nider,
Was man dann pauwen wil,
Des wiert so gar vil,
Daz im nicht geleicht.
Alsus daz Lant reicht
An Chorn alleu dy Haidenschaft.
Wovon der Pfhlaum dy Chraft
Hab, des vorsweig ich euch nicht.
Deu Schrift uns pericht
Und auch dy Maister weis,
Daz aus dem Paradeis
Vliezzent vier Pfhlaum,
Dy habent weiten Raum.
Sy peweisent uns auch des,
Daz der Pfhlaum Eufrates
Derselben ainer sey
Der Egypto wont pey
Mit seinem Durchflus,
Swenn sich der nicht ergus,
So wurt daz Ertreich dürre
An Fruchtperchait so murre,
Daz sy musten vorderben.
Nu pegunden werben,
Dy Rat geben sa
An den Chünik Ethyopia,
Daz er in geb Poten-Prot
Wolt er pringen in Not,
Und sich wol rechen
An den Haiden vrechen,
Des sy sich nicht erholen chunden,
Daz heten sy im funden.
Dez was der Chunik vro:
Er sprach: Ich han gelobt so,
Swer mier dartzu Rat geit,
Der schol alleu Tzeit
Meiner Füderung sein gewis;
Is sein jen oder dis,
Der mier sein Helf tue,
Den wil ich spat und fru
Mein Helf tailen mit.
Herre, so hab guet sit,
Sprachen aver dis,
Wier machen euch des gewis,
Tuet ier uns sein Stathaft,
Daz ier wol schat der Haidenschaft.
Er sprach, wie schol daz geschehen?
Herre, daz müest ier spehen,
Ob euwer Hertz dartzu tüg,
Was es gechosten müg,
Daz euch des nicht vordriessund werd
Es ist prait und lanch der Erd
Tzischen den Haiden und eu,
Daz ier mit Urleug seu
Nicht mugt beswaren.
Nu schol wier also varen,
Daz sy müessen werden chranch,
Seit Eufrates hat Ganch
Von hinnen in Egyten drum,
Dovon sy habent den Frum,
Daz daz Lant hat Genucht
An aller der Frucht,
Deu aus der Erd wachsund ist,
Also daz sein Genist
Da nimt manig Lant.
Davon schulla wier tzu hant
Nach so vil Volches senden,
Daz wier Eufraten des er vvenden,
Daz sein Flus icht mer
Tue in Egypten Cher.
Der Chunik, vvie mag daz gevvesen?
Ja Herr, lat uns nicht genesen,
Und tzelt uns tzu Vaigen,
Ob vvier euch nicht ertzaigen
Dy Warhait an den Dingen.
Muget ier volpringen
Mit Leuten deu Aribait,
So geschicht, daz vvir han gesait.
Weder seit noch vor
Wart der Chünik von Mor
Nie von Hertzen so vro,
Er hies gepieten aldo
In seinem Land uber al,
Daz an aller Hande Tvval
Menichleich nicht vorper,
Svver in der Gestalt vver
An der Chraft und an den Tagen,
Daz er mocht getragen
Hachchen, Schauwel oder Hauwen,
Der scholt sich da lassen schauvven
Tzu Laid den Haiden und ier Goten,
Daz vvart vestichleich gepoten.
Hört, vvie es nam ein End,
Manig hundert tausent Hend
Pfhlagen nicht, vvan des,
Daz sy den Pflaum Eufrates
Mangen Enden gruben ab,
Dartzu er vvillichleichen gab
Tzu Laide der Haidenschaft
Choft und Beraitschaft
Mer den genuech
Der der Moren Chron trueg.
Do Eufrates vvard entrant,
Ain Tail rinnund vvart gesant
In dy Tarterey,
Und sa tzu Tal in dy Pülgerey
Der ander Tail vlos

Mit mangem Schaden gros,
So ran ain Tail in Greciam
Von dem groſſen Pfhlaum cham
Chlainer Pech ſo vil,
Daz in churtzem Tzil
Der Gries wart Waſſers plos,
Do Eufrates der Pflaum gros
Waz e gerunnen,
Do ſich dy Haiden vorſunnen,
Dy in Egypto ſaſſen,
Daz man in nicht laſſen
Wolt den Pflaum hernider vlieſſen.
Dem Soldan entflieſſen
Pegunden ſy dy Mer
Und dy chünftigen Swer,
Deu in davon wurd chunt.
Der Potſchaft End und Punt
Ward dem Soldan
Alſo chunt getan,
Ob er dy Geſchicht
Underſtuend nicht,
So muſten ſy durch Suen
Tzwaier Ding ains tuen,
Wolden ſy ſich vriſten,
Sy muſten den Chriſten
Werden einshaft,
Oder von der Haidenſchaft
Cheren tzu dem Chriſtentum,
Oder ſy muſten Egyptum
An aller Slacht ſaum
Mit Weib und mit Chint raumen.
Do der Soldan vornam
Deu Potſchaft, deu im cham,
Vil ſchier er der erſchrak,
Auf ainen churtzen Tak
Peſant er ſeinen Rat.
Nu chamen vil drat,
Den ers gepotert het,
Sein Gepot und ſein Pet
Was gegen in an den Stunden,
Daz ſeu im erfunden,
Was im dartzu tocht,
Domit er undervaren mocht
Der Egypten Gepreſten.
Di rieten im tzu leſten,
Daz er Hoch-Poten ſant
Dem Chünig von der Moren Lant,
Und dartzu cherten ieren Sin,
Ob ſy mochten wider in
Icht des ervinden,
Daz er gerucht erwinden
Von ſeinem Unmuet,
Und daz er des Waſſers Fluet
Lies vlieſſen her tzu Tal.
Der Rat überal
Den Höhiſten pehait,
Dy Poten wurden perait,
Der Tzal ich nicht vornam,
Wenne ſy in Ethyopiam
Chomen gevaren,
Doch do dy Poten chomen waren,
Sein recht und dy Gaſt-Er
Der vliſſen ſy ſich ſer:
Sy wurden geherbergt wol,
Als man deu Poten tuen ſchol,
Dy ſo verre hant geriten.
Mit tzüchtigen Siten
Dy Poten gerten vaſt,
Do ſy waren geraſt,
Daz der Chünik ſich lies getzemen,
Und ier Potſchaft vornemen,
Daz tet der Chünik in churtzen Tzeiten.
Do man ſeu ſach tzu Hof reiten,
Do ſchain wol an ier Gewant,
Daz ſeu dar het geſant
Der höhiſten Chünig ain,
Den deu Sunne ie peſchain.
Si wurden wol enpfhangen,
Unlang was ergangen,
Daz man von in het vornomen,
Warum ſy weren chomen,
Und waz ier Gewerft was.
Do man daz dem Chunig gelas,
Do antwurt mit vordachtem Muet.
Er ſprach: Leib und Guet
Daz mues ymmer laiden,
Dy weil ich an den Haiden
Nicht mag gerechen meinen And,
Daz Lait und dy Schand
Und dy groſſen Smachait,
Deu der Chriſtenhait
Datz Akers iſt widervaren.
Wil der Soldan daz pewaren,
Daz ſein Schad und mein Frum
Uber al Egyptum
An den Leuten icht erge,
Swas er uns dan hat e
Laid und Schaden getan,
Wil er von mier han
Vrid und Suen,
Daz mues er alles wider tuen.
Do ſprachen aver dy Poten:
Wier ſweren euch pei den Goten,
Svvas tzu diſer Vriſt
Datz Akers ergangen iſt,
Als ier habt vorjehen,
Daz iſt alles ungern geſchehen.
Lat ier euch vorrichten der Mer,
Daz ſein mein Herr gern vver
Und ſein Vater über vvorden.
Daz iſt der Chreutzer Orden
Allen Werleichen chunt.
Doch müg vvier tzu diſer Stunt
Nicht völlichleich gemachen ſlecht
Der Haiden Schult und ier Recht.
Wier piten, uns chunt machen,
Mit vviegetanen Sachen
Daz mug erberben der Soldan,
Daz ier den Pfhlaum lat gan
In ſeinem alten Pfhat.
Des antvvurt in drat
Von Ethyopia der Herr,
Er ſprach: ich tun nimmer noch mer,
Wan als ich geſprochen han,
Wil euvver Herr der Soldan
Ditzs Waſſers Vlieſſen
In Egypto genieſſen,
So pau Akers hin vvider,
Und ſvvaz er hat geprochen nider
Der Chriſten Stet und Veſt.

Nu

Digitized by Google

Nu daz des icht gepreſt,
Und mach ſeu alſo vollichleich
Eren und Gutes reich,
Als ſeu waren vor der Tzeit,
E ſein Has und ſein Neit
Uber ſeu ergie.
Dy Red hab ein Ende hie.
Mit Urlaub ſchieden ſa
Dy Poten von Ethyopia,
Dy Straſſen ſy wol chunden,
Den Soldan ſy funden,
Do er Gemaches pfhlach
In der Stat tzu Paldach.
Er enpfhie ſeu gütleich,
Darnach churtzleich
Vorrichten ſy in der Mer,
Wie es dort ergangen wer.
Dem Soldan vorſmacht
Deu Potſchaft, deu man im pracht,
Und waz im harte Tzorn.
Er ſprach: Ich han vorlorn
Gegen Akerſeren, dez waren ſy wert,
Swer ſein tzu wiſſen gert,
Dem pewer ich es wol,
Swen ich den Schaden achten ſchol,
Den ich genomen han
An Magen und an Man,
Dy ich überwint nimmer mer,
Wan daz ſeu unſer Goter Her
Pey in habent pehalten,
Suſt muſt ich immer Jamers alten.
Dy pey dem Soldan ſaſſen,
Dy ſprachen: Herr, ier ſcholt laſſen
Diſe Red varen,
Welt ier Egypten-Lant pewaren,
Vor Durſt und vor Hunger
Alter noch junger
Niemant da peleibet,
Wan ſeu der Hunger von danne treibet,
Wie ier daz underſtet,
Darum tzu Rat get.
Der Soldan ſprach aver da:
E mich der von Ethyopia
Mit ſeiner Chraft ſunder Hab
Petwing und erdro ab,
Daz ich im Akers wider pauwet,
Ich tet e, des niemant getrauwet.
Vorderbt er Egypten-Lant,
Dennoch ſtet in meiner Hant
Manich Lant weit,
Davon ſchol mier tzu diſer Tzeit
Deeſt folium.
Mit der Potſchaft ſant
Dem Pabſt im Römiſchen Lant,
Und hies dem alſo ſagen,
Er het in churtzen Tagen,
Daz Akers wer tzu prochen,
An den Haiden ſo gerochen,
Daz im der Soldan wolt
Vor gewiſſen, ſwie er ſcholt,
Swas tzuprochen wer darnider,
Daz wolt er pauwen hin wider
Als vor oder pas,
Auch ſcholt geſchehen daz
Inner ſiben Jaren Tzil.
Daz gewunnen Spil
Gegen dem Soldan,
Do ſcholt er mit pegan
Nach ſeines Willen Chüer,
Seit er an Wierden gieng vüer,
Und Herr wer aller Herren
An gaiſtleichen Eren,
Daz er ſich lies getzemen
Auf ſich tzu vaſſen und tzu nemen
Der hohen Eren Purd,
Und daz er en ain wurd,
Wen er über ſant,
Der dy Gelegenhait erchant
Der Lant enhalb Mers.
Er dorft nicht groſſes Hers,
Seit is geſchicht in Sun.
Svvas do der Soldan vvolt tuen,
So bedorft er nicht mer,
Wan daz er dy Er
Der Chriſtenhait nem in.
Dy Poten furen dahin,
Und vvurben mit Sinnes-Chraft
Jeres Herren Potſchaft.
Nu mercht und nembt vvar,
Wie mit manger hande var
Der Teufel uns lagt,
Als ich han geſagt,
Wie nach groſſem Unhail
Der Chriſtenhait ein Tail
Widerfur ein Geluch,
Dartzu ſein arge Tüch
Chert der Pösvvicht.
Daz ſein geſchach nicht,
Und vvie, daz vvil ich euch ſagen.
Der Pabſt, der pei den Tagen
Auf Sant Peters Stuel ſas,
Der het in chreſtigen Has
Chünik Fridreich genomen,
Er vvold in des han uberchomen,
Daz er im laſſen het,
Daz er vil ungern tet,
Cecilii daz guet Lant.
Dem Pabſt vvas vil vvol erchant,
Daz dazſelb Chünikreich
Wer tzu dem Stuel geleich,
Des tracht er deſter ſer,
Wie er gemacht mer
Sant Peters Urbar,
Des Chaiſers het er var
Mit dem Svvert und mit dem Pan:
Mag und Man
Helfen er im pat,
Daz er den Chaiſer drat
Des Landes pehert,
Darum vvart vortzert
Manig tauſent Mark.
Groſſen Her Stark
Sant der Pabſt dahin,
Dy vil chlainen Gevvin,
Prachten haim iern Vrouvven
Von Cecilii und von Arragauvven.
Fridreich und Peter vverten ſich ſer,
Paider ier Guet und ier Er,
Des ſeu der Pabſt peheren vvolt,
Svvie vil er gab tzu Solt

Der Pfenning guldein,
Dy do haissent Florein,
Silber, Pfhert und ander Hab,
Dartzu er in gab
So vil Antlos,
Daz sich freuten dester pas,
Dy da wurden erslagen.
Chunden und sagen
Und predigen er in hies
Den chunftigen Genies,
Den sy erburben,
Dy in seinem Dienst sturben,
Es weren jen oder dis,
Dy macht er gewis,
Swer in seinem Dienst starb,
Daz der tzu hant erbarb
Tzu Solt und tzu Lon
Dy Himelischen Chron.
Daz gelobt er in hie,
Ob es awer stet wesen lie
Der ob dem Pabst Herr ist,
Und der tzu aller vrist
Ist gemain und slecht
Dem Herren als dem Chnecht
An der Gerechtichait.
Manig Her, so man sait
Het der Pabst gesant
Hintz Cecilii in daz Lant,
Dy ane Sig wider chamen,
Und grossen Schaden namen.
Darum sach man limmen
Den Pabst und grimmen
Als ein Eber-Swein;
Daz er den Willen sein
Mocht nicht volfuren.
Ungefug begund in ruren
Um dy er do het vorlorn,
Und in demselben Tzorn
Waren auch dy Poten chomen,
Als ier vor habt vornomen,
Dy der Chünik dar sant
Von der Moren-Lant.
Do der Poten Chunft erhal
Under dy Cardinal,
Do wolden sis do fürhan,
Deu Potschaft wer also getan,
Daz sy davon haben scholten,
Davon sy nicht enwolten
Dy Poten vor den Pabst gahen,
Untz daz dy Poten jahen,
Daz ier Potschaft also vver,
Svvo der Pabst vorper,
Daz er seu nicht schier sant
Wider haim in ier Lant,
Des nem der Christentum
Schaden und nicht Frum.
Do die Cardinal vornamen,
Daz dy Poten, dy da chomen
Von dem Chünig aus Ethyopia
Wurben sulch Rach da,
Daz in besunder gie an,
Do vorluren sy den Wan,
Den si tzu der Miet heten.
Svves sy da vvurden gepeten
Von den Poten der Morn,
Dartzu naigten sy dy Orn,
Verre pas, denne vor,
Des Pabstes Tuer und Tor
Wurden da unvorspart,
Also daz sy deu Invart
Tzu dem Pabst vvol gevvunnen.
Dy Poten vvaren vorsunnen,
Vil vvol daz an in schain,
Sy vvurben gros und chlain,
Als in enpfholhen vvas.
Do der Pabst gelas,
Und er doran vornam
Deu Potschaft, deu im cham,
Daz der Gevverft und dy Potschaft
Het nicht Geselschaft
Mit Silber und mit Golde,
Do enchund noch envvolde
Sich tzu chainer Güet lenchen;
Er jach, er vvold sich vordenchen
Mit den Cardinalen.
Tzu Hof nicht lenger tvvalen
Dy Poten man sach
Varen tzu Gemach
An ier Herberge.
Nu prueft dy Erge,
Der dy Pfhaffen pfhlagen,
Daz scholt Got nie han vortragen.
Der Pabst vragt Rates
Deu Cardinal, und pat des,
Daz si nach dem alten Sit
Im ieren Rat tailten mit,
Wan in vver tzu der Stunt
Sein Gelegenhait vvol chunt
Gegen dem von Arrogaun genant
Um Tzecili daz Lant
Nu riet ainer alsus,
Hostiensis Nicolaus
Waz er gehaissen,
Ruen und erpaissen
Auf Sant Peters Stuel hernach
Nach Pabst Honorium in man sach,
Do Bonifacius starb,
Sein Weishait im daz erbarb.
Tzu dem Pabst sprach er:
Vater heiliger und her,
Sich und pedenk
An menschleicher Chrenk,
Und vvi gar plöd ist
Deu Werlt an diser Vrist.
Wier vvissen des nicht,
Wen daz geschicht,
Daz Got gepeut uns paiden
Von hinnen tzu schaiden
Von der VVerlt-VVollust sussen,
Daz vvier im rechen müessen,
VVaz man hie geschaffen hat
Du mit VVerchen und ich mit Tat.
Vint er uns daran gerecht,
So vviert es um uns slecht,
Geschicht aver des nicht,
VVie we uns denn geschicht.
Got hat gesetzt dich dartzu.

Desunt quædam.

X. ALEX-

Digitized by Google

X.

ALEXANDRI BENEDICTI VERONENIS DE REBUS A CAROLO VIII. GALLIÆ REGE IN ITALIA GESTIS.

LIBRI DUO.

☆ ☆ ☆

ALEXANDER BENEDICTUS VERONENSIS PHYSICUS AUGUSTINO BARBATICO ILLUSTRISSIMO VENETORUM PRINCIPI S. PERPETUAM DICIT.

Bellum quod hoc anno, Illustrissime Princeps, tuis sanctissimis auspiciis cum Carolo Octavo Gallorum Rege pro tuenda Sociorum libertate gessisti Francisco Gonzaga Marchione Mantuanorum Imperatore tuo felicissimo: duobus duntaxat voluminibus altero pugnam Tarrensem, altero Novariensem oppugnationem complexus sum: quibus diaria inscripsimus. Causam enim belli hujus & primum Galli adventum plerique copiosius scripsere, quæ transcursu quodam delibavimus, reliqua, quæ vidimus: vel quæcunque nobis tradita sunt incorrupta protulimus. Nudam enim materiam rudem ac pene indigestam inter annales tuos reponendam coacervavimus. Erunt ex posterioribus qui collatis undique historiis, hanc simplicitatem nostram, quæ fortasse nunc fastiditur quod sit arida & exanguis svaviorem uberioremque reddent, quod inter veteres T. Livius miro successu eo modo adimplevit. Historia magnam quidem vitæ partem postulat: in qua modus servandus est, ut veritas imprimis, ordo, digestio belli, causæ, consilia, conciones, rerum eventa, & totius belli progressus legentibus in promtu sit. Atque ipsa non salebrosa, non languens, non nimium diffusa, neq; succincta nimium, neque affectata denique videatur. Ut legentium animos vividius penetret, aut excitet. Acriter item proponere debet, vehementius persvadere, irritare, urgere, svadere idem & dissvadere, exemplis frequentibus animos inflectere. Hæc omnia iis præponenda sunt, qui Imperii tui gesta veluti Romani nominis reflorescentis descripturi sunt. Ego simplicius quædam, quæ in dies gesta sunt annotavi, minime in gratiam adulator vel in damnando nimis severus. Res hostiles debita commendatione non defraudo: ut magis narrator quam censor acer & tetricus esse videar, Verbis & sensu restrictus incedo. Scio etiam quosdam jejune hanc historiam tetigisse, vel pauca vera demonstrasse: alios copiosiores ad vanitatem redegisse. Hæc enim, humanissime Princeps, nitidiora melioraque fieri curabis, qui in rebus publicis Marcum fratrem tuum Optimum Principem imitatus es, qui non minus intestinam quietem quam foris bella cum opus est, foves, & civitatem miro studio uberiorem reddis, Pater patriæ appellatus: Leges Sanctissimas condis, munera in Senatu amplificans. Quadraginta Viros tertios addidisti: Imperatoribus statuas publicare cœpisti, palatium miro ornamento exstruis & universam urbem exornas: tuo demum ductu & optimis auspiciis rabies Gallica perdomita est. Tuo consilio, ingenio & armis Gallorum truculentia ultra Alpes coërcita sævit. Quem natura sagax [dicere id solitus es] Alpium mirabili septo, & inexuperabili monumento a mitiore orbis parte deduxerat, ut pacem quam tantopere amas, cum sanctissimo Senatu tuo amplecteris. Tu in hoc flagrantissimo bello Imperii terminos longius protraxisti. Jam Apulus Te & Senatum tuum voti compos submissus adorat & colit. Hæc enim faciunt, ut te magis ad Principatum divina ratione, quam Senatorum suffragiis delectum fuisse posteritas admiretur. Vale.

Venetiis duodecimo Kalendas Aprilis. An. M.IIIID.

ARGUMENTUM

Primi libri ad Antonium Boldum Equitem clarissimum, Joannem Marcellum, & Aloisium Mollinum decemvirorum Præsides præstantissimos.

Carolus Gallorum Rex ab Italis Principibus in Italiam ducitur, qui Thusciam protinus occupat, Romam superat, Pontificem parere cogit expulso Alfonso & Ferdinando Regibus Neapolim sine prælio subigit, regnat, imperat, triumphat. Icto inter Pontificem Maximum, Imperatorem, Alphonsum & Elisabetham Hispaniæ reges, Senatum Venetum & L. Ducem Mediolanensem fœdere: onustus præda rediens capta Novaria ad Mediolanum occupandum anhelat. Insurgunt Veneti, & ad Tarrum subito milite illum aggrediuntur, & tentoria & impedimenta regia non incruenta victoria corripiunt, Gallus impetratis induciis turpi fuga ad extrema Italiæ confugit.

Digitized by Google

ALEXANDRI BENEDICTI PHYSICI DIARIORVM DE TARRENSI PVGNA LIBER I.

Carolus Octavus Gallorum Rex vigesimum quartum ætatis annum agens regnandi cupidine ductus, ut fidem rebus faceret, simulata religione bellum contra Turcas parare ubique vulgavit,& quædam vaticinia de se ipso augurari confidentius professus est, ita ut ejus auspiciis, Hispania, Germania & Italia perdomita facile Græcia, Asia, Syria atque Ægyptus illum tanquam Deum veneraretur: Et adepta Hierosolyma deposita humi corona sepulchrum Christi veneratus victor triumphans suprema die in cœlum raperetur. Nocturna præterea quædam visa animum [ut ajunt] commovisse jactaverat, quibus facile universum orbem occupaturus esset, si religiosi cujusdam monitis paruisset; ea de se dici vel præsens patiebatur. Cumque de Neapolitano regno plura animo volutaret, id hæreditario jure ad se pertinere non veritus est dicere, ac proximo Andegaviensium, quorum fuerat, id regnum sibi convenire. Bene gerendarum præterea rerum duntaxat occasionem non imperium quærere, plurimumque ad bellum locorum vicinitatem & rei frumentariæ opportunitatem prodesse commemorabat. Eo tempore calamitatem ingentem in Italiam venturam Astrorum periti prædixerunt, Ferdinandumque Regem imperium sine cruore sed sola fama amissurum. Saturno œconomo, Marte adverso, Sole horoscopo incipientis anni, siderumque defectibus præteritis augurantes. Elementa quoque non sine præsagio fuere, auctis supra modum in tota Italia fluminibus Anno M. VIID. Octobri mense. Athesis inter cætera flumina aquarum impetu ingentem pontis molem ad imum devolvit, qui ingentes externarum gentium copias Italis urbibus undique se superfusuras augurium dedit. Religiosus præterea quidam pari modo jejuniorum tempore sequenti anno cum Novariæ pro more prædicaret, civibus ingentem cladem imminere, Hispanos, Gallos, Elvetios, Svevos, Teutones, Dalmatas Macedones, Græcos, Turcas innumerasque alias nationes prope mœnia audituros prædixit verissima quidem prædivinatione. Majora quoque in Græcia Constantinopoli præsertim a vulgo jactabantur: ruinam hoc tempore religionis Maumettanæ, finem imperii Ottomannorum magis minitantibus. Ea omnia plerisque ita verisimilia videbantur, specie religionis salutari omnium fere animis caligatis: ad rabiemque non aviditatem populis abactis, ut pro publico veluti bono vota solverentur, victoriamque Christianissimo Regi priscos omnes gloria superaturo precarentur. Carolus itaque concepto regnandi desiderio dissidentibusque in Italia varias ob causas Principibus a Ludovico Sfortia, qui gubernationis a Mediolanensibus Primatibus imperium acceperat, facile ad bellum invitatur, ac Hercule Ferrariense Duce, Juliano Cardinale S. Petri in Vinculis, Laurentinoque Medice Florentino, Januensi altera factione. Nam & Pontificis Alexandri VI. invisum quibusdam Cardinalibus nomen de Pontificatu mutando occasionem dabat. Hærebant præterea lateri perpetui Regulorum qui proscripti fuerant aculei plebis ejusque totius regni Neapolitani favor. Ludovicum namque concitaverant Ferdinandi Regis inportuna imperia, ut Joanni Galeaceo adolescenti Nepoti suo, qui Ducis nomen duntaxat haberet, gubernationem restitueret. Alioqui armis eum exterminaturus esset. Herculem vero nota veneni [ut quidam dicunt] suspicio vel Rhodigii amnicæ insulæ [ut alii ferunt] repetendæ spes quam primum inter pacis Conditiones cum Venetis amiserat, præcipue impulerat. Nam priori anno ad Regem Gallum filium promissæ fidei obsidem præmisit, ipse vero ad Ludovicum se contulit generum, cum quo animi sui consulta retexit: de belli summa diutius egit. Ludovici itaque nomine ducenta millia nummum aureorum ad milites alendos Regi per Legatos pollicetur; classem item validam, DC equites armatos. Rex igitur Gallus his incitamentis invitatus convocatis Galliarum Principibus varias de bello suscipiendo contra Ferdinandum sententias audire cœpit. Alii victoriam, alii difficultatem ostendere, nonnulli pericula ingentia, Gallorum in Italia frequentem stragem vel hac nostra ætate indicantes. Ille silentio facto sese in Italiam ire decrevisse divinam quidem occasionem sibi oblatam sequi velle respondit. Cæterum ut ipsi, quæ bello necessaria essent, in medium proferrent. Primum itaque per pacis fœdera Principes totius fere Europæ jungendos esse proposuit, alios condonatis civitatibus, alios pecunia conciliavit, quosdam redimendæ Reip. Christianæ spe vel veteri amicitia stabilivit. Nonnullos amplificandi imperii gratia, Elvetios & Cimbros sibi certa fide confirmavit; omnes jurejurando fœdera iniere. Ea fama Ferdinandum perterruit, qui Apuliæ Principes variis de causis consilii inops ad unum sustulerat, ut solus imperaret: Omnes igitur populos concitavit in sui odium & eos præsertim qui veteris Andegaviensis factionis studiosissimi erant, atque pristinæ libertatis memores. His omnibus labefactare imperium cœpit. Tum Rex consiliorum Galli haud inscius flammam ingentem, quam ipse totiens in Italia aluerat, in se ipsum converti senserat. Et quo numine vel furore præditus esset nescio, Gallorum adventum & præsentem ruinam Venetosque ad ultima incredulos palam jam prædixerat. Cum igitur Gallorum Regem per exploratores bellum parare intellexisset, Venetum Senatum supplex literis ac legatis perpetuis socium sibi petere non cessavit in quo salutis imperii sui præsidium omne locaverat. Sed jam Gallorum Rex literis a Senatu fidem acceperat, ut manus quoquo modo a bello abstineret fidemque veteris amicitiæ servaret, sua duntaxat sine alicujus injuria repetiturus. Pontificis & Ferdinandi ac Florentinorum legati aderant, qui Venetos a fide Galli revocare conantes totius Italiæ præsentem ruinam & imminentem populorum

rum stragem, ante oculos proponebant, & Italiam quondam rerum dominam prædam barbaris brevi futuram. Ferdinandus spem denique omnem in Pontificis & Florentinorum copias transtulit & Venetorum auxiliorum spe [ut sibi videbatur] destitutus mœrore [ut dicunt] obiit. Alphonsus filius malis auspiciis regnum init, copias undique & classem comparat, seque aperto Marte cum Gallorum Rege dimicaturum jactat, nec se inter angustias saltus ritu ignobilium ferarum vel in sylvarum latebris occultare magnificentius quam verius dictitat. Gallus interea Venetis legatum miserat, quod promissorum fidem rursus acciperet, persuaderetque, pro Reipublicæ Christianæ salute in fide permaneret. Venturum eum non credentes: Vulgarant, ingentibus Gallorum copiis alimenta non sufficere, divisis vero alimenta imminere. Sed plurimos ea opinio fefellit. Gallus itaque classem Genuæ parari jubet alimentaque per statuta Alpium loca distribuit sub variisque Ducibus per intervalla ob rei frumentariæ inopiam in Liguriam præmittit, ita sensim Alpium radices sine tumultu militibus complent, putant quidam ad 25000. hominum cecidisse, inter quos V. millia equitum armati erant, Cymbrorum vero & Elvetiorum XXV. millia, reliqua peditum varii generis turba erat. Ad hanc quoq; expeditionem & milites Italos coëgit, Mediolani, Bononiæque ac Ferrariæ conscripsit, inter Principes vero Franciscum Gonzagam Marchionem Mantuanum magnis oblatis stipendiis a fide Venetorum per nuntios revocare conatus est, ille vero se Veneto Senatui quam acceptissimum fore respondit, militiæque fidem acceptis conditionibus servaturum. Tandem Rex Gallus ex Alpium angustiis præter omnium fere opinionem Hastem III. Idus Septembr. MVID. pervenit. Ubi mutato cœlo febre acutissima correptus est pustulas, quas epinyctidas vocant, nostri variolas, extrusit, ac adepta tandem valetudine Ticinum venit, ubi copias divisit, partem alteram in Flaminiam, alteram Florentiam versus præmittit, accepta a Ludovico Sfortia ingenti pecunia. Tum Petrus Medices, ut gratiam Regis iniret, oppida obtulit, quibus acceptis & præsidio firmatis contendit Lucam & a civibus in urbem receptus est. Rex vero Alphonsus Ferdinandum filium Calabriæ Ducem Cesenam præmittit, ut hostium copiis occurreret: quas Hercules Dux in agrum Ferrariensem contraxerat, ut divisis viribus facile a Gallo superaretur. Patefacta igitur alia via Gallus has copias revocavit Florentiamque contendit. Magnitudo namque instantis belli universam Europam concitaverat, quum facile Pontificis Ferdinandi & Florentinorum vires inter tantas viarum præsertim angustias Gallorum copiis resistere posse existimarent, in bienniumque bellum protrahi non dubitarent. His diebus Joannes Galeacius Maria Mediolanensis Dux Ticini moritur, Ludovicus Patruus imperium accipit rogantibus Optimatibus urbis, quem paulo post Maximilianus Imperator privilegio confirmavit. Appropinquante Gallorum Rege Florentinorum Resp. a primatibus urbis Petro Medice ac Laurentino destituta, pugnæ discrimen mutata sententia subire noluit, & oblatas a Gallo conditiones accepit & Carolum Regem cives Patrem Patriæ salutarunt & 12000. aureorum obtulerunt, & in urbem ovantem acceperunt. Hic Rex arbiter paucos post dies Pisas libertate donavit, invitis Florentinis. Horum Legati, qui Venetiis erant, accepta tantæ Reipublicæ clade sponte missionem accepere. In Pontificis vero & Alphonsi Regis virtute spes omnis relicta est, unde robur omne in urbem receptum est. Tum Hostiâ oppidum obsesso flumine Romam fame premebat S. Petri in vinculis Cardinale Pontificis hoste, unde ad rerum omnium inopiam Romani pervenere. Pontifex vero cum antea Romanorum numero & virtute fretus securus esse videretur, appropinquante Gallorum Rege adeo territus est, ut vi illa ac magnitudine animi elanguescente ad oblatas Regis quoque per Legatos conditiones protinus descenderet; Tum populus omnis ex summa tristitia in plausum ac lætitiam convertitur. Pontifex invitus Regias copias, quæ in auxilium venerant, extra urbem excludit, ipse vero in arcem se contulit formidinis plenus. Carolus Calendis Januariis cum universo exercitu Romæ exceptus in palatio Divi Marci sedem locavit, ubi cum Pontifice compositis rebus inter mutuos complexus Maglodiensem unum ex Baronibus Regi charissimum mentitæ amicitiæ auctorem Cardinalem designat: Subjugata deinde rerum Domina Roma V. Calendas Februarias Rex Gallus Roma discessit, & invito Pontifice Zizimum Imperatoris Turcarum fratrem Virum maximæ virtutis & strenui animi, ut omnia in Turcas moliri videretur, secum abstulit, ejus causa Pontifex XXI. millia nummum aureorum singulis annis data taxatione a fratre accepit, traduntque eam ob causam hactenus Turcas extra Italiam coërcitos fuisse. His successibus commoti Hispaniæ Reges naves XVI. Siciliæ insulæ præsidio miserunt, rerum eventum expectantes. Hyems eo tempore adeo secunda, adeo prospera Regi fuit, ut de stativis non Rex cogitaret. Temporarium enim Ver vel autumnus videbantur. Rex ejus temporis clementiam sine nive, sine pluvia adeo opportune sibi dari jactabat: per hyberna enim castra metari Gallis per quam facile erat, Italis, insvetis præsertim, difficillimum: His commodis invitatus Rex in regnum Neapolitanum dirigere exercitum statuit, tanto successu lætus: sed insidias Pontificis metuens Cæsarem Cardinalem Valentianum obsidem & urbes Neapolitano regno proximos jam acceperat. Interea Alphonsus Rex omnibus destitutus, cognito etiam perenni populorum odio salutis viam prosperam sibi invenisse ratus, deposito diademate, regno sponte se abdicavit, filioque Ferdinando a populo dilecto imperium dedit, qui studiis rei militaris disciplina, clementia, pietate, justitia, liberalitate, excellebat, nec manus quidem sanguine imbuisse ardentius colebatur. Hic quietum regnum polliceri;

Digitized by Google

polliceri, proſcriptis parcere & injurias omnes privatas & publicas abolere cœpit, milites quoque recognoſcit, urbes oppidaque novis firmat præſidiis. At pater relicto regno regiam omnem ſupellectilem theſaurumque ſecum abſtulit & Siciliam verſus navigavit. At Gallus Pontificis urbes Terracinam, Carpentum, Campaniam, & maritimas oras occupavit diruitque. Jacobum Comitem & Fundorum Principem ſedibus expulit; Ferdinandus adventante hoſte pugnam protrahere decrevit, & anguſtias tantum locorum tueri ſibi propoſuit, Nicolao Urſino Petiliano Comite Imperatore ſuo, & Johanne Jacobo Triulcio Duce ſuadentibus, ne pugnando fortunæ imperium committeret, ſed cunctando Gallorum Regem ad rerum inopiam, deinde ad famem pernicioſam cum univerſo exercitu perduceret. Ita enim evenit neque opinio fefellit. Nam annonæ caritas, deinde fames protinus in Gallicis caſtris ſecuta eſt, & equis pro pabulo vitium ramenta erant. In tanto rerum diſcrimine Gallus modum invenit in celeritate: & regnum Neapolitanum ſubito milite ingreditur, & aliqua copiarum parte præmiſſa cives ſponte ſeſe dediderunt, deinde quædam oppida in deditionem accepit, alia quæ portas præcluſerant, protinus diripuit. Campani Regem Gallorum læti excipiunt; Ferdinandus vero, qui Neapolim confugerat, cognito populorum odio amiſſo levi momento regno collectis pariter impedimentis, præſidiis arcibus duabus firmatis, triremes conſcendit & in Prochydam inſulam VII triremibus omni cum familia ſe recepit. Carolus his auditis relicto Capuæ præſidio Neapolim contendit, quem cives ingenti plauſu ſuſcipiunt, & de regno adepto in ſequentes dies triumphum amplisſimum pollicentur, arcem Novam paucis diebus cepit, at in Ovo ſitam ſcopulo paulo poſt ad conditiones compulit, hinc Cajeta munitiſſima urbe accepta arcem expugnavit, Nicolaum Urſinum Petilianum Comitem & Johannem Jacobum Triulcium, quod ad Nolanos confugerant, captivos habuit. Sed hunc ob res Mediolanenſes ſtatim liberavit, illum ſub cuſtodiis tenuit Tarentum: Salernum usque ad extrema Italiæ omnia in eo ſucceſſu ſibi XIII diebus vendicavit. Quædam maritimæ Vrbes in fide Ferdinandi permanſere. Legati Veneti & Antonius Lauredanus & Dominicus Triviſanus equites tantarum rerum magnitudine attoniti Regem parva manu ea omnia paucis diebus confeciſſe admirabantur, fortunam ipſam Regi ancillam factam eſſe putantes paucisque diebus diſceſſere. Hac victoria fama incredibili univerſam Europam ad Aſiam usque concitaverat Gallus, unde Baiſetus Turcarum Imperator ac Ægypti deinde Rex de bello jam cogitare cœperunt. Jam littora Turcæ & inſulas in continentem fugientes deſtituerant, Chalcidis præfectus in Eubœa ſuos omnes in Conſtantinop olim miſerat. His diebus Zizimus Baiſeti frater in diligentia Regis rheumatiſmo moritur, non parva rei Chriſtianæ jactura. Gallus ſuperbia tumens intermortuam in toto fere orbe militarem diſciplinam arbitratus, præcipuum ex præſentibus adjudicavit magis movendam eſſe fortunam, quam expectandam, poſt tantam victoriam a Pontifice per legatos diadema regni Neapolitani petiit, cenſum quotannis perſoluturus. Quod cum Pontifex cum univerſo Concilio recuſaſſet, de Hieroſolyma nihil cogitans de Italiæ imperio deque Pontificis ſtatu mutando in animo volvere cœpit. Interea milites per Campaniam, Apuliam, Calabriam, Brutiumque diſtributis Magiſtratibus ſecuri vagabantur, domos privatas diripiebant, fana ſpoliabant, nec a Sacris Virginibus abſtinebat dira libido, Principales fœminæ ſtupra perpeſſæ corporum ludibria deflebant: itaque nulla in parte ceſſavit luxuria ebrietasque atque rapinæ, quæ inviſum Gallorum nomen protinus fecerunt. Incolæ magna ex parte mutata ſententia jam pro Ferdinando vota nuncupare cœperunt, Vulgata oppidi Montisfortini truculenta cæde ac Sancti Johannis Cajettæ item ac Tuſcanenſis Civitatis everſione. His cognitis Alexander Pontifex ſibi timens depoſita ſpe, quam in Romana turba rei militaris experte poſuerat, Vrbe extrema inopia laborante, cognito Caroli Regis odio ac Valentiani Cardinalis fuga inſtantem ruinam reformidans, incerta conſilia volvebat: Statuit convocato Patrum Concilio de ſumma rerum deliberare, in quo hæc pauca elocutum accepimus; Videtis, inquit, Gallorum Regem Carolum Italiæ magnam partem ſubegiſſe & eam armis virisque impleviſſe a Pontificia ſede oppida urbesque emiſſe, jam penitus Eccleſiam everſurum videmus; multos enim proditores, multos Sedis Apoſtolicæ hoſtes cernitis, nemo noſtrum in reditu tutus erit. Hinc profecto mea ſententia diſcedendum eſt. His dictis voces confuſæ fuere, aliis alia judicantibus. Tandem viſum eſt in tanto rerum præſentium diſcrimine nutantes Italiæ res Principum fœdere poſſe contineri, ad id Maximilianum Romanorum Regem & Hiſpaniæ Reges, Senatum Venetum ac Mediolanenſem Principem Ludovicum. Sfortiam idoneos eſſe. Miſſis igitur Legatis nova fœdera inter hos Principes circiter Calendas Aprilis icta ſunt. Ad quæ Dux Mediolanenſis invitus trahi videbatur, eum tamen Sebaſtianus Baduarius eques & Orator Clariſſimus Veneti Senatus Legatus mortuo Benedicto Triviſano Collega adeo conſtanter ſtabilivit, ut imperium omne pro Italiæ & Eccleſiæ ſalute facile expoſiturus eſſet. Eo tempore fama hujus victoriæ Imperatoris Turcarum aures impleverat, qui ad Senatum Venetum legatum miſit, ut in commune rebus conſuleret. Is pollicitus eſt exercitum & claſſem ingentem ſibi magis, quam Senatui Veneto timens. In Senatum ſupervenerat Philippus Argentonus Regius Legatus, qui cum audiret (ut fit) Turcarum ſuperbas minas, illos Regem ſuum in Italia malle experiri, quam in Græcia vel Theſſalia reſpondit. Hic ſequentibus diebus patefacto Principum fœdere ita ſupra modum excandu-

it,

Digitized by Google

it, ut quæ in Senatu a Principe dicerentur, non perciperet. Respondit tandem audito novo fœdere, impium sibi videri Regem suum periculose in extrema Italia occludi, ad quem Princeps fœderis Summa his paucis aperuit. Scito hanc societatem non in Regis tui perniciem excogitatam, sed pro Ecclesiæ salute ac Italiæ tutela initam esse. His acceptis sollicitudinis plenus discessit & Regi per nuntios omnia significavit, qui dissimulato metu sibi ampliora fœdera superesse jactabat. Verum qua ratione liberum in Galliam recessum habere posset nesciens, turbatus in concionem processit, in qua discriminis ratio habita est & qua posset via Genuensium studia a fide Ludovici Ducis avocare perquisivit. Verum Pontificem ad obsequia facile revocare posse sperabat. Alioqui objectis criminibus nec purgatis convocato Patrum Concilio a Pontificia sede perturbaret, vel invitum in Galliam duceret. Vrgebat instantis pudoris dolor, quod Rex Summus devictis Regibus ac subito amisso regno præceps discedere cogeretur. Decrevit tandem relictis in Apulia & universo regno præsidiis subitis itineribus magna copiarum parte Romam contendere, ut rei festinatione socii novi fœderis opportune cogere militem non possent. Hæc cum intellexisset Pontifex, cum universo Concilio V. Calendas Junias Roma egressus Hieronymo Georgio Equite Veneto Legato suadente militibus, quos Venetus Senatus ad ejus tutelam paulo ante miserat, circumseptus in urbem veterem primum secessit. Deinde Perusia decreverat Anconam adire, & Venetias postremo navigare si opus fuisset: Rex Gallus interea Senas venit & a factiosis civibus in urbem receptus est & arcem occupavit, deinde ad Calendas Junias Romam venit. Amissa opportunitate frustratus intacta Roma Pisas venit, ubi Genuenses a fide Ludovici Ducis & quasdam transpadanas urbes avertere conatus est, ut liberam abeundi potestatem haberet. Quod cum impetrare nequiret, viam saltem sibi ferro aperiendam esse proposuit. Spem dabat celeritatis fiducia ac segnior (ut sperabat) sociorum expeditio. Tum Auriliensem Ducem, qui Alpium fauces custodiebat, excitavit, ut jure hereditario res Mediolanenses turbaret, opem protinus laturus. Is Novarienses quosdam Optimates, ut in Ludovicum conspirarent, effecit. Forte Mediolanenses milites ad custodiendos ditionis suæ terminos missi fuerant. Hos Auriliensis Dux intercepit protinusque in urbem Novariam IIII Idus Junias exceptus est a civibus, quos clandestinis Consiliis sibi conciliaverat: cum eo Equites D. armati erant, Peditum VIII. millia, paucisque diebus arcem male munitam occupavit. Pavor ingens Ludovicum Ducem, ne imperium subito amitteret, attonitum animoque hærentem reddidit, qui cum hæc tristia accepisset ex arce summa ad ædes Hieronymi Leonis Legati Veneti descendit, paucis comitantibus, amotisque arbitris allocutus est, orans, ut titubanti imperio nutantibusque rebus subveniret: Novariam urbem ditissimam misere amissam esse: utque Senatui rem ordine significaret, statumque illi commendaret, obsecravit. Legatus vero omnia se facturum promisit. Illum semper Veneto Senatui charissimum fuisse nec socia arma pro ejus salute defutura. Idque propediem re ipsa cogniturum. Vnde Venetus Senatus cognito Sociorum discrimine pacis alioqui studiosissimus a Pontifice & Ludovico Duce ad redimenda loca, quæ amiserant, ad arma capessenda sociali jure in dies magis atque magis excitatur. Constitutionibus enim fœderis pro sociorum auxiliis quisque proportione virium & fortunæ taxatus fuerat. Subito igitur Græcos milites stratiotas M. CC. navibus longis onerariis jussit acciri, ex quibus ducenta Bernardo Contareno Duci signat, is protinus Novariam contendit. Cum Galeacio Severinate omnium Mediolanensium Copiarum Præfecto cum DCC. equitibus armatis, Teatonum peditum VIII. millibus, & Auriliensem Ducem obsidione premere cœperunt. In Italia nihilo minus Senatus militem cogere cœpit, & XIV. Calendas Julias, ut diariorum nostrorum rationem exordiar, Melchiorem Trivisanum exercitus Legatum delegit. Interea Carolus, præclusis undique viis, maris pericula subire nolens, eventum belli ancipitem tentare maluit, & Pontremolum subito milite venit: id oppidum sub Appennino est angustiasque montium præcludit, quibus Parmam itur; idque captum, quod sine ullo fere præsidio esset, cremavit protinus. In hac re Ludovicum Mediolanensium Ducem non probarunt, qui in tanta rerum expectatione ita oppidum misere deseruit. Tum Melchior Trivisanus IIII. Calendas Junias Patavium venit, ubi milites, qui in stativis erant, collegit; Idem mira celeritate Veronæ, Brixiæque effecit. Interea Senatus Venetus, suadente Augustino Barbatico Principe, Francisco Gonzagæ Mantuano Marchioni, Socio Rodulpho Patruo, præfecturam exercitus designavit, qui summam rei cum Legatis gubernaret. Dum hi militiæ se accingunt & milites cogunt, Melchior Trivisanus Consilio Comitis Rhanucii Pharmesii ac aliorum Ducum de belli apparatu deliberavit, de numero equitum ac peditum deque tormentorum ratione ac numero, quæ bigis vehi possent, recensere cœperunt. VI Idus Junias equitibus levis armaturæ stratiotis, qui pridem DC. numero Venetias venerant longis navibus advecti, Petrus Duodus præficitur. Melchior Trevisanus Legatus a Senatu petiit, ut longiora ad se tormenta, quæ serpentinas, vulgus passavolantes, vocant, XII. mitterentur, quibus Gallus uti maxime solet. IIII. Idus nuntiatum est, Germanorum liberas quasdam Civitates, quæ nobis sociæ dicuntur, in Mediolanensem Ducem arma movisse Regis Gallorum causa, ad quem furorem sedandum præmissæ pecuniæ fuere. Idibus Juniis Legatus Venetus collectis undique magna ex parte militibus ad Olium flumen pervenit Senigæque constitit expectaturus Senatus Imperia. Interea Franciscus Gonzaga Mantua cum delectis equi-

Digitized by Google

equitibus peditibusque, Rhodulpho Patruo Socio, Senigam contendit, ubi Legatus XI. Calendas Julias constructo ponte Olium flumen superat. Tum præfectus Copiarum equites mille armatos, peditum decem millia collecta recensuit. Deinde castrorum Prætores creavit VI. qui jus militi dicerent, alimentisque pretia darent, Phæbum Mantuanum Comitem, Aloisium Avogarium Comitem, Johannem Franciscum Gombariensem, Marcum Martinengum, Tutium Constantinum, Julianum Codonoliensem; & copias demum trajecit, X. Calendas Padum constructo ponte transit. VIII. Calendas per agrum Parmensem ad Tarri pontem IIII. millia passuum a Parma urbe distantem pervenere, ibique castra locarunt: copias militum Mediolanensium expectantes Duce Comite Johanne Francisco Acajazano. Huc Lucas Pisanus alter Legatus a Veneto Senatu designatus venit. Convenerant Italæ acies XI. peditum XII. millia, quinto Calendas vallem versus, qua Gallus transiturus esset, castra moverant in Opinianoque Vico consederunt a Foro novo circiter III. M. P. a Parma VIII. M. ubi vix fides de adventu Gallorum habebatur. Itaque IV. Calen. Speculatores præmissos explorare jubent, qui ex Incolis Gallorum copias adventare acceperunt numerumque hostium circiter XX. millia per Apenninas valles duci; alii XV. millia duntaxat significarunt. Nam inutilis plebs, calones, lixæ, fœminarum grex, impedimentorum ingens numerus majores hostium copias ostentabat; Latinorum vero numerum suo recensebimus loco, adventantibus singulis diebus militibus. Jamque Carolus Rex ad Vallis extremas angustias pervenit, supraque montis vertice II. mill. pass. a Foro novo castra metatus est. Interea Senatus Venetus, qui a rebus divinis semper exordium sumere consuevit, publicas supplicationes pro pugna ineunda decrevit, nec cessarunt ab oraculis pia Sanctorum Virorum vota, ac Sacrarum Virginum apud Deum deprecationes, quibus Deus Optimus Maximus Venetum Senatum Divo Marco Præside procurante servaret. Post hæc variæ in Senatu sententiæ fuere, alii in pugna spem posuerant, copiarum numero incredibili, hostiumque formidine & rerum omnium inopia moti, fugientium tergis inhærere facile persuadentes, præsertim quum auri argentique cupidine milites traherentur. Alii pugnam protrahendam esse ostendebant, bellique eventum dubium esse, victum Gallum exercitum duntaxat amittere, Victorem vero universam Italiam in maximo discrimine versari. Vicit tandem sententia, ut fortuna pugnæ committeretur, famaque vulgaverat, Venetos nullo pacto cum Gallis pugnaturos. Propterea jam Hercules Dux Ferrariensis ad Regem literas dedit, quibus Venetos Legatos nullam prorsus pugnandi auctoritatem habere significaverat, ejus fides ac auctoritas apud Regem mira habebatur, quando quidem filium obsidem reliquerat. Optarat hic, ut Gallus potito regno totius Italiæ arbiter fieret. Gallus nihilominus sollicitudinis plenus Venetorum exercitum incredibili celeritate præter spem compertum esse ab exploratoribus audivit, ac indies augere cognovit, accedebat & militum fames & intra Apenninum exigua pabula, de fuga, pace vel induciis cogitare cœpit, cum nulla supplementorum certa spes esset ex Gallia rei festinatio prohibebat acciri. Verebatur, ne divina justitia illam ipsam fortunam, quæ totum orbem antea polliceri videbatur, præcipitem ex alto rerum fastigio in imum subito devolveret: Itaque, ut solet fieri, cum ultimi discriminis tempus appropinquat, in sollicitudinem solita confidentia, in metum prior audacia, in humilitatem tumens superbia vertitur. Tandem cum pugnandi necessitatem videret in paucorum militum virtute Suevorumque robore ac tormentorum mirabili magisterio omnem spem contulit, spem vultu simulans aspectu admodum læto similis & in armis promtæ audaciæ videbatur. Totis tamen viribus omnique consilio pacem vel inducias primum tentare, alioqui belli discrimen subire statuit cogitavitque præcipue Joh. Jacobi Triulcii consilio victoriam facile successuram, si titubantes Parmenses sibi adjungeret, idque facile fieri posse, si Venetorum copiæ ultra Tarrum castra collocarent. At contra Legati Veneti suspecta Parmensium fide Oppianum Vicum occuparunt, Galloque spem ademere, ne Parmenses deficere auderent. Cognita hac re Gallus animum alioqui ferocem ad pacem tentandam magis convertit, Caduceatoremque ad Venetos Legatos Lucam Pisanum & Marchionem mittit Trivisanum. Hunc patrio nomine Araldum vocant Galli. Is intromissus: aderant enim & reliqui Duces, pallio linteo cyaneo aureis distincto liliis, inquit; Regem suum, novum exercitum Veneti Senatus vias præclusisse non parum admirari, semperque Reip. Venetæ amicum fuisse, non esse qui nesciat, nihilque aliud desiderare, quam in Galliam abeundi potestatem alimentaque pro exercitu velle æquo pretio comparare. Dimisso in aliud cubiculum caduceatore consultisque rebus, eidem rursus intromisso sic legatum alterum locutum esse accepimus: Nullam pacis induciarumque auctoritatem sibi esse, verum si pacem velit, depositis armis Ludovico Duci Socio Novariam & quæ Pontificis sunt urbes & oppida vi sublata prius restituat. Caduceator vero respondit: Regem suum liberum abitum velle, alias super Italorum cadavera cruentum transiturum. Illi superbia Gallica indignati, id actutum velle experiri dixerunt, nec Latinos omnes imbelles & effœminatos existimari debere, nec virtutem militarem in Italia penitus esse deletam, nec Florentinos, Romanum Pontificem & Alphonsum Regem vel filium Ferdinandum hostium fortitudine superatos fuisse, sed putandum id fortunæ ostentatione accidisse. Dimissus Caduceator haud imprudens a Venetorum exercitu (ita enim evenire solet) quæ audiverat videratque Regi renuntiavit: Venetorum copias ingentes adesse, qui hilari animo pugnam expe-

Digitized by Google

expectarent quique potius ultima passuri essent, quam liberum commeatum præstarent. His auditis IV. Nonas Julias in summum montis jugum se contulit, ex quo ut copias Venetorum ingentes prospexit, ingenti suspirio sese deceptum fuisse acclamavit. At Jo. Jacob. Triulcius & Franciscus Soccus cum Optimatibus Regis animum large exhortati sunt, quod solo regio nomine hostes in fugam verti non dubitaret. Itaque cum pugnandi necessitatem videret, belli discrimen subire constituit, militesque circiter XI. speculatum præmisit. Ab exploratore ubi Gallos primum adventare in Venetorum castris nuntiatum est, omnes fere ad capessenda arma prosilire læti, militesque levis armaturæ, quos Stratiotas vocant, circiter DC. primi obviam venientibus hostibus cursibus citatiores iere. Galli cum Duce venientis exercitus speciem tribuentes anteibant. Quos Græci milites, statim ex improviso aggressi sunt, partim in fugam convertere, partim trucidavere. Stratiotæ Victores prima dimicatione læti, affixis lanceis velitariis hostium capitibus castra ingressi sunt ac magno plausu excepti. Quidam eorum, ne vacuus redire ex prælio videretur, obtruncato crudeliter cujusdam incolæ Presbyteri capite, de quo statim conquestum est, militum ordini se addixit. Hoc parvæ rei successu summa indicabatur eventus: qui fugerant Regi terrorem incusserunt, & cum copias contrahere non posset, tertio nonas in extrema valle constitit & robur omnium virium recensuit, M.CCC. equites fortissimos armatos delegit, sagittariorum equitum duo millia & septingentos, Svevorum Germanorum peditum VI. millia, qui bipennibus, securibus, hastis ac minaribus tormentis armati sunt. Pedites sagittarios CCCC. milites levis armaturæ ducentos, tormenta, quæ pilas immani ponderis ferreas ac plumbeas emittunt, XLII. Magisterio incredibili instructa. In his, salutis spem omnem locavit, nec diutius famem expectandam, sed belli discrimen subire decrevit. Vallis ipsa a Foro novo ex angusto in patentes campos duobus utrinque collibus extenditur in dextram & sinistram; illa in Opianum Vicum versus, hæc in Medesanum, Tarro flumine per mediam fere planitiem decurrente. Veneti enim [ut dictum est] in dextro clivo consederant Parmensibus objecti. Gallus vero peracto divino sacrificio sinistram omnium Optimatum consilio petere constituit, Medesanum versus, locum tutissimum. Pridie Nonas Julias primum milites curare corpora, deinde armari jussit. Per locum enim tutissimum transiturus erat, hoc est per collis decliva, quæ lacunæ, cænosæ voragines, Tarrus fluvius, riparum altitudo, arbusta præterea virgultaque hostibus prætereuntibus tutissima etiam reddebant, ad quæ sine magno incommodo hostes pervenire non poterant, qui si præcipites ac pervicaci animo adoriri vellent, sua lassitudine dissipati vincerentur. Ea ratio salubris consilii visa est, ut inter eas angustias, saltusque hostes Venetos tuto opperirentur; qui ubi dimicaturi essent, nescio quo animi furore aut præcipiti mente planum locum non reddiderant. Alii repentinæ & tumultuariæ pugnæ, alii mercenarii militis inopia, qui nondum in castra venerant, id attribuunt. Erant in hostili exercitu Parmenses Agricolæ, qui locorum rationem noverant, imber item plurimus campos lubricos & inequitabiles effecerat. Rex interea tria agmina ingentia digerit, primo Johannem Jacobum Triulcium præficit, in quo CCC. equites erant, ac ducenti leviter armati. Peditum hastatorum Germanorum duo millia, quos, qui parva tormenta manibus gestabant, & bipennibus & securibus armati, circuibant; exiguo intervallo ante equitabant soli, Comes Nicolaus Petilianus, & Franciscus Seccus [hic ductor, ille captivus erat] de rerum eventu inter se colloquentes. Paulo post secundum agmen sequebatur, cui Rex ipse præerat; sexcentis equitibus constabat. Id pugnam vocant Galli altissimo vexillo conspicuam; in eo equites erant sagittarii omnes, quos enumeravimus, & Germanorum peditum agmen, robur fere omnium virium Regis. Postremum agmen pari spatio succedebat, in quo quadringenti equites erant, pedites circiter mille: reliqui hastati pedites agmen unum vel phalangem ingentem constituebant, quæ non longe ab equitum aciebus incedebat. Tormenta a fronte primum agmen & secundum Tarrum versus tuebantur. Adeo disciplina militari recte composita erant, ut nihil ordine excederet neque miles neque pedes vagus aciem exiret. Rex ipse duobus Cardinalibus tergo imminentibus agmina obequitabat & quanta inter indoctos esse poterat Eloquentia [Principes enim Galli literas negligunt] Duces omnes ac equites peditesq; ad pugnam hortabatur; nihil infractus feroxque Regis animus unumquemque nominatim excitabat. Galli vero qui mira quadam religione Regem suum colunt, protinus his vocibus secuti sunt: Omnes vel viventes vel mortui ultima vi victoriam tibi hodie daturi sumus ante conspectum tuum. Mox jubet Rex, ne quis vagus agmen exeat: neve quis prædæ intentus socios deserat aut gradum referat, vexillaque respiciant, memoresque sint, admonuit, tantæ & divinæ victoriæ, qui Italiæ magnam partem ferme subegissent, & inveteratæ virtutis, qua Occidentis populos domuissent, militesque Italos tyrones militumque Præfectum juvenem sine rei militaris experientia cum illis certaturos cognoscerent, Ludovici Ducis milites imbelles, nullam præterea in fuga spem, sed in victoria tantum esse edocuit. Spolia item, quæ vobiscum affertis ex hostibus, vestra sunt, omnia auro argentoque fulgent. Venetos nihil aliud, quam arma gestare video. His dictis equites cruce obsignata fronte, Cymbri pedites deosculata tellure omnes ordine incedebant. Interequitabant Tubicines, qui regio nomine milites ad hostium jugulos & oculos hortabantur. Interea Franciscus Gonzaga Præfectus socio Rhodulpho Patruo, qui castra in tutissimum locum intulerant, vallo fossaque munierant, etsi

Digitized by Google

magna ex parte arduo clivo Tarrum versus suapte natura tuti erant, audito Gallorum adventu & perfecto Deo Optimo sacrificio in cubiculum Legatorum intromissi sunt cum Ducibus omnibus primusque Melchior Trivisanus, annuente Collega, pauca in medium protulit. Certa, inquit, hodie Principes ac Duces Optimi a Deo Maximo Divoque Marco urbis nostræ Præside victoria nobis parata est. Certus tibi, Francisce Gonzaga, triumphus est, Vobis cæteris Ducibus ac militibus spolia opima oblata sunt. Hostis Gallus, qui divinis humanisque rebus non pepercit, inopia fameque, quali clausi solent, laborat, multisque itineribus præruptisque saltibus defatigatus est, hostibus circumquaque septus, sine auxiliorum spe adeo divino fato derelictus est, ut qui induciarum proposita specie fugæ locum non invenit, in summa rerum desperatione versatur, gladio salutem quærat, ferro sibi viam faciat; etsi nobis ingentes copiæ sunt & veteranorum militum promtiores animi tyronumque feroces, & quisque pugnandi desiderio tenetur, consilio tamen atque disciplina militari opus est; quæ omnia etiam sine obsequio irrita sunt: spolia illa Neapolitani regni ingentia, quæ secum ducit, vestra sunt, si hodie Gallos prælio domueritis. Subito tota concione manavit lætitia. Verebantur Duces, ne Senatus Venetus bellum protraheret. Tum Franciscus Gonzaga Præfectus: Patres inquit, Optimi, si fata hodie nobis propitia erunt, Veneto Senatui vel universæ magis Italiæ si non disciplinæ militaris exemplum, fidei tamen periculum in conspectu omnium vestrum ostendam. Et quo majus discrimen erit, relicto huic patruo meo imperandi officio ipse pilo ac ense cum delecta manu viam inter hostes faciam: nec rerum magnitudo nec Gallorum summa desperatio animum perturbat. Post hæc agmina Duces & eorum ordo constitutus est. Numerus omnium copiarum in acies novem more Gallico divisus est, eo consilio, ut prima Gallorum acies ac media duabus Italis attentius pugnando vexaretur, ita ut postremi agminis gradum referre nequirent. Ipse vero Præfectus ac ejus Patruus cum Rhanucio Pharnesio in postremum agmen hostium ab utroque latere irrueret, dissipato eo agmine priora facile a fugientibus perturbarentur, & cæteræ acies in promtum datæ subito imperata facerent. Prima acies Græcos milites levius armatos continet, Petro Duodo Duce, cui imperatum est, ut summum montis jugum a tergo caperet, hostes lacesseret, ordinesque disturbaret; secunda quæ ex Italis equitibus Cataphractis constabat quingentis decem Rhanucio Pharnesio, Aloisio Aougario sociis. Tertia peditum phalanx, cui Gorlinus Ravennas & alii Duces præerant, IIII. millia continebat, huic ne magno intervallo a Præfecti agmine distaret, locum subjugavere, ut titubantibus protinus subveniret. Comes Bernardinus Fortebrachius Vincentio Corsico, Ruberto Strocio, Alexandro Beraldo Patavino. Jacobo Savorgnano Utinensis, Aloisio Valaresso Patricio, Marco Martinengo, Comitibus Brandolinis Sociis, cum equitibus CCCLXX. cataphractis quartum agmen ducit cui ut postremum quoque Gallorum agmen adoriretur, imperatum est. Joannes vero Franciscus Acajazanus Comes Sociis Galeaceo & Antonio Maria Palavicinis, Hannibale Bentivolo Bononiensi, & Galiotti Mirandulensis filio cum equitibus cataphractis DLXXX. ut secundum Gallorum aciem aggrederetur, jussa accepit. Inter hæc duo agmina duo millia peditum distributa sunt. In sexto agmine CCIV. milites ducit cum Thadeo Modella Socio Alexander Coleonus, quibus jussere, ut fluctuanti ubi opus esset aciei suppetias ferret, ob id parvo intervallo distarent. Comes Antonius pariter Urbinas ut pari spatio sequeretur, admonitus est, hunc ex Ducibus sequebantur Comes Joannes Franciscus Gambarensis, Carolus Seccus, Antonius Pius, Johannes Ripa Veronensis, Anguillarenses, Johannes Gradenicus Patricius, Lazarius Ariminensis, Petrus Chieregatus, Tutius Cyprius, Philippus Macedo cum CCCLXV. equitibus cataphractis. Postremum vero cataphractorum Carolus Melitensis regit, Taliano Carpensi, Angelo de sancto Angelo, ac Jacobatio Veneto sociis Ducibus equitum CCIXXX. cui imperarunt, ut castra servaret: cum eo Nicolaus Savorgnanus cum peditibus mille aderat. Nonum equitum leviter armatorum erat inter quos & Scorpionum milites erant in summa CCCC. Joh. Græco & Soncino Benzono Ducibus tormentorum idem ordo ac ratio habita est. Dimissa deinde concione cum se curarent milites, speculatores hostium adventum nuntiant triaque agmina haut procul abesse affirmantes, quod ubi in tota castra pertulit rumor, repente tubicinum clamor ad arma milites excitavit pugnandi avidos, qui partim jejuni, partim recreati in equis stetere agminaque milites haut impigre secuti sunt. Legati Veneti eventum rei juxta postrema agmina expectabant, ut si opus esset, Imperatoris officio fungerentur. Verum inter se ex dubio pugnæ eventu perniciosum Italiæ imo vere totius Orbis discrimen pensitabant. Regem si superari contigerit nihil præter exercitum & impedimenta amissurum: Verum amisso Venetorum exercitu totam protinus Italiam ad extrema venturum, sed instantem pugnam necessario ineundam esse fatebantur. Interea Gallus Rex agmina per collis decliva ducens, cum plueret miro modo compacta per æqua intervalla impedimenta universi exercitus, quæ innumera erant, & mulierum gregem summo colle servabat, pedites tormentaque agmina circuibant. Appropinquantibus itaque Venetis Galli in hostium agmina primi tormenta immiserunt, quæ magis pavorem ordinumque perturbationem novo præsertim militi quam stragem intulerunt. Tum Veneti incredibili pugnandi desiderio audito tubarum signo & exorto per agmina ingenti clamore ex quocunque agmine strenue jussi sunt procedere, qui hostium acies aggressi sunt, Franciscus Gonzaga postremum comite Bernardino Fortebra-

Digitized by Google

tebrachio, cum altero agmine medium Acajazanus eodem ferme momento omnes in hostes irruunt, qui objecta fossa, aggere inaccesso, flumine Tarro, interjectis virgultis spinetisque ac imbre dissipati, proni in hostium agmina magno impetu irrumpunt: impigre pedites quidam sequuntur, sed equites fere soli pugnam complent. Multi fossa cœnosa involuti cadunt, alii flumen non transeunt, quidam lubrico agmine prolabuntur in cœnum, multi loci iniquitatem timentes citra flumen constitere, sed qui strenue pugnam inierant jam discordes nec ad unum intenti imperium vario tumultu gladios miscent, cædes undique increscit, nec victus a Victore dignosci potest. Quidam ex Venetis relictis agminibus, formidantibus Ducibus in hostes irruunt moræ impatientes ad virtutis & animi ostentationem, alii imperium frustra exequebantur angustiis retenti. Comes Antonius Urbina Sagminis Dux loci iniquitate gradum non intulit. Veneti quidem animo majore, Galli majore industria pugnant. Namque non mediocris formido animos eorum incesserat ac hostium multitudo perterruerat. Franciscus Gonzaga Præfectus magis hic militem agebat, quam Imperatorem, infesto pilo primo concursu confosso hostis pectore agmen perturbavit, gladioque exinde acriter pugnando multa cæde ad interiora agminis penetravit confossumq; mutaturus equum ad suos rediit, Tum Rhodulphus equites peditesque cruentus quoque ad pugnam hortabatur & inveteratæ virtutis nominatim admonebat Viros. Tota enim postrema Gallorum acies pavore fluctuabat. Tum Galli Latinique palantes manus conserunt, adeoque implicantur adeo impigre utrinque gladios fringunt, ut qui Victores victique essent a nemine dignosceretur, & ita omnes cohærebant, ut armis arma pulsarent. Impedimenta statim novo furore perturbantur ab equitibus leviter armatis, qui prius Gallos pedites retroferre pedem coëgerant, hos secuti Græci milites, qui cuncta ex jugo conspexerant, tanquam aquilæ decurrerunt. Hi hostes & fusos trucidando ea diripiunt, quos & Latini pedites pleriq; ob avaritiam relictis ordinibus contra militiæ jura sequuntur, valido ruinæ incitamento. Ingens igitur rapina nullo ordine miscetur. In hoc tumultu Rudolphus Gonzaga in medio hostium agmine memorabili edita pugna, aperta galea in facie graviter vulneratur ac protinus concidit. Rhanucius pariter a pluribus simul Gallis post multas cædes opprimitur. Comes Bernardinus Fortebrachius Vir strenuissimus iniquissimo loco & periculi non ignarus Gallorum aciem dissipato agmine aggreditur. Tum hostis compositis alis confusos milites excipit, hi mutuis vulneribus pugnant, a pluribusque pauci oppressi interficiuntur, alii palude involuti necantur, quidam aggere ac flumine arcentur retroque cedunt. Ipse Ductor Valaresto acriter pugnanti opem laturus a pluribus hostibus circumseptus opprimitur. Collisa galea in capite graviter malleo vulneratur moribundusq; equo concidit. Agmen, cui Johannes Franciscus Acajazanus Præfectus est, dissipatur bombardarum terrore magis quam cæde. Solus Dux cum paucis strenue pugnam init, in quo Johan. Picininus avitæ gloriæ studiosus occubuit ac Galeacius Corigiensis: ex cæteris equitibus XLIII. desiderati sunt, reliqui milites abjectis lanceis & armis leviores fœde terga vertunt, Parmamque pecorum more fugientes contendunt, quidam Carolus cognomento Ingratus, omnes duci ad macellum Ducem objurgando clamabat. Crebris undique ignibus cœlum micat, tormentorum tonat ploratibus clamoribusque completur, pilæ ferreæ, æneæ, plumbeæ sibilantes sublimes feruntur, quæ sine cæde militum & peditum ordines disturbant. In eo pugnantium tumultu Comes Nicolaus Petilianus, qui hostium agmina antecedebat, nacta occasione, sponte sese Venetis dedit, qui suo adventu animos multorum titubantes erexit & agmina nutantia hortando stabilivit. Hic Legatis Venetis Gallos in summa trepidatione esse primus denunciavit, eosque haud dubio terga daturos, ob id persequendos esse; quibus satis est hostes depulisse contentosque esse sola fuga pedites, qui inter utraque agmina dispositi erant, inter quos plurimi ex Veneta plebe ancipiti pugna manus miscent, nec Gallus nec Venetus dignoscebatur: ex iis circiter CC. Hieronymo Genua Duce desiderati sunt, solique in ea parte pugnam sustinuere, ductor in jugulo vulneratus, & manu inutilis redditur. Parva utrinque tormenta irrita fuere, pulvere inflammabili imbre madefacto. Magno tormento Jacobus Adernus Veronensis in postremo agmine colliditur; Alter miles sublato equo in pedes stetit illæsus; ex hostibus nemo singulari certamine audet concurrere, sed plures singulos aggrediuntur, protinusque ad vexilla redeunt. Nulla enim Gallorum acies est vel peditum phalanx, quæ sine vexillo manus conserat. Sciunt enim, quo redeundum sit, dissipati milites. Ex Græcis pauci pugnant. Inter quos Petrus Busichius & Nicolaus Nonnensis vulnerantur, reliqui impedimenta corripiunt. Ex Gallis plerique amissis armis supplices annulos, pecunias, monilia offerunt, deinde ad suos redeunt. Legati Veneti juxta castra obequitantes, fugientes milites ignavos præ nimio pavore, nullo hoste persequente, [terror namque plerosque invaserat] coërcent, graviterque vano metu increpant: sese inermes ostendebant, ut sisterent fugam, & secum essent adhortantur. Comes Nicolaus Petilianus agmina inferre subsidio peditum svadere non cessabat. Nec tantam tamque divinam victoriæ occasionem oportere negligere acclamabat, victos fugatosque Gallos esse, si agmen unum auxilio gradum intulerit. Ductores discrimen timentes cunctando certamen differunt. Interea, dum acriter pugnatur, quidam peditum Duces, qui nec nomine digni sunt, sive dolo sive avaritia Legatis denunciant, Italos bello fractos cogique militem novo stipendio oportere. Alter item Melchiorem Trivisanum obvium, ut fuga se redimat, hortatur: cui Legatus sine intermis-

Digitized by Google

sione respondit: nequaquam Victoribus fugiendum esse. Nam etsi ab hostibus vinceremur, satius esset in prælio trucidari, quam ob male res gestas a Veneto Senatu capite puniri. Fortasse ille exercitus ruinam optabat. Interea multum sanguinis funditur, nec timido nec ignavo, qui pugnam trans Tarrum inierat, cessare nunc licet; Galli paulatim pugnando gradum referunt per collis decliva. Veneti vel saucii insequuntur. Franciscus Gonzaga Præfectus mutato equo eminens militem rursus cogit & delectis militibus pluribus interfectis hostem persequitur instatque majore conatu, Bârbontemque Nothum Regiæ stirpis cepit & Miolensem Principem: aliique milites nobiles a Venetis capti sunt, plures interfecti. Rex Gallus nec crista nec armis, minus item sublimitate equi a cæteris dignoscebatur, ne hostibus ad incessendum incitamentum daret; sed in agmine humilis delitescebat, & regia insignia deposuerat, ne in prælio proderent. Gallos tandem cedentes Veneti pauciores insequuntur; illi statim præcipites in collem abeunt contra Venetorum castra. Dirempta tandem per se pugna Latini ad Socia agmina redeunt, deinde omnes in castra se recipiunt. Hæc pugna intra horæ spatium peracta est, in qua tot Nobiles Duces interiere; In Gallorum exercitu circiter mille desiderati sunt, in Italo vero duo millia. Ex Gallis item Calones lixæque, qui interfecti fuere, numerum cæsorum auxere: ex Optimatibus XII. cæsi sunt, ex quibus Vardus Aristæus, Dux Sagittariorum Dasonus & Semplensis natalibus prænobiles, Thorsuensis Chandensisque, pecuniæ locuples Benonensis, Lemorlensis, Chetensisque Barones. Frater Turonensis Principis graviter vulneratus est, Dux Vigilum Regius, Amprutensis Equitum Sagittariorum Dux tormento contritus est. Hi atris avibus dimicavere. Capti fuere præter quos diximus Cherensis Nothus Principis filius, Bononiensis Nothus Regius, Borsensis ditissimus, Foretensis Patricius valde opulentus: ex nostris vero circiter CC. equites. Vbi hostium agmina fuerant, similis ruinæ strages a nobis visa est, nobilium Ducum & Gallorum & Italorum illos calceorum deformis magnitudo ad miram levitatis ostentationem vel in armis ipsis discernere dabat, quos & scalæ ab equorum sellis dependentes justa latitudine excipiunt. Unde equorum pari argumento ingens numerus dignoscebatur: ex Latinis vero præter quos supra diximus Vincentius Corsicus honestis vulneribus concidit. Rubertus item Stroicus & Alexander Beraldus socii in mediis hostium cadaveribus reperti sunt. Petrus Mapheus & Hieronymus Recalchus Veronensis, Johannes Malumbra Venetus strenui in interiore hostium agmine cecidere: hi egregia morte ante oculos jacebant sine cruore, oscula enim vulnerum imber colluerat, omnes in ora proni, sicut dimicantes adverso corpore, vulneribus pluribus in jugulo acceptis. Qui acrius, qui cautius inter hostes dimicaverant, quibusque prospera fuerit pugna strenue dimicantibus nemini fere certum fuit. Equites Latini cataphracti graves per iniquas campi angustias, fluminis mobilem glaream ripasque inaccessas ægre subvenire potuerunt. Galli expeditiores leviusque armati ex declivo collis subsidio compacto agmine procurrebant. Verum neque Gallus neque Venetus in pugna cruentissima persistere voluit. Veneto tamen ingentia agmina, quæ infra teli jactum immota manebant, veluti imperia expectantia, metum Gallis incutiebant. Avaritia item ad prædam Græcorum militum procurrentium pugnandi suspicionem attulerat. In ea pugna Gallorum impedimenta innumera omni opulentia ditia amissa sunt, in quibus auri argentique pondus ingens repertum est. Gemmæ, monilia, vestimenta & maximus luxuriæ apparatus a Veneto milite direptus est, & illa ingens regia præda, quam ex Neapolitano regno exultans Rex in Galliam triumphans asportabat, inter milites divisa est Græcos & pedites Latinos: in hunc enim diem totius anni discrimina fortuna accumulavit cumque plus milites raperent, strata erant loca vilioribus sarcinis, quas in comparatione priorum meliorum militum avaritia calonibus, lixis, rusticisque contemnendo reliquerant; & tabernaculum Regis omni luxu & opulentia instructum ad vilissimos milites pervenit. In summa præda omnis sequente die inter socios Græcos nequiter divisa fuit, quæ ducentibus millibus aureorum æstimata est. Vexilla quædam Ducum peditum in manus Venetorum pervenere; equorum mulorumque infinitus pene numerus in castra perductus est: inter ipsos Victores, dum dimicaretur, hostis erat, qui pretiosiorem occupasset prædam, dolabris pretiosæ artis vasa argentea concidebant. Ex regio apparatu abacus omnis ex auro argentoque cubiculique scrinia rapta sunt, in quibus vestimenta, stragulæ, peristromata & vasa convivalia, quæ Reges longa imperii possessione cumulaverant, sacelli sacri libri pretiosi, tabella gemmis ornata & sacris veneranda, annuli præterea gemmis pretiosi, in ipsa præda librum vidimus, in quo pellicum variæ formæ sub diverso habitu ac ætate ex naturali depictæ erant: prout libido in quaque urbe vesanusque amor eum traxerat, eas memoriæ gratia pictas secum deferebat. Interea Rex Gallus, postquam castra locaverat, de fuga incerta consilia volvebat; periculoso ac longo itinere Hastem versus, metus Regem turbabat, ne ab utraque parte hostibus occluderetur, tot urbibus oppidis, fluminibus interjacentibus. At pro sepeliendis cadaveribus induciæ datæ sunt. Rex protinus Caduceatorem misit qui sine tubicine Veneto castra ingredi non ausus est. Is comitatus ad Franciscum Gonzagam Præfectum & Legatos venit, a quibus cum inducias trium dierum peteret, hi ad meridiem duntaxat sequentem secessionem pugnæ ægre permiserunt pactitiam. Interea mixti sparsim Latini & Galli suos quisque quæritans, quos noverant, pacem funeri pro more dabat. Vidimus corpora fortium Virorum exuta ex intervallis

a

Digitized by Google

a pluribus spoliata, primi cariora ornamenta vel vivis detraxerunt milites Græci & Latini, deinde rusticorum incolarum greges a summis montium jugis pugnæ eventum spectantium arma sustulere, ac postremo calonum lixarumque, qui nudos tunica intima detracta passim mortuos & semivivos reliquere. Nec equorum corporibus invitamento minimo vis ac libido pepercit; Sellas equorum, tegumenta, tergora & soleas denique revulsas vidimus; lancearum fasces laceratos, alibi integros, tela innumera, sagittas, pilas ferreas æneasque & alia humi conjecta videbamus. Saucii plurimi nudi inter cadavera reperti sunt, partim opem petentes, partim semimortui, fame, sanguinis profluvio confecti ac solis vapore, siti, exerta lingua fatigati aquam poscentes. In ea re nulla crudelitatis facies deest visa est. Hi circiter CXV. fuere, inter quos & Galli mixti erant, confœdata cruore limoque facie servitutem metientes: qui sine delectu in castra Veneta delati a vulnerum Medicis curabantur impensa publica. Quidam amputatis manibus, pedibus, collapsis intestinis, nudo cerebro spirabant: adeo vitæ contumax natura est Plurima cadavera Tarro flumine in Padum devoluta sunt, reliqui plus quam duo millia feris relicta sunt. Inhumata solis ardore & imbre tumentia, quæ punctim ferme omnia sub jugulo vel in facie vulnerata erant, tormentis vero pauca contrita. Galli plurimi primo concursu prolapsi concidere, pila enim breviora gestant, ob id priores ictus sensere: verum Galli gladio aptiores videbantur, nam quo brevior est, eo aptior habetur. Arbitrantur plerique Gallos exigua manu Italos fugare potuisse, si ausi fuissent ultro gradum inferre, quos locorum angustiæ coarguunt. Compacto enim agmine Latinos loci iniquitate lacessere non potuissent, qui pari conditione per angustias paludesque dispalati fameque domiti quinque Venetorum agmina integra minime profligassent, nec latius extendi acies patiebantur angustiæ. Verum Comes Acajazanus rem dubiam esse ratus pugnam sequenti die expectans perpetuos nuntios ad oppidum Colurnum juxta Padum miserat, ubi soror sarcinas, quæ in arce erant, collegerat, ut si Latinis male pugnare contigisset, literis admonita divitias omnes in Naviculam in promtum datam protinus deportaret, nec ea nocte scribendi defuit cura, ut de rebus certior fieret, ejus milites plurimi hac die confugere, nec vulpem venari oblatam voluerunt, novo castrensi adagio. Vesperi itaque cum Legati Veneti in castra se recepissent, dispositis a Præfecto excubiis, de pugnæ eventu Senatui significarunt. Literæ, quæ citius quam credibile sit, crebris per justa intervalla tabellariis Augustino Barbadico Principi Sapientissimo redditæ sunt, quæ maximo totius urbis expectatione in populum effusa omni civitate in frequentissimo Senatu lectæ sunt; quarum summa erat, exercitum cum hoste conflixisse collatis signis; plurimos utrinque concidisse, salvum denique exercitum esse. Eventum namque præsentis pugnæ in tantis rerum perturbationibus adhuc non satis sibi esse perspectum nunciarunt. Verum sequenti se epistola rem ad unguem significaturos. Hi victoriæ ignari, conversis partim militibus ad sua tentoria, ut dividerent spolia, partim ob insuetam armis multitudinem in fugam concitatam, varioque castrorum tumultu, quique hostium damna non cognoverant, vix ea significare potuerunt. Senatus igitur Venetus ac Vniversa Civitas deteriorem fortunam existimans lectis literis in summo discrimine rem versari arbitrabatur, quandoquidem nihil specialius ex iis intelligi potuisset. Suspicionem deterrimæ fortunæ auxere literæ, quæ Ferrariæ eadem die delatæ sunt, quibus simulato mœrore Venetos bello fractos fuisse denunciabatur. Eadem ferme Ludovicus Mediolanensis Dux a Comite Acajazano literis acceperat non sine magna animi perturbatione, quarum exemplum ad Senatum miserat. Vario igitur tumultu universa Civitas fluctuabat, donec Senatus sequenti die de omnium rerum statu particulatim literis certior factus, desperatam Victoriam omnibus patefaceret. Exorta est præter spem per totam urbem lætitia, perspecta victoria, cognita magna ex parte præda ac hostili metu, qui pugnare non auderent, sed modo inducias, modo pacem supplices peterent. His ordine acceptis Senatus decreto Deo Divoque Marco Præsidi publicæ gratiæ aguntur, & Civitas genus omne lætitiæ effusim celebrat. Interea igitur Gallus convocatis in concionem Primoribus: Ecce, inquit, Proceres, multa cæde multoque sanguine perfusi in hac cruentissima pugna hostes post terga tandem, & si perquam infortune relinquimus, pluribus impedimentis amissis, satis tamen fuit parva manu tantum evasisse discrimen: Summa enim felicitas esset, si omnia prospera evenirent; sed ferendum est, si fortuna totius anni, mala omnia in hunc diem congesserit, quæ atra nobis prænuntiata fuerat: ita ut fame coactus, magno periculo, amissa gloria, amisso regno, amisso triumpho, relictis in Apulia Calabriaque militibus, parvis copiis domum mihi redeundum sit. Sed hoc uno lætor, quod milites nostri summa virtute vera militari disciplina pugnaverunt, paucique ex Nobilibus, & cæteris militibus non multi, desiderati sunt, pauciores saucii. Nihil quidem sub cœlo diurnum, cedendum est quandoque fortunæ. Bellum cum Alphonso Rege & filio sine cruore confecimus. Sed omnia Veneti nobis immutarunt. Id regnum non mihi, sed vobis omnibus partum est. Nos regno amplissimo longa successione fruimur. Reliquum est, ut quanta maxima potest celeritate universus exercitus in tuto collocetur. Sed Tu Triulci Præfectum castrorum juvenem puerumque sine disciplina militari prædicabas, malus puer mihi eo die visus est, qui si in plano pugnare contigisset, longe pessimus fuisset. Dimissa concione cœnavit, eaque nocte in alieno tentorio quievit. Excubiæ duplicatis ordinibus in maximo rerum discrimine imperatæ sunt, ignes perpetui in castris

Digitized by Google

castris erant: magna noctis pars a Ducibus in consultatione consumta est, summa Consiliorum fuit, ut sub induciarum specie hostis deciperetur, & ipsi fugam corriperent. Rex nonis Juliis Caduceatorem ad Venetos Legatos mittit, qui intromissus coram Præfecto castrorum & cæteris Ducibus nuntiavit Argentonum nomine regio colloquia desiderare, assensere dicti Legati, dum discedere vellet Caduceator, a Præfecto exercitus interrogatus est, quot ex Gallis Optimatibus cæsi fuissent in pugna, idem circiter XIIX. vel mortuos deflevisse Regem respondit. Præfectos II. vivere indicavit nothum Magnum Barbontem & Principem Miolensem, nonnullosque equestris ordinis saucios servari: reliquos mutua vicissitudine trucidatos esse. Dimisso Caduceatore cum Legatis, exercitus Præfectus Comite Acajazano ac Nicolao Petiliano Argentonum Legatum Regium ad Tarrum expectaturi devenere. Fluvius enim utriusque exercitus arbiter erat. Argentonus cum primum venisset, nunciavit Madodiensem Cardinalem statim venturum, qui cum in planum venisset, constitit, & insidias timere simulavit nec ad Colloquia ut veniret, audere visus est. Interea diutina cunctatione Argentonus strenuos Venetorum Militum animos summopere laudavit, qui omni incommodo neglecto pugnare voluerint: Et utrumque exercitum pravo momento cruentissimam pugnam confecisse. Legati vero multa adversus Regem protulere, illum fidem non servasse, Oppida Pontificis diripuisse, & urbes plurimas Sociorum occupasse, & Mediolanensis postremo Ducis Novariam cepisset. Præfectus vero se egregium facinus tentasse inquit, Barbontem Ducem pro Rege cepisse vestimenti similitudine deceptum, nec aliud in ea pugna optasse, quam Regem equo sublimem dignoscere, ad quem tota acies neglecto omni discrimine irrupisset. At Argentonus inquit, non facile posse Gallorum Regem capi, nisi deleto omni exercitu, quem omnes summa veneratione & colunt & tuentur. His dictis infecta re utrique in castra rediere. Vesperi cum in cœna Legati essent, idem Regius Caduceator supervenit, ingressus nunciat Argentonum nomine regio colloquia desiderare & eadem, quam Cardinalis statuerat, dicturum: Illi respondent, horam suspectam esse militibus furore percitis, sed summo mane opportunum fore, ille non prius quam victa fame discessit. Legati percognita Gallorum trepidatione, visa denique præda, victoriam omnem exactius Veneto Senatui (ut dictum est) significavere. Per id ferme tempus Senatus Venetus classis Imperatori Antonio Grimanno literis imperavit, ut statim Corcyra solveret stratiotasque trajiceret in Apuliam, ut urbes, quas Galli possiderent, omni nixu expugnaret. Hic depositis equitibus & omni milite Monopolim urbem vi protinus occupavit, in qua pugna Petrus Bembus Dux triremis fortiter pugnando bombardæ ictu contritus est, & prædæ Civitas data est, salvis S. ædibus & muliebri sexu, qui in templo Imperatoris jussu custoditus est, arcem denique sub conditionibus a Præfecto quodam Gallo in deditionem accepit impositoque præsidio Neapolim versus navigavit. VIII. Idus Rex Gallus Ducibus omnibus assentientibus post primas vigilias frænatos equos stare & universum exercitum in armis esse jubet, idque per tubicinem totis castris significavit, simulans, se idem per exploratores ab hoste Veneto fieri accepisse, ne tumultu ac pavore castra fluctuarent, vigiliasque intentiore cura servari jussit. Ergo ignibus perpetuis solito majoribus tota regia castra fulgebant. Ipse cum Ducibus acceptissimis agmina læto similis circuibat, & ad pugnam omnes parari suadebat & sarcinas colligi, ut pugnando discederent. Solicitudo vero vigilandi Venetos duntaxat tenebat, secundam sequenti die pugnam expectantes. Nec defuere ex iis, qui vigilias custodirent, qui significarent, tumultus in Gallorum castris & equorum hinnitus exaudiri, unde ad arma milites excitarunt ex tabernaculis horrido tympanorum pulsu: qui exinde nihil aliud exaudientes quieti rursus corpora dedere; suspicio quæ non vana erat, per se resedit. At post primas vigilias Gallus collectis sarcinis, territus sine tubæ signo, precatus, ut prospere & inscio Veneto aufugere posset, ac pervigil ea nocte ad fugam tantum se accingebat. In tentorio quodam noctis horam quærebat, vigilias recte servari jubebat, circumstabant tentorium ordinum Duces sine somno ad accipienda imperia. Ille tandem, ut equos conscenderent imperavit, & Trebiam versus Triulcio Duce iter facere jubet. Milites ubi Regis fugam tandem deprehendere exustis tentoriis quibusdam & tegumentis equorum aureis concisis, quorum frusta humi cernebantur sepultisque quibusdam tormentis ac vasis militaribus jugulatisque equis in prælio sauciis, quicquid gravissimum onus erat, igni tradidere, alioqui hostium esse confitebantur; unde collucentium ignium vis illa erat, qua eos adhuc castra tenere credebant Veneti, traditum est illos quosdam saucios, alios invalidos, qui agmen sequi non poterant, truculentia barbara necasse. Legati Veneti cognita tandem hostium fuga convocatis Ducibus eos fugientes persequi statuebant, miseruntque ad incessendos a tergo remorandosque Petrum Duodum Præfectum militum Græcorum levis armaturæ cum equitibus suis ac Comitem Acajazanum, cum Italis leviter armatis. At illi prædæ intenti in sequentem diem rem distulerunt. Ob id Legatus Melchior Trivisanus excandescens e tabernaculo plerosque excitavit, qui hostes segniter persecuti sunt. Tradunt in hac Gallorum nobili fuga Acajazanum ac Eracassium fratres Regem Gallum fugientem salutasse magna totius exercitus suspicione, & prætereuntibus Gallis fame marcescentibus incolas alimenta obtulisse, ne fugientes famis desperatione vicos & oppida cremarent. Interea tormentorum supplementa CC. bigis onerata Verona in castra sero missa sunt, quæ castrorum magnam partem munierunt

Digitized by Google

runt, ac tormentorum Magistri, quos pugnæ tempore desiderarunt Duces. Verum in eo pugnæ furore nec pulvis accensibilis nec tormentorum periti reperiebantur. Itaque vis omnis in dextera posita fuerat. Hac die cum sarcinæ colliguntur, Melchior Trivisanus Legatus exercitus saucios omnes, qui castra sequi non poterant, Parmam misit, quibus Senatus nomine pecunias effusim ipse elargitus est, & Medicos vulnerum adhibuit non parva mercede. Lectulos hilaris senex classisque proimperator circuibat beneque sperare omnes hortabatur, inter hos & Galli saucii cogniti sunt. Demirabantur Parmenses Senatus Veneti clementiam ac miram erga subjectos pietatem. Senatus interea cum de persequendis hostibus literas Legatorum accepisset, eorum sententiam large probavit, qui singulis diebus equitum & peditum supplementa sine intermissione mittebat. Legati amotis castris impedimentorum tædio tormenta eadem Veronam remisere, verum Senatus alia singulis diebus conflabat, nec cessabant ab opere tormentorum artifices, qui tum mari tum terra omnia administrabant. Senatus impiger totius belli onera solus sustinebat, in Germania, & Svevia equitum peditumque delectum habebat, item in Illyria, Dalmatia, Græcia, Transpadana regione, omitto, Romam, Bononiam, Mantuam, Flaminiam omnem, in quibus Venetorum pecuniæ diffundebantur. Classis quoque numerosa sine sociorum auxilio levi momento parata est. Quod magis mirum est, ad belli necessitatem cives omnes aurum argentumque læti ærario deferebant, nullusque seculo nostro Princeps est aut Resp. quæ puriorem monetam spargat, adulterantesque sævius puniat. Ea pecunia nihil apud omnes nationes charius est, quam nemo respuit, punit &, qui alienam monetam adulterant, in signanda pecunia idem pondus, eandem metalli sinceritatem, quæ multis seculis servata est, mire custodit. Purissimo Senatui puro ac mundo metallo uti convenit. IIII. Idus Julias Legati speculatores primum agmina præmisere: ipsi postremo secuti sunt. Opportune enim ex Oppiano vico discessere ingruentibus morbis, quos odor cadaverum totis jacientium campis ardente Syrio excitabat. Ad sanctum Dominum oppidum imbre fere perpetuo ac lubrica via pervenere, qua impedimenta difficulter sequi poterant, unde ea nocte Legati in fœno incommode jacuere. Hic accepere Gallorum agmina bidui intervallo magna itineris spatia citato exercitu confecisse. Unde Legati senatui significare, frustra hostes persequendos esse, Ludovicusque Mediolanensis Dux Novariam a Gallis captam reddi jure fœderis requirit, trajiciendasque ob id trans Padum copias esse. A Senatu igitur literas de trajiciendis copiis legati accepere, quibus fidissimo Præfecto exercitus commendabatur. VI. Idus Legati Placentiam venere, qui sine exercitu in urbem recepti sunt. Quinto Idus Trebiam superabant Romanorum exercituum & cladium testimonium, atque ad S. Joannem Oppidum pervenere cum omnibus copiis: Unde ex Venetis militibus circiter duo millia ad Tortonam Alexandriamque Statiliensem præsidio firmandam mittuntur, ne Galli prætereuntes injuriam fœderatis urbibus inferrent, neve ejus titubantes ad deditionem excitarent. Hic audivimus Gallos prætereuntes nimia famis impatientia semicoctos profluente adhuc sanie commanducasse sues, atque in emendis rebus ab incolis præter opinionem omnium mira abstinentia usos fuisse, etsi rustici in plerisque locis fluviorum pontes diruerant ad remorandam hostium fugam. Alii vero illos reliquerant pro cujuslibet animo & studio. At Galli mira celeritate ripas fluviorum altissimas ubi pontes diruti jacebant, prostraverant, saucii vel itinere fatigati Galli, qui interierant, secundum viam sepulturæ dabantur tumulorum frequentium indicio, in hac fuga frater Principis Turonensis obiit ac sine feralibus officiis terræ datus est. Quarto Idus ad Clastichium vetustissimum oppidum castra perducta sunt, hinc sequenti die Cassetum, ubi ponte Padi ripas Mediolanenses junxerant, in eo exercitus præfectus ordinum prætereuntium * disponebat, ne impedimenta equitibus peditibusque mixta celeritatem perturbarent, fustibusque temeritatem coërcebat: itaque paucis horis universum exercitum miro ordine trajecit summoto protinus ponte ad sanctum Georgium oppidum castra locata sunt. Hi sequenti die Laurentius Auogarius, sanguinarius alioqui miles, & in patria pluribus cædibus cruentus; lanceis a pluribus in media via confossus jacuit; sed nulla lex est contra priscorum observationem, quæ in castris homicidam, insidiatorem seditiosumque puniat, pudet nostri seculi, qui sanguine propinquiores erant, insidiarum libellum dedere, inimici scelerum pœnas merito luisse responderunt. Legati homicidii causam ad Senatum retulere; Hic nuntiatum est Gallorum Regem Hasten pervenisse ad Italiæ terminos ibique fessum militem magnis itineribus quiescere jussisse. Hic convocatis copiarum Ducibus ac cæteris Principibus in concionem processit. Parva, inquit, manu tot tantisque itineribus confectis Appenninas angustias tabescentibus fame vere militibus Venetorum manus & sociorum tandem evasimus, Deo igitur Optimo Maximo gratias ingentes debemus, superest ut hic collatis auxiliis, recreato milite fesso, Novariam urbem longa obsidione tandem liberemus, nisi Venetus alia quoque auxilia miserit, alioqui majora copiarum supplementa quærere opus est, quæ a Germanis attiguis regionibus largiore pecunia conducenda sunt, ex Gallia frustra opem expectaturi sumus loci distantia & pluvioso autumno instante. Universa concio assensa est, deinde silentio facto hæc pauca retulit: scio plerosque vestrum amissis impedimentis vel diutina foris militia in Patriam ire velle, qua nihil carius habetur. His redeundi liberam potestatem damus eorumque desiderio obtemperamus læti. De infirmis ac sauciis pariter taceo, qui per se liberam missionem habent. Sed hoc unum excruciat

cruciat animum, Apulorum & Calabrorum levitas & Neapolitanorum facilis rebellio, qua Præfectum nostrum cum omnibus copiis in maximo versari periculo videtis: in classe spes omnis sita est, Divi bene vertant, omnia perturbari video. Neapolitani Cives agrum feracissimum depopulari non patientur. Arces tamen & totius Provinciæ oppida munitissima longiorem obsidionem, si viri sunt, sustinebunt, utinam vel pacis vel belli viam Deus nobis ostendat. Maximilianus ac Hispaniæ Reges, non enim dubito, sacra fœdera servabunt, unde Italia universa vobis prædæ exposita erit, urbes omnes jugum subituræ sunt nostrum, quas vobis condonabimus, ego nihil aliud quam victoriæ nomen volo & cogito. Posthæc plurimi domum abiere, castrorum labores & incommoda pertæsi. Eo die literæ in castra delatæ sunt, quæ militibus omnibus lætitiam attulerunt. Nunciatum est Ferdinandum Regem Neapolim subinde ingressum summo omnium civium studio, Gallosque intra arces obsideri, & urbes omnes, quæ in propinquo sunt, Ferdinandi vexilla extulisse. His cognitis Franciscus Gonzaga exercitus Præfectus Regi Gallorum per nuncium significavit, ut de bello quod speraret, facile conciperet: cui Gallus respondit, nec id perpetuum esse, plurimum interesse muros, an parietes vel arces possidere. XVII. Calendas Augusti Virgilius Ursinus Romanus factionum Princeps Nolæ a Gallis captus ad Venetos Legatos venit a rege dimissus. XI. Calendas copiæ omnes ad Vespellum oppidum ductæ sunt: tum nunciatum est classem regiam a Genuensibus captam fuisse, quod non sine gaudio omnes audivere, congestis in unum ferme tempus in Gallos tot malis. Joh. Franc. Comes Acajazanus Mediolanensium rerum studiosus copias a Venetis Legatis ad præsidium cæterorum oppidorum rursus petiit. Illi subirati ex suis mitti oportere responderunt. Hic enim exercitum Venetum sua custodire oppida gaudebat, e diverso Legati Veneti qui totius Senatus robur ultra Padum transtulerant milites, non sine magno periculo dispergere posse arbitrabantur, sua & Sociorum incommoda gnari: Satis esse Dirtonam Alexandriamque Statiliensem præsidio suo firmasse. XV. Calendas LXXXM. nummum aureorum ad militum stipendia a Venetis missa sunt. Mussitabant plerique Mediolanensium milites, ex quibus pedites denarios ternos duntaxat acceperant, equites vero duplum, nec id sine Veneti Senatus laude, qui mercenario militi semper ignoscit. Eo die de collocandis castris inter Duces verba facta sunt pro Novariæ urbis obsidione. In eam contentionem venerat Bernardus Condarenus Patricius stratiotarum Præfectus, qui obsidione cum Galeaceo Severinate Ludovici Ducis omnium copiarum præfecto Novariam urbem, ut dictum est, premebat, perpetuisq; incursionibus cuncta vastabat. Hic ab omnibus in concione maxime laudatus est ac militum ipsi9 Virtus, qui uno duntaxat congressu LXX. Gallos milites ceperit, equosq; quinquaginta in castra duxerit, neminemque ex sociis amiserit. XIV. Calendas Augustas ad Tiliam oppidulum castra contulere duobus millib. pass. ab urbe Novaria Vercellas versus, ubi pabuli & lignorum & aquæ suppetebat copia, etsi tuto minime collocata erant, vicino hoste circumdante. Novarienses ex altis turribus & mœnibus victricia agmina venientia spectabant ad pugnam instructa: acceperat Auriliensis Dux apud Tarrum Gallos suos fuisse Victores, quos lætus in urbem excepturus esset: sed suorum fraude nunciorum se deceptum fuisse cognovit. Quandoquidem Rex jam Haste a fuga se contineret, ubi vexatos fame itinereque milites firmabat. Unde Gallus cognito Venetorum adventu Ducem Auriliensem auxilia expectantem literis ad sustinendam paucorum dierum obsidionem hortatus est, sese propediem venturum pollicitus est ingentibus copiis. Unde manavit in tota urbe lætitia de Regis adventu; tamen cives, qui proditione urbem Gallis dederant, ac plebeji, qui Gallorum rebus studebant, ultima pati potius statuerant, quam Ludovici Ducis ferre imperia. Munimenta igitur ante portas construere cœperunt cespide, vimine, fronde, luto, atque ante ipsa suburbia vallum & fossam objecere quæ omnium militum mansionibus sinistra sunt & audentibus periculum afferunt.

Finis Libri de Tarrensi pugna.

ARGVMENTVM

Libri II. ad Antonium Bernardum & Georgium Cornelium Equites clarissimos & Aloisium Venerium Decemviros Præstantissimos.

VEneti a pugna superato Pado ad Novariam expugnandam cum Exercitu contendunt, at Ludovicus Dux obsidione cogere statuit. Gallus interea Rex Haste, recreato milite, Novariæ fame laboranti opitulaturum se promittens, simulata dimicandi promtitudine Vercellas venit, ubi seditionem in castris Venetis ortam esse audivit, qua sedata clam de pacis conditionibus cum Ludovico Duce agere cœpit, Venetis longæ obsidionis tædio arctius urbem prementibus. Tum Franciscus Gonzaga a Veneto Senatu Imperator creatus est, & milites qui strenue cum eo pugnarant, majora stipendia accepere. Novus interea miles perpetuis excubiis & laboribus tyrocinium exuit & promtior aptiorque redditus est. Comes Nicolaus Petilianus, dum muros tormentis quateret, pilula plumbea lethaliter confossus. Gallus Rex tandem & Ludovicus Dux variis de causis præcipites pacis conditiones complectuntur. Ille Novariam restituit & spe redeundi in Galliam discessit, incertos belli eventus & ancipites lusus accusando. Veneti defenso tandem Insubre, restituto Regi Ferdinando regno, liberata Roma & universa pene Italia, domum læti rediere, & triumphum Imperatori suo Francisco Gonzagæ Mantuanorum Principi ob res bene feliciterque gestas decrevere.

SECVN-

Digitized by Google

SECVNDVS LIBER DE OBSIDIONE NOVARIÆ.

FRancifcus Gonzaga Mantuanus Princeps exercitus Præfectus pulfis ad extremos Italiæ terminos Gallis in armis lætus & equo fublimis XIV. Calendas Auguftas equitum ingentia agmina peditumque phalanges in confpectum Novarienfium ad Tiliam [ut diximus] caftellum locavit, quod eadem ferme hora Mediolanenfium exercitus Præfecto Galeacio Severinate, adventante Venetorum exercitu expugnaverat, cujus exiftimatione Galli, qui oppidum in poteftate tenebant, ad arbitrium hoftium deditionem protinus fecere. II. pridie fub urbana concremari paffa funt, auxilia ab Aurilienfi Duce fingulis diebus expectantes. Legati oppidum occubavere, Præfectus foris tentoria haud procul locavit; Reliqui Duces cum fuis equitibus veluti per vicos pariter tabernacula & tuguria pofuere. Tum Aurilienfem Ducem perterruit novus hoftis ac Gallorum fuga, inftans item famis, quam propediem Civitas pasfura effet, periculum reformidabat. Fruges enim perexiguas vixque in calamo maturas collegerat, arcemque tribus menfibus duntaxat munire poterat, ante oppidum forum conftitutum eft, atque alterum in fociorum Caftris erat, in illo annona cara erat ac præcipue vinum, reliqua ufui neceffaria primis fere diebus abundare cœperunt. XIII. Calendas præclufo, unde defcendit, fluminis alveo Venetus miles alio curfu dato ab urbe avertit, molasque frumentarias, quas verfabat aqua, VI. ftadiis juxta urbem ferro igni que demolitus eft: in urbe molæ trufatiles perpaucæ, afinariæ nullæ, plebs pilo frugem pinfebat & panem femicontufum fine cribro conficiebat, cujus indicaturam nos magnifico Equiti Antonio Boldo Venetias, ut inopiam urbis claufæ cognofceret, mifimus. Frugum protinus incommoda Novarienfes fenfere; nocte enim Vercellis alimenta ægre mittebantur militum metu. Illi ante urbis portas munimenta quædam conftruxere, ut dictum eft, muri duplici foffa muniti erant, nullis fere propugnaculis difpofitis, per quæ rara item in urbe tormenta habebantur. Aurilienfis Dux qui fe inani nomine Mediolanenfem Principem dictitabat, detractis a portis prioribus Sfortiadum infignibus fua jam impofuerat convocato Principe Salucenfi & cæteris acceptiffimis amicis hæc pauca protulit: Maximum, ftrenuiffimi Duces, difcrimen nobis adeffe video, Regia auxilia a Tarrenfi pugna diu expectantibus, qui nefcio, quo furore Haftam recto itinere conceflerit, ejus aufpiciis obfidione nos liberatum iri fperabamus, longam famem fuftinere non poffumus, oppugnationem tanti Venetorum exercitus ferre difficillimum eft, vinum in urbe non effe non ignoratis, quo Svevorum copiæ præfertim magis quam auro & argento tenentur: nec habendi fpes ulla relicta eft. Certum periculum inftare video, fi hos amiferimus. Facile enim ad hoftes transfugient, fi modus non erit. Ea omnia Regi nuncio fignificanda funt, narrabimus rem in difficili effe, famem inftare ac militum feditionem, vini præcipue inopiam fummam effe, & nifi fuppetias protinus miferit, defperatione oblatas conditiones accepturos. Probata ab omnibus fententia fuit. Dimiffa concione noctu nuncius per infima & occulta itinera ad Regem pervenit, qui lectis literis ita paucis refpondit: Se novum militem expectare & feffum itineribus recreare ac propediem Joh. Jacob. Triulcium cum magna copiarum parte Vercellas miffurum. Nuntius tutus caftra Veneta fubit & egreffus Novariam contendit, literæ coram omnibus militibus lectæ funt, quæ omnium animos expectatione erexere. Eadem die in Sociorum Mediolanenfium Caftris Germani cum Latinis diffedere; ea enim a Venetis intercedente die Vercelina XII. ftadiis diftabant. Vinum enim in maximo æftu furorem incufferat & infvetis ocius mentes folverat. Et nifi Bernardus Contarenus cum Græcis leviter armatis præfto fuiffet, major ftrages fecuta fuiffet, XI. Teutones cæfi funt, ac ftatim ob tumultum humati, ex Latinis IV. defiderati. Hoc fuit ob fcortum ignobile feditionum primum feminarium, idem demum furor ad Venetorum caftra penetravit, in quibus & Teutones erant. Hac die quidam ex Novarienfibus militibus Legatos edocuit, Venetos D. milites armatos in urbe effe peditumque circiter VIII. millia & in iis Sagittariorum duo millia contineri, reliquos haftatos & parvorum tormentorum Magiftros. Legati vefperi Literas a Senatu accepere, qui fummopere eorum diligentiam laudavit, quod labores perennes, æftus ingentes, famem, fitim, vigilias in perfequendis hoftibus pro Reipubl. falute indefeffe paffi fuerint, ipfisque de Republica bene meritis pollicebatur, fe gratias aliquando relaturum XII. Calendas Augufti Novaria turmæ Gallorum egreffæ cum Latinis primo tumultuaria pugna dimicavere, ex Latinis VIII. defiderati funt XII. Saucii, ex Gallis pauciores. Legatorum juffu pro diftribuendis militibus ftipendiis copiarum numerus, equorum notæ, peditum nomina recognita funt. Plurimi enim ex peditibus acceptis pecuniis per Apennini invia diributorium fefellerant; nec ulla lex eft, quæ hoc tempore hujusmodi furta puniat, deleta prifca militandi difciplina; Vidimus pedites Duces, ab equitibus militum calones lixas ac famulos bis in die invicem fupponi. Teutones Duces die recognitionis CCCC. interdum ab aliis mutabantur, magna diftributorii muneris damno, nec modus in tanta fraude inventus eft; duo Galli capti fuere, qui retulerunt Aurilienfem Ducem quartana laborare, equo tamen per urbem vehi, fuos hortari, excubias noctu tentare & fæpe queri fe fegnem effe damnareque fortunam fuam. Nobilitatem vero ac plebem direptiones domorum rapinas Conjugum, & filiarum ftupra, univerfæ Civitatis ruinam, famem, & ultima denique omnia pafluros, quam Ludovicum Ducem pati, & ejus jugum fubire. Verum fefe Veneto Senatui & ejus fidei facile dedituros,

dituros, ea in urbe jactari, certior fama erat. XI. Calendas alii pariter capti fuere, qui literas ad Regem Gallorum deferebant, inter quos Presbyter quidam Gallus erat, qui simulata ægrotantis cujusdam desperatione remedia & potiones literis petere videbatur, alioqui ægrum a Medico deploratum esse, is non multis post diebus, custodiarum tædio dimissus est, sed Venetorum nimia clementia ad subeundos hujusmodi labores ex hostibus plurimos invitabat, nullo vix objurgato, nedum fustibus cæso. VIII. Calendas Gallus Rex ut aliquid moliri videretur, quasdam copias Tortonam versus submovit ad perturbandos civium animos. Unde Legati rursus Carolum Melitensem Ducem equitum cum militibus armatis CI. peditibus delectis D. ex Venetorum copiis Tortonam misere: eadem de causa pedites D. equites C. Taliano Carpensi Duce militum Alexandriam Statiliensem præmiserunt, IX. & VIII. Calendas equitum supplementa novorum castra ingrediuntur, Panthulphus Malatesta Ariminensis ac Johannes Paulus Mamphronus cum equitibus & CI. Leviter armatis VII. Calendas exercitus omnis & I. Ducis socii constructis aciebus ad pugnæ imaginem ante oculos Novariensium ducitur, & id hostibus terrori fuit, & tyronibus per quam utile: ignavia eo modo rumpebatur. VI. Calendas ad terrendos Gallorum exploratores altissimum in castris patibulum erectum est, quod a Novariensibus facile conspiceretur, in eo Gallorum explorator Boninus revelare secreta quæstione coactus strangulatus est. Tormenta XV. Mediolano in castra evecta sunt, quæ librarum XI. pilas emittunt, pro oppidi Bryoni expugnatione, quod paulo ante defecerat. Ad id expugnandum Franciscus Crassus cum D. peditibus ac equitibus C. sub Taliano Duce a Præfecto missus est, quod sequenti die oppidanis ad fœdera venientibus in deditionem, nec prius nisi admotis tormentis accepit. V. Calendas Virgilius Ursinus Romanus qui Regem Gallorum secutus fuerat a Venetis Legatis missionem accepit, eo die literæ a Senatu missæ sub tentorio Francisci Gonzaga Mantuanorum Principis castrorum Præfecti omnium militum exemplo palam lectæ sunt, ut fidem & virtutem eorum, qui in Tarrensi pugna acriter dimicassent, dignam præmiis laudem consequi constaret, & viventes inter alios gloria eminerent, mortui fama & meritis laudibus in cœlum referrentur & posteritati exemplo essent honesta morte defuncti, qui in pugna mori quam capti expectare Gallorum arbitrium maluerunt: ut de cætero sua quisque dextra Venetorum nomen ac patriæ salutem acrius defenderent, memoresque essent omnes Romanorum decoris, qui totius Occidentis regna tot seculis memorabili laude tenuerint & Gallos stipendiaque Italiæ tulisse, & de iis ingentia trophæa, itaque ut qui magno animo pugnassent, & quibus non contigisset, vel ignavia majores & condignos Spiritus caperent, & simili animorum constantia dimicando laudem & gloriam adipiscerentur; & quicquid deinde fors tulisset pari exemplo & sibi & suis Senatus Venetus grata retributione pensitaret. Imprimis igitur Francisco Gonzagæ ex castrensi præfectura sine imperatorio nomine, quod maxime optaverat, sponte Senatus Imperatoris vexillum ac Sceptrum rerum omnium, quæ in continenti habentur, merito elargitus est. Hujus enim ductu, auspiciis, virtute & consilio, qui modo miles, modo Imperator fuerat, Galli ferocia perdomita est. Carolum Regem alioqui cavillantem de Italis audivisset universus orbis, quod in vita pene tota Italia sine cruore trophæum intra Alpes, de Italiæ primo imperio, miro imo divino, ut putabant, successu, celebrasset, huic uni merito Imperatoris nomen etiam juveni debet, qui multo majora in ea pugna fecisset, si agminum ductores ac peditum Duces imperio paruissent. Illi præterea Senatus majores copias dedit singulisque annis III. millia nummum aureorum præter stipendia pro convivali lance, XM. item aureorum pro reparando milite, qui in prælio perierat, vel equos amiserat. Is cum hæc audisset, Legatos præsentes summo gaudio amplexus est, gratiasque immortales in conspectu omnium Ducum Senatui egit, Comiti Bernardino Fortibrachio, qui fortium virorum more pericula & mortem contempserat, duplicatam militiam dedit CCI. militum armatorum, aureosque nummos præter stipendia D. singulis annis, Catharinæ vero Gonzagæ uxori & filiis Rhodulphi, qui forti animo occubuerat, mille aureos singulo quoque anno elargiri decrevit, ac oppida præterea in patrocinium accepit. Rhanucii Phrenensis filiis paterna militia designata est, filiasque nubiles a Senatu maritari grata dote, intereaque pro victu CCCC aureos ab ærario eis elargiri decretum est. Vincentii Corsici filio egregia morte nobilitati paternam militiam dedit, sororemque in æde sacrarum Virginum ad conjugii tempus servari jussit, exinde singulis annis XI. aureos pro victu donare constituit. Alexandri Beraldi fratris milites & stipendium eandem conditionem Carolo Strocio concessit Roberti fratri. Nicolao Nonensi Delmati milites levius armatos XXX. pacis tempore, bello C. & stipendium auxit. Joannis demum Æthiopis Uxori viduæ animo non ingrato vel in minimis Senatus aureos LXXII. singulis annis ex ærario largitur ac perpetuam domum. Lectis literis & strenui & ignavi animum ad res bene gerendas erexerunt, fortium virorum præmia ac laudes audientes, & ad exequenda imperia periculaque subeunda excitarunt, qui segniter pugnarant, tum sese purgabant. Incitabat virtutem & ignominiæ demendæ cupido Græcis militibus, qui in Tarrensi pugna dimicare noluerunt, sed impedimenta duntaxat diripuerant, quapropter militia se amoveri plurimum verebantur quod maxime cæteri optabant Græci, qui sub Bernardo Contareno apud Novariam meruerant magnam gloriam. Indiscreto enim genere ii quoque turpi ignavia damnabantur, timebantque ne aliena culpa damnum ac dedecus subirent. Invidia quoque prædæ

prædæ odium auxerat illi vecordiæ conscientia, ne a cæteris dignoscerentur, socia & mixta tuguria optabant. IIII. Calendas exploratores denunciarunt Regem Gallorum nova militum supplementa expectare. Tum traditum est, verum fuerit necne, incertum habeo, Regem ab Regina subita auxilia petentem literas duntaxat accepisse, in quibus sese non milites, sed tristes viduas missuram respondebat; orabatque, ut tandem in regnum suum rediret, satis illi imperii esse. Non vana fama fuit Regem Teutones sub vexillo Bovis conscripsisse, qui in Mediolanensem agrum statim sese superfunderent. Eam Teutonum concursionem Ludovicus Dux oblatis Ducibus pecuniis retroegit. Tertio Calendas Legatus Ludovici Ducis Mediolanensis in castra venit, nunciavitque ab exploratoribus accepisse, Gallorum Regem cum omnibus copiis Taurinum venisse, ubi militem sine intermissione conscribit: ea die pedites quidam, qui acceptis pecuniis e Venetis castris aufugerant, Mediolani capti sunt, qui sub aliorum nomine missionem dolo quæsierant; de quibus rebus Legati Veneti admoniti scripsere, eos abscissis naribus & inusta facie sine armis dimittendos. Interea Imperator, ut si qua via posset urbem capere, circuivit, longiorem obsidionem pertæsus, qua Ludovicus Dux urbem capi posse protinus sperabat, ut fame coacti sese dederent, neve misere ab exercitu civitatis diriperentur, sed ea integra incolumisque jugum subiret sponte, magno Venetorum damno: hoc enim bello in stipendia C. millia aureorum singulis mensibus a Venetis militiæ numerabantur. Hac longa obsidione, hyemis inclementia imbreque plurimo paludosum solum totum ab hoste reddebatur, unde infecta re dissolutum iri castra sperabant. Sed quis in hoc bello doctior fuit? nullam enim rationem in rebus attulit, sive propinquitas, sive vicinitas, sed una tam irrationabilis libido Principes in sui commodum trahebat. Hæc omnia igitur diuturnioris obsidionis causa fuere. Scio his diebus Acajazanum Comitem in concione affirmasse: Novariam propediem sine cruore nullis tormentis ad manus Mediolanensium venturam, ob id ab oppugnatione contra Senatus Veneti studia abstinendum esse. Nec defuere in castris, qui ea consulto fieri jactarent, quandoquidem sola militari disciplina & stipendio plerique vivant; bellum igitur consulto protrahi credidere. His diebus Helias, Eques Forojuliensis, Aloisius Turris equitum levius armatorum supplementa in castra duxere. Pridie Calendas Imperatorem concione convocata dixisse accepimus; se urbem circuisse, quam palude, silva cædua, duplici fossa & arce munitissimam animadvertit: præterea Gallorum exercitum haut dubio adventare, ob eam causam supplementa mitti oportere. Ea item dies moestum exercitum reddidit perpetuo imbre, unde rerum inopiam milites senserunt, verum sequentibus diebus uberiora castra fuere. Calendis Augusti explorator quidam Gallorum Regem Novariam pro militibus pecunias noctu missurum significavit. Milites leviter armati constructa acie Galeaceo Mediolanensium copiarum Præfecto ad intercipiendas pecunias obviam iere, qui nihil invenientes in tabernacula iere. At nocte sequenti vigilum negligentia vel viarum inscitia urbem cum pecuniis ingressi sunt. His diebus Tabella quædam famosissima, quæ in Tarrensi pugna a milite quodam correpta fuerat, Veneto Senatui dono data est, Mel. Triv. Legati suasu, ut inter donaria D. Marci collocarent. Per id ferme tempus fides certior facta est Turcarum Imperatori, Gallorum Regem illum, quem a Deo missum esse audiverat, unica pugna ex Italia foede propulsum; Ille summo gaudio ad cœlum manus tendens Deo gratias egit, exinde Veneto Senatui, cujus armis & consilio hostis, qui Neapolitanum regnum XIII. diebus occupaverat, qui Delmatiam, Macedoniam Græciamque jam turbaverat, metumque usque Constantinopolim incusserat, qui sibi Imperii terminos Hierosolymæ animo posuerat, nunc victus terga vertisset: Lætus Turca Legatum rursus Senatui misit, qui vires omnes large polliceretur, quandoquidem & sua & Veneta communi consilio & auxilio servata fuerint. III. Nonas Augustas Ludovicus Mediolanensis Princeps in castra venit, & equitum supplementa secum duxit Germanos D. peditum duo millia: cum eo Legati erant Alphonsi & Helisabet Regum Hispaniæ, Regis Neapolitani, Veneti Senatus, Ducis Ferrariæ, nam hostem Gallum adventare cognoverat; Ob id in tabernaculo convocata concione Imperator exercitus & Legati Lucas Pisanus, Melch. Triv. & N. Comes Petilianus venerant; aderant & alii accepti Duces, jussi considere, silentio facto Lud. Dux de rerum summa loqui cœpit, de castris mutandis & campo æquando, aggeribusque construendis; Alii in Vespello Oppido exercitum servandum esse; Alii Vegevenis; alii ad Moncicellos occupandos majoribus copiis; alii tanti exercitus roboris existimatione nullo modo discedendum esse suadebant. Hinc alimenta, hinc loci debilitas adversabatur. Disceptarunt diu inter se Duces; verum huic sententiæ universa fere concio assensa est, castra non esse mutanda, ne turpi fuga, adventante Gallorum exercitu, cedere viderentur. Existimatione enim bellum constare maxime certum est. Tandem monumenta quatuor ad tutanda castra construi statuere. Objectum tamen est, & id periculosum esse, ne rerum inopia invitus exercitus ad dimicandum ab hoste traheretur, pugnandoque semper exercitus nutrimenta quæreret. Inter has difficultates, Ludov. Dux hac in re viam invenit tutiorem, etsi in suo quisque negotio soleat hebetior esse quam in alieno, turbida facta fuere aliorum consilia, qui mutanda esse castra suaserant. In mensa omnia descripta erant, urbes, viæ, paludes, sylvæ, flumina, fossæ, oppida. Alios naturalis amor eorum quæ excogitaverant ad disceptationis pertinaciam trahebat. Vicit tandem Principis sententia, ut ex binis castris una fierent,

Digitized by Google

rent, quæ præter munimenta, quæ diximus, flumen & fossa tuerentur. De pugna pauca dicta fuere, nondum lustrato exercitu. Propterea Ludovicus Dux Venetorum robur, & suum pariter in armis lustrare sequenti die statuit, atque concio protinus dimissa. Tum edixit Imperator, ut Duces cum omnibus copiis in armis summo mane essent, locumque & agminum ordinem præscripsit. Pri. Non. Aug. universus exercitus ad imaginem pugnæ instructus est, ad cujus conspectum Ludovicus Dux Beatricem uxorem duxerat, quæ una acierum ordinem conspiceret. Primus itaque Exercitus Imperator Franciscus Gonzaga agmen suum ducit: quem antecedebant, equi plurimi velocitate præstantes ephippiis phrygionica arte insignibus, sericis pictis velata talicis, auro argentoque intertexto. Post hos equi magnitudine sublimes maximo luxu cataphracti, quibus insedebant pueri ingenui, galeas cassidesque cristatas habentes tubicinum turba comitante; hos sequebantur peditum duo millia, qui scuta, hastas, manubalistas, secures, parva tormenta gerebant. Modico intervallo deinde Ludovicus Dux ac Imperator ipse F. Gonzaga, Nicol. Petilianus rei militaris scientissimus, armati in equis eminentes erant, aureis ephippiis instratis. Post hos septem ingentia militum armatorum agmina per intervalla antecedentibus suis ductoribus in statutam planitiem ducebantur, singula novo pugnantium instituto XX. supra CCCC. equites habebant, ac pedites mille: inter hos turbarum clangor cœlum complebat. Tormenta parva aures torpentes reddebant, equites in armis conspicui in nucis pineæ modum constipati equis cataphractis ephippiisque ornatis pro cujusque luxu ac fortuna lanceis armati depictis ferro prælongo acutissimo præfixo, duplicem toracem sæpe penetrante. Post hos peditum quoque circiter duo millia erant, iisdem armis instructi ordinem suum quique locumque servantes, tympanis sonoque suo vel segnes animos excitantes. Proxima erant militum armatorum agmina tria lanceis velitaribus, scorpionibus armata, numero mille trecentorum, alterum agmen Græcorum Stratiotarum mille ducentorum, lanceis, ense, clypeo, lorica, pauci thorace armati erant, qui equo citatissimo cuncta percurrunt, sericis pro more & aureis tegminibus ornati, Duce Bernardo Contareno. Alterum CCC. agmen sequebatur equestre manubalistis Italorum more leviter armatorum, quibus recensis, nec pugio deerat. Tertium quoque CC. leviter armatos continet, hi hastati erant Duce Alexio. Hæc agmina per justa intervalla comitabatur Ludovicus Dux, & in dexterum latus agminis ductorem excipiebat, in conspectumque carissimæ uxoris suæ in rheda sedentis agmina ducebat. Hos sequebatur Galeacius Severinas copiarum Mediolanensium Præfectus veste Gallica virgata armis superinduta more Gallico, Attalica ac Serica consuta multiplici virga, qui cum in conspectu uxoris esset a Ludovico Duce graviter objurgatus est, Gallici habitus imitatione, justusque ne de cætero veste Gallica indutus in conspectum suum prodiret. Hunc vexillarii ac pueri in equis galeis cristati antecedebant. Sequebatur autem agmen CCCC. equitum. Sed vexillum paululum contemplatus est quidam, in eo enim imagines depictæ erant contra Mediolanensium Ducum veterum instituta. Maurus scilicet niger manu dextera aquilæ alas aversas continens, sinistra Draconem strangulans. Judicium voluntarium sit. Ab eo agmine proximi erant Fracassius & Antonius Maria fratres Severinates, qui non minori studio agmen CCC. equitum armatorum agebant. Hæc sequebatur agmen Germanorum Equitum D. qui non minus in armis conspicui erant; Levius enim armati sunt quam Latini, sine cataphractis & equis pileo magis quam galea tecti. Ab his phalanx una peditum Germanorum erant, quæ omnium oculos in se convertebat, quadratæ figuræ, quæ VI. M. peditum continebat, Georgio Petroplanensi Duce integerrimo, in equo eminente. In ea acie tympanorum multitudo audiebatur germanico more, quibus aures rumpebantur; hi pectore tantum armato incedebant per ordines primo a posteriore parvo intervallo: Primi longiores lanceas in humeris ferebant, infesto mucrone sequentes lanceas erectiores portabant post hos bipennibus & securibus armati; ab his signiferi erant, ad quorum inclinationem agmen totum ac si una rate veherentur, in dextrum, lævum, retro regrediuntur; a tergo pilularii dicti parvorum tormentorum; hos a læva & sinistra scorpionum Magistri sive manubalistarii sequuntur. Hi in conspectu Beatricis Ducis quadratum agmen uno signo in cuneum subito commutavere, paulo post in alas sese divisere: demum in rotundum altera tantum parte levi motu, altera cursim movebant, prima parte circumacta, postrema immota, ita ut unum corpus esse videretur. Post hæc agmina tormentorum, robur ingens, sequebatur curribus operatum numero XVII. quæ inflammato pulvere pilas in Novariam emittebat, tonitrua sonitu æquantia. Post hæc minora tormenta, quæ serpentinas, vulgus passevolantia, vocat, bigis vehebantur, minora quoque his alia plura erant, quas Spingardas vocant, ob similitudinem puto appellatas. Reliqui vero equites & pedites ac tormenta item alia castra servabant, nec omnia ad hanc prælii imaginem exposita fuere, Gubernatore Carolo Melitensi. In eo Exercitu XIV. millia hominum collecta erant. Miro enim honore I. D. agmen Com. Ber. Fortebrachii veneratus est veluti pectora in maximo discrimine experta & bonæ spei capacia. Terribilior namque universi exercitus spes visa est tubarum clangore, tympanorum tinnitu, virorum clamore, armorum strepitu, equorum hinnitu, bombardarum tonitru frequenti ita ut aures horrido sono fatigarent agmina, cohortes, phalanges, auri, argenti, armorumque nitor, varius equitantium motus, tela, pila, lanceæ commotæ oculorum aciem turbabant, nec quisquam nisi ordine videri potuit, lætitiam, pavo-

Digitized by Google

pavorem, spem, metumque intuentibus incutiebant. Nemo enim ætate nostra Veteranorum asseveratione parem exercitum in Italia vidit, in quo nihil aliud quam fortuna desiderari potuit. Conspecto omnium virorum robore Ludovicus Dux rursus cum Gallis maximam dimicandi fiduciam concepit, frequenterque Uxoris currum & Virginum comitantium spei plenus adibat, quærebatque subinde quid illi videretur de tanto exercitu, illa multitudinem laudavit ac ornatum. Inter equitandum equus Ludovici D. quatuor pedibus in terram collapsus est malo omnium circumstantium augurio. At Dux protinus in bonum vertens omen, illud esse supremum quod in eo bello passurus esset, respondit. Paulo post exercitum in castra remisit. Vesperi convocato Imperatore & Legatis Venetis ac cæteris ducibus in concionem processit. Miram pugnandi spem cum Gallo hodie pugnandi concepi, Principes, vosque Veneti Legati; non satis admirari possum, qui in Tarrensi agro longe paucioribus copiis, collatis signis, cum Gallorum Rege dimicare voluistis, maximoque rerum omnium incommodo, nunc vero pugnam nisi Senatus prius consulto protrahendam ducitis, utroque hostem lacessere timetis, nonne duodecim fere ingentia agmina vidistis? Vim Germanorum equitum, peditum ac tormentorum robur? Quæ Gallorum ferociam domare possunt. Facta dicendi potestate Melchior Trivisanus Legatus hæc pauca protulit: Hostium numerum exiguum spernendum non esse, nec in re militari majorem numerum semper victorem esse; dubium esse eventum belli, pugnam cunctando protrahendam esse, in qua certa victoria est: Gallis salutare esse summa rerum experiri, qui nihil si male pugnaverit imperii amittere potest, temeritate vero si quid nobis adversi evenerit, imperium amissum iri quis non videt? Verum urbis expugnatio hactenus nobis invitis & Senatu nostro summo utriusque exercitus dedecore dilata est. Ludovicus Dux Legatum Venetum sapientia clarum summopere laudavit: Statuerunt igitur milites hostem nullo modo provocandum, sed venturum æqua planicie expectandum: Novariamque urbem interea oppugnare, agros penitus devastare, mœnia urbis tormentis majoribus ad imum concutere jussus est. Jo. D. qui primum bombardas ingentes Mediolano, crates, scalas, testudines & expugnationi reliqua necessaria statuit, ne inani obsidione fatigatus exercitus maximarum rerum opportunitatem amitteret. VIII. Idus Augustas circa oppidum Camarianum, quod inter Novariam & Vercellas situm est, latissima planicies reddita est. Id oppidum paucis ante diebus omnibus hostibus trucidatis, crematis ædificiis * Nam & igne in suburbia quoque sævitum est a Venetis militibus. At Gallorum Rex cognito Venetorum consilio sine prælio Novariensibus opitulari, invitis hostibus, miro ingenio cogitavit, relicta via, qua Vercellis Novariam itur, ad dextram operariorum ingenti multitudine aliam sibi viam facere eamque fossa aggereque munire statuit, miro invento. Interea cum audivisset Venetos ingenti animo pugnam expectare, Joannem Jacobum Triulcium, ut aliquid moliri videretur, cum copiis præmisit, ut exercitus Venetus pugnæ expectatione ab oppugnatione desisteret, donec imbribus a pabulo milites arcerentur, alimentaque ægrius in castra deferentur, cogerenturque hostes re infecta ad stativa redire. His diebus equites peditesque magna ex parte nocturna caligine, quæ tabernacula & tentoria ut fumus ad secundam diei horam complebat, meridie vero solis vapore, mutata subito aëris qualitate, frigore ac vapore lassitudineque pariter defatigati, exitialibus morbis periclitari cœpere, plurimum febribus correpti, dysenteria tenasmoque. Ex Latinis pauci, ex Germanis multi interiere. Vino enim ea gens in febris ardore non abstinet, qui Medici officio usi sunt, nulli prorsus interiere. Multi itaque ex peditibus e castris missionem causariam accepere, ex equitibus vero perpauci. Ex Græcis V. ad hostes transfugerunt. Novarienses eo die urbem egressi in Venetos impetum fecere. In eo subitario prælio XXX. desiderati sunt, ex Latinis XXX. capti. Novarienses cives in urbe conquerebantur, quod Cymbrorum asperitatem & petulantiam ferre non possent, cuncta ii ceu communia possidebant. Hac die male obsessis viis in urbem panis currus IIII. armenta XXVIII. recepta sunt, Mediolanensibus secure prætereuntibus pectoralia, quæ pectus tantum tegunt, D. eripuere; qua injuria universum agrum exinaniendum esse mandarunt, eam rem seditionis in urbe causam facile esse posse, existimantes. Ager enim Novariensis campestris est, tam uberi & pingui solo, ut pabula effusim universo exercitui large hoc tempore suppeditaret. Nec defuit in ea perpetua obsidione in agris panicum, milium, ac melica, quæ ab hostibus colligi non poterant, causa fertilitatis humor est, quo omnis ager abundat, toto fere solo per venas aquarum resudantibus rivulis. Primo enim die quo castra locata sunt, unus duntaxat puteus in castello inventus est, qui singulis diebus exhauriebatur, alioqui a militibus aquatum extra castra ire, opus. Puteum itaque quisque sibi ante tabernaculum fecerat, quare paucis diebus ad MD. puteos vel scrobes magis milites confodere. Gregarii milites peditesque VII. Idus Augusti agri magnam partem ferro igneque devastarunt, contra Novarienses pertinaciori animo resistebant. Eo die Legatus Inclytæ Ducis Alobrogum ad Legatos venit, nuncians non sine parvo Principis sui mœrore Gallos invita Domina Vercellas occupasse, nec potuisse eorum viribus resistere, studiosam semper fuisse Veneti Senatus, bonique consulerent, si ipsa fœmina armis impotens hostes coacta in urbem accepisset, orabatque ut ab incursionibus abstinerent, igni ferroque parcerent. Hæcce locuto Melchior Trivisanus & Lucas Pisanus Legati hæc pauca respondere: Alobrogum amicitiam Venetum Senatum semper magnifecisse amicitiæque complura extare exempla. Verum bellum

Digitized by Google

bellum id Veneti Senatus causa non geri, sed pro Mediolanensis Principis statu ea fieri, commemorarunt: Principem ob eam causam adeundum esse. Interrogarunt præterea plura de Gallorum Rege deque Principum consilio: Respondit ille Procerum diversa studia esse: Plures belli incommoda pertæsos domum abiisse, quosdam pacis studiosos, tres vero superesse concordiæ plurimum adversantes eos tamen pecuniarum avidiores, facili corrumpi posse. Numerum hostium retulit, Regem pecuniam universam & mulctatitiam quoque ad stipendia adhibuisse nec existimare illum aperto Marte cum Venetis dimicaturum mutata fortunæ vicissitudine. Verum Novariam urbem maxime cordi esse, auxiliaque propediem noctu missurum. His dictis Legatus ad Ludovicum Ducem sese purgandum contendit. Quinto Idus Stratiotæ Græci milites Vercellas recto cursu petiere, & milites IIII. Joh. Jac. Triulcii captos in castra duxere, octo vero trucidatos reliquere. Vitellius autem Neopolitanus Dux fere captus est. Captivi seorsim interrogati de hostium numero, quidam se torquentes existimabant, præ metu secreta revelabant XVM. Gallorum tunc Hastæ, Taurini, Vercellisque esse referebant. IIII. Idus Bulgarum oppidum juxta Vercellas Ludovici Ducis consensu crematum est, ne in manus hostium veniret. Hoc die ex Teutonibus D. qui Regis stipendia secuti fuerant, ad Venetos transfugere. Nuncius Joh. Jac. Triulcius ad Imperatorem venit nuntians, merita promtitudine bellandi illum propediem hostiles vires armis tentaturum. Pridie Idus viis male custoditis, tormentorum genus quoddam, quod arcus perforatos vocant militari verbo CC. in urbem recepti sunt. Idibus Novarienses furfureo pane frui cœperunt, in maxima annonæ inopia. Ob id Aurilienfis Dux paupertatem omnem ac inutilem plebem exclusit, plurimi malo cibo & aquæ potu febre ventrisque proluvie laborabant. His diebus Pontificis Nuntius in castra venerat ad Regem Gallorum iturus, qui dirum Anathematis Pontificis & Concilii nomine discrimen deferebat, Carolum Regem Gallorum nisi arma in Italia deposuisset, sociosque desiisset infestare, horrendo fidei orthodoxæ anathemate damnatum iri, & omnes qui consilio aut armis eum sequerentur. Milites Comitis Acajazani circiter C. insalutato Imperatore e castris discessere, quod Legatus Venetus Melch. Trivisanus in concione graviter conquestus est, petiitque in ea, ut milites lanceis inermes redditos ex pugna instrui curarent, rusticos item operarios, qui exercitui ligone deserviant, satis laborum hactenus quæsitum esse a Rusticis Venetarum urbium. His diebus vigiliis & labore continuo fatigato corpore noctuque frigore correpto, ventris fluxu, quam diariam vocant Imperator laboravit. XVIII. Calendas Septemb. suburbia penitus direpta sunt, exinde igne absumta. Eo die Galli cum Venetis subitaria pugna dimicarunt, in qua CC. circiter Veneti cecidere, & Aloisius lancea tormento sublatus est.

XVII. Calendas Legati Veneti, Pet. Marcellus & Georgius Emus imperatoria insignia, clavam argenteam ac vexillum a Veneto Senatu ob res feliciter gestas in castra maximo plausu detulere, ea primum sub tentorio ante altare deposita sunt, quod hostilibus spoliis ornatum erat, & regiis Cortinis virgatis more patrio violaceo & croceo serico consutis aureis literis Regis & Reginæ nomina indicantibus: convenere omnes Duces, Legati Veneti ac exercitus totius Principes, tum sacrificio peracto rite Georgius Emus Senatus nomine insignia elargitus est his paucis verbis: Magnanime Princeps, hæc tibi imperatoria insignia Venetus Senatus fidei & animi tui memor præter stipendia elargitur, qui Gubernatoris præfectura contentus Gallos ferocissimos hostes ad Italiæ fines acriter fugasti, ob id cunctis dignus visus es, qui Imperator eligeris, Tibi fideique tuæ Se. Ven. statum & rerum summam ita commendat, ut in reditu de Gallis lauro redimitus more patrio triumphes. Tum Imperator, ut audivimus, ita respondit: Ego Senatus Veneti Illustrissimi auspiciis ferociam superbiamque Gallorum Præfecturæ dignitate cohibere conatus sum, nunc vero ademto Imperatorio nomine pro bene meritissimi Senatus laude & gloria fortunas omnes & vitam expositurus sum, majori fide. Hanc vocem tubarum clangor excepit, & congratulantium Principum vicissim oscula Imperatoremque ad tabernaculum magna militum caterva comitati sunt, ubi Duces equitesque inter epulas lautissimas supra castrorum luxuriam pro maxima Imperatoris liberalitate magnam diei partem inter epulas consumpsere. Tum quidam Mediolanensium retulit Ludovicum Ducem una cum uxore ea insignia videre voluisse. Legatis protinus annuentibus, sceptrum & vexillum Imperatorium in arce media Mediolanensi ostendere. Tum, auspicium felix, faustumque sit, ille inquit. Idem optarunt plerique Mediolanensium, XVI. Calendas ex Germanis C. a Rege ad Venetos transiere stipendiumque protinus accepere. Comes Petilianus, qui hujus belli anxius erat, Vercellas urbem capi Legatis & cæteris Ducibus oportere suadebat, qua capta Novariam statim deditionem facturam occasionemque belli gerendi ita facile hostibus adimi posse arbitrabatur, Allobrogumque Duci exinde restitui. XIIII. Calendas per exploratorem edocti sunt Imperator ac Legati peditum VIII. millia apud Regem esse, equites armatos mille octingentos, Regemque Venetorum castra a triplici latere, si opus fuerit, aggredi velle, unde de mutandis castris verba rursus habita sunt: Antonium Mariam præterea Severinatem regia arma secuturum. Eo die Imperator & reliqui Duces in concionem processere, Comes Petilianus paucis verbis hæc locutus est: Si pares hostibus sumus, Principes in tutiora loca abeundum censeo; si vero superiores turpissima ignaviæ nota discedemus; nam qui recedit fugere creditur. At Comes Acajazanus dispersos milites recolligendos esse firmandaque castra vallo, fossis ac flumine.

Digitized by Google

flumine. Explorator alter bombardarum numerum ac vires ad unguem retulit, inter eas duas esse longitudinis pedum octo cum dimidio, quæ pilas ferreas emittunt, librarum XXXV. quatuor vero quas Colubrinas vocant, longitudinis pedum XIV. has alii passavolantes dicunt; quæ pilas emittunt LXXII. Item quos falcones vocant XIII. longos pedibus VII. cum dimidio, quæ pilas plumbeas emittunt librarum XII. Hæc de tormentorum numero ac magnitudine nunciata sunt. XIII. Cal. stratiotæ quidam Græca levitate XV. in urbem ad hostes transfugere, ex quibus duo capti sunt, alter vulneratus vix spirans, alter protinus altissimo illo patibulo sublimatus est. His diebus Veneti Legati Nicolaum Ursinum Petilianum Comitem ad Senatus stipendia summo studio ducere curarunt, virum rei bellicæ disciplinam callentem, qui in pueritia tyro, deinde miles, centurio, primi pilaris, ductor ac Imperator fuisset: ad quos Venetus Senatus respondit, castrorum Præfectūræ tantum locum superesse, sed copiarum numerum se majorem daturum, liberaliaque stipendia; Satis ei esse pro tempore Urbis Venetæ gratiam inire, illique majora uberioraque non defutura, si Deus vitam dederit. Quinquaginta igitur millia aureorum singulis annis pollicitus est senatus nomine Melchior Trivisanus Legatus & hortatus est, ut oblatam pro tempore conditionem lætus acciperet. Tum Comes Petilianus, se nihil illa hora posse respondere, inquit; statuit autem prius a Me Alexandro Benedicto Physico pro accipienda conditione propitii sideris aspectum quærere, ut prosperam diem nunciarem, cui respondi. XI. Calendas ac sequentem diem prosperos eventos indicare ex Jovis cum Luna coitu, XII. libræ gradu ac Veneris XV. ejusdem signi ac Martis Sextilis contuitu peritorum judicio. XII. Calendas Germani sub Venetorum stipendio de fuga consilium iniere, & nisi Georgius Petraplanensis affuisset, qui feros animos mitigaverat, jam ad Regem defecissent. Nunciatum est præterea, Regem XXM. peditum in summa collegisse exercitumque in dies augere & collatis signis propediem dimicaturum. Ea fama crebior erat ob urbis Novariæ inopiam, quæ in maxima desperatione bombardarum ictibus auxilia signis datis petebat. Vercellenses paribus ictibus respondebant. Ea nocte Tabellarius Venetus a Gallis captus est cum literis, quæ a Legatis ad Senatum mittebantur, quæ publice lectæ sunt. Continebatur enim, Legatos conquestos esse CC. equites copiarum Mediolanensium invito Imperatore ob pecuniarum inopiam abiisse, & ex Venetorum peditibus plurimos accepta pecunia distributorium decoxisse: Regem deinde Gallorum in Galliam propediem recessurum. Dux Auriliensis easdem literas & suas pariter tribus villicis ad Regem dedit. Hi rursus a nostris secundis vigiliis capti sunt, sed literæ Ducis ad Regem protenus legi non poterant, quæ commutatis litteris & verbis scriptæ erant. Mediolanum propterea missæ sunt, atque in nostratia verba translatæ, mirandumque eo processisse ingenia, ut nihil tam literis reconditum sit, quod humana industria non palam fiat: conquerebatur in iis Auriliensis Dux Regem Gallorum in Galliam abiturum, & Novariæ urbis expeditionem fœde relicturum, eaque non sine Regiæ Majestatis dedecore jactari, rei frumentariæ præterea inopia, & pecuniarum desperatione milites hostibus ultro sese dedituros, auxilia, irrita spe in longum protrahi videntes: Germanos deinde in castris Venetis seditionem cum Latinis internecivo odio commovisse, & nisi Georgius Petraplanensis affuisset, jam domos abituros. Duces denique omnes inter se discordes esse: Hæ literæ ad Senatum missæ sunt, tabellariorum deinde hora mutata est, ne de cætero nocturna occasione interciperentur. His diebus Vercellæ urbs jam Gallorum diverticulum & contubernium facta est, invita, ut dicunt domina, quod Ludovicus Dux ægerrime tulit, conatusque exinde est, Ducem Allobrogum a Gallorum studio avocare, ut illa Vercellis Gallos excluderet, pœnituitque Ducem Petiliani consilio Vercellas non occupavisse; significatque nisi eos urbe expulisset, agros omnes militibus diripiendos daturum. Illa respondit: parva manu Gallorum Regem potentissimum ex sedibus suis non posse propellere, maximo sibi damno esse alienos milites domi habere. Et si Imperator & Legati Veneti non ut injuriam vicinitati aut affinitati D. L. inferrent, omnia tamen igni ferroque devastanda militi permisere, ut alimenta Gallis adimerent, seditioneque omnia complerent. Tum Franciscus Severinas ut prior prædæ incumberet, rem in posteram diem differre simulavit, Græcosque milites falsa cunctatione decepit. Itaque prior cum D. militibus levius armatis in agrum sibi notum noctu irrupit, ruraque Vercellensium populabundus vastavit, armentorum circiter duo millia, pecudes circiter mille abduxit. Hos secuti sunt Græci Stratiotæ, qui mille quoque armenta in castra duxere, quæ trepidantes rustici in stabulis reliquerant, atque ita ager subito exinanitus est. His Fracassii milites inopiam & famem vicerunt. Reliqua, si qua relicta erant, jumenta jussu Ducis Alobrogum in vicina oppida protinus missa sunt. XI. Calendas pro adventu Ludovici Ducis magnifica in castris tentoria sub Tilia oppidulo disposita sunt, novaque equitum armatorum supplementa sub Pesaurensi Principe in castra recepta sunt circiter CC. Non. Cal. Teutones & Latini milites pristinæ seditionis memores pedestri pugna dimicavere, in qua Latinorum decem tormentis cecidere, cæteri instantes, & fugientium Teutonum tergis inhærentes L. interfecere, ac nisi Comes Petilianus ea vespera præsto affuisset, ad unum in tuguriis cæsi fuissent. In femore Marcus Ariminensis Centurio tormento parvo transactus est. His diebus Novarienses fame tandem macerati instantemque expugnationem formidantes intercepta pristina nuntiorum occasione ex summis turribus arceque sublimi primis noctis vigiliis secundisque ac matutinis signi datione sublata ardenti face ac de-

missa per intervalla auxilia petere anxie cœperunt, vel in conspectu hostium. Hæc exercitui alacritatem cognita hostium inopia attulere, qui consumtis alimentis jumenta cædere aggressi sunt, nec equis quidem abstinuisse feruntur. Ea fames, accedente potu aquæ, perpetuæ deinde vigiliæ pavorque continuus varios vulgaverant morbos, ergo stratæ erant viæ ægrotis semivivis, qui cibum implorabant. Sed frustra surdas aures implebant ejulatibus, plures in dies cadebant. Dux Aurilienſis dolore simul ac pudore anxius, quia causa tantæ cladis esset, Literas a Rege habuisse simulavit, quare per urbem campanas & tympana pulsantes adventantis Regis fiduciam irritam præferebant. Cæterum nocte faces Galli longius refulgentes accendebant auxilia expetentes. His diebus cum e castris egrederentur quidam ex amicis Novarienſium & quædam oppida visendi gratia adirent, imposita super portis Severinatum insignia viderunt, quæ oppidanis impunitatem dedere, ob id ea nullus hostium aggredi ausus est. Oppidani illos magno honore suscepere, nullam belli calamitatem sentientes. VII. Calendas Sept. exploratores significavere, Gallos mille & quingentos silente luna alimentis oneratos urbi auxilia laturos perdita securitate singulis equitibus longiore distributo sacco. Imperator Exercitus instructis secundis vigiliis duabus aciebus, & equitibus levis armaturæ ad viarum compita præcludenda ipsa agmina ducit albis funalibus accensis; bubulcos CC. tormenta ardentes faces tenentes ante ibant dispositis militibus ac tormentis, extinctis facibus, exploratores turmam hostium venientium longius audivere, qui cum se in medios hostes lapsos sensere, abjectis protinus sarcinis, fugam pecorum modo arripuere, multi capti sunt, & reliqua alimenta direpta, spoliati omnes in castra ducuntur, præter eos qui subito delituere, die tamen reperti sunt, qui pecuniis auro, argento, annulis, monilibus & equis lætum militem, plusquam verisimile sit, reddidere. Duces capti sunt Statilianus & Pelizenſis quidam, natione Galli. Atque Chion Phrenetus Regis alumnus a Lazario Ariminensi captus est. Jacobatius Venetus peditum Præfectus delitescentes inter vepres Gallos diro clamore terrefaciebat, monendo Stratiotas adventare, utque cito exirent, clamitabat. His vociferantibus Galli quidam præ nimio metu supplices exiere, veniam & salutem orantes; captivi, qui Latinorum mores noverant, ac nativam in miseros clementiam, auro se redimere statuebant. Legati Veneti præconis voce, ut omnes captivi ea die ad prætorium ducerentur, edixere, statueruntque, ut ad belli ultima Mediolani ac Cremæ in vinculis servarentur, deinde sua quisque pecunia captivitatem redimeret: Solebant enim, qui capti fuissent, post libertatem sæviores in Latinos esse. Dux Aurilienſis, qui hos in custodias mittendos audiverat, illos a Venetis catenis vinctos servari ad perpetuam triremum servitutem falso jactitabat. Ea sævitia, ne in Turcas quidem usus est Senatus Venetus. Argumento fuerat, quod militum calones & lixas Græci milites vendere non poterant. VI. Calendas Imperator & Legati ob Germanorum sævitiam, seditionemque continuam ac suspicionem statuerunt, ne de cætero Germani ad militiam conscriberentur. Firmarunt præterea ea die Fontanæ arcem, in qua equites C. pedites CC. collocavere, ne facile in manus hostium deveniret. IIII. Calendas Alobrogum Legati ad Imperatorem Legatosque venere, querelarum pleni, Ducem Mediolanensem affinitatis rationem non habuisse demirati: quod milites contra veteris amicitiæ jura agros amicorum depopulati essent. IIII. Calendas Comitis Petiliani opera munimentum sub mœnibus urbis, ut protinus majora tormenta ad murorum ruinam subducerentur, constructum est; verum prius suburbana igni ferroque devastata sunt, templumque Divi Nazarii occuparunt, in quo CC. equites CCC. que pedites præsidio locaverunt Duce Carolo Melitense. Ea die in castris nuntiatum est, Florentinos cum Gallorum Rege fœdera iniisse, Legatumque cum paciscendi auctoritate ad Regem misisse, ut Pisas urbem dolo amissam restitueret, ac oppida, quæ Petrus Medices tradiderat, C. millia aureorum singulis annis pollicentes, donec bellum inchoatum absolveretur, CC. præterea equites suo stipendio in Apulia alendos contra Regem Ferdinandum. Legatus a Mediolanensibus intercipitur; patefacto fœdere Dux Mediolanensis copias in Pisanorum auxilium, additis Venetorum auxiliis, mittit, quibus Fracassium præficit. Ea nocte excubiis Nic. Savorgnanus ex Hunia gente Patricius Venetus, Peditum Dux terrefacto equo ac collapso armum misere convellit, Urbanoq; filio militiæ curam reliquit. Panis & avenæ caritas, quæ semper in castris fuerat, qua causa proveniret, quidam ex amicis patefacit, qui oneratos currus ex principalibus horreis furnisque vehi affirmavit. In his major pecuniarum pars impendebatur, nec in re alia major quæstus fuit, nec diuturnior. Peditum perpetuis dolis modus inventus est, ut ii bis in mense recogniti bis stipendii dimidium acciperent; Etsi id quibusdam Ducibus molestum fuit, Germanis præsertim nonnullis, qui suppositis militibus diribitorium exedebant. Interea ad expugnandam urbem multa ab Imperatore parabantur, nec cessabat unquam ab opere, modo hostium consilia explorare, modo vigilias imperare, laboribus continuis novum militem fatigare. Sed fossæ munimentaque eum sollicitabant. IIII. Non. Sept. Comes Nic. Petilianus, Carolus Melitenſis ad expugnationem omnia parabant, etsi sociorum milites non exiguus livor cruciaret, ne gloria prædæque utilitas Venetorum copiis daretur. Dum igitur Comes Petilianus Præfectus expugnationem præpararet, pilula plumbea sub renem dexterum tormento impacta est, & ad sinistram scapulam infixa. E diruto enim munimento hostium ante portam urbis in caput toto corpore se ipsum devolvit, visa tormenti flamma, nec tamen subitum ictum evitare potuit. Socii manu

nu Præfectum excipiunt, & in proximi cœnobii cubiculum deferunt. Ingens protinus sollicitudo ac luctus in castra pervenit, ejulantes milites quærebantur in tanta rerum occasione clarissimum Ducem extinctum esse desperatamque esse urbis expugnationem. Regem præterea Gallorum non procul a castris significavisse. * Hujus enim consilio & industria Imperator tanquam veterani militis & Ducis utebatur; Me Veneti exercitus Medicum subito nuntio evocari ad se jussit, ego ut vulnus vidi, interrogavi, an concidisset, evomisset, sanguinemve expuisset, urinam cruentam aut excrementa emisisset; familiares, qui eum pertulerant, nihil horum vidisse affirmarunt; urinam poposci; quam ut claram vidi, salvos esse renes & vesiciam adjudicavi. Chirurgi omnes convocati sunt, & Medici reliqui, Petrus Franciscus Mantuanus militia ornatus, Andreas Novariensis, qui renum quoque salutem pronuntiavere. An salva essent intestina nisi injecto clystere intelligi non potuit. Siliqua Ægyptia cum rore Syriaco summo mane pota & ventrem & intestina illæsa indicavit. Mens item sana, diaphragma sive præcordia integra ostendit. III. Nonas Præfectus in tabernaculum delatus est, ubi cibi paululum assumsit, somnum exiguum, & per intervalla cepit. Tum Regem Gallorum adventare certior fama erat. Hic vero tantam victoriam eripi sibi e manibus & ignobili morte in tabernaculo extingui quærebatur, gemens: & qui paulo ante fœde fugerat, jam nos ultro provocat, & superbos nuntios mittit: fortunam meam, inquit, in consilio habent Galli. His dictis a Medicis quid spei superesset quæsivit, omnes salutem large promisere, verum tardiuscule vulnus ad cicatricem perventurum. Nam specillum æreum supra sesquipalmi longitudinem inditum fuerat, quidam vero non Medicus, sed circulator falsa artis ostentatione subitam salutem aquæ medicatæ potu polliceri ausus est, fidemque medicamenti dabat milii granum injectum, quod sequenti die ex ore vulneris prorumperet. Petilianus Præfectus Ludovici Ducis suasu, ad quem Circulator devolverat potionem, quæ nihil venenati contineret, moram perpeti nolens, sumere statuerat. Inter has concertationes biduum consumtum est. Ego vero qui Chirurgi dolos & fraudem noveram, facile circulatori persvasi, qui jam XV. nummos aureos acceperat, ut remedium in sequentem hebdomadem differret. Nobiles interea Chirurgi Ticino Mediolanoque acciti fuerant, qui hominis temeritatem pariter damnavere. Pro Petiliani salute vota a militibus suscepta sunt. Pridie Nonas Septembres Dux Auriliensis æs pro argento signavit, pecuniarum inopia, quam nemo renuere ausus est. Nonis Georgius Petraplanensis Vir Strenuus, Germanorum peditum ductor, qui sub Mediolanensi Duce merebat, ob ejus fidem a Veneto Senatu pecunias dono accepit; Ea die D. rustici operarii ad munimenta acciti venerunt. VII. Idus Sept. Argentonus, qui antea apud Venetum Senatum Legatus Regis fuerat, sponte sua de pace cum Venetis Legatis tractaturus tubicinem præmisit, qui Legatis nuntiaret, Regem Gallorum sociorum fœdera observaturum, nec aliud in Italia, præterquam regnum, quod jure suum esset, petiturum, & pacem imprimis cum Venetis exoptare, quandoquidem sibi adversari fortunam maximis discriminibus cognovisset. VI. Idus Antonius Faber Centurio ac Johannes Feltrensis dum strenue munimenta quædam sub portis expugnarent, graviter vulnerati sunt. V. Idus sub mœnibus IIII. mortaria in suburbio Divi Agapeti posita fuere ad tectorum ruinam, bombardas item longiores. Tum Petrus Sclavus centurio sagitta vulneratus moritur. Aloisius Novellus saucias in tabernaculum defertur, scalæ in castra delatæ sunt. III. Idus sacræ quædam Virgines urbem egressæ in castra venere, nuntiantes, Gallos in summa macie in urbe esse ac sqvalore confectos, nobiliores frumento cocto vesci, privata domorum tuta ad munimenta corripi: Clandestino nuntio Prescius inter Regios Proceres Legatis Venetis nuntiat, Regiam Majestatem cum Veneto Senatu pacem desiderare, modo Senatus una cum Rege Joh. Galeacii Mariæ filium puerum ad Principatum promoveret, Cremonam exinde urbem & alia oppida propinqua accepturus. Legati vero ob fidem nuntium objurgarunt. Ea nocte bombardæ duæ ingentes in castra Mediolano delatæ sunt, quæ pilas lapideas librarum CC. emittebant, iis sequenti die ingenti ruina turres & portam quatere cœperunt. Una nocte totius Civitatis faciem mutatam esse videres, tum Venetus Senatus ad præmia haud impiger, expugnationis tempore primis mœnia ascendentibus, secundis ac tertiis pro Legatorum exercitus arbitrio munera elargiri decreverat. In eo prospero successu exorta rursus inter socios milites invidia est, ne Venetis armis urbs diriperetur, prædaque militi Veneto daretur. Tum Galeacius Severinas Mediolanensium copiarum Præfectus ob Regis adventum, qui cum aperto Marte dimicandum esset, ut tormenta mœnibus amoverentur, clamitabat, deque damno ac injuria, si ab hostibus raperentur, protestari Legatis cœpit. At Veneti Duces summa desperatione tenebant, cum urbem jam captam capi non posse viderent, frustraque pecunias profundi, magni item exercitus instare ruinam, & nisi præsto sit fortuna facile posse opprimi. Fama fuit apud milites, validissimum Venetorum exercitum hostes ac socios Mediolanenses, si quid sceleris incepissent, ab insidiis terruisse: facinoris suspicionem in castris augebant Severinatum, fugiente Rege, promta salutatio: Ducis Ferrariensis frequentes ac clandestini internuntii. Non ultra igitur Legatis Venetis in expugnando cura fuit, sed in conservandis copiis sollicitudo duntaxat increvit. Fugæ exitum plerique Duces clam prætentavere, qui in magna rerum desperatione summa parte fluminis Ticini haut profundo vado posse tranare ----- graviora etiam in dies jactabantur a Mediolanensibus Militibus [ut fit] Venetos nisi annuente Lud. Duce non posse

Digitized by Google

discedere salutemque ac ruinam totius Italiæ in sua haberi potestate, & omnium rerum arbitrum esse. Major ob id Venetos milites cura subiit, exercitus majoribus copiis amplificandi. Propterea pedites equitesque undique conscribi petebant, famaque erat, Gallorum Regem ab attiguis Germaniæ locis militem delectum habere, unde & a Veneto pariter Senatu jam delectus ubique haberi cœpit. Tormentorum ingens numerus, Venetiis, Verona, Brixiaque vehebatur, Ductores alii ad stipendia conscribebantur, nec mens erat in eo discrimine omnibus pro salute patriæ sese accingentibus; de transportandis item pontibus cogitatum est. Nihil igitur omisere, ut si opus esset, ad Ticinum usque robur omnium virium processisset; major igitur atque periculosior belli moles superesse videbatur. XVIII. Calendas Octobres omnium Ducum sententia fuit collatis signis cum Carolo Gallorum Rege dimicare, omniumque consensu emovenda esse tormenta, saluti magisque existimationi consulentium. Sed Venetorum contestatione, ea quoque, ut dicemus, restituta est. XVII. Calendas Imperator Venetus a pugna ad pacem, quam variis nuntiis Rex prætentaverat, animum convertit, inter reliquos Comes Albertinus erat, qui de pace plura procuraverat; Hic primum cum Philippo Argentono ac Joh. Jac. Triulcio de pacis conditionibus egit, quem Gallorum Rex ad se acciri jussit, ad quem locutum esse accepimus: Legatos Venetos non posse satis admirari, qui pacem totiens a se oblatam respuere viderentur, verum Senatum pacem semper coluisse, scire, etiam a Majoribus suis habere: Eo primum annuente in Italiam venisse, regnumque Neapolitanum recepisse; Sub antiquis pacis conditionibus primum colloquia cum Imp. Veneto desiderare, cum quo de pacisendi ratione tractaturus esset: Sed obsidione urbem levari prius velle, Camerianum exercitum ducere, ubi de pacis conditionibus propius pertractandis facilior cura esset; tum facta dicendi potestate Comes Albertinus: omnia facilia esse respondit, præter duo; urbis obsidione amoveri difficillimum esse, cum LM. hominum adesse certum esset, & Camerianum oppidum occupandum esse ab hoste, ne infecta pace tam prope haberetur hostis. Tum discessit, omnia Imperatori & Legatis Venetis nunciaturus venit cum Caduceatore, qui induciarum rationem attulit. Forte sequenti die, hoc est XVI. Cal. Octob. Ludov. D. præter omnium opinionem cum carissima uxore Beatrice venit, pridie medio l. discesserat felici horoscopo Duce Astrologo, sine quo nihil aggredi consuevit Jove in libra, Luna in Jove ac Mercurio in libra pariter sextili contuitu, Marte quoque cum luna ad trinum aspectum in Sagittario prosperos eventus significantibus induciæ protinus indictæ sunt tribus diebus, hac conditione ut alimenta urbi necessaria permitterentur, & ne quid in urbe Novaria interea construi posset: at nihil in re militari sine dolo inveniri potest. Dux quidem Auriliensis alimentorum magnam partem, quæ civibus & militibus debebatur, in arcem transtulit, equos præterea CC. qui pabulo carebant Vercellas emisit, Galli qui in urbe erant, fame jam diu macerati squalidi in castra singulis diebus veniebant, cibo potuque saturi, Vesperi discedebant; qui nuntiarunt MDC. Germanos procurante Vincentio Valerio castra Veneta subiisse. Cæterum in hoc bello militibus nihil magis adversum fuit, quam equorum ingentium ante oculos ruinam videre, omnia cadaverum plena, duo millia interiere, nocte continuis excubiis, die fame vincebantur; nam muscarum tædio adeo cruciabantur, ut contempto pabulo humi procumberent. Inter has inducias Gallorum Rex militum abeuntium sollicitudine perturbatus concione advocata exercitum in dies patriæ desiderio magis exhauriri retulit, hostium vero increscere, verum quæ de Regibus Hispaniarum vulgata essent, vana procul dubio comperiri, in summaque tutum esse Venetos ac Mediolanenses ad pacis conditiones adducere, ut regnum Neapolitanum labefactatum confirmari possit, ea enim gens imbellis est, quæ quorumcunque bella militantium imperata faceret: Stabilito eo imperio, si Deus volet, nihil obstabit, quo minus ultra Sinum Hadriaticum copias trajiciat, & terrarum spatia emensus maxima gloria, minimo periculo Hierosolymam, quo Deus vocat, perveniat; sed talia jactando, imprimis Venetorum fidem firmare opus esse, cum nulla ratio esset, quæ transire eos terminos prohibere potest. Sed suspectæ vicinitatis metus obstat. His peractis Legatos Principem Geensem ac Philippum Argentonum mittit, qui cum XV. Calendas in conspectu Lud. Ducis & Imperatoris Veneti & Legatorum esset, petiere, ut facta abeundi libertate Auriliensis Dux cum Majestate Regia colloqui potest, quibus Ludovicus Dux respondit, nequaquam se id facturum, sed prius de pacis conditionibus tractandum. Hic enim animo statuerat pacem omnino nutanti imperio componere, Genuam & Savenam, si opus esset, traditurus, misitque Franciscum Bernardini Vice-Comitem, cum quo Imperatoris nomine Hieronymus Stranga esset, ut de conditionibus ageret; & cum in concione esset, non ultra de bello inferendo, sed de ponendis armis consilia habenda esse proposuit, amotis jam a mœnibus tormentis & conversus ad Hispaniæ Regum Legatum, quid ei videretur interrogavit; aderant autem & reliqui Legati. Ille nihil jure fieri potest, inquit, sine Regum suorum & sociorum consensu: Ad quæ commotus Lud. Dux & commotionis plenus Reges ejus Sociorum fœdera non servasse respondit, nihilque penitus tentasse, sese verba tantum accepisse, verum imperium suum in maximo versari periculo; deliberandi igitur moram sibi plurimum obesse, pluris salutem imperii sui facere, quam sociorum dignitatem & gloriam: sed fœderis jura, præterquam a Venetis, a nullo hactenus servata fuisse constaret. Rediere nuntii eo die, qui ad Regem ierant, nuntiantes, Machlodiensem Cardinalem plures quam par erat conditiones Regio nomine expostulasse, sibique discedentibus re infecta

Joh.

Digitized by Google

Joh. Jac. Triulcium Regiam Majestatem ad mitiores conditiones venturum annuisse. De damno enim Regis incredibili Cardinalis ipse Gallus plura recensuerat, ex vultu tamen omnium circumstantium ad pacis desideria, ut in patriam redirent, animos inclinare facilis conjectura erat. In duobusque tantum res versari videbatur; Altero, ut Senatus Venetus ab injuria abstineret, & ne Ferdinando Regi auxilia conferret. Ludovicus Dux pacis avidus descendere videbatur ad conditiones, easque per tabellarios Caduceatoresque promitti petiit. XIII. Cal. Octob. Sesia flumen citra Vercellas adeo increvit, ut castra Regis circa ripas, copiæ reliquæ ultra divisis viribus non sine periculo essent. XII. Cal. inter Ducem Mediolanensem ac Legatum Hispaniæ rursus contentio orta est in ipsa concione, ne quid sine sociorum consensu fieret, fœderis propterea conditio una palam lecta est, in qua continebatur, ne quid de pace cum hoste proponi posset, insciis sociis; de consilio prius habendo Legatus respondit; Ludovicus vero Dux ut literis tantum significaretur, interpretabatur, non sine rursus indignatione Legato objicit: Ex sociis neminem præter S. Senatum Venetum fœderis sacra jura servasse, & se sociorum negligentia de finiendo bello invitum tractare. Eo extra concionem dimisso Legati Regii admissi sunt pro Imperatore Giensis & Prænensis ac Argentonus proceres II. petiere, ut Aurilienss Dux facta abeundi potestate per medios hostes ad Regem proficisci posset, rediturus ad Principis Mediolanensis arbitrium, tum plura de conditionibus tractavere in cassum. Legati Regii commemorabant Romanorum Regem Regis sui amicum esse nec ab eo reformidari injuriam. At Ludovicus Dux inquit, an Novariam urbem imperii occupatam esse ignoratis, meque ipsum ab imperio dependere, vel magis ipsum Regem in territorio Imperatoris Cæsaris Maximiliani bella gerere non sine Majestatis suæ injuria. Ab his omnes discessere infecta re. Postera die hoc est XI. Calendas rursus in castra venere, in tabernaculum admissi sunt, jussi consedere. Ludov. Dux sic orsus est: Si Rex vester depositurus est arma, ad pacis conditiones descendere opus est; Ego satis tutus sum Maximiliani Romanorum Regis patrocinio & Veneti Senatus armis, cui ego & omnis posteritas semper debebit, quod statum imperii mei incolumem servavit: De pacis vero conditionibus classem in pugna captam jure belli restituendam esse non putamus, deque damno immodico Regis resarciri impossibile est; vel judex eligendus de Francisco Secco ad Imperatorem Venetum pertinere respondit. His diebus nuntiatum est, Maximilianum Regem Romanorum maximo cum exercitu suadente Zacharia Contareno Veneti Senatus Legato in auxilium sociorum paratum esse, bellumque cum Gallis maxime optare. X. Cal. Septembres Lud. Dux clandestino colloquio Legatos Gallorum allocutus est non sine proditionis suspicione. Interea loci dum hæc in castris geruntur Venetus Senatus in dies supplementa mittere non cessabat. Iris tamen suadebat, ut Ludovicus Dux Neapolitani regni difficultatem omnem inter Gallorum Regem & Ferdinandum cujuspiam Judicis arbitrio dare omnino studeret. Ille mox Legatis regiis facile, inquit, sine armis regno potiturus est, si velit Rex vester Legatis mom rogantibus respondi pheudi titulo, ut quotannis ei tributa persolvantur. Maximumque decus esse Regi Regibus imperare. Argentonus respondit, se super his sine Regis nutu quicquam non audere. His ultro citroque acceptis abiere. Eo die Aurilienss Dux sine injuria multis comitantibus ad Regem profectus est. VIII. Cal. rursus Novaria Salucensis quoque Marchio Vercellas versus discessit, induciæque ad Cal. Octob. Veneti Senatus causa protractæ sunt, ut consultis partibus quid de ineunda pace decretum fuisset, rescriberent. IIII. Cal. inter Germanos & Italos seditio alia exorta est, illi cum oberrantem per castra militem Latium antea infestum viderent, interceperunt, & convocatis protinus militibus in mediam coronam obligatis post tergum manibus protraxere, magnis eum clamoribus circumstabant, & Teutonum studia omnium ad necem ferebantur, una erat uxor teutonica lingua, proin emissa consensu, ut protinus trucidaretur, nec armata factio ab ullo comperta est, tum unus militum illico caput abscidit: cognita re Latini hunc carnificem perdita securitate ob æquitatem observavere, qui cum secus fossas Tiliæ sequuturus cristis sublimis pertransiret, lanceis subito confossus a pluribus, concidit equo, vox illa ad tuguria Germanorum delata omnes ad arma excitavit; hi coiere, Latini pariter equites in acie protinus stetere, lanceis, telis, tormentis, gladiis veluti collatis signis dimicare cœperunt intestina rabie: Germani subito cedunt, Latini instant, tum Imperatoris adventu socialis pugna repente direpta est. His diebus circiter Germanorum XXM. in Regis auxilium venerunt, gens fera, sui juris, qui insolenti petulantia pecunias ingentes exposcebant. Verum auri inopia Gallorum Regem & metus ingens ad propalandam pacem præcipites trahebant illum, ut confecta pace dimissis Germanis salarium non exsolveret, eamque ob causam in castris seditionem oriri facile haud dubitabat, nam nec tantam Germanorum multitudinem expes speraverat. Hunc exhausto fere exercitu sub pacis spe numerus recentium hostium Germanorum perterrebat. Interea in dies peditum ac equitum ingens numerus ex Latinis solutis veluti castris descendebant. L.D. non sine magna proditionis suspicione interdixit, ne quis ex portitoribus fluviorum quemquam militum trajicere audeat, capitali pœna indicta. Rex pacis conditiones aucto exercitu meliores reddere curabat, in biduumque induciæ protractæ fuere. Cal. Octob. Senat. Ven. de pacis conditionibus nihil sine sociorum monitu agere velle ex jure fœderis respondit, instantiore enim cura petebat Rex, ut Senatus quoque pacis conditiones amplecteretur. His auditis Legati Regii a fide Venetorum Ludovicum

Digitized by Google

cum Ducem avocare contendunt, clamque hortantur, ut Venetis bellum inferat cum Rege pacatus vel Regi cum Venetis dimicaturo viam bello aperiat; induciæ iterum in octavum diem protractæ sunt Legati exercitus sollicitudinis pleni a Senatu literis petiere, quidnam incompositis rebus de copiis agendum esset, quoniam temporis iniquitate in castris contineri milites non possent. Respondit Senatus, pecuniis datis eas in agrum Brixianum tuto subducendas Legati interea rediere, quorum animos cogitationes exedebant, quod nullo modo Venetum Senatum pro eorum animo ad pacis conditiones jure fœderis trahere potuissent: apud quos Ludovicus Dux Veneti Senatus fidem summopere collaudavit, dolumque aut fraudem nunquam in eo inventam esse commemoravit, cui vel infidi Turcæ præcipue crederent. Eo die Dux Brasinchensis Germanus cum equitibus CCCC. Ludovici Ducis stipendio magnifice instructis castra ingressus est. IIII. Nonas Barbontis captivus, nothus Regis Galliæ Mantua ad castra venit, quem Ludovicus Dux admonuit, non finito bello illi Mantuam redeundum esse, alioquin vices subiret. Cardinalis Genuensis filii, qui tantundem auri impenderet, quantum ipse nothus pro redemptione promisisset. III. Nonas Hercules Dux Ferrariensis castra ingressus est arci Genuensi utriusque nomine imperaturus. Qui una protinus cum Exercitus Imperatore Regem Gallorum adierunt, a quo honorifice pridie Nonas suscepti sunt. Rex plura cum Imperatore de Tarrensi pugna collocutus est mox de pace, de deponendis armis mentio habita, petiitque an sub ejus stipendio contra Ferdinandum Regem militare vellet? cui se Sacramento adstrictum esse Veneto Senatui & imperatorio nomine se ornatum esse respondit. His dictis Rex extra urbem egressus, equos sublimes & egregios adduci jussit omnesque ab Imperatore Veneto laudatos clargitus est. Ille duos tantum dono accepit, gratiasque Regi immortales egit, quo salutato & omnibus proceribus in castra rediit. Tum Joh. Jac. Tirulcii filio protinus Ludovicus Dux oppida in integrum & proventus restituere promisit. VIII. Idus Octob. Proimperator Giensis Regius in castra Venetorum venit, quem sic locutum esse in concione ad Legatos accepimus: Rex noster scire admodum cupit, hostis ne an amicus sit Senatus vester, an velit Monopolim restituere? Ad quem Legati Exercitus pluribus verbis opus non esse responderunt. Veterem Regis amicitiam Senatum colere, bellum semper odisse, pacis conditiones non respuere, verum insciis sociis nihil obfirmari posse. His dictis dimissaque concione Legatus ad Regem rediit omniaque ordine nuntiavit. VII. Idus Legatus Ludovici Ducis retulit, se cum apud Regem esset pacis fœdera specialius a Veneto Senatu desiderantem cognovisse, eum diutius anxium cum proceribus suis in secretis fuisse, stabilita tandem cum Ludovico Duce pace concionem dimisisse, ultra Alpes protinus equitaturum. Ea die Proimperator Giensis Regius una cum aliis Legatis in castra Sociorum venit. Aderant & Legati Veneti & Hispaniensis Orator. Tum coram omnibus has a Rege Gallorum conditiones datas accepit Ludovicus Dux, ut classem primum Rex in Genuensi portu ad præscriptum parare posset, neve Ludov. Dux Ferdinando Regi hosti auxilia mitteret, classemque Genuæ retentam restitueret, Genuensem arcem Herculi Ferrariensi Duci in biennium traderet, Joh. Jac. Triulcium restitueret, ejus oppida & captivos, inter quos Miolensis Princeps ac Magnus Barbontis nothus; ac L. millia nummum aureorum Auriliensi Duci penderet; Omnes demum sibi fœdere conjunctos observaret. A Ludovico vero Legatus Regis has quoque conditiones accepit, quarum prima, ut fœdera priora inter Pontificem, Maximilianum Regem Romanorum, Reges Hispaniæ, Senatum Venetum imprimis servarentur: Novaria deinde restitueretur. Item pecuniæ hoc est circiter CCM. nummum aureorum Regi mutuo data redderentur. Reliqua exigui momenti fuere. Tum Ludovicus Dux & Legatus Gallorum auditis pacis conditionibus jurejurando se omnes servaturos promisere ac Legatus protinus discessit. VI. Idus Imperator & Legati exercitus concrematis tuguriis, amotis tentoriis, milites dimisere, quos Ludovicus Dux ac Legati cæteri extra castra comitati sunt gratiasque imperatori & Legatis exercitus egit, statimque in castra rediit. Gallus eo die Vercellis in Galliam mœstissimus discessit pecunias & exercitum comparaturus. Imperator Vicum Granarolam Exercitum Venetum duxit XIIM. p. a castris. Ea die Galeacius Severinas Novariam ingressus est, & arci novum præsidium imposuit. V. Idus Imperator in Vegenenis oppido apud Ludovicum Ducem commoratus est, ubi una cum Legatis Venetis consumto inter lætitiam regali prandio equos conscendere oppido egressis Ludovicus Dux ita locutus est: Gratias immortales agimus Senatui vestro Sanctissimo, qui nutanti imperio magna fide, magna constantia, opem rebus dubiis attulerit: qui nunquam exercitum discedere passus sit, donec firmatis rebus recepta Novaria, ipse tutus in meo fuerim imperio: Vobisque Legatis plura me debere fateor, qui existimationem meam vel meis invitis tutati fueritis, & tormenta a mœnibus intempestive amovere nolueritis & nisi vestra affuisset fides consiliumque, res nostræ ocyus quam Neapolitanæ corruissent præcipites. De quibus meritis ac laudibus ipsa coram Serenissimo Principe vestro & Senatu universo gratias agentes uberius referemus. Post mutuos complexus discessere. Dux Vigevenas rediit. Imperator vero junctis pontis Ticini ripis cum omnibus copiis Ticinum versus iter aggressus est. Legati vero IIII. Idus Mediolanum vexere, ibi duobus diebus consumtis, Laudem Pompejam, deinde Cremam pridie Idus venere. Unde Germani accepta pecunia discessere. Hinc & Itali pedites domum abiere. Annuntierunt Carolum Melitensem militiæ clarum, consilio acrem, manu strenuum, Principibus acceptissimum & militibus charum febre correptum Papiæ obiisse. Cremæ Stativorum ratio habita est. Equites fere omnes per Cremensem, Bergomensem, Brixiensemque agrum distributi sunt. Legati Crema Idibus Urcios novos venere Olio flumini ponte imposito. XVII. Calend. Novi Legati Brixiam iere, ubi litteras a Senatu accepere, quibus libera redeundi domum potestas data est. Hinc Mantuam venerunt, quorum ea 13. Cal. Imperator Mantuanus ludos fecit, consumtis aliquibus diebus, Calendis Mantua discessere, Padoque flumine Venetias venerunt. VI. Idus Novembres Augustinus Barbaticus Princeps summæ sapientiæ & Universus Senatus triumphalem navem pro more, Bucendaurum dictam, conscendere obviam imperatori de Rep. bene merito ituri, cum quo & Legati Exercitus erant. Tum Princeps cum universo Senatu cumque Legatis omnibus Italiæ Principum & M. Regis Rom. & Hispaniæ, Imperatorem ingenti lætitia in navem excepit, eumque de victoria collaudando amplexus est, triumphique imaginem per urbem more patrio dedit, comitabantur navem Regiam mimorum uni remes civiumque naviculæ innumerabiles: Hinc inde ab omni populo maximo excepti sunt plausu multiplicique Senatorum amplexu dies fere consumta est. Cæteri cum Patribus ad quotidiana colloquia dati, de bello, de pace plura elocuti sunt. Idibus accepta a Senatu grata missione Patavium venit, inde Vicentia, Verona domum rediit. Tum Lucas Pisanus Præfectus designatus Veronam concessit. XVII. Calendas Decembres Melchior Trevisanus alter Legatus Classis Imperator in Comitiis delectus est.

Digitized by Google

XI.

CATALOGUS PONTIFICUM ROMANORUM

non diu post annum 1048. confectus.

Nomina Pontificum Romanorum.

PEtrus Apostolus Kathedram Episcopalem sedit in Antiochia annos VII. in urbe Romana annos XXV. menses II. dies VIII. ubi Linum & Cletum ordinavit Episcopos, ut illi ministerio sacerdotali, ipse vero verbo & orationi vacaret. Passurus autem Clementi Kathedram & ecclesiam Episcopalem commisit, & crucifixus est a Nerone trigesimo octavo anno post passionem Domini, sepultus in Vaticano in templo Apollinis juxta locum, ubi crucifixus est.

Linus natione Tuscus, sedit annos XI. menses III. dies XII. fuit temporibus Neronis martyrio coronatus. Hic ex præcepto beati Petri constituit, ut mulier in ecclesiam velata introiret. Hi duo, videlicet Linus & Cletus temporibus beati Petri sederunt unus post alterum chorepiscopatus officio fungentes.

Cletus natione Romanus ex patre Æmiliano, sedit annos XII mensem I. dies XI. fuit temporibus Vespasiani. Et hic, sicut & Linus in Vaticano juxta corpus beati Petri sepultus est. Hic XXV. presbyteros ordinavit in Urbe Roma ex præcepto beati Petri Apostoli.

Clemens natione Romanus, sedit annos IX. menses II. dies X. fuit temporibus Vespasiani,& martyrio coronatur. Hic VII. regiones divisit Romanæ Notariis Ecclesiæ, qui gesta martyrum per suam quisque regionem sollicite perquirerent, & in regia sepelirent.

Anacletus autem natione Atheniensis, ex patre Antiocho, sedit annos XII. menses II. dies X. fuit temporibus Domitiani. Hic memoriam beati Petri construxit & composuit, dum Presbyter factus fuisset a beato Petro seu alia loca, ubi Episcopi condiderunt sepulturas, ubi & ipse sepultus est juxta corpus beati Petri.

Evaristus natione Græcus ex Patre Judæo, sedit annos XIII. menses VII. dies V. fuit temporibus Domitiani & Nervæ, & martyrio coronatus juxta corpus beati Petri sepultus est. Hic titulos in urbe Roma divisit Presbyteris, & VII. Diaconos ordinavit, qui custodirent Episcopum prædicantem propter studium veritatis.

Alexander natione Romanus ex patre Alexandro sedit annos X. menses VII. dies II. fuit temporibus Trajani, & martyrio coronatus sepultus est via Numentaria, ubi decollatus est, septimo ab urbe miliario. Hic passionem Domini instituit in sacrificiis commemorandam, quando missæ celebrantur, & constituit aquam conspersionis cum sale benedici in habitaculis hominum.

Sixtus I. natione Romanus sedit an. X. mens. II. dies XXI. fuit temporibus Adriani, & martyrio coronatus sepultus est juxta corpus beati Petri. Hic constituit, ut ministeria sancta non tangerentur nisi a ministris Deo sanctis, & ut decantaretur Sanctus in missarum ter sollemniis.

Telesphorus natione Græcus ex Anachoreta sedit annos XI. mens. III. dies XXII. fuit tempore Antonini Marci, & martyrio coronatus, juxta corpus beati Petri sepultus est. Hic constituit, ut VII. hebdomadibus ante Pascha a Clericis fieret, & in natalis Domini nocte missa celebraretur, quia omni tempore ante horam tertiam, qua Dominus ascendit, crucem nullus facere præsumpserat, & ut ante sacrificium hymnus Angelicus diceretur: Gloria in excelsis Deo.

Hyginus natione Græcus ex Philosopho sedit annos IIII. menses III. dies IX. fuit tempore Severi Marci, & juxta corpus beati Petri sepultus est. Hic clerum composuit, & distribuit gradus.

Pius natus de civitate Aquilegia ex patre Rufino sedit annos XI. mens. III. dies XXI. fuit tempore Antonini Pii, & juxta corpus beati Petri sepultus est. Sub hujus Episcopatu, Hermes, qui dicitur Pastoris, scripsit, in quo præceptum angeli continetur. Hic constituit, hæreticum venientem ex Judæorum hæresi suscipi & baptizari.

Anacletus natione Syrus ex patre Johanne sedit annos VIII. menses III. dies III. fuit tempore Severi Marci, & sepultus est in cimeterio Calisti. Hic constituit, ut Clerici comam non nutrirent secundum præceptum Apostolicum.

Soter natione Campanus ex patre Concordio sedit annos IX. menses III. dies XXI. fuit tempore Severi, & sepultus est in cimeterio Calisti via Apia. Hic constituit, ut nulla monacha, vel sancta Deo femina pallia sancta contingeret, nec incensum poneret in sancta Ecclesia.

ELEUTER natione Græcus ex patre Abundio sedit annos XV. menses VI. dies V. fuit tempore Antonini & Commodi, & juxta corpus beati Petri sepultus est. Hic constituit, ut nulla a Christianis repudiaretur, quæ tantum rationabilis & humana esset, & Lucium Britanniæ Regem fecit Christianum.

VICTOR natione Afer ex patre Felice, sedit annos X. menses II. dies X. fuit tempore Cæsaris,

Digitized by Google

ris, & martyrio coronatus juxta corpus beati Petri sepultus est. Hic constituit Pascha die Dominico celebrari, sicut & Eleuther a XIIII. luna primi mensis usque XXI. & fecit sequentes Clericos, & jussit gentiles homines necessitate faciente, ubi inventi fuissent, sive in flumine, sive in mari, sive in fontibus baptizari.

SEPHERINUS natione Romanus ex patre Abundio, sedit annos XVI. mens. II. dies X. fuit tempore Antonini & Severi, & sepultus est in cimiterio suo juxta cimiterium Calisti via Apia. Hic constituit, ut in præsentia omnium clericorum & laicorum fidelium, sive Clerici, sive Levitæ, sive sacerdotes ordinarentur, & ut patenæ vitreæ sacerdotes a ministris portarent.

CALISTUS primus natione Romanus ex patre Domitio, sedit annos V. menses II. dies X. fuit tempore Macrini, & martyrio coronatus sepultus est in cimiterio Galopodi via Aurelia miliario tertio. Hic constituit jejunium die sabbati quater in anno, frumenti, vini & olei secundum Prophetam, & fecit cimiterium sui nominis, ubi multi sacerdotes & martyres requiescunt.

VRBANUS primus natione Romanus ex patre Pontiano sedit annos VIII. mens. XI. dies XII. fuit temporibus Aurelii, & confessor obiit, sepultusque est in cimiterio Prætextati via Apia. Hic multos nobilium ad fidei credulitatem perduxit, inter quos Valerianum sponsum Ceciliæ.

PONTIANUS natione Romanus ex patre Calphurnio, sedit annos IX. menses V. dies II. fuit temporibus Alexandri, & ab eo missus in exilium in Sardiniam insulam, martyrio coronatus, sepultus est in Cimiterio Calisti.

ANTHERUS natione Græcus ex patre Romulo, sedit annos XII. mensem unum, dies VI. fuit temporibus Maximi, & martyrio coronatus, sepultus est in cimiterio Calisti. Hic gesta martyrum diligenter a notariis exquisivit, & in Ecclesia recondidit.

FABIANUS natione Romanus ex patre Fabio, sedit annos XIV. mensem unum, dies X. fuit temporibus Maximi & Africani, & martyrio coronatus, sepultus est in cimiterio Calisti. Hic regiones divisit Diaconis, & fecit VII. Diaconos, qui VII. notariis imminerent, ut gesta martyrum in integro colligerent.

CORNELIUS natione Romanus ex patre Castino sedit annos III. menses II. dies III. fuit temporibus Decii, a quo etiam martyrio coronatus sepultus est juxta cimiterium Calisti in arenaria. Hic rogatus a quadam matrona Lucina, corpora Apostolorum de catacumbis levavit noctu, & posuit corpus Pauli via quidem Ostiensi, ubi decollatus est, Petri autem juxta locum, ubi crucifixus est inter corpora sanctorum in templo Apollinis in monte aurea Vaticano palatio Neronis III. Kal. Julias.

LUCIUS natione Romanus ex patre Porphyrio sedit annos III. menses III. dies III. fuit temporibus Galli & Volusiani, sicut & Valeriani, a quo & capite truncatus, sepultus est in cimiterio Calisti. Hic præcepit, ut duo Presbyteri & III. Diaconi Episcopum non desererent propter testimonium ecclesiasticum.

STEPHANUS natione Romanus sedit annos IIII. menses II. dies XV. fuit temporibus Valeriani, & martyrio coronatus sepultus est in cimiterio Calisti. Hic constituit sacerdotes & Levitas vestibus sanctis in usu cottidiano non uti, nisi in ecclesia tantum.

SIXTUS Secundus natione Græcus ex Philosopho sedit annos II. menses XI. dies VI. fuit temporibus Valeriani, & martyrio coronatus sepultus est in cimiterio Calisti. Cum quo & VI. Diacones capite truncati in cimiterio Prætextati positi sunt. Hic vero beatus Laurentius in cimiterio Cyriaci in agro Verano in crypta, cum aliis multis fratribus sepultus est.

DIONYSIUS ex Monacho sedit annos II. menses III. dies VII. fuit temporibus Gallieni. Hic Presbyteris ecclesias dedit, & cimiteria & parrochias, diœcesesque constituit.

FELIX Primus natione Romanus ex patre Constantino, sedit annos IIII. menses III. dies XXV. fuit temporibus Claudii & Aureliani, & martyrio coronatus, sepultus est in Basilica, quam ipse fecerat in via Aurelia, secundo ab Urbe miliario. Hic constituit supra memoriam martyrum missas celebrari.

EVTICIANUS natione Tuscus ex patre Marino, sedit annos VIIII. mens. X. dies III. fuit temporibus Aureliani, & martyrio coronatus, sepultus est in cimiterio Calisti. Hic constituit, ut fruges super altare tantum fabæ & uvæ benedici, & qui martyrem sepeliret, sine Dalmatica aut colobio purpurario non sepeliret, qui & ipse CCC.XIII. manibus suis sepeliret.

GAJUS natione Dalmata ex patre Gajo, sedit annos XI. menses IIII. dies XII. fuit temporibus Carini & Diocletiani, a quo & passus est, & sepultus in cimiterio Calisti. Hic constituit ordinem omnem in ecclesia sic ascendere, ut esset ostiarius, lector, exorcista, sequens, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, & exinde Episcopus ordinaretur, & regiones divisit Diaconis.

XXX. MARCELLINUS natione Romanus ex patre Projeto sedit annos VIIII. menses II. dies XXV. fuit temporibus Diocletiani, a quo ad thurificandum diis coactus, & post paucos dies pœnitentia ductus martyrio coronatus, sepultus est in cubiculo via Salaria, quia sic ipse præceperat, quod usque hodie patet.

Marcellus natione Romanus ex patre Benedicto, sedit annos V. menses VI. dies XXI. fuit tempore Maxentii, a quo & martyrio passus est, quod noluit sacrificare dæmoniis, sepultus est in cimiterio Priscillæ via Salaria.

Eusebius Romanus [Græcus] & medicus sedit annos II. mensem I. dies XXV. fuit tempore Constantii, & sepultus est in cimiterio Calisti. Hujus tempore inventa est crux Domini nostri Jesu Christi V. Non. Maj.

Melchiades natione Afer sedit an. III. mens. VII. dies VII. fuit tempore Constantii, & sepultus in cimiterio Calisti. Hic constituit, nullatenus Dominica die aut V. fratrum jejunandum. Hos enim dies Pagani jejunio vacabant, & instituit

Digitized by Google

instituit sanctas oblatas dirigi Presbyteris, quod est fermentum.

Silvester natione Romanus ex patre Rufino sedit annos XIII. menses X. dies XII. fuit tempore Constantini, & sepultus est in cimiterio Priscillæ via Salaria, miliario ab Urbe uno. Hic constituit crisma ab Episcopo confici, & privilegium Episcopi, ut baptizatum consignet propter hæreticam svasionem, & ut baptizatum liniat Presbyter crismate levatum de aqua, propter mortis incertum, ut nullus laicus Clerico crimen audeat inferre, ut Diaconi Dalmaticis in ecclesia uterentur, pallio lineo lævas contegant, ut nullus Clericus propter causam quamlibet introiret in curiam, neque ante judicem cinctum causam diceret, nisi in ecclesia, ut sacrificium altaris non in serico neque in panno tincto, sed in lino terreno celebretur, sicut corpus Domini est in sindone munda.

Marcus natione Romanus ex patre Prisco sedit annos II. menses IIX. dies XX. fuit tempore Constantini, & sepultus est in cimiterio Balbi in via Ardeatina in Basilica, quam ipse construxerat. Hic constituit, ut Episcopus Ostiensis consecratus pallio uteretur, & Episcopi Urbis palatio adhæreret, & ab eodem Episcopo Urbis Romanæ ordinaretur.

Julius natione Romanus ex patre Rustico, sedit annos XI. menses II. dies VI. fuit tempore Constantini, & sepultus est via Aurelia in cimiterio Galepodii quarto ab Urbe miliario. Hic constituit, ut nullus Clericus causam quamlibet in publico ageret, nisi in ecclesia, notitiamque coram omnibus pro fide per Notarios colligeret, & ut omnia monimenta in Ecclesia per primicerium Notariorum e consilio celebrarentur, sive ut cautionem vel exstrumenta, donationes, vel communicationes vel traditiones, aut testamenta vel allegationes aut manumissiones Clerici in ecclesia post scrutinium sanctum celebrarentur.

Liberius natione Romanus ex patre Augusto sedit annos X. menses VII. dies III. fuit tempore Constantii, a quo in exilium missus, & post annos tres revocatus sepultus est in cimiterio Priscillæ. Hic ornavit sepulchrum S. Agnes marmoribus.

Romana resp. semper augetur & crescit. R.R. P.S.A. E. C. Ipsa missa a Constantino & Constante Constantini M. filiis ad Liberium Papam. Regnantibus Constantino & Constante dum Romani nollent sic eis obtemperare, sicut Constantino patri eorum, scripserunt eis omnia; nos non oportet peregrinis obedire, sed peregrini nobis, apud nos enim fundamentum Ecclesiæ.

Felix Secundus natione Romanus ex patre Anastasio, sedit annum I. menses III. dies II. fuit tempore Constantii, a quo & capite plectitur, quod eum judicaret hæreticum, & ab Eusebio Nicomediense rebaptizatum, & sepultus est in Basilica, quam ipse Presbyter construxerat via Aurelia, secundo ab Urbe miliario.

Damasus natione Hispanus, patre Antonio, sedit annos XVIII. menses II. dies X. fuit tempore Valentiniani, & sepultus est via Ardeatina in Basilica sua juxta matrem & Germanam suam. Hic fecit Basilicam in catacumbis, ubi jacuerunt corpora Apostolorum, & ut Psalmi per omnes ecclesias die noctuque canerentur.

Siricius natione Romanus ex patre Tyburtio, sedit annos XII. menses XI. dies XXV. fuit tempore Theodosii, & sepultus est in cimiterio Priscillæ. Hic constituit, Manichæum redeuntem ad ecclesiam non communicare, nisi tantum ad mortem, ita tamen, si religione monasterii dies vitæ suæ teneantur, & hæreticum sub manus impositione recipi præsente cuncta ecclesia, & ut Presbyter non celebraret missam in civitate nisi consecrata ab Episcopo ipsius loci oblatam acciperet per singulas ebdomadas, quod fermentum nominatur.

Anastasius natione Romanus ex patre Martino, sedit annos II. menses III. dies XXVII. & sepultus est in cimiterio suo ad ursum pilleatum. Hic constituit, quotiens Evangelia recitentur, non sedere, sed stare curvos, & transmarinum hominem in clericatum non suscipi, nisi V. Episcoporum designet cyrographum.

Innocentius natione Albanensis ex patre Innocentio, sedit annos XV. menses II. dies XX. & sepultus est in cimiterio ad ursum pilleatum. Hic constituit, natum de Christiano renasci per baptismum, & sabbato jejunium celebrari, quod Domino in sepulchro posito discipuli jejunaverint.

Zosimus natione Græcus ex patre Abramio sedit annum I. menses IIX. dies XXV. & sepultus est via Tiburtina juxta corpus beati Laurentii. Hic constituit, Diaconos lenas tectas habere de pallis linostimis, & per parrochias concessa licentia cereum benedici, & nullum clericum poculum in publico propinare, nisi tantum in cella fidelium, maxime Clericorum.

Bonifacius I. natione Romanus ex patre Jocundo Presbytero, sedit annos III. menses VIII. dies XXIII. fuit tempore Honorii, & sepultus est via Salaria juxta corpus beatæ Felicitatis. Hic constituit, ut nulla mulier aut Monacha pallium sanctum contingeret, aut levaret, aut incensum poneret in Ecclesia, nec ministrum nec servum Clericum fieri, nec obnoxium Curiæ vel culibet rei.

Cœlestinus natione Romanus ex patre Prisco, sedit annos VIII. mensem I. dies IX. & sepultus est in cimiterio Priscillæ. Hic constituit, ut Psalmi CL. ante sacrificium musico sono psallerentur antiphonatim ex omnibus, quod ante non fiebat, sed tantum epistolæ Pauli recitabantur & S. Evangelium.

Sixtus III. natione Romanus ex patre Sixto, sedit annos VIII. dies XIX. fuit tempore Valentiniani Augusti, & sepultus est via Tiburtina in crypta juxta corpus beati Laurentii.

Leo primus natione Tuscus ex patre Quintiano sedit annos XXI. mensem I. dies XXVIII. fuit tempore Marciani & Leonis, & sepultus est apud B. Petrum Apostolum. Hic scripsit ad Marcianum epistolas XII. ad Leonem XIII. ad Flavianum Episcopum IIX. ad Episcopos per orientem XVIII. confirmans Synodum Calcedonens. quæ illo tempore facta duas naturas in Christo contra Euticen & Nestorium defendit.

Digitized by Google

Hilarius natione Sardus ex patre Prisco sedit annos VI. menses III. dies X. Sepultus est ad S. Laurentium in crypta juxta corpus beati Sixti Episcopi. Hic missis per orientem epistolis confirmavit III. Synodos, Nicænam, Ephesinam, Calcedonens. tomum quoq; Leonis Episcopi.

Simplicius natione Tiburtinus ex patre Castino sedit annos XV. mensem I. dies VI. sepultus est in Basilica beati Petri Apostoli.

Felix III. natione Romanus ex patre Felice Presbytero, fuit a temporibus Odoacri Regis usque ad Theoderici Regis sedit annos VIII. mens. XI. dies XVIII. fuit tempore Zenonis, & sepultus est in Basilica B. Petri Apostoli. Hic condemnavit Petrum Alexandriæ & Acatium Constantinopolitanum Episcopos Euticianistas.

Gelasius natione Afer ex patre Valerio Episcopo, sedit annos IV. menses IIX. dies XXIX. fuit tempore Theoderici Regis & Zenonis Augusti, & sepultus est in Basilica B. Petri Apostoli. Hic fecit tractatus & hymnos sicut Ambrosius, & librum contra Euticen & Nestorium.

Anastasius II. natione Romanus ex patre Petro, sedit annum I. menses XI. dies XXIV. fuit tempore Theoderici Regis, & sepultus est in Basilica beati Apostoli Petri.

Symmachus natione Sardus ex patre Fortunato sedit annos XV. menses VII. dies XXIX. fuit tempore Anastasii Augusti, & sepultus est in Basilica S. Petri Apostoli. Hic constituit, ut omni die Dominico vel natalitiis martyrum, Gloria in excelsis Deo hymnus diceretur.

Hormista natione Campanus ex patre Justo sedit annos IX. dies XVI. fuit tempore Anastasii & Justini, & sepultus est in Basilica beati Petri Apostoli. Hujus nuncios Constantinopolim pro fide missos Anastasius rejecit, & statim fulmine periit. Secundo hi missi gratanter sunt a Justino suscepti.

Johannes I. natione Romanus ex patre Constantio, sedit annos II. menses IX. dies XVI. fuit tempore Justini & Theoderici Regis Arriani, a quo etiam cum Senatoribus quibusdam in carcere necatus est, eo quod de Constantinopoli venientes ad Justiniapolim, utpote Catholici sunt ab eo benigne suscepti. Cujus corpus de Ravenna translatum in Basilica beati Petri Apoli sepultum est.

Felix IIII. natione Sabinus ex patre Castorio sedit annos IV. menses II. dies XVI. fuit tempore Justini Augusti, & sepultus est in Basilica beati Petri Apostoli.

Bonifacius II. natione Romanus ex patre Siginuldo, sedit annos duos, dies XXVI. fuit tempore Athalarici Regis, & Justini Augusti, sepultus est in Basilica beati Petri Apostoli.

Mercurius, qui & Johannes II. natione Tuscus ex patre Projecto, sedit annos II. mensem I. dies VI. fuit tempore Athalarici Regis & Justiniani Augusti, qui fidem suam Catholicam scripto cirographo misit ad sedem Apostolicam per Hiapium & Demetrium Episcopos, sepultusq; est in Basilica beati Petri Apostoli.

Agapitus I. natione Romanus ex patre Gordiano Presbytero sedit menses XI. dies XVIII. fuit tempore Justiniani atque pro Theodato Rege Gothorum ad intercedendum missus, eo quod filiam Theoderici Regis sibi commendatam occidisset, & tam gloriosissime susceptus est, ut in Locum Anathemi hæretici Menam Constantinopoli faceret Episcopum, & post dies paucos obiens in loculo plumbeo delatus Romam in Basilica B. Petri sepultus est.

Silverius natione Campanus ex patre Hormisda Romano Episcopo, sedit annum I. mens. VI. dies XV. fuit tempore Justiniani, & ab Augusto relatus in exilium ad Pontias, eo quod noluisset Anathemum revocare in officium, & Monachus factus Confessor obiit, ibiq; sepultus est.

Vigilius natione Romanus ex patre Johanne sedit annos XVI. mens. VI. dies XXV. fuit tempore Justiniani, a quo in custodia Constantinopoli afflictus, ad gratiam populi Romani revocatus, Syracusis defunctus, & ad S. Marcellum via Salaria sepultus est.

Pelagius I. natione Romanus ex patre Johanne sedit annos III. menses X. dies XVIII. sepultus est in Basilica beati Petri Apostoli.

Johannes III. natione Romanus ex patre Anastasio sedit annos XII. menses XI. dies XXVI. fuit tempore Justiniani & Narsetis Patricii, & in Basilica beati Petri sepultus est.

Benedictus I. natione Romanus ex patre Bonifacio sedit annos IIII. mens. I. dies XXVIII. fuit tempore Justini minoris, & sepultus est in Basilica beati Petri Apostoli in Secretario.

Pelagius II. natione Romanus ex patre Virgilio sedit annos X. menses II. dies X. fuit tempore Tiberii Augusti, & sepultus est ad beatum Petrum Apostolum. Hic domum suam Xenodochium pauperum senum fecit.

Gregorius I. natione Romanus ex patre Gordiano, sedit annos XIII. menses VI. dies X. fuit tempore Mauritii & sepultus est in Basilica beati Petri ante secretarium. Hic domum suam constituit Monasterium, & misit Mellitum & Augustinum & Johannem, & alios cum eis Monachos prædicare Christum genti Anglorum, & auxit in canone, diesque nostros in tua pace dispone, fecit etiam super corpus beati Petri missas celebrare, similiter & in ecclesia beati Pauli.

Fabianus natione Tuscus ex patre Bono, sedit annum I. menses V. dies IX. & sepultus est in Basilica beati Petri Apostoli.

Bonifacius III. natione Romanus ex patre Johanne sedit menses VIII. dies XXII. fuit tempore Focæ, & sepultus est apud B. Petrum Apost.

Bonifacius IIII. nat. Marsus ex patre Johanne sedit an. VI. mens. VIII. dies XIII. fuit tempore Focæ, a quo quidem obtinuit, ut Apostolica caput esse ecclesiarum, quomodo Constantinopolitana Ecclesia primam se omnium scribebat, & constituit vivente eo adhuc eligi superstitem, sed tertio die depositionis ejus sepultus est in Basilica Petri Apostoli.

Deusdedit natione Romanus ex patre Stephano Subdiacono sedit annos III. dies XX. sepultus est ad beatum Petrum Apostolum.

Bonifacius V. natione Campanus de civitate Neapoli sedit annos V. menses X. dies XI. sepultus

tus

Digitized by Google

tus est ad B. Petrum Apostolum. Hic constituit, ut nullus trahatur de ecclesia, & ut Acolitus non præsumat reliquias martyrum levare, nisi Presbyter, & in Lateranis Acolitus non baptizet cum Diaconis, sed Subdiaconi sequentes.

Honorius natione Campanus ex patre Petronio, sedit annos XII. menses XI. dies XVII. fuit tempore Eraclii Imperatoris, & sepultus est in Basilica beati Petri. Hic constituit, ut omni sabbato exeat letania a beato Apollinari ad beatum Petrum Apostolum cum hymnis & Canticis omni populo concurrente.

Severinus natione Romanus ex patre Abieno sedit mens. II. dies IIII. fuit tempore Eraclii, & sepultus est ad beatum Petrum Apostolum.

Johannes IIII. natione Dalmata ex patre Venantio, sedit annos V. mens. VIII. dies XVIIII. sepultus est ad B. Petrum. Tunc Pyrrhus Constantinopolitanus Episcopus ex Africa Romam veniens, qui fidem suam priscam libello in Clero lecto damnaverat permissus est a Theodoro sacramenta erogare, & in populo & Kathedra ei posita juxta altare jussus est sedere honorante eum, ut civitatis regiæ Episcopum; sed quia rediit ad hæresin, damnatus est ipse, & continuo factus est successor ejus Paulus.

Martinus natione Tuscus de civitate Tudertina, sedit annos VI. mensem I. dies XXVI. fuit tempore Constantini, & Concilio C.V. Episcoporum Romæ facto damnavit Cyrillum Alexandrinum, Serginum, Pyrrhum & Paulum Constantinopolitanum. Exilio vitam finivit in loco, qui dicitur Chersona.

Eugenius I. natione Romanus ex patre Rufino, sedit annos II. menses VIII. dies XXIIII. Hic Synodicam Petri Constantinopolitani epistolam sibi missam damnavit. Sepultus est ad beatum Petrum Apostolum.

Vitatianus natione ex Campania Signensi ex patre Anastasio, sedit annos XIIII. menses VI. fuit tempore Constantini illius, qui in Sicilia periit. Sepultus est ad beatum Petrum.

ADEODATUS natione Romanus ex patre Jovino Monacho, sedit annos IIII. menses II. dies V. fuit tempore Constantini. Sepultus est ad beatum Petrum.

Donus natione Romanus ex patre Mauritio, sedit annum I. menses V. sepultus est ad beatum Petrum. Hic dum esset Diaconus, Augusto mense ingens stella per menses III. a galli cantu surgens apparuit.

Agatho natione Siculus, sedit duos annos, menses V. dies IIII. fuit tempore Constantini & Eraclii.

Hic in MSC. folium in forma 4ta deest.

Eugenius II. natione Romanus sedit annos IIII. menses VII. dies XXIII.

Valentinus natione Romanus ex patre Petro sedit dies XI.

Gregorius IIII. natione Romanus ex patre Johanne, sedit annos XVI.

Sergius II. natione Romanus ex patre Sergio sedit annos IIII.

Leo IIII. natione Romanus ex patre Rodoaldo, sedit annos IX. menses III. dies VI.

Benedictus III. natione Romanus ex patre Petro sedit annos II. menses VI. dies VIIII.

Nicolaus natione Romanus ex patre Dicodo sedit annos IX. menses VII. dies XXIX.

Adrianus II. natione Romanus ex patre Talaro Episcopo, sedit an. IIII. mens. XI. dies XII.

Johannes VIII. natione Romanus ex patre Gundo sedit annos X. dies II.

Marinus natione Gallisana ex patre Palubo Presbytero sedit annum I. menses IIII.

Adrianus III. natione Romanus ex patre Benedicto sedit annum I. menses IIII.

Stephanus V. natione Romanus ex patre Adriano, sedit annos VI. dies IIII.

Formosus natione Portuensis ex patre Leone, sedit annos IIII.

Bonifacius VII. natione Romanus ex patre Adriano Episcopo sedit dies XV.

Stephanus VI. natione Romanus ex patre Johanne Presbytero, Episcopo Campaniæ, sedit an. I. mensem I. dies XVIII. qui postea monachus factus est.

Romanus natione Gallisana ex patre Constantino, sedit menses IIII. dies XX.

Theodorus II. natione Romanus ex patre Focio, sedit dies XX.

Johannes VIIII. Tiburtensis ex patre Rampoaldo sedit annos II.

Bonifacius IIII. natione Romanus ex patre Mammolo, sedit ann. IIII. mens. VI. dies XIIII.

Leo V. natione Ardeas de loco Pampi, sedit mens. I. dies XXVI. iste Presbyter forensis.

Christoforus natione Rom. ex patre Leone, sedit mens. VI. iste ejectus factus est Monachus.

Sergius III. natione Rom. ex patre Benedicto, sedit annos VII. mens. III. dies XXIII.

Anastasius III. natione Romanus ex patre Luciano sedit annos II. mensem I. dies XXII.

Lando natione Sabunensis ex patre Taino sedit menses III. dies XXIV.

Johannes X. natione Ravennas ex patre Joh. sedit annos XIIII. menses II. dies VII.

Leo VI. natione Romanus ex patre Christoforo Primicerio, sedit menses VI. diet XV.

Leo VII. natione Romanus ex patre Tendemundo, sedit annos II. mensem I. dies XV.

Johannes XI. natione Romanus ex patre Sergio Papa sedit annos IIII. menses X.

Leo VII. natione Romanus sedit annos III. menses VI. dies X.

Stephanus VIII. natione Romanus sedit annos quatuor, menses IIII. dies XV.

Marinus II. natione Romanus sedit annos III. menses VI. dies XXIII.

Agapitus II. natione Romanus, sedit annos IX. menses VII. dies XXVI.

Johannes XII. qui & Octavianus, natione Romanus ex patre Alberico, sedit annos VIII. menses IIII. Iste denique infelix, quod sibi pejus totam vitam suam in adulterio & vanitate duxit. Cujus temporibus Otto Imperator Romam veniens ab eo honorifice susceptus est. Sed cum a nequitia sua eum ad id tempus concertando revocare non posset, consilio Imperatoris cum suis fidelibus inito iterum Romam venit,

Digitized by Google

venit, quatenus idem protervus & sceleratus Pontifex cum suis Archiepiscopis atque Episcopis recordaretur, ut a tali ac tanto scelere resipisceret. Sed ipse iniquus statim ut de suo adventu audivit, Campaniam fugiens ibi in silvis & in montibus more bestiæ latuit. Tunc omnes Romani uno consensu & una voluntate clerici atque laici rogaverunt, Imperatorem, ut sanctæ Ecclesiæ matri dignum Pontificem & pium Doctorem tribueret. Facta itaque postulatione atque petitione universi populi tale a Domino Imperatore accepere responsum. Eligite, qui dignus sit, & ego libentissime eum vobis concedo. Statimque cuncti tam Clerici quam Laici elegerunt Dominum Leonem, virum venerabilem Protoscriniarium summæ sedis Apostolicæ. Idem ex patre Johanne Protoscriniario natione Romanus de regione, quæ vocatur Clivus Argentarii, vir strennuus & omni honestate præclarus. Et consecraverunt eum Romanum Pontificem per mensem Decembrium in Lateranensi patriarchivo. Hic fecit ordinationes in eodem mense, Presbyteros VII. Diaconos duos. Hic sedit annum I. & menses III. & cessavit Episcopatus ejus. Ipso denique vivente iniquum consilium a Romanis expertum est, quemadmodum Dominum Leonem foras ejicerent, & sceleratum illum, qui in Campaniæ partibus latitabat, reducerent. Quod & factum est. Unde maxima fames & persecutio in civitate Roma evenit, quia Dei opitulante clementia prædictus Dominus sanus & inlæsus a civitate exivit, & ubi Dominus Imperator cum suo exercitu in partibus Spoleti erat, advenit. Qui honorifice ab eo susceptus est. Statimque armat milites, munit custodias, & contra Romanos maximas insidias præparat. Quo veniente Tureannam civitatem, Romani nuncii ante suam præsentiam venerunt, qui ei mortem sceleratissimi Johannis nunciaverunt, & de electione vel consecratione Benedicti Diaconi rogaverunt, sed nihil ab eo obtinere potuerunt, sed tale ab eo acceperunt responsum: Quando dimisero ensem meum, tunc dimittam, ut Dominum Leonem Papam in chathedra S. Petri non restituam. Nuncii vero reversi sine consensu & voluntate Imperatoris eundem Benedictum Diaconum Romanum Pontificem elegerunt. Quod audiens Dominus Imperator magis in furorem & iram exarsit, & undique circumvallavit civitatem Romam, diversas civitates, oppida atque castella cœpit deprædari, incendere atque vastare & funditus dissipare. In tantam itaque penuriam & captivitatem eam adduxit, ut modius furfuris venundaretur XXX. denariis. Coangustiati & afflicti Romani, & tam pessimum malum sustinere non valentes, innocentem Benedictum Imperatori tradiderunt, & Dominum Leonem in Apostolica Sede susceperunt, spondentes ei & Domino Imperatori super corpus B. Petri iterum per sacramentum. Dimisit eis, quanta & qualia mala ab ipsis perpessus est, & ita Dominus Imperator a civitate Roma in partes Galliæ secessit.

Leo VII. natione Romanus ex patre Protoscriniario, sedit annum I. menses IIII.

Benedictus V. natione Romanus ex patre Johanne sedit menses II. dies II. Qui Domino Leoni Papæ vivo substitutus, sed a Romanis, ut præscriptum est, Ottoni Magno Imperatori traditus, ultra Alpes in Saxonia longe in Bremensi Archiepiscopatu vitam finivit exilio, cujus ossa jussu III. Ottonis Romam reportata venerabiliter sepulta sunt.

Johannes XIII. Episcopus Narniensis natione Romanus ex patre Johanne Episcopo, sedit annos VI. menses X. dies V. Hunc eundem mortuo Leone omnes Romani a minimo usque ad maximum una concordia & uno consensu atque spontanea voluntate elegerunt sibi Dominum reverentissimum & pium, bene doctum, & honorifice eruditum de divinis & Canonicis libris. Nam a cunabulis in clericali ordine doctus in Lateranensi palatio Ostiarius, Psalmista Lector, Exorcista, Acolitus, Subdiaconus Diaconus in eadem Ecclesia Romana per gradus distinctos est ordinatus, & ita Deo volente legitime & Canonice Pontifex ordinatus est. Sed postquam sedit mens. II. dies XVI. comprehensus est a Rodfredo Comite, & Petro Præfecto cum populo Rom. & missus in exilium in Campaniam, mansit in ipso exilio mens. X. & dies XXVIII. Post mortem vero Rodfredi reversus est Romam, & veniens Imperator Otto Romam, magnam vindictam de populo Romano fecit, & in patibulo suspendit, & in exilium misit. Qui omnes dies vitæ suæ sedit annos VI. & menses XI. & dies V.

Johannes VI. nat. Rom. ex patre Hildebrando, sedit an. I. mens. VI. & de consilio Malifacii strangulatus est in castello sancti Angeli.

Bonifacius VII. natione Romanus, qui & Malifacius ex patre Ferrutio, sedit mensem I. dies XII.

Benedictus VII. nat. Rom. ex patre David, sedit annos VIIII. & dies V.

Johannes XIIII. qui & Petrus natus, & Episcopus Papiæ sedit mens. VIII. Quem superbiæ, Bonifacius reversus a Constantinopoli, ubi fugerat, comprehensum, & in castello S. Angeli in custodiam missum, per quatuor mens. inedia attritum jussit occidi. Cujus sede postea per menses XI. invasa subitanea morte præventus Bonifacius odio suorum post mortem cæsus & lanceatus, nudatoque corpore ante caballum Constantini in campo projectus, mane a supervenientibus Clericis est sepultus.

Johannes XV. nat. Romanus de Gallina alba ex patre Leone Presbytero, sedit an. X. mens. VII. qui & Oratorium sanctæ Mariæ in gradibus pictura decoravit.

Bruno, qui & Gregorius V. ex patre Ottone Duce, matre Juditta, qui & nepotem suum III. Ottonem statim Papa factus Imperatorem ordinavit, sedit an. II. mens. VIIII. cui rebellans Crescentius in castello S. Angeli captus & truncatus, per pedes in Monte malo suspensus est. Cujus sedem Joh. Græcus cognomento Philagathos Episcopus Placentinus invasit. Sed ab Ottonis Vassore Birthilone correptus, amputatis naribus & lingua, effossisq; oculis in asino caudam ejus tenens satis irrisorie per totam Rom. ductus est.

Gerbertus cognomento Musicus, qui & Silvester, natione Aquitanus de Monasterio S. Geraldi, (de sede) Remorum transit ad Romam Gerbertus in Roma post Papa, ingens, Romanorum Doctor, Ravennarum Archiepiscopus, sub eodem Ottone ordinatus, sedit annos V.

Sicca annum unum.

Johannes Papa annum unum.

Phasimus Cardinalis S. Petri, qui & Johannes de patre Urso Presbytero, matre Stephania, post annos V. & dimidium in S. Paulo monachus discessit.

Petrus, qui & Sergius, Episcopus Albanensis, ex patre Petro, matre Stephania, cognomento Bucca porca, sedit an.

Theophilitus, qui & Benedictus, ex patre nobili Gregorio Tusculano, matre Maria, sedit an. XI. dies XXV. Hic Heinricum ordinavit Imperatorem mediante Walthero, sanctæ Spirensis Ecclesiæ Episcopo, data utrobique sacræ fidei securitate.

Johannes Papa sedit annos octo.

Benedictus, qui & Theofilactus, an. XX. mens. novem.

Gratianus a Rom. constitutus, quem Rex Heinricus convictum causa erroneorum pastorali baculo privavit.

Swidegerus natione Saxo, qui & Clemens, nono mense promotionis suæ diem obiit, ad Episcopatum suum Babinberch reportatus tumulatur.

Popo, qui & Damasus Brixiensis Episcopus, paucis diebus exactis defunctus, ad S. Laurentium sepultus est.

Bruno, qui & Leucorum Episcopus, Papa ordinatus VIIII. Leonis nomen accepit.

Victor annos XV. menses IIII. dies VII.

Nicolaus annos II. menses VI. dies XXV.

Alexander annos XV.

Gregorius VII. annos XII. mensem I. dies V.

Urbanus annos XI.

Paschalis II. Papa sedit annos XXII.

Gelasius annum unum.

Calistus sex & dimidium annum.

Honorius II.

Innocentius II.

Cœlestinus II.

Lucius II.

Eugenius III.

Anastasius IIII

Digitized by Google

XII.

AMALRICI AUGERII DE BITERRIS ACTUS PONTIFICUM ROMANORUM

usque ad Johannem XXII. sive ann. 1321.

* * *

BEatissimo Patri in Christo & suo Vicario glorioso ac Domino nostro præcipuo Domino Urbano, digno Dei providentia Papæ quinto vester devotus Capellanus Amalricus Augerii de Biterris, Prior vestri monasterii sanctæ Mariæ de Apriano ordinis S. Augustini, Elnensis diœcesis, per Priorem solitum gubernari, inter alios antiquos Doctores vestri studii villæ Montepessulani ac etiam vestræ curiæ Romanæ se ipsum prostratum ad vestrorum devotissima pedum osculamina beatorum. Sanctissime Pater ac Domine, quia sensualitas humana propter suam fragilitatem non valet ad plura attendere, neque insimul retinere diversa, juxta dictum Philosophi dicentis: quod contraria simul & semel non possunt esse in eodem, cujus quoddam testimonium quidam Romani Pontifices vestri prædecessores, in quibusdam suis sacris canonibus approbant & dicunt, quod qui ad utrumque festinat, neutrum bene peragit; Ideo mihi videtur fore reprehensibilem æstimandum, si propter hujusmodi defectum humanum & varietatem temporum atque personarum documenta diversificantur actionum antiquorum, in quibus præsertim verborum superfluitas & diversorum gestorum interpositiones & plurium personarum atque dignitatum ipsarum diversitates insimul inseruntur. Unde cum reiteratis temporibus plures historiographi seu gestorum compilatores tractaverint & scripserint in suis compilationibus in ducentis & novem cronicis Pontificum Romanorum vestrorum prædecessorum, plura inferiorum & extraneorum videt gesta, Imperatorum, Regum, Principum & multorum aliorum ipsis inferiorum cum actibus seu gestis prædecessorum dictorum vestrorum; in tantum, quod actus eorum propter hujusmodi interpositiones & diversitates commode discerni neque effectus ipsorum reportari non possunt, ideo, quod propter complacentiam & recreationem atque prudentiam vestræ sanctitatis omnes & singulos actus seu gesta tantum & principaliter omnium vestrorum prædecessorum ipsos tantum computando a primo Papa usque ad Johannem XXII. de libris prædictorum compilatorum, seu brevibus, quibus potui, extraxi pro majori parte & recollegi, quos quidem actus in dictis compilationibus quasi excurrentes & dispersos & sub dictis CCIX. cronicis prædictorum vestrorum prædecessorum designatis in mille & XLVIII. capitula per ordinem & numerum distinxi & ordinavi; in ipsis capitulis omnes & singulos actus supra dictos perfecte collocavi, & deinde de omnibus istis unum librum feci & compilavi, ut facilius & melius dictæ vestræ sanctitati hujusmodi actus valeant commendari & ab ipso denotari, rejectis tamen primitus ab ipso libro omnibus verborum superfluitatibus & diversitatibus supra dictis.

Cæterum cum ipse liber, ut mihi videtur, sit plus necessarius cuilibet Pontifici Romano, quam alicui de hoc mundo, ut propter contenta in eodem libro ipse in actibus suis præcautus existat juxta juris consilium, in quo dicitur, quod exacti temporis consideratio quemlibet in agendis reddere consueverit erectiorem, quod quidem consilium approbat beatus Gregorius Papa primus, prædecessor vester, qui ait: quod jacula minus feriunt, quæ prævidentur; eapropter ipsum librum præsentem per me sic compilatum cum duabus tabulis sibi junctis, quarum prima ponitur in principio, altera in fine ipsius libri pro inveniendo de facili omnia nomina dictorum vestrorum prædecessorum per alphabetum & folia, & etiam omnia alia prædecessorum vestrorum, qui martyres incluti, Cardinales religiosi extiterunt, & sub quibus omnia passagia ultramarina & citra incepta & facta fuerunt, contineantur cum correctione tamen vestræ sanctitatis præmissa sibi offero & præsento; quam altissimus per longa tempora dirigat, & ecclesiæ suæ sanctæ, ut opto, conservet, qui est benedictus & summe urbanus in actibus suis per infinita seculorum secula. Amen.

Ad honorem & æternam hujus libri memoriam sanctissimi in Christo Patris & Domini Urbani, divina providentia sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ summi Pontificis incipit liber, qui intitulatur: Actus Romanorum Pontificum, computando a primo Papa usque ad Johannem Papam XXII. prout sequitur.

PETRUS Jesu Christi gloriosus apostolus, Andreæ apostoli germanus, natione Galilæus

& cujusdam, Johannis nomine, de quodam vico, qui de provincia Galilææ & Bethsaida erat, secundum carnem fuit filius, & primo in Apostolum fuit electus, & postea ante mortem suam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post suam assumtionem extitit in cathedra ab apostolis exaltatus & coronatus anno a nativitate Domini tricesimo secundo, vel tertio secundum Hieronymum & Chrysostomum, nam ipse præ aliis apostolis major quam alii, erga filium Dei extitit fidei firmioris, quia, ut ait Augustinus, si ipse Christus in cœna sua proditorem suum nominasset, statim ipse Petrus eum trucidasset.

Item quod ipse beatus Petrus super mare ex fiducia propter Dominum ambulavit, & in Domini transfiguratione & puellæ suscitatione a Deo lectus fuit; staterem in ore piscis invenit; claves regni cœlorum a Domino recipiens: Pasce oves meas, a Christo suscepit, tria millia hominum in festo Pentecostes sua prædicatione convertit, Ananiæ & Sapphiræ mortem prædixit, Æneam paralyticum curavit, Cornelium baptizavit, Thebitam suscitavit, umbra sui corporis multos infirmos sanavit, ab Herode Rege extitit incarceratus & ab angelo liberatus. Qualis autem ejus fuerit cibus vel indumentum fuerit, hoc in libro Clementis continetur, nam panem tantum cum alliis & aceto cum oleribus continuo ipse comedebat, & indumenta ejus, videlicet tunica & pallium, tantum erant de quodam vili panno.

Item fertur, quod ipse semper in sinu suo sudarium portabat, cum quo lacrymas de suis oculis fluentes abstergebat, nam quando de dulcedine allectationis Domini nostri Jesu Christi & de præsentia ipsius memor ipse erat, statim ipse præ nimia amoris dulcedine a lacrymis se continere non poterat, & semper de nocte, audito galli cantu, ad orationem surgere consueverat, prout in libro Papæ Clementis plenius continetur.

Item quod ipse fuit magnæ perfectionis, secundum quod dicit ipse Clemens, & etiam legitur in ecclesiasticis historiis. Annam - - - uxorem ejus beati ad passionem seu mortem duceret, tunc ingenti gaudio exultavit, ac etiam proprio nomine postea exclamavit & dixit: o beata uxor, devota Deo de me memento, quando eris coram Christo.

Item quod anno a nativitate Domini quadragesimo quinto & anno undecimo sui Pontificatus idem beatus Petrus apud urbem Romanam suam cathedram mutaverit & ibi eam tenuerit per viginti quinque annos, & septem menses & octo dies, Christi evangelium prædicando, in qua urbe duas epistolas fecit, quæ canonicæ appellantur, & etiam ibi evangelium Marci omnibus ecclesiis transmisit & ipsa publicavit, & postea in mense Septembri sex Episcopos & decem Presbyteros ibi etiam ordinavit.

Item quod ibi postea ordinavit duos episcopos speciales, videlicet Linum & Cletum, ut ipsi principaliter omne ministerium sacerdotale in urbe Romana populo supervenienti se exhiberent, & etiam ipse beatus Petrus apostolus orationi & prædicationi melius vacare posset:

Item quod iste beatus Petrus, imminente obitu suo, beatum Clementem episcopum consecravit & suum successorem sibi constituit, & eum Papam fecit, atque cathedram & ecclesiam disponendam commisit sibi, dicens: Sicut ipsa gubernanda tradita est mihi a Deo Jesu Christo potestas ligandi & solvendi, ita ego ipsam tibi committo.

Item quod ipse beatus Petrus apostolus statuit & ordinavit, quod singulis annis ante Pascha Domini quadragesimale jejunium, & ante ipsius natalem per tres hebdomadas & quartam feriam celebretur, & ab omni populo Christiano veneretur in commemorationem primi & secundi Adventus Domini nostri Jesu Christi.

Item quod ipse beatus Petrus apostolus post ascensionem Domini diviserat, ordinaverat, & statuerat, ut omnes apostoli & discipuli Christi irent per universum mundum ad prædicandum ipsius evangelium juxta ejus mandatum, prout dicit evangelista: Euntes docete omnes &c. Et ideo ipsi apostoli & discipuli per diversas partes mundi postea prædicando Dei evangelia iverunt, & idem beatus Petrus cum Paulo apostolo in urbe Romana remansit.

Item quod anno a nativitate Domini sexagesimo sexto, & anno sui Pontificatus vicesimo septimo ac septem mensibus ipse beatus Petrus ad urbem Romanam in via Aureliana tertio Kalendas Julii pro fide Christi fuit crucifixus & martyriis interfectus, & in gloria Dei præsens fuit coronatus juxta Palatium Neronis tunc Imperatoris, & in Vaticano sepultus fuit, in quo loco postea pro tempore a fidelibus in honorem beatæ Petronellæ virginis & filiæ ejus quædam ecclesia fuit ædificata, quæ usque ad præsentem sic est denominata.

LINUS natione Italicus de regione Tusciæ ex patre Esculano fuit natus, & post mortem beati Petri apostoli in Romanum Pontificem fuit assumtus anno a nativitate Domini septuagesimo primo, secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de septuagesimo secundo.

Item dicitur, quod iste Linus, & Cletus, qui sequitur, non fuerunt Romani Pontifices, sed ut summi Pontifices coadjutores fuerunt constituti, quibus beatus Petrus Apostolus & cuilibet ipsorum tractatum rerum ecclesiasticarum ad dispensationem tantum commisit, ut ipse orationi & prædicationi melius vacare possit, prout dictum est supra in chronica sua, & sic Papa Johannes primus sentire videtur in quadam epistola decretali, in qua inter alia dicitur: Clementem vero ipse Petrus Apostolus constituit sibi successorem, & hoc etiam approbat Damasius in quadam chronica sua, quæ ad beatum dirigitur Hieronymum.

Item legitur & aliter in quadam epistola beati Jacobi, Hierosolymitani episcopi, quod ideo Linus & Cletus ante beatum Clementem supra dictum in numero Romanorum Pontificum consti-

Digitized by Google

constituebantur, pro eo, quod ab ipso Petro apostolo ad ministerium sacerdotale exhibendum tantum episcopi fuerunt ordinati, verumtamen in pluribus aliis chronicis legitur, quod ideo beatus Clemens prædictos Linum & Cletum coëgit ad regendam ecclesiam Romanam, ne hujus beati Petri ordinatio posteris transiret in vitium atque contemtum, ideo sic iste Clemens fuit Papa primus post beatum Petrum apostolum per electionem, sed tertius Papa ipse fuit per modum seu per gradum supra dictum.

Item quod ipse beatus Linus Papa ex præcepto beati Petri apostoli, dum ipse vivebat, constituit & ordinavit, ut mulier in ecclesiam intrare volens, caput suum cum velo coopertum [habens] duntaxat ipsa intraret, alias ipsa ibi ingredi non penitus deberet, ne status mulierum in capite ab omnibus videretur, propter ipsarum concupiscentiam & hominis ardorem.

Item quod ipse beatus Linus actus apostolorum Petri & Pauli in Græco & in Latino sermone fideliter conscripsit seu conscribi fecit, & postea per universas ecclesias Orientales hujusmodi actus apostolorum transmisit, & omnibus ecclesiis ipsos actus publicari fecit, & ideo propter merita ipsius beati Lini in secunda epistola Pauli ad Timotheum & in ecclesiastica historia quinto libro & sexto capitulo de ipso fit mentio expressa.

Item cum ipse beatus Linus Papa merito suo dæmones quotidie effugasset, & plures & diversos mortuos suscitasset, & innumerabilia miracula alias fecisset, multosque errantes ab erroribus revocasset & infinitos baptizasset, & filiam Saturnini Consulis urbis Romæ a dæmone liberasset, ideo ipse Saturninus ipsum Linum instinctu diaboli captivavit & incarceravit, credens, quod omnia præmissa artibus magicis fecisset, quare ipsum beatum Linum diversis pœnis affligi & finaliter decollari fecit, & sic ipse martyrio fuit coronatus.

Item quod ipse Linus hujusmodi martyrio coram Deo coronatus juxta sepulchrum beati Petri apostoli sepultus fuit in Vaticano urbis Romæ, anno a nativitate Domini octuagesimo primo, secundum aliam dicitur de octuagesimo secundo; & postmodum a Gregorio Ostiensi episcopo cum multa cleri & populi solennitate corpus ejus in civitate Ostiensi fuit deportatum, & deinde in ecclesia majori S. Laurentii reconditum fuit atque commendatum.

Item quod ipse Linus secundum unam chronicam in Apostolatus officio sollicite & devote cum magna diligentia & tribulatione per regimen universalis ecclesiæ ipsam rexit undecim annis, & mensibus tribus & tredecim diebus. Sed secundum chronicam Damasii Papæ non regnavit nisi duodecim annis & undecim mensibus, Galba Imperatore tunc regnante.

CLETVS natione Romanus, de regione vico patricio ex patre Æmiliano fuit natus & in Romanum Pontificem assumtus extitit, & post beatum Petrum apostolum fuit Papa secundus anno a nativitate Domini octuagesimo secundo, secundum unam chronicam, & secundum unam aliam dicitur de octuagesimo.

Item quod iste Cletus ex præcepto ipsius beati Petri apostoli, dum vivebat, in mense Septembris pro salute fidelium & ipsius adjutorio in urbe Romana quindecim Presbyteros statuit & ordinavit.

Item quod ipse Cletus statuit & ordinavit, quod in principio literarum suarum scriptores sui ante factam narrationem ponere deberent istam clausulam, quæ sequitur: Salutem & Apostolicam benedictionem.

Item quod iste beatus Cletus scripsit, commendavit & approbavit omnes peregrinationes, quæ quotidie fiunt apud sanctuaria, Sanctorum templa urbis Romæ, & maxime ecclesiarum sanctorum Petri & Pauli, qui sunt magni meriti apud Deum, in tantum, prout ipse asserit & dixit, quod validior est ad fidelium salutem sancti Petri apostoli de urbe Romana visitatio quam duorum annorum cujuslibet fidelis renunciatio, & ideo omnes & singulas tales peregrinationes prædicta sanctorum præsertim apostolorum Petri & Pauli ecclesias visitantes impedientes ex parte Dei omnipotentis ipsos solenniter excommunicavit & anathematizavit.

Item quod anno a nativitate Domini nonagesimo secundo secundum unam chronicam & secundum aliam dicitur de nonagesimo tertio, secundo Kalendarum Maji ipse beatus Cletus martyrio pro fide Christi fuit coronatus, & in martyrio juxta sepulchrum beati Petri apostoli fuit sepultus. Qui quidem rexit ecclesiam annis undecim, mense & diebus undecim secundum Martini chronicam, & secundum aliam dicitur de novem annis, & tunc vacavit sedes apostolica triginta diebus, alias dicitur de viginti.

CLEMENS Primus, natione Romanus, de regione Cælii montis, & ex patre - - progenitus fuit, & pro Romano Pontifice extitit habitus & receptus immediate post mortem Lini supra dicti, & sic computatur Papa post beatum Petrum apostolum tertius, anno a nativitate Domini nonagesimo.

Item quod ipse beatus Clemens fuit ille, cui beatus Petrus Apostolus, veniente obitu suo, claves ecclesiæ, quas Jesus Christus filius Dei sibi tradiderat, commisit in præsentia fratrum suorum, & ipsum Episcopum urbis Romæ fecit & consecravit, sive sibi immediatum constituit successorem, prout legitur & dictum fuit in chronica sua.

Item quod ipse beatus Clemens per diversas regiones multos & solennes ecclesiæ Doctores ad plures & diversas regiones pro fide Christi exaltanda transmisit, videlicet beatum Fotinum apud Lugdunum, & beatum Paulum apud Narbonam, & beatum Gratianum apud Turonensem civitatem, & deinde magnum Ariopagitam Dionysium Pauli apostoli discipulum & comitem apud Parisios destinavit, qui tamen pro Christi amore una cum Rustico suo presbytero & Eleutherio Diacono ibi interfecti fuerunt.

Item quod ipse beatus Clemens statuit & ordinavit septem Notarios fidei orthodoxos, Deo fideles,

Digitized by Google

fideles, & omnes mundi regiones in septem partibus eis divisit, & quamlibet regionem de ipsis cuilibet ipsorum in solidum assignavit, qui gesta omnium Martyrum fideliter & curiose unusquisque diligenter perquirere & scribere deberent, & quod de omnibus ipsorum Martyrum gestis & aliorum sanctorum per ordinem copiam in scriptis sibi fideliter reportarent.

Item quod ante promotionem ipsius beati Clementis nullus canonicus in Missa tunc dicebatur, ideo ipse ad honorem & gloriam Dei & ejus matris, Apostolorum, Martyrum & aliorum sanctorum statuit ipse & ordinavit exordium seu canonem Missæ, qui incipit: Te igitur clementissime Pater, &c. ut quilibet Presbyter Missam celebrans post canticum Angelorum videlicet: Sanctus, sanctus, sanctus, submissa voce ab ipso legi & proferri deberet.

Item quod cum omnes episcopi locum apostolorum tenere censeantur, ideo ipse Clemens statuit & ordinavit, quod in qualibet ecclesia cathedrali una cathedra in altiori loco statui & poni debeat, in qua Episcopus stans vel sedens omnes in ecclesia ipsa existentes ipse circumspicere valeat, & ab omnibus ipse videri possit.

Item quod ipse beatus Clemens statuit & ordinavit, quod quilibet puer baptizatus citius quo poterit a suo episcopo in forma ecclesiæ confirmari se faciat, nam talis puer aliter perfectus Christiano conferri non debeat, nisi ipse puer legitimo impedimento esset excusatus. Et postea multas ordinationes & multos libros pro salute fidelium ipse scripsit atque compilavit.

Item quod anno a nativitate Domini centesimo secundo, prout in quadam chronica invenitur, idem beatus Clemens Papa a Trajano Imperatore pro Christi amore in mare fuit projectus & tandem ibi fuit martyrio coronatus, & postea apud Romam tempore Nicolai Papæ primi per ipsum clerum & populum Romanum honorifice fuit reconditum atque - -

Item quod ipse Clemens rexit ecclesiam novem annis & duobus mensibus & decem diebus secundum chronicam Damasii Papæ, Martini & Eusebii, Cæsariensis episcopi. Sed secundum chronicam beati Hieronymi Presbyteri dicitur de octo annis. Et tunc vacavit sedes apopostolica per triginta dies, Domitiano Imperatore tunc regnante.

ANACLETUS natione Græcus, de Athenis, ex patre Anthioclo fuit natus secundum chronicam Pontificum primus post Clementem Papam primum extitit assumtus, & post beatum Petrum fuit Papa quartus, anno a nativitate Domini centesimo primo.

Item quod ipse beatus Anacletus Papa in memoriam & reverentiam beati Petri Apostoli suum sepulchrum honorifice construi fecit, & post ea alia certa loca deputata loca honorifice ædificari fecit, in quibus episcopi defuncti ob reverentiam episcopalis dignitatis apud urbem Romanam tradi ecclesiasticæ sepulturæ & recondi deberent.

Item quod ipse Anacletus statuit & ordinavit, quod nullus clericus de cætero ullam comam longam neque barbam nisi rasam in capite suo præsumeret deportare, & per consequens omnibus Christi fidelibus mandavit, ut Presbyteri ob reverentiam Dei & eorum ordinis præ cæteris ab ipsis honorarentur, dicens, quod Presbyteri Deo sacrificantes ab aliquo non vexari, sed ipsi comportari atque ab omnibus venerari debent, & quod ipsi Presbyteri, quando sacrificari voluerint, testes idoneos secum habeant, maxime Episcopi, ut Deo perfecte sacrificare probentur.

Item quod ipse post multos agones & persecutiones tempore Trajani Imperatoris pro fide Christi martyrio fuit interfectus, & in paradiso cœlesi a Deo fuit coronatus, & rexit ecclesiam annis novem & mensibus duobus & decem diebus.

Item quod ipse beatus Anacletus fuit apud Romam sepultus, juxta corpus beati Petri Apostoli, III. Idus mensis Julii, alias sexdecimo Kal. Maji, anno a nativitate Domini centesimo decimo secundum unam chronicam, & secundum aliam dicitur de undecimo, & tunc vacavit sedes Apostolica tredecim diebus, Trajano Imperatore tunc regnante.

EVARISTUS natione Græcus, ex patre Judæo, nomine Juda de civitate Bethlehem oriundus & post dictum Anacletum Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum Apostolum fuit Papa quintus, anno a nativitate Domini CXL.

Item quod iste Evaristus in urbe Romana titulos Presbyteris divisit, & septem Diaconos ibi constituit, qui episcopum prædicantem custodirent propter titulum honoris, qui falso posset imponi episcopo prædicanti ab æmulis suis, & alios episcopos sic diffamari ab insultatoribus suis, & verbis divinis detrahi posset.

Item quod iste Evaristus statuit & ordinavit, ut conjuges de novo a suis parentibus publice spondeantur, & postea a sacerdote ipsi solenniter benedicantur & conjungantur.

Item quod iste Evaristus pro Christi fide post multas persecutiones & tribulationes martyrio fuit interfectus, & a Deo in sua gloria fuit coronatus, & in Vaticano urbis Romæ juxta corpus beati Petri Apostoli fuit sepultus, septimo Kalend. Novembris, anno sui Pontificatus undecimo, & anno a nativitate Domini centesimo vicesimo primo.

Item quod iste Evaristus rexit ecclesiam annis decem & septem mensibus & duobus diebus secundam unam chronicam; sed secundum aliam Damasii Papæ dicitur, quod sedit annis novem & sex mensibus & duobus diebus. Et secundum Hieronymum decem annis duntaxat, & tunc vacavit sedes apostolica per decem & octo dies, Trajano Imperatore tunc regnante.

ALEXANDER Primus natione Romanus ex patre Alexandro de regione Caput tauri fuit & ætate quidem juvenis sed mente decorus fuit post dictum Evaristum Papam in Romanum

Digitized by Google

manum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum fuit Papa sextus, anno a nativitate Domini centesimo vicesimo primo.

Item quod iste Alexander statuit & ordinavit aquam aspersionis a sacerdotibus in ecclesia cum sale benedictam & in habitaculis hominum propter effugandum dæmones ipsam aquam benedici adspergi.

Item quod iste statuit & ordinavit & in canone Missæ addidit: Qui pridie quam pateretur, usque ibi, quando dicitur: Hoc est corpus meum, in memoriam Christi passionis.

Item quod iste Alexander statuit & ordinavit, ut aqua vino misceretur in Missa ad significandum & ostendendum unionem, quæ est inter Christum & ecclesiam, & quod oblatio hostiæ fieret de azymo & in modica quantitate, dicens, quod hæc oblatio quanto est minor, tanto est potior.

Item quod iste Alexander post multas tribulationes & persecutiones a Præfecto urbis Romæ sub Adriano Imperatore in carcere fuit positus, & tandem martyrio fuit interfectus, & in gloria cœlesti extitit a Deo coronatus secundo Nonas Maji, anno a nativitate Domini centesimo vigesimo nono.

Item quod ipse Alexander postea in via Numentaria fuit sepultus, & deinde in ecclesiam sanctæ Sabinæ urbis Romæ fuit translatus, qui quidem rexit ecclesiam octo annis, quinque mensibus & duobus diebus, secundum aliquos chronicarum autores, & secundum chronicam Damasii Papæ dicitur, quod rexit decem annis duntaxat, & vacaverit tunc sedes Apostolica triginta quinque diebus, prædicto Adriano Imperatore tunc regnante.

SIXTUS I. natione Romanus ex patre pastore de regione via lata filius, & post dictum Alexandrum Papam primum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum Apostolum extitit Papa septimus, anno a nativitate Domini centesimo vicesimo nono.

Item quod iste Sixtus statuit & ordinavit, ut post præfationem Missæ diceretur illud canticum Angelorum, quod incipit: Sanctus sanctus sanctus Domine Deus Sabaoth, & quod sacra mysteria ab aliquo non tangerentur, nisi a ministris, & ut corporale, supra quod ponitur hostia & calix, non fieret de serico sed de lino: nec tantum [mulier] vasa sacra altaris, nec etiam pallas de cetero tangere non præsumeret.

Item quod ipse Sixtus statuit & ordinavit, ut quicunque episcoporum ad sedem Apostolicam fuisset vocatus, quod ad suam ecclesiam non præsumeret recedere, nec ibi a suis subditis recipi deberet, nisi literas Apostolicas testimoniales super hoc ipse haberet seu reportaret.

Item quod ipse beatus Sixtus post multas & diversas tribulationes & persecutiones pro Christi fide extra portam Appiam, ubi Dominus Petro apparuit in loco, qui vocatur: Domine, quo vadis? fuit capite decollatus, & in Vaticano urbis Romæ juxta corpus beati Petri Apostoli tertio Nonas Aprilis extitit sepultus. Qui quidem Sixtus rexit ecclesiam decem annis & tribus mensibus & viginti uno diebus. Tunc vacavit sedes Apostolica per duos dies, Adriano Imperatore tunc regnante.

THELESPHORUS natione Græcus natus & filius Anatheratæ, & post dictum Sixtum Papam primum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum Apostolum extitit Papa octavus, anno a nativitate Domini centesimo tricesimo nono.

Item quod iste Thelesphorus Papa statuit & ordinavit, ut per septem hebdomadas ante Pascha Domini jejunium ab omnibus, & maxime clericis singulis annis celebretur, quibus hoc fieri præcepit & dixit, quia sicut discreta debet esse conversatio inter clericos & laicos, ita & jejunium ipsorum debet esse discretum inter eos.

Item quod ipse Thelesphorus statuit & ordinavit, quod nullus ante tertiam, Missam præsumeret cantare, & hymnum angelicum in certis diebus & in festivitate in principio Missæ decantare deberet, videlicet hymnum Angelicum, scilicet: Gloria in excelsis Deo &c.

Item quod ipse statuit & ordinavit, quod semper in nocte nativitatis Domini tres Missæ per ordinem cum dicto hymno angelico: Gloria in excelsis Deo debeant decantari, videlicet prima Missa in galli cantu, id est in medio ipsius noctis, in cujus hora Christus in Bethlehem dignatus est nasci, & secunda Missa, aurora illucente, quia tunc Christus, Dei filius, in cunabulis a pastoribus fuit adoratus. Et tertia Missa in ipso die nativitatis hora tertia, quia illuxit nobis redemtio nostra.

Item quod ipse Thelesphorus post multos agones & persecutiones pro Christi nomine apud urbem Romanam martyrio fuit interfectus, & in cœlo a Dei filio fuit coronatus, tertio nonas mensis Januarii secundum unam chronicam beati Damasii Papæ, & in Vaticano juxta corpus beati Petri apostoli ipse fuit sepultus.

Item quod ipse sedit in suo Papatu undecim annis, tribus mensibus, & viginti duobus diebus, secundum chronicam martyrum, sed in chronica Damasii Papæ scribitur de decem annis, mensibus tribus & viginti duobus diebus, & tunc vacavit sedes apostolica, secundum unam chronicam, sed secundum aliam chronicam dicitur de septem diebus, Adriano tunc Imperatore regnante.

HYGINUS qui in aliquibus libris nominatur - - natione Græcus, ex quodam Philosopho de Athenis procreatus fuit, cujus genealogiam non inveni. Et post dictum Thelesphorum Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa nonus, anno a nativitate Domini centesimo quinquagesimo.

Item quod iste Hyginus in ecclesia Dei statum clericorum per ordinem composuit & gradus ipsius cleri etiam distribuit atque descripsit, & quod in baptismo nec in frontis confirmatione catharizatione nisi unus pannus vel patina existat, de cætero non præsumat.

Digitized by Google

Item quod ipse scripsit, dictavit & publicavit quandam pulchram epistolam de Trinitate & de incarnatione filii Dei plenam fidem catholicam continentem.

Item quod idem Hyginus statuit & ordinavit, quod, excepto Romano Pontifice, nullus metropolitanus de cætero audiat causam suffraganeorum suorum vel suæ provinciæ, nec aliquem ipsorum super hoc condemnare, nec in conspectu episcoporum provincialium suorum præsumat, & hoc quando fuerit revelata & discussa hujusmodi causa.

Item quod ipse Hyginus post multas tribulationes sui corporis & persecutiones pro Dei amore martyrio fuit interfectus, & a Deo in sua gloria fuit coronatus, tertio Idus mensis Januarii, & in ecclesia beati Petri Apostoli urbis Romæ fuit sepultus. Qui quidem rexit ecclesiam quatuor annis, tribus mensibus & sex diebus, & tunc vacavit sedes Apostolica tribus diebus, Antonino Pio tunc Imperatore regnante.

PIVS I. natione Italicus ex patre Niphino filius fratre pastoris de civitate Aquileja natalis seu oriundus, & post dictum Hyginum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa decimus, anno a nativitate Domini centesimo & quinquagesimo quarto.

Item quod ipse Pius fecit quinque ordinationes, quod Judæos de novo ad fidem catholicam conversos committi eos - - præcepit & ordinavit etiam, ut quod de cætero in die Dominico festum Paschæ Domini ab omnibus celebrari deberet.

Item quod ipse Pius Papa post multos agones & persecutiones fuit pro Christi amore interfectus, & in cœlesti gloria extitit coronatus tertio Idus Januarii secundum quosdam autores, sed secundum alios pridie Idus Julii fuit sepultus. Qui quidem rexit ecclesiam undecim annis & quatuor mensibus & viginti duobus diebus secundum chronicam Damasii Papæ & Martini. Sed in quadam alia chronica dicitur tantum de novem annis, & vacavit tunc sedes apostolica vigintiquatuor diebus.

ANICETVS natione Syrus ex patre Johanne de vico Murauel universa, alibi describitur de vico Avisa, filius post dictum Pium Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum Apostolum extitit Papa undecimus, anno a nativitate Domini centesimo sexagesimo quinto.

Item quod ipse beatus Anicetus statuit & ordinavit, ut nullus clericus de cætero mutaret coronam nec barbam, sed secundum præceptum beati Petri apostoli omnes clerici in modum spiræ desuper capite coronam deportare tenentur.

Item quod ipse Anicetus statuit & ordinavit, ut si aliquis contra suum archiepiscopum causam haberet, quod sibi super hoc non deferret, sed ab eo ad primum Archiepiscopum vel ad Papam recursum habeat.

Item quod ipse Anicetus statuit & ordinavit, ut quilibet Episcoporum a tribus episcopis ad minus de cætero consecretur. Si autem Archiepiscopus fuerit consecrandus, quod tunc omnes sui provinciales episcopi adesse teneantur, nam prout episcopi tenentur sibi obedire, sic etiam in sua consecratione ipsi debent interesse.

Item quod ipse Anicetus post multas tribulationes & persecutiones pro fidei amore martyrio fuit interfectus duodecimo Kalendarum Maji, & apud urbem Romanam in via Appia in cœmeterio Calixti extitit sepultus. Qui quidem rexit ecclesiam undecim annis, mensibus tribus & quatuor diebus. In historia autem scholastica scribitur: undecim annis, & secundum unam chronicam vacavit sedes apostolica per quindecim dies, & per quandam aliam chronicam dicitur de viginti quatuor diebus.

SOTER natione Campanus, ex patre Concordio natus & de civitate Fundana extitit oriundus, & post beatum Anicetum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa duodecimus, anno a nativitate Domini centesimo & septuagesimo quinto, alias dicitur de quarto.

Item quod ipse Soter statuit & ordinavit, ut de cætero nulla monacha pallas tangere sacratas præsumat, nec incensum ponere seu dare in ecclesia audeat, & quod quælibet monialis in capite suo velum gestare teneatur.

Item quod ipse Soter statuit & ordinavit, ut uxor desponsata pro legitima uxore non habeatur, neque ab ecclesia reputetur, nisi ipsa prima a paranymphis ecclesiæ fuerit tradita, & a parentibus solenniter extitit viro suo tradita & concessa, & per sacerdotem benedicta, propter multa pericula, quæ super talibus frequenter fieri contingebat.

Item quod ipse Soter Papa post multas tribulationes & persecutiones martyrio pro Christi fide interfectus extitit, & in cœlesti gloria a Deo fuit coronatus, decimo Kalendarum Martii, & in Vaticano secundum chronicam Martini, sed secundum chronicam Damasii Papæ in via Appia in cœmeterio Calixti in ecclesia Sancti Petri apostoli urbis Romæ extitit sepultus. Qui quidem rexit ecclesiam annis novem & septem mensibus, & viginti & uno diebus secundum unam chronicam, sed secundum chronicam Hieronymi dicitur de octo annis duntaxat, & tunc vacavit sedes apostolica per viginti & duos dies, Marco Antonino Imperatore tunc regnante.

ELEUTHERIUS Natione Græcus ex patre Habundio de oppido Nicopolis fuit natus, & post dictum Soterum Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum Apostolum extitit Papa tredecimus, anno a nativitate Domini centesimo & octuagesimo quarto.

Item quod ipse Eleutherius fecit baptizari Regem Angliæ, scilicet Lucium, qui tum regnabat, cum omnibus gentibus suis, & postmodum

dum ibi ſedes metropolitanas & epiſcopales ſtatuit & ordinavit.

Item quod ipſe Eleutherius Papa ſtatuit & ordinavit, ut nullus clericus a ſuo gradu de cætero privaretur ſeu dejiceretur, niſi ipſe primo fuiſſet accuſatus & legitime convictus, prout Dei filius Judam tunc apoſtolum, quem latronem & proditorem bene ſciebat, a ſuo gradu ab eo non privatur, quia non fuit accuſatur, imo quicquid ipſe fecit antea inter alios apoſtolos, ratum fuit & remanſit.

Item quod ipſe Eleutherius Papa ſtatuit & ordinavit, quod pendente cauſa in judicio contra aliquem accuſatum contra ipſum non vocatum in ipſius abſentia nulla definitiva ſententia depoſitionis proferatur.

Item quod ipſe Eleutherius Papa poſt multas tribulationes & perſecutiones martyrio fuit interfectus, & in cœlo a Deo fuit coronatus, & in Vaticano Urbis Romæ apud Sanctum Petrum ſeptimo Kalendarum Junii extitit ſepultus. Qui quidem rexit eccleſiam quindecim annis & ſex menſibus, & quinque diebus, & tunc vacavit ſedes apoſtolica ſex dies, Commodo Imperatore tunc regnante.

VICTOR I. fuit natione Græcus ſecundum unam chronicam, ſed ſecundum chronicam Martini & Damaſii extitit natione Afer, & ex patre Felice fuit natus, & poſt dictum Eleutherium in Romanum Pontificem fuit aſſumtus, & poſt beatum Petrum apoſtolum extitit Papa quartus decimus.

Item quod ipſe Victor ſtatuit & ordinavit ſanctum Paſcha Domini in die Dominica celebrari, & pro certo termino paſchali ordinando ad requiſitionem & ſupplicationem ſacerdotum apud Alexandriam Palæſtinæ concilium generale celebravit, & ibi ſtatuit & ordinavit.

Item ipſe Victor ſtatuit & ordinavit, ut imminente periculo vel neceſſitate quilibet baptizandus ſive in flumine ſive in fontibus, ſive in mari ſecundum formam eccleſiæ ipſe baptizari debeat atque poſſit.

Item quod ipſe Victor poſt multos labores & agones martyrio fuit interfectus & a Deo in ſua gloria feliciter coronatus, & in Vaticano urbis Romæ apud Sanctum Petrum fuit ſepultus, duodecimo Kalendarum Maji. Qui quidem rexit eccleſiam decem annis & duobus menſibus & decem diebus, & tunc ſedes apoſtolica per duodecim dies vacavit, Severo Imperatore tunc regnante.

ZEPHYRINUS Natione Romanus, & ex patre Habundio fuit natus, & poſt dictum Victorem Papam primum in Romanum Pontificem fuit aſſumptus, & poſt beatum Petrum apoſtolum extitit Papa decimus quintus, anno a nativitate Domini ducenteſimo nono.

Item, quod iſte Zephyrinus in præſentia clericorum & laicorum fidelium ſtatuit & ordinavit, ut omnes Chriſtiani ætatis duodecim annorum eucharistiam Domini in die Sancto Paſchæ devote recipere tenerentur, & quod de cetero vaſa omnia altaris eſſent vitrea, vel de puro vitro facta, vel de ſtanno, non tamen de fuſte, ut antea fieri erat conſuetum.

Item quod iſte Zephyrinus Papa ſtatuit & ordinavit, ut de cætero nullus Patriarcha vel Primas & vel Metropolitanus contra aliquem Epiſcopum ſibi ſubjectum accuſatum ſeu delatum abſque licentia ſedis apoſtolicæ ſpecialiter procedere, nec aliquam ſententiam contra ipſum proferre præſumat.

Item quod ipſe beatus Zephyrinus ſtatuit & ordinavit, ut ordinationes ſeu promotiones Presbyterorum, Levitarum & aliorum ordinum de cætero ab aliquo epiſcopo non fiant, niſi in diebus a ſede apoſtolica deputatis & deſignatis, & quod hujusmodi ordinationes ſeu promotiones fiant ſolenniter, multis adſtantibus, & de multis edoctis & bene approbatis.

Item quod ipſe Zephyrinus poſt multas tribulationes & perſecutiones & labores ad Dominum migravit, & in cœmeterio ſuo juxta cœmeterium Calixti in via Appia fuit ſepultus, ſeptimo Kalendarum Septembris. Qui quidem rexit eccleſiam novem annis & decem menſibus, & decem diebus, & tunc vacavit ſedes apoſtolica ſex diebus, Severo Imperatore tunc regnante.

CALIXTUS I. natione Romanus, ex patre Demetrio de regione Ravanna fuit natus & in Romanum Pontificem extitit aſſumtus, & poſt beatum Petrum apoſtolum Papa fuit decimus ſextus, anno a nativitate Domini ducenteſimo & decimo octavo.

Item, quod iſte Calixtus conſtituit & ordinavit jejunium quatuor temporum ſingulis annis ab omnibus Chriſti fidelibus celebrari, & baſilicam Sanctæ Mariæ Trans Tyberim fecit ædificari, & in via Appia cæmeterium ſtatuit, ubi multi ſacerdotes & Martyres in Chriſto requieſcunt, quod quidem cæmeterium Calixti communiter nuncupatur.

Item quod iſte Calixtus poſt multas tribulationes & perſecutiones martyrio fuit interfectus, & a Deo in ſua gloria fuit coronatus, & in proprio cæmeterio ſuo ſupra dicto fuit ſepultus, pridie Idus Octobris. Qui quidem rexit eccleſiam Romanam quinque annis, menſibus duobus & decem diebus ſecundum unam chronicam, ſed ſecundum aliam chronicam beati Hieronymi non ſedit niſi quinque annis, & ſecundum chronicam Damaſii dicitur ibi, quod ſex annis. Vacavit ſedes apoſtolica ſex diebus, Macrino Imperatore.

URBANUS I. Natione Romanus, ex patre Pontiano, de regione Via lata, fuit natus & in Romanum Pontificem fuit aſſumtus, & poſt beatum Petrum apoſtolum extitit Papa decimus ſeptimus, anno a nativitate Domini ducenteſimo & viceſimo tertio.

Item quod tempore ipſius Urbani incipit Romana eccleſia prædia & poſſeſſiones accipere & habere, de quibus ipſe Urbanus Clericis & Notariis, qui Martyrum geſta conſcribebant, providebat, ideo eccleſia Romana & Pontifices adinſtar apoſtolorum pecuniam duntaxat pro egenorum proviſione recipiebant.

Item quod iſte Urbanus ſtatuit & ordinavit, quod omnia vaſa pro ſervitio divino pro cæ-

Digitized by Google

tero benedici & consecrari deberent. Qui quidem Urbanus fuit ille, qui doctrinis & exemplis tempore suo multos ad Christum convertit & baptizavit, & deinde per sua merita multi amore Dei fuerunt coronati, inter quos unus ex eis fuit nobilissimus Valerianus, sponsus beatæ Cæciliæ virginis, & Tiburtius frater suus.

Item quod ipse Urbanus fuit de genere valde nobilis, & ab infantia sua fideliter christianus, & virtute abstinentiæ & castitatis summe fuit ornatus, qui persecutione tunc contra ecclesiam & ecclesiasticas personas valde sæviente iste Urbanus beato Calixto in dignitate Papatus successit & officium suæ dignitatis suscepit.

Item quod iste beatus Urbanus dum prædicationi & baptizationi continue insisteret, pro Dei amore quadam die ab Alexandro Imperatore fuit captus, detentus & incarceratus, & post multos agones & persecutiones capite fuit truncatus, & postea cum Valeriano sponso Cæciliæ virginis & Tyburtio fratre suo & Maximo in uno loco sepulti fuerunt octavo Kalendarum Junii, anno a nativitate Domini ducentesimo & tricesimo. Qui quidem rexit ecclesiam octo annis, undecim mensibus & duodecim diebus secundum unam chronicam, sed secundum chronicam Hieronymi de novem annis scribitur, & in chronica Damasii de quatuor annis, & tunc vacavit sedes apostolica per triginta dies, Alexandro Imperatore tunc regnante.

PONTIANUS Natione Romanus, ex patre Calpurnio, in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum fuit Papa decimus octavus, anno a nativitate Domini ducentesimo primo, secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de secundo.

Item quod ipse Pontianus Papa statuit & ordinavit, quod de cetero in omnibus horis canonicis tam diuturnis quam nocturnis per omnes ecclesias psalmi psalterii cum hymno Trinitatis, videlicet: Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto &c. ad Dei gloriam a clericis legi & decantari deberent.

Item quod ipse Pontianus Papa statuit & ordinavit atque præcepit, ut de cætero nullus Presbyter Missam præsumeret decantare seu celebrare, nisi prius suam confessionem publice & ante altare in præsentia omnium assistentium ipse faceret humiliter & devote.

Item quod ipse Pontianus post multas tribulationes & persecutiones ab Alexandro Imperatore pro fidei defensione in insulam Sardiniam perpetuo fuit relegatus, & ibi martyrio coram Deo fuit coronatus, tertio Kalendarum Novembris, secundum chronicam Damasii Papæ, sed post modicum a beato Fabiano cum quodam navigio per mare apud Romam fuit adductus, & per eum in cæmeterio Calixti via Appia extitit sepultus, cujus siquidem translationis memoria tertio decimo Kalendarum Decembris ibi celebratur.

Item quod iste Pontianus rexit ecclesiam quinque annis & duobus mensibus & duobus diebus, & in chronica Hieronymi dicitur de quinque annis duntaxat, & tunc vacavit sedes apostolica decem diebus, Alexandro Imperatore tunc regnante.

ANTHERUS Natione Græcus ex patre Romulo, in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum Apostolum fuit Papa vicesimus, anno a nativitate Domini ducentesimo tridecimo septimo.

Item quod iste Antherus Papa statuit & ordinavit, quod omnia gesta & passiones martyrum a certis & fidelibus Notariis scriberentur & in ecclesiis legerentur, & quod episcopi & alii ecclesiarum Prælati nisi necessitatis vel utilitatis causa de ecclesia ad aliam ecclesiam transferri non possent neque mutari sine licentia sedis apostolicæ speciali.

Item quod ipse Antherus secundum chronicam Martini rexit ecclesiam tribus annis ex uno mense ex quindecim [diebus,] in quadam alia chronica dicitur de uno anno tantum, in chronica autem Damasii Papæ scribitur de duodecim annis & uno mense & duodecim diebus. In chronica vero Hieronymi scribitur de uno mense tantum, & in Martyrologio Usuardi dicitur de duobus annis tantum.

Item quod iste beatus Antherus post multos agones & persecutiones sub Maximiano Imperatore martyrio fuit interfectus, & in cœlesti gloria a Deo coronatus, & in cæmeterio Calixti via Appia fuit sepultus tertio Nonas Januarii, & tunc vacavit sedes apostolica septem diebus.

FABIANUS natione Romanus ex patre Fabio de regione Cælii montis natus fuit & post dictum Antherum Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa vicesimus primus, anno a nativitate Domini ducentesimo quadragesimo secundum chronicam Martini, sed secundum aliam chronicam dicitur de triginta octo annis.

Item quod iste Fabianus quadam die de quodam loco cum quibusdam amicis, Papa Romano defuncto ad urbem Romanam reverteretur, & postea ipse pro audiendo nova de electione novi Romani Pontificis accessisset ad locum, ubi plures erant, qui Papæ electionem & hujus rei exitum expectabant, tunc subito omnibus de ipso populo videntibus, quædam columba candida de cœlo descendit, & super caput ipsius se posuit, dicens: Tu Romæ Episcopus ordinaberis. Et sic iste beatus Fabianus statim divinitus in Papam a Cardinalibus fuit electus.

Item quod iste Fabianus statuit & ordinavit septem Diaconos probatæ vitæ & conversationis, qui cum septem Notariis fidelibus per septem regiones ipsi ire deberent, quas dictus Fabianus ipsis Diaconibus divisit & assignavit, ut omnia gesta Martyrum integre & fideliter recolligerent & a dictis Notariis conscribi facerent, & sibi ipsi gesta ipsa sibi reportare deberent.

Item quod iste Fabianus statuit & ordinavit, ut singulis annis sanctum chrisma renovetur, & in die resurrectionis sancta secundum formam eccle-

Digitized by Google

ecclesiæ consecretur, & vetus chrisma contineatur, & in loco honesto & occulto cineres ipsius sancti chrismatis veteris devote recondérentur.

Item quod ipse Fabianus statuit & ordinavit, ut de cætero per Cardinales non procederetur ad electionem Romani Pontificis, nisi post diem tertiam depositionis Papæ defuncti, propter ipsius sedis apostolicæ honorem & subditorum perniciosum exemplum.

Item quod ipse Fabianus post multas tribulationes & persecutiones apud urbem Rom. sub dicto Imperatore cum magno martyrio fuit interfectus, & in gloria Dei Patris feliciter extitit coronatus, & in cæmeterio Calixti fuit sepultus quarto Kalendarum Februarii, qui quidem rexit ecclesiam secundum chronicam Martini tresdecim annis, undecim mensibus, & undecim diebus. Sed in alia chronica dicitur de quatuordecim annis, sed secundum chronicam Hieronymi & Prosperi scribitur tantum de tredecim annis, & tunc vacavit sedes apostolica per octo dies, Decio Imperatore tunc regnante.

CORNELIUS natione Romanus, ex patre Justino alias Castino, & secundum aliam chronicam ex patre Constantino, & post dictum Fabianum Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa vicesimus secundus, anno a nativitate Domini ducentesimo quinquagesimo secundo.

Item quod iste beatus Cornelius Papa statuit & ordinavit, ut quilibet Sacerdos in judicio vel extra pro teste inductus seu vocatus ipse coram suo judice vel alio de - - - ipsius pro communi voluntate, justitia vel necessitate super hoc imminente testimonium posset perhibere veritati.

Item quod ipse Cornelius corpora sancti Petri & Pauli devote propter persecutionem & tyrannitatem Decii Imperatoris tunc regnantis de locis, in quibus sepulti erant, levari & extrahi fecit, corpus vero beati Petri apostoli deposuit juxta locum, ubi ipse fuerat crucifixus, videlicet in monte aureo in Vaticano palatio Romani Imperatoris, corpus autem beati Pauli apostoli in prædio sanctæ Luciæ via Ostiensi, ubi fuit decollatus, cum magna devotione & honore ipse deponi fecit.

Item quod ipse Cornelius sentiens suæ mortis passionem, propter persecutionem Decii Imperatoris, ideo tradidit Stephano, suo Diacono Cardinali omnia bona ecclesiæ, quæ ipse habebat tunc, ut suo successori ipsa tradere & restituere deberet.

Item quod tempore ipsius beati Cornelii contingit, ut corpora beatorum Petri & Pauli pro affectione & devotione ipsorum fidelium christianorum, quos isti habebant speciales ab ipsis de nocte furati fuerint; qui de urbe Romana ad terram ipsorum deportare affectabant & credebant, propter quod tunc fuit & apparuit apud urbem Romanam magnus terræ motus, propter quod ipsi latrones affectum suum obtinere non potuerunt.

Item quod ipse beatus Cornelius post multas tribulationes & persecutiones, vivente Decio Imperatore, cum summo martyrio fuit interfectus, & a Deo in sua gloria fuit coronatus, & in prædio beatæ Luciæ via Appia extitit sepultus septimo Kalend. Septembris. Qui quidem ipse beatus Cornelius rexit ecclesiam tribus annis, duobus mensibus & decem diebus, & tunc vacavit sedes apostolica per triginta quinque dies, Decio Imperatore tunc regnante.

LUCIUS I. natione Romanus, ex patre Porphyrio fuit natus secundum chronicam Martini, sed secundum chronicam Hieronymi extitit natione Toscanus, & ex patre Lucio fuit progenitus, & post dictum Cornelium Papam in Romanum Pontificem extitit assumtus, & post beatum Petrum apostolum fuit Papa vicesimus tertius, anno a nativitate Domini ducentesimo & quinquagesimo quarto.

Item quod iste Lucius statuit & ordinavit, quod quilibet Episcopus duos Presbyteros & tres Diaconos in testimonium suæ vitæ & conversationis, & propter populi contra eorum malos contemtiones & murmurationes iniquas repellendas semper secum Episcopi ipsi habere tenentur.

Item quod iste Lucius post multas tribulationes & persecutiones sub Gallo Imperatore & Volusiano filio suo cum summo martyrio fuit interfectus, & a Deo in cœlesti gloria feliciter fuit coronatus & in cæmeterio Calixti Papæ secundum Martini chronicam tertio Nonas Martii, sed secundum chronicam Damasii Papæ prope octavam Kalendarum mensis Septembris extitit sepultus.

Item quod iste Lucius dum pergeret ad martyrium, & mortem sibi imminere videbat, omnia bona ecclesiæ, quæ ipse habebat, cuidam, Stephano nomine, Diacono Cardinali bonæ vitæ & conversationis approbatæ tradidit & commisit, & post mortem suam ipse suo successori restituere debebat.

Item quod ipse Lucius rexit ecclesiam quatuor annis, mensibus duobus & quindecim diebus, in chronica autem Hieronymi beati scribitur, annis duobus. Sed in chronica Prosperi quatuor annis, & in speculo historiali & in chronica Damasii dicitur de septem annis, & tunc vacavit Sedes apostolica per triginta dies, & secundum alios per viginti & unum dies, regnante Gallo Imperatore cum filio suo Volusiano.

STEPHANUS I. Natione Romanus ex patre Juliano secundum chronicam Martini, sed secundum chronicam Damasii Papæ Zopio fuit natus, & post prædictum Lucium Papam primum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa vicesimus quartus, anno a nativitate Domini ducentesimo & quinquagesimo octavo.

Item quod iste beatus Stephanus statuit & ordinavit, ut vestimenta ecclesiastica, cum quibus in ecclesia ministrantur pro servitio divino, honesta fuerint, benedicta & consecrata, quæ ab aliquo nisi ab ipsis servitoribus non tangentur, nec ab aliis officiis ecclesiasticum celebretur.

Digitized by Google

Item quod iste Stephanus post multas tribulationes & persecutiones, dum Missam suam celebrabat, ab Imperatore Valeriano cum quibusdam clericis & Presbyteris pro Christo fuit decollatus,& ab ipso Deo in sua gloria feliciter fuit coronatus.

Item quod ipse Stephanus rexit ecclesiam secundum chronicam Martini quatuor annis & duobus mensibus & quindecim diebus, sed secundum chronicam beati Hieronymi scribitur de duobus annis, & in chronica Prosperi dicitur de tribus annis,& in chronica Damasii Papæ scribitur de septem annis duntaxat, & tunc vacavit sedes apostolica per viginti unum diem.

SIXTVS II. Natione Græcus, Atheniensis, ex philosopho quodam patre suo nomine - - - fuit natus, & post beatum Stephanum Papam primum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum Apostolum extitit Papa vicesimus quartus, anno a nativitate Domini sexagesimo secundo.

Item quod iste Sixtus Papa statuit & ordinavit, ut omnibus ecclesiis altaria ædificarentur, & in ipsis sacra ministeria publice & in præsentia totius populi cum summa devotione celebrarentur, quod tamen antea non fiebat, nec erat consvetum.

Item, quod iste Sixtus præsentiens abitum suum, omnes thesauros ecclesiæ, quos tunc ipse habebat, sub custodia & dispensatione pauperibus erogandos suo Diacono Laurentio Cardinali commisit & assignavit, donec ecclesiæ Dei post eum de alio Papa canonice fuisset provisum.

Item quod iste beatus Sixtus post multas tribulationes & persecutiones sub Decio Imperatore cum magno martyrio fuit interfectus, & in cœlo a Christo feliciter fuit coronatus. Qui quidem rexit ecclesiam duobus annis, undecim mensibus & sex diebus, alias autem octo annis secundum Hieronymum, & secundum Prosperum dicitur de septem annis duntaxat, & tunc vacavit sedes apostolica secundum chronicam Damasii viginti quinque diebus, secundum autem Damasium Papam & secundum Martinum viginti duobus diebus.

DIONYSIVS Natione Romanus, ex monacho, cujus genus ipsius non invenitur, post dictum Sixtum Papam secundum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa vicesimus sextus, anno a nativitate Domini ducentesimo & sexagesimo quarto.

Item quod ipse Dionysius statuit & ordinavit in urbe Romana parochias & Presbyteros, & cuilibet ipsorum titulos dedit & assignavit,ut petentes suscipere & baptismum Christi fidelibus impendere deberent.

Item quod ipse Dionysius post multiplices tribulationes & persecutiones pro fide Christi martyrio fuit interfectus, & a Deo in sua gloria feliciter extitit coronatus, & in cœmeterio Calixti cum aliis Romanis Pontificibus extitit sepultus, septimo Kalendarum Januarii, sed in martyrologio dicitur, in via Appia fuit sepultus. Et tunc vacavit sedes apostolica octo diebus, Gallieno Imperatore tunc regnante.

FELIX I. natione Romanus,de regione capitis tauri, ex patre Constantino fuit natus, & post Dionysium Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa vicesimus septimus, anno a nativitate Domini ducentesimo sexagesimo sexto.

Item quod iste Felix statuit & ordinavit,ut de cætero in omnibus ecclesiis super memoria martyrum devote a clero Missæ celebrarentur, & ipse etiam ædificari fecit in honore Dei & ejus matris ac omnium sanctorum quandam basilicam seu ecclesiam in una via quæ distat per unum milliare ab urbe Romana.

Item quod iste beatus Felix post multas tribulationes & persecutiones pro fide Christi cum summo martyrio fuit interfectus,& ab ipso in sua gloria feliciter coronatus, & in dicta ecclesia sua sepultus sub Claudiano Principe, tertio Kalendas Junii.

Item quod iste beatus Felix rexit ecclesiam duobus annis & decem mensibus & viginti quinque diebus secundum unam chronicam, sed secundum aliam Hieronymi & Prosperi dicitur de quinque annis, & tunc vacavit sedes apostolica tribus diebus. In quadam autem alia chronica dicitur quinque diebus, prædicto Claudiano Imperatore tunc regnante.

MARCVS I. successit in Papatu dicto Felici Papæ primo, qui martyrium evasit, ideo ipse scribitur Confessor in hoc loco, sed in chronicis Damasii Papæ, Hieronymi & Prosperi & aliorum multorum in ipso loco idem beatus Marcus non ponitur, nec designatur. Sed secundum unam chronicam ipse Marcus fuit Papa & Confessor, qui rexit ecclesiam octo annis, & in quadam ecclesia urbis Romæ, in qua ipse Presbyter fuerat ordinatus, extitit sepultus, quæ vocatur ecclesia sancti Matthæi, & est in medio Vrbis Romæ, ubi dicitur primus, & secundum istam chronicam ipse fuit Papa vicesimus octavus.

EVTICHIANVS Natione Tuscus de Livia civitate oriundus, & ex patre Marino fuit natus, & post Marcum Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum vicesimus nonus, anno a nativitate Domini ducentesimo septuagesimo, secundum chronicam Martini, sed secundum aliam dicitur ducentesimo sexagesimo octavo.

Item quod iste Eutichianus statuit & ordinavit, ut de cetero ob reverentiam Dei fructus terræ super altare a sacerdotibus devote benedici deberent.

Item quod iste Eutichianus manu propria trecentos & quadraginta duos martyres per diversa loca sepelivit,& postea ipse statuit & ordinavit, quod nullus de cætero sine dalmatica colobiove purpureo aliquem martyrem præsumeret sepelire.

Item quod iste Eutichianus post multas tribulationes & persecutiones pro Christi nomine martyrio fuit interfectus, & ab ipso in sua gloria

gloria feliciter extitit coronatus, & in via Appia in cœmeterio Calixti extitit sepultus, octavo Kalendarum Augusti.

Item quod iste Eutichianus rexit ecclesiam secundum chronicam Martini octo annis & decem mensibus & quatuor diebus, & secundum chronicam Hieronymi & Prosperi dicitur de octo mensibus. Et tunc vacavit sedes apostolica per tredecim, alias novem diebus, Gallieno Imperatore tunc regnante.

CAJUS natione Dalmatiæ, seu Dalmaticus, de genere Diocletiani, ex patre Cajo, alias Gallo, extitit natus, & post dictum Eutichianum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum fuit Papa tricesimus, anno a nativitate Domini ducentesimo septuagesimo octavo.

Item quod iste Cajus statuit & ordinavit, ut si aliquis dignus esset ad recipiendum ordines, quod gradu ad eos promovetur, ita quod primo sit ostiarius, deinde lector, postea exorcista, postmodum acolythus, & deinde Subdiaconus, postea Diaconus, & postmodum Presbyter, & deinde Episcopus ultimo ordinetur.

Item quod iste Cajus statuit & ordinavit, ut pagani, hæretici, & alii infideles Christianos accusare non valeant, nec accusationes eorum & defamationes in fideles contra christianos ab aliquo judice de cætero non admittantur, & quod nullus queri seu accusare de cætero præsumat aliquem episcopum vel clericum coram judiciis secularibus, nec ipsi judices tales conventiones & accusationes recipere & audire præsumant. Maxime sub isto tempore Caji Papæ hæresis Manichæorum fuit exorta.

Item quod iste Cajus omnes regiones mundi divisit, & cuilibet regioni unum Diaconum dignum & fidelem constituit, ut omnia gesta sanctorum martyrum diligenter perquirere, & post ipsam informationem in scriptis fideliter redigere deberent, & quod etiam alia negotia ipsi pertractare possent urbibus populosis, dum hujusmodi tamen quæstiones non essent tales, quod ipsæ ad sedem apostolicam devolvi & referri deberent. Et deinde ipse ordinavit quandam epistolam contra hæreticos, ut de incarnatione Filii Dei & de fide apostolica ad plenum, quam postea ipse publicavit.

Item quod iste Cajus post multas tribulationes & persecutiones cum summo martyrio pro Christi fide fuit interfectus, & ab eo in sua gloria feliciter fuit coronatus, & in via Appia in cœmeterio Calixti extitit sepultus, decimo Kalendarum Maji. Qui quidem rexit ecclesiam undecim annis & quatuor mensibus, & in chronica Hieronymi & Prosperi scribitur de quindecim annis. Et tunc vacavit sedes apostolica per undecim dies, Diocletiano Imperatore tunc regnante.

MARCELLINUS Natione Romanus, de regione Caputauri, ex patre Protecco fuit natus, & post beatum Cajum Papam primum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa tricesimus primus, anno a nativitate Domini ducentesimo octuagesimo nono.

Item quod de isto Marcellino legitur, quod ipse a Diocletiano Imperatore valde compulsus idolis suis sacrificavit, credens quod per hujusmodi compulsionem & mortis periculum posset neque Deum, neque ecclesiam ejus sponsam offendere, neque ab aliquo reprehendi, nec legitime super hoc accusari.

Item quod legitur de ipso Marcellino, quod ab ipso postea in Campania synodus super hoc magna fuit celebrata, in qua ipse Marcellinus cum centum & octoginta episcopis catholicis interfuit, & tunc ipse cinere capite aspersus & cilicio indutus, & cum magno dolore & cordis tristitia atque contritione coram eis multipliciter se excusavit, & se per consequens judicandum dictis episcopis supposuit, ipsi episcopi hujusmodi judicium recusaverunt, dicentes, quod summus Pontifex a nullo, nisi a solo Deo est judicandus, qui tunc statim a congregata dictorum episcoporum synodo recessit, & ut beatus Petrus apostolus post abnegationem Christi factam amare flere incepit.

Item legitur de isto Marcellino, quod ipse attendens, quod ipsi episcopi in synodo supra dicta ipsum propter suum excessum dictum seu delictum condemnare recusaverunt, & propter hujusmodi enorme peccatum a Papali dignitate ipse merito erat repellendus seu privandus, ideo pro sui criminis reconciliatione ad Diocletianum Imperatorem ivit & se christianum esse fuit confessus, quare jussu istius Imperatoris confestim fuit capite decollatus.

Item legitur de ipso Marcellino, quod cum corpus ejus per triginta dies in platea jacuisset inhumatum, in sequenti nocte beatus Petrus in visione apparuit beato Marcello, qui postmodum in Papatu immediate sibi successit, qui rexit ecclesiam, ut corpus Marcellini Papæ, quod in platea jacebat inhumatum, recipere deberet, quia omnis, qui humiliat se coram Deo, exaltabitur, & juxta mecum debeas sepelire, nam ego nolo, ut ipsorum corpora, quæ Dei gratia justificavit, spernantur sepultura. Qui quidem beatus Marcellinus statim devote cum multis Presbyteris & Diaconibus & cum hymnis atq; canticis ecclesiasticis in cœmeterio beatæ Priscillæ virginis via Salana septimo Kalendarum Maji fuit sepultus.

Item quod ipse beatus Marcellinus rexit ecclesiam septem annis, duobus mensibus & viginti diebus & quinque, secundum chronicam Damasii Papæ & Martini. Sed in martyrologio Usuardi & in chronica Prosperi scribitur novem annis & quatuor mensibus. Et tunc vacavit sedes apostolica septem annis, sex mensibus & viginti quinque diebus, Diocletiano & Maximiano tunc Imperatoribus regnantibus.

MARCELLUS Natione Romanus, & ex patre Benedicto de regione via lata fuit natus, & post Marcellinum Papam primum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum fuit Papa tricesimus secundus, anno a nativitate Domini trecentesimo tertio vel quarto.

Item quod ipse beatus Marcellus jussu Maximiani

Digitized by Google

miani tunc Imperatoris in quodam stabulo pro custodiendo ibi animalia & jumenta fuit inclusus, quia idolis suis nolebat sacrificare, qui tandem post multas tribulationes & ærumnas martyrio fuit interfectus, & a Deo in sua glc. ia feliciter coronatus, & in cæmeterio beatæ Priscillæ via Sallana extitit sepultus decimo septimo Kalendarum Februarii.

Item quod ipse beatus Marcellus rexit ecclesiam quinque annis & viginti duobus diebus, secundum unam chronicam, sed secundum aliam chronicam dicitur de sex annis, in chronica beati Hieronymi scribitur, annis tribus, & tunc vacavit sedes apostolica viginti quinque diebus, Diocletiano & Maximiano Imperatoribus tunc regnantibus.

EUSEBIUS Natione Græcus ex patre Medico post dictum Marcellum Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa tricesimus tertius, anno a nativitate Domini trecentesimo decimo secundum chronicam, sed secundum unam aliam dicitur de trecentesimo undecimo.

Item quod iste Eusebius Constantinum Imperatorem catechizavit, a quo crux Domini nostri Jesu Christi Hierosolymis postea fuit inventa, videns nomine Judas, qui inventor fuit sanctæ crucis, postea extitit baptizatus & Cyriacus vocatus, & deinde major Christo fuit effectus, prout legitur in canone, de consecr. d. 3. c. crucis Domini nostri Jesu Christi.

Item quod ipse beatus Eusebius, dum in die festo Paschæ cum suo clero & populo christiano missam solenniter & devote celebraret, tunc ab infidelibus paganis pro Christi nomine fuit interfectus, & in cœmeterio Priscillæ extitit sepultus sexto Nonas Octobris.

Item quod ipse beatus Eusebius rexit ecclesiam duobus annis & duobus mensibus, & viginti quinque diebus, secundum unam chronicam, sed secundum chronicam Damasii Papæ sex annis, uno mense & tribus diebus. In chronica autem beati Hieronymi & Prosperi dicitur tantum de septem annis, & tunc vacavit sedes apostolica septem diebus, Constantino Imperatore tunc regnante.

MELCHIADES, Natione Afer, post dictum Eusebium in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum fuit Papa tricesimus quartus, anno a nativitate Domini trecentesimo duodecimo, secundum chronicam Martini, sed secundum aliam dicitur de tertio decimo.

Item quod iste beatus Melchiades statuit & ordinavit, ut nullum de cætero jejunium a Christi fidelibus in die dominico & in die Martis celebraretur, quia istis duobus diebus pagani suum sacrum jejunium celebrare consveverunt, & postea dum ipse quadam die celebraret in sacra Missa nominis sanctorum quatuor Coronatorum, in quo loco ipsi fuerunt sepulti, angelo nunciante, fuerunt revelata.

Item quod ipse post multas tribulationes & persecutiones martyrio fuit interfectus, & in gloria Dei Patris feliciter coronatus, & in cæmeterio Calixti extitit sepultus, quarta Idus Septembris. Qui quidem rexit ecclesiam tribus annis, sex mensibus & octo diebus secundum unam chronicam, sed secundum chronicam Hieronymi & Prosperi dicitur de quatuor annis duntaxat. Et tunc vacavit sedes apostolica sedecim diebus, Constantino Imperatore tunc regnante.

Item quod in chronica ista beati Malchiadis notandum est, quod omnes Romani Pontifices supra dicti computando a beato Petro apostolo usque ad ipsum beatum Melchiadem omnes martyrio pro Christi fide fuerunt interfecti, excepto beato Marco Papa primo, qui sine martyrio migravit ad Christum, & computatis omnibus Romanis Pontificibus supra dictis, superius per ordinem designatis, sunt & fuerunt in numero usque ad beatum Sylvestrum, qui statim sequitur, triginta & sex Pontifices Romani; sed secundum aliquas chronicas non esse nisi triginta & quatuor, quia Linus & Cletus veri Romani Pontifices non fuerunt.

SYLVESTER I. Natione Romanus, ex patre Nipherio natus fuit, & post dictum Melchiadem Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum fuit Papa tricesimus quintus, anno a nativitate trecentesimo & decimo quinto secundum unam chronicam, in quadam alia dicitur de trecentesimo sexto decimo.

Item quod iste beatus Sylvester longo tempore fuit in exilio in monte Sirapti per Constantinum Imperatorem, qui ab ipso Sylvestro postea fuit baptizatus. Quod postea ipse beatus Sylvester duodecim Judæos magnos Magistros & sapientes secundum ritum ipsorum Judæorum cum suis disputationibus & prædicationibus & plures alios ad fidem catholicam convertit, & quod suo tempore Christianitas summe dilatari incepit atque exaltari.

Item quod ipse beatus Sylvester suis meritis & precibus a quadam summa tempestate urbem Romanam liberavit, nam in urbe Romana tunc erat quidam magnus draco, qui flatu vel halitu suo sex millia hominum interficiebat, unde ipse beatus Sylvester cum multis Presbyteris suis per centum & quadraginta gradus descendens ad locum vel puteum, ubi ipse draco morabatur, facta prius oratione & signo crucis se insignato, ipsum draconem ligavit, & cum catenis æreis & ferris fortissimis eum ibi inclusit & obduravit & firmavit usque ad diem judicii universalis. Pro cujus miraculo maxima pars hominum urbis Romæ fuit conversa ad ipsum.

Item quod ipse beatus Sylvester statuit & ordinavit, ut de cætero nullus Romanum Pontificem accusare præsumat, & quod nullus Cardinalium Romanæ ecclesiæ accusatus seu delatus convinci possit, nisi testimonio quadraginta testium solennium super aliis superatus fuit atque convictus. Quod major a minore non accusetur, nec clericus a laico judicetur.

Item quod ipse beatus Sylvester statuit & ordinavit

Digitized by Google

dinavit, ut de cætero nullus laicus alicui clerico crimen præsumeret inferre vel criminaliter accusare, & quod de cætero Diaconi offerendo in ecclesia Dalmatica uti teneantur. Et quod corpus Christi & sanguis in missa in aliquo panno lineo ex terra naturaliter procreato conficiantur atque celebrentur, nam sicut corpus Domini Jesu Christi in syndone linea alba fuit positum, & in sepulchro cum ipsa fuit involutum, sicut etiam corpus & sanguis in altari in panno lineo debent consecrari, secundum Eusebium, & postea chronicæ, quæ sequuntur, sancti Hieronymi, nam dictus Eusebius præcedentes obiter compilavit.

Item quod ipse beatus Sylvester quoddam concilium generale in urbe Romana celebravit, in quo ducenti & septuaginta septem Episcopi veri catholici interfuerunt, & in isto concilio Arium Photinum atque Sabellium hæreticos & documenta ipsorum sententialiter condemnavit, in quo quidem concilio beatus Nicolaus Episcopus Comensis, ut legitur, interfuit, qui quidem patronus pauperum clericorum denominatur.

Item quod ipse beatus Sylvester prædictum Constantinum Imperatorem & Helenam matrem suam cum infinitis aliis primo anno sui Pontificatus ad fidem catholicam convertit, & ipsos cum magna solennitate baptizavit, qui quidem postea totum imperium urbis Romæ, quod ante ipsum Constantinus habebat & habere debebat, dicto beato Sylvestro in manibus suis renunciavit & suis successoribus tradidit possidendum cum omnibus insigniis Imperialibus & privilegiis pluribus atque diversis, & quod ipse postea prædicationibus, doctrinis & meritis suis ecclesiam Dei summe exaltavit & christianitatem valde decoravit, & infinita bona temporalia ecclesiæ acquisivit, & multa alia bona statuit & ordinavit, & hæresin, quæ tunc incepit esse, damnavit, & suos sequentes valde fuit persecutus.

Item quod ipse beatus Sylvester tempore suo meruit habere magnas quatuor columnas in ecclesia Dei, videlicet beatum Hieronymum, qui postea fuit doctor solennis & ecclesiæ Romanæ Cardinalis, & beatum Nicolaum Nivernensem Episcopum, ac etiam beatum Antonium Abbatem, & Confessorem, patrem & institutorem regulæ monachorum anachoretarum, & beatum Athanasium, qui fecit & compilavit: Quicunque vult salvus esse &c.

Item quod iste beatus Sylvester post multos labores & tribulationes ad Christum migravit, & ab ipso in sua gloria fuit coronatus, & apud Romam juxta palatium Otthomani Imperatoris in loco, qui dicitur ad Caput, honorifice fuit sepultus.

Item quod iste beatus Sylvester rexit ecclesiam viginti & tribus annis & decem mensibus & undecim diebus secundum unam chronicam, sed secundum chronicam beati Hieronymi dicitur de viginti & duobus annis; in chronica autem Prosperi dicitur de viginti tribus annis. Et tunc vocavit sedes apostolica quindecim diebus, Constantino Imperatore tunc regnante.

MARCVS II. Natione Romanus, ex patre Prisco natus fuit, & post beatum Sylvestrum Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa tricesimus sextus, anno a nativitate Domini trecentesimo octuagesimo secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de trecentesimo quinquagesimo nono.

Item quod iste beatus Marcus statuit & ordinavit, ut de cætero Episcopus Ostiensis Cardinalis tempore suæ promotionis novum Papam, qui nondum erat Episcopus consecratus, debeat consecrare, & quod etiam suum officium faciendo ipse pallio uti possit. Et quod Symbolum ecclesiæ, seu: Credo in Deum, semper in Missa post evangelium alta voce dici debeat atque decantari.

Item quod iste Marcus post multos labores & tribulationes cum summa devotione ad Christum migravit, & ab ipso in sua gloria feliciter fuit coronatus, & apud Romam in ecclesia Sancti Petri extitit sepultus, Nonas Octobris. Qui quidem rexit ecclesiam duobus annis & mense uno & viginti diebus secundum unam chronicam, sed secundum chronicam Hieronymi & Prosperi scribitur de octo, uno mense tantum. Et tunc vacavit Sedes apostolica viginti diebus, Constantino Imperatore, filio magni Constantini tunc regnante.

JVLIVS I. Natione Romanus & ex patre Rustico natus, post dictum Marcum Papam secundum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa tricesimus septimus, anno a nativitate Domini trecentesimo & quinquagesimo tertio.

Item quod iste beatus Julius multa concilia fieri fecit, pluribus episcopis unitis & catholicis contra Arriani hæretici nequitiam, propter quod plures de ipsis episcopis, tractante dicto Arriano & ordinante a suis sequacibus, catholicam fidem defendendo, interfecti fuerunt.

Item quod de mandato ipsius Julii beati fuit celebratum concilium apud Antiochiam, in quo quidem concilio septuaginta interfuerunt episcopi, ubi per hujusmodi concilium Nicæna fides ibi consecrata extitit & confirmata. Et postea in quadam alia civitate vel loco Sirmus denominato fuit factum aliud concilium, in quo Photini, Sabellii, Liberii & Pauli Samosateni hæreticorum dogmata damnata extiterunt, & inde ibi recta fides catholica exposita fuit & recitata.

Item quod ipse beatus Julius cum suis meritis habere meruit tempore suo plures sanctos ecclesiæ Doctores, videlicet beatum Hilarium ecclesiæ Pictaviensis Episcopum, & beatum Eusebium ecclesiæ Vercellensis Episcopum, & beatum Athanasium ecclesiæ Alexandrinæ Episcopum, qui Symbolum pro fide catholica composuit, quod incipit: Quicunque vult salvus esse; & beatum Chrysostomum, & plures alios summos ecclesiæ Doctores.

Item quod iste beatus Julius statuit & ordinavit,

Digitized by Google

navit, ut nullus clericus de cætero causam suam diceret in publico, & quod omnia monumenta rariora ecclesiarum præeminentium Romanæ ecclesiæ scriberentur. Qui quidem post exilium longum & multas tribulationes migravit ad Christum, & ab ipso in sua gloria feliciter fuit coronatus, & in cæmeterio Calipodii milliario tertio ab urbe Romana fuit sepultus pridie Idus Aprilis, Constantino, filio magni Imperatoris tunc regnante.

Item quod ipse beatus Julius rexit ecclesiam undecim annis, duobus mensibus & octo diebus secundum unam chronicam, sed secundum chronicam beati Hieronymi & Prosperi dicitur de sedecim annis & quatuor mensibus, & vacavit tunc sedes apostolica quindecim diebus, Constantino & Constantio fratribus Imperatoribus tunc regnantibus.

LIBERIUS I. Natione Romanus ex patre Lugustio de regione Via lata fuit natus, & post dictum Julium Papam primum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum fuit Papa tricesimus octavus, anno a nativitate Domini trecentesimo quinquagesimo quinto, secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de quinquagesimo quarto.

Item quod iste Liberius pro fide catholica a Constantino Imperatore in exilio fuit deportatus & detrusus anno octavo Pontificatus pro eo, quia hæresi Arianæ nolebat consentire, secundum autem chronicam beati Hieronymi & Prosperi dicitur de nono anno, & quod ipse Liberius fuit in exilio tribus annis, cumque ipse clerus Romanus ab Imperatore fuisset inductus, ut quendam alium nomine Felicem Presbyterum in Papam eligerent, dictus clerus tunc juravit, ut nullum in Papam susciperent neque haberent, nisi ipsum; sed cum ipse postea decretaverit *, ipsum Felicem in Papam elegerunt.

Item quod cum ipse beatus Liberius in exilium fuisset deportatus, statim clerici quendam Presbyterum nomine Felicem in Papam elegerunt, & cum favore & adjutorio Constantii tunc Imperatoris sedem apostolicam aliquo tempore tenuit & possedit, donec dictus Liberius postea extitit ad sedem apostolicam restitutus, & de suo exilio revocatus, quia hæreticæ pravitati consensit & subscripsit.

FELIX In proxima chronica Liberii nominatus natione Romanus, ex patre Anastasio, tempore quo dictus Liberius in exilium fuit deportatus, a clero & procuratoribus - - - in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa tricesimus nonus, anno a nativitate Domini trecentesimo sexagesimo sexto secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de trecentesimo sexagesimo nono.

Item quod iste Felix in ecclesia apud urbem Romanam concilium generale celebravit, & duos Presbyteros, Ursacium & Valentem Arriana peste infectos a dicto concilio expulit, & ab ecclesiæ communione præcidit, unde propter hoc Constantinus Imperator contra ipsum Felicem valde fuit indignatus, unde a dicta sede apostolica eum deposuit, & prædictum Liberium ad ipsum restituit & revocavit.

Item quod ipse Felix dictum Constantinum Imperatorem, filium magni Constantini hæreticum esse in dicto concilio declaravit, & eum tanquam unum hæreticum condemnavit, propter quod ab eodem Constantino Imperatore postea fuit depositus & ab urbe Romana fuit expulsus.

Item quod iste Felix statuit & ordinavit, quod de cætero episcopi vocati ad concilium ipsi statim venire teneantur, legitimo tamen impedimento cessante, cum antea super hoc quæstionem seu contradictionem veniendi ad dictum concilium quandoque aliqui referebant. Et deinde ipse Felix post multas tribulationes & persecutiones pro Christi fide martyrio fuit interfectus, & ab ipso in sua gloria extitit coronatus, quarto Kalendarum Augusti. Qui quidem rexit uno anno & quatuor mensibus & duobus diebus, dicto Constantino Imperatore tunc regnante.

Item Papa supra dictus post depositionem Felicis Papæ, ad sedem apostolicam fuit restitutus, anno a nativitate Domini trecentesimo septuagesimo septimo, prout dictum est supra in chronica sua, pro eo, quia pro fide hæresi Arianæ ipse consensit, propter cujus consensum fuit ab urbe Romana magna persecutio contra ecclesiam & clerum atque populum christianum, inter quos fuerunt exilio deputati & per Diocletianum Imperatorem condemnati, videlicet Eusebius Episcopus ecclesiæ Vercellensis & Hilarius Pictaviensis, & Dionysius Mediolanensis, & plures alii Doctores summi atque catholici viri.

Item quod ipse Liberius post mortem suam a Damaso Papa, suo successore, tanquam hæreticus Synodali sententia canonice fuit condemnatus, & omnia, quæ fecerat, statuerat & ordinaverat, postquam Ariana pro fide consensit, annihilavit & penitus ipse revocavit.

Item quod ipse Liberius de facto rexit ecclesiam post mortem dicti Felicis beati quinque annis vel circa, dicto Constantino Imperatore tunc regnante, & magni Constantini filio, qui omne consilium & favorem sibi & contra ecclesiam Romanam pro Arianis hæreticis, in quantum potuit, ipse dedit & consensit, secundum omnes chronicarum autores.

DAMASUS I. natione Hispanus, ex patre Antonio fuit natus, & post Liberium & Felicem supra dictos in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa quadragesimus, anno a nativitate Domini trecentesimo & septuagesimo primo, secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de trecentesimo & septuagesimo septimo.

Item quod ipse Damasus fuit tanti ingenii & subtilitatis, quod ipse multa & brevia metra metrificata ad honorem Dei & ejus matris atque omnium civium supernorum & pro doctrina fidelium edidit & compilavit, & cum magna diligentia

ligentia requiri fecit omnia corpora sanctorum, quæ tempore suo inveniri potuerunt, & postmodum tumbas vel sepulchra eorum ad ipsorum honorem & exaltationem quosdam versus speciales scripsit & decoravit secundum Hieronymum, qui usque ad Liberium gesta Romanorum Pontificum per ordinem scripsit & ordinavit, sed post ipsum Hieronymum a Prospero & Beda & Gilberto manacho monasterii Gelbacensis ordinata fuerunt & descripta, prout sequitur.

Item quod ipse Damasus tempore suo in Dei ecclesia meruit obtinere beatissimos patres & monachorum autores, videlicet Ambrosium, Isidorum, Paulum, Martinum Turonensem Episcopum & plures alios sanctos episcopos & egregios monachos, quorum doctrinis, prædicationibus & exemplis multa monasteria ultra mare & circa ad honorem Dei & ejus matris & omnium civium supernorum dedicata extiterunt.

Item quod ipse Damasus statuit & ordinavit, ut de cætero in ecclesia Dei tam nocte quam die in choris Psalmi David cantari deberent, & quod chorus clericorum psallentium tunc inter se dividi deberent, & ipsos psalmos alternatim per ordinem decantarent, & ad instantiam beati Hieronymi Presbyteri & Cardinalis in fine cujuslibet psalmi hymnum sanctæ Trinitatis, videlicet: Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto &c. ipsi decantare teneantur.

Item quod tempore hujus Damasi Papæ secunda sancta synodus videlicet centum & quinquaginta Patrum apud civitatem Constantinopolitanam fuit solenniter celebrata, in qua Macedonius cum suis sequacibus tanquam hæreticus sententialiter extitit condemnatus, qui contra fidem catholicam Spiritum Sanctum esse denegabant.

Item quod tempore ipsius Damasi apud Burdegalensem civitatem a beato Martino, Episcopo Turonensi cum multis aliis viris catholicis synodus fuit celebrata, in qua dictus Macedonius cum suis sequentibus tanquam verus hæreticus fuit condemnatus.

Item quod ipse Damasus fuisset octogenarius vel circa, & post multas tribulationes, & persecutiones ad Christum migravit, ab ipso in sua gloria fuit coronatus, & apud Romanam urbem tam a clero & populo honorifice fuit sepultus tertio Idus Decembris. Qui quidem rexit ecclesiam post dictum Liberium & Felicem decem & octo annis, duobus mensibus & decem diebus. Et tunc vacavit sedes apostolica triginta diebus, tunc Gratiano & Valentiniano Imperatoribus regnantibus.

SIRICIVS [Siriacus] I. Natione Romanus, & ex patre Tiburtino post dictum Damasum Papam primum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa quadragesimus primus, anno a nativitate Domini trecentesimo octuagesimo octavo, secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de trecentesimo septuagesimo nono.

Item quod iste beatus Siricius invenit septem Manichæorum, & ipsos Manichæos in quodam concilio Constantinopolitano cum trecentis & quinquaginta episcopis, viris catholicis sententialiter condemnavit, & ipsos tanquam veros hæreticos esse pronunciavit.

Item quod ipse statuit & ordinavit, ut de cætero aliqui de secta Manichæorum ad fidem catholicam revertere volentes ab aliquo christiano nullatenus reciperentur, nec cum ipsis communicaretur, nisi quod in arcto monasterio detrudantur, & si ibi jejuniis & orationibus maceratus & catholicus inventus fuerit, nisi in fine mortis suæ eucharistia sibi concedatur duntaxat.

Item quod ipse Siricius suis meritis tempore suo in Dei ecclesia obtinere meruit duas summas ecclesiæ columnas, videlicet beatissimæ & universalis ecclesiæ Doctores, Mediolanensem episcopum, & Augustinum, Hipponensem Episcopum & omnium regularium Canonicorum autorem & patronum, & Johannem Chrysostomum, Archiepiscopum Constantinopolitanum.

Item quod iste Siricius statuit & ordinavit conversos religiosos fieri in monasteriis propter regimen temporalium ipsorum, ut alii religiosi clerici circa divina officia melius vacare valeant & interesse. Et quod de cætero quilibet clericus continentiam servare teneatur, & quod monachi, qui antea erant laici, fiant clerici, pro sermone divino & monasteriorum utilitate.

Item quod ipse statuit & ordinavit, ut jejunium quadragesimæ ab omnibus Christi fidelibus observari, & festum Paschæ certis diebus celebrari debeat. Et quod quilibet christianus suo sacerdoti curato semel in anno ad minus peccata sua confiteri teneatur, alias contrarium faciens tanquam infidelis ecclesiastica careat sepultura, impedimento tamen legitimo ipsum excusante.

Item quod ipse Siricius post multas tribulationes & persecutiones ipse migravit ad Christum, & a Deo feliciter in sua gloria fuit coronatus, & apud urbem Romanam in ecclesia sancti Petri apostoli honorifice extitit sepultus tertio Idus Decembris.

Item quod ipse beatus Siricius rexit ecclesiam quindecim annis, undecim mensibus & quinque diebus, secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur, quod ipse rexit sedecim annis duntaxat. Et tunc vacavit sedes apostolica viginti diebus, Valentiniano Imperatore tunc regnante.

ANASTASIVS I. Natione Romanus ex patre Maximino fuit natus, & post Siricium Papam in Romanum Pontificem extitit assumtus Papa quadragesimus secundus, anno a nativitate Domini quadringentesimo quarto, & in alia chronica dicitur de quinto.

Item quod ipse beatus Anastasius statuit & ordinavit, ut de cætero nullus clericus corpore vitiatus

Digitized by Google

vitiatus ad ordines ecclesiasticos non promoveatur, nec ab episcopis ad hujusmodi ordines tales non reciperentur, & quod in isto tempore ipse meruit habere Dei summos tres Doctores & viros catholicos & historiographos, videlicet Johannem Chrysostomum, & Orosium discipulum beati Augustini Episcopi, & Hieronymum, sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalem, qui tunc quendam librum de illis tribus viris catholicis composuit.

Item quod iste Anastasius statuit & ordinavit, ut de cætero, dum in ecclesia evangelium legitur vel decantatur, nullus Presbyterorum nec clericorum sedere præsumat, & quod propter hæreticos Manichæos, qui tunc erant inventi de novo, urbe Romana, nullus episcopus citramarinus vel transmarinus ad clericatus officium vel honorem promovere & suscipere de cætero non præsumat, nec iste promovendus habeatur, & primo ostendat literas testimoniales sigillis quinque Episcoporum illius terræ corroboratas. Qui quidem rexit ecclesiam duobus annis & viginti sex diebus. Et tunc vacavit sedes apostolica viginti duobus diebus, Arcadio & Honorio tunc Imperatoribus primo regnantibus.

INNOCENTIUS I. Natione Albanensis ex patre Innocentio natus fuit, & post dictum Anastasium primum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa quadragesimus tertius, anno a nativitate Domini quadringentesimo septimo secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de octavo.

Item quod iste Innocentius statuit & ordinavit, quod in diebus sabbatinis jejunium celebretur, quia tali die Dominus noster jacuit in sepulchro, & quia sui discipuli in illo die jejunaverunt. Et deinde fecit multa statuta in & super regimen ecclesiarum, monasteriorum, Judæorum & paganorum, & multos hæreticos condemnavit, & in exilio relegavit.

Item quod ipse Innocentius statuit & ordinavit, ut de cætero in Missa ante receptionem corporis Christi a Presbytero ipsam Missam celebrante osculum ab eodem corpore Christi recipi debeat, & postea ipsum osculum ab eodem omnibus Presbyteris, clericis & Christi fidelibus dare & communicare teneantur. Et quod oleum ad usus infirmorum ab episcopo consecratum non solum Presbyteris & clericis, sed etiam omnibus aliis christianis hujusmodi oleum sanctum detur & communicetur.

Item quod ipse Innocentius cum beatissimo Augustino, Episcopo Hipponensi & Hieronymo Cardinali & pluribus aliis magnis Doctoribus & catholicis Pelagium summum hæreticum de Britannia cum sua exitiali doctrina fuit persecutus, & ipsum Pelagium cum Celestino & Juliano complicibus suis condemnavit, nam illo tempore dictus beatus Augustinus, pater & institutor regulæ Canonicorum regularium, & beatus Hieronymus in Dei ecclesia florebant. Qui quidem Hieronymus ætatis nonaginta & octo annorum apud Bethlehem decessit, anno a nativitate Domini quadringentesimo vicesimo.

Item iste Innocentius post multas tribulationes & persecutiones migravit ad Dominum, & apud Romam ad Visum spiclatum a clero & populo extitit honorifice sepultus quinto Kalendarum Augusti, Arcadio & Theodosio Imperatoribus tunc regnantibus. Qui quidem rexit ecclesiam quadringentis annis, duobus mensibus, & viginti & uno diebus.

ZOSIMUS I. Natione Græcus, ex patre Abrunno natus, & post dictum Innocentium Papam primum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa quadragesimus quartus, anno a nativitate Domini quadringentesimo vicesimo secundo secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de tertio.

Item quod ipse statuit & ordinavit, ut de cætero nullus servus ad ordines recipiatur, nec ab episcopo ipse promoveatur, & nullus clericus pro vino vendendo ipsum in publico vendere præsumat. Et quod singulis annis in die Sabbatho cereus paschalis a diacono in ecclesia publice & solenniter benedici debeat juxta formam per ipsum ordinatam.

Item quod iste Zosimus post multas tribulationes & persecutiones migravit ad Dominum, cujus corpus in via Tiburtina juxta corpus beati Laurentii honorifice fuit sepultum septimo Kalendas Januarii. Qui quidem rexit ecclesiam anno uno & octo mensibus secundum unam chronicam; sed secundum aliam dicitur de duobus annis & quindecim diebus. Et in alia chronica legitur de viginti quinque diebus tantum. Et tunc vacavit sedes apostolica undecim vel viginti quinque diebus, Honorio & Theodosio Imperatoribus tunc regnantibus.

BONIFACIUS I. Natione Romanus, ex patre Jocundo Presbytero natus, & post dictum Zosimum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa quadragesimus quintus, anno a nativitate Domini quadringentesimo & vicesimo quinto.

Item quod ipse Bonifacius statuit & ordinavit, ut de cætero nulla mulier vel monacha aut vidua pallam sacratam manibus contingere aut lavare præsumat. Et quod nullus servus vel curiæ obnoxius ad clericatus ordinem de cætero promoveatur, neque ab alio episcopo recipiatur.

Item quod iste Bonifacius post multas tribulationes migravit ad Dominum, & post via Salarina in cæmeterio sanctæ Felicitatis honorifice fuit sepultus. Qui rexit ecclesiam tribus annis, octo mensibus & undecim diebus. Et tunc vacavit sedes apostolica novem diebus, Theodosio Imperatore tunc regnante.

CELESTINUS I. Natione Romanus secundum unam chronicam, sed secundum aliam natione Campanus, ex patre Pisto, qui post dictum Bonifacium I. Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum

trum apostolum extitit Papa quadragesimus Sextus, anno a nativitate Domini quadringentesimo vicesimo octavo secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de CCCC. & vicesimo nono.

Item quod iste statuit & ordinavit, ut de cætero quilibet Presbyter ante introitum Missæ dicere teneatur illum psalmum, qui incipit: Judica me Deus & discerne &c. Et quod psalmi David ante sacrificium canendo antiphoniis psallerentur, quod ante non fiebat, sed epistola & evangelium tantum legebantur. Unde propter hoc introitus Missæ & gradualia similiter & offertoria postea fuerunt statuta.

Item quod iste Celestinus post multas tribulationes & persecutiones migravit ad Dominum, & in via Salana Priscillæ a clero & populo honorifice fuit sepultus, septimo Idus Aprilis. Qui rexit ecclesiam octo annis & uno mense & novem diebus, Theodosio Imperatore tunc regnante.

SIXTUS III. Natione Romanus, ex patre Prisco, de regione Cœlii montis natus, & post dictum Celestinum Papam primum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa quadragesimus septimus, anno a nativitate Domini CCCC. & tricesimo sexto.

Item quod ipse Sixtus secundo anno sui Pontificatus a quodam nomine Basso de adulterio coram Valentiniano Imperatore, licet falso extitit accusatus, qui quidem Imperator Synodum fecit celebrari, in qua quinquaginta & sex episcopi interfuerunt coram ipso, quibus Sixtus a dicto crimine sibi imposito canonice se purgavit, & dictus Bassus in isto concilio fuit condemnatus.

Item quod iste Sixtus ædificavit ecclesiam B. Mariæ, alias dicitur vel vocatur ad præsepe Domini, & etiam multas alias ecclesias auro & argento ipse multipliciter decoravit, & pauperibus multa bona & eleemosynas amore Dei erogavit, orphanos, viduas & pupillos fovit, atque eos ab injuriis defendit.

Item quod ipse Sixtus post multas tribulationes & persecutiones migravit ad Dominum, & in via Tiburtina juxta corpus beati Laurentii honorifice fuit sepultus. Qui rexit ecclesiam octo annis & novem diebus, secundum unam chronicam, dicitur de decem, & in alia de viginti & novem diebus. Et tunc vacavit sedes apostolica per viginti & duos dies, Theodosio Imperatore tunc regnante.

LEO I. Natione Tuscus ex patre Quintiano fuit natus, & post dictum Sixtum Papam III. in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa quadragesimus octavus, anno a nativitate Domini quadringentesimo quarto.

Item quod iste Leo multos libros composuit, in quibus evangelia declaravit, & plures & pulchros sermones ad honorem Dei & augmentum fidei christianæ, & salutem omnium fidelium edidit & compilavit. Qui quidem mirabili sanctitate præcipuus & incomparabili eloquentiæ venustate præclarus. Bene ipse statuit & ordinavit, quod in canone Missæ adderetur, quod sequitur, videlicet: sanctum sacrificium & immaculatam hostiam, quæ verba antea in dicto canone non fuerunt inserta.

Item quod iste Leo quandam magnam gratiam a Deo meruit obtinere, nam cum semel in dicto festo Paschæ quandam mulierem communicando ipsa tunc osculata manum suam fuisset, statim super hoc peccato carnalitatis summæ fuit a diabolo tentatus, cumque ipse videret, quod hujusmodi tentationem carnis a corde suo non valebat expellere, manum suam, quam dicta mulier osculata fuerat, clandestine sibi amputavit, propter quod apud urbem Romanam magnus tumultus contra ipsum invaluit, quia illa die Paschæ Missam suam non celebrabat, ut debebat, propter quod in maxima angustia ipse positus fuit, quare se ipsum beatæ virgini Mariæ summe commendavit, & cum vigiliis & orationibus ipsam devote supplicans fuit maceratus valde. Quæ tandem visibiliter sibi apparuit, & ei manum suam restituit integram, prout antea habuerat ipsam. Et sic hujusmodi miraculum ipse beatus Pontifex in suis prædicationibus omnibus postea frequenter publicavit.

Item quod iste Leo post multos labores & tribulationes migravit ad Dominum apud Romam, & in ecclesia sancti Petri in vigilia apostolorum Petri & Pauli fuit sepultus. Sed in martyrologio Usuardi dicitur tertia Idus Aprilis. Qui rexit ecclesiam viginti & uno annis & uno mense & quindecim diebus, alias viginti quinque. Et tunc vacavit sedes apostolica octo diebus, Theodosio Imperatore tunc regnante.

HILARIUS Natione Sardus & ex patre Crispino fuit natus, & post beatum Leonem Papam primum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa quadragesimus nonus, anno a nativitate Domini CCCCmo & sexagesimo quinto.

Item quod tempore ipsius Hilarii regnavit Rex Artus in Britannia, qui quamvis ipse fuisset illegitime natus, tamen ipse fuit strenuissimus & formatus in bellis in tantum, quod multa regna acquisivit; sed quia semel in quodam prælio fuit vulneratus, ideo ad quandam insulam pro ipsis medicandis ipse accessit, & deinde ipse non fuit ausus ire.

Item quod ipse Hilarius statuit & ordinavit, ut de cætero nullus episcoporum renunciaret suo episcopatui, nec sibi in ipso episcopatu constitueret aliquem in successorem.

Et tunc, tempore ipsius Hilarii fuit in Britannia Merlinus vaticinator, qui ex quadam filia Regis Demetiæ sanctimoniali & ab incubo unicolo dæmone fuit genitus, nam ipse amplexabatur in specie cujusdam pulcherrimi hominis juvenis qui quotidie sibi apparebat & disponebat, qui etiam osculabatur & amplexabatur, sæpe eam carnaliter cognoscebat, in tantum, quod finaliter de ipso Merlino eam imprægnavit, & postea ipsam relinquit.

Post multos labores & tribulationes ad Christum

stum migravit, & in quodam suo monasterio, quod fecerat prius, juxta corpus beati Laurentii Martyris honorifice fuit sepultus, & rexit ecclesiam sex annis, tribus mensibus & decem diebus. Et tunc vacavit sedes apostolica decem diebus, Leone Imperatore regnante.

SIMPLICIUS Natione Tiburtinus ex patre Castino fuit natus, & post dictum Hilarium Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa quinquagesimus, anno a nativitate Domini CCCC. & sexagesimo quinto, alias septuagesimo secundo.

Item quod iste Simplicius dedicavit & ædificari fecit ecclesiam sancti Stephani in Cœlio monte apud urbem Romanam ad honorem Dei & ipsius beati Stephani protomartyris, in cujus ecclesia est titulus cujusdam ecclesiæ Romanæ sanctæ Cardinalis.

Et quod etiam statuit & ordinavit in ecclesia sancti Petri & sancti Pauli apostolorum urbis Romæ septem Presbyteros hebdomadarios residere debere, & totam urbem Romanam in quinque partes certis & designatis Presbyteris ipse divisit, videlicet apud sanctum Petrum, apud sanctum Paulum, tertium apud sanctum Laurentium, quartum apud sanctum Johannem Lateranensem, quintum ad sanctam Mariam majorem. Et quod nullus clericus investituram a laico de cætero recipere præsumat.

Item quod iste Simplicius post multas tribulationes & persecutiones migravit ad Christum, & in quadam ecclesia sanctæ Bibianæ martyris, quam in vita sua ædificari fecerat, honorifice extitit sepultus cum quatuor millibus & ducentis ac quinquaginta & septem sanctorum corporibus, exceptis parvulis & mulieribus, qui ibi antea fuerant sepulti. Qui rexit ecclesiam quindecim annis, uno mense & sex vel septem diebus secundum unam chronicam; sed secundum chronicam Domini Vincentii dicitur de decem & octo annis. Et tunc vacavit sedes apostolica sex diebus, Leone Imperatore tunc regnante.

FELIX III. Natione Romanus, ex patre Felice Presbytero, de regione Fasciolæ natus, & post dictum Simplicium Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum fuit Papa quinquagesimus primus, anno a nativitate Domini quadringentesimo octuagesimo sexto secundum unam chronicam, sed secundum chronicam aliam dicitur de quinque.

Item quod ipse Felix statuit & ordinavit & ædificari fecit ecclesiam sancti Agapeti martyris juxta Basilicam sancti Laurentii martyris ad honorem Dei, ipsius gloriosi martyris Agapeti, cujus quidem ecclesia est hodie, ut dicitur, titulus cujusdam sanctæ Romanæ ecclesiæ Presbyteri Cardinalis.

Item quod ipse Felix statuit & ordinavit, quod cuilibet accusato de cætero a suo episcopo vel judice induciæ concedantur, ut ipsi accusati se defendere valeant secundum juris statuta. Et quod statuta accusatorum & judices sint tales, quod sibi caveant ab omni vitio & mala suspicione.

Item quod ipse Felix post multos labores & persecutiones ad Christum migravit, & in ecclesia sancti Petri honorifice extitit sepultus, & rexit ecclesiam octo annis, sex mensibus & decem & septem diebus. Et tunc vacavit sedes apostolica per quindecim dies, Zenone Imperatore tunc regnante.

GELASIUS I. Natione Afer, & ex patre Valerio fuit natus, & post dictum Felicem Papam tertium in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa quinquagesimus secundus, anno a nativitate Domini quadringentesimo & nonagesimo quarto.

Item quod iste Gelasius fecit & compilavit orationes, tractatus & hymnos, qui in ecclesia Dei decantantur, sicut etiam Ambrosius alio modo compilavit. Et etiam præfationem Missæ composuit, quæ incipit: Vere dignum & justum est &c. etiam composuit & ordinavit.

Item quod iste Gelasius vidit & audivit. Et tempore suo sibi denunciatum fuit corpus beati Barnabæ apostoli, in cujus manibus textus evangeliorum Matthæi Hebraice scriptus fuit inventus. Et postea inventio monasterii beati Michaëlis in monte Gargano Christi fidelibus extitit revelata.

Item quod iste Gelasius post multos labores & tribulationes ad Christum migravit, & apud urbem Romanam in ecclesia beati Petri apostoli honorifice fuit sepultus, & rexit ecclesiam quatuor annis & octo mensibus. Et tunc vacavit sedes apostolica septem diebus, Zenone Imperatore tunc regnante.

ANASTASIUS II. Natione Romanus & ex patre Fortunato de regione caput tauri fuit natus, & post prædictum Gelasium primum Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa quinquagesimus tertius, anno a nativitate Domini quadringentesimo nonagesimo octavo, secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de quadringentesimo nonagesimo nono, & in quadam alia chronica dicitur de octavo.

Item quod iste Anastasius statuit & ordinavit, ut de cætero nullus clericus officium suum ira vel rancore pietatis Missam * obtinere præsumat. Et quod ipse Anastasius Papa postea Imperatorem Anastasium excommunicavit.

Item quod istius Anastasii tempore multi Presbyteri & clerici contra ipsum Papam erexerunt & separaverunt se a communione ejus, eo, quod communicasset Photino, Diacono Thessalonicensi, qui famulus fuerat Achatii per ecclesiam damnati, & quia ipsum Achatium restituere voluit, licet non potuit, divino judicio percussus, quia dum ad secreta naturæ accessisset, egerendo intestina miserabiliter periit, & in ecclesia sancti Petri fuit sepultus, Anastasio Imperatore tunc regnante.

Item quod iste Anastasius rexit ecclesiam duobus annis vel circa secundum unam chronicam,

Digitized by Google

cam, sed secundum aliam dicitur de uno anno, undecim mensibus, & viginti quatuor diebus. Et tunc vacavit sedes apostolica per quatuor dies, Anastasio Imperatore tunc primo regnante.

SYMMACHUS Natione Sardus ex patre Fortunato fuit natus, & post dictum Anastasium in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum fuit Papa quinquagesimus quartus anno a nativitate Domini quinquagesimo secundum unam chronicam, sed secundum aliam chronicam dicitur de quinquagesimo primo.

Item quod iste Symmachus statuit & ordinavit, ut de cætero in diebus dominicis & sanctorum festivitatibus hymnum angelicum post Evangelium in Missa in choro decantare & dicere teneatur de capite usque ad finem, quia ipse post dictum hymnum angelicum addidit & ordinavit: Laudamus Te, &c.

Item quod iste Symmachus in ecclesia Constantiniana, & quidam alter nomine Laurentius in Basilica sanctæ Mariæ majoris una die in discordia in Papam electi fuissent, ideo clerus & populus Romanus inter se fuit divisus. Qui tandem ex divina gratia & Theodorici tunc Imperatoris potentia iste Symmachus tanquam bonus Papa communiter fuit approbatus, & dictus Laurentius a Papatu repulsus.

Item quod iste Symmachus post paucos dies cum falsis testibus per dictum Laurentium criminaliter fuit accusatus, propter quod dictus clerus & populus Romanus iterum inter se fuit divisus, quia quidam ipsi Symmacho & quidam alii dicto Laurentio adhærebant. Quare dictus Symmachus super hoc concilium celebravit, in quo ducenti & quindecim episcopi viri catholici interfuerunt, qui coram ipsis episcopis dictum Laurentium cum suis sequacibus tanquam invasorem & perturbatorem ecclesiæ Dei & sedis apostolicæ spiritualiter condemnaverunt.

Item quod iste Symmachus statuit & ordinavit, ut de cætero quarta pars omnium bonorum ecclesiarum cathedralium pro eleemosyna pauperum eroganda assignaretur, & quod episcopi de bonis suis necessitatibus pauperum subvenire teneantur, & quod statuta super rebus ecclesiæ a laicis facta non valeant, quantumcunque in favorem ecclesiæ fuissent facta & ordinata.

Item quod iste Symmachus post multos labores & tribulationes ad Christum migravit, & apud urbem Romanam in ecclesia sancti Petri apostoli a clero & populo honorifice fuit sepultus. Qui quidem rexit ecclesiam quindecim annis, septem mensibus & viginti quatuor diebus. Et tunc vacavit sedes apostolica septem diebus, Anastasio Imperatore tunc regnante.

HORMISDA. Natione Campanus de civitate Frisilone, ex patre Justo fuit natus, & post dictum Symmachum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa quinquagesimus quintus, anno a Nativitate Domini quingentesimo & decimo sexto secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de decimo septimo.

Item quod iste Hormisda Papa ad clerum ordinavit & composuit psalmos, & Græcos per Petrum episcopum Alexandrinum excommunicatos & anathematizatos reconciliavit, & Imperatorem Anastasium apud Constantinopolitanam civitatem existentem per quosdam suos legatos canonice monuit & requisivit, ut ab hæresi, cui favebat, discedere deberet. Et quia ipse Imperator hujusmodi Legatos audire nec videre voluit, ideo divino judicio per ictum fulminis seu ignis de cœlo fuit interfectus.

Item quod cum ipse Hormisda multas eleemosynas pauperibus erogasset, nec non etiam pluribus ecclesiis diversa & quam plurima ornamenta contulisset, & apud ecclesiam sancti Petri quandam crucem argenti cum pluribus lapidibus pretiosis contextam & ornatam, quæ ponderabat mille & quadringentas libras cum magna devotione dedisset, postea migravit ad Dominum, & in dicta ecclesia sancti Petri apostoli honorifice fuit sepultus, octavo Idus Aug. Qui quidem rexit ecclesiam novem annis, & decem & septem diebus. Et tunc vacavit sedes apostolica per sex dies, Anastasio Imperatore tunc regnante.

JOHANNES I. Natione Tuscus secundum unam chronicam, secundum aliam dicitur Romanus, ex patre Constantino fuit natus, & post dictum Hormisdam I. in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa quinquagesimus sextus, anno a nativitate Domini quingentesimo vicesimo quinto.

Item quod cum ipse Johannes a Theodorico Rege Gothorum per Italiam regnante & Ariana hæresi polluto apud Constantinopolin ad Justinum Imperatorem coactus destinatus fuisset, mandans per ipsum dicto Imperatori, quod nisi ipse Arianis suas ecclesias restitueret, Christianos per Italiam constitutos gladio perimeret. Qui cum ipse Johannes Papa apud Constantinopolin super hoc venisset, tunc a Justino Imperatore honorifice fuit receptus, sed mandatum dicti Theodorici Regis seu ipsius requisitionem exaudire noluit, unde cum ipse Johannes Papa ad dictum Theodoricum Regem rediisset, & jussionem dicti Justini audivisset, statim apud Ravennam civitatem, in qua tunc ipse erat, ipsum ligari & crudeliter incarcerari fecit. In quo quidem carcere post multos labores & tribulationes migravit ad Dominum, cujus corpus postea de Ravenna apud Romam fuit translatum, in ecclesia sancti Petri honorifice fuit sepultum, cujus quidem festum colitur quinto Kalendarum Junii.

Item quod propter persecutionem istius Johannis Papæ prædictus tyrannus Rex Gothorum nonagesima die post captionem ipsius Johannis, divina ultione morte subitanea fuit extinctus, cujus animam vir quidam eremita vidit, prædictum Johannem Papam in quandam ollam vultum projici, prout in tertio libro dialogorum legitur & fertur. Qui quidem Johannes ecclesiam duobus annis rexit, octo mensibus & octo diebus. Et tunc vacavit sedes apostolica octo

Digitized by Google

octo diebus, Justino Imperatore tunc regnante.

FELIX IV. Natione Samnius ex patre Constantino natus, & post dictum Johannem primum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa quinquagesimus septimus, anno a nativitate Domini quingentesimo vicesimo septimo.

Item quod iste Felix statuit & ordinavit, quod quilibet Christianus in mortis articulo existens cum oleo sancto juxta formam ecclesiæ super hoc traditam inungatur pro salute ipsius, ad Dominum nostrum tunc preces fundantur speciales. Et quod postea Patriarcham Constantinopolitanum etiam ipse Felix Papa excommunicavit, quia Arianam hæresin pro fide habebat.

Item quod ipse Felix Papa post multos labores & tribulationes migravit ad Dominum, qui quidem rexit ecclesiam quatuor annis, duobus vel tribus mensibus & tredecim diebus. Et tunc vacavit sedes apostolica uno mense & quindecim diebus, Justiniano Imperatore tunc regnante.

BONIFACIVS II. Natione Romanus, ex patre Sigebaldo, post dictum Felicem IV. in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa quinquagesimus octavus, anno a nativitate Domini quingentesimo tricesimo tertio, secundum unam, sed secundum aliam chronicam dicitur de tricesimo & uno anno.

Item quod ipse Bonifacius statuit & ordinavit, quod inter clerum & populum fiat divisio in ecclesia, seu quod inter ipsos cancelli apponantur, dum Missa & horæ canonicæ in ecclesia celebrantur. Et quod de cætero Romanus Pontifex post mortem suam nisi post tres dies ecclesiasticæ sepulturæ non tradatur, & quod tunc de electione futuri Romani Pontificis tractari possit & non ante, cessante tamen legitimo impedimento.

Item quod de ipso Bonifacio legitur in quadam chronica, quod semel congregavit concilium suum apud urbem Romanam in ecclesia Sancti Petri apostoli, qui quidem Papatui voluit renunciare, & sibi quendam, Vigilium nomine, ordinare successorem; sed ipsius oblatio a dicto concilio tanquam sacris canonibus contraria non fuit recepta, sed penitus ipsa fuit refutata.

Item quod ipse Bonifacius post multos labores & tribulationes migravit ad Christum, & in ecclesia Sancti Petri apostoli fuit sepultus. Qui quidem rexit ecclesiam duobus annis & viginti sex diebus. Et tunc vacavit sedes apostolica per sex dies, Justiniano Imperatore tunc primo regnante.

JOHANNES II. Natione Romanus ex patre Projecto de Cælio monte fuit natus, & post dictum Bonifacium Papam secundum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum fuit Papa quinquagesimus nonus, anno a nativitate Domini quingentesimo tricesimo tertio, secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de tricesimo quarto.

Item quod ipse Johannes Papa statuit & ordinavit, quod festum Paschæ Domini & alia festa ipsius per annum mobilia a clero & a populo christiano juxta certam formam per ipsum traditam celebrari debeant & de cætero observari. Qui quidem post multas tribulationes & persecutiones & labores migravit ad Christum & rexit ecclesiam duobus annis quatuor mensibus & sex diebus. Et tunc vacavit sedes apostolica per septem dies, Justiniano Imperatore tunc regnante.

AGAPETVS I. Natione Romanus ex Patre Gordiano, de regione Johannis Pauli fuit natus, & post dictum Johannem Papam secundum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa Sexagesimus, anno a nativitate Domini quingentesimo tredecimo quinto secundum unam chronicam, & secundum aliam dicitur de tricesimo sexto.

Item quod ipse Agapetus post suam promotionem audiens quod Episcopus Constantinopolitanus nomine Anthemius hæresi Eutichiana fuit infectus, ideo ad urbem Constantinopolitanam statim perrexit, & tunc ipse ibi contra voluntatem Justiniani tunc Imperatoris ibi præsentis Anthemium episcopum canonice excommunicavit & in exilium ipsum condemnavit, & in loco ipsius in dicta ecclesia Constantinopolitana quendam virum monachum nomine Mennam, virum catholicum substituit & eum subrogavit, & nihilominus gratia divina suffragante, postea a dicto Imperatore Justiniano gratiam obtinuit & honorem.

Item quod ipse Agapetus tempore mortis suæ meritis suis meruit, obtinere, ut beatus & gloriosus Benedictus Abbas, Christi Confessor ac omnium monachorum pater eximius, & ipsorum patronus præcipuus ipsum tunc Agapetum Papam in gloria Dei Patris associaret, & cum eo ipse Agapetus gloriam æternam possideret.

SYLVERIVS I. alias Silvenus secundum diversas chronicas natione Campanus ex patre Hormisda, episcopo Romano fuit natus, & post dictum Agapetum Papam primum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa sexagesimus primus, anno a nativitate Domini trecentesimo tricesimo septimo secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de tricesimo octavo.

Item quod iste Sylverius Papa multas tribulationes & dolores passus fuit in tantum, quod fuit tanta fames in partibus Italiæ, quod homines & mulieres libenter comedebant filios suos, propter quam pestilentiam infiniti utriusque sexus mortui fuerunt, & quam multæ desolationes in partibus illis supervenerunt.

Item quod cum ipse Silverius Anthemium ab Agapeto Papa depositum & ejus reconciliationem

Digitized by Google

tionem recipere noluisset, ideo se monachum fieri dissimulavit, & deinde ab Imperatore & ejus uxore quidam nomine Vigilius Archidiaconus, qui tunc potestatem ecclesiæ Romanæ habere affectabat, in Romanum Pontificem est assumtus, & ideo ipse Sylverius a dicto Imperatore in Pontum insulam pro Christi nomine postea fuit relegatus, & ibi mortuus, cui dictus Vigilius in dicto Papatu successit. Qui quidem rexit ecclesiam uno anno, quinque mensibus, & undecim diebus, Justiniano Imperatore tunc regnante.

VIGILIVS. Natione Romanus ex patre Johanne fuit natus & post dictum Sylverium Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum fuit Papa sexagesimus secundus, anno a nativitate Domini quingentesimo quadragesimo, & secundum aliam chronicam dicitur de quadragesimo primo.

Item quod iste statuit & ordinavit, quod de cætero Missa in ecclesia celebrari deberet in partibus Orientalibus, cum antea ibi ipsa Missa non celebraretur, prout referunt aliqui chronicarum autores. Et quod postea ipse Vigilius a Theodora Imperatrice valde fuit persecutus propter Anthemium Episcopum Constantinopolitanum quem de hæresi condemnatum ipse prosequebatur, prout persecutus fuerat Sylverius suus prædecessor in tantum, quod una die, dum ipse Vigilius Missam suam celebravit apud urbem Romanam, in ecclesia sanctæ Cæciliæ de mandato dictæ Imperatricis ab ecclesia Sanctæ Sophiæ, ad quam ipse confugerat, cum complicibus suis violenter fuit extractus & summe colophizatus, & deinde cum uno torque in collo suo ligatus a mane usque ad vesperam per totam civitatem extitit tractus, & deinde in exilium fuit transmissus.

Item quod ipsum Vigilium Papam postea valde pœnituit, quia Papatum injuste tenuerat, & auxilio dictæ Imperatricis Sylverium suum prædecessorem contra Deum & justitiam fuerat persecutus, ipse in exilio relegatus & pro Christi fide ipse in exilium fuit deportatus, cumque postmodum a suo exilio per dictum Imperatorem Constantinopolitanum fuisset revocatus, & ad urbem Romanam redire vellet, per insulam Siciliæ veniendo ibi in civitate Syracusana migravit ad Dominum, & deinde apud Romam suum corpus translatum fuit. Qui quidem rexit ecclesiam decem & septem annis, sex mensibus, & quinque diebus, Justiniano Imperatore tunc regnante.

PELAGIVS I. Natione Romanus ex patre Johanne natus post dictum Vigilium in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum fuit Papa sexagesimus tertius, anno a nativitate Domini quingentesimo quinquagesimo octavo secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de quinquagesimo septimo.

Item quod ipse Pelagius composuit & ordinavit, ut omnes præfationes, quæ in Missa dicuntur, & decrevit ipsas ibi de cætero legendas & decantandas, prout in libris ecclesiasticis continetur. Et quod hæretici, si schismatici, per seculares puniantur, remissione tamen de ipsis primo eis facta, secundum canonicas sanctiones.

Item quod ipse Pelagius de morte Vigilii Papæ fuisset accusatus & diffamatus, idéo in præsentia totius populi apud Romanam urbem crucem Dei & evangelia in manibus suis tenendo se a tali crimine canonice purgavit.

Item quod ipse Pelagius post multas tribulationes & dolores & persecutiones feliciter migravit ad Dominum, & apud urbem Romanam in ecclesia Sancti Petri honorifice fuit sepultus. Qui quidem rexit ecclesiam quatuor annis & decem mensibus & decem octo diebus secundum unam chronicam, sed in quadam alia chronica dicitur de undecim annis & decem mensibus & decem & octo diebus. Et vacavit sedes apostolica tribus mensibus & viginti diebus & quinque, Justiniano Imperatore tunc regnante.

JOHANNES III. Natione Romanus, ex patre Anastasio viro illustrissimo fuit natus, & post dictum Pelagium Papam primum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum fuit Papa sexagesimus quartus, anno a nativitate Domini quingentesimo sexagesimo tertio secundum unam chronicam; sed in alia dicitur de sexagesimo secundo.

Item quod ipse Johannes reparavit & restauravit cæmeteria Sanctorum Martyrum urbis Romæ, & ecclesiam Apostolorum Philippi & Jacobi in urbe Romana antea inceptam ex toto perfecit & complevit, & postea ipsam solenniter dedicavit.

Item quod ipse Johannes post multas tribulationes & labores multos migravit ad Dominum, & apud urbem Romanam in ecclesia Sancti Petri honorifice fuit sepultus, & rexit ecclesiam tredecim annis, novem mensibus & viginti septem diebus secundum unam chronicam. Sed in quadam alia dicitur de duodecim annis, undecim mensibus, & viginti septem diebus. Et tunc vacavit sedes apostolica decem mensibus & tribus diebus, Justiniano tunc Imperatore regnante.

BENEDICTVS I. Natione Romanus & ex patre Bonifacio fuit natus, & post dictum Johannem tertium Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa sexagesimus quintus, anno a nativitate Domini quingentesimo septuagesimo quinto secundum unam chronicam; sed in quadam alia dicitur de septuagesimo septimo, & secundum aliam dicitur de septuagesimo nono.

Item quod ipse Benedictus multos labores & afflictiones & tribulationes pro fide Christi sustinuit, quia tempore suo Longobardi Italiam interverterunt & ipsam totam invaserunt, propter quod fames & mortalitates summæ & infinitæ ibi fuerunt.

Item quod ipse Benedictus post hujusmodi labores & tribulationes migravit ad Dominum, & apud Romam in ecclesia sancti Petri apostoli hono-

Digitized by Google

honorifice fuit sepultus. Qui quidem rexit ecclesiam tribus annis, & vacavit sedes apostolica tribus vel quatuor mensibus & decem diebus, Justiniano Imperatore regnante.

PELAGIUS II. Natione Romanus, ex patre Vinigildo fuit natus, & post dictum Benedictum Papam primum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa sexagesimus sextus, anno a nativitate Domini quingentesimo octuagesimo secundum unam chronicam, & secundum aliam octuagesimo primo.

Item quod iste Pelagius post multos labores & afflictiones pro Christo sustinuit, quia eo tempore Longobardi urbem Romanam obsederunt & multa mala ibi perpetraverunt, & quasi totam Italiam devastaverunt, & exinde multa scandala, quæ referri bene non possunt, perpetrata fuerunt.

Item quod iste Pelagius audiens & attendens, quod monasterium beati & gloriosi Benedicti Abbatis & Confessoris in monte Casino a Longobardis destructum, ab omnibus bonis suis spoliatum, & quod monachi illius monasterii, viri religiosi cum codice seu regula ejusdem beati Benedicti, nec non etiam cum pondere panis & vini mensura, quæ ipsis per gloriosum Benedictum fuerunt ordinata, ad ipsum veniant apud urbem Romanam, videns etiam & audiens tantas persecutiones, ecclesiarum destructiones, ideo ex ipsius cordis dolore migravit ad Dominum, & in basilica beati Petri apostoli urbis Romanæ sexto nonas Martii fuit honorifice sepultus.

GREGORIUS I. Natione Romanus, & ex patre Gordiano viro clarissimo, ex matre Sylva fuit natus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa sexagesimus septimus, & post Pelagium Papam secundum in Romanum Pontificem fuit assumtus, anno a nativitate Domini quingentesimo nonagesimo secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de nonagesimo uno anno, & in quadam alia chronica dicitur de nonagesimo tertio.

Item quod ipse Gregorius hic primus Magnus merito est vocatus, quia ex ordine fuit electus & sub regula gloriosi Benedicti, patris monachorum, verus cultor extitit ac etiam monachus devotus atque in tantum, quod mortalis lingua explicari non possint illa & tanta dona, quæ in Dei ecclesia per ejus doctrinam & merita & exempla pro salute fidelium sunt subsecuta, nam tempore suo in artibus liberalibus, videlicet Grammatica, Rhetorica & Dialectica sibi similis non extitit inventus in urbe Romana, & nihilominus ipse fuit tanta - - & Dei timore plenus & humiliter summus, & tanta gratia Spiritus Sancti extitit ornatus, quod exinde summus Pontifex merito urbis & orbis fuit factus.

Item quod ipse beatus Gregorius ante suam promotionem omnem secularem pompam ex suo palatio penitus exclusit, & ibi multos clericos & monachos atque præfectos sibi associavit, cum quibus iste existens nihil aliud audire volebat nisi illa, quæ erant monasticæ perfectionis & pontificalis instructionis.

Item quod iste beatus Gregorius statuit & ordinavit antiphonarium, & sub certis regulis cantus inchoavit, seu super hunc inchoandi modum certas regulas dedit, & utiliter ipsa compilavit. Et quod de cætero propter Dei honorem & cleri imitationem ac populi devotionem unum canticum a clero diceretur seu decantaretur, quod quidem in libris ecclesiasticis introitus Missæ sic vocatur, & quod exinde Kyrie & Christe ad honorem sanctæ & individuæ Trinitatis dici & cantari deberent, & per totum annum nisi in certis diebus Alleluja in Missa & in horis canonicis diurnis & nocturnis decantari deberet.

Item quod iste beatus Gregorius statuit & ordinavit, quod post epistolam in Missa tertium canticum, quod Graduale vocatur, & post ipsius alleluja & post evangelium aliud canticum, quod Offertorium nuncupatur, & post orationem sacerdotum aliud canticum decantaretur seu diceretur.

Item quod ipse Gregorius Britannicos sacerdotes & Campaniæ misticos * tamen suis prædicationibus, inductionibus & exemplis a paganitate, vanitate & impietate saluberrime revocaverit, & postea hæresin apud Franciam regnantem, & Manichæorum apud ecclesiam, Arianorum apud Hispaniam una cum sequacibus ipsorum, suffragante Domino, a corpore sanctæ ecclesiæ penitus profligavit.

Item quod iste beatus Gregorius ad Dei honorem & ejus ecclesiæ decorem & pro salute omnium fidelium multa & infinita volumina expositionum evangeliorum & sermonum elegantissimorum atque eruditionum mortalium compilavit, in quibus quidem Sacramentorum mysteria aperiuntur, & amor vitæ æternæ atque morum præcepta sufficienter explicantur. Et in canone Missæ addidit verba quæ sequuntur, videlicet: Diesque nostros in tua pace disponas.

Item quod ipse Gregoris fuit tantæ sanctitatis & perfectionis, quod apud Romam in domo sua propria ad Dei honorem & ejus matris & beati Benedicti Abbatis gloriosi & Confessoris quoddam monasterium monachorum ordinis ejusdem solenniter ædificari fecit.

Item quod ipse Gregorius statuit & ordinavit in remissionem peccatorum totius humani generis, ut de cætero singulis diebus quadragesimæ fieri deberent stationes in urbe Romana, ut etiam pro devotione fidelium ibi celebrandæ, ne de cætero erroris antiqui semen pullularet, quæ quidem litaniæ seu processiones communiter ibi appellantur.

Item quod iste statuit & ordinavit, ut omnes imagines dæmonum, capita & membra ipsorum, quæ tam in urbe Romana quam extra inveniri possent, amputari & dilaniari penitus deberent, ut propter hoc exstirpata hæreticæ pravitatis radice, ecclesiasticæ veritatis palma plenius exaltaretur.

Item quod ipse B. Gregorius statuit & ordinavit

Digitized by Google

navit, ut de cætero ad honorem Dei & apostolorum Petri & Pauli, & propter cleri & populi devotionem supra corpora ipsorum apostolorum a Papa vel a Cardinalibus suis Missæ dici debeant atque celebrari.

Item quod ipse Gregorius propter quandam pestem seu infirmitatem inguinariam, quæ tunc in partibus Italiæ terribiliter regnabat, & homines subito interficiebat, statuit & ordinavit, quod tunc septiformis processio seu litania in urbe Romana per ordinem celebraretur, prout sequitur. Et primo Papa procedebat, & in secunda processione Abbates cum monachis suis, & in tertia Abbatissæ cum monialibus suis, & in quarta omnes infantes, in quinta omnes laici, sexta omnes viduæ, in septima & ultima omnes conjugati.

Item quod ipse Gregorius fuit tantæ humilitatis & gratiæ, ut in literis suis noluerit prænominari tanquam Papa vel Romanus Pontifex, sed - - ad instar & exemplum Jesu Christi solum Pontifex, & nihilominus servus servorum Dei in suis literis ad id voluit imponi, & inde omnes Romani Pontifices sui successores formam assumserunt, & ipsam formam usque ad præsentem diem observare ipsi consueverunt.

Item quod iste beatus Gregorius statuit & ordinavit, ut de cætero oratio Dominica, quæ incipit: Pater noster &c. alta voce de cætero dici debeat & decantari, cum antea submissa voce a Presbytero tantum diceretur sive legeretur, ut populus addiscere non deberet.

Item quod ipse Gregorius post multos labores cum summo honore totius cleri & gratia populi Altissimo reddidit & commendavit animam suam in tantum, quod non solum apud urbem Romanam, sed etiam per universum orbem sua merita & exempla sunt notorie divulgata, & a Christo Christo in suo palatio coram eo extiterunt scripta.

Item quod ipse postea apud Romanam urbem in ecclesia Sancti Petri apud sacrarium cum summa cleri & populi devotione fuit sepultus quarto Idus Martii, qui rexit ecclesiam Romanam tredecim annis, sex mensibus & decem diebus. Et tunc vacavit sedes apostolica quinque mensibus & sedecim diebus, Mauritio Imperatore tunc regnante.

SAMINIANVS I. Secundum unam chronicam, sed secundum aliam scribitur Fabianus natione Tuscus de civitate Blera, ex patre Bono fuit natus, & post beatum Gregorium Papam primum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum fuit Papa sexagesimus octavus, anno a nativitate Domini quingentesimo centesimo quinto, in alia dicitur de sexto.

Item quod ipse Sabinianus statuit & ordinavit, ut de cætero in omnibus ecclesiis cathedralibus & parochialibus horæ diei & noctis cum Symbolis vel campanis celebrentur, & clerus ad psallendum horas canonicas, & populus ad audiendum ipsas incitetur.

Item quod ipse Sabinianus pro liberalitate beati Gregorii, quam exercuerat quotidie, super hoc ipsum vilipendebat pro eo, quia ipse nimia liberalitate thesaurum ecclesiæ pauperibus egenis amore Dei dederat. Imo ipse Sabinianus ipsa occasione suas eleemosynas pauperibus & egenis subtrahebat, unde beatus Gregorius in visione sibi semel, secundo & tertio apparuit, & ipsum Sabinianum valde ipse increpavit, & quia ipse ab hujusmodi detractione & derisione emendare se nolebat, interim præfatus Gregorius iterum sibi apparuit & summe de prædictis præmissis increpavit, & nihilominus eum super caput ipse percussit, cujus dolore & corporis vexatione paulo post exspiravit, & in ecclesia sancti Petri urbis Romæ ipse sepultus fuit.

Item quod ipse Sabinianus rexit ecclesiam uno anno & quindecim mensibus & novem diebus secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de uno anno, quinque mensibus & novem diebus, & tunc vacavit sedes apostolica uno mense & viginti quinque diebus, Phoca Imperatore tunc regnante.

BONIFACIVS III. Natione Romanus, ex patre Johanne Cataaudioce fuit natus, & post dictum Sabinianum Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa sexagesimus nonus, anno a nativitate Domini quingentesimo centesimo sexto.

Item quod ipse Bonifacius statuit & ordinavit, ut de cætero omnes patinæ, quæ super altare ponuntur, pulchræ & mundæ existant propter Dei honorem & populi devotionem. Et post multos labores & tribulationes migravit ad Dominum, & apud urbem Romanam in ecclesia Sancti Petri fuit sepultus. Qui quidem rexit ecclesiam duobus annis & octo mensibus & viginti sex diebus, sed in quadam chronica dicitur de octo annis, quod tamen non videtur fore verum, Phoca Imperatore regnante.

BONIFACIVS IV. Natione Marsensis, de civitate Valeria, ex patre Johanne Medico fuit natus, & post dictum Bonifacium Papam tertium in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa septuagesimus, anno a nativitate Domini quingentesimo centesimo septimo.

Item quod iste Bonifacius obtinuit a Phoca Imperatore, ut ecclesia beati Petri apostoli urbis Romæ esset caput omnium ecclesiarum, quia Constantinopolitana ecclesia antea primam se omnium scribebat ecclesiarum. Et ulterius imperavit ab eodem Phoca Imperatore sibi dari quoddam templum, quod Romæ antea Pantheon vocabatur, in quo ibi esse ecclesiam Sanctæ Mariæ virginis & omnium sanctorum cum magno honore instituit atque ordinavit, & de cætero singulis annis prima die mensis Novembris magnam solennitatem ibidem omnium sanctorum perpetuo celebrari.

Item quod ipse Bonifacius post multos labores & tribulationes migravit ad Dominum, qui rexit

Digitized by Google

rexit ecclesiam sex annis & octo mensibus & duodecim diebus, & tunc vacavit sedes apostolica quinque mensibus, secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de septem mensibus & viginti quinque diebus, Phoca Imperatore tunc regnante.

DEUSDEDIT. Natione Romanus ex patre Stephano Subdiacono fuit natus, & post dictum Bonifacium Papam quartum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa septuagesimus primus, anno a nativitate Domini quingentesimo centesimo decimo tertio, secundum aliam chronicam legitur de sexto decimo.

Item quod ipse Deusdedit quendam leprosum vel lepra valde infectum quadam die invenisset, & ipsum ob Dei reverentiam & cleri & populi exemplum & doctrinam ipsum osculatus fuisset, statim gratia Dei interveniente a lepra ipse leprosus fuit mundatus. Qui quidem postea statuit & ordinavit, ut de cætero nulla mulier filium suum de sacro fonte levare præsumeret, cum antea communiter contrarium observabatur.

Item quod ipse Deusdedit post multos labores & afflictiones migravit ad Dominum, & apud urbem Romanam in ecclesia sancti Petri apostoli honorifice a clero & populo fuit sepultus. Qui rexit ecclesiam tribus annis & viginti diebus secundum unam chronicam, sed in alia dicitur de sex annis. Et tunc vacavit sedes apostolica uno mense & sedecim diebus, Heraclio Imperatore tunc regnante.

BONIFACIUS V. Natione Campanus, de civitate Neapoli, & ex patre Johanne fuit natus, & post dictum Deusdedit Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa septuagesimus secundus, anno a nativitate Domini sexcentesimo decimo secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de decimo nono.

Item quod iste Bonifacius statuit & ordinavit, ut de cætero fures ecclesiarum, qui sacrilegi sunt censendi, in omnibus ecclesiis diebus Dominicis & festivis excommunicarentur seu anathematizarentur. Et quod testamentum Principis vel secularis potestatis jussione factum de cætero valeret. Et quod nullus acolythus reliquias sanctorum de cætero levare præsumat de aliquo loco sine licentia ipsius vel proprii Diœcesani.

Item quod iste statuit & ordinavit & dedit certam & deputatam immunitatem seu libertatem omnibus ecclesiis propter Dei reverentiam & honorem, ut de cætero qui pro culpa sua ad aliquam confugerit, ibi tute recipiatur & defendatur. Et quod ab ipsa ecclesia violenter ne extrahatur, prout in decretis sanctorum Patrum continetur.

Item quod ipse Bonifacius post multos labores & sui corporis afflictiones migravit ad Christum, & apud urbem Romanam in ecclesia sancti Petri apostoli honorifice fuit sepultus. Qui quidem rexit ecclesiam quinque annis & tredecim diebus. Et tunc vacavit sedes apostolica sex mensibus & tredecim diebus, Heraclio Imperatore tunc regnante.

HONORIUS I. Natione Campanus, & ex patre Morcosi alias Petronio Consule fuit natus, & post dictum Bonifacium Papam quintum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petum apostolum fuit Papa septuagesimus tertius, anno a nativitate Domini sexcentesimo primo secundum unam chronicam, sed in quibusdam aliis dicitur de vicesimo quinto.

Item quod iste Honorius statuit & ordinavit, ut singulis septimanis in die sabbathi ad honorem Dei & beati Petri apostoli & aliorum sanctorum, qui ibi requiescunt, ad ecclesiam ipsius Petri beati apostoli litaniæ seu processiones solennes a clero & populo celebrari deberent. Et quod ipse clerum & populum suis prædicationibus & exemplis quotidie erudiebat seu informabat, ac de thesauro ecclesiæ egenis & Christi pauperibus etiam subveniebat, & multas ecclesias auro & argento tempore suo mirifice decoravit.

Item quod ipse Honorius ecclesiam beati Petri apostoli auro & argento & lapidibus pretiosis splendide & mirabiliter ornavit, & eam tabulis auratis pro toto miro modo cooperuit, & deinde ecclesiam beatæ Agnetis & sanctorum Pancratii & quatuor coronatorum mirifice ad ipsorum gloriam & honorem ædificari fecit.

Item quod ipse Honorius post multos labores & afflictiones migravit ad Dominum, & in urbe Romana apud ecclesiam beati Petri apostoli honorifice fuit sepultus. Qui quidem rexit ecclesiam duodecim annis & undecim mensibus & viginti diebus, alias viginti octo diebus. Et tunc vacavit sedes apostolica septem mensibus & decem & octo diebus, Heraclio Imperatore tunc regnante.

SEVERINUS. Natione Romanus, ex patre Abieno fuit natus, & post dictum Honorium Papam primum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum fuit Papa septuagesimus quartus, anno a nativitate Domini sexcentesimo tricesimo tertio, secundum unam chronicam, sed in quadam alia chronica dicitur de tricesimo octavo.

Item quod ipse Severinus extitit sanctus vir, benignus & amator & Dei & pauperum Christi summus, & nihilominus res ecclesiarum & possessiones ipsarum summe ampliavit & dilatavit. Qui quidem post multos labores & afflictiones migravit ad Dominum, & apud urbem Romanam in ecclesia sancti Petri apostoli a clero & populo honorifice fuit sepultus, & rexit ecclesiam duobus annis & quatuor mensibus & viginti tribus diebus, Heraclio Imperatore tunc regnante.

JOHANNES IV. Natione Dalmatiæ seu Dalmaticus, ex patre Venantio scholastico fuit natus, & post dictum Severinum primum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa septuagesimus quintus anno a nativitate Domini sexcente-

Digitized by Google

centesimo tricesimo sexto secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de quadragesimo primo.

Item quod ipse Johannes de thesauris ecclesiæ multa millia millium hominum per Istriam & Dalmatiam a captivitate & servitute paganorum redemit, & ad unitatem ecclesiæ eos reduxit. Et quod cum ingenio suo subtili & cautela maxima corpora sanctorum Anastasii & Vincentii martyrum & quam plurium aliorum sanctorum ex Dalmatia & Istria regionibus supra dictis produci atque deportari fecit, & exinde apud urbem Romanam juxta fontem Lateranensem in oratorio sancti Johannis evangelistæ cum summa devotione & honore, præsente cleri & populi multitudine copiosa solenniter hujusmodi sanctorum corpora recondi fecit atque sepeliri.

Item quod ipse Johannes post multos labores & afflictiones migravit ad Dominum, & apud urbem Romanam in ecclesia sancti Petri apostoli honorifice fuit sepultus. Qui rexit ecclesiam uno anno & octo mensibus, alias novem & decem & octo diebus. Et tunc vacavit sedes apostolica uno mense, tredecim diebus, Heraclio Imperatore tunc regnante.

THEODORUS I. Natione Græcus, & ex patre Theodoro episcopo, de civitate Jerusalem fuit natus, & post dictum Johannem Papam quartum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum fuit Papa septuagesimus sextus, anno a nativitate Domini sexcentesimo quadragesimo secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de quadragesimo secundo.

Item quod iste Theodorus statuit & ordinavit benedictionem cerei paschalis, & ipsius formam, quæ in omnibus ecclesiis Sabbatho sancto dicitur & celebratur. Et quendam librum pœnitentialem secundum instructionem fidelium episcoporum edidit & compilavit, & Paulum episcopum Constantinopolitanum tanquam verum hæreticum & hæreticorum fautorem deposuit canonice & damnavit.

Item quod ipse Theodorus post multos labores & afflictiones migravit ad Dominum, & apud urbem Romanam in ecclesia sancti Petri a clero & populo honorifice fuit sepultus. Qui quidem rexit ecclesiam sex annis, quinq; mensibus & octo diebus secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de uno anno & novem mensibus & decem & octo diebus, & tunc vacavit sedes apostolica uno mense & tredecim diebus, Heraclio Imperatore tunc regnante.

MARTINUS I. De civitate Tudertina, provinciæ Tusciæ fuit natus, & post dictum Theodorum Papam primum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa septuagesimus septimus, anno a nativitate Domini sexcentesimo quadragesimo nono secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de quadragesimo sexto.

Item quod cum quidam nobilis nomine Olympius a Constantino tunc Imperatore Constantinopolitano ad Italiam pro ipsa regenda fuisset missus, & ad instigationem Pauli hæretici & Patriarchæ Constantinopolitani ab ipso Imperatore mandatum habuisset, ut istum Martinum Papam occidere deberet, & hujusmodi mandatum Imperatoris ipse commode adimplere non posset, ideo ipse Olympius tractavit, ut inter Missarum solennia, dum idem Martinus Papa communionem sibi daret, quod quidam familiaris Olympii prædictum Papam interficere deberet, cumq; manum suam contra istum Papam cum gladio ipse familiaris elevasset, statim nutu divino ille cœcus fuit factus, & sic intentionem suam & promissionem suam adimplere nequivit.

Item quod iste Martinus postea apud urbem Romanam concilium celebravit, in quo quidem concilio centum & quinque episcopi interfuerunt, & tunc prædictum Paulum Patriarcham Constantinopolitanum falso nomine sic appellatum tanquam virum hæreticum & patrem hæreticorum ac ecclesiæ & ecclesiasticarum personarum persecutorem fideliter condemnavit cum suis sequacibus, & eum anathematizavit.

Item quod post modicum tempus ipse Martinus prædictum Paulum & sequaces suos viriliter persecutus est, & pro suscipienda fide catholica & ipsa exaltanda summe laboravit. Tunc de mandato dicti Constantini Imperatoris a quodam suo locum tenente dictus Martinus Papa fuit captus & ad prædictam civitatem Constantinopolitanam fuit productus, & tandem ab Imperatore pro Christi nomine in exilium fuit deportatus.

Item quod iste Martinus post multas tribulationes in dicto exilio migravit ad Dominum, cujus festum crastina die sancti Martini episcopi, scilicet pridie Idus Novembris in Dei ecclesia celebratur. Qui quidem rexit ecclesiam sex annis, & uno mense ac viginti sex diebus. Et tunc vacavit sedes apostolica viginti octo diebus, Constantino Imperatore tunc regnante.

EUGENIUS I. Natione Romanus de regione Aventina, a cunabulis clericus fuit, & ex patre Ruffiniano fuit natus, & post dictum Martinum Papam primum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa septuagesimus octavus, anno a nativitate Domini sexcentesimo quinquagesimo tertio secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de quinquagesimo sexto.

Item quod ipse Eugenius fuit vir summe benignus & ab omnibus valde amabilis & multum perfectus ac morum honestare præclarus, & refugium pauperum atque orphanorum & viduarum verus in omnibus patronus, & omni sanctitate & gratia repletus, ecclesiarum atque personarum ecclesiasticarum protector & defensor extitit summus.

Item quod ipse Eugenius post multos labores & tribulationes & sui corporis afflictiones migravit ad Dominum, & apud urbem Romanam in ecclesia sancti Petri apostoli a clero & populo ipse honorifice fuit sepultus. Qui quidem

Digitized by Google

rexit ecclesiam duobus annis, octo mensibus & viginti duobus diebus. Et tunc vacavit sedes apostolica uno mense & viginti octo diebus, Constantino Imperatore tunc regnante.

VITALIANUS. Natione Signensis, alias Scenensis de provincia Campaniæ & ex patre Anastasio fuit natus, & post dictum Eugenium Papam primum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa septuagesimus nonus, anno a nativitate Domini sexcentesimo quinqagesimo sexto secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de quinquagesimo octavo.

Item quod ipse Vitalianus composuit canticum Romanorum, & ipsum cum organo & melodia concordavit, & super his certas & claras regulas dedit & assignavit, & modum cantandi & discantandi & organizandi in ecclesiis ad honorem Dei & omnium civium supernorum ipse invenit atque ordinavit. Et sub isto tempore quidam de Britannia gratia divina a morte resurgens multa, quæ ipse vidit de locis pœnarum vel purgatorii ignis enarravit.

Item quod cum ipse secundum consvetudinem Romani Pontificis pro sua promotione denuncianda nuncios speciales apud civitatem Constantinopolitanam ad Imperatorem ipse misisset, ipsos cum gaudio & reverentia suscepisset, & eos pertractasset; postea idem Imperator omnia privilegia ab ipso & suis prædecessoribus ecclesiæ Romanæ concessa renovavit & approbavit. Quæ quidem privilegia sic denotata & approbata coram sacrosancto evangelio cum literis de auro conscripsit, & desuper lapidibus pretiosis miro modo tunc contexta per ipsos nuncios speciales apud urbem Romanam beato Petro apostolo transmisit & obtulit & præsentavit.

Item quod ipse Vitalianus post multos labores & sui corporis afflictiones migravit ad Christum, & in dicta ecclesia sancti Petri urbis Romæ a clero & populo ipse honorifice fuit sepultus. Qui quidem rexit ecclesiam quatuordecim annis & tredecim diebus & sex mensibus, & tunc vacavit sedes apostolica duobus mensibus & tredecim diebus, Constantino Imperatore tunc regnante.

ADEODATUS, Natione Romanus ex monacho, patre Joviniano fuit natus, & post dictum Vitalianum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa octuagesimus, anno a nativitate Domini septuagesimo sexto secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de septuagesimo secundo.

Item quod ipse Adeodatus fuit tantæ gratiæ & bonitatis, ut omnem hominem a minori ad majorem ad se venientem cum facie jucunda & urbanitate summa recipiebat, & postmodum ipsos gavisos & summe consolatos a se remittebat. Et quod majus monasterium civitatis - - ad reverentiam Dei & beati Martini episcopi & Confessoris privilegiavit & sub jure Romani Pontificis immediate constituit & submisit.

Item quod tempore hujus Adeodati Papæ gloriosissimi corpus sancti Benedicti Abbatis & Confessoris & omnium monachorum patris præcipui de monte Casino apud monasterium Floriacense, quod est Aureliacensis diœceseos, & etiam sanctæ scholasticæ Sororis ejus apud civitatem Cenomanensem cum magno gaudio & honore deportata fuerunt atque translata.

Item quod ipse Adeodatus post multos labores & sui corporis afflictiones migravit ad Dominum, & apud urbem Romanam in ecclesia sancti Petri apostoli honorifice fuit sepultus. Qui quidem rexit ecclesiam quatuor annis, duobus mensibus & una die secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de de quinque diebus. Et tunc vacavit sedes apostolica quatuor mensibus & quindecim diebus, Constantino Imperatore tunc regnante.

DONUS I. *deest in MSto.*

AGATHO Natione Siculus, post dictum Donum Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum fuit Papa octuagesimus secundus, anno a nativitate Domini septuagesimo octavo secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de septuagesimo nono.

Item quod ipse Agathon fuit vir perfectus, & Deo & omnibus gentibus amabilis & summe perfectus, & omni sanctitate repletus in tantum, quod una die inveniens quendam leprosum eum osculatus fuit, & statim a lepra gratia Dei suffragante extitit curatus atque mundatus. Qui quidem Agathon Theodorum Archi-Episcopum ecclesiæ Rhemensis, quæ diu ecclesiæ Romanæ ante rebellaverat, ad unitatem & obedientiam sedis apostolicæ reduxit.

Item ipse Agathon Papa post multos labores & sui corporis afflictiones migravit ad Dominum, & apud urbem Romanam in ecclesia sancti Petri apostoli a clero & populo extitit sepultus, qui rexit ecclesiam duobus annis, sex mensibus & tribus diebus. Et tunc vacavit sedes apostolica uno anno, septem mensibus & quindecim diebus secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de duobus annis, Constantino quarto Imperatore tunc regnante.

LEO II. Natione Tuscus & ex patre Paulo fuit natus, & post dictum Agathon Papam primum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa octuagesimus tertius, anno a nativitate Domini sexcentesimo octuagesimo secundo.

Item quod ipse Leo ante suam promotionem lingua Græca & Latina sufficienter erat eruditus, propterea sanctam sextam Synodum studiosissime de Græco transtulit in Latinum. Qui quidem postea statuit & ordinavit, ut de cætero defuncto Archi-Episcopo Ravennatensi, quod electus, qui pro tempore fuerit, sedi apostolicæ suam ecclesiam de cætero præsentare teneatur, propter rebellionem, quam, sicut antea quidam, Archi-Episcopus & ecclesia de Ravenna dictæ sedi apostolicæ facere ulterius non præsumerent.

Item quod ipse Leo post multos labores & sui corporis afflictiones ad Christum migravit, &

Digitized by Google

& apud urbem Romanam in ecclesia sancti Petri apostoli a clero & populo honorifice ipse fuit sepultus. Qui quidem rexit ecclesiam duobus annis & undecim diebus secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de decem & octo mensibus & decem septem diebus, Constantino Imperatore tunc regnante.

BENEDICTUS II. Natione Romanus & ex patre Johanne extitit natus, & post dictum Leonem Papam secundum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa octuagesimus quartus, anno a nativitate Domini sexcentesimo octuagesimo tertio secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de octuagesimo quarto. Item quod ipse Benedictus quamvis cum potentia Imperatoris Papa factus fuisset, tamen ipse meritis, doctrinis & exemplis suum nomen benedictum finaliter fuit persecutus in tantum, quod ipse tempore suo multa bona fecit & procuravit.

Item quod ipse Benedictus post multos labores & tribulationes ac sui corporis afflictiones ad Christum migravit, & apud urbem Romanam in ecclesia sancti Petri apostoli honorifice fuit sepultus VIII. Idus Martii. Qui quidem rexit ecclesiam decem mensibus & duodecim diebus. Et tunc vacavit sedes apostolica duobus mensibus & quindecim diebus, Constantino quarto Imperatore regnante.

JOHANNES V. Natione Syrus, de civitate Antiochia, & ex patre Cyriaco fuit natus, & post beatum Benedictum II. in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa octuagesimus quintus, anno a nativitate Domini sexcentesimo octuagesimo sexto, secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de octuagesimo septimo.

Item quod iste Johannes composuit quendam librum de pallii dignitate, & postea multos alios libros fecit & ordinavit atque composuit ad Dei honorem & ecclesiæ universalis decorem atque clericorum utilitatem & laicorum institutionem.

Item quod ipse Johannes post multos labores & sui corporis afflictiones migravit ad Dominum, & apud urbem Romanam a clero & populo ipse honorifice fuit sepultus. Qui quidem rexit ecclesiam uno anno & decem mensibus. Et tunc vacavit sedes apostolica duobus diebus, Constantino Imperatore quarto tunc regnante.

CONON. Zenon, alias scribitur Conon, natione Romanus, ex regione Cœlii montis & ex patre Benedicto fuit natus, & post dictum Johannem Papam quintum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa octuagesimus sextus, anno a nativitate Domini sexcentesimo septuagesimo sexto secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de octuagesimo septimo.

Item quod ipse Conon fuit vir perfectus a Deo, & in omnibus amabilis, vitæ perfectæ & laudabilis conversationis, orphanorum magnus protector, & viduarum magnus defensator, & eleemosynarum pauperum largus & magnus fuit administrator & defensator omnium.

Item quod ipse Conon post multos labores & sui corporis afflictiones ad Dominum migravit, & apud urbem Romanam in ecclesia sancti Petri apostoli a clero & populo honorifice fuit sepultus XI. Kalend. Octobris.

Item quod ipse Conon Papa rexit ecclesiam undecim mensibus & novem diebus, secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de uno anno & undecim mensibus. Et tunc vacavit sedes apostolica uno mense, & decem & octo diebus, Constantino Imperatore tunc regnante.

SERGIUS I. Natione Syrius, de regione Antiochia & ex patre Tiberio fuit natus, & post dictum Cononem Papam primum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa octuagesimus septimus, anno a nativitate Domini sexcentesimo octuagesimo octavo secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de octuagesimo nono.

Item quod iste Sergius statuit & ordinavit, ut post orationem Dominicam agnus Dei tribus vicibus ad honorem sanctæ Trinitatis a clero diceretur & decantaretur in Missa ante corporis Christi sumtionem seu fractionem.

Item quod iste Sergius ex divina revelatione in sacrario sancti Petri apostoli apud urbem Romanam in loco quodam obscurissimo invenit quandam capsam argenteam cum quodam sigillo valde corroboratam, in quo erat quædam crux auro & argento cum lapidibus pretiosis summe exornata, & in hujusmodi cruce, quædam particula lapidis seu petra venerabilis sanctæ crucis, in qua Dei filius fuerat crucifixus, erat collocata: quam quidem crucem postea cum magno gaudio & honore & summa processione, præsente multitudine fidelium copiosa, ipse ad ecclesiam deportavit: quæ quidem in diebus festivis sanctæ crucis singulis annis a Christi fidelibus cum summa devotione veneratur atque decoratur.

Item cum esset magna affectio Romanorum Pontificum & etiam cleri & populi, ut corpus beati Leonis Papæ primi, qui propter merita sua sanctus esset, inveniri non poterat, tandem ex revelatione divina corpus ipsius gloriosi Leonis Papæ ab ipso fuit inventum, & deinde cum magna devotione in ecclesia fuit translatum.

Item quod ipse Sergius post multos labores & sui corporis afflictiones ad Dominum migravit, & apud urbem Romanam in ecclesia sancti Petri apostoli sexto Idus Septembris extitit sepultus. Qui quidem rexit ecclesiam tredecim annis, octo mensibus, & viginti tribus diebus secundum unam chronicam, sed in alia dicitur de novem annis & octo mensibus & viginti tribus diebus, Justiniano Imperatore tunc regnante.

LEO III. Natione Romanus, ex patre Nicolao Diacono fuit natus, & post dictum Sergium Papam primum in Romanum Pontificem fuit

Digitized by Google

fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa octuagesimus octavus anno a nativitate Domini sexcentesimo nonagesimo octavo.

Item quod ipse Leo Papa per - - - urbis Romæ fuerat factus, ideo plures chronicarum autores in suis libris ipsum verum Papam scribere noluerunt, unde apud Romanos & in decretis sanctorum Patrum sequens Leo Papa tertius ipse non denominatur nec intitulatur.

Item quod ipse Leo rexit ecclesiam duobus annis & undecim mensibus, alias novem dicitur in quadam alia chronica, Leone Imperatore tunc regnante, secundum Bedam, Prosperum, Sigebertum monachum monasterii Gemblacensis, qui omnes prædictas chronicas computando a beato Hieronymo Presbytero usque hic compilaverunt.

JOHANNES VI. Natione Græcus, ex patre - - post dictum Leonem tertium in Romanum Pontificem fuit assumtus & post beatum Petrum apostolum extitit Papa nonagesimus, anno a nativitate Domini septuagesimo sexto.

Item quod ipse Johannes post multas tribulationes & persecutiones pro Christi fide martyrio fuit interfectus, & in sua gloria extitit coronatus, & apud urbem Romanam in ecclesia Sancti Sebastiani ad Catacumbas a clero & populo honorifice extitit sepultus.

Item quod ipse Johannes rexit ecclesiam tribus annis, duobus mensibus & viginti quatuor diebus secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de viginti tribus. Et tunc vacavit sedes apostolica uno mense & viginti diebus, Tiberio tertio Imperatore tunc regnante.

JOHANNES VII.

Natione Romanus secundum chronicam, sed secundum aliam dicitur Græcus ex patre Gregorio, & aliter, Platano, & post dictum Papam Johannem Sextum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa nonagesimus primus, anno a nativitate Domini septuagesimo quarto.

Item quod iste Johannes fuit in ecclesia magnus clericus, & in eloquentia valde facundus, & fecit oratorium sanctæ Dei genitricis Mariæ in ecclesia Sancti Petri apostoli - - - - depingi fecit, & deinde post multos labores & sui corporis afflictiones ad Christum migravit, & apud urbem Romanam in ecclesia Sancti Petri apostoli & in oratorio suo quod fieri fecerat & depingi a clero & populo ipse honorifice fuit sepultus.

Item quod ipse rexit ecclesiam duobus annis & septem diebus secundum unam chronicam, & secundum aliam dicitur de decem & septem diebus, & tunc vacavit sedes apostolica tribus mensibus, & secundum aliam dicitur de quatuor, & in quadam alia legitur de novem mensibus, Tiberio III. Imperatore tunc regnante.

SISINIVS.

Natione Romanus ex patre Trasimundo vel Tresmido secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur natione Syrus, & ex patre Johanne fuit natus, & post dictum Johannem Papam septimum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa nonagesimus secundus, anno a nativitate Domini septingentesimo septimo.

Item quod iste Sisinius post multos labores & tribulationes ac sui corporis afflictiones, quia tempore ipsius fuit magnum schisma in ecclesia Dei, & quia podagrico seu chiragroso humore continue vexabatur, ideo morte repentina vitam suam finivit.

Item quod ipse rexit ecclesiam viginti diebus, & apud Romanam ecclesiam in ecclesia Sancti Petri apostoli a clero & populo honorifice fuit sepultus. Et tunc vacavit sedes apostolica sex mensibus secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de duobus mensibus Justiniano Imperatore tunc regnante.

CONSTANTINVS I.

Natione Syrus, & ex patre Johanne fuit natus, & post dictum Sisinium in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa nonagesimus tertius, anno a nativitate Domini septingentesimo octavo secundum unam chronicam, secundum aliam dicitur de nono.

Item quod ipse Constantinus post suam promotionem a Justiniano Imperatore multipliciter fuit rogatus & invitatus, ut apud Constantinopolin ipse venire deberet, qui cum ipse Constantinus ibi fuisset ab ipso Justiniano Imperatore una cum populo suo cum summo gaudio & honore fuit receptus, deinde in sequenti die Dominica Sanctæ Sophiæ Missam solennem ab ipso Constantino celebrari fecit, & tunc cum summa humilitate & devotione eucharistiam de manibus suis ipse recepit, & postea omnia privilegia eccclesiæ Romanæ per ipsum & suos prædecessores sibi concessa iste Imperator renovavit, ratificavit & confirmavit.

Item quod cum quidam nomine Philippus, qui alias Bardanus nominabatur, prædictum Justinianum Imperatorem proditionaliter interfecisset & imperium usurpasset, & consequens ecclesiam Dei & Christi fideles tanquam verus & summus hæreticus persecutus fuisset, & omnes picturas & imagines ejus matris & sanctorum, qui erant in ecclesiis urbis Constantinopolitanæ deleri ex toto & removeri fecisset, ideo ipse Constantinus Papa ipsum Philippum tanquam verum hæreticum sententialiter condemnavit & eum anathematizavit, & deinde divino judicio ab Anastasio Imperatore secundo iste Philippus fuit captus, & oculis suis & imperio extitit privatus.

Item quod iste Constantinus Papa omnia gesta, quæ in sex Synodis a sanctis Patribus fuerunt facta, apud urbem Romanam in porticu Sancti

Digitized by Google

Sancti Petri vivifice per ordinem depingi fecit.

Item quod ipse Constantinus post multos labores & sui corporis afflictiones migravit ad Dominum, & apud urbem Romanam in Vaticano in ecclesia Sancti Petri apostoli sexto Idus Januarii a clero & populo honorifice ipse fuit sepultus, qui quidem rexit ecclesiam septem annis, quinque diebus, & tunc vacavit sedes apostolica quadraginta diebus, Justiniano Imperatore tunc regnante.

GREGORIUS II.

Natione Syrus & ex patre Johanne secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur natione Romanus, ex patre Marcello, & post dictum Constantinum Papam primum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa nonagesimus quartus, anno a nativitate Domini septingentesimo sexto decimo.

Item quod ipse Gregorius quendam Bonifacium nomine de Britannia a se venientem in episcopum consecravit, & postea ipsum tanquam catholicum pro prædicando verbo Dei in Germaniam sive Teutoniam transmisit, & tanquam gratia divina suffragante, gentes illius patriæ ad fidem catholicam convertit, & ibi postea Archiepiscopus Moguntinus factus.

Item quod cum Leo Imperator imaginem Christi & beatæ virginis Mariæ & aliorum sanctorum, quas ipse in civitate Constantinopolitana invenire potuit, igne cremari jussisset, & ob hoc monitus se emendare noluisset, ideo ipse Gregorius tanquam verum hæreticum sententialiter condemnavit & ipsum anathematizavit.

Item quod ipse Gregorius ecclesiis, monasteriis & clero dedit & divisit omnia bona sua, & postea ipse devote ad Christum migravit, & apud urbem Romanam in ecclesia Sancti Petri apostoli a clero & populo tertio Idus Februarii extitit ipse sepultus. Qui quidem rexit ecclesiam sedecim annis, octo mensibus, alias decem & septem, & viginti, alias viginti duobus diebus. Et tunc vacavit sedes apostolica triginta duobus diebus, Anastasio Imperatore tunc regnante.

GREGORIUS III.

Natione Romanus, ex patre Marcello fuit natus, & post dictum Gregorium Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa nonagesimus quintus, anno a nativitate Domini septingentesimo tricesimo primo.

Item quod Gregorius ordinavit & edidit in secreta, seu canone Missæ: Quorum hodie solemnitas in conspectu majestatis tuæ celebratur, Dominus Deus noster, in toto orbe terrarum. Idem postea apud urbem Romanam magnum concilium celebravit, in quo quidem concilio mille episcopi interfuerunt, & ibi Leonem tunc Imperatorem hæreticum sententialiter condemnavit & eum anathematizavit, & Italiam & Hispaniam, in quibus dictus Leo dominabatur, a sua ditione absolvit & removeri fecit, & nihilominus venerationem & reverentiam sanctarum imaginum Dei & ejus matris ac sanctorum ipse de cætero decrevit, quas tamen dictus Leo in ecclesiis civitatis Constantinopolitanæ deleri & destrui fecerat antea.

Item cum Romana civitas a Liuthbrando Rege Longobardorum obsessa fuisset, ideo ipse Gregorius misit ad Carolum Martelli, patrem Pipini Regis Franciæ, claves confessionis Sancti Petri, ut Romanam ecclesiam a Longobardis ipse liberare deberet, qui cum idem Carolus hoc audivisset, statim convocato & congregato suo exercitu, ad urbem Romanam perrexit, & ab ipsa obsidione cum triumpho & honore eam liberavit.

Item quod ipse Gregorius post multos labores & sui corporis afflictiones migravit ad Dominum, & apud urbem Romanam in Vaticano in ecclesia Sancti Petri apostoli a clero & populo ipse honorifice fuit sepultus quinto Kalendarum Decembris. Qui quidem rexit ecclesiam decem annis, octo mensibus & viginti diebus, alias viginti quatuor diebus. Et tunc vacavit sedes apostolica octo diebus, Leone Imperatore tunc regnante.

ZACHARIAS.

Natione Græcus ex patre Pollychronio fuit natus, & post dictum Gregorium Papam tertium in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa nonagesimus sextus, anno a nativitate Domini septingentesimo quadragesimo secundo secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de quadragesimo tertio.

Item quod ipse Zacharias ante suam promotionem tam Græcæ quam Latinæ linguæ ipse valde fuit peritus, & omni virtute perornatus in tantum, quod libros dialogorum beati Gregorii Papæ de Latino transtulit in Græcum, & pacem atque concordiam cum Longobardis ipse fecit, & tunc tempore suo Ægidius de Græcia in Provinciam venit.

Item quod cum tempore suo scilicet ipsius Gregorii Papæ Childericus Rex Francorum regnaret, & pro regimine sui regni valde inutilis esset, ideo quidam Pipinus nomine, Princeps Francorum, qui totum regnum Franciæ tunc gubernabat, & Major Domus regiæ dicebatur, misit Legatos solennes ad ipsum Zachariam Papam de concilio & consensu Gallicorum consulens, quod potius Rex esset aut dici deberet an ille, qui magnos pro regno Franciæ sustinet labores, an ille, qui otio erat deditus, & solo nomine regio erat contentus. Qui quidem Zacharias sibi remandavit & rescripsit, illum revera appellari Regem & debere esse, qui utilius regni gubernacula & rempublicam perageret & exerceret, cumque hujusmodi responsionem iste Pipinus & Gallici habuissent & audissent, statim dictum Childericum Regem Franciæ

Digitized by Google

Franciæ in quodam castro incluserunt, & dictum Pipinum sibi in Regem constituerunt, quem Bonifacius Moguntinus Archiepiscopus de mandato ipsius Zachariæ apud civitatem Svessionensem dictum Pipinum in Regem inunxit, qui tanquam Rex Franciæ decem & octo annis regnavit, & exinde omnes Majores Domus Franciæ principari inceperunt super Francorum regno, & sic propter istum Childericum hic defecit progenies Clodovæi, qui fuit primus Rex Franciæ Christianus, dicto Pipino sic succedente.

Item quod iste Zacharias post multos labores & afflictiones migravit ad Dominum, & apud urbem Romanam in ecclesia Sancti Petri apostoli a clero & populo honorifice fuit sepultus. Qui quidem rexit ecclesiam decem annis, tribus mensibus & quindecim diebus. Et tunc vacavit sedes apostolica duodecim vel tredecim diebus, Constantino Imperatore tunc regnante.

STEPHANUS II.

Natione Romanus ex patre Constantino fuit natus, & post dictum Zachariam Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum Apostolum extitit Papa nonagesimus septimus, anno a nativitate Domini septingesimo secundo.

Item quod cum Aistulphus Longobardorum Rex tempore ipsius Stephani Papæ valde opprimeret urbem & populum Romanum pro eo, quia ab uno cujuslibet capite certum tributum sibi fieri & dari exigebat, ideo ipse Stephanus Papa adjutorium contra dictum Aistulphum latronem a Pipino Rege Francorum sibi fieri postulavit. Cum ipse Pipinus hoc audivisset, eidem Stephano Papæ affectuose supplicavit, ut in Franciam veniret, qui quidem postea in Franciam venit, cui venienti Pipinus cum magna militia occurrit, & ipse statim de suo equo descendit ad terram, & postea per spatium trium milliariorum vice & modo stratoris cum magna humilitate & devotione extitit in terra prostratus, & postea una cum conjuge & prole sua cum magno gaudio & honore ad suum palatium eum deduxit & inunxit, & ipsum Karolum magnum & Karoli filii sui hæreditatem successionis benedixit, & omnes alienigenas ab ejus invasione anathematizavit.

Item quod ipse Stephanus ultimo anno sui Pontificatus Romanum imperium ipse transtulit a Græcis in Germanos, in personam magnifici Karoli, Regis Franciæ, de qua translatione tangit decretalis de electione, c. venerabilem, & ibi etiam per Doctores de hoc plane notatur.

Item quod iste Stephanus post multas tribulationes & persecutiones migravit ad Dominum, & apud urbem Romanam in ecclesia Sancti Petri apostoli a clero & populo honorifice quinto Kalendarum Martii extitit sepultus. Qui quidem rexit ecclesiam quinque annis & viginti octo diebus. Et tunc vacavit sedes apostolica uno mense & quinque diebus, Constantino quarto Imperatore tunc regnante.

PAULUS I.

Natione Romanus & ex patre Constantino fuit natus, qui fuit frater Germanus præfati Stephani Papæ secundi, & post ipsum Stephanum Papam secundum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa nonagesimus octavus, anno a nativitate Domini septingentesimo quinquagesimo septimo secundum unam chronicam, sed secundum aliam chronicam dicitur de sexagesimo.

Item quod iste Paulus fuit vir mitissimus & misericors atque pius in tantum, quod nulli malum pro malo reddebat, & devoto cum - - - - familiaribus suis cellas infirmorum, pauperum & incarceratorum visitabat, circuibat, & ipsis necessaria ministrabat, & orphanis & pupillis opem ferebat, & alia quam plurima bona ipse fecit. Qui quidem statuit & ordinavit, ut de cætero omnia divina officia in quadragesima ante horam sextam celebrari deberent, quod antea non erat consuetum.

Item quod ipse Paulus post multos labores & sui corporis afflictiones migravit ad Dominum, & apud urbem Romanam in ecclesia Sancti Petri apostoli a clero & populo cum magno gaudio & honore extitit sepultus. Qui quidem rexit ecclesiam decem annis & uno mense secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de uno anno tantum, Constantino quarto Imperatore tunc regnante.

CONSTANTINUS II.

Natione Romanus, & post dictum Paulum sedem apostolicam tyrannice occupavit, & post beatum Petrum apostolum de facto extitit Papa nonagesimus nonus, anno a nativitate septingentesimo septuagesimo septimo, alias octavo, veruntamen in multis libris inter alios Romanos Pontifices non ponitur, quia ipse non fuit bonus Papa.

Item quod iste Constantinus antea erat laicus, sed statim ad sacerdotium se fecit ordinari, ut dictum Papatum obtinere posset, in tantum, quod ipse promotus postea contumaci ambitione & malitia ipsum obtinuit, favente sibi una parte cleri & populi Romani; sed contra istum Constantinum ab alia parte cleri & populi alter electus fuit, qui quidem Stephanus nomine in Papam eligitur, propter quæ fuit magnum schisma in ecclesia Dei, & ipse tamen Constantinus a clero & populo finaliter ab ecclesia fuit dejectus, & suis oculis propriis & ex toto ab eis extitit privatus, & post Stephanus, qui sequitur, in Romanum Pontificem canonice fuit electus; verum tamen iste Constantinus rexit ecclesiam de facto uno anno & uno mense, Constantino quinto Imperatore tunc regnante.

STEPHANUS III.

Natione Siculus & ex patre Olivo post dictum

ctum Constantinum ab ecclesia dejectum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus, anno a nativitate Domini septingentesimo sexagesimo octavo secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de sexagesimo nono.

Item quod iste Stephanus pro Christi fide longo tempore a Constantino Imperatore extitit captus & inclusus in tantum, quod propter multas persecutiones & tribulationes migravit ad Dominum, & apud urbem Romanam in Vaticano in ecclesia Sancti Petri Apostoli a clero & populo honorifice fuit sepultus.

Item quod ipse rexit ecclesiam tribus annis, quinque mensibus & viginti octo diebus secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de quatuor annis, quinque mensibus & viginti octo diebus. Et tunc vacavit sedes apostolica octo diebus, Constantino quinto Imperatore tunc regnante.

ADRIANUS I.

Natione Romanus & ex patre Theodoro, de regione via lata fuit natus, & post dictum Stephanum III. in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum Apostolum extitit Papa centesimus primus, anno a nativitate Domini septingentesimo sexagesimo primo secundum unam chronicam sed secundum aliam dicitur secundo, & in alia de tertio.

Item quod iste Adrianus multa bona fecit, nam ipse Sanctum Anastasium apud aquam Sardiam ab incendio liberavit, & turres ac muros, qui ceciderunt, apud Romam & usque ad fundamentum fuerunt destructi, renovavit, & portas majores æreas ecclesiæ beati Petri & inter ipsas ob reverentiam ipsius poni fecit, & postea apud Romanam urbem ipse synodum celebravit, & tam infra urbem Romanam quam etiam extra multas ecclesias destructas restauravit, & reparari fecit, & quod hymnus angelicus: Gloria in excelsis Deo omni die festivo decantari deberet.

Item quod ipse Adrianus instituit & ædificari fecit unum monasterium in honorem Sancti Stephani apud urbem Romanam juxta ecclesiam Sancti Petri in congregationem seu conventum monachorum statuit & ordinavit. Qui quidem monachi cum aliis, qui erant in tribus monasteriis juxta ecclesiam prædictam beati Petri olim per beatum Gregorium instituti, in ecclesia beati Petri laudes & cantus Sedulii personare deberent.

Item quod iste Adrianus cum auxilio Karoli magni tunc Imperatoris & Regis Franciæ omnes civitates, castra, villas & alia bona ad patrimonium beati Petri apostoli pertinentia, quæ Desiderius Rex Longobardorum sibi abstulerat & ipsi occupaverant, recuperavit & ad statum pristinum omnia perduxit.

Item quod iste Adrianus post multas persecutiones & tribulationes ad Dominum migravit, & apud urbem Romanam in ecclesia Sancti Petri a clero & populo honorifice extitit sepultus. Qui quidem rexit ecclesiam viginti tribus annis, decem mensibus, viginti octo diebus, Constantino quinto Imperatore tunc regnante.

LEO IV.

Natione Romanus & ex patre Arnulpho fuit natus, & post Adrianum Papam primum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus secundus, anno a nativitate Domini septingentesimo octuagesimo sexto secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de nonagesimo sexto, & in alia dicitur de octavo.

Item quod iste Leo Papa fuit summe reverendus, & post suam promotionem statim claves confessionis Sancti Petri Apostoli cum vexillo urbis Romæ magno Regi Franciæ transmisit, & postea ipse fecit fieri porticum Sancti Petri, qui adhuc dicitur civitas Leoniana, & ipsam muro circumcinxit propter concussum & invasionem inimicorum.

Item quod ipse statuit & ordinavit litanias seu processiones in urbe Romana fieri per modum, qui sequitur, & primo videlicet quod secunda feria summus Pontifex cum omni clero & populo ab ecclesia Dei semper genitricis Mariæ, quæ ad præsepe Domini vocatur, cum hymnis & canticis usque ad ecclesiam sancti Salvatoris, quæ appellatur Constantiniana, pergere debeat. Et postea tertia die feria fiant hujusmodi processiones seu litaniæ de ecclesia sanctæ Sabinæ ad ecclesiam B. Pauli Apostoli, & postmodum feria quarta fieri debeat modo, quo supra, de ecclesia, quæ vocatur Jerusalem ad ecclesiam sancti Laurentii, quæ extra muros vocatur.

Item quod, cum Leo Papa in diebus Marci evangelistæ litanias seu processiones, quas ipse constituerat, solenniter celebraret, quidam Romani maligno spiritu imbuti, qui quidem clandestine stabant bene armati cum suis complicibus eum ceperunt & oculos suos & linguam sibi eruerunt & amputaverunt; sed postea Deus omnipotens visum & linguam miraculose sibi restituit, prout ipse hujusmodi membra sua sana prius consueverat habere.

Item quod ipse beatus Leo post multos labores & corporis sui afflictiones ad Christum migravit, & apud urbem Romanam in ecclesia Sancti Petri a clero & populo honorifice fuit sepultus. Qui quidem rexit ecclesiam viginti annis, quinque mensibus & sex diebus. Et tunc vacavit sedes apostolica tribus diebus, Constantino quinto Imperatore tunc regnante.

STEPHANUS IV.

Natione Romanus & ex patre Julio fuit natus, & post dictum Leonem tertium in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum Apostolum extitit Papa centesimus tertius

tertius, anno a nativitate Domini octingentesimo sexto decimo secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de decimo septimo.

Item quod ipse Stephanus post suam promotionem pro visitando ecclesias & personas ecclesiasticas venit in Franciam, & deinde cum visitasset Ludovicum Regem Franciæ tunc Imperatorem electum, a quo quidem cum summo honore fuerat receptus & dictum Ludovicum coronasset Imperatorem, & multos captivos in partibus illis redemisset, & ad partes proprias remisisset, ipse Stephanus Papa apud urbem Romanam rediit.

Item quod ipse Stephanus post multos labores & sui corporis afflictiones ad Dominum, & a clero & populo honorifice extitit sepultus apud urbem Romanam in ecclesia sancti Petri apostoli. Qui quidem rexit ecclesiam septem mensibus secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de uno anno, & tunc vacavit sedes apostolica sedecim annis, alias dicitur de viginti octo annis, Ludovico primo Imperatore tunc regnante.

PASCHALIS I.

Natione Romanus & ex patre Maximo natus, & post dictum Stephanum Papam quartum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus quartus, anno a nativitate Domini octingentesimo decimo sexto.

Item quod ipse Paschalis ex revelatione divina in cœmeterio Praxedis corpora beatæ Cæciliæ virginis & Valeriani sponsi sui & etiam Tiburtii & Maximini, Urbani Papæ primi invenit & ipse omnia manibus propriis cum magna reverentia recollegit, & postea apud urbem Romanam in ecclesia sancti Petri, sanctæ Cæciliæ cum magna solennitate & honore prædicta omnia corpora recondidit & collocavit.

Item quod iste Paschalis ante ingressum ad corpus sancti Petri urbis Romæ circa ostium æreum altare construxit in quodam altari corporis S. Sixti Papæ primi cum magna reverentia & honore recondidit & collocavit, & postea ecclesiam sanctæ Praxedis ipse reparavit, & ibi monasterium monachorum Græcorum instituit & ordinavit, & infinita Sanctorum corpora, quæ in pluribus cæmeteriis recolligi fecerat, ibi cum summa solennitate ipse etiam recondidit atque collocavit, & deinde in urbe Romana Lotharium filium Ludovici Imperatoris filium in Regem Romanorum ipse elegit & inunxit & Imperatorem eum coronavit, adhuc Ludovico Imperatore patre suo tunc vivente.

Item quod iste Paschalis post multos labores & sui corporis afflictiones ad Dominum migravit, & apud urbem Romanam a clero & populo honorifice in ecclesia sancti Petri apostoli extitit sepultus. Qui quidem rexit ecclesiam septem annis & septendecim diebus. Et tunc vacavit sedes apostolica octodecim diebus, dicto Ludovico Imperatore tunc regnante.

EVGENIVS II.

Natione Romanus & ex patre Boemundo fuit natus, & post dictum Paschalem Papam primum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus quintus, anno a nativitate Domini octingentesimo vigesimo tertio secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de vicesimo quarto.

Item quod iste Eugenius Papa per aliquos de populo Romano violenter fuit captus, & postea per ipsos oculis suis extitit orbatus, & tandem ab eis pro Christi fide fuit interfectus, & ab ipso in sua gloria feliciter extitit coronatus, & in Vaticano apud urbem Romanam honorifice in ecclesia sancti Petri extitit sepultus.

Item quod iste Eugenius Papa rexit ecclesiam tribus annis & duobus mensibus secundum unam chronicam; sed secundum aliam dicitur de quatuor annis, septem mensibus & viginti octo diebus, Ludovico Imperatore tunc regnante.

VALENTINVS I.

Natione Romanus post Papam Eugenium II. in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus sextus, anno a nativitate Domini octingentesimo vicesimo septimo.

Item quod iste Valentinus post multos labores & sui corporis afflictiones ad Dominum migravit. Qui quidem rexit ecclesiam quadraginta diebus, & tunc vacavit sedes apostolica tribus diebus, Ludovico Imperatore tunc regnante.

GREGORIVS IV.

Natione Romanus & ex patre Johanne fuit natus, & post dictum Valentinum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum fuit Papa centesimus septimus, anno a nativitate Domini octingentesimo vicesimo septimo secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de vicesimo octavo.

Item quod ipse Gregorius ecclesiam sancti Martini de montibus urbis Romæ a vertice usque ad fundamenta ipsius destrui fecit, & postea in honore ipsius beati Martini pulchram & magnam ecclesiam cum mirificis lapidibus ædificari fecit, & postea multis eam jocalibus & donis perornavit, dictam tamen ecclesiam solenniter ipse consecravit.

Item quod cum tempore ipsius Gregorii festum omnium sanctorum in Kalendis Novembris, quod instituerat Bonifacius Papa, & ipsum in urbe Romana celebrari, extra ipsam urbem non colebatur neque celebrabatur, ideo ipse Gregorius cum consilio omnium episcoporum in Gallia & Germania, & ad requisitionem Ludovici tunc Imperatoris statuit & ordinavit, ut hujusmodi civitas ubique terrarum de cætero a clero & populo celebrari deberet.

Item quod cum tempore ipsius Gregorii in odium ejus & destructionem ecclesiæ Romanæ quidam Romani maligno Spiritui imbuti nuncios

cios cum literis specialibus ad Soldanum Babyloniæ Regem paganum destinassent, ut ipse apud urbem Romanam cum suo exercitu venire non tardaret, & quod ipsi parati erant cum honore ipsum recipere & tanquam verum Dominum specialiter pertractare, deinde dictam urbem cum tota Italia sibi tradere & assignare pacifice & quiete ipsi promittebant. Et ideo dictus Soldanus, hoc audito, ipse misit statim ad eos infinitam gentem paganorum, ut per portam Centumcellensem in Italiam irruerent, & ipsi tanquam locustæ totam patriam occupaverunt, & postea ipsi civitatem Romanam hostiliter & violenter ceperunt, & ecclesiam sancti Petri apostoli & omnes alias ecclesias urbis Romæ omnibus ornamentis & jocalibus suis spoliaverunt, & in ipsis ecclesiis stabula equorum suorum fecerunt, & deinde totam Tusciam eodem modo occupaverunt, sed finaliter ob ipsius Gregorii requisitionem quidam nomine Guido Capitaneus & Marchio Longobardorum cum magna multitudine Gallorum contra dictos paganos venerunt & taliter, quod pro Christi nomine se habuerunt, cum magna & inenarrabili sanguinis Christianorum effusione prædicta, Saracenorum multitudo fuit crudeliter destructa, & a terra citra mare alia pars usque ad mare, Dei gratia suffragante, ab ipsis Christianis fuit persecuta & penitus effugata in tantum, quod ipsi postea apud Italiam redire non curaverunt.

Item quod ipse Gregorius ob reverentiam sanctorum martyrum, quorum corpora in diversis cæmeteriis in urbe Romana & extra tempore persecutionis crudelium Imperatorum acquiescebant, ipse persequi fecit, & inter alia corpora sancti Sebastiani Gorgonii & Tiburtii adinvenit, & in ecclesia sancti Petri apostoli apud urbem Romanam cum summa solennitate & devotione ipse propriis manibus recondidit, & ibi cum multis donis & jocalibus atque ornamentis ipse summe decoravit & collegit.

Item quod ipse Gregorius post multos labores & corporis tormenta ad Dominum in pace migravit, & deinde a clero & populo in ecclesia sancti Petri apostoli apud urbem Romanam honorifice fuit sepultus. Qui quidem rexit ecclesiam sedecim annis, prædicto Ludovico primo Imperatore tunc regnante.

SERGIUS II.

Natione Romanus & ex patre Sergio fuit natus, & post dictum Gregorium Papam quartum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum fuit Papa centesimus octavus, anno a nativitate Domini octingentesimo quadragesimo tertio secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de quadragesimo.

Item quod iste Sergius os porci ante vocabatur, sed tempore suæ promotionis aliud nomen, videlicet Sergius impositum fuit, quare postea omnes Romani Pontifices in suis promotionibus aliud nomen mutuare consveverunt, prout communiter in principio librorum Decretalium notare consveverunt.

Item quod ipse Sergius post multos labores & sui corporis afflictiones ad Dominum migravit. Qui quidem rexit ecclesiam tribus annis, duobus mensibus & quindecim diebus. Et tunc sedes apostolica vacavit quindecim diebus secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur, quod statim, mortuo ipso Sergio, postquam ipse ecclesiasticæ sepulturæ traditus fuisset, Leo quartus, qui sequitur in Romanum Pontificem fuit assumtus, Lothario Imperatore tunc regnante.

LEO IV.

Sed secundum numerum dici debet quintus, tamen ex certa causa, ut dictum supra, quartus in chronicis Romanorum Pontificum designatur. Qui quidem fuit natione Romanus, & post dictum Sergium Papam secundum fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus nonus, anno a nativitate Domini octingentesimo quinquagesimo septimo.

Item quod ipse Leo Papa tempore suæ - - - propter studium literarum in monasterio sancti Martini confessoris, quod est Romæ juxta ecclesiam sancti Petri apostoli monachus positus atque traditus fuit. In quo quidem monasterio non solum scientia, sed etiam in morum conversatione & vitæ perfectus, ut verus monachus valde.

Item quod cum tempore ipsius Leonis multitudo paganorum in partibus Romanis pro destruendo Christianitatem & Italiam occupando venissent, tandem meritis & precibus ipsius Leonis Papæ illi pagani in judicio divino - - - subversi sunt & in parte Leonis trucidati & aliqui eorum effugati, nam ipse bonus catholicus multum patiens, valde humiliatus, divinarum scripturarum perscrutator ferventissimus vigiliis & orationibus semper intentus.

Item quod ipse Leo post multos labores & sui corporis afflictiones ad Dominum migravit, & apud urbem Romanam in ecclesia sancti Petri a clero & populo honorifice fuit sepultus. Cujus festum agitur decimo septimo Kalendarum Augusti. Qui quidem rexit ecclesiam octo annis, tribus mensibus & sex diebus. Et tunc vacavit sedes apostolica sex diebus secundum unam chronicam; sed secundum aliam dicitur de duobus mensibus & quindecim diebus, Lothario Imperatore tunc regnante.

JOHANNES Anglicus

Natione, dictus magnanimus, post dictum Leonem Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus decimus.

Item quod iste Johannes, prout communiter asseritur, fœmina fuit, in puellari ætate a quodam amasio suo in habitu virili in studio Athenarum, quod tunc erat in Græcia, producta in tantum, quod ipsa fuit subtilis, quod in omnibus scientiis erudita fuit & profecit totaliter, ut tunc similis sibi non inveniretur, propter quod ipsa

ipsa audiens statum & famam urbis Romæ, statim ad ipsam venit, & per tres annos ibi solempniter diversas scientias docuit & legit, & deinde multos magnos scholares & discipulos ipsa habuit, qui eam audiebant propter ejus subtilitatem & doctrinam & honestam conversationem in tantum, quod de sua doctrina, vita, moribus atque scientia & exemplis apud Cardinales & clerum & populum etiam Romanum summe cothidie ipsi Romani audiebant. Cumq; dictus Leo Papa quartus decessisset, & concordare seu eligere Papam non possent, ideo postea unanimiter & concorditer ipsi Cardinales istum Johannem in Romanum Pontificem elegerunt, & postea in Papatu multum honeste & devote ipse aliquo tempore, bene ut creditur, permansit, sed postea cum bonis cibariis & delicatis ipsa impinguata & finaliter suggestione diabolica decepta a quodam suo familiari extitit imprægnata; cum autem ipsa tempus sui partus ignoraret, quodam die dum ipse Johannes cum clero & populo de ecclesia sancti Petri ad ecclesiam sancti Johannis Lateranensis processionem faceret, soliti dolores sui partus subvenerunt, & tantum eam angustiaverunt, quod in quadam carreria quæ est inter Colliceum & ecclesiam sancti Clementis urbis Romæ ipsa peperit & postmodum ipsa mortua fuit, ut dicitur, atque sepulta. Pro qua quidem carreria seu via postea Romani Pontifices in detestationem hujusmodi facti, ut dicitur, non transeunt nec transire volunt.

Item quod ipse rexit ecclesiam cum dicta deceptione duobus annis, quinque mensibus, quatuor diebus. Et tunc vacavit sedes apostolica per unum mensem, Lothario primo Imperatore tunc regnante &c.

BENEDICTUS III.

Natione Romanus, & ex patre Petro fuit natus, & post dictum Johannem Anglicum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus undecimus, anno a nativitate Domini octingentesimo quinquagesimo octavo.

Item quod ipse Benedictus statuit & ordinavit, ut de cætero clerici propter reverentiam Dei & bonum exemplum populi in sessu & in statu & in habitu & in omnibus moribus ipsorum laudabiliter & honeste vivere & se exhibere debeant. Et deinde multa bona fecit, & inter alia a porta civitatis Romanæ usque ad ecclesiam sancti Pauli unum porticum, & a porta ejusdem civitatis usque ad ecclesiam sancti Laurentii alium porticum in honore ipsorum sanctorum ipse fieri & restaurari fecit.

Item quod iste Benedictus post multos labores & sui corporis afflictiones ad Christum migravit, & a clero & populo apud urbem Romanam in ecclesia sancti Petri apostoli honorifice fuit sepultus. Qui quidem rexit ecclesiam duobus annis & quinque mensibus secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de septem mensibus tantum. Et tunc vacavit sedes apostolica quindecim diebus, Lothario primo tunc Imperatore regnante.

NICOLAUS I.

Natione Romanus & ex patre Theodoro fuit natus, & post dictum Benedictum in Papam Romanum fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit centesimus duodecimus anno a nativitate Domini octingentesimo sexagesimo.

Item fuit vir magnæ sanctitatis & humilitatis, pupillorum, orphanorum & viduarum summus defensor, pauperum & peregrinorum magnus provisor atque consolator, & ecclesiarum atque personarum atq; fidei catholicæ & enarrabilium extitit propugnator in tantum, quod post magnum Gregorium Papam in sede apostolica sibi non fuit similis neque comparandus.

Item quod iste Nicolaus fuit tantus catholicus, quod Michaëlem tunc Imperatorem Constantinopolitanum excommunicavit, anathematizavit, quia ipse beatum Ignatium deposuerat de sede sua. Et postea Lotharium Regem Franciæ etiam excommunicavit, quia uxorem suam legitimam, quam duxerat, ipse dimiserat, & cuidam mulieri nomine Gualtradæ adhærebat.

Item quod ex industria ipsius Nicolai & tractatu corpus beati Clementis Papæ primi, quod in mari pro Christi fide fuerat positum & submersum a Christi fidelibus apud urbem Romanam extitit deportatum, & in ecclesia, quæ pro ipsius nomine fuerat ædificata, per ipsum Nicolaum cum magna solennitate a clero & populo & honorifice ejus sanctum corpus terræ mandatum fuitque reconditum.

Item quod ipse Nicolaus post multos labores & sui corporis afflictiones ad Christum migravit, & in urbe Romana apud latera sancti Petri apostoli a clero & populo honorifice fuit sepultus. Qui quidem rexit ecclesiam novem annis, duobus mensibus & viginti diebus, Lothario Imperatore tunc regnante.

ADRIANUS II.

Natione Romanus, & ex patre Thalaro, alias dicitur, quod fuit natus Parmensis, qui post dictum Nicolaum Papam primum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus decimus tertius, anno a nativitate Domini octuagemo septuagesimo nono.

Item quod cum Lotharius Rex Franciæ esset excommunicatus a dicto Nicolao, prædecessore suo propter Caldradam mulierem, quam ipse tenebat & uxorem suam dimittebat pro se excusando ad hujus convivium, & super hoc ostendendo suam innocentiam ad ipsum Adrianum apud urbem Romanam cum multa comitiva ipse venisset, & postea ad hujusmodi excusationem communionem corporis & sanguinis Christi cum multis aliis familiaribus nobilibus & magnis viris ab ipso Papa recepisset juxta ordinationem ipsius Adriani Papæ, tandem ipse &

Digitized by Google

& omnes alii nobiles supra dicti eodem anno judicio divino defuncti fuerunt, quia communionem supra dictam contra suam conscientiam & veritatem Christi ceperunt.

Item quod iste Adrianus post multos labores & sui corporis afflictiones migravit ad Dominum, & a clero & populo honorifice fuit sepultus. Qui quidem rexit ecclesiam quinque annis, Ludovico Imperatore regnante.

JOHANNES VIII.

Post dictum Adrianum Papam secundum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus quatuordecimus, anno a nativitate Domini octingentesimo octuagesimo secundum unam chronicam, sed in alia dicitur de octuagesimo quarto.

Item quod iste Johannes corpus sanctissimi Gregorii magni, unum brachium sancti Leonis Papæ ibi dedit in ecclesia Senenonsi ob reverentiam istorum sanctorum & honorem, & perpetuo ibi dedit & assignavit, & cum magna solennitate ipse ibi collocavit, & multa bona ipse fecit.

Item quod iste Johannes post multos labores & corporis sui afflictiones ad Dominum migravit, postea tam a clero & populo honorifice fuit sepultus. Qui quidem rexit ecclesiam decem annis & duobus diebus, Ludovico II. Imperatore tunc regnante.

MARTINUS II.

Natione Romanus post dictum Johannem Papam octavum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus quintus decimus, anno a nativitate Domini octingentesimo octuagesimo quarto.

Item quod ipse Martinus post multos labores & sui corporis afflictiones ad Christum migravit, qui quidem rexit ecclesiam uno anno & quinque mensibus. Et tunc vacavit sedes apostolica per duos dies, Karolo tertio Imperatore tunc regnante.

ADRIANUS III.

Natione Romanus, & ex patre Benedicto fuit natus, & post dictum Martinum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus & decimus sextus, anno a nativitate Domini octingentesimo octuagesimo tertio secundum unam chronicam, sed secundum aliam de octuagesimo quinto.

Item quod ipse Adrianus statuit & ordinavit atque inhibuit, ut de cætero Imperator intromittere se non præsumat de electione sancti Romani Pontificis, neque Cardinales cum in ipsa electione neque eum a modo recipere præsumant.

Item quod ipse Adrianus post multos labores & corporis sui afflictiones ad Christum migravit feliciter, & postea a clero & populo honorifice extitit sepultus. Qui quidem rexit ecclesiam quinto anno & tribus mensibus, Karolo Imperatore tunc regnante.

Item quod post dictum Adrianum Papam tertium successit Basilius prout testantur, * & hoc dicit, quod ipsum Basilium Papam in aliis libris scriptum non invenit, neque alii chronicarum autores ullam de ipso mentionem fecerunt. Quare in numero aliorum Romanorum Pontificum neque hic ipse ponitur, neque designatur. Unde sequitur de Stephano Papa quinto. Post autem dictum Adrianum Papam tertium ponunt dictum Stephanum quintum immediate successorem suum.

STEPHANUS V.

Natione Romanus ex patre Adriano fuit natus, & post dictum Adrianum Papam tertium in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus decimus septimus, anno a nativitate Domini octingentesimo octuagesimo quarto secundum unam chronicam; sed secundum aliam chronicam dicitur de octuagesimo quinto.

Item quod ipse Stephanus post multos labores & corporis sui afflictiones ad Dominum migravit, & postea tam a clero quam populo honorifice fuit sepultus. Qui quidem rexit ecclesiam sex annis & octo diebus, & tunc vacavit sedes apostolica quinque diebus, Karolo tertio Imperatore tunc regnante.

FORMOSUS.

Episcopus Portuensis Cardinalis post dictum Stephanum Papam quintum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus decimus octavus, anno a nativitate Domini octingentesimo & nonagesimo secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de nonagesimo primo.

Item quod iste Formosus Romanam ecclesiam beati Petri apostoli, quando fuit factus Papa renovari fecit, quamvis ante suam promotionem male habuisset in actibus suis. Nam cum semel propter timorem Johannis Papæ octavi a Romana urbe fugisset & suum episcopatum Portuensem ipse reliquisset, ideo præfatus Johannes Papa quia vocatus ad suum episcopatum adire noluit, ab ipso Johanne Papa extitit anathematizatus, & postea extitit degradatus, maxime quia statum sibi assumserat laicalem; nam ipse juraverat, quod de cætero apud urbem Romanam nec ad suum episcopatum nunquam rediret, postea autem, Martino Papa successore dictus Johannes fuit reconciliatus atque restitutus, & apud dictam urbem Romanam & ad episcopatum suum fuit reversus; nam ipse pœnitebat se præmissa commisisse, & deinde in Romanum Pontificem fuit assumtus, propter quod multa altercatio de facto exorta fuit in ecclesia Dei, prout sequentibus patebit exemplis.

Item quod iste Formosus rexit ecclesiam quinque annis & quinque mensibus secundum unam chronicam; sed secundum aliam dicitur de

Digitized by Google

de quatuor annis duntaxat. Et tunc vacavit sedes apostolica duobus diebus, Arnulpho primo tunc Imperatore regnante.

BONIFACIVS VI.

Natione Tuscus, post dictum Formosum Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post dictum Petrum apostolum extitit Papa centesimus decimus nonus, anno a nativitate Domini octingentesimo nonagesimo quinto secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de nonagesimo secundo.

Item quod iste Bonifacius post paucos dies ad Dominum migravit, & tam a clero & populo honorifice fuit sepultus. Qui quidem rexit ecclesiam quindecim diebus Arnolpho Imperatore regnante.

STEPHANVS VI.

Natione Romanus, post dictum Bonifacium Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus vicesimus, anno a nativitate Domini octingentesimo nonagesimo sexto secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de nonagesimo septimo.

Item quod ipse Stephanus a dicto Formoso Papa, suo prædecessore Anagniæ fuerat episcopus ordinatus, sed postea factus Papa ipsum Formosum & omnia facta sua valde fuit persecutus, nam omnes ordinationes per dictum Formosum factas mutavit atque nullas fore decrevit.

Item quod ipse Stephanus consilium suum congregavit & apud Romam ipsum celebravit, & tunc coram se corpus dicti Formosi Papæ sine spirituali veste imo laicali habitu indutum ibi poni fecit, & deinde duos digitos de sua manu dextra abscidi fecit, & postea ejus manum in flumine Tiberis urbis Romæ jactari fecit vel præcepit.

Item quod iste Stephanus post modicum tempus de hoc seculo migravit, qui rexit ecclesiam uno anno & tribus mensibus, & tunc vacavit sedes apostolica tribus diebus, Arnolpho Imperatore tunc regnante.

ROMANVS

Natione Romanus, post dictum Stephanum Papam sextum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus vicesimus primus, anno a nativitate Domini octingentesimo octuagesimo septimo secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de octuagesimo.

Item quod ipse Romanus post paucos dies migravit ad Christum secundum unam chronicam, quia non rexit ecclesiam nisi tribus mensibus & viginti duobus diebus; sed secundum aliam dicitur de tribus annis, Arnulpho tunc regnante.

THEODORVS II.

Natione Romanus post dictum Romanum Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum Apostolum extitit Papa centesimus & vicesimus secundus, anno a nativitate Domini octingentesimo nonagesimo octavo secundum chronicam; sed secundum aliam dicitur de nonagesimo nono.

Item quod ipse Theodorus reprobavit ea, quæ Stephanus sextus prædecessor suus fecerat contra Formosum Papam supra dictus, in tantum, quod omnes ordinatos a Domino Formoso Papa reconciliavit & ipsos reintegravit, & deinde post modicum temporis migravit ad Dominum, quia non rexit ecclesiam nisi per viginti dies, Arnulpho Imperatore tunc regnante.

JOHANNES IX.

Post dictum Theodorum Papam secundum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum Apostolum extitit Papa centesimus vicesimus tertius an. a nativitate Domini octingentesimo nonagesimo secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de nongentesimo.

Item quod ipse Johannes post suam promotionem habuit magnam discordiam cum Romanis, nam quidam ipsorum tenebant & defendebant partem prædicti Formosi Papæ sui prædecessoris; alii vero totum contrarium, & ideo cum illis rebellantibus sibi & contra dictum Formosum Papam insurgentibus maximam pugnam habuit, & inter ipsos summa iniquitas exorta fuit.

Item quod ipse Johannes propter confirmandas ordinationes, quas dictus Formosus Papa fecerat tempore suo apud Romam ipse Synodum celebravit seu celebrari fecit, in qua septuaginta & quatuor episcopi interfuerunt, ubi synodus, quam Stephanus Papa suus prædecessor celebraverat, & contra dictum Formosum Papam penitus fuit reprobata. Qui quidem rexit ecclesiam duobus annis & quindecim diebus, Arnulpho Imperatore tunc regnante, & progenie Karoli magni tempore istius Johannis Papæ deficiente.

BENEDICTVS IV.

Natione Romanus post dictum Johannem IX. in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum Apostolum extitit Papa centesimus vicesimus quartus, anno a nativitate Domini nongentesimo secundo.

Item quod ipse Benedictus Papa post multos labores de hoc seculo migravit, & rexit ecclesiam tribus annis & duobus mensibus, & tunc vacavit sedes apostolica sedecim diebus, Ludovico III. Imperatore tunc regnante.

LEO V.

Post dictum Benedictum Papam quartum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum Apostolum extitit Papa centesimus vicesimus quintus, anno a nativitate Domini nongentesimo tertio secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de quarto.

Item quod ipse Leo Papa post triginta dies secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de quadraginta dieb9 tempore suæ promotionis a quodam Christoph. Presbytero suo proditionaliter fuit captus, & in quodam carcere

cere crudeliter extitit inclusus, & postea ipse Christophorus per invasionem & intrusionem sedem apostolicam occupavit, Ludovico Imperatore tunc regnante.

CHRISTOPHORUS.

Post dictum Leonem Papam quintum sedem apostolicam tyrannice occupavit & in Romanum Pontificem fuit assumtus, & sic post beatum Petrum apostolum extitit centesimus vicesimus sextus, anno a nativitate Domini nongentesimo quinto.

Item quod cum ipse Christophorus sic in Papatum extitit intrusus, & postea a sede apostolica ipse expulsus fuisset, ideo Sergius tertius qui sequitur, in Romanum Pontificem canonice extitit assumtus, & dictus Christophorus ab ipso Sergio Papa tanquam intrusus & sedis apostolicæ invasor in quodam carcere postea fuit detrusus secundum unam chronicam; sed secundum alias chronicas dicitur, quod de Papatu dejectus extitit, & deinde monachus factus est, Ludovico Imperatore tunc regnante.

SERGIUS III.

Natione Romanus, & ex patre Benedicto post dictum Christophorum intrusum fuit canonice electus, & post Petrum apostolum extitit Papa centesimus & vicesimus septimus, anno a nativitate Domini nongentesimo sexto secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de septimo.

Item quod quamvis iste Sergius tunc Diaconus per dictum Papam Formosum a Papatu fuisset reprobatus, tunc postquam ipse Papa fuit factus postea ad Francos se transtulit, quorum auxilio cum Christophorus ipsius Papatus invasor esset incarceratus, Romam ipse latenter est ingressus & dictum Papatum obtinuit, & deinde in vindictam suæ repulsionis ipse prædictum Formosum Papam de sepulchro suo extrahi fecit, & in quadam sede Pontificali & veste sacerdotali ipsum indutum in præsentia omnium publice decollari fecit & præcepit, & deinde in flumen Tiberis jactari fecit, omnes per ipsum ordinatos exordinavit. Qui quidem Formosus post a piscatoribus inventus in basilica beati Petri apostoli in quodam lectulo deportatus fuit, unde tunc quædam sanctorum imagines eum adorasse & venerabiliter salutasse palam omnibus visæ fuerunt.

Item quod tempore Sergii cum ecclesia Lateranensis ad terram ex toto cecidisset, ipse Sergius istam ecclesiam ædificari fecit a summo usque ad fundamenta ipsius. Qui quidem postea migravit de hoc seculo, & rexit ecclesiam septem diebus, Ludovico Imperatore tunc regnante.

ANASTASIUS III.

Natione Romanus post dictum Sergium III. in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus & vicesimus octavus, anno a nativitate Domini nongentesimo duodecimo secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de quatuordecimo.

Item quod ipse Anastasius post medicum tempus de hoc seculo migravit & rexit ecclesiam duobus mensibus. Et tunc vacavit sedes apostolica duos dies, Berengario Imperatore regnante.

LANDUS

Natione Romanus post dictum Anastasium tertium in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus & vicesimus nonus anno a nativitate Domini nongentesimo decimo quarto secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de sexto decimo.

Item quod iste Landus post paucos dies, de hoc seculo migravit & rexit ecclesiam sex mensibus, & tunc vacavit sedes apostolica triginta sex diebus secundum unam chronicam; sed secundum aliam dicitur de viginti sex diebus, Berengario tertio Imperatore tunc regnante.

JOHANNES X.

Post dictum Landum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus & tricesimus, anno a nativitate Domini nongentesimo sexto decimo secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de decimo septimo.

Item quod ipse Johannes fuit filius Sergii Papæ & Archiepiscopus Ravennatensis, & ecclesiæ Ravennatensi intrusus atque invasor, sed postea ab omni populo depositus extitit atque repulsus; veruntamen postquam ipse fuit factus Papa, consilio & auxilio ipsius omnes Saraceni, qui tunc dominabantur in Italia propter Romanam urbem devicti in quodam prælio & ab Italia ipsi effugati fuerunt.

Item quod ipse Johannes Papa cum quodam Marchione nomine Alberico & cum magno exercitu apud Apuliam perrexit, & contra Saracenos, qui in partibus illis erant, bellum fecit, & tandem Dei gratia suffragante, victoriam contra Saracenos obtinuit atque triumphum. Qui quidem postea apud urbem Romanam & a clero & populo cum magno gaudio & honore fuerunt ipsi recepti.

Item quod iste Johannes Papa a militibus cujusdam Comitis, nomine Guidonis fuit violenter captus, & postea biduo carceri inclusus, interposito uno cervicali ab eis super os ipsius Johannis Papæ, statim ipse extinctus fuit atque strangulatus, & deinde in loco ipsius quendam alium Johannem fratrem Alberti Romani in Papatu sibi subrogaverunt; sed postea dicto Hugone de suo regno expulso, statim ipse Johannes intrusus a sede apostolica extitit dejectus, & ideo ipse non ponitur in numero Pontificum Romanorum.

Item quod ipse Johannes Papa rexit ecclesiam tredecim annis, duobus mensibus & quatuor diebus secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de quatuordecim annis, Berengario tertio Imperatore tunc regnante.

LEO VI.

Natione Romanus post dictum Johannem Papam

Papam decimum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum Apostolum extitit Papa centesimus & tricesimus primus, anno a nativitate Domini nongentesimo tricesimo secundum unam chronicam; sed in quadam alia chronica dicitur de vicesimo octavo.

Item quod ipse Leo Papa post modicum tempus de hoc seculo migravit, & ecclesiam totam rexit per septem menses secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de octo mensibus. Et tunc vacavit sedes apostolica decem diebus Hugone Imperatore tunc regnante.

STEPHANUS VII.

Natione Romanus post dictum Leonem Papam sextum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus & tricesimus secundus, anno a nativitate Domini nongentesimo tricesimo primo secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de tricesimo nono.

Item quod iste Stephanus in dicto tempore vixit, quia nisi duobus annis & uno mense rexit ecclesiam & duodecim diebus, & tunc vacavit sedes apostolica tribus diebus, Arnulpho Imperatore tunc regnante.

JOHANNES XI.

Natione Romanus post dictum Stephanum Papam septimum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum Apostolum extitit Papa centesimus tricesimus tertius, anno a nativitate Domini nongentesimo tricesimo secundum unam chronicam; sed secundum aliam dicitur de tricesimo primo.

Item quod ipse Johannes rexit ecclesiam quatuor annis, decem mensibus & quindecim diebus. Et tunc vacavit sedes apostolica per unam diem, Berengario Imperatore quarto tunc regnante.

LEO VII.

Natione Romanus, post dictum Johannem Papam undecimum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum Apostolum extitit Papa centesimus & tricesimus quartus, anno a nativitate Domini nongentesimo tricesimo secundo secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de tricesimo primo.

Item quod ipse Leo rexit ecclesiam quatuor annis, decem mensibus & quindecim diebus, & tunc vacavit sedes apostolica uno mense, Berengario Imperatore tunc regnante.

STEPHANUS VIII.

Natione Teutonicus seu Germanus post dictum Leonem septimum in Romanum Pontificem fuit assumtus & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus & tricesimus quintus, anno a nativitate Domini nongentesimo & tricesimo nono.

Item quod ipse Stephanus postea a Romanis quibusdam fuit membris suis mutilatus, propter quod de hoc seculo migravit, & rexit ecclesiam tribus annis, quatuor mensibus & quindecim diebus. Et tunc vacavit sedes apostolica decem diebus, Berengario quarto Imperatore tunc regnante.

MARTINUS III.

Papa Romanus post dictum Stephanum Papam octavum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus & tricesimus sextus, anno a nativitate Domini nongentesimo quadragesimo secundo secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de quadragesimo quarto.

Item quod ipse Martinus Papa rexit ecclesiam tribus annis & sex mensibus, & quatuordecim diebus. Et tunc vacavit sedes apostolica tribus diebus, Berengario Imperatore tunc regnante.

AGAPETUS II.

Natione Romanus & post dictum Martinum Papam tertium in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus & tricesimus septimus, anno a nativitate Domini nongentesimo & quadragesimo quinto secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de quadragesimo sexto.

Item quod ipse rexit ecclesiam octo annis, sex mensibus & decem diebus secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur: decem annis. Et tunc vacavit sedes apostolica duodecim diebus, Lothario primo tunc Imperatore regnante.

JOHANNES XII.

De regione via lata & ex patre Alberico *Principe* fuit natus, & post dictum Agapetum secundum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus & tricesimus octavus, anno a nativitate Domini nongentesimo quinquagesimo tertio secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de quinquagesimo sexto.

Item quod ipse Johannes Papa ante suam promotionem Octavianus vocabatur, Alberici filius, qui cum ipse esset valde potens in urbe Romana, tractavit cum Romanis, & ipsos mediante juramento adstrinxit, ut mortuo dicto Agapeto Papa ipsum Octavianum filium suum eum Papam fieri procurarent, & sic factum fuit. Quare propter suam promotionem Johannes extitit vocatus.

Item quod ipse Johannes Papa erat magnus venator & homo valde dissolutus seu lubricus in tantum, quod mulieres frequentabat & eas publice tenebat. Unde Cardinales & Romani videntes tantam confusionem ecclesiæ Romanæ, quidam ex ipsis Ottoni Principi Saxoni tunc Imperatori secrete scripserunt & eum rogaverunt, ut super hujusmodi scandalo ecclesiæ Romanæ remedium adhibendo ad urbem Romanam sine mora venire deberet. Cumque ipse Johannes Papa hoc intellexisset, ideo cuidam Diacono Cardinali, nomine Johanni tanquam hujus facti Consiliario nasum, & cuidam alteri Subdiacono, qui literas Duci Ottoni scripserat,

Digitized by Google

pserat, manum dextram removeri & resecari fecit.

Item quod ipse Johannes Papa super præmissis ab Imperatore & a clero & populo monitus extitisset, ac de ipsis se emendare noluisset, ideo super hoc congregato omnium episcoporum Italiæ concilio, ipsum Johannem pro dictis excessibus a papatu deposuerunt, & quendam nomine Leonem tunc laicum Papam sibi subrogaverunt & sustinuerunt, cumque postmodum ipse Johannes depositus apud urbem Romanam venisset, & ipse tanquam verus Papa a Romanis Leonem Papam sibi subrogatum a Papatu deposuit & omnia ipsius gesta cassavit atque annihilavit, cum ipse Johannes postea de quadam muliere filopatus fuit, & ipsam quotidie visitasset, tandem Johannes ipse a diabolo percutitur, & sine aliquo signo pœnitentiæ ipse mortuus fuit, cui Benedictus Papa compositus, & Leo Papa octavus hunc statim sequitur, subrogati per ordinem extiterunt.

Item quod ipse Johannes rexit ecclesiam septem annis, decem mensibus & quinque diebus. Et tunc vacavit sedes apostolica per duodecim dies, Ottone Imperatore tunc regnante.

BENEDICTUS V.

Natione Romanus, post dictum Johannem Papam duodecimum tyrannice sedem apostolicam occupavit, & de facto, ut sequitur, in Romanum Pontificem fuit assumtus & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus & tricesimus nonus, anno a nativitate Domini nongentesimo sexagesimo primo secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de sexagesimo tertio.

Item quod ipse Benedictus, vivente Leone Papa a Romanis in Papam eligitur, sed ipse postea Ottoni Imperatori, qui tunc urbem Romanam tenebat obsessam, ab ipsis Romanis traditur, quem quidem Imperator postmodum a suo Papatu deposuit, & dictum Leonem in sede apostolica reintegravit, & deinde ipsum Benedictum in Saxoniam relegavit, & postea mortuus fuit & sepultus secundum unam chronicam, sed secundum aliam ab ipso Ottone Imperatore in carcere fuit sepultus, & ibi postea de ipsius Imperatoris mandato extitit strangulatus. Et rexit ecclesiam duobus mensibus, & tunc vacavit sedes apostolica per viginti dies, Imperatore Ottone tunc regnante.

LEO VIII.

Post dictum Benedictum Papam quintum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus quadragesimus, anno a nativitate Domini nongentesimo sexagesimo secundo secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de sexagesimo quarto.

Item quod ipse Leo Papa propter malitiam & tyrannitatem Romanorum, qui quotidie ecclesiam Romanam prætendebant, & in ipsa scandala & schisma ponebant, propter illos, quos in Papatum destinabant, & veros Romanos Pontifices a sede sua deponebant seu deponi faciebant, statuit & ordinavit, ut nullus de cætero in Papam eligeretur, nisi de assensu Imperatoris Romani.

Item quod iste Leo omnes donationes antea factas Romanæ ecclesiæ in regione Italiæ, Justiniano olim Imperatore, & Arnulpho, Pipino & Carolo Regibus, de consensu Cardinalium, Episcoporum, Presbyterorum & Diaconorum & totius cleri & populi Romani dicto Ottoni Imperatori remisit, & sibi atque suis successoribus concessit, ut de cætero regnum Italicum perpetuo ab ipsis tueri & defendere ipsi Imperatores tenerentur.

Item quod ipse Leo Papa ad instantiam & requisitionem ipsius Imperatoris Ottonem filium suum in Regem Italiæ inunxit & coronavit, ut regnum ipsum bene gubernaret, & quod pater suus eidem Papæ promiserat, ipse conservare teneretur. Qui quidem rexit ecclesiam uno anno & quatuor mensibus. Et tunc vacavit sedes apostolica septem diebus, Ottone Imperatore primo tunc regnante.

JOHANNES XIII.

Natione Parmensis, post dictum Leonem Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus & quadragesimus primus, anno a nativitate Domini nongentesimo sexagesimo tertio secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de nongentesimo & sexagesimo quarto.

Item quod ipse Johannes Papa a Præfecto urbis Romanæ Petro fuit captus & in castro sancti angeli extitit detrusus seu incarceratus, & deinde in Campaniam in exilio fuit relegatus, sed post decem menses & viginti dies ab Ottone Imperatore ipse fuit liberatus, & de suis persecutoribus deinde magnam executionem ipse fieri fecit in tanto, quod contra illos nobiles & alios Romanos, quos culpabiles invenit, valde processit, nam aliquos ipsorum laqueo suspendi fecit, & quosdam alios in insula Sardiniæ & in Saxonia perpetuo relegavit.

Item quod ipse Johannes Papa rexit ecclesiam Romanam septem annis, undecim mensibus. Et tunc vacavit sedes apostolica quindecim diebus, Ottone primo tunc Imperatore regnante.

BENEDICTUS VI.

Natione Romanus post dictum Johannem Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus quadragesimus secuntus, anno a nativitate Domini nongentesimo sexagesimo quarto secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de sexagesimo septimo.

Item quod ipse Benedictus post suam promotionem a Romanis perfidis fuit captus, & postea apud castrum sancti Angeli ab ipsis in arcto carcere extitit detrusus, & deinde Benedictus ipse de mandato Theodorici filii sui violenter fuit interfectus atque strangulatus. Qui quidem rexit ecclesiam uno anno & sex mensibus. Et tunc vacavit sedes apostolica decem mensibus, Ottone Imperatore regnante.

DOMNUS II.

Sic vocatur secundum unam chronicam, sed secundum aliam vocatur Donius, & in alia dicitur Bonus, in Romanum Pontificem fuit assumtus post dictum Benedictum Papam sextum, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus quadragesimus tertius, anno a nativitate Domini nongentesimo septuagesimo tertio secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de septuagesimo nono.

Item quod ipse Domnus Papa rexit ecclesiam uno anno & sex mensibus, & tunc vacavit sedes apostolica per decem dies, Ottone Imperatore secundo tunc regnante.

BONIFACIUS VII.

Post dictum Dominum Papam sedem apostolicam tyrannice occupavit, & de facto in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus & quadragesimus quartus, anno a nativitate Domini nongentesimo septuagesimo quinto, secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de septuagesimo primo.

Item quod Romani istum Bonifacium in Papam sublimaverunt statim, dicto Benedicto per eos strangulato seu extracto. Cum quæ ipse Bonifacius vidisset, quod in urbe Romana stare non posset, ideo ecclesiam sancti Petri apostoli urbis Romæ omnibus suis ornamentis, lapidibus pretiosis & aliis jocalibus auri & argenti ex toto exspoliavit, & postea cum omnibus istis spoliis fugit apud Constantinopolin & recessit, & deinde cum magna potentia apud Romam rediit; sed cum ipse vidisset quod Cardinales eum recipere nollent, ideo cuidam Cardinali Diacono nomine Johanni valde sibi contrariebatur, oculos eruit, & ipse Bonifacius deinde subito extinctus fuit.

Item quod ipse rexit ecclesiam uno anno & uno mense & viginti diebus secundum unam chronicam, sed secundum aliam rexit duodecim diebus. Et tunc vacavit sedes apostolica viginti diebus, Ottone Imperatore primo tunc regnante.

BENEDICTUS VII.

Natione Romanus post dictum Bonifacium Papam septimum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus & quadragesimus quintus, anno a nativitate Domini nongentesimo nonagesimo quinto secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de secundo, & aliam dicitur de tertio.

Item quod ipse Benedictus rexit ecclesiam novem annis & sex mensibus secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de octo annis. Et tunc vacavit sedes apostolica quinque diebus, Ottone Imperatore regnante.

JOHANNES XIV.

Post dictum Benedictum Papam septimum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus & quadragesimus sextus anno a nativitate Domini nongentesimo octuagesimo tertio secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de quarto.

Item quod ipse Johannes postea a quibusdam fuit captus, & in castro sancti Angeli per quatuor menses extitit incarceratus, & deinde fame afflictus de hoc seculo migravit.

Item quod ipse Johannes rexit ecclesiam novem mensibus secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de octo. Et tunc vacavit sedes apostolica decem diebus, Ottone Imperatore tunc regnante.

JOHANNES XV.

Natione Romanus, post dictum Johannem Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus & quadragesimus septimus anno a nativitate Domini nongentesimo & octuagesimo quarto.

Item quod ipse Johannes post multas tribulationes de hoc seculo migravit & rexit ecclesiam quatuor mensibus, & tunc vacavit sedes apostolica per unam diem, Ottone Imperatore tunc regnante.

JOHANNES XVI.

Natione Romanus post dictum Johannem quintum decimum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus & quadragesimus octavus, anno a nativitate Domini nongentesimo octuagesimo quinto.

Item quod ipse fuit vir in armis, summe eruditus, & plures libros ipse composuit & multa bona fecit, & magnas persecutiones pro defensione ecclesiæ Romanæ sustinuit, nam propter persecutionem Patricii urbis Romæ & Senatus ipsum oportuit ab ipsa urbe recedere; sed postmodum præ timore Ottonis Imperatoris ad ipsum nuntios miserunt & cum magna reverentia & honore eum receperunt, prius tamen venia cum summa humilitate postulata in sua sede restauraverunt.

Item quod ipse Johannes post multos labores, dolores & sui corporis afflictiones ad Dominum migravit, & apud urbem Romanam honorifice a clero & populo fuit sepultus. Qui quidem rexit ecclesiam decem annis, septem mensibus, decem diebus, Ottone Imperatore tunc regnante.

GREGORIUS V.

Natione Saxo & ex patre Ottone post dictum Johannem sextum decimum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus & quadragesimus nonus, anno a nativitate Domini nongentesimo octuagesimo sexto.

Item quod ipse Gregorius prius Bruno vocabatur, & erat consanguineus Ottonis tunc Imperatoris tertii, ad cujus instantiam ipse in Papam fuerat electus, sed postea ipse Johannes [Gregorius] a sua sede per quendam Crescentium nomine Consulem urbis Romæ fuit expulsus, & in loco ipsius quendam episcopum nomine Placentinum in Papatum intrusit, & postmodum

dum propter hoc dictus Otto Imperator de dicto Crescentio magnam ultionem recepit.

Item quod ipse Gregorius post multas tribulationes de hoc seculo migravit & rexit ecclesiam duobus annis & quinque mensibus, & tunc vacavit sedes apostolica per quindecim dies, dicto Imperatore Ottone tunc regnante.

JOHANNES XVII.

Natione Græcus sedem apostolicam tyrannice occupavit, & de facto, Gregorio vivente, in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus & quinquagesimus, anno a nativitate Domini nongentesimo & nonagesimo nono.

Item quod ipse Johannes est ille, qui antea fuit episcopus Placentinus, & in papatum, vivente dicto Gregorio Papa quinto, per Consulem urbis Romæ intrusus, de quibus dictum est supra in chronica præcedente. Qui quidem Johannes ab Ottone Imperatore supra dicto propter hoc excusatus fuit, & prædictus Consul extitit decapitatus.

Item quod ipse Johannes rexit ecclesiam de facto decem mensibus secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de quinque mensibus. Et tunc vacavit sedes apostolica viginti diebus, Ottone Imperatore tunc regnante.

SYLVESTER II.

Natione Gallicus, qui post dictum Johannem Papam decimum septimum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus quinquagesimus primus anno a nativitate Domini millesimo.

Item quod ipse Sylvester ante suam promotionem Goilbertus vocabatur, & fuit primus monachus monasterii Floriacensis, quod est in territorio Aurelianensi super Ligerim sito, qui quidem ante suam promotionem, monasterio dimisso, conventiones fecit cum diabolo, quod de se sibi faceret homagium, ex cujus favore & auxilio omnia, quæ optabat & facere intendebat, sibi succederent ad votum. Cumque inter ipsos hujusmodi promissio & homagium factæ fuissent, ideo ipse apud Hispaniam accessit, & in quadam civitate, quæ vocatur Hispalis, plures scientias audivit, & ipsas sufficienter addidit atque reportavit.

Item quod ipse Sylvester postea ad partes Galliæ redivit, in quibus super scientia, doctrina & sufficientia apud omnes communiter extitit summe recommendatus, propter quod habuit infinitos & alti generis discipulos atque scholares, inter quos fuit Robertus, Rex Franciæ, Otto Imperator, & plures alii magni Principes.

Item quod ipse Sylvester postmodum fuit factus Archi-Episcopus, ecclesiæ Rhemensis & deinde Ravennatensis, & ex ultimo in Romanum Pontificem fuit assumtus. Cumque ipse Sylvester existens Papa scire affectaret, quantum vivere debebat adhuc? ideo diabolum consuluit super hoc, cum eo enim quotidie familiariter loquebatur, qui quidem respondit fallaciter, quod non moreretur, donec Missam in Jerusalem celebraret. De qua responsione Sylvester summe fuit gavisus, quia ipse nunquam in Jerusalem nec ultra mare causa peregrinationis ire intendebat, credens quod loqueretur diabolus de ipsa civitate Jerusalem.

Item quod cum Sylvester pro tempore in quadragesima apud urbem Romanam ad capellam vocatam Jerusalem, quæ est in ecclesia Lateranensi, ut erat consvetum, pro Missa celebranda accessisset & eam celebraret, subito ipse videns & audiens magnum strepitum dæmonum ad ipsum venientium, ideo statim suspicavit mortem suam esse tunc sibi vicinam, quare statim de hoc, quod fecerat, summe pœnituit & veniam cum magna devotione a Deo postulavit, & peccatum suum ibi in præsentia omnium in signum suæ contritionis publicavit, & deinde ordinavit atque præcepit, ut corpus suum, quod diabolo obligaverat, membratim & particulatim truncaretur atque præscinderetur propter hujus criminis detestationem, ut exinde corpus suum taliter sentiret hujusmodi supplicium, quod dolores extingueret sempiternos, & quod postmodum corpus suum super unam bigam poneretur, & extra in campis & inter animalia deportari præcepit. Quæ omnia, prout dixi, completa fuerunt, & postmodum propter suam veniam, quam a Deo postulavit, & propter suam contritionem, quam ipse ostenderat, apud urbem Romanam in ecclesia Lateranensi ipse fuit sepultus, in cujus monumento isti versiculi ad æternam ipsius memoriam positi fuerunt, qui sequuntur: Scandit hic ab R. [sc. a Remis] Gilbertus ad R. [Archi-Episcopus Ravennas] post Papa vigens R. [id est Romæ.]

Item quod occasione & exemplo ipsius Sylvestri in suo sepulchro specialiter ostendi fecit & consvevit tale indicium seu præsagium, quod sequitur: Per aliquod tempus, antequam mori debeat Romanus Pontifex, quod inter ossa ipsius Sylvestri auditur magna concussio, nam & cum ipsum sepulchrum ostenditur magni humoris & sudoris congregatio, secundum unam chronicam; sed secundum aliam idem fieri contingit, ut dicitur, de Cardinalibus ecclesiæ Romanæ, prout fit de Pontificibus Romanis.

Item quod ipse rexit ecclesiam quatuor annis, uno mense & octo diebus secundum unam chronicam, sed secundum aliam chronicam dicitur de septem annis, & tunc vacavit sedes apostolica viginti & duobus diebus, Ottone Imperatore tunc regnante.

JOHANNES XVIII.

Post dictum Sylvestrum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus & quinquagesimus secundus, anno a nativitate Domini millesimo tertio vel quarto.

Item quod ipse Johannes post modicum tempus ad Dominum migravit & rexit ecclesiam quinque mensibus secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de sex mensibus, & tunc vacavit sedes apostolica viginti, vel

Digitized by Google

viginti novem diebus, Henrico Imperatore tunc regnante.

JOHANNES XIX.

Natione Romanus, de regione, quæ vocatur Porta metropolis, post dictum Johannem Papam decimum octavum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus quinquagesimus tertius, anno a nativitate Domini millesimo quarto secundum unam chronicam; sed secundum aliam dicitur de quinto.

Item quod ipse Johannes post multas tribulationes de hoc seculo migravit ad Dominum, & in ecclesia sancti Petri apostoli apud urbem Romanam a clero & populo honorifice fuit sepultus. Qui quidem rexit ecclesiam quinque annis, & tunc vacavit sedes apostolica triginta diebus, Henrico Imperatore primo tunc regnante.

SERGIVS IV.

Post dictum Johannem decimum nonum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus & quinquagesimus quartus, anno a nativitate Domini millesimo decimo.

Item quod ipse Sergius fuit sanctæ vitæ & castæ conversationis, & tam a clero quam populo valde amabilis, qui post multos labores & sui corporis afflictiones ad Dominum migravit, & apud urbem Romanam in ecclesia sancti Petri apostoli a clero & populo honorifice ipse fuit sepultus, & rexit ecclesiam duobus annis, septem mensibus & octo diebus, Henrico Imperatore primo tunc regnante.

Item quod ipse Sergius, quamdiu vixit, libenter laboravit, pro negotiis ecclesiæ S. Dei &c.

BENEDICTVS VIII.

Natione Tusculanus, & ex patre Gregorio fuit natus, & post dictum Sergium Papam quartum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus & quinquagesimus quintus, anno a nativitate Domini millesimo duodecimo.

Item quod ipse Benedictus post suam promotionem a sede apostolica fuit expulsus, & quidam alius in loco ipsius fuit factus seu intrusus, propter quod in ecclesia Dei magnum schisma est exortum, nam aliqui ipsi Benedicto favebant, & quidam alii intruso supra dicto.

Item quod ipse Benedictus post mortem suam divina misericordia, ut legitur, suffultus apparuit corporaliter equitatus super unum equum nigrum cuidam episcopo, qui quidem eum interrogavit sic dicens: Nonne tu es Benedictus Papa octavus, quem defunctum novimus? cui respondit: quod sic. Et quomodo, inquit, tibi pater? qui respondit: propter peccata mea juste torqueor & affligor; sed de Dei misericordia non despero, si mihi suffragium perhibeatur, quare, inquam rogo Te, ut vadas ocyus, quo poteris, ad Papam Johannem successorem meum, cui dicas ex parte mei, quod in tali loco tantæ pœnitentiæ quantitatem ipse inveniet occultam, quantam pro redemtione animæ meæ Christi pauperibus ipse debebat erogare, quia quod pro me hactenus pauperibus datum fuerat, nil mihi profuit, nam eleemosynæ meæ ex bonis male acquisitis extiterunt factæ. Qui quidem episcopus omnia, quæ ipse Papa sibi dixerat, fideliter explevit, & postea suo episcopatui renunciavit, & in quodam monasterio religiosorum statim intravit & habitum ipsorum devote suscepit.

Item quod ipse post multos labores & persecutiones ad Dominum migravit, & rexit ecclesiam duodecim annis secundum unam chronicam, & secundum aliam chronicam dicitur de undecim annis & undecim mensibus & viginti uno diebus, & tunc vacavit sedes apostolica uno anno, Henrico Imperatore primo regnante.

JOHANNES XX.

Natione Romanus, & ex patre Gregorio fuit natus, & post Benedictum Papam octavum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum Apostolum extitit Papa centesimus & quinquagesimus sextus, anno a nativitate Domini millesimo vicesimo quarto.

Item quod ipse Johannes pro defensione ecclesiæ & primarum ecclesiarum maximam gverram habuit contra Romanos, qui post multos labores & persecutiones de hoc seculo migravit & rexit ecclesiam novem annis & novem mensibus. Et tunc vacavit sedes apostolica duobus diebus, Henrico primo Imperatore tunc regnante.

BENEDICTVS IX.

Natione Romanus Tusculanus & ex patre Alberto post dictum Johannem vicesimus in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus & quinquagesimus septimus, anno a nativitate Domini millesimo quarto.

Item quod ipse Benedictus Papa post suam promotionem a papatu fuit expulsus, & in loco ipsius quidam alter, qui erat Cardinalis episcopus Sabinensis, extitit Papa factus intrusus, qui Sylvester vocabatur, & deinde post paucos dies ipse Sylvester a sede apostolica fuit expulsus, & dictus Benedictus Papa extitit restauratus; sed tamen post suam promotionem & restitutionem iterum a Papatu extitit ejectus, & post suam expulsionem quidam nomine Johannes, qui tunc erat Archi-Diaconus sancti Johannis ante portam Latinam urbis Romæ in loco ipsius Benedicti Papa fuit factus & intrusus, qui quidem Gregorius Papa sextus postea fuit denominatus, videlicet quia ipse Gregorius erat valde rudis & literarum ignarus, ideo alter Papa fuit factus, qui ambo simul Papatum regere deberent, verumtamen quia hujusmodi ordinatus postea non placuit omnibus Romanis, ideo unum alium in Papam elegerunt, qui solus vices illorum duorum Romanorum Pontificum implere & supplere deberet. Quare inter omnes istos Romanos Pontifices assumtos discordia suborta fuit in tantum, quod unus ipsorum contra duos, & ipsi duo contra unum super Papatu obtinendo magna altercatio & schisma fuit, & scandala inter clerum & populum supervenerunt.

Item

Digitized by Google

Item quod pendente hujusmodi desolatione ipsius Benedicti Papæ & aliorum prænominatorum altercatione, tunc Henricus Imperator propter hoc apud urbem Romanam supervenit & ipsum Benedictum Papam & omnes contra ipsum intrusos deposuit & a papatu eos ejecit, & postea ipse cum Romanis consentientibus quendam nomine Eugenium, tunc episcopum Lombarcensem, qui infra Clemens secundus est nominatus, violenter in Papam substituit & intrusit, & nihilominus, ut nullus contra ipsum insurgere præsumeret, ab ipso Clemente se fecit Imperatorem coronari, & deinde jurejurando dictos Romanos illaqueavit, ut de cætero sine Imperatoris ipsius consensu aliquem non eligerent in Romanum Pontificem.

Item quod iste Benedictus Papa, qui fuit nepos alterius Papæ Benedicti octavi superius nominati, postmodum apparuit cuidam juxta molendinum in specie cujusdam animalis valde monstruosi, cujus caput & cauda erant asini, & totum corpus ipsius erat ursi, cumque ille vidisset hoc, statim præ timore fugere incepit, veruntamen quia hujusmodi monstrum clamavit, quod ad ipsum venire non dubitaret, ideo ipse, qui hoc audiebat & videbat, retrocessit, cui dixit: Noli expavescere, scio, quia sicut tu es, noveris me hominem fuisse, sed jam tale me ostendo monstrum, quale in Felicem Papam extiti, & in seculo bestialiter subvixi. Qui quidem rexit ecclesiam tredecim annis secundum unam chronicam; sed secundum aliam dicitur de quarto decimo, Conrado Imperatore tunc regnante.

SYLVESTER III.

Vivente dicto Benedicto Papa nono sedem apostolicam violenter occupavit, & de facto in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus & quinquagesimus octavus anno a nativitate Domini millesimo quadragesimo quarto secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de septimo.

Item quod ipse Sylvester Papa est ille Cardinalis, qui fuit episcopus Sabinensis, & in Papatum intrusus, & dictus Benedictus nonus a sede apostolica extitit expulsus, prout in prima chronica latius continetur. Qui quidem post paucos dies de hoc seculo migravit.

Item quod iste Sylvester rexit ecclesiam quadraginta & sex diebus secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de quadraginta diebus, Henrico Imperatore tunc regnante.

GREGORIUS VI.

Supra dictus, qui fuerat Archi-Episcopus ecclesiæ ante portam Latinam S. Johannis Urbis Romæ post dictum Sylvestrum tertium intrusum per violentiam & per intrusionem in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus & quinquagesimus nonus, anno a nativitate Domini millesimo quinquagesimo septimo secundum unam chronicam, sed dicitur secundum aliam de octavo.

Item quod ipse Gregorius fuit ille, qui secundum unam chronicam post expulsionem dicti Benedicti Papæ noni fuit Papa factus & intrusus & postea datus fuit adjunctus, & deinde ipse Gregorius cum adjuncto suo a sede apostolica extitit expulsus, & alter tertius Clemens noviter fuit subrogatus.

Item quod ipse Gregorius, prout legitur, fuit sanctus homo, ut sanctis exemplis ostenditur manifestis, & etiam cum ipse ad Papatum promotus fuisset, omnia quasi bona ad ipsum Papatum pertinentia, quæ propter negligentiam aliquorum suorum prædecessorum fuerunt perdita, & a suis malis hominibus & tyrannis extiterant occupata, recuperavit & nihilominus illa modica bona, quæ remanserant, ab ipsis quotidie occupabantur, & quod peregrinos visitantes limina Petri & Pauli apostolorum urbis Romæ & ipsorum oblationes ipsi spoliabant & auferebant atque sibi appropriabant, ideo ipse Gregorius omnes tales malefactores canonice monuit ut sub pœna excommunicationis a præmissis desistere deberent, & quia ipsi suam monitionem contempserunt, ideo solenniter eos excommunicavit, & sic excommunicatos in ecclesiis publice denunciari fecit.

Item quod ipse Gregorius postea videns quod isti malefactores erant incorrigibiles & vincula ecclesiæ contemnentes, ideo ipse cum manu armata contra ipsos se opposuit, & omnes receptores oblationum ecclesiarum urbis Romæ penitus extinxit atque effugavit, & castra ecclesiæ Romæ per ipsos occupata in longo tempore ab ipso detenta recuperavit.

Item quod cum ipse Gregorius quotidie cum manu armata dictos captores & sacrilegos persequeretur, tunc populus Romanus & clerus homicidam voluntarium clamantes eum dixerunt & reputaverunt, & contra ipsum insurrexerunt & conspirare inceperunt.

Item quod postea ipse Gregorius gravi infirmitate fuisset detentus, postquam de ejus vita desperabatur, ideo voluit & requisivit, ut corpus suum in ecclesia sancti Petri urbis Romæ post mortem suam sepeliretur, super quo Cardinales dubitantes contra ipsum Gregorium murmuraverunt & murmurare inceperunt ad invicem dicendo, ipsum Gregorium in dicta ecclesia sancti Petri apostoli esse indignum sepeliri, qui tot mortibus hominum & sanguine ipsorum Papale polluisset sacerdotium. Cumque hoc ipse Gregorius audivisset, statim coram omnibus fratres suos Cardinales congregari fecit & eis sermocinavit, & deinde ipsos reprehendit super præmissis eis ostendendo, quod non inique sed juste & sancte contra dictos raptores processerat, juxta exemplum Ezechielis Prophetæ, qui suo tempore suos sacerdotes reprehenderet, qui non se opponebant tanquam murum domus Israhel, & deinde multa alia bona eis dedit & allectavit.

Item quod cum postea ipse Gregorius dissolutionem sui corporis sibi imminere vidisset & sensisset, ipse omnibus Cardinalibus suis & eis injunxit, quod statim eo mortuo, antequam corpus

Digitized by Google

corpus ad ecclesiam sancti Petri urbis Romæ ad sepeliendum portaretur, quod omnes januas illius ecclesiæ cum fortissimis ferris & vectibus atque baculis ferreis firmiter claudi fecerit, & si postea, quando corpus suum ad dictam ecclesiam deportaretur, nutu divino ipsæ januæ aperirentur, tunc in ipsa ibi suum corpus sepeliretur, cumque, ipso dicto Gregorio mortuo, ita Cardinales fecissent, statim supervenit & surrexit quidam ventus validissimus & tempestuosus ad modum turbinis, qui confestim omnes portas ecclesiæ supra dictæ non solum aperuit, sed etiam ipsas cum magno fragore usque ad parietes ipsius ecclesiæ deportavit, in qua quidem ecclesia honorifice fuit sepultus & rexit ecclesiam duobus annis & sex mensibus, Henrico Imperatore secundo tunc regnante.

CLEMENS II.

Post dictum Gregorium sextum per violentiam intrusum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus & sexagesimus, anno a nativitate Domini millesimo quadragesimo nono secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de quinquagesimo.

Item quod iste Clemens prius Svidegorius vocabatur, & quod ante suam promotionem ecclesiæ Bambergensis fuit episcopus, & per violentiam ab Henrico Imperatore Papa Romanus extitit factus & ab ipso dictus Henricus postea in Imperatorem fuit coronatus, prout latius continetur in chronicis Benedicto Papæ jam supra dicti, sed ipse Clemens rexit ecclesiam novem mensibus & septem diebus, & tunc vacavit sedes apostolica triginta diebus, Henrico Imperatore tunc secundo regnante.

DAMASUS II.

Post dictum Clementem Papam secundum per violentiam & invasionem in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus & sexagesimus primus, anno a nativitate Domini millesimo quinquagesimo nono secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de quinquagesimo.

Item quod iste Damasus per invasionem Papatum occupavit, unde subito defunctus fuit, quia non rexit ecclesiam nisi viginti tribus diebus. Et tunc vacavit sedes apostolica triginta diebus, Henrico Imperatore tunc secundo regnante.

LEO IX.

Genere Almannicus, de regione Lotharingiæ natus fuit, & post Damasum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus & sexagesimus secundus, anno a nativitate Domini millesimo quinquagesimo, & aliter sexagesimo primo.

Item quod cum ipse Leo Banno vocabatur, tunc Episcopus Tullensis existens ab Imperatore ad requisitionem Romanorum in Papam electus fuisset, & suæ electioni ipse Banno concessisset, ideo ipse apud urbem Romanam post adinventus de suo consensu penitus suæ electioni renunciavit, & postea de novo in Papam canonice fuit electus.

Item quod iste Leo fuit vir sapientia & sanctitate valde præclarus in tantum, quod cum ipse per urbem Romanam pergeret pro Papatu obtinendo, tunc ipse audivit plures voces Angelorum canentium & dicentium: Altissimus sic dicit: Ego cogito cogitationes pacis & non afflictionis.

Item quod cum quadam die unum leprosum valde lepra percussum ante suum palatium existentem vidisset, ideo amore Dei & intuitu pietatis & consolationis secrete & devote fecit venire eum ad ipsum, & secum in uno loco quiescere & dormire fecit, sed ipsum leprosum crastina die in camera non invenit, dubitans Christum in loco ipsius leprosi suscepisse.

Item quod cum ipse Leo Papa post laudabilem vitam migravit ad Dominum, & a clero & populo in ecclesia sancti Petri apostoli urbis Romæ honorifice fuit sepultus, qui quidem rexit ecclesiam quatuor annis & duobus mensibus & sex diebus secundum unam chronicam, sed secundum aliam chronicam dicitur de quinque annis, Henrico Imperatore tunc regnante.

VICTOR II.

Natione Almannus post dictum Leonem Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus & sexagesimus tertius, anno a nativitate Domini millesimo quinquagesimo quinto vel sexto.

Item quod ipse Victor timore & voluntate & instigatione Imperatoris Papa fuit factus & post suam promotionem tempore Henrici Imperatoris apud Florentiam celebravit synodum, in qua plures schismaticos & publicatos fornicatores sententialiter condemnavit & a suis episcopatibus eos deposuit.

STEPHANUS IX.

Natione Lotharingius & post dictum Victorem Papam secundum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus & sexagesimus quartus, anno a nativitate Domini millesimo quinquagesimo octavo vel nono.

Item quod ipse Stephanus ante suam promotionem Fridericus vocabatur, & tunc erat Abbas monasterii montis Cassinii, sed post paucos dies ad Dominum migravit, & in Scutia apud Florentiam honorifice fuit sepultus. Qui quidem rexit ecclesiam novem mensibus & viginti septem diebus secundum unam chronicam; sed in quadam alia dicitur de octo, Henrico Imperatore III. tunc regnante.

BENEDICTUS X.

Post dictum Stephanum Papam nonum per violentiam intrusum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus & sexagesimus quintus, anno a nativitate Domini millesimo octavo vel nono.

Item quod ipse dictus Benedictus ante suam promotionem Mincius vocabatur, & tunc erat Episcopus Valestiensis, deinde per violentiam

Papa

Papa fuit factus, quare postea ipse Papatui renunciavit. Qui quidem rexit ecclesiam novem mensibus secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de decem & novem mensibus, Henrico Imperatore tunc regnante.

NICOLAUS II.

Natione Burgundus post dictum Benedictum decimum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus & sexagesimus sextus, anno a nativitate Domini millesimo quinquagesimo nono.

Item quod ipse Nicolaus ante suam promotionem Gerhardus vocabatur, & tunc erat Episcopus Florentinus, & ipse a Cardinalibus apud Ceneram* civitatem unanimiter una voce in Papam fuit electus, qui postea, celebrato concilio generali apud urbem Romanam fuit defunctus.

Item quod iste Nicolaus rexit ecclesiam duobus annis & sex mensibus & viginti sex diebus, & tunc vacavit sedes apostolica decem diebus, Henrico Imperatore tertio tunc regnante.

ALEXANDER II.

Natione Mediolanensis post dictum Nicolaum II. Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus & sexagesimus septimus, anno a nativitate Domini millesimo sexagesimo secundo; sed in multis aliis chronicis dicitur de sexagesimo tertio.

Item quod ipse Alexander post suam promotionem magnas persecutiones habuit, nam ipso vivente, quidam Cadolus nomine, Episcopus Parmensis quasi ab omnibus Episcopis Lombardiæ in Papam fuit electus, pro eo, quia nullus in Papam eligi debet, ut asserebant, nisi ipsi de corde seu de paradiso Italiæ fuisset. Quare iste Cadulus cum magno exercitu pro obtinenda possessione Papatus duabus vicibus venit apud urbem Romanam, sed nihil facere potuit. Unde iste Cadulus contra illos, qui sic resistebant, manu armata processit & multos occidi fecit. Cumque isti duo super Papatu contenderent, & propter hoc multa mala quotidie perpetrabantur, ideo dictus Alexander requisivit Henricum Imperatorem, ut apud urbem Romanam veniret in auxilium ipsius, qui cum ipse venisset, statim ipse Alexander in præsentia ejusdem Imperatoris magnum concilium & solenne in Mantuana sua civitate celebravit, in quo quidem concilio de simoniaca pravitate, quæ per dictum Cadulum & suos sequaces sibi imponebantur, se canonice purgavit, quare statim ab omnibus verus Papa ipse Alexander approbatus, & dictus Cadulus tanquam verus Simoniacus & ecclesiæ Romanæ invasor ambitiosus fuit damnatus & a Papatu extitit repulsus.

Item quod iste Alexander post multos labores ad Dominum migravit & apud urbem Romanam in ecclesia Lateranensi a clero & populo honorifice fuit sepultus. Qui quidem rexit ecclesiam undecim annis, sex mensibus & viginti quinque diebus secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de novem annis cum dimidio, Henrico Imperatore regnante.

GREGORIUS VII.

Natione Tuscus ex patria Soanensis, post dictum Alexandrum secundum Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus & sexagesimus octavus anno a nativitate Domini millesimo septuagesimo tertio secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de quarto.

Item quod ipse Gregorius ante suam promotionem Hildebrandus vocabatur, & tunc erat puer claustralis monasterii Cluniacensis, & postea fuit Cardinalis, & deinde in Papam unanimiter a Cardinalibus extitit electus, & postea cum magna solennitate ipse extitit consecratus & coronatus.

Item quod cum ipse Gregorius postea in die nativitatis Christi devote Missam primam in ecclesia sanctæ Mariæ majoris, quæ vulgariter ad præsepe Domini vocatur, celebraret, Cincius, filius Præfecti urbis Romæ cum manu armata eum cepit, & in quadam sua turre ipsum posuit & inclusit, unde Romani super hoc turbati eadem nocte dictam turrim destruxerunt & ipsum Gregorium liberaverunt, & postea dictum Cincium ab ipsa urbe ejecerunt.

Item quod ipse Gregorius secundo anno sui Pontificatus in urbe Romana synodum celebravit, in qua omnes schismaticos anathematizavit & sacerdotes uxoratos ab injuncto officio removit seu privavit, & missas ipsorum laicis audire interdixit, propter quæ contra eum in clero fuit magnum schisma & grave scandalum exortum.

Item cum iste Gregorius dictum Imperatorem excommunicasset, prout dictum est, & ipse Imperator apud Wormatiam cum viginti & quatuor Episcopis & pluribus nobilibus contra ipsum Gregorium suum concilium celebravit, irrita esse atque nulla. Quare ipse Gregorius omnes, qui erant verbis aut literis dicto Henrico Imperatori obligati, ab omni juramento vel homagio, subjectione & fidelitate penitus absolvit, propter quæ Imperii Electores Rudolphum, Ducem Sveviæ in Imperatorem elegerunt, cujus electionem dictus Gregorius confirmavit & coronam pro sua coronatione sibi transmisit, in qua quidem erat scriptus iste versus:

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho.

Item quod iste Gregorius magnum concilium contra Henricum Imperatorem tertium celebravit, in quo quidem centum & decem Episcopi viri catholici interfuerunt, qui quidem dictum Imperatorem excommunicavit, quia ipse viribus suis ecclesiæ Romanæ studere conabatur. Sed postea ipse Imperator de hoc pœnitens ad ipsum Gregorium tunc in Lombardia existentem cum magna compunctione cordis & humilitate nudis pedibus & stans super nivem & glacies, quæ ibi erant, tunc absolutionem sibi postulavit, quam etiam ab eo obtinere potuit.

Item quod cum postea dictus Henricus excommunicatus & damnatus audivisset promo-

Digitized by Google

tionem dicti Rudolphi Imperatoris de novo facti, statim ipse Henricus & plures Episcopi schismatici Gibertum Archi-Episcopum Ravennatensem in Papam elegerunt, cum nomine Clementis isti imposuerunt, quem quidem Henricus genibus flexis cum suis sequacibus adoravit, & deinde apud urbem Romanam ipsum Clementem cum exercitu perduxit, & ab Episcopis Bononiensis, Mutinensis & Cremonensis ecclesiarum cum plenitudine Papam benedici fecit, & nihilominus in die sancto Paschæ coronam imperii ab ipso Giberto cum solennitate & plenitudine sibi tradi fecit, tunc dicto Gregorio Papa cum Cardinalibus suis in castro sancti Angeli præ timore dicti Henrici existente & se ab eo custodiente.

Item quod cum dictus Henricus ab ipso Giberto Anti-Papa coronatus fuisset, statim cum magno exercitu suo dictum castrum sancti angeli, in quo prædictus Papa Gregorius erat cum Cardinalibus suis, fortiter obsedit, & deinde Romani dicto Henrico consaventes eum & dictum Anti-Papam acceperunt, & dictum Gisbertum per ipsos Clementem inthronizaverunt.

Item quod postea audiens dictus Henricus damnatus, quod Robertus Gviscardi, qui regnabat in Apulia, cum magno exercitu in adjutorium dicti Gregorii & contra dictum Henricum veniebat, statim ipse Henricus capitolium & urbem Leoninam destruxit, cum dicto Giberto Anti-Papa apud Senas civitatem recessit atque subegit; sed nihilominus eadem die, qua ipsi intraverunt, prædictus Robertus Gviscardi prædictam civitatem decendio obsedit & eam igne & fame consumens illa die eam cepit, & supra dictum Gregorium Papam de obsidione sui castri sancti angeli liberavit, & in sede sua apostolica apud urbem Romanam in palatio Lateranensi cum summa reverentia & honore ipsum restituit atque reintegravit.

Item quod cum dictus Henricus Imperator depositus apud Maguntiam cum Prælatis & Nobilibus secundum concilium solenne contra dictum Gregorium Papam cum prædicto Giberto Anti-Papa celebrasset, & deinde ipse Henricus ipsum Gregorium Papam odio capitali persequeretur, & post præfatus Gregorius in Apuliam accessit, tandem per ipsum Henricum extitit captus apud Selonium & in exilio ipse fuit deportatus, in quo ad Christum migravit, & plura atque diversa miracula Deus pro ipso commonstravit, & post ipsius obitum dictus Gibertus in numero aliorum Pontificum non debet poni nec nominatur, tandem postea judicio divino morte fuit defunctus.

Item quod ipse Gregorius rexit ecclesiam duodecim annis, uno mense, quatuor diebus secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de tredecim annis. Et tunc vacavit sedes apostolica per duos annos secundum unam chronicam, Henrico Imperatore tertio tunc regnante.

VICTOR III.

Post dictum Papam Gregorium septimum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus & sexagesimus nonus, anno a nativitate Domini millesimo octuagesimo octavo.

Item ipse Victor ante suam promotionem Desiderius vocabatur, & erat Abbas monasterii, qui propter dysenteriam fuit defunctus secundum unam chronicam seu opinionem; sed quidam alii dicunt, quod in prima Missa, quam ipse celebravit, per venenum in calice ab inimicis suis depositum fuit enecatus & mortem passus, & deinde a clero & populo apud urbem Romanam in ecclesia Lateranensi honorifice extitit sepultus.

Item quod ipse Victor rexit ecclesiam uno anno, quatuor mensibus & septem diebus, & tunc vacavit sedes apostolica novem diebus secundum unam chronicam, Henrico Imperatore tunc regnante.

VRBANVS II.

Qui antea Odo vocabatur, & post dictum Victorem Papam tertium in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus & septuagesimus, anno a nativitate Domini millesimo octuagesimo octavo secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de nono.

Item quod cum ipse Urbanus postea in civitate Placentiæ cum multis Episcopis & abbatibus synodum solenniter celebravit, inter omnia, quæ fecerat, ordinaverat prius Gibertus Anti-Papa hæresiarcha tempore Gregorii Papæ septimi, tanquam irrita & nullius momenti decrevit & pronunciavit, & cætera per dictum Gregorium facta postea ipse renovavit & confirmavit.

Item quod in eodem concilio statuit & ordinavit, ut præfatio beatæ Mariæ, quæ incipit: Et te in veneratione beatæ Mariæ, & cætera, quam ipse compilavit, alta voce præfationibus, qua in Missa dicitur, proximis temporibus adderetur, & quando officium beatæ Mariæ celebraretur, quod tunc in Missa ipsa præfatio legi atque decantari deberet.

Item quod ipse Urbanus in civitate Claromontensi apud Arvernum aliud concilium solenniter celebravit, in quo ipse statuit & ordinavit, ut de cætero horæ beatæ Mariæ cum aliis canonicis horis quotidie dicerentur, & in diebus Sabbathicis officium ipsius solenniter celebraretur.

Item quod iste Urbanus in dicto concilio convocavit omnes Principes & Barones, & alios magnos viros & ignobiles de partibus Orientalibus, quibus ipse flendo & gemendo exposuit, quod loca sancta ultramarina a perfidis paganis atque ethnicis summe profanabantur in Dei non modicam blasphemiam & Christianorum vituperium atque jacturam, & ab eis detinebantur, quare omnes singulos supra dictos requisivit, quod pro redemtione animarum ipsorum Duces perfidos paganos eruere deberent & dictam terram sanctam manibus ipsorum infidelium liberarent & Christi fidelibus assignarent, & deinde ut ipsi ad persequendum & faciendum

dum hujusmodi sanctum passagium essent armati, ideo omnibus cruce signatis in mortis articulo plenissimam Dei indulgentiam & cuilibet ipsorum dedit & concessit, & nihilominus omne subsidium, auxilium & favorem eis dare promisit, quibus quidem per ipsum Urbanum expositi omnes prædicti nobiles & ignobiles, divites & pauperes, nec non etiam Episcopi, Prælati, Presbyteri & clerici tam præsentes quam absentes diversarum regionum atque terrarum zelo Dei & catholicæ fidei ad faciendum hujusmodi dictum passagium effecti fuerunt animosi, & quod quilibet ipsorum statim parare se juxta posse inceperunt & deinde sine aliquo Rege, Duce vel Capitaneo pro obtinendo sepulchrum Dominicum & etiam totam terram sanctam Christi transfretaverunt, & ad istam sanctam terram omnes insimul unanimiter accesserunt & terminos paganorum ingressi fuerunt & contra ipsos pugnare viriliter inceperunt, anno a nativitate Domini millesimo nonagesimo septimo.

Item quod in hoc sancto exercitu principales ipsius erant ecclesiæ Podiensis Episcopus, Godofridus Dux Lotharingiæ & Anastasius & Ludovicus frater ipsius, Robertus Comes Flandriensis, Radulphus Comes Moron. Hugo Magnus frater Regis Franciæ, Stephanus Comes Blesensis, Renaudus Comes sancti Ægidii & Tholosanæ, Secundus Dux Apuliæ, Robertus Comes Normanniæ, Anshelmus de Ribeidimonte, Renaudus de Jurea & Golforio de Turribus, vir memoria dignus, qui quidem postea cum toto dicto exercitu contra Duces infideles in certamen apprehendi habuerunt & receperunt, in quo prælio dicti pagani dimisi fuerunt & a Christianis fusi extiterunt apud pontem fluminis, cui nomen est Phaseli, nono Kalendas Martii.

Item quod postea dictus exercitus Christianorum cum magnis corporum suorum afflictionibus ad rapiendum urbes & castra usque ad civitatem Antiochiæ viriliter processit, & postea ipsa civitate capta ab ipsis, quod ipse exercitus usque ad Jerusalem cum honore & triumpho pervenerat, in quo loco dicti pagani cum maxima sanguinis effusione iterum devicti fuerunt.

Item quod postea exercitus Christianorum habito triumpho & victoria de paganis supra dictis statim dictam civitatem Jerusalem obsederunt & finaliter ipsam obtinuerunt, qua obtenta & obsecrationibus bene mundata, Patriarcha ibi ordinatur & Rex eligitur & constituitur, & spolia inter omnes de exercitu christianorum dividuntur, & reverentia summa Dei exhibetur, anno a nativitate Domini millesimo nonagesimo nono.

Item quod postea exercitus christianorum de omnibus ordinasset, & de civitate Jerusalem & omnibus aliis locis bene stabilitis ad partes proprias remeare proposuit, ecce Rex Saracenorum cum millibus equitum hominum & quadringentis peditum contra dictum exercitum christianorum subito pervenit, in quo tunc non erant plures quam quinque millia equitum & quindecim peditum millia, qui quidem pagani cum magna sanguinis effusione atque confusione in campis devicti extitissent, & dictus exercitus christianorum cum honore & triumpho & divitiis ad suas partes proprias redivit, quæ quidem omnia & singula acta fuerunt & executa ex industria & probitate ipsius Urbani Papæ secundi.

Item quod ipse Urbanus post multos labores & tribulationes ad Dominum migravit, & apud urbem Romanam in ecclesia Lateranensi a clero & populo honorifice fuit sepultus, qui rexit ecclesiam undecim annis. Et tunc vacavit sedes apostolica sedecim annis, Henrico Imperatore tertio tunc regnante.

PASCHALIS II.

Natione Tuscus & natus de loco, qui vocatur Bleda, post dictum Urbanum Papam secundum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus & septuagesimus primus, anno a nativitate Domini millesimo nonagesimo nono secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de centesimo.

Item quod ipse Paschalis post suam promotionem ad partes Gallorum accessit, & tunc in castro de Cauxi ecclesiam beatæ Mariæ virginis ob ipsius honorem & reverentiam solenniter dedicavit atque ipsam consecravit, & multa dona & munera eidem ecclesiæ dedit.

Item quod ipse Paschalis tempore suo multas persecutiones habuit, nam Henricus Imperator quartus ipsum cepit, & longo tempore eum in vinculis tenuit & in carceribus, quia patrem dicti Imperatoris in ecclesiasticis locis sepelire interdicebat, nec ipsum Imperatorem coronare volebat, nisi ipse prius redderet ecclesiam Romanam in sua libertate debita & consveta, sed postea ipse Paschalis ab ipso fuit liberatus, quare postmodum ipse Henricus in Imperatorem electus propter suam coronationem obtinendam in Italiam cum magno exercitu pervenit, & deinde solennes nuncios cum suis literis summe gratiosis & dissimulatis ipsi Papæ Paschali apud urbem Romanam destinavit, quibus inter alia sibi scripsit, quod de ordinatione, investitura & provisione Episcoporum, Abbatum & aliorum clericorum non curabat neque super ipsis quæstionem sibi referre intendebat, prout antea fecerant sui prædecessores. Propter quod ipse Paschalis Papa, prius capto ab ipso Imperatore & suorum Principum fidelitatis juramento, Imperator de mandato ipsius Paschalis a clero & populo honorifice fuit salutatus & receptus, & per ipsos usque ad gradum ecclesiæ sancti Petri urbis Romæ extitit productus, in quo loco dictus Imperator ad eundem Paschalem veniens cum Cardinalibus suis, statim genibus flexis, cum magna humilitate & devotione suos pedes ipse fuit osculatus, & deinde Paschalis dictum Imperatorem ad suum pacis osculum recepit, & postea tanquam verum Imperatorem pronunciavit atque publicavit.

Item quod cum ipse Henricus Imperator ab ipso

Digitized by Google

ipso Paschali, ut dictum est, receptus fuisset, deinde magnos honores in urbe Romana ab eo recepisset, credens ipsum se esse talem, qualiter sibi ostendebat, ideo ipsum Henricum Imperatorem requisivit, ut omnia privilegia & libertates ecclesiæ Romanæ a suis prædecessoribus concessa atque facta confirmare deberet, & nihilominus omnibus jurisdictionibus, super quibus sui prædecessores aliquid moverant indebite & injuste, ipse cedere & renunciare deberet, cumque dictus Henricus hoc audivisset, statim ipsum Paschalem cum omnibus suis Cardinalibus capi & in duris carceribus eos poni fecit.

Item quod cum ipse Paschalis cum suis Cardinalibus cum Dei adjutorio postea a carceribus liberati fuissent, statim quidam ex clero Romano contra ipsos insurgentes tres summos hæreticos in Papam eligere præsumserunt, qui multas persecutiones & molestias dicto Paschali intulerunt, sed finaliter ab ipso prostrati & conversi remanserunt.

Item quod cum ipse Paschalis pacem & concordiam cum dicto Imperatore fecisset, & ipse ecclesiam Romanam in suis libertatibus reduxisset, & propter præmissa multos labores & persecutiones pro Christi amore ipse sustinuisset tandem ad Christum migravit, & apud urbem Romanam in ecclesia Sancti Salvatoris a clero & populo honorifice fuit sepultus. Qui quidem rexit ecclesiam decem & novem annis, quinque mensibus & septem diebus, & tunc vacavit sedes apostolica duobus diebus, Henrico Imperatore quarto tunc regnante.

GELASIVS II.

Natione Campanus & de civitate - - fuit natus, & post beatum Paschalem Papam secundum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus & septuagesimus secundus, anno a nativitate Domini millesimo centesimo octavo secundum unam chronicam; sed secundum aliam chronicam dicitur de decimo nono.

Item quod iste Gelasius Papa ante suam promotionem Johannes vocabatur, & erat sanctæ Romanæ ecclesiæ Vice-Cancellarius, & ab omnibus Cardinalibus concorditer in Papam fuit electus, & ab Imperatore Henrico valde fuit persecutus.

Item quod ipse Gelasius propter timorem dicti Imperatoris apud Cajetanam civitatem cum Cardinalibus suis recessit, & deinde per mare ad Franciam perrexit & monasterium ordinis Cluniacensis visitavit, in quo post ad Dominum migravit & ibi honorifice extitit sepultus. Qui quidem rexit ecclesiam uno anno & quinque mensibus, & tunc vacavit sedes apostolica per viginti quatuor dies, Henrico Imperatore quarto tunc regnante.

CALIXTVS II.

Natione Burgundus post dictum Gelasium Papam secundum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus & septuagesimus tertius, anno a nativitate Domini millesimo centesimo duodecimo.

Item quod iste Calixtus primo anno suæ promotionis concilium generale in Hispania apud civitatem Toletanam cum omnibus Cardinalibus suis, Archiepiscopis & Episcopis, Abbatibus Gosiæ, Vasidiæ, Hispaniæ & citerioris Britanniæ solenniter celebravit, in quo inter cætera damnavit hæreticos, qui sub ipso religionem Dominici corporis & sanguinis, baptisma parvulorum, sacerdotum & ecclesiasticorum ordines & Legis amare fœdera impræsentiarum damnabant.

Item quod iste Calixtus ante suam promotionem vocabatur & erat frater Germanus Comitis Burgundiæ & Archiepiscopus Viennensis, qui post mortem dicti Gelasii a Cardinalibus in monasterio Cluniacensi in Papam concorditer fuit electus.

Item quod iste Calixtus postea statuit & ordinavit, ut de cætero nullus Princeps vel alius Dominus temporalis nec laicus temporalis nobilis, quacunque fulgerent dignitate, primitias, decimas, oblationes quas Deus pro servitoribus ecclesiæ sponsæ sibi reservaverat, recipere & sibi appropriare præsumerent.

Item quod iste Calixtus postea accedens versus Romam per totam Italiam cum magno gaudio & honore ab omnibus fuit receptus, quo audito, Gregorius Antipapa quem fecerat fieri Henricus Imperator, in quodam fortalitio præ timore ipsius se reposuit; sed nihilominus Calixtus cum Romanis eum obsedit ibi, & ipsum finaliter cepit, & deinde istum Bongondum * supra unum camelum versa facie sedere fecit, & caudam ipsius cameli pro freno sibi assignavit, & deinde coram isto Calixto versus Romam urbem accedente & in ingressu ipsius Romæ urbis equitavit & eum præcedere ordinavit, & postea cum ipse fuit in urbe Romana, in quodam fortissimo carcere cum perpetuo reclusit, in quo ipse ignominiose dies suos finivit & de suo antipapatu renunciationem ipse accepit.

Item quod tempore ipsius Calixti Papæ ordo Præmonstratensium suum habuit exordium in Francia & in diœcesi Lugdunensi a quodam valentissimo viro nobili & potenti & summe devoto, qui per istum Calixtum Papam fuit confirmatus.

Item quod ipse Calixtus Papa propter reverentiam Dei, & honorem corporis beati Jacobi apostoli, qui ibi requiescit, ecclesiam Compostellanam cathedralem & metropolitanam statuit atque etiam erexit, & totam provinciam citra montanam proponere sibi surrexit *, & monasterium Sancti Franconis Petragoricensis etiam ipse ditavit.

Item quod ipse Calixtus Papa postea magnum concilium & solenne apud urbem Romanam celebravit, in quo plures Archiepiscopi diversarum provinciarum Episcopi & Abbates interfuerunt, & in illo concilio omnes ordinationes & Begoardorum hæresiarcha & sui sequaces, postquam ab ecclesia Romana ipse fuit con-

Digitized by Google

condemnatus, ab ipso Calixto irritæ & inanes judicatæ extiterunt.

Item quod iste Calixtus facta concordia cum Henrico Imperatore, ecclesia Romana per eum sub tranquillitate & bona dispositione constituta, ad Christum migravit, & apud Romanam urbem in ecclesia Lateranensi a clero & populo extitit sepultus. Qui quidem rexit ecclesiam quinque annis, decem mensibus & tredecim diebus. Et tunc vacavit sedes Apostolica quinque diebus, dicto Henrico Imperatore quarto tunc regnante.

HONORIVS II.

Natione Bononiensi fuit natus, & post dictum Calixtum Papam secundum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum Apostolum extitit Papa centesimus & septuagesimus quartus, anno a nativitate Domini millesimo centesimo & vicesimo quinto.

Item quod ipse Honorius propter infidelitatem atque crudelitatem barbarorum & gentium & Patriarchæ Aquilegiensis Rogerium Comitem de partibus Siciliæ, tanquam ecclesiæ fidelem, fecit Ducem Apuliæ, & de ipso eum investivit, facto sibi prius homagio, & juramento fidelitatis præstito, prout fieri est consuetum.

Item quod iste Honorius per quendam Cardinalem Legatum suum solenniter duos Patriarchas, scilicet Aquilegiensem & Graudentensem tanquam veros schismaticos condemnavit, & a suis Cardinalibus eos deposuit atque eos privavit.

Item quod tempore ipsius Honorii Papæ, anno a nativitate Domini millesimo centesimo vicesimo octavo ordo militiæ in Jerusalem sumsit exordium, qui quidem ordo a multis nobilibus & magnificis viris primo fuit inventus & institutus a nativitate Stephani tunc Patriarchæ Hierosolymitani, qui postea eo loco juramento sibi præstito se fortiter adstrinxerunt, ut omnes peregrinos & alios sepulchrum Dominicum & ejus terram sanctam visitantes a latronibus defenderent & stratas seu vias publicas fideliter a malis hominibꝰ custodirent, & nihilominus more canonicorum regularium in obedientia, castitate, & sine proprio viventes devote militarent, propter quod eis habitus albus primitus fuit assignatus sine aliqua cruce, & cum regula beati Bernhardi ad requisitionem dictorum novem nobilium hujusmodi ordinis fundatorum, & ad requisitionem Franciæ Regis & suorum subjectorum. Et deinde in porta Salomonis Hierosolymitani pro Christi ordine domus militiæ solenniter fuit ædificata, & propter hoc milites templi vocati fuerunt.

Item quod in isto tempore Honorii cruces rubeas in vestimentis superioribus affixerunt, & vexillum coloris - - seu aurei assumserunt, & vestes albas in signum munditiei detulerunt & cruces martyrium designantes, quia sanguinem proprium secundum instituta regulæ pro defensione terræ sanctæ effundere sunt professi, inimicos fidei viriliter expugnare, & a prælio non surgere neque reverti sine licentia ipsorum Præsidentis atque ordinatione.

Item quod ipse Honorius post multos labores & sui corporis afflictiones ad Dominum migravit, & in ecclesia Lateranensi urbis Romæ tam a clero quam populo honorifice fuit sepultus, qui quidem rexit quinque annis ecclesiam, duobus mensibus & tribus diebus secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de viginti octo diebus, Henrico Imperatore quarto tunc regnante.

INNOCENTIVS II.

Natione Romanus de regione - - - - ac ex patre Fauno fuit natus, & post dictum Honorium Papam secundum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus & septuagesimus quintus, anno a nativitate Domini millesimo centesimo tricesimo secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de tricesimo secundo.

Item quod iste Innocentius ante suam promotionem Gregorius vocabatur, & tunc erat tempore S. Vincentii Diaconus Cardinalis, & majori parte Cardinalium ipse extitit electus, & Petrus Leonis tituli S. Mariæ in Marcello Diaconus Cardinalis a minore parte ipsorum Cardinalium ex adverso extitit nominatus atque de facto in Papam electus, qui quidem cum fortitudine amicorum suorum ecclesiam S. Petri violenter occupavit, & deinde totum thesaurum ipsius ecclesiæ & aliarum ecclesiarum urbis Romæ sibi appropriavit & occupavit, & cum ipsis omnes Romanos corrupit & de facto ditavit, propter quod ipsi a Domino Petro Leonis dare consilium, auxilium & favorem sibi contra dictum Innocentium dari procuraverunt & dederunt.

Item quod cum ipse Innocentius vidisset persecutionem & impedimenta istius Petri Leonis & suorum fautorum, quæ fiebant quotidie contra eum & ecclesiam Romanam, ideo cum suis Cardinalibus per mare ad Franciam perrexit, ubi a Rege Franciæ cum summo honore & gaudio cum suis Cardinalibus extitit receptus.

Item quod Iste Innocentius postmodum primo apud Remos, deinde Parisios, & postea in Alemannia in civitate Claromontensi, in quibus tria concilia magna solenniter celebravit, & ibi ab omnibus Archi-Episcopis, Abbatibus & communiter a clero tanquam verus Papa acceptus & approbatus fuit, & deinde dictus Petrus Anti-Papa intrusus atque ecclesiæ Romanæ invasor fuit condemnatus & anathematizatus.

Item quod cum ipse Innocentius ad urbem Romanam rediret & in Italia ipse esset, tunc de Januensibus & Pisanis ad invicem vehementer præliantibus fecit pacem & tranquillitatem dedit. Et quia favorem & consilium pro ipso Innocentio & ecclesia Romana fideliter tanquam veri catholici impenderent, ideo ecclesiam Januensem & Pisanam tunc cathedrales & metropolitanas habere sic statuit & ordinavit.

Item quod ipse Innocentius Papa statuit & ordinavit, & super hoc omnibus clericis privilegium concessit, ex quibus qui in clericos manus injicerent seu ponerent violentas, ipso facto

Digitized by Google

cto essent excommunicati, & ipsi citra sedem apostolicam absolvi non possent, prout etiam in sacris canonibus continetur. Et tunc in eodem anno florebat apud Parisios Magister Hugo, Canonicus regularis monasterii S. Victoris ejusdem loci in pluribus sanctus Doctor egregius atque quidem Hugo de sancto Victore communiter appellatur.

Item quod iste Innocentius concilio postea Lateranensi per eum celebrato ad Christum migravit, & a clero ibi & populo honorifice fuit sepultus. Qui quidem rexit ecclesiam tredecim annis, septem mensibus & octo diebus, & tunc vacavit sedes apostolica duobus diebus, Lothario Imperatore tertio tunc regnante.

CELESTINVS II.

Natione Tuscus de castro feliciter post dictum Innocentium Papam secundum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus & septuagesimus sextus, anno a nativitate Domini millesimo quadragesimo quarto secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de tertio.

Item quod iste Celestinus ante suam promotionem Gvido Castellini vocabatur, qui post modicum tempus migravit ad Dominum, & apud urbem Romanam in ecclesia Lateranensi a clero & populo honorifice fuit sepultus. Et rexit ecclesiam quinque mensibus & tredecim diebus, Conrado tunc Imperatore regnante.

LVCIVS II.

Natione Bononiensis, ex patre Alberto fuit natus, & post dictum Celestinum Papam secundum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus septuagesimus septimus, anno a nativitate Domini millesimo quadragesimo quarto vel quinto.

Item quod iste Lucius ante promotionem suam Geraldus vocabatur, & fuit primo Cardinalis Presbyter tituli sanctæ Crucis urbis Romæ, qui totam ecclesiam ipsam de novo reædificari fecit, & postea fuit factus ecclesiæ Romanæ Vice-Cancellarius, & deinde in Papam extitit assumtus, & post modicum tempus ad Dominum migravit, & in ecclesia Romana apud urbem Romanam in ecclesia Lateranensi a clero & populo honorifice fuit sepultus, & rexit ecclesiam undecim mensibus & tribus vel quatuor diebus, Conrado Imperatore tunc regnante.

EVGENIVS III.

Natione Pisanus, post dictum Lucium Papam secundum in Romanum Pontificem fuit assumtus & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus & septuagesimus, anno a nativitate Domini millesimo centesimo quadragesimo quinto vel sexto.

Item quod ipse Eugenius fuit monachus ordinis Cistertiensis & monasterii Claræ vallis, qui fuerat beati Bernhardi discipulus & in sua sancta conversatione filius, & deinde monasterii S. Anastasii ejusdem ordinis Abbas extitit factus, & postea in Papam assumtus.

Item quod iste Eugenius esset virtute, sanctitate & conversatione præclarus, & gratia atque summa eloquentia a Deo coronatus fuisset, quamvis tamen alias valde simplex esset, subito post mortem dicti Lucii Papæ secundi Cardinalibus unanimiter in Papam in ecclesia sancti Cæsarii urbis Romæ die cathedræ S. Petri apostoli fuit electus, qui postea propter metum Senatorium ejusdem urbis Romæ, qui a populo Romano contra voluntatem dicti Lucii Papæ sui prædecessoris ad senatoriam dignitatem fuerant electi, ad Farfense monasterium se transtulit, & ibi suis Cardinalibus ab ipso convocatis & etiam Prælatis aliis munus suæ consecrationis & coronationis solenniter accepit.

Item quod cum populus Romanus contra eum Eugenium cum malitia consveta valde turbatus esset, ideo concitavit quendam Senatorem nomine Jordanum, & etiam Patricium urbis Romæ, qui quidem ipsum Eugenium Papam persequi inceperunt, propter quod ad partes Gallicanas se transtulit, & postea concilium suum celebravit, in quo quidem concilio passagium ultramarinum tractavit & ordinavit, & postea ipsum Ludovicum Regem cum Ducibus & Comitibus, Baronibus & aliis Nobilibus & ignobilibus signaculo sanctæ crucis solenniter insignivit, & deinde dictus Eugenius ad urbem Romanam redivit, quem quidem tam clerus quam populus cum magna lætitia cantando: Benedictus, qui venit in nomine Domini, receperunt.

Item quod postea ipse Eugenius Papa misit unum Burcardum abbatem tunc supervenientem in Alamaniam ad prædicandum populo sanctum passagium ultramarinum supra dictum in tantum, quod ipse reduxit cum prædicatione sua Conradum Regem Almaniæ, & multos Duces, Comites, Barones & alios nobiles, quam ignobiles Almaniæ ad persequendum dictum passagium sanctum, & ipse autoritate apostolica signaculo sanctæ crucis solenniter insignivit.

Item quod tempore ipsius Eugenii, videlicet anno a nativitate Domini millesimo quadragesimo septimo præfatus, Conradus Rex cum multis millibus hominum ultra mare contra infideles perrexerunt, & in quadam civitate, quæ Visibona vocatur, ipsi christiani in vigilia Petri & Pauli applicuerunt, & ibi obsidionem posuerunt, quam quidem post quatuor menses cum sanguinis magna effusione & summa corporum maceratione ceperunt, gratia Dei suffragante, quamvis dicti christiani non fuissent in bello nisi tredecim millia, & tamen prædicti infideles extiterunt, dictam civitatem intraverunt & ecclesiam cathedralem cum aliis parochialibus ibi dedicaverunt, & Episcopum, Presbyteros & clericos cum nimiis hymnis & canticis spiritualibus & magna lætitia statuerunt.

Item quod tempore ipsius Eugenii Papæ dictus Conradus Rex Almaniæ cum suo exercitu versus partes Constantinopolitanos & cum Manuele Imperatore Constantinopolitano ad terram suam reversus extitisset, & dictus Ludovicus Rex Franciæ cum suo exercitu per Palæstinam ad regnum suum regredi vellet per mare, tunc

Digitized by Google

tunc contra ipsum supervenit Imperator Constantinopolitanus cum manugiis pluribus & diversis & multitudine Græcorum armatorum, qui tandem inter se, prælio magno peracto, Ludovicus cum suo exercitu ab eis extitit captus, & Manueli tunc ipsi imperatori extitit præsentatus; sed postea agens cum Rege Siciliæ ipse Ludovicus cum suo exercitu cum prælio & triumpho a sua captivitate fuit liberatus, & in suam terram cum suo exercitu liber fuit perductus.

Item quod tum tempore ipsius Eugenii Papæ quidam monachus nomine Gratianus monasterii sancti Felicis de civitate Bononiensi, & de civitate clusa Tusciæ natus tunc floruit, cui Deus tantam subtilitatem & capacitatem tribuit, quod librum Decretorum compilavit, cujus doctrina ecclesia decoratur, regitur & gubernatur, & ideo prout in ipso libro sic ipse acceptatur, quod quicquid alibi de aliqua materia quæritur vel dubitatur, in ipso libro perfecte invenitur. Qui quidem liber ab ipso fuit compilatus anno a nativitate Domini M C L. secundum eum & Hugnitium sui libri expositorem.

Item quod tempore ipsius Eugenii Papæ beatus Bernhardus primus Abbas monasterii Claræ vallis, ætatis sexaginta & tribus annis expletis vel citra, tertio Kalendarum Septembris in suo monasterio & inter manus suorum fratrum monachorum de sua morte summe dolentium ad Christum migravit, & ibi honorifice fuit sepultus.

ANASTASIUS IV.

Natione Romanus ex patre Benedicto post dictum Eugenium Papam tertium in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus & octuagesimus, anno a nativitate Domini millesimo centesimo quinquagesimo tertio vel quarto.

Item quod iste Anastasius unum magnum & pulchrum palatium apud ecclesiam, quæ vocatur sancta Maria rotunda urbis Romæ, diversimode ædificari fecit, & in ecclesia Lateranensi unum calicem magnificum, qui viginti argenti marcas ponderabat, & multa alia jocalia pulcherrima atque pretiosa ecclesiæ Lateranensi dedit & ibi perpetuo assignavit.

Item quod tempore ipsius Anastasii Papæ in studio Parisiensi tres summi magistri in sacra pagina floruerunt, scilicet Petrus Lombardi, Hoddo Suafronensis & Jvo Carnotensis, inter quos fuit maximus ipse Petrus Lombardi, & ipse librum sententiarum compilavit, & Psalterium atque Epistolas Pauli post alios sacræ paginæ Doctores clarius & apertius glossavit & explicavit.

Item quod Anastasius Papa post multos labores & sui corporis afflictiones ad Dominum migravit, & a clero & populo in ecclesia Lateranensi urbis Romæ in tumba Portuitana extiterit sepultus. Qui quidem rexit ecclesiam uno anno, decem mensibus, viginti quatuor diebus. Et tunc vacavit sedes apostolica viginti diebus, Friderico Imperatore tunc primo regnante.

ADRIANUS IV.

Natione Anglicus de Malivesurma, Vinthoniensis diœceseos, post dictum Anastasium Papam quartum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus & octuagesimus primus, anno a nativitate Domini millesimo centesimo quinquagesimo quarto.

Item quod iste Adrianus ante suam promotionem Nicolaus vocabatur, & ipse, ut fertur, fuit primo pauperrimus clericus, qui pro servitio ecclesiæ S. Jacobi castri de Melgorio, quod est prope montempessulanum, Anagolienensis diœceseos, cum Priore illius ecclesiæ parochialis & Canonico S. Ruffi de Valentia ab initio fuit commoratus & nutritus, & deinde ipso Priore procurante dicti monasterii S. Ruffi extitit factus Canonicus, postea pro tempore illius monasterii ipsius monasterii sui Abbas fuit effectus, & demum sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalis & Episcopus Albanensis fuit factus, & per consequens ad prædicandum verbum & barbaricos & infidos convertendum ad fidem catholicam in Norwegiam a sede apostolica tanquam Legatus de latere extitit transmissus, qui cum dictas gentes, gratia divina suffragante, ad fidem catholicam convertisset, & ipse bene in hac instruxisset, & apud Romanam urbem de sua legatione revenisset, tunc Anastasio Papa defuncto, in Papam statim fuit electus.

Item quod ipse Adrianus excommunicavit Gvilielmum, Comitem Siciliæ quia Comitatum, qui est de patrimonio ecclesiæ, sibi recognoscere recusabat, sed finaliter ab ipso absolutionem obtinere meruit, quia dictum suum Comitatum eidem Adriano Papæ recognovit, & pro ipso homagium sibi consvetum fecit.

Item quod iste Hadrianus fuit Papa primus, qui primo de urbe Romana cum sua curia se mutavit, & in urbe veteri se mutavit, & ibi longo tempore - - - transit, & deinde multas possessiones ecclesiæ Romanæ, quæ erant circa - - a christianis & quibusdam comitibus occupatæ, recuperavit, & postea Fridericum primum Imperatorem electum apud urbem Romanam confirmavit, & in ecclesia sancti Petri apostoli ipse solenniter eum coronavit.

Item quod tempore ipsius Adriani quædam sanctimonialis, mulier claruit nomine Elisabeth, Dei plena, & ista non fuit prætermittenda, imo Christi omnium fidelium memoriæ fuit recommendata, nam secundum unam revelationem anno a nativitate Domini millesimo centesimo quinquagesimo & octavo in die festo Assumtionis beatæ Mariæ existens in oratione & contemplans assumtionem ejusdem virginis gloriosæ, ipsa vidit in loco ab eo remoto unum pulcherrimum sepulchrum magno lumine & splendore circumdatum, & ab ipso sepulchro quandam speciem mulieris existentem & in circuitu multitudinem angelorum Dei cum hymnis & canticis ipsam mulierem de ipso sepulchro accipientium. Cumque ipsi angeli ipsam mulierem deportare vellent, subito in occursu ipsius quidam vir supra existimationem

Digitized by Google

tionem omnium gloriosus de altitudine cœlorum, cumque infinitis angelorum millibus portantium in dextra manu signum sanctæ crucis supervenit etiam propter hoc filius Dei, ipsa statim agnovit eum, qui eam magna lætitia dictorum angelorum inæstimabiliter psallentium & summe lætantium eam suscepit, & in suo cœli cœlorum regno ipsam deportavit. Quibus peractis, ipsa Sancta Elisabeth angelum, qui præmissa sibi ostendebat, quidnam hoc esset, interrogavit, cui ipse respondit & ait, quod præmissa in ista visione matris Dei genetricis gloriosæ virginis Mariæ tibi fuit ostensum, qualiter ipsa tam in anima tam in corpore ad regnum cœleste a Deo suo Filio, cum angelorum suorum infinitis millibus fuerat assumta. Et sic Angelus ab ea recessit.

Item quod postea quadam alia die ipsa Elisabeth in oratione existente, Angelus dictus iterum sibi apparuit, & tunc ipsa Sancta Elisabeth eum interrogavit, qua die dicta virgo Maria de hoc seculo migravit & vitam corporalem recuperavit, cui ille respondit, quod illa die, qua ejus assumtio in hoc mundo celebratur, eadem die de hoc seculo migravit, sed in eadem die anno sexagesimo translato videlicet Nonas Kalendarum Octobris a morte corporali surrexit atque resurrexit.

Item quod eum beata Maria prædictæ Elisabeth in oratione sua existenti sibi apparuisset, tunc ipsam beatam Mariam interrogavit, quanto tempore post ejus filii assumptionem hoc mundo vixerit? cui ipsa dicit & respondit: unum annum integrum post assumtionem filii sui ego supervixi, & postea tot diebus, quot sunt usque ad assumtionem prædictam, & tunc apostoli omnes me sepulturi venerunt & cum magna veneratione corpus suum sepelierunt. Verumtamen super hoc refert Epiphanius quidam historiographus, quod virgo Maria erat ætatis quatuordecim annorum, quando eum concepit, sed in quinto decimo eum peperit, & in hoc mundo ipsa cum eo permansit triginta quatuor annis, & post assumtionem Domini viginti quatuor annis supervixit, & secundum computationem, ipsa quando obiit, erat annorum septuaginta duorum, alibi tamen legitur & probabilius, quod post ascensionem filii prædicti duodecim annis supervixit, & tunc ipsa erat sexagenaria, quando in cœlum fuit assumta.

Item quod cum alia die post Adnunciationis Dominicæ ministerium hujus festi celebraretur, ipsa sancta Elisabeth existens in oratione valde contemplaret, tunc iterum sibi virgo Maria apparuit, quam tunc ipsa interrogavit, cujus ætatis erat, quando angelus Gabriel sibi denunciavit adventum Filii Dei, cui dixit & respondit: quod quindecim annos tunc ipsa habebat. Et ultra, in quantum erat a nativitate sua usque ad annunciationem supra dictam?

Item quod iste Adrianus post multas afflictiones & sui corporis afflictiones ad Christum migravit, & in Vaticano apud ecclesiam Sancti Petri & Pauli urbis Romæ a clero & populo juxta sepulchrum Eugenii Papæ tertii honorifice fuit sepultus. Qui quidem rexit ecclesiam novem mensibus, quatuor annis & decem octo diebus. Et tunc vacavit sedes apostolica viginti diebus, Friderico primo tunc regnante.

ALEXANDER III.

Natione Tuscus de patria Senensi ex patre Ranucio fuit natus, & post Adrianum Papam quartum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus & octuagesimus secundus, anno a nativitate Domini millesimo centesimo sexagesimo nono, secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de septuagesimo.

Item quod tempore ipsius electionis Alexandri Papæ magna turbatio & schisma inter Cardinales exortæ fuerunt, & propter hoc vota Cardinalium omnium in quatuor divisa extiterunt in tantum, quod duæ partes Cardinalium ipsum Alexandrum canonice elegerunt, qui ante Rolandus Vicecancellarius vocabatur, & tertia pars ipsorum Cardinalium quatuor schismaticos antipapas elegerunt in discordia, videlicet Otthomannum Guidonem, Johannem Cremonensem, Johannem Sumorsam & Landonem, quorum tres Cardinales Presbyteri fuerunt, & primus se fecit vocari Victorem, secundus autem Paschalem, tertius vero Calixtum, quartus Innocentium, & omnes isti quatuor magnam perturbationem in ecclesia posuerunt, quia quidam de clero populo uni ipsorum favebant, & aliter cuilibet ipsorum idem fecerunt, propter quæ dictus Alexander eos excommunicavit, & eos persecutus fuit, & tandem isti omnes quatuor successive postea mala morte perierunt.

Item quod cum postea propter schisma illorum, qui se Papam nominabant, cum favore & potentia Friderici Imperatoris abbates & conventus Sancti Anastasii & Sancti Pauli de suis monasteriis urbis Romæ expulsi fuissent, & loca ipsorum seu monasteria per ipsum occupata extitissent, tandem per ipsum Alexandrum Papam prædicta monasteria & conventus eisdem abbatibus restituta fuerunt.

Item quod iste Alexander postea veniens ad partes Gallicanas propter persecutionem Imperatoris, tunc a Rege Franciæ & Angliæ cum honore magno ipse fuit receptus, deinde in civitate Turonensi solenne concilium celebravit, deinde in Burgundiam ipse Alexander perrexit, & in civitate Senonensi se mutavit, & suam curiam per unum annum & dimidium ibi tenuit atque celebravit. Sub cujus tempore beatus Ancelius, Episcopus Bernacensis magna scientia & sanctitate præclarus florebat.

Item quod postea ipse Alexander Papa in Italiam fuit reversus, & deinde versus urbem Romanam gressus direxit & per regnum Siciliæ cum magna reverentia & honore suscepit, tunc transivit eum Guilielmus tunc Rex Siciliæ, postea ab ipso fidelitatis juramento præstito & homagio renovato, ipsum regnum Siciliæ eidem Alexandro Papæ ab ecclesia Romana se tenere recognovit, & deinde apud urbem Romanam fuit ingressus, & cum magna reverentia,

honore

Digitized by Google

honore atque lætitia a clero & populo Romano ipse extitit receptus. Et tunc secta & hæresis Albigensium vel Waldensium seu pauperum de Lugduno a quodam civitatis Lugdunensis habuit suum exordium.

Item quod postea Mediolanenses & Placentini in despectum & vituperium Frederici Imperatoris & Papiensium & in favorem & reverentiam ipsius Alexandri Papæ unam magnam & pulchram habitationem Papalem atque fortem cum suo palatio ædificari fecerunt prope civitatem Papiensem, cui in honore dicti Alexandri illi loco Alexandriam nomine sui imposuerunt, quam Papienses in despectum Paleam vocaverunt & adhuc vocant & vocare consueverunt.

Item quod ædificata hujusmodi habitatione Papali, ipse Alexander Papa ad petitionem Lombardorum de Papali civitate ibi episcopalem sedem constituit & ordinavit, & deinde civitatem Papiensem crucis & pallii dignitate privavit perpetuo cum dicto Imperatori & ecclesiæ persecutoribus semper adhæsisset.

Item quod postea Fridericus Imperator se pœnitens, quæ contra ipsum Papam Alexandrum & Romanam ecclesiam commiserat, ideo super his veniam ab ipso Alexandro sibi dari postulavit.

Quare ipse Alexander postea in urbe Romana super hoc quam super aliis magnum solenne ac generale concilium celebravit, in quo dictus Fredericus cum sequacibus suis antipapam, cui penitus favebat, abjurat & ad unitatem ecclesiæ Romanæ octo - - - & ab Alexandro debitam - - - & subjectionem ibi exhibuit atque devotam, & tunc, ut legitur, super caput ejus ipse Alexander pedem posuit, dicendo: Super aspidem & basiliscum ambulas, & conculcabis leonem & draconem.

Item quod tempore ipsius Alexandri Papæ beatus Thomas in episcopum ecclesiæ Cantuariensis fuit electus, confirmatus & consecratus, & postea a toto regno Angliæ & ejus Rege fuit relegatus. Sed ipse usque ad mortem suam a Rege Franciæ honorifice fuit susceptus, & de bonis suis in suo regno extitit sustentatus, & in isto etiam tempore vel circa tempora trium Regum magorum, qui Christum post suam nativitatem adoraverunt eum muneribus de Mediolano, ubi erant, ad civitatem Coloniensem ad mandatum Imperatoris post destructionem illius civitatis Mediolanensis fuerunt translata atque deportata.

Item quod cum tempore ipsius Alexandri Papæ dictus beatus Thomas Cantuariensis ad suam ecclesiam reversus statim in ecclesia metropolitana sua ab Henrico Rege Angliæ hora vespertina extitit pro Christi nomine interfectus & martyrio coram Deo coronatus, & postea sequenti anno post mortem suam in Capite jejuniorum ab ipso Alexandro Papa in urbe Romana solenniter canonizatus est & ubique pro ipsius martyrio Deus fecerat & ostendit Christi quotidie fidelibus plura miracula & diversa.

Item quod iste Alexander fuit summe beatus & discretus, qui post multas tribulationes & persecutiones sui corporis & afflictiones ad Christum migravit, qui quidem rexit ecclesiam viginti & uno annis, undecim mensibus, decem & novem diebus secundum unam chronicam, sed secundum aliam de viginti & duobus diebus, prædicto Friderico Imperatore primo tunc regnante.

LUCIUS III.

Natione Tuscus de civitate Lucaria fuit natus, & post dictum Alexandrum Papam tertium in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus & octuagesimus tertius, anno a nativitate Domini millesimo centesimo & octuagesimo secundo.

Item quod iste Lucius ante suam promotionem Hambadas vocabatur, & fuit Cardinalis & Episcopus Hostiensis, & ipse post multos labores & sui corporis afflictiones ad Dominum migravit, & in civitate Veronensi a clero & populo honorifice fuit sepultus, qui rexit ecclesiam quatuor annis, duobus mensibus & decem & octo diebus, & tunc vacavit sedes apostolica tredecim diebus, Frederico Imperatore tunc regnante.

Item quod de isto Lucio legitur, quod post suam promotionem in suo nomine quidam versiculi extiterunt dictati & ibi scripti, qui sequuntur:

Lucha dedit lucem tibi, Luci Pontificatum
  Hostia - - - Roma, Verona mori.

Deinde in isto sepulchro fuerunt & positi alii versus:

Hymmo Verona dedit - - - tibi vivere Roma
  Exilium - - - Hostia Lucha mori.

URBANUS III.

Natione Mediolanensis post dictum Lucium Papam tertium in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus & octuagesimus quartus, anno a nativitate Domini millesimo centesimo octuagesimo sexto.

Item quod iste Urbanus ante suam promotionem Himbertus vocabatur, & fuit episcopus Mediolanensis & postea Cardinalis, & deinde Papa extitit factus & Urbanus vocatus, qui cum postea apud civitatem Veronensem cum sua curia resideret, quidam Abbas nomine Joachim, ex partibus Calabriæ ad eum venit, qui, ut communiter tunc dicebatur, quod divinaturus non corporali ingenio pluribus scientiis discretione facundus, omni scripturarum interpretatione atque intelligentia erat imbutus, cui aliquæ prophetiæ Romanorum Pontificum attribuuntur.

Item quod anno secundo sui Pontificatus Solidanus Babyloniæ cum infinitis millibus hominum in equis venit ad Galilæam & totam terram Christianorum, quæ tunc a fidelibus Christi capta extiterat tempore Urbani secundi Papæ, fortiter occupare incepit, propter quod tunc Guido Hierosolymorum Rex, Episcopi & alii Prælati, Templarii, Hospitalarii, nobiles

Digitized by Google

nobiles & ignobiles & populus Christianus universus in unum locum convenerunt, & deinde ipsi bene muniti cum magna audacia contra Solidanum, qui civitatem Tiberiadem tenebat, accessuri fortiter irruerunt, sic postea inter ipsos magnum prælium fuit factum, in quo ab utraque parte infiniti homines interfecti fuerunt. Quod quidem prælium Christiani tunc obtinuissent, nisi Solidanus quandam aquam, de qua Christiani potabant & suos equos adaquabant, eis non sustulisset in tantum, quod propter sitim fuerunt extincti, & multi ipsorum Christianorum capti & interfecti fuerunt, & deinde dictus Solidanus finaliter civitatem Jerusalem cum aliis civitatibus, villis & castris more gladii cepit & occupavit, & omnes ecclesias christianorum destruxit & infinitos christianorum captivavit, sed postea octoginta & octo annos dicta civitas Jerusalem a christianis fuit recalcitrata.

Item quod cum ipse Urbanus perditionem Jerusalem & totius terræ sanctæ audivisset, summe plangere & contristari incepit, propter quod post modicum tempus ad Dominum migravit in civitate Ferecienſi & ibi a clero & populo honorifice fuit sepultus. Qui quidem rexit ecclesiam uno anno, decem mensibus, & viginti quinque diebus.

GREGORIUS VIII.

Natione Bonocanus post dictum Urbanum Papam tertium in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus octuagesimus quintus, anno a nativitate Domini millesimo centesimo & octuagesimo septimo.

Item quod ipse Gregorius ante suam promotionem Albertus vocabatur Vice-Cancellarius, qui fuit valde literatus & facundia præclarus & vitæ integritate perornatus, & circa exaltationem ecclesiæ Romanæ & ipsius defensionem summe diligens extitit atque attentus.

Item quod ipse Gregorius statim post suam promotionem in universum mundum ad omnes Reges, Principes, nobiles, potentes Canonicos & populos christianos tam Legatos quam nuncios speciales cum suis literis destinavit, qui desolationem propriæ & terræ sanctæ & Christi fidelium de partibus illis cum magna cordis amaritudine & dolore denunciarunt, & pro recuperatione hujusmodi terræ sanctæ invitavit, & cum ipsorum indulgentia plenissima & cum ipsorum bonorum ecclesiæ Romanæ sustentatione condigna & cum multis adjutoribus pariterque satrapis ad faciendum dictum passagium sanctum in quantum, & induxit.

Item quod ipse Gregorius pro formanda pace inter Pisanos & Januenses, qui adinvicem fortiter debellabant, in Lombardia venisset, maxime, quia nullus inter eos concordiam poterat ponere. Et tandem hujusmodi pacem & concordiam fecisset inter eos, interim ad Christum migravit, & a clero & populo honorifice fuit sepultus. Et tunc vacavit sedes apostolica per viginti dies, Frederico Imperatore tunc primo regnante.

CLEMENS III.

Natione Romanus, ex patre Johanne Scholari fuit natus, & post dictum Gregorium in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus & octuagesimus sextus, anno a nativitate Domini millesimo centesimo & octuagesimo septimo.

Item quod ipse Clemens ante promotionem suam vocabatur Vaillus, & fuit episcopus Penestrinus Cardinalis, & post suam promotionem in ecclesia Sancti Laurentii muros urbis Romæ ædificari fecit, & deinde juxta ecclesiam Lateranensem palatium antiquum renovavit & exaltavit, & post unum magnum pulcrum puteum ante Equum earum fieri fecit.

Item quod cum ipse Gregorius Papa octavus omnes Principes, nobiles & ignobiles atque populos christianos pro recuperanda terra sancta invitasset, ideo anno secundo Pontificatus ipsius Clementis Philippus Rex Franciæ & Henricus Rex Angliæ & Fredericus Imperator millibus hominum cruce signatis ultra mare pro dicta terra sancta recuperanda perrexerunt, & illo anno per totam hyemem in regno Siciliæ steterunt, ubi invenerunt Joachim supra dictum, quem interrogaverunt de fortuna bona aut mala ipsorum & de faciendo dictum passagium supra dictum, quibus ipse respondit & dixit, quod bene & secure mare transirent, sed ultra mare parum aut nihil facerent aut proficerent, quia nondum tempus a Deo erat dispositum, quod dicta sancta terra a Christianis recuperari possit & haberi. Qua quidem responsione non obstante, dictus Philippus Ptolomaidam accessit & ibi portum cepit, Richardus Rex Angliæ ad Regem Cypricum gentibus suis venit & ibi applicuit.

Item quod anno tertio sui Pontificatus dictus Richardus Rex Angliæ incepit debellare fortiter contra quendam Imperatorem, in dicto regno Cypri dominantem, quem finaliter cepit, & totam insulam sibi subjugavit. Philippus autem Rex Franciæ versus Ascalon ivit, & ibi portum recepit, cumque ipsam obsessam teneret & fortiter debellaret, tunc dictus Rex Angliæ cum gentibus suis supervenit, qui Rex Franciæ tandem videt, quarto Idus Julii dictam civitatem - - cum magnis laboribus suorum sanguinis effusione magna cepit & sibi eam subjugavit. In qua quidem captione interfuit Odo Dux Burgundiæ, Philippus Comes Flandriæ, Theobaldus Blesensis, Stephanus Sacersesanus & alii plures nobiles, & etiam multi Archiepiscopi, Abbates & alii plures Prælati & clerici, qui cum dicto Rege Franciæ venerant. Unde cum dictus Rex Franciæ graviter infirmari cepisset, ideo pro obtinenda sanitate a partibus ultramarinis recessit, & custodiam illius civitatis Acchon dicto eidem Duci Burgundiæ commendavit, sed postea ipse ibi parum profecit, quia postmodum dicta civitas ad nihilum deducta fuit. - - .

Item

Digitized by Google

Item quod anno quo supra Pontificatus ipsius Clementis Papæ dictus Fredericus ad partes Asiæ accessit, & finaliter contra Solidanum inter partes Jericho pugnavit & deinde eum usque ad Icheunium effugavit & multitudinem virorum interfecit, qui cum quasi semimortuus de aqua extractus fuisset, postea debellando ipse Imperator in quodam flumine demergitur carnaliter, qui cum semimortuus a prædictis aquis extractus fuit, ad Dominum migravit, & deinde Dux Burgundiæ, Comes Flandriæ, Comes Blesensis, Stephanus Sacersesanus & alii quamplurimi nobiles & Proceres, qui pro recreandis corporibus suis propter labores & afflictiones, quas sustinuerunt, apud Antiochiam venerunt & ibi obierunt.

Item quod ipse Clemens Papa post multos labores & tribulationes ad Christum migravit. Qui quidem rexit ecclesiam tribus annis & sedecim diebus.

CELESTINUS III.

Natione Romanus ex patre Petro Lubonio post Clementem Papam tertium in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus & octuagesimus septimus, anno a nativitate Domini millesimo centesimo octuagesimo septimo.

Item quod iste Celestinus ante suam promotionem Hyacinthius Cardinalis vocabatur, qui fuit vir grandis, gratiosus & generosus, & in die festo Paschæ apud urbem Romanam fuit concreatus & coronatus, & crastina die Imperatorem Henricum filium imperiali Imperatorum diademate solenniter insignivit, & postea unum pulcherrimum palatium magnum papale juxta ecclesiam Sancti Petri urbis Romæ ipse ædificari fecit. Qui quidem rexit ecclesiam sex annis, octo mensibus & sexdecim diebus.

INNOCENTIUS III.

Natione Campanus de castro Sauiani ex patre Transimundo fuit natus & post dictum Celestinum tertium Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus & octuagesimus octavus, anno a nativitate Domini millesimo centesimo nonagesimo octavo.

Item quod ipse Innocentius ante suam promotionem Lotharius vocabatur, & ipse fuit beatus gloriosus in actibus suis, prout opera sua omnibus testimonium perhibent veritati. Nam ipse inter cætera Hospitale Sancti Spiritus in urbe Romana ædificari & ecclesiam sancti Sixti renovari fecit, & unum librum Decretalium composuit, & quendam libellum de miseria & conditione humana sic vocatum compilavit, & multa alia opera gloriosa ipse fecit.

Item quod ipse Innocentius dedit omnibus ecclesiis urbis Romanæ calices argenti ipsos non habentibus, videlicet unam libram de argento, sub isto tamen pacto & conditione, quod postea ipsos calices vendere nec alienare possent.

Item quod iste Innocentius Ottonem quartum Ducem Saxoniæ in Imperatorem electum confirmavit, & in ecclesia Sancti Petri urbis Romæ solenniter coronavit, sed ipsum postea deposuit, quia juramentum fidelitatis, quod sibi promiserat, non servavit, nam ipso coronato, statim pugnam contra Romanos habere incepit & regnum Siciliæ, quod est patrimonium ecclesiæ Romanæ, occupare fortiter, secundum Richardum monachum monasterii Tulliacensis, cujus prædictæ chronicæ hic continentur.

Item quod anno septimo Pontificatus ipsius Innocentii civitas Constantinopolis a Francis & Venetis fuit capta, & paternali ratione pro parte ad fidem catholicam extitit conversa; & libellus Joachim, quem ipse ediderat contra Magistrum Petrum Lombardi, & etiam alius libellus doctrinæ magistri Armatici Carnotensis per istum Innocentium condemnati fuerunt, prout in Decretali: Damnamus, continetur.

Item quod anno nono Pontificatus ipsius Innocentii misit unum Legatum Cardinalem cum duodecim Abbatibus, in sacra pagina magistris, ordinis Cistertiensis ad prædicandum verbum Dei in Tholosanis, Carcessonensibus & - - partibus contra ibi manifestos hæreticos. Cumque Legatus iste cum omnibus abbatibus supra dictis apud montem Pessulanum fuisset, tunc sanctus Dominicus, pater & institutor ordinis Prædicatorum ibi de urbe Romana supervenisset, quem quidem Legatus cum omnibus abbatibus supra dictis ad prædicandum & convertendum hæreticos secum adjunxit, maxime quia iste sanctus Dominicus quasi per biennium antea fuerat in partibus illis Tholosanis, contra dictos hæreticos verbum Dei eis prædicando. In partibus illis Tholosanis dictus Dominicus beatus primo incepit ordinare, statuere & publicare ordinem fratrum prædicatorum videlicet anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo quarto, & Pontificatus dicti anno septimo.

Item quod tempore hujusmodi Innocentii Papæ Sanctus Franciscus in quodam loco vocato Sancta Maria de portiuncula prope civitatem Assicii, qui ante suam conversionem Johannes vocabatur, ordinem fratrum Minorum inceperat statuere, ordinare & publicare, videlicet anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo, & sexto Pontificatus ipsius Innocentii Papæ tertii.

Item quod tempore ipsius Innocentii Papæ exercitus crucis signatorum veniens cum dicto Legato apud Vicenensem civitatem de partibus Gallicanis contra hæreticos, qui erant in partibus illis, illam obsederunt, videlicet anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo nono, de qua civitate Rogerius Vicecomes illius civitatis aufugerat apud Carcassonem præ timore exercitus supra dicti. Sed nihilominus cives ejusdem civitatis viribus suis, in quantum poterant, contra dictum exercitum defendebant.

Item quod cum dictus Legatus vidisset, quod ipsi evadere non poterant a manibus suis, & ne viri catholici, qui in civitate erant, propter cul-

pam hæreticorum a dicto exercitu occiderentur, ideo ipse misit Reginaldum de Monte Pessulano, tunc Episcopum Biterrensem, virum ætate, vita & scientia præclarum, qui quasi omnia nomina hæreticorum dictorum civitatis habebat, qui cum ipse Episcopus in dictam civitatem intrasset, ideo juxta mandatum Legati prædictos religiose acquisivit, ut illi, qui erant catholici, omnes hæreticos, qui de civitate erant, recedere juberent, & quia hoc facere noluerunt, ideo exercitus cruce signatus contra dictam civitatem expellere fortiter armatus fuit in tantum, quod post paucos dies ipse cepit civitatem Biterrensem in die sanctæ Mariæ Magdalenæ; in cujus ecclesia, quæ est ibi parochialis magna & solennis, tunc ibi majores cives pro tuitione ecclesiæ & libertatis se opposuerunt, sed ideo condignam mortem ipsi receperunt, nam septem millia de ipsis in ipsa ecclesia crudeliter fuerunt interfecti ultione divina, eo, quod cives hæretici ipsam beatam Mariam Magdalenam concubinam Christi fuisse asserebant, & nihilominus antea per quadraginta & duos annos quendam Vice-Comitem illius civitatis Trantanchinum in dicta sancta ecclesia sanctæ Mariæ Magdalenæ proditionaliter & crudeliter interfecerunt, & per consequens cuidam Episcopo dictæ civitatis, qui dictum Vice-Comitem tunc a mutilatis manibus, auribus, corpore curabat, dentes suos sibi confregerunt & multa vituperia & damna sibi tunc intulerunt.

Item quod postea capta civitate Biterrensi, dictus Legatus cum exercitu cruce signatorum apud civitatem Carcassonensem, ubi dictus Vice-Comes Biterrensis, Carcassonensis & Albiensis erat cum multitudine hæreticorum, qui cum fortiter ipsam obsedissent & fortiter eam debellassent, tandem Rogerius Vice-Comes supra dictus neposque Comitis Tholosani, qui prius aufugerat de Biterris, post multas defensiones & dictorum cruce signatorum timores cum certis conditionibus & pactis se in manibus dicti Legati posuit & submisit, & postea cives illius civitatis tunc rebellantes in Camisiis, nudi & brachis de illa exiverunt, & dicto legato dictam civitatem reddidere. Cum autem Vice-Comes sub obstagio & custodia juxta pacta Legati dicti de mandato detineretur, ipse tandem propter fluxum ventris seu dysenteriam decessit, post cujus decessum dictus Legatus habito solenni consilio, totam terram jam acquisitam & gubernaculum dicti exercitus ac etiam belli regimen nobili viro & strenuissimo & in literis, virtutibus insignito, videlicet Simoni Comiti Montisfortis cum plena potestate tradidit & commisit.

Item quod postea dictus Montisfortis cum suo exercitu castrum fortissimum Demerenba tunc Narbonensis diœcesis obsederunt, & post multas invasiones & hæreticorum defensiones ab ipso Comite dictum Castrum captum fuit, in quo centum & quadraginta hæretici fuerunt inventi, qui quidem plus comburi, quam ad fidem Catholicam converti voluerunt.

Item quod postea Comes Montis fortis cum suo exercitu ulterius viriliter processit in tantum, quod post multas temporum invasiones & hæreticorum defensiones more gladii cepit & obtinuit multa fortalitia & optima loca, videlicet Absonam, Samurionis castra Appamias, castrum de Monteposio, Savardinum, Boviberium & civitatem Albiensem, & quasi omnia alia castra & villas diœceseos Albiensis, exceptis quibusdam, quæ Comiti Tholosano erant subjecta, quæ tamen postea ab ipso Simone extiterunt capta, inter quæ fuit castrum de Lunios & castrum de Puesano, & deinde Comes Montisfortis obtinuit fortalium de Caboneto, & nobili Petro Rogerii de genere Vice-Comitatus Carcassonæ, qui præ timore ipsum castrum eidem Comiti Montisfortis tradidit, & aliam terram in aliis partibus sibi ipse assignavit.

Item quod postea dictus Comes Montisfortis anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo undecimo circa festum Paschæ cum suo exercitu venit apud castrum fortissimum de Banis, quod tunc erat bene munitum, in quo plures hæretici erant. Quod quidem castrum post ipsorum cruce signatorum invasiones fortissimas & hæreticorum validissimas defensiones ab eodem Comite Montis fortis extitit captum & suæ voluntati traditum, in quo circa quadringenti hæretici reperti fuerunt, qui etiam prædilexerunt comburi quam ad Christum converti. Sed nobilis vir Aymericus Montis Regis Dominus & Laniati, qui dictum castrum de Banio contra Comitem Montis fortis defendere volebant & defenderunt, per gulam fuit suspensus; & circa octuaginta nobiles alii, qui ibi erant, cum eo interfecti fuerunt; Gerardam vero sororem dicti nobilis Aymorici, dominam de Banio supradicto, in quodam puteo projecerunt & cum lapidibus ipsum puteum cumulaverunt, & populus ipsius castri juxta pacta immunis remansit.

Item quod postea Comes Montis fortis cum suo exercitu ad castrum fortissimum de Monteronis accessit, juxta quod Comes Fuxi plures cruce signatos fecit occidi, & dum ipsi veniebant ex devotione in subsidium dicti Comitis Montisfortis, cumque dictus Comes Montisfortis appropinquaret locum, ubi cruce signati mortui jacebant cum manibus in modum crucis, Comes ipse tunc vidit unam columnam ignis valde resplendentem de cœlo supra corpora ipsorum defunctorum descendentem, de quo ipse & Fulco tunc Episcopus Tholosanus, qui ibi erat præsens, cum eo stupefacti fuerunt, propter quod ipse Comes fortiter contra castrum dictum irruit & finaliter eum cepit & funditus destruxit.

Item quod deinde idem Comes Montis fortis cum suo exercitu ad castrum quoddam quod tunc Calier vocabatur, accessit, & eum fortiter expugnavit, & tandem post multas invasiones & inimicorum defensiones ipsum cepit, in quo quidem sexaginta, alias triginta, hæretici reperti fuerunt, qui quidem, non obstante prædicatione eis facta per dictum Episcopum Tholosanum & alios Prælatos, qui cum dicto exercitu erant,

Digitized by Google

erant, etiam prædilexerunt comburi, quam ad Christum converti.

Item quod postea his peractis, præfatus Fulco, Episcopus Tholosanus præcipiendo mandavit Præposito & Canonico sancti Stephani ecclesiæ cathedralis Tholosæ, nec non etiam aliis collegiis & omnibus aliis clericis civitatis Tholosanæ, ut ab ea recedere deberent, qui quidem attento hujusmodi mandato nudis pedibus de ipsa civitate cum corpore Christi recesserunt.

Item quod deinde dictus Comes Montis fortis cepit castrum Montis ferrendi & eum recuperavit atque munivit & castrum nomen Deanio, quod paulo ante Comes Tholosanus præ timore perditionis eum vacuum dimiserat & ipsum comburi sciebat & postea ipse flumen Tauri pertransiens venit in Albigesio, & cepit loca & castra, & loca quæ sequuntur, videlicet Rapistagium, Montem acutum, Galliacum, Cahussatum, sanctum Marcellum, Garthepinam & sanctum Antonium.

Item quod post Comes Montis fortis cum suo exercitu tunc versus Tholosam, & anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo undecimo in mense Julii eam obsedit, & cum ibi erant Comes Bartinsis & multi alii nobiles de Almalmagnia crucesignati in civitatem Cenomannorum & Fuxi & multi alii milites in tantum, quod ab utraque parte fuit magnus insultus & conatus bellicosus, sed postea deficientibus victualibus exercitui cruce signatorum, ideo fuit repulsus recedere ab hujusmodi obsidione, qua divisa, dictus Comes Montis fortis cum suo exercitu versus Appennias perrexit, & tunc castrum fortissimum fortiter expugnavit de Altaripa, & eum cepit, & ipsum munivit, & deinde quam plurima castra Comitis Fuxi ipse devastavit, & Bingum Fuxi penitus combussit & apud castrum recessit, in quo ipse Comes ab Episcopo & populo tanquam Dominus extitit receptus.

Item quod postmodum præfatus Comes Montis fortis cum suo exercitu, videlicet anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo duodecimo, tertio Nonas Junii castrum de Pena Agenensis diœceseos valde fortissimum viriliter obsedit, quod quidem castrum post multas invasiones dictorum cruce signatorum & defensiones inimicorum validas ipse Comes Montis fortis in die festo sancti Jacobi Apostoli cepit & ipsum obtinuit.

Item quod postea dictus Comes Montisfortis cum suo exercitu versus villam Moysiaci valde fortissimam accessit, & in vigilia beatæ Mariæ ipsam obsedit, & contra ipsam fortiter pugnavit, & deinde post multas invasiones cruce signatorum & defensiones fortissimas inimicorum idem Comes Montisfortis eam cepit & eam cum triumpho obtinuit in sequenti festo nativitatis beatæ Mariæ.

Item quod deinde Comes Tholosanus & sui sequaces videntes desolationem, confusionem & captionem atque perditionem villarum, castrorum & gentium suarum, ideo convocavit auxilium, consilium & favorem Regis Arragoniæ & amicorum suorum in tantum, quod ipse Rex Arragoniæ anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo tertio decimo quarto Idus mensis Septembris cum multitudine Arragonum & Cathalanorum copiosa ex una parte, & Raymundus Comes Tholosanus, Forcalquerii & Convenarum Comites cum suis militibus, nobilibus & communitatibus ipsorum ex altera parte infinitis, qui erant centum millia pugnatorum, in Dei offensam & suorum & sui Vicarii contemtum & fidei catholicæ diminutionem, & suum pugillum & Dei ecclesiæ Romanæ athletam Simonem Comitem Montis fortis apud Fanum Jovis diœceseos Carcassonensis existentem, castrum fortissimum Munelli juxta ripam Garonæ situatum, quod idem Comes Montisfortis cum magno triumpho obtinuerat, & de paucis gentibus ipsum castrum muniverat, eum fortissime & viriliter obsederunt.

Item quod cum de præmissis ad notitiam Comitis Montis fortis devenisset, statim fortissime tanquam Dei athletha superavit, & contra hostes fidei catholicæ de castro Faniconis, ubi tunc ipsi erant, cum magna constantia & Dei amore statim perrexit, qui cum ipse cum suo exercitu cruce signatorum juxta inimicos prope Mursellum devenisset in castrum cum pluribus Episcopis & Abbatibus cum magna audacia intravit. Cumque ipsi Prælati & Episcopi tanquam veri catholici per nuncios speciales inimicos Dei monuissent, ne contra fidem catholicam se exponere & pugnare vellent, & dictus Rex Arragoniæ hujusmodi monitionibus & mandatis obedire nollet, imo ex adverso toto suo posse ipse resistere volebat, ideo præfatus Simon Comes Montisfortis cum magna Dei confidentia & amore Dei fidei catholicæ ad pugnandum & præliandum contra dictum Regem Arragoniæ & suum exercitum separavit, quamvis ipse Comes Montisfortis tunc secum non haberet nisi octogintos homines in equis, & pedibus circa mille.

Item quod postea dictus Comes Montisfortis cum suo exercitu de auxilio divino ipse decrevit & ordinavit, ut omnes ad campum contra Dei inimicos in vigilia exaltationis sanctæ crucis ordinarent & se pararent, qui cum ipsi cruce signati bene convicti & confessi fuissent, & sacrum Christi corpus recepisset & deinde tanquam in mortis articulo constituti lignum sanctæ crucis cum magna devotione adorassent & plenissimam indulgentiam a locum tenente Legato sedis apostolicæ promeruissent & victualium sustentatione membratim ipsi refecti fuissent, arma sua sumserunt, & a locum tenente Legato accepta benedictione, de dicto castro Dimirello exiverunt, & ad Campos prope inimicos se opposuerunt.

Item quod cum postea valentissimus ipse vir Comes Montisfortis in campis cum suo exercitu fuisset, ideo tanquam vir prudens, artibus præliorum summe expertus suum exercitum in tres partes divisit, & postea ipse sic ordinavit, ut omnes insimul contra Regem Arragoniæ cum magno impetu irruerent & ipsum caperent vel occci-

occiderent, nam ipso capto vel mortuo postea residuum de facili ipsi haberent, & sic factum fuit atque executum forte rationibus, quæ sequuntur; nam ipsi Cathalani habere consveverunt, ut dicitur, magnam tenuitatis cerebri vacuitatem superbiæ, extollentiam verborum & æris liberationem, victualium in locis propriis reservationem, & cum extraneis bonorum devastationem, &, ut dicitur, ipsi habent omnium armorum experientiam, ac præ cæteris in mari pariter & in terra majorem potentiam, & in regnicolis sui imperii celsitudinem ac Regem non tutum, ac suorum corporum prævalitudinem & omnium scientiarum subtilitatem, singularem locutionem, & insuper vestimentorum diversitatem in tantum, quod ab aliqua natione non diligantur, nec ipsi aliquem appretiantur, prout ex factis ipsorum statim hæc ostendentur manifeste.

Item quod cum ex alia parte dictus Rex Arragonum esset in campis cum Comitibus, Nobilibus & communitatibus infinitis supra dictis, præfatus Simon Montisfortis Comes una cum dicto exercitu suo cum impetu & audacia contra fidei inimicos irruerunt & pugnando fortiter usque ad locum, ubi erat vexillum Regis Arragoniæ, non remanserunt, in quo quidem loco tanta fuit crucesignatorum invasio & inimicorum defensio, quia inter cœlum & terram videbatur esse magna concussio. In cujus conflictu judicio divino prædictus Rex Aragonum cum suis Aragonensibus & Chatalanis & omnibus aliis pro majore parte supra dictis capti & more gladii interfecti fuerunt, quibusdam de ipsis exceptis, qui aut fugiendo in fluminibus aquarum submergebantur aut tergeversabantur, inter quos Comes Tholosanus, Comes Fuxi & Comes Cenomannorum & plures alii de fugientibus extiterunt, & tandem Dei gratia suffragante, nisi unus miles de cruce signatis fuit in dicto bello ab inimicis interfectus, propter quæ statim Episcopus Tholosanus, Episcopus Cenomannorum, Episcopus Carcassonensis, Episcopus Lodonensis, Episcopus Agentensis, Episcopus Nemausensis, Episcopus Biterrensis, Abbas Clariaco, Abbas Devillæ magnæ & Abbas sancti Tiberii cum suis religiosis & clericis, & etiam beatus Dominicus tunc Canonicus Exoniensis, qui postea institutor & pater fuit ordinis Prædicatorum statim ad ecclesiam convenerunt & de tanto triumpho multiplices gratias Altissimo intulerunt, & deinde Montisfortis visitato campo, ubi Rex Aragonum cum suo exercitu fuerat interfectus & totus nudus ibi prostratus, statim de suo equo descendens de tanto miraculo & triumpho genibus flexis & junctis gratias egit Deo universas, & de illo loco nihilominus pedibus discalceatis ad ecclesiam cum summa devotione accessit, ubi Altissimo gratias retulit, & equum cum armis, cum quibus pugnaverat, Christi pauperibus erogavit, de quibus omnibus & singulis actibus supra dictis dicti Episcopi supra dicti, quia Prælati alii unum librum fieri fecerunt, & sub sigillo eorum copiam universis Christi fidelibus in testimonium præmissorum transmiserunt.

Item quod postea præfatus Comes Montisfortis cum suo exercitu Rathonam civitatem accessit, videlicet anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo quarto decimo, & tunc cepit plura castra, quæ sequuntur, in quibus hostes fidei ecclesiæ ac pacis turbatores habitabant, & ad ipsa ibi habebant refugium, & primo videlicet cepit castrum fortissimum nomine Manulhacum, in quo septem Magistri reperti fuerunt, quod quidem castrum penitus destrui fecit, & ipsi hæretici indurato animo extiterunt postea combusti.

Item quod postea idem Comes Montisfortis cum suo exercitu cepit aliud castrum fortissimum nomine Montepocacum ab ininimicis fidei derelictum, quod etiam destrui fecit, & deinde Marmandam ipse Comes ivit & ipsum cepit & recuperavit ab inimicis primo de illo expulsis & fugatis.

Item quod dictus Comes deinde cum suo exercitu ivit ad quoddam aliud fortissimum castrum & quasi inexpugnabile, nomine Casserolium, in territorio Agenensi constitutum, in quo erat unus de principibus sedibus & patriarchalibus hæreticorum, quod quidem castrum cum summis mirabilibus invasionibus crucesignatorum & defensionibus ipsorum fidei inimicorum terribilibus dictus Comes Montisfortis in magna fortitudine cepit, & de ipso triumphum obtinuit peroptatum, & postea inimicis, qui ibi erant, interfectis & effugatis, ipsum castrum comburi & destrui fecit statim.

Item quod postea præfatus Comes ivit versus civitatem Petragoricensem, & tunc ipse unum castrum fortissimum vocatum de Doma ab inimicis fidei derelictum præ timore, cujus turrem majorem funditus everti fecit, ubi inimici Dei & pacis raptores habitabant & ad ipsum refugium habebant.

Item idem Comes Montisfortis deinde tria castra fortissima cepit cum exercitu suo, videlicet castrum Montisfortis, castrum Novum & castrum Baspromate, in quibus dicti fidei inimici ad ipsa refugium habebant, quorum duo castra prædicta, scilicet mons de Doma Baymacum penitus ipse destrui fecit & pro ipsius crucis signatorum reductione prædictum castrum novum sibi reservavit, & ipsum bene muniri fecit, nam in prædictis quatuor castris Petragonensibus a centum annis & plus transactis sedes patriarchales fuerunt hæreticæ in tantum, quod de ipsis quatuor castris egressa fuit ipsorum iniquitas in partibus illis, sed ipsis captis & subjugatis, statim reddita fuit pax & tranquillitas non solum Petragonensibus & Cadurcensibus & Agenensibus & Lemovicensibus pro majori parte.

Item quod ipse Comes Montisfortis postea versus Rothenam cum suo exercitu rediit, & tunc cepit quoddam fortissimum castrum nomine Captevacum, in quo antiquitus esse consveverat intus refugium tyrannorum, & ipso capto apud civitatem, ubi erat Comes Richemensis, cum suo exercitu perrexit, & aliquam altercationem quæsitam ipse Comes Richemensis

mensis terram suam eidem Simoni Montisfortis recognovit & fidelitatis juramentum præstitit & homagium postea sibi fecit, quibus quidem pactis, idem Comes cum suo exercitu ad quoddam castrum fortissimum Syveyracum vocatum, quod ibi erat, prope accessit, in quo mali homines & pacis turbatores habitabant, cumque Dominus illius castri rebellasset, statim ipse Comes Montisfortis ipsum castrum fortiter obsedit, & finaliter post multas invasiones crucis signatorum & defensiones dictum castrum extitit captum, sed postea ipsum restituit Domino ipsius ex gratia speciali, unde ipsum castrum sibi recognovit & juramentum fidelitatis depræstitit & homagium sibi fecit.

Item quod deinde anno quo supra quinta decima die post festum nativitatis Domini Magister Petrus de Benevento Diaconus Cardinalis & sedis apostolicæ Legatus magnum & generale concilium apud Montempessulanum celebravit, in quo quidem quinque Archi-Episcopi interfuerunt, videlicet Itelonensis, Auxitanus, Ebredunensis, Arelatanensis, Aquensis, fueruntque ibi viginti octo Episcopi & Abbates multi atque quam plurimi alii ecclesiarum Prælati, & de Baronibus & Nobilibus viris catholicis totius terræ infinitis super eligendo Principem & Dominum suum ad regendum & gubernandum civitatem Tholosanam, quæ tunc erat posita in manibus dicti Legati, & de Baronibus, sufficientibus tamen obsidibus sibi datis, & omnes alias civitates, castra villasque crucis signati ab infidelibus & tyrannis exquisiverunt, ad expugnandum & expellendum de terra omnem hæreticam pravitatem & malorum hominum tyrannitatem. Qui quidem omnes unanimiter & concorditer in dictum Dei athletham, Simonem Comitem Montisfortis vota sua direxerunt, & Principem & gubernatorem totius terræ acquisitæ pro defensione ipsius terræ elegerunt, & eum dari & sibi concedi a Legato prædicto instanter petiverunt. Quare ipse Legatus cum literis suis & aliorum Prælatorum supra dictorum attentis, Archi-Episcopum Ebredunensem, nomine Bernardi, ibi præsentem ad ipsum Innocentium Papam tertium apud urbem Romanam transmisit & destinavit quasdam supplicationes, ipse Papa admisit & eas concessit atque confirmavit sub tali modo, quod ipse Comes Montisfortis esset custos & rector omnium castrorum civitatis villarum supra dictarum, donec omnibus istis per Innocentium Papam in suo concilio generali, quod apud urbem Romanam prima die mensis Novembris celebrare debebat, plenius ordinatis fuisset, prout tunc sibi subscripserat Legato & Comiti Montisfortis sub bullis, quæ datæ fuerant anno sui Pontificatus decimo octavo.

Item quod cum postea anno a nativitate millesimo ducentesimo quinto decimo venit Ludovicus primogenitus Regis Franciæ, qui se crucis signari & votum fecerat de veniendo ad pugnam contra hæreticos & tyrannos in terris de partibus supra dictis de partibus Franciæ cum magno exercitu per Lugdunum versus Biturriensem civitatem cum multitudine militum nobilium copiosa perrexit; & tunc dictus Legatus cum dicto Comite Montisfortis & exercitu cruce signatorum ad Hispanias perrexit, ubi Comes Fuxi ad eum venit, se & terram suam sibi commendavit, & de facto castrum inexpugnabile tradidit & sibi commendavit, & deinde ipse Legatus dicto Comiti Montisfortis in custodia ipsum assignavit, qui quidem Comes Montisfortis custodiam ipsius castri tanquam obediens recepit & fortiter ipsum munivit.

Item quod ipse Comes Montisfortis iterum misit Gvidonem de Monteforti fratrem suum apud Tholosam, ut ex parte dicti Legati omnes muros civitatis & ipsius fortalitia destruere deberet, & omnium civium fidelitatis juramenta recipere deberet, cumque mandatum ipsius Legati adimplere procuraret, tunc dictus Legatus cum dicto Ludovico filio Regis Franciæ & Comite Montisfortis apud Tholosam supervenit, in qua civitate ipse Ludovicus completo suo voto cruce signatorum per quadraginta dies stetit, & a dicto Legato congedio gratiose accepto, cum suo exercitu in Franciam remeavit, & dictus Legatus apud urbem Romanam ad dictum Innocentium Papam tertium cum magno honore & actuum suorum recommendatione ac exaltatione redivit, & omnes terras acquisitas supra dictas præfato Comiti Montisfortis juxta mandatum apostolicum commisit gubernandas.

Item quod postea anno, quo supra, prima die mensis Novembris ipse Innocentius Papa anno prædicto sui Pontificatus, convocatis omnibus Patriarchis, Primatibus, Archi-Episcopis, Episcopis, Abbatibus, & aliis ecclesiarum Prælatis apud urbem Romanam in ecclesia Lateranensi magnum & solenne Concilium celebravit, in quo quidem Concilio duo tantum interfuerunt Patriarchæ, qui alias legitime excusati fuerunt, quamvis per nuncios ibi interfuissent, de Primatibus & Archi-Episcopis septuaginta, Episcopis vero quadringenti & duodecim, & de Abbatibus ultra octingenti, quorum summa fuit mille ducenti & quindecim Prælati præter Ambasiatores plurium Regum catholicorum, qui ibi interfuerunt, videlicet Friderici secundi in Imperatorem electi, Philippi Regis Franciæ, Philippi Regis Angliæ & Ungariæ, Jerusalem, Cypri & Aragonum Regum, nec non multorum aliorum Principum atque Comitatuum multitudo, in quo concilio pro reconciliatione terræ sanctæ ac pro reformatione status ecclesiæ multa salubriter statuta fuerunt & ordinata.

Item quod in dicto concilio interfuit beatus Dominicus, Canonicus regularis ecclesiæ Exoniensis, quæ est in regno Castellæ, pater & institutor ordinis Prædicatorum, quorum institutionem ab ipso Innocentio tunc ipse petiit confirmari, quem quidem gratiose sibi concessit & facere permisit. Fueruntque etiam ibi Raymundus Comes Tholosanus quondam & Raymundus ejus filius atque Comes Fuxi pro redemtione terrarum suarum quas perdiderat; ex alia

alia autem parte fuit Guido Germanus & nuncius dicti Comitis Montisfortis pro confirmatione ab ipso Innocentio Papa obtinenda pro detentione omnium dictarum terrarum tunc crucesignatis acquisitarum per dictum Legatum sibi & suis hæredibus jam facta, quam quidem denominationem ipse Innocentius cum Comitatu Tholosano in dicto Concilio præfato Simoni Comiti Montisfortis tanquam bene merito ordinavit, & dictam donationem dicti Legati confirmavit, & dictum Raymundum Comitem quondam Tholosanum ab ipso Comitatu per sententiam definitivam perpetue privavit. Qua quidem sententia sic promulgata, statim ipse Comes Montisfortis in Franciam accessit, & dictum Comitatum Tholosanum cum omnibus terris acquisitis supradictis Regi Franciæ recognovit, & de omnibus istis homagium fecit, quod quidem Rex Franciæ honorifice recepit & prædictam donationem sibi factam confirmavit, & nihilominus Ducatum Narbonensem sibi assignavit atque dedit.

Item quod cum tempore ipsius Innocentii Papæ tertii inter Januenses, Pisanos & Lombardos magna guerra exorta fuisset, & nullus mortalium inter eos pacem interponere posset, & propter hujusmodi guerram commode subventio terræ sanctæ fieri non posset, ideo pro pace ista facienda iste Innocentius in Tusciam accessit, & postea dum ipse fuit apud Perusium, migravit ad Christum, & in ecclesia Sancti Laurentii a clero & populo honorifice fuit sepultus, qui quidem rexit ecclesiam decem & octo annis, quatuor mensibus, tribus vel quatuor diebus. Et tunc vacavit sedes apostolica uno die duntaxat, Henrico Imperatore quarto tunc regnante.

HONORIVS III.

Natione Romanus, post dictum Innocentium Papam tertium in Romanum Pontificem fuit assumptus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus & octuagesimus septimus, anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo sexto decimo mensis Aprilis.

Item quod iste Honorius renovavit ecclesiam Sancti Laurentii extra muros urbis Romæ & etiam basilicam, quæ vocatur sancta sanctorum, & quod edidit de novo plures decretales, & quod in dicta ecclesia Sancti Laurentii Petrum Comitem Antisidorensem Imperatorem Constantinopolitanum coronavit.

Item quod ipse Honorius anno primo sui Pontificatus ad requisitionem & supplicationem prædicti beati Dominici Regularis ecclesiæ Exoniensis, quæ est in Castello, in ecclesia Sancti Petri apostoli urbis Romæ ordinem fratrum Prædicatorum, quem ipse statuerat, confirmavit, videlicet undecimo Kalendarum Januarii, & dictam Regulam & Ordinem S. Francisci anno octavo sui Pontificatus in Lateranensi ecclesia tertio Kalendarum Decembris & Ordinem Vallis Scholarum civitatis Parisii & Ordinem Carmelitarum, anno secundo sui Pontificatus, & in illo anno etiam obiit Guilielmus Nivernensis, qui singulis diebus duo millia pauperum de bonis suis pascebat.

Item quod Innocentius Papa tertius & postea ipse Honorius omnes Reges, Principes, Barones, nobiles & communitates invitasset, & addixisset pro passagio ultramarino faciendo, & multi de ipsis fuissent cruce signati, ideo iste Honorius misit ultra mare unum Cardinalem Legatum cum Regibus Jerusalem, Cypri, Britanniæ ac Ducibus Austriæ & Bavariæ cum multis aliis nobilibus de Franciæ & Alamaniæ partibus atque communitatibus & singulis ipsorum de terra sancta recuperanda, cumque ipsi recessissent ultra mare, & in terra infidelium Christi fuissent cruce signati Damaticam obsederunt, & post multas invasiones & dictorum infidelium defensiones isti dicti cruce signati dictam Damaticam ceperunt anno secundo Pontificatus Honorii Papæ, & postea per unum annum custodierunt, in qua quidem captione quatuor viginti millia Saracenorum interfecti fuerunt, sed postea dictus Cardinalis cum Templariis & Hospitalariis cruce signatis per ipsos fidei inimicos proditionaliter captus fuisset, ideo pro pretio & redemtione ipsorum ipsa Damatica prædictis paganis ab eodem Legato fuit restituta.

Item quod cum Raymundus quondam Tholosanus Comes & Comes Peralbernorum atque Convenarum cum paucis millibus clandestine transeundo Agaronam & Tholosam contra castrum Narbonense omnia impedimenta, quæ poterant, ipsi posuerunt anno quo supra Pontificatus ipsius Honorii Papæ, cumque hoc ad audientiam Cardinalis Legati nomine prius Bernhardi, quem ipse Honorius Papa miserat, pervenisset, ipse scripsit statim & mandavit Simoni Comiti Tholosanensi & Montisfortis, qui tunc præliabatur ultra Rhodanum adversus Hemanum de Pictavia, ut propter præmissa ad civitatem Tholosanensem cum suo exercitu confestim ire deberet, & deinde Fulconem episcopum Tholosanum cum pluribus pro cruce paranda in Franciam idem Legatus transsumsit, ex quibus multi ab ipso Legato crucesignati fuerunt.

Item quod cum postea Simon Comes Tholosanus literas dicti Legati recepisset, statim cum suo exercitu ad eum venit, & cum ipso ad dictam civitatem Tholosanensem perrexit & ipsos fortiter cum magna audacia invasit tenendo ad manum suam dictum castrum Narbonense, sed inimicis ipsius se viriliter defendentibus, nil facere potuit illa vice, quare tunc machinas plures & diversos lapides molares quam plurimos ipse & alia sibi necessaria sibi præparari fecit, & cum istis nocte quam die contra dictam civitatem fortiter pugnabant & cives ex adverso viriliter se defendebant.

Item quod cum ista pugna nocte quam die inter Simonem Comitem Tholosensem & Raymundum antiquum Comitem & suos guerra extitisset, idem Comes Tholosanus aliquorum

Digitized by Google

quorum inductus consilio unum modum invadendi resistenti sine periculo invenit, & de lignis crossis ipse fieri eum fecit, quæ Tanta vulgariter est nuncupata, qui cum ipse cum multis aliis se ibi posuisset, in Tanta ista in crastino nativitatis Sancti Johannis, quidam lapis ex parte civitatis cum quadam machina, quæ vulgariter vocatur mangonella contra ipsum Comitem & suos adjuvatores sub isto transsumtus fuit, & ipsum Comitem Simonem taliter percussit, quod statim exspiravit, anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo decimo octavo.

Item quod ipso mortuo Simone Comite Tholosano & Montisfortis, successit ibi Almaricus, filius primogenitus & hæres suus universalis in Comitatu Tholosano & aliis terris, & etiam in Comitatu Montisfortis, qui quidem obsidionem Tholosensem amplexatus fuit, & taliter, quod ipse usque ad subsequens festum sancti apostoli - - - tenuit ipsam & defensavit. Sed postea dictum castrum Narbonense dimisit, & deinde apud Cachasonem recessit, quod ipse non poterat victoriam de inimicis suis tunc obtinere, propter ipsorum infidelitatem.

Item quod cum postea dictus Raymundus olim Comes Tholosanus audivisset recessum dicti Almarici, & ipse jam erat apud castrum Novum, de Arrio cum suo exercitu apud ipsum castrum Novum venit in continenti, & ipsum castrum fortiter obsedit, ubi dictus Almaricus erat cum dicto Guidone Comite Vigorniæ, fratre suo, & cum una dierum inter se fortiter & viriliter pugnarent, præfatus Guido Comes Vigorniæ graviter fuit vulneratus, ipse ad invicem fortiter & animose per totam hiemem pugna cum extitisset, fatigatus ideo in subsequenti bono tempore a dicto castro novo recessit.

Item quod cum postmodum Ludovicus primogenitus Regis Franciæ crucesignatus existens apud Rapellam Senctorensis diœceseos cum suo exercitu adesse Regem Angliæ audivisset, quod Raymundus olim Comes Tholosanus occupaverat Comitatum Tholosanum contra voluntatem ecclesiæ, statim Rapella per ipsum capta, venit cum suo exercitu versus partes Tholosanas anno Domini millesimo ducentesimo decimo octavo, cumque fuisset apud Manuadam, confestim obsidionem suam ibi posuit & contra ipsam fortiter pugnare incepit. Contullus autem Comes de Asteriaco & plures alii nobiles, qui eam infra defendebant, videntes, quod obsidionem dicti Ludovici Domini sustinere non possent carceri ejus Ludovici se posuerunt & Manuadam sibi reddiderunt, qui quidem postea capti & ad castrum Sancti Laurentii ducti fuerunt & ibi detenti, donec cruce signati, qui a parte adversa capti fuerunt, sibi restituti fuissent.

Item quod ipse Ludovicus post captionem dictæ Manuadæ cum suo exercitu & Bertrando Legato Cardinali Sedis apostolicæ & cum crucesignatis versus Tholosam accessit & eam circumquaque fortiter obsedit, videlicet quinto decimo Kalendarum Junii, qui cum ipsam civitatem per quadraginta quinque dies viriliter expugnassent, dictum Ludovicum ex necessario a dicta obsidione recedere oportuit, unde militibus & aliis captis, & detentis ab utraque parte exinde redditis, ipse Ludovicus in Franciam rediit, & post ipsius recessum dicto Comiti plura castra se reddiderunt, & guerra ex parte ipsius contra ecclesiam solito plus tunc calefacta fuit & multiplicata.

Item quod ipse dictus Honorius Papa anno Domini millesimo ducentesimo primo Federicum secundum, Imperatorem electum confirmavit & ipsum coronavit apud urbem Romanam in ecclesia Sancti Petri apostoli, qui quidem fuit octuagesimus quintus Imperator, secundum chronicam Martini, & postea anno quo supra Honorius Papa Corardum Cardinalem Episcopum, Portuensem Episcopum, pro Legato ad partes Tholosanas & Albigenses transmisit. Etiam eodem anno Dominicus antedictus pater & institutor Ordinis fratrum Prædicatorum de hoc seculo, videlicet anno Idus Augusti ad Christum migravit.

Item quod postea anno sequenti Raymundus antiquus Comes Tholosanus in mense Augusti morte subitanea decessit, cujus corpus per Hospitales in domo eorum, quæ est Tholosæ, fuit deportatum, sed ecclesiasticæ sepulturæ non fuit traditum, cum tunc esset in vinculo excommunicationis innodatus, ipsum tamen corpus in quodam sepulchro, quod adhuc ibi habetur, extitit per amicos suos commendatum, cumque postea pro tempore Raymundus, ultimus Comes Tholosanus & filius ejusdem Raymundi pacem cum ecclesia & Rege Franciæ fecissent, deinde apud urbem Romanam accessit, & coram ipso Papa Honorio prædicto ad probandum, quod dictus Raymundus pater suus in morte sua offenderat & habuerat pœnitentiam inter - - - -, quare ipsum absolvi petebat & tradi ecclesiasticæ sepulturæ, quod etiam non potuit ipse obtinere.

Item quod postmodum processu temporis anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo vicesimo quarto Almacus filius & hæres universalis præclaræ memoriæ Simonis Montisfortis quondam Comitis Tholosani videns & attendens, quod propter malitiam & inconstantiam subditorum suorum comitatum Tholosanum & omnes alias terras in Allegosio, Carcassone, Biterrensi & Egenasio, & alias terras, quas pater suus acquisiverat, Ludovico Regi Franciæ dedit, & sibi libere resignavit, & omnibus terris istis supra dictis eum totalem constituit successorem, quara dictus Rex officium Conastabulatus per totum regnum Franciæ exercendum ei Almarico Montisfortis, tanquam viro provido & strenuissimo militi commisit.

Item quod iterum dictus Honorius Papa de novo

Digitized by Google

novo misit unum sedis apostolicæ Legatum, nomine & titulo Romanus Sancti Angeli Diaconus Cardinalis, summa discretione & consilio approbato, ad partes Tholosanas & alias per Simonem tunc Comitem Tholosanum & Montisfortis acquisitas, qui cum in Franciam venisset, statim requisivit dictum Ludovicum Regem Franciæ, & juxta pacta facta inter ipsum & sedem apostolicam ad prædictas partes contra inimicos ecclesiæ venire deberet. Qui quidem Rex cum magno exercitu & apparatu crucesignatorum & cum ipso Legato iter suum incepit, deinde ad civitatem Lugdunensem pervenit, & exinde ad civitatem Avignionensem accessit, & interim omnes civitates, castra, villæ atque fortalitia, quæ fuerunt Comiti antiquo Tholosano, in manibus dicti Regis se tradiderunt, cumque ipse fuisset prope Avenionem, ipse Rex cum dicto Legato & exercitu suo crucesignatorum, tunc ejusdem cives civitatis claves ipsius civitatis sibi tradiderunt & se sibi supposuerunt. Cum dictus Rex cum suo exercitu per civitatem Avinionensem transire vellet, tunc ipsi cives malo consilio inducti libere transire eidem Regi Franciæ & dicto Cardinali Legato sedis apostolicæ cum suo exercitu denegaverunt anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo vicesimo sexto.

Item quod cum ipsi cives Avinionenses liberum transitum Regi Franciæ & Legato supra dictis denegassent, ideo ipse Rex ipsam civitatem obsedit & viriliter ipsam expugnare incepit, & interim & ipse Rex & ipse Legatus miserunt quendam validissimum virum Archiepiscopum Narbonensem Petrum Almalchi nomine sic vocatum, ad partes Tholosas, Agenenses, Abienses, Carcassonenses, Birrenses & alias res, quas dictus præclarus Simon, Comes Tholosanus & Montisfortis cum auxilio & voluntate sedis apostolicæ in manu sua acquisiverat, qui cum ipse Archiepiscopus ad omnes illas terras pervenisset, statim omnes civitates, castra & villæ & civitates nomine dicti Ludovici & Legati honorifice acceperunt, & claves civitatum & castrorum libere sibi tradiderunt.

Item quod cum dictus Rex Franciæ cum exercitu crucesignatorum fortiter dictam civitatem Avignionensem cum magna audacia impugnasset, & cives ejusdem civitatis viriliter & verius juxta superbiam, fraudem & malitias eorum consuetas in dicto dominio atque ditione & defensione se defendere volentes, tunc ipsi præfato Regi se & dictam civitatem libere tradiderunt anno, quo supra, pridie Idus Septembris. Qui quidem cives ad ruinam murorum per dictum Regem & ad alias pœnas condemnati extiterunt, quibus non obstantibus, adhuc pejora perpetrant, si possent, quamvis ipsi hodie pauci existant.

Item quod postea, capta civitate Avinionensi, statim ipse Rex & Legatus cum dicto exercitu versus Biturrenses & Carcassonenses partes gressus suos direxerunt, cum quibus erat semper præfatus athleta & fidei catholicæ amicus nominatus Fulco Archi-Episcopus, cum quo præfati Rex & Legatus apud Apamas fuissent, ibi per ipsos magnum consilium pro ecclesia & contra ecclesiasticarum personarum & cleri ecclesiæ contemtores solenniter extitit celebratum, cujus statuta incipiunt: Felicis recordationis. Quo quidem consilio celebrato, & recuperatis multis castris & diversis per dictum Comitem Tholosanum antiquum occupatis, injustis castris & villis, dimissa custodia nobili potenti viro Hymberto de Bello loco, militi strenuissimo, cum magno exercitu ipse Rex & Legatus versus partes Albigensium & Alverniam recesserunt, in qua quidem Alvernia Rex magna ægritudine fuit prætentus in tantum, quod post paucos dies ab hoc seculo migravit in quodam castro, quod castrum Pensenum vocatur, septimo Idus Novembris, anno, quo supra, tunc Ludovicus filius suus ætatis quatuordecim annorum vel circa, in Regno successit in factis & operibus virtuosus.

GREGORIVS IX.

Natione Campanus de Anagnia natus & post dictum Honorium Papam tertium in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum Apostolum extitit Papa centesimus & octuagesimus octavus, anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo vicesimo sexto.

Item quod ipse Gregorius ante suam promotionem Hugolinus vocabatur, & fuit Cardinalis Hostiensis, qui quidem per fratrem Raimundum de penna forti, ordinis Prædicatorum, pœnitentiarium & Capellanum Papæ, excellentissimum Doctorem plura volumina fecit, & sententiam per dictum Honorium Papam tertium contra Fridericum tunc Imperatorem latam ipse renovavit & ipsam aggravavit.

Item quod cum ipse Gregorius omnibus præfatis mundi catholicis tertium diem ad celebrandum suum consilium generale apud urbem Romanam assignasset, ideo ipse Fridericus omnes vias & passus per terram & mare contra Prælatos & quosdam clericos ad consilium venientes inpediri atque stabiliri fecit, cumque Jacobus Penestrinus Episcopus Cardinalis & quidam alter Cardinalis, Otto nomine, quos pro subsidio ecclesiæ Romanæ ultra montes legatos misit, qui fuerant ad curiam Romanam, & multi alii Abbates & clerici ad dictum consilium redire & venire volentes ex ordinatione dicti Friderici Imperatoris cum manibus Pisanorum, qui dicto Imperatori favebant, omnes capti fuerunt & redemti.

Item quod cum ipse Gregorius Papa videns tantam persecutionem & compunctionem dicti Federici Imperatoris contra eum & ecclesiam Romanam, attendens etiam malitiam & inconstantiam Romanorum, qui per dictum Fredericum Imperatorem cum pecunia contra Papam erant corrupti, & quod iste Fridericus in parte etiam patrimonium Ecclesiæ Romanæ occupaverat, & ipsum etiam quotidie occupare

re nitebatur, ideo ipse Gregorius Papa una die accepit capita apostolorum Petri & Pauli, & cum suis Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis & episcopis, abbatibus & aliis Prælatis clericis de Ecclesia Lateranensi usque ad Ecclesiam Sancti Petri urbis Romæ portando dicta duo capita Apostolorum Petri & Pauli cum suis Cardinalibus & aliis supra dictis, & multas Sanctorum diversorum reliquias magnam processionem pro invocando Dei auxilium contra dictum Fredricum Imperatorem ipse celebravit, cumque ipsi Romani hoc audivissent, statim nutu divino isti Romani a suo malo proposito convocati fuerunt, & quasi cruce signati contra prædictum Fredricum Imperatorem se opposuerunt. Unde ipse Imperator hoc videns de die in diem infra dictam urbem Romanam per manus ipsorum intrare separabat confestim, & summe timens longe ab urbe Romana retro cessit.

Item quod postea anno secundo Pontificatus ipsius Gregorii Papæ Hymbertus de Bellojoco locum tenens Regis Franciæ & Petrus Aurelii Narbonensis Archiepiscopus & Fulco episcopus Tholosanus locum tenens legati castrum fortissimum Beacca vocatum, quod erat in diœcesi. * Tholosana, in quo erant hæretici & hostes Ecclesiæ cubabant, obsederunt & ipsum fortiter expugnaverunt, & illi, qui erant infra se, defenderunt viriliter, & finaliter ab ipsis locumtenentibus extitit captum, & omnes, qui erant infra, aliqui per muros & fenestras descendendo, & quidam fugiendo una cum mulieribus & ipsarum pueris parvulis interfecti fuerunt.

Item quod cum ipsi cives Avinionenses liberum transitum Regi Franciæ & Legato supra dictis denegassent, ideo ipse Rex ipsam civitatem obsedit & deinde ipse unde innuisset, statim præfati Imbertus de Belloroco, Petrus Amelii Archiepiscopus cum suo exercitu contra ipsum castrum venerunt & ipsum obsederunt & fortiter expugnaverunt ipsum, qui quidem post multas evasiones ipsorum & defensiones ipsorum inimicorum prædicti locumtenentis Regis & Legati obtinuerunt, & ipsi minus salva eorum vita ab ipso castro recesserunt.

Item quod recuperato hujusmodi castro Sarraceno, habito tamen prius inter se consilio & deliberatione, isti locumtenentes convocarunt auxilium Auxitani & Burdegalensis Archiepiscoporum & aliorum Prælatorum & eorum subditorum, qui cum ipsi bene inimici & associati venissent, statim versus Tholosam perrexerunt & ipsam in circuitu obsederunt, & cum machinis, catenis, pichasis & omnibus aliis instrumentis ferreis pro destructione murorum, arborum & vinearum necessariis nocte quam die eam fortissime expugnaverunt, & inimici contra ipsos cordialiter ex adverso se defenderunt, cumque isti locum tenentes sic pugnando per tres menses stetissent ibi, & ipsam civitatem capere non possent, nec dicti inimici aliquem tractatum pacis recipere vellent, ideo ipsi locum tenentes cum suo exercitu suam obsidionem dimiserunt, & versus Apameas recesserunt, & omnes alii Prælati, Barones, Nobiles de Vasconia ad loca propria redierunt.

Item quod cum postea Locumtenentes cum suo exercitu terram Comitis, quæ est de Passa Barchæ usque ad locum, qui dicitur Sancti Johannis de Buginibus concurrissent & in illa planitie sua tentoria & castra posuissent, & pluribus diebus ac noctibus ibi stetissent, interim Helias Gverini Abbas monasterii Grandis sylvæ, ordinis Cistertiensis & Tholosanæ diœceseos, vir summe providus & discretus de Francia ex parte Legati Cardinalis supervenit & omnem tractatum pacis & concordiæ Raymundo Comiti Tholosano & civibus suis atque amicis præsentavit, & deinde super isto tractatu certa die juxta castrum de Baysicias ambæ partes colloquium habuerunt gratiosum in tantum, quod Petrus Aurelii & omnes suffraganei sui & dictus abbas Grandis Sylvæ ex una parte & dictus Comes dictus Tholosanus cum omnibus amicis suis ex alia parte in Franciam accesserunt in civitate Mardense, ubi erat dictus Cardinalis Legatus, certa die pro tractatu pacis & concordiæ a partibus electi fuerunt, quæ quidem partes post longum tractatum, gratia Dei suffragante, mediantibus instrumentis & singulis amicabiliter convenerunt & finalem concordiam habuerunt, prout ex subsequentibus apparebit.

Item quod facta hujusmodi concordia inter partes prædictas statim ipsi versus Parisios perrexerunt, & in præsentia Ludovici tunc Regis Franciæ & sui consilii, quæ interea concordata & recitata extiterunt, & tandem omnia, quæ inter dictum Legatum Cardinalem & Raymundum ultimum Comitem Tholosanum fuerunt ordinata & finita, per ipsum Regem Franciæ extiterunt confirmata atque ratificata; videlicet, quod dictus Raymundus, Comes Tholosanus ultimus, quamdiu viveret, civitatem Tholosanam cum suo Comitatu tenere & possidere deberet pacifice & quiete, & post mortem ipsius unica filia, quam ipse ex legitimo matrimonio habebat, Johanna nomine, in suum Comitatum tantum succedere debet. Et quod nullum jus pertinens ad ipsum Comitatum vel extra ipsum Comitatum vel ultra Rhodanum ubicunque sua bona essent, alicui dare seu transferre, & aliqua dicta vel quovis modo alienare non posset ipse, in præjudicium suæ filiæ & suorum descendentium; & quod filia ipsius modo nominata cum Alfuncio tunc Comite Pictaviensi fratre ejusdem Regis matrimonium contrahere deberet; & deinde pro damnis & expensis factis & positis per ipsum Regem Franciæ viginti millia marcarum argenti sibi per dictum Comitem dare & realiter solvere sibi fecit, & per quinquennium ultra mare contra inimicos fidei pro pœnitentia per duos Legatos Cardinales ibi tunc præsentes, quorum unus erat tunc deputatus in regno Franciæ, & alter regno Angliæ fuit, dicto Comiti & suis expresse data & assignata, quæ quidem omnia supra dicta tam ex par-

ex parte ipsius Comitis Tholosani, quam ex parte Regis Franciæ ex altera solenniter confirmata extiterunt & ratificata cum homologatione duorum legatorum supra dictorum, & deinde idem Comes Tholosanus a vinculo excommunicationis, quo ipse & sui sequaces fuerunt canonice excommunicati, ab ipsis Legatis absoluti fuerunt.

Item quod post pacem prædictam apud Parisios factam anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo vicesimo octavo, mense Julii, civitas Tholosana de mandato dicti Legati fuit reconciliata, absente tamen dicto Comite Tholosano, quia ipse remansit in pensione Regis de consilio suo, donec muri civitatis essent destructi, & filia dicti Comitis, nomine Johanna, quæ erat novem annorum, cum Alphonsio Fratre dicti Regis, Comite Pictaviensi matrimonium contraxisset & consummatum fuisset, quod quidem postea factum fuisset; & postea in isto anno sequenti Majorca per Regem Aragonum capta fuit.

Item quod cum dictum matrimonium factum fuisset & celebratum, dictus Comes Tholosanus a prædicto Rege Franciæ in sequenti Festo Pentecostes militiam solenniter recepit, & postea expletis omnibus pactis & conventionibus suis, ad patriam est reversus, quem post paucos dies Legatus Cardinalis pro diruendis muris & fortalitiis Tholosani Comitis eum crucesignatis fuit secutus. Qui quidem Legatus anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo vicesimo octavo in civitate Tholosana consilium suum generale celebravit, in quo interfuerunt Narbonensis, Burdegalensis & Auxitanus Archiepiscopi cum suis suffraganeis & aliis Prælatis & clericis, nec non etiam Comes Tholosanus & multi Comites præter Comitem Fuxensem, qui remanserat Anguenæ, & etiam barones Senescallus Carcasonæ & Consules Tholosani duo dummodo taxat plenam potestatem a sua universitate habentes, qui quidem omnia statuta facta per dictum Legatum & consilium super statu pacis tenere & conservare ac teneri ac observari super sancta Dei quatuor Evangelia ab ipso corporaliter tacta in manibus dicti Legati juramentum omnes civitates & singuli ipsorum totius terræ postea eidem Legato præstiterunt.

Item quod celebrato hujusmodi consilio, statim tanquam vir prudens inquirere iste Legatus & indagare incepit contra suspectos de hæresi, & nihilominus ipse voluit & ordinavit, ut quilibet episcopus hujusmodi inquisitionem in propriis dictis facere deberet, cumque multi suspecti postea fuissent reperti, eidem Legato in scriptis extitissent nominati, ipse eos citari fecit, quorum aliqui errores suos fuerunt confessi, & quidem alii hoc denegantes super hoc se fortiter defendebant, & deinde receptis nominibus ipsorum, dictus Legatus a dicta patria recessit & Rhodanum transivit, & apud Amaicam civitatem cum multis archiepiscopis, episcopis, Prælatis & clericis suum consilium solenniter celebravit, quo quidem celebrato, statim ipse literas pœnitentiariæ, quas ordinaverat contra prædictos de hæresi suspectos & legitime convictos episcopo Tholosano transmisit per eum Tholosæ publicandas, quas ipse postea Tholosæ in ecclesia Sancti Jacobi, præsente multitudine gentium copiosa, solenniter publicavit.

Item quod processu temporis, videlicet anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo vicesimo nono Theobaldus Campaniæ Comes, Comes Brienæ, Comes Marchiæ & dictus Raymundus ultimus Comes Tholosanus cum Rege Angliæ contra sanctum Ludovicum tunc Regem Franciæ convenerunt & ligam inter se magnam fecerunt, sed, Deo auxiliante, viribus dicti Regis ab eorum mala intentione & invasione fuerunt repulsi, & nihilominus dictus Gregorius Papa episcopum Tornacensem ad Dominum Comitem Tholosanum destinavit eum, qui requirerent, omnes articulos per eum præmissos & juratos in manibus suorum Cardinalium Legatorum prædictorum tenere & observare deberet, alias contra ipsum autoritate apostolica procedere deberet, qui cum dictus episcopus Tornacensis, nuncius sedis apostolicæ apud Novum castrum venisset, statim citari & convocari fecit omnes, qui causas conquerendi contra dictum Comitem Tholosanum habebant, ut ad eum venirent & in scriptis ejus sibi tradere deberent, quibus quidem statim partibus requisiverunt eundem Comitem, ut ab ipsis de cætero desistere vellet, & promissa rite observaret, alias contra ipsum procedere autoritate præmissa. Qui quidem sic facere & omnia emendare tunc ipse solenniter promisit.

Item quia dictis promissionibus per dictum Comitem Tholosanum, statim ipse cum episcopo Tholosano cum magno exercitu venit per totum Comitatum Tholosanum ad explorandum & capiendum ejus pollutos hæreticæ pravitatis, & nihilominus ipse Comes fecit statuta per ordinem observanda secundum articulos, per eum pariter coram dicto sancto Ludovico, mediante suo corporali juramento de tenendo & servando promissa. Quæ quidem statuta in claustro ecclesiæ cathedralis sancti Stephani in præsentia dicti Legati, Archiepiscoporum, Episcoporum & aliorum Prælatorum, clericorum & plurium baronum, Nobilium & communitatum fuerunt solenniter publicata & ab omnibus approbata, & ipsa omnia ad Regem Franciæ sub instrumentis authenticis sigillis extiterunt transmissa.

Item quod cum postea videlicet anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo tricesimo tertio inter Comites Provinciæ & Tholosæ summa guerra exorta fuisset, & per triennium inter eos perdurasset pro eo, quia inter Comitem Provinciæ prædictum & episcopum Marsiliensem magna discordia fuit suscitata, cives Marsiliæ Comitem Tholosæ supra dictum in Dominum elegerunt, & tanquam Domino civita-

Digitized by Google

civitatis Marsiliæ & totam terram eorum & se in manibus submiserunt atque sibi tradiderunt, propter quæ dictus Legatus Cardinalis, ut de ipsis pacem facere posset, apud civitatem Biturrensem solenne consilium celebravit, & super ipsa pace facienda summe laboravit, cujus tamen labor finaliter non potuit devenire ad suum effectum peroptatum, & in isto anno dictus Ludovicus Rex Franciæ Margaritam filiam Berengarii Comitis Provinciæ duxit in uxorem.

Item quod dictus Gregorius Papa anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo tricesimo tertio, septimo Idus Julii apud civitatem Reatinam, quæ est in Tuscia, beatum Dominicum patrem & institutorem ordinis Prædicatorum solenniter canonizavit; & postea per duos annos in vesperis dedicationis S. Arch-Angeli Michaëlis dictus Rex Aragonum ab infidelibus civitatem Valentiæ cepit cum magno triumpho.

Item quod postea processu temporis, videlicet anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo quadragesimo Trontanelus filius quondam Vice-Comitis Biterrensis cum multis Magnatibus & potentibus viris ac magno exercitu per eum congregato, inter quos erat Olivarius de Francia, Bernardus de Ortalibus, Bernardus Hugonis de Fertalongva, Bernardus de villa nova, Hugo de Romegos nepos ejus, & Jordanus, & Johannes de Sasiaco, qui viriliter expugnaverunt villas & castra, quæ dictus Rex Franciæ habebat in Narbonensi & Carcassonensi diœcesibus, in tantum, quod castrum Montis regalis, castrum montis Olivi, castrum Susiaci, castrum de Lunos, castrum de Asillano, & castrum de Lamano cum magno impetu & gentium timore ceperunt; cumque hæc ad notitiam Episcopi Tholosani nominis Raimundi & aliorum Prælatorum clericorum & Bajanorum pervenissent, ipsi statim bene muniti & associati & pro defensione civitatis Carcasonæ & totius terræ venerunt & in ipsam se incluserunt, & ipsam tandem instrumentis bellicosis & victualibus necessariis fortissime muniverunt.

Item quod deinde cum dictus Troncanellus & sui vidissent dictam civitatem Carcassonensem sic bene munitam, & ipsi considerassent, quod per invasionem extrinsecam ipsam habere non possent, tunc isti adversarii cum quibusdam de Baugodia civitate colloquia postea secrete habuerunt, ut de eorum domibus, quæ trans dictam civitatem haberent ipsam minare subtus terram curarent, ut ipsius civitatis muros invadere possent & intrare, & exinde prædictam civitatem capere, cumq; inter minores dicti Troncanelli & Senestalli Carcassonæ ex opposito nocte quam die magna pugna fieret, & Comes Tholosanus ex parte dicti Senestalli pro eo invadendo requisitus venisset, statim ipse Comes omnes de burgo in ecclesia sanctæ Mariæ ad colloquium convocari fecit, quibus quidem ibi congregatis, omnes isti de Burgo a Comite & Senestallo taliter extiterunt moniti & inducti super altare beatæ Mariæ & reliquias ipsius & super sancta quatuor evangelia Dei ecclesiæ & Regi Franciæ ac etiam illis, qui pro defensione vel custodia in dicta civitate existebant, adhærere & fideles esse juraverunt, & sic servare eas promiserunt. Sed ipsis juramentis non obstantibus & ipsa nocte illi de burgo prædictum Senestallum cum suis consortibus in ipsum burgum receperunt & eos introduxerunt, quo facto, omnes Presbyteri & clerici, qui in dicto burgo locabantur, ab ipso fugierunt quasi numero triginta, & ad dictam ecclesiam confugierunt, quibus quidem literis per dictum Troncanellum de securitate eundi versus Narbonenses sub suo sigillo concessis, non obstantibus inimicis prope portam ejus burgi proditionaliter interfecti fuerunt, & deinde ipse Troncanellus prædictam civitatem interim minari & ipsam fortiter expugnari fecit, & illi de civitate se viriliter defenderunt. Cum autem hujusmodi pugna quasi per mensem durasset, succursus militaris ex parte Regis Franciæ Senestallo Carcassonæ ad defensionem civitatis fuit communicatus; qui statim dictus Troncanellus de dicto burgo recessit cum gentibus suis quinto Idus Octobris, & versus Montem regalem recesserunt, & ipsi sibi reduxerunt; quos quidem exercitus, qui venerat de Francia, usque apud Montem regalem fuit secutus, & ipsum Castrum postea obsedit, & contra ipsum nocte quam die fortissime pugnaverunt, inimicis tamen ex opposito se bene defendentibus. Cum vero pluribus diebus inter se pugnassent, Comites Tholosani & Fuxi ad eos supervenerunt, quibus tandem tractantibus, præfatus Troncanellus cum suis armis & equis suis dictum castrum & populum exercitui Regis Franciæ dimiserunt & recesserunt.

Item quod dictus Gregorius Papa post multas tribulationes & sui corporis persecutiones ad Christum migravit, & apud villam Romanam a clero & populo honorifice fuit sepultus. Qui quidem rexit ecclesiam quatuordecim annis & amplius, tyrannizante Frederico secundo Imperatore regnante.

CELESTINUS IV.

Natione Mediolanensis, post dictum Gregorium Papam nonum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus & octuagesimus nonus, anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo quadragesimo primo.

Item quod ipse Celestinus ante suam promotionem Gauffredus vocabatur, Episcopus Sabinensis, qui erat vita, laude & scientia præclarus, cujus anno secundo sui Pontificatus inter Raymundum Comitem Tholosanum & Comitem Fuxi & Comitem Marchiæ & Regem Angliæ sororium suum solennes tractatus facti fuerunt de facienda Gverra contra Ludovicum Regem Franciæ, quibus quidem tunc Legati fuerunt

Digitized by Google

Amelricus Vice-Comes Narbonæ, Raymondus Gamelini Dominus de Lunello, Pontius Dominus de Oltragio, & quidam alii Burgenses & cives de civitate Biterrensi, Vice-Comites de Lautrico, cives Albienses & multi alii Barones & nobiles, sed postmodum tractante & ordinante Raymondo tunc Tholosano Episcopo, inter ipsos Comites & dictum Regem Franciæ facta fuit pax & reformata.

Item quod postea dictus Rex Franciæ anno quo supra sui Pontificatus dicti Celestini Papæ cum magno exercitu venit in Aquitaniam contra Comitem Marchiæ & Engolismæ sibi rebellantem, qui quidem post multas obsidiones & jurationes per dictum Regem Franciæ contra Comitem supra dictum una cum sorore sua & sorore Regis Angliæ & filiis suis ad pedes suos venit & suæ gratiæ ex toto se submisit, & omnia jura, quæ ipse in Comitatu Pictaviæ petebat, Alphonsio Comiti Pictaviæ fratri dicti Regis Franciæ remisit, & homagia Dominorum de Rencorie & de Ruppe & de Honnaco, & quibusdam aliis perpetuo adquittavit, & sic dictus Rex Angliæ a dicto Comite & ab aliis omnibus supra dictis illusus remansit atque destitutus & deinde ad Burdegalam ipse fugiens ad patriam suam fuit reversus.

Item quod ipse Celestinus rexit ecclesiam per decem & septem dies, quia tempore suæ promotionis erat antiquꝰ & infirmosus, & apud urbem Romanam ad Christum migravit, ubi a clero & populo honorifice fuit sepultus, & tunc vacavit sedes apostolica per ambitiones & discordias viginti duobus mensibus & quatuordecim diebus, Frederico Imperatore secundo tunc regnante.

INNOCENTIVS IV.

Natione Januensis, de Comitibus Lavanniæ, qui prius Senestallus Cardinalis vocabatur, post dictum Celestinum Papam quartum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus & nonagesimus, anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo & quadragesimo tertio.

Item quod ipse Innocentius post suam promotionem aliquas sedes Cardinalium, quæ longo tempore vacaverant, de personis sufficientibus & de diversis mundi partibus ab eo electis ipsas restauravit, inter quos fuit magister Odo, tunc Cancellarius Parisiis, & magister Hugo de sancto Claro, ordinis Prædicatorum, tunc in Francia Prior provincialis, qui totam Bibliam utiliter postillavit.

Item quod eodem anno sui Pontificatus quo supra Raymundus Comes Tholosanus venit apud urbem Romanam ad supplendum & requirendum eidem Innocentio Papæ, ut patriam suam de Veneyssinio sibi restituere ipse dignaretur. Qui quidem Innocentius habito super hoc consilio & deliberatione eam sibi restituit & concessit.

Item quod cum postea Fridericus Imperator schismaticus tractari fecisset de pace cum ipso Innocentio Papa, & ipse Innocentius malitiam & contumaciam ipsius perpendisset, ideo clandestine cum auxilio Januensium per mare ad partes Gallicanas pervenit, & deinde se & curiam suam in civitate Lugdunensi mutavit anno Domini millesimo ducentesimo, quadragesimo quarto, in principio mensis Decembris, & ibi fuit usque ad festum Paschæ & ultra per quatuor septimanas, quibus de Lugduno recessit. Et in eodem anno Ludovicus Rex Franciæ graviter infirmus votum Deo fecit de peregrinatione ad sanctam terram & de ipsa obtinenda & ab infidelibus auferenda viribus suis.

Item quod anno quo supra Petrus Ameli Archi-Episcopus Narbonensis & Durantus Archi-Episcopus Albiensis, & Senestallus Carcassonensis cum exercitu cruce signatorum castrum Montis securi, diœceseos Tholosanæ fortissimum & quasi inexpugnabile obsederunt, & contra ipsum nocte quam die fortiter pugnaverunt, quia ibi erat refugium tyrannorum & deprædatorum, ac etiam synagoga hæreticorum. Cumque inimici, qui erant in dicto castro superiori, vidissent, quod cruce signati intraverant in muros dicti castri, & ulterius se commode defendere non possent, recepta securitate a crucesignatis de corporibus suis, non tamen de hæreticis, qui ibi erant quasi ducenti, prædictum castrum cum ipsis hæreticis tradiderunt & ab ipso salvi recesserunt, & dicti hæretici plus voluerunt comburi, quam ad Christum converti.

Item quod dictus Innocentius postea anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo quadragesimo quarto in festo beati Johannis Baptistæ apud dictam civitatem Lugdunensem redierunt, & ibi suum consilium cum multis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus & aliis clericis cum ultramarinis & cæteris de regno Franciæ & Hispaniæ partibus magnum & solenne concilium, præsentibus Cardinalibus suis, celebravit, in quo dictum Fridericum tunc Imperatorem se gerentem, interdictum, schismaticum & anathematizatum ab omni jure imperii & regni Siciliæ, mediante sententia definitiva, privavit & eum condemnavit sexto decimo Kalendas Augusti, cui quidem concilio Imperator Constantinopolitanus, Raymundus Comes Tholosanus & Raymundus Berengarii Comes Provinciæ supervenerunt, qui quidem Comites matrimonium de ipso Comite Tholosano & Beatrice ultima filia ejusdem Comitis Provinciæ inter se tractaverunt & de ipso contrahendo & consummando convenerunt, verumtamen cum inter ipsos consanguinitas superesset, propter quod sine licentia Papæ hujusmodi matrimonium complere vel contrahere non possent, idcirco ipsi humiliter supplicaverunt, ut super impedimento dispensare

Digitized by Google

sare dignaretur, super qua quidem dispensatione Regina tunc Franciæ & Regina Alamaniæ & Regina Angliæ dictæ puellæ prædicto Innocentio nunciis & literis specialibus ex adverso supplicavit, ne in dicto matrimonio dispensare vellet ex certis & legitimis causis per ipsas sibi allegatis. Cumque Innocentius super hoc dispensationem dare prorogaret, ideo dictus Comes Provinciæ ad propria remeavit & post paucos dies de hoc seculo migravit, post cujus decessum Comes Sabaudiæ avunculus dictæ puellæ & Barones Provinciæ, habito inter se consilio & deliberatione Karolo, fratri Regis Franciæ, qui postea fuit Rex Siciliæ, in uxorem concesserunt & eam sibi matrimonialiter conjungendam tradiderunt anno supra dicto.

Item quod dictus Innocentius anno a nativitate Domini millesimo, ducentesimo quadragesimo sexto apud Lugdunum canonizavit sanctum Edmundum, Archiepiscopum Cantuariensem, & anno sequenti dedicavit & confirmavit Regulam fratrum ordinis Carmelitarum, quam eis dederat Anna, Patriarcha Hierosolymitanus; & Raymundus Comes Tholosanus cum multis Baronibus & militibus in Franciam accessit, & ipse cum omnibus istis crucem pro eundo ultra mare cum dicto Rege Franciæ recepit, & deinde ad partes proprias reversus de suis navigiis & aliis necessariis procuravit, & in tantum ipse dicto Innocentio Papæ supplicavit & sibi supplicari fecit per dictum Regem Franciæ, ut patrem suum absolvere dignaretur, nam ipse sibi offerebat legitime probaturum, quod in suæ mortis articulo habuerat signum contritionis, quam quidem absolutionem finaliter ipse obtinere non potuit.

Item quod cum tempore dicti Innocentii Papæ, videlicet anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo quadragesimo octavo dictus Ludovicus Rex Franciæ, qui postea fuit canonizatus, cum Roberto Atrebatensi & Karolo Andegavensi Comitibus, fratribus suis & ipsorum uxoribus & cum magna militia venit apud Lugdunum, ubi erat & residebat cum curia sua Innocentius Papa, & deinde facta sibi reverentia, ab ipso recessit, & apud portum Aquarum Mortuarum ipse perrexit cum tota militia sua, quia ibi erant navigia sua parata, cum ibi ipse fuisset statim cum tota militia sua in mari se posuit & deinde in Cyprum applicavit & venit, & ibi per totam hyemem moratus fuit, quem quidem Alfonsius Comes Pictaviæ frater suus una cum Johanna sorore sua, filia comitis Tholosani sequenti anno fuit secutus. Et tunc dicto Rege apud Cyprum stante & hyemante, Græci de partibus illis suum schisma, quod tenebant, abjurarunt, & multi Saraceni ad Christi fidem conversi fuerunt.

Item quod postmodum dictus Rex Franciæ misit duos solennes fratres Ordinis Prædicatorum cum magno apparatu & ornamentis ecclesiasticis valde pretiosis ad Regem Tartarorum, ut ipsum invitarent ex parte ipsius ad Christi fidem, quia ipse credebat, quod animum suum ad nostram fidem inclinare vellet, cumque ipsi duo fratres ad locum, ubi esse debebat dictus Rex Tartarorum, devenissent, ipsum Regem defunctum invenerunt, verumtamen Regina & filius ejus, visis & receptis hujusmodi muneribus pretiosis, ipsos fratres & omnes, qui erant cum eisdem, valde honoraverunt & multa dona & encænia eis tribuerunt, sic quod reversi fuerunt cum honore, sed non cum effectu Regis Franciæ supra dicti.

Item quod deinde anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo quadragesimo nono præfatus Rex cum suo exercitu navigavit & apud Damiottam ipse venit, cum autem ipse Rex cum suo exercitu vellet transire flumen rivuli, ibi tanta paganorum multitudo cum armis, ballistis & aliis instrumentis bellicosis supervenit, quod Rex Franciæ portum tunc recipere non potuit; qui quidem Saraceni cum jaculis & balistis de portu repulsi statim Damiatam fugierunt, cumque ipsi vidissent, quod dictus Rex Franciæ cum suo exercitu flumen Nili transiverat, fuerunt perterriti, quod dictam civitatem summe munitam panibus atque victualibus diversis optime refertam statim exiverunt & ab ipsa fugierunt, unde cum postea dictus Rex & gentes suæ expugnare nollent dictam civitatem, credentes quod in ipsa essent defensores, nullum tamen de ipsis invenerunt, quare ipsi cum exercitu suo istos paganos fugientes secuti fuerunt & postea ad dictam civitatem redierunt ipsi, & ipsam introierunt, & tunc per totam æstatem sequentem ibi moram traxerunt, & in isto anno Raymundus ultimus Comes Tholosæ, qui per necessitatem corporalem remanserat, decessit quinto Kalendas Octobris, & in monasterio Fontis Ebiardi fuit sepultus juxta matrem suam, filiam Regis Angliæ.

Item quod postea anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo prædictus Ludovicus cum suo exercitu egressus & contra Soldanum Babyloniæ misit Atrabatensem Comitem, cujus quidem adventus in tantum terribilis, quod nullus Saracenus audebat ipsum expectare, ut contra ipsum pugnaret, sed vias & transitus, in quantum poterant, sibi præcludebant, ne ad ipsos venire posset, cumque dictus Comes Atrabatensis frater dicti Regis Franciæ semel postea contra Saracenos fortiter expugnasset, & victoriam de ipsis habuisset, ideo ipse ultra consilium Templariorum deinde progreditur & quandam villam nomine Almosanam cepit & occupavit & ibi se posuit cum gentibus suis. Cum autem una die ipse Comes incaute existeret cum gentibus suis, & non se præcaveret de inimicis, tunc supervenit multitudo maxima Saracenorum, qui contra dictum Comitem irruerunt, & quam-

quamplurimos de gentibus suis occiderunt, inter, quos fuit dictus Comes prædictus, quia postea non fuit inventus.

Item quod postmodum facto hujusmodi insultu orta fuit tanta infirmitas in exercitu christiano, quod aliqui dolore maxillarum, alii dentium, quidam tibiarum intra paucos dies moriebantur in tantum, quod vix sufficiebat aliis sanis mortuos sepelire, nec milites sani, qui de nocte excubias consuetas exercere possent, imo famuli & quoque qui non consueverant deportare arma, receperunt & recipiebant arma & equos militum infirmorum, & de mandato ipsorum dictas excubias devote, in quantum sciebant, faciebant. Cum hoc ad audientiam Saracenorum pervenisset, in instanti Saraceni contra dictum Regem Franciæ pervenerunt, & tandem ipsum Regem cum duobus fratribus suis, Alphonso Pictaviensi & Carolo Andegavensi Comitibus in quodam loco incluserunt & eos ceperunt, & nihilominus multos de exercitu Regis Franciæ persequendo interfecerunt & plures alios captivaverunt.

Item quod facta hujusmodi captivitate, de dicto Rege Franciæ cum fratribus suis super liberatione ipsorum inter eos ex una parte & Soldanum ex altera supervenit tractatus in tantum, quod postea data magna pecuniæ summa dicto Soldano, restituta sibi Demiata civitate, ipse Rex Franciæ cum fratribus suis & aliis de suo exercitu a captivitate ipsorum liberantur. Sed postea dictus Soldanus, qui de dicta captivitate receperat redemtionem, altercatione illius pecuniæ de suis vasallis extitit interfectus postea; & deinde apud Demiatam ipsi Saraceni recesserunt & ipsam penitus destruxerunt, ne de cætero in manibus Christianorum ipsa devenire posset. Rex autem Franciæ cum gentibus suis apud Achon perrexit & ibi per quinquennium moram fecit, & postea ab ipsa civitate omnibus locis circumvicinis bene munitis per eum dimissis, ipse ad Franciam cum suo exercitu remeavit.

Item quod cum dictus Rex Franciæ nondum ad Franciam venisset, ad adhuc in partibus ultramarinis ipse captus esset, videlicet anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo quadragesimo, machinationibus quibusdam Trentanis secta inventa fuit crucissignatorum Patorellorum, & multorum puerorum atque puellarum in regno Franciæ, quorum aliqui pestiferi inventores hujusmodi & prædictos Pastorellos & pueros regentes asserebant & dicebant, illos pueros angelorum visiones se vidisse, & multa miracula eis per eos fuisse facta pro visitando captionem Regis Franciæ, quam ipsi nutu divino recipere volebant, qui quidem ipsos regentes & qui magistri ipsorum vocabantur, more episcoporum populum convocabant, per villas & castra & civitates ad suam benedictionem aspergendo, & deinde magnam & solennem processionem in civitate Parisiensi fecerunt, in matrimonio conjungebant religiosos & clericos, ubique ipsi inveniri possent, gravabant aliquos verberando, alios spoliando & quosdam alios occidendo, nec erat aliquis, qui compesceret eos malignantes aut eis resisteret cum veritate, universus autem populus eis favebat & aliqui de ipso dicebant, hoc fieri propter unum fratrem, alii autem pro majori parte gaudebant propter persecutionem clericorum; veruntamen postquam incepit detegi malitia ipsorum & fucus, statim intra breve tempus omnes isti tanquam umbra vel fumus evanuerunt.

Item quod dictus Fridericus Imperator post suam depositionem obsedit civitatem Perusiensem, quia ipse hærebat extra Tusciam, contra quem dictus Innocentius Papa misit unum Cardinalem cum magno exercitu pro adjuvando dictam civitatem, anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo primo: Cum una dierum prælium inter se fuisset, tandem ipse Fridericus omnibus thesauris & rebus, quas ipse habebat, a dicto exercitu ecclesiæ extitit spoliatus, qui quidem tanquam confusus in Apuliam deinde fuit regressus, & præ nimio dolore, quando ibi fuit, infirmari graviter incœpit. Unde cum Manfredus, filius suus naturalis seu bastardus, summe affectaret regnum & thesauros dicti Friderici patris sui, maxime quia ipse pater suus non habebat nisi unum filium legitimum, qui adhuc erat juvenis, nam idem Fredericus antea habere solebat alium filium legitimum, quem ipse fecerat Regem Alamaniæ, & quia ipse postea dicto Friderico rebellaverat, ideo ipsum capi fecit & apud Apuliam in fortissimis castris postea eum poni fecit, in quibus postea fuit suffocatus in die sanctæ Luciæ virginis, quare dictus Manfredus consentiente uno Secretario patris sui cum uno cervicali eum jacentem in loco suffocavit, ne ad suam aufrancitatem refugere ipse Fredericus posset. Et sic sine sacramentis ecclesiæ & pœnitentiæ & existens excommunicatus & schismaticus extitit suffocatus, sed secundum Gvilielmum in speculo Vincentii dicitur, quod ante mortem suam errorem suum ecclesiæ recognovit, & se pœnituit aliquid contra ipsam fecisse in tantum, quod propter hoc ipse interdicit ne cum aliis Imperatoribus sepeliretur, nec aliquis planctus de morte sua fieri deberet.

Item quod mortuo dicto Friderico, Manfredus per modum tutelæ & gubernationis pro Conradino filio legitimo Conradi filii dicti Friderici jam pupillo regnum Siciliæ & Apuliæ & principatum Calabriæ fraudulenter & violenter usurpavit & tanquam Regem se fecit coronari, & deinde in rebellatione schismate dicti Friderici patris sui eum fuit invectus atque persecutus.

Item quod postea audita morte dicti Friderici anno quo supra post festum Paschæ prædictus Innocentius Papa de Lugduno recessit, ubi steterat cum curia sua per sex annos cum

Digitized by Google

cum dimidio, & in sequenti anno, decimo Kalendarum Julii Alphonsius frater Regis Franciæ, Comes Pictaviæ & Comes Tholosæ & uxor sua nomine Johanna filia Comitis Raymundi, Comitis Tholosæ, intervenerunt noviter, & dominium ipsius & totius Comitatus ac totius terræ receperunt pacifice & quiete.

Item quod anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo & quinquagesimo secundo Conradus filius legitimus quondam Friderici Imperatoris depositi cum magno exercitu venit per mare apud Neapolin pro regno Siciliæ obtinendo, quod occupaverat dictus Manfredus bastardus frater suus post mortem patris sui, qui cum Neapoli fuisset, ipsam obsedit & finaliter eam cepit, & post ipsius captivitatem muros ipsius civitatis funditus destruxit, cumque sequenti anno in Apulia ipse fuisset & graviter infirmari cepisset, cum veneno fuit interfectus & tunc mortem fuit passus Et in secundo anno, quo supra festum de pœnitentia Domini nostri Jesu Christi apud Marsiliam de mandato dicti Innocentii quarti fuit institutum & approbatum.

Item quod anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo secundo, octavo Idus Aprilis frater Petrus de Verona, ordinis Prædicatorum, inquisitor hæreticæ pravitatis per sedem apostolicam deputatus propter inquisitionis infatigabilem effectum & prædicationis instantiam & fidei favorem ab impiis hæreticis & eis credentibus in territorio Mediolanensi gladio fuit interfectus, symbolum fidei catholicæ exprimendo, quem quidem dictus Innocentius Papa in ipsum annum apud civitatem Paviensem in quadragesima canonizavit nono Kalendarum Aprilis anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo secundo, Pontificatus sui decimo anno, ut supra.

Item quod postea anno, quo supra, dictus Innocentius Papa canonizavit apud Assisium Sanctum Stanislaum, Episcopum Cracoviensem, & Regem Portugalliæ administratu regni sui propter ipsius negligentiam & justitiæ defectum removit, & ipsum Alphonso fratri suo Comiti Boloniæ viro summe discreto commisit exercendum.

Item quod tempore ipsius Innocentii Papæ, videlicet anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo quarto, mense Junii Ludovicus Rex Franciæ de partibus revertit transmarinis, qui quidem incœpit religiosius ab hæresi pacem in suo regno confirmare & multas eleemosynas erogare, statuit facere & ordinare, ludum taxillorum, & alios lusus illicitos aboleri & illicita juramenta immutare, removere usuras, damnatorum acceptiones munerum a suis officialibus adhiberi, impositiones & tallias remoturum, ecclesias & personas ecclesiasticas magnificare & honorare, orphanos, viduas & pupillos defendere atque fovere, & alia quamplurima virtutum merita pro gratia divina obtinenda exercere.

Item quod ipse Innocentius post multas tribulationes ad Christum migravit apud Neapolin, in die festo Sanctæ Luciæ virginis anno sui Pontificatus duodecimo, qui quidem rexit ecclesiam duodecim annis, Imperio tunc vacante.

ALEXANDER IV.

Natione Campanus de Anagnia civitate, circa principium Januarii post dictum Innocentium Papam quartum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus & nonagesimus primus, anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo quarto.

Item quod ipse Alexander statim post suam promotionem misit magnum exercitum contra Manfredum illegitimum seu Bastardum quondam Friderici Imperatoris depositi, quia regnum Siciliæ usurpaverat, & tanquam Regem Siciliæ sine autoritate apostolicæ sedis se fecerat coronari, veruntamen dictus exercitus nihil perfecit, sed apud urbem Romanam fuit reversus.

Item quod tempore hujus Alexandri Electores Imperii duos Imperatores in discordia elegerunt, videlicet Regem Castellæ & Richardum Comitem Cornubiæ, fratrem Regis Angliæ, propter quod magna divisio fuit tam in imperio quam inter Electores, quæ quidem longo tempore duravit & interim multa mala atque scandala in dicto imperio suborta fuerunt.

Item quod ipse Alexander in civitate Anagniæ Sanctam Claram monasterii Sancti Damiani solenniter canonizavit, & quod illo tempore ordo Fratrum de pœnitentia Jesu Christi apud Massaliam incœpit, sed ipse paucis diebus duravit. Et etiam in isto tempore dictus Alexander duos pestiferos libellos cum suis actoribus condemnavit, quorum unus autor fuit magister Guilielmus de S. Amore, alter Johannes de Parvo, nomine & origine illius civitatis.

Item quod ipse Alexander post multos labores & tribulationes ad Christum migravit in civitate Viterbiensi, octavo Kalendarum Junii, & ibi in ecclesia Sancti Laurentii a clero & populo honorifice fuit sepultus. Qui quidem rexit ecclesiam sex annis cum dimidio secundum unam chronicam, sed secundum aliam dicitur de septem annis, & tunc vacavit sedes apostolica tribus mensibus & quatuor diebus, Imperio tunc primo regnante.

VRBANVS IV.

Natione Gallicus de civitate Trecensi post dictum Alexandrum Papam quartum in dicta civitate ad urbem die decollationis Sancti Johannis

hannis Baptistæ in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus & nonagesimus secuntus, anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo sexagesimo primo.

Item quod ipse Urbanus tempore suæ promotionis erat Patriarcha Hierosolymitanus, qui post suam promotionem fecit duas promotiones Cardinalium, & effugavit exercitum Sarracenorum cum crucesignatis, quando Manfredus de Sicilia in patrimonium ecclesiæ introduxerat pro destructione ipsius imitando & sequendo vestigia Friderici Imperatoris depositi, patris sui, quare postea ipse Urbanus anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo sexagesimo tertio regnum Siciliæ cum suis pertinentibus, quod dictus Manfredus tanquam tyrannus detinebat, illustri Principi & catholico, videlicet Carolo, Fratri Regis Franciæ, Ludovico tunc Rege Franciæ, Comiti Provinciæ & Andegaviæ cum cæteris conventionibus & ditionibus contulit, & de ipso eum investivit.

Item quod ipse urbanus, quamdiu vixit, viriliter fuit persecutus dictum Manfredum, detentorem regni Siciliæ in sua malitia gloriantem, omnibus modis, quibus ipse potuit, unde quasi omnes Principes seculares, populos & communitates ad persequendum ipsum Manfredum tanquam filium ipsius satanæ Friderici quondam imperatoris depositi patris sui invitabat, inducebat, & inter alios prædictum Carolum, Comitem Provinciæ & Andegaviæ, cui providerat de ipso regno. Unde tunc altissimus, qui fecit magna in cœlo & in terra, propter confusionem & persecutionem ipsius Manfredi Dei & ecclesiæ maligni hostis in cœlo signum posuit præsagium super hoc & ostendit, videlicet unum radium ignis ad modum unius stellæ, quæ Cometa apud Philosophos communiter nuncupatur, cujus forma mirabilis ostendebatur, & diversimode quotidie de die & nocte atque in diversis horis ipsa imitabatur, & tantum, quod post hujusmodi stellationem multa mala & scandala in hoc mundo inimicis ecclesiæ supervenerunt, prout ex subsequentibus patebit evidenter exemplis.

Item quod regnante ista cometa, omnes Comites, Barones & communitates pro majori parte totius regni Angliæ contra Regem Angliæ insurrexerunt, propter quod inter partes fuit factum una die magnum prælium, in quo dictus Rex succubuit, & postea eum & uxorem suam & Eduardum ejus Filium primogenitum & Richardum Regem Alamaniæ, Fratrem dicti Regis Angliæ ceperunt, & nihilominus in isto prælio multa millia hominum interfecti fuerunt, quare ipse Urbanus Papa Guidonem Fulcodii Cardinalem tunc episcopum Sabinensem, qui post mortem ipsius Urbani fuit Papa in Angliam destinavit.

Item quod ipse Urbanus post multos labores & tribulationes in civitate Parisiensi ad Christum migravit, & ibi in ecclesia Sancti Laurentii a clero & populo honorifice fuit sepultus, in cujus transitu dicta cometa disparuit & postea non fuit visa, quæ tamen antea per tres menses vel citra ipsa regnaverat, & ipse Urbanus rexit ecclesiam tribus annis, uno mense & quatuor diebus, Imperio Imperatore tunc regnante.

CLEMENS IV.

Natione provincialis, Narbonensis provinciæ, & regno Franciæ de villa Sancti Ægidii Nevernensis diœceseos fuit oriundus & Cardinalis Sabinensis, & post dictum Urbanum Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus nonagesimus tertius anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo sexagesimo quarto.

Item quod iste Clemens ante suam promotionem Guido Fulardi miles vocabatur, qui habuit uxorem & liberos, & fuit famosus Advocatus & Sancti Ludovici Regis Franciæ Consiliarius specialis, & post mortem uxoris suæ prædictus Urbanus Papa quartus audiens vitam laudabilem & scientiam ipsius, eum fecit primo Aniciensem vel Podiensem, quod idem est, Episcopum, & deinde Narbonensem Archiepiscopum, & tandem Cardinalem Sabinensem. Unde tempore dicti Urbani pro reformatione pacis in Angliam ab ipso Urbano Legatus missus fuit, & ipso existente in sua legatione prædictus Urbanus interim defunctus fuit in civitate Parisiensi, quare statim a Cardinalibus in Papam fuit electus concorditer, qui quidem jejuniis & vigiliis & orationibus & abstinentiis & aliis bonis operibus virtuosis summe fuit intentus in tantum prout creditur, quod suis meritis Deus extinxerit plures tribulationes, quas tunc ecclesia Romana patiebatur, & ipse etiam canonizavit Sanctam Hedwigam, quondam Ducissam Poloniæ, maximæ sanctitatis viduam.

Item quod tempore ipsius Clementis Papæ, videlicet anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo sexagesimo quinto Jacobus tunc Murciam urbem Saracenorum, qui antea erat tributor Regis Castellæ, cum magna fidelium sanguinis effusione cepit; Et in ipso eodem anno Sanctus Ludovicus Rex Franciæ cum multis Principibus, Baronibus, militibus & aliis pluribus interim contra Saracenos crucesignatis & de suo apparatu & aliis necessariis pro ipso & suo exercitu summe procuratur.

Item quod iste Clemens cum magna diligentia procuravit cum Karolo Comite Provinciæ & Andegaviæ in Regem electo, ut omnia, quæ inter ipsum Karolum & Urbanum Papam quartum tractata fuerunt & ordinata super dicto regno Siciliæ obtinendo iste Karolus executionem mandare deberet. Qui quidem Karolus tanquam verus & filius obediens zelans vindicare

Digitized by Google

care injurias ecclesiæ olim factas per Fridericum quondam Imperatorem depositum & dictum Manfredum illegitimum Filium suum statim paravit se & suum exercitum contra ipsum Manfredum, hostem ecclesiæ malignum.

Item quod facta sua provisione de omnibus, quæ sibi erant necessaria pro ipso & exercitu suo statim anno, quo supra, ivit apud urbem Romanam ad ipsum Clementem Papam, non obstantibus insidiis, quæ erant contra ipsum per ipsum Manfredum in mari & in terra, qui cum ipse Romæ fuisset, cum magno honore & lætitia fuit susceptus, & deinde Senator urbis Romæ solenniter ipse fuit factus, in qua urbe per totam æstatem moram fecit suum exercitum expectando, qui de Francia ad eum venire debebat.

Item quod postmodum exercitus dicti Karoli apud urbem Romanam ad eum devenisset, statim ipse Clemens Papa eum unxit & coronavit tanquam verum Siciliæ Regem cum Beatrice uxore sua, qui quidem postea cum suis Cardinalibus Legatis, & cruce signatis & suo exercitu contra dictum Manfredum gressus suos cum magna animi constantia direxit, quorum nomina titulorum dictorum Cardinalium ista tunc fuerunt, videlicet & primo episcopus Albanensis & duorum Presbyterorum, scilicet sanctæ Praxedis & Basilicæ duodecim apostolorum, & tres Diaconi, scilicet sancti Angeli & sancti Gregorii ad Velum aureum, & sanctæ Mariæ in Porticu.

Item cum postea dictus Carolus cum dictis sex Cardinalibus & exercitu ecclesiæ atque suo proprio civitatem Beneventanam devenisset, statim quidem sancti Germani castrum quasi inexpugnabile obsedit & finaliter eam cepit, & deinde contra Manfredum, qui ibi prope erat in campis cum infinito exercitu ad pugnandum paratus sequenti die quamvis ipse cum suis gentibus supra dictis innumeris fatigationem & victualium defectum valde tunc esset attædiatus, in prælium ipse intravit & viriliter contra dictum Manfredum & suos valitores pugnavit in tantum, quod cum Dei adjutorio ipse Karolus habuit triumphum & honorem, in quo quidem & cum uno tantum de parte dicti Karoli fuit interfectus, quod quidem prælium fuit celebratum quarto Kalendarum Martii sexta feria ante civitatem Beneventanam anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo sexagesimo quarto, pro cujus honore & strenuitate & triumpho versiculi compositi fuerunt, qui sequuntur:

> Karolus Athleta Christi, prouti cometa
> Hoc præsignavit, Manfredum suppeditavit.
> Plus decies centum quater juxta Beneventum.
> Janitor prostavit, hinc ecclesiam roboravit.
> Sanctus enim Christi datur isti mille ducentus
> Sexagesimus quoque senus belli finis fit.

Verum tamen statim expedito hujusmodi bello, ipse Karolus cepit dictam civitatem Beneventanam.

Item quod tempore ipsius Clementis Papæ, videlicet anno Domini ducentesimo sexagesimo sexto quam plurima multitudo Saracenorum ex Africa per tempus Augusti mare transiens in Hispaniæ partes venit, conjunctis sibi Saracenis, qui in partibus illis erant, magnam plagam contra Christianos exercuerunt intendentes quod illam terram, quam olim perdiderant, recuperare possent, sed contra ipsos dictus Clemens privilegium crucis Christi fidelibus concessit, qui quidem cruce signati cum Christianis, qui erant in illis partibus Hispaniæ, contra dictos Saracenos taliter irruerunt, quod triumphum de ipsis. Deo auxiliante, victoriam cum magna sanguinis effusione obtinuerunt, & alios de tota terra effugaverunt, & sic Hispani cum gaudio remanserunt.

Item quod cum Conradus filius legitimus Friderici quondam Imperatoris damnati existens in Alamania cum avunculis & amicis suis audivisset, quod ipse in puerili ætate existens dictus Manfredus bastardus avunculus suus nomine suo fraudulenter exusurpaverat regnum, & postea & regnum & corpus suum in prælio perdiderat, & quod etiam ecclesia dictum regnum dicto Carolo dederat & ipsum in Regem coronaverat, & quod eum possidebat pacifice & quiete, ideo iste Corardus omnes Principes Alamaniæ cum Duce Austriæ Fratre matris suæ, & Henricum Fratrem Regis Castellæ, tunc senatorem urbis Romæ & etiam Romanos instanter requisivit, ut consilium & favorem sibi impendere dignarentur, cumque ipse Corradus cum magno exercitu versus Neapolin devenisset, statim contra ipsum Karolum Regem Siciliæ fortiter irruerunt, & certa die, quæ erat in planitie Palantina ad invicem præliaverunt, & quamvis ab initio pro parte dicta in campo se dispersissent, tamen finaliter dictum Corardum & Ducem Austriæ avunculum suum & plures alios Karolus cum magno triumpho cepit & omnes alios occidit seu effugavit in vigilia beati Bartholomæi apostoli anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo sexagesimo octavo in tantum, quod in isto prælio summe major fuit sanguinis effusio quam in campo seu prælio de Benevento. Qui quidem Karolus dictum Corardinum & Ducem Austriæ cum aliis pluribus magnis viris apud Neapolin duci fecit, & postea totum regnum siluit in conspectu ejus, & semen dicti Friderici Imperatoris damnati tanquam recessit, & amplius non est inventus in terra ipsius nomen neque locus.

Item quod ipse Clemens post multas tribulationes apud civitatem Viennensem in vigilia beati

beati Andreæ apostoli ad Deum migravit, & in ecclesia Prædicatorum a clero & populo honorifice fuit cum magnis lacrymis & suspiriis ipsorum fuit sepultus anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo sexagesimo octavo. Qui quidem rexit ecclesiam tribus annis, novem mensibus, Ludovico Rege in Francia regnante, etiam imperio tunc vacante.

Item quod post decessum dicti Clementis Papæ anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo & septuagesimo, sede apostolica tunc vacante, præfatus illustris Ludovicus Rex Franciæ, qui postea meritis suis a sede apostolica tanquam verus sanctus extitit coronatus, cum tribus filiis suis & Rege Navarræ genero suo, sedis apostolicæ Legato & Ducibus multis aliis & cum Radulpho Cardinali iterum ultra mare pro Christi amore contra pestiferos Saracenos perrexit & ad portum Carthaginensem prope Tunonium cum dicto Legato & suo exercitu ipse primo supervenit, in quo quidem portu tanta multitudo Saracenorum supervenit, cum ipse uno cum exercitu suo ad terram exire tunc valuit, cum nunc ipsi Saraceni ulterius se defendere non possent, ab ipso portu recesserunt & fugerunt, & dictus Ludovicus cum suo exercitu terram recepit & deinde civitatem Terragrensem obsedit & finaliter eam cepit cum multis castris circumvicinis, & in circuitu illius civitatis castra & tentoria sua idem Rex poni & affigi fecit, cumque quotidie inter crucesignatos memorabilis infirmitas supervenit in tantum, quod inter alios de majoribus Johannes Comes Viverensis filius dicti Regis & post dictus Carolus & Episcopus Albanensis de hoc seculo migravit.

Item quod postea hujusmodi infirmitas ad dictum Ludovicum devenit & iter fortiter arripuit in tantum, quod post paucos dies ad Christum migravit in vigilia beati Bartholomæi apostoli, anno quo supra, quamvis postea per sedem apostolicam fuerit ordinatum, quod ipsius transitus in crastinam diei festi dicti apostoli propter ipsius vigiliam & festum in ea celebraretur, cujus quidem corpus cum magna reverentia & honore postea in Francia extitit delatum, veruntamen antequam hujusmodi deportaretur, & succursus Caroli dicti Ludovici fratris, prout ipse mandaverat, sibi supervenit, de cujus adventu inter crucesignatos magna lætitia fuit. Qui quidem Rex Siciliæ habito magno consilio & deliberatione cum illis Principibus, Ducibus, Comitibus & Baronibus qui illam terram, quam jam de novo ipsi crucesignati acquisiverant ibidem, ex certis & rationabilibus causis absque magno periculo & laboribus & expensis tenere neque possidere ipsi non possent. Quo quidem consilio celebrato post multos tractatus talis concordia inter ipsos cruce signatos & Saracenos fuit suborta, quod tota prædicta terra noviter per eos cruce signatos acquisita tributaria dicto Regi Franciæ & suis propria remaneret, & quod in omnibus ecclesiis & monasteriis, in civitatibus & castris & villis jam per Christianos constructis totius illius regni per Mendicantes & alios quoscunque clericos vel religiosos verbum Dei exponere & prædicare habeant, & etiam baptizare volentes ipsos baptizare possent, & plura alia placitare seu scribere minus longum essent.

Item quod peractis hujusmodi pactis & conventionibus supra dictis, Eduardus Rex Angliæ cum magno exercitu tunc supervenit, & postea receptis treugis cum dictis Saracenis, ipse ad propria remeavit, & Karolus Siciliæ & Philippus nonus Rex Franciæ nepos suus & Richardus filius Regis Alamaniæ cum aliis multis magistratibus ex alia parte a dicto regno Tunicii recesserunt in Franciam cum dicto corpore dicti Ludovici cum magno gaudio & triumpho id duxerunt. Unde omnia gesta crucesignatorum ex providentia sedis apostolicæ fuerunt subscripta, imo inter alia gesta Romanorum Pontificum merito hic & in aliis chronicis supra dictis ipsa interseruntur.

GREGORIUS X.

Natione Lombardus de Placentia civitate post dictum Clementem Papam quartum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus & nonagesimus quartus, anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo septuagesimo primo, prima die mensis Septembris post vocationem duorum annorum & novem mensium.

Item quod ipse Gregorius ante suam promotionem Theobaldus Archidiaconus Leodinensis vocabatur, qui cum ipse ivisset causa devotionis ultra mare, & ibi tunc existens cum Eduardo Regis Angliæ primogenito apud Viterbiensem civitatem a Cardinalibus post eorum plures discordias concorditer fuit in Papam electus, qui cum postea literas & nuncios de sua promotione ultra mare recepisset, statim ipse navigando per mare ad regnum Siciliæ extitit perductus & deinde cum Carolo Rege Siciliæ apud urbem, ubi erant Cardinales, quarto Idus Februarii ipse pervenit, & postea apud urbem Romanam accessit, & ibi solenniter ipse fuit receptus & coronatus sexto Kalendarum Aprilis anno quo supra, de quo quidam Johannes Cardinalis & Episcopus Portuensis composuit versus qui sequuntur:

> Papatus munus tulit Archi-Diaconus unus,
> Quem patrem patrum fecit discordia fratrum.

Item quod ipse Gregorius Papa post suam promotionem fecit quinque solennes Cardinales, qui erant magni clerici, inter quos fuit unus frater Petrus de Tarantasia, ordinis Prædicatorum, Magister summus in sacra pagina, tunc Archi-Episcopus Lugdunensis, qui postea fuit Papa & Innocentius extitit vocatus. Alter

Digitized by Google

ter autem fuit frater Bonaventura, ordinis & minister generalis fratrum Minorum, in sacra pagina summus etiam Magister fuit.

Item quod postea ipse Gregorius apud Lugdunum magnum & solenne concilium generale celebravit, videlicet anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo septuagesimo quarto in mense Maji, & anno sui Pontificatus tertio, in quo quidem concilio multa bona tractavit, constituit & ordinavit & maxime inter alia de subsidio terræ sanctæ ultra mare, quod si commode posset ipse personaliter visitare intendebat.

Item quod in dicto consilio tractavit remedium super electione cujuslibet Romani Pontificis futuri propter diuturnam vacationem & discordias quæ ante suam promotionem fuerunt inter Cardinales, ac etiam super statu ecclesiæ universalis, in quo quidem consilio Græcorum & Tartarorum solennes nuncii affuerunt, qui quidem nuncii Græcorum & Episcopi eorum, qui ibi tunc erant præsentes non coacti sed bona fide in orthodoxiam cognoscentes unitatem ecclesiæ Romanæ perpetualiter & solenniter tenere & observare promiserunt, & in signum hujusmodi perfectæ obligationis eorum statim in Græca lingua in præsentia ipsius Gregorii & totius consilii Spiritum Sanctum ex patre & Filio procedere confessi fuerunt, & hanc confessionem decantaverunt, & ex certa scientia ipsam approbaverunt, prout in symbolo ipsius Gregorii & in sua decretali publica postea continetur. Nuncii autem dictorum Tartareorum in præsentia dicti consilii baptizati extiterunt & fidem catholicam ipsi expresse fuerunt confessi, in quo quidem consilio quingenti Episcopi & Abbates septuaginta & Prælati circa mille & amplius & etiam Rex Aragonum, & beatus Thomas de Aquino ordinis Prædicatorum, & vita & scientia præclarus, extiterunt.

Item quod cum postea dictus Gregorius Papa ex certis causis de Lugduno apud Bellicadrum devenisset, tunc sibi occurrit Rex Castellæ Alphonsus, qui jus in Imperio Romano asserebat se habere, qui cum ipse Rex ab ipso Gregorio de jure plene informatus fuisset, statim ipse Rex omni juri, si quod sibi competebat, in dicto imperio cum literis suis & instrumentis authenticis in manibus ipsius Gregorii libere renunciavit.

Item quod ipse Gregorius se expedivisset de dicto Rege Castellæ, statim apud civitatem Viannensem ipse perrexit, cumque ibi fuisset, unam magnam Prælatorum consecrationem fieri fecit, qua quidem celebrata, apud civitatem Lausanensem ipse accessit, ubi Radulphus electus in Imperatorem cum uxore & filiis suis supervenit, qui quidem sibi præstitit fidelitatis juramentum, & deinde suam electionem approbavit & confirmavit.

Item quod ipse Gregorius summe anhelans personaliter visitare terram sanctam, ideo super dictum Rudolphum electum Imperatorem & Philippum Regem Franciæ mutavit pariter & induxit maxime, quia dictus Radulphus semper adhoc intendebat & ibi votum suum similiter solvere, ipsi crucis signaculum receperunt, & pro faciendo passagio ex tunc procuraverunt.

Item quod cum ipse Gregorius valde dictum circa passagium esset intentus, ideo in Italiam ipse fuit reversus, & in civitatem Aretii, quæ est in Tuscia, extitit ingressus, qui quidem ibi infirmari incepit, cum ipse Gregorius summe pro ecclesia Romana laborasset, etiam Christi pauperes orphanos, pupillos & viduas educasset, atque ab opprobriis eos defendisset, pacem & concordiam inter discordantes ubique opposuisset, & multa alia bona ipse fecisset, altissimus eum ad se vocavit, & tunc de hoc seculo ad Dominum migravit quarto Idus Januarii, anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo septuagesimo quinto, ubi pro eo Deus ostendit plura & divina miracula.

INNOCENTIUS V.

Natione Burgundus de Turentina civitate Sabaudiæ post dictum Gregorium Papam decimum apud Aretinam civitatem Tusciæ in Romanum Pontificem fuit assumtus & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus & nonagesimus quintus anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo septuagesimo quinto, in die sanctæ Agnetis virginis.

Item quod ipse Innocentius ante suam promotionem fuerit Petrus de Tarentesia, ordinis fratrum Prædicatorum & Archi-Episcopus Lugdunensis vocabatur, qui postea a sancto Gregorio Papa decimo Cardinalis Hostiensis factus extitit & post ipsum Gregorium Papam in Romanum Pontificem fuit assumtus in dicta civitate Aiten * Tusciæ, & deinde apud urbem Romanam in ecclesia sancti Johannis Lateranensis cum magna solennitate extitit coronatus.

Item quod iste Innocentius Papa post suam promotionem modicum supervixit, qui multa bona facere intendebat, morte præventus adimplere non potuit, veruntamen venerabilem & unum magistrum tunc clericum Bernhardi de Casteneto Montispessulani in sui sacri palatii auditorem in Episcopum Albanensem promovit & postea extitit Cardinalis & Episcopus Portuensis, qui quidem Innocentius decessit vice summa secunda die mensis Junii, anno quinto sui Pontificatus, & in ecclesia Lateranensi urbis Romæ honorifice fuit sepultus. Qui quidem rexit ecclesiam quinque mensibus & duobus diebus, & tunc vacavit sedes apostolica decem diebus.

ADRIANUS V.

Natione Viennensis, post dictum Innocentium

Digitized by Google

um Papam V. apud urbem Romanam Lateranensi in palatio a Cardinalibus concorditer in Romanum Pontificem fuit assumtus in mense Julii, & post beatum Petrum extitit Papa centemus & nonagesimus sextus, anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo septuagesimo sexto.

Item quod iste Adrianus ante suam promotionem Otobonus vocabatur, qui nepos Innocentii Papæ quarti fuit, & eum Diaconum Cardinalem S. Adriani fecit & creavit, quem postea Clemens Papa quartus in Angliam pro pace tractanda inter Regem Angliæ & suos Barones tunc adinvicem præliantes legatum transmisit.

Item quod iste Adrianus Papa post suam promotionem quandam constitutionem, quam Gregorius Papa decimus fecerat & ipsam jam ediderat, super electione cujuslibet Pontificis Romani, ex certis causis suspendit, quia ipsam aliter ordinare intendebat, sed quia interim ipse mortuus fuit & vita privatus, ideo dicta constitutio sic suspensa remansit.

Item quod iste Adrianus postea de urbe Romana apud civitatem Viterbiensem accedens quadraginta diebus a sua promotione nondum completis nec in sacerdotium adhuc promotus nec etiam consecratus nec coronatus in dicta civitate decessit Viterbiensis, decima octava die mensis Augusti, & in ecclesia fratrum minorum a clero & populo honorifice fuit sepultus, anno quo supra, & tunc vacavit sedes apostolica viginti & octo diebus, Radulpho Imperatore tunc regnante.

JOHANNES XXI.

Natione Hispanus Ulibonensis civitatis, quæ est in regno Portugalliæ, post dictum Adrianum Papam quintum apud Viterbium tertia decima die mensis Septembris in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa centesimus nonagesimus septimus, anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo septuagesimo sexto.

Item quod ipse Johannes ante suam promotionem magister Petrum Juliani Cardinalis vocabatur & Episcopus Tusculanus, qui quidem in diversis scientiis famosus fuit & subtilis in tantum, quod propter suum ingenium & subtilitatem & summam scientiam erat multum imaginativus, propter quod industria naturali carere ipse videbatur.

Item quod quamvis iste Johannes Papa talis omnibus videretur, tamen aliis ipse quam plurimum in multis sumariis fuit laudabilis & virtuosus, nam tam pauperibus communem se exhibebat & clericos * agebat, & multa alia bona faciebat.

Item cum summo tempore crederet vivere, & sic coram omnibus hoc quotidie diceret, subito una die, cum ipse esset solus, in quadam camera, quam de novo ipse fieri fecit, juxta palatium suum, ipse solus in dicta camera corruit, & deinde inter lapides & ligna ipsius cameræ ipse valde extitit collisus seu conquassatus in tantum, quod post sex dies circa occasum solis exspiravit, sacramentis tamen ecclesiasticis jam per eum receptis devote, & postea apud dictam civitatem Viterbiensem in ecclesia cathedrali sancti Laurentii a clero & populo honorifice fuit sepultus. Qui quidem rexit ecclesiam novem mensibus & octo diebus, & tunc vacavit sedes apostolica circa sex menses, secundum Martinum Polonum, qui omnes prædictas chronicas a prædicto Richardo monacho monasterii Chimanensis usque hic dictavit & compilavit.

NICOLAVS III.

Natione Romanus de domo Visinorum post dictum Johannem vicesimum primum in die sanctæ Catharinæ in Romanum Pontificem fuit assumtus, & postea in die sancti Stephani Protomartyris, qui fuit dies Dominica, in ecclesia sancti Petri apostoli urbis Romæ extitit coronatus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa vicesimus octavus anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo septuagesimo septimo.

Item quod iste Nicolaus ante suam promotionem Johannes Gaychanus vocabatur, tunc Diaconus Cardinalis tituli sancti Nicolai *in carcere* Tulliano, sic nominabatur; *qui quidem* novem Cardinales viros scientia & sacræ experientia scripturæ decoratos ipse fecit & de novo eos creavit, & postea cum magna prudentia & tutela a Radulpho Rege Romanorum & omnium Principum totius Alamaniæ super restitutione libera & confirmatione olim a magno Constantino & suorum successorum ecclesiæ Romanæ factis & celebratis & Romandiola de regione Ravennatis ipse meruit obtinere, & deinde propter plures & diversas opiniones multorum Regulam sancti Francisci solenniter declaravit, prout in quadam sua decretali continetur plenius.

Item quod corpus devotæ hospitæ Christi, videlicet gloriosæ & summæ ac recolendæ sanctæ Mariæ Magdalenæ tempore ipsius Nicolai noviter nutu divino a Christi fidelibus inventum fuit, isto invento est intimandum valde, quia de ipso corpore sacro in quo loco erat ipsum corpus, nulla certitudo inveniebatur; nam aliqui dicebant, quod ipsum sanctum corpus esse debebat in oratorio, ubi hodie sanctus Maximus communiter denominatur. Alii autem asserebant & dicebant, constat, juxta quod ipsam pœnitentiam egerat, quod quidem oratorium hodie sanctus Maximus * communiter denominatur. Alii autem asserebant & dicebant, eum a Girardo Comite tunc Burgundiæ apud monasterium de Versiliaco olim fuerat trnsalatum tempore Zachariæ Papæ, gratia Dei superne moti; super hoc veritas extitit reperta,

Digitized by Google

perta, nam anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo nono, Nonas mensis Decembris Pontificatus Domini Nicolai anno tertio ab illustrissimo & catholico Principe Karolo Rege Siciliæ primo & Comite Provinciæ illud gloriosum & sanctum corpus beatæ Mariæ Magdalenæ in dicto oratorio fuit mirabiliter inventum; nam ipse Princeps cum magnis laboribus & expensis hujusmodi gloriosum & sanctum corpus ex magna devotione, quam ipse gerebat de specialiter ante diligentissime perquiri fecerat, & in quodam oratorio unam magnam ecclesiam & solennem & in ea ipsius sepulchrum seu capsam miro modo fabricatam cum auro & argento & lapidibus pretiosis exornatam ædificari fecit ad ipsius gloriam & honorem. In qua quidem ecclesia postea poni & statui fecit conventum fratrum Prædicatorum, & ipsum conventum multis bonis ditavit.

Item quod cum Princeps fratrum Prædicatorum prædictum corpus invenisset, statim convocavit Archiepiscopum Narbonensem, Arelatensem & Aquensem & Suffraganeos ipsorum Archiepiscoporum & aliorum quamplurimorum Prælatorum, ut certa die per eum præfixa apud dictum oratorium pro levando de terra dictum corpus gloriosum & eum super altare exaltando & ibi ipsum recondendo ipsi interesse deberent, cumque prædicta die omnes Prælati supra dicti in dicto loco venissent, tunc dictus Princeps cum militia sua & cum multitudine gentium copiosa & cum magnis canticis, hymnis & laudibus ac cum summa solennitate & devotione dictum corpus sacrosanctum de loco, ubi erat, receperunt, & super altare dicta capsa honorifice deposuerunt, & post una theca auro & argento & lapidibus pretiosis etiam fabricata gloriosum ipsum corpus reposuerunt, ut exinde a Christi fidelibus ipsum videre & osculari possit, in quibus quidem capsis ipsius caput & sacrosanctum corpus cum magna dictorum fratrum Prædicatorum veneratione conservetur, & quotidie a Christi ipsis fidelibus & diversis pro mundi partibus cum suis oblationibus visitantur, & a Christo hospite suo pluribus & diversis miraculis evidentissimis nocte quam die suffragium ipsius hospitæ suæ implorantibus aperte fiunt atque demonstrantur. Cujus quidem translatio extitit facta tertio Nonas Maji anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo & octuagesimo, Pontificatus ipsius Nicolai Papæ anno ultimo, qua die ipsa in Dei ecclesia celebratur.

Item quod iste Nicolaus Papa postea existens infirmus in castro Firmano loquelam suam perdidit & subito ipse decessit octava die assumtionis beatæ Mariæ Virginis, & in capella Sancti Nicolai, quæ est in Ecclesia Sancti Petri Apostoli urbis Romæ a clero & populo honorifice fuit sepultus, anno quo supra. Qui quidem rexit ecclesiam duobus annis, octo mensibus, minus quatuor diebus. Et tunc vacavit sedes apostolica per sex menses.

MARTINUS IV.

Natione Gallicus de vico Campaniæ, & in ecclesia Turonensi extitit Canonicus præbendatus; aliter dicitur, quod ipse erat Turonensis, qui post dictum Nicolaum Papam tertium in Romanum Pontificem fuit electus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa ducentesimus & nonagesimus nonus, anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo & octuagesimo.

Item quod iste Martinus ante suam promotionem Simon vocabatur, & erat tituli S. Luciæ Presbyter Cardinalis, qui longo tempore in Franciam extiterat sedis apostolicæ Legatus, & in civitate Biterrensi fuit electus, & in civitate Urbis veteris extitit coronatus, & post suam coronationem statim quinque Cardinales de novo fecit, quorum quatuor Presbyteri & unus Diaconus, videlicet Hugonem Anglicum S. Laurentii in Leycia, Gervasium tituli S. Martini in Montibus, Ganfridum Burgundum tituli Sanctæ Susannæ, Johannem Clauleti S. Cæciliæ & Benedictum Gavani de Anavara, tituli S. Nicolai in carcere Tulliano Diaconum Cardinalem, qui postmodum fuit Papa & Bonifacius VIII. nuncupatur.

Item quod postea tempore ipsius Martini Papæ, videlicet anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo octuagesimo in regno Siciliæ Panormitani contra Gallicos, qui ibidem morabantur quasi rabie succensi tam masculos quam fœmellas, juvenes & senes in vituperium & contemtum dicti Karoli Regis Siciliæ occiderunt, & ulterius, quod fuit valde detestabile, viros, mulieres & uxores suas prægnantes, quæ dicebantur a Gallicis prægnatæ fuisse, & ipsarum partus occidebant, antequam de ventribus ipsarum ipsi nascerentur, & nihilominus contra dictum Karolum Regem suum conspirare & rebellare incœperunt, & deinde Petrum Regem Aragoniæ, qui habebat filiam nomine Constantiam dicti Manfredi, filii illegitimi seu bastardi quondam Friderici Imperatoris damnati & in prælio cum Petro ab illo Karolo tanquam usurpatore regni Siciliæ atque tyranni cum triumpho devicti in Dominum elegerunt, & tanquam verum & Dominum naturalem requisiverunt, propter quod ipse Rex Aragonum super hoc fecit magnum apparatum, asserens & dicens, prædictum regnum Siciliæ ad se de jure pertinere.

Item quod cum dictus Carolus omnia præmissa attendisset, ideo statim intravit cum exercitu magno in insulam Siciliæ & deinde civitatem Nassanensem sibi rebellantem fortiter obsedit, & civitatem ipsam viriliter expugnavit, cum autem dictus Petrus Rex Aragonum audivisset statim cum magno suo exercitu finxit ire in Sardiniam contra inimicos suos direxit, cum ad audientiam prædicti Karoli Regis pervenisset, præhabito tamen consilio & delibera-

Digitized by Google

beratione a dicta obsidione recessit & in Calabriam recessit, dubitans quod propter malitiam gentium illius patriæ insulæ sibi & suis victualia deficerent, prout in fidelitate & homagio sibi deficiebant.

Item quod postea dictus Petrus Aragonum Rex post recessum dicti Karoli Regis statim contra inhibitionem ipsius Martini Papæ atque voluntatem totam insulam Siciliæ occupavit, & in Regem ipsius se solenniter fecit coronari, propter quæ excommunicationis sententiam ipse incurrit, unde dictus Martinus Papa postea dictum Regem Aragonum, præhabito magno consilio & deliberatione a regno Aragoniæ & ab omni jure, quod ab ecclesia ipse tenebat, sententialiter ipsum privavit, & ipsum præsente gentium multitudine copiosa condemnavit, cujus regni dispositionem & aliarum terrarum suarum ipse sibi Martinus Papa reservavit.

Item quod cum postmodum dictus Karolus videns, quod propter malitiam gentium insulæ Siciliæ ad ipsam contra ipsum Regem Aragonum commode ipse ire non posset, ut optabat, ipse Karolus dictum Regem diffidavit, offerens se præparatum duellum contra ipsum respicere tanquam ecclesiæ & sui proditorem ubicunque ipse vellet, dum tamen ipse locus esset sibi securus, anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo octuagesimo secundo. Cumque ipsi ambo Reges hujusmodi duellum recepissent, & ipsum apud Burdegaliam juramento & pactis ac pœnis diversis hinc & inde fortissime firmatis, videlicet, quod ipsi duo Reges cum centum militibus ab utraque parte electis in planitie ante dictam civitatem Burdegalensem ad invicem pugnare deberent, anno sequenti prima die mensis Junii & ille, qui de ipsis duobus Regibus tunc esset devictus, perpetuo esset infamis & cum honore & dignitate regia remaneret privatus, & quod deinceps ille devictus uno solo servo esset contentus, & quod nihilominus unus ipsorum Regum in prædictis deficiens perjurium & omnes pœnas supra dictas incurrere deberet.

Item quod postea dictus Karolus Rex Siciliæ cum Philippo Rege Franciæ nepote suo & uno Cardinali sedis apostolicæ Legato & multa & magna militia ad dictum locum per ambos Reges electum & die per ipsos præfixa pervenisset ad complendum & faciendum omnia, quæ ipsi facere promiserant, tamen dictus Rex Aragonum promissa & jurata per eum adimplere non curavit, sed more Cathalonico nocte præcedenti & dissimulatim cum duobus sociis duntaxat in campo comparuit, nullo alio tunc ibi præsente pro sua excusatione calva de sua comparitione fertur, tunc fieri fecit publicum instrumentum, & deinde coram Senestallo Burdegallensi, tunc Pro-Rege Angliæ, de prædictis se multipliciter excusavit, asserens & dicens inter alia, quod propter præsentiam Regis Franciæ pacta quæ juraverat & servare promiserat, observare non poterat nec audebat.

Item quod postea dictus Martinus Papa, videlicet anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo octuagesimo tertio contra dictum Regem Arragoniæ suum processum fecit, ipsum excommunicando & anathematizando, ecclesiastico interdicto superponendo, & postea ipsum a regno suo totaliter deposuit, & omni regia dignitate eum privavit & deinde regnum Aragoniæ Karolo filio Philippi tunc Regis Franciæ perpetuo dedit & assignavit, & per consequens dictus Karolus Rex Siciliæ navigiorum & gentium in Provincia magnum exercitum fecit.

Item quod cum postea Karolus primogenitus dicti Karoli Siciliæ Princeps & Comes Provinciæ cum magno exercitu per mare versus partes Neapolitanas perrexisset cum magna fraude & dolo, ut dicitur, a Capitaneo galearum Regis Aragoniæ nomine Rogerio de Loua in mari cum magna sanguinis effusione prope Neapolin fuit captus, & deinde apud Messanam civitatem ad dictum Regem Aragoniæ extitit perductus, a quo in quodam castro fortissimo pro custodia ipsius pluribus annis captus fuit atque detentus. Sed postmodum ab hujusmodi captione, tradito uno filio in loco suo fuit liberatus.

Item quod postmodum anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo & octuagesimo quarto Karolus Rex Siciliæ cum magno exercitu per mare versus Siciliam de Provincia iter suum arripuit atque accessit, cumque juxta civitatem Pisanam ipse portum recepisset, rumor de captione filii sui Karoli primogeniti Principis & Comitis Provinciæ ad eum pervenit, & nihilominus deinde cum magno toto suo exercitu in Apulia extitit ingressus, ubi post paucos dies ipse in mare incœpit infirmari, & ex inde anno quo supra, die apparitionis stellæ & regni sui vicesimo de hoc seculo migravit ipse. Cui quidem successit in regno suo dictus Karolus filius suus in Aragonia captus, qui secundus Karolus denominabatur.

Item quod ipse Martinus Papa post multos labores, tribulationes & afflictiones apud civitatem Perusiam quinto Kalendarum Aprilis ad Dominum migravit, anno Domini millesimo ducentesimo & octuagesimo quinto, ubi a clero & populo honorifice fuit sepultus, in cujus monumento ut fertur, multa pro eo Deus fidelibus miracula fecit atque ostendit.

HONORIVS IV.

Natione Romanus, qui Jacobus de Sabello Diaconus Cardinalis prius vocabatur, die quarta post decessum dicti Martini Papæ quarti apud Perusium in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa ducentesimus, anno a nativitate Domini

Digitized by Google

Domini millesimo ducentesimo & octuagesimo quarto, nona Aprilis. Sed postea in die Sancti Martini apud urbem Romanam ipse solenniter extitit consecratus pariterque coronatus.

Item quod tempore hujus Honorii Papæ anno, quo supra, Philippus Rex Franciæ cum Philippo suo filio primogenito tunc Rege Navarræ, & cum Carolo filio suo tunc Rege Aragoniæ denominato ex provisione per sedem apostolicam sibi omnia facta nec non etiam cum Johanne Talneta Cardinali sedis apostolicæ Legato, collecto magno exercitu crucesignatorum contra Petrum Regem & pro obtinendo regnum suum accessit, & per Perpinphanum versus Cathaloniam ipse perrexit, & deinde apud civitatem Gerundensem tempore æstivo pervenit & eam obsedit & fortiter contra ipsam civitatem noctu quam die debellavit; sed dicto Regi Aragonum non erat animus recipere bellum campestre cum Rege Franciæ supra dicto, nec publice apparere, sed de sero vel de mane seu de nocte excogitato adventu suo quandoque ab uno latere & quandoque ab alio & quandoque ad eandem seu ultimam partem exercitus Regis Franciæ cum gentibus suis irruebat & ipsum subito invadebat, & postea ipse ad suum fortalitium, in quo ipse latitabat, fugiebat; sed finaliter ab ultione divina ipse evadere nequivit, nam cum quadam parte exercitus Regis Franciæ fuit hostiliter præventus & taliter vulneratus in tantum, quod post paucos dies ex illo vulnere ipse decessit. Cumque debellando hujusmodi civitatem Gerundensem magna epidemia seu infirmitas gravis in exercitu Regis ejusdem Franciæ supervenisset in tantum, quod quotidie morerentur, idcirco prædictus Rex Franciæ dictam obsidionem dimisit & versus regnum suum recessit. Cum autem apud villam de Perpiniano cum gentibus ipse venisset, tunc ipse Rex Franciæ ægrotare incepit, & deinde post paucos dies ipse ibi decessit, videlicet nonas Octobris anno quo supra; cujus corpus apud Parisios est delatum & ibi sepultum, & sic Carolus filius suus tunc, nec postea, regnum Aragoniæ non potuit obtinere; nam inter Karolum de consensu Regis Franciæ fratris sui & Petrum Aragonum Regem novum & - - - - & necessitate ecclesiæ Romanæ aliter fuit ordinata.

Item quod anno sequente fratres ordinis Carmelitarum ab ipso Honorio gratiam specialem obtinuerunt, ut ipsi capas baratas, quas tunc deportabant, dimittere possent, & in loco ipsarum de cætero capas albi coloris ibi ipsi deportare possent.

Item quod ipse Honorius post multos labores & tribulationes apud urbem Romanam ad Dominum migravit, & postea a clero & populo honorifice fuit sepultus in ecclesia Sancti Petri apostoli juxta Nicolaum Papam tertium, anno quo supra. Qui quidem rexit ecclesiam duobus annis, & tunc vacavit sedes apostolica a quarto Nonas Aprilis usque ad subsequens festum cathedræ S. Petri apostoli, Radulpho Imperatore regnante.

NICOLAUS IV.

Natione Lombardus de Escula civitate marchiæ Anconitanæ, post dictum Honorium Papam quartum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa ducentesimus primus, anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo octuagesimo octavo.

Item quod ipse Nicolaus ante suam promotionem frater Hieronymus, ordinis fratrum Minorum vocabatur, qui tunc fuit Minister ordinis Generalis ejusdem Ordinis & postea Presbyter Cardinalis. Qui quidem anno primo sui Pontificatus fecit & creavit novos Cardinales, inter quos fratrem suum Hugonem de Vilonnio, ordinis Prædicatorum, magistrum in sacra pagina, & fratrem Matthæum de Caipsa, Magistrum Generalem fratrum Minorum, qui postea fuit episcopus Portuensis.

Item quod anno primo sui Pontificatus Tripolis civitas Christiana a Soldano Babyloniæ & Saracenis capitur cum magna sanguinis Christianorum effusione & ipsorum captivitate. Et quod eodem anno inter Regem Franciæ & Eduardum Regem Angliæ summa gverra fuit exorta, pro quorum pace inter eos facienda duo Cardinales ad eos missi fuerunt, videlicet Benedictus Gaygani, & Giraldus de Palma, sed ipsi super hoc parum fecerunt, & isto etiam anno Karolus Rex Siciliæ a sua captivitate de Aragonia liberatur, duobus tamen filiis loco ipsius ad observandum pacta inter eos habita pro obsidibus datis.

Item quod postea anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo Acon civitas cum magna christianorum sanguinis effusione & ipsorum captivitate per Soldanum Babyloniæ & Saracenos capta fuit, & in isto anno dictus Nicolaus post multos labores & tribulationes ad Christum migravit apud urbem Romanam, & in ecclesia Sanctæ Mariæ majoris a clero & populo honorifice fuit sepultus. Qui quidem rexit ecclesiam quatuor annis & amplius in tantum, quod a festo cathedræ S. Petri usque ad diem Veneris sanctam subsequentem & tunc vacavit sedes apostolica duobus annis & quasi tribus mensibus.

CELESTINUS V.

Eremita, natione Terræ laboris prope Sulmonansam oriundus, & casu inopinato septima die Julii post dictum Nicolaum Papam quartum in Romanum Pontificem fuit assumtus, & in civitate Parisii, ad quam Cardinales post mortem dicti Nicolai Papæ se transtulerunt, ipse fuit electus, & postea in Aquileia civitate die

Digitized by Google

die decollationis sancti Johannis Baptistæ extitit coronatus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa ducentesimus secundus, anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo nonagesimo quarto.

Item quod iste Celestinus ante suam promotionem Frater Petrus de Marcono, ordinis sancti Damiani ipse fuit, prout fertur, qui quidem ordo, ut dicitur, sub regula sancti Benedicti constitit, & tunc ipse non ut monachus, sed quasi Eremita in eremo stabat cum magna vitæ austeritate & discipulorum societate, nam ipse tunc in partibus illis multos discipulos habebat, quorum omnium ipse pater existebat.

Item quod electio ipsius Celestini fuit summe tam admiranda quam inopinata, nam Cardinales in tanta divisione & duritia ad conveniendum & eligendum futurum Romanum Pontificem fuerunt per duos annos & amplius, quibus super hoc ipsi convenire non potuerunt, sed tandem in ipsum Celestinum vota sua direxerunt & ipsum, de quo ipsi Cardinales fama sanctitatis & bonæ opinionis audiverant, in Papam elegerunt, & postea in partibus Apuliæ, in quibus vitam eremitæ ipse ducebat, decretum electionis ad eum transmiserunt, qui cum ipse deinde veniens & in civitate Aquileia corroboratus fuisset, apud Neapolin perrexit, ubi multos Cardinales de novo ipse fecit.

Item quod iste Celestinus postea attendisset, se ipsum non idoneum esse ad regendum hujusmodi Papatum, maxime quia orationi & vitæ perfectioni, prout assueverat, ipse assidue vacare non posset & non poterat, idcirco unam constitutionem noviter ipse fecit & deinde eam publicavit, quod Romanus Pontifex Papatui libere renunciare poterat ad fratrem, quod ipse dicto Papatui renunciaret, & quod nullus super hoc dubitaret; & scholastici & curiosi inter se discrepabant atque dubitabant.

Item quod facta & publicata per eum hujusmodi constitutione postea ipse existens in suo consistorio cum suis Cardinalibus apud Neapolin in vigilia S. Cæciliæ, tunc in præsentia Episcoporum oneri atque honori Papatus renunciavit, & deinde omnia papalia insignia & ornamenta ibi deposuit & se penitus abdicavit, de qua quidem renunciatione extiterunt admirati per universum mundum universi.

Item quod facta renunciatione postea ipse Celestinus fugere voluit & latitare incœpit; nam ipse in eremum redire summe affectabat. Unde Bonifacius octavus, qui ibi in Papatu immediate successit, caute attendens sibi & ecclesiæ Romanæ multa pericula accedere ex superiori possent, maxime quia jam apud nonnullos tam clericos quam laicos in dubium videbatur, utrum Romanus Pontifex Papatui resignare posset, quamvis dictus Honorius suam constitutionem super hoc fecisset; ideo præfatus Bonifacius statim post suam promotionem ipsum Celestinum tunc in fuga constitutum per suos nuncios comprehendit, & ad se eum perduci fecit, & postea in quodam castro fortissimo Simonis sub fidei custodia, non tamen eidem Honorio, unde libera etiam qui fecit *; & ibi usque ad diem obitus detentus fuit; qui quidem post resignationem uno anno, quatuor mensibus & triginta diebus supervixit, & XIIII. Kal. Junii de hoc seculo migravit ad Christum, & in quodam monasterio sui ordinis, quod Antonii de Seventino dicitur, in ecclesia juxta majus altare ipse fuit sepultus anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo nonagesimo sexto.

Item quia Deus coram se diligentibus dare promisit, idcirco dicitur, quod ipse pro dicto Celestino ante & in morte & post mortem suam multa miracula fecit evidenter atque ostendit, de quibus satis constat, quod ipse finaliter per ipsa fuit canonizatus; nam tempore Clementis Papæ quinti omnia hujusmodi miracula coram ipso extiterunt proposita & clarissime probata; quare ipse Clemens Papa ad instantiam & requisitionem Prælatorum, Principum cleri & populi Romani ipsum Celestinum, alias sanctum Petrum de Marcono supra dictum esse sanctum & ideo in sua gloria constitutum apud Avinionem solenniter, præsente multitudine gentium copiosa, pronuncievit, & sub nomine sancti Petri Confessoris catalogo sanctorum confessorum etiam aggregavit tertio Nonas Maji, anno a nativitate Domini millesimo trecentesimo undecimo, cujus festum celebratur quarto decimo Junii, qua die ipse transiverat de hoc seculo.

BONIFACIVS VIII.

Natione Campanus de Anagnia civitate post fratrem Petrum de Marcono prædecessorem suum tunc viventem apud Neapolin in vigilia sanctæ Luciæ virginis in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit ducentesimus tertius, anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo nonagesimo quarto.

Item quod iste Bonifacius ante suam promotionem Benedictus Gaytani vocabatur, qui primo fuit Diaconus Cardinalis, & postea tempore suæ promotionis erat tituli Martini in Montibus Presbyter Cardinalis, qui apud suam potentiam Papalem magnificentiam dilatare incœperat, in tantum, quod ipse suæ promotionis mirabilia fecit, sed ipsius mirabilia in fine mirabiliter sibi defecerunt, prout sequentibus patebit exemplis.

Item quod ipse Bonifacius anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo nonagesimo quarto, & anno sui Pontificatus primo statuit & ordinavit festa omnium Apostolorum, quatuor evangelistarum, quatuor principalium ecclesiæ Doctorum, videlicet Gregorii, Ambrosii, Augustini & Hieronymi sub honore & solen-

solennitate duplici ab omnibus ecclesiis universalibus celebrari debent.

Item quod ipse Bonifacius eodem anno secundo sui Pontificatus Abbatiam sancti Antonii Canonicorum regularium & tunc villæ Apamiarum in ecclesiam cathedralem de novo erexit & de ipsa villa constituit civitatem, & Bernhardum Saycheti tunc ipsius monasterii abbatem primum instituit in eadem, & ipsam ecclesiam cum curiis & pluribus ecclesiis & monasteriis & reditibus diversis optime dotavit atque limitavit.

Item quod ipse Bonifacius eodem anno secundo sui Pontificatus suum processum facere incœpit contra Columnenses occasione & causa, quæ sequitur. Nam ipse dicebat, quod Stephanus de Columna thesaurum suum fuerat deprædatus, propter quod inter ipsum Bonifacium & dictos Columnenses summa discordia extitit suscitata in tantum, quod Jacobus patruus & Petrus nepos ejus de domo Columnensi tunc ecclesiæ Romanæ Cardinales contra ipsum Bonifacium quendam libellum famosum composuerunt & ad plures & diversas partes ipsum transmiserunt & publicari fecerunt, asserentes in eodem ipsum Bonifacium non esse Papam, sed Celestinum Papam quintum, quem captum ipse detinebat.

Item quod cum postea præmissa ad audientiam ipsius Bonifacii venissent, statim prædictos Jacobum & Petrum de Columna, Cardinales coram se personaliter citari fecit, sed quia ipsi coram eo comparere non curaverunt, ideo ipsos & quemlibet ipsorum tanquam veros & apprehensos contumaces declaravit atque pronunciavit, & deinde in suo Consistorio, præsentibus aliis Cardinalibus & multitudine gentium copiosa, ipsos Jacobum & Petrum de Columna Cardinales capellis eorum rubeis & omnibus beneficiis ecclesiasticis & præbendis & omni Cardinalatus titulo, privilegio, commodo, & honore & dignitate privavit, similiter & ab omnibus præmissis eos denudavit.

Item quod iste Bonifacius postea in die Ascensionis Domini, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo septimo, præsentibus aliis suis Cardinalibus & etiam multitudine filiorum Johannis de Columna, videlicet Agapeti, Stephani & ----- confiscavit & tanquam confiscata ipse declaravit atque pronunciavit, nihilominus in detestationem ipsorum tunc contra ipsos quandam constitutionem decretalem, quæ est sub titulo de schismaticis libro sexto situata, cum magna solennitate edidit & publicari fecit; propter quæ dictus Jacobus & Petrus de Columna olim Cardinales a facie ipsius Bonifacii Papæ eos viriliter persequentis recesserunt atque fugierunt, exinde præ timore ejusdem Bonifacii, longo tempore usque ad mortem suam in regno Franciæ ipsi latitaverunt.

Item quod ipse Bonifacius postea anno quo supra sanctum Ludovicum Regem Franciæ tanquam verum & coram Deo in sua gloria constitutum pronunciavit & ecclesiæ eum canonizavit, & catalogo omnium aliorum sanctorum Confessorum solenniter, præsentibus suis Cardinalibus & gentium multitudine copiosa, aggregavit & ab omnibus ecclesiis ipsum mandavit tanquam verum sanctum coli atque celebrari.

Item quod ipse Bonifacius, cum ecclesia cathedralis civitatis Ambianensis longo tempore extitisset canonicorum regularium, qui jura ecclesiæ Ambianensis atque bona propter tyrannos & alios nobiles potentes & hæresin sibi semper pluvicari, * tam commode defendi nec ita bene prosequi possent, quam si ipsi essent Canonici seculares, idcirco ad instantiam & requisitionem ipsorum Bernardi de Castaneto Montepessulani, tunc episcopi Ambianensis, qui postea fuit Cardinalis & episcopus Portuensis, dictus Bonifacius, anno quo supra, voluit, statuit & ordinavit, quod deinceps post illorum mortem Canonicorum regularium, qui tunc erant, Canonici seculares perpetuis temporibus ibi poni & institui deberent.

Item quod ipse Bonifacius anno, quo supra, omnes decretales Extravagantes suas & suorum prædecessorum sub brevibus & in uno volumine compilandas, ordinandas & declarandas Guilielmo de Mandagoto, Archiepiscopo Ebredinensi, diœceseos Nemausensis, Belugario Fredoli castri de Vienna Magolonensis diœceseos, tunc episcopo Urterinensi, Richardo de Senis, sanctæ Romanæ ecclesiæ Vice-Cancellario, & in jure summis Doctoribus & expertis commisit, qui quidem tanquam in scientia & doctrina valde gloriosi una conditione Bonifacio omnia & singula supra dicta fideliter & executi fuerunt & sub uno libro, qui Sextus decretalium nuncupatur, sub brevibus redegerunt, ut ex contentis in illo libro satis constat evidenter.

Item quod ipse Bonifacius anno, quo supra, Alphonsium Regem de sententia excommunicationis, qua erat ipse ligatus, absolvit, & regnum Aragoniæ de consensu Regis Franciæ sibi restituit, & postea ad sui supplicationem pro tempore regnum Sardiniæ cum certis pactis, conditionibus & obligationibus & conventionibus sibi concessisset, maxime quia dictus Bonifacius talem Vasallum seu talem Vicarium ecclesiæ Romanæ, quantum ad illud regnum, invenire non poterat.

Item quod ipse Bonifacius anno Domini millesimo ducentesimo & nonagesimo octavo, nona die fecit & de novo creavit sex solennes Cardinales, videlicet Archiepiscopum Toletanum, Richardum de Senis, suum Vice-Cancellarium, & quendam alium Theodoricum, fratrem Nicolaum de Canusio magistrum ordinis Prædicatorum, Johannem, Minorum generalem

lem ministrum & fratrem Bonaventuram in sacra pagina summos magistros, & unum alium Petrum nomine Hispanum. Et postea anno sequenti Albertus Dux Austriæ electus in Imperatorem, ut dicebat, suos solemnes nuncios dicto Bonifacio pro sua electione confirmanda transmisit, quam quidem ipse Bonifacius post multas elongationes & tractatus refutavit, & ipsam penitus pronunciavit fore nullam.

Item quod ipse Bonifacius anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo dedit & concessit peccatorum plenissimam indulgentiam omnibus fidelibus Christi, qui infra illum annum limina apostolorum Petri & Pauli visitarent, & per quindecim dies visitando ipsa & alia sanctuaria ibi starent, & nihilominus ipse Bonifacius ad honorem Dei & ejus matris & ipsorum apostolorum Petri & Pauli & omnium martyrum supernorum ac pro salute Christi fidelium statuit & ordinavit, quod consimilis indulgentia omni anno centenario perpetuis temporibus apud urbem Romanam esse deberet seu fieri concessit.

Item quod cum præfati Jacobus & Petrus de Columna antea Cardinales præ timore Bonifacii inter amicos in regno Franciæ latitarent, & dicto Bonifacio tunc videbatur, quod Rex Franciæ & sui eos receptarent, ideo tam propter hoc quam propter quædam alia contra ipsum Regem Franciæ vehementer fuit provocatus ad iram. Quare ipse Bonifacius suas literas sub bulla ad æternam rei memoriam eidem Regi Franciæ transmisit, in quibus inter alia sibi tunc mandavit, quod ipse Rex cognoscere sibi deberet, se tenere Regnum Franciæ ab ecclesia Romana, cum Romanus Pontifex tanquam Vicarius Christi & esse debeat Dominus omnium spiritualium & temporalium per universum mundum, alias quicunque contrarium diceret vel sentiret, hæreticum ipse judicabat, & firmiter hoc ita esse asserebat, cumque hujusmodi literas dictus Rex Franciæ recepisset, statim apud Parisios in regali palatio, præsente multitudine gentium copiosa, hujusmodi literæ concrematæ seu combustæ extiterunt, & deinde qui eas deportaverunt, absque gratia & honore ad dictum Bonifacium remissi fuerunt.

Item quod eodem anno, quo supra, apud Ferrariensem civitatem quoddam corpus cujusdam hæretici damnati autoritate apostolica fuit exhumatum & postea extitit concrematum, & & ipsius tumba valde pretiosa in detestationem ipsius penitus fracta fuit atque destructa; quod quidem per triginta & unum annum in ecclesia Ferrariensi tanquam sanctum a Christi fidelibus hoc tamen ignorantibus fuerat veneratum.

Item quod cum postea ad audientiam dicti Bonifacii pervenisset, quod dictæ literæ suæ Parisiis fuerant concrematæ, ideo ipse Bonifacius omnes ecclesiasticos per universum orbem constitutos pro celebrando suo concilio generali apud urbem Romanam citavit & ad se convocavit, ut certa die per eum præfixa ibi interesse deberent, cumque ipse Rex Franciæ hoc audivisset, omnes vias & passus tam per terram quam per mare per totum regnum suum diligenter ipse custodire fecit, ut nullus Prælatus ad dictum concilium dicti Bonifacii accedere posset, propter quod idem Bonifacius postea solenniter excommunicavit omnes, qui impediebant illos ad curiam suam venire volentes.

Item quod deinde anno Domini millesimo trecentesimo primo in quadragesima præfatus Philippus Rex Franciæ attendens verba Gregorii Papæ sic dicentis, quod jacula minus feriunt seu lædunt, quæ prævidentur, statim ipse citavit omnes Prælatos, Duces, Comites & alios nobiles & potentes ac comitantes, ut certa die Parisiis pro dando sibi & regno suo consilium, auxilium & favorem personaliter coram ipso interesse deberent, in quo quidem consilio multa crimina & defectus erroris & hæresis per dictum Regem Franciæ eidem Bonifacio imposita fuerunt, propter quæ dicto Bonifacio seu ejus mandatis non erat parendum, nec pro aliqua de causa ad eum eundum. Unde exinde rumor magnus & cordium hominum summa perturbatio & rerum confusio in regno Franciæ supervenit, & sic omnia ista per totum regnum suum populo universo ipse prædicare fecit.

Item quod cum postea anno Domini millesimo trecentesimo secundo, prima die mensis Novembris dictus Bonifacius Papa apud urbem Romanam celebravit suum concilium generale, quod ante per unum annum vel amplius convocaverat, omnes Prælatos ecclesiasticos & Doctores atque Magistros in sacra pagina & in utroq; jure existentes ad dandum consilium & favorem contra Regem Franciæ inimicum suum capitalem, in quo quidem concilio omnes Prælati & clerici regni Franciæ non interfuerunt neque aliqui interesse potuerunt, ut optabant.

Item quod cum postea anno Domini millesimo trecentesimo tertio dictus Bonifacius iterum & indirecte incœpit monere litem contra Regem Franciæ, nam ipse expresse & publice & solenniter dictum Regem Franciæ excommunicavit, asserens in suo processu, quod ipse Rex non permittebat aliquem exire de regno suo versus Curiam Romanam, neque thesaurum ecclesiæ Romanæ ad ipsum deportari, & nihilominus idem Bonifacius Albertum quondam filium Radulphi Regem Alamaniæ electum in Imperatorem, cujus electionem ipse Bonifacius admittere noluerat, imo eam nullam pronunciarat, in odium ejusdem Regis Franciæ confirmavit & ipsum in Imperatorem coronavit, & postea regnum Franciæ sicut & cetera regna eidem Imperatori suo imperio subjecit, & ipsum

regnum

Digitized by Google

regnum ipsi imperio perpetuis temporibus esse & de jure fuisse ad æternam rei memoriam declaravit & solenniter pronunciavit.

Item quod postea, anno, quo supra, in vigilia nativitatis beatæ Mariæ dictus Bonifacius Papa existens in civitate Anagniæ, in qua ipse fuerat natus & alumnus, & etiam ubi plures de genere suo habebat, credens quod ipse ibi magis quam alibi esset tutus de inimicis suis, de quibus ipse valde dubitabat, prout sibi finaliter evenit, tunc Gvilielmus de Nogareto Legum Doctor & Cancellarius vel Consiliarius specialis Regis Franciæ castri sancti Felicis, diœceseos Tholosanæ & Esaias de domo Columnensium cum magno exercitu ad dictam civitatem Anagniæ supervenerunt, præhabito tamen tractatu & consensu aliquorum familiarium ejusdem Bonifacii Papæ, ubi tunc ipse erat, intervenerunt, qui quidem sine alicujus contradictione palatium ipsius Bonifacii Papæ, ubi ipse tunc erat, intraverunt, & ipsum Bonifacium in sua camera existentem sine violentia eum ceperunt, & deinde vexillum Regis Franciæ, ut fertur, supra dictum palatium ipsi posuerunt, & omnem thesaurum & jocalia, ornamenta, privilegia cum bullis aureis, quæ tunc erant in camera ejusdem Bonifacii invenerunt, ceperunt & secum aportaverunt, nullo Cardinalium ibi tunc apparente, exceptis duobus duntaxat, videlicet Petro Hispano, tunc Episcopo Sabinensi, & Nicolao, Episcopo Hostiensi; nam alii Cardinales, quando præsenserunt adventum dicti exercitus, statim præ timore a dicta civitate Anagniæ recesserunt & fugerunt.

Item quod postea cum dictus Gvilielmus de Nogareto & Esaia de Columna per tres dies vel circa, ut fertur, prædictum Bonifacium Papam & suum palatium sine alicujus contradictione captum detinuissent, & hujusmodi rumores ad Cardinales absentes & etiam ad nobiles & potentes de partibus illis & ad Romanos pervenissent, statim pro defensione ipsius Bonifacii pro se paraverunt & venire inceperunt, quorum tamen aliqui pro majori parte de sua captione in corde jam gaudebant propter ipsius Bonifacii austeritatem & crudelitatem. Cumque præfati Gvilelmus de Nogareto & Esaias de Columna commotionem Cardinalium, Nobilium & potentium Comitatuum & Romanorum audivissent, tunc ipse cum suo exercitu Papam Bonifacium & suum palatium dimiserunt, & forte de consilio aliquorum supervenientium, a dicta civitate Anagniæ cum dicto thesauro recesserunt.

Item quod postea prædicti Cardinales absentes & Nobiles, communitates & Romani apud dictam civitatem bene muniti & cum magno apparatu venissent, & coram Bonifacio Papa fuissent, ipsi de sua captione magnum planctum & injurias dicere & facere incœperunt, & dictum unum vexillum Regis Franciæ, quod supra palatium Bonifacii Papæ invenerunt, ceperunt & magnam executionem de ipso, ut dicitur, fieri fecerunt ad ostendendum, quod ipsi de dicta captione non fuerunt consentientes neq; gaudentes, & quod ipse Bonifacius & universi haberent excusatos, quorum excusationes factæ coram Deo gratæ neque veraces pro majori parte non fuerunt. Et sic ipse Bonifacius, qui non dubitaverat Cardinales suis capellis privare, Regem Franciæ persequi & suum regnum alteri subjugare, Prælatos ecclesiæ & alios inferiores vilipendere, rigorem in suis artibus exercere, thesauros congregare, prælia & seditiones inter amicos suos & inimicos procurare, clerum & populum sibi ultra debitum subjugare, unico actu & subito de possessione sui Principatus perdidit honorem. Quorum quidem omnia præmissa forte Deus sic fieri permisit propter exempla aliorum Principum & futurorum tam ecclesiasticorum quam temporalium, præsentium & futurorum, ut ab eo addiscant, qualiter se & subditos suos regere debeant in hoc mundo & gubernare.

Item quod postea dictus Bonifacius de consilio omnium prædictorum ad eum supervenientium apud urbem Romanam fuit perductus trecentesima hora, die post captionem secunda, cum ibi fuisset, præ nimio cordis dolore suæ captionis & vituperii, quod receperat, infirmari incœpit, cum semper fuisset corde & factis suis magnanimus, in tantum, quod post paucos dies, videlicet quinto Idus Octobris apud Romam de hoc seculo migravit, & in ecclesia sancti Petri apostoli fuit sepultus, anno a nativitate Domini millesimo trecentesimo tertio, & anno sui Pontificatus nono. Qui quidem rexit ecclesiam octo annis & novem mensibus. Et tunc vacavit sedes apostolica decem diebus, Radulpho [Alperto] Imperatore tunc regnante.

BENEDICTUS XI.

Natione Lombardus de Tarvisio civitate fuit oriundus, & post Bonifacium octavum undecimo Kalendarum Novembris in summum Pontificem in urbe Romana fuit assumtus, deinde Dominica sequenti, quæ fuit vigilia apostolorum Simonis & Judæ ibi fuit coronatus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa ducentesimus quartus, anno a nativitate Domini millesimo trecentesimo tertio.

Item quod ipse Benedictus Papa ante suam promotionem frater Nicolaus ordinis Prædicatorum & Cardinalis Hostiensis vocabatur. Qui quidem post suam promotionem fecit & creavit duos Cardinales, videlicet fratrem Nicolaum de Prato, magistrum in Theologia, & fratrem Gvilelmum Anglicum in eadem scientia tunc Episcopum Spoletanum, qui fuerunt statuti Quatuor temporibus ante festum nativitatis Domini, & tamen ipse Gvilelmus in Anglia erat defunctus, & sic post mortem suam fuit factus Cardinalis, unde dictus Benedictus Papa in proximis temporibus post initium quadra-

Digitized by Google

gesimæ in loco dicti fratris Gvilelmi fratrem Galterum Anglicum dicti ordinis Prædicatorum Cardinalem tunc Regis Angliæ confessorem fecit & creavit novum Cardinalem.

Item quod postea ipse Benedictus fecit processus solennes & excommunicavit expresse prædictos Gvilelmum de Nogareto, Isaiam de Columna & quosdam alios, & generaliter omnes alios, qui Bonifacium ceperunt, & in sua captione auxilium, consilium & favorem dederunt, & tamen postea ipse cum Jacobo & Petro de Columna prius Cardinalibus, & per dictum Bonifacium depositis, quantum ad sua beneficia & eorum bona, dispensavit, & deinde Regem Franciæ cum suis privilegiis & libertatibus, quibus per dictum Bonifacium fuerat privatus, ex toto reintegravit, præsentibus nunciis dicti Regis Franciæ, cantando Te Deum laudamus.

Item quod cum dictus Jacobus & Petrus de Columna & sui amici coram dicto Benedicto multa pro se & plura alia contra dictum Bonifacium in Consistorio proponi fecissent, ideo Episcopis supplicaverunt, ut ad statum ipsorum pristinum eos reducere deberet. Qui quidem Benedictus visis & auditis, & intellectis, examinatis processibus ipsorum fraternaliter, quantum ad eorum beneficia & eorum bona redintegravit, & deinde eodem modo dictum Regem Franciæ redintegravit & sibi restituit omnia privilegia & libertates, quibus dictus Bonifacius eum privaverat violenter & injuste & postea quandam suam constitutionem decretalem solenniter publicavit, in qua pœnam compositam per Bonifacium suum prædecessorem, & in sexto libro c. tua autem, quæ incipit: Clericos & laicos, pro communi libertate redintegravit.

Item quod ipse Benedictus Papa post modicum tempus de hoc seculo ad Christum migravit apud Perusium Nonas Julii, anno sui Pontificatus primo, & ibi in ecclesia Prædicatorum ante majus altare tam a clero quam a populo ipse extitit sepultus, anno a nativitate Domini millesimo trecentesimo quarto, in cujus tumulo Deus pro Christi fidelibus ad eum concurrentibus fecit & ostendit plura & miracula diversa. Qui quidem rexit ecclesiam octo mensibus & decem & septem diebus, & tunc vacavit sedes apostolica per unum annum sequentem & ultra usque ad quintam diem mensis Junii, Radulpho Imperatore tunc regnante.

CLEMENS V.

Natione Vasco, de loco Vilandaræ, (*a*) Burdagalensis diœceseos, ex Patre Bernardo milite fuit natus, & post Benedictum undecimum apud Perusium vigilia Pentecostes, quæ fuit Nonas Junii, in Romanum Pontificem extitit assumtus, & post beatum Petrum apostolum extitit Papa ducentesimus quintus, anno a nativitate Domini millesimo trecentesimo quinto.

Item quod iste Clemens ante suam promotionem Bertrandus Darger (*b*) vocabatur, qui primo fuit Episcopus Convenarum, & per promotionem dicti Bonifacii Papæ, in quo sedit annis quinque & deinde ipse Bonifacius eum transtulit ad ecclesiam Burdegalensem, in qua stetit sex annis, & tunc ipse visitabat in Pictavia provinciam suam, quando in Papam fuit electus, sede apostolica tunc vacante.

Item quod cum Cardinales sanctæ Romanæ ecclesiæ post mortem dicti Benedicti Papæ undecimi apud Perusium undecim mensibus pro electione futuri Romani Pontificis inclusi extitissent, & duas partes æquales semper super electione hujusmodi facienda divisi fuissent, tandem post diversas nominationes (*c*) plurium & tractatus ad ipsum Clementem Papam & Archi-Episcopum Burdegalensem ipsi unanimiter & concorditer vota sua direxerunt & eum Papam elegerunt. Item quod cum tempore electionis ipsius Clementis Papæ ipse esset in Pictavia, visitando provinciam suam, tunc nova de sua Romana electione ad ipsum devenerunt, qui quidem versus Burdegalam gressus statim direxit, cumque ipse hujusmodi civitatem Burdegalensem intrasset, processionaliter a clero & populo cum summo gaudio & honore totius civitatis & patriæ, & tam a Prælatis & Baronibus quam a nobilibus & communitatibus pluribus & diversis extitit receptus, quamvis ipse Clemens tunc non ut Papa, sed ut Archi-Episcopus se gereret, quia nondum ipse receperat decretum suæ electionis, quod quidem postea in crastinum sanctæ Mariæ Magdalenæ a dictis Cardinalibus de Perusio sibi missum recepit, & tunc crastina die sequenti scilicet undecimo Kalendas Augusti in præsentia multorum Prælatorum, Baronum, militum, communitatum, cleri & populi in ecclesia Burdegalensi cathedrali tunc sedens in sua cathedra Clemens vocari voluit & istud nomen elegit & gerere incœpit.

Item quod postea ipse Clemens in fine sequentis mensis Augusti Lugdunum pro se ibi commorando (*d*) perrexit; & super hoc prædictis Cardinalibus hujusmodi civitatem apud Lugdunum assignavit. Qui quidem transeundo Agenum, Tholosam, Biterrium, Montepessulanum, Nemausium apud Lugdunum existens pervenit; & ibi præsentibus suis Cardinalibus & Philippo Rege Franciæ cum summa militia sua & multitudine gentium copiosa, cum summa solennitate, & in ecclesia sancti Justi crastina die sancti Viti, qui erat dies dominica, extitit coronatus.

(*a*) Baluz. *Vilaudran.*
(*b*) Baluz. *del Got*; melius.
(*c*) Baluz. *Monitiones.*
(*d*) Baluz. *coronando.*

Item

Digitized by Google

Item quod cum dictus Clemens Papa apud Lugdunum coronatus fuisset, statim post suam coronationem per civitatem Lugdunensem cum suis Cardinalibus, Prælatis & clericis universis, prout moris est, equitavit & suam coronationem, omni populo præsente tunc, ostendit, præsente Philippo Rege Franciæ & Karolo fratre suo, Johanne Duce Britanniæ & Gualhardo de Goto, fratre suo germano dicti Clementis Papæ, & aliis quamplurimis Comitibus, Baronibus & militibus, qui pedestrando equum dicti Clementis Papæ per frenum ab utraque parte & in tramite dirigebant. Cumque ipse Clemens Papa cum dicto Rege Franciæ & aliis supra dictis juxta muros civitatis Lugdunensis transiret, tunc una pars dicti muri antiqui, super quam erat gentium multitudo, corruit & ipsa penitus cecidit in terram, cujus lapides equum dicti Clementis Papæ percusserunt, & taliter, quod equus suus in terram tunc cecidit, & tiara, seu corona de capite suo, in qua erat unus carbunculus valde pretiosus, & ad sex millia florenos auri communiter æstimatus, cujus locus (*a*), ut dicitur, non postea fuit in terra inventus, & deinde omnes milites & barones, qui in circuitu equum dicti Papæ pestrabant (*b*) læsi fuerunt & conquassati & taliter, quod inter alios Johannes Dux Britanniæ & Gualhardus frater dicti Clementis Papæ post paucos dies decesserunt, de quibus mirati exstiterunt universi.

Item quod ipse Clemens anno primo sui Pontificatus in quatuor temporibus ante festum nativitatis Domini, videlicet decimo octavo Kal. Januarii fecit & creavit de novo duodecim Cardinales, scilicet Petrum de Capella, Episcopum Tholosanum, qui fuit post Episcopus Penestrinus, Barangarium Fredili, Episcopum Biterrensem, compilatorem sexti libri decretalium, & postea Episcopum Tusculanum, Arnaudum de Cantoluppo tunc electum Burdegalensem, fratrem Thomam Anglicum, magistrum in Theologia tituli S. Sabinæ, fratrem Nicolaum confessorem Regis Franciæ, tituli Sancti Eusebii, ambos ordinis Prædicatorum Presbyteros Cardinales, Stephanum Archidiaconum Burdegalensem in ecclesia Mornensi & tunc Cancellarium Regis Franciæ, Guilelmum Arcusati (*c*), Guilelmum de Pallagena (*d*), Raymundum de Lago (*e*), nepotem ipsius Papæ, Petrum Arnaldum Viarniensem (*f*) tunc Abbatem sanctæ crucis Burdegalensem, qui intra annum decessit, & nihilominus Jacobum & Petrum de Columna, olim Cardinales per Bonifacium octavum depositos ad dignitatem & Cardinalatum tunc restituit atque reintegravit.

Item quod ipse Clemens eodem anno revocavit & removit (*g*) decretales factas & editas contra Regem Franciæ per Bonifacium Papam octavum, prædecessorem suum, in quorum primo declaraverat Regnum Franciæ tam in spiritualibus quam in temporalibus sibi & ecclesiæ Romanæ esse & fuisse subjectum. Alia autem incipit: Clericis laicos. Et nihilominus omnia, quæ vigore istarum duarum decretalium fuerant subsecuta, etiam ipse penitus revocavit. Et deinde Regi Aragoniæ confirmavit regnum Sardiniæ, præstito tamen prius fidelitatis juramento, sub quo tunc expresso sibi se obligavit hujusmodi insulam Sardiniæ in unum annum personaliter visitare; & etiam in isto anno in die Sanctæ Mariæ Magdalenæ omnes Judæi de regno Franciæ congediati (*h*) fuerunt & eorum bona exstiterunt confiscata.

Item quod dictus Clemens postea anno sui Pontificatus secundo de Lugduno recessit, & ad civitatem Burdegalensem se mutavit, in qua cum curia sua stetit per unum annum. Et quod isto anno etiam Fulco magister militiæ Hospitaliorum cum magno exercitu Christianorum & cum magna sanguinis effusione eorum (*i*) ceperunt insulam Rhodorum, quam tunc Turci sub dominio Imperatoris CPtani schismatici tenebant.

Item quod ipse Clemens anno tertio sui Pontificatus de Burdegala ivit in Pictaviam pro pace tractanda & concordia inter Regem Franciæ & Regem Angliæ tunc facienda, quæ quidem finaliter fuit facta & etiam concordata matrimonio inter ipsos mediante; nam Rex Angliæ tunc Isabellam filiam dicti Regis Franciæ in uxorem recepit, propter cujus matrimonium multa scandala & infinita mala exinde in regno Franciæ fuerunt subsecuta, quæ adhuc non sunt transacta, ut apparet de præsenti.

Item quod tempore hujusmodi Clementis Papæ contigit, ut fertur, quod in quodam castro regio diœceseos Tholosanæ per officiales Regis Franciæ quidam, nomine Esquinus de Floriano, civis Biterrensis cum quodam fratre suo militiæ Templi apostata pro suis maleficiis capti fuerunt, & in forti carcere ambo insimul positi exstiterunt; cumque dictus Esquinus, (*k*) socius Templariorum, propter mala, quæ perpetraverat de die in diem de vita sua more navigantium se desperaverat, adinvicem peccata sua confessi fuerunt. Qui quidem Templarius sibi exstitit confessus multos errores & maleficia contra Deum & periculum animæ suæ atque unitatem fidei catholicæ, quod in ingressu sui ordinis & postea pluribus vicibus commisisset (*l*), quorum omnia maleficia per ordinem sibi enarravit. Quibus auditis a Cancellario sequenti die majorem officia-

(*a*) Baluz. *botus*. (*b*) Baluz. *destrabant*. (*c*) Baluz. *Aruffati*. (*d*) Baluz. *Pelagrua*. (*e*) Baluz. *de Gotto*. (*f*) Baluz. *Bearnensem*.

(*g*) Baluz. falso: *renovavit*. (*h*) Baluz. mall. *congeati*. (*i*) Baluz. *ipsi*. (*k*) Baluz. *& ejus socius Templarius*. (*l*) Baluz. *se communicasset*.

lem

lem alius castri regii ad se fecit evocari vel ad eum adduci, cui (*a*) quidem obtulit unum magnum factum Regi Franciæ revelare, de quo plures utilitates ipse Rex habere poterat, quam si de novo acquireret unum regnum, & ideo me bene captum & vinculatum ad eum me perduci faciatis, ut dixit, quia nulli de mundo nisi dicto Regi hæc revelaret, & quod (*b*) ipse mortem subiret temporalem.

Item quod cum ipse Officialis Regis vidisset, ut cum blandimentis, promissionibus, oblationibus, & demum quod ipse cum comminationibus prædictum Esquinum acquirere non poterat, quod prædictum factum sibi revelaret, ideo omnia præmissa per ordinem dicto Philippo Regi Franciæ scripsit & significavit, qui quidem statim sibi rescripsit & injunxit, ut dictum Esquinum sub fideli custodia ad eum Parisios mitteret.

Item quod cum postea ipse Esquinus juxta mandatum Regis eidem Regi Parisiis fuisset præsentatus, statim ipsum traxit ad partem, & ab illo voluit scire veritatem de præmissis, promittens sibi securitatem corporis, & commodum, si illa, quæ dicebat, veritatem continerent; cumq; Esquinus confessionem dicti Templarii apostatæ per ordinem sibi explicasset, confestim ipse Rex aliquos Templarios capi fecit, & super hoc cum eis informationem fieri fecit. Qua facta & super præmissis reperta veritate, ipse Rex Franciæ scripsit multum caute & secrete omnibus officialibus suis in toto regno suo institutis, quod quilibet ipsorum certa die cum bona societate bene armati essent parati, & deinde insequenti nocte quasdam literas suas secretas quilibet suorum officialium aperire deberet, & non ante, sub pœna capitis, quas cum aliis prædictis dictus Rex miserat eidem.

Item quod cum dicti officiales Regis literas suas recepissent, statim illa die omnes bene armati & associati fuerunt, videlicet tertio Idus Octobris, quæ fuit die Veneris, & tunc insequenti nocte apertis literis regiis supra dictis, statim quilibet ipsorum officialium per omnia loca eis commissa accesserunt & omnes Templarios, quos ipsi invenire potuerunt, ceperunt, & eos sub fideli custodia in suis fortalitiis posuerunt; & deinde quilibet officialis captiones ipsorum Templariorum dicto Regi Franciæ significaverat, prout ab ipso hoc habuerunt in mandatis. De quorum quidem captione totus mundus fuit admiratus.

Item quod postea magister militiæ Templariorum cum multis militibus & viris magnis sui ordinis captis apud Parisios coram Rege perductus fuisset, tunc quidam ipsorum propter verecundiam veritatem de præmissis denegaverunt, & quidam alii ultro (*c*) ipsam sibi confessi fuerunt; sed postea illi, qui denegabant cum tormentis ipsam tunc libenter confitebantur vel convincebantur (*d*). Et tunc ultro confitentibus veritatem ipse Rex mitius se habebat.

Item cum postmodum dictus Rex Franciæ de præmissis legitime informatus fuisset, statim omnia bona tam mobilia quam immobilia dictorum Templariorum, quæ in suo regno reperta extiterunt, confiscari fecit, & ipse tanquam recte confiscata sibi applicari pronunciavit. Et deinde copiam omnium processuum, quos fecerat contra ordinem Templariorum & personas ipsorum & confiscationem eorum sub sigillo suo ad ipsum Clementem Papam, qui apud civitatem Pictaviensem tunc ipse cum curia sua residebat, per solennes nuncios transmisit. De quibus valde fuit gavisus; nam antea ipse & Cardinales & plures alii universi super hoc dubitabant, maxime cum ille ordo fuisset tam a sede apostolica quam ab omnibus Principibus mundi summe privilegiatus, & pluribus & diversis spiritualibus & temporalibus esset ditatus.

Item quod deinde cum dictus Clemens cum suis Cardinalibus dictos processus Regis Franciæ bene examinasset, & nihilominus Templarios quosdam & ipsorum confessiones audivisset, videlicet quod omnes dicti ordinis Templariorum in eorum ingressu Christum Dei filium abnegabant, & super crucem in vituperium ipsius spuebant, & postea homagium diabolo faciebant, ut majorem fortunam & bonorum temporalium multiplicationem ipsi haberent, & si aliquis de ingredientibus ordinem eorum prædicta facere recusaret, postea ab ipsis interficiebatur, & deinde pro dissimulando nefandam & detestabilem vitam atque conversationem ipsorum magnas eleemosynas Christi pauperibus erogabant, & in eorum ecclesiis valde devoti persistebant & multa sacrificia ibi celebrari faciebant, intra & extra valde honeste incedebant. Et ulterius contra ipsos extitit repertum, quod ipsi magnum consilium, auxilium, favorem, coronam & confiderationem cum perfidis Saracenis ultra mare contra Christianos habebant, & quod ipsi, ut fertur, fuerunt causa perditionis civitatis Achon & totius terræ sibi commissæ, quam antea christiani cruce signati pro Christi fide & cum magna ipsorum sanguinis effusione acquisiverunt, & eam longo tempore possederunt pacifice & quiete. Cumque idem Clemens de præmissis bene fuisset informatus, statim ipse rescripsit per universum mundum Patriarchis & Archiepiscopis & Episcopis sub bulla eis mandavit atque commisit ut omnes Templarios, quos in eorum civitatibus & diœcesibus possent invenire, quod ipsos caperent & cum

(*a*) Baluz. *qui.*
(*b*) B. *esto quod.*
(*c*) B. male *ultra.*

(*d*) Apud Bal. additur post *confitebantur*: *& aliqui ipsorum in tormentis sine confessione moriebantur vel comburebantur. Et tunc* &c.

Digitized by Google

cum ipsis juxta articulos per ipsum Papam eis transmissos inquirere & procedere debent cum magno consilio & deliberatione, ut ipse exinde proximo suo consilio generali providere posset, ut iste ordo Templariorum reformari vel potius annullari deberet.

Item quod postea anno Domini millesimo trecentesimo octavo ipse Clemens confirmavit electionem Henrici, tunc Comitis Lücenburgensis in Imperatorem electi, quem postea eodem in Imperatorem coronari fecit, & postea ipse cum tota curia sua de Pictavia recessit per Burdegalenses & Agenosum (*a*) transivit, & deinde apud Tholosam venit, & ibi in festo nativitatis Domini ibi remansit usque ad Epiphaniam; in quo festo ipse in civitate Convennarum supervenit, in cujus ecclesia cathedrali corpus Sancti Bertrandi confessoris transtulit & in casa auri & argenti, & cum lapidibus pretiosis miro modo de novo facta per ipsum cum summa devotione & solennitate reposuit ad Dei gloriam & honorem.

Item quod deinde ipse Clemens transeundo per Carcassonensem, Biterram, Montepessulanum & Nemausum apud Avignionem devenit & ibi remansit cum curia sua. Cumque de novo ad suam audientiam pervenisset, quod adversus Deum & justitiam Veneti ad Feriensem civitatem pugnabant & ipsam occupare & eorum ditioni subjugare volebant, ideo Clemens contra ipsos Venetos suos processus fecit. Verum quia Veneti propter hoc desistere non curabant, ideo dictus Clemens contra eos noviter majorem processum fecit & ipsos aggravavit, & in die cœnæ Domini ipsos anathematizavit, & omnes religiosos & clericos de toto Ducatu Venetorum ex ordinatione exire mandavit, & nihilominus Arnaldum de Pelagrua Archidiaconum Cardinalem in Italiam pro Legato & contra dictos Venetos ipse transmisit. Post cujus adventum summa hominum strages fuit subsecuta, & dicta civitas Feronensis tunc extitit capta & recuperata in die festo Sancti Augustini, anno Domini a nativitate millesimo trecentesimo nono. Et in isto anno quinta die mensis Maji Karolus secundus Rex Siciliæ anno sui vicesimo quinto decessit, cui in regno & Comitatu supra dictis Robertus filius suus successit, qui quidem anno, quo supra, prima die Dominica sequentis mensis Augusti apud Avignionem per ipsum Clementem Papam fuit investitus & coronatus cum magna solennitate Prælatorum, cleri & populi, præsente multitudine gentium copiosa.

Item quod postea anno quo supra, in mense Septembris Episcopus Ruthenensis tunc Patriarcha & apostolicæ sedis Legatus & Fulco de Villareto magister militiæ universalis Hospitaliorum cum magno exercitu crucesignatorum & cum plenissima peccatorum indulgentia ad terram sanctam ultramarinam perrexerunt, sed tunc propter Venetorum contrarietatem regnantem ad portum inimicorum fidei venire ipsi nequiverunt, sed apud Brandusum per totam hyemem sequentem moram traxerunt.

Item quod anno quo supra quinto Idus Maji Archiepiscopus Senonensis cum suis suffraganeis & eorum Prælatis consilium provinciale apud Parisios solenniter celebravit, in quo quidem consilio inter alia cum magna deliberatione quinquaginta & quatuor Templarii ex propriis eorum confessionibus voluntariis, sed postea ab ipsis denegatis, sententiati & canonice judicati fuerunt, & postea juxta juris formam seculari curiæ ipsi tanquam relapsi traditi extiterunt; & exinde post paucos dies per ipsam potestatem secularem igne combusti extiterunt. Et deinde post paucos dies alii quatuor Templarii eodem modo sibi condemnati extiterunt & combusti, & postea alii novem Templarii in consilio Remensi intra mensem per Archiepiscopum Remensem & suos suffraganeos cum suis Prælatis in Silvanecto similiter celebrato eodem modo & causa condemnati fuerunt, & curiæ seculari traditi, deinde per ipsam curiam extiterunt combusti.

Item quod cum postea anno a nativitate Domini millesimo trecentesimo decimo in die festo assumtionis beatæ Mariæ cum magna Christianorum sanguinis effusione civitatem Rhodorum, quæ est caput & metropolis totius illius regionis & insularum convicinarum & specialis transitus in regnum Cypri, terram sanctam, Achon & alias terras infidelium per dictum exercitum crucesignatorum, & cum magno triumpho fuit capta, & sub potestate & dominio Christianorum extitit redacta, Turcis ab ipsa more gladii interfectis & deinde subjugatis.

Item quod ipse Clemens postea anno quo supra & sui Pontificatus anno sexto die Sabbathi quatuor temporum ad Adventum Domini XIIII. Kalendarum Januarii apud Avinionem fecit secundam creationem quinque Cardinalium de novo, videlicet Arnaldum de Felgeriis Archiepiscopum Arelatensem & postea Sabinensem, Bertrandum de Bordis Episcopum Albiensem & Camerarium suum, qui infra annum decessit, Arnaldum Novelli Abbatem tunc Fontis frigidi, Ordinis Cistertiensis & sanctæ Romanæ ecclesiæ Vice-Cancellarium, Presbyteros; Raymundum de Fargis, Bernardum de Gramine (*b*) fecit Cardinales Diaconos, quamvis isti duo ultimi nondum ad sacros ordines promoti non fuissent.

Item quod ipse Clemens primo apud Avinionem in consistorio publicato ad requisitionem Regis Franciæ pronunciavit & literam

(*a*) B. *per Burdegalam & Agennum.*

(*b*) B. *de Garvo.*

Digitized by Google

dedit generaliter omnibus quibuscunque accusandi Bonifacium Papam octavum prædecessorem suum de crimine hæresis, de quo ipse erat diffamatus, coram quo dictus Guilelmus de Nogareto, qui eum ceperat, postea multa super hoc crimina in consistorio publico contra dictum Bonifacium proposuit & objecit, & ex adverso quidam Cardinalis qui erat de genere dicti Bonifacii Papæ ipsum super ipsis criminibus objectis multipliciter excusavit, & Regem Franciæ & Guilelmum de Nogareto & Isaiam (*a*) de Columna cum multis aliis super captione dicti Bonifacii & thesauri sui deprædatione terribiliter accusavit, pro quibus de magno scandalo quotidie dubitabatur. Nam dictus Guilelmus de Nogareto cum magna societate armata ex una parte, & dictus Cardinalis eodem modo ex alia parte ad consistorium Papæ pro colorandis suis dictis conveniebant.

Item quod postea anno, quo supra à nativitate Domini millesimo trecentesimo undecimo, quinto Kalendarum Maji ipse Rex Franciæ de his, quæ coram dicto Clemente Papa super captione dicti Bonifacii Papæ & sui thesauri fuerat accusatus, per dictum Clementem in consistorio publico fuit accusatus, (*b*) & nihilominus super his, quæ ipse Rex Franciæ contra dictum Bonifacium fecerat pro bono zelo & intentione factum fuerat. Et fuit tunc sic pronunciatum & declaratum tam verbo, quam postea, ut dicitur, sub bulla sua. Et deinde (*c*) quod processus hujusmodi tenetur ulterius, quæ partim jam erant conclusa, ipse Clemens per modum tractatus pacis ad se retinuit & suscepit. Et deinde dictum Guilelmum de Nogareto ipsum præsentem a sententia excommunicationis, qua per dictum Bonifacium fuerat innodatus, tunc absolvit, & pro pœnitentia peregrinationem Terræ sanctæ ultramarinam in primo passagio & per quinque annos continuos ibi stare sibi dedit & assignavit, nisi alias per sedem apostolicam cum eo super hoc esset dispensatum. Et in isto anno fuit tanta mortalitas hominum in partibus Tholosanis & circumvicinis locis, quod vix fuit domus, in qua non pateretur aliquis defunctus, & nihilominus fuit tanta caritas & caristia, quod nullum bladum inveniebatur ad vendendum.

Item quod postea anno Domini millesimo trecentesimo duodecimo, Kalendarum Aprilis prædictus Papa Clemens cum suis Cardinalibus & multis Prælatis secrete in consistorio suo privato clauso ordinem dictorum Templariorum cassavit, & ipsum pentus adnullavit, & deinde personas & bona illius ordinis suæ & ecclesiæ dispensationi atque ordinationi ipse reservavit.

(*a*) B. *Sciarram*
(*b*) B. *Purgatus*
(*c*) B. Hæc sic exprimit: *Et deinde processus hujusmodi causæ utriusque partis jam erat conclusum, ipse Clemens per modum &c.*

Item quod anno, quo supra tertia die mensis Aprilis præfatus Clemens in Consistorio publico, præsente Rege Philippo Franciæ cum tribus filiis, videlicet Ludovico, Philippo, Karolo, ac etiam alio Karolo, fratre ejusdem Regis cum magna militia, quibus hujusmodi negotium erat summe cordiale, & præsente gentium multitudine copiosa, cassationem ordinis dictorum Templariorum solenniter publicavit. Qui quidem ordo jam duraverat per centum octuaginta annos vel circa. Qui licet ipsi abundaverint multis bonis temporalibus & sedis apostolicæ & Principum secularium, & tamen ipsi & eorum bona una die perierunt.

Item quod in dicto Consilio generali super statu personarum & bonorum temporalium sic salubriter fuit ordinatum, ut omnia bona dictorum Templariorum pro defensione fidei catholicæ & infidelium persecutione essent & esse deberent cum suis privilegiis & libertatibus diversis temporibus militiæ Hospitalis Johannis Hierosolymitani cum certis tamen pactis conditionibus super hoc solenniter impositis & a dicta militia gratis receptis & approbatis.

Item quod aliquæ personæ nobiles & majores dictorum Templariorum sub ordinatione & dispositione Romani Pontificis reservarentur, & quod de cæteris Templariis per metropolitanos & suos suffraganeos in consiliis eorum provincialibus, prout de ipsis *ad quemlibet* ipsorum pertinebit, disponere *canonice* debeant & possint atque ordinare, & quod etiam de illis Templariis, qui ultra errores suos confestim fuerunt corde contriti, ponantur ipsi in aliis religionibus a sede apostolica approbatis juxta ipsorum electionem, & ipsi Deo serviant, & de bonis olim Templariorum sua victualia habere debeant; de illis Templariis autem, qui fugierunt & legitime non comparuerunt, juxta consilia provincialia contra ipsos canonice procederetur. Super autem statu ecclesiæ & libertate ipsius in dicto Consilio plura salubria statuta facta fuerunt, quæ hodie Clementinæ nuncupanttur; sed ipse Clemens in multis aliis negotiis arduis & postea morte præventus istas constitutiones publicare nequivit.

Item quod celebrato concilio dictus Clemens anno quo supra de Viegna recessit, & apud Advinionem venit; qui quidem postea in jejunio quatuor temporum ante natale Domini tertiam creationem novorum Cardinalium fecit, & novem Cardinales de novo creavit decimo Kalendarum Januarii, videlicet Guilelmum de Mandagoto Archiepiscopum Aquensem, diœceseos Rhemensis, Jacobum de Aza (*d*) Episcopum Avinionensem diœcesis Caturcensis, qui postea fuit Papa, Berangarium Fredoli de Veruna Magolonensis diœceseos, tunc episcopum Biterrensem, Alvardum de

(*d*) B. *de Oza.*

Auxio

Auxio, tunc Episcopum Pictaviensem, fratrem Guilelmum Petri de Gotino Bajonensem, magistrum in Theologia, ordinis fratrum Prædicatorum, tunc lectorem sacri Palatii apostolici, Vitalem de Furno, ordinis fratrum Minorum, Magistrum in Theologia, Vasatenensis diœceseos, Michaëlem de Vero (*a*) Galiacum (*b*) tunc Decanum S. Quintini, Abbatem sancti Severi, & Guilelmum de Testa, Condomiensem Episcopum.

Item quod postea anno a nativitate Domini millesimo trecentesimo decimo, tertia hora die Maji (*c*) apud Advinionem dictus Frater de Moriono, quondam Celestinus Papa quintus per dictum Clementem Papam solenniter canonizatus & sub sancti Petri nomine catalogo aliorum sanctorum confessorum fuit per eum aggregatus, anno decimo octavo a suo transitu computando, cujus festum celebrare tunc fuit ordinatum decimo quarto Kalendarum Junii, in qua die ad Christum migravit.

Item quod anno, quo supra in festo Pentecostes venit Nicolaus titulo sancti Eusebii Presbyter Cardinalis, apostolicæ sedis Legatus ex parte dicti Clementis Papæ in Franciam, a quo Philippus tunc Rex Franciæ, qui tunc tres filios suos & quosdam alios de genere suo cum quadringentis extraneis milites fecerat, de novo apud Parisios cum magna militia pro faciendo passagium ultramarinum solenniter, præsente gentium multitudine copiosa, signaculum sanctæ crucis una cum Rege Angliæ reverenter & devote, ibi tunc præsente, & Rege Navarræ, filio suo, & duobus aliis filiis & ceteris duobus fratribus suscepit.

Item quod anno postea, quo supra, tempore beati Gregorii Papæ magister militiæ Templariorum cum uno alio magistro de suo ordine Parisiis publice de mandato Regis Franciæ extitit combustus, qui tamen cum consilio Prælatorum & peritorum ad aliam pœnitentiam peragendam prius fuerant condemnati. Nam Philippus Rex Franciæ cum filio suo voluit pati, quod propter renunciationem confessionis suæ, quam primo fecerant dictus Magister militiæ Templi & multi alii sui ordinis, evaderent mortem temporalem; nullo tamen super hoc judicio ecclesiastico convocato, neque ipso expectato, quamvis tunc apud Parisios duo Cardinales apostolicæ sedis Legati essent præsentes.

Item quod postmodum anno quo supra, duodecimo Kalendarum Augusti, quo fuit festum Benedicti Abbatis, dictus Papa existens cum curia sua apud castrum de Montelittus (*d*) Avignionensis diœceseos, coram se in consistorio publico suas constitutiones Decretalium, quas in consilio Vianensi ordinaverat, publicari fecit, quæ hodie Clementinæ vocantur, sed postea per eum, cum infirmitate detentus esset, ad studia generalia transmissæ non fuerunt, sed sic publicatæ tunc remanserunt, donec per suum successorem executioni demandatæ fuerunt.

Item quod ipse Clemens Papa post multos labores, anxietates & tribulationes apud castrum de Rippenaria (*e*) supra Rhodanum, quod est Regis Franciæ, die Veneris de nocte, in qua intitulabatur, duodecimo Kalendarum Maji ad Christum migravit, anno a nativitate Domini millesimo trecentesimo decimo quarto, & apud civitatem Carpentoratensem ultra Rhodanum, ubi tenebat curiam suam, & ubi tunc erant Cardinales sui, suum corpus fuit deportatum, & ibi honorifice extitit traditum ecclesiasticæ sepulturæ; sed postea apud Vasconiam juxta ordinationem suam in quadam villula modici valoris ipsum corpus fuit deportatum, & ibi in Ecclesia collegiata Canonicorum secularium, quæ vocatur beatæ Mariæ de Bizesta (*f*) Vasatensis diœceseos cum magno honore extitit sepultum. Qui quidem rexit ecclesiam octo annis, decem mensibus & quindecim diebus a die suæ creationis computando, & tunc vacavit sedes apostolica duobus annis, tribus mensibus & septem.

Item defuncto Papa Clemente, omnes Cardinales numero viginti tres, qui erant apud civitatem Carpentoratensem, ubi dictus Clemens suam curiam tenebat, in palatio episcopali secundum juris formam per conclave inclusi fuerunt, & pro electione Romani Pontificis usque ad festum subsequens sanctæ Mariæ Magdalenæ ibi pacifice & quiete interfuerunt. Sed ex tunc instinctu diaboli propter discordias gravissimas, quæ inter familiares dictorum Cardinalium exortæ fuerunt, & quæ per aliquem de mundo tunc pacificari non potuerunt, ideo dictos Cardinales a dicto conclavi oportuit exire, qui quidem inter se promiserunt & statuerunt, quod pacificatis eorum famulis, statim quilibet eorum ad dictum conclave redire deberet, cumque ipsi exivissent de dicto conclavi, dictas familias pacificare nequiverunt, imo majores discordiæ & capitales tam inter se, quam inter familias prædictas dictorum Cardinalium hoste antiquo procuratæ supervenerunt. Quare ipsi Cardinales præcaventes & dubitantes plura pericula & scandala, quæ supervenire poterant, ad dictum conclave redire noluerunt, imo ipsi singulariter per civitates & castra per duos annos & plures dispersi extiterunt.

Item quod cum postea pervenisset ad audientiam Philippi Regis Franciæ, tunc Comes Pictaviæ statim apud Lugdunum venit, qui quidem multum caute & gratiose omnes prædictos Cardi-

(*a*) B. *de Beco.*
(*b*) B. *Gallicum.*
(*c*) B. *quinta die Maji.*
(*d*) B. *de Montiliis.*
(*e*) B. *de Rupemaura.*
(*f*) B. *de Usesta.*

Digitized by Google

Cardinales ad ſe ibi in domo Prædicatorum convocavit, & eis ibi congregatis, incœpit tractare inter eos concordiam & veram pacem, & eis oſtendere, quanta pericula propter eorum diſcordias in hoc mundo eſſe imminebant. Cum autem dicti Cardinales poſt conſilium ad villam in domos proprias pro comedendo recedere voluiſſent, & juxta prærordinationem dicti Philippi Comitis Pictaviæ ab illo loco exire non potuerunt, imo ibi incluſi pro tractanda electione Romani Pontificis futuri remanſerunt in vigilia ſanctorum Petri & Pauli, & tandem ibi Papam elegerunt poſt quadraginta dies, computando a die incluſionis ipſorum, anno a nativitate Domini milleſimo CCC. XVI.

JOHANNES XXII.

De Caturco civitate oriundus ex patre Arnaldo de Oza filius, & poſt dictum Clementem Papam quintum apud Lugdunum in domo Prædicatorum ſeptimo Idus Auguſti in Romanum Pontificem fuit aſſumtus, & poſt beatum Petrum apoſtolum extitit Papa ducenteſimus ſextus, & poſtea in eccleſia cathedrali fuit coronatus in die Nonarum Septembris anno a nativitate Domini milleſimo trecenteſimo ſexto decimo.

Item quod iſte Johannes ante ſuam promotionem Jacobus de Oza Cardinalis Portuenſis vocabatur, qui quidem primo Cancellarius Roberti, Regis Siciliæ, & poſtea ad ſui inſtantiam fuit Epiſcopus Foromonenſis, (*a*) & deinde ad Epiſcopatum Avignionenſem fuit translatus, & poſtea Cardinalis factus & deinde in Papam electus.

Item quod Johannes iſte poſt ſuam promotionem ſecunda die menſis Octobris apud Avignionem venit ad tenendum ibi Curiam ſuam, quam ibi antea publice præconizari fecerat, in qua quidem civitate inſequentibus quatuor temporibus Adventus Domini fecit Cardinales, videlicet Bernhardum de Caſtaneto, Epiſcopum Anicienſem, quem etiam fecit tunc Epiſcopum Portuenſem, & nihilominus epiſcopatum Anicienſem ipſe ſibi commendavit; item Jacobum de via de Caturco, nepotem ſuum tunc Avinionenſem Epiſcopum, cui titulum ſanctorum Johannis & Pauli Presbyteri Cardinalis dedit, & nihilominus eccleſiam Caturcenſem ipſe ſibi commendavit; item Gaucelmum Johannis de Caturco, Legum Doctorem, tunc ſanctæ Romanæ eccleſiæ Vice-Cancellarium, cui titulum S. Marcellini & Petri Presbyteri ipſe aſſignavit; item Bernardum (*b*) de Pogeto Legum Doctorem Caſtri novi Caturcenſis diœceſeos, cui titulum ſancti Maximi Presbyteri Cardinalis ipſe dedit; item Bertrandum de Monte Faventio, Legum Doctorem Caſtri novi & diœceſeos Caturcenſis prædictorum, cui titulum ſanctæ Mariæ de Aquiro Diaconi Cardinalis ipſe aſſignavit; item Petrum de Riblaie Legum Doctorem de Britannia & tunc Cancellarium Regis Franciæ, cui tunc ipſe titulum ſanctæ Suſannæ Presbyteri Cardinalis dedit; item Gailardum de Motaga (*c*) Vaſconem, quondam Clementis Papæ quinti nepotem, cui titulum ſanctæ Luciæ Diaconi Cardinalis ipſe aſſignavit; item Johannem Gaytani Romanum genere de Vrſinis, cui titulum ſancti Theodorici Diaconi Cardinalis ipſe dedit.

Item poſtea Johannes apud Avinionem ſeptimo Idus Aprilis anno Domini milleſimo trecenteſimo decimo ſeptimo ſolenniter, præſente fidelium multitudine copioſa, canonizavit ſanctum Ludovicum, Epiſcopum Tholoſanum, filium Karoli ſecundi, Regis Siciliæ, & ipſum ſanctum & glorioſum coram Deo in gloria ſua pronunciavit & poſtea catalogo omnium aliorum ſanctorum Confeſſorum ipſe aggregavit.

Item quod iſte Johannes a Berengario Fredeli (*d*) Epiſcopo Tuſculano Cardinali publice apud Avinionem, præſente gentium multitudine copioſa, deponi fecit per ordinem, prout infra ſequetur, Hugonem Geraldum tunc Epiſcopum Caturcenſem ab omnibus inſigniis epiſcopalibus & clericalibus atque decoralibus, & primo videlicet annulo, mitra, *Camiſia* Romana cum cappa, & ultimo bireto ſuo *Doctorali*, cum ipſe eſſet Legum Doctor, & ſic tantum remanſit in ſuo habitu clericali, qui quidem poſtea perpetuo carceri ipſe tunc fuit judicatus anno quo ſupra, quarta die menſis Maji, ſed poſtea per dictum Cardinalem de mandato ipſius Johannis Papæ ſolenniter extitit degradatus, & deinde ſecundum formam juris ſeculari curiæ traditus, remiſſusque, per quem in parte extitit excommunicatus, & deinde publice per villam usque ad Palliam fuit pertractus & demum combuſtus, anno, quo ſupra, in menſe Julii. Prout tunc dicebatur, ipſe conſpiraverat & machinatus fuerat in perſonam ſeu mortem dicti Johannis Papæ, poſtquam ad ſedem apoſtolicam fuiſſet aſſumtus.

Item quia anno, quo ſupra, circa feſtum Johannis Baptiſtæ deceſſerat Jacobus de Via Cardinalis nepos ejusdem Johannis Papæ, ideo poſt octo dies in loco ipſius idem Johannes Papa fecit & de novo creavit in Cardinalem Arnaldum de Via, fratrem germanum dicti Jacobi de Via jam defuncti, cui titulum ſancti Euſtachii Diaconi Cardinalis aſſignavit.

Item quod poſtea anno quo ſupra, tam in menſe Julii quam in menſe Auguſti eccleſiam Tholoſanam tunc epiſcopalem in eccleſiam

(*a*) B. *Forojulienſis.*
(*b*) B. *Bertrandum.*
(*c*) B. *de Mota.*
(*d*) B. *Fredelli.*

Me-

Digitized by Google

Metropolitanam de novo erexit, & certos reditus sibi assignavit & limitavit, in qua quidem ecclesia fratrem Comitis Convenarum tunc Episcopum Magolonensem transtulit & Galhardo antea Episcopo Tholosano de ecclesia Regensi, quæ est modici valoris, providit, seu ad ipsum transtulit, quam ipse acceptare noluit.

Item quod ipse Johannes postmodum diœcesin Tholosanam in sex partes divisit, & cuilibet certos limites & reditus assignavit, quorum quidem Episcopi pro suffraganeis Archi-Episcopo Tholosano extiterunt deputati & in certis locis solenniter fuerunt assignati. Et primo quidem villam Montis Albani, secundo villam de Rivis, tertio villam & Abbatiam de Lumberiis, quarto villam de sancto Paulo, (*a*) quinto villam de Mirapisce, sexto & ultimo villam de Bano, (*b*) in quibus ecclesias cathedrales ipse temporibus perpetuis constituit & ordinavit.

Item quod Johannes postea in villa S. Pontii Thomariarum in abbatia, & deinde in villa de Ellecho in abbatia cum auxilio aliquorum rectorum ecclesiæ Narbonensis & diœceseos posuit sedes episcopales, & cuilibet ipsarum certos reditus & limites assignavit & jure metropolitano Archi-Episopo Narbonensi subjecit & deputavit.

Item quod iste Johannes postmodum Episcopatum Albiensem in duos Episcopatus divisit, & apud villam Castrorum cum sua Abbatia ecclesiam cathedralem ibi constituit, & de reditibus & diœcesi ecclesiæ Albiensis ipsam in parte dotavit atque fundavit, & jure metropolitano Archi-Episcopo Biterrensi ecclesiam Castrorum subjecit, prout ecclesia Albiensis erat ab antiquo.

Item quod ipse divisit episcopatum Aggenensem in duas partes, & apud villam Condomensem de novo episcopatum constituit, in Abbatia illius loci, & cum auxilio redituum diœceseos ecclesiæ Aggenensis ipsum episcopatum dotavit & assignavit & jure metropolitano Archiepiscopo Burdegalensi ipsam ecclesiam subjecit atque deputavit, prout ecclesia Aggenensis ab antiquo sibi erat subjecta.

Item quod ipse Johannes exinde ecclesiam Lomonsensem (*c*) in duos episcopatus divisit & apud villam Tutellensem de novo episcopatum constituit cum Abbatia ibi posita & cum auxilio redituum diœceseos Lomovisensis (*d*) ipsum episcopatum dotavit atque fundavit ac metropolitano ecclesiæ Biterrensis ipse subjecit & deputavit, prout ecclesia Lomonisensis sibi erat antiquitus subjecta.

(*a*) B. *de S. Papulo.*
(*b*) B. *de Vauro.*
(*c*) B. *Lemovicensem.*
(*d*) B. *Lemovicensis.*

Item quod ipse Johannes postmodum ecclesiam Petragoriensem in duos episcopatus divisit & apud villam de Sarlato in sua abbatia de novo ecclesiam Cathedralem constituit & ecclesiam ibi erexit cum auxilio redituum diœcesis Petragoriensis ipsum Episcopatum dotavit & jure metropolitano archiepiscopo Burdegalensi tunc subjecit & deputavit, prout dicta ecclesia Petragoriensis sibi subjecta de antiquo.

Item quod postea Johannes ecclesiam Claromontensem in duos episcopatus divisit, & apud villam Sancti Flori in sua abbatia ecclesiam cathedralem constituit & episcopatum ibi erexit, & cum auxilio redituum a diœcesi ecclesiæ Claromontensis eam dotavit, & jure metropolitano Archiepiscopo Bituricensi, sicut ecclesiam Claromontensem, ipsam ecclesiam deputavit, prout dicta ecclesia Claromontensis prius ab antiquo ecclesiæ Biturricensi extitit subjecta.

Item quod ipse Johannes Papa deinde ecclesiam Ruthenensem in duos episcopatus divisit, & apud villam de Vabro in abbatia ecclesiam cathedralem constituit & ipsam ibi erexit, cum auxilio redituum diœceseos ecclesiæ Rutenensis ipsum episcopatum dotavit atque fundavit, & jure metropolitano ipsum Archiepiscopo Biturricensi, sicut antiquitus dicta ecclesia Rutenensis erat subjecta, ipse sibi subjecit & deputavit.

Item quod ipse Johannes postea Ecclesiam Pictaviensem in tres episcopatus divisit atque limitavit, quorum unum de novo constituit in villa de Mallieyso (*e*) in sua Abbatia, & alium in villa de Lucenio (*f*) in abbatia, quem quidem episcopatum cum auxilio redituum ecclesiæ Pictaviensis dotavit atque fundavit, ac jure metropolitano Archiepiscopo Burdegalensi, sicut ecclesia Pictaviensis ab antiquo subjecta sibi erat, supposuit atque subjecit. Item quod ipse Johannes postmodum in pluribus & diversis civitatibus, castris & villis fecit & constituit multas ecclesias collegiatas cum dignitatibus & præbendis certis & cum fructibus & reditibus eis assignatis, prout sequitur; & primo apud civitatem Montalbam unam de ipsis fecit, & sibi Decano constituit, qui cum suis Canonicis, vacante sede cathedrali in electione novi Pontificis una cum monachis ecclesiæ cathedralis interesse & ipsum episcopum eligere deberent.

Item aliam ecclesiam consimilem fecit & instituit in Castro novo de Aririo sancti Pauli (*g*)

(*e*) B. *de Malhesio.*
(*f*) B. *de Lucionio.*
(*g*) B. *de Arrio sancti Papuli.*

Digitized by Google

diœcesis: Item aliam consimilem in castro de Burlacio diœceseos Castrensis; item aliam consimilem in castro sancti Felicis de Caromenio Tolosanensis diœceseos; item in castro Montis regalis, diœceseos Charcasonensis; item aliam consimilem in Villa sancti Pauli de Fenolhedesio Electensis diœceseos.

Item quod ipse Johannes postea anno Domini millesimo trecentesimo decimo septimo fecit de novo tres constitutiones seu decretales extravagantes, quarum prima incipit: Sedes apostolica, secunda incipit: Suscepti regiminis, tertia: Execrabilis quorundam: quas quidem aliqui decretorum Doctores varie glossaverunt, seu ipsas exposuerunt.

Item quod deinde anno, quo supra, in mense Novembris præfatus Johannes Papa constitutionibus factis in consilio Viennensi & ante & post per Clementem Papam quintum apud Avinionem publicavit, & postea etiam ipsas sub bulla ad studia generalia transmisit in scholis legendas & in judiciis nostris tenendas, quæ tamen diu steterant in suspenso.

Item quod cum magna discordia exorta fuisset inter monachos Abbatiæ Ordinis Grandis montis ex parte una, & Priores conventuales ejusdem ordinis ex altera parte super electione abbatis eorum, ideo dictus Johannes declaravit super hoc & ordinavit, ut de cætero, vacante eorum Abbatia monachi illius monasterii tantum ipsum Abbatem eligere possunt, & ad ipsos totaliter electio ipsius Abbatis pertinere censeatur, & quod ad monachos singulorum Prioratuum conventualium ejusdem ordinis electio Priorum suorum duntaxat pertinere noscatur, quamvis alii omnes monachi & Priores conventuales dicto Abbati tanquam capiti ipsorum remaneant & subjecti existant. Et nihilominus voluit & addidit tribus eorum visitatoribus unum alium, ita, quod sint de cætero quatuor visitatores, quia reformatio ipsius melius & utilius consilio plurium fieri potest quam paucorum.

Item quod in regno Aragoniæ tempore hujus Johannis Papæ non esset nisi unica Ecclesia metropolitana valde lata & diffusa, ideo prædictus Johannes ecclesiam Cæsaraugustanam in metropolitanam erexit & ordinavit, cui quinque ecclesias cathedrales jure metropolitano assignavit & limitavit, & alias undecim cathedrales, quas archiepiscopus Tarraconensis jure metropolitano habeat subjectos sibi, ut prius remanere deberent, anno Domini millesimo trecentesimo decimo octavo.

Item quod postea anno Domini millesimo trecentesimo decimo nono præfatus Johannes Papa de consilio fratrum suorum instituit & ordinavit novum ordinem militiæ, qui vocari deberet Militia Jesu Christi, in regnis Portugalliæ & Algarbiæ, ad resistendum Saracenis in partibus illis & etiam pro defensione fidei catholicæ Christianæ, cujus caput seu dominum principalem constituit in castro Marino, Sylvensis diœceseos. Et nihilominus ipsi militiæ ipse dedit & assignavit omnia bona cum omnibus juribus & pertinentiis universis, quæ antea fuerunt in dictis regnis Templariorum, maxime cum omnia prædicta præcederent de assensu & beneplacito dictorum Regum, qui olim dotaverant templa supra dicta. Qui quidem ordo debet vivere & militare Deo pro defensione fidei & fidelium secundum regulam & instituta ordinis Calatravæ, & quando opus fuerit, quod ipse ordo possit visitari, corrigi & reformari per Abbatem dicti monasterii de Alcebatra (*a*) Cistertiensis ordinis, diœceseos Vlixbonensis, ut constat de omnibus præmissis per literas apostolicas exinde confectas, quas ipse Ordo noscitur habere ad æternam rei memoriam.

Item quod postea anno quo supra dictus Johannes Papa antiquam abbatiam montis Cassini ob reverentiam & honorem illius sanctissimi patris beati Benedicti Abbatis & Confessoris & patris atque institutoris ordinis omnium monachorum in ecclesiam cathedralem erexit & sublimavit.

Item (*b*) quod postmodum anno Domini millesimo trecentesimo vicesimo præfatus Johannes Papa canonizavit sanctum Thomam episcopum Cifondensem, unum nobilem vita & moribus, scientia præditum & doctrina perornatum, in sacra pagina & canonum magistrum atque Doctorem profundissimum & miraculis multum circumfultum, & ipsum esse sanctum & coram Deo in sua gloria constitutum pronunciavit, & in catalogo sanctorum Pontificum & Confessorum aggregavit.

(*a*) B. *de Alcobacia.*
(*b*) *Hæc periodus in editione Baluzii non extat.*

Item

Item quod postmodum anno Domini MCCCXX. tempore ipsius quædam terribilis pestis in Regno Franciæ exorta fuit, quod nisi altissimus super hoc providisset, magna pericula & scandala ecclesiis & personis ecclesiasticis & aliis Christi fidelibus finaliter supervenissent, quare ad æternam rei memoriam prout ecclesiæ alias hoc idem accidit, est denotandum. Nam anno Domini MCCCXX. subito surrexit quædam congregatio hominum simplicium utriusque sexus, qui se Pastorales (a) vocari faciebant, confingentes & asserentes se habere bonum zelum & animum ultra mare transeundi pro recuperanda terra sancta, & invadendo Christi infideles Saracenos, nullum tamen habentes Ducem, nec Principem, nec alicujus navigii apparatum, nec victualia, nisi in quantum a fidelibus eis amore Dei administrabantur. Imo ipsi pro majori parte erant male induti & calceati, qui quidem quotidie numero crescebant & augmentabantur & per castra dividebantur, & etiam processionaliter cum vexillo sanctæ crucis præcedente sine aliquo verbo per civitates, castra, villas incedebant, & omnes ecclesias majores eodem modo ipsi visitabant, petendo subsidium eis dari sub specie pietatis atque paupertatis in tantum, quod victualia eis dabantur abundanter ex amore.

Item quod cum postea dicti Pastorelli vel majores ipsorum viderent, tantam multitudinem seu multiplicationem tunc cum concepta fraude & malitia in cordibus eorum, ut populus in factis ipsorum majorem confidentiam & fidem adhiberet, ideo ipsi contra Judæos irruerunt, & omnes, quotquot invenire poterant, qui baptizari recusabant, non expectato judice, interficiebant, & omnia bona eorum ipsi occupabant atque sibi comparabant. Quorum persecutio & commotio tanta fuit, quod rectores communitatum, civitatum, castrorum, villarum, nec non etiam Prælatorum clericorum & dominorum secularium valde dubitare incœperunt; maxime, quia castrum de Verduno, tunc Tholosanæ diœceseos, quod est Regis Franciæ, jam tunc obsiderent de facto, propter aliquam catervam Judæorum, qui ad hujusmodi fortalitium præ timore ipsorum confugerant; & etiam in civitate Tholosana omnes Judæos, non obstantibus officialibus Regis & Capitolii civitatis, interfecerunt, & ipsorum bona sibi appropriaverunt, de quibus non est multum admirandum, quia similia & pejora in civitate Parisiensi fecerunt & in partibus aliis. (b)

Item quod cum postea dicti Pastorelli incœpissent bona dictorum Judæorum sic deprædare & occupare sine alicujus contradictione & resistentia, tunc tam in civitatibus, castris, villis, ecclesiis bona ipsorum locorum & ecclesiarum, ut latrunculi, furati fuerunt & multa alia mala facere incœperunt. Propter quæ rectores locorum, civitatum & singulares personæ atque prælati ecclesiastici fortalitia contra ipsos custodierunt, & victualibus munierunt, & victualia eis dare aut vendere denegaverunt, & omnes passus viarum seu tramitum stabiliri & custodiri fecerunt, & tantum & taliter contra ipsos processerunt, quod multi de ipsis interfecti & suspensi & alii effugati extiterunt; & sic ipsi dispersi fuerunt, & tanquam umbra evanuerunt, & deinde civitas Avinionensis, in qua dictus Johannes Papa cum suis Cardinalibus suam curiam tenebat, quam invadere ipsi nitebantur, gratia divina suffragante sic ab ipsis fuit liberata.

Item quod deinde anno a nativitate Domini millesimo, trecentesimo vicesimo in quatuor temporibus ante Natale Domini quarto decimo Kalendas Januarii præfatus Johannes Papa fecit & de novo ordinavit, ac creavit septem solennes Cardinales, & primo videlicet Reginaldum la Porta de Olassao (c) Lemovicensis diœceseos, tunc Archiepiscopum Biturricensem, cui datus fuit titulus sanctorum Veri & Achillei; item Bertrandum de Turre de Cambolatio, Caturcensis diœceseos, ordinis fratrum Minorum, in sacra pagina Magistrum, tunc Archiepiscopum Sabentanum, cui datus fuit titulus S. Vitalis, Presbyteri Cardinalis; Item Petrum de Pratis, Carturicensis diœceseos, tunc archiepiscopum Aqvensem, cui fuit datus titulus sanctæ Potentiæ Presbyteri Cardinalis; Simonem de Archiaco Xantonensis diœcesis tunc electum Archiepiscopum Viennensem, cui fuit datus titulus Sanctæ Priscæ Presbyteri Cardinalis; Pilum fortem de Rapistagno castri de S. Georgio Albiensis diœceseos

(a) B. *Pastorellos.*

(b) B. *illis.*
(c) B. *de Alassaco.*

&tunc

& tunc epiſcopum Murenſem, cui fuit datus titulus ſanctæ Anaſtaſiæ Presbyteri Cardinalis; item Petrum Textoris de ſancto Anthonio, diœceſeos Caturcenſis, tunc ſanctæ Romanæ eccleſiæ Vice-Cancellarium, cui fuit datus titulus S. Stephani in Cælio monte Presbyteri Cardinalis; item Raymundum Ruffi de civitate Caturcenſi, cui fuit datus titulus S. Mariæ in Comeſtini Diaconi Cardinalis.

Item quod anno a nativitate Domini milleſimo trecenteſimo viceſimo primo, tempore hujus Johannis Papæ fuit inventa & de novo detecta ſumma & inenarrabilis & nefanda proditio leproſorum univerſorum nequitia. Et quia ipſa tangit eccleſiam & eccleſiaſticas perſonas, ideo non eſt prætermittenda, imo ad perpetuam rei memoriam hic eſt inſerenda, nam univerſi leproſi in regno Franciæ conſtituti inſtinctu diabolico & ſua fraude inducti contra univerſum Dei populum tam eccleſiaſticum quam ſecularem conſpiraverunt & in perſonis ipſorum ſumme machinati fuerunt in tantum, quod ipſi convenerunt in omnibus fontibus, puteis & ſtagnis pulveres venenoſos & alias potiones ponere deberent, ut exinde Chriſtiani ſani, ab illo morbo infecto non corrupti, qui de illis aquis potarent, dictum morbum ipſorum incurrere vel ſaltem mori deberent, ad finem, quod ipſi leproſi ſani aut alii in eorum morbo eſſent pares, vel quod totius regni Franciæ ipſi leproſi remanerent. Unde propter hoc jam inter ſe ordinaverant pro Rege, Ducibus, Comitibus, Baronibus, caſtris, villis, prout fertur, ſed quia Domini eſt terra & plenitudo ejus, ideo tantam deteſtabilem machinationem & eccleſiæ & populi ſui deſtructionem pati noluit, imo detegi & Chriſti fidelibus voluit revelari, cumque hujusmodi eorumque iniquitas eſſet detecta, ſtatim iſti leproſi, qui reperiri potuerunt, combuſti publice ſtatim extiterunt; in quibusdam quidem aliis partibus in domibus ſuis propriis ipſi & eorum mulieres in deteſtationem tanti criminis concremati etiam fuerunt, & ſic coronam Franciæ & dignitates ipſius, quas ſperabant habere, unico actu ipſi perdiderunt, illi autem, qui culpabiles inventi non fuerunt, in domibus ſuis propriis perpetuo incluſi fuerunt, & ipſorum conjuges & filii in alia domo ab eis ſeparate incluſæ ac poſitæ fuerunt, ne ipſi alicui nocere poſſent de cætero, vel multiplicari.

XIII. JOHAN-

Digitized by Google

XIII.
JOHANNIS TRITHEMII NEPIACHUS,

id est,

Libellus de Studiis & Scriptis propriis a pueritia repetitis.

* * *

Incipit Nepiachus Joannis Tritemii Abbatis, vitæ memoriam conservans transactæ.

NEmo, sicut arbitror, me sapiens, aut vanum contemnet aut putabit arrogantem, si ea, quæ mihi viventi contigerunt in carne, quatenus memoriam inciderunt, consignem. Non enim laudes meas, quæ nullæ sunt, sed fortunas potius ad mentem scribendo revocavi: & ut mihi videtur non absque judicio rationis; cum multa sint ex his, quæ passus est animus, quorum memoria & mundi contemptum animæ, & desiderium suæ dissolutionis ex hoc ergastulo carceris ad suspiria futurorum conveniens inducere potest. Quid enim fortunæ varietas in me aliud operata est ab infantia mea usque ad præsentem diem, quam quod varium me commutabilemque ostendit mihi? utpote qui peregrinus sum in corpore positus, veluti in obstruso carcere captivus. Contestantur me variæ mutationes meæ, quod manentem in carne hac mortali civitatem minime inveniam, non certe mansionem civilem habeam. Advena enim sum in terra, sicut omnes patres mei, cujus vitæ tempus breve est: & sicut mercenarii dies ejus, qui in æstu diei festinat ad vesperam. Patrem infanti præmisit ipsa moriendi necessitas: a quo sum genitus mortalis: sive juvenis moriar, sive vetulus. Annos itaque incolatus mei & breves & pravos, & quædam in ipsis gesta signavi, propterea id mihi sit causa utilitas mea, tametsi quispiam legerit ista, scripturam cum titulo inveniet concordare. Puerilia sunt enim, & majoris forsitan laboris, quam utilitatis. Nepiachus plane puerilis dicitur, ob id a pueritia mea exorsus puerilia scripsi. Et quidem sæpe juvit meminisse fortunæ, sive bona ministraverit, sive mala. Non tamen omnem varietatem fortunæ gestorumque assumpsi meorum, sed partem, qua reliquorum admonear mihi prorsus sufficientem. Neque enim vitam depingere statui, sed ex mutationis crebræ memoria, ad sui cognitionem horroremque carceris sui mentem alioquin nimis tepidam provocare. Nec dixerim, nulli ad ætiologiam obnoxius, cum mea mihi sufficiat intentio. Nec alicui alteri homini hunc Nepiachum scripsi: sed mihi soli: talem quoq; qui mea voluntate, dum vivo, non debeat publicari. Quod si secus actum fuerit, nihil mea interest, cessabit movens me cum tempore causa. Præmittam huic autem Nepiacho studiorum meorum ætiologiam & opusculorum meorum, quæ rudi quidem, & non satis in semetipso exercitato ingenio diversis temporibus edidi.

Pinax sive indiculus operum meorum, quæ composuisse me per ordinem memini.

Ego Joannes Tritemius patria Mosellanus ex villa Tritenheim, quæ tribus a civitate Treverorum distat miliaribus in descensu Mosellæ fluminis ad sinistram, quam veteres Tripatriam a trino vocavere judicio, sum oriundus, Patre quidem Joanne Paganotoro; Matre vero Elisabeth de Longovico natus. Cum annos complessem ætatis viginti anno dominicæ nativitatis 1482. ad religionem sanctissimi patris Benedicti me contuli: atque in ipsius festo natali habitum sanctæ conversationis accepi in monasterio divi Præsulis Martini, quod Spanheim vulgo nuncupatur, in Diocesi Moguntina, XII. a Treveri, & sex a Moguntiaco miliaribus distante, sub Reverendo patre Domino Joanne de Colnhausen Abbate in ordine Abbatum a fundatione ipsius Cœnobii quarto & vigesimo: in observantia autem Bursveldensium primo. Et sequenti anno in Festo purissimæ Conceptionis beatæ Mariæ semper Virginis professionem feci secundum regulam sancti Patris nostri Benedicti: in qua utinam satisfecerim, faciamque votis, quæ voluntarie distinxerunt labia mea. Ex eo autem tempore, quo primum ad Ordinem veni, nihil unquam mihi dulcius fuit, nihil jocundius, nihil svavius, quam studiis intendere scripturarum, quibus & tempus non inutiliter expenderem, & mentem in cognitionem summi boni, & eorum, quæ scire juvat, sine intermissione pro viribus exercerem. Unde omnes horas, quas mihi de somno, de quiete & de solatio Fratrum subfurari potui, lectionibus & studiis Scripturarum cum maximo fervore deputavi, ita, ut illum me diem perdidisse turpiter crederem, in quo non aliquid utile legendo ex libris sanctis didicissem. Sequente an. in mense Julio die 29. Domino Abbate meo, qui multum delectabatur studio meo, in Selgestat contra voluntatem nostram translato: ego nimium adhuc

Digitized by Google

adhuc juvenis & inexpertus, fratrum meorum electione Abbas in ejus locum constitutus sum, & præfui Monasterio Spanheimensi annis 23. mensibus 2. & diebus 20. in paupertate magna, in laboribus multis, in tribulationibus & amaritudinibus pene continuis. Ordinatus autem Abbas in fervore prioris studii, non solum non minui, neque intermisi, sed potius augmentavi, & continuavi tanto ferventius, quanto jam liberius potui, nemine mihi studendi sedulitatem invidente, siquidem & major necessitas me jam ad studium Scripturarum perurgere videbatur, tum ratione dignitatis assumptæ, in qua necesse jam erat non modo discere, sed etiam docere: tum vero ne propria me ignorantia confunderet coram fratribus meis, quorum aliqui senes, aliqui revera docti & nonnulli etiam scioli videbantur. Ne itaque coram his contra normam curæ pastoralis turpiter obmutescere cogerer, aut ignarus cum verecundia loqui; omne tempus, quod mihi a sollicitudine rei familiaris supererat, studio & lectioni Scripturarum impendi, multasque noctes ingenti fervore studendo peregi insomnis: interdiu etiam legendi studium necessario cibo & somno præferens corporali. Hinc tandem usu & consvetudine factum est, ut omnibus delitiis mundi hujus, atque solatiis hominum carere facile didicerim solo Scripturarum studio, & quæ nascuntur ex illo, meditationibus non minus sanctis, quam utilibus contentus. Nihil enim mihi dulcius, & jocundius fuit unquam, nihil svavius sanctarum scripturarum studio, quo mens & amore & consvetudine delectata, se ipsam cognoscere saltem vel in parte cœpit. Nihil enim, ut quidam ait, homini melius, quam si divina legendo figat ibi mentem, quo sibi vita venit. Et Beatus Hieronymus pulcre ac veraciter dicit: Ama scientiam Scripturarum & carnis vitia non amabis. Scripturas multum semper amavi, & earum scientiam usq; ad invidiam quorundam in vicino rapophagorum sum prosecutus, ex corde paratus omni tempore Abbatiam potius dimittere, quam studium literarum. Erant tamen nihilominus quidam viri boni eruditi, & Deum timentes, qui mihi sedulo persvaderent invidiam æmulorum non timendam. Inter quos præcellebant, Joannes Antecessor meus, tunc Abbas Selgestatten; Conradus Abbas Montis sancti Joannis, vir sanctus & bene doctus; Melchior Abbas in Schonaugia vir certe maturus & doctus. His ac quibusdam aliis adjutus invidiam canum surda aure transivi, quousque tam multorum patrocinio suffultus etiam superavi, & evici penitus: ut visio tabularum ante plures annos verificaretur ostensa.

Quantam Librorum multitudinem comparaverim ad Spanheim in omni facultate.

Maximum a principio librorum patiebar defectum; quo factum est, ut non parum a proposito meo ad tempus retraherer. Licet enim ante tempora fuerint in cœnobio Spanheimensi plures inter Monachos studiosi, & docti, qui multa scribentes non parvam librorum copiam, ut ex eorum monumentis accepimus, comportaverunt: fervore tamen sanctæ religionis cum tempore tepescente, studium sacræ lectionis monachi paulatim contemserunt: quo factum est, ut libros non curantes, negligerent, distraherentque ac venderent. Remanserant autem usque ad reformationem loci, quæ facta fuit anno Domini 1459. vix decem volumina, præter Bibliam, omnia parvæ utilitatis. His antecessor meus 30. volumina impressa conjunxit, & ipsa communia quidem pro faciendis sermonibus ad populum, & istis similia. Quod plura non comparavit, duplex causa extitit: quoniam, & nimia eum paupertas in principio reformationis oppressit, & raritas librorum propter impressoriæ artis novitatem pretium auxit. Ego autem postea successor ejus constitutus per annos 23. cum Deus paululum auxisset mihi substantiam, & multiplicatio impressorum pretium libris minuisset, magnam successive copiam voluminum in omni scientia & facultate, non tantum impressorum formis, sed etiam calamo scriptorum comportavi. Ea namque industria usus sum, qua & multa & rarissima, vetustissimaque volumina tam in pergameno, quam in papirio conscripta monasterio meo cum tempore importavi. Permulta enim Cœnobia nostri Ordinis in diversis provinciis multoties visitavi per annos viginti, omnium Bibliothecas perlustravi: & ubicunque aliquid, quod prius non haberem, repperi duplicatum, id alterum mihi dato pretio vel aliquod volumen aliud impressum, quale postulassent inventi possessores, comparans in recompensam, ut contingeret, agebam. Multa pretiosa, & optandæ lectionis volumina in papiro simul, ac in pergameno scripta per hunc modum, non solum in nostro, sed in aliquibus etiam aliis Ordinibus commutando accepi. Sæpius etiam contigit in diversis monasteriis, & Ordinibus, ut multa essent rescripta volumina in Astronomia, in Musica, in Mathematica, in Philosophia, in Poësi, in Oratoria, in Historiis, in Medicinis & in Artibus, quæ ipsi boni patres, qui possidebant, aut non intelligebant, aut metuentes eorum præsentia sanctam violari observantiam me rogabant, quatenus omnia illa mihi tollerem, & eis alia quædam impressa, quæ magis optassent, in recompensam redderem. Quod statim non invitus, ut rogabar, facere consvevi. Comportavi itaque per hos viginti tres annos ad Bibliothecam Spanheimensem non sine magno labore & multis impensis, maxima usus diligentia, circiter duo millia volumina tam scripta, quam impressa, in omni facultate, & scientia, quæ inter Chrianos habetur in usu. Nec vidi in tota Germania, neque esse audivi tam raram, tamque mirandam Bibliothecam, licet plures viderim, in qua sit librorum tanta copia non vulgarium, neque communium, sed rarorum, abditorum, secretorum mirandorumque, & talium, quales alibi vix reperiantur. In lingua etiam Græca multa volumina tam scripta, quam impressa feci mihi ex Italia afferri, quoniam & eorum mihi lectio a multis jam annis non minus jocunda,

Digitized by Google

jocunda, quam necessaria fuit. Sed Græcorum codicum numerus centenarium, ut puto, non excedit. Comparavi etiam in Hebraica lingua Bibliam, & quædam alia volumina, quoniam & aliquando ejus studiosus eram. Exposui autem pro libris ad Bibliothecam [exceptis illis, quos feci rescribi per Fratres & alios non paucos,] pecuniam plusquam quingentorum, & mille florenorum. Quæ summa etsi divitibus parva non immerito videatur, mihi tamen pro mea paupertate, quasi maxima & bene intolerabilis fuit. Amori tamen meo, & studio in Scripturas sanctas propter inopiam Monasterii, & librorum in omni varietate multitudinem, qui impressoria jam arte in omnem diffusa terram multipliciter dietim profunduntur in lucem, nequaquam satisfacere potui. Confiteor intemperatum ad studium, & libros amorem meum, quo nunquam cessare vel altero saltem fatigari potui, quo minus animum secutus meum, quicquid in mundo scibile est, scire semper cupiebam: & libros omnes, quos vidissem vel audivissem formis excussas, quantumlibet etiam pueriles, aut inconcinnos, habere ac legere pro summis deliciis computabam. Sed non erat in mea facultate satisfacere, ut voluissem desiderio: propterea quod vita brevis, & ingenium tenue, tam multa, tam varia, tamque profunda diversarum scientiarum mysteria comprehendere nullatenus queat: defuerint etiam semper pecuniæ ad necessitatem, quanto magis ad librorum voluptatem comparandam. Feci tamen in utroque semper, quod potui: qui si nimius fui: creator omnipotens parce: qui hominem ab initio rectum fecisti: ipse autem infinitis se immiscuit quæstionibus.

Apologia pro memet ipso contra eos, qui me magicis artibus operam dedisse existimant.

Nec sum nescius quosdam esse, qui me calumniantur injuste, Deus scit, quasi malis artibus, & necromanticis vanitatibus, ne dicam maleficiis, animum deturpaverim. Multus enim & magnus de me rumor apud plures exivit, nescio quibus occasionibus, quod sciam, fecerimque miranda per nescio quas artes, aut quorum ministerio Spirituum, suscitaverim mortuos, recuperaverim furta, prædixerim futura, ostenderimque mirabilia: quæ omnia conficta sunt, & falsa, nec in mea voluntate fuit unquam nec in potestate talium fatuitatum operatio, vel ostensio. Necessarium tamen ratus his obviare mendaciis, brevem hic mei defensionem posteritati relinquo: ne forsitan aliter de me feratur opinio, quam sese veritas habet. Sum enim fidelis Christianus, in fide nutritus catholica: cum sancta in omnibus, quæ sunt fidei, sentiens Romana Ecclesia, sum Presbyter, & Monachus, minister Jesu Christi, nulla mihi commercia cum artibus malis, nulla cum dæmonibus unquam societas, seu pactio fuit. Deum in trinitate personarum unum adoro, ipsum timeo, ipsum colo, ad ejus participationem gloriæ venire post hanc vitam cupio, spero & confido. Si quæ novi, si quæ scio, si quæ feci, quæ non capientes mirantur, non dæmonum sunt opera, sed naturæ, sed industriæ, sed speculationis philosophicæ. Qui enim facit, quod nemo; mirantur omnes: sed accipe rationem, ne plus, quam oportet, mireris. Eo tempore, quo Maximilianus Rex Romanorum magnum illum diuturnumque conventum Principum suorum coadunavit in Vormacia, venit ad me in Spanheim ex Francia nomine meo excitatus, ut dicebat, Libanius Gallus vir in omni doctrina celebris institutionis, & non minus fide Christiana morumque sanctitate, quam eruditione venerabilis. Hic aliquandiu cum Pelagio illo Monacho & Heremita in insula Majorica conversatus omnium Librorum ejus, mortuo illo, factus est hæres, & multa ab eo didicit arcana in Philosophia, in fide Christiana, de natura Spirituum bonorum & malorum, & de naturæ mysteriis, & alia multa, quæ non sunt passim vulgaria in Scholis hominum istius tempestatis. Iste, inquam, Libanius vir certe undecunque doctissimus, cernens mei dispositionem animi, & indefessum Studiorum affectum, congaudens dicebat mihi: Tritemium quæsivi & inveni, quem Minerva suo est dignata cognomine insigniri, dignumque facere, quem nihil debeat eorum latere, quæ nos cum labore magno primum a Pelagio ac deinde a Joanne Pico Mirandulano Comite, aliisque multis per annos triginta capere potuimus. Incipiens itaque, de Majestate naturæ, de Sapientia occultisq; Philosophiæ multa disputavit, multa legit, multaque interpretatus est, quæ mihi prius erant incognita: quorum principiis utcunque intellectis primum sapere mihi visus sum, quæ sit differentia inter magiam naturalem, quæ docet facere opera mirabilia, ut Picus ait, mediantibus virtutibus naturalibus per applicationem earum ad invicem, & ad sua passa naturalia: quam nunquam damnavit Ecclesia: & illam, quam spirituum malignorum fieri cooperatione dubium non est: sive necromantia in mortuorum cadaveribus, sive piromantia, sive dæmonum invocatione exorcistica, sive erotica seu quolibet alio nuncupetur vocabulo: & hanc perniciosam pestiferamque magiam cum omnibus speciebus suis, quæ sunt, necromantia, piromantia, aeromantia, idromantia, geomantia, chiromantia, aruspicium, augurium, auspicium, pedomantia, orincomantia, sortilegium, eromantia, maleficium, cujus etiam multæ sunt species. Omnes istæ dæmonum artes ab Ecclesia sancta Catholica damnatæ sunt: & earum usus omnibus christianis est interdictus illicitus ac prohibitus: quanquam geomantia & chiromantia in parte, non in toto, videantur a plerisque tolerandæ, earumque temperatus usus nonnunquam pro exercitio, & recreatione potius, quam veritate plerisq; est non ubique dissimulandus. Præstigium vero cum sit multiplex, una non poterit sententia comprehendi. Est enim præstigium, quod fit arte diabolica, & malignorum cooperatione spirituum: & hoc ab Ecclesia sancta non est tolerandum. Est & præstigium malæ & perversæ crudelitatis: quod fit verbis, carminibus, incanta-

Digitized by Google

incantationibus aut rebus, per modum tamen ſuperſtitioſum & malum. Eſt præſtigium deceptionis, quo circumcelliones iſti utuntur, quos vocant joculatores, & hoc ipſum non eſt unum, ſed varium, & multiplex. Eſt ultimo præſtigium naturale, quod ſolum ad Magiam pertinet naturalem: quando per applicationem naturalis virtutis occultam mirandi producuntur a ſcientibus effectus: quorum cauſas neſciunt, qui mirantur. De omnibus magicæ damnatæ prædictis ſpeciebus multa extant diverſorum volumina, quæ habere, & aliquando cum neceſſe fuerit pro reprobatione malarum artium legere, ſicut bonis doctisque viris & caſtis mentibus non obeſt, ita indoctis & carnalibus hominibus, & habere ea non licet, & legiſſe procul dubio nocet. Magiam autem naturalem, quam Picus Mirandula, neque damnatam ab Eccleſia unquam fuiſſe, neque poſſe damnari ſcribit, multi Eccleſiaſtici viri doctiſſimi approbaverunt, & ſecuti ſunt. Inter quos magnus ille Albertus noſter, vir ſuo tempore celeberrimus atque doctiſſimus, usque adeo magiam naturalem, id eſt, ſapientiam naturæ proſecutus eſt, ut propter mirandam ſcientiam naturalium occultarum virtutum in vulgi ſuſpitionem venerit usque in diem præſentem: homo ſane rectus, pius atque ſanctiſſimus, qui damnatam illam ab Eccleſia magiam ut animæ peſtem ſemper expugnare, explodere & deteſtari conſuevit. Eſt autem hoc vocabulum Magia Perſicum, & Latine dicitur Sapientia: inde Magi dicuntur ſapientes, quales fuerunt illi tres viri, qui juxta Evangelium natum in carne Dei filium ab oriente venientes in cunabulis adorarunt. Cum quibus me philomagum appellari non pudet: quoniam amator ſum ſapientiæ divinæ, humanæ ac naturalis. Hæc eſt magia mea, quam ſequor: alteram vero, quæ ſuperſtitioſa, diabolica, & ab Eccleſia ſancta jure damnata, nulli fidelium eſt licita, execro, abhorreo, deſpicio penitus, cum ſuis autoribus condemno. Quisquis aliter de me ſentit, quisquis alterius mihi crimen magiæ imponit, quisquis ſuperſtitioſum me, aut malis artibus deditum credit; injuriam mihi coram Deo, & angelis, & hominibus facit, contumeliam ſtruit, mendacium dicit. Reliquum eſt, ut me conſoletur conſcientia mea, quæ horum ſe ſcelerum novit contagione innoxiam.

Quo tempore, & qua cauſa vel intentione me primo contulerim ad ſcribendum.

Cum ſtudio Scripturarum vehementiſſimo, ut ſupra dictum eſt, amore inſiſterem, & mihi paulatim libros comparaſſem neceſſarios, quotquot habere potui; legeremque diligentiſſime comparatos die ac nocte, quotiescunque tempus mihi dabatur & otium, tandem anno Domini 1484. in die Sancti Matthæi Apoſtoli & Evangeliſtæ, cum annum ætatis agerem 23. primum me contuli ad ſcribendum rudis adhuc & ſatis indigeſtus ſcriptor, non eo quidem tunc animo, quod me alicui crederem meis lucubrationibus profuturum; ſed ut mihi vel ſoli conſulens proficerem, dum Sanctorum Patrum ſententias de occurrente materia in unum corpus, veluti pulcherrimos lapides ad ſtructuram, ineptus magiſter non ſatis ornate comportans, pro virili mea redigerem, quo ſemper in promptu haberem de qualibet virtute aut vitio, quod Fratribus meis verbum exhortationis proponerem. Cœpi itaque primo nudas Patrum ſententias breviores, juxta materiæ ordinem, tanquam lapides ædificii alicujus futuri comportare; ſed cum iſta continuatio, quaſi murus ſine cæmento diſtorta, & nulla æqualitate videretur ſurſum erecta, cæmentum meorum quoque verborum cœpi interponere, & ad inſtar novi artificis murum æquata jam ſuperficie continuare. Hinc tempore uſuque factum eſt, ut in dictando ſucceſſive proficerem & componere orationes primo, poſtea etiam tractatus pro mea devotione abſque crebra allegatione Doctorum inciperem: quanquam nihil a me dici queat, quod melius ab illis antea non ſit dictum. Profuit mihi tamen iſta puerilis occupatio: in qua non ſolum ductu præceptorum, ſed imitatione quoque & longa conſuetudine pro meo ſum modulo exercitatus, Eloquentiam non quæſivi, nec ornatum ſermonis nitidum curavi; propterea quod Monachus clauſtralibus ſcribere ſimplicibus, non eruditis ſtatui, & animas ædificare potius, quam mulcere auditum legentium principaliter optavi. Prima autem, quæ ſcripſi *opuſcula*, ut rudes & informes partus ignibus tradidi, poſteaquam aliquantulum politiores jam edere didici. Erant autem de his, quæ ſtatum & profectum concernunt Monachorum. Cætera vero, quæ duxi reſervanda, inferius conſignavi: quamvis & ipſa non omnia ſatis mihi expolita videantur. Sed cum otium nactus oportunum fuero, ut in lucem edantur, curabo.

Opuſculorum, & Lucubrationum mearum pinax, quas ſcripſi Abbas Spanhemenſis.

Subjungam nunc indiculum mearum Lucubrationum, quas edidi toto illo tempore trium & viginti annorum, quibus fui Abbas monaſterii divi Martini in Spanheim, quanquam, ſicut dictum, non omnes adhuc taliter ſint editæ, ut prodire in Lucem debeant. Emendari poterunt aliquando, ſi vitam prolongaverit omnipotens, dederitque otium cum oportunitate optatum. Hæc ſunt ergo ſecundum ordinem opuſcula mea.

In primis ſcripſi ex dictis ſanctorum Patrum de vitiis & virtutibus unam ſummam in duobus libris, quæ ſic incipit. Magna virtus animæ eſt: & hoc opus nec dum in Lucem editum eſt. Item de temptationibus Monachorum, ſive clauſtralium ſcripſi duos Libros ad inſtantiam Joannis Damii Curtenſii Agrippinatis tunc ſervitoris mei, quod ſic incipit: Humanum genus. Hoc opus nondum eſt publicatum.

Item in Regulam Sancti Patris noſtri Benedicti ſcripſi libros duos nondum publicatos, & manet opus imperfectum in aliis duobus libris. Hoc opus ſic incipit. Venite filii, audite me.

Item

Item Exhortationem ad Monachos scripsi libros duos, necdum in Lucem datos: & hoc opus sic incipit. Militiæ convenit Christianæ.

Item de hujus vitæ miseria scripsi librum unum ad instantiam cujusdam amici: in quo magis ad mundi contemptum nitor persuadere legenti. Hoc opus impressione publicatum est, incipitque: Cum nihil sit vita.

Item contra vitium Proprietatis Monachorum scripsi librum unum, qui est impressus & incipit: Omnes ad vitam æternam.

Item scripsi chronicon Cœnobii Spanheimensis, cui tunc præfui, opus magnum & multarum vigiliarum, atque laborum, in cujus editione per annos duodecim desudavi, interpositis tamen vicibus. Omnium successiones Abbatum a fundatione ejus usque ad me, & gesta eorundem diligentissime perscripsi, multa per digressum in Germania facta interserens, perducens historiam usque ad annum Dominicæ Nativitatis millesimum quingentesimum secundum.

Scripsi etiam libellum unum de modo & forma visitandi claustrales, qui est impressus, & sic incipit: Fratres tuos visitabis.

Item scripsi librum unum de modo & forma celebrandi provinciale Capitulum, qui jussu præsidentium est impressus, & incipit sic: Quoniam in celebrandis capitulis.

Item Statuta ejusdem Capituli jussu Præsidentium abbreviavi, & in unum libellum redegi, qui est impressus & sic incipit: Quoniam volenti singula.

Item Statuta annalia capituli similiter in unum libellum jussu Patrum redegi, qui Coloniæ habetur apud Sanctum Martinum, & in Spanheim, nec dum publicatus est, jussu Præsidentium ipsius Capituli annalis. Hoc opus sic incipit: Reverendis in Christo.

Item de modo celebrandi ipsum annale capitulum scripsi Libellum unum; petente Domino Joanne Abbate Bursveldense; quod opusculum sic incipit: Reverendo in Christo patri D. J.

Item scribere cœpi, ad instantiam Domini Blasii Abbatis Hirsaugiensis, chronica cœnobii sui, opus magnum, & plenum laboribus, & majorem jam partem complevi fere in quinquaginta quaternionibus: sed quia Blasius amicus noster mortuus est, & iste Pharao ignorat Joseph, nescio, an perficiam opus.

Item scripsi ad instantiam memorati Abbatis Blasii Hirsaugiensis de ruina Ordinis nostri libellum unum penticum, id est, lamentabilem, qui ex Patrum statuto legitur ad mensam in Capitulo Provinciali, estque impressus, & incipit: Cum ordinis nostri.

Item de laude scriptorum scripsi libellum unum, qui est impressus ad petitionem Domini Gerlacii Abbatis Tuitiensis, quo Fratres suos ad scribendum more veterum incitari cupiebat. Hoc opus sic incipit: Venerabili Patri Domino G.

Item de origine, progressu & laudibus Ordinis Fratrum Carmelitarum scripsi libros duos, qui sunt impressi ad instantiam Joannis Lapicidæ Prioris, & Jacobi Cubel Lectoris ejusdem Ordinis in Crutzennach. Hoc opus sic incipit: Precibus & instantia Venerabilium.

Item de laudibus sanctissimæ matris Annæ, aviæ Domini nostri Jesu Christi scripsi librum unum, qui est impressus ad instantiam Domini Rumoldi Prioris Carmelitarum Franckfordiæ super Moganum. Hoc opus habetur a multis, & sic incipit: Voti compellit necessitas.

Item de Institutione vitæ sacerdotalis ad Nicolaum Presbyterum Merincensem scripsi librum unum, qui est impressus, & placet multis. Hoc opus sic incipit: Petis a me, Nicolae frater.

Item ad Joannem Dalburgium Episcopum Vormaciensem scripsi opus magnum & laboriosum; quod de Scriptoribus Ecclesiasticis prænotavi, in quo a tempore Apostolorum usque ad annos Domini nostri Jesu Christi 1494. omnes viros illustres, qui aliquid scripsissent utile Christianis, quotquot invenire potui, diligenter secundum ordinem temporum, quibus vixerunt, conscripsi nomina, patriam, dignitatem, ordinem, gradum, studium & libros unius cujusque consignans. Hoc opus impressum, habetur a multis & sic incipit: Multorum sæpe instantia rogatus.

Item Jacobo Uuimpfelingo Sletstattense postulante scripsi aliud opusculum de his Scriptoribus, qui in Germania duntaxat floruerunt: in quo plures sunt, qui in majori Cathalogo Scriptorum non habentur, & prænotavi hoc opus, Cathalogum de Luminaribus Germaniæ, sive illustrium virorum Germaniæ. Hoc quoque opus dudum impressione multiplicatum est, & sic incipit: Quoniam sunt nonnulli.

Item de Computo Ecclesiastico scripsi Librum unum ad instantiam Fratris Alberti Latronis Guardiani Ordinis Minorum, qui non est publicatus & incipit: Joannes Trithemius Abbas.

Item scripsi de viris illustribus Ordinis mei Sancti Benedicti libros quatuor; quorum primus agit de initio, & processu Ordinis, laudes ejus complectens in genere; Secundus continet Sanctos ejus ex ordine canonizatos; Tertius continet Romanos Pontifices, Cardinales, Archiepiscopos, & Episcopos ex Ordine assumptos; Quartus continet viros Ordinis illustres, qui scriptis & Lucubrationibus suis non minus Ecclesiam, quam Ordinem nostrum magnifice illustrarunt. Hoc opus adhuc paucis communicavi amicis, nec est impressum. Incipit autem: Cogitanti mihi ac crebrius.

Item mandato Præsidentium Capituli nostri annalis scripsi de triplici regione Claustralium libros tres. Hoc est de Monachis incipientibus, proficientibus atque perfectis, quod opus impensis ipsius Capituli impressum est, & sic incipit: Cum vitæ monasticæ statum.

Item eodem imperio compulsus scripsi de Spirituali exercitio Monachorum, quod opus cum præscripto volumine coimpressum est, & sic incipit: Quoniam opusculum de triplici regione.

Item ad instantiam Domini Joannis Abbatis Burtzveldensis prædictum exercitium Monachorum abbreviavi: quod opusculum cum præscriptis est impressum, cujus initium: Et si formula spi.

Item ad instantiam cujusdam Principis *(a)* cœpi scribere magnum illud arduumque opus Steganographiæ, quod octo libris foret terminandum. Complevi autem duos, & tertium inchoavi, *(b)* incertus, si reliquos edere debeam: quoniam & maximos requirit laborem, sudorem, vigiliam, industriamque: & propter inaudita hactenus mirabilia, quæ docentur in ipsis (quanquam omnia sint pure naturalia & sine ministerio cujuscunque superstitionis) verendum mihi est, ne ab his, qui tanta mysteria minime capiunt, in suspicionem alicujus malæ artis traherer. Sum ergo de consumatione dubius: eritque forsan mihi expediens, quod hæc mirabilia per me inventa mecum moriantur & sepeliantur; ne mortuus etiam a non intelligentibus, aut temeritatis, aut superstitionis arguar, quamvis injuste. Hoc opus sic incipit: Antiquissimos sapientes, quos Græco sermone Philosophos app.

Item scripsi aliud opus mirabile, & laboriosum quod γλωττευφορίαν, id est, Linguæ fertilitatem, *(c)* prænotare mihi placuit, quoniam per ipsum homo Latinæ Linguæ penitus ignarus, modo literas formare sciat,

Aaa aaa

(a) Philippi Palatini Electoris: ita annotatum alia manu. *(b)* Margini alia manu adscribitur: Credo esse in Suburbani Arg. Carthusii Bibl. *(c)* De hoc Trithem. Ep. 23. lib. 1. ubi vocat partem suæ Steganographiæ.

d by Google

ſciat, in una hora cum Deo & bona conſcientia diſcet unum occultum modum, quo latine congrue & ornate poterit ſcribere, quicquid voluerit in quocunque negocio mundi. Hoc opus adhuc nulli communicavi, niſi M. Regi, *(d)* Euripono & Adelpho. (*e*) Incipit autem. Clementiſſimo Principi D.

Item ſcripſi ad inſtantiam Udalrici dicti Kreidwyſs de Eslingen Doctoris Theologiæ, & Canonici majoris Eccleſiæ Colonienſis librum unum de certis quæſtionibus Græcis in Evangelio Joannis, vitio ſcriptorum depravatis. Hoc opus ſic incipit. Crebris amicorum precibus pulſor.

Item ſcripſi ad eundem de quibuſdam Pſalterii dubiis librum ſimiliter unum, qui ſic incipit: Cum aliquando ad Coloniam pro quibuſdam.

Item ſcripſi ad inſtantiam quarundam Sanctimonialium de inſtitutione virginitatis librum unum, qui ſic incipit: Sancta virginitas, quæ virginis dicatur filio, tot habet timere pericula, quod vita momentis præſens rotatur.

Item de continentia viduali ſcripſi alium, & de inſtitutione vitæ conjugalis: quorum exordia jam memoriæ non occurrunt.

Item ſereniſſimo Principe Domino Philippo Comite Palatino Rheni, ac Bavariæ duce jubente, ſcripſi Chronicon breve, ſucceſſiones Ducum Bavariæ complectens a Carolo Magno uſque ad iſtos, qui hodie vivunt; cujus exordii non ſum memor.

Item Reverendiſſimo Domino Archi-Epiſcopo Moguntino Bertoldo jubente ſcripſi de Crucibus, quæ in lineis veſtibus hominum noſtro apparuerunt tempore in diverſis locis, quid protendant, futurum ſignificantes. Hoc opus ſic incipit: Cruces in veſtimentis hominum apparuiſſe frequenter.

Item ſcripſi pro mea devotione Curſum ad ſeptem horas Canonicas de ſanctiſſima avia Chriſti Anna, inſtar curſuum intemeratæ ſemper Virginis Mariæ cum hymnis, antiphonis, reſponſoriis atque collectis, qui incipit: Deus in adjuto.

Item ſcripſi & Roſarium de ſancta Anna cum ſalutatione, quæ incipit: Ave Dei genitricis.

Multas etiam alias Supplicationes, vel Orationes ſcripſi. Roſaria quoque de diverſis ſanctis, pro devotione illorum, qui inſtabant.

Item de miſeria Prælatorum clauſtralium ſcripſi unum opus non parvum ad Macharium Abbatem Limpurgenſem: quod nec dum edidi in Lucem. Incipit autem: Ut de miſeria Prælatorum.

Item Orationes in Capitulis Ordinis Provincialibus, & annalibus multas a me prius editas dixi: Similiter & in aliis locis, quarum certum habere numerum hac vice nequeo.

Inter quas una eſt, quam librum de duodecim excidiis ſanctæ religionis prænotari placuit, in Reinartzborn habita, quoniam prolixa eſt.

Item ſcripſi, & quædam alia parva opuſcula de laudibus quorundam ſanctorum, quæ cum adhuc non ſatis emendata mihi videantur, ea recenſere ſuperfluum duxi, quouſque ſi Deo placuerit, in lucem aliquando edantur.

Item Epiſtolas multas ad diverſos his 23 annis ſcripſi, quarum utiliores judicio meo in uno volumine ſcriptas comportavi: quod ſic incipit: Petitis, ut copias Epiſtolarum.

Item ſcripſi etiam de ſancta Anna Sequentias duas, quarum altera in ejus feſtivitate cantatur a multis ſub melodia illius de Aſſumptione ſanctæ Mariæ: altera non reſpicit feſtum, ſed commemorationem Scribarum Cancellariæ Treverenſis. Compoſui ſub melodia illius de beata Virgine, quam Franco compoſuit Scholaſticus: Ave præclara. Prior autem ſic incipit: Exultent in hac die cuncti famulantes Domino: Hodie cœlorum Annæ ſacræ ſecunda incipit: Jeſu cœlorum Regis ſanctam laudamus aviam devotis carminibus Annam. Omni laud.

Item ſcripſi & de ſancta Hildegarde Virgine unam Sequentiam, quæ ſic incipit: laus ſit tibi Domine, Rex æternæ gloriæ, Jeſu, corona virginum. De ſancto Ruberto Duce Bingionum ſimiliter Sequentiam unam, & totum Officium Miſſæ ad inſtantiam Dominæ Gudæ Spechtin, Abbatiſſæ Monaſterii ejus, quod circa Bingen eſt.

Et de multis quidem ſanctis ex rogatu miniſtrorum eorundem collectas ſecretas, & complendas feci pro eorum devotione.

Hæc ſunt commemorata opuſcula mea, quæ me ex eo tempore, quo Abbas fui in Spanheim per 23 annos ſcripſiſſe jam memini, quæ partim perfecta ſunt, partim imperfecta remanſerunt propter multas & continuas occupationes meas, cum in re familiari, tum etiam in viſitandis Monaſteriis Ordinis noſtri, quibus multo tempore in diverſis provinciis nimium fui occupatus. Unde non potui in omnibus ſatisfacere neque meo deſiderio, neque petitionibus amicorum meorum.

De cæteris opuſculis meis poſtea ſcriptis in Abbatia ſancti Jacobi prope Herbipolim.

Cum anno Domini 1506. ætatis autem meæ 45 multis rationibus inductus priorem Abbatiam meam Spanheimenſem infructuoſis plenam laboribus reſignare decreviſſem, obtulit ſe, diſpoſitione divina, ut reor, oportunitas, qua in meam, cui nunc præfectus ſum, Abbatiam ſancti Jacobi in Herbipolenſium ſuburbio poſtularer. Quæ etſi pauperior videatur priore, non magnifacio, cum ſit eadem ratione quietior, & meo plus conveniens inſtituto, qui malo pauper & abjectus Chriſti, & ſanctarum Scripturarum amore latere in angulo, quam multas poſſidere divitias cum mala inquietudine mentis. Si quid ergo inantea ſcribere mihi per otium, ut ſpero, licuerit, conſequenter per ordinem conſignare curabo.

Et primo quidem ſcripſi in Abbatia ſancti Jacobi majoris: de Laudibus divi Joſeph, nutricii Domini & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti librum unum ſatis prolixum in viginti capitula diſtinctum. Quod opus ſic incipit: Magno ſæpe deſiderio ſtatui. Dicavi autem hoc opuſculum Chriſtophoro Friderico de Reddwitz Bambergenſis Eccleſiæ majoris Canonico.

Huic opuſculo ſubjunxi Roſarium unum de ipſo nutricio Chriſti ſanctiſſimo Joſeph.

Orationes quoque ſupplicatorias de eodem compoſui tres pro excitanda devotione mea.

Item Officium miſſæ ſecundum conſuetudinem noſtram ordinavi, cui & Sequentiam conjunxi ſub melodia, concentu puerili cantandam, quæ ſic incipit: Cantemus incliti laudes. Item ſcripſi ad propoſitam mihi quæſtionem per Dominum Burckardum de Horneck Medicinæ Doctorem contra Simoniam, & peculium quarundam Monialium tractatum unum, qui ſic incipit: Eſt cœnobium quoddam mo.

Item ſcripſi primo anno Abbatiæ meæ apud ſanctum Jacobum Epiſtolarum familiarium libros duos, quorum primus continet epiſtolas ultimi anni Abbatiæ meæ Spanhemiens numero 78. qui ſic incipit. Oportune ſatis admonuiſti frater. Secundus vero continet epiſtolas primi anni Abbatiæ meæ ſancti Jacobi Herbipolenſis numero 60. & incipit: Ut pleno fraternitatis.

Item ſcripſi eodem anno, qui fuit Dominicæ nativitatis M. D. VII. opus laborioſum in ſex libros diviſum ad Joachim Marchionem Brandenburgenſem Principem Electorem, quod Polygraphiam prænotavi, & incipit: Legimus complures veterum ſapientes Reges Principes &c.

Reliqua non addidit Trithemius.

(*d*) Puto Maximiliano Regi. Et alia manu margini eſt adſcriptum: Erit ergo in Bibliotheca forte Cæſarea. (*e*) Fratrem videtur intelligere Jacobum Trithemium.

Digitized by Google

XIV. PROPHETIÆ SATYRICÆ IN PAPAS ALIQVOT SECVLI XIII. & XIV.

I.

AScende calve, ne amplius declinatus, qui non volens decalvare sponsam, ut comam in se nutriat, valde pasce columbam, granis purissimis, a fera pessima conculcandam. Sed cave, ne fatua pietate delusus grana infecta, quibus ursam pascis, columbæ propries, ne tali cibo infecta graviter infirmetur tarde & difficili curatura.

Stellas congregabat, ut luceat in firmamento cæli.

Dominus Johannes Gayethanus, dictus Papa Nicolaus tertius.

II.

Post lunam ascendit Mars sitiens sanguinem baptismalem, ascendit de turri ad altissimum solum solis, quæ solem clarissimum offuciabit cum lilio & cruce aquilam cruciabit. Non ædificabis in templum, quia vir sanguinum & zelo immoderato nutrice simulata, denegans & dissipans superflua, solum cohortans, pacem devorans universam.

Clavibus claudet & non aperiet.

Dominus Simon Canonicus Turonus, dictus Papa Martinus.

III.

Accipe supplantatoris excelsos honores, arbor inutilis & infructuosa; quid cogitas te futurum, magne, cum sis mente & corde debilis; implere, quæ cogitas, non valebis, quia modicum cito dormies & non surges.

Duros corporis sustinebis dolores.

Dominus Jacobus de Sabello, dictus Papa Honorius.

IV.

A minimo usque ad maximum gradum abscondidisti miser, & de stellato cœlo regnans planeta descendisti in baratrum unitatis, primam vindictam relinquens. Heu heu imprudens & inutilis Princeps, qui es tantum terra, vermis nutrimentum, occupans enim terram benedictionis non cogitas tua in parte negligentiam perdituram; cum hoc audis inremediabiliter luge. Erit tunc tribulatio, qualis non fuit ab initio usque tertio cadrante: at subito morieris in Babylone vir mortis. Sed aliqua bona inventa sunt in te. Cede igitur majori & meliori, quia Dominus transtulit regnum tuum, movente commotione, & commotione ignis devorans universa.

Omnes bibent de calice iræ Dei.

Frater Hieronymus ordinis Minorum, dictus Papa Nicolaus quartus.

V.

Benedictus, qui venit in nomine Domini cœlestium contemplator, qui simplex eductus de terra tenebrosa ascendit & descendit. Falsa lex gemina & vulpina ipsius vocabitur Principatus & tribulatus, pœna morietur. O quantum dolet sponsa de casu sponsi legitimi ad devorandum leoni traditura. Cur o simplex homo, sponsam dimittis canis latratibus tribulandam; cogita tuam. Prima opera fac, ut reperiatur in partibus Orientis.

Voce vulpina prodet principatus.

Frater Petrus de Murcono, dictus Papa Celestinus quintus.

VI.

Ecce homo de citaristis, progenie occulta principium habens, quo Augustus ruit, Nero mente regnans, moriens desolatus. Abbreviabuntur ejus dies illi, qui totum mundum, tyrannus terribilis, conturbatur. Gallinus ferit aquilam, columbæ mirantur, Gallus & aquilæ ejus superfluam aufferunt potestatem. Columba omnino timebit, ramum olivæ portans, in petræ foraminibus nidificans, ejus securitas est in angulo testamenti; quid enim affectas Babylonicum principatum, qui obtinere non potes; contra justum insurget, & ipsum in vinculis alligabit.

Fraudulenter intrasti, potenter regnasti, regnans morieris.

Dominus Benedictus, dictus Papa Bonifacius.

VII.

Hæc est avis, corde niger, Neronis opera dissipans subito morietur. Cum in terra pretiosa enim videbis fructum pulcrum, & ad vescendum suavem, tunc cave quæcunque comedens & moriens; serpentem nutriet in gremium, qui sibi mortis initium monstrabit.

Viri fortis invidia orbabimur.

Fuit Nicolaus, ordinis Prædicatorum, dictus Benedictus Papa undecimus.

VIII.

Vide, hic mulieris babylonicæ sponsum fugientem, suam sibi abominabilem sponsam viduatam relinquens, habens nomen dissonum; crudelis, injustus & immundus, virtute carens, adspectans vanitatem immoderate, relaxans claves, cursorum gladios congregans & corrumpens, lucidissima stella perdet fulgere contra solem, tenebrosum finaliter pro natura humana prosequetur. In Ariete corruet & excelsa obscurabit.

Mobilis & immobilis fiet, & maria plura vastabit.

Dominus Bernhardus Guasto, dictus Papa Clemens quintus.

IX.

De infimo genere ascendit tiarata bestia prima & novissima, quæ filium minimum & innoxium cru-

crudeliter devorabit. Unges & parcere non invenies ad innoxium sanguinem effundendum. Idciro tempore tuo furget pseudo-propheta, seducet multos, quia invenerunt, & mala tua agnoverunt. Mitissimus plagis & crudelissimus vulneranti, ponens os tuum in Christum Dominum meum, offuscans stellas cœli, malitia tibi exitum monstrabit, qui es solo nomine gloriosus.

Contra columbam hic imago turpissima clericorum pugnabit.

Dominus Johannes de Ossa, dictus Papa Johannes vicesimus secundus.

X.

De suburbanis montuosis & solidis, de candida vir ascendit, actus faciens singulares, stellas in parte lucidabit & obscurabit, sed excelsa non auferet, quæ prædicta bestia construxit, sed remanebit agnus graviter vulneratus; pauca sparget & multa aggregabit, egenus morietur, & propria sepultura carebit, corvum persequetur, columba regnabit, totus clerus sponsas multas viduatas relinquet.

Sex planetas lucidabit, & unus finaliter ejus fulgorem excedet.

Jacobus de Furo, dictus Papa Benedictus duodecimus. XI.

Alta scandet, duplici benedictione præventus, amator crucifixi, cultor pacis, altus ingenio, veruntamen quæ cogitabit, non implebit; alta convenient, summa sublimabit, & tunc ea vespera volubilis, ut magnitudine impediatur a vento aquilonis; in tribulatione te defende cum cruce.

Stolam suam in sanguine agni dealbabit.

Dominus Petrus Rogerii, dictus Papa Clemens sextus. XII.

Ad honores duplices ascendet homo iste veniens de centro nebuloso, concedens discordianti, lunam renovans, novaculam in manu gestans ad superflua exstirpanda, carnes comedit assas & bibet vinum, pauper ingrediens, alta considerans, infimus condescendens.

Habitabit lupus cum agno, & pariter cibabuntur.

Dominus Guilielmus, alias Stephanus de Claromonte, dictus Papa Innocentius sextus.

XIII.

Ad alta vocaris, Princeps mente canus, quid agonizas? surge & esto robustus, interfice Neronem, & eris securus. Sana vulneratum, accipe flagellum, interfice muscas, ejice vendentes de templo decimam, illuminate, assume justam vitam, circumcisos dirige, reprime furibundos.

Iste solus clave aperiet librum scriptum digito Dei.

Dominus Guilielmus de Grisaco, dictus Papa Urbanus quartus.

XIV.

Obscuratum est aurum, est color obryzi, rubigo te consumet, dulce principium invenisti, sed finem turbulentum. Væ primum abiit, & ecce væ secundum, fugiamus a facie ejus, clama in fortitudine. Jam incipiunt ultimi: ha ha. Ubi est Lucifer? quo obierunt stellæ, curramus, & non aspiciamus retro, quia ab aquilone fraudem omnem obsentio.

Surge sta juvans senex, & cave respice ad primum lapidem & ad alium, qui ante te in terra positus est, a Petri clave scientiam potestatis, surge, sede viriliter, mundus te concutiet, & tu inimicos Dei, & post tempus modicum terra sibilis aquæ florum & odorifera putrefiet, & in sanguinem deducetur.

Flores rubei aquam odoriferam stillabunt.

Dominus Petrus Rogerii, dictus Papa Gregorius undecimus:

XV.

Hæc est fera ultima, aspectu terribili, quæ detrahet stellas, tunc fugient aves & volatilia: nil tantum nido remanebit. O fera crudelis universa consumens, infernus te exspectat per tempus, & tempora & dimidium temporis.

Terribilis est, qui resistit tibi.

XVI,

Invitus assumens, sanguis te obfuscabat, quæ cogitas, non explebis, de radice nigri Principis, & assumtus recogita, quæ fecit, fecisti partem, deinceps facies vi, columbam genitam despicis ac sanctos & literatos, non ipsius sponsus factus, miseria te consumet, in senectute nomen devincies, stellas clarescentes non rubiginabis, indignos exaltabis, recogita miser, quia breviter moveris & turbulente vives. Bellorum finis nondum adest, imbecilles & injustos, indignos, Deo placentes tecum habitantes sponsæ desponsabis, manum pones ad impia, quibus sorte Dei privaberis.

XVII.

Crudelis esse soles, si resipueris, te juvabo, stellas errantes tecum habeas, nec ipsas permittas per gyrum cœli vagare. Columba per te nutrietur grano, indignans nutrimento, non aspicias ad mundana. Non effundas sanguinem, ut cœpisti flere consolidabis, equum non ascendes sedens in terra Chaldæorum, bonum finem assequere; infernus te expectat, si columbæ gemitus non auditur, clama, ultra naturam clamat & contra, ejus vox miserabilis cœlos infestat. Amen.

XVIII.

Luna autem feritur, quando sol orietur, & splendor ejus septempliciter erit quasi septem dierum, gaudeamus & exaltemus, quia venerunt in pace agni, & uxores ejus præparant se. Joseph jam benedictus in terram Ægypti vocat fratres suos oppressos fame, quibus proferens convivium magnum præbebat se cum visceribus charitatis naturalis. Jam excisi propter incredulitatem suæ olivæ inseruntur præcisis ramis sterilibus oleastri, & requiescet Daniel cum fratribus suis.

Despiciant in eum, quem transfixerunt.

XIX.

Ascendit Christus Pastor bonus solvere solis solum, quem sequetur sponsa ejus & mater ejus defuncto Joseph viro. Vel alligabis ducem sathanam, per annos millenos amplius; gentes seducat, donec consumentur anni mille, in quibus collaudabunt eum populi. Convertantur gladii in vomeres, & lanceæ in falces ex abundantia pacis.

Et unum ovile & unus pastor.

XX.

Ortus est sol ascendens usque ad meridiem ferventissimum amoris, descenditque usque ad vesperam novissimi erroris, consummatis enim annis mille, solvetur sathanas, ad seducendum gentes Goch & Magoch contra Dominum.

Non invenitur fides super terram.

XXI.

Assurgite mortui, venite ad judicium, unusquisque propriam mercedem accipiet, nam amplius tempus non erit, & ingemiscet omnis creatura, quærens fugam non inveniet a facie furoris Dei nostri Jesu Christi.

Requiescet Dominus in omni opere, quod patravit.

XV. MA-

Digitized by Google

XV.
MAGISTRI VULGERII
VERSUS
IN BONIFACIUM VIII. PAPAM
ET MORES CLERI.

✲ ✲
✲

Papa per antiphrasin pius, Innocuusque vocatur,
Et quod non meruit nomen habere datur;
Impius atque nocens sibi juxta significatum
Esset conveniens & ratione datum.
Vidi sæpe canem Blancardum nomine dici,
Qui corvo fuerat concolor atque pici.
Lucum grammatici dicunt a lumine dici,
Non quia non careat, sed quia non habeat.
Parcas dixerunt, quia parcere non didicerunt,
Noctiferas furias, Atropon, & socias.
Hac ratione pius bene nomen dicitur hujus,
Qui, quoties potuit, terruit & nocuit.
Papæ nuper erat mihi soli janua clausa,
Nunc hominum pariter respuit omne genus.
Solus sustinui per tempora multa pudorem
Nunc illum mecum millia mille ferunt.
Tunc pudor est vehemens, illum cum sustinet unus,
Sed datus in multos est levis & modicus.
Magna sibi præstant solatia compatientes,
Cum se conspiciunt in patiendo pares.
Sic inclusus erit modico non tempore, fallor,
Quodsi nos revocet, non sequeremur eum.
Papa fit inflatus, fugiens fugit ad medicinam,
Mortis ut instantis cupiens vitare ruinam,
Et credens nimio venisse cruore tumorem
Per quemcunque modum quærit vacuare cruorem
De multis stagnis numerosa paratur hiru- }
Quæ saniem sugant hærentes corpore nu- } do
Nuper cara caro nunc est data vermibus il- }
Qui sunt horrendi vulgaribus atque pusil- } lis
Sugitur a multis, qui novit sugere mul- }
Hic poterit casus sapientes reddere stul- } tos
Non plorat Papam Gilbertus, quod moriatur
Sed quia Papa mori differt nimis atque moratur
Non sunt hæ lachrimæ conpuncti pro moriente
Sed madet ex ira pro sano quoque vigente
Quantum defunctum ploravit Roma Neronem,
Tantum per cunctam plorabitur hic regionem,
Parvo supponi, parvo bene sedit Ivoni,
Et dum parva fuit sarcina, sustinuit:
Ut se majorem fuit ausus adire laborem,
Mole gravi crepuit pressus & occubuit.
Dum tenuit Damasum, potuit suspendere casum
Mortis, per scabiem purificans saniem.
Venit ut in mentem, Gallorum subdere gentem,
Non potuit Regem ferre suumque gregem.
Vilis & inclusus graviter nimis inde repulsus,
Fugit in exilium, quo tulit exitium.
Rusticus est stultus qui nullo robore fultus,
Hoc opus aggreditur, quo crepat & teritur.
Nec gens, nec sensus, nec opes, nec copia, census,
Qui sibi non fuerant, hos animos dederint.
Nomine gentilis jacet hic & Consul honore
Formosus, prudens & probus & locuplex;
Nec nomen nec honor nec cætera quæ numeravi,
Hic jacet Ulgerus, qui Præsul nomine solo,
Quicquid dura potest sors dare, sustinuit.
Post res ablatas propria de sede fugatus
Per non nota sibi pauper & exul erat,
Nudus, mendicans, uno comitante fideli
Carceris experiens & famis atque sitis.
Omnibus expositus, qui vellent esse molesti,
Debilis atque senex, ludibrium populi.
Gaudia nulla dies dedit illi, nec loca pacem,
Solamenque tulit nullus amicus ei.
Hospes erat mundi, certa statione carebat;
Patria mundus erat, terraque totaque domus.
Illi viventi * sua cuncta fuerunt,
Quo jacet in tumulo mortuus obtinuit,
Et cui vita dedit reduces invisa labores,
Mors stabilem requiem sæpe rogata dedit.
Illo quo Dominus Gratianum traxit ad astra
Ildebertus homo desinit esse die.
Quo nascente die Deus est ingressus in Orbem,
Hoc Mathæus eum deseruit moriens.
Si geminos patres habuisti quod mihi dicis
Hoc Ferrande probas, quod filius es meretricis.
Pauperibus Christi si cætera distribuisti,
Da de thesauro, Deus est pretiosior auro.
Quatuor hærentes habuit male Delia dentes,
Una duos, totidem tulit altera tussis eidem,
Quatuor excussis non est quod tertia tussis
Excutiat miseræ, quam nullum constat habere.
Si quis amat, quod amare nocet, deponat amorem,
It importunus, damnum parat atque dolorem.
Qui nequit ad cellæ flammas transferre puellæ
Ad propriam veterem convertat se mulierem.
Ingluviem dentis pes comparat esurientis.
Manducate satis, per portus asperitatis:

Digitized by Google

Et cibus & vinum transportabunt peregrinum
Manducata pira fletus comitantur & ira,
Optima ni Vina præsto sint pro medicina.
In cursore dato non annos dente notato.
Sompnia porcorum glans est & pastus eorum.
Quatuor æde mea sunt admiranda, galea,
Et navis cursus, lupus insons & pius ursus,
Quemque tenet vellus densum, tenet ungue catellus.
Plus fantur pleni calices, quam sarcina fœni.
Lingua locum tangit, patientem quo dolor angit.
Non in momento, qui non habet ex documento
Aut ex natura, poterit dimittere rura.
A terra sterili fugias, carissime Fili.
Non dum* durum fortassis omnes moriturum.
Si sit facundus comes, est auriga jucundus.
Si rudis est, animum nequeunt depellere primum.
Antiquosque status modo sumpti Pontificatus.

❁ ❁
❁

A Tauro torrida lampade Cynthii
Fundente jacula ferventis radii,
Umbrosas nemoris latebras adii
Explorans gratiam lenis Favonii
Æstivæ medio diei tempore
Frondosa recubans sub Jovis arbore.
Astantis video formam Pythagoræ,
Deus scit, nescio utrum in corpore.
Ipsam Pythagoræ formam inspicio
Inscriptam artium scemate vario;
An extra corpus sit hæc revelatio,
Utrum in corpore, Deus scit nescio.
In fronte micuit ars astrologica,
Dentium seriem regit Grammatica
In lingua pulchrius vernat Rhethorica,
Concussis æstuat in labris Logica,
It Arithmetica digitis socia,
In cava Musica ludit artheria,
Pallens in oculis stat Geometria,
Quælibet artium vernat in propria.
Est autem ratio totius Ethicæ
In tergo scriptæ sunt artes Mecanicæ.
Qui totum explicans Corpus pro Codice,
Volam exposuit & dixit: respice.
Manus aperuit secreta dexteræ,
Cumque perspexeram cœpique legere
Inscriptum reperi fusco charactere:
Dux eo prævius & tu me sequere.
Cito prælabitur, quem sequi cœperam,
Et dicto citius in terram alteram
Simul divolverem, quæ multa videram
Inter prodigia, plebem innumeram
Dum miror dubius, quæ sint agonia,
Per frontes singulas transferens lumina,
Vidi quorumlibet inscripta nomina
Tanquam in silice vel plumbi lamina.
Hic Priscianus est dans palmis verbera,
Et Aristoteles verberans aëra,
Verborum Tullius demulcet aspera,
Fert Ptolemæus se totum in sidera,
Tractat Boëtius innumerabilia,
Metitur Euclides locorum spatia,
Frequens Pythagoras certa fabrilia
Traxit a malleis vocum primordia,
Lucanum video Ducem bellantium,
Formantem æreas muscas Virgilium,
Pascentem fabulis turbas Ovidium,
Audentem satyras dicaces Persium.
Incomparabilis est status Statio,
Cujus denuit res comparatio;
Saltat Terentius plebejus istrio,
Agrestes Ypocras potat absinthio.
Dum vulgi censeo gestus innumeri,
Accessit angelus præfulgens sideri
Qui dixit suspice & oculos aperi,
Et vide, cito quæ oportet fieri.
Suspexi celeri cœlos intuitu,
Et fui postea statim in spiritu,
Tractus per aëra miro circuitu,
Cœlorum positus tandem in aditu.
Sed fulgor fulguris qui circumfulserat,
Primos intuitus mihi reverberat,
Et dixit angelus, qui mihi aderat:
Siste, videbis, quæ Johannes viderat.
Dum inter dubia figor immobilis,
Quædam intonuit tanquam volubilis
Rota tonitrui, sive terribilis
Vox tubæ corneæ, vel tubæ ductilis.
Vidi post sonitum pulsantem æthera
Septem candelabra septemque sydera,
Quæ vir eximius tenebat dextera.
Et dixit Angelus: frater considera,
Sunt hæc candelabra septem Ecclesiæ,
Et stellæ præsules, sed omnes hodie
Debentes aliis instar justitiæ,
Ponunt sub modio lucernas gerere.
Post hæc apposuit cum septem titulis
Signatum codicem septem signaculis
Dicens: aspicias intentis oculis,
Quæ nota facies terrarum circulis:
Est vitæ præsulum codex hic conscius,
Qui per signacula videtur clarius.
Nam intus clauditur detestabilius,
Et laudabilia pandet exterius.
Primi capituli quadam potentia
Signum aperuit, & animalia
Perspexi quatuor quæ reddit variæ
Formæ diversitas gestus æqualia.
Est primum animal leoni simile,
Secundum vitulo, tertium aquilæ
Est quartum homini; quodque volatile,
Repletum oculis rotis volubile.
Cum primus solvitur nexus signaculi,
Detecta serie primi capituli,
Totius aciem luminis intuli,
Hunc tandem prælegens tenorem tituli:
Est Leo pontifex summus, qui devorat,
Qui libras sitiens libros impignorat,
Marcam respiciens Marcum dedecorat,
Insummis navigans anchorat in nummis.
Est iste Vitulus præsulis qui prius
In loco pascua præcurrit citius
Roditque ruminans, quod novit melius,
Et saginatus est bonis alterius.

Est

Est Aquila qui sic alis numeratur
Archidiaconus, qui prædo dicitur,
Qui videt a longe prædam, quam sequitur
Et cum circumvolat, ex rapto vivitur,
Est, quod induitur humana specie
Decanus, tacitæ plenus versutiæ,
Qui fraudes reputat opus justitiæ,
Piumque simplici mentitur specie.
Ista sunt quatuor alas habentia
Qui circumvoliant rerum negotia;
Plena sunt occulis, eo quod præsentia,
Lucra prospiciunt & subsequentia.
Incedit quilibet cum rota mobili,
Dum mentis volvitur axe volubili,
Et circumflectitur voto mirabili,
Intusque sequitur rotam a simili.
Postquam prælegeram præmissum titulum,
Subscriptum cœpi legere capitulum
Quo mores didici vitamque Præsulum,
Qui duces populi seducunt, populum
Regentes mutile cornutis Ducibus,
Qui multant mutilos armatis frontibus,
Dum habet quilibet fœnum in cornibus,
Non Pastor ovium, sed pastus ovibus.
Non tantum cogitat ille de miseris,
De claudis ovibus, ægris vel teneris
Quantum de computo lactis & velleris;
Sic ovem miseram reportat humeris;
Si vulgi noverit excessus pauculos,
Causatur fidei læsos articulos,
Trahit jus ovium in causæ tribulos,
Vellens exuvias & mungens loculos,
Errantem sequitur grex errans prævium,
Quem Pastor devius ducit per devium
Post lac & vellera dat carnes ovium
Luporum dentibus & rostris avium.
Male sponsalium nexus in anulo,
Gregisque regimen pensat in baculo,
Cui solum canones pendent in loculo.
Sic lecto sustiti primo capitulo.
Concursu nubium cœlum accenditur,
Fit corruscatio, aër concutitur
Et vox tonitrui in rota volvitur.
Ad hoc signaculum secundum solvitur.
Ecce Capitulum, legi de moribus
Archidiaconi qui suis viribus
Quicquid a præsulis evadit manibus,
Rapit & lacerat rostris & unguibus.
Sic plenus oculis sedet ad synodum,
Linx ad insidias, Janus ad commodum,
Argus ad animi scelus omnimodum,
Sed Polyphemus est ad juris modicum.
Dum causas ventilat personis dissonis,
Formans fallaciam sub forma canonis,
Transformat canonem in forum Symonis,
Qui est Mercurius Archidiaconis:

Ecclesiastica jura venalia
Facit propatulo, sed venialia
Cum venum dederit, vocat a venia,
Quam non inveniens venit Ecclesia.
Seductam nuncii fraude præambuli
Capit focariam, ut per cubiculi
Fortunam habeat fortunam loculi,
Et per vehiculum nomen vehiculi
Decano præcipit, quod si presbyteri
Per genitivos scit dativos fieri,
Accusans, faciat vocatum conteri
Ablatis fratribus a porta inferi.
Corpus interpolat lunare Cynthium,
Involvit aëra caligo nubium
Concretis tenebris ad instar noctium,
Ad hoc signaculum se volvit tertium,
Et dixit Angelus: lege, quæ reperis:
Qui legens reperi de viro sceleris
Qui loca circuit Venator Veneris,
Auceps infamiæ, piscator muneris.
Hic Vir Decanus est qui viri specie,
Non Vir, sed Virus est, virosa facie,
In Viros Viribus virens malitiæ
Humanum mentiens humana facie.
Decanus canis est, qui sequens prævia
Notæ cupidinis lucri vestigia,
Inducit callide cleri marsupia,
Qui prius fixerat magistri retia,
Spondet auxilium danti munuscula,
Sed postquam fervida rerumque bibula
Corda sedaveris monetæ crapulam,
Post datum nihil est, quod laudas, poculum.
Spondet auxilium, si quid contuleris,
Sed cum cyragine ferventem tinxeris
Palme puriginem unguento muneris,
Ibit podagrice ad opem pauperis.
Spernit justitiam, cum lucrum senserit,
Amator Filii, si jus adjunxerit,
Præfectus seculi, si se removerit.
A summis aurea minus emicuit,
Quæ tribus digitis librum aperuit,
Signumque subito solvens evanuit,
Quartum capitulum * aperuit.
Sic scriptas reperi tunc consuetudines
Officialium, raptus, voragines,
Fraudes, insidias & turpitudines,
Qui magni codicis excedunt margines.
Hi sunt quos retinens mundus inhorruit,
A quorum facie terra contremuit;
Quos tum in rupibus Rhodope genuit,
Ad omnes sceleris motus exacuit.
Quantum ex sibimet innato scelere
Vel ex officio possunt officere
Quis scribæ calamus scribentis propere,
Quæ vox, quæ poterit linguave texere.

Desi-

Digitized by Google

Defamant alios commissa levia,
Hi nempe furias atque ferocia
Cum exercuerint, fiunt silentia,
Non murmur resonat, non querimonia.
Hi venatores & aucupes præsidis
Ponunt fallacias tutis & timidis
Ignaris spicula, retia providis,
Incautis laqueos & viscum callidis.
Sic sæpe Præsulum lucrantur cameræ
Mille denarios emuncto paupere:
Sed ducem millia cadent a latere,
Qui nunquam præsulum propinquant dexteræ.
Id suis semper est adjunctis obvium,
Quo semper aliquid fit in contrarium.
Hinc nomen dicitur Officialium,
Qui, ut officiant, habent officium.
Cum fiunt turbines & terræ motio,
Vox clara intonans a cœli solio
Proclamat effera, quod est apertio,
Fitque signaculi quinti solutio.
Viso capitulo legi proëmium
Morum & actuum sacerdotalium
Væ! qui dedecorant rerum principium,
Dum pro denario vendunt ternarium.
Divinis interest Sacerdos turpiter,
Divina celebrans de vino jugiter,
Qui dum ad crapulam aspirat; aliter
Sacerdos, aliter dicendus presbiter;
Sacerdos rarius de jure poterit
Dici, quam presbiter, qui bene dixerit:
Nam tunc Sacerdos est, cum sacra dederit;
Tunc vero presbiter cum ter præbiberit.
Peccat audacius, eo quod pessima
Peccandi genera totque gravissima
Discit Apollo * in quadragesima,
Sic sua reputans commissa minima.
Abominabilis vir Deo sanguinum,
Plus mortem cupiens, quam vitam hominum,
Unam puerperam capacem seminum
Mallet quam undecim millia virginum.
Post missam Presbiter relinquens infulam
In meretriculæ descendit insulam.
Sic fecit Jupiter, qui juxta fabulam
Cœlum deseruit, sequendo vitulam.
Hanc mulieribus proponit maximam,
Quod rerum decima non solvat animam,
Nulla salvabitur ad horam ultimam,
Nisi de corpore suo det decimam,
Utque vulpecula foveas foveat:
Nec causa Veneris infantes procreat,
Sed ut de proprio animas habeat,
Quibus, quas perdidit, reddere valeat.
Post hæc a thalamo prodit æthereo
Virago nobilis vultuque roseo,
Quæ librum digito dum tangit niveo,
Sextum signaculum solutum video.
Illud capitulum figuris brevibus
Minutis literis & cohærentibus
Arctisque texitur interlinaribus
Clerique plenum est crebris excessibus:
Torpens ignavia, tumens elatio,
Libido sordidans, fervens ambitio
Voluptas indecens & turpis actio
A turpi prodeunt cito contagio
Ecce Vicarii persona primitus
Committit animas & jura sæpius,
Sibique retinet causas & redditus,
Quos audax devorat & inperterritus
Errantem animam in plura dividens
Decem Ecclesias vel plures possidens,
Est male subditis singulas possidens,
Dum adest & abest semper, ut accidens;
Commissas animas regit Vicarius
Ut suam propriam: nam, ut liberius
Amittat alias, de sua potius
Perdenda cogitat ad mala prævius.
Est suæ celsius aulæ fastigium,
Quod sit Ecclesiæ sanctorum omnium;
Suæque pluris est puellæ pallium,
Quam opertoria decem altarium.
Saccum, indagines & ædificia,
Dragmas & annulos & mutatoria
De patrimonio regentis omnia,
Quod stare patitur nudum ad hostia.
Omnis a Clericis fluit enormitas,
Dum Deo debeant mentes sollicitas,
Tractant negotia mercesque vetitas
Et rerum turpium vices indebitas.
Hic fulcat maria præcepto Domini;
Hic colit nundinas credendus nemini;
Hic arat socius bonus & asini;
Sic suo quilibet repugnat ordini,
Sic generosior tonsuram respuit,
Alter ad clerici nomen erubuit,
Hic librans liberos libros deseruit.
Sic inter laicos clerus defloruit.
Ad hoc Æthiopum turba cum turbine
A quodam prodiit fuci bitumine,
Qui longo veniunt passim examine
Clamantes septies: tu autem Domine,
Clamoris horrida voce teterrimi.
Dux nimis tremere cœpit & comprimi,
Collabens corpore tanquam exanimi.
Dum fit solutio sigilli septimi
Abbatum video mores & opera,
Quorum est quisque Dux gregis ad infera,
In claustro mobilis, fixus in camera
Et in capitulo tanquam ephimera.
Hi mundi gaudia sprevere penitus,
Quod probat passio, silentii specus,
Cordis contritio, aquarum exitus,
Tonsuræ vilitas & turpis habitus.

Sed

Digitized by Google

Sed cum ſit habitus illorum turpior,
In ipſis habitat Venus ſecurior.
Si male convenit tonſura celſior,
Pronis ad calicem frons eſt liberior.
Si fletus habent cor contritum, ſolito
Arrident calici ſemper appoſito.
Si linguam ſpiritu refrenat tacito,
Multa convitia loquuntur digito.
Quibus prandentibus voto præcipiti,
Fauces celerrimæ, dentes ſolliciti,
Sepulchrum patens eſt guttur, par gurgiti
Spumoſo ſtomachus & raſtris digiti.
Dum cænas celebrat Abbas cum fratribus,
Torquentur calices a propinantibus,
Vinumque geminis extollit manibus,
Et ſic grandiſonis exclamat vocibus:
O quæ glorifica lucerna Domini
Calix inebrias in manu ſtrenui!
Heus, Bache, Dux tu ſis noſtro conventui,
Stirpis Davidicæ proles, nos prolue.
Reſumens poculum tractum a Cerere
Clamat, hunc calicem in ſuo genere
Quem bibiturus ſum, poteſtis bibere.
Reſpondent: poſſumus, ha ſic fac proprie,
Sedne potandi ſit illa conditio,
Qui tenet, teneat, donec de medio
Fiat; hinc ceſſat lis atque contentio
Et plenum bibitur ſine litigio.
Hanc legem ſtatuunt pactumque mutuum,
Ne ſit in calice quicquam reſiduum.
Sic ſine requie ventris & manuum
Vas plenum vacuant & replent vacuum.
Quisque de Monacho, fit dæmoniacus
Et cuique monacho congarrit monachus,
Ut pica picæ vel pſitaco pſitacus.
Queis dat ingenium Magiſter ſtomachus,
His mola dentium tumorem faucium,
Lagena gutturis Ventris diluvium
Oris aculeus dat flammas litium
Et fratrum malleus colorem noxium.
Dum inter fabulas & Bachi pocula
Modum & regulam ſuſpendit crapula,
Dicunt, quod dicitur favor a fabula,
Modus a modio, a gula regula.
Et ſic fit ordinis frequens transgreſſio,
Fraudes, perjuria, livor, detractio,
Mentis eſuries, rerum diſtractio,
Ventris ingluvies, renum concuſſio.
Eſt nullum Monacho majus dæmonium,
Nihil avarius, nil magis varium;
Cui ſiquid detur, eſt poſſeſſor omnium;
Si quicquam petitur, nil habet proprium;
Si prandet, convenit, ut loqui neſciat,
Ne lingua dentium opus impediat;
Si bibit, expedit, ut ſedens hauriat,
Ne pes ſub pondere ventris deficiat.
Die tripudians adorat dolia,
Noctem cum bipede ſepultus beſtia,
Tali diſcrimine, tali moleſtia,
Meretur Dei vir Regna cœleſtia.
His mihi plenius viſis & cognitis
Dux meus manibus me capit inſitis
Et caput * diſrumpens digitis,
Solvit in quatuor compagem capitis:
Et ne miſteria vidiſſem perperam,
Figens occipitis in partem dexteram
Ingentem ſtipulam, ſiccam & aridam,
Scripſit in cerebro cuncta, quæ videram.
De cœlo cecidi ut Cato tertius,
Nec ſummi venio ſecreti nuntius,
Sed meus mihi quod inſcripſit ſocius,
Hæc vobis dicere poſſum fidelius.
His geſtis deferor in ſummis nubium
Cœlumque raptus ſum usque ad tertium
Ubi mirabile vidi miſterium
Et ineffabile cuique mortalium,
Ad ſummi judicis tractus concilia
Inter tot millies centena millia
Profunda didici Dei conſilia
Humanis mentibus inſcrutabilia,
Quod priusquam noverim, ſtatim eſurii,
Niſi quod proceres magni conſilii
Panem papaveris apponunt, alii
Lethæi laticem propinant fluvii,
Cumque papaveris panem palpaverim,
Labrisque laticem infudi miſeris,
Statim oblitus ſum Divini muneris,
Nec quicquam potui noſſe cum ſuperis.

F I N I S.

XVI.
EXCERPTA JOHANNIS HUSSI CONDEMNATIONEM CONCERNENTIA.

☆ ☆ ☆

IPsius Concilii Constantiensis tempore aut paulo post scripta quædam ad illud pertinentia in unum collecta sunt & in Bibliotheca Hamburgensis Senatus jam extant. Primum inter illa locum occupat, ut MSti verbis jam utar, Tractatus de susceptione venerabilis, pretiosi corporis ac sanguinis Domini nostri Jesu Christi compilatus contra & adversus perfidum, pertinacem hæreticum Johannem Huss & suos sequaces in Concilio Constantiensi anno Domini M CCCC XV. Cum vero notissima sit controversia illa & a variis discussa, quorum libelli partim in Tomis Hermanni Hartii de Concilio Constantiensi extant, neque author hic anonymus novi quid adferat, nolumus eidem excerpendo immorari. Sequitur in MSto Anonymi Epistola Eloquenti viro Magistro Johanni Huss verbi divini seminatori fratri suo in Christo dilecto scripta, quæ incipit: Pro salutatione in Christo Jesu Domino dilectione fraterna in caritate non ficta ante omnia præporrecta absque omni adulationis scrupulo & offensa qualibet procul mota cum desiderio salutis animæ & corporis &c. Suadet ejus author Husso, ut desinat odiosam de communione laicorum sub utraque specie sententiam tueri & Prælatis in Concilio congregatis contradicere & varia Scripturæ, Patrum & Pontificum dicta ad eum permovendum congerit. Notatur in fine & hanc Epistolam anno 1415. scriptam esse. Excipit illam Collatio Jacobi Episcopi Laudensis in Condemnatione Huss coram Rege Sigismundo & toto Concilio congregato Constantiæ 1415. sexta die Mensis Julii. Thema sermonis est depromptum ex Epist. ad Romanos c. VI. destruatur corpus peccati. Integrum sermonem edidit Herm. Hartius Tomo III. Conc. Constant. part. I. p. 1. seq.

Leguntur postea Literæ Baronum de Bohemia ad Concilium Constantiense scriptæ, quibus Hussum injuste condemnatum asserunt. Conveniunt hæ exacte cum iis, quas Hartius edidit nec differunt ab editione Leibnitiana nisi in primo initio sive inscriptione.

Quæ adjuncta est Interrogatio Hussi super Articulis sibi oblatis videl. 39. utrum illos velit revocare, considerationem attentam meretur, unde illam inserimus integram. Facta autem est die 5. Julii atque ita se habet: Dixit Cardinalis Cameracensis: Magister Johannes duo hæc sunt tibi eligenda aut quod te des in gratiam Concilii & facias sicut tecum finaliter ordinaverit & diffiniverit; vel si vis pertinaciter defendere aliquos articulos & petis audientiam super his illa dabitur tibi. Et respondit: Reverende pater, non veni huc ad aliquid pertinaciter defendendum, sed in quibuscunque devius fuero volo stare humiliter Concilii informatione; & rogo propter Deum quod detur mihi audientia aliquot Magistrorum vel Doctorum, ut audiant meam intentionem super articulis mihi oblatis; & si scripturæ pro eisdem, quæ in libris meis posui, per me allegatæ, non fuerint efficaces, volo humiliter Concilii informationi subjacere. Et Cardinalis Cameracensis: Magister Johannes, eo quod vultis subjacere informationi Concilii, ecce ista est informatio de voluntate Concilii Doctorum bene sexaginta, nullo contradicente, quod tu articulos primo de libris tuis & alios contra te deductos fatearis esse erroneos, quos tibi Concilium dabit in scriptis: secundo quod abjures illos; tertio quod determines illis oppositum; & quarto quod sustineas pœnas & correctiones corde contrito super erroribus illis juxta dictamen Concilii. Si autem illos vis defendere pertinaciter, dabitur tibi audientia. Sed scias hic esse tam valentes Magistros, qui tam fortes habent rationes contra illos articulos, quod etiam tu in profundiores errores involveris. Et ipse dixit: Rogo propter Deum, ut mihi laqueum damnationis non imponatis, quia Deo teste & conscientia mea multi

d by Google

multi sunt mihi articuli impositi, qui nec in cor meum ascenderunt; & illos interim abjurare est laqueum damnationis incidere. Sed in aliis libris meis positis, si ductus fuero, quod erravi, volo humiliter informari. Et illi clamabant: Ecce cautulose & pertinaciter loquitur, vult informari & non corrigi. Et ille: DEO teste, non cautulose, sed sincere loquor & informari & corrigi volo, dato quod erravi. Tunc inter multa & ardua alia surgens Palecz dixit: Serenissime Princeps & Domine, & reverendissimi Patres, ego contestor hic vestram serenitatem & reverentias, quod in his, quod contra ipsum feci, non ex odio feci vel malo animo, sed ut faciam juramento facto, cum sim Doctor sacræ Theologiæ licet indignus: similiter & Michael de Snirdarz dixit, & ego etiam. Et Huss dixit: Sto ad judicium Dei, quod nos judicabit, unicuique quod meruerit retribuendo. Tunc Rex Sigismundus dixit: Heri tibi dixi & adhuc tibi dico, non possum id secundo dicere: Ætatem habes, si vis, potes intelligere. Ecce duas vias habes tibi propositas vel quod tu revoces vel abjures illos errores condemnatos & condignam pœnitentiam pro illis assumas non fictam & illi oppositum prædices & Domini tibi gratiam facient aliqualem; vel tu quod illos pertinaciter teneas: Et Domini de Concilio habent sua jura, sciunt bene, quid tecum debeant facere. Et ille dixit: Serenissime Princeps, jam dixi, quod nihil volo pertinaciter defendere, solum rogo, ne mihi laqueus condemnationis imponatur, ut non fatear me tenuisse illos errores, quos mihi mendaciter ascripserunt & contra me testati sunt, Deo teste & conscientia mea. Et multitudo subclamavit: Et conscientia tua dictaret, te nunquam forte aliquid mali fecisse. Et statim unus Episcopus de Polonia antiquus valde dixit: Tum maxime sunt patentia in Sexto & Clementinis de Hæreticis, quid secum debeat fieri. Et Episcopus Rigensis recepto Magistro Johanne Huss ipsum duxit ad vincula. Cui transeunti Dominus Johannes manum porrexit, & eum salutavit, de quo contractus extitit. Eo vero recedente, Rex cœpit loqui: Jam audistis, quod ex centum VIIII. ex illis quæ probata sunt in eum, & quæ confessus est, & quæ sunt in libris ejus, sufficerent sibi pro damnatione. Et imo si nollet revocare, ut dixistis, comburatur, vel vos faciatis secum, sicut scitis, secundum jura vestra. Et sciatis quod quicunque promittent vobis, quod velit revocare, non credatis sibi, quia ego tali non crederem. Et nec permittatis eum amplius prædicare, quamdiu vivit, nec ad regnum venire, quia veniens ad suos fautores, faciet novissimos errores pejores prioribus. Et istos articulos dirigatis fratri meo Regi Bohemiæ & ad alias terras. Et si qui inventi fuerint ejus fautores, quod cum eis fiat justitia, ut rami cum radice evellantur. Et Concilium scribat Principibus, quod sint Prælatis favorabiles, qui pro illorum errorum extirpatione hic laborarunt. Et faciatis finem cum aliis occultis ejus discipulis. Et sperent cum isto, qui detinetur. Et illi dicunt Hieronymo. Et illi ita: Cum illo faciemus finem infra nonum diem. Ille est discipulus & iste Magister; Et sic cotidie collusio præstolanda. Hoc tamen Baronum Litera distulit aliquantum. &c.

Quæ huic narrationi postposita est Appellatio Hussi ad Christum gravis admodum est & innocentiam boni viri a malevolis incusati & non auditi fusius demonstrat.

Digitized by Google

XVII.
STEPHANI INFESSURÆ
SENATUS POPULIQUE ROMANI SCRIBÆ
DIARIUM URBIS ROMÆ.

NEll' Anno Domini mille dugento novanta quattro, nella Vigilia di Natale fù creato Papa in Napoli il Cardinale di santo Martino in Monte, & fù chiamato Bonifacio ottavo di casa Caetana, e nel suo tempo fiori in modo la fattione Guelfa e Guibellina, che ne nacquero grandissime contese, e massime tra lo ditto Papa, e Colonnesi Ghibellini, i quali anco in Anagna fomentavano le parti delle fattioni contro il Papa, il quale sdignato li privò de Beneficii, castelli, terre, e di tutti li luoghi, che possedevano nello stato Ecclesiastico.

Nell' anno sequente nel giorno di sant Andrea Apostolo, venne un terremoto tanto repentino, quanto mai si sia sentito, che durò molti giorni con alcuni intervalli, e cascarono di molte case, e lo Papa Bonifacio, che si ritrovava à Quieti con tutta la Corte, dubitando, di non essere oppresso, e suffogato dalla ruina de gl' edificii, ordinò, che fosse fatta una casetta di legname in mezzo al claustro di Frati Predicatori, come in un largo prato, & in quel luogo ci stette alquanto tempo quantunque fosse grande e rigorosa quella invernata.

In questo stesso tempo apparse ancora una Cometa, continui terremoti, e ritornato poi il Papa à Roma, creò alcuni Cardinali, cioè l' Arcivescovo di Toledo, Recciardo segese, Nicolo da Treviso dell ordine de Predicatori, Givanni Murone Generale di Frati Minori, e Pietro Hispano.

Nell anno 1300. celebrò il Giubileo dell' anno santo, per il qual concorso tanto Popolo à Roma, che appena si poteva caminare per le strade, & anco in quel tempo venne à Roma Carlo di Valese, Fratello di Filippo Rè di Francia, che haveva preso per moglie la figlivola di Balduino, ultimo Imperatore di Constantinopoli, & haveva ottenuto da Papa Bonifacio, che lo socero suo potesse recuperare l' imperio, dal quale era stato discacciato & questo fece volontieri il Papa, perche haveva pensiero con ajuto di questi Principi di mandare un essercito in Asia, che recuperasse terra santa.

E mentre queste così andavano ordinando, lo Papa dichiarò Capitano di santa Chiesa constipendio & ampla podestà l' istesso Carlo, e mandò un Legato in Toscana per rimediar ad alcune seditioni, nate frà Ghibellini e Guelfi. Mà il legato non facendo alcuno frutto, ancor che publicasse bandi; lo Papa ci mandò lo detto Carlo, il quale anco luy non poteva quietare, si Fiorentini prima non erano cacciati dalla Città con stragge di Ghibellini. Ma il Papa pure persistendo vel pensiero di ricuperare Gierosolima, per questa cagione mandò il Vescovo Apamense à Filippo, Re di Francia, acciò l' essortasse a quell impresa. Il quale vedendo, di non poter con le supplicationi consequire cos' alcuna, alterato proruppe in alcune minaccie; per il che sdegnato Filippo, fece subito carcerare lo Vescovo. Il che suputo da Papa Bonifacio, incontinente mandò in Francia l' Arcidiacono Narbonese, huomo veramente insigne, che à nome dello Papa commendasse allo detto Rè, che relasciasse lo Vescovo Apamense; & che se non l' havesse ottenuto, che gli dicesse subito, alla presenza di tutti, ch' il regno di Francia recadesse alla Chiesa per la disobedienza di Filippo, & anco vi aggivugesse la scommunica, & assolvesse li Francesi dal giuramento Reggio. Ogni cosa fece molto diligentemente l' Arcidiacono, e storzo lo Ré a lasciare andare lo detto Vescovo Apamense. Ma il Ré per vendicarsi in qualche parte dell' ingiuria ricevuta dallo Papa, fece publicar editto, che nissuno si partisse del suo regno per venir à Roma, overo mandasse denari per qual si voglia speditione. Et in quel tempo Sciarra Colonna, che si trovava nel Porto di Marsiglia, con Guglielmo Nagaresio, Cavagliere Francese, e vestitosi di habito vile, & radunati alcuni suoi amici venne alla volta di Roma, e questo fece per commandamento dello detto Ré, e di notte nascosamente entrò in Anagni con l' ajuto dei suoi Parteggiani, i quali il Papa Bonifacio haveva perseguitato lungo tempo, e rotte le porte, entrò in casa propria dello detto Papa, e pigliollo, e condusse à Roma. E cosi addolorato, non visse dopoi più che giorni 35. e fu sepelito in sant Pietro in quella Capella ferrata à piedi della chiesa. Regnò otto anni nel Papato.

Stephani Infessuræ Civis Romani Diaria Rerum Romanarum suorum temporum post Curiam Romanam ex Galliis ad Urbem reversam usque ad Alexandri Papæ Sexti Creationem.

Deest aliquid in principio.

POntificalmente, e disse gli: piglia tesauro quanto tu vuoi: la Campagna d' Anagni suonava à stuonno: lo Conte Romano di Casa Orsina veniva con gran gente, mandato dal Ré Roberto, che lo Papa venisse a Roma.

Don-

Digitized by Google

Donde li Cittadini d'Anagni gridavano: muora li forastieri, e fuora cacciati d'Anagni li Colonesi. Et in tre dì venne lo Papa à Roma, e li Cittadini Romani gridavano pace, e lo Papa risponse: pace, e sanitate vi dona Dio; & entrò in san Pietro Napolione di Castello, lo Cognato di Sciarra. Lo Papa l'invittò à pranso, e domandollo, se sapeva, dove era Sciarra, lo quale mi ha detto, che specetta è prenna *. E Napolione rispose e disse: tanti ragazzi sono in casa che l' haveranno potuta imprennare. Ma hormai saria tempo di perdonare alli Colonesi. E lo Papa li disse, che non voleva. Napolione disse: te bisogna di fare, e non partirai di qui. Lo Papa adolorato, scrisse una lettera allo Ré Carlo, che lo cavasse di Roma, che voleva fare peggio alli Orsini, che alli Colonesi: e la lettera venne in mano a Napolione e raddoppiorono le guardie. E quando lo Papa lo seppe, dette tanto Capo allo Muro, mandendosi le mani, che così addolorato visse trè dì: e così finì sua Profetia, cioè: intrabit ut vulpes, regnabit ut leo, morietur, ut canis. La morte sua fù à dì otto di ottobre, e jace in San Pietro in quella Capella ferrata à piedi della Chiesa, e regnò otto anni nel Papato. Dopò sequitò un' altrè Papa, che fù fatto à Perusia. Il quale fù attossicato da un suo Cameriere in uno fico, perche l' haveva promesso di farlo Cardinale e nol fece. Lo quale Papa era frate Predicatore, e durò nel Papato otto mesi, è fù Benedictus Undecimus Papa, il quale stà sepolto al Borgo di Perugia in S. Domenico.

Quando la Corte era in Francia.

E doppò fù fatto Papa l' Arcivescovo di Bordella Franza, e fù fatto à Perusia, lo quale haveva paure di venir à Roma à coronarsi, per la promessa fatta al Collegio, che douessino gire in Francia à coronar lo, e Misser Napolione de Marcici ruppe li Cardinali e girosene in Francia, e tutti gl' altri lò sequitorono, & all' hora fù coronato. Lò Rè di Franza, pregò Papa Clemente, che douesse restituire misser Pietro, & miser Giacomo in Cardinalato, e che l' ossa di Papa Bonifacio ottavo fussino arse. Leuossi un Cardinale Spagnuolo, e petì licenza di poter parlare, e disse, se si ardono l' ossa di Papa Bonifacio come heretico, e tu consenti questo, tu non sei vero Papa, perche esso ti fece ArciVescovo di Bordella: Noi havemo eletto nel Papato l' Arcivescovo di Bordella, e però se non fù Papa non ti potè fare Arcivescovo. All' hora il Papa ruppè lo Consiglio, e subito si levò Messer Pietro, e Stefano delli Rosselli, & mise mano alla spada, & disse; che qualunque persona vuol dire, che l' ossa di Papa Bonifacio non s' ardessino, mentono come traditori; e vollelo provare con la spada in mano, salvo che non contradicesse al nostro Signore lo Papa. All' hora lo Papa lo fece pigliare, e voleva li fare tagliare la testa. Lo Rè di Franza lo dimandò per huomo morto, & hebbe lo: e questo fece lo Ré, per lo piacere, che fece alla moglie, quando s' attacco fuoco nella Camera, perche saria stata arsa, che nullo Franciose si sarria messo à quel pericolo, che messe Mr. Stefano per campare la Regina. Mr. Stefano, e Mr. Pietro si misero ad andare per un trave, e pigliarolla in collo, & camparolla, d'onde lo Rè di Franza hebbe questo in gran servitio, e poi lo Re lo fece Sargente d' armi suo, lo Papa se n'andò ad Avignone, e lì stette con la Corte fin' ad Urbano Quinto, lo quale venne in Roma negl' anni 1358. e stette in Roma anni cinque, e poi si morse, e li Cardinali fornito l' essequio, si misero in conclave per fare l'altro Papa, & era trà loro gran discordia, e fù cominciata la scisma. Per questa casone li Romani girono à palazzo, e petierono allo collegio lo Papa Romano ò Italiano, e li Cardinali li promisero di far lo, e non lo fecero, perche non si concordavano. Per questa casone si venne uno de li Cardinali, e fù quello de gl' Ursini à notificare alli Signori di Roma, che non volevano fare lo Papa Romano, e per questa casone li Romani misero à sacco molti Cortisciani de Cardinali, onde si partierono di Roma e gironse ad Avignone giurando di far vendetta contro li Romani, e li fecero Papa Gregorio Undecimo, e stette la Corte in Avignone fino allo detto Papa Urbano sesto, loquale venne in Roma nell' anno 1376.

Nell' anno 1374. fù attossicato lo Imperatore à Buon convento appresso Siena nello corpo di Christo da doi Frati Predicatori à petitione di Re Roberto. Questo Imperatore Henrico era un santo huomo, & ogni dì si confessava & communicava & haveva un Crocifisso, che ogni notte se lo faceva cacciare e tenevacelo dinanzi, e stava orando fino a dì, e poi se lo faceva riponere, e portavaselo con lui dove guia, & quando fù à Cesano lo Imperatore, non si potea partire, e maravigliandosi stette sospeso, e non s' accorse de segnale che gl' era stato detto, che non douesse gire in Toscana, e disse; se jo torno, faccio in questo Cesano una bellissima ecclesia, perche li Colunnesi l' havevano fatto incoronare. Et così si morì.

Nell anno 1371. del mese d' Agosto à dì 21. di giovedì ad hora di nona li mastri Saliero nello tetto di Santo Joanni per acconciare certe tavole di Piombo, e nell' hora dello Vespro, quando li Canonici dicevano Magnificat, vede uno di essi abbruggiare, una tavola e subito gridò allo fuoco: li mastri non se n' erano auveduti, e subito che lo viddero, non potierono tanto ajutare, che il fuoco l' apprescíava, e fuggerono via: all' hora furono arsi tutti li travi di santo Joanni, e caderono trè Colonne, e tutte l' altre arse, e guastarono l' altar maggiore con quattro bellissime colonne fatte di Diaspro.

Historia dopoi il ritorno della Corte Romana da Avignone.

Nell 1378. nel mese di Luglio à dì 16. vennero li Bertoni à Ponte Salaro, e fuerono grande occiditoria di Romani in quello loco. Li quali Bertoni vennerono à petitione delli Cardinali, che stavano in Anagni, e lo Papa stava à Tivoli, e fù Urbano sesto. Dapoi rivenne lo Papa à Roma, e steteci fin' à Majo; e lo dì santo Angiolo li Romani, hebbero la vittoria, e tutti li Bertoni furono

rono morti: & ribellosi lo Castello, e li Romani refecero le bastie del mese di novembre sin' all' ultimo di Aprile, e l'hebbero, & tanto lo disfecero, che à tempo dapoi ci givano le capre à pascere.

Del mese di maggio li Romani girono à campo à Marino, e la casone, perche Messer Giordano era stato in favore delli Bertoni, e stetteronce a Campo 18. di. Poi fù fatto l'accordo, e promise Messer Giordano stare sempre à commandamento del Popolo Romano.

Del 1376. del mese di novembre à di 9. lo di del Salvatore di mercordi la notte inanti crescè tanto lo fiume, che giva quasi per tutta Roma, e fece di moltissimo danno.

Dell' anno 1382. fù fatto Papa Bonifacio nono, e durò nello Papato anni 14. e due mesi, e fù fatto dopò la morte di Urbano VI. In tempo suo hebbe lo stato di Roma, lo quale li lo dero Natalo, & Petruccio Sacco, perche erano delli Signori, & questi si dissero allo Papa; se tu vuoi mantenere lo stato di Roma, acconzia Castello sant' Angelo. E lo Papa lo fece, e poiche lo hebbe fornito, fece tagliar la testa à Natalo, e Petruccio; e disse lo Papa: costoro mi hanno. Dato lo stato, & hora me lo volevano retogliere. Poi lo Papa manteneva lo stato suo con molta pace e divitia, e faceva seminare à tutti, etiam li Cardinali, e valeva un fiorino lo 'rubbio del grano, e quando valeva quaranta soldi.

Dell' anno 1403. del mese di Gennaro, cioè lo primo di dell' anno, infra terza & nona, si scurò lo sole, e le stelle si vedevano in Cielo, come fusse stata mezza notte, & una brigata, che stava à pranzo in casa di Sacco di Natalo si fecero accendere le Candele, perche non vedevano lume, e fù una gran piovia, e poi sequitò, che le nebbie erano, e poco fù buon tempo fin' à Marzo venente, & di 17. di Marzo à mezza notte fù lo terremoto, e duro poco.

Dell' anno 1404. del mese di settembre di primo si mori Papa Bonifatio nono, e lo Popolo di Roma si levò à rumore per rivolere la libertate, e fù sbarrata tutta Roma, e tutto di si combatteva alle sbarre. L'Ursini da una parte, & la ecclesia e li Colonesi per lo Popolo, ribellosi lo Campidoglio, & la torre di mercanti, e la sera lo tardo vennero li Ursini per Porta Castello, e girono per soccorrere lo Campidoglio con molti Romani Partisciani di santa Ecclesia, e quando furò à casa de gli Rosci li Colonnesi con l' altro Popolo se ligiesero inanzi, e scaramucciarono, e furono morti parecchi da parte à parte, trà li quali ne fù morto Pansoletto Ursino, & molti feriti, & molti Cavalli morti, e furono sconfitti l'Ursini e tornati sene à Monte Giordano, e sempre ne havevamo la pejo l' Ursini, e la major parte dello Popolo sequitavano li Colonesi.

Dell' anno predetto del mese d' ottobre à di 20. entraronoli Cardinali in Conclave nello Palazzo di santo Pietro, e fù molta discordia tra li Cardinali per fare lo Papa, e poi s' accordorono, e fecero Papa Monsignore di Bologna da sermona, lo quale si chiamo Innocentio settimo, e li Romani ne furono molto contenti, e facevano festa.

A di 15. del detto mese di ottobre venne Ré Ladislao da Napoli à Roma, & entrò per porta san Giovanni, e lo Popolo di Roma lo gessi in contra colli Caporioni, e feceroli molti honore, e stette la notte in san Giovanni, e la domani si parti con tutta la gente, e gi per prati & entrò per porta Castello, e givo allo Palazzo dello Papa, & lo Papa lo ricepeo con molto honore come figliolo, e devoli Maritima, & Campagna per cinque anni, & ancora stava barrata Roma, e lo Ré fece tanto con lo Papa, & colli Cardinali, che fece rendere lo Campidoglio alli Romani senza nulla questione, e pose in pace i Romani, & hebbero la libertà, e poi si partivo, & entro per porta del Popolo, & ad santo Marcello lo Re fece Cavaliere Galiotto Normando, & in quello di si gissi di Roma, e gissene à Napoli allo suo Rame.

Dell' 1405. dello mese d' Aprile li Romani girono ad Hoste alla Molara, e poi sequitò lo Priore di Roma per farli concordia, e fece la contro la volontà delli Signori di Roma, e fatta che fù, li Romani levarono Campo, e tornarono à Roma lo di di san Marco delle Litanie, e poi fecero pigliare lo Priore di Roma, e facero gli tagliare la testa, perche fece l' accordo contro loro volontate, e fù officiale Sao di Natolo, e Paolo Morazano con li Compagni.

Dell' anno 1405. à di 20. Agosto li Romani girono la notte per tollere Ponte Molle, e miseronsi fuoco, e combatterono lo di sequente, e non lo poterono havere, e furono di molti feriti dall' una parte, e dall' altra, & alli 3. del sopra detto mese si ferono li patti fra Papa Innocentio, e li Romani, che li rifacessi lo Ponte, e lo Papa non li lo volse rifare, e poi si accordarono, che lo mozzasse, e fù mozzo per mezzo lo detto Ponte, e poi lo Papa fece fare in piedi di Piazza Castello per fino allo fiume le sbarre.

A di 5. del detto mese d' Agosto lo Papa mandao petenno li Signori Romani, che li gissero à portare, e voleva fare la concordia con essi per una parte, e per l' altra, & si ce gierono doi delli Signori, e doi Capovoni, & alcuni delli Imbussolaturi, e dell' altri Cittadini, e poi che hebbero parlato collo Papa, lo Papa se disse, andate à Mr. Ludovico da Fermo, & con esso facciate li Capitoli, gionti che furono à santo Spirito, come entravano allo terzo uscio erano morti tutti ad uno ad uno, furon li tolti li cavalli, e morti furono spogliati per vituperio de Romani, e buttati per le finestre di san-Spiritu, e molti ne fuggirono, e furono undeci li morti, cioè Censia Stefanello, Jovanni de Paluzzo, Stefano dello Bufalo, Jovanni di Riccarduccio, Jovanni de Pazzi, Lomarozzo Paolo stato, Pietro Cartaro, Jacovello de Cucciolo, alias dicto lo nome di Canataro, Jovanni de Nola, Mr. Gualtreio, & lo suo fameglio, e per questa casione, & in questo di lo Papa si parti di Roma, e gi à Viterbo per paura delli Romani, & partisse con Ludovico da Fermo, e con tutta la brigata.

A di 5. di detto mese d' Agosto Jovanni Colonna

Digitized by Google

lonna passò di la dal Ponte con molti Romani, & messero lo Palazzo del Papa à saccomanno, & ancora tutte le case de Cortisciani furono messe à sacco, & li Romani per li detti morti stavano mal contenti.

A di 20. del mese d'Agosto venne la gente dello Ré di Napoli, li Romani si la fecero passare per la via di Pellacciello per fiume, e passarono, e gierono verso Porta Castello, e furono trè mila Cavalli, & li Caporali furono lo Conte di Troja, lo Conte di Casa, Gentil di Monteriano, e Jovanni Colonna era con essi, e le soma del Conte Troja gierono per Roma, & à santo Celso li furono tolti dalli Romani, & in quello subito lo Castello di santo Angelo si ruppe con li Romani, e comenzaroo à bombardare per Roma, li Romani volsero fare le sbarre allo Ponte, e lo gente che era di la dal Ponte non le lassava fare, e combattero lo Ponte, e fù messo foco in parecchie case da detto Ponte, e li Romani fecero patti colli detti Caporali di darli la grascia, & essi lasciorono fare la sbarra nel detto Ponte, la notte venente vennero li Romani à murare la detta sbarra, & fatta che fù non volsero poi dare la grascia, si che Castello per questa casone mai finao di bombardare contro li Signori Romani.

Lo di sequente 21. d'Agosto si ribellaò Campidoglio, & li Signori che regnavano Roma, con molti altri Cittadini si serranno dentro per timore dello Popolo, nel detto di se ne fuggi Mr. Nicola Colonna, e Battista Savello con altri Romani per timore, & paura di non perdere la loro persona.

A di 23. del detto mese d'Agosto si rendè Campidoglio à salvare le persone, e furono gittati tutti li meroli à terra, & la torre di mercato.

A di 26. del detto mese venne Paolo Orsino & Mostarda, & Cevolino da Viterbo, & in prato si scontrò con la brigata di Joanni Colonna e di Gentil di Monterano e fecero fatto d'armi l'uno con altro, e furono rimessi dentro à Porta viridaria la brigata di Jovanni Colonna, e furono molti prigioni, e molti Cavalli perduti, e fuggi Jovanni Colonna, e Gentil de Monterano con tutte le loro genti, perche n'hebbero la pejò, e lo ditto di entro Paolo Orsino con Mostarda, e Cevolino de Brunoco, e presero dallo parte del Ponte santo Pietro, e poi si partiro, e stettero in bonavia quattro di.

Lo di primo di Settembre li Romani fecero le sbarre à Castello, e furano fatte appresso la conca della Piazza, e la notte venente passato primo sonno fù una grande tempesta de vento, e d'acqua, per modo che molti tevoli de piombo di santa Maria Rotonda cascarono e fecero molto danno, per quelle case appresso, e lo Campanile di santo Nicola Fervitore cascarono con tutta l'ecclesia, per la qual cosa tutta Roma ne stette in gran paura, si che Romani stavano con grande affanno, e non potevano uscire di fuoci, che non fossero rubbati, e tolto loro bestiame, e per questa casone gl'officiali ne fecero lo consiglio se dovevano mandare per lo Papa à Viterbo, e fu deliberato, che se ne mandasse, e che se li dovessero mandare, le chiavi di Roma per obedienza, e cosi fù fatto, e gironsi doi Ambasciatori, civè Mr. Giovanni Baroncelli, e Mr. Antonio di Scavola accompagnati da molti Cittadini.

Dell' anno 1407. del mese di Marzo à di 13. ritorno Papa Innocentio settimo da Viterbo, & entro in Roma per Porta Portese, e li Romani li fecero molto honore, e gran festa, e gironse li jocattori di tutta Roma con le facole in mano dicendo, viva lo Papa, & giva per Trastevere, e giò à Palazzo di Santo Pietro sotto Palio.

Dello detto anno 1407. del mese di Novembre die 7. moriò Innocentio VII. e fu de sabato fatto l'exequio, li Cardinali si misero in Conclave nel Palazzo di santo Pietro di 14. di Novembre, e stettero nello Conclave fino al primo di Decembre.

Del detto anno & mese di Decembre die primo fù fatto Papa lo Cardinale di Constantinopoli, lo quale si chiamò Papa Gregorio XII. loquale habitava in Campo Marzo, & incoronato che fu si parti da Roma, e gissone à Bologna per paura delli Romani, e lassaò lo legato Mr. Pietro delli Annibali, di Transtevere, lo quale manteneva lo stato della santa ecclesia e per Papa Gregorio e li Romani quando fu incoronato, & gerono l'oratori di Roma, e girono sotto Palio di santo Pietro à santo Jovanni, quanto n'hebbero allegrezza, tanto rimasero tristi, quando si partio per paura, que non venisse qualche scandolo, e lo detto Mr. Pietro Cardinale dell' Anibali Legato di Roma in tempo suo si faceva l'Officiali di Roma, & squagliava di molti Calici, e Croce di tutte l'ecclesie di Roma per denari per pagare la gente d'armi, e rimase Paolo Orsino allo soldo di S. Ecclesia una collo Legato sopradetto.

Dell' anno 1408. in tempo di Papa Gregorio venne lo Ré Ladislao da Napoli dello mese d'Aprile à di 18. & misse campo ad Hostia per mare, e per terra, & hebbella per battaglia, & stava per Castellano Mr. Pietro di Battista di Govio, & correvano sin' à Porta santo Paolo, e facevano molti danni de bestiami, e presoni, e li Mercanti di Roma se riscuotevano loro bestiame, e li presoni pagavano le taglie, e per questo li Romani stavano mal contenti, & à di 21. dell detto mese fù fatta la tregua col detto Re, e Romani per doi di, e poi s'accordò lo Ré à doi di poi con li Romani, e mise l'Officiale suo in Roma, e fece Senatore messer Giovanni Terzo, alias Torpo.

Dell anno 1409. à di 21. del mese d'Aprile entro lo Ré di Napoli in Roma per Porta San Giovanni e santo Paolo, givo in Transtevere in S. Grisogono, e li Romani li fecero grande honore, e li stette sempre, e faceva tutti gl'officiali di Roma, è fece acconciare tutte le porte, e mura di Roma, e facevale ben guardare, e fece molti provisioneri di Romani, e dava per Conestaville due quatro, e voleva molto bene à Romani.

A di 29. del mese di Jugnio venne Jovanni Colonna, e Mr. Nicola Colonna, Jacomo Orsino, Battista Savello, e molti altri Signori con doi mila Cavalli, e non molti fanti à piedi, e con tutti

Digitized by Google

tutti li ſbanniti di Roma, e preſa Porta San Lorenzo, e la mattina ad hora di meſſa Paolo Orſino cavaliò colla brigata ſua per ſoccorrere la Porta, & ſi hebbe preſente Jovanni Colonna & Mr. Nicola & Jacomo Orſino, e Corradino di Jan-Paolo nipote di Paolo Savello, e Mr. Galetto Normando, e Riccardo Sanguigno, e Jovanni Cecco delli Cecchi, e Toma Sannetti e molti altri Compagni di Jovanni Colonna, e queſti furono tutti preſi, perche Mr. Nicola Colonna che ſtava ſuſo nella Porta di ſan Lorenzo ſi mozava la caditora della porta per queſta caſone, quanto ne entrarono dentro la porta, tutti furono pigliati, perche Battiſta Savello, che era rimaſto di fuora con tutta la gente groſſa, venne per ſoccorrere quelli di dentro, e trovarono, che la caditora della Porta era mozzata per tanto non lo potea ſoccorrere, per tanto quelli di dentro tutti furo preſi à man ſalva.

A di 21. detto meſe di Jugno tagliarono la teſta à Mr. Galiotto delli Normandi, e fu di Martedi.

A di 25. del detto meſe tagliarono la teſta à Riccardo Sanguigno, e fu dello lunedi, e tutta queſta parte vuole ſtare dinanti à quella dello Ré.

Dell' anno 1410. dello meſe d'Ottobre venna à Roma lo Duca di Angioja, e Paolo Orſino in Portico con venti trè migliaja di perſone, e gli ſtettero dieci di, e poi ſi partierono, perche non trovarono quello, che ſi credevano di cacciare Ré Ladislao.

In quell anno à di 27. del meſe di Decembre rivenne Paolo Orſino in Portico, e fece gran bataglia in Settignano trà ſan Pietro, e Transtevere, e morſeronce di molte perſone, di quelli dello Ré, e di quelle di Paolo Orſino.

A di 30. di Decembre dello ſopradetto anno Paolo Orſino fece un trattato colli Romani, & entrò in Roma con tutti l' Orſini e Partiſciani de S. Eccleſia, e feceronci gl' Ufficiali, per queſta caſone lo Re di Napoli ſi parti da Roma, & in queſto tempo fù una grande careſtia in Roma, & in molti luoghi.

Dell anno 1411. pò alla morte di Papa Aleſſandro fù fatto Papa Giovanni XXIII. & in queſto gl' Urſini, e Partiſciani di ſanta Eccleſia mantenevano lo ſtato di Roma per la ſanta Eccleſia, & in queſto tempo venne Papa Giovanni in Roma, e molti Cardinali ſi partierono, & andarono in Conſtantia, doue ſi faceva lo Concilio, e fecero citare Papa Joanni, che doueſſe gire allo concilio, e non vuolſe gire, e ſubito Papa Joanni ſi miſſe lo terzo allo vino, e creſce tutte le gabelle di Roma, e li Romani ne ſtavano mal contenti, e fece fare una Proceſſione da ſanto Joanni ſino à ſan Pietro lo di di ſan Marco, & volſe, che ne giſſe la teſta di ſanto Joan Battiſta proceſſionalmente con intentione di mandarla à Fiorenza, e ricevevane parecchi migliaja de Ducati da Fiorentini, e per queſta caſone le Monache di ſanto Silveſtro, e tutti li Cittadini di Colonna una collo Capoccone, e molti altri Cittadini di Roma non la volſero mai laſciare, e riportarono la ſana & ſalva à detto Silveſtro, e non liriuſci il penſiero allo Papa, & alli Fiorentini, e venne Papa Joanni à Roma con otto Cardinali nel ſopradetto anno à di 11. del meſe d' Aprile.

Dell' anno 1413. del meſe di Jugnio venne lo Ré Ladislao da Napoli à Roma, e ruppè lo muro à S. Croce, & entrò à ſanto Joanni Laterano con tutta la ſua gente, & in ſanto Joanni ſtette parecchi di per fin' à 13. di Marzo, e per queſta caſone dello Ré, ſi parti Papa Joanni da Roma, e giſſene à Fiorenza, e partivaſſe del meſe di Julio con molti Romani, e morſence di molte perſone di ſete, e morſeci Marcomeo de Cambio, e Mr. Giovanni, e molte altre perſone, quando fuggivano; e lo Rè hebbe Caſtello ſanto Angiolo, e dipoi nello detto anno, e meſe entrò detto Ré in Roma, e fù li fatto molto honore da Romani. Et in queſto tempo valeva lo rubbio dello grano 18. Fiorini, e molte famiglie ſi morivano di fame, e lo Ré fece venire di Cicilia parechia migliaja de rubbii di grano, e tutto lo ſparſe per Roma, e poco danaro ſe n'hebbe, perche lo donava à tutti li Romani, a chi poco & à chi molto. Et in queſto tempo lo Ré ſi parti per gire à Fiorenza, e per lo viaggio fu attoſſicato, perche volſe uſare con una donna, e li Fiorentini diſſero: Toi in queſto modo, che noi darremo grandi richezze, metti nella natura queſto veleno, eſſo morira, e tu camparai: è per queſta caſone ſi morſero ambedue, e fù finita la profetia ſua vedendo lo Rè, che non poteva campare & parti, e morſe.

Dell' anno 1414. di Settembre a di 13. ſi levò fù lo Popolo Romano à rumore, e dicevano: Viva la libertate. E miſſero dentro, Orcino della Toila.

A 2. di dopò andò lo Popolo di Roma con li Officiali à caſa di Pietro di Matuzzo, e fecero lo Rettore di Roma, e Pietro non lo voleva, el' Officiali e lo Popolo ſi lo fece pigliare, e diſſero: noi, e tutto lo Popolo volemo, che tu ſia noſtro Officiale.

A di 16. di Settembre fù levato rumore in Transtevere, e dicevano: Viva la Eccleſia e lo Popolo. E vedendo queſto Pietro de Matuzzo, aſceſe di Campidoglio, e giſſone alla caſa, e rinoncio incontinente l' Ufficio.

Nel meſe di Ottobre del detto anno venne lo Legato à Roma mandato per Papa Joanni collo Cardinale di Bologna, loquale mantenne molto la giuſtitià, & era Gouernatore un Bologneſe.

Nel di 9. di Decembre del detto anno fù mozzo lo Capo à Paolo de Palloni per comandamento dello detto Legato, come à ribello della Eccleſia.

Dell' anno 1416. del meſe d' Agoſto, Braccio, e Tartaglia dell' Avello furono allemani con Paolo Orſino, e fù morto nello tenimento di Foligno, e lo detto Paolo fù occiſo da Ludovico Colonna, che ſtava allo ſoldo con Braccio de Montone da Peroſia. Dopò del meſe di Decembre del detto anno lo ſenatore mandao petendo Joanni Cencio, che giſſe à pranzo con eſſo, e quando fù in Campidoglio, lo fece grandi vezzi, e giarono favellando ſù, & in giù, e quando lo ſenatore vidde lo deſtro lo piglio, e ſubito li fece tagliare lo Capo, e queſto fù per ſoſpi-

Digitized by Google

sospitione, che haveva lo Legato, perche stava allo soldo del Popolo di Roma, e fù di giorno di Lunedi.

Dell' anno 1417. Braccio de Montoni da Perusia si habe in Roma, e faceva gl' Officiali, e combattendo per havere lo Castello sant-Angelo un tempo, mai lo pote havere, & addrizzavano Trabocchi, & bombarde, e lo Castello si teneva per la Regina di Napoli, e manteneva tutto quello tempo in pace Roma, e non ci fu fatto mai danno, e fù revolto lo grano in pace, e non fù perduta mai una pica in tempo suo.

Del sopradetto anno a di 28. d' Agosto venne Sforza à Roma, & entrò per Porta del Popolo per soccorrere lo Castello mandato dalla Regina di Napoli, con molta gente, e cacciorono Braccio, & in questo di ci fù morto Joanni Colonna da un huomo d' armi di Paolo Orsino, perche voleva occidere Ludovico Colonna, e non li venne fatto, perche Giovanni Colonna si mise in mezzo, e Ludovico campò, e misesi in una barchetta in fiume à santo spirito, & in questo modo si lo campò, e morsensi Joanni Colonna figlioulo di Antonio Colonna, che era una Franca-Lanza & lo fallivo ne pagò Ducati trecento, perche era Caporione di Campo Marzo, perche haveva lasciato entrare Sforza licenza de gl' Officiali Romani. E Braccio quando si partì, perche era venuto Sforza, & vidole che li Romani non facevano nulla defensione, si partì molto scorrucciato, e per questa casone tene modo di rompere la marmora dello luoco li Pedelupo, e fecelo ad intentione d' allargare Roma, e fecelo. Et in questo tempo fù recitato Papa Giovanni, che dovessi andare al Concilio à Constanza annoce e fù privato dello Papato.

Historie Romane dal Pontificato di Martino Papa quinto.

E come piacque alla Maestà divina che tutte queste guerre, e tribolationi havessero fine, provide alla Città di Roma, e volse che queste cose mancassino, li Cardinali e moltissimi Signori, che erano nel Concilio providdero, e fecero Papa Misser Odo Colonna, lo quale fù dopò chiamato Martino Quinto, lo quale quando fù fatto, tutto lo mondo se ne rallegrò, massime la Città di Roma, e facciene grande festa, e Misser Jordano - - - di Papa Martino subito hebbe lo stato di Roma pacifico, e fù fatto nell' anno Domini 1415. à di undeci di Novembre lo di di san Martino, e poi si partì da Constantia, e vennosene in Fiorenza, e li stette anni doi & mesi.

Anno Domini 1420. del mese di Settembre à di 28. di sabbato venne Papa Martino à Roma, & entrò per porta dello Popolo, e stette tutta la notte in santa Maria del Popolo, e la domenica à dimane se ne giò à Palazzo di S. Pietro e giò per Colonna, per finò à santo Marco, e poi giò per via dello Papa, coperto collo Palio, e per ogni rione li fecero otto giocatori Gentil-huomini, e fù li fatto grandissimo honore, & li Conservatori e Caporioni con molti Cittadini di Roma parecchie sere riggivano colle torcie in mano accese la sera sempre dicendo: Viva Papa Martino, Viva, Viva.

E gionto che fù Papa Martino volse administrare giustitia, perche Roma stava molto surretta, & era piena di ladroni, e subito providde à tutte le cose, massime à quelli; che rubbavano fuori di Roma e tutti quelli, che rubbavano li poveri Romiti, che venivano alla perdonassla di Roma & hebbe notitia come Monte della guardia, e Monte Lupo & alcuna altra terra rubbava, per questo la sua santita subito prouiddè.

Dell' anno Domini 1422. die 30. di Novembre in festo sancti Andreæ ci fù una piena di acqua così grande à Roma, che allagò la maggiore parte di Roma, e fece grandissim danno, e tanto che non si potea contare, e di questo ne fù casone Braccio da Montone, perche partendosi molto scorrucciato da Roma, quando perde lo stato di Roma, ruppè li manni dello luoco di Pedelucò, e questo lo fece per rispetto delli Romani, e di questa pur ne resta la memoria in una parte nella faccia dell' Ecclesia della Minerva.

Dell' anno 1423. dello mese di Majo l' oste di Roma per comandamento di Papa Martino, gi allo Conte Bertollo, cioè à Fiano Leprignano, à Montelupo, & a monte della guardia, e stettevi lo Campo a Montelupo de molti di, e poi l' hebbe lo Papa con tutte l' altre terre, e poi che l' hebbe, fece spianare nel detto anno Montelupo perche rubbava, e questo fece Papa Martino per dare essempiò a tutte l' altre terre.

E fece mozzare lo Capo a Tartaglia dell' Arcello Capo di squadra, perche derobava lo bestiame, e quando le persone, & ancora fece morire tutti quelli latri, che rubbavano da Monterotondo a Campagnano, lo Signore Vlisse di Magnano, e lo Signore di Montelupo, e quanti ne furono grandi rubbatori di strada, si che in tempo suo si poteva andare con l' oro in mano da ogni parte.

Del 1424. die 2. Junii fù uccisо Braccio de Montone Capitano in quello dell Aquila, e per questa casione ne fù fatto gran festa, è letitia in Roma de fuochi, & de ballare, & ogni Romano giva con la Torcia a cavallo ad accompagnare Mr. Jordano Colonna Fratello di Papa Martino, perche era morto l' Inimico del Papa, & morti, che furono questi rimase Papa Martino senz' alcuno altro impaccio, e manteneo nel suo tempo pace, e divitia, e venne lo grano a soldi 40. lo rubbio.

In suo tempo fù pentato santo Joanni Laterano, e fece racconciare lo Palazzo di santo Apostolo, & in esso stette la maggiore parte del tempo suo, & hebbe la Rocca di Soriano a tempo suo. E nel detto anno 1424. nel mese di Jugnio a di 16. mori Mr. Jordano Colonna Fratello dello ditto Papa e morse in Marino, & stettence il Papa presente.

In quell' anno Frate Bernardino fece ardere tavolieri, canti, brevi, sorti, Capelli, che furavano le donne, e fù fatto un talamo di legname in Campidoglio, e tutte queste cose ci furono appiccate & arse, e fù a di 21. di Jugnio.

E dopo fù arsa Finicella Strega a di 8. del detto mese di Junio, perche essa diabolicamente

Digitized by Google

occiſe di molte creature, & affattivua di molte perſone, e tutta Roma ci andò a vedere.

E fece Frate Bernardino in Roma di molte paci, e di molti abbracciamenti, benche foſſe ſtato homicidio.

Dell' anno 1431. die 12. Januarii ſcuri lo ſole e fù lo lunedì di Carnevale.

Del predetto anno & meſe à dì 19. cadè la jotta à Papa Martino nella lingua, e fù di lunedì, e lo martedì ſequente morſe fu' nell' Albo dello dì, e fù à dì 20. di Febraio, & tutta Roma ne fù adolorata di ſua morte.

A dì primo Marzo tutti li Cardinali ſi miſſero in conclave in la Minerva, e fù sbarrata tutta la Piazza per fino alla Piazza di ſanta Maria Rotonda.

Die 3. Martij die ſabbati creatus fuit Eugenius Quartus Frater Cœleſtinus & Venetus, lo quale fù incontinenti menato in ſan Pietro.

Die 11. Martij fù coronato lo detto Eugenio ſecondo lo ſtile di ſanto Joanni Laterano, e pò alla ſua Coronatione torno à Palazzo, e fece Conſiſtoro generale,' e fonce di molta gente nella ſala grande, nellà quale per la detta preſſura ſi ruppe lo acrizzadore e credendo la gente, che cadeſſe la ſala grande, ogni huomo con feſtinanza ſi die à fuggire, e per la detta preſſura ſi affoggò lo Veſcovo di Sinigaglia Fratello di Pietro Mellino, & hoc fuit in modo prædicto die 26. Martij.

E ſubito che fù fatto lo detto Papa, have e pigliò tutte le fortezze, e maſſime Caſtello ſant Angiolo, lo quale teneva lo Principe, dallo quale lo detto Papa hebbe molte migliara de ducati, che li fece dare Antonio Colonna dal ditto Principe erano Mr. Jacomo Caldoro have dallo predetto parecchie migliara.

Dell' anno 1432. à dì 15. Aprile fù pigliato Oddo Poccia Vicecamerlengo, e pigliollo Stefano Colonna per comandamento di Papa Eugenio per voler ſapere le robbi, e li danari di ſanta Eccleſia, e dove ſtavano, e comando lo Papa à Stefano, che lo menaſſe honeſtamente dinanti adeſſo, e lo detto Stefano fece il contrario, e deſertolo, e per queſto lo Papa l'hebbe à grande sdegno, e minacciò à Stefano Colonna, e per queſta caſione Stefano preditto ſi parti da Roma, e corſene à Paleſtrina, e trattao collo Prencipe di venir à Roma per tollere lo ſtato allo Papo. E venero, e pigliaro Porta Accialo di di ſanto Torio a dì 25. d' Aprile, e ſtava nella porta Mr. Antonio Battiſta delli Albertoni e lo ſecondo di entrarono in Roma, e combatterono per Colonna, e ſanto Marco, e perdierono, e foronci di molti perſoni, e perdierono di molti Cavalli, & armi, e quando ſe ne ritornarono, depredarono molti beſtiami di Romani, e feceroно molto danno, perche in Roma ni era de molto beſtiame. E lo danno, che fecerono, fù ineſtimabile, e tenerono la ditta porta parecchi, & ogni dì ſi ci combatteva, e mentre che tennerono la Porta, lo Popolo di Roma ſtava ſoſpetto, e non faceva niente, e fù sbarrata tutta Roma, e givano i Romani tutti armati e li Cortiſciani, e li Popoli minuto, ſi potero à ſacco caſa di Stefano Colonna, e caſa de Orlanno, e caſa di Pietro Paolo Sartore, e de molte altre caſe. E tutta Roma ſtava in gran timore, e lo Papa, e li Cardinali, e tutta la Corte, perche dubitavano dello peio, e lo grano ſali à fiorini cinque & ſei, e mezzo lo rubbio, e non potevano gire per lo Datio, che non fuſſino derobati.

Eodem Anno die ultima menſis Maij fù retolta Porta di Acciaia al Signore Stefano, & à Mr. Antonio Battiſta.

Dell' anno 1432. à dì 3. di Jugnio fù gittata per terra la Caſa di Mr. Antonio Battiſta Pietro Mattheo, perche tolſe la porta predetta, e queſto comandò Papa Eugenio.

Et in queſto anno & meſe di Jugnio à dì 20. fù preſo l' Arciveſcovo di Benevento figlio di Antonio Colonna, & frate Maſi, e furono meſſi in Caſtello, e fù detto, che volevano tollere Caſtello ſant' Angelo.

A dì 14. del meſe di Julio fu impiccato frate Maſi, e poi fù ſquartato, perche ſi diceva, che haveva ordinato di tollere Caſtel Sant' Angelo, & fare de molto male, e voleva mettere lo Principe in Roma, eſſo, & molti altri Traditori: e per eſſempio de gl' altri lo Papa fece fare queſto, e la detta giuſtitia fu fatta nella Piazza di Campo di Fiore.

Eodem anno à dì 22. del meſe di Ottobre fu attoſicato Papa Eugenio dallo ſoldano ſuo Suidiere, e lo Papa ſe creſe morire, e fecelo ad inſtanza di Caſa Colonna, e per queſta caſione ne rimaſe ſtroppiato da un lato, ſi che non poteva alzare lo braccio.

Nell anno 1432. à dì 4. Jugnio venne una grande grandine & acqua, e li detti giazzoli erano groſſi come noci, e durò tanto, che allagò tutta ſanta Maria Rotonda con tutto lo Porticale, e gi in fino alla Matalena, e non fu mai veduta la ſimile, e fece de molto danno.

Dell anno 1433. à dì 7. d' Aprile fu publicata la pace d' Eugenio, e collo Imperatore Sigiſmondo Rè delli Romani ad eſſere uniti in buona pace, e tranquillità & unione in ſieme, e fu lo martedì ſanto, e gino lo bando à ſono di trombe, e furono fatte grande feſte in Roma.

Lo mercordi ſanto di detto anno furono pigliati in ſan Pietro quatro ſchiavi, perche rubavano intra Citta Caſtellana, & Acignano molti Cortiſciani, e portavano di quelle robbe adoſſo, e quelli Cortiſciani le riconobbero e peco furno preſi, & appiccati caldi.

Dell' anno 1433. fu dì Aprile a dì 17. fù occiſo Stefano Colonna, & amazzato lo Salvatore Colonna ſuo nepote & Mataleno figlio di Vergurio pentore, e per queſta caſione quelli di Paleſtrina ſi amazzaro Salvatore Colonna, e Mataleno, e molti altri, e fù amazzato detto Stefano in Genazzano.

Eodem anno a dì 20. di Majo venne lo Imperadore Sigiſmondo, e fù lo dì dell' Aſcenſione, e venne per Porta Caſtello, e givo à ſanto Pietro con grande ſolennità, & annoronce tutti l' Officiali di Roma, e foio fatti jocatori per ciaſcun rione, e girò ad accompagnare lo Imperatore; e lo Papa venne per fin' alle ſcale di ſan Pietro de in-

incontra adesso, e poi entrarono nell' ecclesia tutti due.

Eodem anno die ultima May fu incoronato lo Imperadore in santo Pietro da Papa Eugenio, e fù lo di di Pasqua rossata, e gio poi à tanto Joanni Laterano, & Papa Eugenio se li fece Compagnia per fino a Piazza Castello e poi lo Papa tornò allo Palazzo suo, e fonce di molti genti, e lo Imperatore sullo Ponte di santo Pietro fece molti Cavalieri, tra quali ci fù Mr. Stefano Paolo de Stati, e lo Cavallo dell' Imperatore fù adestrato dallo soldano, e da Manurio, li quali stanno scolpiti nella Porta di metallo di san Pietro à maro dritta, quando s' entra.

Eodem anno die 17. Junii die Mercurii circa 22. hore lo sole scuri, e lo Imperatore predetto stava in Roma, cioè à santo Joanni, e lo Papa à santo Pietro.

Et à di 25. d' Agosto del detto anno venne Nicolò Fortibraccio à Roma hostilmente, e prese Pontemolle, e venne fino à Porta del Popolo, e feceronci di molti Presoni, e furono presi Liello di Ciuffula, e molte persone, che stavano per le vigne. Di pò gi à Pontemolle, e pigliaio, e fonce preso Jacovello di Cecchino, e Mr. Matthia di Pietro Palozzo; e curse tutto lo Latio, e tolse tutto lo bestiame che vi era, e fecero di molti presoni, e fecero in quello di grandissimo danno alli poveri Romani.

E lo stesso di prese Ponte Salaro, e Ponte Lamentana, e fù sbarrata Roma, e lo lunedi venendo fù retolto Ponte molle, e fù gittato tutto lo ponte di Lignamo, e foronce prese di molte persone di Castel nuovo; e lo secondo lunedi fù preso Ponte salaro, e duro questa tenebra mesi nove, perche Nicolò Fortibraccio tolse l' Abbadia di Subiaco, e poi se ne venne in Genezzano e mentre stava li vi andò lo Campo di Papa Eugenio, e nolli potè nocere: & esso Nicolò dopò tolse Tivoli, e cavone lo Conte di Tagliacozza, e tolselo nell' anno Domini 1434. à di 7. del mese di Ottobre, e li stette per tutto lo mese di Majo sequente dell' anno Domini 1435. concedendo esso Nicolò che Roma era in libertà lo hebbe molto caro e reassenò Tivoli allo Popolo Romano à di 21. del mese di Jugnio.

Dell' anno Domini 1435. à di 5. di Decembre furono appiccati dieci sette huomini nelle forche à Campidoglio, e fù di sabbato à sera, e furono presi in Campo Salino, e furono di quelli di Nicolò della Stella, e lo Reggimento lo fece per dare essempio ad ogni persona, che rubbava, perche Romani erano derobati da ogni parte, e furono schiavi pro majori parte.

Quando fù perduto lo stato di Papa Eugenio.

Dell' anno 1434. à di 29. di Majo fù levato lo stato di mano à Papa Eugenio, e furono fatti li sette Signori per la libertà di Roma, e chiamonsi Governatori della Republica di Roma, e furono questi, cioè Joanni Mattheo di santo Angiolo, Liello Paolo Stati, Ciecco di Strocco, Joanni Cuccio di Viello de Ripa, Joanni Soma de Colonna, Mr. Antonio Scovola della Regola, Torio Trasca da Treio. E Poncello de Pietro Veranarieri si fu fatto Contestavile di Campidoglio, e questi Officiali si presero lo Camerlengo nipote di Papa Eugenio, e messeronlo in Campidoglio nella Camera del Senatore ben guardato dalli Romani. E per questa casione si parti Papa Eugenio, e per paura lassarono ogni cosa, & vestiosse à modo di Fraticello in Transtevere, e poi si mise in una barchetta, esso, & Frate Arsencio, e come fù saputa la sua partenza gli andarono in piedi, e sequitorollo colle sagette e lui si salvo, e giò à Fiorenza, e li stette per fino che tornò à Roma, e subito che fù partito, Castello santo Angelo ruppè con Roma, e mai finiò di bombardare, & li Signori di Roma si facevano le stave nello Ponte di santo Pietro con un forte muro, e fù fatto Capitano Paolo delli Josti con cinque piutre, e tenevaci la bombarda, e l' altra sbarra fecero à santa Maria Traspontina & in Piazza Castello, e lo ditto Papa si parti alli 14. di Jugnio.

Eodem anno & mense quelli di Castello Santo Angelo tennero modo contradimento ordinato di darsi allo Popolo di Roma, e gridavano tutti quelli di Castello: Viva lo Popolo, e li Officiali. E tutto lo Popolo se lo crese, e tutta Roma corse à vedere, e Mr. Baldassario da Nino, che stava in Castello, diceva con alcuni degl' altri: Vengate, e pigliate lo Castello. E li Romani cigerono & entrati, che furono dentro, furono pigliati; e li Cittadini pigliati furono questi, Jacovo di Roma, cioè di Mr. Galiotto Normando, Valeriano Muto, Joanni Somai de Colunna, Torio Tasca de Treio, Matthia Campione de Colonna, Paolo Jacovo de Campitello & un altro. E subito presi che furono, lo Castello gittò in bombarda, & deo nello muro della sbarra, & ogni persona si fuggi per paura della bombarda, e tutta Roma ne rimase sconfitta, e li Officiali se ne gerono à Campidoglio tristi e dolenti, & molti dicono che questi Cittadini da uno di essi furono menati.

Dell' anno Domini 1434. del mese di Ottobre nella vigilia de Santi Simone & Juda, à di 23. fù perduto lo stato del Popolo, e re hebbe lo statò la Ecclesia e gesse fuora lo Camerlengo di Campidoglio; & erano Officiali questi, cioè Paolo Povaro, Massimo Liello Cecco, e Bartolomeo Rezzunello, & furonce fatta gran festa per Roma per quelli, che erano dello stato Ecclesiastico, e subito abbandonarono lo Campidoglio, e fù fornito incontinentia de fanti dell' Ecclesia, e di vettovaglia, e tutti gl' Officiali se ne gerono à casa tristi. Et dolenti, & in quel di furono fatti li Officiali per la santa Ecclesia, e subito venne lo Patriarca Vittelesco di Corgnetto un' huomo diabolico, e messe paura ad ogni persona, e stette qui per legato, e lo Camerlengo se ne andò allo Tio Papa Eugenio.

Dell' anno 1436. del mese di Marzo à di 20. Poncello tolse Porta Majore, e fù Poncello Figlio di Pietro Venerameri, e da Paolo frate e da Antonio di Paolo Jannuccio, e da Joanni Romano, e la ditta Porta la dierono allo Conte Antonio Caldara, e subito fù sbarrata Roma, e tonneronla di trè, & lo Conte eversò, e molti Romani

mani li dieronla battaglia, & arrenderoſſe, e furonſe trovato Antonio di Paolo Jannuccio, e Joanne Mavone, è fù la di di Gieruſalem, che ne giò tutta Roma. Diceſi che Poncello fece queſto, perche lui s' operò, che Roma tornaſſe all'Eccleſia, e nella liberatione del Camerlengho fecelo, e furon li promeſſe cento migliara de Ducati, e non li furono dati, peio lui ſi deſperò, e fece coſi.

Eodem anno, menſe Maij fù meſſo à ſavo Caſtello Candolfo dalle genti del Patriarca, e fù arſo, e gittato à terra, e lo ſimile fù fatto allo Borghetto, e fù gettata à terra Caſa di Poncello, di Pietro Venerameri, & de Cola dello Tronco, e de Paolo Ficco, e di Antonio de Paolo Jannuccio, perche tolſero la Porta, e furono banditi della teſta.

Dopò lo Patriarca moſſe la guerra in Campagnia, e pigliò tutta Campagna & Cività Innivina, e Caſtelnuovo, e lo detto Patriarca piglio lo Conte Antonio Caldora, & appiccolo à Scantino in Maritima in una oliva, e fù à 19. del meſe di Majo, & à di 3. di Jugnio meſſe Campo à Tagarola, & à Paleſtrino, e givonce lo Patriarca collo Popolo di Roma, e ſtette in Campo, perfin che hebbe Zagarola, & Paleſtrino e tolſelo d' Agoſto, e ſubjugollo all' Eccleſia, e poi tornaro à Roma, & folli fatto tanto honore, che ad uno Papa non ſaria fatto, & giò ſotto pallio dall' arco di Santo Vito ſin' à ſanto Lorenzo in Damaſo con tutti gl' Officiali di Roma, dicendo: Viva lo Patriarca che è lo Padre della Città. Perche era ſtato una gran Careſtià, & invilivo lo grano per amore ſuo, e lo palio ſuo fiſciliato dinanti à ſanto Lorenzo, come foſſe ſtato uno Papa, o Imperatore.

Et dopò lo detto Patriarcha preſe Poncello predetto, e dello detto meſe lo fece attanagliare per Roma, e doppò in Campo di Fiore lo fece impiccare, e ſquartare, e li parti appiccò per Roma, e lo detto Patriarca fece ſpianare & abruſciare Paleſtrina, perche Stefano Colonna era tornato contro lo Papa, e tutti i Paleſtrini girono preſi, & in Roma venne la nona preda.

Dell' anno 1437. d' Aprile lo detto Patriarca giò à campo nello Reame di Napoli, e trovò, che lo Ré d' Aragona haveva havuto Napoli con tutte le Caſtella, e per queſta caſione ſe ne tornò à Roma.

Del meſe di Juglio ritornò in Reame, e preſe lo Prencipe di Taranto con molti Preſoni, e tutte le terre dello Conte di Nola, e le terre dello Prencipe, e fecenſi di gran fatti.

Dell' anno Domini 1438. morſe Sigiſmondo Imperatore di Roma.

Del detto anno à di 12. d' Aprile Capolacciola & Garofolo doi Beneficiati di Santi Joanni Laterano furono molte pietre pretioſe, Zaffiri, Balaſſi, Diamanti, Amatiſti, e perche dello capo di San Pietro e Santo Paolo, che ſtanno nel tabernacolo di Santo Joanni predetto in doi volte, e furono ritrovati per queſto modo. Serveſtro de Pallone comprò una perla de grande valore per 30. ducati, e fù una conteſa coll' orefice, e queſto Serveſtro, & in queſto modo venne à notitià de molti, e quando fù ſaputo, che l' haveva venduta, ſubito fù ſuſpicato, e fù ſuſpetto, e ſubito fù preſo Mr. Nicola de Valmontone Canonico di San Joanni, perche Galerazzolo ſuo nipote lo deo à tenere à lui, lo jurava, che non era vero, e che non ne ſapeva niente, eſſo lo ſapeva dopò che fù ſaputa la verità, e trovate le pietre tutte furono riportate à Santo Joanni, à di 20. d' Agoſto con tutta la proceſſione di Roma, e giſſe lo Senatore di Roma con tutti l' Officiali, con tutto lo Popolo, e lo Senatore leſſe la Scommunica, che foce Papa Urbano Quinto, lo quale poſe liquelle teſte, & ornolle con le ditte pietre.

Eodem anno die 4. di Settembre furono diſgradati queſti malfattori, id eſt Mr. Nicola de Valmontone Canonico, Capacciola e Garofolo Beneficiati nell' Altare majore dell' Arcocello, e dopò furono riſcarcerati nella Piazza di Campo di Fiore relevata fù in alto, & li ſteronci di quattro, e del detto meſe furono juſtitiati in queſto modo: Capacciola e Garofolo furono ſtraſcinati per fino alla Piazza di San Joanni, e Mr. Nicola giò à Cavallo nello ſomaro tutti Immitriati, lo detto Mr. Nicola fò appeſo nell' ormo della Piazza di Santo Joanni, à Capocciolla & Garofolo li furono mozze le mani dritte, e poi furono arſi nella detta Piazza, e le dette mani furono chiaccillate à canto all' opera di metallo, à quel muro come delle predette coſe ſi vede la memoria penta, come s' entra la eccleſia di Santo Joanni à mano dritta fù ad alto.

Del detto anno 1438. di Novembre à di 8. fù juſtitiato Jacovo Galeſe & Riccio, perche volevano guaſtare lo ſtato dello Patriarca, e volevanolo pigliare, e furonli mozzo lo Capo, e poi furono appeſi tutti doi per li piedi nelle forche di Campidoglio, & le teſte furono meſſe in doi lancie, e portate per Roma, & in Campo di Fiore per eſſempio de gl' altri.

A di 2. del meſe predetto Rienſo Colonna tolſe Tagarola, e la Rocca, e gionſe à campo Ranaldo Orſino, e miſe ſi in Galicano, e lo Patriarca ſe n' era gitto à Cornetto, e come ſeppe la novella ſi ritornaro à Roma. E ſempre piobbe quei di, e per la detta piovia creſce fiume, e gi per tutta l' aceſſe, e per molti altri luoghi & à campo à Tagarola, e gi molta gente di Roma, e lo Patriarca, che gi à campo lo di di Carnevale, che fù à 17. di Febraio, e furono fatte le proceſſioni, e fù moſtrato il volto ſanto, e le teſte di Santo Pietro, e di Santo Paolo per queſta caſione, e portaronla brecciola con molte bombarde, la quale breccola fù fatta nella Piazza di Colonna, e ſtattovi lo Patriarca à campo tutta la quadrageſima, e dopò alli 2. di Aprile fece la concordia con Rienzo Colonna, e fù lo Giovedi ſanto, e ſono à gaio Campitoglio con tutte l' Eccleſie di Roma, e poi ſi parti lo Patriarca per gire à Fiorenza à di 4. d' Aprile.

Dell' anno Domini 1439. del meſe di Maio in tempo di Mr. Angiolo Puriario Senatore di Roma fù arſo, & buttalo per terra Zagarola.

Eodem anno & menſe Novembris fù fatto Papa Felice in Conſtantia dalli Cardinali, che erano nello Concilio, & era Papa Eugenio, e quelli dello Concilio fecero molti comanda-

men-

Digitized by Google

menti à Papa Eugenio, che fe doveffi rapprefentare, e mai non ce volfe comparire, & era in queſto tempo lo fcifma, è depò fequitarono le cofe infra fcritte.

Lo Patriarca predetto nel fopradetto anno disfece lo Signore di Foligno, e tagliato li la teſta ad eſſo, & allo figlio nella Roccha di Soriano, & Papa Eugenio per timore dell' altro Papa fece queſto, che fequita.

Vedendo Papa Eugenio, che era abbandonato, dalli Cardinali per Papa Felice, che era in Conſtantia, tenne modo le quattro tempora di Natale di fare dicifette Cardinali, & fece queſti, cioè lo nipote di Monſignor di Rohano, lo Cardinale di Brefcia, lo Cardinale di Rhohano, lo Cardinale delli Alberti, lo Cardinale di Capua, & gl' altri, quali non fono defcritti qui.

Dell' anno Domini 1439. à di 19. di Marzo fù prefo lo Patriarca di Corgnetto predetto Cardinale di Fiorenza del titolo di San Lorenzo in Luccria, e fù prefo in porta San Pietro à Caſtello, e fi lo prefe Miſſer Antonio Caſtellano de Caſtello per comandamento di Papa Eugenio, perche poco li apprezzava, & proccacciava d' havere lo Caſtello, & addomandollo più & più volte allo detto Mr. Antonio, e Mr. Antonio ne fcriffe allo Papa, e per queſta cafione ne fu prefo, & dicevafi, che fi voleva fare Signore di Roma, e quando fù pigliato, e fù ferito, & ſtette prefone di vinti e poi morſe à di dui d' Aprile di fabato, e lo corpo fuo fù portato alla Minerva, e lo Conte Averſo paſsò di la dello Ponte con tutta la fua brigata, e non potè intrare ad ajutare lo Patriarca, perche fu gittata la Caditora, e fubito lo Conte prefe le fome, e lo coriaggio, e portofelo à Ronciglione.

Eodem anno & menfe Aprilis venne à Roma l' altro Patriarca Cardinale di San Lorenzo in Damafo per Legato di Roma, e quando venne, li fu fatto grande honore da Romani, e gi fotto Pallio da Santo Pietro per fino à Santo Lorenzo in Damafo.

Dell' anno Domini 1440. di Maggio la feſta del Corpo di Chriſto li Fraticelli di Santo Joanni volevano portare lo Corpo di Chriſto, e li Canonici non volevano, perche lo volevano portare eſſi: per queſta cafione fù levato lo tumulto, e furon cacciati da fanto Joanni à furore di Popolo, e furono cacciati colle pietre, e quelli Fraticelli ſi difendevano molto bene, e per queſta cafione andarono da Papa Eugenio, e parte ne rimafe nel Palazzo, & allo Papa li feppe moltorio e però comandò allo Patriarca & allo Caſtellano, che fuſſero rimeſſi li fratticelli in Santo Joanni, e furono ad accompagnarli li Confervatori, & 26. Caporioni. Et in quel tempo erano Confervatori Rienzo Mancini, Peronello de Cecchino, & Cola Margano. Li nov' Officiali jurarono l' officio, mà non furono ammeſſi allo detto Officio, fino che non entrarono li detti Fraticelli, però furono li officiali vecchi & novi.

Dell' anno 1442. à di 15. di Decembre furono juſtitiati l' infra fcritti, cioè Gino Albanefe Capo di fquadra, e lo Cancellero fuo Cufino, à effoli fù tagliata la teſta, e lo Cancellero fu appefo, perche Gino ruppe la trega contra di Roma, & in tal di furono guaſte tutte le tetta di fanta Maria Rotonna, perche guaſtavano tutta la Piazza, e dopò furono gittati tutti li Portici, che ſtavano al lato alle Colonne del detto Porticale, e furono le Portiche queſte, la Portica di Tomarezzo, la Portica di Joanni Tofcanella, del Cola, del Mauto, e di Jacovo Pucci.

Dell' anno detto à 27. di Maio fu mozzo lo Capo à Paolo della Molara, in Campitoglio, e fecelo mozzare lo legato, per fofpitione, che ne haveva perche era valent' huomo, e fù li mozzo con gran fatica, perche ſi difendeva dallo Senatore, & folli moſſo fenza confeſſione & Communione, e doi di inanti furono appeſi quattro delli fuoi faccomanni.

Eodem anno à di 28. di Settembre di Sabbato venne à Roma Papa Eugenio, & entrò per Porta dello Popolo, & entro nella Ecclefia, e li ſtette tutto lo fabbato; la Domenica poi ſi partì, e gi à San Pietro con molta gente, e con cinque Cardinali, & giò fottò Pallio, e miſe lo terzo allo vino, e radoppiò tutte le gabelle, e lo Popolo ne ſtava mal contento. E quando fù à Colonna, fù ſtillato: Viva la Ecclefia, e mora lo terzo: e fù levato lo terzo, e givonſi tutte le drive di Roma con molte reliquie, e fò li moſtrato lo volto Santo, & ſtette in San Pietro di 19. è poi fe ne giò a fanto Joanni, e li fù ordinato lo concilio, e fù racconcia la fala del Concilio, e furono miſſe le fcritte per tutta Italià, e dopò fe ne tornò à San Pietro.

Eodem anno à di 8. di Decembre in die fancti Ambroſii fuit eclipſis lunæ.

Dell' anno 1444. di 12. di Settembre fù occifo Angelotto delli Fofchi Cardinale di fan Marco, & occifolo un fuo Cameriere, e robaolo e per queſta cafione lo detto Cameriero fubito fù prefo, e ſtrafcinato da Campitoglio fino alla Cafa dello Cardinale, e poi fu meſſo in uno Carro legato, e fù attenagliato per fin' à Campo di Fiore, e polli li furon ſi moſſe le mani, e pò fù appefo, e poi fù fquartato, e poſto in quattro parti di Roma, uno à Ponte mollo, uno in Campo di Fiore, uno à Monte Mari, e l' altro à Porta fanto Joanni le mani furono chiavellate nello muro in Porta fanto Pietro.

Del 1446. à di 5. di Jugnio lo di di Pafqua Rofata fù cannonizzata fan Nicola da Tolentino dell' ordine di fanto Agoſtino, & diſſe la meſſa lo Papa, e gi la Proceſſione da fanto Agoſtino à fanto Pietro folennemente con molti Prelati e Popolo.

Eodem anno Papa Eugenio cacciò tutti li Canonici di fanto Joanni, e fece la Canonica per li - - - - - - e fece lo Choro rilevato, & acconciò tutta quella loggia, che era da fanto Joanni ad Sancta fanctorum.

Dell' anno 1447. die nona Januarii die lunæ entrò Rè di Ragona in Tivoli, & accompagnollo lo Camerlengo, e l' Abbate di fan Paolo Cardinale, lo Vefcovo di Tivoli con tutto lo Popolo di Tivoli, e lo Capo militia li aſſignò le Chiavi per comandamento di Papa Eugenio, e dello Patriarca

ca Camerlengho, e lo detto Rè non ſe volſe tollere, & dapoi doi dì ſe tolſe, e le ſue genti fecero in Tivoli molto danno di coſe da manducare.

Eodem anno à di 12. di Febraio lo Papa proceſſionalmente mandò à ſanto Jovanni Laterano lo Regno di San Silveſtro, cioè Corone trè di oro, l' una di ſopra l' altra, lequali donò Conſtantino al detto Silveſtro, e lo detto Regno venne d' Avignone.

Eodem anno die Jovis 23. Februarii morſe Papa Eugenio quarto ad hora otto di notte.

E di pò fu ordinato lo Concilio per li Romani in Araceli di quello, che ſi doveſſi petere allo Collegio, nello quale ci intervenne l' Arciveſcovo di Benevento, e molti Cittadini, nel quale Conſiglio arrenghò Mr. Stefano Porcaro, e diſſe alcune coſe utili per la noſtra Republica, trà le quali diſſe, che ſi doveſſe vivere ad Capitulo colla eccleſia, & collo ſummo Pontefice, attento che una triſta & picciola di quelle, che erano ſubiette, alla Eccleſia vivevano ad Capitulo con dare in tanto all' Eccleſia & Romani. Et l' Arciveſcovo ſi livetao, che non diceſſe più, e tutto lo Conſiglio ſi aronci, & volevano li Cittadini, che Mr. Stefano diceſſi, e doppò fù rotto lo detto conſiglio, e doppo li Romani iterum entrarono nello refettorio, dove ſi faceva, & l' Arciveſcovo predetto ſi partì molto ſcorrucciato, e non fù più fatto mente per paura del Rè d' Aragona, che ſtava in Tivoli.

Eodem anno die 4. Martii li Cardinali entraron in Conclave, lo quale fù nella Minerva, e furono dici otto Cardinali, cioè lo Colonna, lo Greco, Ferino, Capua, Bologna, Andegaſſentis, Morimenſis, Milano, Taranto, Portogallo, San Paolo, San Marco, San Siſto, Valentia, San Clemente, lo Camerlengho di ſanto Lorenzo, Freſco, e Sant'-Angiolo.

A di 6. di Marzo li ſopradetti Cardinali fecero Papa lo Cardinale di Bologna, lo quale fu chiamato Papa Nicolao Quinto, e fù fatto grande feſta in Roma.

Die 18. eodem menſe la Domenica della Roſa fu coronato Papa Nicolò Quinto nelle ſcale di ſan Pietro, e dopò ſe ne gì à ſanto Joanni e folli fatto molto honore per li Romani all' andare & allo tornare.

Die 8. Junii lo dì dello Corpo di Chriſto Papa Nicolò fece la Proceſſione in ſanto Pietro, e portò lui colle ſue mani lo Corpo di Chriſto da ſanto Pietro perfin' à Porta Caſtello, & andonci tutti li Cardinali, e Veſcovi & Arciveſcovi, e tutta la Eccleſia di Roma, & adonce à vedere tutto lo Popolo, perche da qui manti fu veduta ſimil' cerimonia, che lo Papa andaſſe in proceſſione alli di noſtri, & per queſto in quel dì non fu fatta la feſta di ſanto Joanni, come ſi voleva fare.

A di 24. di Jugnio in die ſancti Joanni, lo Papa andò à ſanto Joanni, e le diſſe la meſſa con tutti li Cardinali, & li Conſervatori e Caporoni fecero correre l Palio, che hebbero alla Coronatione di Nicola, e corſero da ſanto Coſmo & Damiano per fino all' arco di Conſtantino in Piazza di ſanto Joanni, & hebbelo Battiſta Renzo Mancino.

Dell' anno 1448. nel dì di ſanto Marco à 25. d' Aprile Papa Nicolo fece una proceſſione ſolenniſſima da ſanto Pietro fino à ſanto Marco, dove vi andò lui à piedi, con tutti li Cardinali, e con tutta la Chiereſia, e con molte reliquie, e fù la più ſingulare proceſſione, che mai foſſe fatta in Roma, e doppò lo Papa diſſe la meſſa in ſan Marco ſolenne, e dopò pranzo in Caſa del Cardinale di Capua, & alle 22. hore ſe n' andò à Palazzo à cavallo, e fu li fatto molto honore per li Romani, e furono coperte le ſtrade da Porta ſan Pietro per fino à San Marco.

Eodem anno die 23. di Maio lo detto Papa Nicolo fece la Ceremonia di fare una ſimil proceſſione à ſanto Joanni, e portò lui à piedi lo Corpo di Chriſto colle ſue mani da ſanto Joanni per fin' à ſan Clemente, e dopò dè là volta, & ritornò à ſanto Joanni, & la ſera ſe n' andò à Palazzo a Cavallo per Tranſtevere.

Eodem anno à di 29. d' Agoſto in die decollationis ſancti Joannis Baptiſtæ ſcuri lo ſole trà terza & Nona, & in queſto anno fo grande moria in Roma, & per tutto.

E doppò del meſe di Settembre venne à Roma Frate Roberto, e predicò nella Piazza di Campitoglio, e fece fare di molte paci in Roma, e tutti ſtrillavano miſericordia per la grande moria, che era in Roma, & à di 23. di Ottobre andarono li garzoni inudi fuſtandoſi dall' Araceli per fino à ſanta Maria Majore, e gridando ſempre miſericordia, per la gran moria che era.

Et a di 4. di novembre del detto anno fò in Roma lo terremoto, e tremarono le caſe mirabilmente, & ogni huomo fuggiva con paura, e ſi ſalva all' eccleſia.

Eodem anno 1449. à 23. d' Aprile lo dì di ſanto Iorio venne la novella à Papa Nicola, come Papa Felice Antipapa con tutti li ſuoi Cardinali havevano rinonciato allo Papato, e queſta rinonciatione fece fare l' Imperatore, perche non voleva che foſſe lo ſciſma, e lo detto Papa Nicola deo lo Cappello à Papa Felice, e li ſuoi Cardinali che prima volſe, che ſtaſſero à ſua diſcrettione, & in Roma ne fù fatta gran feſta, e per queſto in quel dì fù corſo lo Pallio di docati cinquanta.

Die 27. ejuſdem menſis lo ditto Papa per la caſcione predetta rendendo gratie à Dio, fere & ordinò ſolenne proceſſione da ſanto Pietro per fino à Porta Caſtello, e furon li Cortiſciani molto lieti.

Del 1450. cioè nell' anno ſanto Papa Nicola con grande ſtudio & grande diligenza e coll' ajuto e conſiglio di nullo fece proviſione & ammanimento, ſi che nello detto Anno di jubileo mai mancò coſa alcuna & à tante migliara di perſone, che vennero a Roma mai mancò nulla.

Del detto anno & meſe di Decembre à di 29. e fù di ſabato, fù moſtrato lo ſudario alli Pellegrini, che erano in Roma, e Papa Nicola fece la benedittione à tutto lo Popolo Chriſtiano, che ſtava nella Piazzo di ſan Pietro, e quando lo detto Popolo volſe cornare, e fu nello Ponte di ſanto Angelo una grande Carica, & ſtetta per la moltitudine dell' huomini, e li era una mula, alcuni, che fu di ſanto Marco, alcuni dicono, che portava doi aſte, con due femine, che venivano allo perdono,

Digitized by Google

no, e paventò la detta mula, e la gente per la calca grande cascava in terra, e fò nello detto Ponte si grande pressura, che li vi si morsero persone ducento, e trè cavalli affoggati, e la detta mula, & molti ne cascaron in fiume, e delli morti parte ne gi à santo Celso, e parte in Campo santo, dove ne furon portati diciotto carrette, piene d'huomini morti, e mai non fò ne odita, ne veduta simil' cosa, & uno caso così horribile.

Nell' anno 1451. Papa Nicolò se de allo edificare & ad acconciare Roma, e prima restaurò Roma, cioè le mura, & Turricelli, e le porte di Roma, e massime quella di Testaccio, e fere acconciare Campitoglio, e fece la torre in Castello santo-Angiolo, id est, che ampliò quella, che fece Bonifacio, e fece li lestanze di là, e de quà, e fece uno muro grosso al Torrioni con tre torricelli rondi, e fece lo muro intorno allo Palazzo con una Rocca ronda appresso Porta viridaria, fece lo muro à Ripa, e fece lo Palazzo à santa Maria maiore, & uno muro avanti fiume ad torre di Nona, e fece la Canonica alli Canonici di santo Pietro, & edificò lo Palazzo delli Conservatori, fece lo muro à Ponte molle, e fece doe Capelle ronde in nello Ponte di santo Pietro, e dottoli per l' anima di quelli, che morsero l' anno passato, e fece la Piazza di santo Celso con gettare molte case in terra, e fece di novo la Ecclesia di santo Theodoro doi volte, la prima acconciò la vecchia, la quale acconcia che fù cascò dalli fondamenti, & lui la rifece con poco più là, e poco minore, che non era. Item fece coprire & acconciare la ecclesia di santo Stefano Rotonno, e lo loco delli Frati, e dottoli, & acconciò la fonte di Trevi, secondo che si demostrava per le lettere & arma sua in più lochi, e questo lo fece in tempo suo.

Del 1452. lo Imperatore Federico venne à Roma à coronarsi, e folli fatto molto honore, in ogni parte, massime à Fiorenza, à Siena, & à Viterbo, e dovunque stette, e per questo Papa Nicola ne stava suspetto, e per questo fece venire tutta la gente dell' Ecclesia à Roma, & fanti à piedi, e fece comandare in ogni terra, che mandassino genti à lui, e si fortificò molto bene, e fece tredeci Monascaldi uno per Rione, & adessi, & à tutti l' altri Cittadini, & Officiali de le cropa di Rosato, e de tutte le porte alli Cittadini, id est, doi per Porta, e così sicuro entrò lo Imperadore in Roma collo Rè d' Ungaria, con molti Baroni & Cavalieri, e la prima posata fece in casa di Tomasso Spinelli fuor di Porta viridaria alla Croce di Monte Mario, & accompagnatolo tredeci Cardinali, e molti Vescovi & Prelati, & lo Senatore con tutti l' Officiali Romani, li quali li girò in contro lui si fermò nel suo Cavallo, e recepè la salutatione de tutti coloro, che lo vennero à visitare, e quando li Cardinali si li partavano, à pena che lui inchinava un poco la testa & così, & non tanto faceva alli Vescovi, e dopò venne lo Senatore Romano con gl' altri Officiali, e Cittadini Romani, e lo Senatore stava vestito in broccato con quella beretta, e con maniche, & ornamenti di pelle, con le quali và allo Testaccio & Nagoni, e quando sali poco inanti, & salutolo, lo detto Imperatore, ad domandò lo suo Interprete, che era questo, e lui li disse lo Senatore di Roma all' hora l' Imperatore se li caccolo Cappello & abbracciolo, e fece li molto honore, & ogn' uno si maraviglio, che alli Cardinali à pena haveva inchimato lo Capo, & allo Senatore si cavò lo Capello.

Doppò alli 9. del detto mese entrò lo Imperatore per Porta Castello, e gi sotto Pallio per fin' à santo Pietro colla Processione delli Preti, & colli Cittadini, & Ufficiali, liquali per comandamento del Papa li fecero grande honore, e lo Papa colli Cardinali lo receperono nelle scale di santo Pietro, e collo detto Imperatore deretto à lui ce giva la Imperatrice sua sposa figliuola del Rè di Portogallo, iouane polita, e bella, tanto quanto si potesse dire, con molte donne, e damicelle, & dopò lo Imperatore fù collocato, in quello Palazzo, che stà sopra le scale di santo Pietro. E dopò lo sequente di, id est li 10. di Marzo lo Imperatore arro la detta sposa, dopò la messa, la quale la disse lo detto Papa Nicola, & hebbe la messa della pace, & in quella ceremonia vi furono infinitissime persone, e dopò à di 18. lo detto Imperatore Federico Terzo fù incoronato da Papa Nicola, e li fù data la Corona dell' Imperio insieme colla sua donna Imperatrice, e dopò furononti d' olio santo, & in queidi si parti di san Pietro, & andò à santo Joanni Laterano, e nello Ponte fece di molti Cavalieri, & perche in quel di era la Domenica della Rosa, lo Papa li donò la Rosa, e dopo se ne partì di Roma.

Et doppò a di 22. d' Aprile ritornò lo Imperatore à Roma, & venne per mare, e venne à Santo Paolo, & non se sà perche tornasse, e dopò si parti da Roma per terra à di 26. del detto mese, & andossene del la magna e doi Cardinali li fecero compagnia per fino ad Acquapendente, e fù lo Cardinale di Bologna Fratello del Papa, e lo Cardinale di santo Angiolo, e Papa Nicola rimase molto lieto, & contento, che l' Imperadore s' era partito da Roma con buona pace.

Dell' anno 1453. à di 5. di Jennaro fù scoperto lo trattato di Mr. Stefano Porcaro, e fù pigliato lo detto Mr. Stefano in casa di Rienzo di Liello de Madonna Guasca ad hore nove di notte, & stava serrato in una cascia, e lui s' era fuggito da Bologna, dove lui stava confinato, e cridato in guardia ad mano, che li era legato, & haveva comandamento, che ogni di si dovesse appresentare allo Legato predetto, & Battista Sciarra nipote del ditto Mr. Stefano fece romore in Roma, e scontronsi lui con li suoi Compagni con uno Manescallo, lo quale andava con cento fanti à Palazzo, & ferivo à morte lo detto Manescallo, & alcuni delli detti fanti, e scoperto che fù lo detto trattato, andò lo senatore, lo quale era Mr. Giacomo delli Lavagnuoli da Verona in sieme con lo Vice-Camerlengo, e con molti fanti à casa di Mr. Stefano, e trovarono l' usci serrati, di dentro vi era de molti genti, & dasono la battaglia all' Uscio, quelli di dentro buttarono dalle finestre certe tavole, & quelli, che erano dentro, vedendo la cosa scoperta uscirono per la Porta dereto alla Casa, e lo detto Battista

Digitized by Google

tiſta Sciarra con quattro Compagni li baſtò l' animo di girſe di fora, e combattero con quelli fanti, e coſi giſſe e la corte li fù adoſſo, & loro ſi difeſero & camparon tutti eccetto uno, il quale combattendo ſe li ſtroncò la ſtringa della Calza, e caſcando le calze non ſe potè adoperare, e fù pigliato, e nella detta caſa furon pigliati queſti, che non erano ancora fuggiti, cioè, Sao de Ottaviano ſartor chiunciento di Mr. Angelo de Maſcio, e certi altri ſchiavi, che haveva menato con eſſo lo detto Mr. Stefano, e Franceſco Barbiero, & in nella detta caſa dello detto Mr. Angelo di Maſcio, e ſimilmente ne furono trovati de molti Partiſciani & Armi, e per queſto fù pigliato detto Mr. Angiolo Cognato di Mr. Stefano, e Roma ſtava in grande tribulatione.

Et à di 19. di Jennaro de Martedi, fù impicciato Mr. Stefano Porcaro in Caſtello, in quello torrione, che ſtà quando vai in là, à mano deſtra, e viddelo io veſtito di nero, in vipetto, e calze nere, le perdete quell' huomo da bene, & amatore dello bene, e libertà di Roma, lo quale perche ſi vide ſenza caſcione eſſere ſtato sbannito da Roma volſe per liberar la patria ſoa da ſervitute mettere la vita ſua, come fece lo corpo ſuo, alcuni dicono, che fù ſotterato in ſanta Maria Transpontina, alcuni dicono, che fù gettalo in fiume.

Et in quel di furon impiccati nelle forche di Campitolio ſenza confeſſione e Communione l' infra ſcritti, cioè Mr. Angiolo di Maſcio primo, e dopò lo figlio Chiumento, loquale per non vedere lo Padre impiccato, pregò, che li foſſe meſſo lo Cappello tanto inanti gl' oculi, che non lo poteſſe vedere, e coſi fù fatto, & ſtettero impeſi l' uno à canto all' altro.

Item con eſſi fù impiccato lo dito Sao di Ottaviano, e molti altri, liquali in tutto furono nove, e ſoli, letto la ſentenza ò caſcione, perche furon impiccati, e fù queſta, perche Mr. Stefano Porcaro ſi ci chieſe certi ſuoi ſequaci, & ordinarono di pigliare Papa Nicolo, & alcuni delli Cardinali, e mettere à ſacco di molte caſe, e violare di molte Zittelle, e per queſto li facea juſtitiare, e fù de lunedi.

Et in quel tempo furon ancora pigliati Mr. Joanni Ceſare, e Mr. Cornelio Canonico di ſanto Pietro, liquali perche non furono trovati in colpa, depò furono relaſſati, e Mr. Nicolò Gallo Canonico di S. Pietro ſe ne fuggì, e giſene in Damaſco, e li ſtette fino che fù morto Papa Nicolò.

A di 8. Gennaro fù impiccato Franceſco Gabadio, & uno Dottore, perche accompagnarono Mr. Stefano Porcaro, e diſſeſi, che havevano notitia dello detto trattato, e dopò andò uno bando, che chi ſapeſſe, dove ſtà Battiſta Sciarra, Mr. Nicola Imola nipote di detto Mr. Stefano, e Jacovo di Liello Cecco, che lo doveſſino revelare, e guadagnavano mille Ducati, e chi li dava morti, cinquecento, e lo Papa fece cercare per tutta Italia per queſti delinquenti, & tandem fece pigliare Battiſta di Perſona, alias detto Peccator maſtro Pietro di Monte Rotondo con l' altri furono pigliati, chi à Padua, chi in Venetia, & allo detto maſtro Pietro, e Battiſta Sciarra con molti altri, li fù tagliata la teſta alla città di Caſtello. Lo detto Peccatore fù menato à Roma, & à di 30. di Jennaro fu ſonata la campana di Campitoglio doi volte ad juſtitia per voler juſtitiare le detto Battiſta da Perſona, e li ſoi Parenti hebbero ricorſo ad uno Cardinale detto Metenſis, loquale habitava nello Palazzo di ſanta Maria Inviolata, che voleſſe ſupplicare allo Papa, che queſto povero huomo non moriſſe, attento, che lui non ſapeva niente diquel trattato, per la qual coſa lo Papa conceſſe la gratià al detto Cardinale, e fù mandato ſubito uno meſſo al Senatore, che non lo juſtitiaſſe, perche lo Papa l' haveva perdonato per amor del detto Cardinale, & i ſoi parenti furono aſſai contenti.

A di 31. di Jennaro fù impiccato lo ſopradetto Battiſta de Perſona per comandamento dello Papa, e la ſententia diſſe, come haveva ſentito lo trattato di Mr. Stefano & haveva ordinato, cioè, di pigliare lo Papa, e di ammazare alcuno Cardinale, lo di di Paſqua Piſania, quando lo Papa giva à meſſà à ſanto Pietro, e di mettere a ſacco de molti Fiorentini, & alcuno Romano, e poi partiſse ugualmente intra loro queſta nobba, & odendo queſto lo detto Cardinale Metenſis, che lo Papa per ſuo amore l' haveva perdonato lo di inanti, e dopo ſenz' altra caſcione lo di ſequente l' haveva impiccato, ſe ne andò con grande furia a Palazzo, e quello che diſſe allo Papa non ſi sà, ſe non che tornando lui a caſa incontinente fece mettere in ponto tutta la ſua fameglia, & cavalcò, & andoſſe, con Dio in Franzia, e non volſe mai piu tornare in Roma, queſto fece per grande diſdegno, che haveva contro lo Papa, maſſime che conoſceva le coſe oppoſte contro detto Battiſta non eſſere vere, attento la buona vita, & ancò la purita del detto huomo, dello quale lui ne haveva notitia, attento ancora che non era atto à ſimile coſa, & in quell' anno per queſta caſcone non fù fatta la feſta di Teſtaccio.

Dell' anno predetto 1453. del meſe di Julio à di 8. venne la novella allo Papa, & à Roma, come lo Gran Turco haveſſe pigliato Conſtantinopoli, e queſto con grande occiſione, e crudeltade de Romani, e Frate Roberto certificò al Popolo queſta novella eſſere vera; per la qual coſa lo Papa, la corte, e tutto lo Popolo ne ſtettero mal contenti, attento, che l' Ambaſciadore dell' Imperatore di Conſtantinopoli erano ſtati qui allo Papa per ajuto & ſuſſidio circa ad trè meſi, e mai non havevano potuto havere eſpedimento.

Nel 1454. à di 12. d' ottobre Papa Nicola fece pigliare Angelo Roncone, imperoche de lo paſsò allo Conte Averſo, quando gi à campo à Norcia contro la volontà del Papa, lo quale haveſſa mandato tutte le genti dell' eccleſia in ajuto di Norcini, e per pigliare lo Conte Averſo: vedendo queſto lo Conte proccaciò di tornare alle terre ſue, & Angelo Rancone vedendo che lo Conte à mal partito l' ajuto à darli lo paſſo, & ajutollo, & lo Papa lo hebbe à grande diſdegno, & havendo fallito, lo detto Angelo non ſi fidava dello Papa, e delli Cardinali, e con ſalvo condotto

Digitized by Google

dotto venne à Roma, e quello non ostante fù preso in Roma, e messo in Castello, e lo Papa li fece mozzare lo capo à di 13. d'Ottobre à trè hore di notte, e lo di sequente lo Papa domandò al Castellano, che li menasse Angelo Roncone, e lo Capitano se ne mareveglio, e disse, che Angelo era morto, e che la sua santità lo haveva comandato, e lo Papa se ne maraveglio, & afflissene, e disse, che non se ne ricordava: per la quale si stimò che per l'ebrieta lo haveva ditto, perche li sapeva molto buono lo vino.

Del 1455. die 11. Martii fù annonciato allo Popolo per bando mandato colla trombetta, come era fatta la pace d'Italia trà lo Ré d'Aragona, Fiorentini, Venetiani e col Duca di Milano, e col Conte Francesco, e fù fatta per 25. anni, e poi tutte queste genti d'Italia si radunarono insieme, & gierono contro lo Turco, e per Roma ne fù fatta gran festa della pace.

Eodem anno & mense die 24. la Vigilia della Annunciata ad hore 5. morse Papa Nicolò Quinto nello Palazzo di santo Pietro, & fuit die Martis, e fissi l'essequio. Alli 8. d'Aprile lo Martedi di Pasqua circa horam sextam, fu fatto Papa Calisto, id est, lo Cardinale di Valenza Catalono, & vocatus fuit Calixtus Quartus e fù coronato à di 20. di detto mese.

Et in quello di che fù coronato, un huomo d'armi da Monte rotunno, chiamato Santo, & un altro huomo d'armi dello Conte Averso hebbero parole insieme per uno ragazzo, e per questo vennero alle mani, & ferinnosi a morte, e morsero, & per questa cascione quelli dello Conte Averso tolsero dui Cavalli à quelli di Napolione e sentendo questo Napolione con tutta la soa fanteria se ne andò in campo di Fiora, dove stava lo Conte all'hosteria, la quale era di Bartolomeo di Nerone, e misela à sacco, con tutte quelle casa, dove alloggiavano, & ogni cosa li tolsero, e gridavano: chi vuole bene à Casa Orsina, venga ad ajutare; & all'hora tutti li servitori di Casa Orsina gierono à Monte Giordano armati, e foro tremille Persone, e Napolione con tutti quelli volevano gire à santo Joanni, e li Cardinali tutti stavano per questo turbati molto, e non sapevano che si fare, e finalmente mandarono lo Cardinale Orsino, chi ritenesse Napolione, che non venisse, e lo Papa mandò Mr. Joanni Baroncello, e Mr. Liello della Valle à fare, che non venisse, e cosi loro pacificarono, perche voleva venire à trovare lo Conte à santo Joanni, e combattere con lui.

Eodem anno die 29. Junii, fù canonizato S. Vincenzo nella Minerva, & andò la processione di là fin' à santo Pietro.

Eodem anno mense Novembris die 22. fù occiso un figlio à Jacovo Savello in Palombaria dalli fuorusciti dessa Palombara e de Aspra, & à di 23. del detto mese si fu occiso l'altro figlivolo, e fù di Domenica, e dopò si dieron all'Ecclesia, e lo Papa Calisto non li volse pigliare per la ecclesia, e mandoceli lo Cardinale Colonna, che acconciasse ogni cosa, & entrato che fu in Palombara l'Ursini dubitarono che non se la volessi pigliare per esso, e subito Napolione, e molta gente ce gi à campo, e stettenci parecchi di, e dopò vi andò Chatteo de Porcaro, e Francesco Savello con molti altri per commandamento dello Cardinale della Colonna, e dello Papa, & en ati che fora in Palombara ne furono squartati, & appesi per memoria, e folli fatto quanto male fò saputo.

Del 1456. di Juglio apparcce in cielo la Cometa con una grande coda, la quale haveva voltato lo capo verso oriente, e dapò adessa fù in Roma gran carestia, e gran peste, e guerra, & occisione, & per questo in Roma furono ordinate le processioni, che Dio ci rivocasse ogni rea sententia.

Del detto millesimo die 24. di Juglio li Christiani hebbero vittoria contro dello Turco, delli quali ne furono morti più di sessanta mila, e lo Turco campò lui con poche persone, e li Christiani tolserono al detto Turco circa à ducento bombarde, e tutta l'artigliaria e vettovaglia, e di questa nuova lo Cardinale di santo Angiolo ne scrisse allo Papa, & allo Cardinale di Fermo, e la detta novella venne a di 22. d'Agosto.

Dell' an. 1456. a di 24. Decembre fù le 22. hore de sabbato lo terre moto in Roma, e durò poco. Item fù molto maiore à Napoli, & in tutto lo Reame, per la quale cosa lo Rè di Ragona con li suoi Baroni ne vennero despacere contro allo Rè loro.

Dell' anno 1457. la vigilia di Natale Papa Calisto fece nove Cardinali, cioè doi suoi nepoti, il Vice-Cancelliero, collo titolo di santo Nicola delle Carceri, & il suo Fratello collo titolo de santi Quattro. Item lo frate di Mastro Simone medico titolare di sant' Anastasià, il figlivolo del Rè di Portogallo, lo Vescovo di Nola titolare de santo croce, lo Vescovo di sena titolare di Santo Stachio, lo Vescovo di Pavia titolare di san Chiumento, l'Arcivescovo di Napoli.

Lo detto an. 1458. lo Conte Averso tolse Monticello del mese di Febraio, e guereggiò coll'Orsini, perche dicevano, che l'heredità dello Conte di Tagliacozza toccava alla Nora moglie del figliuolo, e davano uno grende scandalo ad Roma una parte, e le altra, e fù lo primo d'Ottobre.

Eodem anno Papa Calisto corono Borgia suo nipote Prefetto di Roma.

Dell' anno Domini 1458. morse Rè d'Aragona, e fù fatto Ferdinando suo figliolo bastardo.

Eodem anno mense Augusti die 6. morse Papa Calisto, & un di inanti Borgia Prefetto, & Capitano con tutti li Catatani si partiero di Roma, e girò à Civitavecchia. Et in quel di morse Tomasso Spada in testa Cavaliere, e Senatore di Roma, si che si stava senza Papa, e senza Senatore.

A di 4. d'Agosto morse lo Cardinale di Fermo, e fò seppelito alla Minerva, e non fù fatta la festa quell' anno per le cose predítte.

Anno Domini 1458. à di 19. d'Agosto ad hora terza fù fatto Papa Pio Aenea Sanese Cardinale del titolo di santo Stati.

A di 3. di Settembre fù incoronato in santo Joanni.

A di 22. di Decembre Papa Pio fece Prefetto di Roma lo Principe di Casa Colonna, perche era morto Borgia nipote di Calisto.

A di 22. di Jennaro Papa Pio si parti di Roma per

Digitized by Google

per annare à Mantoua, e fù de lunedi, e lo ſabato inanzi in ſanta Maria maiore fece la beneditione con la remiſſione delli peccati ſecundum formam Eccleſiæ. E rimaſe in Roma Legato lo Cardinale Tedeſco del titolo di ſanto Pietro ad Vincula, & Governatore Mr. Galeazzo Veſcovo di Mantoa, e non fò fatta lo Carnevale.

Del 1459. del meſe di Marzo Papa Pio fece quattro Cardinali, Maſtro Aleſſandro Generale di ſanto Agoſtino, lo ſuo nepote Veſcovo di Sena lo Veſcovo Reati Fratello del Cardinale di Fermo, e lo Veſcovo di Spoletti, Mr. Nicolo di Piſtoia detto lo Cardinale di Cecaro.

Eodem anno à di 16. di Maio fu pigliato in Roma uno Jovane ſcelerato, loquale haveva nome lo Inamorato, perche tolſe una Zitella, la quale ſe ne dove a gire à marito lo terzo di, e fu menato à Campitoglio, e per queſta caſcione Tiburtio di Mr. Angelo Manetto, e Jan Filippo figlio di Paluzzo Sovattaro, e lo figlio de Renzo Colaroſcio di Treio inſieme con certi altri ſfidati, che ſtavano inſieme à Palombara, vennero in Roma, e pigliarono uno Camocero dello Senatore, e menarollo al Tuello di ſanta Maria dello Popolo, e teneronlo là la ſera, che fù preſo lo Inamorato per fino à mezzo di, e poi ſi partierono dallo Tuello, e geroſene à ſanta Maria Rotonda fù de ſopra collo preſone preditto, e li ſtettero fino alli 25. di Maio, e non lo volſe mai rendere, ſe non ſe li reſtituiva lo Inamorato, e coſi, fò fatto, lo Inamorato giſſi di Campitoglio, e fù fatta la remiſſione à Tiburtio, & à tutti li diffidati, eccetto homicidiarii, latri, traditori dell' ecclèſia, heretici, e dopò lo detto Inamorato ſi pigliò per moglie quella citella, che haveva raputa di Tranſtevere ad honore della ſanta Eccleſia.

A di 5. di Ottobre eodem anno Papa Pio tornò e meſſeſi in ſanta Maria dello Popolo, & à di 7. ſe ne andò à ſanto Pietro Pontificalmente aſceſo in lettiga.

A di 29. d' Ottobre eſſendo preſone un jovane Romano chiamato Bonanno Specchio, venne Tiburtio in Roma con certi ſuoi Compagni per campare lo detto Bonanno, e pigliarono uno Seneſe che ſtava nella Dovana in ſanto Stati, e menolo preſone per fino à ſanto Apoſtolo, e poi lo laſſarono, e quando lo menava, gridava allo Popolo, & alli jovani Romani ſequitemi; & alcuni di loro riſpoſero, e diſſero; non e più tempo: e per queſto tutti li fanti, che ſtavano in Roma, li andarono in piede, e furono preſi nelli Canneti di Mola Barbara.

Dopo lo di ultimo d' Ottobre la Vigilia d' ogni Santi de Venerdi furono tutti appiccati in Campitoglio à quelli Archi del Palazzo in nella loia, e fò appeſo Tiburtio, Bonanno Specchio & Renzo, e Cola de Joanni, e Cola Toſcia de Treio.

Del 1461. à di 25. di Marzo furono appeſi undeci huomini, li quali ſtavano in Palombara, & ogni di derobbavano, e depredavano li Romani, e facevano li Preſoni, e menevali in detto luogo di Palombara.

Eodem anno lo di di ſanto Pietro, e di ſanto Paolo lo Papa canonizò ſanta Catarina de Siena dell' ordine di ſanto Domenico, lo corpo della quale ſtà nella Minerva.

Del 1462. à di 12. d' Aprile venne la teſta di ſanto Andrea à Roma, e venne da Pontemolle, e de quà dello Ponte ſtava uno Paviglione, dove lo Papa fece uno grande Tavolato, e fece un' altare, e li celebrò la meſſa con 17. Cardinali, e con tutto lo Popolo, e con tutta la chiereſia, depò colla ſua mano la portao à ſanto Pietro.

Eodem anno à di 4. di Maio lo Papa ſi parti, e gi alli Bagni di Viterbo con quattro Cardinali, e li ſtette quindeci di, e pò tornò in Roma, & incontinente gittò la Trentina per tutte le terre dell' Eccleſia per addunar danari con dire che voleva gire contro lo Turco.

Dell' anno 1464. à di 19. di Jugno Papa Pio ſi parti di Roma per gire contro lo Turco, & giò in Ancona con molta gente, e con molti Cardinali, e nello detto anno à di 14. ſi morſe 4. in Ancona la ſera a dui hore di notte, e fù uno gran vento, e grande tempeſta, più che mai fuſſe veduta in Ancona, & in Oſmo, e per tutte quelle terre di là fece molto danno, ſi che fù dito qua in Roma, che l' haveva Spianati, che non n' era rimaſo nulla, e de olive ſtrappolli, e fece uno danno ineſtimabile, & à 23. del detto meſe venne lo ſuo corpo in Roma, e fù poſto in ſanto Pietro nella Cappella di ſanto Andrea.

Dell' anno Domini 1464. a di 24. d' Agoſto li Cardinali tutti entrarono in Conclave in ſan Pietro, e depò à di 30. d' Agoſto fù fatto Paolo Papa ſecondo Cardinale di ſanto Marco nipote di Papa Eugenio Venetiano.

A di 3. di Settembre nello detto anno morſe lo Conte Averſo, e fò ſeppelito à ſanta Maria maggiore dinanzi alla noſtra Donna.

A di 16. di Settembre fù coronato Papa Paolo, e gi à ſanto Joanni Pontificalmente.

A di 5. di Novembre lo di di ſan Leonardo lo Papa andò à ſanto Joanni Laterrano, e doi di ſequenti, che fò à di 17. remiſe li Fraticelli in ſanto Jovanni, & alli Canonici aſſegnò quella ſala, che va allo Salvatore, e dopò ordinò che allo giuramento che fanno li Romani, quando jurano l' officio intra l' altre coſe prometeſſero, e juraſſero, che mai non ſi trovaſſino per niun modo à cacciare li detti Fraticelli, ne à preſtare auſilio, à chi li cacciaſſi.

A di 11. di Novembre lo di di ſan Martino Papa Paolo fece Cavalero Mr. Angelo dello Bufalo, che in quello tempo era Conſervatore inſieme con Paolo di Tranſtevere, & Angelo di Taccaria.

A di 10. di Decembre lunedi fù ferito Mr. Antonio Caffarello da Jacomo figliuolo di Joanni Alberino, perche haveva briga inſieme con li nepoti di Mr. Antonio Renzo, e Felice Caffarello, e Papa Paolo voleva che ſi ceſſaſſe queſta briga, e pero mandò per Joanni Alberini, e per Mr. Antonio, e feceli baſciare in bocca, e dopò li comandò ſotto pena di doi millia ducati, che non s' offendeſſimo, e comandolli, che metteſſono le preggiarie, & à doi di deretto lo detto Jacomo feci lo detto Mr. Antonio, e lo Papa l' hebbe à gran diſdegno, e pero comandò che li foſſe tolta tutta la robba, e dopò li fece gittare le caſe à terra, e bannili di Roma, cioè Joanni e Jacovo.

Del

Digitized by Google

Del 1465. à di 22. di Marzo morse lo Patriarca, che stava in San Lorenzo in Damaso.

A di 2. di Jugnio Papa Paolo mandao lo Campo à Monticelli, che lo teneva Deifebo figlio dello Conte Averso, e mandò lo campo à Ronciglione, & à tutte le Castella soe, & hebbelo tutto in meno di 25. di, cioè Capranica, Vetralla, Ronciglione, Caprarola, Monserano, Viano, e fù preso Francesco uno delli figliuoli di detto Conte, & un' altro figliuolo del Conte Averso campò con gran fatiga.

Eodem anno à di 24. di Settembre in die sanctæ Crucis lo sole fece molte mutationi, quando pareva verde, e quando azzurro, & alcuna volta giallo tutto lo dì, & al 20. del detto mese fò la ecclisse, & à di 25. di Novembre ad hore 4. fù la ecclisse della luna, & in quel tempo fù pigliato, tradito, & morto lo Conte Jacovo Piccinino.

Lo detto Papa Paolo in principio del suo Papato volendo fare cosa grata alli Romani, se ne venne ad habitare à santo Marco & ampliò la festa dello Carnevale, e fece che lo lunedi inanzi allo Carnevale si corresse per li garzoni un palio, lo Martedi per li Judei, si corse l'altro, lo Mercordi quello delli vecchi, lo giovedi si giva à Nagoni, lo Venerdi si stava in casa, lo sabbato alla caccia, la domenica scorrevano li trè Palii consueti, lo lunedi correvano li Buffali, e lo Martedi l'Asini, e di queste cose si pigliava piacere.

Dell'anno Domini 1467. à di 8. di Juglio furono menati da Poli à Roma otto huomini, e sei femine, lequali dicevano, che erano heretici, e dell'opinione, che non credevano allo Papa, e furono menati ad Araceli, dove fù fatto un Tavolato verso la Piazza di Campitoglio, e li stetterono con la mitria di carta in testa, e lo Vicario dello Papa con cinque altri Vescovi li fece una predica per convertirli, e dopò quelli, che si convertirono, furono vestiti di una giornea di boccaccino con una croce bianca dinanti, e l'altra deretto, e depò furono menati al Campitoglio.

Eodem anno Papa Paolo secondo à di 18. di Settembre fece otto Cardinali infrascritti: In primis lo Vescovo di Vicenza detto lo Cardinale di santo Marco, lo Arcivescovo di Napoli, cioè Mr. Oliviero Caraffa detto Cardinale di Napoli, lo Vescovo dell'Aquila ditto lo Cardinale di Monferrato, lo Vescovo de Greci Francese da Soana, & uno di Scotia, & uno Inglese.

Eodem anno à di 29. di Settembre in die sancti Angeli crescè lo Tevere tanto, che inundò tanta la parte di Pontemolle, e venne fin' alla Porta del Popolo, & ad Arco di Tripoli, e fece di molto danno.

Eodem anno à di 20. di Novembre venne in Roma una grande tempesta nell' avia, & una grande grandine, si che ammazò de grandi Vivelami, perche li giazzo li erano grossi come le noci.

Dell'anno Domini 1468. à di 24. di Decembre de sabato venne lo Imperadore Federico Terzo à Roma, & entrò per Porta dello Popolo, e gi per San Marco, e per via dello Papa à Santo Pietro, e folli fatto molto honore da Romani, e gi sotto Palio accompagnato dalli Cardinali e da Cittadini, e venne per fiume da Utricoli per fino alla Valleca, e similiter lo Papa li fece grand' honore, e dopò lo di di S. Silvestro, che è l' ultimo di Decembre, lo Papa, e lo Imperadore andaronò à santo Joanni Laterano, e la sera salierono lo Papa, e lo Imperadore alle teste di santo Pietro, & di santo Paolo per uno Tavolato, che feceroli, & entrarono dietro alli cancelli, e lo Imperadore quando fù entrato subito si gittò in terra, e batteosi lo petto, e con grandi divotioni disse soe orationi, e lo Papa li mostrò tutte quelle Foie, e pietre pretiose, & assimi lo Papa Paolo uno suo Smeraldo, che teneva in deto con uno di santo Pietro, che teneva nella sua mitria in fronte, quale era più bello, e la Domenica, id est, lo di sequente lo di di capo d'anno lo Papa disse la messa in santo Joanni, e pò se ne tornarono à santo Pietro insieme sotto Palio ambidue, & à di 9. di Jennaro die lunæ lo Imperatore Federico se ne tornò alla Magna, e gi verso Viterbo.

A di 23. di Jennaro fu la ecclisse della luna perche era quinta decima.

Dell'anno 1470. à di 18. di Majo in Roma fù si fatta grandine, che guastò vigne, grano, biada, e bestiame, e pesava l' uno onze trè, & erano grossi come noci.

Eodem anno à di 26. Jugnio la Imagine della nostra Donna Vergine Maria, la quale sta penta in una costa di muro, appresso santa Maria delle gratie de sotto al monte di Campitoglio comincio à fare miracoli, e dopò perseverando in nelli detti miracoli, a chi divotamente se li raccommendava, li fù fatta la ecclesiá come si vede, e fù chiamata Madonna della consolatione, & essa fù penta da mastro Antonazzo pentore, e la detta Ecclesia fù consacrata eodem anno à di 3. di Novembre.

Eodem anno die octava Julij Papa Paolo fece una Processione in santo Joanni Laterano, che mai fù veduta la simile, e questa la fece, perche ce era novella, che lo Gran Turco stava à campo à Negroponte, e che l' haveva si condotto, che non si poteva ajutare, e quella Processione fù fatta intorno à santo Joanni, e lui ci andò con tutti li Cardinali, e portaronce delle più venerabili reliquie di Roma, lo Salvatore di santo Jovanni, l'Imagine di Santa Maria dello Popolo, la testa di santo Joanni Battista, e molte altre belle reliquie di Roma, & in quel di fù battezzato un Turco, e fù mostrato uno Calice, che lo Ré di Francia haveva donato à santo Jovanni Laterano, lo quale era d'oro, & ornato di molte pietre pretiose, e fù stimato trà loro, e le pietre, che valeva 3. mille ducati, e lo Papa per parte della detto Ré lo donò à santo Jovanni.

Item lo Papa donò allo Salvatore di santo Jovanni ducati 25. e ducati 25. alli fraticelli, & à Santa Maria dello Popolo ducati 25. & alla testa di santo Jovanni Battista ducati 25. & comandò che ogni Christiano facesse oratione contro dello Turco, che desse vittoria alli Christiani contro di lui.

Del 1471. à di primo Aprile entrò in Roma lo Mar-

d by Google

Marchese di Ferrara, & venne così sontuosamente, quanto venisse Signore mai, e menò con seco cento trent' otto muli carchi di danari vestiti, e panni di razza, & altre cose nobili, trà quali ce furono 10 muli coperti di veluto azzurro nuovo, e l'altri muli portavano le coperte di panno colla sua divisa, e menò con seco di molti bellissimi huomini, e molto bene in pronto, e possesi in santo Pietro nel Palazzo delle scale, e feli compagnia de molti Cardinali, e l'Officiali Romani con moltissimi altri Cittadini lo andarolli à visitare, e foli fatto grand' honore.

Eodem anno à di 25. dì Juglio lo di di santo Jacovo à trè hore di notte di Venerdi vennero lo sabato Papa Paolo secondo morse di morte repentina, perche lo di era stato Concistoro sano e salvo, e la sera cenò bene, & à quell' hora fù morto, & in quel di di sabato lo Senatore faceva justitia de uno Franzese, & haveva sonato la campana, e la detta justitia per la ditta cascione non fù poi fatta altrimenti.

Die 6. Augusti finito lo exequio li Cardinali si misero in Conclave in santo Pietro in loco usitato, e furono dici otto, cioè lo Cardinale di Rohano, l'Orsino, Ravenna, lo Vice-Cancelliere, l'Aquila, Bologna, Pietro, santo Marco, Santa Maria in Portico, santo Angiolo, lo Cardinale di Papia, di Santo Grisogono, Trojano, Mantova, Spoleti, Napoli, santo Pietro, ad Vincula, Monferrato, e lo Cardinale Greco.

Die 9. Augusti 1471. fù creato dalli predetti Cardinali Papa Sisto Quarto Cardinale di santo Pietro ad Vincula, alias mastro Francesco da Soana Gnald--- dell' ordine di San Francesco, lo Cardinale Orsino fatto Camerlengo, lo Vice-Cancelliero hebbe l'Abbadia di Subiaco, lo Cardinale di Mantova hebbe l'Abbadia di Santo Gregorio, e questo perche dierono la voce loro allo detto Cardinale, perche ultimamente non poteva essere Papa, e questo fù per operatione di Frate Pietro.

Die 25. Augusti lo di di santo Bartolomeo fu coronato Papa Sisto in nelle scale di santo Pietro, e poi se ne gì à santo Joanni à pigliare la possessione, & in nella piazza di santo Jovanni fù fatta una rixa, perche la gente d'armi si mischiò con Romani, e fonsi fatto à Sassi molto bene.

Eodem anno & mense Decembris in le quattro tempora di Natale lo Papa fece doi de soi Cardinali, cioè Mr. Juliano Vescovo di Carpentrasso suo nipote chiamato Cardinale di Santo Pietro ad Vincula, & uno Fraticello, che se lo levò, quando era Frate di santo Francesco, chiamato frate Pietro, dopò chiamato Cardinale di santo Sisto.

Eodem anno 1472. & mense Januarij fu veduta la Cometa in Cielo con una grande coda, e fò ditto, che significava morte di gran Signori.

A di 25. di Febraio morse lo Prefetto della Casa Colonna, ilquale avanti che fosse Prefetto, si chiamava lo Prencipe della Colonna.

Eodem anno die 23. di Febraro fu fatto Prefetto lo nepote di Papa Sisto, e fù coronato, era humo molto piccolo, e lo Intelletto corrispondeva alla persona chiamato Lonardo di Saona, e per questa cascione lo Ré di Napoli li diè la figlia per moglie.

Eodem anno 1472. lo di dello corpo di Christo à 28. di Majo Papa Sisto con molta gente si conferì, alla volta di santo Paolo, dove stavano le galere, che dovevano gire contro lo Turco, e gionto che fù le benedisse dette galere, e li die plenaria remissione à chi ci andava, e deoli cento stendardi della Ecclesia, e con l'arme soa, e con le dette galere andò Monsignor di Napoli contro lo Turco.

Dell' anno 1473. à 23. di Gennaio in questo di tornò lo Cardinale di Napoli, loquale era andato Legato contro lo Turco con le sopradette galere, e menò con esso 25. Turchi e dodeci Cameli, liquali gerono un pezzo per Roma con quelli Turchi à Cavallo.

Eodem anno die 29. Aprile Papa Sisto con quattro Cardinali con molti Urscenii si conferì da Palazzo in Transtevere, & à Ponterotto canto lo fiume, dove lui haveva destinato renunciare detto Ponte, e discese nello fiume, e messe nelli fondamenti di detto Ponte una pietra quatra, dove stava scritto: Sixtus Quartus Pontifex Maximus fecit fieri sub anno Domini 1473. dereto à quella Pietra mise lo Papa certe Medaglie d'oro colla sua testa, e dopò fece edificare quello Ponte, loquale da li in poi non fù chiamato più Ponte rotto, perche li vi era lo Ponte primo, ma era rotto, mà Ponte Sisto, come dicono le lettere li scritte.

Eodem anno à di 7. di Majo lo Papa fece otto Cardinali, cioè, l'Arcivescovo di Monte regalo, l'Arcivescovo di Milano, l'Arcivescovo d'Arli, lo Vescovo di Novara, lo Vescovo di Conca, lo Vescovo di Melfita, l'Arcivescovo di--- & uno Spagnuolo.

Eodem anno & mense Maij lo Cardinale di santo Sisto detto Frate Pietro nel detto tempo fece coperire la Piazza di santo Apostolo, e fece certi tavolati intorno alla detta piazza con panni di razza, e tavole à modo di una loia, & anco sopra lo porticale della detta ecclesia fece una altra bella loia tutta ornata, & in quella Tavolata fù fatta per li Fiorentini Festaioli la festa di Santo ---- e stavanci doe fontane, che gittavano acqua, laquale veniva di molto d'alto, e vedo dallo tetto di santo Apostolo, e lo detto Cardinale fece uno bello e sontuoso convitto à Madonna Leonora figlia del Ré Ferrante, la quale se n' andava à marito allo Marchese, ò Duca di Ferrara, e dopò allo convitto li fece fare quella festa, e fù una delle belle cose, che fosse mai fatta in Roma, & ancò fuori di Roma, perche tra lo convitto, e la festa ci foro spesi parecchi migliara de ducati, e feceronci addrizzare una argentaria con tanto ariento, che mai fò creso, che la ecclesia di Dio ne havesse tanto, senza di quello, che serviva à Tavola, e le cose da mangare indorate, e lo zuccaro senza mesura, che li fù adoperato à pene si può credere, e la detta Lionora stette nella casa predetta molti di con molte Damiselle, & Baronese, e fù detto, che lo Cardinale predetto, che a ciascuna di quelle donne, che havevano la Camera da perle, oltre l'al-

Digitized by Google

l' altri ornamenti li teneva uno pitale indorato. In qualche cosa bisogna, che s' adoperi lo tesauro dell' Ecclesia.

E dopò lo Martedì fu fatta l' altra devotione dello Corpo di Christo, e nello Mercordì fù l' altra di San Joan Battista e di santo Jacovo, e dopò lo Jovedì à mattina se partì la Lionora accompagnata con molti Cardinali, e Prelati, e persone da bene, & andossene à marito.

Item nel penultimo di Jugnio lo dì di Santo Pietro, e di santo Paolo fece un' altra rapresentatione nobilissima, e fu lo tributo, lo quale veniva alli Romani, quando Signoreggiavano lo mondo dove stetterono settanta muli carichi tutti copertati colla coperta di panno con l' arma soa, e fù corso lo Palio de Fiorentini da Porta dello Popolo fino à santo Apostolo, & hebbelo lo Cavallo di Francesco santa Croce e dinanzi à queste fece certe altre representationi della Natività di Jesu Christo con li maij e della resurrettione di Christo, quando spogliò l' inferno, e fece nello suo tempo godere, e trionfare ogni huomo tanto noto, quanto ignoto.

Eodem anno venendo lo Vice-Cancelliero per mare à Roma, fù si grande fortuna, che ruppe navi & Vascelli, dove venivano, & molti di quelli Prelati, & huomini furono annegati, trà liquali vi fù annegato lo Vescovo Faccensis, e lo Vescovo de Sassis, e per grande miracolo campò lo Vice-Cancelliero.

Del 1474. del mese di Jennaro à dì 5. morse lo Cardinale di santo Sisto, e fù attossicato, e così fecimo fine alle nostre feste, della morte dello quale ogni huomo se ne pianse, lo corpo suo stà in S. Apostolo.

Dell' anno 1475. à dì 6. di Jennaro Re Fernante, venne à Roma allo perdono, & menò con esso molti Baroni, e Signori anche con molti falconi, si che occisero, quanti nibbi stavano nelli paesi nostri, e donò à Santo Pietro, à Santo Paolo, & à Santo Jovanni Laterano uno Palio d' oro per ciascheduno. Item donò all' Officiali di Roma, cioè Conservatori, Caporioni, alli Cancellieri, alli Riformatori dello studio quattro Canne di paonazzo de grana fino per uno, & andò per tutta Roma per vedere gl' edificii, e santa Maria Rotanna, e Colonna Antoniana, & Adriatica, & ogni huomo li fece grand' honore, & quando hebbe veduto queste cose, andò à Palazzo, & parlando con Papa Sisto disse, che esso non era Signore di questa Terra, e che non li poteva signoreggiare per amore delli Porticali, e per le vie strette, e per li mignani, che vi era, e che bisognando di mettere in Roma gente d' armi, le donne colli mortali dalli detti mignani li fariano fuggire, e che difficile si poteva sbarrare, e consigliolli, che dovessi far gittare li magnani, e li porticali, & allargare le vie, e lo Papa pigliolo suo consiglio, e dall' hora in pò, quanto sia stato possibile songittati i mignani, & Porticali, & allargate le strade sotto colore di fare li ammattonati, & allustrare la terra, e stette trè dì, e partisse.

Eodem anno die 11. Novembre lo Prefetto Picinino nepote di Papa Sisto, in nello Palazzo di santo Pietro in Vincula morse, e fù portato à santo Pietro, e folli fatto honore da Romani, e da Cortisciani.

Et incontinente fù fatto l' altro Prefetto, cioè lo Fratello dello Cardinale di Santo Pietro ad Vincula.

Eodem anno & mense crescè lo fiume mirabilmente, si che chi voleva gire per lo perdono à Santo Paolo, alla mola bisognava che gisse in barca.

Del 1476. a dì 30. d' Aprile venne in Roma lo Duca di Sassonia nipote dell' Imperatore con 400. Cavalli, e tutti erano vestiti di nero, & eranci 50. Suedieri vestiti di nero velluto, che stavano molto bene.

Del detto anno, e mese d' Aprile a dì 25. lo dì di Santo Marco lo Conte Jeronimo figlio ò nipote, ò attinente di Papa Sisto fece fare in Nauoni una solenne iostra, dove ce furono de molti valent' huomini Jostratori d' Italia, & furonce di molte genti, e Catalani, e Borgogni, & altra gente, e fù istimato, che à quella festa furono circa 100. mille persone, e durò lo Venerdì, lo sabato, e la Domenica, e furono iostrati trè preggi, de quali uno n' hebbe Italiano Mataleni, l' altro Lucio di Mr. Pouello, & l' altro un' huomo d' armi dello Reame.

Del 1476. del mese di Jugnio à dì 10. lo Papa Sisto si partì di Roma per l' anno infetto, & andossene in Campagnano, e lasciò in Roma per legato lo Cardinale di Malfetta, e fù serrato lo Campitoglio, e la rascione in civile & Criminale se rendeva à piedi alle scale di Campitoglio, loquale Papa ritornò à dì 27. di Decembre.

Eodem anno a dì 12. del detto mese in Roma fù una grande tempesta nell' aria ad hore 18. e cascarono doi folgori uno in santo Pietro, & entrò per la porta grande, & andò fino alla Tribuna, l' altro nell' ecclesia dell' Araceli, e non fece danno.

Eodem anno à dì 3. del detto mese in Piazza Judeæ cascarono doi case grandi ad hore 5. di notte, e li ce morsero doi femine, & uno huomo.

E dopò à dì 6. del mese di Juglio per la gran pesta fù ordinato, che per Roma si facessero le processioni, e però fù portata la venerabile Imagine della nostra Donna di Santa Maria Majore, e fù messa in uno Tabernacolo di legname, e fù portata per Roma con grande divotione.

A dì 17. di Decembre lo Papa fece quattro Cardinali, doi Franciosi, e lo Vescovo di Tolosa, e Mr. Joanni Mellino Vescovo d' Urbino.

Eodem anno à dì 26. Decembre venne la nuova, come in quel dì fù amazzato lo Duca di Milano, Mr. Galeazzo Visconti, stando lui à messa nell' ecclesia lo dì di santo Stefano ad udire messa, e questo fù fatto da uno delli soi, allo quale detto Duca haveva fatto grande ingiuria, e dieli d' uno pugnale nello petto, e depò lui fù tagliato in pezzi dallo Suediero di detto Duca.

Del 1477. à dì 15. Marzo circa ad hore otto di notte fù in Roma lo terremoto, e durò molto poco.

A dì 23. di Jugnio lo Duca di Calabria venne in

Digitized by Google

in Roma per mare, e venne molto bene in ponto, e folli fatto grande honore dalli Cardinali, e dopò lo detto mese à di 26. si partì di Roma pure per mare.

A di 21. d' Agosto morse lo Cardinale Orsino Mr. Latino, e fece lo testamente con autorità dello Papa Sisto, al quale alli 4. del detto mese l' era andato à visitare con quattro Cardinali, e fù seppelito in Santo Salvatore dello Lauro, loquale lui lo haveva fatto edificare de soa propria pecunia, e come si dice per lasciati fatti in testamento del Signore Orsino.

Eodem anno & mense, essendo più volte ordinato lo consiglio nello Palazzo delli Conservatori, che se dovesse fare lo mercato di mercordi nella Piazza di Nagone, tandem lo detto mercato fù cominciato à di 3. di Settembre dello ditto anno, procurando questo lo Cardinale di Rhohano, loquale all' hora era fatto Camerlengo per la morte di Latino, & lui per quanto promise fare molte cose e dopò non fece niente, & era Caporione all' hora Bernardo Porcio da Treio.

Eodem anno & mense di Decembre lo Papa fece Cardinale lo figlio del Ré Ferrante nipote dello Conte Jeronimo Rafaelo, lo Cardinale di santo Lorenzo in Damaso, e lo Castellano di Castello, lo Cardinale di santo Vitale da Soana, e quello poco dopò morse.

Eodem anno à di 15. detto fò fatto Cittadino di Roma lo Conte Jeronimo dalli Conservatori e Caporioni, e dallo Popolo, e fece la diceria mastro Jacovo da Tacolo.

Dell' anno Domini 1478. di 27. d' Aprile di Domenica fu scoperta uno tradimento trattato in Fiorenza, dove che nell' ecclesia di Santo Liberato fu occiso Juliano de Medici, e Lorenzo suo fratello fù ferito, e questo trattato fecero quelli delli Pazzi di Fiorenza, & ajutolli l' Arcivescovo di Pisa, loquale si chiamava Bartolomeo Salviati, e Franceschino delli Pazzi con li suoi Compagni combatterono nell' ecclesia predetta, & finalmente come Dio volse ajutare l' Innocenti, quello della parte di Lorenzo vincerono, & incontinente pigliarono lo detto Arcivescovo insieme con li suoi famegli, & impiccaroli.

Item pigliarono Joan Battista di Monte sicco Contestabile, il quale era mandato da Papa Sisto in ajuto de Franceschino de Pazzi, e tagliorolli in pezzi con molti delli suoi, & anco lo detto Franceschino, e molti altri furono pigliati, intra li quali ne fù lo Cardinale di santo Giorgio, il quale si trovò li, perche queste cose l' haveva ordinate Papa Sisto insieme collo Conte Jeronimo, e Franceschino, & Joan Battista di Montesecco, e l' Arcivescovo Salviati per tollere lo stato à Lorenzo de Medici, e darlo allo Conte Jeronimo, e poco ci mancò, che non impiccarono lo detto Cardinale nepote del Conte, mà hebbero assai rispetto, che era assai garzone, e che se suizava, che di queste cose non havea sentito niente, ma pur stavano se pure gli riusciva il colpo per pigliare Fiorenza à nome dello detto Conte, e lo detto Cardinale rimase presone molti di, e per questo lo Papa si sdegnò con Fiorentini.

Eodem anno die quarta Maij morse Misser Pietro de Cesis Senatore di Roma, & in quel tempo io Stefano Infessura stavo per Podestà ad Horte.

Eodem anno & mense Maij à di 12. lo Duca di Calabria passò per Roma per gire in Toscana à fare guerra cò Fiorentini scopersorosi lo Papa, lo Re Ferrante e li Senesi da una parte, e li Fiorentini dall' altra.

Eodem anno à di 12. di Julio si partì lo Papa, e tornò à Bracciano, & à di 29. del detto mese scori lo sole, e fò lo ecclisse per un' hora in circa, e dopò à di 16. di Settembre lo Papa tornò à Roma.

Dell' anno Domini 1479. à primo di Novembre lo Cardinale di Rhoano, cioè lo Camerlengo, cioè Guglielmo da Castrovilla cominciò ad edificare la ecclesia di Santo Agostino, laquale benche fosse fatta da principio, niente dimeno la soa Signoria la rifece in megliore forma dalli fondamenti alle sue spese.

Del 1480. à di 8. di Jennaro Papa Sisto comincio à mettere ad essecutione lo Consiglio, che li die lo Ré Ferrante, quando stette in Roma 1475. de Jennaro, cioè che cominciò a gittare Mignani, & allargare strade, & cominciò alli Armaroli in Ponte, e del detto anno à di 15. di *Maio lo* Papa fece l' infra scritti Cardinali, cioè Mr. Giovanni Battista Savello Cardinale *Savello titolare* di Santo Vito in macello, Joanni Colonna, titolo di Santa Maria in Arquiro detto Cardinale Colonna, Mr. Cosmo de Vassanelli delli Megliorati detto Cardinale Orsino.

A di 12. di Majo 1480. lo Turco venne à campo à Rodi, e misse campo per mare, e per terra, e furono circa à 700. vele, e pigliarono quasi tutta quell' Isola, e portono con esso molto metallo, si che in pochi di fece circa à 600. bombarde grosse, come fò ditto.

A di 2. d' Agosto eodem anno lo Turco ditto venne con tante fuste in Puglia, & pose campo ad Otranto, e pigliolo, e disfece cento Castella de li d' Intorno, e fortificosse lo ditto Turco con mura, e con fossati, si che ogni huomo temeva grandemente, e se non fusse, che Dio à à ajutò depoi, fariamo stati tutti in mano sua in poco tempo.

E lo Papa à di 8. di Settembre del detto anno dichiarò Capitano dell' Ecclesia lo Conte Jeronimo per fare guerra con li Fiorentini, e nello dito di, acciòche Dio ancora se lo ajutasse nello proposito, disse la Messa Papale à Santa Maria dello Popolo con molti Cardinali e Prelati, e benedisse li stendardi con l' oratione, che dovunque andavano re & de li li, & venessene triumfalmente à Palazzo.

Del 1481. à di 3. di Marzo venne novella à Roma, che Ré Ferrinando piglio in mare 14. foste dello Turco, e che ce fù pigliato un suo Capitanio, e dopò fò impiccato per quelli dello Ré.

E dopò à di 28. del mese di Majo venne la novella in Roma, come à di 5. del detto mese di Majo morse lo Gran Turco in Constantinopoli, e per-

Digitized by Google

e perche Dio omnipotente haveva proveduto di rimedio opportuno allo Popolo Christiano, che se non fusse stata la dette morte, certo la Christianità saria stata in Soa mano, tanto era la sua potentia, e per questo Papa Sisto ordinò la Processione in Borgo san Pietro, dove vi ando anco lui colli Cardinali, e durò trè dì, cioè la Domenica à di 4. di Jugnio, lo Lunedi e martedi.

E dopò alli 13. di Settembre dello detto anno venne la novella in Roma, come lo Ré con le sue genti haveva repigliato Ottranto con tutta quell' artegliaria, che vi era, e piglioci molti Turchi atti à battaglia, li quali sono stati continuamente operati tanto per lo Ré, quanto per lo Papa nelle guerre, che hanno havuto contro Christiani.

Dell' anno Domini 1482. à di 4. d' Aprile lo Papa fece gittare in terra le case di Misser Jorgio Santa Croce, e del Fratello, e questo fece perche la notte inanti lo ditto Misser Jorgio Santa Croce con molti Compagni armati, e bene in ponto assaltarono la casa di Mr. Liello, e di Jacovo della Valle, e poseronsi nello Porticale di santo Sebastiano, & li combattendo contro à quelli della Valle uccisero lo Signore Jeronimo Colonna figlio naturale tantum dello Prefetto della Colonna, la cascione dell' assalimento fu la briga laquale in quel tempo fù incominciata intra Casa Santa Croce, e Casa della Valle, perche sendo prima intra Francesco Santa Croce, e Francesco della Valle certa poca inimicitia, ò odio, lo detto Santa Croce suo cugnato, ilquale e marito di Madonna Lucia sorella carnale dello detto Francesco, e li trovò, che si cenava, & andò subito dalle scale alla tavola, e con una coltella di una ferita in nella testa allo detto Francesco, che teneva voltate le spalle alle dette scale, si che non se n' avvidde, e ferillo; della quale ferita incontinente lo detto Francesco fù morto. E questo fò lo principio della briga, in nella quale ci sono morte di molte persone da bene, lo detto Francesco, item Bartolomeo Santa Croce, lo detto Signore Jeronimo, Misser Paolo della Valle, e Sao de Goccio.

A di 14. del detto mese & Anno Papa Sisto cannonizò in Santo Pietro Mr. Bonaventura frate di san Francesco Cardinale e Teologo.

E dopo del mese di Majo essendosi acconci li Colonesi, cioè li fratelli del Prothonotario Colonna con Ré Ferrinando con le persone e con le stato di Licentia & volontà di Papa Sisto, lo detto Prothonotario si fortificò in Marino, e per questo fù dubitato, che non facesse scandalo à Roma ad instanza dello Ré, il quale s'era rotto collo Papa per l' anno della guerra di Toscana, e però doi Cardinali l' andarono à parlare à Grotta ferrata, id est, lo Cardinale di Santo Pietro in Vincula, e quello di Milano, e depò à molte cortesie volsero li detti Cardinali, che lo detto Prothonotario, e li Fraticelli si partissero dal Ré, & acconciassosene con l' ecclesia, e lo Prothonotario li rispondeva, che li fratelli non erano contenti di farlo, e che non li saria honore, percioche una volta Papa Sisto l' haveva dato licentia, che si acconciassino con chi piaceva à loro, e che soa Santità non li voleva dare soldo, e per questo si erano acconciati col Ré, perche non potevano vivere senza soldo, e questo à di 14. del mese di Maio predetto.

E dopò sentendo lo Popolo, che questo si fortificava, fece lo consiglio, & tandem de volontà dello Papa mandarollo quattro Cittadini, cioè Mr. Camillo, che all' hora era Priore delli Caporioni, Beltrame Freapani, Pietro de Massimi & Alto dello Varo, e li ditti Cardinali l' esposero il simile, & ancò li disse più, che si ajutassino, & presto accioche quelli dello Ré, che stavano in quella terra, non li faccino rincrescimento allo loro bestiame, perche non era più in potere suo di prohibire.

Et dopò à di 21. del detto mese furono depredati de molte persone à Porta Latina, e pigliarono molti presoni, muli & cavalli, e trà gl' altri vennero à dare auvisi, che morio - - - - dopò fu lasciato senza alcun paramento.

De Bello commisso inter Sixtum & Dominum Robertum de Arimino ex una, & Regem Ferdinandum Ducemque Calabriæ ex altera parte, & de morte dicti Domini Roberti, Anno 1482.

CUm tempore Sixti Quarti data esset occasio discordiæ inter prænominatum Dominum Sixtum, & Regem Ferdinandum Regni Neapolitani propter bellum, quod fuerat paulo ante inter prænominatos ex una, & Dominos Florentinos parte ex alia, & præfatus Pontifex revocasset auxilium, quod ipse jam præstiterat præfato Regi contra Turcos existentes apud Otrantum, ortumque esset inter eos odium atque discordia, præfatus Sixtus retrahere adeo procuravit omnes, quoscunque potuit, militantes sub stipendio dicti Regis & potissimum Barones Romanos, videlicet Dominum Virginium Orsinum, Dominum Jacobum de Comitibus, & nonnullos alios Barones, qui sub eo militabant, conatusque est, retrahere etiam Comitem Urbini totis viribus, sed non potuit, & quærens occasionem discordiæ, filium quendam militis Ursini sub protectione dicti Regis à Patre relictum, ne ad dictum Regem rediret, in Castrum Sancti Angeli inclusit, & factis minis contra dictum Regem, tandem cum Venetis confœderationem fecit, jurans se exponere omnem substantiam pro perditione dicti Regis, & ut principium daret negotio, præfatos Barones maxime Ursinos conduxit, studuitque idem de Columnensibus facere, sed cum non haberet eos in tanto pretio, statuit eis parvum stipendium, quod recipere eis dedecus magis quam honor fuisset, quod cum præfati Domini id facere recusarent, de ipsius Papæ licentia cum dicto Rege militare cœperunt, hinc inde data receptaque fide, quod postquam expeditum fuit, perturbatus est valde, eo quod nunquam credebat, eos cum tali conditione potuisse dicto Regi adhærere, quare minis & verbis conatus est ipsos detrahere, quod cum facere nequivisset, ex ista militia, contra dictos Dominos Columnen-

lumnenſes bellum indixit. E contra autem præfati Barones auxilium à dicto Rege ac Duce Calabriæ ejus filio impetraverunt, qui Dux confeſtim deſcendit in auxilium eorum, caſtraque ejus poſuit prope Abbatiam Eccleſiæ Sanctæ Mariæ grottæ ferratæ, ubi per aliquot dies permanſit absque tamen damno & incommodo alicujus, deinde per gentes dicti Ducis bona, animalia & homines Caſtri Trebani de Abbatia Sublucenſi deprædati ſunt, idemque actum fuit de hominibus Caſtri Cerretti ejusdem Abbatiæ & Caſtri Sambuci ibi prope exiſtentis. Similiter exo.

Virginius Urſinus Lares Cicigliani dictorum Columnenſium derobati, poſtquam præfatus Sixtus petiit ſibi dari à Proſpero Columna, qui ſub eo militabat, & à Cardinale ejus fratre Arcem Paliani, Capraniæ & nonnulla alia Caſtra, quæ ſub eorum dominio erant, dicens velle ſe ea retinere & cuſtodire, donec dicto prœlio finis imponeretur, quod cum idem Dominus Proſper, & Cardinalis facere recuſaſſent, iratus extitit Papa contra eos, ſtipendiumque & copias commilitonum & compeditum, quas dicto Proſpero promiſerat, denegavit. Quare dictus Dominus Proſper, cum ſe ut ſupra ita illuſum deceptumque videret, remiſſa certa pecunia, ut fertur, quæ apud eum erat dicto Pontifici, ſe cum dicto Rege, & Duce Calabriæ confœderavit, & hoc fuit die 22. Maij Anni 1482.

Quod ita ægre latum fuit à Papa Siſto, ut ſequenti die ſecunda menſis Junii 1482. Reverendiſſimum Dominum Cardinalem de Columna fratrem dicti Domini Proſperi, ac Reverendiſſimum Dominum Cardinalem Sabellum, & Dominum Marianum ejus fratrem in carcerem, videlicet in Caſtro Sancti Angeli absque mora conjecit: ſequenti vero die quæ eſt tertia Junii bona omnia præfati Domini Cardinalis de Sabellis, quæ in ejus domo erant, per Commilitones ad Palatium fuerunt portata præter comeſtibilia, quæ ſtatim derobata, & ablata extiterunt poſita, quæ ſunt in domo illa cuſtodiæ pro Papa.

Die 5. dicti menſis Dux Calabriæ deſcendit cum gentibus ſuis, poſuitque ejus tentoria in loco prædicto Grottæ ferratæ & Burgetti.

Die 6. in quo erat Feſtum Corporis Chriſti Comes Jeronimus cum vexillis eccleſiæ, & cum viginti quatuor millium armatorum, & cum infinitis peditibus exivit, & una cum eo erat Comes Pitigliani, Virginius Urſinus, Jordanus Urſinus, Johannes Columna de Præneſtre, Jacobus & Andreas de Comitibus, Dominus Comes Mirandula cum multis aliis Dominis bene armatis, poſuitque ſe, & caſtra inter portam & Sanctum Johannem relicto Burgo Sancti Petri, & ſtatim cum aliqui ex eis exirent dictam Portam in continenti vulnerati & capti extiterunt ab inimicis, & hi fuerunt circa triginta, inter quos affirmarunt fuiſſe quendam Corſum Capitaneum Baliſtariorum equitum Comitis Hieronymi, & quendam Borgiettum captos fuiſſe.

A ſupradicta die usque ad 12. Julii nihil actum eſt, niſi quod gentes Ducis animos ſuos converterunt ad prædam, deprædatique ſunt frumenta Civium Romanorum, & eorum animalia, nonnulli ex his capti, carcerati, & demum reſcoſſi fuerunt, videntibus & patientibus gentibus Eccleſiæ.

Videntes hoc Cives Romani, & quod eorum frumenta perderentur, inito conſilio decreverunt omnes unanimiter ire ad Papam, ut hoc prohiberet, alioquin actum eſſet de civitate noſtra, & accedentes gratam habuerunt audientiam, & pollicitationes infinitas. Promiſitque Pontifex, ſe proviſurum opportune de proximo. Ideo ad Portas miſſum eſt proclama per Urbem ad paſcendum Populum de Verbis, in qua continebatur, quod omnes cives & alii urbem habitantes, qui ex guerra prædicta damnum aliquod paterentur, ſive à noſtris, ſive ab inimicis, faceret ſic ſcribi à quodam Notario Domenico Mariano Scalibaſto vocato, & coram quatuor Civibus deputatis de eo fidem faceret, & facta demum relatione per eum in Camera Apoſtolica ipſe Papa de Introitibus ipſius Cameræ ſe confeſtim ſatisfacturum pollicebatur, cujus virtute multi cives de eorum damno fidem fecerunt, nullum tamen eorum ſatisfactum apparuit.

Videntes igitur cives, quod nihil eſſet, cupientes eorum indemnitati providere, per ſe multi ſtatuerunt, eorum ſegetes, quæ *in campis* erant, ad urbem triturandas portare, *factis* undique excubiis, quod cum ita cœpiſſent facere, Comes Hieronymus cum ſuis gentibus prohibuit, & hoc ex eo, quod dictus Comes optabat, quod milites Eccleſiæ dictum granum deprædatum ad Urbem vendendum portarent, & ex pretio ipſum ſalarium ſeu ſtipendium ſibi ſolverent, & ita ex voto actum eſt, fuitque igitur neceſſe Civibus Romanis pati hanc injuriam, ita ut à ſuis, à quibus ſperare debebant auxilium & favorem, magis quam ab inimicis deprædarentur. Ita quod in partibus Latii nihil recollectum fuit, excepto Conventu Sanctæ Mariæ novæ, quæ habito chirographo Regis nihil commiſit, & dum hæc ſic, ut præmittitur, agerentur, miſſum fuit Proclama per Urbem, & ne cui liceret vendere granum pro majori quantitate quam viginti Carlenorum pro rubbio, ut alias præfati milites pro viginti quinque vel circa vendebant. Interea vero Comes Hieronymus Virgineus, Urſinus & reliqui Domini eccleſiam Lateranenſem incolentes, non ceſſabant quotidie ludere ad triumphas, ad cartas, ad aleas, & hoc quidem in ſacreſtia dictæ Venerabilis Eccleſiæ, & ſuper capſa plena reliquiis, & rebus aptis ad Divinum cultum ibi exiſtentibus, adeo quod dicto tempore à nemine vel pauciſſimis dicta eccleſia extitit viſitata.

Octavo Julii affirmatum fuit in Urbe, Dominum Nicolaum Vittelium de Caſtello, quem præfatus Sixtus inimicum ſibi fecerat, eum de dicta civitate expellendo, ac faciendo Laurentio de Juſtinis ejus inimico auxilio Florentinorum præfatam civitatem Caſtelli occupare, moxque duas arces unam à capite, aliam à pede deſtruſ-

Digitized by Google

destruxisse, & locum illum pro se retinuisse, quamvis pro ecclesia diceret se retinere.

Die 13. Julii in die Dominica hora missarum non fuit passus Deus omnipotens, Beatusque Joannes Baptista, & Evangelista ac Apostoli Protectores Urbis, Petrus & Paulus, & alii Sancti, quorum corpora in Ecclesia Lateranensi condita sunt, scelera & vitam militarem agitari in dicta ecclesia, voluitque Deus omnipotens ostendere, se cuncta videre, nam dicta hora signum cœleste ostendit, ortusque fuit ventus repentinus, & aer turbatus est valde, & adeo impetuosa tempestas orta est, ut vix dici posset, arbores quidem vinearum concussæ ad terram usque inclinatæ sunt. Demum ignis quidam exortus est apud tentoria existentia apud Sanctum Joannem & Portam Asinariam, cessitque tentoria omnia, & loca militum una cum eorum bonis & equis, & aliquos ex his ibi infirmos existentes, extenditque se dictus ignis de loco ad locum, qui in Merulana via, & prope ecclesiam Sancti Matthæi morabantur, tantumque incommodum illis attulit, ut communi omnium existimatione ad sex millia ducatorum & ultra damnum ascendisse feratur, de eo, quod existimari poterat.

Eadem hora Terracina civitas ab hominibus Regis Ferdinandi capta est, excepta arce, modus ita traditur, nam cum essent ibi duæ civium principalium familiæ, unaque Frangepanorum aliaque Rosæ vocarentur, essentque inter se odiosæ, potissime cum contemplatione illorum de rosa, qui cum ecclesia sentiebant, quatuor cives de progenie Frangepanorum exulabant, & cum dicta die, & hora residuum illius familiæ una cum adversariis in Ecclesia Cathedrali missam audirent, illi de Frangepanibus, qui ibi erant eodem modo, quo statutum erat ad Portam accesserunt, ibique per aliquod spatium permanserunt quasi volentes, si opus fuisset custodibus, resistere, dato deinde signo, exules una cum gentibus Regis ad Portam venerunt, quod videns Castellanus signum fecit, ad quod accurrentes adversarii, qui in ecclesia erant, adusque eorum Lares insecuti & fugati sunt, & eo modo Terra à dicto Rege possessa fuit absque arce, quam non multo post à Castellano pro pecunia habuit, nam receptis duobus millibus Ducatis à Rege Castellanus, qui Abbas, & Forliciensis erat, arcem tradidit Regi, & se Neapolim contulit.

Audiens hæc Sixtus in continenti creavit 300. pedites, & nonnullos milites, quod dedit Andreæ de Comitibus, ut opem ferret Terracinæ Arci, qui cum abirent, essentque in Algido, ab inimicis ecclesiæ omnes, aut capti aut disturbati fuerunt, & aliquibus eorum reversis ad Urbem statim Proclama missum est, ut sub furcarum pœna, qui ab Andrea conducti essent, Jacobo ejus fratri accederent, & ita actum fuit.

Die 16. dicti Mensis Dux Calabriæ de loco ubi erat, recessit, emisso prius bannimento, quod quilibet de campo suo provideret se de victualibus pro tribus diebus, & contulit se ad locum, qui dicitur la Riccia, ibique in ecclesia Sancti Pauli Albanensis permansit Dux Melphiti relicto in castro Marini una cum quindecim squatris armigerorum, & multis aliis peditibus.

Die 21. Julii Virgineus Ursinus, & Comes Pitigliani cum tribus eorum aciebus exiverunt obviam opem præstantes eorum famulis portantibus frenum à loco vicino versus Pontem Mameum, & à supra scriptis aciebus inimicorum perterriti & infugati fuerunt, & ex eis, & eorum famulis non minus ducenti capti, & una cum bestiis, & vecturis ad Marinum transducti sunt, adeo ut vix dicti Domini cum paucis ad eorum castra reversi fuerunt, & hæc omnia Comiti Hieronymo, qui in Palatio Papæ per aliquot dies cum magna suorum comitiva sociatus se induxerat, nunciata fuerunt. Causa accessus Comitis ad Palatium dimissis castris hanc ferunt fuisse, nam Cardinales aliqui, qui in Urbe erant, potissime Reverendissimus Cardinalis Sancti Petri ad Vincula in unum convenerunt, accesseruntque ad Pontificem, & pacem ac quietem suppliciter petierunt, nunciantes hoc totum in arbitrio suæ Sanctitatis residere, de qua habenda spem aliquam reportaverunt, audiens hæc Comes, dubitans, ne aliquid adversus inceptam rem moliretur à Latere Pontificis, se de cætero non abdicavit, adeo ut spes & fides, quæ de pace erat, confestim evanuerit.

Die 23. Julii optatus & multum desideratus Dominus Robertus de Arimino Romam ad Pontificem venit, paucis tamen cum militibus & cum Vexillis Venetorum, & suis ac ecclesiæ & Pontificis ordinatis aciebus de platea Sancti Petri ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ Majoris se contulit, ibi una cum Comite nihil aliud fecit, quam quod exivit aliquando ad providendum locum.

Die 27. Julii cum innotuisset jam apud Formas & aquæductus Urbis permanere circa octo inimicorum acies, omnes prænominatæ gentes, Ecclesiæ sanctæ Capitaneus, Comes Virgineus cum toto exercitu exiverunt, iveruntque obviam illis, ac inimici de dicto loco nunquam se amoverunt. Timuerunt igitur nostri, ne ibi esset, aut lateret Dux Calabriæ cum ejus exercitu, & ea de causa retrocesserunt, & ad tentoria reversi sunt non parvo cum timore: non præterita adhuc hora erat, cum Tubiana à Duce Calabriæ missus Domino Roberto, ex parte Domini sui dixit, quod Dominus suus mirabatur valde de eo, & quod nunquam credidisset, quod in tam brevi tempore ex milite durissimo Sacerdos factus esset, & quod effectus esset Canonicus Sanctæ Mariæ Majoris, prout alii ejus consocii Sancti Joannis Lateranensis.

Eodem die Dominus Cola Gajetanus de Sermoneta deprædatus est omnia animalia Piperni & Setiæ, quam prædam cum duceret Sermonetam incontinenti à gentibus Domini Andreæ de Comitibus, potissime ab illis, qui erant in Carpineto, recepta & oblata fuit, & non sine maxima hominum dicti Colæ captivitate, occisione & vulneribus.

Multa è contra in dicta die dicta sunt, primo quidem exercitum Venetorum, qui apud Ferrariam degebat, destructum fuisse, Dominum Ro-

Robertum de Sancto Severino Capitaneum tribus vulneribus affectum, & hæc per gentes Comitis Ursini.

Item Archiepiscopus de Granea, qui fuit Legatus Imperatoris, & qui multa mala dixerat de Ecclesia Dei & potissime de mala vita Sixti, & Comitis Hieronymi, & de inhonesta vita omnium Presbiterorum, & hoc publice prædicavit, ideo à Comite Hieronymo carceratus, & in dicta die à dicto Pontifice fuit privatus Archiepiscopatu, qui tandem curantibus his male finivit dies suos.

Item cum citatus esset ad Concilium per Imperatorem, & ire recusaret, indicto die creatus fuit Legatus Papæ Episcopus de Suetia, qui iret ex parte dicti Pontificis ad Imperatorem ad eum excusandum.

Redeuntes igitur ad rem nostram die 20. Julii circa triginta inter pedites & milites ducebant juxta castrum Fraxati ad similitudinem prædæ certas bestinas Vaccinas, quod cum vidissent homines dicti Castri exiverunt armati causa eas capiendi, & cum venissent ad exitum cujusdam vici, ubi eam melius sperabant auferri posse, invenerunt ibi gentes præfati Ducis, quæ incontinenti insurgentes Fraxatarios captos secum duxerunt, & aliquos ex eis interfecerunt, & vulneraverunt, ita quod pauci ex eis fugientes ad dictum Castrum reversi sunt.

Eodem die Romæ dictum & affirmatum fuit ita quod ab eo fuit publica fama, quod cum alias Papa Sixtus excommunicasset Florentinum Populum, pro eo quod suspenderunt Episcopum de Pisis, alias dictum Salviatum cum suis Complicibus & familiaribus, & quod ceperat & carceraverat Raphaelem Sancti Georgii, nepotem Comitis Hieronimi, ibi existentem, quando fuit occisus in ecclesia Julianus frater Laurentii de Medices, & quando fuit deductus tractatus Comitis Hieronymi, & à dicta excommunicatione fuisset appellatum per dictum Populum; qui asseruit, se ex justa causa illud fecisse, & suspendisse illum, non tanquam Episcopum sed tanquam proditorem, qui prodere intendebat dictam civitatem, & eam libertate privare, & eam submittere Comiti Hieronymo, interfecto Juliano & Laurentio de Medices, & cum causa ipsa appellationis commissa extitisset, & jam de voluntate Pontificis quibusdam Episcopis ultramontanis, quibus fuit missus totus Processus, & potissime quædam attestatio Joannis Battistæ de Montesecco Contestabilis Ecclesiæ, qui ad dictum locum se contulerat causa exsequendi ut supra, qui postea captus, antequam suspenderetur deposuit, & attestatus est, se de hac re pluries habuisse colloquium cum præfato Pontifice, videlicet de modo expugnandi sive capiendi dictam civitatem Florentiæ, & etiam tradendi eam Comiti Hieronymo, ac se præfato Pontifici dixisse, hoc fieri non posse absque cæde & hominum occisione: & quod præfatus Pontifex dixerat ei, quod non bene contentabatur hoc fieri cum occisione alicujus, & deinde post pusillum dixit: faciatis melius, quam possitis, & cum aliis attestationibus; super qua tamen causa dicitur ut supra fuisse pronunciatum per dictos Dominos Episcopos in favorem dicti Populi Florentini, & contra dictum Pontificem, illosque ab Anathemate prædicto liberatos fuisse.

Die prima Augusti apud Ostiam apparuerunt decem & septem Galeræ, & naves duæ Regis Ferdinandi, ibique multa dederunt signa, quasi vocantes milites terrestres ibi prope existentes, magno cum timore ad Urbem confugerunt Galeræ; & naves post duos dies recesserunt.

Eadem die civitas Lavina capta est à Duce Calabriæ, excepta arce, quam post biduum accepit.

Die octava Augusti Capita Regionum & Officiales Populi Romani vocaverunt ad Concilium omnes Cives ex parte Papæ, videlicet, quilibet in principaliori ecclesia suæ regionis, ubi per dictos expositum fuit, qualiter Papa intenderet habere mille Romanos juvenes armatos, tam equestres quam pedestres per octo dies duntaxat, quos volebat exire in auxilium una cum gentibus Ecclesiæ contra Marinum, & offerebat non habentibus arma & equos, ac expensas, & pollicebatur eis, quod quicquid caperetur in bello, esset eorum. Et si contigerit, eos capi ab inimicis, promisit propria pecunia redimere. Et de civibus aliqui promiserunt, item aliqui renuerunt. Res tamen ita acta fuit, id magis explorandi animi causa, quam ipso habendi attentatum fuisse.

Die 12. dicti mensis Augusti Dominus Prosper de Comitibus, qui huc usque militaverat cum Duce Calabriæ, rebellavit, dedirque se & suum Castrum Montisfortini Papæ, & gentibus Ecclesiæ.

Die 15. Augusti Dominus Robertus de Arimino cum triginta tribus squatris armatorum & cum illis junctæ fuerunt quatuor squatræ armatorum Domini Virginii, & quatuor Comitis Pitiliani, & quatuor Comitis Mirandulæ, & duæ Domini Pauli Ursini, & duæ Domini Joannis de Columna de Prenestre, & octo Domini Jacobi de Comitibus. Et iverunt, & octo acies balistariorum Equitum, quorum quinque duxerunt secum Comes Robertus, & tres habuit hic Comes Hieronymus, & cum illis plus quam novem millium peditum, & infiniti balistarii pedestres, ac multi ac infiniti sclopetarii, & tres bombardæ grossæ cum infinitis cerabottanis, & cum aliis artiliariis & instrumentis, de quibus erant onerati innumerabiles carri. Et præfatus Dominus Robertus erexit duo Vexilla, in quorum uno erant insignia Venetorum, nimirum figura Sancti Marci, in alio arbor cum litteris. Item duo alia vexilla Ecclesiæ, in uno quorum erant claves, in alio arma Pontificis, quos omnes ordinatim voluit videre Sixtus, cum omnibus suis Cardinalibus, Nepotibus, nec non aliis in fenestra Palatii. Et venerunt ante Palatium, & posuerunt se extra Portam Appiam juxta Capita bovis prope rivum, qui dicitur la Mormorea. Et dicebatur campus iturus ad debellandum Castrum Marini. Et dimiserunt Ecclesiam Lateranensem, & Sanctæ Mariæ. Et alia loca ibi fuerunt sordidissima & pestifera, adeo, ut propter fœtorem per aliqua tempora non commode visa fuerint. Et quia omnes vineæ circum

Digitized by Google

cum circa destructæ, arboribus incisis & desolatis, derelictæque extiterunt, damnum prædictum inæstimabile fuit. Ideo cum blasphemiis maledictionibusque ad Urbem accesserunt.

Quare nocte sequenti ecce pluvia intentissima, & ventorum tempestas tanto cum impetu, ut tentoria Comitis Hieronymi, quæ die præcedenti magna cum diligentia affixa erant, avulsa, & asportata per aliquod spatium extiterint.

Die sequenti, quæ fuit Veneris, 16. Augusti in Urbe fuit similis aeris tempestas, & tonitrua, & fulgura ceciderunt de cœlo. Et unum ex his cecidit, & percussit Turrim magnam Cardinalis Sancti Marci Veneti, nempe in angulo dictæ turris, quæ est versus viridarium, & respicit versus orientem. Et in eo destruxit unum caminum, & dictum angulum fregit & scidit, prout nunc oculata fide videri potest. Et ignis dicti fulguris sparsus per dictum locum, quosdam famulos dicti Domini Cardinalis tetigit, & aliquem ex eis percussit in brachio, adeo, ut omnes putarent, se esse mortuos, non tamen habuerunt aliquod malum, excepto Credenzerio, qui adeo attonitus relictus est, ut videretur amens. Eodem momento certa pars Palatii Ursinorum in monte Jordano, nimirum certa domus antiqua corruit à fundamentis, adeo ut totum atrium montis Jordani repletum fuerit lapidibus, & ruina. Ex quibus duobus signis tali tempore apparentibus multi mirati sunt.

Die 22. Augusti, nimirum octava post Festum Sanctæ Mariæ mane summo nova gaudia orta sunt in Urbe, eo quod Dux Calabriæ cum omni suo exercitu perditus & destructus est, ipseque fugam arripiendo, ac in terram noctu se recipiendo salutem sibi quæsivit. Qua de re Capitolium, & omnes Romæ ecclesiæ, castrum Sancti Angeli, & denique tota urbs festum & gaudium fecit. Quapropter proclama factum est illico in urbe, ut quilibet accingeret se ad festum, quod in Assumptione Beatæ Virginis Mariæ in Mense Augusti celebrari consueverat, id in festo Beatæ Mariæ Septembris fieret. Et ita factum est.

Modus autem destructionis dicti Ducis ita communiter traditus fuit, nimirum, quod cum dictus Dux cum suis gentibus fortificasset se in territorio Viletri, in loco, qui dicitur santo Petro in forma, qui vulgariter la Torre di Campo morto, qui vere ei mortem intulit, qui locus redactus est in modum unius insulæ, & duo tamen loca erant, per quæ aditus ad dictum locum patebat, ab uno quorum nimirum à loco, unde poterant gentes ecclesiæ venire, præfatus Dux fortificaverat multis bombardis, cerobotanis & aliis machinis, per quæ videbatur sibi ab illo loco offendi non posse, postquam locuti sunt ad invicem Dominus Robertus, & Dux Calabriæ, posueruntque diem & horam, quando inter se deberent certare. Et ita factum fuit. Et prima vice, quando cœperunt præliari, dictus Dux cum suis Jannizeris multum animose se gesserunt. Et cum postea dictus Dux vidisset Dominum Jacobum de Comitibus cum multis militibus peditum, qui nocte præcedenti secreto modo venerant in campum, de quibus ipse nullam prius habuerat scientiam, viditque ipsum venientem ab alio latere dicti campi: obstupuit, cœpitque in corde suo formidare, statim reduxit se ad locum fortiorem dicti Campi, quem inimici ejus, videlicet gentes Ecclesiæ insecuti sunt usq; ad dictum locum prædictis bombardis munitum. Et cum gentes Ecclesiæ ibi intrare vellent, statim bombardæ & Cerabattanæ venientes primo percusserunt, ubi fertur, quasi infinitos homines de gentibus Ecclesiæ periisse, postquam bombardarii iterum dictas bombardas caricantes, nunquam ulterius potuerunt caricare, eo quod ignis non poterat pulverem comburere propter pluviam magnam, quæ ibi continua erat. Quapropter cum non possent dictum locum ulterius tueri, gentes Ecclesiæ intraverunt dictum locum, ubi per magnum intervallum temporis bellatum fuit, ubi etiam multi mortui sunt. Hinc inde & multi equi armigerorum dicti Ducis debudellati, seu eviscerati sunt à peditibus dicti Domini Ruberti. Timens tunc dictus Dux, ne id forte accideret ei, dubitans præterea, ne includeretur in dicto loco à peditibus dicti Domini Jacobi, & propterea se non posse exire ad velle suum: statim constituit aliquas ex suis squatras combattere, & præliari cum gentibus Ecclesiæ; ipse vero cum paucis retro cessit, &, ut aliqui ferunt, in Terracinam. Aliqui in Terram Neptuni se contulere. Bellantes autem tandem capti sunt, & multi vulnerati, & nonnulli interfecti. Ubi fertur fuisse circa ad viginti magnæ autoritatis, & alii infiniti. Et bellatum fuit à 17. usque ad 23. horas. Quo facto incontinenti Dominus Robertus acceptis Vexillis & Artiliariis Regis una cum captivis duxit Villetrum, & ipsos jam pridem captos retinuit. Fertur etiam, pedites Ecclesiæ fuisse undecim millia vel circa.

Die 24. Augusti Castrum Marini misit claves Conservatoribus una cum certis capitulis, rogavitque Populum Romanum, ut vellet claves & capitula portare Pontifici, & homines dicti Castri eidem commendare. Et ita factum est. Et isto modo venit in fortia Ecclesiæ.

Die 30. mensis prænominati armigeri Ducis Calabriæ, qui capti fuerunt, ducti sunt ligati ad Urbem ad Papam. Et fuerunt inter omnes ducenti, & decem septem, & eorum principaliores fuerunt positi in Castro Sancti Angeli, aliqui in Capitolio, & alii dispertiti per loca diversa & Rocchas Ecclesiæ, ubi steterunt per aliquos dies. Robertus autem cum gentibus Ecclesiæ ivit ad Castrum cavarum una cum prænominatis artiliariis & bombardis, ibique permansit per aliquos dies. Deinde præfatus Robertus reversus fuit ad Urbem, visitavitque Pontificem, stetitque in domo Reverendissimi Domini Cardinalis Mediolanensis. Ubi infirmatus est, ibique octava die Septembris, & sic quinta decima die post victoriam febre, ut aliqui dicunt, mortuus est. Sunt, qui dicunt, ipsum fuisse veneno necatum. Cui Papa fecit magnum honorem, ejusque corpus sepelivit in Ecclesia Sancti Petri cum marmorea memoria singulari, quæ ibi

Digitized by Google

ibi videtur. Sunt, qui dicunt, quosdam Senenses, auxilio ejusdem magni Capitanei fuisse liberatos ab oppressione Florentinorum. Traditur, quod Senenses ipsi erant maxime præ obligati, & quod quotidie cogitabant, quid possent ei dare dignum meritis, pro tanto munere, quod acceperunt ab eo. Et tandem judicabant se impares tanto beneficio, etsi fecissent eum Dominum illius civitatis, adhuc non esset satis. Et stantibus illis in hac altercatione, quadam die in Concilio generali, quod pro ista re quotidie faciebant, quidam Senensis surrexit, & dixit, se invenisse præmium merito dignum tali Viro; & quod de facili posset dictus Populus facere vel concedere. Et imposito silentio fuit ei jussum, ut diceret, quidnam esset istud præmium. At ille dixit: Occidamus eum, & deinde adoremus eum, & pro nostro Protectore perpetuo (habeamus) Et ita factum fuit. Dixerunt ergo aliqui, non tamen quod ego præcise credam, Pontificem Sixtum hac in parte fuisse Senenses imitatum, ac eorum consilium prosecutum propter mortem ita immediate secutam post victoriam, & propter honorem, quem ei fecit in sepoltura.

Die 15. Septembris homines Montis delli Compatri sponte se dederunt Ecclesiæ. Idem fecerunt homines Neptuni. Fuit dictum, tali die Ducem Urbini mortuum fuisse. Inde ad paucos dies facta fuit pax inter Ecclesiam, & præfatum Regem. Et Columnenses reducti sunt in gratiam cum certis pactis & capitulis, inter alia, ut terræ hinc inde acceptæ restituerentur, & ut Cardinales, qui carcerati erant, dimitterentur. Et terra Terracinæ cum ejus arce rediit ad Ecclesiam, & Marinum cum reliquis ad Columnenses. Cardinales tamen, qui carcerati erant, non fuerunt dimissi. Et incontinenti 27. Decembris Dux Calabriæ venit ad Urbem dimissis captivis, permansitque in Palatio Papæ, per aliquot dies. Deinde ipse una cum Virgineo & aliis Ursinis cum bona gratia à Papa recessit 30. Decembris, & Ferrariam profectus est. Et facta confœderatione inter Papam & Regem, contra Venetos pugnatum est. Deinde nihil actum fuit usque ad 21. May 1483. Cum pluries Papa fuisset requisitus aliquando à Collegio, aliquando à toto Populo Romano, & ab aliis, fuitque hoc petitum per gratiam, ut dimitteret dictos Cardinales de carcere; & quamvis ipse pluries hoc promisisset, asserendo, ipsos in nihilum errasse, & propterea velle se illud libenter facturum: non tamen ad effectum veniebat. Tandem dicta die Dominus Marianus de Sabellis sumpta occasione à dicto Castro aufugit, seque in Roccham priorem, locum suum condidit. Quapropter iratus Papa dictos Cardinales in arctiorem locum inclusit.

Deinde die 15. mensis Novembris die Sabbati excarcerati & liberati fuerunt præfati Domini Cardinales de Columna & de Sabellis. Et confestim creati fuerunt Cardinales infra scripti: Archiepiscopus de Comitibus dictus Cardinalis delli Conti, Dominus Baptista Ursinus dictus Cardinalis Ursinus, Dominus Ascanius Nepos Ducis Mediolani, detto lo Cardinale Ascanio, quidam Frater existens apud Regem Franciæ, Dominus Jacobus de Parma, qui fuit dictus Cardinalis de Parma, puer nondum viginti annorum, & quidem formosus. Hic, ut fertur, non multum ragacius fuit dicti Comitis Hieronymi, deinde Camerarius Cardinalis Sancti Vitalii. Deinde Cubicularius Castellani Sancti Angeli. Quem cum Sixtus vidisset, mox ad se advocavit, illumque multis equidem opulentissimis beneficiis insignitum, tandem ad Cardinalatus apicem contra aliorum, ut fertur, voluntatem assumpsit. Juvenis est quidem bonæ indolis & formosus, ut videri potest, litteras autem non habet.

Qui omnes Cardinales post reversionem incontinenti Comitis Hieronymi creati sunt, qui jam 27. die mensis Maji cum suis ab Urbe recesserat, & de dicto mense Novembris reversus fuerat. Et, ut communiter fertur, aliqui ex dictis Cardinalibus non sine maxima effusione seu enumeratione pecuniarum creati sunt, ut verisimile est.

M C D L X X X I V.

FAccio recordo jo Stefano, come questo di penultimo di Maio el Protonotario Colonna fò pigliato in casa dello Cardinale Colonna, e fò menato à Palazzo presone. Et menollo lo lo Conte Hieronimo, Virgilio Ursini, Paolo figliuolo del Cardinale Orsino, Hieronimo figliuolo del Cardinale di Rhoano, e Leone di Monte Secco con tutte le genti loro, & dell' Ecclesia. Et fò derobata & infocata la detta casa, e furono molti huomini dell' una parte & l' altra, & lo fatto, & la cassione fù nel modo infra scritto. Conciosia de cosa, che lo detto Protonotario per comandamento dello Papa, e del Ré Ferrante, & anco per soe promissioni fosse obligato à rendere lo Contado d' Alui allo detto Virginio Orsino con haver prima quatordeci milia ducati da lui, cioè lo pezzo, che lui lo comprao dallo detto Ré Ferrante intra lo ditto Papa. Et lui furono fatto certi Capitoli & conventioni, tra li quali vi era questo, che nanti alla detta restitutione delli detti Contadi e pagamento delle dite pecunie, inprimis si dovessero mettere in pace certi Signori di Casa Gaetana, cioè lo Signore Christoforo & Antonio figliuolo di Leonardo Gaetano, & lo Signore Cola da una parte, e dall' altra lo Signore Joanne Paulo Gaetano, de & super la restitutione de uno Castello, cioè dalla parte loro posto in Campagna, loquale si chiama la Torre di Triviglianio, il quale el detto Joanni Paulo con ajuto de Alto Conte, e dell' Ecclesia proditoriamente, secondo che si dice, lo haveano tolto alli detti Signori, & essendo intra lo Papa, e lo detto Protonotaro fermati li ditti Capitoli e patti, mentre che si cercava la espeditione delle ditte cose, lo Camerlengo cioè lo Cardinale di Santo Giorgio nepote del Conte Hieronimo secondo, che publicamente disselo detto Protonotaro mandò à dire al detto Protonotaro Colonna, che andasse, ò staesse sopra dise, perche ci era, chi li faceva in-

va insidie, e portavali odio, & all' hora lo detto Protonotario se inchiuse nella detta casa, è palesando questa cosa con alcuni, & così spandendosi, intra più persone cominciarono li giovanni dissoluti & affettionati alla sua casa à sequitarlo, & dormire, e remanere di notte armati nella detta casa, per soa guardia. E similmente lo detto Signore Virginio e Paolo Orsino comminciarono à fare armati, e genti in monte Giordano, & in questo accascò, che lo Signore Antonello Savello, il quale era Signore d' una parte d' Albano dello quale ne fò cacciato per lo detto Paolo Orsino, e li Compagni di Mr. Jorio Sancta Croce, come si dice, di licentia e comandamento dello detto Papa lo ditto Signore Antonello assaltò certi alloggiamenti dello detto Paolo, liquali stavano appresso à Lamentana, & alla via di Tivoli, & delli detti alloggiamenti tolsero circa 40. Cavalli, ò bestie dello detto Paolo, e dopò per alcuni di lo detto Antonello insieme con lo Signore Lucito Conte di Monte Fortino, il quale à queste cose dice essere stato lo principale, & collo Signore Prospero Colonna fratello dello ditto Cardinale andarono, & corseno, & pigliarono Torecchia di Madonna Jacova delli Conti, & lo detto Lucito Conte si dice haver scritto allo Papa per soa scusa lettere di questo tenore: cioè che quello che lui haveva fatto di Torrecchia, lo haveva fatto per recuperare la soa robba, attento che lui più volte habbia scritto & pregato la Sede Apostolica, che li voglia tener ragione dell' Ingiuria, che à lui era fatta, & anche li fosse renduta la Patria sua di Monte Fortino, che proditoriamente diceva esserli tolta dallo Signore Prospero suo fratello, e che mai lo detto Papa e la Ecclesia non li haveva fatto rihavere niente, mà sempre con buone promissioni si vedeva essere procrastinato, & di legiato, per la qual cosa à lui era stato necessario fare quello, che haveva fatto contra la detta Madonna Jacova, la quale in questo teputava soa Inimica, e per tanto offeriva alla Santità sua la restitutione dello detto Castello, e la obedientia, perche à lui fusse renduto lo ditto Monte Fortino. Et stando così le dette cose, lo ditto Paolo Orsino, il quale si diceva esserci acconciò con la Signoria de Venetiani all' hora inimici dell' Ecclesia non havendo cavalli, faceva, come si dice, molte rubbarie, & di cavalli, & di huomini, intra li quali doi huomini Vassalli d' esso Protonotario Colonna, uno chiamato Pancratie d' Arigliano, e l' altro essendo mandato dal detto Protonotario ad Arigliano in mezzo alla via di Prato longo, quando si và à Tivoli dall' huomini d' Armi dello ditto Paolo furono pigliati, e menati, si che anche non si sà, dove se siano, e dopò à questo lo dito Protonotario secondo che lui disse s' accorse, che più volte di notte erano mandati messi, e spie à vedere, che faceva, e dove stava, & con chi stava, inducendo nella sua mente sospitione, insuper jongendo, che lo detto Paolo remosse certo bestiame, & quale lui haveva da questa parte nostra, & messolo in loco à lui più sicuro, lo detto Protonotaro suspicò tanto più in modo, che lui s' inforti nella detta casa, dubitando di non esserli assaltato dalli detti suoi inimici con bombardelle, cerobottane, scopetti, balestre, e con molta gente, la quale tutta sequitava la soa volontà. Et essendo notificato allo detto Papa Sixto, li detti apparecchi, incontinente mandò per lo detto Paolo Orsino, e contasi, e vedesi per esperienza, che lui dovesse levare dalla devotione delli detti Venetiani, e ridusselo à suo soldo. Et incontinente lo detto Pontefice comandò allo detto Virgilio, & allo ditto Paolo, che insieme con le genti, che haveva lui, si dovessino armare, & andare à pigliate lo ditto Protonotaro in Casa: & sendosi tutte le sopradette genti radunate insieme colla gente dello detto Conte Hieronimo fù in Monte Giordano, & in Campo di Fiore lo Papa per Soa scusa mando nello detto di per li Conservatori, & Officiali di Roma, liquali volse per giustificatione di quello, che lui intendeva di fare, che intendessono lo fatto, come passava, dicendo sempre, che se detto Protonotaro giva alli piedi di sua Santità, che lui intendeva di perdonarli, e di non fare più Scandalo. E però mandò per lui Mr. Catalano, e lo Vescovo di Massa delli Conti, alli quali promise lo detto Protonotaro liberamente di volere gire, di che li ditti Officiali per mezza notte andarono al detto Protonotaro, allo quale esposero l' Imbasciata, primo dicendo, che la Santità di nostro Signore si maravigliava di questi armati, che lui faceva secondo che soa Santita voleva darlo quella sigortà, che lui voleva, e lo detto Protonotaro rassegnasse li detti Contadi, & andasse alla soa Santità all' hora, & li detti Conservatori furono Evangelista Rienzo, Martino Juliano Cesarini, & Sao de Gottio de Campo de Fiore. Lo Priore frà Valeriano Freapane con molti altri Cittadini, e lo Protonotaro, etiam me præsente, rispose alli detti Officiali in questo modo, e di questo effetto, cioè che pregava li detti Officiali, che lo raccomandassino allo ditto Papa, e che li dicessino, che la Santità sua non se maravigliasse di quella guardia, che lui faceva per fare de contra alla santa Ecclesia, mà per difesa soa, e della sua casa, & era mosso da questi cascioni, primo che trattandosi lo detto aggiustamento, e la restitutione di detto Contado, & essendo lui per più celere espeditione delle dette cose stato, e remaso doi dì, e doi notti in nella casa del detto Camerlengo, & havendo più volte pregato Soa Signoria, che li facessi havere parole colla Soa Santita, & mai non lo haveva possuto parlare, lo detto Camerlengo quasi per viam excusationis, e per non essere tenuto traditore, disse allo detto Protonotaro, che se dovesse guardare, perche era qual chuno delli soi inimici, che li portava sete addosso. Item disse, essere mosso dall' insidie, le quali s' era accorto, esserli state fatte di notte. Item delli detti soi Vassalli pigliati, & ancora diceva esserli fatta Ambasciata, per parte di quelli Signori, che lo aspettassino, e per questo prega li detti Officiali, volessino excusarlo con la præfata Santita di nostro Signore, che di questi armati non pigliasse admiratione. Item al fatto delli

Digitized by Google

Contadi disse lui essere bene contento assignarli secondo li Capitoli, essendo satisfatto primo à lui quello, che in essi Capitoli si conteneva auvenga, che dopò che fussino fatti li detti Capitoli, & accettati per lui, & lo Signore Fabritio, & rimasi d' accordo, la soa Santità ne haveva levate, ò immutate certe cose, e che di questo la Santità ne haveva havuta certezza dallo Signore Fabritio, el quale haveva risposto à certi messi mandati li per la præfata soa Santita, che era contento de assignare, e fare tanto, quanto per lo detto Protonotaro era ordinato, e che veduta la lettera soa, lui era apparecchiato assignare. Item al fatto dello andare à soa Santita disse, che lo Papa era suo Signore, e che colla sua Santità non voleva ne sigortà, ne cautela, e che lui vi voleva andare, perche piacesse alla soa Santità senza alcuna cautela, e che se lui era in alcuno fallimento era contento, che la soa Santità li daesse la penitentia; bene pregava la soa Santità, che non lo mettesse in mano, ò nolli facesse de trovare alli Signori Orsini, li quali se l' erano scoperti per soi inimici. E per questa risposta fece alli detti Officiali, & allo Popolo, & nanti che lui havessi ditto queste cose, venne uno delli soi con impeto, & disse: Signore, vedete, che facemo, perche qui è venuto uno, & dice che lo Signore Virginio, & Paolo Ursini si sono messi in pronto, & sono in via già appresso à Santo Agostino per venirce à trovare. All' hora li detti Conservatori & Officiali andarono con l' Ambasciata al Papa, e dopò à poco spatio retornarono e dissero allo Protonotaro, che dovesse andare con loro al Palazzo, & all' hora lo Protonotaro cavalcò per andare in questo mezzo si fece inanti lo Signore Filippo Savello, e disse alli detti Officiali, che lui voleva sapere con che sicurezza lo detto Protonotaro andava à Palazzo; allo quale li detti Conservatori dissero, che lui andava sopra di loro salvo & sano: item dello tornare loro non l' assicuravano; alli quali lo detto Signore Filippo disse, che guardassino bene in che modo lo menavano, perche se lo detto Protonotaro haveva lescione alcuna, ò non tornava, che lui ci rimedia rebbe con tutte le persone loro, e cavalcato che fù lo detto Protonotaro per andare al Papa colli detti Officiali, se li fecero in contro molti di quelli armati, che lui teneva, e se li dissero iratamente, che lui non andasse, perche se lui andava, lo fatto suo s' acconciava, & essi rimanevano in briga, e che erano certi, che se giva, che non tornava vicco. E molti dicevano, che lo voleva tagliare in pezzi nanti essi, che li soi inimici. E cosi con grande impeto pigliarono lo ditto Protonotaro lui, & lo suo Cavallo, & remisserolo dentro, & dedero licenza alli Officiali, che per quella volta se n' andassino con Dio. E cosi tornaro li detti Officiali iterum allo Papo. E dopo poco spatio retornò uno delli detti Conservatori, cioè Evangelista collo detto Valeriano Priore. Li quali essortarono lo detto Protonotaro, che dovesse andare allo Papa, e li voleva perdonare ogni cosa, & voleva accettare questa facenda, che non se facesse scandalo. E lo Protonotaro cavalcò, & accostosse alle sbarre, che erano sù la piazza. E cosi uno, che li stava, lo retardò, che non andasse, e lui caciò lo stoccho, che teneva al lato, e di elli una percussione senza sangue, perche non lo voleva lasciare andare. E dopò pigliando lui l' occasione deo d' esperoni allo suo cavallo, & passò la sbarra solo, e giò verso Palazzo. E lo detto Conservatore e Priore lo sequitarono, & uscito, che fù nella strada dritta, che và allo Capo Croce di Treio, dinanzi alla casa, che fù di Mr. Angelo de Masso, se le fecero in contro certi delli soi armati. Li quali come lo viddero, & potissimè un huomo grande di persona, lo pigliò per la briglia, e se lo stare, e dissegli: Signore, tu cerchi d' andare in Palazzo, e disfare te, e noi, non volemo noi, che tu ci vadi, nanzi te vogliamo tagliare à pezzi noi qui. E cosi venne l' altra turba, laquale incontinente lo pigliò, e con grande furore lo rimenarono à casa. E cosi li detti Officiali esclusi se ne andarano à Palazzo. E jonto che fù lo ditto Protonotaro alla casa raddunati, che hebbe alcuni di quelli armati li presenti, quasi con lacrime à gl' occhi li disse queste parole secondo che alcuni hanno riferito: Jo vi auviso, che voi sete cascione della disfattione mia e vostra, poiche non havete voluto patire, che jo già à Palazzo. E molti li respondevano: Je tu ci andavi, non retornavi mai più. Et era questo circa à 21. hora. Et essendo riferita l' Ambasciata allo Pontefice, e vedendo, che il detto Protonotaro non era andato, all' hora comandò alli detti suoi essecutori, che lo dovessino andare à pigliare in quel modo, che loro potevano, non sicurando di mettere in sbaraglio, ò in pericolo di morte, ò di occisione lo Popolo Anche più li disse, secondo che lo Signore Virgilio ha referito à molte persone, che la Soa Santità li commise, che indifferentemente tanto ad Ursini quanto à Colonnesi dovessino mettere à sacco li Monti Treio, & Colonna, e colle dette genti erano certi giovani arditi Romani, liquali mandò Stefano di Francesco in ajuto del Ursini, & incontinente si mossero li detti Signori, li quali tenevano la detta gente in ponto, e collo stendardo dell' ecclesia se n' andarono alla via di Treio, e per quella strada deritta se ne andarono alla Piazza dello detto Protonotaro, e pigliarono Monte cavallo, e circondarollo intorno, & missero un bando à quelli huomini à pena di ribellione, & de crimine læsæ Majestatis per parte dello Papa, che ogn' huomo si dovesse partire de li, e de non dare ne auxilio, ne favore, ne ajuto al detto Protonotaro. Per loquale bando moltissimi Cittadini vedendo, che in questo teneva mano la Ecclesia con l' Ursini si partiero incontinenti, e depò à questo subito certi huomini d' armi, & Paolo Ursino saltarono dentro alle sbarre, delle quali doi incontinenti furono morti da una bombardella, e lo cavallo dello detto Paolo fù ferito, & de li à poco spatio caminò, e fù morto. Item molte schiopette, balestre, e cerobottani, e passavolanti furono gittati, per liquali furono feriti molti huomini, & morti assaissimi circa à sedeci, & in Monte cavallo in nella fron-

la frontata dell' una parte, e dell' altra morsero sette persone, e questi dell' Ecclesia combattevano, e questi Colonnesi si difendevano politamente, e dopò fù le 23. hore li detti Colonnesi essendo già stanchi, e non potendo resistere à tanta moltitudine di gente, la quale havevano attorno da ogni parte, & anco perche la polvere di quelle bombarde non li serviva bene, cominciarono ad abbandonare la Porta grande in nella quale venendo la gente d' armi si parti in doi parti, & entrarono per forza in quello chiostro, esparsessi per esso, si che all' hora non li potea più nocere, ne bombarda, ne altro, e così la moltitudine entrò dentro, e cacciarono fuoco sua la stalla, appreso Santo Nicola delli Porci, & li ruppero un muro, & entrarono nello Giardino, & un' altra parte ne pigliaro la messo. E così entrarono in casa, e derobarono, e tolsero ciò che ci era, e trovarono lo Protonotaro incluso in una camera, assiso sopra una cassa, & ferito in una mano. Allo quale li dissero, che andasse presone. E lui li rispose: Amazzate mi prima. All' hora li disse lo Signore Virgilio: Arrende tevi à me, & non havete paura. Et all' hora disse: Jo sono contento, e così lo menarono; insuper trovarono il Signore Filippo Savello, e pigliarolo, e fecerolo spogliare di quella corazzina, che portava, e poseroli li detti Signori di casa Ursina, e disceroglí, poiche l' hebbero spogliato,* di viva casa Ursina. E colui disse: Non lo voglio dire, è così à mano salva lo diedero grande ferita nella fronte, e tagliaroli le mani, e percossero nello viso, e nello corpo di più ferite, e li lassarono morto, e li fù morto, & lo figlio d' Assuntio Scapuccio e Rocio di Santo Gemini, e molti altri, e le robbe dello Cardinale Colonna tutte andarono in preda, cioè oro, & ariento, e le sue Cappe, e panni di razza, & casse, & massaritie fino allo suo Cappello, e lo Protonotaro sotto la fede del detto Virgilio fò menato allo Papa in jupetto, avenga, che dopò le fosse prestata una cappa nera, e quando se menava, lo Conte Hieronimo li disse: ah, ah, traditore, che come ionge, che t' impicco per la gola. E lo Signore Virgilio li rispose: Signore impiccarai inanti me, che colui: e più volse cacciò lo Conte Hieronimo lo stocco, & ammenollo per volerlo occidere, e lo ditto Signore Virgilio sempre si contrapose, e non volse mai, che li facesse male, e così la Domenica à sera fù menato dinanti allo Papa, dinanti al quale stette per fino à due hore di notte, e dopò che fù saputo, che detto Protonotaro fù pigliato, incontinente Porta maiore la quale l' haveva fatta pigliare, e tenere à sua petitione lo detto Protonotaro, sperando di li, per li soi parenti li venisse soccorso, fù lassata, & anche in quel di, & in quell' hora, che furono fatte tutte queste cose, la gente dell' Ecclesia, e di casa Ursina misero à saccomanno la casa di Paolo Mancino per fino à casa dello Cardinale, e lo Vice-Camerlengo Lione di Montesecco, & Antonio di Conti misero à sacco super Monte cavallo quante case vi stavano, & la Ecclesia di Santo Salvatore delli Cornelli, e di Santo Silvestro, e furono robbate reliquie, paramenti d' altari, messali & ogni cosa & ancora intra l' altre la casa di Pomponio Letto, allo quale gli forono tolti quanti libri, e quanta robba haveva, & li suoi vestiti, e lui in rispetto con li borgiachini, e con la canna in mano se ne andò à lamentare con li superiori.

Lo lunedi furono buttate in terra le case di Mr. Liello, e di Jacovo della Valle tutte, eccetto quelle di Mr. Filippo, le quali lo di sequente furono gettate.

Lo Martedi fù fama in Roma, come certi ladri havevano predati certi bovi de Romani, e certe cavalle, & erano arrivate à Monte delli Compatri.

Item è detto, che Marino s' era renduto all' Ecclesia tutto, fuorche la Rocca, mà poi lo Martedi lo campo andò à lui cò le genti della Ecclesia, e con l' Ursini, e furono comandate molte persone à portare pane e vino, à capo de Bovi, dove lo detto campo si passò.

Item nel detto di fò tagliata la testa allo Signore Jacovo Conte di Monte Fortino, lo quale si era trovato nella Battaglia col detto Protonotaro, e fù pigliato hieri, che fù lunedi à Santo Paolo, loquale andava vestito nel modo di Villano.

Item furono messe à sacco molte case de Cittadini, liquali per altro si trovavano havere favorito à Casa Colonna, oltre à quelle che sono scritte di sopra, e nello primo di Jugno, che fò lo lunedi fù messo à sacco la casa di Mr. Paolo figlio di Pietro Paolo Matteo, e di Mr. Ludovico Suozio, e questo fù, perche havendo briga, lo suo nemico stava in casa di Mr. Jorio Santabroce, il quale con la sua brigata sotto nome dell' Ecclesia, e dello Papa, li quali dicevano, haver commesso, che le case d' alcuno Cittadino si dovevano sgombrare, fù messo à sacco, come di sopra.

Item nel detto Martedi fù gettata la taglia à Battista Matteo, allo quale si dice, che Paolo Orsino li have detto à bocca, che paghi dieci mila ducati, imperoche lo suo figlio li era trovato in ajuto di casa Colonna, e così si dice havere fatto à Giovanni Pietro Beolo, & à Stefano Margano, si dice, che li hà gettati che paghi dieci mila ducati, & è da notare, che in questo lo Papa è gabbato, peroche questa punitione, che fà lo Signore Paolo non lo fà per punire delitto fatto contro la Ecclesia, mà per vendicarsi dell' ingiuria & contra di quelli, che hanno fatto del bene à Casa della Valle soa Inimica.

Item fù comandato à Stefano Margano, che sotto pena di ribellione dovesse pagare X. Mille Ducati, imperoche lo figlio Paolo si era trovato armato in casa dello detto Protonotaro, & ancò molti officii e beneficii di quelli Cittadini, che li si trovavano, forono tolti, inprimis à Mr. Prospero Boccacio la scrittoria, à Mr. Paolo della Valle l' altra scrittoria, à Mr. Bartolomeo di Cicigliano Canonico di San Pietro li suoi Beneficii, à Mr. Polonio Valentino Canonico di Santo Joanni li soi Beneficii, à Mr. Gismondo Bonsignore Canonico di Santa Maria di Transtevere li

Digitized by Google

re li ſoi Beneficii. (ma poi per interceſſione del Ré di Napoli li hà rihavuti,) à Battiſta Arione lo ſoo Magiſtrato.

Item allo Roſſo Bonſignore miſuratore dello Sale lo detto officio, loquale fù dato à Luca Capoccio, & à molti altri, delli quali non è memoria. Item Mercordi fù pigliato lo figlio de Angelo de Paluzzo, Pietro Matteo mandato cercando dall' Auditore dello Vice-Camerlengo, & li fù ritenuto, & à ſei di dopò fù laſſato.

Item lo Jovedi à mattina fù detto in Campidoglio, come in Marino ſtava lo Signore Proſpero, e lo Signore Antonello, e con eſſo Franceſco della Valle con molte genti d' armi, e che havevano appiccalo Joanne Signori le Vicario di Marino con quattro Maſſari della terra, imperoche havevano perſuaſo à quel popolo, rendeſſero le chiavi della terra allo Papa & alla Eccleſia, e dopò non fù trovato vero. Inſuper nel detto di fù data la bataglia alla terra, e fù fatto lo guaſto, e li morſero quattro perſone incontinente, & certi altri furono feriti, ſecondo che diſſero certi fanti della Eccleſia. E ſimiliter lo Venerdi morſero molti di quelli, che furono feriti la domenica, e nello detto di, Dio moſtrò viſibilmente lo ſuo miracolo, che eſſendo lo Vice-Camerlengo, loquale era Mr. Domenico dell Albergatti di Bologna Protonotaro incrudelito lo detto di di Maio contro certi huomini habitatori in Monte cavallo, contro liquali lui ſi moſtrò molto ferocemente in uccidere & vedere lo ſangue loro, & in mettere à ſacco le loro caſe ſenza alcuna diſcretione, trà liquali meſe à ſacco etiamdio la Eccleſia di Santo Salvatore delli Comelli, e di San Silveſtro di Monte Cavallo, alla quale tolſero calici, croci, meſſali, paramenti, e tutto ciò che havevano, e non li laſſarono niente, & uno delli ſoi maladetti ſequaci deo à tenere in pegno ad un Tavernaro che faceva la taverna in caſa, che fù di Mattevuio Janico uno altare già rotto con le reliquie dentro come ſuol eſſere; loquale altare fù dato à Frate Pelegrino in Santo Marcello, e lui lo mandò in una eccleſia, della quale lui ne haveva la guardia, e ſtà in quattro Capora, & ſimiliter un Meſſale fù venduto con certi paramenti d' altare à Ponte in Santo Celſo per pochiſſimo prezzo, e per tanto lo detto Camerlengo affatticandoſi altre modo nella detta Zuffa, entrò in caſa del Veſcovo di Vintimiglia, laquale etiamdio fù meſſa à ſacco, & li ſi rinfreſcò, e bene in un' inſtante cinque bicchieri intra vino & acqua, liquali erano grandi, e tenevano trè giuſti bicchieri l' uno, & eſſendo per quella crudeltà biſtemmato dalle donne, e dalli fantini di quello luogo, Dio eſſaudi le loro preci, ſi & in tal modo, che lo Venerdi lui andò ſotto terra & alcuni dicono di ſchiranzia, mà ciò che ſi fuſſe, fù giudicio di Dio, il quale venne ſopra di lui incontinente.

E nel ditto Venerdi 4. di Jugno fù fatto lo Conſiſtorio, in nel quale li Signori Cardinali raccomandarono allo Papa la Caſa del Cardinale Colonna, laquale tuttavia s' abbruſciava, e robbavanſi fineſtre ferrate, travi, marmi, & altre coſe, & anche lo Cardinale di Siena raccomando Caſa della Valle, che piaceſſe alla ſoa Santità di non le fornire di gettare in terra, peroche baſtava quello, che era fatto per interrire il popolo; la ſoa Santità liberamente promiſe di volerlo fare, e coſi fù concluſo in Conſiſtoro, che la detta caſa Colonna ſi doveſſe ſtucciare, e non gettare più, & il ſimile quella della Valle, hor coſi comandò allo Datario, che mandaſſe la Bolla, che ſotto pena di Scommunica nullo tolleſſe, robaſſe, ò gettaſſe in terra le dette caſe.

E de li à trè hore fatto che fù lo pranzo, lo detto Papa mandò, per Joan Franciſco Barigello, e li comandò, che andaſſe à tornare d' inſuocare, e gettare à terra le dette Caſe, e potiſſime quelle del Cardinale Colonna, e che deſſe licenza ad ogni huomo, che ſi poteſſe pigliare quello, che ſi voleva, e coſi andarono iterum le genti mandate dal Pontefice à fornire d' infocare, e deſtruere la detta caſa del Cardinale Colonna, & à fornire di gettare fino alli fondamenti caſa della Valle, per la qual coſa lo detto Cardinale di Siena havendo veduto l' effetto contrario alla promeſſione, & alla deliberatione fatta in Conſiſtoro ſenza d' aſpettare più niente ſi miſe in ponto, & andoſſene fuori di Roma à Viterbo, e coſi le dette Caſe furono disfatte, e gettate à terra.

Inſuper lo ſabbato die 5. fù ditto in nella Capo croce di Santo Marcello per fide degne perſone, come Paolo Orſino, & Jeronimo Tuttavilla con lo ditto Lione havevano combattuto à Marino, e che lo ditto Paolo era ſtato pigliato ditto Antonello, ſe non che la fortuna lo campò, che nello pigliare caſcò lo Cavallo allo detto Antoniello, e pur niente dimeno era ferito, & in quella ſcaramuccia vi morſero quattro huomini della parte noſtra dell' Eccleſia.

Item fù ditto per una perſona fide digna, che lo Papa di ſua bocca haveva rivelato, e detto, come alle mani della ſoa Santità erano venute certe lettere ſcritte, manu propria del Cardinale Colonna addrizzate allo detto Protonotario, e delle quali lo ditto Protonotaro non ne haveva havuto notitià, perche lo meſſo fù pigliato per la ſtrada inanti che queſte coſe fuſſero, e le dette lettere erano di queſto tenore & ſuſtanza, cioè che lo Cardinale ſcriveva, che ſoa Santità haveva inteſo, che lui veniva diſoneſtamente, e che di queſto ſe ne maravegliava, e pregavallo, che non faceſſe qualche pazzia, che ſe pur la faceva, che non ſperaſſe nella ſua ſignoria, che lo adjutaſſe à niente, perche intentione della ſoa Signoria era d' eſſere ſempre buon' figliuolo & obbediente allo Papa, & alla ſanta eccleſia.

E quantunque hebbia la ſoa Santità veduta e trovata la innocentia, bontà e fideltà dello detto Cardinale, non hà però reſtato, che non gl' habbia abbruſciata & ruinata.

Inſuper la gente dell' Eccleſia hanno tolte di molte beſtie de Romani, & è ſtato lo Signore Paolo, loquale ſe le hà mandate ad Lamentana; e lo ſabbato tolſe certe cavalle e bovi ad Antonio Lenio, e dopò lo detto Antonio, nanti che lo detto Paolo ſe parlaſſe, per mandarli ad Lamentana lo detto Antonio fece gente, retolſele le,

Digitized by Google

lele, e ferierono, e buttarono certi corsi, che le menavano, liquali corsi teneva à salario lo detto Signore Paolo Ursino, per tramandare lo bestiame, loquale lui pigliava tanto dell' amici, quanto dell' inimici: e la Domenica, che fò lo dì 7. di Jugno lo detto Signore Paolo Orsino e compagni mandarono loro carriaggi ad Castello Anulfo, li quali furono presi, & saccheggiati per quelli di Marino. Dopò giovedi mattina venne la novella, como lo Signore Antonello con li compagni havevano assaltato li campi della Ecclesia in Grottaferrata, e li havevano amazzati, & sbudellati, e tolti molti cavalli, e ciò chestava in quelli alloggiamenti di fuori, e volendo poi entrare nella Ecclesia di Grottaferrata ammazarono Lione di Montefecco, e Jorro Albanese Contestabile, ilquale altre volte stava alla guardia di Castello, e ferirono un Romano chiamato Paolo di Mastro Lorenzo Ronciglione, occisero due ragazzi di Paolo Orsino, e molti altri huomini: e Paolo Orsino, e Jeronimo Tuttavilla fuggirono, e riposeronsi nel Campanile di Grottaferrata, e quell' altri pochi, che li rimasero, che non erano fuggiti ne i monti, se inchesero nella detta ecclesia di Grottaferrata, laquale lo detto Antonello non potè mai pigliare ne con fuoco, ne con armi, e li stettero le dette genti incluse, per fino che fù sera, che li venne soccorso da Roma, e mai non s' attentarono di volere uscire fuora. E dicesi, che con lo detto Antonello erano molti fanti Aquilani, e che misero fuoco in tutti l' alloggiamenti, e luoghi che poterono di questi della ecclesia. Item trà nostri Cittadini fù un Battista Cola Roscio, & Agabito suo figlio, e Joanni Battista, Paolo di Joanni suo nepote, non li bastando quello, che havevano fatto, e che havevano tolto di casa dello Cardinale Colonna, quando fù messa à sacco, & à fuoco anco nello detto dì, erano andati con li mettitori salariati à mietere lo grano di Marino, & incontinente la notte predetta furono pigliati da quelli di Marino, e menati presoni, e dopò à trè di lo detto Battista solo ritornò tutto rotto, & azzacconato con la taglia di ducento Ducati, pro laquale li lasciò detto Agabito per pegno.

Item li detti Signori di Marino havevano pigliato un Mr. Ginolfo, loquale stava in casa di Siena, huomo di grande riputatione, lo quale se tennero un dì & una notte, e dopò lo rimandarono sano & salvo senza lesione alcuna di Robba, ò di persona, & imposeronli Ambasciate, che dovesse fare à nostro Signore & alli Signori Cardinali, cioè che loro si erano infortiliti non per difendersi dalla gente dell' Ecclesia, e dello Papa, mà dalli Ursini loro inimici, e che pregavano la Santità di nostro Signore, che non li volesse favorire e che lasciasse fare à loro, & essendo così, loro erano, e volevano essere obedienti, e buoni figlioli della santa Ecclesia, & altrimente volendo lo Papa, & alli detti Ursini dare ajuto contro di loro, se si difendevano l' havesse per iscusati, e similiter li detti huomini di Marino, e Signori pigliarono certi Valesiani, che venivano à Roma, e passavano, liquali similiter li lassaro senza farli alcuna ingiuria, e contra la gente della Ecclesia, cioè di Paolo Orsino da dovunque si trovavano facevano grandissimi danni, derobbavano le are de sacchi di grano, d' orzo, e d' altre masaritie, e battevano lo grano, e mandavanlo à vendere, e cacciavano li metitori per Romani mandati alli loro lavori derobavanoli, e rimandavanoli per potere fare meglio loro fatto, onde vedendo questo li Cittadini radunato lo consiglio lo Venerdi nello Palazzo delli Conservatori dove che fù letta una lettera mandata per lo Cardinale Colonna alli detti Conservatori, dove che lo detto Cardinale si offeriva rendere certe Bufale di Cecco de Picchi, le quali passando de li erano state ritenute per quelli di Ardia per ristoro di certi huomini di quello luogo, li quali erano stati derobati e pigliati per questi di Paolo Ursino, e pregava li detti Conservatori, volessero raccommandare la sua Signoria alla Santità di nostro Signore, & allo Conte offerendosi sempre parato alli suoi comandamenti, & così furono restituite le Bufale, e rilassati li presoni, mà non li fù renduta la robba. Et similiter nel detto consiglio fù proposto, che si dovesse provedere à quelli smisurati danni, prede e rapine, che si facevano per queste genti di Paolo Ursino e della ecclesia, e tandem fù concluso, che la mattina venente, che era il sabato, si dovesse colleggialmente andare per li Officiali, e per lo Popolo al Papa, al quale si dovesse supplicare, che dasse pace alli detti Signori Colonnesi, & à noi, attento che loro fino à mò non hanno peccato in niente, e che per questa guerra si veniva à perdere la città, per la qual cosa era disfatta questa terra, attento alla carestia dell' anni passati, e caso che lo Papa non volesse ascoltare, ò vero fare alcuna delle cose predette, che se ne andassero allo Colleio, di tutti li Signori Cardinali, e così fù concluso. Lo sabbato ad mattina si adunarono tutti li Cittadini per andare, come era concluso, & aspettando due delli detti Conservatori, cioè Evangelista & Juliano. E dopo molte parole fù mandato per loro, e non furono trovati, fù monato sù lo Priore delli Caporioni, il quale è Valeriano Freapane per andare in Palazzo, & lo detto Priore disse, come lui, & li sopradetti Conservatori erano stati hieri allo Conte, & revelatoli tutto quello, che s' era concluso in consiglio, e lo Conte non voleva, che si andasse allo Papa ad petere, ne pace, ne tregua, & all' hora si messano li Cittadini, & andarono à parlare allo Conte, e tandem ottennero, che quattro di loro con li detti Officiali andassero la sera allo Papa à parlare alloquale l' esposero le sopradette ambasciarie, & hebbero per risposta dalla Santità sua, che non voleva ne pace, ne tregua, e che lui pretendeva di pigliarle queste terre di Casa Colonna, e che lui haveva mandato per molta gente, e facevala mettere in pronto, e che di prossimo l' haverebbe pigliate, & in questo mezzo voleva fare provisione, che li detti danni non si facessero, e depoi fu fatta questa eccellente & stimata, overo escogitata provisione, cioè che tutti li Romani li quali stavano alli ripari

Digitized by Google

pari col campo dell' Eccleſia, ò di Paolo Orſino doveſſero ritornare à Roma, perche ſi diceva, che loro battevano lo grano, & mandavanlo ad Roma alli loro Parenti.

Item che nullo poteſſe mettere alcuna quantità di grano in Roma ſenza bollettino.

Item che quelli ſaccomanni, che portaſſero grano in Roma, li fuſſe ſubito tolto per metterſi in un luogo ad inſtanza dello Conte, le quali proviſioni quanto ſiano iſpedienti alli biſogni ſopradetti ogni perſona lo può conſiderare, e finalmente eſſendo derobbata la Caſa d' uno Cittadino, il quale fù Paolo Cola, Jovanne lamentandoſi con certi altri Cittadini in Piazza de Tor de Conti accaſcò, che paſſarono quelli quattro ſaccomanni con li muli e cò lo grano del detto Paolo, & incontinente lo detto Paolo li corſe addoſſo e retolſe li muli, e lo grano, e piglione trè, e fe lo andare in Campidoglio, & dopò lo Senatore mandò per lo quarto fuggito, il quale era arrivato in caſa del Cardinale delli Conti, e lo Cardinale non lo volſe mandare con dire che ſe ne era andato con Dio; e dopò lo Conte mandò allo Senatore per quelli trè che teneva lui preſone, che li rimandaſſe, perche lui voleva addimandare & eſſaminare lui; & lo Senatore non li volſe mandare, immo li mandò à dire, che lui era meſſo li per fare la giuſtitià, e coſi voleva fare, ſi che haveſſe patientià, auvenga che di li à pochi di li più mandaſſe.

Item lo Cardinale di Santo-Pietro ad Vincula in Palazzo hebbe molte parole collo Conte Hieronimo, e la origine, e le parole ſono queſte, che lo Conte in preſenza dello Papa diſſe al Cardinale, che lui faceva male à tenere li ribelli, & inimici della Eccleſia in caſa: & queſto li diſſe, imperoche lo detto Cardinale teneva Paolo Margano, Mr. Bernardino della Valle, Mr. Paolo della Valle, Mr. Apollonio Valentino, Mr. Proſpero Boccacio, e molti altri, li quali ſi trovarono in Caſa del Cardinale Colonna, quando fù tolta, & battagliata la detta Caſa in favore dello Protonotaro Colonna. Allo quale lo detto Cardinale riſpoſe & diſſe, che quelli, che teneva, non erano ribelli, alla Eccleſia, mà erano fideliſſimi, mà lui ſi credeva cacciare loro di Roma, e mettere à fuoco la Eccleſia di Dio & inrovinarla tutta quanta, e che lui n' era caſcione per li mali portamenti, che lo Papa, che era li preſente, con tutti li Cardinali andaſſero in rovina, e dopò il Conte li diſſe, che lui lo voleva cacciare da quella Terra, e che lo voleva infocare in quella caſa, e metterla à ſaccomanno, ſi come haveva fatto à quella del Cardinale Colonna, e conciò ſia coſa che lo Papa tuttavia ſi metteſſe in ponto di genti, & altre artagliarie per pigliare Marino, e deſtruere Caſa Colonna, ſentendo queſto lo Signore mandaro li meſſi & Ambaſciatori allo Papa, & alli Signori Cardinali, alliquali pregavano humilmente non li voleſſe deſtruere al tutto, e che loro erano bene contenti, che ſe lo Protonotaro haveva peccato, che ſua Santità lo puniſſe, attento che lo havevano in preſone, & erano contenti di dare nelle mani del Colleio delli Cardinali Marino, Rocca di Papa, & Ardea, che ne faceſſe il Colleio, ciò che li piaceſſe, e pareva eſſere più di raſcione, e loro ſi offerivano di venire ad obbedire: e tandem lo Papa diſſe, che di queſto ſe ne voleva conſigliare collo Conte, e dopò lui, e lo Conte riſpoſero, che la loro intentione era di non havere niente di buona voglia, e che lo Conte voleva havere tutte le predette & altre terre delli predetti Coloneſi per colpi di bombarde e de ſagitte e per forza, e per diſpetto loro.

E dopò lo detto Signore Antonello, e compagni vedendoſi diſperati della concordia à 18. del meſe di Jugnio, ditto uſci fuori con ſoi fanti, e cavalli leggieri, e radunoſſe certi Jovani Romani, liquali erano circa à venti con molti altri metitori, liquali erano avanti ad mover, & ad predare lo grano de Marino, e coſi ligati li menò in Marino.

E vedendo queſto Andrea de Norcia Coneſtabile dello Conte, e della Eccleſia inſieme con certi ſuoi cavalli andare lo detto di à dare battaglia ad Marino, dove che coloro uſcirono, e ruppero quelli della eccleſia, ferirono à morte lo detto Andrea e molti altri della detta Eccleſia furono li morti, e feriti, & li morti, ſecondo ſi dice, furono circa ad ſei.

Et ancò nello ditto di fù fatta grande riſſa e tumulto in Santo Pietro, imperoche lo Papa voleva mettere nello numero delli *Auditori della* Rota uno ſtroppiato gobbo, e *moſtro de gl'* huomini, il quale haveva nome Mr. Joanne Antonio da Parma Jovane certo ignorante, & cativiſſimo, e peſſimo huomo, ſecondo per eſperienza ſi e veduto nelli ſuoi officii, delli quali ne può rendere, come ne rende teſtimonio il Cardinale di Macone, e lo Veſcovo di Ferrara, & altre perſone, che lo hanno provato in Roma.

I detti Auditori non lo volſero recipere, attento che lui non haveva fatta eſperienza, e diſputatione prima ſecondo di loro uſanza, & havendo lo Papa comandato lo doveſſero recipere coſi ex abrupto, e loro non volevano guaſtare loro approbatiſſimi coſtumi. Lo Papa mandò per li fanti della guardia del Palazzo del Conte e d' altri luoghi; e quelli fanti mandò ad minacciare, & ad pigliare li detti Auditori, liquali poiche viddero quello sforzo, diſſero di volere andare à parlare allo Conte, e coſi ſecretamente ſi partirono dallo loco, & ogni huomo ſe ne andò à caſa non per la via dritta, mà per Transtevere per non eſſere preſi, & poſto in Caſtello, e lo detto Mr. Joanne Antonio per quello e lo non fù riceputo, & è da ſapere, che lo detto Mr. Gioanne Antonio per entrare nel detto luogho allo modo ſuo uſitato haveva donato allo Conte ducento e cinquanta Ducati, e mille rehava promeſſo allo Papa, liquali 250. Ducati, poiche non potè conſequire l' officio l' addimandò allo Conte, che li rendeſſe, e non li volſe rendere, diſſe, che lui l' haveva donati ſimpliciter.

E ſimiliter fù tumulto intra li ſcrittori Apoſtolici, & li Stradiotti, e lo Conte, imperoche lo detto Conte comandò alli detti Scrittori incon-

Digitized by Google

continente dovessero havere sborzati mille ducati, liquali diceva volere per la guerra; & li detti scrittori dissero non havere denari all' hora apparecchiati, e che la soa Signoria li desse termine otto di ad trovarli. Et incontinente lo detto Conte dissegli con grande impeto: che voi dite, che non l'havete, & volete termine ad trovarli, e sò io, che li havete, pagate dugento più, si che siano mille, e dugento, e se farete altra replicatione, cresceremo piu questa somma, e cosi fù necessario alli detti scrittori pagare li detti mille ducati, & similiter fecero li Stradiotti.

Et ancò il Papa gittò la Decima alli Preti, & alle ecclesie di Roma, e fuora di Roma, la quale quantunque si chiamasse Decima, non però haveva effetto di Decima, perche lo Conte gettava la tassa alli preti, & all' ecclesie secondo lo suo volere, non havendo rispetto ad altro, se non ad quello, che etiam con difficoltà, se poteva estorquere, & quello lo voleva sotto nome di Decima, e lo collettore d'essa in Roma fu ordinato lo Vescovo di Cervia, lo quale è Mr. Achille Marescotti di Bologna.

Ancora non è da tacere, che lo ditto Conte è di tanta ardente volontà, di vedere lo sangue di quei pochi Colonnesi, e di muovere battaglia à Marino, che nel di della Domenica teneva li lavoratori, e mastri à fare le casse alle bombarde grosse per mandarle, e continuamente si studia in fare venire, e mettere in pronto gente d'armi e soldati, ma non però che la soa Signoria Illustrissima si parta niente dalla casa, nella quale stà con grandissima guardia di di, e di notte, & lo più che vada, và à Palazzo dallo Papa accompagnato molto bene, e con gran timore della persona.

Dopò lo Santissimo in Christo Padre & Signore nostro una con suo complice Signore Conte Hieronimo, per la loro innata e solita clemenza, misericordia & justitia, la quale hanno sempre mostrata, & mostrano tuttavia erga li figlioli, & fedeli della santa Ecclesia, ancora in questo hanno mostrato la loro virtù, & animo, che lo detto Protonotario Colonna, loquale tenevano carcerato in Castello, hanno de tanti, & si varii, & urgentissimi martirij, e torture martirizzato & torto, che li medici etiamdio chiamati per essi, hanno judicato, esso non potere campare da morte infra poco spatio, e secondo che hà referito un medico Hebreo, loquale è stato à curarlo, lui prima hà tronco lo nervo delle braccia con due profondissimi pertusi, sotto alle tetecelle, le ginocchia & le gambe infrate e pertusciate per essere stato impeso allo Martoro con le ferite, & altri presi alligati alli piedi, item per le stanghette & per li dadi dati alle gaccolle, & anco le mani tormentate, si che per nullo modo dicono potere campare, quantumque se pure scampasse, habbiamo apparecchiato lo ceppo nuovo, e la manera per tagliarli il capo, & habbiamo ordinato lo processo collo Senatore, e judici per justificare loro fatti.

Et essendo in quelli di fatta per li Colonnesi assai preda, e presone nello Latio de Cittadini Romani, li detti Signori la mattina venendo, restituirono la detta preda, e lasciarono li detti presoni, massime quelli, che erano della preda loro. Insuper lo detto Conte fece pigliare logia detto Misser Girnolfi, e fecelo mettere in Castello presone: & alcuni dicevano, che quando fù fatta quella traggia & occisione in Grotta ferrata lui stava li, e stavo con Paolo Ursino, si dice, che lui proditoriamente fece entrare l'inimico per rompere la gente della ecclesia, e fare qualche suo fatto; & alcuni dicono, e questo è più vero, che staendo presone il detto Mr. Girnolfi in Marino, li detti Signori lo pregavano, volesse essere l'Ambasciatore, e di raccomandarli alla Santità di Nostro Signore con offerirle le terre, cioè Marino, Rocca di Papa, & Ardea, id est, lo Colleio, secondo che è detto di sopra, e che piacesse alla Soa Santità di non le dare oppressione, dopoi che non havevano peccato. Laquale Ambasciata lui la fè allo Papa, e sollecitando questa pace, e questo accordo collo Papa dispiacque allo detto Conte, conciosia cosa che non habbia mai voluto vedere huomo, che lo habbia rasonato d'accordo, & imperoche lo fe mettere in presone, quantunque di li à pochi di, lo cacciasse fuora.

Item fè mettere in presone in Castello Mr. Pietro de Vicenza Principale, e Francesco del Bufallo fidejussore, imperoche havendo lo detto Papa ricercato lo detto Mr. Pietro gli voglia rendere Monticelli, sopra del quale lui haveva riceputo in prestia dal detto Mr. Pietro trè mila ducati, e lo ditto Mr. Pietro addimandava li soi denari, e finaliter si contentò lo ditto Misser Pietro, che si pigliasse la Rocca, mandando lo Papa, lo suo fratello Mr. Dionigio repugnò, e cacciò le detti genti coll' armi, e però lui sia pigliato questo per volere lo ditto Castello senza pagamento alcuno.

Et in questo predetto di 23. di Jugnio le pombarde & cerabotane, & altre artegliarie atte alla bataglia, le quali lo ditto Sommo Pontefice colle sue armi haveva fatto fabricare, si sono messo in ponto per gire verso Marino, e dove che per altro tempo li santi Apostoli intendevano acconquistare li popoli alla fede, e divortione Christiana colli miracoli, orationi, & collo segno della santa Croce, adesso si acquistano con li colpi delle pombarde, e delle cerabotane, & altri instromenti atti alla battaglia. Vero è che inanti che le dette artigliarie se fiano aucciate lo prefato Santissimo Signore nostro Sisto volendo usare atto Ceremoniale sopra d'esse si fece portare la Vigilia di Santo Joanne in Terra, dove elle stavano ammanite, e veduto che l'hebbe molto bene con l'armi sue, che nelle dette pombarde haveva fatto coniare, quando si volse partire, e dopò molte parole alzò gl' occhi à Dio, e levò le mani al Cielo, e disse, e benedisse le dette pombarde, e fe li lo segno della Santa Croce sopra, e fece una oratione à Dio pregandolo, e sconjurandolo, che in qualcunque luogo fossero portate, incontinente dovessino fugare, e fare convertire in fuga, e sconfigere l'inimici suoi, e della Ecclesia, mà esso Dio Omnipotente, perche la sua precè fù injusta, lo essaudì per lo con-

Digitized by Google

lo contrario, e dopò ſi parti con majore lettitia, e coſi per tutto quello iorno e l'altro ſtette, che mai haveſſe ad tempo di ſoa vita; E dopò queſto fece mandare un bando per lo Campo, che qualunque perſona, ò Barone pigliaſſe Caſtelli, ò altre robbe de nemici della Eccleſia, e diceſi, che donò remiſſione de peccati, à chi moriva in quelli luoghi. E per queſto lo Governatore di Campagna Mr. Nicolò da Caſtello con l' ajuto d' Andrea Conte pigliò due Caſtelli uno chiamato Vico, e l' altro Colonapardo. Inſuper lo Conte di Fondi ſimiliter moſſe guerra ad Caſtro, & in quel tempo lo Signore Fabritio che ſtava in Marino, mandò un meſſo con una lettera di molte parole alli Conſervatori di Roma, laquale lettra venne in mano del Comiſſario del Campo, che ſtava in Grotta ferrata, & aperſela & leſſela, e fece la riſpoſta, che li piacque al detto Signore Fabritio, à nome delli detti Signori Conſervatori, ſenza loro ſaputa, e li detti Conſervatori ſeppero queſto, e non ne fecero parola alcuna.

Inſuper Luca Antonio di Santo Gemini Cognato di detto Signore Fabritio mandò una lettera allo Signore Proſpero Conte Soldato del detto Conte Hieronimo, in nella quale lo pregava deſtramente ſi operaſſe collo Conte, che lui haveſſe ſalvo condotto di venire ad Roma, perche voleva parlare collo Conte, e dirli coſe, lequali cadevano in utilità della Eccleſia, e non ſe ne trovato lo detto Signore Proſpero, lo Conte havendo notitià delle dette lettere, le aperſe, e reſcriſſe indietro che andaſſe allo Commiſſario dello Campo, e veniſſero con lui, e quelle lettere li foſſero ſalvo condotto, e coſi venne, e parlò allo Conte, e collo Papa e doppò lo ſequente iorno li Signori con tutte le loro robbe & perſone, artigliarie, e bombarde, & altre coſe ſi partierono da Marino, & andarono à Rocca di Papa, e fù le 22. hore de piana concordia, e ſenza battaglia aſſegnarono Marino allo Papa, colla Rocca, e colla Terra.

Vero è che quelli Villani mandarono allo Papa una ſupplicatione con certi Capitoli, liquali lo Papa non li volſe ſegnare mà volle che ſtaſſero alla ſua diſcretione.

Item in quel tempo, che Marino s' aſſegnò alla Eccleſia, che fù à 25. di Jugno, e che ſi trovavano di concordia queſte coſe, fù meſſo un bando di quà, e di là, che non fuſſe neſſuno, che offendeſſe ne in robba, ne in perſona dall' una parte, e dall' altra alla pena della forca.

Vedendo Paolo Orſino, che non poteva offenderli con trè ſquadre di cavalli ſe n' andò di notte in Campagna, e trà Gennazano e Paliano fè una gran preda d' huomini e de animali à quelli, li quali ſi credevano ſtare ſicuri per lo ditto bando, & trattato della concordia, laquale preda conduſſero, cuſtodirono Capi di ſquadra, & huomini d' armi intra Valmontone, e Montefortino, e per quelli luoghi per certo ſpatio di tempo: onde ſentento queſto lo Signore Proſpero Colonna & Antonello Savelli, ſi miſero in certi paſſi, dove la detta preda doveva fare capo, e finalmente loro con poca gente diederono adoſſo alli ditti huomini d' armi, e capi di ſquadre, e finalmente riſolſero tutta la preda, & li preſoni eccetto ſei bovi, liquali quando ſi combatteva furono menati in quà.

Et inſuper queſto Signore Proſpero & Antonello con loro gente ruppero, e sbaliſciorono le genti della Eccleſia, e più preſto loro guadagnaro della robba di coſtoro della eccleſia, che di queſti & di quelli, & in quella battaglia ne furono morti 15. huomini, e circa 150. feriti gravemente di queſti dell' Eccleſia, e di quelli di là molto pochi. Item nelli 27. di Jugnio fù tolto per Paolo Orſino Monte delli Compatri in queſto modo infraſcritto: conciosia coſa che lo Santiſſimo Signore Noſtro Siſto, non per alcun' atto di giuſtitia mà per charità e clementia della Santa Benedittione haveſſe conceſſo ſalvo condotto allo Signore, & huomini dello ditto Caſtello di non offendere, ne fare offendere, e foſſe ſicuro da gente dell' Eccleſia, e queſto fò conceſſo; impercioche lo Signore di quel luogho, e lo figliuolo, che fù del Signore Pietro Antonio fratello del Cardinale, e di Proſpero Colonna pupillo, & infante nell' età infantile conſtituito, il quale non poteva in niun modo delinquere, perche quell' età non conoſce delitto, ſtandoſe fidati gl' huomini dello detto luogho dello breve, & ſalvo condotto del detto Pontefice, Paolo Orſino mandò circa 150. fanti ad una eccleſia di Santo Silveſtro poſta *di li appreſſo*, dove gl' huomini della Terra, e quelli che havevano in guardia ſi maravigliarono e mandarono allo Signore Paolo, allo Commiſſario dello Campo, & alli altri ad moſtrare loro ſalvo condotto, e breve del Papa. Inſuper mandarono allo Conte à notificare queſto, che loro ſtavano in grande paura, alli quali fù riſpoſto, che teneſſino monte, e che biſognando daeſſino la battaglia alla detta gente, con dire, che quello ſtavano li per altre facende: che facendoſi coſi, li ditti Soldati andavano alla detta Terra per pane e vittouaglie, e non ſe guardando da loro, venne li Paolo Orſino, e comandò alla detta gente, che entraſſe, & incontinente gridò: Sacco, ſacco. E coſi entrarono li ditti fanti, e lo ditto Paolo, e trovarono li ditti huomini improviſi, & incauti, e miſſero à ſacco una parte di ditto Caſtello, dopò dubitando d' altro, volſe che attendeſſero à pigliare la Terra, E coſi fù fatto. E le ne ſono morte, e ferite alcune perſone, & in queſto modo lo ſalvò condotto, e commiſſione Papale hà ſortito il ſuo effetto.

Inſuper hò inteſo da un fideliſſimo huomo, che lo Conte Hieronimo in preſenza di molti Cardinali, & in conſpetto del Pontefice hà detto molte eſſorbitanze e minaccioſe parole al Vice-Camerlengo, & potiſſimo gl' hà ditto: io tà infoccarò in caſa toa. E dall' hora in poi lo ditto Vice-Camerlengo nella ditta caſa ſoa ſi è ben guardato, e remurato certe porte, e fornitoſi d' armi in caſa ſoa. Ancora nello detto di una parte della gente della eccleſia, cioè certi capi di ſquadra con molti huomini d' armi, e fanti à piedi, trà liquali era lo figliuolo di Mr. Nicolò Vittellecchi da Caſtello con le ſue genti andarono

Digitized by Google

rono in Campagna ad un Castello chiamato Ripa, e li repenamente senza fare auvisato l' huomini dello ditto Castello fecero prova d' entrare dentro, e di tollerlo, e trovarono li ditti huomini in armi, & essendo li combattuto, per alcuno spatio di tempo, le genti dell' ecclesia furono sbarasciati, e rotti, e de loro uccisi circa à dieci intra fanti, & huomini d' armi, e feriti circa 50. e fuggendo lo resto per quello tempo, quantumque di poi si rifecero, e pigliaroli di sequenti contro volontà di quelli della Terra.

Nelli 29. di lo Santissimo in Christo Padre e Signore Nostro Sisto sentendosi servito allo modo suo dall' Officiali Romani, cioè Conservatori e Caporioni, sperando ancò per l' auvenire essere meglio servito, conciosia cosa che mai li ditti Officiali habbino fatto un' atto, che sia stato salutifero per il Popolo nostro, essendo possente loro di riparate nelli scandali sopradetti e mai non habbiano voluto in modo alcuno di loro, se bene & diligentemente si considera quello, che è detto di sopra, è stato grande origine, e cascione delle cose sopradette, & essendo tutti trè li Conservatori Orsini, e della parte contraria alli ditti Colonnesi, & lo detto Sommo Pontefice perdarli merito ad loro petitione e supplicatione li confermò nell' officio per trè altri mesi prossimi advenire, e lo prefato Santissimo Nostro disse, quando li palesò confirmati, che soa intentione era, che quelli, che erano di quella volontà fossero soi Officiali, e quelli che erano della volontà contraria, cioè fautore di casa Colonna, ad suo tempo non havessero mai ne officio, ne beneficio, e così comandò, che fusse fatto, e dove che mai fù conosciuta parte alcuna, ne Guelfa, ne Guibellina, ne Ursina, ne Colonnese, benche per li tempi passati state fussero grandi differentie, e seditione nel Popolo, mà al presente lo prefato Santissimo Signore Nostro Sisto Quarto, non solamente l' hà evitata, mà l' hà ancò suscitata, e cacciate di nuovo le sudette fattioni, e parti, e cacciato in alto Casa Ursina, e sforzavasi quanto sia possibile à gettare in terra casa Colonna, come di sopra, si è in molti luoghi iusto.

Insuper nel dì ultimo di Jugnio, in tempo che si celebrava in Roma la Festività della felicissima decollatione di Santo Paulo Apostolo, il quale fù dallo crudelissimo Nerone decapitato, in quel dì, circa ad mezza hora dopoi al nascimento del sole, e trè dì dopò la tornata in Roma di Virgineo Orsino la prefatta Santità di Nostro Signore fece tagliare la testa al Protonotario Colonna in Castello, e li fù lo Senatore, e lo Judice dello maleficio, & essendo menato la mattina lo Protonotaro fora delle presone in nello grillo, di sopra dello Castello, detto Protonotaro si voltò à quelli fanti, che erano li, e disseli, come lui era stato fortemente tormentato, per liquali tormenti lui haveva detto molte cose lequali non erano vere. E dopo quando stette nel reclaustro di sotto, dove li fu mosso lo capo, lo Senatore, e lo Judice si assissero pro Tribunali, e chiamarono tutti li fanti dello Castello, e li fecero leggere la sententia dell' Inquisitione, la quale haveva formata contro di lui, quantunque nullo stilo di Judicio Criminale si fusse osservato, atteso che le confessioni predette fossero estorte per tormenta, secondo che si dice di sotto, & à lui non fusse mai dato termine ad fare soe difese. E doppo letta la detta sentenza, lo ditto Protonotaro si volto ad quelli fanti e persone, che erano li, e disse: Jo non voglio, che niuno sia incolpato per me. Jo dico in conscienza dell' anima mia, e se non che lo Diavolo se la possa portare mò, che stò per uscire di questa vita, se jo dico bugia, e così tu Nataro, e voi tutti siate testimonii, & ancò lo lasso in consciencia dell' anime vostre, e che lo andate dicendo per Roma, come queste cose che stanno scritte in questa sentenza, non sono vere, e quello che io ho ditto, l' hò ditto per li grandi tormenti, che mi hanno dati, secondo che voi potete vedere, & anco che me l' hanno fatto dire loro, e massime quello, che hò ditto delli Cardinali, e delli Cittadini. E dopo questo un Conestabile le disse: Signore, è bisogno, che ti ligamo le mani dietro. E lui disse: a che fare, io ben contento sono di morire, dopò che piace così alla Santità di Nostro Signore. Prego Dio e la gloriosa Vergine Maria, che habbiano per raccomandata l' anima mia. E così colle sue mani si colio sopra un Tripetto, dove stava lo Ceppo, e la Mannara, & addimandollo un di coloro, li perdonasse. E lui li perdonò, e disse poi: raccomandatemi alla Santita di Nostro Signore, e pregatolo da mia parte, che li sia raccomandato. E coloro dissero: in che; e lui rispose: nell' anima mia. E così disse: In manus tuas commendo Spiritum meum. E chiamando trè volte il nome di Giesù Christo, l' ultima voltà con Giesù in bocca li saltò il capo dallo spalle. Dopò lo misero in una cassa di legno de morti, e miserolo in Santa Maria Traspontina, e non lo volsero mettere in Santo Celso per vedere coloro, che l' andavano à pigliare, e non ci andando niuno, mandarò à dire alla Madre, che mandasse per lui, e mandando ci colle tovie, e colle fratterie, e con molti preti fù portato il suo corpo in Santo Apostolo, e sepolto in nella loro Cappella appresso l' altare, & manti che fusse sepellito, fù veduto in quella cassa, e levato, e risposto, e foroli veduti li tormenti, quale lui haveva riceputo nelli piedi, e ligati colle pezze, & anche le dita delle mani li erano state torte, si che apparivano dentro, e fuori senza alcuno ostacolo, e sù la cima dello capo in loco, dova si fà la Clerica, stava un buscio, non si poteva ben vedere, ma secondo che si poteva comprendere, pareva separata la coccia dalla cotica, come scavata con un coltello di ferro; e stava in uno inpetto di terzanello, & il suo primo era di settanello nero fino. Item li misero un paio di calze triste, rotte da mezzo le gambe in giù, e miserolli una beretta roscia à tagliero in capo, laquale era un poco lunghetta, e credo lo facessero per vilipendio. Et io Stefano Scrittore di questa historià con li miei occhi lo viddi, e con le mie mani lo sepellii insieme con Prospero di

Digitized by Google

ro di Cicigliano già ſuo Vaſallo, gl' altri Cittadini Colunneſi, nullo ſe ne volſe impacciare, credo per paura.

Et in quella mattina che fù fatto le ſopradetto atto, certi della famiglia dello Cardinale dello Conte, havendo ſaputo ſimil novelle, ò per loro medeſimi per moſtrarſi più grati allo loro Signore, ò per comandamento d' eſſo, queſto fino adeſſo non ſi sà, andarono con le cette, ronche, & altri ferri, e mozzarono quanti arbori, e vite, que ſtavano nella vigna, ò horto dello detto Protonotaro, intra liquali vi erano molte fiche di Santo Joanni, e molte vite di Moſcatello, con molti altri arbori, liquali tutti in quel tempo furono troncati, e mozzi tutti da piede.

Queſto fù fatto per dimoſtrare la letitià, ò meſtitia, che haveva la caſa delli Conti della morte del Protonotaro: non baſtava quello, che Andrea Conti haveva fatto, e faceva contro di loro Caſtelli in Campagna, ancò lo detto Cardinale, qui in Roma in ſi vile, e vituperoſi atto volſe moſtrare ſoa intentione, che non che à coloro che li ſono Nepoti carnali, e figli della loro ſorella, mà alli nemici proprii non doveria eſſer fatto.

Die 2. Julii lo Conte Hieronimo, lo detto Virgilio con tutto l' eſſercito della eccleſia con molti baleſtrieri, e fanti & altre perſone ſi parti di Roma per mettere campo alle terre di caſa Colonna, e la prima paſſata fecero in Panitano de Griffo, e poi ſi partierono dodeci carri groſſi di pombarde, cioè ſei di pombarde, e ſei altre d' armatura d' eſſi, & in un' altro carro con trè cerobottane rimaſe in Piazza di Santa Maria e certe altre pombarde groſſe rimaſero in Caſtello per andare, lequali andarono di lì à pochi di in ſei carri groſſi. Item pombarde, & loro armature, lequali lo Conte Hieronimo fece mettere in pronto, e tolſe li travi di Santo Apoſtolo, liquali lo Cardinale di Santo Pietro in Vincola li haveva fatto venire per acconciare lo ſuo Palazzo, e per ſuo diſpetto lo Conte Hieronimo fè tollere, e lavorare in prima delli lochi ſuoi, e non ſe ne poteva jutare, e lo ditto lavoro durò più di, intra liquali ci intravenne lo di della Domenica, quæ fuit quarta Julii, in nella quale laborarono come non foſſe feſta.

Item in quelli tempi le genti d' armi dell' eccleſia, che ſtavano diſperſe chi di la, e chi di quà, davano battaglia alle terre, e certi di loro andarono per vedere Rocca di Papa, e quelli di dentro ſe ne auvidero, & uſcierono di fuora, & amazzarono due di quelli dell' eccleſia, e molti altri ferierono, e di loco non ne fù tovato nullo.

Item li figliuoli di Jacovo Conte per gola di pigliare qualche Caſtello andarono con molta gente, & aſſaltarono in Campagna uno Caſtello detto la Scorgola d' un Signore di Caſa Caetano, il quale è cognato dello Cardinale Colonna, e dandovi la battaglia vi morſero molte perſone, trà lequali vi fù ferito à morte lo figlio baſtardo, e diceſi, che li fò ferito Franceſco della Valle, e lo ditto figlio baſtardo fù meſſo da Jacovo Conte della guerra di Toſcana in contro à queſti Signori, e lo detto campo fù meſſo in Cacci, dopò ad molti di, & in queſti di furono molte volte alle mani, e ſempre ſecondo quello, che è detto quelli della parte contraria della eccleſia ne pigliarono la meglio.

Inſuper quello di là, id eſt, li Colonneſi aſſaltarono certi carri d' artigliaria, & tolſero molta polvere, e certi buſſalli, che tiravano li detti carri, e trà l' altre coſe furono tolti circa à 40. muli carichi di monitione, & ancò è da ſapere, che in queſti di fù ſcoperto un trattato in Paliano, & ſcopertolo Antonello Savello in queſto modo, cioè che havendo lui ſentita fama di ciò ſe ne andò alla Rocca di Paliano, e li mandò per certi huomini della Terra, delli quali lui haveva ſoſpetto e con dolù parole li diſſe, che lui haveva ſentito, che loro havevano una certa intelligenza collo Conte, e che lui non li biaſimava, e dolevaſi che non l' haveva potuto havere lui, il quale liberamente, ſi era voluto mettere in mano della Eccleſia, & dello Papa, e lui non li voleva perdonare.

Item diſſe, che pregava eſſi Vaſalli che li faceſſero queſto grande ſervitio, cioè che nelli Capetoli loro, liquali havevano ordinati collo Conte ci volſero inſerire ancora lui, e coloro negarono lo fatto, e lo ditto Antonello li pregò, che non lo voleſſero tenere naſcoſto à lui, perche eſſo ſapeva ciò, che vi era ſtato ordinato, e che volevano mandare qualcheduno di *loro allo* Conte ad capitulare queſta materia; *& all' hora* li Villani li ſcoperſero la loro volontà, & mandavano allo Conte à fare tanto, quanto era ordinato, e coſi andarono allo Conte, e lo Conte li remandò per uno Coneſtabile ſuo, e molti fanti ad pigliare la Rocca di Paliano, nella quale ſtavano ditti Traditori: e dopò queſto lo Signore Antonello ſi ſcoperſe Inimico, e deoſſi addoſſo à ditti fanti, e coloro ſi dettero alla difeſa, e finalmente la maiore parte delli detti fanti furono tagliati ad pezzo, lo Coneſtabile preſo, e li traditori impiccati. Et quando jonſe le dette pombarde, lo Signore Virgilio, e lo Conte hebbero bene proveduto lo loco, dove ſi havevano ad piantare, & conobbero, che non ſi potevano piantare, ne anco Cacci ſi poteva havere ſenza morte di moltiſſime perſone mandato à dire allo Papa lo fatto, come ſtava, e che pareva alla Soa Santità ſi faceſſe. E lo Noſtro Sommo Pontefice ſanto mandò à dire, che etiamdio che loco ſapeſſero, che allo piantare di dette pombarde vi morivano mille huomini, & allo pigliare di Cacci due mila, che ſon trè mila, che loro l' habbiano piantate, e pigliaro Caſſe quanto prima ſi poteva. E queſto diſſe Pietro de Orſo ad Jacovo de Giudo havere ſentito in Palazzo de fide digniſſimo huomo, e piantate che furono le pombarde con grande fano e con occiſione di molte perſone, lo ſedeci di di Jugnio, che fò di giovedi traſſero le dette pombarde, e dierono nella Torre della Rocca di Cacce, e ferno quanto male potevano, e dopò à queſto volendo muovere la battaglia lo Venerdi lo di ſequente, lo Papa mandò à dire, che non voleva che in quello di ſi faceſſe battaglia, mà più preſto

Digitized by Google

presto in die sequenti, cioè in die Sabati dicendo in die Virginis Mariæ questi havendo speranza, che in quel di facendosi battaglia, la Vergine Maria l' havesse à fare gratia, che pigliassero in quello di quella Rocca, ò Terra, mà successe che etiamdio in quello di non li fù data battaglia, quantunque in quel di, vi andasse grandissima moltitudine di scale, di pale, e di zapponi, insuper certi frati religiosi, che stavano in casa in la Ecclesia di Santo Stefano, sentendo, che lo Conte voleva pombardare la detta ecclesia, andarono in Campo, à pregare lo detto Conte per amore che portava à Dio, & ad Santo Stefano, li facessero gratia, che non pombardassero la detta ecclesia, e lo Conte li rispose, che andassero à trovare altra stantia, percioche soa intentione era di destruere tutta Cacce, e che essendo destrutta sarebbe necessario di abbandonare la detta ecclesia, e così li deo licentia, e dopò incontinente ritornati li frati lo Conte addrizzò le pombarde, e pombardò la detta ecclesia, e Santo Stefano benedetto, che prima fù, quando visse allapidato, mò dalla gente dell' ecclesia, è stato pombardato, & percosso, quantumque dopò incontinente non mostrasse segno niuno di vendetta.

In nelli 20. di Julio fuora di Cacce per una porta, laquale le pombarde havevano gettate à terra, uscerno di fuori certi porci, e tirarono verso lo Campo per gire à quelli lochi dove altre volte solevano pascere, & con essi doi Villani per ricuperarli, che non fossero tolti, e quelli dello Campo incontinente li pigliarono, e fecero carne, e dopò approssimarosi alla detta porta, e maravegliavansi, che non esciva niuno in ajuto di quelli doi Villani, e delli porci, ancò se approssimarono più alla detta porta, dalla quale levarono certe batte, le quali l' havevano attraversate li Signori di Cacce per fortezza della Terra & lavoro, e levate, che l' hebbero senza di alcuno ostacolo, vedendo che niuno usciva à diffendere la Terra, credendosi, che Cacce fosse abbandonata con una gran furia entrarono dentro allo detta porta. Et entrati che furono in Cacci tanti, quanti parsero à quelli Signori, che stavano li per guardia della Terra incontinente trassero una pombarda in quella via, dove la fanteria si securava per entrare in Cacce, credendosi in quell' hora pigliarlo, laquale pombarda occise sei homini in quello tratto, e dopò ad quello sequitarono le altre lanto spesse, che non fù nullo, che s' accostasse più à quella porta, e quelli che erano entrati dentro, credendosi essere sequitati, gridarono incontinente: sacco, sacco, alli quali si scopersero li fanti e gl' altri huomini, che guardavano la terra, e similiter gridarono: carne, carne, e dicesi adosso, e fracassaro teli e rupperolisi, & in tal modo, che trà morti, e feriti ne furono pericolati più di cento cinquanta. Et io hò visto alcuni di quelli, che sono venuti ad Roma nell' hospedali à medicarsi, intra li quali si dice esserci stato ferito Paolo Orsino, & anco uno capo di squadra di Perosci a, cioè lo figlio di Cesare della Penna un Conestabile Corso, e molti altri.

Item nel ditto di fù ammazzato il Signore Prospero da Monte fortino, e la cascione della soa morte fù, che essendato andati ad beverare certi cavalli colle scorte, furono le dette scorte assalite dallo Signore Prospero Colonna, lo quale si mostrò li con poche persone, se li de à dosso, e lo Signore Prospero si cessò per fino, che fù in quello loco, dove haveva messo lo guaito, e dopò che l' hebbe li incluso, si fermò per resistere allo detto Prospero di Monte fortino, & in quel tempo si scopersero li predetti che stavano nel guaito, & una balestriera à cavallo, che stava li appresso li die uno passatore nella coscia nello modo, per lo quale colpo incontinente cascò morto, sì per lo colpo, sì per la paura, perche si vedeva li essere persone dello Signore Prospero Colonna, e così lo detto Signore Prospero pigliò la preda delli detti cavalli, & altri huomini che andavano con lui, e menaroli.

Insuper nelli 23. di Julio in Campo furono mandati per Papa Sisto 20. Carri di pombarde di travertina attondate, lequali furono 400. ad numero, e doi carra di Torcie d' abbrusciare per uso del Campo per dare la battaglia di notte, ò per seppelire li morti, che li accadevano, & le dette pombarde furono fabricate ad Marmorata dove che fù fornito di destruere uno Ponte di Travertino rotto, il quale si chiamava lo Ponte d' Oratio Cocles.

Et ancò nel ditto di accascò in Roma, che un pittore giovisse, che haveva lo Padre, e habitava à Monte Giordano pense in carta di corogrande la terra di Cacce come, & in che modo stava fatta, e pense li padiglioni, e le tende e lo Campo dell' ecclesia in che loco stava posato. Insuper vi pinse le pombarde, in che modo havevano pombardiate, e tutto lo iorno pombardiavano, & ancò lo Signore Antonello colli suoi Compagni, in che modo davano battaglia, & facevano preda, etrà l' altre cose vi pense, mentre, che lo Conte Jeronimo attendeva ad queste battaglie, una femina che stava presente in quel Campo, si faceva lavorare da un Frate di Santo Francesco, la quale pittura venendo à notitia allo Papa per volere vedere le cose, come passavano, & in che partito stava Cacce, e lo Campo, mandò per questa carta, e viddela, e piacqueli il dissegno, ma poi che vide le, che nello combattere quelli della Ecclesia erano sempre perditori, e che lo Signore Antonello, e gl' altri si mostravano così gagliardi, e quelli della ecclesia sempre perdere, si turbò se medesimo. Alcuni dicono, che si turbò per che vedde quell' atto vituperoso di quella femina e di quello frate, che la lavorava, estimando forse quello essere fatto per la moglie dello Conte, incontinente comandò, che quello pittore fosse pigliato, & impreggionato, e datoli dieci tratti di corda. E dopò la mattina sequente fusse impiccato, e la casa soa fosse messa à sacco, e così fù fatto, eccetto che non fusse impiccato, perche fù senzato per pazzo.

E dopò questo nelli 24. di vedendo lo Campo della Ecclesia, che per fino all' hora non havevano fatto niente, & continuamente andava in peio, si deliberò di partirsi di quello loco, e così andò

Digitized by Google

andò dall' altra parte di Cacce, cioè da quella porta, che và verso Valmontone.

Trovarono nelli 27. del ditto mese Cacce rotta e fracassata dalle pombarde, passavolante, & altri instromenti, lequali pombarde si contra essere state 570. colpi si rende con patti all' ecclesia, liquali patti veramente mò non si possono sapere, perche chi dice in un modo, e chi in un' altro, credò che dopò si sapia la verità, lo modo si dice essere stato, che andarono l' Ambasciatori della Lega in Campo à trattare l' accordo, e dopò venendo l' Ambasciadore dello Ré, e tandem si dice, che lo detto Ambasciatore collo detto Signore Virgilio entrarono in Cacce, e dopo il Signore Fabritio, e lo Signore Antonello andarono allo Conte allo suo paviglione, e che lo Conte li parlava, e dopò andarono & assegnarono Cacce alla Ecclesia, salve re robbe, e le persone. E dicesi, che lo Signore Antonello con li soi fratelli si acconciasse con lo Duca di Milano, e che incontinente se ne andò in Palestrina, e dopò si parti di lì, e non si sà, dove sia arrivato, e che hanno havute molte buone promesse dalla Ecclesia.

Lo di penultimo di Juglio lo Campo dell' ecclesia andò ad Capranica per fornire l' impresa cominciata, e dicesi che la Santità di Nostro Signore hà detto, & comandato, che quanto presto si può, li piglino queste terre di Casa di Colonna. Et anche dicesi, che hà detto, che se denari mancano, si piglino ad interesse cento per cento questo lo hà ditto per dimostrare la sete grande, la quale hà verso lo sangue di Casa Colonna, e di quelli poveri Signori, alli quali se Dio solo non si soccorre, si possono giudicare tutti morti attenta la potentia grande, e lo grande sforzo loquale li è di contra, e che loro non habbino ajuto di persona niuna, e tutto quello che havevano, li è mancato non per loro diffetto, mà per sforzo di denari, perche secondo che di sopra si può vedere, loro perdierono Marino non per battaglia, mà perche la gente dell' ecclesia corruppero lo Signore Lucantonio de Gemini, loquale era cognato dello Duca, & era huomo espertissimo nel fatto dell' armi, e lui mantenne gran spatio la battaglia in Marino, e fecerolo voltare contro li detti Signori, alli quali poi li persuase, che volessero rendere Marino allo Papa con dirli, che se lo resignavano incontinente la loro tribulatione era finita, e lo Pronotario camparia & in animo il popolo di Marino, che dovesse petere alli Signori accordo con dirli, che loro non volevano essere distrutti, e finalmente i ditti Signori per non mettere ad pericolo, & ad retaglia li loro Vassalli furono contenti, che si rendessero alla Ecclesia. E similiter le dette genti, cioè lo Conte, lo detto Virgilio, e l' altri non possendo per forza superare lo Castello di Cacce, durando ogni dì spesa grande, etiamdio con poco honore della Ecclesia, secondo che di sopra si può vedere, penfarono con ogni industria di contaminare e corrumpere lo Signore Antonello Saccello, e fratelli, liquali erano principali della parte delli ditti Signori. E per esso era intravenuto tutto questo scandalo, & tandem li promisero quattro mila ducati l' anno, e molta grande condotta, e provisione colla Lega, e lui si distrasse, e separossi dalli detti Signori, e perche ogn' uno ama più lo ben proprio, che lo commune, quantunque sapesse bene lui, che esso era stato Capo & origine del ditto male, e che quello che havevano li ditti Signori l' havevano per soa cascione, e per dare ajuto à lui, pure niente dimeno volse provedere alla soa salute con lasciare, & abbandonare li detti Signori tra li loro nemici, e fece non solo patto, e pigliò denari dalli ditti Signori ecclesiastici, mà etiamdio persuase allo Signore Fabritio, & alli detti huomini di Cacce, che non volessero più resistere, e che volessero assegnare Cacce alla Ecclesia, con metterli paura, che se à battaglia si pigliava, vi moriva moltissima gente. Et in questo modo non per armi, ne ferro, ne anche per viltà d' animo delli detti Signori, mà per corruttione di pecunia, laquale ogni buono perturba, & ogni buon di segno guasta, lo Conte & Virgilio pigliarono Cacce, e levarono lo detto Antonello dalla costa delli ditti Signori, e questo si dice essere stato tramato qui, etiam per lo Cardinale Savello, loquale subito che Cacce fu renduto, e l' accordo fù fatto, si parti di Roma, & andò alle sue Terre.

E nell' ultimo iorno di Luglio, che fù di sabbato, la detta gente della Ecclesia pigliò *Capranica*. E lo modo fù questo, *secondo che si dice*, durando la battaglia allo detto Castello, li vi furon feriti molti di questi della Ecclesia, e dopò andando tutta la turba, laquale vedendo quelli non potere resistere, fecero patti, & renderono la terra di patto salve le robbe, e le persone. Alcuni dicono, e questo è vero, che dopo la prima battaglia Paolo Orsino parlò con Romanello de Corsetto, che teneva quello loco per spatio d' un hora, e dopò lo detto Corsetto entrò dentro, e gridò patti, & patti; e persuase alli detti massari, che si rendessero ad patti, salvo le robbe, e le persone; e dopò andaron alla Torre delli Pistacci, la quale dopò ad certi dì l' hebbero similmente à patti.

Anche si dice, che à 23. di detto mese in Lombardia, cioè nel Campo andò un bando, per loquale si assicurò una parte, e l' altra per 15. dì, e furono levate l' offese, e fù ditto, che la pace di Lombardia era conclusa, e del modo & capitoli non se sà à ponto, se non che in sostanza, e che certe terre si restituischino di quà, & di là, & à quelli Corsari, se li dà un luogo, che si chiama le Polisene di Rovigo in ricompensa di quelle terre, che l' hà tolto il Duca di Milano, le quali Polisene furono del Duca di Ferrara, & allo detto Duca si rende Comacchio, conquesto che in Ferrara debbia stare per Venetiani; e che per questi capitoli s' intendono confirmati li primi, e non rivocati, e trà l' altri capitoli vi è, che quello, che hanno pigliato i Venetiani nella Puglia debbia essere lo loro, e non siano tenuti à restituire, liquali capitoli se contro lo Papa haverli accettati, e contasi, lo Ré non li volle accettare, e se sera questo si trovarà.

Iterum

Digitized by Google

Iterum lo Papa essere in lega con li Venetiani contro allo ditto Rè, & la Lega, e li patti che erano intra lo Papa, essere di nuovo esclusi, e di nuovo rotti.

Dopò ad certi di d' Agosto lo Signore Prospero Prima di soa mano feri, dopo fece impiccare & squartare alcuni, dicono che Francesco della Valle, Corsetto, alias detto Romano, Conestabile con quattro soi Compagni, alli quali haveva raccomandata, & Capranica, & loro, con lassarsi allonsigare ad Paolo Ursino, l'havevano consignate alla gente della ecclesia: & dicesi, che lo detto Corsetto haveva promesso allo detto Signore Paolo favorirlo, & ajutare la gente della Ecclesia contro quelli ditti Signori Colonnesi.

Item si dice la Torre delli Pisciani essersi renduta à patti, e questo è stato, perche non si poteva più tenere, e che haveva sostenute 40. botte di bombarde.

A di 5. del mese d' Agosto lo Campo dell' Ecclesia andò à Paliano, & dicesi qui in Roma, che lo Signore Prospero Colonna hà pigliato tutti i figliuoli di quelli Cittadini, che pareva à lui, che fossero sospetti, & halli mandati à Gennazzano, e dopò li hà ditto alli ditti Cittadini, che facevano lo dovere in guardia bene, e diffendere la Terra, altrimente se alcuno di loro fallisse, ò usasse tradimento, che incontinente impiccaria li soi figliuoli in Genazzano, e quando lo Campo se posò, lo Signore Prospero assaltò lo Campo con molti fanti, e fecero battaglia, & di quelli della Ecclesia ne furono molti feriti, e di quelli della Ecclesia alla prima affrontata furono pigliati alcuni, tra liquali vi fù pigliato Roscio figlio di Vangelista Bonsignore, e posasse lo Campo di là verso Frascati.

Die 6. Augusti, cum quidam filius Nicolai Vitellii de Castello Caput cohortis appropinquasset cum gentibus suis, posuissetque tentoria prope dictum Castrum Paleani, præ cæteris exiverunt Columnenses cum exercitu, & cum illis bellum fecerunt, in quo tandem de gentibus Ecclesiæ circa octoginta fuerunt reperti vulnerati, & mortui, & abstulerunt tentoria, & quicquid intus erat, & cum magna lætitia reversi fuerunt ad dictum Castrum. Item cum causa præstandi auxilium dictis Columnensibus descendissent circa quingenti pedites Aquilani, per dictum Christophorum Caetanum Dominum Castri Felettini, pro quo Protonotarius repugnabat restituere Comitatum, quia intendebat, ut primo satisfieret ei de Castro Turris oblato per Petrum Paulum ejus consobrinum, ut supra expressum fuit in principio, qui nunc ad Castra Ecclesiæ, & ipse & frater Antonius sunt in obsidione dictorum Dominorum invasi, ac capti fuerunt prope dictum Castrum Felletini ex illis circa quinquaginta, residuum vero ad dictum Palianum profectum est.

Die nona Augusti Dominus Jacobus de Comitibus intravit Romam vocatus à Pontifice, ut in obsidium dictorum Dominorum Columnensium veniret, dimisso Duce Calabriæ in Lombardia.

Istis temporibus Rex Ferdinandus prohibuit Aquilanis, ne ullo modo præstarent auxilium Columnensibus, petiitque ab eis mutuo ducatorum quatuor millia, quæ denegata fuerunt. Cumque de hoc factum esset pluries consilium, & nunquam obtentum esset, deinde fuit responsum, ut si permitteret eis præstare auxilium, præfatis Columnensibus se velle mutuare dictam summam. Quod Rex concessit, dummodo honeste præstaretur auxilium.

Et cum dictus Rex habuisset intentum suum dictarum pecuniarum, illico longe magis quam prius mandavit eis, ut auxilium nullo modo præstarent. Quo non obstante Aquilani proditi & decepti auxilium præstiterunt. Fueruntque multi & infiniti juvenes etiam sine stipendio in auxilium dictorum Dominorum.

Interea præfati Columnenses obsessi in Paliano omni die exeuntes Castra Ecclesiastica invaserunt, semperque commilitones & pedites Ecclesiæ fugaverunt, vulneraverunt & interfecerunt, ita ut circum circa dictum Campum judicio omnium, qui eos viderunt, pluries visi fuerint homines vulnerati, quam alii incolæ habitantes sani.

Quod cum gentes Ecclesiæ ita opprimerentur, Comes Hieronymus scripsit Pontifici literas hujus substantiæ: Beatissime Pater, ut Sanctitas Vestra intelligat de die in diem, ea, quæ in Campo Vestræ Sanctitatis geruntur, prout hactenus actum fuit; Portavimus omnia instrumenta bellica, bombardas, cerobotanas & alia juncta, præterquam bombardas grossas, quas sine magna difficultate ducere non possumus, & cum dictis artiliariis non speramus capere dictum castrum propter loci eminentiam. Item quia adversarii potentissimi sunt, & multi feroces, cum audaces se ostenderint, credimus tamen plus operaturum esse adventum Domini Jacobi de Comitibus, quam cætera, quæ hactenus acta sunt. Ita quod curet Sanctitas Vestra, quantum possibile est, ut veniat.

Quas literas postquam perlegit, suspiravit, & contristatus est valde. Sperabat forte habere victoriam de Columnensibus, & illos de propriis sedibus expellere, quemadmodum Paulus expulit Deiphebum Comitis Eversi filium, & istos Columnenses tanquam juvenes, & pusillanimos statim cum viderunt ipsum exercitum effugere, & non cogitavit magnanimitatem eorum, & quod in his creverunt animo, sapientia & fortuna. Quod cum vidisset scivissetque, votum suum ad effectum pervenire non posse, doluit, & tristatus est mirabiliter, &, ut fertur, pro dolore infirmatus est. Decima die Augusti in die Sancti Laurentii visus fuit ligatis manibus in Vesperis, & tristis.

Deinde undecima die accesserunt ad eum Ambasciatores Potentiarum, putantes forte afferre ei aliquod gaudium, & exposuerunt ei, qualiter conclusa esset pax per totam Italiam, & quod omnes Potentiæ de Lega & confœderatione reductæ essent ad concordiam. De quo ipse multum obstupuit, & miratus est, quare pax esset conclusa sine eo, attento, ut ipse dicebat,

d by Google

bat, ipſum debuiſſe principaliter intervenire. Et cum hoc ſæpius interrogaſſet ab eis, & audiviſſet, quod dicta pax eſſet concluſa, adeo, ut non poſſet amplius retractari, doluit valde. Et cauſa doloris communi omnium exiſtimatione hæc fuit, quia ſemper in omnibus operibus ſuis animum oſtendit ſuum in hunc finem & propoſitum, ut aliquem ſtatum, potentiam ſive dominium acquireret Comiti Hieronymo, ut videri poteſt per exempla: primo propter bellum, quod ingeſſit Tudertinis, Spoletanis, Civitati Caſtelli & Florentinis, deinde propter confœderationes, quas fecit, primo cum Rege Ferdinando, ſecundo contra eum cum Venetis, tertio contra Venetos cum dicto Rege, & in aliis ſimilibus. Putabat modo in hac pacis concluſione ſe poſſe aliquid dicto Comiti acquirere. Et iſta de cauſa intravit in talem confœderationem, & pecuniam Eccleſiæ expendit. Sed poſtquam vidit, ſe eſſe illuſum, & cecidiſſe ab hac ſpe, & pecuniam Eccleſiæ expoſitam perdidiſſe, nihilque ex eo bello & propoſito acquiſiviſſe, doluit valde, ita ut tam ex primo dolore quam ex noviſſimo infirmatus ſit febre, jacueritque in lecto, & obmutuerit, viſusque fuerit exanimis per aliquod ſpatium, deinde reverſus, inflato gutture, duodecima die Auguſti, videlicet die Jovis, & quinta hora noctis mortuus ſit Sixtus Quartus.

In quo feliciſſimo die Deus ipſe Omnipotens oſtendit potentiam ſuam ſuper terram, liberavitque populum ſuum Chriſtianum de manu talis impiiſſimi & iniquiſſimi Regis, cui nullus Dei timor, nullus regendi populi Chriſtiani amor, nulla charitatis & dilectionis affectio, ſed ſolum voluptas inhoneſta, avaritia, pompa ſeu vana gloria ſemper & continuè præcipuè viguit, & in conſideratione fuit.

Hinc, ut fertur vulgo, & experientia demonſtravit, puerorum amator & Sodomita fuit.

Nam quid fecerit pro pueris, qui ſerviebant ei in cubiculo, experientia docet, quibus non ſolum multorum millium ducatorum donavit reditus, verum Cardinalatum, & magnos Epiſcopatus largiri auſus eſt. Nam & non propter aliud, (ut dicunt quidam) dilexit Comitem Hieronymum, & fratrem Petrum ejus germanum, ac poſt Cardinalem Sancti Sixti, niſi propter Sodomiam. Quid dicam de filio tonſoris, qui puer nondum duodecim annorum continue cum eo erat, & tot & tantis divitiis, bonis, fructibus, &, ut dicitur, magno Epiſcopatu decoravit, quem, ut fertur, volebat ipſum ad Cardinalatum contra omne genus juſtitiæ, & in pueritia promovere. Sed Deus deſtruxit deſiderium ejus. Taceo nunc alia, quæ circa hoc poſſent recitari, quia viſa ſunt de continuo.

Hic avariſſimus: namque, ut notum eſt omnibus, nullum unquam contulit beneficium cujuſcunque generis, niſi ſoluta pecunia. Quod ita aperte actum eſt, ut tabulam haberet, ut pro Beneficio tanti reditus, tantum ſolveretur. Interdum etiam ſubhaſtabatur, ut nulla habita ratione peccati, bonus, an malus, dignus vel indignus, literatus an illiteratus eſſet, qui plus offerret, Beneficium conſequeretur. Cardinalatus quoque & Epiſcopatus vendidit infinitiſſimos, de quibus hic narrare non expedit.

Hic pecuniarum quærendarum cauſa, quas in bellis & pompis conſumebat, multa & inexcogitata in Curia Romana officia adinvenit, & vendidit his, qui Scytharum vocabulo denominabantur, Stradioti Jannizari, e Mamaluchi.

Hi Officiales habebant varia exercitia in Curia, & ex his lucrabantur, & ſine dubio, ut ex illis pecunias, quas pro conſequendis expoſuerant, rehabere poſſent, citra modum lucrum extorquebant.

Hic officia multa in Urbe, non citra avaritiæ cauſam perpetua & venalia fecit. Vendidit Officium Procuratoris Cameræ, officium Notariatus Apoſtolici, officium Protonotariatus, ſtudii, officium commenſurandi ſalis, & Camerariatus Urbis, quæ omnia & alia, quæ hic non ponuntur, ad vitam, pecunia ſumpta conceſſit.

Hic gabellam novam impoſuit, ut furnarii ſive piſtores pro quolibet ſacco grani, quod macinandum mittebant, ultra conſuetam ſolutionem unum groſſum Papale ſolverent.

Hic Datium ſub nomine Decimæ immoderatum tam in Clericis, quam ab Officialibus exigebat, & quidem ſine aliqua miſericordia. Figebat enim præceptum in oſtio eccleſiæ, ut intra certum breviſſimum ſpatium, ſub excommunicationis & privationis pœna, & ultra illam alias centum, & alias quinquaginta ducati ſolverentur, quod ſi ita, ut ponebatur, derepente non eſſet ſolutum, eccleſia ipſa erat interdicta, & Canonici privabantur.

Hic Romæ dum vixit, panis penuriam ſemper induxit, pecuniarum quærendarum cauſa. Nam emebat granum de meſſibus per omnes Eccleſiaſticas Regiones uno Ducato, vel forte minori quolibet rubio, deinde penuria facta, vel bello, quod ipſe ſæpe in tempore recollectionis indicebat vel propter tractam ſeu licentiam, quam ipſe dabat de grano, ex Urbe, & ſuburbiis diſtrahendi Januenſibus, ſemper immo ut plurimum quatuor vel quinque Ducatis revendebatur, imo ſæpe numero ex Siculis regionibus aliquando ex Regno Regis Ferdinandi granum fœtidum & putridum parvo pretio comparabat, illudque in loco quodam, quod abundantia vocabatur, paulatim tamen intra pauperes perſonas non minori, quam tribus ducatis pro rubio diſtrahebat. Et quia ſæpe contingebat, ut tanta grani multitudo ibi conſumi non poſſet, inter furnarios diſtribuebat, mandabatque illis, ſub certa pœna, non poſſent aliud, quam ſuum granum conſumere, ſeu operari pro pretio, tamen quadraginta Carlenorum, pro quolibet rubio, quod niſi illud ſolveretur, ſtatim carcerabantur, panis vero, qui ex dicto frumento fiebat, erat ater, fœtidus & abominabilis, & ex neceſſitate comedebatur, ex quo ſæpenumero in Civitate morbus viguit.

Hic pœnas omnes cujuſcunque generis ad pecuniam reduxit, ita ut, ſi ignem quis meritus fuiſſet, ſoluta aliqua pecunia liberaretur.

Et

Digitized by Google

Et tandem omne genus avaritiæ & extorsionis in eo erat, & tandem tantum vigebat in eo avaritiæ vitium, ut non puderet, nec erubesceret, si aliquando Camera esset debitrix alicujus, & ipse debitum promiserit denegare, & in sua fide deficere, & aliquando, quod clarissimum erat, denegare, & multis exemplis edoceri potest, potissime lectoribus, qui in studio Romano publice legerunt, quibus per eum una cum Camerario & Reformatoribus salaria statuta sunt, ipse promittens, se velle omnino solvere, & postquam ab eis servitium recepit, in fine anni non puduit eos decipere, & eos insolutos dimittere, & pecunias debitas ad illud exercitium, ac per eum sæpissime promissas illis denegare, & in alios usus convertere.

Hic Literatorum & bonos mores habentium inimicus, solum illi grati erant mali. Quare condita fuerunt, nescitur tamen per quem, multa carmina in eum, videlicet:

Leno vorax, Pathicus, meretrix, delator, adulter
Si Romam veniet, illico cretus erit.
Pædico insignis, prædo furiosus, adulter,
Exitiumque Urbis perniciesque Dei.
Gaude prisce Nero: superat te crimine Sixtus,
Hic scelus omne simul clauditur & vitium.

Huic cum Vicarius Dei esset, conveniens erat observare omnia, quæ promittebat, & tamen solum observabantur, quæ ad ipsius votum & utilitatem pertinebant, quod unum & idem officium, aliquando Beneficium uno & eodem tempore pluribus promittebatur. Et non semel accidit, & sunt, qui testimonium perhibere possunt, ut cum Joannes de Marcellinis Reformator quondam Studii peteret à Sua Sanctitate, ut pecunia debita solveretur Doctoribus. At ipse respondit inter alia: Nescis tu, nos promisisse hanc pecuniam Doctoribus animo non solvendi? Quod cum à dicto Cive Reformatore denegaretur, ait: Non fuisti tu, sed Bernardinus de Riciis. Sed quid oportet de ejus stabilitate loqui? Facta ejus confœderationis, quæ aliquando cum Rege, aliquando cum Venetis, & aliquando cum aliis fecit, satis ostendunt. Et inter alia ejus vitia crudelissimus erat: Nam in ultimis ejus vitæ membris bis accidit ei, ut duo ex illis compedibus, qui ad custodiam sui Palatii deputati erant, ira vel odio moti constituerint simul mortaliter pugnare, quod vulgariter dicitur ad steccato chiuso, Latine vocatur Certamen duelli. Erant igitur hi gladiatores deliberati certare simul extra Urbem. Quod cum scivisset, mandavit, illos certare in platea Sancti Petri apud ejus Palatium, & prope scalas. Et ipse voluit videre certamen, mandavitque inchoare prœlium, non antequam ipse esset in fenestra. Et postquam venit, viditque ipsos paratos, extendit brachium suum deditque eis benedictionem, & fecit brevem, deinde dedit eis licentiam, ut certarent. Qui cum per aliquod temporis spatium se percussissent, unus eorum mortuus cecidit, alter eorum vulneratus evasit. Et alia vice ambo in terram vulnerati pro mortuis ceciderunt.

Et gaudebat & curabat videre hæc crudelia, & animantibus humanis aliena. Sed quid oportet de ejus crudelitate amplius loqui? Scimus, quot homines in bellis, & guerris, quas in vita sua egit mortui sint à vulneribus, & quot mulieres & virgines tam in Ferraria, ob famis necessitatem, quam in bello contra Florentinos meretricatæ sint.

Novissime autem constituerat in urbe modum quærendi pecuniam cum subditorum dispendio.

Nam vendiderat Januensibus quadraginta millia rubiorum grani, in quibus, secundum quod calculatum extitit per notos, secundum quod ipse emerat, vel emere poterat, sexaginta millia Ducatorum, superlucrabatur, feceratque, ut granum ejus emeretur à pistoribus pro triginta Carlenis rubii, & quod ipsi non possent emere granum alibi quam ex ejus abundantia pro dicto pretio, ex quo tantundem recipiebat, quas omnes pecunias in guerris, & in occisionibus Christianorum convertere intendebat. Sed Deus ipse omnipotens, à quo omnia bona procedunt, viam ulterius delinquendi præclusit, malamque ejus mentem amputavit, & malum ejus consilium evacuavit. Ita Deus omnipotens ipse concedat, ut ipse sit finis omnium malorum, nec post mortem ejus tali certe occasione pejus videamus. Amen.

Mane vero sequenti corpus ejus portatum fuit in Ecclesiam Sancti Petri, viginti duntaxat cereis torceis in aurea planeta quadam antica, & quodam modo lacerata paucis comitantibus hominibus. Erat quidem niger, deformis, & guttur ejus inflatum, visu similis Diabolo, anima ejus ab omnibus, qui eum viderunt, maledicta, & Diabolo commendata fuit palam, & aperte. Nec visus fuit homo, qui de eo bene dixerit, nisi quidam Frater Sancti Francisci, qui solus illa die corpus suum non sine magno fœtore observabat.

Eadem die & mane multi juvenes accesserunt armati ad domum Comitis Hieronymi, putantes se ibi posse invenire, & cum non invenissent, essetque domus illa pro majori parte discombrata & evacuata, clamantes fortiter: Columna, Columna; dictam domum ceperunt, illamque de residuo, quod ibi erat, dirrubaverunt, atque destruxerunt, vastantes & destruentes mazzis ferreis portas & fenestras marmoreas, & omnia, quæ inde potuerunt, extraxerunt, viridarium & arbores penitus destruxerunt, prout de præsenti videri potest, quod nullum ei ostium sive fenestra relicta est.

Eadem dicta die juventus cum simili clamore Transtiberim se contulit, ibique juxta ripam fluminis duo magazena mercibus plena, quæ erant quorundam Januensium similiter ad saccum, ut dicitur, miserunt, & post illa duo Navilia vini cujusdam Januensis cum omni instrumento dictorum navilium asportaverunt, ut in Urbe ubicunque reperta fuerit aliqua domus, vel bona dictorum Januensium similiter acceperunt, & aliqui dictorum juvenum se ad castrum Jubilæi contulerunt, ubi centum vaccas, & totidem

tidem capras, & multos porcos, aſinos, anſeres, & gallinas, quæ erant Comitis, abſtulerunt, intra quæ maxima copia carnium ſalatarum, caſei rotundi, Parmenſis, & alterius caſei ſupellectilia, & magna copia vini Græci, & ſupellectilia inter eos diviſa extiterunt.

Poſt quæ magna copia eorum aperuerunt Eccleſiam Sancti Theodori, & horrea Sanctæ Mariæ novæ, indeque extraxerunt maximam quantitatem frumenti, quod anno præterito vendere non poterat, ſperabat tamen Papa vendere illud in anno futuro.

Et illa die multi diſcombrantes, & eorum bona de uno loco ad alium portantes, ut derobati fuerunt, quorum longum, & quodammodo faſtidioſum, imo impoſſibile eſſet nomina hic deſcribere ſeu annotare. Furnarius vero quidam, qui in civitate eſt apud Sanctum Andream delle Fratte per Baptiſtam 10. m. rubei, & filios* dirobatus, & ad mortem vulneratus extitit.

Die 14. Conſervatores & Officiales cœperunt curam civitatis, miſeruntque proclama ſub pœna furcarum, ut nullus offenderet aliquem Curialem vel alios dirobaret, poſueruntque cuſtodes portis & portibus, & fecerunt unum Maneſcalem pro guardia in qualibet regione; Tranſtiberim vero & Bernardinus de Valle cum ejus cohorte, quæ ibi erat, clauſerunt portas dictæ regionis, & in Ponte novo poſuerunt trabes, & illum reparaverunt cum cuſtodibus, ita ut nullus poſſet ibi intrare abſque eorum voluntate & licentia.

Deinde quoddam magazzenum, quod ibi erat cujusdam Joannis Baptiſtæ Paluccini cognati Comitis Hieronymi, qui diu immunis, & ſine ſolutione gabellarum fuerat, ad ſaccum miſerunt, ubi erat cera, quam deſtinaverant pro exſequiis Sixti, ubi copia maxima aluminis & argenti vivi, multa bona. Et idem fecerunt de quodam hoſpitio cujusdam Januenſium, ubi nihil penitus dimiſerunt, & iſtos de quibusdam fuſtibus exiſtentes in ripa fluminis.

Eadem die duæ galeræ Papæ Sixti ſub cuſtodia Melchioris Tochi Januenſis, quas Papa Sixtus tenuit in fauce, & prope Oſtiam, ut dicebatur, cauſa cuſtodiendi Oſtiam, & mare noſtrum, ſed in veritate non erat alius, qui offenderet, niſi ipſe & paucis ante diebus quoſdam piſcatores Romanos prope mare piſcantes, non ſolum dirobaverunt, verum etiam interfecerunt. Cum appropinquarent ſe Oſtiæ, Caſtellanus clamavit: Salvi, ſalvi, o liberi, liberi. Hi qui catenis ligati erant, intelligentes vocem, incontinenti inſultarunt Dominum, illumque percuſſerunt, & vulneraverunt tribus vulneribus, uno in facie, alio in pectore, & altero in tibiis. Et niſi incontinenti ſe in mare projeciſſet, fuiſſet certe interfectus, licet ut dixerunt hi, qui ligati erant, ſine dubio ex dictis vulneribus moreretur. Et confeſtim dictæ galeræ evacuatæ & deſolatæ fuerunt, ut dicitur, de voluntate Cardinalis Sancti Petri ad Vincula. Et vidimus dicta bona portare in carro in domum dicti Cardinalis. Et aſſertum fuit per dictos homines, qui evaſerunt, dictum Melchiorem vendidiſſe quibusdam Neapolitanis dictas galeras Eccleſiæ cum dictis hominibus violenter retentis pro quinque millibus ducatorum, nondum tamen recepiſſe dictum pretium neque arrano.

Eadem die Campus Eccleſiæ, Comes Hieronymus, Virgilius & reliqui reverſi ſunt, quos Collegium mandavit ponere ſe in Quinto extra portam milliario, dimiſſis apud Hortes omnibus artiliariis & inſtrumentis. Et dixit Comes Hieronymus, & quidam alii, & dimiſiſſe ſexaginta currus magnos oneratos dictis pombardis magnis & parvis, & aliis inſtrumentis bellicis, & plusquam mille & quadringentos bubalos, & multa bona eorum; quæ omnia violenter abſtulerunt præfati Domini Columnenſes in eorum receſſu; dixeruntque in eorum receſſu, & in ultimo bello fuiſſe multos compedites, & commilitones dictæ Eccleſiæ acriter vulneratos & mortuos, inter quos Dominus Georgius Sanctacrucius vulneratus extitit in facie.

Eadem die Caſtrum Cavarum reverſum eſt ad dictos Columnenſes interfecto Conteſtabili, & duodecim peditibus, & reliquis percuſſis, & è muris ejectis.

Et illa eadem hora Caſtrum Capranicæ ſimiliter cæſis cuſtodibus ad præfatos Dominos reverſum eſt.

Eadem die Caſtrum Marini petiit auxilium à Camerario & Comite. Quod cum denegatum eſſet, prænominatos Dominos iterum vocaverunt, & reverſi ſunt.

Eadem die Comitiſſa uxor Comitis Hieronymi Caſtrum Sancti Angeli intravit.

Et Cardinalis Sancti Petri ad Vincula multos pedites & milites ſtipendio acquiſivit, & ajunt, eſſe numero - - - - & domum ſuam mirabiliter fortificavit & fulcivit.

Et Cardinalis Sabellus una cum Mariano ejus germano ducentis equitibus armatis, & infinitis peditibus ad cuſtodiam eorum domus.

Et Virginius Urſinus cum ſua comitiva, & Comes Hieronymus retroceſſerunt, iveruntque ad inſulam.

Et die ſequenti Cardinalis Columnenſis fuit Romam, & infinitiſſimi cives comitati ſunt eum, & multitudo peditum infinita, & cum magno clamore & triumpho intravit domum ſuam parvam in regione Trivii.

Et incontinenti reverſus eſt Proſper & Fabritius cum magna multitudine militum, peditum, baliſtariorum, ſcopeteriorum in maximo numero, ſteteruntque in domibus eorum.

Sequenti die, quæ fuit Martis, 17. Auguſti cœptæ fuerunt exequiæ, in quibus non interfuerunt multi Cardinales propter timorem Caſtri Sancti Angeli.

Et factum fuit conſilium in Capitolio, & cives Romani decreverunt ſupplicare Cardinales, ut dimitterent arma, qui omnes in eorum domibus erant armati & multum fulciti, plusquam ſi fuiſſet unum Caſtrum, & ut eſſent concordes in creando Pontifice, & cito, & ut facerent conclave in loco tuto. Et omnia illa, & majora, quæ ab eis petita ſunt verbis, & promiſſionibus obtinuerunt.

Die

Digitized by Google

Die Mercurii cœptum fuit prœlium in platea Judæorum, quia cum pedites quidam, seu sequaces Georgii de Sancta cruce contumeliam seu injuriam verbis tantum fecerunt, & cum voluissent se defendere, adeo corruerunt in eos, ut sine mora converterent se in fugam versus domus de Sabellis, clamantes auxilium. Videntes tamen hoc consocii prænominatos fugantes usque in dictam plateam retrocesserunt, ibique hinc inde gentes congregatæ sunt, factumque fuit ibi prœlium. Et tandem Sabellenses conversi sunt in fugam, & alii fugaverunt usque in domum dicti Georgii. Et cum dictam domum debellarent, quam omnino debellassent, & præfatum Gregorium & Prosperum, & reliquos ibi cœpissent, supervenit ibi Dominus Marianus Sabellus & Antonellus Sabellus, & magno impetu & labore vix curaverunt, ut gentes suæ ad ejus domum reverterentur, fueruntque ibi quinque mortui balistis & sagittis, duo ex una, & tres ex alia parte, & vulnerati multi. Quod cum per reliquam Urbem esset auditum, statim ubique sbarræ & obstacula per universam Urbem ac passim injectæ sunt, & omnes exitus viarum clausi mirabiliter cum custodibus, ita ut nulli equites per Urbem & parvos vicos ire possent.

Die vigesima secunda quingenti pedites Amerini, & balisterii infiniti ad Urbem in auxilium Columnensium & Sabellorum venerunt.

Eodem die multæ civitates & potentiæ se dictis Dominis Columnensibus obtulerunt. Inter alias Florentia obtulit quatuor squatras sive cohortes militum cum peditibus multis. Et tantundem obtulerunt Senenses contra Comitem Hieronymum.

Eodem die, ut dicitur, Comes Hieronymus restituit Castellum, & fortellitias omnes ecclesiæ, quas tenebat, non prius, quam solutis ei per Cardinales quatuor millibus ducatorum pro ejus stipendio. Et restitutio, ut dicitur, fuit facta hoc modo, s.q. Episcopus Tudertinus, qui ibi est Castellanus, jurat tenere dictum Castrum ad instantiam Collegii, & illud restituere futuro Pontifici, & omnes custodes promisit mutare, & mittere ad voluntatem Collegii. Et ita juravit. Sed quid actum sit, infra dicetur. Et similiter facta est concordia inter Cardinales hoc modo, videlicet, quod restituto Castro Collegio, Virgilius cum cohortibus, & aliis Dominis Ursinis statim Viterbio, & per unum mensem non possint adhærere Urbi, Domini Columnenses cum sua cohorte similiter exeant, stentque in loco remoto ab urbe, tantundem per dictum tempus Jacobus de Comitibus dimittat curam Palatii, & recedat, sitque firma confœderatio duorum mensium, à die coronationis futuri Pontificis.

In dicta die cum Cardinales tractarent ista in Palatio, Cardinalis Sancti Marci respiciens certam tabulam, in qua scribebat Paulus secundus, & successive Sixtus, quæ erat in Camera Pontificali, incontinenti agnovit eam, dixitque, eam fuisse Pauli patrui sui, cepitque gladium sive cultellum quendam, cum quo quandam fixuram parvam aperuit, qua aperta reperti fuerunt ibi tot lapilli, septem Sapphiri, & alii, qui omnes communi existimatione ascendunt ad summam duodecim millium ducatorum, dixitque quondam Paulum prædecessorem Sixti dictos lapillos ibi abscondisse, & Sixtum dictam tabulam retinuisse toto tempore, quo sedit in Pontificatu, & illos nescivisse, habuitque in pignore ex illis Cardinalis Sancti Angeli aliquos pro septingentis ducatis.

Die 24. Augusti congregati Cardinales omnes in Tribuna Sancti Petri permiserunt Populo Romano unanimiter, & concorditer se observaturos quasdam gratias, contentas in una schedula in auxilium & commodum Romani Populi. Et inter alia promiserunt omnia officia & Beneficia Romana concedere non aliis quam Romanis, prout sunt Bullæ Nicolai, Calisti & Sixti. Item observare ad unguem Bullam studii, removere Officiales ad vitam, & facere, ut omnes terræ subjectæ Populo, præstent ei obedientiam in Carnis privio.

Eodem die contra dispositionem bannimentorum gentes Ursinæ, & Gregorii de Sancta Cruce quandam domum Nicolai de Sanguineis, quam per plures sententias consecutus erat ad instantiam ejusdem filii Joannnis Baptistæ Tangolini ceperunt violenter, Pensionarios quosdam, Curiales & Copistas dirobaverunt, abstuleruntque ab eis omnia & singula bona, inter quæ, ut dicebatur, erant trecenti ducati depositati. Eadem die inter 23. & 24. horam tumultus magnus factus est in platea Sanctæ Mariæ rotundæ, fueruntque gentes Stephani Francisci, quæ invaserunt quosdam Hispanos pedites Dominorum Columnensium, in quo supervenerunt multæ gentes hinc inde, & isti Columnenses ceperunt primam Portam dicti Stephani, combussissentque domum illam, nisi fuissent Franciscus, & Petrus de Valle, qui dictum scandalum extinxerunt, curaveruntque, ut dictæ gentes dictorum Columnensium retrocederent. Et fugaverunt quosdam pedites custodes, quos dictus Stephanus autoritate propria posuerat in templum Sanctæ Mariæ Rotundæ per scandalum propter dictos Franciscum & Petrum, quo ad juventutem noctemque * supervenit, extinctum est, fueruntque ibi multi percussi & vulnerati.

Eadem die Domini Cardinales, videlicet, Columnenses, Sabellus, Ursinus, & de Comitibus in Ecclesia Sancti Petri securati sunt cum fidejussoribus ad hoc, ut reddito Castro libere & secure ire possent ad Palatium, ut supra conclusum & capitulatum est.

Die sequenti, videlicet ultima exequiarum Sixti Cardinales iverunt ad Sanctum Petrum, ut permissum erat, præterque Sabellus & Columnensis, & causa fuit, quia in nocte præterita contra capitula & promissiones prædictas in dicto Castro Angeli intraverunt centum & quinquaginta pedites bene armati, propter quam Cardinales prædicti aliqui multum admirati & indignati fuerunt. Sed dicti Cardinales tamen curaverunt, ut Comitissa cum tota fami-

Digitized by Google

lia & cum dictis peditibus Caſtrum Collegio reſtituerit, & ipſa abierit die 25. videlicet in die Sancti Bartholomæi.

Die ſequenti, quæ eſt 26. Auguſti, venerunt nuncii, annunciantes, qualiter Deiphebus filius Comitis Averſi reverſus ſit ad terras ſuas, & quod incontinenti ceperit Roncilionem & Caſtrum Jovis ſine prœlio.

Eadem die Cardinales omnes nemine diſcrepante intraverunt Conclave in Capella majori Palatii Sancti Petri, & fuerunt numero 25. & tres alii Cardinales fuerunt abſentes.

Die 29. Auguſti hora 14. videlicet in die Dominicæ, & in die decollationis Sancti Joannis Baptiſtæ Cibo Cardinalis Melifectenſis creatus fuit Papa, vocatusque Innocentius octavus, cui Deus concedat gratiam recte agendi, regendi & gubernandi Populum Chriſtianum. Pater hujus vocatus fuit Aron Cibo, & fuit Senator Urbis tempore Calixti, & arma ejus ſunt in Capitolio.

Et modus creationis fuit iſte, videlicet quia cum die ſabbati in hora veſpertina ſtarent Cardinales in ſcrutinio cauſa faciendi Pontificem in Conclavi, qui erant numero viginti quinque, Cardinalis Sancti Petri ad Vincula, ut fertur, dixit Cardinali Sancti Marci, qui illo tempore habebat undecim vota, ſi vellet promittere domum ſuam Cardinali Aragonenſi filio Regis Ferdinandi; & ipſe promittebat, ſe daturum ei tres alias voces, itaque eſſent quatuordecim. At ille reſpondit, ſe minimum hoc facturum. Nam ſi hoc feciſſet, non eſſet canonicè, uti decet, electus. Item quia domus ſua eſt fortior Caſtri Sancti Angeli, & ſi hoc feciſſet, fuiſſet forte cauſa diſturbationis Urbis & totius fidei Chriſtianæ, quia poſſet de facili ibi Rex venire, & facere ſe Dominum Urbis, & diſturbare Statum Eccleſiæ. Deinde præfatus Cardinalis acceſſit ad Vice-Cancellarium, dixitque ei, ſi vellent ſimul facere unum Pontificem ad votum eorum. At ille dummodo diſturbaretur electio Cardinalis Sancti Marci, quem ſolum odio habebat, conſenſit. Deinde ſuperveniente nocte Cardinales omnes iverunt dormitum, quibus dormientibus præfatus Cardinalis Sancti Petri ad Vincula una cum dicto Vice-Cancellario tractavit cum omnibus Cardinalibus, ut darent voces eorum dicto Cardinali Melfitenſi, promittentes, ſe multa daturos illis. Et hoc modo tractavit cum omnibus Cardinalibus, præterquam cum ſex de ſenioribus & principalioribus, videlicet cum Cardinali de Comitibus, Sancti Marci, Gironæ, Liſbonæ, Senæ, Neapoli. Et aliqui dicunt de Sancta Maria in Porticu, qui Cardinales tum dormiêre in eorum cubiculo: Cæteri dederunt vocem, & elegerunt dictum Pontificem. Mane autem facto vocaverunt illos dormientes, dixeruntque illis: Venite, Papam fecimus. Ab illi dixerunt: Quem? Reſponderunt: Melfitenſem. Dixeruntque illis: Quomodo? Reſponderunt: hac nocte, dum dormiviſtis, congregavimus omnes voces, præterquam veſtrorum dormientium. At illi videntes, quod eſſent decem & octo, vel decem & novem, qui conſenſerunt, & ipſi tanquam pauciores non poſſent actum diſturbare, conſenſerunt deinde die ſequenti, decretumque fuit pro habendis vocibus multa bona Eccleſiæ promiſerit atque dederit, quorum aliqua hic ſcribuntur. Primo Cardinalis Sabellus habuit Caſtrum, quod dicitur Monticelli in partibus Inſulæ, item legationem Bononienſem; Cardinalis Columnienſis Caſtrum Ceprani, & legationem Patrimonii, & pro reſtauratione domus combuſtæ & damnorum viginti quinque millium ducatorum, & ut dicitur, fuerunt ei promiſſa Beneficia quam primum vacatura pro ſeptem millibus ducatorum;

Urſinus legationem Marchiæ habuit, quæ fuit adempta Camerario, item Caſtrum Cerveteni;

Mutiſamenſis Caſtrum Capranicæ & Epiſcopatum Avenionenſem;

Filio Regis Ferdinandi fertur fuiſſe conceſſum Pontecavo, item data fuit domus vel palatium, quod fuerat dicti Papæ, dum erat Cardinalis, videlicet Sancti Laurentii in Lucina;

Cardinalis Parmenſis Palatium Sancti Joannis della Magliana una cum omni ejus ædificio;

Mediolanenſis Cardinalis Archipresbyteratum Sancti Joannis Lateranenſis, & legationem Avinionenſem;

Cardinalis Sancti Petri ad Vincula, & Præfectus Urbis ejus frater Fanum cum quinque aliis terris circumſtantibus, promiſitque facere dictum Præfectum ejus fratrem *Generalem* Capitaneum Eccleſiæ. Sed hæc nunc dicta fuerunt. Quæ cum non fuerint reperta omnino vera, credendum eſt, ea dicta fuiſſe propter invidiam, & æmulationem, quam pro veritate dicenda: & ſecundum aliquos, quorum opinio magis applaudet, rite & recte, & abſque alia calumnia creatus fuit. Et bonus in ſe fuit, & ſemper juſtitiam in propoſito habuit. Et niſi fuiſſet impeditus à dictis æmulis & inimicis, certe oſtendiſſet qualitatem animi ſui erga Eccleſiam. Sed prædicti ejus æmuli & inimici, qui volebant in eorum iniquo propoſito perſeverare, ſemper detraxerunt Sanctitati ſuæ, & litteris & voce, & dixerunt potiſſime ultra prædicta data vel promiſſa, ut ſupra, quod etiam multa alia bona Eccleſiæ fuerint diviſa inter prænominatos Cardinales, de quibus hic non habetur memoria, & abſtulerint unam Tenutam Sancti Spiritus, & dederint eam. Et, ut fertur, omnia hæc fuerunt diſtributa, antequam crearetur, & dum illi dormiebant, & pro habendis vocibus dictorum Cardinalium. Quare negari non poteſt, quin conſiderata qualitate & vita viri, qui juvenis & Januenſis eſt, & ejus vita, nam ex pluribus mulieribus ſeptem filios, intra mares & fœminas habet, de quibus una eſt nupta cuidam Gerardo Mercatori Januenſi, ut vere dici poſſit, locutum fuiſſe David, dum dixit: Uxor tua, ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ, filii tui ſicut novellæ olivarum in circuitu menſæ tuæ. Ac conſiderata qualitate electionis, quæ multo deterior fuit electione Sixti, longe pejora & deteriora non ſequantur, & timeri non poſſint, attento potiſſime, quod in

in ejus domo sive Palatio, immo, ut fertur eadem camera & lecto, ac continue ad secum manducandum retineret dictum Cardinalem Sancti Petri ad Vincula, qui usque nunc omnia, quæ gesta sunt, & geruntur, administravit, & gerit ad suum velle. Immo aliqua, quæ per eum inadvertentem & inscio dicto Cardinali fiunt, incontinenti revocantur, inter quæ est,

Quod Paulus Ursinus deputatus fuerit per eum cum militibus suis ad guardiam sive custodiam Palatii cum stipendio consueto, in quo solum per unum diem permansit, deinde licentiatus iratus ab Urbe recessit. Concedat Deus sibi gratiam rectius vivendi & administrandi, quod difficile videtur, & omnes quodammodo uno ore tam Romani cives, quam alienigenæ & Curiales de ejus futura vita, & gubernatione Imperii & civitatis permaxime suspicantur, faciuntque super eo judicia. Ego tamen suscepi carmina infra dicta, videlicet:

O Roma infelix modo jam liberata venenum
Hausisti, sed nunc jamque aconita bibes.
Nec quicquam miles, puer, & meretricula, leno
Deficiet multo, cœpta rapina minus.

Et multa alia etiam dicta fuerunt de eo, quæ quam sint vera, futurus judicabit eventus.

Quarto die post ejus creationem visum fuit, quod prænominata distributio & divisio Castrorum & Terrarum Ecclesiæ, Beneficiorum, Episcopatuum & legationum non sufficeret. Cardinales omnes quadam voracitate inter se omnes officia, omnia secularia tam Urbis quam extra Urbem diviserunt. Itaque quilibet Cardinalis habuit distribuere unum officium in Urbe aut quatuor extra Urbem; & 24. officia principalia Urbis, viginti quatuor Cardinalibus attributa sint, excepto Protonotariatu Capitolii, cujus exercitium commissum fuit Nicolao Jacobello, qui prius erat; pensio autem ejus ablata fuit ab Hospitale Sancti Spiritus, cui Sixtus concesserat pro fabrica, & concessa fuit sub responsione sedecim Ducatorum pro quolibet mense pro medietate Cardinalis de Comitibus & pro alio Cardinali Aragonensi, videlicet octo ducatis pro quolibet singulis mensibus.

Et quædam officia olim annalia, quæ per Sixtum vendita erant ad vitam, & pecunia soluta à certis Civibus Romanis, abdicata fuerunt, pecunia non restituta, aliis concessa, intra quæ est Notariatus Appellationum, & Exsecutoriatus Ripæ & aliorum similium. Sed Notariatum Appellationis incontinenti restituit illi, qui emerat, & omnia promissa fecit ipse una cum Cardinalibus contra permissionem & conventiones, quas fecerat ipse una cum aliis Cardinalibus, & toti Populo in Basilica Sancti Petri penultima die exequiarum Sixti, dum omnes unanimiter & concorditer promiserunt inter alia omnia officia, & Beneficia Romana concedere Romanis Civibus. Et ita sub fide eorum sponderunt contrarium, cujus, ut vidistis supra immediate gestum est, sicque in ejus principio sequitur vestigia Sixti. Et sic grave est unicuique fidem fallere, sed non Principi. Sed non est mirum, si Populum Romanum decepit, quia Deum omnipotentem, cui in promotione castitatem vovit, & promisit, & tandem post septem filios suscepit, turpiter fefellit atque decepit.

Et egomet vidi in Palatio Conservatorum certa Capitula, & promissiones factas per præfatum Innocentium in manibus Conservatorum, intra quæ erat verbum hujus tenoris vel substantiæ: Promitto & juro ego Innocentius Papa octavus in præsentia omnium Dominorum Cardinalium, me daturum & concessurum Civibus Romanis omnia Officia & Beneficia Urbis, Prioratus, Abbatias, & alia, & non consentire, neque autoritatem præstare alicui alteri personæ, ut præmissa officia & beneficia alteri contribuantur, nisi solum & duntaxat ipsis Civibus Romanis idoneis.

Et quod plus, de præmissis promisit facere unam Bullam plumbatam, & subscriptam ab omnibus Cardinalibus.

Dum tamen ista Bulla, ut promittitur, fieret, vacaverunt duo Canonicatus Sancti Joannis, alter per mortem, & alter per resignationem, quos ipsemet contribuet duobus forensibus de districtu tamen Urbis, quibus cum Conservatores & Officiales repugnarent, voluit eos recipi tanquam cives. Et ita mandavit.

Et tandem bullam bis incisam dedit Conservatoribus cum hac diminutione, videlicet, quod reservaret sibi potestatem concedendi Abbatias Urbis ad suum placitum. Item admoveri fecit filiis Romanorum, per quæ verba intelligebat conferre talia Beneficia etiam non Civibus, dummodo acceptarentur pro Civibus. Et sic facta est legis fraus. Item & in ea bulla voluit habere pro civibus & futuros Pontifices, & omnes Cardinales, qui eligerentur ad talia officia. Et isto modo exsecutus est promissionem dictæ gratiæ.

Similiter & depositarius pecuniarum, Gabellæ, Studii voluit, ut eligeretur Gerardus ejus gener Januensis, quem, cum per præfatos Officiales similiter instaretur super observatione prædictæ bullæ, voluit atque mandavit ut congregato consilio Civium Romanorum in Civem admitterent, fieretque Privilegium, & Civitatis, moxque tam Civis in Depositarium eligeretur. Et ita factum fuit. Et ubi promiserat eo facto se daturum pecuniam pro anno præterito, postquam fuit factus Civis & Depositarius, Innocentius dixit, se pecuniam non habere. Et sic denegavit.

Justitia in ejus principio maxime viguit in castigando tantum fures & homicidas, & malefactores, in recognoscendo autem bonos, & ejusdem merita retribuendo faciendo ipsos Officiales per Bussulam & sortem nequaquam, sed ad voluntatem & ad placitum Officia contribuebantur, quibus ipsi Cardinales volebant.

Contra illos, qui tempore vacationis Apostolicæ Sedis per obitum Sixti vinum & merces deprædati sunt, jus reddidit, compulitque eos pro juribus ad restituendum, potissime certis

Digitized by Google

certis Mercatoribus Januenſibus, pœnam autem ipſis prædonibus remiſit.

Stradiotas, & eorum officium multis clamoribus motus remiſit, & annullavit, & gratam audientiam multis dedit, commiſſiones contra Statum Urbis vel raro vel nunquam ſignavit, gratias malorum non fecit.

Præfectum Urbis, id eſt, nepotem Sixti ac fratrem Cardinalis Sancti Petri ad Vincula in Capitaneum Generalem in die Sancti Stephani elegit.

In Epiphania ſequenti, videlicet 1485. primo anno ejus Leopoldum canonizavit, ex quo fertur recepiſſe ab Imperatore ſummam quindecim millium ducatorum.

Generalem Sancti Auguſtini carceravit ob id ſolum, quod dixiſſe fertur, Papam Innocentium creatum fuiſſe in tenebris, & in tenebris manere, ſeu vivere in tenebris creatum. In tenebris vivit, & in tenebris morietur.

Die vigeſima ſecunda Novembris 1484. die lunæ die de nocte fuerunt diſrobati de Eccleſia Sancti Joannis Lateranenſis duo calices auri, quos donavit Rex Ferdinandus Eccleſiæ, & erant quinquaginta librarum auri. Item & Regnum, quod donavit Conſtantinus Sylveſtro ſimiliter de auro.

Die menſe Martii ſequentis anni 1485. cum infirmaretur graviter Innocentius, adeo, ut de ejus morte dubitaretur, Virgilius Urſinus & Paulus, & alii ſui complices, ceperunt Pontem Mollium, Pontem Sallarium & Numentanum, illos per quam plures dies eorum nomine tenuerunt, & cuſtodiverunt, & tentaverunt, inſuper ſubtili ingenio capere portas, videlicet, Flaminiam, Pincianam, Salariam & Viminalem. Sed cum deſperati eſſent de morte Innocentii, ultro illos dimiſerunt, & retroceſſerunt.

Eodem die Fratres & Conventus Sanctæ Mariæ novæ fodi faciebant in quodam eorum caſali poſito extra portam Appiam in via Appia, diſtante ab Urbe per quinque vel circa milliaria; Et cum prope viam vel in ipſa via à fundamentis quoddam ſepulcrum deſtruxiſſent, in ultimo loco fundamenti prædicti quandam capſam marmoream coopertam marmoreo lapide implumbatam invenerunt. Quam cum aperuiſſent, unum corpus cujuſdam mulieris integrum invenerunt involutum quadam odorifera miſtura cum quadam cufia ſeu infula aurea in capite, & cum capillis aureis circum circa frontem, & cum carne & rubore in maxillis, acſi etiamnum viveret. Habebat oculos parum apertos, & os ſimiliter, & lingua capiebatur & extrahebatur ex ore, & redibat incontinenti in locum ſuum. Deinde albæ & firmæ ungulæ manuum, & pedum firmiſſimæ & albæ, & brachia levabantur, & redibant ad locum ſuum, ac ſi nunc mortua fuiſſet, ſtetitque per multos dies in Palatio Conſervatorum, ubi propter aërem colorem tantum faciei mutavit, factaque fuit nigra, non propterea pinguedo vel caro deſtructa erat. Cumque Conſervatores in eodem pilo locum juxta Ciſternum in reclauſtro cujuſdam Palatii poſuiſſent; à dicto Innocentio juſſi in locum incognitum de nocte extra Portam Pincianam in quodam vico vicino ejus in quadam fovea projecta fuit, reportaverunt, ibique eam ſepeliverunt. Et illis primis diebus, quibus inventa eſt, ad dictum palatium inducta fuit, tantus erat concurſus hominum, eam videre cupientium, ut paſſim in platea Capitolii vendentes olera & alia ad inſtar fori reperirentur. Et mixturam odoriferam, cum qua involuta erat, ferebatur, confectam eſſe ex mira olibano. Alii ferunt arte Therebintina, quæ acutiſſimum & quodam modo obſtupefactivum odorem habebat. Et multi æſtimarunt, cum ea repertam fuiſſe maximam quantitatem auri vel argenti, & lapidum pretioſorum. Quod æſtimatum fuit ex eo, quod fodientes, & qui ſuper eos erant; nunquam fuerant reperti ulterius. Et ætas ſua erat, ut videri poterat, duodecim vel tredecim annorum. Et erat adeo pulcra & formoſa, ut jure ſcribi ſeu dici poſſet; & ſi diceretur aut ſcriberetur, à legentibus, qui eam non viderunt, minime crederetur. Et multi de longinquis partibus venerunt cauſa videndi eam, & depingendi ejus pulchritudinem, & non potuerunt eam videre, quia faceret ita, ut ſecunda ſecreto in loco projecta. Et ita male contenti receſſerunt. Et pilus marmoreus, ubi fuerat reperta, remiſſus eſt in reclauſtro *dictorum* Conſervatorum. Eodem anno menſe *Julii in* Vigilia Sancti Joannis Dominus *Proſper* Colonna cum ſuis complicibus ſummo mane intravit Caſtrum Fraſcati, ibique cepit Tuttavillam filium Cardinalis Rothomagenſis, Dominum dicti Caſtri cum omnibus bonis ſuis, quæ fuerunt multa millia ducatorum, & maxima quantitas argenti, ibique recogniti fuerunt annuli, qui fuerunt quondam Protonotarii Columnenſis, & ſupellectilia ſerica, & quidam lapis Alabaſtri magni valoris ipſius domus, quæ omnia una cum bonis dicti Tuttavillæ aſportaverunt. Duxerunt eum captum ad Civitatem Laviniæ pro habendo dictum locum. Et cum non potuiſſent dictum locum habere, captum & carceratum duxerunt ad Roccam Papæ, ibique eum Dominus Proſper retinuit.

Et in die ſequenti cepit Caſtrum Nemoris cum uxore & filio dicti Hieronymi Tuttavillæ, ibique fuerunt percuſſi & vulnerati multi hinc inde, & potiſſime pro parte dicti Domini Proſperi Dominus Fabritius de Columna cum quadam ſagitta in Corea.

Et in die Sancti Joannis Papa congregavit Conſiſtorium Dominorum Cardinalium, & neſcitur, quid fuerit ibi ſtatutum. Deinde ceperunt Caſtrum Genzani.

Et cum ſtetiſſent per aliquos dies apud Civitatem cauſa habendi eam, gentes Urſinorum invaſerunt eos mane quodam. Et cum improviſos & incautos inveniſſent, agmina omnia totumque Campum Columnenſium deſtruxerunt, eorumque arma & inſtrumenta bellica exportaverunt. Et quandam bombardam æneam

Digitized by Google

æneam dictorum Columnensium, quam ad dictum locum duxerunt, pro habendo dictum locum, in dictam civitatem reduxerunt, & ibi steterunt per multos dies. Demum Castrum Sermonetæ & omnia quasi ejus animalia deprædati sunt. Fertur fuisse multa millia capitum bubalorum, boum & aliorum animalium. Et dictam prædam transduxerunt in dictam civitatem, quam cum non posset ibi retinere, gentes prædæ, videlicet, balistarii equites versus Urbem Romæ magnam partem dictæ prædæ transduxerunt. Quod cum venisset ad notitiam quorundam dictorum Dominorum Columnensium, confestim ducentes dictam prædam - - - - - dum insectati sunt usque intra Portam Latinam, & aliquos eorum prope Viculum maximum, & ceperunt, dictamque prædam, videlicet animalia retroduxerunt. Demum post aliquos dies præfati Domini Columnenses cum gentibus prædictis circa quadraginta balistarios Ursinos in dictis Nemoribus repererunt, factaque fuerunt paucis diebus inter eos varia & diversa bella apud Castrum Marini, Nemoris & Genzani. Quæ cum sic agerentur, Paulus Ursinus una cum filio Ursino, auxiliante Virgineo, invasit Castrum Citigliani. Qui cum eos vigilantes & provisos invenisset, plusquam quadraginta pro parte dictorum Ursinorum inter penitus mortuos & quasi mortuos letaliter - - - vulneratos dimiserunt.

Ex hominibus autem dicti Castri Citigliani unus tamen, videlicet Paulus Sylverius interfectus extitit, & post aliquos dies Ampulines fecerunt magis fortes, & penetraverunt iterum in Latium, & dederunt auxilium Civitatensibus, semper & continue Cives Romanos, & alios ubivis repertos deprædando.

Cohortes autem Præfecti Urbis in Monasterium Sanctæ Agnetis extra Portam Numentanam pro ecclesia morantes similiter hordeum, & frumenta ex aris Romanorum vi capiebant, latrones etiam inter mœnia Urbis, & in vineis propinquis disrobabant, nulla habita partium distinctione.

Iverunt insuper creati per Conservatores duo Commissarii, qui una cum Septuaginta balistariis equitibus à Summo Pontifice salariatis campos & aras custodirent, ne damna hujusmodi fierent. Quibus non obstantibus longe ampliora & majora facta sunt potissime per commisitones dicti Præfecti.

Et cum 14. die dicti mensis Julii Camillus Macaron unus ex dictis Commissariis quasdam aras in Latio prope viam, qua itur ad Albanum, moraretur *, supervenerunt gentes dictorum Ursinorum, immiscueruntque bellum similiter; quod cum dictæ gentes Ursinorum essent infinitæ, Commissarii vero pauci, Commissarium & ejus gentes incontinenti absorbuerunt, & aliquos ex dictis penitus interfecerunt, nonnullos letaliter vulneraverunt & disrobaverunt. Nec proficit eos clamare: chiesa, chiesa; ut in quibuscunque locis prœlium fecerunt, & potissimum, dum ceperunt Castrum Frascati cum Tuttavilla, semper pro parte Columnensium fuit clamatum: Colonna, Colonna & Chiesa, Chiesa; simul pro parte Ursinorum tantum: Ursus, extitit in vociferatione. Et sicut videri potest, fortuna voluit notam suam. Nam nunc est, quod Ecclesia cum urso conjuncta contra Columnenses instabat, nunc vero eidem cum Columna contra Ursum bellatur.

Deinde dicto die fertur conclusum fuisse in Consistorio, Papam se velle in manibus suis prædicta Castra Civitatis, Nemoris, Genzani & Frascati, & securitatem hinc inde de parendo suæ sententiæ. Et obtulit, se velle intra dictos Barones discordantes facere justitiam, & unicuique restituere, quod suum erit. Et si quis eorum fuerit voluntati Suæ Sanctitatis renuens, obtulit se velle contrariæ parti favere, inobedientem autem ut inimicum tractare, & contra ipsum insurgere. Postquam incontinenti Domini Columnenses in manibus dicti Pontificis restituerunt supra dicta Castra Nemoris & Genzani, ac Frascati Castrum habuerant per præsens; & sic in dictis locis erecta fuerunt vexilla Ecclesiæ. Pro parte autem Ursinorum fuit mandatum Papæ spretum & neglectum.

Die 20. Julii Dominus Prosper de Columna una cum Fabritio & Nicolao Sermonetæ deprædati sunt infra scripta Castra Ursinorum, Insulam, Campagnanum, Galeram, Braccianum, Cerveterem, & nonnulla alia Castra eorum, ibique deprædati sunt circa ducentos Vasallos seu habitatores dictorum Castrorum, & ducentas equas ultra mercatas, signo Domini Virginei Ursini tria millia, & multa capitum, bestiarum, Vaccinarum, multos boves domitos & vaccas, prædamque ipsam transduxerunt prope Ostium, usique fuerunt infra scripta pietate. Nam cum venissent ad locum, ubi erant quinquaginta capita vaccarum Bartholomæi de Sancta Cruce, potissime Dominus Georgius & Prosper erant æque inimici dictorum Columnensium, & dictus Domlnus Georgius semper cum suis complicibus acerbe se gesserat in favorem Ursinorum, ut cognatus Domini Pauli Ursini, contra dictos Columnenses, nec ne dictus Dominus Prosper est Nicolaus Cajetanus Dominus Sermonetæ moti precibus cujusdam custodis dictarum vaccarum, qui genuflexus cum lacrymis ante oculos oravit pro filiis pupillis Bartholomæi interfecti, ipsi tanquam pii & misericordis Domini animalia omnia dicti Bartholomæi quodammodo eorum inimici, & una cum illis vaccas Stephani Francisci Factoris dictorum Ursinorum illæsas & intactas dimiserunt, eisdem damnum aliquod inferre noluerunt, asserentes semper, nolle pupillos illos filios dicti Bartholomæi interfecti tanquam innocentes in aliquo præjudicare.

Die sequenti Innocentius fecit ad se venire præfatos Dominos Columnenses, eosque per aliquos dies in Palatio substinuit, noluitque eos ad domum redire, misitque per Urbem proclama, ut sub certa pœna habentes aliquid de dicta præda, incontinenti restituerent, & scientes alios

Digitized by Google

alios habere, revelarent. Et poſt paucos dies receptis fidejuſſionibus de non offendendo, & de parendo judicato, à dictis Dominis Columnenſibus, & dictum Dominum Hieronymum Tuttavillam ſub pœna ducentorum millium ducatorum eos, & dictum Hieronymum, & Dominos Columnenſes * commiſſa fuit quatuor Auditoribus Rotæ qui haberent eam infra octo dies de jure terminare. Hoc videlicet num quid licuerit ſeu licitum fuerit dictis Dominis Columnenſibus deprædaſſe dicta Caſtra, & bona dicti Domini Hieronymi, & hæc fuit, Innocentius habita prius in ſua protectione, & poteſtate, & in manibus ſuis poſſeſſionem dictorum Caſtrorum, ſcilicet Fraſcati, Nemoris, Genzani, & Civitæ.

In illis diebus Dux Calabriæ Regis Ferdinandi filius cum gentibus ſuis fecit ad ſe venire Comitem Montorii in partibus Aquilanæ Civitatis, ipſumque & uxorem & familiam Neapolim ad Patrem Regem captos miſit, &, ut fertur, proditorie eum cepit, ibique judicio omnium per dictum Regem decapitatus extitit: propter quod omnis populus Aquilanæ civitatis turbatus inſurrexit contra Regem, vocavitque Eccleſiam in Dominam, miſitque ad Pontificem noſtrum, ut Dominium caperet, rogavitque eum, ut ſi ad dictum locum mitti contingeret gentes aliquas non niſi Columnenſes mitteret. Et ita factum fuit.

Deinde Rex Ferdinandus ordinavit conventum Dominorum, & militum in Civitate ſua Neapolitana, ibique convocavit omnes Dominos regni ſui, mandavitque illis, ut venirent ad dictum locum; à quibus nullam obedientiam habuit, ex eo quia, ut dicebatur, intendebat eos omnes, cum haberet in ſuo dominio, decapitare.

Ex quo omnes Domini Regni ſui inſurrexerunt contra eum, vocaveruntque Eccleſiam, & imploraverunt auxilium Venetorum; & obtulerunt dictas Terras Eccleſiæ & Romano Pontifici, uti erant prius cum ſolutione cenſus cenſurati, minantes, quod ſi Papa eos non adjuvaret, ſeu promiſſis non attenderet, ſe ſe aliis daturos. Et fuerunt omnes Principes & Domini, exceptis tribus, videlicet Comes Fundorum, Dux Malphi, qui fuit nepos Pii, & Princeps Taranti, qui obſervant fidelitatem Regi ipſi.

Deinde Papa facto ſuper hoc Conſiſtorio pluries miſit pro Proſpero Columnenſi & Fabritio. Ferturque illos conduxiſſe; & ſimiliter vocavit ad ſe Joannem Sabellum, qui erat jam Eccleſiæ inimicus, ex eo quia in Monte Sixti receperat Caſtrum Arignani, illudque contra voluntatem Eccleſiæ & Pontificis tenebat. Factaque eſt inter eos concordia, & datæ ſunt ei pecuniæ militares, ut contra Regem pro Eccleſia inſurgeret.

Virgineus Urſinus ſimiliter ab Eccleſia requiſitus, dixit, ſe habere fœdus cum Rege, & propterea ſe nolle venire contra; miſit tamen gentes ſuas in favorem Eccleſiæ contra dictum Regem Neapolis.

Robertus de Sancto Severino fertur Cætenæ congregaſſe gentes ſuas, iturus contra Regem.

Die 11. Octobris Civitas Aquilæ cum omni Comitatu ſuo erexit vexillum Eccleſiæ, & ita fertur feciſſe multas Terras, & Caſtra Regni prædicti, & Dux Olueti fertur veniſſe ad obedientiam Papæ, & dixiſſe, ſe nolle habere & recognoſcere alium in Dominum, niſi Papam. Et in dicta Civitate Aquilæ fertur fuiſſe interfectum à juvenibus Aquilanis Dominum Antonium de Cicinellis militem Neapolitanum una cum quatuor famulis ſuis, & alios Regales in totum numero triginta in platea.

Die 19. ejuſdem menſis mortuus fuit Dominus Cardinalis Aragoniæ, filius Regis Ferdinandi, in ejus Palatio, videlicet apud Sanctum Laurentium in Lucina, & ejus corpus depoſitum fuit in Eccleſia Sanctæ Sabinæ. Et cauſa mortis hæc eſt: Nam cum idem Cardinalis acceſſiſſet ad Civitatem Salernitanam, ibique eſſet, petiit à Caſtellano dicti loci, ut permitteret ſibi videre Caſtrum, ſeu fortilitiam dicti loci, fuit ei reſponſum, quod haberet licentiam primo à Domino. Et cum hoc denunciatum eſſet Principi illius loci, venit ad eum, & octo viri. Qui cum Cardinali erant in dicto Caſtro, inter Turrim continuo occiſi fuerunt. Deinde præfatus Princeps eidem Cardinali atterminatum venenum dedit, dixitque ei: ſicut & cæteri tui ſocii defecerunt, ita, & tu in paucos dies; & hoc quia, dixit, Pater tuus Rex Ferdinandus voluit omnes conculcare. Quo audito Romam venit, ibique per unum menſem tantum permanſit, & deceſſit, ut ſupra.

In ultimis diebus dicti menſis aliqui complices Virgilii Urſini noctis tempore ad Portam Appiam ex latere exteriori ſe contulerunt, ibique vocato portionario per quendam tabernarium vocatum Malaſpina, qui extra dictam portam tabernam faciebat, intraverunt, & dictum portionarium & portam ceperunt, ipſumque Portionarium ligatum tenuerunt usque ad diem, quo medio quandam bombardam magnam exiſtentem in Caſtro Civitatis per Urbem traxerunt, eamque ad Caſtra dicti Virginei per loca Tranſtibertina adduxerunt, & deinde dictum Portanarium & portam dimiſerunt, quod intenta corda Superiorum ad capturam & caſtigationem præfati Malaſpinæ proceſſerunt, inductæ ſunt ſuſpiciones in animis eorum.

Poſtquam in principio menſis Novembris detectum & publicatum fuit, præfatum Virginium Urſinum conſtitutum fuiſſe Generalem Capitaneum Ligæ, videlicet Regis Ferdinandi, Ducis Mediolanenſis, Florentinorum & Senenſium contra Eccleſiam & Venetos; quod cum Papa vocaſſet dictum Virgineum ad ſua ſervitia, aſſeruit, nolle venire, & pecuniam, quam acceperat ab Eccleſia, tanquam ſtipendium ſe retinere velle pro ſervitiis præteritis, & non pro futuris. Quare Papa miſit ad eum Epiſcopum Terranenſem Urſum de Urſinis pro revocando ipſum; qui nihil ad propoſitum Pontificis egit, immo incontinenti miſit literas excuſatorias ad Conſervatores & Populum Romanum, quibus reci-

recitabat omnia felicia geſta & facta Urſinorum in auxilium Eccleſiæ. Quare cum ipſe non bene judicio ſuo tractaretur, excuſabat ſe populo Romano, ſe tanquam Eccleſiæ ſubditos hoſtili modo tractaturos.

Et eo tempore Dominus Robertus Sancti Severini Capitaneus magnus ſine exercitu Urbem magna cum Prælatorum comitiva intravit cum præfata Eccleſia guerram tractaturus.

Et cum diverſimode tractatum fuiſſet de concordia Papæ & Virginii, tandem captus extitit quidam tabellarius in Villettro, qui portabat Capitula ſigillata, & ſubſcripta Virginei, quibus continebatur, ſe cum omni ejus ſtatu contra Eccleſiam pro dicto Rege pugnaturum, poſtquam omnes tractatus concordiæ finem acceperant.

Eodem tempore videlicet Sancti Andreæ Paulus Urſinus cum gentibus ſuis luſtravit partes Inſulæ, ibique omnia animalia Civium Romanorum recollegit, pontemque Mementanum cepit, & in Latium cum gentibus intravit, & in eo boves omnes præfatorum Civium & animalia cætera groſſa & minuta recollegit, quorum pars ad Civitatem Laviniæ transducta fuit, pars vero per Præfectum Urbis comitantibus & auxiliantibus Civibus Romanis ad Urbem reverſa fuit, captique fuerunt tredecim ex illis. Et incontinenti frumenta cariora facta fuerunt, & ligna in tantam pervenerunt penuriam, ut vix panis in furnis coqui potuiſſet. Et Salma magna lignorum quinque Carolenis vendita fuit, mediocris tribus, & numero ad minus duobus, propter quod magna pars arborum vinearum inciſæ fuerunt. Extra portam Numentanam & Salariam nemo exibat, ex aliis vero pauci: Capitolium clauſum & obtuſum fuit, mandatumque erat, ut illis temporibus nullum jus redderetur. In Urbe undique tribulationes, & anguſtiæ vigebant, quilibet arma utriuſque ferebat, juſtitia omnino quieſcebat. Adeo permulta cadavera occiſorum mane nuda, & in eccleſiis ſepulta reperta fuerunt, & potiſſime in Porta Eccleſiæ Sanctæ Mariæ in Via lata in quinque diebus tria corpora & occiſa, ac in ſepulcra miſſa reperta ſunt, & in aliis locis verſus montem Cavallinum & regionem, & per multa loca Urbis diffuſim interfecti, & disrobati reperti ſunt. Palatium Papæ in fortitudinem deductum eſt cum foſſatis, & muris, & undique excubiæ fiebant. Et dum præfatus caperetur, cum eo filius Angeli Palatii de Albertonibus una cum quibuſdam Capellanis exiſtentibus in domo Gabrielis de Cæſarinis capti fuerunt, & inibi Protonotarii Angeli, qui verſus Tibrim pro vino acceſſerant, ſimiliter deprædati fuerunt: nocte ſequenti Palatium Urſinorum in Monte Jordano captum, combuſtum, disrobatumque pro aliqua parte fuit, quod, ut fertur, Pontifici diſplicuit.

Ambaſciatores Fermani, qui ad Papam proficiſcebantur, intra Arignanum & Caſtrum novum ab illis de Capranica Epiſcopi Fermani interfecti ob vindictam in fruſta occiſi ſeu inciſi fuerunt.

Et iſtis temporibus miſſum fuit proclama per Urbem ex parte Sanctiſſimi Domini Noſtri, ut omnes malefactores, homicidæ & diffidati pro quibuſcunque criminibus libere reverterentur ad Urbem. Et ita factum fuit. Propter quod tanta fuit copia dictorum diffidatorum & facinoroſorum, pariter per Urbem ambulantium armati, ut incredibile quodammodo eſſe videatur.

Die decima menſis Decembris cohortes Urſinorum, & homines Caſtri Scrophani armati acceſſerunt ad Burgettum diſtans ab Urbe decem milliaria verſus Caſtrum Novum, quod eſt Sancti Petri, ibique tota die bellaverunt, & tandem igne impoſito illud combuſſerunt, cuſtodes illius loci ſe defendentes tres milites ſeu armigeros Urſinorum lapidibus parietis interfecerunt, & milites alios pedites & ruſticos ad mortem vulnerarunt.

Quapropter multi Ambaſciatores, qui de diverſis partibus, ultra & citra montes ad Urbem veniebant, præ timore retroceſſerunt, & omni fere nocte inimici currebant uſque ad portas Urbis. Et die 15. dicti menſis multi armati tentaverunt capere portam populi, ſed vigiles, qui ibi erant, eam defenderunt. De noſtris cuſtodibus unus tantum in facie, vulneratus fuit: & illis, & aliis noctibus Cardinales Sancti Petri ad Vincula, & aliquando Sabellus, & Cardinalis Columna perſonaliter armati cum ſatellitibus portas omnes Urbis, & muros & cuſtodes ibi exiſtentes viſitaverunt, ſimul & monuerunt.

Et illa eadem die 15. certi juvenes Romani armati acceſſerunt ad domum Domini Anelli Ambaſciatoris Regis Ferdinandi, qui habitabat in domo Comitis Tagliacozzi, ibique illum ceperunt, & honeſto modo eum ad Palatium Conſervatorum duxerunt, & bona ejus omnia, quæ in domo erant, & equos, & mulos ad ſaccum miſerunt, & ignem in ejus domum poſuerunt, & aliquam particulam tecti & dictæ domus combuſſerunt, & detexerunt petieruntque ab eo, ut curaret cum Rege & hoſtibus, ut Andreas Palatii, qui in Feſto Sancti Andreæ una cum ponte Numentano captus erat, & Paulus Matulenus, qui ſimiliter captus erat ab hoſtibus, reverterentur.

Et die ſequenti Conſervatores, & duo Cubicularii Papæ una cum Officialibus & aliquibus civibus ad Palatium Apoſtolicum eum duxerunt, & noctibus ſequentibus multa furta, rapinæ vel violentiæ factæ fuerunt, domus violenter apertæ, & homines ibi ligati & violati fuerunt, intra quos fuit Dominus Joannes Settinus Rector Sancti Nicolai in Forbitoribus, quem ligaverunt, & ligatum tenuerunt tota nocte, illique rapuerunt ducatos centum & decem, & omnia fere bona etiam, & in aliis locis nobis ſimiliter factum fuit.

Stantibus his Fabritius & Proſper de Columna de mandato Papæ cum gentibus eorum ad Caſtrum novum obviam gentibus Domini Roberti acceſſerunt, &, ut fertur, quandam machinam bellicam, quæ vulgari modo lo baſtione dicitur, quam Virgineus Urſinus fecerat intra

Caſtrum novum & Rignanum, in loco, qui dicitur Monte della guardia prope eccleſiam Sancti Leonardi in via continuo expugnaverunt. Itaque gentes præfati Domini Roberti libere ad Urbem in Vigilia Nativitatis Domini intraverunt.

Quorum cohortes Sanctiſſimus Dominus Noſter inter eccleſias Urbis collocavit, videlicet in eccleſia Sanctorum quatuor, Sancti Thomæ in monte Cœlio, in Sancto Gregorio, in Sancto Joanne, in Sancto Matthæo, in Sancto Clemente, & Sancto Martino, & in multis locis Urbis.

Interea Dominus Proſper de Columna cum militibus ſuis acceſſit ad Caſtrum Civitatis Laviniæ, ibique omnia fere animalia groſſa & minuta, quæ milites Urſini, & alii de dicto loco abſtulerant à Civibus Romanis contrario imperio deprædatus eſt. Quod cum Cives audiviſſent, incontinenti acceſſerunt ad Papam, petieruntque ſibi illa reſtitui tanquam indebite capta. Sed Dominus Proſper hoc facere abſque alia ſolutione recuſavit attentis laboribus & periculis, quibus in ipſorum recuperatione ipſe & ſui milites & Vaſalli paſſi fuerant.

Inſuper illis temporibus repertæ fuerunt per Urbem nonnullæ ſchedulæ continentes in ſe dicta aliqua. Sed hi, qui eas invenerunt, non libenter eas patefecerunt. Audivi tamen à quodam fide digno viro, qui dixit, ſe ſecreto modo audiviſſe ab uno ex Cardinalibus, qualiter Virgineus Urſinus ex una dictarum ſchedularum intitulatus hortabatur populum Romanum, ut inſurgeret contra Pontificem cum armis, ipſumque & ejus Cardinales expellerent ab Urbe, aſſerens, illum non fuiſſe verum Pontificem, & canonice creatum, & aliquos ex Cardinalibus ſimiliter non eſſe veros Cardinales. Et offerebat, ſe velle præſtare auxilium dicto Populo in faciendo alium verum Pontificem, ac alios novos & veriores Cardinales. Inſuper fertur, ex dictis ſchedulis multas contumelias tuliſſe de Cardinale Sancti Petri ad Vincula, ipſumque tanquam indignum Prælatum de vitio Sodomitico pollutum privandum & deſtruendum eſſe.

Et aliqui Cives Romani, qui cum ſalvo conducto ad dictum Virgineum acceſſerunt pro redimendis beſtiis eorum deprædatis, jurejurando aſſeruerunt, ſe audiviſſe à dicto Virgineo; ſe velle, cum primum Deus eidem præſtiterit victoriam, caput dicti Cardinalis Sancti Petri ad Vincula infixum in quadam lancea per Urbem in ejus majus dedecus portare. Inſuper affirmarunt, quoſdam ruſticos ſubjectos Eccleſiæ de Terris circum circa Urbem ſimiliter redemiſſe ibi prædam eorum, ac tunc dictum Virgineum dixiſſe commilitonibus ſuis ibi exiſtentibus: Dimittite eos pauperes circumſtantes, & nolite eos ulterius deprædari, ſed attendite ſolum circa prædas & deſtructiones Civium Romanorum tantum, & contra illos totis viribus inſudate.

Poſtquam oretenus commiſit quibuſdam ibi ſtantibus ex cauſa prædicta, ut cum primum ad Urbem ſe conferrent, Cives Romanos & Officiales conveniſſent, illiſque ex ejus parte dicerent, ſe audiviſſe, eorum animalia intra mœnia retineri, & ut illa bene cuſtodirent, quantum ipſe intenderet, non ſolum ea de dictis locis violenter eripere, verum & ipſos & eorum bona in eorum cameris concrematuros paucos infra dies. Et ſimiliter fertur, miſiſſe Nuntium quendam ad Pontificem noſtrum, qui oretenus nunciaret, ſe eſſe tantæ potentiæ & induſtriæ, ut eundem Pontificem ac Sanctiſſimum Dominum Noſtrum & Dei Vicarium in fluvium projiceret. Propter quod corda omnium, qui hoc audiverunt, perturbata ſunt, incenſaque fuerunt in eum propter hæc. Et multa alia & infinita verba minatoria, quæ ex ore illius profluerunt.

Die 28. Decembris in die Innocentium exivit Dominus Robertus cum ſua comitiva, & multis militibus, & peditibus baliſtariis, & aliis Portam Numentanam, ac cum dictis bombardis groſſis, quæ erant in Caſtello, & duabus cerobotanis, & multis ſclopeteriis acceſſit ad Pontem, ibique cœpit pugnare cum cuſtodibus dicti Pontis Numentani, quos infra quatuor vel quinque horas, & antequam plantaret bombordas groſſas, dictum Pontem cepit, & illi, qui ibi erant, dederunt ſe & dictum Pontem, eo modo, quo inter milites dicitur, ad diſcretionem. Quæ diſcretio fuit talis, ut omnes, qui de dicto Ponte erant, fuiſſent interfecti, hoc modo videlicet, quia quando gentes Papæ aperta porta intraverunt, tunc illi exſpectaverunt *reſponſum* à filio dicti Domini Roberti, *quid de eis futurum eſſet.* Ac ille miſit eos occidi, ſeu fruſtatim incidi. Quo audito duo ex illis excuſſis armis ſe in Tiberim projecerunt, & confeſtim ſuffocati ſunt. Unus ex eis vulneratus, qui ſe in Tiberim projecerat, extractus, à commilitonibus captivus factus eſt, ex eis interfectus unus à Jannizaris, qui ſeſe circumvolverunt, dum cædebatur, ſalvus fuit, neſcitur tamen, poſtea quid de eo, & de alio factum fuerit. Et hoc puto factum fuiſſe ex eo, quia & in dicto prœlio Fracaſſo filius dicti Domini Roberti uno ſcopieto vulgariter nuncupato in ore vulneratus fuit, vel quia præcedentibus diebus, cum dictus Dominus Robertus iviſſet ad dictum Pontem, cauſa providendi, unde potuiſſet facilius eum debellare, præfati cuſtodes projecerunt quandam ſpingardellam contra eum, quæ parum diſtitit ab eo cauſa ipſum interficiendi. Et tunc ipſe Robertus ægre tulit, & digitum ſuum momordit contra eos minando. Et multi alii ex partibus Eccleſiæ in dicto prœlio etiam letaliter vulnerati fuerunt. Et dicti cuſtodes Pontis fuerunt ſeptendecim numero, & pro majori parte Calabrienſes, quia ita loquebantur, & ſe ſtare ad ſtipendia Ducis Calabriæ, affirmabant; etiam, quando fuerunt requiſiti, an vellent dictum Pontem dimittere, ſe fuiſſe ibi poſitos per Ducem Calabriæ, & ipſum tenere ad ejus inſtantiam, & ſine ejus mandato nolle ipſum dimittere.

Interea prædæ Urſinorum non deficiebant. Transcurrebant enim in partibus Transtiberinis, à Galera uſque ad Urbem; & ſimiliter milites

Digitized by Google

lites Eccleſiæ, qui in Urbe erant, oves & boves Civium Romanorum ad libitum interficiebant. Et ubi aliqua domus foris repetiebatur, absque ulla licentia, ac ſi ipſorum propria eſſet, exonerabatur. Et ſic Cives Romani & habitantes in Urbe, tam ab inimicis quam à defenſoribus noſtris omni die plectebantur.

Die 4. 5. & 6. Januarii 1486. Eccleſia cum militibus & artiliariis acceſſit ad Caſtrum Numentanæ, ibique ſtetit per aliquos dies non minus quinque vel ſex, & dictum Caſtrum habuit laceratum, ruptum & quaſi deſtructum à bombardis; ibique fertur mortuum fuiſſe filium ſeptem annorum Pauli Urſini, & intro gentes præfatæ maximam quantitatem frumenti ceperunt, & vendiderunt omnibus portantibus vinum, & panem in Campo pro bono foro.

Poſtera die Campus Eccleſiæ, & dictus Robertus verſus Montem Rotundum ſe contulit, ubi habito colloquio cum Cardinali Urſino, qui oretenus cum dicto Domino nullo alio medio per quatuor horas ferè locutus eſt, confeſtim ad Urbem venerunt, & cum Pontifice locuti ſunt, & die ſequenti receſſerunt, & per Palatium dictum fuit; Dominos Cardinales Archiepiſcopum Florentinum & Epiſcopum Theianenſem ſeſe, & omnes eorum terras dediſſe Eccleſiæ, & tradidiſſe poſſeſſum Montis rotundi, Sancti Angeli, Joannis Caporiæ & aliarum terrarum, & Caſtrorum, Abbatiæ Farphenſis, præfatæ Eccleſiæ, receptis quibusdam Dominiis Montis Rotundi; qui ex quo acceperunt pecuniam à Virgineo, cum perſonis eorum, & cum ſtatu cum dicto Virgineo reſtiterunt.

Fertur in his diebus cum Viterbienſibus factæ eſſent nonnullæ prædæ, quæ per ſupra dictos Urſinos, & pluries eſſet per eos ſupplicatum Pontifici, ut ſuper his provideretur, cui tandem nulla proviſio facta erat. Accidit, ut certi mercatores Florentini deducerent per dictam Civitatem certum pannum & mercantias ad Urbem; præfati Viterbienſes non valentes ſe aliter à dicta præda retrahere, dictum pannum & merces acceperunt, illudque & illas intra ſe diviſerunt, reſarcientes & ſatisfacientes omnibus his, qui ex dicta præda damnum paſſi erant. Quod cum audiviſſet Papa, ægre tulit, mandavitque illis, ut dicta bona reſtituerent, quod huc usque minime actum fuit.

Cæterum Ambaſciatores Ultramontani, ut fertur, Ducis Burgundiæ, Maximiliani, filii Imperatoris, cum ad Urbem venirent, ut poſſent ſecure accedere cum gentibus filii Domini Roberti in Viterbio pacti ſunt, qui tandem ſolverunt unum ducatum pro quolibet equite, ut ducerentur ſecum ad Urbem cum ipſis cuſtodibus, & ſoluta pecunia cum eſſent in ſylvis Baccani ab illis eisdem militibus, ut fertur, usque ad Camiſciam ſpoliati & disrobati fuerunt, ita ut ad Urbem nudi & pedeſtres venerint. Quod quantum ſit laudabile, omnes conſiderare poſſunt.

Die 21. Januarii 1486. die Sabbati de mane cum aliqui armati exiviſſent Portam viridariam cauſa faciendi carnes, obviam venerunt hoſtibus, qui cum potentiores eſſent, commilitones noſtros usque in Civitatem fugaverunt, & cum cuſtodes guardiæ Palatii, & alii circumſtantes milites hoc audiviſſent, incontinenti maxima cum feſtinatione cum illis armis, quæ ita derepente accipere potuerunt, illis armigeris fugatis opem præſtiterunt, obviam illis euntes deſerto palatio & loco guardiæ ipſius. Quod cum fuiſſet viſum ab hominibus Burgi, incontinenti de duobus alterum eveniſſe, aut Pontificem morte repentina obiiſſe, aut Virgineum cum gentibus ſuis Romam intraſſe, ex quo videbant cuſtodes Palatii relinquere cuſtodiam, & aufugere, & incontinenti in Urbe hæc fama orta fuit, & crevit adeo, ut ab omnibus pro certo crederetur, adeo, ut eſſent aliqui, qui omnino etiam cum juramento affirmabant, Pontificem vidiſſe mortuum pugione quodam, & magno cum timore per aliquod ſpatium ſtetit. Et apothecarii omnes eorum apothecas clauſerunt, & hi, qui in foro erant Capitolino, tanto fuerunt timore affecti, ut vix medietatem rerum, quas vendendi cauſa expoſuerant, recollegerint.

Palatium ipſum Capitolii, ubi ego eram, clauſum & diligenter extitit cuſtoditum, & Cardinalis quondam dictus Abalis, qui una cum Cardinale Sancti Petri ad Vincula Oſtium ſpatiandi gratia proficiſcebatur, cum pauciſſimis ſociis per plateam Capitolii verſus Palatium Sancti Marci quantum poterat cum equo fugiebat currendo, & multi & infiniti Curiales eorum bona, quomodo potuerunt, ſalvabant. Et quilibet Cardinalium magno cum timore videlicet quilibet in domo ſua intruſus ſe fortificavit. Et duravit dicta fama per duas cum dimidia. Et cum multi diverſi generis acceſſiſſent ad Palatium, viderunt Pontificem Innocentium in feneſtris, qui ſe cauſa extinguendi talem denominationem oſtendit. Quæ fama incontinenti ſe extendit ad ſuburbia, & potiſſime ad Caſtrum Lamentanæ, cujus domus viſu Pontificis non fuerunt diruptæ. Et cum ruſtici & habitatores dicti loci mortem dicti Pontificis audiviſſent, putantes illud verum eſſe, incontinenti clamaverunt: Orſo, Orſo, non obſtante, quod prius confœderati eſſent cum Eccleſia, & quod Papa peperciſſet eis, dummodo eſſent fideles Eccleſiæ. Quod ipſi liberaliter promiſerunt. Videns poſtea Innocentius dictorum ruſticorum innocentiam ſeu inconſtantiam, & quod de ejus morte valde gaviſi eſſent, & quod rupta fide iterum contra Eccleſiam ad Urſinos reverterentur, incontinenti mandavit, dictum Caſtrum funditus & à radice diſplanari. Et ita infra paucos dies factum fuit.

Et illis diebus ſupervenerunt novæ, qualiter Fabritius Columnenſis cepiſſet totum Comitatum Albienſem cum omnibus terris & Caſtris, excepta arce, quæ dicitur la Corvara.

Et interim gentes Eccleſiæ animalia omnia Urſinorum, quæ verſus Galeram, & partes maritimas erant, deprædati ſunt.

Die 20. Februarii Civitas Lavinia multis perfoſſa bombardis, & cum occiſione multorum,

& vulneratione infinitorum à gentibus Ecclesiæ capta est, & duo qui ibi Principales erant, ad Urbem capti, & in Castro Sancti Angeli emancipati fuerunt.

Post quæ quia omni die gentes Ursinorum existentes in Castro Flaviani, & in Castro Sancti Gregorii, à rapinis & prædis non desistebant, itaque die 15. Martii Capitaneus Ecclesiæ accessit ad dictum Castrum Flaviani, & bombardæ grossæ Ecclesiæ per fluvium Tiberim illuc accesserunt, & in hoc proposito omnes fuerunt. Sed omnia supra dicta supellectilia & artiliariæ & bombardæ accesserunt ad Castrum Galerii, & ibi steterunt. Dominus autem Robertus contulit se in Latium Patrimonii, & ejus gentes steterunt in Civitate Toscanellæ, ibique multa mala & insupportabilia gesserunt. Deinde se contulerunt ultra Civitatem Aquæpendentis versus Silvas, ibique Castra metatus est, fecitque ibi locum fortissimum limitibus & fossatis; gentes enim inimicorum erant ibi prope, videlicet apud Pitiglianum & Montem Pulcianum, & semel de mense Maji, prope noctem prœlium fecerunt, intra quod multi hinc inde & capti & mortui extiterunt. Et post illud per multa tempora quieverunt, à prædis autem Populo Romano faciendis minime destiterunt, quo mense gentes confœderatorum inter se videlicet ---- Florentinorum cum gentibus Ducis Mediolanensis prœlium, in quo plusquam centum commilitones hinc inde mortui fuerunt, & animi hinc inde turbati & nondum sedati in eodem permanent loco, propter quod timetur aliquid inter eos fore scandali, vel saltem inter eos se divisuros causa discordiæ. Nam cum milites præ omnibus existentes in Pitiliano puellam quandam vi arripuissent, & hoc populi illi insupportabile judicassent, cum & alias se Domino Nicolao excusassent, arma ceperunt contra dictos armigeros, imploraveruntque auxilium à gentibus dicti Comitis Pitiliani, & sic Florentinorum.

Eodem mense Januenses prope Petram Sanctam passum & locum certum fortissimum à Florentinis occupaverunt.

Et illis temporibus fertur Ambasciatores, & legato Regis Franciæ per Florentinam Civitatem prætereuntes multas contumelias dixisse Laurentio de Medicis, & inter alia, se non bene & recte facere bellum contra Ecclesiam ad instantiam cujusdam bastardi Regis Ferdinandi illique minatos esse graviter. Item cum præfati Legati de Viterbio transirent versus Urbem; Virgineus Ursinus misit obviam eis quosdam de suis, illosque deprædati fuerunt, ut haberent eum recommissum apud Pontificem nostrum, & quando reverterentur ad Regem Franciæ, recitando omnia incommoda gesta per dictum Pontificem contra eum & ejus domum, offerendo insuper eis salvum conductum, cum præterirent per id territorium. Qui Domini Legati omnia patienter & audiverunt & intellexerunt usque ad præfatam obligationem, quam statim cum audiverunt, recusarunt, dixeruntque se non indigere salvo conducto ejus, parvi faciendo & vilipendendo eum, ut tyrannum, & zagazzanum vilissimum appellando. Et cum ad Urbem se appropinquarent una cum quibusdam gentibus Ecclesiæ, rustici quidam ex Ursinorum oppidis, obviam ipsis iverunt causa invadendi & disrobandi dictos legatos, prout hactenus fecerant. Sed ipsi Legati & eorum comitiva dantes se in defensam circa octoginta ex dictis rusticis ligatos & captos ad Urbem duxerunt, multosque deinde vulneratos & semimortuos dimiserunt.

Die penultima Maji Legati Romam intraverunt. Ferturque, Pontificem eos libenter suscepisse, ac dixisse seu protestatum fuisse, se aut Ecclesiam omnem deprædaturum seu destructurum, aut Virgineum Ursinum penitus desolaturum.

Eodem die dictum & affirmatum extitit in Urbe, quendam Dominum Julium Ursinum unum ex Dominis Montis Rotundi, qui sub Ecclesia, & Domino Roberto militabat, per dictum Dominum Robertum captum & carceratum fuisse, deprehensumque in prodimento, hoc videlicet, quod ipse per literas & nuncios locutus fuisset, stetissetque cum Duce Calabriæ tempore, quo excubiæ nocturnæ fiebant per eum, quia mox erat alternatim & vicissim quilibet Dominus facere excubias illo statuto die vel nocte se permissurum gentibus Ducis Calabriæ una cum eo, & intrarent atque introirent locum, ubi sunt gentes Ecclesiæ, & Comes Robertus, ibique stragem volebant facere; deinde intendebat ad Urbem Romanam dictus Dux Calabriæ cum gentibus prædictis venire, ibique totam Urbem deprædari. Et hoc denunciatum fuit Domino Roberto Capitaneo Ecclesiæ per quendam commilitonem degentem sub stipendio Domini Julii, quod non fuit creditum incontinenti ab eo, sed adveniente tempore dictarum excubiarum stetit super se, & custoditis locis & passibus per suos milites invenit dato signo per dictum Dominum Ursinum, gentes Ducis Calabriæ cepisse intrare locum Ecclesiæ custoditum per dictum Dominum Julium. Atque dictus Dominus Capitaneus insurgens, videns rem, prout ei revelata fuerat, veram esse, armata manu cœpit & dictos hostes, qui jam intrare cœperunt, & dictum Dominum Julium una cum quibusdam ex suis primatibus & militibus, quos intellexerunt de dicto prodimento participasse, parique custodia illos carceratos detinuisse, & detinere, hoc supra dicto Domino Pontifici totique Ecclesiæ nuntiando.

Prima hebdomada Junii die Veneris factum fuit Consistorium in Palatio Sancti Petri, ubi fuerunt omnes Cardinales, & ibi palam omnibus Cardinalis Senensis Vice-Cancellarius, & Sabellus, & nonnulli alii petierunt à Summo Pontifice pacem, quod deberet facere cum Rege Neapolitano, & cum inimicis suis. Et offerebant, Regem Ferdinandum velle concedere Ecclesiæ civitatem Aquilæ, & totum Abrutium cum omnibus Baronibus & Dominis, qui vocaverunt Ecclesiam, & insuper se daturum tributum

tum Eccleſiæ conſuetum, & illud dare tenebatur à tempore præterito cum aliqua temporis dilatione ſe ſalvaturum. Et multi Cardinales etiam hoc confirmabant.

Tunc erexit ſe in pedes Abalis Cardinalis Francigena, & dixit contrarium, non poſſe fieri cum honore Eccleſiæ, ex quo tota Francia ſeu Gallia fuerat ſubmota cum Duce Reno, ut veniret, & magnæ ſuper hoc expenſæ, & præparamenta facta erant, & quod non videbatur conveniens, quod Eccleſia tam ipſum Ducem & Regem Franciæ cum reliqua Gallia, quam etiam Barones & Dominos, qui ſeſe Eccleſiæ ſponte dederunt, illuderet pro tali re conſequenda, allegabat, quod ſi talem pacem feciſſet, certe nihil acquiſiviſſet, ſed potius bona & pecunias ſuas perdidiſſet.

Contra quem inſurrexerunt præfatus Dominus Vice-Cancellarius, & Cardinalis Senenſis, & cum eo multa verba inhoneſta & vituperoſa habuerunt, & inter cætera dictus Dominus Vice-Cancellarius dixit, non eſſe ſtandum verbis illius Abalis tanquam ebrii, & quod ebrius eſſet, una cum aliis ampulloſis verbis; contra quem ſimiliter dictus Abalius protulit verba vituperoſa, videlicet illum eſſe maranum, & filium meretricis, & vitam ſuam dehoneſtabat, propter quod maximus tumultus factus fuit in dicto Conſiſtorio, ita, ut unusquisque crederet, eos venturos ad manus, dictumque Conſiſtorium fuit expeditum quaſi in meridie.

Die lunæ proxime tunc futura Dominicus Cardinalis Sancti Angeli in Conſiſtorio fuit pronunciatus Legatus de latere in campo una cum gentibus Eccleſiæ. Quem cum cæteri Cardinales concomitati eſſent usque ad oſtium domus ſuæ, ut moris eſt, quando petierunt licentiam, dictus Abalis traxit ſe ante, dixitque eidem Cardinali, quod præparaſſet in tentorio ſuo multa barilia vini, & multos botiglios plenos vino, ut poſſent ibi aſtantes bene bibere. Quod creditur dixiſſe, ex eo quia dictus Vice-Cancellarius in Conſiſtorio proximo tunc præterito dixerat, ei butiglionem plenum vino, & ebrium, ſed pauci ibi aſtantes intellexerunt.

Eodem menſe Junii, cum Noſter Papa non haberet pecuniam pro militibus, ſubtili & mirabili quodam ingenio excogitavit, ac de novo creavit quinquaginta duos Officiales plumbatores bullarum Apoſtolicarum, qui dicti vulgariter ſunt, Licenzatori, habuerunt medietatem introitus dicti officii junctam cum alia medietate ipſius Papæ, & quodlibet officium vendidit quingentis Ducatis auri in auro. Itaque fuerunt recollecti viginti ſex millia ducati quorum viginti quinque millia convertit in cohortes & gentes armorum, mille autem promiſit diſtribuere inter Doctores Studii, quibus ipſe pro eisdem militibus abſtulit pecuniam deſtinatam in gabellam Studii.

Eodem menſe Dux Calabriæ diſcedens obſedit Civitatem Cornetanam, quum in continenti ſe ad dictum locum applicavit, & deprædatus eſt, cepitque multos homines & multa animalia Cornetorum, ſed in prælio ibi facto multos mortuos reliquit.

In Urbe interea non reſtabant iniqui operari iniquitatem, ſed magis increſcebant, & in Campo Martio brevi ſpatio noctis tempore armati diverſa vice duas mulieres juvenes & nuptas è latere maritorum, vi & armata manu rapuerunt, easque duxerunt prope flumen, & mane ante diem ad domum prædictam reduxerunt. Utrum fuerint redditæ virgines, ſtandum eſt judicio Ovidii, qui dixit, à juvene cupido credat reddita virgo. Et erant illæ mulieres non quidem parvæ qualitatis, & potiſſime una earum, clamores ad Papam acceſſerunt, qui tantum de eo curavit, ac ſi ſomnium fuiſſet. O Chriſte, quid verius dicemus, Te nobis Paſtorem ovium tuarum dediſſe, aut oves lupo commiſiſſe! Excuſandus eſt Papa noſter, vel quia hoc neſcivit, vel ſi ſcivit, conſideratis temporibus pro meliori tacere, ac fingere ſe neſciviſſe conſtituit.

Interea Dux Calabriæ applicavit ſe cuidam Caſtro dicto Cervetero, quod expugnare tentavit. Et ſimiliter civitatem Tuſcanellæ expugnare conatus eſt. Putabat forte, illam ſibi ſponte daturam, eo quod paulo ante fuerat à dicto Domino Roberto, & ejus gentibus, ut dictum eſt, male tractata. Sed hi, qui eam cuſtodiebant, adeo ſe defendendo geſſerunt, ut poſt finitum prælium circa muros illius loci plusquam centum & triginta cadavera reperta fuerint. Et hæc quidem inimicorum erant.

Poſt quæ in continenti Dux Calabriæ cum gentibus ſuis ſe contulit ad Caſtrum Anguilariæ, quod credidit bello ſuo oppugnare, ſed quia erat bene cuſtoditum, nihil ei obfuit. Fertur tamen plusquam quadraginta de ſuis ibi mortuos reliquiſſe. Demum ſe aliquantulum retrotraxit. Fertur etiam, & hoc habitum fuit à nonnullis, qui à dicto Campo aufugerunt, Ducem prædictum cum gentibus ſuis fame perire, ſe ipſosque carere pane, vino & cæteris, ac illos pluribus diebus vixiſſe ex ſolis fabis & tritico decoctis & aqua, & non poſſe illos durare. Demum fertur, ad Papam fuiſſe transmiſſas literas Regis Franciæ, quibus continebatur, præfatum Regem in auxilium Eccleſiæ præparaſſe Ducem Reni pugnaturum cum dicto Rege Ferdinando, ac dediſſe, & ſe miſſurum quatuor millia ſcutos Franciæ, item centum lanceas more antiquo, quarum unaquæque dicitur habere quinque milites vel homines, & ultra quatuor millia peditum inter - - - - tenſes, & alios, & illos obtulit, ſe ſuis expenſis daturum usque ad finitam guerram, hoc videlicet intellecto, ut dictus Papa nullo modo pacem cum dicto Rege faceret, alioquin proteſtatur de expenſa facta jam, & de fienda contra ipſum Pontificem & totam Eccleſiam. Quæ literæ ab aliquibus ſimulatæ, creditæ ſunt, ac factæ hic Romæ à Cardinali Abalis, qui ſolum voluntatem Cardinalis Sancti Petri ad Vincula ſubſtentare conaretur. Sed futurus hoc judicabit eventus. Interea Tiburtinus populus omiſſis nunciis portavit quædam capitula facta inter

inter ſe & uxorem Virginei Sabellam, quibus tregua per tres menſes concludebatur, quibus etiam Populus Romanus continebatur. Sed hæc per Protonotarium Columnenſem de Præneſtre Gubernatorem Tiburis diſturbata ſunt, voluntate cujus fertur acceſſiſſe Dominus Proſper de Columna.

Reverendiſſimi inſuper Cardinales, Vice-Cancellarius & Aſcanius acceſſerunt cœnatum ad quoddam Caſtrum Urſinorum vocatum l' Iſole, ferturque ibi pacem tractare cum dictis Urſinis.

Die 29. Junii Dominus Robertus noctis tempore, & ſecreto modo ſe ad Urbem contulit, ferturque viſum fuiſſe in Palatio cum ipſo Papa loquentem. Ibique moram traxit per aliquos dies. Dux Calabriæ deſcendit in partibus Tranſtiberinis, & quando ſtabat in uno loco, & quando in alio viſus fuit prope mare & Civitatem Portuenſem, & aliquando ad locum, ubi dicitur la Magliana, & ad Porcarecchia, tranſcurritque uſque ad prædictam portam, & ad Burghettum. Et multi exiſtimabant, ipſum velle tentare aditum, & convertere ſe in Latium, & non poſſe, & quod flumen Tiberis cuſtodiebatur à quodam de Tolentinis, qui ſub Eccleſia cum ſeptem ſquadris militabat; cuſtodiebatur etiam à nonnullis fuſtis ſeu navibus bene inſtructis, quas Papa inſtruxit ad cuſtodiendum Tiberim. Cauſa fugæ & receſſus deſiderati allegatur hic in Urbe, primo quia gentes Ducis prædicti ſtant cum maxima penuria rerum comeſtibilium; Panis ater & parvus pro magno pretio, vinum non habetur, niſi per paucos, & id ſex aut ſeptem Bolognenis pro quolibet metreto.

Item alia cauſa allegatur ex eo, quia Civitas Ducalis obſidentibus Aquilanis & Antonello Sabello, ut fertur, terminum cepit, ut niſi infra aliquos dies detur ei auxilium, ſe daturam Eccleſiæ, velletque ſi poſſet prædictus Dux Calabriæ cum gentibus ſuis illi ſuccurrere, ſed obſtat; quod tranſire non poteſt, & multi ex peditibus ejus transfugæ ad Urbem venerunt ſemimortui.

Interea pacta & Capitula, quæ geſta erant inter Sanctiſſimum Dominum Noſtrum, & Dominam Iſabellam uxorem Virginei Urſini de non offendendo per 15. dies, & dum inter eam & Populum Romanum ſimul & Tiburtinum induciæ trium menſium tractabantur, Dominus Proſper de Columna cum gentibus ſuis contulit ſe ad Caſtrum Sancti Gregorii & Sancti Angeli, & illa duo caſtra deprædatus eſt, cepitque multas morunas ruſticorum ſecure metentium & ibi laborantium.

Poſt quæ bellum intulit muris dicti caſtri Sancti Angeli, ibique tres fœminas & duos homines interfecit, & etiam nonnulli de ſuis fuerunt vulnerati, captivos duxit ad Caſtrum Civiliani.

Quod cum alii ruſtici dictorum Caſtrorum audiviſſent, acceptis armis contra Tiburtinos ſimiliter in campis ſecuros metentes & laborantes irruerunt, dicentes, ſe fuiſſe proditos per eos, & ſub eorum & Summi Pontificis ſalvo conductu fuiſſe deprædatos, in qua hinc inde infiniti & capti & vulnerati extiterunt.

Domina Iſabella prædicta tres Tiburtinos Legatos pro dicta ſecuritate componenda penes eam exiſtentes ſuſtinuit, & eos non redire permiſit, nec profuit eis oſtendere ſalvum conductum ſubſcriptum manu Cardinalis Columnenſis.

Et illis diebus tres nautæ, qui cum tribus naviculis vinum ad Urbem portaverant, & vendiderant capti, & in Caſtro Sancti Angeli emancipati fuerunt, fuitque oppoſitum, eos velle in receſſu dictas tres naves Duci Calabriæ commodare, ut per eas conſtructo Ponte per Tiberim in Latium deſcenderet.

Et hujus etiam timore in faucibus Tiberinis conſtitutum fuit unum, quod vulgariter dicitur baſtione, ne in Tiberim intrarent naves vel galeræ Regis Ferdinandi, dictumque Ducem in Latium retroduceret, fueruntque multi homines & bombardæ in cuſtodiam appoſiti, & catena turris Oſtiæ tirata & tenſa fuit ad eundem finem. Itaque neque intrare neque exire cuiquam libebat.

Interea Reverendiſſimus Dominus Cardinalis Aſcanius multis & iteratis vicibus Duci Calabriæ comeſtibilia donabat, & ut fertur etiam de licentia Papæ, & dona erant hujusmodi, videlicet una rheda ſeu carrum panis, una ſalma boni vini, alia carnium ſalatarum, & alia pomorum ſeu melangolorum.

Et gentes hinc inde quieſcebant, adeo, ut non viderentur alias inimici, ex quo, quod nonnullis exiſtimatum fuit, infra aliquos dies ad pacem venturos, & inter ſe tunc pacem tractantes.

Eodem menſe Junii in die Sancti Joannis Baptiſtæ intra 20. & 22. horam orta fuit diſcordia inter domeſticos Cardinalis Vice-Cancellarii & armigeros exiſtentes ad cuſtodiam Palatii Papæ, quæ ex parva re initium aſſumpſit; factum eſt prælium ante palatium ipſius Vice-Cancellarii, in quo tres tamen de ejus domo interfecti fuerunt, dictumque prælium extinctum fuit in continenti.

Die 28. ejuſdem menſis in Campo Ducis Calabriæ in partibus Tranſtiberinis exiſtente prope Porcaricciam ignis exortus eſt, qui ſubita vi ventorum ductus, tentoria cuſtodum Ducis prædicti & aliorum militum multorum in cinerem convertit. Itaque fertur inter equos & bona quatuor millia ducatorum combuſta fuiſſe; cujus origo fuit quidam Hiſpanus, qui carnes aſſabat prope ſepem quandam, quod non multo plus Dux cum gentibus prædictis inde receſſit.

Eodem die prodimentum in Oſtia per ejus Caſtellanum machinatum, detectum eſt, qui intendebat, ut dictum fuit, locum Oſtiæ cum omni ſupellectili Duci Calabriæ dare vel tradere. Hic quidam Januenſis fuit nomine - - - -

Die penultima dicti menſis videlicet in die Sancti Petri & Pauli Romam ligatus venit, & in Caſtrum Sancti Angeli ſtatim miſſus eſt.

Eodem

Digitized by Google

Eodem affirmatum eſt, in Aquilana civitate multos fuiſſe interfectos, & quidem de Eccleſiaſticis, quod vario modo recitatum fuit. Nam quidam dixerunt, cum Aquilani una cum aliis obſediſſent quoddam Caſtrum Civitatis Ducatus, exeuntes poſtea obſeſſi, multos ex Eccleſiaſticis oppreſſiſſe: demum alii dixerunt, Comitem Montorii, qui ſub Rege Ferdinando militabat, prius ab eo captum & carceratum, & cujus cauſa Aquilani Eccleſiæ ſe dedere, in Aquilam intraſſe, ſtatimque cum ſuis ad libertatem proclamaſſe; contradicente Archidiacono, qui ibi pro Eccleſia erat, nonnullos ex Eccleſiaſticis oppreſſere, & tandem rejectis Regalibus Eccleſia cum Archidiacono obtinuit, ad quam in continenti Papa Legatum miſit Epiſcopum quendam, & res ita ſucceſſit. Nam cum Aquilani eſſent caſtra metati apud civitatem Ducatum frate Archidiacono bombarda * hortatu Comitis Montorii, qui primo fuerat captus à Rege demum dimiſſus multis pollicitationibus, ac noviſſime populi perſuaſu contra Regem arma ceperat, non tamen ſe multum inimicum oſtendens, & ibi petierunt dari ſibi quatuor Conſiliarios dicti Comitis, & revertiſſent tandem domum vi acceptam duobus ex illis interfectis, & per feneſtras extractis & projectis una cum duobus aliis & Notario quodam abierunt. Comes autem accepta omni ſubſtantia, quam ibi habebat, ac cum omni familia ex Aquila receſſit, ac ad Caſtrum generi ſui fortiſſimum, qui cum Rege militabat, acceſſit non ſine magno timore & ſuſpicione Aquilanorum.

Interea multum de pace ſperatum fuit, potiſſime cum aliqua ex his viderentur, offenſæ inter milites hinc inde non fiebant. Miſſus à Rege Hiſpaniæ hac lege, ut Urbem non intraret, niſi pace firmata, Palatium Apoſtolicum intravit Comes Pitiliani, ſecreto modo, ut credo, Papa inſcio, in Turri Cardinalis Sancti Angeli, quam in monte Pincio conſtruxere, moram traxit per aliquos dies, cui Cardinalis Aſcanius & Cardinalis Sancti Angeli ſecreto modo duobus duntaxat famulis comitantibus per magnum ſpatium forte horarum quinque quaſi omni die locuti ſunt. Ex quo omnes firmiter intelligere poſſunt, Papam noſtrum ab omnibus deceptum fuiſſe.

Deinde die ſecunda Julii Dux Calabriæ cum omni ſuo exercitu e partibus Tranſtiberinis in Inſulam, tranato Tiberi, ſe convertit, confectis quibusdam naviculis apud Caſtrum Flaviani, moxque Caſtrum Montis Rotundi, quod Cardinalis Urſinus pro Eccleſia tenere fatebatur, cepit, Cardinalem ipſum carceratum retinuiſſe fertur hoc modo. Nam in continenti Comes Pitiliani Organtinus Urſinus & alii de Urſinorum genere, qui contra Eccleſiam militabant, iverunt ad dictum Caſtrum, quibus ſine contradictione conceſſum eſt; quod audiens poſtea Cardinalis una cum populo, Dominos ipſos cum gentibus, qui cum eo erant, ejecerunt, demum Domini prædicti, expulſi magna, ut fertur, vi & Caſtrum & Cardinalem ceperunt, ſed in hoc omnium judicio fallacia machinatio, prodimentum ſeu dolus fuit, quod oſtenditur ex eo ſolo, quod paulo ante Cardinalis Nicolaum Polentinum cum gentibus ſuis & quatris non minus quatuordecim pro tuitione illius loci, non admiſerunt, immo expulerunt. O facinus indignum! o Papa deceptus! o Papa defraudatus & irriſus! Quid magis bello inſiſtes, cum neque fides, neque pecunia tibi magna ſuperſit. Pecuniæ quidem nullæ ſunt, fideles tui minus, quid corium ſubditorum tuorum, ultimumque exterminium tantoque robore expectas? Da pacem, da pacem ſubditis tuis, poſtquam de inimicis tuis aliter venditam ſumere non vales, & noli deteriora expectare.

Die 13. Julii Abbas Sancti Pauli captus, & in Caſtro Sancti Angeli carceratus & tortus permanet, & quod in fraudem Papæ & Eccleſiæ terras & Caſtra præfato Monaſterio Sancti Pauli ſubjecta Duci Calabriæ, Urſinis & cæteris inimicis tradidit, fingens ſe ab eis ſuperatum & expulſum fuiſſe. Quod cum ita ſe inimici in dicta caſtra recepiſſent, ſtatim incurſiones & prædas in Romanos uſque ad pontes fecere, ubique multa genera animalium, bubulorum, boum & equorum, & aliorum generum civium Romanorum in ditionem eorum produxerunt.

Die 17. ejuſdem menſis Petrus Palutii de Subatariis Civis Romanus, qui ſtaret in area ſua, quam habebat in partibus Inſulæ, ad triturandum granum, ſupervenit frater carnalis Pauli Urſini ex latere materno una cum 25. equitibus cauſa deprædandi dictam aream. Qui Petrus cum ſociis dedit ſe ad defenſam, & tandem cepit dictum fratrem Pauli Urſini una cum quatuor aliis, quos omnes ligatis manibus poſt terga ad Capitolium duxit parva manu.

Die 19. ejuſdem menſis dictum eſt in Urbe acriter pugnatum eſſe apud Sanctum Severinum, ita ut terra ipſa capta ſit ab hoſtibus; id eſt, hominibus Regis; & in dicto bello multos mortuos fuiſſe, & potiſſime Dominum Auguſtinum Campifregoſi, & ex eo Ducem Capuæ filium Ducis Calabriæ letaliter vulneratum eſſe, & gentes Eccleſiæ habuiſſe deteriorem partem.

Die 26. Julii Dominus Proſper Columna cum ſuis cohortibus acceſſit ad Caſtellum, quod dicitur, Sancti Angeli ſuper Tibur verſus Sicilianum, ibique movit bellum, ubi cum gentibus ſuis jam ingreſſus erat, poſtea vero detexerunt nonnulli, qui ibi latebant, & præſciverant dictam obſidionem, & de Vico Varo veniebant, certificantibus eos quibusdam Tiburtinis, qui ſub dicto Proſpero militabant, & quibus dictus Proſper maxime confidebat; qui tandem dictum Proſperum cum aliis, qui jam dictum Caſtrum intraverant, expulerunt, ubi cædes magna facta fuit, & aliqui hinc inde vulnerati & mortui, intra quos Odoarius de Genezano; &, ut fertur, dictus Dominus Proſperus deteriorem partem habuit.

Eodem die Dux Calabriæ per quendam ſuum Tibicinem notificavit Conſervatoribus Urbis qualiter proclama emiſſum pro ſe in campo,

Digitized by Google

campo, ut omnes salvi conductus, qui per se Virgineumque, & quoscunque alios facti erant Romanis, ex tunc imposterum intelligerentur revocati, quamvis illis non obstantibus in aliquibus diebus superioribus dicti Cives à militibus dicti Ducis deprædati fuissent, item eo quia omnes de campo, qui habebant captivos, quibus imposita erat pecunia solvenda, in continenti deberent illos cogere ad solvendum, & qui non essent solvendo, ducerentur ad eum. Et ipse emebat eos quatuor ducatis pro quolibet ad mittendos eos in galeras. Item & quod ab inde in posterum præfati Cives non sperarent ab eo pacem, ex eo quod, ut dicebat, se pluries illam petiisse etiam cum vilipendio & gravi detrimento totius Ligæ & confœderationis, & non potuisse eam consequi ex defectu Pontificis, & se fuisse pluries illusos & irritos ab eo, & quod de cætero caverent, & providerent factis eorum, & quod intendebat facere asperiorem & deteriorem guerram, quam hactenus fuisset. Quæ omnia intellecta fuerunt à dictis Dominis Conservatoribus non aliter de rebus Civitatis procedentibus.

Die 28. ejusdem mensis Dominus Fabritius & Antonellus Sabellus bellantes circa Comitatum Tagliacozzi io prælio ceperunt dictum Paulum Vitellium filium dicti Jacobi Vitellii una cum 80. equitibus militibus, & hoc apud Burgum Cæsarum in dicto Comitatu, ubi acriter pugnatum est per aliquod tempus: & è gentibus dicti Domini Fabricii & inimicorum interfecti fuerunt, & potissime ex gentibus dicti Domini Fabritii tres notabiles viri, duo Contestabiles, & alius vir fortissimus ibi cecidit, & parum destitit, quod filius Virginei etiam in dicto campo captus fuisset.

Additus est cohortibus Ecclesiæ Protonotarius quidam dictus Protonotarius Torellus cum centum militibus armatis & aptissimis ad militiam una cum 25. balistariis equitibus, speratumque in dies multos cohortes ex Romaneola venturas in auxilium Ecclesiæ.

Quapropter dictum est, Papam velle Pacem cum dictis inimicis componere, stante potissime spe adventus Cardinalis Sancti Petri ad Vincula cum multis galeris armatis, & cum infinitis pecuniis.

Demum die 4. Augusti Cardinalis Sancti Angeli semimortuus cum paucis ex suis circa mediam noctem per flumen Tiberis in navicula quadam ad Campum Ducis Calabriæ ad Montem Rotundum usque navigavit, ibique ut fertur, locutus fuit cum gentibus & Dominis dictæ Legæ; deinde nocte sequenti similiter secreto modo ad Urbem reversus est, & allocutus Pontificem; rursus nocte sexta per dictam naviculam ad dictum locum accessit, quid tamen ibi actum fuerit, nescitur: Sperabatur tamen eum pacem tractaturum, ex quo ipse semper de pace tractavit. Sed hanc spem abstulit dies septima dicti mensis, in qua Papa exbursavit multa millia ducatorum militibus suis pro futuris temporibus, quod signum est futuri belli magis, quam pacis.

Interim tamen milites tam amici quam inimici à prædis & rapinis rerum Civium Romanorum non desistebant, nec dictis temporibus prælium aliquod inter amicos & inimicos unquam auditum fuit, sed res sic quiete stabant.

Die 11. Augusti Cardinalis Sancti Angeli una cum Cardinali Ascanio & Domino Jacobo de Trivulto, qui primus est, qui ut rem gerat pro gentibus Mediolani Ducis, & qui per aliquos dies stetit in domo Cardinalis Sancti Angeli suis expensis in Turri in Monte Pincio summo mane accesserunt ad Palatium Papæ cum quo septem horis continuis, ut fertur, tractaverunt & limitaverunt capitula futuræ pacis: demum cum esset hora 20. in eodem Palatio cum Pontifice comederunt; redeuntes tandem ad idem negotium, usque ad tertiam horam noctis permanserunt: mane deinde sequenti 12. Augusti dictum est in Urbe, pacem fuisse compositam, ac infra scriptis capitulis conclusam: Quod Rex Ferdinandus respondeat censum debitum Ecclesiæ pro consueto: Secundo, quod Barones, qui Ecclesiæ se dederunt, respondeant censum Ecclesiæ, & quod id, quod solvunt, computetur de eo, quod solvere tenebatur Rex, quod - - - - - - - Regnum possidebat, & quod deinceps dicti Barones recognoscant Papam & Ecclesiam in superiorem immediate: Itemque de Abbatia Montis Cassini, & de ejus terris & castris disponatur per Pontificis voluntatem. Itemque Episcopatus & Beneficia Regni Neapolitani distribuantur per Papam. Itemque Civitas Aquilæ stet in libertate sua, si vult esse Papæ, sit, alioquin si vult esse Regis, sit.

Et quod Dux Renati & Francigenæ volentes venire contra Regem, non possint impediri à subditis Ecclesiæ; Immo Papa & ejus terræ possint ei dare passum & victualiam. Item quod Virgineus Ursinus veniat ad misericordiam Papæ cum pedibus nudis & corrigia in gula, & capite nudo, & genuflexus petat veniam amore Dei à Pontifice. Item quod Cardinalis Ursinus & cæteri Ursini stent & subjaceant arbitrio Pontificis, utrum & quantam pœnam mereantur. Et quod terræ captæ hinc inde & eorum restitutio reposita sit in pectore Regis Hispaniæ. Sed de his conditionibus pacis nihil aliud visum fuit, quod Ursini steterunt in domibus eorum, & Dominus Robertus recessit, & pax non sequitur.

Quæ cum sic agerentur in dicto Palatio, XI. die tumultus factus est in Urbe, ac clamatum, & dictum, Monasterium Sancti Pauli datum esse in prædam. Ad quod tantus concursus populi fuit, ut similis videretur ludo Testaccii. Et tandem nihil fuit, & quod in continenti Conservatores, Vice-Camerarius & Archiepiscopus Cosentiæ una cum militibus & peditibus Ecclesiæ ad sedandum discordiam confestim accesserunt, dictamque rixam extinxerunt, cujus origo hæc fuit:

Nam aliqui Hispani Ecclesiæ stipendiarii pedites furto acceperunt quosdam Equites dicti Conventus existentes juxta muros dicti Conventus,

d by Google

ventus contra quos in continenti exiverunt Monachi cum aliquibus custodibus, quos penes se retinuerunt, & eos de manu inimicorum seu latronum excusserunt acriter verberatis, qui se defendentes Monachos prædictos & custodes usque in Monasterium fugaverunt. Qua de causa orta fuit fama inter circumstantes, quod Monasterium illud deprædaretur per satellites seu stipendiarios Ecclesiæ, ex quo dicti Hispani cum Ecclesia erant. Quæ fama in continenti extensa fuit per totam Urbem, ex quo omnes fere undique cum saccis & armis ad adjuvandum accesserunt. Sed res, ut dixi, in continenti extincta fuit.

Die 14. ejusdem mensis Cardinales omnes accesserunt ad Palatium orto jam sole causa faciendi commemorationem & Annualia Sixti, & audiendi Missam una cum Pontifice. Et cum intrassent ad Papam causa perscrutandi & sciendi conditiones pacis, diu ibi permanentes nihil egerunt, quia, ut fertur, nullum verbum habuerunt à Pontifice, nisi quod pax composita esset. Propter quod multi Cardinales irati, & inflati ex dicto loco exiverunt, adeo, ut illa die ceremoniæ paratæ pro Sixto celebratæ minime fuerint.

Eadem die tumultus factus est in Urbe apud Ecclesiam Sancti Benedicti prope plateam Judæorum, in qua interfectus fuit Eustachius della Valle Sabas Gotis de Capodiferro, ut dicitur, quia erat cognatus Domini Georgii de Sancta Cruce, vel, ut aliqui ferunt, quod filius ejus Virgilius auxilium & præsentiam præstitit his, qui interfecerunt Dominum Paulum de Valle dicti Statii fratrem, ut ne deficerent in Urbe angustiæ & tribulationes.

Die sequenti 15. videlicet in die Sanctæ Mariæ de sero filius Riccardi Sanguigni interfectus fuit in domo cujusdam meretriculæ dictæ la Gracchetta retro Ecclesiam Sancti Augustini, una cum omnibus aliis Francigenis. Et causa occisionis hoc modo processit: Nam cum dictus Bernhardinus accessisset una cum quibusdam armatis consociis ad domum dictæ meretricis, ingressus ostium invenit ibi duos Francigenas, qui statim eo ingresso ostia seu portas in continenti clauserunt. Et cum dictus juvenis interrogaret causam, quare ita clauserint, vel forte, ut aliqui crediderunt, rixam aliquam cum illis haberet, absque tamen pluriloquio unus ex his quodam ferro hastato pectus illius juvenis perfodit, fecitque eum in continenti mortuum in terram cadere, socii vero illius occisi, qui eum associaverant, audientes tumultum, ostia prædicta violenter aperuerunt, quia foris expectabant. Et cum vidissent prænominatum juvenem mortuum jacere, confestim juvenes contra dictos interfectores duos ex illis perfossis pectoribus in continenti mortuos reddiderunt, alium vero fugientem, ac dictam meretriculam non aliter insectati sunt nisi per ignem impositum totam dictam domum una cum alio fugiente combusserunt. Meretrix autem ideo accessit, quæ advenientibus flammis & solario combusto, & ad terram cadente in quadam fenestra partim intus, & partim foris sedendo, salutem sibi quæsivit. Quod cum audissent familiares Cardinalis Abalis, ad suos socios processerunt, invaseruntque prænominatos juvenes & socios, cum quibus aliquando bellatum fuit, sed post in fugam conversi fuerunt dicti Francigenæ, ideo quod ex eis plusquam 40. vulnerati extiterunt, & sic ultra prædictos vulneratos quatuor ibi mortui fuerunt, Bernhardus Sanguineus, duo ex dictis Francigenis interfectores, qui ferro perierunt, & alius combustus fuit, ne non videamus pejora.

Sunt, qui dicunt, casum ita intercessisse: Nam cum quidam juvenis socius dicti Bernhardini accessisset ad domum dictæ meretriculæ causa dormiendi cum ea, & dictam mulierem dixisse ei: Vade, quia non potes hac nocte dormire mecum, eo quod talis est mecum, loquendo de illo Francigena. Et cum ille non esset quietus, velletque omnino dicto Francigena expulso permanere, fuit tamen inde expulsus; qui postea accessit ad dictum Bernhardinum, quem duxit armatum, causa rapiendi illam meretricem & ducendi eam ad domum suam. Et cum dictus Bernhardinus primum ascendisset dixissetque dictæ meretrici: Veni nobiscum; illa renuente præfatus Francigena, accepta partisciana ferrea eum percussit. Statim cecidit: ille vero principalis socius traxit ejus corpus per scalas, usque ad viam, in qua in continente mortuus fuit, & cum aliis sociis bellantibus cum his, qui eum interfecerant, ille principalis cucurrit ad domum Stephani Francisci, & numeravit ei mortem Bernhardini. Ex qua domo exiverunt plusquam 40. juvenes armati, & euntes ad locum invenerunt Barisellum, qui ceperat duos ex illis Francigenis, qui stabant in dicta domo, & eximentes illos de manibus curiæ, quos ultra quasi obtulit, in continenti eos interfecerunt. Et deinde accedentes ad dictam domum ignem imposuerunt, & redeuntes ad domum cum cadavere Bernhardini, obviaverunt illi meretriculæ, quæ associabatur à quodam alio, qui in dicta domo fuerat, quem in continenti interfecerunt, & meretriculam ad domum prædicti Stephani, & deinde ad Capitolium duxerunt. Et ne undique deficerent angustiæ, dictum ac quidem affirmatum fuit in Urbe, Regem Ferdinandum cepisse, & captos retinere hos quatuor, videlicet, Dominum Anellum ejus in Urbe Ambasciatorem, Dominum Franciscum de Averso ejus Secretarium, Franciscum Coppolli & Dominum Petrum Paulum Catalanum, qui principales fuerant apud eundem. Et causa ejus fuit, & quod dicitur, ipsos fuisse causam tantæ discordiæ & rebellionis cum Baronibus ejus Regni, nec præmissis fuisse contentum Regem, sed immo omnia eorum bona, quæ ad multa millia ducatorum ascendebant, abstulisse, & aliquos eorum postea decapitasse.

Et quamvis de pace prædicta habita est fides per Os Pontificis, qui dixit pluries Conservatoribus & aliis, pacem prædictam fuisse compositam, & licentiatum fuisse Dominum Ro-

bertum Sancti Severini cum gentibus suis; nam propterea destiterunt Ursinæ gentes deprædari, & grassari gentes Columnensium, nec Dominus Prosper Columna incitatus primo vicissitudinem reddere prædictis Ursinis, adeo, ut 24. die Augusti in Vigilia Sancti Bartholomæi Papa miserit quendam Dominum Paulum Commissarium suum ad Civitatem Tiburtinam cum Brevi & præcepto, ut offensæ levarentur, & de cætero nec ipsi Tiburtini ab Ursinis, nec è contra offenderentur; nuncians eis pacem prædictus Dominus Commissarius Papæ à gentibus Ursinis interfectus & spoliatus, ac nudus relictus fuit. Et modus fuit iste: Nam cum dictus Dominus Commissarius accessit ad dictam Civitatem, mane summo jussit non aperiri portas, ne quis exiret. Et coadunato Consilio ostendit Breve Papæ, quo pax continebatur, mandavitque eis, ne de cætero prædictos Ursinos offenderent. Et cum ibi permaneret dictus Franciscus de Valle, in quodam modo Tiburi exivit cum quibusdam equitibus, cui insidiæ per præfatos Ursinos ex oppido Castelli factæ erant. Et cum prælium per aliquod tempus gessissent, in Tiburc acclamatum fuit: ad arma, ac renunciato, qualiter dictæ gentes Ursinorum cum dicto Francisco certarent, accurrerunt Tiburtini, & una cum illis Commissariis, qui cum venisset ad prælium, statim cucurrit ad hostes, ostendens Breve, ac dicens pluries: Pacem habetis, pacem nuncio vobis; & illi non attendentes ad Breve aut ad pacem, alterum prædictum Commissarium obviam euntem interfecerunt & ita, ut supra, dispobaverunt in loco extra Tibur versus Cicilianum, qui dicitur li Archi, ubi erant aquæductus; propter ejus mortem in continenti Tiburtini una cum dicto Francisco de Valle irruentes in eos fugaverunt usque ad dictum Castrum, & aliquos ex his interfecerunt, & infinitos quodam modo vulneratos reliquerunt.

Deinde mense Septembris tumultus maximus factus est in Civitate Aquilana, ubi tandem Archidiaconus, qui pro Papa & libertate Aquilana erat, fuit interfectus, intravitque Comes Montorii cum gentibus Regis, & Ecclesiastici aut cæsi aut expulsi fuere.

Et quamvis multi multa dixerint de Papa Innocentio, qui dictam pacem fecerat in aliquod dedecus Ecclesiæ, attamen revera in aliquo accusari, aut aliter reprehendi non potest, imo laudandus est ab omnibus, eo quod ad instar Domini Nostri Jesu Christi, qui voluit in persona sua acerrimas pati injurias pro salute populi sui, fecit; nam posito, quod dicta pax fuerit cum detrimento Ecclesiæ & suo vilipendio, voluit tamen ipse citius Ecclesiam Dei, cujus ipse caput est, injuriam pati, quam videre mortem & exterminium populi sui. Unde bonum quod ex eo, quod secutum est, ostendit. Nam in continenti in Urbe abundantia omnium rerum rediit, & justitia, quæ tam diu exulaverat, rediit.

Ipse vero Innocentius circa Civitatem Romanam & ejus salutem incumbens, incontinenti bullas Pii, Pauli & Sixti de brigis & inimicitiis, ac de homicidiis ac malefactoribus loquentes excitavit, misitque bis & ter proclama per Urbem, ut homicidæ & facinorosi homines ab Urbe recederent, imposuitque pœnam pecuniariam gravissimam, & ultra illam anathematis Baronibus, qui in eorum bonis & Castris proximis per quinquaginta milliaria Romæ vel terris Ecclesiæ retinerent.

Ipse autem Pontifex interea pacem inter Cives componere conatus. Nam factis paceriis omne genus pœnarum induxit contra inimicatos, qui præfatum compromissum de pace fienda non facerent, aptavitque ipsemet multa negotia, & inter alia brigam Stephani Margani, Prosperi, & Domini Georgii de Sancta Cruce, Magistri Philippi Francisci, qui sunt de primatibus Urbis ad pacem certo modo reduxit, propterea que fuit Sanctitas Sua maximopere laudata potissime cum justitia ipsa per suam Sanctitatem promissa in principio Assumptionis ad Pontificatum, & per dictas guerras disturbata, in Urbe, & extra observata fuit.

Postquæ cum adhuc contentio aliqua inter Ursinos & Columnenses restaret de & super restitutione Comitatuum & quorundam Castrorum, dictique Ursini, & Dux Calabriæ ivissent ad capiendum dictum Comitatum, sponte & nemine cogente, inter eos pax, & concordia inita est, quod ex præfato Pontifice venisse, omnes æstimarunt. Et istis temporibus facta fuit confœderatio inter Ecclesiam & Venetos cum quibusdam Capitulis, ut tenerentur Veneti præbere auxilium Ecclesiæ, quando opus esset.

Interea quidam Buccolinus privatus Civis de Osimo in Picæno contra Ecclesiam insurrexit, subtraxitque dictam Civitatem Osimi Ecclesiæ, & ipsam fortificavit fossatis & muris, & quosdam Cives decapitavit, & aliquos exulare jussit. Fuitque dictum in Urbe, intelligentiam habuisse cum Turca, qui promisit ei per totum mensem Maji 1487. mittere in ejus auxilium multa millia Turcarum, quos nunquam misit. Sed tamen est, quod Cardinalis Sancti Petri ad Vincula, Protonotarius Angeli cum multis millibus militum Ecclesiæ in obsidione dicti loci steterint.

Postquam de eodem anno 1487. mense Junii die 20. vel circa, nova facta est in Urbe, qualiter Florentini & eorum Dux ceperint violenter à Januensibus Civitatem Serezani.

Eodem tempore fertur Ducem Austriæ cum multis Teutonicis venisse, & insurrexisse contra Venetos in partibus Trenti & Veronæ, & venisse usque in Veronam, & magno cum impetu nonnulla loca Venetorum fortissima cum magna strage cepisse ac tenere, bellumque maximum inter eos esse.

Eodem tempore cum jam temporibus retro elapsis inimicitia maxima esset inter Romanum Pontificem & Ursinos, ut supra legi potest, de eo, quod dicti Ursini, potissime Virgineus, Paulus, & reliqui contra Innocentium nostrum egerunt, modo autem inter eos concordia maxima

xima facta est, & ipsius causa allegata fuisse quendam Francischettum, virum quidem statura pusillum, filium dicti Innocentii cepisse in uxorem filiam Laurentii de Medicis, & nepotem dicti Domini Virginei. Propter quod tanta fuit inter eos concordia, ut permiserit idem Innocentius auferri à dicto Francischetto & Virgineo Ursino duo Castra, videlicet Cerveteris & Monterani, quæ in continenti venerunt in ejus dominium de dicto mense Junii, & quod pejus est, permissu Pontificis itum est in obsidium contra Dominum Anguillariæ; & quia, dum esset bellum & discordia inter Ecclesiam & Ursinos dicti Domini ---- Castri multa fecit pro Ecclesia contra Bracchianos & Ursinos. Volens igitur dictus Virgineus de præmissis ulcisci, fata & frumenta dicti Castri Anguillariæ deprædatus est, sed fertur postea se commendasse Pontifici: propter quod obsessio prædicta remota est, non tamen ablata restituta fuerunt, passusque fuit dictus Papa per aliqua tempora dictum Dominum deprædari.

Eodem tempore Romam Dux Ferrariæ profectus est, &, ut fertur, ex voto Indulgentiæ causa, stetitque cum comitiva sua in Palatio Sancti Petri. Et cum lustraret ea, quæ in Civitate sunt, & inter alia cuperet videre Castrum Sancti Angeli, Innocentius mandavit præfati Castri Castellano, ut præpararet se, quando ipsi intendebant videre dictum Castrum. Cui dictus Castellanus fertur dixisse, se non habere in mandatis, posse Sanctitati suæ illud ostendere, sed si vellet illud videre, ut veniret ipse, & præfatus Dux solum cum quatuor Capellanis, & non cum pluribus; asserendo, ita habuisse in mandatis à Cardinali Sancti Petri ad Vincula, cui, & etiam Collegio dictum Castrum retineret. Et sic voluit promittere ipsum intrare. Et post paucos dies Papa misit pro dicto Castellano. At ille dixit, consuetudinem Castellanorum esse, non recedere ab arce data in custodiam. Tandem cum propter hoc inter eos essent altercationes de dicto mense Junii, die vero 26. Papa cum quatuor vel id circa sociis accessit ad dictum Castrum, fuitque ei apertum. Et cum intrasset, vidissetque ibi custodes & pedites armatos existentes, ipsemet cepit per brachium Castellanum, dixitque ei: Veni mecum. Alisque omnibus videntibus traxit de dicto Castro, & secum captum duxit in Palatium, & ipsum coëgit, dare jura, signa, & reconsignare dictum Castrum, quod dicta die accepit, posuitque ibi Castellanum Archiepiscopum Beneventanum.

Nocte sequenti Princeps Salerni, qui erat in Urbe, de nocte aufugit. Filium suum & uxorem dicitur fuisse captum à Rege Ferdinando.

Sunt qui dicunt, dictum Papam misisse pro dicto Castellano, & quod vellet ei dare stipendium, & cum venisset, retinuit eum. Et similiter statim post cepit arcem Civitatis Vecchiæ & Terracenæ, ubi erant consanguinei dicti Cardinalis, quibus repulsis Papa misit alios Castellanos.

Post quæ penultima die dicti mensis in Festo Sanctorum Petri & Pauli pluit in Civitate Tagliacozzæ, & Celani, & in certis oppidis sanguis rubeus, vel aqua in modum sanguinis.

Hoc habitum fuit de relatu plurium fide dignorum hominum. Et multi etiam de illis locis scripserunt ad amicos hic in Urbe. Et aliqui lapides sanguinolenti portati sunt de illis locis ad Urbem, ostensique sunt multis, adeo, ut hoc ab omnibus nemine contradicente affirmatum fuerit. Sic & alias tempore Papæ Joannis XI. fons sanguinis apparuit apud Civitatem Januæ, & fuerunt multæ calamitates in Italia. Sic legitur in Platina tempore dicti Joannis XI.

Eodem die tumultus factus est in Urbe. Atque cum Senator Hieronymus Salernus Veronensis Commissarius Papæ in quendam carcerem misisset quendam mercatorem, retinuissetque ejus equum in stabulo, Cardinalis Sancti Georgii Camerarius misit pro equo prædicto. Quem cum noluisset ei dare, quia volebat dimittere ipsum una cum equo dato, prout obtulerat, satisfactione, quod tanta cum indignatione tulit Cardinalis, ut die sequenti, cum accederet dictus Senator ad Palatium in media via ante domum Cardinalis Portuensis ejus familia invaserit dictum Senatorem, duosque equos prostratis & corrutis vi acceperit. Cumque Senator narraret hoc Papæ; Camerarius finxit se ignorare. Papa promisit providere, sed nulla provisio facta est, ac si prædicta nescivisset.

Die quinta mensis Julii affirmatum fuit in Urbe, Regem Ferdinandum contra Commissarios, & præmissa facta cum Pontifice nostro cepisse, ac carcerasse Comitem Pitiliani, & Ducem Melphi Barones suos, quos in conditionibus pacis promiserat non offendere, nec aliter molestare, & censum, quem in Festo Sanctorum Petri & Pauli solvere promisit, non solvit, propter quod Papa misit ad eum equum Cesenatensem pro his duobus.

Et dicto mense Florentini auxilio Regis Ferdinandi, ut fertur, ceperunt Civitatem Zarsanæ.

Eodem mense Julii circa principium ultramontani Teutonici, &, ut fertur, cum licentia Imperatoris conjecerunt bellum cum Venetis circa civitatem Feltrensem miscuerunt manus cum gentibus Venetorum, & illas & earum acies penitus destruxerunt, ac vi ceperunt dictam civitatem Feltrensem, & in dicto prœlio multos gladio interfecerunt, & captivaverunt. Et inter alios fertur plus quam octoginta viros autoritatis de primoribus acierum dictorum Venetorum ceperunt, de quibus, ut fertur, unum decoriaverunt vivum, coriumque suum super spatulam posuerunt, & dimiserunt eum, qui tum parum post mortuus fuit.

Alium quendam, qui contra datam fidem contra eos bellabat, laqueo suspenderunt, & filium Domini Roberti Capitanei Venetorum dictum Antonio Maria abscissa dextra, cum qua intraverat, se non esse in contrarium eis, laqueo suspenderunt, omnesque eorum cohortes perierunt.

Eodem mense Senenses exules intraverunt in civita-

Google

civitatem eorum Senarum, ubi nisi unus decapitatus fuit.

Et similiter dicto mense Dominus Noster Innocentius traxit unam bullam contra quosdam Hispanos Judæos vel hæreticos vulgariter dictos Marrani lingua Hispana; ubi fuerunt electi duo Cardinales, Vice-Cancellarius & Abalius ad inquirendum contra eos. Et dictum fuit, Regem Hispanum insecutum fuisse eos, & plusquam duo millia combussisse in Valentia & Hispania, ideoque huc ad Urbem venisse, & in Ecclesia Dei cepisse multa officia, prout vidi aliquos Protonotarios, scriptores, Janizeros & similia officia habentes; contra quos Papa non multum ferventer, ut res ipsa postularet, processit.

Eodem mense Buccolinus civis Anximanus rebellis Ecclesiæ, cum quo tamen pugnatum fuit, ut fertur, commendavit se cum Ecclesia, ut ajunt, hoc pacto, videlicet, ut Papa solveret ei septem millia ducatorum, & ut emeret res suas immobiles existentes in dicto loco, & ipse inde recederet.

Eodem mense Francischettus filius Papæ Innocentii & Hieronymus Tuttavilla filius Domini Cardinalis de Rohana armati cum multis sociis noctis tempore accesserunt causa rapiendi quandam juvenem uxorem Guglielmi in Campo Floræ, ac filiam Domini Jacobi Cuch, uxorem, ut fertur, honestissimam. Quod cum facto ibi aliquali tumultu res detecta esset, cum ignominia recesserunt inde.

Die 9. Augusti Virgineus, Paulus & cæteri Domini Ursini intraverunt Urbem, & recepti sunt à Pontifice cum magna gratia & benevolentia, & habiti sunt in veneratione ab eo, quod omnibus visum fuit durum, attenta inimicitia, quæ erat inter Pontificem & eos, ut supra videri potest.

Die vero 11. in sero captus & carceratus fuit in Castro Sancti Angeli Cancellarius præfecti fratris Cardinalis Sancti Petri ad Vincula, & confestim accesserunt ad ejus domum, quæ erat in ecclesia Sancti Jacobi sub monte Janiculo, & acceperunt omnes cartas & scripturas existentes in ejus domo, & portaverunt ad Palatium. Credo, quod suspicetur aliquid machinationis per Præfectum & Cardinalem præfatum fuisse factum contra Pontificem, vel quod Ursini inimici & male sentientes de dicto Cardinali, & præfecto ejus fratre, ex quo Pontificem pro se ipsis velle aliquid mali inferre eorum inimicis, & ideo hanc causam quæsivisse, qui Cardinalis prædictus, qui in Ostia erat, confestim hoc audito in Urbem reversus est, & mane sequenti voluit equitare ad Palatium. Et cum exspectarent Episcopi, campanella pulsata, euntibus & redeuntibus nunciis tandem ad dictum Palatium non accessit timore forte ductus.

Die 18. Augusti assertum fuit, Teutonicos iterum invasisse Venetos, & quasi quindecim millia ex eis interfecisse apud Trentum, inter quos dictus Robertus Sancti Severini eorum Capitaneus occisus fuit una cum multis Viris magni pretii.

Eodem die octo Marrani capti & carcerati fuerunt.

Die 25. ejusdem mensis Virginius recessit ab Urbe. Et reversus fuit Episcopus Cesenatensis, quem Papa miserat ad Regem Ferdinandum. Et ajunt, respondisse Pontifici ex parte Regis hoc modo, videlicet: Primo quod nunquam potuerit alloqui Regem in domo sua. Et cum captasset dictus Episcopus occasionem loquendi quadam die, quia paraverat ire venatum, posuit se juxta certum ostium, unde dictus Rex exiturus erat. Quod cum scivit Rex, jussit eum venire. Et cum venisset dictus Ambasciator, dixit se brevibus verbis tria dicturum ex parte Pontificis. Et cum data ei facultas dicendi ait: primo, qualiter Sanctissimus Dominus Noster peteret ab eo censum promissum & conventum in Capitulis pacis & quod miraretur, quod de eo non satisfecisset in statuto. Cui respondit, debitum esse, se debere censum Ecclesiæ. Quod verbum cum pluries repetiisset, ait: se non habere pecuniam; imo se exposuisse pro Ecclesia tot pecunias, ut non esset inconveniens, si Papa per quatuor annos futuros dictum censum remitteret. Et ita jussit referri Pontifici. Demum exposuit dictus Episcopus, qualiter Papa cum tota Curia miraretur, quod ipse, qui est Dominus temporalis, haberet conferre Beneficia in regno suo, & quod illa, quæ Papa contulisset, non acceptasset, & quod de cætero abstineret. Ad quod respondit: homines sui regni esse sibi bene notos & *Pontifici* & Curiæ ignotos, & propterea se *velle dare beneficia* illis, quos cognosceret *esse dignos*; & quod Papa neque Curia possent ipsos melius quam ipse cognoscere, & eo intenderet eos eligere, & quod contentaretur, quod Papa postea, illos taliter electos confirmaret. Deinde dixit: Veni ad aliud. At Episcopus dixit, quod Papa miraretur, quod contra Capitula & promissa cepisset Barones Regni, qui sub fide ipsius Pontificis remanserunt, & quod deberet illos relaxare. At ille in continenti dixit: Quando Cardinalis de Columna & de Sabellis fecerunt, aut facere tentaverunt prodimentum Sixto Prædecessori suo, Sixtus fecit ipsos capi & carcerari, & castigavit eos, & quando sibi placuit, eos postea dimisit, seque velle ita facere, castigare dictos Barones, qui fecerant prodimentum, deinde quando sibi placeret, eos dimittere. Et in continenti processit ante Episcopum prædictum, non exspectato alio, mandavit sonari cornu, fugitque ante oculos dicti Episcopi, & ad dictam venationem se contulit, ibi eo dimisso, putans, Deum non posse sibi plus nocere.

Deinde 13. Octobris 1487. fuit interfectus Laurentius de Castello à Paulo Vitellio & consortibus apud Primam Portam.

Ab isto tempore usque ad Annum 1488. nihil fuit actum dignum memoratu, in Calendis autem Januarii dicti millesimi Innocentius octavus egens pecunia creavit 26. Secretarios, qui haberent de omnibus & singulis officiis quarumcunque rerum & terrarum Brevia scribere, extraxitque ab eis ducatorum sexaginta millia. Qui Secretarii cum primum intrassent in officium,

Digitized by Google

um, curaverunt de omnibus & singulis officiis, etiam de his, de quibus nunquam consueverunt brevia fieri, solvi taxam, & extrahi dicta brevia, taxaveruntque dicta officia ad certam quantitatem pecuniarum secundum qualitatem dicti officii, videlicet duo millia & quingentos ducatos omnibus mere volentibus, impositæque fuere taxæ omnibus officiis quarumcunque Civitatum & terrarum subjectarum Ecclesiæ, & potissimum Officiis Urbis Romæ, etiam illis, quæ extracta fuerunt, vel bussula crearentur. Quod cives ipsi minime passi sunt usquequaque.

Eodem Anno 1488. septima Aprilis in die lunæ Paschatis Comes Hieronymus interfectus fuit à tribus suis stipendiariis in Forolivio, cunctusque populus ipse in continenti vocavit Ecclesiam in Dominam, & à Duce Mediolani scriptum fuit Pontifici, ne se in dicta causa immisceret.

Illi tres, qui interfecerunt Comitem, fuerunt Cucchus dell' Orso Caput cohortis, Ludovicus Pansecco, Comestabilis, Jacobus de Ronco stipendiarius omnes militantes sub ejus stipendio. Et potissima causa fuit, eo quia male à dicto Comite tractabantur, potissime cum stipendia pro præteritis servitiis eisdem non solverentur. Et cum Comes repeteret ab eis certum debitum occasione gabellarum, ipsique allegarent compensationem cum dicto stipendio, quam Comes ipse penitus denegavit, voluitque ab eis in continenti solvi, & de eorum credito expectari, & ita fertur, dictos tres conjurasse in eum, fuisseque dicta die tempore, quo omnes de familia essent in prandio, recta via ad locum, ubi erat, videlicet in quadam camera sui Palatii, & ibi fingentes se velle cum eo loqui, interfecerunt eum, & ipsum spoliatum per fenestras in plateam projecerunt, illumque per capillos quasi per totam terram traxerunt vituperosissime, magis quam unquam auditum fuerit. Et sic Deus omnipotens vindictam ostendit de his, qui ab eo etiam innocentes male tractati fuerunt.

Et in continenti populus totus accurrit, cepitque uxorem suam prægnantem & filios, arces aûtem capere non potuit. Cumque blandis verbis quærerent arcem, uxor similiter pollicebatur, dixitque eis, ut dimitterent eam loqui cum Castellano, & ut interim tenerentur filii in obsides, & promittebat, in continenti se daturam arcem.

Fuit credita res, & cum ivisset in arcem, continuo rebellavit, dixitque eis, se non curare de filiis, quoniam unum haberet Imolæ, alium in corpore, qui essent ultores tanti sceleris.

Post quæ una porta certis turribus munita in continenti se populo dedit, qui misit ad Urbem nuncium ad Pontificem, & gratiose receptus est, promisitque eis auxilium. Et in Ecclesiæ favorem Gubernator Cæsenæ intromisit se cum stipendiariis & hominibus Ecclesiæ, & cum bombardis & artiliariis, quæ erant in Cæsena. Deinde supervenientibus militibus Ducis Mediolani, in continenti intraverunt Forolivium, & ceperunt Gubernatorem & alios suos consocios, ac sex ex illis decapitaverunt, & frustatim squartaverunt, inter quos fuit visus Petrus detto Clecco, homo quidem decrepitus; quærentes habere socios existentes in arce Cæsenæ, & interim dictum Gubernatorem & alios captos retinuerunt.

Innocentius vero contra datam fidem eos de cætero non adjuvit, immo ita ut supra, lacerari permisit, & ut fertur, ita dimissiones suas à lupis comedi, quemadmodum fecit de Aquilanis & Civitate Aquilæ à Rege Ferdinando: sed fertur, non ex alio pati voluisse hoc, quam propter pacem, quam interea cum discordia quædam esset in agro Reatino inter dictam civitatem & dictum oppidum, vel inter duo oppida ibi existentia, quorum unum ad Regem Ferdinandum pertinebat, aliud vero ad Ecclesiam, essetque in dicto agro Reatino & in terra Ecclesiæ quædam turris sive fortilitia in quodam passu, unde potuissent venire dictæ gentes Regis in solum Ecclesiæ, gentes Ducis Calabriæ, nescitur quo jure aut quo colore, immo nulla subsistente causa præfatam Turrim ceperunt, eamque funditus & à fundamentis perterraverunt invito, ut credendum est, Pontifice, de quo post etiam verbum factum non fuit.

Post quæ circa primum mensis Maji 1488. venerunt nova de partibus ultramontanis, qualiter Imperator Federicus tertius cum multis militibus armatis obsederit Brugiam, ubi detinebatur Maximilianus filius, & tandem filium prædictum redemerit cum pactis, videlicet, salva essent bona eorum. Ac de personis nihil dictum est. Quo evaso, post Imperator, ut dictum fuit, intendit decapitare circa majorem partem eorum, qui contra Maximilianum conjuraverant, aut qui illum ceperant.

Anno Domini 1488. die secunda Junii in Urbe Roma hæc nova affirmata sunt, primo quod gentes Ducis Calabriæ, videlicet nonnullæ squatræ armigerorum posuerunt se in Agro Pontis Corvi supra Carpaneam, nescitur tamen, quo sint ituri. Ad quem locum subito Papa misit sex Comestabiles de suis ad succurrendum Civitati illi cum provisione 20. florenorum in urbe currentium pro quolibet, & non plus, aliqui dicunt, ducatorum.

Eadem die interfectus fuit Dominus Javentinus in cubiculo suo, & continuo in Faventia reperti sunt stipendiarii Ducis Mediolani una cum Joanne Bentivolio de Bononia, & cum auxilio Raphaelis Cardinalis Sancti Laurentii in Damaso Camerarii ac nepotis quidem Hieronymi.

Eadem die civitas Perusii novitatem fecit in eo, quod Gubernator vendere volebat quasdam bannitas Perusinorum, vulgariter dictas le Chianne, & à Perusinis prohibetur. Et cum commisisset Bannitori eidemque tibicini, ut illas publice in platea banniret, prohibitum à quibusdam, ne illud faceret; ad minas non advertens, à quodam juvene Perusino securi quadam in capite percussus in continenti occiditur ipse, & equus suus, in terram stratus. Fertur, Perusinos hoc ex eo fecisse, quod Papa stipendiariis

riis Perusinis, quos ibi habebat, stipendia multa pollicebatur, introitusque dictæ civitatis ad Urbem portabat, quod ipsi æquo animo pati nullo modo intendebant. Utinam non sit alia causa, quam hæc avaritiæ Gubernatoris, quem Dominum Mariottum Germanum Domini Papæ fertur continue * ad arcem Spoletanam convolavit, pejora timens.

Die 13. Junii circa horam 22. nova venerunt ad Urbem, Joannem Bentivolium Capitaneum Ducis Mediolani, qui erat in Faventia cum Uxore & filio dicto quondam Domino de Faventia ab hominibus & villanis dicti loci interfectos esse, quibus villanis dictum fuit, Commissarium Florentinorum præstitisse opem, & consilio eorum hæc facta fuisse, propter quod magnus tumultus expectatur in Romaniola.

Utinam hæc scabies non extendatur ad Urbem! Sed quod de Joanne Bentivoglio fuit dictum, falsum fuit, sed veritas est, quod fuerit ibi à prænominatis captus, ac ductus in Florentiam, & post per Laurentium de Medices relaxatus in pristinam libertatem.

A prædicta die usque ad octavam nihil fuit actum dignum memoratu. Postea vero à dicta die usque ad decimam quintam evenit in Urbe, ut in quadam nocte, videlicet sero quidem Transtiberinus cum quibusdam armatis ivit ad Campum Floræ causa insultandi quendam Apothecarium, quo tempore autem ibi provisionati Bariselli & Vice-Camerarii interfuere in auxilium insultandi: Et cum Transtiberini infugati essent in plateam, clamaverunt auxilium Joannis Cardinalis, cujus familia statim exiens cum Curia pugnavit. Et tandem hinc inde fuerunt multi vulnerati, & nisi fuissent, qui se interposuerunt, forte fuissent plures.

Item & familiares & domestici Cardinalis Mediolanensis existentes apud duas Turres cœperunt rixam cum quibusdam juvenibus Romanis similiter de nocte, in qua tandem de rixantibus de domo Cardinalis fuerunt aliqui vulnerati. Quapropter omnes de dicta domo exiverunt balistis & lapidibus, & omnes quoscunque accurrentes, etiam mulieres ob vindictam vulnerabant, potissime quendam juvenem, qui iverat dormitum exiens camisia sine armis sagitta quadam perfossus in pectore cum vulnere recessit, adeo, ut multi fortiter plusquam viginti sint vulnerati.

Item, & postera die Capitaneus Curiæ Sabellæ, cum executionem personalem faceret de quodam debitore prope domum Cardinalis dicti Abalii Francigenæ, ad tumultum, fertur, Cardinalem de ejus fenestra prohibuisse, ne fieret potissime prope domum ejus. Quo non obstante facta fuit, ductusque fuit debitor ad carceres dictæ Curiæ. Quod dictus Cardinalis ita ægre tulit, ut jusserit armari omnem familiam, ac ire ad dictam Curiam, ibique omnia devastari, prout actum est. Nam carcerati omnes fugerunt, ac deinde omnes captivos, & eos, qui pro crimine capitali erant, dimiserunt: domus Judicis sive Camera vi capta, & libri omnes lacerati, & capsæ, & mataratia per fenestras extracta sunt, ita, ut nihil penitus in Curia prædicta relictum videretur. Quapropter Cardinalis de Sabellis ægre ferens, una cum Columnensi magnas copias congregavit. Factum id idem in dicta nocte; mane autem Papa misit pro eisdem, ubi in Palatio multa inter se verba ignominiosa habuerunt, adeo, ut domus dicti Cardinalis Abalii stet fulcita & munita infinitissimis armatis & armis. Nescitur, quid futurum sit. Fertur, Vice-Cancellarium auxilium dedisse dicto Cardinali Abalio.

A die prædicta nihil actum fuit, nisi quod multæ civitates & loca subjecta Ecclesiæ denegaverunt obedientiam Papæ. Immo fecerunt aliqua contra ejus voluntatem, & primo Joannes Bentivolius in Bononia pro parte sibi contraria multos interfecit ac carceravit, & fertur, octodecim viros de contraria parte similiter suspendisse.

Similiter fecerunt Perusini, qui expulerunt, videlicet illi de domo Bracchii expulerunt omnes de contraria factione, & aliquos interfecerunt. Et cum Papa misisset illuc Legatum de Latere Dominum Cardinalem Senensem, non prius admissus fuit, quam promisisset, se non remissurum Perusinos contrariæ factionis. Et Papæ & Ecclesiæ parvam seu nullam præstiterunt obedientiam.

Similiter factum fuit in civitate Tuderti & in civitatibus Marchiæ Anconitanæ, in quibus noluerunt admittere Officiales Papæ, & noluerunt obedire Secretariis Papæ in faciendo Brevia & taxas juxta determinationem factam, de qua supra. Et bellum fuit inter Fulignatos & illos de Castro Aspelli. Et cum Folignati peterent auxilium ab Ecclesia & Papa, fuit eis denegatum, eo quod diceretur, dictos Folignatos fuisse causam dictæ discordiæ, cum id penitus negaretur.

Similiter in civitate Ortaniæ factus est tumultus, ubi Ursini & alii Guelphi contra pacta fœdera & pacem, quam habebant cum Gibellinis, insurrexerunt in eos, & circiter triginta interfecti sunt, & omnes alii infugati, & extra dictam civitatem expulsi. Et Papa in nihilo providit, & quia, ut fertur, prius illi de parte Gibellina miserunt in dictam civitatem Dominum Ludovicum de Sabellis una cum centum armatis causa deprædandi Guelfos existentes in dicta civitate, & cum interfecto custode Portæ, qui Guelfus erat, clamarent: Colonna, Colonna; Guelfi insurrexerunt contra eos, & petierunt auxilium à Domino Vaxanelli, & dictos milites una cum dictis Gibellinis ita, ut supra, tractaverunt. Quod tamen cum audivisset Papa, fertur, dixisse: doleo, quod plus non fecerint. Et postea fecit formari processum contra dictos Gibellinos, qui ibi intrarunt in dicto loco in Capitolio, & ibi de crimine læsæ Majestatis diffidati extiterunt, & fuerunt plusquam quadraginta.

Similiter interea facta latrocinia, rapinæ, homicidia & sfortiamenta tam in Urbe, quam extra fiebant, & de his non curabatur. Et cum Papa dedisset pro Brevi licentiam, ac præceptum fecisset cuidam Matthæo Cozze de capiendo

Digitized by Google

endo latrones & grassatores, qui ultra rapinas homines interficiebant, in via Latina juxta Albanum cepit quendam Hispanum famulum Jacobi de Comitibus, quem reperit grassari & occidere, & eum duxit Romam, ubi cognito delicto suspensus primo, deinde divisus in quatuor partes fuit justificatus.

Ira tamen motus Cæsar filius bastardus dicti Jacobi de mense Martii 1489. in die, qua itur ad Jerusalem, in via ejusdem Ecclesiæ armatis certis complicibus eundem Matthæum acribus vulneribus interfecit, & ab Urbe non discessit. Papa sentiens, Officialem suum esse interemptum, ad nihilum se movit.

Item cum esset quædam lis inter Cardinalem Ursinum & Dominum Virgineum, dictus Cardinalis fecit eum citari per cursorem.

Quem cum audivisset Virgineus, fecit eum cursorem ita verberari, ut post triduum mortuus sit. Quod cum esset dictum Papæ, ad nihilum se movit.

De eodem Anno Domini 1489. mense Martii Sanctissimus Dominus Noster Innocentius octavus, licet contra pacta & capitula, quæ facta fuerant in conclavi cum Cardinalibus, quando fuit creatus Papa, quæ erant, quod non possent Cardinales fieri ultra numerum 22. Papa aliquibus ex eis invitis, ut fertur, creavit sex Cardinales, primo Laurentium Archiepiscopum Beneventanum, Nepotem suum ex fratre, eundemque Castellanum Sancti Angeli. Hic fuit semper reputatus spurius, & omnia beneficia, quæ habebat, etiam quæ ipsemet Papa contulerat ei, semper consecutus fuit cum dispensatione, qua semper dictus Papa appellavit eum spurium. Cum mota esset quæstio per Cardinales, quod non posset etiam eo, quia spurius, fuit repertus certus processus conceptus in Hispania industria, ut videtur, Vice-Camerarii, ubi apparebat, Patrem dicti Laurentii fratrem dicti Papæ concepisse ipsum ex quadam Hispana, quam dixerunt illum postea duxisse in uxorem. Et hoc fuit eo tempore, quo non erat solutus, quia in Janua vivebat alia uxor, mortuo jam Patre, propter quæ cum dictus Laurentius accessisset ad dictam civitatem Januæ pro consequendo bona & hæreditatem parentum, non fuit admissus, imo tanquam spurius repulsus - - - - in domo dicti sui Patrui - - - - autem ab his, quibus commissum fuerat dictum negotium, approbatus fuit tanquam legitimus.

Alter fuit Ardirinus della Porta Episcopus Aleriensis, Vir Doctissimus, qui propter ejus virtutem & benemeritum ad Cardinalatum pervenit.

Alter fuit filius Laurentii de Medicis cognatus Domini Francischetti filii ipsius Papæ Innocentii. Hic erat puer, ut dicitur, tredecim annorum. Dicitur tamen creatum fuisse sub quæstione, ut non veniret ad Urbem infra certa tempora. Venit tamen, & admissus fuit.

Alii fuerunt duo Francigenæ; unus, qui erat Magnus Magister in civitate Rhodis, & alius Francigena præpositus à Rege Franciæ. Isti duo creati fuerunt ex eo, ut fertur, quia donaverunt Pontifici Magnum Imperatorem Turcorum. Nam fertur, quod in morte Magni Turci, tempore, quo obsidebat Idruntum, duo ipsius filii pro Regno consequendo discordaverunt, minor filius, qui in militia erat, expulit eum dictis militibus. Hic frater est, qui erat ab omnibus Turcis, ut fertur, magis dilectus, & eum vocaverunt in Imperatorem interfectis omnibus, fertur, his, qui ei favebant, de partibus illis exulare coëgit una cum paucis militibus & nobilibus, qui eum sequebantur. Hic cum non potuisset stare in civitatibus Turcorum subjectis fratri, impetravit salvum conductum à Magno Magistro Rhodis, & eo impetrato ad dictum locum se contulit, & ita retentus fuit. Aliqui dicunt, quod hic sit filius major natu, & quod ad eum spectet Regnum Patris, & quod cum staret in obsidione cum militibus, Pater ejus mortuus sit.

Alter frater in continenti cepit omnia fortalitia & thesaurum Patris; iste vero habebat milites. Et cum appropinquaret Constantinopolim, fecit bellum cum fratre. Et tandem fuit coactus aufugere, quia pecuniæ pro militibus defecerunt. Et cum à dicto ejus fratre insectaretur, timore ne caperetur, voluit se injicere in fortia Christianorum, quam venire in manus sui fratris. Et sic intravit unum oppidum prope Rhodum, & isto modo venit in fortiam dicti Magni Magistri Rhodis. Et hoc est verum. Sentiens frater, qui jam dominium omnium Turcorum ceperat, timens, ne contra eum bellum moveret, eo quod dubitaret propter benevolentiam Turcorum se ab eo succumbere, pactus est cum Christianis existentibus in illo loco, & cum dicto Magno Magistro, ut teneret dictum Magnum Turcum sub bona ejus custodia, nec eum dimitteret, & ea propter eidem pro præmio sive tributo quotannis solvebat quadraginta millia ducatorum, & de hoc bancum & securitatem fecit. Qui cum tenuisset ibi eum per aliqua tempora, putans se facturum rem gratam Regi Franciæ, quia & ipse Francigena erat, illum donavit cum dicta provisione quadraginta millium ducatorum dicto Regi Franciæ, qui Rex tanquam verus & bonus Christianus, ut fertur, ipsum recepit, non tamen ipsum unquam videre voluit, & ipsum postea donavit prædicto Domino Nostro Papæ cum dicta provisione quadraginta millium ducatorum. Et ea de causa ex pacto creavit dictos duos Cardinales Francigenas 1489. die - - mensis Martii.

Eodem Anno & mense die vero 13. Magnus Turcus intravit Romam, & venit à porta civitatis veteris per mare, deinde per flumen Tiberis, & à Papa Romæ ductus est in Palatium Apostolorum apud Sanctum Petrum. Papa donavit ei septingentos ducatos & certas vestes imbroccati, quæ cum ei præsentatæ essent, non æstimavit. Donavit etiam unum equum, & jussit fieri ei honorem. Et comitatus fuit à multis Curialibus, non tamen aliquis Episcopus aut Prælatus interfuit. Dominus Francischettus filius Papæ & Ambasciator Venetorum in medio

dio eum tenuerunt. Et cum equitasset dictum equum, & parum successisset à Ripa fluminis, venit ei obviam Ambasciator Magni Soldani Babylonici, qui propter istam causam huc venerat, ut fertur, & cum vidisset eum, statim projecit se de equo suo, & procidit in terram, & osculatus est terram ter ambulando versus eum. Et cum appropinquasset ei, osculatus est pedem equitis sui, & ipsum salutavit cum magna reverentia, & deinde associavit eum usque ad dictum Palatium.

Die sequenti fecit Papa consistorium, & facta ceremonia ac publicatis dictis Cardinalibus jussit adduci ad se dictum Imperatorem Turcarum. Qui cum venisset, visa tanta hominum multitudine expavit, & cum eo erat interpres ejus, & monitus per Magistrum ceremoniarum, & per dictum interpretem, quod deberet se ter inclinare ac genu flectere, antequam se appropinquaret Pontifici; & deinde procedendo deberet ejus pedes osculari, nihil de his fecit, immo ita superbe incessit, ut nullum æstimaverit, & ne dum quod genua non flexerit, sed caput ejus nunquam inclinavit, neque annuit. Et cum stetisset coram Pontifice, aliqua ad invicem dixerunt, mediante dicto interprete, non tamen fuerunt audita à circumstantibus. Et tandem volens eum Papa licentiare, læta fronte & alacri visu, cupiens ipsum osculari in facie dictum Turcum, qui, adhærendo parum faciem suam, spatulam dextram tantum osculatus est. Sunt qui dicunt, & hoc verum est, quod ipse voluerit osculari Papam in facie, & Papa retrocessit, & tamen ipse tantum spatulam osculatus est, deinde se ad loca destinata contulit.

Similiter quasi fecit Ambasciator Magni Soldani. Nam cum esset monitus, ut ter se inclinaret, & pedem oscularetur, nisi cum esset in ejus conspectu, & cum Papa porrexisset ei pedem, ut oscularetur, ipse non pedem, sed genu tantum supra pedes cum ore aliquantulum tetigit.

Istis temporibus nihil boni Romæ actum est. In civitate enim multa & infinita furta, homicidia & sacrilegia fiebant, intra quæ de Sacristia Ecclesiæ Sanctæ Mariæ in Transtiberino subtracti sunt calices, patenæ, thuribula argentea, & crux argentea, in qua erat de ligno Crucis Domini Nostri Jesu Christi, quod fuit postea repertum denudatum argento in quadam vinea.

Item de Sacrestia Sancti Sylvestri & Sanctæ Mariæ in Via, de multis & infinitis Ecclesiis, & in Sacrestia Sanctæ Mariæ in Via Lata quadam nocte immediate post Pascha 1489. fracta quadam fenestra ferrea latrones tentaverunt intrare quinta hora noctis; Capellanus autem quodammodo miraculose à Spiritu ductus Sacristia dictos fures infugavit.

Facta fuerunt præterea multa homicidia, inter quæ Ludovicus Matthæi & ejus filii contra fœdera & securitatem, quam habebant, interfecerunt in Barberia, dum tondebatur, Andream Mattucii aromatarium, qui omnes nunquam ab Urbe recesserunt. Sunt, qui dicunt, Papam extorsisse ab eis pœnam stipulatam securitatis factæ, & ideo permisisse eos in civitate permanere.

Fertur, & pro veritate affirmatur, & effectus docet, ego tamen Bullam non vidi, quod Sanctissimus Dominus Noster concesserit Stephano & Paulo Margano per Bullam Apostolicam remissionem delictorum & homicidiorum factorum per eos, & cum decem hominibus de sequacibus & complicibus eorum ex quocunque crimine damnati essent, etiam de homicidio, ac etiamsi cum hæredibus occisorum pacem non habuerint, fecitque omnibus eis plenum salvum conductum, ut tam in ejus domo quam in Urbe, & ubicunque reperti essent, Curia sua adversus eos non valeret aliquid dicere, fecitque de ejus domo aliud Asylum.

Item fertur concessum Marino Stephani Francisci de homicidiis commissis per eum & ejus complices pro securitate ejus & domus suæ.

Hoc idem concessit filiis Francisci Busali, qui novercam prægnantem cum fratre eorum nondum nato pugione quodam interemerunt, quibus etiam pro eorum securitate, quia adhuc pacem cum hæredibus & attinentibus occisi non habebant, concessit octo capitali pœna etiam pro homicidiis damnatos, ut tuti & securi in Curia antecederent soli, vel comitati ad eorum velle, intra quos duo sunt, qui ex proposito paulo ante unum pro quolibet interfecerunt, & cum superstitibus occisorum nulla facta est concordia, imo briga & discordia, & quotidie, qui homicidium passi sunt, etiam minus patiuntur. Idem dicitur de multis aliis, de his tamen, de quibus videntur, experientia scripsi. Et tandem tota civitas plena est facinorosis hominibus, qui facto homicidio ad domos quorundam Cardinalium confugiunt, & inde non recedunt, & homicidia, quæ fiunt, pro nihilo æstimantur. In Capitolio nulla vel saltem rara executio corporalis fit, nisi quod per Curiam Domini Vice-Cancellarii aliqui nocte suspenduntur, & mane suspensi reperiuntur apud Turrim Nonæ sine nomine & sine causa. Et hoc ordine vivitur hodie in Urbe 1489. sedente Innocentio octavo.

Fertur præterea, quendam Laurentii Stati tabernarium in Sancta Maria Rotunda interfecisse duas filias, diversis tamen temporibus, & quendam hominem ejus quondam famulum, qui asserebatur jacuisse cum altera earum, ipsumque & fratrem ejus fuisse ex dicta causa captos, & carceratos in Castro Sancti Angeli, ad quem locum quodam mane ivisse executorem justitiæ cum instrumentis ad eum truncandum ex dicta causa, & postea in continenti ipsos excarceratos fuisse; hoc ego vidi. Sed causam excarcerationis audivi, quæ est, quod pro delictis præfatis octingentos ducatos exbursavit, de quibus non fuit emptus ager figuli, qui vocatur ageldama. Et cum semel interrogaretur Vice-Camerarius, quare de delinquentibus non fieret justitia, sed pecunia exigeretur, respondit, me præsente, videlicet: Deus non vult mortem peccatoris, sed magis, ut solvat & vivat. Et ita dixit in Bononia observari.

Ab

Digitized by Google

Ab illo die usque ad mensem Junii 1489. nihil actum est memoria dignum, nisi quod continuo in Urbe vulnera, occisiones, rapinæ & alia similia impune fiebant.

Die ultima dicti mensis, videlicet in Festo Sanctorum Petri & Pauli celebravit solenniter Missam ut consuetum est, deinde publicavit Capitaneum Ecclesiæ Dominum Nicolaum Comitem Pitigliani de gente Ursina, cui cum magno triumpho dedit sceptrum & vexillum Ecclesiæ, in quo actu intervenerunt omnes Cardinales & Prælati, & multi Domini & Barones undique vocati.

Fertur tamen in eadem ceremonia fuisse excommunicatum Regem Ferdinandum ob censum non solutum, cum termino tamen duorum mensium ad solvendum & se reconciliandum.

Fertur etiam in Urbe dictum Regem constituisse Capitaneum suum universalem Dominum Virgineum in Neapoli, eadem die, non tamen adhuc ad aliquem actum deventum fuit, nisi quod circa principium Julii obiit Comes Anguillariæ. Papa misit ibi multos suos causa capiendi illum locum pro Francischetto ejus filio, illi villani incluserant in arce filium Deifebi, quem dicebant, velle in Dominum; fuerunt adjuti auxilio Domini Joannis Jordani Virginei filii. Intravit tandem ibi Archiepiscopus de Cosentia Papæ nepos, vocatus tamen cum duobus famulis, & ibi retentus fuit cum Joanne Jordano prædicto, usque haberetur voluntas Domini Virginei, cujus voluntati se remiserant Villani illi: Interim gentes armatæ Ecclesiæ licentiatæ abierunt, ut dicitur, potius cum ignominia quam cum honore, & parum post octo dies Francischettus prædictus habuit illum locum pacifice nemine contradicente.

Et istis temporibus Imperator Federicus Tertius descendit in partes Italiæ, & posuit se in Verona cum paucis equitibus, forte non minus trecentis, ut fertur, non tamen dicitur extenso modo causa sui accessus & recessus.

Ridiculum quoddam evenit temporibus istis, videlicet quarta Septembris 1489. die Veneris cum alias quidam famulus Domini Falloni, & quidam filius ejusdem Menici Beneaccadati furati essent de nocte pannos, & vestimenta ac mercantias cujusdam Apothecarii in quadam Apotheca, in qua præerat quidam Hieronymus Tuccii dello Rosso, regione Triccii, socius præfatorum furium, cumque venisset ad dicti Hieronymi notitiam de furto facto per dictum famulum, tandem, ut res suas consequeretur, invitavit dictum famulum ad prandium, & cum in eo essent, blando sermone eum interrogaverunt, ut diceret, utrum dicta bona habuisset, & cum sponte in mensa confiteretur, se illa habuisse, fuit monitus, ut restitueret, alias male esset de eo. Qui, cum videret animum ipsorum iratum contra se, accepta occasione à quadam fenestra in quendam hortum animo se ab eis liberandi se conjecit, dictus Hieronymus visa dicta confessione & fuga, ne ille evaderet, ad hoc ut bona ejus non perderentur, ipsum furem persecutus est, & eo capto una cum quibusdam sociis ac etiam colaphis cæso in domum Domini Fabritii Columnensis ligatum conjecit, noluit eum, cum potuisset, ad carcerem Capitolii vel alium ponere, & forte ratione motus cum hodie ex quocunque crimine carcerati sive de furto sive de homicidio, pro quo veniret reus puniendus, pœna capitali, soluta pecunia conventa inter eum & Curiam, liberatur; & nullus eorum, qui se redimendi facultatem habet, ad mortem condemnatur, & si facultatem non habet, furto Dominis minime restituto suspenditur. Quo cum ipse poneretur, motus forte pollicitationibus Domini Falconi; Dominus Fabritius eum relaxavit, promisit tamen dictus Dominus Dominicus Beneauvedutus pater unius ex dictis furibus de toto satisfacere. Cumque bona ipsa existimata essent quadraginta septem ducatis & pluris, Dominus Dominicus à dicto Hieronymo esset requisitus de satisfactione eorum, timens forte, ne quid mali sibi eveniret, tandem dictos quadraginta ducatos solvit in præsentia quorundam fratrum Sancti Dominici in Minerba, qui pro dicto Hieronymo absolverunt dictum Dominicum, & per apocham eorum manus fidem fecerunt, sub isto tenore videlicet: Scimus qualiter Dominicus &c. solvit Hieronymo &c. ducatos 47. pro rebus habitis per - - - - filium dicti Dominici de apotheca dicti Hieronymi. Et cum dictus Dominicus ægre tulisset dictam solutionem, habito colloquio Falcone de dicta re, tandem ipsi una cum Vice-Camerario Protonotario Vignolæ tractatum habuerunt de capiendo dicto etiam Hieronymo, &, ut creditur, de eo cum Pontifice locuti sunt, & tandem habito tractatu secreto in Camera Vice-Camerarii die tertia dicti mensis, Die quarta in aurora cum fustibus & laternis & cum fossoribus domorum dictum Hieronymum cum fratre in ejus domo vi ceperunt, eumque ad turrim Nonæ duxerunt, dicente semper Vice-Camerario his, qui tunc apud eum clamabant, & potissime mater ejus: nolite timere istud, quod fit, fit pro bono pacis, & ut ipse pacem habeat cum omnibus. Cumque ipsum pacifice duxisset ad dictam Turrim, statim accepto laqueo in mercibus ibi existentibus ipsum suspendit, sæpe clamantem & dicentem: Dicite mihi, quid ego mali fecerim? Quare ego morior? Ego nihil feci. Et absque aliqua confessione vel sacramento suspensus est, & quod deterius est, fratre similiter capto, præsente & vidente: qui cum videret se paratum mori, multa verba pia in fratrem conversus protulit, potissime: Frater mi, dicito Genitrici nostræ, quod habeat patientiam, sicut ego, & quod ego sim innocens ipsius mortis. Interim osculatus & amplexus est fratrem ejus eo modo, quo potuit, & cum his verbis decessit. Et præmissis nondum satiatus Falco, qui præsens fuit, & oculata fide prospicere voluit, dum suspenderetur, & Vice-Camerarius, sed magis in eum ob vindictam sævientes, corpus illud per duos dies ibi suspen-

 sum

sum tenuerunt, denegantes illud matri, etiam consanguineis ejus, & quod detestabilius est, secunda die post mortem per famulum dicti Domini Falconi causa ipsius mortis in quadam chartula apud pedes ejus apposita est falsa & mendax tamen. Nam gesta per dictum famulum ei applicata sunt, sed non potuit ita bene aptari, quin mendacium cognosceretur. Frater autem ejus in fundum turris Nonæ conjectus est. Et cum Papa noster de veritate informaretur, fingens se de præmissis dolere, ait, fuisse male informatum, non tamen fratrem ejus propterea excarceravit, nec de præmisso Mariano demonstrationem aliquam aliam fecit. Et sic Dominus Falco de Sinibaldio civis Romanus Protonotarius Apostolicus & dicti Papæ Thesaurarius pro injuria illata ejus famulo de dicto Hieronymo vindictam sumpsit.

Eadem die quarta Septembris Pombardæ existentes in Castello per flumen nostrum ad Castrum Jovis supra Cortam accesserunt contra Ducem possessorem antiquum dicti Castri, contra quod campus Ecclesiæ militat. Sunt tamen, qui pro certo affirmant Ambassatorem Regis Ferdinandi publice coram Pontifice & Cardinalibus protestatum fuisse, ut à dicto bello desisteret, alioquin intendebat dictus Rex, eum pro viribus etiam exposito ejus statu defendere.

Et quia die lunæ proxime præterita Dominus Noster Innocentius in Consistorio excommunicavit omnes & singulos censuarios Ecclesiæ, qui non solverunt debitum censum, quod creditur totum factum fuisse pro Rege Ferdinando, qui non solvit, licet specialiter non fuerit nominatus ibique prædictus Ambasciator dicti Regis coram omnibus quoad interesse dicti Regis appellavit ad futurum Concilium, & petiit dari sibi judices, quibus ipse ostendere intendebat, dictum censum non debere solvi per dictum Regem.

Insuper campus Ecclesiæ, qui est apud Castrum Jovis, prima vice, qua se cum inimicis certaturus repræsentavit, quasi succubuit. Nam inter vulneratos letaliter & jam mortuos plusquam sexaginta ceciderunt. Suntque præterea ex nostris multi capti, quod Castrum non multum post se Ecclesiæ reddidit cum certis pactis, quæ nesciuntur, datumque fuit Francischetto.

Eodem mense in Consistorio publico Sanctissimus Dominus Noster, ut fertur, declaravit Regnum Siciliæ citra & intra Farum ad Ecclesiam pertinere, ipsumque esse devolutum ad eam propter Canonem non solutum, publicavitque bullam, in qua dictum Regem Ferdinandum privatum dicto Regno faciebat, in qua etiam protestabatur, quod si quando contingeret, ipsum nominare Regem Neapolitanum, non propterea ex tali denominatione intendebat ipsum confirmare in dicto Regno. Eodem mense in ejus principio capti & carcerati extiterunt Dominus Dominicus de Viterbio Scriptor Apostolicus, & Dominicus Franciscus Marmente, & multi alii, eo quod fecerunt quasdam bullas falsas. Et comperto maleficio susurratum de ipsis comburendo, quamvis bona eorum illis confiscata fuissent, ea quidem non parvi valoris. Nam ad duodecim millia Ducatorum fertur ascendisse. Eorum supplicium diu tardatum fuit, & quod eorum consanguinei ad duodecim alia millia ducatorum pro eorum liberatione solvere condescenderant, procurante hoc Francischetto filio Papæ, qui dictam pecuniam affectabat, & Vice-Camerario, à qua pecunia se multum alienum ostendit, credo tamen, quod nunc ita non sint Romani, quos non aliter examinato negotio in continenti post capturam suspendit, & quidem sine alia causa, ut supra vidistis. De his tamen nescio, quid faciet. Post hæc fertur Magnum Gentilem de Viterbio Physicum, patrem dicti Domini Dominici misisse schedulam Pontifici pro liberatione filii, in qua fertur obtulisse quinque millia Ducatorum, & quod Pontifex in eadem schedula rescripsit, si vellet solvere sex millia, & ipse posset liberare eum cum suo honore. Deinde 19. Octobris ambos degradavit in platea Sancti Petri, & illico ipsos suspendit, deinde comburi fecit in Campo Floræ. Dubitatum fuit, quare Papa non perceperit pecuniam, & ipsis non pepercerit, sed voluerit ipsos magis comburere, ut fuit declaratum per ipsum Pontificem quod voluisset illos libenter liberare, sed non poterat cum suo honore, & quia fecerunt contra Bullam Papæ exorbitantissimam, & contra Regulas sui Camerarii compensando modo in Francia ad hoc ne crederetur, voluntate ipsius Pontificis factam esse, ut ostenderet se de prædictis nescire.

Quo tempore dictum & affirmatum fuit ab omnibus, & ita est fama in Urbe, Dominum Francischettum filium Papæ lusisse cum Reverendissimo Domino Cardinale sancti Georgii Camerario, qui est Raphael, nepos Comitis Hieronymi, in ejus Camera, & perdidisse summam quatuordecim millium Ducatorum in duabus vicibus, ac Reverendissimum Dominum Cardinalem Abaliensem Francigenam similiter perdidisse summam octo millium Ducatorum, omnesque dictas pecunias prædictum Raphaelem Cardinalem vicisse, qui fuit in hoc fortunatissimus.

Demum dicitur prædictum Dominum Francischettum ivisse ad Pontificem, dixisseque, se esse delusum, sese deceptum in dicto ludo. Et Sanctissimus Dominus Noster Papa misit pro dicto Cardinali, ut iret ad eum, & portaret secum dictam pecuniam. Et dictus Camerarius respondit, se expendisse jam in lignis ac mercedibus fabrorum, & quod destrueret ejus Palatium in platea Sancti Laurentii in Damaso, & illud à fundamentis, potissime quandam turrim ibi in angulo se velle construere, & Palatium ædificare. Quod ita fecit postea, & propterea eam non habere. Et cum Papa eum super eo molestaret, 27. die Octobris quasi in meridiem ab Urbe recessit, asserens se velle ire in Flaminiam, & quod ibi diceretur in Forolivio aliqua scandala evenisse. O scelus infandum! Papa erga omnes avarissimus est, & præcipue erga

d by Google

erga pauperes lectores Studii, quibus rem inauditam interdixit, scilicet ut ipsi, qui creditores sunt pecuniarum eis debitarum pro his solverent usuras mercatoribus. Et quod detestabilius est, ipsi usuris solutis adhuc pecuniam non habent, simplex ne fuerit sententia, centum prodere, & oranti tunicam non reddere servo.

Eadem die 27. Octobris 1489. Virginius Ursinus cepit sceptrum, ut Capitaneus Regis Ferdinandi, & die sequenti fecit monstram omnium suorum commilitonum, dictumque fuit fuisse 14. squatras ita pulchras & divites, & ornatas, sicut unquam alibi visæ fuerunt cum vestibus auratis, argentatis, & cum peltis, posuitque edictum, ut quicunque iret ad videndum, gratis in hospitio reciperetur. Exierunt multi, & quodammodo infiniti, qui non nisi gallinas, & alia similia comederunt.

Die octava Novembris Petrus Paulus de Hardoriis filius spurius quidam Domini Christophori de Forlivio nepotis Cardinalis Mediolanensis acceptis quatuor sociis se contulit in arcem Soriani, ibique proditorio modo interfecit Castellanum & quatuor socios, qui ibi pro Vice-Cancellario erant, & arcem occupavit, quam parum retinuit, quia ingressi & inclusi in quadam Camera absque comestibilibus parum postea se reddiderunt, qui postea à Castellanis succurrentibus dictæ arci à vertice ipsius usque in terram eversi fuerunt, ipse Comes & quatuor ejus socii. Et continuo duo Castra ibi propinqua, videlicet Carbonianum & Giulianellum, quæ erant ipsius, in fortia Ecclesiæ devenerunt hac lege cum Ecclesia habita, ut nullo modo in dominio alicujus privati, sed solum ipsius Ecclesiæ perpetuo esse liceret. Aliud Castrum ejusdem, quod erat in Romaniola, Francisco de Oria donatum est. Et sic finivit progenies de Nardinis. Et in ea locum habuit dictum Apostoli: De male acquisitis non gaudebit tertius hæres, quoniam omnia, quæ tyrannice à dicto Cardinali usurpata fuere, uno ictu perierunt.

Die decima quinta Novembris Domnico Papa recessit ab Urbe, & ivit spatiatum ad Civitatem Ostiensem, & ibi stetit per nonnullos dies, dimisso Magno Turco in sede sua, in Palatio. Et sic verificatum fuit, quod scriptum est per Prophetas: Quod inimicus fidei Christianæ & Machometti primus sedet in cathedra Petri, excluso Pontifice, qui mos est.

Anno 1490. Sanctissimus Dominus Noster construxit, & ædificavit in platea Sancti Petri fontem nobilissimum de lapidibus marmoreis figuratis cum duobus vasis rotundis uno super alio, prout videri potest. Et judicio omnium non reperiuntur similes in Italia.

Die septima mensis damnatus fuit ultimo supplicio quidam Christophorus Castracasse, vel dictus Macrinus de Marchia Anconitana aut de Castro Leonis de districtu Fani. Hic Baro erat, & Dominus illius loci, quem violenter ab illo abstulit Joannes Baptista de Angelis Protonotarius Apostolicus & Commissarius. Jam sunt duo anni. Illud Castrum postea dedit Præfecto Urbis ibi prope moranti apud Sinigalliam. Et ea de causa, ut fertur, dictus Macrinus desperatione ductus accessit ad Magnum Turcum in Constantinopoli, cum quo circa quater locutus est, & ab eo bene visus & tractatus est. Nam in plures vices multa millia Ducatorum illius monetæ donavit. Donavit etiam duas vestes imbroccati auri, & unum adamantem valoris quadragintorum Ducatorum. Insuper promisit donare ei Civitatem Negropontis, ac facere ipsum Capitaneum ducentarum triremium armatarum & multa etiam infinita alia, sed ad effectum traheret, quod facere consueverunt, videlicet, ut dictus Macrinus conferret se ad Urbem, & certum venenum, quod ipse portavit de Constantinopoli in quadam parva ampulla, projiceret in fontem quendam aquæ, quæ extitit parum extra portam viridariam juxta Palatium Papæ ex quo fonte sumebant aquam principaliores de Palatio, & potissime Sanctissimus Dominus, & Turcus alius filius Magni Turci, & frater supradicti Imperatoris Constantinopolitani, qui adhuc in Palatio cum ejus familia permanet, & multi alii de dicto loco. Et erat dictus fons clausus muris, & fenestra lignea, ne aliquid mali fieret. Venenum autem virtutem habebat necandi in capite quinque dierum spatio & non ante. Et cum dicta aqua necare Papam intendebat, & Turcum & omnes, qui ex ea bibebant, prout ipse confessus fuit, dixitque etiam adhuc vivens præfatum Turcum, multos homines, & cum magnis promissionibus Constantinopoli elevasse, adeo ut vix posset evadere Pontifex, & alii; dixitque etiam in dicta conjuratione fuisse quosdam alios, quos sententia condemnationis pro meliori non nominavit. Inter quos fertur quendam fratrem Ordinis Sancti Dominici intervenisse, & ejus dolo Regem Hungariæ in hebdomada Sancta in die Mercurii proxime præterita veneno morte repentina necatum interiisse.

Fuit igitur ductus per Urbem in curru rectus & nudus, & cuidam stipiti alligatus, ac passim ferris seu tenaglis & forficibus infocatis afflictus, deinde ad Capitolium reversus cum sese Domino Nostro Jesu Christo commendasset, quem in pictura ante oculos habebat, à ministro justitiæ repente malleo ligneo magno in capite percussus fuit, postmodum pugione ferreo in pectore, in corde, pluribus vulneribus perfossus obiit, ejusque corpus in quatuor partes divisum, unum videlicet brachium cum capite & medio pectore suspensum fuit apud Portam Castelli, alia pars apud Portam Sancti Pauli, alia apud Portam Sancti Joannis, & reliquæ ad Portam populi.

Et in quinque vel sex proximis diebus sequentibus fuit in Urbe & extra aër turbidus, nubilus & ventosus cum continuis pluviis præter consuetum modum, ita ut multi mirati sint, dubitatumque fuerit, ne ob hoc Christus iratus esset, cum contra exemplum per eum traditum fuerit actum. Nam cum ipse malediceretur,

non

Digitized by Google

non maledicebat, cumque una mandibula cæderetur, aliam humiliter exhibebat.

Fuitque paulo post dictum & affirmatum in Curia, Regem Ferdinandum misisse literas in modum Capitulorum Domino Maximiliano Regi Romanorum, Ipsumque instruxit de vita & moribus Romani Pontificis, & totius Curiæ Romanæ, & de vita filiorum & filiarum ejusdem ac de collatione beneficiorum, quæ non sine pecunia fiebant, ac de luxuria & avaritia ipsius, & tandem de omni eo, quod dicere posset, & de dicta Curia, conjurans eum similiter & requirens, ut juxta posse, & secundum præceptum Dei eis injunctum Ecclesiam Dei collabentem provideret; & quod Papa una cum Cardinalibus per aliquod tempus turbati steterint, non tamen à cœptis destiterint. Nam quotidie in solatiis & triumphis solito more permanserunt in eorum avaritia & injustitia perseveranda. Et licet circa hoc multa potuissent tradi exempla, hic tamen brevitatis causa duo apponuntur tantum.

Primo cum quidam Ludovicus Matthæus Civis Romanus & dives haberet pacem & securitatem cum fidejussoribus, & sub pœna mille Ducatorum de non offendendo quendam Andream Mattuccii, dictusque Andreas permaneret in quadam tonstrina tondereturque à tonsore dictæ Apothecæ, cumque esset paratus cum pannis & reliquis, prout de more fit, Sabbas filius dicti Ludovici proditorie contra fœdera prædicta armatus una cum quodam socio prædictum Andream secure astantem, seu sedentem, paratum cum dictis pannis, tantis vulneribus affecit, ut in continenti mortuus sit. Et cum hoc de mandato Patris fecisse dicatur, pater in continenti exbursavit Cameræ quingentos Ducatos, medietatem dictæ pœnæ, alios quingentos Ducatos deposuit pro heredibus partis offensæ juxta seriem pactorum securitatis & Instrumenti. Sanctissimus Dominus Noster avaritia magis quam justitia motus dictos quingentos Ducatos cepit, & non aliter habita pace ab heredibus defuncti, ut requiritur secundum formam statutorum, dictum Sabam homicidam remisit. Et quod durius est, signavit supplicationem, quod liceret se defendere adversus dictum delictum ad finem, ut mater & hæres dicti Andreæ interfecti partem dictæ pecuniæ sibi tangentem non haberent.

Fuitque etiam factum in dictis temporibus pactum inter Dominum Vice-Camerarium & Dominum Franciscchettum filium Papæ, ut quæcunque pœna veniret confiscanda Cameræ pro delictis, quæ excederet summam centum quinquaginta ducatorum, tota illa esset dicti Franciscchetti, à dictis 150. Ducatis infra ad Cameram Urbis perveniret. Et ita observatum est.

Aliud exemplum ponitur ex eo, quod apud Ripam Romæ, unde vina & mercantiæ veniunt, erant multi Cives Romani, & etiam forenses, qui causa quærendi victum operabantur, ut proxenetæ, circa venditiones dictarum rerum & mercantiarum. Causa igitur habendi pecuniam, eamque subtili ingenio à pauperibus fidelibus Christianis extorquendi contra libertatem Romanam, & causa nova vectigalia imponendi, præfatus Sanctissimus Dominus Noster de consilio quorundam astantium vendidit dictum Officium seu exercitium proxeneticum triginta personis duntaxat pro 200. Ducatis in auro pro quolibet, ut ipsi duntaxat dictum officium exercerent, & non alii sub certa pœna, ita ut ex dictis triginta personis sexaginta centenaria ducatorum receperit in mense Augusti 1490. Et de hoc bullam plumbatam fecit.

Quo tempore cum ipse Pontifex misisset res comestabiles ad Civitatem Beneventi causa custodiendi dictam Civitatem, capti fuerunt à Duce Calabriæ, cum diceret, se melius posse dictam Civitatem pro Ecclesia custodire, quam ipse Papa, ipsos autem captos in galera missos duxit usque ad Terracinam, ibique eos dimissos monuit, ut ne unquam ad instantiam Ecclesiæ ad custodiendam dictam Terram prodirent, alias minabatur eis mortem. Et ita eos dimisit. Fuitque postea dictum prædictum Regem pro se custodire dictam Civitatem Beneventi.

Quo tempore in Urbe Roma quoad casum justitiæ non bene vivitur. Et hujus potissima causa fuit, quod Camera Apostolica vendidit quibusdam Civibus Romanis introitum & exitum Cameræ per novem annos, cum hoc, quod dicti Camerarii de eorum gestis non possent syndicari, nec teneantur reddere computum introitus & exitus toto dicto tempore, pro quo data est occasio malignandi & furandi seu rapiendi, ita quod dicti Camerarii componerent se cum delinquentibus de eorum delictis, & aliquid dato vel promisso, & ut dicitur, antequam maleficia fiant, componunt se cum dictis Camerariis, quantum possit solvi pro delicto. Quo facto & soluto in continenti à Curia assecurati sunt. Et Papa hæc omnia sentit ac patitur.

Fecceruntque dicti Camerarii cum brachio Gubernatoris, rem inauditam. Nam omnes vineæ eorum, qui Romæ habitant, qui propter pœnam spreti mandati Cameræ sunt debitores, vel qui propter aliquod delictum debent aliquid in Camera solvere, vindemiatæ sint à familia Gubernatoris hostili quodam modo, & veluti vineæ hostium, incidendo, devastando, & asportando.

Inter alia quinque, quæ istis temporibus asscribi possunt, est, quod Reverendus Pater Vicarius Papæ in Urbe & ejus districtu, volens, ut decet bonum virum, custodire oves gregis sibi commissi, fecit unum edictum prohibitorium Laicis & Clericis cujuscunque conditionis existentibus, ut de cætero sub excommunicationis pœna, & suspensionis ac privationis Beneficiorum quilibet non auderet retinere concubinam, nec publice nec secrete, cum diceret, id verti in præjudicium Divinæ Legis, & contra honestatem Sacerdotalem, cum multi & quasi infiniti etiam retinerent tam magni Prælati, quam etiam simpliciter Clerici, propter quod bene vivendi modus - - - judicabatur, minuebantque Laicis fidem & devotionem. Quod cum Sanctissimus Dominus Noster audivit, accito

Google

cito ad se dicto Episcopo Vicario, eum de præmisso interdicto acriter momordit, fecitque illud in continenti removeri, cum diceret, illud prohibitum non esse, propter quod talis effecta est vita Sacerdotum & Curialium, ut vix reperiatur, qui concubinam non retineat, vel saltem meretricem, ad laudem Dei & fidei Christianæ. Et ea forte de causa numeratæ sunt meretrices, quæ tunc publice Romæ sunt, ut ex vero testimonio habetur, ad numerum sex millium & octingentarum meretricum, exceptis illis, quæ in concubinatu sunt, & illis, quæ non publice, sed secreto, cum quinque vel sex earum exerceant artificium, & unaquæque earum vel unum vel plures habeant lenones. Consideretur modo, qualiter vivatur Romæ, ubi caput fidei est, & quomodo regatur Civitas Sancta.

Die vigesima septima Septembris hora 19. factus est tumultus maximus in Urbe, & omnes apothecarii clauserunt suas apothecas, & qui erant in vineis & in campis, fugiendo reversi sunt, & omnes tam cives quam advenæ arma ceperunt, quod pro certo affirmabant Innocentium esse mortuum.

Et hæc fama orta est ex eo, quia Dominus Francischettus filius ejus videns eum laborare in extremis, secreto modo tentavit habere Thesaurum Ecclesiæ, & cum non potuisset obstantibus illis, qui Papam gubernant, tentavit diripere Magnum Turcum, qui in Palatio Papæ præerat, illumque consignare Virgineo Ursino & Florentinis, & Virgineus Regi Ferdinando, ut publice dictum est. Ad quem effectum hoc facerent, pro nunc nescitur.

Sequenti die Cardinales, qui in Urbe erant, venerunt mane summo ad Palatium, ubi Papa erat, & graviter ægrotabat, & volentes consulere Ecclesiæ & bonis ipsius, fecerunt Inventarium de bonis Papæ, quamvis bona pars eorum assumpta usque ad Florentiam transmissa fuisset per dictum Francischettum. Et quod inventum fuit, datum fuit Cardinali Sabellio, qui per aliquod spatium in Palatio permansit, & non multum post recessit rebus dimissis.

Fertur inter alia fuisse repertum, in una capsa octies centum millia Ducatorum, & in alia capsa in Castello tria centena millia Ducatorum. Et cum meliuscule se haberet Papa, dixit illis, qui eum custodiebant, se habere spem, posse videre mortem omnium dictorum Cardinalium, & quod credebat, illos affectare mortem ipsius.

Die 26. Octobris noctis tempore cecidit fulmen in Campanile Sancti Petri, indeque amovit quandam columnam, deinde descendit in Cameram Archiepiscopi Aleriatensis nepotis Papæ, & combussit circumquaque ornamenta lecti, & ipsum non tetigit, descendit postea ad quandam fenestram, & parum damni fecit.

Die 20. Novembris Papa recessit ab Urbe ivitque ad Civitatem Ostiensem, ubi fuit benigne susceptus à Cardinali Sancti Petri ad Vincula, deinde à Vice-Cancellario in Civitate Portuensi, ubi per decem dies triumphavit, deinde ad Urbem reversus est.

Die ultima mensis, videlicet in die Sancti Andreæ Apostoli Ambasciator Magni Turci Constantinopolitani ingressus est Urbem, cui obviam ivit familia Papæ & omnium Cardinalium, & infiniti homines. Et venit cum centum & viginti millibus Ducatorum, & cum multis ac nobilibus gemmis & margaritis, & opulentissimis donis, portavitque ea pro tributo, ut fertur, trium annorum, ad computum quadraginta millium Ducatorum pro quolibet anno, quos ipse promisit Papæ, solum ut retineret alium Turcum fratrem dicti Magni Turci, qui est in Palatio. Utinam hæc non pariant aliquid mali Ecclesiæ Dei!

Et data fuit ei audientia à toto Collegio, & in secretis. Itaque nescitur punctualiter, quid exposuerit. Fertur tamen inter homines, inter alia obtulisse Papæ & Ecclesiæ Dei, ut retineret dictum Turcam, & pro censu se daturum quadraginta millia Ducatorum quolibet anno, quousque ipsum retinuerit.

Item obtulit pacem & perpetuam securitatem, & fœdus inter Christianos & Turcos, ut qui Christiani de cætero possent ire & redire in Terras ejus libere & absque timore.

Ex eo fertur Ambasciatorem Soldani Babyloniæ obtulisse Pontifici pro salute & restitutione dicti Turci primo numerum quadraginta millium Ducatorum, item Terram Hierusalem, quam pollicetur perpetuo sub dominio Christianorum. Item securitatem & libertatem omnium Christianorum volentium ire ad dictam terram, ut absque aliquo Datio & solutione ire & redire possent. Item se omnes Terras, quæ acquiruntur per eum, & dictum Turcum, qui est hic de Terris Imperii alterius Turci & fratris sui, quæ fuerunt quondam Christiani Imperii, etiamsi esset Constantinopolis, dictæ Ecclesiæ & Christianis restituturum.

Et multoties super hoc habitus fuit tractatus in Palatio cum Cardinalibus. Tandem octava vel nona Decembris dictus Ambasciator Turcæ impetravit à Papa audientiam à Magno Turco, eo quod diceret, se nolle solvere tributum prædictum, nisi eum oculata fide videret. Et ita dixit, se habuisse in mandatis, ne forte diceretur vivus, & mortuus esset.

Et cum hoc nunciatum esset dicto Magno Turco, non prius voluit dictum Ambasciatorem recipere, & ei audientiam dare, quam quod ipse ornatus, ac sedens triumphaliter in solio Regali more Imperatorum eum admisit.

Itaque supradicta die ornatæ fuerunt aulæ & portæ superiores Palatii Papæ Tapetis & aulæis, & ut melius dicam drappis aureis, undique & etiam per terram, ita ut nunquam fuerint visa Romæ similia ornamenta. Et dictus Turcus sedit in quodam solio, quod dedita opera fieri fecerat more Turcorum, & quidem dictis ornamentis opulentissimis ornatum, & ipse ibi modo Regali, & in Majestate sua circumcirca astantibus aliis Turcis, & duobus tamen Christianis, videlicet Cardinali Sanctæ Anastasiæ, Nepote Domini Nostri & Archiepiscopo Aleriatensi alio Nepote. Et adveniente dicto Ambasciatore servatus est iste ordo: Nam antequam dictus

Digitized by Google

ctus Ambasciator intraret ostium aulæ, ubi dictus Turcus pro tribunali sedebat, quidam Turcus de adhærentibus & circumstantibus dicti Turci accessit ad eum, & cum uno panno lineo in ostio dictæ aulæ à capite usque ad pedes cum dicto panno extersit, perinde ac farina vel pulvere fuisset repletus, quem pannum postea dicto Ambasciatori osculandum tradidit. Deinde dictus Ambasciator intravit, ac tribus vicibus in conspectu dicti Turci projectus, & prostratus in terram, diversis tamen locis, terram ipsam osculatus est, ultima tamen vice ante dictum Turcum genu flexus & inclinatus extitit, & tacuit, fecitque ei dici Turcus, nequid nisi ad interrogata responderet. Et ita fuit dixitque Turcus in lingua sua, utrum literas haberet? Qui Ambasciator in continenti de loculo suo quandam epistolam clausam & sigillatam traxit, & ostendit.

Et in continenti, antequam eam traderet, totam ab omnibus lateribus ejus lingua sua lambunt, deinde aspicientibus duobus ex dictis Turcis clausuram & sigillum ipsum, & Ambasciator eam aperuit & dissigillavit, & eam apertam iterum intus & extra, & à tergo sua lingua lambit. Quo facto præfati duo Turci dictam epistolam ceperunt, eamque ad aurem dicti Magni Turci legerunt. Quid continuerit in se dicta epistola, nescitur. Et in continenti lectis literis dictus Ambasciator posuit manum ad munera, quæ frater ejus ei mittebat, videlicet ad quasdam petias drappi imbroccati, & ad quædam ornamenta. Turcus ipse manu annuendo, ut retrocederet, ea videre voluit, ipsa tamen dona per suos accepit & admisit, deinde repulsis omnibus, qui ibi erant, multa invicem locuti sunt, quæ à nostris minime audita aut intellecta fuerunt.

Et est notandum, quod in illa die, qua hoc actum fuit in Urbe, nunquam visus fuit aër ita turbidus, ita impetuosus, sicut fuit ille. Nam aliquando pluebat, aliquando ningebat, & aliquando grandinabat ventis semper afflantibus cum magno frigore & cœcitate seu obscuritate.

Et paucis diebus post, ut dicitur, Turcus fecit magnum convivium, & invitavit dictum Ambasciatorem cum sua comitiva.

Ante penultimam diem dicti mensis capti fuerunt duo filii Francisci Buffali, videlicet Hieronymus & Petrus, unus quidem larvatus, & alius non, fuerunt ducti in Castrum Sancti Angeli. Sequenti nocte mandato Papæ, quod à Brevi contento & ostenso, septima hora noctis decapitati, & exhibiti sunt in Ecclesia Sancti Celsi. Quid fecerint, nescitur. De quo omnes mirati sunt, attenta benevolentia & amore, qui ostendebatur inter Papam, Vice-Camerarium & totam Curiam & dictum Franciscum.

Apparuit temporibus istis Cometa in cœlo, qui stabat super Ecclesia Sancti Petri, paucis diebus tamen duravit.

Et homo quidam ratione incognitus indutus veste vili more mendicantium per Urbem in plateis ascendebat loca eminentia, & vocabat ad se homines, & dicturum se aliquid super Evangelio pollicebatur. Et cum accurrisset ibi copia hominum, reducebat ad concordiam Testamentum Vetus usque ad Novum, & dicebat multa bona & subtilia verba, per quæ demonstrabat se literatissimum & eloquentissimum, & habebat omnia convenientia vero Oratori. Et inter alia narravit omnes Prophetas ab initio usque ad tempora Christi. Et dixit, quod, dum prædicti Prophetæ prophetizabant populis, gentes non crediderint iis, immo illos pro stultis reputarint. Sic, dixit, faciatis de me, sed contentor, ut reputetis me stultum, usque quo videatis ea, quæ nuncio vobis, evenire. Dico vobis, ò Romani, in hoc præsenti Anno 1491. flebitis multum, & tribulatio erit super vos propter occisiones & sanguinem, quia multi ex vestris hoc anno occidentur. Et aliqua causa erit propter tribulationem, quam expectatis. Cives potentes celabunt frumenta, pauperes, & familiæ insurgent & irruent in vos, & erit tribulatio multa. Anno autem sequenti tribulatio incepta extendere per Italiam. Et eo Anno Florentia & Mediolanum & reliquæ civitates libertate privabuntur, atque sub dominio alterius vivent. Veneti vero omni eo, quod in terra possident, spoliabuntur. Tertio anno 1493. Clericus absque temporali dominatione reperietur, eritque tunc Angelicus pastor, qui solum vitam animarum & spiritualia curabit. Hæc dico vobis, credite *mihi*, *quia* cum venerit tempus, sciatis, quæ *futura sunt*. Tunc non vocabitis ulterius me stultum. Et eo dicto, recessit. Et portabat in manibus Crucem ligneam & parvam.

Et quamvis aliis temporibus hæc improbata consuetudo inolevit, isto tamen anno magis cæteris viguit quod unusquisque Cardinalis in Carnisprivio sumptuosissime in carris triumphalibus, ac etiam equitibus cum jubis & sonis larvatos, & mascaras per Urbem miserint potissime ad domum aliorum Cardinalium cum pueris cantantibus ac dicentibus verba lasciva & eis delectabilia, cum buffonibus & histrionibus, & aliis indutis non panno lineo vel lanæ, sed serico & imbroccato auri & argenti, in quibus maxima Ducatorum copia consumpta fuit, ex quo intrepide dicere & judicare possimus misericordiam Dei nostri in luxuriam & opus diabolicum conversam esse.

Die prima Junii 1491. Reverendissimus in Christo Pater & Dominus Ardicinus della Porta Cardinalis Aleriensis quarta vel quinta hora noctis vocavit ad se omnes suos domesticos, & tandem exhortatus est quibusdam verbis bonis, tradiditque fratri suo unam chartulam, quam scripserat manu propria, quam dicebat esse suum Testamentum, exhortatusque eum, ut rogaret Dominum Nostrum Papam, ut acquiescere eis, quæ ibi scripta erant. Qui dicebat, se bona omnia distribuisse inter eos, ac dicto ejus fratri reliquisse residuum. Et cum lacrymantibus omnibus interrogaretur, quo vellet ire? nihil de hoc aperuit, nisi quod accepit quinque ex ejus famulis, inter quos erat Dominus Nicolaus ejus Secretarius, & equitavit cum his quinque, & re-

Digitized by Google

& recessit ab Urbe, non ut Cardinalis, sed ut simplex Clericus.

Et nulla causa recessus haberi potuit, nisi quod volebat intendere animæ suæ, & quod sibi persuasit, quod retinendo dictam vitam non possethalvus fieri. Scitum est tamen, eum ivisse in Montem Oliveti in Territorio Senensi, & manere in quodam ejus Monasterio Fratrum Sancti Benedicti, & Papam scripsisse ei de reditu, ac ipsum obedire noluisse; demum mandasse ei, ut Cardinalatus habitum non dimittat sub excommunicationis pœna. Die 18. ejusdem mensis reversus est, stetitque in ejus domo, quod levitati magis, quam bonitati & sapientiæ adscriptum fuit.

Post quæ visæ sunt stellæ in cœlo in meridie prope lunam, quæ parum ibat ante solem, & quod erat viginti quinque aut viginti sex dies lunæ, propter quæ omnes mirati sunt.

Die 6. Junii occisio magna fuit in Perusino, forte major, quam fuit à 400. annis citra. Nam cum pars eorum, quæ exulabat cum complicibus, & vocabatur delli Oddi, plures promissiones habuisset ab Ecclesia Summoque Pontifice super reconciliatione & reversione in dictam Terram, & nunquam esset aliquid observatum, supra dicta die dicti exules cum auxilio Comitis Urbini, &, ut fertur, Pontificis, secreto tamen modo quarta hora noctis Perusium intraverunt, sperantes habere etiam auxilium à quibusdam civibus, cum eis intelligentiam habentibus. Qui tandem ceperunt omnia loca fortiora dictæ Civitatis. Et postea audita re insurrexerunt, qui intus erant, & vi & armis in eos irruerunt. De his, qui exulabant, mortui sunt Dominus Fabritius Protonotarius, Dominus Rodolphus Prælatus, qui erant Duces hujus factionis, & ex aliis plusquam quinquaginta fuerunt interfecti & capti, & in continenti suspensi, ultra centum de numero vulneratorum, de quibus non habetur certitudo. Et quia ad invicem alligati erant, parentatis, filius eorum, qui exulabat, nomine ---- stabat in domo de Balionibus, in illo conflictu captus ac ductus ad Palatium Priorum, ubi aliquibus vulneribus perfossus tandem decapitatus est in platea majori. Abbatiam quandam, & Beneficia omnia, quæ habebant dictus Protonotarius & Rodulphus interfecti, in continenti Papa contulit filiis alterius factionis, nescio si motu proprio vel ad partis petitionem, absque tamen aliquo ipsius intervallo. Et Papa non aliter providit, nisi quod in continenti misit Capitaneum Ecclesiæ Comitem Pitilianum ad obviandum majoribus, quæ possunt fieri.

Die nona Junii tempestas in aëre talis fuit grandinis grossissimæ, ut destruxerit magnam partem vinearum Urbis. Et in hyeme dicti anni tot & tanta fuerunt frigora, ut arbores omnes Melangolorum & citrorum exsiccatæ sint.

Mense Augusti homines Castri Ansidæ in Marchia tumultum inter se fecerunt, & Commissarius Officialis Papæ interfectus est. Cucurrerunt postea ad arcem causa capiendi eam, & non potuerunt. Asculani tamen vicini ibi accesserunt ad illum locum causa capiendi eum, præbueruntque auxilium illis rebellantibus. Papa misit ad eos Legatum Marchiæ, qui est Cardinalis Abaliæ, quem recipere noluerunt. Et sic rebelles facti sunt Ecclesiæ, & Papæ obedire recusant. Quare Papa misit ad eos campum Ecclesiæ, qui se tandem in deditionem dederunt Ecclesiæ, quos Papa postea multavit, & fertur, pœnam posuisse in reparationem tecti Sancti Joannis Lateranensis Ecclesiæ, ut in columnis, & arcu ante Apostolos, & in tecto.

Die 23. Augusti cœptum fuit opus Sanctæ Mariæ in Via lata, videlicet destruere dictam Ecclesiam, & aliam novam ædificare cum demolitione arcus triumphalis, supra quem in aliqua parte ædificata, in cujus Ecclesiæ fabricationem fertur Papam obtulisse Ducatos quadringentos, Vice-Cancellarius trecentos, Camerarius ducentos, residuum Magistri Architectores, cum hoc, quod marmorea & lapides Tiburtini, qui reperiuntur, sint ipsorum.

Die sequenti 24. remotum fuit altare majus, quod erat in dicta ecclesia, ubi erat una capsa porfidea longa, in qua repertæ fuerunt multæ reliquiæ Sanctorum, potissimum in uno sacculo panni linei de reliquiis multorum Martyrum, Sanctorum Hippolyti, Darii corpus & sociorum, ubi est scriptum in pergamena de dictis reliquiis cum commemoratione, quod ibi conditæ fuerint per Leonem Nonum, qui fuit tempore Henrici Sexti 1049. cum multis Episcopis & Cardinalibus: item alio sacculo similiter lineo de reliquiis aliorum Martyrum cum intitulatione & inventione in charta membrana: item in alio sacculo aliæ reliquiæ multorum Sanctorum & Martyrum sine nomine: item in una capsa lignea de vestimentis Sancti Joannis Baptistæ, unum os Sancti Philippi: item in quodam Bussoletto parvo de vestimento Christi inconsutili: in quadam capsula lignea parva multæ reliquiæ in panniculis involutæ de Ligno Crucis, de spongia Christi, de vestimento Beatæ Virginis Mariæ, & de multis aliis reliquiis aliorum Sanctorum: item reliquiæ Sancti Stephani Martyris, de terra sepulcri Christi vel Beatæ Virginis: demum in una capsula longitudinis duorum palmorum cum dimidio, & latitudine unius palmi cum dimidio, fuerunt inventa ossa Sancti Agapiti involuta in uno panno cum literis scriptis in una lamina plumbea, dicentibus: Istud est Corpus Sancti Agapiti. Quæ omnia fuerunt reposita in dicta conca porfidea, ubi prius erant. Et dicta conca fuit posita in Ecclesia Sancti Cyriaci, ubi destinatum est fieri altare majus, & ibi retinere cum custodibus.

Eodem tempore Baptista Capoccius interfecit Antoninam ejus matrem in lecto repertam cum Bernardo Magistri Antonii Notario concumbentem cum eo. Et ambo cum capite securis interfecti fuerunt, & nudi in eodem loco reperti extiterunt.

Die primo Februarii 1492. venerunt nova de partibus Africanis, dictumque fuit, qualiter Rex Hispaniæ habuerit victoriam de Granata, ipsamque ceperit, & dominatus sit, & eam fuis-

se captam pactis omnibus & fœderibus. Nam jam diu ante oppresserat eam; quibus autem pactionibus, non bene scitur apud nos.

Eadem die miraculum in Urbe fuit. Nam cum Cardinalis Sanctæ Crucis, qui est Mendosius, ut dicitur, sua impensa faceret incrustari & dealbari Ecclesiam prædictam, quando operarii tetigerunt summitatem arcus existentis in medio Ecclesiæ juxta tectum, ubi adhuc sunt duæ parvæ columnæ, senserunt ibi certum vacuum, cumque aperuissent, invenerunt unam parvam fenestram, in qua erat una capsula plumbea duorum palmorum bene clausa, & super ea erat lapis quidam quadrangularis marmoreus, ubi erant sculptæ istæ literæ, videlicet: Hic est titulus veræ Crucis. In qua capsula reperta fuit quædam parva tabula longitudinis unius palmi, quæ ab uno latere erat commissa, & vetustate corrosa. Ibique erant cavatæ, & deinde colore rubeo tinctæ infra scriptæ literæ sive verba: Jesus Nazarenus Rex Judæorum, sed illius Judæorum non erat perfectum, quia illud unum non erat nisi usque ad R. inclusive, illud non ceciderat, ut dixi, quia erat ea parte corrosa, & vetustate defecit. Et primus versus erat in hoc scriptus literis Latinis, secundus versus literis Græcis, & tertius literis Hebræis. Ad quem locum quasi tota Urbs accessit, & Papa Innocentius etiam post triduum vidit eam, jussitque eam permanere in dicta capsula cum quadam lamina vitrea super altare in festivitatibus dictæ Ecclesiæ. Et est omnium æstimatione tabula illa, quam Pilatus posuit, in Cruce super Caput Domini Nostri Jesu Christi, posita ibi per Sanctam Helenam matrem Constantini, tempore, quo fuit dicta Ecclesia ædificata.

O facinus indignum dicto Anno & Mense Aprilis in hebdomada sancta, quando gentes ibant ad Sanctum Petrum die Jovis de mane, cum quidam ex satellitibus Gubernatoris habitans in domo dicti Gubernatoris mane summo iret ad latrinas mingendi causa, cumque mingeret, invenit in dicto loco videlicet in ore dictæ latrinæ certum quid, quo mediante stercora non poterant penetrare intus. Et cum ipse magis advertisset, cœpissetque manu causam impedimenti quærere, cepit & extraxit unum frustum carnis, & putans illud esse porcinæ, ait inter se: Lavabo illud & comedam. Cumque iterum posuisset manus, invenit plura frusta carnium cum ossibus, cumque diligentius inspexisset, cognovit, quod esset caro hominis, & continuo acclamavit, & vocavit socios. Cumque venissent, & extraxissent aliqua frusta, quæ ibi projecta erant, & ob magnitudinem non possent foramen illud, quod erat arctum, penetrare, invenerunt ibi fuisse hominem interfectum, ac frustatim incisum, dicto loco projectum, posuerunt dicta frusta in vase ligneo, deinde laverunt, & invenerunt fuisse hominis juvenis, propter genitalia & membrum virile, quæ ibi erant cum parvis pilis, & quidem juvenilibus. Et deinde fracta latrina pro inveniendo capite & cæteris membris, non fuit de eo locutum ulterius, nisi quod dictum fuit, quod essent membra diversarum personarum. Cumque hoc publice sciretur, ad detegendum, vel ad excusandum die Dominica, videlicet die Paschatis, & secunda die dicti mensis missum est Proclama per Urbem: Quod si aliquis sciret, qui fecisset illud, & revelaret, lucraretur centum Ducatos, quos asserebat præco fuisse depositos apud Camerarium Cameræ Urbis; & si fuisset unus de complicibus, parceretur ei. Sed hoc non oportebat fieri. Nam in domo Gubernatoris erat, qui hoc fecit. Nam factum fuit nocte illa, & janua clausa, in qua non erant nisi domestici. Et dismembratus fuit ante os latrinæ, quia in eo erat sanguis, supra quo erat ibi pulvis ejectus, ne videretur per transeuntes. Post vero fuit repertum, quod esset quidam Alexander Florentinus, qui visus fuerit ludere ad Ducatos in domo dicti Gubernatoris. Et fertur fuisse Mastellettum unum ex Officialibus dicti Gubernatoris, cum quo erat solitus ludere dictus Alexander. Nulla tamen demonstratio ex eo fuit facta. Post triduum Mastellettus recessit ab Urbe.

Eodem mense in Apulia apud Brundusium miraculose repertus fuit quidam liber sub terra, clausus cum tabulis plumbeis, in quarum una erat formata Crux Domini, cum literis, videlicet: C. R. A. T. & in alia erant literæ, videlicet: Cataldus Rau, Archiepiscopus Tarentinus. Et non aperiatur, nisi per Regem cum *fideli suo*. Qui liber fuit portatus ad Regem *Ferdinandum*, qui noluit illum aperire, priusquam constaret per veras probationes, quod talis liber esset antiquus, & quod miraculose repertus fuisset. Nam Cataldus, qui inter Sanctos deputatus est, fuit tempore, quo fuit etiam Joachimus Abbas, qui scripsit de Pontificibus futuris usque ad nostra tempora. Nam dictus Joachimus fuit de Anno 1175. Modus autem, quo fuit repertus, fuit talis, videlicet, quod in quadam Ecclesia dicti loci erat quidam Presbyter bonæ vitæ, cui in somnis venit dictus Sanctus Cataldus bis nuncians ei, ut ipse Presbyter una cum Episcopo illum locum foderent in dicta Ecclesia, ubi erat quædam imago Virginis Mariæ cum Christo infante in brachio, qui Christus respiciebat, & digito ostendebat locum faciendæ fossionis, dixitque ei in somnis, ut librum, quem invenirent, portarent ad Regem aperiendum. Cumque dictus Presbyter esset negligens in hoc, fertur præfatum Sanctum Cataldum visibiliter ei apparuisse, mandassèque ei aliqua inter signa, quæ habuit à dicto Sancto Cataldo. Et postea accedentes & fodientes invenerunt librum prædictum, quem in continenti portaverunt ad dictum Regem. Qui Rex tanquam incredulus præmissorum, ipsum Episcopum & Presbyterum carceravit quos postea cognita veritate, quod hoc non fuisset fraus, dimisit. Nescitur tamen, in dicto libro quid contineatur.

Die 27. Maji 1492. intravit Urbem Princeps Capuæ, filius Ducis Calabriæ, filii Regis Ferdinandi cum nongentis equitibus, & cum ducentis sexaginta mulis oneratis captis, * & rebus. Et fuit ei factus magnus honor, quia duo Car-

Cardinales venerunt obviam usque ad Portam Lateranensem, & in Palatio fuit receptus à Pontifice & cæteris Cardinalibus. Et dum stetit hic, fuit invitatus à Cardinali Ascanio ad cœnam, quæ duravit à XX. usque ad quintam horam noctis, qua fuerunt tot, & tanta magnitudine, & res sumptuosæ, ut hic recitare esset impossibile, & si recitaretur, esset incredibile, & nostra recitatio ab omnibus incredibilis haberetur. Satis est, quodsi veniret Rex Franciæ aut alius similis non potuisset plus fieri. De causa sui adventus nihil dicitur clare. Quando recesserunt ab Urbe, asportaverunt linteamina & aulæa, quibus usi fuerunt in Palatio, & furati sunt, quicquid potuerunt. Et Papa dabat pro victu carnes, & ipsi, quod super erat, vendebant in Burgo. Et similiter fecerunt Domino Fabritio in Castro Marini.

Die ultima mensis Maji in die Ascensionis intravit Urbem Orator Magni Turci, qui donavit lanceam, vel ferrum lanceæ Longini, cum quo fodit latus Domini Nostri Jesu Christi in Cruce. Fuit recepta à Pontifice & toto Clero processionaliter ab Ecclesia Sanctæ Mariæ de populo usque ad Sanctum Petrum. Et erat inclusum dictum ferrum in quodam tabernaculo pulcherrimo Cristalli, cum pede & aliis ornamentis puri auri. Et fuit res magnæ existimationis. Et cuspis ejus est apud Regem Franciæ, prout ipsemet Turca nunciavit Papæ per dictum suum Oratorem.

Mense Junii hebdomada secunda Collegium Dominorum Cardinalium incluserunt Magnum Turcum in arce Sancti Angeli, illumque diligenter custodiri fecerunt, & hoc timore mortis Pontificis.

Die lunæ 16. dicti mensis præfatum ferrum, quo fuit Dominus Noster Jesus Christus perfossus, præfati Cardinales & Collegium de Camera dicti Pontificis in Ecclesia Sancti Petri in loco, ubi inclusum est sudarium, una cum dicto sudario collocaverunt. Et factum fuit Inventarium bonorum Ecclesiæ.

Eadem die Vice-Camerarius Bartholomæus Marinus Mutinensis non confidens de domo sua timore tumultus Romanorum, qui solent fieri in morte Pontificis cum omni sua familia & bonis ad habitandum cum Ludovico Matthæi, qui tunc temporis erat Conservator, se contulit, putans, ibi securum se posse permanere, qui post aliquos dies in Palatio Papæ se induxit, habitavitque, ne videretur, in viridario, in loco, qui dicitur Belvedere.

Interea in Urbe nunquam cessarunt tribulationes & mortes. Nam in primis tres pueri decem annorum è venis, quorum Judæus quidam Medicus, qui Papam sanum reddere promiserat, sanguinem extraxit, in continenti mortui sunt. Dixerat namque Judæus illi, se velle sanare Pontificem, dummodo habere posset certam quantitatem sanguinis humani. Et quidam juvenis, quem propterea extrahi jussit à tribus pueris, quibus post phlebotomiam unum Ducatum pro quolibet donavit. Et paulo post mortui sunt. Judæus quidem aufugit, & Papa sanatus non est.

Item multæ in Urbe fiebant occisiones & rapinæ de die & de nocte, & vix præteribat dies, quin aliquis occideretur. Multos hospes quidam sic dictus mortuus & dirobatus una cum ejus nepte fuit.

Et tandem dicto tempore, neque Senator neque Vice-Camerarius neque aliquis Officialis Urbem custodiebat, propter quod tantorum malorum & facinorosorum hominum confestim repleta est, ut vix dici possit, cum absque alicujus superioris timore permanerent.

Die 22. Julii Prosper Columna, Joannes Jordanus filius Virginei Ursini, qui apud Cardinalem Sancti Petri ad Vincula divertebantur, cum multis aliis Baronibus & Civibus Romanis accesserunt ad Palatium Conservatorum, & ibi eos allocuti sunt, cum quibus non erant Capita regionum, dixeruntque & notificarunt dictis Officialibus & Civibus, Barones esse concordes diligere quam plurimum Populum Romanum. Ac propterea se eorumque castra & bona omnia offerebant pro salute Populi, rogabantque eum, ut si contingeret casus mortis Papæ, & ipsi jungerent se auxilio eorum, quo pro arbitrio uterentur. Et è converso Conservatores & Cives obtulerunt eis, quicquid posset offerri. Qualis autem sit salutatio hæc, hucusque nescitur.

Die 25. Julii in die Sancti Jacobi sexta vel quinta hora noctis mortuus est Innocentius Papa octavus, cujus anima requiescat in pace.

Et cum discordia fuisset inter Camerarium & Officiales Urbis de creando unum Marescallum pro qualibet regione, & custodes portarum & pontium, quia quilibet ipsorum volebat eligere, tandem Camerarius, volens tenere consuetudinem Romanorum antiquam, nec privilegiis Civium derogare, voluit, ut per singula capita Regionum portaretur fides Civium Romanorum antiquorum attestantium, hoc ad Officiales pertinere. Et ita factum est. Cumque dictus Camerarius haberet notitiam de prædictis, & quod ad se non spectabat, eligeret, insurrexerunt quatuor cives de nostris, videlicet, Laurentius de Marcellinis, qui ad præsens est Prior Capitum Regionum, Franciscus Tedei, Jacobus Alberinus & Jacobus Gallus, putantes, rem gratam facere Camerario impetuose magis quam juridice electionem ipsam ad Camerarium ipsum dederunt, dictosque Officiales elegerunt contra jus & antiquam consuetudinem, ac quod deterius est, voluntatem reliquorum Capitum Regionum. Et hi fuerunt electi, qui magis grati fuerunt Camerario, & etiam non idonei. Et non est mirum, si Romani non habent, quia ipsimet sunt causa, dum pro eorum privata utilitate contra civitatem & bonum commune faciunt. In continenti quo fuit mortuus, mirum fuit in Urbe. Nam ubi prius durante ipsius infirmitate infinita facinora fiebant in Urbe & extra, homines quidem cædebantur & occidebantur, & disrobabantur, in continenti fuit sedata res, ut post ejus mortem tanta fuerit quies in Urbe, ut omnes mirarentur. Sed parum duravit.

Google

Die 26. Cardinales, antequam deducerent ejus corpus ex Palatio, ſteterunt ſimul colloquentes de admiſſione novi Cardinalis, videlicet filii Domini Roberti de Sancto Severino, qui per aliquos dies ante ſteterat cum Fracaſſo ejus fratre apud Sanctam Anaſtaſiam extra Portam Sancti Pauli cum multis & infinitis militibus baliſtariis & peditibus, & inſtabat pro Cardinalatu ſibi promiſſo ab Innocentio & toto Collegio, quem in continenti Collegium admiſit, fecitque eum Cardinalem, dando ei Capellum rubeum, & locum in Conſiſtorio inſtante Fracaſſo ejus fratre cum bulla prædicta in manu. Ipſe autem eſt homo aptus magis ad arma, quam ad ſacra, ſtatura magnus. Et non fuit Epiſcopus, neque Protonotarius, ſed tantum Subdiaconus. Et vocatus fuit Cardinalis Sancti Severini. Et in continenti poſt portaverunt corpus Innocentii in Eccleſiam Sancti Petri.

Die 28. hora quinta noctis Vignola, qui fuit Vice-Cancellarius, aufugit à loco, ubi erat, & contulit ſe ad Caſtrum Vatralæ, & hoc quia intellexit, Romanum Populum velle petere à Collegio, ut de geſtis in ejus officio ſtet ad ſyndicatum.

Die prima Auguſti Populus Romanus porrexit in Sacriſtia Sancti Petri Capitula Collegio, quæ petiit obſervari. Et fuerunt lecta, & data ſunt bona verba per Vice-Cancellarium in nomine omnium Cardinalium.

Eadem die intravit Urbem quidam Frater Albus, qui ſunt apud Eccleſiam Sanctæ Mariæ novæ, quem dixerunt fuiſſe factum Cardinalem inſtantibus Venetis per Innocentium, nondum tamen erat adeptus Capellum rubeum. Et fuit receptus ſtatim à Cardinalibus in Cardinalatu. Et dictum fuit, quod ipſum fecerat venire Cardinalis Sancti Petri ad Vincula una cum Sancti Angeli pro eo, quia per Aſcanium curatum fuit venire Cardinalem Sancti Severini, & vocatus fuit Patriarcha Venetus. Et erat homo parvæ ſtaturæ, & ætatis nonaginta quinque annorum. Et erat adeo ſenex, et vix poſſet loqui aut ambulare, & adeo movebat caput, ut ſemper videretur annuere.

Die 6. Auguſti Cardinales omnes intraverunt Conclave, quod erat apud Palatium Sancti Petri in Capella. Et fuerunt ibi, videlicet Vice-Cancellarius Neapolitanus, Sancti Petri ad Vincula Senenſis, Portogallenſis, Sabellus, de Comitibus, de Columna, Urſinus, Aſcanius, Sanctæ Mariæ in Porticu, Sancti Angeli, Sancti Clementis, Recanatus, Alerienſis, Sanctæ Anaſtaſiæ, Beneventus, Florentinus, Sancti Severini, Patriarcha Venetus, Parmenſis, Toarienſis, & Sancti Georgii.

Die tamen præcedenti quinta Auguſti perfectæ fuerunt exſequiæ Innocentii. Et ſic finita fuit ejus memoria; & ejus vita à multis fuit approbata, eo quod fuit humanus, & amator pacis, & conſtruxit Romæ multa ædificia. Nam in Oleario ſecus Palatium Papæ fecit unum Palatium, quod vocatum eſt ejus juſſu Belvedere, in cujus conſtructionem ſexaginta millia Ducatorum expendiſſe conſtat, ut videri poteſt. Fecit & Palatium inter Reclauſtrum Sancti Petri, & Reclauſtrum palatii ipſius, ubi ſtant Auditores, quod inſignia ipſius paſſim appoſita oſtendunt, reparavitque Eccleſiam Sancti Joannis Lateranenſis, videlicet ante Tribunam refecit totum tectum, & ibi præparavit duas groſſas Columnas cum lapideis marmoreis pro faciendo ibi arcu, qui morte præventus non fuit perfectus. Præbuit etiam auxilium in conſtructione Eccleſiæ Sanctæ Mariæ in Via Lata, ut ſupra dixi. Et plerumque ibat ſpatiatum ad Villam Manlianam, & multos dilexit filios & filias ejus, adeo, ut dubitaretur, ne ejus theſaurum pro filiis & filiabus dederit.

Eodem die 30. Auguſti apparuit ſignum in cœlo ante horam tertiarum. Nam viſi fuerunt in cœlo in oriente tres ſoles ampli & clariſſimi, & bene fulgentes, & viſi fuerunt à multis & diverſis, quia iverant ad videndum. Et Cardinales intrantes in Conclave ſteterunt in ſcalis Sancti Petri. Et hoc affirmavit Antonius Epiſcopus Agrienſis, & Marianus Buccacius, & multi alii, qui hoc viderunt, & aſſeruerunt vidiſſe hoc & Dominos Cardinales, qui aſcendebant dictam Eccleſiam, quod ſignum in cœlo maximum eſt. Et utinam non ſit prognoſticum alicujus magni mali futuri! Item nocte ſequenti, poſtquam Cardinales intraverunt Conclave, domeſtici Cardinalis Sancti Petri ad Vincula, Camerarii, & ſcutiferi affirmaverunt, vidiſſe in una Camera dicti Cardinalis, quæ eſt in platea in turri, quæ reſpicit verſus Sanctum Maccellum, quod fuerint viſæ ſedecim torciæ accenſæ, ubi nullus erat, qui potuiſſet illas accendere, & poſt puſillum reductæ fuerint ad duodecim, & tandem paulatim diminutus ſit numerus, reductus usque ad unam, quæ diu ibi ſteterit accenſa. Et neſcitur, quis ibi intraverit, quis accenderit, aut quis abſtulerit, ita ut omnes mirati ſint de tali ſigno.

Anno Domini 1492. Auguſti menſis die undecima die Sabbati ſummo mane Rodericus Borgia, nepos Calixti Quinti, Cancellarius, creatus eſt Papa, vocatusque Alexander Sextus. Et in continenti aſſumpto Papatu, diſpenſavit & dedit pauperibus bona ſua. Nam Cardinali Urſino dedit Palatium ſuum, Item dedit Caſtrum Monticelli & Suriani, item Cardinalem Aſcanium, Cardinalem Vice-Cancellarium S. R. E. pronunciavit, & dedit Cardinali Columnenſi Abbatiam Sancti Benedicti Sublacenſis cum omnibus Caſtris ad jus patronatus ipſius, domumque ſuæ perpetuo conceſſit, Cardinali Sancti Angeli Epiſcopatum Portuenſem cum turri, & cum omni ſupellectili ibi exiſtente conceſſit. Et ibi inter alia erat una cella vinaria plena vino. Item Cardinalem Parmenſem de dicta Civitate Nepeſina poſſeſſorem, & Patronum fecit, Cardinali Januenſi Eccleſiam Sanctæ Mariæ in Via lata. Item Sabello civitatem Caſtellanam, & Eccleſiam Sanctæ Mariæ Majoris, reliquis aliis multa millia Ducatorum conceſſiſſe fertur: Præcipue cuidam fratri Albo Veneto nuper in Cardinalatum accepto, cui quinque millia Ducatorum auri donavit pro ha-

Digitized by Google

habenda voce ipsius. Quod cum primo scitum fuit à Venetis, denegati fuerunt omnes fructus Beneficiorum, & mandatum fuit, ne quis ulterius amplius eum associaret, exceptis quinque duntaxat Cardinalibus qui nihil voluerunt. Et hi sunt Cardinalis Neapolitanus, Senensis, Portugallensis, Sancti Petri ad Vincula, Sanctæ Mariæ in Porticu. Hi soli nihil habere voluerunt, dixeruntque, in Pontificatu voces dandas esse gratis, & non muneribus. Fertur etiam, antequam intrarent Conclave prædictum, Vice-Cancellarium pro habendo voto Ascanii prædicti & sequacium misisse quatuor mulos oneratos argento ad domum dicti Ascanii, ut ibi in ejus domo custodirentur, dum esset in Conclavi & quod securius ibi possent permanere, quam in ejus domo. Quod argentum fertur fuisse datum dicto Ascanio pro habendo ejus voto, Civibusque Romanis multa promisit.

Et notitiam habuit, qualiter à die extremæ infirmitatis Innocentii usque ad ejus coronationem plusquam ducenti & viginti homines interfecti fuerunt. Habuit etiam notitiam de interfectoribus, de causis & de prodimentis, & omnibus his, quæ hic Romæ gesta sunt, plenam notitiam habuit.

Eodem mense Augusti, die vero - - - obiit Dominus Florius Rohacotta miles Sancti Joannis relictis multis millibus Florenorum auri.

Die sequenti obiit Dominus Falco de Sinibaldis dolore magis quam alia infirmitate, eo quod sperabat Cardinalatum diu per eum optatum, si casus contingeret in aliquem ex suis amicis. Quod cum vidisset, Vice-Cancellarium esse Papam, tanto fuit dolore affectus, ut vitam cum morte permutaverit parva quadam febricula, cum quo omnis spes sui Cardinalatus recessit.

Die 27. Augusti ejusdem coronatus fuit Alexander in Sancto Petro. Deinde prout de more accessit ad Ecclesiam Sancti Joannis Lateranensis, cui per Urbem factus fuit honor, multi arcus triumphales, & magis quam nunquam alii Pontifici factum fuerit, per Romanum Populum potissime.

Et in primo Consistorio, quod ipse fecit, creavit Cardinalem Archiepiscopum Montis Regalis nepotem suum ex sorore.

Die tertia Septembris 1492. Salvator filius quidam Tutii dello Rosso in medio campi Floræ insultavit Dominum Beneaccadutum ejus inimicum, cum quo tamen sub fidei jussione vivebat quingentorum Ducatorum, ipsumque duabus percussionibus percussit, & vulneravit letaliter, ex quibus mortuus fuit. Et quarta die Papa misit Vice-Camerarium cum Conservatoribus, & toto Populo ad destruendam ejus domum, eamque destruxit. Et eadem quarta die Septembris 1489. Hieronymus frater dicti Salvatoris ad instantiam dicti Dominici fuit suspensus, ut supra.

Item eadem quarta die de eo fuit assumpta vindicta, quod non est credendum, sine Dei dispositione processisse. Papa abstulit pœnam à fidejussoribus.

Eodem mense Alexander ordinavit Visitatores carcerum, & fecit quatuor Commissarios, qui audirent querelas in Urbe. Et ordinavit Syndicatum Vignolæ & suorum Officialium, & statuit etiam audientiam in die Martis omnibus civibus, tam maribus quam fœminis, & audivit ipsemet querelas, & justitiam mirabili modo facere cœpit. (a)

Eodem Anno mense Decembris parum ante Domini Nativitatem Don Federicus filius Regis Ferdinandi tanquam Ambasciator Patris venit ad Urbem ad præstandam obedientiam, & venit multum suptuose & bene ornatus. Et cum magno honore fuit receptus à Cardinali Sancti Petri ad Vincula, qui adeo honorifice, & sumptuose eum recepit, & per aliquot dies retinuit, ut vix dici possit. Fertur, dictum Federicum inter alia dixisse Papæ Alexandro in Consistorio, ut abstineret se à dispensatione matrimonii, quam petierat Rex Ungariæ, qui volebat renunciare Leonoram ejus Uxorem, & filiam dicti Regis, eo quod ex ea non suscipiebat prolem, & volebat capere filiam Ducis Mediolanensis ac sororem Ascanii Cardinalis Mediolanensis, eo quod pro dicta dispensatione consequenda multa millia Ducatorum offerebantur. Et cum Papa intenderet facere talem dispensationem, fuerunt multæ inter eos altercationes, adeo, ut noluerit amplius redire ad Urbem, sed remanserit in arce dictæ Ostiæ bene armatus & munitus, ac si campum contra se expectaret, & abstinuerit venire ad Urbem.

Et cum Papa semel destinasset ire, & prandere in Palatio Sancti Joannis della Magliana, dudum per Innocentium constructo & ornato, cumque appropinquasset ad locum, illi, qui erant causa parandi prandium, cum vidissent eum appropinquantem, propter lætitiam traxerunt unam bombardam grossam, qua audita subito Papa perterritus, etiam jejunus retrocessit, reversusque est in Palatium Sancti Petri, eo quod, ut ipsemet dixit, timuit, ne illa bombarda fuisset signum datum Cardinali Sancti Petri ad Vincula, ut ipsum caperet in dicto loco. Et noluit ibi intrare, sed in continenti recessit cum toto ejus comitatu, qui non sine magno eorum incommodo reversi sunt ad Urbem, eo quia adhuc jejuni erant.

Die 25. Aprilis 1493. Papa Alexander venit ad Ecclesiam Sancti Marci causa ibi celebrandi missam & litanias, & venit cum multis equitibus militum armatorum lanceis & choraceis, & clypeis. Et post missam publicavit ibi ligam & confœderationem cum Venetis & Duce Mediolani, & Communi Senensi, Mantuanis & Ferrariensibus. Et statuit tunc Papa ob gaudium sonari in sero Campanas Capitolii & aliarum ecclesiarum. Ad quem finem hoc fecerit, nescitur nunc, dubitatur tamen de futuro bello, primo per istud signum, secundo ex eo, quia aptavit, & quodammodo de novo fecit muros Urbis in Palatio Sancti Petri usque ad Castrum Sancti Angeli fortificando eos cum turribus, prout videtur.

Digitized by Google

Die decima Junii cum magno comitatu Episcoporum venit Romam Dominus Alexander, filius Domini de Pisauro, & eadem die in uxorem cepit per verba de futuro filiam spuriam Papæ Alexandri, quam prius dictus Papa, dum erat Cardinalis, nupserat cuidam Hispano, postea autem factus Papa volens conditionem dictæ suæ filiæ meliorare, rupto fœdere, datisque dicto Hispano tribus millibus Ducatorum, ut uxorem prædictam renunciaret, iterum dicto Domino nupsit, adhuc suo primo marito vivente, & propter dictam pecuniam tacente & renunciante.

Die undecima Ambasciator Magni Turci venit Romam, &, ut fertur, secum portavit millium Ducatorum quadraginta millia, quos portabat, parum ante mortem Innocentii. Et postquam audivit, Innocentium mortuum, retrocessit, & quadraginta alia millia pro anno præsenti, & decem millia, quos asseritur præparasse Magno Turco existenti in Palatio pro eo, quod frater ejus volebat, ipsum sustentari expensis suis. Et fuit receptus cum magno triumpho, & omnes mirati sunt, quod Magnus Turcus miserit tributum Papæ & Ecclesiæ Dei.

Die 12. ejusdem mensis, videlicet die Mercurii ex parte Papæ convitatæ fuerunt 150. Nobilissimæ Romanæ mulieres, & Officiales omnes Urbis, & Senator, & mariti dictarum mulierum, & Ambasciatores omnes ad nuptias in Palatio Papæ apud Sanctum Petrum. Et dum prædicti viri exspectarent in quadam aula, ut vocarentur ad videndum fieri subarrhationem, intraruntque primo mulieres prædictæ, & post ipsas quando voluerunt intrare prædicti viri, cives, Officiales, Ambasciatores & alii invitati, fuit clausum ostium, & non potuerunt intrare. Et deinde post unam horam vel circa Dominus Coronatus Planca & Dominus Camillus Notarii rogati de sponsalibus aperuerunt ostium. Et quando Cives & reliqui intraverunt, innovaverunt actum subarrhationis jam perfectum.

Et ibi erat præsentia Domini Nostri Papæ, & undecim Cardinalium, & multorum Dominorum Episcoporum & Temporalium. Et coram dictis Dominis & mulieribus fuit subarrhata & desponsata præfata filia Papæ Alexandri cum dote & pactis dotalibus. Et post desponsationem Papa 114. cupas argenteas cum confectionibus ad faciendam collationem præsentavit, ibique in signum magnæ lætitiæ in sinum multarum mulierum, potissime pulchrarum projectæ fuerunt, & hoc ad honorem & laudem omnipotentis Dei & Ecclesiæ Romanæ.

Alexander consuetudinem jam cœptam per Innocentium de maritanda prole fæminina prosecutus est & ampliavit. Incumbit igitur Clerus omnis, & quidem cum diligentia circa sobolem procreandam. Itaque à majori usque ad minimum concubinas in figura matrimonii, & quidem publice attinent. Quod nisi à Deo provideatur, transibit hæc corruptio usque ad Monachos & Religiosos, quamvis Monasteria Urbis quasi omnia jam facta sint lupanaria, nemine contradicente.

Et ut perfectius tradatur materia, sero in cœna remanserunt aliqui Cardinales, discubueruntque in eadem mensa, Papa primo, deinde prædicti Cardinales, & sponsus prædictus una cum aliquibus aliis Dominis, & inter eos etiam mulieres, primo scilicet filia Papæ, deinde Julia Bella dicta de Farnesio ejus concubina, tertio neptis Innocentii, filia Theodorini Comitis Pitiliani uxor, & filia Gabrielis de Cæsarinis, & quædam aliæ, ut dixi, una mensa ad cœnam cum Papa & Cardinalibus discubuerunt hoc ordine, ut quilibet Dominorum prope se retineret unam ex dictis juvenibus. Et in cœna permanserunt usque ad septimam horam noctis, recitatæque ibi sunt comœdiæ & tragœdiæ, & quidem lascivæ ipsis postmodum videntibus & ridentibus. Et in fine Papa ipse, ut fertur, personaliter associatus est filiæ suæ cum sponso usque in Palatium Sanctæ Mariæ in Porticu, quod est de alio latere scalarum Sancti Petri, ubi dictus sponsus junxit se cum uxore sua. Et multa alia dicta sunt, quæ hic non scribo, vel si sunt, incredibilia sunt.

Post triduum intravit Ambasciator Regis Hispaniæ cum magno comitatu Episcoporum & Curialium. Et factus ei est honor magnus. Et inter alia, quando intravit per Portam Viridariam, comitatus fuit à filio Papæ à dextris, & à genero suo, videlicet Domino Pisauri sponso prædicto à sinistris, & hoc à loco, *unde exivit*, versus montem Marium usque *in palatium* Campi Floræ, ubi se posuit.

In Consistorio publico ultra obedientiam, quam fertur Ambasciatorem præstitisse nomine Regis Hispaniæ, exposuit etiam ex parte ipsius Regis, quod præfatus Rex haberet multum odio bella, quæ fiebant in Italia inter Christianos, & quod diceretur se exponere continuo statum suum & vitam suam pro salute fidei Christianæ, & pro ipsius augmento continuo certando cum infidelibus, & Papa, qui esset Caput fidei Christianæ, tenderet ad ipsius fidei dissipationem. Et exposuit etiam, quod dictus Rex intenderet habere notitiam de eo, per quem remaneret, quo minus dicta pax fieret inter Christianos, quoniam dicebat, dictum Regem habiturum cum eis inimicitiam, potissime, si sine causa id fieret.

Aliud, quod proposuit, est, quod ex quo prædictus Rex expulerat Marranos de Imperio suo, tanquam inimicos fidei Christianæ, quod miraretur, quod Papa, qui esset Caput dictæ fidei, illos recepisset in Urbe. Et propterea hortatus est eum, ut de terris Ecclesiæ subjectis illos expelleret.

Tertium quod ex quo intendebat Sua Majestas prosequi victoriam contra infideles, & acquirere, si Deus dedisset in gratiam, Hierusalem terram Sanctam, rogabat Pontificem, ut vellet ei præstare auxilium & favorem, præsertim in hoc videlicet, ut operetur, ut habentes beneficia excedentia, centum Ducatos de fructibus annuatim, quod deberent reverti ad Hispaniam, alioquin intenderet ipse recipere dictos

Digitized by Google

ctos fructus, & ipsos convertere in opus prædictum contra infideles.

Aliud quod exposuit, est, quod jam fama est ubique, quod hic Romæ in Ecclesia Romana facta sint Beneficia, officia ac dignitates venales & venalia, & quod quasi bona profana subhastentur, & quod non possit quis ad Beneficium aliquod sive magnum sive minimum, item ad Episcopatum, vel etiam ad Cardinalatum pervenire, nisi soluta pecunia, & quod ubi olim virtute Sancti Spiritus creabantur, hodie loco illius sola pecuniarum consideratio habeatur indifferenter, & non quæsito, bonus an malus? idoneus vel non? promoveatur, sed solum, qui majorem pecuniarum numerum exponere possit. Et quod exhortatus est Summum Pontificem, ut non plus, quam unum Beneficium curatum pro quolibet concederet, & non plura. Et alia quædam multa fertur dixisse, quæ ad statum & honorem Ecclesiæ pertinerent, quæ hic non exprimo. Quæ omnia qualiter fuerint expedita, videamus. Et primo de pace pauca vel nulla spes est, ut signa demonstrant. Nam per paucos dies post Dominus Alexander de Pisauro gener Sanctissimi Domini Nostri Papæ cum sex squatris militum armatorum demonstrationem, & non multum post Fracassus de Sancto Severino cum gentibus suis, nec non eo Nicolaus Comes Pitiliani, Macrinus Sabellus, Nicolaus de Sermoneta, & Julius Ursinus cum gentibus armatorum eorum se junxerunt, ita ut in totum usque nunc sint circa 40. squatræ. Et ultra alias alius numerus Janizzerorum, palæstrarum, & equorum levium. Sic vulgariter nuncupantur, & circum circa urbem damna faciunt infinita.

Fertur etiam apud Ostiam cum Cardinale Sancti Petri ad Vincula esse Dominum Federicum filium Regis Ferdinandi cum undecim galeris, Dominum Virgineum Ursinum, Dominum Prosperum, & Fabritium de Columna cum aliquibus armatis. Quid inter se tractent quotidie simul ratiocinantes, nescitur. Propter quod non sine ratione de futuro bello timetur.

De prima parte Marrani in maxima quantitate steterunt extra Portam Appiam apud Caput Bovis, ibi tentoria tendentes, intraveruntque in Urbem secreto modo, eo quod ad custodiam portarum deputati sunt Hispani armigeri, &, ut creditur, etiam de illis, adeo, ut in continenti pestis invaserit Urbem, mortuique sint quam plurimi ex peste & contagione dictorum Marranorum, de quibus tota urbs impleta est, &, ut videri potest, non sine voluntate & permissu Papæ.

Die 19. Junii Virginius Ursinus, qui erat apud Ostiam cum Cardinale & reliquis Dominis recessit, & ivit Braccianum, secumque duxit ligatum quendam Antonium Cotii Januensem. Hic Dominus Antonius erat homo magnæ autoritatis apud dictum Dominum Cardinalem, adeo, ut dederit ei ad fructificandum quandam Abbatiam de suis, & semper in mensa tenebat primum locum prope Cardinalem, & multum confidebat de eo. Nunc autem dicitur, quod die Dominico sequente de mane fecerit eum suspendi. Et post in partes divisit. Et aliqui dicunt, quod adhuc vivat, & hoc ex eo, quod ipse secreto modo capiebat literas dicti Domini Cardinalis, & ipsas, & quicquid ibi agebatur, Papæ revelarat.

Die tertio Julii 1493. circa 19. horam tenebræ factæ sunt supra terram. Et insurrexit ventus immensissimus, & turbo in aëre, & pluvia magna fuit in Urbe. Et extra Urbem in pratis Neronianis, in Ponte Milvio versus Pontem Salarium fuerunt grandines densissimæ, sicut nuces magnæ. Et destruxit omnes, quos invenit foris, & campum Fracassi cum gentibus suis, qui erat in loco, qui dicitur Prima porta, cum tendis & patiglionibus in totum fracassavit, lanceas, cupas, devastavit, bardas, sellas & supellectilia omnia dictorum militum destruxit, & vis aquarum transportavit, ita ut reperti fuerint ibi multi equi mortui, & deperditi, & armigeri magni & parvi omnes una voce clamabant: Misericordiam, fugientes versus montes, ne submergerentur. Et duravit per duas horas continuas. Et post fuit visum, quod per quinque palmos & ultra in valle illa, ubi fuerunt castra, fuerit alta grando & aqua, quod non fuit sine maximo incommodo dicti Fracassi & gentis suæ. Et damnum, ut dicitur, inter equos mortuos & bona deperdita & devastata, fuit plusquam mille quingentorum Ducatorum in Urbe. In domo vero Ursini marito Juliæ Bellæ dictæ de Farnesio apud montem Jordanum ventus removit unum caminum, qui erat in ejus domo. Et ultra illud in dicta domo cecidit fulgur, & aliqua devastavit. Et hoc fuit die Mercurii ejusdem diei.

Die Dominico sequenti dictus Francassus cum gentibus suis intravit Romam, & monstravit se Papæ in platea Sancti Petri.

Die 23. dicti mensis quidam Sbirrus, Barisellus qui luserat, & perdiderat certam pecuniam, (& hic erat Januensis,) contulit se ad Ecclesiam Sancti Blasii de malo in regione Sancti Eustachii, & in facie dictæ ecclesiæ vidit unum crucifixum depictum in muro, ipse malo animo cum quadam partisciana, quam habebat in manibus, percussit dictum crucifixum in capite, & in pectore. Et fuit visus à quadam meretrice. Et cum ipse miraculose iret circum circa dictum locum, & non posset inde exire, supervenit dictus Barisellus. Et ipsa mulier ipsum reum incusavit qui illico captus fuit, & ambæ manus ibi amputatæ clavis in dicto muro affixæ. Et postea in agone furcis suspensus fuit per dictum Barisellum.

Die 24. dicti mensis, Cardinalis Sancti Petri ad Vincula, qui fuerat apud Ostiam, & Dominus Virgineus Ursinus sedaverunt discordiam, quam habebant cum Pontifice, & reversi sunt ad Urbem cum magno triumpho, & accesserunt ad Papam, & ibi cum eo cœnati sunt. Et sic pax facta fuit, & guardiæ, quæ erant in portis, remotæ fuerunt. Sed hæc pax simulata fuit, ideo parum duravit.

In meridie 25. Augusti tempestas magna in aëre fuit, & sagitta cecidit in Capitolium, videlicet in Campanile, & percussit in tibia quendam, qui pulsabat

Digitized by Google

pulſabat campanam groſſam ad gaudium propter annuam coronationem Alexandri Papæ, & abſtulit ab eo mediam caligam cum ſotolari, & eum non interfecit. Iterum intravit per Capitolium, & multa loca tetigit. Et eadem die fulgur percuſſit campanile Eccleſiæ Lateranenſis,& poſtea deſcendit in dictam eccleſiam, & ſimiliter multa loca læſit.

Die 28. mortuus fuit Imperator Federicus, & cum eo perierunt omnes prophetiæ. Et ajunt, Maximilianum fuiſſe creatum Imperatorem.

Die 20. Septembris Papa Alexander creavit duodecim Cardinales. Et in eorum creationem conſenſerunt tantum ſeptem Cardinales,reliqui diſſenſerunt. Inter primos creatus fuit filius ipſius natus ex ſe, & quadam muliere, quam ipſe nupſerat cuidam Dominico de Arignano. Et ſemper fuit habitus, tentus & reputatus ejus filius. Et ipſe fecerat eum Epiſcopum in Hiſpania de Pampelona; Item filium Domini Gabrielis de Cæſarinis fratrem generi ſui; Item unum de domo Farneſia, conſanguineum Juliæ Bellæ ejus concubinæ, quinimo erat frater dictæ Juliæ, & fuit poſtea Papa Paulus tertius,& quoſdam alios. Ex quibus, ut fertur, pluſquam centum millia Ducatorum extraxit. Et à multis fuit murmuratum, ita ut publice dictus fuerit verſus ille:

Quæque male amiſit, nunc male quærit opes.

Et hujus Juliæ imaginem,ut per traditionem majorum noſtrorum didicimus, in Palatio Apoſtolico,in loco, qui à nepotibus Summorum Pontificum inhabitari ſolet, in magno articulo quodam turris Borgiæ toto depicto ac inaurato, & quodam - - - diviſo - - - - ſuper quadam janua videre liceret. Omnibus enim patet,repræſentatam Beatam Virginem cum infantulo in brachiis,Pontifice Alexandro ante ipſam genuflexo.

Et iſtis temporibus fuit inundatio Tiberis, & multæ pluviæ, ita ut in multis locis fecerit maximum damnum in campis, in vineis. Et vineæ omnes, quæ ſunt in pratis, fuerunt inundatæ. Et in Burgo Suturio fuit talis alluvio, ut à fundamentis aſportaverit circa triginta domos ibi exiſtentes, intra quas erant tres eccleſiæ, ita,ut non fuerit cognitum,ubi ædificatæ erant. Et decem & octo homines inter mares & fæminas, magnos & parvos, ſuffocati & aſportati fuerunt vi dictæ alluvionis.Et in aliquibus locis juxta Tiberim vineæ integræ & canneta ablata ſunt,&in aliquibus locis arbores integræ. Et duravit multis diebus.

In partibus Lombardiæ etiam aliquæ villæ & Caſtra ſuffocata fuerunt, & item ibi multa millia hominum.

Et hic Romæ ceciderunt multa fulgura, intra quæ cecidit unum in Palatium Sancti Petri in Camera Papæ Alexandri, & ubi ipſe erat, & valde timuit, & perterritus fuit, ita, ut vix potuerit loqui. Et duo ex ſuis cuſtodibus ceciderunt in terram, quaſi mortui, ſed poſtea nihil mali habuerunt.

Die 21. Octobris mortuus fuit Cardinalis de Comitibus peſte.

Die 27. Papa Alexander Sextus receſſit ab Urbe cum octo Cardinalibus & dixit, ſe velle ire Viterbium. Et poſtea reverſus eſt.

Die 20. Januarii 1494. mortuus fuit Rex Ferdinandus, & creatus eſt Dux Calabriæ Rex Neapolitanus.

Die quarta Februarii venerunt Ambaſciatores Turcorum. Et dictum eſt, Magnum Turcum Conſtantinopoli mortuum eſſe.

Conciosia coſa, che eſſendo diſcordia intra Papa Aleſſandro, è lo Rè di Napoli ſopra licenſi, & altre loro differenze, lo Papa, e lo Colleio incitò lo Imperatore Maſſimiliano, & ancò lo Rè di Francia, che do veſſino venire à pigliare l'impreſa contro lo ditto Rè di Napoli, con prometterli ajuto e favore, quanto biſognava. Et ancò con dire, che di ragione lo detto Reame ſpettava allo Duca di Lorena, e non al Rè Ferdinando. E ſopra di queſto lo ditto Imperatore, & Rè di Francia più volte ſi conduſſero inſieme à parlare. E tandem concluſero à venire. E dopò molto che fù Rè Ferdinando lo figliuolo ſuo Duca di Calabria pigliolo ſtato e la Signoria dello Reame, & addimandò a Papa d'eſſere coronato. Et lo Papa con lui fece patti, e parentele, id eſt,che un figliuolo ſuo baſtardo lo diede per marito alla figlia del detto Duca di Calabria. E lo Papa li promiſe di coronarlo nel ditto Reame, & aſſettate, che furono intra loro le coſe, lo Papa mandò à dire al Rè di Francia, che non veniſſe, perche in Roma era grande peſte, e dubitava dello ſtato ſuo. Item che in Roma era grande fame, e dubitava di maggiore careſtia, & ancò dubitava, che ſe lui veniva,che il Re di Napoli non *metteſſe lo* Turco in Italia, ſi che haveſſe *da deſtruggere* ogni coſa. Et per lo Rè gli fù *riſpoſto*, che non ſi curava di peſte, perche quando lui fuſſe morto, haverebbe poſto fine alle ſue fattiche. E della fame diſſe, che lui veniva ſi fornito di graſcia,che più preſto haveva da fare abondanza, che careſtia. Et anche,del Turco diſſe, che da nacque, haveva havuto deſiderio d'affrontarſi con gl'infedeli per ſalute della fede Chriſtiana, ſi che mò non lo voleva refuggire e perdare l'occaſione. Sopra di che lo Papa fece Conſiſtorio, e dichiarò lo ditto Reame ſpettare allo ditto Rè di Napoli, id eſt,Duca di Calabria. E coſi deputò lo Cardinale di Monte Regale,lo quale è nepote dello ditto Papa Aleſſandro, che andaſſe à coronare lo ditto Re in Napoli. E coſi ſi parti vigeſima ſecunda Aprilis 1494.

E ſubito veduto queſto l'Ambaſciadore dello Rè di Francia, ſi proteſtò in Conciſtoro contro del Papa, & appelloſſi della ditta dichiaratione allo futuro concilio, lo quale diſſero dovere eſſere, o doverſi fare preſto.

Et in quel medeſimo giorno andò lo figliuolo dello Papa con lo Signore Virgilio ad arrare la Spoſa in Napoli con molto trionfo, e con molta feſta e giubilo.

Et in eadem die ſaputo, che hebbe lo Cardinale di Santo Pietro in Vincola, loquale ſtava in Oſtia, & era in diſgratia dello Papa, ſubito ſegretamente ſi miſe in uno Bregantino ſconoſciutamente, e laſciò la fortezza d'Oſtia molto ben' armata, & fornita per trè anni, & andoſſene con Dio, perche dubitava di queſta concordia,che era fatta ſenza di lui, tra lo Rè e lo Papa.

Et in continente la mattina ſequente lo Papa mandò fanti per togliere Oſtia,& non la potè havere,onde alli 26. del ditto meſe apparecchio le bombarde, & le picoline con l'altre arteglierie per andare à Campo ad Oſtia.

XVIII. JO-

XVIII.

JOHANNIS BURCHARDI CEREMONIARUM MAGISTRI DIARIUM CURIÆ ROMANÆ SUB ALEXANDRO VI. PAPA.

* * *

Alexander Sextus.

DOminica prima Adventus circa horam vigesimam tertiam, per portam viridarii intraverunt Urbem quatuor oratores, videlicet, Reverendus Pater, Dominus Paulus de Flisco, Jacobus Spinula Utriusque Juris Doctor, Joannes Baptista Adurnus, & Sylvester Inurea, Cives spectabiles Januenses, qui à familiis Sanctissimi Domini Nostri ac Reverendissimorum Dominorum Cardinalium more solito recepti, & usque ad domum hospitii associati fuerunt. Primus equitavit inter duos Prælatos Palatii à dextris, & Dominum Episcopum Dertonensem, Oratorem Ducis Mediolani à sinistris. Aliorum Oratorum nullus eis obviam venit. Habuerunt salmas decem, ac equos & mulos circiter quadraginta demptis Mercatoribus Januensibus, qui eos associarunt.

Feria quarta, vel quinta Decembris in publico Consistorio Illustrissimus Hermes Joannes Maria Sfortia cum quatuor aliis Oratoribus Joannis Galeatii Ducis Mediolani & Ludovici Barii præsentatis ex more duabus literis credentialibus eorundem Ducum, præstitit obedientiam solitam & consuetam Sanctissimo Domino Nostro. Associati fuerunt dicti oratores ex parva Capella per sex Dominos Assistentes, videlicet Archiepiscopum Cusentinum, Castrensem, Tricaviensem, Dolensem, Vulteranensem & Alexandrinum Episcopos ad præsentiam Sanctissimi Domini Nostri. Orationem fecit Dominus Jason Magnus quintus Oratorum.

Feria quinta, Sexta Decembris hora 22. per Portam viridarii intraverunt Urbem quatuor novi Oratores, & cum eis quintus, qui prius in Romana Curia fuerat Dominii Venetorum, videlicet Domini, Marinus Leonus, Christophorus Driodus, Paulus Barbus & Sebastianus Buduarius novi, & cum eis Dominus Andreas Cappellus antiquus Orator, qui à familiis Sanctissimi Domini Nostri Papæ & Cardinalium ac Oratoribus Regum recepti fuerunt, & usque ad domum, in qua hospitaturi erant, more solito associati.

Fuit primus inter Ragusiensem & Cusentinum Archiepiscopos, secundus inter Prælatum Palatii à dextris, & Oratorem Franciæ à sinistris, simili modo 35. 45. & cum equitibus 200. circiter & salmis 80.

Feria tertia, undecima Decembris venit ad Urbem Illustris Dominus Federicus, Serenissimi Ferdinandi Siciliæ Regis secundo genitus, cui venerunt obviam Reverendissimi Domini Cardinales, Neapolitanus & Senensis tanquam particulares illius amici usque ad duo milliaria extra Urbem, ubi prædictum Principem honore solito receperunt. Qui venit inter eos medius usque ad viam, quæ per Portam Latinam ducit, ubi dimisso Principe dicti Cardinales recesserunt, Princeps vero cum suis versus Portam Lateranensem iter suum prosecutus usque ad Ecclesiam Lateranensem.

Interim omnium Familiæ Cardinalium venerunt obviam, ac Principum Oratores, & successive Dominus Julius Ursinus Reverendissimi Cardinalis Ursini germanus, Dominus Germanus Ususmaris, Dominus Dominicus Dona, & alii quidam Nobiles, qui ex equis descendentes Principem venerari voluerunt. Sed Princeps eos recipere recusavit, nisi iterum equos reascenderent.

Post horam 21. venerunt Reverendissimi Domini Montis Regalis Presbyter, & Ascanius Diaconus Cardinalis, & Principem more solito receperunt, ipsum inter se medium ducentes.

Venerunt etiam Prælati Palatii cum familia Papæ, qui & ipsi more solito Principem receperunt. Erant cum eo alii septem Oratores ad præstandam Pontifici obedientiam missi. Equitavimus via recta juxta Coliseum post Principem, Barones, Nobiles & familiam omnem, sic ipso volente, equitarunt scutiferi Papæ, sex Paggii. Primus cum balista argentea inaurata, & pharetra argentea inaurata more solito Gallico, vestem gerens in equo Gallicum; Secundus cum chiassarina more Turcarum equum barbarum equitans, & Turcarum more vestitus; Tertius Lanceam longam more Hispanico, & Jannetum Hispanorum more considens in vestibus Hispanicis; Quartus Mantelum pluviale pro Domino; quintus valisiam Cremesinam; sextus ensem cum vagina cum manico ex perlis & pretiosis lapidibus composito valoris sex millium Ducatorum. Singuli pulcherrimos equos equitantes omnes broccato aureo vestiti, & clenodia ante pectus & super biretis & capellis deferentes magnæ æstimationis. Princeps veste de velluto violaceo indutus erat, collariam habens ex perlis & lapidibus æstimatio-

Digitized by Google

tionis sex millium Ducatorum, cingulum cum ense ejusdem æstimationis, frenum totum ex perlis & lapidibus pretiosis valoris trium millium Ducatorum, ac totum equi sui fornimentum auratum & retro gerens. Præcedebant familiam suam salmæ 200. omnes copertis rubeis copertæ, familiæ vero ad numerum 700. vel 800.

Pervento ad palatium ascendimus ad Pontificem, qui Principem in ultima ex novis cameris exspectabat, & cum eo quinque Cardinales. Post Principem intraverunt alii Oratores prædicti, & ex Principis familia, omnes Barones ac Nobiles, qui & post Principem à Papa ad pedis, manus, & oris osculum recepti pedem Papæ deoscularunt, Principe interim ad sinistram Papæ super quodam cussino genuflexo. Ordinaverat Ascanius Cardinalis, Principem post omnes Cardinales sedere debere, quod ego præcavens volui prius, ut genuflexus ibidem permaneret, quam ut in loco sibi non convenienti sederet. Nam locus ante ultimum Diaconum Cardinalem sibi debebatur. Sed Ascanius Cardinalis Ducem suum Mediolani magnificare volens, cui locus vix post Cardinales debetur, hunc etiam post Cardinales poni voluit, ut eo casu Dux Mediolani propter potentiam præferendus esset filiis Regum.

His peractis Princeps prædictus à prædictis Reverendissimis Dominis Cardinalibus, Neapolitano & Senensi usque ad palatium Sancti Petri ad Vincula, in quo hospitandus erat, associatus est, medius inter eosdem Cardinales equitando, eo ordine, quo de Laterano ad palatium Apostolicum convenerant.

Feria quarta, duodecima Decembris in publico Consistorio præstiterunt obedientiam debitam Sanctissimo Domino Nostro quatuor Oratores Januenses. Et fuerunt associati à quinque Prælatis assistentibus.

Feria sexta, vigesima dicti mensis in publico Consistorio Reverendus in Christo Pater ac Dominus Episcopus Balneotensis, & Joannes Gilius de Luca, Oratores Serenissimi Henrici Angliæ & Franciæ Regis nomine ejusdem Regis obedientiam debitam præstiterunt. Associati fuerunt per quatuor Assistentes. Osculati sunt pedem, manum & os Pontificis ante literarum præsentationem. Et eorum familia ad pedis osculum per Papam recepta est.

Heri sero Illustrissimus Dominus Federicus de Aragona, Princeps Altamuræ audientiam secretam habuit à Sanctissimo Domino Nostro Papa.

Feria secunda, decima septima Decembris fuit publicum Consistorium, in quo quatuor Oratores Venetorum, nomine eorum Ducis generalem obedientiam præstiterunt. Associati fuerunt per quinque Assistentes.

Feria sexta, vigesima prima Decembris in publico Consistorio præstiterunt obedientiam Pontifici Oratores Ferdinandi Neapolitani Regis.

Superioribus diebus venit ex civitate Brachiani nova, Serenissimum Ferdinandum Hispaniarum Regem ex Palatio quodam per gradus descendentem die septima hujus mensis à quodam rustico ense collum graviter percussum fuisse, ita ut sex punctis vulnus ipsum suturn fuerit, ac rusticum delinquentem totum vulneribus à servitoribus Regis percussum captum esse. Ac deinde venit alia nova Regem ipsum extra periculum esse, ac dictum rusticum visione diaboli, (qui ante viginti annos sub specie Angeli ei apparuit, & nomine Omnipotentis Dei sibi commisit, Regem debere occidere, quoniam ipse Rex esset futurus, sibique dixit inhibuisse, ne hujusmodi cuiquam confiteretur, ac postea multis & iteratis vicibus sibi iterum atque iterum apparuit, & ad præmissa ipsum animaverat;) id perpetrasse, ac eundem rusticum persuasionibus post delictum & prædictorum revelationem ad confessionem inductum fuisse, quia visum fuisse, squammas ab oculis suis cecidisse, & statim ex corde pœnituisse, seque gravissima morte dignum reputasse, sicque ipsum extremo supplicio condemnatum, ut omnia membra sive omnium membrorum extremitates successive & interpolato tempore eadem die abscinderentur, jussu autem Reginæ, ne caussa daretur desperandi, datus est illi inprimis gravis ictus in capite, ut citius moreretur, & sic sensualitate læsus minus pateretur in abscissione membrorum, quibus per literas Regias 27. hujus mensis Sanctissimo Domino Nostro significatis statuit missam, in laudem gloriosæ Virginis Mariæ pro dicti Regis convalescentia decantari, ac ipsum deinde ab omnibus artificibus tanquam solenne festum celebrari. Quod publice proclamatum est.

Feria tertia, octava Januarii hora vigesima fuit congregatio omnium Cardinalium usque ad tertiam horam noctis, in qua in Pontificis præsentia fuit disceptatum super dispensatione, quam Serenissimus Udislaus Ungariæ & Bohemiæ, (qui alias ad Regnum Bohemiæ, quod tunc non fuerat assecutus, aspirans, ut illud facilius assequeretur, cum illustrissima Domina Barbara, quondam Alberti Marchionis Brandenburgensis relicta, quondam Ducis Schlesiach, per legitimum Procuratorem matrimonium per verba legitime de præsenti, in facie Ecclesiæ solennitatem, ac deinde dicto Regno Ungariæ per obitum memoriæ Matthiæ Regis Ungariæ, & ut ad illud per Principes Regni eligeretur, matrimonium cum Illustrissima Domina N. Serenissimi Ferdinandi Neapolitani ac Siciliæ Regis filia relicta, dicta Matthiæ Regis Ungariæ per se ipsum, per verba legitime de præsenti contraxit, ac illud carnali copula subsecuta consummavit,) secum fieri postulabat, ut præmissis non obstantibus, cum jam esset etiam dictum Regnum Ungariæ pacifice assecutus, posset matrimonium cum N - - - -

Feria, decima Januaria Illustrissimus Princeps Federicus de Aragona discessit ab Urbe Neapolim, rediturus, & cum eo Reverendissimi Domini Cardinales Neapolitanus & Senensis Regis prædicti ac sui singulares amici, qui prius cum suis familiis ascenderunt, & juxta portam Sancti Pauli ejus recessum exspectabant. Fuit associatus à familiis & Prælatis omnium Cardinalium & ali-

Digitized by Google

& aliis Prælatis & Curialibus, & Oratore Florentinorum usque subtus Ecclesiam Sancti Alexii, ubi pervento ad ripam fluminis, ubi galeræ tres illum exspectabant, Cardinales prædicti in mulis valedixerunt.

Sabbato duodecima Januarii accesserunt nova Reverendissimo Domino Cardinali Senensi, Antonium Picolomineum Ducem Amalphitanum fratrem suum natu majorem diem clausisse extremum in nocte sequenti diem Jovis proxime præteritum in Urbe. Die Mercurii secunda hujus inciderat in infirmitatem quandam, ex qua plus mingebat quam bibebat cum febre acuta, quæ sibi mortem attulit.

Feria secunda vesperorum dicti mensis Januarii, die 14. Dominus Joannes Episcopus Dundinensis, Orator Serenissimi Henrici Angliæ Franciæque Regis, qui in sero sequenti diem secundum proxime præteritum diem vitæ suæ clausit extremum. Ex domo suæ habitationis portatus fuit ad Ecclesiam Hospitalis Anglorum, ibidem associatus à familiis Reverendissimorum Dominorum, Neapolitani, Recanatensis, Beneventani, Senensis, & Camerarii Cardinalium. Præcesserunt intortitia quinquaginta, & secuti funus novem funestis vestibus induti.

Feria secunda, quarta mensis Februarii Reverendissimi Domini, Neapolitanus & Senensis Cardinales circa horam vigesimam venerunt ad domum Cardinalis Aleriensis, vocati à fratre ejusdem Cardinalis, ac eum agonizantem repererunt. Et circa horam vigesimam tertiam prædictus Cardinalis Aleriensis catholice emisit spiritum. Obiit in ultimo paroxysmo febris quartanæ, in quam tertia die mensis Septembris proxime præteriti incidit, & quæ ab eodem die citra ipsum nunquam reliquit, sed cum multiplicibus accidentibus eum continue molestavit. Cardinalis sepultus fuit in Capella Baptisterii juxta Capellam Sancti Andreæ & Gregorii sitam in Vaticano ante memoriam Andriani della Porta Avi sui Cardinalis.

Die secunda Februarii, Festum purificationis B. Mariæ Virginis, fuit Capellæ, in qua Papa dedit Candelas. Stetit ante omnes Oratores Dominus Marquadus Orator Regis Romanorum. Unde Orator Regis Franciæ interrogavit me, quisnam esset Dominus Marquadus, quod locum digniorem haberet. Respondi, quod esset Orator Regis Romanorum, cui primus locus debetur. Acquievit dictus Orator, ac supra se stare pacifice permisit. Sed alter Orator Episcopus Forolivienfis me reprehendit, pro eo quod Oratori Regis Romanorum supra socium suum locum dedissem, asserens locum illi non deberi, cum nondum sit coronatus. Respondi, dominationem suam errare, quia locus ille non ratione coronationis, sed titulo Regis Romanorum debeatur, quia primus Rex mundi, & in plena administratione Imperii, & ita hanc curiam observare. Et idem meæ sententiæ, licet male libenter, acquievit, asserens quod postquam Sanctissimus Dominus noster sic fieri debere ordinasset, ordinem ipsum facere & fore observandum. Superioribus diebus venerunt nova ad Urbem, quod die Sabbathi decima quinta mensis Januarii præteriti Serenissimus Ferdinandus Neapolitanus ac Siciliæ Rex diem clausit extremum, qui obiit sine lux, sine crux &c. Successit in regno Alphonsus filius suus.

Feria tertia, sexta Februarii prædicti post horam vigesimam primam per portam viridarii intrarunt Urbem tres Oratores Illustris Domini Bonifacii Marchionis Montis ferrati, videlicet Reverendus Pater Dominus Andreas Stovellus, & Magnifici Domini Beneventus de Sancto Georgio ex Comitibus Nanobradæ & Ludovicus de Titionibus Vesanæ miles pro obedientia Sanctissimo Domino Nostro nomine prædicti Marchionis præstanda, quia à familiis prædicti Sanctissimi Domini Nostri & Reverendissimorum Dominorum Cardinalium & Oratoribus in Urbe existentibus extra portam recepti sunt, Et associati usque ad domum habuerunt in comitiva sua equites 70. vel circa & salmas 28. Diebus præteritis venerunt nova ad Urbem Illustrissimo Domino Ludovico Mariæ Sfortiæ Vice-Comiti Bari ac Ducis Ducatus Mediolanensis Gubernatori natum esse filium primogenitum, & ei nomen Herculis esse impositum.

Die 8. feria quarta cinerum incepta distributione cinerum venit ad capellam Dominus Nicolaus Episcopus Nitrinus Orator Regis Ungariæ, qui reperit in Capella Reverendum Patrem Dominum Guilelmum Archiepiscopum Sancti Andreæ, Oratorem Regis Scotorum inter alios Oratores Prælatos suo loco stantem, quem idem Episcopus Nitriensis præcedere voluit. Quibus sic simul contendentibus significavi Sanctissimo Domino Nostro, quod hujusmodi contentio minus conveniens videretur, cum meo judicio Rex Ungariæ Scotorum Regi longe esset præferendus. Quod si Suæ Sanctitati placeret, eis sub suo nomine dicere, ut concordarent, vel ambo capellam exirent, Sanctissimus Dominus Noster habito nonnullorum Cardinalium consilio, quibus omnibus visum est Regem Ungariæ digniorem esse, & propterea ipsum Regem Scotiæ præcedere debere, Commisit mihi, ut prædicto Archiepiscopo Sancti Andreæ dicerem, ut dicto Episcopo Nitriensi cederet, ac supra se locum daret. Quod & feci. Et cum id prædicto Archiepiscopo Sancti Andreæ durum videretur, post plura me rogavit, ut pro minori Regis sic præjudicio Suam Sanctitatem supplicarem, ut alterum ex ipsis in Assistentem suum reciperet. Quo per me Sanctitati Suæ exposito dictum Archiepiscopum Sancti Andreæ in Assistentem suum recepit, ac inter Assistentes suos locum dari præcepit. Quod & feci. Fuit igitur receptus à cæteris Assistentibus.

Attende, quod cum alias in die Purificationis Beatæ Mariæ Virginis anni 1487. inter Oratores Regis Ungariæ & Scotiæ super præcedentia contenderetur, felicis recordationis Innocentius Papa Octavus de omnium Cardinalium con-

Digitized by Google

conſilio decreverit, Ungariæ Regem præcedere debere Regem Scotiæ.

Dominica prima quadrageſimæ 24. Februarii ſcilicet nocte præterita circa horam octavam quidam Aquilani in domo Reverendiſſimi Cardinalis Sancti Petri ad Vincula per feneſtram quandam ſalientes & intrantes oſtia Camerarum vi aperientes, Epiſcopum Aquilanum in camiſia ſub lecto ſuo in terra repertum miſerabiliter & crudeliter occiderunt, 22. vulnera vel circa ei dantes, ac receptis vaſis argenteis & aliis rebus, quas commode portare poterant, abierunt. Fuerunt autem eorum complices, qui, quatenus opus eſſet eos adjuvare parati erant. Et Epiſcopus ſine pompa ſepultus fuit.

Feria quarta, duodecima Februarii venit ad Urbem quidam Orator Aragoni Soldani, & aſſociarunt plures de familia Turcæ hic in Urbe detenti & ſcutiferi & alii familiares Papæ.

Eodem die intraverunt in urbe Oratores Magni Magiſtri Ordinis S. Johannis Hieroſolymitani pro obedientia Sanctiſſimo Domino noſtro præſtanda, quibus obviam iverunt familiæ Papæ & Cardinalium, licet ipſe dixerim quod non, quia ſubditi Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ac Religioſæ perſonæ, quibus regulariter obviam non itur. Replicavit Procurator dicti Ordinis, qui ibidem præſens erat, quod tempore felicis recordationis Sixti Papæ quarti, Oratores ejuſdem Magiſtri, cum ad Urbem veniſſent, publice per ſuam & familias Cardinalium recepit, & aſſociari fecit; & quod ſimiliter tempore Innocentii Papæ Octavi Oratores ejuſdem Ordinis fuiſſent recepti. Reſpondi, quod idem Pontifex hoc feciſſet de conſuetudine & obſervantia, uti non informatus; ſed cum poſtea a me monitus fuiſſet, mihi dixit, eum neſciviſſe, & quod amplius non faceret. Reſpondit Pontifex; me nihil ſcire, & decrevit, quod ſua & omnium Cardinalium familiæ prædictis oratoribus obviam mitterentur, prout cæteris Potentatibus fieri conſuevit.

Intrantibus igitur ſupra dictis Oratoribus obviam venerunt familiæ ſupradictæ, quæ eos receperunt, & aſſociarunt. Nullus Oratorum venit eis obviam.

Feria ſecunda vigeſima quinta Februarii in publico Conſiſtorio Reverendus Pater Dominus Andreas Epiſcopus Albani, & Magnifici Domini Beneventus de Sancto Georgio, Ordinis Sancti Johannis Hieroſolymitani, & Ludovicus de Titionibus Illuſtris Domini Bonifacii Marchionis Montisferrati Oratores Sanctiſſimo Domino noſtro obedientiam debitam præſtiterunt.

Feria ſecunda quarta Martii in Baſilica Sancti Petri habitæ ſunt exequiæ bonæ memoriæ Cardinalis Alerienſis, parato prius Caſtro doloris. Omnia alia more ſolito facta fuerunt, excepto, quod exequiæ hujuſmodi non per novem dies, prout fieri ſolent pro Cardinalibus, ſed hodie tantum propter defuncti paupertatem. Funeſti fuerunt 172 vel circa, & nullus Prælatus. Primi fuerunt fratres Cardinalis defuncti.

Feria ſecunda, decima Martii menſis intromiſſi fuerunt, Oratores Rhodiani ad obedientiam præſtandam Pontifici, prout fieri conſuevit.

Feria ſecunda, undecima Martii portatum fuit ad Eccleſiam Beatæ Mariæ Araceli corpus quondam Dominici de Mari Januenſis Patricii, qui obiit nocte præterita (erat iſte patruus Reverendiſſimi Cardinalis Beneventani,) per ſervitores & domeſticos ſuos, quia fratres noluerunt portare, aſſerentes, ſe non eſſe fachinos, & Cardinales duntaxat portare Cardinales. Præceſſerunt quadraginta intortitia, quæ portaverunt viginti ex famulis ſtabuli, & corpus ſecuti decem & ſeptem conſanguinei & affines defuncti, ſinguli ab uno Prælato à ſiniſtris aſſociati.

Dominica quarta quadrageſimæ Sanctiſſimus Dominus noſter vocavit me, & interrogavit, an conſuetum eſſet & conveniens dare Roſam Imperatori Romano? Reſpondi ſuæ Sanctitati, conſuetum eſſe & convenientiſſimum dare. Et Reverendiſſimus Dominus Cardinalis Senenſis felicis recordationis Nicolaum Papam Quintum Illuſtriſſimo & Invictiſſimo Federico Romanorum Imperatori moderno etiam roſam donaſſe. Deinde de ejus mandato omnes de Camera exire juſſi, ſolis Cardinalibus cum ſua Sanctitate remanentibus, cum quibus conſilium habuit ſuper roſæ donatione. De quorum conſilio decrevit Roſam eidem Imperatori donare, roſa ipſa prius more ſolito benedicta.

Feria quarta, vigeſima ſeptima *Martii*, Reverendus Pater Dominus Antonius de *Monte* receptus fuit in Auditorem Rotæ in locum quondam Domini Petri de Ferraria.

Feria ſexta decima quarta Martii venerunt ad Urbem Illuſtriſſimus Dominus Ludovicus de Aragonia, Marchio Chiraci, Reverendus Dominus Alexander Caraffa, Archiepiſcopus Neapolitanus, Magnificus Dominus Joannes Antonius de Guevara Comes Potentiæ, & Antonius de Alexandro, Sereniſſimi Alphonſi Regis Neapolitani Oratores pro particularibus negotiis prædicti Regis, & etiam ad præſtandum obedientiam, qui à familiis Cardinalium & Sanctiſſimi Domini noſtri recepti ſunt, & more ſolito aſſociati ad palatium Urſinorum Montis Jordani, in quo hoſpitati ſunt.

Papa commiſit mihi, ut locum darem Marchioni prædicto in plano ſolii à dextris, & Dominum Piſauri facerem ſtare à ſiniſtris, & ut poſt Marchionem prædictum locum darem etiam Comiti Potentiæ in convenienti gradu, & ſic Comitem inter Marchionem & Senatorem locavi. Quod videns Papa me reprehendit, dicens, Senatorem ſupra Comitem ſtare debere. Reſpondi, forenſes honorandos eſſe. Papa mihi mandavit ut Senatorem a ſiniſtris ſuis ante gradum ſolii juxta Aſſiſtentem locarem. Quod feci, licet ſatis inconveniens.

Inſuper intellecto per Reverendiſſimum Dominum Cardinalem Neapolitanum adventu Marchionis Giraci, dixit mihi, ipſum eſſe Nepotem Regis Alphonſi ex fratre, propterea ſi liceret aliquem ex Cardinalibus ſibi obviam mittere. Reſpondi, expreſſe caveri in Ceremonialibus, quod Regibus, Reginis & eorum filiis & fratribus

Digitized by Google

bus ac sororibus tantum, & non aliis per Cardinales obviam iri, & propterea huic obviam Cardinales ire non debere, neque licere, quod vadat ante omnium Cardinalium caput. Et cum a me peteret, quonam honore recipi posset, dixi, quod Papa posset duos Prælatos Palatii ei obviam mittere qui eum nomine Pontificis reciperent, & quod in Capella deberet ei dari locus in superiori gradu solii Pontificis.&c.

Feria quarta, vigesima tertia die dicti Mensis circa horam 14. Reverendus Pater, Dominus Marianus Episcopus Glandensis, Cancellariæ Apostolicæ Regens Romæ obiit, cujus corpus portatum fuit ad Ecclesiam B. Mariæ de Populo.

Feria tertia Paschæ Sanctissimus Dominus Noster venit ad Ecclesiam Beatæ Mariæ de Minerva, ubi dicta Missa de annunciatione Beatæ Mariæ Virginis translatæ in hac die. Finita Missa accesserunt quidam de Confraternitate Annunciationis cum bacili, quibus Papa obtulit 25. Ducatos, deinde accesserunt 17. puellæ cum matronis, quibus Papa dedit bursam cum 75. florenis pro dote more solito. Licet superioribus diebus defuncto Charissimæ memoriæ Ferdinando de Aragona Siciliæ & Rege Neapolitano Serenissimus Alphonsus Secundus etiam de Aragona primogenitus suus ex ordinatione & institutione felicis recordationis Innocentii Papæ Octavi in Regno Neapolitano sive Siciliæ citra Pharum; Successit tamen Rex Franciæ prætendens ad dictum Regnum Jus habere, institit per Oratores suos, ne idem Alphonsus in Regno hujusmodi per Sanctissimum Dominum Nostrum investiretur,& coronaretur in Regem. Ex quo coronatio ejusdem Regis diutius est retardata, tamen Sanctissimus Dominus Noster volens Statui dicti Regis Alphonsi opportune providere, creavit Legatum de latere Reverendissimum Dominum Cardinalem montis Regalis ad investiendum dictum Alphonsum de supra dicto Regno, ipsumque in Regem ungendum & coronandum.

Dominica vigesima Aprilis ego Joannes Bucciardus Magister Cæremoniarum Sanctissimi Domini Nostri requisitus nomine dicti Serenissimi Domini Alphonsi de Aragonia, de licentia Papæ cum quatuor servitoribus ivi Neapolim pro coronatione dicti Regis ordinanda. Venimus Neapolim, ubi ex commissione Regis hospitatus fui abundanter per Commissarios Regis de omnibus necessariis.

Igitur Neapolim conveni deputatos pro hujusmodi coronatione, quibus dedi notam, singula necessaria videlicet:

Paranda pro coronatione Regis Neapolitani.

Convocentur Prælati & Barones Regis.

Responderunt: Sunt vocati.

Ordo recipiendi Legatum.

Responderunt, quod eo ordine, quo ego ordinarem, reciperetur.

Baldachinum pro Legato.

Responderunt: Ordinatum est, & deputati aliqui, qui illud Legato advenienti libere assignent, prope Ecclesiam Neapolitanam.

Portatores Baldachini duplicati, vel triplicati, ut possint sæpius mutari.

Responderunt, quod illud sine muta portabunt aliqui à Porta civitatis usque ad Ecclesiam Neapolitanam.

Via, per quam Legatus debet intrare civitatem, & venire ad Ecclesiam.

Responderunt: per portam Capuanam recta via.

Quid moris de cappa Legati, si ab eo recipi solet, vel quid servetur?

Responderunt, quod nihil ab eo recipitur, neque cappa, neque aliud.

Ordo servandus per Prælatos & Barones Regni in receptione Legati, & in die coronationis Regis, & Rege ad Ecclesiam veniente, & post Missam. Responderunt, Legatum & Regem præcedent Barones, quos sequentur Oratores, & post Regem vel Legatum Prælati suo ordine.

Si Legatus finita Missa in die coronationis sit Regem alicubi associaturus.

Responderunt: usque portam Ecclesiæ tantum, similiter & Prælati, Assistentes Legati Diaconus & Subdiaconus.

Pro die coronationis deputentur tres Presbyteri apti, ut possint opportune instrui.

Responderunt: dederunt commissionem Vicario Archiepiscopi Neapolitani, sed postea advisati, quod Legatus duceret secum Diaconum & Subdiaconum Capellæ Papæ, & quod Caudatarius suus sibi assisteret.

Deputetur Prælatus, qui in die coronationis Regem incenset, & pacem ministret.

Responderunt: Reverendissimus Dominus Archiepiscopus Neapolitanus.

Quot & qui Prælati sint mansuri apud Regem,& in thalamo Regis, & qui alii Nobiles.

Responderunt: Episcopus Tropiensis,& Frater Joannes de Milano, Capellani majores Regis, & omnes de sanguine Regis cum eo,& non alii.

Deputentur, qui deferant ensem.

Responderunt: Dominus Ector Caraffa Camerarius major Regis.

Qui Coronam.

Responderunt: Dominus Gentilis Virgilius Ursinus.

Qui Sceptrum.

Responderunt: Dominus Joffredus Borgia.

Qui pomum.

Responderunt: Dominus Henricus de Aragona.

Ordinetur offertorium pro Rege in die coronationis, & qui illud sibi porrigat.

Responderunt; ordinatæ sunt 12. medaliæ aureæ, quas Illustris Dominus Federicus sibi ministrabit.

Credentia pro Cardinale celebraturo, si ex Regalibus vasibus eam velint ornare.

Responderunt, quod Legatus eam parare faciet suo more, quia alii Legati sic facere consueverunt.

Videantur omnia Paramenta Regalia & Pontificalia, faldistoria duo sine scabellis cum eorum cussinis & coopertis.

by Google

Aliud altius cum ſcabello, & cuſſinis duobus pro confeſſione Regi ſervientibus.

Adviſentur Cantores de Miſſa Spiritus Sancti dicenda, & quod pro litania duos deputent.

Pluvialia alba cum ſolis amictis & ſuperpelliceis, ita ut pulcriora Prælatis cum Legato venientibus mutentur, videlicet:

Archiepiſcopo Patracenſi Epiſcopis Torcellano, Seguntino, Crotonenſi, Nolano, Cathacenſi & Montis piloſi.

Baldachinum pro Rege Miſſa finita extra portam Eccleſiæ.

Portitores Baldachini.

Equus Regis ornatus.

Qui Regis equum habent dextrare.

Panni & pallia pro Eccleſia, Altari & Thalamo.

Per quam viam, & quo Rex habeat equitare poſt coronationem.

Omnia Paramenta Pontificalia & pro Miniſtris & Aſſiſtentibus.

Scamna pro Prælatis omnibus Nobilibus & Baronibus.

Deputentur duo Nobiles, qui ſingula loca aſſignent ex commiſſione Regis.

Locus pro Cantoribus, & pulpitum pro libro.

Duo ſcabella viridia pro Prælatis Regi aſſiſtentibus.

Aliud ſimile pro libro Litaniæ deſuper ponendo.

Cooperta pro Pontificali per Legatum utenda.

Quod brachium & ſpatula Regis poſſet de facili detegi & nudari pro unctione facienda.

Bombax & Pannicelli pro unctione liganda.

Oſtium Eccleſiæ in mane ante diem cuſtodiatur.

Chori pro Curialibus Regis cum Rege venientibus, & ita ordinentur, ut Legato parato, antequam Officium Coronationis incipiat, omnia loca ſint diſtributa, ac omnia in quiete.

Deputentur aliqui Nobiles, qui Legato intrante Nobiles & Barones Neapolitanos faciant ſuo ordine debito equitare, ſcutiferi, & familia Legati ſit immediate ante Barones.

Reſponderunt, quod hæc omnia commiſerunt Reverendo Patri Domino Julio Epiſcopo Tropienſi, Capellano majori Regis, ut una mecum ſingula ordinaret, & opportune provideret.

Pro die adventus Legati convocentur omnes Religioſi, & Clerus civitatis Neapolitanæ ad Eccleſiam Neapolitanam, ex qua ſola Cruce illius Eccleſiæ præcedente vadant extra portam Capuanam ordine ſolito.

In Eccleſia Neapolitana in introitu paretur vas Aquæ benedictæ cum aſperſorio convenienti, thuribulum cum igne.

Navicella cum incenſu.

Pontificale pro Prælato.

Faldiſtorium cum ſcabello, cuſinis & cooperta ante cornu Epiſtolæ Altaris pro Legato.

Aliud ſimile faldiſtorium cum cuſinis & cooperta ante cornu Evangelii pro Rege, qui ſic erit ad ſiniſtram Legati genuflexi.

Deputetur Canonicus Eccleſiæ prædictæ, qui offerat pro incenſo imponendo.

Reſponderunt: Omnia præmiſſa commiſerunt Epiſcopo Tropienſi, & mihi ordinanda, ut ſupra.

Deinde debitum ordinem dedi recipiendi Legatum, videlicet:

Ordo recipiendi Legatum.

Archiepiſcopi & Epiſcopi Regni prædicti cum eorum mantellis, & cappuccis & cappellis convenientibus equitabunt bini, & Legato obviam venient uſque ad Sanctum Julianum, ubi honorifice primo pro omnibus loquente recipient capite detecto ſibi inclinantes.

Sereniſſimus Rex Alphonſus veniet cum Baronibus ſuis obviam dicto Legato uſque ad Sanctum Antonium, ubi ex equo capite detecto recipiet Legatum, manum ei deoſculando & in ore, Legatus negato ſibi manus oſculo ad oris oſculum Regem recipiat, & juxta ſe faciet equitare.

Clerus Neapolitanus cum Religioſis in Eccleſia Neapolitana congregabitur, ex qua hora debita præcedente duntaxat cruce ejuſdem Eccleſiæ ordine infra ſcripto, veniet uſque ad portam Capuanam, ubi ſe vertat proceſſio, ita ut inferiores primo videlicet incedentes ſint verſi ad Eccleſiam Neapolitanam, & Clerus, Archiepiſcopus cum Canonicis, & alii majores dumtaxat ſint prope Portam prædictam. Archiepiſcopus paratus erit amictu, videlicet alba, cingulo, ſtola, pluviali & mitra pretioſis, & proceſſionem concludet quem præcedet unus Canonicus Neapolitanus ſuperpelliceo indutus, qui baculum paſtoralem ante ipſum deferet, & alius Canonicus etiam in ſuperpelliceo Crucem portabit ſine baculo Legato ad oſculum porrigendam, & duo alii Canonici, ut ſupra induti, & inde gremiale ante Archiepiſcopum tenentes, & fimbrias anteriores Pluvialis elevantes Archiepiſcopum inter ſe medium aſſociabunt.

Sub porta civitatis paratum erit Baldachinum pro Legato. Nobiles Neapolitani ſedium illarum, antequam Legatus erit tranſiturus, ad portandum Baldachinum ibidem parati erunt, & Legatum expectabunt.

Legatus portam civitatis intrans, Archiepiſcopus detecto capite, facta prius reverentia, ipſi Crucem offerat oſculandam. Legatus invitato prius oſculando Rege Crucem ipſam detecto capite ex æquo reverenter oſculetur. Rex ante Crucem non oſculabitur; tunc dicatur Antiphona: Sacerdos & Pontifex &c. Reſp. Ecce Sacerdos Magnus &c. cum verſiculo: Gloria Patri &c.

Legatus & Rex ſimul ſub Baldachino equitabunt. Pervento ad Eccleſiam, Archiepiſcopus Legato Eccleſiam intranti offerat aſperſorium eo prius deoſculato. Legatus accepto aſperſorio primo Regem, deinde ſe, poſtea Prælatos aſpergat. Tum unus Canonicorum Thuribulum, & Archiepiſcopus Naviculam incenſi cum cochleari Legato offerat, Archiepiſcopo dicente: Benedicite Pater Reverendiſſime. Legatus incenſum ponat in thuribulo, & benedicat &c. Archiepiſcopus recepto thuribulo, facta reverentia,

Digitized by Google

rentia, detecto capite Legatum incenſabit ter. Legatus, antequam recipiat incenſationem, Regem ad eam invitabit, ſed Rex non acceptabit, neque incenſabitur, quia hujuſmodi incenſatio fit Legato tanquam venienti.

Deinde procedetur ad Altare Majus, ubi in ſuperiori plano ante gradum Altaris parata erunt duo faldiſtoria, unum verſus cornu Epiſtolæ. Pallio de broccato aureo cremeſino cum duobus cuſſinis ſimilis broccati pro Legato; & aliud verſus cornu Evangelii cum pallio de broccato violaceo, & duobus cuſſinis ſimilibus pro Rege.

Quam primum Legatus & Rex genuflexerint, Archiepiſcopus prædictus ſtans in ſupremo gradu Altaris in cornu Epiſtolæ verſus ad Legatum, Capellano ſuo librum tenente, dicat voce competenti orationem ſolitam &c.

Tum Legatus procedens ad medium Altaris, detecto capite verſus ad Crucem ſuam, benedicat populo, & deinde concedat intereſſentibus indulgentiam trium annorum, quam unus ex Capellanis ſuis vel Canonicis Eccleſiæ pronuntiet.

His pronunciatis ſurget Rex, & accedet ad Legatum, & ipſum uſque ad palatium Archiepiſcopale aſſociabit.

Ordo Proceſſionis, de qua ſupra fit mentio, ſic erit.

Fratres Sanctæ Mariæ Gratiarum, Jeſuati.
Fratres Sanctæ Mariæ Virginum Cruciferorum.
Fratres Sanctæ Mariæ de monte Carmelo.
Fratres Eremitarum Sancti Auguſtini.
Fratres Sanctæ Mariæ della nova Minorum de obſervantia.
Fratres Sancti Laurentii minorum Conventualium.
Fratres Sancti Dominici.
Fratres Sancti Petri ad Majellam Cœleſtinorum.
Fratres Sancti Petri ad Haram Canonicorum Regularium Sancti Auguſtini.
Fratres Sanctæ Mariæ montis Virginii, Ordinis Humiliatorum.
Fratres Sanctæ Mariæ montis Oliveti.
Fratres Sancti Severini Sancti Benedicti congregationis Sancti Pauli.
Clerus civitatis Neapolitanæ.
Salmæ Legati 12. vel circa.
Curialium Regis familiares, & alii inferiores.
Nobiles Neapolitani & Curiales Regis.
Valiſia Legati.
Familia Legati.
Barones, Comites.

Proceſſio, ut citius expediatur, poterunt quatuor ſimul incedere.

Crux Legati, quam ſequantur Canonici & Archiepiſcopus, ut dixi.

Legatus cum Rege à ſiniſtris ſub Baldachino.

Dominus Federicus de Aragona, frater Regis à ſiniſtris habens Oratorem Regis Hiſpaniarum.

Alii Regales ſinguli à ſiniſtris Oratores aliorum Principum & Oratoribus deficientibus incedant inter ſe bini, Prælati vero cum Legato veniant, ſingulos alios Prælatos habeant à ſiniſtris juxta ordinem eorum promotionis.

Sereniſſimus Alphonſus Siciliæ &c. Rex intellecto adventu Reverendiſſimi Domini Cardinalis montis Regalis ad ipſum coronandum, volens eundem convenienti honore recipere, obviam ei miſit Magnificos Dominos, Comitem Mattaloni & Franciſcum Tmolum, Comitem Montorii, qui Legatum in civitate Fundi honorarent. Item Marchionem Martini, magnum Siniſcalcum Regni, & Comitem Burgenſem Cancellarium Regni, qui eum in civitate Sueſſana;

Poſt illos Reverendum Patrem Dominum, Alphonſum de Aragona, Nepotem Regis, qui eum in Civitate Capuana reciperent honore debito.

Succeſſive Illuſtrem Dominum Federicum de Aragona fratrem ſuum, Regni Admirandum, & Archiepiſcopos Acherundinum, & Sanctæ Severinæ, Eravinenſem, Tricaricenſem Epiſcopos, Comitem Potentiæ, Comitem Venafri & Trojanum, Comitem Florenzanum, qui eundem Legatum Averſæ honorarent, quod & factum eſt, ut ſupra.

Feria quarta Aprilis vocatus fui ad Sereniſſimum Regem Alphonſum ad Caſtrum novum, ubi coram Majeſtate Sua ei totum officium Coronationis ſuæ recitavi cum oſtenſione reverentiarum, genuflexionum, denudationum brachii & ſpatularum, præſtationis juramentorum, Proſtrationum, & omnium aliorum agendorum. Decrevit tunc Majeſtas Sua Coronationem ad diem Jovis octava menſis Maji proxime futuri, qua erit Feſtum aſcenſionis, transferre, & quod ipſa coronatio fiat ſub Officio, & Miſſa Aſcenſionis ſtatuta, ut præmittitur, per Regem die coronationis ſuæ. Retuli Reverendiſſimo Legato, Regem uſque ad Sanctum Antonium extra Civitatem Neapolitanam obviam venturum, & quod Rege veniente & caput detegente, etiam ipſe Legatus caput detegeret, & data ſibi manu non permitteret ſibi eam deoſculari; ſed Regem ad oſculum reciperet, Crucem in introitu civitatis ſibi porrectam Regem ad illius oſculum invitaret, quam tamen Rex non eſſet deoſculaturus, ad cujus oſculum poſſet ipſe Legatus, ſi vellet ex equo deſcendere, convenienter tamen ex equo, eam deoſculari, ſimul cum Rege ſub Baldachino uſque ad Eccleſiam equitaret. Pervento ad Eccleſiam, priuſquam deſcenderet, rogaret Regem, ut recederet, ei pro humanitate gratias agens, idem faceret, ſi Rex intraret Eccleſiam, benedictione per eum data; accepto in Eccleſia aſperſorio, Regem primo aſpergeret, deinde ſe, poſtea Prælatos; impoſito incenſo Regem ad illud à Prælato recipiendum invitaret. Si Rex ipſum omnino ad palatium aſſociare voluerit, in capite ſcalarum, ubi per aliam viam diverti poteſt, iterum gratias ageret Regi, & ipſum licentiaret. Quodſi ipſum Rex ad Cameram aſſociaret, deberet ipſe Legatus Regem inde uſque ad equum aſſociare.

Quæ

Digitized by Google

Quæ omnia benigne intellexit à me, ac reſpondit ſibi placere.

Appropinquavimus ſic equitando Civitati Averſæ, ubi parum citra venit ſibi obviam Sereniſſimus Princeps Federicus de Aragona, frater Regis cum duobus Archiepiſcopis, duobus Epiſcopis, & quatuor Comitibus, ſuperius nominatis, qui eum nomine Regis receperunt. Et Dominus Federicus porrectam Legati manum non eſt deoſculatus, neque ſignum deoſculationis fecit, ſed à Legato ad oris oſculum eſt receptus, & ad ſiniſtram Legati continuo equitavit, antequam prædicti venirent omnes Prælati Legati coopertas ſupra eorum mulas, quas equitabant, poni fecerunt, & mantellos longos cum cappuciis, prout in Urbe Roma equitare ſolent. In porta Averſana Legatus ex equo Crucem è manibus Vicarii Epiſcopi Averſani ſibi porrectam oſculatus eſt. Tum ſub Baldachino præcedente proceſſione venit ad Eccleſiam, Domino Federico ſemper ad ejus ſiniſtram equitando. In Eccleſia Legatus aſperſit ſe, deinde Dominum Federicum & alios, dedit deinde Legatus benedictionem & indulgentiam trium annorum. Publicatis indulgentiis mulieres, & viri tumultuoſi venerunt ad oſculandum manum Legati. Aſcendit Palatium idem Cardinalis, à Domino Federico, & aliis aſſociatus, uſque ad Cameram ſuam, ubi dimiſſo Legato retroceſſerunt. Ego etiam redii Neapolim ad ordinandum ibidem receptionem ſuam, quia eadem die erat Neapolim venturus.

Die Veneris ſecunda Maji, paratis omnibus pro receptione Cardinalis Legati Archiepiſcopus, & Epiſcopi Regni Neapolitani in porta Capuana convenerunt, equitantes obviam dicto Legato uſque ad Sanctum Julianum, ubi eum receperunt, Reverendo Patre Domino Archiepiſcopo Acheruntino pro omnibus loquente. Rex venit obviam Cardinali uſque ultra Sanctum Antonium, ubi detecto capite voluit deoſculari manum Legati, quod Legatus non admittens, ad oris oſculum recepit, & ad ſiniſtram ſuam ipſo tamen Rege ad dexteram prius invitato equitare fecit. Equitarunt ante Dominus Ector Caraffa Camerarius major, Regis Frater germanus portavit enſem, inſignia contrario modo, quam aliis Principibus portari ſolet. Portabat enim punctam enſis in manu & manicum ſurſum tenebat erectum, equitans ad ſiniſtram Capellani Crucem ante Legatum portantis. Poſt Legatum vero & Regem non fuit ſervatus ordo. Equitarunt deinde hoc ordine:

Dominus Federicus Frater Regis à dextris, & Orator Regis Hiſpaniarum à ſiniſtris.

Oratores Venetorum, Ducis Mediolani & Florentinorum.

Dominus Aloyſius de Aragona nepos Regis à dextris, & Dominus Carolus frater ſuus.

Dominus Alphonſus de Aragona frater baſtardus Regis, Electus Theatinus.

Dominus Joffredus Borgia filius Papæ, & à ſiniſtris Dominus Henricus de Aragona, nepos Regis Hiſpaniarum, & frater conſobrinus Reginæ Neapolitanæ.

Poſt hos Dominus Jordanus, Patriarcha Antiochenus Archiepiſcopus Capuanus, medius inter Archiepiſcopum Patracenſem & Epiſcopum Torcellanum.

Domini Epiſcopi Nolanus & Archiepiſcopus Acheruntinus.

Domini Epiſcopi Cotronenſis & Archiepiſcopus Brunduſinus.

Dominus Archiepiſcopus Sancti Severini & Protonotarius de Segha.

Dominus Archiepiſcopus Regienſis & Protonotarius de Sermoneta.

Sequebantur alii Prælati numero 30.

Pervento hoc ordine ad portam civitatis Archiepiſcopus Neapolitanus porrexit Crucem Legato, quam Legatus prius Rege invitato ex equo oſculatus eſt. Rex autem non eſt Crucem deoſculatus.

Venerunt ſub Baldachino Legatus & Rex uſque ad Eccleſiam Metropolitanam. Omnes Religioſi firmi ſteterunt ad muros, ſolus chorus ſecularis præceſſit Crucem Legati, poſt omnes Barones & Crucem & alium, qui enſem Regis portabat. Sequebatur Capitulum Eccleſiæ, & Archiepiſcopus paratus; ante Eccleſiam Baldachinum, quod Nobiles ſedium portaverunt, fuit parafreneriis Legati quiete aſſignatum, ubi Legatus peractis gratiis Regi, & ut abiret, *rogato*, ex equo deſcendit, & cum Rege intravit Eccleſiam, & porrecto aſperſorio Regem, & ſe, & alios aſperſit, & Legatus fuit incenſatus, & non Rex, licet prius fuerit invitatus. Acceſſerunt ad Altare majus, ubi dedit benedictionem & indulgentiam trium annorum. Rex aſſociavit Legatum uſque ad palatium Archiepiſcopale & Cameram ſuam, licet ante altare, & in capite ſcalarum dicti palatii Legatus, ut abiret, ipſum rogaverit. Cardinalis aſſociavit Regem uſque ad portam primæ Cameræ, ubi Rege ſic volente manſit Cardinalis.

Neceſſaria pro Coronatione Regis Siciliæ &c.

Triduanum jejunium deſtinet Rex, & ad communionem ſe paret.

Intellexi, ſuper hoc Papam diſpenſaſſe, ut unica tantum die jejunaret.

Eccleſia ornetur pannis & palliis ſolemnibus, & in ea ſuggeſta, thalamus & gradus, credentia, tabalia magna uſque ad terram cooperta, & vaſa deſuper ad ornatum.

Duo flaſcones magni argenti inaurati, duo magna boccalia argentea.

Duo alia boccalia minora argentea.

Duo candelabra cum luminaribus.

Calix cum patena & palla ac tribus hoſtiis magnis pro probis, & pro Cardinale, ac tribus pro Rege, quæ ſunt longe minores pro communione è probis.

Ampulla pro vino & aqua pro miſſa.

Burſa cum corporalibus.

Oſtiaria cum hoſtiis ſuperius deſignatis.

Thuribulum cum navicella, cochleari & incenſo.

Duo

Duo boccalia pro lotione manuum.

Quatuor mappulæ sive mantilia pro manuum abstersione.

Taxa argentea pro proba facienda.

Medulla panis pro lotione manuum post unctionem Regis.

Duo vasa sive boccalia, unum cum vino, aliud cum aqua pro missa.

Vas cum oleo Cathechumenorum.

Bombax ad ligandum & extergendum brachium Regis, & inter spatulas.

Fascia ad ligandum bombacem in brachio.

Vas cum igne pro thuribulo.

Sandalia cum caligis.

Altare paretur solemne cum luminaribus & Cruce in medio, ac reliquis reliquiis pro ornatu, & in medio ponantur omnia paramenta Pontificalia rubei coloris, Amictus, albus, cingulus, stola cum tunicella, chirothecæ, mitra, crux, pectoralis, Dalmatica, Planeta, annulus, Pontificalis manipulus, ensis in vagina Regi dandus, Corona Regia cum suo bireto, Pomum, sceptrum, Vexillum Regi dandum in investitura, duæ paces.

In cornu Evangelii paramenta pro Diacono.

In cornu Epistolæ paramenta pro Subdiacono.

Pluviale pro Capellano Legato assistenti, tobalia sive mappula pro mitra, Pluviale pro alio Capellano Legati, baculum Pastorale.

Prope Altare sive credentiam sint parati liber cum Psalmis, Quam dilecta &c.

Pro Legato, quando se parabit & Missale, Pontificale, Liber Evangeliorum, lancea, liber Epistolarum, & Vexillum Regi dandum.

Bulla indulgentiæ plenariæ affigatur prope Altare, ut ab omnibus videatur.

Prope Altare paretur &c.

Faldistorium cum suo cussino & cooperta de broccato aureo cremesino pro Legato.

Faldistorium simile de broccato aureo albo pro Rege, super quo genuflectetur.

Quatuor alii Cussini broccati albi pro Rege, quando coram Legato flectetur, & pro litania.

Duo scabella viridia pro duobus Prælatis Regi assistentibus.

Aliud simile, super quo Cantores ponunt librum.

Scamna pro Prælatis paratis sedebunt in anterioribus hinc & inde caput facientes versus Altare.

Thalamus cum sede Regali, & parte Regali.

Faldistorium sive sitiale cum pallio broccati, & duobus cussinis ad genuflectendum pro Rege.

Missale pro Rege

Baldachinum pro Rege, sub quo coronatur.

Finita Missa equitabit per civitatem, quod paratum habeatur prope portam principalem Ecclesiæ, per quam Rex tunc exibit.

Locus pro Cantoribus.

Scamna pro Baronibus.

Sacristia ad vestiendum Regem.

Prælati parentur super Rocchettum amictu superpelliceo, stola, pluviali, & mitra simplici.

Rex deinde camiseam habens à retro apertam usque ad cingulum certis cordellis colligatam, & diploidem, & vestitellum, & desuper vestem de broccato auri riccio cremesino amplam ad formam Gallicam, & caligis de panno nigro. Ex Castro novo veniret ad Ecclesiam cum suis Curialibus, Baronibus &c. quem post Regales, ac Oratores & paggios, & favoritos sequentur Capellani majores Regis, & alii togati.

Sedebunt circa Altare in ultimo gradu omnes alii Cubicularii Papæ & Capellani Legati non assistentes sedebunt in terram, non autem ad Altare.

Scutiferi Legati stabunt in cornu Evangelii ad retro Altare, ita ut Prælatos ab illo latere sedere non impediant.

Curiales Regis sedebunt hinc, & inde super gradibus in choro dictæ Ecclesiæ ordinatis.

Oratores autem in banco cum post regali retro scamna pro Prælatis.

Cum Serenissimo Rege in thalamo suo erunt, & ipsum ubique associabunt:

Dominus Federicus de Aragona,
Gentilis Virgilius Ursinus,
Dominus Joffredus Borgia,
Dominus Alphonsus Electus Theatinus.
Dominus Aloysius de Aragonia Protonotarius.

Dominus Henricus de Aragona, frater consobrinus Regis.

Dominus Carolus de Aragona Marchio Gieracensis.

Dominus Martinus de Aragona, nepos Regis ex Ferdinando Fratre.

Dominus Julianus Episcopus, & Frater Joannes de Mediolano, Capellanus major Regis genuflexi, & ambo de Missali Regi servient.

Frater Michael de Neapoli Eleemosynarius Regis post Regem genuflexus.

Adveniente Rege occurrent Reverendi Patres Domini, Episcopus Neapolitanus, & Patriarcha Antiochenus, qui vestiti mitris caput aliquantulum inclinantes sibi reverentiam facient. Idem faciat Rex ipsis, retento in capite bireto suo, Archiepiscopus & Patriarcha Regem medium ad Legatum deducant, quo accedente, omnes Prælati assurgent, & cum mitris capita aliquantulum inclinabunt, idem faciet Rex. Pervento ante Legatum Rex deponet biretum, & Legato caput inclinat, & Legatus retenta mitra in capite sibi respondet. Sedet Rex in faldistorio in plano ante ultimum gradum Altaris, sibi parato in transversum, ita ut sinistra Regis sit versa Altari, & dextera choro Canonicorum, & faldistorium hujusmodi stabit ad dexteram Legati, qui sedebit in alio simili faldistorio ante medium altaris in retrogradu, & plano illius sibi parato, renibus Altari versis. Neapolitani vero in capite primæ bancæ ad sinistram Legati se locabunt, & Prælati omnes in suis locis erunt.

Omnibus sic sedentibus surget Notarius Cameræ Apostolicæ, & stans in Cornu Altaris Evangelii ad sinistram Legati in primo vel secundo grado Altaris, alta voce leget Bullam facul-

facultatis Cardinalis tenoris ſequentis, videlicet:

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Joanni tituli Sanctæ Suſannæ Presbytero Cardinali ad Siciliæ Regem citra Pharum, Noſtro & Sedis Apoſtolicæ Legato ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Licet poteſtatis plenitudo deſuper Nobis commiſſa ſit, ut univerſi gregis Dominici, Divina diſponente Clementia, curam habeamus, finem tamen humanæ poſſibilitatis excedere non valentes, conſiderandoque quod circa ſingula per noſmet ipſos debitum abſolvere non poſſumus, nonnunquam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales in partem ſollicitudinis aſſumimus, ut ipſis vices noſtras ſupplentibus Miniſterium Nobis commiſſum facilius & ſalubrius exequamur. Sane poſtquam claræ memoriæ Ferdinandus de Aragona Siciliæ citra Pharum, ſicut Domino placuit, rebus fuit humanis exemptus, conſiderantes, quod Cariſſimus in Chriſto Filius Alphonſus Ferdinandi Regis primogenitus, tunc Calabriæ Dux ad præſens, in dicto Regno & tota terra, quæ eſt citra Pharum, quæ de jure & proprietate Sanctæ Romanæ Eccleſiæ noſcuntur usque ad confinia terrarum ipſius Eccleſiæ, excepta civitate noſtra Beneventana cum ejus territorio, diſtrictibus & pertinentiis, ipſi Ferdinando Regi vigore inveſtituræ, & conceſſionis per felicis recordationis Innocentium Papam Octavum Prædeceſſorem noſtrum ſub certis modo & forma facturum ſucceſſit, quodque Prædeceſſores noſtri Romani Pontifices dicti Regni Reges, qui pro tempore fuerunt, inungi & coronari facere conſueverunt, & intendentes, ut dictus Alphonſus Rex Sedis Apoſtolicæ devotiſſimus, juris Regni & terræ prædictorum, ac Regalia inſignia plenitudine gratulari, & Statum ſuum firmius ſtabilire valeat, volentesque tantum munus, prout etiam prædictus Alphonſus Rex per ſuos Principales ad Nos deſtinatos Oratores cum inſtantia poſtulavit adimpleri, ac debitis ſolemnitatibus honorare, eorundem Prædeceſſorum Noſtrorum veſtigiis inhærendo, & ad Te, qui opere quidem potens es & ſermone, ac quem prudentia ac integritate comprobatum habemus, mentem noſtram potiſſime convertendo, & habito ſuper hoc cum Venerabilibus Fratribus noſtris, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus matura deliberatione, te noſtro & ejusdem Eccleſiæ nomine ad Regnum prædictum pro præmiſſis aliis arduis negotiis peragendis, dictæ Sedis Legatum à latere comitante pacis Angelo deſtinamus, circumſpectioni Tuæ prædictum Alphonſum Regem, præſtito ab eo, & per te recepto Noſtro, & ejusdem Sedis Romanæ nomine juxta formam in literis Prædeceſſoris noſtri deſuper confectis & inferius annotatis corporali juramento per impoſitionem vexilli ejusdem Romanæ Eccleſiæ in ſuis manibus de Regno & terra prædictis & omnibus juribus & pertinentiis, eorundem auctoritate Apoſtolica inveſtiendum, ipſumque in realem, actualem & corporalem poſſeſſionem inducendum, & prædictum Alphonſum Regem, poſtquam illum inveſtieris, & in poſſeſſionem hujusmodi induxeris, ut præfertur, ſolemnitatibus inungentes, ipſumque in ſignum pleni juris atque dominii & terræ prædictorum ſalubrem & felicem in Regem Catholicum dicta auctoritate, & de ſimili conſilio concedentes.

Tenor vero juramenti ſequitur, & talis eſt:

Ego Alphonſus Rex Siciliæ plenum homagium, & vaſſallagium vetus Domino meo, *Domino* Alexandro Papæ Sexto Eccleſiæ Romanæ pro Regno Siciliæ & tota terra, quæ eſt citra Pharum, & quantum ſpectat ad terram citra Pharum usque ad infima terrarum Eccleſiæ, ac ex Civitate Beneventana cum toto territorio ac omnibus diſtrictibus & pertinentiis ſuis, ſecundum antiquos fines territorii pertinentiarum, & diſtrictum civitatis ejusdem per Romanos Pontifices diſtinctos & inpoſterum diſtinguendos ab hac hora in ante, fidelis & obediens Domino Alexandro Papæ Sexto, ejusque Succeſſoribus Romanis Pontificibus eo nomine intrantibus, Sedique Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ non ero in conſilio vel conſenſu ſeu facto, ut vitam perdat ſeu perdant, aut membrum, aut capiantur nova captione, conſilium vero, quod mihi credituri eſtis per ſe, aut nuncios ſuos ad veſtrum, vel eorum damnum, me ſciente, nemini pandam, adjutor vobis ero ad retinendum, defendendum, & recuperandum, *& recuperata* manutenendum contra omnem, *& litteras* Innocentii Prædeceſſoris hujusmodi Regni & Terræ conceſſionem, ac omnia & ſingula, quæ in eisdem litteris continentur, adimplebo, & inviolabiliter obſervabo, & nullo unquam tempore veniam contra ea, non procurabo per me, vel alium, ſeu alios, ut eligat vel nominet in Regem, vel Imperatorem Romanorum, ſeu Regem Teutonicæ, aut Dominum Lombardiæ vel Thuſciæ, ſeu majorem partium earundem nullum hujusmodi dicto, ſeu poſtulationi aſſenſum præſtabo, non intromittam me modo aliquo de eorum, vel alicujus ipſorum Regimine usque etiam de Civitate Beneventana & ſua territoria, ſeu Campanea, neque de maritino Ducatu Spoletano, Marchiæ Anconitanæ, Patrimonio Beati Petri in Thuſcia, Maſſa, Romandiola, aut Alma Urbe, in Civitatibus Peruſina, Civitate Caſtelli, Bononia, Ferraria, Avenione, & Comitatu Venuſino ſeu aliis terris, quibuscunque veſtris Dominiis ubilibet conſtitutis, ex ſucceſſione, vel alio quovis titulo vel contractu, vel matrimonio nunquam acquiram, vel vindicabo, & nunquam accipiam vel retinebo, vel petam habere, aut manutenere *in illis* neque ullam Poteſtariam, Capitaniam vel Notariam, nullumque aliud officium accipiam, neque acceptabo, aut acceptari permittam ſeu faciam, vel partem aliquam eorundem, nec illa offendam vel moleſtabo, nec etiam Romanam Eccleſiam ſub cenſuris pœniſque ſpiritualibus & temporalibus in ſupra dictis venditionibus feudorum reſolutis, quas hic haberi volo, pro repetitis & expreſſis, ſchiſmatico, hæretico nunquam, vel à fide devio, & ab ipſa Eccleſia, ejus-

Digitized by Google

ejusque sequacibus eis consilium, auxilium, vel favorem non dabo, si per alium seu alios directe vel indirecte, publice vel occulte auxilium, consilium vel favorem, quantum in me fuerit, si impedire non potero, dare non permittam, sed eos juxta posse, donec convertantur persequi. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. Datum apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ &c.

Lecta Bulla accedet Rex & coram Legato genuflexus legit juramentum sub dicta forma. Et in fine Rex dicet: Quæ omnia & singula, ut jacent, sub fide mea Regia volens Reverendissimo in Christo Patri, & Domino Nostro, Domino Cardinali montis Regalis, Apostolicæ Sedis Legato ad hæc specialiter deputato, vice & nomine Sanctissimi Domini Nostri Papæ & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ præsenti & stipulanti, & recipienti curare, & procurare, & facere inviolabiliter, & effectualiter observare, promitto pariter & juro. Sic Deus me adjuvet &c.

Tum Rex ambas manus supra librum Missale, quod Reverendissimus Legatus tenebit, ponat, & sic legat & juret.

Interim dum juramentum prædictum per Regem præstatur, vexillum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ad hoc per Sanctissimum Dominum Nostrum missum imponitur super hasta, & erectum tenetur.

Præstito juramento per Regem, vexillum prædictum coram Legato portatur, qui illud recipiens, tradit Regi, dicens:

Auctoritate Apostolica nobis in hac parte concessa per appensionem hujus vexilli Ecclesiastici in tuis manibus, te de Regno Siciliæ, & terra citra Pharum usque ad confinia terrarum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, exceptis civitate Beneventana & territorio, districtibus & pertinentiis, in quibus claræ memoriæ Ferdinando Regi Genitori tuo vigore investituræ & concessionis per felicis recordationis Innocentium Papam Octavum successisti, Investimus, teque in illorum realem, corporalem & actualem possessionem inducimus, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

Tum Cancellarius Regis vexillum de manibus ejusdem Regis accipiens, illud in sacristia pro Rege parata portat & reponit. Surgit Rex in Faldistorio suo. Interim Procurator Fiscalis Regius requirit omnes Notarios, ut de investitura, & traditione possessionis conficiatur unum, vel plura instrumenta, videlicet: Ego &c. Procurator Fiscalis requiro vos omnes & singulos Notarios, &c. ut de investitura & inductione in possessionem Regni Siciliæ, per Reverendissimum Legatum, Serenissimo Regi Alphonso nostro Secundo de Aragona, ut supra facta conficiatis unum, vel plura, publicum & publica, Instrumentum & Instrumenta.

Deinde surgit Rex, & genuflexus osculatus est manum Legati. Tum præstat juramentum confectum sub hac forma:

Ego Alphonsus Dei Gratia Rex Siciliæ profiteor, promitto, & juro coram Deo, & Angelis ejus, deinceps Legem, justitiam & pacem Ecclesiæ Dei, populoque mihi subjecto pro posse & nosse facere & servare, salvo condigno misericordiæ Dei respectu, sicut in consilio fidelium meorum melius potero invenire, Pontificibus, quoque Ecclesiarum condignum & Canonicum honorem exhibere, atque ea, quæ ab Imperatoribus, & Regibus Ecclesiis collata & reddita sunt, inviolabiliter observare, Abbatibus, Comitibus & Vassallis meis congruum honorem, secundum consilium meorum fidelium præstare. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. Et ambas manus super librum missalem ponat &c.

Rege genuflexo permanente surgit Legatus, & dicit orationem. &c.

Finita oratione prostratur Rex sub quatuor cussinis, & omnes genuflectuntur, & dicuntur litaniæ, dictis litaniis nudatur brachium dextrum Regis, & inter scapulas solvitur diploidum, & camisia.

Acoluthus Papæ cum carafa olei à dextris Legati.

Dominus Subdiaconus cum vase & bombace stet prope dictum Acoluthum.

Legatus inungat brachium dexterum Regis inter juncturam manus & cubiti ab intus in modum Crucis. Tum inungit eundem Regem inter scapulas, & bombacem desuper ponit, religantur omnia, & vestiuntur.

Finitis prædictis surgit Rex, amoventur ambo faldistoria, & ponitur aliud cum scabello, & duobus cussinis in plano versus Cornu Evangelii, ubi Rex genuflexit, & facit confessionem cum ministris genuflexis.

Facta confessione Legatus accedit ad Altare, & illud incensat, & incipitur missa. &c.

Rex facta confessione surgit, & associatus à duobus assistentibus sedet in faldistorio ibidem parato & imponuntur Regi caligæ de Setoncino cremesino, & sandalia ex cremesino Damaschino recamata filis aureis & argenteis sine perlis, & absque lapidibus pretiosis.

Surgit Rex, & veste magna videlicet superiore exuitur, induitur veste longa de cremesino taffetta suffulta cum manicis strictis, & desuper cingitur.

Rocchetto longo usque ad callum pedis,

Tunicella alba de broccatello plano randato suffulta cum manicis strictis bottonatis.

Stola rubea broccati auri riccii in transversum humero sinistro sub brachio dextero conjuncta;

Manipulo de eodem broccato ad brachium sinistrum;

Veste Regali in modum Dalmaticæ ex broccato auri riccii cremesino fissuram habens ante & retro quatuor palmorum vel circa, longa usque ad collum pedis, circa collum manicas, & per fimbrias ad latitudinem quatuor digitorum vel circa perlis ornatum.

Collarium ad latitudinem manus perlis ornatum sub mento duabus perlis ligato, prout solent in amictis poni, ex broccato plano cremesino à benda longa de eodem quatuor digito-

Digitized by Google

rum, vel circa, quæ à collo pendebit uſque ad pedes, biretum retinebit.

Tum Rex deſcendit de thalamo, & accedit ad Legatum, & genuflectit.

Legatus accepto enſe nudo illum tradit in manum Regis, dicens: Accipe gladium &c. quo dicto Rex oſculatur manum Legati. Tum impoſito gladio in vaginam, Legatus cingit, Regi dicens: Accingere &c. Surgit Rex, & extractum enſem de vagina veriſimiliter ter vibrat. Tum ſuper brachium ſiniſtrum extergit, reponit in vagina, & iterum coram Legato, qui Regi Coronam imponit, dicens: Accipe coronam &c.

Deinde tradit Pomum Regi in ſiniſtram, recipienti dicens: Accipe Dignitatis Pomum &c.

Surgit Rex, & traditur enſis Camerario Regis, qui eum in vaginam immediate ante Regem defert per totum Officium.

Rex ducitur ad Thronum. Quo facto incipit Legatus: Te Deum laudamus &c. Deinde cantatur hymnus: Veni Sancte Spiritus &c.

Tum Rex depoſitis corona, ſceptro & pomo, Corona traditur Domino Gentili Virginio Urſino, Sceptrum Domino Joffredo, & Pomum Domino Henrico.

Ad Evangelium deponitur Regi corona, Sceptro & Pomo in manibus retentis. Quo finito ſedet, & reponitur ſibi corona.

Rege eunte & prætereunte aſſurgunt omnes Prælati & reverentiam faciunt, & ipſe eis.

Deinde Rex facta Legato reverentia genuflectit, & duodecim medalias Legato offert in manum dexteram, quam oſculatur, cui Legatus dicit: centuplum accipias &c.

Super Patenam ponuntur ſex hoſtiæ, videlicet tres magnæ, & tres parvæ, de quibus Subdiaconus da tunam magnam & unam parvam Credentiariis, & de ampullis vini & aquæ in una taxa pro credentia, & cum ampullis portatur taxa ad Altare etiam pro proba, ubi ego do unam hoſtiam magnam & parvam Subdiacono pro proba, & de ampullis vini & aquæ in taxa eidem etiam pro proba. Poſtquam Legatus ſe communicaverit ſub utraque ſpecie, antequam ſe purificet, expectet Regem communicantem. Duo Prælati aſſiſtentes deducunt Regem uſque ad gradus &c.

Rex detecto capite abſque Sceptro & Pomo Communionem à Legato recipit &c.

Rex ſumpta Communione purificationem accipit & redit ad thalamum ſuum.

Finita Miſſa & benedictione per Legatum data, idem Legatus dat indulgentiam plenariam omnibus, qui interfuerunt Miſſæ, ſeu benedictioni ſuæ &c. Rex interim Coronam, Sceptrum & Pomum accipit, accedit ad ſupremum gradum Altaris, genuflectitur. Legatus acceptis corporalibus, illa Regi porrigit oſculanda. Tum dexterum & ſiniſtrum oculum Regis tangit, ac Regi iterum porrigit oſculanda. Demum cum ipſis ſignum Crucis ſuper Regem producit, qui ſurgit, imponitur ſibi corona, Sceptrum & Pomum, & in faldiſtorio, quod poſt medium Altaris ponitur, ſedet.

Rex creat milites, & alia, quæ ex conſuetudine facere conſueverunt Siciliæ Reges in eorum coronationis ſolemnitate.

Perfectis omnibus Legatus ad dexteram Regis aſſociabit eum uſque ad portam Eccleſiæ, Prælatis omnibus ipſum ſequentibus, ubi Rex aſcendit equum coronatus cum ſceptro & Pomo in manibus, Baronibus ſuper ipſum Baldachinum portantibus, equitabit ad Caſtrum novum.

Feria quinta Septima Maji contractum fuit Matrimonium inter Illuſtrem Dominum Federicum Borgiam filium Sanctiſſimi Domini Noſtri, & Illuſtrem Dominam Sanctam de Aragona, filiam illegitimam Sereniſſimi Alphonſi Secundi Siciliæ &c. Regis, in quadam Camera Caſtri novi, Reverendiſſimo Domino Cardinali montis Regalis Legato ſupra dicto, & dicto Rege præſentibus per manus Reverendi Patris Domini Tropienſis, qui dixit verba conſueta ſupra dictis ſponſis ibidem præſentibus. Annulus Sponſæ non fuit impoſitus, quia dicebant, cenſuetudinem Neapolitanam, anulum Sponſæ in valvis Eccleſiæ imponi.

In inſtrumento dotis inter alia promittebantur Domino Joffredo, Principatus ſex, & Comitatus quatuor, mille ducatos ſingulis annis inferentia. Et continebatur, quod ipſe Dominus Joffredus infra annum 15000. ducatos ſponte tradere deberet. Quo peracto fuerunt portatæ quatuor petiæ broccati diverſorum colorum, & nonnullæ aliæ de velluto, & tres collanæ aureæ cum diverſis perlis, & manilia, multi anuli, & alia valoris 8000. ducatorum vel circa. Interfuerunt præmiſſis Prælati decem & Barones viginti quinque.

Feria quinta, octava Maji, Feſtum Aſcenſionis, qua Sereniſſimus Alphonſus coronari debebat, veni ante diem ad Eccleſiam, & tam Legatus, quam Prælati receperunt paramenta convenientia, ut ſupra. Fuit portata Corona Regis in uno baccili argenteo inaurato, perlis & lapidibus pretioſiſſimis erat ornata corona, habens hinc inde duas ſtellas, quæ ſub mento unico bottono conjungebantur, ita ut Rex coronam ſine alio bireto deferret.

Enſis in ſua vagina ex perlis & lapidibus pretioſis per totum ornata.

Sceptrum argenteum in ſummitate habens lilium inauratum longitudinis palmorum duorum cum dimidio.

Et Pomum argenteum inauratum totum rotundum in ſummitate Crucem habebat.

Venerunt Legato nomine Regis Secretarius Regis, & alius aſſerentes, non conſueviſſe Reges Aragoniæ in receptione Inſignium Regalium genuflectere, vel in eorum coronatione, & quod juramentum non conſuevere per ſe ipſos præſtare ſeu legere, ſed quod alius ejus nomine legat, & ipſo juramento lecto jurent, tunc tantum genuflexi. Rogabant, ut ipſe Legatus admitteret, ut hujusmodi juramentum legeret ipſe Secretarius Rege præſente, & eo lecto ſurgeret Rex, & genuflexus juraret. Quod Legatus non admiſit, ſed tantum conceſſit, ut Rex ſuper cuſ-

ſinum

finum genuflecteret, & ipse Secretarius ante Regem legeret ex libro, & Rex repeteret, cum hoc non contradiceret cæremoniis debitis.

Capellani assistentes Legato in superpelliceis fuerunt circa tredecim.

Hora decima quarta Rex cum suis Baronibus venit ad Ecclesiam veste ampla de broccato cremesino riccio germellinis subdacta, super alia parva veste de setonino nigro cum monili ex tribus perlis & lapide pretioso valoris forte circiter ducatorum 6000. quod biretum non mutavit usque ad coronæ receptionem. Venit ad Ecclesiam, occurrerunt ei Archiepiscopus Neapolitanus, & Patriarcha Antiochenus. Rex genuflexit super cussinum cum Secretario suo, qui juramentum per Regem præstandum scriptum habens in manu legebat, & Rex omnia verba repetebat, & ita processerunt usque ad completum juramentum, & juravit more solito. Tum Legatus instituit & investivit Regem per traditionem vexilli de Regno & in illius possessionem induxit, dicens verba superius expressa. Rex investitus fuit, postea coronatus servato ordine superius dicto.

Tum Rex venit, & genuflexus obtulit Legato duodecim petias auri, quarum quælibet valebat octo ducatos auri.

Publicatis Indulgentiis & aliis, ut supra, Rex creavit Illustrem Dominum Joannem Borgiam, Ducem Gandiæ, filium Papæ, Principem Triuricensem, Comitem Claræmontis, Lauræ & Corinolæ.

Item creavit Illustrem Dominum Joffredum Borgiam ejusdem Papæ etiam filium de domo Aragonia, & fecit ipsum Principem Squillaci, Comitem Curiatæ, & Regni Siciliæ ultra Pharum Protonotarium & Locumtenentem. Quo facto genuflexit Joffredus coram Rege, qui imelposuit sibi mettum supra aurem sinistram, & creavit eum militem, dicens: Iddio, & San Giorgio ti faccia buon Cavaliere. Deinde imposuit illi stolam albam, supra quam stolam ante impositionem juravit, velle capitula illius societatis observare, tum recepto ab eo per ipsum Joffredum præstito juramento, quod velit capitula Societatis illius Hermellini observare.

Rex eandem Collanam humeris dicti Joffredi imposuit.

Postea fecit Magnificum Dominum Gentilem Virginium Ursinum de domo Aragona, & Grandem Contestabilem Regni. Insignia autem tam Domino Joffredo, quam Virginio Contestabilatus hujusmodi non dedit, quia illis receptis debeant per Civitatem à Baronibus associari equitando, quod hodie propter equitationem Regis fieri non potuit, sed ad alium diem reservavit. Creavit post hæc septendecim alios milites.

Creatis militibus hujusmodi surrexit Rex & Legatus, qui ipsum Regem usque ad portam Ecclesiæ à dextris incedens associavit. Legato præsente ascendit equum, cujus frænum, pectorale, & groppera perlis in copioso numero ornata erant. Sceptrum in dextra ferens sub Baldachino, quod Barones portabant, equitavit ad palatium suum.

Interfuerunt coronationi prædictæ Oratores Regis Romanorum, Dominii Venetorum, Ducis Sabaudiæ & Florentinorum. Orator vero Regis Hispaniarum noluit interesse propter Oratorem Regis Romanorum, cui nolebat cedere, sed ipsum præcedere. Interfuerunt Orator Magni Turcæ cum personis duodecim, qui locum habuerunt supra navem collateralem Ecclesiæ, qui manserunt in Ecclesia usque ad præfationem in Missa, cum nequaquam conveniret Turcæ, ad elevationem Sacramenti in Ecclesia interesse. Interfuerunt etiam Illustris Infans Soror Regis Alphonsi, & Prælati viginti tres.

Archiepiscopus Neapolitanus.
Patriarcha Antiochenus, Archiepiscopus Capuanus.
Archiepiscopus Pattacensis, Episcopus Torcellanus.
Archiepiscopus Acheruntinus.
Archiepiscopus Brundusinus.
Archiepiscopus Sanctæ Severinæ.
Marcus, Episcopus Reginensis.
Menelius, Arciepiscopus Camatrensis.
Joannes, Episcopus Digobrensis.
Orlandus Episcopus Nolensis.
Joannes Episcopus Crotonensis.
Antonius, Episcopus Arcellinus.
Philippus, Episcopus Aprutinus.
Jacobus, Episcopus Polignamensis.
Nicolaus Antonius, Episcopus Murensis.
Franciscus Episcopus Melphiensis.
Leo, Episcopus Aurarum.
Jacobus Episcopus Vulturariæ.
Paulus Episcopus Arimensis.
Petrus Episcopus Suevacensis.
Sylvius, Epistopus Bojacensis.
Franciscus, Episcopus Isernensis.
Joannes Episcopus Suessanus.
Petrus Episcopus Nucerinus.
Nicolaus Episcopus Stabiensis.
Scipio Episcopus Tricaricensis.
Thomas Episcopus Tarentinus.
Joannes, Episcopus Aquilanus.
Joannes Episcopus Calvensis.
Matthæus Episcopus Gravinensis.
Joannes, Episcopus Trojanensis.
Antonius, Episcopus Nusianus.
Antonius, Episcopus Aceenensis.
Marius Episcopus Cassanensis.
Jacobus Episcopus Lipariensis.
Bernardinus Episcopus Bisignanensis.
Angelus, Episcopus Melitensis.
Gabriel, Episcopus Noritranensis.
Joannes Episcopus Valvensis.
Adjutius, Episcopus Nicotoriensis.
Tholomæus, Episcopus Equensis.
Joannes Episcopus Caprensis.
Antonius, Episcopus Lituriensis.
Franciscus, Episcopus Montisviridis.
Alexius, Episcopus Gallipolitanus.
Joannes, Episcopus Tolanus.
Antonius, Episcopus Caluensis.

Digitized by Google

Aurelius, Epiſcopus Martoranenſis.
Alphonſus, Epiſcopus Caſtellanenſis.
Joannes, Epiſcopus Tropienſis, Capellanus major Regis.
Alphonſus, Electus Theatinus.
Julianus, Electus Maranenſis.

Legato ad cameram reverſo, dedi illas duodecim petias auri per Regem oblatas, de quibus mihi duas donavit, Diacono unam, & unam Subdiacono. Intellexi à nonnullis, quod tempore Ferdinandi Regis offertorium fuit in tres partes diviſum, quarum unam partem recepit Cæremoniarius, alteram Diaconus, & Subdiaconus, & tertiam alii Capellani aſſiſtentes. Bacile, ſuper quo erat Corona Regis, fuit præſentatum Legato. Omnia alia geſta ſunt, ut ſupra ordinatum.

Feria ſexta dicti menſis Maji in Caſtro novo Sereniſſimus Rex Alphonſus dedit Inſignia Principalia Domino Joffredo Borgia de Aragonia, videlicet, Circulum aureum rotundum ſimplicem in modum fili ſeu cordæ, groſſitudinis majoris digiti manus, quem capiti ſuo impoſuit, & duo vexilla cum armis ſuis, & Aragonum, quod aſſignatum fuit portandum Domino Calviano Borgiæ Fratri Reverendiſſimi Cardinalis montis Regalis Legati: Et aliud fuit traditum Domino Bartholomæo Senæ Militi de familia dicti Domini Joffredi. Equitavit per Neapolim hoc ordine, videlicet:

Præceſſerunt Tubicinæ & fiſtulatores, quos ſequebantur Nobiles & Barones ſuo ordine, Marerii Regis, Portatores vexillorum prædictorum, Araldus Regis, tum Dominus Joffredus, & ad ejus ſiniſtram Dominus Federicus, Frater Regis.

Dominica, undecima Maji circa horam 14. venit ad Capellam Caſtri novi Reverendiſſimus Dominus Legatus cum Rege Alphonſo mediam ducente Dominam Sanctiam de Aragona ejuſdem Regis filiam, ſponſam Domini Joffredi, qui præceſſit proximus Regi. Quibus ſtantibus ante portam Capellæ prædictæ Epiſcopus Eracienſis benedixit anulum, quem tradidit ſponſo, qui impoſuit ſponſæ, & ſic ingreſſi Capellam, fuit dicta Miſſa cum aſſiſtentia Legati & Regis.

In elevatione Sacramenti ſponſus & ſponſa tenuerunt quilibet unum cereum album trium librarum decem ducatos infixos habentem, quos tenuerunt uſque finem Miſſæ. Facta elevatione Sacramenti tentum fuit ſuper ſponſis baldachinum cum quatuor baculis. Finita Miſſa ſponſi obtulerunt celebranti cereos cum ducatis.

Prandium poſtea fecerunt Legatus, Rex & Sponſi, Orator Regis Hiſpaniarum & Gentilis in eadem menſa, ſedens ſponſa in medio menſæ, ad ejus dexteram Legatus, Rex ad ſiniſtram. Finito prandio aſſociata fuit ſponſa à Legato & Rege, ſponſus cum ſponſa intraverunt cameram ſecretam cum lecto. Quibus nudatis intrarunt Legatus & Rex, in quorum præſentia ſponſi fuerunt per Damicellas detecti uſque ad umbilicum, & ſponſus ſponſam ſine verecundia oſculatus, & remanſerunt ibidem Legatus & Rex circa mediam horam confabulantes, & poſtea receſſerunt.

Die duodecima Maji Rex fecit prandium publicum cum Legato in Aula magna Caſtri novi, in quo convivio fuit credentia pulcherrimis & magnis vaſis aureis & argenteis ornata, aſcendens ad valorem circiter 6000. ducatorum.

Die decima quinta Maji Rex donavit ſtendardum unum magnum armorum Regis & Urſinorum inſignia grandis Conteſtabilatus Regni Siciliæ officii ſibi pridie dati. Equitavit Dominus Gentilis Urſinus à ſiniſtris Domini Joffredi, à Nobilibus aſſociatus.

Eadem die decima quinta Maji receſſi ex Neapoli rediturus ad Urbem, ad quam veni die vigeſima ejuſdem menſis.

Hæc de rebus Neapolitanis: nunc redeo ad Romanas.

Feria tertia vigeſima ſecunda Aprilis Reverendiſſimus Dominus Cardinalis Hierecenſis venit ad Urbem, hoſpitatus in conventu Beatæ Mariæ de populo, & in mane ſequenti in Conſiſtorio fuit datum Cappellum eidem Cardinali.

Feria quinta, vigeſima quinta menſis Aprilis in Capella Epiſcopus Serutienſis & Nepeſinus publicavit fœdus & Confœderationem inter Sanctiſſimum Dominum noſtrum & Illuſtriſſimum Venetorum ducem & Rempublicam ac Illuſtres Mediolani & Bari duces *initam & legit* Capitulo hujus Fœderis. Finita *oratione, ſtans* Papa in in ſede ſine mitra incœpit Te Deum laudamus, & cantores ſunt proſecuti uſque in finem.

Feria ſexta, ſecunda Maji Sanctiſſimus Dominus Noſter miſit gentem bellicam ad Oſtium Tiberinum cum machinis ad obſidionem, quam paucis deinde diebus ſibi ſubjugavit.

Die decima ſexta Maji venerunt ad Urbem quatuor Oratores Regis Franciæ à familia Papæ & omnium Cardinalium aſſociati, & in die ſequenti oſculati ſunt pedes Papæ.

Feria quarta vigeſima octava Maji non fuerunt veſperæ Papales, nec in mane ſequenti Proceſſio Corporis Chriſti propter timorem peſtis in Urbe. Eadem die rediit de Neapoli Reverendiſſimus Dominus Cardinalis montis Regalis Legatus de Latere.

Feria ſexta Maij intravit Urbem Magnificus Dominus Orator Regis Hiſpaniarum, aſſociatus à familiis Papæ & Cardinalium.

Feria quarta, decima quinta Maji vigilia Aſcenſionis Dominus Ludovicus Bonus Sereniſſimi Maximiliani Romanorum Regis Secretarius & Orator petiit à Sanctiſſimo Domino Noſtro locum inter Oratores ſibi debitum aſſignari. Et licet Sua Sanctitas aſſentiretur, quod locus ei ſupra & ante Oratores Regales deberetur, tamen dixit, ſe ſuper hoc velle Illuſtriſſimos Dominos Cardinales conſulere & me interrogare. Fui igitur propterea vocatus à Sua Sanctitate, quæ mihi dixit, Reverendiſſimis Cardinalibus videri, quod ſe inter Reges Romanorum & Franciæ pro loco interponere non debeat, ne indignatio aliqua exinde Sedi Apoſtolicæ

Digitized by Google

stolicæ veniat. Dedit autem prædictus Orator Sanctissimo Domino Nostro informationem super hoc hujus tenoris, videlicet;

Rex Romanorum etiam Imperatore adhuc vivente cunctis Regibus præferendus est. Nam cum alia omittamus, cum eum Sancta Mater Ecclesia secundum Jus Pontificium omnibus Regibus præferat, omnes filii Sanctæ Matris Ecclesiæ eum quoque præferre debent. Manifestum est autem, cum a Sancta Matre Ecclesia cunctis Regibus anteferri, quod eum solum Advocatum ex omnibus Regibus, & suum Defensorem ac Procuratorem appellat, ab eo quoque in suis necessitatibus prædictum auxilium seu protectionem, ut jura dicunt, requirere & consequi consuevit, & cæteris omissis late in C. Venerabilem de elect. ubi inquit Pontifex: Num quid si Princeps Elector aut Electores in unum consentire noluerint, sedes Apostolica Advocato suo & Defensore carebit. Quod eo magis confirmatur, quia ex omnibus Regibus nullus Apostolicæ Sedis instituto vel ordinatione eligitur vel approbatur, vel ejus instituto & autoritate fungitur ac coronatur, nisi Rex Romanorum, & reipsa & juribus constat. Is enim Romanus Rex electus, priusquam a sede Apostolica ejusve auctoritate ungatur & coronetur, solus est, qui jurat, se Protectorem & Defensorem Pontificis. Decernens de electione Pontificis, inquit, salvo debito honore & reverentia dilecti filii nostri Henrici, qui in præsentiarum Rex habetur & futurus Imperator, Deo concedente, speratur; nunquam enim in jure sic de cæteris Regibus, sed de Regibus Romanorum tantum cum tanta reverentia loqui Summi Pontifices solent. Insuper & in aliis precibus, cum orat Ecclesia pro Rege Romanorum sine nosto * constat, etiam de Romano Rege intelligere, cui præ cæteris suam tutelam curamve gerendam sæpius olim demandavit. Ex quibus colligitur, ipsum Regem Romanorum cæteris Regibus præferri ab omnibus Ecclesiæ filiis sine aliorum injuria præferentium.

Feria quarta, vigesima secunda mensis Maji intrarunt quatuor Oratores Illustrissimi Principis, Domini Caroli Joannis Amodei Ducis Sabaudiæ, videlicet Reverendus Pater, Dominus Episcopus Niciensis, Magnifici Domini Doctores Philippus Vagnonus, Magister Domus dicti Ducis, Petrus de Coria, Consiliarius & Collateralis ejusdem Ducis, & Reverendus Pater Dominus Joannes Orioli, in Romana Curia ejusdem Ducis Procurator, qui a familiis Sanctissimi Domini Nostri ac Reverendissimorum Dominorum Cardinalium more solito recepti fuerunt. Venerunt cum equitibus octoginta sine salmis.

Die Sabbati, vigesima quinta Maji recesserunt ex Urbe Reverendus Pater, Dominus Bernardinus Carthaginensis, & Joannes Pacensis Episcopi, Regis Hispaniarum Oratores. Ac heri recessit Reverendus Pater, Dominus Gandisalvus Almæ Urbis Gubernator, obviam iturus Magnifico Domino Didaco Lopes, militi ad Urbem venienti, obedientiam nomine ejusdem Regis una cum prænominatis Episcopis Sanctissimo Domino Nostro præstaturo.

Post hæc Sanctissimus Dominus Noster proposuit Reverendissimis Dominis Cardinalibus, quod cum velit Serenissimos Regem & Reginam Hispaniarum singulari affectione honorare. Propterea cogitasse convenire, quod Reverendissimus Dominus Cardinalis Montis Regalis Nepos inter Oratores pro obedientia hujusmodi præstanda connumeraretur, adjungens novum non esse, quod Cardinalis pro Rege obedientiam præstet Summo Pontifici. Nam bonæ memoriæ Constantiensis & Atrebatensis Cardinales simul missi a Ludovico Francorum Rege ad felicis recordationis Papam Pium Secundum nomine dicti Regis obedientiam præstiterunt, non inter Cardinales, sed retro bancum Presbyterorum Cardinalium in loco Oratorum consueto stantes. Similiter beatæ memoriæ Cardinalem Andegavensem ad felicis recordationis Innocentium Papam Octavum pro præstanda obedientia nomine Ludovici Francorum Regis una cum quibusdam aliis Cooratoribus suis missum fuisse. Respondi Sanctitati Suæ, quod licet per Regem prædictum ad hujusmodi effectum nominatus fuerit, tamen tanquam Legatum de latere per Sanctæ memoriæ Sixtum Papam Quartum ad Franciam missum fuisse, & inde redeuntem receptum, & die sequenti Comite Delphini Cooratore suo una cum cæteris Urbem intrasse, ipsum Andegavensem Comiti ipsi usque ad muros extra portam equitasse, ipsumque Comitem ad sinistram ejusdem Cardinalis equitando usque ad domum ejusdem Cardinalis associasse, pro quo Sanctissimus Dominus Noster ipsum Cardinalem redarguit, asserens, præter ejus mandatum dictum Cardinalem id fecisse.

In die autem præstationis obedientiæ eundem Cardinalem cum suis Cooratoribus Consistorium non intrasse, sed potius sine illis, & in loco suæ promotionis sedisse.

Quibus auditus Pontifex præmissa proposuit Cardinalibus, asserens quod felicis recordationis Pius Papa Secundus admiserit supra dictos Cardinales, Constantiensem & Atrabatensem nomine Regis Francorum ad obedientiam præstandam, cum honori & commodo Ecclesiæ plurimum cederet, posse etiam in præstantia id fieri. Tunc Reverendissimus Dominus Cardinalis Senensis adduxit, quod alias tempore felicis recordationis Nicolai Quinti cum Serenissimus Federicus Romanorum Rex bonæ memoriæ Cardinalem Sancti Petri ad Vincula de Cusa nominatum, ut sui Imperatoris nomine Ratisbonæ præsidere vellet Congregationi seu dietæ ibidem facienti, per suas literas rogasset, idem Cardinalis se excusavit id sine speciali Sedis Apostolicæ licentia sibi non licere. Idem Imperator misit ad Papam eidem hanc rem exponentes, qui prædictum Cardinalem de latere Legatum creavit, ut dictæ Congregationi præesset. Quibus & aliis consideratis conclusum fuit per Sanctissimum Dominum Nostrum, Cardinalem Montis Regalis aut quemcunque alium prædictis

Digitized by Google

ctis Oratoribus mitti, & legationis ſive Oratoris officio fungi non debere.

Die vigeſima ſecunda Julii ſanctiſſimus Dominus noſter receſſit ex palatio iturus Vicovarium, quod volebat cum Sereniſſimo Alphonſo de Aragona Rege Neapolitano, etiam illuc venturo ibidem tractare de modis & viis defendendi Regnum Neapolitanum contra Regem Franciæ. Feria ſecunda Julii nunciatum fuit, Sereniſſimum Siciliæ Regem verſus Vicovarium venire. Iverunt ei obviam Reverendiſſimi, Neapolitanus, Ulixbonenſis, Montis Regalis, Urſinus, Senenſis, Sancti Georgii & Valentinus, Cardinales, & equitaverunt extra oppidum prædictum per medium milliare, aſſociati a Prælatis, & eorum familiis. Ego proceſſi, deinde Cardinales, venientem Regem reverenter in equis ſuſceperunt, detectis capitibus Regi, manum dexteram porrigentes, & in ore oſculantes, quos eodem modo Rex detecto capite ex equo recepit. Rex erat medius inter Senenſem & Sancti Georgii. Venerunt in Aulam Papæ, in qua omnes ſui dimiſerunt enſes, & alia arma. Deinde intravit ad Pontificem, coram quo genuflexus, pedem & manum Papæ, & ſurgens in genu deoſculatus eſt. Cardinales, Papa & Rex fuerunt ambo in eodem Caſtro hoſpitati. Fuerunt cum Rege equites mille in circa, cum Papa vero quingenti vel circa. Eodem ſero Rex venit ad Papam ad ſuam cameram, & cum eo manſit ad multas horas. Et in ſero Rex fecit cœnam cum Papa, & donavit Rex bacile aureum, & duo alia vaſa aurea valoris trium millium ducatorum. Venerunt cum ipſo Rege quam plures Turcæ.

Feria quarta, decima ſexta Julii Papa receſſit ex dicto oppido Vicovarii, quem Rex aſſociavit ad ſiniſtram Papæ equitans per medium milliare, ubi Rex a Papa licentiatus receſſit ad Vicovarium, & Papa venit ad Tiburtum.

Feria quinta decima octava Julii Sanctiſſimus Dominus noſter exivit Tiburtum, reverſurus ad Urbem.

Sabbato vigeſima ſexta Julii dies obitus felicis recordationis Innocentii Octavi, non eſt habita Miſſa, nec undecima Auguſti die aſſumptionis Papæ Alexandri ad Pontificatum ex cauſa peſtis in Urbe regnantis.

Feria quinta decima octava Septembris in mane gentes Fabricii Columnæ per tractatum cum quodam ſervitore Caſtellani Arcis Hoſtiæ, eandem arcem armata manu, expulſo Caſtellano, ibidem per Papam poſito, Arcem per Cardinalem Sancti Petri ad Vincula tenere confeſſi ſunt, ac vexilla Regis Franciæ, & prædicti Cardinalis ac Columnæ in ea publice repoſuerunt.

Die Veneris decima nona ejuſdem habitum fuit ſecretum Conſiſtorium, quod duravit ab hora duodecima uſque ad vigeſimam primam. Quid in eo tractatum ſit neſcio.

Per parte de noſtro Signore Aleſſandro Papa Seſto ſi commette, che tutti & ſingoli Romani ſudditi della Santa Chieſa ò habitanti in luoghi d' eſſa, tanto Eccleſiaſtici, quanto ſecolari di qualcunque Stato &c. che faſſero alli ſtipendii di Proſpero e Fabritio Colonna & di Antonello Savelli e Geronimo Tuttavilla infra termine di ſei di dalla publicatione delle præſenti debbano eſſer partiti da loro ſtipendio & ſervitio, & perſonalmente preſentarſi in Roma ſotto pena di ribellioni & confiſcatione de loro beni, & demolitione delle loro caſe, nella qual pena incorreranno ipſo facto, & a tutti quelli che ſi preſentaranno, ſi provedera ſubito di conveniente ſtipendio.

Item perche li predetti Proſpero e Fabritio Colonna & Antonello Savelli hanno proditoriamente pigliato la rocca d' Hoſtia & hanno rubbato, & impedito le vettovaglie, che ſi portano alla Corte di Roma per mare & per terra ſi bandiſſe però à detti Proſpero, Fabritio, & Antonello, & loro adherenti, che frà termine di ſei giorni auvenire ſotto le pene ſuddete, e perdita de tutti loro privileggi, feudi, & d.' tutti i luoghi, che dalla ſanta Sede Apoſtolica haveſſero in feudo, ò in Emphiteuſi, debbano reſtituire la detta Rocca d' Oſtia, altrimente s' intendino ex nunc, ſenz' altra ſentenza, tutti li loro predetti beni confiſcati e devoluti alla Camera Apoſtolica, aſſolvendo ſua Santità in tal caſo tutti i loro ſudditi & Vaſſali d' ogni giuramento di fideltà preſtata à detti delinquenti, ò loro panenti, e ſi donano in preda tutti l' animali delli predetti, e de loro Vaſſali & *ſudditi, che* non foranno obedienti à Sua *Santità, e chi li pi*gliara ſaranno ſuoi.

Si comando a Troſano e Troilo Savelli, & Geronimo Tuttavilla, che infra il ſopradetto termine debbano perſonalmente preſentarſi al luogotenente della guardia di Palazzo, & venir all' obedienza di Sua Santità, alli quali donara ſtipendio conveniente, altrimente ex nunc Sua Santita dichiara incorſi nelle pene ſopradette, dichiarando di più tutti li ſopradetti, eſſer incorſi nelle cenſure & pene contenute nella bulla in Cœna Domini, & qualunque altre conſtitutioni Apoſtoliche contro tali delinquenti promulgate.

Feria ſecunda decima tertia Octobris deſtructæ & ruinatæ fuerunt duo domus Urbis, videlicet una in regione Columnæ Domini Proſperi Columnæ, & alia Comitis Hieronymi Tuttavillæ pro eo, quod non paruerunt Bando ut ſupra facto.

Feria tertia vigeſima prima Octobris Illuſtris Dominus Galeatius Maria Sfortia Vice-Comes Dux Mediolani Sextus diem clauſit extremum. Succeſſit in Ducatu Ludovicus Maria Sfortia Vice-Comes Angelus Gubernator & Patruus ſuus, non obſtante, quod dictus Galeatius prolem duorum maſculorum reliquerit.

Dominica ſecunda Novembris venit ad Urbem ad Papam Reverendiſſimus Cardinalis Aſcanius, & in mane ſequenti fuit congregatio omnium Cardinalium coram Pontifice, in qua fuit decretum, eundem Cardinalem Aſcanium ire debere Florentiam ad Regem Franciæ, qui illuc infra paucos dies dicebatur venturus.

Feria

Digitized by Google

Feria sexta decima octava Novembris in secreto Consistorio creatus fuit Cardinalis de Farnesio Legatus Patrimonii.

Feria secunda decima septima Novembris Serenissimus Franchorum Rex intravit civitatem Florentiæ cum magna equitum & peditum copia. In valvis Ecclesiarum & aliis locis publicis aureis litteris scriptum erat: Pax & restauratio libertatis. Iniit inter alia cum Florentinis conventionem, quæ vigesima sexta dicti mensis in Ecclesia Metropolitana Florentiæ fuit lecta & stipulata, qua inter cætera Florentini promittunt dare Regi Franciæ, 130000. scuta infra annum, videlicet 10000. modo Regi, & Consiliariis suis 10000. per totum mensem Februarii proxime futuri, 60000. Regi, & per totum Junium proxime futurum 10000. eidem, deinde quolibet anno 22000. usque ad finem belli. Rex habuit continuo Florentiæ duos Oratores suos, & vice versa duo Florentini apud Regem, de rebus bellicis occurrentibus mutuo tractaturos. Pisa & Ligurnum erunt in potestate Regis usque in finem belli. Differentiæ inter Januenses & Florentinos occasione Petræ Sanctæ, Sarzanæ & Castri novi remissæ sunt eidem Regi, qui ut accessum suum ad Urbem honestaret, his diebus Florentiæ publicari fecit patentes hujusmodi sub tenore, videlicet: Carolus Dei gratia Franchorum Rex &c. universis &c. Considerantes innumerabilia damna, quæ Turcæ, sanguinem Christianum incessanter debacchantes perpetrarunt, a quinquaginta annis citra, cupientesque more Primogenitorum nostrorum, Franchorum Regum Christianissimorum ipsis Turcis occurrere, postquam placuit Altissimo in Regno ac Dominiis nostris suam pacem ponere, proposuimus propriis personis, laboribus & facultatibus non parcere, quinimo dilectissimis uxore & filio unico nostris Regnoque amplissimo pacifico & opulentissimo, præter voluntatem Principum Regni nostri relictis, statuimus cum adjutorio Dei, cujus causam amplectimur, ac Summi omnium Christianorum Pontificis & Pastoris & aliorum fidelium præsidio hoc opus Divina, ut creditur, inspiratione infusum aggredi. Nec arbitretur quisquam, ut ad occupandum quorumcunque Principum Dominia aut civitates opus hoc aggrediamur, sed ut ipse Deus est testis, solum ad ejus laudem & gloriam suæque fidei exaltationem amplectimur. Sed quia Regnum Siciliæ, quod Neapolim appellant, per Primogenitores nostros e manibus infidelium & aliorum Romanæ Ecclesiæ restitutum, & de quo ipsi Primogenitores circa 24. Investituras a duodecim diversis Pontificibus, & a duobus Generalibus Conciliis alias duas receperunt, & quod ad nos jure optimo hæreditatis pertinet, quamvis Pius Papa Secundus, volens suos ex humili plebe natos ad Principatum extollere, regnum ipsum contra justitiam abstulerit, & illud quondam Federico de Aragonia concesserit, illud Deo dante intendimus recuperare, & ut facilis ingressus esse possit ad depugnandum Turcas. Nec intendimus Almæ Urbi Romæ aut aliis terris Romanæ Ecclesiæ aliquod damnum inferre, prout modernus Alphonsus de Aragonia, ac sui Prædecessores magna temeritate fecerunt. Quia vero pro dicto Regno recuperando, & breviori via ad Urbem prædictam veniendo, per nonnullas terras Ecclesiæ transitus sit nobis faciendus, propterea requirimus & hortamur Sanctissimum Dominum Nostrum Alexandrum Papam Sextum, ac Sacrum Cardinalium Collegium, & Rectores, Gubernatores, incolas quoscunque quarumcunque civitatum & locorum ejusdem Romanæ Ecclesiæ, ut Nobis & nostris liberum ingressum & regressum per civitates & loca prædicta ac victualia necessaria nostris expensis exhibere dignentur, quod nisi aliqui Nos hoc opere impedivissent, credimus jam Urbem Neapolim & magnam partem Regni expugnasse. Si vero liber transitus & victualia solvenda debito pretio fuerint, quod non denegata credimus curabimus, medium invenire ac victualia necessaria, quibus poterimus mediis præstentur, Protestantes nobis ad culpam non debere imputari, sed potius illis, qui de fide nostra non recte sentientes nostrum primo pium & sanctum propositum voluerunt impedire &c. In quorum fidem &c.

Feria secunda decima quarta mensis Novembris venit coram Sanctissimo Domino Nostro ab eo vocatus Illustris Dominus Rudolphus Princeps Alchadiæ, (Anaidiæ, Comes Ascaniæ) cui Pontifex commemoravit ea, quæ Rex Franciæ facere intendebat, & quod forte non solum quæreret se Dominum facere civitatum & terrarum Italiæ ad Sacrum Romanum Imperium spectantium, sed etiam nomen titulumque Imperii sibi usurpare, cui tamen Sanctitas Sua nunquam esset consensura, etiamsi gladium nudum ad guttur sibi apponeret. Requirebat, ut Serenissimum Dominum Maximilianum Regem Romanum tanquam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ unicum Advocatum de prædictis certiorem redderet, & Majestatem Suam hortaretur, ad providendum honori & commodo ac necessitatibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Sacri Romani Imperii ac totius Italiæ. Quod onus prædictus Princeps humiliter suscepit.

Feria quinta vigesima septima Novembris Dominus Joannes Maria de Podio Collega meus in mane circa ortum solis fuit per famulum suum dormiens in lecto quatuor ictibus in capite cum securi percussus & interfectus.

Feria quinta decima octava Decembris omnia bona Papæ, omnis munitio Palatii, granum, & alia fuerunt missa ad Castrum Sancti Angeli, omnes Cardinales, parati ad recessum equi.

Feria sexta decima nona Decembris liberati fuerunt a detentionibus Reverendissimus Dominus Cardinalis, qui equitavit ad Regem Franciæ, quem Pontifex misit & Prosper Columna, qui se ad soldum Ecclesiæ converterat.

Die vigesima secunda Decembris incepta fuit ruina domus Jacobi Musici & aliorum circa Castrum Sancti Angeli sitarum, & designatus est fossatus, qui Castrum ipsum cingere debet.

Digitized by Google

Superioribus diebus videlicet decima nona, vigesima prima, secunda & tertia hujus gentes Regis Franciæ fecerunt incursus per Montem Marium usque ad Sanctum Lazarum & præter Castrum Sancti Angeli adjacentia statuerunt & una nocte proditorie Urbem debellare ab illa parte, & Columnenses ab alia, in quorum subsidium mille Galli debebant se inviare per flumen circa Ostiam, sed adeo fuit validus ventus eis contrarius, ut non potuerint. Volebant hæc mala facere, intrasse Urbem, succendisse, spoliasse &c. cujus rei auctorem dicebant fuisse Cardinalem Turcensem, qui illa nocte in persona non longe a Porta ad Urbem venisset, ac vento impediente recessisset. Is etiam maxima causa fuit processus Regis ad Urbem. Converterat enim Aquæpendentis & aliarum terrarum Ecclesiæ incolas ad intromittendum Regem Franciæ, cujus & gentis suæ honestatem & legalitatem extollebat ad Superos, asserens, etiam Papam ipsum promisisse, ut Regi aditum & transitum procuraret, sicque induxit populum illum ad intromittendum Regem, & gentes suas contra omnem Pontificis voluntatem, & ut Curialibus nationis Alemaniæ in Urbe morantibus etiam persuaderet, scripsit patentes literas, quas ad Urbem misit Principalibus præstandas.

Carissimis Fratribus & amicis Prælatis & aliis Curialibus civitatis Alemaniæ & Dominiorum Illustrissimi Archiducis Philippi in Urbe habitantibus. Etsi pro eo, ut testis est Deus, qui hominum scrutatur corda, qualem possumus, fecimus diligentiam erga Christianissimum Regem, tam nomine Summi Pontificis quam nostro, ad faciendam bonam unionem & intelligentiam inter ipsum Pontificem & Regem prædictum nihil? quorum culpa nescio, hactenus fuimus impediti, non per ipsum Regem, cum nil aliud cupiat quam se devotissimum filium erga Summum Pontificem & Sanctam sedem gerere. Sed timeo, quod a Deo principaliter propter peccata nostra impedimentum dictæ unionis processerit, quod nisi precibus devotarum personarum fuerit placatus, dicta unio in dies breves non fiet propter hostes ipsius Regis Christianissimi, qui stant in Urbe. Voluit & declaravit Sua Majestas, quod omnes subditi Serenissimi Regis Romanorum & Illustrissimi Principis Austriæ Archiducis non minori favore per suos armigeros debere tractari. Et hæc volui vobis significare, ut si contingat, quod absit, armigeros Christianissimi Regis intrare Urbem cum manu forti, sitis advisati de bona voluntate ipsius Regis, qui aliquas molestias fieri supra dictis incolis, & præcipue Reverendissimis Dominis Cardinalibus, quibuscunque Cortigianis & Civibus Romanis, & maxime dictis subditis non intendit, & ut possitis securius vos & bona vestra conservare, essem opinionis, quod si tumultus fieret in Urbe, ad domum meæ habitationis * cum licentia Domini Secretarii Cardinalis Lugdunensis, cui scribo, ut vos benigne recipiat. Cum enim memor, quod Deus de nihilo me creavit, & ad Cardinalatus honorem me promovit, ad preces bonæ memoriæ Cæsaris ipsius Romani Regis & Principum Electorum; quapropter, quamdiu vixero, conabor reddere vices gratitudinis ipsi Serenissimo Romanorum Regi, Domino Archiduci Philippo, & omnibus eorum subditis, non minus quam si essem oriundus de eorum Dominiis. Valete Fratres Carissimi, & Deum pro intentatione mea, quæ est ad pacem universalem inter Christianos, & guerram universalem contra Turcas, orate ex Formolo die 24. Decembris.

Feria quarta, Vigilia Nativitatis Domini nostri Jesu Christi recessit ex Urbe Cardinalis Montis Regalis ad Braccianum ad Regem Franciæ iturus. Et hoc mane Reverendissimus Dominus Cardinalis Ascanius usque modo in palatio Apostolico detentus liberatus fuit.

Die vigesima sexta Decembris venerunt ad Capellam tres Oratores Regis Franciæ nocte præterita missi, videlicet Magnificus Magnus Marescialis Regis Franciæ, Dominus Joannes Bavari (de Gannay) primus Præsidens Parlamenti Parisiensis & quidam alius. Dedi locum eis in scalis solii Papæ ante & supra Senatorem, in quo erant duo Oratores Neapolitani Regis, qui volentes cum suis novis contendere, asserentes, se nescire ipsos Oratores esse, recesserunt ex eorum loco, significato ex speciali mandato Papæ per me, illos esse Oratores Regis Franciæ, redierunt ad loca sua, & illis cesserunt. Erant autem cum dictis Oratoribus multi Galli, quorum multi sine aliqua discretione posuerunt se usque ad Prælatos, & in eorum etiam scamnis sederunt, quousque eos inde tollerem. Papa ad se mihi vocato dixit, ut Gallos stare permitterem, ubi vellent, pro eorum libito voluntatis.

Feria quarta vigesima prima Decembris bono mane de mandato Papæ equitavi obviam Regi Franciæ, illi dicturus ordinem suæ receptionis & ab eo recepturus suam voluntatem & exsecuturus, quicquid Sua Majestas mandaret. Venerunt una mecum Reverendus Pater, Dominus Episcopus Nepesinus Papæ Secretarius, Dominus Hieronymus Porcarius Auditor Rotæ, Ascanius Coronatus de Planca, Marius Millinus, Christophorus Buffalus Cancellarius Urbis, & Jacobus de Sinibaldis Cives Romani. Pergimus circa galeram, ad duo milliaria pervenimus ad Regem, cui, quod mihi mandatum fuerat, Majestati Suæ explicavi. Respondit Rex, venire admodum sine pompa. Audivit post me Rex Dominum Hieronymum Porcarium, qui pro omnibus Collegis suis Romanis locutus est, populum & ejus facultates Regi offerens. Rex parum respondit, & nihil ad propositum. Retrocesserunt Romani, & Rex me ad se accersito ad quatuor milliaria vel circa allocutus est, & de statu Papæ, Cardinalis Valentini conditione. Prope Burghetum venerunt obviam Regi duo Oratores Domini Venetorum, qui ex equis descendentes manus proprias osculati sunt, antequam Rex eas porrigeret manum tamen Regis non sunt deosculati. Post eos venit Reverendissimus Dominus Cardinalis Beneventanus. Venimus per pontem Milvium

Digitized by Google

vium ad palatium prædictum circa secundam horam noctis per omnem viam à palatio Reverendissimi Domini Cardinalis Ulisbonensis prope Ecclesiam Sancti Laurentii in Lucina sito, usque ad Sanctum Marcum erant incensi ignes & intortitia, & lucernæ quasi per singulas domos omnibus acclamantibus: Francia, Francia! Colonna, Colonna! Vincula, Vincula!

Hodie consignatæ fuerunt claves portæ viridarii Belvedere, & omnium aliarum portarum Urbis Magno Mareschalcho Regis Franciæ, dicti Regis Oratore sic volente, & cum Papa convento & concluso. Dicebant enim Franci, & in hoc non errabant, claves hujusmodi nuper Duci Calabriæ, cum in Urbe esset, similiter fuisse traditas, cui Rex Franciæ non esset inferior.

Feria tertia, nona mensis Decembris, venerunt ad palatium Apostolicum Ascanius, Sancti Severini de Lunate Cardinalis, Episcopus Cesenatensis, Auditor Cameræ, Prosper Columna, & Hieronymus Tuttavilla. Et eodem sero omnes detenti ibidem manserunt. In mane sequenti relaxatus fuit Episcopus Cesenatensis. Deinde fuit Consistorium secretum, & eo finito Cardinales Ascanius & Sancti Severini missi fuerunt ad Cameras superiores palatii, ibidem reclusi & custoditi, Prosper & Hieronymus fuerunt missi per unum murum deambulatorium ad Castrum Sancti Angeli, & ibidem detenti.

Eadem die venit ad Urbem Illustrissimus Dominus Ferdinandus de Aragona Dux Calabriæ, qui facto prandio in vinea Domini Cardinalis de Ursinis circa horam vigesimam venit ad palatium Apostolicum.

Eodem die cum Oratores Regis Franciæ, qui à Sanctissimo Domino Nostro pluries patentes literas pro passu & victualiis eorum Regi in terris Romanæ Ecclesiæ (petierant.) Iterum Sua Sanctitas respondit Consistorio inito, quod nullo modo vellet ipsi Regi passum & victualia hujusmodi dare, quod possent eidem Regi ad eorum libitum significare.

Superioribus diebus, Cardinali Gurgensi referente, Dominus Georgius Bassardus Litterarum Apostolicarum scriptor, per Sanctissimum Dominum Nostrum ad Magnum Turcam nuncius missus per Illustr. D. Johannem de Rovere almæ Urbis præfectum, Illustrissimi D. Cardinalis S. Petri ad Vincula fratrem germanum captus fuit, & apud Senogalliam detentus. Apud quem idem Gurgensis repertas fuisse dixit literas per eundem Sanctissimum Dominum Nostrum datas super eis, quæ ad Magnum Turcam agere deberet, atque detentas.

Informationes à Papa Alexandro datæ Nuncio suo ad Sultanum Bajazetum, Imperatorem Turcarum.

Alexander Papa Sextus.

Instructiones tibi Georgio Bozardo Nuntio & familiari nostro: postquam hinc recesseris, directe & quando citius poteris, ibis ad Potentissimum magnum Turcam Sultan Bajazet ubicumque fuerit, quem postquam debite salutaveris, & ad divini numinis timorem & amorem excitaris, sibi significabis nomine nostro, qualiter Rex Franciæ properat cum maxima potentia terrestri & maritima cum auxilio status Mediolanensium, Britonum, Burdegalensium, Normandorum & cum aliis gentibus huc Romam veniens eripere è manibus nostris Gem. Sultan fratrem Celsitudinis suæ, & acquirere Regnum Neapolitanum & ejicere Regem Alphonsum cum quo sumus in strictissimo sanguinis gradu & amicitia conjuncti, & tenemur eum deffendere cùm sit feudatarius noster & annuatim solvat nobis censum: & sunt anni sexaginta tres & ultra quod fuit investitus Rex Alphons. avus ejus, deinde Ferdinandus Pater, cui successit Rex, qui per prædecessores nostros & per nos fuerunt investiti & incoronati de dicto regno. Ideo hac de causa prædictus Rex Franciæ effectus inimicus noster, qui non solum properabit ut dictum Gem. Sultan capiat & ipsum regnum acquirat, sed etiam in Græciam transfretare & patrias Celsitudinis suæ debellare queat, prout suæ M. innotescere debet: & dicunt quod mittant dictum Gem. Sultan cum classe in Turchiam. Et cum nobis opus sit resistere & nos defendere à tanta Regis Franciæ potentia, omnes conatus nostros exponere oportet, & se bene præparare: quod cum jam fecerimus, opusque sit facere maximas impensas, cogimur ad subsidium præfati Sultan Bajazet recurrere, sperantes in amicitia bona quam ad invicem habemus, quod in tali necessitate juvabit nos: quem rogabis & nomine nostro exhortaberis, ac ex te persuadebis, cum omni instantia; ut placeat quam citius mittere nobis ducatos quadraginta millia in auro Venetos pro annata anni præsentis, quæ finiet ultimo Novembris venturi, ut cum tempore possimus nobis subvenire, in quo Majestas sua faciet nobis rem gratissimam; cui in præsentiarum nolumus imponere aliud gravamen & * scio exponendo vires & conatus nostros in resistentia facienda, ne dictus Rex Franciæ aliquam Victoriam contra nos potiatur & contra fratrem S. Majestatis. Cum autem ipse Rex Franciæ terra marique sit longe potentior nobis, indigeremus auxilio Venetorum, qui sistunt, nec volunt nobis esse auxilio, imo habent arctissimum commercium cum inimicis nostris, & dubitamus quod sint nobis contrarii, quod esset nobis magnum argumentum offensionis, & non reperimus aliam viam convertendi ad partes nostras tractandas, quam per viam ipsius Turcæ, cui denotabis ut supra, & quod si Franci victores forent, sua Majestas pateretur magnum interesse; tum propter ereptionem Gem. Sultan fratris sui, tum etiam quia prosequerentur expeditionem & longe cum majori conatu contra Altitudinem suam, & in tali causa haberent auxilium ab Hispanis, Anglicis, Maximiliano & Hungaris, Polonis & Bohemis, qui omnes sunt Potentissimi Principes. Persuadebis & exhortaberis Majestatem suam, quam tenemur certiorem reddere ob veram & bonam amicitiam quam habemus ad invicem,

vicem, ne patiatur aliquod intereffe; ut ftatim mittat unum Oratorem ad dominium Venetorum, fignificando qualiter certo intellexit Regem Franciæ movere fe ad veniendum Romam ad capiendum Gem. Sultan fratrem, inde regnum Neapolitanum, demum terraque & mari contra fe præparare quod velit facere omnem refiftentiam & fe defendere contra ipfum, & devitare, ne frater fuus capiatur ex manibus noftris, quos exhortetur & adftringat pro quanto correfpondet pendant cari * perdant amicitiam fuam, debeant effe adjumento & defenfioni noftræ & Regis Alphonfi terra marique, & quod omnes amicos noftros & præ memoratum Regem habebit pro bonis amicis fuis, & noftros amicos pro inimicis; & fi Dominium pollicebitur confentire tali petitioni fuæ, Orator habeat mandatum de non recedendo Venetiis quousque viderit effectum, & quod dicti Veneti declarent feciffe amicos & adjumento nobis & Regi Alphonfo, & effe contra amicos Francorum & aliorum adhærentium Regi Franciæ: & fi contradixerint, Orator fignificet quod 56. † non habebit eos amicos, & poftea recedat ab eis indignatus: quamquam credimus, quod fi fua Majeftas ardenter adftringat eos modo convenienti, condefcendent ad faciendam voluntatem Majeftatis fuæ. Et fic perfuadeas ei multum, ut facere hoc velit, quia iftud eft majus adjuvamen quod habere poffumus * impetret refiftet injuriis noftris & follicitabis quanto citius talem Oratorem, ut recedat ante, nam multum importat acceleratio tua.

Denotabis pariter magno Turcæ adventum Oratoris magni Soldani ad nos cum litteris & muneribus quæ transmifit nobis quando Gem. Sultan fratrem fuum * ac magnas oblationes & promiffiones quas nobis fecit de magno thefauro ac de multis aliis rebus, & bene fcis quandoquidem tuo medio omnia funt pratticata, & ficut continetur in capitulis quæ dictus Orator fecit & dedit; fignificabis Majeftati fuæ intentionem noftram in quantum fibi promifimus firmiter tenebimus, & nunquam contraveniemus in aliqua re. Imo noftræ intentionis eft accrefcere & meliorare noftram bonam amicitiam. Bene gratum nobis effet, & de hoc multum precamur & hortamur D.S. quod pro aliquo tempore non impediat Hungarum neque in aliqua parte Chriftianitatis, & maxime in Croatia & Civitatibus Ragufiæ & Leguiæ; quod faciendo & obfervando nos faciemus quod Hungarus non inferat ei aliquid damnum, & in hoc Majeftas fua habebit compasfionem complacendi nobis, attento maxime motu Francorum & aliorum Principum. Quod fi in bellando perfeveraret, habeat pro comperto fua Magnitudo, quod in ejus auxilio effent quam plures Principes Chriftiani & doleret Majeftatem fuam non feciffe, in ejus auxilio, fecundum auxilium quod damus fibi primo ex officio quando fumus Pater & Dominus omnium Chriftianorum, poftea defideramus quietem Majeftatis fuæ ad bonum & mutuam amicitiam: quoniam fi Majeftas fua aliter ftatueret profequi & moleftare Chriftianos, cogeremur rebus confulere, cum aliter non poffemus obviare maximis apparatibus qui fiunt contra Majeftatem fuam. Dedimus tibi duo brevia quæ exhibebis Turcæ, in uno continetur quod faciat tibi dare & confignare 40000. Ducatos pro annata præfenti; aliud eft credentiæ ut præftet tibi fidem in omnibus quæcunque nomine noftro fibi expofueris. Habitis 40000. Ducatis in loco confueto facies quietantiam fecundum confuetudinem, & venies recto tramite cum navi tuta, & cum illuc applicaveris certiores nos reddes & expectabis refponfum noftrum: præfens tua intimatio confiftit in acceleratione, facies ergo diligentiam hic in eundo ad Turcam in expeditione, & in redeundo fimiliter.

† Forte: S. C. fua Celfitudo.

Ego Georgius Bufardus Nuntius & familiaris præfatæ Sanctitatis præfens fcriptum & fubfcriptum manu mea propria fidem facio & confiteor fupra dicta habuiffe in commiffis ab ore præfatæ Sanctitatis Romæ de menfe Junii MCCCC LXXXXIII, & executum fuiffe apud magnum Turcam in quantum fuit mihi ordinatum, ut fupra: & quantum ad oratorem quem requifivit fanctitas fua a Turca mittendum Venetias eft obtentum, qui e veftigio debebat recedere à Conftantinopoli de menfe Septembris poft me ad exequendum in quantum erat voluntas præfatæ fanctitatis cum Illuftriff. Domino Venetorum. idem Georgius Bofardus manu propria fcripfi & fubfcripfi. *Et ego Philippus de Patriarchis Clericus Forolivienfis Apoftolica* & Imperiali autoritate Notarius Publicus fuprafcriptam infcriptionem & inftructionem ex originali de Senogallia transmiffo de verbo ad verbum tranfumpfi & fcripfi, nihil mutando aut addendo, & hoc ipfum tranfumptum prout jacebat ad litteram feci requifitus & rogatus: in cujus teftimonium hic me fubfcripfi & Signum meum appofui confuetum. Florentiæ die 25. Novembris anno 1494.

Literæ Miffivæ Magni Turcæ ad Papam.

Sultan Bajazet Can Dei Gratia Rex Maximus & Imperator uniuscujusque continentis Afiæ & Europæ, Chriftianorum omnium excellenti Patri & Domino, Domino Alexandro, Divina providentia Romanæ Ecclefiæ Pontifici Digniffimo Reverentiam debitam & benevolam cum fincera difpofitione.

Poft convenientem & juftam falutationem fignificamus Tuo Supremo Pontificio, quemadmodum in præfenti mififtis veftrum hominem & Legatum Georgium Baffardum cum literis, quæ continebant veram falutem, amorem & amicitiam, venit & pervenit in optimo tempore ad meam Portam Altiffimam, & didicimus, quæ per literas fignificabantur, & quæ ipfi commififtis dicere ex ore. Retulit etiam ea coram Magnitudine mea integra, quemadmodum Tua Gloriofitas ipfi mandavit, cum didicerimus primum nos de falute & bona valetudine Tuæ Dominationis, delectati fumus maxime, & exultavit fpiritus meus. Propterea & illa, quæ per ipfum

Digitized by Google

ipsum significastis, fecimus & ipsa, & misimus etiam ad loca, quæ significastis, ut mitteremus, sicut volebat Tua Magnitudo. Ulterius & id, quod conventum est, quamvis satis ad nostrum temporis reliquum sit, tamen ex quo scripsistis, & petiistis, ipsum cum festinatione datum est, & ipsum ante nostrum prope cor & Tuæ Gloriositatis. Et prædictus Vester Legatus Georgius jam perfecit omnia, quæcunque requirit tale officium Legati. Unde honoratus est digne à mea Altitudine, ut ipsum decet, cum etiam una cum ipso à Nostra Altissima Porta fidelem nostrum hominem Cassimens data est sibi licentia, & rursus ad Tuum Pontificium missus. Nostra enim amicitia Dei voluntate in dies magis crescet. Nuntiis autem vestræ salutis nunquam nos privetis, ut audientes magis delectemur. Datum in aula Nostræ Sultanicæ Autoritatis in Constantinopoli 1494. Anno à Nativitate Jesu Prophetæ 18. die mensis Septembris. Sultan &c.

Sultan Bajazet Can, Dei gratia Rex maximus & Imperator utriusque continentis Asiæque & Europæ Christianorum omnium Patri & Domino Alexandro divina providentia summo Pontifici dignissimo reverentiam debitam & benevolentiam cum sincera dispositione. Dignum & fidelem vestrum hominem & Legatum Georgium Bassardum in Altissimam Portam meam misistis. Venit & attulit nuncios de vestra salute & bona habitudine. Et delectavit nos mirifice. Attulit autem verba, quæ mandastis ipsi privatim, & ei commisistis integre. Et didicimus, & bene comminiscimur & nos ipsi sermones, ut nunciet ipsos coram Tuo Pontificio, & detis ei fidem in his, quæcunque dixerit. Sunt verba nostra indubitata. Et prædictus Georgius percepit bene omnia, quæcunque requirit officium Legati. Unde honoratus est digne à mea Altitudine secundum ipsius decentiam. Et data est ei licentia, ut redeat rursus in aulam Tuæ Magnitudinis, ut manifestet Tibi illa, quæ nos ipsi commisimus. Datum in aula Nostræ Sultanicæ Autoritatis in Constantinopoli 1494. Anno à Jesu Prophetæ Nativitate, 18. mensis Septembris.

Sultan Bajazeth & Can Rex. &c. Alexandro divina providentia Romanæ Ecclesiæ supremo Pontifici dignissimo. Post convenientem & justam salutationem significamus Tuæ Dominationi, quemadmodum in præsenti fidelem nostrum Cassimen cum nostris litteris misimus ad Summum Tuum Pontificium, ut ferat ad nos de vestra salute & bona habitudine nuncios, quos nos quotidie cupimus audire & delectari. Similiter significamus & Vobis de nostra felici sanitate & amore, ut & vos, quæ de nobis sunt ab ipso dicenda, delectemini, sicut & nos delectamur. Jussimus etiam, & est datum id, quod est conventum prædicto servo meo Cassimen, ut perferat ipsum ad Tuam Gloriositatem; & cum auxilio Dei reversus fuerit, rursus ad meam Altitudinem significet nobis vestram salutem & amicitiam, ut inde, cum audiverimus, magis etiam delectemur. Date autem ipsi fidem in his, quæcunque dixerit. Datum in aula Nostræ Sultanicæ Autoritatis in Constantinopoli 1494. Anno à Nativitate Jesu Prophetæ die 18. Septembris. Sulthan.

Sultan Bajazeth Can Rex &c. Alexandro &c. Post convenientem & justam salutationem notum sit Tuo Supremo Pontificio, quemadmodum Reverendus Dominus Nicolaus Cibo Archiepiscopus Archatensis (Arelatensis) est dignus & fidelis homo, & à tempore præcedentis Papæ Supremi Pontificis Domini Innocentii, illiusque usque ad hodiernum diem in tempus Suæ Magnitudinis continue ad pacem & amicitiam festinat, primum corpore & anima fidelissima fide à duabus partibus servivit, & adhuc servit. Hujus igitur rei causa justum est à vobis decerni, majori ordine ipsum esse debere, unde & rogavimus Supremum Pontificem, ut faceret illum Cardinalem, & assensit Nostræ petitioni, adeo ut literis nostris & etiam nobis significaverit, ut, quod petitum est, datum fuisset ipsi. Verum quia non erat tempus, id est, Septembris mensis, non sedet in ordine suo, & ut requirit consuetudo. Interea jussu Dei dedit Pontifex commune debitum, & sic ipse remansit. Ea igitur de causa scribimus, & rogamus Tuam Magnitudinem propter pacem & amicitiam, quam inter nos habuimus, & propter meum cor, ut adimpleat ipse Tuum Pontificium, videlicet ut faceret ipsum perfectum Cardinalem. Habebimus & nos id in loco magnæ gratiæ. Datum in aula Nostræ Sultanicæ Autoritatis in Constantinopoli 1494. Anno à Jesu Prophetæ Nativitate 18. Septembris.

Supra scriptæ quatuor literæ erant scriptæ sermone Turcico in charta autentica more solito Turcarum, cum quodam signo aureo in capite. Quas literas transtulit in Latinum de verbo ad verbum, & me scribente & notante, Eruditus Vir Lascarus natione Græcus, assistente illi & adjuvante interpretationem Reverendissimo Patre Domino Aloisio Cyprio Episcopo Famagustano, & Marcello Constantinopolitano, Illustrissimi Domini Principis Salernitani Secretario, in cujus rei fidem & testimonium Ego Philippus de Patriarchis, Clericus Foroliviensis, Apostolica & Imperiali Autoritate Notarius Publicus omnia supra dicta manu mea propria scripsi, & subscripsi, & meum signum apposui rogatus & requisitus.

Sultan Bajazeth Chan filius Mahomet Can Rex Dei gratia Imperator Asiæ, Europæ & omnis maritimæ patri & domino omnium Christianorum divina providentia Papæ Alexandro sexto, Romanæ Ecclesiæ digno pontifici. Post debitam & meritoriam salutariorem, ex bono animo & puro corde significamus Tuæ Magnitudini, quatenus per Georgium Bazzardum servitorem & nuncium Vestræ Potentiæ intelleximus bonam convalescentiam vestram, & etiam quæ retulit pro parte ejusdem Vestræ Magnitudinis. Ex quibus lætati sumus, magnamque consolationem cepimus. Inter alia mihi retulit, quomodo Rex Franciæ animatus sit habere Gem fratrem nostrum in manibus

nibus Vestræ Potentiæ, quod esset multum contra voluntatem nostram, & Vestram Magnitudinem sequeretur maximum damnum, vosque & omnes Christiani paterentur detrimentum. Idcirco una cum prædicto Georgio cogitare cœpimus pro quiete, utilitate & honore Vestræ Potentiæ, & adhuc pro mea satisfactione bonum esset, quod dictum Gem fratrem, qui subditus est morti, & detinetur in manibus Vestræ Magnitudinis, omnino mori feceritis. Quod si fiet, esset & Potentiæ Vestræ utile & commodissimum, mihique postea gratissimum. Et in hoc Magnitudo Vestra contentabit complacere nobis, prout in sua prudentia confidimus facere velle, debet pro meliori Suæ Potentiæ, & pro majori nostra satisfactione, quanto citius fieri poterit, cum illo meliori modo, quo placebit Vestræ Magnitudini, dictum Gem levari facere de angustiis hujus mundi, & transferri illius animam in alterum seculum, ubi meliorem habebit quietem, & sic adimplere faciet Vestra Potentia. Promittimus, si mandabit nobis, corpus suum in qualicunque loco citra mare nostrum, Nos Sultan Bajazeth Can suprascriptus in qualicunque loco placuerit Vestræ Magnitudini, trecenta millia Ducatorum, quos trecenties mille Ducatos consignari faciemus illi, cui ordinabit Vestra Magnitudo, antequam nobis sit dictum corpus datum, & per vestros meis consignatum. Adhuc promitto Vestræ Potentiæ, quod vita mea comite, & quamdiu vixero, habebimus semper bonam & magnam amicitiam cum eadem Vestra Magnitudine sine aliqua deceptione, & eidem faciemus omnia beneplacita & gratias nobiles. Insuper promitto Potentiæ Vestræ majori sua satisfactione, quod neque per me, neque per meos servos neque etiam per alium ex patriis meis erit datum aliquod impedimentum Dominio Christianorum, cujuscunque qualitatis aut conditionis fuerit, sive in terra sive in mari, nisi essent aliqui, qui nobis aut subditis nostris damnum facere vellent. Et pro majori adhuc satisfactione Vestræ Magnitudinis, ut sit secura, sine aliqua dubitatione, de omnibus his, quæ supra promitto, juravi & affirmavi omnia, in præsentia prædicti Georgii, per verum Deum, quem adoramus, & super Evangelia vestra, observare Vrstræ Potentiæ omnia usque ad complementum, neque in aliqua re deficere sine defectu aut aliqua deceptione. Et adhuc pro majori securitate Vestræ Magnitudinis, ne ejus animus in aliqua dubitatione remaneat, immo sit certissimus, de novo ego supra dictus Sultan Bajazeth Chan juro per Deum verum, qui creavit cœlum & terram, & omnia quæ in eis sunt, in quem credimus, & adoramus, quod faciam adimplere ea, quæ supra eisdem requiro. Promitto per dictum Deum & juramentum, servare omnia, quæ supra continentur, & in aliqua re nunquam contra facere, neque contravenire Vestræ Magnitudini. Scriptum Constantinopoli in palatio nostro, secundum Adventum Christi die 15. Septembris Anno 1494. Et ego Philippus de Patriarchis Clericus Foroliviensis Apostolica & Imperiali Autoritate Notarius Publicus, literas ex suo Originali, quod erat scriptum in literis Latinis in sermone Italico in charta oblonga Turcarum, quæ habebat in capite signum Magni Turcæ aureum, in calce nigrum, trans sumpsi fideliter de verbo ad verbum & manu propria, requisitus & rogatus scripsi & subscripsi, signumque meum in fidem & testimonium consuetum apposui, Florentiæ die decima quinta Novembris, 1494. in Conventu Sanctæ Crucis Ordinis Minorum.

His diebus 1495. mense Januario sexta hujus post prandium Sanctissimus Dominus Noster per Consistorium de palatio suo apud Sanctum Petrum ivit ad Castrum Sancti Angeli, ubi pro majori sua securitate commoratus est, & cum eo Reverendissimi Domini, Neapolitanus, Sanctæ Anastasiæ, Montis Regalis, Ursinus, Alexandrinus & Valentinus Cardinales.

Diebus sequentibus omnes Cardinales in Urbe existentes successive visitarunt Regem. Informaverant autem ipsum Regem in adventu suo ad Urbem, qualiter Cardinales ipsum essent associaturi, ipse eos recepturus, associaturusque usque ad scalas, data ei dextra, & alia hujusmodi. Sed aliter se habuit, nulli obviam venit, nullum associavit, immo nec sui unquam alicui debitum honorem impendebant. Aula palatii Sancti Marci Cameris propinquior, cum prima Camera paleis erant plenæ & paleatis saccis super portis Cameræ, & camerinis affigebantur candelæ ex freno, & omnia habebantur ad instar stabuli porcorum.

Sabbato tertia Januarii spoliarunt & deprædati fuerunt Columnenses & Galli domum Electi Compsariæ, Nepotis Cardinalis Neapolitani, filii Jacobi de Comitibus, & Domini Bartholomæi de Luca, Papæ cubicularii. Galli, ut suo more hospitarentur, domos hinc & inde aperiebant, & intrabant, extra projiciebant & ponebant patronos, equos, & alia, comburentes ligna, comedentes & bibentes absque alicujus rei solutione. Ex quo surrexit magnus rumor in populo. Unde ordinatum, & per Urbem de mandato Regis Franciæ publice proclamatum, ne cui liceat sub pœna intrare domum Turcæ.

Feria secunda, quinta Januarii, in capella Papa in solio sedente Galli in magna quantitate in furia sine ordine per horam venerunt ad pedis osculum. De mandato Papæ dedi locum in solio Illustri Domino Giberto Duci Clevensi, & fratri germano, uxori suæ ac Ferdinando Dosse filio Ducis Ferrariæ.

Feria quinta, octava Januarii spoliata & deprædata fuit per Gallos domus Pauli de Blancha Civis Romani, interfecti duo filii sui ac plures alii, ac Judæi occisi, & eorum domus deprædatæ & spoliatæ, similiter domus Domini Rosæ Majoris Reverendissimi Domini Cardinalis Valentini.

Dominica undecima mensis Januarii conclusum fuit ac deliberatum inter Sanctissimum Dominum Nostrum, & Illustrem Dominum Philippum

Digitized by Google

lippum de Presach, avunculum Regis Franciæ locumtenentem ejusdem Regis consignari debere Gem Sultan fratrem Magni Turcæ ad sex menses Regi Franciæ, qui nunc solvere deberet Papæ viginti millia Ducatorum, & dare cautionem Mercatorum Florentinorum & Venetorum de restituendo ipsum Gem Sultan ipsi Papæ elapsis dictis sex mensibus sine mora: Item coronare Regem Franciæ Regem Neapolitanum sine alterius præjudicio, & facere securos Cardinales Sancti Petri in Vincula, Gurcensem, Sabellum & Columnam de non offendendo eos. Pro quorum securitate deberent convenire in sero illius diei Reverendi Domini, Bartholomæus Nepesinus & Sutrinus Secretarius, & Joannes Perusinus Episcopi, Datarius nomine Papæ, & Domini de Brisach, & Mompensier & Dominus Joannes de Servi, Primus Præsidens Perlamenti Parisiensis. Sed Cardinales, Sancti Petri ad Vincula & Gurcensis intellecta conclusione sine eis facta conquesti sunt Regem de pactis ipsis per eum non servatis, cum ipsis promisisset per Coronam Regiam, sine eorum scitu & voluntate cum Pontifice nolle concordare, vel aliquid concludere. Et hoc medio conclusionem hujusmodi, & ne illi ad Cardinalem Alexandrinum venirent, impediverunt.

Feria sexta, decima sexta dicti mensis recesserunt ex Urbe Reverendissimi Domini Ascanius, & de Lunate Cardinales Mediolanum ituri.

Deinde circa horam vigesimam Papa portatus fuit de Castro ad palatium. Rex adventum Papæ intelligens, occurit ei usque circa finem horti secreti, de quo ad deambulatorium descendit. Rex viso Pontifice ad spatium duarum cannarum genuflexit, bis successive, competenti distantia, quod Papa finxit, se non videre Regem. Sed cum Rex pro tertia genuflexione facienda appropinquaret, Papa deposuit biretum suum, & occurit Regi ad tertiam genuflexionem venienti, & eum tenuit, ne genuflecteretur, & deosculatus est eum. Ambo detectis capitibus erant. Sicque Rex nec pedem nec manum Papæ deosculatus. Papa noluit reponere biretum suum, nisi prius tegeret se Rex. Tandem simul capita cooperuerunt, Pontifice manum bireto Regis, ut cooperiretur, apponente. Rex quam primum à Pontifice receptus fuit, rogavit Papam, ut vellet pronunciare Cardinalem Macloviensem Consiliarium suum. Quod Papa dixit se facturum, mandans mihi, ut ad effectum hujusmodi reperirem cappam unam Cardinalitiam & cappellum. Papa sinistra manu dextram Regis accipiens eum duxit ad Cameras. Ubi antequam intraret, finxit Pontifex, syncopa turbari. Intus autem pervento, Papa sedit super sedem bassam ibi asportatam, & Rex juxta eum super scabellum. Papa noluit sedere, nisi prius sederet Rex. Papa dixit Cardinalibus ibidem sedentibus in modum coronæ, se vota omnium Cardinalium habuisse pro creatione Reverendi Patris Domini Episcopi Macloviensem in Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, quem Majestas Sua Regis ibidem præsens instanter fieri supplicaverat, & ipse facere paratus erat ipsis Cardinalibus complacentibus. Respondit Cardinalis Neapolitanus, & post eum alii in eadem sententia, quod non solum id ipsis placeret, sed fieri supplicarent pro Regis honore & voluntate. Tunc vocatus per me prædictus Dominus Macloviensis. Induit ipsum Cappa Cardinalis Valentinus, in qua coram Papa genuflexit, qui detecto capite & ceremoniali pronunciavit ipsum Cardinalem per verba: autoritete Omnipotentis Dei. Et Ecclesiam Macloviensem, & omnia & singula Monasteria & Beneficia Ecclesiastica, quæ prius in Titulum obtinebat illi commendavit. Maclovensis deosculatus est Papæ pedem & manum, & à Pontifice elevatus ad oris osculum est receptus. Tunc iterum genuflexit, & Papa imposuit capiti suo capellum rubeum. Quo facto Maclovicensis egit gratias Sanctissimo, qui dixit, Regi agendas esse. Coram quo Rege ipse Macloviensis genu flexus egit ei gratias. Et surrexit, & à singulis Cardinalibus ad oris osculum receptus est.

Interim surrexit Pontifex, & dixit, se velle Regem usque ad Cameras associare. Sed Rex id fieri omnino recusans, fuit ab omnibus Cardinalibus associatus ad hujusmodi Cameras. Dati fuerunt Scoti pro custodia Regis deputati, qui non permittebant, nisi suos & paucissimos e nostris intrare. Interfuerunt præmissis 14. Cardinales. Dedi eadem die Reverendissimo Cardinali Maclovicensi informationem eo petente, de strenis consuetis persolvendis, videlicet: Cubiculariis Secretis Sanctissimi Domini Nostri Ducatus centum, - - - - 100.

Scutifero Capellæ	100.
Magistris ceremoniarum ad voluntatem.	
Servientibus armorum	15.
Magistris hostiariis	15.
Portæ ferreæ custodibus	6.
Custodibus primæ portæ	3.
Custodibus horti secreti	3.
Custodibus Papæ	10.
	Summa 252.

Dominica decima octava Januarii venit Rex Franciæ versus aulam Pontificum; de quo certior factus Pontifex occurrit ei usque quasi ad dictæ aulæ introitum paratus, licet certe minus convenienter. Venerat autem ad stipulandum capitula inter Pontificem & ipsum prius conclusa & subscripta tam per Papam quam per Regem: super quibus tamen capitulis exorta erat una inter ipsos differentia, videlicet de fidejussoribus Papæ dandis per Regem de restituendo Turcam Papæ, sex mensibus elapsis. Capitulum enim dicebat, quod Rex dare deberet fidejussores Nobiles, Barones & Prælatos Regni ad voluntatem Pontificis. Volebat Præsidens, capitulum hujusmodi astringi debere ad decem personas tantum, Papa volebat ad viginti vel quadraginta. Super qua recirciter tribus horis certatum fuit & disputatum. Papa intravit cameram, ubi paratæ erant duæ sedes Papales. Rex Papam secutus est, quem Papa sedere fecit in una sedium prædictarum

ctarum ei à ſiniſtris. Interfuerunt ex parte Papæ Cardinales, Sanctæ Anaſtaſiæ & Alexandrinus, ex parte Regis Franciæ, Sancti Dionyſii & Maclovicenſis, ambo Secretarii Papæ, Datarius & pauci alii. Fuerunt lecta & ſtipulata quinque capitula, de quibus rogati fuerunt duo Notarii, videlicet Dominus Stephanus de Harnia pro parte Papæ, & Dominus Oliverius Suan pro parte Regis, pro quo capitula ipſa ſcripta erant in vulgari, & pro Papa in Latino.

Feria ſecunda decima nona Januarii Pontifex ad publicum Conſiſtorium exire paratus pro receptione Regis Franciæ & obedientia per eum præſtanda, commiſit mihi, ut irem ad Regem prædictum ad inſtruendum ipſum de his, quæ ſit facturus circa obedientiæ præſtationem. De loco autem ſuo nihil illi dicerem, cum Rex ipſe cum ſuis decreviſſet ſedere apud Pontificem in ſolio, ſtans aliqua pauca verba præſtationis obedientiæ præſtare. Ivi cum Domino Epiſcopo Concordienſi mihi Condeputato ad Regem, cui nobis commiſſa expoſuimus, addentes Papam paratum eſſe, & Majeſtatem Suam jam exſpectare. Reſpondit Rex, poſtquam neſciens eſſet, ſe velle prius in Baſilica Sancti Petri miſſam audire, deinde prandere, poſtea ad Papam venire. Aliud illi perſuadere non potuimus. Quod eſſet facturus relatione facta Pontifici Cardinalibus vocatis, tenuit cum eis de rebus occurrentibus ſecretum Conſiſtorium. Papa nominavit duos Cardinales mittendos Regi, videlicet, Alexandrinum & Carthaginenſem, Florentinum & Patracenſem Epiſcopos, Portugallenſem, Volaterranum, Concordienſem & Sogobrienſem, Volaterranum, Concordienſem & Sogobrienſem, Protonotarium de Sermoneta. Venimus ante cameram Regis qui in prandio erat, cui ſignificavimus, Pontificem in publico Conſiſtorio cum Cardinalibus ipſum exſpectare. Venit Rex medius inter duos Cardinales. Sequebantur Principes Regis, & cum eis decem & ſeptem Prælati cum ſatis magna confuſione. Rex fecit debitas reverentias in terra, Primam in introitu, ſecundam in plano ante ſolium Papæ, tertiam ante ſolium ante Papam, ubi genuflexus pedem, deinde manum Papæ deoſculatus fuit, quem Papa ad oris oſculum recepit. Rex remanſit ad ſiniſtram Pontificis, cui commemoravi verba obedientiæ proferre.

Interim primus Præſidens Parlamenti Pariſienſis coram Pontifice venit, & expoſuit, Regem ad præſtandam obedientiam Suæ Sanctitati perſonaliter advenïſſe, velle tamen prius tres gratias à Sua Sanctitate petere. Petebat primo omnia Privilegia primo Regi ejuſque Conjugi & primogenito conceſſa, ac omnia in quodam libro, cujus titulum ſpecificabat, contenta confirmari: Secundo ipſum Regem de Regno Neapolitano inveſtiri: Tertio articulum de dando fidejuſſores ſuper reſtituendo fratrem Magni Turcæ, & inter alios heri ſtipulatum caſſari & aboleri. Pontifex reſpondit ad primum: ſe confirmare hujuſmodi privilegia petita, quatenus eſſent in uſu. Ad ſecundum, quod agere-tur de præjudicio tertii, propterea oportere cum conſilio Cardinalum ſuper hoc maturius deliberare, cum quibus conari vellet, pro poſſe ſuo Regi complacere. Ad tertium, velle etiam cum ipſo Rege eſſe, cum Sacro Cardinalium Collegio, non dubitantem, eos omnes concordes futuros. Qua reſponſione per Pontificem data, Rex ſtans ad ſiniſtram Papæ, protulit verba hujuſmodi ſententiæ: Sainct Pere, Je ſuis venu pour rendre obedience e reverence à Voſtre Saincteté, comme ſont ſolits à faire les miens Predeceſſeurs, Roys de France. Quibus dictis prædictus Præſidens ſurrexit, & ſtans coram Pontifice, verba Regis hujuſmodi latius extendit in hac ſententia:

Beatiſſime Pater, Conſueverunt Principes, & præſertim Francorum Reges Chriſtianiſſimi per ſuos Oratores Sedem Apoſtolicam, & in ea pro tempore ſedentem venerari. Chriſtianiſſimus vero Rex Apoſtolorum limina viſitaturus, id non per Oratores ac Legatos ſuos facere, ſed in perſona propria devotionem ſuam oſtendere vollens, ſtatuit obſervare. Vos igitur, Pater Sancte, Chriſti verum Vicarium Apoſtolorum Petri & Pauli Succeſſorem fatetur & recognoſcit, illique filialem & debitam reverentiam, quam Prædeceſſores ſui Francorum Reges Summis Pontificibus facere conſueverunt, verbis præſtat, & omnia ſua Sanctitati Veſtræ, & huic Sanctæ Sedi offert.

Papa ſedens, & ſiniſtra ſua manu *Regis dexteram* tenens, reſpondit breviſſime & *convenienter* propoſitis, Regem ipſum in ſua reſponſione primogenitum filium appellans. Surrexit Papa, & ſiniſtra manu ſua Regem apprehendens, ad cameram reverſus eſt fingens Regem ipſum aſſociare. Rex illi gratias agens ad cameram ſuam rediit, à nullo Cardinalium aſſociatus. Interfuerunt præmiſſis 20. Cardinales.

Feria tertia, vigeſima Januarii Feſtum Sanctorum Fabiani & Sebaſtiani Papa in complacentiam Regis Franciæ, celebravit miſſam in Baſilica Sancti Petri, & venit Pontificaliter ſub Baldachino. Ad quem Rex pervenit cum Nobilibus ſuis ſine armis & cuſtodia. Rex in miſſa ſtans dedit aquam manibus Papæ, qui voluit ut Rex ipſe de aqua credentiam faceret, & poſtea Papa benedixit populo.

Feria quinta, vigeſima ſecunda Januarii Cardinalis Gurcenſis, rebus ſuis cum Pontifice benigno, non vindictam quærente, compoſitis, & ei reconciliatus, primum ad Beatitudinem Suam venit, & culpam ſuam recognoſcens, & in Urſini & Sancti Georgii Cardinalium præſentia Pontifici ſua crimina objecit.

Eodem ſero fuit magnus rumor inter Suizeros & Catalanos cuſtodiæ Caſtri Sancti Angeli, quibus Tuſſiani ſeſe intromiſerunt. Duo Suizzeri fuerunt ab illis interfecti, & in Tiberim projecti, & plures Catalani, & Tuſſiani à Suizeris occiſi. Die ſequenti fuerunt decapitati duo Suizeri, unus in Capitolio, alius ad pontem Sancti Angeli.

Die vigeſima octava Januarii Gem Sultan frater Magni Turcæ equeſter de Caſtro Sancti Angeli

Angeli aſſociatus fuit usque ad Palatium Sancti Marci, & ibidem Regi Francorum aſſignatus. Erecta fuerunt per Urbem duo patibula, unum in Campo Floræ, & aliud in platea Judæorum per Officiales Regis Franciæ, & per eos miniſtrabatur juſtitia, non per Officiales Papæ, & mandata publica ſive banna per Urbem fiebant ſub nomine dicti Regis & non ſub nomine Papæ.

Die vigeſima nona Januarii Rex Franciæ aſſociatus à ſuis, omnes armati cum Rege ad Pontificem venerunt, cum quo Rex fuit ſolus aliquamdiu. Tum receſſit Rex aſſociatus à Papa & Cardinalibus per duas cameras, ubi genuflexus Rex detecto capite, & male finxit deoſculari pedes Papæ, qui nullo modo voluit admittere. Receſſit Rex, & exſpectavit Cardinalem Valentinum, qui ſecum iturus erat. Venit tandem Cardinalis, & in eodem loco Cardinalis donavit Regi ſex pulcherrimos equos in frænis ſine ſellis. Rex cum Cardinali Valentino equitavit recta via ad Marinum.

Receſſerunt etiam ex Urbe Sancti Petri ad Vincula, Sabellus & Columna Cardinales, & cum eis Auditor Cameræ, Regem aſſociaturi, & cum eo ituri.

Eodem ſero ſecutus eſt Regem Cardinalis Gurcenſis, frater quoque Magni Turcæ parum ante diſceſſum receſſit, Marinum iturus. Eodem die in ſero nunciatum fuit Pontifici, Regem Alphonſum receſſiſſe à Neapoli cum magno theſauro iturus ad Siciliam cum quatuor galeris pro gentibus contra Regem Franciæ conducendis.

Feria quinta, vigeſima nona Januarii venerunt Regi Franciæ ex Francia decem & octo millia ſcutorum, & nuper etiam illi apportata fuerunt tria millia, impenſa ſingulorum dierum, quam Rex habebat ordinarie cum ſuis.

Eodem die in ſero nunciatum eſt Pontifici, Ferdinandum Ducem Calabriæ Neapolis Regem eſſe aſſumptum ex ceſſione Alphonſi Patris, ipſumque matrimonium cum Illuſtriſſima Domina Iſabela de Aragona filia Regis Ferdinandi Avi ſui defuncti ſorore, per verba de præſenti contraxiſſe, equitaſſe per Neapolim tanquam Regem, Vaſallos juramentum fidelitatis illi præſtitiſſe, Barones & Nobiles incarceratos per Avum & Patrem ſuum relaxaſſe & liberaſſe, quoſdam vero, qui cum Gallis intelligebant, decapitaſſe. Item nunciatum fuit Pontifici, habitatores civitatis Terracinæ, exportatis omnibus bonis, dimiſſa civitate inde receſſiſſe, & Regem Neapolitanum ipſam occupaſſe. Similiter nunciatum eſt, Reverendiſſimum Cardinalem Toletanum in Hiſpania diem clauſiſſe ſupremum.

Feria ſexta, trigeſima Januarii, nunciatum eſt Pontifici Cardinalem Valentinum e Marino in habitu famuli ſtabuli à Rege Franciæ aufugiſſe, & dormiviſſe hac nocte in domo Reverendi Patris, Domini Antonii Flores, Auditoris Rotæ. Eodem ſero intrarunt Urbem duo Oratores Regis Romanorum, ituri ad Regem Franciæ. Receſſerunt ex Urbe Dominica, prima Februarii, & cum eis Dominus Hieronymus Porcarius Decanus Auditorum Rotæ, Coronatus de Planca, & Jacobus de Sinibaldis, ituri ad Regem Franciæ nomine Populi Romani, & commendando Regi Urbem & ſupplicando, ne propter receſſum Cardinalis ab eo contra Urbem & Romanos indignaretur.

Sabbato, vigeſima prima Februarii receſſit ab Urbe Epiſcopus Nepeſinus & Sutrinus ituri ad Regem Franciæ ad excuſandam Suam Sanctitatem de receſſu Cardinalis Valentini ab ipſo Rege. Venit etiam ad Urbem Dominus Philippus de Breſach nomine Regis Franciæ, & poſt paucos dies inde receſſit.

Feria quarta, vigeſima prima Februarii Rex Franciæ intravit civitatem Capuanam, quam habuit per pactum & concordiam, prout etiam omnia alia loca prius habuerat. Dictum fuit Romæ, Regem ipſum in nocte in camera in dicta civitate horribilem vocem bina vice audiviſſe, capſam unam de illis, quas in dicta camera habebat, ex ſe ipſa apertam fuiſſe, & vexillum quoddam in ea exiſtens ſe ipſum erexiſſe, Regem propterea innuiſſe, ad Regnum ſuum non reverſurum, niſi rehabita Terra Sancta & Sepulchro Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ſeque unam Capellam in civitate Neapolitana in honorem Spiritus Sancti fundaturum & dotaturum.

Sabbato, vigeſima ſecunda Februarii venit ad Urbem Illuſtris Princeps Salerni ex Regno Franciæ, & Neapolim iturus.

Sequenti die ex Conſtantinopoli ſcriptum fuit, Turcas ibidem dictum Regem Franciæ multum timere, & duodecim Turcarum Sacerdotes fidem Chriſti prædicare.

Eodem die Rex Franciæ circa horam vigeſimam intravit civitatem Neapolitanam, & hoſpitatus eſt in Caſtro Capuano. Omnia dictæ civitatis habuit in obedientia, exceptis Caſtro Sancti Clini, in quo erat Comes Peſcariæ cum gentibus ejuſdem Caſtri dell' Orco erat Rex Ferdinandus cum ſua gente.

Feria quarta, vigeſima quinta Februarii Gem frater Magni Turcæ, qui nuper Regi Francorum per Sanctiſſimum Dominum Noſtrum ex pacto & conventione conſignatus in Civitate Neapolitana ex Caſtro Capuano ex eſu ſeu potu ſtatui ſuo non convenienti vita eſt functus, cujus cadaver deinde ad inſtantiam Magni Turci eidem cum tota ejus familia miſſum eſt, qui propterea magnam pecuniarum ſummam dicitur perſolviſſe, & familiam ipſam totam in bonam gratiam recepiſſe.

Feria quinta, decima ſexta Februarii civitas Gajetæ juriſdictioni Regis Franciæ ſe ſubmiſit, Caſtro Regi Neapolitano adhuc fidem ſervante. Heri annunciatum eſt in Urbe, Regem Franciæ habuiſſe Neapoli Turrim Sancti Vincentii, & unam ex galeris Regis Neapolitani, quibus apud Iſchiam utebatur, ad eundem Regem Franciæ aufugiſſe. Eodem die Rex Franciæ ex pacto & conventione obtinuit Caſtrum Neapolitanum ſibi tradi & aſſignari. Eodem die intravit Urbem Magnificus Dominus Georgius Doctor & Miles Patritius Venetus Venetorum Orator ad

Digitized by Google

Urbem miſſus à familia Papæ & Cardinalium ex corruptela noviter incepta receptus.

Die decima quinta Martii Caſtrum Neapolitanum Regi Franciæ ſe ſubmiſit, & factæ ſunt coram ipſo Rege per ſuos tragœdiæ de Papa Romanorum & Hiſpaniarum Regibus ac Venetiarum & Mediolani Ducibus Ligam & confœderationem ſimul (facientes) colluſoriæ & more Gallico deriſoriæ.

Dominica quarta Quadrageſimæ Papa benedixit Roſam, quam de omnium Cardinalium conſenſu decrevit Sereniſſimo Regi Franciæ mittere.

Die vigeſima quinta Martii nunciatum eſt, Regem Franciæ & Caſtrum Caetanum acquiſiviſſe, ſolutis per Caetanos vigeſies mille Ducatis, Caſtello & omnibus in dicto Caſtro exiſtentibus.

Feria quarta prima menſis Aprilis in Platea S. Petri nonnulli Hiſpani ad numerum circa CC. invaſerunt circa centum & quinquaginta Suizeros, & occiderunt quindecim, inter quos una mulier, & publice ab Hiſpanis ſpoliati & deprædati; filius Cardinalis Maclovenſis ad Urbem venit, fuit prope inſulam Urſinorum circiter trium millium ſcutorum ſpoliatus. Omnia enim hæc contra Suizzeros, ab Hiſpanis fuerunt ordinata ad vindictam pro eo, quod Rege Franchorum in Urbe exiſtente Matrem ſuam octingentis ducatis & aliis bonis in propria domo vi & abſque ratione indebite ſpoliaverunt & deprædati ſunt.

Sabbato quarta Aprilis Alphonſum Sardinas Urbis Barigellum cum gentibus ſuis ex Piſcaria domum redeuntem invaſit Sabeſtaglia civis Romanus armatus animo deliberato & inter ſe mutuo vulnerati ſunt & interfecti.

Eodem die nunciatum eſt in Urbe Ligam inter Papam, Sereniſſimum Maximilianum Regem Romanorum & Regem Hiſpaniarum ac Venetiarum & Mediolani Duces pro communi Chriſtianorum beneficio ac totius Italiæ quiete concluſam eſſe & rotatam.

Feria quarta vigeſima Januarii quidam malefactores allicientes quendam furnarium nomine Jachetum Gallum bonis verbis, aſſerentes, ſibi certum bonum granum competenti pretio vendituri, ipſum ad quandam domum deſertam conduxerunt, & dictum Jachetum ligarunt, pecuniam, quam ſecum habebat, auferentes, & petebant duo millia ducata ab eo, quæ cum dare negaret, dentes malleo quodam ex ore extraxere, & tollere continuarunt, tenentes eum in hujuſmodi tortura circiter horis octo. In mane ſequenti ipſum capſa quadam totaliter involutum ligatum deduxerunt per unum pontem Tiberis in Tranſtiberim, ipſe vero audiens quoſdam pertranſire, licet os haberet ligatum, exclamavit, quantum potuit, ex quo territi malefactores, eum ibi ſolum dimittentes aufugerunt. Magiſter Jachetus in domum ſuam reverſus eſt, relictis poſt ſe quinque dentibus & nonnullis Ducatis.

Sabbato deinde vigeſima quarta dicti capti fuerunt tres malefactores prædicti, qui confeſſi ſunt quatuordecim eſſe complices, & eadem die fuerunt in Turris muro ſuſpenſi.

Feria ſexta decima octava dicti Sanctiſſimus Dominus Noſter in Conſiſtorio ſecreto creavit quatuor novos Cardinales, videlicet Reverendos Patres, Dominos Bartholomæum Epiſcopum Segobricenſem Magiſtrum domus Sacri Palatii Apoſtolici, Joannem Epiſcopum Agrigentinum Caſtellanum Caſtri Sancti Angeli, Joannem Epiſcopum Peruſinum Datarium, & Joannem de Borgia Protonotarium Apoſtolicum ex ſorore Sanctitatis Suæ Nepotem. Interfuerunt in electione prædicta viginti quatuor Cardinales.

Feria quarta vigeſima quarta menſis Februarii fuit publicum conſiſtorium, in quo fuerunt dati pilei novis Cardinalibus.

Sabbato vigeſima ſexta menſis Martii Illuſtris Dominus Franciſcus Gonzaga Marchio Mantuanus intravit Urbem, & noluit, quod familia ipſum ultra pontem reciperet, ſed circa portam prædictam & ſucceſſive venerunt familiæ Cardinalium. Marchio equitavit medius inter Gubernatorem Urbis & Secretarium Papæ. Marchio pervento ad Papam factis tribus debitis reverentiis genuflexus pedem Papæ oſculatus eſt, tum manum, & ad oris oſculum à Papa receptus eſt, & iterum genuflexus quædam brevia verba habuit cum Pontifice, & deinde ab omnibus Cardinalibus ad oris oſculum *receptus eſt*, & manſit juxta murum à Papa ſtans, & cum Vice-Cancellario & Valentino Cardinalibus, deinde fuit aſſociatus à Prælatis & Oratoribus ad Cameras, in quibus Oratores & Reges hoſpitari conſueverunt.

Dominica Palmarum Marchio Gonzaga habuit locum in ſupremo gradu ſolii juxta planum ſolii Papæ. Finita miſſa Papa dedit roſam Marchioni, qui portavit eam ante Pontificem, & fuit deinde aſſociatus à Collegio Cardinalium uſque ad ultimam aulam ante Cameram ſuam, quæ aſſociatio Cardinalium viſa eſt mihi non convenire, quia in Dominica Lætare, qua roſa tunc datur, fieri debet.

Feria tertia vigeſima nona Martii prædictus Dominus Marchio receſſit ab Urbe Neapolim iturus aſſociatus à familia Papæ & Oratoribus Regum medius inter Gubernatorem Urbis & Archiepiſcopum Sutrinum.

Dominica decima ſeptima Aprilis obiit Sereniſſimus Princeps Dominus Carolus Amodeus Dux Sabaudiæ puer ſex annorum in circa unius ex linea directa, cui ſucceſſit in Ducatu Philippus de Breſach Patruus ſuus.

Sabbato ſeptima Maji intravit in Urbem per portam Viridarii Magnificus Domius Nicolaus Micha & Utriuſque juris Doctor Venetus & Domini Venetorum Orator ad Sanctiſſimum Dominum Noſtrum deſtinatus cum ſalmis duodecim. Fuerunt ei miſſi obviam Oratores duo Hiſpaniarum & Neapolitani & Ducis Mediolani.

Feria ſexta, vigeſima Maji intraverunt Urbem per Portam Lateranenſem Dominus Joffredus Borgia de Aragonia, & Princeps Squillaci & Comes

Digitized by Google

mes Curiatæ filius Sanctissimi Domini Nostri Alexandri Papæ Sexti in quarto decimo vel circa suæ ætatis anno constitutus, & Domina Sanctia de Aragonia ejus uxor cum sex vel circa aliis mulieribus, quibus venerunt obviam quamplurima capita squadrorum, cum gentibus armatis numero CC. & familiæ omnium Cardinalium Papæ, & Prælati, & extra Portam venit eis obviam Domina Lucretia Sfortia uxor Illustris Domini Joannis Sfortiæ Pisauri Domini soror dicti Joffredi. Venerunt etiam obviam eisdem omnes Oratores Principum & omnes Officiales cum magna pompa. Præcesserunt salmæ bonorum Domini Joffredi numeri viginti octo, & dictus Dominus Joffredus medius inter Archiepiscopum Ragusinum Gubernatorem Urbis & Dominum Philibertum Oratorem Regis Romanorum, sequebatur in equo cooperto de seta nigra, Domina Lucretia filia Papæ media inter Oratores Regis Hispaniarum & Oratorem Regis Neapolitani, deinde aliæ mulieres sine ordine, post omnes mulieres cubicularii Papæ. Intravimus ad Pontificem, Dominus Joffredus osculatus est pedem Papæ & manum Papæ, qui recepit caput inter ambas suas manus, & caput sibi inclinavit: deinde Dominus Joffredus ad singulos Cardinales accessit, & singulorum manus deosculatus est, & singuli ipsum ad oris osculum receperunt. Secuta est Domina Sanctia, quæ similiter manus singulorum Cardinalium deosculata est. His factis Dominus Joffredus stetit inter Cardinales Sancti Severini & Valentini fratris sui, & Lucretia sedit super cusinum in terra à dextris Pontificis, & Sanctia super alium à sinistris. Habita sunt plura verba inter Papam, Sanctiam & Lucretiam, quibus peractis omnes recesserunt.

Feria sexta, decima sexta Junii venit ad Urbem Reverendus Robertus Archidiaconus Baniæ Secretarius Illustrissimi Domini Henrici Anglorum Regis Orator ad Sanctissimum Dominum Nostrum destinatus, qui fuit à familiis Cardinalium & Papæ receptus, licet non venerit pro obedientia Pontifici præstanda, & quia per Oratores prædicti Regis, & Regis Hispaniarum super præcedentia contendebatur, ideo venit medius inter Episcopum Cusentinum & alium Cooratorem suum, quos secuti sunt Oratores Romanorum & Neapolitani Regum, Dominii Venetorum & Ducis Mediolani.

Feria quarta sexta Julii in secreto Consistorio Sanctissimus Dominus Noster creavit Legatum de Latere Reverendissimum Dominum Cardinalem Sanctæ Crucis in Hierusalem iturum obviam Serenissimo Maximiliano Romanorum Regi pro Corona Imperiali suscipienda Romam venturo, qui associatus fuit ab omnibus Cardinalibus in Consistorio usque ad ejus habitationem.

Feria sexta vigesima nona Julii dictus Dominus Cardinalis Sanctæ Crucis discessit ad loca suæ legationis associatus ab omnibus Cardinalibus extra Portam de Populo, & in mane sequenti ex commissione Papæ ego sum sequutus.

Feria secunda prima Augusti dictus Legatus receptus fuit processionaliter Interamnæ Vicario Episcopi sibi crucem porrigente, quam Legatus ex mula discedens genuflexus osculatus est, & sub baldachino, quod Presbyteri portarunt, equitavit usque ad Ecclesiam Cathedralem, quam postea intravit, & facta consueta oratione solemniter benedixit populo, & concessit indulgentiam unius anni, deinde venit ad palatium Priorum civitatis, in quo hospitatus est.

Feria tertia secunda Augusti Legatus iter arripuit Spoletum, quod tamen non intravit propter pestem ibi vigentem, sed extra muros pertransivit, & pernoctavit in Burgo in uno ex hospitiis.

Feria quarta tertia Augusti Priores ac Episcopus Fulginei venerunt usque ad portam, & venit Episcopus paratus sub baldachino, hospitatus est ad palatium Gubernatoris, & Legatus post prandium coram se publicari fecit distributionem officiorum, & à singulis accepit juramentum.

Feria quinta, quarta Augusti equitavimus ad Sanctam Mariam de Angelis, & inde Assisium, ubi receptus fuit in curia Episcopali.

Feria sexta quinta Augusti equitavimus Eugubii, ubi Legatus receptus fuit processionaliter sub baldachino, quod portarunt cives usque ad hospitium Legati, qui equitavit ad Ecclesiam, ubi benedixit, & dedit indulgentias duorum annorum.

Eodem die recessit ex Callio ad civitatem Forosemprosiensem, pervenerunt obviam Episcopus Urbinatensis, & equitavit ad palatium Ducis Urbini, in quo hospitatus est, ac etiam nos omnes.

Feria secunda octava Augusti Legatus venit ad Fanum, ubi processionaliter receptus est, multis pueris ramos olivarum manibus gestantibus, postea venit sub baldachino ad Ecclesiam Cathedralem, dedit indulgentias solitas, deinde venit ad palatium Gubernatoris, qui obviam venit Legato per tria milliaria.

Eodem die Legatus venit Pisaurum, ubi receptus est à Vicario Episcopi sub baldachino, & venit ad palatium Domini Pisauriensis, ubi hospitatus est, & nos omnes cum eo.

Feria tertia nona Augusti Legatus venit Ariminium, & venit obviam Legato Dominus Pandulphus Malatesta Dominus Ariminensis per duo milliaria, à quo hospitatus est.

Feria quarta decima Augusti venit Cesenam, ubi venit obviam Gubernator & Castellanus Cesenæ, & hospitatus est à communitate.

Feria quarta undecima Augusti Legatus ivit ad Faventiam; circa Forum Livii venit ei obviam per duo milliaria Magnificus Dominus Octavianus Pirarius Forolivii & Imolæ Dominus, qui eum associavit per civitatem Foroliviensem, & ultra per unum milliare, venit deinde Legatus Faventiam, receptus à Magnifico Domino Hectore Manfredo Faventiæ Domino: venit obviam etiam Orator Domini Venetorum, & prædictus Hector me ordinante obtulit claves ipsius civitatis portæ. Portarunt bal-

dachinum Priores civitatis, & fuit expenſatus à dicto Domino Hectore in ejus palatio.

Sabbato duodecima Auguſti Legatus equitavit Bononiam, venit ei obviam Protonotarius della Lega, Illuſtris Dominus Antonius Galianus de Bentivoliis per duo milliaria usque ad flumen Folii, & duo Oratores Dominii Venetorum, & Ducis Mediolani, receptus eſt intra portam ab Epiſcopo Amelienſi locum tenente Cardinalis Aſcanii Legati Bononienſis, & Aexio Veſo Confaloniero Bononienſi, ſed Legatus propter Baldachinum non portatum multum indignatus eſt, & propterea in Altari nihil obtulit: deinde aſſociatus fuit ad palatium Legati Bononienſis, ubi eſt hoſpitatus.

Feria tertia decima ſexta Auguſti Legatus ivit Mutinam, ubi venit ſibi obviam Reverendiſſimus Dominus Cardinalis Strigonienſis Ducis Ferrariæ filius per unum milliare extra, ubi ſe oſculati ſunt ad invicem, ſub porta receptus eſt proceſſionaliter, Cardinalis Strigonienſis aſſociavit Legatum usque ad palatium, ubi hoſpitatus fuit cum pulcherrima credentia ejusdem Cardinalis, omnia ad expenſas Ducis Ferrariæ.

Feria quarta decima ſeptima Auguſti Legatus receſſit Regium iturus, ubi ſub porta proceſſionaliter receptus ſub baldachino, & antequam appropinquaret Eccleſiæ, baldachinum de portantium manibus vi arreptum eſt, & illud in minutas petias lacerantes & rapientes, pro quo Legatus ex animo motus eſt, & commiſit locumtenenti Ducis debite eos puniri. Hoſpitatus eſt in Curia Epiſcopali. Expenſas fecit Illuſtriſſimus Dominus Dux Ferrariæ.

Feria quinta decima octava Auguſti Legatus venit ad Parmam, ubi venerunt obviam Commiſſarius, Referendarius, Poteſtas civitatis Ducalis Parmenſis per plura milliaria, ſub porta receptus eſt ſub baldachino, quod portarunt Rectores civitatis. Hoſpitatus eſt in Palatio Epiſcopali expenſis Reverendiſſimi Domini Cardinalis Parmenſis. Venit ei obviam Epiſcopus Scudenſis nomine Ducis Mediolani extra Parmam per duo milliaria.

Feria ſexta decima nona Auguſti Legatus pervenit ad Burgum Sancti Domnini, venit ei obviam Poteſtas dicti oppidi ad duo milliaria, hoſpitatus eſt in hoſpitio Angeli.

Sabbato vigeſima Auguſti Legatus venit Placentiam, ubi venerunt ſibi obviam per aliquot milliaria Epiſcopus Placentinus & alii Officiales. Hoſpitatus eſt in palatio Epiſcopali.

Feria ſecunda vigeſima ſecunda Auguſti Legatus venit Leodium, Commiſſarius & alii Officiales Ducis Mediolani venerunt obviam Legato extra civitatem per duo milliaria. Et hoſpitatus eſt in palatio Epiſcopali.

Feria tertia vigeſima tertia Auguſti ex commiſſione Domini Legati perveni Mediolanum, introitum Legati ibidem ordinaturus. Illuſtris Dominus Dux Mediolani adventu meo intellecto deputavit quatuor Conſiliarios, qui modum & ordinem receptionis Legati à me intelligerent, & ſibi referrent. Retuli illis ſingula, quæ Duci retulerunt cum additione tamen, quod ipſis nequaquam videretur, Ducem in receptione Legati ex equo deſcendere debere: quod ego intelligens petii à Domino Duce me audiri, cui dixi ordinationem receptionis Legati per Excellentiam Suam factam in omnibus mihi placere, uno dempto, videlicet in eo, quod Conſiliariis videretur, Legato deſcendendum non eſſe, & ut in hoc eorum errorem oſtenderem, recitavi, Federicum Tertium Imperatorem Romanorum obviam veniſſe Cardinalibus Niceno, Senenſi & Sancti Mauri ad eum venientibus, & ex equo ad ſingulos deſcendiſſe, & veneranter pro honore Sedis Apoſtolicæ ipſos ſuſcepiſſe. Item bonæ memoriæ Galeatius Quintus Dux Mediolani Anno 1494. venit obviam Cardinali Sancti Sixti Legato Mediolanum miſſo, venit ei obviam, non tamen adverti, an ex equo deſcenderit, ſed idem Galeatius Dux, cum Cardinalis Nicænus Legatus ad Franciam Mediolanum pertranſiret, venit ſibi obviam per plura milliaria extra Urbem, & Legato viſo deſcendit ex equo, & per plures paſſus pedeſter incedens eum accepit humiliter & reverenter. Hæc retuli non ſibi tanquam legem daturus, ſed ut rectius poſſet judicare. Reſpondit mihi Dux: *Habbiamo mandato il Protonotario de Nigris al Reverendiſſimo Legato per intendere quello, che s' ha da fare per honorare detto Legato, crediamo non habbiate mai vedduto Duca di Milano, il quale habbia fatto quello, che habbiamo fatto noi, & per queſto poſtremo perſuadetevi, che anco in queſto ſapremo che fare, non habbiamo biſogno di Maſtri di Ceremonie, andatevi con Dio.* Interfuerunt huic reſponſioni Duciſſa Mediolani, Secretarius & forſan alii ſexaginta, & cognoſcens Ducis coleram absque aliqua replicatione receſſi.

Feria quarta vigeſima quarta Auguſti miſſi fuerunt obviam Legato per Ducem Mediolani usque ad Marignanum omnes Epiſcopi & Protonotarii Mediolani, & duo Generales Heremitarum Ordinis Camaldulenſis. Ego ad quatuor milliaria Legato occurri relaturus, quæ mihi acciderunt cum Duce Mediolani, quibus intellectis ſtatuit ipſe aſtute agere, ſi forte Dux ad debitum non reduceretur, cui ire fecit Dominum Protonotarium de Nigris ei dixiſſe, Excellentiam Suam ex equo velle deſcendere; & rogare, quod id nullo modo ageret. Sed nec hoc medio Dux mutavit ſententiam. Reſpondit enim per eundem Protonotarium; poſtquam Dominatio Sua nollet ipſum deſcendere, quod tunc poſſet ſibi Reverendiſſima Dominatio Sua ſigno vel nutu aut verbo prohibere. Venit igitur Dux cum magna comitiva prædicto Legato obviam ad medium milliare vel circa una cum Oratoribus Regis Neapolitani & Dominii Venetorum, qui coram Legato ad decem paſſus vel circa deſcendere cœperunt ex equis ambo ipſum reverenter recepturi, ſed Legatus manum porrigere recuſavit, ſed ad oris oſculum eos recepit. Finxit interim Dux ex equo deſcendere, & ſe in ſtaffis elevavit Legatum conſpiciens, ut deſcenſum prohiberet, ſed laboravit

Digitized by Google

vit in vanum, Legato nullatenus signo vel nutu respondente sibi. Accessit Dux igitur equester capite detecto, prout fecit Legatus, manum sibi porrigens, & ad oris osculum ipsum recipiens, & manus osculum sibi negans. Dux ad sinistram Legati equitavit, licet id diu recusaret, & Oratores equitabant ante Crucem Legati. In secunda Porta, quæ est Civitatis, expectavit Processio, quam Dux specialiter adaperiri mandavit. Legatus descendit ex mula, & genuflexus osculatus est Crucem ex manibus cujusdam Episcopi, & intravit Civitatem sub baldachino, quod Doctores portarunt numero circa octoginta. Dux nullo modo voluit equitare ad latus ejus, sed ante Crucem solus equitavit, & ante ipsum Oratores prædicti. Post Legatum equitarunt Episcopi & Protonotarii. Pervento ad Ecclesiam Legatus & Dux descenderunt: & in introitu Archipresbyter illius obtulit aliam Crucem Legato osculandam, & accepto aspersorio Ducem primum, deinde se ipsum, postea alios aspersit, & solum Legatus est incensatus. Processerunt ad Altare majus, ubi genuflexerunt, Dux ad sinistram Legati, qui dedit benedictionem, & indulgentias, quibus peractis, cum supra dicto ordine venerunt ad Castrum, ubi Dux hospitio Legatum recepit. Dux donavit baldachinum Paraphreneriis. Pervento ad Castrum Ducissa Mediolani, quæ ibidem expectavit Legatum, exivit primam Cameram, & Legatum suscepit, & ipsum ad suas Cameras associavit. In Castro paucissimi ex suis hospitari potuerunt, vix quatuor aut sex, ac prima nocte tantum fecit expensas familiæ Legati adeo paucissimas, ut omnes conquererentur, & plures absque cœna accubuissent.

Dominica vigesima octava Augusti receptis literis Secretarii Regis Romanorum, qui venerant ad prædicti Regis Majestatem, qui venerat cum quinquaginta ex suis in Castrum Cremæ à Mediolano ad sexdecim milliaria, retuli Reverendissimo Domino Legato, qui jussit me adire dictam Majestatem, sed quod sine scitu Ducis Mediolani non recederem. Venimus illo sero ad Cremam circa ad duas horas noctis, & in mane ad Cremam reperimus Regem, ubi me audivit, & rationes opportunas adduxi de differentia inter Imperatorem coronatum & Regem Romanorum nondum coronatum, quia primus locus, scilicet dextera conveniet Legato, sed de suasu & consilio nonnullorum decretum est, Regi dexteram deberi & primum locum, cum habeat Imperii plenam administrationem.

Modus coronandi Imperatorem corona ferrea. Rex sive Imperator se transferat Mediolanum, ad Ecclesiam Divi Ambrosii extra dictam Ecclesiam in loco, ubi est columna marmorea, & ibi esse debet missalis in manibus unius ex Comitibus de Inglesio ex antiquioribus, & ibi dictus Comes accipiat juramentum super Evangelia ab ipso Imperatore, quod erit devotus & fidelis Christianus, & pro posse suo conservabit et augebit fidem Christianam & Sanctam Ecclesiam. Præterito juramento prædictus Imperator amplectitur ambobus brachiis prædictam columnam marmoream erectam in signum totius Italiæ, & sicut illa columna est recta, ita justitia sit recta in ipso Imperatore.

Postea dictus Comes accipiat in manibus unam Crucem, supra quam sit imago Domini Nostri Jesu Christi, & ante ipsam Crucem flexis genibus osculatur pedes Crucifixi. Hoc facto prædictus Comes cum Cruce in manibus antecedat Imperatorem, & ipsum ducit in Ecclesia Divi Ambrosii usque ad locum, ubi est imago Herculis, ubi Comes ponit dictam Crucem, quam Imperator flectens genua osculatur. His peractis denuo dictus Comes accipit Crucem, & præcedit Imperatorem & eum introducit in chorum, & ducit ad Altare majus, & ibi flectit genua, & sic stans ipse Comes levat ipsi Imperatori de capite Coronam, & eam deponit super Altare Divi Ambrosii, ubi est paratus Dominus Archiepiscopus Mediolanensis, qui facit officium ipsi Imperatori, ut moris est. Et in fine prædictus Comes imponat Imperatori Coronam, quæ corona ferrea est, quæ Mediolani servatur.

His expeditis duo Nobiles Parentelæ de Contis induti cottis albis super vestimentis eorum accipiunt in eorum brachiis Imperatorem, & eum portant super Cathedram Divi Ambrosii, & ibi sedebit, & confirmat privilegia ipsis Comitibus de Inglesio in omnibus, & per omnia, prout jacent, & de omnibus fit publicum instrumentum. Nota, quod dictus Imperator non debet morari in Civitate Mediolani, nisi per tres dies, nisi in casu infirmitatis vel alterius impedimenti.

Feria tertia trigesima Augusti Legatus & Dux commiserunt mihi, ut irem ad Cremam ad Regem Romanorum nunciando Suæ Majestati, Legatum & Ducem Mutinam venturos, eodem die dantes mihi schedulam ordinationis receptionis Suæ Majestatis, ut ipsi ostenderem, quia mandatis suis parati essent obedire.

Feria quarta ultima Augusti iturus ad Cremam cum Ducali Thesaurario de mandato Ducis ad Regem Romanorum, venimus illuc ante prandium, & à Rege auditi non fuimus, sed jussit sibi mittere informationem nostram, dedit responsum, Majestatem Suam ituram circa horam vigesimam, ubi exspectare deberent Legatus & Dux sub Frascata ordinata, & nequaquam sibi obviam venire, quamprimum Rex videret Legatum, descensurus esset ex equo, & Legatum digne recepturus, Regem velle habere dexteram, & primum locum sibi debitum, quodque Majestas Sua non uteretur ante se portatura ensis, propterea de illius loco non esse disputandum. Voluntate hujusmodi Regis habita reversus sum ad Legatum & Ducem, quos comperimus sub frascata ultra Medam Regem expectantes. Venit etiam Ducissa Mediolani. Circa horam vigesimam venit Rex Maximilianus cum equitibus circa C C. & usque ad introitum frascatæ venerunt obiam Legatus, Dux & Ducissa: Rex viso Legato descendit ex equo, & Legatum complexus. Intrarunt simul omnes Legatus, Dux & Ducissa ascenderunt Thalamum,

Digitized by Google

mum, Legatus præsentavit Regi Breve Apostolicum, quod Rex recipiens dedit Secretario suo aperiendum & legendum, qui ipsum publice legit. Legatus eo lecto benedixit Regem, & deinde mansit ibi usque ad horam vigesimam quartam, circa quam horam Rex ascendit equum, & rediit Cremam.

Dominica quarta Septembris Legatus Dux & Ducissa equitarunt Vigevanum, quo Rex Romanorum prius venerat, & manserunt ibi simul multis diebus. Venerunt illuc Oratores Ducis Sabaudiæ, & Januensis cum magna comitiva ad prædictum Maximilianum Regem Romanorum.

Die Martis vigesima sexta Septembris Rex præfatus venit Januam, ubi honorifice receptus est trecentis peditibus in circa ipsum præcedentibus, & ducentis equitibus ipsum sequentibus. A porta venit sub baldachino, quod Cives portabant usque ad Ecclesiam Sancti Laurentii loci Metropolitani, quod fuit consignatum Capitulo Januensi. Hospitatus fuit in palatio Spinulæ.

Die Mercurii vigesima octava Septembris Dux venit Januam, & hospitatus est in hospitio Reverendissimi Domini Cardinalis Sancti Petri ad Vincula.

Die lunæ tertia mensis Octobris venit in Villa Campi Illustris Albertus Saxoniæ Dux cum sexcentis equitibus vel circa, & cum Rege prædicto Januam equitavit. Ubi in Sacristia Ecclesiæ Metropolitanæ Regi & Duci & omnibus ibidem existentibus ostentus fuit catinus Christi, in quo fecit ultimam cœnam cum discipulis suis, qui inæstimabilis valoris esse dicitur. Est enim lapis smaragdi. Vidimus etiam superioribus diebus Montiæ in principaliori Ecclesia Collegiata pretiosa ornamenta & jocalia, inter alia gallinam unam auream quantitatis communis gallinæ septem pullos aureos circum circa se habentem. Item unum Zaphyrum in medio concavum in modum hostiariæ longitudinis quatuor digitorum miræ pulchritudinis, quæ fuerunt eidem Ecclesiæ per quandam Reginam ibidem sepultam donata.

Die Mercurii vigesima octava Septembris petii benedictionem à Legato rediturus Romam, & honestis verbis pecuniam pro expensis mihi & familiæ usque ad Urbem faciendis. Respondit Legatus, se pecuniis minus munitum comperisse, nec mihi commode posse modo subvenire. Cui ego replicavi, non satis esse mihi ipsi fecisse in magna parte ex Urbe expensas exponendo circiter quinquaginta duos ducatos, & oportere adhuc meis expensis Romam redire. Respondit Legatus me mentiri, meliores mihi fecisse expensas quam in domo propria mea mihi fecissem. Interrogavi, quas expensas mihi de Ortona fecisset, alia multa loca & alios casus sub silentio transmittens. Commotus Legatus addidit, me voluisse in taberna hospitari, & si hæc coram eo sibi dicerem, quid in ejus absentia essem facturus. Recessi igitur diversis adversitatibus per viam habitis, & veni Romam, ubi interim reperi, acta esse, quæ inferius annotabo.

Dominica ultima mensis Julii Papa equitavit ad Ecclesiam Beatæ Mariæ de Populo, ubi post celebrationem Missæ de Spiritu Sancto, Rex Angliæ inivit Ligam cum Papa, Romanorum & Hispaniarum Rege, & cum Ducibus Venetorum & Mediolani.

Feria quarta decima Augusti Illustrissimus Dominus Joannes Borgia de Aragonia Dux Gandiæ Sanctissimi Domini Nostri Papæ filius intravit Urbem ex Civitate veteri veniens, cui venerunt obviam familæ omnium Cardinalium. Dominus Cardinalis Valentinus, frater germanus dicti Ducis, expectavit illum extra portam Portuensem, quem associavit usque ad palatium Apostolicum. Prædictus Cardinalis erat à dextris, & Dux à sinistris.

Feria sexta, septima Octobris obiit Serenissimus Dominus Ferdinandus Siciliæ Rex, in cujus Regnum successit Dominus Federicus de Aragonia, Princeps Altemuræ, Dux Andriæ, Regni prædicti Admirardus, & dicti defuncti germanus frater.

Dominica vigesima tertia Octobris venit ad Urbem Illustrissimus Dominus Guido, Dux Urbini, locumtenens Sanctissimi Domini Nostri, cui venerunt obviam familiæ omnium Cardinalium, & Sanctissimi Domini Nostri, à quibus fuit associatus usque ad Palatium *Apostolicum* hospitium suum.

Feria quinta vigesima sexta Octobris in secreto Consistorio Reverendissimus Dominus Cardinalis de Lunate publicatus fuit Legatus de latere ad assistendum expugnationi Castrorum & Terrarum Dominorum Gentilis Virginii Ursini de Aragonia, Pauli Ursini &c. Finito Consistorio Papa benedixit tria vexilla cum armis Ecclesiæ. Tunc accessit Dux Gandiæ, & genuflexus præstitit juramentum per Capitaneos Sanctæ Romanæ Ecclesiæ præstari solitum in forma.

Feria quarta vigesima septima Octobris Reverendissimus Dominus Cardinalis de Lunate Legatus, Dux Gandiæ cum Duce Urbini iverunt ad Angillariam, & alia Domini Gentilis Virginii Ursini omnia successive debellarunt & acquisiverunt Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, scilicet decem Castra, Anguillariam, Galeram, Bassasium, & alia loca, Scutrum, Campagnanum, Fermellum, Scrofanum, Cæsenam, Vianum, Bredam & Trivignanum, quem solum combusserunt.

Heri gentes Ursinorum combusserunt omnes tabernas, Brachiani & Vivarelli, ne gentes Ecclesiæ possent ibi hospitari, & ex tunc strata Romana violata est, ita ut non licuerit ulli amplius per eam secure pertransire.

Feria sexta undecima Novembris post horam Vesperorum obiit Vice-Rex Neapolitanus.

Sabbato decima nona Novembris facta est conventio de Castro Caëtano inter Regem Neapolitanum & Gallos in arce Caëtana, & castro prædicto de assignando Castrum & arcem hujusmodi ipsi Regi libere & expedite, nisi infra quin-

d by Google

quindecim dies sequentes veniret ipsis Gallis sufficiens subsidium à Rege Franciæ, quo possent se contra Regem Federicum opportune tueri. Et dati sunt obsides, qui lapsis diebus hujusmodi consignatis castro & civitate prædictis Regi Federico fuerunt liberati, & datus liber Recessus Gallis cum bonis & rebus suis, qui erant circa CCCXX. qui omnes apud Terracinam ruptis ex fortuna maris lignis sunt submersi.

Feria secunda decima nona Decembris Reverendissimi Domini Cardinales equitarunt ad Monasterium Beatæ Mariæ Novæ ad recipiendum Cardinalem Capuanum, Legatum redeuntem ex Regno Neapolitano, qui in pede scalarum venit eis obviam. Capuanus equitavit in ultimo loco medius inter Reverendissimos Dominos Senensem & Ascanium Diaconos Cardinales usque ultra Pontem Sancti Angeli, & pervento ad palatium fuit ei datum publicum Consistorium. Interfuerunt præmissis novemdecim Cardinales.

Cardinalium omnium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ tam in Urbe quam absentium nomina fuerunt, numero quadraginta duo.

Oliverius Episcopus Sabinensis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Neapolitanus.

Julianus Episcopus Ostiensis Major Pœnitentiarius Cardinalis Sancti Petri ad Vincula.

Baptista Episcopus Tusculanus Cardinalis Sanctæ Mariæ in porticu.

Joannes Michael Angelus Episcopus Portuensis Cardinalis Sancti Angeli.

Georgius Episcopus Albanensis Cardinalis Ulixbonensis.

Hieronymus Episcopus Prænestinus Cardinalis Racanatensis.

Joannes Ludovicus Milanus tituli Sanctorum quatuor Coronatorum Presbyter Cardinalis Illuidensis.

Dominicus Tituli Sancti Clementis Presbyter Cardinalis Taurinensis.

Paulus Tituli Sancti Sixti Presbyter Cardinalis Genuensis.

Joannes Jacobus Tituli Sancti Stephani in Monte Cœlio Presbyter Cardinalis.

Andreas Tituli Sancti Martini in montibus Presbyter Cardinalis Burdugalensis.

Laurentius Tituli Sanctæ Cœciliæ Cardinalis Beneventanus.

Antonius Tituli Sanctæ Praxedis Cardinalis.

Joannes Tituli Sanctæ Susannæ Cardinalis Montis Regalis.

Baptista Tituli Sanctorum Joannis & Pauli Cardinalis de Ursinis.

Joannes Tituli Sanctæ Anastasiæ Cardinalis Cantuariensis absens.

Federicus Tituli Sancti Lucæ in septifolio Cardinalis Gemensis & Cracoviensis.

Joannes Tituli Sanctæ Sabinæ Cardinalis Sancti Dionysii.

Joannes Antonius Tituli Sanctorum Nerei & Archilei Cardinalis Alexandrinus.

Bernardinus Tituli Sanctæ Crucis in Hierusalem Cardinalis Seguntinus.

Raimundus Tituli Sancti Vitalis Cardinalis Gurcensis.

Guilelmus Tituli Sanctæ Pudentianæ Cardinalis Maclaviensis.

Philippus Tituli Sanctorum Marcellini & Petri Cardinalis Cenomanensis absens.

Bartholomæus Tituli Sanctæ Agathæ Cardinalis Segobriensis.

Joannes Tituli Sanctæ Prinæ Candinalis Agrigentinus.

Joannes Tituli Sanctæ Mariæ in Transtiberim, Cardinalis Capuanus, alias Perusinus.

Franciscus Tituli Eustachii Cardinalis Senensis.

Raphael Tituli Sancti Georgii ad Velum aureum Diaconus Cardinalis Camerinus.

Joannes Baptista Tituli Sancti Nicolai in Carcere Tulliano Cardinalis de Sabellis.

Joannes Tituli Sanctæ Mariæ in Acquiero Diaconus Cardinalis Columna.

Ascanius Maria Sancti Viti in Macello Martyrum Cardinalis Sfortia Vice Comes Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cancellarius.

Petrus Sancti Adriani Cardinalis Magnus Magister Rhodiæ.

Joannes Sanctæ Mariæ in Dominica Cardinalis de Medices.

Federicus Sancti Theodori Cardinalis Sancti Severini.

Hippolytus Sanctæ Luciæ in silice Cardinalis Hostiensis.

Cæsar Sanctæ Mariæ Novæ Cardinalis Valentinus permutavit.

Julianus Sanctorum Sergi & Bacchi Cardinalis de Cæsarinis.

Dominicus Sancti Nicolai inter imagines Cardinalis Griminus.

Alexander Sanctorum Cosmi & Damiani Cardinalis de Farnesio.

Bernardini Sancti Cyriaci Cardinalis de Lunate.

Aloysius Sanctæ Mariæ in Cosmediensi Cardinalis de Bigia.

Auditores Rotæ.

Hieronymus Porcarius Romanus Episcopus Andicensis.

Guilelmus de Poreriis Gallus.

Franciscus Brevius Paduanus.

Ægidius Burcap Alemannus Saxo Episcopus Leucìensis.

Felinus Sandæus Ferrariensis Episcopus Pennensis & Adrianus.

Petrus Anoltus Aretinus.

Dominicus Jacobatius Romanus.

Antonius Flores electus Castelli maris.

Matthæus de Ubaldus Perusinus.

Achilles de Grassis Bononiensis.

Antonius de Monte.

Jacobus Dragatius Dalmata.

Clerici Cameræ.

Andreas de Spiritibus Viterbiensis Protonotarius.

Sinulphus de Castro Otterio.

Octavianus de Furnariis Episcopus Manamensis.

Andreas

Digitized by Google

Andreas Caſtellanus de Corneto.
Dominicus de Capranica.
Ventura Buffalmus.
Petrus de Vincentia Epiſcopus Cæſenatenſis, cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Auditor.

Clerici Sacri Collegii Cardinalium.

Henricus Bruinus Epiſcopus Mortanus & Civitatis Caſtelli.
Accurſius de Petra.

Protonotarii participantes.

Ludovicus de Agnellis Mantuanus.
Cattalanus Caſalius.
Aratinus Anconitanus Græcus.
Andreas de Spiritibus Viterbienſis.
Nicolaus Cipomanus Venetus.
Baptiſta Bagarolus Genuenſis.

Pœnitentiarii Sanctiſſimi Domini Noſtri.

Nicolaus de lathomitis Decanus Collegii Pœnitentiariorum pro natione Polonica.
Franciſcus Barchelai Decanus Juronenſis pro natione Gallica.
Joannes de Miclo Canonicus Leodienſis pro Allemanica natione inferiori.
Franciſcus de Nurcia pro natione Hiſpanica.
Ricciardus Trapart pro natione Anglicana.
Frater Claudius Catelmi Ordinis Prædicatorum pro Italica.
Andreas Fisner Canonicus Halberſtatenſis pro natione Allemaniæ ſuperioris.
Frater Joannes de Malcone Ordinis Minorum pro natione Hiſpanica.
Frater Michael Ordinis Sancti Pauli primi Heremitæ pro natione Ungarica.
Frater Joannes de Prato Ordinis Minorum pro natione Italica privatus.
Joannes Paulus de Boſſis Mediolanenſis Abbas Monaſterii Sancti Sebaſtiani Ordinis Ciſtertienſium extra muros Urbis Sacriſta Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ.

Clerici ceremoniarum ejuſdem Capellæ.

Ego Johannes Burcardus Agrigentinus.
Bernardus Gattieri.
Raphael de Mena Diaconus dictæ Capellæ.
Onophrius Nicolaus Subdiaconus ejuſdem Capellæ.

Anno Salutis MCCCCXCVII, ſedente Alexandro Papa Sexto, anno ejus quinto.

Liber Tertius notarum, per me Joannem Burcardum Clericum ceremoniarum Sanctiſſimi Domini Noſtri, factarum de rebus meo tempore geſtis.

Die Lunæ nona Januarii gentes Eccleſiæ invaſerunt Caſtrum Brachiani per muros cum ſcalis, & fuerunt ex eis multi interempti, multi vulnerati, & nihil profecerunt.

Feria ſecunda Januarii circa horam ſecundam noctis Illuſtriſſima Duciſſa Mediolani, filia Illuſtriſſimi Herculis Ducis Ferrariæ peperit quoddam monſtrum, ex quo partu ipſa Duciſſa circa ſextam horam ejuſdem noctis vita functa eſt.

Dominica decima quinta Januarii gentes Eccleſiæ iterum invaſerunt Caſtrum Brachiani abſque profectu cum magno damno, interfecti enim ſunt ex equitibus circa quadraginta, & totidem vulnerati.

Nunciatum eſt his diebus in Urbe Gallos in magno numero de ultra montes veniſſe, & decima tertia hujus menſis civitatem Caſalenſem ditioni ſuæ ſubjeciſſe, ac vigeſima octava ejuſdem Gentilem Virginium in civitate Neapolitana diem clauſiſſe extremum.

Feria ſecunda vigeſima tertia Januarii habitus eſt conflictus inter gentes Papæ & Urſinorum ac Vittelenſium prope Baſſanum & Caſtrum Surianum & ſuccubuerunt gentes Eccleſiæ cum magno dedecore & jactura. Dux Urbinas captus eſt, mortui ſunt circa ducenti, multi vulnerati, omnes machinæ per Urſinos captæ, & gentes noſtræ omnino diſperſæ.

Dominica quinta Februarii fuit concluſa pax coram Sanctiſſimo Domino Noſtro inter eundem Papam & Urſinos, pro quibus Reverendiſſimi Domini Neapolitanus & Sancti Severini Cardinales media dederunt, & die ſeptima hujus idem Cardinalis Sanſeverinus equitavit ad Urſinos, & eis concluſa retulit, ab eis de ſervando concluſa remiſſionem recepit. Capitula concordiæ inter alia continebant, Urſinos debere Pontifici quinquaginta millia Ducatorum perſolvere.

Feria ſexta decima ſeptima Februarii intravit Urbem per Portam de populo Illuſtris Dominus Henricus (Ericus) Brunſvicenſis filius junior Ducis Alberti. Hoſpitatus eſt cum circiter equis viginti in domo Teutonicorum per tres vel quatuor dies.

Dominica ſecunda quadrageſimæ intravit in Urbem Magnificus Dominus Gundiſalvus Capitaneus gentium Regis Hiſpaniarum in Regno Siciliæ, aſſociatus à familia Papæ & Cardinalium equitavit medius inter Ducem Gandiæ filium Papæ & Joannem Sfortiam Dominum Piſauri ad Palatium, ubi cum Pontifice manſit per plures horas noctis.

Nunciatum eſt his diebus in Urbe, Gallos apud Civitatem Caſalenſem ſuccubuiſſe, & à gentibus Ducis Mediolani ſuperatos eſſe.

Feria quarta decima quinta Martii Magnificus Gundiſalvus Ferdinandi Capitaneus armorum Regis Hiſpaniarum in Sicilia & Gubernator Urbis exiverunt ad Oſtiam Tiberinam, & die vigeſima quarta fixit ibi Caſtra & machinis & bombardis eam invadere incepit, ac eam expugnavit & cœpit Mainaldum de guerra præfatum Caſtri Oſtiæ, quem Rex Franciæ, cum Superioribus annis in Urbe eſſet, eidem Caſtro præfecerat. Mainaldus prædictus ductus eſt ad Papam, ubi genuflexus ſupplex veniam pro commiſſis exceſſibus in Papam & Romanam Curiam poſtulavit, aſſerens, ſe deliquiſſe, ſed non tantum, quantum forte Suæ Sanctitati relatum eſſet. Papa noluit ei reſpondere, ſed ſermonem ad Dominum Gundiſalvum Capitaneum prædictum prope ſe ſtantem dixit, quod licet multorum malorum perpetrator in hanc ſanctam ſedem & Nos & Romanam Curiam graviter deliquerit, tamen quia Nobilitas Veſtra eum ſub ſua protectione ſuſceperit, nolumus in eum majus apponere, ſed ipſum Nobilitati Veſtræ reliquimus, quæ cum eo agat, ut placet.

Feria

Feria quinta decima sexta Martii Sanctissimus Dominus Noster equitavit ad Ostiam, & cum eo Reverendissimi Domini Cardinales, Perusinus, Valentinus & Borgia.

Vigesima octava ejusdem constituit ibidem Castellanum arcis Ostiensis Dominicum Antonium Suæ Sanctitatis Cubicularium, qui Suæ Sanctitati personaliter fidelitatis solitum juramentum præstitit inter alia continens, quod non velit neque debeat arcem prædictam nisi Sanctitati Suæ vel ejus Successori non Sacro Collegio consignare. Et eadem die Sua Sanctitas ad Urbem reversa est.

Dominica palmarum fuit benedictio palmarum, quæ fuerunt datæ Cardinalibus & Oratoribus, Duci Valentino, Gandiæ & Domino Pisauri, tantum propter penuriam earum. Interfuit etiam Dominus Gundisalvus Capitaneus, & noluit habere locum in gradibus solii Papæ, sed sedit in bancho Oratorum Laicorum post Oratorem Regis Hispaniarum, & noluit recipere palmam, & hoc propter Gandiæ filium Papæ. Nolebat enim prædictus Gundisalvus, quod dictus Dux ipsum præcederet.

Feria secunda vigesima secunda Maji fuit Consistorium secretum, in quo Reverendissimus Dominus Cardinalis Borgia fuit creatus & pronunciatus Legatus ad Comitatum & Civitatem Perusiæ.

Feria quarta septima Junii in secreto Consistorio Sanctissimus Dominus Noster erexit Civitatem Beneventanam in Ducatum, & de consensu omnium Cardinalium, qui interfuerunt, nullo se opponente, feudavit Illustrissimum Dominum Joannem Borgiam de Aragonia Ducem Gandiæ, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Capitaneum Generalem, filium suum, & omnes suos ex lumbis ejus descendentes masculos legitimos in perpetuum de dicto Ducatu Beneventano, & civitate Terracinensi & Ponte curvo, ac eorum Comitatibus ac terris, solo Reverendissimo Domino Cardinali Senensi viriliter Investituræ hujusmodi, ne fieret, oppugnante, & ex legitimis rationibus approbante, qui tamen solus resistere, ac factum ipsum impedire non potuit. Interfuerunt autem viginti septem Cardinales.

Feria sexta nona Junii fuit Consistorium secretum, in quo Sanctissimus Dominus Noster creavit Legatum de Latere Dominum Cardinalem Valentinum ad inungendum & coronandum Serenissimum Dominum Federicum de Aragonia Siciliæ &c. Regem.

Feria quarta decima quarta Julii Dominus Cardinalis Valentinus, & Illustris Dominus Joannes Borgia Dux Gandiæ filius Papæ fecerunt cœnam in vinea Dominæ Vannosiæ Matris eorum, posita prope Ecclesiam Sancti Petri ad Vincula. Cum ipsa matre & aliis cœna facta dictus Cardinalis & Dux ascenderunt mulas, & equitarunt versus Palatium Apostolicum. Sed Dux pervento non longe à Palatio Domini Ascanii Vice-Cancellarii, asserens, priusquam ad Palatium rediret, alibi solatii causa ire velle, capta à prædicto Cardinali ejus fratre licentia retrocessit uno tantum stafferio associatus, & à quodam, qui facie velata ad cœnam, & ad eum venerat, & per mensem singulis diebus eum in Palatio visitaverat, quem in mula, quam Dux equitabat, retro se recepit usque ad plateam Judæorum, ubi etiam dictum Stafferium licentiavit, committens illi, ut per horam in dicta platea ipsum expectaret, infra quam si non reverteretur, ad Palatium rediret. Et his dictis cum dicto larvato in groppa recessit, & nescio quo equitavit, ubi interfectus in flumen est projectus prope Hospitale Sancti Hieronymi Sclavonorum, Stafferius autem prædictus in platea Judæorum graviter vulneratus usque ad mortem, & in quadam domo misericorditer receptus est, unde non potuit de Domini sui successu significare. Mane facto die decima quinta Junii Duce prædicto ad Palatium non redeunte, servitores sui secretiores indicarunt Pontifici, qui perturbatus, ipsum Ducem tamen alicubi cum puella intendere luxui sibi persuadens sperabat, in sero illius diei omnino rediturum. Quo deficiente Papa omnino contristatus, ac totis visceribus commotus incepit causam perquirere. Et quidam Georgius Sclavus, qui ligna habebat in Tiberis littore in loco supra designato, & illa custodiebat, interrogatus, siquem vidisset in nocte Mercurii in flumen projici, fertur tale dedisse responsum, nocte illa ipso ligna sua custodiente vidisse duos pedites venientes per viculum sinistræ dicti Hospitalis Sclavorum circa horam quintam noctis supra viam fluminis, & hinc inde, siquis illos videret, circumspecto nemine viso retrocessisse, deinde modico temporis intervallo duos alios eundem viculum exisse, & idem fecisse, & nemine viso dato sociis signo unum equestrem venisse in equo albo, retro se habentem cadaver hominis, cujus caput & brachia ab una, & pedes ab alia parte equi pendebant, hinc inde, cadaver ne de equo caderet, sustinentem accessisse supra locum superius specificatum, per quem fimus ad flumen projicitur, & ipsum cadaver cum omni vi in flumen projecisse. Interrogarunt, cur hoc non revelasset Gubernatori Urbis? Respondit, suis diebus se vidisse centum in diversis noctibus in flumen projici, per dictum locum, & nunquam aliqua eorum cura est habita. Quibus intellectis vocati sunt piscatores numero trecenti, qui omnes per fluminis littus hominem piscarunt, & circa horam vesperorum Ducem habitu suo, videlicet calceis, caligis, diploide vesticello, mantello vestitum cum ducatis triginta in chirothecis, vulneratum vulneribus novem, quorum unum erat in collo per guttur, alia octo in capite, corpore & cruribus. Compertus Dux naviculæ impositus & ad Castrum Sancti Angeli ductus est, in quo exutus, lotum est ejus cadaver, & pannis militaribus indutum, socio meo Bernardino Gutterii Clerico Ceremoniarum omnia ordinante. Et in illius diei sero portatum est per familiares nobiles suos ad Ecclesiam Beatæ Mariæ de populo, præcedentibus intortitiis circiter CCXX, & omnibus Prælatis Palatii, cubiculariis & scutiferis

feris Papæ ipſum comitantibus cum magno fletu ſine ordine incedentibus. Portabatur cadaver in cattaleto honorifico, & videbatur non mortuus, ſed dormiens. Et in dicta Eccleſia factum eſt illi depoſitum. Pontifex intellecto Ducem interfectum, & in flumen, ut ſtercus, projectum, commotus omnino eſt, & præ dolore & cordis amaritudine incluſit ſe in Camera, & flevit amare. Reverendiſſimus Dominus Cardinalis Segobrienſis cum aliis tot rogatibus, perſuaſionibus & hortationibus Pontificem tandem poſt plures horas commoverunt, qui aperto oſtio eos intromiſit, non comedit neque bibit Pontifex à fero Mercurii 24. hujus usq; in primum ſabbatum ſequentem, neque à mane Jovis uſque ad Dominicam ſequentem, nec punctum quievit. Tandem perſuaſione prædictorum incepit luctui fræna imponere, majus damnum quam perſonæ poſſe venire conſiderans.

Sabbato vigeſima ſexta Auguſti poſt celebrationem Miſſæ pro die anniverſaria Coronationis Papæ anno ſexto acceſſerunt ad Suam Sanctitatem Neapolitanus, Ulixbonenſis, Urſinus & Sancti Severini Cardinales, cum quibus Sua Sanctitas multa verba colerica habuit de caſtro ſive turri Mathæ præteritis diebus per illos de Comitibus Columnenſibus fraudulenter capto. Et hæc locutio duravit ad mediam horam.

Feria quinta decima quarta Septembris circa horam quintam noctis Sanctiſſimus Dominus Noſter vocato Reverendo Patre Domino Bartholomæo Flondo Archiepiſcopo Cuſentino Secretario ſuo, eum capi fecit, & carceribus Sancti Angeli mancipari. Intellexerat enim Sua Sanctitas, prædictum Secretarium multa Brevia fraudulenter præter ſcitum ejuſdem Sanctitatis expediviſſe, inter quæ fuit unum diſpenſationis, per quod quædam Monialis Portugaliæ vera hæres & Regina matrimonium contrahere poſſet, habitu Moniali dimiſſo & votis emiſſis non obſtantibus cum filio naturali & illegitimo Regis, qui ultimo defunctus fuerat.

Item quod quidam in Subdiaconatu conſtitutus poſſet matrimonium contrahere. Item mutationes collationum expectativarum, diſpenſationes ad duo incompatibilia, exemptiones à jurisdictione ordinariorum, & tot alia, quæ ad numerum ſepties mille Brevium aſcendere dicebantur. Item ſuper præmiſſis idem Dominus Noſter commiſit Gubernatori Urbis & Auditori Cameræ contra Archiepiſcopum, & alios inquiſitionem facere, & prout de jure procederet. Fuerunt ſequenti die capti & carcerati nonnulli ſollicitatores Brevium.

Superioribus diebus venit ad Urbem relatio, die Sabbati ultima Septembris proxime præterita proclamatum fuiſſe publice per Civitatem Neapolitanam bellum inter Sereniſſimum Federicum Regem Neapolitanum & Principem Salerni.

Feria ſecunda nona Octobris fuit ſecretum Conſiſtorium, in quo lectus eſt Proceſſus contra Dominum Archiepiſcopum Cuſentinum Sanctiſſimi Domini Noſtri Secretarium habitus, & confeſſio per eum facta.

Deinde die undecima ejuſdem in alio ſecreto Conſiſtorio Sanctiſſimus Dominus Noſter de Conſilio Cardinalium, & in præſentia eorum ac Urbis Gubernatoris ac Auditoris cauſarum Cameræ Apoſtolicæ & aliorum Prælatorum tulit ſententiam contra dictum Archiepiſcopum in Caſtro Sancti Angeli detentum, per quam Archiepiſcopum ſuo & aliis Beneficiis privavit, & ab omni ordine depoſuit & degradavit, & pronunciavit Curiæ Seculari tradendum, committens, ut contra eundem prout de jure ad ulteriora procederetur.

Die Veneris decima tertia dicti menſis in dicto Caſtro Sancti Angeli præfati judices habito prius à dicto Archiepiſcopo Cuſentino reſponſo ad eorum interrogationem, quod aliter, quam defenſus eſſet, ſe defendere non vellet, aut factum ſuum juſtificare per eorum definitivam ſententiam Archiepiſcopatu & omnibus Beneficiis privarunt, ab Ordinibus degradarunt, & Curiæ Seculari tradiderunt, ſeu potius ſententiam Papæ prius latam ipſi inſinuarunt, & ſtatim Bariſello Urbis ibidem præſenti aſſignarunt. Quo facto venit ad aulam caſtri Sancti Angeli Cubicularius ſecretus Sanctiſſimi Domini Noſtri, qui de ſpeciali mandato Papæ mandavit Bariſello; ut dictum Cuſentinum de Caſtro non educeret, ſed in Camera, in qua morari conſueverat, reponeret, prout factum eſt.

Eadem die poſt prandium omnia bona prædicti Cuſentini ex mandato Papæ fuerunt repoſita in foreria Papæ.

Die Mercurii undecima Octobris intravit in Urbe Magnificus Dominus Hieronymus Donatus Patritius Venetus Ducis Venetorum Orator, receptus à familiis Cardinalium & Papæ præter Romanæ Curiæ conſuetudinem, & aſſociatus uſque ad ſuam domum in platea Sancti Marci. Equitavit medius inter duos primos Prælatos Palatii Apoſtolici.

Sabbato decima quarta Octobris Sanctiſſimus Dominus Noſter recepit in Secretarium ſuum ſecretum in locum Cuſentini Reverendum Patrem Dominum Adrianum Caſtellenſem de Corneto Clericum Cameræ.

Feria quarta decima ſeptima Octobris Sanctiſſimus Dominus Noſter equitavit Oſtiam Tiberinam, & cum eo Cardinales Agrigentinus & Valentinus cum equitibus circa C C C C. & peditibus ſexcentis, ubi Sanctitas Sua manſit uſque ad diem ſabbati 21. ejuſdem.

Die decima ſexta dicti menſis Sanctiſſimus Dominus Noſter in ſecreto Conſiſtorio præfecit Eccleſiæ Cuſentinæ per privationem Secretarii ſui, ut ſupra, Reverendum Patrem Dominum Ludovicum de Agnellis, Cameræ Apoſtolicæ Clericum cum retentione Officii Clericatus Cameræ & omnium Beneficiorum.

Feria quinta vigeſima ſexta Octobris obiit bonæ memoriæ Epiſcopus Nicaſtrenſis Caſtri Sancti Angeli Caſtellanus, ex infirmitate Gallica, & die ſequenti Sanctiſſimus Dominus Noſter in ſecreto Conſiſtorio præfecit dictæ Eccle-

ſiæ

Digitized by Google

siæ Reverendum Patrem Dominum Franciscum de Rocca Mora dicti Episcopi Concastellanem.

Eodem die in sero Bartholomæus Floridus olim Archiepiscopus Cusentinus depositus est omni habitu & vestibus suis, & indutus gonella loco diploidis de panno albo grossissimo, duplicata longa ad medium palmum supra genua, uno pari caligarum Albarum de panno grosso, uno pari calceorum coraminis grossissimi, gabbano de panno viridi longo ad terram, & bireto duplo albo, & data sibi in manus imago Crucifixi. Sicque vestitus ductus est ad locum sepulturæ Adriani Somajocho nuncupatum pro perpetuis carceribus sibi deputatum, in quo parata sibi fuit lectica ex tabulis more solito composita, & desuper positus paleritius & mataratium cum duabus sclavinis, & dati sibi Breviarium, Biblia & Epistolæ. Item unum barrile aquæ, tres cachiatæ panis, unum boccale olei, & lucerna pro lumine. Mandatum fuit per Papam, quod singulis diebus duobus vel tribus debeat idem inclusus per Castellanum ejus nomine visitari, & panem & aquam pro ejus victu, & oleum pro lumine sibi ministrare.

Relatum fuit, singulis diebus Sanctissimum Dominum Nostrum misisse ad prædictum Cusentinum Electum Tullensem, & alios familiares suos, qui secum in schachis luderent, ac ipsum convenientes persuasionibus inducerent ad confitendum se plura Brevia sine Pontificis jussu expedivisse, ut Pontifex per id se de aliis suo jussu expeditis, quæ Regem Hispaniarum irritaverant, excusaret, ac si etiam eo inscio expedita essent. Quod si ipse Cusentinus faceret, eum exaltaturum, & majoribus beneficiis remuneraturum, & hujusmodi persuasionibus Cusentinum præmissa confessum esse, & eo facto dictos Tullensem & alios ad eum nunquam rediisse.

Dominica vigesima nona Octobris circa horam decimam quartam fulgur unico ictu combussit turrim superiorem & principalem Castri Sancti Angeli pulveribus in ea existentibus pro munitione, & totam superiorem partem ipsius turris cum magnitudine mœnium & angelo grossissimo marmoreo hinc ad magnam distantiam perduxit partem ad Burgum Sancti Petri, partem prope Ecclesiam Sancti Celsi. Vulnerati sunt circa septuagintæ personæ ex custodibus dicti castri, nullus tamen mortuus.

Superioribus diebus venerunt nova ad Urbem, quod Illustris Dominus Joannes Princeps primogenitus Regis Hispaniarum in vigesimo anno constitutus die quarta mensis Octobris diem clauserit extremum ex peste, duobus diebus duntaxat infirmus. Hic maritus erat Illustris Dominæ Margaritæ filiæ Serenissimi Maximiliani Romanorm Regis, quam dimisit, ut Hispani dicebant, à quatuor mensibus vel circa impraegnatam.

Eisdem diebus Illustris Dominus Dux Ferrariæ restituit Castelletum Januæ Duci Mediolani, & propterea Ecclesia Mediolanensis nuper Pastoris solatio destituta, die decima tertia Novembris ad instantiam ejusdem Ducis fuit Domino Cardinali Estensi prædicti Ducis Ferrariæ filio commendata.

Circa horam quartam noctis die Veneris octava Decembris Reverendissimus Dominus Cardinalis Parmensis reddidit Spiritum Creatori.

Feria secunda undecima Decembris Reverendissimus Dominus Cardinalis Estensis intravit Urbem cum familia sua & equitibus circa CCL. & salmis LXX. & cum eo Prælati septem. Venerunt sibi obviam Domini Ascanius & Sancti Severini Cardinales per quartam partem unius milliarii, & eum medium duxerunt. Venit etiam sibi obviam Cardinalis Sanctæ Crucis.

Feria quinta decima quarta Decembris venit ad Urbem Illustrissimus Dux Pomeraniæ, Stetinæ & Sclaviæ &c. qui receptus est à familiis Papæ & Cardinalium. Equitavit medius inter Gubernatorem & Oratorem Regis Romanorum.

Feria quarta vigesima Decembris fuit Consistorium secretum. Resolutum fuit, dari locum in Capella Illustri Domino Duci Stetinensi &c. immediate post ultimum Diaconum Cardinalem de consensu omnium Cardinalium, ac etiam tradere sibi ensem in die Nativitatis Christi cum solito capello.

Die ultima Decembris vigilia circumcisionis Domini fuerunt vesperæ &c. antequam Tripotus Morea conquestus fuit de loco suo, cum intellexisset, Duci Stetinensi esse datum locum immediate post Cardinales, & ante eum, idque fieri non licere. Papa non respondit ei verbum, sed commisit mihi, ut post vesperas ei dicerem, ut ne alias, Duce prædicto præsente, ad capellam veniret. Et ipse mandatum hujusmodi observavit.

Feria secunda prima Januarii Festo circumcisionis, Papa dixit se complevisse annum sexagesimum septimum suæ ætatis. Tum tradidit mihi clavem Cancelli, in quo Capita Apostolorum Petri & Pauli custodiuntur in Basilica Lateranensi, & mihi commisit, ut hora vesperorum Illustrem Ducem Stetinensem associarem, & Capita prædicta sibi facerem ostendere, prout feci in Cancellum intromittere. Et Conservatores etiam claves suas miserunt.

In exequiis Domini Cardinalis Parmensis fuerunt dispensatæ libræ quater mille ceræ.

Die decima nona Januarii Illustris Dominus Dux Stetinensis recessit ex Urbe ad patriam suam associatus ab Oratoribus Regis Romanorum, & pluribus aliis Curialibus amicis suis.

Sabbato vigesima septima Januarii intravit in Urbe Magnificus Dominus Antonius Bonzi Orator Dominii Florentinorum, qui receptus est à familiis Sanctissimi Domini Nostri & Cardinalium, usque ad hospitium suum associatus.

Feria tertia trigesima Januarii cadaver felicis recordationis Innocentii Papæ Octavi, quod depositum fuit juxta Altare Beatæ Mariæ Virginis chori, fuit ex dicto deposito extractum, & repertum integrum & illæsum, uno pede dempto, quod in ipsa capsa fuit positum in dicto choro.

Feria tertia decima, tertia Februarii, Petrus Calderon Perottus in Camera Sanctiſſimo Domino ſerviens, qui proxima præterita die Jovis octava hujus in nocte cecidit in Tiberim, in eodem flumine repertus eſt, de quo multa dicta ſunt per Urbem.

Feria quarta vigeſima prima Februarii Domini Cardinales Valentinus & Borgia equitarunt in habitu Gallicano laicali cauſa ſolatii ad Oſtiam Tiberinam.

Dominica vigeſima, ſeptima hujus Julio Vitellenſi in Conventu de Minerva audiente Miſſam, intrarunt in eandem Eccleſiam decem vel circa armati, qui dictum Julium & fratres ſuos in Capella Crucifixi vulnerarunt, ex quo dictus Julius & duo ejus fratres mortui ſunt.

Feria quinta vigeſima ſecunda Martii Reverendiſſimus Dominus Cardinalis Sancti Sixti Archiepiſcopus Januenſis ſpiritum reddidit Creatori, & Dominica ſequenti Sanctiſſimus Dominus Noſter providit dictam Eccleſiam Reverendo Patri, Domino Mariæ Sfortiæ fratri naturali Cardinalis Aſcanii.

Heri ſero mortuus eſt bonæ memoriæ Carolus Epiſcopus Oſtienſis, Magiſter domus Reverendiſſimi Domini Cardinalis Aſcanii Vice-Cancellarii, qui portatus eſt ad Eccleſiam Beatæ Mariæ de Populo, aſſociatus à familiis nonnullorum Cardinalium.

Feria tertia decima Aprilis venerunt nova ad Urbem, quod die ſabbati proxime præteriti, ſeptima hujus, in platea principali Civitatis Florentiæ fuit paratus ignis pro corroboratione & judicio verificationis certarum concluſionum Fratris Hieronymi Savanarolæ de Ferraria Vicarii generalis congregationis Conventus Sancti Marci Florentinorum Ordinis Prædicatorum, juxta inſcriptionem certorum Fratrum, qui ad hoc ſe obtulerant, ſed rem manſiſſe infectam. Caſus fuit ſic.

Frater Hieronymus prædictus, qui ab adventu Regis Francorum in Italiam in Civitate Florentiæ multa mendoſa & ficta prædicavit, & pars una in dicta civitate ei favebat, ſperans, ſe exinde magnum fieri. In ſuis prædicationibus publice dicebat, Chriſtum ſæpe ſibi loquutum, & multa revelare.

Habebat quendam modum ſciendi peccata hominum per fratres ſuos, quos habebat ſui Ordinis doctos numero ſex, qui Florentiæ & in diverſis oppidulis reſidebant, & quid grave eis confitebatur, eidem fratri Hieronymo revelabant cum ſpecificatione nominis & perſonæ confitentis. Et ex hujuſmodi revelationibus prædicabat peccata populi, & Deum ſibi revelaſſe aſſerebat. Ex quo ita populum attraxit, ut plures eum Prophetam & Beatum Virum eſſe crederent. Ad omne conſilium, in quo res graves tractabantur, vocabatur, & ejus nutu civitas regebatur. Sanctiſſimus Dominus Noſter tantam hominis malitiam cognoſcens, fecit per Generalem ſui Ordinis ſibi inhiberi, ut à prædicationibus hujuſmodi ceſſaret. Noluit hujuſmodi inhibitioni obedire. Ex quo Sanctiſſimus Dominus Noſter ſub pœna excommunicationis idem ſibi mandavit, cui nec obedivit, aſſerens, Deo obedire, non homini magis oportere. Et alia dicebat, cum doctus eſſet, quæ populum ſibi magis credere faciebant. Et demum certas concluſiones hæreticas compoſuit & publicavit, quæ dixit ſe velle ſuſtinere. Oppoſuit ſe hujuſmodi concluſionibus quidam Frater Minorum de Zoccolis, qui in conventu Sanctæ Crucis Florentiæ prædicabat, aſſerens, ſe probaturum hujuſmodi concluſiones hæreticas eſſe, ex quo inter Fratres ipſos Prædicatores & Minores ad hoc perventum, ut ſe hinc inde inſcriberent, ſe Prædicatores velle concluſiones ſuſtinere, alii vero Minores vel eas reprobare ſub pœna vitæ coram Judice non ſuſpecto. Prædicatores elegerunt ignem pro judice non ſuſpecto, quem Minores acceptarunt. Tenor concluſionum talis erat:

Concluſiones rationibus ac ſignis ſupernaturalibus probantur.
Eccleſia Dei indiget renovatione.
Flagellabitur,
Renovabitur.
Florentia quoque poſt flagella renovabitur & proſperabitur.
Infideles convertentur ad Chriſtum.
Hæc autem omnia erunt temporibus noſtris.
Excommunicatio nuper lata contra Reverendum Patrem Hieronymum Savanarolam nulla eſt, non ſervans eam non peccat.

Jo Fra Domenico de Peſcia dell' Ordine de Predicatori di propria mano mi ſottoſcrivo, & obligo à ſoſtenere le preſenti concluſioni, non ſolo con le ragioni ma confidandomi nell' adjutorio della Divina gratia m' eſpongo & obligo ad entrare col Predicatore de Frati Minori predicante al preſente in Santa Croce nel fuoco in publico, ſperando per la virtù del Signore uſcirne illeſo & ſalvo, à gloria dell Suo Santo Nome, & à confirmatione di queſta verita, & ad utilita dell' anime per Dominum Noſtrum Jeſum Chriſtum, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat in ſecula &c.

Ego Frater Franciſcus Ordinis Minorum licet indignus ſum paratus ad inſtantiam & requiſitionem Dominorum Florentinorum pro veritate & ſalute populi diſputare, & experimentum facere cum Fratre Hieronymo de prædictis concluſionibus, quarum quædam probatione ſupernaturali egent, cum fratre Dominico vero, quocum nulla mihi eſt differentia, alius noſtri Ordinis frater ignem ſubire eſt paratiſſimus, vocato judice non ſuſpecto ac omnibus Religioſis.

Jo Fra Mariano Ugli da Fiorenza dell'Ordine de Prædicatori m'obligo & confido nell'adjutorio della gratia di Dio a provare le concluſioni poſte dal Reverendo Fra Domenico di Peſcia circa la reformatione della Chieſa & della Scommunica fatta contro il Reverendo Fra Gerolamo di Ferrara ſecondo ſi contiene nella ſottoſcrittione del predetto Fra Domenico a far eſperimento per ignem, & d'uſcirne illeſo & ſenza nocumento, dato che ne venga un frate dell' Ordine de Minori, come ha promeſſo il Pre-

Digitized by Google

Predicatore di Santa Croce. Per Dominum. &c.

Jo Fra Giuliano di Lorenzo Rondineli m' obligo d'entrare nel fuoco col sopra detto frate, & per fede di cio ho fatti questi due versi di mia propria mano, benche jo creda ardere ma per salute dell' anime, son molto contento qu'io ardi &c. di 3. Marzo 1498.

Die 30. Martii 1498.

Magnifici Domini populi Florentini, Pax Domini super vos &c.

Intemdo esser stato richiesto il nostro Padre Fra Francesco di Puglia al presente Predicatore in Santa Croce dalli Predicatori di S. Domenico di fare alcuna esperienza sopranaturale o entrare nel fuoco, o altro ad libitum Dominationum Vestrarum.

Jo indegno Fra Minore figliuolo di Santo Francesco, Fra Nicolo di Giovanni de Pilli Fiorentino m'offero paratissimo a confirmatione di quello, che ha dette, o voglia dire il Nostro Padre Fra Francesco sopradetto, & per liberare questo popolo di tanto errore, entrare nel fuoco non tanto con li Predicatori, ma con ogn' altro, che fosse bisogno, & ad ogn' altro martirio, purche sia frate professo di Santo Marco, e pero ho fatto questa fede di mia propria mano questo di di sopra & parato far ogni fedo necessaria.

Die 30. Martii 1498.

Subscriptione di Fra Geronio sotto una lettera delli suo frati, che stanno a Prato, li quali tutti s'erano sottoscritti & offerti entrare nel fuoco, ut supra.

Jo Fra Geronimo di Ferrara Vicario indegno della congregatione di Santo Marco dell'Ordine de Frati Predicatori accetto tutte l'offerte di questi Frati, che si trovano al presente in S. Marco & in Santo Domenico, di Fresole Fiezoli, & prometto di darne uno, due, tre, quatro & dieci, & quantone bisognano per quest' opera, cioè per andare nel fuoco per probatione della verità, che jo predico, & mi confido nel Nostro Signore & Salvatore Giesu Christo nella sua verità Evangelicha, che ciascuno, che jo darò, n'uscira illeso senza alcun danno, & quando di questo dubitassi punto non lo direi per non esser homicida; & in segno di cio ho fatto questo sottoscritto di mia mano propria, & à salute dell'anime & confirmatione della verità del Nostro Salvatore Giesu Christo, qui solus facit magna & mirabilia & inscrutabilia, cui est honor & imperium sempiternum, Amen.

Jo Fra Malatesta Sacramoro da Rimini dell' Ordine de Frati Predicatori della Congregatione di Fiorenza a comprobatione della verita delle conclusioni proposte, & delle cose gia longamente predicate per il Reverendo Padre Fra Geronimo Savanarola da Ferrara al presente Vicario Generale della predetta Congregatione & certificatione della sua innocenza m' offero & obligo ad entrare nel fuoco con qualunque Frate Ordinis Minorum, o altro offertosi accioche per comprobatione d'esse conclusioni confidandomi senza veruna dubitatione intrare & uscire al tutto illeso non per alcun mio merito, ma solo per la virtù & gratia dello Spirito Santo della beata Vergine Maria, & di tutta la Corte celestiale, & a salute de gl'eleti di Dio in questa vita presente & futura, & non mosso per alcuna mia presumtione di miei meriti, overo bontà, ne da alcuna ostentatione o jattantia a quanto e sopradetto con prontissimo animo di volonta del predetto fra Gerolamo mio Superiore mi offero, come ho detto, & obligo, & in fede di cio questa di mia propria mano ho fatto questo di 2. di Aprile 1498.

Idem frater Malatesta, qui supra manu propria:

Jesus Maria.

In nomine Domini Nostri Jesu Christi. Jo Fra Roberto di Bernardo Salviati di Fiorenze dell' Ordine de Predicatori per il presente scritto, m'offero & obligo, e prometto di fare l'esperimento d'andare nel fuoco per probatione della verita delle conclusioni proposte & predicate per il Nostro Patre Fra Geronimo da Ferrara al presente nostro Vicario Generale, & con sua licenza stimando anzi sono certo, che io riusciro senza alcuni impedimenti, & non per miei meriti, ma per somma virtù & gratia di Dio, a laude & gloria sua, & di tutta la celestial sua Corte, & dico iterum che jo non arderò in virtute Domini Nostri Jesu Christi die secunda Aprilis 1498.

Nota, che li soprascritti due ultimamente sottoscritti sono statti per divina inspiratione eletti all'esperienza sopradetta Risposta di Fra Geronimo da Ferrara dell'Ordine de Predicatori à certe objettioni fatte circa l'esperimento d'entrare nel fuoco per la verita da lui predicate come sopra.

Risponderò brevemente per la gran carestia, che jo ho del tempo ad alcune objettioni a voi fatte circa l'esperimento propostosi per provare la verita delle cose nostre col fuoco, & prima quanto al non haver accettato d'andare jo proprio nel fuoco col Predicatore di Santa Croce, Osservante di Minori, rispondò, che jo non l'ho fatto, si per che egli ha proposto in publico voler andar nel fuoco, non ostante che lui, come dice, creda ardere, per provare che la scommunica fatta contro di me e valida, & jo non ho bisogno di provare col fuoco, che tale scommunica sia nulla conciò sia che jo habbi gia provato questo con tali raggioni, che ancora non s'e trovato, ne qui ne in Roma, chi habbia a quelle risposto: si perche la prima volta lui non propose di voler combatter meco, masi bene generalmente con ciascuno che fusse a lui in questa cosa contrario. Vero e, che poi offerendosi a questo Frà Domenico da Pescia trovò questa scusa, che non voleva haver a fare se non meco; massimamente si perche il mio entrare nel fuoco con un solo Frate non farebbe quell'utilità alla Chiesa che richiede una tanta opera, quanto e questa, che Dio ci ha posta nelle mani: & pero mi sono offerito, & di nuovo m' offerisco, io proprio di far tale esperienza ogni volta, che l'Aversarii di questa nostra dottrina, massime quelli di Roma, & li loro

Digitized by Google

li loro adherenti vogliono commettere queſta cauſa in queſto Padre, o in altri, & mi confido nel noſtro Signore & Salvatore Gieſu Chriſto, & non dubito punto che ancor io andaro nel fuoco, come fecce Sidrach, Miſach & Abdenego nella fornace ardente, non per miei meriti o virtù, ma per virtu di Dio, il quale vorrà confirmare la ſua verità, & manifeſtare la ſua gloria in quel modo. Ma certo jo mi maraviglio aſſai di queſte tali objettioni, perche eſſendo ſi offerti unitamente tutti li miei fratti, che ſono in circa 300. e molt'altri Religioſi di diverſe Religioni, delli quali jo ho le ſottoſcrittioni appreſſo di me, & ſimilmente molti Preti ſecolari & Cittadini, tutte le noſtre Monache, e di quelle anco di diverſe altre Religioni, molte altre Donne Citradine, & fanciulle, & queſta mattina ultimamente, che ſiamo al primo d'Aprile parechie migliara di perſone di quelli che ſi trovarono in Santo Marco noſtro alla predicha con grandiſſimo fervore, gridando ciaſcuno, ecco jo, ecco, andaro in queſto fuoco per gloria tua Signore. Se uno di queſti tali andando ſotto la mia fede, & per fare la mia obedienza da me impoſta gli, come ſi ſono prontiſſamente offerti, ardeſſe nel fuoco, chi non vedde, che io, & tutta queſta opera & impreſſa di Dio andarebbe meco inruina, & che jo non poteri più in luogo alcuno comparire: & però non biſogna, che quel Predicatore richieggia altri che Fra Domenico predetto, contra il quale predicando l'anno paſſato hebbe qualche differenza con lui. Certo S. Giovanni Gualberto, * ancorche fuſſe huomo di gran ſantità, non però lui entrò in fuoco, ma vi mando uno delli ſuoi Monaci, non per paura, ma perche coſi li pareva, che richiedeſſe l'ordine della coſa in quel tempo, & perche coſi fù ordinato da Dio, che l'inſpirava. Similmente delli noſtri non andara nel fuoco ſe non quello o quelli che ſono eletti da Dio, non oſtante, che tutti ſi ſiano offerti. Ne per queſto noi pero ſiamo crudeli o homicidi, ancorche l'adverſarii, o quelli che ſi ſono ſottoſcritti publicamente confeſſino d'havere in queſto fuoco a morire, concioſia che noi non habbiamo offerto queſta tale eſperienza del fuoco, ma loro ſono quelli, che ce l'hanno meſſa inanzi; & noi ſiamo aſtretti accettarla, acciò che l'honore di Dio, & la ſua ſanta fede non vada per terra; & però non gia noi, ma loro ſono crudeli & homicidi di ſe medeſimi. Ma molto piu un maraviglio della fede di quelli tali, per che ſe hanno dal canto, loro la verita, come dicono, certo non ſenza grand, amiſatione di ciaſcuno s'intende, che in tanta religione non ſi trovi qualchuno, che ſi confidi in Dio d'entrare in queſto fuoco, & d'uſcirne illeſo & ſalvo, come noi ne troviamo non uno, ma parechi centinaia anzi migliaia. Et quando dicono alcuni, che non confidandoſi loro d'entrare in queſto fuoco, deveremo o noi ſoli fare queſto eſperimento per approvatione della verità, o elegere qualche alto modo, che il fuoco. Dico che gia habbiamo di ſopra a queſto riſpoſto, concioſia coſa che a noi non biſogna provare con miracolo quello che noi habbiamo provato con raggioni, cioe che la ſcommunica ſia nulla, perche queſto ſarebbe un tentare Dio. Ma ſe l'Adverſarii, liquali dicono le noſtre ragioni eſſer ſofiſtiche, non li ſanno riſpondere richiedono da Dio loro miracolo contra di noi, & ſe l'impetraranno, crederemo loro & laſciaremo andare ogni ragione. Et ſe diceſſimo, che al manco le coſe da noi per modo di profetia nuntiate richiederiano a volere, che le foſſero credute, che io le provaſſi con miracolo: riſpondo, che io non coſtringo l'huomini a credere piu, che a loro ſi pare, ma ſi bene gl'eſſorto a vivere rectamente, e come Chriſtiani, perche queſto ſolo e quel miracolo, che gli puol far credere le coſe noſtre, e tutte l'altre verità, che procedono da Dio. Et ben che noi habbiamo propoſto di provare coſe grandi che s'hanno a manifeſtare & che noi diciamo eſſere ſotto la chiavetta con ſegni ſopranaturali, non habbiamo per queſto propoſto, di fare tali ſegni ſegni per annullare la ſcommunica, ma non e ancora il tempo noſtro, il quale quando ſia Dio non manchara delle promeſſe ſue, quia fidelis Deus in omnibus verbis ſuis, qui eſt benedictus & glorioſus in ſecula ſeculorum, Amen.

Vexillifer juſtitiæ & Priores populi Florentini, viſis & intellectis inſcriptionibus & oblationibus per fratres Prædicatores & Minores, ut ſupra apparet, cum res ipſa totum populum commoveret, decreverunt de conſenſu conſilii experientiæ locum dare, & ſtatuerunt in platea magna principali ante palatium ipſorum Dominorum pro die Sabbati proxime futura, ſeptima præſentis menſis Aprilis, fieri debere duo magna pulpita, unum pro ipſis Dominis & Principalioribus ipſius Civitatis, aliud pro diſputaturis, & experientiam facturis, & prope pulpitum hujusmodi copioſum ignem, & quod præmiſſa Fratribus utriuſque Ordinis intimarentur, & quod pro hora tertiarum diei prædicti in loco prædicto adeſſent, oblationibus ſatisfacturi.

Die ſeptima prædicta ante horam conſtitutam venit Frater Franciſcus de Puglia Ordinis Minorum cum uno ſocio ad plateam prædictam, aſcendit ordinatum pulpitum, ſedit ibi humiliter in terra expectans Meſſiam: deinde poſt horam conſtitutam venit proceſſionaliter cum Cruce & Sacramento Frater Dominicus de Peſcia Ordinis Prædicatorum ab omnibus Fratribus ſui Ordinis & Fratre Hieronymo de Ferraria, ac magna populi multitudine aſſociatus ad eandem plateam, ubi ordinati aſcenderunt præparatum pulpitum. Deſcenderunt etiam de palatio Domini Florentini, & eorum pulpitum aſcenderunt. Quibus conſidentibus ſurrexit Frater Franciſcus Ordinis Minorum, & ad ſolitos Dominos brevem orationem habuit, per quam aſſerebat, ſe illic eſſe, ut experientiam oblatam de ſe faceret, ſcire ſe in igne remanſurum, cum homo peccator eſſet, ſupplicabat & per Dominos ſibi promitti petebat, ut eo igne cremato Frater Dominicus nullatenus cenſeretur liber, & cauſam eviciſſe, ſed ut & ipſe

ipſe de perſona ſua in igne faceret experientiam, qui ſi eum non læderet, haberetur pro victore, alias non. Domini habito inter ſe conſilio promiſerunt Fratri, ſe facturos, quod petiit. Et quia apud aliquos ſuſpicio erat, fratres prædictos experientiam eſſe facturos ſeu eorum alterum forte per aliquam conjurationem ſeu incantationem apud ſeu vel in cappa ſe alias habere, quæ ipſos à virtute ignis illæſos præſervaret. Domini prædicti fieri fecerunt duas cappas novas cum ſuis correquiſitis, quas Fratribus prædictis miſerunt, volentes, ut ipſis, quas ſecum tulerunt, ſpoliarentur, & his novis induerentur. Frater Franciſcus acceptavit mandatum, immo obtulit etiam ſine cappa, ut minor ſuſpicio haberetur, & ſe nudum etiam ſine cappa ignem tranſiturum. Frater Dominicus autem per verba & ſubterfugia recuſavit cappam ſuam dimittere. Quod audiens dictus Frater Fanciſcus rogavit Dominos, ut ſuper dimiſſione cappæ hujuſmodi cum dicto Fratre Dominico non contenderent, ſed cappam ſibi dimitterent, quam vellet, quia cum eſſet de panno, ſine dubio cum eo combuſtura. Conſenſerunt itaque de conſenſu prædicti Fratris Minorum, ut Frater Dominicus ſuam cappam retineret, qui tamen comburi timens, ut negotium diverteret, dixit, ſe nunquam ignem intraturum, niſi cum imagine Crucifixi. Super quo cum Domini Florentini ſe conſultarent, ſubjunxit Frater Franciſcus, & eoſdem Dominos rogavit, ut etiam Crucem hujuſmodi ipſi Fratri Dominico permitterent, quæ cum lignea eſſet, eum ab igne non defenderet, ſed cum eo potius combureretur. Fuit propterea & hoc eidem Fratri permiſſum. Quod cum ipſi Fratri Dominico non ſatis eſſet, ſed continuo ignem timeret, adhuc tertium petiit, videlicet, ut cum corpore Chriſti permitteretur ignem introire, alioquin nequaquam eſſet hujuſmodi experientiam de ſe facturus.

Quod cum Dominis videretur nullatenus admittendum, diſſolutum eſt ſpectaculum. Factus eſt ex hoc rumor in populo, & contra Fratrem Hieronymum non modica indignatio & ſuſpicio nata, adeo ut die lunæ, nona hujus, in ſero populus cum magno impetu & vehementia concurrerit ad Conventum Sancti Marci, in quo dictus Frater Hieronymus reſidebat, quem Fratres ejuſdem conventus bene clauſerunt, & in eo bombardis & aliis armis defenſivis muniti, & traxerunt ad populum, & populus in eos, qui tandem intravit, interfectis prius ab extra quinque, & tribus ab intra, videlicet quodam Presbytero Fratre profeſſo Ordinis Prædicatorum, germano dicti Fratris Hieronymi, & duobus aliis.

Captivarunt Fratrem Hieronymum prædictum & duos alios Fratres cum eo, videlicet Fratrem Dominicum de Peſcia, & Fratrem Sylveſtrum de Florentia, & eos duxerunt ad palatium Dominorum Florentinorum, & ibidem carceribus intruſerunt. Accurrunt deinde populus ad domos Franciſci de Valore, & Pauli Antonii Soderini fratris Reverendi Patris Domini Epiſcopi Volterrani, qui principaliter ſavebant dicto Fratri Hieronymo, & ipſum tuebantur. Et cum inveniſſent Franciſcum prædictum in platea, fuit a popularius interfectus, & crudeliter tractatus. Uxor ejus, quod domum defendere conabatur, cum quodam ſecum exiſtente, fuit ſimiliter occiſa, & omnia bona exportata. Quod quiſque habere potuit, ſibi acquiſivit. Concurrerunt inde ad domum prædicti Soderini, ubi ſimile facere ſtatuerant, ſed Dominium providit in tempore.

Hæc fuerunt Pontifici per Oratorem Florentinorum die Jovis ſupra dicti ſignificata, & ſupplicatum, ut dignaretur Bullam abſolutionis pro populo Florentino expediri mandare; pro eo quod manus violentas in Conventum Sancti Marci, & Fratres ſupra dictos injeciſſent.

Sanctiſſimus Dominus Noſter ad hoc ſtatim ſine ulla mora hujuſmodi Bullæ expeditionem commiſit, quæ die duodecima hujus expedita eſt, & Oratori prædicto tradita, qui miſit eam Florentiam.

Feſtum Paſchæ reſurrectionis. Papa poſt communionem ab eo factam, poſtquam ad Altare reverſus eſt, inventa una hoſtia ſub veſtibus ſuis, ante Altare in ſupremo Palatio in terra ad pedes Papæ, quam dextre levavi ante plurimam conſiderationem poſui ſuper corporale Altaris, & Sacriſta non poſuit eam cum cæteris hoſtiis conſecratis. Credo firmiter, cecidiſſe ſuperius in ſolio de manibus Papæ, qui populum communicavit.

Nocte præterita circa quartam horam venerunt nova Papæ, quod in nocte ſequenti diem Sabbati, ſeptima hujus, bonæ memoriæ Carolus octavus Rex Franchorum apoplexia vita functus eſt. Fuerat in venatione eadem die Sabbati, de qua ſatis tarde veniens caput ſibi fecit lavari. Facta deinde cœna apoplexia tactus infra octo horas mortuus eſt.

Feria ſecunda Paſchæ decima ſexta Aprilis venit ad Urbem Orator Magnificæ Communitatis Senarum, qui receptus fuit à familia Reverendiſſimi Domini Cardinalis Senenſis, & aliorum Senenſium, ac ab eis aſſociatus uſque ad hoſpitium ſuum.

Feria tertia Paſchæ, decima ſeptima Aprilis, venerunt prope Urbem ad Voltas Sancti Pauli duæ galeræ, una perſonæ Regis Neapolitani, in quibus venerunt ad Urbem ſex nepotes ejuſdem Cardinalis, & alii conſanguinei, quibus de mandato Papæ dedi locum in primo & inferiori gradu ſolii Pontificis in Capella.

Feria quinta, decima nona Aprilis, Reverendiſſimus Dominus Cardinalis Neapolitanus circa horam 20. receſſit ex Urbe Neapolim, iturus in galeris per mare. Aſſociatus fuit à Cardinalibus Senenſi, Medices & Sancti Severini, & circa 20. Prælatis, Oratoribus quoque Regis Hiſpaniarum & Domini Venetorum. Orator autem Hiſpaniarum, qui credebat ad latus Cardinalis equitare, cum videret, ſe in hoc deficere, rediit ad Urbem, non petita licentia Cardinalis.

In nocte Sabbati in Albis, vigeſima prima Aprilis,

Aprilis, detentus fuit in Camera ſua, quam in Palatio Apoſtolico habebat, Reverendus Pater Dominus Petrus de Aranda Epiſcopus Calaguritanus, Magiſter domus Palatii Apoſtolici, & cuſtodia adhibita, ne Cameram ipſam exiret usque ad diem Jovis vigeſimam ſextam Aprilis, qua ductus eſt ad Sanctiſſimum Dominum Noſtrum, & poſt plura verba ſimul habita ductus eſt ad Cameras Palatii, & ibi diligenter cuſtoditus usque ad medium menſis Septembris. Cauſa detentionis hujusmodi: Dixi ſuperius in menſe Aprilis de captura Fratris Hieronymi de Ferraria in Florentia cum duobus aliis Fratribus ſui Ordinis. Subjungam igitur, quod idem Frater Hieronymus carceribus mancipatus, poſtquam ſepties ad cordam tractus eſt, ſupplicavit pro miſericordia, offerens ſe dicturum & ſcripturum omnia, in quibus deliquiſſet. Dimiſſus eſt de tortura, & aſſignata ſibi charta & atramento, qui ſcripſit delicta ſua in foliis, ut aſſerebatur, octoginta & ultra, quod non habuerit unquam aliquam inſpirationem divinam, ſed habuerit intelligentiam cum pluribus ex Fratribus ſui Ordinis in Civitate Florentiæ & extra per multa milliaria, qui ei confeſſiones Chriſti fidelium revelabant cum confitentium nominibus & cognominibus, & aliquando pœnitentes pro hujusmodi peccatis & criminibus confeſſis privatim, aliquando in genere publico corripiebat, aſſerens, ſibi à Salvatore noſtro revelata, ſe non eſſe confeſſum à viginti annis citra vel ultra aliquod peccatum mortale, & multa commiſiſſe, maxime in peccato carnis, in quo deliquiſſet diverſimode, ſæpiſſime celebraſſe quaſi quotidie, nunquam tamen à dictis annis citra verba conſecrationis protuliſſe, multos ſæpiſſime communicaſſe cum hoſtiis non conſecratis, dixiſſe aliquando Fratribus ſuis, ſibi revelatum eſſe, debere præcavere, ne venenarentur; mandaſſe propterea coco, Cellario & diſpenſatoribus Conventus, quod omnes piſces quodam die jejunii ipſis donati reſervarentur intacti, cum ſingulis diebus cives conſueviſſent Fratribus plusquam neceſſaria mittere, ordinaſſe cum quodam cive, amico ſuo, ut Conventui mitteret lampredotium optime paratum, veneno tamen impoſito: hora prandii omnes Fratres Conventus in tinellum convocaſſe, propoſuiſſe revelationem Divinam ſibi factam, & pro ejus experientia apportari feciſſe omnes piſces, ſimul cum Fratribus flexis genibus Deo ſupplicaſſe, dignaretur ſolita ſua miſericordia ſervos ſuos protegere, defendere & cuſtodire; & ad acquirendam majorem cum Fratribus fidem vocari feciſſe gattum, eique circumſpectis omnibus piſcibus donatis, de illo piſce lampredotio veneno parato dediſſe, qui gattus parte dicti piſcis ſumpta cecidit, & mortuus eſt. Quo viſo à Fratribus, laudarunt & magnificarunt Dominum.

Sabbato vigeſima ſexta Maji obiit bonæ memoriæ Jacobus Epiſcopus Niverinus, qui portatus fuit in Capellam Beatæ Mariæ de Febribus.

Feria ſecunda quarta Junii receſſerunt ex Urbe Reverendi Patres Domini, Joannes Epiſcopus Raguſinus, Adrianus Caſtellenſis Sanctiſſimi Domini Noſtri Secretarius, & Dominus Guilelmus Centeles Papæ Cubicularius, Oratores & Nuntii Apoſtolici ad Chriſtianiſſimum Regem Franchorum, deſtinati ad condolendum de obitu Regis prædicti, & ad congratulandum de ſua aſſumptione.

Feria ſecunda vigeſima tertia Julii obiit Bartholomæus Floridus, olim Archiepiſcopus Cuſentinus & Sanctiſſimi Domini Noſtri Secretarius in Caſtro Sancti Angeli, & in ſero portatus fuit ad Eccleſiam Beatæ Mariæ Transpontinæ ſine lumine aliquo, & ibidem ſepultus ſine aliqua ordinatione Eccleſiæ.

His diebus facta eſt pax inter Dominos Urſinos & Columnenſes mediatore Domino Cardinali de Sancto Severino, & pro majori robore pacis fuerunt diverſa matrimonia ad invicem contracta.

Dominica vigeſima nona Julii fuerunt abſoluti centum triginta Marrani, reconciliandi coram Dominis Gubernatore Urbis, Oratore Hiſpaniarum, & Theologis ac Pœnitentiariis, qui omnes fuerunt poſiti in quodam ſuggeſto magno ante porticum Baſilicæ Principis Apoſtolorum, deinde bini iverunt ad Eccleſiam Beatæ Mariæ ſuper Minervam.

Feria ſexta, decima tertia Auguſti, in ſecreto Conciſtorio Dominus Cardinalis Valentinus propoſuit, ſe ab ineunte ætate inclinatum ſemper fuiſſe ſtatui ſeculari, ſed Sanctiſſimum *Dominum* Noſtrum voluiſſe, ut ſe daret Statui Eccleſiaſtico, & ad Ordinem ſe promoveri Diaconatus, cujus voluntati ſe opponere viſum non eſt. Cum autem omnis ejus voluntas & inclinatio ſit adhuc ad Statum ſecularem, ſupplicavit, Sanctiſſimus Dominus Noſter dignaretur eum ſingulari clementia proſequendo ſecum diſpenſare, ut dimiſſis habitu & dignitate Eccleſiaſtica liceat ei redire ad ſeculum, ac matrimonium contrahere. Et Reverendiſſimos Dominos Cardinales rogavit, quatenus hujusmodi diſpenſationi conſentire vellent, & cum eo Sanctiſſimum Dominum Noſtrum ſupplicare. Diſpoſitionem liberam de omnibus Eccleſiis, quam ipſe obtinebat, eidem Sanctiſſimo Domino Noſtro relinquendo. Cardinales omnes communiter concordi voto remiſerunt diſpenſationem hujusmodi arbitrio & voluntati ejusdem Sanctiſſimi Domini Noſtri.

Eadem die venit ad Urbem Magnificus Dominus Ludovicus de Villanova, Baro de Tranis Camberlanus nomine Franchorum Regis, Dominum Cardinalem Valentinum ad Regem Franciæ conducturus, qui receptus fuit, & aſſociatus à Familiis Sanctiſſimi Domini Noſtri & Cardinalium.

His diebus venit ad Urbem Illuſtris Dominus Alphonſus de Aragonia, Dux Vigiliarum, Princeps Salerni, filius naturalis bonæ memoriæ Alphonſi ſecundi de Aragonia Regis Neapolitani, ætatis decem & ſeptem annorum, futurus maritus Dominæ Lucretiæ Borgiæ, filiæ Sanctiſſimi Domini Noſtri, olim uxoris Domini Joannis Sfortiæ Piſauri Domini, qui non fuit receptus

ne-

Digitized by Google

neque associatus publica pompa, contraxit deinde post paucos dies matrimonium cum ipsa Lucretia, illudque carnali copula consummavit sine pompa.

Dixi superius de mense Aprilis de detentione quondam Episcopi Calaguritani, Sanctissimi Domini Nostri Magistri domus, de Marannia & hæresi suspecti, in Concistorio causa cognita, Sanctissimus Dominus Noster de consilio Cardinalium dignitate Episcopali ac omnibus Beneficiis privavit, & ab omni Ordine degradavit, deinde fuit ductus ad Castrum Sancti Angeli, & in eo diligenter custoditus, permissis sibi duobus servitoribus sibi servientibus. Fuit etiam contra Dominum Alphonsum Solares de Aranda filium suum naturalem Perusiæ commorantem, nescio ex qua causa, processum per Procuratores ad resignandum pure & libere & simpliciter Secretariam & Scriptoriam Apostolicam, quas habebat in manibus Papæ.

Feria tertia decima septima Septembris intravit Urbem Orator Illustris Ludovici Sfortiæ Mediolani Ducis, receptus & associatus à familiis Sanctissimi Domini Nostri & omnium Cardinalium.

Eodem die Reverendissimus Dominus Joannes Baptista Cardinalis de Sabellis in Castro suo Candulphi diem clausit extremum. Portatum fuit suum cadaver nocte immediate sequenti Romam, & die decima nona Septembris sepultum fuit in Ecclesia Beatæ Mariæ de Aracœli cum magno funere.

Feria secunda prima Octobris secrete recessit ex Urbe Cardinalis Valentinus, iturus ad Franciam, & cum eo Dominus Ludovicus de Villanova per Regem Franchorum missus, & Joannes Jordanus de Ursinis, & multi juvenes Romani iverunt secum, & duxit magnum thesaurum, & inter alia multos equos ferratos ferreis argenteis.

Feria secunda decima septima Decembris flumen Tiberis crevit quasi usque ad pavimentum Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Transpontinæ.

Feria quarta decima nona ejusdem mensis recessit ex Urbe Dominus Cardinalis Borgia cum gentibus Papæ, iturus Viterbium pro componendis differentiis inter cives.

Quadam die hujus hebdomadæ venerunt ad Urbem Dominus Junicus de Corduba, & Dominus Philippus Perez Oratores Serenissimi Regis Hispaniarum, qui in eorum introitu à sola familia Papæ sunt associati.

Die Martis vigesima quinta Decembris Festum Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi Anni 1499. Papæ benedixit ensem, quem decrevit una cum pileo mittere Illustrissimo Ludovico Duodecimo Franchorum Regi.

Feria sexta vigesima octava Decembris rediit ad Urbem Dominus Cardinalis Borgia ex Viterbio differentiis ibidem compositis.

Feria secunda decima quarta Januarii venit ad Urbem Orator Illustrissimi Domini Federici Regis Neapolitani, à suis duntaxat associatus.

Feria tertia vigesima nona Januarii rediit ad Urbem ex Regno Neapolitano Reverendissimus Dominus Cardinalis Neapolitanus, qui venit cum galeris usque ad Sanctum Paulum. Associatus fuit in Urbe ab aliquibus Cardinalibus & Oratoribus Principum. Eadem die venit ad Urbem Dominus Cardinalis Gurcensis cum equis circa triginta, & postea visitavit singulos Cardinales sed paucissimi visitarunt eum.

Feria sexta vigesima secunda Februarii intrarunt Urbem, Reverendus Pater, Dominus Robertus Episcopus Fricorensis, Magnificus Dominus Oliverius de Cœtmano, Magnus Magister Britanniæ, & Reverendus Pater Dominus Joannes de Rochei, Oratores Serenissimæ Dominæ Annæ Reginæ Franciæ Ducissæ Britanniæ ad præstandam obedientiam Sanctissimo Domino Nostro, nomine dictæ Reginæ ratione sui Ducatus Britanniæ: qui recepti fuerunt, & associati à familia Papæ & Cardinalium more solito. Et dicti Oratores venerunt de consensu Regum, alias non conveniret, Reginam præstare obedientiam sine Rege.

Nocte præterita venit Cursor, per quem nuntiatum fuit, Ligam esse conclusam inter Suam Sanctiatem & Regem Franciæ ac Dominium Venetorum.

Sanctissimus Dominus Noster expectavit magno desiderio Cæsarem, olim Cardinalem Valentinum, filium suum contraxisse & consummasse matrimonium cum filia Regis Neapolitani, idque sibi nunciare usque in hunc diem & horam, & propterea sibi rosam donare, sed res aliter successit, prout infra suo tempore dicetur.

Feria secunda, undecima dicti mensis fuit publicum Consistorium pro obedientia præstanda ab Oratoribus Ducissæ Britanniæ, qui à Sanctissimo Domino Nostro recepti ad osculum pedis, manus & oris.

Antequam Sanctissimus Dominus Noster exiret de Camera, Dominus Cardinalis Capuanus dixit socio meo, Sanctissimum Dominum Nostrum commisisse, quod Oratores Britanniæ debeant habere locum post Oratorem Regis Franciæ immediate ante Oratores omnium regum, cum sint Oratores Regis Franciæ: quod idem socius meus significavit cæteris Oratoribus Regum Romanorum, Hispaniarum, Neapolitani & aliis, qui noluerunt cedere, & propterea non fuerunt in Capella.

Superioribus diebus lunæ, decima septima Septembris, Sanctissimus Dominus Noster in suo secreto Consistorio de Dominorum Cardinalium consensu & interventu creavit in Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, & illum publicavit, Reverendissimum Dominum Georgium, Archiepiscopum Rhotomagensem, eique titulum Sancti Sixti assignavit, & cappellum rubeum sibi misit per Illustrem Dominum Cæsarem Valentinum filium suum dudum Cardinalem cum multis rochettis & muneribus, cujus facultatis vigore Reverendissimus Dominus Cardinalis Sancti Petri ad Vincula die vigesima prima Decembris in Ecclesia Collegiata Sancti Maximi oppidi Minoris Turonensis Diœcesis post Missarum solemnia Serenissimo Franchorum Rege præsente pileum prædictum prædicto Cardinali Rhotomagensi imposuit cæremoniis consuetis,

tis, ipſis autem de palatio Regio ad Eccleſiam prædictam exeuntibus præceſſit immediate Regem poſt alios Nobiles & Principes: inde Princeps Illuſtris Cæſar Dux Valentinus Capellum prædictum publice deferens & male, quem ſecutus eſt Rex à ſiniſtris, habens Cardinalem Sancti Petri ad Vincula, & poſt eos Cardinalis Rhotomagenſis.

His diebus venerunt ad Capellam Reverendus Pater Dominus Epiſcopus Tricorenſis, & ambo ſocii ſui Oratores Reginæ Duciſſæ Britanniæ, qui habuerunt locum, videlicet Epiſcopus & Protonotarius immediate poſt Gubernatorem Urbis, & laicus poſt Oratorem Regis Franciæ, quod intelligens Reverendus Pater Dominus Joannes de Medina, Orator Regis Hiſpaniarum, noluit venire ad Capellam.

Feria quinta, quarta Aprilis, in Aula Pontificum inferiori in Palatio Apoſtolico apud Sanctum Petrum menſa magna tobaleis cooperta, in medio concha magna argentea cum aqua munda, & vaſe cum balſamo & oleo cum chriſmate appoſita in ea, ac in ſex capſis cum Agnus Dei benedicendo, ac bacilibus ſeptem vel ultra pro illis, ac duobus magnis cochlearibus ligneis perforatis ad extrahendos eos de aqua, deinde Paratus &c. benedixit aquam prædictam cum ſale, deinde benedixit & conſecravit etiam cum balſamo & chriſmate more ſolito &c.

Die lunæ octava dicti menſis venit ad Urbem Magnificus Dominus Cæſar de Guaſchis Orator Ducis Mediolani, qui receptus fuit ac aſſociatus, prout Oratores pro obedientia.

Feria quarta decima ſeptima ejuſdem menſis fuit Conſiſtorium ſecretum, in quo Reverendus Pater Dominus Ventura tunc electus Civitatis Urbis Caſtelli, qui poſſeſſionem præfatæ Eccleſiæ uſque tunc non potuit adipiſci, opponentibus ſibi Vitellenſibus Civibus ejuſdem civitatis, tranſlatus fuit ad Eccleſiam Interamnenſem; ad Eccleſiam autem Civitatis Caſtelli electus fuit Dominus Julius Vitellius, qui infra duos aut tres dies immediate ſequentes invaſit armata manu Caſtrum quoddam Urbevetanæ diœceſis, & illud per vim cepit in ſignum profeſſionis ſuæ.

Sabbato vigeſima Aprilis Sanctiſſimus Dominus Noſter accepit litteras ex Francia, ſignificantes, concluſum eſſe matrimonium inter olim Cardinalem Valentinum & Dominum de Alebreto, nomine filiæ ſuæ, cum capitulis deſuper confectis inter alia, quod non debeat matrimonium conſummari, priuſquam Sua Sanctitas fratrem ſponſæ Cardinalem non creaverit & publicaverit.

Venerunt nova his diebus, Illuſtrem Dominum Herculem Ducem Ferrariæ tanquam Arbitrum pro Dominio Venetorum & Florentiæ communi conſenſu electum dediſſe ſuum laudum, quod Piſani eſſent liberi, ita tamen, ut unum ex Florentinis ſingulis annis poſtularent in civilibus, & alium in criminalibus Judices, ac ſiquid redituum, quod non pro neceſſitate Piſarum exburſaretur, ſupereſſet, Florentinis aſſignaretur, Portus Livorni ſimiliter liber eſſet, arces tamen & caſtella in poteſtate Florentinorum remanerent, & ut Florentini eſſent tanquam protectores Portus; Venetis in certis annis 280. ducatos perſolverent. Veneti autem laudum hujuſmodi non acceptarunt, nec permiſerunt, Ducem prædictum ex Venetiis recedere, quouſque laudum renovaret, quod, licet invitus, dicitur renovaſſe. Interim dum hæc agerentur, Magnificus Fracaſſius de Sancto Severino venit Piſas nomine Januenſium, quibus Piſani ſe dedere; quod fingens Dux Mediolani ægre ferre, omnia bona ſua Cameræ confiſcarunt.

Superioribus diebus nunciatum eſt, fuiſſe crudele bellum in Regno Neapolitano in Valle Diana ditionis Salernitanæ de menſe Aprilis proxime præteriti inter milvios & corvos in aëre, quorum ex utraque parte circiter duodecim millia convenerant, mortuorum ex utraque parte cadavera ſeptem carrettas oneraſſe, quæ uſque Neapolim conducta fuerunt: mortuorum hujuſmodi majorem partem fuiſſe ex milviis, ex quo æſtimatum fuit, corvos viciſſe.

Feria quarta vigeſima ſecunda Maji venit curſor ex Francia, qui nunciavit Sanctiſſimo Domino Noſtro, Cæſarem filium ſuum Ducem Valentinum Dominica duodecima ejuſdem conſummaſſe matrimonium, & feciſſe octo viages ſucceſſive. Venit alius, annuncians, quod in die Pentecoſtes Rex Franciæ aſſumſit dictum Ducem in Confratrem Confraternitatis Sancti Michaelis, quæ eſt Regia & magni honoris. Fuerunt propterea in ſignum lætitiæ facti multi ignes per Urbem.

Eadem die venit ad Urbem Dominus Paulus Cappelo, Doctor & miles, Orator Dominii Venetorum. Fuit receptus & aſſociatus à familia Papæ & Cardinalium.

Feria quinta decima, tertia Junii, venit ad Urbem Orator Magnificæ Communitatis Florentinorum, qui receptus fuit, ut ſupra pro obedientia.

Sabbato, decima quarta Julii Reverendus Pater Dominus Nicolaus Buciardus Archiepiſcopus Arelatenſis diem clauſit ſibi extremum, cujus corpus portatum fuit ad Eccleſiam Sancti Auguſtini, aſſociatus à familiis Papæ & quatuor Cardinalibus.

Die decima tertia Julii Reverendiſſimus Dominus Cardinalis Aſcanius Vice-Cancellarius, fingens ſe iturum venatum receſſit ab Urbe non petita licentia à Papa, iturus Mediolanum pro magnis rebus ſtatum & honorem Ludovici Ducis Mediolani fratris ſui concernentibus.

Sabbato vigeſima Julii circa horam decimam octavam nunciatum fuit Sanctiſſimo Domino Noſtro, Jacobum Magiſtrum domus olim Cardinalis Valentini, qui die Veneris, duodecima hujus menſis, interim, dùm Conſiſtorium ſecretum haberetur, iverat per aulas Palatii Solatiani, & Conſiſtorio finito equum ſecreto aſcenderat, velociſſime, iturus ad Patronum ſuum nomine Pontificis cum ſecretis ei nunciantibus, captum eſſe Mediolani per Ducem, ac omnia ſecreta Duci propalata eſſe, pro quo turbatus,

Digitized by Google

batus Pontifex fecit portas Urbis claudi & custodiri, ut nullus emitteretur sine expressa licentia Gubernatoris. Fuerat autem familia Domini Vice-Cancellarii, & Orator Ducis Mediolani, de præmissis per literas ipsius Ducis certioratus, quas hoc mane ante diem receperant, & propterea aufugerunt de domo Vice-Cancelarii prædicti omnes servitores sui & Prælati, & bona eorum exportaverunt. Archiepiscopus Januensis, Episcopus Sutrinus, Alatrinus Protonotarius, Marinus & Sfortia confugerunt ad domum Domini Cardinalis Columnæ. Captus fuit, & ad Castrum Sancti Angeli ductus quidam Camerarius Vice-Cancelarii, sed parum post liberatus. Sanctissimus Dominus Noster misit Gubernatorem Urbis ad Cardinalem de Columna, & cum eo Secretarium suum, requirens ut Prælatos, & Marinum Protonotarium & Sfortiam, qui ad eum confugerunt, Suæ Sanctitati mitteret, quod Cardinalis honestis verbis recusavit facere. Cardinalis responsio Pontifici nunciata, & illi responsio & replicatio Pontificis. Tandem Cardinalis videns periculum imminere, Gubernatore & Secretario præfatis in Camera existentibus, Cardinalis exivit secrete, & cum Prælatis prædictis, qui ad eum confugerant, circa horam quintam noctis exivit ex Urbe iturus ad sua Castra, ad quæ cum omnibus prædictis salvus pervenit, ubi erat Dominus Vice-Cancelarius, Gubernator & Secretarius præfati, cum aliquamdiu Cardinalem exspectassent, intelligentes se circumventos, redierunt ad Pontificem, qui perturbatus vocari fecit post medium noctis Dominum Aloysium Episcopum Pisauriensem Reverendissimi Domini Vice-Cancellarii locumtenentem ad Palatium, & in Camera Episcopi Mutinensis detineri, quem Dominica vigesima prima Julii auditum licentiavit.

Eodem sero circa horam vigesimam secundam Reverendus Pater Dominus Baptista Bufalus Episcopus Aquinatensis de domo Domini Cardinalis Ursini veniens, non longe à monte Jordano irruit in eum quidam inimicus suus, & eum ense vulneravit. Ex quo famatum est, ipsum fuisse interfectum, qui tamen parum læsus ad domum suam pervenit.

Feria tertia vigesima tertia Julii Dominus Cardinalis Vice-Cancellarius in Neptum intravit Galeam Illustrissimi Federici Regis Neapolitani ad hoc sibi destinatam, & associatus à tribus aliis galeris ejusdem Regis, arripuit iter versus Plumbinum, iturus Mediolanum, exivit deinde galeram in Dominio Senensi, & venit Senas, exinde scripsit Pontifici & Sacro Collegio pro licentia recedendi, allegans causas recessus sui.

Feria secunda vigesima nona ejusdem obiit Episcopus Perusinus, Dominæ Lucretiæ filiæ Papæ Custos.

Feria sexta secunda Augusti recessit clam & secrete ex Urbe Illustris Dominus Alphonsus de Aragonia, Dux Vigiliarum, maritus Dominæ Lucretiæ filiæ Papæ iturus ad terras Columnensium, & inde ad Regnum Neapolitanum absque licentia & voluntate Papæ.

Sabbato tertia Augusti recessit ex Urbe Reverendissimus Dominus Cardinalis Sancti Severini iturus Mediolanum cum bona gratia & licentia Papæ.

Feria tertia sexta Augusti obiit Reverendissimus Dominus Cardinalis Sancti Dionysii, qui fuerat in Concistorio die 26. Julii proxime præteriti.

Feria quinta octava Augusti recessit ex Urbe Domina Lucretia Borgia de Aragonia filia Sanctissimi Domini Nostri itura Spoletum & ejus Arcem, cujus ipsa Gubernatrix facta est, & cum ea Dominus Joffredus Borgia de Aragonia Princeps suus frater. Præmisit multas salmas bonorum, quas Papa in Lodia superiori supra portam palatii contemplabatur. Præcesserunt eos omnes de custodia Palatii, & Gubernator Urbis à platea Sancti Petri usque ad pontem Sancti Angeli. Associavit eam Orator Regis Neapolitani, & multi Prælati.

Feria sexta nona Augusti fuit Concistorium secretum, in quo Reverendissimus Dominus Cardinalis Borgia pronunciatus est, & publicatus fuit Legatus de latere totius Christianitatis.

Feria quinta decima quarta Augusti obiit Reverendus Pater Dominus Aloysius Capra Episcopus Pisauriensis Cancellariæ Apostolicæ Regens.

Feria sexta decima sexta Augusti Reverendus Pater Dominus Andreas de Spiritibus Cameræ Apostolicæ Clericus iturus ad palatium in platea Sancti Celsi fuit à quodam Viterbiensi equestri invasus cum ense evaginato, & parum in pectore læsus. Et cum astantes clamarent, aufugit, clamans: Viso, viso, & intravit palatium Reverendissimi Domini Cardinalis de Ursinis.

Sabbato, decima septima Augusti fuit per Urbem publice proclamatum, ut quicunque creditor esset Reverendissimi Domini Cardinalis Borgiæ usque ad summam ducatorum 200. veniret ad Magistrum domus, & satisfaceret.

Feria secunda vigesima sexta ejusdem mensis Dominus Cardinalis Borgia iter suum arripuit versus Venetias, & alias partes legationis suæ, associatus ab Archiepiscopo Vintimiliensi & Vestano & aliis.

Diebus præteritis tertia Septembris nuntiatum est Romæ, Regem Franciæ Alexandriam, Dertonam & multas alias civitates & loca Ducatus Mediolanensis sibi subjugasse, Illustrem Dominum Ludovicum Ducem Mediolani circa finem Augusti proxime præteriti à Mediolano recessisse per lacum Cumanum ad Serenissimum Romanorum Regem, filios suos cum Reverendissimo Domino Ascanio præmisisse, ac septem milliones auri secum deportasse. Dixisse ante recessum suum ex Mediolano Oratori Dominii Venetorum: Vos Domini Veneti mittitis mihi Regem Franciæ ad prandium, certifico firmiter, vos eum habituros ad cœnam. Post ejus recessum Mediolanum se ditioni Re-

Digitized by Google

gis Franchorum ſubmiſiſſe. Et multa alia dicta, Caſtellanum Caſtri Mediolani, in quo erant quatuor mille Alemanni, & circa quinque Itali, quod Caſtrum bombardis, ſcopetis & omnibus generibus armorum abundat, & proviſionem grani & omnium neceſſariorum pro tribus annis, perſonis prædictis ac alia ad defenſionem habebat, de Caſtro ipſo Regi Franciæ conſignando tractaſſe, & receptis ab ipſo Rege multis millibus Scutorum, & quodam Statu in Regno Franciæ, Caſtrum ipſum decima ſeptima præſentis menſis Domino Jacobo de Trivultio nomine Regis acceptandum conſignaſſe.

Feria ſecunda vigeſima tertia ejusdem menſis Sanctiſſimus Dominus Noſter receſſit ex Urbe, iturus ad Civitatem Nepeſinam, quam nuper receperat de potentia Cardinalis Aſcanii, cui eam in aſſumptione ſua ad Papatum donaverat. Venerunt etiam illuc ex Spoleto Domina Lucretia Pontificis filia cum Principe fratre & Duce Vigiliarum marito, qui Pontificis ſuaſu nuper ad eam redierat, ubi recreatus eſt Pontifex.

Die Martis prima Octobris Dominus Cardinalis Urſinus receſſit ex Urbe, iturus Mediolanum ad Regem Franciæ.

Superioribus diebus per quendam exceſſum Reverendi Patris Domini Jacobi Protonotarii de Sermoneta Sanctiſſimus Dominus Noſter detineri fecit eundem Protonotarium in Caſtro Sancti Angeli, & oppidum Sermonetæ cum omnibus pertinentiis ditioni immediatæ Romanæ Eccleſiæ ſubjugavit. Venerunt propterea plures cives & incolæ ejusdem terræ ad Urbem, & in manibus Sanctiſſimi Domini Noſtri in præſentia Præſidentium Cameræ Apoſtolicæ fidelitatem promiſerunt.

Dominica ſexta Octobris, Ludovico Franchorum Regi Chriſtianiſſimo ex Binaſco, quod oppidum non longe à Mediolano plusquam decem millia paſſuum, obviam proceſſerunt ordine ſequenti:

Primo equites quadringenti, pueri inpuberes aureatis veſtibus induti, variis gemmis ornati, ſinguli olivarum ramos portantes manibus, in quibus Franchorum Regum inſignia, parvulis vexillis, cœruleo colore confectis. Picta erant cum carminibus & elogiis, alia quippe Regem magnum venire, altera liberatorem patriæ adeſſe prædicabant. Aſſiſtebant ipſis pueris ſingulis duo vel tres juvenes pedeſtres pari habitu veſtiti, geſtantes etiam ipſi vexillum unum magnum ex ſerico cum Franciæ inſignibus. Habita quoque eſt ab altero ipſorum puerorum elegans oratio, quæ concludebat, ipſum Regem non minus liberos ipſos, quam Parentes eorum à libidine & furore tyranni liberaſſe.

Deinde quingenti juvenes infra quindecim vel ſedecim annos pretioſiſſimo ornatu veſtiti cum magno vexillo ſerico & ejusdem Franciæ inſignibus. Accedebant 24. annis ſenes, & majeſtate venerabiles, 50. annorum, aureis veſtibus inſignes, quorum ſex magnos biretos, pretioſiſſimis pellibus munitos, more Senatorum, ipſius Urbis claves ex auro ſolido ad ſexaginta millium aureorum æſtimationem eidem Regi præſentarunt.

Poſt eos vero triginta Doctores, totidem equites talia veſtimenta ex ſerico cremeſino induti, & mantelo ex purpura, & ſingulas aureas torques ſinguli geſtantes, pallium aureum, ſub quo Rex ipſe Mediolanum eſt ingreſſus, & Ducale capitis tegmen pellibus pretioſiſſimis externis decoratum, inſtar Regalis Diadematis deferentes.

Poſtmodum multitudo magna aliorum Nobilium Civium, vario ornatu & veſtitu pretioſiſſimo equis reſidentes, quæ multitudo erat pene innumerabilis.

Ordinem vero Cleri & Religioſorum, qui obviam præceſſerunt cum alia populi multitudine infinita cum ſanctis reliquiis brevitatis gratia duxi prætermittendum.

Modus autem ingreſſus ejusdem Regis ſe habuit in ſequentem modum:

Præcedebant ſexies mille Guaſcones pedeſtres baliſtam & enſem geſtantes, lorica & galea armati, ducenti ordine per turmas, ſimili veſtitu procedentes, deferentes albam Crucem in pectore, & aliam à tergo. Cuilibet turmæ Dux ſeu Capitaneus eques præerat, qui ex ſerico indutus erat, deinde ſequebantur quater mille Sagittarii Normanni & Picardi congruenti ordine, ut ſupra, incedentes.

Item quater mille Suevi anteriori parte duntaxat armati, præacutas grandes lanceas & gladium geſtantes. Hos ſequebantur pueri, deinde juvenes, poſtea ſeniores antedicti.

Poſtea 400. Archiferi cuſtodes Regis equis reſidentes broca & galea armati, arcus tenſos, & unam ad caput equi, & aliam ad latus paratas ſagittas habentes.

Sequebantur centum Elvetii cuſtodes corporis Regis æquali ornatu ſinguli, pileos croceos cum magnis plumaribus deferentes.

Deinde Officiales Regni, utputa, Theſaurarii, Generales, Magiſtri domus, Secretarii, Camerarii &c.

Poſtea equites numero 50. quoniam reliqui per poſtas erant deputati à Mediolano uſque ad locum, ubi Regina reſidet.

Poſt hos Haraldi armorum in ornatu ſuo & Inſignibus Franciæ. Item Reges armorum cum ſimili ornatu magnas argenteas mazzas coronis ornatus deferentes.

Poſtmodum 170. Bucinæ nonnullæ ipſius Regis, quædam Capitaneorum & Ducum, videlicet Sabaudiæ, Valentiæ & Ferrariæ, & Marchionum Mantuæ, Montisferrati, Salutiarum & aliorum.

Hos ſequebantur Mareſcali & alii Magnates Franciæ & plures alii.

Deinde ſex Magni Equites phalerati & ornati auratis tegumentis à capite uſque ad pedes pari ornatu veſtituque.

Poſt hos equum Regalem velluto cæleſti coopertum Liliis aureis undique ſparſis duo juvenes auratis veſtibus induti nemine inſidente conducebant.

Seque-

Digitized by Google

Sequebatur major scutifer Franciæ pretiosissime ornatus secundum officii sui dignitatem equo magno cooperto insidens magnum gladium in vagina aurea, azuro & liliis aureis ornata & picta, gestans, qui quidem gladius ferrum designat justitiæ.

A latere vero Regis puer parvulus equo magno insidens, vestitus velluto, azzuro & liliis aureis galeam magnam gestabat in capite coronatam parva corona, liliis aureis, & gemmis ornata æstimationis 50000. aureorum.

Postea 30. Doctores & 30. milites, ut supra narratum est, ornati & amicti pedibus cum Rege ipso gradiebantur, quorum aliqui pallium supra deferebant, alii circa eundem Regem incedebant. Reliqui fimbrias Regiæ chlamidis, nonnulli etiam Regium equum cum parvulis chordulis sericeis frenum ducebant, alii tantum assistebant. Qua de re interrogati cum fuissent plurimi, quid sibi vellet, quod tam Excellentes & pretiosissimo amictu ornati, eo modo pedibus incederent, responderunt, Principem debere ad latus ejus sequentes Doctores habere, ut reip. consulatur, milites vero, qui Principis mandata exequantur. Quod autem pedibus seu pedestres ambulent, quod debeant etiam onera reipublicæ cum ipso Principe supportare, ipseque Princeps eorum humeris fretus Reipublicæ onera gerat: Purpurati vero, ut debeant cæteros doctrina & virtute præcellere. Pallium sive supercilium sub ipso Rege, & sub quo Rex insedebat, & auro contexto 12. baculis auratis deferebant, in cujus medio magna corona aurea quatuor sericeis chordulis dependens, in qua scutum erat cum Insignibus Franciæ & Mediolani mixtum, super vero Mediolani Insignia aurea Ducalis Corona existebat, ipsaque Corona Regalis, utraque videlicet Insignia Franciæ & Mediolani continebat.

Rex vestitus erat magna veste ex aureo tiriato contexta, & sub illa chlamide Ducali ex simili auro & pellibus pretiosissimis ornata, in capite Biretum antedictum gestabat.

Sequebantur Regem Reverendissimus Dominus Cardinalis Borgia, sedis Apostolicæ Legatus de latere, & cum eo Cardinalis Sancti Petri ad Vincula.

Post eos Cardinalis Rhotomagensis & Illustris Dux Sabaudiæ, qui supra equum suum gestabat ornamenta æstimationis 50. millium Ducatorum. His accedebant Excellentissimi Valentiæ & Ferrariæ Duces ditissime exornati. Succedebant Mantuæ & Montisferrati Marchiones amictu & ornatu sumptuoso & magni pretii.

Postmodum Oratores Venetorum, quorum duo præcedebant magnas chlamides auro contextas pretiosissimis pellibus, reliqui vero pretiosissime ornati erant.

Post hos Januensium Oratores viginti quatuor amictu splendido, & alii Oratores & Magnates Curiam Regiam sequentes.

Hos sequebantur 200. Nobiles Regiæ domus omnes armati gesa & mazzas ferreas gerentes, equis insedentes, & pileos cum plumaribus gestantes.

Succedebant præterea 1200. lanceæ ordinariæ nuncupatæ pari ornatu cum Nobilibus Regiæ domus, cuncti cum suis Ducibus seu Capitaneis & vexillis miro ordine.

Postea 2200. Archiferi equites additi lanceis supra dictis. Quælibet enim lancea habebat Archiferum suum.

Postremo quam plures extra ordinem belligeri ad numerum 3000. qui dentes longiores nostris habent, & potius vellent centum annis in bello vivere, quam diem unum pacificum agere, asseruntque se velle contra montes & Alpes pugnare, atque etiam contra Turchas, nisi Rex eos Neapolim mittat. Sequebatur infinitus populi numerus pene incredibilis.

Rex ad Arcem Mediolani deductus est, quam invenit ditissime & optime munitam, qui ingrediens Machinarum emissionibus ita aer pulsatus est, & tibiarum & musicorum innumerabilium sonitu, ut summa infimis, & infima summis mixta esse viderentur, in quo quidem ingressu non creditur fuisse Mediolani unquam antea visam Nobilium Virorum tantam multitudinem.

Cæterorum armatorum gentes, videlicet 600. lanceæ cum maximo aliorum equitum numero distributa erant per Castra & fortalitia & pro munitione fortalitiorum, & propter inimicorum incursus.

Causam tam repentinæ amissionis Ducatus & Status Mediolani supra ex oblivione non adnotavi. Illustris Dominus Ludovicus Dux Mediolani videns magnum apparatum & copias gentium per Regem Franciæ contra se parari, cognoscens, subditorum suorum animos erga eum infensos propter nimia onera eis composita, & sciens, propterea se non posse Gallis resistere, cum videret periculum sibi amittendi Statum imminere, si Rex Romanorum sibi non succurreret, statuit de Mediolano recedere, & ire versus Terras Regis Romanorum. Communicavit hoc suum propositum Regali Secretario & Oratori secum existenti, qui Duci subvenire existimans scripsit Romanorum Regi ad subveniendum Duci, nisi celeriter opportunum subsidium mittatur, non posse resistere, & oportere à Mediolano recedere. Nuncius has literas deferens, & terras Venetorum transiens, captus est, & litteræ lectæ missæ Regi Franciæ, qui eas misit Capitaneo exercitus sui cum mandato, ut Ducatum Mediolani invaderet, quod factum est. Veneti ex fœdere & pacto cum Rege Franchorum inito assecuti sunt Civitatem Cremonensem & omnes terras & loca ultra flumen Addam à Mediolano constituta. Obiit superioribus diebus mensis Septembris Reverendus Pater, Dominus Episcopus Tiburtinus, & Episcopus Ferrentinus, qui per miseriam suorum sine pompa in nocte sunt sepulti.

Feria sexta, nona Octobris in Secreto Concistorio Sanctissimus Dominus Noster pronuntiavit sedis Apostolicæ Legatum in Civitatibus, Peru-

Digitized by Google

Peruſina & Tudertina cum pertinentiis ſuis, excepta civitate Spoletana cum pertinentiis ſuis, quam reſervavit Lucretiæ filiæ ſuæ, Dominum Cardinalem Gurcenſem, & ei Fulginatenſem priorem legationem ſuam reſervavit. Et idem Sanctiſſimus Dominus Noſter poſt receſſum Cardinalis Aſcanii Legati Bononiæ pronuntiavit Legatum ejuſdem Bononiæ Reverendiſſimum Dominum Cardinalem Borgiam.

Feria ſecunda decima quarta Octobris rediit ad Urbem Domina Lucretia Borgia de Aragonia filia Papæ cum Principe germano, & Duce ſuo marito.

Feria tertia decima quinta ejuſdem receſſit ab Urbe Reverendiſſimus Dominus Cardinalis Grimanus iturus Venetias pro liberatione Domini Antonii Grimani generi, per Dominium Venetorum detenti.

Nam cum Rex Franciæ, ut Ducem Mediolani facilius evinceret, ſe Venetiis colligaſſet, & in eventum victoriæ Cremonam & omnia alia loca, caſtra, terras & oppida ultra fluvium Addam, ſeu citra reſpective à parte civitatis Bergomenſis & Briſcienſis ſita, Dominio Venetorum libere perpetuo addixiſſet Magnus Turca magnam claſſem maritimam paravit, de quo Veneti ſuſpicati, & ipſi claſſem Venetorum ordinarunt ad loca Turcæ vicina, cui claſſi Venetorum Rex Franciæ, & Magnificus Magiſter Magnus Rhodi plures naves dederunt.

Conſtituerunt Veneti claſſis ſuæ Capitaneum Dominum Antonium Grimanum Procuratorem Sancti Marci, magni nominis virum, qui ad locum deputatum perventus; cum Turca verſus Corfu potenti armata pergeret, dictus Capitaneus eum formidans, non auſus eſt ei reſiſtere, ſed ad partem ſe recepit. Unde Turcæ potenter Corfu invadentes ditioni ſuæ ſubjugarunt, cujus rei cauſam prædicto Capitaneo dederunt, & illum detentum Venetias mitti mandarunt. Et cum pro commiſſo crimine puniri dubitaverit, ideo præfatus Cardinalis Venetias profectus eſt, ubi ſingulis noctibus ſecrete apud Patronos hinc & inde Genitoris ſui innocentiam declarabat, & ejus liberationem practicabat.

His diebus Sanctiſſimus Dominus Noſter ficta cauſa, quod Domini Vicarii Ariminis, Piſauri, Immolenſis, Forolivienſis, Camerini, Faventiæ, & Dux Urbini Feudatorii Eccleſiæ Romanæ cenſum Cameræ Apoſtolicæ annuatim debitum non perſolverant, Auctoritas Apoſtolica non tamen Conciſtorialiter privavit eos, & privatos declaravit. Præterea Communitas Mediolani mutuavit Cameræ Apoſtolicæ 45000. Ducatos pro conducendis gentibus armorum ad intrandum manu forti civitates prædictas. Pecunias hujuſmodi recepit Dominus Cæſar Borgia Dux Valentiæ filius Papæ, Capitaneus gentium prædictarum, & pro earum reſtitutione obligaverunt ſe Reverendiſſimus Dominus Cardinalis Borgia Legatus, & Sancti Petri ad Vincula.

Dominica quinta Octobris obiit Frater Santor Generalis Ordinis Minorum, qui dicebatur reliquiſſe de bonis ſuis vaſa argentea pro credenzia valoris mille ducatorum, & ut aſſequeretur Cardinalatum, Papæ ſæpius obtuliſſe modo 30000. modo 40000. ducatos, & perſolvere voluiſſe.

Feria ſexta prima Novembris in nocte Domina Lucretia filia Papæ genuit filium maſculum, quod fuit omnibus Cardinalibus nuntiatum, & nuncianti donatum à ſingulis Cardinalibus Ducatos duos, & plus & minus.

Sabbato ſecunda Novembris obiit Joannes Maradus, Tullenſis & Segobrienſis Electus, qui portatus fuit ad Eccleſiam Beatæ Mariæ de pace ſepeliendus.

Domenica tertia Novembris Reverendus Pater Dominus Ludovicus Agnellus Archiepiſcopus Cuſentinus peſte infectus vita functus eſt Viterbii, ubi erat Gubernator.

Feria quarta ſexta Novembris Reverendus Pater Dominus Epiſcopus Slesvicenſis Locumtenens Rotæ me præſente emiſit ſpiritum.

Feria quinta ſeptima Novembris Illuſtriſſimus Ludovicus Rex Franciæ receſſit de civitate Mediolani, rediturus ad Franciam, & ſecum duxit Illuſtrem Principem Franciſcum Mariam Sfortiam Vice Comitem, primogenitum quondam Joannis Galeatii Ducis Mediolani.

Idem Rex interim quod habuit ex Francia nova, ex Regina uxore ſua filiam ſibi natam eſſe, de quo parum gaviſus eſt. Habuit deinde alia nova de ejuſdem filiæ obitu, de quo etiam parum contriſtatus.

Feria ſecunda, undecima Novembris baptizatus eſt in Baſilica Sancti Petri in Capella Sixti IV. per Reverendisſimum Dominum Cardinalem Neapolitanum Rodericus natus ex Lucretia Sanctisſimi Domini Noſtri filia, ubi venerunt omnes Cardinales. Interfuerunt hujuſmodi baptiſmo Orator Regis Romanorum & Oratores Regum Angliæ, Neapolitani, Dominii Venetorum, Ducis Sabaudiæ, Florentinorum & Senenſium. Tribuna ornata fuit palliis broccati aurei, & tapeta magna in terram per totum. Venit infans baptizandus portatus à Domino Joanne Cervillon, Catalano, olim Capitaneo gentium armorum Papæ, medius inter Gubernatorem Urbis & Oratorem Regis Romanorum. Dictus Gubernator tenuit infantem, dum baptizaretur à præfato Domino Cardinali Neapolitano, Caputaquenſi Secretario & Mutinenſi Datario Epiſcopis ſuper infantem tanquam Patrinis manus tenentibus.

Infante autem Eccleſiam exeunte tantus fuit tubarum ſonitus & aliorum muſicorum, ut vix quiſque ſuum verbum audiret.

Feria tertia duodecima Novembris Archiepiſcopus Tarantinus, & Accurſius de Petra, Clerici Sacri Collegii Cardinalium donarunt nomine ejuſdem Collegii prædictæ Lucretiæ duas confecterias argenteas cum 1200. ducatis loco confectionum.

Superioribus diebus Turcæ invaſerunt Patriarchatum Aquilejenſem Dominii Venetorum, & illum depopularunt, villas combuſſerunt, & magna damna intulerunt. Idem fecerunt

Digitized by Google

runt duabus villis Serenissimi Romanorum Regis adjacentibus.

Feria quarta decima quinta Novembris lectæ fuerunt confictæ litteræ, nescio sub cujus nomine scriptæ de tregua facta inter Romanorum & Franciæ Reges usque ad mensem Aprilis proxime futuri.

Feria secunda decima octava Novembris Dominus Cæsar Borgia de Aragonia Dux Valentinus per postas cum uno Camerario suo & fratre quondam Joannis Marades Electi Tullensis secrete rediit ad Urbem ad palatium Papæ, cum quo mansit usque ad diem Jovis, quo in mane recessit etiam secrete, associatus tamen à gentibus Papæ, equitavit versus Imolam, quam parum post violenter sibi subegit cum castro, & filios quondam Hieronymi Comitis, Nepotes Domini Cardinalis Sancti Georgii, ejusdem civitatis Dominos violenter spoliavit.

Eadem die Jovis post prandium idem Reverendissimus Dominus Cardinalis equitavit cum suis ad venationem, & cum esset prope Castrum Jubilæi, remissis ad Urbem pluribus de sua familia, ipse Cardinalis equitavit ad Montem rotundum.

In sero ejusdem diei quidam Thomasinus de Forolivio Musicus Papæ cum socio suo capti fuerunt, & ad castrum Sancti Angeli ducti & carcerati, eo quod hic Thomasinus Romam venerat cum certis litteris venenatis, quas in unam cannam reposuerat Sanctissimo Domino Nostro consignandam sub velamine, quod essent litteræ communitatis Foroliviensis petentis cum Pontifice compositionem.

Quas si Papa accepisset, eum venenassent, adeo, ut sine spe remedii post modicas horas cecidisset mortuus, & ut introductionem haberet ad Pontificem, misit pro quodam amico suo Thomasino de Forolivio senatore Joannis Borgiæ filii Papæ, & successive pro quodam alio provisionato custode portæ palatii Papæ, quibus tantum de proposito suo communicavit. Quod pervenit ad aures Pontificis, cujus jussu fuerunt carcerati, & ad statim examinati, rem fuerunt de plano confessi, & subjuncto illi principali: An cogitavit tanto facinore perpetrato eum non potuisse mortis periculum evadere? respondit, spem sibi firmam fuisse, Pontifice mortuo, civitates Foroliviensem & Imolensem ab obsidione Cæsaris Ducis Valentini filii Papæ liberari, & Dominam earundem civitatum relictam quondam Comitis Hieronymi, Patronam suam; quæ eum à juventute nutriverat, fuisse pacificatam, pro qua si posset decies mori, mortem subire paratus esset, & non timeret.

Post paucos dies recessit de Monterotundo prædictus Dominus Cardinalis Sancti Georgii, & per colles & valles, cum non omnibus confideret, pertransiens, cum paucis servitoribus suis pervenit ad Tarranam.

Dominica vigesima quarta Novembris fuit cantata Missa in Ecclesia Beatæ Mariæ de pace pro gratiarum actione, quod Pontifex à veneno & insidiis inimicorum liberatus esset.

Feria quarta undecima Decembris, venerunt nova Papæ, Cæsarem Ducem Valentinum expugnasse castrum Imolense, illudque sibi subjugasse.

Dominica tertia Adventus decima quinta Decembris, venerunt ad Urbem duo Galli, Dominus Ludovicus Borbonus, consanguineus Regis Franciæ, & Himbertus Baro Viennensis Consiliarius ejusdem Regis. Primus habuit locum in Capella in plano solii Papæ, & alter post Senatorem, quod suæ Sanctitati placuit.

Dominica quarta Adventus vigesima secunda Decembris fuit publicata prima vice Bulla Jubilæi per Urbem, & proclamatum, quod omnis Clerus debeat Vigilia Nativitatis Domini hora vesperorum ad Basilicam Sancti Petri venire, & apertioni portæ Sanctæ interesse.

Die vigesima quarta Decembris completa est ruptio viæ novæ rectæ à porta Castri Sancti Angeli ad portam palatii Apostolici, & antiqua via fuit clausa.

Eadem die Vigilia Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi Papa in Pontificali descendit in Basilica Sancti Petri pro vesperis dicendis, & hora vigesima venit processionaliter sub baldachino, manu sinistra candelam inauratam ardentem portans ad aperiendam portam sanctam, ubi cantatis Antiphonis ad hoc ordinatis Papa dedit tres ictus cum martello ad hoc destinato ad dictam portam, & postea prosecuti sunt muratores, & antequam Papa intraret portam, retrocesserunt Reverendissimi Domini Cardinales Olisiponensis, Ursinus, & Archiepiscopus Ragusinus, ituri ad Basilicas, aperturi ibidem portas aureas, prout sibi fuerat commissum à Sanctissimo Domino Nostro.

Sed cum Abbas & Monachi Monasterii Sancti Pauli nescirent, quænam porta aurea esset in Ecclesia prædicta aperienda, propterea supra dictus Archiepiscopus aperuit tres omnes portas in facie Ecclesiæ obstructas, potius, ut existimo, ad præcludendum malum aerem, quam alia ratione muratas.

Interim Papa admonuit, & fecit admonere, ut nullus ante Sanctitatem Suam præsumeret portam pertransire. Intravit Papa per dictam portam, & secuti sunt etiam Cruce sua Cardinales & Prælati Cantoribus cantantibus: Te Deum laudamus.

Annus Jubilæi M CCCCC. sedente Alexandro Papa sexto.

Feria tertia Vigilia circumcisionis Domini fuerunt Vesperæ Papales in Capella Papa præsente, quibus finitis publicati sunt novi Officiales Urbis, qui jurarunt fidelitatem & obedientiam Sanctissimo Domino Nostro more solito.

Feria quarta prima Januarii Sanctissimus Dominus Noster fecit Cancellariæ Apostolicæ Regentem, & Reverendissimi Vice-Cancellarii Locumtenentem Reverendum Patrem Dominum Archiepiscopum Ragusinum.

Post prandium Sanctissimus Dominus Noster ivit per deambulationem de palatio suo ad Castrum Sancti Angeli, ubi Dominam Lucretiam filiam suam ante Castrum prædictum equitantem

Google

tantem, ituram ad Ecclesiam Lateranensem cum equis circiter 200. cum magna Nobilium Virorum & mulierum comitiva spectavit. Prædicta Domina Lucretia à sinistris suis habebat Dominum Alphonsum de Aragonia suum maritum, & post eos Capitaneus custodiæ Palatii frater Reverendissimi Domini Cardinalis Borgiæ, & à dextris ejus quædam mulier, quos sequebantur multæ aliæ mulieres, habentes singulos Nobiles à sinistris.

Incipit secunda pars Libri cæremonialis Sanctissimi Domini Nostri Alexandri Papæ VI.

Feria quinta secunda mensis Januarii Reverendus Pater Dominus Episcopus Ragusinus post præstitum juramentum de officio hujusmodi fideliter exercendo, in manibus Sanctissimi Domini Nostri, hora Cancellariæ venit ad Cancellariam Apostolicam, & Bullam desuper sibi concessam exhibuit ibidem, & publice legit, & mansit ibi sedens Officium sibi commissum exercitaturus.

Veneris tertia Januarii obiit Episcopus Patavinus de Paralysia.

Die Martis decima quarta Januarii nunciatum est per Urbem, Arcem Foroliviensem fraudulenter & violenter, & in ea Magnificam Dominam Comitissam, relictam quondam Comitis Riarii, ab Illustri Domino Duce Valentino esse captam, cæteris omnis interfectis.

Præter hæc etiam nuntiatum est, Dominum Cardinalem Borgiam ex Bononia cum quatuor tantum ex suis per portas Urbinum applicuisse, ut Romam perveniret, & ibidem febrim ipsum invasisse Medicis suspectam, de quo Papa fuit per Dominum Episcopum Tiburtinum cum eodem Cardinali existentem, & deinde per alium nuncium significatum, febrim periculosam non esse, & quod morbilli apparerent, quorum causa febris advenerat, quodque Cardinalis ipse captura Arcis Foroliviensis intellecta equum ascenderat iturus Forolivium ad Ducem illi congratulaturus de victoria, & cum celeri accessu Forum Sempronium pervenisset, febrim vehementissimam rediisse, de qua exspiravit in nocte die decima sexta Januarii. Cadaver ejus portatum fuit ad Urbem die decima septima ejusdem, depositum in Ecclesia Beatæ Mariæ de Populo, ubi nulla ejus memoria habetur, nec sunt celebratæ exequiæ.

Feria secunda vigesima secunda Januarii in Publico Concistorio venerunt Oratores Regis Navarræ pro obedientia præstanda Sanctissimo Domino Nostro, qui præsentarunt litteras missivas eidem Papæ, à quo fuerunt recepti ad osculum pedis, manus & oris more solito. Litteræ continebant, & illos nominabant, scilicet unus consanguineus Regis, & alius Consiliarius Regis. Deinde fecit orationem, in qua nominavit Papam consanguineum Regis. Nescio, unde hæc consanguinitas procederet. Papa in responsione confessus est, se consanguineum Regis esse, subjungens, divina dispositione, per matrimonium hujusmodi consanguinitatem esse remotam. Post hæc venerunt quater mille milites Hispani ad osculum pedis pro honore, quia dicti Oratores nullum familiarem habuerunt. Familia Dominæ Lucretiæ filiæ Papæ associavit dictos Oratores ad eorum hospitium. Dicitur, uxor Ducis Valentini filii Papæ esse soror Regis prædicti.

Dominica secunda Februarii in Capella &c. interfuerunt Oratores tres Pisanorum, post alios Oratores conquestus est Florentinus Papæ, qui mandavit, ut ipsos Oratores Pisanos ponerem ad gradus solii sui. Interfuit etiam Orator Regis Navarræ, qui habuit locum immediate post Oratorem Regis Romani, quia non interfuerunt alii Oratores Regales. Dixit mihi Cardinalis Sanctæ Praxedis, locum præferri dicto Oratori Regis Navarræ ante Oratorem Regis Neapolitani, propter antiquitatem Regis Navarræ.

Interfuerunt etiam duo Oratores Imolenses, & duo Forolivienses, qui jussu Papæ sederunt in bancho Oratorum post Oratores, & Papa dedit seniori Foroliviensi Oratori ultra suam candelam, unam candelam albam pro Duce Valentino.

Superioribus diebus captus fuit, & in Castrum Sancti Angeli ductus Reverendus Pater Dominus Petrus de Aranda, Episcopus Calaguritanus, Magister domus Palatii Apostolici, de fide & hæresi suspectus, & commissum examen ejus & processus instructio Reverendo Patri Domino Archiepiscopo Ragusino Urbis Gubernatori, Domino Pyrrho, Cæsenatensi Episcopo, Cameræ Auditori, & Domino Egerdo Episcopo Slevicensi, rotæ Auditoribus, Locumtenenti, qui ab uno Dominorum Consiliariorum postea intellexi, quod produxit pro purgatione sua communi testes, quorum nullus fuit, qui non deponeret aliquid contra eum. Assertum autem fuit, inter alia ipsum fateri & dicere, Legem Mosaicam habere unum principium, Christianam autem tria, Patris, Filii, & Spiritus Sancti, sed Christum passum non esse, si est Deus, se orando dixisse: Gloria Patri, sicut erat, omissis filio & Spiritu Sancto, se fecisse prandium, antequam celebraret, Veneris, Sancti, & aliis diebus prohibitis comedisse carnes, Indulgentias nihil esse vel operari, & esse inventas à Presbyteris pro eorum commodo, non esse infernum neque purgatorium, sed paradisum tantum, & multa alia.

Diebus præteritis nuntiatum fuit Romæ, Alemannos cum magna potentia venisse ad Lacum Cumanum, quod Dominus Robertus Orator Romanorum dixit Pontifici, nullas tamen litteras habuit. Dictum etiam fuit de concordia Ducis Mediolani per Episcopos Sedunensem & Sorentinum firmata, & 20000. Ducatis per Ducem Mediolani singulis annis persolvendis.

Die lunæ tertia Februarii fuit mihi dictum per Oratorem Regis Romanorum, quod Dominus Cardinalis Ascanius eadem die intrasset Mediolanum, & cum eo Rex prædictus, & Illustris Cardinalis Sancti Severini. In nocte post Jovis ejusdem mensis venerunt quatuor Ca-

Digitized by Google

Caballarii ad Urbem cum litteris de introitu prædictorum die tertia dicti Mediolanum cum Duce Saxoniæ, & 3000. equites, & 10000. pedites, & cum caruciis bombardarum & pulveris. Eadem die sexta Ascanius cum 13000. peditibus equitavit Papiam, ubi fuit receptus à civibus. Dominus Jacobus de Trivultio, qui erat in Castro, exivit, & Castrum obtulit se sibi daturum.

Feria tertia quarta Februarii Reverendus Pater Dominus Vanalius Lucensis approbatus fuit in examine. Fuit coram Cardinali Alexandrino in domo sua per Auditores Rotæ, admissusque die Veneris, septima ejusdem mensis, in Camera Apostolica.

Feria tertia duodecima Februarii Camera Apostolica vendidit Dominæ Lucretiæ Borgiæ filiæ Papæ oppidum Sermonetæ cum Castro & omnibus pertinentiis pro 80000. Ducatis, quod pretium ipsa Camera ab eadem Domina Lucretia manualiter, & in numerata pecunia habuisse est confessa.

Feria quinta, vigesima Februarii Reverendus Pater Dominus Episcopus Parentinus Magister domus Cardinalis Cæsarini heri, ut dicebant, peste infectus, diem clausit extremum, nescio, ubi vel quomodo sepultus est, cum Patronus suus careat omni bonitate & humanitate.

Ordinatum fuit, quod singulis diebus Dominicis ostendatur Veronica populo per totum hunc Annum Jubilæi.

Feria secunda vigesima quarta ejusdem mensis Orator Magni Turcæ equitavit ad palatium Apostolicum, ut à Sanctissimo Domino Nostro audiretur, associatus ab Oratore Venetorum, nescio quomodo vel quando intravit in Urbe, quia nunquam suum adventum audivi.

Feria quarta vigesima sexta Februarii intimatum fuit de mandato Papæ omnibus Cardinalibus, quod dicta die hora decima nona mitterent familias suas obviam Illustri Duci Valentino extra portam de Populo.

Die Veneris vigesima prima hujus Dominus Cardinalis Ursinus venit obviam Duci usque ad Civitatem Castellanum, & die Sabbati Dominus Cardinalis de Farnesio ivit obviam eidem usque ad eundem locum, & hoc mane Dominus Cardinalis Capuanus ivit obviam dicto Duci ad tria vel quatuor milliaria, Oratores etiam omnes equitarunt usque extra portam Milvium usque ad prata, ibidem Ducem expectantes una cum familia Papæ & Cardinalium. Dux intravit portam inter 22. & 23. horas, receptus ab omnibus supra dictis Oratoribus, familiis & Officialibus. Cardinales prædicti expectaverunt eum extra portam, ubi detectis capitibus receperunt Ducem, detecto capite eis gratias agentem, qui equitavit medius inter Cardinales prædictos usque ad Palatium. Præcesserunt centum salmæ Ducis nigris coopertis. Ego non potui ordinare familias, quia erant pedites Ducis circiter mille Scorrenses & Guascones sub quinque vexillis armorum Ducis, qui non curarunt ordinem nostrum. Venerunt etiam obviam Duci pedites Papæ Lanzæ rottæ cum vexillo Sancti Andreæ. Voluerunt Scorenses, ut lanzæ rottæ deponerent vexilla, quod recusarunt, unde orta est inter eos magna contentio, quam Dux sedavit. Præcesserunt Scorrenses & Guascones cum suis vexillis, quos secuti sunt lanzæ rottæ cum suis, deinde Nobiles Ducis circiter 50. Dux habuit circa se 200. Stafferios, singuli roncones novos manu deferentes, & diploides de velluto nigro. Dux indutus erat veste velluti nigri usque ad genua, collanam habens satis simplicem, habuit multos tibicines, omnes cum armis suis, & duos Eraldos suos, unum Regis Franciæ, qui omnino ire volebat post servitores. Conquestus fuit Duci, qui mandavit ei, ut iret ante eos, quod fecit male libenter. Tubicines & alii sonatores non sonarunt, Duce sic mandante. Dux ibat medius inter Cardinales prædictos, post eos Archiepiscopus Ragusinus & Episcopus Seconiensis, Orator Franciæ, & Oratores Regum, Hispaniarum, Navarræ, Neapolitani & Angliæ.

Interfuerunt etiam Oratores Venetorum, Florentinorum, Sabaudiæ, & alii secuti sunt gentes armorum sub conductu Vitellotii in tanto tumultu, ut Prælati non potuerint habere loca sua. Dux genuflexus ante Pontificem in Camera Papagalli fecit brevem orationem ad Papam in vulgari Hispanico, agens Papæ gratias, quod sibi absenti dignatus esset facere tantam gratiam. Nescio, quid Papa responderit & in eodem sermone. Tum Dux osculatus est pedes ambos Papæ, & manum dexteram, & receptus est ad oris osculum, & post illum Nobiles omnes, qui cum eo venerunt.

Feria quinta Martii Illustris Dominus Cæsar, Dux Valentinus incœpit visitare omnes Cardinales, & non habuit secum aliquem Episcopum vel Prælatum, sed associatus fuit duntaxat à suis. Cum visitaret Cardinalem Senensem, discedens, de Camera ejusdem Cardinalis ivit ad sinistram Cardinalis, quia nullo modo voluit accipere dexteram, licet Cardinalis cum magna instantia illam offerret. Idem etiam fecit cum aliis Cardinalibus.

Veneris sexta Martii Dominus Cardinalis Gurcensis rediit ad Urbem de Legatione sua Perusina sine licentia Papæ.

Feria quarta undecima Martii fuit Concistorium secretum, ad quod vocati fuerunt Oratores Regis Romanorum, Franciæ, Angliæ, Neapolitani, Hispaniæ, Venetorum, Ducis Sabaudiæ & Florentinorum. Papa proposuit periculum, quod Christianis per Turchas comminabatur, & quod scripsisset de mense Octobris proxime præteriti Regibus & Principibus Christianis, qui mitterent mandata ad consultandum & providendum necessitati Christianæ, & nullus responderet. Fuit responsum convenire magis, prius fieri pacem & concordiam inter Principes Christianos, deinde curari rem Turcarum. Fuit dictum, Papam hoc proposuisse ad instantiam Venetorum pro eorum interesse particulari.

Superioribus diebus nunciatum est, die lunæ, vigesima quarta mensis Februarii proxime præteri-

teriti, ex Illuſtriſſimo Archiduce Auſtriæ & Illuſtriſſima Joanna filia Regis Hiſpaniarum, natum eſſe Principem, ob quam rem Orator Regis Romanorum fecit celebrare miſſam ſolemnem cum aſſiſtentia nonnullorum Cardinalium, & Prælatorum, & aliorum devotorum.

Genealogia hujus Principis hæc eſt: Pater Philippus, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Avus Paternus, Proavus Paternus, Maximilianus, Federicus Romanorum Imperator, Avia Paterna Maria, filia Ducis Burgundiæ, Proavia Materna Leonora Auguſta, filia Regis Portugalliæ, Avus Maternus Ferdinandus Aragonum Rex, Avia Materna Eliſabeth Regina Hiſpaniarum, Proavus Maternus Alphonſus, Aragoniæ, Siciliæ Rex. Per Avum Maternum genus à Romano, per aviam paternam genus à Regibus Franciæ atque Burgundiæ, per Proaviam Paternam à Regibus Portugalliæ, per maternam à Regibus Aragonum trahit hic Princeps originem.

Die Dominica quarta quadrageſimæ Sanctiſſimus Dominus Noſter, volens Illuſtrem Dominum Cæſarem Borgiam Ducem Valentinum creare Capitaneum Generalem, & Confalonerium Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & ſibi dare Roſam, exivit propterea Sua Sanctitas in Baſilicam Sancti Petri, Roſam manu ſiniſtra deferens, & prædictus Dux præceſſit ante eum in veſte broccati ricci usque ad genua, & poſt eum inceſſit unus ſcutifer Papæ deferens inſignia Confaloneriatus, ſcilicet mantum & biretum de hermelinis perlis compoſita, ac brocati auri. Dux acceſſit ad ſolium ad ſedem eminentem. Tum genuflexus ante Pontificem, qui dixit ſolitas orationes. Qua peracta Dux fuit exutus ſua veſte, quam ego accepi. Erat enim pretii 400. Ducatorum vel circa. Papa accepto manto impoſuit Duci, dicens: Induat &c. Deinde accepto bireto, impoſuit capiti Ducis, dicens in hunc modum:

Accipe inſigne Confaloneriatus &c. Dux venit ad Pontificem, & capite detecto genuflexus præſtitit fidelitatis juramentum, ſub his verbis videlicet:

Ego Cæſar, Borgia de Francia, Dux Valentinus Confalonerius Vexillifer ſeu Capitaneus Generalis Romanæ Eccleſiæ &c.

Papa deinde ſedit, & propter præeminentiam dignitatis Confaloneriatus mandavit dari locum prædicto Duci Confalonerio in Banchis Cardinalium poſt ultimum Diaconum Cardinalem.

Deinde Papa benedixit duo vexilla ſive Stendarda, unum Papæ, aliud Eccleſiæ, & baculum album groſſum longitudinis quatuor palmorum in circa.

Deinde Pontifex tradidit Duci dicta vexilla, dicens: Accipe vexilla, cœleſti benedictione ſanctificata, ſintque inimicis populi Chriſtiani terribilia, & det tibi Dominus gratiam, ut ad ipſius gloriam & honorem cum illis hoſtium cuneos potenter ' ſis incolumis & ſecurus. Et dedit etiam dicto Duci baculum album.

Deinde eidem dedit roſam dicens: Accipe roſam de manibus noſtris, qui licet immerito locum Dei in terris tenemus, per quam deſignatur gaudium utriusque Hieruſalem, triumphantis & militantis Eccleſiæ. Suſcipe hanc, dilectiſſime fili, qui es ſecundum ſeculum nobilis, potens, & multa virtute præditus, & amplius omni virtute nobiliteris, tanquam roſa plantata ſuper rivos aquarum multarum, quam gratiam de ſua uberanti clementia tibi concedere dignetur.

Feria ſexta tertia Aprilis fuit Conſiſtorium ſecretum, in quo Sanctiſſimus Dominus Noſter per ſuam ſententiam in ſcriptis pronuntiavit, prætenſum matrimonium inter Illuſtriſſimum Regem Ungariæ & Illuſtriſſimam Dominam Beatricem, filiam Regis Neapolitani eſſe nullum, & de facto præſumptum, & impoſuit perpetuum ſilentium ipſi Beatrici, & eam condemnavit in expenſis, ſportulæ ſive propinæ fuerunt 25000. ducati.

Feria ſecunda ſexta Aprilis Reverendus Pater Dominus Antonius novus Auditor Rotæ fuit per Dominos Auditores receptus, & admiſſus in Rota.

Cum nuper differentia eſſet inter quendam Burgundum, & quendam Gallum pro quodam vexillo, & Gallus vexillum ipſum Burgundo rapuiſſet, Burgundus indixit duellum Gallo. Habitum eſt igitur inter eos duellum in Teſtacea, & vicit Burgundus, pro cujus honore Principiſſa, uxor Domini Joannis filii Papæ, Principis Squillaci veſtivit duodecim ſcutiferos ſuos. Et dictum fuit, Ducem Valentinum dixiſſe, velle potius perdere 20000. ducatos, quam Gallum ſuccubuiſſe.

Sabbato undecima Aprilis Petrus Palutius Civis Romanus, qui nuper in Monte Jordano à Virgilio & Livio fratribus de Buſalis graviter injuriatus & vulneratus fuerat, intelligens, dictos Virgilium & Livium ac Gregorium eorum patruum eſſe in domo Mancinorum, invocavit auxilium Gubernatoris Urbis, qui cum Barigello & magna gente circumdederunt domum prædictam, quam viriliter exivit Livius cum certis ſuis, & fuit in platea ad ſtatim interfectus ex multis vulneribus, Virgilius & Gregorius fuerunt capti, Virgilius ductus ad Capitolium, & ibi ſuper ſcalis ſine manara, ſed cum ſerretina pluribus ictibus ſibi datis capite truncatus. Gregorius fuit conſignatus Petro Palutio, qui eum duxit in domum ſuam, ubi per aliquot menſes manſit captivus. Tandem Sanctiſſimus Dominus Noſter ſcripſit pro eo, ad cujus complacentiam fuit liberatus.

Die Veneris, decima hujus, nunciatum eſt in Urbe, Ducem Mediolani & gentes ſuas à Gallis captos fuiſſe, Scorenſes autem & cæteros illæſos abiiſſe. Et id contigiſſe ante civitatem Novarienſem. Ex quo poſt quartam horam noctis auditi ſunt usque, & per totam noctem clamores, & jubilatus per Urbem: Urſo, Urſo, Francia, Francia! cum ſonitu multarum tubicinarum. Papam, dictum fuit, donaſſe nuncio, qui hæc nova attulit, centum ducatos.

Martis ſequente Orator Venetus habuit literas de præmiſſis, & in ſero ejusdem diei facti

fuerunt

Digitized by Google

fuerunt in Monte Jordano & in multis locis à partialibus Ursinorum ignes triumphales.

In nocte sequente venit ex Lombardia unus ex gentibus Caroli Ursini, qui retulit Sanctissimo Domino Nostro, Reverendissimum Dominum Cardinalem Ascanium fuisse captum die Dominica palmarum proxima per Carolum Ursinum in quodam Castro Comitatus Placentini, cum esset in fuga cum equis circiter 600. & omnia illorum data fuisse in prædam, quæ ascenderunt ad valorem 200000. ducatorum, & eundem Cardinalem cum tredecim personis principalioribus suis fuisse per eundem Carolum ductos Venetias.

Dominica resurrectionis decima nona mensis Aprilis populus, qui interfuit benedictioni Papæ, æstimatus fuit 200000. hominum.

Sabbato in Albis obiit Dominus Cardinalis Segobricensis Romæ in domo sua.

Veneris, decima quinta Maji, Reverendissimus Dominus Cardinalis Ascanius Vice-Cancellarius, qui Venetiis in principio hujus mensis consignatus fuit Oratoribus Regis Franchorum in Franciam ducendus cum omnibus Protonotariis, Abbatibus & Prælatis, secum nuper captis, intravit Mediolanum in Rocheto & mantello, & post eum Prælati prædicti equis insidentes, pedibus sub equis colligatis & manibus ante. A multis stipendiariis Regis Franciæ associatus ductus fuit ad Castrum Mediolani, & inde ad Franciam.

Feria tertia, decima nona Maji, Reverendissimus Dominus Cardinalis Medices, qui ante plures menses recessit ab Urbe, iturus ad Allemanniam, cum paucis ex suis in habitu mercatorum, visurus mundum, rediit ad Urbem.

Dominica vigesima quarta ejusdem proclamatum fuit per Urbem, contra Corsos, propter diversa damna, quæ peregrinis & aliis inferebant.

Per parte del Governatore dell' Alma Città di Roma, & suo distretto si commanda, che tutti & singoli Corsi dell' uno & l' altro sesso, ancorche nati non fossero di Padre & Madre Corsa di qualita, sorte, tanto secolari, quanto Ecclesiastici, ancorche siano condotti alli stipendii di Sua Santità, che infra termine di dieci di debbano partirsi personalmente, & con tutti le loro famiglie dalla Città di Roma, e da tutte e singole provincie della Santa Chiesa, altrimente finito detto termine incorreranno le pene di confiscatione de beni, di ribellione, & altre pene capitali contro ribelli, homicidi & robbatori di stradde imposte: & trovandosi doppò detto termine in alcuni delli luoghi di detta Santa Chiesa, sia licito a qualunque persona etiam, che non sia Officiale, du punire di pena capitale, come di sopra, & per ciaschedum corso, che essi pigliaranno o consignaranno, haveranno ducati sei di Camera. Ancora si commanda, che nessun Barone, ne altra persona publica ò privata, Ecclesiasticha ò secolare ne Communità, overo Officiale alla Santa Chiesa soggetti ardisca alcun Corso recettare, nelle loro terre, ne a quelli dar ajuto ò favore sotto pena di scommunicà latæ sententiæ, laquale contrafacendo ipso facto incorrino, & li luoghi, dove se li dara ricetto, siano ipso fatto sottoposti all' interdetto Ecclesiasticho.

In oltre tali ricettanti incorrino in privatione di tutti i privileggi & confessioni di feudi dalla detta Santa Chiesa, & la pena di 3000. ducati d' oro, & applicarsi alla Camera Apostolica, nella quale pena incorrino anco li bassali, dove saranno trovati, e per essecutione dette sudette pene ex nunc si concedani le represaglie contro di recettanti, & loro sudditi: Dichiarando nulle tutte licenze & privileggi, indulti & salvi condotti concessi, ò da concedersi a detti corsi, di poter entrare ò stare in alcun luogho o terra di santa Chiesa, salvo, che d' expresso mandato di Sua Santità non li fosse per l' auvenir concesso.

Che nessun navigante presuma con loro navigli condurre ad alcuna parte ò provincia di Santa Chiesa alcun Corso, sotto pena di scommunica latæ sententiæ, & perdita de loro navilii, & di cento ducati per ciashedun corso, che conducessero, & tali conducenti incorrino la pena di perpetuo essilio da dette terre & provintie, salvo quelli, che con li lore vini ò mercantie si conducessero, li quali debbano presentarsi all' Officiali del luogo, ove capitaranno, & farsi notare, & fermarsi solo per fin che siano finite loro mercantie, & il simile far nel ritorno, altrimente sia ritenuto il navilio, & li compagni, & confiscato, come sopra.

Feria quarta vigesima septima Maji Vigilia Ascensionis Domini suspensi fuerunt decem & octo viri in ponte, inter hos 18. fuerunt medicus & chirurgus Hospitalis Sancti Joannis Lateranensis, qui singulis diebus bono mane exibat cum balista, & interficiebat, quos poterat, & eorum pecunias auferebat. Fuit etiam dictum, quod Confessor ejusdem Hospitalis, cum in confessione infirmus diceret, se pecunias habere, renunciabat medico prædicto, qui dabat ei Recipe &c. ut expediretur, & pecunias inter eos dividebant. 13. fuerunt de illis, qui Oratorem Regis Franciæ in monte Viterbii bonis suis spoliaverunt.

Feria sexta, quinta Junii Dominus Cardinalis Ascanius recessit de Castro Mediolani, iturus Franciam, associatus à 30. Nobilibus & aliis equestribus.

His diebus Sanctissimus Dominus Noster imposuit vigesimam Hebræis, & decimam Clero ad triennium singulis annis persolvendam.

Taxa redituum Reverendissimorum Dominorum Cardinalium, ad cujus rationem est solvenda decima pro expeditione contra Turcas.

Reverendissimi Domini

Cardinalis Neapolitanus pro Ducatis - - 10000.
Cardinalis S. Petri ad Vincula pro ducatis 20000.
Cardinalis Sanctæ Mariæ in porticu pro ducatis - - - - - 15000.
Cardinalis Sancti Angeli pro ducatis - - 12000.
Cardinalis Ulisbonensis pro ducatis - - 12000.

Digitized by Google

Cardinalis Racanatensis pro ducatis - - 12000.
Cardinalis Sancti Clementis pro ducatis 10000.
Cardinalis Beneventanus pro ducatis - 10000.
Cardinalis Sanctæ Praxedis pro ducatis - 10000.
Cardinalis montis Regalis pro ducatis - 10000.
Cardinalis Ursinus pro ducatis - - 10000.
Cardinalis Alexandrinus pro ducatis - - 8000.
Cardinalis Sanctæ Crucis pro ducatis - 10000.
Cardinalis Gurcensis pro ducatis - - 3000.
Cardinalis Agrigentinus pro ducatis - - 2000.
Cardinalis Capuanus pro ducatis - - 10000.
Cardinalis Germanus pro ducatis - - 7000.
Cardinalis Arborensis pro ducatis - - 2000.
Cardinalis Regiensis pro ducatis - - 2000.
Cardinalis Cusentinus pro ducatis - - 2000.
Cardinalis Salernitanus pro ducatis - - 3000.
Cardinalis Caputaquensis pro ducatis - - 2000.
Cardinalis Cumanus pro ducatis - - 6000.
Cardinalis Mutinensis pro ducatis - - 3000.
Cardinalis Senensis pro ducatis - - 9000.
Cardinalis Sancti Georgii pro ducatis - 18000.
Cardinalis Columna pro ducatis - - 3000.
Cardinalis Ascanius pro ducatis - - 30000.
Cardinalis de Medices pro ducatis - - 6000.
Cardinalis Sancti Severini pro ducatis - 13000.
Cardinalis Estensis pro ducatis - - 13000.
Cardinalis Cæsarinus pro ducatis - - 2000.
Cardinalis Franciscus pro ducatis - - 2000.
Cardinalis Borgia pro ducatis - - 10000.
Cardinalis Cornarus, qui nihil habet reditus nihil.
Cardinalis Macloricensis pro ducatis - 12000.
Cardinalis Cenomanensis pro ducatis - 8000.
Cardinalis Dalbertus pro ducatis - - 2000.
Cardinalis Sanctorum Coronatorum pro ducatis - - - 8000.
Cardinalis Hispalensis pro ducatis - - 14000.
Cardinalis Aragonia pro ducatis - - 2000.
Cardinalis Rhodianus, Cardinalis Polonus, Cardinalis Strigoricensis, } isti, quia in bello existunt, nihil solvunt.
Henricus Episcopus Tarantinus Sacri Collegii Clericus & Secretarius ac decimarum Collector manu propria.

Cameræ Apostolicæ.

Vice-Cancellarius - - - 50.
Notarii ejusdem - - - 40.
Auditor Generalis - - - 100.
Notarii ejusdem - - 100.
Thesaurarius Generalis - - 70.
Notarii ejusdem - - 30.
Clerici ejusdem - - - 300.
Notarii ejusdem - - - 200.
Advocatus fisci - - - 8.
Procurator fisci - - - 8.
Abbreviator - - - 8.
Computista ejusdem - - - 4.
Depositarius Generalis - - - 100.
Clerici Collegii - - - 60.
Executor Cameræ - - - 12.

Secretariæ.

Secretarii ejusdem - - - 1200.
Summator Bullarum - - - 30.

Plumbi.

Magistri ejusdem - - 150.
Plumbatores ejusdem - - - 60.
Collectores ejusdem - - - 1248.

Palatii.

Servientes armorum - - - 150.
Magistri Ostiarii - - 64.
Cursores Sanctissimi - - 100.
Custodes portæ ferreæ - - 18.
Custodes catenæ - - 4.
Magistri Sacri Palatii - - - 8.
Cubicularii - - 20.
Scutiferi honoris - - 60.
Bibliothecarius - - 10.

Capellæ.

Sacrista ejusdem - - 8.
Assistentes - - - - 50.
Subdiaconi - - - - 200.
Acoluthi ejusdem - - - 40.
Magistri cæremoniarum - - 30.
Magistri Capellæ - - - 10.
Cantores ejusdem - - - 100.
Capellani ejusdem - - - 8.

Cancellariæ.

Regens ejusdem - - 40.
Corrector ejusdem - - 70.
Ostiarius ejusdem - - 20.
Notarius ejusdem - - 40.
Abbreviatores de parco majori - - 300.
Abbreviatores de parco minori - - 812.
Officium de consuetis - - - 20.
Sollicitatores - - 200.
Protonotarii - - 300.
Examinator ejusdem - - 10.
Scriptores Apostolici - - 2000.

Registri supplicationum.

Magistri ejusdem - - 60.
Clerici ejusdem - - - 24.
Scriptores ejusdem - - - 80.

Registri Bullarum.

Magistri ejusdem - - - 120.
Scriptores salariati - - - 60.
Scriptores non salariati - - 100.

Rotæ.

Auditores ejusdem Rotæ - -
Notarii ejusdem - - - 500.

Auditores contradictarum.

Auditor contradictarum - - 40.
Lectores contradictarum - - 24.
Procuratores - - - - 140.
Notarii duodecim - - - 12.

Pœnitentiariæ.

Regens ejusdem - - - 25.
Auditor ejusdem - - - 20.
Scriptores ejusdem - - - 224
Procuratores ejusdem 1 - 144.
Pœnitentiarii majores - - - 10.

Urbis.

Vicarius Papæ - - - - 40.
Notarii ejusdem - - - 24.
Auditor ejusdem - - - 20.
Marescallus - - - 4.
Capitaneus curiæ Sabellorum - - 30.
Notarii ejusdem - - 10.
Auditor - - - 8.
Barigellus ejusdem - - - 100.
Soldanus curiæ - - 15.
Capitaneus Turris novæ - - 5.
Senator Urbis - - - - 100.

Mon-

d by Google

Montium.
Hospitale Sancti Jacobi prope Colisæum - -
Hospitale Sancti Alberti - - - 1.
Columnæ.
Hospitale Sancti Hieronymi - - 2.
Hospitale Sancti Joannis Britannorum - 4.
Pontis.
Hospitale Sancti Spiritus in Saxia - - 400.
Hospitale Sancti Angeli - - - 6.
Hospitale Bohemorum - - - 10.
Hospitale Portugallensium - - 6.
Hospitale Flandrorum - - - -
Barconis.
Hospitale Teutonicorum - - -
cum Capellis - - - - 30.
Arenulæ.
Hospitale Anglicorum - - - 30
Sancti Eustachii.
Hospitale Franchorum - - - 20.

Feria quinta undecima ejusdem fuit dictum, Regem Franciæ Pisas venisse absque gentibus armorum, & arma Regis undique per Pisanam Civitatem affixisse.

Feria quarta vigesima quarta Junii platea Sancti Petri fuit undique trabibus clausa. Post prandium fuerunt ad claustrum hujusmodi intromissi sex ibidem gladiandi & Jannettiis sagittandi. Dux Valentinus equester traxit ad eos multos ictus, & quasi tandem animalia perierunt.

Sabbato, vigesima septima dicti, Cardinalis Gurcensis rediit ex Legatione sua Perusina ad Urbem.

Feria secunda Dominus Hieronymus Orator Regis Neapolitani in Capella dixit Papæ, se alias supplicasse pro commissione causæ à sententia contra Regem Ungariæ per Sanctitatem Suam nuper lata, quæ nondum erat signata. Propterea protestatus fuit, prout continebatur in quadam schedula, quam obtulit Notario, & Papa fecit dari Cardinali Alexandrino, & ibidem Dominus Hieronymus fecit similem Notario prædicto.

Deinde prædictus Orator Regis Neapolitani obtulit Sanctissimo Domino Nostro equum album phaleratum dicens: Beatissime Pater, Serenissimus Dominus Ferdinandus, Rex Indiarum & Hierusalem Sanctitatis Vestræ, & hujus Sanctæ Sedis devotus filius tenetur singulis annis in Festo Apostolorum Petri & Pauli pro dominio Regis offerre Sanctitati Vestræ unum paraphrenum album decenter ornatum, quem ego Orator & Procurator suus ad hoc speciale mandatum habens Sanctitati Vestræ assigno, supplicans, dignetur illum ad effectum prædictum benigne suscipere. Papa respondit: Accipimus juxta tenorem Investituræ Regi concessæ. Ex tunc Orator Regis Franchorum dixit:

Beatissime Pater, cum Regnum Neapolitanum spectet de jure ad Christianissimum Regem Franciæ, supplico Sanctitati Vestræ, ut per hujusmodi acceptationem non velit juri Christianissimo Regi ad Regnum prædictum competenti in aliquo præjudicare, cujus nomine offero Sanctitati Vestræ, postquam Christianissimus Rex meus fuerit in possessionem ejusdem Regni constitutus, longe majorem commoditatem Sanctitati Vestræ, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ facturum. Papa subrisit, & nihil respondit. Orator Regis Neapolitani voluit, nescio quid, replicare. Sed Papa manu & ore indixit ei silentium. Non opus erat aliqua replicatione.

Eadem die post horam vesperarum circa horam vigesimam primam venit tempus valde turbidum cum magna pluvia & grandinibus grossis ad instar fabarum & vento vehementissimo, ex cujus impetu cecidit maximum caminum longum multis cannis super tectum, ex cujus ruina fregerunt tectum, & tectum fregit unam trabem aulæ inferioris Pontificis, in qua Papa tunc sedebat. In aula superiori læsit tres personas, quæ simul cum ruina ceciderunt in aulam inferiorem, quarum una ad statum mortua est, & aliæ duæ paulo post. Cum Papa erant soli Reverendissimus Cardinalis Capuanus & Gaspar Roto Cubicularius secretus, qui videntes tempus adeo turbatum, & ventum cum pluvia per fenestras ingredi, de commissione Papæ iverunt versus duas fenestras, ut eas clauderent, & ecce ruina saltarunt in fenestras, in quibus salvati sunt. Videntes autem ruinam Pontificis sedem circumdedisse, acclamarunt illi, portam Aulæ custodientes: Il Papa e morto! Il Papa e morte! De quo sine mora clamor & rumor venit ad Urbem. Accesserunt ad Sedem Papæ, acclamantes: Pater Sancte! Pater Sancte! Papa non respondit Magis igitur timuerunt. Approximarunt autem Papæ, repererunt eum sedentem, non mortuum, sed tamen attonitum, vulneratum in capite duobus ictibus. Ab uno loco pellis erat aperta, & in alio loco conquassatio, & tumor, & manu dextera in digito medio, & etiam parum cum uno clavo in brachio dextero, extraxerunt eum de sede prædicta, & duxerunt ad Cameram, ubi adhibita sunt ei remedia opportuna, & nuntiatum est ad Urbem Cardinalibus & aliis, Papæ periculum aliquod non imminere. Salvus autem Papa fuit, quia trabs illa, quæ erat in medio, habebat in capite clavos extra muros infixos, quorum partem supra sedem Pontificis existentem, à capite in muro fortiter tenuit, adeo, ut trabs illa mansferit in muro, & ejus medium, quod ruptum erat, declinaverit in terra, & factum sit Papæ defensorium, ita ut non omnia declinarent ad medium, & non versus Papam.

Feria quinta secunda Julii Festum Visitationis Beatæ Mariæ Virginis fuit dicta Missa solemnis ad laudem Beatæ Virginis Mariæ, quæ Sanctissimum Dominum Nostrum prælervavit.

Dominica quinta Julii in Castro Sancti Angeli obiit Dominus Jacobus de Sermoneta Sedis Apostolicæ Protonotarius, qui associatus fuit ad Ecclesiam Sancti Bartholomæi in Insula.

Die decima quinta Julii circa primam horam noctis Dominus Alphonsus de Aragona, Dux Vigiliarum, maritus Dominæ Lucretiæ filiæ Papæ, supra planum scalarum Basilicæ Sancti Petri per plures personas assaltatus fuit, & in

Digitized by Google

capite ac brachio dextro ac crure graviter vulneratus. Invasores aufugerunt per scalas Sancti Petri, ubi circiter 40. equites eos expectaverunt, cum quibus equitarunt versus portam Pertusam.

Sabbato vigesima quinta Julii festo Sancti Jacobi Sanctissimus Dominus Noster circa horam vigesimam fecit se portari ad Ecclesiam Beatæ Mariæ de populo pro gratiarum actione à liberatione periculi supra dicti, ubi dixit orationem particularem. Deinde Papa obtulit Beatæ Mariæ unum calicem inauratum satis magnum & satis pulchrum, in quo erant ducati 300. in circa in auro, quos Reverendissimus Dominus Cardinalis Senensis de calice avertit super Altare, ut ab omnibus videretur. Quod credo non displicuisse. Nihil datum fuit pauperibus per viam. Interfuerunt quindecim etiam Cardinales.

Feria quarta vigesima nona Julii in Consistorio secreto Dominus Ludovicus Borgia frater bonæ memoriæ Cardinalis Borgiæ defuncti, fuit præfectus Ecclesiæ Valentinensi, & Dominus Cardinalis Ursinus renuntiavit legationem Marchiæ, & pronuntiatus fuit Legatus Boroniæ.

Dominica 9. Augusti in meridie pro prima vice in omnibus Ecclesiis Parochialibus Pater Noster & Ave Maria dicendum contra Turchas, prout tempore felicis recordationis Calixti Papæ tertii fuit institutum. Et sic observari debet in futurum de mandato Papæ singulis diebus.

Feria tertia undecima Augusti portatum fuit cadaver Domini Dominici de Capranica Clerici Cameræ Apostolicæ de Civitate Cornetana, in qua obiit Dominica proxime præterita, ad Urbem, & in Ecclesia Sancti Marci sepultum.

Feria tertia decima octava Augusti Illustris Dominus Alphonsus Dux Vigiliarum & Princeps Salernitanus, qui in sero diei 15. præteriti graviter fuit vulneratus, cum nollet ex hujusmodi vulneribus sibi datis mori, in lecto fuit strangulatus circa horam decimam nonam, & circa primam horam noctis. Portatum cadaver in Basilicam Sancti Petri. Dominus Franciscus Borgia Thesaurarius Papæ cum familia sua associavit cadaver prædictum. Capti fuerunt, & ad Castrum Sancti Angeli ducti Medici defuncti & quidam gibbosus, qui ejus curam habere consueverat, & contra eos inquisitio facta. Liberati parum post, cum esset immunis, qui mandantibus ceperat optime notum.

Dominica vigesima quarta Augusti intravit Urbem Dominus Ludovicus de Villanova, Baro de Tranis Camberlarius Regis Franciæ & Orator ejus, ad quem in taberna prope Hospitale Sancti Spiritus, ubi ipse Orator expectabat, venit quidam equester mascheratus, descendit ex equo, & retenta maschera amplexatus est Oratorem, & eum allocutus. Dixerunt, mascheratum esse Ducem Valentinum. Orator ascendit equum, & equitavit versus Urbem. Venerunt ei obviam familia Papæ, Cardinalium, ac etiam Oratores Regum Hispaniarum & Neapolitani.

Feria secunda ultima Augusti, Magnifica Domina Lucretia filia Papæ recessit ab Urbe, itura ad civitatem Nepesinam, associata a 600. equitibus, ut caperet aliquam recreationem dictarum perturbationum, quas habuit propter obitum Ducis Vigiliarum sui mariti.

Feria quarta nona Septembris intravit Urbem Magnificus Dominus Martinus Georgius, Orator Venetorum, qui à familiis Papæ & Cardinalium fuit pompose receptus.

Feria sexta undecima Septembris Reverendus Pater Dominus Jacobus Episcopus Alatrinus, Magister domus Domini Cardinalis Ascanii Vice-Cancellarii captus fuit in sua domo per Barisellum Urbis, & ad carceres Turris Soldani ignominiose ductus.

Heri nuntiatum est, Turcas habuisse, & ditioni suæ subjugasse nona Augusti civitatem Matonensem, & duas alias civitates Venetorum, in quibus neminem dimisit vivum, & pueros & mulieres necavit. Alii dixerunt, quod cum Christiani viderent, non posse civitatem à Turcis defendere, induxerunt omnes mulieres & pueros in unam domum, & imposuerunt ignem, & combusserunt omnes, ne inciderent in manus Turcarum.

Feria secunda vigesima octava Septembris in secreto Concistorio, cui interfuerunt quindecim Cardinales, creati & promoti fuerunt, duodecim novi Cardinales, videlicet: *Didacus Archiepiscopus Hispalensis, Jacobus Archiepiscopus Arborensis*, Vicarius Sanctissimi Domini Nostri Papæ; Thomas Archiepiscopus Strigonicensis; Petrus Archiepiscopus Regiensis Gubernator Urbis; Franciscus Borgia Archiepiscopus Cusentinus, Thesaurarius Generalis Papæ; Joannes, Archiepiscopus Caputaquensis, Secretarius Papæ; Antonius Episcopus Cumanus; Joannes Baptista, Episcopus Mutinensis Datarius: Antonius Dalbert, sororius Ducis Valentini; Marcus Canarius Venetus. Quorum sex fuerunt ab Urbe absentes, alii vero facta pronuntiatione fuerunt vocati ad Concistorium, & ad statim receperunt bireta rubea, & fecerunt prandium cum Duce Valentino.

Feria sexta secunda Octobris Papa vocari fecit ad se Cardinales antiquos, cum quibus tractavit de creatione aliquorum Legatorum ex novis Cardinalibus. Et fuit conclusum, quod dicta creatio Legatorum prorogaretur ad aliud tempus, quod factum est.

Feria sexta secunda Octobris fuit publicum Concistorium, in quo Papa dedit novis Cardinalibus supra dictis capelum more solito.

Feria secunda - - - - Octobris fuit Concistorium secretum, in quo Papa creavit tres Legatos de latere, videlicet Gurcensem, Salernitanum & Reginensem, primum ad Allemanniam, secundum ad Ungariam, tertium ad Franciam. Deinde Papa dedit titulos novis Cardinalibus, quos annotabo inferius.

Didacus tituli Sanctæ Sabinæ, Presbyter Cardinalis Hispalensis, Patriarcha Alexandrinus.

Jacobus tituli Sancti Vitalis Presbyter Cardinalis Arborensis.

Thomas

Digitized by Google

Thomas tituli Sancti Sylvestri Cardinalis Strigorensis.

Petrus tituli Sancti Cyriaci in thermis Presbyter Cardinalis Reginensis.

Franciscus tituli Presbyter Cardinalis Cusentinus.

Joannes tituli Sanctæ Balbinæ Presbyter Cardinalis Salernitanus.

Ludovicus tituli Sanctæ Agathæ Presbyter Cardinalis Caputaquensis.

Antonius tituli Sanctæ Anastasiæ Presbyter Cardinalis Cumanus.

Joannes Baptista tituli Sancti Chrysogoni Presbyter Cardinalis Mutinensis.

Amaneus tituli Sancti Nicolai in carcere Tulliano, Diaconus Cardinalis de Loreto.

Ludovicus tituli Sanctæ Mariæ in via lata, Diaconus Cardinalis Borgia.

Marcus Sanctæ Mariæ in Porticu Diaconus Cardinalis Cornarus.

Feria secunda vigesima sexta Octobris fuit secretum Consistorium, quo finito Reverendissimus Dominus Cardinalis Gurcensis Legatus ad Germaniam discessit versus Allemaniam, associatus ab omnibus Cardinalibus de Concistorio.

Sabbato ultima Octobris venerunt litteræ ad Urbem ab Illustrissimo Rege Angliæ, qui singnificabat, Reverendissimum Dominum Joannem, Cardinalem Camerinum die decima quinta Octobris proxime præteriti diem clausisse extremum.

Feria tertia, tertia Novembris, fuit excrescentia Tiberis, ut non potuerit equitari ad palatium, & crevit usque ad mediam noctem, & per totum diem Jovis. Quinta ejusdem non potuit via palatii equitari, sed oportuit ire in barcis, quarum fuerunt duodecim inter banchos & pontem. In nocte sequenti die lunæ nona Novembris, ceciderunt quinque domus inter pontem Sancti Angeli & Turrim Nonæ, & ceciderunt etiam plures aliæ in insula Sancti Bartholomæi. Et Papa fecit ruere certas alias domos ponti contiguas.

Feria secunda decima sexta Novembris fuit secretum Concistorium, quo finito Cardinalis Reginensis Legatus versus Ungariam, associatus à Cardinalibus arripuit iter versus Ungariam.

Feria quarta decima octava dicti Dominus Guilelmus de Pereriis Decanus Auditorum Rotæ, qui heri vita functus est, portatus fuit ad Ecclesiam Beatæ Mariæ de Populo associatus à Coadjutoribus Rotæ.

Scriptum fuit his diebus, Dominum Antonium Cardinalem Burdegallensem seu Lugdunensem die undecima Novembris obiisse in partibus.

Feria sexta vigesima septima Novembris fuit secretum Concistorum, in quo Dominns Cardinalis Arborensis fuit pronuntiatus Perusiæ, & non fuit associatus à Cardinalibus.

Feria tertia octava Decembris festum conceptionis Beatæ Mariæ Virginis, Reverendus Pater Dominus Josue Episopus Asculanus consecravit Ecclesiam novam in Campo Sancto constructam consuetis cæremoniis.

Dominica quarta adventus affixa fuit in valvis Basilicæ Principis Apostolorum Bulla prorogationis Jubilæi pro forensibus usque ad festum Epiphaniæ.

Anno a nativitate Domini millesimo quingentesimo primo, die vigesima quinta Mensis Decembris fuit Missa solennis in Capella Papa præsente, in qua interfuit Gaudentius Comes de Mes - - - qui habuit locum ad Gradus solii Papæ.

Feria tertia, quinta Januarii, fuit ordinatum per Papam, ut die crastina post vesperas Reverendissimi Domini Cardinales, Cusentinus & Mutinensis haberent curam clausuræ portæ aureæ Sancti Petri, Ulixbonensis Portæ Lateranensis pro Cardinali Sancti Petri ad Vincula, Ursinus Portæ Sanctæ Mariæ majoris, pro Ecclesia Sancti Pauli nullum deputavit.

Die Mercurii sexta Januarii festum Epiphaniæ hora vesperorum Cardinales Cusentinus & Mutinensis iverunt processionaliter ad claudendum Portam auream Sancti Petri more solito. Et dum ea clauderetur, fuit posita inter saxa & cœmenta intus dictam portam una petra valoris quinquaginta ducatorum, & alia triginta Carlenorum.

Hoc mane inter Missarum solemnia de mandato Sanctissimi Domini Nostri dedi locum inter Prælatos assistentes Reverendo Patri Domino Episcopo Volasdiclaviensi, Cancellario Regis Poloniæ.

Idem Sanctissimus Dominus Noster concessit per Italiam plenissimam indulgentiam Anni Jubilæi usque ad Festum Pentecostes proxime venturum, cujus Commissarios fecit Reverendos Fratres Ordinis Minorum de Observantia.

Die secunda Februarii cœperunt ire mascherati per Urbem, & quidam Lucas ad Altare Sancti Andreæ in Basilica Principis Apostolorum fuit à quodam mascherato vulneratus.

Feria quinta Februarii Reverendissimus Dominus Cardinalis Salernitanus Legatus Marchiæ Anconitanæ, recessit ex Urbe iturus ad legationem suam. Et non fuit à Cardinalibus associatus, nescio quomodo fuerit ad hanc legationem deputatus.

Feria tertia secunda Martii affixa fuit valvis Cancellariæ Apostolicæ Bulla deputationis Domini Archiepiscopi Tarantini in Collectorem Generalem decimarum, ut supra.

Sabbato sexta Martii intravit Urbem Dominus Franciscus Pepa, Orator Dominii Florentinorum. Receptus est, & associatus Sanctissimi Domini Nostri & omnium Cardinalium. Equitavit inter Gubernatorem Urbis & Episcopum Tricorensem Oratorem Regis Francorum ad domum Domini Archiepiscopi Tarentini, in qua est hospitatus.

Feria quinta undecima Martii intravit Urbem Reverendus Dominus Erasmus Vitellius Orator Illustrissimi Alexandri Magni Ducis Lithuaniæ, fratris germani Regum Ungariæ, Poloniæ & Bohemiæ, ac Cardinalis Craccoviensis.

Fuit

Digitized by Google

Fuit receptus per familias Cardinalium Urſini & Capuani, ac etiam à familiis aliorum Cardinalium & Papæ. Equitavit inter Tiſpotum, qui etiam ſibi obviam venit. Interfuerunt etiam Oratores Venetorum & Florentinorum.

Hic Orator habuit duodecim ſcutiferos, omnes veſtitos veſtibus albis ſubtus, & deſuper nigris, & duos pueros eodem modo veſtitos, qui immediate ante eum equitabant.

Feria quarta decima ſeptima Martii in ſecreto Conciſtorio Papa decrevit non facere publicum Conciſtorium pro receptione Oratoris Magni Ducis Lithuaniæ, & male, quia conveniebat hujuſmodi receptioni publicum Conciſtorium. Sed Pontifex hoc fecit, ut diligentius ſtuderet reſponſionem dandam dicto Oratori.

Dominica quarta Quadrageſimæ vigeſima prima Martii Sanctiſſimus Dominus Noſter benedixit roſam auream more ſolito.

Feria quinta vigeſima quinta Martii Feſtum annunciationis Beatæ Mariæ Papa non ivit ad Minervam.

Feria quarta ultima Martii venit Orator Magni Ducis Lithuaniæ, cui venerunt obviam Gubernator & alii Prælati, qui induxerunt eum uſque ad cameram Paramenti Papæ. Orator venit ad Papam, cujus manum & pedem eſt oſculatus, & receptus eſt à Papa ad oris oſculum, & dedit Papæ literas Ducis prædicti credentiales. Poſtea Orator fecit orationem, & deinde idem Orator fuit creatus Protonotarius Apoſtolicus.

Dominica Palmarum quarta Aprilis interfuit Orator Ducis Lithuaniæ in Capella, primus in Banco Protonotariorum, & accepit Palmas poſt Oratores Romanorum, Francorum, Hiſpaniarum & Ducis Venetorum.

Propter quod dictus Orator fuit multum indignatus, & etiam ex eo, quod non permiſi, quendam puerum duodecim annorum Camerarium ſuum ſedere in Capella ad pedes ſuos.

Feria ſecunda quinta Aprilis Orator Magni Ducis Lithuaniæ habuit audientiam particularem à Papa, cui nomine Ducis ſui donavit quatuor nobiliſſimas ſubducturas veſtium, ſeu foderas de hermellinis, & quinquaginta pelles pulcherrimas Zebellinorum, & duas tazzas aureas, quæ Papæ multum placuerunt.

Feria tertia Paſchæ intravit Urbem Orator Regis Franciæ, cui non venerunt obviam familiæ Papæ & Cardinalium, ſed Carolus Urſinus & alii particulares amici.

Sabbato in Albis decima ſeptima dicti Papa non interfuit Capellæ, ex eo quod denunciatum eſt, multos ex gentibus Ducis Valentini ante civitatem Faventinam fuiſſe interfectos.

Heri Reverendiſſimus Dominus Cardinalis Arborenſis Legatus Peruſiæ rediit ad Urbem de ſua legatione.

Circa horam ſecundam noctis ſequentis diem Veneris obiit Dominus Cardinalis Sancti Clementis, circa horam quartam noctis venit ad domum defuncti Dominus Cardinalis Capuanus executor Teſtamenti & de pretioſis aſportavit, quod voluit, & pecunias. Fratres de Populo induerunt defunctum veſte optima valoris ſexaginta ducatorum, & Crucem pretioſam valoris ducentorum ducatorum ſupra pectus poſuerunt. Non dubito, Fratres eum in Eccleſia uſque ad Camiſiam ſpoliaſſe.

Feria ſecunda in ſero vigeſima ſexta dicti venerunt nova ad Urbem, quod capta eſſet civitas Faventina per concordiam cum Domino Faventiæ factam, ad hoc compulſo, quod duo Capitanei gentium ſuarum voluerunt pro eo pugnando ſubire, additam fuiſſe libertatem ipſi Domino cum bonis ſuis, & non ſervatam, qui ductus fuit Romam, & in Caſtro Sancti Angeli detentus, quouſque ætatis erat annorum tredecim vel circa. Et circa horam ſecundam noctis ac in mane tracti ſunt ſclopetti in Caſtro Sancti Angeli, & facti ſunt multi ignes per Urbem propter hujuſmodi victoriam.

Feria ſexta, ſeptima Maji obiit in Civitate Patavina Reverendiſſimus Dominus Cardinalis Sanctæ Mariæ in Porticu, cujus anima requieſcat in pace; dicitur feciſſe teſtamentum ex facultate per ſummos Pontifices ſibi data, legaſſe valorem 20000. ducatorum ad pios uſus, medietatem reſidui bonorum ſuorum ſummo Pontifici ſeu Reipublicæ Venetæ & Dominio Venetorum dumtaxat contra Turcas 10000. ducatorum, & quod ſcripſit Papa Domino prædicto, ſe revocaſſe facultatem teſtandi prædicto Cardinali defuncto conceſſam, propterea teſtamentum non valere & omnia bona per defunctum relicta ad ſanctitatem ſuam ſpectare, propterea mandaſſe ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna omnibus bona prædicta detinentibus quod infra certum tempus ſanctitati ſuæ conſignarentur bona ipſa. Quid ſecutum ſit neſcio, credo tamen Papam in hujuſmodi re nihil perdidiſſe. Item Cardinalis defunctus cum haberet quemdam Anconitanum Camerarium valde ſibi fidum, quem propterea ſingulariter diligebat; miſit duo forzeria in quibus erant inter alia viginti millia ducatorum largorum in auro, Anconam ad quoddam Monaſterium in depoſitum, ad finem, ut in eventum obitus Cardinalis caderent prædicto Anconitano; ſed ille mortuus eſt ante Cardinalem, qui nil de hujuſmodi pecunia diſpoſuit. Papa de hujuſmodi forzeriis certior factus, miſit Anconam, & habuit ea cum pecuniis prædictis.

Feria tertia decima octava Maji, vigilia Aſcenſionis Domini, veſperæ Papales, ubi interfuit Magnificus Dominus, Orator Archiducis Auſtriæ, Burgundiæ &c. qui præceſſit aliis ſequentibus diebus & temporibus, quamdiu fuit in Urbe, Oratorem Venetorum, qui ſe non oppoſuit, vel aliud minimum verbum contradixit.

Feria quinta vigeſima ſeptima Maji Papa publicavit fœdus inter Papam, Regem Ungariæ & Dominium Venetorum contra Turcas, & quod in ſero illius diei fieri deberent ignes per Urbem in ſignum gaudii.

Proclamatum eſt per Urbem de mandato Papæ publice die Veneris, quarta Junii, quod omnes banditi propter homicidia vel furta aut alia quæcunque delicta poſſent libere & impune ad Urbem redire.

Sab-

Digitized by Google

Sabbato quinta Junii circa tertiam horam noctis Gubernator Urbis cum gente sua intravit Monasterium de Urbe - - - - de mandato Papæ, cui denunciatum fuerat à quodam, in Monasterio prædicto conservari duodecim Apostolos argenteos inauratos, & multa alia Reverendissimi Domini Cardinalis Ascanii & invenit multa bona ejusdem Cardinalis, & tanta, ut ab illa hora usque ad septimam noctis Birruarii non cessarint bona hujusmodi portare ad palatium Pontificis.

Dominica sequenti denunciatum fuit per Urbem, pacem esse conclusam inter Reges Francorum & Hispaniarum, & quod Regi Hispaniarum deberet cedi Dominium Calabriæ & Apuliæ, ac Civitatum Florentinarum & Januensium.

His diebus Columnenses, intelligentes, concordiam esse incœptam inter Reges Franciæ & Hispaniarum, & propterea sibi timentes ob adventum gentium Gallicarum, decreverunt terras suas committere Sacro Collegio Cardinalium, quod Collegium nunciavit Papæ, qui noluit hoc fieri, sed ut Columnenses mitterent claves terrarum suarum Suæ Sanctitati cum minis, nisi id facerent Columnenses, etiam in eorum personis punire. Decreverunt propterea Claves dare Papæ & Collegio. Et Papa ob hanc rem misit hoc mane ad eos Auditorem Cameræ, qui rem conclusit cum eis.

Feria tertia, decima quinta Junii recesserunt ex Urbe nonnulli Cubicularii Papæ cum Balistariis viginti ituri Sublacum ad capiendum possessionem Arcis Castri & Monasterii Sublacensis, ac decem & octo aliorum castrorum ad Abbatiam dicti Monasterii spectantium nomine Papæ, de consensu Reverendissimi Cardinalis de Columna, Monasterii prædicti Commendatarii, quam possessionem adepti sunt nemine contradicente.

Feria quinta decima tertia Junii circa primam horam noctis, Reverendissimus Dominus Cardinalis Borgia intravit Urbem, cui venit obviam Capitaneus Portæ, Papæ frater suus germanus ad duo milliaria, ac etiam ad milliare Dominus Cardinalis Capuanus.

Eodem sero circa quartam horam venit secreto ad Urbem Dux Valentinus, qui etiam mansit in palatio secrete.

Eadem die fuit in publico Concistorio receptus Cardinalis Borgia.

Eadem die proclamatum est per Urbem, quod sub pœna quingentorum ducatorum omnes obedirent mandatis viginti sex personarum Provisorum nuncupatarum, ordinatorum per Sanctissimum Dominum Nostrum pro ministrandis victualiis gentibus Gallicanis advenientibus ad expugnandum Regnum Neapolitanum. Quibus ordinatum est alloggiamentum extra muros Urbis.

Sabbato sequenti fuit facta alia proclamatio per Urbem, ut omnes insequentes Campum Regis Franciæ, non habentes ab eo soldum, vel à Papa, aut à Duce Valentino, & alii Soldati in Urbe existentes, à nullo prædictorum conducti, deberent per totum illum diem sabbati ab Urbe recedere.

Eadem die deputatus fuit locus apud Aquam Traversam extra Pontem Milvium pro Alloggiamento Regis Francorum, euntis ad Regnum Neapolitanum. Ibidem fuerunt facta præsepia, frascatæ in magno numero, portatæ 150. Buttæ vini, ordinata provisio panis, carnium, ovorum, casei, fructuum & aliorum necessariorum, & deputatæ sexdecim meretrices, quæ illorum necessitatibus providerent. Et ordinati artifices ex omni arte, qui ibidem laborarent. Mandatum fuit per Gubernatorem Urbis mercatoribus Florentinis, ut reciperent aliquos ex Nobilibus gentis hujusmodi, aliquis duos, alter tres, alter quatuor. Sed mercatores volentes se ab hujusmodi onere liberare, donarunt Gubernatori ducentos ducatos, quos ab eis libenter recepit, & nihilominus, postquam gentes prædictæ ad Urbem venerunt, ipsos mercatores ad recipiendum personas eis deputatas, & in domibus suis hospitandas coegit, ducentis ducatis sibi retentis.

Feria quarta vigesima tertia Junii Archiepiscopus Aquilanus fuit assaltatus prope Peregrinum, & graviter usque ad mortem vulneratus à quatuor familiaribus cujusdam Aquilani inimici sui capitalis, qui Archiepiscopus fuit portatus ad domum Cardinalis Senensis, in qua eadem die obiit, & portatus fuit ad Ecclesiam Beatæ Mariæ consolationis.

Eadem die venit per Prata, & intravit Urbem Capitaneus gentis Regis Franciæ, qui receptus est à familia Papæ, & more solito. Equitavit medius inter duos Episcopos ad palatium Papæ, à quo fuit receptus ad oris & pedis osculum cum duodecim ex suis. Interfuerunt Oratores Regis Franciæ, Angliæ, Venetorum, Ducis Sabaudiæ, & Florentinorum. Sed Sabaudus contendit cum Veneto, quia hic ibat à dextris Oratoris Angliæ, & Sabaudus ad sinistram.

Feria tertia vigesima secunda Junii recessit ab Urbe Cardinalis Cusentinus, iturus ad Terras Columnensium recepturus nomine Papæ possessionem Rocchæ Papæ, & omnium terrarum & castrorum Columnensium, & duxit secum Commissarios & gentes Papæ, & accepit possessionem omnium, nemine in aliquo sibi opponente.

Die vigesima quarta dicti fuerunt in Palatio Papæ civiter viginti Massarii Vassalli Columnensium ex diversis terris præstaturi homagium Papæ, quos Papa admisit, & fecit cuilibet dari unum ducatum in auro pro uno pari caligarum.

Sabbato vigesima sexta dicti intravit Urbem Magnificus Dominus Joannes Franciscus de Sancto Severino, frater germanus Domini Cardinalis Sancti Severini, Locumtenens gentium Regis Franciæ, qui receptus fuit à familiis aliquorum Cardinalium, & debebat recipi ab omnibus, sed non fuimus in tempore. Venerunt etiam sibi obviam Oratores Regis Angliæ, Venetorum & Florentinorum, & equitavit inter Oratores prædictos, associatus usque ad domum Vice-Cancellarii, ubi est hospitatus. Familia

milia Papæ non venit in tempore. Acceſſerunt propterea ad domum prædictam, ubi nomine Pontificis præfatum Comitem receperunt cum excuſatione &c.

Eadem die in mane fuit proclamatum per Urbem de mandato Papæ, quod non habentes ſoldum à Papa, Rege Franciæ & Duce Valentino debeant receſſiſſe ex Urbe infra tres horas, & ad eam non redire. Et alia proclamatio nomine Monſieur d' Ubigni Capitanei &c. quod omnes gentes à Rege Franciæ conductæ per totum diem hodiernum debeant eſſe in Campo ordinato apud Aquam Traverſam.

Feria ſecunda vigeſima octava Julii omnes ad Aquam Traverſam alloggiatæ, & omnes aliæ Regis Franciæ in Urbe exiſtentes, receſſerunt ituræ Neapolim pro executione rei ſibi commiſſæ. Papa erat in Cameris horti caſtri Sancti Angeli, ubi cum magna delectatione vidit omnes prætereuntes. Pedites fuerunt 12000. & equites 2000. cum eis ibant ſex canocciæ cum 36. bombardis.

Eadem die fuit annunciata liga inter Sanctiſſimum Dominum Noſtrum, & Francorum & Hiſpaniarum Reges concluſa & firmata.

Fuit à veridica perſona relatum, Sanctiſſimum Dominum Noſtrum in ultimo ſecreto Conſiſtorio pronunciaſſe Illuſtrem Dominum Federicum de Aragona Regem Neapolitanum Regno Neapolitano privatum, & Regem Franciæ de eodem Regno, & Regem Hiſpaniarum de Ducatu Calabriæ & Apuliæ inveſtiviſſe.

Feria tertia ſexta Julii capta fuit, & torturæ expoſita ad ſtatim, & infra unam horam per feneſtram ſuſpenſa, Ludovica Hiſpana meretrix, ad Puteum album morari ſolita, quæ coeuntibus cum ea furabatur. Cauſa fuit, quia, transeunte Gubernatore Urbis domum ſuam, quidam Gallus contendebat cum ea, quæ ei ſubtraxerat furtive ducatos duodecim.

Feria quinta Julii de mandato Papæ habitum eſt in Capitolio Conſilium Romanorum, ad quod non fuerunt vocati more ſolito omnia Capita regionum, & alii vocari ſoliti, ſed ſolum illi, qui erant pro parte Urſinorum, & propoſitum & obtentum, quod Marinum deberet ſolo æquari.

Die nona ejuſdem receſſit iturus Neapolim, Dux Valentinus cum reliquis gentium ſuarum. Credo, eodem ſero ad Urbem rediiſſe.

In nocte ſequenti irruerunt ex Caſtro Viterbienſi Joannes Paulus Baglionus cum multis aliis partem Urſinorum foventibus in Civitate Viterbienſi, & multos cives partes Columnenſium obſervantes interfecerunt, inter quos ſex Doctores.

In nocte ſequenti Mercurii, decima quarta Julii, ſepulti fuerunt duo in Eccleſia Beatæ Mariæ de Populo de Campo Gallorum in capſis impeciatis, aſſociati à familia Cardinalis Sancti Severini, & mandatum Fratribus de Populo ſub pœna obedientiæ, ut nemini dicerent viſionem hanc. Sed qui eſſent, neſcitur. Dictum autem fuit, unum ex eis fuiſſe Comitem Gajacenſem, fratrem germanum Cardinalis prædicti.

Feria quinta decima quinta Julii ſepultus fuit in Eccleſia Gallorum, Orator Ducis Sabaudiæ. Dominica, vigeſima quinta Julii vita functus eſt Cardinalis Capuanus.

Circa horam quintam noctis Papa habuit nova de Capua capta per Ducem Valentinum, & plures dies ante habuerat nova de Averſa, Nola & quaſi omnibus locis aliis, bonis à Gallis occupatis, & quod in Calabria & Apulia eſſent erecta vexilla Regis Hiſpaniarum. Captura autem Capuæ fuit ex proditione Fabritii civis Capuani, qui gentes Ducis clam intromiſit, à quibus ipſe Fabritius primo fuit interfectus, & 3000. pedites, & 200. equites in circa, & Presbyteri, ac Religioſi utriuſque ſexus, etiam in Eccleſiis & Monaſteriis, & mulieres, quot fuerunt repertæ, ſine miſericordia, puellæ captæ, & datæ in prædam magna crudelitate. Interfectorum numerus æſtimatus fuit ad 7000. in circa.

Feria tertia vigeſima ſeptima Julii Sanctiſſimus Dominus Noſter receſſit ex Urbe cum equitibus 50. & peditibus centum, iturus Sermonetam, & loca Columnenſium. Equitarunt cum eo Cardinales, Arborenſis & Borgia. Deinde ivit Papa ad Sermonetam.

Antequam Sanctiſſimus Dominus Noſter diſcederet de Urbe, commiſit totum Palatium, ac negotia occurrentia Dominæ Lucretiæ *Borgiæ* filiæ ſuæ, & dedit commiſſionem aperiendi litteras Sanctitati Suæ directas, & ſi occurreret aliquid ardui, ut haberet conſilium *Domini Cardinalis* Ulixbonenſis.

Occurrente igitur neſcio quo caſu, ipſa Domina Lucretia dicitur iviſſe prædicto Reverendiſſimo Domino Uliſſiponenſi, & expoſuiſſe ei commiſſionem Papæ & caſum occurrentem; quibus intellectis dixit Dominæ Lucretiæ: quando Pontifex in conſiſtorio proponit materias, eſſe ibi Dominum Vicecancellarium, vel pro eo alium Cardinalem ſcribentem propoſita, & ſingulorum vota notantem, propterea etiam convenire, ut aliquis intereſſet qui dicta notaret, reſpondit Lucretia, ſe ſcire bene ſcribere. Interrogavit Ulyſſiponenſis, ubi eſt penna veſtra, intellexit Lucretia Cardinalis mentem & facetiam, & ſubriſit; concluſeruntque ſermonem ſuum convenienter.

Feria ſexta trigeſima Julii Illuſtriſſimus Federicus Rex Neapolitanus, qui ad quatuor menſes tenuit in carceribus ſecretis, ex certis cauſis, Principem Briſignani, receptis ab eodem 14500. ducatis liberavit eum.

Feria quarta Auguſti Capitaneus Generalis gentium Regis Franciæ cum gentibus ſuis intravit civitatem Neapolitanam ex concordia cum Rege Federico inita, & idem Capitaneus ex hujuſmodi concordia habuit omnia caſtra Neapoli exiſtentia, hac conditione, ut Rex Federicus habeat reſidere in Iſchia ad ſex menſes, & ſi interim habeat ſubſidium alicujus, quod tunc liceat armis ſe defendere, & quod poſſet interim exportare omnia bona ſua demptis artelliariis victualibus, & ducere in Iſchiam. Et ſi elapſis dictis ſex menſibus non habuerit ſubſidium, quod ipſe Rex teneatur etiam conſignare libere

Digitized by Google

re Ischiam & Salernum prædicto Capitaneo, & ipse abire, quo vellet, absque impedimento.

Eadem hora Papa rediit ad Urbem, & cum eo Arbonensis, Borgia & Cusentinus Cardinales.

Feria secunda, nona Augusti fuit secretum Consistorium, in quo Sanctissimus Dominus Noster præfecit Ecclesiæ Capuanæ ut supra vacanti, Cardinalem Mutinensem, & Cardinalem montis Regalis Ecclesiæ Caurcensi,* ut dimitteret Ferrariensem in favorem Cardinalis Estensis.

Feria sexta Augusti inventa fuit affixa statuæ a Magno Pasquino schedula de obitu Papæ, hujusmodi tenoris videlicet:

Bene dixi tibi, bos quod esses.
Prædico: moriere, si hinc abibis,
Succedet Rota insequens Bubulcum.

Feria tertia, vigesima quarta Augusti fuit nunciatum, esse celebrata sponsalia inter Carolum, filium primogenitum Philippi Archiducis Austriæ, Ducis Burgundiæ, nepotem Serenissimi Regis Romanorum, & Claudiam filiam unicam Ludovici Regis Francorum.

Sabbato vigesima octava Augusti intravit Urbem Vice-Rex Neapolitanus, qui receptus fuit & associatus à familiis Papæ & Cardinalium more solito &c.

Sabbato, quarta Septembris venerunt nova de matrimonio concluso inter Alphonsum primogenitum Ducis Ferrariæ, & Dominam Lucretiam Borgiam filiam Papæ. Et Dominica sequenti post prandium prædicta Domina Lucretia equitavit ad Ecclesiam de Populo, induta veste de broccato auri ritii, associata à trecentis equis vel circa, & ante eam equitabant quatuor Episcopi.

Die Lunæ sequenti, sexto mensis Septembris, duo buffones, unus equester, cui Domina Lucretia vestem broccati auri, quam heri novam portaverat, valoris 300. ducatorum donaverat, equitavit per omnes vias principales Urbis, alta voce clamans: Vivà l'Illustrissima Duchessa di Ferrara! Vivà Papa Alessandro! Vivà! Vivà! Et alter pedester, cui etiam donaverat unam vestem, similiter clamabat.

Feria quinta, nona dicti fuit suspensa quædam mulier, quæ nocte præterita maritum suum cultello necaverat.

Feria sexta dicti venerunt nova Papæ, quod Plumbinum se submisisset ad obedientiam Papæ.

Feria quarta decima quinta dicti Dux Valentinus reversus est à Regno Neapolitano ad Urbem à suis duntaxat associatus.

Feria sexta, decima septima dicti fuit Consistorium secretum, in quo Sanctissimus Dominus Noster de consensu omnium Cardinalium remisit ad censum quater mille ducatos, quos Dux Ferrariæ singulis annis Cameræ Apostolicæ solvere tenebatur, eidem Duci, & successoribus suis, usque ad tertiam generationem, ita tamen, ut singulis annis teneatur solvere censum ducatorum Cardinali Neapolitano.

Feria secunda, vigesima Septembris obiit Illustris Dominus Augustinus Bardadicus, Dux Venetiarum.

Feria sexta, vigesima quarta dicti bannitum fuit per Urbem, ut nullus auderet tenere in domo sua etiam secrete aliquem Columnensem sub pœna vitæ, & qui haberet de bonis eorum in custodia, deberent revelare sub pœna amissionis bonorum propriorum.

Sabbato, nona Octobris electus fuit Venetiis Dominus Leonardus Lauredanus in Ducem Venetiarum.

Die Martis duodecima dicti mensis fuit conclusa pax inter Romanorum & Francorum Reges, mediante persona Cardinalis Gurcensis Legati Apostolici.

Vigesima quinta dicti mensis Septembris recessit in mane Pontifex iturus Nep. civitatem Castellanam & alia loca convicinia & cum eo Dux Valentinus: Domina Lucretia filia Papæ mansit in Camera pro illius custodia cum commissione ut in alio recessu.

Feria quarta, vigesima septima dicti in Consistorio secreto, Sanctissimus Dominus Noster constituit gentem Borgiam Patronam Abbatiæ Sublacensis, & decrevit, Jus Patronatus & præsentandi ad eosdem Borgias perpetuis futuris temporibus spectare & pertinere.

Feria tertia Novembris Sanctissimus Dominus Noster distribuit terras Columnensium in duas partes, & erexit civitatem Prænestinam in Ducatum, similiter oppidum Sermonetæ, & partem Dominii applicavit Ducatui Nepesino, aliam partem Ducatui Sermonetæ, & Joannem Borgiam filium suum, quem in Pontificatu suo cum quadam Romana,* de Ducatu Nepesino constituit, & deputavit Dominos Cardinales Alexandrinum & Cusentinum, & quatuor alios Curatores dictorum infantium.

De Convivio quinquaginta meretricum cum Duce Valentinensi.

Dominica ultima mensis Octobris in sero fecerunt cœnam cum Duce Valentinensi in camera sua in palatio Apostolico quinquaginta meretrices honestæ, Cortegianæ nuncupatæ, quæ post cœnam chorearunt cum servitoribus & aliis ibidem existentibus, primo in vestibus suis, deinde nudæ. Post cœnam posita fuerunt candelabra communia mensæ cum candelis ardentibus & projectæ ante candelabra per terram castaneæ, quas meretrices ipsæ super manibus & pedibus nudæ candelabra pertranseuntes colligebant, Papa, Duce & Lucretia sorore sua præsentibus & aspicientibus: tandem exposita dona ultimo, diploides de serico, paria caligarum, bireta & alia, pro illis qui plures dictas meretrices carnaliter agnoscerent, quæ fuerunt ibidem in aula publice carnaliter tractatæ arbitrio præsentium, & dona distributa Victoribus. Feria quinta, undecima mensis Novembris intravit urbem per portam viridarii quidam rusticus ducens duas equas lignis oneratas, quæ cum essent in plateola S. Petri, accurrerunt stipendiarii Papæ incisisque pectoralibus & lignis projectis in terram cum bastis, duxerunt equas ad illam plateolam quæ est inter pallatium juxta illius portam, tum emissi fuerunt quatuor equi curserii liberi suis frœnis & capistris ex palatio, qui accurrerunt ad equas, & inter

Digitized by Google

& inter ſe propterea cum magno ſtrepitu & clamore morſibus & calceis contendentes aſcenderunt equas & coierunt cum eis, & eas graviter piſtarunt & læſerunt, Papa in feneſtra cameræ ſupra portam palatii & Domina Lucretia cum eo exiſtente, cum magno riſu & delectatione præmiſſa videntibus. Sabbato tredecima Novembris Dominus Petrus Caranza cubicularius ſecretus Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ, qui reliquit in pecunia numerata ſeptem millia ducatorum & multa alia bona, quæ omnia Papa accepit. Domina Lucretia petiit & obtinuit bona hujusmodi ſibi concedi, quæ tamen habere non potuit.

Dominica prima adventus, octava decima Novembris, in capella orta eſt differentia inter Oratorem Venetorum & Ducis Sabaudiæ ſuper Præcedentia. Qua per Papam intellecta mandavit, ut venirent alternatis vicibus. Pro ea vice receſſit Sabaudus &c.

Dominica ſecunda Adventus in Capella iterum contenderunt Oratores Sabaudiæ & Venetorum ſuper præcedentia, & Papa mandavit, ut uterque recederet, prout factum eſt. Sed Cardinalis Grimanus allegavit coram Papa, quod Veneti eſſent in poſſeſſione illius loci ante Sabaudum ad 40. annos & ultra, & Ducatum Sabaudiæ ante dictum tempus fuiſſe Comitatum, propterea Venetos debere Sabaudos præcedere. Papa interrogavit, quid mihi videretur? Reſpondi Suæ Sanctitati, quod tempore Sixti Quarti Orator Ducis Sabaudiæ præceſſit Oratori Mediolani, & tunc temporis Oratorem Mediolani præceſſiſſe Oratorem Venetorum. Idem dixit Cardinalis Sancti Severini.

Eadem die quidam maſcheratus viſus eſt per Burgum verbis inhoneſtis contra Ducem Valentinum. Quod Dux intelligens fecit eum capi, cui fuit abſciſſa manus, & anterior pars linguæ, quæ fuit appenſa parvo digito, manus abſciſſæ.

Dominica tertia adventus venerunt litteræ de quadam inſula Turcarum capta, per Capitaneum Galearum Francorum, ubi fuerunt interfecti bis mille Turcæ.

Hoc mane fuit in Capella Orator Ducis Sabaudiæ, cui Papa dixit, quod non deberet contendere cum Oratore Venetorum ſuper præcedentia, ſed ei cederet, & non faceret aliquod ſcandalum.

Feria quinta Decembris intravit Urbem Cardinalis Eſtenſis, cui venerunt obviam extra portam de Populo omnes Cardinales, & Dux Valentinus cum magno pompa, qui excepit Cardinalem, & ſe mutuo deoſculati ſunt. Dux equitavit ad ſiniſtram Cardinalis, & cum Duce fuerunt omnes Prælati, & domeſtici Palatii.

Feria quarta, quinta Januarii Epiphaniæ Domini, fuerunt Veſperæ & Jovis ſequenti Miſſa ſolennis. Non fuit ſermo de mandato Papæ propter receſſum Dominæ Lucretiæ. Heri ſero, ut intellexi, Papa numeravit Dominis Sigismundo & Ferdinando fratribus Sponſi pro dote, & nomine dotis Dominæ Lucretiæ 100000. (10000.) ducatos auri in auro, & dum numeraret, habuit ex Francia certas litteras, quod Rex Francorum reſtituerat libertati Dominum Aſcanium Cardinalem.

Hodie quinta Januarii, hora vigeſima receſſit ex Palatio Apoſtolico Domina Lucretia filia Papæ itura Ferrariam ad maritum. Equitavit per Portam de Populo, habens in ſua ſocietate 600. in circa. Ordo equitantium ante eam erat conſuetus usque ad ſervientes armorum, poſt eos equitabat Cardinalis Cuſentinus, quem Sanctiſſimus Dominus Noſter nuper creavit Legatum de Latere ad aſſociandum dictam Dominam Lucretiam per terras Romanæ Eccleſiæ, ad dextram; & Cardinalis de Borgia ad Siniſtram: Et ad dextram Cuſentini equitabat Don Ferdinandus & ad ſiniſtram Borgiæ Sigismundus frater ſupradicti, poſt eos Domina Lucretia media inter Cardinalem Eſtenſem à dextris & Ducem Valentinenſem à ſiniſtris; quos ſequebantur gentes eorum ſuo ordine. Deputati fuerunt plures Centiferi Papæ & nobiles Romani, qui dictam Dominam Lucretiam aſſociarunt propriis eorum expenſis & fecerunt ſinguli ſibi veſtimenta nova de broccato auri, argenti &c.

Requiſivit inſuper Sanctiſſimus Dominus Noſter his diebus per ſocium meum Magiſtrum Ceremoniarum ſingulos Cardinales, ut quilibet præſtaret duos equos, vel duas mulas, & multos Epiſcopos, qui præſtarent unam mulam vel equum pro aſſocianda Domina Lucretia usque ad Ferrariam. Quod fecerunt. Et nullum hujusmodi animalium mutuatorum fuiſſe reſtitutum. Præterea Sanctiſſimus Dominus Noſter prorogavit Ferrariæ carnis privium usque ad Dominicam Lætare in Quadrageſima pro hoc anno, ita ut poſſent licite carnes comedere, & propter adventum dictæ Dominæ Lucretiæ gaudere & lætari.

Feria ſecunda vigeſima quarta dicti menſis Januarii fuit Conciſtorium ſecretum, in quo Reverendiſſimus Dominus Cardinalis Ulixbonenſis, uti Procurator Cardinalis Sancti Petri ad Vincula, perpetui Commendatarii Eccleſiæ Bononienſis, nomine ejusdem, ceſſit adminiſtrationem ejusdem Eccleſiæ, quam ceſſionem Papa admiſit, & dismembravit duo caſtra, videlicet Cento, & Caſtrum Plebis de menſa Epiſcopali Bononienſi, ſita in confinibus Territorii Ducis Ferrariæ, & ea donavit Duci Ferrariæ pro dote etiam dictæ Dominæ Lucretiæ. Deinde præfecit Dominum Stephanum, filium Theſaurarii Regis Franciæ Mediolani, Eccleſiæ Bononienſi in Epiſcopum more ſolito.

Eodem die rediit ad Urbem Cardinalis Cuſentinus Legatus, qui Dominam Lucretiam usque extra terras Sanctæ Romanæ Eccleſiæ aſſociaverat.

Feria tertia decima quinta Januarii Sanctiſſimus Dominus Noſter equitavit ad Fraſcata, & ibidem fecit capi quatuor incolas, & ad torturam poni, ut intelligeret, ubi bombardæ & artiliariæ Columnenſium eſſent abſconditæ, quæ propterea fecit effodi, & Romam duci.

In nocte Veneris vigeſima octava dicti menſis captus fuit frater germanus Domini Joannis Lauren-

Digitized by Google

Laurentii Veneti, qui dicebatur quædam Græcis litteris contra Papam & Ducem Valentinum scripta in Latinum transtulisse, & Venetiis misisse.

Et eadem nocte fuerunt asportata omnia bona ejusdem. Oratores Venetorum supplicarunt Papæ pro ejus liberatione. Sed Sanctissimus Dominus Noster respondit negative. Et in nocte hesterna fuit jugulatus, & in Tiberim projectus.

Feria sexta decima septima Februarii Sanctissimus Dominus Noster exivit Urbem iturus Cerveterem, Cornetum, & per Mare Plombinum. Erant enim pro eo paratæ sex Galeræ, pro quarum usu missi fuerunt quasi omnes carcerati Urbis, etiam pro causis levissimis. Et multi capti per tabernas & plateas Urbis violenter, & ex qualibet barca de Ripa unus nauta, & multi piscatores & incisores lignorum, qui omnes fuerunt ducti ad Galeras prædictas, & ibidem violenter detenti demptis, credo, nautis. Cum Papa equitarunt sex Cardinales, Dux, septem Prælati, sex Cantores Capellæ, & plures alii. Papa commisit ante recessum Cardinali Mutinensi, ut singulis diebus Dominicis faceret intimationem Missæ, & sermonem sub nomine Suæ Sanctitatis, ac si esset præsens. Et factum est.

Feria sexta, decima octava dicti equitavit Sua Sanctitas Civitatem veterem, & pernoctavit in Arce.

Sabbato peracto prandio equitavit Cornetum, & hospitatus est in palatio Patriarchæ.

Eadem die Papa, & cum eo quinque Cardinales intraverunt unam galeram, & transfretavit ad Plumbinum die Lunæ vigesima ejusdem, cum Papa in Galera fuerunt personæ centum in circa.

Die Veneris undecima Martii circa horam vigesimam tertiam Papa rediit ad Urbem cum sex Cardinalibus, & Duce, & omni familia sua, & nemo venit ei obviam.

Intellexi veridica relatione, quod in Plombino, Papa fieri fecit publice in platea ante palatium suum choream per pulcras mulieres & puellas, quæ in Castro erant ad plures horas, & quod major pars eorum, qui cum Papa ibidem fuerunt, comederunt carnes, eundo & redeundo in omnibus diebus.

Dominica quinta Quadragesimæ intravit in Urbe Dominus Cardinalis Dalberto, cui venit obviam usque ad Pontem Milvium Orator Regis Francorum.

Feria nona, decima quarta Maji fuit Concistorium publicum, in quo receptus fuit Cardinalis Dalberto à Papa & Cardinalibus. Et Papa habuit multa verba mecum de præcedentia inter Cardinalem Borgiam & dictum Dalberto. Dixi Suæ Sanctitati, in creatione fuisse prius nominatum dictum Dalbertum. De quo fidem fecit Cardinalis Mutinensis, qui dixit, hujusmodi Bullam adhuc apud se habere. Cardinales omnes associarunt novum Cardinalem ad domum Vice-Cancellarii, Papa sic volente.

Feria tertia Paschæ Sanctissimus Dominus Noster celebravit Missam de Annunciatione in Ecclesia Beatæ Mariæ de Minerva, & deinde fuerunt datæ sexdecim bursæ sexdecim puellis maritandis, more solito. &c.

Sabbato vigesima octava Maji conducta fuit de Ripa ad Castrum Sancti Angeli Arteliaria Federici Regis Neapolitani, quam habuit in Ischia, & Papa emit ab ipso Rege pro tredecim mille ducatis. Æstimabantur valoris 50000. ducatorum. Fuerunt caricæ octoginta: singulæ trahebantur, quædam per unum equum, quædam per bufalos. In prima & secunda carretta erant scopettæ pro bancis, & etiam manuales insequentes in qualibet 3. vel 4. aut 6. bombardellæ, successive in aliis singulis usque ad 22000. carrettæ, & successive in singulis usque ad 25. Canettam * fuerunt; una bombarda magna, & plures ex eis fuerunt pulcherrimæ & fortis compositionis. Sequebantur pedites numero 2000. vel circa ordinatæ, & 7. in quolibet membro, incedentes cum lanceis, alabardis, scopettis &c. Post illos 37. carruccæ pallottis ferreis oneratæ, deinde tres cum bacilibus pulveris, tandem quinque aliæ cum salnitris, telis & pattottis mixtim. Quæ omnia Papa stans in Castro vidit conduci.

Feria quarta, prima Junii captus fuit Hieronymus, Germotinensis Clericus, Basiliensis diœcesis. Ductus fuit ad carceres Turris Nonæ, & torturæ expositus confessus est nimium de signaturis multarum supplicationum promovendorum ad Sacros Ordines per eum factarum.

Feria quinta secunda dicti intravit in Urbe Orator Venetorum, qui à familia Sanctissimi Domini Nostri & Cardinalium receptus est.

Feria quinta nona dicti reperti sunt in Tiberi suffocati & mortui H. D. Faventiæ, juvenis decem & octo annorum in circa, pulchræ formæ & staturæ cum balista ad collum, & duo juvenes per brachia simul ligati, unus quindecim annorum, & alius viginti quinque, & prope eos erat quædam fæmina, & multi alii.

Feria secunda, decima tertia Junii Dux Valentinus recessit ex Urbe cum gente sua. Quo iturus, non dicebatur, sed exitus ostendit, quod capturus esset Urbinum.

Sabbato decima octava Junii denunciatum est per Urbem, Vitellotium Vitellium, qui nuper Civitatem Aretinam Dominio Florentino prius subjectam sibi subegerat, heri cittadellam ejusdem civitatis, & totum ejus Comitatum acquisivisse.

Feria sexta, vigesima quarta dicti nunciatum est Papæ, Ducem Valentinum subjugasse sibi Urbinum, quod hoc modo accidit: Dux Urbinas requisitus per Ducem Valentinum mutuavit bombardas suas Vitellotio Vitellio, ituro contra Florentinos & gentes. * Deinde Dux Valentinus fingens, se iturum contra Dominium Camerini, rogavit Ducem Urbini, ut mandaret gentibus suis parari in Eugubio certa die prandium. Quod fecit Dux Urbini. Et nemo venit prope Urbinum ad milliaria decem. Et rogavit per litteras Ducem Urbinas, ut dignaretur

Digitized by Google

retur venire ad eum fine mora. Dux Urbinas suspicatus, de subordinatione videns, se esse sine bombardis & gentibus, vocavit ad se fideles suos, quibus commisit Urbinum & Statum suum, & ipse clam incognitus recessit, & equitavit Mantuam. Fideles prædicti videntes, se non posse potentiæ Ducis Valentini resistere, subdiderunt se, & Urbinum, & totum Statum Dominio Ducis Valentini.

Die Dominico circa horam vigesimam secundam in Conventu Minervæ obiit quidam Frater Georgius, Alemannus de partibus, ætatis annorum centum. Maximus fuit populi concursus ad ejus corpus, quia prædicabant eum beatum. Et erat pulcher, & non fœtebat, & multa per eum dicebantur facta miracula de claudis, & aliis infirmis sanitati restitutis. Papa hoc intelligens, mandavit eum sepeliri.

Feria quarta sexta Julii circa horam duodecimam positus fuit super scala lignea appodiata Columnæ benedictionis in plano scalarum Sancti Petri ante locum audientiæ mitratus Hieronymus Hermellinus Clericus Basiliensis, qui confessus fuit, se XI. supplicationes sub nomine Cardinalium signasse pro promovendis ad sacros Ordines, & ad pedes ejus positus fuit quidam rusticus testis falsus mitratus. Et steterunt ibi usque ad finem Concistorii, quod fuit horis quinque in circa.

Feria sexta octava Julii nunciatum est Papæ, Vitellotium Vitellium Burgum Sancti Sepulcri, quod oppidum erat Florentinorum, nomine Ducis Valentini occupasse.

Feria tertia, vigesima secunda Julii, Dominus Cardinalis Ursinus petiit audientiam à Sanctissimo Domino Nostro adeundi Mediolanum ad Regem Francorum, & Sanctissimus Dominus Noster negavit dare audientiam. Sed ipse recessit absque licentia.

Feria quarta vigesima dicti circa horam duodecimam Dominus Cardinalis Mutinensis obiit in Palatio Apostolico. Erga pauperes fuit nimis crudelis, & erga omnes durissimus, & Beneficia ac Officia carius quo potuit, vendebat, ut Papæ gratificaretur. Acquisivit omnium indignationem. Fuerunt propterea facta à diversis epitaphia in ejus ignominiosam memoriam:

Sub lapide hoc Mutinensis habet Ferrarius ossa,
Quo suadente Petri navis avara fuit.
Ad Styga qui tendis, multo vade ære gravatus:
Hujus consilio navita avarus erit.

Aliud.

Ferrarii hic tumulus, quem sic sitis ussit habendi,
Ut famulus dici posset avaritiæ.
Tantaleam patitur pœnam, & quia parva fuisset,
Impendent avidis aurea poma labris.

Aliud.

Hic Baptista tegor, Medici quem culpa peremit:
Naturam fuerat nescius ille meam.
Herbarum mihi pro succis dare debuit aurum:
Sola erat apta meis hæc medicina malis.

Aliud.

Hic situs est Baptista, bovem qui reddere pinguem
Dum studet, amisit corpus, opes, animam.

Aliud.

Monte sub hoc lapidum tegitur Baptista sepultus:
Securus viator* anxie carpe vias.

Aliud.

Hic Baptista jacet, cujus potuere cadaver
Sub terra hæredes condere, non scelera.

Aliud.

Quis jaceat, quæris, nosse; nequit ipse sepultus.
Causa, pudor sortem hanc, qui male vivit, habet.

Aliud.

Hac Janus Baptista jacet Ferrarius urna,
Terra habuit corpus, Bos bona, Styx animam.

Aliud.

Non jacet hic corpus, petiit nec Spiritus astra:
Rex Superum in Stygios mersit utrumq; lacus.

Aliud.

Immiti laniata lupo, transfixaque ferro,
Sanari urtica, credula Roma putas?

Aliud.

Confecit te Roma lupum, te ferrea cuspis,
Scilicet urticam, qua medearis, habes.

Aliud.

Conditur hoc tumulo scelerum Baptista minister,
Cujus alumna fuit Roma, Parens Mutina.
Utraque damnanda mage? Roma hæc vexit ad astra.
Turpius est monstrum tollere, quam parere.

Aliud.

Ferrea quæ fuerant mea gens, per me aurea dicta;
Hujus non virtus, causa rapina fuit.

Aliud.

Quod humo gigni norat Ferrarius aurum:
Contemptis Superis, infera regna adiit.

Aliud.

Ne dicas, sit terra levis, nec spargito flores:
Nummos, si requiem mi dare vis, numera.

Aliud.

Siste viator iter: cupio tibi dicere, sed non
Audeo: nam nulli præstiti ego officium.

Aliud.

Non Mutina, ut fama est, Fariis sum natus in oris:
Vita docet, tota mente Bovem colui.

Aliud.

Non minor in tumulo est Baptistæ fœtor obortus:
Tristis odor carnis, tristior est scelerum!

Aliud.

Non miror Mutinæ, si monstrum infame necarunt
Julius, & rabie Syrius æstifera.
Rusticus hic, & avarus erat: genus odit avarum
Julius; agrestes Syrius ipse viros.

Aliud.

Illuxit Superis dies jucundus,
Tunc cum spiritus iste membra liquit.
At major tenebra tenebris oborta est:
Nam cogam nova publicanus orci
Manes pendere Dis tributa furtivis.

Aliud.

Qui degi rapto vivens, spoliatus amictu,
Functus militibus fœda rapina fui.

Aliud.

Digitized by Google

Aliud.

Mortale nihil est, quod horreatis,
Dum vixi spoliis pecuniæque.
Facultate, cruore, morte vestra
Lætabor. Modo Tantalum subivi,
Tutos vos faciens mea rapina,
Naulum aut fraudibus involem Charonti,
Simque auri novus inferis abactor.

Aliud.

Morborum rabies Mutinensem invaserat, & jam
Raptura attonitum mors erat atra caput.
Hæc tamen haud sentit: fulvo tantum incubat auro,
Quod labor aggessit, flagitium peperit.
Quam bene cuncta! Deo placuit, sine * fine nec ullo
Vita sit, ut pereat, non memor ipse sui.

Aliud,

Passa lupi dentes, dirumque in viscera ferrum,
Urticæ stimulos ne tibi Roma time.

Aliud.

Hospes sacrorum jacet hic mercator:
Non sacra tutus sine merce spera.

Aliud.

Sextus Tarquinius, Sextus Nero, Sextus & ille,
Sixtus quanta tibi Roma ruina fuit.

Relatum est mihi, quodam mane repertam fuisse in primo ostio camerarum prædicti quondam Cardinalis Mutinensis in palatio Apostolico hanc schedulam: Bos bona, terra corpus, Styx animam. Præterea fuit recitata quædam fabula in Tinello Domini Archiepiscopi Ragusini à quodam Gallo, dicente, Mutinensem venisse ad portas cœli, pulsasse, ut intraret Regnum Dei. Cui Petrus: Quis hic, qui pulsat? Respondit ille: Mutinensis sum. Dixit Petrus: nisi mille Ducatos persolveris, Regnum Dei non intrabis. Respondit Mutinensis: Non habeo, unde solvam. Dixit Petrus: des quingentos. Respondit Mutinensis: Nec mille, nec quingentos habeo. Discessi ab illa vita pauper, omnibus meis bonis spoliatus. Beneficia, vasa aurea & argentea, pecunias, & omnes divitias meas recepit Papa. Nudus veni: miserere mei. Petrus gradatim de quingentis Ducatis descendit ad unum. Et cum Mutinensis continuo paupertatem allegaret, dixit ei Petrus: si non habes solvere unum ducatum, vadas ad diabolum, & cum illo sis pauper in æternum. Colludebat Gallus in vitam & mores Mutinensis, qui pauperes semper ad diabolum mittebat. Venit igitur ad infernum Mutinensis, ad ostium pulsans. Ostiarius: Quis pulsat? respondit ille, se esse Mutinensem. Ostiarius pari modo mercatur de pretio. Et cum Mutinensis nollet aliquid persolvere, ostiarius eum repulit, & locum ei dedit ad partem, in quo perpetuo cruciaretur. Dicebant, reliquisse in pecunia numerata 30000. ducatos, de dupplis, & 10000. in aliis monetis, & vasa aurea & argentea valoris 10000. ducatorum, præter pannos & alia bona.

Sabbato vigesima tertia Julii dictum fuit Papæ, Ducem Valentinum pro concordia habuisse Camerinum. Propterea fuerunt facti multi ignes. Habuit Dominum Camerini, & omnes suos filios, & captivos tenuit.

Feria quarta tertia Augusti, Dux Valentinus recessit ab Urbe in habitu simulato, videlicet sub Cruce & habitu militis Sancti Joannis Hierosolymitani, & cum eo Cardinalis Borgia, & equitarunt Mediolanum ad Regem Francho-rum ibi existentem, cum quo etiam Dux Urbini, Dominus Pisauri, Marchio Mantuæ & omnes Potentatus Italiæ.

Superioribus diebus Carolus, Paulus & cæteri Ursini, & Cardinalis Ursinus, Vitellotius Vitellius, ac Joannes Paulus Baglionus de Perusio, & quidam alii conspirati, & collegati contra Ducem Valentinum in Imola existentem, restituerunt Civitatem Urbini, & alias civitates, terras, loca, & fortalitia sub Ducatu Urbini constitutas Illustri Domino Guidoni vero Duci nuper expulso per Ducem Valentinum, ac Imolam circumdando, magnum timorem incusserunt Duci Valentino, similiter & Papæ, qui sine mora auxilium Regis Franciæ invocavit. Et nihilominus Mediatores elegit, quorum opera concordia & pax inter Ducem Valentinum & omnes supra dictos haberetur. Venerunt propterea versus Imolam omnes gentes Regis Franciæ in Ducatu Mediolani existentes. Interim conclusa reconciliatio, & concordia inter supra dictos, quam Papa quæsivit, & finxit in hunc solum finem, & posset se contra supra dictos vindicare, & omnino extirpare, quod imprudenter illis non formidantibus tandem evenit. Et licet Cardinalis Ursinus fuerit ab infinitis personis, etiam pueris, ne de Papa confideret, commonitus, noluit tamen aliquem audire, & sæpe subridens dixit; nunquam habuisse cum Papa discordiam, quia per concordiam utilitatem & commodum reportaret. Sed Papam, ut facilius prædictum Cardinalem attraheret dicebant, sæpe dixisse, non posse sine favore Ursinorum Romæ, vel in terris Ecclesiæ permanere tute, nec Ducem Valentinum Dominia sua retinere, propterea proposuisse resignare Papatum in favorem ipsius Cardinalis Ursini, dummode ipse perpetuam protectionem & defensionem Ducis prædicti polliceretur, & sub hujusmodi spe Cardinalem Ursinum ad omnia conduxisse. Concordia supra dicta firmata prædictus Cardinalis Ursinus rediit ad Urbem de mense Novembris.

Sabbato vigesima sexta Novembris Reverendissimus Dominus Cardinalis Farnesius Legatus Marchiæ Anconitanæ recessit ab Urbe, iturus ad legationem suam.

Dominica prima Adventus vigesima septima Novembris, cum Papa veniret ad Capellam, vidi ante eum Oratorem Bononiæ, cui dixi, ut non intraret Capellam, quia non haberet locum in ea. Qui obediit. Papa intellexit prohibitionem meam prædicto Oratori factam, & dixit eidem, ut intraret, qui Dominica sequenti intravit, & stetit in scamno Oratorum Laicorum ultimus post omnes.

Sabbato tertia Decembris Dominus Cardinalis

lis Arborensis recessit ab Urbe, iturus Perusiam ad Legationem suam.

Feria quarta, septima dicti intravit Urbem Magnificus Dominus Joannes Victor de Soderinis, Orator Florentinorum, qui receptus, & associatus fuit à familiis Suæ Sanctitatis & Cardinalium. Equitavit medius inter Gubernatorem Urbis, & Archiepiscopum Ragusinum.

Feria sexta, nona dicti nunciatum est Papæ, Ducem Valentinum rehabuisse Urbinum cum omnibus pertinentibus suis per concordiam cum Illustrissimo Domino Guidone Urbini Duce habitam, cui concessum est abire cum omnibus bonis & rebus.

Feria secunda, vigesima septima mensis Decembris anni 1502. Sanctissimus Dominus noster antequam exiret cameram vocavit ad se Reverendissimos Cardinales, quibus dixit, velle mittere ensem Domino Alphonso primogenito Ducis Ferrariæ, Marito Dominæ Lucretiæ Ferrariam; deinde cum paramenta acciperet Papa, dixit me audiente, habuisse consilium aliquorum Doctorum, quod matrimonium Ferrariæ inter Dominum Alphonsum prædictum & procuratorem Dominæ Lucretiæ, deberet hic Romæ de novo contrahi. Cardinalis Senensis matrimonium respondit esse sacramentum, propterea non esse reiterandum. Feria quarta, vigesima nona Decembris, tibicines & omnia musicorum instrumenta, parata in plano super scalas S. Petri, inceperunt magna vehementia sonare, singuli instrumenta sua prope domum Dominæ Lucretiæ juxta basilicam S. Petri, exivit ipsa Domina Lucretia in vestibus brocati auri circumdatis more Hispanico cum longa cauda, quam quædam puellæ deferebant: ipsa Domina Lucretia media inter Ferdinandum à dextris & Sigismundum à sinistris fratres mariti sui; sequebantur circiter quinquaginta Romanæ, pulchre vestitæ, & post illas pedissequæ Dominæ Lucretiæ, & ascenderunt ad primam aulam Paulinam super portam palatii, ubi erat Papa cum tredecim Cardinalibus ac Duce Valentinensi; finito sermone fuit posita ante Papam quædam mensa sive tabula, ad quam accesserunt Ferdinandus frater & Procurator sponsi, & Domina Lucretia, cui ipse Ferdinandus procuratorio nomine fratris sui imposuit quemdam annulum aureum sive gemmam; apportati deinde fuerunt per Cardinalem Estensem, etiam fratrem sponsi, quatuor alii annuli magni valoris, & apportata una capsa super dictam mensam posita & de mandato prædicti Cardinalis aperta, qui extraxit ex ea multa collaria sive torques pulcherrimis lapidibus pretiosis & margaritis ornatos. Item quatuor pulcherrimæ cruces &c. quæ omnia æstimata ad ** ducatos, oblata sponsæ per Cardinalem Estensem verbis ornatissimis; his factis retraxit se Papa ad sequentem aulam sive cameram Paulinam, quem secuta est Domina Lucretia cum mulieribus & multis aliis, & manserunt in palatio usque ad duodecimam horam noctis vel circa, Cardinales & alii qui voluerunt recesserunt.

Superioribus diebus impressa fuit & de Almania ad urbem missa quædam Epistola, quæ venit ad manus Reverendissimi Cardinalis Mutinensis, & fuit, ut intellexi, Papæ lecta, tenoris subsequentis.

Magnifico Domino Sylvio de Sabellis apud Serenissimum Romanorum Regem.

MAgnifice Domine: Intelleximus ex amicorum litteris, te jam ex multis diebus, nullo tuo sed Pontificis scelere atque perfidia, proscriptis atque in prædam datis omnibus fortunis tuis, ab Urbe abscessisse, & horum latronum furorem & rabiem evasisse; doluimus, ut æquum fuit, de tuis incommodis, sed tamen inter mala gavisi sumus, te incolumem in Germaniam & apud Cæsarem receptum. Unde cum intelligamus te litteris commendatoriis & aliorum precibus apud Pontificem agere, ut in integrum restituaris, valde admirati sumus prudentiam tuam eo credulitatis, vel, ut confidentius tecum agamus, eo levitatis, (devenisse) ut speret hunc hominem proditorem generis humani, qui omnem ætatem stupris & rapinis contaminatam ad decipiendos homines consumpsit, aliquid unquam quod justum sit vel posse vel velle agere nisi metu & viribus coerceatur. Erras, Carissime, & longe falleris si existimas ullam unquam pacem cum hoc monstruoso capite tibi esse quærendam: nam postquam nulla causa, sed ejus aviditate & perfidia ab eo proditus & proscriptus atque in perditionem datus es, æternum tibi cum illo bellum æterno odio est finiendum. Opus est igitur tentare alias vias, & publicum * Romanæ pestilentiæ Cæsari & cæteris Romani Imperii Principibus clades omnes, quæcumque ab hac infami bellua in perniciem Christianæ Reipublicæ emanarunt, narrare detestabilia scelera, quæ in contemptum Dei & religionis exitium committuntur, quæ tam atrocia, tam immania sunt, ut cujusvis etiam disertissimi ingenium perstringant. Hæc tibi in publicis Principum conventibus enarranda, hæc committenda pluribus exemplis atque per omnium manus tradenda sunt & disseminanda; frustra queri Christianam religionem de Mahometo antiquo ejus hoste, quod ab illa innumeram populorum multitudinem abduxerit, cum iste novus Mahometus omni criminum fœditate illum longe superaverit, & hoc fidei & Religionis reliquum validissimis morborum incendiis exarserit: venisse tempora quibus jam Anti-Christus toties à Prophetis prædicatus appareat, neque enim ullum omnino unquam nasci aut excogitari potuisse, qui apertior Dei hostis, Christi oppugnator, fidei & Religionis subversor inveniretur. Jam beneficia & dignitates Ecclesiasticas, quæ antiquo sanctorum Patrum decreto ad remedia animæ clarissimis viris ultro demandari solebant, publica venditione dissipari, & illis solummodo cedere, qui aperta emptione plus pecuniarum quam cæteri largiuntur. Igitur itur ad palatium cum auro ad emenda fidei mysteria, stat ibidem minister scelerum, venditor beneficiorum, Cardinalis Mutinensis, ad explendam Pontificis avaritiam quæ-

Digitized by Google

quæsitor institutus, qui tanquam cerberus ostio inferorum appositus, & omnibus adlatrans nullo pudore unumquemque pensitat, quid à quocunque feratur intelligit: admittuntur soli divites & locupletes, tenuiores vero omni verborum contumelia excluduntur. Omnia jam apud Pontificem esse venalia, dignitates, honores, matrimoniorum copulas, eorundem solutiones, divortia & repudia uxorum, & alia multa quæ neque ætas parentum nostrorum vidit, neque Christiana consuetudo admittit, sese publicitus offerre, & novam sectam & nova dogmata in Christi contumeliam populis irrepere. Nihil esse jam scelerum aut flagitiorum quod non Romæ publice & in Pontificis domo committatur, superatos esse Scythas latrociniis, Pœnos perfidia, immanitate & sævitia Nerones & Cajos; nam cædes, rapinas, stupra, & incestus referre, innumeri & infiniti prope operis foret.* Confectus crudelissimis vulneribus & bis propemodum cæsus Nobilissimus adolescens Alphonsus Aragonius, * perotus in ejus gremio trucidatus, verendos olim Vaticani penates cruore fœdavit, & aulicos omnes consternatione & fuga dissipavit: longum esset prosequi cœteros, qui vel interfecti vel vulnerati vel vivi in Tyberim dejecti aut veneno consumpti sunt: quorum cum sit infinitus numerus, & in dies crescat pernicies, neque his demum parcatur, qui auctoritate & gratia alios præcellunt, nemo in Urbe est etiam privatæ fortunæ, qui sibi & suis jam non timeat. Quis horrenda libidinum monstra enarrare non formidet, quæ aperte jam in illius domo & spreta Dei atque hominum reverentia committuntur, quot stupra, quot incestus, quot filiorum & filiarum sordes, quot per Petri palatium meretricum, quot lenonum greges atque concursus, prostibula atque lupanaria. Feria Novembris solemnibus omnium sanctorum ceremoniis dedicata, quinquaginta meretrices urbanæ ad convivium in palatium vocatæ fædissimum & detestabilissimum spectaculum præbuere: & ut ad irritandum exempla non deessent, actitata est sequentibus diebus in publicum spectacum equa, quæ spectante cum filiis Pontifice intromissos admissarios nimio Veneris ardore concitatos in furorem & rabiem converteret. Nihil esse jam auri quod non ex omnibus populis Christianis ad filiorum luxum summa aviditate conquiratur. Propositum est in Turcas bellum publicare, ob eam speciem per omnes urbis basilicas preces indictæ, & venditæ exteris civitatibus erratorum indulgentiæ: ut scilicet ex hac conquisitione largos sumptus suppeditarent, ut esset unde filia Pontificis gemmis atque auro onerata pompam & Romanæ Ecclesiæ tributa secum trahens, luxu inaudito ad maritum accederet; unde bellum antiquis civitatibus & veris Dominis inferretur. Pulsos esse sedibus veteres incolas, maximam urbis nobilitatem proscriptione atque exilio oblegatam, antiquos Latii dominos suis fortunis & possessionibus privatos, ut ex eorum cladibus Pontificis iidem filii & nepotes ex incestuoso partu adhuc in cunis vagientes, ad regna & opes promoverentur. Notam jam esse omnibus Provinciæ Flaminiæ ruinam, fori Cornelii, & fori Livii afflictiones. Captam per vim atque expugnatam Faventiam, Ariminum, & Pisaurum pulsis Pontificibus receptum, adjectam esse huic imperio de civitatibus Ecclesiæ à Pontifice Cesenam & Fortunæ fanum, cum Brittantrio, ut largiore licentia & ampliore ejus filius patri similis grassaretur, qui interim majora moliens bellum Camertibus atque Urbinatibus machinatur, ut his depressis omni Piceno, concedente Pontifice solus potiatur, & demum afflictis omnibus cætera omnia Ecclesiæ Romanæ jura atque Imperatorum ad se trahat: nam arces omnes Ecclesiæ validiores in ejus jam esse dicuntur potestate, Spoletum, Urbem veterem, Vejos, Nepesum, Terracinam; molem Adriani illius præsidio teneri, & demum eo ventum esse, ut ejus arbitrio ad libitum omnia gubernentur, qui non tanquam hujus Imperii protector aut Dux, sed velut hostis apertissimus omnia dilapidat; in hoc solummodo Patri agnitus atque carissimus, quia persimilis, in omnes adeo pernitiosus & sævus, ut judicare sit difficillimum, utrum eorum detestabiliorem natura produxerit. Superiore anno cum exercitu in Flaminiam proficiscens, in terras Ecclesiæ tanquam per agrum hostilem populabundus incesserat: demum expoliatis atque in prædam datis oppidis pluribus ad Faventiam devenerat: vastata erat in profectione Umbria cum Piceni parte & tota Flaminia; æquum videbatur profectioni reditum similem ostendere. Itaque reductus est exercitus ad Plumbinum primum, deinde ad Urbem Florentinorum; ibi pacatis omnibus nec quicquam metuentibus Florentinis per aliquot dies prædarum licentia statim data, & omnibus concessum tantum rapere & diripere quantum unicuique libuisset. Boni Ducis Imperium secuti milites, omnia rapinis, stupris, cædibus & incendiis miscuere. Serpsit hujus mali labes ad subditos populos tanquam morbosa contagio, atque Tudertum, Viterbium, Reate, Tybur insignes civitates cum contra alios non adesset pugnandi aut rapiendi materia, in se vertêre arma, ubi Ducis factiones hujus subornatione & facinore & propterea temporum licentia nixæ oppressis adversariis ferro & cædibus cuncta impleverunt. Cæsi atque obtruncati innumeri eorum cives. Cum interim bonus Pontifex suis libidinibus intentus gemmas undique & monilia conquirat, quibus filiam per scelus infandum sibi conciliatam luxu inaudito exornatam in matrimonium collocet: qui tantum abest, ut hujusmodi scelera vindicet aut prohibeat, quin apertius subornationibus faveat atque irritet, quo scilicet oppressis exulibus & adversariis qui Cæsaris & Romani Imperatoris partes sequuntur, quorum bona ab eo proscripta & publicata per injuriam fuerint, incestuosis filiis & nepotibus de illorum fortunis tradita dominia confirmet. Tacent Cardinales, si qui sint qui sentiant melius: nam potentioribus partim pulsis partim oppressis, nemo ad ista est ex reliquis qui hiscere au-

deat: alii per scelus & ignominiam creati auro & facinoribus malis, amplam dignitatem adulationibus tuentur: favent Pontifici & blandiuntur; illum collaudant atque admirantur, timent tamen omnes & maxime formidant ejus filium fratricidam, ex Cardinale sicarium effectum. Hujus motu & voluntate omnia ad libidinem gubernantur, illum inter greges meretricum Turcarum more latitantem armati milites custodiunt. Illius jussu & decreto interficiuntur omnes & vulnerantur, in Tyberim dejiciuntur, veneno extinguuntur, bona omnia quæ intra extraque sunt diripiuntur, illorum fames, rapina, sitis humano sanguine satiantur; quarum immanitatum metu cedere jam ab urbe nobilissimas familias, latitare optimos cives & nisi tot malis quamprimum succurratur à Cæsare, unumquemque de deserenda urbe & de fuga cogitare oportebit. O detestandam rerum & temporum conditionem! quantum ab antiqua summorum Pontificum sanctitate degeneratum est, quantum à justitia deviatum! Vix unquam credet posteritas tantum ignem ab hac face generis humani in populos emanasse, & tamen interim Christiani proceres de ampliando religionis statu cogitare videntur. Quomodo in Turcas aut Arabes geretur bellum, si istud domesticum incendium prius non extinguatur, à quo infideles Caroli Francorum Regis tempore, ut in Apuliam cum sex equitum millibus descenderent, * & cum de Alphonso Rege dissiderent, pluribus ejus pollicitationibus allecti fuerunt, ideo votum ab inclytis olim Principibus pro tuenda aut augenda Christi religione & recipienda Hierosolyma susceptum est, tantum cruoris effusum, tantum laboris & vigiliarum à sanctissimis hujus Reipublicæ ductoribus exsudatum, ut scilicet Rodericus Borgia, omnium ætatum detestabilissima vitiorum vorago & gurges altissimus, empto per scelus Pontificatu omnia divina atque humana jura funditus everteret. Subveniant tandem Principes labenti Religioni, naviculam Petri fluctuantem ex media tempestate in medium portus restituant, reddant Romæ urbi justitiam & tranquillitatem, tollant è medio communem pestem in hujus Reipublicæ exitium natam, & in ea primum id exemplum statuant, ut boni inposterum quiete vivere & suis fortunis secure frui possint. Hæc igitur omnia, Sylvi, quæ plusquam verissima sunt, in orationis formam redacta, in publico Principum conventu, vel si hoc non licuerit, in aliqua solemni missarum ceremonia, quam maxime sublimi poteris voce pronunciabis; deinde pluribus exemplis transcripta omnibus Principibus legenda dabis, absentibus Regibus transmittes. Vale & in hoc agendo memineris te nostrum & Romanum esse, iterum vale. Datum Tarenti ex Castris Regiis, die quindecima Novembris.

Dominica prima Januarii Anni 1503. venit nuncium, Senogalliam fuisse captam. Factum sic se habuit: Præfectissa videns non posse aufugere potentiam Ducis Valentini, oneravit duas barcas bonis & rebus suis, cum quibus per mare pervenit Venetias, & in recessu suo misit Duci claves Sinogalliæ.

Feria tertia Januarii Papa fecit nunciari Cardinali Ursino, & Jacobo de Sancta Cruce, Ducem habuisse etiam Arcem Senogalliensem. Propterea idem Cardinalis, volens gratulari Papæ, hoc mane equitavit ad Palatium, & cum eo Gubernator Urbis, qui finxit se illum casualiter associare. Cum essent in Palatio, & Cardinalis descendisset, omnes equi sui & mulæ fuerunt adductæ ad stabulum Papæ. Et cum Cardinalis esset in Camera Papagalli, vidit se gentibus armatis circumdatum, & expavit, & statim ductus fuit ad cameram Turris nonæ juxta hortum Papæ, & post eum Protonotarius Ursinus, Jacobus de Sancta Cruce, & Bernardinus Abbas de Livano. Et omnes fuerunt detenti. Detento dicto Cardinali Gubernator Urbis equitavit ad domum ejusdem Cardinalis in monte Jordano cum omni sua gente, & eandem domum custodivit, ac etiam inhabitavit.

Dum hæc fierent in Urbe, Dux Valentinus detineri fecit Senogalliæ Vitellotium Vitellium, Paulum Ursinum, Ducem Gravinæ & Liberottum de Firmo, & post paucos dies strangulari, Ducem Gravinæ, Paulum & Liberottum fecit diligenter custodiri. Fabius Ursinus dicti Pauli filius, videns capturam Patris, & prædictorum, celeriter aufugit prudentissime. Detento Cardinali Ursino, rumor surrexit per Urbem, Papam esse mortuum, & Neapolim ab Hispanis captam, sed nullum horum erat.

Die Jovis Cardinalis Ursinus ductus fuit ad Castrum Sancti Angeli, deinde Protonotarius, & Abbas Jacobus detentus in palatio.

Modus autem, quo Dux usus fuit capiendi supra dictos, fuit sic. Dux existens ante Arcem Senogalliæ cum Vitellotio & aliis, finxit se non velle illa hora illam debellare, sed potius facere collationem, ad quam invitavit omnes prædictos. Dux intravit domum, quem sequutus est Paulus à Duce specialiter invitatus, Vitellotius invitatus à Paulo. Cum essent in Aula, Dux intravit cameram, Michelettis cum multis appropinquantibus se, aliqui Vitellotio, aliqui Paulo, alii cæteris dixerunt: Vos estis capti. Ad quæ verba Vitellotius, extracto pugione vulneravit ex irruentibus unum, nihilominus ipse & alii fuerunt detenti, & de eis actum, ut supra dixi.

Feria quarta Januarii Jacobus de Sancta Cruce dedit securitatem Pontifici de se præsentando toties, quoties &c. sub pœna 20000. ducatorum, & sic rediit ad domum suam.

In sero dicti diei Gubernator Urbis asportari fecit omnia bona Cardinalis Ursini ad Palatium Papæ, ac bona Archiepiscopi Florentini.

Feria quinta Januarii Jacobus de Sancta Cruce cum Principe Joanne filio Papæ, & gente competente equitavit Montem rotundum, & accepit nomine Papæ possessionem illius, & omnium terrarum Ursinorum, & Abbatiæ Farfensis.

Hora consueta fuerunt vesperæ Papales, quibus finitis omnes Cardinales venerunt ad Pontificem

Digitized by Google

tificem, ei commendantes Cardinalem Ursinum. Papa dixit eis de conspiratione Vitellotii, Ursinorum, Balioni, & eorum complicum, ut Ducem occiderent. Et non obtinuerunt à Pontifice gratiam.

Eadem die habita est Perusia ad obedientiam Papæ, de qua Joannes Paulus illius tyrannus prius recesserat, & iverat ad civitatem Senarum ad Pandulphum.

Feria sexta Januarii Gubernator Urbis equitavit ad domum Auditoris Cameræ, Episcopi Cæsenatensis, & eum ad se vocatum, licet infirmum duxit ad Castrum Sancti Angeli, ubi eum detineri fecit. Et postea idem Gubernator ivit ad domum Domini Jacobi de Spiritibus Protonotarii, & Clerici Cameræ Apostolicæ, quem similiter duxit ad dictum Castrum Sancti Angeli.

Sabbato sequenti idem Gubernator fecit asportare omnia bona tam prædicti Auditoris, quam Protonotarii ad Palatium Papæ.

Sabbato decima quarta Januarii Reverendus Pater, Dominus Senolphus Episcopus Clusinus, Cameræ Apostolicæ Clericus, & Secretarius Apostolicus, qui ex timore per capturam Auditoris Cameræ ac Protonotarii sibi incusso, circa horam 21. condidit testamentum. Parum post emisit spiritum.

Feria quarta vigesima quarta Januarii in Castro Plebis Dominii Senensis de mandato Ducis Valentini, strangulari & necati sunt Dux Gravinæ, Paulus Ursinus, & Miles Ursinus, qui Senogalliæ nuper capti fuerant.

Feria secunda vigesima tertia Januarii fuit dictum per Urbem, Ducem Valentinum diebus præteritis sibi subjugasse civitatem Clusinensem, oppida, & Pientinum, & oppidum Sertarium, Castrum Plebis, & Sanctum Quiricum, in quo duo senes, & octo antiquas mulieres, quas per brachia suspenderunt gentes dicti Ducis, igne sub earum pedibus posito, ut faterentur, ubi essent bona ascondita. Illi autem nescientes, vel nolentes in tortura prædicta obierunt.

Eædem nefandissimæ gentes, extractis tectis, trabibus, fenestris, portis, capsis, buttis, vino prius per terram effuso, omnia combusserunt, & omnia in locis, per quæ transibant, rapuerunt, ut in Aquapendente, Montefiascone, Viterbio & alibi.

Die prima Februarii repertum est circapontem novum corpus sine capite in caligis de scarlatto. His diebus negatus fuit aditus Antonio de Pistorio & socio suo ad Cardinalem Ursinum, qui singulis diebus consueverant portare ei cibum & potum, quæ sibi per Matrem suam mittebantur; dicebatur pro eo quod Papa petierat à Cardinali Ursino 2000. ducatos apud eum depositos per quendam Ursinum consanguineum suum, provenientes ex venditione cujusdam possessionis, & quandam margaritam grossam, quam ipse Cardinalis à quodam Virginio Ursino, seu ejus hæredibus emerat pro 2000. ducatis. Mater Cardinalis hoc intelligens, ut filio subveniret, solvit 2000. ducatos Papæ, & concubina Cardinalis quandam margaritam habebat. Induta habitu viri accessit ad Papam, & donavit ei dictam margaritam. Quibus habitis permisit cibum, ut prius, ministrare, qui interim biberat, ut vulgo æstimabatur, calicem ordinatum, & jussu Papæ sibi paratum.

Feria secunda, decima tertia Februarii, dictum fuit per Urbem, Joannem Jordanum Ursinum obtulisse se & Statum suum ad manus Papæ ad omnem voluntatem suam & Ducis Valentini, & quod Pandulphus Patruccius Senensis, & Joannes Paulus Baglionus Perusinus essent capti in Dominio Florentino.

Feria quarta, decima quinta Februarii recessit ab Urbe Cardinalis Estensis, rediturus Ferrariam propter indignationem, quam Dux Valentinus assumpsit contra eum, quia idem Cardinalis diligebat, & cognoscebat Principissam, uxorem fratris dicti Ducis, quam & ipse Dux etiam cognoscebat carnaliter &c.

Die Jovis, decima sexta dicti Papa misit Duci Valentino bombardas ex Castro Sancti Angeli, ut cum eis expugnaret Castrum Bracchiani &c.

Feria secunda, vigesima dicti in secreto Consistorio Papa recitavit Cardinalibus, quod Ursini machinarentur proditorie intrare in Urbem, & dare in prædam domos Cardinalium, propterea admonuit Cardinales, ut providerent domibus suis &c.

Conquestus est de Duce Valentino, quod noluit hactenus obedire mandatis suis, expugnando Castrum Bracchiani, & alia loca Ursinorum, sed potius advertere persuasiones Regis Franchorum, licet sit Capitaneus Ecclesiæ, asserens se omnino velle, ut expugnet Castrum & loca prædicta; & quod Cardinalis Ursinus obtulit Suæ Sanctitati 25000. ducatorum solvere pro liberatione sua, respondisse, & confortasse eundem, ut sit boni animi, & solum curet suam sanitatem, qua habita, omnia futura secunda; commisisse omnibus Medicis, ut diligentissime curent ipsius Cardinalis bonam valetudinem.

Die Mercurii, vigesima secunda Februarii Reverendissimus Dominus Cardinalis Ursinus obiit in Castro Sancti Angeli. Papa commisit socio meo, ut haberet curam funeris defuncti. Ego nolui interesse; nolui enim sapere, plusquam oporteret.

Alexander Papa Sextus dilectis filiis Priori & Conventui Monasterii Sancti Marci Ordinis Prædicatorum in civitate Florentiæ.

Dilecti filii salutem &c. Quia divini consilii inscrutabilis altitudo universali administrandæ Ecclesiæ Nos Petri successorem licet immeritum hoc tempore præesse disposuit, jugi, quantum nobis divino numine datur, diligentiæ studio procurandis iis rebus intendimus, quibus religio, salus & pax Christiano populo conservetur, floreat & amplificetur; dogmatum vero novitas, fictæ simplicitatis adumbrata velamine, quia in populo frequenter & Clero schismata, hæreses, & morum subversio oriuntur, de Ecclesia pellatur, ne quietum corporis statum Ecclesiæ sollicitare in præsentia possit, neque cæteris delinquendi exemplo isto malo

Digitized by Google

malo poteſtas fiat in poſterum. Sane Hieronymum quemdam Savonarolam de Ferraria ordinis Prædicatorum novitate pravi dogmatis delectatum accepimus, & in eam mentis inſaniam Italicarum rerum commutatione deductum, ut ſe miſſum a Deo & cum Deo loqui ſine ulla canonica atteſtatione fateatur in populo contra canonicas ſanctiones. Non ſufficit cuiquam nude tantum aſſerere quod ipſe ſit miſſus a Deo, cum hoc quilibet hæreticus aſſereret, ſed oportet quod oſtendat illam viſibilem miſſionem per operationem miraculi vel ſcripturæ teſtimonium ſpeciale. Chriſtum præterea Jeſum crucifixum & Deum mentiri, ſi ipſe mentiatur, horrendum certe & execrabile adjurationis genus; extra ſalutis ſtatum eum eſſe qui vanis illius aſſertionibus non credat; Alia deinceps illum non minus inepta facere, dicere & ſcribere, quæ ſi prætereantur impune, nihil eſt quod non auſura falſorum religioſorum temeritas ſit, & in corpus Eccleſiæ, quod verendum eſt, vitia ſub virtutum ſpecie ſubintrarent. Cogitavimus longa cunctatione & patientia diuturna noſtra efficere, ut fatuam illam ſuam propheticam profeſſionem recognoſceret, ad ſolidæ veritatis viam deflecteret, verba temere & inique in Eccleſia prolata ibidem conſulte & fideliter revocaret. Credebamus poſt aliquod tempus jam advenisse diem quo de ipſo meliora concipere deberemus, ac dolorem, quem nunc usque ex effreni arrogantia & ſcandaloſa ſeparatione a Patribus ſuis Lombardiæ perpeſſi fueramus, quæ ſubdola calliditate, ſicut poſt cognovimus, perverſorum quorundam fratrum impetrata, ex ſua humili adhærentia in lætitiam commutaremus: ſed quod dolenter referrimus, ſpe noſtra fruſtrati ſumus. Nam licet per literas noſtras ipſum in virtute ſanctæ obedientiæ monuerrimus, ut ad nos veniret, veritatem ab eo & ab ore ſuo intellecturos, tamen non ſolum venire & nobis obedire recuſavit, verum etiam indies ipſe acerbiorem magis doloris nobis cauſam ſubminiſtravit, impudenter fidelium oculis legenda ingerens, quæ ſola alias audita temere profuderat inhibenda. Ea propter, quando nos reddendæ Eccleſiæ univerſæ pacis grandi ac laborioſo opere detineamur, hanc ipſam cauſam fratri Sebaſtiano de Madiis de Brixia congregationis Lombardiæ ordinis Prædicatorum generali vicario decernendam, judicandam, puniendamque ſecundum veſtri ordinis ſtatuta commiſimus, per literas noſtras brevi Hieronymo Savonarolæ prædicto in virtute ſanctæ obedientiæ ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna ſtricte præcipiendo mandantes, ut vicarium prædictum ad cognoſcendam hujusmodi cauſam a nobis judicem deputatum, prompta & ſincera obedientia recognoſcat, illius mandatis ubilibet gentium ſe citaverit, omni evocatione & appellatione poſtpoſita pariturus. Interea vero dum hæc cauſa coram prædicto Vicario diſcutietur, ab omni declamandi in populo & publice legendi officio per prædictum Hieronymum ſuſpenſum eſſe decernimus. Cæterum ne cuiquam ex fratribus veſtris tali exemplo ejusdem Hieronymi libertate propria delectati, errandi vel decipiendi tribuatur facultas, locum iſtum ſancti Marci de Florentia & ſancti Dominici apud Feſulas ordinis prædicatorum, domo prædictæ congregationis Lombardiæ reunimus, incorporavimus, annectimus, omnibus fratribus prædictorum locorum ſancti Marci & ſancti Dominici ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna mandantes, ut Vicario prædictæ congregationis Lombardiæ, velut ſuo legitimo paſtori pareant & intendant, revocantes ex nunc & revocatum eſſe decernentes quidquid facultatis, auctoritatis ſive poteſtatis cuiquam alteri, etiam Apoſtolica auctoritate, eſſet indultum: injungentesque ſub ejusdem latæ ſententiæ pœna fratri Dominico de Piſcia & fratri Thomæ Buſſino & fratri Sylveſtro de Florentia, ut infra ſpatium novem dierum, quorum tres aſſignamus pro primo termino, tres pro ſecundo, & tres pro tertio, à notitia præſentium, Bononiam proficiſcantur, auctoritate prædicti vicarii Lombardiæ in uno quopiam conventuum congregationis, præterquam in Domino Florentinorum collocandi. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuscunque &c. Datum Romæ &c.

Alexander Papa Sextus dilecto filio, fratri Hieronymo Savonarolæ de Ferraria ordinis Prædicatorum.

DIlecte fili ſalutem &c. Licet uberius per alias litteras noſtras in forma brevis explicaverimus, quantum nobis diſplicuerint turbationes præſertim iſtius populi Florentini, & eo magis quod habuerint ortum à prædicationibus tuis, quia conabaris omiſſis vitiorum extirpationibus & laudibus virtutum, publicis in ſermonibus futura prædicere, affirmareque Te illa habuiſſe à lumine æternitatis, ac inſpirante Spiritu Sancto; propter quæ & ſimilia ſimplices homines deviare poſſent à via ſalutis & obedientiæ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ: Debuiſſes enim potius procurare in tuis prædicationibus unionem ac pacem, quam ſimiles quas vulgus vocat prophetias tuas divinationesque prædicare; debuiſſes etiam conſiderare, quod conditiones temporum vehementer repugnant tali doctrinæ, quam in medium affers, quæ ſufficeret etiam ponere diſcordiam, etiam ubi eſſet ſumma pax, quanto magis ubi vigent tales ſimultates & factiones: Periculum itaque multarum animarum & deſiderium noſtrum quietis ipſius populi, & ut ſatisfaceremus officio noſtro paſtorali, adduxere nos, ut ad te ſcriberemus, nec ſine maturo conſilio decerneremus omnino, te vocare ad nos, ut te purgares à tibi impoſitis, quæ profecto ſi vera eſſent, non deberent impune tranſire. Cum autem nuper intellexerimus ab aliquibus fratribus noſtris ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, & per litteras tuas & nuntios, quod paratus es in omnibus per te dictis vel factis ſubjicere te correctioni ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, quod eſt officium boni Chriſtiani & religioſi hominis, plurimum lætati ſumus, incipimusque perſuadere nobis, ea te prædicaſſe non malo animo, ſed potius ſimplicitate qua-

dam

Digitized by Google

dam & zelo proficiendi in vinea Domini, licet certe contrarium experientia doceat. Verum ne videamur talia penitus negligere, quæ nullo pacto sunt negligenda, decrevimus iterum ad te scribere, & respondentes litteris tuis tibi mandamus in virtute sanctæ obedientiæ, quod amplius abstineas omnino ab omni prædicatione tam publice quam secrete, ita quod non possit tibi imponi quod cessans à publicis sermonibus te converteris ad conventicula. Quem modum omnino teneas, donec te commode & cum ea honestate quæ decet religiosum, non stipatus, ut intelligimus militibus, possis ad præsentiam nostram conferre: videbimus enim te hilari & paterno animo, vel donec maturius deliberemus quem modum debeas in futurum tenere, vel (si nobis videbitur) aliquem idoneum & probum virum destinabimus. Quod si feceris, ut speramus, ex nunc suspendimus brevia & contenta in illis quæ adscripsimus, & quascunque clausulas in eis contentas, ut quiete possis conscientiæ tuæ vacare. Datum Romæ apud sanctum Petrum die sexta decima Octobris 1497.

Responsio Fratris Hieronymi Savonarolæ ad Alexandrum Papam Sextum.

Beatissime Pater, post beatorum pedum oscula. Exhibitæ fuerunt pridie litteræ Sanctitatis vestræ Conventui nostro in forma brevis, quibus conventum hunc & conventum sancti Dominici ad Fezulas congregationi Lombardiæ reunisse intimabat, & fratrem Dominicum de Piscia & fratrem Thomam Businum & fratrem Sylvestrum de Florentia Bononiam proficisci sanctitas vestra præcipiebat: idque ideo factum fore, quod ego ipse Hieronymus multa fatua atque scandalum in Ecclesia Dei facile paritura contra canonicas sanctiones dixerim & publice populo prædicaverim; causamque meam punitioni & cognitioni generalis Vicarii dictæ congregationis per alias suas litteras submittebat. Quas litteras bono animo & qua decuit reverentia suscepimus, dum sanctitatem vestram de statu Ecclesiæ & de salute animarum nostrarum sollicitam ostendunt; sed doluimus vehementer ac dolemus; quod eo usque processerit hominum malitia, ut sint qui etiam summo Pontifici ac Christi in terra Vicario res tam falsas tamque perverse interpretatas suggerere non formidaverint. Et quia ex prædictarum litterarum serie constat, totius hujus rei effectum a me assertæ culpæ causa proficisci, parcet mihi benigna sanctitas vestra, si ego, tanquam is, a quo dicitur oriri hæc tempestas * mea gestorum veritas, atque sinceritas boni secuti & qui sequi sperantur effectus, a falsis interpretationibus, assertionibus & suggestionibus defendam: neque hoc erit difficile, quia ego palam locutus sum mundo, & semper docui in Ecclesia & in templo quo omnes Christiani conveniunt, & in occulto locutus sum nihil: hinc simplicitatis meæ & probatæ doctrinæ tot millia testium habeo, ut nullo pacto me apud sanctitatem vestram dubitem causam meam sine ulla prorsus difficultate defensurum, ut enim ait Philosophus, verum vero consonat, falso autem dissonat. Suggesserunt itaque inprimis Sanctitati vestræ, ut in ejus litteris patet, me novitate pravi dogmatis delectatum, quod falsum esse clarum est, publice enim scitur, me nullum pravum dogma sequi, nec prædicare, sed sanctas scripturas duntaxat & sanctos Doctores; & in publica prædicatione sæpe dixisse & in scripturis reliquisse, me & omnia mea sanctæ Romanæ Ecclesiæ submittere. Et hoc quidem ni fallor Beatitudini vestræ scripsi in quibusdam meis litteris, de quibus etiam ipsa fecit mentionem in brevi quodam Sanctitatis suæ ad me misso. Si quis autem dicat, quod prædicare futura novum est dogma, falsum est, quia hoc semper fuit in Ecclesia Domini Dei, ut patet discurrenti scripturas Ecclesiasticas. Nihil enim obest Religioni Christianæ prædicare futura, dummodo non sint contra fidem vel bonos mores aut rationem naturalem, vel unquam fuit aliqua lege prohibitum, nec prohiberi potest: hoc enim esset Deo imponere legem, quia dicitur Amos tertio: non fecit Dominus Deus verbum, nisi revelaverit secretum ad servos suos Prophetas. Secundo, quia in litteris prædictis dicitur me in eam mentis insaniam Italicarum rerum commutatione deductum, hoc etiam manifeste falsum est, & ab omnibus scitur, quia præterierunt quinque anni quibus hæc prædixi, vel plures etiam quam decem anni jam sunt; non ergo deductus sum ad hoc propter commutationem rerum Italicarum. Tertio dicitur [quod dixerim me] esse missum a Deo, hoc quoque falsum est. Sciunt omnes qui me audierunt, quia nunquam dixi; imo in scriptis nostris quæ ab omnibus legi possunt, scripsi, quia eram missus a Prælatis meis, sicut & fere omnes alii prædicatores; sed nunquam dixi a solo Deo me missum, ut testes sunt multa millia hominum. Quarto dicitur: & cum Deo loqui; hoc etiam nunquam expresse dixi, nec unquam utor tali modo loquendi, ut testis est universus populus Florentinus; quod etiam si dixissem, nullam propter hoc incurrerem pœnam, non enim invenitur in aliquo loco scriptum nec in toto corpore Juris Canonici nec civilis nec in aliquo authentico libro, quod qui dixit se cum Deo loqui, puniatur: stultum etiam esset & impium facere talem legem, cum nullus possit imponere legem Deo, potest enim ipse loqui cum quibus vult, & eis præcipere, ut dicant: hoc dicit Dominus meus, sicut Prophetæ faciebant. Item suggesserunt, me dixisse ipsum Deum crucifixum mentiri si ego mentirer; cum neque hoc absolute dixerim quasi Deo voluerim me æquiparare, sed in casu tamen, verbi gratia si quis diceret, erunt signa in sole & luna & stellis, & deinde dicat, si ego mentior, Christus quoque mentitur, nunquid hoc execrabilis adjurationis genus? ita ego aliquam veritatem quam locutus est Christus, aliquando cum dixissem, subjunxi: si ego mentior, & Christus. Ita in eodem brevi subsequitur, extra statum salutis quemquam fieri,

 vanis

Digitized by Google

vanis illis assertionibus non credentem, hoc ego nunquam dixi, sed bene hoc modo locutus sum: Quod cum sciam multa quæ prædixi, esse a Deo, qui obstructa aure eis non vult credere, sed omnino statuit contradicere, signum est quod is extra gratiam sit. Quoniam, ut dixi gratia est lumen fidei, semper inclinatur ad fidelitatem, ideo qui est in gratia non potest esse contra veritatem, quæ a Deo est firmata. Verum qui nostris assertionibus non credunt, nec tamen obstinato animo contradicunt, dixi & publice scripsi, quod poterunt esse in gratia & salvari contradicentes. Ergo non dixi quod peccarent, sed quod, modo quo supra, illorum contradictio signum erat privationis gratiæ in eis. Præterea ibidem dicitur: Alia deinceps illum non minus inepta facere & dicere ac scribere; totus siquidem populus iste testis est, me nec dicere, nec facere inepta nec scandalosa, sed quæ magnæ sunt virtutis & necessitatis in fructus multos & salutem animarum & ad pacem in civitate Florentina & ad reformationem spectantia. Et cum scriptum sit, in ore duorum vel trium testium stabit omne verbum, ego non solum duos vel tres, sed duo, tria vel etiam decem testium millia in medium adducam; cum quibus & ipsa opera, non à me, sed à Deo per me facta clamabunt probabuntque, me nunquam talia dixisse aut per similia quæ adversum me reprobi homines composuerunt. Præterea in ipso brevi sequitur, quod cogitamus longa cunctatione & diuturna patientia nostra efficere fatuam illam Propheticam professionem: ego arbitror quod nullus homo mundi prorsus possit inveniri qui audiverit unquam ab ore meo tam arrogans verbum, ut dixerim me esse Prophetam; verum e contrario multa etiam millia poterunt testari, me sæpe dixisse, non esse me Prophetam, neque filium Prophetæ. Quod & si dixissem, non video quare essem puniendus, nulla enim facta est aut fieri potest lex, quæ damnet hominem quemquam, qui se dicat ex spiritu divino futura prædicare, nisi sub hoc velamine populum sollicitet ad malum vel hæreses, aut aliud quidpiam præter hæc faciat, ut scribitur Deuteronom. ultimo; quod de me nullus potest dicere, ut notissimum est, alias nullus surgere posset Propheta in Ecclesia Dei; & sic hoc donum Prophetiæ de Ecclesia Dei pelleretur; quod est contra illud Amos tertio superius allegatum: non faciet Dominus Deus verbum, &c. & Prov. non. decim. cum Propheta defecerit dissipabitur populus. Quod si dicatur Deuter. 14. scriptum est, quod Propheta qui arrogantia depravatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi, ut diceret, aut ex nomine aliorrum Deorum, interficietur. Quod si evenerit quod locutus est, bonus Propheta fuit; sin autem, falsus: quod non est intelligendum sic videlicet: nisi statim quod prædixit eveniat, interficiatur, alioquin fuerat interficiendus Esaias & Jeremias & alii multi Prophetæ, quia multos annos vixerunt & multa ab eis fuerunt prædicta, quæ nec in eorum vita evenerunt & ideo intelligere oportet quod si aliquis dixit se ex Spiritu Dei futura prædicare & ea quæ prædicit non sunt contra fidem nec contra canonicas scripturas, nec contra Catholicæ Ecclesiæ doctrinam, expectandus est, maxime ubi vita bona comes fuit; quia Deus multos servos habet occultos, ideo ait Apostolicus, Prophetias nolite spernere. Si autem tempore à Propheta præfixo non evenerint quæ prædixit, tunc debet acriter argui, & sic lex ipsa intelligatur. Cum ergo jam multa quæ prædiximus evenerint, adhuc non sum arguendus, nec puniendus, quia illa futura non pronuntiaverim; si autem cætera suo tempore non evenerint, merito arguendus ero. Certus sum autem quod evenient, nec ex eis unus apex præteribit. Certe, Beatissime Pater, notissimum est non solum Florentiæ sed etiam in diversis Italiæ partibus, quod meis verbis secuta est pax in civitate Florentiæ, quæ si non fuisset secuta, Italia fuisset perturbata. Quod si verbis adhibita fuisset fides, Italia hodie non hoc modo quateretur: nam illius prævidens afflictiones, licet à multis semper fuerim derisus, pronuntiavi gladium venturum, ac pacis remedium ostendi solum esse. Unde Italia universa gratias pro me Deo agere deberet. Docui enim eam remedium tranquillitatis, quod quidem servans Florentia jam habet quod non haberet, & si similiter faceret tota hæc Italia, gladius nequaquam per eam transiret, quid enim nocere potest pœnitentiæ? Nullus itaque vere testari potest me scandala in Ecclesiam seminasse, sed ego innumeros habeo testes quod bona seminassem, verum inimicus homo zizaniam seminavit, & incidit in foveam quam fecit. Subjungitur præterea hoc in eodem brevi, subdola calliditate perversorum quorundam fratrum; primum quod perversos fratres eos vocat, quos nulla prorsus notat infamia, imo qui in toto hoc populo sunt optimæ famæ, hoc non potuerunt suggerere sanctitati vestræ nisi improbi homines. Mittat enim sua Sanctitas aliquem ex suis hominibus fidelibus, qui cives & populum interroget de fama fratrum sancti Marci & sancti Dominici de Fesulis, probabit & clarius cognoscet quam apertum fuerit hoc eorum mendacium. Secundo falsum est quod hæc separatio fuerit impetrata a quibusdam solummodo, & non ab omnibus, ut publico liquet instrumento. Tertio quia fuit impetrata, non, ut laxius in libertate viveremus, sed strictius, ut effectus ipse demonstrat. Præterea nec subdole fuit impetrata, cum causa hæc longo tempore fuerit discussa, & mature examinata, ut testis est Reverendissimus Dominus Protector noster Neapolitanus, qui hanc separationem sua prudentia impetravit. Nam juxta seriem nostrarum constitutionum hæc Provincia est a Provincia Lombardiæ distincta, & una alteri præesse non debet. Propter pestem quandam diminutis fratribus in hac Provincia, conventus sancti Marci de Florentia fuit per litteras ejusdem generalis Magistri unitus seu commendatus congregationi Lombardiæ, deinde prior quidam non vocatis fratribus aliis, breve

Digitized by Google

breve impetravit, ut prædicti conventus sancti Marci, & sancti Dominici de Fezulis, & sancti Dominici de Sancto Geminiano etiam auctoritate Apostolica unirentur, quod quidem breve nullius dubitatur fuisse valoris; cum esset subreptitium: quare si multiplicatis fratribus & augmentatis, authoritate Sanctitatis vestræ ad statum naturalem reversi sunt, hoc dici non potest esse fraudulenter factum, imo est secundum tenorem nostrarum constitutionum. Præterea ibidem sequitur: nam licet per litteras nostras &c. quod falsum est, quamvis enim mihi præcepit Sanctitas vestra, quod eam adirem, literas nostras tamen ad eam transmisi, rationabiles causas adducens quibus adire non possim, juxta illud Cap. si quando de rescrip. prima fuit, quia infirmus & valetudinarius eram, & periculo mortis me exposuissem. Secundo quia habeo adversarios capitales, & tales quod judicio omnium civium qui hoc sciunt, Romam non potuissem pervenire, & hoc quasi publicum est in Civitate. Unde non possum sine publica custodia egredi domum. Tertia fuit propter civitatis periculum, cujus regimen adhuc erat debile, & nostris monitis adeo sustentatur & perficitur. In calce autem litterarum rogavi sanctitatem vestram, ut hac vice mihi parceret, quia alias cum majori satisfactione venire poteram. Miror autem quod Sanctitas vestra litteras meas non habuerit, quarum copiam propter hoc in litteris Conventus nostri heri ad Sanctitatem vestram missis assignavimus, ut & ipsa videat quod falso locuti sunt qui dixerunt me obedientiam recusasse. Præterea cum Beatitudo Vestra sit maximis rebus occupata, non potest de iis quæ particulariter fiunt, exactam habere notitiam. Quod intelligentes homines perversi, suggesserunt, ut hanc causam meam determinandam judicandam & puniendam committeret Vicario Generali Conventuum reformatorum Lombardiæ Ord. prædicatorum, qui Judex nobis est summopere jure suspectus. Notorium est enim quod inter congregationem Lombardiæ & nostram propter separationem prædictam ortæ sunt controversiæ maximæ, & cum idem Vicarius una cum fratribus non cesset quotidie nos infestare, constituere igitur adversarium alicujus Judicem ejusdem, novit Sanctitas Vestra quam contra omnia sit jura & divina & humana. Præterea quando quis habet inimicos capitales, omnia jura illi concedunt, ut personaliter non teneatur comparere, ubi vitæ sibi imminet periculum; quia hic timor est cadens in constantem Virum. Si ergo Sanctitas vestra sciret fratres congregationis nostræ strictius vivere quam fratres Lombardiæ; certe cum ipsa cupiat religiosos ad perfectum tendere, non præcepisset, ut congregationi Lombardiæ reuniremur; non enim eisdem reuniri possumus, nisi eisdem conformemur. Quod autem strictius vivamus quam fratres Lombardiæ, nos qui utriusque congregationis secreta novimus, certi sumus, & hoc extrinsecus apparet ex multis signis. Scriptum est enim, a fructibus eorum cognoscetis eos, primum quia possessiones nec in commune habemus nec habere volumus; hoc autem ipsi non servant: Item quia in victu & vestitu parciores sumus, ut ad oculum experientia patet: tum quia sumus in silentiis & orationibus frequentibus, ut qui fuerunt inter nos, testantur: testis est civitas tota, quod magna est differentia inter vitam fratrum nostrorum his temporibus, & eorum vitam quando erant uniti congregationi Lombardiæ. Omnes enim fatentur fratres nostros ad strictiorem vitam transiisse. Hujus rei etiam signum est, quod cum congregatio Lombardiæ obtinuerit excommunicationem spiritualem contra eos qui sine licentia ab ea recedunt, tamen vix potest retinere suos bonos fratres, ut ad nos non transeant; & jam aliquot ex eis probati viri ad nos transierunt, de autem nostris qui sunt liberi, nullus ad eos probatus adhuc transivit nec transire vult. Quod & ex hoc patet, quia audientes ejus prædicti brevis tenorem, valde turbati sunt omnes, & statuerunt se defendere coram Sanctitate vestra, dicentes unanimiter, sese velle servare quod Deo promiserunt, nec ullo pacto volunt vitam relaxare, sed in Deo confisi magis restringere. Præterea scimus non esse de intentione Sanctitatis vestræ * excommunicatos pastores præficere ovibus, non enim pascerent oves sed raperent & occiderent. Scit igitur Sanctitas vestra quod propter molestias quas nostris fratribus intulerunt fratres Lombardiæ, qui sæpe pacem nostram perturbarunt, hæc reunio non potest esse nisi valde molesta fratribus & odiosa, ex qua sequentur perturbationes ovium & scandala potius quam utilitas animarum. Quod etiam patet ex hoc, quia quando temporibus retroactis erant fratribus Lombardiæ uniti, nunquam veram pacem habuerunt cum iisdem, quia non sunt conformes in moribus: unde etiam constitutiones nostræ non sine causa has duas Provincias ab invicem diviserunt. Præterea si Sanctitas vestra reuniat Conventus nostros conventibus Lombardiæ, ita sine culpa offenderentur. Præterea cum Sanctitas vestra in litteris suis dicat se hos conventus & fratres reunire congregationi Lombardiæ, ne propterea libertate delectati sequantur errores meos, & tribus fratrum nostrorum præcipiat, ut in termino novem dierum Bononiam proficiscantur: Et cum notum sit me in nullo eorum errasse quæ mihi ab adversariis arrogantur; confidenter dicere possumus, hoc non esse de intentione Sanctitatis vestræ, cessante enim causa cessare quoq; debet effectus. Cum igitur, beatissime Pater, constet omnia quæ Sanctitati vestræ suggesta sunt esse falsa, & a perversis hominibus qui quærunt animam meam, esse, & fuisse falso conficta, qui me ex hac urbe astutiis suis cupiunt educere, non, ut veniam ad pedes Sanctitatis vestræ, coram qua sciunt me omnia nostra facile defensurum, sed, ut me interficiant in itinere, ambitione sua tyrannidem affectantes; non indignabitur Sanctitas vestra defensiones nostras pie admittere & nos potius prudentes quam inobedientes appellare, dum interim supersedemus, ut intelligamus Sanctitatis vestræ benignam responsionem & ab hujusmodi gravaminibus liberam absolutionem; nam doctrinam hanc à prædecessoribus Sanctitatis vestræ & doctoribus sanctis, videlicet Theologis & Canonistis didicimus. Unde inter alia multa quæ allegari possent, specialiter hoc patet, sicut plene novit Sanctitas vestra, ut in præal. cap. scribentes, & maxime per Dominum Felinum Ferrariensem, ejusdem Sanctitatis vestræ benemeritum auditorem, cui nisi hæc notissima essent, in litteris præsentibus ea subscripsissemus. Quod autem omnia quæ superius scripsimus, vera sint, ubi oporteat, non erit difficile nobis probare. Sanctitas vestra mittat unum ex suis fidelibus, virum justum & non suspectum, & clare ab universo populo poterit certificari, & ego paratus sum in omnibus emendare me ipsum, ubicunq; erro, & publice coram populo universo

Digitized by Google

verso omnia errata mea revocare. Dignetur Sanctitas vestra mihi significare, quid ex omnibus quæ scripsi vel dixi sit revocandum, & ego libentissime faciam, nam & hac vice & semper, sicut sæpius dixi ac etiam scripsi, me ipsum & omnia mea dicta & scripta subjicio correctioni sanctæ Romanæ Ecclesiæ & Sanctitati vestræ, cui semper me ipsum & fratres meos ejusdem pedibus prostratus plurimum commendo. Florentiæ ex Conventu sancti Marci die vigesima nona Septembris 1497.

Beatitudinis Vestræ filius & Servus
Frater Hieronymus.

Vacante sede per obitum Alexandri Sexti 1503.

Die vigesima nona Octobris Dominus Petrus Cardinalis sancti Petri, qui fuit Julius secundus electus die ultima Novembris 1503. convenit in palatio Apostolico cum Duce Valentino & Cardinalibus suis Hispanis, & concluserunt capitula eorum, per quæ inter alia Cardinalis sancti Petri ad vincula promisit postquam ejus opera fuisset assecutus Papatum, creare Ducem Confalonerium sanctæ Romanæ Ecclesiæ generalem, & faveret ei in statibus suis: & vice versa Dux Papæ. Et promiserunt medio juramento omnes Cardinales Hispani dare votum suum prædicto Cardinali ad Papatum.

Sub Julio Secundo Pontifice maximo.

In sero ultimæ Octobris fuit conclusum inter Cardinales præcipue Hispanos, quod Reverendissimus Dominus sancti Petri ad Vincula esset Papa & venerunt ad ejus Cameram omnes, dempto solo Alexandrino, dicente: proficiat de Papatu. Et ego simul veni, & promisit mihi Ecclesiam Hortanam, mulam fornitam, cappam & Rochetum. Die tertia Novembris Dux Valentinus jussu Papæ incepit habitare palatium, & fuerunt illi assignatæ cameræ. Die quatuordecima Papa Julius Secundus cum Cardinalibus decrevit quæ occurrebant super recessu Ducis Valentini. Die Dominica * decima nona Novembris circa mediam noctis Dux Valentinus recessit de Urbe, iturus Ostiam Tiberinam, & inde in Franciam per mare, associatus a Domino Bartholomæo de Rovere nepote Papæ. Sed postea propter quasdam novitates fuit in Urbem revocatus.

Die vigesima sexta Novembris primus omnium oratorum obedientiam præstitit orator Gallicus, deinde orator Regis Romanorum & Venetus. Die vigesima nona Novembris Papa præfecit me Ecclesiæ Hortanæ cum reservatione quadam. Eodem consistorio Rothomagensis designatus fuit legatus.

Die decima nona Decembris rediit ad urbem Carolus Monsegenallus cubicularius a Papa missus cum Petro de Oviedo & cubiculario olim camerario Alexandri Papæ & Ducis Valentini, quem per eum miserat Domino Petro, castellano arcis Cesenæ, & ei miserat contrasigna, ut dictam arcem Domino Carolo nomini Papæ traderet. Retulit dictum castellanum, lectis literis Ducis & contrasignis receptis, dictum Petrum die quindecima sine confessione suspendi fecisse. Papa hoc audito, re communicata cum Cardinalibus Ulissiponensi & sancti Georgii, decrevit Ducem Valentinum jam ad Urbem reversum, qui usque nunc in quadam camera a Cardinale Rothomagensi custodiebatur, mittere ad Castrum sancti Angeli. Non fuit tamen illuc missus, sed in superiorem cameram turris novæ Papæ Alexandri Sexti intrusus & custoditus. Cardinales Surrentinus & Borgia die ipsa post vesperam relicta habitatione palatii, equitarunt ad suas domos juxta Ecclesiam sancti Marcelli, intelligentes Ducem esse detentum, & clam nocte iter marinum versus arripuerunt.

Die Lunæ vigesima secunda Januarii 1504. fuit consistorium secretum & antequam Papa veniret ad illud, conclusit in camera secreta coram Cardinalibus sancti Georgii, sanctæ Crucis & * concordiam cum Duce Valentino ibi non præsente, & fuit statim facta desuper bulla plumbata. Concordia fuit, quod Dux teneretur intra quinquaginta dies assignare castra Cesenæ & Forlivii libere & universa; Papa deberet ipsum Ducem facere associari & secure conduci ad civitatem Ostiam & ibi morari in arce. Cardinalis sanctæ Crucis recepit curam Ducis, promittens quod non aufugeret, & postquam dictas consignasset arces, eum debebat dimittere liberum cum bonis suis & de hoc promisit idem Cardinalis Duci pro Papa. Et si Dux intra quadraginta dies non curabit assignare dicta castra, Papa jubet quod debeat idem Dux reduci Romam, & in perpetuum carcerem confinari. Eadem die Cardinalis sanctæ Crucis cum Duce Valentino ascendit navigium ad ripam Tyberis Ostiam ituri. Die nona decima Aprilis Dux Valentinus recessit de Ostia iturus Neapolim.

Die eadem intraverunt urbem per portam viridarii tres novi oratores Regis Angliæ, & die vigesima præstarunt obedientiam Papæ in tertia aula. Et cum ostenderent scedulas credentiales in quibus erat scriptum: Henricus Dei Gratia Angliæ & Franciæ Rex, Dux Herniæ; Dominus Robertus Episcopus Redonensis Orator Regis Franciæ, genuflexus, oravit Papam, ne sineret oratores Angliæ cum titulo sui Regis præstare obedientiam, alioquin protestabatur, & obtinuit. Præstarunt itaque obedientiam simpliciter nomine Regis Angliæ & Ducis Hiberniæ, & Gallus fecit ibi de hoc conficere instrumentum.

Die vigesima nona Maji venerunt nova Papæ, quod Guido Ferrari Capitaneus incarcerasset Ducem Valentinum in Castro Neapolitano cum Romelino, & tribus aliis. Sabbato vigesima nona Junii in die sancti Petri post missam Papalem fuerunt præsentatæ duæ Chineæ cum fornimentis albis & copertis pulcherrimis. Primam præsentavit Robertus Episcopus Rhedonensis Orator Regis Franciæ nomine sui Regis pro censu Regni Neapolitani, Papa respondit, acceptamus sine nostri & alieni juris præjudicio. Aliam Dominus Franciscus Rizas Orator Regis Hispanorum, qui legit ex quadam scedula * intestationem (protestationem) medii folii, Papa respondit, sine nostri & alieni juris præjudicio.

Die vigesima quinta Aprilis 1505. tres venerunt Oratores Regis Portugaliæ: inter equitandum magna est orta contentio inter oratores Franciæ & Hispaniæ, quoniam Franciscus Royas importunus Hispanus volebat equitare cum Episcopo Jadrensi, ut non cederet Episcopo Rhedonensi Oratori Franciæ. Et in contentione inter eos percusserunt se cum capellis: accessi ad eos sæpe, non potuisse eos concordare: tandem acquieverunt sententiæ meæ, ut* Hebredunensis Orator Portugalliæ primus equitaret cum Amorenti Prælato palatii, & post eos Episc. Rhedonensis in medio, Orator Hispaniarum a dextris, & orator alius Franciæ a sinistris.

Die Lunæ prima Decembris fuit Consistorium secretum, in quo fuit tractatum de creandis decem Cardinalibus novis. Papa igitur ad cameram audientiæ exivit circa horam septemdecimam, & vocavit in camera consistorii primo Cardinalem Neapolitanum, deinde singulos Cardinales separatim, cum quibus locutus est de dicta creatione, & duravit consistorium usque ad horam vigesimam quartam, nec potuit eos vincere, dein papa in communi tractavit cum illis frustra. Tandem prorupit ad minas, & dixit quod facturus esset quod fecit olim Eugenius quartus. Territi Cardinales consenserunt in novem tantum, ita tamen quod illos publicaret quatuor temporibus, quod Papæ displicuit. Dixit tamen quod eos publicaret proximo consistorio. Cardinalibus negantibus, est minatus creare usque ad triginta, ni assentirent: tunc omnes quasi assenserunt, exceptis Regiensi, Arboricensi, de Flisco & Bononiensi, promiserunt vota dare Papæ & non dederunt. Displicuit multum Papæ, quod Cardinalis sancti Severini voluit habere certa castella pro voto suo. Privavit Arboricensem cameris in palatio & legatione Perusina, quam Cardinali dedit Eugubino noviter creando.

XIX.

Google

XIX.

NORBERTI ABBATIS IBURGENSIS VITA BENNONIS EPISCOPI OSNABRUGENSIS

Anno 1118. conscripta.

PRÆFATIO.

Multorum sæpe negligentia accidisse videmus, ut res gestas memoria dignas ita silentio præteriisse passi sint, ut eorum, qui res præclaras gesserunt, nulla sit posteris transmissa memoria, quod nos qui Auctore Deo in hoc Iburgensi Monasterio Christo militamus, de Venerabili Patrono nostro Osnabrugensi Episcopo Bennone secundo omnino vitare cupientes, ita cum Successoribus nostris, qui Divino mancipati servitio hunc forte locum sunt habitaturi, intimare satagimus, ut de vita, moribus, gestisque ejus pauca perstringentes & multiloquio pro penuria scientiæ, sermonisque vilitate parcentes, id maxime intendisse cernamur, quatenus ipse fundator noster & structor tantum assidue in loco hoc juvetur orando, ut se spei suæ solatio injuste destitui, Deo juste conqueri non possit. Ut enim ipse nobiscum sæpe familiarius loquens adjicere jocando solebat; omni die de nostra servitutis impensa, vita defunctus, prandium sibi expectare, oratione videlicet insinuans animam pasci: & quod ipse, utpote innumeris sæcularium tumultuum negotiis præpeditus, in Dei opere minus implevit, totum id sibi Deo hic per se congregatos justissime recompensare sperabat. Quamvis enim more eorum, qui agones martyrum seu vitas scripsere Sanctorum, Miraculorum signa & virtutum insignia de eo referre non possimus, pleraque tamen bene vivere studentibus imitanda ejus facta dicemus, quæ suo ordine & loco, prout memoriæ occurrerint, plenius inserenda ponentur: sed, ut jam nos præmisisse recolimus, non eo hujus opusculi spectat intentio; ut vita ejus exteris gentibus nostræ narrationis ambitu descripta clarescat; sed intra Monasterium hoc commanentium lectione contenti, id unice eos obtestamur & petimus, ut si per nos, utique peccatores, ei apud districtum judicem minus efficaciter, quam dum viveret, speravit, & eget, fortasse succurritur, tanto obnixius pro ejus salute Divinæ pietatis aures ipsi pulsare non desinant, quanto se ejus industria & studio in hoc loco congregatos habere cognoverint & temporale subsidium, &, si religioni studuerint, spirituale incrementum. Unde & nos quasi rei impietatis inveniri timuimus, si de eo omnino silere, & non qualicunque sermunculo aliis eum commendare vellemus, de quo si nobis suppeteret materia alia nulla scribendi, profecto tot in nos collatorum beneficiorum ejus, & charitatis immensæ benignissimæque voluntatis & studii magnitudo, quibus omnibus, quasi nutrix fovit & fovet filios suos, non minimam scribendi portionem ministrare sufficeret. Sed his quasi præfatiuncula quadam prælibatis ejus prosapiæ quale sit exordium, sicut accepimus ipso referente, videamus.

CAPUT I.

De ortu Bennonis & quomodo Parentes ejus miraculose eum impetrarunt.

IN Sueviæ partibus loco, qui Luninge dicitur, est viculus, ubi ejus Parentes non Nobiles quidem, sed tamen plebejam conditionem transgressi, clari apud suos vitæ integritate, & amore religionis sunt habiti, sed cum diutina infæcunditate tristati sine prole mansissent, seque pro hac necessitate divinis, arctius solito, mancipassent obsequiis; si forte eis Divina bonitas pro esurientium cibo, algentiumque vestitu, seu aliis misericordiæ operibus gaudia sobolis largiri dignaretur optatæ, seque votis adhuc diutinis frustrari quererentur, tandem desperatione pene suborta, qui forte in vicinia erant, Religiosorum cognitioni, & amicorum res ista perlata consilio, qui omnes concordi sententia à Divina Clementia poscendum amplius instantiusque exigendum fore suadebant. Itaque re domestica amicorum arbitratu disposita & quæ in itinere essent necessaria, sufficienter assumptis, Romæ Apostolorum limina invisere devotissima mente tractabant; sed ne in conspectu Dei vacui apparerent, exteriorque devotio interioris recommendaret affectum, fieri jubent unius similitudinem pueruli ex argento purissimo, eamque pro modulo suo parvulæ quantitatis imaginem, artificis ingenio diligenter effictam, secum deferentes, Christoque & Apostolis ejus sui desiderium cordis signo locuturi, profecti sunt Romam, ubi per aliquot dies commorantes, & loca sancta perlustrantes, inter cæteras necessitates, id vel maxime flagitare cœperunt,

Digitized by Google

runt, quatenus eos superna gratia Apostolorum suorum exorata suffragiis, pro tanto laboris impendio filiorum dignaretur susceptione ditare, qui eos aliis rebus pro suo statu & dignitate satis videretur auxisse, conditione insuper hujuscemodi super hac re sponte oblata, ut si hæc Deus pro sua pietate vota compleret, qui primus eis nasceretur ex filiis, sacris eum literis & officio vellent mancipare Divino; Hac igitur piæ devotionis & intentionis sponsione devincti, in Patriam remeantes, non multo post tempore filium genuerunt, cui ex cognationis denominatione Benno vocabulum esse voluerunt. Hoc autem modo susceptum Infantulum tanto diligentiori cura ac studio alacriori nutrire cœperunt, quanto eum suis precibus pietatis auctorem dedisse credebant.

CAPUT II.

De probis indiciis Infantiæ Bennonis.

SEdet inter ipsa teneræ ætatis rudimenta incredibile est dictu quanta in ipsius facie puerili futuræ gratiæ quodammodo dignitas elucere cœpisset, ut vultus alacritas quiddam videretur spondere præsagii, se gratia qua fuerat parentibus datus, ad altiora quandoque eodem vocante scansurum, siquid autem, ut ab id ætatis puero jussu parentum fortasse fuisset agendum, prudentiæ & ingenii præclarum specimen in ejus posset quivis verbis & actione mirari, quod cum votum parentum multo lætiori spe aluisset, Divinæ propensius bonitati gratias agere cœperunt, quæ non solum præsenti eorum desiderio satisfecisset, sed de futuro spei quiddam altioris videretur annuere.

CAPUT III.

Quomodo Benno puer traditus sit literarum studiis.

CVm autem quod voverant parentes de puero implere posceret tempus ætatis, in Argentina Civitate, quæ alio nomine Straßburg appellatur, cuidam eum Magistro literali imbuendum sciencia tradiderunt, ubi quantum per divinam gratiam profecerit, quantaque coætaneos suos velocitate discendi præcesserit, ingenioque & scientia transcenderit, facile advertunt, qui ejus industriam aliquanto simul conversandi experimento noverunt; Jam vero Adolescens, Hermannum quendam Contractum ex Ordine Sancti Benedicti, qui liberalium studiorum eo tempore eximius ferebatur, cujus etiam egregia nunc extant opuscula expetere studuit, apud quem, ut ipse quoque fatebatur, valde proficiens, multa de illo præclara narrare solebat. Hoc itaque discendi ordine, & per alia quoque loca studentium more aliquanto tempore vagatus, in juventutis profectus ætatem multis ejusdem regionis summis & nobilibus viris innotescere cœpit, maximeque illius Civitatis Episcopo, cum quo etiam illum Jerosolymam petiisse, multaque in itinere illo pro Christo pericula scimus perpessum.

CAPUT IV.

Quomodo Benno ad Spirensem Civitatem studii causa accesserit.

EO vero tempore, quo urbs Spira in Rheini littore posita paupercula & vetustate collapsa pene jam Episcopium esse desierat, Imperatorum, qui nunc ibi conditi jacent, studio & religione, ut nunc ibi cernitur, reformata convaluit. Hoc enim eisdem piis Imperatoribus videbatur inesse laudabile votum, ut quia in Regno fundare Episcopatum ex suis divitiis occasionem non habebant, hunc, qui jam pene nullus erat, facultatibus suis restaurare, suæque memoriæ dedicare deberent. Cumque plurima eodem tempore de toto Regno illuc undique Clericorum turba concurreret, eo quod circumquaque flagrans imperiale studium, studium etiam literarum inibi ardentissimum florere cæpisset, contigit & Dominum Bennonem, qui se semper miscere consueverat, regia munificentia accitum, eidem interesse palestræ. Ibi quoque inter conscholares Agonistas, quantum se præbuerit, quantoque labore & probitate cunctis innotuerit, reliqua ejus vita facillimis demonstrabit indiciis. Cumque in eodem loco aliquanto tempore manens, non solum literis, sed & per eas acquisitis divitiis abundare cæpisset, eo usque res sua processisse non dubitatur, ut si se eidem loco perpetuum mansorem stabilire maluisset, ad ejus ibi honoris cacumen facillime crederetur pertingere potuisse, quod apud nos majore postea rerum experientia exercitatus habuisse cognoscitur; sed vir prudentioris ingenii in otio torpidus esse contemnens, ad laborandumque sese salubriter extendens, Deoque spes suas & se omni semper intentione commendans, noluit honoris alicujus aut regiminis pernitiosus sibi unquam esse præsumptor, sed exercitio animi corporisque labore semper discenda addiscere, ne si eum suæ supernus arbiter Domui Dispensatorem præesse disponeret, improvidus non haberet, unde familiam Domini sui spirituali alimonia satiare deberet.

CAPUT V.

Quomodo Benno factus sit Scholarium Magister in Civitate Hildesheimensi.

ITaque Henricum Imperatorem deinde in Saxoniam secutus, cum Villam Goslariam ille operosis impensis, & regio fastu amplificare cæpisset, solito se ibi studio morumque probitate demonstrans, optimatibus terræ illius in brevi est cognitus, & honestissima contentione quæsitus, cujus potissimum dominio subesse deberet. Prævaluit autem in eo certamine venerabilis ejusdem loci Ezelinus Episcopus magnisque promissionibus secum abductum in Ecclesia sua Hildesheim scholarium esse constituit Magistrum. Satis autem abundeque provisa sibi necessariorum copia, ut liberum in studendo animum securus & vacans habere potuisset, juxta quod ad tales per Poëtam canit.

Pectora nostra duas non admittentia curas, multo tempore omni exteriori occupatione reddidit expeditum. Cum igitur eatenus Ecclesiæ illius Clerici rusticano quodam more educati, pene sine literis ac idiotæ fuissent, tantum sunt hujus diligentia ac continuato labore con-

Google

consecuti studendi amorem, ut penitus illa regione nil simile reperiretur in studiis. Egregius enim exinde clerus adolescere cœpit, cum claustralis honestate disciplinæ, tum literarum scientiam ardore discendi. Primus itaque loci illius illustrator & velut novus ecclesiastici ordinis auctor jure est habitus.

CAPUT VI.

Quomodo Benno factus est Consiliarius Ezeleni Episcopi Hildesimensis.

HUnc ergo tantæ industriæ virum non diutius passus est Episcopus ille, vir & ipse totius prudentiæ & virtutis, à sua longius remotum esse præsentia, sed nunc eo à consiliis uti, nunc interesse colloquiis, nunc legationum officiis fungi, aliquando etiam publicis negotiis Oratorem præesse decrevit, denique expeditione imperiali contra Hunnorum impetus totius regni viribus congregata, qua Henricus fortissimus Imperator eorum superbiam superbiam subjugare, & fidei Christianæ innectere statuit, sæpe dicti viri Episcopus non ignorans solertiam, secum eum in hæc pericula & summam laboris assumpsit, ubi quantæ sibi utilitati, quanto honori, quanto denique vitæ tutamini & præsidio fuerit, populares etiamnum adhuc notæ fabulæ attestari solent, & cantilenæ vulgares. Cum enim hostes tanta tamque forti multitudine metuentes congredi, rebus desperatis terga dedissent, tanto studio & arte vincendi demoliti sunt totius alimenta terræ ut foveis occultando videlicet, aut ignibus injiciendo & fluviis committendo, vel in fuga secum ablata portando, ut inæstimabili & miserrimo famis periculo totus omnino laboraret exercitus; tum vero assidui experientia laboris & incredibili arte quærendi, Dominus Benno Episcopo suo, ejusque comitibus, in tam crudeli morte succurrit, ut eis quotidie sua industria quæsitus panis sufficeret, qui ipsi Imperatori, cum in reliquis esset omnibus perspicue victor, valde exiguus, aut omnino nullus existeret.

CAPUT VII.

Quomodo Benno factus sit Præpositus Hildesimensis Ecclesiæ, ac Archipresbyter in Goslaria.

REversus igitur ad suam sedem incolumis Episcopus cum sociis, tantis eum honoribus, ubicunque sibi oportunum & possibile reperisset, ampliavit & donis, ut merito præcipuus haberetur apud omnes & clarus. Adeo enim ex illo tempore res suæ prosperari & felices esse cæperunt, ut in eadem Ecclesia postea constitutus Præpositus totius etiam Episcopatus curam administrare cogeretur. Hujus itaque dispensationis non minus strenuus, quam fidelis executor, & in villa Goslaria in Archipresbyteratus ordine synodalis negotii non segnis exactor, tanta se modestiæ districtionisque & æquitatis arce locaverat, ut regiæ quoque domus administrationi videretur esse idoneus.

CAPUT VIII.

Quomodo Benno in omnium Virtutum Palestra sit exercitatus.

INerat enim huic vis magna ingenii & excellens constantia animi, sermoque promptus & facilis, ut suos ad quæ vellet, auditores efficax inclinaret, persuasibilis & fortis semper blanditias terrore respergens, ut peccantibus nequaquam sui odium arguendo infligeret; sed emendandi amorem, porro in consiliis sive colloquiis privatus, ubi sæpe de perfidis & perjuris hostibus, seu quolibet regni negotio callide intendi, & diligenter cuncta oportet tractari, tantæ perspicaciæ & providentiæ fuit, ut mox in ipso exordio rei agendæ de excelsa specula ingenii, quo cujusque vergeret sermonis intentio, & totius negotii prospectaret eventum. In fidei autem constantia, seu cuilibet hominum amicitiæ observatione promissæ, omnibus pene incomparabilis fuit, quam nullorum unquam pollicitationibus munerum, majorisve emolumenti respectu aut immutare, aut quolibet modo unquam est violare compulsus. In erogandis denique donativis munerum, in suos quidem parcior, erga extraneos vero erat largitate perspicuus, quod quare in moribus habere consueverit, nos ignorare fatentes, id unum de eo certo affirmare audemus; Eum nunquam aliquid, quod quibusdam fortassis reprehensibile videri potuisset, in consuetudine habere solitum fuisse, quod non esset prudentiæ profunda arte conditum; Circa pauperes & egenos, seu qualibet tribulatione afflictos omnimode illi inerant viscera pietatis & immensa compassio, ita ut captivis & infirmis, esurientibus & nudis, peregrinis & advenis, viduis & orphanis, qualibet semper vellet pro viribus miserationis ope succurri; maleficos autem, adulteros & perjuros, sacrilegos sacrorumque violatores dierum, cunctosque violatæ Ecclesiasticæ sanctionis reos, qui synodali deberent severitate puniri, tanta terroris invectione coërcuit, ut nulli unquam in ejus præsentia accusato, reique objectæ convicto, quolibet in crimine licuerit impune peccasse. Non enim more quorundam perversorum, muneribus acceptis, peccantibus indulsit, sed quoque purgationis genere pro modo criminis pœnitentia indicta solertissime cavere solebat, alieni sceleris reus inveniri; si qua autem tali in re accipi licere Ecclesiarum consuetudo permittit, pauperibus eroganda omnimode oblata non renuit:

Qui vero suppliciis mundalium Legum prævaricatione fuerant addicti, seu morte damnati, utrisque suo modo subvenire consuevit, hoc videlicet erga Judices, & hujus negotii præfectos omni sedulitate laborans, pecunia etiam plerumque oblata paciscens, quatenus his pœnas deberent levioribus mitigare tormentis, ne omnino impunita pertransiens facinorum admissio alia perpetranda, & fortasse majora audere suaderet; illis vero, quibus in pœnam debebant tormenta irrogari majora, ut vitæ reservatis pœnitere liceret; si vero id impetrare non

Digitized by Google

posset per semetipsum, plerumque aut alio misso presbytero, confessionem eos facere, & in ipsa morte aliquando dominici corporis viatico dato feram licet pœnitentiam agere cœpit hortari. Verum hæc quæ hic per anticipationem & strictim de moribus ejus referre cœpimus, plenissime in Episcopatu degens exercuit, quasi enim hac primitus in Palestra Ludens juveniliter addidicit, postquam in agone positus viriliter decertans fortius monstravit.

CAPUT IX.

Quomodo solitum jejunii rigorem solvit & missæ pretium exegit.

MOrtificationi carnis deditus frequenter jejunare, frequenter carnibus abstinere solebat, ad quod alios etiam verbo & exemplo hortabatur. Quando autem, ut sæcularibus mos est, ab alio rogaretur, ut sibi ex causa jejunium solvere liceret, quod in recompensationem & vicem S. Missæ sacrificium per aliquem offerri vellet, se quoque esse Presbyterum quasi alludendo professus, missæ pretium sibimet dari præcepit, in cujus exactione semper facultatem rogantis attendit, & totum pauperi dedit, ut vestibus comparatis, Ille pro manducante oraret, quod factum ipse præsentibus, taliter itidem jocando commendare solebat, Deo videlicet gratius esse, pauperem vestire, quam per totum diem vacuum ventrem portare, atque eo pacto & satisfecisse domesticis & pauperibus consuluisse, sed nec solitæ devotioni multum subtraxisse mediante charitate curaverat. Sed inter hæc tamen iræ aliquando minus imperare, & iracundiam temperare valebat, ita ut plerumque etiam sine ratione videretur irasci; verum tamen eo modo, quod de se ipso quidam ajebat:

Irasci facilis, tamen ut placabilis esset.

quæ sive consulte sive quadam cum passione effecerit animi, plurimum sibi nimirum à subditis, reverentiæ & timoris extorsit.

CAPUT X.

De Bennonis Villicandi experientia.

PRæter eos autem, quos enumerare longum est, in eo sitos experientiæ usus, summarum utique rerum administratione dignissimos, erat ei & leviorum admirabilis peritia. Villicandi enim scientia adeo super omnes pollebat, qua videlicet in ædificiis construendis, jumentis & pecoribus educandis, agris serendis, aliarumve rerum rusticarum constare videtur quæcunque cultura: quam tamen non usu constat eum didicisse, sed arte, ut hæc pene eo nemo curaret solertius, nec his felicius abundaret. Porro in solutione redditruum, quos annua deposcit exactio, manifestum est, illum fuisse acerrimum, ita ut plerumque verberibus affectos debitum suum rusticos persolvere compulisset, quod ei profecto facile indulserit, & pro summa necessitate fecisse concesserit, quicunque hujus terræ homines norit eorumque durissimam infidelitatis & versutiæ cogitur tolerare nequitiam; si qua vero de ejus moribus referimus, quæ quibusdam fortasse videantur in reprehensione ponenda, in sugillationem illius nihil nos narrare confidimus; sed rei veritatem, pro ut novimus, exequentes, eo intendimus, ut quo ipse minus perfectionis habuisse dignoscitur, a legentibus hæc, pro eo studiosius oretur. Nec enim imitanda hic videtur, quorundam magis temeraria, quam religiosa assentatio, qui in eorum, quos describunt, tantummodo laude versantur, & non tam quid egerint attendere videntur, quam quid egisse debuerint, quasi non Sacra Scriptura summos viros & Deo charissimos non nulla reprehensibilia commisisse demonstret, itaque non eum verbis sanctificare contendimus, quod utinam actibus ipse fecisset; sed ejus vitam sine fuco, propter supra dictam causam absq; exceptione depromimus. Si enim actuum suorum omni prorsus imperfectione caruisset, nequaquam ei profecto a quoquam flagitare deberemus Orationis suffragium, sed commune cum aliis sanctis debitæ venerationis impendere obsequium. Nec enim aliis, ut pro ipso orarent, esset commendandus, sed potius ipse, ut pro aliis oraret, exorandus; Hac igitur de eo breviter oratione inserta, ad quod cœpimus, redeamus.

CAPUT XI.

Quomodo Benno in Goslaria regia autoritate sic palatio præfuit, quod non solum Ecclesiastica, sed & publica negotia strenue dispensaret.

FVit itaque apud Henricum adhuc puerum quartum hujus nominis Regem vehementer acceptus, ejusque pene arbitrio infra palatium omnia gerebantur, sed & popularibus turbis non minoris est habitus, dum sibi ab illo quivis speraret, vel in culpa indulgentiam, vel in necessitate subsidium. Denique villæ Goslariæ duplici potestate prælatus, una, qua Ecclesiastica auctoritate Synodalia examinabat, altera, qua regia Majestate publicis negotiis præsidebat; multoties in culpa una & ab eadem persona, duplici debuit satisfactione placari, dum quæ Dei erant, illi reddebant, idemque ipse quæ cæsaris erant pro commissa cura dispensare debebat. Præterea autem architectus præcipuus, Cæmentarii operis solertissimus erat dispositor, qua etiam ex re Regi supradicto inseparabili fuit familiaritate semper addictus. Jam tum enim Saxonici belli, quod adhuc jam tanto tempore mundum demoliri ingemimus, exordia pullulare cœperunt, quod Rex ille non ignorans, totam Saxoniam Castellis novis & firmis cœpit munire, defectionemque perfidorum anticipare tentabat munitione terrarum, cui rei maturandæ & diligenter exequendæ, Dominum Bennonem præesse constituit, sciens hujus rei non habere fideliorem, nec ad hoc munus exequendum magis industrium. Poterat enim ejus in hac re summa peritia, ex Hildesimensi, ubi tunc Præpositus fuit, structura dignosci, cujus ibi magisterio, a piæ memoriæ Hecelone, ejus loci Episcopo, tot egregia ædificia constat esse constructa. Hac itaque, cæterisque, quas in eo diximus sitas, virtute conspicuus, exteris quoque potentibus & Dominis fama vulgante, cœpit

Digitized by Google

cœpit esse expetibilis; prudenti quippe consilio cuncta exteriora, exigua licet & frivola dispensare callebat, ita ut plerumque etiam pauperculis rebus ab amicis adhibitus, multorum divitias, eleganti industria fretus æquaret.

CAPUT XII.

Quomodo Domino Bennoni commissum sit vicedominium a S. Annone Episcopo Coloniense, quo postea resignato ad suam Præposituram est reversus.

Fuit eodem tempore apud Coloniam Agrippinam Anno Episcopus, vir admirandæ Sanctitatis nostrisque temporibus stupendæ virtutis, qui Divina gratia speciali munere plenus, tanto in loco tantisque divitiis & gloria animo semper cœlestibus inhærens, terrena cuncta, mundique furentis caduca despexit, structor Monasteriorum, Ecclesiarum reparator & pauperum servus. Sed tantarum rerum mole tardatus, minus efficaciter ire poterat, quo totis viribus, & omni virtute tendebat: Veruntamen non bonum æstimans, si universa mundalia, quæ ad se pertinebant incurata relinqueret; quæ licet sibi in via Dei obstare videbantur, negligere tamen, gravis culpa videbatur, Virum sibi ad hæc curanda idoneum undecunque quæsivit, unde hunc, de quo agimus, patrem nostrum Bennonem, diu sibi ante fama & facie, ipsarumque sæpissime rerum experientia notissimum ab Episcopo suo, Hecelone videlicet, impetratum, regiaque ad horum promissionem dimissum, accersiri curavit, cui aliquandiu secum detento, ut rerum gerendarum, hominumque & locorum gnarum, magnorumque promissorum certitudine benevolum efficeret, sua omnia exteriora penitus commisit, utque sibi in Dei opere expeditius vacare liceret, totius Episcopatus vicedominum fecit, qua in re se ita extulit, tantumque pro magnitudine rerum & loci exhibuit, ut merito sibi suo tempore rigor disciplinæ reflorere sit visus. Totum igitur Episcopatum suo arbitratu suæque voluntatis imperio non parvo tempore regens, Sanctum Episcopum illum in ejus prudentia & strenuitate omnino confisum tanto ad ea, quæ Dei sunt exequenda, liberiorem reddidit, quanto ab eis, quæ mundi sunt, facere potuit minus sollicitum; veruntamen tanti laboris & curarum non sustinens molestias, Clericorumque illorum invidiam non ferens, qui sese reprobatis illum indignabantur adductum, cedendum putavit, acceptaque ab Episcopo multum renitente licentia, in Saxoniam sese ad Præposituram suam Hildesheimb contulit. Sed nec Rex illum æquo animo patiebatur absentem, qui eum etiam alias in Episcopatu sæpissime collocare, si illo in Saxonia, ubi tunc assiduo fere manebat, carere voluisset; ejus etenim virtutes expertus, in his eum regionibus, si quoquo modo fieri posset, Episcopum instituere decreverat, ubi sibi, ad quæ vellet, semper posset esse vicinus.

CAPUT XIII.

Quomodo Venerabilis Benno electus sit in Episcopum Osnabrugensem in Die Sancti Clementis, & quomodo vovit ædificare & consecrare altare in honorem S. Clementis.

Contigit autem eodem defungi tempore venerabilem virum Bennonem, qui & Berengarius dicebatur, Episcopum Osnabrugensem, Rex autem, etsi de ejus morte non parum contristatus erat, eo tamen se putabat hunc, quem de mortuo acceperat, consolari posse mœrorem, si in locum ejus subrogaret parem ejus nomine & virtute Bennonem. Adunatis igitur in villa Goslaria, qui ad Episcopum constituendum adesse deberent, eorumque super Domino Bennone requisita sententia, omnes unanimiter, tot ejus auditis virtutibus voto & manibus, consensu & animis, sibi illum præesse Episcopum devotissime acclamando laudabant. Verum ille, ut sapiens, propriæ infirmitatis conscius, oblatum honorem ea cœpit excusatione renuere, quod mundialibus negotiis semper occupatus, minus sese studiis exercuisset internis, indignum esse vociferans, eum in Episcopum eligi, qui sæculi actibus magis, quam Ecclesiæ Dei præesse, jam tanto tempore didicisset. Sed cum Rex populi alacritate perspecta, a sua sententia flecti non posset, in Divina Clementia confisus humiliter annuit omnino, & fieri Episcopus spe Divinæ gratiæ consensit. Cum autem hoc actitari contingeret in Beati Clementis Romani Pontificis & Martyris die solemni, se ei intensissimis precibus & omnimoda devotione commisit. Specialem namque Patronum præ cæteris sanctis sibi in omni vitæ suæ reliquum tempus elegit, atque humillimum famulum semper se illius vovit fore Clementiæ, tali conditione suæ devotionis promissa confirmans, ut si hujus suffragantibus sancti meritis Dei gratia ea die sibi dignaretur adesse clementius, quod in ejus commemorationis honore, in Episcopatu degens, altare construere & consecrare vellet, id ab eo solum flagitans & exposcens, ut si eum Dominus ad profectum populi sui suæque salutem animæ & non condemnationem communem Ecclesiæ suæ præesse disponeret, ejus in eo fieret voluntas; si autem aliquod periculum loco vel sibi propriis exigentibus meritis, ex sua promotione imminere deberet, divina pietas per merita Martyris occasionem ab eo dignaretur auferre, per quam sibi vel aliis via panderetur, posse perire. Quid plura? statim eadem die a Regis Majestate designatus in præsulem & per legatos idoneos protinus missus ad locum, maxima profecto Cleri & Populi est ibidem alacritate susceptus, modicum vero ibi temporis ordinandis rebus indulgens, Dominicique natalis devotissime celebratione peracta consecrandus Coloniam digno est comitatu profectus, verum ibi quoque a piæ memoriæ Annone Archiepiscopo, prout villicationis suæ tempore optime meruerat, digna susceptione honoratus; ab eodem vero Archi-Episcopo Osnabrugensi Ecclesiæ omni devotione Episcopus ordinatur, dignis etiam in id cooperatoribus, Friderico videlicet Venerabili viro Monasteriensi Episcopo, sed & Eilberto

 æque

æque ad opus Dei viro probato, Mindensi Episcopo, benedictionis impendentibus officium & probatæ electionis assensum. Celebrata igitur ibidem, quæ instabat Beatæ Dei Genitricis purificatione, maximo gaudio, plenaque lætitia, ad propriam sedem est reversus, ubi magna solertia, trienno ante Saxonicum bellum, loci sibi commissi cuncta curavit, verbique Dei semina populo spargens moribus subditorum excolendis insudans, Dominici agri zizania ab inimico seminata extirpans, universa suæ dispensationis officia, districtionis & indulgentiæ moderamine administrans, prorsus se sibi & omnibus utilem & profecto non minus honorabilem præbuit.

CAPUT XIV.

De Monasterio Herzebroick & monte Sanctæ Gertrudis.

IN Episcopatu degens, cum tam Ecclesiasticæ disciplinæ, quam etiam Regularium religiosæ conversationi intenderet, sanctimoniales fœminas in loco qui Herzebroick dicitur, minus regulariter vivere cognovit, statuit eis prope Osnabrugum monasterium construere, & illas eo mutatis bonis transferre, reputans sibi propiores religiosius victuras, & difficiliorem fore ad libertatem & dissolutionem commeandi prohibitione licentiam. Sed cum nullo modo a sua solitudine erui possent, nec ulla minandi aut blandiendi ratione locum mutare acquiescerent, Ecclesiam ipsam jam ab ipso in Monte ad honorem Beatæ Gertrudis [ubi jam ante sacellum in honorem S. Michaelis erectum exstabat] dedicatam & cum omnibus fere Claustralibus diligenter exstructam officinis, successorum suorum dispositioni & piæ dotationi reliquit, si quoquo modo eam aliquando Deus per aliquem fidelium suorum plena sui servitii exhibitione & munifica fundatione dignetur.

CAPUT XV.

Quomodo paludes reddidit permeabiles.

SEd etiam per quasdam invias paludes, quarum in his regionibus multæ sunt, siccas & æquales itinerantibus vias fecisse dignoscitur, quo cum in multis, tum in loco, qui Wittenfeldt appellatur, apparet, ubi vix in æstate, prius transire volentibus, iter esse potuit; sed ipse ibi collecta populi ingenti multitudine multo tempore commorans, laboribus invigilans, ita permeabilem duabus altrinsecus contra se fossis ejectis, eundem reddidit locum, ut etiam hiberno ibi tempore omnibus transire sit facile.

CAPUT XVI.

Descriptio Montis & Castri Iburg.

JAmque tempus postulare videtur, ut de loco hoc, & nostræ congregationis initio aliquid & breviter referre debeamus. Montem igitur istum antiquis temporibus munitissime fuisse constructum & egregiis sedibus adornatum, plurima indicia manifestum esse declarant. Subterranea enim ædificia, quæ quotidie pene eruuntur, hujus rei certum dare Testimonium sufficiunt; possunt tamen & attestari literis comprehensa gesta multorum quæ inter plurima hujus regionis, quæ huc usque destructa videmus castella antiquorum, hæc tria præcipua & eminentiora fuisse, concordi relatione contendunt, Heresburgh videlicet in Saxoniæ, Hessonumque situm confinio. Sigebürgh quoque super rivam fluvium positum, & hoc nostrum Iburg, quod ex jucundo situ terrarum egregium fuisse, nemo est qui dubitet; Eo autem tempore quo Carolus inclitus & magnus Imperator hujus terræ homines paganismi erroribus erueret, & suo Dominio subjugare diutino certamine & magnis bellorum apparationibus laborasse describitur, Widekindus Rex Saxonum, vir animi, ut dicitur, & corporis viribus pene homines excedens, plurima cum Francis ex hoc loco, cujus tunc dominus fuit, prælia commisisse refertur, sed Rege hoc devicto, totaque Saxonia in fidem Christianam & ditionem Francorum redacta, cum Imperatori supra dicto, regnique primatibus communi placuisset consilio, ut universa gens Teutonica æquali conditione sub uno semper Rege parili subjectione consisteret, exindeque per omnes Regni terminos pacis communione transfusa, Ecclesias construere, & ad vitandas seditiones Castella diruere firmiter statuisset imperiale Decretum; Inter Cæteros qui tunc longe lateque sunt diruti, etiam hunc nostrum Montem constat in solitudinem fuisse redactum. Ipse vero mons inter duos rivos loco jucundissimo situs, versus orientem habet colliculum Hagenbergh dictum, & destructa quædam Burgmannorum habitacula; versus meridiem rus & cricetum Sutheide versus occidentem diversos colles, & versus septentrionem monte maximo concluditur. Suberant illic habitantes curæ spirituali plebani Ecclesiolæ Glanensis, parvum tamen sacellulum prope dirutum Castrum extabat, in quo aliquoties per annum divinorum solemnia gerebantur, & dirutum hoc Castrum, in quo fundatum hoc Monasterium, ad Episcopatum spectabat, à quo prorsus per commutationem redimendum erat, ut suo loco dicetur.

CAPUT. XVII.

Quomodo diversa bona ad fundationem Monasterii pro Ordine Sancti Benedicti Episcopo Bennoni oblata sunt.

Interea sponsionis suæ de exstruendo Monasterio memor, intentionem suam variis nobilibus viris & matronis patefacit, maxime quos & sacro Ordini favere, & divini honoris magis studiosos esse præsumeret. Deo itaque instigante, varia illi hinc inde offeruntur; Nam à Reinmoda nobili vidua & ejus hæredibus impetrat, Schwanckendorp cum decimatione; plura itidem bona in Versmele à Walderico nobili viro & ejus hæredibus; Prædium etiam Bomwiede Cuniza nobilis fœmina ad fundationem Monasterii offert; Sed & Benno ex gaudio oblatorum & spe offerendorum nobilem Wahl adit, rogatque suam etiam inter alios ad dotandum hoc novum Monasterium liberalitatem testetur,

Digitized by Google

ſtetur, qui & propria devotione & Epiſcopi precibus inductus, cum conſenſu Mathildæ, filiæ ſororis ſuæ Ettechæ, duas curtes Oslage & Harsheim S. Clementi & Benedicto donat; denuo alia vice Spiritu Dei ductus, dum eſſet in villa Barckhauſen in Dominio Adalgeri, aliam adhuc Curtem in Rieſenbeck cum decimatione donat B. Clementi, ratus ſe ad plura teneri, quod in donatione prædiorum Oslage & Harsheimb nimis parum dediſſe videretur; at Epiſcopus tantam viri liberalitatem mirans, illi decimationem ad dies vitæ reliquit, præſentibus pluribus Nobilibus. Imma etiam Nobilis vidua, cum filio ſuo Hecelone diverſa bona & decimas in Glane offert; Imo Eccleſiolam ſuam S. Jacobi ruditer exſtructam, quæque ſuo ſuberat Dominio futuri Abbatis directioni Gieſela ſubjicit, cujus tamen offertorii dimidiam partem habuerant prædeceſſores Epiſcopi, quam cum conſenſu Canonicorum poſtmodum reſignavit Abbati. Complures præterea Nobiles tam viri quam viduæ, uti Gieſela, Erpho & alii, devotionem ſuam teſtabantur magno ſtruendi Monaſterii bono, & ſingulari Epiſcopi Bennonis gaudio accidebat, quod Wolchardus Nobilis, vitæ ſæcularis pertæſus, ſe B. Petro offerret, & inter Canonicos annumerari expeteret, & cum Avezæ legitimæ hæredis & Adalgeri cognati conſenſu bona & curtem Helveren liberam, multis privilegiis & venatione inſignem, & ab aliquo tempore in Nobilium ſedem erectam, una cum diverſis aliis bonis offerret. His itaque bonis ditatus & animatus Benno rem aggreditur, & de loco maxime commodo & ſalubri deliberat, tandemque luſtrata diœceſi, ad montem in quo vetuſtiſſimum dirutum Iburgenſe Caſtrum extabat, pervenit, qui locus illi ante omnia complacuit, quod & materia ad ædificandum eſſet abundans & quod puriori aëre & ſolitudine gaudere poſſent cœnobitæ.

CAPUT XVIII.

Quomodo Benno Montem & dirutum Caſtrum ab Epiſcopatu impetravit.

Dirutum hoc Iburgenſe Caſtrum ſumme Bennoni Epiſcopo placebat, partim ob loci amœnitatem & aëris ſalubritatem, partim quod fundandum Monaſterium a turbis ſæcularibus futurum eſſet remotius, partim quod vicini accolæ ſpirituale illic poſſent habere ſubſidium & piæ converſationis exemplum, ſed obſtabat devotæ Bennonis intentioni, quod mons ad Epiſcopatum ſpectare videretur; nam verſus orientem inter duorum Burgmannorum ædes, ubi nunc hortus eſt villæ noſtræ, Epiſcopalis præfectus habitabat, qui per ſingulos annos, quicquid Epiſcopo à Marchiotis aliisque debebatur, colligere, & præfecto Epiſcopali in Curia Diſſenſi habitanti, tradere conſueverat. Sed ut Montem præfectique ædiculam à Canonicis impetraret, Prædium Bomwiede, quod à Cuniza pecario impetravit, in concambium obtulit, ſicque illius tranſmutationem facile obtinuit; nolebant enim piæ Bennonis intentioni ullatenus refragari, cum ſe ad præſtanda auxilia, augendumque Divinum honorem magis teneri viderentur.

CAPUT XIX.

Quomodo locum hunc tanquam bona Eccleſiaſtica defendit.

Sed & alterum obſtabat, quod montem, utpote arboribus conſitum tanquam commune paſcuum ruſtici vendicare præſumerent; plurimo enim tempore poſt deſtructum Caſtellum exacto, cum jam bellis undique ſopitis pacis diutinæ prolixitas inſolentiam peperiſſet, non ſolum potentes & nobiles quietem rumpere & ſeditionibus diffidere perſuaſit, ſed & vulgus ignobile & ruſticam conditionem armavit & novarum rerum ſuo more fecit cupidam. Cum enim aliquando fertilitas regionem iſtam cum cæteris rebus tum etiam glandium ubertate repleſſet, & jam mons iſte ex antiquiſſimo ſitu ſimilis fuiſſet circumſtantibus, denſitate ſilvarum, circummanantes ruſtici, quos hic commarchiones appellant, porcos ſuos huc immittere, glandesque ſaccis aſportare, & rem Epiſcopi propriam communi uſui mancipare cœperunt, ſed cum Præfectus qui hic præſidebat, machinationi eorum obſiſtere & rem commiſſam etiam armis defendere vellet, illi non acquieſcentes magnis eum affectum injuriis Osnabrugum uſque fugere compulerunt. Cumque id milites, quorum tunc ibi cum Epiſcopo copia erat, ſuo more feſtinato impetu vindicare paraſſent, prudens Epiſcopus, ſuis ſe armis hanc injuriam ulciſci velle, reſpondet, acceptaque ſtola, continuo eos in Eccleſia ut rerum Eccleſiaſticarum invaſores banno ligavit, ſe excommunicaturum illos minatus, niſi infra præſcriptum terminum ſynodali jure ſatisfacere vellent. Ruſticos autem juſtitiam ſuam juramento defendere velle profeſſos, communi hujus Regionis conſuetudine devicit, dicens, ſe potius rem tanto tempore ſine contradictione poſſeſſam, Juramento advocati ſui retinere debere, quam illos præſumptione perjurii violenter abſtrahere poſſeſſiones alienas. Itaque ſuper hac re die conſtituta, Advocatum Nomine Meginbaldum, qui adhuc in extrema ſenectute apud Diſnam eſt Advocatus, homo probus & nobilis, ſecum adduxit, qui illico equo aſcenſo, ſecumque quibusdam loci hujus peritis aſſumptis, maxima populi multitudine cum Epiſcopo ad vocata præſente, ipſe præcedens montem circumivit, totumque ſpatium, quod hoc ambitu deſignaverat, ipſe propria jurans manu Epiſcopo præſenti, ſuiſque ſucceſſoribus æterna poſſeſſione firmavit, & quod hic vulgo Sunder appellatur, eo quod ſeorſum privato alicujus uſui ſeparatum a communi hominum utilitate ſecernit, æternaliter vocari & eſſe conſtituit; Epiſcopus autem Montis amœnitate, veterumque murorum ex fundamentis firmitate perſpecta, & qui adhuc nomen priſtinum celebriter ab antiquitate ſervaſſet, ſucciſis ſylvis & arbuſtis erutis, habitabilem fecit, parvamque Capellam ligneam in honorem Sancti Clementis ſtruxit, vovens ex acquiſitis bonis & prædiis pro Ordine Sancti

Digitized by Google

Sancti Benedicti Abbatiolam construere, parvo item, tugurio versus occidentem in loco prærupto præ festinatione exstructo, sæpius in hoc manere disposuit, ubi & ædificationi præsens intendere & secretius divinis vacare posset, & quandoque etiam turbam declinaret infestam.

CAPUT XX.

De Decimarum recuperatione ab Abbate Corbeiensi & Abbatissa Herfordiensi.

SEd jam ingravescente peste bellica, cum sibi quotidie ab amicis etiam captivitatem aut mortem imminere conspiceret suorum etiam maxime infidelitate perterritus, iterum pro tempore cedendum putavit, & Episcopio, prout tunc potuit, disposito, urbeque commissa his, de quorum fide minime dubitabat, cum aliis qui plurima pro arctiore fidelitate in Regem de hac regione expulsi sunt, parvissimo suorum comitatu ad Regem profectus est, à quo admodum gratanter susceptus, aliquanto cum eo tempore conversatus, jam tempus advenisse conspiciens, quo decimationis suæ jam tanto tempore violenter ablatæ, commodius posset causa tractari, ne spatium temporis in Palatio degens prorsus inutile duceret, propriis primitus amicis, deinde Regis familiaribus tantæ controversiæ querimoniam insinuando detexit, qui ex charitate auxilium pollicentes, brevi persuadere potuerunt, ut Regis familiaribus causa commissa, pro se eos loqui deposceret, & regiam sibi in hac re duntaxat benevolentiam, quacunque possent arte, compararent. Tempore enim Ludovici Imperatoris, Cobbo Comes diœcesis bona distraxerat, eo quod Goswinus Episcopus, ad declinandas in diœcesi sævientes turbas, Fuldæ, ubi professus erat, moraretur, sicque diœcesis conservationi non intenderet. Erat autem ea tempestate, post ablatæ decimationis tempora, ejusdem decimationis rehabendæ commodissima ratio, imprimis videlicet omnium Ecclesiarum vel Episcoporum sua omnium potestative possidere & disponere debere, libera facultas & consuetudo communis, tum etiam quod ipse Episcopus pro Regis fidelitate, omnibus & amplissimis divitiis dimissis ad eum nudus & profugus venisset, quam utique, Rege digna munificentia, remunerari oporteret, dehinc alios Regi fideliores futuros, si hujus devotioni digna fuisset præmiorum recompensata largitione, ejusque voluntaria paupertas, cui nunc Rex tantis necessitatibus præpeditus pleniter subvenire non potuit, spe aliqua futuræ abundantiæ recreari expectaret. Deinde, qui eam haberent, essent hostes publici & omnimoda à Rege, pro suæ perfidiæ meritis, calumnia & clade plectendi, & quicquid ex eadem decimatione emolumenti vel utilitatis acciperent, regiæ esset proculdubio majestatis minutio, hostiumque pervicaciæ & turpissimæ desertionis munitio. Si itaque regiis impensis armandi essent hostes, non sufficere utique Regi donativa, unde suos in hostes armaret: Postremo quia jam Rex pro peccatis suis in tantis miseriis à Deo derelictus esse videretur, omnibus eum jam viribus niti oporteret, ut juste judicando reconciliari posset supernæ justitiæ, quam plurimis iniquitatibus & sæcularium maxime justitiarum neglectu omni pene vitæ suæ tempore offendisset. His itaque aliisque perplurimis & idoneis assertionibus Regi tandem constat esse persuasum, ut rem Episcoporum aliorumque Christi fidelium judicio permitteret, eorum diffinitivæ sententiæ se submitteret, licet majores sui multo jam tempore Episcopalium & Abbatialium Ecclesiarum investituram usurpassent. Communi itaque sententia conclusum Ratisbonæ, Ecclesiam Osnabrugensem spoliatam publice restituendam: Igitur Rex Henricus Decimationem suam Osnabrugensi Ecclesiæ suoque Episcopo Bennoni præsenti, omnium, qui aderant, consilio, judicio & consensu recognovit, & reddidit, & in æternum omnis conditionis exceptione seposita immobiliter, semper & fixe possidere donavit; Nec jam Abbati Corbejensi vel Herfordiensi Abbatissæ ullam deinceps querimoniam super hac re fore residuam, sed utraque Monasteria illa, sua se facultate sustentarent, & prædiis. Osnabrugensis autem Ecclesia decimationem suam cæterarum jure & consuetudine Ecclesiarum liberrima semper possessione teneret, quod ut firmius & ab omni posset semper permanere impiorum præsumptione stabilius, Rex hujus rei seriem continenter aureis literis, ipse tamen manu propria signum insigens, Chartulam jussit conscribi, regio insignitam sigillo, in hujus videlicet negotii Testamentum perpes, & memoriam sempiternam, quod Chirographum in Osnabrugensi Ecclesia, cura tanto diligentiore servatur, quantum contra omnes irruptiones & tentationes inconvulsus semper, & firmissimus murus haberetur.

CAPUT XXI.

Quomodo Benno Auctoritate Apostolica ratificare fecit donationem Decimationis ab Imperatore concessam & de infatigabili difficultate, qua pro ejus recuperatione laboravit.

VErumtamen Episcopus noster omni semper prudentiæ circumspectione contectus, uno promoveri scrupulo videbatur, quod videlicet nondum congruenter Papæ esset auctoritate firmatus, & quamvis eo tempore gravis inter Regem & Apostolicum Hildebrandum, qui alio Nomine Gregorius dicebatur, inimicitiæ ferebantur, accepta tamen à Rege licentia Romam profectus, Papam illum adiit ut quicquid super decimationis illius recognitione statuerat apostolici illius assensus & Auctoritas Romana firmaret; tanto enim se toto illo turbine bellorum prudentiæ, veritatis & fidei utrobique moderatione librabat, ut in utraque semper ei parte sine suspicione & timore versari liceret; nec Rex unquam quamvis inter hostes suos eum manere videret, de ejus fidelitate ambigeret, nec hi, quamvis Regi fidelissimum esse non dubitarent, insidias unquam de ejus fraude timerent; porro nos qui hæc strictim super decimatione Osnabrugensi retulimus, plurima causa brevitatis prætergressi sumus, id solum in hoc opuscu-

Digitized by Google

opusculo sufficere arbitrantes, quia quod tanto temporis spatio, quippe, ut fertur, ab Imperio Pii Imperatoris Ludovici Episcopatum istum incomparabili damno & gravissima semper iniquitate vexabat; omnesque hujus sedis Præsules acerrimo studio, jugique labore, suæ quisque successionis serie repetisse sciuntur, dum gravibus quoque sæpissime injuriis affecti, ab incepto tamen deterreri non possent; solus iste virtute inæstimabili, incessabilique labore ad finem usque feliciter perduxit, & sponsam suam proprio privilegio dotis, tanto despoliatam tempore, debito honore pristini decoris ornavit, apud quam absque dubio nomen ejus perpetua erit in laude, & memoriale ejus in benedictionibus sempiternis. Si enim inserere cupimus, quantos per triennium pauper & exul labores pertulerit, quotiens injuriose repulsus, non desperaverit, quotiens induciis positis ad locum constitutum frustra perrexerit, quotiens Romam ierit, omnesque, de quorum adjutorio præsumebat, offensos invenerit, qualiter barba crescente vultus notitiam dissimulando celaverit, quotiens jamjam, ut ipse putabat, omni negotio peracto, domum reverti cogitans, ausus redire non fuerit, qualiter etiam Regis curiam miserabili labore, turpique egestate pertæsus apud amicos, si quos in exteris Regionibus invenire potuit, quasi hospitandi gratia latuerit; si denique hæc singula & multa similia, quæ eo tempore gessit, referimus, profecto non tam utili hæc poterunt, quam longo sermone narrari, quod manifestius his literis, quas tunc Coloniensi Episcopo misit, apparet.

Depositus Apposito, Ejectus Electo Salutem, nec jam Episcopus, Benno, Archiepiscopo utriusque hominis semper felices successus in Domino. Quia rupto regni fœdere usque ad naufragium periclitatur navis Ecclesiæ, vel vos qui Deum timetis, quid regni statum deceat, solerter consulite, ne usque ad interneciones in nos hostilis mucro desæviat, qui undique gladiis circumfundimur & non est qui eripiat. Sane propter Apostolicæ sedis obedientiam volentes patimur tantam persecutionis angustiam, in tribulationibus, quæ invenerunt nos, non deficientes: maluimus enim fugientes in manibus Ægiptiæ Dominæ relinquere pallium, quam emancipati turpiter servire usque ad animæ interitum: prosperum faciat iter vestrum Deus salutarium nostrorum. Sed his ita finitis ad reliqua pergamus.

CAPUT XXII.

Quomodo Benno Osnabrug. Episcopus, se subtraxerit, à quodam concilio, ubi tractabatur de amotione Papæ & quomodo in quodam concavo altari latuerit, donec seditio sopiretur.

IGitur postquam inter Regem & Apostolicum semel exorta discordia nullo potuit hominum consilio vel ratione sedari, Deo profecto, tot hominum offenso sceleribus, deferente terras, abundante iniquitate & refrigescente charitate multorum, nullusque ab alterutra parte modus fieret; inde scilicet maledictionum vel excommunicationum, hinc vero bellorum, cædium & rapinarum eo processum est odii & invidiæ, ut nisi Rex deponeretur aut Papa, tantæ iræ & inimicitiarum fomites penitus extingui non possent. Congregata igitur apud Ticinum Italiæ Civitatem Episcoporum multitudine, qui Regiæ parti favebant, & Papæ eo ferebantur infensi, quia indiscretus nimium dicebatur ab eis, cum de nequitia eorum sæpe vera loqueretur; cum eorum consilio & instinctu Rex alium Papam in Sede Apostolica sublimare disponeret, interfuit etiam conventui illi Episcopus Benno, quamvis invitus, sed eo tamen prudentiæ oculo, quem secum semper portare solebat. Videns enim in utraque parte plurima magis odio quam ratione tractari, & Regi semper fidelis, nunquam autem Papæ inobediens esse desiderans, sed &, quem tanta res finem habitura esset, ignorans, diligentissime intendere cœpit, quonam rationis exitu fieri posset, ut salva honestatis pristinæ integritate neutra in parte posset jure culpari. Forte autem in Ecclesia, ubi ista gerebantur, erat Altare, quod retro concavum foramen, quo quis intrare vix posset, panno prærpendente obtexerant, ad cujus etiam similitudinem hoc nostrum altare postea ipse, quasi insensibili materiæ gratias reddens, jussit extrui, juxta quod cum solito more Psalmodiæ vacans solus sederet, propius accedens aptissimum latibulo locum esse perpendit, & si intro ire valeret, paulatim nullo vidente tentavit. Os itaque foraminis quamvis difficile ingressu, antrum ipsum interius reperit ad sui receptionem corpusculi sufficienter extentum. Magnas itaque divinæ dispensationi gratias agens, panno qui præpendebat diligentius oppanso foramini, totum diei spatium ibi taliter latitando, nemine prorsus conscio exegit, tanto intentius orationi insistens, quanto se, & ipsius loci oportunitate propinquiorem Deo esse cognovit, & tempus, quo totius Ecclesiæ status quatiebatur, ægre perspexit. Hora, inquam, qua cunctis adunatis cœpta esset causa tractari deprehensum est, Osnabrugensem Episcopum non adesse Bennonem; missis itaque à Rege & circumquaque discurrentibus, & domo, in qua hospitium habebat, quærentium incursu sæpe visitata, cum nusquam reperiretur locorum, alii fuga elapsum, alii infirmitate detentum, aliqui etiam speciali quadam infidelitate commune colloquium vitasse dicebant; sed jam die declinata in vesperam, cum Papam abdicassent, ejusque in locum constituissent Rauvennatem Episcopum, qui etiam adhuc nomine Clemens Romanæ præsidet Ecclesiæ, plurimaque alia statuissent, quibus Episcopus iste, si præsens esset, minime præberet assensum, egressus suo, nemine itidem rem considerante, latibulo, juxta altare, ubi prius sederat, subito residere conspicitur. Stupentibus igitur non minusque mirantibus cunctis, & ubi fuisset studiose quærentibus, se de loco illo per totum diei spatium non recessisse, velle jurare per conscios sanctos spondebat, ad Regem quoque statim adductus, plenissi-

nissime se de omni infidelitate purgavit, qui illum tamen in fide pristina firmiter stare lenitate verborum hortari maluit, quam terrore constringere. Exinde igitur præclara felicique prosperitate vel animi prudentia, utriusque Papæ, quod profecto perpaucis ea tempestate possibile fuit, amicitia usus, regiam quoque nusquam incurrebat offensam, efficaciter Apostolum audiens; si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.

CAPUT XXIII.

Quomodo Venerabilis Benno Episcopus, Reliquias Sanctorum undecunque & quicquid ad Congregationem inchoandam spectat & Monachos duodecim de Moguntia adduxerit & de honorifica ejus in Osnabruga susceptione & Chirographi super Decimationis recitatione, & quomodo Monachi propter incommoda loci, cœperunt irreligiose vivere.

PEr idem tempus victis à Rege Saxonibus interfectoque, quem sibi Regem posuerant, Duce Rudolpho, cum tota Saxonia cœptam ferociam, graviter humiliata, deponeret, & profugis ex se reditum invita concederet, Episcopus noster se jam liberum posse domum redire conspiciens, quid ante egressum Deo devoverit, diligenter intendere cœpit; itaque reliquiis Sanctorum undecunque potuit, acquisitis, libris quoque, vasculis & palliis, & quicquid ad congregationem incipiendam necessarium, idoneumque esse cognovit; cum redeundo Moguntiam deveniret, in B. Albani Monasterio Abbatem aggreditur, & quia ejus notitiam prius habuerat, quid animo gereret, competenter exponens, cum consilio pariter ab eo exposcit auxilium, qui illico cum eo in opus Dei duodecim Monachos misit, ut res incepta per eos digna fieri posset, postea per plures augeri, quos in itinere parumper præcedens, Osnabrugam perexit, ubi ipse nudis pedibus & multis lacrymis ab omnibus honorifice gratissimeque receptus, Chirographum super Decimatione, quod secum attulerat, publice in Ecclesia recitari, populo audiente, præcepit; sed ibi ordinandis rebus jam tanto tempore miserrime disturbatis aliquamdiu morans, quod congregationem in monte, locoque destructi castri facere voluisset, fidelioribus suis rursum insinuari curavit, quorum ad hoc valde alacrem devotionem attendens, totum se in hunc vigilantissimum laborem contulit, studiumque collegit, recogitans & dolens, se jam nimium diu per innumeras nugas inaniter errasse dispersum, tanta etiam festinatione opus cœptum aggreditur, ut quadam etiam absurditate argui videretur, necdum videlicet officinas vel domicilia ulla construxerat ubi fratres quos secum duxerat congruenter possent recipi aut ulla monasticæ disciplinæ exercere vestigia, parvissimo itaque juxta Capellam S. Clementis ædificato tugurio eos inclusit, donec, Monasterio constructo, officinæ Monachis pararentur idoneæ. Exinde igitur Monasterii statuendi fundamenta jacturus, cum locus ipse esset medio quoque asperrimo eminente dorso utrimque præruptus, difficillimum incipiendi operis experiebatur exordium; sed ipse hujus negotii valde peritus, altiora diruens profundiora injecta terra sustollens, planitiem, quæ pro capacitate loci, in Monasterii officinarumque ejus amplitudinem sufficere posset, ut nunc cernitur, explanasse dignoscitur, cumque totis viribus Ecclesiæ parietibus erigendis instaret, nec aliud quicquam taliter occupatus valeret exstruere, Monachos præ angustia loci valde compressos, minus regulariter conversari & vivere contentiose pertendit; unde eis Abbatem de Monasterio B. Panthaleonis, illius Abbatis auctoritate, præfecit reputans sub capite constitutos, deinceps concordius esse victuros, sed ex duobus Monasteriis congregati, cum non solum se invicem eadem angustia loci, verum etiam varietate consuetudinum & sui utriusque ordinis defensione turbarent, vehementer contristatus, universos ad loca sua remittendos putavit, donec opere perfecto regulariter conversari valerent, quoscunque adduceret. Itaque de Mindensi Monasterio paucis fratribus, quos similiter asciverat, solummodo retentis, locum permisit, ut Divino operi interim privatim insisterent, ne diurnum sacratis locis deesset officium; ipse autem cœptæ ædificationi perseveranter insistens, vigilantissimum prudentiæ suæ oculum ubique circumtulit, supernum jugiter eleemosynis & precibus implorans auxilium, per quod sibi talis deberet locus ostendi, unde queat fratres adducere, in quorum charitatis unitate secure confidere posset, eos jam deinceps morum fore unitate concordes, nullaque manendi instabilitate suspectos.

CAPUT XXIV.

Benno in choro noviter exstructo nondum consummato toto templo, Altare consecrat.

EPiscopus Benno moræ impatiens chorum quam velocissime jubet perfici & paulatim aliam templi partem urget absolvi. Perfecto itaque utcunque choro, altare in Honorem Sanctæ Crucis, B. Virginis, & S. Clementis aliorumque Sanctorum consecrat, multisque impositis reliquiis sanctificat. Hujus consecrationis tenorem & sacrorum ossium Catalogum altari impositum propono.

Anno Dominicæ Incarnationis M LXX. Indictione nona, 9. Calendas Decembris, hæc Basilica a Venerabili Bennone Osnabrugensi Episcopo dedicata est, in honorem Domini Nostri Jesu Christi & Victoriosissimæ S. Crucis & Sanctissimæ Dei Genitricis Mariæ, & Sancti Clementis Martyris, & S. Nicolai confessoris & eorum quorum reliquiæ in hoc altari habentur reconditæ, id est de ligno Domini, de sepulchro Domini, de Monte oliveti, de veste S. Mariæ Matris Domini, de lectulo ejus; Item S. Mariæ, Joannis Baptistæ, de vestimento S. Petri Apostoli; Item S. Petri & Pauli, Apostoli Andreæ, Joannis Apostoli & Evangelistæ, Bartholomæi; Item ejusdem & Sanctorum Martyrum Stephani Protomartyris; Item ejusdem Stephani, Crispini & Crispi-

Digitized by Google

Crispiniani, Joannis & Pauli, Sebastiani & Cyriaci, Urbani, Christophori, Anastasii, Ecolfi, Quirini, de costa S. Pancratii, Sigismundi Regis & Martyris, Athalberti Regis & Martyris, Bonifacii Episcopi & Martyris, Lamberti, Eleutherii, de corpore Sancti Sixti, & sanctorum confessorum Martini; Item Martini, Gregorii, Bricii, Benedicti Abbatis, de Capillis S. Nicolai & Sanctarum Virginum Cæciliæ Margarethæ, Sophiæ, Sabinæ, Columbæ, Gertrudis, Adelgundis, de capite S. Walpurgis, de corpore S. Helenæ, de corpore S. Juliæ Virginis.

CAPUT XXV.

Quomodo Episcopus Benno Civitatem Osnabrugensem ab obsidione Saxonum liberavit.

SEd hoc iterum nova Saxonum tumultuatione differtur; nam quendam sibi Hermannum Principem præponentes cum ingenti exercitu has iterum partes invadunt, urbem hanc undique studiose obsidione vallantes. Hic equidem breviter referendum videtur, quantum ingeniosi viri facundia valuit. Erant in exercitu illo Hildesimensis Episcopus Udo, & Ebbertus Marchio, summi viri virtute & divitiis pene omnes præeminentes, qui cum illum antiqua amicitia & privata quadam familiaritate, quamvis hostes viderentur, intime venerarentur, & diligerent, ejus petiere colloquium pro certo spondentes, se illum ad deditionis assensum facillima persuasione flexuros. Gratanter itaque ab eo recepti, cum secretius cum illo multa conferrent, tandem res in contrarium cedit, ut qui eo venerant, ut ad Regem suum Hermannum illum converterent, Imperatori potius se se fidelitatem velle jurare, ejus sunt oratione perducti: Cumque reliquiæ Sanctorum, super quas sacramenta facerent, a populo videre itur afferri, illum eis consensisse, urbemque Saxonibus cum juramento velle tradere arbitrantes, pene eis jam vim inferentes, illum infidelem & perjurum clamitare cœperunt, quos ille artificiose compescuit, ut interim pavore deposito, rei exitum præstolarentur, exhortans. Peracto autem Sacramento supradicti viri reversi ad suos omnia prospera pollicentes, urbem obsidione liberant, cum omnibus revertentes in patriam, graviter tamen ab eis prius hac omni regione vastata. Porro in hac fidelitate quam ambo juraverant, diu ante interfectionem suam Marchione deficiente, Udonem Episcopum illum firmiter usque hodie permanere videmus; unde etiam locum infinitis calamitatibus constat esse oppressum, quod venerabilis viri Adelboldi ejusdem loci Epistola huc delata testatur, quam hic inserere non piguit, cum sit etiam ipsa quædam hujus viri portio meritorum.

CAPUT XXVI.

Epistola cujusdam Præpositi Hildesheimensis Adelboldi ad Bennonem Episcopum Osnabrugensem.

VIvo Exemplari Justitiæ Domino suo venerabili Episcopo Bennoni Adelboldus fidelis suus, quicquid utriusq; hominis devotissima valet servitus. Parva munuscula, quæ tuæ paternitati mitto, ut dignitatem accipias rogo, & quæ parva manu offero, pleno corde offert tibi fidelis tui devotio; certus autem de te Domino & Patre, quia congaudere & compati loco S. Mariæ, cui tu quondam præfuisti & servivisti Præpositus, animo præscripsisti, adversa & prospera nostræ congregationis, quæ intra paucos dies justo Dei judicio nos passos esse cognoscimus in hac brevitate Epistolæ tibi necessarium duxi transmittere. Civitas nostra circumdata est ab inimicis, prædia S. Mariæ rapina continua consumpsit, & ignis; magna hæc essent, & intolerabilia, nisi quod minora cognoscimus, quam iniquitatis nostræ exigant justitiæ; Positi autem in adversis ad orationes confugimus sanctarum & quantæ essent in Ecclesia nostra reliquiæ, diligenter investigavimus, providentia divina novum nobis & notandum ostendit miraculum: nam cum ad corpus Sancti Epiphanii venimus, sanguinem de siccis ossibus exire vidimus; Ego qui vidi & in manu mea tenui, cum aliis Canonicis nostræ Ecclesiæ testimonium perhibeo.

Sed nos dum in hujus Patris nostri amore fallimur, singula de eo referre cupientes, modum brevitatis excessimus, hoc solummodo si possemus, cavere debentes, ne aut ineptæ brevitatis compendio nostræ devotionis in eo aliquatenus minuatur obsequium, aut legentibus pariat arrogans longitudo fastidium; præsertim dum totus hujus sermunculi contextus nulla, per nostram imperitam allevetur lepida verborum compositione, aut lingua eum politior coloribus suæ facultatibus exornet. Rogamus autem, ut si qui forte hæc legere dignantur, nostrum potius affectum, quam verba considerent; quem enim, si conditio miseræ mortalitatis concederet, cuperemus semper habere viventem, de eo saltem mortuo, nos verbosos esse non sit onerosum & inde irremediabili dolori solamina quærere, unde non magna sustinet lector otiosus seriorum dispendia & jam properemus ad alia, quæ motu bellico interrupta distulimus.

CAPUT XXVII.

Quomodo Episcopus Benno Spirensi Ecclesiæ, ne Rheni fluminis illisione ripa laberetur industriose providit, & quomodo Abbati Siburgensi, hujus Monasterii curam commisit.

ERat igitur Architectoriæ artis, ut jam supra meminimus valde peritus, quod si quis in his nostris ædificiis tantopere non apparere notaverit, sciat hæc per ejus absentiam maxima ex parte fuisse constructa, in quibus tanti extitit studii, ut ne expulsus quidem & longinquis regionibus morans, per alios, quibus hoc injunxerat, ab ædificando cessaverit; unde Regis imperio in Spirensem urbem adductus Ecclesiam illam amplissime sublimatam, & præ magnitudine operis minus caute in Rheni fluminis littus extentam maximo ingenio difficilique paratu egregii operis novitare perfecit, & im-

& immensas saxorum moles, ne fluminis illisione subverteretur, obstruxit. Cum itaque hac occasione sæpius illuc iter haberet, Sigebergense Cœnobium, quod eo tempore religionis æstimatione eximium ferebatur, hospitandi gratia divertere solitus erat, ubi dum semper cum pro sui merito, tum etiam pro Reverentia Domini Annonis, cui nec defuncto fidelis esse destitit, maximo debitæ charitatis susciperetur officio, venerabili viro illius loci Abbati Reginhardo, quid in Iburgensi diruto castro inceperit, inter sermocinandum innotuit, gravi dolore conquestus, quod fratrum quos primitus adduxerat, valde esset instabilitate deterritus. Cumque Abbas ille intime eum moneret, ne ideo cæpto desisteret, sed eo studiosius insisteret, quo difficilius inchoata succederent, diaboli firmans, affirmansque fraudibus talia evenire solere, cui nihil magis adversum, nihilque odiosius esset, quam Divinæ aliquem obsequi voluntati, spiritalisque exercitii instrumenta parare animabus salvandis, statim opportunitate talis exhortationis oblata, omni supplicationis genere suggerere cœpit Abbati, ut in suæ paternitatis regimen locum susciperet, & religiosum virum Adelhardum Abbatem institueret, fratresque dirigeret irrigationi tam novellæ plantationis idoneos, omni se eis studio pollicens corporum necessaria collaturum, pro suis seminatis carnalibus metere cupiens spiritualia eorum. Sed Abbas Siburgensis vir prudentis ingenii, quamvis per se cunctos proficere, suisque institutis cuperet salvari quam plurimos, non facile ejus precibus acquiescere voluit, prius locum illum visere tractans. Valde enim, quæ adhuc acquisierat, prædia erant exigua, & tot necessariorum, ne si suos in incertum fratres dirigeret, simile quid eis accideret, quod & aliis accidisse compererat, atque ita rectæ voluntati annuens, Episcopum præcedentem brevi post sequitur, visu probaturus, quod auditu perceperat. In hujus autem consideratione loci cum aliqua displicerent, & pleraque laudasset, maxime ei fertur displicuisse paupertas, reputanti in hoc tempore talis negotii nil stabile futurum, quod rerum mundanarum abundantia nulla firmasset & valde paucos aut nullos cum indigentia corporali Monasticum rigorem æquanimiter esse laturos, cum in locupletissimis quoque cœnobiis districtio sola multos turbare consuevisset.

CAPUT XXVIII.

Episcopo Bennone regio jussu in Italiam profecto, nonnulli malevoli huic loco insidiabantur, qua occasione quidam fratrum hinc recesserunt, unde D. Benno præfatum Abbatem flebiliter interpellans, ejus exposcit auxilium.

ET sic omnibus rite dispositis iterum regio jussu D. Episcopus in Italiam est profectus, ubi anno integro & tribus mensibus in Romanæ Civitatis obsidione est detentus, nihilque aliud tanto temporis spatio ibi perhibetur egisse, nisi si forte cum aliis, quorum Deus tetigerat corda, pacem inter eos & concordiam Dei opitulante clementia facere posset. Pene enim quotidie inter Regem & Papam internuntius currens, plus pene dicitur in pace facienda laborasse, quam in aliqua facere consuevisset expeditione bellorum: sed cum nullatenus posset obstinatio tanta molliri, tandem civitate tradita proditione Civium, Papa Hillebrandus fuga elapsus, non multo post apud Salernum diem clausit extremum. Exinde jam spe quadam securitatis accepta, Dominus Episcopus ad sedem reversus, reliquum jam tempus ætatis omnino disposuit semotum agere ab omni occupatione & prorsus a Regni negotiis alienum, & quia jam ejus penitus desperabatur reversio, præsertim dum senio gravaretur & morbis, aliqui maligni in hujus loci destructionem inhiabant, putantes se locupletes futuros, si Dei servis expulsis, bona sibi Ecclesiæ liceret diripere, unde Abbatem in maxima tribulatione & labore reperiens, multosque hoc timore perterritos recessisse ex fratribus, his literulis iterum Reginhaldi Abbatis petit auxilium.

Reverendo Abbati viro religiosissimo Paternitatis beatitudine sublimato & filiorum circumspectione glorioso, Benno humilis Dei providentia Osnabrugensis Episcopus, benedictionem a Domino & misericordiam a Deo salutari suo. Quibus te laudibus efferam nescio, sed quem non latet desiderium meum, tota mentis intentione & sincera devotione committo; cæpisti certe me beare spe filiorum, unde siti meæ auxisti fervorem divinum, & nunc, Pater sancte, quæso, ne te gravet crebra mea petitio; direxisti quippe sponsum idoneum filiæ nostræ, si submiseris supplementum aliquod sponsioni ejus: recesserunt etenim a nobis, qui non erant ex nobis: quapropter, Domine, condole paucitati nostræ & succurre plantationi novellæ: Valde diu, vale, nostri memor, pater sancte. Iterum ergo fratribus missis omni studio recuperare tantarum morarum dispendia statuit, pleraque eo tempore ex nimia festinatione perpessus impedimenta; sed ipse constantia animi, qua cunctis præstabat, quicquid adversi accideret, in bonum accipiebat, raro solitus in aliqua rerum adversitate esse dejectus, aut nulla unquam prosperitate securus.

CAPUT XXIX.

De quodam Fratre mirabiliter sub muri collisione inter moles illæso perseverante.

FOrte, cum paries meridianus fieret & jam proxima die Beatorum Martyrum Crispini & Crispiniani instaret festivitas, certatimque festinaretur ab omnibus, quatenus à præscripto eis operis termino liceret citius absolvi, subito inter operantium manus à fundamento corruit murus, & vix cæteris evadentibus, unum ex omni numero in mediis ruinis oppressit, quod cum vehementer universos, maxime tamen præcipueque turbaret Episcopum, levisque jam jactura parietis aut potius nulla in comparatione putaretur oppressi, cum summa festinatione jam novo inchoato labore quæri jubetur, qui videbatur extinctus, si saltem inter disjectas moles

Digitized by Google

moles reperiri possent fragmenta membrorum, sed jam tantis saxorum aggeribus vix maxima difficultate dimotis, repente inter ferientium ictus clamare cœpit, & prout potuit manu protenta, quasi timendo deposcere, ut pro Dei amore capiti suo caveretur ab ictibus, atque ita cunctis, qui aderant, non minus lætitia quam vehementi stupore perculsis, non solum vivus & validus, sed pene eo casu nil læsionis perpessus eruitur.

CAPUT XXX.

De quodam alio à necessario fratrum infra matutinas collapso, ac illæso permanente cum gaudio recepto.

SImile quid eventu contrario, & in fratre hic quodam accidit, qui infra matutinas in necessario fratrum, dum per tabulas non dum in ordine congrue dispositas incautus incederet, subito in præceps decidit, sola misericordia Dei sustentante, asperrimis saxis susceptus est, ubi cum diutius nemine sciente jaceret, nec interim tamen a Psalmodia vacaret, seu cessaret, tandem fratribus e choro reversis strepitu quodam & gemitu, ne saltem in tanta re nocturnum silentium rumperet, se cecidisse testatus, omnes maximo horrore commovit, sed a famulis citissime requisitus, & inventus incolumis mox reductus, & quos commoverat, lætissima iterum omnes admiratione implevit, ita ut de eo quoque secundum literam videatur impletum, quod de justo per Psalmistam canitur; Cum ceciderit non collidetur, quia Dominus supponit manum suam. Sed hoc ideo simile superiori & contrarium diximus, quia illum super quem tantæ moles ceciderunt, constat esse non contritum. Hunc autem qui in tanti præcipitii profunditatem cecidit, constat non esse confractum.

CAPUT XXXI.

De quodam puero ex puteo extracto sine læsione.

ITem de puero, qui in puteum Monasterii versus occidentem siti, cecidit, tale quid accidisse refertur. Cum enim immitterent, qui mortuum extraherent, & nil minus quam vivere putaretur, confestim à tanta tractus voragine, incolumitatem corporis, nil eo casu molestiæ pertulisse monstravit. Sed & alia quædam asseri solent, hic tunc accidisse miranda, quæ ne frivola aut ficta putentur, memorare omisimus, quæ tamen Episcopus partim Martyrum meritis, partim servorum Dei, quos adduxerat, religioni tribuit, & eo cœpto operi attentius institit, quo gratius credidit esse dignationi divinæ, cum sæpius in adversis & diabolicis insidiis supernum non defuisset auxilium, humiles in omnibus divinæ dispensationi gratias agens, per ejus misericordiam se totiens indebite sentiret consolari, qui se pro variis delictis non ignoraret merito debuisse tristari.

CAPUT XXXII.

De Gliribus è Diœcesi expulsis.

DIvina ultione hominum vindicante malitiam, tota diœcesi glires maximo non solum frugum damno, sed & hominum horrore ubique grassabantur, auxilia & humana media nihil omnino proficiebant, unde maxima ubique ejulatio audiebatur, maxime cum timerent omnes, ne plagæ Pharaonicæ diœcesin universam affligerent. Benno itaque ad spiritualia confugiendum ratus, preces indicebat, supplicationes instituebat, jejunia ordinabat. Sed cum nec tunc Deus misereri videretur, orationibus Eleemosynas tanquam pernices alas jungendas ratus, illas ipse manibus pauperibus elargitus, & nomine totius diœcesis distribuendas ordinavit. Mirum glires è tota diœcesi maximo omnium gaudio & admiratione disparuerunt.

CAPUT XXXIII.

Benno Monasterium Iburg Capitulo Cathedrali commendat.

BEnno pro Monasterio maxime sollicitus ut pium patrem decet, illud Capitulo unice commendat, partim ut Canonicorum benevolentiam provocaret, partim ut sui in Episcopatu Successores, illud pro virili posse defenderent. Non autem illud Osnabrugi publice & privatim solum egit, sed & proprio Chyrographo testatum voluit, cujus tenorem subjicio:

Benno Dei Gratia Sanctæ Osnabrugensis Ecclesiæ Episcopus, omnibus successoribus suis huic sedi præsidentibus æternam remunerationem à Domino promereri. Notum esse volumus vestræ almitati, Dilectissimi, qualiter Ego Benno humilis Christi minister, Abbatiolam in Iburgensi Castro primitus institui, & Abbatem primum ejusdem congregationis, nomine Adalhardum ibidem constitui & ordinavi, & cum consilio religiosorum virorum tam Clericorum quam & Monachorum, eidem Abbati & successoribus hæc privilegia concessi; scilicet ut nullus successorum meorum Abbatem loci istius aliqua gravi necessitate molestari patiatur, non vim inferre, non ad aliquod iter impelli, vel ad supplementum itineris hostilis aliquid ab eo exquirere præsumat; sed magis ob Dei timorem eidem Abbati suffragari studeat, ut dignam recompensationem percipiat: census enim istius loci exiguus est, & Abbas hujus congregationis, non ut alii Abbates proprio servitio se sustentare poterit, sed veluti alius quilibet fratrum, stipendiis suis est contentus, unde, ut diximus, liberum eum esse decrevimus ab omnibus negotiis superius digestis, nisi forte eveniat, ut Imperator curiam suam in vicinis locis, Monasterio vel Paderborno vel Minden percelebrem habeat, & Episcopus hujus Ecclesiæ prædictum Abbatem secum velit assumere, faciat si libuerit, ita duntaxat, ut necessaria sibi suisque, ut cæteris familiaribus suis sufficienter impendat: similiter & hoc Abbati loci illius statuimus, ut dum Episcopus synodalia negotia exercuerit, idem Abbas eandem synodum more Religiosorum observet, & quæ ad animarum curam pertineant, cum cæteris fideliter decernat. Hæc itaque omnia literis nostris consignavimus, & vestræ sanctitati notifica-

Digitized by Google

tificavimus, ut esset indicium firmitatis nostræ concessionis, ut & vos causa benevolentiæ assensum præbeatis, ut dignam à Domino mercedem percipiatis.

CAPUT XXXIV.

Quomodo primum hujus Loci Abbatem propter debilitatem & senium remisit Sigeburgum & de Norberti secundi hujus loci Abbatis institutione & origine.

INterea autem illum & aliud multo molestius urgere cœpit incommodum. Abbatem enim, quem acceperat, corporis debilitas maximeque oculorum caligo, tanto labori & Monasticæ curæ minus habilem imparemque reddebat, qua necessitate compulsus, cum maxima tristitia eum Sigeburgum remisit, alium in ejus locum successorem efflagitans, atque ita unum ex fratribus Norbertum nomine pro eo recipiens, ordinavit Abbatem, de quo, quia adhuc per Dei gratiam vivit, & superest, non multa, sed hæc tantum referimus, quod Brabantia oriundus patria, & apud Coloniam in Ecclesia B. Petri à cognato suo, qui scholas regebat, educatus à puero; postea autem in Babergensi Ecclesia factus Canonicus, cognato suo quem plurimum dilexerat, Coloniæ defuncto, superstes in sæculo esse contemnens, in Sigebergensi Cænobio Monachum professus renuntiavit sæculo, ac sic loci hujus curam suscipiens, pene per quadriennium ante mortem Episcopi, cunctis quibus debuit, prout potuit, diligenter intendit.

CAPUT XXXV.

Episcopo Bennoni & Abbati Norberto, Hildeschwich dat bona sua in Berler.

HIldeschwich Nobilis fœmina, prosperitati vitæ præsentis scilicet, & animæ futuræ saluti prudenter consulens, Curtem in Berler in Parochia Glaën ad montem sitam dat Sancto Clementi & Norberto Abbati, una cum uno manso, quem tamen pro triginta solidis oppignoratum Abbas deberet redimere; at Abbas illi in signum gratitudinis decem marcas pro benedictione dat, eam omnium operum participem seu vivam seu mortuam suscipit. Actum est hoc in Comitatu Amelingi, in villa Schierlo. Donationem hanc juxta ejus hæredes Friderunes Abbatissa in Hertrebrok commendabat, quod bona hæc in ejusdem secum ordinis & professionis Monasterium converterentur; ita confectæ desuper & traditæ literæ testantur.

CAPUT XXXVI.

Quomodo Episcopus Benno in infirmitate correptus, ac ab Abbate de ejus morte, per quandam visionem admonitus, suscepit sacram Communionem & Unctionem.

MUlto igitur hic tempore in domuncula sua in monte versus occidentem sita solummodo manens, competentius, ut credidit, cum servis Dei insistens, servitio Dei & labori advigilans, raro usque exire solitus erat, nisi forte gravi compellente causa, & Dominicis Diebus Osnabrugi docere populum, & missarum celebrare solemnia, quod cum aliquando ex more fecisset, & jam sumpto cibo huc extra oppidum reverteretur egressus, respexisse fertur & dixisse silenter, se locum illum credere non visurum ulterius & paulo post febre correptus frigus ex pluvia, quæ eo forte extitit die, inter equitandum collegisse se credidit, atque ita medicamentis adhibitis, solito se more speravit declinare posse infirmitatis molestiam: Sed Abbas, quia de morte ejus per juniorem fratrem jam, qui eam per visionem imminere prænoverat, diu ante aliquatenus præmonitus fuerat, ingressus ad ægrum, inter visitationis & consolationis officia, de singulis monere cœpit, quæ morituro cuique consideranda putavit, atque ille ad singula acquiescens locum quidem sepulturæ in Abbatis electione permittens, in posterum diem, quo erat B. Jacobi celebranda festivitas, distulit unctionem: Primo itaque surgentis auroræ diluculo, Abbate accersito cum fratribus, tam illi quam omnibus, qui aderant, peccatorum confessionem publice faciens, statim ab ipso sacerdotalibus induto Dominici corporis viaticum accepit, ac sic pene triduum supervixisse dignoscitur.

CAPUT XXXVII.

Benno literas fundationis tradit Abbati.

DUM Sacramentis instructus Benno animam suam Deo commendaret, Sanctumque Patronum suum Clementem pro felici obitu imploraret, occurrit quod literas super conquisitis & oblatis pro monesterio bonis nondum tradidisset. Abbatem igitur fratresque vocat, eosque ad observantiam Regulæ Sancti Benedicti, & ad omnem virtutem adhortatur, tandemque Abbati literas sigillo suo confirmatas tradidit, quibus præcipua bona, quæ difficili illo temporum statu acquirere potuerat, continentur. Ut vero fundatoris nostri memoria in æterna sit benedictione, literarum Copiam adscribere volui, ut piissimi & munificentissimi Benefactoris & fundatoris, sicut & aliorum liberalium benefactorum memoria nunquam obliteretur.

In Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Notum sit omnibus Christi fidelibus tam præsentibus quam futuris, quod hæc sunt prædia, quæ Dominus Benno Osnaburgensis Episcopus, Monasterio B. Clementis Papæ & Martyris, quod in Iburg ipse construxit, justo pretio Decimarum, aliorumque concambio prædiorum & pecuniæ compensatione non modicæ, justis hæredibus consentientibus, justis advocatis recipientibus, justis & idoneis testibus præsentibus, & idem monasterium in suam recipiente curam Abbate Sigebergensi & ipso Præbente, fratres idoneos ad eundem locum secundum suam Monasterii disciplinam regendum, juste comparavit & contulit:

Berga in justam precariam ab Hildesuida Nobili fœmina, ejusque justis hæredibus.

Helveren ab Aveza nobili vidua & filiis ejus.

Mußkene & Hagen à Fridericum Abbatissa & ejus justis hæredibus.

Bers-

Bersmele à Waldrico nobili viro, ejusque justis hæredibus.

In Glana duo Borwerck unum ab Imma nobili vidua ejusque filio Hecelone. Alterum ex altera rivuli parte, & ejusdem Ecclesiolæ dimidiam partem; nam altera ejus pars ad istum prius Episcopatum pertinebat, ab Gisela nobili Sanctimoniali, quæ postea in Bersene Abbatissa fuit, ambo cum decimatione.

In Oistenfelde ab Eila libera fœmina ejusque justis hæredibus.

Schwanckendorp ab Reinmoda nobili vidua & ejus justis hæredibus cum decimatione.

Hittelhusen ab Schwankinna nobili Sanctimoniali & ejus justis hæredibus.

Quatuor Borwerck, Rethe, Hartz, Birkenfehle ab Oltone nobili viro ejusque hæredibus.

Item Rethe cum ipsa Ecclesia ab Erphone nobili viro ejusque justis hæredibus cum decimatione.

Riesenbecke ab Walone nobili viro & ejus justis hæredibus cum decimatione.

Borwerck hic juxta Castrum ab Episcopatu per Concambium Bomwiede cum decimatione.

Plerique autem Mansi disperse jacentes, quia noti sunt cum decimis suis, nominatim non sunt annotati.

Decimationes autem de Bersmele & Oskendorp,

De Oistenfelde, de Lina, de Aldeldorp,

De Westerbecke, de Hochsteten,

De Hone,

De Ammath,

De Mettinge ad Sanctam Mariam.

(L.S.)

CAPUT XXXVIII.

Quomodo cuidam viduæ religiose desideranti eum in infirmitate visitare non acquievit & de felici ejus obitu.

ERat autem eo tempore hac in urbe manens vidua quædam nomine Accla, non minus religiosa quam nobilis, quæ huic Monasterio multa ex opibus suis contulit, & locum plurima devotione dilexit, quæ per nuntium licentiam petens, ut admitti & visitare sibi liceret ægrotum, tale dicitur ab eo accepisse responsum; eam se videlicet malle in futuro videre sæculo, ubi sincere, secure, & jucundius mutuo fruerentur aspectu, quicunque se hic invicem in Christo puritate castæ charitatis amassent, ubi nullus gemitus cordis aut corporis dolor, & mortis formido, videntium sese posset turbare amorem; hanc etsi conciliaret humanitas & Dominico esset sancita præcepto, plenissimam tamen esse doloribus, nec tam præsenti charorum cruciatu mœstissimam, quam de propriæ quoque mortis quandoque recordatione horridissimam; Itaque secundum Apostolum, dum tempus haberet, bonum operari studeret, & omnes felices esse, qui tali intentioni, dum liceret, operam darent, infelicissimos autem, qui talia in horam mortis usque differrent. Qua exhortatione suscepta, egregia illa mulier valde proficiens ita reliquam egit ætatem, ac si antea boni operis nihil egisset. Ipse autem linguæ paulatim destitutus officio, cui jam vitæ immineret occasus, Abbate item cum fratribus exitum ejus Deo commendante litaniis & psalmis, in tapetio deponitur, & circa diei horam nonam inter orantium manus, spiritum Deo reddidit, anno 1088. 6. Calendas Augusti, Indictione undecima.

CAPUT XXXIX.

Quomodo quidam perversi volebant funus tanti viri Osnabrugum advectare, sed Abbate & Monachis obnitentibus, Abbas accepta Virga pastorali locum sepulturæ designavit.

COrporis autem exequias tanto diligentius fratres curare studuerunt, quanto ab omnibus, quos vivus dilexerat, viderunt derelictum, miserius. Fratribus enim circa corpus lavandum cæteraque funeri congrua occupatis officia, Illi sua, non quæ Jesu Christi quærentes, in varias supellectilis ejus rapinas & furta discurrunt, in tantam tandem rapiendi licentiam ducti, ut corpus istud ipsum exanime Osnabrugum deferre & sepelire pararent, ac sic eis liberius loci hujus universæ facultates in omnimodam possidendi licentiam cederent, & miserum Episcopum tota tanti laboris sui mercede privarent: quod cum jam non secrete inter se, sed aperte clamare cæperunt, Abbas in varias curas exæstuans, singulos primum aggreditur, de quorum præsumebat fidelitate fidentius, pristinæ fidei in Dominum suum torque collatorum eis ab eo beneficiorum, tunc memores esse deposcens, utque hominum in tali negotio curarent offensas minime, dum se cum Deo agere, & plurimum utilitatibus suis apud futurum Dominum prospicere non dubitarent. Sed cum vix unum ex omni numero in sua parte fidelem attenderet, instantius fratres per noctis vigilias orationi insistere jubet, multis persuasionibus instigatur à suis, ut si sepeliendi hic corporis licentiam precario obtinere posset, ut illud teneretur, & januis clausis, cum nihil monachos in tali certamine dedeceret audacia, ubi justitia & fides pro eis pugnaret, & pietas. Et jam mane erumpente in lucem, pontificali arrepto baculo, locum sepulchri in brachio meridionali Ecclesiæ populo aspiciente signavit, quo facto, videntium animos non parum in sui favorem erexit, ut ejus rei jam quodammodo eos reddidit certos, cujus ipse adhuc penitus erat incertus. Adunatis autem optimatibus & Clericis, qui ad sepeliendum Episcopum partim accersiti, partim sponte convenerant, intimo supplicavit affectu, ut tantam perfidorum obstinaciam frangerent, ne homines nequissimi in loci destructionem prævalerent, dicens se ipsa die absque dubio recessurum cum omnibus, si locus structoris sui mansione careret; & hoc tunc utique honestius sponte facere posset quod postea esset invitos necessitas coactura. Nemine autem eorum contradicente, sed & aliquibus

bus

bus etiam studiose annuentibus voluntati Abbatis, unus eorum Lindolphus nomine, dignitate præeminens cæteros, & pietate devotior, convocatis universis, præ immanitate flagitii infremuit, & justitia causæ, iracundiam instigante, profatus in hunc fere modum.

CAPUT XL.

De quadam acerrima cujusdam Lindolphi piissimi ac disertissimi viri relatione, qua facundissime ac strenue confudit pii præsulis invasores.

ET quid agitis, inquit, o infideles & impii in Patrem Spiritualem, Dominumque, tantam crudelitatem & fraudem, & quia viventi non licuit, mortuo jam infandæ conspirationis manus injicitis! Certe ob varias perfidiæ vestræ nequitias sæpius objurgati ab illo, nunc vicem rependitis, nunc & nequissimi servi paternæ correptionis injurias vindicatis, & quales erga vivum fueritis, de toto perversitatis vestræ fonte aperitis.

At plures vestrum profecto, qui antea genere & opibus miserrimi fuistis, ipse provexit, ipse inclitos fecit, ipse ditavit, cujus beneficiis nunc tam egregie respondetis, ut sepulturam negetis & de loco, quem ut indiciis datum intelligo, Deo demonstrante elegit, tanto pellatis scelestius, quanto durius ipse propriis manibus construxit, & a sævientis turbine mundi fidissimum senectuti præparavit asylum, quippe ætatem in palatio educatam, & amplissimis prius honoribus usam, Pontificali etiam nunc dignitate pollentem, annis invalidam, confectamque morbis & debilem, hic confregit, hic trivit, plaustra videlicet minando & asinos, cæmenta conficiendo & comportando lapides, denique vilissimi gerendo vicem mancipii, ut miseram senectutem tantis laboribus pro Divina retributione fatigans, tanto gloriosius regno Dei in renovationem sui redderet dignam, quanto deformius eam nunc servire compelleret. Sed vos Episcopum vestrum, quasi & non noster fuerit, sedi suæ restituere, & bono loco sepelire conamini, quod & nos vobiscum agere oporteret, si recte saperemus; bona quidem hæc vestra vox, sed sacrilega intentio, & dum vitatis infamiam & pietati consulitis, quæ nulla fuit, scelus incurritis, rapinas & dolos honesti nominis colore fucantes. Sed esto, deferte, quo vultis, sane ut condigno Prædecessoribus suis honore condatis, quorum nimirum, quæ urticas & pecorum pascua evadere potuerunt, paucissima sunt nobis monimenta comperta, quorum autem in aperto sunt, veneramur. Nunquid cultu & decore suo alliciunt Episcopos, ut sine eis sortiri sepulturas non appetant, non ita quippe quæ tanto jam tempore fœdo situ neglecta sordescunt, & horrido quodam vetustatis squalore potius, ut fugiantur, clamant & quale animabus, quæ videri non possunt, piæ recordationis impendatur officium, sepulchra quæ apparent, & possent sumptu reparari levissimo, neglectus sui fœditate testantur, multos autem pontifices non solum extra sedis suæ locum, verum etiam extra diæcesios suæ terminos esse sepultos. Quid igitur, hominum pessimi, vestro hunc locum invidetis Antistiti? ubi suæ procul dubio animæ intercessores præparavit optimos & ossium suorum fidissimos prævidit, cinerumque custodes, nec Ecclesiæ suæ, ut vestra falsissime cavillatur versutia, se subtrahendo, statum minuisse dignoscitur; sed ejus potius cum in multis, tum etiam novam faciendo congregationem, tantillum prius non parum ampliavit honorem. Sed quid vos adstantes & hæc audientes optimi, Clerus & populus, qui horum juste dedignamini sceleri præbere assensum, me solum tot canibus oblatrare patimini? tot morsuum patere livoribus, & quasi tacendo notamini sceleratis consentire calumniis? Reclamate igitur & resistite, repercutite & revincite, & in suis eos sceleribus in sempiternum fidelitatis vestræ memoriale confundite. Quoniam autem nos majores his sumus & plures tantæ impudentiæ & stolidissimæ præsumptioni contraire & obviare facillimum erit, si non postea ignorantibus hæc quæstura essent, se armis potius, quam ratione devictos. Verum quid differre credimus, quo pacto revincantur, qui tam perversa moliuntur; at qui possit agi lenius cum his, si solum corpus exanime, & non locum ipsum niterentur auferre. Quis vero hæc, o insanissimæ mentis belluæ, vestræ concessit potestati, vestro permisit arbitrio? O extremæ perversitatis vesaniam! O inauditæ machinationis audaciam! O spurcissimam servorum temeritatem! quæ ex tali sibi rapina sperat divitias, ex Dei injuria solatur inopiam, nec funeris quidem abstinens spoliis, dum consulat prædæ, & nefariæ cupidinis expleat appetitum. Sed quid ego progredior? quid verbis auscultantes detineo, plura replicando quam competit? Enim vero indignitas rei & facinoris magnitudo, quæ hæc profecto me loquente componunt, digne a nullo hominum explicari poterunt, aut facultate ingenii, aut

Digitized by Google

aut prolixitate verborum; at vos abominabiles Deo, factis opus tentatis & manibus, cui lingua omnis ponderis immanitate succumbit. Sed nil agit hæc vestra perversitas, nullumque tanti sceleris obtinebit effectum. Nos futuro Domino incolumes servabimus tumulum & Monachos; ejus certe potestatis erit, custodire & venerari, si malus non erit; aut dissipare aut perdere, si vestræ pravitati consortem se fecerit. Jam vero me plura loquentem præ luctu verba destituunt, & in talem tandem exclamationis finem impingunt, o infelicissimum Præsulem! o in aliquo humanæ fragilitatis excessu divinam offendentem clementiam! cui hac in morte licet prædam non esse, nec in cadavere sine seditione putrescere.

CAPUT XLI.

De honorifica piæ recordationis Episcopi sepultura, & de mutua fraternitate Osnabrugensis & Iburgensis Ecclesiarum.

HÆc viro supramemorato vultus acredine, & concitissimo mentis impetu prosequente, gravissimæ rigor indignationis molliri cœpit, jam in lacrymas & animos vulgi ignobiles paulatim ad misericordiam flexit, quos timere plurimum asperrimæ invectionis nimietate coegerat, unde tali elogio nos, minus vero quam minarum & iracundiæ pleno, minimeque pro loquentis autoritate spernendo universus statim concidit fragor audaciæ, conceptæque vecordiæ consilium disperiit & inane disparuit. Sicque paulatim redditis animis, quos avaritiæ furor abstulerat, sanum miseri sapere gestiunt, inhibitique sceleris jam congratulantur autori, atque ejus rei, quam tanto antea bacchatu acerrime impugnaverant, devotos imposterum se spondent fautores præbere. In unam itaque cunctis redactis sententiam, sepulturæ festinantius insistere decernunt, quia diutius corpus servari, nimietas non permisit æstatis; sed cum super hac re Mindensis expectaretur Episcopus, & jam minime futurus crederetur ad tempus, ejus Abbati injungitur officium, quod tertio ejus defunctionis die, cum fratribus & Clero, universoque populo, tristissima quidem, sed devotissima exhibitione complevit. Post hæc autem stabilitati loci atque utilitati Abbas consulere volens, totius multitudinem Cleri convocavit seorsum, fraternitatis cum eis, & spiritualia societatis fœdera concelebrans, ut jam Osnabrugensis Ecclesia huic nostræ non tam potestate, quam charitate esset mater & domina, ac si utriusque filii per omne deinceps temporis spatium unanimiter consilio, adjutorio, benevolentia, orationis communione sibi semper invicem sociarentur in pace. Illis autem in sua reversis, Abbas item circa animæ salutem sollicitus infra triginta dierum spatium continuatim fratribus sibi per vices succedentibus ad sepulchrum Psalmodiæ orationem esse constituit. Et quia nondum totius templi tecti constante perfectione, interdum turbarentur pluviæ infestatione psallentes, tuguriolum ex lignis juxta constituit, & composuit, ut in ejus absconsione orationis instantia non interrumperetur a turbine & pluvia. Postea autem procedente tempore Mausolæum ibi, quia metallis non potuit, extructo lapidibus, breve Epitaphium sepulti memoriam absolute indicans, his inscripsit versiculis:

CAPUT XLII.

De Epitaphio Bennonis Episcopi Fundatoris nostri & exhortatione ad orandum pro eo a successoribus.

QVis sim lecturi, quod sum, quandoque futuri
Dicite, præsul habe, Benno perenne vale.
Quem mea spes struxit, locus hic mea funera luxit,
Ter Juli novies tres peragente dies.

Ac sic deinceps divina opitulante clementia consummatis ex parte, quæ moriens ille imperfecta reliquerat, paratis tectis & picturis adhibitis, ornamentis etiam pro facultate adauctis & prædiis acquisitis non modicis, & si non continua, frequens tamen & qualiscunque hic sibi non deest oratio: quoniam successoribus nostris speciali hoc opusculum intentione edidimus, repetere nunc obtestationis nostræ admonitiunculam quam in prima ejus fronte posuimus & sæpius inculcare non piget, ut si ei per nos utique peccatores apud districtum Judicem minus efficaciter quam dum viveret, speravit & egit, fortasse succurritur, tanto obnixius pro ejus salute divinæ pietatis aures pulsare ipsi non desinant, quanto se ejus industria solummodo & studio in hoc congregatos habere cognoverint & temporale subsidium, &, si religioni studuerint, spirituale instrumentum, quod nimirum ejus exhortatione studiosius agent, quam sibi, cum per sermonem loqueretur ad populum & pro se eos orare deposceret, consuetudinariam fecerat & specialem: qui pro alio scilicet orat, se ipsum absolvit. Si igitur pro eo orantes nosmet arbitramur absolvi, absurdum est ei subtrahere, quod nobis ipsis non dubitamus impendi atque manere. In commune igitur ex tunc & tunc pro eo ab omnibus semper ad Deum levetur oratio, ut si in pœnis est, citius liberetur, & si nondum audire meruit, serve fidelis intra in gaudium Domini tui, saltem inter eos inveniatur a dextris, quibus est in fine dicendum, venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum per eundem Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum eodem Deo Patre in Vnitate Spiritus sancti vivit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Digitized by Google

XX.

MAVRI ROST
ABBATIS IBVRGENSIS
VITA
BENNONIS EPISCOPI OSNABRVGENSIS
METRICA.

☆ ☆
☆

C. 1. PAtribus è Suevis & villa Lünnige dicta
de non obscuro sanguine Benno venit;
Hunc ad Apostolicum steriles materque paterque
devecti Limen per sua vota petunt.
Qui Roma reduces obtenta prole beati,
prolem ipsam donant per nova vota Deo.
C. 2. Hinc genio ex ipso primæque ex flore juventæ
mox patuit quantus Benno futurus erat.
C.3.4. Artes discendi cupidum Strasburga recepit;
postque alios docuit Spira diserta virum.
Hildesii ut noster pia grammata Benno doceret,
Ezlinus petiit gratus ubique suis;
C.6.7. Post à Consiliis factus, Præfectus & aris,
Aulæ Presbyterum Goslariensis agit.
C. 8. Interea claris animum Virtutibus ornans
per sacra perque preces Numina sancta piat.
C. 9. Insuper & teneris indicens prælia membris,
quo magis illa rigent, hoc magis ille viget.
C. 10. 11. Sacra profana simul tractat dum ex mente tenebat
Cæsaris Henrici publica cura Virum,
Hinc socium in curis Antistes Anno petivit,
cujus & in sacris Benno Minister erat.
Tandem Osnabrugi summæ præponitur aræ
ac ejus Curæ mitra pedumque datur.
Præsulis officiis ut dignus possit haberi
pro Benedictinis condere tecta parat.
C. 14. Hertzenbroicenses majorum à tramite vestas
declives monitis ad sua sacra vocat.
In clivo statuit Michaelis condere Claustrum,
debuit at cæptum linquere rursus opus.
C. 15. In Wittfeldt via nulla fuit, stagnantibus undis,
impensis variis invia firma dedit.
C. 17. Intentum Monachis cupiens persolvere Claustrum
ditibus à Castris prædia Benno petit.
C. 18. Eligit Iburgum, sed diruta rudera mutat
pro Bombten, nullis ut nocuisse scias.
C. 19. Obstabant operi qui rura propinqua colebant,
ast hos tam banno, quam ratione premit,
C. 20. Bennoni decimas Corbeia, Herfordia reddunt,
Cobbonis dederat quas violenta manus.
C. 21. Omne quod assiduo fundarat Benno labore
Henricus Cæsar firmat, habetque ratum.
C. 22. Schismate dissentit summus cum Cæsare Papa:
Benno schisma pio vitat utrumque dolo.
Inde redux Monachos & lipsana sacra requirit
debuit at cœptum rumpere rursus opus.

Nam tenues reditus, tenuisque angustia Claustri C. 23.
fratres ad gremium dant remeare suum. 24.
Milite collecto Bovipontem Saxo premebat, C. 25.
quem Præsul blando mitigat alloquio.
Infesto Rhenus sorbebat flumine summas C. 27.
Spiræ ædes, tremulum Benno revinxit opus.
Sacra Siburgensi committit cæpta, quod absens
implicitus curis semper adesse nequit.
Cæsaris ad jussum Romam dum Benno revisit, C. 28.
Claustrales reditus raptat avara manus.
Harpyas has Benno redux compescit, opusque C. 29.
consummans, fratres ad sua vota monet.
Muro collisus frater, sed & alter ab alto C. 30.
lapsus, dante Deo, salvus uterque manet. 31.
Abripuit puteus puerum, nec læditur alto
deciduus casu, sic Deus addit opem.
Quique Diæcesin dudum afflixere molesti C. 32.
glires, aufugiunt ad pia vota viri.
Ne neoclaustrales fatis agitentur iniquis, C. 33.
præcipit ut Clerus det Cathedralis opem.
Mandat & ut Præsul successor prosit Alumnis,
in tenui Claustro quos statuisse refert.
Alardum Abbatem cæcumque senemque Siburgum C. 34.
mittit, nam Curis talibus impar erat:
Substituens illi Norbertum in rebus agendis,
qui fuit insigni dexteritate valens.
Hilswich Abbati bona Berler rustica tradit, C. 35.
Bennone hæc vivo cessio facta fuit.
Febribus accensus Benno de morte monetur, C. 36.
ad quam disponunt vota precesque virum.
Norberto interea tradit munita sigillo C. 37.
Scripta suo, his fundans mœnia structa loci;
Alloquium infirmi prensat matrona, sed ecce C. 38.
nititur incassum, Cælica Benno petit.
Spiritus interea Carnis compage solutus
lætetur superum sorte beatus, Amen.
Dum fundatoris tumulum parat impiger Abbas C. 39.
surripere intendunt ossa relicta Patris,
Quos tam facundo Lindolf sermone repressit, C. 40.
ut dederit victas Clerica turba manus.
Ut sint perpetui fratres, in fœdera dextras C. 41.
cum nostris jungit Clerica tota cohors.
Demum consuetis mandantur ritibus ossa
terræ, quæ reliqui condecorare sciant.
Vos Successores quos Benno pane fovebit,
fundanti, ut petiit, solvite pensa precum,
Ut vos sancta docet Benedicti regula, fratres,
Vivite, vovistis, reddite vota Deo.

XXI.

Digitized by Google

XXI.
GOLSCHERI
ET
ANONYMI CUJUSDAM
GESTA
ARCHIEPISCOPORUM TREVIRENSIUM
ab anno 1132. usque ad annum 1259. continuata.

Idem Archiepiscopus (Adelbero) studium suum ad hoc omnino adhibuit, ut reditus episcopales absolutos faceret, & curiam Humbach pro trecentis marcis redemit, quam prædecessor ejus Dominus Mehingerus infeudaverat; & cætera fere omnia ad Episcopatum pertinentia Dominus Adelbero redemit à Domino Godefrido Episcopo aut infeudata, aut in beneficium data; sed nec hoc prætereundum est, quod cum Adelbero prædictus Archiepiscopus venisset Aquisgrani ad curiam Imperatoris, Lotharius Rex noluit eum investire regalibus, eo quod ante recepisset consecrationem episcopalem, quam suam requisivisset investituram, & omnino, ut credebatur, Rex se ei opposuisset, nisi quod ipsum talem virum esse sciebat, qui facile totum mundum sui Imperii contra ipsum commoveret, unde & levem satisfactionem ab ipso recepit. Cum enim ex communi consilio Principum juramentum Regi obtulisset, quod non ad diminutionem sui honoris hoc factum esset, si à Domino Papa coactus ad consecrationem accessisset: Dominus Rex juramentum ei remisit, & regalia sceptro regni ei concessit. In eadem quoque curia Lotharingiæ Ducem Simonem fratrem Regis excommunicatum pronunciavit, & in die Sancto Paschæ, dum legeretur Evangelium, eum exire ecclesia compulit. Palatiolum Julii Cæsaris castrum juxta civitatem situm, eo tempore situ & vetustate dirutum & inhabitabile multis sumptibus restruxit, & victualia sua illic deferri jussit. Stephanum Metensem Episcopum, de quo superius mentionem fecimus, qui tribus antecessoribus suis, Brunoni videlicet, Godefrido & Meginhero respuebat subjectionem, exhibere coëgit obedientiam sibi, & subscriptionem facere. His diebus Dominus Archiepiscopus multa colligendo factus est valde abundans in rebus, & undique corrasit sibi, quod mens utile suasit, & nec cœnobiis propriis hac parte pepercit; unde & Ecclesiam S. Eucharii, sanctique Mathiæ Apostoli nimis attrivit, nimiumque gravavit; & quotidie succrescens ad quædam magna, quæ mente gerebat, præparationem faciebat. Abbatiam enim S. Maximini ex antiquis privilegiis Ecclesiæ suæ in fundo Beati Petri sitam, & de jure antiquitus ad suam pertinere dispositionem intelligens, omnino animum apposuit, quomodo eam de potestate Regis eriperet, & suæ Ecclesiæ restitueret, propter quod in expeditionem Italicam cum Rege Lothario profectus est cum centum militibus secundum æstimationem, sed secundum veritatem cum sexaginta septem; pulsoque Rogerico Rege Siculo de finibus Apuliæ quam occupaverat, dataque ea Renaldo Duci, & recuperatis Beati Petri regalibus. Cum Imperator reverteretur, in valle Tridentina communi mortalium sorte in fata lapsus est. Ipse autem Dominus Archiepiscopus à Domino Papa Innocentio legationis officio decoratus, cum reverteretur, ad montem Romaricum perveniens, audivit fama referente, quod Comes Otto de Reinecca ex curia Regis ab Italia mandaverat fratribus duobus Wernero, & Johanni de Nentirsburch quod castrum suum Arras per insidias caperent, & hoc effectui fore mancipatum. Cumque post multos labores quietem sperasset, & nunc Deo permittente videret tot tantasque sibi imminere curas, animum viriliter contra adversa obfirmans, per coronam suam juravit se numquam barbam suam rasurum, nisi & suum castrum Arram prius recuperasset, & illorum fratrem, Werneri scilicet & Johannis Nantirsburch destruxisset. Colligens vero omnes Tullensis & Metensis terræ Principes, cum militia magna Treverim pervenit, & utrumque castrum Arras scilicet & Nentirsburch simul obsidione cinxit & Nentirsburch destructo, atque Arras recuperato, cum triumpho magno Treverim reversus est. Taciturnitati quoque denegandum videtur, quod prædictus Dominus Adelbero ab eadem expeditione revertens prædecessoris sui Archiepiscopi Meinheri reliquias Parmæ per vim abstulit, & Treverim secum attulit. Prædictus enim Dominus Meinherus Conradum postea Regem, cum Lothario esset suppositus, ut vir magnanimus excommunicavit. Unde pro negociis Ecclesiæ suæ ipsum Romam properan-

perantem, idem Dominus Conradus Rex cœpit, & Parmæ pro magna pecunia loco pignoris posuit, ubi etiam in carcere defunctus est. Idem autem tunc suppositus Rex in prædicta expeditione Lothario Regi reconciliatus est, & Domino Alberoni Archiepiscopo, quem penes regni videbat robur & mentem existere, se se familiaritate magna & servitio adjunxit, & tanta tunc adjuncti sunt amicitia, quod post obitum Lotharii Imperatoris, omni studio Dominus Adelbero elaboraret, contradicentibus fere omnibus regni Principibus eum in regnum sublimari, effecit enim magna sua industria, quod Dux Fridericus, frater Conradi Regis, & Bachus Vvangionum Episcopus cum ipso Conrado ad colloquium suum Confluentiam convenerunt; ad quod colloquium Coloniensis Archiepiscopus Arnolfus occurrit, & tandem post multa consilia Dominus Adelbero Archiep. Conradum in Regem elevatum, & Aquisgranum cum magna deducens multitudine, regali unctione confirmavit in regnum, postea cum Saxones cum Duce Henrico Lothari Regis genero diem & locum Conrado Regi Hersveldæ præscripserunt, ut belli discrimen decerneret, utrum juste regnaret nec ne; Dominus Archiepiscopus se venturum cum viginti militibus, cum promisisset, quingentos adduxit milites, & triginta carras vini, & universam victualium copiam secum adduxit, carris fere opinione infinitis. Illic Albertus junior tunc Moguntinus Episcopus omnimodis laborabat, ut ad majorem discordiam malum hoc excresceret. Ipse autem Dominus Albero Dei adjutorio elaboravit, quod in pace divisi ab invicem sunt; cum tamen multa millia magno odio ad pugnandum convenissent; ipse vero Archiepiscopus Albero, omnibus in pace compositis, singulis Principibus singulas misit vini carratas, & maxime Saxonibus; & notanda in hac re subtilitas ingenii in Domino Alberone. perpendit enim plus conferre ad victoriam, atque ad animos accendendos virorum vini copiam, & aliorum victualium, quam multa millia famelicorum. his omnibus ita præparatis, abbatiam Sancti Maximini pro his, atque aliis servitiis, a Rege Conrado recepit; patronatum prædictæ Ecclesiæ, quem Rex longo tempore tenuerat, ipse Rex restituit, hac re per famæ volatilem auram concepta, Monachi, qui tunc temporis in Ecclesia prædicta valde enormiter vixerant, omne argentum & aurum, quod in diebus illis in monasterio illo multum abundabat, intextis tabulis, imaginibus, variisque ornamentis, lapidesque pretiosos & gemmas ante Archiepiscopi reditum colligentes, Comiti de Namurco, qui eo tempore terram de Lutzelenburch tenebat, dederunt, ut arma auxiliaria eis ferret, & quod advocatus esset Ecclesiæ, & dominium Archiepiscopi & potestatem ab eis, suis viribus removeret. Sed nunc nihil aliud a me expectes, nisi quod summatim singula perstringam, ne penitus æterna oblivione deleantur. Eo igitur tempore cum vacaret Ecclesia Sancti Maximini abbate, elegerunt Monachi Abbatem monachum quemdam de Ecclesia Leodiensi fratrem quorundam, qui consiliarii erant Comitis Namurcensis, ideo ut illorum consiliis acrius in furorem suum Comes quotidie incenderetur; quem Romam magnis sumptibus ducentes contra voluntatem Domini Archiepiscopi à Domino Papa benedici fecerunt abbatem. Et admiratæ sunt turbæ de tam subita rerum mutatione, quod Romana Ecclesia tantum, talemque virum tam graviter molestavit, qui tot labores, totque pericula pro ipsa sustinuerat, & qui tam nuper in tanta gratia Apostolicæ sedis exstiterat; qui etiam pro Papa Innocentio, Lothario Regi in tantum se opposuerat in expeditione supradicta, quod ipse Archiepiscopus & Rex ab invicem non sereno animo discesserunt. Præterea tempore hujus guerræ, quæ erat inter Archiepiscopum & Comitem, fratres de Ecclesia Confluentina, eum quoque infestare cœperunt. Præpositum enim contra ejus voluntatem elegerunt virum nobilem Dominum Ludovicum de Isemburg, cum quo Romam magnis expensis pergentes litteras Apostolicas retulerunt Domino Archiepiscopo suæ voluntati valde contrarias, quas cum Domino Archiepiscopo in Synodo residenti obtulissent, ipse ex animi commotione ipsas in terram dejecit, unde apud Dominum Papam Innocentium accusatus, ab ipso est vocatus ad diem præscriptum; & cum ad diem non venisset, episcopali est officio suspensus. Hæc omnia mala venerunt simul super illum, & de omnibus his liberavit eum Dominus; Romam enim veniens effecit, quod Abbas Sancti Maximini obedientiam ei promisit, & juramento fidelitatem ei fecit, & electionem Confluentinorum cassavit. His absolutis, ad Comitem redeamus. Comes itaque in principio hujus discordiæ ex inproviso cum Domino suo fidelitatem contradixisset, cum mille quingentis militibus Treverensi appropinquabat civitati, & Treviri non erant præmuniti nec vallo, nec muro adhuc cincti & longa pace bello dissueti, & ipse Archiepiscopus aberat in curia Regis existens; potuissetque civitatem tunc gravasse, si Deus hoc malum non avertisset. Sed Comes Fridericus de Vienna tunc forte fortuitu erat in civitate, & occurrens Namurcensi multis suasionibus eum redire fecit, demonstrans magnam fore ipsi, & perpetuam infamiam, si quid tale contra Dominum suum committeret, antequam Domino suo renunciasset, præsertim contra regiam Majestatem hoc esse, si Archiepiscopo ex mandato Regis in curia commoranti malum aliquod inferret. Reversus autem a curia Archiepiscopus omnibus modis cœpit ad pacem laborare, & Comitem a cœpto revocare furore. Ille autem per episcopatum incendia, rapinas, cædes exercebat; tandem Archiepiscopus cœpit se se defendere. Et quia nunc ad finem propero, multa pertransiens summam gestorum hanc colligo: Rudolfi montem bis cinxit, & secunda obsidione destruxit, castrum scilicet, quod omnibus modis insuperabile videbatur. Novum castrum, quod Mercurii mons dicitur, ædifica-

Digitized by Google

dificavit; timens ne Namurcensis montem illum occuparet, quod quasi in corde suæ terræ erat. Mandirsceit castrum natura loci munitissimum cœpit, & usque ad obitum suum retinuit. Garlandam, Zolueram cœpit, & triginta munitiones Comitis Namurcensis aut cœpit, aut destruxit. Epternatum quoque cœpit, in quo comes militiam tenere solebat. Sed inter primam & secundam Rudolfi montis obsidionem bello congressi sunt Archiepiscopus & Comes in aperto campo, quod tale fuit. Cum primo Archiepiscopus Rudolfi montem obsedisset, Comes Palaciolum invasit, & ignem in Ecclesiam Sanctæ Mariæ mittens, munitionem quoque Archiepiscopi cremare sperabat; quæ fama cum ad Archiepiscopum pervenisset, obsidione soluta, tota nocte properavit cum militia sua, ut improviso hosti superveniens, inopinato terrore concusso suas vires ostenderet. Comes vero per exploratores præsentiens ejus adventum, in fugam versus nocte illa in villam Episcopi Witelich se recepit; equos & homines reficere volens, & nihil reperiens, villam totam concremavit, & inde transiens, cum juxta Abbatiam, quæ Claustrum dicitur, pausare vellet, & panem frangere; famelicus enim erat, exercitus Archiepiscopi jam sibi imminere pernunciant, & ipse velociter cum suis fugam arripiens, cuidam de fratribus ad se vocato, per admirationem contestatus injunxit, ut Archiepiscopo se insequenti hæc verba referret ex sui parte; Deus non meliorem diem vel noctem, ei Archiepiscopo scilicet, concedat, quam ego duos dies & duas noctes continue habui, qui cum duobus jejunaverim diebus, & tertio die pauxillo panis me vellem refocillare, ab eo non sum permissus. Consequens ergo Archiepiscopus Comitem, cum eo pugnam aerem commisit, Comesque terga vertens beneficio velocis equi vix aufugit; suorum plurimis captis, multis cæsis. Tandem Comes fatigatus, atque coartatus multis præliis, nam sibi commissa privavit eum comitiva, supplex veniens ad Archiepiscopum, pacem & concordiam cum eo confirmavit, & hæc Præsul concessit, ex corde benigno.

De Adventu Eugenii Papæ tertii Treverim, & de consecratione Ecclesiarum Sancti Eucharii, Sanctique Paulini.

Anno Dominicæ Incarnationis millesimo, centesimo, quadragesimo octavo, Dominica, qua cantatur; Ad te Levavi, Dominus Papa Treverim venit, sicut invitatus a Domino Alberone Archiepiscopo fuerat, & sabbato ante prædictam Dominicam in Ecclesia Sancti Eucharii honorifice hospitatus est. In ipsa autem Dominica cum maxima veneratione a Clero & populo cum inconsuetæ processionis vel ornatu, vel armatu, atque recordabili solemnitate in templum est introductus, conducentibus eum a dextris Domino Alberone, à sinistris vero Arnoldo Coloniensi Archiepiscopo, præcedentibus vero multis Episcopis Germaniæ, Belgiæ, Franciæ, Angliæ, Burgundiæ, Lombardiæ, Tusciæ, & ex omni natione quæ sub cœlo est. Sed nec Cardinales enumerare pigeat, qui cum Domino Papa Eugenio Treverim venerunt. Episcopi Cardinales. Albericus Hostiensis, Henricus Tusculanus, Humboldus presbiter de titulo Sanctorum Joannis & Pauli, Guido de Summa presbiter de titulo Sanctorum Laurentii & Damiani, Gisibertus presbiter de titulo Sancti Marci, Hugo presbiter de titulo Sancti Laurentii de Lucina, Julius presbiter de titulo Sancti Marcelli, Guido presbiter de titulo Sanctæ Potentianæ, Odo Benecase, Heribertus presbiter de titulo Sanctæ Anastasiæ, Guido Diaconus & Cancellarius de titulo Sanctorum Cosmæ & Damiani, Octavianus Diaconus de titulo Sancti Nicolai in carcere, Guido Pisanus, Guido Cremensis, Gregorius de titulo Sancti Angeli, Joannes de titulo Sanctæ Mariæ novæ, Jacintus de titulo Sanctæ Mariæ in Cosmedi, Otto de titulo Sancti Gregorii ad aureum velum. His omnibus Dominus Archiepiscopus per duodecim hebdomadas continuo largitus est necessaria in tanta abundantia, quod ipsi quoque fatebantur copiam pleno cornu venisse ad ipsos. Quid referam de supervenientibus Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Archidiaconis, Præpositis, Ducibus, Comitibus ad Dominum Papam Treverim venientibus, quorum ne unum quidem largitatis suæ reliquit immunem. Natalis Domini solemnitatem tunc celebratam Treveris, quis ita dictis explicare queat, ut tu qui non videris intelligere, vel imaginari possis? Quam putas pompam processionis in die sancto fuisse, cum Dominus Papa cum nacco equitans, præcedentibus Cardinalibus & Episcoporum multitudine in equis albo coopertis ad Ecclesiam Sancti Paulini processit, indeque revertens missarum solemnia cum tanta populi frequentia peregit, quod in tota Ecclesia Sancti Petri nec spatium pedis vacuum reperire posses? quid si dicerem qualiter in die sancto, solemni peracto officio, ex una parte Dominus Papa, cum suis Cardinalibus, & ex opposita parte Dominus Archiepiscopus cum illis qui illuc convenerant Episcopis, infulati in mensis ex adverso oppositis, residebant? Qua arte aliquis tot & tantas computare queat expensas, dicerem quidem, quod, ante Domini Papæ adventum, domum, quæ Papæ dicitur, tria habentem interstitia secundum altitudinem, infra sex hebdomadas construxit, & domum, quæ Hierusalem dicitur, fere destructam reparavit: Sed quamvis taceam, res ipsa loquetur, & in memoriam revocabit.

De dedicatione Ecclesiæ nostræ.

Ipsis diebus Dominus Apostolicus Eugenius petente venerando Abbate Bertulfum consecravit Ecclesiam Sancti Eucharii, sanctique Joannis Evangelistæ. Huic autem conservationi interfuerunt Albero Archiepiscopus Trevirensis, Henricus Archiepiscopus Eboracensis: Episcopi isti Albericus Hostiensis, Henricus Tusculanus, Hartwicus Gebenensis, Nemedeus Lositanus: Cardinales quos supra diximus, Abbatesque & Principes quam plures hujus terræ, sed & populus infinitus: atque cum ingenti,

gaudio non solum urbis sed ut ita dicam, totius provinciæ hæc dedicatio peracta est. Deinde post duas hebdomadas conservavit Ecclesiam Sancti Paulini Dominus Apostolicus secundo Kalendas Februarii.

Nunc ad hoc transeo quod Dominus Papa Eugenius a Treveris recedens Remis celebraturus Concilium mediante quadragesima pervenit, ad quod concilium Dominus Albero Archiepiscopus tam magnifice pervenit, quod omnium oculos in se & ora de se aperuit. In camerula autem decori facto lineo panno intrinsecus obducta, inter duos ferebatur equos, quod cunctis visu erat mirabile; senectute enim jam laborabat, longisque fractus deficiebat laboribus. In hoc ergo Concilio prior in ordine cunctis residens Episcopus, relegi de primatu sedis suæ plurima fecit privilegia super omnem Belgicam, Galliam atque Germaniam, quibus auditis Remensis non mediocriter turbatus est. Unde & homines illius cum omnibus suis turbationem facientes, aliquos ex eis vulneraverunt; quod ipse Dominus Archiepiscopus Albero valde ferens indigne, minabatur in odio se discessurum, & Remensem vastaturum Episcopatum; tandemque ad hunc finem res est perducta, quod Remensis cum Suessionensi ad hospitium ejus pervenit, & homines, qui hanc culpam commiserant, in ejus potestatem dedit. Eodem anno mense Septembris cum Palatinus Hermannus castrum Tris occupasset, & ædificiis firmasset: Comes Otto de Reinnecca castrum prædictum cum terra attinenti huic Archiepiscopo & Ecclesiæ suæ dedit, ut ipse illud recuperaret. Quapropter festinus castrum prædictum obsedit, Palatinus autem collectis omnibus viribus suis ad liberandum castrum venit, & ad introitum Silvæ, quæ castro adjacet, castrametatus est; Archiepiscopus vero ex opposita parte acie instructa, equitum peditumque per tres dies ejus præstolabatur adventum. Tunc orationem exhortatoriam, tenens crucem archiepiscopalem in manibus cœpit ad armatas acies tali modo facere. O vos amici Beati Petri? O sanctæ defensores Ecclesiæ, qui hodie pro Deo, atq; pro justitia mortalia corpora vestra hostili gladio opposuistis, nunc veniat vobis in mentem Beatus Petrus, cujus milites hodie existitis, credatis eum cum magna sanctorum caterva invisibilibus clipeis hodie vos protegere? certi estote de victoria, respicite hoc signum crucis: hoc, inquam, signum terribile adversariis Jesu Christi; hæc est crux in qua Hermanus Comes Palatinus mihi juravit fidelitatem die illa, qua advocatum Ecclesiæ nostræ ipsum constitui; die qua illas vires, illamque potentiam ei contuli, per quam me modo infestat; tunc prædixi ei in hac cruce esse de ligno Domini, in quo ille, cujus hæc sacro-sancta refulget imago de hoste humani generis triumphavit, multorumque sanctorum venerabiles reliquias in hac cruce indicavi contineri; ipse vero Palatinus tenens manum super hanc sanctam imaginem juratus est mihi in hæc verba: hunc Dominum, hunc pro nobis crucifixum do vobis, Domine Archiepiscope, fidejussorem, & juro vobis per ejus virtutem, quod nunquam aliquid contra vos faciam, & quod in omnibus vestris necessitatibus cunctis viribus meis, omnique potentia mea vobis fideliter assistam. Nunc ergo sciatis omnes, quod hunc fidejussorem Christum scilicet Dominum in hac sua sacra imagine portabo ante illum, oculis illius eum ingeram, hunc sui juramenti testem illi demonstrabo. Sed nunc o fideles Jesu Christi, qui vitam & sanguinem vestrum pro defensione Ecclesiæ suæ offertis, præparate corda vestra Domino, mundate conscientias vestras, & quia non vacat, ut sigillatim faciatis confessionem, generalem mihi pastori vestro facite peccatorum confessionem; & ego potestate a Deo nobis tradita faciam vobis per officium nostrum indulgentiam & remissionem omnium delictorum vestrorum, ut si quis hodie ex hac temporali & incerta vita evocatur, transeat ad meliorem vitam, scilicet æternam; Tunc cum accepisset omnium communem confessionem, indulgentia sancta & absolutione, benedictionem super eos faciens, ita omnes animavit, quod nec in uno signum timiditatis apparuit. Ipse vero Archiepiscopus vexillum Comiti Namurcensi commisit, crucem autem propriis gestabat manibus. Hæc cum ita se haberent, Palatinusque per exploratores rescisset, se non sufficere ad committendam pugnam contra acies ita videlicet animatas, misit Legatos ad Archiepiscopum & verba precantia mandat. Et ut cito ad finem veniam, hic impetravit, ut sui, qui erant in castro, illæsi abirent, & de castro Archiepiscopus suam expleret voluntatem. Uni curiæ interfui, qua Francovordum petiit sub Rege Conrado cum quadraginta navibus cameratis, exceptis liburnis & onerariis atque coquinariis ratibus, in qua curia octo Comites & Ducem Lotharingiæ Matthæum, atque N. Ducem de Limburgo secum habuit, clericorum atque militum multitudinem tantam quod omnibus qui videbant, admirationem faciebat; Magistrum quoque Jarlandum Bisuntinum, & Magistrum Theodericum Carnotensem, duos fama & gloria Doctores nostri temporis excellentissimos secum in sua ducens navali camerata, in illorum disputatione & collatione valde delectatus est; & a curia domum reversus decentibus donis largiter honoratos, ad propria lætos remisit. Hoc tamen nescio an memoria sit dignum, quod cum a prædicta reverteretur curia ideo quoniam Moguntinos exosos habebat, atque forsitan suspectos, civitati illorum appropinquans, vexilla singulis ex navibus erigi, milites in clipeis, auro fulgentibus Coricci, galeis argenti nitorem superantibus ostentare se se præcepit; tubis & cornibus, armorumque strepitu, & horrisono virorum concentu adventans, totam permovit civitatem. Illic ex tota civitate homines concurrere, mulieres conclamare, & quasi urbs jam capienda foret, undique tumultum atque pavorem conspiceres. Tandem finem narrationi facturus, de fine & transitu & testamento ejus pauca dicam. Confluentiæ in Epiphania Domini

Digitized by Google

mini curiam magnam tenuerat & treugas inter Comitem de Molbach & Comitem de Zeinn acceperat; hi pro Buimensi comitatu diu guerram ad invicem habuerant, quibus hinc inde fere omnes inferioris regionis nobiles favebant, terram omnem vastaturi erant, si ipse suo consilio non intervenisset; hoc enim in consuetudine habebat, frequenter suffraganeos suos & Principes ac Nobiles de provincia sua congregare, stipendia largiter illis administrare, & pro statu Ecclesiæ, & pace patriæ cum ipsis tractare. Et quod nunc dicere cœperam, statim post epiphaniam, febris acutæ diris ardoribus accensus, & pleuresis passione constrictus, de vita dubitare incipiens, viros religiosos Abbatem Richardum de Sprenkirbach, & Abbatem Sancti Bertulfum, & plerosque alios convocavit, factaque omnium peccatorum pura confessione, oleo unctus est secundum Beati Jacobi apostoli institutionem; & sacro sanctum corpus Christi sumpturus, magnæ fidelitatis & veræ ac Catholicæ fidei significativa verba protulit. Nunc autem quale ordinaverit testamentum, quam brevius potero, explicabo. Thure curiam quam ipse sua pecunia emit a Comite W. de Glitzberch, fratribus dedit Ecclesiæ sancti Petri Trevirensis, ut in aniversario ejus refectionem inde habeant; & patrimonium suum Sulæ, curiam Bridal, Ecclesiæ prædictæ contulit tali dispositione, ut crux inaurata, quam tempore prædictæ guerræ decrustaverat, de reditibus ejus repararetur, & quædam ornamenta, quæ obpignaverat, restituerentur, & deinceps perpetuo jure in usus fratrum cederent. Ecclesiæ quoque sanctæ Mariæ ad Horreum, quædam ornamenta tulit in diebus guerræ suæ, pro quibus vineas apud Kestene & Moncella dedit, ut ex eis repararentur. Obiit autem octavo decimo Kalendas Februarii, & licet communi mortalium sorte in fata lapsus sit, non tamen communi hominum fortuna funeratus est. Confluentiæ enim cum obiisset, exta ejus in claustro juxta parietem, qui respicit septentrionem, humata sunt, & lapide tecta marmoreo; corpus vero mirra & aloe & aromatibus conditum a medico suo peritissimo Philippo Lombardo, qui & urinæ suæ inspectione mortem ejus tribus diebus ante prædixerat; pontificalibus adornatum vestibus Treveris est allatum cum comitatu; Palatinus enim Comes Hermanus atque plerique inferioris regionis Barones cum magno comitatu funus ipsius prosecuti sunt; deinde cum Treverim pervenisset, clerus & populus ad pontem processit illi in obviam, & per singula Monasteria singulis diebus deportatus est celebri cum processione, donec dierum numerus monasteriorum complevit numerum; & per singulos dies Procerum augebatur numerus de tota provincia ad exequias ejus confluentium. Veneruntque comperto ejus obitu suffraganei ejus Episcopi, Stephanus Metensis, Henricus Tullensis, Albero Virdunensis, & Jordanus presbyter Cardinalis Romanæ Ecclesiæ, qui tunc Metis omnium Abbatum Superioris Lotharingiæ conventum adunaverat, qui etiam simul cum ipso ad ejus venerunt exequias, tantoque honore, communique luctu totius provinciæ undecimo ab obitu ejus die tumulatus est, quod omnes qui aderant, confessi sunt, se numquam tam honorabiles exequias vidisse. Sepulturam vero habet in Ecclesia Beati Petri a latere meridionali juxta altare Beati Stephani & quod notandum, quoties prædictam, dum viveret, intrabat Ecclesiam, in eodem loco, in quo nunc habet sepulturam, orare solebat. Sedit autem in Episcopatu annos novemdecim, menses decem, & vacavit Episcopatus ejus dies tredecim.

Anno Incarnationis Domini millesimo, centesimo, quinquagesimo secundo, qui est primus Friderici Regis, & octavus Eugenii Papæ, Albero Trevirorum ex hoc mundo decessit, & Hillinus Decanus majoris Ecclesiæ unanimi consensu tam cleri, quam populi in pontificatum successit, cujus gestorum seriem, ut altius aliquantulum repetamus; cum in juvenili ætate pro studio Franciam adiisset, assiduitate legendi ita seipsum exercuit, quod in virum doctissimum enituit; inde rediens cum bonis ac probis moribus polleret, aptus, ac dignus videbatur magnis honoribus; quibus e vestigio magnifice præditus, postea, sicut prædiximus, in Episcopatum est adscitus, in quo non magnus in oculis suis, sed parvus voluit videri & esse; utpote qui optime noverat ad hoc se vocatum, ut populo Dei studeret non tam præesse, quam prodesse, & revera plurimum profuit, sicut ex evidenti tam rerum, quam causarum eventu, suo tempore contingentium sæpe videri potuit; Denique fumantem adhuc, ut ita dixerim, titionem, decedenti incendio, quod inter prædecessorem suum Alberonem Archiepiscopum & Henricum Comitem Namurcensem, bellis, rapinis & cædibus hominum diutius incanduit, non solum non reaccendit; verum etiam quomodo omnino sopitum extingueretur, non armis sed pace, non animositate, sed lenitate, non temeritate, sed ratione, toto animi annisu intendit; unde factum est ut tyrannis occasionem nocendi, ubi poterat, prudenter adimeret, &, ubi aliter non poterat, pacem Ecclesiarum, & populi Dei sub specie honesti convenienter redimeret, sic in tempore iracundiæ factus est reconciliatio; sic apud Deum & homines laborabat, ne ulterius serperet pristina tribulatio. His bonis artibus apud Fridericum Imperatorem cum esset Treberi, abbatiam S. Maximini, pro qua multa mala contigerant in terra, testamento & aureo sigillo confirmatam sibi & successoribus suis obtinuit; his etiam Henricum Comitem Namurcentem & Luzelburgensem pro Manderscheit castro Episcopatum sæpius invadere molientem infregit, & ab exterminio patriæ sapienter abegit. Qualem autem tempore Schismatis, quod anno incarnationis Domini 1160. Adriano Papa mortuo in terra exortum novemdecim annis duravit inter Rollandum, qui Alexander, & Octavianum, qui Victor vocatus est, hic vir præcipuus se exhibuerit, quis facile, nisi is qui secreta pruden-

tis consilii sui noverat, explicare poterit. Certe sicut oculatum & circumspectum animal in præterita, præsentia & futura prospiciebat; & cum Legatus Apostolicæ sedis tunc esset, quod utilius, salva conscientia sua, & gratia majorum videbat, hoc suadebat & agebat. Hic castrum Schura, mortuo Wilhelmo, qui illud sancto Petro cum allodio, ministerialibus & omni familia tradiderat; quod Dux Mathæus arte & malo ingenio occupaverat, ope & adjutorio Friderici Imperatoris cum integritate obtinuit; Castrum quoque Seine cum adjacente prædio Everardi Comitis acquisivit; similiter castrum de Nassaw, quod erat de proprietate Wormaciensis Ecclesiæ; munitionem Bruche Theodorici, & Billiche Fridelonis & Reldingunt obtinuit: Turrim in Erenbretteſten perfecit, & cisternam ibi magnis sumptibus effodit: domos Episcopales omnino dirutas reparavit, & vallum ibidem in solida rupe magnis expensis excidi fecit. Turrim in Castro Tris a fundamento erexit, & consummavit, similiter in castro Manderscheit. Præterea etiam illud merito scribendum, & perpetuæ memoriæ commendandum est, quod investituram & electionem pastoris Ecclesiæ de Logonstein, quæ erat de beneficio Palatini Comitis resignatam sibi ab ipso Palatino, coram Friderico Imperatore recepit, cum ei beneficium præstaret; quod ei defuncto Hermano Palatino Comite vacabat; cujus Ecclesiæ tertiam partem decimæ, quæ utilitatis est non modicæ, mensæ Episcopali in perpetuum delegatam, sub privilegio confirmavit. Similiter investituram & electionem Pastoris Ecclesiæ Chemcham, quæ æque erat de beneficio Palatini ab ipso receptam, Ecclesiæ Spronkirbacensi delegavit, & in perpetuum possidendam in omni utilitate per manum & privilegium Domini Adriani Papæ confirmavit. Inter hæc omnia, quod super omnia mirabile, & laudabile est, tempore præfati schismatis ita se gessit, quod Ecclesiæ Dei & Imperio fidem servans, utriusque favorem cum bona conscientia obtinuit; & cum in omnibus fere causis prudenter omnia (egisset), de tribus tamen à quibusdam nescientibus, vel nolentibus considerare statum temporis, causam rei & violentiam personarum, insimulatus est, quod minus caute egisset, quod scilicet fratribus Wormaciensis Ecclesiæ partem censuum de Pardenem pro castro Nassawen commutasset; & Comiti Namurcensi Macheram pro ratione Manderscheit temporarie, hoc est, ad vitam suam indulsisset; & quod Reinhero de Berge beneficium VI. carradarum vini dedisset; qui merito deberent attendere oppressiones, quas Episcopatus vel tunc sustinuit, vel postea sustinere de castro Nassowe potuit, quas vir sagacissimus alto & provido consilio per hanc commutationem omnino deposuit. De Machera vero quam Comiti Namurcensi ad vitam suam tantum præstitit, hæc ratio est, quod Comes idem, & Comes Viennæ Sifridus in hoc conspiraverant, quod uterque castellum unum in Episcopatu ædificaret; unde ille pro Manderscheit, iste pro Arra Episcopatum fatigaret. Hanc iterum conspirationem vir providus tali modo deposuit, quod Comes Namurcensis Macheram se vivente teneret, & post se ad Episcopatum rediret; Reinhero autem beneficium VI. carradarum ideo præstitit, quia secum in Italiam cum suis ivit magnis expensis. Ne tamen in his videamur eum omnino contra obloquentium dicta excusare, consentire nos oportet illis, qui affirmant eum quosdam consiliarios elegisse, qui frequenter mentis ejus propositum mansuetum & pium à statu rectitudinis averterunt, & pro commodo utilitatis suæ sinceritatem intentionis ejus in multis exorbitare coegerunt, non perpendentes illam sententiam Beati Job, qui comminatur eis & eorum similibus dicens; ipse novit & decipientem, & eum qui decipitur; propterea adducet consiliarios in stultum finem, & judices in stuporem. hæc circa finem vitæ suæ contigerunt, eo in maxima debilitate corporis existente. cæterum in diebus suis omnes prælationes & personatus Præpositorum atque Abbatum vacabant absque duabus, quas ita benigne & honeste disposuit, quod nulla postmodum de eis quæstio fuit.

In diebus suis terra a bellis, rapinis & incendiis quievit, unde nactus tempus opportunum, quod diu ante in animo conceperat, inchoavit; quadam enim sancta intentione novum opus aggressus est construere in orientali parte Ecclesiam Sancti Petri, & jactis fundamentis cum magnis sumptibus structuram illam erexit, sed morte præventus ad finem non perduxit quod inchoaverat; reditus tamen custodiæ consilio fratrum ad hoc delegaverat, imprecatus mala illi, qui auferret. Ipse vero post annos fere octodecim pontificatus sui die decima Calend. Novembris quæ est solemnis in honorem Sancti Materni, cujus ea die translatio colitur, & venerationem dedicationis majoris Ecclesiæ per totum Episcopatum Prædecessores sui instituerant, quievit,

Hillino memorem semper fer Trevir honorem,
patri præcipuo, Pontificique tuo;
qui denis annis prælatus, & octo tirannis,
salva justicia restitit arte pia,
qua pax succrevit, bellique procella quievit,
dum legatus erat schisma sed intererat,
quod sic transivit, medio tutissimus ivit;
hinc favor adscribi cœpit utrinque sibi.
Denas deflendas peragente Novembre Calendas,
transiit e medio fine vir iste pio.

Anno Incarnationis Domini millesimo centesimo sexagesimo nono post decessum Hillini Archiepiscopi primores tam cleri, quam populi Trevirensis Ecclesiæ convenerunt, & ad suggestionem vel consilium Imperatoris Friderici Arnoldum præpositum sancti Andreæ in Colonia virum strenuum, providum, sapientem, & nobilem multisque divitiis præpollentem in pontificatum unanimiter elegerunt; qui cum invenisset terram totam ex præteritis rapinis, incendiis, atque cædibus hominum a diebus Alberonis Archiepiscopi adhuc tabescere,

& Ba-

& Barones terræ circa Ecclesiarum dispendia ex prava consuetudine quasi per licentiam insolescere, omnes fere nobiles terræ ad bonum pacis & concordiæ revocavit, non solum frequenti admonitione, & correptione, verum etiam largiflua magnorum munerum largitione; cumque pro hac à quibusdam familiaribus redargueretur, quare ipse vir tantarum divitiarum, & tantæ potentiæ, qui vi posset injuriis tyrannorum resistere, quasi præ timore hominum sua eis largiretur; respondebat humiliter, Deum se testem habere, quod ipse Deus esset sibi in causa, pro cujus amore mallet sua potius erogare, quam se bellis implicare, quibus daret occasionem importunis hominibus, ut latrocinia vel homicidia, seu cætera mala exercerent, vel laborarent Ecclesias seu pauperes Christi devastare, vel omnino dissipare; ad hoc, inquit, volo largitione facultatum mearum insolentiam violentorum reprimere, & ut eos, qui inferunt, & eos, qui patiuntur calumniam, redimam, quos Christus dignatus est suo sanguine redimere. Non tamen hæc agens, vel dicens vir providus & strenuus omnimodis à bellis abstinere potuit, propter crebras incursiones, quas episcopium à Friderico filio Mathæi Ducis ex Sorore Friderici Imperatoris sustinuit; illum denique res Episcopii diripientem, nec admonitione, nec largitione beneficiorum quiescere volentem, coadunato valido exercitu, apud Sigersbert obsedit; ubi ad tales conditiones coëgit, quod proprietatem ejusdem castri cum omnibus attinentiis suis Sancto Petro dedit; similiter hæreditarium jus allodii sui, quod habebat in Castro Norberch Sancto Petro contulit. Idem Archiepiscopus viriliter repressit comitem de Nassawen jura Ecclesiæ Trevirensis sibi usurpantem in Argentaria fossa de Homecen & in eadem villa. Ipse etiam cum temporibus suis Imperator Fridericus cum exercitu intraret Italiam ad reprimendam Lumbardorum fraudulentiam, ter virili animo cum magnis copiis & glorioso apparatu secum ivit, nec unquam super his aliquam exactionem Ecclesiis vel civibus imponere Imperatorem permisit, nec sibimet ipsi quæsivit; sed de propria substantia se & universos secum comitantes large sustentabat; similiter etiam consilio & prudentia omnibus spectabilis factus tanti itineris difficultatem feliciter pertransivit. Illud etiam de tanto viro commendabile est, quod cum antiquitus ex religiosa consuetudine ab Apostolica Sede Cardinales ad consolandas & corrigendas Ecclesias emitterentur, modo autem nostro pluribus angariis per eos, qui circa Cardinales erant, Ecclesiæ gravarentur, ut primum adventum eorum præsentire potuit, extra suam diœcesim eis occurrere curavit, & de propriis rebus & donariis eis ministrans & honorifice remunerans alias divertere fecit; sicque Ecclesias ab eorum gravamine liberavit. Pro his tamen expensis numquam ab Ecclesiis aliquid exegit, sed ut ferventiores essent in divino servitio, de facultatibus suis potius eis subministrare elegit, inde est etiam illud de eo prædicabile, quod cum inprimis suæ prælationis temporibus Ecclesias circuiret, & eas fere omnes propter mala prædicta, quæ tempore Alberonis Archiepiscopi contigerant in terra, desolatas, & ære alieno oppressas inveniret: ita juxta uniuscujusque qualitatem eis de sua substantia erogavit, quod in brevi eas à debitis expediens, ad pristinum statum reparavit. Denique in obitu suo ad duo millia marcarum sunt computata, quæ ab eo in eleemosinam quibuscunque Ecclesiis sunt erogata. Tempore vero suo gravis controversia in Ecclesia Trevirensi de Archidiaconatu ultra Rhenum emerserat, quæ ingratitudinem & rancorem plurimum quorundam contra eum suscitaverat; siquidem prædecessor ejus Hillinus Archiepiscopus prædicandæ memoriæ eundem Archidiaconatum Bodino Monasteriensi Præposito, filio fratris sui, cum adhuc esset puerulus, circa finem vitæ suæ dederat: sed succedens sibi ipse Dominus Arnoldus Archiepiscopus, & videns eum infra annos, Archidiaconatum multo tempore in manibus suis detinuerat. At ubi Bodinus aliquantulum invaluit, requirere dignitatem ab avunculo sibi delegatam voluit, quam, dum petendo, quærendo, pulsando obtinere non valeret, & ad apostolicatum vadens & rediens multis quæstionibus suum negotium opportune, importune exerceret, animum tamen Pontificis ad impetrandum quod petebat, nescimus qua de causa, numquam lenire potuit, quod postmodum magnum suscitavit scandalum, & occasionem gravis discordiæ. Præpositus enim Sancti Paulini Albertus Romam ad Apostolicum profectus litteras ab eo clanculo reportavit, in quibus autoritate Apostolica Archiepiscopo mandavit, ut Archidiaconatum prædictum ipsi Alberto conferret, quod & factum est, licet minus considerate, quia ita subito factum est, quod Bodino non dabatur locus & audientia defendendi partem suam. Inde postmodum motæ sunt variæ quæstiones & de quæstionibus multiplices seditiones, quæ ad præsens est instantis operis. Ipse autem Dominus Archiepiscopus non multo post tempore ægrotare cœpit usque ad mortem, & introierunt ad eum viri venerabiles, Ludovicus Abbas sancti Eucharii & Giselbertus Abbas de claustro, ut visitarent eum, quorum admonitione & consilio dispositis & ordinatis omnibus rebus suis, & maxime in largitionibus eleemosinarum, quas Ecclesiis delegavit, in contriti cordis humillima confessione, & omnium ecclesiasticorum Sacramentorum devotissima perceptione, in die Sancti Urbani Papæ, qui est octavo Kalendas Junii, ad Dominum in pace migravit. Post cujus decessum parum, vel nihil de omnibus divitiis suis, quas in Urbe, vel Castellis reliquerat ad effectum suæ ordinationis processit, præter hoc solum, quod industria præfatorum Abbatum illa rata manserunt, quæ Ecclesiis ad eleemosinam concessit, siquidem Wernherus de Bolanden cum aliis nuntiis Imperatoris omnia ubique invaserunt, & copiosas ejus divitias in potestatem Imperatoris redegerunt.

De Volmaro & Rudolfo.

Anno igitur incarnationis millesimo, centesi-

tesimo, octogesimo tertio; defuncto Arnoldo Archiepiscopo, facta est dissensio de altero eligendo in Ecclesia Treverensi; nam præcedente vespera diei, qua sepeliendus erat, convenerunt Canonici Majoris Ecclesiæ cum Prælatis, ut deliberarent, quem eligerent; maxima autem pars Cleri in personam Rudolfi Præpositi majoris domus, mediante Decano consensit: Sed nocte sequenti negotio perambulante in tenebris omnino immutatum est, quidquid ante incohatum fuerat: Nam post sepulturam patris sui cum ad electionem convenissent, Folmarus Archidiaconus dixit illam hesternam denominationem ita promulgatam fuisse, ut cui major pars Cleri vel populi faveret, ipse in Episcopatum succederet, ad quod verbum factæ sunt partes, & inter partes altercationes graves. Tunc Wernherus de Bonlanden annuente Palatino comite instabat, ut electio ad Imperatorem differretur; sed Folmarus insistebat, ut statim Episcopus eligeretur, ex decretis probare intendens, quod nullo temporis spatio sedes episcopalis vacare deberet. Ad hæc multa fuerunt objecta; tandem statuerunt, ut ad nonam verbum differretur, & tunc signo campanæ, omnibus convocatis, causa terminaretur: ita ab invicem digrediuntur: Sed Folmarus cum suis ad lacios, quorum tunc multitudo maxima in claustrum convenerat, egreditur, & ne aliqua mora electionis fiat, modis omnibus laborat, monet & hortatur. Ejus in favorem Henricus Dux de Lemburch multa perlocutus cum aliis nobilibus & ministerialibus atque civibus monuit, ne ab invicem separarentur, & si digressi fuerant, revocarentur; ad quod missi sunt primo clerici, secundo nobiles & liberi, tertio ministeriales & cives idonei; qui reversi nunciant, quosdam longius recessisse, quosdam in vicino jam ad prandium consedisse, qui orarent, ut juxta dictum ad nonam expectarent; & tunc congregatis omnibus, pro Episcopo constituendo, in pace tractarent. At illi non adquieverunt, sed absentibus aliis in electionem Folmari convenerunt, & raptum eum potius quam electum, magno concursu in oratorium & in sedem Episcopalem traxerunt, & sic ad propria recesserunt. Circa nonam vero horam juxta condictum alii cum Palatino Comite & Werhnero de Bonlanden ad signum campanæ convenientes, qualiter talis electio cassaretur, omnibus modis elaborare intenderunt, & missa legatione Imperatori dissentionem partium intimarunt, a quo ad Constantiam Civitatem evocati sunt, ubi judicio Principum sancitum fuit, quod Imperator per consilium Principum, si in electione discordarent, quam vellet idoneam personam subrogaret: At ipse optionem electionis iterum in præsentia sua eis concessit, ita si præteritæ electionis discordiam deponere vellent. Ubi Folmarus interesse nolens, discessit: Alii vero, quamvis pauci Rudolfum præpositum iterum electum præsentaverunt, & ab Imperatore investitum, ad propria reduxerunt. Qui cum Treverim venissent, fautores Folmari, domum Sancti Petri præoccupaverunt, & clausis introrsum januis, aditum omnem cum satellitibus & armis ei prohibuerunt. Sed apud Sanctum Simeonem solenniter susceptus authoritate Imperatoris episcopatum acquisivit: At Folmarus terra, marique laboriosum iter arripiens, Lucium Papam adiit, causam dixit, justitiam a sede Apostolica expetiit. Papa dudum litteras omnium personarum Ecclesiæ Trevirensis susceperat contra eum, & quia per subreptionem magis, quam per canonicam electionem obtinere vellet, audierat; unde & ad curiam suam die eis præfixa adversarios suos cum personis Ecclesiæ evocavit; & audito electionis ordine, circa utramque personam, nihil eo tempore super hoc determinare judicavit, usque ad præsentiam Imperatoris, qui de eodem negotio scripserat, quique jam in procinctu vix erat occurrere ei apud Veronam. Ubi dum convenirent, & de negotiis quæ inter sedem Apostolicam & Imperium versabantur quæstiones hinc inde discurrerent, inter cæteras quæstiones ista habita est non una de minimis. Imperator enim causam Rudolfi præpositi suam faciebat, unde & constanter petiit, ut eum quem per sententiam Principum investisset, Papa consecrare non differret: quod cum Apostolicus more curiæ de die in diem protrahendo Imperatori firmam spem suæ voluntatis exequendæ promitteret, tandem suggestum est Imperatori a Cardinalibus quod ad sententiam dandam Papa procedere non posset, nisi auditis allegationibus utriusque partis; ex consensu igitur Imperatoris Rudolfus cum suis processit ad curiam, cui ex adversa parte Folmarus cum suis, quos evocaverat ad se, cum Decano majoris Ecclesiæ resistere paratus, litem causæ ingressus est. Lite igitur contestata, dum utrimque diu disputatum esset, & allegationes eorum in scriptum redactæ curiæ præsentatæ fuissent, quia ita perplexum erat negotium, ut hinc Imperatorem, inde Papam graviter tangere videretur, diffinitivam sententiam promulgare distulit, & sic non modicum temporis elapsum est.

His ita se habentibus, Rex Henricus *filius* Imperatoris Treverim, & in finitima ejus cum multitudine gravi venit, & inductus quorundam pravorum consilio, immunitatem cleri & libertatem civium, quam prædecessores sui gloriosissimi principes eis contulerant, & inviolatam usque ad dies illos servaverant, infregit. Nam milites sui & apparitores irruentes domos Clericorum, maxime eorum qui partem Folmari tueri videbantur, omnia bona eorum diripuerunt; quin etiam domum Folmari ad solum usque redegerunt. Si quis autem civium a delatoribus accusatus fuerat, vel ad redemptionem corporis, & rerum suarum cogebatur, vel captivus abducebatur; quod factum, initium & causa fuit magni mali & discordiæ inter regnum & sacerdotium; siquidem fama hujus mali cum ad Curiam pervenisset, Cardinales, & universus clerus, qui de diversis provinciis ad curiam venerat, tantam injuriam in præsentia summi Pontificis graviter deplangebant, adeo ut

Digitized by Google

ut ipsum etiam ad lacrimas converterent. Missis itaque legatis suis ad Imperatorem rogavit ut Clericis Trevirensibus ablata restituerentur, quibus Imperator respondisse fertur, immunitates ideo concessæ sunt Clericis, ut sequestrati a forensibus causis & tumultu populi, cum humilitate & devotione Deo in pace serviant; Si autem quæ Dei sunt relinquentes, ea quæ sibi concessa non sunt usurpaverunt, privilegio libertatis suæ gaudere non debent, nisi resipiscant. Quia igitur Trevirenses Clerici jura Imperii, quæ ab antecessoribus nostris Divis Imperatoribus usque ad tempora nostra illibata permanserunt, attingere præsumpserunt, juste a filio nostro glorioso Rege Henrico ut hostes Reipublicæ habiti sunt. Si autem ut dicitis, sine sententia curiæ nostræ & Principum contra illos emanavit edictum, non commendamus, &, ut in statum pristinum restituatur, volumus. Hoc responso accepto nuncii reversi sunt in Curiam. Dum hæc ita geruntur, Lucius Papa plenus dierum migravit ad Dominum, cui statim substitutus est Urbanus, qui fuit Archiepiscopus Mediolanensis. Hic cum de negotio Treverensi nihil determinatum invenisset, gravius, quam expediret, causam hujus negotii agressus est; nam fere totus mundus, diversis emergentibus causis, ex hoc facto commotus est, quod quomodo ad effectum processerit, in sequentibus declarabitur. Contigit olim, cum Imperator Fridericus Mediolanum civitatem magnam obsessam ad deditionem coegisset, cognatos & parentes Domini Urbani Papæ, inter cæteros captivos teneri, quorum quosdam proscriptione damnavit, quosdam mutilatione membrorum deformari præcepit; Ob hujus itaque facti vindictam dicebant quidam, prædictum Apostolicum antequam ad sedem appellatus conscendisset, gravissimum rancorem servasse in corde suo contra Imperatorem, quod postea in propatulo claruit, secundum eorum assertionem, quibus jam nota erat. Nam postquam ad summum pontificatus gloriam sublimatus fuerat, omnibus viribus laborabat, quomodo Imperatoris dignitatem & excellentiam humiliaret; Dum enim de compositione pacis inter eos a Cardinalibus & Episcopis diu laboratum esset, & quæstiones, quæ inter sedem Apostolicam & Imperium de terra Marchionissæ Mathildis a tempore Alexandri, & Lucii Papæ ventilatæ erant, jam per compositionem terminandæ essent, Imperatore nihil mali suspicante, ipse Dominus Papa Urbanus contra juramentum, quia in verbo Domini juraverat, & per venerabilem virum Monasteriensem Episcopum Hermanum Imperatori mandaverat, videlicet quod Folmaro numquam manus consecrationis imponeret, sicut idem Episcopus postea coram Principibus confessus est; electionem Folmari approbare festinavit: Convocatis siquidem partibus Folmari videlicet, & Rudolfi præpositi, qui a tempore Lucii Papæ adhuc in curia diffinitivam sententiam præstolabantur, utriusque partis allegationes relegi fecit, & sic ad sententiam promulgandam consilio fratrum sabbato ante Ascensionem hora nona processit. Tanta erat festinatio, ut non daretur præposito tempus deliberandi usque mane; cum tum inter Cardinales essent quidam sanioris consilii; quibus videretur sanum esse & justum, ut utriusque electio cassaretur, & Ecclesiæ Treverensi libera electio redderetur, vel sententia in tempus magis opportunum differretur; quorum consilium Papa minus caute, si dici fas est, transgrediens, quod animo diu conceperat ad effectum publice perduxit; Nam destituto Rudolfo præposito, quia de manu Imperatoris investituram receperat, electionem Folmari confirmavit; quem confirmatum subsequenter in Archiepiscopum Treverensem consecravit. Imperator audita novitate hujus facti, sicut constantissimus semper fuerat in omnibus viis suis, motum animi sui repressit, & more solito indignationem mentis, risu colorans, alto cordis secreto injuriam istam reposuit, & mandavit filio, qui tunc temporis in Tusciam victrices aquilas converterat, ut injuriam Imperio illatam vindicare non omitteret. Igitur Rex Henricus nil moratus, exercitum convertit in Campaniam, & in omnem circa regionem, totamque terram illam, vel in deditionem accepit, vel devastavit, nullique securus transitus dabatur eundi, aut redeundi ad apostolicam sedem. Interea Folmarus accepta consecratione pontificali ex præcepto Papæ festinavit redire ad sedem suam. Mutato itaque pontificali habitu in scemate servili de Verona noctu aufugit, & per montium pericula, angustias semitarum, & quod gravius erat, per custodes, qui observabant introitus, & exitus viarum de Italia labore magno in Galliam pervenit; ubi cum ad civitatem Tullensem pervenisset, ab Episcopo ejusdem civitatis Petro non est receptus, præ timore & reverentia Imperatoris. Inde vero digrediens ad Metenses, qui adventum ejus desiderabant, iter arripuit, a quibus cum magno gaudio & solemni processione receptus, Episcopo eum ducente, & obsequium sicut Archiepiscopo suo ei præstante, in palatium ipsius Episcopi est introductus; ubi dum per aliquot dies requievisset, impatiens moræ, ad Montem sancti Petri, in terra comitis Theobaldi de Brie situm ipso conductum præstante, divertit, sedemque suam ibi constituit, & statim quosdam de Prælatis Trevirensis Ecclesiæ non legitime citatos, ab officio & beneficio suspendit; similiter & Clericos quosdam cum laicis excommunicavit; discurrebantque sententiæ suæ sine ordine, & sine discretione & misericordia.

Orta est igitur in Ecclesia Trevirensi gravis seditio & scandalum, quale ante auditum non fuerat in clero & populo conflatum est. Nam fautores Folmari Rudolfum præpositum & omnes sequaces suos quasi excommunicatos vitabant, & litteras excommunicationis eorum quibus volebant, ostenderunt. Illi autem egregio muniti præsidio militum Imperatoris, qui tunc frequentius in civitate & in finibus ejus morabantur, observabant vias adversariorum

suorum, ut si quos invenirent hujus viæ aut professionis viros ac mulieres vinctos perducerent ad Imperatorem. Unde factum est, ut quemdam monachum Cistercienfis ordinis, qui se Nuntium Archiepiscopi Folmari esse dicebat, comprehenderent, & in custodia palatii usque ad responsum Imperatoris detinerent; cujus absolutionem Rex Franciæ apud Imperatorem postea obtinuit, sub hac determinatione, ne de regno suo aliquis litteras Folmari, vel mandatum afferret. Quid plura? crescebat in dies malum discordiæ, & augmentabatur, & non erat qui attenderet, cum etiam ipsi, qui videbantur aliquid esse in ecclesia Trevirensi cauteriatam haberent conscientiam considerantes ex parte maledictionem excommunicationis, ex altera parte timentes destructionem Ecclesiarum, & utrobique permittente Deo, regnare spiritum erroris. In hac perplexitate involuti tenebantur; nec erat facile invenire consilium de duobus malis potius eligere; dum hinc spiritualis gladius indiscrete sæviret; inde materialis non unum hominem, sed uni commissum, gregem fidelium pro facto unius absumendo disspergeret; in tantum autem crevit malum, ut si quis a Prælatis suis pro excessibus arguebatur, quasi ipse solus Catholicus inventus esset eos excommunicatos denunciabat; si qui etiam in Clero, vel in populo modestius se gerebant, quasi rei Majestatis Folmariani esse dicebantur, & opprimebantur a superveniente iniquitate insidiatorum. Expleta est prophetia illa in Prælatis Trevirensis Ecclesiæ, quæ dicit, & erit sicut populus, sic sacerdos. Qui enim ante spiritalis gladii terrore inimicos suos & invasores Ecclesiarum ferire solebant, nunc in derisum & opprobrium facti sunt inimicis subsannantibus eos, & dicentibus, excommunicationes vestras non timemus, anathemata vestra non pertimescimus; vos in eadem damnatione positi estis; hæc dicentes impune res Ecclesiarum diripiebant, & non erat, qui resisteret. Et factum est, ut Treveris, quæ olim alumna erat veritatis, cogeretur iterum esse ancilla erroris. Completa est ergo in ea prophetia Beatæ Virginis Hildegardis, quam in præsentia totius Cleri, & postea scripto de ea prophetavit dicens; scindetur pallium dilatationis divitiarum tuarum. Audiant qui conflatores schismatum esse non verentur, & discant in malis nostris vesaniæ suæ impetum refrenare, & non mentiri spiritui sancto, cum ad electionem consederint; Electionem enim datæ sunt fidelibus, non ut propriæ voluntatis commodum aut gratiam amicorum quærant, sed ut communem omnium salutem per invocationem spiritus sancti in sinceritate cordis perquirant. Hanc digressionem necessariam esse rati fecimus, nunc ad propositum redeamus.

Imperator dispositis rebus suis in Italia & Cremonensibus, quibus tunc bellum intulerat, in gratiam receptis, in Galliam & in Germaniam cum festinatione reversus est. Convocatis igitur Principibus apud Littram Castellum, Treverenses etiam illuc evocari præcepit; inter quos etiam Rudolfum præpositum cum cæteris Prælatis accersiri mandavit. Habitoque sermone ad Principes injuriam sibi ab Apostolico irrogatam, & temeritatem Folmari coram omnibus exposuit, consilioque Principum prædictum Præpositum, qui jam destitutus a Papa in domum suam redierat, manifeste convenienens duarum propositionum alteram eligendi optionem dedit ei, ut vel ad sedem principatus sui Treverim rediret, vel alterum cum cæteris Prælatis & Clero eligeret, quem in locum ejus substitueret. Inito igitur consilio Treverenses cum in tanto discrimine rerum essent positi, malebant minori periculo subjacere, quam majus capiti suo aggravare malum; satius enim videbatur eis majoris præpositi viri mansueti & pacifici sine electione Dominium ferre, quam alterum contra interdictum Apostolici per electionem intrudere. Vigebat enim sermo Regis, ut alterum duorum facerent. Assumpto itaque secum Rudolfo præposito ad propria redierunt, & eum in loco electi si electione reverenter tenuerunt. In hac curia Bertrammus Metensis Episcopus cum non esset ante in gratia Imperatoris, propter solemnitatem, quam exhibuit Folmaro redeunti de sede apostolica, juravit quod indignationem Imperatoris tantam adversus eundem Folmarum tempore, quo eum recepit, non percepisset, quantam postea recognovit, & quædam alia capitula in eodem juramento addidit. Dum hæc ita geruntur, Folmarus ab incepto non desistens, legationem apostolicæ sedis a Papa per nuncios impetravit, ut facta sua majorem auctoritate summi Pontificis sortirentur vigorem. Accepta igitur suæ voluntatis plenitudine, statim Trevirensibus & Suffraganeis Ecclesiis concilium indixit apud Mosomum castrum Archiepiscopi Remensis, qui eum eo tempore manu tenebat, & solatium & per se, & suos in multis exhibebat. Universi itaque tam Clerici quam Prælati Suffraganearum Ecclesiarum, & plurimi Pastores Ecclesiarum de Archidiaconatu, qui inter Treverim & Juodunum castrum constitutum est, timentes ordini suo, ad concilium istud antecedente eos Metense Episcopo, Dominica, qua cantatur, Invocavit; convenerunt. Petrus vero Tullensis, & Henricus Virdunensis Episcopi appellatione interposita non venerunt. Venerunt autem & multi tam Magistri, quam Clerici de Francia, inter quos etiam Episcopi animantes eum, ut auctoritatis sibi concessæ potestate uteretur, & subditos suos a subjectione resilientes, censura ecclesiastica coherceret. Horum ergo suffragiis animatus, Prælatorum quosdam & Clericorum Trevirensium excommunicavit, quosdam ab officio & beneficio suspendit, quosdam vero sine spe veniæ deposuit. Petrum etiam Tullensem Episcopum excommunicavit; Henricum Virdunensem ultra se offerentem ab Episcopatu deposuit; & sic in absentes grassatus non convictos, neque confessos damnavit; hæc ergo causa malorum iracundiæ fomitem ministravit, & indignationem

nem

Digitized by Google

nem Imperatoris contra eum magis ac magis accendit.

Per idem tempus Rex Franciæ Philippus illustris & magnificus juvenis cum Imperatore per internuncios agebat, ut confœderarentur ad invicem contra inimicos suos; quod Imperator benigne acceptans, cœpit esse auctor hujus confœderationis, ratus sibi in multis posse favorem Regis Franciæ prodesse. Confirmatum est igitur fœdus amicitiæ inter duos Principes terræ, & bullis eorum aureis inscripto roboratum; ubi inter cætera amicitiæ vincula Rex Franciæ ad instantiam Imperatoris promisit, quod Folmarum de Regno suo ejiceret, quod etiam executioni mandasset, nisi interventu Archiepiscopi Remensis interceptum fuisset; a Mosomo castro tamen mandato Regis ejectus, Remis & in alias Franciæ civitates secessit. Tempore vero quo Imperator & Rex in extremis finibus regnorum inter Juodium videlicet & Mosomum sibi occurrerunt ad confirmandum fœdus amicitiæ suæ præsentialiter instante Imperatore compromissum est a Rege Franciæ & Principibus suis, quod de cætero Folmarum in regno Francorum non permitteret delitescere. Videns ergo se Folmarus illusum a Francis, ad Regem Angliæ, qui tunc temporis gravem animum gerebat adversus Imperatorem, se convertit; qui honorifice eum suscipiens in territorio Turonensi apud Sanctum Cosmam locavit, & reditus ei quotidianos ad vitæ subsidium large satis assignavit. Interea Imperator acceptæ injuriæ non immemor, Episcopum Metensem, qui in concilio Mosomitano cum Folmaro visus fuerat, per Wernherum de Bonlande de episcopatu ejecit, qui confugiens ad Coloniensem Archiepiscopum, apud eum per omne tempus schismatis delituit, cum tamen idem vir venerabilis Coloniensis videlicet Archiepiscopus pro eodem negotio gravissimum jam adversum se sensisset Imperatoris animum, aliis namque Principibus contra factum Vrbani Papæ Imperatori assistentibus, iste solus multiplicibus intervenientibus causis non consentit: Sed cum diversæ discurrerent inter eos quæstiones hac honesta assumpta occasione ipsi in faciem restitit, & contra omnem impetum se muniens non formidabat Imperii principatum, ut cum aliis suo se opponere vellet patri spirituali; unde factum est, ut gravissimi motus inter Imperatorem & ipsum Coloniensem Principem emergerent, qui totum imperium commovere potuissent, nisi quod divina favente clementia, in curia apud Moguntiam celebrata, quæ appellabatur Curia Christi, mediantibus Principibus & multiplicatis intercessoribus, sopiti sunt. Dum hæc ita geruntur, Petrus Tullensis Episcopus audita excommunicationis suæ sententia in Concilio facta, ad sedem Apostolicam, ad quam appellaverat, accessit; cui dum appropinquasset, audivit Urbanum Papam de hoc mundo migrasse; festinavitque, ut ejus interesset exequiis. Præmissis igitur nunciis adventum suum curiæ intimavit. Interea fratres ad electionem consedentes, Albertum Cancellarium virum sanctum & religiosum in locum Pastoris defuncti substituerunt, eumque Gregorium appellarunt; qui audiens de adventu Tullensis Episcopi, mandavit ei ut suæ festinaret interesse consecrationi. Quod quidam Cardinalium indigne ferentes, dicebant eum excommunicatum esse a suo Archiepiscopo, & ideo consecrationi apostolicæ non debere interesse, nisi impetrata prius absolutione, ille autem Gregorio dicebat, Episcopum non convictum a suo archiepiscopo non posse excommunicari, se autem appellationem interposuisse, & excommunicationem illam nullius esse vigoris, ergo ubi nulla esset excommunicatio, nulla petenda esset absolutio; cui cum omnes in verbo isto consensissent, in osculo pacis receptus, consecrationi interfuit apostolicæ. Expletis igitur, pro quibus venerat negotiis, cum benedictione apostolica ad sedem propriam reversus est, ferens secum mandatum apostolicum ad Archiepiscopum Folmarum, ne de cætero omni tempore vitæ suæ sine scitu Apostolicæ sedis in clerum vel in populum Treverensem, & suffraganearum Ecclesiarum jacula sententiarum suarum & excommunicationum passim emittere præsumeret; arguebat enim eum Papa propter indiscretam suæ temeritatis præsumptionem in sententiarum promulgatione, dicens negligentiæ suæ imputari debere, quod mandata Apostolicæ sedis in despectum venissent hominum, & cum ipse missus sit, pacem mittere, non gladium, multos in confusionem & scandalum, paucos revocavit in gratiam.

In diebus illis orientalis Ecclesia, id est Judea & Hierusalem cum Principibus populi sui à Saladino Rege Saracenorum, permittente Deo, capta est; Crux etiam Sancta, in qua pependit innocens agnus, qui tulit peccata mundi, cum innumeris captivis abducta est; veneruntque gentes in hæreditatem Christi, & polluerunt templum sanctum suum, & effuderunt sanguinem sanctornm in circuitu Hierusalem, & non erat qui sepeliret; audiens autem Gregorius Papa captam civitatem sanctam flevit super illam dicens, deducant oculi mei lacrimas per diem & noctem & non taceant, quia contrita est virgo filia populi mei plaga pessima vehementer. Planxit autem planctu magno super desolatione terræ, & noluit consolari usque ad finem vitæ suæ, quia propter scelus populi, parvuli ejus ducti sunt in captivitatem. Assumpto igitur viro venerabili Henrico Albanensi Episcopo, misit eum ad Imperatorem, & ad cæteros Reges terræ, & omnes populos, Principes, & omnes Judices terræ, ut miseriam orientalis Ecclesiæ coram eis deplangeret, & hortaretur eos crucem sumere, & pro Christo laborem subire ad faciendam vindictam in nationibus, & terram sanctam liberare de manu hostili, ut autem ad hoc Imperatoris excitaret devotionem, de negotio Treverensi cœpit temperantius agere, quia sciebat ejus animum pro eodem negotio Curiæ Apostolicæ valde offensum fuisse; Igitur vir venerabilis Henricus Episcopus Albanensis de

de nocte consurgens transivit montana cum festinatione, & venit in terram, quam monstraverat sibi Papa, & prædicavit in ea prædicationem dicens; qui non bajulat crucem suam & sequitur Christum, non est eo dignus. Facta autem hac voce convenit multitudo ad curiam Moguntinam, quæ appellabatur curia Christi, ubi Christianissimus Imperator cum filio suo Duce Sueviæ, & Principibus populi sui, & cum multitudine valida armatorum, sumpta cruce secutus est Christum, commendans filio suo Regi cum cæteris Imperii gubernaculis etiam Treverense negotium, cujus consummationis nondum venerat finis. Cum autem Gregorius Papa in exordio apostolatus sui huic negotio finem impositurus esset; raptus est, ne malitia immutaret intellectum illius, aut ne fictio deciperet animam ipsius: multa enim propositi erat immutare in Ecclesia Dei, & in meliorem statum secundum considerationem animi sui reformare, sed antequam ad effectum propositum suum perduceret, sicut prædictum est, morte intercedente præventus est. Consummatus igitur in brevi, indeterminatum reliquit Treverense negotium. Defuncto itaque Papa Gregorio, Clemens substitutus est. Hic cum de negotio Treverensi, quod celebre erat in curia & in universo mundo, a decessoribus suis nihil determinatum invenisset, volens satisfacere Principibus, Imperatori videlicet, & Regi, consilio fratrum decrevit eidem negotio finem imponere. Emissis igitur duobus Cardinalibus Jordano videlicet & Petro, quæstiones quæ inter prædecessores suos & Imperatorem diu ventilatæ erant, in formam diffinitivam redactas, per eos Imperatori & Regi transmisit. Imperator autem cum jam in procinctu itineris sui esset, acceptavit formam compositionis illius, & eam in carta conscribi fecit, bullisque aureis mandavit. His ita gestis, Imperator cum in spatio unius anni commeatus viarum & expensas itineris præparasset, iter arripuit, & exercitum vivificæ crucis per desertum Hungariæ & Bulgariæ quasi alter Moyses transduxit; cujus itineris, & rerum gestarum seriem, quod nobis ad plenum non innotuit, & non est instantis operis, omittentes, ad propositi negotii finem explanandum redeamus. Rex igitur Henricus post discessum patris sui, negotii Treverensis dispendium volens abbreviare, nuncios suos ad Papam transmisit, ut compositionem quæ inter eos facta fuerat, & quam scripto jam confirmaverat in publico, executioni mandaret. Ubi autem venit plenitudo temporis, ubi miseriarum Treverensis Ecclesiæ finem diu expectatum Dominus imponere vellet, Clemens Papa legatum Apostolicæ Sedis Dominum Sifridum tituli Sanctæ Mariæ in Via lata Cardinalem ad Regem transmisit, ut secundum tenorem compositionis factæ negotium Trevirense determinaret. Ille autem profectus prædicavit ubique pacem factam inter regnum & sacerdotium, Deo cooperante, & sermonem ejus confirmante, sequentibus etiam signis confirmatæ compositionis, siquidem juxta mandatum Papæ, Treverim accessit, & Ecclesiam totam cum suffraganeis Ecclesiis ab obedientia Folmari authoritate Apostolica absolvit; si quos etiam idem Folmarus excommunicaverat, vel officio, vel beneficio privaverat, vel omnino deposuerat, in statum pristinum restituit; ut autem factum suum majore contra obloquentes muniretur præsidio, cartam sigillo Papæ, & subscriptione Cardinalium munitam proposuit, quam etiam in publico relegi præcepit, in qua continebatur, quod Papa pro ejusdem negotii determinatione Archiepiscopum Folmarum tertio per Cardinales citatum, & tandem non venientem, ab administratione Trevirensis Ecclesiæ omnino deposuit; consecrationem tamen Episcopalem seu Pontificalem non ademit. Ecclesiam vero Trevirensem ab obedientia sua in eodem scripto liberavit, omnes quos ille ligaverat, absolvit, quos ille deposuerat in pristinum honorem restituit; quidquid etiam tempore schismatis ab utroque Rudolfo videlicet præposito & Folmaro constitutum fuerat, quod alicui in jure suo derogare posset, in irritum revocavit. His omnibus præmissis, tandem Ecclesiæ Trevirensi in eodem scripto liberam electionem antistitem eligendi concessit. Accepta igitur electionis suæ libertate, Treverenses suggestione & precibus Regis, qui tunc temporis in civitate præsens erat, Dominum Johannem Imperialis aulæ Cancellarium unanimiter elegerunt, electum Regi investiendum præsentaverunt. Peractis autem omnibus sollemnitatibus electionis auctoritate Apostolica, à Cardinale confirmatus est.

Anno gratiæ 1190. suscepit regimen Trevirensis Ecclesiæ Johannes Cancellarius, & repropitiatus est Dominus terræ post hæc, cujus pallium cum à Clemente Papa reciperet, Hermanus Abbas Claustri exclamasse dicitur & dixisse, benedictus sit Deus, hodie deletum est cyrograyum maledictionis nostræ. Sciscitante Papa, quid hoc esset, respondit, quod Beata Hyldegardis prædixisset coronam Trevericæ dignitatis dejectam jacere debere septem annis, & illam diem æstimabat ultimam esse illius infelicis septennii; quæ Hyldegardis cum præsentialiter clerum Treverensem culparet pro peccatis, & quidam dicerent ei, Domina, quod est peccatum nostrum quod fecimus; ipsa memorabile unum intulit dicens, Spiritus Sanctus non confunditur.

Itaque Johannes accepto Episcopatu prudenter se agebat, prudentia magis quam potestate Episcopatum suum regere instituens, eo quod terra pauper & sterilis esset, & bella ferre non valeret. Captus tamen à Friderico comite Viennense & custodiæ mancipatus est. Unde permotus Henricus Palatinus Comes Reni, dixit se & sua exponere se velle ad libertatem Domini sui. Ipso igitur & aliis potentibus adbellum se parantibus, Comes Episcopum dimisit transactione interveniente: Sane anno Pontificatus sui primo nondum finito, Fridericus Imperator in transmarinis partibus dum fluvium quendam transnatare vellet, mersus interiit ac nego-

Digitized by Google

negotium terræ Sanctæ imperfectum reliquit. Henricus vero Imperator effectus est filius ejus; sed & ipse mortuus est in Sicilia anno Domini Johannis, ** qui fuit annus dominicæ incarnationis millesimus centesimus nonagesimus octavus; quo mortuo volebant inferiores terræ Principes assumere sibi in Regem Bertholdum Ducem Ceringensem, quo ad placitum diem non veniente, & voluntati ipsorum renuntiante, Adolphus Coloniensis Archiepiscopus ex consensu Treverensis habens & ipse vocem electionis, nomine quorundam Principum peregre profectorum, ut asserebat, Otthonem Comitem Pictaviensem, fratrem Henrici supradicti Comitis Palatini, & filium Magni illius Ducis de Saxonia, Henrici videlicet, evocavit & unxit in Regem Romanorum. Philippus autem Dux Sueviæ frater Imperatoris defuncti, missis nunciis, conabatur Principes avertere ab hac intentione, & memores esse fidei & pacti quod fecerant fratri suo de filio ipsius Friderico Rege Siciliæ in Romanorum imperium eligendo; sed cum hoc efficere non posset, convenientes superiorum regionum Principes, ipsum Philippum sibi elegerunt in Regem, & fuerunt hæc initia magnorum malorum; & fuit concertatio inter duos Reges, & duravit per decem annos. Philippus igitur venit cum exercitu magno & cum Bohemis ad Colonienses coërcendos, & processit usque Bunnam; eratque tunc Colonia mœnibus immunita & armis destituta, & si tunc processisset, finem malorum forsitan imposuisset; sed adventu Brabantinorum conterritus, reversus est in sua. Sed & Palatinus Comes de peregrinatione reversus, electionem fratris sui ratam habuit, & ipse post modicum temporis Castrum ædificavit super Mosellam, quod Thurunum appellavit. Fovit autem partes Otthonis Innocentius Papa tertius supra modum, misitque ei de latere suo Guidonem Cardinalem, qui postmodum factus est Archiepiscopus Remorum, quod Principes induceret ad assistendum ei. Ipse vero congregato exercitu ascendit, & obsedit Philippum in Spyrea. At ille emisso verbo quod vellet ire ad congregandum exercitum, transivit Rhenum & abiit, & Otto reversus est in sua. His ita alternatim invalescentibus, Waleramus filius Henrici Ducis de Limpurch, qui Philippo se conjunxerat, de ipsius nutu reconciliatus est Ottoni, & fuit cum eo cunctis diebus. Hic est Waleramus qui post mortem Theobaldi Comitis Barensis, relictam ejus viduam Comitissam de Lucellenburch accepit uxorem, & pacem bonam diebus suis fecit in territorio Trevirensi, vir spectabilis, & per cuncta commendabilis quantum ad secularia; atque utinam tanto studio saluti suæ æternæ, quanto gloriæ temporali providisset: Sane licet Apostolicus Philippum & ejus adjutores jam excommunicasset, Adolphus tamen Coloniensis Archiepiscopus ortis quibusdam simultatibus abalienavit se manifeste ab Ottone & transiit in adversam partem, nec veritus infamiam, nec censuram Ecclesiasticam; propter quod à civitate est aliquandiu repulsus, postea excommunicatus; ad extremum vero depositus est. Nam cum ipse Brunonem præpositum Bunnensem de præpositura sua ejiceret, & alium institueret, promoti Priores Colonienses litteras apostolicas de depositione ipsius publicaverunt; eoque deposito Brunonem in Episcopatum subrogaverunt. Erat ibidem tunc temporis Sifridus Moguntinorum Archiepiscopus pauper & modicus cooperator in his; Nam Conrado Moguntinorum Archiepiscopo viam universæ carnis ingresso, Philippus in Moguntia Leopoldum Wormacensem Episcopum instituit; ex altera parte cooperantibus Warnero & Philippo fratribus de Bolandia, qui tunc à Philippo Rege defecerant, & Ottoni adhærebant. Sifridus à quibusdam Clericis electus est. Quid plura Lupoldum Philippus in regia manu tenebat; Sifridum Innocentius Papa sua autoritate firmabat; propulsus tamen Sifridus à Diœcesi sua Coloniæ se recepit, fuitque ibi usque ad mortem Philippi. Inter hæc omnia, Ottone deficiente, in dies Philippus invaluit, collectoque exercitu Coloniam obsedit, & habito tantum à superiori parte ad duas portas; erantque in civitate Otto & Waleramus cum militia, non tanta tamen, quam sufficeret ad agressum publicum. Post paucos dies Philippus iterum reversus est in sua. Tertio venit Aquisgranum sollemnem curiam habiturus, & uxorem suam coronaturus; ad quam Curiam Johannes Treverensis Archiepiscopus vocatus fuerat, & viam arripuerat, sed præ timore Apostolici pervenire non audebat. Corruit ergo in via, vel potius corruisse se fecit, & remansit apud monasterium quasi confractus, & sanguinem spuens, quod factum cum audiret Papa dixisse dicitur: felix ille casus. Ad ultimum venit Philippus in partes Aquensium, & occurrerunt ei Rex Otto & Bruno Episcopus & Walerannus. In eodem itinere Henricus Dux pater Waleranni inconsulto Ottone reconciliavit se Philippo. Proditione igitur, ut dicebatur, quorundam dissipatus est Ottonis exercitus, & fugiens ipse Otto reversus est Coloniam, & transtulit se in Saxoniam, & Colonia subdidit se Philippo. Papa quoque reconciliatus est ei, & petiit sibi transmitti Brunonem Episcopum. Philippus vero de supradicto itinere revertens, castrum munivit in confinio Coloniæ & Trevirensis, quod Landiscrone appellatur, post hæc, anno nondum finito, Philippus interfectus est 1201. mense Junio. Tunc Bruno Coloniensis & Sifridus Moguntinus Archiepiscopi reversi sunt in Diœceses suas; sed Bruno post hæc in brevi defunctus est, cui successit Theodericus, quo pessime deposito, successit Egilbertus. Post mortem Philippi convenientes Principes in unum elegerunt, vel potius receperunt Ottonem universaliter in Regem, qui statim pergens Romam, consecratus est in Imperatorem. Nec mora propter terram Metildis marchionissæ, quia eam dare nolebat summo Pontifici, ab Episcopo excommunicatus reversus est in Alemanniam. Unde post aliquot annos convenerunt apud Confluentiam Treverensis, & Mo-

& Mogontinus Archiepiscopi, & Spirensis Episcopus Conradus tunc Cancellarius videre de statu Regni, & missum est pro puero Friderico Rege Siciliæ, filio Henrici Imperatoris, & introductus est in regnum Romanorum. 1203. quod condictum fuit ei a Principibus antea ut supra dictum est, invaluitque contra Ottonem. Sifrido Mogontino assumente sibi potestatem etiam contra eum ex auctoritate apostolica, accedente quoque ad idem à latere apostolicæ sedis Legato, & ab eis depositus est Theodoricus Coloniensis Archiepiscopus, eo quod fautor esset Ottonis. His itaque quasi per excursum succincte transmissis, ad anteriora redeamus; nam de incendiis, cædibus & deprædationibus, quæ factæ sunt in regionibus per ista tempora digna loqui non sufficimus, nec etiam sunt operis hujus. Inter tot turbines, inter tantas rerum varietates, Johannes Archiepiscopus tam mirabili calliditate, & tam ingeniosa circumspectione Trevirorum rexit Ecclesiam, ut non sit ei nocitum neque in propria persona sua, neque in terra sua; perplexus inter Regem & legem, inter instantiam Innocentii, & Philippi potentiam ita caute ambulavit inter utrumque, ut non istum læderet, nec ab illo lædi posset. Ut igitur ad anteriora redeamus, ipse Gerlacum virum nobilem de Roverna, pro eo quod extra castrum suum aliud extruxerat, cepit, & accepto in proprietatem castro dimisit eum, & castrum dimisit ei. Postea crescente discordia inter Ottonem & Philippum, ipse de voluntate Guidonis Cardinalis ivit in Franciam, quasi iturus ad Papam; ubi cum a Cistercienfibus audiret, quod Dominus Papa vellet exactionem facere in Ordinem de XX. & de personis ad subsidium terræ sanctæ mittendis, dixit se in propria persona, & in suis expensis ire velle Romam, & ab hac intentione deducere velle Dominus Papam. Quod dixit & fecit. Reversus autem Roma destruxit castrum, quod Comes de Castris interim construxerat in Berincastel. Post paucos annos comes Viadensis castrum ædificare cœpit non longe a civitate in Quintinberch juxta fontem Milonis. Johannes igitur collecto exercitu castrum obsedit. Aliud ipse in proximo monte ædificavit, & sic obsidionem solvit. Infra paucos dies per ejus industriam vino optimo ibidem tabernario exposito, castellani servi Comitis facti sunt temulenti, eisque sic soporatis, Castellani Episcopi castrum Comitis invaserunt & combusserunt. Quo facto Episcopus delevit & suum. Nec prætereundum videtur quod in diebus ejus civitas Constantinopolitana a Theutonibus & Francis capta est, anno videlicet pontificatus ejus decimo quinto, sed anno dominicæ Incarnationis. 1204. quod præcipue commemoramus propter hoc, quod ex eo facto insignita est Treverensis parrochia quodam insigni clenodio. Surrexerunt itaque viri virtutis cruce signati in subsidium terræ sanctæ, & assumpto secum Alexio Adolescente filio Alsachi, & fratre uxoris Philippi Regis, qui apud Philippum habebatur, venerunt Constantinopolim, & introducentes eum in civitatem, in paternum Imperium coronaverunt solemniter Imperatorem. Ast Marcholfus quidam cognatus ejus ipsum simul, ac Nicolaum, quem paulo ante Græci sibi in Regem elegerant, cepit, & incarceravit, & strangulato Alexio sibi Imperium usurpavit, qui cum peregrinos nostros in omnibus iis extra civitatem morantes vexare aggressus esset, ipsi permoti in nomine Domini duabus vicibus assultum facientes, civitatem nimis magnam & nimis munitam per gratiam Dei, vi comprehenderunt secundo Idus Aprilis anno Domini 1204. pulsoque nefandissimo incubo, Baldwinum Flandrensem comitem in Imperatorem Constantinopolitanum consecraverunt. Erant ibi in hoc opere Suessionensis, Treverensis, Halberstatensis, & Bethleemitanus Episcopi cum cœteris Principibus, asserentes, quod acceptabilius hoc factum esset Deo, quam si Civitas Sancta Hierusalem capta fuisset. Henricus autem de Ulmena frater Imperatoris Clenodium illud eximium, cujus supra meminimus, videlicet tabulam electrinam mirifici operis cum reliquiis retro contentis, & portione magna ligni dominici inde asportavit, & illud cœnobio monialium, quod Insula, sive Stupa vocatur, supra Mosellam situm contradidit plane. Anno secundo Domini Johannis fuit eclypsis solis in vigilia Sancti Johannis Baptistæ die dominico circa meridiem. Anno nono fuit fames magna, ita ut maldrum siliginis marca venderetur. Anno ejus XXI. tunc fuit eclypsis solis ultimo die Februarii ante meridiem. Ejus quoque temporibus claruerunt in Lombardia duo magna luminaria Ecclesiam Dei mirifice irradiatura, Dominicus videlicet, & Franciscus, quorum prior majorum fratrum, id est, Prædicatorum, posterior Minorum fratrum, id est, Nudipedum seu Nodatorum ordinem instituit. Mortuus est autem Johannes Archiepiscopus Treverensis mense Julio, anno pontificatus sui XXIII. & sepultus est, ut ipse prærordinaverat, non in civitate sua præclara, sed in cœnobio Monachorum, quod Claustrum dicitur, non in oratorio, sed in capitulo, non in pontificalibus, sed in pauperibus vestibus, cujus anima requiescat in pace. Amen.

De Theodorico Archiepiscopo.

Successit autem Johanni Theodoricus Sancti Paulini Præpositus & Archidiaconus anno Domini 1212. qui & ipse cum esset prudentiæ magnæ, paci & quieti magis quam bellis operam dedit. Captus est autem & ipse a Comite Nassoense, cui cum Albertus miles quidam de Confluentia ad subveniendum se objiceret, super eum interfectus est. Multa mirabilia temporibus ejus evenerunt in mundo. Et primo quidem illud commemoramus, quod paucis mensibus ante ejus electionem mirabile & seculis omnibus inauditum; pueri namque congregati ex omnibus oppidis & villis Theutoniæ, quasi divinitus inspirati convenerunt in singulis quibusque locis, & coadunati in turmas, iter arripuerunt versus Hierosolimam quasi terram

terram sanctam recepturi. Hujus itineris Dux & caput erat Nicolaus quidam puer Coloniensis, gestans super se signum quasi crucis formam thau habentis, quod debebat esse signum sanctitatis in eo & miraculositatis, nec facile erat discernere cujus generis & metalli esset. Cumque venissent pueri Brundusium, Episcopus loci deceptionem deprehendens, non permisit eos transfretare; Venditi enim erant gentilibus a patre Nicolai, & sic Dæmonum maleficio attracti, propter quod & ipse puer periit, & pater ejus mala morte peremptus est. Plurimi etiam puerorum perierunt; nam qui euntibus copiose ministraverunt, redeuntibus nihil dederunt. Post aliquot annos orta est prædicatio Crucis & inflammatus est populus Dei in subsidium terræ sanctæ, & incredibiliter atque catervatim ruerunt ad accipiendam Crucem; & facta est expeditio valida ad partes transmarinas, in qua expeditione Georgius Comes Widensis frater Trevirensis Archiepiscopi præcipuus habebatur. Factum est concilium generale apud Lateranum sub Innocentio Papa anno Domini 1215. cui etiam interfuit Theodericus Treverensis Archiepiscopus in quo concilio amputati sunt tres gradus consanguinitatis in matrimonio contrahendo, & statutum fuit ibi, ut de triennio in triennium haberentur capitula in singulis Provinciis ad reformationem monasteriorum diversorum ordinum, & visitationes fierent; quod aliquot annis servatum est, postmodum ivit in dissuetudinem. Fecit in Concilio Dominus Papa sermonem sumpto hoc themate: Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum antequam patiar. Et mortuus est Innocentius Papa eodem anno non evoluto. Fuit autem Concilium mense Novembri. Circa idem tempus peregrini nostri milites de consilio terræ sanctæ profecti sunt versus Damiatam civitatem Egypti in ripa Nili sitam, & ceperunt eam, sed cum multa mora, cum multo labore, & cum multo sanguine nostrorum. Nec enim capta est fortitudine humana, sed virtute divina, percussis divinitus iis qui erant in civitate, nec valentibus repugnare. Postea cum vellent ad ulteriora procedere, ex inopinato Soldanus Babiloniæ per retorsionem fluminis artavit eos in tantum quod condictum fecerunt cum eo de reddenda civitate, & reddita est civitas Sarracenis. Inter hæc & Otto Imperator defunctus est anno gratiæ 1218. obiit autem contritus & confessus, inunctus & communicatus, absolutus quoque a vinculo excommunicationis, præstita cautione standi judicio Ecclesiæ; quam absolutionem, audita morte ejus lachrimans Honorius Papa, qui Innocentio successerat, approbavit. Fridericus vero Rex pro consecratione Imperatoria Romam ire volens, Henricum filium suum adhuc puerulum de consensu Principum Regem instituit in Alemania, cujus tutelæ deputatus est Wernherus de Bolandia & egressus est subsequente anno, fuitque extra Alemaniam sexdecim annis. Wernhero autem in brevi defuncto suscepit tutelam Regii pueri Engilbertus Coloniensis Archiepiscopus, columna Ecclesiæ, cleri decus, stabilimentum regni, cui confœderatus est Theodoricus Treverensis fueruntque quasi cor unum & anima una. Iste est Engilbertus, qui castrum Thuron acquisivit Coloniensis diœcesis. Iste est Theodoricus qui castrum nobile trans Rhenum ædificavit contra vim brachii Tyrannorum regionis illius, vocavitque illud montem Tabor. In diebus illis venerunt in partes istas primum Prædicatores, & postea Nudipedes, & subito impleverunt mundum, & primo quidem prædicatores venerunt Coloniam, & datus est eis locus & hospitale quoddam in platea Stolicorum, ut ædificaretur eis ibi habitatio; unde a loco nomen aliquandiu habuerunt, ut vocarentur Stolici, id est, Stolicheri; putantibus multis quod a paupertate sic vocarentur. Post hoc venerunt Treverim. Defunctus est autem ibi Hernestus vir valde honestus, canonicus majoris Ecclesiæ, & domus ejus cum attinentiis suis facta est habitatio Prædicatorum usque in hodiernum diem; & fuerunt tunc opinatissimi inter eos, Conradus de Argentina prior eorum, & Johannes lector eorum. Deinceps etiam venerunt Minores fratres & mulieres conversæ ad religionem, inclaustratæ, reclusæ & sequestratæ, quorum non est numerus. Verum cum Engilbertus Ecclesiam Coloniensem jam per annos rexisset, & tam Reipublicæ quam & diœcesis suæ prædones egregie cohercendo consuluisset; conjuravit adversus eum Fridericus Comes de Isenburch filius fratris sui, qui filiam Waleranni non jam Comitis, sed Ducis habebat uxorem, & irruerunt in eum ipse & satellites Diaboli ad hoc electi & percusserunt, immo mactaverunt eum non acerbitate humana, sed dæmoniaca crudelitate XLVIII. vulneribus confodientes. Martyrisatus est beatus Engilbertus in vigilia sancti Willebrordi advesperascente jam die, feria sexta adhuc jejunus prope villam Suuelme, in qua proximo die Ecclesiam erat consecraturus anno gratiæ 1225. cujus etiam mortem pretiosam in conspectu suo Dominus multis miraculis declaravit; cujus innocentiam & mortem acerbissimam, conpunctionem quoque & confessionem ante mortem ad nutum Conradi Portuensis Episcopi, & Cardinalis Theodorici Treverensis Archiepiscopi apud Leodium & Coloniam populis publice peroravit, & Cardinalis eum Martyrem pronunciavit in quadragesima subsequente. Theodoricus Archiepiscopus & Waleranus cum Rege & aliis Principibus venerunt ad colloquium Imperatoris apud Cremonam condictum. Cumque reversi essent, Waleramus mortuus est, Fridericus vero Comes in ipso anniversario Engilberti Episcopi, quem occiderat, Coloniam captivus invectus est, & post paucos dies rotali tormento perplexus est. Tunc etiam in tutelam regni successit Engilberto Ludovicus Dux Bavarorum qui apud Damiatam fuerat, quando perdita est, quo, per cujus machinationes Deus scit, interempto; Rex per se ipsum cœpit agere negotia regni, habuitque potentiam regiam, sed

Digitized by Google

sed vitam regiam non habuit; nam incontinens fuit astrictus multum, minus attendens jura matrimonii, cui astrictus erat. Potens tum factus est in regno, & invaluit contra omnes adversantes sibi. Archiepiscopus autem Magnus fuit apud Regem, nec mirum; Etenim ubicumque conventibus publicis interfuisset tam Pontifices, quam Principes eum venerabantur ut patrem. Circa tempora ista factæ sunt tres strages Nobilium in tribus locis, & quot & quantorum non est possibile dicere, & miserabile esset dicere. Una fuit filii Regis Franciæ & Christiani exercitus ab Albiensibus, alia Episcopi Trajectensis & sui exercitus a Frisonibus; tertia Regis Daciæ, & suorum a comite Zwiemense. Circa eadem tempora visitavit Dominus peccata populi sui spiritu judicii & spiritu ardoris, terram consumens gladio & igne, non solum Treverensem, sed & Colonien:em & Mogontinam dioeceses, & hoc ex parte per Waleramum & Comitem Seynensem. Nam Waleramus filius supradicti Comitis Walerami defuncto patre in custodiam cesserat Comitissæ uxoris patris sui, & puerorum & terræ; & hic habuit prælia multa, & nominatus factus est in eis.

Anno Dominini 1231. orta est persecutio hæreticorum per totam Alemanniam, & exusti sunt plurimi per continuum triennium, eratque Princeps & caput hujus persecutionis Magister Conradus de Marburch, & minister ejus Conradus quidam cognomento Tors, & Johannes carens uno oculo, & una manu, qui duo ex hæreticis conversi ferebantur. Iste est magister Conradus, qui in multis prædicationibus, & maxime de cruce signatis famosus auctoritatem magnam sibi comparaverat in populis, qui de visitatione Clericorum, atque Monialium se intromittens eos ad observantiam regularem, & ad continentiam arctare voluit; quique auctoritate apostolica fretus, & animi constantia præditus ita animosus factus est, ut neminem timeret, tantique esset ei Rex vel Episcopus, quanti pauper laicus. Cooperabantur autem ei & Ministris suis præfatis prædicatores per singulas Civitates; tantusque fuit omnium zelus, ut nullius qui tantum propalatus esset excusatio vel recusatio, nullius exceptio, vel testimonium admitteretur, nec defendendi locus daretur, sed nec indutiæ deliberationis darentur, sed in continenti oportebat eum vel reum se confiteri, & in pœnitentiam recalvari, vel crimen negare, & cremari, insuper qui sic tonsoratus esset, oportebat eum complices suos prodere, alioquin item debebat cremari; unde putatur quod aliqui innocentes exusti fuerunt: multi enim propter temporalem vitam & amorem hæredum suorum confitebantur se fuisse quod non fuerant, & arctati ad accusandum accusabant, quod nesciebant, & quos nolebant. Quin etiam in ultimis deprehensum est, quod hæretici aliquos de suis subordinaverant, qui se tanquam in pœnitentiam tonsurari permiserunt, & sic Catholicos & innocentes accusaverunt. Tandem tres apud Mogontiam capti fuerunt, nec adeo puræ conscientiæ quis, qui se hujusmodi tempestatem non timeret, incurrere. Nullus etiam pro accusatis, non dico intercedere, sed nec mitius aliquid loqui audebat, quia statim ut defensor hæreticorum reputabatur: Etenim contra deffensores & receptores hæreticorum eadem quam contra ipsos hæreticos a Domino Papa sententia dictata processerat: præterea quicunque semel hanc impietatem abjurasset, si recidisse in ipsam diceretur, absque ulla retractatione deprehensus cremabatur; nec Treverica diœcesis ab infectione extors fuit: nam in ipsa civitate Treveri tres fuisse scholas hæreticorum publicatum est, nam exusta est ibi quædam Lucardis, quæ sanctissimæ vitæ putabatur, quæ incredibili lamentatione lugebat Luciferum injuste de cœlo extrusum, quem volebat replorare denuo in cœlum. Neque mirum fuit de aliis civitatibus, cum in ipsa urbe Roma nonnullos infectos fuisse in suis litteris Papa pronunciaverit; Et plures erant sectæ, & multi eorum instructi erant scripturis sanctis, quas habebant in Theutonicum translatas; & alii quidem baptisma iterabant, alii corpus Domini non credebant, alii corpus Domini a malis sacerdotibus non posse confici dicebant, alii indifferenter corpus Domini a viro & muliere ordinato & non ordinato in scutella, & calice & ubique locorum posse confici dicebant; alii confirmationem & inunctionem superfluam judicabant; alii summo Pontifici, Clero & religioni derogabant; alii defunctis Ecclesiæ suffragia prodesse negabant, alii matres proprias, redimentes consanguinitatem quæ ibi erat per octodecim denarios, in conjugium sumebant: alii pallidum hominem, vel etiam cattum osculabantur, & adhuc pejora faciebant; alii dies omnes æquipendentes feriari, aut jejunare nolebant, unde & diebus festis operabantur, & in parasceve carnes manducabant: Et hæc de articulis errorum dixisse sufficiat, non quod omnes dixerimus, sed quod præcipuos tantum notaverimus. Eo tempore Trevirensis Archiepiscopus Synodum tenuit, in qua ipse publice enunciavit hæreticos in sua Diæcesi habere Episcopum, quem cognominassent secundum suum nomen Theodoricum, & idem alibi fecisse de Episcopis locorum, Itemque habere eos communiter Papam, quem secundum Catholicæ Ecclesiæ Episcopum nuncuparent Gregorium, ut si interrogarentur de fide, eam fidem se habere dicerent, quam haberet Papa Gregorius, & ille Episcopus sic nominatus, nostrum nominantes & suum intendentes. Io eadem synodo tres fuerunt hæretici, quorum duo sunt dimissi, unus exustus. In eadem synodo Archiepiscopus excommunicavit omnes falsatores monetarum tam jubentes, quam facientes.

In diebus illis exiit edictum a Papa Gregorio ad omnes Episcopos, ut visitationes fierent, unusquisque in sua diœcesi, monasteriorum tam Clericorum, quam Monachorum & Monalium;

lium; & inchoatum est opus sanctum dignum benedictione, nisi quod ubi cœpit, ibi mansit. Per idem tempus bellum fuit Metensium cum Johanne Episcopo ipsorum. Sed Archiepiscopus Treverensis eosdem excommunicavit propter contumaciam & inobedientiam, quam exhibebant eidem Episcopo, sicut & idem Episcopus ipsos excommunicaverat. At illi de excommunicatione minus curantes, potenter Episcopo, ejusque cooperatoribus per biennium restiterunt; quibus etiam decem circiter castella effringentes; tandem obtinuerunt quod Episcopus eos recepit in gratiam suam. Igitur supramemorati sanctæ catholicæ fidei Zelatores acerrime hæreticis insistentes, cum rusticanorum hominum utriusque sexus innumeram multitudinem tam contundendo quam comburendo per diversa loca pessundedissent, apposuerunt, & divites impetere atque magnates; Inter quos dum Comitem Henricum de Seyna aggrederentur, mirum fuit quod Comes ille, qui magnæ crudelitatis esse dicebatur, literas citatorias sibi a Magistro Conrado transmissas cum æquanimitate suscepit; statimque ad consilium Cleri & Religiosorum totus convolavit, Regis quoque & Episcoporum. Quid plura, factus est conventus Episcoporum & Principum cum Rege Henrico apud Moguntiam in festo sancti Jacobi, ubi Comite comparente & Magistro Conrado in causa deficiente accusatoribus & testibus resilientibus, aliis se coactos vel circumventos in Comitem mala dixisse se fatentibus, aliis de odio præsumptive notatis, Rex alium diem ad ventilandum altius causam edici voluit. Comite autem instantius petente, ut ad finem causæ tenderetur, archiepiscopus Treverensis dixit ad Comitem præcise: Dominus meus Rex vult quod causa ista differatur; & ad populum: denuntio vobis quod Comes Seynensis hinc recedit pro homine Catholico & inconvicto. Et Magister Conradus submurmurando ait: si convictus esset, alia ratio esset. Post hæc in Purificatione sanctæ Mariæ factus est iterum conventus, & curia solemnis apud Frankinvort coram Rege, XXV. circiter Episcopis, Abbatibus, & Prioribus diversorum ordinum, & Clericis & Principibus innumeris congregatis, ubi adducta in medium causa Comitis, Comite præsente, pro fide & Innocentia Comitis sacramenta præstantibus Episcopis Prælatis, Abbatibus, Majoribus & Minoribus fratribus, Clericis & Monachis, Principibus quoque, Laicis & Baronibus universis, Comes gloriosissime expurgatus est. Tunc Conrado Episcopo Hildensheimensi, qui ex parte Domini Papæ ibi aderat, Comitem rogante; pro amore Dei omnipotentis, & pro reverentia Regis præsentis, atque Episcoporum & Principum, ac totius illius conventus, ac pro hoc quod Deus ipsum gloriosissime absolverat ab infamia sibi impacta; infamatoribus suis lachrimans & cordi suo vim magnam faciens indulsit. A quo conventu cum Magister Conradus spreto Regis & Episcopi Moguntini conductu recederet, reversurus in sua; in via interemptus est una cum socio suo Gerardo quodam. Delatus autem Marburch sepultus est juxta Beatæ Elizabet viduæ, uxoris quondam Lantgravii tumulum, quæ ante paucos annos defuncta, & ibidem tumulata, plurimis miraculis fuerat glorificata. Ex hinc procellosa illa persecutio cessavit, & periculosissima tempora, quibus a diebus Constantii Imperatoris hæretici, & Juliani Apostatæ nulla alia fuere similia sereniori cœperunt spirare clementia; & fuit Comes ille Seynensis murus pro Domo Domini, ne in ulteriora progrederetur rabies importuna & lippa, noxios æque & innoxios absorptura, Episcopos ac Principes & Religiosos & Catholicos quosque æque ut rusticos & hæreticos pervasura.

Anno Dominicæ Incarnationis 1235. reversus est Fridericus Imperator in Alemanniam, & receptus est a Principibus & Civitatibus sic Imperator. Adducta est ei etiam sponsa sua, filia Regis Angliæ per Coloniensem Archiepiscopum, & suscepta ubicunque, venit cum multa ambitione. Porro Henricus Rex filius Imperatoris, qui se ab anno præterito paraverat ad rebellandum contra patrem, de consilio Episcoporum, de meliori pace præsumentium, se & sua dedidit in gratiam patris. Quem pater statim captivatum & per diversas custodias, missum, tandem in Apuliæ partes relegavit, ita ut dicere ei conveniret cum Beato Job; Ego ille quondam opulentus repente contritus sum. Revera enim cum opulentia magna tunc temporis regnum tenebat Romanorum. Fecerit hoc pater quo voluerit animo, sed Deus hoc fecisse creditur in vero judicio suo: multum enim Deum offendisse putabatur in delictis juventutis suæ: Altissimus est autem patiens redditor, quia mala hominum & patitur & reddit. Apud Imperatorem sane Theodoricus Pontifex Treverensis magnus habitus est, & ubique in curiis solemnibus locum sessionis suæ inter Pontifices pro primatu Trevericæ dignitatis obtinuit. Subsequente anno Johannem Archiepiscopum, qui apud Claustrum in capitulo Monachorum, ut supra scriptum est, humatus fuerat, elevari fecit, atque in oratorio Beatæ Dei genitricis ibidem honorifice collocari tertio die Martii mensis. Eodem etiam anno translatio facta est Elizabet apud Marburch in ipsis Kalendis Maji, ubi & Theodoricus Archiepiscopus cum Imperatore præsens fuit. Circa idem tempus mortua est Agnes Domina de Castello Malberch, & suscepit illud tenendum Rodulfus quidam filius fratris ejus tali interveniente pactione, quod Walerannus supra memorati Walerani filius teneret illud in feodo ab Archiepiscopo, & Rodulfus a Waleranno, qui Rodulfus statim aggressus est impugnare vicinas sibi positas Moniales de sancto Thoma, propter bona aliqua, quæ legaverat eisdem Agnes supradicta, volens eis ea abripere, & sibi jure successionis attrahere; cujus instantia prævalente derelinquentes universæ cœnobium suum venerunt in civitatem Treverim, ibique per tempus aliquod demorantes quotidie ad missam ad majorem Ecclesiam cum processione venerunt, atque

atque item ipsa sacra actionis officia duas antiphonas videlicet, Media vita in morte sumus, & Salve Regina misericordiæ lamentabiliter cantabant, & hoc de consilio Archiepiscopi, & Prælatorum ac Prædicatorum. Nec his contentus Rodulfus, etiam res Episcopii aggressus est, ad cujus insolentias reprimendas Theodoricus Archiepiscopus Castrum in monte Rileburch ædificare cœpit anno Domini 1239. neque poterat contra facere Waleramus toto anno illo vehementissima bellorum instantia contra Conradum Coloniensem Electum præpeditus. Tunc tempus Conradus puer, filius Imperatoris Rex Hierosolymorum a pluribus habitus est pro Rege Romanorum; qui etiam fovit partes Laicorum adversus Coloniensem Electum. In iisdem diebus exiit edictum a Papa Gregorio, ut excommunicaretur Imperator per Alemanniam, & egressus Jacobus Prænestinus Episcopus a latere Domini Papæ, venit ad Gallias ad promovendum memoratum Electum. Secessit autem Theodoricus Pontifex ultra Rhenum ætate simul, & debilitate confectus; magis autem pacis suæ providus & quietis. Plane satellites Imperialis negotii tanta sagacitate, & tam astutissima exploratione vias omnes circumsepserunt, omnimodo caventes, ne quæ litteræ, ne qui nuncii in terram venirent, aliquid mandati contra Imperatoris honorem importantes. Et ecce immisit omnipotens nuncios aliquos, & alios nunciantes; Nam gens infausta Tartarorum tertia jam irruptione facta invasit Europam exterminium toti orbi christiano meditans & minitans: hos Trascenses & Ismahelitas quidam autumant de quibus scribit Methodius, quod egressuri sint ante finem mundi & obtenturi orbem terræ octo hebdomadibus annorum id est spatio LVI. annorum & multa facturi mala: adjuncti sunt eis & Cumani, Amazones & aliæ gentes, Christianorum quoque refugæ & Damnaticii, & factus est inimicorum Dei exercitus infinitus ex omni populo & natione collectus. Invaserunt ergo Hungariæ partes, Bohemiam, Poloniam & finitimas regiones, omnia vastantes nulli hominum parcentes, senes & juvenes, divites & pauperes, mulieres cum parvulis interficientes, matronarum & virginum pudicitiæ incredibiliter nocentes, commessationibus, luxuriis, immundiciis intra templa Deo sacrata vacantes, villas & Ecclesias, oppida & cœnobia paria in destruendo habentes. Judæorum quoque plurimi exultare cœperunt Messiam suum venire publicantes, & liberationem suam eo anno instare. Nam annus tunc erat Dominicæ Incarnationis 1241; & aliquibus suspicantibus quod aliquid mali deberent contra Christianos moliri, multorum favorem amiserunt; sed auctoritate potestatis Imperatoriæ sunt protecti. Demandaverunt autem Principes Regionum illarum Principibus circa Rhenum manentibus, ut auxilium ferrent rebus Christianis; & accensus est ignis Dei in populo. Nam ad nutum Episcoporum prædicantibus malorum multitudinem fratribus Prædicatorum, cruce signati sunt viri & mulieres, senes & juvenes & infantes in subsidium jam jamque periturarum Dei Ecclesiarum. Sed heu permittente justo Dei judicio magnatibus terræ & conceptæ devotionis fervore infrigidatis cito refriguit & caritas populorum. Quid enim faceret populus sine Principe. Ferunt autem tantam hominum stragem numquam in mundo factam fuisse, quanta facta est a Barbaris istis in tam brevi tempore, videlicet infra dimidium annum, vel paulo post. Inter hæc egressi sunt Januenses in manu forti, videlicet cum numero quatuor millium pugnatorum & viginti quinque galearum, Catholicos, ad Concilium quod Papa in Pentecosten celebrandum indixerat conducturi, occurreruntque eis homines Imperatoris, & submersis tribus galeis, reliquas ceperunt cum personis & rebus. Capti sunt ibi tres Legati, Jacobus Prænestinus, Otto de Carcere Tulliano, Gregorius de Rogmagina, Archiepiscopi quoque, Episcopi, Abbates aliique Prælati, & Prælatorum responsales, & ambasiatores civitatum Lombardiæ; & oblati sunt Imperatori mense Aprili; capta jam ab eo Faventia. Non tamen inventi sunt inter eos nuncii Treverensis Archipontificis, nec litteræ ejus. Ex hinc post multas commotiones miseratus Dominus plebem suam, pacem dedit inter Episcopum & Waleramum, & reconciliati sunt in fœdere pacis. Mortuus est autem Gregorius Papa anno Domini 1241, & substitutus est ei Cœlestinus, qui cum sedisset septemdecim diebus, veneno finitus est; quo circa Cardinales Ecclesiam sanctam multis diebus acephalam dimiserunt, & quasi desolatam similia formidantes. Tunc surrexerunt duo Archipontifices, Moguntinus scilicet & Coloniensis in res imperatorias, & utroque gladio materiali videlicet & spirituali vehementissime utentes. Hinc præliis & exactionibus, incendiis & rapinis universa, quæ attingere poterant, invaserunt, satellitibus imperatoriis in eorum res non minus regrassantibus. Hinc Imperatorem de mandato sibi Legati, ut dicebant, injuncto pluries & publice excommunicatum denunciaverunt. Eo anno fuit Eclipsis solis magna & tenebrosa in octava sancti Michaelis in Dominico die post meridiem, tribulationes magnas Ecclesiæ Dei mirifice designans. Post hæc venit Conradus Rex Treverim in quadragesima & honorifice susceptus est ab Episcopo Theodorico. Descendit autem Rex Aquisgranum, & Episcopus Confluentiam. Revertente vero Rege Confluentiæ ad partes ante Pascha mortuus est Theodoricus Archiepiscopus quinto Kalendas Aprilis anno pontificatus sui tricesimo. Mortuus est & Waleramus post Pascha anno Domini 1242.

De Arnoldo Archiepiscopo.

Post decessum venerabilis Patris Domini Archiepiscopi Theodorici Treverensis, Dominus Arnoldus tunc Major Præpositus Treverensis, nepos ipsius de sorore, Ilsenburch oriundus, in Episcopatum successit eidem, cujus electioni celebratæ longe a majore & saniori parte Capituli, Rodulfus Præpositus Sancti Paulini Treverensis,

Digitized by Google

rensis, de parentela de Ponte procreatus, vir magnorum operum & virtutum cum paucis, qui eum nominaverant, opponere se præsumpsit, fiduciam suam ponens in auxilio & promotione regiæ Majestatis, quæ tunc graviter offensa fuerat memorato majori Præposito, & suæ parentelæ Domino Archiepiscopo Moguntino Syfrido, qui sedi Apostolicæ adhærens contra Dominum Fridericum Imperatorem, & suum natum Dominum Conradum, ac eorum fautores insurrexit potenter; quare (imperator) sæpe dicto Rudolfo regalia sua cum sedes Apostolica tunc vacaret, in odium Arnoldi præpositi concessit, cujus consanguinei & fautores potestate tradita nimis temere abutentes, domos Canonicorum Treverensium, qui sui erant adversarii, immunitate violata confregerunt, & res ibidem inventas asportantes a communi populo inutiliter distrahi facientes, captivaverunt virum ætate, dignitate & genere venerandum, Dn. Theod. de Hagen Archidiaconum Treverensem de Ecclesia majori in superpellicio venientem & taliter superpelliciatum per forum rerum venalium in ludibrium privilegii clericalis usque ad pontem captivum duxerunt; majorem Ecclesiam incastellaverunt; Castrum Sarburch quodam ingenio mirabili obtinuerunt, multa per enormem potentiam auxilio Ducis Lotharingiæ, de Seyne & de Lucelburg Comitum perpetrantes. Castra vero & munitiones a fidelibus Ecclesiæ custodiebantur constanter; omnes majorem majori quam sancti Paulini præposito favorem quantum ausi fuerunt adhibentes; Palatium quoque custoditum erat a fidelibus Ecclesiæ, qui quadam die sicut præconsultum fuerat, per portam Mosilini auxiliarios majoris præpositi intromittentes victualibus & hominibus supervenientibus, munierunt Palatium, domos etiam adversariorum suorum undique destruentes; insultum fecerunt contra illos de Ponte & Turri Ricardi militis de Ponte, ubi captus fuit Theodoricus Blankennem præpositus Prunnensis, & plures hinc inde vulnerati. Postmodum etiam ab illis de Palatio, qui frequenter incursus facere consueverunt contra illos, qui erant in majori Ecclesia, & illos de Ponte, captus fuit Rodolfus de Ponte filius fratris præpositi sancti Paulini; item alia vice Dominus Arnoldus de Rupe, Bobolo de Vilario, Theodericus de Lincerio, Arnoldus & alii quidam nobiles capti sunt, & in Palatium deducti, cum præsens esset tunc in civitate Treverensi Comes Lucelburgensis, ejus in Palatium propter hoc insultum fecit, per unum diem & noctem ipsum quotidie impugnando; sed muri fortitudo, & viri intus magnum suo conatui resistebant, ita quod nihil profecit, sed in sua machinatione defecit. Quia igitur per grave dispendium ad breve compendium sæpe devenitur, & cum hinc inde Electi tanquam molares essent æqualiter fere duri, per consilium virorum prudentium ad tractandum de bono pacis est dies collecta primo juxta villam Nuovele & diversis habitis circumgiracionibus consiliorum, cum etiam Sedes Romana illa vice vacaret, hæc discordia non multo durans tempore amicabiliter est sopita, ita quod cessit præpositus sancti Paulini, & postea non post multos dies in Castro Sarburg, quod per compositionem aliquandiu tenere debuit, debita naturæ persolvit. Dominus Arnoldus major Præpositus, qui quasi coactus ab amicis regimen Episcopale sedis suscepit, cum & ipse homo litteratus & peritus in jure esset, electionem suam in potestatem Domini Innocentii Papæ quarti transmisit; ut si quis esset defectus in electione vel negligentia in compositione suppleret de plenitudine potestatis. Dominus vero Papa propter personæ prudentiam, quæ sibi per famam innotuerat & amicorum potentiam, quæ tunc contra imperium opportuna erat, electionem suam liberaliter confirmavit, defectum supplevit, super irregularitate vel negligentia quacunque dispensans, pallium, quod Romæ raro accidit, gratis transmisit sub hac forma: Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei dilecto filio Electo Treverensi salutem & apostolicam benedictionem. Cum pallium, insigne videlicet pontificalis officii ex parte tua fuisset a nobis per dilectum filium Abbatem Sancti Maximini Treverensis nuncium & procuratorem tuum ad hoc specialiter constitutum, cum ea qua decet instantia postulatum; nos tuis supplicationibus annuentes, ipsum de corpore Beati Petri sumptum per eundem abbatem assignandum tibi per ipsum duximus destinandum, ut illud tibi assignet sub forma, quam ei sub bulla nostra tradidimus interclusa; sibi eum vendicans amicum & principem specialem, favore ipsum amplectens & prærogativa gratiæ specialis, quod opere & effectu ostendit patenter; omnes enim dignitates & beneficia ecclesiastica quæ electionis suæ tempore obtinebat non modicorum redituum de anno ad annum continuata gratia ad tempora vitæ suæ retinenda concessit sub hac forma. Innocentius Episcopus servus servorum Dei dilecto filio Arnoldo Electo Treverensi salutem & apostolicam benedictionem. Promerente tuæ devotionis promptitudine quam & fidei puritate constantis te speciatim inter devotos Romanæ Ecclesiæ dignum fore providimus, ut te spirituali prærogativa favoris & gratiæ prosequentes, petitionibus tuis quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Cum igitur sicut ex parte tua fuit coram nobis propositum mensæ tuæ redditus propter guerrarum discrimina sunt adeo diminuti, quod sufficere nequeunt ad sustinenda opera, quæ incumbunt pro deffensione tuæ Ecclesiæ, ac etiam ecclesiasticæ libertatis; nos devotionis tuæ precibus benignum præbentes assensum auctoritate præsentium tibi indulgemus ut beneficia ecclesiastica, quæ electionis tuæ tempore obtinebas, illis duntaxat exceptis, quæ de mandato nostro aliis sunt collata, retinere libere valeas usque ad nostræ beneplacitum voluntatis; multis enim benevolentiis & aliis gratiis favorabiliter honorando. Erigente ergo se Domino Archiepiscopo, a Moguntino & Coloniensi Archiepiscopis ac Tulensi Episcopo cum aliis solemniter consecrato, ad

ad Ecclesiam Trevirensem sibi commissam alacriter gubernandam, diversi diversimodi, ut moris est in quibusdam novitatibus, se sibi opponere tentaverunt; de quibus aliquos potentialiter debellando, quosdam per amicitias confovendo, conpescuit sapienter. Inter quos quasi alter Nero quidam dictus Zorno, Marsalcus Ducis Bavariæ castrum Turron in commisso tenens; rebellionis cornua contra Dominum Archiepiscopum nimis nequiter & crudeliter protendere non expavit; quem tanquam Leo Magnanimus idem Dominus Archiepiscopus propter multa sua facinora conterere ordinavit. Idem enim Zurno mulieres prægnantes, quas captivas tenebat, compeditas in partu expirare coëgit. Clericos & Laicos indifferenter per longas captivitates afflixit; ecclesiasticas personas & res crudeliter invadere non expavit. Homines quoque dicti Archiepiscopi proditione pessima inhumaniter interfecit. Unde exasperatus Dominus Archiepiscopus contra eum tanquam Elephas, qui ex ostentione cruoris incitamentum furoris recipit, qualiter se vindicaret in homine tam inhumano disponere non tardavit. Convocatis ergo consanguineis, fidelibus & amicis, consilium habuit, quod castrum Turum obsedit; & in obsidione fere per biennium perseverans auxilio vicinorum, & universitatis totius Diœcesis, qui de Tirannide dicti Zornonis multa perpessi fuerant pericula, & dispendia; Cepit castrum ipsum, licet Dux & sui variis collocationibus expeditionum castrum liberare & Archiepiscopum removere tentassent multis vicibus importune. Tandem tamen intantum, (cum jam deficerent in victualibus castrenses,) exercitus invaluit Ducis, & suorum, quod Archiepiscopum Coloniensem in socium Treverensis Archiepiscopus accersivit, eum participem faciens laborum & expensarum, medietatem Castri sibi & Coloniensi Ecclesiæ impertiendo. Ratio & participationis causa hujusmodi præcipue tunc illa fuit, quia in turri anteriori jus habuit Ecclesia Coloniensis, & ut fortius Ecclesia Treveri Duci, & suis fautoribus possit communicato auxilio Coloniensis Ecclesiæ resistere in futurum; quanta cæde suorum, & quantis expensis expugnaverit castrum Archiepiscopus Treverensis idem tædiosum esset per singula explicare: Quilibet autem, qui discretione non caret, hæc potest, cui nota est rei experientia, æstimare. Potitus ergo suo desiderio Archiepiscopus, mente excitus, animo elevatus, gratias agens Domino Deo, & Beatæ Virgini suæ genitrici, Beatoque Petro Apostolo de tam glorioso triumpho, Capellam in loco, qui Lindemburg, dicitur ad honorem Dei & suæ genitricis construxit, & dedicavit in memoriam sempiternam. Conveniens autem videtur ut quædam, licet diversis temporibus, acta hoc loco ad ipsius gestorum cumulum inserantur. Oculo considerationis suæ, prout vir erat discretus, in omnibus circumspectus, muro civitatem Treverensem, & præcipue ex opposita parte munitionum illorum de Ponte provide circumsepsit, excludens castella cum incolis, qui sæpe civibus Treverensibus fuerunt importuni, portam & turrim instituens contra eos qua ex re nomen est sortita Invidiosa porta. Palatium in ædificiis intus plurimum emendavit. Domum apud Palcele pulchro & laudabili opere renovavit. Castrum Pilliche pro eo quod fuerat immunitum, cui multæ præ cæteris inferebantur minæ, turribus quatuor a latere, & supra portam sic munivit, quod nunc inexpugnabile reputatur. Castrum Avaz alienatum ab Ecclesia Trevirensi ad jus Ecclesiæ revocavit, & turri firmavit. Monasterium oppidum in Meinvelt circumvallavit, & in parte murari fecit. Oppidum Confluentum, quod quasi villa campestris omnibus patuit, circumvallari, & circumsepi ac in parte murari procuravit; advocatiam ibidem sibi titulo pignoris conquisivit; domum super insulam prope Valindre collapsam cum capella ibidem laudabili opere renovavit. Oppidum Hardinfels emit, & circumvallavit, quod Ecclesiæ Trevirensi applicuit & donavit. Oppidum Stolcinvels cum castro muniri præcepit. Omnes Ecclesiæ suæ munitiones emendavit, & in pluribus augmentavit. Ecclesiæ suæ privilegia contra quemlibet strenue observando legationem commissam Coloniensi Archiepiscopo per Alemanniam, quia per hoc libertati Treverensis Ecclesiæ derogari videbatur, utpote quæ non nisi de latere Domini Papæ missum tenetur recipere Legatum ratione Primatiæ revocari, destinatis ad Dominum Papam procuratoribus idoneis, procuravit. Castrum firmatum a Wirico de Dune prope montem Urtiche captivatis Castrensibus devastavit. Dominum Rasponem Lantgravium Turingiæ & Hassiæ virum illustrem, magnificum & potentem de voluntate & mandato Domini Innocentii Papæ quarti una cum Moguntino & Coloniensi Archiepiscopis in Regem Romanorum elegit contra Dominum Fridericum Imperatorem, & natum suum Conradum, quos idem Papa apud Lugdunum sententialiter dignitate privaverat, & honore. Igitur collecto exercitu copioso Conradus apud Franckinvorth ad resistendum dicto Lantgravio se recepit. Convenientibus sibi in occursum ipsius eodem Lantgravio cum congregatione Archiepiscoporum trium prædictorum ac Episcoporum undique de mandato Apostolico collectorum cum eorum adjutoribus in die Beati Oswaldi prope Franckinvorth prœlium commiserunt, ubi mediante clementia divina victis, fugatisque & multis captis adversariis a memoratis Lantgravio & Archiepiscopis victoria est obtenta; & quia nihil in humanis rebus est stabile vel perpetuum, post tam gloriosam victoriam præfatus Lantgravius intra brevis temporis spatium est defunctus. Ad reprimendam itaque potentiam sæpe dicti Friderici & Conradi, Dominus Wilhelmus de Hollandia Comes mediante Legato sedis Apostolicæ per memoratos Mogontinum, Treverensem & Coloniensem Archiepiscopos præsentibus Ducibus, Comitibus & terræ nobilibus pluribus apud villam Wurunch

runch in Romanorum Regem ſolemniter eſt electus. Hunc Regem Wilhelmum Dominus Arnoldus Treverenſis Archiepiſcopus ſpecialiter fovit, eumque cum magna multitudine ſuorum & advenientium in ſuis expenſis per octo hebdomadas apud Erbretſtein, Montabor, & aliis ſuis locis retinuit, omnia neceſſaria largiter ſibi miniſtrando. Poſt mortem Domini Friderici prædicti cum etiam iſte Rex Wilhelmus Conradum filium Friderici apud Oppenheim per ſuam validiorem potentiam repreſſiſſet, vocatus eſt a Domino Papa per ſolemnes nuncios & litteras, ut Lugdunum veniret, cum quo vocatus ſimiliter Dominus Treverenſis cum LX. equitaturis & copia rerum advenit; ac a Domino Papa idem Dominus Archiepiſcopus cum tanto honore eſt receptus, quod etiam ipſi aſſurgens, pacis oſculum ore dedit, & habito ibidem tractatu de negotiis Imperii quindecim intervallo dierum, cum nullus Princeps Alemaniæ præter eum ibi eſſet, Dominus Papa in die Paraſceve ſermonem in ſuo idiomate ad populum fecit; in cujus latere ſtans Dominus Archiepiſcopus Regi & Teutonicis expoſuit verba Papæ. Dimiſſis itaque eis, Dominus Papa iter cum ſuis verſus Lombardiam arripuit, multas grates referens dicto Archiepiſcopo, quod eidem Regi bene fecerat, & fideliter ſe habuerat in negotiis Eccleſiæ; quodque ipſum Papam, Cardinales & Notarios, Hoſtiarios & nuncios honoraverat copioſis, & pluribus donativis. Benedictione itaque recepta a Domino Papa Rex & Archiepiſcopus ad patriam ſunt reverſi; & poſt modicum temporis ſpatium, quia ludit in humanis divina potentia rebus, idem Rex Wilhelmus juvenis & potens in Imperatorem proxime coronandus, a Friſonibus eſt caſu lamentabili miſerabiliter interfectus. Dominus etiam Papa Innocentius non poſt multum temporis ſpatium de hujus vitæ ergaſtulo a Domino eſt vocatus. Vacavitque Imperium amplius, quam per annum. Demum Principes Alemanniæ, ad quos jus electionis pertinere dinoſcitur, diem ad tractandum de electione collegerunt; & varias pro dolor! diviſa ſunt eorum vota in partes. Dominus enim Conradus Colonienſis Archiepiſcopus propter pecuniam innumeram ſibi datam virum Anglicum Dominum Ricardum Comitem Cornubiæ germanum Regis Angliæ, non zelo juſtitiæ, ſed deſiderio pecuniæ in Regem elegit, & Dominum Gerardum Moguntinum Epiſcopum tunc captum in Turingia, & liberatum pro octo millibus ſtirlingorum marcarum ex parte dicti comitis Cornubiæ; Comitemque Palatinum Rheni pro decem millibus marcharum allectum in partem ſuam traxit; Dominus vero Arnoldus Treverenſis Archiepiſcopus cum Duce Saxoniæ, qui miſſus fuerat ad ipſum ex parte Regis Bohemiæ, & Marchionis Brandenburgenſis, fidem debitam Imperio attendentes, ſalubriter & prudenter, virum alienigenam pro pecunia nullatenus eligere voluerunt. Quindecim enim millia marcharum ſtirlingorum oblata fuerunt eidem Archiepiſcopo Treverenſi, nec ſuum animum flectere potuerunt. Quæ quantitas pecuniæ, ut tunc referebatur a multis, fortaſſis totam Romanam curiam commoviſſet. Propter hujusmodi igitur conſtantiam viri, quaſi ſtatua, immobilis, memorati Principes Imperii Electores ſuam electionem illa vice eidem Domino Archiepiſcopo Treverenſi per ſuas patentes litteras commiſerunt, ut quemcunque, præter Anglicum, ſuo, & ipſorum nomine eligeret, ratam & firmam hujusmodi electionem haberent. Ipſe adductis ſecum Spirenſi & Wormatienſi Epiſcopis ac aliis pluribus nobilibus terræ, in manu forti & comitatu decenti, die certa Franckenfort aſſignata proceſſit. Et ibi virum magnificum Dominum Alfonſum Regem Hiſpaniæ, illuſtris Regis Bohemiæ, & inſignis Ducis Brabantiæ, nepotem, in Romanorum Regem Imperatorem futurum ſuo nomine, & vice prædictorum Principum cum ſolemnitate debita elegit, omnium qui aderant, accedente applauſu lætifico & conſenſu. Hac die electionis honor Trevirenſis per factum tam glorificum eſt inæſtimabiliter ſublimatus, quod tam excellentes Principes dicto Domino Archiepiſcopo Treverenſi ſuis meritis exigentibus in tam arduo negotio vices ſuas committere decreverunt. Uterque itaque electus de ſe facta electione cum gratitudine acceptata ſuos procuratores ad curiam Romanam transmitit, & adhuc lite ſub judice perdurante, vitam præſentem finierunt Moguntinus & Colonienſis Archiepiſcopi memorati. Pacem & concordiam cum Eccleſiis ſuis habuit Dominus Arnoldus Archiepiſcopus, qui ſibi etiam in omnibus neceſſitatibus ſuis plurimum ſervierunt. Omnes etiam Archidiaconi, quos ipſe temporibus ſuis inſtituit, viri ſtrenui & diſcreti, ipſius erant conſanguinei & amici, & fere omnes Prælaturæ ſuis diebus Treveri vacaverunt, quas ipſe prudenter de perſonis idoneis reſtauravit tam in Abbatiis, quam in aliis Prælaturis. Completis autem diebus ſuis in pace tandem apud caſtrum Montaburg, quod ſuus avunculus Dominus Archiepiſcopus Theodoricus a fundamentis conſtruxit, debita naturæ perſolvit, & deductus Treverim depoſitus eſt in majori Eccleſia Treverenſi ad ſiniſtrum latus Chori, prope altare ſanctæ Agnetis anno Domini 1259. nonas Novembris, pontificatus ſui decimo ſexto anno. Nec ſine miſtico præſagio hoc contigiſſe conjicitur, quod ipſe Dominus Arnoldus Archiepiſcopus in uno cornu chori majoris Eccleſiæ, & ſuus avunculus Dominus Theodoricus Archiepiſcopus piæ memoriæ in cornu altero ſunt locati, ut quaſi duo præcipua luminaria Eccleſiæ & diœceſis Treverenſis in perpetua memoria ab omnibus habeantur, qui Eccleſiam Treverenſem, Montaburg, Kyleburg, Thurum, Stolczenvels, Hardenvels caſtris conſtructis per eos, & conquiſitis ac augmentatis poſſeſſionibus & dilatatis terminis ac juriſdictionibus & libertatibus aliis plurimum illuſtrarunt & ſpecialibus titulis extulerunt; de quibus etiam metrice eſt conſcriptum in hunc modum.

„ Montabur & Kylburg conſtruxit Theodoricus;
„ aſt Thurum Arnoldus cœpit, dolet hinc inimicus
„ Stolczuuels firmavit, Biſchofsſtein primiciavit,
„ Hardenuels emit & infeudata redemit.
„ Arvum lætatur, quod juri reſtituatur.
„ Et ne perdatur iterum turri ſolidatur.
„ Commendat Trevir & Confluentia te vir,
„ Quod ſtant munitæ per multa prius mala tritæ.

Viris Religioſis humilibus & devotis ſe tanquam Paſtores benigni tractabiles in omnibus offerebant, & eos affectu ferventi fovebant, rebellibus & iniquis totis viribus ſtrenue reſiſtentes, quod multis patet evidentibus documentis. Plures virtutes & memorabilia opera dicti duo Archiepiſcopi perfecerunt, quæ non ſunt propter faſtidium legentium præſentibus annotata, quorum memoria apud homines in æternum permaneat, & animæ apud Deum perpetuo requieſcant in pace. Amen.

XXII.

XXII.
CATALOGVS EPISCOPORVM AVGVSTANORVM ET ABBATVM S. AFRÆ
usque al Friderici I. Imp. ætatem.

Diocletiano regnante beata Afra apud Augustam Vendelicam in insula Lici Cathomis cæsa, tandem igne consumpta est. Cujus corpus inde relatum, in propria possessione, ut antiquis erat moris, juxta domum suam ad australem plagam conditum, ubi circa ipsius memoriam infra septimanam Hilaria mater ejus cum Digna & Eunomia & Eutropia pro fide Christiana crematæ, & alii numero XXV. decollati sunt & tumulati. Dionysius etiam Episcopus factus, sedem Episcopalem martyrio sublimavit. Iste avunculus Sanctæ Afræ, Zosimas ante conversionem traditur esse nuncupatus, cujus depositionis dies vel ubi corpus ejus requiescat, causante sævitia barbarorum, hactenus incertum habetur. Hoc solum memoriæ commendatur, quod martyrio vitam finierit. Inventum est autem quoddam corpus ad Sanctum Martinum, ubi sigillum cereum repertum est habens inscriptum: Cyriacus Episcopus, de quo dicebatur, quod beatus Dionysius foret, sed nichil certum de hoc potest haberi. Inde est, quod in Kalendariis quibusdam inventio & translatio ejus reperitur, opinione magis, quam ratione veritatis.

PERWEIS. TAGEPERTUS.

Romana respublica semper augetur & crescit. R.R.P.S.A.E.C. Ipsa missa à Constantino & Constante Constantini Magni filiis ad Liberium Papam. Regnantibus Constantino & Constante, dum Romani nollent sic eis obtemperare, sicut Constantino Patri eorum, scripserunt eis omnia: Nos non oportet peregrinis obedire, sed peregrini nobis; apud nos enim fundamentum ecclesiæ.

WICHTERPUS. Hujus tempore beatus Magnus Augustam veniens, in cœnobio eum beatæ Afræ reperit, & consilio & auxilio ejus cœnobium construxit. Ex præceptoquoque præfati Episcopi omnem canonicam vitam ad S. Mariam & ad S. Afram ordinavit. Pipinus etiam Rex memorato Antistiti & ejus successoribus auctoritatem dedit in quodam saltu, quem S. Mariæ & S. Afræ tradiderunt, sicut ipse Rex privilegio proprio roborari fecit. Inde agnosci potest, sedem Episcopalem tam ad S. Afram, quam ad S. Mariam tunc temporis fuisse, dum Reges, ex quo Episcopatui dederunt, tam ad S. Afram quam ad S. Mariam conscribi fecerunt. Canonici autem S. Afræ rebus Ecclesiæ suæ libere potiti sunt, ut hodie Canonici S. Matricis Ecclesiæ suis libere utuntur. Hæc aliquid jure de his Episcopatui cessit. Fundus ergo beatæ Afræ non alia ratione attinet Episcopatum, nisi ut prædictum est. Non enim ab Episcopatu fundatus est, quippe cum Episcopatu imo ante Episcopatum cœpit, ut in passione beatæ Afræ legitur. Erat namq; locus ille possessio & proprietas beatæ Afræ, unde & sepulta ibidem est, videlicet in memoria, quam sibi suisq; construxerat, ut antiquis moris erat sepeliri in propria possessione: Ubi initio & in primordio Christianæ fidei, quæ in Augusta temporibus Diocletiani exorta est, post passionem S. Afræ ædicula vilibus ex lignis primo constructa est in memoriam Martyris. Post hæc Paganis ad instar fumi deficientibus Ecclesia à Christianis nova fit, & cœnobium cum Clericis construitur. Locus igitur ille Episcopis Augustensibus commendatus est, ut locus matricis Ecclesiæ ad Dei excubias providendas, & juxta antiquum statum non minori libertate præditus esse videtur, quam qua Cathedralis Ecclesia. Sic namque legitur dixisse S. Wichterpus beato Magno de quadam hæreditate Episcopatui collocata: Scias, quia post discessum meum hanc hæreditatem cupio permanere ad Sanctam Mariam & ad S. Afram. Sepultus est ad S. Afram, & miraculis coruscat. Sed quanti apud Dominum sit meriti, plenius in vita & visione beatæ Herlucæ agnosci potest. Obiit temporibus Pipini Regis Francorum IIII. Kal. Maj.

TOZZO. Iste per revelationem jussus est ire ad S. Gallum ad quosdam sanctos viros inde deducendos in Augustensem Episcopatum. Hoc miraculo glorificari meruit, quod cereus, quem secum detulit, nocte per se accensus est, quem nec ventus potuit extinguere, & mane lux per se subtracta est. Defuncto quoque beato Magno, vocem consolationis & vocationis ejus ad superna audivit. Quidam tradunt, eum in Hohemvurch sepultum, alii etiam scripto confirmant ad S. Afram inter alios Sanctos eum requiescere Pontifices.

SUITPERTUS. Iste à Karolo Rege Francorum, immo divinitus Augustæ Pontifex destinatus angelicam vitam inter homines duxisse, creberrimis signorum attestationibus probatur.

Digitized by Google

batur. Siquidem diversis incommoditatibus corporis laborantes frequenter per visum ammoniti, sæpe etiam spiritu eos illuc ducente sanitati integerrimæ restituuntur. Inde est, quod cerei & luminaria pene plura ab infirmis ibidem accenduntur, quam in toto illo Monasterio. Triginta annis rexit Ecclesiam Augustensem, & Ecclesiam S. Afræ ac alias ecclesias reparavit, quæ dissipatæ erant ex dissensione orta inter Principes Germaniæ post obitum Pipini Regis, multaque alia utilia Episcopatui, adjuvante Leone Papa & Karolo Rege patravit, quæ omnia enumerare longum est. Transiit ex hoc seculo ad cœlestia III. id. Octobris. Sepultus est ad S. Afram. Super hujus sepulchrum jussus est S. Odalricus congruum facere tectum, tanquam injustum foret, tam sancta membra injuriis imbrium & pluviarum patere. Noveris ergo, eum magni esse meriti, cujus cineribus talis honor deferri jubetur, cum multi cœlitus martyres & confessores sub divo requiescant. Cujus tumba in veteri Monasterio S. Afræ decenter ornata in choro venerabatur, post inventionem vero prædictæ martyris inde translatus ad australem partem, sub quodam sepelitur fornice.

HANTO. NITGER. Iste ad S. Afram sub quodam fornice ad caput S. Suitperti sepultus videtur, quem tamen quidam Mitkerum esse dicunt.

ODALMAN. WIGGER. LANTO.

ADALBERO septimus decimus post Dionysium martyrem præfuit omni sanctitate præditus. Cujus pretiosam mortem in conspectu Domini Romæ S. Marinus Papa intellexit, idque S. Udalrico, qui tunc temporis ibidem erat, intimavit. Sepultus est ad S. Afram, ad cujus sepulchrum multa infirmis præstantur beneficia. De hoc inter alia legitur - - - - - - - - - - - quibus in illo & in tali loco habundas, confer in cœnobio meo Deo ac mihi servientibus. Ipsa nocte Chora aliam matronam conveniens, sitim suam simili modo, ut expositum est, enumerat. Sicque obtinet vineas matronæ, quarum ipsa pollebat ubertate. Mane facto sibi invicem referunt matronæ, quæ viderant, & propere tradunt ad cœnobium omnem summam, quæ multa erat valde, illud delegantes. Vere pius & clemens Sacerdos, qui in præsenti vita licet caduca sibi devotos nulla patitur inedia affici, esuriem & sitim eorum in se, ut prædictum est, quodammodo transferens. Erat quidam miles obstinati animi, qui in eodem cœnobio hospitio exceptus minus splendide lautis cibariis serviri sibi causaretur, tandem in contumeliam fratrum prorumpens, reditus prædiorum direpturum ac multimodis se ulturum minatur. Nec dum verba finierat, & ecce traditur Satanæ tam in interitum spiritus, quam carnis. Amens namque effectus caput illisit parieti, donec cerebrum confregit. Sic miser sublatus de terra, decernente Constantiensi Episcopo, feris & avibus expositus est. Viderint, qui ingrati sunt beneficiorum S. Odalrici, quasi judicio subdantur.

HENRICUS. EUTICUS. LIUTOLDUS. Iste canonizari fecit vitam beati Udalrici Romæ à Johanne Papa.

GEBEHARDUS. SIGEFRIDUS.

Episcopi — Abbates

Augustani.

Episcopi	Abbates
PRUNO, cujus tempore Clerici beatæ Afræ, sive religionis abjectione, sive numeri paucitate deficientes, monachi cum Abbate Reginbaldo inibi sunt constituti.	REGINALDUS, primus hujus loci Abbas opere sanctitatis carus Deo & hominibus, Episcopus Spiræ electus est, ubi nunc in numero Sanctorum habetur.
EBERHARDUS, hic dedit S. Afræ pontem Lici & Harenam.	UGO.
HEINRICUS.	GOTESDEGEN.
EMBRICO, hic primo ordinationis suæ anno, qui est ab incarnatione Domini M.LXIV. datis ab antecessore ejus, L. talentis ecclesiam S. Afræ à fundamentis destruxit, & repertum est corpus S. Eutropiæ in plumbeo sarcofago II. Kl. Maj. corpus vero S. Afræ in lapideo sarcofago miræ magnitudinis integrum, & quodam cæmento obductum repertum est IIII. Nonas ejusdem mensis.	FRIDEBOLDUS. HEINRICUS. TIETO. AVELHALMUS. DIEMAR. SIGEHARDUS. HARTMANNUS. BERENGERUS. AVALBERO. EGINO. UDALSCHALCUS. HEZILO. ODALRICUS. HEINRICUS. MANEGOLDUS.
SIGFFRIDUS.	
HERIMANNUS.	
WALTHERUS.	
KUNRADUS, iste in extremis agens, monachum se fecit in cœnobio S. Afræ, & in Capitulo est sepultus.	
HARTWIGUS.	

Digitized by Google

XXIII.
BREVE CHRONICON EPISCOPORVM RATISBONENSIVM EX CHRONICA CONRADI DE MONTE PVELLARVM CONFECTVM.

* * *

Paulinus, Ratisbonensis Episcopus primus.

Ex Chronica Magistri Conradi de Monte puellarum, Canonici Ratisponensis Ecclesiæ.

HUc usque, scilicet ad tempora Gelasii Papæ, non lego aliquem Episcopum præfectum fuisse Ratisponensi civitati, excepto primo scilicet Paulino, qui sub Gelasio Papa à Sancto Severino præmonitus, Ratisponensi Ecclesiæ Præsul est præfectus, sed in quo loco civitatis ejusdem tunc Ecclesia cathedralis fundari cœperit, non invenio scripturis insertum. Ex veteribus autem ædificiis probabiliter elici potest, quod à principio in eo loco infra muros civitatis versus Danubium, ubi postea continuabitur, citra littus ejusdem fluvii meridionale, videlicet structura pusilla fuerit incepta capellæ ad instar, quæ crescente fide Catholica, per fideles acceperat incrementum. Sunt autem hujusmodi structuræ sæpius igne destructæ, & iterum reformatæ quo usque nunc, quoniam Anno Domini MCLII. Ecclesia Cathedralis Sancti Petri, Sanctæ Mariæ veteris capellæ, Sancti Johannis inferioris Monasterii, & tota civitas igne perierunt in die Sancti Tiburtii & Valeriani. Sic postea videlicet Anno Domini MCCLXXIII. iterum Ecclesia Cathedralis voragine ignis fuit contrita, & campanæ omnes liquefactæ. Nunc autem Divina favente prudentia, in citeriore loco versus Austrum solennissima ejusdem Ecclesiæ Cathedralis inchoata est structura, pro magna parte consummata, quotidianum fidelium eleemosynis & auxiliis suscipiens incrementum, quam Deus per suam misericordiam perficiat, & statum ipsius emendet ex multitudine suæ ineffabilis pietatis. Fuit autem olim hæc Ecclesia consecrata in honore Sancti Remigii Episcopi & Confessoris Ecclesiæ Remensis, ubi prædictus & Beatissimus Confessor, quondam Archiepiscopus, miraculis fulgebat, sed postea eodem mutato prænomine, in honore Sanctæ Trinitatis ac Beatæ Virginis Mariæ, & Beati Petri, Principis Apostolorum, eadem Ecclesia fuerat consecrata. Redeamus ergo, unde sermo de Paulino Episcopo, qui, quando decesserit, quis ei immediate successerit, vel si aliquis eidem subrogatus fuerit, incertum est. Habuit quidem Ratispona postmodum Episcopos, sed posterorum memoriæ non sunt commendati, quoniam aut hæretici, aut adventitii fuerunt, sicut referunt quidam. Hæc omnia M. Conradus.

II. *Ratharius.*

Anno Domini DCCIIII. Ratharius ex advena Ratisponensis Sedis Episcopus & Præfectus.

III. *Gaubaldus I. sedit annis XXII.*

A Bonifacio præcepto Gregorii secundi Gaubaldus Ratisponensis Episcopus ordinatur primus Latinus. Nam antea non erant Latini Pastores. Sed hoc quidam scribunt factum fuisse sub Zacharia Papa: Ab illo Gaubaldo notabiles & approbati Episcopi numerantur. Sub illo etiam Episcopo Bavaria nuper fuit ab hæreticis mundata, & in parochias divisa.

IV. *Synbertus II. sedit annis XXXIIII.*

Anno Domini DCCLII. Synbertus Ratisbonensis Ecclesiæ præficitur Episcopus. Hic anno regiminis sui XXXII. vel XXXIII. Monasterium Sancti Emmerani Ratisponæ magnifice fundavit, jussu & sumtu Karoli Magni, eo tempore, quo Karolus Magnus adhuc fuit Patricius Romanorum, id est, pater & tutor pupillorum & viduarum.

V. *Adelbinus III. sedit annis XIV.*

Anno Domini DCCLXXVIII. Adelbinus Ratisponæ Ecclesiæ præficitur Episcopus. Hic juxta Decreta Canonum & cum autoritate Leonis Papæ, in præsentia piissimi Imperatoris Karoli, recta ratione in Synodali Concilio, cum judicio Episcoporum, Clericorum, nec non nobilium laicorum, de loco, in quo nunc se Monasterium Sancti Emmerani (continet) Cathedram Pontificalem immutavit, & Canonica autoritate in civitatem in Ecclesiam Sancti Stephani Protomartyris statuit, & suæ successorumque suorum proprietati ac potestati deinceps in futurum abalienavit.

VI. *Bituricus IIII. sedit annis XXVI.*

Anno Domini DCCCIIII. Baturicus Ratisponensi Ecclesiæ præficitur Episcopus. Item à Baturico, Episcopo Ratisponensi Hemma Regina, mater Karoli Imperatoris, Monasterium Sanctæ Mariæ in civitate Ratisponensi, quod Obermunster dicitur, solenni & legitimo concambio recepit pro Monasterio in Mansee, quod Regina eadem Ecclesiæ Ratisponensi dedit in recompensationem. Utrum autem Karolus iste, cujus hic fit mentio, fuerit Secundus, vel Tertius hujus nominis Imperator, certum habere non potui.

VII. Er-

Digitized by Google

VII. *Erthanfridus V. sedit annis VIIII.*

Anno Domini DCCCXL. Erthanfridus Ratisponensi Ecclesiæ præficitur Episcopus.

VIII. *Embicho VI. sedit annis XXX.*

Anno Domini DCCCL. Embicho Ratisponensi Ecclesiæ præficitur Episcopus. Iisdem temporibus Rathardus Presbyter apud Diensfensse, quod per sonitum aquæ ibidem decurrentis nomen accepit, Monasterium Sancti Gregorii Martyris ibidem construxit, ibique Canonicos Regulares Ordinis Beati Augustini coadunavit. Hoc postea per Arnulphum, Ducem & Comitem Palatinum, perditionis filium, penitus est destructum, & ab inhabitatione hominum per multa temporum curricula mansit desolatum, donec per alios Christi fideles extitit restauratum.

IX. *Aspertus VII. sedit annis IIII.*

Anno Domini DCCCLXXX. Aspertus Ratisponensi Ecclesiæ præficitur Episcopus.

X. *Tuto VIII. sedit annis XXXV.*

Anno Domini DCCCLXXXV. Tuto, Monachus & custos Ecclesiæ Sancti Emmerani, Ratisponensi Ecclesiæ præficitur Episcopus.

XI. *Isengrinus sedit annis XI.*

Anno Domini DCCCCXXI. Isengrinus Ratisponensi Sedi præficitur.

XII. *Conradus sedit mensibus VI.*

Sciendum, quod post Isengrinum quidam Ratisponensi Ecclesiæ dicunt Conradum præsedisse.

XIII. *Guntharus sedit mensibus VI.*

XIV. *Michael sedit annis XXVII.*

Gunthato anno Domini DCCCCXXXIIII. successit Michael, qui sedit annis viginti septem. His temporibus Eberhardus, Comes præpotentissimus, genere spectabilis, fraterque ejus Adelpero in castro Ebersperg Monasterium Ordinis Beati Augustini Canonicorum Regularium fundaverunt, postea tamen Udalricus, filius dicti Adelperonis, Ordinem Canonicorum ibidem in nigros Monachos commutavit. Dicitur autem Ebersperg ab apro, qui locum eundem, antequam ibidem esset castrum, cum venaretur, à Sighardo Comite, qui fuit avus prædictorum Comitum, scilicet Eberhardi & Adelperonis, designavit, de quo longa esset historia, quam causa brevitatis omitto. Item prædictus Eberhardus etiam Monasterium super Ilmam fluvium dictum Gensenfeld Ordinis Beati Benedicti de bona voluntate suæ conjugis Alheidis ad laudem & gloriam nominis Dei inchoavit, & laudabiliter Domino concedente consummavit.

XV. *S. Wolfgangus sedit annis XXII.*

Anno Domini DCCCCLXXII, quo Otto I. obiit, S. Wolfgangus Ratisponensi Ecclesiæ præficitur Episcopus. Hic nomen suum, sicut in Legenda sua legitur, per semet ipsum interpretatus est. Nam in quodam armario, quod ipse construi præcepit, inter reliqua, sicut erat peritissimus poëmatis compositor, ita scripsit:

Struxerat ædiculam Mandrita Lupambulus istam.

Hic Ratisponæ fundavit Monasterium S. Pauli, instituens ibi Sanctimoniales Ordinis S. Benedicti. Hic S. Wolfgangus altare primæ fundationis Monasterii in Malherstorff, quod Henricus & Ernestus ejus filius Comites de Kirichperg fundaverunt, procurante Purchardo, primo ejusdem loci Abbate, in honore S. Johannis Baptistæ dedicavit. Hic etiam montem prope Weltumburg incastellavit, & Ecclesiam S. Mariæ Virginis ibidem dedicavit. Hic in Bohemia provincia, quæ tunc sub Ratisponensis Ecclesiæ parochia extitit, & noviter Christiana fide imbuta sacrilega idola abjecerat, rogatu Ottonis Cæsaris, Episcopatum ibidem per modum concambii fieri concessit, super quo & ipse privilegium composuit. Dum autem Primates sui sibi consulerent, ne ipse in hæc consentiret, dixit: Pretiosam margaritam sub prædictæ provinciæ terra latentem conspicimus, quam nisi venditarum comparatione rerum non adquirimus.

XVI. *Gebehardus, sedit annis XXVI.*

Gebehardus Primus hujus nominis Ratisponensi Ecclesiæ præficitur Episcopus. Hic in territorio urbis Ratisponensis nomine communi Pruel vocitatum, Monachicæ vitæ aptum, Dei servitio construendum & ascribendum elegit. Quem videlicet locum, prout ejus erat facultas, construens, construendoque usque ad finem producens, temporibus Henrici II. Piissimi ac Magni, & adeo coronati Regis successoris ac consanguinei divæ memoriæ Ottonis Imperatoris Augusti, in honore S. Spiritus Paracleti, & Sanctorum Bartholomæi, Viti, Georii, & aliorum multorum, quorum nomina in ipsa Ecclesia sunt scripta, dedicavit. Et quia idem locus Monachis S. Emmerani famulando subjacebat, ne aliqua exigente penuria, murmur & reclamatio in posteris temporibus haberetur, quædam bona S. Emerani Monachis firmiter concambiendo concessit. Hic privilegium, quo dictum Monasterium Pruel privilegiavit, unde etiam prædicta sunt excerpta, cum clausula subscripta conclusit. Proinde, quisquis es meus futurus successor, te precor, te efflagito, te posco, te peto, te admoneo, te obtestor per Spiritum Paracletum, quem in Baptismo accepisti, in cujus videlicet honore hæc domus specialiter est consecrata, ne regularem vitam inibi patiaris destrui, nec in aliquo minui, sed certus de æterna remuneratione, facias augeri, & semper in melius proficі. Eadem clausula duo successores ejus æquivoci nominis, scilicet Gebhardus II. & Gebhardus III. privilegia, quibus dictum Monasterium privilegiaverunt, concluserunt.

XVII. *Gebehardus II. sedit annis XIII.*

Anno Domini MXXII. Gebhardo I. Ratisponensis Ecclesiæ Episcopo, successit in Episcopatu Gebhardus II. Augustiensis Canonicus.

XVIII. *Gebehardus III.*

Anno Domini MXXXVI. Gebehardus III. hujus nominis Ratisponensi Ecclesiæ præficitur Episcopus. Hic Gebehardus fuit patruus Henrici Imperatoris II. Dum autem Ungari Anno

Digitized by Google

XI. Regni sui iterum rebellarent, ipse Gebhardus vice ipsius Imperatoris eis obviam veniens, ipsos in fugam conversos, non minima cæde afflixit. Insuper urbem Heinburg, in Marchia positam, ædificiis restauravit, & militari custodia muniri fecit, ipseque cum summa pace regressus est. Postea tamen anno VII. ipse Gebehardus hostis occulte pessimus Henrici Imperatoris deprehensus & convictus, custodiæ mancipatur, sed misericorditer tractatus, exilio remittitur, & sedi pristinæ restituitur.

XIX. *Otto sedit annis XI.*

Anno Domini MLXII. Otto Ratisponensi Ecclesiæ præficitur Episcopus. Septem Fratres de natione Scotorum, quorum nomina sunt hæc: Frater Marianus, Frater Muchertachus, Frater Clemens, Frater Gervasius, Frater Isaac, Frater Donatus, venerunt Ratisponam, & sicut legitur in Chronicis, quendam mortuum nomine Zaudolfum, nuper in patibulo ejusdem civitatis suspensum, precibus suis resuscitaverunt, ac tempore Ottonis tunc Ratisponensis, locum, ubi nunc est Prioratus S. Petri, extra muros civitatis inhabitare cœperunt. Quomodo autem historiæ conveniant, quod legitur, Marianus cum sociis, & Otto Ratisponensis Episcopus fuisse tempore Karoli Magni, Chronicorum scriptores videant. De hoc tamen quoddam privilegium in quodam registro reperi, cujus tenorem huic operi inserui, quod lege si placet:

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Henricus, divina favente clementia, tertius Romanorum Imperator Augustus, omnibus Christi fidelibus, tam futuris, quam præsentibus notificamus, ac manenti memoriæ committimus, qualiter tempore Ottonis Ratisponensis civitatis Episcopi, quidam Scotigenæ pro cruciando corpore salvandaque anima, patria sua exularunt, ac diu orationum loca visitantes, Ratisponam tandem venerant. Qui dum licentia prædicti Episcopi assensuque Dominæ Abbatissæ villæ, quæ tunc apud S. Mariam in Monasterio superiori præerat, Ecclesiam in Wihen S. Petri dictam ad idem superius Monasterium attitulatam, ministerio orationis providendam susciperent, mox officinas claustri adjutorio bonorum ædificant, Monachicamque vitam inibi celebrant, & ab eleemosynis tantum victitant. Tandem pro Dei misericordia concessum est eis aliquantulum justitiæ & utilitatis, ad eandem Ecclesiam pertinentis. Deinde ad me, Henricum Dei gratia Romanorum Imperatorem Tertium veniunt, & mundibiurbium defensionis meæ expetunt. Ego vero petitionibus eorum adquiescens, in mundium defensionis eos suscepi, & talem libertatem a prædicto Episcopo Ottone, & Abbatissa Hasega, quæ tunc locum Sanctæ Mariæ in Monasterio superiori regebat, eis adquisivi, ut nulla persona major vel minor in eos, aut in bona eorum qualiacunque, dominationem habeant præter me & successores meos Reges vel Imperatores, sed securi maneant absque omni ejectione vel turbatione orantes pro se, & pro salute totius Ecclesiæ, locus tamen subjectus sit superiori Monasterio, cui attitulatus est, ad defensionem potius, quam ad destructionem &c. Datum Kalend. Februar. anno Dominicæ incarnationis MLXXXVIII. indictione XII, anno vero ordinationis Domini Henrici XXXI. Imperii vero anno V. Actum Ratisponæ in Dei nomine feliciter.

XX. *Gebehardus IIII. sedit annis VII.*

Anno Domini MCIII. Gebehardus IIII. Ratisponensi Ecclesiæ præficitur Episcopus. Hic anno septimo electionis suæ in Pechlaren occiditur. Et quia non consecratus defunctus est, alii non ponunt in Catalogo Pontificum Ratisponensium.

XX. *Hartwicus I. sedit annis XVI.*

Anno Domini MCX. Hartwicus Ratisponensi Ecclesiæ præficitur Episcopus. Hic Monasterium Pruelen, ab antecessoribus suis constructum, sed postea annihilatum & lapsum, à Richardo autem septimo ejusdem loci Abbate, adjuvantibus Christi fidelibus reædificatum, & ut cernitur, venuste restauratum dedicavit Pontificatus sui anno primo. Anno Domini MCXX. consecratum est Monasterium S. Jacobi Ratisponæ à venerabili Hartwico, Episcopo Ratisponensi.

XXI. *Chuno sedit annis V.*

Anno Domini MCXXVI. Chuno, qui fuit Abbas in Sigwert, Ratisponensi Ecclesiæ præficitur Episcopus. Item Monasterium in Ebrach fundatur.

XXII. *Henricus sedit annis XXIIII.*

Anno Domini MCXXXI. Henricus, Babenbergensis Canonicus, Ratisponæ præficitur Episcopus. Hi omnes supradicti Ratisponenses Episcopi sepulti sunt apud S. Emmeranum, exceptis duobus, scilicet Gebhardo IIII. & Hartwico. Jam dictus vero Henricus Ratisponensis Episcopus, Anno Domini MCLV. apud S. Emmeranum Monachus factus obiit. Hic Henricus fuit filius Ottonis de Wolffharthusen, Major domus, qui, inquam, Otto habuit duas filias Rickentzam, Lotharii Imperatoris uxorem, & Mariam, Imperatricem Græcorum. Item Halsprun fundatur.

XXIII. *Hartwicus II. sedit annis IX.*

Anno Domini MCLV. Hartwicus, Saltzburgensis Ecclesiæ Canonicus, Ratisponensi Ecclesiæ præficitur Episcopus. Hic Monasterium S. Magni, Ordinis Beati Augustini Canonicorum Regularium dedicavit, & auctoritate ordinaria privilegiavit.

XXIIII. *Eberhardus sedit annis II.*

Anno Domini MLXVI. Eberhardus Svevus, Augustiensis Canonicus, Ratisponensi Ecclesiæ præficitur Episcopus.

XXV. *Chuno sedit annis XVIII.*

Anno Domini MCLXVII. Chuno II, Ratisponen-

ponensis Canonicus, Ratisponensi Ecclesiæ præficitur.

XXVI. *Conradus I. sedit annis XVIII.*

Anno Domini MCLXXXV. Chuno, Ratisponensis Episcopus obiit. Postea vacabat Episcopatus per annum. Legitur autem, quod anno Domini MCLXXXV. Godefredus, Cancellarius Friderici Imperatoris primi, electus fuerit in Ratisponensem Episcopum, qui fere anno transacto huic electioni renunciavit, & sic dicitur forte per annum. Postea anno Domini MCLXXXVI. eligitur Conradus de Laichling, Vice-Dominus cognominatus.

XXVII. *Conradus II. sedit annis XXII.*

Anno Domini MCCIIII. Conradus, Frisingensis Ecclesiæ Præpositus, Ratisponensi Ecclesiæ, electione universorum, præficitur Episcopus. Hic vir justus, & per omnia religiosus & castus, vendito patrimonio suo septem millibus librarum, cum esset ex antiqua & nobili prosapia, filius Henrici, Comitis de Frontenhusen, hospitum pauperum in ponte Danubii fecit, possessionibus extulit Castrum Deyspach, Werde, Kunigswart, & alteram Pewren Episcopatui adjecit, Ecclesiam S. Emmerani in multis desensavit. Obiit anno Domini MCCXXVI. Hic Conradus Episcopus per amicabilem compositionem determinavit super electione ac institutione Prioris S. Petri extra muros Ratisponæ, inter Dominam Abbatissam & Conventum superioris Monasterii ex una parte, & ex altera inter Abbatem & Conventum S. Jacobi. Forma autem compositionis, quæ habetur in privilegio desuper confecto, talis est:

Quando Prioratus S. Petri vacabit Priore, Abbatissa superioris Monasterii veniens ad Abbatem & Conventum S. Jacobi, & Deum præ oculis habens, petat aliquem Scotum de ipso Conventu, vel de Fratribus S. Petri idoneum sibi dari Priorem. Et si bonus & idoneus, quem postulaverit, dandus erit in Priorem Ecclesiæ prænominatæ. Si vero Abbas & Conventus S. Jacobi, vel major & sanior pars ejusdem, bona fide ac sana constantia, secundum Deum & in salute animarum suarum, meliorem & utiliorem inter se poterunt Abbatissæ demonstrare: hunc sibi, si præsens est, demonstratum, vel absentem denominatum, à primo recedens Abbatissa postulet, recepturum, primo de manibus ejusdem temporalia tantum, quæ ex beneficio superioris Monasterii ad Prioratum S. Petri noscuntur provenisse. Quibus receptis, Abbas ipsum solenniter investiat spiritualibus & cura Prioratus, ut ex his ad ipsum Abbatem principaliter salvo jure nostro respectus habeatur. Item historiam quondam ab Abbatissis superioris & inferioris Monasterii actam vide in privilegio, quod sequitur.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Fridericus II, Dei gratia Romanorum Rex & semper Augustus. Cum ad summam instantiam precum dilecti Principis nostri Conradi, Ratisponensis Episcopi, cum ipso Episcopo nomine Ecclesiæ suæ quoddam concambium fecissemus de duobus Principatibus, scilicet de inferiori & superiori Monasteriis in civitate Ratispona constitutis, pro quibusdam aliis prædibus & possessionibus ad prænominatum Episcopum & Episcopatum suum pertinentibus, accedens ad præsentiam Regiæ excellentiæ in curia solenni Herbipoli Domina Tuta, inferioris Monasterii Abbatissa personaliter, nec non Domina Gerdrudis, superioris monasterii Abbatissa per suum Procuratorem, cum aliqua honesta utriusque Capituli parte coram Principibus & Baronibus, atque tota curia nostra gravi querimonia proposuit, se & Ecclesias suas indebite a nobis fuisse gravatas, & super hoc adjutorium & sententiam Principum postularunt, proponentes, firmiter nullum Principatum posse vel debere commutari, vel alienari ab Imperio, vel ad alium Principem transferri sine voluntate præsidentis Principis illius Principatus, & de plano consensu ejusdem ministerialium. Super quo facta a nobis inquisitione, per sententiam Principum, & subsecutionem tam Nobilium quam Baronum atque Ministerialium & omnium, qui aderant, judicatum est, nullum Principatum posse vel debere numero concambii vel cujuscunque alienationis ad aliam personam transferri ab Imperio, nisi de mera voluntate & assensu Principis præsidentis & Ministerialium ejusdem Principatus. Nos igitur justitiæ protectores, nullo conamine juri reniti volentes, sententiam ipsam duximus approbandam. Et quod contra memoratas Ecclesias & earum Principes, pro Episcopo & Ecclesia Ratisponensi minus debite feceramus, omnino retractamus incontinenti, præsente Episcopo præfato. Et ne de cætero similia contingant, decernimas, & perpetua firmitudine observandum judicamus, quod non liceat ulli successorum nostrorum, Romano Regi seu Imperatori, Principatum aliquem, ut superius sententiatum est, ab Imperio aliquo modo alienare, sed omnes Imperii Principatus in suo jure & honore illæsos observare. Ut itaque dilecta fidelis nostra Gerdrudis, & successores ejus Abbatissæ, nec non regalis Ecclesia superioris Monasterii hac sententia gaudeant in antea, & glorietur in perpetuum, hoc scripto indulsimus sigillo Majestatis nostræ roboratum. Acta sunt hæc &c. anno Domini MCCXVI. &c.

Anno Domini MCCX. Castrum Abach Dux ædificavit Ludwicus.

XIIX. *Syfridus sedit annis XVIII.*

Mortuo Conrado II, Episcopo Ratisponensi, sedes vacabat per annum. Nam dissensio gravis orta fuit inter chorum & Ministeriales. Minor pars chori Gotfridum Præpositum elegit, cui favebant Ministeriales laici, asserentes, electionem Episcopalem vel Pontificialem in suo, plusquam Cleri debere consistere arbitrio. Contraria vero pars chori cum Abbate Sancti Emmerani Perchtoldo, viro per omnia vene-

venerando Romam venit, & rebus suis apud Honorium Papam bene determinatis, cum idem Papa in festo S. Gerdrudis obiisset, apud successorem suum, Gregorium IX, Syfridum Canonicum & Cantorem Maguntinum, qui tunc Romæ etiam aderat, virum literatum & castrum elegit, & in Episcopum ab ipso Apostolico consecratum, secum Ratisponam adduxit anno Domini MCCXXVIII. Ne autem quid tale de cætero a laicis præsumatur, omnis adversa pars chori, scilicet Gotfridus electus, Magister Hugo, & cæteri omnes ab ecclesiasticis beneficiis & chori consortio, sub pœna excommunicationis sunt sequestrati, imposito sibi totius juris silentio, quousque sub periculo suarum rerum & personarum, Romam adeuntes, tertio vix anno restitutionem sub gravissima pœna meruerunt. Hic Syfridus de bona voluntate Conradi Decani, ac universitate Capituli Ratisponensis, Ecclesiam S. Blasii, quæ ad eos pleno jure spectabat, contulit Fratribus Ordinis Prædicatorum, anno Domini MCCXXIX, & factum est ibi postea solenne Monasterium, auxiliantibus ad hoc præcipue, ut dicitur, Nobilibus dictis Druckfas de Eckenmül. Item in loco, ubi modo constructum est Monasterium Fratrum Minorum Ratisponæ, quondam fuit capella Sancti Salvatoris, quam Episcopus Ratisponensis Fratribus Minoribus ad habitandum contulit. Comes vero de Pogen locum ipsum per adjacentem aream, quam hæreditario jure possidebat, ampliavit. Hic Syfridus, Imperialis Aulæ Cancellarius, de consilio Canonicorum Fratrumque Prædicatorum & Fratrum Minorum ordinavit statuta Presbyteris, & Fratribus laicis, atque Sororibus, quæ ad servitium pauperum idoneæ sunt, in domo Hospitalis Ratisponensis juxta pontem siti. Hic aliqua privilegia utilia Ecclesiæ Ratisponensi a Friderico II. impetravit. Hic sepultus est in Ecclesia Cathedrali Ratisponæ, hoc habens epitaphium:

Secretis gratum regalibus, hic cathedratum
Syfridum stravit mons, & cinis incineravit.

Anno Domini MCCXXXI. Ludowicus, Dux Bavariæ, apud Kelheim, a quodam ignoto, præsente sua familia, occiditur. MCCXXXVII. Henricus de Orterberg Comes, dum esset in Castro Murach, dedit Sororibus S. Sixti in suburbio Ratisponensem Ecclesiam in Swartzhoffen ea conditione, ut locus ille, in quo adhuc monstratur Capella S. Sixti, de fructibus & reditibus Ecclesiæ præfatæ debeat construi. Hic est locus ille, in quo est modo Monasterium, quod dicitur ad S. Crucem, ubi nunc est solennis conventus religiosarum Dominarum Ordinis Prædicatorum.

XXIX. *Albertus sedit annis XIII.*

Anno Domini MCCXLVII. Albertus, Canonicus Halberstatensis de Putengau, Ratisponensi Ecclesiæ præficitur Episcopus, qui rexit annis XIII. & depositus est, factusque est Monachus in Syttinberch. MCCL. cives Ratisponenses meliores captivantur ab Episcopo, & ducuntur in Stauff. Eodem anno incœpit ordo Fratrum S. Augustini in Eremo. MCCLV. Quidam Presbyter in civitate Ratisponensi, portans Corpus Christi infirmis, cecidit in profundum luti in eo loco, qui dicebatur Judenpurck, dispersis particulis salutaris hostiæ, ubi statim facta Capella in honore Corporis Christi, largitione fidelium. Postea Monasterium Augustinensium Fratrum ibidem fundatur, Conrad Hiltprandt & Ulrico von der Prunlait, civibus Ratisponensibus, magistris structuræ existentibus.

XXX. *Albertus II. Magnus sedit anno I.*

Anno Domini MCCLX. Albertus II. dictus Albertus Magnus, Lector Coloniensis Ordinis Prædicatorum, vir utique magnarum scientiarum, sicut scripta sua instruunt, Ratisponensi Ecclesiæ præficitur Episcopus, & sedit tantum anno uno, & resignavit Episcopatum propter gentis proterviam & populi vanitatem. Hunc populus Ligarum calceum cognominabat, eo quod ferret ligatos calceos, sicut mos est Prædicatorum Fratrum.

XXXI. *Leo sedit annis XV.*

Anno Domini MCCLXII. Leo, Ratisponensis Decanus, Ratisponensi Ecclesiæ præficitur Episcopus.

(Omissus est Henricus II.)

XXXIII. *Conradus III. sedit annis XVII.*

Anno Domini MCCXCVI.

XXIV. ANO-

Google

XXIV.

ANONYMI AUTHORIS CHRONICON EPISCOPORUM RATISBONENSIUM.

anno 1377. confectum.

Paulinus legitur in Cronicis primus Episcopus Ratisponensis qui præsederat eidem Ecclesiæ An. Dom. CCCCLXXXIV. temporibus Simplicii Papæ, Imperante Zenone Augusto, qui Paulinus quem successorem habuerit vel quando decesserit, aut si aliquis ei subrogatus fuerit, incertum est nobis: habuit quidem Ratispona postea Episcopos, verum Posterorum suorum memoriæ non sunt commendati, quia fuerunt aut Hæretici aut adventitii, utpote Racharius qui anno Dom. DCCXXX. ex advena, prædictæ sedi præfectus fuerat temporibus Joannis Papæ VI. Tiberio III. Imperante. Tertius autem Episcoporum Ratisponensium. Catalogus numeratus a Sanbaldo, quem S. Bonifacius olim Moguntinus Archiepiscopus sedi præfecerat, ex præcepto Gregorii II. Papæ Bavaria ab Hæreticis purgata & in Parochias divisa.

Sanbaldus noster præsidere cœpit An. Dom. DCCXXX. alias XXXV. sedit annis XXII alias XXIV. & obiit anno Dom. DCCLII. alias LIV.

Synpertus electus est anno Dom. DCCLII. temporibus Papæ Stephani II. Constantino V. imperante sedit annis XXXVI. alias XXXIV. sed alii scribunt, quod prædictus Synpertus sub Zacharia Papa anno Dom. DCCLII. fuerit præfectus, quod non est verum, quia Zacharias præsedit sedi Romanæ An. DCCXLII. Vel dic, sub Zacharia electus est, & continuavit sedem sub Stephano II. Illius temporibus monasterium S. Emmerammi Ratisponæ fuit incœptum.

Adelwinus cœpit præsidere anno Dom. DCCLXXXVIII. temporibus Adriani Papæ I. Constantino VI. Imperante; sedit annis XXVI. alias XXIV.

Arnricus cœpit præsidere Anno Dom. DCCCXIV. Ludovico Pio Regnante, sedit annis XXVIII. alias XXX.

Marchanfridus An. Dom. DCCCXLII. temporibus Papæ Gregorii IV. Regnante Lothario I. sedit annis a tempore suæ Coronationis X. alias IX.

Embricus anno Dom. DCCCLII. temporibus Leonis Papæ IV. Carolo II. Imp. vel ut verius puto, Ludovico II. Regnante. sedit XXXIV. alias XXX.

Aspertus cœpit præsidere anno Dom. DCCCLXXXVI. temporibus Papæ Stephani V. Arnolfo Imperante vel saltem Regnante. sedit. IV.

S. Tuto anno Dom. DCCCXC. temporibus Formosi Papæ & Arnolfi Principis prædicti. Sedit annis XXXVI. alias XXXV. Hic prius fuerat monachus monasterii S. Emmerammi.

Asimgrimus cœpit præsidere anno Dom. DCCCCXXVI. temporibus Papæ Joannis XI. Regnante Henrico I. Rom. Rege sedit annis XI. Post illum aliqui habent Conradum, quem dicunt præsedisse menses VI.

Guntharius anno Dom. DCCCCXXXVII. temporibus Papæ Stephani VIII. Ottone I. Imperante sedit XXX. septimanis tantum.

Michael anno Dom. DCCCCXXXVIII. temporibus Principum prædictorum sedit annis XXX alias XXVII.

S. Wolfgangus anno Dom. DCCCCLXVIII. temporibus Papæ Bonifacii VII. Ottone I. adhuc Imperante, sicut referunt Cronicæ veteres, sed Legenda sua dicit, quod Regnante Ottone II. Primum credo verius secundum Chronographos veteres, quoniam Otto II. nondum regnavit, cum cœpit regnare An. DCCCCLXXVIII. secundum Chronicon Martini, vel LXXIV. secundum Cronicon Sigeberti, unde B. Wolfgangus prius ad X. vel XIV. annos cœpit præsidere; sedit annis XXII. Igitur sub Ottone I. incœpit & continuavit etiam sub Ottone II.

Gebhardus I. cœpit præsidere anno Dom. DCCCCXC. temporibus Papæ Joannis sedecimi. Ottone III. Imperante sedit annis XXX. alias XXVIII.

Gebhardus II. anno Dom. MXX. temporibus Papæ Joannis XX. Henrico I. inter Imperatores, secundo vero inter Reges Romanos Imperante, fundatore Ecclesiæ Bambergensis & Veteris capellæ Ratisponæ, sedit annis XIV. alias XIII.

Gebhardus III. anno Dom. MXXXIV. temporibus Papæ Benedicti IX. Regnante Conrado II. sedit annis XXVIII. alias XXVII.

Otto cœpit præsidere anno Dom. MLXII. temporibus Papæ Benedicti X. Henrico IV. inter Reges, sed tertio inter Imperatores, Regnante.

Gebhardus IV. anno Dom. MXCVIII. temporibus Paschalis II. Papæ Henrico IV. adhuc imperante sedit annis quasi VII. ab electione sua, sed non fuit consecratus; hic anno VII. electionis suæ in Pechlaren occiditur, & quia non conse-

consecratus defunctus est, alii non ponunt eum in Cathalogo Episcoporum.

Hartwicus I. Cœpit præsidere anno Dom. MCVI. temporibus Henrici V. inter Reges Rom. sed IV. numerando Imperatores, præsidente adhuc sedi Rom. Paschale II. sedit annis XX. alias V. quod est falsum.

Chuno I. Abbas in Sigeberg anno MCXXVI. alias XI. quod est falsum, præsedit temporibus Papæ Innocentii II. Lothario III. Imperante sedit annis IV.

Henricus Bambergensis Eccles. Diacon. An. Dom. MCXXX. temporibus Principum prædictorum sedit An. XXV. alias XXIII. Hi omnes dicuntur sepulti ad S. Emmeramnum exceptis duobus Gebhardo IV. & Hartwico. Iste Henricus in extremis factus est Monachus ad S. Emmeramnum.

Hartwicus II. Salzburgensis Ecclesiæ Canonicus cœpit præsidere anno Dom. MCLV. temporibus Papæ Alexandri III. Friderico I. Imperante. Sedit annis IX. & cessavit sedes uno anno.

Everardus Suevus, Augustensis Canonicus, anno Dom. MCLXV. temporibus principum prædictorum, sedit annis II.

Chuno II. Ecclesiæ Ratisponensis Canonicus anno Dom. MCLXVII. temporibus Papæ Lucii III. Friderico I. adhuc Regnante. Sedit annis XVIII. postea cessavit Episcopatus per annum.

Gotfridus Cancellarius Friderici I. eligitur anno Dom. MCLXXXV. qui fere anno peracto hujusmodi electioni renuntiavit, & sic dicitur vacasse per annum.

Conradus de Krichingen Vice-Dominus cognominatus, Ratisponensis Canonicus, Eligitur anno Dom. MCLXXXVI. temporibus Papæ Innocentii III. Friderico I. adhuc Imperante. Sedit annis XVIII.

Conradus II. Frisingensis Ecclesiæ summus præpositus electus fuit anno Dom. MCCIV. temporibus Honorii III. Henrico IV. Imperante, sedit annis XXII. & cessavit Episcopatus per annum.

Siffridus Canonicus & Cantor Ecclesiæ Moguntinensis anno Domini MCCXXII. temporibus Papæ Gregorii IX. Imperante Friderico II. hic aliqua privilegia utilia Ecclesiæ Ratisponensi a prædicto Friderico impetravit. Sedit annis XXIII. & sepultus est retro summum altare in Ecclesia Cathedrali Ratisponensi. Ejus Epitaphium habet hos versus:

Sacratum gratum Regalibus hic Kathedratum,
Seyfridum stravit mors, & Cinis incineravit.

Albertus Canonicus Halberstadiensis dictus de Peytingen eligitur anno Dom. MCCL. temporibus Urbani IV. Papæ, Friderico II. adhuc Imperante. Sedit annis XIII. & depositus est.

Albertus II. lector Coloniensis, quem puto fuisse Albertum Magnum ordinis prædicatorum, virum utique magnarum scientiarum, sicut scripta sua instruunt; cœpit præsidere anno Domini MCCLXIV. tantum sedit per annum & resignavit Episcopatum propter Gentis protervìam & propter vanitatem, hunc populus Ligatum calceum cognominabat, eo quod ferret ligatos calceos, sicut mos fratrum prædicatorum.

Leo Decanus Ratisponensis anno Dom. MCCLXV. temporibus Martini Papæ IV. vacante Imperio; sedit annis IX.

Henricus II. Archidiaconus Ratisponensis, natione comes Roteneck, cœpit præsidere An. Dom. MCCLXXVII. temporibus Innocentii V. Papæ, Regnante Rudolfo Rege Romanorum. Sedit annis XVI. Hic sepultus est retro summum Altare in Ecclesia Cathedrali Ratisponensi, cujus Epitaphium continet hos versus:

Hanc Cathedram rexit Henricus, quem Petra texit
De Roteneck ortus, Cœli pateat sibi portus.

Iste multa bona fecit Ecclesiæ Ratisponensi & Capitulo ipsius.

Conradus III. de Lympurg cœpit præsidere anno Dom. MCCXCIII. temporibus Papæ Cœlestini V. Rudolfo Rege Rom. Regnante. Sedit annis XVII. sepultus est in Ecclesia Cathedrali coram altari S. Andreæ Apostoli. In ejus epitaphio habentur hi versus:

Hæc servat fossa Conradi Præsulis ossa,
De Lympurg natus, sit tibi Christe datus.

Iste Castrum Lympurg debit Ecclesiæ Ratisponensi.

Nicolaus Cancellarius Regis Bohemiæ cœpit præsidere anno Dom. MCCCXIII. temporibus Joannis Papæ XX. Ludovico quarto tunc Rege Rom. Regnante; Sedit annis quasi XXVIII. Hic multum utilis Ecclesiæ Ratisponensi.

Fridericus præpositus Ecclesiæ Ratisponæ, Natione Burgravius de Nurimberga, cœpit præsidere anno Dom. MCCCXLI. temporibus Papæ Benedicti XII. Ludovico IV. adhuc Imperante, sedit annis XXIV. & cessavit Episcopatus IV. annis. Hic Ecclesiam Ratisponensem multum destruxit & Capitulum flebiliter attenuavit.

Conradus IV. dictus Haimburg, confirmatus est in Episcopum Ratisponensem per Urbanum V. Papam anno Domini MCCCLXVIII. vel quasi Regnante Carolo IV. Imp. & Bohem. Rege. Præsidet in anno nono. Bonitatem Regiminis ejus adhuc præstolamur, fixa spe maxima in Domino. Sit Laus & Gloria Christo. Amen.

XXV.

Digitized by Google

XXV.
CHRONICA
PRÆSVLVM
SPIRENSIS CIVITATIS.

☆ ☆
☆

Transscripta per modum Cronicæ de origine primæva sedis Episcopalis Ecclesiæ beatæ Virginis Mariæ vel Sancti Stephani Papæ & Martyris civitatis Nemetinæ, modo Spira appellatæ, ex veteribus codicibus recollecta.

PRo faciliori infra scriptorum intelligentia est attendendum diligenter, quod post bella plurima post provinciarum ac civitatum destructionem, post villarum & agrorum depopulationem, post denique permaximas hominum strages peractas, Principes qui Majores domus Franciæ vocabantur, Burgundiam, Luthringiam, Thuringiam, Saxoniam, Bavariam, Sueviam & fere quasi totam Almaniam obtinuerunt, Constituebantur Réges & appellati sunt reges Francorum, qui antea Majores domus Franciæ vocabantur, ut claret in Carolo Martello, qui major domus Francorum dicebatur. Postquam Phrisones, Burgundiones, Westraviam, Lotringiam debellando subjugavit, transiens Renum usque ad Danubium fere totam Almaniam occupavit, constitutus est Rex, & appellatus Rex Franciæ circa annos Domini DCCXXVII. postquam regnavit Heldericus, quem Papa Zacharias, ad instantiam populi deposuit tanquam regno inutilem & in locum ejus substituit Pipinum præfati Caroli Martelli filium & Patrem Caroli Magni. Qui quidem Pipinus antequam erat constitutus Rex Franciæ & resedit in Westraviæ Keyserlauttern, Curiam & palatium ibi tenendo. Hæc omnia in gestis Francorum, Cronica Martiniana & cæteris Chronicis plenissime scripta reperiuntur.

Item attendendo quod urbs Spira antiquitus Nemetis dicebatur, & extra muros ejusdem civitatis erat adiacens pagus nomine Spira quem Rudigerus, Trigesimus ejusdem urbis Episcopus qui & Hviosamannus (Fort. Wisemannus) cognominabatur, muris & fossatis muniri constituit, ac in civitatem redegit quæ de post & usque ad præsens nomen Spira fortita est.

Athanasius I. Ecclesiæ Nemetinæ Episcopus resedit in ea annis XL. Eo tempore in Civitate Wangionum, modo Vormatia appellata, erat sedes Metropolitana, quam ex post Gregorius Papa tertius transtulit in Maguntiam, ubi nunc manet, eidem Sanctum Bonifacium præficiendo, ob crimen homicidii quod Geriorlo [Gervilio] tunc Archiepiscopus Wangionum seu Vormatiensium propria manu patricidam suum interficiendo perpetravit.

Dragebodo II. ecclesiæ Nemetinæ Episcopus resedit in ea annis VIII. Huic Dragebodono Episcopo Hildericus Francorum Rex hanc emunitatem dedit, ut de curtis & hominibus suæ Ecclesiæ nihil requiratur aut exigatur à quocunque, sed ab omni eo quod fisco cedit, emunes consistant & resideant.

Erasmus III. Ecclesiæ Nemetinæ Episcopus resedit in ea annis VIII.

Latro IIII. Ecclesiæ Nemetinæ episcopus resedit in ea annis XI.

Crincipius V. Ecclesiæ Nemetinæ Episcopus resedit in ea XXV. alias X. Hujus Præsulis temporibus, Sigibertus Francorum Rex ob salutem animæ suæ & anteriorum regum quondam parentum suorum decimas omnium frugum tam de annona, quam de vino, melle, frumentis, porcis, quam de omni reliqua solutione ad fiscum suum in pago Spirensi spectantes præfatæ ecclesiæ Nemetinæ dono donavit seu dedit.

David VI. Ecclesiæ Nemetinæ Episcopus resedit in ea annis XVIII. alias VIII.

Rigewinus VII. Ecclesiæ Nemetinæ Episcopus resedit in ea annis XVII.

Ato VIII. Ecclesiæ Nemetinæ Episcopus resedit in ea annis VIII.

Fraydo IX. Ecclesiæ Nemetinæ Episcopus resedit in ea annis IIII.

Carolus Magnus Francorum & Longobardorum Rex, Romanorum Imperator, antecessorum suorum Regum & Principum patris sui Pipini vestigiis inhærens ob compendium animæ suæ & pro regni stabilitate præfato Fraydoni præsuli indulsit ut villæ & homines suæ ecclesiæ ab omni onere fiscali emunes consistant ac resideant. Iste Karolus Magnus erat primus Imperator Alamanorum. Nam Stephanus Papa secundus anno VIICLVI. transtulit Imperium de Græcis in Germanos, in personam hujus Karoli Magni adhuc in juvenili ætate constituti, ut habetur C. venerabilem. de Elect. & el. potest.

Benedictus X. Nemetinæ Episcopus resedit in ea annis VIII.

Hertinus XI. Nemetinæ Episcopus resedit in ea annis XV.

Gebehardus XII. Nemetinæ Episcopus resedit in ea anno uno.

Ludovicus Francorum Rex ad instantiam præfati Episcopi Gebehardi consensit literis, qui-

quibus confirmavit, ut Angelach per quondam Theoboldum, & cætera per Hildebertum fratrem præfati Episcopi Ecclesiæ Nemetinæ donata usibus fratrum Domino in cœnobio Spirensi famulantium perpetuo deserviant.

Gottedemus XIII. Ecclesiæ Nemetinæ Episcopus resedit in ea annis III.

Meinhardus XIIII. Ecclesiæ Nemetinæ Episcopus resedit in ea annis VI.

Bernhardus XV. Ecclesiæ Nemetinæ Episcopus resedit in ea annis VIII.

Amalricus XVI. Ecclesiæ Nemetinæ Episcopus resedit in ea annis XV.

Otto primus Romanorum Rex præfato Præsuli Amalrico locum Merske cum omnibus suis appendiciis ad augmentum suæ ecclesiæ in proprium dedit perpetuo ab ipso Nemetino Episcopo possidendum Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXI.

Reginbaldus XVII. Nemetinæ Episcopus resedit in ea annis XV.

Conradus Dux filius Comitis Wernher, pro remedio animæ & parentum suorum ad altare Beatæ genetricis Dei constructum in urbe, quæ Nemetis dicitur vel Spira vocatur, cuncta mancipia cum eorum procuratoribus, quæ in eadem civitate habebat, & monetam, quæ tota sui succubuit proprietati, item medietatem theolonii, item denarios salis, item denarios picis, item denarios vini cæteramque omnem temporis potestatem & jurisdictionem intra eandem civitatem & extra, quæ parentibus suis & ex regali sibi traditione & donatione in proprietatem donatione succubuit, præfato Reginbaldo Episcopo cæterisque post eum illius pontificialis sedis successoribus ad æternum dominium cum hæreditario jure donavit anno IXCXLVI. regnante rege Ottone, anno primo.

Godefridus XVIII. Ecclesiæ Nemetinæ Episcopus resedit in eo anno uno sub anno Dominic. Incarnat. IXCLVI.

Otgerus XIX. Ecclesiæ Nemetinæ Episcopus resedit in ea tribus mensibus.

Otto primus Romanorum Imperator propter divinum amorem & venerationem beatæ Mariæ Virginis præfato Otgero Episcopo concessit emunitatem, ut nulli rei publicæ administratores, sive Dux sive Comes sive Judex aut alia persona cujuscunque potestatis existat, nisi solus episcopus vel advocatus potestatem habeat pro quocunque negotio vel re parva vel magna placitum tenere vel publicum judicium facere infra aut in circuitu extra civitatem Nemetem. Nullus etiam per regale bannum quicquam exigere aut aliquid de moneta, Theolonio vel ex nulla alia re in fiscum regni transferre aut homines istius Ecclesiæ tam incolas quam servos juste constringere ullo unquam tempore præsumat, sed sub emunitate tuitionum quieto ordine vivere ac residere permittat, Anno Domini IXCLXIIII.

Waldericus XX. Ecclesiæ Nemetinæ Episcopus resedit in ea mensibus duobus.

Otto secundus Imperator Romanorum bona in Steynfeldt, Minfeldt & Freckenfelt per quendam Cunonem Comitem Ecclesiæ Nemetinæ tradita ad instantiam Walderici Episcopi de novo donavit, tradidit ac Imperiali Majestate confirmavit, Anno Domini IXCLXXXII. item præfatus Otto Imperator emunitates per patrem suum Ottonem primum Otgero Episcopo concessas per Imperialem munificentiam restitui, renovari ac confirmari fecit.

Rubardus XXI. Ecclesiæ Nemetinæ Episcopus resedit in ea mensibus tribus, aliis annis VI. aliis annis XIII.

Otto Tertius Romanorum Rex quoddam præceptum emunitatis, quod avus suus Otto primus Ecclesiæ Nemetinæ præcedentibus Episcopis donavit atque concessit, Genitor quoque Otto secundus confirmavit, ipse successor ad interventum Rubardi Episcopi per regalem munificentiam renovari & rescribi perrexit, Anno Domini IXCLXXXIX, item Heynricus II. cognominatus Claudus, hæc eadem quæ supra confirmavit Anno Christi M III. it. præfatus Otto tertius huic Episcopo & suis successoribus Heidelsheim cum suis appenditiis donavit A.C. IXCXCV.

Waltherus XXII. Ecclesiæ Nemetinæ Episcopus resedit in ea annis XX. & ultra, circa annos Domini M III. ut habetur in decr. C. in nomine Patris LXXIII. distinctione.

Item Henricus secundus Romanorum Rex ad instantiam hujus præsulis donavit ecclesiæ Nemetinæ prædia sua Bliswiler & Hoënstad cum eorum appendiciis Anno MVI. Idem etiam Heynricus huic Episcopo & suis successoribus dedit potestatem destruendi falsas monetas & novam condendi, pondere & puritate Spirensium sive Wormatiensium denariorum, Anno MIX. Iste Heynricus de domo Ducum Bavariæ ortum traxit duxitque uxorem Kunegundis nomine, filiam Palatini Rheni, Virginalem tamen castitatem in conjugio tenuerunt. Anno regni sui sexto fundavit dotavitque ecclesiam Bambergensem, in qua sepulchrum suum claris miraculis celebre habebatur. Quare Eugenius Papa tertius circa annos Domini MCXLIIII eum canonisavit.

Conradus secundus Rom. Rex dictus Salicus sub anno Domini M XXXIIII. per interventum præfati Waltheri Episcopi dedit Ecclesiæ Spirensi Iholingem cum suis appendiciis. Quam quidem donationem Henricus Tertius Rom. Rex præfati Conradi filius, postea sub annis Domini M XLVI. confirmavit. Præfatus Conradus secundus privilegia & præcepta per antecessores suos reges & Imperatores ecclesiæ Spirensi donata renovavit & per Imperialem munificentiam ad instantiam Waltheri Episcopi confirmavit Anno M XXVII. Conradus secundus Imperator dictus Salicus primo Dux Franciæ, sub annis Domini MXXII. regnavit annis XVII. habuit conjugem Gisela nomine, de antiquo glorioso Karoli sanguine originem ducens, ex qua unicum hæredem habuit Heynricum, quem in senio genuerunt, ut longe ante S. Bartho Archiepiscopus Moguntinus eis prophe-

prophetaverat. Hic Basilicam illam vetustam in urbe Nemeti vel Spira in honore sancti Stephani Papæ & Martyris constructam funditus destruens in eodem loco aliam novam miræ magnitudinis, fortitudinis, & pulchritudinis, quæ nostris temporibus cernitur, a fundo ædificare cœpit in honore Dei genitricis Mariæ, & sancti Stephani Papæ & Martyris anno Domini MXXX. in profesto Sanctæ Margarethæ Virginis erigendo cœnobium Lympurg primarium ibidem lapidem posuit. Inde jejunus ad Spiram iens, primarios etiam lapides ad præfatam ecclesiam majorem & ad Sanctum Johannem Evangelistam, modo ad Sanctum Guidonem appellatam, erexit. Quas quidem structuras etsi morte præventus consumare non poterat, postea is suis exemplum reliquit, quo & ipsi moniti per eum incæpta magnifice perfecerunt & dotaverunt. Statuit etiam præfatus Conradus II. ut de cætero Romanorum Imperatores vel Reges in citra montanis partibus morientes in eadem Ecclesia sua in urbe Spira fundata per ipsum, & magnifice dotata sepeliri debeant, quod & ipse primus adimplevit. Nam sanctam Pentecosten in Inferiori Trajecto celebrans infirmatus XVII. anno regni sui, Imperii vero XIII. diem clausit extremum, sepultusque ibidem intestinis suis, reliquum corpus suum in ecclesiam Spirensem deductum, humatus juxta conjugem suam Giselam in choro Regum sub marmore tertio, in quo tale scriptum habetur Epitaphium: Anno dominicæ incarnationis MXXXX. Conradus secundus Imperator II. nonas Julii obiit. Proavus jacet istic.

Regingerus XXIII. ecclesiæ Nemetinæ Episcopus resedit in ea hebdomadas VIII. circa annos Domini MXXII.

Reginbaldus XXIIII. ecclesiæ Nemeten. Episcopus resedit in ea diebus XV. Hic coronam magnam in choro pendentem fieri fecit, ut claret ex metris in circumferentia ejusdem coronæ scriptis his scilicet:

Cernitur in medio Seraphin altissimus ordo,
Eximius merito qui præsidet altus Olympo.
Est Cherubin dictus clarissimus ordo secundus,
Hinc Angelis simul consistere laude tonantis,
Cætus & Angelicus reliquis sanctis venerandus.
Collaudant dominum propria deitate respectum.
Formantur vere post almi quinque Prophetæ,
Spem magnam nobis qui prædixere salutem.
Virgo Dei genitrix spes mundi, gloria, nutrix,
Gemma pudicitiæ, regali nata radice,
Hinc atria chorum devotus cerne senatum
Hospitio dominum qui sæpe recepit alendum.
Virgineo verbum portasti corpore sacrum,
Quæ regem regum generans sub tempore legum.
Hinc duodenus apex ** discrimine judex
Secernit justos ab iniquis igne cremandis
Istud non magnum dignanter suscipe donum
Quod Reginbaldus tibi Præsul reddo misellus,
Munere sed parvo videas me cordis in auro.
Osse dabit mentem simul & prælongat agentem,
Pro peccatorum miseranda morte meorum,
Non tantum præsto, quantum sim debitus exsto,
Si pater ac natus nunc deus spiritus almus,
Est quod velle meum tibi pius donare paratum.

Sigeboldus XXV. Ecclesiæ Nemetinæ Episcopus resedit in ea annis XI. aliis menses VI. sepultus Spiræ in Ecclesia Sanctæ Trinitatis.

Henricus tertius Rom. Rex & secundus Rom. Imperator cognominatus pius aliis etiam dictus Niger, filius Conradi, Rottenfelss cum suis appendiciis ecclesiæ Spirensi in proprium tradidit Anno MXLI. & postea anno Domini MXLVI. eandem donationem iterato confirmavit. Eodem anno Badenn cum suis appendiciis & utilitatibus inde provenientibus ecclesiæ Spirensi in proprium tradidit. Anno vero MXLVIII. Abbatiam Schwartzag ecclesiæ Spirensi donavit sub Sigebodone. Anno MLVI. præfatus Henricus Bruchsellen cum foresto Lushart nominato & omnibus eorum appendiciis & utilitatibus ecclesiæ Spirensi in proprium dedit, ut Episcopus pro tempore liberam habeat potestatem inde faciendi quicquid placuerit ad usum tamen & utilitatem ecclesiæ Spirensis. Item reliquias sancti Guidonis Spiram attulit ad Ecclesiam Sancti Johannis Evangelistæ, quam pater suus Conradus secundus cum majori ecclesia fundavit. Quæ ex post propter reliquias istas usque ad præsens, nomen sancti Guidonis sortita est. Item crucem pretiosam in summo altari reconditam Ecclesiæ Spirensi donavit, ut claret ex metris in circumferentia ejusdem crucis litera antiqua & grossa conscriptis.

Contulerat sanctæ fælix hæc dona Mariæ,
Semper ut æternæ carpescat munia vitæ,
Henric Conradi natus de stirpe monarchi,
Gisela quin genitus, multum satis esse benignus.

Item a tergo ejusdem crucis in capite circa imaginem Salvatoris litera minuta & antiqua sunt hæc metra:

Ad votum Regis Hinrici dona ferentis,
Respice de solio resides quo Christe superno.

Iste Heynricus tertius pius vel niger circa annos

nos Domini M XXX. regnavit annos XVII. & duas habuit uxores prima Kunigundis, secunda Agnes appellabantur, quæ Pictavi Principis erat filia, quam in Ingelnheim regalibus nuptiis sibi copulavit. Tandem Imperii sui an.XVII. filium suumHenricum,X.annos ab ortu habentem,electione principum regem constituit Rom. præsente Papa Victore in urbe Spira, ubi eodem anno obiit & ibidem ad latus patris sui Conradi sepultus est sub marmore quarto, ubi tale habetur Epitaphium: Anno Dominicæ incarnationis M LVI. Henricus tertius Niger tertio Nonas Octobris obiit. Avus hic.

Arnolfus XXVI. Nemetinæ episcopus in ea resedit mensibus VIII. Hic Arnolfus cum aliis episcopis consecravit capellam S. Stephani in Wormatia,ut patet in tabula super januam ipsius capellæ affixa anno MLV.

Conradus XXVII. Nemetinæ episcopus resedit in ea mensibus decem. Henricus quartus Romanor. Rex Anno MLVII. Eppingen cum suis appendiciis & utilitatibus Herxheym cum suis attinentiis Ecclesiæ Spirensi tradidit sub præfato Conrado Episcopo.

Emhardus XXVIII. Ecclesiæ Nemetinæ Episcopus resedit in ea annis XV. aliis anno uno.

Item præfatus Henricus quartus privilegia & immunitates per prædecessores suos Ecclesiæ Spirensi concessas per regalem munificentiam renovavit, & confirmavit, Anno M LXI. Item Forestum Lushart a patre suo Henrico III. ecclesiæ Spirensi traditum melioravit atque adauxit, talia augmenta etiam Ecclesiæ Spirensi donando, Anno MLXVI. item Creuzenach cum omnibus suis appendiciis ecclesiæ Spirensi in proprium dedit Anno M LXV. Hæc omnia sub præfato Emhardo Episcopo & ad ejus instantiam facta sunt. Item arcum in ambone chori sub magna cruce positum hic Emhardus Episcopus fieri fecit, ut claret ex metris in eodem arcu conscriptis his videlicet:

Præmia digna DEO potis est persolvere nemo
Passo pro nobis tanti tormenta doloris.
Sed velut Emhardus præsentis conditor arcus
Da tua largus ei coævusque cacumina cœli.

Heinricus XXIX. Ecclesiæ Nemetinæ Episcopus resedit in ea annis XX. aliis mensesVI.

Rudigerus XXX. Episcopus Nemet. ecclesiæ qui & Husemannus (forte Wisemannus ut supra in præf. id est, vir sapiens) vocabatur, resedit in ea annis VII. aliis IV. aliis XII. annos & ultra. Iste Rudegerus Episcopus circa annos Domini MLXXXIV. ex villa Spira urbem fecit. Nam antea civitas Nemetis appellabatur, & extra muros ejusdem civitatis erat adjacens Pagus, qui Spira vocabatur, quem Rudigerus Episcopus redegit in urbem, quæ postea & usque in præsens Spira vocata est. Item præfatus Henricus quartus anno MLXXXVI. huic ecclesiæ Spirensi Winterbach & Weyblingen cum eorum appendiciis dedit, ut Winterbach cum suis utilitatibus serviat Ecclesiæ Spirensis Canonicis; Weyblingen vero Episcoporum commodis serviat. Item anno M XC. præfatus Henricus quartus huic Episcopo & suis sequacibus concessit, ut jurisdictionem habeant in Judæos: quod si aliquis eorum alicujus rei inter eos gestæ occultare voluerit veritatem, ab Episcopo vel ab eo qui ex parte synagogæ præest juxta legem suam cogatur, ut de eo quod quæritur verum fateatur. Et si inter Judæos vel contra eos difficiles ortæ fuerint quæstiones vel lites, ad præsentiam Episcopi referantur, ut ejus valeant judicio terminari. Iste Rudigerus Episcopus præbendas & beneficia in Ecclesia Sancti Guidonis instituit, longeque dotavit. Sepultus ibi in latere chori sinistro, ubi tale habetur Epitaphium metricum:

Præsul divini cultus tumulo hoc jacet sepultus
Rudigerus nomine qui claruit magna virtute.
Deum hic exoravit, basilicam hancque dotavit.
Præbendis octo pleno tibi jure patrono.
Quatuor cum reliquis duodecim considerabis
Villagii Otterstat, cujus anima in luce quiescat.

Johannes XXXI. Spirensis Ecclesiæ Episcopus resedit in ea annis XVI. Iste Johannes fuit filius Wolframmi comitis qui multos Comitatus & possessionem habuit in Kreychgau & genuit eum de Mela sorore præfati Henrici quarti & frater ejus dictus Zeyslolffus habuit filiam nomine Adelheidis, quæ nupsit Henrico Palatino de Thubing, sed inde prole caruit, & de genere illorum venit Kestenberg, Meysterstal & Deydesheim Ecclesiæ Spirensi. Item Ecclesia Sünsheym erat fundata à proavis dicti Johannis Episcopi & disposita pro Canonicis. Nam Archidiaconatus erat,& spectabat ad Wormatiam, & dedit duas parochias pro Ecclesia Sünsheym & canonicos in Sunsheim transtulit ad Spiram ad S. Germanum; & ibi constituit archidiaconatum; & monachos quos Dagabertus Rex locaverat ad S. Germanum, transtulit ad Sünsheym & valde dotavit eandem ecclesiam. Item allodium Steynweyler & patronatum monasterii Sancti Lamperti & omnes vasallos suos milites & rusticanam familiam, præterea multa prædia & possessiones contulit Ecclesiæ Spirensi: auxit etiam præbendas Spiræ, & cum eo & per eum Henricus quartus avunculus ejus valde Ecclesiam Spirensem dotavit. Item quidam ingeniosus Wermhardus nomine, & post eum filii magnam partem prædictorum [prædiorum] Ecclesiæ Spirensis, quæ ad Fortenfels pertinebat, occasione vicinitatis injuste sibi usurparunt castrumque ibi Michelbach dictum violenta manu construxerunt, quod castrum cum omnibus suis appendiciis fratribus Spirensis Ecclesiæ subductum, Henricus quartus Johanni Spirensi Episcopo & ipsius advocato justitiam reddere coëgit An. MCII. Postquam vero præfatus Joannes XVI. annos rexit ecclesiam Spirensem mortuus est in scismate, quod erat inter Pascalem Papam & Heinricum quartum avunculum ejus & sepultus est in Sünsheym

Digitized by Google

heym juxta parentes suos & fratrem ejus Zeissolffum Comitem. Et licet hic Johannes Episcopus multa bona fecerit Ecclesiæ Spirensi, dicitur tamen quod permiserat multa privilegia dari civitati Spirensi in præjudicium cleri, de quo tamen nihil certe repperi hic scriptum.

Henricus quartus Rex, & tertius Romanorum Imperator dictus Senior non ætate, sed regimine, quia LIIII. annis rexit, multa bona fecit ecclesiæ Spirensi per tempora plurimorum episcoporum, ut supra patuit. Hic puer X. annorum constitutus est rex circa annos domini MLII. regnavit annis LIIII. Cujus mater Agnes diu Rempublicam loco filii adhuc adolescentis strenue gubernabat; quinquagesimo quarto anno sui regiminis obiit in Leodio. Ibi primo sepultus, sed Papa Paschalis secundus posuit ibi interdictum quamdiu non exhumaretur, quia in excommunicatione obiit, unde exhumatus in Spiram ductus est, & in Capella Sanctæ Afræ à latere ecclesiæ Majoris sursum positum est corpus ejus in feretro per septem annos, donec filius suus Heynricus quintus procuravit ipsum absolvi; tunc enim sepultus est in choro Regum juxta patrem suum & avum ubi in marmore quinto hoc habetur Epitaphium: Anno dominicæ incarnationis MCVI. Henricus quartus Senior VII. Idus Augusti obiit, Pater hic.

Geberhardus XXXII. ecclesiæ Spirensis Episcopus resedit in ea annis XXIIII. al. annis X.

Bruno XXXIII. Ecclesiæ Spirensis Episcopus resedit in ea annis XXX. al. XXV. Hic Bruno Episcopus forte regia potestate consensit ut Hinricus quintus cives Spirenses eximeret à quibusdam legibus & exactionibus, quibus erant adstricti Episcopo Spirensi pro tempore existenti. Quæ quidem exemtiones in perpetuam rei memoriam literis aureis cum interpositione Imperatoriæ imaginis in frontem templi exaratæ sunt anno incarnationis MCXI. regnante Henrico V. rege Romanorum Anno VI. Imperante primo sub venerabili Brunone præsidente præsule. Item præfatus Henricus quintus ea quæ à proavo suo Conrado secundo & ab avo suo Henrico III. & à genitore suo Heinrico IIII. Ecclesiæ Spirensi donata & concessa sunt, renovavit ac regalis dignitatis autoritate corroboravit. Iste Henricus quintus præfati Henrici quarti filius circa annos Domini MCVI. regnavit annis XX. anno vero MCXXV. obiit in Spira, sepultus juxta sepulchra patris, avi, & proavi sui sub marmore VI. ubi tale habetur Epitaphium;

Anno Domini MCXXV. Henricus quintus obiit junior X. Kal. Maji, Filius hic: In Præfatis etiam VI. marmoribus supra capita Epitaphiorum sculpta sunt hæc duo metra:

> Filius hic, pater hic, avus hic, proavus jacet istic.
> Hic proavi conjunx, hic Henrici Senioris.

Istorum Imperatorum ac Imperatricis Agnetis imagines in porticu templi Spirensis supra januam in suis majestatibus opere æreo desuper aurato, ut regiam & Imperatoriam decet majestates, exarratæ sunt & expolitæ.

Arnoldus XXXIII. Spirensis ecclesiæ Episcopus in ea resedit annis XXX. sepultus ad Sanctum Guidonem in dextro latere chori ante summum altare, ubi tale habetur Epitaphium:

> Plenus virtutum jacet hic & plenus honorum
> Arnoldus Præsul, qui fuit Abba simul,
> Spiram, Corbejam, Weissenburg atque Lorissam,
> Et Limpurg una rexerat ille loca.
> Moribus & verbis tam digne profuit illis,
> Ut vis ingenii par ferat huic oneri.
> Sexta luce liberi, quod erat prius*
> Ens cui non mente sint sibi quisque pete.

Sigefridus XXXV. Spirensis ecclesiæ Episcopus resedit in ea annis XXVII. Hujus Episcopi temporibus decima in pago Durckheym devenit ad Ecclesiam Spirensem.

Conradus tertius Romanorum Rex filius sororis Henrici quinti, circa annos Domini MCXXXVIII. regnavit annis XV. sed ad Imperium non ascendit, quia Papa se ei opposuit, impediens ne ad imperium adscenderet per aliquot annos. Tandem Turci Jerusalem & totam terram sanctam obtinuerunt, unde papa compulsus timore Sanctum Bernardum tunc Abbatem Clarevallensem pro reformanda pace inter sedem Apostolicam & Regem Conradum tertium misit in legatione ad Almaniam. Quæ quidem reconciliatio in Spira facta est, & Francfurt sigillis principum roborata, ubi Conradus Rex à Sancto Bernardo cum multis principibus cruce signati & de Lotharingia, Flandria, Anglia ac aliis provinciis pugnatoribus fortissimis adunatis Ychonium venit, ubi Ludovicus Rex Franciæ per Ungariam ad eum venit. Et ita post multam stragem in festo divisionis Apostolorum Jerusalem recuperantes innumeras infidelium turbas occiderunt. Ordinato igitur in terra sancta rege Balduino, qui idiomate Gallico & Theuthonico eruditus erat, Conradus & Ludovicus reges tandem prospere in terras suas sunt reversi.

Item cum Sanctus Bernhardus abbas Clarevallensis & Apostolicæ sedis legatus ob concordiam inter Papam & Conradum III. faciendam Spiram venisset à clero & populo civitatis summa cum reverentia (qua Apostolicæ sedis legatos decet suscipere) susceptus est. Solenni quoque processione, ut moris est, in Ecclesiam majorem introductus est, in qua devotam istam Antiphonam Salve Regina cum additione illarum Clausularum finalium, O clemens, O pia, o dulcis Maria, flexis genibus ante imaginem beatæ Mariæ Virginis, modo in altari beatæ Annæ in gradibus ecclesiæ locatam, perfecit, qua completa vox quædam intonuit ad Bernhardum loquens in lingua sua materna eum suscipiendo & salutando. Quæ quidem à circumstantibus audita est. Et communis vulgi sermo sonat, quod ab imagine beatæ Mariæ virginis in eodem altari situata, hæc vox evolaverit, quod miraculum conditori committo.

Item postquam præfatus Sanctus Bernhardus Abbas Conradum Regem Romanorum ac alios prin-

Digitized by Google

principes in Francfurt cruce signasset, scripsit clero & civibus Spirensibus epistolam unam, eos exhortando ad passagium, & animando, ut & ipsi crucem & arma susciperent pugnaturi contra infideles pro recuperatione terræ sanctæ. Quæ Epistola in perpetuam rei memoriam in tabulis ejusdem ecclesiæ pendentibus habetur.

Guntherus XXXVI. Spirensis Episcopus resedit in ea annis XIIII. Hic Guntherus fuit Comes de Leyningen. Hic dono dedit Dudenhoffen Monasterio in Maulbron: Fridericus primus Romanorum Rex filius Friderici Ducis Sueviæ pro remedio animæ suæ & omnium antecessorum Regum & Imperatorum, qui Ecclesiam Spirensem fundaverunt, & regalibus donis seu ædificiis adauxerunt, & pro fideli ac devoto obsequio Gyntheri Episcopi Spirensis castrum Berwenstein ecclesiæ Spirensi libera donatione tradidit, ut ad usus Episcopi cum omnibus suis appendiciis perpetuo deserviat, Anno Domini MCLII. Anno vero MCLXII. præfatus Fridericus Mediolanum subvertit, triumque magorum corpora recondita apud S. Eustorium, ubi nunc est habitatio Prædicatorum, dedit Reinoldo archiepiscopo Coloniensi, quæ corpora quondam ab Helena Imperatrice de Constantinopoli sunt translata, denique à Theodosio Juniore Romam transvecta, demum à Sancto Eustorio in curru sunt Mediolanum apportata, & tandem à præfato Reinoldo archiepiscopo ex donatione regia in Coloniam sunt illata, ubi modo quiescunt.

Udalricus XXXVII. Spirensis ecclesiæ Episcopus resedit in ea an. XII, al. II. Hic consensit ut Fridericus Rom. Imperator exemerit cives Spirenses, ne Episcopi amplius ab eis exigerent jus quod dicebatur Haubtrecht.

Godefridus XXXVIII. Ecclesiæ Spirensis Episcopus resedit in ea annis XXV. al. V. sub anno Domini MCLXVI.

Conradus XXXIX. Ecclesiæ Spirensis Episcopus resedit in ea annis XXV. al. V.

Rabodo XL. Ecclesiæ Spirensis Episcopus resedit in ea annis IIII.

Ulricus XLI. Ecclesiæ Spirensis Episcopus resedit in ea annis VIII.

Otto XLII. Ecclesiæ Spirensis Episcopus resedit in ea an. XI. circa annum Domini MCXCVI.

Conradus de Scharfenek imperialis aulæ Cancellarius Metensis Episcopus & XLIII. Spirensis Ecclesiæ Episcopus. Iste Conradus adeptus est episcopatum Anno Domini MCXCIX. item Anno Domini MCC. Conradus Comes de Zolre & Burgravius in Nürenberg constituti in præsentia Ottonis Quarti Imperatoris Romanorum castrum Rietpurg, quod ab ecclesia Spirensi in feudum tenuit, in manus Conradi Episcopi libere resignavit, & illud Ecclesiæ Spirensi in perpetuum dimisit absolutum. Anno Domini MCCVII. præfatus Episcopus Ecclesiam Sancti sepulchri cum omnibus suis appenditiis tradidit Ecclesiæ in Denckendorff, quod Præpositus ibidem mulieribus ad sanctum sepulchrum extantibus, quoad vixerint, de necessariis providebit, eis vero de hac luce subtractis vel alias translatis Præpositus in Denckendorff faciat ibi fieri professionis Conventum, quo ad quos jus Diœcesanum, Episcopo Civitatis in omnibus obedituris. Anno Domini MCCVIII. Philippus Rom. Rex Babenburg occisus XI. Kal. Julii Spiræ sepultus, in cujus corporis deportatione patruus ejus Fridericus tunc rex Siciliæ & Apuliæ, hæres regni Jerusalem & Dux Sveviæ Ecclesiam in Estingen cum omnibus justitiis & proventibus suis ac jure patronatus ecclesiæ dono dedit. Quam donationem ex post, dum factus erat Imperator Romanorum ex mansuetudine & imperiali munificentia perpetuo duraturam confirmavit anno MCCXXV. Conradus vero Jerusalem & Siciliæ Rex & Dux Sueviæ præfati Friderici nepos hanc libertatem Ecclesiæ Spirensi dedit, ut de redditibus, vino, frumento & aliis rebus eidem Ecclesiæ attinentibus nulla apud Eslingam exactio fiat, quæ videlicet Unngelt dicitur, aliquatinus requiratur, nec ipsi, si exactum quid fuerit, solvere teneantur. Anno Domini MCC & XX. Conradus de Sultzfeldt miles contulit ecclesiæ Spirensi omnia sua prædia, quæ habuit in Sultzfeldt, Knittelsheym & Lustat. In hujus Episcopi temporibus sub anno Domini MCCXXI. Canonici Hildesemenses & Spirenses Ecclesiarum fraternitatem inter se mutuo inierunt.

Beringerus de Entringen XLIV. Ecclesiæ Spirensis Episcopus assumptus est ad Episcopatum anno Domini MCCXXIV. VI. Kal. April. & resedit in ea annis IX. vel circa. Anno MCCXXX. Episcopus præfatus comparavit Ecclesiæ suæ passagium Ketsch. Obiit anno CCXXXV. Vigil. Andreæ.

Conradus de Thüren XLV. Ecclesiæ Spirensis Episcopus resedit in ea annis IV. Et obiit anno Domini MCCXXXVII. in Vigilia Nativitatis Christi. Hic Conradus anno Domini MCCXXXV. Ecclesiam in Deydesheim, tam in jure patronatus, quam in dote, puta decimis, mancipiis, vineis, agris, Canonicis Ecclesiæ Spirensis pro communi usu deinceps possidenda donavit. Eodem anno Cuno Abbas Weissenburgensis cum consensu sui conventus jus patronatus, quod habuit in Billenkem, tradidit Ecclesiæ Spirensi. Eodem anno Abbas Clingenmonasterii donavit Ecclesiæ Spirensi Jus patronatus in Offenbach pleno jure possidendum.

Conradus de Eberssteyn XLVI. Ecclesiæ Spirensis Episcopus in ea resedit annis VIII. anno Domini MCCXLI. sub eodem Episcopo vendita sunt bona in Creutzenach pro mille & centum florenis Comiti Sevenensi, in quorum bonorum restaurationem comparata fuerunt longe majora & utiliora pro usu Ecclesiæ Spirensis.

Heinricus Comes de Leiningen Imperialis aulæ Cancellarius XLVII. Ecclesiæ Spirensis Episcopus resedit in ea annis XXVII. obiit anno Domini MCCLXXII. In festo Priscæ Virginis, sepultus in Ecclesia Spirensi sub marmore albo. Hujus Episcopi temporibus quidam scelerati cives Spirenses, nomine Hulso, Hartmannus & Conradus, fratres, maligno spiritu inflati, sibi complicibus moribus suis congruis non solum intra

intra muros Spirenses, verum etiam in omnes vicinos multa perpetrarunt. Nam emunitates à divis regibus & Imperatoribus clero concessas infringere non formidarunt, sed ausu temerario Prælatorum & aliarum ecclesiasticarum personarum res sacrilegis manibus subtraxerunt, metu mortis eas extra civitatem ejicientes. Nonnullos etiam civium bonæ conditionis & magnæ parentelæ homines armata manu traxerunt de domibus & contumeliam ipsis fecerunt, ac imposita eisdem traditionis iniquæ macula de civitate Spirensi ejecerunt cum pudore. Tandem præfato Heynrico Episcopo eos persequente, bonis, rebus ac juribus destituti, in præfatos pravitatum auctores & eorum complices proscriptionis sententia lata est. Res quoque & personæ eorundem Episcopo præfato adjudicatæ sunt. Quam quidem tam prælibati, quam cives inviolabiliter se observaturos jurarunt. Anno Domini MCCLII. Wilhelmus Romanorum Rex castrum Kislav tradidit Ecclesiæ Spirensi volens munere merito honorare præfatum Heinricum Episcopum Regalis aulæ Cancellarium. Anno sexto præfati Heinrici Episcopi Berchtoldus miles & Conradus fratres de Remchingen universam decimam majorem tam in vino quam in frumento & aliis de quibus decima debetur de jure & consuetudine cum jure patronatus ecclesiæ in Heydelsheim & terminis ipsius ad eos ratione juris patronatus, pertinente Decano & Capitulo Spirensi vendiderunt. An.Dom.MCCLXVI. tempore præfati Henrici Episcopi fundatum Spiræ claustrum fratrum Prædicatorum & fratres ejusdem ordinis introducti, qui se & suos successores obligarunt Episcopo & clero in multis, quæ modo minime observant.

Fridericus de Bolondia filius sororis præfati Henrici Episcopi XLVIII. Ecclesiæ Spirensis Episcopus resedit in ea circa XXX. annos. Hic Fridericus fecit renovare crucem magnam in arcu ambonis positam, quæ vetustate consumta ruinam minabatur, ut habetur in tabulis pendentibus in choro Sanctæ Crucis & sepultus est in monasterio Eusserstall, ubi in marmore monumenti tale continetur Epitaphium:

Continet hæc fossa Fridrici Præsulis ossa
Quondam Spirensis, Deus illum pascere mensis
Cœli digneris, epulis quoque jungere veris
Anno Millesimo trecentesimoque secundo
Atque Kalendarum II. Februi datur hic pius antro.

Rudolphus de Habsburg Rex Romanorum hujus Episcopi temporibus sepultus est Spiræ in choro Regum, ubi in marmore tale habetur Epitaphium: Rudolphus de Habsburg Romanorum Rex anno regni sui XVIII. obiit, anno Dom. MCCXCII.

Adolphus de Nassau Romanorum Rex præfati Episcopi temporibus sepultus est Spiræ in choro regum, ubi tale habetur Epitaphium: Anno Dom. MCCXCVIII. obiit Adolphus de Nassau Romanorum Rex, VI. Nonas Julii occisus, Anno regni sui VIII. In ejus quidem tumuli apertione inventa est parva capsula, in qua effigies cujusdam puellulæ quæ quondam erat filia Friderici Imperatoris adhuc aliqualiter restabat, cum corpusculo involuto panno serico, quod corpusculum cum manibus tractaretur statim in pulverem est redactum, & remanserunt ossa sola, & coma seu pili capitis integri apparebant, de qua puella in eodem marmore tale habetur Epitaphium: Octavo Idus Octobris Agnes filia regis Friderici Imperatoris obiit. Item ex quo vehementissime dubitabatur de consecratione Ecclesiæ, eo quod neque in sculpturis lapidum neque scripturis privilegiorum neq; testimonio hominum quicquam de hujusmodi Ecclesiæ consecratione constaret, post diligentem etiam inquisitionem factam; Ideo iste Fridericus Episcopus eam consecravit, anno Dom. MCCLXXXI. proxima die post festum Nativitatis Mariæ.

Sybotto de Lichtenberg XLIX. Ecclesiæ Spirensis Episcopus resedit in ea annis XII. Nam anno Dom. MCCCII. adeptus est Episcopatum, & obiit anno Dom. MCCCXIV. XII. Jan. Sepultus in choro regum in latere sinistro; Eodemque anno imago capitis Sancti Stephani Papæ & Martyris, quod hodie in summo altari reconditur, perfecta est, ut habetur ex literis in circumferentia ejusdem exaratis. Anno Dom. MCCCIII. Albertus Rom. Rex dotavit altare Sanctæ Annæ in gradibus Ecclesiæ Spirensis, instituendo in eo duas vicarias perpetuas quæ Regales appellantur, eo quod eorum provisio ad Regem Romanorum pro tempore spectat, ex ordinatione præfati Regis Alberti. Anno Domini MCCC. in festo Sanctæ Elisabeth Langraviæ Sybotto de Lichtenberg Ecclesiæ Spirensis Episcopus cum consilio & auxilio communitatum civitatis Spirensis propter eorum demerita consules civitatis coram omni populo ad hæc per pulsum campanæ vocato destituit, alios quoque consules de communitate elegit. Anno Domini MCCCV. Albertus Romanorum Rex in festo commemorationis Sancti Pauli convocari fecit omnem populum cum clero ad Ecclesiam majorem, ad peragendum exequias regis Bohemii & in compulsu exequii cecidit major campana & fractis duabus testudinibus ipsa in tres partes dissiliit.

Emicho de Leyningen Ecclesiæ Spirensis Episcopus L. resedit in ea annis XIV. Nam anno Domini MCCCXXVIII. Pontificatus sui. XV. feria quarta ante Gregorii, obiit Spiræ in corpore Ecclesiæ sub Sarcophago Blauco sepultus est.

Berchtoldus de Biheck ordinis Theutonicorum LI. Ecclesiæ Spirensis Episcopus anno suo primo ad Eccles. Argentinensem translatus est.

Walramus de Veldenz LII. Ecclesiæ Spirensis Episcopus resedit in ea annis VI. Qui obiit anno Domini MCCCXXXVI. in monasterio Prædicatorum ante summum altare, in festo Sancti Augustini sepultus Spiræ.

Gerhardus de Einnberg LIII. Ecclesiæ Spirensis Episcopus resedit in ea annis XXVII. mense uno diebus sex. Obiit Anno Domini MCCCLXIII. in festo Sanctorum Innocentum sepul-

Digitized by Google

ſepultus ante altare Sanctæ Annæ in gradibus.

Lambertus de Buernn, olim Abbas in Gengenbach, LIV. Eccleſiæ Spirenſis Epiſcopus, reſedit in ea annis XVIII. & poſtea ad Eccleſiam Bambergenſem translatus eſt. Item KAROLUS IV. Romanorum Rex huic Epiſcopo Lamberto omnia privilegia à ſuis prædeceſſoribus Eccleſiæ Spirenſi conceſſa reſcribi, renovari ac firmari fecit & ſub bulla, quæ Karolina dicitur, tradidit.

Adolphus de Naſſaw LV. Eccleſiæ Spirenſis Epiſcopus reſedit in ea annis XV. & poſtea ad Eccleſiam Moguntinenſem translatus eſt.

Nicolaus de Wisbaden LVI. Eccleſiæ Spirenſis Epiſcopus VIII. annos habuit lites cum Adolpho pro ipſa Eccleſia Spirenſi, & tandem obtinuit eandem in curia Romana contra præfatum Adolphum. Et ex poſt per ſeptem annos tanquam bonus paſtor & providus præſul bene gubernabat Eccleſiam ſuam & totam dioceſim. Multa ædificia in eadem faciendo & reſtaurando. Tandem obiit in caſtro Bruchſel anno MCCCXCVI. idus Junii in corpore Eccleſiæ Spirenſis ſepultus.

Rabanus de Helmſtad LVII. Eccleſiæ Spirenſis Epiſcopus electus ad Epiſcopatum an. Dom. MCCCXCVI. an. vero Dom. MCCCCXXXI. translatus ad Eccleſiam Treverenſem, obtenta tamen in comendam Eccleſia Spirenſi. Qui tandem An. Dom. MCCCCXXXVIII. Octava die menſis Jan. cum conſenſu Capituli in favorem Reynhardi de Helmſtat ceſſit, tunc præpoſiti Spirenſis. Cui quidem Reynhardo Eugenius Papa quartus providit de Eccleſia Spirenſi, commendando ſibi Præpoſituram Spirenſem certis annis. Reſedit itaque præfatus Rabanus in Eccleſia Spirenſi XLIII. annis bene ac provide eandem ac totam dioceſin gubernando; magnos namque ſubire labores non recuſavit nec abhorruit multa pati diſcrimina, ut utilitati Reipublicæ prudenter & juſte conſulere poſſet, attendens quod hi qui pro Republica interierunt in perpetuum per gloriam vivere intelliguntur. Vivat igitur in Domino. Obiit An. Dom. MCCCCXXXIX. XIV. Nov. ſepultus Spiræ in corpore Eccleſiæ. An. Dom. MCCCCXVIII. circa feſtum Sancti Johannis Baptiſtæ præfatus Rabanus Epiſcopus diffidavit cives Spirenſes. Qui ſtatim poſt diffidationem Eccleſiam S. Germani extra muros cum omnibus habitationibus circumjacentibus per ignem devaſtarunt. Quæ tamen omnia poſt ſedatam litem reſtaurare coacti ſunt, videlicet, in concordia Sigismundi Regis Romanorum.

Reinhardus de Helmſtad LVIII. Eccleſiæ Spirenſis Epiſcopus reſedit in ea An. XVII. qui in caſtro Udenheym obiit. An. Dom. MCCCCLVI, XIV. Aprilis Spiræ in Eccleſiæ corpore ſepultus, An. Dn. MCCCCL. VI. die menſis Maji poſt primam horam mediæ noctis per negligentiam eorum qui organum reformare debuiſſent, ignis validus circa organon accenſus devaſtavit & conſumpſit organum cum turri, campanis & tectis corporis Eccleſiæ Spirenſis.

Sifridus de Veningen LIX. Eccl. Spirenſis Epiſcopus, electus in Epiſcop. An. Dom. MCCCCLVI. XXIX. die Martii eodem an. confirmatus eſt à Calixto Papa. An. ſc. primo Epiſcopatus ſui caſtrum Werſaw pro VIII. mille florenis redemit. Limina quoque Sanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum propria in perſona viſitavit, à Pio Papa ſecundo Indulgentias Eccleſiæ ſuæ Spirenſi impetrando, in qua reſedit annis tribus, menſibus quinque, diebus duobus, multa bona Eccleſiæ ſuæ & eorum dioceſi faciendo, qui obiit Heidelbergæ An. MCCCCLIX. ſecunda die menſis Septembris, ſepultus Spiræ in corpore Eccleſiæ.

Johannes Nix de Hoheneck dictus de Entzberg LX. Eccl. Spirenſis Epiſcopus electus An. Dn. MCCCCLIX. XVII. die Septembris, iſte Johannes Epiſcopus minus provide utilitati reipublicæ conſulens, adhæſit quibusdam principibus contra Dom. Fridericum Bavariæ Ducem, Comitem Palatinum Rheni, quamobrem multa mala intulit Eccleſiæ ſuæ Spirenſi, totam pene dioceſin miſerabiliter per rapinas, latrocinia & incendia depanperando, devaſtando & depopulando, ut in veſtigiis montis Sancti Germani extra muros civitatis Spirenſis proh dolor noſtris temporibus cernitur evidenter. Hic reſedit in Eccleſia Spirenſi annis ferme quinque, Nam An. Dom. MCCCCLXIV. VIII. menſis Auguſti, de conſenſu capituli Spirenſis ceſſit Epiſcopatui, & proviſum fuit Eccleſiæ Spirenſi per Pium Papam II. de perſona Dom. Matthiæ Ramunck, canonici nondum capitularis Eccleſiæ Spirenſis, cancellari Dom. Friderici præfati comitis Palatini. Præfatus quoq; Joh. quondam Eccleſiæ Spirenſis Epiſcopus tandem An. Dom. MCCCCLXVII, VIII. Sept. obiit in oppido Phorzheim, ubi ſepultus eſt. Anno Domini MCCCCLXII. V. Julii omnes habitationes tam Canonicorum quam Vicariorum circa Eccleſiam Sancti Germani extra civitatem Spirenſem & duo Molendina Dominorum dicta, die Galckmulen, clara die incenſa & combuſta per Dom. Fridericum Comitem Palatinum & ſuos adhærentes nemine reſiſtente. Utinam non fuiſſet factum, civibus Spirenſibus ſcientibus & conſentientibus.

Matthias Ramung (an. Ronnung) Domini Friderici Ducis Bavariæ ac Comitis Palatini Rheni Cancellarius, LXI. Eccleſiæ Spirenſis Epiſcopus, cui cum conſenſu Capituli proviſum fuit de Eccleſia Spirenſi per Pium Papam An. Dom. MCCCCLXIV. VIII. Auguſti, in qua reſedit an. XIV. An. Dom. MCCCCLXVIII. III. Jan. Eccleſia ſancti Germani extra muros civitatis Spirenſis cum clero & ornamentis Eccleſiaſticis unita, & ſolenniter ad Eccleſiam Sancti Mauritii translata eſt per præfatum Dom. Matthiam Epiſcopum Spirenſem ob devaſtationem habitationum per Dom. Fridericum Palatinum comitem ſub Dom. Johanne Nix Epiſcopo Spirenſi factam; quanta enim bona fecerit Eccleſiæ ſuæ tam in divino cultu augendo, quam in privilegiis & libertatibus Eccleſiaſticis obſervandis, quæ per negligentiam & deſidiam ſuorum prædeceſſorum abolita, interrupta ac pene ad nihilum reducta fuerunt, in priſtinum ſtatum reduxit, prælibatus quoq; Præſul Capellam in dextro latere ſuperiorem apud januam contiguam funditus ædificare & conſtruere fecit, in ea vicariam unam perpetuam conſtituit & ordinavit.

Ludovicus de Helmſtad LXII. Eccleſiæ Spirenſis Epiſcopus multum devotus & ab omnibus dilectus, vir miræ pacis & pietatis electus unanimiter Osvaldi regis A. LXXVIII. Obiit A. Dom. MCCCCCIV. & ſic reſedit in ea annis XXVI. Obiit in Udenheym ſepultus in corpore Eccleſ. in tumulo cæterorum præſulum de Helmſtad antecedentium, ut claret in ſaxo ejusdem tumuli.

Philippus de Roſenberg filius ſororis præfati Ludovici. LXIII. Eccleſiæ Spirenſis Epiſcopus. Hic per ſupplicationem præfati Ludovici electus Anno Domini MCCCCCIV. V. Septembris, reſedit in ea annis IX. Hic Præſul Rottenburg cum ſuis attinentiis à Comite Philippo Palatino Rheni cum XII. mille florenis (quod tamen pro XX. mille florenis impignoratum extitit) reemit. Sub Præſule prælibato, A. MCCCCCXI. Conſules ac cives opidi Landaw ab Epiſcopatu declinati ad Cæſaream majeſtatem venerunt, advocatus de Hagenaw in locum Cæſareæ Majeſtatis juramentum aſſumſit circa paſcalia ejusdem anni. Obiit An. Dom. MCCCCCXII. Febr. ſepultus à latere ſiniſtro præcedentis Præſulis.

Georgius Dux Bavariæ Comes Palatinus Epiſcopus poſtulatus Eccleſiæ Spirenſis LXIV. ejusdem Eccleſiæ Epiſcopus.

XXVI.

Digitized by Google

XXVI. CATALOGUS EPISCOPORUM SPIRENSIUM.

1.
JEssius præfuit Episcopatui Spirensi Anno Christi 330. ab hoc vacavit Episcopatus tempore Arrianismi CC. annis.

2.
Athanasius præficitur Ecclesiæ Nemetum A. D. 610. præfuit annis 4. decessit ea hac vita A. C. 652.

3.
Principius successit A. C. 652. præfuit 26. annis, obiit A. C. 678.

4.
Tragebodo eligitur A. 678. præfuit octo annis, obiit Anno 686.

5.
Basinus successit anno Domini 741, cum vacasset aliquamdiu ecclesia, præfuit annis septem, octo mensibus & obiit anno Domini 749.

6.
Lato aliis Jatto eligitur anno Domini 756. præfuit annis undecim, obiit anno 767.

7.
David eligitur Anno Christi 767. præfuit 8. annis, obiit anno 775.

8.
Sigewinus præficitur Nemetibus Anno Domini 775. præfuit 27. annis obiit anno 802.

9.
Atho seu Otto successit & præfuit octo annis, obiit anno salutis 810.

10.
Freido constituitur Episcopus Anno Domini 810. præfuit 4. annis, obiit anno Chr. 814.

11.
Benedictus eligitur Anno Domini 814. præfuit annis 8. emigravit ex hac vita anno Chr. 822.

12.
Hertinus successit & præfuit annis 18. & mensibus 4. obiit anno Christi 840.

13.
Gebehardus præficitur An. Christi 848. præfuit mensibus quindecim, trucidatus 4. Decembr. A. Chr. 849.

14.
Gotedancus eligitur anno Christi 881. cum vacasset episcopatus 32. annis, præfuit tribus annis, obiit Anno 884.

15.
Ainhardus successit & præfuit annis sex, obiit anno Domini 890.

16.
Amalricus monachus Weissenburgensis cœnobii postulatur A. C. 890. præfuit annis duobus & quatuor mensibus, obiit A. 893.

17.
Bernhardus ex cœnobio Weissenburgensi assumitur anno Domini 894. præfuit 18. annis, obiit Anno Christi 913.

18.
Amalricus secundus successit & præfuit 31. annis, obiit anno salutis 943.

19.
Reginobaldus Comes à Dillingen & Veringen Baro in Kieburg, Winterthur & Baden, Landgravius Alsatiæ, præficitur ex cœnobio Hirshaugiensi & præfuit annis quindecim, obiit anno Domini 958. 13. Octobris.

20.
Godefridus postulatur ex cœnobio Weissenburgensi, præfuit duobus annis, obiit anno 960.

21.
Otgerus seu Odogarius evocatur ex cœnobio Hornbacensi, præfuit annis 9. obiit anno Domini 969. 13. Augusti.

22.
Baldericus eligitur anno Domini 970. præfuit annis 17. obiit An. salutis 987.

23.
Rupertus postulatur ex cœnobio Weissenburgensi A. Domini 987. præfuit annis 18. decessit ex hac luce A. C. 1005. 4. Non. Julii.

24.
Waltherus seu Waltharius eligitur A. D. 1005. præfuit annis 26. obiit A. C. 1031. 3. Non Dec.

25.
Sigefridus successit & præfuit saltem undecim mensibus, obiit anno Domini 1032.

26.
Regingerus subrogatur & præfuit saltem duobus mensibus, obiit 20. Junii A. Domini 1032.

27.
Reginbaldus secundus Comes à Dillingen, Abbas ad S. Ulricum Augustæ postulatur A. Domini 1032. præfuit annis octo, obiit A. D. 1039. 13. Octobris.

28.
Sigebotho successit anno Domini 1039. præfuit annis undecim & quinque mensibus, obiit A. C. 1051. 16. Februarii.

29.
Arnolphus seu Arnoldus eligitur Anno salutis 1051. præfuit annis quatuor, obiit A. 1055.

30.
Conradus eligitur & præfuit duobus tantum annis & decem mensibus, obiit anno Christi 1058.

31.
Ainhardus secundus Comes in Cazenelnbogen, postulatur ex cœnobio Limpurgensi, in quo Abbas fuit, A. C. 1058. præfuit annis novem, obiit 13. Febr. A. Domini 1067.

32.
Henricus Comes à Scharffeneck, Canonicus Goslariensis, postulatur & præfuit annis octo, decessit 29. Decembr. A. C. 1075.

33.
Rutgerus ex Veteri familia Huzmannorum Ur-

UrbisSpirensis eligitur,& præfuit annis 15.decessit Anno Domini 1090.

34.

Joannes Comes Creichgoviæ eligitur A. C. 1090. præfuit annis 15. obiit A. 1104.

35.

Gebehardus secundus Comes Auracensis primum Monachus Hirsaugiensis & Abbas, postea ex Canonico Argentinensi postulatur A.D. 1105. præfuit annis 4.& mensibus decem, obiit anno salutis 1110.

36.

Bruno Comes in Würtenberg eligitur A.D. 1110. præfuit 12. annis, obiit 13. Octobr. A.C. 1123.

37.

Arnolphus Abbas Corbejæ postulatur A.D. 1123. præfuit 4. annis, obiit A. salutis 1127.

38.

Sigefridus secundus, Comes de Leiningen eligitur A.D. 1127. præfuit annis quindecim,obiit anno salutis 1142. 23. Septembris.

39.

Guntherus Comes de Leiningen eligitur A.D. 1142. præfuit annis 14. obiit A. redemptionis 1156. 17. Sept.

40.

Udalricus nobilis à Durmunz eligitur A. D. 1156. præfuit annis 12. obiit Anno Christi 1168.

41.

Gotefridus secundus eligitur & præfuit annis 10. obiit Anno Christi 1178.

42.

Conradus secundus eligitur A.D. 1179. præfuit annis quinque, obiit A. 1184.

43.

Rabodo eligitur & præfuit annis quatuor, obiit Anno salutis 1188.

44.

Udalricus secundus Nobilis à Rechberg, successit per electionem & præfuit 4.annis,obiit anno salutis 1192.

45.

OttoComes ab Hennenberg successit per electionem, præfuit 7. annis, obiit A.D. 1202.

46.

Conradus Tertius Baro de Scharffeneck eligitur A.D. 1202. præfuit annis 22. obiit 12. Decemb. A.C. 1224.

47.

Berengarius sive Beringerus Baro de Entringen ex Svevia eligitur A. D. 1224. præfuit annis 8. decessit ex hac vita in Festo AndreæAnno salutis 1232.

48.

Conradus Quartus Nobilis à Dan eligitur A. D. 1233. præfuit annis 4. obiit anno salutis 1237.

49.

Conradus Quintus, Comes ab Eberstein, eligitur in die Agnetis A.C.1238. præfuit 7. an. obiit anno salutis 1245.

50.

Henricus secundus Comes à Leiningen assumitur intercessione Imper. Friderici secundi, A. D. 1245. præfuit 27. annis, obiit 18. Octobr. A. C. 1272.

51.

Fridericus Baro à Bolanden eligitur 4. Martii A.D. 1273. præfuit 30. annis,obiit 18.Jan.A.C.1302.

52.

Sibotho Baro à Lichtenberg eligitur A.D.1302. præfuit annis 12. obiit anno salutis 1314.

53.

EmichoComes à Leiningen constituitur Episcopus mandato Imp. Ludovici Bavari, præfuit annis 14. decessit ex hac vita A. D. 1328. 19. April.

54.

Berchdoldus Comes à Buchek ex Burgundia postulatur ex Teutonico ordine, præfuit undecim mensibus, postea resignavit vocatus ad Episcopatum Argentinensem A. D. 1329.

55.

Waldramus Comes à Veldenz eligitur A. D. 1329. præfuit annis sex & aliquot mensibus, obiit An. 1335.

56.

Baldovinus Comes à Luzelnburg Archiepisc. Moguntinus&Trevirensis,Episcop.etiamWormatiensis rogatus àCapituloSpirensi administrationis tituloEcclesiæSpirensi præfuit duobus annis eamque resignavit A. D. 1337.

57.

Gerhardus nobilis abErnberg eligitur A.C.1337. præfuit 26. annis mense uno diebus 4. obiit 28. Decembr. A. salutis 1363.

58.

Lambertus nobilis à Burn ex Alsatia, Abbas Gengenbachensis & Episcopus Brixiensis, Imp. Caroli IV. jussu subrogatur. Præfuit annis fere 9. postea factus præsul Argentinensis resignavit A. 1372.

59.

Adolphus comes à Nassau eligitur A. D. 1372. præfuit annis 16. obiit A. salutis 1388.

60.

Nicolaus à Wisbaden successit è Roma à Pontifice Urbano VI. commendatus anno Domini 1388. præfuit annis 15. obiit 7. Junii Anno Christi 1396.

61.

Rabanus nobilis ab Helmstad Imp. Wenceslai Cancellarius eligitur 20. Jun. A. D. 1396. præfuit annis 42.obiit 14.Nov. A. C.1430. interfuit Concilio Constantiensi 1415.

62.

Reinhardus ab Helmstat per resignationem Rabani pervenit ad Episcopatum, præfuit annis 17. obiit 19. Martii A. D. 1456.

63.

Sigefridus tertius nobilis à Venningen eligi- 29. Martii A. D. 1456. præfuit annis 3. mensibus quinque,duobus diebus, obiit 2. Sept. A.C.1459.

64.

Johannes Secundus nobilis ab Entzeberg cognomento Nix,eligitur 17. Sept. A. D. 1459. præfuit 3. annis,postea resignavit, decessit ex hac vita 6. Sept. A. 1464.

65.

Matthias nobilis à Ramung Bavarus postulatur post resignationem Johannis, præfuit annis 15. migravit ex hac luce A. C. 1478. Calend. Aug.

66.

Ludovicus ab Helmstad eligitur,præfuit annis 27. obiit 18. Aug. A. D. 1504.

67.

Philippus à Rosenberg eligitur 6. Sept. A. D. 1504. præfuit annis 8. mensibus 4.diebus 27. obiit 3. Febr. A. D. 1513.

68.

Georgius Comes Palatinus Rheni & Bavariæ Dux postulatur ex præpositura Moguntinensi 13. Febr. A. 1513. ætatis suæ anno 27. præfuit annis 16. decessit 27. Sept. A. D. 1529. sudore Anglico.

69.

Philippus secundus à Flerscheim eligitur 22. Octobr.

Digitized by Google

Octobr. A. 1529. præfuit annis 23. obiit 14. Aug. Anno Christi 1552.

70.

Rudolphus a Franckenstein eligitur anno Domini 1552. præfuit annis septem mensibus duobus, obiit 21. Junii Anno Domini 1560.

71.

Marquardus ab Hattstein eligitur Anno Domini 1560. cum prius esset in coadjutorem Rudolphi electus, præfuit annis 21. obiit 7. Decembris Anno salutis 1581.

72.

Eberhardus a Dienheim eligitur 20. Decemb. Anno Christi 1581.

Appendix I. Catalogi Spirensium præsulum.

I. *Hemistichium anni 1478. in quo natus Ludovicus Dux Palatinus.*

Te, Ludovice, Sacer processus ducit in orbem.

II. *Distichon Anni M CCCCC XLIIII. in quo Dux Ludovicus obiit.*

Parca Palatinum truculento funere Clotho
Abstulit, ut phœbi tangeret aura jubar.

III. *Oppugnatio trium Ducum facta a Friderico Duce Palatino anno M CCCC LXII.*

Ecce lignum crucis.

IV. *Epitaphium* der Niederlag am Steinern Creutz zu Seckenheim beschrieben.

Als man zalt nach Christi gepurt M CCCC LXII. uff Sanct Paulus gedechtnis tag seindt auff dieser Walstatt durch Hertzog Friedrich Pfaltzgraff bey Rhein und Chur Fürsten nieder geworffen worden Herr Jorg Bischoff zu Metz, Margraff Carlen van Baden und Graff Ulrich von Wirtenberg mit einer mercklichen Zall seiner Diener, Grauen, Herren, Ritter und Knechte den seelen im selbigen gescheffe todt bliebenen woll Gott barmhertzig seyn, und uff denselben tag schlug ein Pälzer einen Jäger, Bader, und Selzer.

V. *Hemistichium Anni MDXXIII. in quo Franciscus a Sicking concidit.*

Concidit infelix Franciscus fragmine ligni.

VI. *Distichon Anni MDXXV. in quo fuit bellum Rusticorum.*

Rustica gens vincitur gracili dum bellat e telo
Nulla salus bello pacem lustrate decusque.

VII. *Damnatio Johannis Hussi ex Ps. in quo numerus anni.*

Laus ejus in Ecclesia Sanctorum.

VIII. *Carmen Anni MDXXIX. in quo regnavit morbus dictus Anglicus Sudor.*

Tabifice occidit multos sudor truculentus.

IX. *Hemistichium anni ejusdem, in quo Turca cœpit oppugnare Viennam.*

Applicuit bellans crudelis Turca Viennam.

X. *Distichon Anni MDIII. in quo obiit Johannes Camerarius Dalburgius Episcopus Wormatiensis per Sebastianum Brant Argentinensem.*

Præsul in hoc tumulo Dalburg jacet ipse Johannes
Lux studii & Vera nobilitate parens.

XI. *Solutum Wimpfelingi, in quo numerus anni.*

Recte doleo, flos omnis doctrinæ cadens jacet.

XII. *Debellatio Moguntina 1462.*

Thadæi festo ac debellat Ludovicus Mentz.

XIII. *Distichon anni 1546. in quo fuit bellum Protestantium.*

Carolus en quintus vicit plerosque rebelles
Germanos proceres urbibus ipse suis.

XIV. *Versus ex Psalmo 57. in quo numerus anni 1547. comprehenditur. In ipso anno facta est deditio Protestantium.*

Sicut cera, quæ fluit, auferentur; supercecidit ignis & non viderunt solem.

XV. *Concilium Basileense ex Ps. in quo numerus anni 1432.*

Generatio prava atque perversa, occine reddis domino, popule stulte & insipiens.

XVI. *Distichon in quo numerus anni 47. comprehenditur in quo anno Fridericus Dux Saxoniæ captus est cum filio suo Ernesto & multis principibus.*

Cæsare, Saxoniæ Dux, Ernestoque profesto
Marci concaptus principibus periit.

XVII. *Carmen in quo numerus anni 1525. continetur, in quo captus est Rex Galliarum.*

Regia succumbunt pugnacis lilia Galli.

Appendix II. Catalogi Episcoporum Spirensium continens Excerpta ex passione Sacerdotum sub Marchione Alberto Electore anno 1484.

INcipit passio Sacerdotum sub (ditione) Marchionis Alberti An. Dom. MCCCCLXXXI. - - - In illo tempore - - - congregati sunt principes Consulatus & Seniores populi in atrium Principis Marchionis, qui dicitur Albertus - - - cum - - esset Princeps in Onoltzpach - - - - Tunc abiit unus ex Sacerdotibus notus Principi - - - - dicens quid vultis mihi dare & ego vobis clerum tradam, & valorem beneficiorum taxabo, unamque imponam Steuram - - - - - In Chulmbach - - - - omnes Clerici convenerunt. Ait scriba, hæc dicit Princeps: desiderio desideravi hanc exactionem vobiscum agere, antequam moriar - - - Vos vocatis me princeps & domine, & recte dicitis, sum enim. Scitis quid fecerim vobis. Exemplum enim dedi aliis, & sic ipsi facient suis - - - - - Summus autem Sacerdos a sede Apostolica misit mandatum breve dictum, signatum annulo piscatoris, procurante præsule, continens ista: prohibemus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ne quis laicorum se intromittat clerum spoliaturum. Nec clerus sub pœna suspensionis & interdicti subjiciat se principi seculari - - Sed qui habet nunc sacculum & peram tollat ea, & qui habet tunicam vendat & emat gladium. Et illi dixerunt; ecce duo gladii, jus canonicum & civile hic. Ait Præsul, satis est - - - At illi tristes recesserunt & oraverunt: pater, si possibile est, transeat a nobis tribulatio - - - At Princeps surrexit & dixit, habeo mittere plures stipendiarios contra magnum Turcam, in quo clerus cum certa summa debet subvenire. At illi dixerunt: ut audivimus taxatio facta a principibus in Nurenberga, jam abolita, sopita est, & pacificata. Et ille dixit:

Digitized by Google

ex mandato Imperatoris habeo mittere magnam summam cum stipendiariis ad expugnandum Regem Hungariæ. At illi dixerunt: non licet nobis auxilium, consilium vel favorem præbere ad effusionem sanguinis --- Novissime venerunt falsi testes, qui dixerunt: nos audivimus & scimus, quod bona cuncta temporalia a nobis translata sunt in clerum. Nimium habundant, & in cunctis provinciis habent meliora, & si dimittimus eos sic, veniet forte Romanus Pontifex, & tollet nostrum locum & gentem, & per successum temporis cuncta nostra obtinebunt -- Alii dixerunt: de anno octogenario prophetavit prophetissa Laicalis dicens, Clerum pro tempore illo esse sepeliendum & lapidandum. Quomodo ergo implebuntur scripturæ prophetarum. At illi dixerunt: Nos habemus legem a divis Imperatoribus nobis datam per Constantinum primum, per Ottonem primum, secundum, tertium, per Fridericum I. per Henricum I. per Conradum I & II. per Carolum IV. qui favorabilem legem dedit, quæ lex dicitur Carolina, ut Clerus liber sit ab omni exactione, aggravatione, manus impositione brachii secularis ---- Si secus feceritis in censuras canonicas excommunicationis & interdicti incercidere poteritis. Tunc surrexit Princeps dicens: blasphemavit, quid adhuc egemus testibus, clerus nobis & nostris minas de sententiis excommunicationis imponit --- Venit ad eum Uxor Principissa cum filio suo scilicet Principe juvene volens liberare Clerum, dixit ei, nihil tibi & Clero, nam dicent plebi; hic Princeps in senio vult hæreticari, & opponere se Romanæ Ecclesiæ ------ Vocati sunt tres præcones cum cursore Judicii provincialis, & Clerus traditus est potestati illorum ----- Miserunt duos de militibus in villam ad expoliandum colonum beneficii Chulmbach, hic exemit gladium volens defendere se & bona sua. At illi dixerunt: mitte gladium in vaginam, omnis enim qui gladio pugnat, gladio peribit. Annon possumus rogare Dominum Capitaneum, & ille exhibebit nobis legionem equitum & pedestrium. ---- Princeps terræ misit edictum suum officialibus capitaneisque Hoff & Payrrewt, ut se suosque disponerent, & clerum in terris illis expoliarent. At illi dixerunt: non licet nobis nomen nobilitatis & progeniei Ballenfels, Leuterschem nefario facto isto defœdare ---- Clerus in locis spoliatis interdictum tenuerunt & a divinis cessaverunt. De quo Laici omnes indignati sunt, dicentes, Vah Clero, qui destruit templum Dei, prohibens ingressum vivorum ac sepulturam mortuorum & tunc potiores incolæ Chulmbach odio concitati contra Clerum conspiraverunt, livore facti in contemtum, unde apportantes quendam defunctum & in loculo ante portam curati ad templum nocte locaverunt, tunc famulus bene potatus in crepusculo noctis ex ignorantia portam exivit, casu irruit super feretrum, cadens projecto cadavere in terram. Hic mira indignatione clamavit: diabolus mortuus est, & truncum suum locavit ante portam, aut alia deceptio phantastica se supposuit. At ille surgens arripuit fugam de cœmeterio, & cives ex jussu præsidentium alia corpora defunctorum illuc posuerunt, ut Clerus præ fœtore talium impediretur de exitu & introitu. Matrona vero quædam fossam in cimiterio procuravit & corpora defunctorum ibi sine operimento collocavit ---- Convocatis Consulibus & plebe dixit ad illos: e duobus unum eligite, exactionabo vos aut clerum; exclamabat autem universa turba, dicens non nos, sed Clericos -- Princeps remisit Clerum cum scriptis ad Capitaneum & Officiales & Montanos. Convocato Clero altera die post Galli, scriba literas Principis coram cunctis legit: Miror de pertinacia Cleri, qui huc usque non solvit tributum --- ideo præcipio cunctis sacerdotibus sub privationis pœna & expulsu principatui, ut celebrent divina, non obstantibus mandatis Apostolicis quibuscunq; & Episcopi; & si edictum meum contemnunt, privari beneficio & nudi de provincia expelli debent. Nam quatuordecim Principes, & aliquos Episcopos habuimus inimicos nobis diffidantes, adhuc salvi stetimus, cur pavorem habemus de Papa, Episcopis & Pfaffonibus -- Olim Ecclesia Romana sustentabatur quatuor Columnis, scilicet Electoribus Imperii ad quatuor plagas mundi, columna orientalis, scilicet Rex Bohemiæ cecidit de obedientia summi Pontificis --- Columna meridionalis Brandenburgensis pluribus annis minabatur ruinam, & ecce jam cecidit de obedientia Ecclesiæ, inde Ecclesia Catholica saltem duabus columnis adhuc sustentatur, quæ supersunt, aquilonaris Dux Saxoniæ, Occidentalis Palatinus Rheni ---- Præcones autem cum ministris diviserunt vestimenta clericorum, & super utensilia domus miserunt sortem --- Erat autem superscriptio scripta in vulgari: Clerus sub dominio Marchionis contumax Principi Electori Romani Imperii spoliatur & expellitur --- Et tenebræ ignorantiæ factæ sunt in universa terra Marchionis. Exclamans Clerus expulsi sunt, & omnis turba eorum. Altera autem die convenerunt Officiales ad Principem dicentes --- Jube præveniri, ne Clerus iterum dominetur nobis, & erit novissimus error pejor priore. Ait illis princeps: habete custodiam, ite custodite, sicut scitis. Illi autem abeuntes, invenerunt domos sacerdotum signantes januas cum custodibus --- Erat Vir nomine Methodius Pontifex, authenticus Doctor Ecclesiæ, qui inter cætera sic loquitur: In novissimo autem septimo millenario seculi incipiet exire semen Israël de tribu deserta, & erit adventus eorum castigatio sine misericordia, & tradet Deus in manus eorum cuncta regna gentium propter peccata quæ operata sunt contra præcepta Dei. --- Hæc facta sunt in Ecclesia orientali, eo quod recesserunt ab obedientia summi pontificis ---- Venit autem & Vincentius ferens mixturam ex dictis Doctorum collectam, simul commiscens in tractatulo suo de fine mundi, de secunda persecutione Ecclesiæ per bella intestina, & vexationem Cleri per Principes domesticos, qui antea erant protectores Ecclesiæ. Aliquod tempus durandum, Ecclesia tamen postea multo tempore erit in pace securissima.

INDEX

Google

INDEX
RERUM TOMO II. CONTENTARUM.

AAron Saracenorum Princeps 436
Abach castrum 2250
Abdalla 1377
Absalon Lundensis Archiepiscopus 800
Acheldemac 1348
Accon, urbs 1350. 1351. 1352. 1388. 1391. 1393. 1810
Acurricupia oppidum 1346
Adalbero Episcop. Augustanus 2241
Adalbero Basiliensis Episcopus 62
Adalbero Brixiensis Episcopus 62
Adalbero Laudunensis Episc. 16
Adalbero Wormatiensis Episc. 602
Adalberti Moguntini Archiep. epistolæ 292. 293. 294
Adaldagus Hamburg. Archiep. 525
Adelbero Archiep. Trevir. 2197
Adelbertus Bremens. Archiepisc. 601. 602. 607
Adelbertus Comes Babebergens. 510. 515
B. Adelberti reliquiæ 473
Adelbinus Episc. Ratisbon. 2244. 2253
Adelboldus Herbipolensis Episc. 552
Adelgarius Hamburgens. Archiepisc. 502. 505. 510. 511
Adelgisus Beneventanus Dux 495
Adelhardus Corbeyæ novæ Abbas primus 456
Adelwinus Ratisbonensis Episc. 34
Adina castellum 1346
Adolphus Romanor. R. 940
Adolphus Colon. Archiep. 1395. 2221. 2269
Adolphus VIII. Dux Slesvicens. 1247
Adolphus VIII. Comes Holsatiæ 1248
Adolphus X. Comes Schauenburgi 1229
Adolphus Comes Clivensis Dux factus 1223. 1240
Adolphus Episc. Spir. 2271. 2276
Adolfus Dux Brabantiæ 1262. 1275
Adolfus Dux Clivensis 1263
Adolfus II. Comes de Altona 702. 703. 704
Adolfus Comes de Monte 1250. 1403
Adolfus Dux Slesvicensis 1326
Adolfus Comes de Schowenburg 1254
Adrianopolis 1345
Adrianus II. Papa 474
Adrianus III. Papa 500
Adrianus IV. Papa 706
Adrianus V. Papa 926. 1786
Advocatorum terra 520
Ægyptus 1375. 1376. 1377
S. Afra 2239
Agapitus II. Papa 528
Agnes Henrici III. Imperat. uxor 593. 594. 598. 605. 2263
Agnes de Malberch 2230
Aha fluvius 448
Ahus, castrum 938
Akaron 1346
Akron 782
Alamani 1354
Alani 469
Alappia 1381
Alara fluvius 440
Albani 469
Albericus Cumanus Episcopus 62
Albero Episc. Virdunens. 2205
Albero Wirceburgensis Episcop. 92. 113
Albertus Moguntinus Archiepisc. 333. 2199
Alberti Moguntini Archiep. epistolæ 336. 341. 343. 350. 369. 370. 371
Alberti M. Ratisbon. Episc. versus 895. 1164
Albertus Argentinens. Episc. 902. 912
Albertus Austriæ D. Romanor. R. 953
Albertus Rex Sveciæ 1218
Albertus March. de Brandenburg 959
Albertus junior Dux de Brunswic. 953
Albertus Dux Meclenb. 1224. 1235
Albertus Sax. Dux 961. 975. 1245. 1254. 1255. 1256. 1260
Albertus Episc. Ratisb. 2252. 2255
Albertus II. Episc. Ratisb. 2252. 2256
Albertus Præpositus S. Paulini 2210
Albigenses 862. 1396. 2227. illorum persecutio 1750. sqq.
Albis 469
Alcacia 1401
Aldenburg urbs 567. 670
Aldenburgensis ecclesia 568
Aldenburgensis episcopatus 536. 538. 541. 542. 695. 700. 704
Aldenburgenses Episcopi 713
Alexander II. Papa 111. 117. 124. 599
Alexandri II. Papæ decretum 127
Alexander III. Papa 716. 748. 750. 1383
Alexander IV. Papa 898. 1778
Alexander V. 1194
Alexander VI. 2017
Alexandria 1378
Alexandria Longobardiæ urbs 751
Alexius Imp. Constantinop. 2223
Alfonsus Castellan. Rex Rom. electus 1778. 1785. 1789. sq. 2238
Alfonsus Comes Pictaviæ 1766. 1777
Alfridus Hildeshemensis Episcopus 459
Altena 670
Alzen insula 1299
Amalaricus 451
Amalaricus hæreticus 839. 840. 848
Amalricus Hierosolymorum Rex 1349. 1354. 1375. sq. 1378. 1380. 1381. 1394
Amalricus Episc. Spirens. 2274. 2259
Amandus Magister militiæ templi 1383
Ambiani 499
Ambletus Daniæ Rex 478
Amelungesborne cœnobium 679
Amersford oppidum 1281
Amiramomelinus Carthag. R. 1396
Amundus Norwegorum Rex 479
Amylo Daniæ Rex 483
Anacleti Pontificis Romani epistolæ 351
Anastasius III. Papa 512
Anastasius IV. Papa 705
Anastasius Ungrorum Archiepiscopus 62
SS. Anastasii & Innocentii reliquiæ 460
Andegavia 864
Andegavis 463
Andreas II. Ungar. R. 1397. 1399
Angarorum Episcopatus 441
Angelomus 451
Angelus Corarius Antipapa 1204
Angli in Gallia cæsi 1248
Anglia 460. 475. 478. 482. 484. 485. 817. 847. 1306. 1260
Angliæ reges 581. illorum jus in Franciam 1243. sq.
Angliæ tributum Romam mittendum 460
Anna uxor Wilhelmi Ducis Brunsvic. 1309
Anno Coloniensis Archiepisc. 593. 598. 603. 605. 607. 2169
Ansa v. *Hansa*.
S. Anscharius Hamburgensis & Bremensis Archiepiscopus primus 441. 445. 456. 458. 461. 465. 469. 483. 490
Ansegisus Senonensis Archiepisc. 451. 494
Ansegisus Lobiensis Abbas 458
Anselmus Cantuariensium Archiepisc. 621
Ansfridus Trajectensis Episcopus 62
Ansfridus de Turono 1394
Antarados 1383
Anthropomorphitæ 526
Antiochia 631. 1346. 1351. 1356. 1357
Antiochia minor 1346
Antisiodorum 498
Antonius Dux Brabantiæ 1297
Anvorde 805
Apostolorum ordo 906
Apulia 710. 839
Aquensis ecclesia 235. 236. 443
Aquensis urbs 1315
Aquilegia 452
Aquisgranense concilium 441. 446
Aquisgranum 444. 445. 499. 482. 526. 1295

Google

Aquitaniæ Ducatus 674
Arabes 1382
Archidiaconi ordinandi requisita 15
Archilus Sueciæ Rex 477
Arelatense Concilium 443
Aretina ecclesia 261
Argentina 280
Argentinensis conventus 807
Argentinensis ecclesiæ epistola 260
Argentinensis Episcopus 130
Aribo Juvavensis Diaconus 85
Arimaspes 6
Ariminensis episcopatus 275
Arksleve castrum 848
Armengandus Blasii de Montepessulano medicus 947
Armenia 855. 972. 1346. 1351
Arneshope castrum 1170
Arnoldus Archiep. Colon. 2199. 2201
Arnoldus Archiep. Trevir. 2208. 2232
Arnoldus Episc. Spirens. 2266
Arnoldus Halberstadiensis Episc. 61
Arnoldus Bavariæ Dux 824
Arnoldus Dux Gelriæ 1224. 1277. 1279
Arnoldus de Villa Preodii hæreticus 1101
Arnolfus Spirens. Episc. 2263
Arnolfus Rhemensis Archiep. restitutus 16. 549
Arnricus Episc. Ratisbonens. 2253
Arnulfus Imperator 483. 301
ejus epistolæ 39
Arnulfus Hollandiæ Comes 349
Arnulphus Comes Palatinus 2245
Arnulphus Laudunensis Episc. 4
Arnze, lacus 450
Arragonia 832. 910
Arras castrum 2198
Ascalon 782. 1353. 1375. 1389. 1393
Asimgrimus Episc. Ratisbon. 2254
Asnede Abbatia 459
Aspertus Episc. Ratisb. 2245. 2253
de Asseburg milites 905
Assumtio B. M. V. 459
Athanasius Spirens. Episcop. 2257. 2273
Ato Episc Spirensis 2258. 2273
Atrebatum 499
Attanus 1377
Avares 500
Avaz castrum 2236
Avenio, civitas 1763
Avenionis urbs 862
Augerii (Amalrici) de Biterris Actus Pontif. Rom. 1641
Aulicanus episcopatus 444. 446
Aurelianensis ecclesia 498
Aurelianis 460
Austria 888
Austriæ Ducatus 722
Axewalde, castrum 1158
Aymericus v. *Amalricus.*
BAbenberch v. *Bamberg.*
Babylon 1376
Babyloniæ Rex 782
Babyloniæ Soldanus 452
Bachus, Episc. Wangionum 2199
Badenn ecclesiæ Spirens. datum 2262
Baias villa 1346
Balder Daniæ Rex 477
Baldewinus Archiep. Bremensis 1343
Baldolfus Tarentasiensis Archiep. 62
Balduinus Salzburgens. Episc. 87
Balduinus Amalarici filius, Hierosolymorum Rex 1349
Balduinus III. Hierosolym. Rex 1372. 1375. 2224. 2266
Balduinus IV. Hierosol. Rex 1381
Balduinus V. Hierosol. R. 1387
Balduinus Ferreus Flandriæ I. Comes 468
Balduinus Flandriæ Comes 559
Ballinger 1268. 1280
Balthasar de Cossa, Antipapa 1204. 1212. 1235. 1237
Balthasar Dominus Slavorum 1206. 1222
Balticum mare 477
Bambergensis advocati charta 99
Bambergensis civitas 59. 62. 510
Bambergensis cleri epistolæ 285
Bambergense colloquium 369
Bambergensis ecclesia 5. 69. 70. 71. 73. 78. 80. 81. 83. 95. 97. 98. 99. 102. 210. 294
Bambergensis ecclesiæ epistolæ 139. 214. 215. 225. 226. 227. 229. 329. 339
Bambergensis Episcopatus 60. 63. 64. 65. 68. 73. 76. 562. 569. 570
Bambergensis Episcopus 89. 99. 100. 103. 285
Bambergense monasterium 89
Bardesholm 663. 722
Bardewic 791
Bardevicensis ecclesia 441
Barenborg 1341
Bargaropolis 1345
Barith castellum 1346
S. Bartho Archiep. Mogunt. 2260
S. Bartholomæi ossa 438
Basilea 513
Basileense concilium 599. 1307. 1309. 1313
Basilias 4
Basilius Græcorum Imperator 495. 498
Batua 498
Baturicus Ratisbon. Episcop. 47. 48. 49
Batyoni Tartari Epistola 892
Bavari 1397
Bavariæ Ducatus 111
Bayerburg castrum 1045
Bebetre 1377
Begardi 1036. 1113. 1114
Beginæ 1036. 1114
Belbeis 1376
Belgrada 1345
Belinas 1372
Bellismontis cœnobium 672
Belloacensis S. Quintini Ordo Canon. Augustin. 617
Benedictus III. Papa 464
Benedictus IV. Papa 509
Benedictus V. Papa 535
Benedictus VI. Papa 539
Benedictus VII. Papa 542
Benedictus VIII. Papa 562
Benedicti VIII. Papæ epistola 73. 74. 77. 84
Benedictus IX. Papa 574
Benedictus X. Papa 595
Benedictus XI. Papa 958. 963. 1802. 1846. 1865
Benedictus XII. Papa 1046. 1132. 1133. 1847
Benedictus XIII. Papa 1167. 1204
Benedictus Episc. Spirens. 2258. 2273
Benedicti (Alexandri) Veronensis de rebus a Carolo VIII. Galliæ Rege in Italia gestis libri duo 1577
Beneventana regio 474
Beneventum 366. 438. 458. 474. 495
Benno Aldenburgensis Episc. 568
Benno I. Osnabrugensis Episcopus 113. 2170
Benno II. Episcopus Osnabrugensis & ejus vita 2161. sqq.
Benno Saxoniæ Dux 549. 559. 563
Beodan Deus 470
Berchkerl 439
Berchtoldus Episc. Spir. 2270. 2276
Berengarius hæreticus 589. 595. ejus abjuratio 310
Berengarius Italiæ Rex 511. 512. 515. 518. 520
Bergense opidum 1171. 1262. sq. 1288. 1291
Berghedorp, castrum 1183. 1242
Berich Daniæ Rex 478
Berincastel 2223
Beringerus Episc. Spirens. 2268
Berithum 1354. 1363. 1385. 1389. 1395
Berlin 1136
Berneburg castrum 1269
Bernhardus Italiæ Rex 441. 447
Bernhardus Beunonis fil. Sax. Dux 563. 566. 568. 575. 576. 600
Bernhardus Comes de Anhald, Saxoniæ Dux 753. 765
Bernhardus Claræ vallensis 677. 687. 689. 705. 2266
Bernhardus Dux de Brunsvic. 1201. 1224. 1248. 1333
Bernhardus Dux de Lovenburg 1328

Bernhardus Ep. Spir. 2259.2273
Bernhardi Clærevallens. epistola 685
Bernhardus de Montepolitiano Ord. Prædicator. Henrico VII. venenum in S. Eucharistia non præbuit 983
Berno Gigniacens. abbas 512
Bernstorpe munitio 1087
Bernstorp (Wendelbernus) 1151
Berthæ Abbatissæ carta 102
Bertoldus Tullens. Episc. 61
Bertoldus Moraviæ Dux 1351
Bertholdus Dux Ceringens. 2221
Berthulfus Treverens. Archiep. 494
S. Bertrandi translatio 1809
Bertrammus Ep. Metens. 2216
Berud vide *Berith.*
S. Berwardus Hildesheim. Episc. 549.567
Berwenstein, castrum 2267
Bethania 1347
Bethsais 1347.1398
Bethsan 1385
Bethlehem 1348
Bethua 448.449
Betowe 498.1278
Beynem villa 1166
Beyus Sueciæ Rex 477
Bibendi meta 533
Bibliorum lectio illiteratis interdicta 15
Billenkem 2268
Biscoppeslutter castrum 1276
Bituricus Ep. Ratisbon. 2244
Blankensten 670
Blankenburgense Prædicatorum monasterium 947
Blekede 1177
Blesensis mons 505
Bliswiler 2260
Blomenberg, castrum Westfaliæ 1233
Boarmundus Antiochenus Princeps 1375
Bodenwerder oppidum 1023
Bodinus Monasteriens. præpositus 2210
Bohemi 366.449
Bohemia 438.521.580.582.814.969.974.2246
Boleslaus Polon. Rex 1253.1318.1340
Bolezlaus Bohemiæ Dux 521
Bolwerk 1270
Bonaventura 904
Bonifacius VI. Papa 505
Bonifacius VII. Papa 542
Bonifacius VIII. Papa 950.1811.1846.1849.1863.1865
Bonifacius IX. Papa 1158.1867
S. Bonifacius Moguntinus Archiep. 446.447.1401
Bonifacius Albanens. Episc. 22
Bonifacius Italorum Marchio 590
Bonus Leodiens. Episc. 515.516.517
Bopho 498
Borcardus de Scrapelo Archiep. Magdeb. 1024
Borchardus Wormatiens. Episc. 560
Borgtorp castrum 1250
Bornchovedana ecclesia 697
Bostrum 1373.1384
Brandenburgensis Marchia 1140.1161.1170. ad Fridericum Burggravium Noribergensem pervenit 1223
de Brandenburg Marchiones 706
Brandenburg urbs 515.520.559
Brandeshusen cœnobium 460
Bredenvord castrum 961
Brema 548.728.1323
Bremensis Ecclesia 104.105.461.465.502.505.510.511.512. 571.583. ejus comitatus 1247
Bremensis Archiep. 441.444.490.600.773.777
Bremeri (Jacobi) hæreses 1238.sq.
Bridal curia 2205
S. Brigitta 1162. ejus Ordo 1232
Brile, oppidum Selandiæ 1232
Brisacum 527.841
Britannia 452.476.478
Britannia minor 505
Britannicus oceanus 469
Brixensis urbs 1268
Broderus Sweyn, pirata 1315
Brother Daniæ Rex 481
Bruchsellen 2262
Brugensis urbs 959.1137.1237
Bruke castrum 1273.2207
Bruno Coloniens. Archiep. 515.2222
Bruno Archiep. Trevir. 2197
Bruno Augustens. Episc. 61.559.569.570
Bruno Episc. Spir. 2265
Bruno Cluniacens. Abbas 503
Bruno Ludolfi filius Sax. Dux 483.511.514
Brunonis Argentinens. Episc. epistola 361.362
Bruno de Warendorp, Ord. Prædicator. 1028
Brunsvicensis S. Cyriaci collegium 626
Brunsvicensis Ecclesia 740
Brunsvicensis urbs 511.514.751.814.816.829.857.953.1123. 1136.1199
Brunsvicensium cum Clero dissidia 1237
Bruxellæ civitatis rebellio adversus Ducem Brabantiæ 1247
Buchel Daniæ Rex 481
Buinensis Comitatus 2205
Bulgari 474.535
Bulgaria 478.1345
Bulgrada vide *Belgrad.*
Bulla aurea Karoli IV. 1098
Bülowe de Prensberge 1144
Bulowe de Radem 1144
Bulowe de Trützem 1144
Bunna 499
Burca 469
Burchardus Laudunens. Archiep. 62
Burchardus Lubec. Ep. 953
Burchardi Monast. Ep. epistola 294
Burchardus Wormatiens. Episc. 61
Burchardi (Johannis) diarium Curiæ Romanæ sub Alexandro VI. 2017
Burdegalis 460
Burdinus Baracens. Episc. 296
Burgara 1345
Burgi magistri 721
Buria 1384
Buthsereth 1373
Burzowe villa 701.1264

CAbilonense concilium 443
Cæsar Borgia Dux Valentinus 2147.sqq.
Cæsarea Philippi 1372.1375
Calammanus 1375
Calipha 1376
Calipolis 1345
Calixtus II. Papa 350.298.662. ejus epistolæ 299.337.364. scripta 303.308
Caliz castrum 1299
Calve, oppidum 1201.1315
Calveren castrum 1160
Cameracum 499
Cameracensis Ecclesia 239.242
Caminensis urbs 662
Campania ab Imp. Rom. devastata 2214
Canonicæ Epistolæ 17
Cappenberg 511
Cardinales 16.1132
Cardinalium epistolæ 297.298.307
Carinthia 1052
Carmelitarum Ordo 1759
Carnetum 498
Carolus Constant. Ep. 112.113.118
Carolus M. Imp. 33.38.40.49.51.432.482.500.730
Caroli M. bulla aurea 434
Caroli M. diploma 104
Caroli M. epistolæ 34.35.36.37.40.41.42
Carolus II. Calvus 445.449.455.457.458.460.464.494. 496.498
Carolus III. Crassus 497
Carolus IV. Imp. 1015

Carolus Caroli M. filius 437.438.439
Carolus Caroli Calvi filius 494
Carolus Lotharii filius 449
Carolus Ludovici regis German. filius 494.496.497
Carolus Pipini Aquitaniæ regis filius 460
Carolus Simplex Francorum Rex 112.113.118.497.498.
501.504.505.517.519.521
Carolus II. Rex Siciliæ moritur 1809
Carolus VI. Rex Franciæ 1205. ſq. 1224. ejus pax cum
Henrico V. Rege Angliæ 1243. ſq.
Carolus VII. Rex Franc. 1220.1224.1234
Caroli VIII. Franc. Regis geſta in Italia 1577
Carolus Dux Aurelianenſ. 1220
Carolus Andegavenſ. Regnum Siciliæ occupat 1779. ſqq.
1784.1790. ſqq.
Carolomannus Caroli Calvi Franc. R. f. 494.500
Carolomannus Ludovici Germ. R. f. 496.497
Carolomanni regis epiſtola 37
Carpardan Tartaror. Imp. 965
Carra 1386
Carthuſianorum ordo 623
Carvenna 499
Caſan Tartaror. Imp. 950.957.964
Caſimarus Dux Stetinenſ. 1262.1294.1328
Caſinenſe Monaſterium 495
Cayrum 1376.1377
Celle Monaſterium 1295
Cenemanum 498
Ceytrog Obotritorum Princeps 450
Chadelo Parmenſis Epiſc. 599
Chadelhohus Comes 78
Chaire vide *Cayrum.*
Chemcham Eccleſ. 2207
Chius 1346
Cho 1346
Chrapfelt pagus 65
Chriſti lancea 631.633
Chriſti ſanguis 439.517
Chriſti crux 896.1352.1358.1365.1373.1397.1398
Chriſtianus Patavienſ. Ep. 62
Chriſtianus Cobant Epiſc. Ozilienſ. 1300
Chriſtophorus Papa 309
Chriſtophorus de Waren 1264
Chunitzeshof 63
Chuno I. Ep. Ratisb. 2248.2255
Chuno II. Ep. Ratisb. 2248.2295
Cingari primum viſi 1225
Ciſmaria 887
Ciſtercium 374
Ciſtercienſis ordo 634.647.983
Ciſtercienſes Monachi 718
Cizenſis Epiſcopatus 441.444
S. Clara canonizata 1778
Clariſſarum ordo 852
Claromontanum concilium An. 1095. congregatum 629
Clauſtrum, abbatia 2201
S. Clementis Papæ corpus 474
Clemens II. Papa 2.90.184.194.197.216.585
Clementis II. epiſtolæ 81.177.181.182.183
Clemens III. Papa 623.784.2178.1389.1748
Clemens IV. Papa 917.1780
Clemens V. Papa 965.1803.1846
Clemens VI. Papa 1062.1847
Clemens VII. Antipapa 1132
Clementia Duciſſa in Luneburg. 709
Clementinæ 1812
Clericus 15.16.18.23.128.142.143.464
in Cleri mores verſus 1849
Clivenſis Ducatus erectio 1223
Clodoveus 44
Cluniacum cœnobium 6.503
Cluniacenſis Eccleſia 512
Cluniacenſis ordo 512
Cluſi 447
S. Cœciliæ corpus 446
Cœleſtinus II. Papa 688
Cœleſtinus III. Papa 799.1749
Cœleſtinus IV. Papa 884.1770
Cœleſtinus V. Papa 948.1846
S. Cœna 166
S. Cœnæ adminiſtratio 983
Coldinghen caſtrum 919
Colonia Agrippina 456.499.942.945.747.938.1172
Colonienſis Synodus 494
Colonienſis Eccleſia 372.494.753
Colonienſis Archiepiſcopatus 591
Colonienſis Archiepiſcopus 112.558
Colonienſis Baſilica S. Petri 464
Colonienſe Cœnobium S. Panthaleonis 532
Compendienſis Eccleſia 458
Conceleuncize 71
Confluentum oppidum 2236
Coningesberg urbs 1317
Cono Dux 369.606
Conradinus hæres regni Siciliæ 1776. ſq.
Conradus Mogunt. Archiep. 1273.1332.1354.1394
Conradus Verdenſ. Ep. 959
Conradus I. Roman. Rex 511.2199
Conradus II. Imp. 66.569.2261.2266
Conradi II. Imp. carta 110
Conradus Rex Roman. 628.633.634.635
Conradus III. Imp. 682.1373.1374
Conradus Rex Siciliæ 1776. ſq. 1782.2268
Conradus Mediolan. Dux 358.361
Conradus Conſtantienſ. Ep. 703
Conradus Montisferrati Marchio 1389.1394
Conradus Archiep. Colon. 2237
Conradus Ep. Auguſtanus 2241
Conradus I. Ep. Ratisb. 2249.2255
Conradus II. Ep. Ratisb. 2249.2255
Conradus III. Ep. Ratisb. 2252.2256
Conradus IV. Ep. Ratisb. 2256
Conradus Ep. Spir. 2223.2263.2267.2268
Conradus Portuenſ. Epiſc. 2226
Conradus Ciſtercienſis monachus 374
Conradus Comes de Def holt 1270
Conradus de Sultzfeld 2268
Conradus Comes de Zolre 2267
Conradus de Marburch inquiſitor 2227.2229
Conradus Tors inquiſitor 2227
Conradus de Monteferrato 1350.1352.1353
Conradns de Remchingen 1269.2275
Conſtantienſe Concilium 127. 1202. ſqqq. 1207. ſqq.
1226. ſq.
Conſtantienſis Epiſc. 199
Conſtantini M. enſis 547
Conſtantiniana Baſilica 21
Conſtantinopolis 520.1345.1396.2223
Copenhaven 893
Corbeya Sax. Monaſt. 4.55.448. ſq. 458.494.601
Corbeya antiqua 499
Coricia 1374
Hermannus Cornerus 1101.1109
Hermanni Corneri chronica 431
Coſſia 85
Craccum 1387.1389
Crapfelt Comitatus 1600
Creutzenach 2263.2268
Crone Monaſt. 1253
Cruciata expeditio 690
Crucis prædicatio 1355
Crux ſancta a Saracenis abducta 2218
Cunigunda Imperatrix 1033.2260.2262
Cunigunda Coſſienſis Abbatiſſa 84.85
Cuno Abbas Weiſſenb. 2268
Cunradus damnatus 16
Cuthniz, mons Bohemiæ 1241
Cuziline Oratorium 697
Cuzyn civitas 1339
Cyla Caroli ſimplicis filia 505
Cyprus inſula 1273.1392
Cypri Rex 808
S. Cypriani reliquiæ 436
Cyri cavea 1375
S. Cyrillus Slavorum apoſtolus 474
DAcia 460
Dagino Magdeburg. Archiep. 62

Google

Damafus 1374
Damafus II. Papa 386
Damerowe (Tidericus) Darbatenf. Ep. 1137
Damiata 852. 1773. 2225
Dan Daniæ rex 475. 476
Dani 106. 456. 460. 475. 477. 490. 497. 498. 499. 512. 518. 523. 768. 863. 1059
Dania 469. 518. 529. 676. 677
Daniæ reges 475
Danewirhi 484
Dantifci difcordia civium 1219
Danzeke civitas 1257
Darfowe caftrum 908
Darum 1380. 1393
Davantria 497
de Davide Tartarorum Chriftiano rege relatio 1451
David Epifc. Spirenf. 2258. 2273
Decani ordinandi requifita 15
Decimæ 122. 127. 495
Decretalium lib. VI. 952
Delmenhorfti Comitia ad Ecclefiam Bremenfem delata 1247
Demyn Conf. Dumyn, Dymyn 539. 666
Deffowe opidum 1080
Deydesheim 2264. 2268
Deyfpach caftrum 2249
Dietmarus comes 64
Dietmarus Ofnabrugenfis epifcopus 62
Diffbuum urbs 478
Dionyfii Areopagitæ corpus 504
Dionyfii Areopagitæ hierarchia 497
Dionyfii libri 446
Dionyfii Areopagitæ manus 517. 519
Diftrictum 1399
Dionyfius Ep. Auguftanus 2239
Dithmarfi 449. 1225. 1301. 1339
Dithmarfiæ comitatus 773. 777. 765. 858. 860. 939
Ditlevus Epifcopus Raceburgenfis 1234
Divortium 16
Dobberanenfe monafterium 743. 1006
Doccen villa 1401. 1252
Domefe caftrum 1256
Domicelli civitatis Lubecæ 1216. fq.
Dominicus 2224
Domnus Papa 541
Donyn caftrum 1184
Dordorneft 1345
Dordracum urbs Hollandiæ 1232
Dorninghen caftrum 1254
Dortofa 439
Dragebodo Ep. Spir. 2258
Dranenburg caftrum 1254
Dudenhoffen 2267
Duderftad civitas 1257
Dulcinus hæreticus 965
Duldiemaft 1341
Dulmene 972
Dumyn caftrum 727
Dunftanus Cantuarienfis Archiepifcopus 547
Durandus de S. Soridano 1042. 1045
Duremberc 447. 448
Durckheym pagus 2266
Duxa urbs 1267
Dymyn 476. 488
E. Würzburgenfis epifcopi epiftola 232
Eberhardus Bambergenfis epifcop. 55. 63. 64. 65. 70. 80. 569. 570
Eberhardi Bambergenfis epifcopi charta 97. 81.
Eberhardus Ep. Auguftanus 2241
Eberhardus Ep. Spir. 2277
Eberhardi verfus 373
Eberfperg monafterium 2245
Eburdo Rhemorum Archiepifcopus 456
Ebutherninus 1377
Ecclefia 15
Ecclefiaftica 61
Edeffa 1372. 1373. 1374. 1386
Edeffanus comes 1374
Edilbaldus Trajectenfis epifcopus 473
S. Edmundus 887
Edmundus Angliæ rex 475
S. Edoardus Angliæ rex 580
Egbertus Bavariæ Dux 598
Egbertus Thuringiæ Landgrav. 626
Egdora fluvius 439. 449. 469
Egele caftrum 1315
Egilbertus Frifingenfis epifcopus 62
Egilbertus Archiep. Colon. 2222
Egilbertus Trevirenfium Archiepifcopus 167
Egilberti Trevirenfis Archiepifcopi epiftola 170
Eginhufen villa 939
Egiftius difcipulus Chrifti 441
Egmenhufen 65
Egmunda 472
Egmundana ecclefia 542
Egmundenfe monafterium 473
de Ehera advocatus 520
Ehizinga abbatia 80
Ekkehardus Slesvigenfis epifcopus 62
Electio fine confecratione tribuit dignitatem 22
Electores imperii 445
Electorum origo 557. 558
B. Elifabetha Andreæ Ung. R. f. 866. 880. 2230
Elverius Malmebrunii Monachus 596
Eloion nemus 518
Elrich, oppidum Honftenenfe 1204
Emanuel Conftantin. Imperator 1372
Embicho Ep. Ratisb. 2245
Embrico Auguftenfis Epifcopus 113. 2241
Embrico Ratisbonenfis epifcopus 40. 2253
Emeden caftrum 1327
Emefcowa 45
Emhardus Spir. Ep. 2263
Emicho Spir. Epifc. 2270. 2275. 2276
S. Emmerani ecclefia Ratisbonenfis 37. 38. 39. 40. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 58. 2253
S. Emmerani monafterii Ratisbonenfis privilegia 33. 35
S. Emmerani reliquiæ 33. 35. 47
Engelbertus Comes de Marka 972
Engelbertus Sweus 1341
Engilbertus Archiep. Colonienfis 2226
Enkhufen opidum 1256. 1280
Enfa fluvius 102
Epifcopatuum inveftitura 269. 271. 272. 273
Epifcopi depofiti 16
Epifcopi ordinandi requifita 15
Epifcopus electus 19
Epifcopus vocatus 20
Epiftola formata 17
Epiftolarum falutationes 7
Eppingen ecclefiæ Spir. datum 2263
Epternatum 2201
Erasmus Ep. Spir. 2258
Erbo Moguntinus Archiepifcopus 569
Eremitarum Fratrum Vallis fcholarum ordo 852
Erenbrettenften 2207
Eresburg 440. 459
Erfordienfis Academia 1166
Ericus Danorum rex 121. 469. 480. 483. 486
Ericus Lamp. Daniæ rex 486
Ericus X. Rex Danorum 1204. 1215. 1218. fq. 1223. 1225. fq. 1229. fq. 1240. fq. 1245. fq. 1260. fq.
Ericus Dux Brunfvico-Grubenhagicus 1204. 1278
Ericus IV. Dux Lauenburgi 1235
Ericus V. Dux Lauenburgi 1242. 1251. 1254
Eridagus Hamburgenfis epifcopus 445
Erkanropolis 1345
Ermegardis Ludovici Pii uxor 445. 447
Ermenfridus Sedunenfis epifcopus 13
Erneftus comes 110. 1274

Erpho Monasteriensis episcopus 96
ejus epistola 357
Erthanfridus Episcopus Ratisbon. 2245
Erthneburg 488
Esconica gens 485
SS. Eficii & Patrocli corpora 529
Eslingen 2268
Essen, Monasterium 459
Estones 1396
Eucharius Christi discipulus 441
Everhardus Comes de Marka 938. 941. 947. 950. 951. 961. 972
Everardus Episc. Ratisb. 2248. 2255
Everstein castrum 1341
Eugenius II. Papa 450
Eugenius III. Papa 689
Eumaus castrum 1346
Eufferstall monasterium 2269
Euthoryn Norwegiæ rex 483
Exajulum monasterium 32
Excommunicati 259
Excommunicatio 161. 176. 197
Excommunicationis effectus post mortem 312. 313
Excommunicationis ritus 307
Eystetensis Episcopus 82
Ezelinus Episcopus Hildeshem. 2164. sq.
Ezico Aldenburgensis Episcopus 339. 566

FAlsatores monetarum excommunicantur 2228
B. Farfensis abbatis epistola 267
Falderense cœnobium 663
Fames 884
Femina 33
Feronensis civitas 1809
Ferlin flumen 1351
Ferraria 973
Fidei signum 227
Fiscanense cœnobium 565
Fisgaga 47
Flamingi 533
Flandriæ Comitatus 468. 1189
Flandriæ rectores 468
Flensburgum 1245
Florentia 983
Florentius Hollandiæ Comes 950
Fokko Uke 1281. sq.
Follanæ Brajus 401. 419
Folmarus Archiep. Trevir. 2211
Fontanith 457
Formata epistola 18
Formosus Papa 502. 505. 508
Formosi Papæ bulla 505
Formosus consul 1850
Fortropa 472
Forum Julium 740
Francia 117. 907. 910
Franciæ regni successio 1220
Franciæ & Hispaniæ Legator. lis de præcedentia 2160
in Franciam Anglorum jus 1048
S. Franciscus ejusque Ordo 1224. 1750. 1759
Franco Leodiensis Scholasticus 586
Francofurtum 36. 1077
Francofurtanus conventus A. 1338. 1053
Francofurtana Synodus 60
Frater peregrinans 20
Fraxinetum 527
Fraydo Episc. Spir. 2258. 2273
Freckenfeld 2260
Fredericus Man Verdens. Episc. 959
Fresia, vide *Frisia*.
Fricco Deus 470
Fridericus Coloniensis Archiepiscopus 702. 1202
Fridericus I. Imperator 702. 1351. 1374. 1382. 1389. 1390. 1391. 2220
Fridericus II. Imperator 514. 840. 1395. 1772. 1776.
ejus expeditio in Terram Sanctam 1748. sq.
Fridericus Rex Sicil. 2268
Fridericus Dux, frater Conradi Regis 2199
Friderici Austriaci Ducis epitaphium 374
Fridericus Halberstadiensis episcopus 639
Fridericus Ep. Havelbergensis 1278
Fridericus Ep. Spir. 2269. 2276
Fridericus Ep. Trajectensis 1261
Friderici Coloniensis Archiepiscopi epistola 278
Fridericus I. ElectorBrandenburg. 1238
Fridericus Dux Bavariæ 1243
Fridericus Sueviæ Dux 1351. 1390
Fridericus Dux Bayoariæ 1255
Fridericus Bellicosus Marchio Misniæ 1217. 1226. 1248. 1255. 1263. 1283
Fridericus Marchio de Brandenburg 1201. 1223. 1249. 1255. 1265
Fridericus Comes de Isenburch rotatus 2226
Fridericus Comes de Vienna 2200. 2220
Frichlenus Daniæ Rex 478
Frigerus Norwegiæ Rex 478
Frisia 105. 440. 449. 476. 478. 482. 1164. Jutiæ vicina 1222. sq. Egdorensis 1225
Frisiæ comitatus 600
Frisones 434. 456. 458. 1250. 2227
Frisonum oceanus 469
Frithlevus Daniæ Rex 477. 479
Fritzlariense concilium 292. 294
Frotho Daniæ Rex 476. 478. 479. 484
Frothi Frichgote Daniæ Rex 478
Fulbertus Carnotensis episcopus 556. 588
Fulco Andegavensis Hierosolymitanorum Rex 628. 1349. 1372
Fulco de Villareto 1809
Fuldense monasterium 579. 637
Fuldensis abbas 579. 604
Fuldensis basilica 446
Fuldensis ecclesia 770
Fuldensis monasterii epistola 261. 263
Fuldensis monasterii privilegia 31
Funis insula 469
GAbrielis Archangeli monita 495
Galilæa 1348
Gallia ab Anglis impugnata 1205. sq. 1225. sq.
Galtherus de Avennis 1397
Gamelo Knut Daniæ Rex 485
Gamfredus poeta 831
Gamme 824
Gandersheimensis ecclesia 549
Gandersheimensis abbatissa 460
Gandersheym monasterium 495. 460. 511
Gans de Putlist Baro 1264
Garlanda capta 2201
Gartowe castrum 1161
Gartze opidum 1167
Gaubaldus Ep. Ratisb. 2244
Gaufridus 1375
Gaufridus Carrotensis episcopus 196. 197
Gaufridus Constantiensis episcopus 199
Gaza 1374
Gebehardus vide *Gebhardus*.
Gebelhusen castrum 1186
Gebhardus 337
Gebhardus Juvavensis Archiepiscopus 113. 118
Gebhardus episcopus Bambergensis 1. 214
ejus epistola 212-213. 214
Gebhardus Herbipolens. episcopus 336. 337. 338. 339 341
Gebhardi Herbipolensis episcopi apologia 345
Gebhardus Ratisbonensis episcopus 62. 592
Gebhardus I. Ep. Ratisb. 2246. 2254
Gebhardus II. Ep. Ratisb. 2246. 2254
Gebhardus III. Ep. Ratisb. 2246. 2254
Gebhardus IV. Ep. Ratisb. 2246. 2254

Geber-

Digitized by Google

Geberhardus Episc. Spir. 2258.2265.2273
Gelasii Papæ epistola 296
Gelasius II. Papa 661
Gelo Normannorum Dux 505
Gelriæ Comitatus 972
S. Genesii corpus 452
Gensenfeld monasterium 2245
Georgius Episc. Spir. 2272
Georgius Comes Widensis 2225
Gerbertus Magister Hospitalis S. Johannis 1378
Gerardus Mogunt. Archiepisc. 2237
Gerhardus Episc. Spir. 2270.1276
Gerhardus Cameracensis episcopus 573.574
Gerhardus Comes de Marka 1240.1263
Gerhardus Magister militiæ templi 1388
Gerhardus Sagarellus hæreticus 965.966
Gerlacus de Roverna 2223
S. Germani corpus 498
Germanorum corona regalis 895
Germarus Daniæ Rex 481
Geroldus Sueviæ Dux 441
Gethsemani 1347
Gevekensteen castrum 1149
Gibeal 1346
Gibel civitas 1346
Gibelat vide *Gibel.*
Gibellini 1863
Gigniacensis ecclesia 512
Gilbertus 1849
Gilbertus Porrectanus episcopus 690
Gilbertus Ravennatensis Archiepiscopus 541.549
ejus epistolæ 354.357.358
Gisela, Conradi II. Imp. uxor 2260
Giselbertus Abbas de claustro 2210
Giselbertus de Lacis 1375
Gium castellum 1346
Glambeke, castrum 1215.1219.1272
Glesin castrum 959
Glitzberch (Comes de) 2205
Gobin urbs Lusatiæ 1295.1302
Godofridus rex Daniæ 440.482
Godofridus Hierosolymorum rex 633.634.635
Gothefridus Lotharingiæ Dux 585.587.589.590.592
595.605
Godefridus Lovaniensis Comes 648
Godefridus Normannorum rex 499
Godefridus Archiep. Trevir. 2197
Godefridus Episc. Ratisb. 2255
Godefridus Episc. Spir. 2259.2267.2274
Godeschalcus Obotritorum princeps 573.576.582
Godeschalcus hæreticus 460
Godlandia 1181
Golmoldus Obotritorum rex 460
Gorkem, oppidum 1227
Gorlose, castrum Meclenburgiæ 1206.1238
Gorm Daniæ rex 484.489
Goslaria 131.515.520.560.815.816.818.2164.2168
Goslariensis ecclesia 587.599
Goslariensis S. Matthæi ecclesia 579
Gossia 84
Gothi 469.518
Gothi occidentales 469
Gothi orientales 469
Gothefredus de Bullion Hierosolymitanorum Rex 1349
Gottedancus Epis. Spir. 2250.2273
Gottingensis civitas 1154.1164
Gottorpium castrum 489.1038.1224.1270
Græcia 1346
Græci Ecclesiæ Romanæ consentiunt 1785
Græcorum cœnobium Romæ 446
Græcorum errores 589
Granati Rex fit christianus 1329
Grandimontensis ordo 615
Gram Daniæ rex 476
Graniz 734
Gratianus de Glusa 702
Gredingin, prædium 211
Gregoriopolis 451
S. Gregorii M. Papæ corpus 481. caput 494
ejus vita 494
Gregorius IV. Papa 31.108.451
Gregorius V. 548. ejus Capitula 16
Gregorius VI. 584
Gregorius VII. 125.129.134.144.145.149.150.152.169
170.591.604.611. 2177. sqq. ejus oratio 152
mors 176. depositio 174.184 Ejus Epistolæ 130.135.137.141.143.146.149.150.151.154.155
156.158.166
Gregorius VIII. P. R. 777.1389.1747
Gregorius IX. 857.1764
Gregorius X. 922.1784
Gregorius XI. 1116.1848.1866
Gregorius XII. 1870.1189.1204
Gregorius Merseburgensis episcopus 277
Grifensteen castrum 1175
Grom Daniæ rex 482.312.818
Gröne castrum 1250
Groningæ civitatis turbæ 1202
Gronlandia 106.471
Gryndesmur castrum 1161
Gualteri Mapes rythmi 1851
Guidonis Aretini Episc. Epistola 986
Guido Cardinalis 1374
Guido Archiepiscopus Viennensis Papa 297
Guido Abbas de Cruce S. Leufredi 595
Guido Hierosolymorum rex 778
Guido de Lusignan, Rex Hierosolym. 1350.1352
Guido de Lusignano rex Cypri 1353
Guido Marchio 452
Guido Aretinus 572
Guido musicus 502.511
S. Guidonis translatio 2262
Guilelmus de Nogareto 1811
Guilelmus magister 368
Guillermus vide *VVilhelmus.*
Gundocharus Eistetensis episcopus 113
Guntharius episcopus Bambergensis 5
Guntharius Hildeshemensis episc. primus 446
Guntharius Ep. Ratisb. 2254
Guntherus Coloniensis Archiepisc. 464.468.473.474
Guntherus Archiep. Magdeb. 1201.1274.1305
Guntherus Bambergensis episc. 57.88
Guntherus Episc. Spir. 2267
Guntherus Schwarzb. Com. Rom. Rex 1077
Guntzelinus Suerinensis Comes 719.720
Gusterowe opidum 1187
Gutzekowe castrum 1169
HAbdallo Saracenorum princeps 451
Hachemolen castrum 1250.1349
Haderichesbrucia villa 88
Hadeboch 483
Hadersleue, castrum 1245
Hadwig Hervordiensis abbatissa 468
Hadrianus v. *Adrianus.*
Hæreseos abjuratio 310
Hæretici combusti 1206.2227
Haga, Hollandiæ castrum 102.1163
Hakeberg 476.1225
Hakepingh 476
Hako Danorum rex 477
Hako Roskildensis episcopus 488
Halaglandia 471
Halappia 1386
Halberstadium 758.1257
Halberstadensis ecclesia 200.201.459.585

Digitized by Google

Halberstadensis S. Stephani basilica 351
Halberstadensis episcopatus 444
Halberstadensis episcopus 123.277.369
Haldan Daniæ rex 476.480
Haldan Berengra Daniæ rex 480
Haldesleve comitatus 667.880
Halecum captura in Scania exercita 1204.1266
Hali 1377
Hallensis urbs 1169
Hallermund castrum 1340
Ham opidum 670.857.972
Hama civitas 1381
Hamburgum 107.440.445.456.465
Hamborch. Hammaburc. Hamenburch 488.600 828.856.1161.1196.1345
Hamburgensis ecclesia 95.445.456.461.505.512.529.586
Hamburgensis ecclesia metropolis Angariæ episcopatuum 441
Hamburgensis archiepiscopatus 107.108
Hamburgenses Archiepiscopi 490
Hamburgensis episcopatus 444
Hamburgensis parochia 470
Hamburgenses Daniæ regnum impugnant 1245
Hamme, oppidum 1240
Hammerstein 329
Hannover urbs 951
Hansæ civitates 1155.1156. conventum celebrem habent Lubecæ 1229.sq. Statuta in eo 1230
Haraldus Daniæ rex 479.480
Hardenberg 823.826
Hardinfels oppidum 2236
Hardvicus Ratisbonensis episc. 313
Harench 1374.1382
Hargalt Daniæ rex 480
Harioquin 1374
Harnensis comitatus 78
Haroldus Angliæ rex 485
Haroldus Blatan Daniæ rex 484
Haroldus Danorum rex 449.480.484.485
Haroldus Northmannorum princeps 472
Haroldus Wormari regis Daniæ filius 518
Hartheknut rex 485
Hartisborgh 594.607.658
Hartwicus I. episc. Ratisb. 2248.2255
Hartwicus II. episc. Ratisb. 2248.2255
Hartwigus Juvavensis Archiepisc. 62
Hartzburgum, castrum captum & destructum 1201
Hassossini 1380
Hastingus Lalandiæ Dux 494
Hathamoda Gandershemensis Abbatissa I. 459.460
Hatto Moguntinus Archiepiscopus 503.510
Havelberg 652
Haubtrecht 2267
Hayto v. *Hatto*.
Heben, locus 1378
S. Hedwiga, ducissa Poloniæ 1780
Heidelsheim 2260
Heimburch, urbs 88.1345.2247
S. Helenæ reliquiæ 460
Helgi Daniæ rex 476
Heldrungen (Dominus de) 1201
Helim, civitas 1364
Hellespont, Sueciæ rex 476
Hellespontus 481
Helmidinalla 1377
Helmstede opidum 828.1201
Helpæ, Boethii uxoris, Epitaphium 5
Helveti 1152
Hennenberg, urbs 587
Henni 437.439
Hennyngus Daniæ rex 440.482
Henricus Albanensis Episc. 2218
Henricus Augustensis Episcopus 598
Henricus Bamberg. Episcopus 90.91.138
Henricus Wernigerodanus Halberstadens. Episcopus 1201.1235
Henricus Lausannensis Episcopus 62
Henricus Episc. Monasteriensis 1261
Henricus Ratisbonensis Episcopus 288.2248.2255 2256
Henricus Fabri Slesvicensis Episc. 1248
Henricus Spirens. Episc. 171.113.2263.2268
Henricus de Nowen Sverinensis Episc. 1217.1237
Henricus Tullensis Episc. 2205
Henricus Virdunensis Episc. 2216
Henricus de Hova Episc. Verdens. 1207
Henricus Wirzburgensis Episc. 61.62.78.91.92
Henricus Auceps Rex Germ. 514.sq.
Henricus II. Sanctus, Imp. 60.61.79.80.81.82.85. ejus Epistolæ & diplomata 63.64.65.66.67.68.69.70.71 72.77.104.109. ejus epitaphium 5
Henricus III. Imp. 210.212.557.558 570.571 575.578. 2262.sq. Ejus literæ 80.82.83.85.86 87.88.94.103.485
Henricus IV. Imp. 3.112.115.118.120.131 135.136.146.149 150.152.155.158.176.204 220 222.587.591.592.593.2263 2265. ejus Epistolæ & Chartæ 65.88.89.95.96.97 98.100.138.144.145.157.173.204.205.206.207.208.209 211.218.219.220.221.222
Henricus V. Imp. 220.223.267.268.271.273.280.286.296 301.307.309.343.634.636.638.641.643.646. Ejus Epistolæ 90.265.266.269.278.330.331.333.645. Ejus renuntiatio Investiturarum 302.308. ejus mors 334.2265
Henricus VI. Imp. 749.772.775.794.1394.1395
Henricus VII. Imp. 973.1866
Henricus Landgravius Thuring. Rex Rom. 889.891
Henricus II. Anglorum Rex 1389
Henricus V. Angl. Rex 1205.sq. 1225.sq. 1243.sq.
Henricus Dux Bavariæ, Ottonis I. Imp. frater 515
Henricus Dux Bavariæ an. 1066. vivens 97
Henricus Dux Bav. & Saxon. 683.687.700.702.706.708 711.717.718.722.725.728.729.733.741.752.757.764.775.791 796.802.805
Henricus Dux Sax. Comes Palatinus Rheni 824.852 855.857.1354.1395.2199.2220
Henricus Dux, Lotharii Regis gener 2199
Henricus Palatinus de Thubing 2264
Henricus Lotharingiæ Dux 644.647
Henricus Luneburgensis Dux, Magni Torquati filius 1201.1219
Henricus Dux Brunsvicensis 1389
Henricus Brabantiæ Dux 1395
Henricus Dux de Lemburch 2211
Henricus III. Dux Sleswic. 1218.1222.1224.1229.sq.1240 1245.sq. 1252.1259.1260.1297
Henricus Brandenburgensis Marchio 389.861
Henricus Campaniæ Comes Hierosolymorum rex 1351.1353.1354.1394
Henricus Comes de Frontenhusen 2249
Henricus Comes de Honstein 1201.1204
Henricus Comes Holsatiæ 1218.1222.1229.sq. 1247
Henricus de Caladin 1395
Henricus de Gandavo 946
Henricus de Hervordia 442
Henricus Comes de Luzeleburg 905.938
Henricus de Schwartzeburg Comes 743
Henricus Dominus de Mykelenburg 956
Henricus Comes Namurc. 2206
Henricus de Orterberg 2252
Henricus Comes de Seyna 2229
Heraldus Danorum rex 440
Herbertus Colon. Archiepisc. 62.558.562.567
Herbertus Mutinensis episc. 113
Herbipolensis Conventus 358
Herbipolensis ecclesiæ epistola 339
Herbipolensis S. Kiliani ecclesia 463.464

Her-

Digitized by Google

Herbipolensis universitas 1182
Heribertus Flandriæ Comes 519
Heridagus Archiepiscopus Hamburgensis a Carolo designatus 441
Herlingburg 815. 816
Hermanni Augustensis episcopi epistola 364
Hermannus Bambergensis episcopus 113. 135. 136. 137. 139. ejus Epistolæ 134
Hermannus Episc. Monasteriensis 2213
Hermannus Germanorum Rex 622. 623. 624
Hermannus Comes Palatinus 2204
Hermannus Billingus Saxoniæ Dux 534. 539. 344
Hermannus Marchio Badensis 1351
Hermannus Thuringiæ Landgravius 1354
Hermannus Contractus 2163. ejus liber de virtutibus 6
Hermo Wirdunensis episcopus 61
Herstallensis Episcopatus 444
Hersveldia monasterium 606
Hersveldensis Abbas 604
Hertinus Episc. Spir. 2258. 2273
Hervordense cœnobium 447. 448
Hervordensis ecclesia 465. 494
Hervordia antiqua 448
Herxheym 2263
Hesteberg mons 1270
Hetheberi, civitas 480
Hibernia 478. 482. 847
Hierapolis 1374
Hieronymus Pragensis combustus 1215. sq.
Hierosolyma 363. 364. 479. 632. 1346. 1348. 1350. 1358. 1374. 1409. 2264
Hierosolyma a Sultano Babyloniæ recepta 1270. 1746. sq.
Hierosolymitana ecclesia 138
Hierosolymitanæ ecclesiæ epistola 253. 256. 257
Hierosolymitana via 1345
Hierosolymitana expeditio 785
Hildebaldus Wormatiensis episcopus 55
Hildebrandus 171. 173. 191. confer. *Gregorius VII. Papa.*
S. Hildegardis 684. 2220
S. Hildegardis epistola 684
Hildegrinus Halberstadiensis episcopus primus 449 451
Hilderici II. Francorum Regis scriptum 59
Hildericus Rex 52
Hildeshemensis Episcopatus 444. 446. a Ducibus Brunsvicensibus impugnatus 1248
Hildeshemense S. Michaelis monasterium 550
Hildewardus Cizensis Episcopus 62
Hilgendael monasterium 1143
Hilgenhaven oppidum 1238
Hillinus Archiepisc. Trevir. 2206
Hilpericus 560
Hincmarus Archiepiscopus Remensis 40. 41. 43
Hincmari Remensis Archiepiscopi epistolæ 378
Hincmarus Laudunensis episcopus 375. 378. 389
Hindenburg castrum 1174
Hisingove pagus 78
Hispania 439
Hitzacker castrum 861
Hochbrodus Sueciæ Rex 476
Hocher Daniæ Rex 477
Hochera villa 477
Hoënstad 2260
Hogerstorp 697
Hogerus Hamburgensis Archiepiscopus 500
Hohold de Anhald Comes 529
Hollandiæ Comitatus 472. 546. 600. successio controversa 1223. sq. 1227. 1231. sq.
Holsatia 488. 542
Holsati a Danis impugnati 1224
Homar 1377
Honorius Papa 1845. 2225
Honorii Pontificis Romani epistolæ 337. 342. 349
Honorius II. Papa 668
Honorius III. Papa 845. 1396 1759
Honorius IV. Papa 936. 1792
Honstein castrum ab Heldrungico captum 1201
Horborg castrum 1173. 1177
Hormunze 73
Hornburg castrum 758. 759
Horologium 438
de Hospitali domus Teuthonicæ fratres 793
Hughele Daniæ Rex 478
Hugni Daniæ Rex 480
Hugo Cardinalis 887
Hugo Genuensis episcopus 62
Hugo Comes Arelatensis Burgundiæ & Italiæ Rex 520
Hugo I. Cypri R. 1397. 1399
Hugo Capetus Franciæ Rex 547. 550
Hugo Burgundiæ Dux 437
Hugo Italiæ Marchio 557
Hugo Comes 449
Hugo Cæsariensis 1376. 1378
Hugo de Lizziaco 1375
Hugo de S. Victore 672
Huk & Cablaw 1281
Humbach Curia 2197
Humble Daniæ Rex 475
Humbertus Magister Ord. Prædicatorum 914
Humfredus de Monreal 1352. 1353
Huni 474. 479. 500
Hupertus Moguntinus Archiepiscopus 494
Husemannus Ep. Spir. 2263
Hussi (Joannis) condemnatio 1211. sqq. 1859
Hussitæ 1233. sqq. 1241. sq. 1246. 1248. 1249. 1255. 1267 1268. 1275. 1278. 1290. 1296. 1300. 1302. 1312. 1337
Huyon nemus 518
Hyerwardus Scaniæ Comes, Rex Daniæ 477

I Faventini episcopi epistola 358
Jacoba, filia Wilhelmi VI. Comitis Hollandiæ 1225 1231. 1255. 1262. 1263. sq. 1280. 1289. 1332
Jacobus de Avenna 1393
S. Jacobi de Furlivio corpus 940
Jacobus Prænestinus Episc. 2231
Janua Urbs 519. 742. 1250. 2232
Jarlandus Bisuntinus 2204
Jarras castrum 1365
Ibisa fluvius 58
Iburg castrum & monasterium 2171. sq.
Iconium 1351. 1381. 1390
Jejunium 572. 573
Jericho 1348
Jerosolyma vid. Hierosolyma.
Jeryn Daniæ Rex 479
Iholingem 2260
Imperator 433
Imperatorum consensus ad Pontificis Romani electionem necessarius 21
Imperium Romanum 445
India 819
Indulgentiæ festivitatis Corporis Christi 1332
Inedia puellæ per triennium 446
Infessuræ (Stephani) Romæ urbis diarium 1863
Ingellus Daniæ Rex 479
Inguar Daniæ Rex 482
S. Innocentii corpus 528
Innocentius II. 359. 672
Innocentii II. Pontificis Romani electio 355
Innocentii II. decreta & epistolæ 15. 352. 360
Innocentius III. Papa 804. 1395. 1749
Innocentius IV. Papa 884. 1771
Innocentius V. Papa & Poëta 925. 1786

Innocentius VI. Papa 1091. 1847
Innocentius VII. Papa 1867. 1870. 1186
Insulæ B. Mariæ Abbatia 697
Investitura 332
Investitura episcopatuum 301
Investitura laicorum 281
Joachim Abbas 742. 794. 848. 849
Johanna Papissa 442
Johanna hæres Comitatus Tholosani 1766
Johanna puella 1292. 1297. 1305
Johannes Pontifex Romanus 29
Johannes VIII. Papa 494
Johannes IX. Papa 508
Johannes X. Papa 536
Johannes XI. Papa 519
Johannes XII. Papa 531
Johannes XIII. Papa 536
Johannes XIV. Papa 543
Johannes XV. Papa 543
Johannes XVI. Papa 543
Johannes XVII. Papa 551. ejus bulla 76
Johannes XVIII. Papa 558
Johannes XIX. Papa 559
Johannes XX. Papa 568
Johannes XXI. Papa 927. 1787
Johannes XXII. Papa 982. 1020. 1032. 1041. 1847
Johannes XXIII. Papa 1203. 1212. 1217. 1235. 1237
Johannes Constantinopolitanus Imperator 1337. 1372
Johannes Angl. R. 1396
Johannes Bohem. R. 984
Johannes Hierosolymæ R. 1397. 1398. 1399. 1402
Johannes Rex Cypri 1273
Johannes de Slamestorp Archiepiscop. Bremensis 1217
1247
Johannes Walrode Archiepiscopus Rigensis fit Episcopus Leodiensis 1232. 1261
Johannes de Nassove Archiep. Moguntin. 1235
Johannes Episcopus Slesvicensis 1248
Johannis Argentinensis Episc. Epistola 990
Johannes Episcop. Hildeshem. 1248. 1256. 1261
Johannes Episcopus Leodiensis 1223. 1224
Johannes Dullmann Episcop. Lubecensis 1238
Johannes Schele Episcopus Lubecensis 1238. 1260
Johannes Wangelin Episcop. Suerinensis 1237. 1296
Johannes de Krempa Episc. Raceburgens. 1234. 1305
Johannes Hoymius Episcopus Halberstad. 1235. 1257
Johannes Episc. Spirensis 2264. 2272. 2276
Johannes Brabantiæ D. 949
Johannes Joh. fil. Brab. D. 950. 961
Johannes Brandenb. March. 973. 1269
Johannes Dux Stargardiæ 1206. 1256
Johannes Burgundus Dux Brabantiæ 1231. sq.
Johannes II. Dux Mecklenburgi 1218. 1220. 1223. 1235
1254
Johannes Dux Bayoariæ 1262
Johannes Marchio Ferrariensis 1279
Johannes Comes de Hoya 1269. 1298
Johannes de Erkel 1266
Johannes de Nantirsburch 2198
Johannes Caltyseren 1313
Johannes de Ragusio 1313
Johannes de Rupescissa 1013
Johannes Semeca 920
Johannis Aquilegiensis Patriarchæ epistola 78
Johannes Diaconus Romanus 494
Johannes Hierosolymitanus monachus 442
Johannes de Parvo, hæreticus 178
Johar 1376. 1377
Jope. Joppe 1353. 1354. 1393
Jopen Comitatus 1349. 1350
Jordanes fluvius 1348
Jordanus Cardinalis 2205
Irene Imperatrix Constantinopolitana 436. 437
Irmyngardis Lotharii uxor 449
Isabella Amalrici Hierosolymitanorum Regis filia 1349. 1352. 1353. 1354. Hierosolymæ regina 1394
Isia fluvius 102
Islandia 106
Islebe (Islebia) oppidum 856
Ismael Apuliæ Dux 94
Isengrinus Ep. Ratisb. 2245
Isselstein, castrum prope Trajectum 1224
Itali 463
Italia 507
Iterius de Tocce 1406
Itzehoa, oppidum 1247
Judæi baptizati 182. 1149. 1159. 1200. 1821. 2264. de Trevirensi provincia expulsi 1233.
Judith Caroli Calvi filia 458
Juditha Imp. Ludovici Pii uxor 445. 449. 452. 457
Juger Russorum Rex 520
S. Julianus Arelatensis Dux 461
Julius Pontifex Romanus 16
Julius II. Papa 2159
Juramentum Imperatori præstandum 309
Juthi 475
Jutia 469. 480. ab Holsatis invasa 1222
Jutiæ Ducatus 897
Ivo Carnotensis Episcopus 196. 197. 617. 626

KAbel (Luderus) 1313
Kadea 1346
Kanutus Daniæ Rex 483. 485
Karelorum terra 483
Karisiacum 439
Karlsteen castrum 1255
Karolamnus videatur *Carolomannus*.
Karolus vide *Carolus*.
Kestenberg 2264
Kestene 2205
Ketsch passagium 2268
Ketterangermunde, oppidum 1238
Keyserswerda, castrum 1240
in Kil urbe Minorum conventus 884
Kislaw castrum 2269
Klotzeke castrum 1161. 1163
de Knesbeke castrenses 1161
Knittelsheim 2268
Kolik 439
Kolle 481
Koningesburg, castrum 1224
Koningheslap 478
Kowirki 475
Krummedik 1299. 1315
Kulenburg oppidum 1283
Kummerlose 1181
Kunzo Castellanus castri Carlstein 1338
Kynnen 472

LAdgerus Saxoniæ Dux 434
Ladislaus Neapolit. R. 1868. 1870
Laicus 128
Lalandia 469. 947
Lalandes-fillenbogen, portus 1240
Lampertus Constantiensis Episcopus 61
Laneca sacra 519. 547
Landaw oppidum 2272
Landiscrone castrum 2222
Lando Papa 512
Lateranensis Synodus 21
Lateranense Concilium Anno 1118. convocatum 659
aliud An. 1213. convocatum 1396. 2225

Digitized by Google

Lato Ep. Spirensis 2258
Laudunensis ecclesia 375
Laureshamensis monasterii privilegia 27. 29. 66. 67
Lecho Dux Bohemiæ 438
Lectiones circulares annuæ in ecclesia 438
in Lemegow fororum fratrum Prædicatorum monasterium 969
Lentzen opidum 1090. 1180
Leo Constantinopolitanus Imperator 499
Leo (Sanctus) Papa 494
Leo III. Papa 439. 440
Leo IV. Papa 459
Leo V. Papa 459
Leo VI. Papa 509
Leo VII. Papa 517
Leo VIII. Papa 521
Leo IX. Papa 33. 90. 91. 534. 535
Leo X. Papa 506. 589. 590
Leo Ep. Ratisb. 2252. 2256
Leodium 499 Leodicensis Ecclesia 239. 244 Leodicensis Ecclesiæ Epistola 235. 238. 317
Leona Urbs (Lugdunum) 772
Leonardus de Florentia Magister generalis Ordinis Prædicatorum 1204
Leonina Urbs 459
Leonis effigies Brunsvigæ 741
Leopoldus Austriæ Dux 1354
Leopoldus Wormacensis Episc. 2222
fit Archiepiscopus Moguntinus 2222
Leovardia, urbs 1243
Leprosi seditiosi 1822
Lesedan 1372
Lethra 477. 481
Leumonicæ 460
Leyde, securitas 1230
Libentius Hamburgensis Archiepiscopus 549
S. Liborii reliquiæ 455
Libroize, locus 71
Licaonia 1346
Lichen oppidum 518
Liemarus Hamburgensis Archiepiscopus 96
Likka civitas 1340
Limburgensis ducatus 939
Limburgense monasterium 570. 2261
Lindemburg 2235
Linghen castrum 1144
Liparitana insula 438
Lippoldus Thuringiæ Comes 571
Lipsiensis academia 1195. 1217
Liubara comitatus 85
Livones 439. 440. 652. 774. 1396
Liuthgarda Arnulfi Imperatoris filia 815
Liutoldus Episc. Augustinus 2241
Liuthwardus Vercellensis episcopus 505
Lobowe castrum 1253
Lochen monasterium 969
Logonstein ecclesia 2207
Lollardi 1071
Lombardi 577
Lonerstat 92
Lonerstat parochia 62
Longobardi 482
Longobardiæ cancellarius 21
Lotharingia 457. 463
Lotharingiæ ducatus 648
Lotharingiæ regnum 537
Lotharius I. Imperator 449. 450. 443. 445. 455. 456. 351. 352. 2199
Lotharius, Lotharii Imperatoris filius, Rex Austrasiæ 358. 360. 364. 369. 372. 449. 463. 464. 468. 473. seqq.
Lotharius Dux Saxoniæ II. Imperator 549. 42. 43. 649. 667. 669. 357
Lotharius V. Franciæ Rex 537
Lother Daniæ Rex 475. 476
Loringus Comes 452 (862. 1251
Lovenburg castrum 765. 767. 799. 823. 826. 829. 830.
Lowenbrugge castrum 1102
Lowenrode castrum 1119
Lubanense opidum 1275
Lubeca. 637. 682. 683. 684. 690. 703. 706. 707. 721. 762. 763. 776. 796. 798. 832. 848. 858. 864. 878. 887. 893. 895. 897. 908. 910. 927. 953. 960. 969. 970. 971. 997. 1061. 1125. 1145. 1157. 1192. 1198. Ibi conventus civitatum Hanseaticarum 1229. sq.
Lubecensis ecclesia 649. 674. 717. 722
Lubecensis ecclesiæ epistola 740
Lubecense S. Joannis monasterium 751. 887
Lubecensium discordiæ intestinæ. 1202. seqq. 1214. sqq. 1218. 1222. Illorum & Hamburgensium pacificatio cum Erico V. Lauenburgico 1242. sq.
Lubize castrum 973. 975
Lucardis Treveri combusta 2228
Lucius II. Papa 689
Lucius III. Papa 764. 1383. 1746
Ludderus Sax. D. v. *Lotharius II. Imp.*
Ludershusen 1177
Ludolphus Trevirensis Arch. 61
Ludolphus Saxoniæ Dux 459. 460. 511
Ludovicus Osnabrug. Ep. 972
Ludovici Imp. Epistolæ 43. 52
ejusdem sepultura 31
Ludovicus Aquitaniæ Rex I. Pius Imp. 40. 44. 105. 441. 443. 445. 439
Ludovicus Ludov. Pii Imp. f. German. R. 48. 445. 449. 452. 457. 460. 464. 495. 496. ejus merita in Cœnobium Laureshamense. 31. ejus Epistolæ 45. 46. 47. 49. 50. 51. 53
Ludovicus Ludovici Germ. R. f. 496
Ludovicus II. Imp. 463
Ludovicus III. Rom. R. 449. 457. seq. 507
Ludovicus IV. Romanorum R. 990 Imp. 1032 ejus appellatio contra Joh. XXII. P. 1020
Ludovicus Balbus Car. Calvi f. Francor. R. 497. 498
Ludovicus Ludovici Balbi f. Francor. R. 498. 500
Ludovicus VII. Franc. R. 523. 527. 1373. 1374
Ludovicus Sanctus Rex Franciæ 1761. seq. 1768. 1772. 1773. sqq. 1783
Ludovicus Rex Apuliæ 1260
Ludovicus Dux Austriæ 1255
Ludovicus Dux Bavariæ 1249. 1255. 2226. 2251
Ludovicus Thuring. Landgr. 771. 772. 775. 1328
Ludovicus Ep. Spirensis 2272. 2276
Ludovicus Abbas S. Eucharii 2210
Ludovicus de Isemburch 2200
Lugdunense concilium 888. 1772. 1785
Luibana comitatus 85
Luna dea 441
Lundensis archiepiscopatus 486
Lundonia civitas 469
Luneburg 441. 1118. 1173
Luneburgensis salina 918
Luneburgense monasterium 509. 539
Luneburgensis merica 1219
Luneburgensis S. M. schola 1091
Luno aqua 441
Lupus Vasconiæ Dux 450
Lusatia 752
Luscheth 477
Lushart forestum 2262. 2263
Lustad 2268
Lutterense monasterium 663. 667. 680
Lutzelenburch terra 2199
de Lutzowe (Burchardus) 1165
Lynowe castrum 1084. 1088
M
Acedonia 1345
Machera 2207. 2208

Mæotidæ paludes 469
Magdeburg urbs 526. 706. 1185. 1186. 1305. 1314. 1315
Magdeburgensis Ecclesia 536
Magdeburgensis Archiepiscopatus 156. 444. 514. 538. 539
Magnopolitana Ecclesia 719
B. Magnus 2239
Magnus Norvegiæ R. 485
Magnus Sax. Dux 594. 608. 648. 649
Magnus Ep. Hildeshem. 1256
Magorum corpora 747. 2267
Mahumed Saracenor. Princeps 449. 451. 1377
Malchowe castrum 725
Malherstorf monasterium 2246
Mallin (Hennekinus) de Gömetowe 1144
Mammelne 1382
Mammistra civitas 1346
Manasses Tanchelmista 290
Mandirsceit castrum 2201. 2206. 2207
Manegaldus magister 368
Manfredus Rex Siciliæ 1776. sq. 1779
Manheim, castrum fortissimum 1204
Manichæi 589
Mankentas 1181
de Manslo (Mandelslo) nobiles 1143
Mantua 439
Manuel Constantinop. Imp. 1379. 1381
Manumissio 18. 97
Marburgum 866. 871
SS. Marcellini & Petri corpora 455
Marcellus falsarius 1284. sq.
Marchanfridus Episc. Ratisb. 2253
S. Marci corpus 452
Mare rubrum 1364
Margaretha Joh. Holl. C. ux. infantes 364 uno partu excludens 955
Margareta uxor Philippi Ducis Mediolani decollata 1233
de Marka comitia 670
Markæ Comitatus successio litigiosa 1240
B. Mariæ Virg. reliquiæ 446
camisia 498
S. Mariæ Magdalenæ corpus inventum 1788. sq.
Maronitæ 1383
Marquardus Ep. Spir. 2277
Marthburg v. Marburg
S. Martini corpus 498. 503
Martinus Papa 1845
Martinus II. Papa 497
Martinus III. Papa 525
Martinus IV. Papa 932
Martinus V. Papa 1227. 1233. 1245
Matthæus Dux Lothar. 2204
Matthias Episc. Spirens. 2272. 2276
Matthias Axcove miles 1264
Mauri 458
S. Mauritii vexillum 547
S. Maximini Abbatia 2198. 2199. 2206
Mazet 1376
Mechtildis de Ringelheim Henrici I. Germ. R. uxor 515. 520. 537
Mechtildis Henrici I. Germ. R. filia, Quedlinb. Abb. 520
Meclenburg 723
Meclenburgensis Ecclesia 539. 548
Mediolanum 578. 728. 729. 747. 748. 751. 2267
Mediolani vicaria 979
Medœtia v. *Modoetia.*
Meezidinalla 1376
Megiangaudus Eichstet. Ep. 61
Megingotus v. *Mengotus.*
Mehedi 1377
Meheleth insula 1377
Mehingerus Archiep. Trever. 2197
Meinhardus Episcopus Spir. 2259. 2273
Meinherus Arch. Trev. 2199 ejus reliquiæ 2198
Meinveld 2236
Meinungen vicus 61
Melo 94
Memerik opidum 1280
Memleba, castrum, deinde Monasterium 525
Memphis 1376
Menapii 498
Mendene v. Minden.
Mengoti Trajectensis Episcopi Epistolæ 313. 315
oratio 321
Meran, oppidum ducatus Austriæ 1219
Mercurii mons 2200
Merseburg 439. 733
ecclesiæ epistola 308
episcopatus 212. 444
Merske locus 2259
Metis urbs 701
Metense S. Vincentii cœnobium 536
Metropolitani 281
Mewys civitas 1251
Meyitersal 2264
Mezekowe 1181
S. Michaelis monasterium 68
Michael Constantinop. Imp. 446. 495
Michael Episc. Ratisb. 2245. 2254
Michelbach castrum 2264
de Militia Christi ordo 999
Minden castrum 939
civitas 1187
Mindensis Ecclesiæ epistola 317
Mindensis Episcopatus 441. 444
Mindense S. Mauritii monasterium 582
Minfeldt 2260
Ministeriales 101. 102
Minorum ordo 851. 948. 1004. 1034
Mirrea 1346
Misne castrum 515. 520
Missarum solemnia 459
Mitilene insula 1346. 1377
Modehorst 448
Modoëtia 976
Moguntia 220. 499. 530. 663
Moguntina Concilia 207. 287. 343. 344. 443. 623. 587. 112. 117. 620
Moguntinus conventus Anno 1106. factus 643
Moguntinus pons 441
Moguntinensis Ecclesia 110. ejus epistolæ 132. 219
Moguntinus Archiepiscopus 77
Moinus (Mœnus) 36
Molbach (Comes de) 2205
Molhusen 1254
Molne (Mollen) opidum 829. 1151. 1163. 1195
Moltzan de Stortzowe 1144. 1264
Monachus 313. sq. 1858
Monasteriensis ecclesiæ epistola 316
Monasteriensis episcopatus 441. 444
Moncella 2205
Moneta cuprea 1266
Mons regalis 1384. 1389
Montaburg castrum 2238
Montisflascum castellum 1265
Morini 498
Mosomitanum Concilium 2216. sq.
Mulhusen 92. ejus parochia 62
Murach castrum 2252
Murcia Saracenis erepta 1780
Musica 572
Mussula 1381
Muthen castrum 488
Myldenburch 487
Mymiganevordensis Episcopatus 444
Mymming 477

NAnnetum 463
Narmiensis urbs 561
Nassaw castrum 2209
Natalis Domini missæ 6

Natura

Digitized by Google

Natura urbs 1345
Nazareth 1388
S. Nazarii reliquiæ 31
S. Nazarii ecclesia 28. 29. 30
Neapolitani 459
Neapolitanus Archiepiscopus 17
Nentirsburch 2198
Neomagi palatium 498
Nesse castrum 1254
Neugarden urbs 1266
Neustria 505
Nicea 1346. 1386
Nicena synodus 18
Nicetas 589
S. Nicolai corpus 624
Nicolaus Papa reprehensus 23
Nicolai Papæ decretum 21
Nicolaus I. Papa 464
Nicolai I. Papæ bulla 465
Nicolaus II. Papa 595
Nicolaus III. Papa 928. 1788. 1845
Nicolaus IV. Papa 939. 1845
Nicolaus V. Papa 1032
Nicolaus Daniæ Rex 486
Nicolai Maniacutii versus de Romanis pontificibus 12
Nicolaus Delmenhorstius Archiep. Bremensis 1247. 1265. 1266. 1280
Nicolaus Episc. Ratisb. 2256
Nicolaus Episc. Spir. 2271. 2276
Nicolaitarum hæresis 495
Nikka civitas vide Nicea
Nili ostia 1377
Ninive 1381
Nis castellum 1345
Nitger Ep. Augustinus 2241
Noradinus 1373. 1374. 1375. 1379. 1381
Norberch castrum 2209
Norbertus Abbas Iburgensis, author vitæ Bennonis Episc. Osnabrug. 2161. 2187. sq.
Norda oppidum 490
Nordalbingi 437. 439
Nordalbingia 487. 573. 611
Norimberga 218. 219. 362. 569. 674
Norimbergenses 211
Norimia 480
Normanni 456. 458. 460. 463. 497. 498. 499. 500. 501. 502. 523
Normannia 460. 469. 470. 483. 499. 505. 804. 825
Nordmantinus comitatus 505
Norigowe pagus 87
Northuringia 514
Northusen 816. 1123
Northusensis ecclesia ad S. crucem 520
Northusense S. Eustachii collegium 520
Norwegi 458. 460. 476. 478. 482. 518
Norwegia 470. 484. 485
Nothgerus Leodicensis Episcopus 55
Noviomagium 498. 585
Noviomagensis conventus Principum 452
Nudipedes veniunt Treverim 2226
Numburgensis ecclesiæ Episcopus 263
Nuovele villa 2233
Nuptiæ interdictæ 784
Nygecopinge villa 1253
Nyclotus Obotritorum rex 703
Nyenburg 488

OBotriti 437. 439. 460. 523
Oda Ludolfi Saxoniæ Ducis uxor 460
Odalricus Halberstad. Episcopus 750. 756. 757. 758
Oddo Rex Francorum 501
Odensee civitas 469. 863
Odilo Cluniacensis Abbas 512. 550
Offenbach 2268
Okko de Palude 1279. sq.
Olai regis Daniæ corpus 470
Olaus Daniæ rex 478. 479. 482. 483. 486
Olaus Norwegiæ rex 485
Olderman, caput mercatorum 1230
Oldewater opidum 1208
Olfredus Angliæ Rex 489
Oliverus Angl. R. filius 1406
Oliveri Coloniensis Scholastici historia Damiatina regum terræ Sanctæ 1355
Oliveti mons 1347
Oly Daniæ Rex 481
Omunder Daniæ Rex 481
Onfredus (Hunfredus) de Monrial 1352. 1353
Oppenra oppidum 1294
Oragensis Episcopus 126
Orcades insulæ 470
Orveyde 1251
Orphani 1296
Ofen castrum 1250
Osnaburgensis terra 972
Osnabrugensis urbs 1144
Osnabrugensis Episcopatus 444. 447. 494
Ostergothia 469
Osteriche, pagus 38
Osterland 439
Ostervant Comitatus 1733
Osterwicensis episcopatus 444
Osterwick, civitas 455. 459. 1201
Ostia urbs 451
B. Oswaldi reliquiæ 488
Otgerus Episc. Spir. 2259. 2274
Other Daniæ Rex 477
Othens lacus 477
Ottensteen castrum 1195
Ottersberg castrum 855
Otto Bamberg. Episc. ejusque Epistolæ 54. 55. 231. 233. 370. 218. 219. 233. 357
Otto Halberstad. Episc. & ejus Epistola 344. 349. 352. 353
Otto Episc. Havelbergensis 1270
Otto de Hoya Monasteriensis Episc. 1240. 1248. 1261
Otto Ep. Ratisb. 2247. 2254
Otto Episc. Spir. 2267
Otto Zigenheinius Trevirens. Archiepisc. 1233
Otto I. Imp. 484. 514. 515. 521. 526. 56. 59
Otto II. Imp. 537. 541. 57. 58
Otto III. Imp. 545. 54. 55
Otto IV. Imp. 1749. sq. 814
Otto Bavariæ Dux 59. 598. 607
Otto Brunsvicensis Dux 859. 861. 862. 880. 898. 1250. 1294
Otto Carentanorum Dux 56. 57
Otto Luneburgensis Dux 514
Otto Saxoniæ Dux 509. 511. 1750
Otto Stetinensis Dux 1235. 1262
Otto Dux Slesiæ 1294
Otto Misniæ Marchio 604
Otto Witelsbachius Comes Palatinus Bavariæ 1395
Otto Pictaviæ Comes 1395. 2221
Otto Hojensis Comes 1224
Otto Comes de Reinecca 2198. 2204
Oven urbs 1260
Oxenium 581. 604
Oziliensis Episcopatus 863

PAdberg castrum 1171
Paderborna 594. 614
Paderbornensis ecclesia 455
Paderbornensis Episcopatus 441. 444

Paduani 210. 275
Pagenoza flumen 98
Palæstinæ occupatio & amissio 1349
in Palæstinam expeditio 254. 256. 257. 807
de Palæstinæ amissione poema Germanicum 1455
Paneas 1372
Panidas 1345
Pannonia 482
Panorma 1394
S. Pantaleonis caput 436
Papæ electio 500. 585
Papæ morituri præsagium 555
Papiensis Synodus 16
Parisiense Concilium 1810
Parisiensis urbs 482. 494. 500. 537. 774. 783
Parisiensis urbs capta ab exercitu Burgundico 1227. sq.
Parisiensis academia 864. ad Constantiense concilium scribit 1206. sq.
Parleberg opidum 1256
Paschalis I. Papa 446
Paschalis II. Papa 269. 270. 271. 272
Paschalis II. decreta & epistolæ 17. 233. 234. 259. 260. 261. 270. 273. 274. 275. 276. 277
Passagium 852
Pastorelli 1821. sq.
Pastores hæretici 899
Patera 1346
Patriarchæ 281
Pattensen oppidum 1294
Paulinus, Episc. Ratisb. 2243. 2253
Pelusium 1376. 1378
Pena fluvius 539. 582
Peregrinus Coloniensis Archiepiscopus 558. 561. 562
Perleberga, oppidum 1242
Permund castrum 753
Perona 519
Persia 451
Perweis Episc. Augustanus 2239
Petra deserti 1384. 1387
Petragoræ 460
Petragoricum 907
S. Petri catena 538
S. Petri ecclesia 89. 90
S. Petri ecclesia Ratisbonæ 34
Petri patrimonium 274. 605
Petrus de Luna Antipapa 1204
Petrus Episc. Roschildens. 1220
Petrus Tullensis Episc. 2216. 2217
Petrus Rex Arragoniæ occupat Siciliæ regnum 1790 sqq.
Petrus Abalardi 687
Petrus Comestor 729
Petrus Diaconus 28
Petrus Johannis hæreticus 1087
Petrus Leonis 359. 360. 367. 369. 673. 679. damnatus 16
Petrus Lombardus 727
Pharamia 1379
Philippa Regina Daciæ obit 1295
Philippoli 1345
Philippus Maria Dux Mediolani 1233. 1250. 1251. 1259. 1261. 1312
Philippus Sveviæ Dux Romanor. Rex & Imp. II. 814. sq. 835. 1395. 2221. 2222. 2268
Philippus Bonus, Dux Burgundiæ 1220. 1224. 1226. 1228. 1234. 1300
Philippus Flandriæ Comes 1351
Philippus II. Franciæ Rex 1352. 1353. 1389. 1391. 1393. 1395. 2217
Philippus IV. Franciæ Rex 1864
Philippus Episc. Spirens. 2272. 2276
Philippus Lombardus medicus 2205
Philomena civitas 1381. 1748
Phonasci 866
Picardia 804
Pictavini Episcopi epistola 194
Pilliche castrum 2236
Pilzena urbs 1338
Pipinus 40
Pipinus Aquitaniæ Rex 443. 452. 456. 457. ejus filius Pipinus 460
Pipinus brevis Caroli M. proavus 444
Pipinus Italiæ Rex 440
Pipinus Ludovici Pii filius 445
Pisanum concilium 1192
Placitatio 38
Placitum 33
Plawen, castrum Marchiæ 1201. 1296
de Plawis advocatus 520
Plescowe civitas 1276
Plunense castrum 610
Pokken morbus 1252
Pol castrum 1188
Polaborum terra 683
Polonia 574. 653. 993. 1140
Pontificum Romanorum ditiones & jura 274
Pontificum electio 464
Pontificum nomina mutantur 457
Ponto 87
Poppo Bambergens. Episcop. 71
Poppo Treverens. Archiepiscop. 73
Portensis pagus 465
Prædicatorum ordo 832. 1759. 845. 846. 983. 2226
Præmonstratensis ordo 662
Praga 1159. 1183. 1251
Pragensis academia 1195. 1217
Pragensis ecclesia 370
Presbyter non habeat concubinam aut uxorem 15
Primates 281
Principa 1347
Principius Episc. Spirens. 2258. 2273
Prinslaw oppidum 1262. 1269
in Priwalk castrum 971. 1264
Procopius Capitaneus Hussitarum 1312
Provinciæ Comitatus 1772
Pruel monasterium 2246. 2248
Pruno Episc. Augustanus 2241
Prussia 476. 483
Prutones (Pruteni) 1396
Ptolemais 1351
Pudbusch (Henningus) 1313
de Pudlitz (Ganz) 1202
Pueri terram sanctam petunt 2225
Pusynna, virgo sancta 465

QUadruvium 552
Quedlinburgum 515. 520. 855
Quedlinburgensis ecclesia 515. 520
Quedlinburgense monasterium 525
Quedlinburgense templum 605
de Quidzowe nobiles 1161
(Tidericus) 1201. sq.
S. Quintini monasterium 41
Quintinberch castrum 2223

RAbanus Fuldens. Abbas, Moguntinens. Archiepiscop. 31. 182. 183. 446. 451. 458. 459. 460. 464
Rabani Mogunt. Archiep. epistola 216
Rabanus Episc. Spirens. 2271. 2296
Radbodus Trajectensis episcopus 497
Rabodo Episc. Spir. 2267
Radespona vide *Ratisbona*.
Radulfus Bituricensis Archiepiscopus 459
Rages 1372

Raimun-

Raimundus Comes Tholosanus 1752.sqq. 1760.sq.1766 1768.1770.sq. 1774
Raimundus Tripolitanus Comes 778.779.1350
Rainaldus Antiochenus Comes 1375
Rainaldus de Castellione 1387.1388.1389
Rainaldus Comes de Mans 1374
Rainaldus de Monrial princeps 350
Rainaldus Tripolitanus Comes 1375
Ramelberg mons 515.520.811
Rames!o 456
Ramesloensis ecclesia 458
Ramula 1346
Rani 463
Raspenberg 891
Raspo Lantgrav. Thur. 2236
Ratenowe opidum 1171
Ratenza fluvius 61. 62.79
Ratenzgowe pagus & comitatus 61.62
Ratesdorf 38
Ratharius, Episc. Ratisb. 2244
Ratherus Paderbornensis episcopus 61
Ratisbona 33.35.36.37.38.40.57
Ratisbonensis civitatis origo 33.67.72
Ratisbonensis ecclesia 103.504.36.53.34.51
Ratisbonenses episcopi 34.38
Ratzeburgum 683.1064.1196
Ratzeburgensis ecclesia 539
Ratzeburgensis episcopatus 704
Raon 1345
Reformatio Sigismundi Imp. 1343
Regalia 269.271.332
Reganesburg } vide *Ratisbona.*
Regenesburg }
Regina urbs }
Reginaldus Abbas Augustanus 2242
Reginbaldus Spirensis Episc. 2259.2261.2274
Regingerus Spir. Episc. 2261
Regnevelde monasterium 1271
Regimundi Hierosolymitani Xenodochii præpositi epistola 363
Reimbertus Hamburg. Archiep. 490
Reiner Daniæ Rex 482
Reinhardus Episc. Spir. 2271.2276
Reinherus de Berge 2209.sq.
Rekelinghusen 950
Remaculus 52.54.55.59
Remense Concilium 443.673.1133.2204
Remensis Ecclesiæ privilegia 43.44
Remensis synodi decreta 15
Remigius Remensium Archiepiscopus 41
Remigius Antisiodorensis episcopus 502
Remigius Grammaticus 511
Renaldus Dux Apuliæ 2198
Resenburg castrum 1253
Revalia 855.879.1316. ejus monasterium 521
Revaliense S. Wenzeslai monasterium 895
Reveshol portus 1287
Reyneveldæ monasterium 504.865
Reynwardus Hamburgensis Archiep. 511.512
Ribbenitz monasterium 993. opidum 1141.1260
Richalda Caroli III. Imperatoris uxor 500
Richardus Archiep. Eboracensis canonizatus 1228
Richardus Romanor. R. 902.1778
Richardus I. Angliæ Rex 1352.1353.1354.1389.1391. 1392.1393.1394.1748.2237
Richardus Normanniæ Dux 485
Richolfus Abbas 67
Rienolfus Tergestinensis episcopus 62
Rietpurg castrum 2267
Rintelen opidum 1341
Ripensis civitas 488
Ripensis ecclesia 461.465
Ripensis episcopatus 774
Riphæi montes 470
Ritzerovve castrum 1183.1196
Ro Daniæ Rex 476
Robertus Bambergensis episcopus 182.207.208.209
Robertus Francorum Rex 550.556
Robertus Flandriæ Comes 239.256
Robertus de Bethua 702
Robertus R. Siciliæ coronatur 1809
de Rochowe (Wipertus) 1202
Rodenberg castrum 939
Rodenburg, castrum ecclesiæ Verdensis 1217
Rodis insula 968.1346.1810
Rodolfus Episc. Trajectensis 1325
Rodostos 1345
Rogerius Siciliæ Rex 702.2198
Rolf kraki Daniæ Rex 471
Rollo Danorum Dux 483
Rollo Normannorum Dux 505
Rollo de Norwegia 498
Roma 7.452.622.742
Romana corona 922
Romana ecclesia 77.78.456
Romana synodi 142.143.157.175.181.464.1383
Romania 1345
Romani Pontifices 12.17
Romani Pontificis electio 21.185
Romani Pontificis authoritas 159
Romani Imperatores & Reges 953.976.1053
Romanorum epistola 358
Romanorum Pontificum actus & catalogus 1641.1629
Ronnowe (Tunno) occiditur 1252
Roskilde, urbs 469.476
Rost (Mauri) vita Bennonis Episc. Osnabr. 2190
Rostoc, urbs 976.978.1000.1170.1195.2329. olim Ducibus Meclenburgicis reconciliata 1220
Rostochiensis Academia fundata 1237
de Rostok dominium 959
Rotagen 104
Rothomagum 743. ab Anglis expugnatum 1134
Rottenburg 2272
Rottenfels ecclesiæ Spir. datum 2262
Rotzil portus 1282
Rubardus Episc. Spirens. 2260.2274
Rudgerus Siciliæ Dux 366
Rudhardus Mogunt. Archiep. 210
Rudigerus Spir. Episc. 2263
Rudolfi mons 2200.2201
Rudolfus Habsburgicus Imp. 1785.sq. 922.1282.2269
Rudolfus Sveviæ Dux Germanor. Rex 151.153.156 616.619.620
Rudolfus Burgund. Rex 518.519.520
Rudolfus Dux Saxoniæ 600. 608. 1235
Rudolfus Archiep. Trevir. 2211.2233
Rudolfus Episc. Spir. 2277
Rudolfus Episc. Sverin. natus Dux Stargardiæ 1217
Rudolfus Episc. Traject. 1261.1277
Rugia 461.653.654
Rugiani 465.503.743
Rullingbre 481
Rummelburg castrum 1158
Rumoldus Ratisbon. Episc. 18
Rumpoldus Dux Slesiæ 1254

Runthof castrum 1304
Rupertus Bamberg Episc. 5. 217. ejus Epistolæ 210. 211. 217
Rupertus Romanor. Rex 1182
Ruperti Regis nuptiæ incestæ 16
Rupinense Prædicatorum monasterium 919
Russia 482. 608
de Rutzia (terræ Advocatorum) advocatus 520
Ruzelinus 4
Rynghervec. & Dan. R. 480

SAbaudiæ Comes Dux factus 1227
S. Salzburgensis Episcopi Epistolæ 353. 354
Sacramentum 284
Saladinus 1379. 1380. 1381. 1382. 1383. 1385. 1386. 1387. 1388. 1389. 1393. 2218
Salegowe Comitatus 100
Salernum 1394
Salevelt 591
Salveldense monasterium 606
Saligenstad 459. hujus loci episcopatus 449. monasterium 459
Salzburgensis ecclesia 86. 87
Salzburgensis Archiepiscopi Epistola 287
Samson Comes 519. 520
Samus 1346
Sanar 1375. 1376. 1378. 1379
Sanbaldus Ep. Ratisb. 2253
Sancti 716
Sanctorum omnium festum 451. 455
Sanctonac 460
Sanguinus 1370. 1371. 1372. 1373
Saraceni 438. 474. 495. 509. 519. 812. 1273. eorum regnum 451
Sarburch castrum 2233
Satalia 1346
vetera 1346
Savanarolæ acta 2150. sqq.
Saxonia 106. 436. 439. 478. 483. 495. 659. antiqua 439. 447. occidentalis & orientalis 450. ducatus 649. 681. duces 514. castella 605
Saxones 131. 136. 277. 437. 441. 458. 463. 512. 515. 533. 576
Scania 469. 475. 480. 486. captura halecum celebris 1204
Schachenthal villa 64
Scauria, oppidum Frisiæ 1243
Scarane civitas 469
Schafhusensis ecclesia 299
Schafhusense monasterium 198. 199. 200
Schalitz monasterium 1339
Scherstete curtis 64
Schiddam oppidum 1263
Schiderensis episcopatus 444. 514
Schismatici tolerandi 17
Schonevelt (Henricus) Prædicator. Inquisitor hæreticæ pravitatis 1206
Schura castrum 2207
Schwartzag abbatia 2262
de Schwichelde (Brandanus & Conradus) 1201
Sclaomyr Obotritor. Princ. 450
Scotia 476. 478. 482
Screve 65
Scythicæ paludes 469
S. Sebastiani corpus 451
Secanos vocant se primi Cingari 1225
Segeberg 680. 682. 683. conf. *Sigeberg*.
Seggi Dan. R. 478
Sehusen 697
Seine castrum 2207
Selandia inf. 469. 480
Seligenstad 455
Semigallia 483
Senephia castellum 1346
Senogallia Alexandro VI. Papæ submissa 2147. sq.
Senonis 500
Senonensis Ecclesia 494
Archiep. epistola 281
Seps, civitas Saracenorum in Africa maritima 1214
Sergius II. Papa 457
Sergius III. Papa 509
Sergius IV. Papa 561
Servii 735
Sevena fluvius 456
Sevenburg castrum 1275
in Sibergo monte S. Michaelis monasterium 603
Sibilia, Sibilla Amalrici Hierос. R. filia 1349. 1352. 1394
Sicilia 452. 1377. 1394. ejus Rex 1381
Siculæ Vesperæ 1790
Sidon 1346. 1389
Sifridus Colon. Arch. 938. 947. 949
Sifridus Ep. Ratisb. 2250. 2255
Sifridus de Spanheym evocatus ad Christi tribunal 1258
Sifridus de Veningen 2271. 2276
Sifridus Comes Viennæ 2207
Sigeberge castrum 1028. 1060
Sigeboldus Spir. Episc. 2262
Sigefridus Episc. Spir. 2266
Sigersbert castrum 2209
Sigfridus Moguntin. Archiep. 112. 129. 132. 2222
Sigfridi Mogunt. Arch. epistolæ 111. 117. 120. 121. 122. 124. 125. 129. 130
Sigibertus II. Francor. Rex 52. 59. 60. ejus epistolæ 54
Sigifridus Dan. Rex 499
Sigismundus Rex Romanor. 1317. in Angliam & Galliam profectus 1215
Siloe 1348
Silvester II. Papa 541. 551
S. Simeon 1346
Simon Lothar. Dux 2197
Simon Comes Montisfortis 1751. seq. 1760. sq.
Simonia 127. 131. 142. 143
Simoniaca hæresis 517. in eligendo P. R. 21
Sion mons 1348
Siracunus 1375. 1376. 1377. 1378. 1379
Siur castrum 1346
Siwardus Dan. R. 480. 481. 482
SS. Sixti & Synnitii reliquiæ 456
Skalmere 480
Skayola Dan. R. 476
Slavi 366. 456. 463. 512. 518. 520. 559. 566. 568. 731. 768
Slavia 476. 481. 482. 648
Slesvik 439. 1224. 1270
Slesvicensis ecclesia 461. 465
Slesvicensis episcopatus 777
Slesvicensis ducatus 488. 1150. 1157. 1218. sq.
Slopeize villa 70
Sluttere castrum 862
Sluze opidum 1004. 1137
Smeldingi 439
Snakenburg castrum 1161
Sodric Daniæ R. 480
Soldanus 1377
Soldin opidum 1318
Solwedelensis marchionatus 697
Soltwedel urbs 1161
Solvendi potestas 311
Solumbrea 1345

Sommer-

Sommerſchenburg 549. 805
Sorabi 450
Sozatum monaſterium 913
Spilas villa 1346
Spira 570. 2263
Spirenſis Cleri epiſtola 286. 264
Spirenſis eccleſia & Epiſcopatus 570. 642. 2263
Spiricæ 1346
Spiritus S. proceſsio 442. 736
Spoletanus comitatus 77. 78
Springrus Bohemor. R. 520
Spronkirbacenſis eccleſia 2207
Spyngeus Boh. D. 526
Stabulaus, monaſterium 52. 54. 55. 59. 60. 763. 764
Stadæ civium diſcordia 1238
Stadenſis comitatus 803. 855. 857. 862
S. Stanislaus Epiſcopus Cracovienſis 1777
Stapel 1097
Stargardiæ Duces 1206
Starigard 542
Staſford opidum 1315
Stedingi hæretici 862. 863. 878. 879
Steghen caſtrum 1061
Stendal urbs 697
Stendaliæ S. Nicolai Eccleſia 777
Steinweyler 2264
de Stenberghe (Henricus) 1166
Stephanus II. Papa 501
Stephanus V. Papa 443
Stephanus VI. Papa 505
Stephanus VII. Papa 517
Stephanus VIII. Papa 524
Stephanus IX. Papa 594
Stephanus Halberſt. Ep. 201
Stephanus Leodienſ. Ep. 509. 515
Stephanus Ep. Metenſis 2205
Stephani Pariſienſis Epiſcopi epiſtola 1026
Stephanus Rex Portugalliæ 1214
Stephanus Belvacenus Comes 1357
Stephanus Campaniæ Comes 1351. 1352
Steynfeldt 2260
Stetyn 488
Stokholmenſis civitas 1190
Stolcinfels oppidum 2236
Stolici 2226
Stormariæ comitatus 650
Stoterlingburg monaſterium 674
Strabus 451. 452. 455
Stralefund 833
Straliz caſtellum 1345
Strasburgum, Marchiæ caſtrum 1235
Struomburch caſtrum 33
Stratzeburg oppidum 1165
Strutzeberg oppidum 1185
Stubbe, caſtrum 1224
Svaba Hervordenſis abbatiſſa prima 448
Sudenburg 1108
Svecia 461. 469. 476. 478. 482
Svederus Epiſc. Trajectenſis 1261. 1277
Sveonia 469
Sveſsio 451
Sveve pagus 64
Svevia 519. 753
Svindegerus Mimegardefordenſis Ep. 62
Suitpertus Ep. Auguſtanus 2240
Sulæ 2205
Sultzfeld 2268
Sulverburg caſtrum 1160
Summo 1377
Sundenſis urbs 897. 1144. 1166
Sundenſium civium bellum cum nobilibus 2246. ſq.
Sunderburg caſtrum 1299
Sundershuſen caſtrum 1315
Suouua 1345
Swale fl. 610
Swaneſtede, caſtrum 1240
Swantewird 731
Swei 518
Suuelme villa 2216
Swendebaldus Normannor. Dux 501. 502
Swendeboldus, Swendebordus Lotharingiæ Rex 504. 509
Swenebildis Hervordenſis abbatiſſa 449
Swerinenſis epiſcopatus 803
comitatus 1093
Swerinenſe Minorum monaſterium 935
Sweſtriones hæretici 114
Sweyn Danor. R. 484. 485
Sweyn Norveg. R. 485
de Swichelde (Johannes) 1166. 1264. 1276
Swiderus Bamberg. Ep. 97
Swittershagen 478
Swytergayl Dux Lithuanor. 1314. 1299. 1302
Sya 1377
Syboldesberg caſtrum 1327
Sybotto Epiſc. Spir. 2272. 2275
Sygerus Dan. R. 480
Sylveſter III. Papa 582
Sylumbria 1345
Symbdager Norveg. & Dan. R. 476
Synbertus Ep. Ratisb. 2244. 2253
Synndfelt 437
Syria 1351. 1269
Syria prima 1346

Ablegum 498
Tabor mons 1398. 2226
Tagepertus Ep. Auguſtanus 2239
Tanchelmus hæreticus 289
Tangermunda, caſtrum 1235. ſq.
Tanklem (forte Anklam) oppidum 1149. 1257
Tanquardus Sax. D. 511. 514
Tarſus 1346
Tartari 818. 884. 885. 886. 891. 975. 2231
Templa aperta 1145
Templariorum ordo 633. 971. 1810. 1811
Ternia 78
Terſona 474
Teutonicæ Eccleſiæ 17
Thariſa caſtellum 510
Thebaldus Campaniæ Comes 1351. 1352
Theberga Lotharii Regis uxor 464. 468. 473
Theobaldus Comes Bonemontis caſtri 452
Theodoricus AEp. Trevirenſis 2224
Theodoricus Comes de Morſa Archiepiſc. Colon. 1202. 2222
Theodoricus Mindenſ. Ep. 62
Theodoricus Virdunenſis Epiſcopus 168. ejus Epiſtolæ 167. 169
Theodoricus Carnotenſis 2204
Theodorici III. Franc. R. ſcriptum 60
Theodoricus Flandrenſis Comes 1374. 1381
Theodoricus I. Hollandiæ Comes 472. 473. 495. 517
Theodoricus II. Hollandiæ Comes 517
Theodoricus de Landesberg Marchio 752

Theodorus

Theodorus II. Papa 507
Theodulfus Aurelian. Ep. 450
Theogandus Trever. Arch. 464. 468. 473
Theothinus Portuenſ. Ep. 1374
Theutonia 444. 478. 482
Theutonici 476
Theutonici mercatores 893
Tholoſani Comitatus fata 1266
S. Thomas Cantuarienſis Archiep. 744. 750. 1380. 1745
Thomas Aquinas 902. 915. 923. 1001. 1026
Thomas frater Henrici V. Regis Angliæ 1248
Thomas Walloys 1042. 1045
Thordeus 469. 470
Thore inſ. 477
Thorulfus Orcadum inſul. Epiſc. 471
Thure curia 2205
Thuringi 122. 124. 127. 131
Thuringia 600. 604
Thuringiæ caſtella 605
Thuronis 463. 494. 1354. 1395
Thurunum caſtrum 2221. 2225
Tiberias 1388
S. Tiburtii corpus 446
Ticinenſe concilium 2177. ſq.
Tidericus Comes de Honſtein 1201
Tidericus Comes de Aldenborg 1269. 1323
de Tocce (Iterius) 1409
Todeslo 1159
Toloſani concilii An. 1119. acta 301
Toloſanus Comes 1396
Tornacenſis epiſcopatus 690
Toronia urbs 1279
Torthus caſtellum 1346
Tortuoſa 1383
Tounogowe pagus 70
Tozzo Ep. Auguſtan. 2240
Trajectum ſuperius 499. 1194
Trajectum inferius 497
Trajectum Friſiæ 674
Trajectenſis Eccleſiæ epiſtolæ 289. 314
Trajectenſis Epiſcopatus 444. 497
Travemunde caſtrum 829. 848. 970. 971
Trebetis Epitaphium 6
Trecis 500
Trecenſe concilium 647
Tremonienſis urbs 1154. 1159
Treveris 441. 499
Treverenſis archiepiſcopatus 71. 441
Trevirenſis archiepiſcopi epiſtola 264
Tribürienſe concilium 572
Tripolis 1346. 1362
Tripolitanus Comes 1382
Tris caſtrum 2204. 2207
Trithemii (Johannis) Nepiachus 1825
Trondempnis civitas 470
Truna 102
Tſiinsheym eccleſia fundata 2264
Tubania 1386
Tundera, caſtrum 1222. 1252
Tungris 499
Turci 884. 886. 1248
Turonis caſtellum 1354. 1395. 463. 494
Turonenſe concilium 443
Turpinus Rhemenſis Archiep. 443
Turron caſtrum 2235
Turtuſa 1346
Tuſcana civitas 195
Tuto Ratisbonenſis Epiſcopus 38. 39. 45. 46. 47. 2245. 2254
Tybiſca fluvius 102
Tyburnea civitas 33
Tyclones 472
Tyle inſula 471
Tyle opidum 1163
Tyrus 738. 782. 1346. 1350. 1366. 1389
Tziſa 1340
Tzitza v. *Ciza.*

VAlentianæ 559. 594
Valentinus Papa 451
S. Valeriani corpus 446
Vallersleben 444
Vallerslebienſis epiſcopatus 514
Vallis ſcholarum ordo 1759
Valuwen 366
Vaſconia 907
Ubbo Friſonum Rex 480
Udalricus conf. Ulricus.
Udalrici Auguſtenſis Ep. Epiſtola 23
Udalricus Curienſis Ep. 61
Udalricus Ep. Spir. 1267
Udalricus Laureshamenſis Abbas 27
Veltzen oppidum 1251
Vemeren inſula 1027
Venetiæ 748. 973. 1136. 1200. 1809
Veneyſſinius Comitatus 1771
Vercellenſis ſynodus 183
Verdenſis epiſcopatus 441. 444
Verdonenſis eccleſia 585
Vemeria 42
Vermerienſis ſynodus 375
Veronenſes 711
Veſperæ Siculæ 1790
Vetulus 1380
Uffe Dan. R. 478
Vicegard, caſtrum Bohemiæ 1246
Victor II. Papa 590
Victor III. Papa 624
Vicentini cives 210
Vincentius Januenſis 898. 904
Vinlandia 472
Viromandia 806
Viruchye 725
Vitaliani, pyratæ maris Baltici 1165. 1226. 1231. 1238. 1240. 1252. 1270. 1288. 1290. 1293. 1306
S. Viti oſſa 455
Vlgerus Epiſcopus 1850
Vitoldus Dux Lithuanorum 1253. 1299. 1302
Vleet (Johannes de) in 4. partes ſecatus 1262
Vlenzeburg opidum 1254. 1271. 1302
Ulrici Bambergenſis monachi Codex epiſtolaris 1
Ulricus Ep. Spir. 2267
Ulricus Dux Stargardiæ 1206. 1273
Ultzen caſtrum 1177
Umbertus Sylvæ Ducis Ep. 22

Umfre-

Umfredus Dux Glocestriæ 1261. 1263
Ungari 500. 501. 507. 510. 511. 512. 513. 515. 517. 518. 526. 528. 532. 581. 2246
Ungaria 514. 582. 583. 884. 1345
Ungariæ regnum 1140
Ungariæ reges 658
Unngeld 2268
Unni Hamburgensis archiepiscopus 512. 518. 524
Unwanus Hamburg. Archiep. 549
Vogheding 721
Volchenfelt 92
Volcfeld pagus & comitatus 59. 61. 62. 100
Volquardus Aldenburgensis Episcopus 568
Vördis castrum 852
Vorstenberg castrum 970
Vota monastica 321
Upsala 469
Vraha curtis 79. 80
Vraha fluvius 61. 62
Vratislaviensis clerus 1139
S. Urbani corpus 446
Urbanus Papa 2. 3. 216. 2213
Urbanus II. Papa 626 ejus Epistolæ 196. 197. 198. 199. 200. 201. 202
Urbanus III. Papa 774. 1389. 1746
Urbanus IV. Papa 910. 1778. 1847
Urbanus V. Papa 1103
Urbanus VI. Papa 1129. 1866
Vredeburg opidum 1185. 1233
Vriburg castrum 743
Vrose 444. 514
Ursicampi cœnobium 671
Ursinus Cardinalis 2148. sqq.
Urtiche mons 2236
Usedum, castrum 1246
Utinensis ecclesia 973
Uto Treverensis archiepiscopus 113. 118. 154
Utyne civitas 715
Vulgerii magistri versus 1849
Uthtzense oppidum 1168

WAchenrode 92 parochia. 63
Wagenburg 1269
Waggersleve palus 518
Wagirorum terra 681. 683. 684
Wago Aldenburgensis Episcopus 559
Walaccia 594
Walbertus Saxoniæ Dux 511
Walcherus Cameracensis Episcopus 242
Walda forestum 495
Waldericus Ep. Spir. 2259. 2274
Waldgerus Hervordensis Comes 447. 448. 449
Waldrada. Waldraga Lotharii Regis uxor 464. 468. 473
Waleramus Dux de Limpurch 2221
Waligast v. Wolgast
Walkenred cœnobium 672
Wallersleve 444
Walramus Ep. Spir. 2270. 2276
Walravus Episc. Trajectensis 1325
Waltherus Spirensis Ep. 61. 2261. 2274
Wansleve castrum 1315
de Waren (Dominus) 1206
in Warnemunde castrum 1004. 1297
Warynus Corbeiensis Abbas 456
Wassenburch castrum 950
Wedereoba pagus 69
Welphus Comes 449
Wenceslaus Romanor. R. 1134
Wenceslaus VI. Rex Bohemiæ 1220
Wenceslaus Bohemiæ Dux 528
Wenetehusen monasterium 520. 525
Wennighe castrum 1158
Werberge castrum 828
Werdingburg castrum 1027
Werinharius. Werinherus Argentinensis Episcopus 61. 113
Werle oppidum 938
Wernerius Anti-Papa 258
Wernerus Comes 601
Wernerus de Neutirsburch 2198
Wernherus de Bolandia 2210. 2211. 2225
Westphalia 95. 447
Weyblingen eccles. Spir. datum 2263
Wibertus Longobardiæ cancellarius 21
Wicbertus Anti-Papa 2177. sq.
Wicenburch, Wizenburch 110. 111
Wichebach rivulus 62
Wichterpus Ep. Augustanus 2239
Wiclefi doctrina Constantiæ damnata 1208. sqq.
Widekindus Angarorum Rex 441. 511
Wido conf. *Guido*.
Widonis Osnaburgensis Episcopi scriptum 184
Wido Joppensis Comes, Hierosol. Rex 1387. 1388. 1394
Wigbertus Ravennatensis Archiep. 176
Wigmodia 105
Wihiritbach 92
Wik opidum 1163
Wikbertus Saxoniæ Dux 511
Wildeshusen opidum 1298
Wildeshusensis Ecclesia 512
Wilhelmus Moguntinus Archiep. 537
Wilhelmus I. Angliæ Rex 603
Wilhelmus II. Angliæ Rex 627
Wilhelmus Hollandiæ Comes, Romanor. Rex 894. 1266. 2236. 2237
Wilhelmus Hierosolymitanus Rex 1350
Wilhelmus VI. Comes Hollandiæ 1220. 1223
Wilhelmus Aquitaniæ Dux 437
Wilhelmus de Brunsvic & Luneb. Dominus 840
Wilhelmus Victoriosus Dux Luneburg. 1219. 1224. 1229. 1248. 1250. 1254. 1256. 1272. 1294. 1309
Wilhelmus Longaspea Montisferr. Marchio 1349
Wilhelmus Marchio Misniæ 1217. 1248. 1263
Wilhelmus Marchio Badensis 1312
Wilhelmus de S. Amore hæreticus 898. 903. 1778
Wilhelmus de Brabantia 922
Wilhelmus de Buero 1280
Wilhelmus de Carnoto 1406
Wilhelmus de Egmont 1224
Wilhelmus de Hollandia 1401
Wilhelmitarum ordo 437
Willan Obotritorum princeps 437
Willebertus Colon. Archiep. 494
Willigisus Moguntinens. Archiep. 61. 558. 566

Digitized by Google

Wilzi 440. 575
Wilznacum 1142
Windelici 578
Winedi 106
Winneringen 78
Winterbach 1263
Winzen opidum 1174 conf. Wynsen.
Wipertus Verdensis Ep. primus 441
Wirceburgum v. *Würzburgum.*
de Wirsone (Herveus) 1406
Wirtizlaus Dux de Wolgast 1262
Wismaria 878. 978. 1153. 1195. 1282. 1297
Wistoek opidum 1164
Witechindus Rex Saxonum 1172
Witenburg 487. 1160
Witelich villa 1201
de Withe (Georius) 1401
Witheslech 475
Withletus Norveg. & Danorum Rex 478
Wittenberga, Anhaltinorum Ducum Saxoniæ locus hæreditarius 1145
Wittense 822
Woldenberg castrum 939
Woldenstein castrum 1341
Wolfgangus Ratisbonensis Ep. 57. 58. 1145. 1154
Wolframmus comes 1164
Wolgast 653. 768. 1149
Wolmensteen castrum 938
Woring castrum 938
Worm Daniæ Rex 512
Wormatia 280
Wormatiensis conventus 664
Wormatiensis ecclesiæ epistola 279
Wormatiensis episcopi electi epistola 279
Wratislavia ad Imperium olim jam pertinuit 1232
Wratislaus Bohemor. Dux 582
Dux de Wolgast 1243
Wulfesbotel castrum 1309
Würzburgensis diœcesis 61
Wurzburgensis ecclesia 101. 192
Wurzburgensis episcopus 81
Wusterowe 1181
de Wyda advocatus 510
Wydela castrum 1176
Wymundus Danor. Rex 478
Wynfridus (Bonifacius) 447
Wynsen castrum 1160. 1333
Wysera (Visurgis) 440
Wizzenburch 1345

YLowe castrum 723. 724
Ynadus Paderbornens. Ep. 449
Ymbria, insula maris Baltici 1119. 1140. 1172
Ymmenes Britonum Rex 464
Ypra 1137
Ysarnho, saltus 469
Ysenburg castrum 938
Ysenburg monasterium 639
Ysesporch 476
Yslandia 471
Ysmarus Slavorum Rex 481
Ysnachiæ 1351
Ytzeho 826

ZAbolina pellis 737
Zeinn (Comes de) 1105
Zelle castrum 1160
Zeysolffus comes 1164
Ziur 1345
Zoluera 1101
Zorbeke, oppidum 1126
Zorno tyrannus 1135
Zwerin 719. conf. Sverin.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google